BIBLIA SACRA
POLYGLOTTA,

COMPLECTENTIA

Textus Originales, HEBRAICUM, cum Pentateucho Samaritano, CHALDAICUM, GRÆCUM.

Verſionumque antiquarum,
SAMARITANÆ,
GRÆCÆ LXXII Interp.
CHALDAICÆ,
SYRIACÆ,
ARABICÆ,
ÆTHIOPICÆ,
PERSICÆ,
VULG. LAT.

Quicquid comparari poterat.

Cum Textuum, & Verſionum Orientalium Tranſlationibus Latinis.

EX

VETUSTISSIMIS *MSS.* UNDIQUE CONQUISITIS,
optimíſque Exemplaribus impreſsis, ſummâ fide collatis.

Quæ in prioribus Editionibus deerant ſuppleta.
Multa antehac inedita, de novo adjecta.
Omnia eo ordine diſpoſita, ut Textus cum Verſionibus uno intuitu conferri poſſint.

Cum APPARATU, APPENDICIBUS, TABULIS, VARIIS LECTIONIBUS, ANNOTATIONIBUS, INDICIBUS, &c.

Opus totum in ſex Tomos tributum.

Edidit BRIANUS VVALTONUS, S. T. D.

Rationes quibus Opus hoc ſuſceptum,
Quorum Auſpiciis & munificentia promotum,
Quorum collatis ſtudiis & laboribus perfectum,
Quidque in hac Editione præ reliquis præſtitum,
Sequens Præfatio indicabit.

LONDINI,
Imprimebat THOMAS ROYCROFT,
M DC LVII.


HEXAPLA
BIBL. REGIA
BIBL. VENET.
BIBLIA POLYGLOTTA
Lombart sculpsit

BRIANVS WALTONVS. S.T.D. CANTAB. COLL. S PETR.
E CLEVELANDIA IN COMITAT. EBORAC
BIBLIA POLYGLOTTA INCHOAVIT. A°. DOM. M.DC.
LIII. ABSOLVIT A°. M.DCLVII. A° ÆTATIS SVÆ. LVII.

LABORE ET CONSTANTIA

1807



S.S.
BIBLIA
Polyglotta.

Complectentia Textus Originales

HEBRAICOS cum
Pentat. *Samarit:*
CHALDAICOS
GRÆCOS.

Verſionumq; Antiquarum

SAMARIT:	GRÆC. SEPT.
CHALDAIC:	SYRIACÆ.
LAT: VULG:	ARABICÆ.
ÆTHIOPIC.	PERSICÆ.

Quicquid comparari poterat.

Ex
SS. Antiquiſs: undiq Conquiſitis optimiſque Exemplaribus impreſsis ſumma fide collatis.
Edidit
Brianus Waltonus *S.T.D.*
Anno. M.D.C.LVII.

I. Webb inv.

W. Hollar fecit.

220.5 Cand
1514

BRIANI WALTONI S.T.D.
IN BIBLIA
POLYGLOTTA
PRÆFATIO.

INTER plurima beneficia quæ D. O. M. populo ſuo liberaliter contulit, hoc quaſi præcipuum refert vates Regius Pſal. 147. 19. quod *verbum ſuum annunciavit Jacobo, juſtitias & judicia ſua Iſraeli.* Unde Apoſt. Rom. 3. 1, 2. inter prærogativas populi Judaici maximam æſtimavit, quod *Credita ſunt illi eloquia Dei.* Quid enim aliud ſunt Scripturæ S. quam *Epiſtola omnipotentis Dei ad creaturam ſuam* (ut olim S. Auguſtinus) in qua voluntatem ſuam de vero ejus cultu, & æterna hominum ſalute patefecit? *nam de illa civitate unde peregrinamur* (ut idem) *hæ literæ nobis pervenerunt.* Ex his ſalutaria vitæ ac morum præcepta petenda, quæ non ex Stoæ effatis, Academiæ placitis, vel Lycei ſcatebris; non ex Memphiticis myſteriis, Platonis vel Pythagoræ dictatis, vel turbidis Philoſophorum lacunis, ſed ex Academia cœleſti puriſque Iſraelis fontibus haurienda. Eſt enim Scriptura *fons aquæ vivæ, de quo qui bibit, non ſitiet in æternum*; Manna cœleſtis, cibus ille Angelorum *qui de cœlo deſcendit, de quo qui comederit, nunquam morietur*; Edenis hortus, ubi arbor vitæ fructus protuberans ſingulis menſibus ad cibum, cujus folia ſunt ad medicinam; Panoplia Spiritualis contra omnes animæ hoſtes, Antidotum contra peſtiferas hæreſes, Catholicon peccantes humores purgans. Et ut paucis dicam, S. Scriptura eſt quæ ignaros inſtruit, errantes in viam revocat, currentes roborat, infirmos reficit, eſurientes ſaturat, contra hoſtes protegit, in adverſis ſolatur, denique inſtar Cynoſuræ fluctibus & tempeſtatibus hujus ſeculi jactatos ad æternum ſalutis portum dirigit. In hoc terreſtri Paradiſo dum exſpatiamur, cum Deo Opt. Max. beatiſq; Angelis verſamur, cum Patriarchis & ſanctiſſimis Patribus, Prophetis & Apoſtolis, imo cum Chriſto Dei filio unigenito ſalutis noſtræ duce colloquimur, a quo, qui eſt via, veritas & vita, veram ſapientiam diſcimus quæ ad vitam ſempiternam viam monſtrat.

Quicquid vero de Scripturæ præſtantia, ſufficientia, perſpicuitate, auctoritate ſumma & uſu admirabili dici poteſt, paucis complectitur Gregorius XIII Pontifex Romanus, literis Apoſtolicis ad Regem Catholicum datis, quæ Bibliis Regiis præfixæ ſunt, ubi inter alia hæc habet, *Scripturarum beneficium permagnum eſſe: nam quod ad Theologiam attinet, quæ eſt ſumma Philoſophia, his libris omnia noſtræ Religionis & Divinitatis myſteria explicantur; quod vero ad eam partem attinet quæ Moralis nominatur, hinc quoque omnia ad omnes virtutes præcepta colliguntur, quibus quidem duabus partibus omnis noſtræ ſalutis & fælicitatis ratio continetur, ut nihil eſſe poſſit horum librorum lectione dignius, nihil fructuoſius, nihil omni hominum generi accommodatius, nihil majori doctrina & ſapientia refertius.* Hæc Pontificis verba plane aurea cum veriſſima ſint, à vero multum aberrant qui Scripturam in neceſſariis mancam, obſcuram, ambiguam, vel ab Eccleſiæ auctoritate, ſaltem quoad nos, pendentem faciunt. Conſtituit quidem Deus Eccleſiam oraculorum ſuorum cuſtodem & interpretem fidelem, unde *firmamentum & columna veritatis* dicitur, at Judicem Scripturæ non fecit, ſed Scripturam ipſam, ſi non Judicem proprie dictum, normam tamen & regulam, ſecundum quam controverſias circa fidem dijudicare debet Eccleſia, omnibus propoſuit. Nec auctoritatem aliunde habere poteſt, quàm ab auctore Chriſto, non ab ipſis Prophetis vel Apoſtolis, multo minus ab ordinariis Eccleſiæ Rectoribus: nam teſte S. Auguſtino c. 25. De conſenſu Evangeliſt. *Illud literis conſignarunt Apoſtoli tanquam membra, quod dictante Chriſto Capite cognoverunt.* Et Theodoret. Præf. in Pſal. nec non Greg. præf. in Job, *Linguas & manus Scriptorum ſacrorum nihil aliud quam Sp. ſancti calamos appellandos eſſe* cenſuerunt. Etſi autem in librorum ſacrorum conſervatione Eccleſiæ opera uſus ſit Deus, tamen ſpeciali providentia eis ita invigilavit, ut ab ipſo primo inſpiratos eſſe miranda ipſorum conſervatione monſtrarit, dum divina hæc fidei ſpeiq; noſtræ monumenta tantis munivit præſidiis, ut per tot ſeculorum decurſus, inter tot imperiorum ruinas, tot regnorum mutationes & κατακλύσμους, inter tot librariorum tranſcriptiones, exemplaribus inter tot nationes diſperſis, tanta terræ mariſque intercapedine disjunctas, ſoloque fidei nexu colligatas, contra Hæreticorum fraudes, & Tyrannorum furores, qui ea vel corrumpere vel abolere totis viribus conati ſunt, ſarta tecta ad noſtra tempora conſervata, & ad ultimam temporis particulam permanſura ſint.

Cumque Eccleſiæ utriuſque Fœderis libri à Chriſto concrediti ſint, multum falluntur qui Codices Hebræos ad Eccleſiæ curam non pertinere affirmant, ſed quaſi Judæorum propria eſſent, exemplaria Judaica & libros Judaicos appellant: nam ex quo Judæis libellus repudii à Deo datus eſt, injuſti facti ſunt Codicum ſacrorum poſſeſſores, quorum cuſtos Eccleſia, quæ in jus & hæreditatem ſucceſſit, à Chriſto conſtituta eſt. Judæi enim, teſte Apoſtolo, *velamen habent ſuper corda ipſorum poſitum cum legitur Moſes*, & in cortice hærent, ad medullam non penetrant, unde facti ſunt, ut loquitur idem S. Auguſt. bajuli, & capſarii noſtri, qui libros vet. Teſt. pro nobis portant, & inſtar cæcorum qui ſpecula polita manibus geſtant in quibus alii multa vident, ipſi nihil. Abſurdum plane eſt, Teſtamentum quod Deus nuncupavit, & in quo Eccleſiam Hæredem conſcripſit (inquit vir doctus) in alias Linguas traductum Eccleſiam colere & conſervare, ipſum vero Teſtamenti Prototypon quaſi ad eam non pertinens ut corruptum negligere & rejicere. Semper enim habuit Eccleſia viros Hebraice doctos licet ſcriptis haud multum notos, nec quot hoc ultimum ſeculum produxit, quorum opera codices Hebraici conſervati ſunt; nec deerant exemplaria antiquiſſima in Chriſtianorum Bibliothecis, quæ cum iis quæ Judæi publicarunt prorſus conveniunt, ex quibus conſtat Judæos nec etiamſi vellent potuiſſe libros Vet. Teſt. corrumpere, nec in iis corrumpendis aliquid tentaſſe, cum inter eorum exemplaria & noſtra nullum inveniatur diſcrimen, niſi quod ex ſcribarum errore fortuito accidere poſſet.

Etſi vero cum in *Judæa tantum notus erat Deus, & nomen ejus magnum in Iſraele*, (qui tanquam hortus concluſus a toto orbe diviſus erat) oracula ſua ſermone tantum Hebræo communicare dignatus ſit, unde gens illa ſola rore cœleſti irrigata fuit, appropinquante tamen temporum plenitudine, qua maceriam diruere, & pomœria dilatare, omneſque gentes in ſempiternum fœdus recipere altiſſimo conſilio Deus conſtituerat, quod per filium ejus unigenitum promulgare, & per ejus mortem ſancire voluit, ante exortum Solis illius juſtitiæ, Vetus Teſtamentum in Græcum ſermonem, qui omnium latiſſime per orbem eo tempore propagatus erat, per LXXII Interpretes, juſſu Ptolemæi Philadelphi Regis Aegypti admirando conſilio transferri voluit; quæ verſio inſtar ſtellæ matutinæ gentes denſiſſimis ignorantiæ tenebris immerſas ad Evangelium recipiendum paratiores reddidit, cum quæ de Chriſto ab Apoſtolis promulgata erant à Prophetis in linguam ſibi notam transfuſis multo antea prædicta fuiſſe legerent, unde verſionem hanc *oſtium ad Chriſtum*, non ſine cauſa, appellavit S. Chryſoſtomus. Ex hoc autem, ut & ex eo quod Novum Teſtamentum eadem lingua conſcriptum ſit, & quod cum Apoſtolos cum mandatis miſit Dominus ut Evangelium omni creaturæ ſub cœlo annunciarent, variarum linguarum dona eis cœlitus contulerit, ut omnes ubique linguis propriis τὰ μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ audirent, oſtendit ſe nolle doctrinam cœleſtem in aliquo orbis angulo deliteſcere, ſed in omnes linguas fore traducendam, ut ex fontibus per verſiones tanquam canales, nationes ſingulæ aquam ſalutis haurirent. In quo adorandam Dei ſapientiam cernere licet, qui ut per Linguarum diviſionem ædificatores Babelis impediit, eoſque in varias terras diſperſit, ſic per linguarum varietatem Eccleſiam ex omnibus terris collegit, Domumque ſpiritualem cujus faſtigium cœlos ſuperat earundem Linguarum adminiculo æternùm permanſuram erexit, adeo ut quod primùm magnæ in homines pœnæ loco inflictum erat, poſtea inter divini favoris χαρίσματα ſummaque beneficia quæ naſcenti Eccleſiæ contulit merito numeraretur. Nam hinc factum eſt, ut Chriſtiana Religio totius orbis ambitum brevi occupaverit, & ultra Solis itinera propagata fuerit. Ceſſantibus autem donis illis extraordinariis, verſiones in Linguas vernaculas neceſſario faciendæ erant, nam ut Ptolem. Rex in epiſtola ad Judæorum Pontificem, apud Epiph. lib. de ponder. & menſ. Θησαυροῦ κεκρυμμένου, καὶ πηγῆς ἐσφραγισμένης τίς ὀφέλεια; *Theſauri abſconditi, & fontis ſignati quæ utilitas?* Unde primis Eccleſiæ ſeculis, unacum fide, S. Scripturam in pleraſque Linguas traductam fuiſſe legimus, teſtibus Auguſtino, Chryſoſt. Hieronymo, aliiſque veterum. Inter alios vero affirmat Theodoretus lib. 5. de cur. Græc. affectibus, ſuis temporibus *univerſam faciem terræ, quantacunque Soli ſubjicitur, ejuſmodi verborum* (Sacræ Scripturæ) *plenam eſſe*, ἡ Ἑβραίων φωνὴ οὐ μόνον εἰς τὴν Ἑλλήνων μετεβλήθη, ἀλλὰ καὶ εἰς τὴν Ῥωμαίων, καὶ Αἰγυπτίων, καὶ Περσῶν, καὶ Ἰνδῶν, καὶ Ἀρμενίων, καὶ Σκυθῶν, καὶ Σαυροματῶν, καὶ συλλήβδην εἰπεῖν, εἰς πάσας τὰς γλώττας αἷς ἅπαντα τὰ ἔθνη κεχρημένα διατελεῖ, *Libroſque Hebraicos non in Græcum tantum idioma converſos eſſe, ſed in Romanum, Ægyptiacum, Perſicum, Indicum, Armeniacum, Scythicum, adeoque Sarmaticum, uno verbo in omnes Linguas quæ ullibi in uſu ſunt* Nam quod de Lingua Sclavonica dixit olim Johannes Papa VIII. epiſt. ad Sfontem Comitem de Methodio apud Baron. anno 880. de reliquis affirmari poteſt, *Sanæ fidei non repugnat ſacra Evangelia & lectiones divinas Vet. & Nov. Teſt. bene tranſlatas Lingua Sclavonica canere, quoniam qui fecit Linguas principales, Hebræam, Græcam & Latinam, creavit & alias omnes ad laudem & gloriam ſuam.*

Præpoſtere quidem agunt, qui Verſiones Authenticas faciunt, vel fontibus æquant, multo magis qui iiſdem præferunt: tacite enim dum hæc ſcribunt detrahunt tum Providentiæ divinæ, quaſi minus circa Textus originales quam circa verſiones invigilaſſet, tum Eccleſiæ fidelitati, cui tabulas Authenticas, non Verſiones Deus primario concredidit, quaſi eas per negligentiam corrumpi vel perire permitteret: ſacrum enim hoc depoſitum tanquam communem fidelium poſſeſſionem incolumem ſervare debuit, nec pati tantum theſaurum per incuriam ſuam ſibi de manibus eripi, vel contaminari. Quicquid in verſionibus boni reperitur, à fontibus derivatur, & ex hoc auctoritatem conſequuntur tranſlationes quod cum fontibus conveniunt, eorumque ſenſum apte exprimunt. Qui autem generatim Textum per verſionem corrigendum volunt, idem faciunt ac qui Solis motum per Horologium regulandum fore contenderent. Cumque Textus originales à Sp. S. dictati initio authentici fuerint ut omnes concedunt, libenter ſcire velim quando Sp. S. auguſtas illas ædes & ſacra veluti templa deſeruerit; ſi vero tempus aſſignari non poterit, tanquam in poſſeſſione αὐθεντίας poſiti ab omnibus ſuſcipiendi ſunt. Licet autem verſionibus fontium prærogativas non concedamus, multiplicem tamen verſionum, præſertim antiquarum, & quæ Eccleſiæ primis ſeculis in uſu erant, utilitatem, cæcus eſt qui non videt, ingratus qui non agnoſcit: verſiones enim velum detrahunt, ut in Sanctum Sanctorum introſpiciamus; corticem frangunt, ut nucleum latentem eruere poſſimus; lapidem de fontis ore tollunt, ut aquas quis haurire poſſit tam pro ſeipſo quam pro gregibus ſuis: verſionum etiam tum inter ſe tum cum textu primævo collatio, earum præſertim quæ apud priſcam Eccleſiam obtinuerunt, & in Linguas Orientales traductæ erant, optima ſunt media, tum ratione cognationis cum Linguis Originalibus, tum uſûs & auctoritatis per Eccleſiam, quibus verus in obſcuris locis ſenſus elici & lectio genuina in dubiis vel depravatis reſtitui poſſit. In verſionibus enim iſtis non privati alicujus Doctoris, ſed plurium Eccleſiarum vocem audire, eaſque conſulere licet, quarum ſenſum in omnibus fidei Chriſtianæ capitibus tanquam ſpecula exquiſitâ arte polita lucidiſsime repræſentant. Præterea Textus & Verſiones, præſertim antiquæ, mutuas ſibi ſuppetias ferunt: nam ut Verſio Textũ explicat, ſic Textus Verſionem cum mendæ occurrunt corrigit, & ut Textus Verſionibus auctoritatem confert, ſic Verſiones antiquæ de Textus integritate teſtantur. Cumque ex Scribarum incuria aliiſque cauſis fieri non poſſit quin in minutis quibuſdam

dam Codices frequenter deſcripti variant, unde melius ſtabiliri poteſt vera lectio, quam ex antiquorum exemplarium & verſionum collatione? quæ ex ipſis libris Archetypis per pauciores deſcriptiones traducta eoſdem clarius & fidelius repræſentant, quam quæ ſerius deſcripta ſunt, quæ ſicut rivuli quo longius a fontibus feruntur eo minus eorum puritatem ſervant, faciliuſque ſordes contrahunt. Per plures verſiones etiam Hæreticorum aliorumque corruptelis occurritur; quod enim in una fortaſſe efficere poſſent, in tot variarum Linguarum nunquam poterant. Tandem conſenſus & Harmonia tot verſionum diverſis temporibus factarum, & apud gentes tantis terræ mariſque intervallis diſtantes, quaſi vox Dei eſt de cœlo teſtificantis, ſe horum librorum autorem eſſe, qui contra omnem hujus mundi potentiam eos mirabiliter conſervat.

Præclaram itaque operam navarunt viri doctiſsimi, quorum memoria in æternum benedicta erit, qui in hoc laborarunt ut ſacra hæc myſteriorum divinorum Scrinia, Regis ſummi de ſalute humani generis ac hæreditate æterna Diplomata, ex optimorum codicum collatione recognita, & à ſitu vel ſqualore quem temporum injuriâ vel ex aliis cauſis contraxerunt, vindicata, pura & incorrupta poſteris tranſmitterent, necnon & illi qui verſiones antiquas adornarunt, in Eccleſiæ commodum & fidei propagationem, maximè qui textus cum verſionibus ediderunt, omnibus ita diſpoſitis ut mutua inter omnes collatio inſtitui poſſet, ut monumenta hæc Religionis Chriſtianæ, quantum per humanam diligentiam fieri poſſit, immaculata in perpetuum Eccleſiæ uſum permanerent. Quid à veteribus præſtitum ſit, tum circa S. Scripturæ verſiones tum circa ejuſdem editiones, in Prolegomenis fusè enarravimus, quæ hic repetere Præfationis brevitas non permittit. Ad hæc itaque lectorem remittimus, ubi quæſtiones præcipuas de Textu & verſionibus ſingulis, & de harum antiquitate, auctoritate & uſu pro virili explicavimus.

De celebrioribus quæ hoc noſtro & ſuperiori ſeculo prodierunt Bibliorum editionibus, quæ ad rem noſtram ſpectant levi brachio perſtringam, de quibus etiam in Proleg. uberius diſſeruimus.

Complutenſem Bibliorum Editionem procuravit Franciſcus Ximeneus, Cardinalis, & Archiepiſc. Toletanus (qui Academiam Complutenſem fundavit) operâ Theologorum Complutenſium, ſumptibus propriis anno 1615. ſex Tomis comprehenſam. Hæc editio quaſi fundamentum erat ſuper quo plura ædificarunt qui editiones præcipuas ſequentes adornarunt. In ea exhibentur Teſt. Vetus Hebraicum cum Vulgata Latina, verſio LXXII Interpretum Græca cum tranſlatione Latina, Chaldaica Pentateuchi Paraphraſis Onkeloſi cum ejuſdem Latina verſione, omnibus per columnas diſpoſitis more Origenico, Teſtamentum novum Græcum ſine Spiritibus & Accentibus, ut ipſum αὐτόγραφον meliùs referret, cum Latina etiam tranſlatione, Apparatu, *&c.*

Circa idem tempus prodiit prima Editio Veneta Bibliorum quæ Rabbinica à quibuſdam vocantur, per Dan. Bombergum Typographum celeberrimum, qui poſtquam linguam Hebraicam didicerat eandem mirificè propagavit. Horum Bibliorum quatuor extant editiones, quarum ſecunda & tertia reliquis præferuntur, In quibus præter textum Hebraicum, adjicitur Chaldaica Paraphraſis Onkeloſi per Pentateuchum, Jonathanis in Prophetas priores & poſteriores, & Joſ. Cæci vel aliorum in Hagiographa. Adduntur etiam Rabbinorum ſaniorum commentaria quædam cum Maſora textuali & finali, Targum Hieroſolymitano, *&c.* Cùm verò Chaldaicæ Paraphraſis punctatio valde imperfecta & vitioſa extiterit, aliam eorundem Bibliorum editionem paravit D. Buxtorfius, excuſam Baſil. Anno 1618. in qua innumeris locis punctationem veram reſtituit, loca depravata emendavit, Maſoræ errata plurima caſtigavit, ita ut per immenſos viri Clariſſimi labores Baſilienſis hæc editio omnibus Venetis meritò præferenda ſit.

Editiones Munſteri, Stephani (quæ ob Annotationes à multis Vatabli dicitur) Hutteri, & aliorum prætereo. Palmam omnium eruditorum conſenſu tum his tum reliquis præripiunt Antwerpienſis Regia, & nupera Pariſiana D. Michaelis de Jay. Illa, Regia dicta, quia impenſis Philippi II. Regis Hiſpaniarum lucem vidit, An. 1571. octo Tomis Chartâ Regali comprehenditur, & tum verſionum quarundam acceſſione tum apparatu, Typorum etiam ac Chartæ elegantia omnes quæ præceſſerant multis paraſangis ſuperat; unde à quibuſdam *orbis miraculum* dicebatur. Summam etiam curam adhibuit ut fideliter & caſtigatiſſime omnia prodirent Ben. Arias Montanus qui editioni præfuit. In hac præter ea quæ in Complutenſi extiterunt, adduntur, Textus Hebraicus cum verſione interlineari, quæ plerumque eadem eſt cum Pagnini, Tomo peculiari, Paraphraſes non tantum Onkeloſi in Pentateuchum, ſed & Jonathanis in Prophetas, & Joſ. Cæci vel aliorum in Hagiographa. In No. Teſt. præter Textum Græcum & verſionem Latinam interlinearem ad verbum Græco reſpondentem, adjicitur verſio illa antiqua Syriaca Novi Teſtamenti tum Syriacis tum Hebraicis characteribus exarata, cum verſione Latina Guidonis Fabricii Boderiani, quam primo typis Syriacis Maroniticis, auſpiciis & ſumptibus Ferdinandi Imperatoris, Viennæ edidit Widmanſtadius, ejuſdem per Germaniam Cancellarius; deſunt tamen epiſtolæ Catholicæ & Apocalypſis, quæ in verſione illa quam *antiquam* & *ſimplicem* vocant, nunquam extiterunt. Apparatus etiam magnus extat duobus Tomis, in quibus varii tractatus, Grammaticæ, Lexica quædam, cum variis quibuſdam lectionibus, Tabulis, Indicibus, *&c.*

Pariſiana ſumptibus Clariſſ. viri D. Michaelis de Jay decem Tomis Chartâ Imperiali, in lucem exiit Anno Domini 1645. Biblia hæc a VII Linguis *Heptaglotta* dicuntur, opus ſplendidum, quod Regiam illam, tam Typorum & Chartæ magnificentia quàm verſionum quarundam antiquarum, quæ antea non editæ, additione longo intervallo poſt ſe relinquit. Nam præter illa in Regiis quæ hic recuſa (excepta verſione Interlineari & Apparatu) de novo adjiciuntur, Pentateuchus Samaritanus antiquo charactere Hebraico, qui Judæis in uſu erat ante Captivitatem Babylonicam, cum verſione Samaritana & tranſlatione Latina utriſque accommodata, Vetus etiam Teſtamentum Syriacum antiquæ verſionis, quam *Simplicem* appellant Syri, quæ ex fonte Hebræo facta eſt non multo poſt Apoſtolorum tempora, quam primus punctavit Gabriel Sionita *S. T. D.* Linguarum Orientalium profeſſor nuper Pariſ. Hanc ab altera recentiore diſtinguunt ex Græca τῶν ό verſione traducta, quæ tamen ante annos mille extitit, ut alibi oſtendimus, licet publice in Officiis divinis non uſurpetur, ſed tantum illa antiquior. Arabicè etiam tam Vetus Teſt. quam Novum, quæ ex antiquo exemplari Arabico in Ægypto ſupra annos abhinc 300. exarato primus in lucem produxit idem Sionita, qui etiam verſiones Latinas tam Syriacæ verſioni, quam Arabicæ appoſuit. In Opere hoc magnifico præter Sionitam laborarunt etiam viri Doctiſsimi Johannes Morinus & Abraham Ecchellenſis. Dolendum tamen opus eximium ex diſsidio quorundam abortum quaſi paſſum fuiſſe, & mutilatum in lucem prodiiſſe, antequam ultimam manum impoſuerant ejus editores: nam præter Apparatum, Tabulas, varias lectiones, Indices, *&c.* multa alia deſiderantur, ut ex hujus cum noſtra collatione in ſequentibus patebit.

Abſit ut virorum doctorum laboribus qui ante nos in hac arena ſudarunt quicquam detraham, vel eorum nominibus tenebras offundam: indignum enim eſt viro Chriſtiano, honori eorum qui præclare de Eccleſia & literis meruerunt, qui viam nobis monſtrarunt, facemque tradiderunt, maculam vel leviſſimam inurere; imò magnas ex pectore iis gratias agimus qui tanta nobis reliquerunt doctrinæ monumenta, quorum ope adjuti hoc quicquid eſt in Domo Dei elaboravimus; nos eorum veſtigiis inhæremus, & ſuper fundamenta ab iis jacta ædificavimus; hæc grati agnoſcimus. Cum tamen in omnibus editionibus multa hactenus inedita deeſſe animadverterimus quæ cum magna utilitate adjici poſſent, & exemplaria meliora & editiones verſionum quarundam limatiores comparari, omniaque in meliorem ordinem ad ſtudioſorum uſum redigi poſſe, quæ tamen multo minori precio conſtarent, nemo de conatu noſtro circa novam editionem ſiniſtrè judicet: nam, ut de ſe dixit Hieron. Epiſt. ad Chromatium, *non ſic nova cudimus, ut vetera deſtruamus*, ſed ut idem Præf. in Pent. *poſt priorum ſtudia in domo Domini quod poſſumus laboramus*. Quidnam verò à nobis præſtitum ſit, per brevem totius operis Hypotypoſin explicabimus, ex qua etiam quodnam intercedat diſcrimen inter hanc & aliorum editiones omnibus innoteſcet.

Itaque præter textus & verſiones quæ in Bibliis Complutenſibus, Regiis, vel Pariſianis habentur, quæque in noſtris ſummâ curâ imprimuntur, multa alia vel de novo adduntur, vel ex melioribus editionibus proferuntur, vel methodo aptiori exhibentur.

1. Textus cum verſionibus ſic ordinavimus, ad morem Origenis Hexaplων, ut Lector omnes ſimul intueri & inter ſe conferre poſſit, ſine plurium voluminum inſpectione, quod in magnis illis Tomis, præſertim Pariſienſibus, magno tædio temporiſque diſpendio faciendum eſt.

2. In Vet. Teſt. Textum Hebraicum, verſionum fontem & totius ſtructuræ fundamentum, primo loco ſubſternimus, cum punctatione uſitata, quam appoſuerunt Maſorethæ, non ex arbitrio ſed ſecundum antiquam & receptam lectionem quam à ſacris Scriptoribus per continuam traditionem acceperunt, ut alibi docuimus. Exemplar interlineare in Bibliis Regiis ſecuti ſumus, ſecundum quod Keri & Ketib notavimus, circello ſupra vocem textualem poſito, ipſum vero Keri in margine (anguſto ſatis) non appoſuimus, nec, ut in Pariſianis prorſus omiſimus, ſed in ultimum Tomum inter reliquas variantes lectiones rejecimus, ubi non tantum ex Editione interlineari, ſed etiam ex aliis celebrioribus (inter quas magnum diſcrimen invenitur, quicquid in contrarium affirmarunt nonnulli) duplicem Catalogum confecimus: quæ autem de his agitantur controverſiæ, eorumque origine, numero, & uſu, in Proleg. examinantur, Literas etiam majuſculas, minuſculas, ſuſpenſas, inverſas, medias, voces non punctatas, aliaque hujuſmodi, cum in pleriſque editionibus exprimantur, retinuimus, non quod myſteria in iis ineſſe credimus, ſed nè quis aliquid deeſſe quod in aliis editionibus habetur conquereretur. De quibus, ut & de Maſora, Cabala, *&c.* in iiſdem Proleg.

3. Cumque nec in Complutenſibus nec in Pariſianis extet verſio aliqua Latina quæ Hebræum ad verbum exprimit, Pagnini verſionem quæ omnium maxime ad textum Hebræum accedit, à Ben. Aria Montano & aliis ad verbum expenſam, & alicubi mutatam, ut cum Hebræo exacte conveniret, alio tamen charactere notatam, inſeruimus, quæ licet alicubi barbara, nec ita commodè ſenſum exprimere ac Pagnini videri poſſit, in hoc tamen veniam meretur, quod non ad elegantiam ſermonis Latini, ſed ad vim vocis Hebraicæ exprimendam in uſum tyronum mutata ſit, unde qui Hebraicæ Linguæ periti ſunt eam omittere poſſunt: nec enim ſine cauſa queritur Valerianus Flavig. profeſſor Regius Hebraicus Pariſiis, in epiſtolis quas de Heptaplis Pariſienſibus edidit, quod tranſlatione Latinâ, quæ Hebraicum textum plenè exprimat, careat nobilis illa editio.

4. Poſt Textum Hebraicum, proximum ſibi locum vendicat Pentateuchus Samaritanus, qui inter Textûs primævi exemplaria vetuſtiſſima numerari poſſe videtur; Charactere enim Hebræo antiquo, qui Judæis & Samaritanis ante Eſdræ tempora communis erat, exaratum habemus, quem retinuerunt Samaritani, Aſſyriaco, cui Judæi magis aſſueti erant, ab Eſdra (poſt reditum Babylonicum) introducto. Hunc Pentateuchum de quo poſt Hieronymum altùm ſilent Scriptores è tenebris eruit D. Joh. Morinus, primúſque publicavit in Heptaplis Pariſianis, una cum antiqua verſione Samaritica, quam ita exacte cum Textu Samaritano convenire exiſtimat, ut una eademque Latina verſio utriſque inſervire poſſit. Cùm verò verſionem illam Samariticam à Textu ſæpius diſſentire deprehenderimus, & illam D. Morini Latinam interdum ab utroque diſcedere, & potius Vulgatam Latinam exprimere, ideo loca in quibus verſio Samaritana à Textu differt, ad finem cujuſlibet columnæ, apponi fecimus.

5. Verſionem Græcam LXXII Interp. celeberrimam & omnium antiquiſſimam Editionis Romanæ, ſecundum exemplar Vaticanum ſupra 1200. antehac annos deſcriptum, exhibemus, quæ ut maxime ſincera doctorum calculis approbatur, rejectâ illâ Complutenſium, quam ſecuti ſunt in Regiis & Pariſianis, ut omnium quæ hodie extant maximè mixtâ & interpolatâ, & quæ à genuina τῶν ό omnium longiſſimè diſtat, quam tamen, ubi à Romana differt, inter collationes Græcarum verſionum Tomo noſtro 6°. Lector inveniet.

6. Cum exemplari Romano etiam ſimul exhibemus MS. noſtrum codicem Alexandrinum celeberrimum, diu multúmque à doctis deſideratum, quem ab Alexandria ſecum attulit Cyrillus Leucaris cum à Patriarchatu Alexandrino ad ſedem Conſtantinopolitanam tranſlatus eſſet, illumque ad Regem noſtrum, ut magnum Orientis

Theſaurum miſit. Hunc, qui cum Romano de antiquitate contendere videtur, non totum excudimus, ſed ubi à Romano diſcrepat in qualibet pagina notavimus: haud enim honori hujus MS. convenire videbatur, ut tale Eccleſiæ antiquæ monumentum inter aliarum editionum lectiones varias ad calcem operis detruderetur. Duo itaque hæc nobiliſſima & antiquiſsima totius orbis exemplaria Græcæ verſionis, per ſingulas paginas ſe lectori, ut ea conferre poſsit, offerunt, de quibus ut & de omnibus verſionibus Græcis prolixe egimus Proleg. 9.

7. Vetus etiam Vulgata Latina ex Græca τῶν ό expreſſa (quâ uſa eſt Eccleſia Latina ante Hieronymum, & unà cum nova Hieronymi uſque ad Greg. magni tempora, donec ex utraque mixta Vulgata hodierna coaluit) cum prorſus periiſſe videretur per mille annos intermortua, hîc rediviva ſiſtitur ex antiquorum Latinorum ſcriptis, ſummo labore Flam. Nobilii compilata; quam, eliminatâ illâ quæ ad Complutenſem aptata erat, ſuo loco cum honore debito reſtituimus.

8. Vulgatam Latinam, quæ per mille annos fere ſola per Occidentem in uſu fuit, ſecundum Sixti V. & Clem. VIII. editiones emendatas & correctas, & à multis errorum millibus, per Lucam Brugenſem & alios enumeratis, repurgatas, reliquis adjecimus. Etſi enim Complutenſis editio & Regia ante Correctionem Sixtinam vel Clementinam prodierunt, meritò tamen à ſuis reprehenduntur qui Pariſianæ præfuerunt quòd Vulgatam Latinam tot mendis ſcatentem, poſt duorum Pontificum decreta in contrarium, publicarunt.

9. Chaldaicas etiam Paraphraſes damus, ſecundum editionem Baſileenſem, magno labore ac ſtudio viri ſummi D. Joh. Buxtorfii P. elaboratam, qui, ut ſuprà diximus, infinitis locis punctationem quæ in Bib. Venetis, Complut. Regiis, &c, quæ poſt Baſileenſia excuſa ſunt, Pariſianis imperfecta & vitioſa extitit, reſtituit, & ad Analogiam Danielis & Eſdræ revocavit, loca plurima depravata emendavit, multáque quæ in Regiis expuncta, mutata, aliterque quam in antiquis exemplaribus extiterant excuſa, integritati ſuæ, Venetas ſecutus, reſtituit, ut ex hujus editionis cum Regijs & alijs collatione & obſervationibus circa eorum deſcrepantias, in Tomo noſtro ult. palam fecimus.

10. Targum Pentateuchi triplex, quod in prioribus editionibus non conſpicitur, Appendicis loco ad Vetus Teſt. adjecimus, quod fere dimidium facit Tomi Quarti. 1. Targum ſive paraphraſin Hieroſolymitanam, cum verſione Latina Cevallerii ipſius manu ſcripta, quam mihi communicavit vir doctiſſ. Mericus Caſaubonus Iſaaci filius S. T. D. in multis tamen ita vitioſa, ut in ea repurganda & emendanda multum operæ inſumendum eſſet. 2. Targum Jonathani adſcriptum cum verſione Latina ejuſdem Cevallerii, ita tamen defœdata, ut reviſionem neceſſario poſtularit. 3. Perſicam Paraphraſin Jacobi Tuſenſis quem Tawoſum & Tuſium appellant: hanc Characteribus Hebræis ediderunt Judæi Conſtantinopolitani, an. Chriſti 1551. cum Pentateucho Hebraico, Onkeloſi Chaldaico, & Saadiæ Arabico, quam Characteribus Perſicis deſcriptam & Latina interpretatione donatam cum cæteris imprimendam duximus.

11. His addidimus Pſalterium Æthiopicum, exemplaribus Coloniæ & Romæ impreſſis cum MS. Pocockiano collatis, Latina interpretatione, ubi à Græca τῶν ό, vel à Vulg. Lat. diſcrepat, annexa. Item Canticum Canticorum, totumque N. Teſtam. Æthiop. variis collatis exemplaribus, cum verſione Latina nunc primum edita.

12. Evangelia Quatuor Perſica nunquam antehac edita, ſecundum exemplar MS. Pocockianum, ſupra 300. antehac annos deſcriptum, inter alias Novi Teſt. verſiones collocavimus, cum nova verſione Latina. Aliud exemplar ſecutus eſt D. Wheelocus, cujus editionem ab ipſo inceptam poſt ejus mortem perfecit vir doctus, ſed noſtro multo recentius eſt.

13. Syriacam verſionem antiquiſſimā Vet. Teſtamenti, quæ in Bibliis Pariſianis primo lucem vidit, mutila tamen integritati ſuæ ex variis MSS. Antiquiſſimis reſtituimus. Libros enim quoſdā integros, qui in editione Pariſiana deerant, cum eorum verſionibus Latinis nunc primū in lucem protulimus, viz. Librum Eſtheræ, tam Canonic. quam Apocr. Judith, Tobiam, Epiſt. Jeremiæ, Baruchi alteram, Suſannæ hiſtoriam duplicem, quarum altera eſt ex editione Heraclienſi, partem Cantici 3 puerorum, lib. 2. & 3. Macchabæorum, præter loca innumera in reliquis libris, ubi vel verba quædam vel verſiculi plures deficiebant in Pariſ. quæ ex iiſdem MSS. ſupplevimus.

14. Librum Tobiæ Hebr. tam ſecundùm editionem P. Fagij, quam Seb. Munſteri, cum utriuſque verſionibus Latinis adjecimus.

15. Arabicam verſionem Ægyptiacam ſive Alexandrinam, quæ in Bibliis Pariſianis lacunoſa & lacera extat, locis plurimis ex aliis MSS. ſupplevimus, præcipue in Pſalmis & Prophetis; illorum varia habuimus exemplaria, MSS. horum unum præſtantiſſimum & antiquiſſimum, quod nobis commodavit D. Seldenus, & poſtea Bibliothecæ Bodleianæ legavit. Verſio hæc Prophetarum Textum Hebr. plerumque exprimit, ex qua multos verſiculos, imo integra capitula deſumpſimus ad ſupplenda quæ in Pariſ. deerant, quæ ut à reliquis diſtinguerentur, uncis incluſimus, cum his literis. [MS. Oxon.]

16. Novum Teſtamentum Græcum edimus juxta Roberti Stephani editionem accuratiſſimam, quam ſumma cura & diligentia collatis 16 exemplaribus publicavit, quæ quantum Complutenſi, quæ in Regiis & Pariſianis habetur, præſtet, facile perſpiciet qui collationem inſtituet. Adjecimus etiam Canones concordantiarū Evangeliorum Euſebianos, cum notis marginalibus quæ ad eos lectorem remittunt; numerum etiam ςίχων à veteribus obſervatum, & κεφάλαια librorum ſingulorum quæ in pleriſque antiquis codicibus inveniuntur.

17. Præter hæc quæ Textus & Verſiones reſpiciunt, varios tractatus ad Apparatum neceſſarios Tomo primo præfiximus, juſtumq; Volumen adjunximus, quod ultimo loco poſuimus, conſtans ex variis annotationibus, obſervationibus, collationibus variorum exemplarium antiquorum Heb. Græc. Lat. Samarit. Chald. Syriac. Arab. Æthiop. Perſ. ſummò labore & ſtudio elaboratis, tabulis, indicibus, alijſque hujuſmodi; opus ni fallor, magnæ utilitatis, præſertim iis qui circa textum Sacrum ejuſque explicationem operam impendunt.

In Apparatu exhibemus, 1. Chronologiam ſacram ab orbe condito ad Templi ſecundi everſionem ex Scriptura ſola depromptam, quam ad hoc opus adornandum ſponte mihi obtulit auctor longe Doctiſſ. Ludovicus Capellus. Cum enim multis prematur tenebris doctrina temporum, & varia occurrant ἄπορα ex quibus perſpicaciſſimi vix ſe extricare poſſunt, Chronologorum tamen vulgus nullo negotio ſe expedit, qui abſurdiſſima quæque fingere malunt, quam ignorantiam ſuam in rebus obſcuriſſimis profiteri. Hunc inter innumeros ſelegi, ut qui ex claris plerumque & certis fundamentis calculos ſuos demonſtrat, & paucis Tabulis methodice compoſitis & dilucide explicatis, rem totam complectitur, de qua magna volumina ab aliis conſcripta ſunt, & licet in annis à Diluvio ad Abrahamum juxta computum vulgarem, difficultates planè inſuperabiles occurrere videantur, de quibus quædam diximus ad finem Proleg. 9. in reliquis tamen veritatem propius attigiſſe videtur quam ullus eorum quos mihi videre contigit.

2. Deſcriptionem brevem terræ ſanctæ cum Tabula ejus Chorographica ex diverſis auctoribus expreſſa, in qua etiam brevis veteris Syriæ delineatio. Cumque plerique in Tabulis ſuis Adrichomium ſequantur apud quem multa erronee deſcribuntur, obſervationes quaſdam virorum doctiſſimorum in quibus vulgi errores deteguntur adjunximus. Quia autem ſculptor manum ad Tabulam admoverat antequam omnes ſchedas acceperam, non potui emendationes in eam inſerere, unde conſultius viſum eſt animadverſiones ſeorſim una cum Tabula exprimere, & omnia lectoris judicio ſubjicere.

3. Tabulam etiam exſculpi fecimus Hieroſolymæ veteris ſecundum Villalpandi exemplar, qui omnium accuratiſſime illam viſus eſt delineaſſe.

4. Libellum etiam elegantiſſimum ejuſdem D. Capelli antehac non editum, quem mihi peramice miſerat, ut in hoc noſtro opere prodiret, imprimendum curavi, *Triſagion* nuncupatum, in quo triplex Templi Hieroſolymitani delineatio, una ex ſcripturis juxta mentem Villalpandi & deſcriptionem ab eo factam; altera ex Joſephi mente; tertia ex Judæorum in Talmude deſcriptione & juxta menſuras iſtic traditas; in quibus quicquid in magnis illis Villalpandi Tomis de Templo occurrit in Epitomen contraxit, erroreſque quoſdam correxit, & quæ apud Joſephum vel Talmudicos extant collegit & explicavit: deſcriptionem etiam Templi quam omnium conſenſu accuratiſſime & locupletiſsime confecit idem Villalpandus, ſummus in hiſce artifex, ſecundum ejus exemplaria figuris æneis in ſex Tabulas redegimus, præter aliam ſecundum Joſephum & Talmudiſtas paulo aliter deſcriptam, de qua nihil in Villalpando.

5. His annectimus variorum autorum tractatus utiliſſimos, Edwardi Breerewood, Iacobi Tyrini, *&c.* de veterum nummis, Hebræis, Græcis, Latinis, & de ponderibus & menſuris (quibus quædam de variis ſiclorum figuris eorumque explicatione ex propriis obſervationibus adjecimus) De Idiotiſmis etiam præcipuis & proprietatibus Scripturæ peculiaribus.

6. Præter hæc, Prolegomena ſequentia, quæ inter negotia innumera, quibus in hoc opere concinanndo quotidie diſtractus ſum, horis ſuccisivis confeci. 1. De Linguarum natura, origine, numero, mutatione & uſu. 2. De Characteribus eorumque inventione & uſu admirabili & diverſitate in Linguis præcipuis. Ubi etiam præcipuas Characterum figuras per orbem hodie in uſu exſculpendas curavimus. 3. De Lingua Hebraica, ejus antiquitate, conſervatione, mutatione, præſtantia & uſu. 4. De Bibliorum editionibus præcipuis. 5. De præcipuis verſionibus. 6. De variantibus Scripturæ lectionibus. 7. De Textuum Originalium integritate, & auctoritate. 8. De Maſora, Keri & Ketib, variis lectionibus Orientalium & Occidentalium, Ben Aſcher & Ben Naphtali, & de Cabala. 9. De verſionibus Græcis, præcipue LXXII Interpretum. 10. De verſione Vulgata Latina. 11. De Pentateucho Samaritano, ejuſque verſionibus. 12. De Lingua Chaldaica & verſionibus Chaldaicis. 13. De Lingua Syriaca & verſionibus Syriacis. 14. De Lingua Arabica, & verſionibus Arabicis. 15. De Lingua Æthiopica & verſionibus Æthiopicis. 16. De Lingua Perſica & verſionibus Perſicis. Hæc primo Tomo præmittenda duximus, quæ quemnam uſum præſtare poſſint, aliis judicandum relinquo. In iis ſi quis verborum elegantiam & ſplendorem deſiderat, ſciat quod in iſtiuſmodi *Ornari res ipſa vetat, contenta doceri.* Si quædam leviora videantur, ut ad Grammaticos & Criticos ſpectantia, cogitet parva non eſſe ſine quibus magna conſtare aliàs non poſſunt, nec hæc ita pure Grammaticalia eſſe quin in Theologia uſum habeant. Adferant alii meliora, mihi bilem non movebunt; imo gratias rependam.

Quæ in ultimo Tomo habemus Sacrarum literarum & linguarum ſtudioſis multum adjumenti allatura judicarunt viri doctrina & judicio præſtantes, quorum catalogum annectimus.

1. Quod ad Veteris Teſt. Textum Hebraicum attinet, variarum lectionum, quæ ſub nomine Keri & Ketib veniunt, ex optimis, editionibus & exemplaribus, Veneta, Regia, Interlineari, Plantina, Munſteri, Stephani, *&c.* duplicem Catalogum confecimus, unum τεχνικὸν ſive *artificialem*, ſecundum varias earum claſſes, ſive ordines, unde diſcrepantiarum origo deduci poſſit, in quo Clariſſ. Capellum præeuntem habuimus: alterum ſecundum ordinem librorum, capitum & verſuum Biblicorum, quo ſingulas lector facilius invenire poſſit, ex quibus liquet hanc noſtram editionem omnium fere aliarum vicem ſupplere poſſe. His addendas duximus Orientalium & Occidentalium Judæorum lectiones diſcrepantes quarum pleræque in edit. Venet. & Baſil. habentur, lectiones etiam quæ inter Ben Aſcher & Ben Naphtali nobiles duos Maſorethas intercedunt, qui codices ſuos magno labore & ἀκριβείᾳ confecerunt circa annum Chriſti 1200. ut eſſent inſtar lapidis Lydii ad quem alii libros ſuos probarent & corrigerent; unde Judæi Orientales lectiones Ben Naphtali, Occidentales Ben Aſcher ſequuntur: has etiam quæ antehac imperfectæ extiterant, locis cap. & verſ. non adſcriptis, quæ hic adduntur, ex MS. antiquo perficere conati ſumus, quibus Sectionum legis, & Haphtorarum ſive lectionum Propheticarum indiculum adjecimus.

2. Quod ad textum Græcum N. Teſt. attinet, præter librorum κεφάλαια, Canones Euſebianos, & στίχων numerum de quibus ſupra, collegerat Robertus Stephanus ex XVI. exemplaribus antiquis diſcrepantes lectiones quas in editionibus ſuis majoribus excudit. Collegerat etiam Rever. Uſſerius, ex aliis libris XVI. MSS. antiquiſsimis, ex Academiis utriſque & alibi conquiſitis, loca variantia quæ nobis benigne communicavit. Exemplaria alia XVI. contulerat, Marchio Valeſius Fraxardus, quorum octo habuit ex Bibliotheca Laurentiana Regis Hiſpaniarum, reliqua ex aliis

locus,

locis, ex quibus licet loca tantum in quibus vetuſta illa MSS. cum Vulgata Latina convenerunt, & à Græcis codicibus impreſſis diſcreparunt, annotaverit, (quæ poſtea publicavit Lud. de la Cerda) digna tamen judicavi quæ reliquis adjungerentur. Hæc omnia cum aliis quibuſdam quæ comparaveram, quæque ſeorſum magnum lectori tædium faceſſerent, in unum corpus digeſſimus, ut quid in ſingulis notatu dignum ſit, lector uno aſpectu percipere poſſit. Quibus omnibus Lucæ Brugenſis viri doctiſſimi, & in antiquis codicibus conferendis exercitatiſſimi, libellum de Evangeliorum Græcis varietatibus ſeorſum excudimus. Quumq; inter alios vir ſummus D. Hugo Grotius ὁ θαυμάσιος, doctrina multifaria, judicioque limato emineat, ex Annotatis ejus in univerſam Scripturam, quæ de lectionibus variis occurrunt, cum ejuſdem de ſingulis judicio, opera viri Doctiſſ. excerpſimus, in quibus etiam doctiſſimi & exercitatiſsimi, modo à præjudicio liberi ſint, quædam lectu digna invenire poſsint.

3. Ut in Textibus primævis ſic in Verſionibus ſingulis multa congeſsimus, ut ex Catalogo ſequenti patebit.

1. Quod ad Græcam LXX verſionem, omnium antiquiſſimam & celeberrimam, attinet, collationem inter omnia exemplaria antiqua quæ comparari poterant, & inter præcipuas editiones impreſſas, inſtituimus, quibus tum editiones hodiernæ confirmari contra neotericorum calumnias, tum quæ adhuc reſtant σφάλματα, ex hac collatione emendari poſſint. In quem finem 1. Exhibemus Scholiaſtæ nobilis Flaminii Nobilii notas doctiſsimas ad editionem Romanam concinnatas, in quibus ex omnium veterum ſcriptis & monumentis Græcis, Latinis, Hebraicis, Samaritanis, Syriacis, Chaldæis, &c. theſaurum inæſtimabilem collegit, quo textus Hebræus & Græcus confirmari & illuſtrari, vel cum in Græcum mendæ irrepſerunt reſtitui poſsint; cujus Annotationibus alia quædam ex Scholiis Romanis à Nobilio prætermiſſa, vel Latine tantum expreſſa, & quædam ex Fragmentis veterum Interpretum apud Joh. Druſium, aliiſque, ſuis locis inſeruimus. 2. Patricii Junii nuper Regii Bibliothecarii annotationes doctiſsimas, quas ad editionem exemplaris Alexandrini paraverat, in quibus Textum Alexand. cum Hebræo, Chaldæo, reliquiſque editionibus Græcis & antiquorum ſcriptis confert. 3. Andreæ Maſii notas in librum Joſuæ cum Aſteriſcis, Obelis, Lemniſcis, & Hypolemniſcis, quibus librum iſtum integritati ſuæ reſtituit, ex MS. Syriaco annis abhinc mille exarato & ex ipſis Origenis Hexaplis quæ Alexandriæ extiterunt, deſcripto. 4. Collationem textus Vaticani per Eſaiam cum vetuſtiſsimo codice MS. Cardinalis Rupifucaldiani, qui & Marchali dicitur, quem Curterius cum Procopii commentariis in Eſaiam edidit, qui codex deſcriptus erat ex Abbatis Apollinarii exemplari, qui ſuum deſcripſerat ex Hexaplis Origenis manu exaratis, in quo etiam diſcrepantiæ Aquilæ, Theodotionis & Symmachi, necnon editionum, Euſebianæ, Luciani & Heſychii annotantur. 5. Collationem ſimilem per librum Geneſis cum codice D. Roberti Cotton admirandæ antiquitatis, quem omnium quæ extant vetuſtiſsimum judicarunt viri in antiquis ſcriptis verſatiſsimi. 6. Libros Chronic. collatos cum vetuſtiſſimo codice MS. in Bibliotheca publica Cantab. qui quondam erat Theodori Archiepiſcopi Cantuarienſis, anno 668. 7. Textus Romani per Prophetas minores collationem cum codice MS. Cardinalis Barberini, quem Romæ nuper contulit vir doctus in quo obeli, aſteriſci, &c. diſcrepantiæ etiam aliarum verſionū, & edit. Euſebii, Luciani, Heſychii, quibuſdā etiam ex ipſis Hexaplis deſcriptis juxta ordinem ab Origene ſervatum. 8. Cumq; omnibus ad manum non ſint editiones Græcæ hodiernæ, quæ ab ea quam ſecuti ſumus Romana aliquando diſcrepant, Editionem Venetam Aldinam quæ omnium primò fuit typis impreſſa, & à qua omnes editiones Germanicæ promanarunt, & Complut. quæ in Regiis Bibliis & nuperis Pariſianis imprimitur, cum Romana contulimus, ut & cum MS. Col. Univerſit. Oxon. Octateucho, & Cyrillo Alexandr. per Prophetas minores omneſq; diſcrepantias annotavimus, ita ut cum unica hac noſtra editione omnes fere aliæ exhibeantur, quas ad libitum quiſq; conſulere poteſt.

2. In Vulgatam Latinam notas Theologorum Lovanienſium, in quibus verſionem hanc conferunt cum aliis Codicibus MSS. Latinis, & cum Textu Hebræo, Græco, Chald. Syr. &c. necnon cum Patrum antiquorum Latinorum ſcriptis, Tertul. Cyprian. Hieron. Auguſt. Greg. & aliorum.

3. Textum Samarit. cum Hebr. contulimus omneſq; diſcrepantias annotavimus, partim propriis laboribus partim aliorum, quorum nomina ipſis antepoſuimus. Etiam in Græc. τῶν ό verſionem ubi cum Textu Samarit. convenit utrumq; vero ab Hebr. diſcrepat, adjunximus: Necnon obſervationes varias Samarit. à viro doctiſſ. collectas, ad Textus & verſionis Samar. illuſtrationem, & ad Linguæ naturam, ac Grammatices rationem, ſpectantia.

4. Cumque Chaldaica Buxtorfii Paraphraſis quam ſequimur, in multis ab illa in editione Regia diſcrepet, inter utraſque collationem fecimus, in qua viri Doctiſſ. ſtudiis tum diſcrepantes lectiones, tum obſervationes eruditas Lector inveniet.

5. Syriaca etiam exemplaria MSS. tum Uſſerianum tum Pocockianum per totum Vetus Teſtam. alterumque Uſſerianum, Pentateuchum tantum complectens, necnon Cantabrigienſe Prophetarū, & librorum Apocryphorum, cum exemplari Pariſienſi contulit vir Doctiſſ. cujus collationes & notas etiam hic exhibemus. Idem etiam fecimus in N. Teſt Syr. ubi tum quas collegit Martinus Troſtius, tum alias quaſdam nuper collectas adjecimus.

6. In Arabica idem præſtitum quoad Pentateuchum, cujus exemplar Pariſienſe cum verſione R. Saadiæ tam MS. quam quæ in Bibliis Conſtantinopolitanis extat, confertur, & diſcrepantiæ omnes ſtudio viri Linguarum peritiſſimi, acurate notantur.

7. Æthiopici Pſalterii exemplaria impreſſa cum MS. Pocockiano diligenter contulit vir Doctiſſ. qui etiam Annotationes & obſervationes in Pſalterium Cant. & Nov. Teſt. Æthiopicum cum aliis ad Linguam Æthiopicam ſpectantibus, & ad Textum illuſtrandum utilibus collegit, quæ hic in publicum prodeunt.

8. Obſervationes etiam doctiſſimas in Perſica Evangelia, ut & in Tawoſi Pentateuchum Perſicum elaboravit & ad me miſit vir Doctiſſ. quas luce dignas judicavi.

9. Hiſce de Textibus & Verſionibus adjunximus, explicationem nominum propriorum, Hebr. Chald. & Græc. quæ in quibuſdam aliis editionibus habentur, at non in Pariſiana, in noſtra tamen in multis emendatiorem.

10. Tandem Indicem rerum & ſententiarum per totam Scripturam ſecundùm librorum, Capitum, & verſiculorum ordinem adjecimus, quo Colophonem operi laborioſo impoſuimus.

Ex dictis unicuique conſtare poteſt, quid in hac editione à nobis præſtitum ſit, quantumque utilitatis ex laboribus hiſce expectare liceat. De opere Regio affirmavit Ben. Ar. Montanus, nullum unquam ex arte Typographica tantum tamque inſigne beneficium in Remp. Chriſtianam collatum fuiſſe. Quid de noſtro dici poſſit aliorum eſto judicium; hoc ſane res ipſa loquitur, multa in eo orbi Chriſtiano publicari, quæ nec in Regiis, nec in Pariſianis, aliiſve editionibus habentur, nec quicquam in iis haberi, quoad Textum vel verſiones, quod in noſtris deſideretur, imo quod non plerumque majori ἀκριβείᾳ, ex melioribus exemplaribus, methodo aptiori diſpoſitis, & ad uſum magis accommodatis exhibeatur.

Ne quis vero Grammaticas & Lexica ſingularum linguarum deſideret, quo fructus uberior ex hoc opere percipiatur (licet hæc ad opus Biblicum proprie non pertineant) Viri quidam docti & linguarum periti, qui in hac editione operam fidelem nobis præſtiterunt, in animo habent aliud volumen edere, in quo præter Grammaticalia præcepta, etiam Linguarum Orientalium quæ in Bibliis noſtris occurrunt Lexicon Generale abſolutum, Hebraicæ, Samaritanæ, Chaldaicæ, Syriacæ, Arabicæ, Æthiopicæ, & Perſicæ, ſecundum Schindleri methodum in Pentaglotto ſuo, conficere decreverunt, in eorum uſum qui ſubſidium ad ſumptus perferendos conferre velint, cujus Specimen luculentum nuper impreſſum ediderunt.

Multum etiam adjumenti ad Textuum & verſionum intelligentiam adferre poteſt *Opus aliud quod diu ſub prelo fuit, poſt aliquot menſes proditurum, curis & ſumptibus* CORNELII BEE *Bibliopolæ Londinenſis, cui Titulus,* BIBLIOTHECA CRITICO-SACRA, *doctiſsimorum tum hujus tum ſuperioris ſeculi virorum, eorum præſertim qui Græcæ, Hebrææ, Syriacæ reliquarumque Orientalium linguarum peritiſsimi fuere, in SS. Biblia Annotationes Tractatuſque varios complectens. Tota Operis moles in novem Tomos diſtributa eſt, quorum quinque priores perpetuas S. Munſteri, F. Vatabli, S. Caſtalionis, Iſ. Clarii, J. Druſii, & H. Grotii in V. Teſtamentum Annotationes, cum P. Fagii, A. Maſii, Philip. Codurci, F. Forerii, C. Badvelli, Ed. Livelei, & D. Hæſchelii ſingularibus notis & commentariis, ad inſtar Catenæ ſed integras continent, Sequentes duos perpetuæ pariter L. Vallæ, D. Eraſmi, F. Vatabli, S. Caſtalionis, Iſ. Clarii, N. Zegeri. J. Druſii & H. Grotii, in N. Teſtamentum Annotationes, cum ſparſis H. Stephani, J. Scaligeri, Iſ. Caſauboni, Jo. Cameronis, Lud. Capelli, & particularibus S. Munſteri, Jacobi Capelli, & Sc. Gentilis Notis, efficiunt. Duo denique poſtremi Libros quamplurimos atque Tractatus ſeorſim antehac editos neque facile comparandos qui explicationi S. Scripturæ inſervire maxime viſi ſunt, ex variis Bibliothecis erutos & in luculentum ordinem redactos complectuntur. Additis Indicibus locupletiſsimis.*

Reſtat ut paucis enarrem quænam cauſæ impulerint, ut opus tot difficultatibus obſitum aggrederemur, quoſnam etiam habuerimus qui collatis ſtudiis manus auxiliatrices præbuerunt, quoſque Mœcenates ac patronos munificos, quorum auſpiciis vel liberalitate animati feliciores progreſſus fecimus. De primo, cum omnibus incumbat quos ad ſacram militiam evocavit Dominus, ut contra terræ filios & tenebrarum potentiam Sacrum Oraculorum ſuorum depoſitum ſartum tectum pro virili tueantur, nihil magis opportunum mihi videbatur, quam ad Dei Honorem & Eccleſiæ commodum in Sacrorum codicum Textibus Authenticis, una cum verſionibus antiquis ab Eccleſia approbatis, edendis, quantum fieri poſſit, puris & incorruptis, operam collocare, præſertim cum non deſint qui verbum Divinum flectunt, torquent, & pro arbitrio corrumpunt, vel in totum rejiciunt, blaſphemant, & ut literam mortuam explodunt impoſtores nequiſſimi.

Etſi vero multi ſunt, quos ad hoc onus ſuſtinendum me multo paratiores eſſe fateor, cum tamen à nemine tentatum viderem, omnes cogitationes defixas habui, ut in eo aliquid præſtarem; quæ vero in me deſunt doctrinæ & ingenii adminicula, labore improbo ſtudiiſque indefeſſis compenſare decrevi. Editiones itaque Bibliorum celeberrimas antiquas & recentiores pervolvi, verſiones veteres variarum Linguarum inſpexi, Bibliothecas perluſtravi, Exemplaria optima impreſſa cum MSS. editioneſq; alias tum inter ſe tum cum nuperrima Pariſiana contuli, quid in ſingulis præſtitum ſit, quid in omnibus deficiat animadverti. Cumque editiones Regia & Pariſiana quæ inter cæteras ſplendent, tot tantiſque voluminibus conſtent, ut moleſtiam lectori crearent eas evolventi, cariuſque venirent, ita ut non niſi divitum Muſæis dicatæ viderentur, præſertim Pariſiana, quæ Bibliothecæ mediocris ſumptus fere æquat; in omnibus etiam multa deſiderari, plurima utilia hactenus inedita adjici, omniaque in ordinem meliorem redigi poſſe perſpicerem, omnibus diu perpenſis, tandem Hypotypoſin novæ editionis delineavi, cum ſingulis ejus partibus, totiuſque ſtructuræ ordine & Symmetria, quam cum Specimine textuum & verſionum, ad eundem fere modum quo in Bibliis noſtris exhibentur, diſpoſitorum, ut doctorum judicia exquirerem, Typis mandavi.

Cum primum exemplaria publicarem, magno omnium applauſu excepta ſunt, inceptum miris præconiis omnes celebrant, in magnum Eccleſiæ commodum ceſſurum prædicant, at quomodo hoc grande opus, quod vel Crœſi theſauros exhauriret, in effectum deduci poſset, dubitarunt multi, imo vix ſperandum ſentiebant. Novi etiam quanto ſe periculo exponant, qui in publicum prodeunt, præſertim qui negotium adeo arduum & difficile moliuntur, unde mallent plerique intus ſibi canere & Muſis, ut ſilendo ſapientes videantur, quam in palæſtram ſe dare, ubi ſæpe (ut inquit Comicus) cum exiſtimationis jactura deſudatur. Animum tamen non deſpondi, ſed Deo, in cujus honorem & Eccleſiæ bonum omnia noſtra ſtudia collimare debent, confiſus, nullum non movebam lapidem, ut quod animo conceperam, perficerem. Primo itaq; inter alios eruditione ac judicio claros, Reverendorum quorundam Eccleſiæ Antiſtitum ſententias humiliter rogavi, qui conſilium meum calculis ſuis approbarunt. Quorum ſuffragiis, quaſi Ajacis clypeo, contra invidorum tela munitus & animatus, ad alia animum applicui; & dum de pecuniis, quæ operis totius nervus, ſine quibus omnes conatus irriti, multum deliberarem, tandem hunc modum excogitavi, ut qui nummos ſuppeditarent, pleraque exemplaria imprimenda inter ſe partirentur, unde aſsiduis meiipſius aliorumq; laboribus, pecunias quæ ad ſumptus perferendos ſufficerent (ſi omnes fidem liberaſſent) à plurimis ſub Chirographo promiſſas procuravi, multi enim aureos montes promiſerunt, unde ad opus arduum ſuſcipiendum induxerunt, qui ne obolum ſolverunt. Nolui vero ut ſacer Theſaurus mihi, ſed viro ſpectatæ fidei & affluentis fortunæ, Guilielmo Humbleo armigero, civi Londinenſi, concrederetur,

tur, qui, ut communis Oeconomus, ſumma fidelitate omnia adminiſtravit, juſtamque rationem reddidit. Utque negotium hoc, plurium doctorum conſenſu comprobatum, felicius procederet, nec invidorum calumnias pertimeſceret, inter alios quoſdam dignitate, eruditione, Linguarum peritia, ac probitate præſtantes ſelegi, quorum conſilia cum opus eſſet, efflagitarem, quibus etiam quid in Operis progreſſu neceſſarium videretur, exponerem & probarem: Inter quos primas merito tenet Primas ille Reverendiſſ. Hiberniæ, Jacobus Uſſerius Archiepiſc. Armachanus, ὁ μακαρίτης, vir doctrina multifaria, pietate, modeſtia, omnibuſq; virtutibus conſpicuus: cui hæc propria laus erat, nil proprium habere, ſed ex effuſa bonitate omnia in Reip. Literariæ bonum communicare, qui ex inſtructiſſima ſua Bibliotheca libros plurimos MSS. & impreſſos variorum Idiomatum nobis libenter commodavit, conſiliumque ſuum, quando ipſum convenirem, libenter impertivit, quo in multis me adjutum profiteor; haud inique tamen tulit, quo erat animi candore, ſi in quibuſdam diſſenſum libere profiterer. Idem officium præſtiterunt viri Reverendi, amici mei multum honorandi, Guilielmus Fullerus, Gilbertus Sheldonus, Brunus Ryveſius, Robertus Saunderſonus, Richardus Sternus, Samuel Bakerus, Henricus Hammondus, Hen. Fearnus, Sacræ Theologiæ Doctores, Herbertus Thorndicius, Linguarum ſcientia celebris, Richardus Johnſonus Societati Juriſperitorum Templariorum à Concionibus, Rich. Drakus, S. T. Baccal. olim Aulæ Pembrokianæ Cantab. ſocius, Abrahamus Wheelocus Linguæ Arabicæ nuper Profeſſor. Cantab. qui in ipſo operis limine immatura morte à nobis ereptus eſt, Edwardus Pocockius Linguæ Hebr. & Arab. Profeſſor. Oxon. celeberrimus, Thomas Gravius olim Linguæ Arab. Profeſſor Oxon. & Thomas Smithus S. T. B. Coll. Chriſti Cantab. Linguarum Orientalium callentiſſimus, quibus, aliiſque omnibus qui labores noſtros animis benevolis proſecuti ſunt, gratitudinis vinculo mecum omnes, qui aliquid utilitatis ex hac editione percepturi ſunt obſtricti tenentur. Ex horum numero quoſdam, qui Lond. commorantur, rogavi ut de Ærario curarent, ne in alios uſus quidquam converteretur, & de exemplaribus, ut ſuum cuique tribueretur, proſpicerent.

Viros etiam Doctiſſimos conquiſivi, qui prelorum correctioni & exemplarium quorundam collationi, &c. invigilantes, mihi continue adeſſent, quibus Honoraria pro laboribus exantlatis perſolvi; Edmundum Caſtellum S. T. B. virum in quo eruditio ſumma, magnaque animi modeſtia convenere, qui in Samaritanis, Syriacis, Arabicis, & Æthiopicis, nullam non adhibuit diligentiam; Pſalmos & Canticum Canticorum Æthiop. ubi à verſ. Græca τῶν ό, vel vulg. Lat. diſcrepant Latine reddidit, ut & verſionem libri Job Syriacam cum ab Arab. differt, nec non Annotationes doctiſſimas in earundem Linguarum verſiones elaboravit. Alexandrum Huiſſum S. T. B. qui in verſione Græca τῶν ό, Textu Græco N. Teſt. & Vulgata Latina operam impendit, necnon antiquiſsimum noſtrum exemplar MS. Alexandrinum cum Romana Teſt. Vet. & Rob. Stephani T. Novi Editione contulit, varianteſque lectiones quæ ſingulis paginis apponuntur diligenter collegit. Et Samuelem Clericum è Coll. Merton. Oxon. in Artibus Magiſtrum, & ejuſdem celeberrimæ Academiæ Architypographum, virum Linguarum ſcientia, aliiſq; animi dotibus ornatum, qui in Textu Hebræo, Chaldaica Paraphraſi, necnon Evangeliis Perſicis, quorum verſionem Latinam dedit, nullum non laborem obiit: nec prætereundus Thomas Hyde, ſummæ ſpei juvenis, qui in Linguis Orientalibus ſupra ætatem magnos progreſſus fecit, quorum ſpecimina dedit, tum ſuppetias ferendo in Syriacis, Perſicis, &c. corrigendis, tum in Pentateucho Perſico Characteribus Perſicis deſcribendo, qui antea ſolis Hebræis extitit, ejuſque verſionem Latinam concinnando. Novum Teſtamentum Æthiopicum (exceptis quibuſdam libris quos tranſtulit D. Caſtellus) Latine vertit vir Doctiſſ. tam generis proſapia, quam linguarum Orientalium ſcientia nobilis, D. Dudleius Loftuſius I.U.D. Dublinienſis, qui Schedas ſuas ex Hibernia mihi miſit, quas, cum ipſe prelo abeſſet, D. Caſtellus reviſit, ultimamque manum eis impoſuit. Cum autem exemplaria noſtra Æthiopica alicubi obliterata fuerint, exemplar perfectum nobis ſuppeditavit Pariſiis vir Illuſtris Dom. Claudius Hardy, Linguarum Orientalium peritiſsimus. Alia etiam quædam occurrunt Tomo 1. & ult. quæ aliorum vigiliis debentur, quæ cum auctoribus doctiſſimis propriis locis accepta referam, nolo hic repetere.

Utque eorum conatus qui collatis ſtudiis adjumento nobis fuerunt lubenter agnoſcimus, ſic nullo non obſequii genere proſequendi Mœcenates munifici, qui ubertim donaria ſua ad ſacrum opus promovendum obtulerunt, quorum meritis cum pares non ſimus, quod unum poſſumus, grata mente recolimus, & in devotiſſimæ obſervantiæ, perpetuique cultus & obſequii ſignum, beneficentiam eorum hic omnibus teſtatam facimus.

Primo autem commemorandi, quorum favore Chartam à Vectigalibus immunem habuimus, quod quinq; ab hinc annis, à *Concilio* ſecretiori, primo conceſſum, poſtea à Sereniſsimo D. *PROTECTORE* ejuſque *Concilio*, operis promovendi cauſa, benigne confirmatum & continuatum erat. Quibus ſubjungendi

D. Carolus Ludovicus, princeps Palatin. S.R.I. Elector.
D. Guilielmus Marchio & Comes Hartfordiæ, Baro Beauchamp, & ordinis Balneati miles.
Guilielmus Comes Bedfordiæ, Dom. Ruſſell de Taveſtock & Thornehaugh.
Guilielmus Comes Straffordiæ, Vicecomes Wentworth de Wentworth Woodhouſe, D. Baro Rabie.
Guilielmus Dom. Petre, Baro de Writle.
Guilielm. Dom. Maynard, Baro de Eſtaynes
Arthurus Dom. Capell, Baro de Haddam.
Johannes Aſhburnham, Armiger.
D. Robertus Sherley Baronettus.
D. Guilielmus Lenthall, Cuſtos Rotulorum.
Jo. Seldenus, de Societate Templi interioris Lond. Armiger.
Johan. Sadlerus de Hoſpitio Lincoln. Lond. Armiger.
Johannes Hele, Armiger.
Thomas Wendy, Armiger.

Aliorum etiam liberalitatem, qui priorum exempla ſecuti ſunt, æquum eſt ut grati agnoſcamus, quorum nomina ſequuntur.

Montacutius Comes de Lindeſey, ſummus Angliæ Camerarius, Dom. Willoughby.
Georgius Comes Rutlandiæ.
Mildemaius Comes Weſtmorlandiæ.
Johannes Comes Exonienſis.
Thomas Dominus Fairfax, Baro de Cameron.
Baptiſta Dom. Noel. Vicecomes Camden.
D. Guilielmus Courtney Baronettus.

D. Anthonius Cheſter Baronettus.
D. Nortonus Knatchbull, Eques & Baronettus.
D. Guil. Farmer, Baronettus.
D. Franciſcus Burdett Eques auratus.
Johannes Wall, S. T. D.

Ut vero quoſdam excitavit Deus, qui conſilio, vel nummario ſubſidio, quaſi manu obſtetricante, auxilium præbuerunt, ſic non deſtitit hoſtis humani generis Sycophantarum calumniis, Sancto Operi, Dei ipſius negocio, maculas aſpergere, ut vel in progreſſu interrumperet, vel (ad exitum perducto) detractionibus ſuis homines ab ejus uſu deterreret Nunquam enim deſunt invidi & æmuli qui in optimos aliorum labores aculeos venenatos figunt, quique nil magis glorioſum ducunt quam qnæ alii ſciunt ignorare, & quæ ipſi ignorant vituperare: quicquid enim eorum ſuperat captum ſuſpectum habent, vel erratum vocant; &, pro inſcitia ſua, quæ non intelligunt damnant. Tales adverſarios habuerunt Editio Regia Antwerpienſis, Jayana Pariſienſis, & aliæ. Contra paucorum talium tenebrionum cenſuras opponere poſſem virorum omnium fere ordinum, qui auctoritate, doctrina vel judicio pollent, ſuffragia, idque non tantum in patria noſtra, ſed per totam fere Europam, qui conatus noſtros laudarunt, foverunt, & promoverunt.

At non ferendi ſunt qui in aliorum ſtudia Prætoriam exercent poteſtatem, cum ipſi cutem curent & turpi ocio conſeneſcant. Præire debent iſti, & vel meliora de ſuo proferre, vel calumniari deſinere, & exemplo ſuo, non conviciis docere. Qui Σφάλματα Typographica ſuggillant, cum aliis aliorum etiam correctiſſimis editionibus hanc noſtram conferant, antequam ſententiam ferant. In tanta literarum, apicum, punctorum contentione, idque in tot linguis à paucis cognitis, quis Argus vel Δαιμόνιον eſt qui nunquam offendat, ſed omne punctum tuliſſe videatur? In nullo ceſpitare eſt ſupra mortalium conditionem. Contra eos itaq; qui tantum ſibi falſo laudis arrogant quantum de aliis injuſte detrahunt, conſolatur Apophthegma illud Clem. Alex. *Nullum Scriptorem unquam ita fortunatum fuiſſe*, ᾧ μηδεὶς ἀντιλέγει *cui nullus contradicat*. Nam ut Jul. Cæſ. Scal. *Non ſæpe Deus placet, et tu placere credis?* Imo laudandos ſenſit Plinius, *qui in ſtudiis prætulerunt utilitatem gratiæ placendi*. Iniquis improbiſq; cenſoribus placere velle, idem eſt ac mare pigrum & ventos inanimes colligare; doctorum & proborum, quibus hæc elaborata ſunt, judicio, omnia libenter ſubmittimus, haud ægre laturi, imo gratias habituri, ſi meliora doceant, modo veritatis amore, non calumniandi ſtudio fiat. Nos Deo patri luminum, à quo omne donum optimum, omne donum perfectum deſcendit, gratias devotiſſimas indeſinenter agimus quod nobis vires & valetudinem conceſſerit ut Sacram hanc Oraculorum ſuorum compagem ad umbilicum perduceremus, Religionis ac literarum monumentum.

——— ——— ——— ære perennius
Regalique ſitu Pyramidum altius,
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Poſſit diruere, aut innumerabiles
Annorum ſeries, & fuga temporum.

INDEX eorum quæ pro APPARATU Tomo primo præfiguntur.

I. Chronologia Sacra *a Mundo Condito ad Templi ſecundi & urbis Hieroſol. everſionem per Romanos.*
II. *Tractatus varii de antiquis* Nummis, Ponderibus & Menſuris *Hebræorum, Græcorum, Latinorum.*
III. *Tractatus de* Idiotiſmis *ſive proprietatibus præcipuis* Sacræ *Scripturæ.*
IV. Deſcriptio terræ Sanctæ, *cum ejus* Tabula *Chorographica, & virorum doctorum animadverſionibus in Tabulas Adrichomii.*
V. Triſagion, *ſive triplex Templi delineatio; Una ex Scriptura juxta* Villalpandi *deſcriptionem, cum Templi* Salomonis *fabrica & partibus ære inciſis, tribus Tabulis comprehenſa; Altera ex* Joſephi *mente & deſcriptione; Tertia ex* Judæorum Talmudicorum *deſcriptione, quæ unica Tabula exprimuntur.*
VI. Hieroſolymæ *veteris deſcriptio juxta Villalpandum.*
VII. Prolegomena *ſpecialia ad Biblia Polyglotta ſpectantia.*
  1. *De* Linguarum *natura, origine, diviſione, numero, mutationibus & uſu.*
  2. *De* Literis *ſive Characteribus, ipſorum uſu mirabili, origine & inventione prima, & diverſitate in Linguis præcipuis.*
  3. *De* Lingua Hebraica, *ejus Antiquitate, conſervatione, mutatione, præſtantia & uſu, Characteribus antiquis, punctiſque Vocalibus & Accentibus.*
  4. *De* Bibliorum editionibus *præcipuis.*
  5. *De* Bibliorum verſionibus.
  6. *De* variantibus *Scripturæ* Lectionibus.
  7. *De* Textuum *Originalium* integritate, & auctoritate.
  8. *De* Maſora, Keri & Ketib, *variis Lectionibus* Orientalium & Occidentalium, Ben Aſcher & Ben Napthali, & *de* Cabala.
  9. *De* Verſione Græca LXXII *Interpret. aliiſque Græcis verſionibus.*
  10. *De* Verſione *Vulgata* Latina.
  11. *De* Pentateucho Samaritano, *ejuſque verſionibus.*
  12. *De* Lingua Chaldaica & *verſionibus Chaldaicis.*
  13. *De* Lingua Syriaca, & *verſionibus Syriacis.*
  14. *De* Lingua Arabica, & *verſionibus Arabicis.*
  15. *De* Lingua Æthiopica, & *verſionibus Æthiopicis.*
  16. *De* Lingua Perſica, & *verſionibus Perſicis.*

CHRONOLOGIA
SACRA
A CONDITO MUNDO AD EUNDEM
Reconditum per Dominum N. I. Chriſtum, atque inde ad ultimam Judæorum
per Romanos Captivitatem deducta,

EX SOLA SCRIPTURA SACRA PERPETUA
Serie concinnata, certis κριτηρίοις ex ea deductis, quantum fieri
poteſt firmiſsime comprobata.

Aliquot Tabulis, cum earum probationibus comprehenſa.

Per LUDOVICUM CAPELLUM S.T.D. *& Linguæ Hebraicæ*
Profeſſorem Salmurienſem.

PRÆFATIO ET PRÆMONITIO AD LECTOREM.

CVm tot jam ſint, ab annis plus centum, Chronologiæ editæ, tot Chronicorum & Annalium à condito mundo Scriptores non incelebres, miraberis fortè, Lector, unde mihi venerit in mentem novam iſtam procudere, atque in vulgus protrudere Chronologiam, hoc eſt, uti videtur, actum agere. Sanè ſi nihil hîc eſſet quod alibi non æquè inveniretur, fruſtra à me ſuſceptus eſſet hic labor. Verùm cùm tot ſint de hoc argumento, deque annorum mundi ſumma & numero Scriptorum variæ ſententiæ, pluresque de eo dubitandi & diverſimodè ſentiendi cauſæ perplexæ & obſcuræ, cúmque ſit unicuique Chronologo ſua propria & peculiaris dirigendi in certas Claſſes & Tabulas annos mundi methodus & ratio, etſi nihil aliud eſſet, venia concedi mihi poſſet, quòd & propriam ſententiam, & peculiarem methodum ſequar & proferam in medium. Verùm præterea hoc mihi fuit præcipuè propoſitum, certum nempe & definitum annorum mundi numerum in ſingulis Claſſibus & Tabulis ſedulò indagare, ac pro virili indubitatis κριτηρίοις ex ſolo Dei verbo apertè & ſolidè demonſtrare; ideo ſpero te in brevi iſta Chronologia aliquid inventurum quod tibi ſatisfaciet, nec temerè, uti arbitror, alibi invenies, brevitatem ſcilicet cum claritate & demonſtrationum pondere ac certitudine conjunctam, quantum id à me poſt tot aliorum labores, in tam perplexo & obſcuro argumento fieri potuit, magna cum accuratione. In hiſtoria & rerum eventibus narrandis atque explicandis non immoror, illa enim per ſe ſatis nota ſunt & plana illis quibus S. Scripturæ lectio eſt familiaris; rerum ſeriem & annorum ſummam præcipuè perſequor & indago, ac demonſtrare conor. Calculum τῶν LXX, & Samaritanorum, quantum fieri potuit cum eo qui ex originario textu Hebraico colligitur, compono & concilio, non omnino fortè infeliciter. Annorum ab Exodo ad conditum à Salomone Templum, numerum annis totis centum ſupra vulgò receptam ſummam auxi, cujus augmenti cauſam & rationem reddo non inidoneam, ne dicam certam & indubitatam demonſtrationem, unde Judicum hiſtoria, quæ aliàs perplexa, & involuta ac plurimis difficultatibus impedita eſt, facilis, plana & expedita redditur. Hiſtoriam Regum Judæ & Iſraelis, in annorum, qui ſingulis Regibus tribuuntur, numero intricatam admodum, & non quidem contradictionum, ſed ſaltem ἐναντιοφανῶν plenam concilio ac perſpicuam reddo, ſubmotis & explanatis quæ in ea occurrunt circa annorum numerum difficultatibus atque ſpinis, ſatis, uti puto, clarè & feliciter, ſuprà quàm ab aliis quantum quidem ego novi, factum ante me eſt. Septuaginta annorum Captivitatis Babylonicæ, Perſicæ item & Græcorum Monarchiæ, ut & ſeptuaginta Hebdomadum Danielis initium & finem exquiro, pono ac demonſtro, quantum fieri poteſt, accuratè; unde hiſtoria ſacra cum exotica & prophana aptè connectitur, & deducitur uſque ad initium Eccleſiæ Chriſtianæ per Apoſtolorum prædicationem conſtitutæ ac conſtabilitæ, in Jeroſolymorum & Reipublicæ Judaicæ everſione, Judæorúmque rejectione, ac per totum orbem habitabilem diſperſione. In his omnibus, ſicubi à vulgò recepta Chronologorum ſententia deflecto, certam mei diſſenſus rationem reddo. Denique, dedi ubique, ut potui, operam, ut in his tum legendis, tum, ſi libet, examinandis cauſam non habeas juſtam conquerendi te tempus & operam fruſtra collocaſſe, ſed potiùs gratulandi quòd nova hinc tibi in ſacra Hiſtoria lux affulſerit. Quare ſi quem hinc ad te fructum redire ſentias, Deo Opt. Max. omnis boni, veri & lucis fonti & auctori, gratias agito, meq; illi precibus tuis commendato.

CHRONOLOGIA SACRA.

Tabula prima, decem primorum Patriarcharum ſtemma, & annorum vitæ ſummam complectens ad Diluvium uſque, idque juxta triplicem, Judæorum, Græcorum & Samaritanorum calculum.

	Secundum textum Hebr.						*Secundum LXX Interp.*					*Secundum Samaritanos.*				
	Genuit anno vitæ ſuæ.	Vixit poſtquam genuit.	Vixit in univerſum.	Anno mundi. Natus eſt.	Anno mundi. Obiit.		Genuit anno vitæ ſuæ.	Vixit poſtquam genuit.	Vixit in univerſum.	Anno Mundi. Natus eſt.	Anno Mundi. Obiit.	Genuit anno vitæ ſuæ.	Vixit poſtquam genuit.	Vixit in univerſum.	Anno Mundi. Natus eſt.	Anno Mundi. Obiit.
1 Adam	130	800	930	1	930		230	700	930	1	930	130	800	930	1	930
2 Seth	105	807	912	130	1042		205	707	912	230	1142	105	807	912	130	1042
3 Enos	90	815	905	235	1140		190	715	905	435	1340	90	815	905	235	1140
4 Kainan	70	840	910	325	1235		170	740	910	625	1535	70	840	910	325	1235
5 Mahalaleel	65	830	895	395	1290		165	730	895	795	1690	65	830	895	395	1290
6 Jared	162	800	962	460	1422		162	800	962	960	1922	62	785	847	460	1307
7 Enoch	65	300	365	622	987	*a* Ed. Gr. Comment. *b* Hier. Euſ. & Aug.	165	200	365	1122	1487	65	300	365	522	887
8 Matuſala	187	782	969	687	1656		*a* 187 *b* 167	782 802	969	1287	2256	67	653	720	587	1307
9 Lamech	182	595	777	874	1651		188	565 535	753 723	1474 1454	2227 2207	53	600	653	654	1307
10 Noe	500	450	950	1056	2006		500	450	950	1662 1642	2612 2592				707	
Diluvium.			Duravit.	Cœpit.	Deſiit.				Duravit.	Cœpit.	Deſiit.			Duravit.	Cœpit.	Deſiit.
			1	1656	1657				1	2262 2242	2263 2243			1	1307	1308

NOTÆ IN PRÆCEDENTEM TABULAM PRIMAM.

Euſebius initio Chronici ſui Græci, quod collegit & notis ſuis illuſtravit Joſephus Scaliger, comparat inter ſe Judæorum ex textu Hebræo, Græcorum ex Tranſlatione LXX Interp. & Samaritanorum ex proprio codice, calculum annorum vitæ decem priorum Patriarcharum qui ante Diluvium vixerunt, quorum genealogia habetur Geneſ. cap. 5. Ex illa collatione Tabulam hanc conſtruximus, ut ex ea uno oculi jactu & obtutu collatio ipſa inſtitui & intelligi facilè poſſit. Addit etiam ibidem Euſebius Africani, celebris ante tempora ſua Chronologi, de iiſdem Patriarchis calculum; ſed quia is parum & fermè nihil diſtat à calculo LXX Interp. ſatis eſſe duximus, in Notis hiſce noſtris obſervare ſi quando à LXX Interp. diſcedat Africanus. Similiter quia calculus Samaritarum, quem Scaliger habet in opere ſuo de Emendatione temporum, parum differt ab illo quem habet Euſebius, ſatis fuerit hîc annotare alterius ab altero diſcrimen. Porrò in calculo Judæorum, qui ex hodierno textu Hebræo inſtituitur, omnia ſunt plana & expedita, nihil in eo eſt difficultatis; liquet enim ex eo, novem priores Patriarchas omnes obiiſſe diem ſuum ante Diluvium, adeóque & Mathuſalam (qui omnium conſenſu fuit Patriarcharum omnium μακροβιώτατος) mortuum eſſe anno quo contigit Diluvium, hoc eſt, paullo antequam inciperet Diluvium. Calculum autem LXX Interp. quod attinet, hoc primò in eo obſervandum venit, quod ſcilicet in ſex Patriarchis, nempe quinque prioribus, & præterea Enocho (qui ordine ſeptimus eſt) anno quo in Hebræo textu dicuntur genuiſſe filium, LXX Interp. addunt centum annos, quos mox detrahunt annis illis, quos iidem Patriarchæ dicuntur in Hebræo vixiſſe poſt genitum filium, ita ut ſic conſenſus ſit inter LXX Interp. & Hebræum textum in ſumma annorum, quibus illi Patriarchæ dicuntur vixiſſe in univerſum. Hæc centum annorum additio & detractio non poteſt eſſe à caſu & errore aliquo ſeu lapſu Librarii, ſed conſultò & deditâ operâ, mutationem illam factam eſſe certum eſt. Et fortè non ab ipſis LXX Interp. ſed ab ipſo qui primus ex ipſorum autographo Biblia Græca deſcripſit & publicavit, facta eſt illa mutatio. [*De codicum Hebraicorum variatione in his numeris, & de hiſce rationibus, vide Proleg. de verſione Græca LXX Interp. ſect. ult.*] Quo autem conſilio factum id fuerit, duplex reddi poteſt à veri ſpecie non aliena ratio, quam utramque Auguſtinus libro de Civitate Dei attigiſſe videtur. Hoc nempe primum dici poteſt, auctorem illius mutationis (ſive ipſi fuerint LXX Interp. ſive quis alius) fuiſſe in ea ſententia, in qua olim multi fuerunt, (& etiamnum ſunt hodie fortè non pauci rerum imperiti) primos ſcilicet illos Patriarchas non fuiſſe multò μακροβιωτέρους quàm hodie vulgo ſunt jam à multis ſeculis homines; Nempe vixiſſe eos ad ſummum annos duntaxat 75 & 80 proindéque eum exiſtimaſſe, annos quibus dicuntur in ſcriptura vixiſſe, eſſe duntaxat μηνιαίους *menſtruos*, hoc eſt, non 360 aut 365, ſed 30 tantùm, dierum, ita ut duodecim ejuſmodi anni unum duntaxat ſolarem confecerint. Hoc poſito cùm videret poſſe ſibi objici ſex illos Patriarchas, quorum alius genuiſſe dicitur (ex Heb. textu) anno ætatis 65, alius 70, alius 90, alius 105, alius denique 130, hoc eſt, ſecundùm illam rationem anno ætatis 5. 6. 7. 8. 9. qui omnes ſunt infra pubertatis annum, qui definitur annus ætatis decimus quartus, ut declinaret illam objectionem, videtur conſultò adjeciſſe illorum annis centum alios, ut ſic inveniantur omnes genuiſſe circa vel poſt pubertatis annum, anno nempe ætatis vel 14, vel 17, aut verò etiam vigeſimo. Hæc una videtur eſſe ratio mutationis illius in annorum numero factæ, quæ ab Auguſtino reddi videtur libro decimo-quinto de Civitate Dei, capite duodecimo.

Altera poteſt hæc afferri. Dato annos illos ſolares fuiſſe dierum 365, quales ſunt hodie, exiſtimare potuit ille Corrector eam tum fuiſſe rationem & proportionem annorum pubertatis ad longiſſimum vitæ hominum, jam à multis ſeculis, curriculum. Jam verò decimus-quartus annus (qui primus pubertatis annus cenſetur, quo mares primùm apti ad gignendum eſſe exiſtimantur,) non eſt niſi quinta aut ſexta pars longiſſimi vitæ hominum curriculi, hoc eſt, 70, vel 80 annorum. Eandem itaque videtur ille exiſtimaſſe fuiſſe tum temporis rationem pubertatis ad annos vitæ illorum hominum, ut non priùs cœperit quiſquam gignere quàm attigiſſet quintam aut ſextam curriculi vitæ ſuæ partem. Quin etſi 14 annus definiatur jam pubertatis annus, pauciſſimi tamen ſunt & pænè nulli qui tam maturè incipiant dare operam liberis, vixque videas hodie patrem ullum qui non ſit 20 aut 18, vel ut minimum 16 annos natus, qui quadrans eſt aut quinta pars longiſſimi vitæ hominum curriculi. Jam verò annus 65, quo Enoch & Mahaleel dicuntur in Hebræo genuiſſe vix eſt decima-quinta pars vitæ ipſius Mahaleel, aut ſexta vitæ Enochi, cujus tamen vita duplo brevior fuit quàm reliquorum omnium Patriarcharum ante Diluvium. Annus autem 105 quo Seth dicitur genuiſſe, non eſt niſi decima pars vitæ ipſius. Denique annus 130 vitæ Adami, quo Adam dicitur genuiſſe Sethum, non eſt niſi ſeptima pars totius curriculi vitæ Adami. Atqui jam ante Sethum Adam alios ſuſceperat liberos Abelem & Cainum. Itaque ut tum eadem propemodum ſervaretur proportio, quæ jam per tot ſecula ſervata eſt à Natura in generatione hominum, ut nempe homines tum temporis gignere primò cœperint quum exegerant longiſſimi vitæ ſuæ curriculi quadrantem aut quintam partem, putavit ille Corrector addendos eſſe 100 annos illis quibus primi Patriarchæ dicuntur in Hebræo gignere cœpiſſe. Eóque faciliùs illuc inclinaſſe videtur, quòd videret decem illorum Patriarcharum nonniſi quatuor eſſe qui dicantur genuiſſe ante annum centeſimum. Reliqui enim dicuntur ſuperaſſe centeſimum annum quum gignere cœperunt. Ita ut potuerit ille facilè exiſtimare errore aliquo & lapſu Librarii detractos fuiſſe quatuor illis Patriarchis, adeóque & Adamo & Setho, centum annos, quos ille addendos vel potiùs reſtituendos eſſe cenſuit. Hæc poſterior ratio ab Auguſtino innui videtur lib. 15 de Civitate Dei cap. 15 his verbis: *Tanto ſerior fuit proportione pubertas, quanto vitæ totius major annoſitas.*

Jam verò ex illa centum annorum additione factum eſt, ut æra Diluvii quæ ex Tranſlatione Græca LXX Interp. colligitur, poſterior ſit 606 annis verâ Diluvii ærâ quæ ex textu Hebræo habetur, uti planum fit ex Tabula. Indidem eſt quòd ſecundùm calculum LXX Interp. omnes Patriarchæ (ſolo Adamo excepto) alio planè Mundi æræ anno & nati & defuncti eſſe inveniantur, quàm ex Hebræorum calculo colligitur.

Obſervandum eſt ſecundò, in calculo qui eſt ſecundùm LXX Interp. variam eſſe codicum Græcorum, in annorum notatione, lectionem: & primò quidem in numero annorum, quibus Mathuſalah dicitur genuiſſe Lamechum. Nam Euſebius, eúmque ſecutus Hieronymus in Chronico & alibi (puta Traditionibus Hebraicis in Geneſim) adeóque Auguſtinus loco modò citato ex libris de Civitate Dei, teſtantur Mathuſalam ſecundùm LXX Interp. genuiſſe Lamechum anno ætatis ſuæ 167, poſt genitum autem Lamechum vixiſſe 802, in univerſum autem annos vixiſſe 969. Atque ſic habet editio Romana Græcolatina τῶν LXX Lutetiæ recuſa anno Chriſti 1628. Unde ſequitur (ſi id verum eſt) Mathuſalam vixiſſe ut minimùm annos 14 vel 15 poſt Diluvium. Quod Euſebius & Hieronymus & Auguſtinus agnoſcunt & mirantur, & qua ratione id fieri potuerit, magnam aiunt fuiſſe & famoſiſſimam in Eccleſia, ſuo tempore, quæſtionem planè inſolubilem. Quam Hieronymus Traditionibus Hebraicis in Geneſim, & Auguſtinus lib. 15 de Civitate Dei cap. 13, non aliter ſolvunt quàm ex textu Hebræo, ex quo liquet Mathuſalam obiiſſe anno ipſo Diluvii. Niſi quòd Auguſtinus ſub finem illius capitis innuere videtur aliquam fuiſſe variam codicum lectionem in numero illo 167 annorum Mathuſalæ; dicit enim in nonnullis codicibus, nempe Græcis tribus, uno Latino, & Syro uno, conſentientibus, inveniri Mathuſalam obiiſſe 6 annis ante Diluvium. Quod verum eſſe non poteſt niſi pro 167 legatur 187, uti mox demonſtrabitur.

Et ſanè Africanus (qui ſecutus eſt Tranſlationem LXX Interp.) apud Euſebium in Chronico Græco, dicit Mathuſalam genuiſſe Lamechum anno ætatis ſuæ 185. ubi omnino errore Librarii vel Typographi ſcriptum eſt ρπε pro ρπζ, hoc eſt, 185 pro 187. Manifeſtum hoc eſt ex Georgio Syncello, quem citat Scaliger in notis ſuis ad Euſebium pag. 242. his verbis τῷ ρπζ ἔτει τοῦ Μαθουσάλα φέρουσι τὴν γένεσιν Λαμέχ, οἷς καὶ Ἀφρικανὸς ἀκολουθήσας τῷ βσξβ ἔτει τοῦ κόσμου τὸν ἐπὶ Νῶε κατακλυσμὸν ἐστοιχείωσε. hoc eſt, *Sunt qui 187 Mathuſalæ anno aſſignant nativitatem Lamechi, quos ſecutus Africanus Diluvium quod ſub Noacho contigit, anno æræ mundi 2262 aſſignavit.* Rurſus idem Syncellus ibidem pag. 243. Ἀπὸ Ἀδὰμ ἕως κατακλυσμοῦ ἔτη βσμβ, οὕτω γὰρ καὶ ὁ Εὐσέβιος, καὶ ὁ ἀληθινὸς λόγος, καὶ τὰ πλεῖστα τῶν Μωσαϊκῶν ἀντιγράφων περιέχουσι, κατὰ τὴν τῶν ό ἔκδοσιν. Ὁ μέντοι Ἀφρικανὸς βσξβ ἐλογίσατο ἔκ τινων σπανίων ἀντιγράφων οὕτως περιεχόντων. hoc eſt, *Ab Adam ad Diluvium uſque ſunt anni 2242. Sic enim & Euſebius habet. & vera ſupputatio. & plerique librorum Moſaicorum codices, juxta Tranſlationem LXX Interp. Africanus autem annos computat 2262, ex paucis nonnullis exemplaribus quæ ſic habent.* Item, Ἀφρικανὸς γὰρ πρὸς Εὐσέβιον ἀπὸ Ἀδὰμ ἕως κατακλυσμοῦ διαφωνεῖ ἔτη κ´. hoc eſt, *Africanus diſſentit ab Euſebio annis 20 in ſumma annorum ab Adam uſque ad Diluvium.* Ex his manifeſtum eſt Africanum ſecutum quædam Tranſlationis LXX Interp. exemplaria, computaſſe ab Adam ad Diluvium annos 2262, annos nimirum 20 plures, quàm Euſebius ex aliis ejuſdem Tranſlationis exemplaribus numerat, ídque non aliunde eſſe quàm quòd Africanus in quibuſdam codicibus Græcis invenit ſcriptum, Mathuſalam natum fuiſſe annos 187 cùm genuit Lamechum, cùm alii plerique omnes codices (quos Euſebius & Syncellus ſecuti ſunt) numerent duntaxat 167. Sed nec ſolus Africanus ab Adam ad Diluvium annos numerat 2262 verùm etiam Epiphanius, (citante ibidem eodem Scaligero) & Faſti etiam Siculi, quod verum eſſe (uti dixi) non poteſt niſi ſtatuatur Mathuſala natus annos 187 quum genuit Lamechum.

Ex his omnibus liquet, non omnes omnino codices Tranſlationis LXX Interp. habuiſſe 167 annos, uti volunt Euſebius & Syncellus, ſed quoſdam ſaltem (fatente vel invito ipſo Syncello) habuiſſe 187. Quod & ipſe Euſebius videtur agnoviſſe, nam poſtquam de Mathuſala dixit, οὗτος κατὰ τὰς πανταχοῦ βίβλους ὑπερέβη τὸν κατακλυσμὸν ἔτεσι ιε´ ὡς ἄπορον ποῦ διεσώθη ἐν τῷ κατακλυσμῷ, hoc eſt, *Is ſecundùm omnes qui ubique ſunt codices ſupervixit Diluvium annos 15, ita ut difficile ſit explicatu, ubinam tempore Diluvii ſervatus ſit ab aquarum inundatione.* Immediate deinde ſubjicit, τινὰ γὰρ τῶν ἀντιγράφων ἔχει ὅτι ψπβ´ ἔτη ἐπέζησεν μετὰ τὸ γεννῆσαι αὐτόν. hoc eſt, *Nonnulli tamen codices habent, ipſum annos 782 vixiſſe poſtquam genuit.* Ex his colligere licet, codices illos qui Mathuſalæ annos tribuunt 782 poſt genitum Lamechum, tribuiſſe illi annos 187 ante eum genitum, quia alioqui Mathuſala non vixiſſet annos 969, (qui tamen eſt conſtantiſſimus annorum vitæ ipſius numerus) ſed duntaxat 949, quod abſurdum eſt, ſic enim Mathuſala non fuiſſet Patriarcharum omnium μακροβιώτατος, quin Noe & Jared eum annorum numero, etiam ſecundùm LXX Interp. ſuperarent. Fallitur ergo Euſebius (& poſt eum Syncellus) quum rejiciens lectionem illam quæ tribuit Mathuſalæ annos 782 poſt genitum Lamechum, dicit ſic futurum eſſe, ut numerus annorum vitæ Mathuſalæ ſit duntaxat 949. Minimè verò, inquam, id ſequitur, quia proculdubiò exemplaria illa tribuebant ante genitum Lamech annos 187, non verò 167. Ex his itaque paucis exemplaribus debuerant Euſebius & Syncellus deprehendere vitium reliquorum codicum, qui annos duntaxat 167 tribuunt Mathuſalæ, potiùs quàm ut ea exemplaria vitii & erroris redarguerent. Certum eſt, etiam illa exemplaria tria Græca cum uno Latino & uno Syro, in quibus (uti monuimus) Auguſtinus dicit inveniri Mathuſalam obiiſſe annis ſex ante Diluvium. Certum, inquam, eſt ea tribuiſſe Mathuſalæ annos 187 ante genitũ Lamech, aliter enim verũ non erit Mathuſalam obiiſſe 6 annis ante Diluviũ. At ſi illi dentur 167 anni, manifeſtũ eſt ex tabula obiiſſe eum annis ſex ante Diluviũ, obi erit nempe anno mundi 2256, Diluviũ autem contigerit anno mundi 2262. Deniq; editiones nonnullæ Græcæ hodiernæ Tranſlationis LXX Interp. totidem annos Mathuſalæ tribuunt, quot textus Hebræus illi tribuit, nempe 187 ante genitum Lamech, 782 verò poſt eum genitum. Sic enim habet (Geneſeos v. 25.) editio Baſileenſis apud Hervagium anno Chriſti 1545, & illa quæ eſt Wecheli anno Chriſti 1597, quæ poſterior editio nequidem hîc annotat variam ullam lectionem, quaſi omnes codices & editiones hîc conſentirent, cùm tamen editio Bibliorum Regia Antuerpienſis Plantini ſequatur antiquam illam Euſebianam lectionem, in ea tamen mendum eſt, nam iſtic πέντε pro ἑπτὰ ſcriptum eſt, quod vitium hæret & in Latina verſione, quæ eſt illi ex adverſo facta ex Græco, unde liquet, non eſſe vitium Typographicum, ſed errorem & hallucinationem illius qui præerat illi editioni, qui non animadvertit vitium eſſe in voce illa πέντε pro ἑπτά. Hæc menda ſublata eſt in editione Pariſienſi Græcolat. τῶν LXX, facta anno Chriſti 1628.

Ex his omnibus planum eſt falſam eſſe, & adulterinam illam, quam Euſebius, Hieronymus & Auguſtinus aiunt fuiſſe omnium ferme ſui temporis codicum Græcorum lectionem, quæ Mathuſalæ annos duntaxat 167 tribuit ante natum Lamechum. Veram contrà & genuinam eſſe illam, quam ſecutus eſt Africanus, quámque habuerunt pauca quædam exemplaria, quorum & Auguſtinus & Euſebius & Syncellus meminerunt, quæque confirmatur hodiernis quibuſdam Græcæ Bibliorum τῶν LXX Tranſlationis editionibus. Quis enim putet LXX Interp. tam imprudentes fuiſſe, ne ſtupidos dicam, ut ſic rationes & calculum ſuum inſtituerint, ut ex eo inveniatur Mathuſala aliquot annos vixiſſe poſt Diluvium, nec fuiſſe tamen in arca cum Noacho receptum: & Euſebius quidem hîc, tanquam in pice mus hæret, & Syncellus quidlibet mavult περιττολογεῖν, quàm ut codicum ſuorum Græcorum vitium & errorem hîc agnoſcat, aut corrigere & emendare velit ex Africano. Atque hæc de prima varia lectione, quæ in codicibus Græcis occurrit in hoc annorum epilogiſmo ſecundùm Tranſlationem LXX Interpretum. Sed & alia videtur eſſe varia lectio in numero annorum, quos Lamech dicitur vixiſſe poſt genitum Noachum. Nam hodiernæ editiones Græcæ omnes Tranſlationis LXX Interp.

etiam ipſa Romana ſeu Pariſienſis, habent annos 565. Quæ lectio confirmatur ex Auguſtini lib. 15 de Civitate Dei cap. 20. ubi diſerte ait, in Hebræo eſſe annos 30 plures quàm in Græco. Cùm itaque in Hebræo dicatur vixiſſe annos 595 poſt natum Noë, ſequitur in Græco eſſe 565. Liquet idem ex ſumma annorum, quos ſecundùm LXX Lamech vixit in univerſum, vixit nempe annos 753, quod verum eſſe non poteſt, niſi poſt genitum Noachum annos vixerit 565. cùm ante eum natum dicatur vixiſſe duntaxat annos 188. In Euſebii tamen Chronico Græco dicitur vixiſſe annos φλε, hoc eſt, 535 poſt natum Noachum. Nec videtur eſſe librarii vel chalcographi lapſus pro φξε, addit enim iſthic Euſebius vixiſſe Lamechum ad annum uſque Noë φλε, hoc eſt, 535. quod verum eſſe non poteſt niſi & præcedens numerus ſit φλε 535. Aut verò dicendum eſt, in utroque numero lapſum eſſe librarii aut typographi, aut collectoris ipſius Scaligeri, & utrobique ſcriptum eſſe mendoſè φλε pro φξε, quod eſt vero magis conſentaneum. Nam certum eſt Euſebium primò ſcripſiſſe φξε, 565. Hieronymus enim qui Euſebii Chronicon Latinè vertit, habet DLXV. & omnino Lamech juxta calculum LXX Interp. vixit ad annum uſque Noë 565, non verò 535. Nam mortuus eſt Lamech juxta LXX Interp. anno mundi 2207: Noë verò juxta eoſdem natus eſt anno mundi 1642. quibus ſi addas annos 565, exurget annus mundi 2207, quo obiit Lamech juxta LXX Interp. Itaque vitioſa eſt omnino illa Græci Chronici Euſebiani apud Scaligerum lectio, quæ habet φλε, legendúmque utrobique φξε, quomodo legit Hieronymus, conſentientibus etiam hodiernis Græcis S. Bibliorum editionibus omnibus, idque poſtulante & flagitante rei ipſius veritate. Hoc mendo ſublato dicendum eſt Lamechum natum eſſe (ſecundùm Euſebium, Hieronymum & Auguſtinum, qui volunt eum genitum anno 167 vitæ Mathuſalæ) anno mundi 1454, mortuum verò anno 2207; vixit nempe annos 753 in univerſum juxta LXX Interpr.

Obſervandum eſt denique, & in numero annorum Lamechi plurimum diſtare LXX Interp. ab Hebr. textu, Nam ubi textus Hebr. habet annos 182 ante natum Noachum, Græcus habet 188. Ubi Hebræus habet 595 poſt natum Noam, Græcus habet duntaxat 565. Denique ubi Hebræus habet 777, Græcus habet 753. Et quidem conſtantiſſimè, ſic enim habent hodierni codices Græci omnes, ſic & Africanus apud Euſebium, ſic & Euſebius in Græco Chronico, ſic & Hieronymus in Latino quod ex Græco convertit. Suſpicatur tamen (& quidem jure meritò) Auguſtinus vitium eſſe in illis numeris, & quidem antiquiſſimum, ab eo nempe qui primus Græca Biblia tranſcripſit ex Ptolomæi Bibliotheca. Sic enim ille lib. 15. de Civitate Dei cap. 13. *Credibilius quis dixerit, cùm primùm de Bibliotheca Ptolomæi deſcribi iſta cœperunt, tunc aliquid tale fieri potuiſſe in codice uno ſcilicet primitus inde deſcripto, unde jam latiùs emanarit, ubi potuit etiam accidere ſcriptoris, hoc eſt, Librarii error: & hoc in illa quæſtione de vita Mathuſalem non abſurdum eſt ſuſpicari, & in illo alio, ubi ſuperantibus 24 annis ſumma non convenit.* Nam his poſtremis verbis Auguſtinus intelligit annos Lamechi, qui juxta Hebræum ſuperant annis 24 numerum annorum qui habetur in Tranſlatione LXX Interp. Nam juxta Hebræum vixit in univerſum 777 annos: ſecundùm verò LXX vixit duntaxat annos 753. Idem Auguſt. ibidem paulò poſt: *Itaque illa diverſitas numerorum aliter ſe habentium in codicibus Græcis & Latinis, aliter Hebræis, &c. ſcriptoris tribuatur errori, qui de Bibliotheca ſupradicti Regis codicem deſcribendum primus accepit.* Sed & hinc confirmatur illa Auguſtini ſuſpicio, nempè à LXX Interp. ſcriptum primo fuiſſe Lamechum natum annos 182 (non verò 188) genuiſſe Noachum, quomodo eſt in Hebræo, quia ſic fiet ut Mathuſala ſecundùm calculum τῶν LXX, non minus quam juxta textum Hebræum, obierit anno ipſo diluvii. Si enim Lamech anno ætatis ſuæ 182 genuit Noachum, Noë ipſe natus fuerit A. M. 1656: Diluvium autem contigerit anno mundi 2256, quo anno ſecundùm epilogiſmum LXX Interp. invenitur obiiſſe Mathuſalam, uti planum eſt ex Tabula. Eſt autem omnino veriſimile, calculum à LXX Interp. (vel ab eo qui primus deſcribendo ex eorum autographo mutationem in numeris induxit certo conſilio) ità fuiſſe inſtitutum, ut ex eo planum ſit Mathuſalam Patriarcharum omnium μακροβιώτατον, anno ipſo Diluvii, hoc eſt, paucis diebus ante Diluvium obiiſſe, quomodo manifeſtum eſt ex Hebræorum epilogiſmo id revera ſic contigiſſe. In hoc itaque fuerit diſcrimen τῶν LXX ab Hebræo textu, quòd non eodem æræ mundi anno Diluvium ſecundùm utroſque contigit. Nam ſecundum Hebræos contigit anno mundi 1656. At juxta LXX Interp. contigerit anno mundi 2256, verùm in hoc inter utroſque conſenſus fuerit, quòd eo anno mundi quo utrique ſtatuunt contigiſſe Diluvium, eodem ſtatuunt Mathuſalam obiiſſe. Quin & hoc veriſimile eſt, non fuiſſe inter utroſque aliud diſcrimen, præterquam in illis 600 annis, quos certo conſilio (uti dictum eſt) addiderunt ſupra Hebræorum epilogiſmum. Itaque ſuſpicor eodem librarii errore mendum irrepſiſſe in 565 annis illis, quibus Lamech ſupervixiſſe dicitur poſt natum Noachum, ut ab eo ſcriptum ſit φξε pro φϟε, h.e. 565 pro 595. Unde ex conſequenti natus error in ſumma annorum, quibus Lamech vixit 753, quæ diſtat ab illa quæ in Hebræo eſt 777, annis (ut notavit Auguſtinus) 24. Nempe ex 188 annis qui præceſſerunt nativitatem Noë, & 565 quibus vixit poſt natum Noam, oritur ſumma annorum 753. Hac ratione juxta LXX natus fuerit eo anno, quo ſecundùm Hebræos contigit Diluvium, nempe anno mundi 1656: Diluvium autem juxta LXX, annis 600 ſeriùs contigerit quam ex Hebræo conſtat contigiſſe, idque propter 600 annos quos ſex prioribus Patriarchis certo conſilio, certaque de cauſa, quam explicuimus, addiderunt ſupra Hebræorum epilogiſmum. Quicquid eſt inter eos, & Hebræum textum (præter ſexcentos illos annos) in numeris annorum diſcriminis, id omnino videtur non eſſe ab ipſis LXX Interp. ſed à librariorum lapſu & errore, uti vult Auguſtinus, quicquid contrà clamet Georgius Syncellus.

Ad epilogiſmum autem Samaritarum quod attinet, obſervandum eſt primo, nihil eorum calculum diſtare ab Hebræorum calculo in quinque prioribus Patriarchis, & in Enocho, ſed duntaxat in Jared, Mathuſala, & Lamecho. Nam quod Euſebius in Chronico Græco ſcribit, Enochum anno ætatis ſuæ 60 genuiſſe Mathuſalam, error eſt vel Typographi aut Librarii, qui ξ pro ξε ſcripſit, non error ipſius Euſebii qui procul dubio ſcripſerat ξε. Quod hinc manifeſtum eſt, quia immediatè ſubjicit μετετέθη ἐν ἔτει ρπ τοῦ Νῶε, hoc eſt, *Tranſlatus eſt anno* 180 *Noachi*; Quod ſtare non poteſt niſi Enoch anno ætatis ſuæ 65 genuerit Mathuſalam, proindéque annos vixerit non 360, ſed 365. Quod & hinc confirmatur. Georgius Syncellus (qui ſecutus eſt Euſebium) citante Scaligero ait, *Samaritarum calculum breviorem eſſe Hebræorum calculo annis* 349; quod ſtare etiam non poteſt niſi Enoch anno ætatis ſuæ 65 genuerit Mathuſalam, uti planum eſt ex Tabula. Denique Chronographium Samaritarum, quod Scaliger in lib. de Emendatione temporum produxit, totidem Enocho aſſignat annos, nempe 65.

Obſervandum eſt ſecundò, quòd etſi Samaritarum calculus ab Hebræo in æra Diluvii, & annis poſtremorum trium Patriarcharum plurimum diſtet, tamen in hoc cum Hebræo convenit, quòd etiam ſecundùm Samaritas Mathuſala obiit eo anno quo ſecundùm illos contigit Diluvium, nempe anno mundi 1307. Quo etiam anno ſecundùm eoſdem obiit & Lamech Noachi pater, & Jared ejus proavus. Quod & Euſebius ibidem notavit. Nam de unoquoque trium illorum Patriarcharum dicit, ἐπέζησεν ἕως vel μέχρις αὐτοῦ τοῦ κατακλυσμοῦ. Unde rurſus confirmatur hic Samaritarum epilogiſmus, qualis in Tabula hac noſtra exhibetur, quem diu poſt conſtructam tabulam deprehendimus accuratè convenire cum iis quæ de Samaritarum epilogiſmo nuper notavit Joan. Morinus (præfatione quam præfixit editioni Pariſienſi Tranſlationis Græco-Latinæ LXX Interp. factæ anno Chriſti 1618. ex codice manuſcripto Pentateuchi Moſaïci Samaritanorum. Idem Samaritarum epilogiſmus confirmatur ex literis viri doctiſſimi Domini Golii, ad me ſcriptis 9 Mart. 1630. In quibus notat eandem à textu Hebraico Samaritani codicis diſcrepantiam ſeu variationem, quæ hic in Tabula noſtra annotata eſt. Notandum autem eſt apud Euſebium in Chronico Græco, eſſe vel Euſebii errorem vel Typographi aut librarii lapſum, in eo quòd Cainan dicitur vixiſſe ad Noachi uſque annum φκα, Mahalaleel autem ad annum uſque ejuſdem Noë φπε: nam pro φκα ſcribendum eſt φκη, hoc eſt, 528, & pro φπε, ſcribendum eſt φπγ, hoc eſt 583. Alioqui ipſe Euſebius ſibi non conſtabit illis numerorum notationibus. In reliquis Patriarchis notatio quam habet (quo ſcilicet Noachi anno ſinguli eorum obierint) eſt conſentanea, & cum toto iſto Samaritarum calculo, qui eſt in Tabula hac noſtra, quadrat. Obſervandum eſt tertiò diſcrimen, quod eſt inter iſtum Samaritarum, & illum qui eſt Hebræorum calculum. Hoc diſcrimen manifeſtum eſt ex Tabula, tum in annis quibus tres illi Patriarchæ Jared, Mathuſala, & Lamech dicuntur cœpiſſe gignere, tum in annis quos dicuntur vixiſſe poſtquam genuerunt: in utroque enim non parum diſceſſerunt Samaritæ ab Hebræo. Unde ex conſequenti ortum eſt diſcrimen, quod inter illos & Hebræos intercedit in æra tum nativitatis, tum mortis trium illorum Patriarcharum, tum etiam in æra Diluvii, quam breviorem faciunt illâ quæ eſt Hebræorum, annis 349, uti rectè & congruenter notavit Georgius Syncellus ſupra laudatus. Atque hinc fit manifeſtum, immeritò à Scaligero (in notis ad Euſeb. pag. 243) reprehendi Syncellum illum, eo quòd dixerit calculum Samaritanorum ab Hebræo in æra Diluvii differre annis τμθ, hoc eſt, 349, ab epilogiſmo autem τῶν LXX annis ϡλ, hoc eſt, 930. In his Scaliger ait Syncellum hallucinari, eo quod computet annos ab Adam uſque ad Diluvium; mendoſè, cùm anni iſti ſint ad natum Noë, non ad Diluvium uſque deducti. Verùm graviſſimè hic hallucinatus eſt ipſe Scaliger, quum ait ex Samaritanorum dinumeratione ab Adam ad natum Noë colligi annos 1327. Ad diluvium autem annos 1947. Nam ex Tabula hac noſtra, quam juxta Euſebianam Samaritarum dinumerationem conſtruximus, luce clarius eſt, à rerum exordio ad natum Noë annos eſſe duntaxat 707, ad Diluvium autem 1307. Diluvium nempe anno 600 vitæ Noachi contigit, annos itaque qui deducendi erant ad Diluvium uſque, Scaliger ad natum Noë computavit: quæ eſt ea ipſa hallucinatio quam immeritò Georgio Syncello tribuit. Quod autem Scaliger numerat annos 1327, non verò 1307, inde eſt quod calculo Euſebiano putat addendos eſſe annos 20, ex Samaritarum Chronographio, quod ipſe protulit in libro de emendat. temporum. Nam ubi Euſebius ait, Mahalaleelem natum fuiſſe annos ξε, hoc eſt, 65, quum gigneret Jared, Scaliger emendandum cenſet οε, hoc eſt 75, ex ſuo Chronographio; Item ubi Euſebius ait Mathuſalam natum fuiſſe annos ξζ, hoc eſt 67, quum gigneret Lamechum, Scaliger emendat οζ, hoc eſt, 77 ex eodem Chronographio. De qua Scaligerana emendatione mox dicetur. Quod verò ait idem Scaliger, ex Samaritanorum dinumeratione colligi ad Diluvium annos 1947, non ſibi conſtat, & fallitur annis 20. Nam ſi, uti falsò putat, Samaritæ ab Adam ad natum Noë computant annos 1327, ſane ad Diluvium uſque non numerabunt niſi annos 1927, ſiquidem Diluvium contigit anno vitæ Noæ 600. Sed putavit fortè Scaliger rurſus hic eſſe addendos 20 illos annos, quos ex emendatione ſua jam antea addiderat calculo Euſebiano, quæ mera eſt hallucinatio. Benè ergo & congruenter Syncellus notavit exceſſum ſeu diſcrimen æræ Diluvii, quod eſt inter Hebræos, LXX Interp. & Samaritas. In hoc duntaxat falſus eſt, quod ait Samaritarum calculum diſtare ab illo qui eſt juxta LXX, annis duntaxat ϡλ, hoc eſt, 930, cùm revera diſtet annis 935, uti liquet ex Tabula. Recte autem dixit, calculum Hebræorum ſuperari ab illo qui eſt ſecundùm LXX annis φπϛ, hoc eſt, 586, quia ex illorum Græcorum Codicum mente, (quos Syncellus ſecutus eſt) qui Mathuſalæ dant annos 167 quum genuit Lamech, æra Diluvii incidit in annum mundi 2242, à quibus ſi ſubducas 1656, quæ eſt æra Diluvii ſecundùm Hebræos, reſtant 586 anni.

Scaliger in opere de Emendatione temporum profert Chronographium quoddam Samaritarum, in cujus fine attexitur epilogiſmus annorum Patriarcharum illorum, qui ante & poſt Diluvium ad Abrahamum & Moſem uſque vixerunt. In hoc epilogiſmo Mahalaleeli tribuuntur non 65 anni (quot illi tribuit Euſebius ante genitum Jared) ſed 75, ſimiliter Lamecho tribuuntur non 67, ſed 77 anni. Atque hinc Scaliger vult corrigi & emendari Euſebium, ſicque annis 20 longiorem facit æram Diluvii, quàm eam facit Euſebius, & poſt eum Syncellus. Sed ſine neceſſitate Scaliger urget emendationem illam, qua conturbatur totus ille Euſebianus Samaritarum calculus. Nec tantæ eſt auctoritatis Chronographium illud Samariticum Scaligeri, ut præferri debeat Euſebiano; (quod confirmari diximus codice MS. Pentateuchi Samaritici Joan. Morini) maximè cùm ipſe Scaliger, in notis ſuis ad Chronographium illud, agnoſcat nonnulla eſſe in epilogiſmo qui illi ſubjicitur abſurdiſſima. Præſtat itaque Samariticum Scaligeri epilogiſmum ex Euſebiano corrigere, quàm Euſebianum ex Scaligerano. Nam ſi admittitur illi Scaligeri emendatio, ſequetur Jared & Mathuſalam obiiſſe anno mundi 1317. Lamechum autem A. M. 1327. eodemque anno contigiſſe *Diluvium*. Ita Mathuſala obierit annis 10 ante Diluvium, quod non videtur convenire, neque id congruit cum Hebræorum, neque cum genuino τῶν LXX epilogiſmo, quorum uterque ſtatuit mortem Mathuſalæ in anno ipſo Diluvii, uti ex ſuprà dictis videre eſt. Nec veriſimile eſt voluiſſe Samaritas ita calculum ſuum inſtituere, ut alio quam Diluvii anno obierit Mathuſala. Falſum etiam erit quod annotat Euſebius in Chronico Græco, tres iſtos Patriarchas Jared, Mathuſalam & Lamechum vixiſſe ad ipſum uſque Diluvium.

Porrò cur Samaritæ tam longè ab Hebræo in trium illorum Patriarcharum annis aſſignandis diſceſſerint, cur longiùs adhuc multo ab epilogiſmo τῶν LXX recedant, cauſam nec video, nec ſuſpicari aut conjicere poſſum, imò neque facile mihi perſuaſerim eos ab Hebræo hac in parte diſcedere voluiſſe, cum in reliquis Patriarchis exactè cum eo conveniant. Et ſane ſi Hieronymus audiatur, omnino non diſceſſerunt. Nam in quæſtionibus ſeu traditionibus in Geneſ. ubi famoſam quæſtionem ſolvit, *quî potuerit Mathuſala juxta calculum τῶν LXX vixiſſe annos 14 poſt Diluvium*, teſtatur tam in Hebræis quam in Samaritanorum libris ſcriptum inveniri, vixiſſe Mathuſalam 187 ante genitum Lamechum, Lamechum autem vixiſſe 182 annos ante natum Noë. Hoc ſi verum eſt, (quod ille diſertiſſimè teſtatur) an veriſimile eſt eos ab Hebræo in ſolo Jared voluiſſe diſcedere, ut illi ſine cauſa centum annos detraherent? Quis non potius ſuſpicetur librarii lapſu pro 162 annis, qui Jaredo tribuendi ſunt, ſcriptum fuiſſe 62, quot illi tribuit Euſebius? Omnino itaque vero conſentaneum eſſe videtur, Samaritanos ab Hebræorum epilogiſmo non receſſiſſe, Interim tamen calculus eorum, qui ab Euſebio in Græco Chronico refertur, confirmatur (uti diximus) codice manuſcripto Pentateuchi Samaritani, uti annotat Joan. Morinus præfatione in Biblia Græca tranſlationis LXX Interpretum Pariſiis edita 1618. Itaque hîc dubius hæreo.

Tabula ſecunda, Complectens Patriarchas poſt Diluvium uſque ad Abrahamum, juxta textum Hebræum, Geneſ. 11. 10.

	Genuit natus annos	Vixit poſtquam genuit.	Vixit in univerſum.	Anno Mundi	
				Natus eſt.	Mortuus eſt.
1 Sem	100	500	600	1558	2158
2 Arphaxad	35	403	438	1658	2096
3 Selah	30	403	433	1693	2129
4 Heber	34	430	464	1723	2187
5 Phaleg	30	209	239	1757	1996
6 Rehu	32	207	239	1787	2026
7 Serug	30	200	230	1819	2049
8 Nachor	29	119	148	1849	1997
9 Thare	130	75	205	1878	2083
10 Abraham				2008	

NOTÆ IN PRÆCEDENTEM
Tabulam ſecundam.

OMnia fermè in hac Tabula plana ſunt, obvia & expedita. Nam quot annos natus unuſquiſque horum Patriarcharum genuerit filium, hoc eſt, natus illi ſit filius, quotque annos poſt natum filium vixerit, (ſi unum excipias Tharam, de quo mox dicturi ſumus) manifeſtum eſt ex Geneſ. cap. 11. ubi iſta exertè notantur. Jam ſi anno quo cuique natus eſt filius, addas annos quos vixit poſt natum filium, exſurget annorum quos in univerſum unuſquiſque vixit, numerus, prout in hac Tabula eſt notatus.

Deinde eodem Geneſ. cap. 11. 9. Sem natus centum annos dicitur genuiſſe Arphaxadum שנתים biennio, ſeu potius anno ſecundo (nimirum inchoante) poſt Diluvium, ſcilicet abſolutum. Cùm itaque ex prima & ſecunda Tabula noſtra conſtet Diluvium abſolutum eſſe initio anni mundi 1657, nimirum 27 die menſis ſecundi anni illius, planum eſt inde Arphaxadum natum eſſe anno mundi 1658, circa ejus initium vel medium. Nempe videntur omnino tum Noë, tum ejus liberi, pii ſaltem (qualis fuit Sem) ab uſu conjugii abſtinuiſſe dum fuerunt in Arca concluſi, mox verò poſtquam ex Arca ſunt egreſſi, cœpiſſe dare operam liberis procreandis. Sanè Judæi (undicumque illud acceperint) in ea ſunt ſententia: aiunt enim ex omnibus brutis animantibus ſolum Canem, ex hominibus ſolum Chamum explendæ libidinis cauſa, venerem in Arca exercuiſſe. Cùm ergò Noë, ejuſque liberi, ex Arca egreſſi ſint ſub finem menſis ſecundi anni mundi 1657. ſi paulo pòſt Sem liberis procreandis operam dedit, Arphaxad potuit illi naſci initio anni 1658. Cúmque tum natus eſſet annos centum, nimirum completos, ſequitur natum eſſe anno mundi 1558. Jam autem ex Tabula prima, & notis noſtris in ſecundam, liquet Noam natum eſſe anno mundi 1056 completo, ac proinde quando Geneſ. 5, 32, Noe dicitur genuiſſe Sem, Cham & Japheth, natus annos quingentos, videri poſſet inde Sem (qui primus inter Noæ liberos illic nominatur) natus anno mundi 1556 completo, vel 1557 inchoato, non verò uti ſtatuimus anno 1558. Sed obſervandum hîc eſt id quod ab aliis jam recte occupatum & obſervatum eſt, nempe Noam cœpiſſe quidem gignere anno ætatis ſuæ quingenteſimo, at non tamen eo anno genuiſſe Semum, ſed Japhetum, qui fuit filiorum Noæ primogenitus, quíque propterea dicitur Geneſ. 10, 21, הגדול *magnus*, hoc eſt, natu maximus, unde etiam eſt quod ejus genealogia eo capite primo loco recenſetur. Cham autem filiorum Noæ natu minimus, unde etiam vocatur הקטן Geneſ. 9. 24. Quare ordo filiorum Noæ, habita ratione nativitatis ipſorum, hic eſt, Japheth, Sem & Cham; ut Sem medius ſit inter Japhetum qui הגדול, & Chamum qui הקטן dicitur. Natus ergo Japheth anno mundi 1556 completo, Sem verò initio anni mundi 1558. Quod autem Semi genealogia recenſetur ultimo loco tam Geneſ. 10, 20, quàm cap. 11, 10, hoc ideo fit quia ex Sem oriundus fuit Abraham, cujus hiſtoriam Moſes perſequitur, non aliorum.

Hoc poſito, Semum eſſe natum anno mundi 1558 inchoante, planum eſt quo mundi anno reliqui Patriarchæ tum nati, tum mortui ſint, uti eſt in Tabula notatum. De uno Thara lis eſt, quem ſtatuimus anno ætatis ſuæ 130 genuiſſe Abrahamum, quod videtur eſſe adverſus Scripturam, quæ Gen. 11, 26, dicit Tharam natum annos 70 genuiſſe Abraham, Nachor & Haran. Sed ab aliis jam obſervatum eſt Tharam quidem cœpiſſe anno ætatis ſuæ 70 gignere liberos, at non tamen eo anno genitum ab eo eſſe Abrahamum, ſed vel Nachorem, vel Haranem, quomodo ſupra obſervavimus Noam cœpiſſe gignere anno ætatis quingenteſimo, ſed Japhetum, non verò Semum, uti prima fronte videri poſſet ex Gen. 5, 32. Abrahamum autem non ſeptuageſimo, ſed centeſimo triceſimo ætatis Tharæ anno natum eſſe, ſic, poſt alios demonſtrari poſſe putamus. Thare vixit annos 205, mortuuſque eſt in Charan, Geneſ. 11. 20. Abraham natus tum fuit annos 75, Gen. 12, 4. Mortuo patre, Dei juſſu egreſſus eſt ex Charan, venitque in terram Chanaan Act. Apoſt. c. 7. Subducantur anni 75 ex 205, liquet Abrahamum natum eſſe anno ætatis Tharæ 130. Confirmaturq; hoc ex Galat. 3. 17, ubi promiſſio Abrahæ facta dicitur anteceſſiſſe legem annis 430, & ex Geneſ. 14, 13, ubi Deus prædicit Abrahamo prolem ipſius futuram peregrinam & ſervituram genti alteri annos 400. Hi 400 anni inchoandi ſunt à nativitate Iſaaci (qui ſtatim atque natus cœpit eſſe peregrinus in terra non ſua, etſi enim terra Chanaan promiſſa fuiſſet patri ejus Abrahamo, attamen tradita illi non fuerat, imò verò ne latum quidem pedis veſtigium in ea habuit) terminandi autem in egreſſu Iſraelitarum ex Ægypto. Promiſſio ergo Abrahæ primò facta anteceſſit, ſecundùm Apoſtolum, Iſaaci nativitatem annis 30. Et facta fuit Abrahæ in Ur Chaldæorum, antequam veniret in Charan, Actor. 7, verſ. 2, 3, 4. Abraham natus fuit annos centum cùm natus eſt illi Iſaac, natus ergo fuit annos 70 cum facta eſt illi promiſſio, & juſſus eſt exire ex Ur Chaldæorum. Cùm autem egreſſus eſt ex Charan patre mortuo, natus erat annos 75. Ge-12, 4. Ergo quinquennio ante exceſſerat Ure. Unde veriſimiliter colligitur Abrahamum accepta Dei promiſſione, ejuſque mandato de relinquenda patria, indicaſſe illud patri, qui ut Dei vocationem ſequeretur, relicto (uti videtur) in Chaldæa Nachor, & aſſumpto ſecum Abrahamo filio, & nepote Lotho, unà cum ipſis venit in Charan, animo petendi terram Chanaan, uti dicitur Geneſ. 11, 31. Sed fortè morbo iſthic detentus Thare, aut alia quapiam de cauſa quinquennium iſthic hæſit, atque una cum eo Abraham & Loth, quorum ille patrem, hic avum ſenectute jam confectum, & adverſa fortè tum valetudine laborantem noluit deſerere, ſed tantiſper cum eo ſubſtiterunt in Charane, donec vel convaleſceret, vel vita excederet. Quare mox poſt patris obitum Charane exceſſit, venitque in terram Chanaan, juxta mandatum quod in Chaldæa à Deo acceperat, quódque exequi jam cœperat, cùm Ure profectus unà cum patre Thara venit Charanem.

Qui in alia ſunt ſententia, & Abrahamum natum volunt anno ætatis Tharæ 70, mirum in modum conturbare coguntur hanc promiſſionis & vocationis Abrahæ hiſtoriam, pluresque Abrahæ ex Ur & Charan in Chananæam profectiones, ejuſdémque in Charan vel Ur reditum valde ἀλόγως confingere: neque conciliare valent loca Scripturæ modo allata, de Abrahæ vocatione, promiſſione illi facta, profectione è patria, & prolis per annos 400 peregrinatione & ſervitute in terra non ſua, quæ omnia amice conſpirant, ſi ſtatuas Abrahamum natum eſſe anno ætatis Tharæ 130, non verò 70. Adde quod Samariticus codex vitæ Tharæ annos dat duntaxat 145. Cujus hæc cauſa eſt, quòd ſecundùm Scripturam Geneſ. 12, 4, æſtimavit, & quidem rectè, Abrahamum natum fuiſſe annos 75 cùm Thare obiit Charane, putavit autem, ſed falsò, deceptus loco Geneſ. 11. 26, natum fuiſſe anno vitæ patris 70. Quòd ſi Abraham natus fuit annos tantùm 75, cùm obiit Thare, uti Scriptura exertè dicit loco modò citato Geneſ. 12, 4, natus eſt proculdubio anno vitæ patris 130, quandoquidem Thare in univerſum vixit annos 205.

Deinde ſi Abraham natus eſt anno patris ſui Tharæ 70, natus fuit annos 135, cùm obiit Thare, Iſaac autem natus eſt Abrahamo cùm eſſet annorum centum. Fitne veriſimile patrem Tharam, qui ad mandatum Dei filio Abrahæ factum de relinquenda patria, ut illi obſequeretur, unà cum filio venerat Charanem animo veniendi in terram Chanaan, voluiſſe hærere in Charan annos 65, neque commotum fuiſſe inſigni Dei erga filium Abrahamum benedictione, qui Iſaacum miraculo illuſtri ei in effœta tum Abrahæ, tum Saræ ætate dederat? Denique, quî verum erit quod ait Stephanus Actorum 7, (poſt Scripturæ dictum Geneſ. 12. 2, 3, 4.) Abrahamum veniſſe in Chananæam poſt patris obitum, ſi Thare vixit annos 65, poſtquam Abraham Charane profectus venit in Chanaan. Ex his evincitur, ut puto, firmiſſimè, Abrahamum natum eſſe anno vitæ patris 130. non verò 70. Thare ergo cœpit quidem (uti dicitur Geneſ. 11, 26.) gignere anno ætatis 70, ſed vel Nachorum, vel Haranem, non verò Abrahamum. Quod autem Abraham primo loco iſtic ponitur, id fit ob Abrahami dignitatem, à quo populus Dei erat oriundus, cujus hiſtoria deinde narratur, quomodo Geneſ. verſ. 32, Sem primo loco ponitur, etiamſi (uti modò oſtenſum eſt) non fuerit Noæ primogenitus, ſed Japheth. Hoc poſito Abrahamum natum eſſe anno ætatis Tharæ 130, ſequitur Tharam poſt natum Abrahamum vixiſſe annos duntaxat 75, uti notamus in Tabula juxta Scripturam, Geneſ. 12, 4. Porrò, cùm Abraham natus ſit anno mundi 2008 exeunte, vel 2009 ineunte, liquet eum eſſe natum in fine quadrageſimi primi Jubilæi à mundi creatione, Iſaacum verò, qui annis centum pòſt natus eſt, natum eſſe anno primo quadrageſimi quarti Jubilæi, ſive anno primo trecenteſimæ ſecundæ hebdomadis.

Porrò ex hac Tabula videre eſt primò in tribus Patriarchis qui Semum ſequuntur, Arphaxado nimirum, Sela & Hebero, vitam hominum poſt Diluvium contractam fuiſſe ad dimidium vitæ præcedentium Patriarcharum: Omnes enim qui ante Diluvium vixere Patriarchæ (tribus exceptis) ſuperarunt annum vitæ nongenteſimum, at iſti tres dimidium tantùm (ac ne vix quidem dimidium) vitæ illorum vixerunt. Secundò, vitam in ſequentibus, nimirum Phaleg, &c. fuiſſe rurſus contractam ad dimidium vitæ trium præcedentium, idque uti videtur ob inſignem hominum in extructione turris Babel (quæ tempore Phaleg facta eſt) audaciam atque in Deum rebellionem. Omnium autem μακροβιώτατος inter eos fuit pius Sem, (ob patris Noæ benedictionem) qui reliquis omnibus ſupervixit, adeoque ad annos 501, vel 502, poſt Diluvium vitam produxit, anniſque duntaxat 25 ante Abrahami mortem, annis autem tantum 11 ante natum Jacobum obiit, (uti ex Tabula 8 liquebit) ita ut unà cum Abrahamo, Iſaaco & Hebero eſſe & vivere in iiſdem tentoriis potuerit. Denique non modò Sem, ſed & Arphaxad, Selah & Heber, reliquis omnibus (excepto Abrahamo ſupervixere, imo & Heber triennium ipſi Abrahamo ſupervixit; Abraham enim mortuus eſt anno mundi 2184, Heber autem 2187. Noe autem ante omnes iſtos ſuos poſteros obiit, (excepto Phaleg) mortuus eſt enim anno mundi 2006, biennio ante Abrahæ nativitatem: Phaleg autem decennio prius, anno mundi 1996.

Poſtremò toto temporis intervallo in hac Tabula comprehenſo, à Diluvio ad Abrahami nativitatem, ejuſque à Deo è patria Chaldæa evocationem Hiſtoria Sacra nihil inſigne narrat, præter turris Babylonicæ exſtructionem, eamque inſecutam, à Deo immiſſam linguarum confuſionem, terræ inter Noe filios diviſionem, hominumque per univerſum terrarum orbem diſperſionem, ac Monarchiæ Babylonicæ à Nimrodo in turris illius exædificatione conſtitutionem, ſed ſine tamen præciſa temporis, atque definita notatione quando illa exſtructio facta fuerit, & linguarum confuſio contigerit, niſi quod dicitur accidiſſe illud in diebus Phaleg. Sed an in ejus nativitate, an vero in morte, an denique in medio vitæ ejus intervallo factum id fuerit, Scriptura non indicat. Hinc variæ ſunt ea de re ſcriptorum ſententiæ. Judæi in Phalegi morte eam conſtituunt, ejuſque patrem Heberum volunt prophetaſſe, cùm nomen illi à diviſione indidit: alii in nativitate ejus eam collocant, nomenque Phalego ex eventu, non ex prophetia inditum eſſe contendunt. Si in nativitate Phalegi id contigit, facta eſt illa diviſio anno centeſimo, vel centeſimo primo poſt finitum Diluvium, quod temporis intervallum videtur æquo brevius, quam ut homines eo temporis ſpatio euſque excreverint ut tantum opus aggredi & moliri potuerint. Si in ejus mortem cum Judæis rejiciatur illa diviſio, incidet in annum mundi 1996, quo mortuus eſt Phaleg. Abraham autem venit in Chananæam anno mundi 2084, ac proinde 88 annis poſt illam diviſionem. Jam autem cùm Abraham venit in Chananæam, eam offendit totam ferè à Chananæis, Amorrhæis, &c. occupatam, ac frequentiſſimis oppidis auctam & ornatam, quin & Ægypti regnum jam tum conditum fuit; mox enim poſt adventum ſuum in terram Chanaan Abraham fame preſſus deſcendit in Ægyptum, Geneſ. 12, 10. Illud autem 88 annorum ſpatium brevius videtur, quam ut per id tempus tota Chananæa & Ægyptus, incolis Chananæis, Chami filii, poſteris fuerit jam plena, multiſque oppidis ornata, adeoque & bello Amraphel atque ſociorum vexata, Geneſ. 14. Itaque convenientius forte videtur, ut ſtatuamus confuſionem linguarum & terræ diviſionem circa medium vitæ Phalegi tempus, hoc eſt, circa annum mundi 1860. Sic enim fiet ut à Diluvio ad illam diviſionem anni ſint circiter 200. inde verò ad Abrahami in terram Chanaan & Ægyptum ingreſſum anni 216. Nihil tamen affirmo, quia conjecturis tantùm locus hìc eſt. Videatur hìc Joh. Buxtorfiii Junioris diſſertatio de linguarum in turri Babylonica confuſione, ſub finem, ubi probat Phalegum non videri Heberi primogenitum, neque eum natum patris anno 34: nec turrim conditam eſſe anno mundi 101, ſed multo poſt.

Porrò turri illi ob linguarum in ea factam confuſionem, uti Scriptura notat Geneſ. 11, inditum eſt nomen בבל *Babel*, quaſi diceretur בא בל *venit confuſio* (quomodo Geneſ. 30, 11. בגד dicitur pro בא גד *venit turma*) vel בבל eſt pro בלבל *confuſio,* extrito altero ל, quomodo dicitur אברהם pro אב רב המון, *pater magnæ multitudinis*, extrito altero ב) A qua voce בלבל fortè ortæ ſunt Latinis, *Balbus*, & *balbutire*, quæ de eo uſurpantur qui ita confuſè loquitur ut vix intelligi poſſit. Terram שנער, in qua turris illa extructa fuit, eſſe Babyloniam, clarius eſt & manifeſtius ex Scriptura, quam ut multis teſtimoniis id comprobare neceſſe ſit, unde Σίγγαρα urbs ad Tigrim apud Ptol. Tab. 4.

Tab. 4. Aſiæ, & *Singarai* mons in Meſopotamia, apud eundem, ibidem. De turris illius exſtructione, & linguarum iſtic confuſione, hominumque inde per univerſam terram diſperſione, manifeſta adducuntur ab Euſebio in Chronici ſui Græci fragmentis, ex Abydeno, & Hiſtiæo Mileſio, antiquis exoticis ſcriptoribus, teſtimonia, quæ veritati ſacræ Hiſtoriæ hac in parte ſuffragantur.

Narrat Euſebius in eodem Chronico Græco, Noam filiis ſuis univerſam terram diviſiſſe, & Semo Aſiam, Japheto Europam, Chamo Africam habitandam & poſſidendam tradidiſſe. Fieri id quidem ab eo potuit, nam videtur vixiſſe annos circiter 150 poſt factam linguarum confuſionem, vixit enim ad annum mundi 2006: linguarum autem confuſio contigit, uti videtur, circa annum mundi 1856, anno nimirum poſt Diluvium ducenteſimo. Attamen præter Scripturam id aſſeritur, quæ illud non commemorat, nulla autem alia ſcripta ſunt Moſaicis antiquiora, unde illud certò habere poſſimus. Sed neque etiam veriſimile videtur factam eſſe à Noa diviſionem illam. Nam primo quemadmodum eum de turris exſtructione non conſuluerunt, quin potius eo diſſuadente ac repugnante opus illud aggreſſi ſunt, quandoquidem notatur ut audaciæ, temeritatis, ſuperbiæ, atque in Dei conſilium rebellionis argumentum, quo Dei ira in homines eſt provocata; ſic neque videntur eum de ſedibus deligendis interrogare aut conſulere voluiſſe, aut verò etiam potuiſſe, niſi fingamus Noam omnes linguas à Deo tum immiſſas calluiſſe, ut ſingulos populos, aut familias propria qua utebantur lingua alloqueretur, & quid fieri ab illis vellet ſignificaret. Deinde, qui potuit Noe tres illas mundi partes, Aſiam, Europam & Africam, tum temporis hominibus ignotas, indicare, aut quibus ſignis alteram ab altera diſtinguere, ſinguliſque familiis, per ſingulas linguas diſtinctis, proprias quas vellet ab iis inhabitari ſedes aſſignare, niſi fingamus eum ſingulos populos manu in terras ipſas quas coli ab illis volebat, duxiſſe tanquam in rem præſentem. Omnino ergo convenientius videtur, eos linguarum confuſione attonitos, & quaſi fulmine quodam cælitùs immiſſo percuſſos atque perculſos, coadunatos ſimul eſſe, & in unum conveniſſe quotquot eadem lingua utebantur, ab aliis vero, qui qualibet alia utebantur lingua, ſegregatos atque ſejunctos, mox tacito atque occulto divinæ providentiæ motu atque inſtinctu impulſos eſſe, ut hi horſum, alii illorſum, alii denique aliorſum moverentur atque progrederentur, prout Deus apud ſe decreverat, ut hi has, illi illas terras inſiderent atque incolerent, juxta illud Pauli Act. 17. 26. ὁρίσας προτεταγμένους καιροὺς, καὶ τὰς ὁροθεσίας τῆς κατοικίας αὐτῶν.

Cæterum in poſterorum Noæ nominibus quæ hîc in Scriptura commemorantur, non obſcura apparent Gentium à ſe conditarum, & regionum quas inſederunt atque incoluerunt veſtigia, unde facilè conjici poſſit Europam à Japheto ejuſque filiis, à Semo Aſiam, à Chamo & ejus liberis Africam fuiſſe maxima ex parte occupatam & inſeſſam. Nam primò Japheth eſt Græcis & Latinis notiſſimus *Iapetus*, omnium hominum ſibi notorum, & de quibus vel fando aliquid inaudiverant, antiquiſſimus, unde vetus inter eos proverbium *Iapeto vetuſtior*. Deinde, ex Japheth ortus eſt יָוָן *Javan* (quod & יוֹן punctari & legi poteſt) à quo *Ion*, unde *Iones* dicti & orti, Græcorum populi nobiliſſimi & antiquiſſimi, eorumque dialectus *Ionica* ampliſſima, & veteres litteræ *Ionicæ* dictæ, omnium primæ & antiquiſſimæ, (quas Cadmus Phœnix illos docuit) à veteribus Hebræis deformatæ. Apud Danielem Prophetam מַלְכוּת יָוָן *regnum Javan* eſt Monarchia Græcorum, quæ ab Alexandro Magno initium habuit. Ab eodem Javan, Latinorum Janus antiquiſſimus & notiſſimus dictus omnino videtur. A גֹּמֶר *Gomer* alio Iapheti filio dicti videntur *Cimmerii*, qui & *Cimbri*, & Καμαρῖται apud Dionyſ. περιηγητήν. Sunt & *Comari* & *Chomari* apud Ptolom. populi in Scythia, intra Imaum montem prope Bactrianam. A תִירָשׁ autem eſt Θρᾷξ, unde *Thraces* populi, & *Thracia* regio Græcis notiſſima. Forte & inde *Tros*, unde *Troes* & *Troja* decantatiſſima. A מֶשֶׁךְ (quod LXX reddunt μοσὸχ) orti & dicti videntur *Moſchi*, ſive *Muſcovitæ*, populi hodie in Europa notiſſimi. Sunt & *Moſchici* montes in Armenia apud Ptolom. A מָדַי *Madai*, Μῆδοι *Medi* videntur dicti, & *Media* regio in Aſia celeberrima, non enim tres illi Noæ liberi, tres mundi partes Aſiam, Africam, & Europam ſic ſunt inter ſe partiti, ut omnia fuerint accuratè diſtincta, nihilque prorſus impermixtum, nam & mox videbitur, Chami poſteros Aſiæ etiam partem non minimam occupaſſe. Fortè & à תּוּבַל *Tubal* orti & dicti videntur Τιβαρηνοὶ, q. d. Τιβαληνοὶ, populi Scythici in Aſia, Θάλβις & *Teleba* in Albania prope mare Caſpium per litterarum Metatheſim. Denique Geographus Arabs meminit populorum Iagog & Magog in Tartaria, qui nomen habent à Gog & Magog, quorum frequens in Scriptura mentio, atque eorum poſterior מָגוֹג *Magog* recenſetur inter Iapheti filios.

Jam verò filii Gomer tres fuerunt. 1. אַשְׁכְּנַז *Askenaz*, à quo nomen habet ἄξενος πόντος, ſic primò dictus, qui poſtea mutato nomine dictus eſt κατ᾽ εὐφημισμὸν, Εὔξεινος πόντος, *Pontus Euxinus*. 2. רִיפַת *Riphath*, à quo Riphæi montes in ſuprema Europa notiſſimi dicti videntur. 3. תֹּגַרְמָה *Togarma*, apud LXX verò Θόργαμα, per litterarum metatheſim, à quo Τρωκμοὶ apud Ptolemæum. Inde etiam *Turcomani*, & regio *Turcomania* in Armenia, quin & urbs *Turcoman* in Media. Inde etiam hodierni *Turcæ*.

Filii *Javan* fuerunt 1. אֱלִישָׁה *Eliſah*, unde ἑλλὰς Græcia dicta, & ἑλλὴς ſive ἕλλην, & ἕλληνες Græci ab Ionibus orti. Item ἦλις *Elis*, & αὐλὶς *Aulis*, Græciæ partes notiſſimæ: Indidem dicti & orti αἰολεῖς *Æoles*, & regio *Æolia*, unde *Æolica* dialectus. 2. תַּרְשִׁישׁ *Tarſis*, Ταρσὸς, urbs Ciliciæ celeberrima & antiquiſſima, Pauli Apoſtoli patria nobiliſſima. Fortè & inde Tarteſſus urbs prope Gades, quæ potuit eſſe Tarſenſium Colonia, qui cùm celebres eſſent Mercatores totum percurrebant mare mediterraneum, atque eouſque potuerunt excurrere. 3. כִּתִּים *Cittim*, quo nomine veniunt apud Danielem & Prophetas *Macedones*, & regio *Macedonia*, itemq; Italia; videnturque inde dicti *Macedones* quaſi μακηταὶ præpoſita littera מ *Mem*. Quin & nonnulli volunt Cretenſes dictos eſſe antiquitùs Κητεῖς, quod nomen indidem videtur formatum. Et ſanè unum ex Cretæ præcipuis oppidis olim *Cytæum* fuit dictum, hodie *Sittia* quaſi *Cytia* vel *Citia*, Κήτεια. Et aliud item ejuſdem inſulæ oppidum *Cydon* (à quo Cydonia mala) quod & indidem videtur habere originem. Quin & quod *Candia* hodie vocatur illa inſula indidem videtur eſſe. 4. דֹּדָנִים *Dodanim*, à quo Dodonæa ſylva Græcis decantatiſſima, & Dodonæa quercus fatidica. Idem dicitur etiam רֹדָנִים *Rodanim*, à quo Rhodus inſula videtur dicta, quaſi ῥόδον.

Semi filii fuere 1. עֵילָם *Elam*, quo nomine in Scriptura deſignantur Perſæ ab eo oriundi. Hinc *Elamitæ*, de quibus Act. 11. 9. Item ἐλυμαῖοι, & *Elymais* regio in Aſia, Suſianæ contermina. 2. אַשּׁוּר *Aſſur*, à quo Aſſyrii & Aſſyria dicta: quin & Syria indidem videtur dicta per Aphæreſim primæ ſyllabæ. 3 לוּד *Lud*, à quo Lydii populi, & *Lydia* regio olim notiſſima in Aſia minore. 4. אֲרָם *Aram*, quo nomine in Scriptura veniunt Syri & Syria, qui, ut modò dictum, nomen videntur habere ab Aſſyriis, quòd ab his Syri exiſtimarentur orti: vel Syri, σύροι fortè dicti ſunt à צוּר *Tyro* civitate nobiliſſima. Nam צ Hebraicum ſæpè per σῖγμα Græcum redditur. Ab Aram autem forte dicta videtur Armenia, additione ן Nun ſervilis & heemantici ad formationem nominis, ut ab ארם factum ſit אַרְמָן *Armenus* & *Armenia*. Inter Aſſyriæ urbes numeratur כלח, Gen. 11. quæ videtur eſſe Colchos, undi *Cholchi* populi, & *Colchis* regio, non quod in Aſſyria fuerit poſita, ſed quod ab Aſſur fuerint illi oriundi. Eſt & in Meſopotamia regio Chalcitis, & in Syria Chalcis urbs, & *Chaldice* regio. Item *Calacine* prope Tigridis fluvii fontes, non longè ab Aſſyria. Sed & in India eſt *Colchi* emporium, & *Colchicus* ſinus ab eo emporio ſic dictus.

Hujus אֲרָם filii fuerunt. 1. עוּץ *Us*, unde terra עוּץ Jobi patria, inter Sabæos & Chaldæos quaſi media, nam ab utriſque expilatus fuit Job: fuítque Idumææ pars quædam, ut ex Thren. 4, 21, liquet.

2. מַשׁ *Mas*, à quo Μυσοὶ, *Myſii*, & *Myſia* vel *Mœſia* regio in Aſia minore nota. Eſt & alia *Myſia* in Europa, quæ indidem fortè & nomen & originem habuit. Sed & in Scythia inter Imaum montem collocantur à Ptolom. *Maſſæi* populi & montes ſic dicti. 3. גֶּתֶר *Geter*, à quo fortè *Getæ* dicti (per apocopen ultimæ litteræ) qui & *Gotthi* poſtea dicti, populi Septentrionales notiſſimi. Quin & *Maſſagetæ* populi ab utriuſque poſteris commixtis orti, & nomen inde compoſitum habere videntur.

Ab *Arphaxad* Semi filio, per Salam natus eſt עֵבֶר *Heber*, à quo vulgò exiſtimant dictos eſſe Hebræos, ſive Iſraelitas (quia ab eo ſunt oriundi) ſed perperam, uti mox oſtendetur. Fortè potiùs ab ipſo Heber dicti & orti videntur *Iberi* populi prope Pontum Euxinum, à quibus poſtmodum nonnulli volunt ortos eſſe *Iberos* in Hiſpania, & fluvium *Iberum* ibidem nomen habere. Ab iſto Heber natus eſt יָקְטָן *Joktan*, à quo nomen & ortum fortè habuit urbs inſignis & amœna, quam Geographus Arabs collocat in Arabia, inter Meccam & Sancas, quam vocat *Baiſat-Jaktan*, q. d. בית יקטן *domus Joktan*.

Hujus Joktanis multi in Scriptura Geneſ. 11, recenſentur filii, quorum nomina nonnulla videntur populis & locis quibuſdam indita. Nam à שֶׁלֶף *Salaph*, dici potuerunt Σάλειφοι montes in Margiana provincia. Item Σαλήνιοι populi. A חֲצַרְמָוֶת *Hatſarmaveth*, quod & punctari poteſt חֲצַרְמוֹת vel חֲצַרְמוּת dicti & orti eſſe poſſunt *Sarmatæ*, qui & *Sauromatæ*; ſed & in Arabia felice regio eſt dicta *Hadramuth* (quod idem eſt nomen cum præcedente Hebraico) à Geographo Arabe notata: quin & in Africa, inter Carthaginem & Leptim parvam, aliud eſt oppidum ejuſdem plane nominis, quod & hodie dicitur *Adrymettum*. Ab יֶרַח *Jarach* Ἀραχώσιοι videntur dicti, & *Arachoſia* regio prope Indum, ab Oriente Drangianam, à Meridie Gedroſiam habens conterminam, quæ fortè dicta videtur à præcedente illo גֶּתֶר tertio Semi filio. A דִּקְלָה *Dikla*, fortè *Dangala* regio ſub Ægypto in Æthiopia, ſic etiamnum hodie dicta. Vel fortè inde Δικελλῶν. Herodoti. A שְׁבָא *Seba* (ut & ab alio שְׁבָא & סְבָא à Chamo oriundis) orti ſunt & nomen habent *Sabæi* populi notiſſimi, unde thus advehitur, quod *Sabæa meſſis* Poëtis dicitur. Ab אוֹפִיר *Ophir* (unde aurum Ophir in Scriptura celeberrimum) ὠφαρὸς ποταμὸς dici potuit, & ὠφαρῖται populi. חֲוִילָה *Havila*, fortè dicti ſunt *Chaulatæi* apud Strab. quos collocat juxta Nabathæos, quæ loca videtur inſeſſa à Joktanis quibuſdã poſteris, Geograph⁹ etiam Arabs meminit oppidi *Chaulan* in Arabia felice.

Noæ tertius filius eſt חָם *Cham*, cujus poſteri Ægyptum & Africam occuparunt. A quo Ægyptus uſque hodie (inquit Hieronymus in Tradit. Heb. in Gen.) *Ham patria Ægyptiorum lingua dicitur*. Inde etiam dictus videtur Jupiter *Hammon*, quaſi חַמּוֹן, cujus oraculum fuit in Libyæ mediis arenis poſitum loco amœniſſimo, ubi Cham videtur ſedem poſuiſſe, atque illic diem ſuum obiiſſe, & à poſteris pro Deo cultus: indidem eſt Ἄμμωνος, urbs ſic dicta inter duas Syrtes apud Ptolom. Ab eodem חָם eſt nomen χέμμις.

Chami filius fuit, 1. כּוּשׁ, à quo Æthiopes, qui in Scriptura כּוּשִׁים & כּוּשׁ dicuntur, quos LXX reddunt Αἰθίοπας. Ab eodem nomen habere videtur Κῦσα ποταμὸς apud Ptolom. & χουζὶς, urbs inter duas Syrtes: & apud Geographum Arabem *Cuſh* & *Cuſha* nomina ſunt civitatum in Barbaria & prope Ægyptum.

2. מִצְרַיִם *Mitſraim*, quo nomine in Scriptura Ægyptus perpetuo denotatur, & etiamnum hodie Ægyptus ab Arabibus *Meſr* indidem dicitur. Apud Cedrenum autem μέστρα quemadmodum à בָּצְרָה Idumææ metropoli dicitur apud Græcos ſcriptores βόστρα, unde *Boſtrenus* Epiſcopus apud Eccleſiaſticos Scriptores.

3. פּוּט *Phut*, a quo Mauritaniæ fluvius quidam dictus eſt *Phut*, & *circa eum regio Phutenſis uſque in præſens dicitur* (inquit Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Geneſ. & Comment. in Eſaiam.) Quin & a Ptolomæo urbs quædam Πυτέα dicitur, & ab eo in Africa proprie dicta collocatur.

4 כְּנַעַן *Chanaan*, à quo Chananæa dicta, regio notiſſima, Iſraelitis à Deo tradita.

Filii Cus ſunt, 1. סְבָא à quo *Sabæi*, uti modò notatum eſt. 2. חֲוִילָה à quo videntur orti *Avalitæ* populi in Troglodytide juxta Æthiopiam ſub Ægypto, & *Avaliticus* ſinus, ex quo emergit mare Rubrum, & *Avalite* emporium ad littus illius ſinus. 3. סַבְתָּא *Sabatha*. A Ptolomæo in Arabia felice collocatur metropolis quædam dicta *Sabatha*. Et Hieron. in Trad. dicit ab illo Sabatha *dictos eſſe Sabathenos, qui nunc* (inquit) *nominantur Aſtabeni*, ſed in hoc poſteriore falli videtur S. Hieron nam Aſtabeni à Ptolomæo collocantur in Hyrcania.

A מִצְרַיִם *Mitſraim* ortus eſt לוּדִים *Ludim*, à quo Λάθων & Λαὺδ fluvii dicti, quorum ille eſt in Pentapoli ſeu Cyrenaica Africæ. 2. עֲנָמִים *Anamim*, à quo ablatâ aſpiratione ab initio, & litteris M & B commutatis ob ſoni affinitatem, dicti videntur Νοῦβαι, & *Nubia* regio inter Ægyptum & Æthiopiam, etiamnum hodie hoc nomine notiſſima.

A פַּתְרֻסִים *Phatruſim*, dicti videntur Φαρούσιοι *Pharuſii* apud Pompon. Melam, populi prope Nigritas, pro *Phatruſiis*: à Ptol. collocantur ad fluvium *Stachyr* prope Libyam interiorem, qui fluvius in textu Ptol. vocatur Trachyris, & vocatur hodie Gambra. A לְהָבִים *Lehabim*, quod & punctari poteſt לְהֻבִים orti & dicti ſunt *Lybii*, & *Lybia* regio, Africæ pars magna, quòd ab æſtu ſolis, tanquam flamma quadam ſint totam faciem aduſti, nam להב Hebræis *flamma* eſt.

A כַּסְלֻחִים *Chaſluhim*, dicti videntur Ξυλικκεῖς, Æthiopes ſub ipſo Æquinoctiali. Denique à פְּלִשְׁתִּים *Philiſtim*, dicti ſunt *Philiſtini*, qui poſtea Palæſtini, & tota regio dicta eſt *Palæſtina*, hodie & olim toto orbe hoc nomine notiſſima.

Sed de his poſterorum Noæ nominibus, & regionibus ab illis dictis, videatur vir longè doctiſſimus & clariſſimus Hugo Grotius, in Notis ab librum ſuum primum de Religione Chriſtiana (qui mihi viſus non eſt niſi diu poſt hæc à me ſcripta) & multo adhuc hac in parte accuratior, & limatiſſimi judicii vir Samuel Bochartus, in eruditiſſimo & admirabili opere ſuo, cui titulum fecit, PHALEG.

Cæterum multi hodie in hac ſunt ſententia, Judæos, ſeu Iſraelitas, in Scriptura dici עִבְרִים *Hebræos*, quòd ſint orti ab Abrahamo, quem dictum eſſe volunt עִבְרִי *Hebræum* Geneſ. 14. 13. quòd eſſet ab *Hebero* Phalegi patre oriundus: ab eodémque Hebero linguam Hebraicam dictam eſſe cenſent, quòd in linguarum diviſione ac confuſione, quæ facta eſt in exſtructione turris Babylonicæ, illa lingua quæ prima omnium hominum ante Diluvium, adeóque ipſius Adami fuit, remanſerit in Heberi domo, ejúſque familia, tanquam ſacrum quoddam ob ipſius pietatem, peculium. Sed parùm ſolida videtur hæc ſententia. Nam primò alii fuerunt multi præter Abrahamum Heberi poſteri, qui tamen Hebræi non ſunt dicti. Si prima omnium & antiquiſſima Hebræa lingua apud Heberum ejuſque familiam in linguarum diviſione ob ejus pietatem remanſit, & ab eo dicta eſt Hebræa, cur non tam Joktanis quàm Phalegi (quorum uterque Heberi fuit filius) poſteri dicti ſunt Hebræi? Cur Hebraicæ linguæ uſus penes ſolos Abrahæ (ex eorum ſententia) poſteros remanſit? Imò cùm Thare tres habuerit filios, Abraham, Nachor, & Haran, atque ex Nachor ortus ſit Laban, ex Haran autem Loth, qui fit ut ſolus Abraham dictus ſit עִבְרִי *Hebræus*, ejúſque duntaxat poſteri, ſi ab Hebero tritavo deducta eſt illa denominatio, non item Laban, & Loth, eorúmque poſteri, Syri, Moabitæ & Ammonitæ? Præterea, planum eſt ex Geneſ. 31. 47, Labanem Nachori filium non Hebraicè, ſed Syriacè ſeu Chaldaicè eſſe locutum. Unde veriſimile magis ſit ipſum etiam Abrahamum, cùm adhuc in patria Ure Chaldæorum, cum patre Thare, & fratre Nachor verſaretur, locutum etiam fuiſſe Chaldaicè, eámque linguam habuiſſe pro vernacula.

Tum etiam conſtat Chananæos omnes, adeóque & Philiſtæos, linguâ Hebraicâ fuiſſe uſos, eamque fuiſſe illis vernaculam: omnia enim nomina propria hominum, locorum, oppidorum, montium, fluviorum, &c. quæ in Scriptura recenſentur in illis gentibus, merè ſunt Hebraica, originiſque plane Hebraicæ. Itaque ſi valet argumentum ductum à nominibus Adami, Evæ, Seth, Abel, &c. ut oſtendatur Hebræam linguam fuiſſe Patriarchis illis vernaculam, quia nomina illa merè ſunt Hebraica, pari ratione oſtendi poteſt eandem linguam fuiſſe populis Chananææ vernaculam, quia omnia eorum nomina, Salem, Jeruſalem, Hebron, Jericho, &c. ſunt merè Hebraica. At hi populi tamen non ſunt ab Hebero, ſed à Chamo oriundi. Quinetiam antiqua Punica lingua (Pœni autem à Phœniciæ incolis, à Joſua expulſis, & nomen & originem habent) in prima ſua origine fuit etiam Hebraica, uti à viris doctis fui obſervatum: nam & ejus nomina propria multa merè ſunt Hebraica, exempli gratiâ דִידֹה *Dido*, אֱלִשָׁה *Eliſa*, חַנָּה *Anna* Didonis ſoror, בָּצְרָה Βύρσα, Carthaginis arx, ſeu ἀκρόπολις. חַנִּיבַעַל *Hannibal*. מהר בעל *Meherbal*, הצרבעל *Hasdrubal*, חַנּוּן *Hanno*, &c. Quòd autem lingua Hebraica fuerit Chananæis vernacula, præter id quod modo diximus de nominibus propriis, huc etiam & illud accedit, quod Eſai. 19, 18, hæc habentur, *In die illa erunt quinque urbes in Ægypto quæ loquentur* שְׂפַת כְּנַעַן *labio*, hoc eſt, *lingua, Chanaan*. Quibus verbis prædicit quidem Propheta Ægyptiorum ad Chriſti fidem converſionem, ſed phraſi tamen quæ primò & propriè ſignificat, locuturos Ægyptios lingua Hebraica Judæorum vernaculâ, quam vocat *linguam Chanaan*, quia non modò eâ utebantur Judæi in Chananæa habitantes, ſed quia revera fuit Chananæis vernacula, à quibus Abraham, ejuſque poſteri eam didicerunt inter Chananæos verſantes. *Loqui autem linguâ Hebraicâ* (quæ tempore Eſaiæ ſancta erat atque populi Dei propria) idem eſt Eſaiæ quod eſſe ὁμόδοξον cum populo Dei, juxta phraſin Pauli 1 Cor. 1. 10. ubi τὸ αὐτὸ λέγειν, & eſſe ἐν τῷ αὐτῷ νοῒ, & ἐν τῇ αὐτῇ γνώμῃ pro uno eodemque habentur.

Leve eſt quod dicunt, *Heberum Abrahamo ſupervixiſſe, atque ita Abrahamum in tritavi ſui domo enutritum, ab eo linguam Hebraicam addidiciſſe, & ad poſteros inſtar ſacri peculii tranſmiſiſſe.* An enim penes ſolum Heberum remanſit uſus linguæ Hebraicæ? Gratis id dicitur ſine probatione, nec videtur vero conſentaneum. Nam modò oſtendimus Nachorum, Abrahami fratrem, ejuſque filium Labanem, Chaldaicè locutos eſſe; neque vola aut veſtigium in Scriptura extat Abrahamum in Heberi domo, ſive ante, ſive poſtquam ex Chaldæa exceſſit, unquam enutritum fuiſſe. Deinde Abraham tam in Semi quam in Heberi domo potuit enutriri, vixit enim Sem ad tempus uſque Melchiſedeci qui Abrahamo occurrit. An Hebræam linguam Semus in linguarum confuſione dedidicit, ejuſque oblitus eſt? quis affirmarit? Aut cur potius apud Heberum quàm apud Semum ea remanſiſſet? ſi eam non dedidicit, cur non tam Semica à Semo, quàm Hebraica ab Hebero dicta fuiſſet, cùm Sem illuſtrior fuerit abnepote ſuo Hebero? Omnino ergo cùm Abraham unà cum patre Thare, & fratre Nachor, in Chaldæa Chaldaicè loqueretur, Hebraicam linguam à Chananæis potiùs (qui ut oſtenſum eſt, Hebraice loquebantur) didicit, & quidem facile quia hæc ab illa parum diſtat, eſtque altera alterius Dialectus quædam admodum vicina, ut fere in Græca lingua, Ionica vel Æolica aut Dorica Dialectus ab Attica, vel communi parum recedit: ac potior omnino videtur Euſebii & Africani ſententia, qui Abrahamum dictum eſſe volunt עִבְרִי *Hebræum*, non ab Hebero tritavo, ſed quia in Chananæam venerat מֵעֵבֶר הַנָּהָר *ex Tranſeuphratenſi regione*. Sic nempe Africanus apud Euſebium lib. Chron. Græci ἔνθεν ἄρχεται (nempe ab Abrahamo) ἡ ἑβραίων προσωνυμία· ἑβραῖοι γὰρ οἱ περάται ἑρμηνεύονται, διαπεράσαντος εὐφράτην Ἀβραάμ, καὶ οὐχ ὡς οἴονταί τινες ἀπὸ Ἔβερ τοῦ προειρημένου. Atque in eadem fuerunt LXX Interpretes ſententia, qui Gen. 14. 13, ubi Abraham עִבְרִי dicitur, περάτην reddunt, quod ſcil. ἐκ πέραν τοῦ εὐφράτου adveniſſet. Chananæi nempe eum ſic appellaſſe videntur κατ' ἐκφαυλισμὸν, *Tranſeuphratenſem*, vel *Tranſamnanum*, quòd ad eos trajecto Euphrate in Chananæam tanquam inquilinus & peregrinus veniſſet, non quaſi in vacuas ſedes, uti ipſi fecerant, quum primò poſt linguarum confuſionem in has terras venerant, ſed tanquam peregrinus in ſedes jam ab ipſis occupatas; qua appellatione ab ipſis diſtinguebatur, quia erant terræ illius quaſi aborigines, & veluti αὐτόχθονες, quomodo à Græcis & Latinis dicebantur qui primi in terras tanquam in vacuas ſedes venerant, quo nomine ab aliis diſtinguebantur, qui poſtmodum colonias eò deducebant. Sic ſolent hodie Itali per contemptum Gallos vocare *Ultramontanos* homines, & Galli ipſi homines ignotos & peregrinos interdum per contemptum vocant *des gens de delà l'eau.* Cùm igitur Abraham à Chananæis ſic primùm vocatus eſſet per contemptum, tum etiam fortè ideò quod ex uno in alium locum, nullis certis ſedibus, tanquam peregrinus (quæ erat tum eis conditio) tranſiret atque migraret, eorum exemplo ſic etiam ab Ægyptiis, quum eo profectus eſt, vocatus eſt, manſitque apud ejus poſteros ea προσωνυμία, & quidem penes ejus ſolam (quod obſervandum) ſanctam & legitimam poſteritatem & ſobolem, ab Iſaaco & Jacobo oriundam, non penes Iſmaelis & Eſavi poſteros, quia nimirum hi moribus & conſuetudinibus Chananæorum & Ægyptiorum ſeſe accomodarunt, ſeque illis commiſcuerunt, ductis etiam inde uxoribus, unde factum ut προσωνυμίαν illam ignominioſam à ſe declinarint atque rejecerint, quæ penes alios manſit, quod aliis moribus pie & ſanctè à cæteris populis diſtincti & ſeparati permanſerunt: Et hoc ſingulari Dei providentia factum videtur in typum & documentum; quòd verè pii & fideles (verus Dei populus, qualis ille tum fuit) nullas in hoc mundo certas habeant ſedes, ſed ſint quaſi peregrini, de loco in locum perpetuò migrantes, & *patriam adhuc quærentes*, uti loquitur Apoſtolus Hebr. 11. Tum quia de hoc mundo in cœlum, & de hac vita in aliam futuram & beatam ſunt transferendi; cujus tranſitus & tranſlationis typus & umbra fuit Abrahæ, trajecto Euphrate, tranſitus ex patria in Chananæam terram ſibi à Deo promiſſam, tum Iſraelitarum ſub Joſua trajecto Jordane tranſitus, quo vetus illa Hebræorum appellatio renovata & confirmata eſſe videtur, ut etiam à Chananæis Iſraelitæ dicti ſint Hebræi ob Jordanis tranſitum, quod ex tranſamnana illa, quæ ultra Jordanem eſt, regione ad ſe veniſſent, & ſe ex patriis ſedibus expuliſſent.

Sed ſunt quibus indignum videtur ut lingua omnium prima & antiquiſſima penes Chanaan, ejuſque poſteros, maledictioni patris ſui Noæ obnoxios, manſerit incorrupta, ac non potiùs penes Heberi & nepotum ipſius, ac præſertim Abrahami Deo dilecti, familiam. Sed quid ſi dicamus id à Deo factum eſſe in typum, ut eo ſignificaret Gentes, quas ſibi ipſis relicturus erat, (quarumque Chanaan in maledictione illa typus fuit) non eſſe in perpetuum abjiciendas, ſed aliquando eſſe ad Chriſti communionem vocandas, ideoque in ejus rei arrham atque ſignum, tum Chanaan ejuſque poſteris (illarum typo) reliquiſſe uſum primævæ linguæ atque ſanctæ, quam Deus elegerat ut eâ oracula ſua hominibus primùm revelaret. Atque etiam voluiſſe ut Abraham ejuſque poſteri linguam illam à Chananæis diſcerent in typum & documentum itidem, ut eo ſignificaret futuros Judæos aliquando incredulos, & Chriſtum rejecturos; ſed poſtmodum ad ejus fidem Gentilium operâ eſſe convertendos, in eorumque communionem eſſe aliquando cooptandos, juxta Pauli prophetiam Rom. 11. An in ejuſmodi Dei conſilio (ſi tale fuit ejus conſilium) erit aliquid Deo indignum, vel abſurdum? Ut ne jam dicam, videri Chamum & Chanaan in typum potiùs fuiſſe maledictos, reſpectu Gentium ab illis oriundarum, quas Deus relicturus erat, quàm fuiſſe à Deo quoad ipſorum perſonam reprobatos, & in æternum rejectos atque damnatos, quomodo de Iſmaele & Eſavo non pauci viri docti & pii cenſent, eos in typum tantùm rejectos eſſe, non in æternum reprobatos. Nam quis credat Abrahami tempore fuiſſe omnes in univerſum è Chananæis oriundos, homines impios & profanos, & a Deo prorſus alienos, cùm videamus iſthic Melchiſedecum Dei Altiſſimi Sacerdotem, Abrahamo tanquam ſe inferiori benedicentem, & Rebeccam oraculum Dei conſulentem. Unde liquet tum temporis fuiſſe inter Chananæos homines pios, & cultûs divini ſtudioſos, adeoque etiam Prophetas quos Rebecca conſuleret. Quòd ſi Chanaan prima eorum origo & auctor, fuiſſet homo plane impius & profanus, & à Deo prorſus alienus, qualem & quàm bonam ab eo percipere potuiſſent ejus poſteri inſtitutionem atque educationem.

Ex his itaque planum fieri videtur, Abrahamum non ab Hebero *Hebræum* eſſe dictum, ſed quòd eſſet περάτης *Tranſeuphratenſis*, nec Hebræam linguam ab Hebero, ſed à Chananæis potius didiciſſe; quæ *Hebraica* ab Helleniſtis Judæis poſt ſolutam captivitatem Babylonicam, non priùs, dicta eſt, ad differentiam linguæ Græcæ quâ ipſi utebantur.

Tabula tertia complectens Patriarchas poſt Diluvium, uſque ad Abrahamum, idque ſecundum τῶν LXX Tranſlationem.

		Juxta Sixtianam Editionem.					Juxta Baſileenſem & Wechelianem Editionem.				
		Genuit natus annos.	Vixit poſtquam genuit.	Vixit in univerſum.	Anno Mundi Natus eſt.	Anno Mundi Mortuus eſt.	Genuit natus annos.	Vixit poſtquam genuit.	Vixit in univerſum.	Anno Mundi Natus eſt.	Anno Mundi Mortuus eſt.
1	Sem	100	500	600	2165	2765	100	335	435	2165	2600
2	Arphaxad	135	403 Euſ. 400 430 Plant.	538 535 565	2265	2805 Euſ. 2800. 2830. Plan.	135	330	465	2265	2730
3	* Kainan	130	330	460	2400	2860	130	330	460	2300	2860
4	Selah	130	406 Euſ. 335.	530 465	2530	3066. Euſ. 2995.	130	330	460	2530	2990
5	Heber	134	135. Euſ. 270.	269 404	2660	2929. Euſ. 3064.	134	370	504	2660	3164
6	Phaleg	134 Plant. 150	209	339	2794	3133	130	209	339	2794	3133
7	Rehu	132	207	339	2924	3163	132	207	339	2924	3263
8	Serug	130	200	330	3056	3386	130	200	330	3056	3386
9	Nachor	79 Afr. Euſ. 179	119 125	195 304	3186	3384. Euſ. & Afr. 3490.	79	† 129	208	3186	3394
10	Thare	70	135	205	3265. Euſeb. & Afr. 3365.	3570	70	135	205	3265	3570
11	Abraham										

* Iſtum Kainan non agnoſcunt neque numerant Euſebius & Africanus, qui tamen ſequuntur Epilogiſmum τῶν LXX.

† Iſtum numerum ſequitur Euſebius in Chronico Latino.

Tabula quarta, Complectens Patriarchas poſt Diluvium uſque ad Abrahamum, idque juxta Samaritinorum codicem ex Euſebii Chronico Græco.

	Genuit natus annos	Vixit poſtquam genuit.	Vixit in univerſum.	Anno Mundi Natus eſt.	Anno Mundi Mortuus eſt.
1 Sem	100	500	600	1209	1809
2 Arphaxad	a 130	303	433	1309	1742
3 Selah	130	303	433	1439	1872
4 Heber	134	270	404	1569	1973
5 Phaleg	130	109	239	1703	1942
6 Rehu	132	b 207	339	1833	2172
7 Serug	130	100	230	1965	2195
8 Nachor	79	69	148	2095	2243
9 Thare	70	75	145	2174	2319
10 Abraham					

[a] Recte monet Morinus Exercit. in Pentateuchum Samarit. legendum apud Euſeb. ρλε pro ρλ, ac male omiſſam eſſe quinarii numeri notam.

[b] Codex Morini Samaritanus habet tantùm 107. atque ſic legendum eſſe contendit in Exercit. ſuis Morinus.

OBSERVATIONES IN DUAS TABULAS
Præcedentes III, & IV.

In annis genealogiæ horum Patriarcharum multum diſtat Græca τῶν LXX tranſlatio, tam ab Hebræo & Samaritano codice, tum à ſeipſa; & primùm quidem à ſeipſa, quia variæ illius editiones quæ hodie extant, inter ſe non conſentiunt, & illæ ipſæ diſſentiunt in numeris, quos Euſebius in Chronico ſuo Græco, tum Hieronymi Latino, refert tanquam ex LXX Interpretibus, uti planum eſt ex Tabula III, quam contexuimus ex variarum editionum inter ſe, & cum Euſebio collatione.

Conſenſio quidem inter varias editiones Græcas & Euſebium ſatis conſtans eſt in annis τεκνογονίας Patriarcharum, ſi duos excipias Phaleg & Nachor: nam in Regiis Bibliis à Plantino Antuerpiæ excuſis, Phaleg dicitur genuiſſe anno ætatis 134. verùm aliæ editiones, atque adeo ipſa Sixtina, unà cum Euſebio & Africano, qui in ſuis epilogiſmis ſequuntur LXX Interp. habent 130. ubi ratio potiùs haberi debet lectionis, quæ omnibus illis probatur, quàm illius quæ in ſola Plantini habetur. Nachor autem, ſecundùm Euſebium in Chronico, tum Græco, tum Latino, & ſecundùm Africanum, & hodiernas vulgares editiones Græcas, genuit anno vitæ ſuæ 79: at ſecundùm Sixtinam & regiam Plantini editionem, genuit an. ætatis 179. ubi uterque numerus videtur vitioſus: quòd ſi alteruter eſt amplectendus, videtur potiùs ſequenda lectio Euſebii & Africani, quæ confirmatur editione Baſileenſi & Wecheliana, quàm Sixtina & Plantini lectio, utpote quòd hæ longè magis recedunt ab Hebræo.

At longè maxima eſt diſſenſio inter hodiernas editiones Græcas τῶν LXX, tum inter ſe, tum ab Euſebio, in aſſignandis annis, quos Patriarchæ dicuntur vixiſſe poſt τεκνογονίαν, uti planum eſt ex Tabula III. Quæ diſſentio non aliunde videtur orta, quam ex ſcribarum ſeu librariorum, vel etiam Typographorum incuria atque lapſu & errore. In illa autem diſſenſione difficile eſt ſtatuere utra lectio ſit potior magíſque probanda, niſi quòd illa videri debet melior, quæ minùs longè recedit, ſeu propiùs accedit ad lectionem hodierni codicis Hebraici. Cùm itaque exempli gratiâ Arphaxad dicatur in Hebræo codice vixiſſe annos 403 poſtquam genuit Salam, planum eſt lectionem Euſebii, quæ totidem annos illi tribuit, meliorem eſſe quàm editionis Sixtinæ, quæ illi annos duntaxat 400 tribuit, vel editionis Baſil. quæ illi tribuit annos tantùm 330, aut vero editionis regiæ Plantini, quæ illi tribuit annos 430, ubi fortè vitio typographi vel librarii ſcriptum fuit τριάκοντα pro τρία. Cæterum Scaliger in Animadverſionibus ſuis in Euſeb. pro νγ' hoc eſt, 403 bis habet νι', hoc eſt, 410, quod poſterius mendoſum videtur. Sic cùm in Hebræo codice Selah dicatur vixiſſe annos itidem 403 poſt genitum Heber, lectio Euſebii quæ illi tribuit 406 annos, potior eſt lectione Sixtina & Plantina quæ illi tribuunt annos 335, vel Baſil. & Wechel. quæ dant illi annos duntaxat 330. Pariter cùm Heber dicatur in Hebræo codice vixiſſe annos 430 poſt genitum Phaleg, lectio edit. Baſil. aliarúmque vulgarium, quæ illi tribuunt annos 370, potior videtur quàm lectio Euſebii, quæ illi tribuit tantùm annos 135, aut lectione Sixt. & Plant. quæ tribuunt illi annos duntaxat 270. Denique cùm Nachor dicatur in Hebræo codice vixiſſe annos 119 poſt genitum Thare, lectio Euſebii quæ cum Hebræo conſentit, melior videri debet, quàm lectio Sixt. & Plantin. quæ illi tribuunt annos 125, melior item lectione edit. Baſil. quæ illi tribuit annos 129, ubi vitio librarii, vel typographi, addita videtur decas una ad juſtum numerum facili lapſu τοῦ κ pro ι.

Porrò quia conſenſus eſt, uti dixi, in annis τῆς τεκνογονίας; inde etiam ſequitur conſenſus in anno mundi, quo ſinguli Patriarchæ cenſendi ſunt eſſe nati, ſi unum excipias Thare, qui quoniam pater ejus Nachor in Sixt. & Plant. edit. dicitur natus annos 179 quum genuit Tharam, ex conſequenti cenſendus eſt Thare natus anno mundi 3365, ſecundùm illas editiones, uti notatum eſt in tabula. Sed juxta Euſebium & Africanum, & editiones Baſil. & Wechel. qui volunt Nachor genuiſſe Tharam anno vitæ ſuæ 79: cenſendus eſt, ex illorum mente, natus Thare anno mundi 3265. Ex diſſenſione autem in annis quos Patriarchæ vixerunt poſt τεκνογονίαν, ſequitur neceſſariò diſſenſus in annis quos in univerſum vixerunt, ut & in anno mundi, quo illi cenſendi ſunt mortui, uti planum eſt ex tabula. Sed quoniam (uti dixi) tota illa diſſenſio orta videtur ex librariorum vel typographorum errore aut lapſu, omnia videntur revocanda ad lectionem codicis Hebraici, atque ex eo emendanda ſunt & corrigenda.

Cæterùm ex tabula noſtra prima planum eſt Diluvium ſecundùm τῶν LXX epilogiſmum, incidere in an. M. 2262, ac proinde ejus finem incidere in initium anni mundi 2263. Arphaxad autem natus eſt biennio, ſeu anno ſecundo poſt Diluvium, Gen. 11. 10. Itaque natus eſt ſecundùm LXX, an. mundi 2265. cui ſi addas annos 135, quo natus Arphaxad genuit Kainan, exſurget an. mundi 2400, quo ſecundùm LXX natus fuerit Cainan; atque ſic de reliquis. Rurſus ſi an. mundi 2265, quo natus eſt Arphaxad ſecundùm τῶν LXX epilogiſmum, addas annos 538, quot vixit in univerſum ſecundùm Euſebium, exſurget an. M. 2083, quo ſecundùm illum cenſendus eſt mortuus. Atque ſic de reliquis uti habetur in tabula.

Sed præcipua maximéque momentoſa diſſenſio, quæ intercedit inter τοὺς LXX, & Hebræum codicem, eſt in anno τεκνογονίας. *De hac codicum Hebraicorum & Græcorum diſcrepantia, vide quæ dicta ſunt Proleg. de verſione Græca LXX Interp. ſect. ult.* Nam in omnibus Patriarchis (excepto Semo) uſque ad Nachor, anno τεκνογονίας qui habetur in codice Hebræo, LXX addunt annorum ἑκατοντάδα unam, planè eodem modo, quo in nonnullis Patriarchis ante Diluvium id ipſum factum eſt, etiam eodem, uti videtur, conſilio: nempe, ut ad tabulam primam dixi, audacia & temeritate librarii illius qui primus (uti videtur) ex autographo τῶν LXX ſuum deſcripſit ἀπόγραφον, ex quo in alia deinde exemplaria transfuſus eſt & diminavit error. Putavit nempe ille idem ſibi hîc etiam faciendum eſſe, quod antè fecerat, ne nimia videretur eſſe inter Patriarchas ante & poſt Diluvium differentia in anno τεκνογονίας, ſi non etiam iſtis adderetur una ἑκατοντὰς annorum. Tum etiam fortè putavit annos iſtorum (ut & illorum) eſſe μηνιαίους, unde neceſſe fuit addere centum annos, ut ſic Patriarchæ iſti gignere cœperint ætatis anno ſaltem circiter duodecimo vel decimotertio. Denique, videbat Semum non genuiſſe niſi anno ætatis centeſimo, putavit in ſequentibus Patriarchis addendos eſſe illos centum annos, ne tanta & tam ſubita eſſet annorum τεκνογονίας diminutio, ab anno centeſimo Semi ad trigeſimum quintum Arphaxadi, & vigeſimum nonum Nachori. Quomodo igitur ante Diluvium ſex Patriarchis addiderat ſex ἑκατοντάδας annorum, nimirum Adamo, Setho, Enoſo, Kainano, Mahalaleeli & Enocho, totidem voluit addere poſt Diluvium, nimirum Arphaxado, Salæ & cæteris uſque ad Nachor, cui codices quos ſequuti ſunt Euſeb. & Afric. addunt annos duntaxat 50. & editiones hodiernæ Sixt. & Plant. addunt annos 150. nam ſi 29 annis quos codex Hebræus dat Nachoro cùm genuit Tharam, addas 50, fiunt 79, quot illi dant codd. Euſebii & Africani: ſi verò addas 150, fiunt 179 anni, quos illi dant editiones Sixt. & Plantiniana.

Porrò, obſervandum eſt Euſebium & Africanum, (quibus & alii è veteribus addi poſſent) qui tamen calculum τῶν LXX ſequuntur, in hac Patriarcharum ſerie omittere Kainanem, cujus omnino non meminerunt, ſuúmque adeo calculum ἐκ τῶν LXX inſtituunt, ut planum ſit eos nullam illius rationem habuiſſe. Africanus enim à Diluvio ad nativitatem Abrahæ annos putat 915 per generationes decem, quod verum eſſe non poteſt, ſi in illis decem generationibus numeretur Kainan, eique tribuantur anni 130 ante natum Salam: nam primo ſic generationes eſſent undecim, non decem, connumeratis Semo & Abrahamo; deinde invenientur à Diluvio ad natum Abrahamum anni non 915, ut vult Africanus, ſed 1072. Sed ſi Kainan non numeretur, erunt 942 (uti rectè colligit Euſebius cùm refert τῶν LXX epilogiſmum) qui numerus propiùs multò accedit ad 915, quàm 1072. Itaque vel falſus eſt in numerando, aliquot annis Africanus, vel lapſus eſt librarius aut typographus, qui ιε pro μβ poſuit. Hinc liquet exemplaria tranſlationis Græcæ τῶν LXX, quibus illi uſi ſunt, non habuiſſe illum Kainan, alioqui non eum omiſiſſent, neque ſine eo calculum ſuum inſtituiſſent. Varia ergo lectio hîc manifeſta eſt in codicibus tranſlationis Græcæ τῶν LXX circa iſtum Kainanem, nam hodiernæ omnes Græcæ editiones illum agnoſcunt. Sed cùm non habeatur in codice Hebræo, tam Judæorum quàm Samaritanorum, & in exemplaribus Græcis, quæ Euſebius & Africanus ſequuti ſunt, abſuerit, planum eſt irrepſiſſe in codices Græcos τῶν LXX, vitio & errore librarii, qui cùm inter deſcribendum animum haberet defixum in priorem Cainanem, qui vixit ante Diluvium, eum hîc, ſive per incogitantiam, uti non raro fit aliud cogitantibus, ſive conſilio inſeruit, tertio poſt Noachum loco, quomodò ille prior tertius fuit ab Adamo, quòd videretur fortè illi congruum ut in mundi poſt Diluvium inſtauratione, quartus in Patriarcharum ſerie homo ejuſdem eſſet nominis cum eo qui quartus fuerat in prima Patriarcharum ante Diluvium ſerie. Annos autem illi attribuit totidem quot ſequenti Sale, ídque tam ante quàm poſt ſuſceptam prolem. Ita partim conſilio, partim errore atque oſcitantia & inſigni hallucinatione, videtur iſte Kainan hîc inſertus atque infultus à librario aliud cogitante. Qui error cùm diffuſus eſſet in multa exemplaria Græca τῶν LXX, inde poſtmodum transfuſus videtur in Lucæ Evangelium in Chriſti genealogia, non ab ipſo Luca, ſed à librario, vel antiquario, qui cùm in margine codicis ſui notaſſet Kainanem iſtum ex Græca τῶν LXX tranſlatione, quaſi per incuriam apud Lucam omiſſum, ex margine poſtea migravit, inter deſcribendum, in textum, uti paſſim ſolet id fieri, unde tot in præſtantiſſimis etiam & vetuſtiſſimis MSS. codd. omnis generis gloſſemata errore & ignorantia Librariorum infulta. Hæc obiter & breviter dicta ſunto de ſuppoſititio iſto Cainan, de quo qui plura volet, videat accuratam de eo viri docti Dom. Spanhemii, in Dubiis ſuis Evangelicis Diſputationem.

Ad Tabulam. IV.

Samariticus Codex, non ſecus ac LXX, centum annos adddit anno τεκνογονίας ſingulorum Patriarcharum, niſi quòd τῷ Arphaxad tribuit annos duntaxat 130, non autem 135. Scaliger tamen in Animadverſionibus ſuis monet in Samaritico codice eſſe 135. Hos centum annos mox detrahit nonnullis Patriarchis, quum recenſet annos quos poſt ſuſceptam prolem vixerunt, ita ut in annorum ſumma, quos in univerſum vixerunt Patriarchæ, conſentiat in quibuſdam cum Hebræo codice Judæorum, uti planum eſt ex collatione V. & VII. tabulæ, niſi quòd τῷ Heber detrahit non modò centum, ſed 160 annos poſt τεκνογονίαν, τῷ Nachor annos 79 ante τεκνογονίαν, cum Euſebio & Africano tribuit, poſt τεκνογονίαν verò annos illi dat duntaxat 69; in quo & ab Hebræo, & ab omnibus Græcis τῶν LXX editionibus diſcedit. Quod videtur factum librarii apud Euſebium culpâ, qui ξθ pro ρκθ ſcripſit. Quod autem Tharæ poſt genitum Abraham annos duntaxat tribuit 75, cauſam diximus ſuprà in Notis ad tabulam II. Cur autem hîc potiùs, quàm in antecedentibus decem Patriarchis, qui ante Diluvium vixerunt, Samariticus codex ſequutus ſit calculum τῶν LXX, non verò Hebræum codicem, cauſam divinare non poſſum.

Atque hæc breviter dicta ſunto de diſcrimine quod in annorum numero intercedit inter Hebræum cod. & Samariticum, atque editiones varias tranſlationis Græcæ τῶν LXX, quo pacto illa conciliari utcunque poſſint, ſi modò conciliari poſſunt.

Tabula quinta complectens hiſtoriam ſacram a nato Abraham ad Exodum, per annos quingentos.

	Anno vitæ ſuæ genuit, vel aliquid aliud fecit aut paſſus eſt.	Vixit in univerſum.	An. Mundi	
			Naſcitur vel aliquid fit aut contingit	Moritur.
[a] ABRAHAM.	100	175	2008	2183
[b] Egreditur ex Ur Chaldæorum.	70		2078	
[c] Egreditur ex Charan, & venit in Chananæam.	75		2083	
[d] Gignitur ab eo Iſmael.	86	137	2094	2231
[e] Circumciditur & Sodoma evertitur.	99		2107	
[f] ISAAC.	60	180	2108	2288
[g] Ducit Rebeccam in uxorem.	40		2148	
[h] JACOB.		147	2168	2315
[i] Fugit ad Labanem, iſthicque ſervit annos XX.	78		2246	
[k] Ducit Leam & Rachelem.	85		2253	
[l] Levi ei naſcitur.	88	137	2256	2393
[m] Redit Jacob ad patrem.	98		2266	
[n] JOSEPH.		110	2260	2370
[o] Venditur a fratribus in Ægyptum.	17		2277	
[p] Iſthicque ſervit annos XIII.				
[q] Siſtitur Pharaoni.	30		2290	
[r] Naſcuntur illi Ephraim & Manaſſe.	37		2297	
[ſ] Deſcendit Jacob in Ægyptum annos natus 130.			2298	
[t] MOSES.		120	2428	2548
[u] Fugit ad Jethro, iſthicque ſervit annos XL.	40		2468	
[x] Redit in Ægyptum, & Iſraelitas inde educit, itaque EXODUS.	80		2508	

AD TABULAM V. PRÆCEDENTEM OBSERVATIONES,

Cum probatione veritatis tabulæ ipſius.

[a] ABrahamum natum eſſe anno mundi 2008 ſuprà demonſtratum eſt ad tabulam II. ubi oſtendimus eum natum eſſe an. ætatis Tharæ non 70, ſed 130. Quandoqui-

doquidem ergo conſtat ex eadem tabula Tharam natum eſse (ſecundùm Hebræum codicem, cujus calculum ſequimur) anno mundi 1878, planum eſt Abrahamum natum eſse anno mundi 2008. Cum autem vixerit annos 175, Gen 25. 7. manifeſtum eſt eum obiiſse anno mundi 2183.

[b] Abrahamum egreſsum eſse ex Ur Chaldæorum anno ætatis ſuæ 70, jam ſuprà probatum eſt ad tabulam II. Itaque egreſsus eſt ex Ur anno mundi 2078. R. Abraham in Cabbala ſua hiſtorica (quem ſequitur hac in parte auctor Seder Olam rabba) ineptit quum fingit Abrahamum egreſsum eſse primò Charris quum natus eſset annos 52, indéque ad fœdus cum eo à Deo initum בֵּין הַבְּתָרִים (ut illi loquuntur) de quo Geneſ. 15, annos eſse 18, tum Abrahamum natum annos 70, rediiſse Charras, iſthícque egiſse annos quinque, quibus exactis ſecundò vult inde egreſsum natum annos 75 veniſse in terram Chanaan. Nam primò unde nobis exculpunt illi geminam Abrahæ ex Charris profectionem, cujus nullum eſt in Scriptura neque veſtigium neque vola? Secundò, Unde nobis confingunt 52 annos quos illi dicunt Abrahamum natum fuiſſe quum primò egreſsus eſt Charris? Tertiò, Unde commenti ſunt 18 annos, quos aiunt interceſſiſse inter primam Abrahæ ex Charris profectionem, & fœdus cum eo initum, quod commemoratur Geneſ. 15. Omnia iſta gratis ab illis dicuntur & ſumuntur, non verò probantur. Deinde, ubinam percuſſum eſse volunt fœdus illud cum Abrahamo initum, an in Ur Chaldæorum antequam veniret Charras, an verò in Chananæa poſtquam exceſſiſset Charris? Si in Ur Chaldæorum, ergo ſecundùm eos Abraham priùs vixerit Charris, quàm in Ur, quod falſum eſt & contra Scripturam, Gen. 11. Si in Chananæa (uti planum eſt ex hiſtoria ſacra Geneſeos), quis credat eum poſtea rediiſse Charras unde exceſserat? nam cui bono, & quo fine? repugnat hoc commentum Scripturæ, quæ omnino de reditu illo non meminit. Porò non fuit illud fœdus בין הבתרים, de quo Geneſ. 15, promiſſio Abrahæ à Deo primò facta, uti illi hariolantur, ſed promiſſionis primò illi factæ, dum adhuc eſset Ure Chaldæorum, renovatio & confirmatio, adhibito ſolemnis ſacrificii ritu, & quidem cùm Deus Abrahamum in rem præſentem (terram nempe Chanaan) quam illi antea pollicitus fuerat, adduxiſset. Rectè quidem ſentiunt quum annos 430, de quibus Exod. 12. 40. inchoant à promiſſione Abrahæ facta, & fœdere cum eo inito, ſic enim imprudentes Apoſtolo ſuccinunt & ſuffragantur Gal. 4. Rectè etiam dicunt Abrahamum natum fuiſse annos 70, quum poſt promiſſionem ipſi factam & percuſſum fœdus venit Charras, atque iſthic egiſse annos quinque, hæc enim ita ſe habere ſuprà probavimus ad tabulam II. Sed graviter hallucinantur, quum fœderis in Ur Chaldæorum primò pacti renovationem & confirmationem factam Geneſ. 15, confundunt cum ipſo fœdere primò inito.

[c] Abrahamum, cùm exceſſit ex Charan, natum fuiſse annos 75, liquet ex Gen. 12. 4, 5. Ergo egreſsus eſt ex Charan anno mundi 2083. ſiquidem natus erat anno mundi 2008.

[d] Iſmaelem natum eſse anno 86 ætatis Abrahæ, probatur primò ex Geneſ. 16, 3. ubi Sara dicitur dediſſe Abrahamo Hagarem in uxorem, quum habitaſſet decem annos in terra Chanaan. Ergo data eſt illi anno ætatis ſuæ 85. Natus eſt autem Iſmael anno pòſt vertente: ergo anno ætatis Abrahæ 86, mundi verò 2094. Deinde, Geneſ. 17. 24, 25. Abraham dicitur natus annos 99, Iſmael autem annos 13, quando ſimul eadem die circumciſi ſunt. Cùm igitur Abraham natus ſit anno mundi 2008, annus ejus 99 convenit cum anno mundi 2107. à quo ſi ſubducas annos 13, reſtabit annus mundi 2094, quo natus eſt Iſmael; qui cùm vixerit annos 137, mortuus eſt anno mundi 2231.

[e] Abrahamum circumciſum fuiſſe anno ætatis ſuæ 99 (ac proinde anno mundi 2107.) conſtat ex Geneſ. 17. 24, 25. Sodomam autem paulò pòſt fuiſſe everſam conſtat ex hiſtoria Geneſeos. Nam quæ narrantur Geneſ. 18, & 19, facta ſunt inter circumciſionem Abrahæ & nativitatem Iſaaci, adeóque menſibus novem, ut minimum, ante illam nativitatem.

[f] Natus eſt Iſaac quum Abraham eſſet annorum 100, Geneſ. 21, 5. itaque natus eſt anno mundi 2108. Vixit autem Iſaac annos 180. Geneſ. 35. 28. Ergo mortuus eſt anno mundi 2288.

[g] Cùm Iſaac duxit Rebeccam, natus erat annos 40. Geneſ. 25. 20. duxit itaque eam anno mundi 2148.

[h] Iſaac natus erat annos 60, quum nati ſunt illi Jacob & Eſau, Geneſ. 25. 26. Itaque Jacob natus eſt anno mundi 2168. Quare cùm vixerit annos 147. Gen 47. 28. ſequitur eum eſſe mortuum anno mundi 2315.

[i] Quo anno Jacob acceptâ à patre benedictione fugerit ad Labanem, ſic oſtenditur. Quum Jacob deſcendit in Ægyptum natus erat annos 130. Gen. 47. 9. ac proinde eò deſcendit anno mundi 2298. Joſeph autem tum natus erat annos 38, uti mox oſtendetur. Si igitur ſubducantur anni illi 38 de 2298, invenietur Joſephus natus anno mundi 2260, ætatis autem patris ſui 92. Jacob autem ſervierat Labani an. 14. quum natus eſt illi Joſeph, uti conſtat ex collatione Geneſ. 30 21. cum cap. 31. 41. Deducantur 14 iſti anni de anno mundi 2260, quo natus eſt Joſeph, invenietur Jacob veniſſe ad Labanem anno mundi 2246, anno autem ætatis ſuæ 78. quod erat demonſtrandum. Joſephum autem natum fuiſſe annos 38, quum Jacob deſcendit in Ægyptum, ſic oſtenditur. Cùm ſtitit ſe Pharaoni, ſomnium ejus explicaturus, natus erat annos 30, Geneſ. 41. 46. Secuti ſunt ſtatim ſeptem anni fertilitatis, ibidem verſ. 32. Jacob autem deſcendit in Ægyptum anno ſecundo famis, Geneſ. 45. 6. Fuit igitur Joſeph natus annos 38, quum pater ipſius deſcendit in Ægyptum.

[k] In fine ſeptem annorum ſervitutis Jacob duxit Leam, Geneſ. 29. 21. Venerat autem ad Labanem, & cœperat ei ſervire anno mundi 2246, quum natus eſſet annos 78. uti modò demonſtratum eſt. Duxit igitur Leam anno mundi 2253, anno ætatis ſuæ 85. Eum autem unà ſimul cum Lea accepiſſe Rachelem, atque ex utraque, ut & ex ancillis duabus, ſuſcepiſſe prolem quæ narratur Geneſ. 29, interim dum ſerviebat alteram annorum hebdomadem, Judæi conſtanter affirmant, & liquet ex illa Geneſeos hiſtoria. Nam ſi Rachelem demum poſt 14 ſervitutis annum exactum accepiſſet, quo pacto ex ea natus illi fuiſſet Joſeph in fine anni decimi quarti, uti id factum eſſe conſtat ex Geneſ. 30, 25. & 31. 41. Deinde, jam ſuprà probatum eſt Joſephum natum eſſe anno mundi 2260, ætatis patris anno 92. Fugiſſe autem Jacobum ad Labanem anno mundi 2246, ætatis ſuæ 78. Ergo natus eſt Joſeph in fine anni decimi quarti ſervitutis.

[l] Levi natus eſt anno tertio poſtquam Jacob duxit Leam, eſt enim tertius Jacobi ex Lea filius, Geneſ. 29. 34. Jacob autem duxit Leam anno mundi 2253, ætatis ſuæ 85, uti modò demonſtratum eſt. Ergo natus eſt Levi anno mundi 2256, ætatis patris 88. Vixit autem in univerſum annos 137, Exod. 6. 16. Ergo mortuus eſt anno mundi 2393, annis 115 ante Exodum.

[m] Servivit Jacob apud Labanem annos 20, Geneſ. 31, 41. quibus exactis rediit ad patrem in terram Chanaan. Fugerat autem ad Labanem anno mundi 2246, ætatis ſuæ 78, uti modò oſtenſum eſt. Ergo rediit ad patrem anno mundi 2266, ætatis 98.

[n] Quo mundi anno natus ſit Joſephus, conſtat ex prædictis, nimirum anno mundi 2260, patris 92. Cùm itaque Joſeph vixerit annos 110. Geneſ. cap. ult. verſ. ult. ſequitur eum eſſe mortuum anno mundi 2370 annis 138 ante Exodum.

[o] Joſeph natus erat annos ſeptemdecim, quum venditus eſt à fratribus, Geneſ. 37. 2. Natus autem erat anno mundi 2260. Ergo venditus eſt anno mundi 2277.

[p] Joſephum ſerviiſſe in Ægypto annos 13, ſic colligitur. Quum venditus eſt à fratribus, natus erat annos 17, quum ſtitit ſe Pharaoni natus fuit annos 30. uti ex præcedentibus liquet, & ex Gen. 41. 46. Ergo ſerviit annos 13 totos, fortè etiam 14 fermè, ſi dicamus annum 17, quum venditus eſt, fuiſſe tantùm inchoatum, uti non raro inchoatus pro pleno ponitur, quod rectius videtur.

[q] Liquet illud ex Geneſ. 41. 46.

[r] Liquet indidem verſu 50.

[ſ] Planum eſt ex Gene. 47. 9.

[t] Quo mundi anno natus ſit Moſes, & quo mortuus ſit, ſic colligitur. Moſes natus erat annos 80, quum ſtitit ſe Pharaoni & populum ex Ægypto eduxit, Exod. 7. 7. Exodus autem contigit anno mundi 2508. annis nimirum 400 poſt natum Iſaacum, uti ſuprà demonſtratum eſt ad tabulam II. Si hinc deducas 80 annos Moſis, invenietur Moſes natus anno mundi 2428. Cùm igitur vixerit annos 120, ſequitur eum obiiſſe anno mundi 2548.

[u] Actorum 7. 23. Stephanus exertè dicit Moſem natum annos 40, egreſſum eſſe ad fratres, & mox fugiſſe ad Jethro in Madian. Cùm igitur natus annos 80 redierit ex Madian, & ſtiterit ſe Pharaoni, ſequitur eum ſerviiſſe apud Jethro annos 40. Fugit ergo anno mundi 2468, quandoquidem natus erat anno mundi 2428.

[x] Exodum contigiſſe anno mundi 2508; ſuprà demonſtratum eſt ad tabulam II. Cùm itaque Jacob cum familia deſcenderit in Ægyptum an. mundi 2298, uti antè probatum eſt, ſequitur Iſraelitas manſiſſe in Ægypto annos duntaxat 210. quod & Judæi conſtanter agnoſcunt, & probant ex Geneſ. 42. 2. per Gematriam quam vocant. Sic enim in Bereſchith rabba, ſect. 91. *Dixit R. Aba bar Cahana,* בישרם שהם עתידין לעשות שם ר"י שנה מנין רד"ו hoc eſt, *Annunciat* (nempe Jacob) *illis* (filiis ſuis) *quod annos* 210 *commoraturi ſint iſthic* (nempe in Ægypto) *ídque ex voce* רד"ו (Gen. 42. 2.) *quæ continet numerum illum.* Quum itaque Exod. 12. 40. dicitur ומושב בני ישראל אשר ישבו במצרים, non debet reddi (uti à nonnullis ſic interpretibus) *Habitatio autem filiorum Iſraelis qua* (vel *ſecundùm quam*), *habitarunt in Ægypto, fuit annorum* 430; ſed debet reddi, *Peregrinatio autem filiorum Iſraelis qui habitarunt in Ægypto, fuerat annorum* 430. Nam תושב ſignificat *inquilinum, peregrinum*, qui habitat in ſede non ſua: Ergo & מוֹשָׁב poteſt reddi *peregrinatio, incolatus.* Peregrinatio autem illa inchoanda eſt (uti ſuprà oſtendimus) ab exitu Abrahami ex Ur Chaldæorum, tum enim cœpit peregrinari è patria, atque in eo omnes ejus poſteri qui vi divinæ promiſſionis in lumbis ejus erant, cœperunt, inquam, tum temporis & peregrinari, & quodammodo ſervire. Atque hîc notanda eſt lectio Samaritani codicis, quæ ſic habet, ומושב בני ישראל ואבותם אשר ישבו בארץ כנען ובארץ מצרים ת"ל שנת: *Habitatio filiorum Iſrael & patrum ipſorum, qua habitarunt in terra Chanaan, & in terra Ægypti, fuit* 430 *annorum*: quæ lectio ſi recipiatur ſolvit omnem difficultatem. Sanè LXX Interp. locum illum ſic reddunt, ἡ δὲ κατοίκησις τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ ἣν κατῴκησαν ἐν γῇ Αἰγύπτῳ καὶ ἐν γῇ Χαναὰν, ἔτη τετρακόσια τριάκοντα· quin & nonnulli codices Græci habent, αὐτοὶ καὶ οἱ πατέρες αὐτῶν, uti obſervat Auguſtinus tom. 4. lib. 2. Quæſt. in Exod. quæſt. 47, ubi loci hujus nodum atque difficultatem egregiè ſolvit atque explicat, niſi quòd annos à promiſſione ad natum Iſaac putat tantùm 25, à nato autem Iſaac ad Exodum annos computat 405, ita ut Iſraelitæ fuerint in Ægypto per annos 215. Sed hic calculus abundè revincitur ex prædictis.

Porrò quia Deus genti Judaicæ, quam ex omnibus populis ſibi ſelegerat in peculium, legem Moſis miniſterio dedit, in qua Jubilæorum & Sabbathicorum annorum obſervationem inſtituit, hinc eſt quòd ab Abrahami, gentis illius primi parentis, nativitate videre licet, pleroſque memorabiles majorum populi illius eventus, reſque geſtas, incidere in finem, vel initium Jubilæorum, & annorum Sabbathicorum, Deo nimirum (qui omnia ſapientiſſimè adminiſtrat, atque in numero, pondere & menſura fecit) ſic hominum illorum illuſtrium res & eventus diſpenſante, ut certis Jubilæorum & Hebdomadum Epochis inſignirentur. Nam, exempli gratiâ, Abraham natus eſt anno mundi 2008, hoc eſt anno ultimo Jubilæi quadrageſimi primi. Vixit annos 175, hoc eſt tres Jubilæos & quatuor Hebdomadas annorum: vocatus à Deo egreditur Ure Chaldæorum, cùm eſſet natus annos 70, hoc eſt Jubilæum unum & tres Hebdomadas, ſive decem Hebdomadas: & quidem anno ultimo tertiæ Hebdomadis Jubilæi quadrageſimi tertii ab orbe condito, circumciditur, & gignit Iſaacum anno ætatis ſuæ 99, hoc eſt anno primo tertii Jubilæi. Iſaac natus eſt anno mundi 2108. hoc eſt anno primo quadrageſimi quarti Jubilæi à rerum conditu. Jacob vixit annos 147, hoc eſt tres præciſè integros Jubilæos. Fugit ad Labanem & ſervire incipit anno ætatis ſuæ 78, hoc eſt in fine undecim Hebdomadum. Servit Labani annos 14, hoc eſt duas Hebdomadas. Ducit uxores ſuas Leam & Rachelem, incipítque ex Lea τεκνογονεῖν anno ætatis 85, hoc eſt initio ſextæ Hebdomadis ſecundi Jubilæi, ſive anno primo Hebdomadis decimæ-tertiæ: anno verò mundi 2253, naſcitur illi Ruben ipſius primogenitus, in fine quadrageſimi ſexti ab orbe condito Jubilæi. Redit ex Syria ad patrem anno ætatis 98, hoc eſt in fine duorum Jubilæorum. Moſes denique vixit annos 120, hoc eſt duos Jubilæos & tres Hebdomadas. Moritur in fine quinquageſimi ſecundi ab orbe condito Jubilæi. Commorantur Iſraelitæ in Ægypto annos 210, hoc eſt quatuor Jubilæos & duas Hebdomadas. Poſtremò à nato Abrahamo ad ingreſſum Iſraelitarum in Chanaan anni ſunt 540, hoc eſt undecim Jubilæi, ita ut Iſraelitæ ingreſſi ſint in terram ſibi promiſſam anno primo duodecimi Jubilæi poſt natum patrem ſuum Abrahamum, anno autem 470 poſt factam Abrahæ terræ illius promiſſionem, hoc eſt anno primo quintæ Hebdomadis decimi Jubilæi. Quæ omnes numerorum, ſive Jubilæorum, & Hebdomadum cum rebus geſtis συζυγίαι non videntur eſſe fortuitæ, neque ſine aliqua myſtica ſignificatione, imò ſunt à ſapientiſſima Dei providentia ſic adminiſtratæ, & faciunt ad calculi noſtri confirmationem, qui ſi falſus eſſet, non tot, támque inſignes, ejuſmodi temporum συζυγίαι in eo invenirentur. Talem Hebdomadum & Jubilæorum obſervationem non temerè invenias in hiſtoria quæ præceſſit, ab orbe condito ad natum uſque Abrahamum, ſed ſimilem videre licet in hiſtoria quæ Iſraelitarum ingreſſum in terram Chanaan ſecuta eſt uſque ad Chriſtum & gentis Judaicæ rejectionem, quum templum & tota eorum reſp. cultúſque Moſaicus à Romanis eſt everſus. Quamplurima ſunt etiam in tota hiſtoria ſacra, quæ per quadragenarium tum annorum, tum dierum, numerum adminiſtrata ſunt. Ut ex. gratia, tempore Diluvii pluit per 40 dies. Ibidem corvus emittitur quadrageſimo, póſtquam juga montium cœperunt apparere, die. Iſaac ducit uxorem anno ætatis 40. Moſes annos natus 40, fugit ex Ægypto, poſt alios quadraginta annos redit in Ægyptum, & populum Iſraeliticum liberat: in fine tertii quadragenarii obit natus annos 120, hoc eſt ter quadraginta annos. Errant Iſraelitæ, & commorantur in deſerto annos 40. Moſes in monte Sinai cum Deo manet bis quadraginta dies. Exploratores terram Chanaan explorant dies 40. Manſiones Iſraelitarum in deſerto numerantur 40. Hothniel judicat Iſraelem annos 40, fuítque primus eorum Judex. Ahod verò ſecundus Judex, annos bis quadraginta. Debora & Barac itidem annos 40. Gedeon totidem. Philiſtæorum oppreſſio fuit annorum 40. Heli judicat annos 40. Samuel & Saul conjunctim annos totidem. David primus Iſraelitarum Rex, regnat annos 40. Salomon totidem, Joas denique totidem.

Tabula VI. complectens hiſtoriam ab Exodo, ad Salomonis uſque mortem, ſive diviſionem regni decem tribuum & Judæ.

Anni ab ingreſſu in Chanaan.		Anni ab Exodo.	Anni judicaturæ vel oppreſſionis.	Anno Mundi.
1	[a] Ingreſſus Iſraelitarum in terram Chanaan	41		2549 ineunte.
6	[b] Bella in ea terra geſta ſunt per ſexennium	46	6	2254 exeunte.
7	[c] Κληρουχία terræ annum unum duravit	47	1	2555 ex.
15	[d] Oppreſſio Iſraelitarum per Cuſchan	55	8	2563 ex.
55	[e] Hothniel, primus Judicum, obiit	95	40	2603 ex.
73	[f] Oppreſſio per Eglon, ſive Moabitas	113	18	2621 ex.
153	[g] Ahod, mortuus eſt	193	80	2701 ex.
	[h] Samgar			
173	[i] Oppreſſio per Jabin, ſive Chananæos	213	26	2721 ex.
213	[l] Debora, & Barac, obit	253	40	2761 ex.
220	[m] Oppreſſio Madianitarum	260	7	2768 ex.
260	[n] Gedeon, obiit	300	40	2808 ex.
263	[o] Abimelech, obit	303	3	2811 ex.
286	[p] Tholah, obit	326	23	2834 ex.
308	[q] Jair, obit	348	22	2856 ex.
326	[r] Ammonitarum oppreſſio	366	18	2874 ex.
332	[ſ] Jephte, obit	372	6	2880 ex.
339	[t] Ibtſan, obit	379	7	2887 ex.
349	[u] Elon, obit	389	10	2897 ex.
357	[x] Habdon, obit	397	8	2905 ex.
397	[y] Philiſtinorum oppreſſio	437	40	2945 ex.
417	[z] Samſon, obiit	457	20	2965 ex.
457	[a] Heli, obiit	497	40	3005 ex.
497	[b] Samuel, & Saul, Mortuus eſt	537	40	3045 ex.
537	[c] David, mortuus eſt	577	40	3085 ex.
577	[d] Salomon, obiit	617	40	3125 ex.
540	[e] TEMPLUM exſtrui cœptum eſt an. 4. Salom. ineunte, & abſolutum eſt an. 11.	580	7	3088
547	itidem ineunte, per totos 7 an. abſolutum eſt A. M.			3096 ineunte.

PROBATIO ANTECEDENTIS TABULÆ VI.

[a] Tabulâ quintâ annus Exodi conjectus eſt in annum mundi exeuntem 2508, cui addendi ſunt anni quadraginta commorationis Iſraelitarum in deſerto. Sic incidit ingreſſus Iſraelitarum in terram Chanaan, in annum mundi 2549 ineuntem, & 41 ab Exodo, itidem ineuntem.

[b] Bella à Joſua in Chanaan geſta eſſe per ſexennium ante κληρουχίαν, ſic demonſtratur. Caleb initio κληρουχίας dicit, Joſ. 14. 7, 10. ſe natum fuiſſe annos 40, quum à Moſe miſſus fuit, unà cum Joſue, ad explorandam terram Chanaan, uti narratur Numer. 13. (hoc autem factum fuit initio anni ſecundi poſt Exodum, ut patet ex Numerorum 10, verſ. 11, 12. & 13. 3. & 33. 18.) nunc verò ait ſe natum eſſe annos 85, atque annos effluxiſſe 45 ab illa miſſione ad tempus κληρουχίας, quo hæc Joſuæ dicebat. His 45 annis addendus eſt annus unus qui fluxit ab Exodo ad illam Exploratorum miſsionem, ſic fiunt anni 46 ad initium κληρουχίας. ex quibus ſi tollas annos 40 commorationis Iſraelitarum in deſerto, reſtant anni ſex, quibus bella geſta ſunt à Joſua adverſus Chananæos. Itaque anni ſeptimi initio cœpta eſt fieri κληρουχία, anno mundi 2555 ineunte.

[c] Κληρουχία annum unum circiter duravit, quod colligi poteſt ex ejus hiſtoria. Nam primò ſorte attributa eſt hæreditas duabus tribubus cum dimidia, nimirum tribui Judæ, & Ephraim, tum dimidiæ tribui Manaſſe, nam alteri dimidiæ tribui Manaſſe ſors obtigerat ultra Jordanem unà cum tribubus Ruben, & Gad. Diviſio illa facta tribui Judæ, Ephraim, & dimidiæ Manaſſe narratur Joſuæ cap. 14, 15, 16, & 17. Deinde, convenerunt Iſraelitæ in Silo (Joſ. 18.) quia reſtabant adhuc ſeptem tribus, quibus hæreditas erat aſsignanda. Miſsi ſunt itaque ex Silo homines qui totam terram Chanaan peragrarent, tabulámque ejus geographicam deſcriberent, quod certè paucis diebus non potuit confici. Illis demum regreſsis κληρουχία eſt abſoluta. Ad hæc omnia conficienda vix minùs anni ſpatio opus fuit. Sic ſunt ab orbe condito ad κληρουχίαν abſolutam anni 2555, hoc eſt annorum Hebdomades 365, quot ſunt nimirum in anno Solari dies naturales, 24 horarum: Jubilæi autem ſunt præcisè 52, ad ingreſſum uſque Iſraelitarum in terram Chanaan, in qua bellum ſub duce Joſua geſſerunt per annos ſex, ſeptimo autem quieverunt, ſortitione terræ factâ. Unde liquet Jubilæorum & annorum Sabbathicorum caput & initium accerſendum, & inchoandum eſſe ab ingreſſu Iſraelitarum in terram illam. Porrò iſtæ numerorum συγκυρίαι cum re geſta omnino non videntur eſſe fortuitæ, & à caſu, ſed à Dei conſilio, ejúſque Sapientia, per quam omnia facit in numero, pondere, & menſura. Sic enim Iſraelitæ terram illam ſibi pararunt bello per tot annos geſto, quot annis Deus volebat terram illam ab ipſis coli quot diebus volebat hominem laborare atque operari, à bello verò quieverunt, & poſſeſsione terræ illius tranquillâ fruiti ſunt, ſortitione terræ factâ, eo anno quo terram Deus lege ſua jubebat quieſcere, quo die hominem volebat à labore & ſervili omni opere ceſſare, ſcilicet ſeptimo: nempe bella illa fuerunt veluti labor quidam Iſraelitarum, quo terram illam ſibi pepererunt, fuerunt veluti cultura quædam terræ illius, qua eam ſubegerunt, ac veluti vomere injecto ararunt totam & excoluerunt, incolis ejus vel ejectis, vel interfectis, tanquam totidem rubis & ſentibus avulſis & exſtirpatis. Κληρουχία autem fuit illis veluti gratiſsima quædam quies à labore ſuo, & ab operoſa illa cultura. Miſsi ſunt autem in poſſeſsionem terræ illius præcisè poſt 365 annorum Hebdomadas, hoc eſt in fine anni veluti ſacri cujuſdam, & magni, qui nimirum conſtat tot annorum Hebdomadibus, quot Solaris annus conſtat diebus; nam ut dierum Hebdomas eſt veluti dies quidam ſacer, ſemper in ſe recurrens, ſic annorum Hebdomas eſt veluti annus quidam ſacer, itidem ſemper in ſe recurrens. Itaque ſpatium annorum 2555, quod conſtat 365 Hebdomadibus annorum, eſt veluti annus quidam magnus Propheticus ac divinus, in cujus fine Deus populum ſuum miſit in poſſeſſionem terræ ipſi promiſſæ, quietémque illi dedit ab antecedentibus laboribus ſuis, non ſecus atque homines toto anno laborant, & vacant culturæ terræ, ac tandem in fine anni meſſe, & vindemiâ peractâ, collectiſque terræ frugibus, iis quietè fruuntur. Vel, ſi cui libet calculum aliter conſtituere, & annum magnum tot velit conſtare annis, quot annus Solaris conſtat diebus, nempe 365. invenientur ſic ab orbe condito ad poſſeſſam terram Chanaan, anni magni ſeptem, ſinguli conſtantes 365 annis. Sic nempe fuerit ab orbe condito ad poſſeſſam illam terram Hebdomas integra annorum magnorum, quorum ſinguli conſtant tot annis, quot annus conſtat diebus, ſcilicet 365, id quod maximam Dei ſapientiam redolere videtur. Aliud hîc etiam eſt conſiderandum, quòd nimirum à rerum initio ad ingreſſum in terram Chanaan tot ſunt præcisè Jubilæi (nempe 52), quot ſunt dies in ſeptima anni Solaris parte, nam ſepties quinquaginta duo faciunt 364. Jubilæorum itaque illorum numerus facit ſeptimam magni illius anni, de quo modò diximus, partem, id quod aliud eſt Dei ſapientiæ (ſecundùm quam pleraque omnia ſacra per ſeptenarium numerum ducuntur) argumentum. Atque eandem illam Dei ſapientiam decuit, ut poſt illum Jubilæorum à condito mundo elapſorum numerum, Jubilæorum, & annorum Sabbathicorum in lege à ſe inſtituta, obſervatio caput & initium ſumeret, ab eo temporis articulo quo populum ſuum in terræ ipſi promiſſæ poſſeſsionem miſit. Quæ omnes συγκυρίαι videntur mirum in modum confirmare hunc noſtrum à condito mundo annorum calculum. Sed & aliud rurſus hîc eſt obſervatione dignum, quòd nimirum populus ille Dei typicus & carnalis atque umbratilis miſſus eſt in poſſeſsionem hæreditatis terreſtris, atque typicæ & umbratilis, in fine Hebdomadæ cujuſdam magnæ & ſacræ annorum, quæ nimirum conſtat ſeptem annis magnis, quorum ſinguli conſtant 365 annis; ſic populus Dei verus ac ſpiritualis, fideles nimirum omnes atque Electi quotquot ſunt, & futuri ſunt ab orbe condito ad ejus finem, mittendi ſunt in poſſeſsionem veræ & æternæ hæreditatis, cœleſtiſque Chanaan in fine majoris cujuſdam Hebdomadæ ſacræ. Nam ſi vera eſt domus Eliæ (quam vocant) antiqua traditio, in Judæorum ſcriptis mox poſt Chriſti tempora longè celebratiſſima, de duratione mundi, *Duo millia annorum* תהו *inane, duo millia annorum* תורה *Lex, duo millia annorum* גאלה *redemptio per Meſſiam. poſtea verò finis.* Mundus ſecundum eam duraturus eſt ſex annorum millia; quæ traditio & à Judæis, & à Chriſtianis confirmatur allegoricâ iſtâ indagatione, quòd nimirum mundus tot annorum millibus duraturus ſit quot diebus creatus eſt, nimirum ſex, quia ſcilicet *apud Deum mille anni ſunt ſicut dies unus, & dies unus ſicut mille anni.* Deinde, in primo Geneſeos verſiculo (in quo narratur mundi creatio) *In principio Deus creavit cœlum & terram,* littera א *aleph*, quæ eſt alphabeti prima littera, & *mille* ſignificat, ſexies præcisè occurrit, non pluries. Quemadmodum ergo Deus creando, atque è nihilo res educendo operatus eſt ſex dies naturales, ſeptimo autem quievit, ſeu ceſſavit ab opere, quæ prima eſt omnium phyſica ſeptimana, ſic mundum providentiâ ſuâ conſervando, ſuſtinendo ac regendo operaturus eſſe videtur ſex dies magnos, adeóque omnium maximos, & ut ita dicam divinos, quia mille anni coram eo ſunt veluti dies unus, ſeptimo autem die, qui eſt omnium longè maximus, utpote in æternum duraturus, quieſcet ab omni ſuo opere, & quietem dabit longè maximam populo ſuo, quo cum in æternum regnaturus eſt, hæc eſt Hebdomas longè maxima, cujus ſex priores dies conſtant ſinguli mille annis, qui Deo ſunt tanquam dies unus, ultimus autem ejus dies Sabbathiſmum æternum populo Dei à Chriſto paratum continet.

[d] Jud. 3. 8. Cuſchan dicitur oppreſſiſſe Iſraelitas שמנה שנים *annos octo*, quod non eſt ita accipiendum quaſi ſtatim poſt peractam κληρουχίαν cœperit illos ſervitute premere. Nam Jud. 2. 6, 7. apertè dicuntur Iſraelitæ adhæſiſſe Domino quamdiu vixit Joſue & Seniores, qui poſt eum produxerunt dies ſuos. Itaque ſic reddi poteſt locus ille, *Et ſervierunt Iſraelitæ Cuſchani anno octavo*, nimirum poſt κληρουχίαν, uti alibi non raró numerus *cardinalis* ponitur pro *ordinali*. Vel dicuntur Iſraelitæ ſerviiſſe Cuſchani octo annos, quia ſervitutis illius finis incidit in octavum ἀπὸ τῆς κληρουχίας annum exeuntem. Joſuæ quidem mortem commemorat Scriptura Jud. 2. 8. & quot annos natus fuerit quum mortuus eſt, nempe 110. et quo anno vel ab Exodo, vel ab ingreſſu in Chanaan, vel à ſortitione terræ mortuus fuerit, non meminit. Videtur tamen omnino illa collocanda in octennio iſto, non enim ſerviiſſent Iſraelitæ Cuſchani vivente Joſua, ac veriſimile eſt eum mox poſt κληρουχίαν occubuiſſe, cùm enim ſortiretur terram dicitur gravis ætate valde Jud. 13. 1. Oratio autem ab eo habita Joſ. 23, & 24. habita eſt mox poſt κληρουχίαν, & paulo ante obitum ſuum, qui ſtatim poſt habitam illam orationem narratur.

[e] Jud. 3. verſu 2. terra dicitur quieviſſe annos quadraginta poſt devictum ab Hothniele Cuſchanem, ſtatímque narratur Hothnielis mors: unde colligitur Hothnielem judicaſſe Iſraelem annos 40, & inchoandos eſſe annos illos 40 à devicto Cuſchane, in fine octo annorum præcedentis ſervitutis ſub Cuſchane. Cùm itaque anni illi octo ſervitutis deſierint in anno mundi 2563 exeunte, ab Exodo verò 55, & indidem cœperint anni 40 Judicaturæ Hothnielis, ſequitur annos illos 40 deſinere in anno mundi 2603, ab Exodo verò 95.

[f] Jud. 3. 14. Moabitæ Eglone duce dicuntur oppreſſiſſe Iſraelitas, eoſque ſerviiſſe Egloni annos 18, qui ſi addantur annis mundi 2603, quo anno contigit mors Hothnielis, incidet finis hujus oppreſſionis, & initium Judicaturæ Ahod in annum mundi 2621, ab Exodo verò anno 113.

[g] Jud. 3. 30. Poſt victoriam Ahod de Moabitis reportatam, dicitur terra quieviſſe per annos octoginta, qui inchoari debent ab initio Judicaturæ Ahod, hoc eſt ab anno mundi 2621, ac proinde terminari in anno mundi 2701 exeunte, ab Exodo verò 193.

[h] Porrò quia Schamgaro Scriptura nullos attribuit annos Judicaturæ ipſius, videtur omnino ejus Judicatura comprehendi in annis illis octoginta præcedentibus, quibus terra dicitur quieviſſe. Niſi quis malit Judicaturam ipſius includi in annis ſervitutis, qua Jabin dicitur oppreſſiſſe Iſraelitas, uti id colligi poſse videtur non abſurdè ex Judic. 5. 6.

[i] Jud. 4. 3. Jabin dicitur oppreſsiſſe Iſraelitas annos viginti, qui inchoandi ſunt à morte Ahod, ſive à fine annorum octoginta præcedentium, & terminandi in victoriâ de Siſera à Barac & Debora reportatâ, quæ propterea incidit in annum mundi 2721, ab Exodo 213.

[l] Jud. 5. 31. dicitur terra quieviſse annos quadraginta poſt devictum & interfectum Siſeram, ſubactóſque Chananæos. Itaque terminandi ſunt in an. mundi 2761, ab Exodo verò 253.

[m] A fine præcedentium 40 annorum inchoandi ſunt anni ſeptem ſervitutis Iſraelitarum, qua dicuntur Jud. 6. 1. ſerviiſse Madianitis: quæ ſervitus propterea terminanda eſt in anno mundi 2768, ab Exodo verò 260.

[n] Jud. 8. 28. dicitur terra quieviſse ſub Gedeone annos quadraginta, qui inchoati ab anno mundi 2768. deſinunt in anno mundi 2808 exeunte, ab Exodo verò 300, in morte Gedeonis.

o Jud. 9. 22. Abimelech Gedeonis ex concubina filius dicitur judicaſſe Iſraelem (ſeu potiùs tyrannidem occupaſſe) per annos tres, qui terminandi ſunt in anno mundi 2811.

p Jud. 10. 2. Poſt Abimelechum Tholah dicitur judicaſſe Iſraelem annos 23, qui terminantur in anno mundi 2834 exeunte.

q Jud. 10. 3. Poſt Tholah judicavit Iſraelem Jair per annos 22. qui propterea terminandi in anno mundi 2856 exeunte.

r Jud. 10. 8. Hammonitæ dicuntur oppreſſiſſe violenter Iſraelitas בַּשָּׁנָה הַהִיא *anno illo, octodecim annos.* Qui anni inchoandi ſunt à morte Jairis, hoc eſt ab anno mundi 2856 exeunte, & terminandi in anno mundi 2874 ſimiliter exeunte, ab Exodo verò 369. Porrò illud בשנה ההיא reddendum videtur non *in anno illo*, ſed juxta LXX Interp. ἐν τῷ καιρῷ ἐκείνῳ, *in illo tempore.* Niſi quis malit locum illum ita accipere & explicare, ut dicantur Ammonitæ graviùs oppreſſiſſe Iſraelitas *anno illo decimo octavo*, (nempe à morte Jairis) quàm fecerant annis præcedentibus: unde factum eſt ut propterea Iſraelitæ ad Deum clamaverint, qui ad eos miſit Jephtem.

ſ Jud. 12. 7. Jephte dicitur judicaſſe, hoc eſt rexiſſe Iſraelem annos ſex, qui inchoantur ab anno mundi 2874 exeunte, & terminantur in anno mundi 2880 ſimiliter exeunte. Porrò Jephte fuit cognatus Segubi patris Jairi, uti colligere eſt ex hoc capite Judicum, & ex 1 Chron, 2. 21, 22. unde extrui poteſt hoc ſtemma.



t Jud. 12. 9. Ibtſan dicitur judicaſſe Iſraelem annos ſeptem, qui inchoati ab anno mundi 2880 deſinunt in 2887, ab Exodo 379.

u Jud. 12. 11. Elon dicitur judicaſſe Iſraelem annos decem, qui terminandi in anno mundi 2897, utpote inchoandi à morte Ibtſan, quæ incidit in annum mundi 2887.

x Jud. 12. 14. Habdon dicitur judicaſſe Iſraelem annos octo, qui propterea terminandi ſunt in anno mundi 2905. quia inchoantur à morte Elon, cujus Judicaturæ finis incidit iu annum mundi 2897.

y Jud. 13. 1. Philiſtæi dicuntur oppreſſiſſe Iſraelitas annos quadraginta, quod eſt ita accipiendum, ut anni illi 40 numerari incipiant à morte (ſeu fine Judicaturæ) Habdon, quæ incidit in annum mundi 2905, & deſinant in anno mundi 2945, initio Judicaturæ Samſonis, ita ut anni quadraginta iſti fluxerint à fine Habdon ad initium Samſon. An autem per totos illos 40 annos ſervierint Iſraelitæ Philiſtæis, an verò per aliquot duntaxat annos interſtitii illius, incertum eſt.

z Jud. 16. 31. Samſon dicitur judicaſſe Iſraelem annos viginti, qui inchoantur ab anno mundi 2945, & deſinunt in anno mundi 2965.

a 1 Sam. 4. 18. Heli dicitur judicaſſe Iſraelem annos quadraginta. Non poſſunt autem anni aliunde commodiùs inchoari quàm à morte Samſonis, cui Heli proculdubio ſucceſſit. Non enim illum præceſſit, alioqui in hiſtoria Judicum reliquis Judicibus qui Samſonem præceſſerunt connumeratus fuiſſet. Illi autem ſucceſſit Samuel & Saul. Itaque neceſſariò collocandus eſt Heli poſt Samſonem, & ante Samuelem. Atque ita quadraginta iſti anni fluxerunt, & numerandi ſunt à morte Samſonis, quæ incidit in annum mundi 2965, proindéque terminandi in anno mundi 3005, ab Exodo verò 497 exeunte, unde cepit initium Judicatura Samuelis. Hoc verò ita ſe habere vel hinc liquet, quia Actor. 13. 20. Paulus Apoſtolus exertè dicit, *Deum poſt ſortitionem terræ Chanaan, dediſſe Iſraelitis Judices per annos 450, uſque ad Samuelem.* Incidit autem finis horum 40 annorum in annum ab Exodo 497 à quo ſi eximantur anni 40 commorationis Iſraelitarum in deſerto, tum anni ſeptem, quibus in Chanaan bella geſta ſunt à Joſue, & facta eſt κληρουχία (uti ſuprà demonſtratum eſt) reſtabunt præciſè anni 450 à κληρουχίᾳ ad mortem Heli. Non eſſe autem ſollicitandam lectionem loci illius Actorum Apoſtolicorum (uti nonnulli volunt), neque legendum iſthic eſſe 350, pro 450 infrà mox demonſtrabitur.

b In libris Samuelis nulli certi anni peculiariter & ſigillatim tribuuntur Samueli, ſicuti neque Sauli. Ambos autem ſimul rexiſſe Iſraelem annos 40, colligitur, ex Actorum 13. 21. Nam poſtquam Paulus verſu 20 dixit, Deum dediſſe Judices ad Samuelem uſque per annos 450, dicit mox verſu 21 dediſſe poſtea regem Saulem, ἔτη τεσσαράκοντα, per annos 40, (omiſſo Samuele, nulliſque aſſignatis illi peculiariter annis). Unde liquet tempus Judicaturæ Samuelis includi in iſtis 40 annis, certum enim eſt Saulem non regnaſſe ſolum totos annos 40. Samuel enim (1 Sam. 25. 1,) dicitur obiiſſe paulò ante Saulis mortem, *judicaſſe autem Iſraelem dicitur* (1 Sam. 7. 15.) *toto tempore vitæ ſuæ.* Judicaſſe autem Samuelem ſolum, poſt mortem Heli, annos viginti, non ineptè colligitur ex 1 Sam. 7. 2. ubi dicuntur anni viginti acti eſſe poſt Heli mortem, & captam Arcam, uſque ad hiſtoriam illic relatam, de victoriâ ſupra Philiſtæos reportatâ, quæ non videtur diu præceſſiſſe poſtulationem populi de Rege habendo, quæ refertur cap. 8. 5. ita ut videri non injuriâ poſſit Samuel ſolus totos viginti annos illos rexiſſe Iſraelem poſt Heli mortem, totidem verò Sauli attribuendos eſſe, quorum magnam partem cum Samuele egit. Sic ergo 40 iſti anni ſimul Samueli & Sauli ſunt attribuendi, & terminandi in anno mundi 3045 exeunte, quandoquidem inchoandi ſunt ab Heli morte, quæ incidit in annum mundi 3005. Quod & mox paulo infrà confirmabitur, ubi de anno quo fundatum fuit templum à Salomone dicturi ſumus.

c 2 Sam. 5. 4, 5. David, qui Sauli ſucceſſit, dicitur regnaſſe annos 40, nimirum annos ſeptem cum dimidio in Hebron, annos autem 33, hoc eſt 32 cum ſemiſſe in Jeruſalem. Itaque anni regni ipſius terminandi ſunt in anno mundi 3085 exeunte; ab Exodo verò 577.

d 1 Reg. 11. 42. Salomon, qui Davidi ſucceſſit, regnaſſe dicitur itidem 40 annos. Itaque obiit anno mundi 3125 exeunte; ab exodo verò 617.

e 1 Reg. 6. 1. Templum dicitur fundari cœptum à Salomone, anno regni ſui quarto, nimirum ineunte, ac proinde anno mundi 3089 ineunte, ab Exodo verò 581 itidem ineunte; ſiquidem David mortuus erat anno ab Exodo 577 exeunte, mundi verò 3085 etiam exeunte. Ædificatum eſt autem per annos ſeptem, anno autem ſeptimo, Salomonis autem decimo exeunte, abſoluto Templo, facta eſt ejus dedicatio anno mundi 3095 exeunte, ab Exodo verò 587 exeunte, à quibus ſi tollas annos 40 qui fluxerunt ab Exodo ad ingreſſum in Chanaan, unde ſuprà demonſtravimus arceſſendum eſſe caput, ſeu initium, Jubilæorum, invenientur fluxiſſe anni 547 à capite Jubilæorum uſque ad abſolutam Templi ædificationem, ejúſque dedicationem, qui 547 anni conficiunt 11 Jubilæos, & octo annos. Sic fuerit Templum dedicatum, & cultus in eo fieri cœptus anno octavo duodecimi Jubilæi, hoc eſt anno primo ſecundæ ſeptimanæ duodecimi Jubilæi, id quod maximè conveniebat miniſterio illi Legali Moſaico, in quo pleraque omnia ſeptenario numero conſtant, anníſque Sabbathicis & jubilæis numerabantur. Quòd ſi annos mundi 3095 dividas per ſeptem, invenietur Templum dedicatum anno primo quadringenteſimæ quadrageſimæ tertiæ Hebdomadis ab orbe condito. Porrò ex hoc noſtro Epilogiſmo, & tabula hac noſtra ſexta, Templum fundatum eſt anno ab Exodo 581 ineunte, id quod palam adverſatur verbis Scripturæ, quæ ait (1 Reg. 6. 1.) Templum fundatum eſſe anno 480 poſtquam Iſraelitæ egreſsi eſſent ex Ægypto, ita ut annis totis centum ſuperet calculus noſter Scripturæ (eo loco) calculum. Verùm vel mendum eſt in illo numero 480 annorum, qui eſt 1 Reg. 6. 1. vel mendum eſt in loco Actuum Apoſtolicorum 13, 20. ubi Deus dicitur dediſſe Iſraeli Judices per annos 450 uſque ad Samuelem. Neceſſe, inquam, eſt alterutrum horum numerorum eſſe falſum, non poſſunt enim ſimul conſiſtere. Nam ſi anni ſunt 450 à κληρουχίᾳ ad initium Samuelis, anni erunt ab Exodo ad fundatum Templum 580, quot nimirum nos hîc damus. Nam ad illos 450 annos, addendi ſunt 47, qui fluxerunt ab Exodo ad ſortionem terræ, deinde anni 40 Samuelis & Saulis, tum totidem Davidis, & anni præterea tres priores regni Salomonis (fundatum enim fuit Templum anno ejus quarto ineunte) qui omnes anni conficiunt ſimul 130 annos, qui additi præcedentibus illis 450, faciunt 580. Itaque ex Pauli mente & calculo (Act 13. 20) Templum fundatum eſſe oportuit anno ab Exodo 580 exeunte, non verò 480. Quàm autem aptè quadret hic numerus 580, toti hiſtoriæ Judicum, atque annis qui iſthic diſtinctè tribuuntur, tum ſingulis Judicibus qui rexerunt Iſraelem, tum ſervituti qua oppreſſi dicuntur Iſraelitæ ab hoſtibus ſuis, manifeſtum eſt hac noſtra tabula ſexta, noſtríſque ad eam notis & demonſtrationibus ſuprà poſitis. Quòd ſi conſtituantur anni tantùm 480 ab Exodo ad fundatum Templum, neceſſe erit annos ſervitutis, ſeu oppreſſionis Iſraelitarum includere in annis Judicum, quod eſt valde abſonum, & adverſatur planè hiſtoriæ Judicum, quæ diſtinguit annos oppreſſionis ab annis Judicis, & quietis ac diſtinctè & ſeparatim hos & illos enumerat. Sed ad pleniorem & planiorem hujus noſtræ ſententiæ demonſtrationem, libet hîc excerpta epiſtolarum ἀμοιβαίων ante annos pluſquam 44 de hoc argumento ſcriptarum apponere. Cùm enim natus annos 25, operam darem S. Theologiæ in Anglia in Academia Cantabrigienſi inde ad fratrem τὸν μακαρίτην, Jacobum Cappellum, venerandæ mihi perpetuò memoriæ, ſcripſi, ac literis de hoc calculo ſententiam meam illi aperui, iiſdem quibus nunc ſubnixus rationibus. Ille ad me ſic reſpondit.

JAC. CAPPELLUS, LUDOVICO FRATRI S.
CANTABRIGIAM.

MAGNA *me voluptate perfudit literarum tuarum prolixitas. Incipiam à quæſtione tua. Quiſquis Lucæ verba temeravit* Act 13. 20. *is eo quo tu argumento uſus facinus hoc in ſe admiſit, ídque ante hos annos circiter* 1300, *oblitus loci* 1 Reg 6. 1. *alioqui eâdem audaciâ hunc quoque locum violaſſet. Sed beavit nos ſuperſtitioſa in codices ſacros reverentia, quæ* διαγραφαῖς *hujuſmodi locum non dedit. Anni* 40 *Philiſteæ tyrannidis non poſſunt ſeorſim numerari, nam etiam Samſone judicante dominabantur Philiſtini: videntur illi* 40 *anni potiùs in Samſonis obitu deſinere, qui Chriſti typus liberali manu Dei populum ſuâ morte aſſeruit. Nec Ammonitæ dicuntur octodecim annos imperaſſe, ſed afflixiſſe Iſraelitas anno* 18, *Jubilæi ſcilicet. Sic Jud* 3. 12, *&* 4. 3. *ſi literam* ב *Beth ſubintelligas, nulla ſupererit difficultas, dicentur enim Moabitæ anno* 18, *Chananæi anno* 20, *Jubilæi Iſraelitas oppreſſiſſe, ut aliquot dierum ſervitus non obſtet, quominus terra dicatur quieviſſe ſub Ahodo octoginta ſub Debora* 40 *annos. Sic Ezech.* 29. 17. *Sic in Syracida procemio ſubintelligitur Jubilæi vox Sic Jerem.* 28. 1. *& Danielis initio, ſupplenda eſt vox Hebdomadis. Jubilæos autem rectè Scaliger inchoat* ἀπὸ κληρουχίας *Melius, inquam, quàm ego qui olim à tranſitu Jardenis eos inchoabam Sic igitur brevi compendio rem expediam. Anno* κληρουχίας *primo Chuſan vexat Iſraelitas annos octo Anno* κληρ. *nono Hothniel* 40. *Anno* κληρ. 49, *Ahod* 80. *Anno* K. 67, *Moabitæ menſes aliquot anno Jubilæi decimo octavo. Anno* K. 129 *Debora* 40. *Anno* K 167, *viceſimo Jubilæi anno Chananæi. Anno* K 169, *Madianitæ* 7. *Anno* K. 176, *Gedeon uſque ad annum quadrageſimum, annos, inquam, ſolidos* 39, *inchoatos* 40. *Anno* K. 215, *Abimelec* 3. *An.* K. 218, *Thola* 23. *An* K. 241, *Jair* 22. *An.* K. 263, (*Jubilæi* 18,) *Jephte* 6. *An.* K. 269, *Ibtſan* 7. *An* K. 276. *Elon novem ſolidos, inchoatos decem. An* K. 283, *Habdon* 8. *An.* K 293, *Samſon* 19 *ſolidos, inchoatos* 20. *An.* K. 312 *Heli itidem* 39 *abſolutos, imperfectos* 40. *An.* K 351, *Samuel & Saul* 40. *Samuel igitur præeſſe cœpit annis ſolidis* 350, ἀπὸ κληρουχίας. *non* 450. *Quod etiam probat Davidis ſtemma, qui decennio poſt natus eſt, quum atavus ejus Naaſſon in deſerto obierit ante tranſitum Jardenis. Linea eſt Naaſſon, Salmon, Booz, Obed, Iſai, David. Hæc & reliqua tu ipſe expendes, &c. Sedani. Calend Febr.* 1610.

Ad has fratris literas ſic à me tum reſponſum eſt.

LUD. CAPPELLUS, JACBO FRATRI S. Sedanum.

ACCEPI (*Fr. colend.*) 4 *Martii literas tuas ſcriptas Calend Februarii, quibus nodum quem propoſueram ſolvere modis omnibus tentaſti. Sed multa me retinent ne pedibus adhuc eam in tuam ſententiam Primum ea quæ de Judæorum in ſacros codices cura & reverentia habes, non inficior, diligentia tamen illa non effecit quominus irrepſerit in numeris* ἀδιάλλακτον *quibuſdam in locis diſſidium, quod aliquot exemplis facile eſt demonſtrare,* 2 *Chron.* 16. 1. 2 *Chron.* 22. 2. 2 *Chron.* 35. 9. 1 *Reg.* 14. 21. *&* 2 *Chron.* 12. 13. (*vitium quod in illis locis irrepſit in numeris, aliiſque pluribus ſimilibus, qui videre voluerit, adeat* Criticam *noſtram ſacram, libro ultimo cap.* 7.) *Si ergo Judæorum diligentia efficere non potuit quin illis in locis (aliiſque longè pluribus) irrepſerit manifeſtus in numeris error, quidni potuerit idem contigiſſe in loco* 1 Reg. 6. 1. *ut iſtic legendum ſit* 580, *non verò* 480. *Et ſanè Joſephus lib.* 8. *Antiq. c.* 2. *exſertè dicit Salomonem Templum condidiſſe* μετ' ἔτη πεντακόσια καὶ ἐνενήκοντα καὶ δύο τῆς ἀπ' Αἰγύπτου τῶν Ἰσραηλιτῶν ἐξόδου, μετὰ δὲ χίλια καὶ εἴκοσι τῆς Ἀβράμου εἰς τὴν Χαναναίαν ἐκ τῆς μεσοποταμίας ἀφίξεως: *nempe ſi præcedentibus* 592 *annis addas* 430, *quot ſc. fluxerunt à prima Abrahami vocatione ex Ur* Chal*dæorum ad legem datam, juxta Pauli calculum Gal.* 3. 17; *exſurgent* 1022. *Ubi Joſephus ad calculum noſtrum addit* 12 *annos; numerat enim* 592 *nos tantùm* 580. *Idem lib.* 11, *cap.* 4. *ait Judices adminiſtraſſe Remp. Judæorum poſt Moſis & Joſuæ imperium, per annos pluſquàm quingentos. Ais, annos* 40 *Philiſtææ tyrannidis non debere ſeorſim numerari, ac deſinere in Samſonis morte.* Sed *ſi ita eſt, ſequetur Philiſtæos cœpiſſe exercere ſuam tyrannidem ſecundùm te anno quarto ineunte Judicaturæ Ibtſan, hoc eſt triennio poſt Jephtæ obitum. Itaque ſecundùm te Ibtſan, Elon, Habdon &* Samſon *Iſraelem judicarunt, at eum non liberarunt à manibus hoſtium ſuorum. At tum quid fiet illi loco Jud.* 11. 16 *ubi dicitur Deus ſuſcitaſſe Judices ut eſſent liberatores populi ſui? Vis Moabitas ſive Eglonem, & Ammonitas oppreſſiſſe Iſraelem anno Jubilæi* 18, *non verò annos octodecim &* Chananæos, *ſeu Jabin, anno* 20 *Jubilæi, non verò annos viginti. Quàm id commodè à te dicatur videamus de ſingulis. Moabitæ, inquis, anno* ἀπὸ κληρουχίας 67, *Jubilæi verò* 18. *Iſraelem afflixerunt menſes*

menſes aliquot. Sanè ſecundùm te qui Jubilæos inchoas à ſortitione terræ, annos 67 ἀπὸ κληρουχ. fuit 18 Jubilæi, at ex mea ſententia Jubilæorum caput arceſſendum eſt ab ingreſſu in Chanaan, quia jam tum paulo antè cœperant Iſraelitæ mitti in poſſeſſionem terræ illius, quum Rubenitis, Gaditis, & dimidiæ tribui Manaſſis data eſt à Moſe poſſidenda tota terra Galaad ultra Jordanem. Itaque annus ἀπὸ κληρ. 67 non fuerit Jubilæi decimus octavus, ſed 25. Deinde, Jud. 11. 19. dicuntur Iſraelitæ ſoliti eſſe ſeſe à cultu Dei avertere mox poſt Judicis ſui obitum, vel etiam interdum ipſo vivente & vidente Judice: An igitur veriſimile eſt eos viginti & octo annis demum poſt Hothnielis mortem averſos eſſe à Dei cultu, cùm mox poſt Ioſue mortem ab eo defecerint, unde factum ut traditi ſint in Cuſchanis manum? Ais Chananæos, ſive Iabin, cœpiſſe opprimere Iſraelitas anno κληρ. 167. Bellum itaque Barac & Deboræ contra Siſeram geſtum fuerit, ſecundùm te, & victoria de eo reportata ſub extremum Iudicaturæ Deboræ tempus, anno nempe ultimo vel penultimo, aſſignas enim initium Deboræ anno K. 129, finem anno 169, hoc eſt biennio poſt cœptam à Chananæis oppreſſionem. At Iudic. 5. 31. poſt decantatum Deboræ Canticum ob victoriam de Chananæis reportatam, terra dicitur quieviſſe annos 40. At ſecundùm te ne momentum quidem quieverit, nam anno K. 169 ineunte cœperunt, ſecundùm te, Madianitæ duriſſimè Iſraelitas opprimere per annos ſeptem. An veriſimile eſt ſtatim poſt tam inſignem de Siſera reportatam victoriam, Iſraelitas à Madianitis tam duriter fuiſſe oppreſſos, reclamante Scriptura Iud. 5. 31? Ais Iud. 10. 8, non dici Ammonitas oppreſſiſſe Iſraelem per annos 18, ſed anno (Iubilæi) decimo octavo. Sanè ſecundùm calculum tuum annus ἀπὸ κληρ. 263, quo vis Ieptham cœpiſſe judicare Iſraelem, fuit decimus octavus Iubilæi, ſi Iubilæi inchoentur ἀπὸ κληρ. Verùm inchoandos potiùs eſſe ab ingreſſu in Chanaan, firmiſſimis rationibus evinci poteſt. Ego, ſi quid eo loco ſupplendum eſſet, mallem dicere, anno poſt Jairi mortem decimo octavo, *ut ſit ſenſus, Ammonitas eo anno gravius quam antea ſoliti erant, oppreſſiſſe Iſraelitas, unde factum ut fortiùs ad Deum eo anno clamarent, atque ideo liberator eis ſit à Deo miſſus Iephte. Nec videtur valde veriſimile, ut tam brevi ſexennii ſpatio, quod ſecundum te interceſſit inter Iairi & Iephtæ mortem, Iſraelitæ à Dei cultu defecerint, Ammonitæ eos oppreſſerint, Iephte eos liberarit, judicarit, tandemque diem ſuum obierit, Denique ad tempus quod attinet quo Ammonitæ Iſraelitas oppreſſerunt, non videre ſatis conſideraſſe locum Iud, 11. 28. ubi dicuntur Iſraelitæ habitaſſe in Haroher per annos 300. Atqui ſecundùm calculum tuum non ſunt niſi anni 270. at ſecundùm calculum meum cœpit rex Ammonitarum opprimere Iſraelitas anno trecenteſimo octavo poſtquam à Moſe Galaaditicam regionem acceperant poſſidendam; itaque calculus tuus nimium recedit ab illo Iephtæ numero, meus propiùs multo illi accedit. Objicis ad ſententiæ tuæ confirmationem Davidis ſtemma, ejuſque majores, Verùm etſi calculum tuum ſequamur, quocunque te vertas; & quomodocunque annos τεκνογονίας majorum Davidis conſtituas, planum eſt in hominum illorum generatione miraculum fuiſſe, naturæ ordinem & vires longiſſimè ſuperans. Nam ab ingreſſu Iſraelitarum in terram Chanaan, ad natum Davidem anni ſunt (etiam ſecundùm te) 368. Mortem enim Saulis, (quæ fuit initium regni Davidis) ſtatuis in anno ἀπὸ κληρ. 391. ſive ab ingreſſu in Chanaan 398, à quo numero ſubducendi ſunt anni 30. quot natus erat David quum cœpit regnare, ſic reſtant 368 anni, dividendi inter quatuor Davidis majores, Salmon, Booz, Obed & Iſai. Unde ſi fingamus Salmonem vel anniculum fuiſſe, quum Iſraelitæ ingreſſi ſunt in terram Chanaan, (quod tamen non videtur veriſimile, nupſit enim Rahabæ atque ex ea ſuſcepit Boozum. Matth. 1. 5. Rahab autem quam Iſraelitæ ingreſſi ſunt in Chanaan, debuit eſſe nata annos minimum viginti, Salmon autem non duxiſſet in uxorem tot annos ſe ſeniorem) liquebit ſingulos eorum natos fuiſſe annos ut minimum 92, quum prolem ſuſcipere cœperunt, quod eſt ultra naturæ vires & communem ordinem, deinde Rahab tum fuiſſet nata annos 112, quum ex ea Salmon ſuſcepit Boozum. Utrobique ergo, & ſecundùm te, & ſecundùm me oportuit eſſe in generationibus illis miraculum. Jam quando ad miraculum hìc eſt recurrendum & confugiendum, non magis urget me meus quam te tuus calculus, tam enim facile à Deo indi hominibus illis vis prolifica potuit ſupra naturæ ordinem hoc quàm illo ætatis ſuæ anno. Videmus enim Abrahamum, poſtquam ſupra naturæ vires Iſaacum anno ætatis ſuæ centeſimo ſuſcepit, multis poſt annis, Sarâ defunctâ, Keturam duxiſſe in uxorem, atque ex ea numeroſam prolem ſuſcepiſſe.*

Hæc ſunt tum temporis à me ad fratrem de hac queſtione, & argumento, ſcripta, ex quibus videre eſt in quas ſe conjiciant anguſtias qui loci 1 Reg. 6. 1, lectionem ſequuntur, cùm ſi 580 (*juxta* Paulum Actor. 13.) non 480, juxta hodiernum textum Hebraicum eò loci legatur res eſt plana & expedita, & calculus annorum longe commodiſſimus. Nam inchoando Jubilæos ab ingreſſu in terram Chanaan (uti ſupra oſtendimus eſſe inchoandos) liquet ex hac noſtra Tabula & calculo, Hothnielem Iſraelitas liberaſſe à Cuſchanis ſervitute anno primi Jubilæi, ſeu ab ingreſſu terræ 15, hoc eſt anno primo Hebdomadis tertiæ, obiit autem anno ſexto ſecundi Jubilæi, atque hinc incipit Moabitarum oppreſſio. Ahod item vel Samgar obiit anno ſexto quarti Jubilæi. Debora & Barac obiit anno 213 ab ingreſſu in Chanaan, hoc eſt in medio trigeſimæ primæ Hebdomadis. Gedeon obiit initio tertiæ Hebdomadis ſexti Jubilæi, ſive anno primo Hebdomadis 38. Tholah obiit anno ſexto quadrageſimæ primæ Hebdomadis. Jair obiit in fine 44 Hebd. Atque inde incipit Ammonitarum oppreſſio. Jephte obiit in medio quadrageſimæ octavæ Hebdomadis. Elon obiit anno ſexto Hebd. 50. Habdon obiit in fine Hebd. 51. Sampſon cœpit judicare ſub finem Hebdomadis 57. Saul mortuus eſt, & David regnare incipit anno ultimo primæ Hebdomadis undecimi Jubilæi. Obiit idem David, & Salomon regnare incipit biennio ante finem undecimi Jubilæi. Templum fundari cœptum eſt anno primo duodecimi Jubilæi. Abſolutum ſeptennio pòſt, hoc eſt, dedicatio ejus facta eſt, cœpitque cultus Deo in eo exhiberi, initio Hebdomadis ſecundæ duodecimi Jubilæi. Ab orbe autem condito fluxerant Hebdomades 441: anno autem primo hebdomadis quadringenteſimæ quadrageſimæ ſecundæ cœptus eſt fieri cultus divinus in illo Templo duodecim pænè integris Jubilæis poſtquam cultus ille Legalis à Moſe in monte Sinai fuerat primò inſtitutus. Unde liquet quàm apte (juxta hunc noſtrum calculum) omnes pæne memorabiliores hiſtoriæ illius eventus, & res præclarè geſtæ incidant in ſingulares annorum Sabbaticorum & Jubilæorum epochas, ex quo non parùm illuſtratur & confirmatur hic noſter calculus. Iſtæ enim temporum & rerum geſtarum συγκυρίας, decere atque redolere omnino videntur Dei ſapientiam, quæ omnia (uti ſupra obſervatum eſt) in numero, pondere, & menſura facit atque temperat, idque maximè juxta illas à ſe in lege conſtitutas Jubilæorum, & Semitarum, hoc eſt, annorum Sabbaticorum epochas atque ſolemnitates. Apta, inquam, iſta eventuum, rerumque geſtarum, cum Jubilæorum & Hebdomadum epochis ſive annis convenientia, non in hac modò Judicum, ſed & in ea quæ præceſſit, ab Abrahamo ad Exodum, & ingreſſum Iſraelitarum in terram Chanaan, hiſtoria ſacra (uti eam videre eſt in Tabula quinta argumentum videtur eſſe veritatis noſtri calculi indubitatiſſimum; eadémque harmonia, aptaque connexio patebit etiam in ſequenti hiſtoria ad liberationem uſque à captivitate Babylonica, indéque ad Chriſti mortem, & cultus Moſaici (in everſione Templi & politiæ Judaicæ) abolitionem. Non eſt ergo quòd quis hìc moveatur loco 1 Reg. 6, 1. cùm non gravius ſit facinus, mendum iſthic librarii in Hebræo textu, quam in Græco N. Teſtamenti, Act. 13. 20. in Pauli oratione, agnoſcere; neceſſe autem ſit in alterutro vitium fateri, cum impoſſibile plane ſit utrumque numerum ſimul eſſe verum. Ex Critica autem noſtra patet, non rarò menda atque vitia in numeris, librariorum lapſu, in hodiernum veteris Teſtamenti Hebræum textum irrepſiſſe. Fruſtra itaque ſollicitant nonnulli lectionem loci Actor. 13. 20. legique volunt ὡς ἔτεσί τε τετρακοσίοις ϗ πεντήκοντα. Nam præterquàm quòd illud τε poſt ἔτεσι plane otioſum eſt, ne ſic quidem (ipſis fatentibus, ac vide hìc Jac. Cappelli Hiſtoriam ſacram pag. 96.) exhauriuntur omnes difficultates. Nam quod paulò pòſt, ut nodum hunc Gordium ſolvat frater meus Jacobus Cappellus, Ahodo per enallagen numeri tribuit tantùm annos octo, pro octoginta quos Scriptura illi tribuit, hoc verò non eſt nodum ſolvere, ſed ſecare: neque minus audax eſt facinus octo pro octoginta iſthic ſubſtituere, quàm auctore Paulo 580 pro 480 legere. Africanus ſecutus lectionem loci Act. 13. Tyrannorum numeros putat eſſe computandos, & proximè ad noſtram computandi rationem accedit: Judæi hodierni textus Hebræi lectioni addicti, eamque 1 Reg 6. 1. mordicus tenentes, Tyrannnorum annos non putant eſſe in hoc calculo computandos, ſeſeque in eas, quas modo refutavimus anguſtias, cum illis qui eos ſequuntur conjiciunt. Ex Vulgati interpretis Latini mente & tranſlatione Actor. 30. 20. anni illi 450 computandi ſunt à nato Iſaaco ad κληρουχίαν, tot enim ſunt fermè anni, nempe 447, nam à nato Iſaaco ad legem datam anni ſunt 400 (uti ex Tabula noſtra 5 planum eſt) inde autem ad κληρουχίαν anni ſunt 47. Sed Vulgatus interpres conjunxit ϗ μετὰ ταῦτα cum ἔδωκε κριτὰς, iſta verò ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις ϗ πεντήκοντα conjunxit cum κατεκληροδότησεν, quaſi Apoſtoli ſenſus & mens hæc eſſet: poſtquam Deus deleviſſet ſeptem gentes in terra Chanaan, diſtribuit Iſraelitis ſorte terram illam poſt annos ferme 450, nimirum à nato Iſaaco, cujus poſteris promiſſa erat terra illa. Poſtea vero dedit illis Judices uſque ad Samuelem.

Tabula VII. complectens Epilogiſmum contractiorem annorum regum Juda & Iſrael inter ſe comparatorum.

Script. loca.	REGES JUDA.	Anni quibus regnavit.	Cœpit regnare anno		Script. loca.	REGES ISRAEL.	Anni quibus regnavit.	Cœpit regnare anno.
			Jeroboami	vitæ ſuæ				
1 Reg.					1 Reg.			
XIV. 21	Roboam	17	1	41	XIV. 20	Jeroboam I.	22	Roboami 1
XV. 2	Abijam	3	18					
XV. 9	Aſa	41	20					
					XV. 25	Nadab	2	Aſæ 2
					XV. 35	Bahaſca	24	3
					XVI. 8	Ela	2	26
					XVI. 15	Zimri	7 d	27
					XVI. 21	Homri cum Tibni	3	27
					XVI. 23	Homri ſolus	12	31
XXII. 41	Joſaphat	25	Achabi 4	36	XVI. 29	Achab	22	38
2. Reg.					XXII. 52	Achazia	2	Joſaphati 17
VIII. 16	Joram	1	Jorami 5	32	2 Reg. 3. 1	Joram	12	18
VIII. 24	Achazia	1	12	22				
XI. 13	Athalia	6			X. 36	Jehu	28	Achaziæ 1
XII. 1	Joas	40	Jehu 7	7				
					XIII. 1	Jehoachaz	17	Joazi 23
XIV. 1	Amatzia	29	Joazi 2	25	XIII. 10	Joas	16	37
					XIV. 23	Jeroboam II.	41	Amatziæ 15
XV. 1	Hazaria, qui & Huzzija.	52	Jereboami 27	16		Interregnum	12	
					XV. 8	Zacharias	6 m	Hazariæ 38
					XV. 13	Schallum	1 m	39
					XV. 17	Menachem	10	39
					XV. 23	Pecakia	2	50
					XV. 27	Pekach	20	52
XV. 32	Jotham	16	Perachi 2	25				
XVI. 1.	Achaz	16	17	20				
XVIII. 1	Ezechias	29	Hoſeæ 3	25	XVII. 1	Hoſeas	9	Achazi 12

Continuatio

Continuatio præcedentis Tabulæ VII.

Scripturæ loca.	REGES JUDA.	Regnavit annos.	Cœpit regnare anno vitæ ſuæ.
2. Reg.			
XXI. 1.	Manaſſe	55	12
XXI. 19.	Amon	2	22
XXII. 1.	Joſias	31	8
XXIII. 3.	Joachaz	3 menſ.	23
XXIII. 36.	Jehojakim	11	25
XXIV. 6.	Jehojachin	3 menſ.	18
XXIV. 18.	Sedechias	11	21

NOTÆ AD PRÆCEDENTEM TABULAM VII.

HÆc Tabula ſic contracta eſt duntaxat quaſi præparatoria, ac veluti προπαρασκευαστικὴ ad ſequentem, quæ magis eſt expanſa atque explicata, facitque ad ejus confirmationem, & ad verum certúmque annorum Regum Juda, & Iſrael Epilogiſmum aſſequendum. Reges enim Juda non ſemper tot annos ſoli regnarunt, quot ſcriptura illis aſſignat, ſæpè enim filii una cum patribus regnarunt, à patribus in regni ſocietatem admiſſi. Hoc autem deprehenditur ex collatione Regum Juda & Iſrael inter ſe comparatorum atque ex eo quod Scriptura obſervat hunc vel illum regem Juda cœpiſſe regnare tali anno hujus vel illius regis Iſrael, & vice verſa, hunc vel illum regem Iſrael cœpiſſe regnare tali anno hujus vel illius Regis Juda. Exempli gratia. Scriptura (uti ex præcedente hac Tabula 7. liquet) obſervat Joazum regem Juda regnaſſe annos quadraginta, cœpiſſe autem regnare anno ſeptimo regni Jehu regis Iſrael; ait etiam eadem Scriptura Amatziam Joaſi filium cœpiſſe regnare anno Joaſi regis Iſrael ſecundo, qui Joas patri Joachaz ſucceſſit, quem Scriptura dicit regnaſſe annos ſeptemdecim, & patri Jehu ſucceſsiſſe, cui ſcriptura tribuit annos 28. Non poſſunt iſta ſimul conſiſtere, niſi Amatzia ponatur regnaſſe cum patre ſuo Joazo triennium, itidemque dicatur vel Ioachaz cum patre Iehu, vel Ioas rex Iſrael cum patre Ioachaz regnaſſe itidem triennium. Sic Aſa dicitur regnaſſe annos 41, & Joſaphat ejus fili' cœpiſſe regnare anno Achabi quarto, quod verum eſſe non poteſt, niſi ſtatuatur vel Joſaphatum biennio poſt patrem Aſam regnare cœpiſſe, vel Achabum cum patre Homri biennium regnaſſe. Item, ſi quærendus eſt certus annorum numerus, qui fluxerunt à Schiſmate decem tribuum, ad captam & everſam Samariam vel Hieroſolymam, non ſunt colligendi in unum anni omnes quos Scriptura tribuit ſingulis Judæ vel Iſraelis regibus. Sic enim ad captam & everſam Samariam anni eſſent 276 ſi in unum colligantur anni regum Iſrael; Si verò numerentur anni regum Juda ad annum uſque ſeptimum Ezechiæ, quo capta eſt Samaria, invenientur duntaxat anni 260. Uterque autem Epilogiſmus, ſive numerus, verus eſſe non poteſt, & neuter forte certus eſt, nam anni ſunt reverâ duntaxat 245, aut verò 255. Conſtruenda itaque fuit contracta hæc Tabula, ut quo cujus anno unuſquiſque regum tum Juda tum Iſrael regnare cœperit, ſtatim deprehendatur, locuſque Scripturæ unde id diſcitur ad manum ſit.

Tabula octava expanſa, complectens annos Regum Juda & Iſrael inter ſe collatos.

Anni ab Exodo.	REGES JUDA.	Anni regni.	Anni a morte Salomonis ſive a Schiſmate x. Trib.	Anni regni.	REGES ISRAEL.	Anni ab orbe condito.
618	a Rehoboam regnavit annos 17.	1		1	Jeroboam regnavit annos 22.	3126
619		2		6		3127
620		3		3		3128
		4		4		3129
		5	5	5		3130
		6		6		
		7		7		
625		8		8		
		9		9		
		10	10	10		3135
		11		11		
		12		12		
630		13		13		
		14		14		
		15	15	15		3140
		16		16		
		17		17		
635	b Abijam R. annos 3.	1		18		
		2		19		
		3	20	20		3145
	c Aſa R. annos 41.	1		21		
		2		22	1. d Nadab, R. annos 2.	
640		3		2	1. e Bahaſcha R. annos 24.	
		4		2		
		5	25	3		3150
		6		4		
		7		5		
645		8		6		
		9		7		
		10	30	8		3155
	Aſa.	11		9		
		12		10		
650		13		11		
		14		12		
		15	35	13		3160
		16		14		
		17		15		
655		18		16		
		19		17		
		20	40	18		3165
		21		19		
		22		20		
660		23		21		
		24		22		
		25	45	23	f Ela R. annos 2.	3170
		26		24 1		
		27		2	Zimri R. 7 dies.	
665		28		1	g Homri una cum Tibni R. annos 3.	
		29		2		
		30	50	3		3175
		31		4	Homri ſolus poſt mortem Tibni R. annos 12.	
		32		5		
670		33		6		
		34		7		
		35	55	8		3180
		36		9		
		37		10		
75		38		11 1	h Achab R. annos 22.	
		39		12 2		
		40	60	13 3		3185
		41		14 4		
		1		15 5		
680	i Jehoſaphat R. annos 25.	2		6		
		3		7		
		4	65	8		3190
		5		9		
		6		10		
685		7		11		
		8		12		
		9	70	13		3195
		10		14		
		11		15		
690		12		16		
		13		17		
		14	75	18		3200
		15		19		
		16		23		
695		17		21 1	k Achazia R. annos 2.	
		18		22 2		
		19	80	1	l Joram R. annos 12.	3205
		20		2		
		21		3		
700		22		4		
	m Joram R. annos 8.	23 1		5		
		24 2	85	6		3210
		25 3		7		
		4		8		
705		5		9		
		6		10		
		7	90	11		3215
	n Achazia R annos 1.	8 1		12		
	Athalia R. annos 6.	1		1	o Jehu R. annos 28.	
710		2		2		
		3		3		
		4	95	4		3220
		5		5		
		6		6		
715	p Joas ſolus [R. annos] 40.	1		7		
		2		8		
		3	100	9		3225
		4		10		
		5		11		
720		6		12		
		7		13		

Anni ab Exodo.	REGES JUDA.	Anni regni.	Anni a morte Salomonis.	Anni regni.	REGES ISRAEL.	Anni ab orbe condito.
		8	105	14		3230
		9		15		
		10		16		
725		11		17		
		12		18		
		13	110	19		3235
		14		20		
		15		21		
730		16		22		
		17		23		
		18	115	24		3240
		19		25		
		20		26		
735		21		27		
		22		28		
		23	120	1	p Jehoachaz R. annos 17.	3245
		24		2		
		25		3		
740		26		4		
		27		5		
		28	125	6		3250
		29		7		
		30		8		
745		31		9		
		32		10		
		33	130	11		3255
		34		12		
		35		13		
750		36		14		
		37		15 1	q Joas R. annos 16.	
	r Amatzia R. annos 29.	38 1	135	16 2		3260
		39 2		17 3		
		40 3		4		
755		4		5		
		5		6		
		6	140	7		3265
		7		8		
		8		9		
760		9		10		
		10		11		
		11	145	12		3270
		12		13		
		13		14		
765		14		15		
		15		16		
		16	150	1	ſ Jeroboam II. R. annos 41.	3275
		17		2		
		18		3		
770		19		4		
		20		5		
		21	155	6		3280
		22		7		
		23		8		
775		24		9		
		25		10		
		26	160	11		3285
		27		12		
		28		13		
780		29		14		
		Interregnum annorum duodecim.		15		
			165	16		3290
				17		
				18		
785				19		
				20		
			170	21		3295
				22		
				23		
790				24		
				25		
			175	26		3300
	t Hazaria qui & Huzzija R. annos 52.	1		27		
		2		28		
795		3		29		
		4		30		
		5	180	31		3305

Anni ab Exodo.	REGES JUDA.	Anni regni.	Anni a morte Salomonis.	Anni regni.	REGES ISRAEL.	Anni ab orbe condito.
		6		32		
		7		33		
800		8		34		
		9		35		
		10	185	36		3310
		11		37		
		12		38		
805		13		39		
		14		40		
		15	190	41		3315
		16		Interregnum longiſſimum annorum 22. a morte Jeroboami.		
		17				
810		18				
		19				
		20	195			3320
		21				
		22				
815		23				
		24				
		25	200			3325
		26				
		27				
820		28				
		29				
		30	205			3330
		31				
		32				
825		33				
		34				
		35	210			3335
		36				
		37				
830		38				
		39		1	x Zacharias R. ſex menſes. u Schallum R. menſem 1. Menachem R. annos 10.	
		40	215	2		3340
		41		3		
		42		4		
835		43		5		
		44		6		
		45	220	7		3345
		46		8		
		47		9		
840		48		10		
		49			x Interregnum anni unius.	
		50	225		Pechakia R. annos. 2.	3350
		51				
		52		1	y Pecach R. annos 20.	
845	z Jotham R. annos 15.	1		2		
		2		3		
		3	230	4		3355
		4		5		
		5		6		
850		6		7		
		7		8		
		8	235	9		3360
	a Achaz regnat cum patre annos paulo pluſquam ſeptem.	9 1		10		
		10 2		11		
855		11 3		12		
		12 4		13		
		13 5	240	14		3365
		14 6		15		
		15 7		16		
860		16 8		17		
	b Achaz defuncto patre ſolus regnat annos pæne octo.	9		18		
		10	245	19		3370
		11		20		
		12		1	c Hoſeas R. annos 40.	
865		13		2		
866	d Ezechias regnat cum patre biennium.	1 14		3		
867	e Ezechias ſolus R. annos 27.	15	250	4		3375
868		2	251	5		3376
869		3	252	6		3377
870		4	253	7		3378
871		5	254	8		3379
872		6	255	9	f Anno Hoſeæ 9. Ezechiæ 6. Samaria eſt everſa, & decem tribus abductæ ſunt in captiv.	3380

NOTÆ AD PRÆCEDENTEM TABULAM VIII.

Quibus illa confirmatur atque comprobatur.

a EX ſeptima Tabula liquet Salomonem obiiſſe anno ab Exodo 617. Mundi verò 3125 exeunte: itaque Roboam & Jeroboam cœperunt regnare anno ab Exodo 618, mundi verò 3126 ineunte. Utrumque autem ſimul cœpiſſe regnare liquet ex hiſtoria ſacra: Roboamum autem regnaſſe annos 17, Jeroboamum verò 22, patet ex 1 Reg. cap. 14. 20, 21. Porrò annos à ſchiſmate decem Tribuum medios conſtituimus inter annos regum Juda & Iſrael, ut quo quiſque anno ab illo ſchiſmate regnarit planum ſit: utque annorum illorum ſeries ſit veluti catena quædam, ad quam religari atque revinciri poſsit hiſtoria utriuſque regni.

b 1 Regum 15 Abijam dicitur regnare cœpiſſe anno decimo octavo Jeroboami, atque annos regnaſſe tres. Unde liquet Roboamum annos 17 totos regnaſſe, ſiquidem Roboam & Jeroboam cœperant ſimul regnare.

c 1 Reg. 15, 9. Aſa dicitur cœpiſſe regnare anno vigeſimo Jeroboami, ſcilicet exeunte, ita ut annus ejus primus reſpondeat vigeſimo primo Jeroboami; quod hinc liquet, quia primus annus Nadabi, qui patri Jeroboamo ſucceſsit, coincidit cum ſecundo Aſæ exeunte.

d 1 Reg. 15. 25. Nadab dicitur cœpiſſe regnare anno ſecundo Aſæ, & regnaſſe annos duos. Bahaſcha autem 1 Regum 15. 35. dicitur cœpiſſe regnare anno Aſæ tertio. Quæ ut quadrent, dicendum eſt Jeroboamum non regnaſſe totos 22 annos, ſed partem tantùm aliquam vigeſimi ſecundi (ita ut longè maxima pars anni primi Nadab coincidat cum majore parte anni ſecundi Aſæ;) Nadabum etiam non totos duos annos regnaſſe, ſed annum unum cum parte aliqua (ut inchoatus annus numeretur pro integro & abſoluto ſeu completo, quod eſt in hac Regum hiſtoria ſolenne); ſic nempe fiet ut primus Bahaſchæ annus coincidat cum longe maxima parte anni tertii Aſæ.

e Bahaſcha 1 Reg. 15. 35 dicitur cœpiſſe regnare anno Aſæ tertio, ſcilicet ineunte (uti modò proximè præcedente nota *d* eſt demonſtratum,) regnaſſe autem annos 24. ſcilicet non totos, ſed partem duntaxat vigeſimi quarti.

f 1 Reg. 16. 8, Ela dicitur cœpiſſe regnare anno vigeſimo ſexto Aſæ, atque regnaſſe annos duos. Zimri autem qui ſucceſsit Elæ, eo interfecto, regnavit tantùm dies ſeptem. Homri verò qui interfecit Zimri dicitur cœpiſſe regnare anno Aſæ 28. Unde dicendum Bahaſcham non regnaſſe totos 24 annos qui illi tribuuntur; ſed duntaxat 23, cum exigua parte vigeſimi quarti. Sic fiet ut primus Elæ annus coincidat cum 26 Aſæ, & ſecundus cum 27: atque ita primus Homri annus coincidat cum 28 Aſæ.

g 1 Reg. 16 21. Homri interfecto Zimri dicitur regnaſſe cum Tibni; populus nempe dicitur fuiſſe diviſus tum in duas partes, quarum altera ſequebatur Homri, altera verò ſequebatur Tibni. At non diciturquamdiu ſimul regnarint, ſed id colligitur ex verſu 23, ubi dicitur Homri cœpiſſe regnare anno trigeſimo primo Aſæ; quod neceſſario intelligendum eſt, quum cœpit regnare ſolus, nam Zimri interfectus eſt ab eo ſub finem anni 27, vel initio 28 Aſæ (uti liquet ex nota præcedente *f*) Regnavit itaque unà cum Tibni annos totos tres, qui reſpondent annis 28, 29, & 30 Aſæ. Quod autem ibidem Homri dicitur regnaſſe annos 12, bifariam poteſt accipi, nimirum vel de annis totius regni, quod cœpit à morte Zimri, vel de regno quod cœpit poſt mortem Tibni, anno trigeſimo primo Aſæ. Si hoc poſteriore modo accipiatur, ſequetur Achabum ejus filium unà cum patre regnaſſe annos quinque; ſi priore verò modo accipiatur, tum una cum patre regnaverit tantùm biennium.

h 1 Reg. 16. 29. Achab dicitur cœpiſſe regnare anno Aſæ 38, in quem incidit undecimus Homri, ab interfecto Zimri, annus. Quòd ſi 12. duntaxat annos Homri regnavit poſt cædem Zimri, biennium tantùm cum eo Achab regnaverit; ſi verò duodecim illos annos ſolus regnavit à 31 Aſæ anno, quo dicitur cœpiſſe regnare, tum Achab cum patre regnaverit annos quinque.

i 1 Reg. 22. 41. Joſaphat dicitur patri Aſæ ſucceſsiſſe, & regnare cœpiſſe anno Achabi quarto, ſcilicet exeunte, ita ut primus regni ipſius coincidat cum quinto Achabi, ultimo verò Homri, ſi Homri quindecim annos regnavit poſt interfectum Zimri.

k l Cùm 1 Reg. 15, 52. Achazia rex Iſrael dicatur cœpiſſe regnare anno Joſaphati 17, & regnaſſe annos duos, & 2 Reg. 3. 1. Joram ejus filius dicatur cœpiſſe regnare anno Joſaphati decimo octavo, planum inde fit, primò Achabum Achaziæ patrem non totos 22 annos regnaſſe, ſed duntaxat 21 & particulam vigeſimi ſecundi. Deinde Achaziam non totos duos annos regnaſſe, ſed unum duntaxat cum parte ſecundi. Tertiò eum aliquandiu cum patre regnaſſe, alioqui non poſſet annus primus Jorami (qui Achaziam interfecit, & regnum ſupra eum uſurpavit) incidere in annum 18 Joſaphati. Duo itaque anni Achaziæ concurrunt cum vigeſimo primo & vigeſimo ſecundo Achabi patris, & cum decimo ſeptimo & decimo octavo Joſaphati. Quod autem Joram dicitur cœpiſſe regnare anno 18 Joſaphati, hoc intelligendum eſt de anni illius fine atque extremo, ita ut annus primus Jorami totus pæne concurrerit cum 19 Joſaphati, alioqui primus Jorami regis Judæ annus non concurreret cum quinto, ſed cum ſexto Jorami regis Iſraelis anno.

m 2 Reg. 8, 16. Joram rex Juda dicitur cœpiſſe regnare anno quinto Jorami regis Iſrael, quod fieri non poteſt niſi primò triennium cum patre Joſaphato regnaverit, deinde niſi primus Jorami regis Iſrael annus coincidat pæne totus cum decimo nono Joſaphati anno, uti liquet ex præcedente nota, atque ex hac Tabula.

n 2 Reg. 8. 24. Achazia dicitur cœpiſſe regnare anno Jorami regis Iſrael duodecimo, & annum regnaſſe unum. Jehu autem 2 Reg. 20, 36. dicitur cœpiſſe regnare anno primo Achaziæ, is autem eſt qui Achaziam una cum Joramo rege Iſrael interfecit. Itaque neceſſe eſt octavum, ſeu ultimum Jorami regis Juda annum regni Achaziæ concurrere cum duodecimo Jorami regis Iſrael anno, & cum initio regni Jehu: quod ut fiat, dicendum Joramum regem Juda, non totos octo annos, neque Achaziam annum totum, ſed anni partem aliquam duntaxat, ut ſic primus Jehu annus concurrat cum primo Athaliæ anno, quæ ubi vidit filium Achaziam à Jehu interfectum, tyrannidem (extinctâ totâ ſobole regiâ) occupavit in Juda, eodem quo Jehu in Iſraele momento.

o De initio regni Jehu & Athaliæ dictum eſt modò præcedente nota *m*.

p 2 Reg. 12. 1. Joas dicitur cœpiſſe regnare anno Jehu ſeptimo poſt interfectam Athaliam; cum itaque Jehu & Athalia cœperint ſimul regnare, planum eſt eam regnaſſe totos ſex annos.

q 2 Reg. 13. 1 Jehoachaz dicitur patri Jehu ſucceſſiſſe in regnum anno Joaſi vigeſimo tertio, unde liquet Jehu totos 28 annos regnaſſe ſolum.

r 2 Reg. 13. 10. Joas rex Iſrael dicitur cœpiſſe regnare anno Joaſi regis Juda trigeſimo ſeptimo, quod fieri non poteſt niſi ponatur regnaſſe unà cum patre Jehoachaz circiter triennium.

ſ 2 Reg. 14. 1. Amatzia dicitur cœpiſſe regnare anno ſecundo Joaſi, unde ſequitur eum cum patre Joaſo regnaſſe itidem circiter triennium, anno nimirum regni patris ſui 38, qui concurrit cum Ioaſi regis Iſrael anno ſecundo.

t 2 Reg. 14, 23. Ieroboam II. dicitur cœpiſſe regnare anno 15 Amatziæ, regnaſſe annos 41.

u 2 Reg. 15. 1. Hazaria ſive Hazzija dicitur cœpiſſe regnare anno Ieroboami 27, regnaſſe autem annos 52: cùm ergo Ieroboam cœperit regnare ſub finem anni 15 Amatziæ, uti ex præcedente nota conſtat, ſequitur annum Amatziæ 29. ſeu ultimum coincidere cum 14 vel 15 anno Ieroboami, quod confirmatur ex 2 Chron. 25. 25. ubi dicitur Amatziam vixiſſe poſt mortem Ioaſi annos quindecim, hoc eſt 14 integros cum parte decimi quinti. Itaque ſi Hazaria cœpit regnare anno Ieroboami 27, neceſſe eſt inter finem regni Amatziæ & initium Hazariæ interceſſiſſe interregnum annorum 12. Nempe fortè Hazaria fuit valde infans quum pater ipſius obiit, unde factum ut dum adoleſceret regnum adminiſtratum fuerit à Prorege aliquo, vel à ſummo Pontifice cum Synedrio, annos nempe natus erat 16 cùm cœpit regnare, quare annos tantum 4 natus fuiſſe videtur quum Amatzia pater obiit. Et ſanè tale quid innui videtur 2 Chron. 26. 1, cum poſt conſpirationem factam contra Amatziam, ejuſque cædem, dicitur totus popul⁹ Iuda cœpiſſe Hazariam & conſtituiſſe eum regem in locum patris ſui, nempe ubi adolevit Hazaria, qui à patre relictus fuerat valde infans. Itaque vel interregnum hîc ſtatuendum eſt, vel pro anno Ieroboami 27, legendum eſt 17, aut verò 15. Cur autem non exiſtimem quidquam in lectione illa eſſe mutandum, dicetur poſtmodum quum demonſtrabitur quo anno à Schiſmate, ſive Salomonis morte, everſa fuit Ieroſolyma, Templum incenſum, & Iuda migravit in captivitatem.

x 2 Reg. 15, 8. Zacharias Ieroboami filius dicitur cœpiſſe regnare anno Hazariæ 38, unde neceſſe eſt ut quandoquidem annus Ieroboami ultimus concurrit cum anno Hazariæ 14, (ſiquidem Hazaria cœpit regnare anno Ieroboami 27) interregnum fuerit longiſſimum annorum 24, inter Ieroboami mortem & Zachariæ filii ipſius inaugurationem. Quod ſane mirum non injuria videri poſſit in regno illo Iſraelis, ſeu decem Tribuum, in quo ſolebant homines regni cupiditate moti reges ſuos interficere. Verùm conſiderandum hîc eſt, Deum 2 Reg. 10. 30, pollicitum fuiſſe Jehu regnum pacatum & tranquillum ad quartam uſque ipſius generationem; fieri itaque poteſt ut Zacharias fuerit Jeroboami patris filius poſthumus, atque interim dum adoleſcit regnum per Proregem fuiſſe adminiſtratum. Quòd autem inauguratio ejus dilata fuerit uſque ad annum ætatis 24, hinc fortè eſt: Primùm quòd ea eſt ætas quâ ſolent homines per naturam & leges civiles eſſe capaces rerum gerendarum, muneribus publicis defungendi, & propria bona & poſſeſſiones, atque familiam adminiſtrandi & procurandi: quantò magis ea requiritur ad regni & reip. ipſius adminiſtrationem? Deinde quòd fortè mente & ſenſu atque prudentiâ minùs valeret, ut ante illam ætatem regni curam ſuſciperet. Cur autem 2 Reg. 15. 8, nolimus ſollicitare lectionem, & mutare annum Hazariæ 38 in 18, vel 15. eadem eſt ratio cur interregnum admittimus inter Amatziam & Hazariam ejus filium.

u 2 Reg. 15. 13, & 17 dicitur Schallum interfeciſſe Zachariam poſtquam regnaſſet ſex menſes, ipſum autem Schallum mox à Menachem fuiſſe interfectum anno Hazariæ 39. Unde liquet regnum Zachariæ & Schallum concurrere cum anno Hazariæ 38.

x 2 Reg. 15. 23 Pechakia filius Menachem dicitur poſt mortuum patrem cœpiſſe regnare anno Hazariæ 50. Unde ſequitur interregnum fuiſſe anni unius vel duorum inter finem Menachem & initium Pechakia.

y 2 Reg. 15. 27. Pekach dicitur conſpiraſſe adverſus Pechakiam, eúmque interfeciſſe, & ejus loco regnare cœpiſſe anno 52, ſive ultimo Hazariæ; ac proinde annus primus Jothami, qui patri Hazariæ ſucceſſit, concurrit cum anno ſecundo Pekachi, uti legitur etiam 2 Reg. 15. 32.

z De regni Jothami initio vide præcedentem notam.

a b c Achazum unà cum patre Jothamo annos ſeptem vel octo regnaſſe ſic colligitur. 2 Reg. 16. 1. Achaz dicitur cœpiſſe regnare anno Pechaki 17. Capite autem ſequente verſu 1, Hoſeas, qui Pechakum interfecit, ejúſque loco regnavit, dicitur cœpiſſe regnare anno Achazi duodecimo. Si Achaz cum patre non regnavit, ſed poſt patris mortem duntaxat regnare cœpit, certè cùm Jothami annus ultimus concurrat cum Pechaki anno 17, (uti ex præcedente notâ planum eſt) Achaz ejus filius cœperit regnare anno duntaxat Pechaki 17, (uti dicitur 2 Reg. 16. 1) atque ita Hoſeas cœperit regnare anno Achazi non 12, ſed quarto vel quinto. Itaque ut hæc concilientur, dicendum eſt Achazum cum patre Jothamo regnaſſe ſeptem vel octo annos. ſic enim annus ejus primus concurret cum decimo Pechaki, & nono patris ſui Jothami; ſic etiam annus 1 Hoſeæ incidet in 12 Achazi annum, ex quo cum patre cœpit regnare, uti liquet ex Tabula. Poſtea verò defuncto patre Jothamo regnare cœpit ſolus anno Pechaki 17. Porrò quum 2 Reg. 15, 30. Hoſeas dicitur cœpiſſe regnare anno Jothami vigeſimo, hoc ſic eſt accipiendum, ut dicatur Hoſeas cœpiſſe regnare anno poſt Jothami inaugurationem vigeſimo, quod cum præcedentibus pulchrè convenit, & ad eorum confirmationem facit; nam ultimus ſeu 16 Jothami annus concurrit cum 17 Pechaki, ac proinde primus Hoſeæ annus (qui eſt quartus poſt 17 Pechaki, ſiquidem Pechak regnavit 20 annos) eſt vigeſimus poſt Jothami inaugurationem.

d 2 Reg. 18. 1 Ezechias dicitur cœpiſſe regnare anno Hoſeæ tertio, unde conſequens eſt eum cum patre regnaſſe triennium, aut paulo pluſquam biennium. Regnavit enim Achaz annos 16: anno autem ejus duodecimo regnare cœpit Hoſeas, cujus annus tertius (quo Ezechias dicitur cœpiſſe regnare) concurrit proinde cum Achazi anno decimo quarto.

e Ex præcedente nota liquet Ezechiam regnaſſe cum patre triennium: cùm itaque 2 Reg. 18. 1 dicatur regnaſſe annos 29, ſequitur eum ſolum poſt patris mortem regnaſſe annos viginti ſex.

f 2 Reg, 18. 9 dicitur Schalmanetſer rex Aſſyriæ aſcendiſſe contra Samariam, eámque obſediſſe anno quarto Ezechiæ, ſeptimo verò Hoſeæ, captam autem fuiſſe anno nono Hoſeæ, ſexto verò Ezechiæ poſt trium annorum obſidionem. Itaque incidit finis regni decem Tribuum in annum à Schiſmate 215, (ita duravit Schiſma illud quinque Jubilæos & decem annos, ſive ſeſqui-Hebdomadam cum quinque Jubilæis) in annum autem ab ingreſſu in Chanaan 832, vel 833, (hoc eſt in fine decimi-ſeptimi Jubilæi) in annum verò ab orbe condito 3380, vel 3381, hoc eſt, in fine 69 Jubilæi à rerum initio. Itaque ſtatim poſt everſam Samariam, & ceſſatum Schiſma, cœpit ſeptuageſimus ab orbe condito Jubilæus, & decimus-octavus ab ingreſſu in Chanaan. Quæ συγκωρίαι non ſunt proculdubio fortuitæ, ſed à ſapientiſſima Dei adminiſtratione, neque parum hunc noſtrum calculum confirmant. Sed & aliæ Jubilæorum & Sabbathicorum annorum συγκωρίαι notandæ veniunt in hac Regum Juda & Iſraelis hiſtoria, non ſecus atque in præcedenti Judicum & primorum Regum totius Iſraelis hiſtoria ſimiles obſervavimus συγκωρίας. Primum ergo Jeroboami (qui primus Schiſmatis, & regni decem Tribuum fuit auctor) & Nadabi ejus filii regnum deſinit in anno ſexcenteſimo ab ingreſſu Iſraelitarum in terram Chanaan, hoc eſt anno 12 Jubilæi 13. Abijam filius Roboami incipit regnare anno ab ingreſſu in terram Chanaan 595, hoc eſt anno ultimo Hebdomadis 85, ſive in fine primæ Hebdomadis Jubilæi 13. Joſaphat piiſſimus Rex cœpit regnare anno à capite Jubilæorum (ſive ab ingreſſu in terram Chanaan) 638, hoc eſt anno primo Hebdomadis 92, ſive anno primo Jubilæi 14, anno autem ab orbe condito 3186 exeunte, hoc eſt anno primo Hebdomadis 456, ſive anno primo Jubilæi 66. Joram rex Iſrael regnare cœpit anno mundi 3205. hoc eſt in fine Hebdomadis 458, initio numerandi ſumpto à rerum conditu, anno autem à Schiſmate 80, ſive bis quadrageſimo. Iehoachaz anno à Schiſmate 120 ſive ter quadrageſimo: Jeroboam ſecundus anno à Schiſmate 150, hoc eſt poſt tres Jubilæos, & tres annos. Interregnum in Iſraele primum poſt mortem Jeroboami ſecundi cœpit anno à Schiſmate 190, hoc eſt anno primo Hebdomadis 28 poſt cœptum Schiſma, duravítque interregnum illud tres Hebdomadas annorum, ac paulo plus. Alterum interregnum unius duntaxat anni, aut paulo plus poſt mortem Menachem incidit in annum ab ingreſſu in terram Chanaan 800, hoc eſt poſt 16 Jubilæos, totidemque annos.

Tabula

Tabula nona complectens ſeriem Regum Juda poſt everſam Samariam, uſque ad incenſum Templum Hieroſolymitanum ſub Sedecia.

Anni ab Exodo.	Anni a Schiſmate.	Reges Juda.	Anni regni.	Anno mundi.	Anni ab Exodo.	Anni a Schiſmate.	Reges Juda.	Anni regni.	Anni mundi.
		a Ezechias.	7	3381		310	Manaſſes.	32	3435
			8					33	
875			9					34	
			10		930			35	
	260		11	3385				36	
			12			315		37	3440
			13					38	
880		b Hoc anno miſſus eſt ad Ezechiam Rabſaces. 2 Reg.18. 13.	14					39	
			15		935			40	
	265	c Hoc anno ægrotavit Ezechias morbo graviſsimo. 2 Reg. cap.20.	16	3390				41	
			17			320		42	3445
			18					43	
885			19					44	
			20		940			45	
	270		21	3395				46	
			22			325		47	3450
			23					48	
890			24					49	
			25		945			50	
	275		26	3400				51	
			27			330		52	3455
			28					53	
895			29					54	
		d Manaſſes regnavit annos 55.	1		950			55	
	280		2	3405			e Amon regnavit annos 2.	1	
			3			335		2	3460
			4				f Joſias.	1	
900			5					2	
			6		955			3	
	285		7	3410				4	
			8			340		5	3465
			9					6	
905			10					7	
			11		960		Incipit Joſias hoc anno requirere Deum Iſraelis.	8	
	290		12	3415				9	
			13			345		10	3470
			14				Hoc anno cœpit repurgare Iſraelem ab idololatria.	11	
910			15				Hoc anno cœpit Jeremias prophetare. Jerem. 1. verſ.1.	12	
			16		965			13	
	295		17	3420				14	
			18			350		15	3475
			19					16	
915			20					17	
			21		970		Hoc anno Joſias reperto libro legis celebrat Paſcha.	18	
	300		22	3425				19	
			23			355		20	3480
			24					21	
920			25					22	
			26		975			23	
	305		27	3430				24	
			28			360		25	3485
			29					26	
925			30					27	
			31		980			28	

Anni ab Exodo.	Anni a Schiſmate.	Reges Juda.	Anni regni.	Anni mundi.	Anni ab Urbe condita.	Olympiad.	Reges Babylonis.	Anni regni.	Anni Iphiti.
			29			41			
	365		30	3490					165
			31		140				
		g Joachaz R. 3. menſes.	3m						
985		b Jehojakim R. annos. 11.	1			42			
			2						
	370	i Hoc anno Pharao Necho à Nabuchod. vincitur.	3	3495					170
			4		145		i Nebuchodonozor incipit regnare, & regnat annos 44.		
			5			43		1	
990			6					2	
			7					3	
	375		8	3500				4	175
			9		150	44		5	
			10					6	
995			11					7	
		k Jehojakim R. 3. menſes.	3m					8	
	380	l Sedecias R. annos 11..	1	3505		45		9	180
			2		155			10	
			3					11	
1000			4					12	
			5			46		13	
	385		6	3510				14	185
			7		160			15	
			8					16	
1005		m Hoc anno obſideri cœpit à Nabuchodonoſore Jeruſalem.	9			47		17	
			10					18	
1007	390	Hoc anno capta & everſa eſt Jeruſalem & Templum incenſum.	11	3515				19	190

NOTÆ AD PRÆCEDENTIS TABULÆ IX. CONFIRMATIONEM.

a Ex præcedente Tabula 8, liquet captam & everſam eſſe Samariam ab Aſſyriorum rege anno Ezechiæ ſexto exeunte, ſive ſeptimo ineunte: qui annus Ezechiæ ſeptimus concurrit cum anno à Schiſmate 256, ab Exodo verò 873 ineunte, ab ingreſſu in Chanaan 833, ab orbe autem condito 3381 itidem ineunte. In quo deſinit 69 ab orbe condito Jubilæus, incipit verò ſeptuageſimus, decimus verò octavus ab ingreſſu in terram Chanaan. Quæ eſt inſignis atque memorabilis Epocha, ſive συγκυρία ut nimirum defecerit regnum Iſraeliticum in fine 69 ab orbe condito Jubilæi, decimi verò ſeptimi ab ingreſſu in Chanaan: ſic nempe intervallum temporis quod fluxit à rerum initio ad initium poſſeſſionis illius terræ, quater ſuperat intervallum temporis quod fluxit ab initio poſſeſſæ terræ ad exilium decem Tribuum, & finem regni illius, nam quater ſeptemdecim faciunt 68. Sic etiam regnum Juda everſo Iſraelitico cœpit ſtare ſolum inchoante ſeptuageſimo à rerum initio Jubilæo, & decimo-octavo à poſſeſſa terra.

b 2 Regum 18. 13. dicitur Sennacherib anno Ezechiæ decimo-quarto aſcendiſſe adverſus omnes munitas civitates Juda, eáſque cepiſſe, atque inde cùm obſideret Lakis, miſiſſe Rabſakem ad Ezechiam, ut ei inſultaret, & ad blaſphemandum Deum Iſraelis. Annum autem illum fuiſse Sabbathicum conſtat ex Eſaia 37. 30. Jam verò ex præcedente nota, & ex hac noſtra Tabula conſtat annum Ezechiæ 14 fuiſse revera Sabbathicum, utpote ſeptimum Jubilæi decimi-octavi; nam ſeptimus Ezechiæ annus eſt ultimus decimi-ſeptimi Jubilæi. Fuit nimirum annus ultimus Hebdomadis 120 ab ingreſsu Iſraelitarum in terram Chanaan.

c 2 Regum 20. 1. Ezechias dicitur ægrotaſse lethaliter, at non dicitur quo anno: ægrotaſse autem anno regni ſui 15 liquet, quia verſu 6 Deus per Eſaiam pollicetur ſe additurum quindecim annos vitæ ipſius: regnavit autem annos 29. ergo quatuordecim anni erant elapſi ex quo cœperat regnare, currebat 15 annus, erátque annus ille primus Hebdomadis, ſive octavus decimi-octavi Jubilæi.

d Poſt Ezechiam Manaſses filius ejus, optimi patris filius peſſimus, omnium regum Juda & Iſrael impiiſſimus, regnat omnium diutiſſimè, annos nimirum quinquaginta-quinque totos, 2 Reg. 21. 1, cœpítque regnare annos natus duntaxat 12: unde planum eſt eum non regnaſse vivente patre, & ſuſceptum eſse à patre poſt morbum illum lethalem quo laboravit: cœpit autem regnare Manaſses anno à Schiſmate 279, ab Exodo 896, deſiit verò in anno ab Exodo 950.

e 2 Reg. 21. 19. Amnon dicitur natus annos 21, quum cœpit regnare, regnaſſe autem annos duos. Itaque annus ejus ſecundus eſt à Schiſmate 335. Ac proinde Joſias ejus filius cœpit regnare anno à Schiſmate 336.

f 2 Reg. 22. 1. Joſias poſt cædem patris rex à populo conſtitutus octennis, impii patris filius, impiiſſimi nepos, omnium poſt Davidem regum fuit piiſſimus; anno regni ſui octavo, ætatis verò decimo-ſexto, cœpit requirere Deum Iſraelis, majorúmque ſuorum: anno verò regni ſui duodecimo, ætatis vigeſimo, cœpit idola, ſimulachra, lucos & excelſa, totámque præcedentium regum idolomaniam non ex Juda modò, verùm etiam ex toto Iſraele tollere, everſis aris, altaribus & excelſis locis, ſucciſis lucis, & confractis atque comminutis ſimulachris in tota terra Iſraelis, uſque ad extremos ejus fines, licèt maxima ejus pars regibus Aſsyriæ ſubjiceretur 2 Chron 24. verſ. 1 ad 7. Anno ſequenti cœpit Jeremias prophetare, Jerem. c. 1. verſ. 1. Anno autem regni 18, ætatis verò 26, cùm majorennis eſset, expleto nimirum anno ætatis 25, Dei cultum ac templum inſtaurari jubet, repertóque legis libro fœdus populi cum Deo de novo ſancit, ac ſolemne Paſcha celebrat, quale nullum fuerat in Iſraele celebratum à tempore, Iudicum toto Regum Iuda & Iſraelis tempore 2 Reg. 23. 23. Hic annus fuit ſeptimus Hebdomadis centeſimæ trigeſimæ tertiæ, ſive ultimus 19 Jubilæi ab ingreſsu in Chanaan, ſive à capite Jubilæorum: fuit enim annus ab ingreſſu in Chanaan 930 exiens, ſive 931 iniens, qui annorum numerus facit præciſè Jubilæos 19, Hebdomadas verò 133.

g Anno Joſiæ ultimo, hoc eſt 31 exeunte, vel 32 ineunte & currente Pharao Neco Ægypti rex bellum adverſus Aſſyriorum regem moturus juxta Euphratem Ægypto egreditur, contra quem Joſias pugnaturus progreditur, fruſtra monente & hortante Pharaone, ut à pugna & bello abſiſteret. Itaque temeritatis ſuæ pœnas dat, vincitur enim & cadit in pugna. Mortuo Joſia Jeroſolymitani, interim dum Pharao rebus ſuis adverſus Aſſyrium poſt iſtam pugnam proſpicit, eáſque componit, Joachazum Joſiæ minorem filium Regem Jeroſolymis conſtituunt annos viginti tres natum, qui paucos (tres nimirum) menſes in regno manſit. Mox enim Pharao rebus ſuis ad Euphratem, & in Cœleſyria compoſitis, veniens Jeroſolymam, Joachazum vinctum abducit ſecum in Ægyptum, impoſito Judæis tributo, & Joakimo Joſiæ regis majore filio in Joachazi locum ſubſtituto, qui tributum à Pharaone impoſitum ſolvit, factus Ægyptii regis tributarius, 2 Reg. 24. 29. Porrò licèt tres duntaxat menſes Joachaz regnaverit, annum tamen integrum ſtatuimus inter 31 Joſiæ, & primum Joachimi annum, partim quia fortè Joſias paulo plus quàm 31 annos regnavit, menſes puta aliquot ultra annum 31, partim quia cùm graviſſimus fuerit de Joſiæ morte populi luctus, tempus aliquod dandum fuit illi luctui, priuſquàm de conſtituendo alio rege deliberarent. Fortè in deliberatione tempus aliquod conſumptum fuit, quandoquidem contra jus & fas minor natu conſtitutus fuit rex, repugnantibus (uti veriſimile eſt) bonis. Sed & poſt Joakazi abdicationem à Pharaone factam, & Joakimi in ejus locum ſubſtitutionem, potuit eſſe aliquot menſium intervallum, interim dum

Pharao res Judææ componit, eam ſibi ſubjicit, & tributum imponit. Cur autem & Joachazo, & Jechoniæ integrum annum ſingulis attribuamus, licèt unicuique eorum Scriptura tres duntaxat menſes tribuat, cauſa eſt ut annus ultimus Sedeciæ incidat in annum à Schiſmate 390, quod cur faciamus cauſam & rationem mox indicabimus, quum eò venerimus.

[h] 2 Reg. 23. 36 Joakimus, ſive Jehojakim, Joſiæ filius major natu, annos 25 natus dicitur à Pharaone Necone rex in Joachazi locum conſtitutus, annóſque regnaſſe 11. Quod ſi verum eſt, neceſſe eſt eum natum eſſe anno ætatis patris ſui Joſiæ decimo-quinto, ac proinde conceptum anno patris decimo-quarto; & Joachaz pariter ſi natus fuit annos viginti tres, quum cœpit regnare, natus eſt anno ætatis patris decimo-ſexto. Atque ita cœpit Joſias liberis operam dare anno ætatis decimo-quarto, ita ut maturè admodum duos iſtos ſuſceperit filios, alterum anno ætatis 15, alterum anno 16, quod non videtur ſatis veriſimile, nec regis illius pietati ſatis convenire. Itaque ſuſpicarer pro 25 legendum eſſe 15, & pro 23 legendum 13, ut ſic nati ſint illi, alter quidem anno ætatis patris 14, alter 15, quod magis conveniens eſt & ætati & pietati illius regis.

[i] Jerem. 25. 1, & 3. Annus 4. Joakimi dicitur primus annus Nabuchodonozoris, & vigeſimus-tertius annus à decimo-tertio Joſiæ regis anno, quo primùm cœpit prophetare Jeremias. Utrumque iſtud ex hac noſtra Tabula liquet, in qua juxta illum Jeremiæ locum, primum Nabuchodonozoris annum collocavimus è regione quarti anni Joakimi, qui eſt vigeſimus tertius à decimo-tertio Joſiæ exeunte, unde liquet & Joſiam annos totos 31 regnaſſe, & annum unum interceſſiſſe inter finem Joſiæ & initium Joakimi, alioqui 22 anni duntaxat intercederent inter 13 Joſiæ, & 4 Joakimi. Hoc anno Pharao Neco Rex Ægypti obviam proceſſit in bellum contra Nabuchodonozorem, ac commiſſum eſt prælium in Carkemis prope Euphratem, quo in prælio victus, fuſus, & interfectus eſt Pharao, Jerem 46, 2. Euſebius (uti obſervat Jac. Cap. in Hiſtoria ſacra & exotica ad annum mundi 3391.) collatis inter ſe Græcorum & Ægyptiorum monumentis Pharaonis iſtius Neconis obitum collocat in anno quarto Olympiadis 42, ſive anno Iphiti 171, quo vinculo connectitur ſic hiſtoria ſacra cum exotica. Ab aliis autem jampridem obſervatum eſt qua Olympiade, & quo Olympiadis anno, ſive quo Iphiti anno condita ſit Roma. Ac proinde quis ab urbe condita annus concurrat cum hoc 4 Joakimi anno, nempe 146; Roma quippe condita eſt ex Tarrutii & Varronis ſententia anno ſecundo ſextæ Olympiadis, hoc eſt 22 Iphiti anno. Vide Jac. Cap. in Hiſt. ſacra ad annum mundi 3247. Itaque in Tabula hac noſtra error eſt duorum vel trium annorum in annis Iphiti & Urbis conditæ, ita ut annus Iphiti 168, & Urbis conditæ 149, collocandus ſit è regione anni quarti Joakimi, qui error à nobis deprehenſus eſt poſt exſtructam Tabulam, nec per otium corrigi à nobis potuit, exſtructâ novâ Tabulâ.

Poſt illam victoriam venit Nabuchodonozor Jeroſolymam, eíque factus eſt Joakimus tributarius circa finem anni quinti ſui regni, atque per tres annos Nabuchodonozori ſervivit (2 Reg. 24. 1.) nimirum ſexto, ſeptimo & octavo regni ſui anno; verùm mox mutato conſilio adverſus eum rebellavit initio anni regni ſui noni, ſicque triennium perſtitit rebellis, quo exacto in fine anni undecimi regni Joakimi Nabuchodonozor aſcendit adverſus eum, obſidet Jeroſolymam, eámque capit, & Joakimum cum nonnullis magnatum, & vaſorum ſacrorum parte aliqua, abducit Babylonem captivos. Ita capiunt atque interpretantur Ab. Ezra, & R Saadias locum Dan. 1. 1, 2, ubi dicitur *Naduchodonoſor rex Babel anno tertio* למלכות *Jehojakimi regis Juda aſcendiſſe & obſediſſe Jeroſolymam, Deúmque in manus ejus tradidiſſe Jehojakimum regem Juda, & partem vaſorum domus* Dei, *quæ Nabuchodonozor tulit Babylonem, & intulit in templum* Dei *ſui*. Ubi rectè obſervant commentatores illi, annum illum tertium non poſſe intelligi de anno qui tertius ſit ex quo Jehojakim cœpit primum regnare: primò, quia (uti jam mox ex Jerem. 25. 1. obſervatum eſt) annus primus Nabuchodonozoris concurrit cum 4 Joakimi, deinde verò alibi fit mentio anni quinti Joachimi, qui ergo potuiſſet abduci captivus Babylonem anno regni ſui tertio. Itaque annum tertium exponit R. Saadias, de anno qui tertius erat ex quo rebellaverat Jehojakim adverſus Babylonium. Nam (inquit commentator ille) *anno quarto Joakimi, qui fuit primus Nabuchodonozoris, ſubegit Nabuchodonozor Ninivem, anno quinto Joakimum miſit ſub jugum. qui illi ſervivit annos tres, nimirum ſextum, ſeptimum & octavum. tum rebellavit Joakimus tres alios continuos annos nempe nonum, decimum & undecimum, in fine triennii illius anno Joakimi* 12 *aſcendit Nabuchodonozor adverſus eum, & captâ Jeroſolymâ Joakimum abduxit captivum.* Ideo ergo (ex Rabbini illius ſententia) annus ille *tertius* dicitur, quia tertius erat à rebellione Joakimi. Alia etiam ratio reddi poteſt cur dicatur *tertius*, nimirum quia tertius erat Hebdomadis annus. Modò enim ſupra oſtendimus annum Joſiæ 18, quo Paſcha celebravit, fuiſſe ultimum Jubilæi 49 annum, proindéque Sabbathicum, ab illo autem anno ad iſtum Joakimi 12 ineuntem, ſive 11 exeuntem, anni ſunt, ex hac noſtra Tabula, 31, hoc eſt, quatuor Hebdomades cum tribus annis: erat ergo revera tertius Hebdomadis annus. Non autem infrequens eſt ſacris ſcriptoribus veteris Teſtamenti, ut Epochas ſuas notent per annos Sabbathicos, aut Jubilæos.

Porro quia Jeremiæ 22, 19 dicitur de Joakimo, quòd *ſepeliendus ſit ſepultura aſini, & cadaver ejus projiciendum ſit extra mœnia Jeruſalem*, ut hoc cum iſto Danielis loco (in quo dicitur abductus Babylonem tertio ſui regni anno) & cum Jerem. 25. 1 (ubi dicitur primus Nabuchodonozoris annus concurrere cum quarto Joakimi anno) concilietur, Aben Ezra ad iſtum Danielis cap. 1. 1 locum, ait Nabuchodonozorem primo ſui regni anno, ſub finem verò tertii Ioakimi regni anni, ſeu initio quarti, veniſſe Ieroſolymam, eam obſediſſe, Ioakimum cepiſſe & captivum cum aliquot è magnatibus, ac parte vaſorum ſacrorum, Babylonem abduxiſſe, iſthícque eum detinuiſſe in vinculis annum unum, nempe totum quintum Ioakimi annum, tum eo ſoluto remiſiſſe Ieroſolymam, anno Ioakimi ſexto ineunte, iſthicque Nabuchodonozori Ioakimum ſerviiſſe totum triennium, nempe anno 6, 7, & 8, tum per triennium rebellaſſe, anno nempe 9, 10, & 11, quo exacto Nabuchodonozor, miſſo exercitu Chaldæorum, Ioakimum cepit, interfecit, & interfecti cadaver extra mœnia inſepultum projici curavit; móxque Iechoniam, ſeu Iehojakin, ejus filium in ejus locum ſubſtitutum, poſt tres menſes imperii, captivum abduxit Babylonem. Atque ad id confirmandum adducit Ab. Ezra locum 2 Chron. 36. 6 ubi dicitur Nabuchodonozor duplici catenâ ærea vinxiſſe Ioakimum לְהוֹלִיכוֹ *ut abduceret eum Babylonem*. tum & Dan. 1. 2. *Tradidit Deus in manum ejus* (Nabuchodonozoris) *Ioakimum regem Iuda, & aliquot vaſa domus* Dei וַיְבִיאֵם *& adduxit ea in terram Scinhar in domum* Dei *ſui*. Verùm cùm Scriptura nullibi commemoret Ioakimum fuiſſe in Babylonia captivum annum unum, poſteáque à Nabuchodonozore Ieroſolymam remiſſum eſſe, neque fiat veriſimile Nabuchodonozorem voluiſſe eum vinculis ſolvere, & Ieroſolymam Babylone remittere, cúmque adeo Ierem. 35. 9. notetur, Ioakimum anno regni ſui quinto deliciatum fuiſſe in regio palatio; ſimplicius eſt dicere, Nabuchodonozorem poſt victum & fugatum Pharaonem anno regni ſui quarto, cùm reliquam anni illius, & primam quinti partem inſumpſiſſet in ſubjicienda Phœnicia, Palæſtina, Ammonitide, Moabitide, Idumæa, & fortè etiam Cœleſyria, ſub finem anni quinti Ioakimi veniſſe Ieroſolymam, & Ioakimum feciſſe tributarium, qui illi ſervierit totos tres annos, 6, 7, & 8: poſtea rebellaſſe per tres annos, nempe 9, 10 & 11, quibus exactis venit Nabuchodonozor Ieroſolymam, eam obſedit, Ioakimum cepit, in vincula conjecit abducendum Babylonem, ſed mox fortè morbo, vel alio caſu oppreſſum, indignum judicaſſe ſepulturâ, ac cadaver ejus inſepultum projeciſſe extra mœnia Jeruſalem, juxta Jeremiæ Prophetiam. De hac ſecunda Nabuchodonoſoris expeditione, non de priore intelligendus venit locus Dan. 1. 1. ubi non dicitur Joakimus abductus eſſe Babylonem, ſed tantùm traditus in manum Nabuchodonoſoris, de vaſis duntaxat ſacris dicitur quòd Nabuchodonozor *ea intulerit in terram Scinhar, in domum* Dei *ſui*. Annus autem ille à Daniele dicitur tertius למלכות *regni Ioakimi*, quia (uti ſuprà dictum eſt) tertius erat ex quo rebellarat, & regnare tanquam liber cœperat, non ampliùs eſt tributarius: nam antea Regi Ægypti primùm ſervierat, à quo conſtitutus fuerat rex, deinde Nabuchodonozori; ſed anno demum 9, 10 & 11, liber & immunis ab omni tributo & ſervitute regnare cœperat. ſic omnia illa Scripturæ alioqui ἐναντιοφανῆ, loca facilè & commodè conciliantur.

Cæterùm hinc occaſionem cepiſſe videntur nonnulli (Jac. Capp. in Hiſt. ſacra) aliud comminiſcendi, nimirum Nabuchodonozorem, vivente ac jubente patre Nabopolaſſare, veniſſe in Judæam anno Joakimi ſecundo, Joakimum illi ſtatim manus dediſſe, & obſequium pollicitum eſſe, atque utcunque præſtitiſſe per annos duos, ſed tertio rebellaſſe, unde factum ut Nabuchodonozor poſt fuſum Pharaonem Neconem, anno regni Joakimi quinto, venerit Jeroſolymam, eam obſederit, Joakimum Babylonem abduxerit (cum aliquot è magnatibus & vaſis ſacris) captivum, Sallumum Ioakimi fratrem regno adminiſtrando præfecerit, interim dum Iechonias Ioakimi filius (qui vix tum erat anniculus, quum pater eſt captivus Babylonem abductus) adoleſceret. Ioakimum autem miſerum, exulem, extorrem vixiſſe Babylone annos ſex, uſque ad finem anni undecimi, ex quo fuerat à Pharaone Rex conſtitutus. Auditâ ejus morte Ieroſolymitanos Iechoniam ejus filium octennem, Regem renunciaſſe, quod quia injuſſu Babylonii factum fuerat, improbavit ille factum, miſſóque exercitu Iechoniam, cum magnatum magna parte & ſacris vaſis, abduxit Babylonem. Atque captivitatis Babylonicæ initium arceſſunt ab illo quinto Ioakimi anno, quo volunt eum fuiſſe Babylonem deportatum. Sed multa gratìs & incommode dicuntur ab illius ſententiæ auctoribus. Nam primò nullibi in Scriptura dicitur Nabuchodonozor aſcendiſſe contra Ioakimum anno ipſius ſecundo; nam locus 2 Reg. 24. 1. quem ad ſuæ ſententiæ confirmationem adducunt, non memorat annum Ioakimi ſecundum, ſed in genere tantùm dicit בְּיָמָיו *in diebus illius aſcendit Nabuchodonozor*, quod tam de quinto (ſecundùm Ab. Ezr. Saadiæ, & noſtram ſententiam) quàm de ſecundo Ioakimi anno intelligi poteſt, atque adeo debet. Secundò, nullibi Scriptura meminit captivitatis illius ſexennalis Ioakimi. Deinde, ſi eò abductus fuiſſet captivus, ibíque mortuus exul & extorris, Scriptura non tribueret illi regnum annorum 11, ſed quinque duntaxat; ſiquidem (ex eorum ſententia) captivus fuit abductus ſub finem anni quinti regni ſui, ſequentes ſex annos Scriptura tribuiſſet, non Ioakimo, ſed vel Sallumo, quem proregem volunt ſubſtitutum, vel Iechoniæ Ioakimi filio. Ac frigidum eſt dicere, miſero, exuli, extorri, captivo Ioakimo regium nomen conſervatum eſſe, Sallumo, vel Iechoniæ revera regnanti Ieroſolymis denegari. At cùm Babylonio animus non eſſet Ioakimum Babylone Ieroſolymam remittere, quid opus erat Sallumum proregem conſtituere? Quidni Sallumum regem conſtituiſſet, quemadmodum mox, abducto Iechonia, Sedeciam regem conſtituit? Ac quamvis Iechonias diu Babylone vixerit, & poſt Nabuchodonozoris mortem vinculis ſolutus ab Evilmerodaco inter amicos & regni proceres receptus ſit, Scriptura tamen non tribuit ei plures regni annos (vel menſes potiùs) quàm quot reapſe Ieroſolymis imperavit. Cur ergo Ioakimi regno tribueret annos illos ſex, quos (ex eorum ſententia) Babylone miſer, exul, extorris & captivus vixit? Cauſa certè nulla eſt idonea cur fieri id debuerit. 3. Quod de Sallumo prorege dicunt, gratìs ab eis dicitur, nec favet eis perperam ab ipſis intellectus locus Ierem. 22, 11, quem adferunt, *ſic ait Dominus* אֶל שַׁלּוּם *Sallummo*, nam (ut rectè obſervat Ab. Ezra ad locum Dan. 1, 1) Sallum iſthic eſt Joachaz qui binomius fuit, quíque à Pharaone Necone fuit in Ægyptum captivus abductus, de quo Jeremias ſic loquitur eò loci, verſ. 10. *Nolite flere mortuum*, (Joſiam nempe de quo magnus fuit populi luctus) *ſed flete eum qui abit* Joachazum nempe), *non enim revertetur ampliùs, neque videbit terram ſuam natalem*; mortuus eſt nimirum in Ægypto, quò eum abduxit Pharao. Sic enim ait Dominus אֶל שַׁלּוּם *de Sallumo* (אַל pro עַל uti paſſim alibi) *filio Joſiæ regis Judæ* הַמֹּלֵךְ *qui regnavit loco Joſiæ patris ſui, is qui* יָצָא *egreſſus eſt de loco iſto, non revertetur iſthuc ampliùs* (nempe Joachaz). *Nam in loco quò deportarunt eum iſthic morietur, & terram iſtam non videbit ampliùs*. Atque hæc non Sallummo, ſed de Sallumo (hoc eſt Joachazo) dicit Propheta; tum ad Joakimum fratrem ejus converſus, verſ. 13. *Væ* (inquit) *tibi* (Joakimo) *qui domum ædificas abſque juſtitia*, &c. id quod liquet ex verſu 18. *Propterea dicit Dominus* אֶל יְהוֹיָקִים *Joakimo* (*vel de Joakimo*) *filio Joſiæ regis Juda, non plangent eum*, &c. *Sed ſepelietur ſepultura aſini*, &c. Denique de Jechonia Joakimi filio, dicit verſ. 22. *Vivo ego, inquit Dominus, quia etiamſi eſſet Conja* (hoc eſt Jehojachin) *filius Jehojakim regis Juda, annulus in dextra mea, iſthinc eum detraherem*, &c. Nihil ergo hìc cogit ut Sallumum proregem fingamus, qui poſt Joakimum regnum adminiſtrarit, cùm Sallum iſte ſit Joachaz, uti fuſè oſtendit Ab. Ezra Comment. ad Danielem 1. 1. Sic ergo oſtenſum eſt Joakimum totos undecim annos regnaſſe, tum verò à Nabuchodonozore captum, & regno vitáque privatum eſſe.

[k] Capto & mortuo Joakimo poſt regnum undecim annorum, filium octennem Jechoniam ei ſubſtituit, 2 Chron. 36. 6, 7, 8. Cujus facti videtur mox pœnituiſſe Nabuchodonozor, veritus (uti Kimhi ad 2 Reg. 24. obſervat) ne exemplo patris Ioakimi rebellaret, malis aulicorum conſiliis inductus, atque perſuaſus. Itaque anno poſt Ioakimum debellatum exacto, cùm paucos tantùm menſes (tres ſcilicet & dies 10 regnaſſet Iehojachin, (qui idem eſt Iechonias) præmiſit Nabuchodonozor ante ſe ſervos ſuos cum exercitu, ad obſidendam Ieroſolymam, móxque ipſe eò venit, cui ſe tradidit Iehojachin cum urbe ipſa, anno Nabuchodonozoris octavo (2 Reg. 24. 12) ſcilicet exeunte, cœperat nempe primus Nabuchodonozoris annus ſub finem anni 4 Ioakimi, ita ut primus Nabuchodonozoris annus concurrat maxima ex parte cum quinto Joakimi. 2 Reg. 24. 8. Iehojachin dicitur natus annos 18, cùm cœpit regnare: at 2 Chron. 36. 9. dicitur natus annos duntaxat 8. Multi ſe fatigant fruſtra in conciliandis locis illis. Nihil ſimplicius videtur quàm ut dicamus lectionem, quæ eſt 2 Chron. 36. 9. meliorem eſſe, depravatam verò & corruptam videri eam quæ eſt 2 Reg. 24. 8. (atque in Critica noſtra varia produximus exempla depravatæ lectionis in numeris in hodierno textu Hebraico). Suprà modò oſtendimus non videri Ioakimum natum fuiſſe annos 25, cùm à Pharaone conſtitutus fuit Rex in fratris Ioachazi locum, ſed annos duntaxat 15, (ſubductis decem ex 25.) quia alioqui ſequeretur genitum fuiſſe anno ætatis patris Ioſiæ 14. quod non videtur convenire pietati regis illius: atque ſic videri etiam Ioachazum natum eſſe annos tantùm 13, (non verò 23) quum cœpit regnare; propter eandem cum præcedente cauſam. Quod ſi verum eſt, ſequitur neceſſariò Iechoniam octennem tantùm fuiſſe quum cœpit regnare, alioqui genitus fuiſſet à patre Ioakimo, anno ætatis ſuæ ſeptimo vel octavo, quod per naturam fieri non poteſt. At ſi dicatur octennis Iehojachin, pater eum genuerit anno ætatis 18. Quòd ſi dicatur Ioakim natus annos 25, quum cœpit regnare, & Iechonias ejus filius natus annos 18, quum itidem cœpit regnare, ſuſceptum eum eſſe à patre neceſſe eſt, quum natus eſſet annos 18. Si enim 25 annis ætatis Ioakimi addas 11 annos quibus regnavit, mortuus fuerit Ioakim anno ætatis 36, vel 37, à quibus ſi detrahas 18 annos quos di-

citur natus Jehojachin cùm cœpit regnare, liquebit natum eum fuiſſe anno ætatis paternæ 18.

Porrò cùm deportatio quæ facta eſt ultimo Joakimi anno, (de qua Dan. 1. 1.) eadem pæne fuerit cum illa quæ facta eſt ſub Jechonia, inde arceſſendum omnino videtur initium ſeptuagenariæ captivitatis Babylonicæ: ſed ea de re pleniùs ad ſequentem Tabulam decimam dicetur.

k Nabuchodonozor diffiſus humili nimium Jechoniæ ætati, & malis matris ipſius atque aulicorum conſiliis, abducto cum matre Jechonia, & præcipuis aulicis, atque magnatibus, principibúſque viris, atque præpotentibus, unà cum eximiis artificibus, relictáque in urbe infima pæne tantùm plebecula (דַּלַּת הָעָם uti loquitur Scriptura, 2 Regum 24. 14, 15, 16) Sedeciam (Joſiæ filium, Jechoniæ patruum, Mattaniam priùs dictum) jurejurando fidelitatis priùs ab eo exacto, reliquis Judæis præfecit. Verùm Sedecias fide fracta mox perjurus ad Ægyptium defecit, fœdere cum eo inito. Qua de cauſa Nabuchodonozor anno regni Sedeciæ nono poſitis caſtris Jeroſolymam obſidet. Anno ſequenti (qui fuit ab ingreſſu in Chanaan, ſeu à capite Jubilæorum & Hebdomadum, *966*, ac propterea Sabbathicus, nempe ultimus Hebdomadis 138) Pharao opem Sedeciæ laturus, exercitum educit ex Egypto; quo cognito Nabuchodonozor ſolvit obſidionem, & obviam Pharaoni procedit: Pharao metuens cum Nabuchodonozore confligere, exercitum in Ægyptum reducit. Unde Nabuchodonozor redit ad Jeroſolymæ obſidionem, quam tandem anno Sedeciæ 11 exacto, ſeu 12 ineunte capit, incendit, templum cum urbis mœnibus, & domibus, atque ædibus & palatiis, evertit, ferro flammáque vaſtat omnia, populúmque abducit Babylonem captivum cum ipſo Sedecia, quem oculis orbatum & duplici catenâ æreâ vinctum eò deduxit, filiis in conſpectu ipſius necatis. Annus iſte quo capta eſt civitas, dicitur, Ezech. 33. 21. *annus duodecimus captivitatis noſtræ*, eſt nempe revera duodecimus à deportatione facta ſub Joakimo, unde liquet Ezechielem deportatum fuiſſe cum Daniele, & ſociis, anno ultimo Joakimi, non verò anno quinto (uti putavit Jac. Cappellus frater meus, ὁ μακαρ.) nam ab anno quinto Joakimi uſque ad captam ſub Sedecia Jeroſolymam, anni ſunt minimùm 18. Sic planum fit, incenſum eſſe templum, regnúmque Judaicum everſum annis poſt Schiſma cœptum à Salomonis morte 390, quod omnino innuiſſe & voluiſſe videtur Deus per Ezechielem cap. 4. verſu 5. ubi jubet Deus Ezechielem *dormire in latus ſuum ſiniſtrum dies* 390, *pro numero annorum iniquitatis Iſrael*, annos enim illos terminandos eſſe in Jeroſolymæ obſidione atque expugnatione, liquet ex capitis initio, ubi jubet urbis Jeroſolymæ obſidionem pingere in tabella. Factum autem id fuit à Propheta anno quinto regni Sedeciæ, ſive à captivitate Jechoniæ, uti liquet ex cap. 1. 3. quo anno videtur Sedecias defeciſſe à Babylonio ad Ægypti regem, per ann. tres vel quatuor, uſque ad annum nonum, quo Nabuchodonozor poſitis caſtris Jeroſolymam obſedit. Deus ergo anno illo Prophetæ apparet, prædicit Jeroſolymæ obſidionem paulo pòſt futuram, innuítque ænigmaticè quoto à Schiſmate anno capienda ea eſſet, nempe 390. Hoc enim vult eo loci Deus, domum Iſraelis totam cœpiſſe iniquè adverſus Deum agere ſtatim à Schiſmate, quo diviſit ſe Iſrael à domo Davidis, atque ab eo tempore, iniquitatem eorum tamdiu duraſſe quamdiu duravit regnum Juda, ad captam & everſam uſque à Chaldæis Jeroſolymam, per annos 390. in cujus rei ſignum jubetur Propheta dormire in latus ſuum ſiniſtrum dies 390, *dedi enim* (inquit) *tibi annos iniquitatis eorum pro numero dierum, nimirum dies* 390. Ad 40 autem dies quod attinet, quibus jubetur Propheta *dormire in latus ſuum dextrum, ad ferendam iniquitatem domus Juda*, videtur omnino duo ſignificare, nimirum primò quadraginta annos qui præceſſerunt hanc templi & urbis, regníque Judaici everſionem, quibus poſtremis 40 annis menſuram ſcelerum & iniquitatis ſuæ cumularunt: quorum 40 annorum initium ſumendum eſſe videtur, vel ab anno quo cœpit Jeremias prophetare, qui fuit decimus-tertius Joſiæ annus, à quo ad incenſum Templum anni ſunt 42; vel à 18 Joſiæ anno, in quo reperto Legis libro, fœdus Dei cum populo renovavit, atque cultum ejus & templum inſtauravit, à quo anno ad everſam urbem anni ſunt 38. Etſi enim Joſias tum maximè pietatem ſuam erga Deum prodiderit, & videri poſſet populus ille ab idololatriis & ſuperſtitionibus ſuis maximè repurgatus; tamen revera nunquam fuit populus ille clam, intus, in corde, atque adeo etiam (quum per ſuos reges licuit) publicè, omni generi idololatriæ, & abominandarum ſuperſtitionum magis pertinaciter addictus, uti ex Jeremiæ & Ezechielis prophetiis liquere poteſt; nunquam major quàm tum, morum fuit corruptio, nunquam omne ſcelerum, flagitiorum, vitiorum genus magis in gente illa viguit: unde factum ut Dei patientia diutiùs eorum peccata ferre non potuerit. Nemo etenim Prophetarum ſeverè magis, magíſque exertè populum illum redarguit, & Dei imminentia, atque capiti illius impendentia horrenda judicia prænuntiavit quàm Jeremias, qui ſingulariter à Deo fuit ab ipſo utero ſeparatus, & quaſi ſanctificatus, ad munus Propheticum, qua in re Chriſti etiam fuit typus ſingularis. Nemo inter reges Juda à Schiſmatis tempore, majore cum zelo atque animi ſinceritate & integritate cultui Dei repurgando atque inſtaurando incubuit, quàm Joſias, qui & ea in re Chriſti etiam typus fuit illuſtris. Attamen & illa Prophetæ Jeremiæ, & hujus piiſſimi Regis opera fruſtra fuit erga populum illum, qui propterea non deſtitit à ſuis abominationibus, propter quas tandem in exilium Babylonicum deportatus fuit. Non eſt autem cur quis moveri debeat, propter duos vel tres annos qui in numero iſto quadragenario, vel abundant vel deficiunt ex noſtro iſto calculo; notum enim eſt quàm ſæpe non modò ab aliis, verùm etiam à ſacris ipſis ſcriptoribus numerus integer, plenus & rotundatus (uti loquuntur) ponatur pro defecto & fracto. Sed etſi quis rem ad vivum reſecare velit, invenientur præciſè 40 anni à Joſiæ Paſchate ad plenam Judæorum deportationem, quæ non fuit tum quum templum & urbs incenſa à Chaldæis fuêre, ſed biennio pòſt, quum Nabuchodonozor Ægyptum ſubegit, Judæóſque iſthic fugitivos (quóſque illuc, poſt cædem Godoliæ ab Iſmaele factam, abduxerat Johanan filius Kareah, Jeremiæ 43) partim interfecit, partim in Babyloniam abduxit, juxta Jeremiæ prophetiam cap. 44. Hoc autem factum eſt anno Nabuchodonozoris 21, uti refert Joſephus Antiquitatum libro 10, cap. 10, hoc eſt, biennio poſt everſam Jeroſolymam, fuit enim illa incenſa à Nabuchodonozore anno regni ſui 19. Alterum quò reſpexiſſe, quódque innuere voluiſſe videtur Deus per hos 40 dies, ſunt anni 40 qui fluxerunt à Chriſti baptiſmo ad everſum templum, & incenſam Jeroſolymam à Tito Veſpaſiano; id quod contigit anno à Chriſto nato 70, unde ſi detrahas annos 30, quot natus fuit Chriſtus quum eſt baptizatus, reſtabunt 40 à Chriſti baptiſmo ad hoc poſtremum Judæorum exilium, miſerandámque captivitatem. Jam verò nunquam major fuit gentis illius perverſitas, atque in Deum contumacia, & obſtinatio, quàm per annos illos 40 poſtremos Reipublicæ ſuæ. Tum enim Deus ad eos Chriſtum, filium ſuum dilectiſſimum & unigenitum, Prophetarum caput & principem, Jeremiâ longè ſuperiorem, ac Regem ſummum, qui eos ad ſe, tum ipſe viva voce, dum in terris fuit, tum per Apoſtolos, vocavit, à lege ad Evangelium revocavit, vitam & ſalutem æternam propoſuit, fœdus novum, Evangelicum, cum ipſis pangere voluit, ſpiritualem Dei cultum, abolito legali & umbratili inſtaurare inter eos conatus eſt, Phariſæorum meritis & operibus (quibus populus ille mirum in modum delectabatur) tanquam totidem ſpurciſſimis inquinamentis, & Deo execrandis abominationibus valere juſſis. At illi, patribus ſimiles, renuerunt audire, occluſerunt aures, obfirmarunt cor, indurarunt ſervicem, Chiſtum vocantem reſpuerunt, Dei filium, immo Deum gloriæ cruci affixerunt, Apoſtolos ejus ubique terrarum ad mortem uſque perſecuti ſunt; unde factum *ut ira Dei in eos ad ſummum pervenerit*, 1 Theſſ. 2. 16. Quis in Judæis à Jeremiæ & Joſiæ tempore ad exilium uſque Babylonicum, expreſſam non videat imaginem ejuſdem gentis à Chriſti baptiſmo ad everſam à Romanis eorum rempublicam, & politeiam totam? Utrobique ſumma & horrenda fuit, atque manifeſta populi illius perverſitas, depravatio, contumacia, incredulitas, infidelitas, cordis obfirmatio; utrobique ſeveriſſimum Dei in gentem illam judicium, in templi, cultus & politiæ everſione, gentis diuturno exilio, & miſeranda captivitate; utrobique per Dei ſervos Prophetas admonitio, adhortatio, miræ, invitatio, vocatio; ídq; utrobique per annos quadraginta; atque utrobique omnia iſta fruſtra à Deo ad gentis illius in malo ſuo obſtinatiſſimæ emendationem adhibita. Quis itaque jam meritò ambigat per 40 iſtos dies Ezechieli à Deo in hac prophetia præſcriptos, Deum innuere voluiſſe 40 illos annos qui præceſſerunt utrumque gentis, urbis, religionis, & reipublicæ illius excidium? hæc enim 40 annorum iniquitas, propria eſt domus Juda, non communis decem tribuum. Iudæi enim qui Chriſti tempore in Iudæa fuerunt, cùm ex reducibus à captivitate Babylonica eſſent, propriè fuerunt ex tribu Iuda & Benjamin (pauci ac pœne nulli ex aliis tribubus) quæ eò abductæ fuerant à Nabuchodonozore captivæ, quæque ſolæ regnum Iuda, ab Iſraelis ſeu decem tribuum regno poſt Ieroboami ſchiſma, diſtinctum conſtituebant. Iſta prophetiæ illius explicatio longè planior, ſimplicior & convenientior videtur, quàm quæ ad hunc Ezéchielis locum afferuntur à Iudæorum commentatoribus Iarhi & Kimhi, adeóque etiam ab Hieronymo ipſo, quorum explicationes & longè ſunt petitæ, & malè rei ipſi quadrant, nec annorum numerus & calculus quem ineunt conſentit.

His ita conſtitutis, atque uti videtur pæne demonſtratis, nimirum templum & urbem à Chaldæis everſa eſſe, anno à Ieroboami Schiſmate 390, ab Exodo 1007, ab orbe condito 3515, hinc liquet, primò, regnum Iudaicum à Salomonis morte duraſſe octo Iubilæos, nam 392 anni faciunt præciſè Iubilæos octo: modò autem monuimus plenam Iudæorum deportationem atque captivitatem factam eſſe biennio poſt templum & urbem everſam, quum Nabuchodonozor Ægyptum ſubegit, quod factum anno regni ipſius 21. A prima autem Saulis in regem inauguratione anni ſunt 490, ſive decem præciſè Iubilæi; addantur enim ad 390, anni Salomonis 40, Davidis totidem, Saulis verò 20, (nam ſuprà ex Samuele 7. 2. oſtendimus videri planè veriſimile ex annis 40, quos Paulus Actor. 13. 11. tribuit Sauli, viginti eſſe Samueli ſoli tribuendos, totidémque Saulis regno) fiunt ſic 490 anni, ſive 70 annorum Hebdomades, quibus ſtetit in univerſum regnum Iudaicum, quot nimirum Daniel tribuit Reipublicæ Iudaicæ ab ejus conſtitutione poſt ſolutam captivitatem Babylonicam, uſque ad Chriſtum. Secundò, templum à dedicatione ſua à Salomone facta, ad ejus everſionem ſtetit annos 420, hoc eſt annorum Hebdomadas ſexaginta, ſive Iubilæos octo cum quatuor Hebdomadibus annorum; nam ad annos 390 addantur trigintá ultimi Salomonis anni (templum enim ab eo perfectum & dedicatum fuit anno regni ſui decimo) fiunt anni 420, quibus ſtetit prius illud templum; tabernaculum autem Moſaicum, quod exſtructum fuit mox poſt egreſſum Iſraelitarum ex Ægypto, ad exſtructum uſque & dedicatum templum Salomonicum ſtetit (ex ſententia noſtra ſuprà demonſtrata) annos 587, hoc eſt 24 Hebdomadas, ſive annos 167 diutiùs quàm ipſum templum Salomonicum; id quod carnis ſenſui, & humanæ prudentiæ, atque mundanæ ſapientiæ adverſatur, quæ exiſtimaret magnificentiſſimam illam, & longè ſolidiſſimam, atque glorioſiſſimam templi ſtructuram, debuiſſe longè eſſe diuturniorem, exigua & debili tabernaculi mobilis & verſatilis, ex ligno duntaxat, lana, byſſo, & pellibus conſtantis ſtructura. Verùm ſapientiam divinam id maximè decebat, quæ reſpicit ea quæ hominum oculis vilia, contempta, humilia, & abjecta videntur: ea verò quæ alta, ſuperba, & glorioſa nobis videntur, quibúſque gloriamur, ſuperbimus, & inſoleſcimus, (uti Judæi templo illo ſuo longè magnificentiſſimo) Deus maximè negligit & contemnit. Judaica gens tabernaculum Moſaicum, tanquam humilem nimis & abjectam, cælíque numen (quod ab ipſis colebatur) minùs decentem ſtructuram quodam modo contemnebant, voluerunt magnificentiorem multò & ſplendidiorem Dei ſedem (templum nimirum) habere in medio ſui, non ampliùs molibem & verſatilem ſicuti tabernaculum, ſed firmam, ſtabilem, immotam, æternùm (uti arbitrabantur) duraturam, quod ſatis exertè prodidiſſe videtur David, cùm ex ſenſu (uti videtur) carnis & humanâ prudentiâ, conſilium de ædificando templo primùm cepit, & Nathani Prophetæ aperuit: *Ecce*, inquit, *ego habito in domo cedrinis laquearibus ornata, Arca autem Domini habitat ſub pellibus*, &c. Indignum nempe putabat Dei numine & gloria, quòd Arca ejus ſedes, in tam humili & vili eſſet tabernaculo, pelliceo nimirum: cogitat magnificentiorem multò exſtruere illi ædem, itaque ſe Deo quodam modo ſapientiorem cenſet, qui tam ſe indignam & humilem ſedem delegerit, atque exſtruere ſibi per Moſem juſſerit, cùm longè magnificentior eum deceret. Quam Davidis occultam cogitationem Deus per Nathanem poſtera die caſtigavit, cùm illi objicit, *A die qua populus meus ex Ægypto egreſſus eſt. an ulli Judicum, quibus ego juſſi ut eum paſcerent, dixi: Cur non exſtruxiſtis mihi domum cedrinam? imò verò de loco in locum, & de tabernaculo in tabernaculum ego cum Iſraele inceſſi, atque progreſſus ſum. Tu* (inquit) *domum mihi non exſtrues* Tum eum monet de ſpirituali domo per Chriſtum exſtruenda, cujus typus duntaxat eſſet materialis illa, licèt magnificentiſſima, à Davidis filio Salomone poſt Davidis obitum, ædificanda. quaſi dicat: Tu putas tabernaculum Moſaicum juſſu meo exſtructum, ſedem eſſe Majeſtate mea indignam utpote humilem nimis & vilem, cogitas verò magnificentiorem, méque longè digniorem ædem mihi exſtruere: ego verò materialibus iſtis, licèt ſplendidiſſimis, ædificiis non capior, & ſi illis delectatus eſſem, jampridem Judicibus, qui populum meum rexerunt, dediſſem in mandatis ut talem quæ me deceret domum magnificentiſſimam exſtruerent: at ego id non feci, ſed contentus fui tabernaculo illo, juſſu meo exſtructo, quod tibi adeò vile & humile & Majeſtate mea indignum videtur, quia nimirum iſtis externis rebus non capior: ſed è poſteris tuis exurget olim aliquando aliquis, qui domum verè meo numine dignam mihi exſtruet, cujus typus & umbra tantùm erit magnifica illa (quam tu cogitas mihi ædificare) domus lapidea, quam propterea nolo à te, ſed à filio ex te orituro, exſtrui. Deus ergo pro ſapientia ſua tabernaculum, quod Judæi tanquam humile nimis & abjectum numinis habitaculum arbitrabantur, majoris fecit, ac providentiâ ſuâ durabilius effecit templo illo ſplendido, quod ipſi tantopere admirabantur, ac de quo tam magnificè ſentiebant, & gloriabantur, quaſi æternum eſſet futurum, nec paſſus eſt tabernaculum (uti de templo factum eſt) igne, ferro & flammâ hoſtili abſumi, ſed potiùs in melius & glorioſius quid commutari exſtructo templo, & in ejus locum ſubſtituto, voluit.

30. Ab Exodo, hoc eſt, à fine unius & omnium celeberrimæ ſervitutis, uſque ad captivitatem Babylonicam, hoc eſt, uſque ad initium captivitatis & ſervitutis alterius haud paulò minùs celebris, fluxerunt ſic anni mille, cum una annorum Hebdomade; quod ſanè convenit cum illa Dei ſapientia, ſecundùm quam omnia in numero, pondere & menſura facit, & adminiſtrat; ſic nempe per annos illos mille ligatus veluti fuit, & quaſi carcere concluſus Satan, Dei verò populus liber & ſoſpes fuit. Sic ſub novo Teſtamento Satan in Apocalypſi proponitur tanquā ligandus & carcere concludendus ꝑ annos mille, Eccleſia verò Dei tanquam ꝑ id tempus ſummo otio, atque tranquillitate fruitura, ita ut alterum alterius videatur

omnino fuiſſe typus & umbra. Nam in fine horum mille annorum congregaturus eſt Satan Gog & Magog in bellum adverſus Eccleſiam Dei, quæ in tantum adducetur periculum, ut non niſi igne cœlitus demiſſo (hoc eſt, ratione planè admirabili & inexpectatâ) liberanda ſit, cujus rei typus & imago etiam fuit Captivitas Babylonica, & populi Judaici ab ea liberatio; populus enim Dei in ea captivitate conſtitutus videbatur quaſi abſorptus, nulláque ratione inde emerſurus: rationem tamen Deus invenit, quâ glorioſè eum in priſtinum ſtatum reſtitueret.

Quartò. Ab ingreſſu Iſraelitarum in Chanaan uſque ad exilium iſtud Babylonicum anni ſunt 967, nam ab annis Exodi 1007, deducendi ſunt anni 40 commorationis in deſerto, ſic reſtant 967 anni à capite Jubilæorum, qui anni 967 conficiunt annorum Hebdomadas 138, ita migrarunt in captivitatem Iſraelitæ anno primo Hebdomadis 139. Ab orbe autem condito anni ſunt 3515, qui faciunt annorum Hebdomadas 501, ſive Jubilæos 71, cum 5 annorum Hebdomadibus. Ita planum fit, annum qui præceſſit migrationem illam, fuiſſe Hebdomadicum, fuit enim 966 à capite Jubilæorum. Hoc autem congruit cum hiſtoria quæ eſt Jerem. 34, 8, & 37, 7. Ex illis enim locis liquet annum quo Pharao in gratiam Iudæorum copias ſuas eduxit ex Ægypto, ut opem illis ferret, fuiſſe Sabbathicum. Non fuit autem ille primus obſidionis Ieroſolymitanæ annus, neque etiam ultimus, ſed ſecundus ſub illius finem. Sic ergo migrarunt Iudæi Babylonem anno 1 Hebdomad. 503 ab orbe condito, item anno 1 Hebdomadis 139 à capite Iubilæorum. Fuit autem annus ille regni Nabuchodonozoris 19 completus, ſive 20 inchoatus. Omnes iſtæ συγκυρίαι, quæ non temerè & caſu, ſed certo divinæ Providentiæ (quæ omnia ſapientiſſimè adminiſtrat) conſilio in hunc deportationis annum incidunt, atque ſimul concurrunt, non videntur parum calculi hujus noſtri veritatem confirmare.

[l] Ezech. 1. verſ. 1, 2, annus 5 migrationis Iechoniæ dicitur annus 30 abſolutè. Id quod bifariam accipi poteſt, vel quòd eſſet 30 annus à 18 Ioſiæ anno, quo Ioſias reperto Legis libro ſolemne Paſcha celebravit, templum inſtaurari, cultúmque Dei repurgari curavit, quæ propterea Epocha eſt fœderis innovati, inſignis; vel quia 5 iſte migrationis Iechoniæ annus fuit Iubilæi 30. Quorum utrumque ex hac noſtra Tabula manifeſtum eſt, tot enim ſunt (30 nempe) anni à 18 Ioſiæ anno ad quintum poſt Iechoniæ deportationem annum, & ſuprà notâ [f] oſtendimus 18 Ioſiæ ann. eſſe ultimum Iubilæi decimi noni annum, proindéque quintus à Iechonia deportato annus eſt 30 Iubilæi vigeſimi annus.

[m] Ezech. 24. 1. dicitur Nabuchod. cœpiſſe Ieroſolymorum obſidionem anno nono, ſcilicet captivitatis Prophetæ, abductus autem fuit captivus cum Iechonia: fuit itaque annus quo obſideri cœpit Ieruſalem, annus Sedeciæ (qui Iechoniæ ſucceſſit) nonus.

Tabula decima complectens annos ſeptuaginta Captivitatis Babylonicæ, atque unà alios ſeptuaginta annos everſionis templi Salomonici, uſque ad ejus inſtaurationem poſt ſolutam Captivitatem.

Anni regni.	Reges Juda.	Anni Capt.	Anni ab Exodo.	Anni ab Urbe condita.	Anni mundi.	Olympiad.	Anni Iphiti.	Reges Babylonis.	Anni regni.
	Jehojachin regnat 3 menſes.							Nabuchodonozor R. annos 44.	8
1	[a] Sedechias R. annos 11.	1			3505	45	180		9
2		2		155					10
3		3							11
4		4	1000						12
5	Hoc anno Ezechiel incepit prophetare, Ezech. 1. 1.	5				46		[b] Anno regni ſui 13, Nabuchod. vidit ſomnium de ſtatua, id quod adſtrui poſſe videtur ex Dan. 2. 1.	13
6		6			3510		185		14
7		7		160					15
8		8							16
9		9	1005			47			17
10		10							18
11	Hoc anno capta & everſa eſt Jeroſolyma, & Judæi Babylonem deportati. Finis Regni Judaici.	11			3515		190	Annus Sedekiæ 11 coincidit in annum Nabuchodonozoris 19. Jerem. 52. 12.	19
		12		165					20
		13				48			21
		14	1010					Biennio, aut triennio poſt incenſum Templum Nabuzardan Judæos, qui reliqui erant in Judæa, captivos Babylonem abduxit.	22
		15							23
		16			3520		195		24
		17		170		49			25
		18							26
		19	1015						27
		20							28
		21			3525	50	200		29
		22		175				Hoc anno à Nabuchod. ſubacta fuit Ægyptus. Vi. Jac. Capp. Hiſt. ſacram anno mundi 3421.	30
		23							31
		24	1020						32
	Hoc anno offertur Ezechieli viſio Templi Jeroſolymitani, Ezech. 40. 1.	25				51			33
		26			3530		205		34
		27		180				[c] Hoc vel ſequente anno offertur Nabuchod. ſomnium de arbore prægrandi. Dan. 4.	35
		28							36
		29	1025			52			37
		30							38
		31			3535		210		39
		32		185					40
		33				53			41
		34	1030						42
		35							43
		36			3540		215	[d] Evilmerodach Jechoniam ſolvit è vinculis. 2 Reg. 25. 27.	44
		37		190		54			1
		38							2

Anni regni.	Reges Babylonis.	Anni Capt.	Anni ab Exodo.	Anni ab Urbe condita.	Anni mundi.	Olympiad.	Anni Iphiti.	Reges Babylonis.	Anni regni.
	Hoc anno Daniel vidit viſionem quatuor Beſtiarum. Dan. 7.	39	1035					[e] Balſaſar cum Nириglaſſare patre, Nabuchodonozoris genero, R. an. 4.	1
		40							2
	Hoc anno Daniel vidit viſionem Hirci & Arietis. Dan. 8. 1.	41			3545	55	220		3
		42		195					4
1	[g] Cyrus in Perſide regnare incipit. Eo anno revelata eſt Danieli prophetia de 70 Hebdom. Dan. 9. 1.	43						[f] Darius Medus, qui & Nabonidus, vel Labynitus, interfecto Balſaſare Rex eligitur à Babyloniis. Dan. 5. 31.	1
2		44	1040						2
3		45				56			3
4		46			3550		225		4
5	Hoc anno revelata eſt Danieli prophetia de Selucidis Alex. M. ſucceſſoribus. Dan. 10. 1.	47		200					5
6		48							6
7		49	1045			57			7
8		50							8
9		51			3555		230		9
10		52		205					10
11		53				58			11
12		54	1050						12
13		55							13
14		56			3560		235		14
15		57		210		59			15
16		58							16
17		59	1055						17
18		60							18
19		61			3565	60	240		19
20		62		215					20
21		63							21
22		64	1060						22
23		65				61			23
24		66			3570		245		24
25		67		220					25
26		68						Reges Perſarum.	26
27		69	1065			62			27
	Finis Monarchiæ Babyloniorum, & initium Imperii Perſarum. [a] Anni Monarchiæ Perſarum.	70 1						[h] Cyrus Babylonem capit. Captivitatem Babylonicam ſolvit, anno Monarchiæ Perſicæ primo, ſed regni in Perſide cœpti 28.	28
		2			3575		250		29
		3		225					30
		4				63		[i] Cambyſes R. annos. 7.	1
		5	1070						2
		6							3
		7			3580		255		4
		8		230		64			5
		9							6
	[k] Anno Darii ſecundo inchoatur à reducibus Judæis Templi inſtauratio, annis 70 poſtquàm ſub Sedecia fuerat à Chaldæis incenſum.	10	1075						7
		11						Magus R. 7. menſes. Darius Hyſtaſpis filius.	1
		12			3585	65	60		2
	Anno Darii 6 abſoluta eſt Templi exſtructio, an. 14 poſtquàm cœperat inſtaurari ſub Cyro, annis verò 75 poſt ejus everſionem. Eſdr. 6. 15.	13		235					3
		14							4
		15	1080						5
		16	1081	238	3589	66	264		6

NOTÆ AD PRÆCEDENTIS TABULÆ X. CONFIRMATIONEM.

[a] OMnia in hac Tabula, ad ultimum uſque Sedekiæ annum ſimilia ſunt præcedenti Tabulæ nonæ, atque ex ea demonſtrantur. Initium ſeptuaginta annorum Captivitatis Babylonicæ ſtatuimus cum Scriptura, Jerem. 29. 10. cum magno Scaligero, & aliis, in deportatione quæ facta eſt in ultimo Joakimi anno. Videantur quæ jam ſuprà, Tabula præcedente, notâ literæ [h] & [i] diximus de initio Captivitatis Babylonicæ, ubi eorum ſententiam refutavimus, qui eam inchoant ab anno Ioakimi quinto, quia ſic foret annorum pluſquam 70. Sed nec inchoanda eſt ab ultimo Sedekiæ anno, tum quia inde ad primum Cyri annum (quo ſoluta eſt Captivitas) anni ſunt non ſeptuaginta, ſed duntaxat 59: tum quia Ezechiel ſæpius meminit Captivitatis ſuæ, ſeu gentis Iudaicæ, annóſque ſæpe putat ab ejus initio, cùm frequenter ait: *Anno hoc, vel illo, Captivitatis noſtræ hoc vel illud factum eſt*, aut, *Verbum Domini ad me factum eſt*. Vide capp. 24. 1, & 26. 1, & 29. 1. Unde ſatis liquet eum ſignificare atque innuere, Captivitatem Judæorum cœpiſſe tum quum ipſe cum ſociis abductus eſt captivus: abductus autem fuit unà cum Daniele ejuſque ſociis & reliquo populo, atque magnatibus, & majore vaſorum ſacrorum parte, anno ultimo Ioakimi, ſive initio regni Iechoniæ, uti Tabulâ præcedente fuſiùs oſtendimus ad literam [h]. Tres, vel quatuor fuerunt Judæorum per Nabuchodonozorem deportationes. Prima ultimo Joakimi anno, quum eo devicto, atque mortuo, vel interfecto, abductus eſt Ezechiel & Daniel cum ſociis. Secunda paulo pòſt facta eſt, quum Nabuchodonozor Jechoniam unà cum matre ejus & regni primoribus abduxit Babylonem. Tertia anno Sedekiæ ultimo, quum Templum incenſum eſt, & Jeruſalem funditus everſa. Quarta denique & ultima aliquanto pòſt, triennio ſcilicet, vel quadriennio poſt everſam Jeroſolymam, cùm ſubactâ Ægypto Nabuchodonozor Judæos quos Jochanan F. Kareah illuc abduxerat, deportavit Babylonem: qua de re ſuprà diximus Tabulâ præcedente. Harum deportationum prima & ſecunda fuerunt intra breve ſpatium paucorum menſium, nam à devicto Joakimo ad deportatum Jechoniam (qui tres tantùm menſes regnavit) menſes ſunt fortè ſex duntaxat, vix plures. Itaque parum, aut nihil intereſt utrùm Captivitas inchoetur à prima, an verò à ſecunda deportatione, quæ propter breviſſimum quod inter utram-

que interceſſit temporis ſpatium, pro una eademque computari poteſt. Convenientius tamen videtur Captivitatem inchoare à prima potiùs quàm à ſecunda deportatione, tum quia illa prima eſt omnium, tum quia ſic numerus 70 annorum melius & accuratius quadrat.

b Jac. Cappellus frater ὁ μακαρείτης, in Hiſtoria ſua ſacra & exotica, ad annum mundi 3404, poſt Scaligerum locum Ezechielis cap. 1. verſ. 1. *Fuit anno triceſimo, quarti menſis die quinto, is eſt annus quintus captivitatis Jechoniæ*, ſic accipit, ut annus ille triceſimus ſit annus Nabopolaſſaris patris Nabuchodonozoris trigeſimus, *cùm nihil aliud* (inquit) *occurrat quod cum ratione ſubintelligi poſſit, quicquid hactenus tentatum ſit*. Ego ſanè nolim adverſus viros hiſtoriæ & rei Chronologicæ peritos contendere, annum Nabopolaſſaris trigeſimum non incidere in quintum à Jechoniæ captivitate annum; illud in medium relinquo, hoc unum dico, Non videre neceſſe ut hîc intelligatur annus Nabopolaſſaris trigeſimus, cùm tam commodè, atque adeo Scripturæ conſuetudini convenientiùs ſubintelligi hîc poſſit vox *Jubilæi*, ut hic annus ſit Jubilæi, & à celebrato ſub Joſia ſolenni Paſchate triceſimus, uti ex Tabula 9, ad litteram *l*, liquet. Paſcha enim illud celebratum fuit anno ab Exodo 970, & ab ingreſſu in terram Chanaan, ſeu à capite Jubilæorum 930, qui annus fuit ultimus Iubilæi decimi noni, id quod nos iſthic demonſtravimus; ac proinde annus à Iechoniæ captivitate quintus incidit in finem triceſimi ab illo Paſchate anni. Rectius autem & convenientius multo videtur ut Propheta, & ſacer Scriptor æram iſtam ſuam deſignaverit per annos Iubilæi, & à tam inſigni Epocha, Paſchatis nimirum adeo ſolemnis, quàm per annos prophani & peregrini Regis, cujus in tota Scriptura nulla extat mentio, nullúmque adeo veſtigium. Porrò Dan. 2. 1. dicitur Danielem explicaſſe Regi Nabuchodonozori ſomnium de ſtatua, anno regni Nabuchodonozoris ſecundo, quod omnino accipiendum eſt de anno ſecundo, ex quo Nabuchodonozor ſolus, defuncto patre, regnare cœpit. Aliud nimirum regni Nabuchodonozoris initium ſtatuit Scriptura, nimirum annum Ioakimi quartum, Ier. 25. 1. Non potuit autem tum Daniel Nabuchodonozori explicare ſomnium illud anno Ioakimi ſexto vel ſeptimo, quia nondum tum captivus fuerat abductus Daniel cum ſociis ſuis, ſed demum anno Ioakimi ultimo. Deinde per triennium educatus fuit in aula priuſquam Nabuchodonozori ſiſteretur, uti id notatur Dan. 1, verſ. 5. Initium itaque regni Nabuchodonozoris, quod ſtatuitur in anno quarto Ioakimi, accipi debet de tempore quo cœpit cum patre Nabopolaſſare regnare. Cùm ergo certum ſit Danielem cum ſociis abductum eſſe Babylonem anno ultimo Ioakimi, hoc eſt, ſub finem anni ſeptimi regni Nabuchodonozoris, quo una cum patre regnabat, ſi illis ſeptem annis tres addas, quibus fuit in aula educatus priuſquam Nabuchodonozori ſiſteretur, liquet adductum fuiſſe ad Nabuchodonozorem anno quo una cum patre regnabat undecimo ineunte, aut ad medium decurrente, quo anno videtur pater ejus obiiſſe, & Nabuchodonozor ſolus regnaſſe; atque ita annus quintus à captivitate Iechoniæ inciderit in ſecundum regni Nabuchodonozoris annum ex quo ſolus regnare cœpit, poſt patris obitum, in decimum tertium verò ex quo vivente patre unà cum eo regnare cœperat. Ioſephus Antiq. lib 10. cap. 11. ait, ſomnium illud oblatum fuiſſe Nabuchodonozori anno ſecundo non regni ipſius, ſed poſt ſubactam ab eo Ægyptum, id quod non congruit cum hoc Danielis loco, ſed neque Ægyptum aggreſſus eſt, niſi poſt expugnatam & everſam Ieroſolymam, idque propter auxilia à rege Ægypti, Sedekiæ ſubmiſſa, uti ex Ieremia liquet. Sic annos undecim cum patre videtur Nabuchodonozor regnaſſe. Anni ergò 44, qui Nabuchodonozori tribuuntur, accipiendi ſunt de toto tempore quo in univerſum regnavit, tam cum patre, quam poſt patris obitum, non de illis annis, quibus ſolus regnavit, quique ſecundum hunc Danielis locum inchoandi ſunt circa finem anni à captivitate Iechoniæ tertii. Eum autem annos regnaſſe totos 44, hinc firmiſſimè comprobatur. Ierem. 52. 31. & 2 Reg. 25. 27. Evilmerodach Nabuchodonozoris filius, anno 37 à captivitate Iechoniæ, primo verò quo ipſe cœperat regnare, ſeu regni ſui initio, Iechoniam vinculis ſolviſſe dicitur. Unde liquet annum 37 à captivitate Iechoniæ incidere in mortem Nabuchodonozoris; cœperat autem regnare unà cum patre anno Ioakimi quarto, hoc eſt, ſeptem, ut minimum, annis ante Iechoniæ captivitatem, qui ſi addantur ad illos 37, quibus regnavit poſt abductum Jechoniam, conficientur 44 anni completi, quibus in univerſum regnavit Nabuchodonoſor.

c Veriſimile eſt ſomnium de arbore prægrandi oblatum eſſe Nabuchodonozori hoc vel ſequente anno, ut in regnum reſtitui potuerit biennio vel triennio ante vitæ ſuæ finem. Etenim annus integer fluxit poſt oblatum ſomnium antequam regno depelleretur, Dan. 4. 26: deinde per ſeptennium vixit inter feras verſ. 22, & 29. ac tum demum rediit ad bonam mentem, & reſtitutus eſt in regnum verſ. 33. Ita anni octo fluxerunt à ſomnio ad reſtitutionem in regnum.

d Nabuchodonozori ſuccedit ejus filius Evilmerodach, qui anno regni ſui primo ineunte Jechoniam vinculis ſolvit, atque in honore inter Principes ſuos habuit, 2 Reg. 25. 27. Hujus etiam meminit Beroſus apud Joſephum lib. 1. contra Appionem: *Nabuchodonozor* (inquit) *incidens in morbum, abiit è vita, ubi regnaſſet annos* 43. *Regni autem illius compos fuit filius ejus Evilmerodachus, qui ob laſcivam vitam inſidiis interemptus à Nerigliſſare ſororis ipſius marito, regnavit annos duos.*

e Idem Beroſus ibidem Evilmerodachi ſucceſſorem facit in regno Nerigliſſarem ejus ſororium & interfectorem, eique tribuit annos quatuor, cui deinde ſucceſſiſſe vult Laboroſoarchodum, cui poſt menſium novem imperium (cùm juvenis eſſet *κακοήθης, morum malorum*) per amicos extincto ſucceſſit ab illis electus in Regem Nabonidus. Unde liquet eum quem Scriptura Balſaſarem vocat, fuiſſe Nabuchodonozoris non filium, ſed nepotem ex filia, quæ Nerigliſſari (נרגל אצר forte is eſt qui Jerem. 39.3. dicitur נרגל שראצר) nupſerat, atque unà cum patre Nerigliſſare videri eum regnaſſe: unde eſt quod Scriptura illi tribuat patris quocum regnavit, annos quatuor, quibus propemodum exactis, mortuo jam ante patre Nerigliſſare interfectus videtur conjuratione Principum, in ejuſque locum electus à conjuratis Darius, qui de genere Medorum dicitur Dan. 5.31. à Beroſo autem dicitur fuiſſe è Babylone.

f De Nabonido iſto vide præcedentem notam. Anno regni ipſius decimo ſeptimo ibidem Joſephus ex Beroſo tradit Cyrum ex Perſide egreſſum, qui univerſâ Aſiâ ſubactâ, *ὥρμησεν εἰς τὴν Βαβυλωνίαν, impetum in Babyloniam fecit*: Nabonidum autem ei cum exercitu occurrentem, victum ac fugatum Borſippen ſe recepiſſe, ibi ſe Cyro eum inſequenti tradidiſſe, à quo Caromaniæ præfecturâ donatum eſſe vult. Quo in loco vel 27 pro 17 legendum eſt, ut hæc Cyri expeditio facta ſit ultimo Nabonidi, ſeu Darii Medi, anno; vel ſi in numero nihil eſt mutandum, dicendum eſt, Cyrum quidem ex Perſide egreſſum eſſe anno regni ſui decimo ſeptimo, verùm decennium, vel paulo minùs in ſubigenda Aſia, priuſquam Babyloniam oppugnaret, impendiſſe, ita ut ſub finem regni Nabonidi contra eum & Babyloniam venerit.

g Cyrum unà cum Dario Medo, ſive Nabonido, cœpiſſe regnare alterum Babylone, alterum verò in Perſide, videtur ſic oſtendi poſſe. Cyro Hiſtorici omnes annos conſtanter tribuunt 30 in univerſum. Captâ Babylone mox Iudæorum ſolvit captivitatem anno regni ſui primo, 2 Chron. 36, 22. quod non eſt intelligendum de anno quo in Perſide, mortuo patre Aſtyage, regnare cœpit, non enim tum in poteſtate ſua habebat Babylonem, quam nonniſi multis poſt annis, & poſt multa bella, multaſque devictas provincias, in ſuam redegit poteſtatem: itaque hoc intelligendum eſt de primo Imperii ſeu Monarchiæ Perſarum anno, quæ tum cœpit quum Babylon, Aſſyriorum Monarchiæ Metropolis, ab eo ſub jugum miſſa eſt: Id autem factum eſt in fine regni Darii Medi ſeu Nabonidi qui Babyloniorum & Aſſyriorum imperium tenebat, & in fine 70 annorum captivitatis Iudæorum, quæ tum à Cyro ſoluta eſt. Finis ergo regni Nabonidi, & 70 annorum captivitatis Iudæorum concurrunt. Iam verò ex præcedentibus notis, & ex Tabula 9, planum eſt Captivitatem cœpiſſe in morte Joakimi & deportatione Jechoniæ, ſive initio regni Sedeciæ; quæ omnia oſtendimus contigiſſe anno Nabuchodonozoris octavo, ac proinde initium Darii Medi incidere in annum à captivitate Babylonica 43. cui ſi addantur anni 27, finientur in ultimo Captivitatis Babylonicæ anno. Unde liquet Darium Medum annos regnaſſe 27, quandoquidem regno, & vitâ deceſſit quum ſoluta eſt à Cyro Judæorum captivitas. Cyrus autem non diu ante imperii & vitæ ſuæ finem, biennio puta aut triennio, ſolvit captivitatem. Nam mox poſt expugnatam Babylonem, bellum adverſus Crœſum Lydorum regem movit, quo debellato in Scythas profectus eſt, à quibus victus & interfectus eſt. Cyro Cambyſes in imperio ſucceſſit, cui regnum annorum ſeptem tribuunt Hiſtorici. Illi poſt interfectum à conjuratis Magum Darius Hyſtaſpis filius ſucceſſit, cujus anno regni ſecundo Templi Hieroſolymitani exſtructio, quæ ſub Cyro, mox poſt ſolutam captivitatem, cœpta erat, ſed ſtatim intermiſſa, denuo renovata & continuata eſt, uſque ad annum Darii ejuſdem ſextum, quo abſoluta eſt Templi fabrica. Ita à ſoluta Captivitate ad annum Darii ſecundum anni ſunt 11, quot omnino ſunt à prima Judæorum Captivitate & deportatione ad Templi ſub Sedecia everſionem, atque ſic Templum jacuit deſolatum & everſum per annos 70, quot nimirum Deus captivitati Judæorum deſtinaverat; id quod omnino convenire videtur, ut quemadmodum regnum & ſtatus politiæ Judaicæ concuſſus & proſtratus pæne fuit per annos 11, ante Templi everſionem, ſic ſteterit libertatis & ſtatus populi illius inſtauratio poſt ſolutam captivitatem, per totidem annos ante Templi inſtaurationem, quæ ſub Dario anno ipſius ſecundo facta eſt: nam quòd vivente Cyro, mox poſt ſolutam captivitatem, Templum reædificari cœpit, tentamentum tantùm quoddam fuit evanidum, quod ſtatim interruptum & prohibitum eſt. Item, quomodo vaſorum ſacrorum Templi pars maxima abducta fuit Babylonem in Jechoniæ deportatione annis 11 ante Templi ipſius everſionem, ſic eadem vaſa, ſoluta Captivitate, Jeroſolymam reportata ſunt annis totidem ante Templi inſtaurationem ſub Dario Hyſtaſpide, ſic enim quemadmodum Templum vaſis illis ſacris caruerat per annos 11, ſtante nihilominus cultu divino in Templo, ita eadem vaſa, eorumque uſus reſtitutus fuerit ad Dei cultum per totidem annos ante Templi ipſius inſtaurationem. Rurſus, quomodo à Templi illius typici & umbratilis everſione ad illius inſtaurationem Deus voluit intercedere annos 70; ſic à Chriſti (veri & ſpiritualis Templi) incarnatione, ejuſque corporis (veri divinitatis Templi, *in quo omnis divinitatis plenitudo habitat corporaliter*) in utero B. Virginis primâ conceptione ex Spiritu ſancto, ad Jeroſolymitani Templi typici & umbratilis everſionem, anni ſunt præciſè 70. Id quod maximè convenire videtur. Nam & tum etiam exſtrui cœpit aliud Templum Dei myſticum & ſpirituale, Eccleſia nempe Chriſtiana, *quæ eſt Chriſti corpus, & plenitudo illius qui omnia implet in omnibus*, Epheſ. 1. 23. Tum enim Deus abjectis Judæis & abolitis eorum ritibus ac ceremoniis (quarum ſedes erat Templum illud Hieroſolymitanum) quæ erant inſtar Veli, quo arcebatur ingreſſus in Sanctuarium, in Judæorum locum aſſumpti ſunt Gentiles in Chriſti corpus, & patefacta eſt omnibus via in Dei Sacrarium: & Chriſti Eccleſia ex Gentibus tum primùm cœpit conſtitui, cum qui prius ex Gentibus ad Chriſti communionem vocati ſunt, eſſent duntaxat veluti primitiæ quædam exiguæ maſſæ illius ſacræ ex Gentibus conſtituendæ, Deoque conſecrandæ. Jam verò non poſſunt & populi Judaici captivitati Babylonicæ, & Templi everſioni atque deſolationi aſſignari anni 70, niſi Captivitatis ſolutio conſtituatur in anno Cyri & Darii Medi trigeſimo-ſeptimo, uti ex Tabula hac noſtra 10. liquet. Ita patet, & Cyro & Dario Medo idem regni initium tribuendum eſſe, id quod ſanè maximè congruum videtur, ut ultimus Babyloniorum rex Darius, & primus Perſarum Cyrus, qui Babyloniorum imperium evertit, ſimul regnare cœperint, ille quidem 27, hic vero 30. Adde quod Dan. 9. 1. anno primo Darii Medi, cum Daniel cogitaret de 70 annis Captivitati Judæorum à Deo deſtinatis, & Jeremia prædictis, ad Danielis preces pro liberatione populi ſui revelata eſt ei prophetia de 70 annorum Hebdomadibus ab inſtauratione Jeroſolymorum ad Chriſtum uſque. Hoc autem non eſt ita accipiendum, quaſi anni ſeptuaginta Captivitatis deſinant in anno primo Darii (hoc enim longe à vero eſſe planum eſt ex Tabula noſtra;) ſed quia tum cœpit Cyrus in Perſide regnare, quem Daniel ex Prophetia Eſaiæ noverat futurum populi liberatorem, ideo ad Deum preces ſuas fudit pro futura per eum populi liberatione, etſi tempus illud nondum adveniſſet. Sic putamus oſtendi poſſe ex Scriptura, Darium Medum & Cyrum, ſimul regnare cœpiſſe, alterum Babylone, alterum apud Perſas, itemque captivitati populi, & deſolationi Templi eundem annorum numerum, nempe 70, aſſignandum eſſe.

h De initio & fine regni Cyri, deque capta ab eo Babylone, vide quæ diximus nota præcedente.

i Hiſtorici Cambyſi annos tribuunt ſeptem vel octo, cui ſucceſſit Magus paucorum menſium, oppreſſus nimirum conjuratione Magnatum: quo interfecto, ſuccedit ei Darius Hyſtaſpis filius, Cyri gener, cujus filiam electus in Regem, ut regnum ſibi firmaret, duxit in uxorem.

k Hoc ſecundo Darii anno denuo inchoatam eſſe Templi inſtaurationem, planum eſt ex Aggæi cap. 1. verſ. 1, & 15. Anno autem ejuſdem ſexto abſolutam fuiſſe liquet ex Eſdræ cap. 6. 15.

Porrò cur ſeptuagenarium hunc annorum numerum potiùs quàm alium Deus, & Judæorum captivitati, & Templi Judaici deſolationi, & veri ac ſpiritualis exſtructioni ſub novo Teſtamento in Eccleſia Chriſtiana Deus delegerit, habuit proculdubio ille penes ſe & in Sapientia ſua cauſas rationabiles, ac juſtas & æquas, ſed quas noſtrum non eſt curioſius ac penitius perſcrutari. Hoc unum obſervare hîc licet, numerum illum compoſitum eſſe ex duobus, ſeptenario & denario, in ſe multiplicatis (nam ſepties decem faciunt ſeptuaginta): qui duo numeri ſunt veluti ſacri & à Deo ipſo quaſi ſanctificati atque conſecrati; ſeptenarius nimirum in Sabbathi, ab ipſo mundi exordio, inque ejus creatione, & in annorum Sabbathicorum atque Jubilæorum ſub lege Moſaica inſtitutione, quique etiam in ipſa Naturæ conſtitutione nobilis eſt, & illuſtris ob ſeptem in cœlo Planetas. Denarius item numerus à Deo ſanctificatus videtur in legis ſuæ Decalogo, ſeu præceptis decem; nobilis item & illuſtris ob decem Patriarchas ante & poſt Diluvium ad Abrahamum uſque, qui primus promiſſiones de Chriſto, ſemine illo benedicto, accepit; tum in natura ipſa notabilis ob decem Sphæras cœleſtes. Sapientiæ itaque Dei conſentaneum maximè videtur, ut ad res tam inſignes numerum etiam delegerit maximè inſignem, ex duobus ſacris & ab ipſo ſanctificatis numeris in ſe multiplicatis compoſitum. Ut & quod ſeptuaginta annorum Hebdomadas, hoc eſt, ſepties ſeptuaginta, ſive 490 annos deſtinaverit populi Judaici poſt liberationem à captivitate Babylonica, reſtitutioni, religionis & cultus ſui Legalis inſtaurationi ad Chriſtum uſque, civitatiſque Jeroſolymorum, & politiæ Judæorum durationi uſque ad ejus per Romanos everſionem.

Tabula

TABULA. XI.

Complectens ſeriem annorum, ab initio Imperii Perſici, ad everſionem uſque Jeroſolymorum, totiuſque Reipub. Judaicæ per Titum Veſpaſianum, quo in temporis ſpatio comprehenduntur Danielis ſeptuaginta annorum Hebdomades earumque initium & finis demonſtratur.

Anni regni.	Initium Imperii Perſici. Perſarum reges	Anni Monarchiæ Perſicæ.	Anni ab Exodo.	Anni ab orbe condito.	Olympiad.	Anni Iphiti.	Judæorum Præſides & Pontifices.	Anni ab Urbe condita.
					62		Zorobabel Dux & Princeps Judæorum reducum.	
28	Cyrus hoc anno ſolvit captivitatem Judæorum Babylonicam.	1	1066	3574		249		223
29		2		3575		250		224
30		3					Jeſuah, Pontifex M.	225
1	Cambyſes R. annnos 7. cum dimidio.	4			63			
2		5	1070					
3		6						
4		7		3580		255		
5		8			64			230
6		9						
7		10	1075					
—	Magus Smerdis, ſive Sphendadates M. 5.	11						
1	Darius Hyſtaſpis F. R. annos 34.	12		3585	65	260		
2		13					Templum Hieroſolymitanum, hortantibus Aggæo & Zacharia Prophetis. Agg. 1. 1. & Eſd. 4. 24	235
3		14						
4		15	1080					
5		16			66			
6		17		3590		265	Templum hoc anno abſolvitur. Eſd. 6. 15	
7		18						240
8		19						
9	Darius Hyſtaſpis F.	20	1085		67			
10		21						
11		22		3595		270		
12		23						245
13		24			68			
14		25	1090					
15		26						
16		27		3600		275		
17		28			69			250
18		29						
19		30	1095					
20		31						
21		32		3605	70	280		
22		33						255
23		34						
24		35	1100					
25		36			71			
26		37		3610		285		
27		38						260
28		39						
29		40	1105		72			
30		41						
31		42		3615		290		
32		43						265
33		44			73			
34		45	1110					
1	Xerxes R. annos 21.	46						
2		47		3620		295		
3		48			74			270
4		49						
5		50	1115					
6		51						
7		52		3625	75	300		
8		53						275
9		54						
10		55	1120					
11		56			76			
12		57		3630		305		
13		58						280
14		59						
15		60	1125		77			
16		61						
17		62		3635		310		
18		63						285
19		64			78			
20		65	1130					
21		66						

Anni regni.		Anni Perſ.	Anni ab initio ſeptuaginta Hebdomadum.	Anni ab Exodo.	Anni mundi.	Olympiad.	Anni Iphiti.		Anni ab Urbe condita.
1	Artaxerxes Longimanus R. annos 41.	67			3640		315		
2		68				79			290
3		69							
4		70		1135					
5		71							
6		72			3645	80	320		
7		73	1					Hoc anno Eſdras obtinet ab Artaxerxe edictum favorabile de reſtauranda Judæorum Republica, Eſd. 7.	295
8		74	2						
9		75	3	1140					
10		76	4			81			
11		77	5		3650		325		
12		78	6						300
13		79	7						
14		80	8	1145		82			
15		81	9						
16		82	10		3655		330		
17		83	11					ELIASIB ſummus Judæorum Sacerdos, Neh. 3, 1. & 13, 4, 6.	305
18		84	12			83			
19		85	13	1150					
20		86	14					Hoc anno Nehemias ab Artaxerxe impetrat poteſtatem reædificandæ Jeroſolymæ. Neh. 1, 1, & 2, 1.	
21		87	15		3660		335		
22		88	16			84			310
23		89	17						
24		90	18	1155					
25		91	19						
26		92	20		3665	85	340		
27		93	21						315
28		94	22						
29		95	23	1160					
30		96	24			86			
31		67	25		3670		345		
32		98	26					Hoc anno redit Nehemias ad Artaxerxem, ſed paulo poſt à Judæis revocatus eſt, Neh. 13, 6.	320
33		99	27						
34		100	28	1165		87			
35		101	29						
36		102	30		3675		350		
37		103	31						325
38		104	32			88			
39		105	33	1170					
40		106	34						
41		107	35		6680		355		
1	Darius Nothus R. annos 19. Hinc Scaliger & alii 70 Hebdomadas inchoant, ſed perperam	108	36			89			330
2		109	37						
3		110	38	1175					
4		111	39						
5		112	40		3685	90	360		
6		113	41						335
7		114	42						
8		115	43	1180					
9		116	44			91			
10		117	45		3690		365		
11		118	46						340
12		119	47						
13		120	48	1185		92			
14		121	49						
15		122	50		3695		370		
16		123	51						345
17		124	52			93			
18		125	53	1190					
19		126	54						
1	Artaxerxes Mnemon R. annos 43.	127	55		3700		375		
2		128	56			94			350
3		129	57						
4		130	58	1195					
5		131	59						
6		132	60		3705	95	380		
7		133	61						355
8		134	62						
9		135	63	1200					
10		136	64			96			
11		137	65		3710		385		
12		138	66						360
13		139	67						
14		140	68	1205		97			

Anni regni.		Anni Perſ.	Anni 70 Hebd.	Anni ab Exodo.	Anni mundi.	Olympiad.	Anni Iphiti.		Anni ab Urbe condita.
15		141	69						
16		142	70		3715		390		
17		143	71						365
18		144	72			98			
19		145	73	1210					
20		146	74						
21		147	75		3720		395		
22		148	76			99			370
23		149	77						
24		150	78	1215					
25		151	79						
26		152	80		3725	100	400		
27		153	81						375
28		154	82						
29		155	83	1220					
30		156	84			101			
31		157	85		3730		405		
32		158	86						380
33		159	87						
34		160	88	1225		102			
35		161	89						
36		162	90		3735		410		
37		163	91						385
38		164	92			103			
39		165	93	1230					
40		166	94						
41		167	95		3740		415		
42		168	96			104			390
43		169	97						
1	Ochus R. annos 23.	170	98	1235				Hic videtur eſſe Aſſuerus Estheræ maritus.	
2		171	99						
3	Hoc anno convivium facit in quo Vaſthi repudiatur. Eſth.1.3	172	100		3745	105	420		
4		173	101						395
5		174	102						
6		175	103	1240					
7		176	104			106		Hoc anno Eſthera adducta eſt ad Regem Aſſuerum, Eſth. 2, 16.	
8		177	105		3750		425		
9		178	106						400
10		179	107						
11		180	108	1245		107		Hoc anno ſors conjicitur ad perdendos Judæos, Eſth. 3, 7. idque die 13 menſis 12, ſive Adar. Eſth. 8. 12.	
12		181	109						
13		182	110		3755		430		
14		183	111						405
15		184	112			108			
16		185	113	1250					
17		186	114						
18		187	115		3760		435		
19		188	116			109			410
20		189	117						
21		190	118	1255					
22		191	119						
23		192	120		3765	110	440		
1	Arſes R. annos 2.	193	121						415
2		194	122						
1	Darius Codomanus R. annos 7.	195	123	1260					
2		196	124			111			
3		197	125		3770		445		
4		198	126						420
5		199	127						
6		200	128	1265		112			
7		201	129						
	Finis Monarch. Perſarum, & initium Imperii Græcorum, ſeu Macedonum.	Anni Græcorum.							
1	ALEXANDER M. poſt mortem Darii, R. annos 6.	1	130		3775		450		
2		2	131						425
3		3	132			113			
4		4	133	1270					
5		5	134						
6		6	135		3780		455		
1	Ptolomæus Lagi. F. R. annos 39.	7	136			114			430
2		8	137						
3		9	138	1275					

Anni regni.		Anni Græcorum.	Anni 70. Hebd.	Anni ab Exodo.	Anni ab orbe condito.	Olympiad.	Anni Iphiti.		Anni ab Urbe condita.
4		10	139						
5		11	140		3785	115	460		
6		12	141						435
7		13	142						
8		14	143	1280					
9		15	144			116			
10		16	145		3790		465		
11		17	146						440
12		18	147						
13		19	148	1285		117			
14		20	149						
15		21	150		3795		470		
16		22	151						445
17		23	152			118			
18		24	153	1290					
19		25	154						
20		26	155		3800		475		
21		27	156			119			450
22		28	157						
23		29	158	1295					
24		30	159						
25		31	260		3805	120	480		
26		32	161						455
27		33	162						
28		34	163	1300					
29		35	164			121			
30		36	165		3810		485		
31		37	166						460
32		38	167						
33		39	168	1305		122			
34		40	169						
35		41	170		3815		490		
36		42	171						465
37		43	172			123			
38		44	173	1310					
39		45	174						
1	Ptolomæus Philadelphus R. annos 38	46	175		3820		495		
2		47	176			124			470
3		48	177						
4		49	178	1315					
5		50	179						
6		51	180		3825	125	500		
7		52	181						475
8		53	182						
9		54	183	1320					
10		55	184			126			
11		56	185		3830		505		
12		57	186						480
13		58	187						
14		59	188	1325		127			
15		60	189						
16		61	190		3835		510		
17		62	191						485
18		63	192			128			
19		64	193	1330					
20		65	194						
21		66	195		3840		515		
22		67	196			129			490
23		68	197						
24		69	198	1335					
25		70	199						
26		71	200		3845	130	520		
27		72	201						495
28		73	202						
29		74	203	1440					
30		75	204			131			
31		76	205		3850		525		
32		77	206						500
33		78	207						
34		79	208	1345		132			
35		80	209						
36		81	210		3855		530		
37		82	211						505
38		83	212			133			

Eſſet hæc pagina 23ª

Anni ab Urbe condita.		Anni Aſſamonæorum.	Anni 70. Hebd.	Anni ab Exodo.	Anni mundi.	Olympiad.	Anni Iphiti.		Anni regni.
		54	362					Ptolemaida oppugnat.	6
		55	363	1500				Prælio vincitur à Lathuro Ægypti Rege.	7
		56	364			171			8
		57	365		4010		685		9
660		58	366						10
		59	367					Varia oppida & caſtella in Judæa vi occupat.	11
		60	368	1505		172			12
		61	369						13
		62	370		4015		690		14
665		63	371						15
		64	372			173			16
		65	373	1510				Bello per ſexennium à popularibus vexatur.	17
		66	374						18
		67	375		4020		695		19
670		68	376			174			20
		69	377						21
		70	378	1515					22
		71	379						23
		72	380		4025	175	700	Triennio febre quartana laborat, ac tandem perit.	24
675		73	381						25
		74	382						26
		75	383	1520				Alexandra, Alexandri vidua, R. annos 9. Joſ. Ant. lib. 14. cap. 1.	1
		76	384			176			2
		77	385		4030		705		3
680		78	386						4
		79	387						5
		80	388	1525		177			6
		81	389						7
		82	390		4035		710		8
685		83	391						9
		84	392			178		Ariſtobulus Alexandræ F. R. annos. 6.	1
		85	393	1530					2
		86	394						3
		87	395		4040		715		4
690		88	396			179		Templum Jeroſolym. à Pompeio expugnatur. Joſ Ant. lib. 14. cap. 24.	5
		89	397						6
		90	398	1535				Hyrcanus cum Antipatro Herodis patre, & Antigono Hyrcani fratre, R. ſimul annos 23.	1
		91	399						2
	Ariſtobulum, ejúſq; filium Alexandrum res novas adverſus Hyrcanum moventes comprimit Gabinius.	92	400		4045	180	720		3
695		93	401						4
		94	402						5
		95	403	1540				Craſſus Gabinio ſuccedens, adverſus Parthos bellum moturus Templum Jeroſolym. ſpoliat, ann. urbis conditæ 697. Oroſ. lib. 6. cap. 13.	6
		96	404			181			7
		97	405		4050		725		8
700		98	406						9
		99	407						10
		100	408	1545		182			11
		101	409					Cæſari in Ægypto adverſus Pompeianos bellum gerenti Antipater operam navat.	12
		102	410		4055		730		13
705		103	411						14
		104	412			183			15
	Cæſar in Senatu Romæ à Caſsio & Bruto interficitur.	105	413	1550					16
		106	414						17
		107	415		4060		735		18
710		108	416			184			19
		109	417					Parthi expugnata Cœleſyria Jeroſolymam capiunt & diripiunt. Hyrcanus Sacerdotio privatur, & in carcerem conjicitur, Babylonem à Parthis abducitur.	20
		110	418	1555					21
		111	419						22
		112	420		4065	185	740		23
715	Herodes devicto Antigono regnat in Judæa Olymp. 185. Joſ. Ant. lib. 14. cap. 26. triennio poſtquam à Rom. Rex renunciatus fuerat.	113	421					Herodes M. ſub quo Chriſtus natus eſt, R. annos 37.	1
		114	4 2						2
		115	423	1560				Rex à Romanis conſtitutus Olymp. 184, Calvino & Pollione Coſſ. Joſ. Ant. lib. 14. c. 25.	3
		116	424			186			4
		117	425		4070		745		5
720		118	426						6
		119	427					Anno Herodis ſeptimo Antonius ab Octavio ad Actium vincitur, Olymp. 187. Joſ. Ant. lib. 15. c. 8.	7
		120	428	1565		187			8
		121	429						9
		122	430		4075		750	Accipit ab Auguſto Trachonitidem, Batanæam, & Auranitidē, anno regni ſui 10. Joſ. Belli Jud. l. 1. c. 9.	10
725		123	431						11
		124	432			188			12
		125	433	1570				Samariam inſtaurat & à fundamentis exſtruit, quam Sebaſten dici voluit.	13
		126	434						14
		127	435		4080		755		15
730		128	436			189		Cæſaream incipit condere an. regni ſui 16,	16

Anni ab Urbe Condita.		Anni Aſſam.	70. Hebdomad.	Anni ab Exodo.	Anni mundi.	Olympiad.	Anni Iphiti.		Anni regni.
	Auguſtus in Judæam venit anno Herodis 17. Joſ. Ant. lib. 15. c. 13, 14.	129	437					quam abſolvit 12 poſt annis, anno regni 28. Joſ. Ant. l. 15. c. 13.	17
		130	438	1575					18
		131	439					Templum Jeroſolymitanum à fundamentis totum inſtauravit.	19
		132	440		4085	190	760		20
735		133	441					In Italiam ad Auguſtum navigat, filios Alex. & Ariſtob. inde ſecum reducit domū.	21
		134	442						22
		135	443	1580					2
		136	444			191			24
		137	445		4090		765		25
740		138	446						26
		139	447					Filios apud Auguſtum accuſat, à quo patri reconciliantur.	27
		140	448	1585		192			28
		141	449						29
		142	450		4095		770	Eoſdem Beryti in Concilio damnatos in carcere necat.	30
745		143	451						31
		144	452			193			32
		145	453	1590					33
		146	454						34
		147	455		4100		775	Antipater Herodis F. à patre coram Varo accuſatus in carcerem conjicitur, & mox necatur.	35
750		148	456			194			36
		149	457						37
	Finis regni Aſſamonæorum & Herodis, qui illis ſucceſsit ad Chriſtum uſque.		458	1595				DOMINUS N. JESUS CHRISTUS ſub finem anni ultimi Herodis natus, vixit an. 33. cum dimidio.	Anni Chriſti.
			459						
			460		4105	195	780	Fugit in Ægyptum Herodis metu.	
755			461						
			462						
			463	1600					6
			464			196			7
			465		4110		785		8
760	Archelaus Herodis F. in exilium Viennam mittitur anno regni ſui decimo, & Judæa in Provinciam redigitur. Joſ. Ant. lib. 17. cap. ult.		466						9
			467						10
			468	1605		197		Jeroſolymis puer cùm eſſet Doctores in Templo interrogat.	11
			469						12
	Quinnius in Syriam, Coponius in Judæam mittitur.		470		4115		790		13
765			471						14
	Coponio ſucceſſor mittitur ab Auguſto Annius Rufus.		472			198			15
	Auguſtus hoc anno moritur cui ſuccedit Tiberius, R. ann. 22.	1	473	1610					16
		2	474						17
	Annio Rufo ſucceſſor à Tiberio mittitur Valerius Gratus, qui ann. 11. rexit Judæam ad Pilatum uſque. Joſ. Ant. l. 18. c. 3.	3	475		4120		795		18
770		4	476			199			19
		5	477						20
	Tiberias ab Herode Galilææ Tetrarcha ad lacum Genezareth exſtruitur, & ex pago civitas efficitur. Joſ. Ant. lib. 18. cap. 3.	6	478	1615					21
		7	479						22
		8	480		4125	200	800		23
775		9	481						24
	Valerius Gratus Judæa excedit, eiq; ſucceſſor mittitur Pilat. Joſ. Ant. lib. 18. c. 3.	10	482						25
		11	483	1620					26
	Excitata adverſus Pilatum à Judæis ſeditio ob invectas Jeroſolymam Tiberii imagines & Romanorum Aquilas. Joſ. Ant. lib. 18. cap. 4.	12	484			201			27
		13	485		4130		805	Baptizatur à Johanne anno vitæ 30.	28
780		14	486					Patitur & morte afficitur, cruci affixus quum à Baptiſmo ſuo annos tres cum dimidio prædicaſſet.	29
		15	487						30
	Judæi à Tiberio Româ pulſi, in Sardiniam ſpecie militiæ mittuntur ex iis 4000 Joſ. Ant. lib. 18. c. 5.	16	488	1625		202			31
		17	489					Stephan. martyrio coronatur.	32
784		18	490		4135		810	Philip. Samaritanis prædicat.	33
785	Tiberius poſt imperiū annorum 22 moritur, & Cajus Caligula ei ſuccedit. Pilatus Judæa excedit, & in auxilium Viennam mittitur, annis 10. in Præfectura exactis. Joſ. Ant. lib. 18. c. 5. R. annos 4.	19						Paulus ad Chriſtum convertitur, & in Arabia per triennium prædicat Evangelium.	34
		20				203			35
		21		1630					36
		22 1						Herodes Agrippa Jacobum gladio percutit, & Petrum in carcerem conjicit.	37
		2			4140		815		38
790	Claudius Caligulæ ſuccedit, R. ann. 14.	3				204		Paulus & Barnabas Eccleſiam Antiochenam ædificant.	39
	Petrus Romam venit, Oroſ. lib. 7. c. 6.	4						Paulus cum Barnaba primam ſuam peragrationem inchoat.	40
	Fames ab Agabo prædicta Act. 11. 28. Oroſ. lib. 7. c. 6.	1		1635					41
		2						Concilium Jeroſolymitanum habetur hoc anno.	42
	Herodes Agrippa ſeptimo poſt Tiberii mortem anno, à vermibus eroſus perit. Joſ. Ant. lib. 9. c. ult. Act 12. 23.	3			4145	205	820	Paulus Corinthi prædicat Evangelium per annum unum & dimidium.	43
795		4							44
		5							45
	Seditio Jeroſolymis ſub Cumano orta. Oroſ. lib. 7. c. 6.	6		1640				Aquilam & Priſcillam Italia pulſos Corinthi excipit. Act. 18. 2.	46
		7				206		Epheſi agit biennium.	47
	Claudius Judæos ex Italia pellit. Oroſ. l. 7 c. 6.	8			4150		825	Priorem ad Corinthios Epiſt. inde ſcribit.	48
800	Romæ fames ſævisſima. Oroſ. lib. 7. c. 6.	9						Macedoniam peragrat, & poſteriorem ad Corinthios ſcribit Epiſtolam, & priorem ad Timotheum.	49
		10							50
	Calchidem Herodi eripit, Ituræam & Batanæam illius loco ei dat. Joſ. Ant. lib. 20. c. 5.	11		1645		207		Venit Jeroſolymam collectas Eccleſiarum ferens.	51
		12							52
	Claudius veneno ab Agrippina uxore tollitur.	13			4155		830	Hæret Cæſareæ biennium in vinculis Act. 24. 27.	53
805		14							54

[illegible] hoc pagina 22a

Anni regni.		Anni Græcorum.	Anni 70. Hebd.	Anni ab Exodo.	Anni ab orbe condito.	Olympiad.	Anni Iphiti.		Anni ab Urbe condita.
1	Ptolemæus Evergetes R. annos 24.	84	213	1350					
2		85	214						
3		86	215		3860		535		
4		87	216			134			510
5		88	217						
6		89	218	1355					
7		90	219						
8		91	220		3865	135	540		
9		92	221						515
10		93	222						
11		94	223	1360					
12		95	224			136			
13		96	225		3870		545		
14		97	226						520
15		98	227						
16		99	228	1365		137			
17		100	229						
18		101	230		3875		550		
19		102	231						525
20		103	232			138			
21		104	233	1370					
22		105	234						
23		106	235		3880		555		
24		107	236			139			530
1	Ptolemæus Philopator R. A. 19.	108	237						
2		109	238	1375					
3		110	239						
4		111	240		3885	140	560		
5		112	241						535
6		113	242						
7		114	243	1380					
8		115	244			141			
9		116	245		3890		565		
10		117	246						540
11		118	247						
12		119	248	1385		142			
13		120	249						
14		121	250		3895		570		
15		122	251						545
16		123	252			143			
17		124	253	1390					
18		125	254						
19		126	255		3900		575		
1	Ptolomæus Epiphanes, R. A. 23.	127	256			144			550
2		128	257						
3		129	258	1395					
4		130	259						
5		131	260		3905	145	580		
6		132	261						555
7		133	262						
8		134	263	1400					
9		135	264			146			
10		136	265		3910		585		
11		137	266						560
12		138	267						
13		139	268	1405		147			
14		140	269						
15		141	270		3915		590		
16		142	271						565
17		143	272			148			
18		144	273	1410					
19		145	274						
20		146	275		3920		595		
21		147	276			149			570
22		148	277						
23		149	278	1415					
1	Ptolomæus Philometor, R. A. 30.	150	279						
2		151	280		3925	150	600		
3		152	281						580
4		153	282						
5		154	283	1520				Antiochus Epiphanes regnare incipit, anno Seleucidarum 137. 1 Macha. 1. 11.	
6		125	284			151			
7		156	285		3930		605		
8		157	286						

Anni regni.		Anni Græc.	Anni 70 Hebd.	Anni ab Exodo.	Anni mundi.	Olympiad.	Anni Iphiti.		Anni ab U C
9		158	287						
10		159	288	1425		152		Subacta Ægypto capit & diripit Jerosolymam. 1 Mach. 1. 21. Eo anno idolum abominabile Jovis Olympii impositum est Altari. 1. Mach. 1. 57.	
11		160	289						
12		161	290		3935		610		
13		162	291						585
14		163	292			153		Mattathias moritur, cui Juda Machabæus succedit. 1 Machab. 11, 70. & 3. 1.	
15	Antiochus Epiphanes it in Persidem, atque in reditu ex morbo moritur. 1 Machab. 3, 37.	164	293	1430					
16		165	294					Lysias à Juda Machabæo vincitur. 1. Mach. 4. 28. & Templum ac altare repurgatur. Ibid. vers. 52.	
17		166	295		3940		615		
18	Hoc anno moritur Antiochus Epiphanes. 1 Mach. 6. 16.	167	296			154			590
19	Demetrius Roma profugus Antiochum & Lysiam vincit, & regnum occupat. 1 Mach. 7. 1.	168	297						
20		169	298	1435				Sacerdotium populi suffragiis Judæ collatum. Jos. Ant. lib. 12. cap. 17.	
21		170	299						
22		171	300		3945	155	620	Moritur Juda pugnans adversus Bacchidem & Alcimum. 1. Machab. 9, 3. 18.	
23		172	301						595
24		173	302					Hoc anno quadriennio post Judæ mortem secundum Josephum Jonathan illi in sacerdotium succedit.	
25		174	303	1440					
26		175	304			156			
27		176	305		3950		625		600
28		177	306					Assamonæorum Principatus.	Anni regni
29		178	307						
30	Finis regni Græcorum. Anni principatus Assamonæorum.	179	308	1445		157		JUDÆ MACHABÆI Jonathan frater, nono, vel decimo post fratris Judæ mortem anno summum Sacerdotium accipit à Seleucidis & coronam regiam, anno Seleucidarum 160, hoc est post devictum ab Alex. M. Darium, anno 178. 1 Mach. 10. 21. R. annos 9.	1
Anni ab Urbe C.		1	309						2
		2	310		3955		630		3
605		3	311						4
	Demetrius Demetrii F. adversus Pseud Alexandrum bellum movet. 1 Machab. 10. 67.	4	312			158			5
		5	313	1450					6
		6	314						7
	Eo anno regnum Syriæ, mortuo Alexandro, occupat. 1. Mach. 11. 19.	7	315		3960		635		8
910		8	316			159			9
	Jugum Gentilium tollitur ex Judæa, anno Simonis primo, Seleucidarum vero anno 170. 1. Mach. 13. 41.	9	317						1
		10	318	1455				Simon Jonathæ frater R. annos 8.	2
		11	319						3
	Antiochus movet bellum adversus Tryphonem. 1. Mach. 15. 10.	12	320		3965	160	640	Regia dignitas Simoni conceditur ab Antiocho. 1 Mach. 15. 6.	4
615		13	321						5
		14	322						6
		15	323	1460				Simon dolo à genero suo interficitur. 1. Machab. 16. 14.	7
		16	324			161			8
		17	325		3970		645		
620	Antiochus Pius Jerosolymam obsidet anno Hyrcani primo, Olymp. 162. Jos. Ant. lib. 13. cap. 16.	18	325					Johannes Hyrcanus R. annos 30.	1
		19	326						2
		20	327	1465		162			3
		21	328						4
		22	329		3975		350	Sicima expugnat, & Templum Gezaritanum evertit. Jos. Ant. lib. 13. c. 17, 18.	5
625		23	330						6
		24	331			163		Idumæam subigit; Idumæos ad circumcisionem suscipiendam adigit.	7
		25	332	1470					8
		26	333						9
		27	334		3980		655		10
630		28	335			164			11
		29	336					Romam Legatos mittit, fœdus cum Romanis renovat.	12
		30	337	1475					13
		31	338						14
		32	339		3985	165	660		15
635		33	340						16
		34	341						17
		35	342	1480					18
		36	343			166			19
		37	344		3990		665		20
640		38	345						21
		39	346					Samariam expugnat, & funditus evertit.	22
		40	347	1485		167			23
		41	348						24
		42	349		3995		670		25
645		43	350						26
		44	351	1490		168			27
		45	352						28
		46	353						29
		47	354		4000		675		30
650		48	355			169		Aristobulus regnavit ann. 1.	1
		49	356	3495				Alexander Jannæus R. annos 26.	1
		50	357						2
	Alexander Jannæus cum Ægypti Rege Ptolem. Lathuro varie certat bello.	51	358						3
		52	360		4005	170	680		4
655		53	361						5

Anni

Anni ab U. C.				Anni ab Exodo.	Anni mundi.	Olympiad.	Anni Iphiti.		An. a C. nat.
	Nero R. annos. 13.	1				208		Cauſam agit coram Agrippa & Feſto, & ab eo Romam mittitur. Act. 25.26.	55
		2		1650					56
		3						Romæ hæret per biennium. Act. 28. 30. Unde plures ad varios ſcribit Epiſtolas.	57
		4			4160		835		58
810	Nero matrem Agrippinam occidit. Tacit. Annal lib. 14.	5				209			59
		6						Vinculis ſolutus videtur Græciam repetiviſſe.	60
	Jeſus Anani F. ſuum Væ Jeroſolymitanis per ſeptennium intonat. Joſ. belli Jud. l. 7.c.24.	7		1655					61
		8							62
		9			4165	210	840	Paulus hoc anno ſecundùm Jac. Capp. Romam repetit.	63
815	Florus in Judæam Procurator à Nerone miſſus.	10							64
		11						atque iſthic, ſecundùm eundem martyrio coronatur.	65
	Nero Romam incendit, cujus facinoris Chriſtianos accuſat.	12		1660					66
	Roma in Græciam proficiſcitur, ac biennium in eo itinere impendit.	13				211			67
		1			4170		845		68
820	Galba, Otho, Vitellius R. anno 1.	1							69
	Veſpaſianus.	2							70

NOTÆ
AD PRAECEDENTEM TABULAM XI.

Superiore Tabula 10, explicuimus ſeptuaginta annos captivitatis Babylonicæ, & deſolationis Templi uſque ad ſecundum & ſextum Darii Hyſtaſpidis annum. Deducenda nobis jam venit ſeries Hiſtoriæ ſacræ inde ad Chriſtum uſque, id quod à nobis fit Tabulâ iſtâ 11, cujus initium facimus à ſoluta Captivitate per Cyrum, repetitis paucis & extremis tabulæ decimæ annis, à primo Perſicæ Monarchiæ anno, ſive à ſoluta Captivitate, ad ſextum uſque Darii Hyſtaſpidis annum. Quis autem ſit inde ad Chriſtum uſque annorum numerus, non obſcurè ex Scriptura colligitur & conjicitur ſubſidio oraculi quod habetur Danielis cap. 9, de ſeptuaginta annorum Hebdomadibus, quas Angelus prædicit interceſſuras ab Edicto de reædificandis Jeroſolymis ad Chriſtum uſque. Hebdomades enim illæ complectuntur annos 490, nam ſepties ſeptuaginta faciunt 490. Verùm magna eſt inter Chronologos de harum Hebdomadum tum initio tum fine, controverſia. Alii enim eas inchoant à primo imperii Cyri anno, eáſque finiunt in Chriſti nativitate, Alii à ſecundo Darii Nothi anno eas deducunt, & terminant in ultima Templi & Jeroſolymorum per Titum Veſpaſianum everſione. Alii á vigeſimo Artaxerxis Mnemonis anno ad eandem Jeroſolymorum per Romanos everſionem extendunt. Alii à vigeſimo Artaxerxis Longimani anno ad Chriſti uſque paſſionem & mortem eas producunt. Nos eas, cum Fratre τῷ μακαρείτῃ Jac. Cappello in Hiſtoria ſua Sacra & Exotica, aliíſque accuratis Chronologis & Aſtronomis, inchoamus à ſeptimo Artaxerxis illius Longimani anno, eáſque deducimus ad Chriſti mortem & paſſionem, quæ ſententia nobis venit demonſtranda, confirmanda, aliæque refellendæ.

Tabulam hanc conſtruximus ex ſerie Regum Perſarum, Græcorum & Aſſamonæorum, quorum alii aliis immediatè, aut quaſi immediatè ſucceſſerunt, ad Chriſtum uſque natum. Ex qua conſtat à primo imperii Cyri anno, ſive à ſoluta per eum Captivitate ad Chriſti nativitatem annos eſſe 529, hoc eſt, annos fermè quadraginta ſupra 490 annorum Danielis Hebdomadum numerum. Ab anno autem Artaxerxis Mnemonis viceſimo ad everſam per Romanos Jeroſolymam anni ſunt duntaxat 450, aut 452, non vero 490. Ab anno verò vigeſimo Artaxerxis Longimani ad Chriſtum paſſum & mortuum, anni ſunt 477, ſive tredecim minùs quàm 490 uti ex Tabula iſta conſtat. Ab anno denique ſecundo Darii Nothi ad everſam uſque per Titum Veſpaſianum Jeroſolymam anni quidem ſunt 490, vel 491, ſed nullum apparet in Scriptura veſtigium Edicti ab eo facti de inſtaurandis Jeroſolymis, unde tamen Angelus inchoandas eſſe cenſet ſeptuaginta Hebdomadas. Deinde, nec finiendæ etiam veniunt Hebdomades in Jeroſolymorum everſione, ſed in Chriſti morte & paſſione, uti mox oſtendetur. Tertio, nimium eſſet intervallum inter cœptam Templi inſtaurationem ſub Cyro, & ejus conſummationem ſub iſto Dario Notho, nimirum annorum ut minimum 100. Soluta eſt enim Captivitas anno ab Exodo 1066, cœpit regnare Darius Nothus anno ab Exodo 1173, uti ex Tabula noſtra conſtat. Darius quidem Hyſtaſpis F. anno regni ſui ſecundo Edictum fecit de inſtaurando Templo, admodum favorabile. Verùm ab eo Edicto ad everſam per Romanos Jeroſolymam anni ſunt minimum 587, hoc eſt anni fermè centum ſupra 490 numerum. Ab eodem autem anno ſecundo Darii Hyſtaſpidis ad paſſum uſque Chriſtum anni ſunt 549, vel 550, hoc eſt anni 60, ſupra 490. Ab eodem denique ad Chriſtum natum anni ſunt 517, hoc eſt anni 27 ſupra 490. Ab anno autem ſecundo Darii Nothi ad paſſum Chriſtum anni ſunt 453, ad natum verò Chriſtum anni duntaxat 420, hoc eſt anni 70 infra 490. Quare non poteſt Hebdomadum initium duci à ſecundo Darii ſive Hyſtaſpidis, ſive Nothi anno, neque etiam à vigeſimo, ſed à ſeptimo Artaxerxis Longimani anno ad mortem uſque Domini noſtri Jeſu Chriſti, quod ſpatium eſt annorum 490, uti ex hac Tabula noſtra 11, liquet, tum ex Diagrammate, ſive Elencho hìc ſubjecto annorum Monarchiæ Perſarum, à ſoluta Captivitate ad devictum ab Alex. M. Darium Codomannum; inde Græcorum Alexandri ſucceſſorum ad mortem Ptolemæi Philometoris, ſive initium Jonathanis Aſſamonæi; denique inde ad Herodis mortem, ſive natum Chriſtum.

Cyrus à ſoluta Captivitate regnavit annos duntaxat 3.

Cambyſes ejus F. & Magus annos 8. vel ſeptem. Joſephus ſex duntaxat ei tribuit, Magis verò annum unum.

Darius Hyſtaſpis F. annos 34. Alii tribuunt illi annos 36.

Xerxes, annos 21.

Artaxerxes Longimanus, annos 41. Alii tantùm 40.

Darius Nothus 19.

Artaxerxes Mnemon, 43.

Ochus, 23. Arces, 2. Alii 3.

Darius Codomanus ab Alex. M. devictus, 7.

Summa annorum imperii Perſici, 201, vel 203.

Alexander M. poſt devictum Darium regnat annos 6.

Ptolemæus Lagides, 39.

Ptol. Philadelphus, 38.

Ptol. Evergetes, 24.

Ptol. Philopator, 19.

Ptol. Epiphanes, 23.

Ptol. Philometor, 30.

Summa 179.

Jonathan Aſſamonæus, poſt, vel circa mortem Philometoris adepto Sacerdotio à Seleucidis, & coronâ regiâ, nono vel decimo poſt fratris Judæ Machabæi mortem anno, regnavit an. 9.

Simon Jonathanis frater, annos 8.

Joh. Hyrcanus, ann. 30.

Ariſtobulus annum 1.

Alexander Jannæus, annos 26.

Alexandra ejus vidua, annos 9.

Ariſtobulus ejus filius, annos 6.

Hyrcanus & Antigonus ejus frater, cum Antipatro ad Herodem uſque, annos 23.

Herodes M. annos 37.

Summa Aſſamonæorum, ad Chriſtum uſque, anni 149, vel 150.

Univerſa annorum à ſoluta captivitate ad natum Chriſtum, ſumma, anni 530.

Quibus ſi addas annos 33; quibus Chriſtus vixit ad paſſionem uſque ſuam, anni erunt in univerſum 563, à quibus ſi ſubducas annos 70, vel 72, qui fluxerunt à ſoluta captivitate uſque ad ſeptimum Artaxerxis Longimani annum, unde initium facimus Hebdomadum, reſtant anni 490, vel 491. Quòd ſi in particularibus quibuſdam Regum illorum annis aſſignandis unus aut alter annus modò ab uno Scriptore vel Hiſtorico tollitur, modò ab alio additur, prout interdum variant atque diſcrepant Scriptorum & Hiſtoricorum in nonnullis ſententiæ; non multum id facit ad immutandam annorum in univerſum ſummam, quominus inveniantur ab initio Hebdomadum, ſive à ſeptimo Artaxerxis Longimani anno ad Chriſti mortem, anni 487, vel 490, ita ut vitilitigare de anno uno vel altero, qui plùs vel minùs ſit, otioſum & ſuperfluum videatur, cùm id imputari poſſit, & debeat Scriptorum errori & lapſui, qui non ſunt ſatis accurati in notandis ſingulorum, de quibus ſcribunt, réſque geſtas narrant, annis. Porrò hìc obſervare licet multiplicem ἑπτηκοντάδος notationem, quam Dei providens ſapientia in adminiſtrandis Judæorum rebus voluit intervenire: prima eſt annorum 70, quos aſſignavit tum Captivitati populi, tum deſolationi & vaſtitati Templi: ſecunda eſt annorum item 70, qui à ſoluta captivitate interceſſerunt ad Edictum Artaxerxis Longimani de reædificandis Jeroſolymis, & inſtauranda Judæorum per Eſdram & Nehemiam πολιτείᾳ, & Repub. Tertia eſt 70 Hebdomadum annorum, ab Edicto illo ad Chriſti mortem. Quarta denique & ultima 70 annorum, qui fluxerunt à Chriſti nativitate ad Templi & Jeroſolymorum p Romanos everſionem, totiúſq; Judæorum Politiæ & Reip. ſubverſionem.

Sic putamus breviter & aliorum de 70 Hebdomadibus ſententias refutaſſe, & noſtram confirmaſſe. Unde liquet M. Scaligerum qui earum initium ducit à ſecundo Darii Nothi anno, inſigni paroramate Edictum Darii Hyſtaſpidis de reædificando Templo, tribuiſſe Dario Notho, inter quos intercedunt tamen anni ut minimum 96, ac pæne centum, & præterea Edictum de reædificando Templo accepiſſe pro Edicto de reædificandis Jeroſolymis. Sed ut res tota illa clarior fiat, fortiúſque & latiùs confirmetur, ipſa oraculi de 70 Hebdomadibus verba, quæ habentur Dan. cap. 9. veniunt nobis expendenda. Ea ſic habent.

Verſ. 23. *In initio deprecationum tuarum exiit verbum* (hoc eſt, mandatum Dei de me ad te mittendo) *& ego veni ad indicandum tibi, quia* vir *deſideriorum tu es* (hoc eſt Deo gratus & acceptus) *& intelligens in verbo* Dei, *& intelligens in viſione*, quia jam antea Deus multa tibi arcana revelavit, noluit & iſtud te latere. Vel, *intellige verbum hoc Dei, & percipe viſionem iſtam.*

Verſ. 24. *Septimanæ* itaque *ſeptuaginta* נֶחְתַּךְ *deciſæ* (hoc eſt decretæ) *ſunt* à Deo *ſuper populum tuum, & ſuper civitatem tuam ſanctam,* לְכַלֵּא *ad cohibendam* (vel *coercendam*) *defectionem* (ſive *prævaricationem*) וּלְחָתֵם (juxta τὸ כְּתִיב) *ad obſignanda* (vel juxta τὸ קְרִי) לְהָתֵם *ad conſummanda* (hoc eſt *abolenda*) *peccata, & ad expiandam iniquitatem* (ſive, *ad propitiationem faciendam pro iniquitate*) *& ad adducendam juſtitiam ſæculorum* (hoc eſt æternam, in æternum duraturam) *& ad obſignandum viſionem & prophetiam* (hoc eſt Prophetias de Chriſto venturo) *& ad ungendum Sanctitatẽ Sanctitatũ* (ſive *Sanctũ ſanctorum*) Chriſtum puta, qui eſt Dei filius longè ſanctiſſimus, quíque non ἅγιος ſimpliciter, ſed τὸ ἅγιον *ipſa Sanctitas* ab Angelo B. Virgini conceptionem ejus annunciante, nuncupatur Luc. 1. 31. τὸ γεννώμενον ἐκ σοῦ ἅγιον, *quod ex te naſcetur Sanctum vocabitur Filius Dei.*

Verſ. 25. *Cognoſces itaque & intelliges,* quod *ab exitu verbi* (hoc eſt Edicti Regii) לְהָשִׁיב וְלִבְנוֹת *de reædificanda Jeroſolyma uſque ad* Meſſiam *Ducem, ſeptimanæ ſunt ſeptem & ſeptimæ ſexaginta duæ,* (ſive in univerſum ſexaginta novem) quo temporis ſpatio תָּשׁוּב וְנִבְנְתָה *reædificabitur platea & foſſa, idque in anguſtia temporum.*

Verſ. 26. *Et poſt ſeptimanas ſexaginta duas exſcindetur* Meſſias (hoc eſt Dominus N. Jeſus-Chriſtus), *at non ſibi* (hoc eſt non ſui, ſed noſtri gratiâ, atque in ſalutem noſtram) *& urbem* (Jeroſolymam) *& Sanctuarium* (Templum Jeroſolymitanum) *deſtruet populus Ducis venturi* (hoc eſt, Romani duce Tito Veſpaſiano), *& finis ejus* (Sanctuarii ſcilicet, vel populi Judaici) *erit in exundatione, & uſque ad finem belli decreta eſt deſolatio,* hoc eſt, bellum Romanorum adverſus Judæos, Templum & Urbem diluvio veluti quodam inundabit, atque erumpet in ſummam à Deo decretam gentis Judaicæ deſolationem.

Verſ. 27. *Et confirmabit* (Chriſtus ſcilicet) *fœdus* (Evangelicum) *multis* (ex populo Judaico) *per Septimanam unam* (ultimam nempe τῶν 70.) *& in medio Septimanæ* (hoc eſt, in poſtrema dimidia Septimanæ illius parte) *faciet ceſſare* (morte ſua, quæ eſt ſacrificiorum omniũ complementum & finis) *ſacrificium & munus* (hoc eſt, Judaica ſacrificia & ritus atque cæremonias omnes legales). *& peralam abominationum* (ſive abominabilem) *deſolantem* (hoc eſt, deſolationis cauſam), *& uſque ad conſummationem & definitionem* (vel *uſque ad conſummationem à Deo definitam*) *ſtillabit* (ira Dei fervens) *ſuper deſolatum* Judæorum populum, qui tum è terra ſua à Romanis ejicietur, & in omnes mundi plagas diſſipabitur.

Manifeſta eſt hæc Prophetia apud Chriſtianos, de Chriſto ejúſque adventu, morte, paſſione, mortíſque effectis, peccatorum nimirum expiatione, remiſſione, juſtificatione, ſanctificatione, Evangelii prædicatione, Legis Moſaicæ Cæremonialis & Politicæ abolitione, Templi & Urbis Jeroſolymitanæ everſione, ac populi Judaici diſſipatione, atque in omnes mundi plagas, qualis hodie, jam à multis ſæculis videtur, diſperſione. Neque tamen neceſſe eſt poſtrema iſta de Templi & Urbis everſione, & populi Judaici diſperſione verba comprehendi in complexu 70 Hebdomadum, in eóque concludi; ſatis eſt ſi modò paulo poſt Hebdomadum illarum finem, quæ in Chriſti paſſione terminantur, iſta inveniantur completa, quod & ſanè factum eſt. Nam 37 poſt Chriſti paſſionem annis Templum incenſum, & Jeroſolyma funditus everſa eſt, & Judæi patriâ ejecti, totáque Judæa ſubhaſtata eſt. At Chriſti paſſio & mors (quæ eſt actus ipſius maximè memorabilis & glorioſus), per quam facta eſt peccati expiatio & conſummatio atque abolitio, & remiſſio, per ſufficientem ſatisfactionem, ejúſque item cohibitio ſeu repreſſio per Spiritum ſanctificantem, quem Chriſtus concedit & largitur, incidit in finem ſeptuaginta Hebdomadum, ſive 490 annorum.

Omnino ergo (ut breviter tota hæc Prophetia elucidetur) *Septimanæ ſeptuaginta* (verſ. 24.) à Deo *decretæ ſunt ſuper populum* Judaicum, *& ſuper urbem ſanctam* Jeroſolymorum, quæ ſæpius in Scripturâ ſancta nuncupatur, *ad cohibendam*, vel *coercendam*, (per Spiritum ſanctificantem, qui ſub Evangelio per Chriſtum indulgetur) *prævaricationem*, ſive inſitam nobis à natura corruptionem, quæ priùs ſub fœdere Legali per Spiritum ſervitutis vigebat, & quaſi æſtuabat atque exundabat. *Ad conſummanda* item, ſeu *abolenda, peccata*, per gratuitam eorum in Chriſti ſanguine, remiſſionem, *ad propitiationem faciendam* in eodem ſanguine per ſufficientem ſatisfactionem, *pro iniquitate* omnium hominum, *ad adducendam*, ſive in lucē producendam, *juſtitiam ſæculorum*, ſive Evangelii gratiam, quæ æterna eſt, & à ſæculo in ſæculum durat, per quam omnes qui unquam ſervati ſunt, & in poſterum ſervabuntur ad finem ſæculorum, ſalutem obtinent & vitam æternam. *Ad obſignandam etiam* (ſive re complendam) *viſionem & prophetiam*, quæ complementum ſuum habent omnes in Chriſto, ejúſque morte & reſurrectione, atque in cælum aſcenſione terminantur pleræque: denique *ad ungendum Sanctum ſanctorum*, hoc eſt Chriſtum, quod adeò factum eſt tum in ejus Baptiſmo, quum Spiritus ſanctus (qui eſt unctio & *oleum ſpirituale*, quo Chriſtus *unctus eſt ſupra omnes conſortes ſuos*) in eum deſcendit, atque in munus ſuum Mediatorium inauguratus eſt per patris vocem cælitus editam, *Hic eſt filius meus dilectus, in quo complacui, hunc audite*; tùm in Chriſti aſcenſione in cælum & ſeſſione ad Patris dextram, quum promiſſionem unctionis Spiritus Paracleti accepit à Patre, & die Pentecoſtes è cœlo in Apoſtolos ſuos demiſit, quos replevit Spiritu ſancto, eóſque unxit unctione Spiritus, per quam Chriſtiani & dicimur & ſumus. Hæc omnia facta ſunt, & terminata in Chriſti Baptiſmo, prædicatione, morte, Paſſione, Reſurrectione, Aſcenſione, & Seſſione ad Patris dextram, ita ut planum ſit ſeptuaginta Hebdomadas iſthic ex Angeli mente & ſententia claudi atque terminari debere.

Ubi ſic finem Hebdomadum Angelus deſignavit, earundem initium verſ. 25, his verbis denotat, *Cognoſces & intelliges quòd ab exitu verbi de reædificandis Jeroſolymis ad Meſſiam uſque Septimanæ ſunt ſeptem & ſexaginta duæ.* Quibus deſignat Edictum quoddam Regium de inſtauranda Jeroſolyma. Illud autem eſt quod habetur Eſdræ cap. 6. quódque ab Artaxerxe Longimano emanavit, & datum eſt Eſdræ in Judæorum gratiam, ad inſtaurandam eorum Rempub. admodum favorabile. In quo etſi mentio non fiat exerta inſtaurationis murorum Jeruſalem, ea tamen venit in eo ſubintelligenda & comprehendenda. Cur enim inſtaurationem murorum vel prohibuiſſet, vel non conceſſiſſet Artaxerxes ille, qui ſe uſque adeo benevolum erga Judæos eo Edicto præbet. Hæc murorum inſtauratio cùm ab Eſdra non fuiſſet cœpta nedum perfecta, utpote qui potiſſimùm (quatenus peritus Legis Scriba & Doctor) rerum ſacrarum & cultus divini in Templo, atque Politiæ & Reipub. inſtaurationi vacaret, atque incumberet, annis poſtmodum tredecim, quum Nehemiæ nunciatum eſſet Jeroſolymam jacere adhuc deſolatam, muros ejus eſſe diſruptos, & portas igne incenſas, Nehemias pio zelo motus, anno Artaxerxis vigeſimo ſpeciale & ſingulare de reædificandis Jeroſolymis Edictum impetrat, vel potiùs præcedentis Edicti (quoad murorum inſtaurationem) confirmationem obtinuit, quòd exſtructio illa murorum à Judæorum hoſtibus impedita ideo videatur, quòd prius Edictum nihil de ea ſpecialiter contineret, aut loqueretur. Ita Edictum de reædificanda Jeroſolyma non eſt conſtituendum in vigeſimo, ſed in ſeptimo Artaxerxis anno; ſiquidem Edictum quod Nehemiæ conceſſum eſt, videtur fuiſſe tantùm confirmatio præcedentis, & veluti quædam ejus explicatio, & ad ejus executionem pertinuit. Quomodo ergo etſi Cyrus Edicto ſuo poteſtatem Judæis reducibus feciſſet reædificandi Templi, tamen quia ad hoſtium accuſationem impedita eſt Templi inſtauratio, opus eis fuit alio Edicto, quo Templi inſtauratio illis concederetur, quod illis conceſſum eſt à Dario Hyſtaſpide anno regni ſui ſecundo. Sic etſi ab Artaxerxe per Edictum Eſdræ conceſſum anno regni ſui ſeptimo, poteſtas Judæis tacitè data eſſet muros Urbis ſuæ inſtaurandi, tamen quia ea inſtauratio impedita videtur ab eorum hoſtibus, ideo quòd Edictum de ea nihil exertè haberet, opus fuit alio Edicto, præcedentis illius veluti ἐξηγητικῷ, quo exertè poteſtas fieret Nehemiæ muros inſtaurandi, nec tamen propterea Edictum de inſtauratione Jeroſolymorum, cujus Angelus mentionem hìc facit, his verbis, *ab exitu verbi*, conſtituendum eſt in vigeſimo, ſed in ſeptimo Artaxerxis anno; utrumque enim pro uno eodémque ejuſdem Regis Edicto in eundem finem dato, accipiendum eſt, ſed cujus executio quoad murorum exſtructionem, vel cœpta non fuerat, ſed neglecta & omiſſa (fortè per impotentiam), vel ab hoſtibus circumvicinis ex κακοηθείᾳ impedita fuerat. Itaque ex conſequenti, Hebdomadum initium non eſt in 20, ſed in 7 Artaxerxis anno collocandum; etenim à ſeptimo, non verò à vigeſimo, illius anno ad Chriſti mortem & reſurrectionem anni ſunt præciſè 490, uti ex hac noſtra Tabula undecima, & antecedentibus ad eam Notis planum eſt. Fuerunt autem duo Perſarum Reges, nomine *Artaxerxes*, nimirum prior iſte *Longimanus*, ſeu μακρόχειρ dictus, alter verò μνήμων, *Mnemon*, ſeu *Memor* cognominatus, quòd memoriæ vi mirum in modum polleret atque excelleret. Ac de Longimano intelligendum eſt Edictum iſtud, non de Mnemone, ſuprà enim oſtenſum eſt, quòd à vigeſimo Artaxerxis Mnemonis anno ad Chriſti mortem non ſunt anni niſi 416, non verò 490.

Porrò dicit Angelus verſ. 25, ab Edicto illo de reædificandis Jeroſolymis *ad Meſſiam Ducem Septimanas eſſe ſeptem & ſexaginta duas*, hoc eſt 69, eaſque integras, quibus præterea addendum dimidium primum ultimæ, ſive ſeptuageſimæ, Septimanæ, hoc eſt, in univerſum annos 487, qui intercedunt ab anno ſeptimo Artaxerxis Longimani ad Chriſti uſque Baptiſmum, reliqui tres anni, ſive poſterior ultimæ Septimanæ pars tribuitur (verſ. 27.) Chriſti prædicationi, his verbis, *Et confirmabit* (Chriſtus) *Fœdus multis per Septimanam unam, & in medio Septimanæ* illius ultimæ, *faciet ceſſare Munus & Sacrificium* morte ſua, in qua de jure illa ceſſarunt, etſi de facto in Templi & Jeroſolymorum duntaxat everſione ceſſarint, quia Synagoga fuit cum honore ſepelienda, nec ſtatim in Chriſti morte Cæremoniæ totúſque cultus Legalis fuit de facto abolendus. Senſus ergo eſt, fore ut Chriſtus in ultima, ſeu ſeptuageſima, Septimana per prædicationem ſuam confirmaret Judæis Fœdus gratiæ, ſeu Evangelicum, à Baptiſmo ſcilicet ſuo ad mortem uſque ad ſuam, per annos tres cum dimidio, quibus prædicavit Evangelium.

Quod autem dicit, *In medio Septimanæ faciet ceſſare munus & ſacrificium*, quod factum eſt propriè in morte Chriſti, quæ in fine, non in medio Septimanæ illius contigit, id ita verum eſt, quia in Chriſti Baptiſmo, & initio prædicationis ipſius cœpit mori Synagoga, cum umbratili ſuo cultu, etſi nondum tum planè mortua eſſet. Evangelii enim prædicatio cultum ſpiritualem (cujus Legalis typus & umbra fuit) docet & poſtulat, qui cultus ſpiritualis ſuccedere de jure debuit carnali & umbratili juxta illud Chriſti, *Venit hora, adeóque jam eſt, in qua qui Deum adorant adoraturi ſunt eum in ſpiritu & veritate*. Deinde verba Angeli, וחצי השבוע reddi poſſunt, non *in medio Septimanæ*, ſed, *dimidia ſeptimanâ* Vernaculè diceremus: *Il fera ceſſer en une demie ſemaine l'oblation & le ſacrifice*, nimirum, in ultimæ Septimanæ dimidia parte poſtrema, quam totam inſumpſit Chriſtus à Baptiſmo ad Paſſionem, in Evangelii prædicatione. Sunt qui Danielis Hebdomadas complecti nolunt annos 490 totos, ſed duntaxat, 487, ut Chriſtus ſecundùm eos, paſſus ſit in medio ultimæ Septimanæ, idque nixi his Angeli verbis *in medio Septimanæ faciet ceſſare munus & ſacrificium* Sed clara ſunt & expreſſa ſuperiora Angeli ejuſdem verba, *Septimanæ ſeptuaginta deciſæ ſunt ſuper populum tuum*, &c. quæ non ſunt ſollicitanda aut vexanda, vel annorum numerus minuendus ſine evidenti neceſſitate, quæ nulla videtur hìc urgere aut cogere. Quamquam parum intereſt ſiquis hanc, vel illam, tueatur & ſequatur ſententiam, totum nempe hoc diſcrimen (quod quantillum ſit videre eſt) pendet ab accuratiore, vel ſcrupuloſiore & moroſiore, Epilogiſmo particulari annorum Regum Perſarum, Macedonum & Aſſamonæorum ab Artaxerxe ad Chriſtum uſque, in quo trium aut quatuor annorum variatio inter tot, qui de iis ſcripſerunt, auctores & Hiſtoricos, nemini mira videri debet, multo minùs in dubium vocare Angeli oraculum, aut noſtram illius explicationem, aut eam poſtponere illis qui aliud initium, aliúmque Hebdomadum finem conſtituunt, vel fingunt potiùs.

Alii dimidiam hanc Septimanam intelligunt de tribus annis cum dimidio, quibus bellum à Romanis adverſus Judæos geſtum eſt, in cujus fine Templum & Jeroſolyma everſa ſunt. Sed durum nimis videtur dimidiam hanc Septimanam à reliquis divellere (& tanto hiatu, annorum 34, avellere), quarum pars illa eſſe videtur. Verùm dato hoc, etſi non conceſſo, manet hoc ſemper, ſeptuaginta Septimanas terminari ab Angelo in Chriſti Paſſione. Porro illud עד המשיח *uſque ad Meſſiam*, non eſt accipiendum de Chriſti nativitate, ſed de ejus Baptiſmo, tum enim propriè Jeſus factus fuit *Chriſtus*, hoc eſt, unctus per Spiritum in eum deſcendentem, túmque in munere ſuo Mediatorio propriè inauguratus eſt; diſtinguenda nempe eſt, non divellenda, Chriſti Perſona, ab ejus Munere. Vox *Chriſtus*, ſive *Unctus*, Munus ejus propriè denotat, non Perſonam niſi ſecundariò. In Chriſti conceptione & nativitate factus eſt quidem ille θεάνθρωπος, qualem oportebat eſſe Mediatorem noſtrum, cùm priùs tantùm eſſet Θεὸς, at nondum tamen erat tum factus CHRISTUS, hoc eſt, conſtitutus in Munere ſuo Mediatorio, id quod propriè factum eſt in Baptiſmo.

Quod addit Angelus, תשוב ונבנתה *reædificabitur platea & foſſa*, non ſunt ita accipienda, quaſi in fine demum 69 Septimanarum ſit reædificanda platea & foſſa, hoc eſt, Jeroſolymorum muri & munitio ſint inſtaurandi, ſed ſimpliciter, quòd in complexu illarum 69 Septimanarum, ſit reædificanda Jeroſolyma, cui reædificationi opponit deinde ejuſdem everſionem *per populum Ducis venturi* (verſ. 26.) hoc eſt, per Romanos ſub ductu Titi Veſpaſiani eorum Ducis ſeu Imperatoris. Ita ut prædicat hìc Angelus ad Judæorum conſolationem, Jeroſolymam eſſe intra complexum ſeptuaginta illarum Hebdomadarum, inſtaurandam, ſed ſimul etiam innuat eam eſſe poſt earumdem finem, evertendam atque diruendam per Romanos, nondum tum *rerum Dominos*. Fruſtra itaque videntur eſſe illi qui volunt reædificationem iſtam factam eſſe per ſpatium ſeptem Septimanarum, ſeſéq; torquent & fatigant in aſſignandis quadraginta novem annis quos in illa reædificatione inſumptos eſſe volunt, cùm ſimpliciter dicat Angelus iſta eſſe inſtauranda intra complexum ſeptem & ſexaginta duarum (hoc eſt, ſexaginta novem) Septimanarum. Quare quod ſequitur, verſ. 26 *poſt Septimanas ſexaginta duas exſcindetur Chriſtus*, non eſt ita accipiendum quaſi ab exitu verbi ad Chriſtum, Septimanæ ſint duntaxat ſexaginta duæ, ſed repetendæ ſunt & ſubaudiendæ ſeptem Septimanæ, de quibus in antecedentibus dixit, *ab exitu verbi uſque ad Meſſiam ſeptimanæ ſunt ſeptem & ſeptimanæ ſexaginta duæ*, ſúntque illis conjungendæ, ut ſenſus ſit, *Poſt ſeptimanas ſeptem & ſexaginta duas* (hoc eſt 69.) *exſcindetur Chriſtus*.

Exciſioni Chriſti Angelus ſubjicit everſionem Jeroſolymorum, tanquam juſtam facinoris illius mercedem, *Urbem*, inquit, *ſanctam perdet populus* Ducis *venturi*, eam, inquam, ſubjicit, tanquam quid ſeparatum à Septimanis, nec concluſum in earum ſpatio ſeu complexu, ſed tanquam quid conſecuturum Septimanas illas, in quarum fine Chriſtus eſt exſcindendus. Everſionem illam dicit futuram *cum exundatione*, hoc eſt, fore ut Judæa tota veluti diluvio quodam inundetur Romanorum copiis & exercitibus, ídque *uſque ad finem belli* quo *deſolatio* Judææ & Jeroſolymorum à Deo *decreta eſt*. *Ala* autem *abominabilis & devaſtans per quam conſumptio fiet, & ira* Dei *effundetur* (ſeu, *ſtillabit*) *in deſolatum* Judæorum populum, videtur eſſe non tam Romanorum exercitus, quàm factio Zelotarum, qui Templi partem interiorem occupabant & tuebantur adverſus Romanos, quíque pertinaciâ ſuâ obſtinatiſſimâ cauſa fuerunt everſionis Templi & Jeroſolymorum, uti à nobis explicatum & demonſtratum eſt in Spicilegio noſtro ad Matth. 24. 15.

Sententia noſtra de ſeptuaginta Hebdomadibus inchoandis à ſeptimo Artaxerxis Longimani anno ad Chriſti paſſionem (quòd nimirum inter utrumque terminum illum intercedunt anni præciſè 490.) præter ſuperiora hinc rurſus comprobatur. Oroſius lib. 7, c. 3. Chriſtum dicit natum eſſe A. U. C. 752, quod cum Tabula noſtra convenit. Idem cap. 4, dicit Tiberium ſucceſſiſſe Auguſto anno Urbis conditæ 767. Ergo annus Tiberii 15, quo Chriſtus baptizatus eſt, incidit in annum Urbis conditæ 782, & Chriſti paſſio in A. U. C. 785, quod planè cum Tabula noſtra congruit. Idem lib. 3. cap. 16, initium Alexandri M. collocat in anno Urbis conditæ 426. Nos in Tabula noſtra in A. U. C. 424. Diſcrimen duorum eſt duntaxat annorum. Arrianus lib. 7, ex Alex. M. diariis ſcribit Alexandrum mortuum eſſe Olymp. 114. Hieronymus in Danielem dicit mortuum eſſe Olymp. 113. ſed mendum eſt, legendùmque 114. Joſephus in Appionem: *Omnes*, inquit, *fatentur Alexandrum obiiſſe Olympiade centeſimâ decimâ quartâ*. Id quod cum Tabula noſtra convenit. Euſebius Artaxerxis Longimani initium attribuit anno primo Olympiadis 79. Id quod ſatis congruit cum Tabula noſtra, quæ illud collocat in anno ultimo Olympiadis 78. Idem Euſebius Magorum cædem à Dario Hyſtaſpide factam, & Darii initium conjicit in annum ultimum Olympiadis 64. Nos in Tabula noſtra in annum primum Olymp. 65. Diſcrimen eſt unius duntaxat anni. Hieron. in Dan. cap. 9, ſcribit *Alexandrum M. mortuum eſſe anno 236 regni Perſarum, quod cœperat primo anno Olympiadis 55, quo tempore Cyrus Babylonios ſuperavit*. Cœpit ſanè regnum Perſarum anno primo Olympiadis 55, at non quo tempore Babylonios ſuperavit, ſed quando Cyrus primò regnare cœpit in Perſide, poſt patris mortem. Id quod ſatis congruit cum Tabula noſtra 13, in qua regni Cyri in Perſide initium collocamus in anno tertio, vel ſecundo Olympiadis 55.

His ita conſtitutis, ſi ſecundùm Euſebium Artax. Longimanus regnare cœpit anno primo Olympiadis 79. annus ejus ſeptimus incidit in annum ſecundum Olympiadis 80, ſive annum Iphiti 322, & Urbis conditæ 296, cùm Chriſtus ſecundùm Oroſium natus ſit anno Urbis conditæ 752, ac proinde paſſus anno Urbis conditæ 785. Liquet ab anno ſexto vel ſeptimo Artaxerxis Longimani ad Chriſtum paſſum annos eſſe 489, vel 490. Si enim ex anno Urbis conditæ 785, quo Chriſtus eſt paſſus, ſubducas annum Urbis conditæ 296, vel 295, in quem Artaxerxis Longimani annus ſeptimus incidit, reſtant anni 489, vel 490. Ita demonſtratur numerus annorum ſeptuaginta Hebdomadum Danielis à ſeptimo Artaxerxis Longimani anno ad Chriſtum uſque paſſum, & Tabula noſtra ſic confirmatur.

Atque in tota iſta annorum ſerie à prima Judæorum Captivitate Babylonica ſub Jechonia, ad ultimam uſque per Romanos & Titum Veſpaſianum obſervanda venit multiplex rerum, quæ eo temporis ſpatio Judæis contigerunt, per ſeptenarium & ſeptuagenarium numerum (qui in Scriptura ſacer eſt) diſpoſitio atque diſpenſatio, Sapientiæ Dei, qui omnia in numero, pondere & menſura facit, convenientiſſima. Eo enim temporis intervallo contigit Judaico populo duplex Captivitas, ſeu calamitas & deſolatio, utraque ſeptuagenaria, duplex item liberatio atque inſtauratio, una pariter ſeptuagenaria, altera verò annorum ſepties ſeptuaginta, ſive Hebdomadum ſeptuaginta, denique liberationi oppoſita ruina & caſus extremus Judæorum: utrumque itidem per annos ſeptuaginta. ac tandem liberationi temporali & carnali ſuccedens & oppoſita liberatio ſpiritualis per Chriſtum. Duplicis populi Judaici Captivitatis, ſive deſolationis, prior inchoata tantùm fuit ſub Jechonia, altera completa & totalis ſub Sedecia, utraque ſeptuagenaria. Nam (uti antè probatum eſt) ab abducto in captivitatem Jechonia ad ſolutam captivitatem Babylonicam per Cyrum, anni ſunt 70, juxta Jeremiæ prophetiam, & ab everſo Templo ſub Sedecia, uſque ad ejus inſtaurationem per Darium Hyſtaſpidem anni ſunt itidem 70. Liberatio pariter & inſtauratio in integrum populi illius duplex etiam fuit, prior inchoata tantùm & ſemiplena atque imperfecta, per Cyrum ad Artaxerxem uſque Longimanum, & hæc rurſus ſeptuagenaria, nam ab Edicto Cyri ad Artaxerxis Edictum anni ſunt 70, vel ad ſummum 72. Altera plenior & perfectior, per Artaxerxem, politia enim civilis & Eccleſiaſtica, totúſque Dei cultus Legalis ſub eo per Eſdram & Nehemiam reſtituta ſunt in integrum, atque hic Judæorum ſtatus non fuit duntaxat annorum 70, ſed ſeptuaginta Hebdomadum, ſive ſepties ſeptuaginta annorum. Hæc liberatio fuit tantùm temporalis, & populi carnalis Judaici, durante fœdere & œconomia Legali & Moſaica, cui ſuccedit liberatio ſpiritualis animarum per Chriſtum, in ejúſque morte, in fine ſeptuaginta Hebdomadum à Daniele prædictarum, atque in fine Oeconomiæ Moſaicæ, & Eccleſiæ Judaicæ, quæ ubi deſinit, ibi incipit Chriſtiana, ubi fœdus vetus & legale abrogatum eſt per Chriſti mortem, tum novum & Evangelicum inchoatum eſt per Apoſtolorum, die Pentecoſtes, prædicationem, quâ prima Eccleſiæ Chriſtianæ fundamenta jacta ſunt. Denique liberationi Judæorum inchoatæ per Cyrum, quæ per gradus & paulatim facta & promota eſt per annos 70, ad Artaxerxem uſque, opponitur eorumdem caſus & ruina quæ paulatim & per gradus facta eſt, à Chriſto nato ad everſam per Romanos Jeroſolymam, per annos itidem 70. Atque ut à Cyri Edicto quo Judæorum cœpit liberatio ad Darii Hyſtaſpidis Edictum de inſtaurando Templo, quo liberatio illa, & Judæorum ſtatus atque conditio in melius promota ſunt, anni ſunt decem, vel undecim; ſic ab Herodis morte, & Chriſti nativitate, quum res Judæorum, eorúmque ſtatus cœpit collabaſcere, & ruere in deterius, donec Judæa in provinciam redacta eſt, & ſub jugum Romanorum miſſa, Archelao Herodis filio in exilium miſſo, anni ſunt pariter decem vel undecim. Ac quomodo à Darii Edicto ad Artaxerxis Edictum nihil in Scriptura narratur memorabile de ſtatus & conditionis Judæorum in melius per annos 60 mutatione: Sic ex quo Judæa in provinciam ab Auguſto redacta eſt, ad bellum illud quo res eorum à Romanis penitus attritæ ſunt, & eorum Reſpub funditus everſa eſt, nihil memorabile occurrit quod ſpectet ſtatus & conditionis eorum in deterius mutationem per annos pariter 60, quo tempore *deſolatio à Deo decreta effuſa eſt uſque ad belli finem in deſolatum* Judæorum populum, juxta Oraculi verba.

Cæterum Tabulam noſtram, atque in ea Hiſtoriæ ſeriem continuavimus ad everſam uſque Jeroſolymam, & ultimam Judæorum per Romanos Captivitatem factam anno à Chriſti nativitate ſeptuageſimo, tum ad Hiſtoriæ ſacræ illuſtrationem & Chronologiæ noſtræ confirmationem, tum ad demonſtrandum ultimum Judæorum caſum & ruinam progreſſum habuiſſe à Chriſti nativitate per annos 70, quomodo eorum prima liberatio & inſtauratio à Cyro ad Artaxerxem Longimanum fuerat per annos pariter 70. Tum quia in Oraculo de ſeptuaginta Septimanis mentio fit everſionis Jeroſolymorum, ita ut quidam iſta verba, *in medio ſeptimanæ faciet ceſſare munus & ſacrificium*, accipiant de tribus illis annis & dimidio, quibus duravit bellum Judaicum, quo tandem everſa eſt funditus Jeroſolyma, ac tota Judæorum Reſpub. Denique quia Scaliger, & cum eo alii nonnulli ſeptuaginta Hebdom. inchoant à Dario Notho & deducunt ad everſam Jeroſolymam, per annos 490, quot revera ſunt à ſecundo Darii Nothi anno, ad ſeptuageſimum à Chriſto nato annum, quo everſa eſt à Romanis Jeroſolyma, uti ex hac noſtra Tabula liquet, in qua ſecundus Darii Nothi annus eſt mundi annus 3682: annus autem quo everſa eſt Jeroſolyma, ſive ſeptuageſimus à Chriſto nato annus, eſt mundi 4172, à quo ſi deducas 3682, reſtant anni 490 intermedii.

Libet hìc ad Hiſtoriæ ſacræ & Chronologiæ noſtræ tum illuſtrationem tum confirmationem, ea ſubjicere quæ Joſephus ad calcem lib. 20 Ant. Judaicarum habet, ubi ſeriem Summorum Pontificum Judaicorum ſummatim deſcribit, quibus ſubnectimus eam ſeriem quam ipſi tum ex Scriptura, tum ex ipſo Joſepho contexuimus quàm potuimus accuratè, ex quibus & ex hiſce noſtris Tabulis chronologicis licebit deprehendere varia Joſephi in Breviculo iſto admiſſa σφάλματα, quæ nos ad illius calcem annotamus. Sic ergo ille. Ab Aarone ad ultimum, qui tempore belli Judaici à Zelotis conſtitutus eſt, fuerunt ſummi Pontifices 83. Horum ab Aharone ad conditum à Salomone Templum, Tabernaculo miniſtrarunt 13, per annos 612. Inde ad Captivitatem Babylonicam & abductum Joſedecum fuerunt 18 Pontif. per annos 466. A ſoluta per Cyrum captivitate, & Jeſu Joſedeci filio, ad regem uſque Antiochum Eupatora fuerunt 15 Pontif. per annos 413, cùm ſtatus Judæorum eſſet popularis. Hic Antiochus Oniam cognomento Menelaum vitâ & Sacerdotio ſimul privavit, depulſóque à Sacerdotio ejus filio Jakimum (aliàs Alcimum) ſummum conſtituit Pontificem, natum quidem ex Aharonis progenie, at non ex eadem cum illo familia. Jakimus exacto in Pontificatu triennio, obit nemine ſucceſſore relicto, ac per ſeptem annos vacavit ſine Pontifice civitas. Tum Aſſamonæi excuſſo Seleucidarum jugo, regnum ſimul cum Sacerdotio tenuerunt à Jonatha Judæ Machabæi fratre ad Herodem uſque magnum per annos 104, & menſes ſex, hoc ordine: Jonathas Pontificatum tenuit annos 7, Simon 8, Hyrcanus 31, Judas ſive Ariſtobulus annum unum, Alexander Jannæus 27, Hyrcanus 9, Ariſtobulus annos 3, menſes 3. Huic à Pompeio ſubſtituitur præcedens Hyrcanus, qui depulſus ab Ariſtobulo fuerat. Hyrcanus iſte rurſus Sacerdotium cum principatu tenuit per annos 23. Cui ſuccedit Antigonus Ariſtobuli F. à Parthis regno & Sacerdotio reſtitutus per annos 3, & menſes 3, qui ab Herode expugnatus vita, regno & Sacerdotio privatus eſt. Ab Herode ad Templi excidium fuerunt 28 ſummi Pontif. per annos 107, quorum nulli ex Aſſamonæorum familia & genere fuerunt, niſi unus Ariſtobulus Hyrcani à Parthis capti & Babylonem abducti nepos, & Mariammes Herodis conjugis frater, ſed promiſcuè ex Sacerdotum etiam obſcuriſſimorum ordine & genere pro arbitrio eorum, penes quos rerum ſumma apud Judæos erat, inſtituebantur & deſtituebantur, aut verò etiam datâ pecuniâ creabantur.

De horum omnium ſummorum Pontificum ſerie & ordine videantur tres ſequentes Tabulæ, quas ex Scriptura & Joſepho ipſo conſtruximus quàm potuimus accuratè. Unde & ex præcedentibus Tabulis noſtris poterit quilibet facilè admiſſa à Joſepho in hoc Breviario σφάλματα animadvertere. Ac primò quidem quum ab Aarone ad ultimum qui tempore belli Judaici fuit, Pontifices numerat 83. liquet ex Tabulis ſequentibus 80, vel 81, fuiſſe duntaxat ſummos Pontifices, niſi quis illis adnumeret tum Uriam qui tempore Achazi fuit, tum Alcimum, qui ex genere Sacerdotali non fuit, ab Antiocho Epiphane conſtitutus. Ab Aarone autem ad conditum à Salomone Templum, ſive ad Hazariam qui primus in Templo miniſtravit (eo non numerato) Sacerdotes fuerunt 14, non duntaxat 13, nempe Aharon, Phinees, Abiſchuah, Bukki, Huzzi, Zeraja, Merajoth, Amaria, Ahitub, Tſadoc & Ahimaas, ab Aharone per Phineez deſcendentes, tum Eli, Achimelech & Abiathar, ab Ithamare. Quod autem ait, Pontifices illos fuiſſe per annos 612, vero propè eſſe non poteſt, niſi 1 Reg. 6. 1. pro 480 legatur 580, quomodo legendum eſſe docuimus ex Actor. 13. 20; unde comprobatur ſententia noſtra, qua centum annos cenſemus addendos ſupra aliorum Chronologorum calculum ab Exodo ad conditum uſque à Salomone Templum. Porrò ex Tabulis noſtris liquet non 612, ſed duntaxat 591, aut 590, annos eſſe ab exſtructo Tabernaculo ad abſolutam Templi ædificationem, ejúſque dedicationem. Nam ab Exodo, ad cœptam Templi exſtructionem anni ſunt 580, quibus addendi ſunt anni 11, ad abſolutam ejus ædificationem, Tabernaculum autem abſolutum fuit ſub finem anni primi poſt Exodum, uti liquet ex Num. 1. 1. & 9. 1. & 10. 11. A condito Templo ad Captivitatem Babylonicam numerat Joſephus Sacerdotes 18, per annos 466. At ex Tabula noſtra prima liquet fuiſſe duntaxat 12, nempe, Hazaria, Johanan, Hazaria, Amaria, Ahitub, Merajoth, Tſadoc, Schallum, Hilkija, Hazaria, Seraja, Johatſadac; ſi modò Hazaria iſte ultimus, qui Hilkija ſubjicitur, diverſus eſt à ſequente Seraja, quod in notis noſtris non putamus eſſe ſtatuendum; ſi etiam Jehotſadac numerandus eſt inter eos qui Captivitatem præceſſerunt, cùm Seraja ejus anteceſſor dicatur abductus Babylonem 2 Reg. 25. 18. Hi duo ſi è numero ſubducendi ſunt, reliqui erunt tantùm decem. Quin dato numerandos eſſe 12, atque illis accenſendos & annumerandos eſſe tres alios (nempe Zachariam filium Jojadæ, Uriam ſub Achazo, & Sophoniam ſub Sedecia, quod non videtur eſſe faciendum ob cauſas in notis noſtris allatas) ſic erunt in univerſum duntaxat 15, non verò 18, uti vult Joſephus. Deinde ab abſoluto Templo ad idem ſub Sedecia everſum, anni ſunt duntaxat 416, non verò 466, abſolutum enim fuit Templum anno ab Exodo 591, everſum verò ſub Sedecia anno 1007, uti ex tabulis noſtris conſtat, aberrat itaque à vero calculo Joſephus annis 50. A ſoluta per Cyrum captivitate, & Jeſu filio Joſedeci ad Antiochum Eupatora numerat Joſephus Pontifices 15, per annos 413. Ac revera totidem fuerunt Pontifices, excluſo ex eorum numero Alcimo, qui non fuit ex genere Sacerdotali, nec à Judæis agnitus pro Sacerdote, utpote qui patriam religionem ejeravit. At à ſoluta captivitate ad Jonathan, quem Joſephus vult Jakimo ſive Alcimo ſucceſſiſſe in Pontificatu, anni ſunt 436, non vero 413, uti ex Tabulis noſtris conſtat: ſolutio enim captivitatis incidit in annum ab Exodo 1007, Jonathæ autem Principatus & Pontificatus in annum 1443. Quòd ſiquis annos numerare velit non ad Jonathæ, ſed ad Judæ Machabæi Pontificatum, decennio ante Jonathan, anni erunt 426. Itaque à vero calculo aberrat hìc Joſephus annis 23, vel minimùm 13. A Jonatha ad Herodem numerat annos 104, quibus Aſſamonæi Pontificatum cum regno tenuerunt. At ſecundùm Tabulas noſtras anni ſunt 114. Nam Jonathæ Principatus incidit in annum ab Exodo 1444, Herodis verò initium in annum 1558. Sic error Joſephi eſt annorum decem. In numero verò tum Pontificum, tum annorum qui fuerunt ab Herode ad ultimum Templi excidium, parum, aut nihil aberrat Joſephus. Nam à nato Chriſto ad Templum everſum anni fuerunt revera 107. regnavit enim Herodes annos 37, ſub cujus finem natus eſt Chriſtus, à Chriſti autem nativitate ad excidium Templi & Ieroſolymorum anni ſunt 70. Pontifices autem fuerunt 28, ſi excludatur Phenazus ultimus, qui à Zelotis ſeditioſis ſub finem belli electus eſt, quíque propterea inter Pontifices non videtur numerandus. Sequuntur tres à nobis conſtructæ Tabulæ continentes ſeriem omnium Iudaicorum Pontificum ab Aarone ad ultimum, tempore excidii Ieroſolymorum per Titum Veſpaſianum.

Series

Series ſummorum Pontificum, ab Aharone ad Jaddum, prout ea ex Scripturæ locorum collatione colligi potuit.

Anni quibus in Scriptura dicuntur regnaſſe.	Reges Juda, ordine ſucceſſionis collocati, ſub quibus Sacerdotes notantur in Scriptura functi eſſe Sacerdotio, ut inde vera Sacerdotum nonnullorum ſeries elici poſſit.	
	Saul.	
40	David.	
40	Salomon.	
17	Roboam.	
2	Abijam.	
41	Aſa.	
25	Joſaphat.	
8	Joram.	4.
1	Achazia.	0.
6	Athalia.	
40	Joas.	37.
30	Amatzia.	28.
52	Hoſias, ſive Hazaria.	
16	Jotham.	8.
16	Achaz.	8.
29	Ezechias.	27.
55	Manaſſes.	
1	Amon.	0.
31	Joſias.	
0	Joachaz.	
11	Jehojakim.	
0	Jehojachin, ſive Iechonias.	
11	Sedecias.	

Iſti ſex nullibi commemorãtur niſi 1 *Chron.* 6. 3. & *Eſdr.* 7. 3.

Iſti ſex omittuntur *Eſdr.* 7. 3.

Hoc ordine recenſentur hi omnes, 1 *Chron.* 6. 3. & *ſeqq.*

Hoc ordine ſex iſti collocantur, *Neh.* 12. 10.

AHARON.

[α] **ELEAZAR**, ſub Joſua vixit, ejus mors habetur *Joſ. cap. ult. verſ. ult.*

Ithamar.

[β] Phineez. *Joſ.* 22. 13. 30.

[δ] Eli ſub Samuele.

[γ] Abiſchuah.

[ε] Phineez.

Ophni.

Bukki.

Huzi.

Ichabod. 1 *Sam.* 4. 21.

[ς] Ahitub.

Zeraja.

Merajoth.

[η] Achija, ſub Saule. 1 *Sam.* 14. 3.

Achimelech, à Saule cum 80 Sacerdotibus interfectus. 1 *Sam.* 22.

Amaria.

Ahitub.

[ϑ] Tſadoc, ſub Davide. 2 *Sam.* 8 17.

[ι] Abiathar à Salomone Sacerdotio depulſus. 1 *Reg.* 2. 26, 27.

[κ] Ahimaatz, poſt necem Abſalomi, à Joabo ad Davidem miſſus. 2 *Sam.* 19. verſ, 19, & 23.

[λ] Achimelech, de quo 1 *Chron.* 24. *verſ.* 2, 6, 31. ubi Abiatharis filius, & ſub Davide fuiſſe dicitur, ut & 2 *Sam.* 8. 17.

[κ] Jonathan, ad Davidem, cùm fugeret ab Abſolomo, miſſus. 2 *Sam.* 15. *verſ.* 27, & 36.

[μ] Hazaria.

[ν] Jochanan, qui & Jojada, tempore Joaſi, quem ab Athaliæ conjuratione ſervavit, regémque ordinavit, & ſub finem regni illius obiit, natus annos 131. 2 *Reg.* 5. & 2 *Chron.* 24. 19.

[ο] Hazaria tempore Oziæ. 2 *Chron.* 26. 17.

[π] Zacharias, à Joaſo interfectus. 2 *Chron.* 24. 21.

[ϱ] Amaria, tempore Joſaphati. 2 *Chron.* 19. 11.

[σ] Ahitub.

[τ] Merajoth.

[υ] Urias, tempore Achazi. 2 Reg. 16. 10.

[φ] Tſadoc.

[χ] Schallum, qui & Meſchullam dicitur. 1 *Chron.* 9. 11. & *Nehem.* 11. 11.

[ψ] Hilkija, tempore Joſiæ. 2 *Chron.* 34, & 35. & 2 *Reg.* 22.

[ω] Hazaria.
Seraja, abductus à Nabuchod. unà cum Sedecia Babylonem. 2 *Reg.* 25. 18.

Ex collatione 1 *Chron.* 9. 11. & *Nehem.* 11. 11. videntur hi duo nonniſi unus idémque eſſe.

Sophonias, tempore Sedeciæ ſecundarius fuit Sacerdos. 2 *Reg.* 23. 18. & *Jer.* 29. 26.

Jehotſadac, ſive Joſedec, abductus etiam Babylonem. 1 *Chron.* 6. 15.

Eſdras, qui rediit Jeroſolymam ſub Artaxerxe.

Jeſchuah, ſive Jeſus, rediit à Captivitate ſub Cyro.

Jojakim, cœpit (ſecundùm Joſeph.) Sacerdotio fungi initio Xerxis Perſ. Regis.

Eliaſib, Joſepho dicitur Eliacim.

Jojada, Joſephus vocat eum Judam.

Jonathan, qui & Johanan. *Nehem.* 12. 22, 23.

Jeſus à fratre Jonathane in ipſo Templo, inter jurgandum occiſus.

Jadduah, ſive Jaddus, is eſt qui Alexandro M. obviam proceſſit, ſecundùm Joſephum eíque Prophetiam Danielis oſtendit, à quo propterea gens Judaica multis privilegiis & immunitatibus eſt donata.

Manaſſes, Nicaſo filiam Sanballati Præpoſiti Samaritidis, ducit in uxorem, quam ob cauſam, cùm nollet eam repudiare, excluſus à Sacerdotio ad ſocerum Sanballatum ſe confert, qui in ejus gratiam Templum in monte Garizim, Jeroſolymitano ſimile, exſtruit, in quo Samaritanis & Judæis apoſtatis & defectoribus ſacra faciebat.

NOTÆ IN ANTECEDENS SACERDOTUM ſtemma, ad illius illuſtrationem & confirmationem.

[α] Cum 1 Chron. cap. 6, Aharonis ſoboles deducatur per Eleazarum ad Iehotſadacum, qui abductus fuit à Nabuchodon. captivus Babylonem, eo ordine quo hìc collocantur, cúmque in iſta ſerie multi in Scriptura dicantur functi ſummo Sacerdotio, nempe, Eleazar, Phineez, Tſadoc, Hazaria, Amoria, Hilkija, Seraja, cúmque Sacerdotium familiæ & ſoboli Phineazi datum ſit à Deo quaſi merces quædam zeli ipſius, Num. 25. 9. planum eſt omnes qui hìc recenſentur, & in hac ſerie collocantur, fuiſſe ſummos Sacerdotes, vel re & facto, vel jure ſaltem, utpote qui omnes ab Eleazaro & Phineazo lineâ rectâ genus ducunt. Non enim eſt veriſimile auctorem libri Chronicorum, qui dicitur eſſe Eſdras, cùm totus ſit in genealogiis recenſendis, omiſiſſe ſummorum Sacerdotum ab Aharone per Eleazarum genealogiam. Atqui ſi hæc non eſt ſummorum Sacerdotum ſeries, nullibi eam in tota Scriptura habemus, quod nullo modo fit veriſimile.

[ϐ] Phineazum vivente patre Eleazaro Sacerdotio functum eſſe ex eo liquet, quòd Ioſ. 22. 30. quum miſſus eſt ad Rubenitas vocatur Sacerdos. Verùm quamdiu eo ſit functus, vix poteſt ex Scriptura certò colligi. Iudicum quidem cap. 20. 28. dicitur functus Sacerdotio quum Iſraelitæ adverſus Guibham & Benjaminitas pugnarunt. Sed difficile eſt hiſtoriæ illius tempus certò aſſignare. Nam etſi hiſtoria illa narretur poſt Samſonis hiſtoriam, illiúſque obitum, non videtur tamen eâ poſterior, nam à terræ Chanaan κληρουχία (quo tempore Phineez jam Sacerdotio fungebatur, Ioſ. 22. 13) ad Samſonis obitum anni ſunt ut minimum 410: non videtur autem veriſimile Phineazum tamdiu vel vixiſſe, vel etiam Sacerdotio functum eſſe.

γ Etſi nullibi (niſi 1 Chron. 6, 3, & Eſdr. 7, 3.) Scriptura commemoret ſex iſtos ſequentes Sacerdotes, videtur tamen omnino neceſſarium ut omnes aut nonnulli ſaltem, eorum Sacerdotio functi fuerint ob rationem præcedente nota allatam. Eli qui primus poſt Phineazum legitur Sacerdotio functus, Samſoni immediate in judicatura Iſraelis ſucceſſit.

δ Eli ab Ithamare genus duxiſſe (non à Phineazo) liquet ex 1 Chron. 24, verſ. 3, 6, 31. Quotus autem fuerit ab Ithamare non liquet in Scriptura. Cùm ergo Sacerdotium Phineazi poſteris à Deo attributum ſit, omnino dicendus eſt Eli invaſiſſe ſupra eos Sacerdotium, contra Dei præſcriptum, quod eo ſecurius feciſſe videtur, quòd cùm Judex populi eſſet, nemo erat qui eum hac de re arguere, aut ei obſiſtere auderet. An autem ſupra Amariam, an verò ſupra Merajoth munus illud occupaverit, incertum eſt, quamquam veriſimilius videtur eum illud eripuiſſe Amariæ potiùs quàm Merajotho, tum propter 410 annos qui ſunt ab initio Phineazi ad initium Eli, quibus explendis vix ſufficiunt quinque virorum iſtorum vitæ, nedum, ut quiſque eorum annos 72, vel 80, eo munere ſit functus; tum quia inter initium Eli & initium Tſadoki non intercedunt niſi anni 80, quibus explendis abundè ſufficiunt duorum virorum vitæ, nempe Ahitubi & Amariæ. Hinc autem liquet ab Eli ad Tſadocum nonniſi 80 annos intercedere, quia Eli judicavit Iſraelem annos 40, 1 Sam. 4. 18. Samuel autem & Saul ſimul rexerunt populum alios annos 40. Act. 21. 20, 21. Jam autem Achimelech à Saule interfectus eſt, non diu ante obitum ſuum: Achimeleco autem ſuffectus à Saule videtur Tſadocus.

ε Iſti duo Ophni & Phineez nonniſi vivente patre functi ſunt Sacerdotio, ambo enim ſimul una eademque die ante patris obitum à Philiſtæis in bello interfecti ſunt. 1. Sam. 4. 1.

ζ Etſi nihil de iſtius Ahitubi Sacerdotio expreſsè in Scriptura legatur, tamen cùm ejus filius Achija ſub initium regni Saulis legatur functus illo munere, 1 Sam. 14. 3. conſentaneum omnino videtur Ahitubum patrem ejus eodem munere defunctum eſſe ſpatio illo quod interceſſit inter patris ſui Phineazi & avi ſui Eli obitum, & Saulis regis exitium, quod intervallum quantum fuerit vix poteſt certò colligi. Ichavod autem cùm natus ſit eo die quo pater ejus Phineez periit, non videtur ob humilem ætatem functus Sacerdotio.

η Iſte videtur fuiſſe primogenitus, nam primus legitur Sacerdotio functus initio regni Saulis, 1 Sam. 14. 3. Achimelec autem nonniſi ſub finem regni ejuſdem Saulis commemoratur Sacerdos 1 Sam. 21.

ϑ Poſt interfectum à Saule Achimelechum cum tota Eli ſobole, cùm Abiathar unus ex ejus liberis profugiſſet ad Davidem, conſentaneum videtur Sacerdotium è familia Eli ex Ithamare oriundi, ad Tſadocum à Phineazo ortum à Saule tranſlatum fuiſſe, atque ſic rediiſſe Sacerdotium ad Phineazi poſteros, quibus illud fuerat ab Eli ereptum. Cúmque poſt Saulis mortem David regno potitus inveniſſet Tſadocum Sacerdotio fungentem, & quidem legitimè ut qui à Phineazo rectâ lineâ deſcenderet, vellétque Abiathari gratificari quòd ſe in exilio, quum Saul ipſum perſequeretur, perpetuo comitatus eſſet, illum Tſadoco adjunxit ſive ſecundarium Sacerdotem, ſive fortè ita ut alternis uterque ſummus eſſet Sacerdos: unde eſt quòd ſub Davide Tſadoc & Abiathar conjunguntur in Sacerdotio, 2 Sam. 8. 17.

ι Occiſo patre Achimeleco à Saule ad Davidem fugit Abiathar, & cum eo in exilio perſtitit, poſt Saulis mortem, à Davide Tſadoco in Sacerdotali munere adjunctus, toto regni Davidis tempore in eo munere permanſit. Verùm cùm à partibus Adonijæ contra Salomonem ſteterit, à Salomone eo munere eam ob rem abdicatus eſt, uti videre eſt 1 Reg. 2. 16, 27. Quod autem cap. 4, 4. ejuſdem libri Abiathar cum Tſadoco rurſus conjungitur, inde quidam putant Abiatharem à Salomone paulò pòſt muneri Sacerdotali fuiſſe reſtitutum; ſed nihil neceſſe eſt id ſtatuere, potuit nempe Abiathar honoris tantum cauſâ nominari cum Tſadoco, etſi non eſſet in eo loco & gradu quo prius: non eſt enim inſolens ut quis prioris dignitatis nomen & titulum retineat, etiam poſtquam eam depoſuit.

κ Iſti quidem duo, Ahimaatz & Jonathan commemorantur in Scriptura locis iſthic annotatis. Omnino tamen veriſimile videtur, Ahimaatz patri Sadoco ſucceſſiſſe in Sacerdotio, de Jonathane idem dici non poteſt, ſiquidem pater ejus Abiathar ſubmotus fuerat ſuo loco & munere.

λ 2 Sam. 8. 17. Achimelec filius Abiathar dicitur cum Tſadoco functus Sacerdotio ſub Davide, qui locus mendi ſuſpectus jure videri poſſit (ac legendum eſſe *Abiathar filius Achimelec*) ſi non obſtaret locus 1 Chron. 24. 2, 6, 31. niſi & hîc pariter legendum ſit, Abiathar filius Achimelec, ut uterque locus accipiendus ſit de Abiathare filio, non verò patre Achimeleci.

μ 1 Reg. 4. 2. Hazaria filius Tſadoc dicitur Sacerdos ſub Salomone, quod quidam intelligunt dictum de iſto Hazaria. Sed pace eorum dixerim, videri mihi eos hac in parte hallucinari. Nam verſ. 4. Tſadoc & Abiathar dicuntur fuiſſe tum Sacerdotes. Quid? An nepos iſte Hazaria ſupra & ante avum ſuum Tſadocum diceretur ſingulariter הַכֹּהֵן *Sacerdos*? non videtur. Quid ergo eſt? Nempe כֹּהֵן iſthic non *Sacerdotem* ſignificat, ſed, uti ſæpius alibi, adeóque verſ. 5. (ubi Zabud dicitur etiam כֹּהֵן) ſignificat Aulicum, ſive primarium Regis Officiarium, aut inter primarios, eſtque Hazaria iſte filius Ahimaas, planè alius ab illo de quo 1 Reg. 4. 2. Porrò de hoc Sacerdote Hazaria filio Ahimaas intelligendum omnino videtur id quod 1 Chron. 5. 10. de ſequente Hazaria filio Johanan dicitur; quod nempe exercuerit Sacerdotium in Templo à Salomone extructo: commodiùs enim de Templo recens exſtructo, quàm de eo quale fuit ſub Hoſia rege, ſub quo poſterior iſte Hazaria vixit. Cæterùm inter Hazariam iſtum & ſequentem Johanan interponendus omnino videtur ſequens Amaria, ut Amaria iſte filius ſit non poſterioris iſtius Hazariæ, ſed prioris illius, uti mox probabitur.

ν Johanan iſte alibi non commemoratur quàm 1 Chron. 6. verſ. 9. & 10. ſed videtur omnino idem cum eo eſſe Jojada ille inſignis pietae Sacerdos, de quo 2 Reg. 11. qui Joaſum regem à conjuratione Athaliæ ſervavit, ita ut ſub Joſaphato poſt Amariam cœperit fungi Sacerdotio, uſque ad exitum propè regni Joas, per annos circiter 50, aut verò 60.

ο Iſte eſt qui Hoziæ regi thurificare volenti obſtitit, prout id narratur 2 Chron. 16. 17. Neque enim poteſt id convenire antecedenti Hazariæ, nam Hoziæ tempus nimis remotum eſt à tempore prioris Hazariæ qui ſub Salomone Sacerdotium in Templo exercuit. Jam enim modò à nobis obſervatum fuit, id quod 1 Chron. 6. 10. dicitur de hoc Hazaria, quòd Sacerdotium exercuerit in Templo à Salomone extructo, magis eſſe intelligendum de priori Hazaria, qui inter eos qui non in Tabernaculo, ſed in Templo ſolo Salomonico miniſtrarunt, omnium primus fuit. Nam Tſadoc ejus avus, & Ahimaaz pater ipſius, vel etiam Abiathar & Achimelec qui ante eum miniſtrarunt in Templo Salomonico, prius in Tabernaculo miniſtraverant. Sunt qui illud dictum 1 Chron. 6. 10. intelligant de poſterioris iſtius Hazariæ facto, quum Hoziæ regi reſtitit. Sed durum plane videtur verbis tam generalibus factum tam ſingulare deſignari.

ϖ An Zacharias Jojadæ filius poſt patris obitum ſummus fuerit Sacerdos Scriptura non dicit, commemorat duntaxat eum fuiſſe à Joaſo interfectum, quum ab eo de idololatria ſpiritu prophetico afflatus increparetur. Quòd ſi ſummus Sacerdos fuiſſet, primò nihil opus fuiſſet ſpiritu prophetico ad Joaſum increpandum, potuiſſet enim & debuiſſet id facere pro munere Sacerdotali quo fungebatur, quomodo Hazaria prius Hoſiæ thurificanti obſtiterat. Secundò non eſt probabile voluiſſe Joaſum tantum facinus in ſummi Sacerdotis perſona intra Templum ipſum patrare; fuiſſet enim id immanius multò ipſo Saulis facto, qui Achimelecum cùm 80 Sacerdotibus extra Tabernaculum interfecerat. Itaque videtur potiùs Zacharias fuiſſe unus ex minoribus Jojadæ filiis, qui tacente & diſſimulante fortè atque connivente ad Joaſi idololatriâ fratre Hazaria natu majore, afflatus ſpiritu prophetico Joaſum graviter increpuit. Quod Zachariæ factum Rex cum principibus potuit aliqua cum ſpecie apud populum calumniari, quaſi id fuerit non ab afflatu divino, ſed à juvenili temeritate atque audacia, vel etiam petulantia, atque eo nomine populum in eum concitare.

ρ 2 Chron. 9. 11. Amaria dicitur fuiſſe ſummus Sacerdos & caput magni Synedrii tempore regis Joſaphati. Cùm autem præcedens Hazaria Hoziæ regi ſub finem regni ejus reſtiterit, cúmque Joſaphati mors primum Hoziæ annum præceſſerit annis ut minimum 78, planum eſt Amariam iſtum vel non eum eſſe qui Joſaphati tempore fuit ſummus Sacerdos, vel non eſſe præcedentis Hazariæ filium; an enim filius ante patrem in Sacerdotio fuerit annis pæne centum? Cùm itaque in hac ſummorum Sacerdotum linea & ſtemmate nullus alius Amaria occurrat, qui tempore Joſaphati Sacerdotio fungi potuerit (nam prior Amaria Merajothi filius, & Ahitubi pater, non potuit Joſaphati tempore vixiſſe,) nihil videtur magis conſentaneum, quàm ſi dicamus iſtum Amariam non eſſe poſterioris iſtius Hazariæ (qui Hoziæ reſtitit,) ſed prioris qui ſub Salomone fuit, filium. Sic enim potuerit ſub Joſaphato Sacerdotium exercere. Itaque gemina admittenda videtur Metatheſis in loco 1 Chron. 6. 9, 10, 11, 12. ut nempe ſic legantur verſiculi iſti, *Ahimaas genuit Hazariam (iſte eſt qui* primus *Sacerdotium exercuit in domo quam extruxit Salomon Jeroſolymis:) Hazaria autem genuit Amariam, Amaria genuit Johanan, Johanan genuit Hazariam, Hazaria genuit Ahitubum, Ahitub genuit Tſadocum.* Hac facili Metatheſi admiſſa ſolvuntur nodi inexplicabiles qui oriuntur ex ſerie iſta horum Sacerdotum, quæ eſt 1 Chron. 6. verſ. 9, 10, 11. Sunt qui Amariam illum qui ſub Joſaphato fuit, dicant non fuiſſe Amariam iſtum poſteriorem, neque etiam priorem illum Merajothi filium (vident enim neutrum iſtorum potuiſſe ſub Joſaphato Sacerdotio fungi: ſi poſterior iſte ſtatuatur Hazariæ qui regi Hoziæ reſtitit, filius, & Ahitubi pater: ſed fuiſſe alium quendam Amariam ab Ithamare oriundum. Sed quis credat pium regem Ioſaphatum conſtituiſſe ſummum Sacerdotem & caput Synedrii aliquem ex Eli & Ithamari poſteris, cùm paulò antè à Salomone Eli familia in Abiatharis perſona à ſummo Sacerdotio fuerit excluſa, munúſque illud ad Tſadoci poſteros tranſlatum. Omnino ergo Amaria ille qui ſub Joſaphato fuit, eſt iſte Amaria, ſed qui prioris non poſterioris Hazariæ fuit filius.

σ Ahitubum iſtum Hazariæ non nepotem, ſed filium fuiſſe ex antecedente nota liquet. Cæterum horum trium ſequentium, nempe Ahitubi, Tſadoci & Schallum alibi non fit mentio, niſi iſthic 1 Chron. 6. 11, 12, 13, & Neh. 11. 11. nec ullibi commemorantur functi Sacerdotio. Eſt tamen omnino veriſimile eos munere illo functos fuiſſe ſub regibus Jothamo, Achazo, Ezekia & Manaſſe, ad Hilkijam uſque Sacerdotem, qui 2 Chron. 34, & 35 dicitur Sacerdotio functus initio regni Joſiæ. Ita Hazaria functus fuerit Sacerdotio ſub Hozia, Ahitub ſub Jothamo, Urias (excluſo Merajotho) ſub Achazo, Tſadoc ſub Ezechia, Schallum denique ſub Manaſſe, Hilkija etiam forte ſub eodem Manaſſe cœperit eo munere defungi.

τ Nehem. 11. 11. inter Ahitubum & Tſadocum interponitur Merajoth, qui omittitur 1 Chron. 6. 12. Atque hæc fortè reddi poteſt cauſa hujus omiſſionis, quòd ſcilicet impius rex Achaz iſtum Merajothum Sacerdotio ſubmoverit, & Uriam in ejus locum ſubſtituerit, quòd illum repugnare, iſtum verò favere & aſſentari profanæ ſuæ idololatriæ ſciret. Quia ergo Merajoth iſte ab Achazo officio ſubmotus Sacerdotio ſummo non eſt functus, ideo forte in ſerie & catalogo ſummorum Sacerdotum non eſt 1 Chron. 6. collocatus.

υ Urias iſte ſive ex Eli & Ithamare, ſive ex Phineazo oriundus fuerit, ſed in ſecundo ordine, videtur ab Achazo idololatra in Merajothi locum & munus ſubſtitutus, ut hoc beneficio devinctum & obſequentem idolomaniæ ſuæ haberet iſtum Uriam.

φ De hoc Tſadoco alibi nulla fit mentio. Videtur autem ſub Ezechia rege functus Sacerdotio (expulſo & dejecto impio Uria) & patri Merajotho ſucceſſiſſe, atque in eo munere forte perduraſſe etiam ſub Manaſſe.

χ Schallum iſte, ſive Meſchullam alibi non commemoratur. Veriſimile eſt tamen (ex ſuperiore nota φ) eum ſub Manaſſe fuiſſe Sacerdotem.

ψ Hilkijam pium fuiſſe Sacerdotem liquet ex Hiſtoria 2 Reg. 22. & 2 Chron. 34. 35. & fortaſſe Joſiam regem, octennem quum cœpit regnare, inſtituit in pietate, eique fuit auctor inſtaurandi Dei cultum collapſum ſub Manaſſe & Amon impiis regibus.

ω Inter Sacerdotes qui inſtauratis à Nehemia Hieroſolymis illic habitarunt, numeratur Seraja Neh. 11. 11. vel Hazaria Eſd. 9, 11. filius Hilkijæ F. Meſchullam, F. Tſadæ F. Merajoth, F. Ahitub Præfecti domui Dei. Unde videri poſſet Serajam illum vel Hazariam eſſe iſtum qui hîc in ſtemmate iſto collocatur. At fieri id non poteſt: nam quî poſſet Seraja qui ſub Sedecia fuit Sacerdos, vivere adhuc tum quum muri Jeroſolymitani à Nehemia ſunt inſtaurati, cùm inter Sedeciæ caſum, & murorum Jeroſol. inſtaurationem ut minimum anni ſint 155, ſi dicamus Jeroſolymam inſtauratam anno 20 Artaxerxis Longimani; aut anni 215, ſi ſecundùm Scalig. & alios, ſtatuetur Jeroſolymorum inſtauratio facta anno 20 Artaxerxis Mnemonis, Deinde quî fit ut Seraja ſeu Hazaria ille collocetur, & nominetur poſt Jodahiam F. Jojarib, & poſt Jakin Sacerdotes. Certè ſi eſſet ille Seraja pater Jehotſadac & avus Jeſchuæ, non ita collocaretur tertio aut quarto loco poſt duos vel tres gregarios Sacerdotes, quos ætate, dignitate, & omni modo longe anteibat. Quid ergo eſt? Nempe Seraja ille non is eſt qui ſummus Sacerdos fuit tempore Sedeciæ, ſed aliquis ex ejus poſteris, qui eodem fuit nomine, ille nempe forte cujus fit mentio Neh. 10. 2, qui fœdus à populo cum Deo initum tertius ſigillo ſuo confirmavit poſt Nehemiam & Sedeciam.

Ex Joſephi libb. de Antiq. Judæorum.

Series & Stemma Pontificum Judæorum, a Jaddo, ſive Jadduach (qui Alexandro M. obviam proceſſit) uſque ad Aſſamonæos, & ab Aſſamonæis uſque ad Herodem Regem, ſub quo Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſummus Eccleſiæ Pontifex natus eſt.

Jaddus qui Alexandro M. obviam proceſſit, in Scriptura Jadduah appellatur.

4 Manaſſes, poſt Eleazari ex fratre Nepotis obitum Sacerdotio functus.

1. Onias primus, poſt Jaddum patrem Pontifex factus.

3. Eleazarus, qui ob impuberem Oniæ ſecundi ex fratre Simone nepotis ætatem, Sacerdotio functus eſt. Is eſt (ſecundum Joſephum) ad quem Ptolemæus Philadelphus ſcripſit, ut ad ſe mitteret ſacra Biblia in Græcam linguam convertenda.

2. Simon cognomine Juſtus, poſt patrem Oniam Sacerdotio functus filium impuberem reliquit.

5 Onias ſecundus poſt patrui Eleazari & Manaſſis obitum Sacerdotio functus eſt. Qui cum avariſſimus eſſet, & tributum modicum 20 Talentorum, Regibus Ægypti pendi ſolitum ſolvere negligeret, graviſſimè ea de cauſa Ptolemæum Euergetem offendit, qui miſſa legatione Judæis internecionem minatus eſt, ſed ejus ira à Joſepho delinita eſt redemptis ab eo totius Syriæ & Judææ vectigalibus.

6 Simon ſecundus Oniæ patri in Sacerdotio ſuccedit.

Tobias. : : : : :

Joſephus, ingenioſus adoleſcens, qui cùm in Ptolomæi Euergetis gratiam veniſſet, Syriæ & Judææ vectigalia omnia ab eo redemit, eaque tenuit per annos 22, quorum tributorum nomine duplo plus reddebat Ptolemæo quàm priùs ex iis ſolitus eſſet ab aliis tributorum redemptoribus accipere. Multis beneficiis totam gentem ſuam per illud tempus affecit, & ex ea tributorum redemptione in immenſum ditatus eſt.

Solymius : : : : : : :

Hyrcanus ingenioſiſſimus & munificentiſſimus juvenis, Ptolemæo Euergeti & Cleopatræ ejus conjugi cariſſimus.

7 Onias tertius, ad quem ſcripſit Arius Lacædemoniorum Rex epiſtolam illam quæ habetur in lib. Machabæorum.

Onias quartus, ubi vidit patruum Menelaum ab Antiocho Eupatore necatum, & Sacerdotium ab eo ad Alcimum tranſlatum, ipſe ad Ptolemæum Philometorem ſe confert in Ægyptum, à quo impetrat poteſtatem condendi Templum Jeroſolymitano ſimile in Heliopolitana Præfectura.

8 Jeſus poſt fratris Oniæ mortem, ob impuberem filii ejus ætatem, ab Antiocho Epiphane Pontifex conſtitutus Jaſon vocari voluit. Sed mox infenſus ei Antiochus, cùm Sacerdotium Menelao fratri ejus obtuliſſet, Jeſus excitata populi adverſus fratrem ſeditione eum expulit.

9 Menelaus, priùs Onias dictus, fratrum minimus, Pontificatum fratri Jeſu ademptum ab Antiocho Epiphane accepit. Sed mox excitata adverſus eum populi ſeditione, pulſus à fratre cogitur ad Antiochum fugere, à quo, patriâ lege relictâ, facultatem cum ſuis ſequacibus accepit ab eo vivendi ſecundùm ritus Græcorum, primúſque Gymnaſium Hieroſolymis extruxit. Poſt decennium in Pontificatu exactum, ab Antiocho Eupatore abdicatur, & Berœæ Syriæ necatur.

Simon
Johannes
Matathias

Alcimus ſive Jakimus, qui de genere Sacerdotali nullo modo fuit, poſt interfectum Menelaum ab Antiocho Eupatore, Pontificatum accepit, quo per quadriennium functus eſt. Iſti defuncto ſucceſſit Judas Machabæus.

2 Jonathas, poſtquam per quadriennium vacaſſet Sacerdotium, illud à Pſeudo-Alexandro oblatum accepit, atque unà cum principatu tenuit per quadriennium, dolo à Tryphone occiſus.

3 Simon poſt fratris Jonathæ mortem Pontificatum & Principatum ſimul per annos octo tenuit, inſidiis Ptolemæi generi ſui in convivio interfectus.

1 Judas Machabæus à populo in Pontificem electus, primus Aſſamonæorum, cui Sacerdotium cum Principatu populus detulit, per triennium poſt Alcimi mortem functus eſt Sacerdotio. Eo mortuo vacat Pontificatus per quadriennium.

4 Johannes Hyrcanus poſt patris Simonis cædem contra Ptolemæum Simonis generum à populo exceptus Principatum & Pontificatum ſimul tenuit per annos 30. Vixit feliciſſimè non rex modò & Sacerdos, verum etiam Propheta, Deus enim eum alloquio ſuo non ſemel dignatus eſt, multaque prædixit.

Salome — 5 Judas ſive Ariſtobulus poſt Hyrcani patris mortem annum unum duntaxat regnum tenuit, & Pontificatum ſanguinis vomitu (divina eum perſequente vindicta ob cæſum fratrem Antigonum) extinctus. Primus Aſſamonæorum diadema regium capiti circumpoſuit.

6 Alexander annos 27 regnum cum Sacerdotio tenuit, Judæis exoſus qui ſæpius bellum ei intulerunt, totieſq; ab eo victi ſunt, tandem quartana febre ex intemperantia orta extinctus eſt. — Alexandra poſt mariti mortem regnum per 9 annos adminiſtravit, Sacerdotio interim collato in filium Hyrcanum.

7 Hyrcanus poſt patris Alexandri mortem, interim dum mater Alexandra regnum adminiſtrat, ipſe per annos 9 Pontificatum tenuit. Poſt matris autem mortem à fratre Ariſtobulo cogitur vitam privatam vivere per annos 3, menſes 3, quibus Ariſtobulus regnum & Sacerdotium ſimul tenuit. Ubi verò à Pompeio captus & vinctus Romam miſſus eſt Ariſtobulus, ipſe tum regno tum Sacerdotio reſtitutus eſt, quæ ipſe tenuit per annos 23. Deinde à Parthis captus auribus truncatus & Babylonem abductus eſt. Unde aliquot pòſt annis ab Herode ſpecie benevolentiæ revocatus & à Parthis dimiſſus, mox ab eo clam interficitur, cùm mortuo Antonio ad Auguſtum ipſe properaret.

8 Ariſtobulus fratre Hyrcano natu minor, ſed ingenio & animo longè ſuperior, poſt matris obitum fratre armis ſuperato, cogit eum regno & Sacerdotio ſe abdicare, quæ ipſe ſimul tenuit per annos tres, & menſes tres. Quibus exactis à Pompeio ad Hyrcani preces ſuperatur, & captis Jeroſolymis vinctus cum tota familia Romam mittitur.

Alexandra — Alexander cùm Romam unà cum patre â Pompeio abduceretur, in itinere fuga ſe ſubducit, res novas in Judæa adverſus Hyrcanum molitus à Gabinio Pompeii legato vincitur, rurſus rebellans ab eodem Gabinio ſuperatur, paulo poſt Pompeii juſſu à Scipione ſecuri percutitur.

9 Antigonus à Ptolemæo Mennæo Calchidis tyranno accitus & in tutelam ſuſceptus apud Cæſarem Hyrcanum & Antipatrum Herodis patrem accuſans ſpe ſua excidit. Sed mox Parthorum, qui Syriam ſupra Romanos occupaverant, ope Hyrcanum oppugnat Jeroſolymis, captum auribus truncat ut eſſet Sacerdotio inhabilis, Parthíſque abducendum Babylonem tradit. Ipſe per triennium & menſes ſex regno & ſacerdotio potitur, quibus exactis ab Herode Jeroſolymis obſeſſus, captus, vinctus ad Antonium miſſus, móxque ab eo Herodis ſuaſu interfectus.

Herodes M. Rex Judæorum — Mariamme Alexandri & Alexandræ filia, Herodi vehementiſſimè dilecta, ab eo impetravit ut Ariſtobulus frater crearetur Pontifex.

10 Ariſtobulus adoleſcens annorum 17, formâ eximius, ab Herode in gratiam uxoris ſuæ Mariammes Pontifex conſtitutus, anno uno functus eſt Sacerdotio, ſed mox ab Herode ex ſuſpicione dolo necatur. Ultimus ex Aſſamonæis qui geſſit Pontificatum.

Herodes M. Rex Judæorum à Senatu ad Antonii poſtulationem declaratus poſt debellatum per triennium Antigonum, creat Pontificem Ananelum obſcuri generis Sacerdotem, Babylone accerſitum, olim ſibi notum & familiarem, ſed mox ob indignationem ſocrus ſuæ Alexandræ, & Mariammes conjugis ea de cauſa conceptam, eo abdicato ſubſtituitur ei Ariſtobulus, qui ultimus Aſſamonæorum fuit, quo extincto ſacerdotium iterum eſt Ananelo traditum, ac deinceps Pontificatus ad arbitrium Herodis, ejuſque poſterorum vel Romanorum, modò huic modò illi, etiam pretio interdum collatus eſt.

Series ſummorum Pontificum Judaicorum, ex quo ab Herode ereptum eſt Aſſamonæis regnum cum Sacerdotio, ad excidium uſque Templi & Jeroſolymorum per Titum Veſpaſianum. Ex Joſephi libb. de Antiq. Jud.

Poſt arte & dolo necatum Ariſtobulum, ultimum ex Aſſamonæorum genere ſummum Pontificem, Herodes, ejuſque filius Archelaus, adeoque & Romani, poſtquam Judæa eſt in provinciam redacta, Pontificatum contulerunt in quoſlibet ex Sacerdotum numero & genere, licet alioqui obſcuros, quos ipſi pro arbitrio & libitu inſtituebant & deſtituebant. Horum primus fuit

1. Ananelus ab Herode Babylone accerſitus, olim ipſi notus & familiaris, cui poſtea ab eodem ſubſtitutus fuit

2. Jeſus Phabeti filius, cui deinde Sacerdotium abrogavit, & ſucceſſor ei datus eſt

3. Simon Boethi Alexandrini filius (vel potius Boethus ipſe, quo cum filius ejus Simon videtur Sacerdotium exercuiſſe.) Hujus Simonis aliam Mariammen formoſiſſimam cùm vellet ducere in uxorem Herodes, patri Simoni vel avo Boetho, Pontificatum contulit. Hanc cùm poſtea ob inſidias ipſi ab ea ſtructas necaſſet Herodes, Simoni patri Sacerdotium abrogavit, eíque ſuffectus eſt

4. Matthias Theophili Hieroſolymitani F. Iſte paucis ante Herodis mortem menſibus privatus eſt ab eo Sacerdotio, eíque ſubſtitutus

5. Joazarus Boethi filius Mariammes conjugis Herodis patruus, cui Archelaus ab Auguſto in regno confirmatus abrogat Pontificatum, eíque ſubſtituitur

6. Eleazarus Joazari frater. Eidem mox idem abrogat Sacerdotium, & viventi ſubſtituitur

7. Jeſus Siæ F. Iſte deinde videtur omnino ſub Archelai finem depulſus Sacerdotio, & in Pontificatu reſtitutus

8. Joazarus ille prior. Nam cùm poſt Archelai exilium & religationem, ab Auguſto miſſus eſſet in Judæam Quirinius, qui cenſum ageret, & Archelai bona divenderet, perſuadente Joazaro Pontifice (inquit Joſephus) populus tandem acquievit illi deſcriptioni ac cenſui. Mox ſeditione populi contra eum excitatâ, Quirinius eum privavit Sacerdotio, atque ei ſuffectus eſt

9. Ananus Sethi F. cui non multo poſt à Valerio Grato Judææ (à Tiberio miſſo) Præſide Pontificatus eſt ademptus, eíque ſuffectus

10. Iſmael Fabi F. quo mox deſtituto, ſubſtituitur

11. Eleazarus Anani Pontificis F. Elapſo anno dignitatem huic adimit, ſufficitúrque

12. Simon Camithi F. qui annum ſimiliter in hac dignitate egit, quo exacto ſucceſſor ei datur

13. Joſephus cognomento Cajaphas (ille ſub quo Chriſtus eſt paſſus, Annæ, hoc eſt Anani illius præcedentis, gener, ut habet hiſtoria Evangelica.) Is à Vitellio ſub finem regni Tiberii privatus eſt Sacerdotio, eíque ſubrogatus

14. Jonathas Anani Pontificis filius, cui paulo pòſt idem Vitellius quum ad bellum Arabicum proficiſceretur, paulò ante Tiberii mortem Pontificatum ademit, eíque ſuffectus eſt

15. Theophilus Jonathæ frater, huic Agrippa M. quum Româ poſt Caligulæ cædem veniſſet, initio regni Claudii, Pontificatum abrogat, eíque ſufficitur

16. Simon cognomento Canthara Boethi F. qui jam antè vivente Herode functus fuerat illâ dignitate unà cum patre. Huic mox Pontificatum abrogat Agrippa, & ſucceſſor ei datus eſt

17. Matthias Anani Pontificis F. & Jonathæ frater, cui deinde cùm idem Agrippa Pontificatum ademiſſet, ſuffectus eſt ei

18. Elionæus Cithæi F. Huic etiam videtur ademptus Pontificatus, eíque ſubrogatus eſt

19. Simon Canthara. At poſt Agrippæ M. mortem, Herodes Calchidis Rex Agrippæ frater impetratâ à Claudio poteſtate in Templum & ſacrum ærarium, hoc Simone in ordinem redacto, ſuffectus eſt ei

20. Joſephus Canei ſive Camydis F. quem idem Herodes mox privavit illâ dignitate, eique ſubſtitutus

21. Ananias Nebedæi F. Iſte à Numidio Quadrato Syriæ Præſide miſſus eſt Romam unà cum Cumano Judææ Procuratore, redditurus Claudio rationem ſeditionis cujus accuſabatur circa decimum Principatus Claudii annum. Abrogatus videtur ei ea de cauſa Pontificatus, eique ſubſtitutus

22. Jonathas, quem Felix Procurator Judææ, cùm òdio proſequeretur, curavit per ſicarios interfici, eique ſubrogatus eſt

23. Iſmael Fabei F. Iſte Romam ivit ad Neronem cum decem Judæorum legatis, poſtulaturus ut paries quidam (quem Feſtus Procurator volebat dirui) in Templo exſtructus, ad arcendum ne quis ex Regia quid in Templo fieret, proſpicere poſſet, maneret incolumis, Romæ detentus eſt tanquam obſes, quo intellecto ei à Feſto ſubrogatus eſt

24. Joſephus cognomento Cabi, Simonis quondam Pontificis F. cui Herodes Agrippas poſt Feſti mortem, ademit Pontificatum, eſtque illi ſubſtitutus

25. Ananus Anani quondam Pontificis F. Is ſectâ Sadducæus ſtatim atque Pontificatum adeptus eſt, Jacobum Domini noſtri Jeſu Chriſti fratrem ſecuri percuſſit, improbantibus id factum pleriſque Judæis : qua de cauſa tertio poſt adeptum Pontificatum menſe, abrogatum eſt ei Sacerdotium ab Herode Agrippa, illíque ſubſtitutus

26. Jeſus Damnæi filius, cui cùm idem Herodes ademiſſet Pontificatum, ſucceſſor datus eſt

27. Jeſus Gamalielis F. Huic cùm abrogaſſet etiam Pontificatum, ſucceſſor datus eſt

28. Matthias Theophili F. ſub quo Judaicum bellum initium habuit, anno Principatus Neronis duodecimo. Huic deinde à ſeditioſis Zelotis (belli tempore) ſuffectus vel oppoſitus eſt

29. Phanazus, ultimus Pontificum Jeroſolymis in Templo Sacerdotio functus eſt.

DE
PONDERIBUS & PRETIIS
Veterum Nummorum, eorumque cum recentioribus Collatione,
LIBER UNUS.

Authore EDOVARDO BREREWOOD: Olim in Collegio *Greſſamenſi* LONDINI *Aſtronomiæ* Profeſſore.

INDEX.

CAP. I. *De Nummis Argenteis propriis Judæorum.*
CAP. II. *De Nummis æreis. quorum in Sacris Libris fit mentio.*
CAP. III. *De Nummis Aureis qui in uſu Judæorum.*
CAP. IV. *De Summis Nummorum Hebrais.*
CAP. V. *De præcipuis quibuſdam Nummorum ſummis quarum in Libris Sacris Mentio.*
CAP. VI. *Conſideratio de Auri & Argenti Numero à Davide relicto Salomoni, pro Templi fabrica.*
CAP. VII. *De veteribus Græcorum & Exterorum Nummis. Primò, de Argenteis & æreis.*
CAP. VIII. *De Nummis Aureis Græcorum & Aſiaticorum.*
CAP. IX. *De Summis Nummorum Græcis.*
CAP. X. *De præcipuis quibuſdam Græcis Nummorum Numeris.*
CAP. XI. *De Veteribus Romanorum Nummis. Primò, De initiis Nummorum apud Romanos.*
CAP. XII. *De Æreis Romanorum Nummis.*
CAP. XIII. *De Argenteis Romanorum Nummis.*
CAP. XIV. *De Aureis Romanorum Nummis.*
CAP. XV. *De Aureis Nummis poſt Imperii ſedem Byzantium tranſlatam.*
CAP. XVI. *De Argenteis & æreis Nummis Imperii Byzantium tranſlati.*
CAP. XVII. *De Summis Nummorum Romanis.*
CAP. XVIII. *De Seſtertio. Et arte Romana Numerandi per Seſtertios.*
CAP. XIX. *Summæ quædam Romanorum Nummûm, & earum in noſtris Declaratio.*
CAP. XX. *De Proportione Auri ad Argentum.*
CAP. XXI. *De Auri & Argenti Pretiis.*
CAP. XXII. *De Aurei & Argentei Nummi Temperaturis.*
CAP. XXXIII. *De Pretio & pondere æris & aliorum Metallorum.*

DE PONDERIBUS ET PRETIIS VETERUM NUMMORUM.

ID quod Romani dixerunt 1°. Monetam, quod nota aliqua impreſſa certi moneret pretii, & 2°. Pecuniam, quod * Pecudis imagine olim ſignaretur : 3°. Nummus etiam appellatur, origine ut videtur a Græca, ὅτι οὐ φύσει ἀλλὰ νόμῳ ἐστὶ, quod b *Ariſtoteles* de Græco vocabulo νόμισμα dixit : Nam & eo nomine Græcis, à lege qua inſtituitur, & χρῆμα ab uſu, nuncupatur.

* *Plin. lib.* 33. *cap.* 3. *Plutarch. in Publicola.* a *Pollux l.* 9. *c. de Talent.* b *Ariſt. l. Ethic.* 5. *cap.* 8.

CAP. I.
De Nummis Argenteis propriis Judæorum.

De veterum itaque Nummorum ponderibus & poteſtate dicturus, incipiam à nummis Hebræorum : illi verò nullum habuerunt proprium ex argento, præter Siclum & ejus partes.

Shekel, שקל altera facie vaſculum oſtendit quo Manna ſervabatur in Sanctuario, cum hac perigraphe, *Shekel Iſraelis* : altera virgam *Aaronis* affloreſcentem, cum inſcriptione, Jeruſalem Sancta : Quæ ſane ante captivitatem Babylonicam, antiquis Hebræis literis, quas Samaritanas nunc vocant, expreſſa fuit : Poſt eam vero, Hebræis novis, id eſt, Aſſyriis ſeu Chaldæis : Characteres enim qui nunc ſunt in Hebræorum uſu, atque jam diu fuerunt ab *Eſræ* temporibus, Aſſyriorum fuiſſe, * Judæi ipſi haud diffitentur. Porrò, pondus Sicli exquiſitè ſemuncia fuit; id eſt, drachmarum 4. ut a *Joſephus, Hieronymus, Heſychius* prodiderunt, & b alii viri docti experientia facta deprehenderunt. Licet autem Septuaginta Interpretes שקל ſæpe reddunt δίδραχμον, ut *Geneſ.* 23. 15. *Exod.* 21. 32. *Levit.* 27. 3, 4, 5, 6, 7. *&c. Joſ.* 7. 21, *&c.* Non tamen cum reſpectu ad drachmam Atticam, ſed Hebræam vel Alexandrinam, illi ſunt intelligendi : Etenim cum Interpretes ipſi Hebræi eſſent, & libros ſacros Alexandriæ Græcè converterent, omnino credibile eſt, aut ad regionis ſuæ, aut ad Alexandriæ pondera eos reſpexiſſe. Drachma autem Hebræa etiamque Alexandrina Atticæ dupla fuit : Nam Talentum Alexandrinum 12000. drachmas Atticas continebat authore c *Varrone,* quantum etiam & Hebræum fuit : Omne autem Talentum continere 6000 drachmas ejus loci proprias cujus talentum eſſe dicitur, d *Pollux* & *Suida* prodiderunt : Proinde didrachmum pondere Hebræo vel Alexandrino, tetradrachmum fuit Attico. Siclus itaq; Iſraelitarum Athenienſium Stateri omnino par fuit, eaq; cauſa interdum *Symmacho,* plerumque Aquilæ, στατὴρ Græcè redditur : valet proinde *Shekel* de noſtro. 2 s. 6 d. ࠔࠒࠋ ࠉࠔࠓࠀࠋ *id eſt* שקל ישראל ࠉࠓࠅࠔࠋࠉࠌ ࠄࠒࠃࠅࠔࠄ *id eſt* ירושלים הקודשה.

* *In Tract. Sanhedrin. cap.* 2. *Abraham de Balmis, in* מכנה אברם *cap.* 1, *&c.* a *Joſeph. lib.* 3. *Antiq. cap.* 9 *Hieron. in Comment. ad cap.* 4. *Ezechiel. & ad* 17. *Matthæi. Heſych. in vocab.* σίκλος. b *R Moſ. Gerund. ad fin. expoſ. Pentateuchi. Ar. Montan lib. de Menſ. ſacris Tract. de Siclo. Maſius ad cap.* 7 *Joſuæ. Anton. Auguſt Dial.* 2. *de Num. Antiq. &c.* c *Varro l.* 4 *de Ling Latina.* d *Pollux l.* 9. *Onomaſtic. c. de Talento. Suid. in dictione* τάλαντον.

Dimidius Siclus, מצית *ſeu* בקע השקל, cujus mentio *Exod.* 30. 13, & 15. & *cap.* 38. 26. Tributum à viris ſingulis Tabernaculo & Templo penſitatum, idq; annuatim, ut 1 *Chron.* 24. *v.* 6, & 9. manifeſtum eſt, & poſt Templum dirutum, Capitolio Romano ex decreto *Veſpaſiani,* ut a *Joſephus* meminit. Qui etiam Siclus Regius & Publicus dictus fuit, de quo 2 *Sam.* 14. 26. Ibi enim pro ducentis ſiclis Regii ponderis, Septuaginta centum ſiclos reddiderunt, Intellige ſcilicet centum ſiclos Sanctuarii. De quo b *Epiphanius* eſt etiam capiendus, *Siclus* inquit eſt quarta pars unciæ. Et ubi 1 *lib. Macch.* 10. 42. *Demetrius* remittit Judæis 5000 ſiclos. c *Joſephus* pro iis poſuit 10000 drachmas. Ponderabat itaque drachmas duas, Attico didrachmo par. Et valuit de noſtro 1 s. 3.

a *Joſeph. de Bell. Judaic. lib.* 7. *cap.* 26. b *Epiphan. lib. de ponderib.* c *Joſeph. lib.* 13. *Antiq. cap.* 5.

Triens Sicli, שלישית השקל, id eſt tertia ejus pars, cujus mentio *Nehemiæ* 10. 32. Annuum tributum, Templo ſecundo ab Hebræis civili decreto exhibitum Valuit de noſtro 10 d.

Quadrans Sicli, etiam Hebræis in uſu fuit, ut manifeſtum eſt è *lib.* 1 *Sam.* 9. 8. Chaldæus זוזא vertit, quod nomen *Syrus* etiam *Lucæ* 15. 8. reddit pro δραχμὴ. Et quidem tantum, ſcilicet drachmam : a R. *Elias* in Tiſhbi, & b R. *Kimhi* zuzam eſſe definiunt. (Ducentis zuzim determinatur victus annuus honeſtus homini pauperi (è noſtro id eſt 6 li. 5 s.) quantum qui habet, ſi mendicet, excommunicationem incurrit apud Judæos ut eſt in * Talmud.) Quadrans ergo Sicli, drachmæ Atticæ, Denarioque Romano par eſt. Valetque noſtri 7 d. ob. [a] *R. Elias in Rad.* זוז & דבר [b] *R. Dav. Kimhi ad Ezechiel* 45. 12. *&* 1 *Sam.* 9. * *L. de Miſnaioth Tract. de Angulo. cap* 8.

גרה *Gherah*, eſt vigeſima Sicli pars, ut eſt in Exod. 30. 13. Levit. 27. 25. Ezech. 45. 12. &c. Id eſt, quinta pars drachmæ, ut non ſatis accurate interpretes pro *Gherah* obolum reddant, cum Obolus drachmæ pars ſexta ſit. *Chaldæus* ſemper מעא exponit. De noſtro valet, 1 d. ob.

אגורה *Agorah*, 1 Sam. 2. 36. Idem quod *Gherah*. Nam & eiſdem nominibus *chaldæus* & *Græcus* utranque dictionem reddunt, Ille מעא, hic ὄβολον, & Hebræi omnes ſic exiſtimant, Valet noſtri 1 d. ob.

כסף *Keſeph*, id eſt, argentum, cum Nummum deſignat, ut ſæpe in ſacris libris, Geneſ. 20. 16. & 23. 16. & 43. 21. & 2 Samuel. 18. 11. & 12. &c. Siclum denotat. Chaldæus enim כלעא reddit, quo nomine & שקל reddere ſolet. (Et Septuaginta in loco allato *Samuelis* Σίκλον convertunt.) Ejuſdem præterea ponderis eſſe dictum Chaldæum Nummum *Silgha*, & Hebræum *Shekel*, * Hebræi ipſi authores ſunt. Valet proinde *Keſeph* de noſtro, 2 s. 6 d. * *R. Nathan in Aruc. R. Elias in Tiſhbi. R. Dav. de Pomis in Lexico.*

קשיטה *Keſhitah*, cujus ter in ſacris mentio, Gen 33. 19. Joſ. 24. 31. Job. 42. 11. Nummus fuit Agni imagine ſignatus, indeque *Keſhitah*, id eſt, agnus, appellatus, ut à pecude pecunia. Vetus hic Nummus Chaldæorum aut Arabum proprius videtur fuiſſe, è circumſtantiis locorum in quibus ſit ejus mentio. Idem autem erat Arabibus quod Judæis *Megha*, id eſt, *Gherah*, ut [a] *Rab. Hakiva* ex itinere ſuo Arabico retulit: Idemque *R. Levi Ben Gerſon in Pentateuchum ex Rabbinis* ſtatuit, Valuit proinde de noſtro, 1 d. ob. [a] *Apud R. Dav. Kimhi in Radicib. & R. Solom in com. ad* 33. *Geneſ.*

De Nummis Novi Teſtamenti.

Ἀργύειον, *Argenteus*, cum Nummum ſignificet Judaicum, ut Mat. 26. 15. idemque ſonet quod *Keſeph*, ex Judæorum uſu Siclum denotat: ut recte *Euſebius* tranſcripſerit, *l.* 4. *Dem. Evangelic.* τριάκοντα στατῆρας quod *Matthæus* τριάκοντα ἀργύρια dixerat: Proinde valet noſtri. 2 s. 6 d.

At Ἀργύριον, *Argenteus*, Act. 19. 19. ubi de Nummis Græcis ſermo eſt, drachmam Atticam valet: Græci enim pecuniarum ſummas numerabant drachmis, ut Judæi ſiclis, & Romani ſeſtertiis, *Epheſus* autem (cujus argentei illi erant) Græca civitas fuit, Athenienſium Colonia, ut *Strabo lib.* 14. & *Pauſanias in Achaicis* authores. Valuit proinde ille argenteus, noſtri. 7 d. ob.

Δραχμὴ. *Drachma*, Luc. 15. 8, & 9. Quadrantem ſicli, aut denarium Romanum deſignat, uterque enim drachmam ponderabat: valet ergo noſtri 7 d. ob.

Δίδραχμον. *Didrachmum*, Math. 17. 24. ſignificat ſemiſiclum, quem ex divino præcepto Exod. 30. 13. Viri ſinguli inter Judæos pluſquam annos 20. nati, templo pendebant. Non autem deſignare illic tributum Romanum, manifeſtum eſt; Quia id Romanis nummis penſitatum fuit, ut ex Mat. 22. 17, & 19, & 21. Illi autem Nummos denariis majores (qui ſcilicet eſſent in vulgari uſu) non percuſſerunt. Quod autem Chriſtus de Regibus terræ loquitur, id exempli cauſa inducit, quòd ipſe Dei filius non magis Templo Dei tributum deberet, quam Regibus eorum filii. Valuit autem didrachmum, 1 s. 3 d..

Στατὴρ *Stater*, Mat. 17. 27. Denotat Græco nomine ſiclum Hebræorum, ſtateri Attico pondere omnino æqualem. Nam duo didrachma continebat, cum pro tributo *Chriſti* & *Petri* ſolveretur: Proinde valuit, 2 s. 6 d.

De Nummis externis qui in Judæorum uſu.

Δηνάριον *Denarius*, ut in Mat. 18. 22. & 22. 19, *&c.* Iſque planè Romanus, ut manifeſtum eſt è poſteriori loco *Matthæi* citato *v.* 21. quoniam Cæſaris imaginem oſtendebat. Quartam partem *Silgha*, id eſt. Sicli valuit, ut † Hebræi etiam docent, & proinde drachmam ponderabat. Valebatque noſtri 7 d ob.

† *Lib. Miſnaioth. Tract de decima ſecunda. c.* 2. *Et Tract. de Chetuboth. c.* 5.

CAP. II.

De Nummis æreis, quorum in Sacris Libris ſit mentio.

HOrum tantum Nummorum ex argento ſacri libri meminerunt. Licet autem certum ſit, Judæos etiam ex ære percuſſos proprios nummos habuiſſe, iiſdem plane figuris & characteribus ſignatos quibus argentei, ut *Antonius Auguſtinus Dialog.* 2. *de Num. Antiquis* prodidit. Nulla tamen eorum in hiſtoriis ſupereſt memoria, verũ omnes quorũ in ſacris ſit mentio (ut videtur) ſunt externi. Illi vero ſunt.

Ἀσσάριον *Aſſarius*, Mat. 10. 29. אסר Hebræis recentioribus. Qui, ſi pars eſſet Nonageſima ſexta *Silgha*, id eſt, Sicli, ut Hebræi definiunt in † *Miſnaioth*, valeret qª. c. Sin vero Aſſis ſemiſſe ſit, ut cum [a] *Agricola* ex *Varrone*, mihi etiam videtur ex [b] *Cleopatra*, cui Aſſarius drachmas duas pendet, cum eo tempore, longeque ante, Aſſes eſſent ſemunciales ex lege *Papyria*, valebat de noſtro. qª. q. † *Tract. de Gittim c.* 1. *parag. Et tract. de Nezikim. c.* 8. *par.* ח. [a] *Agricol. lib.* 2. *de ponderib externis.* [b] *Cleopatr. in Coſmet.*

Κοδράντης *Quadrans*, Mat. 5. 26. Mar. 12. 42. Si quarta pars oboli ſit, valet q. c. ([a] *Heſychius* quadrantem interpretatur quartam partem *Follis.*) Quod ſi quartam Aſſis partem denotat, ut magis videtur, (Nam alios quadrantes nemo rei nummariæ peritus obſervavit apud Romanos,) Dimidium erit Aſſarii, drachmamque ponderabit, valuitq; proinde noſtri. q. c. [a] *Heſych. in vocab.* Κοδράντης: *Id quantum ſit collige ex recentioribus Nummis Græcorum.*

Λεπτὸν, *Minutum*, Luc. 21. 2. Marc. 12 42. Dimidium eſt quadrantis, [e] duo enim *Lepta* ſeu Minuta quadrantem efficiunt, ut ille *Marci* locus declarant, idemque [f] *Suida* & *Heſychius*. Minutum proinde ſemidrachmam ponderabat, valebatque Denarii Romani partem octuageſimam, ut Quadrans quadrageſimam, Aſſarius vigeſimam. Valuitque de noſtro c. $\frac{1}{2}$. [e] *Unde* שמונא *id eſt, Octava, redditur à Syro utroque in loco.* [f] *Uterque in Voc.* Κοδράντης.

CAP. III.

De Nummis Aureis qui in uſu Judæorum.

AUreorum autem Nummorum in libris Sacris quatuor opinor tantum nomina. זהב Zahab, שקל זהב Siclus Auri, Adarcon, & Drakmon. Quorum duo priores tantum ad nummos Hebræorum proprios videntur pertinuiſſe. Zahab enim 2 Reg. 5. 5. & 2 Chron. 9. 16. &c. pro Nummo meminit. Sicli aurei autem 1 Chron. 21. 25. utrumque autem nomen ubi Nummum deſignat, Aureum didrachmum ut videtur ſignificat. Namque & Stateres aureos Perſarum, Græcorum, Romanorum aliarumque celebrium gentium obſervo ex antiquitate, tantum fere ponderaſſe. Et præterea ea aureorum ſumma, quæ 1 Reg. 10. 17. tres auri Minæ eſſe dicitur, refertur 2 Chron. 9. 16. eſſe trecenti Aurei. † Minas enim omnium gentium ſingulas 100. earum drachmas continere notum eſt, quod autem drachmale eſt pondere Hebræo, didrachmum eſſe pondere Attico, ſupra comprobavi. Licet autem Chaldæus, 2 Reg. 5. 5. Zahab 6000. tot millia דינרין id eſt, denarios reddit, quod ſcilicet eſſent denariorum pondere, non tamen de argenteorum denariorum pondere, ſed aureorum Paraphraſtem intelligo: Aureos enim Romanorum, etiam Denarios fuiſſe ab iis appellatos, (quòd ſcilicet eaſdem plane imagines oſtenderent, & magnitudine non multum diſſiderent) è [a] *Plinio* & aliis clare elicimus. [b] *R. Levi Ben Gerſon* autem, nomina זהב & זהוב, cum ad Nummorum rationem indicandam adhibentur, ſiclorum pondus ſignificare ſtatuit. Id quod de ſiclis vulgaribus, non ſiclis Sanctuarii intelligendum eſt. Licet enim ubi numerus ponderis innuitur, videtur ſiclos denotare integros, ut Judic. 8. 26. ubi Septuaginta 1700. Zahab, tot ſiclos reddunt; ubi tamen numerus Nummorum deſignatur, exhibet ſemper didrachmas aureas. Aureus ergo Hebræorum, vulgari eorum ſiclo argenteo pondere æqualis, drachmas duas Atticas pendebat. Et proinde pro ea proportione auri ad argentum quæ apud nos viget, ſcilicet duodecupla, valuit de noſtro, 15 s. † *Vide Nummos Græcos in* μνᾶ. [a] *Plin l.* 33. *c.* 3. *Didymus apud Priſcian. lib. de Ponderib.* [b] *Comment. ad* 8. *Judic. cap.* 26.

Duo autem alia aurearum Monetarum nomina in veteri Teſtamento ſunt אדרכון & דרקמון Adarcon & Drakmon. Illud Ezræ 8. 27. & 1 Chron. 29. 7. Hoc Eſræ 2. 69. & Nehem. 7. 70, 71, 72. Uterque Nummus Hebræis externus fuit (ut nomina ipſa ſatis indicant, quorum neutrum eſt Hebrææ originis) & Perſicus, ut videtur: uterque etiam ejuſdem ponderis, cum utrunq; Græci Interpretes δραχμὴν convertant, quod tamen ut dixi cum reſpectu ad pondera Alexandrina, aut Hebræa, intelligendum eſt, quæ Atticorum ponderum ejuſdem appellationis dupla ſunt. Drakmon autem nomen ponderis videtur eſſe: Adarcon autem, (ſi conjectura mea non fallit) nomen Principis innuit, & Daricum Perſarum Aureum notat: Nam & *Darius Hiſtaſpis* filius tunc regnavit, cum hii nummi aurei *Ezræ* tempore oblati dicuntur in Templi ſtructuram, & ab illo *Dario* procuſos fuiſſe aureos optimos, [a] *Herodotus* memoriæ prodidit. Qui vel eam ob cauſam *Darici* dicebantur, vel, teſtante [b] *Plutarcho*, quod in altera parte *Darii* imagine ſignarentur. Licet autem nomen Adarcon ſemel ante legatur in rerum vetuſtiorum hiſtoria, ſcilicet 1 Chron. 29, 7. Tamen, cum † *Ezra* ejus etiam libri author extiterit, potuit quidem ille rei veteri recentius nomen externum imponere, quod ſcilicet nummum ejuſdem plane ponderis deſignaret. Eo autem magis mihi videtur nomen *Adarcon Daricon* notare, quod prima litera א ablata *Daricum* fere ſonat. [c] א autem in dictionis initio, ſæpe præter radicem eſt Chaldæis, & vel ſervit loco ה apud Hebræos, vel etiam præpoſitionis vicem obtinet, *juxta, ſecundum*, vel tale quid denotantis. Unde in loco *Chronicorum*, principes tot *Adarconim* obtuliſſe, innuere videtur, tot dediſſe aureos, qui eſſent pondere *Daricorum*. *Adarcon*, ergo & *Drakmon*, ut vernaculus Hebræorum aureus, valet de nummis noſtris. 15 s. *Herodot. in Melpomene.* [a] *Plutarch. in Artaxerxe.* [b] *Vide Abulenſ. in Præfat lib. chron. Quæſt.* 5. [c] *Vide Guidon. Fabric. in Gram. chaldæa. & Angel. canin. in Inſtitut. ling. Syriac.*

CAP. IV.

De Summis Nummorum Hebrais.

DIxi de nummorum generibus quorum in ſacris Libris ulla mentio. De eorum ſummis dicam proximè, quarum duæ apud Hebræos celebrantur. Illæ ſunt. מנה ſeu מנה Auri, *Maneh*, μνᾶν Græci dicunt, Latina Minam. Mina vero Hebræa, Auri quidem, continet 100. drachmas pro pondere Hebræo (id eſt 200, Atticas) pro communi gentium ritu: valetque noſtri 75 li.

At Argenti Mina (vetus) apud Hebræos 60 ſiclos complectitur, ut Ezechiel 45, 12. id eſt 240 drachmas Atticas, ſive ut *Joſephus* ait eodem ſenſu, libras Argenti duas cum dimidia: Et proinde valet de noſtro 7 li. 10 s. *Joſeph. lib.* 14. *Antiquit. c.* 12.

Quod vero ab Hebræis. *Lib.* † *Miſnaioth*, Mina (Nova) denarios ſeu drachmas 100 (intellige Atticas) continere dicitur, accipiendum eſt de recentiori ejus nominis inſtituto, & ex Græcorum aliarumque gentium commerciis inter Hebræos valuiſſe. Eaque Mina valuit noſtri 3 li. 2 s. 6 d. † *Tract. de Angulo. c.* 8. *parag.* ה & ז.

ככר (Argenti) *Talentum Hebræorum* continet pondere 3000 ſiclos, ut obſervanti evidens eſt è 38. Exod. 25, 26. Nam pro ſexcentis millibus virorum, tot ſemiſicli oblati, faciunt trecenta millia ſiclorum, qui eo loco talenta centum conficere dicuntur. Ergo 3000. ſicli ad Talentum pertinuerunt: Continet proinde 12000 drachmas Atticas, Atticique Talenti duplum exiſtit. Ponderatque ut etiam *Epiphanius lib. de Ponderib.* obſervat, Libras 125. Valet proinde talentum Hebræum in Argento, de nummis noſtris 375 li.

Auri vero Talentum Hebraicum, ſervatâ in pretio auri ad argentum proportione duodecuplâ, quæ nunc ubique fere viget, valet de noſtro 4500 li.

CAP. V.

De Præcipuis quibuſdam Nummorum ſummis quarum in Libris ſacris Mentio.

DIxi de nummis qui apud Hebræos fuerint in uſu. Quorum præcipuas quaſdam collectiones, in hiſtoriis ſacris celebratas, proximè, per nummos ponderaque noſtra, exercitii cauſa, declarabo.

Mulcta Domino præſcripta fuit apud Judæos 30 ſiclorum, cujus bos alterius ſervum occiderat Exod. 21. 32. De noſtro id valuit 3 li. 15 s.

Ghakan 200. Argenti ſiclos fatetur ſacrilegio à ſe ſurreptos; Joſ. 7. 21. Id facit de noſtro 25 li.

Abraham emit agrum ab *Ephron* in ſepulturam pro 400 ſiclis argenti. Gen. 23. 15. Id fuit de noſtro 50 li.

Ghakan præter argentum prædictum, ſuffuratus eſt laminam auream 50 ſiclorum, id eſt pondere 50 ſiclorum Joſ. 7. 21. Id valuit de noſtro, 75 li.

David ab *Ornan Jebuſæo* aream, altari exſtruendo, emit 50 ſiclis, 2 Sam, 24. 24. Id fuit noſtri, 6 li. 5 s.

At libro *Chronicorum* 21. 25. id dicitur feciſſe 600 auri ſiclis qui ſervatâ proportione auri ad argentum duodecupla, cum didrachmi fuerint, efficiunt, 450 li.

Contradictionem òbiter tollo. Nam in *Samuele* mentio ſit tantum areæ Altari exſtruendo; cujus pretium 50 ſiclorum. In Chronicis autem locus etiam areæ memoratur, id eſt, locus areæ adjacens, templo erigendo à *Davide* comparatus, id eſt, totus Mons *Moriah*: ut manifeſtum eſt ex collatione 2 Chron. c. 3. v. 1. Eventu enim edoctus inter ſacrificia *David* locum eſſe acceptum Deo, poſtquam emiſſet aream, emit etiam 600 auri ſiclis, totum locum adjacentem qui ad Ornan pertinuit.

Ferrum haſtæ *Goliathi* ponderabat 600 ſiclos 1 Sam. 17. 7. Obſerva autem ſiclum in ſacris ſi abſolute ponatur ubicunque nomen ponderis eſt, ſemper denotare unciam dimidiam. Ponderabat ergo id ferrum *Libras* 25.

Ejus loricæ pondus fuit 5000 ſiclorum, *ibidem*. Ponderabat itaque *Libras* 208 *&* 4. *Uncias.*

Tonſura annua capillitii *Abſalonis* ducentos ſiclos Regii ponderis pendebat: 2 *Sam* 14. 26. Is autem Sicli Sanctuarii dimidium fuit: ponderabat ergo *Libras* 4. & 2 *Vncias*.

Argentei 30 proditoris Judæ ſtipendium, Mat. 26. 15. ſicli, ut dixi, erant, valuerunt de noſtro 3 li. 15 s.

Denarii 300 unguenti æſtimatio à *Magdalena* in *Chriſti* caput effuſi, *Judæ* ſcandalum, Joan. 12. 5. valuerunt de noſtro 9 li. 7 s. 6 d.

Sumptus Auri in Tabernaculi ſtructuram oblati fuit 29 Talentorum, & 730 ſiclorum, Exod. 37. 24. Id de noſtro erat 131595 li.

Sumptus Argenti pro eodem opere, 100 talentorum & 1775 ſiclorum. *Ibid. v.* 25. Id facit de noſtro 37721 li. 17 6.

Hiram Salomoni in Templi opera miſit 120 Auri talenta, 1 Reg. 9. 14. Id de noſtro nummo valuit 540000 li.

Quantum etiam Auri Regina *Shebæ*, *Salomoni* loco honorarii attuliſſe dicitur, 1 Reg. 10. 10

Ex *Ophyr* allata *Salomoni*, Auri talenta 420, 1 Reg 9 28 Id fuit 1890000 li.

David reliquiſſe dicitur *Salomoni* pro Templi fabrica Auri talenta 100000. 1 Chron. 22. 4. Immenſa ſumma. De noſtro 450000000 li.

Præterea, argenti pro eodem opere 1000000 talenta. *Ibidem*. Id facit de noſtro 375000000 li.

Porro, de ſuo Peculio eum in uſum conſecravit 3000 Auri talenta. Id de noſtro 1 Chron. 29. 4. 13500000 li.

Et Argenti 70000 talenta, *Ibid.* Id reddit de noſtro 2625000 li.

Oblatio Principum *Davidis* in ejuſdem Templi ſtructuram fuit Auri talenta 5000 & 10000 *Adarconim*, 1 Chron. 29. 7. Id de noſtro 22507500 li.

Et Argenti 10000 Talenta, *ibid* quod de noſtro valuit 3750000 li.

Reditus annuus *Salomonis*, præter negotiationis & aromatum proventus & principum honoraria, fuit 666. Auri Talenta, 2 Chron. 9. 13. Id de noſtro facit 2997000 li.

Tributum *Hezekiæ* impoſitum à Rege Aſſyriæ 300 talenta argenti & 30 auri, 2 Reg. 18 4 De noſtro fuit 247500 li.

A Principibus familiarum quibuſdam in ſecundi Templi ædificationem auri *Drakmonim* 61000 collati ſunt, Eſræ 2. 69. Id fuit 45750 li.

Argenti autem Minæ 5000. *ibidem*. Id conficiebat noſtri 31250 li.

CAP. VI.

Conſideratio. De Auri & Argenti Numero à Davide *relicto* Salomoni, *pro Templi fabrica.*

DIxi diligenter de antiquis Hebræorum nummis quorum in ſacris ſcriptis ſupereſt memoria, eorumque ponderibus & poteſtate. Cruciat me tamen nonnihil ille unus ſacræ hiſtoriæ locus, 1 Chron. 22. 14. de ingenti numero talentorum auri & argenti, relicto à *Davide Salomoni* pro Templi ſtructura: Nam omnes omnium Monarcharum theſauros & opulentiam longè ſuperat, quorum ulla in hiſtoriis mentio, ſi acervos Sardanapali, ſecum unà flammis traditos ſolum excipiamus. Porro, neque modus ullus *Davidi*, qui à prædeceſſoribus ſuis theſauros nullos acceperat, acervandi tam immenſos cumulos, quantos ex vaſtiſſimis imperiis, nullus unquam vel rapaciſſimus principum Romanorum, Græcorum, Perſarum corraſerat. Neque profecto tantum auri argentique immenſitatem, illud opus poſtulabat. Quin potius, ſi ex ſolido argento fuiſſent integri templi parietes & pavimenta; Si ex auro ſolido tectum integrum, & præter interiorem parietum cælaturam, omne quodcunque interius ſupellectile ejus fuiſſet conflatum: illi tamen acervi pro opere & operariis non ſuffeciſſent abunde tantum, verùm longè ſuperaſſent. Conſideravi enim quàm potui diligentiſſime Templi dimenſiones, & cum ea auri & argenti mole in ſolidam Maſſam conflata, comparavi, & calculis ſubductis, hanc ſupra illam multum excreviſſe reperii. Verum & ex paupertate ſua, *David* ipſe dicit, hæc ſe conſecraſſe Deo, quaſi afflictionum ſuarum & bellorum reliquias, quibus graviter vexatus & hauſtus fuerat, At hæc paupertas omnem opulentiſſimorum regum affluentiam quantum ſuperat? Proinde neceſſario dicendum videtur, aut aliud eo loci denotare Hebræam vocem ככר quàm *talentum*, vel aliam eſſe poſſe Talenti notationem, præter eam quam ex *Moſis* hiſtoria ſupra elicui. Et quidem [a] ככר ſignificare maſſam aliquam planam & preſſam, tortæ inſtar aut placentæ (qua forma aurum & argentum ſervari in Principum theſauris conſuevit) certum eſt, cum nomen ipſum *planitiem* ſignificet ex origine, qua vocis ejus acceptione, de illa *Davidis* ſumma nihil certi conſtabit. Præterea, & nominis Talenti variam fuiſſe apud Antiquos notionem, & interdum exiguam aliquam ſummam deſignaſſe, ex veterum ſcriptis facile elicio. *Eupolemus* apud [b] *Euſebium*, in ſumptu Templi numerando, talentum ſiclum denotare prodidit, id eſt, drachmas 4. *Pollux* in libro de rerum vocabulis ad Commodum ſcripto, Talentum argenti quidem, 60. Minas, at Talentum Auri, 3 Aureos Atticos, id eſt 6 drachmas conſtituit. Quin parvum aliquid fuiſſe antiquitus auri talentum, *Homerus* etiam *Iliad. lib.* 23. non obſcure indicat; In quo certantibus ad tumulum *Patrocli*, inter res non magni pretii, ſcilicet, captivam fœminam, equam prægnantem, lebetem, & phialam æream, duo auri talenta, & quidem quarto loco, ſcilicet poſt lebetem, exhibentur in præmium. Denique cum Talentum [c] Siculum, Neapolitanum, Rheginum, tam exiguum pondus notarit, illud drachmas 6. iſtud 3. hoc $\frac{1}{2}$ drachmæ, potuit fortaſſe idem nomen, & Hebræis interdum, exiguam ſummam aliquam deſignare. [a] *R. Montan. lib. de Menſ. ſacr. c. de Chicar. Et Lexicographi Hebræi.* [b] *Euſeb. de præpar Evang. l. 9. c. 4. Poll. l. 9. Onomaſtic. c. de Talent. & l. 4. c. 24.* [c] *Pollux. l. 9. Onomaſtic. & Varro lib. 4. de Ling. Latina.*

CAP. VII.

De Veteribus Græcorum & Exterorum Nummis. Primo de Argenteis & æreis.

Δραχμὴ, [& Ἀργυρὶς *Alexarcho apud Athenæum l. 3.*] *Drachma Attica* (quo tere pondere Pharmacopolæ hodie utuntur) pro omnium Nummum Græcorum menſura nobis erit. Nummus Athenienſis fuit, ſignatus * imagine lucernæ inextinctæ, *Minervæ* apud Athenienſes ſacræ, cujus in *Strabone lib.* 9. & *Pauſania in Attic.* mentio, cum inſcriptione, Δραχμή. Octava unciæ pars eſt, ejuſdem ponderis ut *Plinius l. 21. c. ult.* author eſt cum Denario Romano. Valuit de noſtro 7 d. ob. * *Imaginem vide in Anton. Auguſtin.* Dial. 1. *de Antiquis Num.*

Στατὴρ *ſeu* τετράδραχμον *Stater*, quod & *Tetradrachmum*, in altera facie *Minervæ* caput, (qua cauſa παρθένος & κόρη ſæpe appellatus eſt) in altera, Noctuam oſtendebat: erat 4 drachmarum nummis, ut * *Cleopatras*, *Epiphanius*, *Hieronymus*, *Heſychius*, & alii authores ſunt. Quin & duobus didrachmis cenſeri *Staterem* manifeſtum eſt ex 17 *Matthæi*, ſi quis verſum 24 cum 27 conferat. Valuit noſtri 2 s. 6 d. * *Cleop. in Coſm. Epiphan. l. de Ponderib. Hieron. ad cap. 4 Ezechiel. Heſych. in Voc.* στατήρ.

Βοῦς *ſeu* δίδραχμον. *Didrachmum*, quod & *Bos Athenienſibus* nuncupatus, quod [a] bovis imaginem habuit impreſſum. Nummus ille primo cuſus à *Theſeo* fuit, ut [b] *Plutarchus* meminit, ſive in memoriam Tauri *Marathonii* quem occiderat, ſive in laboris exemplum. *Stateris* dimidium fuit, duas continens drachmas; valuit noſtri 1 s. 3 d. [a] *Pollux. l. 9.* [b] *Plutarch in Theſeo.*

Τριδράχμον. *Tridrachmum*, 3 drachmas complexum, de noſtro valuit 1 s. 10 d. ob.

Ὀβολός. *Obolus Atticus*, quaſi ὀβελός, id eſt, veru, [a] quod oblongus in mucronem deſinebat, vel quod obeliſci imaginem præ ſe ferebat, *Photio* Patriarcha authore. Pars ſexta fuit drachmæ Atticæ, ut præter [b] *Suidam*, [c] *Xenophon*. [d] *Cleopatra*, [e] *Plinius* prodiderunt: Valuit de noſtro 1 d. qª. [a] *Agricol. l. 1 de præt. Metal. & Monet.* [b] *Suid. in* δραχμή. [c] *Xenoph in Vectigal* [d] *Cleopatr in Coſmet.* [e] *Plin l. 21. c. ult. & Galen de Compoſ. Pharm. ſec. Locos lib 6. cap. 1.*

Ἡμιωβόλιον. [a] *Semiobolus*, minimus è nummis Argenteis Græcorum, Valuit noſtri ob. q. [a] *Pollux. l. 9.*

Διώβολον. *Diobolus*, [a] Altera parte *Jovis* faciem oſtendebat, altera Noctuam, Tertia pars drachmæ, Valuit è noſtro 2 d. ob. [a] *Pollux. loc. allegat. Suid. in* Διώβολ. *Pollux l. 9. c. de Talent*

Τριώβολον *ſeu* ἡμιδράχμιον. [a] *Triobolus*, dimidium drachmæ fuit. Proinde valuit de noſtro 3 d. ob. qª. [a] *Pollux loc. allegat Suid loc. alleg.*

τετρώβολον. [a] *Tetrobolus*, altera parte *Jovis* faciem oſtendit, altera duas Noctuas, $\frac{2}{3}$ drachmæ continebat, valebatque noſtri 5 d. [a] *Pollux. ibid.*

Dixi de argenteis Atticis, verum & nummorum aliarum partium Græciæ exigua aliqua memoria supereſt. Illi autem ſunt

Drachma Æginæa, quæ continet 10 Obolos Atticos Authore *Pollnce loc. allato.* unde & craſſa ab Athenienſibus appellata eſt. Valebat noſtri 1 s. ob.

Obolus Æginæus, pars ſexta *Æginææ* drachmæ, *Pollux l. 4. Onomaſtic. c. 24.* Valebat noſtri 2 d. c. & $\frac{1}{3}$.

Triobolus Æginæus, drachmæ Æginææ dimidium. *Xenophon. lib. 5. Rer. Græcar.* Noſtri valuit 6 d. qª.

Stater Corinthius 10 obolos Æginæos continet, *Pollux l. 4. Onomaſtic. c. 24. & lib. 9. cap alleg.* & proxime valuit 1 s. 8 d. ob. qª.

Stater Macedonius, ut quos Reges Macedoniæ, & ſucceſſores *Alexandri* etiam in Aſia percuſſerunt, drachmas quatuor ponderat, cum 2 obolis, & 2 ſiliquis. Proinde valet proxime noſtri 2 s. 9 d. qª. & $\frac{2}{3}$ q.

De Argenteis Nummis Aſiaticis.

Σίγλος & σίγλον. Siglus, Nummus argenteus *Sardianus* & *Perſicus*, valet obolos Atticos 7 & $\frac{1}{2}$ ut *Xenophon lib. 1. Exped. Cyri* author eſt, id eſt, noſtri 9 d. qª. q. at *Heſychio in* σίγλον obolos Atticos 8 ut 4 ſcrupula ponderet, & proinde valeat noſtri 10 d.

Κιστοφόρος *Ciſtophorus*, Nummus etiam Aſiaticus, ob imaginem gerentis ciſtam quam oſtendebat, ſic appellatus, *Victoriato* Romano major parte $\frac{1}{15}$, cum quatuor mille Denarii efficiant 7500. *Ciſtophoros*, ut *Pompeius Feſtus* in voce, *Euboicum Talentum* prodidit: quod ſi cum reſpectu ad denarium recentiorem qui drachmam ponderabat intelligendum ſit, valuit noſtri 4 d. At ſi pro Denario veteri & legitimo qui Conſulum tempore cudebatur (ut magis videtur,) valuit proximè, ſed exiguum plus, 4 d. ob. c.

Δανάκη. Δάνικη. Δανάη. [a] *Danaces*, *Charontis* portorium ſcilicet pro trajectu ad inferos, quem nummum ea cauſa Barbari in ora mortuorum imponebant. Datos enim fuiſſe mortuis obolos *Lucianus in Charonte*. *Ariſtophanes*, [b] *Suida*, & alii authores ſunt. Unde & nummus funebris dictus eſt *Callimacho*, & *Plutarcho*. Itaque ſi obolus fuit, ut à *Luciano* dicitur, (cui tamen æneus eſt) valuit noſtri 1 d. qª. quod ſi ejuſdem ponderis fuit cum eo quod *Danich* [c] Græcis, & [d] Arabicis ſcriptoribus appellatur, 8 tantum grana, id eſt, $\frac{2}{3}$. oboli pendebat, & proinde valuit noſtri ob. qª. & $\frac{2}{3}$ q. [a] *Suid. in* δανάκη. *Pollux. l. 9. cui nummus Perſicus exiſtimatur eſſe.* [b] *Suid. loc. allegat. Heſych. in* Δανάη. [c] *Cleopa. in Coſmeticis.* [d] *Avicen. lib. 5. ſum. 2. tract. 8.*

De Nummis æreis Græcorum.

Æreolum, ſexta pars oboli Attici fuit, ut *Suida* cum [a] aliis Author eſt, (licet *Cleopatræ* & *Polluci* pars ſit octava) unciæ æris pondus habuit, ut ex [b] *Polluce* elicitur: duoque argenti grana valuit. Unde duorum granorum pondus medicis Chalcus nominatur. Cum itaque ſextam partem oboli Attici valuit, Valuit noſtri q. c. & $\frac{1}{3}$. [a] *Suid in Vocib.* ὀβολός, χαλκοῦς, τάλαντον. *Dioſcorid. lib. de Pond. & Menſ. cap. 1. Serv. ad 5. Æneid. Plutarch. in Lyſandro, lib. de Pond. & Menſ. Galeno aſcriptus.* [b] *Pollux. loc. allegato.*

Λεπτὸν, *Minutum*, ſeptima pars *Æreoli* ut *Suidas* [a] & alii, proinde valuit proximè, ſed perexiguum plus, $\frac{1}{2}$ c. [a] *Suid. loc. allegato.*

CAP. VIII.

De Nummis Aureis Græcorum & Aſiaticorum.

PRoxime de nummis aureis, quorum in ſcriptoribus antiquis memoria ſupereſt, dicendum eſt. Illi autem Athenienſibus erant,

Χρυσοῦς, & Στατὴρ, *Stater Atticus*, qui duas drachmas ponderabat, ut † *Pollux* author eſt, quod licet pro proportione auri ad argentum quæ apud Græcos legitima fuit, ſcilicet decupla, valeret tantum 12 s. 6, tamen pro noſtra, quæ duodecupla eſt, Valuit noſtri 15 s. † *Pollux l. 4. Onomaſt. c. 24. & Heſych. in Vocab.*

Ἡμιστατήριον, [a] *Semiſtater*, drachmam unam pendebat, unde & *Heſychio* dicitur δραχμὴ χρυσοῦ. Noſtri valebat 7 s. 6 d. [a] *Pollux. lib. 9.*

Τετραστατήριον, *Tetraſtaterium*. Cujus *Ariſtoteles* meminit in Republica Cyrenenſium, ut *Pollux* eum allegat libro 9. Cui & *Stater* dicitur (ſed ponderalis opinor, non monetalis ille fuit) & minam argenti valere. Unciam auri habet, Valetque noſtri 3 li.

Stater aureus Macedonicus, ut quos *Philippus*, *Alexander*, *Lyſimachus*, *Demetrius*, & cæteri qui *Alexandro*, in Macedonia, Syria, Aſia ſucceſſerunt, ſignabant. Pendet drachmas Atticas 2. Obolos 2, Siliquas 2. Valuitque pro illorum proportione quæ fuit decupla 15 s. 5 d. monetæ noſtræ. At pro duodecupla proportione quæ noſtra eſt 18 s. 4 d.

De Nummis Aureis Aſiaticis.

Daricus, Nummus aureus Perſicus (ut & *Crœſii* aurei) didrachmus fuit, ut & *Suida* in vocab. Δαρεικὸς author eſt, qui eum ſtateri Attico æqualem facit, & elicitur ex *Ariſtophanis* Interprete *In Concionant.* atque *Xenophonte l. 1. Expedition. Cyri.* apud quem ſolvitur 3000 *Daricis*, quod decem argenti talentis promittebatur, ſervata proportione auri ad argentum decupla, quæ ſane analogia apud Aſiaticos, fere etiam apud Græcos, ſolennis fuit. Imaginem *Sagittarii* impreſſum habuit, unde *Ageſilaus apud Plutarch. in Ageſilao* facete dicebat, 10000 Sagittariis ſe pulſum Aſia, ob corruptos Perſicis nummis Oratores

Græcos, qui perſuaſerant ut revocaretur. Drachmas itaque duas cum habuit, valeret noſtro auri pretio 15 s.

Errat proinde *Budæus l. 5. De Aſſe*, qui ſtateres *Daricos* (ut etiam Græcos) unciales facit; ut prædicta ſatis declarant: Etiamque, quod ex *Xenophonte lib. 1. Expedit. Cyri* conſtat, *Daricum* unum fuiſſe militum *Cyri* ſolitum pro Menſe ſtipendium. Poſtea vero ſtipendium auctum, *Daricum* unum cum ſemiſſe: quod, ſi tantus eſſet ſtater *Daricus*, pro diebus ſingulis, fere 3 s. fuiſſet, ſupra omnem fidem & morem, ut bene cognita militum ſtipendia clarum faciunt. Nam apud Romanos *Polybius l. 6.* teſtatur tempore ſuo, hoc eſt initio tertii belli Punici, ſtipendium fuiſſe in diem 2 obolorum pro pedite, (quod etiam pro ratione Denarii veteris & legitimi minus eſt quam 3 d. noſtri) 4 pro Centurione, (id minus quam 6 d.) pro Equite autem 6. (id eſt, denarium integrum,) Triplum enim fuiſſe ſtipendium Equitis ad Peditem, diſcimus etiam ex *Livio l. 7.* Porro, ſtipendium pro Pedite tempore *Tiberii*, Aſſium 10 fuit, ut *Tacitus 1 Annal.* meminit, cum Denarius diu ante ad 16 aſſium pretium provectus fuiſſet (proximè noſtri 4 d. ob. q. c.) Apud Lacedæmonios & alios fere Græcos, Triobolum Æginæum pro pedite (6 d. q^{a}.) quadruplum pro Equite, ut eſt apud *Xenophontem lib. 5. Rer. Græcar.* Athenienſes autem, qui omnium liberaliſſimi ſunt habiti drachmam pro diurno ſtipendio præbuerunt (id eſt 7 d. ob.) ut author eſt *Thucydides l. 3. Daricus* autem pro Menſe, quod erat ordinarium pedeſtris militiæ apud *Perſas* ſtipendium, fuit pro ratione auri apud eos 5 d. in diem, pro ea quæ eſt apud nos 6 d, *Daricus* autem cum dimidio, quod auctum ſtipendium ut dixi fuit, erat 7 d. ob. pro decupla auri proportione, 9 d. pro duodecupla.

Ἡμιδάρεικον, *Semidaricus*, cujus mentio in *Xenophonte l. 1. Exped. Cyri*, ſtateris *Darici* dimidium, drachmam Atticam ponderabat, valebatq; noſtri 7 s. 6 d.

Cizycenus aureus (*Cizycus* Græca civitas fuit & Mileſiorum Colonia, ut *Strabo lib. 14.* meminit, quia tamen in Aſia, in Propontidis littore ſita fuit, inter externos ejus nummum recenſeo) gravior fuit *Darico*, quod ejus æſtimatio 28 drachmas Atticas exæquavit, ut *Demoſthenes in Orat. ad* Phormion. prodidit, quod pro eorum ratione decupla auri ad argentum, valuit 17 s. 6 d. at pro noſtra, duodecupla, valuit è noſtro 1 li. 1 s.

CAP. IX.

De Summis Nummorum Græcis.

DE veteribus Græcorum & Aſiaticorum nummis quorum ſupereſt in hiſtoriis memoria, dixi. De recentioribus autem, qui ſcilicet poſt *Conſtantini Magni* tempora in Græcia viguerunt; quoniam ab Imperatoribus Romanis fuerunt procuſi, poſt nummos Romanos dicam. Nunc de nummorum ſummis, quæ fuerunt Græcis, Mina & Talentum.

Μνᾶ *Mina Attica* 100 drachmas continet, Nova ſcilicet à *Solone* inſtituta, ut *Plutarchus in vita Solonis* author eſt. Vetus enim ante *Solonem* 75. tantum drachmas habuit, ut *Priſcianus lib. de Ponder.* & *Fannius Carm. de Ponder.* meminerunt. Continere autem Minam 100 drachmas, præter *Plutarchum*, etiam Xenophon *in Vectigal. Cleopatras in Coſmet. Plin l. 21. c. ult.* & *Suidas in* τάλαντον & μνᾶ ex *Diodoro*, cum aliis pronunciarunt. Itaque valet Mina Centenaria argenti, de noſtro 3 li. 1 s. 6 d.

Τάλαντον, *Talentum* autem ut ex *Polluce* & *Varrone l. 4. Ling. Lat.* conſtat, multiplex fuit. Omne tamen ut *Suid. loc allegat.* & *Pollux l. 9. c. de Talent.* inquiunt, continet Minas 60 ut Mina drachmas 100. Proinde 6000 drachmas continebat Talentum omne, proprias ſcilicet ejus regionis cujus talentum eſſe dicebatur. Verum ſi certa menſura adhibenda ſit, ut inæqualitas talentorum intelligi poſſit, cum reſpectu ad drachmas Atticas ita ſe habent.

Talentum Atticum *Minus* eſt drachmarum Atticarum 6000 ut *Pollux l. 9 cap. allat.* & *Feſtus in Talent. l. 3. c. 17.* & alii authores ſunt, & elicitur ex *Gellio l. 3. c. 17.* qui *Seſtertiorum* 72000 talenta 3 eſſe dicit. Nam tot ſeſtertii 18000 denarios ſeu drachmas conficiunt. Minus hoc Atticum Talentum dicitur à *Priſciano lib. de* Ponderib. & aliis: Intellige tamen, hoc ipſum nomine Talenti Attici ſæpiſſime deſignari, Imo ſemper in Authoribus (præter ſacros) ubi nomen, Talenti occurrit, hoc ipſum intelligendum eſſe, ſi nomen Talenti abſolute poſitum ſit, neque diſtinctionis cauſa aliquid adjiciatur. Valuit de noſtro 187 li. 10 s.

Talentum vero *Atticum* majus 8000. drachmarum fuit, ut *Livius l. 38.* & *Priſcianus loc. alleg.* authores. Id valuit de noſtro 250 li.

Talentum Ægyptium valuit tantundem, ut *Plinius l. 33. c. 3.* ex *Varrone* inſtituit, id eſt 250 li.

Talentum Syrium drachmas continet Atticas 1500. *Pollux l. 9.* Valuitque de noſtro 46 li. 17 s. 6 d.

Talentum Euboicum, 4000 denariorum (id eſt, drachmarum) fuit ut *Pompeius Feſtus in Vocabul. Euboicum Talentum* author eſt. Id valuit noſtri 125 li.

Talentum Rhodium 4500 drachmas Atticas continet, *Varro l. 4. de Ling. Lat.* Valuit de noſtro 140 li. 12 s. 6 d.

Talentum Babylonicum eſt 7000 drachmarum Atticarum, *Pollux l. 9. Onomaſtic c. de Talent.* Illud proinde valuit de noſtro 218 li. 15 s.

Talentum Æginæum eſt 10000 drachmarum Atticarum; *Pollux ibid.* Valuitque de noſtro 312 li. 10 s.

Talentum Alexandrinum 12000 drachmarum Atticarum fuit, quantum & Hebræum Talentum extitit, *Varro lib. 4. de Ling. Latin.* Id valuit de noſtro 375 li.

Hæc de majoribus talentis: Nam etiam obſervo minora quædam talenta fuiſſe in uſu, quæ tamen videntur talenta non niſi exorbitante nominis notione appellata: ut,

Talentum Siculum vetus, quod 24 nummorum eſſe *Pollux loc. allegat.* dixit (tot Minarum *Suidas in Vocab.* τάλαντον. ſed corrupte) nummus autem *Polluci* ſemiobolos 3 valet, id eſt, ſeſtertium unum Romanum. Proinde ponderabat drachmas 6 tantum. Valuitque de noſtro 3 s. 9 d.

Talentum Neapolitanum tantundem etiam valuit apud *Varronem loco allegat.* ſcilicet 3 s. 9 d.

Talentum Siculum novum 12 nummorum *Polluci loc. allegat.* id eſt 3 drachmarum, quantum & *Syracuſanum Talentum* fuiſſe *Varro loc. allegat.* dixit. Valuit de noſtro 1 s. 10 d. ob.

Talentum Rheginum, unius *Victoriati* fuit, id eſt, drachmæ tantum dimidiæ, *Varro ibidem.* Itaque valuit de noſtro 3 d. ob. q^{a}.

CAP. X.

De præcipuis quibuſdam Græcis Nummorum Numeris.

TRibutum annuum Athenienſium à ſociis acceptum ut *Pericles* inquit apud *Thucydidem lib. 2.* fuit talentorum 600. Xenophon *l. 7. Expedit. Cyri* autem eorum Reditus non minores eſſe ſcribit, quam 1000 talenta: *Athenæus lib. 12. Deipn.* 1200 facit. *Suida* demum ex omnibus undiquaque collectis, eorum Reditus 2000 talenta fuiſſe ſtatuit. Id vero de noſtro eſt 375000 li.

Sumptus funeris *Hepheſtionis* ab *Alexandro* factus, talenta 10000. *Plutarch. in Alexan. Arrian. l. 6. Expedit. Alexandri.* De noſtro fuit 1875000 li.

Reditus Romani creverunt poſt victum Mithridatem, ad 8500 myriades, (authore *Plutarcho in Pomp.*) ſcilicet drachmarum, ut viri docti [*Buda. lib. 3. de Aſſe, & Leon. Portius. l. 2. de ponder. & menſ.*] obſervant, quod Græci ſcriptores nunquam per ſeſtertios (ut Romani) ſed per drachmos numeros colligant. Id in noſtris pecuniis valuit 2656250 li.

Qui ante fuerant tantum 5000 myriades, eodem authore; *Plut. ibid.* Quod fuit de noſtris 1564500 li.

Reditus *Darii Hiſtaſpis* filii erat Euboicorum talentorum 14560 ut habet *Herodotus in Thalia.* Id valuit 1820000 li.

Reditus Ægypti regnante *Ptolemæo Aulete*, erat talentorum 12500. *Strabone lib. 17.* referente, qui tamen dicitur diſſolute rem curaſſe. Id fuit in nummis noſtris 2343750 li.

In ærario *Darii* Suſis, reperta ab *Alexandro* talentorum 50000. [*Curtius lib. 5.* & *Arrian. l. 6. Exped. Alexand.*] Id fuit de noſtro 9351250 li.

In ejuſdem *Darii* ærariis Perſepoli, obtinuit *Alexander* 120000 talenta. Id de noſtro fuit 22500000 li.

Theſauri *Darii* quos in univerſum *Alexander* occupavit, fuerunt, inquit *Strabo lib. 15.* 180000 talenta. Quod valuit de noſtro 32750000 li.

In Alexandri ærario poſt obitum ejus, reperta ſunt talenta 100000. *Juſtin. lib. 13.* Quod fuit de noſtro 18750000 li.

Alexandri Magni Reditus annuus, 300000. [*Juſtin. ibid.*] talentorum fuit (inquit *Juſtinus*:) reſtitui debet, 30000. ut *Budæus lib. 4. de Aſſe* corrigit, nam & cum ratione non convenit, tot habuiſſe in Reditu annuo talenta, cum 10000 tantum reliquit in theſauris, & vel ſic, veteris regni Perſici reditus multum excedebat. Talenta autem 30000. in noſtris nummis efficiunt 5625000 li.

Bythii Bithynii opes fuerunt 2000 talenta argenti, *Herodot. lib. 7.* (de noſtro 375000 li.) In auro 4000000 Darici (de noſtro 3000000 li.) Ejus opes in univerſum valuerunt de noſtro 3375000 li.

Quod ſi Babylonica talenta intelligenda ſint, quæ in uſu in imperio Perſarum, pars ſeptima argento adjicienda eſt.

Cyrus devicta Aſia, reportavit argenti 500000 talenta Ægyptia, ſeu majora Attica, *Plin. lib. 33. c. 3.* Quod de noſtro facit 125000000 li.

Præterea 34000 Pondo, id eſt libras auri, *Plin. ibid.* Quod de noſtro valuit 1224000 li.

Sardanapalus congeſſit ut ſecum flammis traderet, auri talenta 10000000. *Cteſias.* In Atticis talentis id de noſtris valet 2250000000 li.

Argenti autem decies tot talenta, quod valuit de noſtro 1825000000 li.

At vel in Syris talentis aurum faceret noſtri 5625000000 li.

Argentum autem produceret 4687500000 li.

CAP. XI.

De Veteribus Romanorum Nummis. Primo, *De initiis Nummorum apud Romanos.*

AEs, antiquiſſimus *Romanorum* nummus, primo ſignabatur à *Servio Tullio*, ſexto Romanorum rege, ut *Plinius* author eſt *lib. 33. cap. 3.* Nam ante, pondere tantum noſcebatur, non imagine. Et quidem primo, nota Pecudum ſignatum æs fuit, authore eodem *Plinio loco allegato, & lib. 18. cap. 3.* & *Varrone lib. 2. de Re Ruſtica. c. 1.* (inde Pecunia dicta). Poſtea, ex altera parte Roſtrum Navis, ex altera, Janus geminus ejus inſigne fuit, in Jani memoriam impreſſum. Quæ cauſa erroris fuiſſe videtur Macrobio *l. 1. Saturnal. cap. 7.* & Athenæo, *lib. 15. Deipnoſophiſt.* qui id Iano ipſi tribuerunt. Eæ inquam notæ fuerunt in Aſſibus. Nam etiam in Triente, Quadrante, Sextante, Ratis inſigne fuiſſe, præter *Plinium, Feſtus in vocab. Ratitum* etiam author eſt.

Argentum autem poſt devictum Pyrrhum ſignari cœpit, An. urb, 484. *Plin. lib. 33. cap. 3.* (nam ſic corrigi debet) ſcilicet Q. *Fab Pictore* Coſ. annis 5 ante primum bellum Punicum, inquit eodem loco *Plinius.* [*idem de Nummorum imaginibus obſervatur in nummis Goltztii, Urſini, Anton. Auguſtini & aliorum.*]

Ejus notæ in Denariis, ſunt bigæ aut quadrigæ ut plurimum ex una parte, interdum *Caſtores*, ex alia vero Romæ caput galeatum. *Victoriati*, imago ſedentis *Victoriæ*: *Seſtertii*, ut plurimum *Caſtores*, ex una parte, utriuſque autem ex altera parte Romæ caput. Ad imperatores uſque ita fere permanſit. Nam *Auguſtus Capricornum* nummis ſuis impreſſit [*Sueton. in Auguſto.*] Imperatores autem reliqui frequentiſſime imagines ſuas.

Aurum denique ſignatum Romæ primum fuit, anno 62 (nam ſic reponi debet) poſt percuſſum argentum, inquit *Plinius loc. allegato.* Nam eo anno, *Claud. Nerone,* & *M. Livio* Salinatore *Coſ. Livius lib. 26.* ſignati auri meminit. Nec aliam imaginem invenitur ſubiiſſe aurum quam argentum, id eſt bigas & quadrigas cum Romæ Capite, quæ ſane videtur fuiſſe cauſa, quod aurei etiam nummi Romanis interdum denarii dicerentur.

CAP. XII.

De Æreis Romanorum Nummis.

AS, quaſi æs dicitur, inquit *Varro l. 4. de Ling. Latina.* nam æreus nummus fuit. Et quidem ab initio, æris libra *Dion. Halicarnaſ. lib. 9.* At poſtea, bello Punico primo, Populus ære alieno preſſus, ferit ex iis ſextantarios, inquit *Plinius l. 33. cap. 3.* id eſt ſex ex uno, valore tamen eodem ſervato. Deinde bello Punico ſecundo premente *Annibale*, ſub *Q. Fab. Maximo* Dictatore unciales ſunt facti, id eſt ad dimidiam magnitudinem reducti. Poſtremo, lege Papyria, ſemunciales, ſic perſtiterunt. *As* autem decimam partem Denarii Romani valuit. De noſtro nummo ob. q^{a}.

Semiſſis, quaſi ſemiæs (inquit *Varro loco allegat.*) id eſt Aſſis dimidium, valuit de noſtro qa. q.

Triens, id eſt tertia pars Aſſis, (*Varro ibid.*) valuit è noſtro q^{a}.

Quadrans, id eſt quarta pars Aſſis, *Varro ibid. Triuncis Plinio lib 33. cap. 2. Teruntius Ciceroni l. 7. epiſt. ad Attic.* quod ante æs diminutum, uncias tres contineret, valuit de noſtro q. c.

Sextans, ſexta pars Aſſis, *Varro ibid. Liv. lib. 2. Plin lib. 33. c. 10. Valer. Max. l. 4. cap. 4.* Quantula fuit in ſingula capita collatio in funere Menenii Agrippæ, Romanæ ſalutis quondam arbitri, ob viri paupertatem. Id valuit de noſtro q.

Verum etiam urgente apud Romanos ære grave, id eſt librali aſſe, Minores de ære nummi cuſi ſunt. Ut

Uncia, pars duodecima Aſſis gravis, id eſt libræ æris, *Varro ibid.* valuit de noſtro c.

Semuncia, dimidia pars Unciæ 4 drachmarum pondere, *Varro ibid* valuit è noſtro $\frac{1}{2}$ c.

Sextula, ſexta pars Unciæ, minimus apud Romanos ex ære nummus, *Varro ib.* Valuit noſtri $\frac{1}{6}$ c.

Hii nummi ærei fuerunt Aſſe minores qui antiquitus in Romanorum commerciis. Verum & majores Aſſe iis fuiſſe legimus, cum in *Varrone loc. allegat.* ſit *Decuſſis*, 10 Aſſes 1. Denarium valuit, *Viceſſis*, qui Denarios 2. *Triceſſis*, qui 3. Et quidem aſcendebant uſq; ad *centuſſim*, quo æreorum nummorum vocabulum majus non fuit, authore *Varrone*, ille autem 100 Aſſes continens, denarios 10 argenteos valebat. id eſt noſtri 6 s. 3 d.

CAP. XIII.

De Argenteis Romanorum Nummis.

DE nummis argenteis poſtea dicemus. Qui erant,

Denarius, ſic dictus quod denos æris ſeu Aſſes valeret, *Var. lib.* 4. *ling. Lat. Vitruv. l.* 3. c. 1. Cujus non idem pondus & æſtimatio ſemper apud Romanos fuit. Nam Denarius vetus Romanus, Conſulum tempore procuſus, ſeptimam partem unciæ ponderabat, ut *celſus l.* 5. *c.* 17. & *Scribonius Largus in præfat.* cum aliis, authores ſunt; Etiamque P*linius l.* 33. *cap.* 9. qui 84 Denarios ex una argenti libra cuſos fuiſſe prodidit. Valuit proinde vetus ille Denarius, de noſtro 8 d. ob. c. cum $\frac{1}{7}$. c.

Denarius novus (à *Claudii* Imperatoris temporibus ut creditur natus, ſuſpicor tamen aliquanto antiquiorem eſſe) drachmam Atticam exquiſite ponderabat, (nam 96 Denarii ex argenti libra cudebantur) ut non ſolum *Plinius l.* 21. *c.* 34. *Cleopatras in Coſmet. Iſidorus l.* 16. *Etymol. cap.* 24. & infiniti alii teſtantur: [*Athenæ. lib.* 4. *Galen. l.* 8. *Compoſit. Med. ſec. loc. c.* 3. *Et ſæpe in lib. de Comp. med. ſecund. genera.*] verum & certa præterea ratio comprobat. Etenim Græci ſcriptores ubi de rebus Romanis loquuntur, ſemper pro denariis drachmas reddunt. Valuit de noſtro 7 d. ob.

Reſpectu autem hujus Denarii novi, omnes noſtræ computationes factæ ſunt. Quod ſi in adhibenda ratione nummorum ad antiqua tempora reſpectus habeatur, in quibus ſcilicet vetus & legitimus denarius viguit, omnia parte ſeptima augenda ſunt. Tantum enim Denarius novus à veteri ſuperatur.

Bigatus & *Quadrigatus*, idem eſt Romanis quod Denarius, *Plin. lib.* 33. *c.* 3. Quoniam enim Denarius bigas aut quadrigas ex altera parte impreſſas habuit, iis nominibus fuit appellatus. Valuit 7 d. ob.

Victoriatus, imaginem ſedentis Victoriæ oſtendebat, *Liv. l.* 41. *Voluſ. Metian. l. de Ponder.* (unde ei nomen fuit) Lege *Clodia* Romæ primo percuſſus, ut inquit *Plinius lib.* 33. *c.* 3. Dimidia pars Denarii fuit: unde & *Quinarius* idem dictus, quod quinque Aſſes valuerit. De noſtro autem valuit 3 d. ob. q^a.

Seſtertius, ſic dictus quaſi ſeſquitertius, inquit *Priſcianus lib. de Ponderib.* quia continet Aſſes duos cum ſemiſſe: ut *Plinius loc. allegat. Varro lib.* 4 *ling. Lat. Metianus lib. de Ponder. Vitruvius lib.* 3. *Architect. cap.* 1. & alii authores ſunt. Dimidium eſt *Victoriati*, quartaque pars denarii. Idem fere *Nummus*, abſolute poſitus, ſignificat apud Romanos ſcriptores, quia frequentiſſimus ejus in rationibus uſus fuit. Etiam interdum Seſtertius nummus vocatur. De noſtro valuit 1 d. ob. q^a. q.

Obolus, ſexta pars Denarii, (*Obolo Attico* æqualis) quem ea cauſa *Sextantem Celſus lib.* 5. *cap.* 17. vocat. Valuit de noſtro 1 d. q^a.

Libella, decima pars Denarii, Aſſi æqualis pretio, ideoque inquit *Varro l.* 4. *ling. Lat.* libella dicta, quod valore æquaret æris libram; quaſi puſilla libra, ait *Metianus loc. alleg.* Valuit de noſtro ob. q^a.

Sembella, quaſi ſemi-libella, vigeſima pars Denarii, *Varro ibidem*, Libellæ ſcilicet Dimidium. Proinde ea valuit de noſtro q^a q.

Teruntius, quadrageſima pars Denarii fuit; *ibid.* Ita appellatus, quod tres æris uncias valeret pretio. Minimus argenteus fuit in Romanorum uſu, vel qui uſquam legitur in hiſtoriis. Nam & hos poſtremos argenteos fuiſſe, *Varro* certus nobis author eſt, libro jam ſæpe allegato. Valuit autem *Teruntius* noſtri q. c.

CAP. XIV.

De Aureis Romanorum Nummis.

AUrei Romanorum nummi proxime declarandi, quos Aureos Denarios *Plinius* l. 33. *c.* 3. *Didymus apud Priſcian. lib. de Ponderibus* appellant, ſive quod eaſdem imagines quas argentei denarii oſtendebant, ſive quod magnitudine ad oculum non multum ab iis diſcreparent. Quorum tres varietates apud Romanos factas *Plin loc. allegat.* meminit. Verum tam corruptus ille *Plinii* locus eſt, ut nihil inde certi vel divinando elici poſſit. Veruntamen ex aureis nummis qui ſuperſunt, adverto priſcum Aureum Romanorum Conſulum temporibus procuſum duos veteres *Denarios* argenteos ponderaſſe, ut ex iis qui ſuperſunt exploratum eſt; *Vide Anton. Pois. lib. de Num. Antiq. c.* 9. Ita ut 42. ex auri libra cuderentur. Duas proinde drachmas cum $\frac{2}{7}$ pendebat. Valuit proxime de noſtro 17 s. 1 d. ob. q^a.

Aureus Recentior, circa prima Imperatorum tempora (ut videtur) procuſus, parte ſeptima aureo priſco levior fuit: Drachmas enim duas pendebat, ut 48 ex Auri Libra cuderentur, quod in multis, poſt *Budæum de Aſſe. l.* 3. *Hotomannum de Re Nummaria pag.* 324. & alios, expertus ſum. *Roſalis Anglicis* (*Spurre Ryals*) pares pondere vel *Nobilibus Eduardicis*, quibus etiam fere paris indicaturæ ſunt. Valuit ergo hic recentior aureus de nummis noſtris 15 s.

Aurei ergo Romani didrachmi fuerunt, taleſque perfecte perſtiterunt, per primorum quinque Imperatorum tempora, uſque ad *Neronem, Budæ. lib.* 3. *de Aſſe.* Inde fraude & avaritia principum, paulo juſto leviores facti ſunt pondere. Nihil tamen de valore & poteſtate deceſſit. Prima ut dixi diminutio facta eſt ſub *Nerone*, ſed perexigua, 2 aut 3 granorum. Paulo adhuc major ſub *Galba. Nervæ* autem, *Trajani, Hadriani* aureis 8 momenta ſive grana ponderis deſunt: Iis autem quos *Veſpaſianus* cudit, 10 detracta ſunt: Quam diminutionem etiam Aurei *Antonini Pii, M. Aurelii, Severi*, &c. ſubierunt. Inter hos tamen *Domitianus, Titi* frater & ſucceſſor, aureis integrum ſuum 2 drachmarum pondus reſtituebat.

Aurei ergo Imperatorii apud Romanos, aut didrachmi fuerunt, aut pro didrachmis permanſerunt, uſque ad *Alexandri Severi* imperium. Nam eo Imperante authore *Lampridio in Alexand. Severo* primo cuſi ſunt.

Semiſſis Aurei. Id eſt, aureus drachmalis, qui ſcilicet pendebat drachmam. Et valuit proinde de noſtro 7 s. 6 d.

Tremiſſis Aurei, id eſt, *Triens* ſeu tertia pars. Iſque valuit de noſtro 5 s.

Atque hæc fuit aureorum nummorum conditio ad *Aureliani* tempora, qui denuo ad didrachmas rediit: Neque alia fuit eorum conſtitutio, dum Roma Imperii Romani ſedes permanſit.

CAP. XV.

De Aureis Nummis poſt Imperii ſedem Byzantium tranſlatam.

AT *Conſtantinus Magnus* aureum qui ante didrachmus fuerat, ad drachmam unam, & ſeptimam drachmæ partem deduxit: ut denarii argentei veteris Romani exquiſite pondus obtineret. Etenim in ſeptem *l.* 1. *c. Th. de Ponder.* ſeptem ex auri uncia cudi ſtatuebat (ex libra, id fuit 84.) Quem tamen 4 Scrupulorum (nova Scrupuli notatione, quod 20 grana cum $\frac{1}{2}$ contineret) factum iri edicit. Iſque poſt tempora *Conſtantini* Græcis Νόμισμα (Romanis, Solidus) ſemper dictus eſt tum in *Novellis Juſtitiani*, tum aliorum Orientalium Conſtitutionibus, tum denique apud *Theophilum, Harmenopulum, Nicephorum, Cedrenum, Zonaram*, &c. Valuit autem is Aureus de noſtro 8 s. 6 d. ob. q^a. & $\frac{6}{7}$ q.

Ad *Valentiniani* Imperium uſque tales viguerunt aurei. Is enim ad paulo graviores rediit. Juſſit enim ut [*L. quoties.* 5. *cap. de Suſcept.*] ſex ex auri uncia cuderentur, unde & Græcis ἑξάγιον dicebatur, & *Sextula Iſidoro Etymolog. l.* 16. *c.* 24. quod eſſet ſexta pars unciæ. Proinde ſcrupula vere 4 id eſt, drachmam & $\frac{1}{3}$ ponderabat, æqualis plane noſtris *Genialis Anglicis*. Ita ut 72. ex auri libra cuderentur. Quales etiam fuiſſe aureos ſolidos ætate *Juſtiniani ex Novell.* 32. certum eſt. Et ſane videntur ad extrema Imperii tempora tales perſtitiſſe. Niſi quod aliquid fraude & avaritia præter leges & edicta detractum ſit à principibus. Nam ego plures eorum Imperatorum aureos diligenter expendi, *Valentiniani*, & fratris ſui *Valentis, Arcadii, Honorii*, & aliorum, omneſque haud paucis granis pondere juſto leviores reperii. Legitimum tamen pondus erat 4. ſcrupulorum ut dixi, & proinde de noſtro valebat 10 s.

Semiſſis aurei *Valentiniani*, etiam cudebatur, qui valuit de noſtro 5 s.

Triens etiam vel *Tremiſſis* (ut vocabatur) id eſt, aurei ſolidi pars tertia. Iſque valuit noſtri 3 s. 4 d.

Scrupulum denique pars aurei Solidi quarta: Quod de noſtro valuit 2 s. 6 d.

CAP. XVI.

De Argenteis & æreis Nummis Imperii Byzantium tranſlati.

MΙλιαρήσιον, Μιλιαρίσιον, *Miliariſium* 2 pendebat drachmas, *Novel. l.* 105 *cap.* 2. *Sect.* 1. partem enim octavam Aurei Solidi valebat, cum 2 *Ceratiis* (magnis ſcilicet auctiſve) *Cedreno* ubi *de Leon. Conone* ſermonem facit authore conſtet. *Suidas in* Μιλιαρήσιον, tamen decimam eſſe dixit (variavit ſcilicet cum tempore auri pretium:) ſed 2 drachmas cum haberet, valuit de noſtro 1 s. 3 d.

Κεράτιον, *Cerates Iſidoro in Etymol. l.* 16. *c.* 24. Siliqua cornuta eſt, ob Lunæ ut creditur creſcentis notam qua ſignabatur: quo ſigno ſupra ceratium commune ſeu ſiliquam excreſcere intelligebatur. Argenteus nummus fuit drachmæ pondere, ſed *Ceration* dictus, quòd *Ceratio* auri, creſcenti nempe vel magno, (quod ſiliquam cum dimidia complectebatur, id eſt, ſemiobolum) pretio æquaretur. De noſtro proinde valuit 7 d. ob.

Κεράτιον, *Siliqua* vel *Ceratium* ſimplex. Argenteus nummus, ſed ita appellatus quod pretio 4 granorum auri (id pondus eſt ſiliquæ) æqualis eſſet, *Iſidor. ubi ſupra.* Vigeſima quarta pars Solidi auri, ut eſt in *Novel.* 32. *Juſtiniani.* Valuit noſtri 5 d.

Φολλὶς, φολὴ, φολὶς, φολλῆς, *Follis*, cujus in hiſtoria *Euſebii, Hiſtor. Eccleſiaſt. lib.* 10. *cap.* 6. & alibi ſæpe mentio: æreus nummus fuit, ut *Lampridius in Heliogab.* ferreus, ut *Euſtathius ad* 1 *Iliad.* dixit: ſic dictus, quod folii inſtar in tenuem bracteolam percuſſus eſſet.

Duodecima pars Siliquæ fuit, ut *Juſtinianus* in *Leg. Georg.* Idem dicit *Zonaras* Tomo 3. & *Cedrenus* ubi de *Leone* Conone loquitur. Valuit proinde de noſtro q^a. q. & $\frac{1}{3}$.

Nummis Romanis omnibus declaratis, quorum nomina ex veterum ſcriptis elicere potui: figurales præcipuorum notas ſubjicio, quibus indicabantur & in nummis, & in ſcriptis. Itaque nota Aſſis quoniam ab initio Libralis fuit, erat L. *Seſtertii*, quod duas libras æris & dimidiam poteſtate contineret, erat HS, vel HS. Quinarii ſeu Victoriati, erat V. Denarii denique, x. vel *.

CAP. XVII.

De Summis Nummorum Romanis.

DE Nummis dixi, de Summis Nummorum proxime dicam, qui fuerunt in Romanorum uſu. Illæ autem tres,

Seſtertium, genere neutro (Nam in hoc nomine vulgarem opinionem & nos ſequamur) 1000 *Seſtertios* continet, (Quantum lege *Julia* Sumptuaria, nuptialibus conviviis impendere licebat *Auguſti* tempore, ut *Gellius l.* 2. *c.* 24. meminit). Id valuit noſtri 7 li. 16 s. 3 d.

Libra ſeu *Pondo*, uncias continebat argenti duodecim, id eſt, drachmas ſeu denarios recentiores 96. Parte ſui vigeſima quarta minor quam Mina Attica. De noſtro valuit 3 li.

Talentum, 24 ſeſtertia continet, 6000 Denarios recentiores: Idem plane cum Talento Attico: Nomina enim Talenti, Minæ, drachmæ, Romani acceperunt à Græcis, ut Græci à Romanis libram & unciam, (quæ illis λίτρα & ὄυγγια) *Galeno lib.* 1. *de Compoſ. Medicam. ſec. genera* id agnoſcente. Id proinde valuit de noſtro 187 li. 10 s.

Sportula, (Nam & eam adjicio, quod ſæpe occurrat, & ſummula quædam fuit, 100 enim quadrantes, id eſt, ſeſtertios 10 continebat.) Merces erat olim ſalutationum ambitioſarum apud Romanos togatis, Rectæ cœnæ loco comitibus & aſſeclis à viris principibus data; ut *Budæus lib.* 5. *de Aſſe*, & alii notarunt. Mentio ejus in *Sueton. in Nerone. Domitiano, &c.* Poetis, & antiquis inſcriptionibus ſæpe. Fuit autem *Sportula* noſtri 1 s. 6 d. ob. q^a.

CAP. XVIII.

De Seſtertio. Et arte Romana Numerandi per ſeſtertios.

SEſtertium, in neutro genere, quod nunc invaluit, obſervo nunquam in numero ſingulari apud veteres Romanos occurriſſe. *Vide Agricol. l.* 2. *de Ponder. & Temperatur. Monet. & Hotoman. l. de Re Nummaria. Tract. de Seſtertio.* Nam & *Priſcianus* lib. 7. negat *Seſtertius* neutrum habere genus; Et perpetuum ejus nominis ſilentium in *Varrone, Plinio, Voluſio, Priſciano*, idem comprobat, licet iis perſæpe fuiſſet occaſio uſurpandi, ſi nummorum ſummam deſignaſſet: Et denique ratio quam de Nomine afferunt, ſcilicet *Seſtertium* appellari, quod duas argenti libras cum ſemiſſe contineat, cum reipſa non convenit, id eſt, cum mille ſeſtertiis. Nam hii efficiunt 7 li. 16 s. 3 d. at illæ tantum 7 li. 10 s. Tamen plurale nomen *Seſtertia* ſæpe legitur, & quidem eo ſenſu ut 1000 ſeſtertios ſignificet.

Ars autem Romana numerandi per ſeſtertios in tribus his regulis conſiſtit:

Prima: Si nomen numerale convenit caſu, numero, & genere cum *Seſtertio*, tot præciſe indicat, quot efferuntur, ut (exempli gratia) *Decem Seſtertii* totidem deſignat.

Secunda: Si nomen numerale alterius caſus jungatur cum genitivo plurali nominis *Seſtertius*, ut *Seſtertiûm*, tot quidem millia indicantur, ut ex. gr. Decem *Seſtertiûm*, denotat decem millia ſeſtertiorum.

Tertia: Quod ſi Adverbium numerale, jungitur cum ſeſtertiis, deſignat totidem Centena millia: ut *Decies ſeſtertiûm* valet decies centena millia ſeſtertiorum. Quin & adverbium numerale ipſum, ſine aliquo adjecto poſitum idem indicat, ut *Decies*, aut *Vigeſies*, *&c.* tot centena ſeſtertiorum millia, vel ut loquuntur, tot centena *Seſtertia*.

CAP.

CAP. XIX.

Summæ quædam Romanorum Nummûm, & earum in noſtris Declaratio.

CAmilli mulcta 500000 æris, id eſt, Aſsium. Liv. lib. 6. Ingens pro illa tempeſtate apud Romanos Summa. De noſtro valuit 1562 li. 10 s.

Mille Denarii diurna merces Hiſtrionis Roſcii. Macrob. Saturn. lib. 3. cap. 14. Quod de noſtro fuit 31 li. 5 s.

Decem millia Denariorum, Thaidis meretricis poſtulatum à Demoſthene, ut Gellius lib 1. cap. 8. meminit. Idemque pretium à Platone datum pro tribus Philolai Pythagorici libris, Gellius lib. 3. cap. 17. De noſtro 312 li. 10 s.

Remuneratio *Centurionis* ab Antonio, ejus qui caput Ciceronis ei attulit, 250000. Denarii fuit. Appian. lib. 4. Civil. De noſtro 78 2. li. 10 s.

Quadringenta ſeſtertia, id eſt, quadringenta millia ſeſtertiorum, Cenſus equeſtris fuit apud Romanos. Plin. lib. 33. cap. 2. Valuitque de noſtro 3125. li.

Octingenta ſeſtertia, (prioris duplum) ſenatorius Cenſus ante Auguſtum fuit, Sueton. in Auguſt. Quod valuit 6250. li.

Auguſtus autem Senatorium Cenſum ad 1200. ſeſtertia perduxit, Sueton. Ibid. Quod noſtri eſt 9375. li.

Cicero [in Paradoxis] centena HS, id eſt, ſeſtertiorum tot millia redituum percipiebat è ſuis prædiis. Id fuit, tantum, noſtri 781 li. 5. s.

Decies centena millia ſeſtertiûm maximus apud Romanos dotis modus, ut Budæus de Aſſe lib. 2. ex Juvenale docet. De noſtro fuit 7812. li. 10. s.

Julius Cæſar Serviliæ (matri Bruti) dedit margaritam, quam ſexagies mercatus eſt. Sueton. in Julio Cæſare. Noſtri fuit 46875. li.

Unio Cleopatræ propinata Antonio centies ſeſtertiûm fuit, Plin. lib. 9. cap. 35. Quanti etiam C. Caligula cœnavit, Seneca lib. de Conſolat. ad Helviam. Valuit de noſtro 78125 li.

Æſopus Tragicus ex arte Hiſtrionica filio ſuo reliquit ducenties ſeſtertiûm. Macrob. Saturnal. lib. 3. cap. 14. Fuit id de noſtro 156250 li.

Ornatus Lolliæ Paulinæ quadringenties ſeſtertium fuit, Plin. lib. 9, cap. 35. Quantum etiam legimus fuiſſe tributum Galliæ à Cæſare impoſitum, Sueton in Julio & Eutrop. lib. 6. Quantum denique ex Sicilia contra leges abſtuliſſe Verres accuſatur à Cicerone, Action. 2, 3, 5. in Verrem. Quadringenties ſeſtertiûm autem de noſtris nummis eſt 312500 li.

P. Clodius habitavit in domo empta centies quadrageſies ſepties, ut meminit Plinius lib. 35. cap. 15. De noſtro id fuit 114843 li. 15 s.

Curio filius contraxit æris alieni ſexcenties, ut meminit Valerius Max. lib. 9. cap. 1. Id noſtri fuit 468750 li.

At Milo debuit ſeptingenties, narrante Plinio lib. 36. cap. 15, Quod fuit 546875 li.

Julius Cæſar autem oppreſſus ære alieno dixit, bis millies & quingenties centena millia ſibi eſſe oportere, ut nihil haberet, Appian. lib. 2. Civil. Id de noſtro eſt 1953125 li.

Veſpaſianus primus è fiſco Rhetoribus Græcis & Latinis, annua centena HS conſtituit, Sueton. in Veſpaſ. 18. Id valuit noſtri 781 li. 5 s.

Illata ſunt in ærarium à M. Livio & Cl. Nerone Coſſ. Tricies & octoginta millia ſeſtertiûm, Liv. lib. 28. De noſtro 296875 li.

Area fori Romani, quod de manubiis Julius Cæſar inchoavit, ſuper millies ſeſtertiûm conſtitit, Sueton. in Julio Cæſare 22. Id de noſtro fuit 781250 li.

Relatum à Scipione Africano in ærarium Romanum, bis millies ſeſtertiûm, Liv. lib. 38. Id de noſtro valuit 1562500 li.

Bis millies centies illatum ærario ab Æmilio Paulo ex Macedoniæ manubiis, Velleius lib. 2. Id fuit de noſtro 1640625 li.

Seneca apud Tacitum lib. 13 Annal. fatetur ſe quadriennio comparaſſe ter millies ſeſtertiûm, quantum & Eprius Marcellus, & Criſpus Vibius, & Pallas Claudii Libertus, dicuntur poſſediſſe. Id erat 2343750 li.

Lentulus *Augur*, antequam libertini eum pauperem feciſſent, quater millies ſeſtertiûm ſuum vidit, inquit Seneca lib. 2 Benef. Quod fuit de noſtro 3125000 li.

Pecunia quinque Julii Cæſaris triumphis è manubiis lata, ſexies millies & paulo amplius fuit. Velleius lib. 2. De noſtro 4687500 li.

Tiberius Cæſar corraſit & reliquit vigeſies ſepties millies ſeſtertiûm. Quod totum ante annum Caligula diſſipavit, Sueton in Caligula 37. Id valuit 21093750 li.

Nero bis & viceſies millies ſeſtertiûm donationibus effudit, referente Tacito, lib. 1 Hiſtoriar. Id de noſtro fuit 17187500 li.

Qui Tiridati urbe diſcedenti donavit ſuper millies ſeſtertiûm. Sueton. in Nerone. 31. Id fuit de noſtro 781250 li.

Et eidem Tiridati in urbe moranti, nummûm (id eſt ſeſtertiorum) 800000 diurna erogavit, Sueton. ibid. Id fuit 6250 li.

Vitellius pauciſſimis menſibus (inquit Tacitus lib. 2 Hiſtoriar.) conſumpſiſſe creditur novies millies HS Id de noſtro fuit 7031250 li.

Veſpaſianus proteſtatus eſt in principatus ſui initio, ob ſummam ærarii diſſipationem, quadringenties millies opus eſſe, ut Reſp. ſtare poſſet: Sueton. in Veſpaſiano 16. Maxima ea ſumma omnium quæ in Romanis leguntur Hiſtoriis. Valuit de noſtro 312500000 li.

Redemptio Romæ à Gallis mille auri libræ fuerunt (una P. Clodii domus, triplo pluris poſtea conſtitit) authore Plutarcho in Camillo & Liv. lib. 5. Id valuit noſtri 36000 li.

Cæſar (*Dictator*) in primo conſulatu 3000 pondo auri furatus è *Capitolio*, tantundem inaurati æris repoſuit, ut retulit Suetonius in Julio Cæſare 49. Id valuit de noſtro 108000 li.

Octavius Cæſar in Cellam Jovis Capitolini intulit auri pondo 16000. Gemmaſque inſuper & margaritas ſeſtertiûm quinquies millies, Sueton. in Auguſto. Quorum, aurum valuit de noſtro 576000 li.

Gemmæ vero & Margaritæ valuerunt 3906250 li.

Reliquiæ opum Craſſi, poſtquam decimam conſecraſſet Herculi, atque publico convivio populum Romanum excepiſſet, & civibus inſuper ſingulis dediſſet 3. menſium triticum, fuerunt talenta 7100. Plut. in Craſſo. Id valuit de noſtro 1331250 li.

Plinius lib. 33. cap. 10. autem in agris eum poſſediſſe ſcribit bis millies centena millia ſeſtertium. Quod de noſtro fuit 1562500 li.

Antiochus pro pace Romanis ſolvit ex pacto 15000 talenta, Liv. lib. 33. Id de noſtro fuit 2812500 li.

Mulcta Aſiæ impoſita à Sylla ob defectionem, talenta fuit 20000. Plutarch. in Sylla. Quod facit de noſtro 3750000 li.

Tributum impoſitum Aſiæ ab Antonio 200000 talenta, Plutarch. in Antonio. Quod de noſtro facit 37500000 li.

CAP. XX.

De proportione Auri ad Argentum.

UT luculentior fiat noſtra quæ præceſſit nummorum tractatio, de auri argentique proportione, pretiis, & temperatura, pauca adjicienda ſunt. De proportione autem imprimis ſciendum, aurum obtinere è natura ſua quòd cæteris metallis præſtet: quia cæteris & purius eſt, utpote magis liberum & ſegregatum ab excrementis, & etiam in mixtione ipſa perfectius, utpote exquiſitiſſima actione caloris elaboratum. Metalla enim omnia licet in mixturæ ſuæ radice & initio, ſimilia fere ſint, varios tamen excretionis, coctioniſque gradus ſortiuntur. Verum, quod certa proportione, argenti aut aliorum metallorum pretia aurum ſuperet, id non à natura eſt, ſed conſtitutione principum. Proinde proportio ea auri ad argentum quam ſupra aſſignavi, ſcilicet duodecupla, perpetua non fuit, ſed vel pro copia auri aut inopia, vel arbitrio principum ſæpe variavit. Julius Pollux lib. 9. Onomaſt. cap. de Talent. & apud eum Menander; & Heſychius in δραχμὴ, atque apud illum in vocabulo χρυσοῦς Polemarchus, eam decuplam facit. Quin & tantum fuiſſe aliquando, non majorem, apparet ex Livio, lib. 38. ubi à Romanis pactum cum Ætolis fuit, ut ſi aurum dare mallent quam argentum, pro argenteis decem, aureum unum perſolverent. Idemque ſane plurimum obtinuiſſe videtur in veteri Græcia & Aſia, quod de Græcis ex Dione Zonaras in Tom. 3. obſervat, quod & de Perſicis è Suida in Δαρικὸς non obſcurè cognoſcitur. Plinius lib. 33. cap. 3. proportionem auri ad argentum, cum primùm Romæ ſignaretur, prodidit fuiſſe quindecuplam, nam auri ſcrupulum, inquit, valuit ſeſtertiis vicenis. Tempore verò Arcadii & Honorii conſtat fuiſſe ferè, ut 14$\frac{1}{2}$ ad unum, ut ex eorum conſtitutionibus [In lib. 1. cap. de Argent. pret.] clare elicitur. Valuit autem interdum aurum ut 1 Par. 13. argenti, etiam apud Aſiaticos, ut evidens, ex Herodoto in Thalia, ubi unum talentum auri 13 argenti talentis taxatur. Porro, ea proportio aliquando fuit, ut 1 ad 12$\frac{1}{2}$ ut cum Aureus Romanus didrachmus valeret ſeſtertiis centum, ut in Galbæ temporibus, ex collatione Suetonii in Othone, & Taciti lib. 1. Hiſtoriarum fuiſſe cognoſcimus. Nam de eadem Othonis largitione locuti, ille aureum, hic centum ſeſtertios eam facit, ut etiam Dion lib. 55. 25 drachmas, quod in idem plane recidit. At proportio auri ad argentum celebratiſſima, & quæ plurimum evicit, eſt duodecupla. Quam non ſolum Plato in Hipparcho, veram eſſe illorum metallorum analogiam ſtatuit, & apud Romanos circa Plinii tempora valuiſſe video, lib. 19 cap. 1. qui quatuor denariis unum auri ſcrupulum permutari ſcribit. Verum & eandem æſtimationem proportionémque apud nos, aliaſque gentes plurimas jamdiu obtinuerunt. Pro illa autem utriuſque proportione, ſtatuendum eſt hunc in modum utriuſque metalli pretium & æſtimatio.

CAP. XXI.

De Auri & Argenti pretiis.

Λίτρα *Libra*	Argenti,	valet	3 li.	Continet Libra 12 Uncias. Ponderat grana 6912.
	Auri		36 li.	
	Obrizi *Bud. de Aſſe l.*5.		37 li. 10 s.	
Ὀυγγία *Uncia*	Argenti	valet	5 s.	Continet uncia 8 drachmas: ponderat grana 576.
	Auri		3 li.	
Δραχμὴ *Drachma*	Argenti	valet	7 d. ob.	Continet drachma 3 ſcrupula: Ponderat grana 72.
	Auri		7 s. 6 d.	
Γράμμα *Scrupulum*	Argenti	valet	2 d. ob	Continet Scrupulum Obolos 2. Ponderat grana 24.
	Auri		2 s. *6* d.	
Ὀβολὸς *Obolus*	Argenti	valet	1 d. q^{a}.	Continet Obolus Ceratia ſeu ſiliquas 3. Ponderat grana 12.
	Auri		1 s. 3 d.	
Κεράτιον *Siliqua*	Argenti	valet	q^{a}. q. c. $\frac{1}{3}$.	Continet Siliqua ſeu Ceratium, ponderatq; ſitaria ſeu grana 4.
	Auri		5 d.	
Σιτάριον *Granum*	Argenti	valet	c. $\frac{1}{2}$. $\frac{1}{12}$.	
	Auri		1. q^{a}.	

CAP. XXII.

De Aurei & Argentei Nummi Temperaturis.

SUpereſt una conſideratio de auri & argenti temperatura, quæ eſt ejus permixtio cum materia aliena: Aurum enim Argento, Argentum ære temperant, ut proinde in aureis & argenteis nummis varii obſerventur gradus puritatis. Aureorum autem omnium puriſſimi, Darici ſunt. Darius enim Herodoto referente in Melpomene, quoad fieri potuit, omnem materiam alienam excoxit. Quod & inter Romanos Imperatores Tacitus fecit: *Obrizum* Monetales viri id vocant: nam in officina monetali natum id nomen fuiſſe, cui tamen aliam originem quidam aſſignant, [*Obrizum iis quaſi ophirizum, id eſt, aurum ex Ophir allatum.*] Plinius lib. 33. cap. 3. non obſcure ſignificat. Eſt autem *Obriza* examen ſeu probatio per ignem acerrimum, qua omnis fere alienæ materiæ admixtio excernitur; *Vide Budæ lib.3 de aſſe*: dixi (*fere*) Nam eouſque excoqui aurum poſſe, ut caractæ unius quadrans tantum relinquatur materiæ alienæ, id eſt pars totius maſſæ nonageſima ſexta, metallarii agnoſcunt, eamque puritatis gradum Edvardicos Nobiles adeptos eſſe. In argento autem volunt neceſſario relinqui quadrageſimam octavam partem materiæ alienæ: verum exquiſitiſsimi monetales affirmant aurum ad ultimum etiam quadrantis caractæ quadrantem, id eſt decimam ſextam caractæ partem defæcari & expurgari poſſe, ita ut ſolum trecenteſima octuageſima quarta pars alieni metalli derelicta ſit. Argentum autem decoqui poſſe, ut nihil præter merum argentum ſuperſit, licet non ſine aliqua ejus jactura illud fiat. Scribit autem Bodinus lib. 2. Theatr. Naturæ, ex Aurificum (ut inquit) *Pariſiorum* experimentis, in aureis nummis Veſpaſiani factis, ſolam ſeptingenteſimam ſexageſimam nonam partem defuiſſe ſummæ eorum bonitati. Quod ſi verum, trigeſima ſecunda tantum pars unius caractæ materiæ alienæ ſuperfuit; verum utcunque fuerit, ſumma aureorum *Daricorum* puritas, in Græcis tamen Aureis Philippi, Alexandri, Demetrii, &c. ut etiam in externis *Pruſiæ* & *Mithridatis*, admixta fere fuit quinquageſima Argenti portio [Vid. Agricol lib. 2. de ponderibus & Temperatura Monetarum.] In Romanis autem quos ſignarunt Conſules & Imperatores ad Veſpaſianum uſque quadrageſima & octava fuit Argenti portio. Quam temperaturam aurei *Turcici*, *Hungarici*, veteres *Hiſpani*, & fere *Ducati Veneti* hodie ſervant. *Ducati* autem *Romani*, *Bononienſes*, *Lucenſes*,

ſes, *Mediolanenſes*. mixtionem habent triceſimæ ſecundæ partis argenti. *Coronati Francici* & *Burgundici* decimam ſextam recipiunt. *Coronati Italici* fere partem nonam: qui autem optimi, ſaltem duodecimam. Aurei *Rhenani* partem quartam, (qui ea cauſa albeſcunt) ut electri potius quam auri nomen mereantur, cum electrum ſit authore Plinio lib. 33. cap. 4. etiam cum quinta pars argenti auro ſit admixta. Verum omnium maxime argentoſi ſunt *Philippici Brabantini*, & *Wilhelmii Hollandici*, in quorum mixtura ſunt 15 auri, 9 argenti portiones.

Argentei autem nummi *Aryandici*, (*Aryandes* ſub *Cambyſe Perſarum* Rege *Ægypti* præfectus fuit) omnium erant puriſſimi, omni plumbo ut Herodotus author eſt lib. 4 in Melpomene, quoad fieri potuit excocto: Poteſt autem ſine argenti jactura, ut drachma plumbi in beſſe argenti (quam *Marcam* vocant) id eſt, in 8. argenti unciis reſideat. Vide Agricol. loco allegato. Pars ea eſt ſexageſima quarta. Græcorum argenteis nummis fere ineſt quinquageſima pars alieni metalli, Idem in Aſiaticis. In Romanis uſque ad Veſpaſianum quadrageſima octava: Poſt Veſpaſianum interdum vigeſima quarta, niſi quod ſolus Livius Druſus, etiam tempore Conſulum, ante Cæſares, notatur in Tribunatu ſuo, octavam æris partem admiſcuiſſe. Plin. lib. 33. cap. 3.

Æreis demum nummis ferrum miſcuiſſe notatur ſolus Triumvir Antonius, ut etiam argenteis, ſed qua menſura incertum: Plin. lib. 33. cap. 9. Immenſus Helluo cum plus auri & argenti ex una Aſia uno anno corraſerat, quam ex toto Imperio Romano longis ſpatiis Tiberius, pluſque inter cœnas & luxurias diſſipaverat, quam Nero aut Caligula, aut quiſvis alius diſſolutiſſimus ærarii Romani exhauſtor & expilator, ne æs quidem ſine ferro hominibus purum ferreus & impurus nebulo relinquere potuit.

Ferreis tamen nummis uſas fuiſſe olim gentes aliquas certum eſt. Nam & ferrei nummi Ariſtoteles meminit in Oeconomicis 2. & Britannos Cæſar lib. 5. Bell, Gall. Byzantios Pollux lib. 9. cap. de Talent. & Ariſtides Lacedæmonius, ille & Xenophon, & Plutarchus in Lycurgo, & in Lyſandro. Ariſtid. in Platonica 2. pro Quatuor viris. (quibus alii non permittebantur ex *Lycurgi* legibus) nummos ferreos in uſu habuiſſe prodiderunt. Verum & ſtanneos nummos fuiſſe aliquando ſub Dioniſii tyrannide *Syracuſanis*, Pollux lib. 9. Onomaſtic. cap. allegat. etiam retulit: quin denique neque corium excluſum fuiſſe ab hac dignitate intelligimus ex Platone in Eryxia, qui *Carthaginienſes*, adhibuiſſe in commerciis nummos ex corio, magnitudine ſtateris meminit.

CAP. XXIII.

De pretio & pondere æris & aliorum Metallorum.

VErum cum in nummis etiam æris ratio habita ſit, adjiciam pauca de ejus & aliorum etiam metallorum pretiis. Pretium quidem æris ab initio Romanæ Reip. idque diu, ad primum bellum P*unicum*, reſpectu argenti fuit fere 840. pro 1. cum ſcilicet vetus denarius Romanus 10 æris Libras pretio valeret. Poſtea vero crevit ejus æſtimatio, ut reducto ad 2 uncias Aſſe, uni argenti libræ 140. cum ad unciam unam, 70. cum ad ſemunciam 35. fere reſponderent libræ æris, in nummis ſcilicet ſignatis: cum vero denarius ad drachmam eſſet contractus, etiam 32. Rudis vero æris pretium ſub Arcadii & Honorii Imperio (ut alias fuit antiquitus ignoro) tale fuit, ut 100. æris pro 1. argenti taxarentur. Lib. 1 cap. de Argent. pret. De reliquorum metallorum pretiis Agricola lib. de pret. Metallorum videatur.

Dixi aliquid de æris pretio, dicam etiam pauca de ejus & aliorum metallorum ponderibus, quod videam ſcriptores in iis ſtatuendis, nonnihil hallucinari. Inter metalla autem graviſſimum omnium aurum eſt, cui plumbum bene repurgatum fere cedit parte octava: Plinius lib. 33. cap. 3. qui plumbum auro præponderare ſcriptum reliquit. Plumbum autem rudius ejuſdem fere ponderis cum argento eſt: at bene excoctum & repurgatum, tertia fere parte ſui ponderis ipſum ſuperat. Argentum tamen æri, parte fere tertia & dimidia præponderat. Æs autem ferro parte fere ſexta gravius eſt, ferrum denique ſtanno parte decima ſeptima fere: ut ſtannum ſit metallorum omnium leviſſimum, ſicut aurum graviſſimum. [Ex experientiis Nic. Tartaleæ, in appendice ad lib. Jordani de Ponderoſitate, & Franciſc. Euxei Pariſienſ.] Et ut aliquid obſervem de lapidibus; Adamas dimidium fere plumbi, marmor dimidium ferri ponderat. Ita aurum proportionem ponderis habet ad Argentum, ut non aliqui [Ar. Mont. Vol. 3. de Menſur. cap. de Sicli partib. & cap. de Chichar.] temere pronunciarunt duplam, aut triplam, ſed ſeſquialteram & ſeſquiquintam; ſcilicet ut 17 ad 10. Aurum ad plumbum, ſeſquioctavam fere. Aurum ad æs, duplam & ſeſquioctavam. Aurum ad ferrum & ſtannum duplam & pluſquam ſeſquialteram.

BRIANI VVALTONI,

S. T. D.

Supplementum de Siclorum Formis & Inſcriptionibus cum eorum Explicatione.

QUod de Siclis promiſi proleg. 3. 11. 28. eorum quos comparare poteram formas in Tract. de ponderibus & nummis me exhibiturum una cum ſingulorum explicatione, hic præſtare conabor, antequam verò ad ſingulorum figuras deveniamus, quædam de ſiclo in genere prælibanda.

1. שֶׁקֶל *Siclus* à שָׁקַל derivatur, quod appendere & ponderare ſignificat, quia moneta argentea ponderari olim ſolebat, & apud Hebræos hoc genus nummi erat quaſi exemplar ad quod alios omnes expenderent. Nomen hoc Hebræum apud Græcos & Latinos interpretes alioſque remanſit, punctatio tamen hodierna diſcrimen quoddam in pronunciatione intulit, ſecundum quam potius Seclus quam Siclus diceretur. Cum tamen omnes Græci & Latini Interpretes, Joſephus etiam & Philo Siclum, non Seclum legerint. 2. Conſtat omnium numiſmatum de quibus legimus antiquiſſimum fuiſſe, ex Geneſ. 23. 15. ubi Abraham emiſſe dicitur agrum pro loco ſepulturæ ab Ephron, pro 400 ſiclis Argenti, unde etiam liquet Siclum fuiſſe nummum populis Orientalibus communem, non Iſraelitis proprium, an vero idem fuerit cum ſiclo poſteriorum temporum dubitatur, non enim cuſos vel fuſos cum characteribus impreſſis olim fuiſſe, ſed ſecundum pondus appenſos, à pleriſque ſtatuitur. 3. Formam ex inſculptis figuris videmus, quod antiquiores una ex parte habuerint urnam cum Manna Exod. 16. poſito quaſi in ore calicis ſive urnæ, in multis Aleph Samaritano, in quibuſdam Daleth & Schin, aliiſve literis Samaritanis, cum inſcriptione literis Samaritanis ex hac parte ࠔࠒࠋ·ࠉࠔࠓࠀࠋ, id eſt, שקל ישראל *Siclus Iſraelis*, ex altera parte virga Aaronis ponitur cum Amygdalis, inſcriptione etiam literis Samaritanis, ࠉࠓࠅࠔࠋࠉࠌࠄ ࠒࠅࠃࠔࠄ id eſt, literis hodiernis ירושלימה קודשה *Jeruſalem ſancta*. In quibuſdam tamen varietas quædam conſpicitur, ut jam in explicatione oſtendam. Poſteriorum verò Siclorum qui poſt reditum è captivitate cuſi ſunt, forma à prioribus differt, habent enim ex una facie urnam vel potius thuribulum incenſi quotidiani, ut ex fumo aſcendente liquet, ex altera virgam Aaronis cum foliis, vel ut alii ramum olivæ, inſcriptionem vero eandem habent, at literis Hebraicis hodiernis. 4. Pondus erat ſemiuncia, valor drachmarum quatuor Atticarum ut ex Joſeph. lib. 3. cap. 9. Hier. in Ezek. cap. 4. lib. 1. conſtat. Contra hunc valorem gravis eſt objectio ex 70 Interpret. qui ubique vertunt δίδραχμον, unde duplicem quidam faciunt ſiclum, ſacrum ſive ſanctuarii qui quatuor drachmas valebat, & civilem ſive communem, qui dimidium ſicli, duas viz. drachmas valebat. At contra hoc facit, quod 70 ſemper vertunt δίδραχμα, nunquam τετράδραχμων. & diſtinctio iſta ſicli in ſacrum & civilem conficta videtur ſine fundamento, nam omnis æſtimatio erat ſecundum ſiclum ſanctuarii Levit. 27. 25. & cum mentio fit in Scripturis ſicli ſanctuarii, hoc ideo dicitur ſiclus ſanctuarii quia in ſanctuario aſſervata ſunt ponderum & menſurarum exemplaria, hoc enim ad ſacerdotum officium pertinebat, *ut ſint ſuper omne pondus & menſuram* 1 Chron. 23. 29. Et in Scripturis legimus, non tantum ſacra ſed & prophana ſiclo Sanctuarii appendi & æſtimari, nec prudens aliquis princeps diverſa pondera vel menſuras varias intra regnum ſuum, uſurpari permitteret. Intra ſacra enim æſtimata erant pondera & menſuræ, unde in Templis apud Paganos, & in Eccleſiis Chriſtianorum ſervari ſolebant, ut ex Juſtiniani Novella 128. cap. 15. oſtendimus. Proleg. 3. n. 31. Ut ad Sept. revertamur. Ar. Mont. & Maſius ipſos lapſos in vertendo fuiſſe exiſtimant, quod affirmare ab omni ratione alienum eſt: alii ad librarios referunt, qui cum viderent literam δ quæ quatuor ſignificat, drachmæ præpoſitam fuiſſe, addiderunt (ι) unde δίδραχμα fecerunt, hoc vero haud probabile, cum Joſephus qui interpretationem Sept. ſequitur, nunquam habet δίδραχμον pro ſiclo, ſed τετράδραχμον, verior itaque reſponſio eſt, quod ſcripſerint Sept. verſionem ſuam Alexandriæ, ubi drachma unum par erat duobus Atticis, hinc fit ut apud eos idem ſit δίδραχμον, quod poſtea & aliis locis erat τετράδραχμον, nam ut hodie ita olim monetæ apud varias nationes, varium habuere valorem.

Sed jam ad explicationem particularem veniamus. Exhibentur hic 13 ſiclorum & numiſmatum formæ, quas ex Poſtello, Ario Montano, Beza, Waſero, Villalpando, Joh. Morino collegi.

Prima exhibet ſiclum integrum conſtantem 4 Drachmis, qualem habuit Arias Montanus Argenteum ab Archiepiſcopo Liſtrigoniæ, & pro munere precioſiſſimo æſtimavit: ad ſtateram examinatus, quatuor drachmas, id eſt, unciæ dimidium pendebat, non communes ſed medicas apud Pharmocopolas in uſu. Siclus vero 20 granorum pondere à Moſe Exod. 30. 15. deſcribitur, qui ibi & Ezek. 43. 12. Gerah dicuntur. Talem etiam exhibent, Villalpand. in Ezek. Tom. 2. Waſerus de nummis, & J. Morin. in Pent. Samar. Exerc. 2. cap. 10. & ante annos 400, duos ejuſmodi nactus erat Ramban, & unum R. Azarias; omnes ejuſdem formæ, nam ex una facie habent urnam cum Manna. & ſupra urnam literam Aleph Samaritanam, cum hac inſcriptione ࠔࠒࠋ·ࠉࠔࠓࠀࠋ id eſt, literis Hebraicis modernis שקל ישראל, *ſiclus Iſraelis*, ex altera parte virgam Aharonis, amygdalas proferentem, cum hac inſcriptione iiſdem literis antiquis ࠉࠓࠅࠔࠋࠉࠌ ࠄࠒࠃࠅࠔࠄ ירושלים הקדושה, *Jeruſalem ſancta*. Ex quibus colligunt Ar. Mont. & alii ſiclorum Antiquitatem quod ante ſeceſſionem decem, tribuum cuſæ ſint, cum toti populo nomen Iſraelis conveniebat, nec à Samaritanis uſos, quia illi nunquam potiti ſunt Hieroſolyma, nec nomen (ſanctæ) illæ civitati tribuiſſent, quam abominati ſunt. Per Aleph vero inſcriptum, indicari vult Ar. Mont. priorem ſicli faciem, Rabbini quidam, ſiclum unum vel integrum quod meritò rejicitur, cum in ſemi ſiclis eadem litera eodem loco impoſita inveniatur, Villalpand. putat eo deſignari nomen Adonai ſive *omnium Dominum*, probabilius alii urbis nomen ubi cuſus, ab Aleph incipiens denotari volunt, vel אחרה urbem in genere, ſcil. alium ab Hieroſolyma.

Secunda etiam ſiclum integrum quatuor drachmas pendentem repreſentat, qualem unum habuit Villalpand. alium Joh. Morinus, alium Waſerus, & ante omnes unum nactus erat Poſtellus inter Judæos, cujus figuram excudit lib. de 12 Linguis. In omnibus etiam ſimilis eſt hic priori, niſi quod pro Aleph in ore calicis habet duas literas Schin & Tau, & ex altera parte inſcriptionem paululum variantem, additis quibuſdam literis, habet enim ࠉࠓࠅࠔࠋࠉࠌ·ࠄࠒࠃࠅࠔࠄ additis Jod & He, & in quibuſdam ࠄࠒࠃࠃࠅࠔࠄ cum duplici Daleth & Vau unico. Pro Schin & Daleth, legit Maſius Schin & Mem, quibus denotari vult שלמה מלך Salomon Rex, quaſi ejus tempore percuſſus eſſet, ſed littera illa potius Daleth Samariticum, quam Mem repræſentat, unde Villalpand. exiſtimat, nomen Dei שדי deſignari, probabilius Morinus, Siclum Davidis his literis primis exprimi, quod ſub Davide & in urbe Davidis hi ſicli percuſſi fuerint. In altera inſcriptione, ubi Vau Jod & He, quæ in primis (ubi Aleph ponitur ſupra urnam) nunquam reperiuntur, exiſtimat Poſtellus, illud He non ad finem Jeruſalem ſed ad initium dictionis ſequentis referri debere & legit Jeruſalaim, *Hakkodoſhah*; quaſi eſſet loco articuli Græci ὁ. Azar. duplicem lectionem refert, quaſi vel cum verbo antecedente, vel ſequente jungi poſſet. Alii dicunt literas illas He, Vau, & Jod, in ſcribendo pro arbirrio addi vel omitti debere, quia norant periti certis legibus quando ſubintelligenda eſſet aliqua ejuſmodi literarum, antequam hujuſmodi ſcribendi modus qui propter Dialectorum varietatem varius erat, poſt inventam Grammaticam, per Grammaticorum regulas in certum ordinem redactus ſit. Scribere verò Jeruſalem per Jeruſulaîmah, cum Jod & He, proprium fuiſſe Dialecto Hieroſolymitano probat D. Morinus loco citato ex Talmud. Tract. Megillah fol. 71. Ubi R. Simon & R. Samuel filius Nachman dicunt, quod viri Jeruſalem ſcribunt Hieruſalem ירושלימה, & de hac re non curant.

Tertia figura eſt Sicli dimidii, qualem exhibet Theod. Beza in Matth. 17. & ſibi communicatam ait ab Amico Ambroſio Blainero, pendebat drachmas duas. Hic excepto pondere & valore per omnia reſpondet primæ, cum iiſdem literis ex utraque parte, urna etiam & virga Aaronis, & Aleph ſupra urnam.

4. Quarta eſt etiam Sicli dimidii apud Morinum & Villalpandum dictis locis quæ in omnibus cum illo Bezæ convenit, niſi quod circa urnam inſcriptio (ſiteris quibuſdam exeſis) literis Hæbræis reſpondens, eſt חצי השקל *Dimidium ſicli.*

Quinta eſt Waſeri, quæ priori per omnia ſimilis eſt valore, inſcriptionibus &c. niſi quod ſupra urnam pro Daleth habet Beth, ad ſignificandum partem dimidiam, vel duarum drachmarum pondus, & præter חצי שקל addit ישראל, *dimidium ſicli Iſrael.*

Sexta eſt Morini, ubi literæ multum detritæ ut vix aliquid certi ex eo colligi poſſit, ex una parte tamen habet calicem vel urnam, & ſuper eam literam quæ crucem exacte repræſentat, ex altera ramum quendam, ſub quo eadem litera figuræ crucis, alia quæ ad Ain proxime accedit, ex quibus conſtat in antiquo Hebræorum Alphabeto fuiſſe literam quæ figuram crucis referebat.

Septima eſt Waſeri quæ ſicli trientem ſive tertiam partem repræſentat quem Nehemiam populo impoſuiſſe legimus, Neh. 10. 32. propter opus Domus Domini, dicit ejuſdem cum reliquis figuræ & inſcriptionis fuiſſe, cum diverſa tamen ex altera parte inſcriptione, literis his Hebraicis reſpondente הלישית השקכ ישראל i. *triens ſicli Iſraelis*, ſupra urnam apponitur Gimel, ad denotandum partem tertiam.

Octava eſt ejuſdem Waſeri, & quadrantem ſive quartam ſicli partem repræſentat, de qua fit mentio 1 Sam. 9. 8. & ejuſdem valoris fuit cum זוז *zuz* ſpecie alia monetæ Hebraicæ vel Chaldaicæ, quæ drachmam Atticam conficiebat, unde dicto loco Chald. Paraph. רבה *rebah* reddit per זווא *zuza*, unam argenteam. Eandem habet inſcriptionem cum proxime præcedenti niſi quod ſupra urnam habet Daleth, & hanc inſcriptionem literis antiquis דבה השקל ישראל *quadrans ſicli Iſraelis.* Waſeri has ſicli partes, dimidiam trientem & quadrantem haud ſinceras eſſe putat Joh. Morinus, ſed ad partes ſiclorum in Scripturis repræſentandas efficta: ſed cum rationem nullam proferat, hoc de Waſero non facile crediderim, unicuique tamen liberum ſit judicium.

Nona alium ſemiſiclum refert quem habuit Villalp. à patre Padro, ex una parte radicem Balſami, ex altera palmæ formam repræſentat, quæ (teſte Tacito lib 5.) Palæſtinæ propria erat, literæ vetuſtate conſumptæ: circa balſamum legit Villalp. מולעת quaſi percuſſus tempore circumciſionis ſecundæ, ſub ingreſſum Palæſtinæ Joſ. 5. ut idem conjicit, balſamum enim non ferro ſed lapide inciditur ut ſtillet, unde ejus frutex pro circumciſionis ſymbolo poni videtur. Conjecturæ hæ mihi longe petitæ videntur.

Decima eſt tum Villalpandi tum Morini, ſicli quadrantem putat ille, hic amuletum Samaritanum, à reliquis Sicli partibus multum differt forma & inſcriptione: ex una parte torquem habet quem Salomoni vel regi alicui in uſu fuiſſe conjiciunt, intra cujus ambitum ſunt literæ in medio quas legit Villalp. שמן עת *tempus unctionis*, ex altera parte eſt Cantharus ſive guttus, cui adſtat virga frondeſcens, quæ Aaronis eſſe conjicitur, ut & vas videtur eſſe illud Exod. 31. 23. in quo oleum unctionis aſſervabatur, inſcriptionem ita legendum eſſe putat Villalpand. לחרות ירושלם quam interpretatur: *Ad ſcripturam Jeruſalem*, conjicit anno tertio Joſiæ percuſſum fuiſſe.

Undecima repreſentat æreum nummum apud Villalpand. Ex una parte eſt manipulus ex pluribus frumenti ſpicis conflatus, floribus & fructibus abundans, ſubtus colligatis, circumſtant vaſa Romanorum urnis non diſſimilia, quorum illud à dextris vini, à ſiniſtra olei eſſe videtur. Inſcriptio maxima ex parte attrita, à dextra tamen quatuor literæ leguntur ࠔࠌࠅࠀ שמוא per quas nomen Samuelis denotari putat, à ſiniſtra tantum litera Nun ࠍ viſitur conjicit, legendum eſſe ࠍࠁࠉࠀ *Propheta*, quaſi à Samuele Propheta percuſſus eſſet hic nummus, cùm ante reges ipſe Rempublicam adminiſtraret. Ex altera parte videtur urna, quæ urnam Mannæ refert in cujus inſciptione leguntur hæ literæ integræ ࠂࠀࠋ *gaal, redimere*, de reliquis conjicit, quaſi tota Scriptura eſſet ࠍࠂࠀࠋࠕࠋࠑࠌ *Negoltho litſum, redemptus es.*

Duodecima & tredecima Siclos integros quatuor drachmarum referunt, poſt reditum à Captivitate cuſos, extant apud Villalpand. Morinum & alios, eorum plures vidi, ex una parte habent urnam vel poculum, cum thure ex eo fumante; vel ut Villalp. thuribulum fumum exhalans, cum inſcriptione literis Aſſyriacis vel Hebraicis hodiernis שקל ישראל *Siclus Iſraelis*, ex altera, virgam Aaronis cum foliis, nondum flores aut fructus protuberantem, ut quidem exiſtimant, vel ut alii probabilius, olivæ ramum, nam cum urnam Mannæ ex una parte omiſerint haud probabile eſt, virgam Aaronis ex altera retinere voluiſſe, nec, cum neutra tunc exſtaret, videntur voluiſſe utramuis in uſum revocâſſe ſed alias formas excogitaſſe: inſcriptionem etiam eandem cum ſuperioribus habet literis hodiernis, ירושלים הקדושה, aliquod tamen diſcrimen inter literas horum ſiclorum obſervare licet, unde conjicio non eodem ſeculo percuſſos eſſe: ſed poſt aliquod temporis intervalum, unde alliqua diſcrepantia oriri poterat; hoc etiam obſervandum, quod in facie poſteriore inſcriptio non eſt ut in antiquioribus ſiclis, nec ut in horum facie prima à dextra ad ſiniſtram, ſed à ſiniſtra ad dextram, cujus diſcrepantiæ haud facile eſt cauſam aſſignare.

Præter hos etiam aliæ nummorum ſpecies literis Hebraicis antiquis & hodiernis inſcriptæ circumferuntur, unum habet Theſeus Ambroſ. ex una parte referentem imaginem Salvatoris, cum nomine ישו literis Samaritanis, & ex altera parte iiſdem literis verba Hebraica in hunc ſenſum. *Rex venit cum pace, Deus homo factus eſt*, alium habent Waſerus, Schichardus & alii, in quo ex una parte eſt effigies arcis Sionis, cum hac inſcriptione, literis & vocabulis Hebraicis hodiernis, *Jeruſalem urbs Sanctitatis*, ex altera effigies humani capitis cum hac inſcriptione iiſdem literis & lingua, *David Rex & Salomon Rex filius ejus*, primum poſt Chriſtum factum eſſe ipſa inſcriptio docet, alterum etiam fictum eſſe conſtat ex humanæ faciei forma, quia ullius animalis formam ſculpere in quemcunque uſum illicitum eſſe putarunt Judæi ex vi præcepti ſecundi, unde Tacitus lib. 5. præter morem hoc de iis vere refert, *nulla ſimulacra habere in urbibus ſuis, nedum Templis, non regibus hæc adulatio, non Cæſaribus honor*: videatur D. Grotius in ſecundum præceptum: unde facile cuivis judicare licet quid de reliquis numiſmatis ſentiendum ſit, & qua ratione a figuris, maxime humanis, abſtinerent Judæi, & quam à vero alienum ſit illud Rabbinorum figmentum, qui in libro Rabba affirmant quatuor fuiſſe nummorum percuſſores, Abrahamum cujus nummus vitulum & ſenem referebat, Joſuam, qui bovem & unicornem, Davidem, qui virgam & turrem, & Mardochæum, qui hinc ſaccum, inde Reginam Eſther atque ſeipſum in nummis repræſentabant, quæ omnia ſibi repugnant, & ex ſuperioribus refutantur, nec probabile eſt brutorum imagines ab antiquis patribus efficta cum pro Idolis ab Ægyptiis haberentur.

Ex his ſiclis, pleraſque literas Hebraicas antiquas, cum Samaritanis hodiernis eaſdem fuiſſe liquet: omnes quidem non exprimuntur, ex harum tamen cum Samaritanis convenientia de reliquis judicare licet. Aleph & Tau præ cæteris differre videntur, de quibus vide quæ dicta ſunt Proleg. de literis antiquis Hebraicis, ablata enim linea inferiori ab Aleph quod ſupra urnam imponitur (quæ linea unicum eſt diſcrimen inter Aleph & Tau) perfecta crucis figura relinquitur, quam figuram Tau olim retuliſſe teſtantur Orig. & Hieron. in Ez. k. 9. R. Azarias etiam in Alphabeto ſuo Hebraico duplicem dat figuram literæ Tau, unam hodiernæ ſimilem, alteram inſtar crucis decuſſatam, quam crucem S. Andreæ appellant, quam etiam in quibuſdam ſiclis conſpicere licet. In Alphabeto etiam Vaticano quod edidit Angelus è Roccha, ultima litera figuram crucis habet, ut & Æthiopicum & Copticum, quod ex Hebraica antiqua fluxiſſe certum eſt. Obſervat etiam Schickard. in Bechinhap. pag. 80. Characterem unctionis Sacerdotalis fuiſſe cruciculam quam faciebant inter ſupercilia Pontificis, ut ex Maimon. & Kimchi probat idem Tract. de jure Regio Hebræorum: hanc vero dicunt Rabbini cum crucem non invenerunt in Alphab. Hebraico Aſſyriaco, eſſe inſtar Græcorum X quod à Tau Samaritano parum differt; unde Sacerdotem ſummum in hoc Typum fuiſſe Chriſti idem arguit.

Ne vero miretur quiſquam literas haſce Siclorum aliquantulum ab hodiernis Samaritanis differre, cum in Siclis qui Aſſyriaco charactere cuduntur qui reliquis multo recentiores ſunt, aliquam ab hodiernis Hebraicis diſcrepantiam obſervare licet, notum enim eſt in omnium Linguarum characteribus, ad faciliorem formationem & celeritatem ſcriptionis & ex καλλιγραφίας ſtudio, aliiſve cauſis, tractu temporis mutationem aliquam intervenire: potius admirari debemus, quod poſt tot ſecula tantillum diſcriminis obſervare licet, cum ante bis mille annos quoſdam horum ſiclorum cuſos fuiſſe conſtet.

Formas ſingulorum numiſmatum hîc exhibemus, unà cum Alphabeto ex iis quantum potuit collecto, adjectis ex adverſo Alphabeto hodierno, & Vaticano quam produxit Angelus è Roccha, unâ cum illo R. Azariæ, & nomine Tetragrammato literis antiquis.

I.



II.



III.



IV.



V.



VI.



VII.



VIII.



IX.



X.



XI.



XII.



XIII.



HEBRAICI CHARACTERES TUM VETUSTISSIMI TUM II QUOS ESDRAS INTRODUXIT.


Alphabetum Vaticanum.
Alphabetum R. Azariæ.
Alphabetum ex Numiſmatis.
Alphabetum Eſdræ cum numeris quos literæ denotant.
ט ח ז ו ה ד ג ב א
9 8 7 6 5 4 3 2 1
ש ר ק צ פ ע ס נ מ ל כ י
300 200 100 90 80 70 60 50 40 30 20 10
ת
400

INEFFABILE DEI NOMEN.



Tractatus de Antiquis PONDERIBUS, MONETIS, & MENSURIS.

Hebræorum, Græcorum, Romanorum, ex variis Auctoribus.

ÆRe appenſo utebantur antiqui, non ſignato (ut modò fit,) ſed rudi : hinc pondere æſtimabant æs, argentum, aurum, non formâ aut figurâ. A tempore tamen Patriarchæ Jacob jam tum videtur uſus aliquis fuiſſe æris ſignati. Nam quòd Gen. 33. v. 19. dicitur Jacob emiſſe partem agri *centum agnis* ; S. Stephanus Actor. 7. v. 16. exponit emiſſe *pretio argenti:* erat enim *agna* nummus forma *agnæ* ſignatus, pondere ſat magnus. Et eodem modo Jobi ultim. v. 11. pro eo quod Noſter habet ſingulos cognatos Jobo dediſſe *ovem unam*, alii vertunt, *nummum unum*, nempe formâ *ovis* ſignatum. Ita Hebræi paſſim. Quin & *pecunia* in genere ſic dicta videtur à *pecude* nummo impreſſa. Vide Plutarchum in vita Publicolæ, & alios.

De Aſſe.

Vulgatiſſimum pondus *as* erat : unde & generali nomine *pondo* (neutrius generis & indeclinabili) vel *pondium* (declinabili) vocari ſolebat. Conſtabat autem *libra æris* : unde quidam putant dictum fuiſſe *as*, quaſi dicas *æs*, ſcilicet librale. Hanc libram æris, pondo, ſeu aſſem ſecuerunt Romani in duodecim partes, ſecundùm duodecim menſes anni, inquit Fannius : quarum ſingulas vocarunt *uncias*, quaſi *unicas* vel *unas*. *Vncia* ergo erat duodecima pars libræ, pondo aſſis. *Sextans* erat ſexta pars : *quadrans*, quarta : *triens*, tertia : *ſemis*, ſeu *ſemiſſis*, dimidium aſſis. *Quincunx*, erant quinque unciæ : *ſeptunx*, ſeptem: *bes*, vel, ut olim, *des*, octo erant unciæ: *dodrans*, novem : *dextans*, decem : *deunx*, undecim. Dicitur verò *deunx*, quia ab unciis duodecim, quot ad aſſem ſeu libram requiruntur, *deeſt* una *uncia*. Sic *dextans*, quaſi dicas ; *deeſt ſextans* libræ, ſeu duæ unciæ. *Dodrans*, pro *deeſt quadrans* libræ, ſeu tres unciæ. *Des* (ſeu, ut alii, *bes*) pro *deeſt triens* libræ, ſeu quatuor unciæ.

PARTES ASSIS ſeu LIBRÆ

uncia	ſextans	quadrans	triens	quincunx	ſemis	ſeptunx	bes	dodrans	dextans *vel* decunx	deunx	as
ſunt unciæ											
1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12

Duo aſſes vocabantur *dupondium*, duo pondo, vel duo pondia : tres aſſes, *tripondium* : centum aſſes, *centumpondium*, &c.

Succeſſu temporis invaleſcente mercatura, cùm pondus æris pluſculum gravaret, & moleſtum eſſet ſemper adhibere bilancem, loco æris appenſi cœperunt uti ære ſignato longè levioris ponderis, forma plana, ac ferè rotunda, ut videre eſt ex nummis etiam antiquiſſimis. Pretium verò ſeu valor cujuſque nummi non tam à materia deſumebatur, quæ paulatim magis magiſque minuebatur, quàm à figura nummo impreſſa. Et hic uſus, utpote percommodus, ſemper exinceps continuavit.

Ergo *as* ſeu pondo non jam ampliùs erat libra æris 12 unciarum, ſed nec uncia quidem æris ; verùm parvus nummus æreus, cui nunc valore ſeu æſtimatione reſpondet *un baiocho d'Italia, medius ſtuferus* Belgicus, *medius obolus* Hebræus: erátque *decima pars denarii*, vel *Julii* Italici, vel *regalis* Hiſpanici argentei : *centeſima pars ducati*, ſeu *ſcuti* Italici : *milleſima minæ argenti Atticæ* vel *Romanæ, bis milleſima minæ Hebrææ*.

Sed Nota, cùm *ſtuferi* Belgici mentionem facio, me non intelligere *modernum* (nam hic apud varios varius eſt etiam in Belgio, & fortè cras alius erit, ut indies mutantur pretia nummorum, non ſine gravi patriæ damno & turbatione :) ſed *priſcum* ſtuferum, qui ferè quadrante major eſt moderno, éſtque quinta pars Julii Italici, ſeu regalis Hiſpanici argentei. Unde & *florenus* priſcus quo hic utimur, vulgari floreno argenteo, prout nunc in Belgio cuditur, major eſt quarta parte ejuſdem vulgaris : eſt enim quatuor regalium Hiſpanicorum argenteorum, qui faciunt ſtuferos priſcos 20.

Quamvis ergo minueretur materia æris, manſit tamen valor idem & pretium aſſis : uti & partium ſingularum aſſis, de quibus ſuprà, quæ proportione aliæ aliis minores ſunt, minoriſque valoris, prout minùs de aſſe participant, ſeu pauciores uncias continent. Sunt alii variarum nationum nummuli ærei aſſe minores. Habent Hiſpani *quartillos, quartos, ochavos, maravedizos* & *blancas*; Itali ſuos *quatrinos*; alii alios. *Vn quartillo* ferè quarta pars eſt *regalis Hiſpanici*, ſeu *ſeſtertius Romanus*. *Vn quarto* ferè quarta pars eſt *medii regalis Hiſpanici argentei*: ſeu *media* ferè pars *ſeſtertii Romani*. *Ochavo*, octava propè pars eſt *medii regalis* quarta pars *ſeſtertii Romani*. *Maravedizis* æſtimatur in Hiſpania valor omnium aliorum nummorum in omnibus archivis, in omni commercio, in omni contractu; éſtque minima ferè moneta: nam *octo maravedizi cum dimidio* non faciunt niſi *quatuor ochavos*, vel *duos quartos*, vel *unum ſeſtertium*. *Triginta & ferè quatuor marauedizi* faciunt *decem aſſes* ſeu *baiochos* : vel *quatuor ſeſtertios*, vel *regalem* unum Hiſpanicum, vel *Julium* Italicum. Dixi, *ferè*, quia rigido calculo ſufficiunt 33. maravedizi ad regalem Hiſpanicum æquandum, ut vult Villalpandus. *Blanca* eſt media pars *unius maravedizi*. Nota. Cùm in regnis Hiſpaniæ valor æneæ monetæ injuria temporum paulatim creſceret in triplum ultra valorem materiæ, ídque maximo regnorum illorum damno ; placuit Regi Catholico Philippo IV. ſane prudentiſſimo conſilio, dimidium valoris monetæ prædictæ detrahere, ut v. g. fruſtulum æris quod valebat octo maravedizos, ſeu *un quartillo*, deinceps non valeat niſi quatuor maravedizos ; & ſic conſequenter, quod valebat unum maravedizum, deinceps, non valeat niſi blancam. Ita perpetuo edicto ſancitum ac promulgatum Madriti 7. Auguſti 1618. *Quatrinus* eſt quinta pars unius *baiochi* ſeu *aſſis* : quinquageſima unius *Julii* ſeu *regalis* : quingenteſima *ſcuti de moneta* ſeu *ducati*.

De Obolo.

Dupondium ſeu *duo aſſes* vel duo *baiochi* faciunt *obolum Hebræum*, qui æquivalet ſtufero priſco Belgico, ſeu quintæ parti denarii, vel Julii, vel regalis argentei. *Atticus* verò *obolus* quinta parte minor eſt *Hebræo* : nam *Hebræus* erat vigeſima pars *ſicli* argenti, quadrageſima *unciæ* argenti : *Atticus* verò *obolus* erat vigeſimaquarta pars *ſicli*. quadrageſima octava *unciæ*. Unde *dupondium* ſeu *duo aſſes* faciebant *obolum Atticum unum cum quinta parte*.

De Seſtertio.

Dupondium cum ſemiſſe, ſeu *duo aſſes cum medio* faciunt unum *ſeſtertium*, maſculini generis qui ſic dictus eſt quaſi *ſemis tertius as*. Eſt verò *quarta pars denarii*, ſeu *Julii*, ſeu *regalis* argentei, ſeu *drachmæ Atticæ argenti*.

Octo ſeſtertii faciunt *drachmam Hebræam argenti*.

Sedecim ſeſtertii faciunt *ſtaterem* ſeu *ſiclum argenti*, ſeu *florenum* Belgicum.

Seſtertii 48 faciunt *drachmam auri Atticam*, ſeu *ſcutum d'oro in oro*.

Seſtertii 96 faciunt *drachmam auri Hebræam*, ſeu *doppia d' Italia*.

Seſtertii 400 faciunt unam *minam Atticam argenti* : ſeu unam *libram & mediam unciam*, decem ducatos, 25 argenteos ſiclos, 50 drachmas argenti Hebræas, 100 Atticas. Continent obolos Hebræos 500, Atticos 600, aſſes 1000.

Seſtertii 1000 faciunt unum *ſeſtertium* in neutro genere.

Seſtertii 2000 faciunt duo ſeſtertia, & ita conſequenter. Singula ſeſtertia continent duas minas cum dimidia Atticas, ducatos 25 ſiclos, argenti 62, drachmas Atticas argenti 250. Et ſunt 24 pars Attici talenti argenti.

Seſtertii 24 faciunt talentum Atticum argenti : quod eſt 60 minarum argenti Atticarum, ſiclorum 1500, drachmarum 6000.

Seſtertia 48 faciunt talentum Hebræum argenti : quod eſt 120 minarum Atticarum, 60 Hebræarum, ſiclorum 3000, drachmarum 12000. Atticarum 6000 Hebræarum, librarum argenti 125.

Seſtertia 288 faciunt talentum auri Atticum, quod eſt 60 minarum auri Atticarum, ſiclorum auri 1500, drachmarum 6000.

Seſtertia 576 faciunt talentum auri Hebræum, quod eſt 60 minarum auri Hebraicarum : 120 Atticarum : ſiclorum auri 3000, drachmarum auri Hebraicarum 6000. Atticarum 12000, librarum auri 125, ut ex textu Hebræo, Græco & Latino Exodi 38. v. 24, & 25 manifeſtè colligitur. Et continet ducatos 14400, flor. 36000, regales Hiſpanicos argenteos 144000.

Mille ſeſtertia (quæ ſunt decies centena millia, id eſt millio nummulorum ſeſtertiorum) compendii cauſa vocantur & ſcribuntur Decies HS. vel decies ſeſtertium; & faciunt talenta argenti Hebræa 20 cum minis 50. auri verò talentum unum cum minis Hebraicis 44 & una ſexta parte ſimilis minæ; libras verò auri faciunt 217 cum ſexta parte unciæ auri, ducatos faciunt 25000. florenos 62500, regales Hiſpanicos 250000.

Vicies HS. vocantur viginti millia ſeſtertium, ſeu duo milliones nummulorum ſeſtertiorum, & faciunt duplum ſummæ jam dictæ.

Centies HS. ſunt centum millia ſeſtertium, ſeu decem milliones nummulorum ſeſtertiorum, & faciunt decuplum talentorum, librarum, ducatorum, florenorum, & regalium jam dictorum.

De Drachma, Siclo, Mina & Talento.

Non eadem erant pondera apud Hebræos & Græcos : ſed *Hebræa* (quibus Judæi utebantur) ſemper ſuperabant *Attica*, quibus Græci reliqui, & ferè omnes aliæ nationes, etiam Romani, uti ſolebant. Et de *obolo* quidem jam ſuprà vidimus. In aliis ponderibus exceſſus erat in duplum : nam drachma una Hebræa valebat drachmas duas Atticas. Didrachmum Hebræum erat tetradrachmum Atticum : *mna* vel *mina Hebraica* pendebat *duas minas Atticas : talentum Hebræum duo talenta Attica*, &c. Id tamen in *ſiclo* & *uncia* locum non habebat : nam hæc duo, utpote mundo penè coæva, unius ejuſdemque ponderis apud omnes erant. *Libra* multiplex erat, & apud diverſas nationes diverſa : nos hîc de ſola *communi* agemus de qua ſuprà, quæ eſt *duodecim unciarum*. Uncia argentea conſtat duobus ſiclis, drachmis verò Hebraicis 4. Atticis 8. ſolidis ſex, ſeſtertiis 32. obolis Hebræis 40. Atticis 48. aſſibus 80.

Sexta unciæ pars vocabatur *ſolidus*, qui inde & *ſextula* dici ſolebat. Unde 72. ſolidi faciebant libram 12 unciarum. Tres ſolidi, ſeu ſemuncia, ſiclum faciunt.

Siclus eſt vigeſima quarta pars libræ, 25. pars minæ Atticæ, 50. Hebraicæ, 1500. talenti Attici, termilleſima Hebraici. Continet drachmas Hebræas duas, Atticas 4, unde & tetradrachmum Atticum vocatur, & didrachmum Hebræum.

Siclus argenti eſt ſemuncia argenti : éſtque idem quod *ſtater*, vel *florenus Belgicus*, 20 ſtuferorum, ſeu obolorum Hebraicorum, qui faciunt obolos Atticos 24 & aſſes 40. Continet tres ſolidos, batzios Germanicos octo, drachmas argenti Hebræas duas, Atticas quatuor, ſeſtertios ſexdecim. Quoties legitur *argenteus* ſine adjuncto, ſubintelligitur *ſiclus*. Simili modo quoties *aureus*, ſubintelligendus *ſiclus*. Duodecim ſicli argentei faciunt unum ſiclum aureum : nam *proportio* pretii, valoris & æſtimationis *auri præ argento* eſt *duodecupla*.

Drachma argenti Attica eſt quarta pars ſicli argentei. Continet 4 ſeſtertios, 5 ſtuferos ſeu obolos Hebræos, ſex obolos Atticos, aſſes 10. Unde & *Denarius* vocatur. Appendit regalem Hiſpanicum argenteum, vel Julium Italicum. Eſt media pars drachmæ Hebrææ, decima Philippici, centeſima minæ Atticæ, ſexcieſmilleſima talenti Attici argentei.

Drachmam Hebræam, ſeu dimidium ſicli argenti conferebant Deo jubente capitatim ſinguli filiorum Iſrael in uſum tabernaculi fœderis, Exodi 30. v. 13. Dicebatúrque Hebr. *Beca*, id eſt *diviſum*, quia erat ſiclus dimidiatus. Exod. 38. 25. Idem tributum pendebant poſteà Judæi quotannis in uſum templi, etiam extra ordinem, quotieſcunque ferè luſtrum inſtituebatur. Et hoc quoque erat numiſma cenſus, quod Cæſaribus Romanis pependerunt, etiam poſt exciſum templum à Veſpaſiano.

Ex prædictis patet *ſiclum* continuiſſe *drachmas* Atticas ſeu Romanas quatuor, Hebræas ſolùm duas. *Minam Atticam* continuiſſe *ſiclos* 25. ſed *Hebræam ſiclos* 50. *Talentum* continuiſſe minas 60. Atticum Atticas, Hebræum Hebræas. ſed Atticum Siclos 1500. Hebræum ſiclos 3000. *Minam* aliquando pro *ſiclo* uſurpari oſtendam 2 Paral. 9. 16. Et multiplicis generis ac valoris *minas* fuiſſe, probabo Ezech. 45. 12. Sed talentum non fuiſſe minoris ponderis aut valoris poſt, quàm ante tempora Davidis, contra Joannem Marianam & quoſdam alios, planum faciam 2 Paralip. 25. v. 6. ubi *rex Juda* Amazias *centum millia robuſtorum de Iſrael* mercede *conducit centum talentorum argenti*, id eſt mercede aurei unius in ſingula ſeu ducum, ſeu vulgarium militum capita, ſi priſtinum valorem Moſaici talenti reſerves. Sin minuas, quo vis, quæſo, pretio, militem generoſum & externum evocare ? Sic 3 Reg. 16. v. 24. Amri rex Iſrael emit duobus talentis argenti, id eſt bis mille aureis nummis, integrum montem Samariæ, id eſt tantum ſpatii, quantum vaſtiſſimæ urbi regiæ condendæ, & ſuburbiis, pomœriis atque arcibus undique cingendæ ſatis eſſet. An viliori pretio poſſet tantum ſpatii comparari ? 4 Reg. 18. v. 15. ut ſumma trecentorum talentorum argenti, & triginta talentorum auri confletur, id eſt ſexcenta ſexaginta millia aureorum (ſi valori priſtino Hebraici talenti inſiſtat) cogitur piiſſimus rex Ezechias expilare omnes theſauros tam templi, quàm palatii regii, adeóque & laminas aureas à valvis templi revellere. An veroſimile videtur, tantum ſtrepitum à tanto rege edendum fuiſſe, ſi talenta illa, quæ poſtulabantur, longè minoris erant ponderis aut valoris quàm nunc expoſui ? Denique 4 Reg. 14. v. 33. ut centum talenta argenti & unum talentum auri (quæ rex Pharao mulctæ nomine ab Iſraelitis exigebat, & ſecundùm noſtrum calculum, ſi Hebræa fuerint, ut ſummum faciunt centum & duodecim millia aureorum,) colligerentur, indicitur cenſus publicus, & ſinguli Judæi *juxta vires* ſeu facultates ſuas contribuere jubentur. Quòd ſi vilioris pretii fuerit talentum, qualis, obſecro, fuit illa integri unius populi mulcta ; quid opus publico & generali cenſu tantillæ pecuniæ colligendæ ? Plura in hanc rem vide apud Villalpandum tom. 2. in Ezechielem.

Porrò ſupradictis ponderibus clariùs explicandis ſerviet ſubjecta tabella.

TABULA

TABULA PONDERUM.

Uncia.	Blanca.	Sextans.	Quaterno.	Quadrans.	Maravedis.	Triens.	Quincunx.	Semis.	Septunx.	Ochavo.	Bes.	Dodran.	Dextans *vel* Decunx.	Deunx.	As, Podo, Baiocho, Medius ſtuferus Belgicus.	Quarto, fere qᵃ pars medii regalis Hiſpan. argent.	Obolꝰ Atticꝰ.	Obolꝰ Hebræus, *vel* Stuferus Belgicus, 2 Baiochi.	Seſtertiꝰ *vel* Quartillo, fere qᵃ pars regal. Hiſpanici arg.	Medio Real, media Drachma Atiica.	Dragma Attica arg. denarius Atticus: Regalis Hiſp. arg. un Giulio	Solidus Argenteus *vel* Sextula, *ſeu* 6 pars unciæ argenteæ.	Drachma Hebræa argenti: denarius Hebræus.	Argenteus *ſeu* Siclus argenti: Stater.
1																								
1 4/18	1																							
2	1 2/15	1																						
2 1/5	1 8/15	1 1/5	1																					
3	1 7/10	1 1/2	1 1/4	1																				
3 11/10	2	1 27/32	1 7/16	1 11/48	1																			
4	2 4/15	2	1 2/3	1 1/3	2 2/15	1																		
5	2 5/6	2 1/2	2 1/12	1 2/3	1 5/12	1 1/4	1																	
6	3 2/5	3	2 1/2	2	1 7/10	1 1/2	1 1/5	1																
7	3 11/15	3 1/8	2 11/12	2 1/3	1 13/15	1 3/4	1 2/5	1 1/6	1															
7 1/2	4 1/4	3 3/4	3 1/8	2 1/2	2 1/8	1 7/8	1 1/2	1 1/4	1 1/4	1														
8	4 8/15	4	3 1/3	2 2/3	3 4/15	2	1 3/5	1 1/3	1 1/7	1 1/15	1													
9	5 1/10	4 1/2	3 3/4	3	2 11/20	2 1/4	1 4/5	1 1/2	1 2/7	1 1/5	1 1/8	1												
10	5 2/3	5	4 1/3	3 1/3	2 5/6	2 1/2	2	1 2/5	1 3/7	1 1/3	1 1/4	1 1/9	1											
11	6 7/50	5 1/2	4 7/12	3 2/3	3 7/60	2 3/4	2 1/5	1 5/6	1 4/7	1 7/15	1 3/8	1 2/9	1 1/10	1										
12	6 4/5	6	5	4	3 2/5	3	2 2/5	2	1 5/7	1 3/5	1 1/2	1 1/3	1 1/5	1 1/11	1									
15	8 1/2	7 1/2	6 1/4	5	4 1/4	3 3/4	3	2 1/2	2 1/7	2	1 7/8	1 2/3	1 1/2	1 4/11	1 3/4	1								
20	11 1/3	10	8 1/3	6 2/3	5 2/3	5	4	3 1/3	2 6/7	2 1/3	2 1/2	2 2/9	2	1 9/11	1 2/3	1 1/3	1							
24	13 3/5	12	10	8	6 4/5	6	4 4/5	4	3 3/7	3 1/5	3	2 6/9	2 2/5	2 2/11	2	1 2/3	1 1/3	1						
30	17	15	12 1/3	10	8 1/2	7 1/2	6	5	4 2/7	4	3 3/4	3 3/9	3	2 8/11	2 1/2	2	1 1/2	1 1/4	1					
60	34	30	25	20	17	15	12	10	8 4/7	8	7 1/2	6 2/3	6	5 5/14	5	4	3	2 1/2	2	1				
120	68	60	50	40	34	30	24	20	17 1/3	16	15	13 1/3	12	10 10/11	10	8	6	5	4	2	1			
160	90 2/3	80	66 2/3	53 1/3	45 1/3	40	32	26 2/3	22 6/7	21 1/3	20	17 7/9	16	14 6/11	13 1/3	10 2/3	8	6 2/3	5 1/3	2 2/3	1 1/3	1		
240	136	120	100	80	68	60	48	40	34 2/7	32	30	26 1/3	24	21 9/11	20	16	12	10	8	4	2	1 1/2	1	
480	272	240	200	160	136	120	96	80	68 4/7	64	60	53 1/3	48	43 7/11	40	32	24	20	16	8	4	3	2	1

TABULA MONETARUM.

Drachma Attica argenti : Denarius Atticus.	Solidus argenteus, *vel* Sextula.	Drachma Hebræa argenti : Denarius Hebræus.	Argenteus, *ſeu* Siclus argenti : Stater : Tetradrachmum argenti Atticum ; Didrachmum Hebræum ; Florenus Belgicus.	Uncia argenti ; duo Sicli argenti ; duo Stateres ; Tetradrachmum Hebræum ; duo Floreni Belgici.	Scudo de moneta, decem Juliorum *vel* regalium : un Ducato.	Drachma auri Attica ; Piſtola Hiſpanica *vel* Italica ; Scutum Gallicũ ; Scuto d' oro in oro ; Quarta pars ſicli aurei ; tres Sicli argentei ; 12 Regales *ſeu* drachmæ argenti.	Solidus aureus ; Sexta pars unciæ auri.	Drachma auri Hebræa : Doppia d' Italia : Semiſiclus auri.	Aureus, *ſeu* Siclus auri : 4. Drachmæ Atticæ auri : 48. Drachmæ argenti.	Libra argenti 12. unciarum, *id eſt*, uncia una auri, *vel* duo ſicli aurei.	Mna *vel* Mina argenti Attica, *vel* Romana 25 ſiclorum argenti.	Mna argenti Hebræa 50 ſiclorum.	Seſtertium unum facit mille ſeſtertios.	Libra auri 12. unciarum, 24 ſiclorum aureorum.	Mna auri Attica 25 ſiclorum auri.	Mna auri Hebræa 50 ſiclorum aureorum.	Talentum argenti Atticum minarum 60. Atticarum.	Talentum argenti Hebræum minarum 60. Hebræarum.	Talentum auri Atticum.	Talentum au Hebræum.
1																				
1⅓	1																			
2	1½	1																		
4	3	2	1																	
8	6	4	2	1																
10	7½	5	2½	1¼	1															
12	9	6	3	1½	1⅕	1														
16	12	8	4	2	1⅗	1. & *regal*. 4.	1													
24	18	12	6	3	2⅖	2	1½	1												
48	36	24	12	6	4⅘	4	3	2	1											
96	72	48	24	12	9⅗	8	6	4	2	1										
100	75	50	25	12½	10	8. & *regal*. 4.	6. & *regal*.4	4. & *regal*.4	2. & *regal*.4	1 & *unciæ* ½	1									
200	150	100	50	25	20	16. & *regal*.8	12. & *reg*.8	8. & *regal*.8	4. & *regal*.8	2. & *uncia* 1	2	1								
250	187½	125	162½	81¼	25	20. & *rega*.10	15. & *reg*.10	10. & *reg*.10	5. & *rega*.10	2. & *unc*.7½	2. & *ſic*.12½	1. *et ſi*.12½	1							
1152	864	576	288	144	115⅕	96	72	48	24	12	11. & *ſic*.13	5. *et ſic*. 38	. & 608. *ſeſtertii*.	1						
1200	900	600	300	150	120	100	75	50	25	12. & *unc*. 6	12	6	4⅘	1. & *unc*. ½	1					
2400	1800	1200	600	300	240	200	150	100	50	25	24	12	9⅗	2. & *unc*. 1	2	1				
6000	4500	3000	1500	750	600	500	375	250	125	62. & *unc*. 6	60	30	24	5. & *u*.2. ½	5	2. *et ſi*. 25	1			
12000	9000	6000	3000	1500	1200	1000	750	500	250	125	120	60	48	10. & *un*.5	10	5	2	1		
72000	56000	36000	18000	9000	7200	6000	4500	3000	1500	750	720	360	288	62. & *u*. 6	60	30	12	6	1	
144000	112000	72000	36000	18000	14400	12000	9000	6000	3000	1500	1440	720	576	125	120	60	24	12	2	1
720000	560000	360000	180000	90000	72000	60000	45000	30000	15000	7500	7200	3600	2880	625	600	300	120	60	10	5 [a]
95904000	71928000	47952000	23976000	11988000	9590500	7992000	5994000	3996000	1998000	999000	959040	479520	383616	83250	79920	39960	15984	7992	1332	666 [b]
1440000000	1080000000	720000000	360000000	180000000	144000000	120000000	90000000	60000000	30000000	15000000	14400000	7200000	5760000	1250000	1200000	600000	240000	120000	20000	10000 [c]
14400000000	10800000000	7200000000	3600000000	1800000000	1440000000	1200000000	900000000	600000000	300000000	150000000	144000000	72000000	57600000	12500000	12000000	6000000	2400000	1200000	200000	100000
Quatuordecim millia & quadringenti milliones drachmarum argenti Atticarum.	Decem millia & octingenti milliones ſolidorum argenteorum.	Septem millia & ducenti milliones drachmarum argenti Hebræarum.	Tria millia & ſexcenti milliones : ſiclorum argenti, ſeu florenorum Belgicorum.	Mille octingenti milliones unciarum argenti.	Mille quadringenti & quadraginta milliones ſcutorum ſeu ducatorum.	Mille ducenti milliones drachmarum auri Atticarum, ſeu piſtolarum Hiſpanicarum.	Nongenti milliones ſolidorum aureorum.	Sexcenti milliones drachmarum auri Hebræarum, ſeu dublonum Hiſpanicorum.	Trecenti milliones ſiclorum auri.	Centum & quinquaginta milliones librarum argenti.	Centum & quadraginta quatuor milliones minarum argenti Atticarum.	Septuaginta duo milliones minarum argenti Hebræarum.	Quingenties ſeptuagies ſexies millies HS ſeu quinquaginta ſeptem milliones & ſexcenta millia ſeſtertiorum, *neutri generis* : quæ faciunt quinquaginta ſeptem millia & ſexcentos milliones nummulorum ſeſtertiorum, *maſculini generis*.	Duodecim cum dimidio milliones librarum auri.	Duodecim milliones minarum auri Atticarum.	Sex milliones minarum auri Hebræarum.	Duo milliones & quadringenta millia talentorum argenti Atticorum.	Millio & ducenta millia talentorum argenti Hebræorum.	Ducenta millia talentorum auri Atticorum.	Centum millia talentorum Hebræorum auri David moriens reliquit Salomoni in ſolo auro, 1 Paral. 22. v. 14.

insuper mille millia talentorum in argento : æris autem & ferri non erat pondus. Ibidem.

[a] 5. talenta dedit paterfamilias uni ſervorum ſuorum. Mat. 25. v. 14.

[b] 666 talenta auri Hebræa afferebantur quotannis ſtato tempore Salomoni, præter vectigalia & munera extraordinaria 3 Reg. 10. v. 14.

[c] Decem millia talenta debebat ſervus ille nequam Matth. 18. v. 24.

DE MENSURIS SEU VASIS

Ex iiſdem Auctoribus.

Romani ſicut *aſſem* ſeu *libram* in *duodecim uncias*, ut ſuprà vidimus, ita *ſextarium* ſuum dividebant in *duodecim cyathos*, ſic græcè dictos à *ſumendo* vel *hauriendo* vino, quòd cyatho pocula in conviviis dimetirentur. Iiſdem quoque nominibus quibus ſingulas libræ partes, nuncupabant etiam *calices*, qui conſimilem cyathorum numerum continerent. v. g. *Sextantem*, vocabant calicem duorum cyathorum, qui faciunt ſextam ſextarii Romani partem ; calicem trium cyathorum, vocabant *quadrantem*; quatuor cyathorum, *trientem*; quinque, *quincuncem* ; ſex *ſemiſſem* ; ſeptem, *ſeptuncem*; octo, *beſſem* ; novem, *dodrantem*; decem, *dextantem*; undecim, *deuncem*.

Capiebat *cyathus* unus *unciam* unam *cum duabus tertiis*.

Huic proxima, ſed paulò minor menſura erat *digitus cubicus*, capiens unciam $1\frac{1}{4}$.

Minimum vas ſeu menſura erat *cochlear*, ſeu *ligula*, vel, ut imperitè quidam ſcribunt, *lingula* : ſerviebátque ad juſcula in menſis & liquidiores cibos hauriendos : eratque quarta pars cyathi.

Duo cochlearia faciebant *cyanem*, quæ erat dimidium cyathi.

Unus cum dimidio cyathus faciebat *oxybaphum*, ſeu *acetabulum*, ab ὄξει, id eſt *aceto*, ſic dictum, quòd ejuſmodi vaſculis acetum & alia ſimilia condimenta apponi in menſis ſolerent.

Nota, *ſextarium Atticum* ſeu ξεϛὸν, *quarta parte minorem* fuiſſe ſextario *Romano* : neque enim capiebat niſi cyathos *novem*, cùm *Romanus* 12 caperet. Superabat tamen *ſextarium Hebræum* cyatho *uno* : quia is non niſi *octo* cyathos capiebat, vocabatúrque hebraicè *log*.

Semis, ſeu medium ſextarii Romani, conſtans cyathis ſex, aliis nominibus vocari ſolebat hebraicè *caph*, græcè *hemina*, *cotyla*, vel *tryblion*. Cujus pars media, ſeu *quadrans*, vel *quartarius*, id eſt quarta pars ſextarii, vocabatur *dimidium heminæ*, *cotylæ*, &c.

Libra conſtabat unciis duodecim, ut ſuprà dixi.

Sextarius Atticus capiebat libram unam & quartam partem, id eſt, uncias 15. Ergo ſextarium Atticum unâ unciâ ſuperat *foglietta* d'Italia, vel *quartillo* de Spagna : nam continet libram $1\frac{1}{3}$ id eſt, uncias 16.

Sextarius Romanus ſeu *Italicus*, ſic dictus, quia ſexta congii pars ; erátque quaſi magnus ſcyphus : capiebat cyathos 12 vel libram $1\frac{2}{3}$ id eſt uncias 20.

Quarta pars hin, erant tres ſextarii Hebræi, vel duo Italici, libræ $3\frac{1}{3}$ id eſt unciæ 40.

Cabus Hebræorum, & *chœnix* Græcorum, eſt menſura victus diurni : ſed hominis parcè & tenuiter victitantis. Qualem villicis ſuis præſcribit Cato l. de Re ruſtica, c. 56. Aliàs dictus, *palmus cubicus*. Sexta pars ſati vel modii. Capiebat quatuor logos ſeu ſextarios Hebræos, id eſt lib. 4. cum unciis $5\frac{2}{3}$.

Huic ferè par eſt *boccale* Italicum, & *uſumbre* Hiſpanicum, continens quatuor fogliettas ſeu quartillos, id eſt libras 5. cum unciis 4.

Media pars hin, erant ſex logi ſeu ſextarii Hebræi, vel quatuor Italici, id eſt libræ $6\frac{2}{3}$ id eſt unciæ 80.

Gomor ſeu *Aſſaron*, (quem quotidie ex manna colligebant Judæi Exodi 16. erátque tanta menſura, quantam quis etiam valdè edax & robuſtus uno die edere poſſet) eſt decima pars ephi, continens libras 8.

Congius, *chus*, vel *choë*, erat octava pars ephi, quarta urnæ. A *congio* Novellius Torquatus dictus eſt *tricongius*, quòd unico hauſtu coram Tiberio Cæſare tres vini congios exhauſerit, teſte Plinio lib. 14. c. 22. Continebat verò congius ſextarios Italicos ſex, ſeu libras 10.

Hin erat ſemimodius Romanus continens logos ſeu Hebræos ſextarios 12. Italicos verò octo, id eſt libras $13\frac{1}{3}$ ſeu uncias 160.

Huic penè ſuppar eſt *celemin* Hiſpanicum continens li. 14. ſeu uncias 168.

Satum æquale erat *modio* Romano, tertia pars ephi : continens logos ſeu ſextarios Hebræos 24. Italicos verò 16. libras $26\frac{2}{3}$ ſeu uncias 320.

Hoc paulò majus eſt *ſcortium*, continens libras 32. ſeu uncias 384.

Palmus extenſus (qui eſt trium palmorum communium) *cubicus*, qui & *ſpithama* dicitur, continet libras $37\frac{1}{4}$. ſeu uncias 447.

Urna erat dimidium ephi ſeu amphoræ Romanæ, continens ſextarios Romanos 24. id eſt, libras 40.

Huic ferè par eſt *aroba*, ſive cantharus Hiſpanicus, qui eſt quarta pars barilæ, continens octo boccalia Italica, vel aſumbres Hiſpanicos, id eſt, libras $42\frac{2}{3}$.

Ephi vel *epha*, *batus* communis, *metreta*, *amphora Romana*, *pes cubicus Romanus* æqualis erant capacitatis. Dicebatur amphora ab ἀμφὶ ϗ φέρω, quòd duas haberet anſas quibus utrimque ferebatur. Dicebatur & *quadrantal* quia erat quadratura pedis Romani, ſeu vas quod tam in longitudine, quàm in latitudine, & altitudine, ſeu profunditate habebat pedem Romanum. Erat decima pars cori, ſeu Gomer, Ezech. 41. v. 11. Continebat congios octo, modios ſeu ſata tria, ut dicitur Ruth 2. v. 17. ſextarios Romanos 48. Hebræos 72. urnas duas, libras 80.

Attica amphora, ſeu *pes cubicus Græcorum* erat Romano media parte major. Huic æqualis eſt *cadus* & *hydria* : continens urnas tres, congios 12. &c. libras 120.

Talentum continebat libras 125.

Artaba Ægyptia continebat veroſimiliùs modios quinque, id eſt libras $133\frac{1}{3}$.

Medimnus continebat modios ſeu ſata ſex, libras 160.

Huic ferè par eſt *faneca* ſeu *quintal* Hiſpanicum, continens libras 168.

Item *barila*, conſtans boccalibus 32. quæ faciunt libras $170\frac{2}{3}$.

Lethec (id eſt *elevatio* : quia eſt onus, quod vegetus adoleſcens elevare, & aſino imponere poteſt,) eſt media pars cori. ſunt 5. ephi, 15. modii libræ 400.

Homer Hebræum, *corus* Græcorum continet 10. ephi vel amphoras Romanas, 30 modios. (erátque maxima menſura Hebræorum) libras 800.

Rublum Hiſpanicum 20. libris majus eſt coro : continet enim libras 820.

Botta Romana ſeu Italica continet barilas 8. boccales 256. libras $1365\frac{1}{3}$.

Culeus, maxima Romanorum menſura, conſtabat amphoris 20. ſextariis Italicis 960. libris 1600.

Sed clariùs hæc omnia conſtabunt ex tabula ſubnexa.

Nota nos tum hîc, cum in tabula agere de vaſis ſeu menſuris quoad capacitatem aquæ vel vini, quibus impleantur : nam ſi ferro, plumbo, vel auro impleveris, v. g. ſextarium, vel metretam, vel quodvis aliud vas; erit pondus longè aliud & majus, licèt eadem maneat capacitas & ambitus vaſis: ſi oleo, frumento, farina; erit pondus paulò minus.

Nam ſextarius Romanus plenus farina non ponderat niſi		uncias 9.
Idem plenus oleo ponderat		uncias 18.
Plenus frumento	Italico vel Belgico	uncias 15.
	Palæſtino & Aſiatico	uncias 20.
Plenus aqua, vino, aceto (horum enim æquale eſt pondus)		uncias 20.
Plenus melle		uncias 30.
Stanno		uncias 150.
Ferro		ferè uncias 162.
Ære cupreo		uncias 182.
Argento		uncias 208.
Plumbo		uncias 233.
Argento vivo		uncias 300.
Auro		uncias 375.

Talis enim eſt proportio inter hæc metalla : licèt Plinius l. 33. c. 3. putarit (ſed falsò) aurum non eſſe omnium ponderoſiſſimum.

Hinc facilè colligitur, fieri potuiſſe, quod Exod 16. verſ. 16. dicitur, filios Iſrael in ſingula capita pro victu diurno eguiſſe *gomore* mannæ: manna enim cùm eſſet longè levius frumento, ferè æqualis ponderis cum farina; gomor manna plenum vix ſuperabat uncias 50. Et ſimili modo de ſimili materia pro diverſitate ponderis philoſophandum.

Dixi ſuprà cùm de *bato* agerem, me non niſi de *bato communi* loqui ſeu vulgari : nam batus *ſacer* videtur tertia parte majoris fuiſſe capacitatis, ita ut tres vulgares non facerent niſi duos ſacros. Quod colligo ex l. 2. Paralip. c. 4. v. 5. ubi mare æneum Salomonis dicitur continuiſſe *tria millia metretas* ſeu *batos*: & 3 Reg. 7. v. 29. dicitur ſolùm cepiſſe *duo millia batos*.

TABULA

TABULA VASORUM ET MENSURARUM.

Uncia aquæ vel vini.	Digitus cubicus.	Cyathus duodecima ſextarii Romani pars.	Acetabulum octava ſextarii Romani pars.	Sextans ſeu ſexta pars ſextarii Romani.	Quartarius, ſeu quadrans quarta ſextarii Romani pars.	Triens, tertia ſextarii Rom. pars media logi ſeu ſextarii Heb.	Hemina vel Cotyla, medium ſextarii Rom.	Libra 12. unciarum.	Log. vel Logus, ſeu Sextarius Hebr. ſunt cyathi 8	Sextarius Atticus. ſunt cyathi 9.	Foglietta d' Italia, Quartillo d'Eſpagna, ſunt unc. 16.	Sextarius Romanus vel Italicus, ſunt cyathi 12.	Quarta pars Hin, ſunt tres ſextarii Hebræi, vel duo Italici.	Chabus vel Chœnix Hebræorum, erat palmus contractus cubicus, ſexta pars ſati.	Boccale d' Italia, vel Acumbre d' Eſpagna, continet 4 fogliettas ſeu quartillos.	Media pars Hin, ſeu ſex logi, vel 4. ſextarii Italici.	Gomor ſeu Aſſaron, decima pars ephi, ſunt libræ 8.	Congius, Chus, vel Choe, IV. pars urnæ, VIII. ephi, continet libras 10.	Hin, Semimodius Romanus, continet 12 logos ſeu libras 13⅓.
1																			
1¼																			
1⅔	1⅓	1																	
2	1⅗	1⅕																	
2½	2	1½	1																
3	2⅖	1⅘	1⅕																
3⅓	2⅔	2	1⅓	1															
5	4	3	2	1½	1														
6⅔	5½	4	2⅔	2	1⅓	1													
10	8	6	4	3	2	1½	1												
12	9⅗	7⅕	4⅘	3⅗	2⅖	1⅘	1⅓	1											
13⅓	10⅔	8	5⅓	4	3⅔	2	1⅓	1 & unc. 1⅓	1										
15	12	9	6	4½	3	2¼	1½	1¼	1 & unc. 1⅔	1									
16	12⅘	9⅗	6⅖	4⅘	3⅕	2⅖	1⅕	1⅓	1 & unc. 2⅔	1 & uncia 1	1								
20	16	12	8	6	4	3	2	1⅔	1½	1 & unc. 5.	1¼	1							
40	32	24	16	12	8	6	4	3⅓	3	2⅔	2½	2	1						
53⅓	42⅔	32	21⅓	16	10⅔	8	5⅓	4 & unc. 5⅓	4	3 & unc. 8⅓	3 & unc. 5⅕	2⅖	1⅓	1					
64	51⅕	38⅖	25⅗	19⅕	12⅘	9⅗	6⅖	5⅓	4 & unc. 10⅔	4 & unc. 4	4	3⅕	1⅗	1 & unc. 10⅔	1				
80	64	48	32	24	16	12	8	6⅔	6	5⅓	5	4	2	1½	1½	1			
96	76⅘	57⅗	38⅖	28⅘	19⅕	14⅖	9⅗	8	7 & unc. 1⅔	6 & unc. 6	6	4⅘	2⅖	1 li. 3 unc. 6⅔	1½	1⅕	1		
120	96	72	48	36	24	18	12	10	9	8	7⅓	6	3	2 li. 1 unc. 1⅓	1 lib. 4⅔	1½	1¼	1	
160	128	96	64	48	32	24	16	13⅓	12	10⅔	10	8	4	3	2½	2	1 lib. 5⅓	1 lib. 3. 1⅓	1

Gomor ſeu Aſſaron.	Congius vel Choe.	Hin, Semimodius Romanus continet libras 13⅓.	Celamin d' Eſpagna continet libras 14.	Satum tertia pars ephi, Modius Romanus continet logos 24 ſeu lib. 26⅔	Scorrium, continet libras 32.	Palmus extenſus cubicus, ſeu Spihama cubica, continet lib. 37¼.	Urna, dimidium amphoræ, continet ſextarios Romanos 24 ſeu libras 40.	Aroba, ſeu Cantharus Hiſpanicus, eſt 4. pars baril, continet 8 boccalia Italica, ſeu lib. 42⅔	Ephi vel Epha, Batus communis, Metreta, Amphora Romana, Pes cubicus Romanus, Quadrantal, continet li 80	Attica Amphora, ſeu Pes cubicus Græcorum, vel Cadus, continet libras 120.	Talentum, ſunt libræ 125.	Artaba Ægyptia, continet modios 5	Medimnus, continet modios ſex, ſeu libras 100.	Faneca, vel Quintal Hiſpanicum, continet libras 168.	Baril, continet boccalia 32 ſeu libras 170⅔.	Letech, media pars cori, ſunt 5. ephi, libræ 400.	Homer, vel Chomer Hebr. Corus Græcorum, ſunt 10 ephi, libræ 800.	Rublum Hiſpanicum, continet libras 180.	Botta Romana, continet barilas 8. ſeu lib. 1365⅓.	Culeus ſunt, 20 amphoræ ſeu li. 1600.
1																				
1½	1																			
1 & lib. 5⅓	1 lib. 3⅓	1																		
1 lib. 6	1 lib. 4	1 & unc. 8	1																	
3 lib. 2⅔	2 lib. 6⅔	2	1 lib. 12⅔	1																
4	3 lib. 2	2 lib. 5⅓	2 lib. 4	1 lib. 5⅓	1															
4 lib. 5¼	3 lib. 7¼	2 l. 10. un. 11	2 lib. 9¼	1 l. 10. un. 11	1 lib. 5¼	1														
5	4	3	2 lib. 12	1½	1 lib. 8	1 lib. 2¾	1													
5 lib. 2⅔	4 lib. 2⅔	3 lib. 2⅔	3 & unc. 8	1 lib. 16	1 lib. 10⅔	1 lib. 1. unc. 5.	1 lib. 2⅔	1												
10	8	6	5 lib. 10	3	2 lib. 16	2 lib. 5½	2	1 & lib. 37½	1											
15	12	9	8 lib. 8	4½	3 lib. 24	3 lib. 8¼	3	2 & l. 34⅔	1½	1										
15 lib. 5	12½	9 lib. 5	8 lib. 13	4 lib. 18⅓	3 lib. 29	3 lib. 13¼	3 lib. 5	2 & l. 39⅔	1 & lib. 45	1 & lib. 5	1									
16 lib. 5⅓	13 lib. 3⅓	10	9 lib. 7⅓	5	4 lib. 5⅓	3 lib. 21 unc. 7.	3 lib. 13⅓	3 & l. 5⅓	1 & lib. 53⅓	1 & lib. 13⅓	1 & lib. 8⅓	1								
20	16	21	11 lib. 6	6	5	4 lib. 11	4	3 & lib. 32	2	1⅓	1 lib. 35	1⅕	1							
21	16 lib. 8	12 lib. 8	12	6 lib. 8	5 lib. 8	4 lib. 19.	4 lib. 8	3 & lib. 40	2 & lib. 8	1 lib. 48	1 & lib. 43	1 & lib. 34⅔	1 & lib. 8.	1						
21 lib. 2⅔	17 unc. 8	12 l. 10⅔	12 lib. 2⅔	6 l. 10⅔	5 lib. 10⅔	4 lib. 21⅔	4 lib. 10⅔	4	2 lib. 10⅔	1 & l. 50⅔	1 & lib. 45⅔	1 & l. 37⅓	2 & l. 10⅔	1 & lib. 2⅔	1					
50	40	30	28 & l. 7	15	12½	10 lib. 27. unc. 6½	10	9 & l. 16	5	3⅓	3 & lib. 25	3	2½	2 & lib. 64	2 lib. 58⅔	1				
100	80	60	57 & lib. 2	30	25	21 & lib. 17¾	20	18 & l. 32	10	6⅔	6 & lib. 50	6	5	4 & lib. 128	4 lib. 117⅓	2	1			
102½	82	61 & l. 6⅔	58 & lib. 8	30 & l. 20	25 & l. 20	22 & unc. 6	20 & l. 20	19 & l. 9⅓	10 lib. 20	6 & lib. 100	6 & lib. 70	6 & lib. 20	5 & lib. 20	4 & l. 148	4 & l. 137⅓	2 & lib. 20	1 & lib. 20	1		
170 lib. 5⅓	136 lib. 5⅓	102 lib. 5⅓	97 & l. 5⅓	51 & l. 5⅓	42 lib. 21½	36 & lib. 24⅓	34 & l. 5⅓	32	17 & l. 5⅓	11 lib. 1⅓	10 l. 115⅓	10 & l. 32	8 & l. 85⅓	8 & l. 21⅓	8	3 & l. 165⅓	1 & l. 565⅓	1 & l. 545⅓	1	
200	160	120	114 & lib. 4	60	50	42 & lib. 35½	40	37 lib. 17⅓	20	13⅓	12 & l. 100	12	10	9 & lib. 88	9 & lib. 64	4	2	1 & l. 780	1 & l. 234⅔	1

De Menſuris Longitudinum, ex iiſdem Auctoribus.

MInima menſura eſt *digitus* tranſverſim poſitus, ſeu latitudo digiti, Hebraicè vocatur *Atsbagh*, Græcè δάκτυλος.

Palmus minor, contractus ſeu tranſverſus, Hebraicè *tophach*, Græcè παλαιστὴ vel δοχμὴ, continet digitos tranſverſim poſitos 4. Vide Ezech. 43. 13.

Palmus extenſus ſeu major, Hebraicè *zereth*, Græcè σπιθαμὴ, conſtat palmis minoribus 3. digitis 12.

Pes Romanus conſtat communibus, tranſverſis ſeu minoribus palmis 4. id eſt digit. 16.

Cubitus Romanus, Græcus, & vulgaris Hebræorum eſt ſeſquipes, ſeu tranſverſi palmi 6. id eſt digit. 24. vel duo palmi extenſi. Eſtque ea longitudo quæ eſt à flexu brachii medii uſque ad extremum digiti longioris extenſi. Denique eſt quarta pars ſtaturæ hominis bene formati: quiſq; enim habet in ſtatura ſua quatuor ſui cubitos, ſeu pedes ſex. Totidem etiam & pedes & cubitos ſui corporis facit quando brachia in latum expandit. Ita S. Hieronymus, Vitruvius & alii paſſim.

Cubitum ſacrum Hebræorum facit Villalpandus uno palmo contracto majorem cubito ordinario, ex Ezechielis 43. v. 13. *Iſta menſura altaris in cubito veriſſimo* (ſeu legali & ſacro) *qui habebat cubitum* communem *& palmum*. Et de tali cubito legali putat Scripturam paſſim & Joſephum loqui. Et ratio favet, quia legalis illa cubiti ſacri menſura eo tempore fuit conſtituta, quo ſtatura hominum major & procerior erat: neque debuit deinceps immutari; cùm Græci & Romani ſint tempore poſteriores. Vide etiam Gaſparem Sanctium in 3 Reg. 6. v. 2.

Duo pedes cum medio faciunt *greſſum* ſeu *paſſum* Romanum *ſimplicem*, qui conſtat palmis minoribus ſeu tranſverſis 10. id eſt digitis 40.

Duo greſſus, ſeu quinque pedes faciunt *paſſum* Romanum *compoſitum*, palmorum 20. digit. 80.

Dixi *Romanum*: quia paſſus Græcus compoſitus conſtabat 6 pedibus, palmis 24. digit. 96.

Sex cubiti *calamum* faciunt, qui conſtat pedibus 9. ſpithamis 12. palmis min. 36. digit. 144.

Stadium Græcum juſtis 100. paſſibus Græcis, id eſt pedibus 600. cubitis 400. palmis 2400. digit. 9600.

Stadium Romanum conſtat paſſibus Romanis compoſitis 125. pedibus 625.

Chibrath terræ Hebræis erant mille cubiti. Vide P. Bonfrerium Exodi 20. v. 8. ſub medium, & 4 Reg. 5. v. 19.

Quinque ſtadia Græca, ſeu 2000 cubiti faciebant *iter ſabbathi*, ſeu quod ſabbatho conficere licebat: quod Hebræi definiebant duobus *chibrath terræ*.

Milliare Italicum conſtat octo ſtadiis Romanis; mille paſſibus compoſitis; 5000 pedibus.

Leuca ſeu milliare Gallicum unius horæ, conſtat tribus milliaribus Italicis; 24 ſtadiis Romanis; 3000 paſſibus compoſitis; 15000 pedibus.

Digitus tranſverſus.	Palmus minor, contractꝰ *ſeu* tranſverſus.	Palmus major, *ſeu* extenſus.	Pes Romanus.	Cubitus Romanus, Græcus & Vulgaris Hebræorum.	Cubitus ſacer Hebræorum.	Greſſus *ſeu* paſſus ſimplex Romanus.	Paſſus Romanus compoſitus.	Paſſus Græcus compoſitus	Calamus.	Stadium Græcum.	Stadium Romanum.	Chibrath terræ.	Iter Sabbathi.	Milliare Italicum.	Leuca.
1															
4	1														
12	3	1													
16	4	1 $\frac{1}{4}$	1												
24	6	2	1 $\frac{1}{2}$	1											
28	7	2 $\frac{1}{3}$	1 $\frac{3}{4}$	1 $\frac{1}{6}$	1										
40	10	3 $\frac{1}{3}$	2 $\frac{1}{2}$	1 $\frac{2}{3}$	1 & 3 palmi minores.	1									
80	20	6 $\frac{2}{3}$	5	3 $\frac{1}{3}$	2 & 6 palm.	2	1								
96	24	8	6	4	3. & 3 palmi.	2 & pes 1	1 & pes 1	1							
144	36	12	9	6	5 & 1 palm.	3 & 1 $\frac{1}{2}$ pes.	1 & ped. 4	1 $\frac{1}{2}$	1						
9600	2400	800	600	400	342. & 6 palmi.	240	120	100	66. & cub. 4.	1					
10000	2500	833 $\frac{1}{3}$	625	416 $\frac{2}{3}$	357 & 1 palm.	250	125	104. & pes 1.	69. & ped. 4.	1 & ped. 25	1				
24000	6000	2000	1500	1000	157. & 1 palmus.	600	300	250	166 & cub. 4.	2 $\frac{1}{2}$	2 $\frac{2}{3}$	1			
48000	12000	4000	3000	2000	1714. & 2 pal.	1200	600	500	133 & cub. 2.	5	4 $\frac{4}{5}$	2	1		
80000	20000	6666 $\frac{2}{3}$	5000	3333 $\frac{1}{3}$	2857. & 1 pal.	2000	1000	833. & 2 ped.	555. & ped. 5.	8 & $\frac{1}{3}$ ſeu 200 ped.	8	3 $\frac{1}{3}$. ſeu 500 ped.	1 $\frac{2}{3}$	1	
240000	60000	20000	15000	10000	8571. & 3 palmi.	6000	3000	2500	1666. & ped. 6.	25	24	01	5	3	1
600000	150000	50000	37500	25000	21428 & 4 palmi.	15000	7500	6250	4166. & ped. 6.	62 $\frac{1}{2}$	60. tot ſtadiis aberat Emaus à Jeruſalem. *Lucæ* 24. 13.	25	12 $\frac{1}{2}$	7 $\frac{1}{2}$	2 $\frac{1}{2}$

Explicatio Idiotiſmorum ſeu Proprietatum Linguæ Hebraicæ & Græcæ quæ ſæpius in Scripturis occurrunt.

I. EST Hebræis, Græcis, Chaldæis uſitatiſſimum, ut libros ſuos ab *&*, *autem, igitur, ergo*, vel ſimili particula ordiantur, ut patet initio Levitici, Numerorum, Joſue, 2, 3, & 4. Regum, ſecundi Paralipomenon, 2 Eſdræ, Judith, Threnorum, Baruch, Ezechielis, Jonæ, prioris Machabæorum, &c. Nempe ſcriptores iſti contemplabantur animo rem aliquam antegreſſam, cum qua iſtud quod jam ſcribebant, colligatum per ejuſmodi particulas volebant, ſive ea res ſcripta jam eſſet in alio volumine, ſive mente tantummodò comprehenſa.

II. Quia hagiographi omnes Hebræi fuerunt, & Hebræis ſcripſerunt, & pleraque Hebraicè, ideo interpretes tum Græci, tum Latini, ſtylo & phraſi Hebrææ pluſculum inhærentes, ſæpiſſimè hebraizant, & ſubinde ſolœciſmos admittunt, teſte S. Hieron. lib. 2. comment. in epiſt. ad Epheſ.

III. Et quia caſibus carent Hebræi, eodemque nomine invariato per omnes caſus utuntur, hinc & Interpretes ſubinde per Antiptoſin caſum pro caſu uſurpant, ut 2 Cor. 8. v. 23. *Sive pro Tito, ſive fratres noſtri*, pro, fratribus noſtris, & Epheſ. 2. v. 2. *Spiritus*, pro, ſpiritum & alibi.

IV. Subinde pro verbo indicativo præſenti & imperfecto (quo carent Hebræi) utuntur præterito, Pſal. 115. *Credidi*, id eſt credo, *propter quod loquutus ſum*, id eſt loquor. Subinde participio 1 Corin. 12. v. 2. *Ad ſimulacra euntes*, id eſt, ibatis.

V. Sic pro comparativo & ſuperlativo quia Hebræi carent his gradibus, utuntur poſitivo, ut Pſal. 117. *Bonum* (id eſt, melius) *eſt confidere in Domino, quàm confidere in homine.*

VI. Vel cùm volunt unum per comparationem alteri præferre. id quod præferunt affirmant, alterum negant. Verbi gratiâ, Iſaiæ 63. v. 16. *Abraham neſcivit nos, & Iſrael ignoravit nos. Tu Domine pater noſter*, &c. Oſee 6. v. 6. *Miſericordiam volui & non ſacrificium*, id eſt, miſericordiam malo quàm ſacrificium. Pſal. 21 *Vermis, & non homo*, id eſt potiùs quam homo. 1 Cor. 3. v. 7. *Non ego, ſed gratia Dei.* id eſt, non tam ego, quàm gratia Dei, quamquam & ego cum gratia Dei. Matth. 23. v. 9. *Patrem nolite vocare vobis ſuper terram*, &c.

VII. Vel utuntur epitaſi, ſeu verbo vehementiori pro minùs vehementi: verbi gratiâ, Malachiæ 1. & ad Rom. 9. *Jacob dilexi, Eſau odio habui*: ubi *odio habui*, idem eſt quod, minùs amavi, poſtpoſui, neglexi. Simili Epitaſi utuntur verbo *omnis* pro magno & excellenti, v. g. Pſal. 106. *Omnem eſcam abominata eſt anima eorum*, id eſt nobiliſſimam & excellentiſſimam, videlicet cœleſte manna. Pſal. 28. *Univerſa*, id eſt, mera, ſumma, *vanitas omnis homo vivens.* Eccleſ. 12. v. 13. *Deum time, & mandata ejus obſerva: hoc eſt enim omnis homo*, id eſt, qui hoc fecerit optimus eſt & præſtantiſſimus homo. 1 Regum 4. v. 8. *Hi ſunt Dii qui percuſſerunt Ægyptum omni*, id eſt graviſſima, *plaga in deſerto*: neque enim *in deſerto* aliâ plagâ afflicti ſunt Ægyptii, quam demerſione in mari rubro. Eccl. 25. v. 17. *Omnis plaga* pro, ſumma plaga.

VIII. Aliquando contra per Liptoten verbo minùs vehementi utuntur quàm intendant ſignificare, verbi gratiâ, 1 Reg. 12. v. 21. *Nolite declinare poſt vana* (idola) *quæ non proderunt vobis*, id eſt. quæ maximè oberunt, erúntque valdè noxia vobis. 1 Machab. 2. v. 21. *Non eſt utile nobis relinquere legem*, id eſt perniciosiſſimum erit. Sic Prov. 18. v. 5, & c. 24. v. 23. Eccli. 7. v. 14. *Non eſt bonum*, pro, eſt valdè malum.

IX. In comparationibus ſubinde non apponunt particulam comparationis vel ſimilitudinis, ut Proverb. 16. v. 14. *Favus mellis compoſita verba.* Pſal. 67. v. 31. *Increpa feras arundinis: congregatio taurorum in vaccis populorum*, pro, increpa tyrannos, qui ſicut feræ in arundineto, & ſicut tauri in grege vaccarum, excitant ſtrepitum & horrorem, ita faciunt ipſi in congregatione populi ſibi ſubditi.

X. Una eademque ſententia diverſis locis ſubinde diverſa & fere contraria deſignant, verbi gratia, *Portare iniquitatem*, Exodi 28. v. 38. Levit. 10. v. 17. & 1 Reg. 15. v. 28. ſumunt pro, ignoſcere, vel veniam impetrare. Sed Levit. 17. verſu ultimo, & cap. 24. v. 15. & alibi, idem ipſis eſt quod, puniri pro peccato.

XI. Apud Hebræos propter exiguum numerum radicum, quæ non ſunt niſi 1022. à quibus omnia nomina derivantur, ſæpè unum idémque nomen, vel verbum vel etiam ſententia, pluribus diverſíſque rebus deſignandis adhibetur. Et ex hac ſilva ambiguorum nominum atque verborum haud raró natæ ſunt diverſæ diverſorum interpretum, vel etiam ejuſdem, ſed diverſo tempore & loco, interpretationes, dum quiſque inter dubia, quod ſibi convenientius videtur, hoc transfert. Ita ſeſe excuſat S. Hieronymus libro 1. Apologiæ adverſus Ruffinum, qui ei exprobrarat, quod Pſal. 2. verſ. 12. pro eo quod Septuag. interpretes dixerunt, *Apprehendite diſciplinam*, ipſe in Commentariis vertiſſet, *oſculamini* vel *adorate, filium.* & poſteà nihilominùs vertendo Pſalterium, tranſtuliſſet, *adorate purè*, Nam Hebræa נשקובר *naſeku bar*, ambigua ſunt ad omnia tria ſignanda. Sic Hebræum צינה *tſinah*, quod videtur commune eſſe nomen armorum quæ vel inferunt vulnus, vel avertunt, Ezech. 26. v. 8. Vulgatus transfert *clypeum*: cap. 23. v. 24. *loricam*: c. 28. v. 4. *haſtam*: Amos 4. v. 2. *contum*: 3 Reg, 10. v. 16. & 17. *ſcutum & peltam.* Simili modo השישה *haſiſah* valet idem quod exhilarat reficítque, ſeu convivia, ſeu geniales dies; cúmque multa id præſtent pro varia rerum ac temporum natura, variè quoque id ab Interprete convertitur; modò enim redditur *flos*; Cant. 1. v. 5. *Fulcite me floribus*; modò *unguentum*; modò *lagena vini*; modò *ſimila frixa oleo.* Sic חשידה *chaſidah* ſignificat quod ſublimem habet rapidúmque volatum: quare interdum *milvus*, ut Zachar. 4. v. 9. interdum *ciconia*, ut Job. 39. v. 13. & Pſal. 183. v. 17. aliàs *herodius*; ſubinde *upupa* convertitur. Sic Hebræum צחק *tſachaq*, & Latinum *ludere*, præter vulgarem luſum ſubinde ſignificat *duellum committere*: 2 Reg. 2 v. 14. *Surgant pueri & ludant.* Subinde *perſequi* & *vexare*: Gen. 21. v. 9. *Vidit Sara ludentem Iſmael cum Iſaac.* id eſt perſequentem Iſaac, ut explicat Apoſtolus ad Galat. 4. v. 29. Subinde *idola colere*, vel *ſaltationes* ac *tripudia inſtituere*: Exodi 32. v. 6. *Surrexerunt ludere.* Sic Græcum προφητεύειν & Latinum *prophetare*, præter communem notionem quæ eſt futura prædicere, aliquando ſignificat, *prophetiam confirmare*, ut Eccli. 49. v. 18. oſſa Joſephi dicuntur poſt mortem prophetaſſe. Aliquando ſignificat *laudare Deum*, vel pſallere laudes Dei. 1 Reg 10. v. 5, 10, 11, 13. Aliquando ex afflatu ſpiritus mali *inſana loqui*, 1 Reg. 18. v. 10. & 3 Reg. 18. v. 29. Jeremiæ 29 v. 26. Aliquando ex interna illuminatione Spiritus ſancti *ſcripturas interpretari.* Cor. 14. v. 3. Aliquando miraculum patrare. Eccli 48. v. 14. *Mortuum prophetavit corpus ejus* Eliſæi.

XII. Sic præpoſitionum & conjunctionum vis & ſignificatio admodum varia eſt, *Ad* ſæpè idem valet quod *de*: 2 Regum 3. v. 8 *Dominus locutus eſt ad David*, id eſt *de* David, *dicens, In manu ſervi mei David*, &c. Lucæ 19. *Ait JESUS ad eum*, pro *de* eo, *quia hodie ſalus domui huic facta eſt.* Ad Hebræos 1. *Et ad Angelos quidem dicit*, pro *de* angelis. Et c. 4. *Ad quem nobis ſermo*, id eſt *de* quo.

Præpoſitio *à*, & Græcum ἀπὸ ſæpè pro *apud*, vel *coram* uſurpatur. Eccli. 41. v. 21. *Erubeſcite à patre & matre*, &c. pro, coram patre, &c.

Præpoſitio *in*, Hebraicè ב. v. g. *In Chriſto, in domino*, ad Epheſ. 1. & κατὰ ſeu *ſecundùm*, ferè omnium aliarum præpoſitionum vicem & ſignificationem induunt. Sæpè *in* redundat. Lucæ 22. v. 49. *Si percutimus in gladio?* Gen. 48. v. ult. *Tuli in gladio & arcu meo* Verba contactus tam corporalis, quàm ſpiritualis (qualis v. g. eſt viſio, quæ rem viſam ſuo intuitu quaſi attingit) conſtrui ſolent cum ב *beth*, id eſt *in*, & cum ablativo caſu, ut Iſaiæ ult. v. 1. *Videbimus in lætitia veſtra*, id eſt, videbimus lætitiam veſtram.

Hebræum ו *ve*, & Latinum *&*, nunc pro copulativa, nunc pro disjunctiva *vel, aut*; nunc pro cauſali *enim quia*; nunc pro adverſativa *ſed, autem*; nunc pro *ut, ſic, ſicut, id eſt, etiam, ſi tamen, ideo, præterea, ergo, quinetiam*, ſumi ſolet, aliquando prorſus redundat. Pari modo voculæ *tamen* & *ſed*, pro *immò, quinimmò* ſumuntur. *Enim* pro *autem*, ad Galat. 2. v. 6. Hebr. כי *ki*, & Latinum *ut, quia, propter quod*; *propterea*, ſæpè non cauſam, ſed ſolùm eventum ſeu conſecutionem ſignificant: ſubinde tantùm continuant præcedentia cum ſequentibus. Particulæ, *eò quòd, quoniam, quia*, ſubinde idem valent quod *quamvis* vel *etſi*. Pſal. 77. v. 19. *Numquid poterit Deus parare menſam in deſerto, quoniam* (id eſt quamvis) *percuſſit petram, & fluxerunt aquæ?* Iſaiæ 12. 1. *Confitebor tibi Domine quoniam* (id eſt etſi) *iratus es mihi.* Jerem. 7. v. 10. *Liberati ſumus, eò quòd* (id eſt etſi) *fecerimus abominationes*, &c.

XIII. Vocula *ſi* eſt admirantis vel ſtupentis: ſubinde tamen eſt negantis, ut Judic. 5. v. 8. *Si apparuerint*, id eſt non apparuerunt. & 3 Reg. 17. v. 1. *Si erit annis his pluvia*, id eſt, non erit pluvia. Et quidem plerumque eſt nota jurantis, v. g. in exemplo jam allato, *Vivit Dominus ſi erit pluvia*, id eſt, juro quod non pluet, adeóque ſi pluat, non habear Deus vivus aut verax. Et cùm poſt verba jurandi ſequitur vocula *ſi*, tunc ſi oratio ſit affirmans, vertit in negantem; ſi ſit negans, vertit in affirmantem. Prioris exemplum eſt, Pſal. 94. v. 11. *Sicut juravi in ira mea, ſi introibunt in requiem meam*, id eſt, quòd non introibunt. Poſterioris, Iſaiæ 14. v. 24. *Juravit Dominus, ſi non ut putavi, ita erit*, id eſt, juravit, quòd uti ipſe putavit, ita erit. Simili modo particula *niſi* eſt vox juramenti execratorii. Iſaiæ 5. v. 9. *Niſi domus deſertæ fuerint*, ſubaudi per Apoſiopeſin, *non habear Deus*, aut *verax*: ſicut Latini dicunt, *niſi hoc fecero, diſpeream.* Subticent verò Hebræi ipſam imprecationem, utpote horrendam auditu & effatu, & cujus præ reverentia divinæ majeſtatis nemo vel meminiſſe audeat. *Levare manum*, ſæpè ſignificat *jurare*, Geneſis 14 v. 22. Exodi 6. v. 8. Numer. 14. 30. quia manum attollere ſolent qui jurant.

XIV. Unam eamdémque rem cùm plures habet proprietates & conditiones, pluribus etiam nominibus explicant. Ita *leges Dei* Pſalmo 118. vocant. Primò, *præcepta, mandata, ſtatuta, cuſtodiam*, quia cuſtodienda vel cavenda præcipiunt, mandant & ſtatuunt. Secundò, *judicia*, quia dijudicant & dirimunt lites. Tertiò, *juſtitiam, æquitatem, veritatem*, quia ſtatuunt & docent quod juſtum, quod æquum, quod verum eſt. Quartò, *teſtimonia*, quia teſtantur nobis voluntatem Dei, & quia cum conteſtatione Judæis data ſunt Deut. 4. 27, 28. Quintò, *teſtamentum*, id eſt fœdus & pactum, ſeu conditiones pacti initi cum Deo: nam hac conditione pepigit Deus tam cum Judæis, quàm cum Chriſtianis, ſe fore eis Deum & patrem, ſi videlicet ipſi leges ejus ſervent. Sextò, *vias Domini, juſtificationes Domini, verbum, eloquia, ſermones Domini*, &c. quia ex ore Dei proceſſerunt, nóſque juſtos faciunt, & ad Deum deducunt. Sic redemptionem Chriſti, quia in ea cæſi hoſtes (dæmon, peccatum, mors,) & ſubditi liberati & ſalvati fuerunt, nunc vocant *ſtragem* ſimul & *ſalutem*, nunc *ultionem* & *redemptionem*, nunc *indignationem* & *pacem*, nunc *cædem, protritionem* & *victoriam*, &c. Iſaiæ 59, & 63.

Quia Hebræi pauca habent nomina plantarum, arborum, gemmarum, animalium, ſpecifica, ſeu quæ unam aliquam ſpeciem determinatè deſignent, ſed hæc ut plurimum generica ſunt, & multas ſub ſe & diverſas ſpecies complectuntur, vel certè æquivoca ſunt: neque ſemper apud Latinos Græcoſve extant nomina æquè generalia; hinc factum ut unum idemque nomen Hebraicum à diverſis interpretibus, vel etiam ab eodem interprete diverſis locis diverſimodè expoſitum fuerit. v. g. תנין *tannin*, Hebræi vocant quidquid in quoque animalium genere monſtroſum eſt, præſertim magnitudine. Hoc nomen Geneſ. 1. 21. Latinus Vulgatus vertit *cetum* ſeu balænam, marinam belluam; ſanctus Hieronymus & Septuaginta vertunt *draconem*; iidem alibi *ſirenem*, vel *Faunum* vel *ſtruthiocamelum*, vel *paſſerem* (ironicè) *camelum* interpretantur. בדולח *bedolach* Hebræi vocant quidquid aqueum vel viſcoſum lucet, vel fulgurat, & in lapidem indureſcit. Hanc vocem Geneſis 2. 12. Noſter vertit *bdellium*, genus gummi ſive lacrymæ pellucidæ, quam ſtillat arbor nigra ejuſdem nominis, magnitudine oleæ, folio roboris, fructu, naturâque caprifici, inquit Plinius *l.* 12. *c.* 9. & Dioſcorides *l.* 1. *c.* 69. Eandem vocem Vatablus & Eugubinus vertunt *unionem*, Septuag. *carbunculum*: iidem Num. 11. 7. vertunt *cryſtallum.* אלה *ela* Hebræi vocant omnem glandiferam arborem, vel quæ quid glandibus ferè ſimile profert. Hanc voculam Noſter & S. Hieronymus & Septuag. vertunt nunc *quercum*, nunc *ilicem*, nunc *terebinthum*, nunc *caſtaneam.* Cùm enim non invenirent apud Græcos Latinoſve voces tam latè patentes, ſatis illis fuit, unam aliquam ſpeciem magis familiarem, magíſque loco quem exponebant convenientem, ſua verſione efferre.

XVI. Quia etiam apud Hebræos quædam erant ſeu animalium, ſeu arborum, ſeu aliarum rerum ſpeciès, quas apud Græcos Latinoſve reperire non erat, atque ita apud hos nomine carebant; interpretes, ne lacunam in ſua verſione relinquerent, ipſum ſubinde Hebræum nomen, ut erat, intactum retinuerunt, ut in Exodo paſſim ligna *ſetim*, in Levitico *hin, gomer, ſatum, cabum, ephi*: quæ Hebræorum erant menſuræ propriæ, neque apud alias nationes reperiebantur quæ ejuſdem præcisè eſſent capacitatis. Subinde tamen, ne barbaram ignotámque vocem lectoribus obtruderent, maluerunt Græcam Latinámque aliquam potiùs uſurpare, quæ ſpeciem affinem, & Hebrææ penè ſimilem ſignificat. v. g. pro menſuris jam dictis poſuerunt modium, ſextarium, choen ſeu congium. Pro שטים *ſchittim* ſeu *ſetim*, quæ eſt arbor ſpinæ albæ ſimilis (teſte S. Hieronymo in Joel. 3. 18.) colore & foliis, non magnitudine: nam & latiſſima tabulata ex illa cæduntur: lignúmque fortiſſimum eſt, & incredibilis lævitatis ac pulchritudinis, ſed non niſi in deſertis Arabiæ proveniens. Pro hac arbore, quia prorſus ignota Europæ, S. Hieronymus Iſaiæ. 41. 19. ponit *ſpinam*, Septuaginta *buxum.* Similiter Joel. 3. 18. S. Hieronymus vertit torrentem *ſpinarum*, Septuag σχοίνων id eſt *funiculorum*, vel potiùs σχίνων id eſt *lentiſcorum*, nempe arborũ ſua lævitate nobis ſat notarum. Iidem Septuag. in Exodo paſſim pro *ſetim* ponunt *ligna imputribilia*, Sic שפן *ſcaphan* animalculum eſt Palæſtinæ proprium, muris & urſi ſimilitudinem habens, majus ericio, cavernis petrarum & terræ foveis aſſuetum, ut ait S. Hieronymus. Pro hoc animali, quod apud Græcos Latinóſque nomine caret, S. Hieronymus & Septuaginta ponunt nunc *chœrogryllum*, id eſt rupium porcellum, Levitic. 11. v. 5. & Deuter. 14. v. 7. nunc *erinacium*, Pſalmo 103. v. 18. nunc *leporem*, Proverb. 30. v. 26. Rabbini & hebraizantes *cuniculum* malunt. Eodem modo de קיקיון *kikaion*, ait S. Hieron. *Genus eſt virgulti vel arbuſculæ, lata habens folia in modum pampini & umbram denſiſſimam, ſuo trunco ſe ſuſtinens abſque ullis calamorum & haſtilium adminiculis, quibus & cucurbitæ & hederæ indigent in Palæſtina creberrimè naſcitur, maximè in arenoſis locis: mirumque in modum, ſi ſementum in terram jeceris, citò confota conſurgit in arborem, & intra paucos dies quam herbam videras, arbuſculam ſuſcipis. Hanc arboris ſpeciem quia ſermo Latinus non habebat, retento Hebræo nomine, kikaion expreſſiſſem,* inquit idem S. Hieronymus: *ſed timebam Grammaticos, ne invenirent licentiam commentandi & vel beſtias Indiæ, vel montes Bœotiæ, vel alia portenta confingerent. Linguâ Syrâ & Punicâ Elkeroa vocatur. Septuaginta Interpretes Cucurbitam, Aquila cum reliquis Hederam tranſtulerunt, quæ Græcè* κισσὸς *appellatur: aliud enim quod dicerent non habebant. Et ego,* inquit, *Hederam poſui, ut cæteris Interpretibus conſentirem.*

XVII. Hebræi nominibus propriis vel gentilitiis ſæpè myſterium aliquod, vel rem particularem deſignant. Hinc Interpretes, ne myſterium illud, vel alluſio vocis occulta remaneat, pro nomine proprio vel Gentilitio, quod eſt in Hebræo, ſæpè ejus interpretationem ponunt. Ut Geneſ. 26. pro nominibus puteorum propriis ponunt ſignificatum eorumdem, unum pro *eſec*, vocantes *calumniam*; alterum pro *ſitna, inimicitias*; tertium pro *rechobot, latitudinem*; quartum pro *ſabea, abundantiam*. Job ultimo v. 14. filias Job unam vocant *diem*, alteram *caſſiam*, tertiam *cornu ſtibii*. Oſee 1. v. 6. & 9. filiam ſuam vocat *lorachuma*, id eſt, *abſque miſericordia*; filium, *lo ammi*, id eſt, *non populus meus*. Ad quem locum ſimili modo interpretantes alludunt Paulus Rom. 9. v. 25. & Petrus 1 epiſt. cap. 2. v. 10. Sic Sophoniæ 2. v. 13. pro *ponet ſpecioſam* Hebræa, Chaldæa & Septuaginta habent, *ponet Niniven*, (quæ Hebraicè *ſpecioſam* ſignificat) *in ſolitudinem & in invium, & quaſi deſertum*. Michææ 1. v. 10, 11, 12. 14. pro *Aphra, Sapir, Maroth, & Aczib*, quæ ſunt nomina propria urbium, ponit Interpres, *pulverem pulchra, amaritudines, mendacium*. 2 Reg. 8. v. 1. *Tulit David frænum tributi* (Hebr. *methegamma*, & eſt cognomen urbis Geth) *de manu Philiſthiim*. 2 Reg. 21. v. 19. pro *Elcanan filius Jaare*, Noſter ponit, *Adeodatus filius Saltus*. 1 Paralip. 4. v. 22. pro *Joakim & viri Zosba, & Joas, & Saraph* (quæ ſunt propria nomina principum in Moab, ut ſequitur, & Septuag. illa retinuerunt) in Latino eſt, *Qui ſtare fecit ſolem, virique Mendacii, & Securus, & Incendens*. Prov. 30. v. 1. pro, *verba Agur filii Jake*, Interpres habet, *verba congregantis filii vomentis*. Sic Ezech. 25. v. 16. pro *interfectoribus*, & Sophoniæ 2. v. 5. pro *perditoribus*, Hebraicè eſt *cherethim*: quod plerique putant proprium nomen eſſe gentis ad mare. Pſal 75. v. 3. *Factus eſt in pace locus ejus*, Hebraicè eſt, *in* שלם *ſchalem* ſeu Jeruſalem: de qua urbe loqui Prophetam patet ex vocula *Sion*, quæ immediatè ſubnectitur.

XVIII. Uni eidemque perſonæ non rarò plura nomina indebantur: unde unus idemque nunc uno, nunc alio nomine in Scripturis appellatur. Sic uxor Abrahæ vocatur *Sarai* Geneſis 16. v. 1. *Sara* cap. 17. v. 15. & *Jeſcha* cap. 11. v. 29. Sic uxor Eſau quæ Geneſ. 26. v. 34. vocatur *Judith filia Beeri Hethæi*, Geneſ. 36. v. 2. appellatur *Ada filia Elon Hethæi*, & altera ejus uxor, quæ Geneſis 26. v. 34. dicitur *Baſimath filia Elon*, Geneſ. 36. v. 2. vocatur *Oolibama filia Anæ*. Sic lib. 1 Paralip. per decem prima capita ſæpè viris & mulieribus alia dantur nomina ab iis quæ habent in Geneſi, Joſue, Judicum & libris Regum. Sic una eademque eſt *Eſther* & *Ediſſa*, Eſtheræ 2. v. 7. idem *Abimelech* & *Achimelech*: *Job* & *Jobab*: *Achar* & *Achan*: *Aram* & *Ram*: *Ornan* & *Areuna*: *Iethro* & *Raguel*.

XIX. Sæpè nomina propria Hebræa cùm in aliam linguam transferuntur, ita mutantur, ut vix eadem eſſe videantur, maximè cùm interpretes ad aliud etymon ſuæ linguæ alludunt. Sic qui Hebraicè & Chaldaïcè vocatur *Aſchaſueros* (id eſt, magnum caput, ſeu magnus capitaneus) & Latinè *Aſſuerus*, Perſicè nominatur *Ochoſoarſes, Ochſoarſes, Xerxes* (id eſt bellator) *Axurxes, Artaxerxes* (id eſt magnus bellator, teſte Herodoto) Græcè vero *Oxyares*, id eſt acer Mars.

XX. Idem contigit multis nominibus Hebræis, quæ Hebraica, ut erant in Græca aut Latina tranſlatione, poſita ſunt: v. g. pro *Tſophnat Paneach*, id eſt ſalvator mundi, Geneſ. 41. v. 44. corruptè Septuag. habent Ψοντομφανήχ. Pro Hebræo חוה *chaſſa* Latinè & Græcè eſt *Eva*; pro *Jeſcua* vel *Jehoſcua*, eſt *Jeſus*; pro *Maſchiach, Meſſias*; pro *Tſor, Tyrus*; pro *Caſdim, Chaldæi*; pro *Peſach Paſcha*.

XXI. Decem tribus Iſrael, prout tempore Roboam diſtinctæ erant ab aliis duabus, & ſub diverſo rege, uſque ad captivitatem Babylonicam ſæpè à Prophetis vocantur *Ephraim*, ſubinde *Joſeph*, ſubinde *Samaria*, quia ſedes regum Iſrael erat in *Samaria*, & in tribu Ephraim; & quia ex *Ephraim* filio Joſephi ortus eſt Jeroboam, qui primus ſchiſma illud fecit, & decem tribus à domo David abduxit, ſibique aſcivit, juxta vaticinium Ahiæ, 3. Reg. 11. v. 29. Subinde etiam vocantur *Iſrael* vel *Jacob*, quia erant major pars filiorum. Duæ verò reliquæ tribus vocantur *regnum Juda, domus David, Jeruſalem*, vel *Sion*. Sed poſt captivitatem Babylonicam *Iſrael* & *Juda* pro eodem populo accipiuntur, ſcilicet pro Judæis è Babylone reductis in Judæam, qui majori ex parte erant de tribu Juda & ſi qui alii ex aliis tribubus hinc inde eodem reverſi ſunt, junxerunt ſe tribui Juda, & ſuum ei nomen tranſcripſerunt. Unde omnes indiſcriminatim nunc Iſraelitæ nunc Judæi vocabantur.

XXII. Oriens, Occidens, & reliquæ orbis plagæ ſeu climata, aſſignantur in Scripturis comparatione urbis Jeruſalem, vel terræ ſanctæ. Hagiographi enim Judæi fuerunt, & Judæis ſcribebant, & Judæa ſita quaſi in medio orbis habitati, erat ſingulariter cara Deo, & peculium illius. Sic Daniel capite undecimo prædicit *reges Auſtri* id eſt Ægypti, conflicturos *cum regibus Aquilonis*, id eſt Syriæ, puta Ptolemæos cum Antiochis. Sic Aſſyrii & Chaldæi vocantur Aquilonares, ſcilicet reſpectu Judææ. Jeremiæ 1. v. 14. *ab Aquilone*, id eſt, è Babylone, *pandetur omne malum*. Sic Occidens ſæpe in Scriptura vocatur *mare*, eò quòd mare Mediterraneum, quod Palæſtinam attingit, Judææ ſit majori ex parte ad Occidentem. Quia tamen idem ex parte eidem eſt ad Auſtrum, hinc ſubinde *mare* ſignificat etiam Auſtralem plagam, ut Pſal. 106. v. 3. *A ſolis ortu & occaſu, ab Aquilone & mari*, id eſt Auſtro. Subinde Meridies vocatur *dextra*; Septentrio, *ſiniſtra*; eò quòd convertenti faciem ad Orientem talis ſit partium illarum ſitus.

XXIII. Cùm *Deus* apparuiſſe dicitur alicui, id de *angelis* intelligi volunt SS. Patres, quia angeli in corporibus aſſumptis perſonam Dei gerebant. Sic etiam illum qui apparuit Moyſi, dixitque, *Ego ſum Deus Abraham*, S. Stephanus Actor. 7. v. 30. dicit *angelum* fuiſſe. Et qui Exodi 19. & 20. tradidit legem Moyſi in Sina, à S. Paulo Gal. 3. v. 19. *angelus* vocatur.

XXIV. Quæ de Chriſto dicuntur, non ſemper ei in perſona conveniunt, ſed ſubinde ei tanquam capiti, ſubinde ejus corpori Eccleſiæ, ſubinde utrique. Ut Zach. 2. v. 8. dicit Chriſtus *ſe miſſum eſſe ad Gentes*, quod fecit non in ſe ſed in Apoſtolis ſuis. Simili modo Gen. 13. v. 27, 49. Abrahæ, Jacob, & duodecim Patriarchis multa promittuntur, quæ non ipſis, ſed illorum poſteris obvenerunt.

XXV. Synecdochicè per Philiſtinos, Arabes, Ægyptios, Moab, Ammon, Idumæos, & alias gentes barbaras Judæis vicinas & notas, ſignificant Prophetæ omnes gentes impias ſubigendas à Chriſto, totumque mundum ad eum convertendum. Ita S. Hieron. in cap. 60. Iſaiæ. Sic ex una perſona aut gente, omnes alias ſimiles intelligunt, inquit S. Auguſt. lib. 4 Doctrinæ Chriſtianæ cap. 7.

XXVI. Eodem modo numerum plenum & rotundum ſæpe ponunt neglecto minore qui aliquantulum excreſcit, vel deficit. v. g. Numer. 11. vocantur *ſeptuaginta* ſeniores, & alibi ſeptuaginta Interpretes; cum fuerint utrique *ſeptuaginta duo*. Et Judic. 9. v. 18. dicuntur *ſeptuaginta filii Jerobaal* ab Abimelech interfecti, cùm tamen duo deeſſent huic numero, ſcilicet ipſe *Abimelech* qui eos interfecit, & *Joatham* natu minimus, qui evaſit.

XXVII. Voculæ, *non ampliùs, non ultra, æternum, ſeculum, generatio generationis*, ſæpè non ſignificant abſolutam æternitatem, ſeu durationem interminabilem, ſed ſolùm diuturnam durationem, & quaſi humanam æternitatem, id eſt, longum tempus, cujus finis ab homine jam vivente non videtur. Sic Iſaias cap. 23. v. 12. de Tyro ait, *Non adjicies ultra ut glorieris*: & Ezechiel de eadem cap. 26. v. 14. *Non ædificaberis ultra*, ſcilicet ad longum tempus: nam poſtea reædificata eſt, & priſtinam gloriam reſumpſit, unde ab Alexandro Magno rurſum vaſtata eſt. De *æterno* exempla habes, 1 Paralip. 15. v. 2. & 1 Machab. 2. v. 54. Aliquando nihil addunt ſententiæ præter epitaſin, quæ rem valde exaggeret. Quomodo dixit Petrus Joan. 13. *Non lavabis mihi pedes in æternum*, id eſt, nullo modo id patiar. 2 Reg. 3. v. 28. *Mundus ſum in ſempiternum*, id eſt, toto cœlo abſum à cæde tam impia, tam perfida. Jonæ 4. *Benè iraſcor ego uſque ad mortem*, id eſt, vehementiſſimè.

XXVIII. Etiam in numeris annorum vel dierum exprimendis ſubinde utuntur Synechdoche, totum ponendo pro parte, vel contra. v. g. Chriſtus dicitur tres dies fuiſſe in ſepulchro, è quibus tamen primus & tertius fuerunt incompleti. Sic in annis vitæ variorum hominum, vel regnorum conſignandis, nunc completos ponunt, nunc incompletos. Sic una pars hominis phyſica, ut caro, vel anima, vel ſanguis, non rarò pro toto homine ponitur. Sic *caput* pro homine, 2 Reg. 1. v. 16. *Super caput tuum*, pro *ſuper te*. Iſaiæ 35. *Lætitia ſempiterna ſuper capita eorum*, pro *ſuper eos*. Sic *caput canis, caput colubri, caput meum*, idem ſunt quod *canis, coluber, ego*. Sic Pſalm. 65. v. 12. *Poſuiſti homines ſuper capita noſtra*, id eſt, ſuper nos. Geneſ. 40. v. 19. *Auferet Pharaoh caput tuum*, id eſt, te: neque enim præciſum eſt illi caput, ſed & (ut mox ſubditur) *ſuſpenſus eſt in cruce*. Prov. 15. v. 22. & inde S. Paulus ad Roman. 12. v. 20. *Carbones ignis congeres ſuper caput ejus*, id eſt, ſuper ipſum. Vel etiam pars logica, ut genus pro ſpecie. v. g. tempus pro anno, Dan. 7. v. 25. *Tempus & tempora & dimidium temporis*, pro tribus annis & medio. Vel contra, ſpecies pro genere, Iſaiæ 1. v. 15. *Sanguis* ſeu homicidium, pro quovis peccato. *Peſtis & gladius*, pro quavis clade. *Juſtitia* aut *miſericordia*, pro quavis virtute, Pſal. 111. v. 9. Vel materia pro re ex ea confecta, 2 Reg. 6. v. 5. *Ludere in omnibus lignis fabrefactis*, vel, ut eſt in Hebræo, *omnibus lignis abietum*, pro, ludere omnibus inſtrumentis Muſicis. Subinde pars una pro altera ponitur, ut anima pro cadavere, Num. 9. v. 6, 7, 10. & Aggæi 2. v. 14. *Immundi ſuper anima hominis*, id eſt, propter cadaver.

XXIX. Alios quoque tropos ſeu figuras omnis generis frequentiſſimè uſurpant, v. g. Metonymiam, cùm *Samariam* capiunt pro Samaritis, *idolum* pro idololatris, *templum* pro ſacerdotibus. Sic eleganter ludunt in voce *peccatum*, quo aliquando denotant culpam: aliquando pœnam vel effectum culpæ, v. g. concupiſcentiam: aliquando hoſtiam quæ offertur pro peccato, 2 Corinth. 5. v. 21. aliquando nudam immunditiam legalem ex menſtruo, ex lepra, ex contactu mortui contractam: ut videre eſt Levit. 12. v. 6. & cap. 14. v. 13. ubi puerperium & lepra vocantur *peccatum*, ſcilicet legale, id eſt, immunditia. Item Rom. 8. v. 3. & 2 Corinth. 5. v. ult. Sic *caro* aliquando corruptionem carnis, aliquando concupiſcentiam, aliquando homines carne deditos ſignificat: aliquando exteriorem hominem, vel externam ſpeciem & gratiam, quæ opponitur ſpiritui, id eſt, internæ gratiæ, & interiori homini, 2 Corin. 10. v. 2.

XXX. Per Antonomaſiam *fluvius* vel *flumen* abſque addito ponitur pro *Euphrate*.

XXXI. Per Antiphraſin ſubinde *benedicere* ponitur pro *maledicere*, Job 1. v. 11. & cap. 2. v. 5, & 9. item 3 Reg. 21. v. 13. Sic *ſanctificari* pro *pollui*, Deuter. 22. v. 9.

XXXII. Per Euphemiſmum, quod durum & infauſtum ſonat, à ſe removent Hebræi in hoſtes ſuos, 1 Reg. 23. v. 22. *Hæc faciat Deus inimicis David, & hæc addat*. Ubi David cùm ſibi imprecaretur malum, niſi grave de Nabal ſupplicium ſumeret, loco ſui ſubſtituit inimicos ſuos. Similem profanorum imprecandi modum vide apud Briſſonium lib. 1. Formularum.

XXXIII. Ironiam & Sarcaſmum habes Geneſ. 3. v. 22. *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt, ſciens bonum & malum*. Et Eccleſ. 11. v. 9. *Lætare ergo juvenis in adoleſcentia tua*, &c. Et Zachariæ 11. v. 13. de triginta argenteis dicit Dominus, *decorum pretium, quo appretiatus ſum ab eis*.

XXXIV. Catachreſis eſt Matth. 9. v. 31. cæci curati *diffamaverunt Jeſum in tota terra illa*, id eſt, famam ejus celebrarunt cum magna laude. Sic *fœnerari* ponitur pro mutuare Deut. 15. v. 6. & Lucæ 6. v. 34. *Pennæ ſolis*, Malach. 4. pro radiis. Sic Deus *pluviæ pater*, id eſt auctor; dæmon *mendacii pater* vocatur, id eſt auctor; Tubalcain *pater*, id eſt primus (quia inventor) *canentium organo*. *Domum* alicui *ædificare* vel *deſtruere*, eſt proles & poſteros dare vel adimere: nam ex filiis quaſi lapidibus vivis conſtruuntur familiæ. *Revelare aurem alicujus*, eſt admonere & alteri indicare quod ignorabat, 1 Regum 9. v. 15. & cap. 20. v. 13.

XXXV. Per Hyperbolen, Gen. 41. v. 49. frumentum coæquatur *arenæ maris*. 3 Reg. 10. v. 27. *argentum lapidibus*: & Joann. ult. v. ult. *mundus* negatur *capere poſſe libros*.

XXXVI. Metaphora omnium frequentiſſima. *Lupi, ſerpentes, dracones, leones*, &c. Iſaiæ 11. v. 6. ſunt barbaræ & feræ nationes. Sic homines virtuoſi vel vitioſi Iſaiæ 35. comparantur *deſerto arido, campis, arboribus, vineis, montibus, fluminibus, urbibus*. *Calix* ſors eſt cujuſque ſeu bona ſeu mala. *Gladius* eſt quidquid pungit, torquet, vel cruciat. *Sagitta* quidquid nocet aut lædit. Sic *ignis, turbo, tempeſtas, grando, procella*, eſt quodvis tormentum, clades vel ſtrages. *Adeps frumenti, medulla olei, vini*, vocatur quod in frumento, oleo vel vino eſt præſtantiſſimum. *Baculus panis, ſcipio, fulchrum, robur panis*, eſt alimentum, quo quis ita indiget ad ſuſtentationem, ſicut ſenes auxilio baculi, Lev. 26. v. 26. Iſaiæ 3. v. 1. Ezech. 4. v. 16. & cap. 5. v. 19. & cap. 14. v. 13. *Pactum ſalis* Num. 18. v. 19. & 2 Paral. 13. v. 5. & pactum firmum & incorruptum, quia ſal à corruptione præſervat. *Cornu* eſt potentia, eò quòd cornutorum animaliũ robur ſit in cornubus, Deut. 33. v. 17. Pſal. 43. v. 6. Pſal. 74. v. ult. Hinc etiam pro regno ſubinde accipitur, quòd in regnis & regibus maximè ſpectetur potentia, Pſal. 131. v. 17. Eccli. 47. v. 13. Dan. 7. & 8. Ezech. 29. v. ult. Luc. 1. v. 69. *cornu ſalutis*, &c. *Eſſe in caput*, vel *in caudam*, Deut. 28. v. 13. & 44. eſt primum, vel ultimum fieri. *Onus* maximè apud Prophetas eſt prophetia quæ afflictionem & punitionem prænuntiat. *Manus* idem aliquando quod littus, vel latus, Eccli. 24. v. 25. *Statuet caſulam ſuam ad manus illius*. *Pingues* ſunt homines potentes & divites, Pſalm. 77. v. 31. Iſaiæ 10. v. 16. *Caput canis* eſt res viliſſima, 2 Reg. 3. v. 8. *Os gladii* vocatur ejus acies. *Fodere* Oſee 3. v. 2. ſignificat emere & pretio comparare. *Sacerdos* 2 Reg. 8. v. ult. idem eſt quod princeps. *Indui re aliqua* eſt illam in ſe habere ac poſſidere, Pſalm. 92. v. 1. Rom. 13. v. 14. *Funis* vel *funiculus* eſt hæreditatis portio quæ alicui obveniebat: nam funibus menſurari ſolebant prædia dividenda: Pſal. 15. v. 6. Deut. 32. v. 9. Joſue 17. v. 5. *Vaſa* ſunt quævis inſtrumenta: ſic *vaſa mortis*, id eſt omnia quibus mors infertur: *vaſa belli*, arma & inſtrumenta quævis bellica: *vaſa pſalmi* & *cantici*, inſtrumenta omnia muſica. *Animam ſuam habere in manibus* vel *ponere in manibus*, eſt exponi, vel exponere vitam ſuam periculo: quia quæ manibus impoſita habemus, facilè excutiuntur. *Suſcitare verbum*, 2 Regum 7. v. 25. eſt præſtare promiſſa. *Suſcitare arcum, gladium, juramentum, pactum*, eſt facere ne otioſa ſint aut vacua pacta, promiſſa, minæ. *Revelare auriculam* 1 Reg. 9. v. 15. & 2 Reg. 7. 27. item *aperire alicujus aures*, eſt aliquid alicui prædicere, præcipere, præmonere.

XXXVII. Subinde ab una metaphora immediate tranſeunt ad aliam. Sic Zachar. 3. v. 8 & 9. Chriſtus nunc *oriens*, nunc *lapis* vocatur. Oſeæ 2. Synagoga *mulier*, mox *vinea* vocatur. Iſaiæ 27. diabolus *leviathan*, id eſt balena, mox *vectis*, mox *draco*, vocatur. Iſaiæ 45. v. 7. Cyrus comparatur *luci* & *ſoli*: c. 46. v. 11. *avi* & *aquilæ*.

XXXVIII. Vel à metaphora aliave figura tranſiliunt ad rem ſignificatam. v. g. à *flore* ad *Chriſtum*, Iſaiæ 11. v. 1, & 2. & c. 7. à liberatione Achaz & Judæorum de manu Raſin regis Syriæ, & Phacee regis Samariæ, ſubitò tranſit ad partum virginis, & ortum Emanuelis, & liberationem hominum è poteſtate diaboli per Chriſtum, cujus illa typus erat. Sic à vaſtitate Babylonis, Jeroſolymæ, vel Samariæ ſæpè tranſitur ad excidium orbis & diem judicii, cujus illæ fuerunt ſpeculum & figura & præludium. Simili modo à *meretrice* ad urbem *Niniven* tranſit Nahum c. 3. v. 4, & ſeq. Ab *erucis, locuſtis & bruchis* ad *milites terram vaſtaturos*, Joel c. 1, & 2. &c. Similiter Iſaias c. 14. à caſu Luciferi, ad caſum Baltaſſaris regis Babylonis, per alterum ſignificatum: & Ezech. 28. à Cherubino ad regem Tyri.

XXXIX. Nomen figuræ ſubinde tribuitur rei figuratæ, & nomina parentum ſæpè patronymicè ſumuntur pro filiis & poſteris. Sic Chriſtus vocatur *David*, Ezechiel. 34. v. 23. & Oſee 3. verſ. 5. Sic Iſraelitæ paſſim vocantur *Iſrael*, Idumæi *Eſau*. Simili modo, cùm quis alteri confertur ob morum alterius ſimilitudinem, ipſum ſæpè alterius nomen quaſi proprium & gentilitium illi datur. Sic Iſaiæ 1. v. 10. Ezech. 16. v. 45. Daniel. 13. v. 56. Iſraelitæ impii vocantur *Chananæi*, *ſemen Canaan*, *Amorrhæi*, *Sodomitæ*, *Gomorrhæi*: Judas ab ipſomet Chriſto *diabolus*. Sic *Samſon*, quivis fortis: *Daniel*, quivis ſapiens: *Salomon*, quivis potens & opulentus: *Rex Aſſur*, quivis monarcha & tyrannus vocari ſubinde ſolet, Iſaiæ 8. v. 4. Impia Jeroſolyma à S. Joanne Apoc. 11. v. 8. appellatur *Sodoma* & *Ægyptus*: & cap. 18. v. 2. impia Roma, *Babylon*. Sic etiam idololatria *fornicatio*, & idololatræ *adulteri* vocantur.

XL. Urbes, quaſi mulieres eſſent, ab Hebræis paſſim *filiæ* vocantur, & quidem *meretrices* ſi quando illas de idololatria notare volunt; aliàs *virgines* vocantur, verbi gratiâ, *Virgo filia Sion*, 4. Reg. 19. v. 21. pro Jeroſolyma. Sic Babylon Iſaiæ 43. verſ. 6. Sidon c. 23 v. 13. & Ægyptus c. 46. v. 11. *filiæ virgines* appellantur, & aliæ alibi; idque vel quòd paſſim ab hominibus, vel etiam à Deo inſtar ſponſæ amarentur, vel quòd nunquam in captivitatem fuiſſent abductæ: vel quòd opulentæ eſſent atque inſtar virginum ſpecioſæ & comptæ. Simili modo *filios* vel *filias* alicujus vocant quod ex alio extrahitur, & quaſi paritur. Sic ſagittas vocant *filias pharetræ*, Threnor. 3. v. 13. frumenti grana excuſſa, *filios areæ*, Iſaiæ 21. v. 10. inſulam Tyrum, *filiam maris*, Iſaiæ 23. v. 10. pinguedine plenos, *filios olei*, Zachar. 4. Ob ſimilem eductionem vel arctam connexionem paſſim in Scripturis vocantur *filii ſuperbiæ*, *filii iniquitatis*, *filii ſponſi*, *filii gehennæ*, *filii regni*, *filii pacis*, *filii mortis*, *filii Prophetarum*, &c. Sic Rabbini acetum vocant *filium vini*.

XLI. Frequens etiam Hebræis & Græcis eſt Hendyadis, quâ unum in duo dividunt: ſicut Virgilius Æneidos 1. *Molemque & montes inſuper altos Impoſuit*, id eſt molem altorum montium impoſuit: & alibi, *Aurum frænóſque momordit*, id eſt frænos aureos. Sic Geneſ. 1. v. 14. *Sint* (ſol & luna) *in ſigna & tempora, & dies, & annos*, id eſt, ſint in ſigna temporum, dierum & annorum.

XLII. Hypallagen habes Iſaiæ 1. *Cognovit bos præſepe domini ſui*, id eſt, dominum præſepis ſui, ſeu dominum alentem ſe in præſepio. Exodi 3. v. 2. in Hebræo, *Rubus ardebat in igne*, id eſt, ignis ardebat in rubo. Judicum 1. v. 8. in Hebr. *Civitatem miſerunt in ignem*, id eſt, ignem miſerunt in civitatem. Pſal. 18. v. 5. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum*, id eſt, ſolem poſuit in tabernaculo ſuo: vel, ut eſt in Hebræo, ſoli poſuit tabernaculum ſuum in cœlis. Sic Eccli. 36. v. 14. *Miſerere plebi tuæ ſuper quam invocatum eſt nomen tuum*, id eſt, miſerere populi qui vocatur *tuo nomine*, ſcilicet *populus Dei*, ut Græca habent.

XLIII. Enallage generis & ſuppoſiti utitur Iſaias c. 27. v. 3, 5, & 6. ubi de eadem re loquens, nunc maſculino genere utitur, ſubaudiens populum; nunc feminino, ſubaudiens vineam vel Synagogam. Sic cap. 3. v. 12. *Et mulieres* (id eſt mulieroſi principes ſeu effeminati) *dominatæ ſunt eis*.

XLIV. Enallagen perſonæ, ubi à prima vel ſecunda tranſitur ad tertiam: item temporis, ubi præteritum ponitur pro futuro, vel futurum pro præterito, ut Habacuc 3. 6. 7. 9. 11. item numeri, ubi à ſingulari tranſitur ad pluralem, & contrà, videre eſt Deut. 32. & 33. & in Prophetis & in Pſalmis paſſim. Rurſum modi imperativi, pro futuro indicativi, maximè in promiſſionibus. v. g. Eccli. ult. v. 36. *Poſſidete aurum*, pro poſſidebitis. Idque ut ſignificetur promiſſionem certiſſimò completum iri: quaſi nihil ſuperſit aliud quàm manum extendere ad rem promiſſam capiendam. Denique enallage verbi, vel participii pro adverbio: *Convertor, revertor addo, adjicio*; pro adverbiis, Rurſus, iterum, ultrà. Pſal. 77. v. 41. *Converſi ſunt & tentaverunt Deum*, id eſt, iterum tentaverunt. Pſal. 84. v. 7. *Deus tu converſus vivificabis nos*, id eſt, iterum vivificabis. Iſa. 6. v. 13. *Convertetur & erit*, id eſt, rurſus erit.

XLV. Eadem figura ſæpè ſenſum unum, vel ſenſus actum cum alio ſenſu commutant. Et in primis viſum, utpote omnium præſtantiſſimum, pro quovis ſenſu accipiunt. Ut *videre voces*, pro, audire, Exod. 20. v. 18. *Quia vidiſti* (pro, quia tetigiſti) *me Thoma, credidiſti*, Joan. 20. v. 29. Pro *olfactu* Exodi 5. v. 21. in Hebræo, *Fœtere feciſtis odorem* (id eſt, famam & nomen) *noſtrum in oculis*, ut Chaldæus vertit, pro, in naribus, *Pharaonis*. Pro *guſtu*. Pſal. 33. v. 9. *Guſtate & videte* (id eſt, ex ſapore probate) *quoniam ſuavis eſt Dominus*. Sic quemlibet ſenſum externum ſumunt pro intellectu, & quamlibet ſenſationem pro intellectione, propter univerſalitatem hujus potentiæ, quæ in omne ens, etiam ſenſibile, cognoſcendo fertur. Patet ex v. 9. Pſalmi 33. jam citato: & 1 Corinth. 14. v. 2. *Nemo audit*, id eſt, nemo intelligit. Hebr. 5. v. 11. *Imbecilles ad audiendum*, id eſt, ad intelligendum.

XLVI. Sæpè potentiam, vel actum potentiæ pro objecto ponunt, ut *Viſionem* pro re ipſa, Iſaiæ 1. v. 1. & Danielis 8. v. 13. *Aſpectum* pro colore qui aſpicitur, Levit. 18. v. 10. *Auditum* pro re audita, Iſaiæ 53. v. 1. *Spem* pro re ſperata, Proverb. 13. v. 12. *Timorem* pro re quæ timetur, Geneſ. 31. v. 42, & 53. *Concupiſcentiam* & *deſiderium* pro re concupita & deſiderata, Pſal. 105. v. 14. Pſal. 77. v. 29. *Deprecationem* pro eo quem deprecamur, Eccli. 34. v. 20. *Patientiam* pro re quæ patienter exſpectatur, Jerem. 29. v. 11. *Ebrietatem* pro eo quod inebriat, Iſaiæ 5. v. 22. *Cuſtodiam* pro re cuſtodienda, Habacuc 2. v. 1. & Zachariæ 3. v. 7.

XLVII. Non rarò per Heteroſin utuntur abſtractis pro concretis. v. g. *circumciſione* pro circumciſo, id eſt Judæo: *præputio* pro præputiato ſeu Gentili: *ſanctificatione* pro ſanctificatore: *redemptione* pro redemptore, 1 Cor. 1. 3. Sic *dominationes* ponunt pro dominantibus: *virtutes* & *poteſtates*, pro virtute & poteſtate præditis. Iſaiæ 60. v. 17. *Ponam viſitationem tuam* (id eſt viſitatores tuos) *pacem* (id eſt pacificos,) *& præpoſitos tuos juſtitiam*, id eſt, juſtiſſimos & normam juſtitiæ.

XLVIII. Et quidem abſtracta hæc pro concretis ſic poſita, ſubinde una eadémque, nunc activè ſumuntur, nunc paſſivé. v. g. *juſtitia* pro juſtificatore ſumitur 1 Cor. 1. v. 30. ubi *Chriſtus* dicitur *factus nobis juſtitia*. Pro juſtificato verò 2 Cor. 5. v. ult. ubi dicimur *facti juſtitia in Chriſto*.

XLIX. Idem verbum geminatum, ſemel in gerundio vel participio, & ſemel in alio tempore poſitum, plerumque emphaſin & exaggerationem in aſſeverando habet. v. g. 1 Reg. 26. v. 25. *Faciens facies*, id eſt expeditè, facilè & certo ſucceſſu facies: & *Potens poteris*, id eſt, potentiſſimus eris, & quidquid occurret difficultatis ſuperabis. Sic *faciendo faciam*, vel *faciens faciam*, 2 Regum 9. v. 7. hoc eſt certiſſimè faciam. *Caſtigans caſtigavit me*, Pſal. 117. v. 18. hoc eſt, vehementer caſtigavit me. *Plorans ploravit*, Thren. 1. v. 2. id eſt, vehementer & amarè flevit. *Veniens veniet*, Habacuc 2. id eſt certiſſimè veniet. Sic etiam extra gerundium vel participium, *Morte morieris*, id eſt certiſſime morieris. Similem auxeſin ſignificat negatio contrariæ rei quando affirmationi ſubnectitur. v. g. Iſaiæ 38. v. 1. *Morieris, & non vives*, id eſt, certò morieris. Threnor. 2. v. 17. *Deſtruxit, & non pepercit*, id eſt integre deſtruxit. Ezech. 18. v. 21. *Vita vivet, & non morietur*, id eſt, omnino vivet, Joan. 1. v. 20. *Confeſſus eſt, & non negavit*, id eſt, plane diſerte & aperte, ſine ullis ambagibus confeſſus eſt, ſe non eſſe Chriſtum.

L. Idem ſubſtantivum geminatum, ſed ſemel in genitivo plurali poſitum, excellentiam in eo genere ſignificat, & ſuperlativi (quo carent Hebræi) vicem & vim obtinet: ut, *Sancta ſanctorum*, id eſt ſanctiſſima: *Canticum canticorum*, id eſt excellentiſſimum canticum: *Vanitas Vanitatum*, id eſt res vaniſſima. Quod ſubinde habet locum etiam in diverſis ſubſtantivis, ut Daniel. 11. v. 17. *filiam feminarum*, id eſt filiam pulcherrimam. *Viri virtutum*, id eſt viri fortiſſimi.

LI. Eadem vox ſubſtantiva in eodem caſu geminata (ſive interpoſita particula copulativa, ſive non) multitudinem ſeu univerſitatem ejus rei ſignificat.

Pſal. 86. *Homo & homo natus eſt in ea*, id eſt, multi homines nati ſunt in ea, ſcilicet Eccleſia. Pſal. 144. *Generatio & generatio laudabit opera tua*, id eſt multæ vel omnes generationes. Joel. 3. v. 14. *Populi populi*, id eſt omnes populi. Pſalm. 121. v. 4. *Tribus tribus Domini*, id eſt omnes tribus. *Vir vir*, id eſt quilibet vir. Simili modo univerſitatem deſignat genus femininum junctum maſculino ejuſdem rei: ut Jerem. 7. v. 34. *Auferetur vox ſponſi, & vox ſponſæ*, id eſt, omnis nuptialis plauſus. Eccleſ. 2. v. 8. *Feci mihi cantores & cantatrices*, id eſt, omnis generis muſicos mihi paravi. Iſaiæ 3. v. 1. *Auferet validum & validam*, ut eſt in Hebræo, id eſt omne validum. Simili modo Oſeæ 2. v. 1. *Dicite fratribus veſtris & ſororibus*, id eſt, omnibus Iſraelitis.

LII. Subinde gerundium ponitur cum nominativo vel accuſativo, quod habeat vicem ſuppoſiti, pro ſubjunctivo cum nominativo, Pſal. 125. *In convertendo Dominus captivitatem*, pro, cùm converteret Dominus, &c. Pſal. 141. v. 4. *In dificiendo ex me ſpiritum meum*, id eſt cùm deficeret ſpiritus meus.

LIII. 'Ανθρωποπαθῶς ſive humano more loquuntur ſæpè Scripturæ de Deo, cùm ei tribuunt humanam formam, os, oculos, manus, pedes: item amorem, gaudium, exultationem, iram, indignationem, aliaſque paſſiones hominis. Qui affectus licèt verè ſint in Deo reſpectu objecti boni vel mali; non ſunt tamen ſicut in nobis ſunt, verbi gratiâ accidentales, aut alterantes, vitioſi, exceſſivi, turbidi, aut præter rationem.

LIV. Nonnunquam hieroglyphicis utuntur, & ſymbolis, & ænigmatibus. Plurima habes Eccleſiaſtæ ultimo, quæ mortem repræſentant. Habes in Jeremia *iram columbæ, gladium columbæ*: quæ deſignant iram & gladium Chaldæorum, in quorum labaro erat columba argentea pennis inauratis, Semiramidem repræſentans, Pſal. 67. v. 14. Ita Danielis 4. per ænigma *arboris* deſcribitur imperium Nabuchodonoſoris: cap. 2. per *ſtatuam* quadrifidam & cap. 7. per *quatuor beſtias* repræſentantur quatuor monarchiæ: cap. 8. per *hircum* & *arietem* Alexander Magnus & Darius. Ezech. 1. per *quatuor animalia* & *currum Cherubim* depingitur Dei magnificentia, potentia & vindicta: cap. 5. per *novaculam radentem pilos & barbam*, Chaldæi jugulantes plebem & principes Judæorum: cap. 17. per pugnam *duarum aquilarum*, pugna Nabuchodonoſoris & Pharaonis: cap. 19. per *leones* & *leunculos*, regnum & tyrannis Joachaz, Joakim & Sedeciæ: cap. 23. per *meretricium Oollæ & Oolibæ*, idololatria Samariæ & Jeruſalem. Similia Moyſen in ſuis legibus ſubinde uſurpaſſe declarat Clemens libro 6. Stromatum.

LV. Subinde etiam per μίμησιν ſeu imitationem citant fabulas Gentilium, ut fabulam *Titanum* Judith 16. v. 8. *glareas Cocyti*, Job 21. verſ. 33. *Cornu Amaltheæ*, Job 42. verſ. 14. juxta Septuag. noctem *Orci filiam*, Sap. 17. v. 13. fabulam *Centaurorum*, Iſaiæ 34. v. 14. de *Arcturo* & *Orione*, Amos 5. v. 8. Non quòd fabulas approbent Prophetæ, ſed ut modo loquendi vulgi ſeſe accommodent.

LVI. Verba ſua non ſemper in actu perfecto ſumunt, ſed ſubinde in fieri ſeu actu continuato, ſubinde tantùm inchoato: ut *facere* idem ſit quod *conari, moliri, incipere* aliquid facere. Sic Hebræi dicuntur egreſſi ex Ægypto *veſpere*, Deuter. 16. v. 6. alibi *noctu*, Exodi 12. v. 42. alias *manè*, Num. 23. v. 3. Nempe *veſpere* immolarunt commederúntque agnum, ſuáque convaſarunt, quod fuit initium egreſſus: *noctu* cæſis Ægyptiorum primogenitis acceperunt à Pharaone veniam, imò mandatum exeundi, & itineri ſe accinxerunt: mane facto, reipſa & plenè & perfectè egreſſi ſunt. Non rarò etiam inchoationem actus ponunt pro ipſo actu, Canticorum 1. v. 6. *Ne vagari incipiam*, pro *ne divager*. Sap. 18. v. 4. *Incipiebat dari lumen*, pro *dabatur*. Lucæ 13. v. 25. *Incipietis foris ſtare*, pro *ſtabitis*. Apoc. 3. v. 16. *Incipiam te evomere*, pro *evomam te*.

LVII. Subinde verbis non actum, ſed agendi debitum vel officium deſignant. ut Hebr. 13. v. 17. *Ipſi enim pervigilant*, id eſt, ex officio pervigilare debent. Subinde ſolam agendi virtutem, & conatum, quantum ex ſe eſt. ut Joan. 1. *Lux in tenebris lucet. Illuminat omnem hominem. Agnus qui tollit peccata mundi.* Marci ult. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* ſcilicet, quantum eſt ex vi fidei & baptiſmi, & ſi ſerventur quæ fides præſcribit. Sic Prophetæ paſſim dicunt, ſub Chriſto abolenda omnia peccata, juſtitiam, pacem, ſanctitatem, omnémque virtutem toto orbe germinaturam: quia ſcilicet Chriſtus, quantum eſt ex parte ſua, ita fecit, facítque quotidie, dans nobis lytrum ſanguinis ſui, & gratiam ſuam potentem ad hæc omnia præſtanda ſi velimus.

LVIII. Verba realia non rarò accipiunt pro mentalibus vel verbalibus. Rom. 2. 4. *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* hoc eſt, adducere decrevit, vel optat. Levit. 20. v. 8. & cap. 21. v. 8. 15. 23. *Ego Dominus qui ſanctifico vos*, id eſt, jubeo vos eſſe ſanctos. Levit, 13. v. 6. 11. 20. 27. 30. dicitur quòd ſacerdos *leproſum mundabit*, vel *contaminabit*, id eſt, mundatum vel contaminatum declarabit ſuá ſententiâ, ſcilicet ut reliquorum convictui reſtituatur, vel ab eo arceatur. Jerem. 1. v. 10. *Conſtitui te ſuper gentes, & ſuper regna, ut evellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes*, id eſt, ut prædices & prædicas has gentes evellendas & deſtruendas eſſe; illas verò ædificandas & plantandas.

LIX. Subinde vice verſa, verba mentalia, vel vocalia accipiunt pro realibus; v. g. *vocari* pro *eſſe*, ut cùm Chriſtus Iſaiæ 7. v. 14. dicitur *vocandus*, id eſt futurus, *Emmanuel*: & cap. 8. v. 3. vocandus *Accelera ſpolia detrahere, feſtina prædari*, id eſt, erit celer ſpoliator hoſtium, & feſtinus eorum prædo. Sic Jeremiæ 4. v. 12. *Loquar judicia cum eis*, id eſt, infligam eis juſtas pœnas.

LX. Verba neutra ſubinde activè exponenda ſunt, & verba activa per duplicem actionem, more conjugationis Hebrææ *hiphil*. Sic Pſal. 51. v. 7. *Emigrabit te*, id eſt emigrare faciet. Jonæ 3. v. 7. *Et clamavit* rex, id eſt clamare fecit. Oſeæ 8. v. 4. *Ipſi regnaverunt*, id eſt regem ſibi conſtituerunt. Rom. 8. v. 26. *Spiritus poſtulat pro nobis*, id eſt poſtulare facit. 2 Corinth. 2. v. 14. Deus *triumphat nos*, id eſt triumphare facit.

Petes qua via, in tanta verborum ambiguitate, tanta Scriptorum licentia, tot tropis, tot dubiis, conſtare nobis poterit de vero & genuino Scripturæ ſenſu intento à Spiritu ſancto?

Reſpondeo primò, Quandocumque verba Scripturæ ſine aliquo incommodo poſſunt propriè, ut ſonant & jacent, accipi, ita accipienda ſunt: neque ad metaphoras, aut alios tropos, aut ſenſus improprios inflectenda, niſi quando ex iiſdem propriè acceptis abſurdus aliquis ſenſus eliceretur. Ita S. Auguſtinus.

Secundò, Si locus aliquis ſubinde obſcurior occurrat, ſed alibi per verba clariora non rarò proponatur; ad hæc recurrendum, ut prior elucidetur.

Tertio, Ex ſcopo & intentione ſcribentis ſæpè colligitur mens & ſenſus verborum illius: verbi gratia, quorſum, quibus, contra quos, ex cujus perſona ſcribat.

Quartò, Ex traditione, vel interpretatione S. Eccleſiæ, ex decretis Conciliorum, &c. ex conſenſu SS. Patrum, & horum vel multorum vel paucorum, ſanctitate & eruditione præluſtrium, ex unanimi conſpiratione Doctorum & Interpretum, ſæpè conſtare poteſt de vero & literali ſenſu S. Scripturæ.

Quintò, Conferre antecedentia & conſequentia cum loco, cujus ſenſus eſt dubius, plurimùm juvat ad eundem elucidandum, &c.

Ubi hæc omnia adminicula vel deſunt, vel non juvant, ex idiotiſmis Hebraicis Græciſve, quos jam expoſui, ſubſidia quærantur.

TERRÆ SANCTÆ
DESCRIPTIO.

PRovincia hæc Syriæ longe celeberrima olim *Terra Chanaan* dicta fuit, à *Chanaan* filio Cham, qui communis diſceſſionis neceſſitate pulſus eam tenuit: *Terra* item *Promiſſa* ſive *Promiſſionis*, ꝙ Patribus Abrahæ, Iſaac & Jacob à Deo promiſſa eſſet. Hæc ipſa veterib' Incolis ex ea pulſis, atq; Iſraelitis in eorum locum ſubſtitutis, *Iſrael* & *Judea* cœpit appellari. Ptolemæus & alii *Palæſtinam* nuncupant à *Palæſtinis* populis magni nominis qui in Sacris literis *Philiſtim* vocantur: Chriſtiani *Terram Sanctam*. Regio hæc in umbilico Orbis conſtituta, inter Mare Mediterraneum & Arabiam, qua ex parte Montibus fere continuis natura ultra Jordanem fl. vallatur: atque ab Ægypto incipiens, ut vult Herodotus, uel, ut alii, à Sirbonis lacu, uſque ad Phœniciam porrigitur. Ab Oriente autem Syriam & Arabiam: à Meridie deſertum Pharan & Ægyptum: ab Occidente mare Magnum ſeu Mediterraneum: à Septentrione vero Libanum montem, fines habet. Ejus longitudo ad Septentrionem à Civitate Dan ad radicem Montis Libani ſita (quæ poſtea Cæſarea Philippi & Paneas dicta eſt) verſus Meridiem porrigitur, & uſque ad Bearſebach Civitatem in Tribu Simeonis contra deſertum magnum ſitam, plus minus LXVII conficit milliaria, ſingula unius horæ itinere commenſuranda. Latitudo vero, quæ ab Occidente à Mari magno in Orientem ad Jordanem uſque ſumenda, quibuſdam locis XVI, quibuſdam XVIII milliaria complectitur. Inter omnes vero regiones quæ ſub Cœlo ſunt ob Aeris ſalubritatem Cœlique temperiem imprimis commendatur, in qua nec rigor eſt nimius hyemis, neque æſtatis ardor. Imprimis autem ob Soli ubertatem, Frugum omnis generis abundantiam, atque aliarum omnium rerum copiam, quæ res tum ad hominum vitam ſunt neceſſariæ, tum etiam earum, quæ hominibus ſolent eſſe in delitiis, apud Scriptores tam ſacros quam prophanos maximis eſt celebrata laudibus. Moſes de hac ita Iſraelitis eſt vaticinatus Deutero. 8. *Ecce Dominus Deus tuus introducet te in regionem bonam & amplam, cujus aquæ, torrentes, & fontes abyſſi exeunt ex planitiebus & montibus, terram Tritico & Hordeo abundantem, Vitibus, Ficubus, Malis Punicis, Palmis: terram Oleo & Melle affluentem in qua pane tuo abſque penuria veſcaris: terram cui pro lapidibus eſt Ferrum, & cujus ex* Mon*tibus Æs effodias: terram Lacte &* Melle *manantem: terram quam Deus tuus procurat, cui divinitus proſperitas eſt collata, ut fertilitate omnes alias terras ſuperet ac Paradiſi Dei ſit adſimilis.* Longum foret reliquorum, Joſephi, Plinii encomia quibus miram hujus terræ commendant fertilitatem commemorare. Videndus de his oculatus teſtis Brocardus. Ex his vero quæ ad vitæ delitias, vel Medicinæ uſum faciunt, præcipue commendatur *Balſamum*, huic olim Orbis parti generoſiſſimum uni à Deo conceſſum, quo nunc caret. *Aromata, Maſtix*, ac duo *Nucum* genera, alterum *Amygdala* Latinis dictum: alterum vero quod optimum in ea regione eſt, Græcis & Latinis *Piſtacea* dictum. In Montibus etiam Ferrum atque Æris Metalla effodiuntur. Aquis dulcibus & amœnis paſcuis abundat: Pecoribus, Armentiſque frequens, Lactis copia, & bonitate nulli concedens. Aprorum item, Capreolorum, Leporum, perdicum, Coturnicum, ac aliorum ejuſmodi Animalium & Avium optima hic venatio. Lupi, Cervi, Leones, Urſi, & Cameli innumeri inveniuntur. *Terra* autem *Chanaan* Regna Regeſque habebat triginta & unum, præter Sidonios & Palæſtinos maritimos, cum ab Iſraelitis occupata atque obtenta fuit, maxima antiquorum cultorum parte vel interfecta vel depulſa. Ipſi vero *Iſraelitæ* ſub *Ducibus* fuerunt annis circiter quadringentis & quinquaginta uſque ad Samuelem Prophetam. Quorum non fuit ſucceſſio ex certa ſtirpe, aut electio certi Senatus, ſed velut *Ariſtocratia* Seniorum in ſingulis Tribubus. Poſt mutata fuit forma hæc gubernationis à Deo inſtituta in Regnum, populo id flagitante, ac multos annos duravit hæc Politia. Succeſſu tamen temporis multas calamitates paſſi ſunt Iſraelitæ, donec tandem omnino regno ſunt exuti. Varias enim mutationes expertam hanc gentem, multiſque bellorum tempeſtatibus agitatam fuiſſe, vel gentis ingenio Imperium nec ſuum nec alienum ferente, vel peccatis eorum divinam iram provocantibus, vel exteris regionem feliciſſimam appetentibus, ſacræ & prophanæ Hiſtoriæ nobis teſtantur. Victi aliquoties, aliquoties in duram ſervitutem exportati, nec ſecundis nec adverſis rebus idonei fuere. Experti jugum modo vicinorum, modo remotiſſimorum populorum, *Ægyptiorum, Chaldæorum*, Medorum, *Perſarum*, Macedonum, *Romanorum*: nec deſtiterunt unquam ſeditioſis conſiliis ſeque ſuamque Rempublicam omnem peſſundare, donec ipſum *Filium Dei*, humani generis Servatorem, nefariis manibus (quo nullum ſcelus altius eniti potuit) cruci affixerunt. Ex eo ſequutus longa ſerie novus malorum ordo. *Titus Veſpaſianus* Judæa devicta, Hieroſolymis captis, multis Judæorum millibus in captivitatem abductis, pluribus occiſis fame, peſte, igni, gladio, Templum & quidquid ſacri aut prophani erat, vaſtavit diruitque, anno à Chriſto nato LXXIII: quod ipſe in terris agens futurum ante prædixerat. Urbem reſtituit Ælius Adrianus: mutata nonnihil loci regione: Ac Templum vetus Salomonis diſſipatum dirutumque jacuit uſque ad annum CCCLXIII, quo Julianus Apoſtata Judæis illius inſtaurandi copiam fecit qui tamen miraculo territi à cœptis deſtiterunt. Anno IↃCXV *Choſroes Perſarum Rex* urbem cepit, & in ea nonaginta millia hominum trucidavit: ſed ab Heraclio ſuperatus & captus pœnas dedit. Anno IↃCXXXVI *Haumar Saracenorum Princeps* Judæam omnem ſibi ſubjecit, manſitque totos quadringentos quinquaginta annos ſub Saracenorum poteſtate. Anno autem CIↃXCVII quum Concilio Claremontano decreta eſſet ſub Urbano II ſacra profectio recuperandæ Terræ Sanctæ gratia, *Gotofredus Bulioneus* coactis Chriſtianorum copiis ampliſſimis (dicuntur enim CCC fuiſſe peditum millia, C millia equitum) Saracenos expulit. Anno CIↃCLXXXV, *Saladinus Perſarum Rex Saracenos* reſtituit. Haud multo tamen poſt rurſum invaſere Chriſtiani. Iterumque *Saraceni* anno CIↃCCVII, donec poſt varias mutationes *Turcæ* eam omnem occupaverunt anno CIↃIↃXVII. Complectitur hæc *Idumæam, Judæam, Samariam*, & *Galilæam*. *Idumæa* initium trahit à Caſſio monte, vel ſecundum alios à Sirbonis lacu & verſus Ortum ducitur uſque ad Judæam. In ea ſunt hæ civitates *Mareſa, Rhinocorura, Raphia, Anthedon, Aſcalon, Aſotus* & *Gaza*. Judæa Palæſtinæ pars longe celeberrima, ſita inter mare Mediterraneum & lacum Aſphaltitem, atque inter Samariam & Idumæam. Nomen ei potiſſima Tribus *Juda* indidit, in qua urbes & opida plurima fuerunt: ſed omnium clariſſima *Hieruſalem* Judææ Metropolis toto Orbe celeberrima. Tempore Ptolemæi *Ælia Capitolia* dicebatur, hodieque à Barbaris incolis *Coz* ſeu *Godz*, aut *Chutz* dicitur. Præter Hieroſolymam in Judæa ſunt etiam alia Opida, ac loca celebria, ut *Jericho, Joppe* quæ nunc *Jaffa*: *Turris Stratonis* poſtea nuncupata *Cæſarea, Betlehem, Chebron* ſive *Hebron*, prius *Arbea, & Mambra & Cariatharbe*, hoc eſt civitas quatuor virorum. Et trans Jordanem *Macherus* Opidum & caſtrum munitiſſimum. Hic etiam fuere *Sodoma & Gomorra* quæ ob flagitia & ſcelera funditus ſubverſa ſunt. Sequitur *Samaria* media inter Judæam & Galilæam ſita. Nomen ei à Metropoli cognomine, quam *Amri* Rex Iſrael condidit, nunc *Sebaſte* dicitur: Opida hic ſunt *Sichem* poſtea *Neapolis, Capernaum, Bethſaida, Chorazin*. *Galilæa* ſita eſt inter Moutem Libanum & Samariam. Hæc in ſuperiorem & Inferiorem dividitur. Superior, aliter Galilæa gentium dicta, Tyro contermina. Inferior ſita ad mare Tiberiadis vel Genezareth. Urbes in hac ſunt *Naim, Cana, Nazareth* & *Gadara*. Cæterum tota regio inter duo Maria & Jordanem flumen ſita, Lacus non paucos habet, eoſque qui navigabiles ſunt, & optimis abundant piſcibus. Fluvius vero *Jordanis* qui Hebræis *Jarden*, hanc regionem quam longa eſt ſecat. Hic ut ſcribit Hieronymus, ex duobus fontibus haud procul à ſe diſſitis *Jor* ſcilicet & *Dan* bicornis erumpit, alterum cornu *Jor*, alterum *Dan*, vocant adcolæ, conjuncti efficiunt Jordan vel Jordanem. Montes præcipuos habet *Hermon* ad Orientem & *Tabor* ad Occidentem, eóſque maximos & editiſſimos, quorum alii vel brachia, vel partes, vel ramenta ſunt. *Ebal* enim, *Bethoron*, & *Miſpa* ſive *Maſpha*, & *Betel* ad *Hermon*: *Gelboa, Gerizim, Sarona*, & poſtremus ac mari proximus *Carmel* ad *Tabor* referuntur. Sunt & iſti, *Mons Sion, Moriah, Olivarum, Calvaria*, & alii. Silvis etiam Lucis & Nemoribus ſuperbit. Multa etiam hic & potiſſimum Hieroſolymis præclara ædificia. Ex iis vero operibus quæ præcipua antiquis & recentioribus temporibus in urbe fuiſſe commemorantur, primum fuit *Mons Domus*, & *Jebuſæorum* Arx, ad quam jam dirutam arca Domini à Davide rege aſportata fuit, in eoque loco manſit, quoad Templum à Salomone conſtructum conſecratúmque fuit: cujus loci veſtigia nunc exſtant, ubi & Chriſtus Paſcha cœnaſſe perhibetur. Ibidem Davidis Regúmque Judæ monumenta viſuntur. Fuit etiam *Domus David*, quæ hactenus *Turris David* nomine appellata conſervatur. *Mello* etiam reliquiæ ſunt certis ruinis ad Montis Moriah extrema conſpicuæ. Imprimis autem memorandum Templum Salomonis celeberrimum, quod ſpatio ſeptem annorum centum & quinquaginta millium Hominum continua opera abſolvit. De cujus magnificentia in lib. 1 Regum cap. 6 & 7, & Chron. lib. 2. cap. 3 & 4. abunde legere eſt. De legibus & inſtitutis brevitati ſtudentes nihil adjiciemus, Lectores ad libros Moſis, Exodum, Leviticum, Numeros & Deuteronomium remittentes.

JACOBI BONFRERII

Annotationes in Chriſtiani Adrichomii deſcriptionem *TERRÆ SANCTÆ*.

INter eos qui de ſacris terræ promiſſæ locis ſcripſére nemo hactenꝰ copioſiꝰ, nemo fortè felicius ſcripſit quàm Chriſtianus Adrichomius, qui præter chorographicam illius terræ tabulam etiam ſingula loca enucleatiùs in ſuis particularibus deſcriptionibus perſecutus eſt, qua in re de rerum ſacrarum ſtudioſis benè meritum eſſe, & Scripturam ſacrā non parum illuſtraſſe nemo inficiari poſſit. Et verò quis ea loca melius certiuſque deſcribere poſſit, quàm qui ſe oculatum locorum iſtorum inſpectorem fuiſſe fateatur, quiq; totam eam regionem curioſius luſtraverit? Quocirca eum qui iſta loca nec obiverit umquam, nec inſpexerit, Adrichomio velle ſe opponere, quid aliud cenſeri poſſit quam temeritatis maximæ opus aggredi, & cornicum ut aiunt, oculos velle configere? Fateri debeo numquam me loca ſacra luſtraſſe, numquam regionem illam tot divinorum miraculorum illuſtratam prodigiis, tot divinarum gratiarum imbribus irrigatam adiviſſe; auctoritate tamen illorum adductus, quorum vel præceptis non obtemperare, vel monita reſpuere inſignis impudentiæ fuiſſet, non potui non ea promere quæ in Adrichomio deſiderabam; non repugnandi contradicendiq;, ſed veritatis indagandæ ſtudio, & rerum ſacrarum ſtudioſis aliquid quod in eorum ſit uſum adferendi. Non diffiteor rem magni momenti eſſe ad rem coſmographicam vel chorographicam regiones adiviſſe, loca ipſa luſtraſſe; ſed in iis, in quibus ab Adrichomio diſſentio, non dubito me certiorem ducem ſequi cùm Scripturæ ſacræ inſiſto veſtigiis, quam ſi meis ipſe oculis crederem: atqui ea in quibus ab illo recedo, ferè omnia iſtiuſmodi ſunt ut ſacræ Scripturæ magis conſentanea ſint, quæ Adrichomius vel non ſatis advertiſſe, vel non ſatis expendiſſe viſus eſt; paucula ſunt quæ vel Joſephus, vel Hieronymus, vel Ptolemæus Geographorum princeps ſuggerunt; qua in re ſi Joſephum, Hieronymum, Euſebium, Adrichomio oppoſuero, oculatos videlicet inſpectores oculato inſpectori, immo indigenas vel eos qui in terra Sancta maximam ætatis partem triverunt ei qui tantum obiter & in tranſcurſu ea loca aſpexit, adjunctis etiam rationibus ſubinde quæ nos in alteram partem impellant, ſi Ptolemæum Geographiæ accuratiſſimum deſcriptorem ab omnibus Geographis in pretio habitum Adrichomii aſſertioni antepoſuero, videbor non ſine juſta ratione ab eo receſſiſſe. Accedit quòd perſpicuè evinci poſſit in pleriſque Adrichomium dubiam conjecturam ſequi, incerta pro certis aſſumere; quod planè neceſſe fuit, niſi innumera loca, de quorum ſitu determinato è Scriptura vel aliis probatis auctoribus non conſtat, è chorographica ſua tabella rejicere vellet; quis enim in locorum ſitu deſignando non laboraverit, quorum præter nomen nihil in Scriptura proditur, apud alios autem ſcriptores ne nomen quidem extet. Deinde eſto ſanè loca ſancta adierit Adrichomius, & de ſingulis curioſiùs perſcrutatus fuerit, at quomodo eorum locorum ſitum aſſequi potuerit, quorum & nomina interciderint, & nulla locorum veſtigia à multis ſeculis remanſerint; quomodo eorum locorum certam notitiam nanſciſci potuit, quorum commutata ſunt jampridem nomina, prioribus nominibus obliteratis oblivioniq; traditis? quomodo diverſarum tribuū fines, eorumdemq; finium flexus oculis uſurpari potuerunt, qui eſſe tot ſeculis deſierunt confuſa harum ſortium diſtributione? Fuerit ſanè vel fuiſſe fingatur nonnulla de hiſce rebus penes homines traditio: at hæc quàm incerta ſit & diverſis erroribus obnoxia nemo neſcit, illudque ipſum eſt non jam oculorum judicio fidere, ſed aurium lubricam fidem ſequi. Quocirca niſi vel Scripturæ ſacræ facem præviam ſequaris, vel antiquos illos Scriptores duces tibi proponas, ſicubi hæc defuerint, neceſſe erit in quamplurimis oculorum judicio fruſtrari. Hæc cùm ita ſint, benigne Lector, decrevi (etſi & ab hac re abſtinere maluiſſem) non tam novam chorographicam terræ ſacræ tabellam delineare, quàm Adrichomii tabellam emendatiorem adferre, annotatiſque iis ſigillatim in quibus viſus eſt impegiſſe Adrichomius, ea promere quæ ad ſenſa noſtra correctionemque ſtabiliendam facere poſſint.

Igitur rem hanc ut aggrediamur nullo modo imprimis videtur rem aſſecutꝰ Adrichomius in Magnetica pixide conſtituenda, & partium orbis ſitu: Septemtrionem enim nimis ad occidentem inflectit & Europæ regiones, ut conſtat ex omnium Geographorum tabulis, qui mare Mediterraneum, (ab Hebræis Occidentale dictum, propterea quòd terminus eſſet terræ promiſſæ verſus Occidentem) producunt à Septentrione in Auſtrum modica ſemper verſus Rhinocoruram & Ægyptum ad Occidentem inclinatione: at Adrichomius ferè ab Oriente in Occidentem producit.

II. Graviter ab eo peccatum eſt cùm idem mare Occidentale ultra Rhinocoruram continuo & directo tractu verſus Ægyptum & Nilum protraxerit, cùm ſatis conſtet ex omnium Geographorum tabulis à Rhinocorura paulatim multis recurvis finibus illud mare reflecti in Occidentem, & tandem ab Ægypto & Nili oſtiis directo ferè aſpectu ad Gaditanum fretum verſus Occidentem procedere.

III. Quid ſibi velit neſcio cùm Amorrhæum montem extra fines Chananitidis ab extremis ferè terræ promiſſæ finibus uſque ad Aſiongaber & Sinum Arabicum producit (quis enim unquam legit in deſerto aut montibus iſtis Amorrhæos habitaſſe?) cùm potiꝰ in iſto loco collocandi eſſent montes Seir, quos Iſraelitæ dicuntur longo tempore circuiviſſe, donec venirent in Ælath & Aſiongaber, Deut. 2. v. 1, 8.

IV. Non leviter ab eo peccatum quòd Idumæam tam exiguis finibus circumſcripſerit, cujus longitudo ſit juxta montes Auſtrales terræ promiſſæ ab Oriente ferè in Occidentem, cùm ejus longitudo potius ſtatuenda eſſet à Septemtrione in Auſtrum, à montibus videlicet illis, qui eam à Chananitide ſeu terra promiſſa dirimebant, uſque ad mare rubrum, ſeu Sinum Arabicum: quandoquidem conſtet è Scriptura Ælath & Aſiongaber, quæ erant ad mare rubrum, fuiſſe in Idumæa, ex Deuter. 2. 8. & 3 Reg. 9. 26. & 2 Paral. 8. 17. quod nullo modo exprimit Adrichomii chorographica tabula.

V. Egregiè in hac re hallucinatus eſt Adrichomius, quod Amalecitarum ſedem, juxta mare rubrum ultra Ælath & Aſiongaber conſtituat, cum ſatis è Scriptura conſtet Amalecitas habitaſſe in confinio Idumæorum; atque in montibus, qui Judæam & terram promiſſam ab Auſtro terminabant juxta Cadesbarne. Num. 14 43, 45. Hinc factum eſt ut tanto ſtudio conati ſint Amalecitæ avertere Iſraelitas à ſuis finibus, ne per illos in Chananæam conarentur irrumpere, Exod. 17. & Saul rex factus tam facili negotio ad Amalecitas penetraverit, ut eos deleret & exterminaret. Adde ſatis liquere non poſſe ibi Amalecitarū ſedem conſtitui, ubi eam ſtatuit Adrichomius, ſi, uti paulo ante dixi, Idumæi à Judææ extremis montibus aduſque mare rubrum pertigerint; quandoquidem ipſe addat Amalecitas à ſua regione in Ægyptum uſque extendi: quod fieri non potuit Idumæis medium tenentibus, niſi fortè fingat Idumæorum fines fuiſſe interruptos hinc & inde, Amalecitis ſeſe per medium inſinuantibus. Ex quo & illud colligo non rectè Hevilam trans Idumæos ad Orientem ab eodem Adrichomio conſtitui, ſed potius ejus ſitum cis Idumæam, ad ejus videlicet Occidentem, ſtatuendum eſſe, à qua Hevila uſque ad Sur deſcribitur in Scriptura tam Amalecitarum quàm Iſmaelitarum in deſerto ſedes & habitatio.

VI. Ut ea quæ ad fines & extremos limites terræ promiſſæ ſpectant abſolvamꝰ, non rectè Adrichomius à Septemtrionali parte ejus extremū limitē cis Jordanē ſtatuit Libanum montem, prout ab Antilibano condiſtinguitur, ſic fere in iiſdem limitibus Borealibus conjungendo Antilibanum, quem mari mediterraneo viciniorem facit. Etſi enim mons ille qui Libanus appellatur latiore ſignificatione poſſit tam Libanum quàm Antilibanum comprehendere, & in Scriptura paſſim Libanus appelletur, qui terram promiſſam à Boreali latere proximè claudit; ex Ptolemæo tamen & aliis Geographis, qui Libanum & Antilibanum condiſtinguunt, non dubium eſt eum montem, qui terram promiſſam à Boreali plaga claudit, totum eſſe Antilibanum, nec Libanum propriè dictum, prout ab Antilibano condiſtinguitur, terram promiſſam contingere, vel in ejus terminis eſſe: unde cum de hiſce terræ promiſſæ terminis ſermo eſt, Septuaginta interpretes ſemper pro eo quod in Hebræo eſt לבנון *Lebanon* & in verſione noſtra *Libanus* dicitur, *Antilibanum* dicunt: Libanus verò ita à parte Aquilonari Antilibani conſtituendus eſt, ut ferè parallelus ſit Antilibano. Ferè dixi, quia modica eſt inclinatio, magiſque ad Antilibanum accedit qua parte Orientem ſpectat. Inter hos autem duos montes magna Cœleſyriæ pars includitur.

VII. De Eleuthero fluvio illud fateor incertius ex auctoribus eſt, ubi ejus fontes ſint collocandi, cùm fontium Ptolemæus non meminerit, & de hujus fontibus valdè inter ſe auctores diſſentiant. Bertius autem & Villanovanus in Ptolemaicis tabulis ejus fontes reponant à parte Aquilonari montis Libani Antilibano oppoſiti. Maginus ejuſdem fontes à regione tranſiordanina juxta Boſor vel Boſram, quæ Antilibano ad Auſtrum eſt, accerſit. Adrichomius ex ipſo Antilibano à parte ejuſdem Auſtrali; cum quo malim ſentire propter Scripturæ locum, qui habetur 1 Machab. 12. 30. ubi copiæ regis Demetrii quæ in Amathitæ regione verſabantur una nocte fugientes Jonathan tranſgrediuntur Eleutherum, ita ut ob hanc cauſam Jonathas inſequens eas non potuerit comprehendere; ſi autem ultra montem Libanum fuiſſent Eleutheri fluminis fontes, non potuiſſent tam citò fuiſſe hujus fluminis alveum prætergreſſi, cùm ex Amathite regione ad ea Syriæ loca, quæ trans Libanum ſunt, facilè viginti milliaria horaria, vel plura ſint, cùm major ſit diſtantia quàm gradus unius. Fortè verius Eleutheri fluminis fontes conſtituas ex Antilibano monte à parte Septemtrionali. Quicquid tamen de hac re ſit, quod fateor eſſe incertum, nolim cum Adrichomio Eleutheri fluminis oſtia inter Sidonem & Tyrum conſtituere: id enim repugnat Ptolemæo qui ſupra Tripolim ad Aquilonem illius oſtia ſtatuit, cæteriſque Geographis.

VIII. Arnon in regione tranſiordanina terminum fuiſſe Moabitarum, diviſiſſéque Moabitas ab Amorrhæis habetur diſertis verbis Num. 21. 13. Amorrhæorum autem regionem trans Arnon occuparunt poſtea tribus Ruben & Gad: at certum eſt juxta deſcriptionem Adrichomii nullo modo Amorrhæos, vel poſtea Rubenitas & Gaditas fuiſſe diſterminatos à Moabitis Arnone torrente. Deinde eodem Num. 21. 11. indicatur Hebræos ut tranſirent ad Amorrhæos ad Orientalem plagam regionis Moab ambulaſſe, quod nullo modo exprimit Adrichomii tabula. Rurſum Hebræos Arnonem torrentem pertranſiſſe juxta eum locum ubi torrens è rupe, quæ itidem Arnon dicta eſt, egreditur, indicatur eodem capite Num. 21. 14, 15. licet obſcurè, prout Hieronymi & aliorum eſt ſententia, & nos ad eum locum explicuimus: à qua re quàm longè abſit Adrichomii deſcriptio nemo non judicabit.

IX. Aroer ubique in Scriptura ponitur ſuper torrentem Arnon, & in tribu Gad, quod utrumque rectè quidem expreſſit Adrichomius: ſed in duobus aliis hallucinatur: unum quod cùm Scriptura ubique Aroer extremum limitem verſus Auſtrum totius regionis tranſiordaninæ occupatæ ab Iſraelitis conſtituat, ipſe eam longè ab hiſce extremis finibus Auſtralibus removet: alterum quòd Aroer & Ar Moabitarum unam eamdemque urbem ſtatuat, quod omnino à veritate alienum eſt; quomodo enim una eademque urbs Gaditarum ſimul fuerit & Moabitarum; eadem cis & trans Arnonem, quandoquidem inter Moabitas & Iſraelitas tranſiordaninos medius torrens Arnon fuerit. Itaque quantum ad loca illa Auſtralia regionis tranſiordaninæ in multis ab Adrichomio peccatum eſt, quæ nullo modo cum Scriptura ſtare poſſunt.

X. Jazer Adrichomius ſuper torrente Arnon conſtituit, quod tamen nuſquam in Scriptura ne verbulo quidem indicatur; ſed neque ſtare poteſt cum iis quæ habet Hieronymus in Azer & Jazer, ubi eam ſtatuit in decimo vel octavo à Philadelphia milliario, ab Heſebon quindecim; atque adeo neque ejus magnum flumen, ſeu, ut vocat Jeremias, mare, hoc eſt, lacus ſtatui poteſt in ipſo torrente Arnon, ſed à torrente longius ſemotum.

XI. Geraſam in tranſiordanina regione vicinam ponit Adrichomius mari Galilææ, ſeu ſtagno Geneſareth, at ex Joſepho 3. belli c. 2. & Ptolemæi deſcriptionibus conſtat cum Philadelphia fuiſſe in terminis Orientalibus regionis transjordaninæ juxta montem Galaad.

XII. Vallis ſalinarum ab Adrichomio conſtituitur in tribu Juda; at mihi certum eſt eam nec in tribu Juda, nec intra terræ promiſſæ fines eſſe ſtatuendam; ſed extra eam in Idumæa. Vide quæ in hanc rem à nobis dicentur 2 Reg. 8. 13.

XIII. Vallem Raphaim in tabula tribus Benjamin particulari uno ferè milliario horario Hieroſolyma diſtantem ponit, eamdémque in tribu Benjamin, in tabula verò totius terræ promiſſæ chorographica quatuor facile milliaribus horariis in tribu itidem Benjamin ab eadem urbe removet: neutrum rectè, cùm ea urbi fere ad Occidentem fuerit conjuncta, totaque in tribu Juda, utpote cujus extremitas Borealis fuerit terminus tribus Judæ Aquilonaris; inde verò longo tractu eadem vallis procurreret ad Meridiem uſque Bethlehem. Vide quæ de hac re diximus Joſue 15. 8. Judic. 2. 1. vel quæ dicentur 2 Reg. 5. 18.

XIV. Inter Philiſthæorum ſatrapias hunc ordinem ipſe conſtituit, progreſſum faciendo à Meridie in Septemtrionem, ut prima ſit Gaza, deinde Aſcalon, Azotus, Accaron, Geth: at mihi partim Scripturam ſecuto Joſ. 13. 3. partim auctores alios non paucos, qui ab Adrichomio diſſentiunt, magis hic ordo placet, Gaza, Aſcalon, Azotus, Geth, Accaron.

XV. Aphec vel Apheca tribus Judæ Adrichomius conſtituit in deſerto Ziph tribus Judæ: at ea meo judicio collocanda eſt in extremis verſus Occidentem ejuſdem tribus finibus, quandoquidem ea multo tempore occupata fuerit à Philiſthæis, ibique exercitus ſui luſtrationem Philiſthæi habuerint, 1 Reg. 4. 1 & 29. 1. de ea enim accipio ea quæ illis locis habentur, quemadmodum ad ea loca explico.

XVI. Bethſames & Cariathiarim urbes fuiſſe vicinas colligitur 1 Reg. 6. 21. idemque indicatur Joſuæ 15. 9, 10. at eas Adrichomius nimiùm à ſe invicem diſſitas collocat. Rurſum utraque in tribu Juda, ut diſerte habetur in Scriptura pluribus locis: utramque autem Adrichomius in tribu Dan reponit. Denique utraque in finibus tribus Judæ Aquilonaribus, & Cariathiarim in communibus terminis tribus Judæ & Benjamin, ut habetur Joſ. 15. 9, 10. & 18. 14. quæ omnia nullo modo exprimit Adrichomii tabula.

XVII. Socho, Azeca, Vallem terebinthi, fines Dommim ſeu Aphes dommim fuiſſe loca conjuncta, perſpicuè colligitur è 1 Reg. 17. 1, 2. at Adrichomius ea nimiùm disjungit. Rurſum Azeca fuiſſe inter Eleutheropolim & Æliam habet Hieronymus in Azeca, quod nullo modo exprimit Adrichomius. Ex quo colligo nec Eleutheropolim ab eo rectè fuiſſe conſtitutam, præſertim cùm & Maceda in octavo ab ea milliario contra ſolis ortum conſtitui debeat, ut habet Hieron. in locis Hebraicis, quod fieri non poteſt niſi & Eleutheropolis & Maceda alio ſtatuantur loco. Deinde Ramatha tribus Ephraim fuiſſe non procul Socho tribus Judæ manifeſtè colligitur è 1 Reg. 19. 22. cùm è Socho quaſi digito oſtenderetur Ramatha. Ex quo & illud videtur confici has duas tribus hac ſui extrema parte fuiſſe conjunctas, & tribum Ephraim ſeſe inter tribum Benjamin & Dan inſinuaſſe, ut ea parte tribum Judæ contingeret: quæ omnia nullo modo exprimit tabula Adrichomii, cùm apud eum tribus Ephraim nulla ſui parte contingat tribũ Judæ, & Socho, vel Sochoth Judæ remotior ponatur à Ramatha & extremis finibus trib’. Ephraim.

XVIII. Najoth quæ dicitur eſſe in Ramatha, hoc eſt, in ſuburbano loco urbis Ramathæ, Adrichomius ita in tribu Ephraim ab ea removet, ut duodecim milliaribus ab ea diſtet.

XIX. Maſpha locum orationis intra terminos tribus Benjamin collocat Adrichomius, Hieronymus in locis Hebraicis tribui Judæ adſcribit: verius puto in utriuſque tribus confinio, quandoquidem utrique tribui à Scriptura videatur adſcribi, Joſ. 15. 38. & 18. 26. quin & à tribus Judæ hominibus potius fuiſſe habitatam, eidemque tribui potius eſſe adſcribendam non obſcurè colligitur è Judic. 20. 1. ad quem locum vide quæ diximus, & Onomaſticon noſtrum in *Maſpha*.

XX. Jericho in tribu Benjamin nimis ab Adrichomio in tabula abducitur à finibus tribus Ephraim, eademque vicinior ſtatuitur tribui Judæ, quàm tribui Ephraim, cùm tamen ea ſtatuenda ſit juxta fines tribus Ephraim, ut indicat Scripturæ locus Joſ. 16. 7. ubi fines tribus Ephraim perveniunt in Jericho, quod etiam fatetur Adrichomius in deſcriptione locorum tribus Benjamin, num. 81. ubi de Jericho agit, quam dicit communem eſſe limitem tribuum Ephraim & Benjamin, idemque patet ex iis quæ idem Adrichomius, Borchardus, & Hieronymus in locis Hebraicis habent de Galgala. Quibus adde Joſephum, qui l. 5. belli c. 4. aſſerit à Jordane in Jericho ſexaginta fuiſſe ſtadia: at hæc ſexaginta ſtadia ita digerit Joſephus l. 5. Antiq. c. 1. ut dicat Iſraelitas tranſgreſſos Jordanem, & in Galgala progreſſos quinquaginta proceſſiſſe ſtadia, & in decimo ab Hierichunte ſtadio caſtrametatos fuiſſe. Erat igitur Galgala in recta via euntibus à Jordane in Jericho, qua parte videlicet proximè diſtabat Jordanes, ubi & Iſraelitæ Jordanem tranſgreſſi erant: quæ tamen omnia nullo modo exprimit tabula Adrichomii, in qua ex Jericho ad Jordanem recta via nullo modo tranſitur per Galgala, ſed à recta via abeſt longiùs, immo prout exprimit Adrichomius, duplex eſt viæ ſpatium à Galgala in Jericho, quàm ſit à Galgala ad Jordanem. Vide quæ & nos diximus Joſue 4. 19.

XXI. Clauthmon, ſive locus flentium, quem Adrichomius Clautomon vocat, nec rectè ab eo ponitur in tribu Benjamin juxta Galgala & fines tribus Ephraim, cùm locus ille potius ſtatui debeat in tribu Juda juxta Hieroſolymam ad Occidentem trans Vallem Raphaim. Vide quæ à nobis dicuntur Judic. c. 2.

XXII. Bethel urbs ab Adrichomio ſtatuitur in tribu Benjamin, nec omnino in confinio tribus Ephraim, cùm tamen juxta ea quæ nos diximus Gen. 28. 19. potius ſtatuenda ſit in tribu Ephraim, in confinio tamen tribus Benjamin.

XXIII. Rama ab Adrichomio in tribu Benjamin vicinior Hieroſolymæ conſtituitur, & Auſtralior quàm Gabaa, cùm tamen è Judic. 19. 13. perſpicuè colligatur Rama fuiſſe remotiorem & Aquilonariorem ipſa Gabaa, cum è Bethlehem & Hieroſolyma venientibus priùs occurrat Gabaa, quàm Rama. Adde his Joſephum, qui à Rama Hieroſolymam majorem diſtantiam ſtatuit, nempe ſex milliarium Italicorum, à Gabaa verò Hieroſolymam viginti duxtaxat ſtadiorum intervallum. Vide ea quæ nos ad eum locum Judic. 19 dicimus.

XXIV. Conſtringenda magis tribus Benjamin, præſertim verò qua parte Hieroſolyma in Gabaa & Rama itur, ut Rama ferè ſex milliaribus Italicis Hieroſolyma diſtet, Gabaa viginti ſtadiis Joſephi, hoc eſt, quatuor milliaribus Joſephi: nam in quoque ipſius milliari illud ferè obſervatur quinque duntaxat Joſephi eſſe ſtadia. Vide unde hæc colligam 1 Reg. 10. 2.

XXV. Bethania, & Bahurim paulo viciniores Hieroſolymæ conſtitui debent, ſic ut Bahurim, quæ ab Adrichomio ferè duobus milliaribus horariis Hieroſolyma abducitur, tantummodo ſemimilliari Belgico ſeu horario ab illa removeri debeat. Vide quæ nos de hac re dicimus 2 Reg. 16. 5. Bethphage quoque ab Adrichomio nimis à monte Oliveti removetur, quam tamen in extremo ejuſdẽ montis deſcenſu, ſeu primo vallis aditu fuiſſe ſatis conſtat ex iis quæ de Bethphage in Onomaſtico diximus. Eam Borchardus in recta via, qua ex Jeruſalem iter in Bahurim, & in medio itinere collocat, quod nullo modo exprimit tabula Adrichomii.

XXVI. Ramatha Samuelis patria in tribu Ephraim conjungi debet tribui Judæ, ut ſupra diximus num 17. An autem tribus Benjamin & Ephraim extremitates Occidentales ita ſinuari debeant, ut è Ramatha per ſepulchrum Rachel juxta Bethlehem iter eſſet in Gabaa, quemadmodum videri poſſit indicari 1 Reg. 10. v. 2. in medio reliquimus, quam difficultatem à nobis ibi pertractatam vide.

XXVII. Bethoron inferior nullo modo ſtatuenda in tribu Benjamin, ſed in tribu Ephraim in confinio tribus Benjamin, juxta ea quæ à nobis dicta ſunt Joſ. 10. 10. & à nobis dicentur 1 Reg. 13. 18.

XXVIII. In Silo nullo modo ſibi conſtat Adrichomius, quam in deſcriptione particulari ſingulorum locorum ipſe ponit in tribu Ephraim; at in tabula chorographica totius terræ promiſſæ, vel tabula particulari tribus Ephraim & Benjamin ipſe collocat in tribu Benjamin. Fuiſſe in tribu Ephraim dubitari non debet, quẽadmodum & aſſerit Hieronymus lib. de locis Hebraicis. Adde id non obſcurè colligi è Scriptura ſacra, etiamſi nuſquam diſertè aſſeratur. Primò enim ob id Eliezaro Aaronis filio primo pontifici ab ingreſſu in terrã promiſſionis data eſt extraordinaria ſedes & habitatio in tribu Ephraim Joſ. ult. v. ult. quia & tabernaculum, ꝙ in Silo urbe vicina erat, collocatũ fuit in tribu Ephraim, cùm tamen reliquæ omnes urbes ſacerdotales eſſent vel in tribu Juda, vel in tribu Benjamin. Rurſũ Pſal. 77. 60. de tabernaculo quod ſitum erat in Silo dicitur: *Et repulit tabernaculum Silo, tabernaculum ſuum, ubi habitavit in hominibus*, quod ob id dicitur, quia Silunte jam ablatum erat tabernaculum fœderis, & brevi Hieroſolymæ in templum & domum fixam erat commutandum. Eadem autem res paulo poſt eodem Pſal. 67, aliis verbis ita explicatur: *Et repulit tabernaculum* Joſeph, *& tribum* Ephraim *non elegit: ſed elegit tribum* Juda, *montem Sion quem dilexit:* erat ergo tabernaculum fœderis Silunte collocatum in tribu Joſeph, ſeu Ephraim. Deinde id meo judicio manifeſtè patet è ſitu urbis Silo, qui à Scriptura aſſignatur Jud. 21. 19. ubi hæc habes: *Ecce ſolemnitas Domini eſt in Silo anniverſaria, quæ ſita eſt ad Septentrionẽ urbis Bethel, & ad Orientalem plagam viæ, quæ de Bethel tendit ad Sichimam:* cum enim Bethel in tribu eſſet Ephraim, ſed in confinio tribus Benjamin; tribus autẽ Ephraim Aquilonaris eſſet tribui Benjamin, neceſſe eſt ut Silo, quæ ad Aquilonem erat Bethel, fuerit in tribu Ephraim: item cùm Orientalis eſſet viæ quæ ex Bethel ducebat in Sichimam; utraq; autem tam Bethel, quàm Sichima in tribu Ephraim eſſet, neceſſe eſt & Silo, quæ inter utramq; urbem paululum ad latus erat intercepta, fuiſſe etiam in tribu Ephraim. Quæ omnia quàm malè in tabula expreſſerit Adrichomius quilibet videre poterit, ut qui Silo ad Occidentem potius Bethel ſtatuerit, eamdemq; ad Occidentalẽ etiam plagã viæ, qua è Bethel ibatur Sichimã collocaverit.

XXIX. In collocanda urbe Sichem in tribu Ephraim nullo modo videtur mihi rem attigiſſe Adrichomius, utpote quæ omnino videtur fuiſſe Orientalior, & Jordani propinquior, quàm eam collocet Adrichomius, utpote quæ ſtatui debeat in Aulone, ſeu Valle illuſtri, vel juxta eam: Aulon autem ſeu vallis illuſtris juxta Jordanem erat, & ad ejus ripas hinc & inde porrigebatur. In ea autem valle vel juxta eam fuiſſe ſitam urbem Sichem planè colligimus ex Gen 12 5, 6. *Cumque veniſſent in eam* (terram videlicet Chanaan) *pertranſivit Abram terram uſque ad locum Sichem, uſque ad convallem illuſtrem.* Idem ſuaderi poteſt è Deut. 11. 29, 30. ubi duo montes Garizim & Hebal quos conſtat fuiſſe omnino vicinos urbi Sichem, dicuntur eſſe trans Jordanem, comparatione videlicet Iſraelitarum, qui tunc erant in campeſtribus Moab, poſt viam quæ tendit ad Solis occubitum, ſeu ad mare, in terra Chananæi è regione Galgalæ, quæ ſeu Galgala, ſeu via eſſe dicitur juxta vallem tendentem & intrantem procul, qua periphraſi non dubium eſt ſignificari Aulonem vallem, ſeu vallem illuſtrem, ut nos ad eum locum explicuimus: fuerunt igitur Sichem, Garizim & Hebal, Galgala, Aulon vallis loca vicina, & ſeſe invicem reſpectantia. Idem indicatur Gen. 33. 17, 18. vbi Jacob è Socoth trans Jordanem dicitur proximè tranſito Jordane veniſſe in Sichem. Deniq; ſi verum eſt quod ait Hieronymus libro de locis Hebraicis, in voce *Agai*, ex urbe Sichem venientibus Hieroſolymam tranſiri per Agai vel Hai, neceſſariò ſtatuenda eſt Sichem Jordani vicinior, cujuſmodi tranſitum per Hai venientibus è Sichem Hieroſolymam nullo modo fert tabula Adrichomii. Deniq; idem colligi poteſt ex deſcriptione Auſtralis limitis dimidiæ tribus Manaſſe. Joſ. 17. 7. ubi Auſtralis ille limes inchoatur verſus Orientem ad Aſer in Machmethath, qui locus dicitur reſpicere Sichem, ſeu eſſe è regione illius, & inde ad Occidentem, ſeu mare producitur: fuit igitur Sichem è regione illius loci vel urbis, quæ in illo limite ferè proximè ad Jordanem vergebat.

XXX. Aliter conſtituendos eſſe limites tribus Ephraim, quàm Adrichomius conſtituat, imprimiſque Aquilonares & Orientales, liquere poteſt ex iis quæ nos dicimus Joſ. 16. 17. imprimiſq; erratum ab eo in productione finium Orientalium verſus Jericho, in Bethoron ſuperiore, in Valle arundineti, quam fuiſſe in confinio tribus Ephraim & dimidiæ tribus Manaſſe conſtat, ipſe verò eam collocat juxta extremos fines tribus Ephraim Auſtrales in confinio tribus Benjamin. De finibus ejuſdem tribus partim Auſtralibus, partim Occidentalibus, de Ramatha, de Bethoron inferiore diximus ſupra Num. 17. 26, 27.

XXXI. In dimidiæ tribus Manaſſe cisjordaninæ finibus conſtituendis, tribus Iſſachar, tribus Zabulon, tribus Aſer, & ea, quam inter ſe habent hæ tribus, habitudine hallucinatum eſſe Adrichomium mihi planè perſuadeo. Tribum Iſſachar pertigiſſe uſq; ad mare ſtatuit Adrichomius, in eaque reponit Carmelum montem: at mihi è Scriptura videtur certum nullo modo ad mare perveniſſe, non tantùm quia de ea re ſilet Scriptura, ſed etiam quia Scriptura videtur in ejus extremis finibus, quantum exiſtimo, verſus Occidentem Thabor urbem conſtituere, Joſ. 19. 22. quæ urbs monti Thabor vicina eſſet. Verùm multò magis id probat quòd dimidia tribus Manaſſe debeat tribum Aſer contingere, quod Scriptura perſpicuè indicat Joſ. 17. 10, quo poſito impoſſibile eſt tribum Iſſachar ad mare perveniſſe. Adde quòd Jud. 5. 19. videar mihi pervincere dimidiam tribum Manaſſe tribum Zabulon alicubi etiam contigiſſe, nempe inter montem Thabor & montem Carmelum, ubi duæ illæ fuerint urbes in dimidia tribu Manaſſe, Thanach & Mageddo ad torrentem Ciſon, torrens autem Ciſon à pleriſq;, ipſóq; Adrichomio, qua parte ab Occidente fluit, ſtatuatur terminus tribus Zabulon, quandoquidẽ & ipſe mons Thabor, è quo torrens ille manabat, in tribu eſſet Zabulon. Deinde tribum Aſer ad montem Carmelũ perveniſſe conſtat è Scriptura Joſ. 19. 26. Item Doram dimidiæ tribus Manaſſe, urbem ad mare ad radices Carmeli montis ſitam fuiſſe ſcribit Joſephus l. 2. contra Apionem. Deniq; ad Carmelum montem perveniſſe tribum Aſer, tribum Zabulon, & dimidiam tribum Manaſſe idem Joſephus ſcribit l. 5. de Antiq. c. 1. quæ omnia nullo modo exprimit tabula Adrichomii. Vide quæ in hanc rem à nobis dicuntur Joſ. 17. 10. & Judic. 5. 19. Ex quo colligas Adrichomium valdè male iſtas urbes Doram, Thanach & Mageddo in dimidia tribu Manaſſe collocaſſe.

XXXII. Erratum rurſum haud dubie ab Adrichomio, quòd urbem Jeruſalem totam reponat in tribu Benjamin, nulla ſui parte in tribu Juda, cùm è Joſ. 15. & 18. conſtet aliqua ſui parte in utraque tribu Jeruſalem fuiſſe, communemq; utriuſque tribus funiculũ ꝑ ipſam urbem, montemq; Moria ductum fuiſſe, relicto monte Sion partéq; Auſtrali in tribu Juda, templo verò ac parte Boreali in tribu Benjamin.

XXXIII. In eo rei veritatem minime videtur aſſecutus Adrichomius, quòd tribum Simeonis ita tribui Dan conjunxerit, ut nulla via relicta ſit tribui Judæ ſeſe inter utramque inſinuandi, & pertingendi ad Philiſthinos regionemq; maritimam. cùm Joſ. 15. legamus Gazim (quæ ad mare erat, & extrema fuit verſus Ægyptum & Auſtrum Philiſthæorum ſatrapia) tribui Judæ attributam, nec eamdem uſquam ei tribui avulſam legamus, aut tribui Simeonis conceſſam; unde nec inter urbes tribus Simeonis Joſ. 19. recenſet Scriptura. Adde Joſephum l. 5. Antiq. c. 1. in poſteriore ſortitione aſſerere relictam tribui Judæ è quinque Philiſthæorum ſarapiis duas Aſcalonem & Gazam. Id ſi verum eſt, debuit relinqui tribui Judæ additus, quo ad haſce ſatrapias inter duas illas tribus Simeonis & Dan pertingeret, nec ex, quod fecit Adrichomius, Simeonis tribu comprehendi debuerunt.

XXXIV. Etſi de ſitu urbis Modin videatur difficile certi aliquid ſtatuere; hæc tamen è Scriptura certa ſunt, primùm hanc urbem in monte fuiſſe, 1 Machab. 2. 1. Secundò, hanc urbem non procul mari fuiſſe: id enim meo judicio evincit Scripturæ locus 1 Machab. 13. 27. & ſequentibus, qui ſic habet: *Et ædificavit Simon ſuper ſepulchrum patris ſui & fratrum ſuorum ædificium altum viſu, lapide polito retro & ante: & ſtatuit ſeptem pyramidas, unam contra unam patri & matri, & quatuor fratribus: & his circumpoſuit columnas magnas; & ſuper columnas arma, ad memoriam æternam; & juxta arma naves ſculptas, quæ viderentur ab omnibus navigantibus mare.* Neque enim hæc videri potuiſſent à navigantibus mare, niſi non procul maris littore poſita fuiſſent. Tertiò, ex aliis Scriptoribus quædam de hac urbe probabilia haberi poſſunt: Joſephus 12. Antiq. c. 8. Modin vicum Judææ appellat, ubi Judææ nuncupatione placet cum Adrichomio etiam tribus Daniticæ loca comprehendi; quam Judææ appellationem ad loca tribus Dan & Simeonis poſt captivitatem Babylonicam fuiſſe extenſam mihi omnino ſit veriſimile. Quartò: hanc urbem Modin fuiſſe juxta Dioſpolim aſſerit Hieronymus libro de locis Hebraicis. Ex quibus omnibus manifeſtè colligo in hujus urbis ſitu deſignando erraſſe Adrichomium: eam enim ita in tribu Dan reponit, ut tamen nimio intervallo à Dioſpoli removeat; ſiquidem decem milliaribus horariis eam à Dioſpoli ſejungit. Et verò quæ cauſa eſſe poſſit ut eam Hieronymus diceret eſſe juxta Dioſpolim, ſi juxta tabulam Adrichomii multo vicinior eſſet Eleutheropoli & Jeruſalem, à quibus tamquam illuſtrioribus civitatibus ſolet Hieronymus aliarum civitatum diſtantias definire? Rurſum eam multo longius quàm par ſit, vel quàm Machabæorum mauſolea potuerint è mari à prætervavigantibus videri, ſemovet: quis enim credat à præternavigantibus in mari potuiſſe mauſolea ea videri quæ ſeptem vel octo milliariis horariis aberant à maris littore? Adde non ſatis ſibi Adrichomium conſtare, cùm urbem hanc in monte Juda ait ſitam fuiſſe, & nihilominus eam in tribu Dan collocat: non enim Juda & Judæa idem ſunt: Juda enim pro tribu ipſa & ſorte, quæ poſteris Judæ obvenit, ſumitur; Judæa autem latius extra tribum etiam illam funditur. Carolus Stephanus in ſuo Dictionario Hiſtorico, Geographico, Poetico, Modin collocat in Baala monte juxta Sechronam, quorum locorum in Scriptura fit mentio Joſ. 15. 11. in terminis Aquilonaribus tribus Judæ, ea tamen deinde tribui Judæ avulſa Danitis obvenerunt. Et hic mea ſententia multo verius rem aſſecutus eſt: huic enim loco omnia conveniunt quæ de Modin vel in Scriptura, vel ab aliis authoribus produntur: nam & in Judæa fuerit, & in monte, & juxta Dioſpolim, & juxta mare (quæ omnia de Modin produntur) ut è chorographica noſtra tabula liquido cerni poteſt. Quidam frater Anſelmus Ordinis Minorum de Obſervantia editus ab Henrico Caniſio in fine tomi 6. Modin quarto milliario à Lydda ſeu Dioſpoli reponit, à Joppe uno maximo milliari diſtare dicit, quod cum noſtra deſcriptione mirificè congruit.

Doctiſsimi

Doctiſſimi Viri

JOHANNIS LIGHTFOOT

S. T. D. CANTAB.

Animadverſiones in Tabulas Chorographicas Terræ Sanctæ.

[a] INCIPIT *Idumea & Palæſtina, ab emerſu Sirbonis lacus*: videant ſibi tabulæ, ne hallucinentur, Sirbonem inter Caſium montem collocantes & Peluſium; cùm Plinius plane Caſium collocet inter Peluſium & Sirbonem. *A Peluſio*, inquit, *Chabriæ caſtra Caſius mons. Delubrum Iovis Caſii. Tumulus magni Pompeii. Oſtracius. Arabia finitur à Peluſio LXV M. paſſ. Mox incipit* Idumæa *& Palæſtina ab emerſu Sirbonis*,&c. Lege hæc ſeriò & confer tabulas.

Initium terræ ſub templo primo, ſacris literis, eſt à *Fluvio Ægypti*: i. e. fluvio verſus Ægyptum *Shihor*. Joſu 13. 3. Jerem. 2. 18. *Rhinocorura* aliis. LXX עד נחל מצרים Eſai. 27. 12. reddunt Ἕως Ῥινοκόρων.

Dum longum montium dorſum fingunt tabulæ Adrichomii, Tirini, &c. à mari ferè rubro, ad terram propemodum Iſraeliticam, cui inſcribitur *Mons Amorrhæus*, vereor ne iis impoſuerit ambiguitas Phraſiologiæ דרך הר האמרי, quæ non reddenda Deut. 1. 19. *via juxta*, vel *per*, *montem Amorrhæum*: ſed *via ad montem Amorrhæum*, ut planiſſimè patet verſ. 20. Mons iſte Amorrhæus fuit *Montanum Judææ*, à Cadeſh Barnea & intus.

[b] *Septem maria*, authoribus Talmudicis, *& quatuor fluvii ſunt ad ambitum terræ Iſraeliticæ*. 1. ימא רבא *Mare Magnum*, ſive mediterraneum. 2. ימא דטבריא *Mare Tiberiadis*. 3. ימא דמלחא *Mare ſalſum*, ſeu potius *bituminoſum*, *Sodomæ*. 4. ימא דסמכו *Lacus Samochonitis*. 5. ימא דחולתא: Forte *Mare arenoſum*: quod *Sirbonidi* optimè convenit, commentante *Diodoro Siculo*, lib. 1. 6. ימא דשלייית. 7. ימא דאפמיא. Quatuor hæc ultima alias leguntur [b] alibi.

Fluvii autem ſunt 1. ירדן *Jordanes*. 2. ירמוך *Hieramax* [c] Plinio. 3. קרמיון *Kirmion*. *Fluvius*, inquit Aruch, *in via ad Damaſcum*: *idem cum Amanah*. De Fluvio *Amanah* vide Targ. in Cantic. 4. 8. 4. פיגה, *Idem*, inquit idem Aruch, *cum Pharphar*.

Mare Apania, inquiunt, *eſt idem cum mari* חמץ *chamats*. דוקליטינוס הקוה נהרות ועשאן *Docletinus* [*Diocletianum* eum eſſe aſtruimus ex Hieroſ. Avoda Zara. fol. 39. 4.] *congregatis fluviis fieri curavit*. שפם Num. 34. 10. Interpreti Samaritico eſt עפמיה cum ע, Targ. Jonath. אפמיה cum א.

Limites terræ ſub templo ſecundo ſic delineant iidem Talmudici [d] תחומי א״י כל שהחזיקו בה עולי בבל: פרשת חומת מגדל שיד ושינ״ דרור ושורא דעכו וקציריא דגלילא וכברתה ובית זניתה וקובעיא ומילתה דכיר ובוריי רבתא תפנים וסנפתה ומחרתא דייתור וממסיא דאבהתא וראשמו נעתון ונעתון עצמה מי ספר ומרחשת ומגדל חרוב ואולם רבתא ונוקבתא דעיון ותוקרת ברכה רבא ובר סנגרא ותרנגולב עילאה דלמעלה מקיסרין וטרכונא דמתחם לבוצרה ומלח דזרכאי ונמרין ובית סכל וקנת ורפיח דחגרא ודרך הגדלה ההלכת למדבר חשבון ויבקא ונחלא דזרד ויגר שהרוחא ורקם הנועה וגנייא דאשקלון:

A tribus cœli cardinibus, ſic eam aliter terminant.

מרקם למורח ורקם כמורח [e] *A Rekam porro ad Orientem* [eſt terra Ethnica.] *Et Rekam ipſa pro Oriente*; [id eſt pro terra Ethnica] *reputatur*. מאשקלון לדרום ואשקלון כדרום. *Ab Aſcalone ad meridiem*, *& Aſcalon ipſa reputatur pro meridie*, [ſenſu quo prius.] מעכו לצפון ועכו כצפון, *Ab Acone ad Aquilonem, atque Acon ipſa reputatur pro Aquilone*.

A quarto ſic. [f] *Inſulas vides in mari mediterraneo, ac ſi linea ducta foret à montibus Amanæ ad fluvium Ægypti: quodcunque eſt intra lineam, eſt de terra Iſraelitica, quodcunque eſt extra lineam, eſt extra terram.* Sic Targ. Hieroſ. in Num. 34. 4. *Limes veſter Occidentalis, erit mare magnum, atque inſulæ ejus*. Quid ad hæc tabulæ?

Amanah Scriptoribus Judaicis eſt idem cum monte *Hor*, Num. 34. 7. ubi Targ. Hieroſ. טוורוס מנוס Jonath. טוורוס אומנים: vide R. Sol. in iſtum locum. [g] *A montibus Amanæ & intus* [inquiunt Gemariſtæ] *eſt terra Iſraelitica, à montibus Amanæ & extra, eſt extra terram*.

Partitio terræ ſub Templo ſecundo hæc erat: שלש ארצות יהודה ועבר הירדן וגליל: [h] *Tres ſunt regiones Judææ Trans-Jordanica, & Galilæa* [excluſa Samaria.] *Atque unicuique harum erant tres regiones*. [i] *In Judæa erant Montanum, Planities & Convallis. Sic etiam in Peræa. Atque erat Galilæa, Superior, atque inferior & Convallis*.

---

[a] Plin. Nat. hiſt. lib. 5. c. 13. [b] Talm. Hieroſ. Kilaim fol. 32. [b] Hier. Chetub. fol. 35. 2. Bavil. Bava Bathr. fol. 74. 2. [c] Plin. lib. 5. cap. 18. [d] Hieroſ. Sheviith fol. 36. 3. [e] Vid. R. Niſſim in Gittin cap. 1. [f] Hieroſ. ubi ſupr. [g] Hieroſ. ubi ſupra. col. 4. & Challah fol. 60. 1. [h] Sheviith cap. 9. halac. 2. [i] Hieroſ. ib. fol. 38. 4.

JUDÆA.

[a] MONTANUM *Judææ* והר המלך. *eſt mons regalis. Planities ejus, eſt Planities Auſtri. Convallis eſt ab Engedi ad Hierichuntem. Planities Lyddæ eſt ſicut planities Auſtri, Montanumque ejus ſicut Montanum regale*.

Deſinit ora Auſtralis in רקם הנועה וגנייא דאשקלון *Cadeſh Barnea & Aſcalone*. Excluſa ergo eſt tota regio ab *Aſcalone*, ad fluvium Ægypti, vel Sirbonem [ſpatii LIIII M. paſſ.] tranſiitq; in nomen *Idumææ*, quo nomine etiam vocata eſt magna pars ipſius Judææ, apud *Joſephum*, libros Maccabaicorum, alioſque.] Sedes hæc erat Antiqua *Avæorum*. Deut. 2. 23. Joſu. 13. 3.

Non benè aſſignant tabulæ *Cadeſh* aliam, præter Barneam, caſtrametationibus Iſraelis in eremo: Nam *Meribah in Cadeſh* Num. 20. 13. eſt terminus terræ Auſtralis, Ezek 47. 19. prout erat Cadeſh *Barnea* Numer. 34. 4.

Zin, Targ. Hieroſolymitano eſt טור פרולא *Mons ferri*. Addit Jonath. ציני טור פרולא *Palmæ montis ferri*; de quibus eſt mentio apud (b) Talmudicos. Qua authoritate, *Aurifodina* à Tirino illic inſcribatur, in obſcuro eſt; *Ferrifodina* hac authoritate poſſet addi. Et palmæ hic certius, quam, ubi vides, *Palma Cadeſh*

Gerar, interpreti Samaritico eſt *Aſcalon* Gen. 20. 1. Talmudicis *Gerariku*, גרריקו Nam [c] *Regio quæ eſt in Gerrariku*. inquiunt, *eſt malæ habitationis*. *Uſque quo? Ad fluvium Ægypti*. Targ. Hieroſ. גרר reddit ערד Gen. 20.

Ambigo de ſitu Sodomæ in tabulis, ut & *Zoaris* & ſpeluncæ *Lothi*; videtur illa collocanda in extremitate Aſphaltitis Auſtrali; atque hæc in Moabitide. Perpende Gen. 10. 19. & verba iſta Joſephi [d] *Longitudo Aſphaltitis eſt DLXXX ſtad.* καθὸ δὴ μέχρι Ζοάρων τῆς Ἀραβίας ἐκτείνεται. Conſonum certè videtur patrem Moabitarum natum fuiſſe in Moabitide. Vide & Eſai. 15. 5.

Memoria eſt *Zoaris* cujuſdam apud Talmudicos, quam vocant [e] *civitatem palmarum*; ſed incerti ſitus.

Sunt quæ ſuadent *Engaddim* longe magis verſus Auſtrum ſitam fuiſſe, quam eam collocant tabulæ. Nam *Tamar* eſt Judææ terminus ab Auſtro Ezech. 47. 19. atque *Hazezon Tamar* eſt *Engedi* 2 Paral. 20. 2.

Pars Auſtralis vulgò diſtincta eſt in *ſuperiorem* & *inferiorem*. Eſt exemplar epiſtolæ Synedrii magni, cujus hæc inſcriptio [f] לאחינא בני דרומא עילאה ובני דרומא ארעיתא *Fratribus noſtris habitantibus Auſtrale ſuperius* [i. e. in Montano] *atque Auſtrale inferius* [i. e. in planitie & convalle.]

Montanum Judææ [olim, *mons Amorrhæus*] procurrit à *Cadeſh Barnea* ad *Hebronem* uſque & ultra. Hinc illud de *Samſone* Judic. 16. 3. *Portavit portas Gazæ ad verticem montani, quod ante Hebronem*; i. e. montani quod excurrit ad *Hebronem*.

Montanum hoc vocatur à Pſalte מדבר הרים *Montanum deſertum* Pſal. 75. 6. à Talmudicis הר המלך [g] *Montanum regale* [vid. Chald. Par. in Judic. 4. verſ. 5.] in quo ut aiunt illi, [h] erat myrias urbium, longeque plures.

Inter omnes ejus urbes, præcipua erat *Hebron*, [h] *Quâ non erat locus magis ſaxoſus in tota terra Iſraelitica; inde ſepultura illic mortuorum*; verba ſunt Gemariſtarum. Et tamen iiſdem teſtibus, Locus erat commodiſſimus nutriendis agnis; hinc Adagium, *Arietes è Moab, Agni ab Hebrone*.

[i] Cùm auroram unoquoque mane è ſpecula ſublimi in Temp[illegible]arent, dici ſolitum erat, *Lucida eſt tota facies Orientis uſque ad Hebron*[illegible]*otuerunt à Templo videre Hebronem*.

Pudeat tabulas ſic *Lod* & *Lyddam* diverſificaſſe, ut *Lod* prope Jordanem ſtatuant, *Lyddam* prope mare mediterraneum, cum inter voces tantum ſit diverſitas Dialecti ſcilicet Hebraicæ & Græcæ, at in re, nulla.

מאמאום ועד לוד [l] *Ab Emmaunte ad Lyddam erat planities, à Lydda ad mare convallis*.

Lydda erat Judææ, Nehem. 11. 35. [m] Hinc cum annum intercalare non liceret niſi in Judæa, *Lyddam adierunt* plurimi è ſchola *Rabbi* [è Galilæa] atque omnes perierunt à faſcinatione. Notent hæc tabularum authores, è quibus nonnulli *Lyddam* diſpoſuerunt longe intra Ephraimitidem.

Vinea quadriennis כרם רבעי [hoc eſt, fructus vineæ annum quartum jam agentis] *afferebatur ad Hieroſolymas, per ſpatium itineris diarii ab unoquoque latere*. *Hi autem erant ipſius limites* אילת מן הדרים *Elath ab Auſtro*. עקרבת מן הצפון *Acrabatta ab Aquilone*, לוד מן המערב *Lydda ab Occidente*, *& Jordanes ab Oriente*.

[o] *Lydda* fuit vicus πόλεως τὸ μέγεθος οὐκ ἀποδέουσα. Scholis celeberrima, & dum floreret Academia in *Jaſne*, & poſt eam remotam.

Convallis inter Lyddam & mare excurrens & multis ſparſa viculis, vocabatur *Saron*; Actor. 9. 35. [p] *Locus domibus lateritiis non congruus: ideoque domos ſuas ſæpius reſtaurarunt, intra ſeptennium*. [q] *Ac ſummus etiam Pontifex*, *pro iis nominatim oravit die expiationis, ut domus eorum non fierent eorum ſepulchra*.

Inter *Lyddam* & mare erat villa vocata כפר לודים [r] *Villa Lyddenſium, quæ reputabatur quidem extra terram Iſraeliticam, at nomine Lyddenſium tamen eſt cognominata, quia Lyddenſes aliqui ſemper ibi aderant*.

[s] Ab Oriente *Lyddæ* erat etiam villa cui nomen כפר טבי *villa capreolorum*; vel *villa Tebi*, [t] quo nomine ſervum vocatum habuit *Rabban Gamaliel*. [u] *Imo unaquaque ejus famula vocata eſt* אמא טביתא *Matrona Tabitha*, *& unuſquiſque famulus* אבא טבי *Pater Tebi*.

Kirjathjearim olim *Baalim* 2 Sam. 6. 2. 1 Par. 13. 6. (x) *Reperimus*, inquiunt Hieroſolymitani, *quod annum intercalarunt in Baalath. Baalath autem aliquando Judæ aſſignatur, aliquando* τῷ *Dan. confer* Joſu. 15. 29. *cum cap.* 19. 44. *Erant nempe domus è Juda, agri è Dan*.

(a) Hieroſ. ibid. (b) Succah cap. 3. hal. 2. & Bab. Erubbin fol. 19. 1. (c) Hieroſ. Sheviith fol. 36. 3. (d) Joſ. de bell. lib. 4. cap. 27. (e) Jovamoth cap. 16. hal. ult. (f) Hieroſ. Maaſar ſheni. fol. 56. 3. & Sanhed. fol. 18. 4. & Bab. Sanhed. fol. 11. 2. (g) Hieroſ. Demai fol. 24. 4. & Avoda Zarah fol. 40. 2. & fol. 44. 4. (h) Id. Taamith. fol. 69. 1. & Bab. Gittin fol. 57. 1. (h) Bab. Sotah fol. 34. 1. (i) Joma cap. 3. & Tamid. cap. 3. (l) Hieroſ. Sheviith fol. 38. 4. (m) Id. Sanhed. fol. 18. 3. (n) Maaſar Shini cap. 5. hal. 2. (o) Joſeph. Antiq. lib. 20. cap. 5. (p) Gloſſ. in Bab. Sotah. cap. 8. hal. 7. (q) Hieroſ. Sotah fol. 23. 1. (r) Gittin. cap. 1. hal. 1. vid. R. Niſſim ibi. (ſ) Bab. Roſh haſhanah. fol. 31. 2. (t) Berac. cap. 1. hal. 7. (u) Hieroſ. Nidda fol. 49. 4. (x) Hieroſ. Sanhed. fol. 18. 3.

HIEROSOLYMA.

(a) NON *dividebatur Hieroſolyma inter tribus. Nam traditio eſt non conduci domos Hieroſolymis, quia propria non erant; nec etiam lectos. Recepit ergo pater familias ab hoſpitibus* (ad feſta accedentibus) *coria ſacrificiorum*.

Diviſa nihilominus erat urbs inter tribum Judæ & Benjaminis; proceſſitque linea diſterminans per ipſum atrium templi; (b) ita ut omnia ædificia templi, ab Oriente uſque ad Altare, forent in portione Judæ, altare, & exinde ad Occidentem, in portione Benjaminis.

(c) Sion, ſub Templo ſecundo vulgo vocata eſt Ἡ ἄνω πόλις. Erat ea à parte urbis Aquilonari. Vid. Pſal. 48. 2. & LXX Aben Ezr. Lyran. Apollinar. ibi. vid. etiam Kimch. in Ezech. 40. 2. & Lyranum ibi. Quod & copioſe colligi poteſt è Joſepho. Eunt tabulæ in contrarium, at quo jure, ipſæ videant.

Videant etiam quo jure & fundamento, *montem Gihon* erexerint, cum *Gihon* nuſquam non in ſacra pagina fontem *Siloamum* denotet. (*Gihone* ſolum iſto excepto, qui unus fuit è quatuor fluviis Paradiſi.) In Reg. 1. 33. 38. *Deducite Salomonem ad Gihon*, Chald. Par. *Deducite Salomonem ad Siloam*. (d) *Et regem non ungunt* (inquiunt Hieroſolymitani) *niſi ad fontem, ſicut dicitur, Deducite Salomonem ad Gihon*. Et Rab. Sol. & Aruch. *Siloam eſt fons cujus nomen etiam Gihon*. 2 Paral. 32. 30.

Erat fons iſte ab occidente urbis, idque *Acræ* non *Sionis* : Joſeph. Ῥωμαῖοι τρεψάμενοι τοὺς λῃστὰς ἐκ τῆς κάτω πόλεως τὰ μέχρι τοῦ Σιλωᾶ πάντα ἐνέπρησαν. Stagnum quidem *Siloami* erat ab occidente *Sionis*, Nehem. 3. 15. at fons ab occidente *Acræ*, non longe ab angulo, ubi ad latus Auſtrale deflexum eſt.

Bethphage peſſimè collocatur à tabulis oppidum in monte Oliveto : Nam 1. Bethphage fuit pars vel tractus Oliveti : ipſum ſolum, non oppidum. Triplici nomine inſignita eſt facies iſta Oliveti, quæ urbem reſpexit. Ex oppoſito Sionis *Gethſemani* vocata eſt à torcularibus oleaceis : ex oppoſito reliquæ urbis, *Bethphage*, vel *locus groſſorum* : Atque ultra *Bethphagen*, verſus verticem montis בית היני *Bethania*, vel *locus palmarum*.

2. Locus extimus *Hieroſolymæ* (intra murum tamen) vocatus eſt *Bethphage*, ideo quod adeò confinis jaceret tractui iſti montis, qui ob celebritatem *groſſorum* nomen iſtud ſumſit.

(*e*) *Bethphage fuit locus extimus Hieroſolymæ*, inquiunt Judæi. Et

(*f*) *Bethphage fuit locus intra muros urbis , & reputata eſt ſicut ipſa Hieroſolyma quoad omnia.*

(*g*) *Paſcha ab incarcerato comedi potuit in Bethphage :* At non licuit paſcha comedere extra Hieroſolymam, vid. etiam Sota. fol. 45. 11. Bava Mezia fol. 90. 1. Menachoth cap. 11. halac. 2.

Bethphage ergo erat extima pars urbis , intra mœnia , verſus Olivetum : eratque pars vallis & oliveti, ulterius uſque ad ſpatium itineris ſabbatici, vel milliaris.

Ubi deſiit nomen *Bethphage* in aſcenſu montis, incepit nomen *Bethaniæ*. Confer Act. 1. 12. & Luc. 24. 50.

Vallibus undique circumdata eſt *Hieroſolyma*, & poſt eas, montibus. Ab Oriente, *Kidrone*, & valle *Hinnonis*, illâ etiam ad latus Septentrionale poſt Sionem deflectente, hâc ad Auſtrale : at ab his occurſum eſt circa *portam Equorum* : ultra vallem ab Oriente erat *Olivetus* : ultra vallem ab Auſtro erat mons *Gareb* Hierem. 31. 40. & magis ad Occidentem , (*h*) Πέτρα περιστερεῶνος *Petra Columbarii* (forte ubi columbarium ſuum ſtruxit *Herodes*, columbis, quæ à nomine ſuo (*i*) הורדוסיות vocabantur.) Ab occidente , nomen montis proximi adjacentis latet. A ſeptentrione, poſt Sionem erat, צופים Joſepho (*l*) Σκοπὸς ubi & *Ramah* Benjaminis. Hinc *Ramathaim Zophim* : i. e. *duæ Ramæ*, quæ & *Zophim dictæ ſunt*, hæc Benjamitidis, *Zophim* dicta, quia inde proſpici potuit templum, atque altera in Ephraimitide , à *Zuph* dicta proavo Samuelis, 1 Sam. 1. 1, &c.

Per montem Olivetum via duxit ad *Jerichuntem*, (*m*) *à Jeroſolyma diſtantem CL. ſtadiis ; A Jordane autem LX. Sita erat Hierichus in planitie* (verba ſunt Joſephi) *Cui tamen imminet montanum quoddam tenue quidem, at oblongum. Septentrionem verſus procurrens uſque ad regionem Scythopolitanam : Auſtrumque verſus, uſque ad regionem Sodomiticam, ultimamque oram Aſphaltitis.* Hinc diſcas quid ſit Περίχωρος Ἰορδάνου Math. 3. 5.

(*n*) *Traditio eſt 24000 viros ſtationarios* (אנשי מעמד) *fuiſſe Hieroſolymis, & dimidium Stationis* (i. e. 12000) *Hierichunte. Potuit & Jerichus totam ſtationem produxiſſe, ſed quia cedere voluit Hieroſolymis, dimidium ſtationis produxit tantùm.*

In via à Jeroſolymis ad Jerichunta erat *Bahurim*, 2. Sam. 16. 5. quæ eadem erat cum *Almon*, Joſu. 21. 28. vel *Alemeth*, 1 Par. 6. 60. Loco Samuelis allegato, pro, *venit David ad Bahurim*, Chald. habet, *venit David ad Alemeth*. ubi Kimkius, *Bahurim erat civitas Benjamitarum vocaturque in libris Paralipomenon Alemeth. Nam Bahurim & Alemeth idem ſunt* : utraque *Adoleſcentes* ſonat. Corrigendæ hîc tabulæ, quæ duas has civitates faciunt, eaſque nonnullæ quam longiſſime diſſitas.

(*e*) Baſi. Peſachin fol. 63. 2. gloſſ. ib. (*f*) Gloſſ. in Sanhedr. fol. 14. 2. (*g*) Peſachin. fol. 91. 1. (*h*) Joſ. de bel. lib. 5. cap. 31. (*i*) Rab. Cholin fol. 138. 2. vid. Aruch in ווי. (*l*) De bel. lib. 5. cap. 8. Rab. Berac. fol. 49. 2. (*m*) Joſ. de bello. lib. 4. cap. 27. (*n*) Hieroſ. Taamith. fol. 67. 4.

SAMARIA.

Erat montanum quoddam procurrens inter Judæam & Samaritida, aliud à monte Ephraimi : hinc *Bethel* dicitur eſſe *in montano*, Joſu. 16. 1. Erat autem ea limes Judææ & Samariæ. (*a*) Τὸ δὲ πλάτος Ἱεροσολύμοις ὁριζομένην καὶ Βεθήλοις· verba ſunt Joſephi, quæ notanda, *Latitudo Benjamitidis terminatur Hieroſolymis & Bethele.* Oppoſitæ ergo quaſi recta linea videntur hæ civitates, quod à tabulis pluribus non animadverſum.

In iiſdem confinibus, atque non longe à *Bethele* erat oppidum עפרים *Ephraim* : de qua Joſephus, de *Veſpaſiano* loquens, (*b*) Ἀναβὰς εἰς τὴν ὀρεινὴν αἱρεῖ δύο τοπαρχίας, τήν τε Γορνιτικὴν, καὶ τὴν Ἀκραβατηνὴν καλουμένην. Μεθ᾽ ἃς Βηθηλᾶ τε καὶ Ἐφραὶμ πολίχνια.

Et Talmudici (*c*) *Michmas & Mezonachah* (vel Zanoah) *primas obtinent de ſimila ,* שנייה להם חפריים בבקעה *ſecundas ab iis Ephraim in valle.* Rurſus (*d*) *Dixerunt Jannes & Mambres Maſi. Num tu ſtramen inducis* לעפריים *in Ephraim ?* Aruch. (*e*) *Civitas erat in terra Iſraelis, frugibus fertiliſſima Ephraim dicta.* In 2 Paral. 13. 19. ſcribitur, עפרין. Huc conceſſiſſe Chriſtum arbitramur in hiſtoria iſta, Joan. 11. 54.

Erat & *Bethhoron* civitas terminans Judæam, & Samaritida : at ſita magis verſus Occidentem.

(*f*) Erat hæc via publica, à Jeroſolymis ad Cæſaream, eſt anguſti admodum aſcenſus , & tranſitus. Hinc Talmudici, (*g*) *Si duo Cameli ſimul aſcendant in aſcenſu Bethoronis, uterque cadit.*

(*h*) Diſtabat ab Hieroſolymis C. ſtad. id eſt 12. M. paſſ. aut circiter.

(*i*) Tradunt Talmudici hircum emiſſarium (*Azazel*) die expiationis ductum fuiſſe ad rupem צוק *Zok* duodecim milliaribus diſtantem Hieroſolymis ; atque inde præcipitatum. Dicunt etiam, primum introitum ejus in eremum fuiſſe, tribus milliaribus ab urbe, ad locum vocatum (*k*) בית חדודו : at Hieroſolymitani legunt בית חורון : nam ſic aiunt ; ג' מילין מירוש' ועד בית חורון *Tria milliaria erant à Jeroſolyma ad Bethoronem* : i. e. ad primum ingreſſum in eremum verſus *Bethoronem*.

(*m*) *A Bethoron ad Emmaunta erat montanum* ; procurrens ſcilicet in Judæam.

Dubito de ſitu *Antipatridos* in tabulis, idque variis rationibus.

1 Actor. 23. 31. Duxerunt Paulum noctu εἰς τὴν Ἀντιπατρίδα : ſi reddas *ad Antipatridem*, neceſſe eſt, ut urbem iſtam longe Hieroſolymis propiorem ſtatuas, quam ſtatuunt tabulæ.

2. Dicunt Gemariſtæ (*n*) *Simeonem Juſtum* veſtibus pontificiis indutum, reliquoſque populi primates, ſolenni habitu , manibuſque faces tenentes, per noctem proceſſiſſe in occurſum Alexandri magni, atque cum oriretur Sol, ei obviam iiſſe in *Antipatride*. Excedit longe *Antipatris* ut ſita in tabulis, ſolennem noctis proceſſionem. Et incongrua admodum tali proceſſioni ſcena erat Samaritis, regio hoſtilis.

3. Dicunt, quod in diebus *Ezechiæ*, omnes מגבת ועד אנטיפטרס (*o*) *A Gebath ad Antripatrida , periti erant traditionum de munditia.* Item quod מגבת ועד אנטיפטרס (*p*) *A Gebath ad Antipatrida, erant 60 myriades urbium*, veritatem rei non aſſerimus, Phraſiologiam reſpicimus. *Gebath & Antipatris*, inquit gloſſa, *fuerunt loca in extremis limitibus*. At quomodo hoc intelligi poteſt, ſecundum ſitum *Antipatridis* , quem vides in tabulis? Videtur potius fuiſſe in extremis limitibus Judææ & Samariæ, & tantum non in Judæa. Nam

4. Dicunt inſuper (*q*) *vinum En Cuſhith prohibitum eſt propter Capharſalamam.* Si *Capharſalama* fuerit *Antipatris*, quod creditur, ſitaque quaſi in medio *Samariæ*, ut in Tabulis, vix poſſibile eſt hoc ad ſenſum reducere.

Samaria ſub templo primo erat urbis nomen : ſub ſecundo regionis : nam metropolis eo tempore fuit *Sychem* : *Sychar* à Judæis per opprobrium dicta , Joh. 4. 5. à verbis Prophetæ, הוי שכורי אפרים. Eſai. 28. 1. dicta tandem eſt Neapolis (*r*) ניפולים Talmudicis.

Cæſarea : olim Πύργος Στράτωνος. Interpreti Arabico *Hazor* Joſu. 11. 1. (*ſ*) Judæis aliquibus *Ekron* malè : niſi forſan ea fuerit intra ditiones Ekroniticas. Ab *Aſmonæis*, cum eam cepiſſent è manibus Græcorum, appellata eſt אחירת מגדל שיר (*t*) at legente authore *Juchaſin*, אחירת מגדל צור (*u*) unde elice ſi potes nomen Πύργου Στράτωνος. Forſan מגדל שיר , in ſchemate iſto, quod ab initio exhibuimus ex Talm. Hieroſolymitano, hunc locum denotat.

רבנין דקיסרין Doctores hujus *Cæſareæ* plurimum celebrantur.

(*a*) Joſ. Antiq. lib. 5. cap. 1. (*b*) Id. de bel. lib. 4. cap. 33. (*c*) Menachoth. cap. 9. hal. 1. (*c*) Bab. ib. fol. 85. 1. (*e*) Aruch. in יוחני (*f*) Joſ. Antiq. lib. 20. cap. 4. & de bel. lib. 2. cap. 20. (*g*) Bab. Sanhed. fol. 32. 2. (*h*) Joſ. ubi prius. (*i*) Rab. Joma fol. 66. 2. & 67. 1. (*l*) Ibid. fol. 68. 2. (*m*) Hieroſ. Sheviith fol. 38. 4. (*n*) Bab. Joma fol. 69. 1. (*o*) Id. Sanhedr. fol. 94. 2. (*p*) Hieroſ. Taamit. fol. 69. 2. & Mogil. fol. 70. 1. (*q*) Hieroſ. Avod. Zar. fol. 44. 4. (*r*) Id. ib. (*ſ*) Bab. Megil. fol. 6. 1. (*t*) Ibid. (*u*) Juchaſ. fol. 74. 1.

GALILÆA.

(*a*) EST *Galilæa ſuperior, & Galilæa inferior & Convallis. A Caphar Hananiah & ſupra , quæcunque non producit Sycaminos , eſt Galilæa ſuperior. Aſt à Caphar Hananiah & infra, quæcunque producit Sycaminos , eſt Galilæa inferior. Eſt etiam ora Tiberiadis & Convallis,*

Quod de Sycaminis dicitur, in memoriam revocat *Sycaminum oppidum inter Dorum & Carmelum*, de quo (*b*) Plinius, & (*c*) Joſephus & Talmudici (ut videtur) ſub nomine (*d*) שקמונה.

(*e*) Limes Galilææ erat Ἀπὸ μεσημβρίας , Σαμαρίς τε καὶ Σκυθόπολις μέχρι τῶν Ἰορδάνου ῥείθρων.

(*f*) Scythopolis eadem erat cum *Bethſhan* : urbs ſub templo ſecundo (*g*) Ethnica , aſt ubi tamen cum Ethnicis habitarent Judæi, ab Hieroſolymitanis (*h*) ביישנאי vocati.

Limes Galilæam à Phœnicia diſſecans erat 1. עכו *Acon* vel Ptolemais : Nam (*i*) *In Acone,* inquiunt, *eſt terra Iſraelitica & non.* (*l*) Et *R. Joſi ben Hananiah exoſculatus eſt fornicem Aconis, & dixit, Huc uſque eſt terra Iſraelitica.* Et (*m*) מעכו לצפון ועכו כצפון : quod adduximus ante. De hoc loco, & limite, intelligendus videtur *Plinius* in verbis iſtis, (*n*) *Finis Palæſtines* CLXXXIX M. *paſſ. à confinio Arabiæ : Deinde Phœnice.* 2. Loca iſta quæ nominata vides antea à Talmudicis , terram terminantia, viz. 1. קצירייא דגלילא 2. כברתה 3. בית זניתה 4. קיבעיא & nonnulla quæ ſequuntur, collimitia certe videntur eſſe inter ditiones Tyri & Sidonis , & Galilæam.

(*o*) *Ab Acone ad Achzib* (Joſu. 19. 29. Judic. 1. 31.) *In dextra viæ Orientem verſus , munda erat à notione terræ ethnicæ, & tenebatur ad decimas* &c. *A ſiniſtra viæ, Occidentem verſus, immunda erat ſub notione terræ Gentilitiæ* , &c.

Hermon, Interpreti Samaritico eſt *Mons Nivis* Deut. 4. 48. & Targumiſtis Jonath. & Hieroſ. in Num. 34. Occurrit & hoc nomen apud (*p*) Talmudicos. Pravè *Hermonem* collocavit *Adrichomius*, ac poſt eum alii, ab Oriente ferè *Peræa*, cum partim Aquilonarem occuparet & Perææ & Galilææ (idem exiſtens cum *Amanah*. Confer Cantic. 4. 8. & Deut. 3. 9.) Hinc Targ. Hieroſ. eum vocat *Montem Nivis Cæſareæ* , (Philippi.) Et rurſus *Limes duarum tribuum*, inquit , *& dimidiæ , eſt à valle maris ſalſi ad Chinneroth, & montem Nivis.*

Videtur *Cæſarea Philippi*, remota nimis collocari à tabulis à *Paneade* , fonte Jordanis. Nam ut Joſephus , (*q*) *Philippus Cæſaream condidit* πρὸς ταῖς Ἰορδάνου πηγαῖς ἐν Πανεάδι. Et alibi (*r*) Πανεάδα κατασκευάσας ὀνομάζει Καισάρειαν.

Erat locus ſupra fontes Jordanis qui vocabatur תרנגולא עילאה דלמעלה מן קיסרין, ut vides in ſchemate ante exhibito. Redde, *Geber* vel Gabara *ſuperior. quæ ſupra Cæſaream.* גבר & תרנגולא, Talmudicis idem ſunt, utraque *Gallum gallinaceum* ſonat. Hinc *Ezion Geber* Num. 33. 35, 36. Jonathani eſt כרך תרנגולא.

Geneſar. (*ſ*) *Quare vocatur Geneſar ?* גניסרים *Ob hortos magnatum ; Fuitque è portione* τοῦ *Nephtali , ſicut dicitur, Et è Nephtali principes mille.*

Totum mare Geneſariticum, intra portionem Nephthaliticam ſtatuunt Talmudici. ת"ר ימה של טבריה חלקו של נפתלי. (*t*) *Nam Traditio Rabbinorum eſt, Mare Tiberiadis eſſe portionis Nephthaliticæ : Imo plenum funiculum* (vel ſpatium quoddam commodum) *ei eſſe pro retibus* (extrahendis) *à parte ejus Auſtrali , ſicut dicitur , Poſſide mare & Auſtrum* Deut. 33. 23.

Quid ad hoc tabulæ ? quæ totum hoc mare Zebulonitidi allocant. Joſephus Talmudicis ſuffragatur, nam ille (*u*) Ζαβουλωνῖται inquit τὴν μέχρι Γεννησαρίτιδος, καθήκουσαν δὲ περὶ Κάρμηλον καὶ θάλασσαν ἔλαχον. Nota Zabuloniten à Septentrione Μέχρι Γεννησαρίτιδος, *ad Geneſaritida* tantum pertigiſſe, non eam intra ſe fuiſſe complexam.

רקת היא טבריא (*x*) *Rakkath* (Joſu. 19. 35.) *eſt Tiberias.* Sic Talmud, utrumque.

Situs ejus in tabulis non arridet. 1. Totum mare Geneſariticum interpoſuerunt inter *Tiberiada* & *Hippon*, cum diſtaret *Hippos* à Tiberiade (*y*) teſte Joſepho triginta tantum ſtadiis ; latitudo autem maris erat eodem metiente, (*z*) quadraginta ſtadiorum. 2. Vocat idem Joſephus oppida Gadarenorum atque Hipponorum *Confinia* Tiberiadi. Ἐμπίμπρησιν inquit ὁ Ἰησοῦς τάς τε Γαδαρηνῶν καὶ Ἱππηνῶν κώμας, αἳ δὴ μεθόριοι τῆς Τιβεριάδος καὶ τῆς τῶν Σκυθοπολιτῶν γῆς ἐτύγχανον. Quod certe ſecundum ſitum Tiberiadis in tabulis,

lis, conſiſtere nullo modo poteſt. 3. Sitam eam fuiſſe ad ipſum effluxum maris Geneſaritici à ſinu littoris Auſtrum ſpectante confirmat obſervatio ſitus *Chammathæ* loci adjacentis.

Rakkath & *Chammath* conjunguntur Joſu. 19. 35. Erantquippe civitates ferè contiguæ. *Rakkath, Tiberias,* & *Chammath* Κώμη Ἀμμαῦς Joſepho, à thermis dicta: de quibus frequentiſſima mentio apud Talmudicos, ſub nomine *Thermarum Tiberiadis*. (a) *Quare vocatur chammath?* inquiunt Babylonici על שום חמי טבריא *Propter Thermas Tiberiadis*. Adeo vicinæ erant hæ civitates, ut (b) *olim Tiberienſes incederent per totam Chammatham Sabbato: Ac tandem Chammathenſes ac Tiberienſes conſtituerent civitatem unam.* Chammatha autem iſta vulgatiſſime vocatur Chammath Gadaræ חמת גדר (c) *Dicit Jabba,* חמת זו חמי גדר רקת זו טבריא *Chammath eſt eadem cum Thermis Gadaræ & Rakkath eadem cum Tiberiade.*

(d) Permiſit *Rabbi ut Gadarenſes deſcenderent in Chammatham Sabbato atque redirent in Gadaram: Aſt Chammathenſes non aſcendunt in Gadaram.*

Jam vero cum Gadara eſſet trans Jordanem, Chammath autem tam contigua Tiberiadi, & tam vicina etiam Gadaræ (regioni,) neceſſario concludendum eſt & Tiberiada & Chammatham Jordani fuiſſe propinquiſſimas: Jordanemque ſolum interſecuiſſe inter Tiberiada & regionem Gadarenam, non totum mare Geneſariticum, ut in tabulis.

Emmaus ab iis remota nimis locatur à Tiberiade.

Dicimus etiam ſitam fuiſſe Tiberiada ad *effluxum* Jordanis è mari Geneſaritico: nam, referente Joſepho, (e) diſtabat Scythopolis à Tiberiade CXX tantum ſtadiis (XV. M. paſſ.) quod fieri non potuit ſi ſtaret *Tiberias*, ubi poſita in tabulis, multo minus ſi ad influxum Jordanis in mare.

Prope Tiberiada & Chammatham, erat *Magdala:* vicinitatem ex his percipe. (f) *Paſtor quidam grandævus acceſſit dixitque coram Rabbi, Memini ego Magdalenſes aſcendiſſe in Chammatham, perque totam Chammatham ambulaſſe* (Sabbato.) *perveniſſeque ad vicum extimum, uſque ad pontem, Permiſit ergo Rabbi ut Magdalenſes irent in Chammatham, & pergerent per totam Chammatham, ad vicum extimum, uſque ad pontem.* (g) *Ob macella quædam, in plateis Tiberiadis, adactus eſt R. Simeon ben Jochai locum iſtum purificare. Quicunque ergo juxta Magdalam iter faceret, audire poterat vocem Scribæ dicentis, Ecce bar Jochai purificat Tiberiada.*

Erat villa, (h) Βηθμαῦς dicta, ἀπέχουσα Τιβεριάδος στάδια τέσσαρα. Hanc collocant tabulæ remotam inde nimis. Vocatur ea à Talmudicis בית מעון. (i) *Tiberienſes,* inquiunt, *qui in* בית מעון *Beth Moan aſcenderunt ut conducerentur in operarios, conducti ſunt ſecundum conſuetudinem Beth Meonis. At Bethmeonenſes qui deſcenderunt ad Tiberiada conducendi, conducti ſunt ſecundum conſuetudinem Tiberiadis.*

(l) Regio Genneſaritis juxta mare procurrens, longitudine XXX ſtad. latitudine XX (m) erat *vicina Tiberiadi:* In ea erat *Capernaum* oppidum: Confer Mat. 14. 34. & Marc. 6. 53. cum Joan. 6. 21, 24, &c. (n) Et fons ejuſdem nominis, regionem rigans.

P E R Æ A.

(a) Peræ *longitudo erat à Macharunte ad Pellam, latitudo, à Philadelphia ad Jordanem.*

(b) *In ea erat montanum, Mons Macvar & Gedor,* &c. *Planities Heſbon cum omnibus ſuis civitatibus quæ in planitie, Dibon & Bamoth Baal, & Beth Baal Meon,* &c. *Convallis, Beth haran & Beth Nimrah & Succoth.*

(c) *Montes* מכוור *Macvar*, celebrantur à Talmudicis. Inde forte nomen *Macharus.*

Tota regio trans-jordanica *Peræa* quidem audiit, at diviſa tamen ita erat, ut pars ejus Auſtralior ſingulatim *Peræa* vocaretur, pars reliqua *Batanæa* vel Baſanitis (ש in ת permutato pro idiomate Syro) *Trachonitis* & *Auranitis.* Sic dicitur à Joſepho, (d) quod *Herodi Antipæ* donata eſt à Cæſare ἥ τε Περαία καὶ Γαλιλαία, *Philippo* autem Βατανέα τε καὶ Τράχων καὶ Ἀυρανῖτις.

Urbs *Batanææ* præcipua olim erat *Golan* Joſu. 20. 8. unde tota regio diviſa in (e) *Gaulanitida ſuperiorem atque inferiorem.*

(f) Βαταναία ὡρίζετο τῇ Τραχωνίτιδι, *Batanæa terminabatur Trachonitide.* טרכונא מתחם לבוצרה (g) *Trachonitis autem extendebatur*, vel terminabatur, *ad Boſram.* Non *Boſram* Edomæam Eſai 63. 1. nec *Bezer* Rubenitarum Joſu. 20. 8. ſed *Boſor*, vel *Boſoram* in Gileaditide, de qua (h) Joſephus & lib. 1. Macabb. cap. 5. verſ. 26. Frequentiſſima hujus loci mentio apud Talmudicos ר״ יונה בוצרויא (i) *R. Jonah erat* Boſ*renſis* (l) *R. Simeon ben Lachiſh ivit ad* Bo*ſram*, &c. (m) *Auranitis* aliquando vocatur à Joſepho Ἀβρανῖτις.

(n) *A* Bethjeſhimoth, *ad Abel Scittim, erant milliaria duodecim:* Hinc arguunt Judæi, (o) caſtra Iſraelis in eremo fuiſſe quadraturæ duodecim milliarium, ab unoquoque latere, quia ſcriptum eſt, *Caſtrametati ſunt à* Beth *Jeſhimoth ad* Abel *Shittim.* Num. 33. 47.

(p) Ab *Abel ad Jordanem erant ſtadia ſexaginta* (VII. M. paſſ. ½.)

Non arridet vicinitas in quibuſdam tabulis oppidorum *Adam* & *Zaretan*, de quibus mentio Joſu. 3. 16. Diſtabant menſurâ Talmudicâ à ſe invicem, (q) XII. milliaribus: ſaciâ, totidem, aut pluribus, cum *Zaritan* foret contra *Succoth* 1 Reg. 7. 46. *Adam* autem locus, ubi ſtetit arca, in Jordanem illic intratura, atque eum arefactura: Hinc Pſaltes, אהל שכן באדם *Tentorium* quod *fixit in* Adam, Pſal. 87. 6.

(r) Civitates refugii, cis & trans Jordanem, ſic diſponunt Talmudici: *Juxta ſe,* inquiunt, *poſitæ erant hæ civitates, eo modo, quo duo vitium ordines in vinea. Hebron in Judæa, contra* Bezer *in eremo. Shechem in monte Ephraim, contra. Ramoth in Gileade. Cadesh in monte Nephtali, contra Gloan in Baſan. Erantque ita diſpoſitæ, ut tantum ſpatii eſſet ab ora* Auſtrali *terræ Iſraeliticæ ad Hebronem, quantum ab Hebrone ad Shechemam. Tantumque ab* Hebrone *ad Shechemam, quantum à* Schechema *ad Cadesh. Tantumque à* Schechema *ad Cadesh, quantum à Cadesh ad oram terræ Septentrionalem.*

Hippo Gemariſtis eſt (ſ) סוסיתה, quam ſupponunt eſſe regionem *Tob*, de qua mentio Judic. 11. 3. (t) *Jephtah habitavit in regione Tob* זו סוסיתה *id eſt, in* Sucitha. Si Græcè reddas, Ἐν Ἱππηνῇ.

Bethſaida, fide Joſephi, in *Gaulanitide* eſt collocanda, à littore maris Geneſaritici orientali: quam tabulæ univerſæ in Galilæa locant; (u) *Philippus*, inquit ille, *oppidum* Bethſaidam *ad mare Genneſariticum civitatis honore dignatus, ac multitudine habitantium, aliaque copia, de nomine Juliæ filiæ Cæſaris eam vocavit.* Alibique (x) Ὁ μὲν (Φίλιππος) πρὸς ταῖς Ἰορδάνου πηγαῖς ἐν Πανεάδι πόλιν κτίζει Καισάρειαν, κἀν τῇ κάτω Γαυλανιτικῇ Ἰουλιάδα. Bethſaidam condidit, vocavitque Juliada, Julias autem iſta fuit in inferiori Gaulanitide. Videtur ea *Julias* iſta eſſe, quam Plinius dicit eſſe (y) ab Oriente lacus Geneſaræ. (De punctatione ejus in ſequentibus hæſitamus). Erat alia *Julias*, ab Herode condita, antea (z) Βηθαραμφθᾶ dicta: Ea autem erat ad influxum Jordanis inquit Joſephus in Geneſariticum, nam *Jordanes* Joſephus *à lacu Samochonite* διαμείψας, ἑκατὸν εἴκοσι σταδίους, μετὰ πόλιν Ἰουλιάδα, διατέμνει τὴν Γεννησὰρ μέσην.

(a) Sheviith cap. 9. hal. 2. (b) Nat. hiſt. lib. 5. cap. 19. (c) Antiq. lib. 13. cap 20. (d) Domſi cap. 1. hal. 1. (e) Joſ. de bel. lib. 3. cap. 4. (f) Id. Antiq. lib. 12. cap. 12. & l. 5. c. 1. (g) R. Sol. in Domſi cap. 1. (h) Hieroſ. Megil. fol. 73. 4. (i) Id. Gittin. fol. 43. 3. (l) Id Sheviith fol. 35. 3. (m) R. Niſſin in Gittin. cap. 1. (n) Plin. lib. 5. cap. 13. (o) Hieroſ. Sheviith fol. 36. 2. (p) Hieroſ. Sanhedr. fol. 28. 4. (q) Antiq. lib. 18. cap. 3. (r) De bel. lib. 2. cap. 13. (ſ) Aruch. in גנסר. (t) Bab. Bava kama fol. 81. 2. (u) Antiq. lib. 5. cap. 1. (x) Hieroſ. Megil. fol. 70. 1. & Bab. Megil. fol. 5. 2. & 6. 1. (y) Joſ. in vita ſua. (z) Id. de bel. lib. 3. cap. 35. (a) Bab. Megil. ubi prius. (b) Hieroſ. Erubhin. fol. 23. 4. (c) Bab. Megil. ubi prius. (d) Hieroſ. Erubhin. ubi ante. (e) In vita ſua, mihi pag. 650. (f) Hieroſ. Erubhin. ubi ante. (g) Id. Sheviith fol. 38. 4. (h) Joſ. in vita ſua pag. 629. (i) Hieroſ. Bava Mezia fol. 11. 2. (l) Joſ. de bel. lib. 3. cap. 35. (m) Aruch in גנסר. (n) Joſ. ubi ſupr.

(a) Joſ. de bello lib. 3. cap. 4. (b) Hieroſ. Sheviith. fol. 38. 4. (c) Tamid. cap. 3. hal. 8. & Bab. Joma. fol. 39. 2. (d) Joſ. de bell. lib. 2. cap. 9. (e) Id. ib. c. 13. (f) Id. Antiq. l. 17. c. 2. (g) Hieroſ. Sheviith. fol 38. 3. (h) Antiq. l. 12. c. 12. (i) Hieroſ. Nedarim fol. 40. 4. (l) Id. Horaioth f. 48. 1. (m) Antiq. l. 15. c. 13. (n) Hieroſ. Sheviith. fol. 36. 3. (o) Id. Gittin. fol. 43. 3. vid. Targ. Jonath. in Numer. 2. 2. (p) Joſ. Antiq. lib. 5. cap. 1. (q) Hieroſ. Sotah. f. 21. 4. (r) Bab. Maccoth. fol. 9. 2. (ſ) Hieroſ. Roſh haſhan. f. 54. 4. (t) Id. Sheviith f. 36. 3. (u) Antiq. l. 18. c. 3. (x) Id. de bel. lib. 2. cap. 13. (y) Nat. hiſt. l. 5. cap. 15. (z) Joſ. Antiq. l. 18. cap. 3. (zz) Id. de bel. lib. 3. cap. 35.


CILICIÆ PARS
Tharsus
Ciliciæ Fretum
MARIS
CYPRUS
Mare MEDITERRANEI Syriacum PARS
Mare Ægyptium
ÆGIPTI PARS
Babylonia n. Cairus
Sinus Arabicus
Comagene
Antiochia
Coe Syria
Syria Caya
Palestina
ARABIA PETRÆA
ARABIÆ DESERTÆ
ARABIÆ FELICIS PARS
MESOPOTAMIÆ PARS
Samosata
Milliaria unius horæ
SYRIÆ VETERIS DESCRIPTIO.


CASTRA ISRAELITA
Iuda
Isachar
Reuben
Simeon
Gad
Moses
Ephraim
Occiden

CHOROGRA
TERRÆ SA
DESCRIPT


ARABIÆ DESERTÆ PARS
Regio Edom
AMMONITARUM GENS ET REGIO
TERRA GALAAD
seu GALAADITIS Regio
TRIBUS GAD
MARE GALILÆÆ Cenereth et Tiberiadis quod et Stagnu Genesareth
Capharnaū
Tiberias
DIMIDIA TRIBUS MANASSE
TRACHONITIS
GALILÆA SUPERIOR
GALILÆA INFERIOR
TRIBUS NEPHTALIM
TRIBUS ZABULON
TRIBUS ASER
SAMARIA
TRIBUS MANASSE
Campus magnus
Esdrelon et Mageddo
Tyrus
Sidon
Carmelus promontorium
Cæsarea Palestinæ
Damascus
MARE MAGNUM siue
Oriens
Meridies
Septentrio
Notarum explica
Sic Urbes notantur
Sic Arces maiores
Litteræ aliquot occurrunt e quibus a. vel al significat
Milliaria unius hora


LITARVM IN DESERTO.
Oriens
Issachar
Zebulon
Nephtali
Tabernaculum
Asher
Dan
Aaron
Manasseh
Beniamin
Occidens
Septentrio


MARIS MEDITERRANEI PARS
Mare Syriacum
Mare Ægyptiacum
PALESTINÆ PARS
Alexandria
DELTA
Nitria
Pelusium
Sirbonis
Magdalum
Tanis
Ramesse
TERRA GESSEN
Nilus fluvius
Traianus fluvius
Heliopolis
Socoth
ÆGYPTI PARS
Babylon
Memphis
Etham
Phihaïroth
CEDAR REGIO Agarenorum seu Ismaelitarum
Raphidim
Mara
Elim
Sin
MARIS RUBRI sive SINUS ARABICI PARS
Aziongaber
Elath
Euila Solitudo
Amalech
AMALECITIS REGIO
ARABIÆ PARS
Cades Barne
Holmon
Dibongad
Abarim
Salmona
Oboth
Phunon
Hor mons
Lebna
Ressa
Ceelata
Sepher mons
Arada
Maceloth
Thaath
Thare
Methca
Hesmona
Moseroth
Beneiacan
Gadgad
Hebrona
Ietebatha
Sina mons
Oreb
Alus
Daphca
PEREGRINATIO ISRAELITARUM IN DESERTO
Milliaria unius Horæ

GRAPHICA
SANCTÆ
RIPTIO.


PHILADELPHIA
Arnon
MOABITIS
TRIBUS RUBEN
Campestria Moab
Solitudo Cademoth
Mathana Solitudo
Desertum Deblatha
REGIO Madian Urbs et Regio
Zareth Vallis Nemrim
DESERTUM MOAB
ARABIÆ PETRÆÆ PARS
MARE MORTUUM et salsum et Lacus Asphaltidis
Adama
Sodoma
Gomorra
Seboim
Desertum Engaddi
TRIBUS IUDA
Desertum Maon
Desertum Ziph
Desertum Iudææ
Damascenus
Terra Gosen
Desertum Thecuæ
Bethleem
Ierusalem
Hebron
IDUMÆA
Desertum Idumææ
DESERTUM PHARAN
Cenezæi
Idumæa
Cades Barne
Thaman
Bosra
Dedan
Gerara
Vallis Gerarim
Bersabee
Solitudo Bersabee
Desertum Arenosum
Raphia
Rinocorura
TRIBUS SIMEON
EXTERIOR
Regio
PHILISTIN
PHILISTÆI
Azotus
Gaza
Ascalon
Accaron
Geth
TRIBUS DAN
Campestris
Vallis Botri
Ioppe
Carmelum promontorium
TRIBUS EPHRAIM
THAMNITICA TOPARCHIA
GOPHNITICA TOPARCHIA
TOPARCHIA
SAMARIA
Iericho
Iordanis
TRIBUS GAD
Vallis Ennon
Mare sive MEDITERRANEUM
rum explicatio
aiores
Sic minores
Sic Vici et Pagi
al significat alias. n. nunc. o. olim. p. prius illa loca sic fuisse appellata
a unius horæ
W. Hollar fecit, 1657.


VERA
HIEROSOLYMAE
VETERIS IMAGO
Castra Pompeij
MONS GION
Fons Gion inferior
Fons Gion superior
Regis
PER FULLONIS
TEMPLUM
Regia David
D. Capita
Forum superius
MONS
SION
D. Eliasib
Curia
TEMPLUM
Carcer
Regia
Fons Rogel
Sep. Isaiae
Equorum
Hortus
Regia
M. Absolon
VALLIS
PARS MON
SCALA CVBITOS SACROS EXAEQVANS ANTIQVIORIBVS AC RECENTIORIBVS STADIIS ET MILIARI MEDIO ITALICO.
100
200
300
400
500
600
700
800
900
1000
Cubiti Sacri
Stadia antiqua
Stadia recentiora
Miliare medium Italicum
P. Fortani
T. Turrim
D. Domini
EROGE
MONS


COLLIS GOREB
MVRVS ALIENVS
Mons Reginae Adiabenorum
Castra Titi
MONS CALVARIAE
Sepulchrum Christi
Regio mortuorum
COL GOATHA
P. Vallis
ANTIQVVS MVRVS
P. Ephraim
MONS ACRA
CIVITAS SALEM MELCHISEDECHI
Arx Antiochi
Theatrum
D. Herodis
Curia
D. Pilati
TEMPLVM SALOMONIS
Antonia
Forum materiae
Probatica piscina
Forum pecuarium
D. Iudicialis Custodia
Forum piscarium
CAENOPOLIS
Mons Herodis
P. Gregis
T. Emath
P. Beniamin
Hanania
Castra Assyriorum
TORRENS CEDRON
VALLIS IOSAPHAT
Sep. B.V.M.
MONTIS OLIVETI
W
S
N
E
Wenceslaus Hollar Boh: fecit. 165

T

u

Cun

Dix

Dec

Præf
Cap
au
Exce
Cap
P
Exce
Ad

S
car
cen
oper

ΤΡΙΣΑΓΙΟΝ

SIVE

TEMPLI HIEROSOLYMITANI

Triplex Delineatio:

Una ex Scriptura juxta mentem Villalpandi & deſcriptionem ab eo factam, altera ex Joſephi mente & deſcriptione, tertia ex Judæorum in Talmude deſcriptione, & juxta menſuras ab ipſis iſthic traditas.

Per ***LUDOVICUM CAPELLUM*** S.T.D. *& Linguæ Hebraicæ*
Profeſſorem Salmurienſem.

De hoc Commentario illuſtre extat D. Hugonis Grotii Teſtimonium in notis ad Ezech. Cap. 40.

Cum totum hunc Ezechielis de Templo locum accurate nobis expoſuerit vir admirabilis diligentiæ, præterea Architecturæ linguarumque Latinæ, Græcæ, Hebraicæ, & Chaldaicæ peritiſſimus Villalpandus, omnes diſcendi cupidos hortor ut eum adeant, ſimulque opto ut edantur etiam quæ vir raræ Eruditionis Capellus poſt eum obſervata premit hactenus.

1 PAR. 22.

Dixitque David, Hæc eſt Domus Dei & hoc Altare in holocauſtum Iſrael. Et præcepit ut congregarentur omnes Proſelyti de terra Iſrael, & conſtituit ex eis latomos ad cædendos lapides & poliendos, ut ædificaretur domus Dei &c. *Ligna quoque cedrina non poterant æſtimari, quæ Sidonii & Tyrii deportaverunt ad David, & dixit David, Salomon filius meus puer parvulus eſt & delicatus; Domus autem quam ædificare volo Domino, talis eſſe debet ut in cunctis regionibus nominetur; Præparabo ergo ei neceſſaria,* &c.

2 PAR. 2.

Decrevit ergo Salomon ædificare domum Domini & palatium ſibi. Et numerarit LXX M. virorum portantium humeris, & LXX M. virorum qui cæderent lapides in montibus, præpoſitoſque eorum 3600. *Miſit quoque ad Hiram Regem Tyri, dicens, Sicut egiſti cum David patre meo, & miſiſti ligna cedrina, ut ædificaret ſibi domum, in qua & habitavit: Sic fac mecum, ut ædificem domum nomini Domini Dei mei,* &c. Domus *enim quam ædificare cupio magna eſt, magnus eſt enim Deus noſter ſuper omnes deos. Quis ergo poterit prævalere ut ædificet ei dignam domum, &c. Mitte ergo mihi virum eruditum* &c. *Mitte & ligna cedrina mihi & arceuthina, & pinea de Libano,* &c. *Ut parentur mihi ligna plurima,* Domus *enim quam cupio ædificare magna eſt nimis & inclyta.*

Contenta hoc Libro hæc ſunt.

Præfatio ad Lectorem,
Cap. 40. Ezechielis continet Atrii Iſraelis in Templo deſcriptionem; ejus autem habetur Paraphraſtica Villalpandi Explicatio, p. 3
Excerpta ex Villalpando ad Cap. illius Illuſtrationem, p. 5
Cap. 41. Ezechielis continet Templi ſtrictè dicti deſcriptionem; ejus habetur Paraphraſtica Villalpandi explicatio, p. 9
Excerpta ex Villalpando ad cap. illius illuſtrationem, p. 10
Ad cap. 42 Ezechielis Excerpta ex Villalpando, p. 14
Ad cap. 46. Ezechielis Excerpta ex Villalpando, p. 16
Altare æneum, ib.
Æneæ Columnæ, p. 17
Symmetria Architecturæ Sacræ, p. 18
Templi Admiranda, p. 20
Summa totius ſtructuræ Templi, ejuſque magnificentiæ, & Salomonis gloriæ atque opulentiæ, ib.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

SI viri doctrina & fama celebres laudi ſibi duxerunt ſcripſiſſe de Magnitudine Romana, & magna cum omnium æſtimatione operam ſuam collocarunt in exquirendis, illuſtrandis, depingendis atque delineandis magnificentiſſimis veterum Græcorum, Romanorum, Ægyptiorum & Babyloniorum operibus atque ædificiis, Templis nimirum, Ædibus ſacris, Foris, Porticibus, Circis, Theatris, Amphitheatris, Thermis, Manſolais, Pyramidibus, Hortis penſilibus, Coloſſis, Signis, Statuis aliiſque ejuſmodi multis, nemo puto jure culpabit aut vitio vertet ſiquis Magnitudinem nulli comparandam, & Ædificium omnium longe magnificentiſſimum, cui nullum unquam in toto terrarum orbe par fuit aut ſecundum, deſcribere (Salomonis inquam *gloriam, ſplendorem, & Templum ab eo Deo Opt. Max. ſacratum omnium oculis conſpiciendum proponere) aggrediatur. Memini cum infans adhuc oblectarem me Sacræ V. & N. T. Scripturæ lectione, vehementer me captum fuiſſe elegantia ſtructuræ Tabernaculi Moſaici, & ad illius formam extructi poſtmodum Templi Salomonici, ac quoties in Tabulas, quibus illa depicta proponuntur, oculos conjiciebam me ſtudio quodam vehementi accenſum fuiſſe penitius tenendi modum, rationem ac formam diviniſſimæ illius fabricæ: verum cogebar tum contentus eſſe illis, quæ in S. Bibliorum vulgatis editionibus habentur, Tabulis, figuris atque delineationibus vulgaribus, ut ut minus accuratis. Mox quum pene puer adhuc, ac vix in ephebis eſſem, contigit forte quadam mihi grande Villalpandi opus, ejuſque de Templo Salomonico Tabulas longe elegantiſſimas & accuratiſſimas ſemel oculis uſurpare, ſed neque ætatis neque ſtudiorum meorum ratio ferebat ut illi rei tum vacarem, neque etiam copia libri mihi longior tum facta eſt, quam ut operis titulum & ad brevis horulæ momentum Tabulas oculis leviter illuſtrarem atque percurrerem, unde aliud nihil tum menti & memoriæ hæſit, quam Authoris nomen & levis atque evanida quædam ſpecies, valdeque obſcura tanti ædificii imago, ſed quæ videbatur mihi Vulgaribus illis quæ in Bibliis circumferuntur longe accuratior & elegantior multo. Cum aliquot poſt annis Hiſtoricæ Apoſtolicæ meæ illuſtratæ conſcribendæ hic vacarem, atque nonnulla ex Joſepho quæ ad illius illuſtrationem faciunt exſcriberem, &, ad illius calcem adjicerem, atque inter ea Templi Hieroſolymitani ἰχνογραφίαν quam tum dedi meditarer atque animo conciperem, ſubiit animum vehemens auguſtiſſimum illud ædificium illuſtrandi deſiderium, juxta illam quam Joſephus tradit deſcriptionem; cumque in eam rem varia conquirerem ac commentarer, adeoque tractatum Talmudicum qui* מדות *inſcribitur (nondum tum temporis a D. Conſtant. L' Empereur editum) legerem atque interpretarer, ut lucem aliquam ex duplicis illius (Judæorum Thalmudiſtarum & Joſephi) deſcriptionis collatione elicerem, meque diu multumque in eo ſtudio fatigarem, venit in mentem me Villalpandi Tabulas olim oculis uſurpaſſe, quæ & elegantiſſimæ & accuratæ admodum mihi tum viſæ fuerant, itaque me actum forte agere & operam ludere, dum ſine illius libri ſubſidio inani labore memet in hoc propoſito excrucio. Itaque quæſivi opus illud, ac tandem ab amico accepi mutuo, quod cum legiſſem & Tabulas ejus diligenter excuſſiſſem, deprehendi me revera actum agere, vixque quidquam addi poſſe ad hominis illius induſtriam & diligentiam ſumme commendabilem. Quare conatum meum pene puerilem riſi & depoſui, ſtudiumque & propoſitum meum abjeci, totumque me converti in ſtupendi illius ædificii admirationem, ſeriamque & attentam ex Villalpandiana illa deſcriptione conſiderationem, quæ quoniam me vehementiſſime capiebat, totumque veluti extra me rapiebat, nec copia mihi fiebat libri illius niſi ad tempus, nec aliunde pretio mihi eum comparare poteram, impetrata ab amico illo libri ipſius diuturniore paulo copia, Tabulas Villalpandi omnes, quæ ad ſtructuram illam pertinent, ut potui, rudi quidem & craſſa Minerva (neque enim ullam pingendi aut fingendi artem calleo) deſcripſi atque delineavi (ita tamen ut ubique in omnibus Tabulis accuratam menſurarum & proportionum exactiſſimam rationem obſervaverim) eaque omnia quæ ad Tabularum illarum planam & plenam intelligentiam faciunt ex Villalpandi Commentario verbatim exſcripſi in privatum uſum, ut per otium recurrere eo poſſem, atque ex Tabulis & Excerptis illis tanti tamque divini Ædificii formam, figuram, rationem, ſitum, modum, diſpoſitionem, proportionem, elegantiam, pulchritudinem, magnificentiam, planeque ſtupendam gloriam & ſplendorem animo capere atque meditari, quum liberet, valerem. Quod quum ante annos fere quindecim perfeciſſem, peneſque me aſſervarem, ac interdum amicis communicarem, data non ita pridem occaſione ex loco Aggæi 2. verſ. 3, 7, 8, 9. qui veniebat mihi tum explicandus, totam auguſtiſſimi illius Templi formam & diſpoſitionem Auditoribus meis ex Tabulis & Excerptis Villalpandianis fuſe ſatis aliquot Prælectionibus explicavi, tum ad pleniorem loci illius Aggæi intellectum, tum quia accurata divinæ illius Fabricæ cognitio magnam affundit lucem quamplurimis Scripturæ Veteris & Novi Teſtamenti locis in quibus Templi illius aliqua fit mentio. Dum in eo ſum, & Tabulas atque Excerpta mea ex Villalpando diligentius excutio, viſus ſum mihi deprehendere nonnulla etiam momentoſa & καίρια, in quibus vir ille (alioquin longe ſane diligentiſſimus & accuratiſſimus) meo quidem judicio lapſus eſt atque hallucinatus in tam eximio opere, uti nihil ſolet eſſe ab omni parte in rebus humanis beatum, nec facile cuiquam datum eſt grande aliquod atque eximium inchoare, ſimulque perfectum atque omni ex parte abſolutum opus dare: Ac quoniam præſtantis illius viri opus ſpiſſum eſt, ac tribus Tomis ſat craſſis, forma quam* in folio *vocant conſtans, elegantiſſime Romæ ante annos pene quadraginta excuſum, quod vix amplius vænale proſtat, nec niſi magno comparari poteſt pretio, putavi me rem non ingratam facturum, ſi Tabulas ejus & Excerpta ac paucas meas in ea Animadverſiones atque Caſtigationes (quas ex literis L. C. in earum capite præmiſſis agnoſces, atque a Villalpandianis Excerptis dignoſces) in compendium contraherem & in publicum ederem, in eorum ſaltem gratiam & uſum quibus non datur adire Corinthum, h. e. tanto tam grande opus ſibi redimere pretio. Illi ex brevi hoc noſtro Compendio quicquid ad Fabricæ illius diviniſſimæ illuſtrationem atque veram intelligentiam pertinet, habere poterunt plane & accurate ſatis. Ex cujus ſeria conſideratione atque diligenti contemplatione, piaque & attenta meditatione puto eos non minorem percepturos ſinceram voluptatem quam ego ſenſiſſe me profiteor, dum illa exſcriberem atque delinearem, tantum eſt tamque admirabile divini prorſus illius Operis artificium, ſtructura, diſpoſitio, proportio, elegantia, pulchritudo, ornatus, ſplendor, divitiæ, opes, decor & Majeſtas plane incomparabilis, in quo ſumma elucet ac plane Divina Authoris ſui (Dei inquam, Opt. Max.) in eo architectando ſapientia. Adeoque in eo delineando atque deſcribendo prodit ſe nunquam ſatis laudanda Villalpandi ipſius diligentia atque induſtria in conquirendis iis omnibus quæ ad Fabricæ illius menſuras, ſtructuræ formam atque diſpoſitionem quomodocunque faciunt; quæ que ipſe undecunque ex libris tum ſacris tum profanis indefeſſo labore & ſumma ſedulitate collegit, magna induſtria inter ſe compoſuit, ſollicito ſtudio expendit, magna arte contexuit, & exquiſita Architecturæ cognitione tam apte diſpoſuit, ut quamvis vim verbis inferre, varia earundem vocum ſignificata comminiſci, ſenſumque illis coactum, durum atque ab earundem ſignificatione longe abeuntem affingere, connectenda divellere, divellenda connectere, ac omnia pene ſuſque deque interpretanda miſcere videatur; tamen quoniam admirabile hoc Opus (tam inter ſe conſonum, omnibuſque numeris & partibus abſolutum) inde eduxit, atque artificioſiſſime delineavit, (cujus pulchritudo atque forma omnium intuentium excitat admirationem, eoſque pene dat in ſtuporem) a Lectore impetrat, ac pene imperat & cogit, & vel ab invito exſculpit quaſi aſſenſum, & renitentem ſui Lectorem poſt ſe vi quadam trahit, ut fruſtra obluctari coneris (cum aliter explicare non valeas) ut aliud ab iſto diverſum ædificium extruas, cujus omnes partes tam admirabili proportione tamque apta diſpoſitione ſint conſtitutæ, tanta conſenſione inter ſe concordent, tam accurata ſymmetria, tamque exacta συμφωνίᾳ, & omni genere harmoniæ ſint connexæ atque contemperatæ, quæ partium tanta conſentio & ſymmetria prorſus admiranda ſtructuræ ipſius veritatem & Explanationis Villalpandianæ commoditatem firmo atque indubitato pene adſtruere videtur argumento. Niſi enim veritas ſubeſſet, ſi commentum cerebri humani tota hæc delineatio eſſet, omnia non ſic apte cohærerent, aliquid dehiſceret aut nutaret, vel ſubſidente fundamento moles fatiſceret atque collabaſceret, aut extra gnomonem & perpendiculum aliquid promineret, vel in hanc aut in illam partem propenderet, aut a traditis in Scriptura menſuris quoquo modo diſcederet atque exorbitaret. Habes itaque hic, benigne Lector, tam admirandi Ædificii tam ſtupendi Templi planam, plenam, luculentam (etſi compendioſam ex longe majore opere contractam) deſcriptionem, atque ingenioſiſſimam elegantiſſimamque delineationem variis Tabulis artificioſiſſimis expreſſam, ut jam totum illud opus longe auguſtiſſimum atque diviniſſimum animo capere & memoria facile tenere poſſis. Unde multa in Scriptura, vel de Templo iſto dicta, vel quæ ſine ejus accurata cognitione capi plane non poſſunt, lucem accipiunt non contemnendam. Videbis in toto terrarum orbe nihil fuiſſe Templo iſti materia, arte, pretio, forma, magnitudine, ſplendore, magnificentia atque opulentia comparandum. Et merito quidem, cum non modo uni vero Deo, cœli terræque Domino, fuerit ſacratum, verum etiam ejus juſſu atque ductu, eo authore atque delineatore & veluti Architecto fuerit extructum.*

Porro ſi quis indignetur nos aliquid in tam abſoluto Villalpandi opere audere reprehendere, atque id temere a nobis factum eſſe conqueratur, audiat ipſum Villalpandum Præfatione ad Lectorem Tom. 2. Part. 2. Neque tamen (*inquit*) ita diſputo quaſi putem opera mea factum eſſe ſatis officio, præreptumve aliis locum, aut demum peractum aliquid amplius, quam ut jecerim tanquam fundamenta ex quibus excitatura ſit ſubinde poſteritatis induſtria molem operis cumulatiorem, via ſc. eſt indicata duntaxat qua perfici plurimum poſſit, edolatumque lignum quod deinceps ab aliis expoliatur. *Sane pauca admodum ac pene nihil in tota Templi fabrica atque ſtructura a me reprehenditur, ſi unum Atrium Gentium excipias cum ſuis Porticibus, quæ una litura videntur omnino expungenda, quod loco Ezechielis perperam intellecto, ac levi conjectura, tanquam inani fundamento a Villalpando ſuperſtructum totum illud Atrium collabaſcere ac ruere neceſſe ſit. Quod ſi quis a me temere factum conqueratur, videat noſtram in eum locum Animadverſionem, atque ea accurate expenſa tum demum pronunciet id quod ipſi videbitur. Cæterum Templum Ezechieli ab Angelo demonſtratum (ex cujus menſuris & delineatione hoc Villalpandianum eſt extructum) Villalpandus vult tale plane eſſe & prorſus geminum cum eo quod a Salomone fuerat extructum, & a Chaldæis paulo ante erat everſum, quod ego quidem nolim exerte & præfracte negare; at argumenta tamen, quibus illud Villalpandus lib. 1. cap. 1. conatur adſtruere, levia admodum ac futilia videntur. Quorum primum illud eſt, quod utrumque monti excelſo inædificatum fuerit. II. Quod utrique duplex fuit Atrium, interius & exterius. III. Quod* in utroque exterius Atrium cinxerit undique & quaſi gremio ſuo complecteretur interius Atrium. IV. Quod Atria illa fuerunt in utroque ampliſſima, quæ & totum Iſraelem ad feſta convenientem, & Sacerdotes miniſtrantes in hebdomada ſeu ἐφημερίᾳ ſua caperent, & Gazophylacia tot & tanta haberent, quæ omnes populi decimas & primitias caperent in apothecis & horreis ſuis, ex quibus 38 m. Levitarum alerentur, qui conſcripti ſunt Tempore Davidis. *Nam ſi hæc argumenta valida ſunt iiſdem concludetur Villalpandianum hoc Templum idem plane eſſe & prorſus geminum cum Herodiano, cujus ἰχνογραφίαν in Hiſtoriæ noſtræ Apoſtolicæ calce dedimus ex Joſephi Hiſtoria delineatam, nam & quatuor illa Herodiano illi Templo ad amuſſim conveniunt. Conveniunt etiam Judaico ſeu Talmudico (ut ita dicam) Templo, cujus menſuræ & deſcriptio a Talmudicis Scriptoribus in Tract. Middoth. traduntur, uti videre eſt ex delineatione quam ex illo Tractatu dedit Doctiſſim. vir D. Conſtant. L'Empereur, Linguæ Hebraicæ in Acad. Leydenſi Profeſſor notiſſimus. Siquis tamen conferat triplicis illius Templi veſtigia ſeu ἰχνογραφίας plurimum inter ſe diſtare comperiet, etſi in quatuor illis a Villalpando modo notatis conſentiant. Sane Villalpandianum Templum Herodiano ſeu Joſephiano & Talmudico ſeu Rabbinico multo amplius eſt, nempe toto Gentium Atrio quod (uti modo dicebamus) Villalpandus ex loco Ezechielis perperam intellecto confinxit, nos vero propterea expunximus. At quantumvis iſtis longe amplius ſit, non potuit tamen totum Iſraelem (totum, inquam, proprie & ſtricte loquendo) ad feſta convenientem capere ſi vera eſt Villalpandi (quæ ſuo loco a nobis expenditur) de populi Iſraelitici in ſola Chanaanitide habitantis multitudine ſententia, quem ad 66 milliones hominum bellatorum conſurgere facit. Certe ne quidem tota Hieroſolyma (nedum Templum) tantam hominum ſimul convenientium multitudinem capere ferme potuiſſet. Sed neque etiam neceſſe fuit ut tantum tamque capax & amplum eſſet Templum, ut ſimul uno eodemque temporis puncto atque momento omnes Iſraelitarum puberes caperet; etſi enim a*

Deo jubebantur adeſſe ſolennibus feſtis, certum eſt tamen non omnes adfuiſſe, imo maximam partem ſæpe & paſſim abfuiſſe. Deinde etſi adfuiſſent omnes Jeroſolymis, neceſſe non erat ut eodem temporis puncto omnes ſimul in Templo adeſſent; poterant enim per vices his decedentibus alii ſuccedere, atque ſic variis temporis momentis eodem die, aut ſi non eodem die, diverſis ſolennium feſtorum diebus, qui ſepteni erant, ſinguli Templum ingredi atque iſtic coram Deo ſe ſiſtere. V. Villalpandi argumentum hoc eſt, Utrumque Templum fuiſſe Eccleſiæ Chriſti ſymbolum & veluti exemplar, quam uno non diverſis exemplaribus decuit adumbrari. *Quaſi vero unum idemque in Scriptura paſſim variis typis atque figuris non adumbretur. Ac ut ne longius abeamus, nonne unius ejuſdemque rei typus & exemplar fuit tum Templum Salomonicum tum Tabernaculum Moſaicum? Annon tamen magnum fuit inter utrumque diſcrimen, non amplitudinis modo ſed & formæ etiam ſeu figuræ reſpectu? etſi enim Templum Salomonicum ad Tabernaculi formam utcunq; fuerit conformatum, tamen duo in Templo fuerunt, quorum nullum fuit in Tabernaculo veſtigium atq; umbra, nempe I. Veſtibulum ante locum Sanctum. II. Cellæ Templo circumpoſitæ, ut jam alias quæ inter utramque interceſſerunt ſtructuram diverſitates atque diſcrimina taceam. Quidni pariter deſcriptio Templi quæ eſt apud Ezechielem poſſit eſſe major atque magnificentior Structura ipſius Salomonis, etſi illa ad iſtam utcunque ſit compoſita atque conformata? VI. & ultimum Villalpandi argumentum hoc eſt, quod habetur cap. 12. diciturque ex Ezechielis (cap. 43. v. 10, 11.) verbis,* Oſtende domui Iſrael templum, & confundatur ab iniquitatibus ſuis. *Unde ſic argumentatur Villalpandus,* Si aliquid denuo excogitatum ad Eccleſiam repræſentandam Templum, quodque ſit ab illo Salomonis longe diverſum, oſtendendum præcipiatur, quidnam illud confuſionis pariat? quid erubeſcant? cum illud nihil omnino ad commiſſa ſcelera ſpectare videatur; imo vero Deum præteritorum criminum penitus oblitum indicaret ejuſmodi Templum; admirandaque & prope cœleſtis ac divina Eccleſiæ fabrica, Templi illius novi magnificentia præſignata, excitaret utique jacentes Iſraelitarum Babylone animos in ſpem potius quam in verecundiam. At contra vel ipſa Jeroſolymitani Templi recordatio, nedum ipſa ejus ſpecies oculis objecta, cum præſenti Captivitate collata, præterita illa Templi magnificentia & gloria cum præſenti Captivitate collata, quaſi contrariis contraria, omnem excitarent animi ſenſum, dolorem, confuſionem, verecundiam. *Verum fallitur Villalpandus cum putat Deum eo loco velle ut Propheta repræſentatione figuræ Templi illius Judæos ad pudorem & confuſionem adigat, quod tam ſanctum Templum (Salomonicum nempe cujus hæc erat figura) ſceleribus ſuis contaminaſſent atque Idololatria polluiſſent. Non hoc vult iſtic Deus; imo jubet populum prius de peccatis & ſceleribus ſuis ſerio pœnitere, ac pudore propter ea ſuffundi, tum ubi pœnitentiam ſuam prodiderint, jubet illis a Propheta proponi figuram ſeu exemplar Templi illius quod Angelus Ezechieli demonſtraverat; quod manifeſtum eſt ex v. 11.* אם נכלמו *&c. tum (inquit Deus)* הודע *&c. h. e.* ſi pudeat eos, *i. e. ubi eos puduerit de peccatis ſuis,* tum oſtende illis Templum hoc, *&c. Non ergo illis proprie oſtenditur Templum ut illa repræſentatione confundantur, ſed ut prius confuſi Deum juxta illius Templi modum & rationem colant. Proponitur autem illis Templum hoc ut typus cultus Spiritualis Evangelici quo Deus proprie coli amat, non autem carnali Legis cultu. Itaque hoc proprie Deus vult eo loco per Prophetam, Se nimirum non delectari carnali illo & Legali cultu quo hactenus illi apud eum defuncti erant, ſed alium ab illo longeque diverſum magiſque ſibi gratum cultum (Spiritualem nempe, cujus in Templi iſtius imagine ejuſque ritibus omnibus, non parum a Moſaicis diverſi, typum habebant) poſtulare ab ipſis, adeoque & ſe inter eos conſtituturum quum per Meſſiam eos ad ſe vocaturus eſſet. Spiritualem nempe cultum umbris & figuris illis ſignificari nemo eſt Chriſtianus qui neget, nemo Judæus niſi præfractus & plane obduratus qui negare audeat, cum in illa Ezechielis deſcriptione tota multa ſint quæ ne impudentiſſimus quidem Judæus auſit contendere ad literam eſſe intelligenda, ut quæ de Aquis dicuntur quæ de limine Templi manabant, tum quæ de Jeroſolymorum & terræ Chanaanitidis diviſione atque diſtributione dicuntur, aliaque multa quæ ad literam ſumpta abſurda ſunt & ἀδύνατα, ut manifeſtum inde ſit ea ſpiritualiter eſſe intelligenda.*

Ibidem vult Villalpandus Templum a Zorobabele inſtauratum fuiſſe juxta formam, modum, menſuras & rationem hic ab Ezechiele traditam. Verum Primo ſtare id non poteſt niſi id aſſeratur quod a Joſepho traditur, ſed a Villalpando exerte negatur, nempe Herodem a fundamentis totum Templum inſtauraſſe, & veterem iſtam Templi formam atque diſpoſitionem immutaſſe. Nam Templi quod a Joſepho deſcribitur forma non uſquequaque cum iſta Villalpandiana congruit atque quadrat, uti videre eſt ex utriuſque Veſtigii (tum iſtius Villalpandiani tum illius Joſephiani quod dedimus in Hiſtoria noſtra Apoſtolica) collatione. Deinde vix videtur credibile Judæos Zorobabelis tempore potuiſſe tot Porticus & Atria juxta illam formam Villalpandianam extructa ſuper antiqua Salomonis fundamenta erigere, niſi forte dicamus illa non fuiſſe a Chaldæis everſa & ſolo æquata, ſed duntaxat ſuperiora Cœnacula Porticibus impoſita fuiſſe igne a Chaldæis abſumpta, parietes autem & columnationes manſiſſe integras atque intactas. Sic enim fieri potuit ut Judæi paulatim per multos a ſoluta Captivitate annos cœnacula illa inſtaurarint, ita ut quod de Templo a Zorobabele extructo dicitur intelligendum ſit de Templo ſtricte ſic dicto, loco nimirum Sancto & Sancto ſanctorum, cum Veſtibulo ſeu Turri ante locum Sanctum. Sed ſi ita ſe res habuit Herodes proculdubio nihil in Templi inſtauratione tentaſſet, neque tam aptam & concinnam partium omnium Templi diſpoſitionem, harmoniam & ſymmetriam immutaſſet. Quid autem ſentiendum videatur de teſtimonio Joſephi qui Templum Jeroſolymitanum totum vult denuo ab Herode inſtauratum, aliquid hic in noſtris ad Villalpandum Notis dicitur, & plenius aliquando dicetur, ſi forte Deus dederit ea quæ olim de illa Templi Joſephiana, & Talmudica in Tractatu Middoth, deſcriptione commentati ſumus, edere atque illam cum iſta Villalpandiana conferre. Interim iſta omnium, uti videtur, abſolutiſſima, & ad quam reliquæ referri, atque ex ea intelligi debeant, contentus, benigniſſime Lector, eſto: huncque noſtrum, etſi debilem, at non illaudabilem, conatum pro tua humanitate ſuſcipito, & quicquid hic a nobis peccatum fuerit clementer ignoſcito.

CAP. XL. *EZECHIELIS*

PARAPHRASTICA

Explanatio ex VILLALPANDI Explanationum

Tom. 2. Part. 2. lib. 3.

V. 1. IN *25 anno tranſmigrationis noſtræ*] Anno 25 tranſmigrationis Regis Joachim quæ propterea populi dicitur tranſmigratio, quòd tunc primum cum Rege populi principes, ac vulgus in captivitatem fuit abductum. *Noſtram* vocat eam Propheta quod ipſe quoque adhuc puer tunc Babylonem fuerit abductus Anno à prima Viſione Ezechielis 20. regni Aſſyriorum 50. Nabuchadnoſſoris 32. *In exordio anni decima menſis*] In primo anni menſe qui Niſan dicitur. *Decimoquarto anno poſtquam percuſſa eſt civitas, in hac ipſa die*] Decimoquarto anno ſubverſæ urbis atque incenſi Templi, qui fuit Sedechiæ undecimus, primi menſis decimâ die, quâ agni Paſchate immolandi inferebantur in urbem, & quâ Chriſtus verus agnus die Paſchatis immolandus urbem ingreſſurus erat, à turbis palmis excipiendus. *Facta eſt ſuper me manus Domini*] Vis quædam Divina irruit ſuper me. *Et adduxit me illuc*] Adductus fui in urbem jam ante à Deo percuſſam. V. 2. *In viſionibus Dei adduxit me in terram Iſrael*] Tam illuſtris ac perſpicua viſio mentis meæ oculis objecta fuit ut corporeis oculis cernere viderer proprium ſolum, terram inquam Iſrael. *Et dimiſit me ſuper montem excelſum nimis*] Dimiſit me ſuper montem Moria cujus nomen ipſa celſitudinis commemoratio indicat. *Super quem erat quaſi ædificium civitatis vergentis ad Auſtrum*] Super quem montem ædificium erat Templi, mihi è Babylone venienti à meridie objectum, quod civitati erat quàm ſimillimum. V. 3. *Et introduxit me illuc*] Et adduxit me ad Templi januam quæ in Aquilonari peribolo aperiebatur, ut cominus ſingulas totius ædificii partes poſſem contemplari. *Et ecce vir*] Ibique virum Angelum humanâ ſpecie vidi, fortaſſe Michaelem, vel Gabrielem, aut alium è 7 qui aſtant Domino, qui Chriſtum Dominum præſignaret Eccleſiæ verum ædificatorem. *Cujus erat ſpecies quaſi ſpecies æris*] Quem dum aſpicerem videbar videre ſplendidiſſimum æs candens lucidiſsimis micans ſcintillis. *Et funiculus lineus in manu ejus, & calamus menſuræ in manu ejus*] Et manu alterâ funiculum cæmentariorum gerebat, alterâ calamum menſuræ, ad quam perfectiſſimum illud ædificium fuit exactum, eâdem nunc dimetiendum. *Stabat autem in porta*] Stabat autem in porta Aquilonaris periboli, Orientali angulo proxima, quaſi Templi cuſtos & Prophetæ ductor. V. 4. *Et locutus eſt ad me idem vir*] Et allocutus eſt me his verbis, Fili hominis &c. V. 5. *Et ecce murus forinſecus in circuitu domus undique*] Et ecce peribolus quidam univerſam domum, porticus omnes atque atria, undique cingebat extrinſecus. *Et in manu viri calamus menſuræ ſex cubitorum & palmo*] Habebat autem in manibus vir ille calamum ſex conſtantem veris perfectiſque cubitis, ac præterea quartâ parte cubiti, quæ palmus dicitur. *Et menſus eſt latitudinem ædificii calamo uno, altitudinem quoque calamo uno*] Quo quidem calamo prædicti periboli altitudinem menſus eſt, ac latitudinem, & utramque ex æquo parem reperit calamo. V. 6. *Et venit ad portam quæ reſpiciebat viam Orientalem*] Prætermiſſo deinde Gentium atrio, quod pro multitudine ad fidem ex Gentibus confluentium menſurâ cariturum erat, primùm venit ad portam Orientalem Atrii Iſraelis, tum quòd ea digniſſima eſſet, quippe Regi deputata, tum verò maximè quòd per eam unam gratiſſima Sanctuarii facies conſpiceretur. *Et aſcendit per gradus ejus, & menſus eſt limen portæ calamo uno latitudinem, h. e. limen unum calamo uno in latitudine*] Et ſeptenis portæ gradibus conſcenſis qui in Atrio Gentium ante januam erigebantur, menſus eſt poſtem alterum portæ calamo uno, & poſtem alterum calamo uno, quanta nimirum eſt muri craſſitudo & utriuſque liminis ſuperioris & inferioris latitudo. V. 7. *Et thalamum uno calamo in longum, & uno calamo in latum, & inter thalamos quinque cubiti*] Menſus eſt quoque Janitorum conclave ſeu thalamum, æquè longum ac latum, calamum unum, & poſtem quâ parte inter thalamos erigitur cubitorum quinque, quanta videlicet eſt ſtylobatæ frons demptis projecturis. V. 8. *Et limen portæ juxta veſtibulum portæ intrinſecus calamo uno.*] Et menſus quoque eſt utrumque poſtem portæ interioris cui fornix innititur, deprehenditque eſſe æqualem calamo, ſicut & ipſa fornix & murus latus erat calamum unum. V. 9. *Et menſus eſt veſtibulum portæ 8 cubitorum*] Veſtibuli quoque longitudinem octo cubitis dimenſus eſt, h. e. limen portæ, quantum videlicet Meridianus portæ poſtis diſtat ab Aquilonari. *Et frontem ejus duobus cubitis; veſtibulum autem portæ erat intrinſecus*] Et ſemicolumnas ejus duobus cubitis; Veſtibulum autem hoc portæ non erat in fronte ædis ante januam, ſed intra januam in ipſa Porticûs latitudine. V. 10. *Porrò thalami portæ ad viam Orientalem tres hinc & tres inde: menſura una trium, & menſura una frontium ex utraque parte*] Thalami vero in veſtibulis conſtituti intra Orientalem portam, tres erant ejuſdem menſuræ ab Auſtro, tres ab Aquilone, paribus diſtincti poſtibus, paribúſque ſemicolumnis exornati. V. 11. *Et menſus eſt latitudinem liminis portæ 10 cubitorum, & longitudinem portæ 13 cubitorum*] Et ſpatium in media porta inter thalamorum frontes relictum latum fuiſſe compertum eſt 10 cubitos, altitudo verò luminis portæ ſuper ſtylobatis fuit 13 cubitorum. V. 12. *Et marginem ante thalamos cubiti unius, & cubitus unus finis utrinque; thalami autem ſex cubitorum erant hinc & inde*] Et thalami peribolo utrinque cubiti unius claudebantur, & poſtes cubitum unum utrinque extra perpendiculum projiciebantur, cùm tamen thalami æquales omnes eſſent cubitorum ſex, h. e. calami unius, qui totidem conſtat cubitis & præterea quartâ cubiti parte. V. 13. *Et menſus eſt portam à tecto thalami uſque ad tectum ejus, latitudinem 25 cubitorum, oſtium contra oſtium*] Et menſus eſt portæ latitudinem ab extimo peribolo thalami uſque ad peribolum qui ſimul portam claudit & thalamum, & comperit eam eſſe 25 cubitorum, diſcurrente menſurâ per oſtia thalamorum, è quibus unum erat è regione alterius. V. 14. *Et fecit frontes per 60 cubitos, & ad frontem Atrium portæ undique per circuitum*] Et dimetiendo declaravit columnationes, ſive ordines columnarum, omnes ſimul altos eſſe cubitos 60. & par erat menſura columnarum ordinibus, qui cingebant Atrium portæ proximum undique per circuitum. V. 15. *Et ante faciem portæ quæ pertingebat uſque ad faciem veſtibuli portæ interioris 50 cubitos*] Et à facie anteriore, vel à primo limine portæ hujus Orientalis uſque ad faciem veſtibuli interioris ejuſdem portæ 50 cubitos longitudinis, portæ includentis muros, veſtibula, poſtes & thalamos. V. 16. *Et feneſtras obliquas in thalamis & in frontibus eorum quæ erant intra portam undique per circuitum: ſimiliter autem erant & in veſtibulis feneſtræ per gyrum intrinſecus*] Et cancellis viſui perviis, reticulatis, obliquis foraminibus thalami claudebantur, qui quidem cancelli è regione ſemicolumnarum, quæ totam intrinſecus portam cingebant, protendebantur, atque adeo veſtibula omnia portæ interiora ejuſmodi cancellis claudebantur; nam thalami in ipſis portæ veſtibulis inter ſtylobatas erant conſtituti. *Et ante frontes pictura palmarum*] Et columnarum capitella palmarum ſpatulis exornabantur. V. 17. *Et eduxit me ad Atrium exterius, & ecce gazophylacia & pavimentum ſtratum lapide in atrio per circuitum, 30 gazophylacia in circuitu pavimenti*] Et portam quidem egreſſum induxit me in Atrii exterioris Orientalem aream ſubdialem, quam ingreſſus animadverti eam porticibus undique cinctam fuiſſe, teſſellatis pavimentis affabrè elaboratis quibus gazophylacia imminebant in ſingulis intercolumniis ſingula, erántque omnia circumcirca 30 cub. V. 18. *Et pavimentum in fronte portarum ſecundùm longitudinem portarum erat inferius,*] Porticuum verò inferiora pavimenta, à lateribus portarum diſcurrentia, latitudine erant portarum longitudini paria. V. 19. *Et menſus eſt latitudinem à facie portæ inferioris uſque ad frontem Atrii interioris extrinſecus 100 cubitos, ad Orientem & ad Aquilonem*] Et menſus eſt latitudinem Orientalis areæ Atrii exterioris à facie portæ exterioris nuper dimenſæ, uſque ad frontem exteriorem Atrii interioris 100 cubitis ab Oriente ad Occidentem, ac longitudinem totidem à Meridie ad Aquilonem, Vel, menſus eſt aream ſubdialem inter exteriorem & interiorem portam jacentem, excluſis portis, latitudinis & longitudinis 100 cubitis. V. 20. *Portam quoque, quæ reſpiciebat viam Aquilonis Atrii exterioris menſus eſt tam in longitudine quàm latitudine*] Et Orientalem portam egreſſum deduxit me ad portam Aquilonarem ejuſdem Atrii exterioris, & menſus eſt ſingularum partium ejus longitudinem & latitudinem. V. 21. *Et thalamos ejus tres hinc & tres inde* &c.] Hoc eſt, thalamos ejus poſitu ac numero pares, & frontes ejus & veſtibula ejus eiſdem plane menſuris menſus eſt, quibus prioris portæ ſimiles partes, necnon longitudinem & latitudinem portæ eandem, eodemque modo menſus eſt, illam 50 hanc verò 25 cubitis. V. 22. *Feneſtræ autem ejus & veſtibulum* &c.] Porrò cancelli quibus thalami concludebantur, veſtibula & poſtes cum ſuis ſemicolumnis & capitellis ſculptis ad modum palmarum, omnia dimenſa fuerunt, & ejuſdem menſuræ ac formæ reperta, quâ erant in Orientali porta, ſimiles partes & ornamenta. *Et ſeptem graduum erat aſcenſus ejus, & veſtibulum ante eam.*] Et ſeptenis conſcenſis gradibus ad portam patebat acceſſus, & per eam ad veſtibulum; veſtibulum erat ultra januam. V. 23. *Et porta Atrii inferioris contra portam Aquilonis & Orientalem*] Et porta Atrii interioris Aquilonaris erat è regione prædictæ portæ, haud ſecus quàm portæ Orientali contraria erat Orientalis porta Atrii interioris. *Et menſus eſt à porta uſque ad portam 100 cubitos*] Et menſus eſt Aquilonarem aream Atrii exterioris à porta uſque ad portam 100 cubitis longitudinum, ac totidem latitudinem. V. 24. *Et adduxit me ad viam Auſtralem,* &c.] Et me Aquilonari portâ eductum deduxit ad Auſtrum, & ecce porta exterioris Atrii proſpiciens ad Auſtrum quam menſus eſt; omnia eiſdem menſuris conſtare comperta ſunt quibus & ea quæ ſunt ſupradicta. V. 28. *Et introduxit me in Atrium interius ad portam Auſtralem, & menſus eſt eam juxta menſuras ſuperiores* &c.] Et deduxit me ad portam Auſtralem Atrii interioris, & menſus eſt eam, ac omnes menſuras comperit pares iis quas in ſupradictis portis recenſuerat. V. 30. *Et veſtibulum per gyrum longitudine 25 cubitorum & latitudine 5 cubitorum*] Et poſtes in circuitu, quorum ſtylobatæ inter thalamos lati ſunt cubitos 5 ipſi verò cum trabeatione poſtes alti cub. 25. V. 31. *Et veſtibulum ejus ad Atrium exterius, & palmas ejus in fronte: & 8 gradus erant quibus aſcendebatur ad eam*] Et veſtibulum univerſum ad exterius Atrium vergebat, & ſemicolumnarum capitella palmis exornabantur in veſtibulo, ad quod gradibus aſcendebatur octonis. V. 32. *Et introduxit me in Atrium interius per viam Orientalem, & menſus eſt portam ſecundum menſuras ſuperiores*] Et porta Meridianâ eductum deduxit me ad portam Orientalem Atrii interioris, eámque menſus eſt, & comperit eaſdem eſſe in hac porta menſuras atque in ſupradictis. V. 35. *Et introduxit me ad portam quæ reſpiciebat ad Aquilonem, & menſus eſt ſecundùm menſuras ſuperiores*] Abſolutis menſuris Orientalis portæ deduxit me ad portam Aquilonarem ejuſdem Atrii interioris, & menſus eſt membra omnia & ornamenta eiſdem menſuris quibus ſupradictas portas, &c. V. 38. *Et per ſingula gazophylacia oſtium in frontibus portarum: ibi lavabantur holocauſta*] Et ad ſena thalamorum oſtia, quæ erant inter frontes interiores portarum, lavabantur holocauſta. V. 39. *Et in veſtibulo portæ duæ menſæ hinc & duæ menſæ inde, ut immoletur ſuper eas holocauſtum & pro peccato, & pro delicto*] Et in ipſo veſtibulo portæ duæ menſæ hinc ad binos poſtes qui ſunt inter thalamos, & duæ menſæ illinc ad totidem ſimiles poſtes, ſuper quibus expanſæ pecudes vel armenta jugulabantur in holocauſtum, &c. V. 40. *Et ad latus exterioris quod aſcendit ad oſtium portæ quæ pergit ad Aquilonem duæ menſæ, & ad latus alterum ante veſtibulum portæ duæ menſæ*] Et à lateribus portæ Aquilonaris, cùm primùm quis aſcenſis gradibus oſtium ingreditur, duæ menſæ; & à lateribus veſtibuli interioris duæ menſæ, h. e. in quatuor angulis veſtibuli portæ Aquilonaris quatuor menſæ erant, binæ ad utrumque parietem. V. 41. *Quatuor menſæ hinc, & quatuor menſæ inde, per latera portæ, octo menſæ erant ſuper quas immolabant*] Quod ſi binas utrinque angulares binis mediis, quas dixerat, annumeres, quaternæ menſæ erunt in unoquoque portæ latere, & in utroque octonæ, ſuper quibus victimas immolabant. V. 42. *Quatuor autem menſæ ad holocauſtum de lapidibus quadris exſtructæ longitudine cubiti unius & dimidii, & latitudine cubiti unius & dimidii, & altitudine cubiti unius, ſuper quas ponantur vaſa in quibus immolatur holocauſtum ac victima*] Quaternæ autem menſæ holocauſtorum, ex ſingulis ſaxis ſingulæ affabrè ad normam & regulam elaboratæ, quadratâ formâ, cubiti unius & dimidii erant, altitudine verò cubiti unius, cujus formæ ac menſuræ erant reliquæ, ſuper quas ponebant inſtrumenta quibus immolabatur holocauſtum & victima. V. 43. *Et labia earum palmi unius reflexa intrinſecus per circuitum*] Menſarum autem cymatia, vel ſuperiora ornamenta, fuerunt palmi unius intrinſecus reflexa ita ut ſumma menſa longa ac lata fuerit palmos novem, hoc eſt, cubitum unum ac dimidium, inferior ara longa fuerit palmos 7 alta 5 cum menſa una cum cymatio alta palmos 6. h. e. cubitum unum. *Super menſas autem carnes oblationum*] Super menſas autem ponebatur quælibet oblata caro ut ibi in fruſta concideretur. V. 44. *Et extra portam inferiorem Gazophylacia Cantorum in Atrio interiori quod erat in latere portæ reſpicientis ad Aquilonem, & facies eorum ad viam Auſtralem, una ex latere portæ Orientalis quæ reſpiciebat ad viam Aquilonis*] Et Atrium interius ingreſſus animadverti Gazophylacia Cantorum in Orientali porticu Atrii interioris ſuper veſtibulis ſuſpenſa quæ inter Aquilonem & Auſtrum tendebantur. Fuit verò Gazophylacium unum in eadem Orientali porticu, & in ejus angulo Aquilonari; & alterum in ejuſdem porticus angulo Meridiano. V. 45. *Et dixit ad me, Gazophylacium hoc, quod reſpicit viam Meridianam, Sacerdotum erit qui excubant in cuſtodiis Templi*] Et dixit mihi, Gazophylacium hoc quod eſt à latere Meridiano Orientalis porticus Sacerdotum erit cuſtodientium cuſtodias domus. V. 46. *Porro Gazophylacium quod reſpicit ad viam Aquilonis Sacerdotum erit qui excubant ad miniſterium Altaris* &c.] Et Gazophylacium alterum quod eſt à latere Aquilonari Orientalis porticus Sacerdotum erit cuſtodientium cuſtodiam Altaris. V. 47. *Et menſus eſt Atrium longitudine 100 cubitorum, & latitudine 10 cubitorum per quadrum, & Altare ante faciem Templi*] Et menſus eſt Atrii interioris quadratam aream quæ inter tres jacet prædictas portas, & eam eſſe comperit æquè longam ac latam cubitorum centum, in cujus medio fuit Altare æneum, faciem Templi nullo interjecto ædificio proſpiciens. V. 48. *Et introduxit me in veſtibulum Templi, & menſus eſt veſtibulum 5 cubitis hinc, & 5. cubitis inde, & latitudinem portæ trium cubitorum hinc & trium cubitorum inde*] Et introduxit me in veſtibulum Templi, & menſus eſt poſtem ejus Meridianum quinque cubitis hinc, & poſtem Aquilonarem quinque cubitis illinc; & latera portæ ſive poſtes, qui ab oſtio extenduntur uſque ad interiores angulos veſtibuli menſus eſt, Meridianum trium cubitorum hinc, & Aquilonarem trium cubitorum inde, ex quo fit ut latitudo portæ ſit in medio relicta quatuordecim cubitorum. V. 49. *Longitudinem autem Veſtibuli 20 cubitorum, & latitudinem 11 cubitorum, & octo gradibus aſcendebatur ad eam. Et columnæ erant in frontibus, una hinc, & altera inde*] Quoniam menſus eſt longitudinem Veſtibuli cubitorum 20 & latitudinem ejus cubitorum 11. & gradibus 8 aſcendebatur ad porticus oſtium. Et columnæ erant ad paraſtades veſtibuli ex utraque parte portæ Sanctuarii, illis perſimiles quas Solomon æneas poſuit in eodem Veſtibuli loco, quarum alteram vocavit Jachin, alteram Booz.

Excerpta ex Villalpando Tom. 2. Part. 2. lib. 3. ad Confirmationem vel Illuſtrationem cap. XL. præcedentis.

CAP. I. Ver. I. *In 25 tranſmigrationis anno*] Prima Ezechielis viſio facta fuit anno quinto Jechoniæ (uti conſtat ex Ezech. 1. 2.) hæc verò poſtrema anno ejuſdem vigeſimo quinto. Itaque altera ab altera diſtat annis viginti. Annum vigeſimum, de quo Ezech. 1. 1. accipit Villalpandus de annis regni Aſſyriorum, cui initium dedit Nabopolaſſar (ſive Nabuchodonoſor ſenior magni Nabuchonoſoris pater) qui ſecundùm Joſephum regnavit annos 19. Ei ſucceſſit Nabuchodonoſor magnus ejus filius, cujus annus 11 convenit cum quinto tranſmigrationis Jechoniæ, ſive primo primæ viſionis Ezechielis anno. Cui numero ſi addatur ſenarius, quo diſtat deſolatio urbis à prima viſione Ezechielis, continget utique deſolatio anno Nabuchodonoſoris 18. Quod confirmatur ex Jer. 2. 29. *In 18 Nabuchodonoſor tranſtulit de Jeruſalem animas* 832. Hæc autem de ſuperato Sedechia & incenſa urbe intelligenda eſſe probat numerus annorum qui ex aliis ejuſdem Prophetæ locis colligitur: nam ibidem v. 12, 13. dixerat, *In menſe quinto decimâ menſis (ipſe eſt annus 19 Nabuchodonoſoris Regis Babylonis) venit Nabuzardan princeps militiæ, &c. & incendit domum Dei.* Et conſtat hunc eſſe annum 11 Sedechiæ. Nec quenquam movere debet uod ibi 18 dicatur, hîc 19: Ibi enim de completo loquitur decimoctavo, hic e incipiente decimonono. Ita hic annus extremæ viſionis Ezechielis incidet n 32 Nabuchodonoſoris, nam (ut jam oſtendi) anno duodecimo Nabuchodoris fuit prima Viſio, additis 20 interjacentibus fient omnes 32. Regni Aſriorum verò annus eſt quinquageſimus, quandoquidem prima viſio facta eſt anno egni illius trigeſimo. Hieronymus annum illum trigeſimum de quo Ezech. 1. 1. t eſſe trigeſimum ab invento libro Legis ſub Joſia Rege, quam ſententiam non mpliciter rejicit Villalpandus. Rabbini addunt annum illum fuiſſe Jubilæum, robantque ex eo quod hîc dicitur anni exordium eſſe decima dies menſis,

CAP. II. *In exordio anni decimâ menſis.* Utramque particulam (inquit illalpandus) connectunt Rabbini, ut ex hoc loco probent annum hujus vionis fuiſſe Jubilæum. Sic enim Kimhi, *Quis eſt annus cujus exordium eſt decima die menſis? Dic quòd eſt annus Jubilæi. Et quoniam ſervi exibant e ſervitute in libertatem in anno Jubilæi & in die Expiationum, propterea ſtendit illi Deus O. M. exitum de captivitate & ædificationem Templi in no Jubilæi & in die Expiationum, quoniam in ea die parcet Deus iniquiti Iſrael. & peccatum eorum non memorabitur ultrá.* Et Jarhi eadem conmat, & probat hunc Jubilæi annum quinquageſimum eſſe à decimooctavo ſiæ, qua in re ſententiam B. Hieronymi non minùs quàm ſuam roborat; ia anno decimooctavo Joſiæ inventus eſt liber Legis, &, ſive hac ſive illâ ione computari cœpti ſint anni, computatio certa eſſe videtur. At illud n eſt uſquequaque certum, prædictum decimumoctavum Joſiæ annum fuiſſe bilæum. Imò verò Theodoretus in hunc locum (uti obſervat Villalpans) notat in Hebræorum annalibus diligenter conquiſitis nullum reperiri bilæi annum cum quinto Sedechiæ, aut tranſlati Jechoniæ, convenire. Itaque nc Judæorum loci hujus interpretationem rejicit Villalpandus, & exordium ni accipit de primo menſe Niſan qui Exod. 12. 1. jubetur à Deo Iſraelitis, deinceps ſit ipſis anni exordium. Porrò notat duplex fuiſſe Judæis anni ordium, alterum menſe Septembri in æquinoctio Autumnali, quòd tum naalis ſit quidam anni finis, quia fruges omnes maturæ tum reconduntur: ujus exordii ratio habebatur in Jubilæorum & annorum hebdomadicorum ſervatione. Alterum fuit in æquinoctio Verno, cujus ratio habebatur in ſonitatibus & Feſtis. Et hoc conſtitutum vult à Deo anni exordium non dò quia Iſraelitas eo menſe eduxit ex Ægypto, verùm etiam quia Mundus eâ i tempeſtate creatus fuerat, quod tum ratione, tum teſtimonio Anatolii ud Euſeb. lib. 7. Hiſt. Eccleſiaſt. cap. 26. tum Cyrilli Hieroſol. Leonis 1. dori, Bedæ, & aliorum probat.

CAP. III. *Facta eſt ſuper me manus Domini*] *Manus* vim, robur, poatem ſignificat, vel in vindictam, vel in opem & auxilium. Hîc S. Spiritum nificat, ſeu Spiritum Prophetiæ, qui ut manus à brachio & digitus à manu omanat, ſic ipſe à Patre & Filio prodit; qui dicitur digitus Dei, Exod. 8. 9. Magis Ægypti, & Luc. 11. 10. à Chriſto, *Si in digito Dei ejicio dæmonia,* od explicatur à Matth. 12. 28. *Si in Spiritu Dei ejicio dæmonia.*

CAP. V. *Illuc*] h. e. in Jeruſalem de quo paulò antè dixerat, *Decimoquarto no poſtquam percuſſa eſt civitas.* V. 2. *Super montem excelſum*] Quis hic ns fuerit in lib. Paralip. habetur expreſſum, *Et cœpit Solomon ædificare um Domini in Jeruſalem in monte Moria, qui demonſtratus fuerat Davidi tri ejus in loco quem paraverat David in area Ornan Jebuſæi.* Pretium ius areæ exprimitur, 1 Paral. 21. 25. *Dedit Ornan pro loco ſiclos auri juſtiſſi- ponderis ſexcentos.* Quod ita accipit Villalpandus ut fuerint argentei ſicli o. aurei verò 50 qui faciunt monetæ ſcuta 280 *di oro in oro.*

CAP. VI. *Ædificium civitatis vergentis ad Auſtrum*] Lyranus diſpu- quod civitas Jeruſalem unà cum Templo menſa fuit pariter Ezechieli, ue adeò ædificii nomine ſignificari putat ab eo Templum, nomine civis ipſam urbem Jeruſalem, & Templum quidem ad Aquilonem ſtatuendum at, civitatem contrà ad Auſtrum. Sed falſum omnino eſt (inquit Villaldus) Templum urbi à Septentrione opponi; nam (ut ait Joſephus) urbs erat è regione Templi theatrali ſpecie, h. e. triplex ejus latus cingens, ut urbis topographia poteſt eſſe perſpectum. V. 3. *Introduxit me illuc*] *Illuc* e. in Templum. Quod non denotat ad interiora Templi jam fuiſſe dedum Prophetam, cùm adhuc exterior Peribolus conſpiciendus infrà ſit, ſed ntùm cominùs allatum ut poſſet ſingulas ordine partes recenſere. Atque c ob oculos ponenda eſt univerſalis noſtra Ichnographia, ubi conſpiciet ctor in extimo Aquilonari periboli apertam portam ab Orientali angulo on longè diſſitam, in eâque Angelum ſtantem videri in fine hujus verſiculi, ùm Propheta vel intra portam in via, vel juxta portam in monte domûs etiſſe credendus ſit, quum ad Templum adductus fuiſſe dicitur.

CAP. VIII. *Et calamus &c.*] Calamus קנה longitudinum menſura ſic icitur, quia longitudine & cylindricâ formâ cannam ſive calamum refert; & uia cubitis ac palmis diſtincta erat, calami nodos eo imitabatur. Hujuſmodi calami formam & pretioſam materiam diſertis verbis exprimit Johannes Apoc. 21. 16, *qui loquebatur mecum habebat* μέτρον κάλαμον χρυσοῦν.

CAP. IX. *Stabat in porta*] In ipſa porta Periboli Aquilonari quaſi Templi ipſius cuſtos & janitor, Chriſtum repræſentans, qui in eadem porta ans janitoris & cuſtodis templi functus eſt quaſi miniſterio, quippe *non ſinebat ut quiſquam transferret vas per Templum,* Marc. 11. 16. Nam quibus ex Bezetha vel Cænopoli, vel ex ipſo foro pecuario tranſeundum erat in ſuperiorem urbem, vel in in regiam Salomonis, primùm ingrediendum erat hæc porta Periboli in qua Angelus hic ſtabat: Ingreſſis verò viam duplex ſeſe offerebat iter, compendiarium alterum portam ingredientibus huic adverſam in Atrio Gentium, & per ipſum atrium, & per portam Salomonis tranſeuntibus ad portam Occiduam porticûs Gentium quæ priori eſt contraria: Alterum verò iter longius aliquanto erat circa murum Atrii Gentium per ipſam viam exteriorem. Quapropter onuſti ſervi aut alii mirum non eſt ſi compendiariam ingreſſi viam longiorem fugere. At Chriſtus Dominus qui id in dedecus Templi cedere cenſebat, ſtans in porta hac, vel ſaltem in illa quæ eſt ei adverſa in Atrio Gentium, prohibebat hujuſmodi nè tranſirent per Templum. Idem etiam Chriſtus ementes & vendentes dicitur ejeciſſe de Templo, h. e. è prima parte Templi, quæ Atrium & porticus Salomonis appellabatur, ubi docere & ambulare ſolebat Chriſtus Dominus apud Johannem 10. 25. is enim locus patebat, ut videre eſt Act. Apoſt. 3. 11, 12.

DE CALAMO.

CAP. XII. V. 5. *Calamus menſuræ ſex cubitis & palmo*] Quia Hebræa phraſis hîc aliquantò obſcurior & ambigua eſſe videtur, quanquam ita accipi poſſit ut eâ videatur ſignificari Calamum conſtitiſſe ſenis præciſè cubitis, quorum ſinguli conſtabant cubito uno & palmo, quia voces Hebraicæ באמה וטפח connecti ſimul poſſunt & diſtingui à prædictis שש אמות. Villalpandus quorundam refert ſententiam qui calamum iſtum exiſtimant longum fuiſſe 6 cubitos præciſè, ſed quorum ſinguli conſtabant cubito communi & palmo, h. e. fuiſſe Babylonicos cubitos qui Hebræis majores erant palmo uno, h. e. ſextâ minoris parte, ſive ſenis digitis, quod confirmari putant ex illo Ezechielis teſtimonio c. 43. 13, *Iſtæ menſuræ Altaris in cubito veriſſimo qui habebat cubitum & palmum.* Sed negat Villalpandus eandem eſſe utriuſque loci phraſim, eadem verba. Porrò illorum ſententiam refellit primùm ex LXX. Interp. κάλαμος τὸ μέτρον πηχῶν ἓξ ἐν πήχει καὶ παλαιστῆς. Non habent παλαιστῇ, ut conjungi poſſit cum ἐν πήχει· ſed habent παλαιστῆς, quod conjungendum cum πηχῶν ἓξ, ut ſenſus ſit calamum fuiſſe ſex cubitorum & palmi unius; dein authoritate Hieronymi, Gregorii, &c. denique ipſius Ezechielis qui capitis hujus v, 7, 9, 11. cavædium portarum metitur cubitis 6. & frontes ſive ſemicolumnas cubitis 2, & thalamos ſingulis cubitis: cùm verò has omnes partes ſimul uno numero computat, portarum latitudinem ſæpiùs 2 cubitis definit, Quòd ſi calamus ſenos tantùm haberet cubitos, bis ſeni duodenis additi 24 redderent, non 25. Statuendum igitur illos 25 cubitos quaternis calamis fuiſſe dimenſos, quorum ſinguli præter ſenos cubitos quartam contineant cubiti partem, h. e. 6 digitos: eam verò palmi nomine indicatam fuiſſe à Propheta, quòd nulla menſura fuiſſet Hebræis huic magis proxima. Porrò Hebraica phraſis iſta *in cubito* באמה ſæpius eſt uſurpata à Propheta, præſertim cap. 42. *Menſus eſt contra ventum Orientalem calamo menſuræ 500 calamos in calamo menſuræ per circuitum.* Quod Vulg. reddidit, *In cubito veriſſimo,* in quo videtur ſecutus LXX. Sunt qui apud eundem Hieronymum reddunt, *In cubito perfecto,* cujus mox ipſe ſacer textus in qualibet lingua longitudinem explicat continere cubitum unum vulgarem & inſuper palmum. Itaque quoties *in cubito* vel *in calamo* dicit aliquid dimenſum eſſe, de cubito vel calamo juſto legali ac certo ſermo eſt. Itaque *in manu viri calamus menſuræ cubitorum ſex in cubito,* intellige perfectorum, *& palmi.*

CAP. XIII. *Menſus eſt latitudinem ædificii calamo uno*] *Ædificii*, h. e. Periboli qui hîc exſtructus fuit juxta Legem à Deo latam, Deut 22. 8, nè ambulantes præcipites deciderent in ſubjectas valles profundiſſimas. LXX Int. in Compl. & Reg. Codice, *Menſus eſt antemurale (inquit) latitudinem æqualem calamo, & æqualem calamo longitudinem, & æqualem calamo altitudinem.* Quæ longitudinis in muro dimenſio (inquit Villalpandus) ab altitudine diſtincta ſupervacanea videri poterit ei qui hujus Periboli formam in noſtris deſcriptionibus non perpenderit. Iis vero perſpectis univerſus hic Peribolus quadratis aris conſtare cognoſcitur, quarum longitudo, latitudo, & altitudo æqualis eſt calamo. Atque de his quadratis Periboli aris accipit locum 1 Mac. cap. 14. 26, *Poſuerunt* ἐν στήλαις *in titulis in monte Sion.*

DE GRADIBUS PORTARUM.

CAP. XV. V. 6. *Aſcendit per gradus ejus*] Gradus in porta aſcendi excelſiorem fuiſſe demonſtrat aream Atrii Iſraelis areâ Atrii Gentium, quod montis acclivitas poſtulare videbatur, ſed & multò magis locorum dignitas, quæ ipſa ſoli celſitudine indicabatur. Atque adeò univerſum Iſraelis Atrium excelſius erat Atrio Gentium, Atrio Iſraelis Atrium Sacerdotum, ſuper quo aſcendebatur ſolum domûs Dei. Non enim parum dignitati Templi vel Baſilicæ conducit ſi à reliquo urbis pavimento emineat: Quod animadvertentes antiqui Architecti ante Idolorum Templa gradus perpetuò excitabant, ut videre eſt apud Vitruvium. Porrò dum Angelus aſcendiſſe dicitur portæ gradus, priuſquam portæ limen accederet, planè indicat gradus ante portam excitatos fuiſſe, ut in Ichnographia univerſali Templi ſunt deſcripti.

CAP. XVI. *Et menſus eſt limen portæ*] LXX apud Hieronymum hîc habent. *Et menſus eſt* θεὲ *ſex hinc & ſex inde* In Complut. & Regio, *Et menſus eſt* θεὲ *ſex* In Sixtiano, *Ælam portæ æqualem calamo, &* θεὲ *æqualem calamo longitudine & æqualem calamo latitudine.* Hanc omnium lectionum diverſitatem (inquit Villalpandus) duplici ex capite originem ducere exiſtimo, & quòd multa hoc verſu calamo uno finiantur, & quòd eorum quæ dimetirentur nomina propriam plerumque commutent notionem ut alienam ſortiantur; ex quo factum eſt ut vocem Hebraicam (quam in *thalamum* mox convertit Vulg) hîc accipiat Hieronymus ut ſi à LXX Interp. uſurparetur pro סף. Quod, ſi conjecturis uti liceat, potiùs arbitrarer liminis menſuram ab ipſis fuiſſe prætermiſſam, & eos ad Thalami menſuras mox acceſſiſſe, vel, quod veriſimilius eſt, à Librariis fuiſſe ejuſmodi menſuram prætermiſſam. *Id eſt limen unum* &c.] Lyranus putat *id eſt* poſitum pro *&*, in quo rem ipſam aſſecutus videtur, ſed in eo erravit quòd literam corruptam eſſe inde aſtruit, cùm Hebraica conjunctio ו *Vau* (ut alias oſtendimus) ſignificet idem quod *&* & *id eſt*, ut mirandum non ſit ab Interp. Latino alteram notionem pro altera ſubſtitui. *Limen unum*] h. e. *aliud*, ſive *alterum*; & ſenſus eſt, Menſus eſt limen unum portæ calamo uno latitudinem, & limen alterum calamo uno in latitudine. Porrò סף modò pro inferiore limine, ut Jud. 19. 27, & 1 Reg. 14. 17: modò pro ſuperliminari ſive ſuperiore limine, denique pro poſte portæ utroque accipi, uti hoc loco.

CAP. XVII. V. 7. *Thalamum uno calamo*] Symmachus παραστάδας· non quòd pro eodem uſurpari putaverit, cùm longè diverſi ſint poſtes ab interjacente cubiculo, ſed quòd ejuſdem menſuræ fuiſſe exiſtimaverit, ut verè ſunt, poſtes ac thalami, ſi crepidines metiaris, vel ſi quantum diſtent thalami ab invicem metiaris. LXX aliquid addidiſſe Paraphraſticè videntur, & θεὲ primum, ſecundum, tertium calamo metiuntur, dein ſubjungunt *& alam in medio* θεελὰτ *cubitorum ſex.* Quòd ſi *alam* poſtem ſignificare credamus, Symmachi ſententia confirmabitur, poſtem nimirùm indicari æqualem calamo inter thalamos fuiſſe ſtatutum. Quibus non obſtant quæ ſequuntur, *Et inter thalamos cubiti quinque*] Idem namque poſtis & quatuor cubitorum eſt in ſummo, cujus ſtylobata quinque cubitorum eſt, adjectâ verò ſtylobatæ imâ ſpiræ projecturâ calamus completur cubitorum ſex, & quartæ cubiti partis. Porrò ex Hebraica lectione non videtur colligi fuerîtne paries an poſtis, an ſpatium inane inter cubicula jacens LXX dubium videntur tollere voluiſſe, qui in Sixt. codd. habent, τὸ αιλὰμ πήχεων πέντε. In aliis codd. legitur αὶλ quæ vox Hebraica eſt, & poſtem prætereaque nihil ſignificat. Male Complut. αὶς pro αὶλ. Quocirca poſtem quendam interceſſiſſe ſtatuendum hîc eſt inter binos thalamos. Sic Chald. *Inter thalamos paries quinque cubitorum.* Parietem oblongum poſtem vocans. Et Kimhi, *Murus qui erat inter duos thalamos medius latus erat quinque cubitis.* Sic & R. Jonathas, qui præterea addit, *Thalami erant intra murum,* quod patet ex univerſali Ichnographia, ubi in ipſa latitudine parietum portæ Aquilonaris & Meridionalis aperti ſunt thalami.

CAP. XVIII. V.8. *Et limen portæ* &c.] Hunc verſum cum præcedenti conjungit Hebraicus textus, quoniam alium octavo loco poſuit quem non habet Latina lectio, éſtque hujuſmodi, *Et menſus eſt veſtibulum portæ intrinſecus calamo uno*] Duo (inquit Villalpandus) hic metiuntur quæ oportuit eſſe æqualia, Primùm poſtis portæ, h. e. סף, cui ſine dubio æqualis fuit poſtis alter, atque adeo ipſius muri craſſitudo æqualis fuit calamo; Alterum quod metitur eſt veſtibulum, nimirum ſpatium illud inane quod in medio muro aperitur ut fiat porta, quod ſpatium deſuper fornice operitur; & hujus quidem ſpatii latitudo quæ ab Oriente tendit in Occidentem uno calamo dimenſa eſt in textu Heb. (v. 8.) eam verò nemo non videt eſſe non potuiſſe vel majorem vel minorem poſtium latitudine aut craſſitudine. Ex quo liquet nihil in textu Latino deſiderari quod ad menſurarum completam rationem poſſet conducere. Sic ille excuſat Vulg. Interp. ſui omiſſionem. Porrò (inquit) אילם ab אלם deducitur quod *colligare* propriè ſignificat; quam vocis originem ſi expendas & cum locis S. Scripturæ conferas, in quibus hujus vocis fit mentio, facilè invenies *vinculum, colligamentum, colligationem, nexum* poſtium eâ voce ſignificari; viz. id omne quo poſtes deſuper vinciuntur, ſive fornix ſit, ſive rectæ trabes, ſive tectum, transfertúrque non raro ad ipſam poſtium & fornicum ſeriem ſignificandam, quæ Porticus dicitur. Ex quo factum ut ipſam quoque apertionem ſpatiúmque ſub fornice relictum nonnunquam ſignificet, atque aliàs poſtes ipſos quarum omnium acceptionum exempla è Scriptura produci poſſunt. Hoc verſu locum illum ſub fornice relictum in porta ſignificat, quem Græci πρόθυρον. Latini vocant *veſtibulum*. Conſtat ergo ab Angelo hoc loco dimenſum fuiſſe poſtem in muro qui Portæ longitudinem cingit ab Occidente. Deſcribit autem his verbis & Portæ formam & diſpoſitionem: nam dum limen hoc vel hunc poſtem eſſe dicit *intrinſecus*, plane indicat limen aut poſtes, quos paulò ſuperiùs dimenſus erat, exteriores fuiſſe huic Portæ, nimirum verſùs Atrium Gentium ad partem Orientalem: dum *juxta veſtibulum* vel *ad veſtibulum* interius hunc fuiſſe poſtem dicit diſcrimen aſſignare videtur inter Portæ limen interioris & exterioris, hæc enim quadrato epiſtylio (Hiſp. *Lintel*, Gall. *Linteau*) ut paret in Orientali Orthographia, interior verò veſtibulo operiebatur, h. e. fornice ſeu arcu, reliquis Portæ atque Atriorum veſtibulis quàm ſimillimo.

CAP. XVIII. V. 9. *Menſus eſt veſtibulum Portæ octo cubitorum*] Idem ipſum Veſtibulum, cujus paulò ante latitudinem menſus erat, nunc metitur juxta longitudinem, & comperit longum eſſe cubitis octo, nimirum ab Aquilone in Meridiem, ut in ipſa videre eſt Ichnographia in qua lumen Portæ latum eſt cubitos octo. Maximè autem animadvertenda eſt hæc menſura, quippe quæ univerſa Templi veſtibula, tum quæ in Portis, tum quæ in Porticibus aperiuntur, atque in Atriis, necnon exteriorum Portarum latitudinem definiat. In ædificio enim tam concordi tam conſonâ ſtructurâ unius portæ, columnæ, poſtis aut muri diſpoſitio, modus & menſura non conjecturam modò inducit, verùm efficax argumentum ad reliquas Portarum vel ſimilium partium rationes menſuráſque omnes exigendas. Id quod duplici ratione confirmari poſſe videtur; Altera quidem, quia fieri non poteſt ut membra omnia cum toto corpore aut inter ſeſe non conveniant. Altera eſt Scripturæ teſtimonium Ezech. 40. 22, 24, 28, 32, 35. *Feneſtræ ejus, Veſtibulum & ſculpturæ ſecundùm menſuram Portæ quæ reſpiciebat ad Orientem*, item, *menſus eſt frontem ejus & veſtibulum ejus juxta menſuras ſuperiores*. Quod ſi tam accuratè Propheta hanc partium ſimilitudinem paritatémque definit, quis audeat deinceps negare Veſtibula omnia æqualia fuiſſe, ſimilique ratione diſpoſita atque exornata? Quæ quidem una ratio in eam nos induxit linearum, quas *radices* vocant, cognitionem, earúmque diſpoſitionis univerſæ, quæ hujus ædificii percipiendi potiſſima ratio eſt, ac veluti fundamentum. Atque hujus ſimilitudinis cauſâ multa ab Angelo in hoc ædificio dimenſa non fuiſſe putamus, multa alia ab Angelo dimenſa prætermiſſa fuiſſe à Propheta, quòd ſatis fore exiſtimaverit uterque quarundam partium dimenſiones oſtendiſſe, ut reliquæ ex ſymmetriæ rationibus colligerentur. Hic expendendum eſt num hæc menſura aliquid videatur continere prædictis menſuris adverſum. Suprà enim diximus thalamos in veſtibulis portæ relictos eſſe, quorum longitudinem latitudinémque calamo parem menſus eſt. At quomodo, inquies, Veſtibulum longum ſit cubitis octo, cùm thalamus in ejus medio conſtitutus longus ſit calamum? Quibus reſpondemus id maximè fieri potuiſſe, & verò debuiſſe, cùm poſtes Veſtibulum vel fornicem ſuſtinentes à ſeſe mutuo diſtent cubitis octo, thalami verò inter ſtylobatas & ſpirarum projecturas relicti calamum tantùm habeant longitudinis. Quanta autem ſit ſtylobatarum cum ſuis ornamentis projectura à perpendiculo conſtat ſi calamum ab octonario ſubducas, & reliquum cubitum cum tribus quartis cubiti partibus bifariàm dividas. Sic enim invenies $\frac{7}{8}$ cubiti partes pro ſingulis projecturis, quas oportet memoriæ mandari ut cum reliqua ipſius ædificii ſymmetria congruere oſtendantur. Verùm cur potius huic veſtibulo portæ interioris menſura tribuatur, accipe. Sed memineris in primis Vitruvii l.3. c.2. rationem reddentis Euſtyli, ad uſum, ſpeciem, firmitatem maximè probabilis. *Quæ facienda ſunt*, inquit, *in* intervallis ſpatia (ſic vocat quæ intercolumnia dicuntur) duarum columnarum & quartæ partis craſſitudinis columnæ, mediúmque intercolumnium unum quod erit in fronte, alterum quod erit in poſtico trium columnarum craſſitudine. Sic enim habebis & figurationis aſpectum venuſtum *& aditus uſum ſine impeditionibus*. Medium utique intercolumnium propter ingredientium frequentem multitudinem magis patens fieri oportuit. At Vitruvio columnas laxare liberum fuit; non enim Craticulæ cancellis arctabatur ut noſter Architectus, qui cùm ſuam cuperet ſervari in hoc ædificio partium ſimilitudinem & proportionem, radices illas, lineas æquè diſtantes per totam aream ædificii duxit, extra quarum decuſſiones nullum licuit columnæ centrum ſtatuere, atque adeo intercolumnia omnia omniáque veſtibula oportuit eſſe paria. Sed invenit conſilium admirabile quo medium laxaret ingredientium Veſtibulum. Abſtulit namque huic tantum baſes & ſtylobatas à perpendiculo eminentes, quas venuſtatis & firmitatis cauſâ extare fecerat in omnibus aliis veſtibulis, quâ ratione factum eſt ut hoc unum Veſtibulum in ſummo atque in imo æquè latum ſit cubitos 8. reliqui verò in ſummo, h. e. ſuper ſtylobatis & ſpiris totidem, at in imo ſex tantùm cubitos cum quarta inſuper cubiti parte, ut videre eſt in diſſecti Templi Orthographia.

CAP. XIX *Et frontem ejus duobus cubitis*] Vocem Hebraicam איל alii ab איל *aries* & איל *fortis*, alii ab אלה *ilex, robur, quercus* deducunt, quâ ſignificantur ſemicolumnæ muro vel poſtibus adpactæ, prominentéſque extra perpendiculum muri, quo ſimiles ſunt arieti cui cornua in fronte prominent; unde Aquila & poſt eum Vulg. reddit *frontes*. Jarhi, אילים *hic ſunt quaſi arbores rotundæ factæ in lapidibus dolatis, & ſtabant in porta, una à dextris altera à ſiniſtris*. R. Jonathas ad Eſa. 6. 4. *Dicuntur* אילים *propter earum rotunditatem ſimilem arbori quercûs*. Hac autem menſurâ deſcribit Vates omnium columnarum ac ſemicolumnarum Templi diametros duorum cubitorum. Súntque hujus ædificii columnæ tanto collocatæ artificio, ut illæ priùs videantur ſuis locis diſpoſitæ, ac mox ducti muri columnarum centra contingentes. Ex quo fit ut in mediis muris aut in poſtibus ſemicolumnæ extent, in angulis autem columnarum quadrantes, ut in ipſa vides Ichnographia, &c.

CAP. XX. *Menſus eſt latitudinem liminis portæ* 10 *cubitorum*] His verbis retulit Propheta, menſuram ejus loci qui à Græcis vocatur θυρωρεῖον, quódque in eorum domibus pro Romanorum Veſtibulo relinquebatur. Id quod LXX ſignificare voluiſſe videntur, τοῦ πυλῶνος reddentes. Schol. περιπυλαίου. Chald. *Introitus portæ*. in Hebræo פתח השער. Ubi Kimhi, Poſtes, liminaria & porta, omnia appellantur nomine שער: quod verò in ea apertum eſt tantùm, appellatur פתח. Quæ vox à פתח deducitur; itaque *oſtium, apertionem*, (quod lumen portæ nos dicimus) ea vox propriè ſignificat, ut Gen. 18. 1. aliquando totam domum, ut Prov. 17. 19. At hîc non tam propriè uſurpatur ut in priori exemplo, nec tam largè ut in poſteriori. Menſus nempe hîc eſt Angelus latitudinem ſpatii quod reliquum eſt inter ſemicolumnas quæ è poſtibus thalamorum extant, ac reperit ibi decem cubitos. Et quoniam columnæ variis partibus conſtant, quarum plures ſuprà & ſubtus columnam à perpendiculo projiciuntur exteriùs, aliæ retrahuntur interiùs, certam quandam menſuram reſpexiſſe videtur Vulg. quam ſolemus in veſtigiis potiſſimũ deſcribere, nimirũ quantũ à ſeſe invicem diſtant ſemicolumnæ, aut, quod idem eſt, epiſtylia, ipſis columnarum ſummis hypotracheliis ad perpendiculũ reſpondentia. Quæ quidem epiſtylia tranſverſis aſſeribus (trabibus potiùs dixerim) deſup. impoſitis contignationem ſuſtinent, ad quã contignationẽ reſpexiſſe videtur Vulg. cùm *latitudinem* dixit *liminis* (L.C. fortè legendum *luminis*) *portæ*: trabes enim quaſi quædam limina illud ſpatium inter portas ac veſtibula operiunt. Hujus ſpatii longitudinem Propheta non retulit, tum quòd facilè deduci poſſet ex portæ longitudine, quam paulò inferiùs 50 cubitis definiet, tum quòd numerus cubitorum irrationalis eſt, quippe $37\frac{1}{2}$ h. e. ſex calamorum.

CAP. XX. *Et longitudinem portæ* 13 *cubitorum*] Lyranus *longitudinem portæ* h. e. altitudinem *oſtii portæ, quam vocat hîc Longitudo, eò quod eſt major dimenſio ejus* 13 *cubitorum, & tanta eſt altitudo poſtium oſtii*. Vatablus item *altitudinem* portæ convertit pro *longitudine*. Quod autem LXX *latitudinem* ſcribunt, librariorum negligentiâ depravatum fuiſſe putat Hieronymus. Ac cùm certum ſit Portæ altitudinem hîc eſſe dimenſam, videndum eſt quis hic ſit numerus, & unde initium menſuræ ſumatur. Duo autem hîc ſupponimus infrà explicanda. Primum, Menſuram hanc fuiſſe duorum calamorum, h. e. cubitorum $12\frac{1}{2}$ quos vocat 13 ſicut poſſet vocare 12. Alterum eſt, altitudini huic portæ addendam eſſe ſtylobatæ altitudinem ut tota liminis celſitudo comprehendatur: non enim menſus eſt Angelus ſtylobatas quippe quos repperit minimè æquales: nam propter gradus qui in portis aſcenduntur, quò interiores ſunt ſtylobatæ eò ſunt humiliores: quapropter æqualem aſſumpſit ac perpetuam menſuram à ſummis ſtylobatis & imis ſpiris columnarum, quas omnes ſpiras pavimento domus Domini æquè libratas eſſe diximus alibi.

CAP. XX. v. 12. *Et marginem ante thalamos* &c.] Hebraicam vocem גבול Vulg. hîc *marginem*, alibi *definitionem* vertit; & meritò: quia ea vox ſignificat quicquid definit & terminat, unde & pro corona ſeu projectura uſurpatur. Hîc idem eâ voce ſignificatur quod ſequenti verſu voce גג. Thalami enim portæ inter ſtylobatas poſtium relinquebantur: eſſet autem ſpatium illud utique pervium, niſi margine ſeu peribolo hoc concluderetur; marginem propterea metitur cubito uno. Quoniam verò thalami quadrati erant undequaque concluſi, propterea addidit verba illa, *& cubitus unus* margo vel *finis utrimque*, ſignificans utrumque thalami terminum Aquilonarem viz. & Auſtralem ejuſdem fuiſſe menſuræ. De forma hujus marginis nihil hîc habemus, conjicimus tantùm fuiſſe non parietem ſolidum, neque perpetuæ craſſitudinis, ſed cancellum quiddam marmoreum, quod ſuperiore & inferiore ſtylobatæ ornamentis dum cingitur, computatis hinc atque illinc projecturis ornamentorum, cubitum unum complebat; quod fortè ſignificare voluerunt LXX καὶ πῆχυς εἷς ἐπισυναγόμενος, quaſi retractionem à projectura coronæ ſtylobatæ ſignificantes.

CAP. XX. v. 13. *A tecto thalami* &c.] Hebraica vox גג: quidam deducunt à גנן quod *circunducere, circummunire* ſignificat, vel *circumcingere ſepto* vel *ſcuto*, muniendi cauſâ; quâ ratione voce גג tecta Palæſtinæ plana ſepto circummunita ſignificari putant. Sed hæc vocis notio huic loco non poteſt convenire, quòd thalami nullo deſuper tecto operiuntur, ſed fornicibus tantùm veſtibulorum. Quapropter vocem iſtam ſic dictam eſſe crediderim, quòd muniat & circumdet domum, deſuper ut tectum, vel à lateribus ut ea quæ paulò antè præceſſit vox גבול. LXX ἀπὸ τοῦ τοίχου τοῦ θεὲ ἐπὶ τὸν τοῖχον τοῦ θεέ. *Oſtium contra oſtium*] Kimhi, *ſpatium portæ hujus erat contra ſpatium portæ inferioris*, & ſic videntur LXX accepiſſe αὐλὴ πύλη ἐπὶ πύλῳ. Sed hanc expoſitionem rejicit Villalpandus, magíſque probat expoſitionem Jarhi, Oſtium thalami, qui erat apud portam in Auſtro hinc, eſt è regione oſtii thalami qui erat apud portã in Aquilone.

CAP. XXII. v. 14. *Fecit frontes 60 cubitorum*] *Fecit* h. e. ipſâ menſurâ oſtendit frontes fuiſſe 60 cubitorum. Vatablus, *Executus eſt menſuram frontium*. Jarhi columnarum altitudinem hîc dimenſam affirmat; & Kimhi idem de Chald. Paraph. dicit; Clarius quoque Brixienſis Rabbinorum ſententiam ſecutus. Illud aſſumendum hîc eſt, quod infrà probabitur, triplicem columnarum ordinem hîc referri, triplicémque trabeationem, quæ omnia hac unâ menſurâ comprehenduntur. Porticus autem has omnes altitudine triplices eſſe, triplicéſque latitudine, perſpectum eſt in ipſis Ichnographiis & Orthographiis. *Et ad frontem atrium portæ* &c.] Pagninus, *unicuique poſti Atrii portæ per circuitum eadem erat menſura*. Kimhi, *Sic erant excelſæ omnes frontes Atrii, quæ ſunt frontes portæ in circuitu*. Vatablus, *Qui modus fuit unicuique frontium Atrii & portæ circumquaque*. Animadvertendum hoc loco eſt portæ frontes Atriorum frontibus pares 60 cubitis comprehendi; nam propugnacula portis ſuperſtructa ſupra celſitudinem 60 cubitorum exiguntur.

CAP. XXIII. v. 15. *Et ante faciem portæ* &c.] Non phraſis modò obſcura eſt, ſed voces etiam difficiles ſunt. Kimhi miratur quòd Chald. reddidit, האיתון *mediam*, & cur media porta hæc dici poſſit falſam reddit, quam Villalpandus rejicit, rationem, aptiorémque ipſe effert, nempe quòd media fuerit inter portam porticûs Gentium & portam atrii Sacerdotum. Fieri autem poteſt (inquit Kimhi) ut איתון fiat ab אתה *Venit, quoniam per hanc portam ingrediebantur venientes in atrium ad orationem*. Rurſus *ante faciem portæ*, q. d. à facie portæ exteriori uſque ad faciem veſtibuli portæ interioris erant 50 cubiti longitudinis, ſicuti recenſet in reliquis portis longitudinem 60 cubitorum, latitudinem verò 25. *Uſque ad faciem veſtibuli*] על idem hîc quod עד *uſquead*. Itaque hic videtur eſſe proprius Lat. Vulg. ſenſus, *Ante faciem*, i. à facie anteriori vel exteriori, *quæ pertingebat*, per quam ingrediebantur ab Atrio Gentilium venientes in Templum, *uſque ad faciem veſtibuli interioris*, h. e. uſque ad faciem veſtibuli portæ quæ aperiebatur in muro Occidentali hujus primæ porticus.

CAP. XXIIII. v. 16. *Et feneſtras obliquas* &c.] Feneſtras Hebr. חלונות, à radice חלל *perforari, perforatum eſſe*, ut חלון ſit *feneſtra* vel *foramen* quod in domo ſit ad proſpiciendum. Quæ vox ſynonyma eſt cum חרכים *cancelli* Cant. 2. 8, 9. reſpiciens per חלונות proſpiciens per חרכים *cancellos*, h. e. per cancellorum foramina ſeu aperturas. Quâ ratione exponenda videntur hîc Prophetæ verba ut *feneſtras* hoc loco accipiamus non in muris apertas, ſed in ipſis thalamorum cancellis reticulato opere perforatis.

CAP. XXIIII. *Obliquas*] Formam foraminum hujus cancelli indicare videtur vox אטומות ab אטם *claudere, obſtruere*. Sic 1 Reg. 6. 4. חלוני שקפים אטומים *feneſtræ ad perſpiciendum clauſæ*, LXX θυρίδες δικτυωταὶ ὑπὸ φαῦσιν, *feneſtræ reticulatæ ad lucendum*. At hîc θυρίδες κρυπταί. Symm. τοξικαί. quas Hiſpani *ſaeteras* vocant à voce *ſaetas* ſagittæ, quod ſagittarii in muris ejuſmodi delectarentur feneſtris, quo hoſtem ex obliquo peterent. Galli vocant *Cannonieres.* Quæ variæ interpretationes omnes eò confluunt ut cancellos vel cancellorum foramina, ſive mavis feneſtras ad modum retis factas, fuiſſe intelligendos: rete enim explicatum plagas efficit non quadratas ſed oblongas figuræ Rhombi ſimiles. Fuit itaque peribolus hic marmoreus, cujus ſuperior pars & inferior ſtylobatarum ornamentis cingebatur; peribolus verò foraminibus oblongis aperiebatur, quæ quidem, quoniam ſuis utrimque ornabatur modulis, fiebat ut in media craſſitudine periboli anguſta eſſent foramina, inde verò in utramque partem dilatarentur, ut in externo proſpectu latiores exterius feneſtellæ viderentur, interius anguſtiores, in interno contrà ita laxari intrinſecus viderentur, ut exterius arctarentur. Atque ita quæ contrariæ videbantur ſententiæ, contrariæ non ſunt, ſed altera alteri lucem affert. Vulg. *obliquas* reddidit, quòd illorum foraminum anguli obliqui eſſent, non recti ut ſunt quadratorum anguli. Atque huc etiam ſpectat quòd τοξικαὶ à Symm. dicuntur, quòd in modum cuſpidis ſagittæ foramina hæc acuminentur.

CAP. XXIV. *Et in frontibus eorum*] His verbis cancellos ejuſmodi deſcribit diſcurrentes per totum illud ſpatium quod eſt intra portam è regione poſtium ſive ſemicolumnarum quæ interius illud portæ ſpatium exornabant. Et quoniam thalamos calamo uno definierat Propheta, & nos tantundem (L. C. imò verò duobus calamis non uno diſtabant invicem columnarum centra) dixeramus inter ſe diſtare ſemicolumnarum centra, hæc duo quomodo conveniant jam hinc conſtat. Vides enim cancellos thalamum utrimque cingentes ex æquo reſpondere ſemicolumnis poſtium, quarum ſemidiametri cubiti unius pares ſunt craſſitudini hujus periboli, quam uno cubito paulò ante vidimus definiri. Hoc enim ſignificant præſentia verba cancellos affirmantia *ad frontes*, vel è regione frontium, conſtitui: quæ erant intra portam undique per circuitum. (L. C. Addendum hoc eſt, craſſitudinem periboli hujus cancellati fuiſſe parem ſemidiametro columnarum.)

CAP. XXIV. *Ante frontes picturæ palmarum*] Heb. אל איל תמרים *ad poſtem palmæ*, h. e. unicuique fronti vel poſti erant palmæ. Sic Kimhi & Pagninus. LXX. *ſuper alam* (fortè *elim* ſcripſerunt illi) palmæ hinc & inde. Chald. על אלא כותרתה *ſuper frontes coronæ ſeu capitella.* Kimhi, fieri poteſt ut fuerint facta in figura palmarum capitella ſuper capite earum, viz. columnarum. Sic & Jarhi & Clarius Rabbinos ſecutus. Ex quibus liquet ſermonem eſſe de columnarum capitellis quorum ornamenta hîc indicantur. Erant nempe univerſa hujus ædificii capitella ſpatulis palmarum ornata.

CAP. XXV. V. 17. *Eduxit me ad atrium exterius*] Hebr. חצר: quidam חציר *fœnum* dici volunt, quòd eâ voce indicetur locus ſub dio, in quo creſcit fœnum, ſive intra civitatem ſit, ſive extra; quare & *villas* ſignificat. Hanc vocis originem reſpexiſſe videtur author libri Machab. lib. 4. cap. 4. 38. Quidam reddunt αὐλὼν, quæ Athenæo *locum perflabilem* ſignificat; & ferè ſemper apud Homerum *ſubdialia* eâ voce intelliguntur. Hinc fit ut palatia *aulas regias* vocemus, quòd ſubdialia apertáque loca ante ſe habeant. Feſtus, *Atrium eſt genus ædificii* ante ædem, continens mediam aream, in quam collecta ex omni tecto pluvia deſcendit. Fortè à Græca voce αἴθριον dicitur atrium.

CAP. XXVI. *Et ecce gazophylacia &c.*] Hebr. לשכות. Kimhi putat eſſe *cubicula.* Vulg. reddit *exhedras* 1 Paralip. 28. 11, 12. at hîc *gazophylacium.* LXX παστοφόριον. Exhedrarum uſum in Græcorum palæſtris Vitruv. lib. 5. c. 11. *Conſtituuntur in tribus Porticibus Exhedræ ſpatioſæ habentes ſedes* (unde ἐξέδραι dictæ ſunt) *in quibus Philoſophi, Rhetores aliíque qui ſtudiis delectantur ſedentes diſputare poſſint.* Sic exhedræ in hoc Templo porticibus atriorum imminebant. In iis לשכת סנהדרין *exhedra ſynedrii*, in qua magnum concilium LXXII virorum ſedens judicabat populum. Paſtophorium dicitur à παστὸς ſive παστὰς, quod idem eſt ſecundum Pollucem quod ἐξέδρα. Aliis porticum ſignificat, ut Paſtophorium dictum videatur quòd à porticibus ferretur; imminebant enim porticibus illíſque erant ſuperſtructa. Significat etiam παστὰς *cœnaculum*, à πάσασθαι *cœnare*; & παστὸς Suidæ idem eſt quod velum lecto Geniali circumpoſitum; unde παστὰς etiam idem eſt quod νυμφὼν *thalamus.* Denique domus ad aliquem excipiendum apta dicitur παστάς. Gazophylacia autem à Gazis aſſervandis dicuntur: non quòd ſola ſacra pecunia iſthic aſſervaretur, verùm etiam quia res multæ ſacræ & votivæ iſthic aſſervabantur.

CAP. XXVII. *Et pavimentum ſtratum lapide*] *Pavimentum* hoc loco per Synechdochen pro univerſa porticu lapidibus ſtrata accipitur & apud noſtrum Prophetam porticum ſignificat quæ pavimento ſuperſtat, haud ſecus quàm de Veſtibuli voce dictum eſt quæ pro cavædio ſumitur, nec non pro porticu vel fornice quæ illi ſuperſtat. Id diſertis verbis ſignificavere LXX; nam רצפת hîc reddunt modò περίστυλα vel περίστυλον, modò στοὰς *porticus.* Periſtylia autem vocantur à Vitruvio loca ſive atria columnis cincta lib. 6. cap. 4. Ejuſmodi ergò porticus pavimenti nomine hîc cenſentur, quòd omnino ſint perviæ, quarum undique pavimentum poſſit vel ex ipſo atrio eſſe conſpicuum, quo diverſam eſſe oſtendat porticuum fabricam ab aliis ædificiis quæ perpetuis muris concludi ſolent. Porrò porticus illas ſtratas fuiſſe vario lapidis pretioſiſſimi genere probat Villalpandus tum ex Joſepho, tum analogicè ex pavimento de quo mentio fit in libro Eſtheræ, tum ex eo quod David ait 1 Paral. 19. 2. *ſe præparâſſe pro domo Domini lapides onychinos, ſtibinos, & diverſorum colorum, omnémque pretioſum lapidem, & marmor Parium abundantiſſimè* Ubi Villalpandus vult Templi parietes extructos eſſe ex marmore Pario. Lapides verò illorum diverſorum colorum adhibitos fuiſſe in pavimenti ornamento. Denique ex voce Hebraica רצפת, quæ & λιθόστρωτον & *prunas ardentes* ſignificat Eſa. 6. 6. colligit Villalpandus pavimentum hoc maxima ex parte conſtitiſſe ex lapide porphyretico quem Itali & Hiſpani vocant *porfido*, quique colorem illum prunarum ardentium refert. Ex voce autem עשוי colligit pavimentum fuiſſe teſſellatum, magnâ arte factum, ſiquidem vox Nehem. 3. 16. עשויה redditur à Vulg. *piſcina quæ grandi opere conſtructa erat.*

CAP. XXVIII. *Triginta gazophylacia in circuitu pavimenti*] *In circuitu pavimenti* Heb. אל רצפת. Kimhi ait אל poſitum pro על. Sic Chald. *Triginta Gazophylacia ſuper pavimentum.* LXX ἐν τοῖς περιστύλοις. Quæ omnes verſiones eundem & proprium innuunt Gazophylaciorum ſitum, indicant nempe ſuper pavimentum, h. e. ſuper prima contignatione conſtituenda eſſe. Quódque LXX pro pavimento περίστυλα poſuere, videntur voluiſſe ſignificare ſingula Gazophylacia ſingulis ſuppoſita fuiſſe intercolumniis. Atque hic thalamorum numerus non temerè aut caſu poſitus eſſe credendus eſt, neque parùm cum reliquis numeris conveniens, ſed qui ex maxima cum reliquis conſenſione & proportione deducatur. V. 18. *Pavimentum in fronte portarum*] Sermonem hîc fieri de eodem pavimento ſuper quo erant 30 illa Gazophylacia perſpicuum eſt, & à Kimhi affirmatur. *In fronte* Hebr על כתף, quod Kimhi exponit לעמת h. e. *juxta, ſecundùm.* כתף *humerum* ſignificat, ſed transfertur non rarò ad ſignificandum latus cujuſcunque rei, ut Joſ. 15. 10. Unde Chald. *pavimentum in latere portarum.* LXX κατὰ νῶτον q. d. *ad dorſum* h. e. poſt januas, uti ex illis reddit Hieronymus. His ergò verbis definitur latitudinem porticuum, quæ à lateribus portaram percurrebant utrinque fuiſſe 50 cubitorum, quanta nimirum erat portarum longitudo.

CAP. XXIX. V. 19. *Menſus eſt latitudinem &c.*] *Latitudinem* Hebr. רחב, ſpatium hîc ſignificat latum amplúmque, quomodo illud acceperunt Kimhi & Jarhi; quorum iſte atrium mulierum intelligit, ille ſpatium quod erat intra portam Orientalem atrii exterioris, & portam atrii interioris. LXX τὸ πλάτος τῆς αὐλῆς· αὐλὴ autem eſt *area ſubdialis.* Atque latitudinis propria ſignificatio poteſt hîc retineri, cùm duplici aliâ areâ centum cubitorum dilatetur hoc atrium verſùs Auſtrum & Aquilonem, verſùs Occidentem verò hæc una area atrium contingat interius.

CAP. XXIX. *A facie portæ*] פנים transfertur ſæpius ad ſignificandum *aſpectum* vel partem anteriorem cujuſcunque rei, externam rerum ſpeciem, hîc exteriorem ædificii proſpectum indicat, quam ædificii faciem Vitruvius lib. 3. cap. 1. & lib. 4. cap. 3. nunc *proſpectum* nunc *frontem* vocat. LXX ἀπὸ τοῦ αἰθρίου ἐπὶ τὸ αἴθριον· rem expreſſerunt non propriam vocis ſignificationem, q. d. ab ea portæ exterioris parte quæ ſubdialem hujus areæ terminum contingit uſque ad portam atrii interioris, & eam ejus partem exteriorem quæ extremum ſubdialem ejuſdem areæ terminum ab Occidente contingit. *Portæ inferioris*] Kimhi *inferior* dicitur quòd gradibus aſcendatur ab exteriore atrio in atrium interius. *Uſque ad frontem*] Hebraicè לפני, quam vocem modò indicavimus ſignificare externum ædificii proſpectum quem Vitruvius *frontem* vocat. Porrò multis oſtendit hîc Villalpandus quantum ſudarit in invenienda ratione quo pacto tricenarius Gazophylaciorum numerus ſuprà notatus poſſit in atrii iſtius & ſimilium intercolumniis conſtitui; cum vel 28 vel 32 intercolumnia ſtatui debere videantur circa aream illius prout vel 7 vel 8 in ſingulis lateribus intercolumnia ſtatueris. Tum quia in ſingulis atriorum hujus Templi lateribus ſeptem ſunt poſtes, totidémque illis adpactæ ſemicolumnæ, totidémque eis reſpondentes in porticibus columnæ; eò refert & accommodat illud quod habetur Prov. 9. 1. *Sapientia ædificavit ſibi domum, excidit columnas ſeptem, &c.*

CAP. XXX. *Et ad Aquilonem*] Vulg. & Hebr. cum Chald. hunc verſum ſic legunt, *centum cubitos ad Orientem & ad Aquilonem* indicant utraque dimenſione centum cubitos repertos fuiſſe; at LXX *centum cubitos ad Orientem* legunt, & abſolutâ periodo aliâ incipiunt ibi, *& ad Aquilonem* (ſubaudiúntque *deduxit me*) *& ecce porta &c.* V. 21. *ſecundùm menſuram portæ prioris*] Hieronymus, *Orientalem portam intelligit, quæ prior, non ordine ſed merito nuncupatur.* Porrò quamvis omnino verum ſit Orientalem portam omnium fuiſſe digniſſimam, tamen hoc loco priorem eam arbitramur dici, quòd priùs dimenſa & explicata fuerat ab Angelo. V. 22. *Septem graduum erat aſcenſus ejus*] Hujus loci teſtimonio permoti quem graduum numerum ante portam Aquilonarem hîc legerunt, quémque paulo inferiùs legerunt, de Meridiana ad Orientalem tranſtulerunt, ubi graduum numerus ſubticetur. Id autem jure optimo factum eſt ab illis. Namque hîc notandum hoc uno textus teſtimonio, & *LXX* Interp. exemplo firmari regulam ſimilitudinis à qua nunquam diſcedimus; quâ nimirum una pars ædificii ſemel dimenſa norma eſt atque menſura omnium univerſi Templi ſimilium partium, niſi fortè alibi notaretur in textu, quod rariſſimè fit. *Veſtibulum ante eam*] Hebr. אילמיו לפניהם] Phraſim continent hæc verba Hiſpano potiùs quàm Latino ſermone reddendam; diceremus enim *ſu zaguan eſtava de la puerta adelante*, h. e. veſtibulum erat ultra januam vel ultra gradus prædictos, utrumque enim ex æquo referri poteſt ex voce Hebraica לפניהם. *LXX* rem aptè ſignificarunt, *& ælammon* (h. e. *veſtibulum*) *erat intrinſecus*, h. e. intra portam. Hac autem tam expreſſa rei ſignificatione uſi ſunt *LXX* nè quis deciperetur, quod paulò ante dixiſſent gradibus illic ſeptem aſcendi in veſtibulum quaſi non tranſcenſâ portâ, ideo notant ultra eam fuiſſe veſtibulum, eadem huc referentes verba, quæ de veſtibulo portæ Orientalis ſuprà retulerat Propheta, eundem eſſe indicantes horum & illorum verborum ſenſum. Vulg. cum Hebr. conſentit ſi res potiùs attendatur quàm verba. Nam quod in Hebræo dictum erat obſcuriùs, veſtibulum fuiſſe ante gradus, explicat Vulg. quum dicit fuiſſe *ante* vel *intra* portam, quod idem eſt. V. 23. *Porta atrii interioris contra portam* &c.] Difficilis oratio propter Hebraicam phraſim in qua ו copulativum vim habet hîc comparativi. LXX rectè acceperunt & explicarunt, ſimilitérque poſt eos Hieronymus. Senſus ergo eſt, *Porta atrii interioris* erat contra (h. e. è regione) *Portam* (portæ) *Aquilonis, &* (h. e. ſicut ad) Orientalem, h. e. Sicut è regione portæ Orientalis atrii exterioris erat porta alia Orientalis atrii interioris. Vel *Et*, ſicut ad, Orientalem, ſubaudi dictum eſt, h. e. Non aliter hîc intelligendum eſt portas Aquilonares conſtitutas fuiſſe, quàm de Orientalibus dictum eſt. *Et menſus eſt à porta uſque ad portam centum cubitos*] Rectè & magis explicatè LXX διεμέτρησε τὴν αὐλὴν ἀπὸ πύλης ἐπὶ πύλην. V. 25. *Et feneſtras ejus & veſtibula*] Hebr. וחלונים לו ואילמו *Feneſtræ erant ei & veſtibulis ejus in circuitu*, i. cancellis undique concluſa erat porta ejúſque poſtes inter thalamos. Sic Chald. & Vatablus. V. 26. *Cælatæ palmæ una hinc* &c.] Una hinc altera inde in fronte ejus. His verbis & ſimilibus quæ ſuprà explicata ſunt deſcribuntur ornamenta capitellorum columnarum, ubi exponunt Chald. & Jarhi. Redolet autem illud phraſim Hebraicam Ezech 33. 30. *unus ad unum*, hoc eſt, ſinguli ad proximum ſuum, & 1 Reg. 10. 14. *in anno uno*, h. e. ſingulis annis. Sic hîc, *una hinc, altera inde*, h. e. ſingulis utrinque frontibus; conſtat nempe plures fuiſſe ex utraque portæ parte frontes, & ſingulas eodem ornamenti genere ſculptas, quod verè expoſuit Vatablus, *Habuit etiam ſingulas palmas utrinque in ſuis frontibus.* V. 30. *Et veſtibulum per gyrum* &c.] Hebr. אלמות, quam vocem ſuprà diximus ſignificare *fornices*, hîc verò *poſtes* ſignificat quibus fornices innituntur, id quod ex eo videtur confici, quòd hæc vox affinis ſit radici איל & איל, quæ *poſtem* ſignificant vel *frontem poſtis*, & Hieronymi teſtimonio in Trad. Hebr. in Gen. 28. *Antiquæ*, inquit, *Scripturæ voce* אולם *vel* אלם *plenæ ſunt, quod nihil aliud ſignat niſi Ante aut Prius, vel Veſtibulum ſive Superliminare vel Poſtes.* Idem ergo ipſum metitur hîc Angelus, quod ſuprà v. 7. inter thalamos cubitis quinque menſus fuerat. Poſtes nimirum qui intra portam fornices ſuſtinent, quorum ſtylobatas quinque cubitis fuiſſe latos diximus. Hos poſtes nunc dicit longos fuiſſe, h. e. altos cubitis 25. tanta enim eſt primæ contignationis celſitudo, ſive primi ordinis columnarum cum ſua trabeatione altitudo. Hanc verò menſuram hîc primùm haberi expreſſam certum eſt, quæ priùs ſub illa 60 cubitorum univerſali frontium altitudine comprehendebatur. Chald. hoc loco columnas 20 tantùm cubitis metitur, quarum ſcilicet trabeationes aliæ debuerunt eſſe quinque cubitos, ut infrà confirmandum eſt. V. 31. *Et veſtibulum ejus ad atrium exterius*] Quid hæc verba innuant attentiùs perpendendum: cujus rei gratia ſcire oportet, Atrium interius, ſive Sacerdotum, duplici ratione ab exteriore Iſraelis diverſum fuiſſe; tum quod illius ſolum ſuper hujus ſolo octo elevetur gradibus, tum quod peribolo proprio ſupra iſtam altitudinem ſoli erecto circumdaretur ita ut ad illud aditus undiquaque intercluderetur, & inacceſſum eſſet Atrium præterquam per portas. His aſſumptis hoc veſtibulum portæ interioris ad Atrium exterius fuiſſe dicitur, vel reſpexiſſe; quoniam peribolus ille Atrio interiori aream ſubdivalem tantummodo relinquebat, & porticus omnes tum Atrii interioris tum exterioris Atrio exteriori, ut vides in Ichnographia univerſali. Neq; hoc tantùm ſed & ipſum pavimentum interiorum porticuum æquè libratum eſt cum pavimento atrii exterioris, quo Sacerdotes in atrio interiori miniſtrantes à reliquo populo in Atrio inferiori conſtituto quaſi celſiores dignis afficerentur honoribus ac reverentiâ.

CAP XXXVI. V. 38. *Et per ſingula Gazophylacia oſtium &c.*] In Hebr. eſt ולשכה ופתחה. Vox פתח *apertionem, oſtium, januam, feneſtram*, ſignificat, id nempe quod apertum eſt, vel luci excipiendæ, vel quo ingrediantur & egrediantur homines. Atque ſi vim vocis penitùs inſpiciamus, facilè nobis indicabit quid hoc loco in noſtro ædificio repræſentet, cujus interiores muri poſtibus diſtincti ſunt, qui fornicibus deſupèr clauduntur. Igitur ſpatium illud inane quod in muro aperitur ſub fornice inter poſtes, meritò ac propriâ vocis פתח notione indicabitur. Numerum autem ſingularem ibi diſtributivè ſumi aptiſſimè intellexit Vulg. *per ſingula Gazophylacia oſtium*, i. e. oſtia ſingula, *in frontibus*, h. e. inter frontes vel ſemicolumnas, *portarum*, quæ poſtes portæ & univerſi Atrii exornabant. Jarhi, *Sunt*, inquit, *verſus nonnulli appellantes latera Portarum* Frontes. Aptè (inquit Villalpandus) Rabbi ille *frontes portarum* tradit dici eas quæ ad latera portarum ſunt. Sunt enim in tribus lateribus Atrii interioris ternæ portæ, frontibus utrinque munitæ, juxta quas erant Luteres, quorum diſpoſitio in veſtigio Atrii interioris videri poteſt. *Ibi lavabant holocauſta*] Levit. 1. 11, 13, præceperat ut holocauſtum immolaretur ad latus Altaris, quod reſpicit ad Aquilonem, atque ut inteſtina ejus & pedes lavarentur aquâ. In hunc lavandarum victimarum uſum fecit Solomon decem Luteres æneos, ſive Conchas, quos poſuit partim circa portam Aquilonarem, ac quinos illis ordine ex adverſo reſpondentes ad portam Auſtralem, ut liquet ex 1. Reg. 7. 39. & 2 Paral. 4. 6. Porrò cùm Gazophylacia in ſuperiore contignatione atque in ſingulis intercolumniis ſingula ſuper fornicibus veſtibulorum Atrii extructa eſſent, id modò conciſâ quamvis oratione teſtatum habemus, in ſingulis intercolumniis Atrii interioris conchas ſingulas extitiſſe, in quibus holocauſta lavabantur. Non eſt prætermittenda (inquit Villalpandus) interpretatio alia, quæ planiorem multò ac faciliorem loci ſenſum reddat, ut ſermo ſit de thalamis ſenis portarum, quæ & ipſa Gazophylacia dicantur, haud repugnantibus Hebræis, Græcis & Latinis vocibus. Per ſingula ergò Gazophylacia oſtium erat in frontibus portarum, h. e. ſingulis ex iis thalamis oſtia aperiebantur inter frontes, quorum oſtiorum initio meminit Propheta, affirmans ſingula oſtia ſingulis ex adverſo oſtiis reſpondiſſe, v. 13. Atque ad oſtia thalamorum ejuſmodi intra portam holocauſtorum interiora lavabantur, allatâ ex Conchis aquâ, manentibúſque Conchis in Atrio interiore. Sed & lavabantur ſuper menſas, de quibus mox

CAP XXXVII. V. 40. *Et ad latus exterius* &c.] Introitum portæ, vel oſtium portæ primùm retulit, quòd ab Atrio exteriore venientibus primùm occurrit; atque in eo conſcenſos fuiſſe gradus indicat vox *exterius*, Hebr. *extra gradum*, h. e. ultra gradus in ipſo portæ pavimento: conſcenſis gradibus, ingredientibus hoc primum oſtium portæ Aquilonaris, ad humerum utrumque oſtii duæ menſæ occurrunt nempe in ipſis angulis interioribus portæ ad Aquilonem pertinentibus. *Et ad latus alterum*, h. e. & ex altera parte portæ in binis aliis angulis ad latus portæ Meridianum pertinentibus, qui ex utraque parte veſtibuli portæ interioris conſtituuntur, *duæ menſæ*. Exteriorem introitum portæ Propheta hic appellat *oſtium portæ*, interiorem verò *veſtibulum interius*, uti ſuprà fecit in deſcriptione portæ Orientalis.

CAP XXXIX. V. 43. *Et labia earum palmi unius* &c.] Hebr. שפתים, quæ vox deduci poteſt à שפה *elevare* unde נשפה *elevatus, excelſus*, Eſa. 13. 2. atque ita *eminentias* ſignificabit, ſive quod emineat, vel quod ſurſum aut extra perpendiculum eminet. Vel ſi deducatur à שפה ſignificabit *labium, oram littus marginem, circumferentiam*; atque hoc reſpectu affinis eſt ſignificationis voci שפת quæ κλῆρον, h. e. *terminum* ſignificat. Pſal. 68. 14. Vulg. hoc loco oppugnat Pagninus, ſed fruſtrà; ejus enim argumentis hac unâ ratione jam allatâ reſponderi poteſt, quòd ſcilicet שפה *labium* voci שפת *terminum* ſeu *circumſtantiam* ſignificanti eſt quàm ſimillima. Deinde Hieronymus, Sym. Theod. & Aquil. 2. edit. reddunt χεῖλος *labium*, LXX γεῖσος in Sixt. cod. in Compl. autem & Regio κυμάτων, quod eſt ornamenti genus quoddam portarum in antepagmentis apponi ſolitum à κῦμα *unda*, quam ejuſmodi ornamentum quodammodo refert. *Super menſas carnes oblationis*] Hieronymus, *ubi nos diximus*, *Super menſas* &c. LXX de ſuo poſuêre, *Et in menſis deſuper tecta ut operientur à pluvia & ſiccitate*. Theodoretus hanc etiam LXX ſententiam refert. Quo teſtimonio LXX Interpretum confirmari videtur ſententia quæ ſuprà eſt explicata, juxta quam menſas in ipſis Atriis ſub dio ex utraque partæ portæ in deſcriptione notabimus. Et quamvis hæc non ſint Prophetæ verba, ſi tamen verè ſunt LXX Interpretum, & nullo librariorum vitio vel adjecta vel interpolata, magna profectò ſunt authoritatis. Quòd ſi intra veſtibulum conſtituantur menſæ, operirentur aureis quidem, aut fortaſſe argenteis operculis, quo ſacratiores haberentur & mundiores, dum in eis ſacra non haberentur. Id verò ad ſolis vel pluviæ arcendas injurias omninò eſſet impertinens, cùm tectis & muris ſolidis undique tegerentur. Chald. locum iſtum ſic reddit, עונקלין *uncini exibant palmi unius fixi in columnis domûs lanienæ intra veſtibula circumcirca*. Illum ſequuntur Jarhi & Miſna Tract. מדות, *Domus laniorum erat in Aquilone Altaris, & in illa erant octo columnæ breves, & quadrata cedrina erant ſuper illis, & uncini ferrei erant fixi in eis, & tres ordines erant in unoquoque, in quibus ſuſpendebant & excoriabant ſuper menſis marmoreis quæ erant inter columnas.* Quæ ſententia non eſt omninò rejicienda; nam præterquam quòd ſine ejuſmodi uncinis vix ac ne vix quidem excoriari poterant tot victimæ, fuiſſe etiam illos olim in Tabernaculo Moſaico probat locus Exod 38. 28. De 1770 ſiclis fecit ווים *capita columnarum*, h. e. uncinos capitellorum, metonymiâ uſitatâ totius pro parte. Kimhi dicit fuiſſe uncinos ſive clavos præ ſe ferentes figuram literæ ו *Vau* infixos columnis atque ex iis prominentes, erántque in hoc facti ut in ipſis excoriarentur pecudes. Hujuſmodi uncini voce שפתים aptiſſimè denotantur. Omnes enim diſpoſiti fuiſſe videntur bini & bini undecunque prominentes, ut unam hoſtiam ſuſtinerent. Quod verò ad trabes cedrinas ſpectat & columnas breviores, quas fingunt illi ad uncinos figendos & ſuſtinenda pondera, puto illos loqui de Zorobabelis vel Herodis Templo; nam in iſto de quo nunc eſt ſermo ligneis columnis nihil erat opus, cùm ſingulæ menſæ ad ſingulos aptarentur frontium ſtylobatas. ſuper quorum ornamentis aptè figerentur clavi, qui quodlibet pondus poſſent ſuſtinere, atque in longa ſæcula perdurare. Et quod ad debitam uſuíque accomodatam uncinorum altitudinem ſpectat, eam præſtaret pro pecudibus ſtylobatæ altitudo, quæ oſtenſa eſt eſſe cubitorum duorum cum dimidio. quod verò ad armenta, in ipſis columnis aut poſtibus facilè figerentur clavi. Vocem שפתים Kimhi exponit כירים, h. e. χυτρόποδας, loca aut vaſa in quibus ponuntur ollæ aut caldariæ, ex loco qui eſt Pſalm. 68. 14. Quamvis autem quod ad culinarum vaſa ſpectat nihil habeat cum his menſis commune, tamen quod ad phialas excipiendo victimarum ſanguine menſis appoſitas pertinet, non video cur etiam pedibus non inſiſterent ut minori ſui parte terram contingerent. Quod ſi verum ſit, eæ quoque Hebræis dicerentur כירים à radice כיר quæ *concham*, aut כור quæ *foſſam* ſignificat, quòd vas ſit profundum & capax ut concha vel foſſa. Eædem χυτρόποδες dicuntur ollæ, quæ pedibus inſiſtunt. Χύτρα autem παρὰ τὸ χέειν *fundere* aptiſſimè ſignificabit conchas vel phialas illas in quibus jugulatæ victimæ ſanguis infundebatur, qui collectus deinde in crepidine Altaris effunderetur. Quòd ſi pedibus ejuſmodi conchæ inſiſtebant, meritò χυτρόποδες dicerentur, ac binæ ſingulis inſiſterent menſis, minores aliæ quibus pecudum ſanguis exciperetur, aliæ majores quibus armentorum plurimus. V. 44. *Extra portam interiorem &c.*] h. e. egreſſus portam interiorem, ſubaudi, vidi ibi fuiſſe, *Gazophylacia Cantorum, in atrio*, inquam, *interiori*. LXX proprium horum verborum ſenſum reddidêre, *Introduxit me*, inquiunt, *in atrium interius*. Unde colligitur quæ hactenus dixerat Propheta omnia ad Portæ pertinuiſſe interiora, intra cujus veſtibulum conſtitutas fuiſſe dixerat ſacrificiorum menſas. Sic Kimhi, q. d. in ſpatio atrii interioris erant Gazophylacia Levitarum canentium; ſic & Jonathas & Jarhi. *Facies eorum contra viam Auſtralem*] LXX, *ferentia* vel *tendentia ad Auſtrum*. Hæc verba aliis quaſi per parentheſim immixta videntur, & ſuperioribus illis *Gazophylacia cantorum connectenda*. Senſus eſt Gazophylacia Cantorum erant in porticu quæ tendit ab Aquilone (portam namque egreditur Aquilonarem Propheta) ad Auſtrum. Reliqua ſunt perſpicua. *Quod* Gazophylacium erat *in latere portæ* vel à latere portæ, aut ad humerum portæ (quod idem eſt) *reſpicientis ad Aquilonem*, h. e. Aquilonaris, *& facies eorum contra viam Auſtralem*, h. e. ex iis Gazophylaciis quæ tendunt in Auſtrum. Senſus fuiſſet perſpicuus ſi dixiſſet, Et Gazophylacium quod eſt in angulo duarum porticuum Aquilonaris & Orientalis, hæc enim eſt quæ ab Aquilone tendit ad Auſtrum. Idem confirmant ſequentia, *Una*, vel *unum*, vel id quod eſt *ex latere portæ Orientalis quæ*, quod, *reſpiciebat ad viam Aquilonis*, h. e. ad Aquilonem. His omnibus verbis deſcribit Gazophylacium illud porticûs Orientalis, quod eſt in ejus angulo Aquilonari. Sed dum unum fuiſſe commemorat Gazophylacium in latere portæ Orientalis verſûs Aquilonem, & aliud quoque ſimile ſubintelligendum fuiſſe indicavit à latere Meridiano ejuſdem portæ. Quod à Kimhi fuit quoque adnotatum, & à Richardo. Atque hujus quidem Gazophylacii, quod nondum expreſſerat, priùs uſum retulit, ſubdens V. 45. *Et dixit ad me, Hoc eſt Gazophylacium &c.*] Illud quod nos conjecturâ affirmamus de duobus illis Gazophylaciis, teſtatum habemus apud LXX, quorum hæc ſunt in Sixtiano cod. verba ad præcedentem verſum, *Et introduxit me in Atrium interius, & ecce duæ exedræ in atrio interiori, una ad dorſum*, h. e. ad latus, *portæ reſpicientis ad Aquilonem*, h. e. ex phraſi Hebraica, Aquilonaris, *quæ fert ad Auſtrum*, h. e. Porta quæ aperta in latere Templi Aquilonari ducit ad Auſtrum, *& una*, h. e. altera exedra *ad dorſum portæ quæ ad Auſtrum*, h. e. à latere portæ Auſtralis, *reſpicientis autem ad Aquilonem*. *Sacerdotum erit qui excubant in cuſtodiis Templi*] Quod ad Meridianum ſitum ſpectat cuſtodientium cuſtodias domûs, & eorum miniſterium, id deſcribitur Num. 3. 27, 28. *Hæ ſunt familiæ Caathitarum &c.* habebunt excubias ſanctuarii, & caſtrametabuntur ad Meridianam plagam. Quibus, poſtquam cunctam Tabernaculi ſupellectilem demandatam fuiſſe teſtatur, principes aſſignat V. 32. *Princeps autem principum Levitarum Eleazar filius Aharon erit ſuper excubitores cuſtodiæ Sanctuarii.* Hanc autem Caathitarum familiam ad angulum Meridianum & Orientalem pertinuiſſe perſpectum eſt, & alibi à nobis confirmatur, ubi oſtendemus caſtrorum Iſrael formam totius Templi ideam retuliſſe. Qua in diſtributione Moyſi & Aharon angulus alter Orientalis & Aquilonaris attribuitur, V. 38. Caſtrametabuntur ante tabernaculum fœderis ad Orientalem plagam Moyſis & Aharon cum filiis ſuis, habentes cuſtodiam Sanctuarii. Hæ ſunt excubiæ domûs quæ nunc dicuntur cuſtodiri in Gazophylacio Orientali Meridiano. V. 46. *Porrò Gazophylacium quod reſpicit &c.*] Illud eſt (inquit Kimhi) ſupra dictum cujus v. 44. mentionem fecerat. *Sacerdotum erit qui excubant ad miniſterium Altaris*] Heb. *cuſtodientium cuſtodiam Altaris.* Quæ autem hæc fuerit cuſtodia, liquet ex Levit. 6. 12. 13. *Ignis in Altari ſemper ardebit. &c.* Quibus verbis perſpicuum eſt cur Hieronymus pro *cuſtodia*, *miniſterium* converterit, quippe quòd ejuſmodi cuſtodia miniſterii, ſollicitudinis, curæ pleniſſima. V. 47. *Et menſus eſt atrium longitudine centum cubitorum*] Atrium quod jacet inter has portas interiores nunc metitur Angelus longitudine centum cubitorum, & latitudine centum cubitorum per quadrum. *Quadratum*] Heb. מרבע. LXX *ad quatuor ejus partes*, h. e. cujus quaterna latera paria erant cubitorum centum. Hieronymus reperit longitudinis & latitudinis centum cubitos per quadrum. Hîc Villalpandus rejicit eorum ſententiam, qui Atrio interiori Templi Salamonis negant porticus, exedras, gazophylacia, volúntque illud clauſum fuiſſe humili duntaxat maceriâ trium ordinum lapidum cæſorum, & unius ordinis lignorum cedri dolatorum huc accomodantes locum 1 Reg. 6. 36. quem confirmant teſtimonio Joſephi Antiq. lib. 8. cap. 2. Sed illis opponit primò locum 1 Paral. 28. 12, ubi dicitur data fuiſſe à Davide Salomoni deſcriptio *omnium Atriorum* (ſcilicet interioris & exterioris) *& exedrarum per circuitum in theſauros ſanctorum* (in Atrio ſcilicet exteriori) *diviſionúmque ſacerdotalium & Levitarum*. Quæ nemo non videat eadem eſſe cum his quæ hîc recenſentur, *Gazophylacia Cantorum in Atrio interiori*, & Gazophylacium Sacerdotum excubantium in cuſtodiam Templi & miniſterium Altaris. II. Opponit locum 1 Reg. 7. 12. *Ædificavit Salomon Atrium majus rotundum h. e. circumquaque, trium ordinum de lapidibus ſectis, & unius ordinis de dolata cedro*: quæ de Atrio exteriore dicuntur: nam ſequitur, *Et in atrio domûs interiore* (quod eſt Atrium Sacerdotum quódque 1 Reg. 6. 36 dicitur ſimiliter extructum fuiſſe *tribus ordinibus lapidum politorum, & uno ordine lignorum cedri*) *& in veſtibulo domûs.* Jam verò veſtibulum domûs altum fuit cubitis 120: tantùm abeſt ut clauſum fuerit humili duntaxat maceriâ. Unde concludit locum illum 1 Reg. 6. 36. de tribus ordinibus lapidum cæſorum, intelligendum de columnis omnibus ſive de tribus columnarum ordinibus in altum ſibi invicem ſuperpoſitis. Locum autem Joſephi Antiq. lib. 3. cap. 2. accipiendum de γείσῳ, ſive humili maceriâ quo Sacerdotes in Atrio interiore operantes ſacris diſtinguebantur à populo, in Atrio exteriore verſante, qui γεῖσος nihil habet commune cum tribus illis ordinibus lapidum politorum. Hunc γεῖσον ait denotari his Ezechielis verbis cap. 42. 10. *In latitudine periboli Atrii*, qui dicitur Atrii peribolus, quòd totum interius Atrium (de quo eſt iſthic ſermo) undequaque cingeretur. Id verò quod ſequitur (inquit Villalpandus) Joſephus non enarravit, *quod erat contra viam Orientalem in faciem ædificii ſeparati*. *Ædificium ſeparatum* vocat hîc ipſam Dei domum; itaque ante faciem Orientalem domûs Dei peribolus hic ſive γεῖσος tendebatur, à porticu Aquilonari ad Meridianam.

CAP. XLVI. v. 48. *Et menſus eſt veſtibulum quinque cubitorum hinc &c.*] Heb. אל אולם, quam utramque vocem LXX Interp. in Sixt. Cod. retinuerunt, τὸ αἰλ τοῦ αἰλὰμ, quamvis prior ex aliis Codd. excidiſſe videatur: quapropter ipſum *veſtibulum* legunt, ſed *poſtem veſtibuli* licet convertere, vel ut Chald. habet *frontem veſtibuli*. Jarhi, אל quaſi איל *frontem veſtibuli* h. e. groſſitiem laterum portæ menſuravit ab Oriente ad Occidentem. Hieronymus notione proximas voces indicavit fuiſſe איל & אילם, atque adeò poſtem vertit *veſtibulum*. Metitur enim hoc loco Angelus craſſitudinem muri anterioris veſtibuli quæ ingredientibus erat perſpecta in utroque poſte & imminente fornice; quæ quidem partes ædificii meritò veſtibuli nomine cenſentur ab Hieronymo, cùm eas omnes & ſingulas juxta varias notiones indicet prædicta vox אילם, quæ inter alia *fornicem* etiam diximus ſignificare: erat autem hæc porta ſupernè fornicata. *Et latitudinem portæ trium cubitorum hinc &c.*] Hebraica ad verbum convertit Hieronymus, ut & Chald. ſenſum verò reddunt

LXX *Et latitudinem portæ cubitorum 14, & latera (ἐπωμίδες) portæ alam cubitorum trium hinc & inde.* Quamvis latitudinem portæ Hebraica non tradant, eam tamen fuiſſe 14 cubitorum manifeſtè colligitur ex ipſo textu. Conſultò verò *latera* portæ intelligunt dicta fuiſſe portæ latitudinem, nimirum quantum ipſa latera ſeu humeri aut poſtes diſtenduntur ab oſtio uſque ad angulos interioris ædis, quod unum dimenſum fuiſſe repetita ipſa dimenſio planum facit. Accedit conſuetudo deinceps ab Angelo obſervata in ſingulis portis Sanctuarii in quibus poſt dimenſam murorum craſſitudinem, ſpatia metitur quibus domus ipſa ab oſtio, ſive à poſtibus portæ ad angulos uſque interiores utrinque laxatur; quam quidem dimenſam retractionem & *latera* vocat portæ, & *humeros*, & *latitudinem*. Kimhi, *Dicit quod latitudo portæ veſtibuli erat ejuſmodi ut remaneret illi latus poſt portam trium cubitorum ab Aquilone, & trium cubitorum ab Auſtro, habetur ergo latitudinem portæ fuiſſe 14 cubitorum, nam longitudo veſtibuli erat 20 cubitorum*, ex quibus tolle ſex pro lateribus portæ, tres hinc & tres inde, remanet latitudo portæ 14 cubitorum, & ad hoc meliùs explicandum ſubdit, longitudinem autem Veſtibuli 20 cubitorum. Eandem planè habet Theodoretus expoſitionem cum Kimhiana. V. 49. *Octo gradibus aſcendebatur ad eam*] Hieronymus, Symmachus (inquit) quem nos ſecuti ſumus, 8 gradus poſuit, LXX decem, Theod. & Aquila 2 edit. undecim, prima autem nullum numerum poſuit, ſed abſolutè ait, Et gradibus in quibus aſcendebatur ad eam, ut juxta conſuetudinem priorum portarum octo intelligamus gradus, ſicut intellexit Symmachus. Jarhi Kimhi & Joſephus monent in ſecundo Templo h.e. Herodiano fuiſſe 12 gradus. Quoniam autem Villalpando ſacroſancta eſt Vulg. ob decretum Synodi Tridentinæ illi mordicus adhæret. Igitur (inquit) nos ſecundùm Vulg. edit. graduum octonarium numerum ante veſtibulum excitavimus quibus ad portam aſcenditur, vel ad ipſum veſtibuli introitum. Et quoniam rejicienda minimè videtur LXX Interp. tranſlatio, quæ B. Auguſtino magnæ autoritatis eſt, binos alios gradus excitavimus in ipſo introitu veſtibuli, in anteriorum paraſtadum cubitali projectura ut vides in veſtigio Sanctuarii, ita ut omnes gradus ad veſtibulum uſque aſcendendi deni ſint, quot videlicet numerantur à LXX Interp. octoni uſque ad portam veſtibuli, quot numerantur à Vulg. editionis Interp. *Et columnæ erant in frontibus*] Heb ועמודים אל האילים Uſus eſt hoc loco Propheta voce propria עמודי columnas has diſtinguens à reliquis quas hactenus enumeraverat, vel potiùs columnas diſtinguens à poſtibus. Deducitur autem hæc vox à עמד *ſtetit*, q. d. ſtatuam quod in altum ſtet erecta, vel quod ſubſiſtat fulciátque domum cui ſubſtat. Differt à voce איל quæ *poſtem* ſignificat, aut columnam muro adpactam, עמיד autem *ſtantem columnam*, quæ muro non adjacet, ſive ea rotunda ſit, ſive quadrata, aut aliâ quacunque formâ. Unde colligimus à muro extantes conſpectas fuiſſe à Propheta poſt dimenſam veſtibuli longitudinem & latitudinem, h. e. cùm oculos atque iter dirigeret in Templi portam mox dimetiendam. Has igitur duas columnas in frontibus ſive ad frontes appoſitas fuiſſe affirmat, nimirum è regione paraſtadum angularium quæ erant circa portam Templi, una in angulo Meridiano, altera in Aquilonari, ut vides in veſtigio Sanctuarii.

CAP. XLI. *Ezechielis Paraphraſtica explanatio ex Villalpandi Explanationum Tom. 2. part. 2. l. 4.*

V. 1. *Et introduxit me in Templum*] Introduxit me in priorem Templi portem, quæ dicitur Baſilica, aula, atque Templi nomine plerumque cenſetur. *Et menſus eſt frontes ſex cubitos latitudinis hinc, & ſex cubitos latitudinis inde*] Et menſus eſt utrumque portæ poſtem dextrum atque ſiniſtrum, & uniuſcujuſque latitudinem ab Oriente in Occidentem 6. cubitorum. *Latitudinem Tabernaculi*] Quanta nimirum erat ſuperliminaris latitudo, & parietis Sanctum à Veſtibulo dividentis craſſitudo. V. 2. *Latitudo portæ 10 cubitorum erat*] Limen portæ latum erat cubitos 10 quàm latum fuerat olim Moſaicum Tabernaculum. *Et latera portæ 5 cubitis hinc & quinque cubitis inde*] Et reliqua muri pars ab oſtio uſque ad angulos interiores domus, quinque fuit cubitorum ex alterutra parte, aperiebatur quippe porta in media domo Sancti. *Et menſus eſt longitudinem ejus 40 cubitorum, & latitudinem 20 cubitorum*] Et aulæ ſanctæ longitudinem 40 cubitorum menſus eſt, & latitudinem 20, duplâ nimirum latitudinis longitudine, quæ maximè ab antiquis probatur. V. 3. *Et introgreſſus intrinſecus menſus eſt in fronte portæ duos cubitos*] Et deducens me ad Adyta, menſus eſt poſtem utrumque Portæ, h. e. craſſitudinem muri concludentis oraculum duorum cubitorum, vel paraſtades latus utrumque Portæ exornantes. *Et portam 6 cubitorum, & latitudinem portæ 7 cubitorum*] Oſtium quoque portæ menſus eſt 6 cubitos latum, & humeros, ſive latera, portæ, h. e. muri partes quæ ab oſtio extenduntur ad angulos interioris domus 7 cubitorum. V. 4. *Et menſus eſt latitudinem ejus 20 cubitorum, & longitudinem 20 cubitorum; & dixit ad me, Hoc eſt Sanctum ſanctorum*] Et menſus eſt Oraculi latitudinem 20 cubitorum, & longitudinem 20 cubitorum, cujus altitudo quoque 20 cubitorum fuit; & dixit mihi &c. V. 5. *Et menſus eſt parietem domus 6 cubitorum*] Et menſus eſt craſſitiem parietis Templi 6 cubitis. *Et latitudinẽ lateris 4 cub.*] Latera, anterides, ſive antas, vel pilas, menſus quoque eſt, & uniuſcujuſque latitudinem comperit eſſe 4 cubitorum. V. 6. *Latera autem latus ad latus bis triginta tria.* Latera verò bina ſibi invicem reſpondentia à pariete domus projiciuntur pedes 33 h. e. cubitos 22. ſingula projiciuntur cubitos 11. *Et erant eminentia quæ ingrederentur per parietem domus, in lateribus per circuitum, ut continerent, & non attingerent parietem Templi*] Et retractiones quaſdam fecit in ipſis lateribus domus in quibus trabes & tabulata cubiculorum domum circumdantium ponerentur, nè opus eſſet ipſos Templi parietes fodere ut continere poſſent trabes, quas non debuit Templi parietem contingere, nedum illi inſiſtere. V. 7. *Et platea erat in rotundum aſcendens ſurſum per cochleam, & in cœnaculum Templi deferebat per gyrum*] Et aditus vel oſtium inferiorum cubiculorum patebat ad cochleam, quo ad media & ſuperiora cubicula aſcendebatur, quæ quidem cubicula univerſa propemodum domum circuibant. *Idcirco latius erat Templum in ſuperioribus*] Et ſpatium fiebat manus ſurſum aſcendendo ad cameras, atque adeò cubicula inter coſtas ſive paraſtades, latiora erant quo ſuperiora. *Et ſic de inferioribus aſcendebatur ad ſuperiora in medium*] Aſcendebatur enim ad ſuperiora cubicula per media, & ad hæc per inferiora. V. 8. *Et vidi in domo altitudinem per circuitum, fundata latera ad menſuram calami 6 cubitorum ſpatio*] Et vidi interiores coſtarum retractiones quibus trabes & tabulata fulciuntur, ipſæque paraſtades muniuntur; erántque in univerſum ſingulæ retractiones altæ calamum unum 6 cubitorum & palmi, omnes ſimul cubitos viginti. V. 9. *Et latitudinem per parietem lateris forinſecus 5 cubitorum*] Et lapideus paries qui coſtas & cubicula claudebat extrinſecus, latus erat cubitos quinque. *Et erat interior domus in lateribus domus*] Totidémque latus erat locus ille inter coſtas relictus, qui in cubicula deinde tributus ſecundùm longitudinem fuit, qui quidem locus & pro æſtuariis fuit, & ut in eo ſacra vaſa aſſervanda reponerertur. V. 10. *Et inter Gazophylacia latitudinem 20 cubitorum in circuitu domus undique*] Et platea quædam viginti cubitos lata erat inter Gazophylacia Atriorum & prædicta cubicula: quæ quidem platea æquè undique lata totam domum cingebat ab Oriente, Mer. Occ. & Aquilone. V. 11. *Et oſtium lateris ad orationem: oſtium unum ad viam Aquilonis, & oſtium unum ad viam Auſtralem*] Et prædictus locus qui derelictus dicebatur, & in varios uſus deputatus erat, potiſſimum ad orationem, animi requiem, & Dei munera ſuſcipienda deputabatur, ad quem & ab Auſtro & ab Aquilone patebat aditus, apertis oſtiis à lateribus veſtibuli, & in pariete Aquilonari & in Auſtrali exterioribus. Et à propriis oſtiis in ipſis coſtis, vel Antis, apertis, alia ab Auſtro, alia ab Aquilone aperiebatur: quare facies ad Orientem reſpiciebant in binis illis cubiculis quæ Mutatoria ſæpe appellantur. *Et latitudinem loci ad orationem 5 cubitorum in circuitu*] Et prædicti loci, ſive cubiculorum, latitudo 5 cubitorum; tot enim diſtat ab interiori domus pariete exterior coſtarum. V. 12. *Et ædificium quod erat ſeparatum verſúmque ad viam reſpicientem ad mare latitudinis 70 cubitorum*] Et hujuſmodi orationis locus qui à latere Meridiano & Aquilonari Templi exſtructus latus erat, h. e. extendebatur ab Oriente in Occidentem 70 cubitos. *Paries autem ædificii quinque cubitorum latitudinis per circuitum, & longitudinis 90 cubitorum*] Hujus verò loci exterior paries, qui domum undique cingebat, latus erat vel craſſus cubitos 5 altus verò cubitos 90. V. 13. *Et menſus eſt domûs longitudinem 100 cubitorum, & quod ſeparatum erat ædificium, & parietes ejus longitudinis 100 cubitorum*] Quam domum ſingillatim & per partes metitus fuerat nunc in unam ſummam colligit, ejúſque longitudinem ab Oriente in Occidentem centenario, h. e. perfecto, cubitorum numero definit. Nam ipſa domûs longitudo & orationis locus, & parietes, omnia ſimul capta, longitudinem complent centum cubitorum. V. 14. *Latitudo autem ante faciem domus, & ejus quod erat ſeparatum contra Orientem 100 cubitorum*] Et platea quædam quæ jacebat ante faciem domus, h. e. ejus celeberrimi atque eximii ædificii, quod Separatum propterea dicitur, & Orientem reſpicit, longa erat cubitos 100 hujus verò plateæ latitudinem paulò ſuperiùs 20 cubitis definierat. V. 15. *Et menſus eſt longitudinem ædificii contra faciem ejus, quod erat ſeparatum ad dorſum, ethecas ex utraque parte 100 cubitorum*] Et menſus eſt interioris Atrii quadratam illam aream, quæ domum Domini cingebat, vel potiùs poſtes, veſtibula & porticus quæ triplici ex latere Occidentali, Meridiano & Aquilonari domui opponebantur. Menſus eſt, inquam, longitudinem porticûs occiduæ quæ reſpiciebat Occidentale poſticum domûs, nec non porticus Meridianas & Aquilonares, quæ erant ex utraque parte domus, 100 cubitis: erat enim areæ hujuſmodi æqua longitudini latitudo 100 cubitorum. *Et Templum interius & veſtibula Atrii*] Atque adeò Templum interius menſus eſt, & Atrii veſtibula. V. 16. *Limina & feneſtras obliquas, & ethecas in circuitu per tres partes*] Atrii porticus cedrinis contectæ deſuper laquearibus, quæ laquearia Limina dicuntur, inferiùs cancellis claudebantur in rhomborum morem obliquis non quadratis angulis perforatis, & Atrii poſtes ſine etheca triplici ex latere cingentes Templum. *Contra uniuſcujuſque limen*] Poſtibus domûs reſpondebant ex adverſo non quidem temerè, ſed ſinguli ſingulis poſtibus, ſingula limina, vel tabulata ſingulis tabulatis. *Stratúmque ligno per gyrum in circuitu*] Poſtes verò domûs, vel paraſtades, operiebantur tabulatis cubiculorum in circuitu trium laterum Meridiani, Occidentalis & Aquilonaris. *Terra autem uſque ad feneſtras*] Hujuſmodi autem tabulata paraſtadas operiebant à terra uſque ad feneſtras domûs, h. e. uſque ad altitudinem 25 cubitorum. Vel, & ſolides paries erigebatur uſque feneſtras domûs, quæ ſuper altitudine 25 cubitorum aperiebatur in pariete Meridiano & Aquilonari. *Et feneſtræ clauſæ ..Super oſtia.* v. 17. *Et uſque ad domum interiorem, & forinſecus per omnem parietem in circuitu intrinſecus & forinſecus ad menſuram.* v. 8. *Et fabrefacta Cherubim & palmæ, & palma erat inter Cherub & Cherub. duaſque facies habebat Cherub.* v. 19. *Faciem hominis juxta palmam ex hac parte, & faciem leonis juxta palmam ex alia parte expreſſam per omnem domum in circuitu*] Feneſtræ verò Templi quæ ſuper hujuſmodi pariete aperiebantur, ab eodem ita abſcondebantur ut ex Atriorum pavimento inferiori videri non poſſent. Et feneſtræ clauſæ triplici operimento cancellis, valvis atque aulæis V. 17. aperiebantur ſuper altitudine oſtii Orientalis domûs, per parietes exterioris domûs uſque ad parietem interioris; nam in interiori domo feneſtræ non erant, atque in eadem altitudine procurrebant tum in parte domûs Meridiana & Aquilonari, tum in exteriori coſtarum & cubiculorum. Vel, intrinſecus h. e. in interiori domo Sancti Sanctorum, & forinſecus in exteriori Sancti admenſuram operiebantur omnia tabulis ejuſdem menſuræ, in quibus v. 18 inſculpebantur imagines Cherubinorum atque Palmarum ita ordine diſpoſitorum, ut inter binos quoſque Cherubinos palma una ſtatueretur: inter binas quaſque palmas unus Cherub. Cherubini autem uniuſcujuſque diſpoſitio ita erat, ut è quaternis quibus conſtabat animalium formis v. 19 humanam ad palmam converteret ex parte una leoninam ad palmam alteram ex parte altera. Nam alis, quæ tertia dicitur facies, utramque palmam ex æquo tangebant; vitulinis pedibus, quæ quarta dicitur facies, neutram palmam ſed ipſum pavimentum contingebant. Atque hac eadem quam dixi diſpoſitione expreſſa erat domus circumquaque univerſa, ita ut in Sanctuario octoni computarentur Cherubini in quaternis parietibus, & duodeni ſi eiſdem annumerentur Cherubini in quaternis parietibus, & duodeni ſi eiſdem annumerentur quaterni qui Arcam circumſtant, ac duodeni item in exteriori domo; ut omnes Cherubini Templi 24 fuiſſe credantur. V. 20. *De terra uſque ad ſuperiora portæ Cherubim & palmæ cœlatæ erant in pariete Templi*] Quantum erigebatur Orientalis portæ lumen, vel oſtium, tantundem à terra parietes Templi & oraculi inſculptis Cherubinis ac palmis, ut dixi, exornabantur, h. e. in altitudine cubitorum 20. V. 21. *Limen quadrangulum*] Aulæ verò ſanctæ portæ (quæ quadrata erat non fornicata) poſtis uterque latus erat quartâ parte latitudinis portæ, unuſquiſque octavâ; latus enim erat cubitum cum quarta cubiti parte. Superliminare verò ejuſdem menſuræ, quod primi ordinis Atriorum epiſtyliis æquè libratum erat; Epiſtyliorum menſuram & ornamenta definit. *Et facies Sanctuarii, aſpectus contra aſpectum*] Et Sancti ſanctorum, & Sancti facies, quippe quæ ad eandem ſpectabant cœli regionem, & eodem aſpectu videri poterant, erant omnino ſimiles diſpoſitione, ornamentis, incruſtaturis, unâ ſymmetriâ diſpares, cùm hujus antepagmentum utrumque ex quarta, illius ex quinta latitudinis portæ factum fuiſſe dicatur. V. 22. *Altaris lignei 3 cubitorum altitudo, & longitudo ejus duorum cubitorum*] Altare verò, quod ex erectis quaternis quadratis tignis, aliiſque in ſummo & in imo connexis, quaſi ex oſſibus contexuit Solomon, ac cedrinis tabulis undique conveſtivit, aureiſque demum laminis contexit, altum erat cubitos tres, longum æquè ac latum cubitos 2. *Et locutus eſt ad me, Hæc eſt menſa coram Domino*] Et dixit mihi qui me ducebat Angelus, Hoc altare, quod in conſpectu Dei ſemper manet, menſa dicitur, quippe cui ſacer ignis & ſuave ſpirans ſuffitus imponitur. Vel ſenſus eſt, abſolutâ Altaris enarratione ad dextram Altaris converſus ductor meus dixit mihi, Hæc eſt menſa panum propoſitionis &c. V. 23. *Et duo oſtia erant in Templo, & in Sanctuario*] Sancti & Oraculi oſtium unumquodque binis claudebatur foribus. V. 24. *Et in duobus oſtiis ex utraque parte bina erant oſtiola, quæ in ſe invicem plicabantur; bina enim oſtia erant ex utraque parte oſtiorum*] In quorum ſingulis ex utraque parte oſtii ſingula oſtiola aperiebantur, in utriſque bina, quæ oſtiola ſuis quoque foribus claudebantur; apertis enim majoribus valvis minores quoque aperiebantur, atque unà cum illis claudebantur, quamvis clauſis majoribus facilè minores aperirentur: bina enim oſtia erant ex utraque parte oſtiorum, ex alterutra ſingula. V. 25. *Et cœlata erant in ipſis oſtiis Templi Cherubim, & ſculpturæ palmarum, ſicut in parietibus quoque expreſſæ erant*] Et in tympanis valvarum opere ſculptoris eminebant figuræ Cherubim & palmarum, illis omnino ſimiles, quas in parietibus Templi expreſſas fuiſſe retulimus. *Quamobrem & groſſiora erant ligna in Veſtibuli fronte forinſecus*] Et pulchrum quidem ornamenti genus Orientali Templi fronti præſtabant capita trabium quæ in zophoris conſpiciebantur exterioribus. V. 26. *Super quæ feneſtræ obliquæ*] Et feneſtræ cancellis occluſæ, quibus lumen cœnaculis Templi inducebatur ſuper hujuſmodi zophoris conſpiciebantur. Et ſimilitudo palmarum hinc atque inde in humerulis veſtibuli, ſecundùm latera domûs latitudinémque parietum.

Excerpta ex Villalpando ad Cap. 41.

CAP. IIII. v. 1. *Latitudinem Tabernaculi*] Hebr. אֹהֶל: videtur vox eſſe primitiva, & ſignificare *extenſionem* vel *expanſionem rei alicujus ſupra nos*, & propriè id omne ſignificare videtur *quod ſupernè expanditur*, ut aulæum, cortina, velamen deſuper extenſum ut protegat. Hinc fit ut vox ſpecialiter uſurpetur ad ſignificandum Tentorium, aut Tabernaculum; & verbum אָהַל *extendit* vel *expandit Tentorium* Eſa. 13. 20. Quæ omnia in eam nos inducunt ſententiam ut arbitremur hoc loco vocem אֹהֶל transferri ad ſignificandum ſuperliminare portæ Templi, quod cùm planum eſſet, atque cortinæ extenſæ perquam ſimile, obumbrabat ac protegebat portam deſuper. Kimhi exponit *ſemicirculum*. Qui in eo primùm peccaſſe videtur, quòd ſemicirculum ſcribit pro fornice, in eo verò rurſus quòd portam Templi credidit fuiſſe fornicatam, quod repugnat ipſi voci Hebraicæ, rationibus Architecturæ, & S. Scripturæ teſtimoniis infrà afferendis, quum de portarum ornamentis dicemus. Aliam explicationem c. ſequenti Villalpandus adfert. Si Maſſoretharum punctationem minimè ſequimur, inquit, hæc verba cum præcedentibus conjungemus haud aliter quam LXX. in Reg. & Compl. codice fecerunt, Latitudo Tabernaculi, & latitudo portæ 10 cubitorum erat. Quam lectionem haud renuent Vulg. ſi eiſdem ſubintellecta præponatur collationis vox *juxta, ſecundùm* ſic, juxta *latitudinem Tabernaculi*, Moſaici nempe, *latitudo portæ* 10 *cubitorum erat*. Hæc autem portæ & Moſaici Tabernaculi collatio fortè alicui myſteriorum plena videatur, quæ in eo forſan ſita eſſe putanda videtur, quòd quanta illius latitudo fuit, tanta eſſe oſtendatur oſtii Templi expanſio dupla latitudine; ut Templi porta, quo Eccleſia Chriſti ſignatur, multò major eſſe indicetur Synagogâ, quæ mobili atque exiguo repræſentabatur Tabernaculo. [Non incommoda eſt hæc poſterior Villalpandi explicatio, attamen aliquanto longiùs petita videtur, atque hæc Tabernaculi Moſaici cum Templo hoc collatio, hoc duntaxat in loco notata, aliena videtur. Itaque malim priorem ſequi explicationem, cui velim hoc additum, nimirum LXX in Sixt. ed. ſic rediddiſſe πηχῶν ἓξ τὸ εὖρος τοῦ αὐλὰμ ἔνθεν, unde liquet eos legiſſe אילם pro hodierno אהל, quæ lectio τῶν LXX optima videtur: voce enim illâ אילם ſeu אולם ſignificatur *veſtibulum* ſeu *fornix* quâ ſuperne duo portæ poſtes junguntur]

CAP. V. v. 2. *Latitudo portæ*] Hebr. פתח. Cùm hanc portam & interiorem Sanctuarii ſæpius nominet, eis nunquam indidit nomen שער, cùm contrà factum fuiſſe videamus in reliquis Atriorum portis. Nempe vox פתח oſtium quod in muro ingredientium commodis aperitur ac lumini excipiendo ſignificat: שער verò ea omnia ædificia indicat quæ ad portæ dignitatem, munitionem, ornamentum ſolent circa portam extrui. Ex quo fit ut cùm portæ Atriorum ad pompam & munitionem Templi fuiſſent extructæ, urbis alicujus formam potius imitantes quàm peculiaris ædificii, eæ שער appellentur, quarum oſtia פתח השער dicuntur. At in portis his Sanctuarii, quæ ad uſum tantummodo aperiuntur, quæque, quamvis propriis ſint exornatæ membris, nulla habent deſuper ad portæ pompam ædificia, ideo פתח non שער dicuntur. Hujus porrò oſtii latitudo dimenſa eſt, altitudo non item. Idque non caſu aut temere factum eſſe arbitror, neque quod minùs neceſſaria ad ædificii rationem plenè percipiendam, ſed quod facili conjecturâ ea ex dictis poſſet colligi fuiſſe cubitorum 20 duplâ proportione, quam in aliis portis obſervatam fuiſſe ſuprà oſtendimus.

CAP. VI. *Longitudinem 40 cubitorum, latitudinem 20 cubitorum.* Hanc duplam longitudinis ad latitudinem proportionem maximè probat Vitruvius in tricliniis atque aliis ejuſmodi ædificiis l. 6. c. 5. De modo dimetiendæ longitudinis, an videlicet murum includat qui Sanctum ſanctorum dividit à Sancto, an verò à longitudine excludat, quoniam ex univerſis domûs menſuris pendet hoc dubium, de eo illis enumeratis agemus.

CAP. VII. v. 3. *Introgreſſus intrinſecus*] Hebr. לִפְנִימָה. A voce פנה quòd *aſpicere* ſignificat additis antè & retro literis componitur nomen לִפְנִימָה, quo fere ſemper adverbialiter utuntur Hebræi, *intus, interiùs* ſignificantes, quaſi dicant *ante*, interiora enim q. anteriora vocant, quòd introrſum ingredientibus interiora ſint antè, exteriora maneant retro. Phraſim ac verba Prophetæ aptiſſimè exprimeret Hiſpanus ſermo *paſſando adelante*. *Menſus eſt in fronte portæ duos cubitos*] Hebr. איל הפתח h. e. *poſtem oſtii*. Sic Chald. Symm. περὶ τὴν θύραν *circa portam*, h. e. ex utraque parte portæ. Theod. Hebr. איל, Aquila *oſtium*, nos (inquit Hieronymus) *frontem* interpretati ſumus. Kimhi, quaſi dicat duas frontes portæ hinc & inde quarum unaquæque erat latitudinis 2 cubitorum. Jarhi, Groſſities muri erat 2 cubitorum. Lyranus, Hæc eſt ſpiſſitudo parietis ſive frontis. Paries enim iſte non eſt multùm altus, nec ſuſtinet ſuper ſe aliud pondus, quia ſolùm dividit inter Sanctum Sanctorum & Sanctum in inferiori manſione Templi, & ideo non deſcribitur tantæ ſpiſſitudinis ſicut alii parietes Templi. [L. C. At c. 11. accipit illos duos cubitos de duabus Antis quas collocat utrimque à latere portæ Oraculi]

CAP. IX. *Portam ſex cubitorum*] Jarhi hoc accepit de altitudine, Kimhi de craſſitudine, uterque falſus & deceptus ex ſequentibus verbis *latitudinem portæ 7 cubitorum*. Sed male. *Latitudinem portæ 7 cubitorum*] Hebr. רחב, quæ vox *latitudinem* vel *dilationem* ſignificat, non eam quæ in ipſa porta eſt lata ſex cubitos, ſed eam quæ portam ingreſſis mox occurrit, quámque diſertis verbis definierunt LXX in Sixt. cod. qui ſic appoſitiſſimè locum iſtum explicant, καὶ διεμέτρησε τὸ αιλ τοῦ θυρώματος πηχῶν δύο, καὶ τὸ θύρωμα πηχῶν ἕξ, καὶ τὰς ἐπωμίδας τοῦ θυρώματος πηχῶν ἑπτὰ ἔνθεν, καὶ πηχῶν ἑπτὰ ἔνθεν: quam lectionem appoſitè exponit Theodoretus. Vidi quoque alteram portam, illam interiorem, cujus latitudo erat cubiti 6. & ab utraque parte ancones cubiti 7. Sex igitur cubiti 14. additi 20. efficiunt.

CAP. X. v. 4. *Menſus eſt latitudinem ejus 20 cubitorum*] Nihil præceſſiſſe videtur ad quod pronomen *ejus* referendum ſit; quare LXX paraphraſticè addidiſſe videntur μῆκος τῶν πυλῶν, quâ lectione ad prædictum oſtium cum ſuis humeris menſuram hanc referre videntur. At in Hebræo pronomen *ejus* referri poſſe videtur ad id quod ſuperiori verſu dixerat *introgreſſus* לִפְנִימָה h. e. in Adytum. Hanc porrò menſuram mendoſè legunt LXX. Interp. 40. ſcribentes pro 20. cujus rei teſtis eſt Hieronymus, Pro quo, inquit, *in pleriſque codd, LXX Interp. 40 continentur*. Hos ſecuti ſunt Sixtiani, nos Regio & Complutenſi libentiùs ſubſcribimus, inquit Villalpandus.

CAP. XV. v. 5. *Et latitudinem lateris*] Hebr. צלעות, quæ vox propriè ſignificat *coſtas animalis* Gen. 2. 21. deinde pro latere cujuſlibet rei Exod. 26. 25. Tertiò trabes in tectis 1 Reg. 7. 3. Quartò aſſeres quibus interiores Templi parietes veſtiuntur, 1 Reg. 6. 15. Hîc quadam ſimilitudine ducti ejuſmodi partes in hoc ædificio hac voce intelligimus, quæ animalis & navis coſtis, aut contignationis trabibus ſimiles eſſe deprehenduntur. Atque hæc ſunt quæ eriſmæ, pilæ vel antæ aut anterides in architectura dicuntur, quæ à muro extant illíque adhærent, & ſingulæ ſingulis Atriorum poſtibus latitudine reſpondent ac ſitu: quibus eriſmis coſtarum nomen aptè convenit. Quemadmodum enim navis latera coſtis ligneis, aut animalis pectus coſtis oſſeis continetur, ita planè domus hæc tota parietibus his tranſverſis continetur, & veluti fulcris quibuſdam ſuſtinetur, ne trabium pondere preſſi ſubtiliores parietes abinvicem ſeparentur, atque pandantur. Nam quoniam Veſtibuli altitudo 120 cubitorum eſt, reliqua domus ad 90 cubitos ſurgit, poſtulabat tanta domûs altitudo parietem in imo vaſtiſſimum, cujus augmentum fabricæ ſymmetria vetabat. Nam ſi craſſiores muri conſtituerentur quàm reliqui totius ædificii, ſolida oſſa turris inanibus reſponderent Atriorum ſpatiis inter poſtes relictis, quod vitioſum eſſet atque ab hoc ædificio alienum. Itaque firmitas & ſymmetria ædificii cùm pugnare viderentur, ita ut alteri tantum eſſet detrahendum quantum alteri conſuleretur, ſumma Architecti ſapientia parietem reliquis Atriorum parem conſtituit, & quantum latitudini deerat, quæ maximam molem atque celſiſſimam poſſet ſuſtinere, tantum addidit firmitatis appoſitis his ordine tranſverſis muris. Kimhi, Jonath. & Jarhi intelligunt hîc per *latera* thalamos inter utrumque parietem interiorem & exteriorem concluſos; ſed male: nam 1 Reg. 6. 5. hæc duo diſtinguuntur; vocantur enim thalami illi יציע, coſtæ verò iſtæ ſive antæ צלעות. Lyranus has anteridas obſervavit quas ipſe vocat barbarè *pilarios*. Jonathan exponit מחיצתא, quâ voce videntur poſſe ſignificari pilæ illæ quæ mediæ erant & ſeparabant inter ſingulos thalamos ſive cubicula.

CAP. XVI. V. 6. *Latera autem latus ad latus*] Præpoſitio Hebraica אל quæ *ad* proprie ſignificat, non raró idem eſt cum עם *cum*, ut Joſ. 11. 19. & Gen. 49. 29. quâ ratione ſi locum iſtum exponamus legemus *coſta cum coſta*, h. e. ſi binæ ſingulæ computentur, una viz. Auſtralis & altera Aquilonaris, erunt ſimul junctæ 33 pedum. *Bis triginta tria*] Notat Villalpandus vocem Hebraicam in ſingulari פעם ſignificare *vicem unam* Gen. 18. 32. in duali פַּעֲמַיִם *bis, duas vices* Num. 20. 11. in plurali autem פעמים *plures vices* Joſ. 6. 4. & Gen. 33. 3. ubi habetur שבע פעמים *ſepties, ſeptem vicibus*. Deinde uſurpari etiam pro *greſſu* ſive *pedibus* ut Eſa. 6. 26. Cant. 7. 1. 2 Reg. 19. 24. quâ ſignificatione hîc ait accipi à Kimhi, nempe pro menſura pedis; quam ſignificationem ipſe Villalpandus ſequitur & amplectitur hoc loco. Itaque ſic legit in Vulg *latera autem latus ad latus bis, triginta tria*, atque ſic ea παραφράζει. *Latera* quæ ſibi invicem reſpondent bina, *latus ad latus bis*, h. e. ſi bina ſumantur, ſupple, longa ſunt, ſive potiùs à pariete domûs invicem projiciuntur, *triginta tria*, h. e. pedes tres & triginta. Quæ eſt coacta admodum expoſitio. Cæterùm c. 17 operoſè probat per lineas radices Ichnographiæ anteridas illas projectas eſſe à muro domûs 11 cubitos utrinque, ſi autem binæ ſimul jungantur 22 cubitos, qui efficiunt 33 pedes. Quod ab ipſo breviùs potuit demonſtrari ſic, Murus exterior craſſus erat 5 cubitos, cubicula interjecta inter exteriorem & interiorem murum lata erant totidem, antæ autem projiciebantur extra murum exteriorem cubitum unum; ſic fiunt 11 cubiti ab uno latere, totidem erant ab altero latere. Capite autem octavo refellit eorum ſententiam qui numerum illum 33 intelligunt vel de cubiculorum vel de ipſarum antarum numero, & oſtendit quomodocunque numerentur vel ipſæ coſtæ ſive antæ, vel cubicula, eorum numerum vel excedere, vel minorem eſſe numero 33 aut verò eo duplicato, nimirum 66, proindéque intelligendum eſſe numerum illum 33 de pedibus quibus antæ à muro domûs projiciebantur. Rationem item reddit eodem capite cur Propheta hoc numero pedum uſus ſit potiùs quàm 22 cubitorum, ſed petitam ex Allegoria. Notat ex Auguſtino & Gregorio numerum 11 deſignare peccatum, quia ſicut 11 eſt tranſgreſſio denarii ſic peccatum eſt tranſgreſſio Decalogi, proptereáque abſtinuiſſe Prophetam à numero illo 11 & 22 qui ex illo duplicato exurgit. Objicit autem quòd ſuprà Angelus Veſtibulum Templi menſus eſt 11 cubitis cùm potuerit decem metiri. Reſpondet Sanctuarium figuraſſe humanam Chriſti naturam quæ fuit ſine peccato, veſtibulum Sanctuario adjunctum figuraſſe ſimilitudinem peccati quæ fuit in carne Chriſti: *Deus enim miſit filium ſuum Chriſtum in ſimilitudine carnis peccati* Rom. 8. 3. Alias item reddit hujus numeri 33 rationes ſub finem capitis, has nempe. Primùm inquit, Hujuſmodi pilæ ſive coſtæ ædificio firmitatem præſtant non ſecus quàm homini pedum projecturæ; pedibus igitur aptiſſimè dimetiuntur. Deinde ipſæ pilæ ædificii corpus fulcientes ipſum Chriſti corpus annis 33 quibus nobiſcum in terris verſatus eſt, indicant. Denique hic idem numerus ab undenario non longè diſtat, cùm illum ter contineat, quod adhuc myſterio non vacat, imò illud maximum redemptionis noſtræ continet, nempe quod in illa carnis Chriſti ſimilitudine peccati habitat tamen omnis Divinitas (quæ ternario numero deſignatur) corporaliter.

CAP. XIX. *Et erant eminentia* &c.] Locus iſto componendus habetur 1 Reg. 6. 5. *Ædificavit ſuper parietem Templi tabulata per gyrum* &c. Ubi eſt vox יציע quæ *ſtratum* propriè ſignificat, à יצע *ſterno*, quam vocem ſolent eo loco interpretari *deambulatorium* factum inter parietes Templi inſtar cœnaculi. Sed vox ſignificat *ſtratum*, quod, quia aſſeribus ſternebatur, *tabulatum* ſolet verti à Vulg. LXX μέλαθρον, quod *trabem in medio tecti* propriè ſignificat, unde & pro tecto ipſo ſumitur, deinde per metonymiam partis pro toto pro ipſa domo; inde Theodoretus affirmat eâ voce ſignificari *domiculas* in circuitu Templi. Cubicula ergo hæc in parietibus domûs fuiſſe dicuntur. Senſus eſt, ipſos parietes domûs, alterum interiorem 6 cubitorum, alterum exteriorem 5 cubitorum, cubicula concluſiſſe: & hi parietes duo latera cujuſcunque cubiculi cingebant, duo verò reliqui coſtis, quas vocant *latera*, concludebantur; atque hic eſt ſenſus eorum verborum quæ ſequuntur, & *fecit* הצלעות *latera in circuitu*. His de cubiculorum muris ac ſitu ſtatutis, eorum tecta, ſive tabulata, obſcure hîc à Propheta deſignantur. *Et erant eminentia*] Hebr. ובאות à בוא quod eſt *ingredi*. Quâ ratione eâ voce hoc loco *ingreſſum* ſignificari putant nonnulli, nimirum à perpendiculo parietis inferioris verſùs interiorem partem, Hiſp. *hizo unas entradas*. Hæ retractiones. 1 Reg. 6. 6. dicuntur מגרעות à גרע quod eſt *minuere, ſubtrahere, adimere*. Quâ voce retractiones ſignificantur quibus paries introrſus retrahebatur ita ut pars inferior magis promineret, ſuperior introrſum retraheretur, quodam veluti gradu relicto, cui capita trabium, imò & tota tabulati contignatio imponeretur.

CAP. XXI. v. 7. *Et platea erat in rotundum* &c.] Hebr. רחבה à verbo רחב quod *dilatari* ſignificat, unde רחב *latitudo*, quam vocem Vulg. reddidit *plateam*. Senſus eſt, Latitudo cubiculorum major in ſuperioribus circuibat domum. Kimhi, *Dilatabat ſe, & circuibat ſurſum ad latera*, h. e. Latera eo toto quo ſurſum aſcendebant, dilatabant ſe in loco illis repoſito in pariete ſicut dicitur in lib. Regum. Tabulatum inferius 5 cubitorum erat latitudinis, medium verò 6. cubitorum. Quod autem dicitur ונסבה *& circuibat*, ſignificatur quòd per Cochleam aſcendebatur ad ſuperiora, ſicut dicitur in lib. Regum, & per Cochleam (בלול) aſcendebant ad medium cœnaculum & à medio in tertium. Jarhi, *Dilatabat ſe*, h. e. latera ibant dilatando ſe ſurſum; medium enim latius erat inferiore uno cubiculo, & ſic ſuperius latius erat medio uno cubiculo. *Aſcendens ſurſum* Hebr. נסבה *circuibat* h. e. Cochlea; & hoc eſt quod dictum eſt in ædificio Solomonis, *Et per cochleam aſcendebant in medium cœnaculum*. *Idcirco latius erat Templum in ſuperioribus*, i. e. propterea quod diximus quòd dilatabant ſe in ſuperioribus, ideo latitudo domûs ſurſum major erat inter latera, & latus ſuperius erat omnium latiſſimum, Hæc Jarhi. Aſcendens *ſurſum per cochleam*] Nulla hìc in Hebræo mentio ſit cochleæ, eam autem huc retuliſſe videtur Vulg. Interp. ex 1 Reg. 6. 8. *Oſtium lateris medii in pariete* erat domus dextra, *& per chochleam aſcendebant &c.*] Quem locum Villalpandus explicat quia facit ad Ezechielis intelligentiam. Loci ſenſus (inquit) eſt, oſtium quod in latere aperiebatur medio, vel in medio lateris, coſtas ſive paraſtades medias appellat, quòd ipſæ inter bina quæque cubicula interſint, atque inter utrumque Templi parietem (quæ ratio movit Interpretes ferè omnes ut ipſa cubicula pro antis uſurparent, quòd non videtur eſſe à ratione alienum ut cubicula coſtis clauſa Coſtæ dicantur, unde & Ezech. 41. 9. dicitur, *Erat interior domus inter latera domûs,* interiorem domum vocat hæc interiora cubicula quæ ſunt inter latera domûs, quâ ratione hìc quoque cubiculum interius, ſive medium, facilè dicat hoc idem, non quòd ſit inter ſummum & imum, ſed quòd ſit inter Antas & parietes Templi) In ipſis ergo poſtibus, ſive coſtis quæ utrumque Templi parietem contingebant, oſtia aperiebantur; non enim aliunde aditus patebat in interiora hæc cubicula, quàm per ejuſmodi oſtia fornicibus ſuffulta, quorum veſtigia contemplari licet in veſtigio primo Sanctuarii. Sequitur in loco illo 1 Reg. 6. 8. *In parte domûs dextra, LXX ad humerum domûs dextrum.* Chald. *in latere domûs dextro,* rectè. Malè in quibuſdam Cod. vulg. legitur *pariete* pro *parte* quod correxit Sixtus V. Sermo nempe hìc fit de oſtio quodam minori quo non ad ipſum Templum ingreſſus patebat, ſed ad cubicula de quibus nunc loquitur, quod oſtium in latere erat dextro, ſic vocat Meridianum. Nam qui ſedentem deſuper Cherubinis ſpectat majeſtatem, Occidentem verſùs, ille ad ſiniſtrum latus Meridiem, ad dextrum Aquilonem habet. Contrà evenit ſi domum ingredientes aſpicias, facie ad Orientem converſâ, tum enim ad dextrum latus Meridiem, ad ſiniſtrum Aquilonem habes, quâ ratione locum hunc exponit Kimhi. Ex qua utraque expoſitione liquet idem oſtium à Meridie fuiſſe & ab Aquilone. Cur autem Meridiani potius oſtii meminerit quàm Aquilonaris non aliam licet aſſignare rationem quàm quod myſterium fortaſſe voluit innuere lateris dextri Chriſti militis lanceâ in Cruce perfoſſi, cujus meminit Beda, Eucherius & Angelomus. *Et per cochleam*] Hebr. ובלול vocis notionem & formam ſcalæ explicant Kimhi & Jarhi. Hiſpanicè dicitur *Caracol,* Italicè *Lumaca.* Scribitur autem hìc לולים numero multitudinis; quare Chald. *per cochleas* vertit, indicans duplicem fuiſſe cochleam, à Meridie alteram, alteram ab Aquilone, id quod ſuadet ipſa ædificii ratio & reſponſus. Has ſcalas in veſtigio Sanctuarii notabimus iis in locis, in quibus ædificii uſibus eſſe poſſent maximè accommodatæ, & oſtiis proximæ, & ædificii firmitati minimè obeſſe poſſent. Illis nullas licuit aperire feneſtras quæ lumen è cœlo directum reciperent, obſtabant enim paraſtades & muri craſſitudo, ſed lumen recipiunt à feneſtris turris Meridianis & Aquilonaribus. Harum Coclearum meminit Joſephus Antiq. lib. 8. cap. 2. *Porrò aſcenſum in ſuperiorem Templi partem commentus eſt Rex in craſſitudine muri. Hæc enim pars non habebat ab Oriente magnam januam* (per quam ab exteriori aliquo ædificio ingrederetur) *ut inferior, ſed à lateribus inerant parvula oſtiola. In cœnaculum Templi*] Quod nimirum ſuper univerſa Sanctuarii longitudine & latitudine extructum erat, ut vides in ſecundo Sanctuarii veſtigio, idémque ſuper prima contignatione Templi attollebatur, ut vides in diſſecti Templi Orthographia. Verùm quia nulla in Hebræo fit mentio cœnaculi Templi, ſatis aliquibus eſſe videtur ut ſuprema inter coſtas cubicula cœnaculum dicantur Templi, quod ea Templum circundent.

CAP. XXII. *Idcircò latius erat Templum in ſuperioribus*] *Templum,* h. e. cubicula inter coſtas laterales Templi, *latius erat in ſuperioribus* h. e. ſpatium fiebat majus ſenſim aſcendendo ad cameras. Hoc ex eo colligit quod hujus verſùs initio dixerat, *Et platea erat,* vel ut vertit Clarius, *Et dilatatio & gyratio facta eſt ſurſum & ſurſum ad cubicula.* Hebr. *Idcircò latitudo domûs,* ſubaudi coſtarum, *ſuperius* vel in ſuperioribus. Hanc latitudinem qua inferiora cubicula à ſuperioribus diſtabant teſtatam habemus 1 Reg. 6. 6.

CAP. XXIII. V. 8. *Et vidi in domo altitudinem &c.*] Refert hìc & rejicit ac refellit Villalpandus ſententiam, I. Rabbinorum (quos ſecuti ſunt Iſidorus & Vatablus) qui hunc locum ſic acceperunt quaſi ſermo ſit de altitudine Templi, quam contemplatus fuiſſet Propheta Angelo indicante, vel fortè dimetiente, quam ejuſmodi altitudinem ſubticuerit Propheta. II. Bedæ, qui ſummum Templi tabulatum putat hìc deſcribi, quod planum fuiſſe vult, ut ſunt domorum tecta in Ægypto & Paleſtina. III. Eucherii, Angelomi, Lyrani & Richardi qui hunc verſum accipiunt de lorica in ora ſummi tabulati Templi collata, ne quis inde præceps incaute decideret. Suam autem ſic explicat. Expoſitâ, inquit, cubiculorum formâ, longitudine, latitudine ac tectis, reliquum erat ut de eorum altitudine loqueretur, quam hoc verſu definiri arbitramur. Altitudinem quidem ait ſe quandam vidiſſe *in domo,* h. e. in interiori quodam ex illis cubiculis, ſive quendam cubiculorum ordinem ingreſſus vidit *altitudinem.* Neque quiſquam arbitretur noſtrum eſſe commentum cubicula hæc *domûs* nomine cenſere; ſic enim mox v. 9. *interiorem domum in lateribus domus* ea vocat Propheta. Quæ cubicula meminiſſe oportet fuiſſe pervia, ut in veſtigio oſtenduntur, ſic enim fit uno conſpecto plura quoque alia facile conſpicerentur, atque adeo *per circuitum* dixit, vel circumcirca, quaſi dicat altitudinem hanc univerſam domum circumdediſſe, quæ & à cubiculis circundabatur. *Fundata latera*] Hebr. מוסדות à voce יסוד *fundamentum* q. d. fundamenta laterum. Sunt autem fundamenta coſtarum vel inferiorum coſtarum partes, retractiones illæ, quarum ſupra meminimus, quæ paraſtades fulciunt ac muniunt, quippe quæ earum inferiorem partem veluti baſes quædam latiorem reddunt atque adeo firmiorem. *Ad menſuram calami*] Hebr. מלו הקנה. h. e. *juſtâ calami longitudine*; ſic Gen. 23. 8. מלא כסף h. e. *juſto pretio.* Ita *plenitudo calami* vel *plenum calamum* Ezechiel vocat juſtum, quem apte reddit Vulg. *ad menſuram calami,* quia menſura idem eſt quod æquitatis norma. Juſta autem calami longitudo ſupra definita eſt ſex cubitis cum palmo ſive quadrante cubiti. Nec obſtat quòd cubiti ſex hìc pro calamo referuntur à Propheta, id enim aliàs quoque fecit, nihil propterea ſubtrahens de calami longitudine, ſed Hiſtoricorum morem ſecutus eſt qui numerorum partes præſertim minimas ſubticent. *Sex cubitorum ſpatio*] In Hebræo eſt אצילה quod ab Hebræo אצל *ſeponere, ſeparare* Gen. 27. 36. unde אציל *magnus, honorabilis, nobilis,* Exod. 24. 11. Ergo *cubitus* אצילה *ſepoſitus, reſervatus* is dicitur qui juſtus ſit ac lege olim ſtatutus, quomodo *ſiclus Sanctuarii* dicitur qui juſtus eſt, & *amphora Capitolina* non quæ alia eſt à communi, ſed quam ne violare liceret, Jovi Tarpeio in monte ſacravere Quirites, Quare ut *plenum* dixerat *calamum,* h. e. juſtum, ſic cubitum vocat אצילה *ſepoſitum, reſervatum* quo is dimenſus eſt, h. e. juſtum. Hieronymus, *ſex cubitorum* ſpatio, primævam vocis notionem ſecutus, ac ſi diceret ſepoſitum vel relictum fuiſſe ſpatium ſex cubitorum vel calami longitudinis. Atque hìc rejicit Villalpandus ſententiam Kimhi qui putat cubiculum vocari hìc אצילה *axillæ* quòd major ſit communi haud ſecus quàm brachium alteram ſui partem excedit. V. 9. *Et erat interior domus in lateribus domûs*] In Hebræo eſt מנח quod à radice ינח *reliquit, dimiſit, depoſuit, ſivit in loco aliquo.* Inde מנח *locum* ſignificat *repoſitum, derelictum,* vel *ſepoſitum.* Conjungendus autem ſimul integer verſiculus, *Latitudo parietis qui coſtæ ad extra 5 cubitorum, &* מנח *quod derelictum domus appendicium* (ſeu coſtarum) *quod interius,* ſubaudi *ejuſdem erat latitudinis.* Diſertis verbis cubicula ipſa definit, & cui uſui inſervirent ipſâ voce indicans; vocat enim ea *derelicta* vel *dimiſſa* quòd ipſam videntur occupare parietis craſſitudinem, prudenter enim fuiſſe dimiſſa indicat æſtuaria, & ad pondera ſublevanda, & ne concretus in imis fundamentis vapor aliquis æſtuariis carens terræ motus efficere aut ædificia vitiare poſſet. Hujus autem relicti loci latitudo tanta eſſe perhibetur, quanta exterioris muri latitudo, nempe quinque cubitorum, id quod infrà iterum diſertis verbis teſtatum habetur. Atque hunc quidem locum non minùs inter latera domûs quàm inter ejuſdem parietes fuiſſe compertum eſt. Illud præterea hoc loco notatum eſt quòd vox מנח & *locum relictum* ſeu *ſepoſitum,* & *locum in quo aliquid reponitur & aſſervatur* poteſt ſignificare; quâ quidem ratione locum iſtum fuiſſe exiſtimare licet in quo vaſa ſacra aſſervanda reponerentur. V. 10. *Et inter Gazophylacia latitudinem viginti cubitorum*] Parietis memor cùm fuiſſet qui thalamos claudebat exterius, meminiſſe etiam oportebat ſpatii quod reliquum erat ſub dio inter parietem hunc exteriorem domûs & veſtibula ſeu poſtes porticuum quibus ſuperſtructa erant Gazophylacia habitationi atque aliis miniſteriis accommodata. De hoc ergo ſpatio verba iſta accipit Villalpandus, & hoc firmat autoritate Kimhi, Jarhi & Lyrani. V. 11. *Et oſtium lateris ad orationem*] Eandem, inquit Villalpandus, Hebraicam vocem מונח quam *interiorem domum* converterat ſupra Vulg. bis hoc eodem verſu vertit *ad orationem.* Atque hìc multis prolixe nugatur Villalpandus, ut rationem hujus interpretationis reddat aliquam, ſed frigidam omnino & inſulſam atque allegoricam, cùm ſimplicius dicere potuerit Hieronymum legiſſe מנחה (pro מנח) quæ vox Rabbinis paſſim ſignificat *orationem veſpertinam,* ſive preces illas quotidianas, quas Judæi ſolent in ſynagogis ſuis Deo fundere, mane & veſpere loco jugis ſacrificii antiqui lege conſtituti. *Oſtium unum ad Aquilonem &c.*] Duplicem viam ingredi (inquit Villalpandus) poſſumus in aſſignanda hac duplici porta. Altera, ut ſermo ſit de poſtis quæ ab Atrio ingrediuntur in cubicula illa quæ ſunt à lateribus veſtibuli, è quibus deinde cubiculis mox patet aditus ad orationis locum, quâ ratione verba *ad Aquilonem, ad Auſtrum,* acciperentur ut ſonant, quia nimirum earum altera non modo eſt in parte Templi Aquilonari, ſed & Aquilonem reſpicit, id quod de Auſtrali pariter ſentiendum eſt. Harum portarum veſtigium videre eſt in veſtigio Sanctuarii, faciem verò in aſpectu lateris Sanctuarii; non enim aut levis aut contemnenda viſa eſt hæc ratio ut eſſent ejuſmodi portæ prætermittendæ. Verùm firmiori ratione probari poteſt Prophetam hoc loco non loqui de ejuſmodi portis exterioribus ſed de interioribus aliis quæ in coſtis aperiebantur, per quæ quidem oſtia à mutatoriis cubiculis ingrediebantur ad interiora cubicula quæ & locus dicuntur orationis & Hebraicè מנח. V. 12. *Ædificium quod erat ſeparatum*] Hebr הגזרה, quod eſt à גזר *excindere, ſuccidere, ſcindere, dividere.* hinc גזרה *abſciſſum,* ſeparatum, ſejunctum, quod cum de ædificio dicitur illud ædificium ſignificabit quod ab omni alio ſepoſitum eſt, nec alteri conjunctum aut aliquâ ſui parte connexum: quare meritò Scriptores in hanc unam confluunt omnes ſententiam, ut putent Templum eâ voce indicari. *Ædificium*] Exhedras intellige quæ circa Templum ſunt, ſive locum orationis intellige, quod erat ſeparatum, h. e. quod eſt in facie Templi vel coram Templo (h. e juxta Templum) à latere Meridiano & Aquilonari, *verſúmque ad viam reſpicientem ad mare* h. e. & tendit in Occidentem. Sic LXX ὡς πρὸς θάλασσαν. *Latitudinis,* extenſionis, 70 *cubitorum*] Longitudinem metitur loci ad orationem qui 60 cubitos occupat longitudinis Templi, & ſenos muri Occidentalis & quinos exedræ item Occidentalis, vel ſi ad poſtem uſque paraſtadis metiaris, quaternos, qui omnes complent 70. *Et longitudo ejus 90 cubitorum*] Rejicit hìc Villalpandus Rabbinorum ſententiam qui menſuram hanc de longitudine exedrarum circa Templum exponunt excluſâ cellâ mutatoriâ cui tribuunt 10 cubitos, qui cubiti decem ſi tollantur de centum cubitis longitudinis totius domûs, reliqui ſunt 90 pro cellis. Sed rectè obſervat Villalpandus murum veſtibuli Templi ab illis non numerari quinque cubitorum, qui ſi detrahantur longitudini illi 90 cubitorum, reliqui erunt tantùm 85 non verò 90 cubiti. V. 13. *Et quod erat ſeparatum ædificium*] Lyra, *&* pro *id eſt,* h. e. Templum quod dicitur ſeparatum cum ædificio appendicium. Hìc aliquot exemplis probat Villalpandus *&* ſumi non raro pro *id eſt,* & interpretative uſurpari, dein ſubjicit, Quâ ratione apte intelligemus idem ipſum quod *domûs* nomine menſus fuerat centum cubitis, quoniam eâ voce quæ communis eſt & plura ſignificat, non ſatis eſſe perſpecta poterat ejuſmodi menſura eam magis explicare volens atque indicare quas partes domûs ejuſmodi menſura comprehenderet, ſubjungit *&,* h.e. *quod erat ſeparatum ædificium,* Hebr. והגזרה והבנין, *& ſepoſitum & ædificium.* Vocem utramque paulò ante expoſuimus & oſtendimus priore Templum indicari, poſteriore ædificia Templo adjacentia. Jarhi hanc ſententiam confirmat, *Finis verſiculi,* inquit, *principium ejus explicat,* q. d. omnia ſimul conficiunt 100 cubitos. *Et parietes ejus*] h. e. omnia ſimul computata longitudinem complent 100 cubitorum ab Oriente in Occidentem vel ab Occidente in Orientem.

CAP. XXXI. V. 14. *Latitudo autem ante faciem domûs 100 cubitorum*] Refert & probat Lyrani expoſitionem qui hunc verſum accipit de plateæ, quæ erat ante faciem Templi, longitudine ab Auſtro ad Aquilonem; longa enim erat 100 cubitos ſecundùm longitudinem Atrii interioris, in eo verò ejus ſententiam rejicit quòd Lyranus plateam illam latam faciat decem duntaxat cubitos, cùm ſuprà à Propheta definita ſit lata viginti cubitos v. 10. Rejicit etiam expoſitionem Jarhi, qui hunc verſum exponit de latitudine Orientali ipſius Templi. V. 15. *Et menſus eſt longitudinem ædificii &c.*] Metitur hoc loco Angelus atrium illud quod Templum circumdabat, vel potiùs poſtes atque veſtibula quibus atrium illud triplici ex parte cingitur. Magis proprie aſſerimus Occidentales atrii pilas hoc loco eſſe dimenſas quas vocat בנין, haud ſecus quàm paulò ante cubicula & paraſtades eâ voce indicaverat, & initio ſtylobatas & cancellos periboli exterioris. Senſum ergo hunc eſſe cenſemus, menſum hìc eſſe porticuum ædificium dorſo domûs objectum, h. e. Occidentale, quod longum erat cubitos centum, omnium porticuum inſtar. In hac fuiſſe ſententia Kimhium oſtendit Villalpandus prolatis ejus verbis. *Ethecas*] Vocem Hebraicam אתיקים retinuit hìc Hieronymus, eam non valens vel nolens exprimere, quam tamen poſtmodum ad cap. 42. 5. reddit poſt LXX *porticum.* Non niſi quater invenitur hæc vox in tota Scriptura, adeóque hoc tantum & ſequenti capite, à radice נתק *avellere, abrumpere, divellere.* &c. Targ. & Kimhi exponunt *angulum*: Jarhi, *ignoro,* inquit, *quid ſint, exiſtimo tamen eſſe quaſi columnas quadratas eminentes in muro ad munitionem,* quæ vulgari ſermone vocantur *Pilaſtres.* Alii *exedras* ſeu *cubicula* volunt eâ voce ſignificari. Villalpandus omnia iſta conjungit ſimul, vúltque eâ voce innui porticum ſuſtinentem exedras ſive cubicula poſtibus (quos Hebræi Angulos vocant) fultam, poſtibus, inquam, quibus adpactæ ſemicolumnæ à muri extant perpendiculo quaſi avulſæ, ut quibuſdam placuit. Nobis verò, inquit ille, avulſæ potiùs dicuntur ethecæ quòd à domûs Domini ædificio undique avellantur; quâ ratione Templum גזרה dicitur, h. e. *ſeparatum,* eadem ratione dicentur ethecæ quia ſeparatæ ſunt atque avulſæ. Quæ vocis expoſitio perſpicuum reddit loci ſenſum, Menſus eſt, inquit, longitudinem porticus dorſum proſpicientis domus, & porticus ex utraque parte Meridiana & Aquilonari domus, ſingulas centum cubitorum; hoc eſt enim quod mox reſumit, *ethecas,* inquiens, *per tres partes in circuitu* h. e. ternas Atrii porticus, quæ Templum circundabant. V. 16. *Limina & feneſtras obliquas &c.*] *Limina* Hebr. ספים, quâ voce non limen duntaxat ſuperius & inferius, ſed & poſtes ipſi ab utraque parte oſtii ſignificantur, neque in oſtiis tantùm limina dimenſa ſunt ab Angelo, ſed & in Atriorum veſtibulis, ubi hac voce poſtes fornicem ex utraque parte ſuſtinentes ſignificantur. Quare dum hîc liminum meminit ſive poſtium quos dicit ab Angelo dimenſos fuiſſe quâ menſurâ dimenſi fuerint planè indicat, nempe eadem quâ reliqui poſtes cum ſuis omnibus partibus, ſymmetriis & ornamentis. Hac autem voce poſtem ſemper menſus eſt qui parietis reſpondet craſſitudini quem vidimus latum fuiſſe calamum unum, h. e. cubitos $6\frac{1}{4}$. *Feneſtras obliquas*] Rejicit Villalpandus eorum ſententiam qui iſtud intellexerunt de Templi feneſtris, I. quia mox hoc eodem verſu aget de Templi feneſtris, *terra autem uſque ad feneſtras.* II. quia inter limina & ethecas, quæ non ad Domum ſed ad porticus Atriorum pertinent incongruum videtur domus feneſtras commemorare. Accipit ergo iſtud de cancellis loricæ quâ totum interius Atrium undique claudebatur, de qua lorica Joſeph. Antiq. lib. 8. cap. 2. *Circumdedit Templo ſeptum trium cubitorum altitudine quod γεῖσον vocamus.* Hujus periboli formam indicat Propheta quem obliquis feneſtris perterebratum fuiſſe ſignificat, à quo non diſſentit Joſephus qui eam vocat loricam, quod inſtar hamatæ loricæ obliquis illis feneſtris diſtingueretur. *Ethecas*] *Ethecas,* inquit Villalpandus, poſtes Atrii eſſe arbitramur, & fulciunt nos LXX qui vocem αἰλάμ (quâ Atriorum veſtibula ſæpè ſignificarunt) pro Hebr. אתיקים ſubſtituunt haud diſſimili ſenſu. Et poſtes & veſtibula & porticus cedrinis contecta laquearibus quæ *ſtrata ligno* vocant LXX, & cancellis ſeu obliquis feneſtris inferiùs claudebantur in circuitu Templi h. e. à tribus lateribus, ab Oriente namque nullo ædificio cingebatur. *Contra uniuſcujuſque limen*] Hebr. נגד quod *ex adverſo,* ex oppoſito. Unde liquet ethecas quæ contra Templi poſtes ſtatuuntur (ſive poſtes ſignificent ſive exedras ſive quid aliud) non eſſe Templo adjacentes ſed ab eo diſſitas ex adverſo trium Templi laterum. Aptè Vulg. id ipſum indicans quod res eſt, nempe ethecas ſive poſtes Atriorum poſtibus domûs ex adverſo reſpondiſſe, non quidem temerè ſed ſingulos ſingulis poſitu & latitudine pares: id enim ſignificat additum verbum iſtud *uniuſcujuſque limen. Stratúmque ligno &c.*] Hebr. שחיף, quod alibi non repetitur, & ab omnibus exponitur *opertum.* Rabbinis id verbum ſignificat *avellere, decorticare,* unde Kimhi putat vocem eſſe deſumptam, q. d. lignum decorticatum & compoſitum ſeu aptatum ſeu limen ligno ſtratum, unde ipſe *tabulatum Cedrinum* exponit. Jonath. in Reg. cod. *ex adverſo liminis quod opertum erat tabulis cedrinis.* LXX quæ ſint hæc limina quæve operimenta lignea videntur indicare, qui ſic habent, *Et domus & ea quæ proxima ſtrata ligno per circuitum,* Domum expreſſè indicantes & adjacentes domui poſtes, quos terna operiebant tabulata ſive cubicula tecta. Vulg. aptè *ſtratúmque ligno limen, limen* pro poſte verbum verbo convertit. Hi verò poſtes domus operiebantur quidem tabulatis quæ retractionibus ſupradictis ſuſtinebantur, idque *per gyrum in circuitu* trium laterum Templi in quibus cubicula ſuis quoque tabulatis diſtinguebantur, atque ligneis tectis operiebantur. *Terra autem uſque ad feneſtras*] Id eſt, inquit Kimhi, *à terra uſque ad feneſtras.* LXX in Complut. & Reg. cod. *ſtrata ligno per circuitum à pavimento uſque ad feneſtras.* Senſus eſt, Poſtes ſive antæ domui adjacentes tabulatis operiebantur à terra uſque ad feneſtras domus. Quæ verba omnium tabulatorum ſimul indicant altitudinem. Quod ſi Vulg. lectionem Hebraicæ adhærentem ſequimur, *terra autem,* h. e. ſolidus paries erigitur *uſque ad feneſtras,* i. uſque ad coronam 25 cubitis altam, quæ exteriori Templi parieti terminus erat, æquè librata & ſimilis omnino coronis primi ordinis atriorum, ſuper qua corona non amplius ſurgente exteriori pariete, aperiebantur lumina domus, quod indicant etiam ſequentia; & in Templi Orthographiis perſpectum eſſe poterit.

CAP. XXXIII. *Et feneſtræ clauſæ*] Alibi dicuntur אטמות h. e. *clauſæ, obturatæ,* non omnino, ut notat Kimhi, ſed quibuſdam cancellis, qui aditum intercluderent, luci paterent ac viſui. Hic verò dicuntur מכסות, à כסה *tegere, operire;* quare vox hæc indicare poteſt feneſtras haſce abſconditas fuiſſe tectis exedrarum ita ut è ſolo Atrii vix ac ne vix quidem proſpici potuerint, quod in diſſecti Templi Orthographia facile dignoſcet Lector. כסה ſignificat etiam *contegere & quaſi pannis obvolvere,* unde מכסה *operimentum* velut aulæum Exod. 26. 14. Ex quo conjicere licet feneſtras dici מכסות, quòd haud ſecus quàm portæ Sanctuarii ejuſdem feneſtræ aulæis contegerentur, quò fortaſſe reſpexiſſe videntur LXX feneſtras tripliciter aperiri ſignificantes ut proſpiceretur per eas, quia fortaſſe triplici claudebantur operimento ne aſpectui paterent Templi interiora, h. e. cancellis, valvis & velis. Sed mox melius Villalpandus, Puto (inquit) eos de thalamorum locutos eſſe feneſtris, quæ triplici ordine aperiebantur, ut per eas lumen in cubicula induceretur, & proſpicere poſſent exteriora qui in eis eſſent. *Super oſtia*] Hæc verba juxta Hebr. Græc. & Chald. pertinent ad ſequentem verſum; ſed haud diſſimili ſenſu Latina verſio cum ſuperioribus conjungit. Ex quo licet conjicere orationem non eſſe abſolutam atque perfectam, ſed cum ſequentibus conjungendam, ut ſenſus ſit, feneſtras ſuper oſtii altitudine apertas fuiſſe in domo exteriori, omnes quidem in eadem menſura & in eadem altitudine. V. 17. *Vſque ad domum interiorem*] Senſus Prophetæ hic eſt, ut quoniam feneſtrarum meminerat (dum à terra uſque ad feneſtras tabulatis opertas fuiſſe dixit paraſtades) earum ſitum ac diſpoſitionem hîc indicacaret. Feneſtræ ergo (inquit) erigebantur ſuper altitudine oſtii Orientalis domus, per parietes domus exterioris uſque ad murum interioris: Quæ quidem feneſtræ in eadem altitudinis menſura aperiebantur à parte interiori domus & ab exteriori murorum. Sequenti capite probat Villalpandus has feneſtras fuiſſe tantùm in loco Sancto, nullas verò in Sancto ſanctorum. & quidem ex hoc ipſo loco ex vi præpoſitionis עד, quæ quum de loco uſurpatur ſemper terminum rei deſignat ultra quem ulterius non progreditur. Quâ ratione (inquit) ſi Ezechielis verba interpretemur hic erit ſenſus, Feneſtræ cancellis occluſæ deſuper oſtium per totam exteriorem domum extendebantur *uſque ad domum interiorem* excluſivé. Quod verò ſubjungit *Per omnem parietem in circuitu &c.*] Sic intelliges, per omnem parietem Meridianum & Aquilonarem; nam de Occidentali certum eſt non habuiſſe feneſtras per quas aliqua pars domus interioris poſſet videri, eæ enim cum domo exteriore confunderent interiorem quam oportet eſſe ſepoſitam. De pariete autem Orientali idem planè crediderim, caruiſſe nimirum feneſtris, tum quod Veſtibulo obumbrarentur, tum verò maximè quod nullam viderentur habere poſſe cum reliquis Veſtibuli partibus ſymmetriam. [L. C. Obſervatio. Quod Villalpandus hîc negat Occidentalem Templi parietem ullas habuiſſe feneſtras contradicit ipſi Ezechielis textui qui dicit *feneſtras fuiſſe per omnem parietem* סביב סביב *circumquaque,* & ipſe ſecum pugnat, qui & in Templi veſtigio, & in poſticæ partis illius Orthographia feneſtras aperuit; & facit id contra aptiſſimam & pulcherrimam admirabilis hujus ædificii ſymmetriam, quæ poſtulat ut ab omnibus ſui partibus feneſtræ æquè libratæ aperiantur. Neque verò minùs debent aperiri feneſtræ ab Occidua Templi parte, quàm à Meridionali & Septentrionali ejus latere, è regione Adyti ſive Sacrarii. Si ergo concedit Villalpandus per omnem parietem Meridionalem & Aquilonarem apertas fuiſſe feneſtras, uti reapſe ipſe eas aperit tam in Veſtigio domus quam in ejus Orthographia, cauſa nulla eſt cur neget eas fuiſſe etiam ab Occidentali parte apertas. Aut ſiqua eſt cur ſecundùm eum negandum ſit fuiſſe ab ea parte apertas feneſtras, (nempe quia putat Sacrarium non fuiſſe ullâ extrinſecus adveniente ſolis luce illuſtratum, quod ego non invitus conceſſerim) eadem ſuadet & cogit ut negèmus etiam fuiſſe eas per Meridionalem & Aquilonarem partem, è regione Sanctuarii apertas. Sed ratio illa non obſtat quo minùs tribus ex partibus aperiri debuerint feneſtræ lucem admittentes ſolarem: neque enim propterea lux illa penetraverit in ipſum Sacrarium (quod ſtudioſè cavet Villalpandus) fuit enim Sacrarium cubicum, 20 cubitos longum, latum & altum, itaque ad illam viginti cubitorum altitudinem ſupernè fuit tectum, vel tabulato plano vel lacunari fornicato, quo prohibebatur lumen per feneſtras ingrediens nè in Sacrarium ſubjectum penetraret (feneſtræ enim in Templi pariete non aperiebantur niſi ad 25 cubitorum altitudinem ſupra Atrii Templi pavimentum) at non impediebat quo minùs ſeſe diffunderet per locum Sanctum, & per locum illum qui fuit inter Sacrarii tabulatum & ſupremum totius Aulæ ſanctæ lacunar interjectus, qui locus par fuit altitudine & amplitudine cum ipſo Sacrario, viginti nempe cubitos longus, latus & altus. Nam à Templi pavimento ad ſupremum ejus lacunar altitudo fuit quadraginta cubitorum, cujus altitudinis dimidiam tantùm partem occupavit Sacrarium, reliqua altitudo à Tabulato Sacrarii ad ſupremum Aulæ lacunar fuit à lumine per feneſtras ingrediente illuſtranda, alioqui manſiſſet locus ille, qui ex Aula ſancta conſpiciebatur, cæcus & obſcurus ac totus ferme tenebroſus, quæ fuiſſet maxima in loco tam ad miraculum uſque ſpecioſo atque decoro deformitas. Senſus ergo verſiculi hujus videtur eſſe, feneſtras domus Dei fuiſſe in eadem altitudine (ſeu æquè libratas) per omnem Domus parietem circumquaque, quibus lumen immittebatur in Domum tum interiorem (h. e. locum Sanctum eamque partem quam ſupra Sacrarium diximus modò fuiſſe) tum exteriorem, h. e. Templi veſtibulum, quod & ipſum feneſtris illuſtrari debuit, uti videre eſt in ipſa Villalpandi Orthographia Templi.] *In circuitu*] Ex utraque Meridionali & Aquilonari; ſicut paulò ſuperiùs dixerat *in circuitu* per tres partes. *Ad menſuram*] Eandem ſcilicet, ſitæ erant feneſtræ apertæ *intrinſecus & extrinſecus.* Ubi iſtud maxime animadvertendum puto, quòd interiora domus, quamvis magnitudine, formâ, ornamentis eſſent ab exterioribus longe diverſa, tamen iiſdem ita conſonabant ut corona atriorum Templi totam undique cingeret domum exteriorem intrinſecus atque extrinſecus, quo non modò ſumma habita fuiſſe in ædificio architectando ſymmetriæ ratio oſtendetur, ſed & ſignificationis & myſterii, quo nimirum indicaretur Atria, Porticus & Poſtes, quæ Iſraeliticum populum indicabant, coronâ donari minime potuiſſe, niſi ea à Domo Dei originem duceret.

CAP. XXXV. v. 18. *Et fabrefacta Cherubim &c.*] Totus in explicando interiore ornatu Templi verſatur Propheta, id quod tribus hiſce verſiculis quamvis compendio apte tamen expreſſiſſe videtur. Ornamenta verò Templi triplici ratione poſſunt expendi, aut enim materia dignoſcitur aurea, lignea, lapidea, circa quam fulgor nitidúſque color auri gemmarumque poſſet explicari. Vel ornamentorum modus exquiritur fuerintne pictoris arte coloribus expreſſa, an verò ſculptoriâ arte cælata, an aurificis malleo diducta, an fuſorio igne decocta. Denique, ſi figuris, floribus, aut id genus formis exornabatur domus, quænam fuerint formæ, tum quod ad hominum vel viventium alterius generis imagines, tum quod ad flores, fructus, frutices & poma. Et primum quidem non eſt hujus loci. Quod autem ſpectat ad artem, certum eſt laminas aureas quibus ornamenta omnia obducebantur ductiles fuiſſe, qua in re aurificum ingenium & induſtria maximè commendatur, atque in includendis variis lapillis & gemmis quibus interiora domus haud ſecus ſplendore complebantur quàm micantibus ſtellis ſerenâ nocte cœlum. Ea uno verbo exponuntur à Propheta dum Cherubim & palmas cælatas fuiſſe ſuper omnem domum affirmat. Utitur voce communi עשה: ſed auctor libri Regum propriâ eſt uſus קלע, *ſculpſit Cherubim & palmas & cælaturas valdè eminentes.* Cælaturæ hæ non lapidibus fuerant inſculptæ ſed aſſeribus parietibus adpactis 1 Reg. 6. 18. *cedro omnis domus intrinſecus veſtiebatur &c.* Reliquum eſt ut de forma ornamentorum agamus quæ duplex eſt; altera quæ ad Cherubinos pertinet eorúmque formam & poſitum, altera quæ ad reliqua monumenta, de quibus ſequenti Prophetæ capite agetur. Poſtquam hoc & ſequentibus cap. ad 44. uſque Villalpandus multis conatus eſt tueri contra Adverſarium quendam collegæ ſui Hieronymi Pradi de Cherubinorum figura ſententiam qui in explicatione cap. hujus Prophetæ affirmat, 1. viſionem hanc Ezechieli objectam eandem eſſe cum ea quam habuit Moſes in monte Sinai, quæque fuit objecta Iſaiæ cap. 6. & Danieli cap. 7. & Joanni in Apoc. 4. quodque ſpecies hujus viſionis eadem omnino fuerit cum facie ſolii Dei quod erat in oraculo Templi. 2. Figuram Cherubinorum Arcæ Teſtamenti & Tabernaculi Moſaici eandem eſſe cum Cherubinis Templi Solomonici, atque adeo cum illis quos vidit Ezechiel. 3. Figuram illam Cherubinorum non eſſe, uti nonnulli arbitrantur, quadricipitem, ſed humanâ facie & ſtaturâ erectâ, virili non fœminea, & juvenili figura, ſed quorum pedes vitulis ungulis armarentur, pectus & dorſum leoninis jubis veſtiretur atque tegeretur, humeri autem quaternis alis ornarentur, quorum binis volarent, binis verò pudenda contegerent atque obvelarent; atque ita intelligi debere Scripturæ loca quæ de quadruplici Cherubinorum facie loquuntur, humanâ ſcilicet, leoninâ, vitulinâ & aquilinâ: vox enim פנים non ſignificat ſemper *vultum,* ſed etiam in genere *habitum, aſpectum, diſpoſitionem, figuram.* His præſtructis cap. 45. accedit ad textus hujus explanationem. Sunt (inquit) omnes Cherubini Templi virili formâ, quaterni præditi aquilinis alis, quorum dorſa leoninis veſtiuntur jubis, pedes vitulinis calceantur ungulis, quorum humani vultus & capita non monſtroſis multiplicantur vel deturpantur beſtiarum aſpectibus, ſed omni ſunt decore ac turpitudine inſignes, & hoc eſt quod primum inſinuat Vates. V. 19. *Facies hominis juxta palmam ex hac parte*] LXX in Reg. Cod. *Faciem hominis ad palmam hinc & faciem hominis ad palmam inde.* In Sixt. verò cod. *Faciem hominis ad palmam hinc & hinc, & faciem leonis ad palmam inde & inde.* Quæ utraque Vulgatæ ſenſum explicat ac ſi apertè dicatur, Humani utriuſque Cherubini vultus mediam palmam reſpiciunt, leonina eorum dorſa angulares proſpectant palmas, alis verò (quas vocari diximus aquilinas facies) uterque Cherubinus utramque palmam contingit quæ illi proxima eſt; plantis verò pedum (quas bovis Faciem appellat) pavimentum potius inferius quàm laterales palmas proſpectant, ut propterea binas tantummodo facies commemoraverit hominis & leonis, quòd eæ ad diſpoſitionem Cherubinorum explicandam conducerent, alias duas ſilentio prætermiſerit, quas latè initio ſuæ Prophetiæ diſcuſſerat. Id autem quod dixi leoninâ facie potiùs contectum fuiſſe Cherubinum quàm præditum, indicari videtur ipſâ notione vocis quâ hoc loco uſus eſt Propheta כפיר, quæ à כפר quod eſt *tegere, abſcondere,* (unde כפרה *propitiatorium* ſive Arcæ tegumentum) Hanc vocis originem ſi ſpectemus, ſic dictum leonem fortaſſe opinari licebit, quòd excreſcentibus jubis contectus ſit armos & terga, quare *faciem* כפיר vel *aſpectum* leonini *operimenti* indicare poterit præſens phraſis, cùm terga Cherubinorum ad alterutram angularem palmam converſa jubis contegerentur, haud ſecus quam leonina. V. 20. *De terra uſque ad ſuperiora portæ &c.*] Id eſt, Figuræ iſtæ erant in parietibus à terra uſque ad ſuperiora; quod verò dicit *uſque ad ſuperiora portæ,* h. e. in Orientali pariete in quo erat porta, in porta enim non erant Sculpturæ, in poſtibus & in liminari. Senſus eſt, quantum lumen portæ erigitur tantundem in muris Templi & Oraculi aſcendit ſculptura Cherubinorum & palmarum. Sermonem autem fieri arbitramur de prima præcipuaque porta, quâ introitus patebat in Templum, quam latam fuiſſe oſtendimus cubitos 10, altam 20, ac tanta dicitur eſſe parietum altitudo Cherubinis ornata & palmis. LXX *à pavimento uſque ad laqueare*, intellige Sancti ſanctorum, quod à terra tantum ſuſpendebatur, quantum erigitur Orientalis porta Aulæ. Atque ut de parietibus Adyti ſermonem hactenus factum fuiſſe intelligeretur, ſubjungit *in parietem Templi*, Heb. וקיר, *& paries*, h. e. ſic etiam erant parietes ſancti [Vulg. legit בקיר *in pariete*, quæ lectio commodior eſt] V. 21. *Limen quadrangulum*] His verbis menſura traditur ornamentorum portæ & Epiſtyliorum univerſi ædificii, quamvis dicendi modus difficilis eſſe videatur. Jarhi, *In ædificio Salomonis limen erat quadrangulum, quia poſtes ipſi erant quadrati.* Kimhi, *Templi limen quadrangulum, h. e. limen portæ Templi quadratum erat, ad differentiam eorum qui limina rotunda faciant.* Heb. vox מזוזה utrumque portæ poſtem ſignificat. Exod. 12. 7, 22. Et Prov. 8. 34. Porta autem hîc intelligitur ההיכל aulæ ſanctæ, 1 Reg. 6. 33. *ſic fecit oſtio* ההיכל *Templi poſtes ex lignis oleagineis* : מאת רביעית *ex quarta*, quâ voce explicatur iſtud quadrangulum quo utitur hic Vulg. Et ſenſus eſt, Poſtem utrumque portæ latum fuiſſe quarta parte latitudinis portæ, unumquemque octava, quæ cùm lata ſit cubitos decem poſtis uterque latus erit $2\frac{1}{2}$. alter verò cubit. $1\frac{1}{4}$. Quæ proportio ſervata eſt in porta Templi, quod Romæ Pantheon dicitur, quæ quoniam (inquit Villalpandus) tota eſſe ſimilis videtur Hieroſolymitani Templi portæ, hujus aliquot proportiones libuit percenſere. Eſt ea altitudine latitudinis duplâ, antepagmenta ſingula latitudinis parte octavâ, utraque ex quarta ; cujuſmodi ſunt hæc noſtra. Longe alia aſſignatur à Vitruvio & portæ proportio & antepagmentorum, ſed hanc eſſe omnium pulcherrimam & perfectiſſimam indicat Sacri textus divina authoritas & quotidianus ſermo. Non eſt autem prætermittenda Vulg. lectio quæ totius oſtii, h. e. luminis portæ formam definit fuiſſe quadrangularem, h. e. rectis angulis. Et ſic 1 Reg. 7. 5. quum de januis domus ſaltus Libani, *omnia oſtia & poſtes* רבעים *quadrati.* Id quod (inquit Villalpandus) omnibus ubiq; ſeculis ab Architectis obſervatum eſt ; quod meritò Philander notat ad Vitruv. l. 4. cap. 6. *Oſtia antiqui nuſquam niſi quadrangula fecere, ſicuti nec feneſtras ; poſteri verò etiam arcuatis uſi ſunt, poſtquam peſſum ivit Architectonice, & neglectis probatiſſimorum operum exemplis Germanorum arbitratu cœptum eſt ædificari.* Illud enim ſilentio prætermittendum non eſt quòd cùm totius ædificii ſymmetriam ſpectat, hæc una menſura antepagmentorum Templi, omnium primi ordinis Epiſtyliorum menſuram definiri in atriis Templi. Nam cum portæ hujus altitudo viginti cubitorum ſit, quanta eſt altitudo columnarum primi ordinis atriorum, neceſſarium utique fuit portæ ſuperliminare epiſtyliis prædictarum columnarum æque libratum. Atque cum ſimilibus omnino partibus & ornamentis antepagmenta & Epiſtylia diſtinguantur, hæc atque illa æqualia fuiſſe neceſſarium eſt. *Facies Sanctuarii aſpectus contra aſpectum*] Heb. *Aſpectus ſicut aſpectus*, h. e. Sanctuarii facies & Aulæ ad eandem ſpectabant regionem, eadem plane diſpoſitione, eiſdem ornamentis, quippe quæ ſimul & unico intuitu videri poſſent, atque adeò rationi maxime conſentaneum viſum fuit Architecto ut omnino eſſent ſimiles. Sic Kimhi, *Aſpectus quaſi aſpectus, h. e. portæ Sancti ſanctorum* (quæ eſt facies Sanctuarii) *aſpectus quem vidi in liminaribus ſuis, erat ſimilis illi aſpectui quem vidi in limine Templi.* Liminarium tamen juſta ratio diverſa habetur 1 Reg. 6. 31. האיל מזוזות חמישית Vulg. *poſtes angulorum quinque.* Vatablus, *omnia illa fecit ex quinta parte*, vel, *latitudo eorum omnium erat æqualis quintæ parti valvarum.* Itaque cum portæ hujus latitudo ſenis cubitis ſit definita, utrique ante pagmento cubitus $1\frac{1}{5}$ obveniet, h. e. ſex quintæ cubiti partes, unicuique tres quintæ. Neque verò ex quarta hæc antepagmenta fecit, ut exteriora, quòd ea fieri oportere judicaverit graciliora quippe quæ ſubtiliori cingerentur ornamentorum genere. Porrò Vulg. lectio ipſa antepagmentorum ornamenta videtur indicare. Nam Epiſtylium (cui ſimile eſt entepagmentum) triplici faſciâ vel corſâ exornatur & cymatio (ut in figura capitelli videre eſt) Sed & cymatium regulâ conſtat & ſymâ ; quæ quidem ſyma cùm variis ſoleat ſculpturis exornari nullo propterea videtur conſtare angulo, ex quo fit ut tres anguli corſaum binis ſupremæ regulæ adnumerati angulos compleant quinque, quos habet Vulg. lectio.

CAP. XLVIII. V. 22. *Altaris lignei trium cubitorum altitudo & c* [Probat Villalpandus (adverſus quoſdam contentioſos) ex 1 Reg. 7. 49. Salomonem novum altare aureum incenſi feciſſe majus Moſaico. Nam de Moſaico dictu Exod. 30. 1. *Facies altare incenſi habens cubitum unum longitudinis & alterum latitudinis quadrangulum & 2 cubitos in altitudine.* De iſto verò Propheta reſpiciens ad illud Salomonis, *Altaris lignei 3 cubitorum altitudo, & longitudo ejus 2 cubitorum.* Ubi Hieronymus ſubintelligendum cenſet quod addiderunt LXX, *& latitudo ejus 2 cubitorum*, & meritò, cum diſcedere minimè debuerit à quadrata prioris forma. Proportio autem fuit laterum dupla, arearum quadrupla, corporum ſextupla.

CAP. XLIX. *Et anguli ejus*] Heb. מקצועתיו לו *anguli ejus ei*, Phraſin concinnè redderet Hiſpanicus ſermo, *y tenia ſus angulos.* LXX, καὶ κέρατα εἶχεν. Nobile quoddam ornamenti genus hujus Altaris aurei, tum etiam ærei, indicatur quum cornuum ſit mentio. Eorum formam reddimus in imagine quam Scriptorum probavit autoritas. Nam Cajetanus verbis hujus textus indicari arbitratus eſt cornua hæc minime addititia fuiſſe ſed ex tigillis 4 angularibus, officio pedum fungentibus, ſurgentia cornua 4 in obeliſci modum affabre elaborata. Quod & voce מקצע ſignificari videtur. Angulum enim ſignificat non eum qui proſtat (is enim פאה dicitur) ſed eum qui ſit in receſſu. Hiſpani hunc vocant *rincon*, illum *canton* vel *eſquina*. Ex quo fit ut è receſſibus ſurrexiſſe cornua indicentur, atque adeò tota fere Altaris ſtructura indicatur. *Longitudo ejus &c*] Vide quæ* huc pertinent in figura Altaris aurei.

CAP. L. *Hæc eſt menſa coram Domino*] Refert Villalpandus geminam de his verbis ſententiam ; Unam eorum qui putant Altare aureum appellari hîc ab Angelo *Menſam*. Cujus ſententiæ autor eſt Hieronymus, quem potiſſimum ſequitur Villalpandus, & cur dicatur menſa oſtendit, atque nominum Altaris & Menſæ permutationem probat ex Malach. 1. 7, 12.

CAP. LI. *Coram Domino*] His verbis Altaris locus tum quem habuit in Tabernaculo, tum quem habuit in Templo, indicatur. Atque hîc ſolidè & fuſè probat Villalpandus tum Scriptura (ex Exod. 40. 2, 3, 4, 5, 19.) tum ex Joſepho Antiq. 3. c. 7. Altare aureum fuiſſe non in Adyto ſive in Oraculo ſed in loco Sancto collocatum. Rejicitque ac refutat anonymi cujuſdam ſententiam, qui aſſerebat Altare aureum fuiſſe intra velum in Adyto locatum, atque eò ſummum Sacerdotem ſingulis diebus bis mane & veſpere ad ſuffitum faciendum ingreſſum eſſe, ſemel autem duntaxat in anno eodem ingredi ſolitum cum ſanguine ad expiandum tabernaculum. Capite autem 52 reſpondet Villalpandus objectioni ex loco Pauli Heb. 9. 3, 4. & locum illum accipit non de Altari aureo incenſi, ſed de thuribulo quodam aureo quod intra velum à ſummo Sacerdote relinquebatur quum eo ingrediebatur, Thuribulum, inquit, Oraculi illud eſſe arbitrantur nonnulli, quod ſingulis annis in Oraculum inferebat Aharon. Sed illud vix capere poſſunt quòd cùm (ut ex Divino præcepto conſtat) ſine Thuribulo ingredi Oraculum minimè licuiſſet, ſiquidem fumi nebula operitura erat Oraculum ne moreretur ingrediens, ut in ipſo Oraculo maneret Thuribulum, quod prius educendum eſſet quam inducendum. Reſpondet Villalpandus ſicque hunc ſolvit nodum. Dicamus, inquit, quod nullum videtur admittere inconveniens, Pontificem aureum quoddam Thuribulum ex illis, quorum infinitus propemodum numerus aſſervabatur in ſacris theſauris, in Oraculum deferre ſolitum prunis ex Altari deſumptis plenum, & hoc Thuribulum thymiamate impoſito humi depoſitum fuiſſe, dum aſſumpto altero Thuribulo ibidem invento & ſanguinis phialâ, digito aſpergeret atque mundaret Sanctuarium, Tabernaculum atque Altare, quibus extra Oraculum abſolutis, Thuribulum ab eo ibi relictum fuiſſe uſque ad ſequentis anni ſimilem diem, quà allato altero Thuribulo illud prius foras educeretur, non idem. A cap. 54 ad 63. deſcribit menſam & Candelabrum quæ nos hîc omittimus. V. 23, 24. *Et duo oſtia erant in Templo &c*] Imprimis perſpectum eſſe debet de valvis aut ligneis foribus ſermonem hîc fieri (non verò de januis) quas ipſum nomen Hebræum דלת indicat quod *valvas* ſignificat, quæ quoniam binæ ſolent eſſe duali numero plerunque proferuntur Iſa. 45. 1. Malach. 1. 10. Harum ligneam materiam indicat Hiſtoria Regum. Numerum percenſet hîc Propheta, quem non minus explicat Hiſtoria Regum, utramque januam indicans fuiſſe quadriformem. Atque hîc rejicit Rabbinorum ſententiam Villalpandus, qui (ut in Miſna habetur) volunt unicuique portæ quaternas fuiſſe valvas, duas interiores, totidem exteriores, quarum exteriores intra craſſitudinem muri aperirentur, interiores contra latera portæ intrinſecus. Alii quaternas in ſe plicatiles faciunt, quæ omnes inter muri craſſitudinem aperiantur. Sequitur autem Chaldaicam Paraphraſim, *Geminæ fores erant velut matres, his oſtiis bina erant oſtiola verſatilia, duo oſtiola, inquam, in oſtio uno, & duo oſtiola in altero.* Quæ, inquit, Chaldæi interpretatio & textui & veritati magis videtur eſſe conſentanea, quippe quæ rem indicat pulchritudini, firmitati atque uſui maximè deſervientem. Ingens enim erat oſtium Templi, decem cubitis latum, viginti altum, cujus fores ſingulæ (ut minimum dicam) latæ ſunt cubitos quinque, altæ viginti, quæ tam immenſa moles propter materiæ craſſitudinem & longitudinem difficile quotidie mane & veſperi aperiretur, & fruſtra omnino, cùm ut unus Sacerdos ingrederetur aperienda eſſet. Id quod quamvis nullo alio exemplo confirmaretur, vel uno Zachariæ ſatis eſſet confirmatum Luc. 1. His igitur incommodis omnibus ſatis eſſe proviſum videbitur, ſi in valva alterutra parvum quoddam oſtium aperiretur, quod intra ipſam januam proprio oſtiolo clauderetur, quæ & peſſulis & ſeris contineretur ; ac propter ſymmetriæ obſervatam in toto ædificio rationem, hoc ipſum in utraque valva factum eſt, atque eiſdem ſuadentibus rationibus, eadem pari ratione in oſtio Oraculi facta fuerunt. Quæ confirmat Villalpandus ex Hiſtoria Regum 1 Reg. 6. 31, 33. Addit Chaldæus, *Duo cardines portæ unius erant rotundi, & duo cardines portæ alterius erant rotundi*, quod non eſt in Ezechielis textu, ſed videtur deſumptum ex Reg. 7. *Cardines oſtiorum ex auro erant*, ubi dicuntur פתות, quod diverſum eſt a צירים, nam hoc vocant Itali *gangani*, ſúntque nodi ferrei quibus poſtibus infixis fores volvuntur ſuſpenſæ (Gallicè *gonds*) פתות verò ſunt craſſiores valvarum cardines quibus (apertis in imo & ſummo liminaribus, rotundis foraminibus) fores volvuntur.

CAP. LXIV. V. 25. *Quamobrem & groſſiora erant ligna &c.*] Cùm in ſermonem incidiſſet Propheta ornamentorum Templi, quod maximum eſt atque hujus ædificii proprium, & nulli alii, quod ſciam, commune quippe cum ſumma omnium ædificii partium ſymmetria conjunctum, id his prædictis verbis expreſſit. Quorum ſenſus qui primus occurrit certiſſimus & veriſſimus hic eſt ; Quoniam veſtibuli longitudo juxta latitudinem domus à Meridie protenditur in Aquilonem, latitudo ejuſdem ab Oriente in Occidentem extenditur : contignationes verò domorum & tabulata ita facienda eſſe ſuaſerit uſus atque firmitas, ut craſſiora ligna (ſeu trabes) quæ totum debent ſuſtinere tabulatum ſecundùm latitudinem extendantur, quibus deinde ſubtiliora alia ſecundùm ædificii longitudinem imponantur, atque his demum tabulæ & aſſeres, quibus ſuperinducatur cœnaculorum pavimentum. Hujuſmodi craſſiora ligna quo firmiùs muris adhæreant ita fuerunt diſponenda ut totum Orientalem veſtibuli parietem trajicerent, & capita trabium in facie veſtibuli apparerent. Et hæc ſunt *groſſiora ligna in veſtibuli fronte forinſecus.* Et quoniam hujuſmodi trabium capita debitam habere debuerunt rationis proportionem, non modò altitudinis ad latitudinem, ſed & diſtantiæ inter binas quaſque, quam ſemper oportuit eſſe quadratam, fit ut aliquid hujus ſymmetriæ imitati Dorici populi, ceratis tabulis atque triſulcis capita operirent trabium, qui triglyphi propterea vocabantur ; media autem inter trabes ſpatia metopæ. Illud hujus loci videtur eſſe proprium quòd inter trabes, h. e. in metopis, quaterna Cherubinorum capita effinximus, ut in ipſa vides Veſtibuli facie. In quam nos induxerunt ſententiam LXX, qui *Et cœlatura in eis, & ſuper oſtia Templi Cherubim & palmæ ſecundùm ſculpturam ſanctorum, & ſecundum ligna ante faciem ælam forinſecus* (uti habetur in Reg. ubi legitur καὶ χετι, non verò καὶ σπουδαῖα uti legit Hieronymus) Quibus verbis Cherubim & palmas in januis Templi ſculptas fuiſſe teſtantur, haud diſſimiles iis quæ in Sanctuario erant ſculptæ, & ſimiles iis quæ inter ligna quæ in facie Veſtibuli apparebant ; id enim ſignificare videtur vox *ſecundùm*. V. 26. *Super quæ feneſtræ obliquæ*] Duo inter ſeſe longè diverſa eodem hoc orationis contextu comprehenduntur, quæ niſi cognitione ſeparentur, facile confuſionem parient legenti. Primum eſt de feneſtris de quibus ſuprà dictum eſt. *Super quæ*] Ad ligna frontis veſtibuli referendum videtur ; in Hebr. non habetur ſed ſapienter additum eſt paraphraſticè à Vulg. cùm ſermonem fieri meritò exiſtimaverit de feneſtris cœnaculorum quæ ſuper prima contignatione plures eæque pulcherrimæ & ornatiſſimæ aperirentur ; ut videre eſt in omnibus Domus orthographiis. Quod verò ad ſecundum ſpectat, *Et ſimilitudo palmarum*, palmæ inſculptæ dicuntur, vel ut Chaldæus habet (à quo non diſſentimus) *capitella*, quòd ea palmarum ſpatulis exornarentur, *in humerulis veſtibuli ſecundùm latera domus*, h. e. in coſtis & lateribus ejus, *& in latitudine parietum.* Horum trium ſingula difficultatem aliquam involvunt quam brevi libet explicare. *Humeruli*] Heb. כתפות. *Humeros portæ* ſuprà expoſuimus eſſe eam muri partem quæ ab oſtio ad angulum domus extenditur. At in Veſtibulo Templi interiori, quòd maximè decebat exornari, paraſtades quaſdam medias in flexus (ut vides in Ichnographia) quas hic textus confirmat, quippe qui earum capitella recenſet inſculptis palmis fuiſſe exornata, nec tantùm, ſed & formâ, magnitudine atque altitudine fuiſſe ſimilia capitellis coſtarum domus (ſic enim ſæpe appellaverat paraſtades quæ domum ipſam extrinſecus fulciunt atque exornant.) Ac ne earum tantùm paraſtadum meminiſſe videretur quæ domum fulciunt, cum (ut vides in Ichnographia) plurimæ ſint ipſis parietum craſſitudinibus reſpondentes, harum quoque meminit ſubjungens, *Latitudinemque parietum.* Hæc autem quæ dixi de pari harum partium menſura ab Hieronymo confirmantur ; dum LXX Interp. variam exponit verſionem, *Pro quo*, inquit, *LXX tranſtulerunt In laquearibus ælam* (h. e. propyli) *& latera domûs æqualis ponderis atque menſuræ. Per quæ latenter oſtenditur & poſtes veſtibuli* (hoc enim humeruli ſignificare videntur) *& latera domus & latitudinem parietum cuncta rationis plena eſſe & menſuræ, & nihil in Templo Domini reperiri quod abſque menſura & ſapientia conſtitutum ſit.* Hæc Hieronymus. Ego verò, inquit Villalpandus, pondus ad libratum capitellorum refero, quorum eadem erat menſura. *Latitudinémq; parietum*] Heb. העבים quod eſt Plur. vocis עב pro qua Lat. Int. convertit modò *groſſiora ligna*, h. e. trabes quæ ſic dicuntur 1 Reg. 7. 6. *columnas* ועב על פניהם h. e. *trabes ſuper eas*, Vulg. *Epiſtylia*, quæ vox ea ſignificat quæ ſuper columnis imponuntur, quamvis ab Architectis hæc univerſalis notio ad illam trabem propriè referatur quæ ipſis columnarum capitibus imminet. Sed hæc una ſolet eſſe trabs, denſitas verò trabium ad trabes zophori potiùs referenda eſt. His in univerſum de vocis עב notione prælibatis mox liquet quâ rattione denſitatem hanc vel craſſitudinem ad parietem tranſtulerit Vulg. quippe qui ipſo veritatis inſtinctu ductus id magis expreſſit quod res eſt, paraſtades Veſtibuli interiores illis fuiſſe ſimiles, quæ parietum domus longitudinem extrinſecus exornabant & craſſitudinem. Quamvis non negem ſenſum quem Hebræi, LXX, & Chald. tenuerunt nihil continere aut huic quem diximus ſenſui aut veritati contrarium. *Et latera domûs & tigna,* aut *ſuperliminaria* convertunt, ut ſenſus ad palmarum & Cherubinorum ſculpturam referatur, & palmas ſignificent, tum in parietibus tum in laquearibus atque intertigniis ſculptas fuiſſe cum Cherubinis, idque non in interioribus modò ſed & in exterioribus per trabeationem totam quæ cavædio domûs & craſſitudinibus parietum extrinſecus reſpondebat, quem ſenſum habere videtur Vulg.

Ad Cap. 42. Ezechielis Excerpta ex Villalpando.

CAP. LXVI. v. 1. *Eduxit me in Atrium exterius &c.*] Verſabatur Propheta cum ductore Angelo in Atrio interiori ipſius domus menſuras, ornamenta & inſtrumenta contemplaturus, quibus ritè peractis egreditur per portam Aquilonarem ad Atrium exterius, gradibúſque deſcenſis declinavit ad lævam, h. e. ad Occidentem, ingreditúrque porticum ipſam Aquilonarem interiorem quæ percurrebat à latere portæ Occidentem verſus, oſtendítque atriolum quadratum ſub caſtello, quod connectebatur cum prædicta porticu Aquilonari in qua aperiebatur porta ad Aquilonem. Atriolum verò hoc reſpiciebat ambulationem ſeu plateam quæ ante faciem Templi jacebat longam centum cubitos, latam viginti. In hoc atriolo videt gradus & ſcalas, quibus aſcenſis poſt revolutam ſcalam invenit ambulacrum quoddam ad Occidentem extenſum hinc atque illinc cinctum exedris. Has exedras deſcribit Propheta, *Et introduxit me in Gazophylacium*] Jarhi, *Id eſt, Ad unum ex Gazophylaciis, aut ad locum Gazophylaciorum h.e. ad Gazophylacia quæ ſunt ſita in Aquilone domûs erántque ſeparata viginti cubitis à thalamis domûs.* Hactenus rectè. Sed mox rationem reddere conatus, ob quam neceſſe fuerit Prophetæ in exterius Atrium egredi ut Gazophylacia iſta ingrederetur, deceptus eſt. Ratio ejus rei hæc eſt longè diverſa. Cùm totum Atrium interius octo gradus erigeretur ſuper exterius, & peribolo eſſet undique cinctum, non alia ratione poterat ad ſcalas venire, quæ in Atrio exteriore ſitæ erant, niſi per portam ad Atrium egrederetur exterius. *Contra ædificium ſeparatum &c.*] Quid גזרה quid בנין ſupra jam eſt explicatum cap. 41. 12. Ait ergo hujus porticus exedras Aquilonares ſpectaſſe domum ipſam, & thalamos qui domui adhærebant ex latere Aquilonari. V. 2. *In facie longitudinis centum cubitorum &c.*] Id eſt, habebat hæc porticus (in qua erant Gazophylacia) frontem Orientalem verſus alteram porticum longam cubitos centum, latam 50. in qua aperta erat porta Aquilonaris. Maluiſſem ego ſic exponere, Erat hæc porticus longa centum cubitos, lata quinquaginta, & frontem habuit Orientalem obverſam porticui illi in qua erat aperta porta Aquilonaris. V. 3. *Contra viginti cubitos Atrii interioris*] i. Caſtellum ſeu quadrata porticus, ex quo aditus patebat & in ambulacrum & in exedras prædictas, reſpiciebat ex altero latere plateam viginti cubitos latam, quæ extendebatur ante faciem domus inter veſtibulum & atrium ſacerdotum. *Et contra pavimentum &c*] Id eſt, reſpiciebat ex altero latere porticum quæ in Atrio Aquilonari Occidentalis eſt, vocat nempe *pavimentum ſtratum lapide*, porticus inferiores, uti ſupradictum eſt cap. 40. 17. *Ubi erat porticus juncta porticui triplici*] Jarhi, q. d. *Gazophylacium ſupra Gazophylacium trinum, unum ſupra aliud.* Quæ ſententia ſi de Atriorum ordinibus accipitur ut debet, vera eſt. At cùm interior columnarum ordo Gazophylaciis careat, quippe totus in poſtes & columnas tributus, duplex tantum aſcendit in altum Gazophylaciorum ordo. Hebr. אתיק, quâ voce (uti diximus ſuprà cap. 41.) ſignificatur porticus ipſa nitens poſtibus. Potéſtque verſus iſte vel de caſtello quadrato, vel de porticu oblonga Occidentali exponi, aut verò etiam de utraque. Si de caſtello accipias, patet ex veſtigio illud eſſe in medio trium porticuum, Occidentalis, Aquilonaris & Meridianæ (legendum Orientalis) Si verò malis accipere de Occidentali porticu explicatur locus ex Hebræo, *Cubiculum contra cubiculum in trinis*, vel *per tria*, ſcil. tabulata vel ordines cubiculorum. Nam verum eſt in ſingulis porticibus triplicem in altum contignationem fuiſſe, porticúſve ternas per latum in ſingulis contignationibus, quarum media pervia erat ambulatio, binæ laterales parietibus clauſæ exedris tribuebantur. V. 4. *Et ante Gazophylacia*] Gazophylaciorum meminit ſuperioris contignationis, idque perſpectum eſt ex eo quod ſubdit mox, *Et erat ſubter Gazophylacia deambulatio decem cubitorum*] LXX, *contra exedras deambulatio decem latitudo, per cubitos centum longitudo.* Hieronymus putat eos addidiſſe verba illa *per cubitos centum longitudo,* quæ ſuperflua putat. Verùm perſpectum eſſe poteſt ex veſtigio ſecundo atriorum deambulationem hanc quæ ante Gazophylaciorum fores obtenditur cubitos decem latam, longam fuiſſe centum, quanta eſt porticuum imò & atriorum longitudo. Atriola enim quadrata inter porticus pervia omninò fuerunt, neque ullis impedita cubiculis, ut uſui, lumini & pulchritudini ædificii inſervirent. *Ad interiora reſpciens &c.*] Senſus eſt, tametſi hæc ambulatio media lata erat inter columnas ſuperiores cubitos decem, tamen extendebatur aliis duobus cubitis ad facies exedrarum, ita ut à pariete paries duodecim cubitos diſtaret; nam paries earum trahebatur à columnarum perpendiculis cubitis ſingulis in ſingulis lateribus, ut videre eſt in Veſtigio ſuperiori univerſali. *Oſtia eorum ad Aquilonem*] Intellige cubiculorum quæ erant in altero latere prædictæ porticus proximæ Atrio interiori; nam alia cubicula his oppoſita verſus Atrium exterius habebant oſtium ad Meridiem, quorum omnium cubiculorum oſtia interiùs reſpiciebant ambulationem mediam. *Ubi erant Gazophylacia in ſuperioribus humiliora*] Heb. קצורות, quam vocem quamvis Hebræorum interpretes aliqui *brevia* vel *anguſta* convertant, tamen cùm ejus radix קצר *decurtare, demetere* ſignificet, aptè reddit Vulg. *humiliora*, quippe quæ de inferiorum celſitudine deficerent. Erant quippe ſuperiora inferioribus humiliora porticibus, ut in omni benè conſtituto ædificio obſervatum eſt, & ab antiquis ædificatoribus perpetuò obſervatum, qui ſuperiores columnationes contractiores & humiliores effecerunt, ne columnæ inferiores nimium gravarentur. *Quia ſupportabant porticus &c.*] Heb. *quia capiebant angulos* (vel *poſtes*) *ex ipſis* (vel *præ ipſis*) *inferioribus & mediis ædificii.* LXX, *Quoniam eminebant columnæ citra columnas inferiores & ſpatium ſic.* Senſus eſt, ſuperiora cubicula humiliora erant quàm mediana, & hæc rurſus humiliora inferioribus porticibus, quia columnæ ſuperiores contrahebantur à latitudine inferiorum quæ erant in porticibus, & ſimiliter ſupremæ columnæ medianis erant arctiores. Hoc ſignificat verbum illud *eminebant* quo & LXX & Vulg. utuntur, h. e. ſurgebant in altum citra inferiorum craſſitudinem; quare illis aliquantulum contractis neceſſe erat ſpatium in circuitu relinqui uſque ad craſſitudinem columnæ inferioris. Eandem habet ſententiam Vulg. his verbis, *quia ſupportabant porticus*, h. e. quia columnæ medianæ, quas ſupportabant & fulciebant ipſæ porticus infimæ, eminebant ex ipſis, vel præ ipſis, porticuum poſtibus, i. contractiores ſurgebant quàm poſtes inferiores, & ſupremæ columnæ adhuc exiliores attollebantur quam medianæ. Quæ omnia de ſemicolumnis parietibus adpactis intelligenda ſunt, non de ipſis muris ut perperam Rabbini expoſuerunt. V. 6. *Triſtega enim erant*] Triplicem columnarum ordinem in Atriis fuiſſe infra oſtendemus. *Et non habent columnas &c.*] Si vim vocis עמיד expendas invenies rationem ob quam ſuperioribus exedris columnæ negentur; ſignificat enim *ſtantem*, quaſi *ſtatuam* dicas, quòd ſtet in medio domus erecta ſuperiora ſuſtinens, ac ferè ſemper *rotundas* ſignificat ea vox *columnas*. Duo nobis indicat hic textus, Primùm, Columnas illas quas ſtatuimus in mediis porticibus inferioribus, quáſque ex frontium ſymmetria & reſponſione hactenus confirmavimus, his Prophetæ verbis confirmari. Secundum, Hujuſmodi columnas in ſuperioribus cœnaculis minimè fuiſſe, quippe cùm totum ſuperius pavimentum in cœnacula & ambulationes diſtribuatur, pilæ & quadratæ ſunt & interjectis cubiculorum parietibus connectuntur ut columnæ minimæ dici poſſe videantur. Heb. *Propterea deciſum eſt* (ſupremis) præ inferioribus & mediis à terra, q. d. Neceſſe fuit cubicula ſuperiora eſſe humiliora inferioribus, quia columnæ eorum vel pilæ erant contractiores quàm inferiores columnæ, atque ideo ſicut detractum eſt aliquid de craſſitie columnarum inferiorum ſuperioribus, ſic neceſſe fuit detrahi aliquid de altitudine in ſecundo ordine & in tertio. Itaque ſuperiori verſu de contractione craſſitudinis monuit nos Vates, hoc verò de imminuta altitudine ut eadem poportionis ratio ſervaretur. *Cubitis quinquaginta*] Hæc verba addit Vulg. neque fruſtra, quia & vera ſunt & certam ædificii rationem indicant, viz. licet detractum ſit aliquid ſupremis columnis de craſſitudine inferiorum, & inferioribus à craſſitie infimarum, ſervata tamen eſt illibata latitudo 50 cubitorum tam in infimis quàm mediis & ſupremis columnis, quia omnia earum centra erant in perpendiculo parietis, qui ab altero diſtabat 50, calamos nimirum 8. V. 7. *Et peribolus exterior &c.*] i. murus Orientalis hujus porticûs Aquilonaris (in qua adhuc erat Propheta.) Peribolum autem hunc menſus eſt dum deſcenderet per gradus, qui peribolus ſive paries tam longus erat quantum frontes reliquarum porticuum Atrii exterioris, & ne ignotum per ignotius explicet, ſubdit v. 8. *Quia longitudo erat &c.* q. d. Notum eſt ex prædictis menſuris alias omnes Atrii exterioris porticus fuiſſe latas cubitos 50, *includendo* (ut notat Lyranus) *non ſolum ſpatium inter parietes ſed ipſos parietes & pilarios.*

CAP. LXVIII. *Et longitudo centum cubitorum ante faciem Templi*] Deſcenderat ab illis exedris Aquilonaribus Propheta ut ad ſimiles Meridianas tranſiret, & pertranſiens ante veſtibulum Templi menſus eſt Angelus iterum latitudinem Atrii interioris ab ædificio Aquilonari uſque ad Auſtrale illi è regione oppoſitum, invenítque eſſe cubitorum centum. V. 9. *Et erat ſubter gazophylacia hæc*] Meridiana ſc. *erat introitus, &c.* Supponit jam offendiſſe gradus Meridionalis porticûs Sanctuario proximæ, quem quaſi digito demonſtrat dicens, *ſubter gazophylacia hæc*, ſc. Auſtralia, erat ingreſſus ab Orientali plaga quemadmodum in Aquilonari patebat aditus à fronte Orientali illius ædificii. V. 10. *In latitudine periboli Atrii &c.*] His verbis declarat hanc porticum Meridianam ſpectaſſe latus Templi Meridianum, atque cubicula illa quæ circumdabant Templum, imò ipſum parietem lateralem hujus porticus fuiſſe Atrii interioris ſeptum quo Laici à Sacerdotibus ſecernerentur, q. d. Longitudo hujus porticûs, cujus frontem & adytum dixi ſpectaſſe Orientem, procedebat verſus Occidentem coram latere Templi dextro, vel (quod magis habere videtur textus Hebraicus) gradus ipſos & ſcalas denotat fuiſſe adjacentes peribolo Atrii Meridiano, quo interius Atrium claudebatur, ex adverſo Meridiani lateris Templi. Hactenus periboli illius non meminerat quod Templum cingebat, de quo Joſephus lib. 6. Bell. Jud. c. 6. Templum arámque cingebat ex pulcherrimo ſaxo lorica gratiſſima. V. 11. *Et via ante faciem eorum &c.*] h. e. Media ambulatio & exedræ laterales eadem erant conſtructæ ratione, eadem menſurâ quâ Aquilonares. *Secundum longitudinem eorum, ſic & latitudo eorum*] Hebraiſmus *ſic &* pro *ſicut*, כ pro כן ponitur. Senſus enim non eſt, latitudinem ædificii æqualem fuiſſe longitudini ipſius, ſed longitudinem hujus ædificii Meridiani longitudini alterius Aquilonaris, & latitudinem ſimiliter latitudini ipſius fuiſſe per omnia æqualem. *Et omnis introitus*] LXX addunt *exitus* quâ utraque voce ſignificatur forma, ordinatio, diſpoſitio, menſura. *Et ſimilitudines eorum*] Heb. *judicia*. Vocat autem *judicia* commenſurationes. V. 12. *Et oſtia eorum ſecundum oſtia &c.*] Hic rurſus confunduntur particulæ כ & כן uti ſuprà præcedenti verſu. Sic enim debet connecti hic verſus, Sicut ſimilitudines eorum, & ſicut oſtia eorum, ſic & oſtia gazophylaciorum, quæ erant in via reſpiciente ad Auſtrum. *Oſtium in capite viæ &c.*] Pro veſtibulo in Hebræo eſt גדר cujus loco ſupra redditur *peribolus*, ſcil. lorica illa quæ Laicos à Sacerdotibus ſegregabat. Eademque eſt hujus quæ ſuperioris verſiculi ſententia, ſc. Hoc ædificium Auſtrale, habuiſſe aſcenſum à fronte Orientali, gradúſque ejus duxiſſe in ambulationem mediam ſuperiorem quæ procurrebat Occidentem verſus ſecundùm longitudinem elegantis illius periboli ſeparantis populum à Clero.

CAP. LXIX. V. 13. *Et dixit ad me, Gazophylacia Aquilonis &c.*] Hic Gazophylaciorum tam Auſtralium quàm Aquilonarium uſus apertis verbis deſcribitur. V. 14. *Non ingredietur de Sanctis in atrium exterius*] Lyranus, *Atrium exterius hîc non poteſt accipi generaliter, nam ſic accipiendo Gazophylacia ſunt in Atrio exteriori; ſed accipitur particulariter pro illis locis ad quæ admittebatur populus.* Huc ſpectat quod de Atrio mulierum dicunt Rabbini, quódque Lyranus vocat Atrium peculiare. Nam quamvis nullum fuerit Atrium mulierum in Templo Salomonis, tamen negandum non eſt fuiſſe vel Lege, vel laudabili conſuetudine in more poſitum, ut mulieres in porticum illam Sacerdotum Atrio proximam minimè venirent. Sed & Iſraeliticus populus ſine gravi cauſa, & ſine peculiari purificatione præcedente ad illam porticum minimè admittebatur. Quam in rem citat Villalpandus Joſephum contra Appionem lib. 2. *Quatuor porticus circum ſe habuit Templum, & earum ſuam quæque ſecundùm legem cuſtodiam. In primam ingredi licuit omnibus; in ſecundam Judæi omnes: eorúmque conjuges ab omni pollutione mundæ; in tertiam* (h. e. in eam de qua jam eſt ſermo) *mares Judæi mundi atque puri; in quartam ſacerdotes* veſtitu Sacerdotali induti. Sed & mares adhuc puri & mundi ab illa interiori tertia porticu (inquit Villalpandus) tunc maximè arcebantur, quam Sacerdotes veſtibus induti ſacris ſacratiſſimas carnes afferebant. Kimhi, *Populus non ingrediebatur atrium Sacerdotum niſi ad impoſitionem manuum, ad mactationem, & ad elevationem, ſeu oblationem.* Hoc (inquit Villalpandus) intelligendum eſt de portis Meridiana & Aquilonari atrii Sacerdotum, quòd in his tria illa perficiebantur; imponebantur enim offerentium manus victimarum capitibus, quarum iidem mactationi aſtabant, ac tandem quum Deo offerebantur; propterea nunquam neque ad portas licebat populo propius ad Sacerdotes accedere.

CAP. LXX. V. 15. *Cúmque compleſſet menſuras domûs interioris*] i. (inquit Kimhi) Atriorum & Gazophylaciorum: nam hæc omnia ſunt ad uſum domus interioris, quod eſt Templum. *Eduxit me*] Extra murum montis domus. *Per viam portæ Orientalis*] Hæc eſt porta montis domûs Orientalis cujus prius fecerat mentionem in principio. *Et menſus eſt eam undique per circuitum*] h. e. Menſus eſt Domum in qua erat porta, in circuitu ad quatuor ventos. V. 16. *Menſus eſt contra ventum Orientalem &c.* ad finem capitis] Difficilis plane textus tum propter lectiones varias, tum propter multiplices Interpretum ſententias ſecum invicem pugnantes. Non facilè autem conſtare poterit de re quæ hac menſura definitur, quin priùs conſtet an calamis dimenſa ſit an verò cubitis. Secundùm Heb. textum v. 16, 17, 18, 19. diſerta ſit mentio calamorum, atque ſic Vulg. juxta Heb. Verſu autem 20. ſubticetur in Heb. nomen menſuræ, neque dicitur an calami fuerint an verò cubiti. Vulg. hìc ſupplet vocem *cubitorum*, idque ex LXX, qui ubique omnibus hiſce verſiculis nomen habent *cubitorum*. Sed Hieron. in Com. agnoſcit ſe per incogitantiam inſulſiſſe vocem *Cubitorum*, monétque *calamorum* vocem eſſe potiùs ſupplendam. *Illud*, inquit, *quod per ſimplicitatem interpretationis dum parùm attendimus celeritate dictandi & LXX habent & noſtra Tranſlatio, Murum ejus undique per circuitum longitudine 500 cubitorum & latitudine 500 cubitorum Hebr. ſermo non continet, ſed ſimpliciter longitudinem 500 & latitudinem 500 ut ſubaudiatur Calamorum.* Villalpandus mordicus Vulg. adhærens utramque menſuram hîc admittit & Calamorum & Cubitorum; & quod modeſtè fatetur Hieronymus per ſimplicitatem incurriſſe, Deo interpretis calamum bene diſponente factum fuiſſe arbitrabimur (inquit Villalpandus) atque eò magis quò minus in eo addendo appareat interpretis ſtudium vel induſtria. Rem autem ſic expedit Villalpandus, ut ſc. duplicis muri, vel rei cujuſpiam menſura hîc notetur. Prima, à v. 15 ad 19 quæ 500 calamorum fuiſſe deprehenditur; Altera, v. 20 quæ cubitis 500 definitur. Atque his 500 cubitis dicit definiri atrium Iſraelis, quod totidem latum & longum erat cubitis, utì videre eſt in primo Veſtigio univerſali, ſicque breviter menſura iſta colligitur. In media Templi area menſus eſt Angelus Atrii interioris quadratam aream 100 cubitorum, & huic areæ pares duas alias, alteram à Meridie, ab Aquilone alteram. Hujuſmodi areæ quaternis clauduntur portis quinque cubitos longis, quanta eſt latitudo porticuum in quibus aperiuntur, qui omnes numeri in unum collecti 500 complent. Totidem pares areæ & pares totidem porticus ab Oriente in Occidentem computantur, ut ex omnibus certa conſtare poſſit menſura muri 500. cubitorum. Ad 500 autem calamos quod attinet, alii, inquit, deſcribi putant menſuram muri exterioris totum ædificium claudentis, inter quos ſunt Lyra & Jarhi: Sed quomodo murus ejus menſuræ ſit non ſunt auſi ſtatuere. Alii urbis mœnia hîc deſcribi cenſuerunt; ſed alibi, inquit Villalpandus, oſtendi urbis murum 20 M. cubitorum cingi non duodenis. Nullam urbis partem reperi quæ hujuſmodi cubitorum numero ambiatur, exceptâ ſuperiore civitate monti Sion inſidente, quæ huic menſuræ proxima eſt, quanquam ſtadiis 33 definit Joſephus. Stadium porrò cubitis 400 conſtat, quòd ſi hos numeros invicem multiplices, invenies 13200 cubitos, non vero 12500 quos efficiunt bis mille calami quaterquingenti. Itaque his rejectis ſententiis ſtatuit ex Clarii & Rabbinorum ſententia definiri hac menſurâ peribolum exteriorem cujus altitudinem & latitudinem menſuravit Angelus unius calami initio c. 40 cujus jam non latera ſingula ſed univerſum ambitum per 4 latera Angelus definit eſſe 500 calamorum. Atque hunc quidem murum (inquit Villalpandus) menſus eſt Angelus circum-circa quater, à variis incipiens ventis, ac ſemper reperit calamos 500 quod indicare videtur illud verbum quod ſemper additur, *Menſus eſt autem* &c. *per circuitum* quod in omnibus menſuris repetitur. Atque hîc admirabile quoddam hac ipſa dicendi forma indicatur Eccleſiæ Chriſti Sacramentum; tanto enim majus eſt ac latius hoc Templum antiquo illo, quantò longior eſt uno illius latere totus ambitus. Neque mirandum quòd quæ de novo hoc Templo Propheticè hîc dicuntur, ab aliquibus interpretibus quaſi de urbe dicta exponantur, ab aliis quaſi de Templo, cùm qui hanc novam vidit in viſione civitatem Johannes Apoc. 21 & 22, *Templum*, inquit, *non vidi in ea*, tota enim civitas Templum quoddam eſt. Periboli ergo hujus ſingulis lateribus aſſignat Villalpandus 125 calamos quos ſic colligit, Murus Iſrael longus eſt 500 cubitos, ſive 80 calamos, his adde 8 calamos utrimque Atrii Gentium, ſeptenos porticûs Gentium, & utrimque ſenos viæ, & ſingulos utrimque latitudinis periboli, & unum demum cubitum utrimque dimidium, quoniam à perpendiculi muro projicitur ſubſtructionis murus, fient omnes ſimul calami 125 qui quater ſumpti efficiunt calamos in univerſum 500.

Ad Villalpandi explicationem hujus 16 verſûs L.C. Obſervatio.

Locus in quo explicando hîc ſudat & laborat Villalpandus lubricus eſt, ac propterea quæ illius falſæ interpretationi ſuperſtruit ultrò ruunt, nullo (utì mox oſtendetur) ſubnixa fundamento. Totum, inquam, Atrium Gentium, ejúſque Porticus, unà cum via Porticibus illis circumpoſita, & peribolo viam illam cingente, quia falſâ hujus loci intelligentiâ atque interpunctione nituntur, ſponte ruunt, demonſtratâ loci hujus, quem Villalpandus affert, interpretatione falſâ. Vult ergò Villalpandus duo hîc ab Angelo diverſa ædificia menſurari, nimirum I. Atrium Iſraelis v. 20, quod longum & latum fuit 500 cubitos, uti habet eo loco autor Vulg. verſ. ſecutus LXX Interp. II. Peribolum extimum in ſumma crepidine murorum ſubſtructionis extructum quo via, quæ Porticus & Atrium Gentium ambiebat, claudebatur, nequis inde in ſubjectas profundas valles decideret, quem peribolum Villalpandus vult fuiſſe per ſingula latera longum 125 calamos, qui quater multiplicati conficiunt 500 calamos, qui in Hebr. textu habentur v. 16, 17, 18, 19. Vult enim Angelum quater commenſuraſſe totum illum peribolum. Atque ſic putat ſe pulchrè inveniſſe rationem conciliandi diverſam lectionem quæ in hoc Ezechielis loco occurrit. Hebraicus enim textus, eúmque ſecutus Hieronymus, in quatuor prioribus verſiculis habet *calamos*, in ultimo autem verſu tum LXX tum Vulg. habent *cubitos* non verò *calamos*. Et quamvis Hieronymus in Comment. agnoſcat ſe per incogitantiam ex nimia feſtinatione ortam ſcripſiſſe v. ult. *cubitos* pro *calamis*, mavult hîc Villalpandus Divinam agnoſcere providentiam, quæ vel incogitantem impulit Hieronymum, ut ſic dictaret, quàm ab humano & ratione ſuâ utente ſpiritu. Sed primo planum eſt ex ipſo textûs hujus Ezechielis intuitu, de una eadémque re, cujus menſuræ hîc traduntur, agi; unum, inquam, idémque ædificium menſurari cui per ſingula latera tribuuntur quingenti ſive cubiti ſive calami, nam de utra menſura ſint intelligenda Ezechielis verba mox dicetur. Etenim poſtquam v. 16, 17, 18, 19. ſigillatim ſingula latera ædificii illius (de quo v. 15 dixerat מדדו סביב סביב *metitus eſt illud circumquaq;*) dimetiendo dixit fuiſſe quingentos ſive cubitos ſive calamos longa, v. 20 de eodem ædificio collectim dicit, *Metitus eſt illius murum per quatuor latera circumquaque longitudine quingentorum & latitudine quingentorum.* Ubi in Hebr. eſt ἓν διὰ δυοῖν nam quod verbum verbo eſt, *Metitus eſt illud per quatuor latera, murus illi circumquaque &c.* Latinè eſt, *Metitus eſt illius murum, per quatuor latera circumquaque.* Unde planum eſt toto eo textu agi de uno eodèmque ædificio non de duobus, atque unam indicari ejus menſuram; utrum autem cubiti an calami ſint illa menſura hoc eſt quod jam quæritur. Deinde planum eſt ex eodem textu Angelum quatuor ædificii illius latera menſuraſſe, & ſingula inveniſſe longa quingentos, ſive cubitos ſive calamos; at non liquet eum quater totum ædificium ambiendo quater commenſuraſſe; merum iſtud eſt Villalpandi commentum, cujus nullum neque vola neque veſtigium eſt in verbis Ezechielis. Nam quid opus fuit Angelum quater totum ædificium circuire, & circumeundo quater menſurare? Annon ſatis fuit ſingula latera ſemel menſurare, quæ quoniam erant omnia æqualis ejuſdemque menſuræ, totum ædificii ambitum ex quatuor laterum menſura licuit colligere. Denique certum eſt ex Joſepho (ex quo ipſe Villalpandus id aſſumit) Salomonem ut atrium Templi in ſupremo montis Moriæ jugo poſitum laxaret, extructo ab ipſis montis radicibus ad ſupremum uſque collem muro craſſiſſimo 300 cubitos alto, totum montem quatuor ex partibus cinxiſſe, cui muro quatuor porticus paris cum eo longitudinis ſunt impoſitæ, quæ duabus ſaltem ex partibus profundis vallibus montem cingentibus imminebant, niſi quòd ab una parte collis verſùs urbem leniter erat declivis, ita ut ab ea parte aſcenſus ex urbe in Templum & deſcenſus ex urbe in Templum facilis eſſet. Ex eodem Joſepho conſtat porticus illas ſingulas fuiſſe ſtadium unum longas, utì videre eſt in deſcriptione Templi Jeroſolymitani, quam in Hiſtoria noſtra Apoſtolica ex Joſepho exhibuimus. Stadium autem eſt 125 paſſus Geometricos longum, nam octo ſtadia faciunt miliare, h. e. mille paſſus Geometricos. Paſſus autem Geometrici 125 pedes conficiunt 625 qui cubitos æquant 416. Ab uno ergo muri illius excelſi angulo ad alium angulum ſecundùm Joſephum non ſunt fere niſi 416 cubiti. Sed ſimus liberaliores. Demus fuiſſe 500 cubitos, quot nimirum Ezechiel hîc dat Atrio exteriori, quod Villalpandus vocat atrium Iſraelis, quot itidem poſt Ezechielem Judæi in Tract. Middoth dant toti monti Domûs. Demus, inquam, Joſephum vocabulum *ſtadium* paulò laxiùs uſurpaſſe, & 500 cubitorum longitudinem Stadium dixiſſe, certum eſt ſecundùm eum non longiùs ſeſe extendiſſe murum illum excelſiſſimum quo undique cingebatur mons Domûs, ſeu collis Moria, cui Templum fuit impoſitum. Cùm itaque Villalpandi atrium Gentium unà cum via & peribolo quæ illud ambiunt ſint atrio Iſraelis circumpoſita & extra menſuram illam 500 cubitorum muri ambientis collem, neceſſe eſt illa corruere utpote nullo ſubnixa fundamento, niſi velimus fingere ea fuiſſe in aere ſuſpenſa. Dicamus ergo totum collis Moriæ ſummo jugo impoſitum ædificium fuiſſe duntaxat 500 cubitos longum & latum, ejuſdem nimirum magnitudinis cujus Villalpandus vult fuiſſe atrium Iſraelis, ac proinde in Templo Salomonico vel nullum fuiſſe atrium Gentium (cujus etiam in Scriptura V. Teſtamenti nulla eſt neque vola neque veſtigium) vel ſiquid fuit diſtinctum ab atrio Iſraelis, neceſſe eſt atrium illud Gentium fuiſſe quatuor illas porticus longiſſimas, quæ in Ichnographia univerſali Villalpandi protenduntur ab uno atrii Iſraelis angulo ad alium angulum, in quarum tribus, Orientali nimirum, Meridionali & Aquilonari aperiuntur tres portæ exteriores. Atrium autem Iſraelis fuerit in reliquis porticibus & areis uſque ad atrium Sacerdotum, ſepto, ſeu humili lorica, ab ipſo diſtinctum. Et ſane diſpoſitio Templi Herodiani (uti à Joſepho deſcribitur) id omnino poſtulare videtur. Sed ſic neceſſe fuit Porticus illas longiores ſepto alio ſeu lorica (ſimili illi quâ Atrium Sacerdotum ab Atrio populi diſtinguebatur) eſſe ſeparatas undequaque in circuitu à reliquis Porticibus & Areis (uti nos loricam illam in Veſtigio univerſali Villalpandi ſignavimus, ab eo non ſignatam) nè Gentiles cum Iſraelitis mundis miſcerentur. Sic enim Gentiles per portas exteriores ingreſſi in aream illis proximam, levi ad dextram vel ſiniſtram flexu, Porticus illas ſuas ſubire potuerunt per ſpatia ſub fornicibus poſtium aperta utrique portarum lateri proxima. Iſraelitæ autem per eaſdem portas ingreſſi in reliquas Porticus & Areas ſeſe effundere potuerunt uſque ad Atrium Sacerdotum. Sed ſi ita ſe res habet (utì neceſſe videtur illam ſe habere) quid fiet iſti Ezechielis loco, in quo ſecundùm Hebraicum textum, & veterem Vulg. Interp. ſingula quatuor ædificii, quod ab Angelo menſuratur, latera dicuntur eſſe 500 calamos, non verò cubitos, longa? Sanè tam adverſantur illa Ezechielis verba (ſi ſincera ſunt) Villalpandi ſententiæ quàm noſtræ. Villalpandus enim peribolum (quem putat hîc ab Angelo menſurari) facit per ſingula latera 125 duntaxat, non verò 500 calamos longum. Nam lepidum ejus commentum, quo fingit non ſingula latera, ſed totum ædificii illius ambitum quingentis illis calamis definiri ab Angelo, non moramur, cùm repugnet certiſſimæ, (quámque Villalpandus ipſe agnoſcit) à Joſepho traditæ menſuræ muri quo totũ Templum quatuor ex partibus ambiebatur. Alia ergo conciliandi & explicandi hunc Ezechielis locum ratio ineunda eſt. Nempe in hodierno textu Hebr. vitium omnino hîc eſſe videtur & pro קנים legendum אמות, quomodo planum eſt legiſſe olim LXX Interp. (quorum lectio hoc in loco hodierna Hebr. videtur melior) nam non vocem καλάμους ſed πήχεις duntaxat habent, quam adhibent in dimenſione lateris Septentrionalis, in reliquis tribus omittunt, quod ea facilè ex præcedenti ſuppleri ac ſubaudiri poſſet. V. autem 20 ubi textus Hebr. nomen menſuræ bis omittit, LXX ſemel tantùm omittunt, in altero nomen *cubiti* adhibent; ſic enim illi πεντακοσίων πρὸς ἀνατολὰς, καὶ πεντακοσίων πηχῶν εὖρος, quos (uti modò à nobis notatum eſt) ſecutus eſt hac in parte Hieronymus, *longitudinem 500 cubitorum, & latitudinem 500 cubitorum.* Nam quòd in Comment. ſeipſum corrigit, & per incogitantiam ac præcipitationem ſe erraſſe agnoſcit, id fecit non (uti vult Villalpandus) ex ἐνθεσιασμῷ, ſed quia v. 16, 17, 18, 19 ſingula latera juxta Hebr. lectionem fecerat longa 500 calamos. Nè ergo videretur ipſe ſibi contradicere, monet in Commentario ſe per incogitantiam erraſſe, & Calamos non Cubitos eſſe intelligendos; interim revera LXX Interpretum lectionem in ſua tranſlatione eo loco ſecutus erat. Quin & lectionis veteris atque adeo melioris, quâ אמות pro קנים olim lectum eſt, veſtigium aliquod non obſcurum supereſt etiam in hodierno textu Hebræo. Nam v. 16 ſic legitur, Menſus eſt latus Orientale calamo menſuræ חמש אמות קנים quæ lectio eſt nihili & plane abſurda: quid enim illud eſt *quinque cubitos calamorum.* Maſſorethæ per Keri marginale legi volunt מאות pro אמות per literarum metatheſin, quæ alibi non eſt infrequens. Sed videtur potiùs omiſſum eſſe per Librarii incuriam מאות & ejuſdem temeritate additum eſſe קנים, quòd ſatis viderit menſuram quinque cubitorum iſti loco non congruere; putavit ergo ſed falſò *calamos* potiùs hîc eſſe intelligendos quàm *cubitos*. Omnino ergo vera & antiqua ac maximè germana verſiculi hujus 16 lectio hæc videtur eſſe חמש מאות אמות, h. e. *quingenti cubiti*. In reliquis tribus ſequentibus verſiculis quia deerat vox אמות ac ſimpliciter legebatur חמש מאות ſubaudito nomine menſuræ ex v. præcedenti (quomodo c. 46. 2. bis omittitur ac ſubintelligitur vox אמות) temeritate Librarii addita illis eſt vox קנים. Et quia v. 16. deerat in cod. ſuo vox מאות, putavit אמות poſitum illic eſſe pro מאות, ídque notavit in margine per Keri, & ab eodem addita eſt vox קנים quòd exiſtimaret de calamis non de cubitis iſtic agi, quod & ab eo factum in tribus reliquis verſiculis. In ultimo autem verſu capitis non addidit, quia exiſtimavit eam vocem ſatis ex præcedentibus ſubintelligi. LXX verò ubique exiſtimarunt (& noſtro quidem judicio verè) agi de cubitis non verò de calamis, ideo nunquam καλάμους adhibent, bis voce πήχεις utuntur, in reliquis verſiculis eam ſubintelligi volentes. Et ſanè Judæi non aliunde quàm ex hoc Ezechielis loco Montis Domûs (h. e. totius collis & Templi ipſi inædificati ambitus) longitudinem & latitudinem ſtatuunt eſſe 500 cubitorum. Unde planum eſt eos exiſtimare Ezechielem menſurâ iſta 500 cubitorum definire ſingula latera totius ædificii ſummo collis jugo inædificati, ac proinde nihil eſſe potuiſſe ædificio illi circumpoſitum, niſi velimus illud fuiſſe in aere ſuſpenſum: quod & ipſum modo oſtendimus ex Joſephi menſuris atque deſcriptione. Quòd ſi quis nolit hodiernam ſolicitare lectionem Hebraicam, tum erunt iſta Ezechielis verba non propriè accipienda de Salomonico ædificio, quaſi in materiali Salomonis Templo fuerit, vel murus vel aliquid aliud ædificium 500 calamos per ſingula latera in quadrum longum & latum; nihil enim tale in eo fuit aut eſſe potuit, fatente etiam ipſo Villalpando: ſed erunt iſta ad τυπωθὲν, Chriſti nimirum Eccleſiam (cujus typus quidam fuit illa Templi deſcriptio) referenda ut eo ſignificetur Eccleſiam Chriſtianam quæ ex Gentibus erat extruenda, futuram tantò majorem & ampliorem Judaicâ (quæ per Atrium Iſraelis repræſentabatur) quantò quadratum (aut verò cubus) cujus latera ſingula ſunt 500 calamos longa, majus & amplius eſt eo cujus ſingula ſunt 500 cubitos duntaxat longa, h. e. triceſies ſepties ſi quadratum, aut ſi cubus ſit quadringenties bis & triceſies. Et ſanè Apoc. 21. 16. Nova Jeruſalem proponitur nobis tanquam cubica, cujus longitudo, latitudo & altitudo ſit æqualis; amplitudo autem ejus ſignificatur, quum ea iſtic dicitur eſſe 12 M. ſtadiorum,

diorum; nam vetus mons Sion habuit in circuitu 12 tantùm ſtadia. Ita nihil opus fuerit lepido Villalpandi commento de Peribolo quater dimenſo, neque cum eo fingendum erit in Templo Salomonieo fuiſſe Atrium Gentium Atrio Iſraelis circumpoſitum, quod in aere fuerit ſuſpenſum, aut Democritico inani & vacuo inædificatum.]

Ad CAP. XLVI. EZECHIELIS V. 19.

Introduxit me per ingreſſum &c.] Portæ meminit ad quam iterum ductus ſuprà fuerat Propheta noſter Atrii interioris. *Et erat ibi locus vergens ad Aquilonem.* Chald. *erat ibi locus in fine eorum ad Occidentem.* Porticus Aquilonaris Templo adverſa planè deſcribitur, ut c. præcedenti oſtenditur, quæ in duplicia cubicula diſtributa eſt, interjacente mediâ ambulatione. Et ex hoc duplici cœnaculorum ordine, alter in Atrium proſpicit exterius ad Aquilonem, alter in interius ad Auſtrum, & de hoc quidem ſermo eſt Prophetæ, illius fit nulla mentio. Rurſus cùm inferior porticus ſeptenis interjacentibus poſtibus in 8 fornices diſtributa ſit, ſuperior certè porticus in totidem cubicula partita eſſe neceſſario eſt intelligenda. Et ex illis octo cubiculis primum quod ad Orientem ſitum eſt ſcalis totum impeditur, ſex media ad veſcendas ſacras carnes deputabantur, extremum quod ad Occidentem tam accurratè à Propheta deſcribitur, ut non ſolùm de ipſo conſtet, ſed & alia multa propter ipſum perſpecta eſſe videantur. V. 21. *Atriolum erat in angulo atrii*] *Atrio* & *atriolo* eadem vox datur in Hebr. tamen ipſa ratio & menſura movit LXX ut *atria parva* converterent, quomodo imitatus Vulg. *atriola* ſcripſit. Atriolum autem narrat primum quod Angelo duce ingreſſus eſt, de reliquis mox ſubdens, *Atriola ſingula per angulos Atrii* ſingulos. V. 22. *In quatuor angulis atrii atriola diſpoſita*] Hebr. קטורות. Vox eſt Syriaca quæ *colligata*, conjuncta ſignificat ab Hebr. קשר ſic dicta atriola illa quia porticus inter ea ordine diſpoſitæ angulares iſtas culinas ſive atriola colligabant, atque hoc ipſum infrà perpetuo pariete factum eſſe non indicabit modò ſed expreſſè teſtabitur Propheta. Alii ad קטר revocant quæ *ſuffumigare* ſignificat, q. d. atriola fumoſa, quòd ex his culinis fumus efflaret perpetuò. Obſervátque ex Vitruvio & Philandro Villalpandus antiquorum ædificia in quibus nulla ſunt veſtigia, argumento eſſe cubicula & conclavia non habuiſſe ſpiracula quà fumus exiret, quæ camini vulgò dicuntur, Gall. *chaminees.* Quod in eam inducit me (inquit Villalpandus) ſententiam ut exiſtimem eaſdem culinarum feneſtras & lumini ſuſcipiendo deſervire conſueviſſe, & fumo emittendo. Atque in hac noſtra ſententia nos confirmat, quòd in ipſa fabrica vix invenire poſſimus ſpatium aliquod in quo poſſent fumi ſpiramenta aperiri, quin aut feneſtris obeſſent aut poſtium firmitati. V. 23. *Paries per circuitum* &c.] Heb. טור, LXX *exedræ.* Aquila σιβάδας. Symm. περιφράγματα. Hieronymus, *Quæ quatuor atriola vel unus paries ambiebat, & fabricatæ erant culinæ ſubter porticus per gyrum, vel propinqua habebant accubita* (σιβάδας) *ut ubi cibi ibi & menſarum præparatio.* Illud verò à LXX Int. indicatur, quòd facilè poſſet quivis conjicere prope culinas fuiſſe exedras ſive cubicula ad comedendas carnes coctas diſpoſita; ſic enim conſummari videbatur ſacrificium abſumptis carnibus. Refert deinde Villalpandus Jonathæ & Rabbinorum ſententiam, qui locum iſtum accipiunt de foculis culinarum, quibus cacabi, lebetes & caldariæ ad coquendas carnes imponebantur & diſponebantur, quos foculos unà cum lebetibus & caldariis voce Hebraicâ ſignificari poſſe putat מבשלות à בשל, & utroque modo à Kimhi exponitur.

ALTARE ÆNEUM.

Excerpta ex Villalpando ad Ezechielis c. 43. 13 l. 4. c. 17.

In ſinu ejus erat cubitus] Heb. חיק *ſinum*, ſignificat anteriorem hominis partem veſtíſque quæ ſinuoſa eſt, inde per analogiam quæ anteriora ſunt & interiora; hîc *foveam, caveam* labiis prominentibus circumſcriptam, quòd cavea ſit quaſi laxioris veſtimenti plica, concava & profunda. Ergo *ſinus* hîc cavea eſt in marmoreo pavimento exciſa altare cingens, cubito uno alta & altero lata, in quam fundebatur victimarum ſanguis, conducebatúrque per ſubterraneos cuniculos in torrentem. Hujus foſſæ locum cum Chald. Hebræi ſignificant, *fundamentum* pro *ſinu* interpretantes. *Definitio ejus uſque ad labium ejus* &c.] Heb. גבול terminus eſt *ſepes, clauſura, corona,* quæ definit ſpatium quo aliquid diſtenditur. אל hîc valet *per,* hoc ſenſu, *corona ejus per labium foſſæ procurrens* circumcirca erat palmi unius. LXX γεῖσον reddiderunt. *Palmus unus*] Heb. זרת, LXX σπιθάμη, h. e. palmus major, qui continet ternos palmos ſive 12 digitos, h. e. ſemicubitus. Atque tantæ altitudinis erat corona ænea, quæ Altaris foveam muniebat, & exornabat extrinſecus. Hanc coronam ſimilem reliquis Templi peribolis fecimus, interjectis arulis diſtinctam ſivè ſtylobatis quos æquè longos, latos & altos facimus ſemicubitum. Uſus fuit nè incauti in foveam ad Altare accedentes caderent. *Hæc quoque erat foſſa Altaris*] Hebr. גב ſignificat *altitudinem,* & ſic LXX. τὸ ὕψος. At Hier. *foſſa,* videtúrque legiſſe גב, quæ vox *foveam* ſignificat, *lacunam* 1 Reg. 6. Itaque ſecundum Vulg. hæc eſt recapitulatio dictorum, q. d. *Hujuſmodi itaque erat foſſa Altaris,* ſc. ſemicylindri excavati forma; neque enim angulos habebat in interiori parte, nè hæreret ſanguis in angulis. V. 14. *Et de ſinu terræ uſque ad crepidinem noviſſimam duo cubiti*] Notanter dixit *terræ* quòd ſinus non erat extra pavimentum, ſed terræ immerſus, & ab ejus labio ſuperiore uſque ad crepidinem numerat duos altitudinis cubitos. Hebr. עזרה (à radice עזר *juvare, fulcire, ſuſtentare*) ſignificat non *atrium* (ut multi tranſtulerunt) ſed *fulcrum, podium* cui innititur ædificium, quódque ſuſtinet ejus pondus. Vulg. vocat *crepidinem,* meritò. Crepido autem duplex erat, inferior & ſuperior; de inferiori hîc eſt ſermo. *Et latitudo cubiti unius*] Erat podium altum duos cubitos à pavimento Templi, ubi contrahebatur introrſum, & gradum faciebat latum cubito uno. *Et à crepidine minore uſque ad majorem* &c.] *Majorem* vocat ſecundam, non quidem latitudine ſed altitudine, quia infima duos tantùm, ſuperior quatuor cubitos eminebat.

CAP. LXXVI. V. 15. *Ipſe autem Ariel*] Heb. הר אל ſignificat *montem Dei* i. Deo dicatum, quo nomine appellatur tumulus ille elegans in medio Atrio interiori erectus ſupra baſim duplicem altitudine cubitorum 4. Kimhi, *Mons Dei, i. domus Dei, nam in omni loco ſerviebant diis alienis ſuper montibus excelſis, hic autem mons non habebat niſi altitudinem 4 cubitorum. Dicunt autem Rabbini Altare* אריאל, *quia ignis ſanctus deſcendens de cœlis excubabat in eo tanquam leo,* vel (*ut alii exponunt*) *quòd victimarum ſanguine perpetuo maderet, haud ſecus quàm prædam diſcerpens leo.* Quòd verò leonis nomine veluti proprio Altare cenſeretur, leoninis Cherubinorum imaginibus angulos exornavimus, quòd Altare non ſecus quam reliqua Templi inſtrumenta arbitraremur Cherubinorum formis fuiſſe exornatum; quod ad mores eorum componendos ſpectare videtur, quibus aut munere aut Legis præſcripto incumbebat ſacrificare, quos omnes ob oculos habere oportuit, Deum in Altari colendum leoni eſſe ſimile qui in elatos & ſuperbos ſæviat, maxime injuriis laceſſitus, contrà humilibus parcat & deprecantibus. *Et ab Ariel uſque* &c.] In Bibliis Heb. *Ariel* aliis literis ſcribitur, quàm in priori verſûs parte; ibi enim eſt הראל, i. *mons Dei,* hîc verò eſt אראיל, quæ vox ſecundùm Leonem de Caſtro (cujus ſententiam exagitat Villalpandus) coaleſcit ex אר (ab ארר) quaſi *maledictio, execratio,* & ex איל quæ ſonat *arietem,* q. d. *maledictionis aries.* Quid autem ſit malidictionis aries ex Gen. 22. 13. & Lev. 5. explicat, de Chriſto Jeſu intelligens. Ei opponit Hieronymum, *Ariel, ut plerique exiſtimant, interpretatur Lux mea Deus, ut autem ego arbitror, Leo, vel, fortis. Dei, quòd nomen propriè refertur ad Altare, in quo vel illuminatio Dei eſt, vel leo & fortitudo ejus, dicente Jacob ad Judam, Catulus leonis Juda.* Ac nequis putet in univerſis Bibliis Heb. legi אראיל ſciat Hieronymum legiſſe אריאל & interpretatum eſſe *leonem Dei.* Item codices quibus uſi ſunt qui Complut. Biblia excuderunt. Citat præterea Villalpandus duos codd. Mſs. Hebraicos vetuſtiſſimos in quibus ſcribitur אריאל cum Jod poſt Reſch. Et Eſai. 29. 1. Væ Ariel, Ariel, ſcribitur אריאל. Ariel ergo dictum eſt Altare, h. e. *leo Dei,* quòd quaſi Leo victimarum prædam diſcerptam voraret & conſumeret. Item Arielis nomine Altare cenſeri conſtans eſt Scriptorum ſententia, ídque etiam quia formâ & diſpoſitione leonem referret, leonina enim crura habebat pro pedibus; unde manaſſe exiſtimo quod in veterum aris pedes & leonini ungues effingerentur.

CAP. LXXVII. *Cornua quatuor*] Quoniam inſtrumenta omnia Salomonici Templi Cherubinorum referta erant formis, ut poterant, Altare quoque bovillam faciem cum leonina repræſentabat, hanc pedibus illam verò cornibus, niſi malis vitulorum cornua geſtaſſe, quaſi trophæa factæ prædæ. Hinc fortè factum quòd veteres Architecti frontes ſacrarum ædium taurorum craniis exornare ſoliti ſunt, quaſi ſacrificiorum trophæis & inſignibus. V. 16. *Et Ariel 12 cubitorum*] Ariel vocatur ipſum Altaris corpus baſi duplici ſuperpoſitum, cujus longitudinem latitudini parem dicit eſſe 12 cubitorum. V. *Et crepido 14 cubitorum* &c.] h. e. patebat tum in longitudine tum in latitudine ab angulo in angulum oppoſitum cubitos 14 nempe quia baſis ſeu crepido in ſingulis lateribus extabat ſingulis cubitis extra Arielis perpendiculum. Ac pari ratione inferior quæ propterea 16 cubitos lata erat totidémque longa. *Et corona in circuitu ejus dimidii cubiti*] Prætermiſſâ crepidinis ſeu podii inferioris dimenſione quòd ex ſuprà dictis pateret, gradum facit ad coronam ſive projecturam crepidinis tum ſuperioris tum inferioris, illámque ſemicubito extitiſſe ultra perpendiculum crepidinis teſtatur. Vocatur autem גבול, quæ vox in genere *terminum* ſignificat, & ſuprà à Vulg. reddita eſt *definitio,* hîc verò *corona,* quâ crepidinis coronicen indicari conſtituo. Nam præterquam quòd ipſa ſtructuræ ratio non permitteret ſimplices illas Altaris crepidines, neque ipſum Altare hujuſmodi ornamentis carere, eam etiam exigunt Altaris menſuræ mox explicandæ. Ergo crepidinis coronicen ſupernè (cui infernè reſpondet ejus projectura, quæ coronici ſolet ſemper eſſe æqualis) arbitramur hîc dimidio cubito definiri. Et quod de altera crepidine dixit Propheta, ratio ſuadet idem de utraque eſſe ſentiendum. Sed neque ab ipſa Vulg. & aliis Interp. diſſidet ut Altaris ſupremam etiam coronam hîc intelligamus dimidio cubito definiri, cujus rei gratiâ, & quòd ad Altaris dignitatem & pulchritudinem conducere videretur coronam inter cornua finximus illarum ſimilem quibus Gentes ſua Altaria coronabant, quarum non paucas videre Romæ licuit. Altaris Menſuræ. Altitudo. Infima crepido 2 cub. ſecunda crepido 4 cub. Ariel 4 cub. Summ. 10 cub. Longitudo. Ariel longum latum 12 cubitos. Summa crepido quæ illi ſubſtat 14. cub. Projectura coronicis ipſius, utrinque $\frac{1}{2}$ cub. Itaque ab extremo projecturæ ad alterius extremum 15 cubit. Inferior crepido 16 cubit. Coronicis ipſius projectura $\frac{1}{2}$ cub. Itaque omnis inferioris crepidinis longitudo cum projecturis coronarum eſt cubitorum 17. Adde ſingulos utrinque cubitos, quos lata eſt foſſa Altaris, fient 19 cub. Adde $\frac{1}{2}$ cubitum utrinque pro peribolo, ſic fiunt omnes longitudinis Altaris in univerſum cubiti 20. cúmque Altare quadratum ſit idem ipſum de latitudine dicendum eſt. Quod confirmatur teſtimonio 2 Paral. 4. 1. *Fecit quoque Salomon altare æneum longitudinis 20 cubitorum, & latitudinis 20 cubitorum, & 10 cubitorum altitudinis. Et ſinus ejus unius cubiti per circuitum*] Repetit menſuram caveæ quam initio executus fuerat, ipſius latitudinem finiens uno cubito, vix autem ac ne vix quidem univerſi Altaris latitudo aut longitudo colligi poſſet, niſi foveæ latitudo comprehenderetur, nec minus neceſſaria ad prædictam menſuram retractio illa crepidinum.

CAP. LXXVIII. *Gradus autem ejus verſi ad Orientem*] Negotium faceſſit hæc graduum commemoratio; cautum enim erat Legis præſcripto in Exodo, *Non aſcendes per gradus ad Altare meum ne reveletur turpitudo tua.* Atque hîc varias variorum Interpp. adfert Villalpandus ſententias, qui conantur hanc ἐναντιοφάνειαν conciliare. Et primò eorum qui omnia quæ ab Ezechiele proponuntur, ita revocant ad myſticos ſenſus ut nihil habeant literale & cum Salomonicis fabricis commune. Quam rejicit primo, quia falſa eſt hæc eorum hypotheſis, nam eadem eſt hîc Altaris menſura quæ Salomonici 2 Par. 4. 1. Secundo, quia etiam ad Moſaicum Altare opus fuit gradibus 3 Hieronymus agnoſcit hoc Altare cum Moſaico conferri poſſe. Secunda eſt eorum qui locum Exodi intelligendum dicunt de Altari quod ex terra vel lapidibus conſtruitur, ubi gradus ipſi coædificati ad Altare pertinebant, non verò de Altari quod ex tabulis conſtabat æneis, quale erat Moſaicum, cui tanquam nimis alto ad horam miniſtrationis aliquid apponebatur in quo ſtaret Miniſter, quod impletâ miniſtratione tollebatur; quam rejicit ideo quia non ſatisfacit illis verbis Legis, *nè reveletur turpitudo tua.* Tertia Rabbinorum & Joſephi qui aſcenſum ad Altare dicunt fuiſſe leniter acclivem inſtar pontis non gradibus diſtinctum; quam eadem de cauſa rejicit, quia utrobique idem revelandæ nuditatis periculum. Quod autem Joſephus cum Rabbinis collocat aſcenſum iſtum non ab Oriente (uti hîc monet Propheta) ſed ab Auſtro, hujus rei nullam (inquit Villalpandus) videre poſſum rationem, propter quam ab antiqua conſuetudine deflexerint, niſi fortè quadam ducti religionis ſpecie poſtliminio reverſi Iſraelitæ, ne cogerentur ab Altari deſcendentes Templo terga vertere. Ad quam obſervationem duci potuerunt Domini præcepto Ezech. 46. 9. Quam negat ſufficientem quia Principi licebat eâdem viâ regredi quâ ingreſſus erat v. 8. proinde multò magis Sacerdotibus in quibus major ſanctitas ac religionis obſervantia requiritur, quàm in ſæculari Principe. [L. Capelli obſervatio. Atqui tamen ipſe Villalpandus in lorica ſeu peribolo quo Atrium ſacerdotum ab Atrio Templi ſeparat geminum conſtituit oſtium in hunc finem ut Sacerdotes in templum ingreſſuri per unum ex illis oſtiolis ingrederentur per alterum verò egrederentur, nè tergum Templo inter exeundum obverterent.] Itaque rejectis illis conciliandi τὸ ἐναντιοφανὲς rationibus, Villalpandus aliam init atque ſequitur, nempe interdicto illo de gradibus ad Altare videri Deum non ipſos gradus aut aſcenſum ipſum per gradus ad Altare, ſed nefarium quoddam Idololatriæ genus prohibere. Atque hîc multa affert de Priapo, phallis & turpitudine ſacrorum Gentilium, in quibus multa flagitia & publicam atque manifeſtam ſcortationem admittebant ſumma cum impudentia. Cujus (inquit Villalpandus) immaniſſimæ turpitudinis uſum ab Altari ſuo quàm longiſſimè removere cùm vellet Deus, *Non aſcendes*, inquit, *per gradus altare meum*, more ſcilicet Ithyphallorum, *nè reveletur turpitudo tua.* Non itaque gradus fieri prohibentur, ſed eorum aſcenſus in eum finem perverſiſſimum.

[L. Capelli Obſervatio. Non videtur improbanda Villalpandi in præcepti illius explicatione ſententia, ut eo non tam aſcenſus per gradus aut gradus ipſi prohibeantur, quàm ut potiùs eo pudor, verecundia & caſtimonia, quâ Dei ſacra peragi debent, innuatur ac præcipiatur, ut ſenſus præcepti hic ſit, Gradus ad Altare ita conſtituantur, ut nè ſacerdotis ad Aram ſtantis pudenda denudentur ac revelentur, quod in ara Moſis cautum fuit ; erat enim humile valde, ad quod duobus aut tribus ad ſummum gradibus aſcendebatur, ita ut nullus eſſet denudationis inter aſcendendum metus. Salomonicum Altare excelſum fuit, 10 cubitos altum, ideóque multis gradibus ad id conſcendere opus erat, at ubi emenſi erant aſcendendo gradus, Sacerdote in ſummo Altari conſtituto & ſacris operante, metus nullus erat denudationis pudendorum, tum propter ſubligacula quibus ſubſtringebantur, tum propter coronam quâ ſummum Altare undiquaque ſupernè cingebatur.]

CAP. LXXX. Explicat Villalpandus proportionem magnitudinis Altaris Salomonici cum Moſaico, item & diſtantiæ utriuſque, & ſitûs iſtius in Tabernaculo, illius verò in Templo, & probat quæ fuit ratio magnitudinis utriuſque inter ſe, eandem fuiſſe rationem ſeu proportionem diſtantiæ atque ſitûs in Templo atque Tabernaculo. Cap. 81. Craticulæ Altaris uſum atque formam exponit. Cap. 82. Arulam Altaris (quid ea fuerit) explicat. Cap. 83. Altaris pondus exponit atque demonſtrat, totámque Altaris ſtructuram particulatim explicat. Cap. 84. Oſtendit Altare non fuiſſe ſolidum lapidibúſque intra aureos parietes concluſis plenum, ſed inane & vacuum. Et præceptum Exod. 20. 25. de non cædendis ferro lapidibus Altaris, reſtringit ad Altaria illa quæ ante extructum Salomonicum Templum ex cauſa extraordinaria tumultuario opere extruebantur, ídque ait factum eſſe in documentum, quàm Deo odioſa eſſet cædes ac ſanguinis humani effuſio.

Excerpta ex Villalpando Tom. II. *Explanationum Part.* 2. *lib.* 5.

Villalpandus hoc libro acturus de gloria Templi Salomonici loca proponit Scripturæ in quibus gloria Templo illi tribuitur, ut ſunt Ezech. 43. 5. & 44. 4. & Aggæ. 2. 4. *Implebo domum iſtam gloriâ*, &. *Major erit gloria domûs iſtius noviſſimæ quàm primæ.* Atque hîc notat קלל & כבד inter ſe opponi, & קלל quidem primò de pondere dici atque magnitudine Gen. 8. 11. deinde de ignominia & contemptu, Nahum. 1. 14. & Gen. 16. 4, 5. Sic כבד primò *pondus* & *gravitatem* ſignificat Job. 6. 2, 3. Prov. 27. 3. deinde *honorem* & *gloriam* Jud. 13. 18. Iſai. 29. 13. & quidem honorem qui non ore tantùm & verbis ſed & re exhibetur, Prov. 3. 9. *Honora Dominum de ſubſtantia tua.* Quæ voces invicem opponuntur Iſai. 69. 5. 2 Sam. 6. 20. 21. Iſai. 9. 1, 2. Primo tempore הקל *alleviata eſt*, h. e. vilis, deſpecta, ignobilis fuit, *terra Zabulon & terra Nephtali*, at noviſſimo הכביד *aggravata eſt*, h. e. honorata, decorata, nobilis & illuſtris facta eſt, *via maris trans Jordanem Galilæa Gentium*, nempe per Chriſti prædicationem quæ inde cœpit, quod ſequenti verſu indicatur, *Populus qui ambulabat in tenebris* &c. alleviatus, obſcurus, ignobilis, lumine orbatus; *vidit lucem magnam*, aggravatus vel glorificatus eſt; *habitantibus in regione umbræ mortis*, alleviatis, deſpectis, jamjam perituris; *lux orta eſt eis*, aggravati, h. e. glorificati, ſunt luce, vita, ſplendore ac gloriæ curſu ſempiterno. Hoc vult Propheta, Multò magis futuram glorioſam illam olim Galilææ regionem propter Chriſti præſentiam quàm fuit Samaria Regia Iſraelis, vel etiam Judæa quæ ad Regiam dignitatem & pompam Sacerdotalem adjunxit etiam Templum cum antiquo ritu & ceremoniis. Quâ ratione cùm gloria Templi prioris tota in auro, argento pretioſiſſimíſque aliis rebus ſita fuerit, poſterior, quæ priore longè major eſt, illámque infinitis prope partibus ſuperans, in una Jeſu Chriſti Domini noſtri præſentia omnibus aliis cauſis rejectis conſtituta fuit; ita fit ut Aggæi prophetia cum illa Iſaiæ maximè convenire videatur. Cap. 21. Oſtendit quam magna fuerit Templi Salomonici gloria, & quibus in rebus ſita. Notat igitur כבוד ſignificare *gloriam, honorem, ſplendorem, majeſtatem, dignitatem, præſtantiam excellentiam* (indéque illuſtrat locum 2 Cor. 4. 17. & 1 Cor. 3. 7.) item *opes, divitias*, Gen. 32. 1. Nahum. 2. 9. unde illuſtrat locum Eph. 1. 5, 6. Quòd ſi hæc omnia quæ de gloria in univerſum perſtrinximus (inquit Villalpandus) cum iis quæ de Templo à ſacris & Prophanis Scriptoribus dicuntur attentè contuleris, facile invenies hæc illis maximè congruere, & ſingula convenienter aptari. Nam ſi eorum operum quæ à ratione proficiſcuntur (cùm omnia propter finem ſint) finis eſt norma, quænam gloria poterit excogitari quâ gloria Templi infinitis partibus major non ſit, quod ad Dei O. M. gloriam extructa ſit hæc domus? Quis honos domui non debeatur cujus Dominus & incola Deus eſt? Quæ ingenii aut ſapientiæ laus in domo hac non eluceſcat cujus Architectus ſit Deus, qui in ea prima quaſi lineamenta deduxit mundanæ hujus univerſitatis fabricæ, imò & quodam modo divinæ? ſiquidem in ea licuit contemplari Chriſti corporis tum veri tum myſtici pulchritudinem, quæ etiam cauſa fuit ut ſingulæ ædificii partes atque univerſæ ſimul in admirationem raperent contemplantium oculos, & animos in amorem tantæ pulchritudinis inflammarent. Accedit opum copia & ſupellex incredibilis ac propemodum infinita, quæ omnia niſi excellere intelligantur quicquid in unoquoque genere ab omnibus hominibus vel ingenio excogitari vel induſtriâ comparari, vel viribus valeat expugnari, ut nihil illi ad ſummum honorem & gloriam acquirendam deeſſe putetur, injuriam quodammodo irrogare videantur Divinæ ſapientiæ, providentiæ, patientiæ aut fidei. Et mox, Certum eſt & Sacrarum literarum teſtimonio comprobatum, magnum aliquid atque excellens & glorioſum Salomoni propoſitum fuiſſe extruendum, quum Dei domus extruenda proponeretur, cui etiam Dei præſidium non defuturum promittitur donec perficiat omnia, 1 Paral. 28. 20. & 29. 1, 2. & c. 2. 5, 6. Sed hæc omnia humana ſunt & quæ naturæ viribus, quaſi corporeis oculis percipi poſſunt; illa certè divina ſunt, quæ humanæ mentis aciem præſtringunt ac fugiunt, quæ ſupercœleſtium rerum ordinem, quæ Divinam ipſam præſtantémque naturam quodammodo repræſentant, & ad eam ſuſpiciendam nos inducunt. Quæ omnia reſpexiſſe videtur à Deo edoctus David Pſal. 26. 3, 4. *Unam petii à Domino hanc requiram omnibus diebus vitæ meæ, ut videam* בנועם *voluptatem Domini, & viſitem Templum ejus.* Deinde, Quocirca ex iis de quibus infinita propemodum percenſeri potuiſſent, huc referre decrevi partim in iis ipſis contemplanda, partim aliorum quæ non omnibus magna videri ſolent, collatione propoſitâ, ut vel hac unâ ratione conſtare poſſit hoc ædificium à Deo excogitatum ita reliqua omnia excedere, ut eorum nullum nè minima quidem ex parte cum hoc poſſit conferri, nedum illi præferri, ſicut quidam maximâ rerum ignoratione decepti ſenſerunt, atque alios à recta veritatis via abductos in denſiſſimas quaſdam tenebras conjicere conati ſunt. Porrò in omni ædificio tria potiſſimum ſunt conſideranda, artificium ſive induſtria conveniens, materia & opes, quæ ſi cum homine conferantur, artificium veluti ad animum, materia ad corpus, opes ad externa quædam ornamenta, ut veſtes, pertinent.

CAP. III. Atque hîc incipit Villalpandus ab artificio, explicátque quàm ſingulare fuerit in tota Templi architectura artificium & admirabilis induſtria. Et hoc primùm oſtendit in columnarum ænearum (quæ reliquarum omnium fuerunt veluti exemplar & modulus) ſtructura. Præmittit autem locum Ezech. 43. 10, 11. quo ſingularis & eximia totius Domûs diſpoſitio & admirabilis ſymmetria deſignatur, cui adjungit locum 1 Par. 28. 19. quo ſignificatur figuram ſeu Ichnographiam & Orthographiam illius datam eſſe Davidi à Nathane.

CAP.

CAP. IV. *DE ÆNEIS COLUMNIS*,

Quæ reliquarum ſunt norma, Sacræ Scripturæ Teſtimonia.

Ex 1 REGUM VII.

V. 15. Et finxit duas columnas æreas [a] 18 cubitorum altitudinis columnam unam, & [b] linea 12 cubitorum ambiebat columnam utramque. V. 16. [c] Duo quoque capitella fecit, quæ ponerentur ſuper capita columnarum fuſilia ex ære, 5 cubitorum altitudinis capitellum unum, & 5 cubitorum altitudinis capitellum alterum. V. 17. Et [d] quaſi in modum retis & catenarum ſibi invicem miro opere contextarum, utrumque capitellum columnarum fuſile erat, [e] ſeptena verſuum retiacula in capitello uno, & ſeptena retiacula in capitello altero. V. 18. [f] Et perfecit columnas & duos ordines per circuitum retiaculorum ſingulorum ut tegerent capitella, quæ erant ſuper ſummitatem malogranatorum, [g] eodem modo fecit & capitello ſecundo. V. 19. Capitella autem quæ erant ſuper capita columnarum quaſi opere lilii fabricata erant in porticu quatuor cubitorum. V. 20. Et rurſum alia capitella in ſummitate columnarum deſuper juxta menſuram contra retiacula, [h] malogranatorum autem 200 ordines erant in circuitu capitelli ſecundi. V. 21. Et [i] ſtatuit duas columnas in porticu Templi, cúmque ſtatuiſſet columnam dextram, vocavit eam nomine Jachin, ſimiliter erexit columnam ſecundam & vocavit nomen ejus Booz. V. 22. Et ſuper capita columnarum opus in modum lilii poſuit: perfectúmque eſt opus columnarum.

[a] 2 Reg. 25. 17. *Decem & octo cubitos altitudinis habebat columna una.* Jer. 52. 21. *Decem & octo cubiti altitudinis erant in columna una.* 2 Par. 3. 15. *Duas columnas quæ 35 cubitos habebant altitudinis.* [b] Jer. 52. 21. *Funiculus 12 cubitorum circuibat eam. Porrò groſſitudo ejus quatuor digitorum, & intrinſecus erat cava.* [c] Jer. 52. 22. *Capitella ſuper utramque ærea, altitudo capitelli unius quinque cubitorum.* 2 Reg. 25. 17. *Capitellum æreum ſuper ſe altitudinis trium cubitorum.* 2 Par. 3. 15. *Porrò & capita eorum quinque cubitorum.* [d] 1 Reg. 7. 41. *Et funiculos capitellorum ſuper capitella columnarum duos.* 2 Par. 3. 16. *Necnon & quaſi catenulas in oraculo, & ſuperpoſuit eas capitibus columnarum.* 2 Par. 4. 12. *Epiſtylia & capita, & quaſi quædam retiacula quæ capita tegerent ſuper Epiſtylia.* Jer. 52. 22. *Et retiacula & malogranata ſuper coronam in circuitu omnia ærea.* [e] 1 Reg. 7. 41. *Retiacula duo ut operirent duos funiculos qui erant ſuper capita columnarum.* 2 Reg. 25. 17. *Et retiaculum, & malogranata ſuper capitellum columnæ, omnia ærea.* Jer. 52. 22. *Et retiacula & malogranata ſuper coronam in circuitu, omnia ærea.* [f] 1 Reg. 7. 42. *Duos verſus malogranatorum in retiaculis ſingulis ad operiendos funiculos capitellorum, qui erant ſuper capita columnarum.* 2 Par. 4. 13. *Et retiacula duo, ita ut bini ordines malogranatorum ſingulis retiaculis jungerentur, quæ protegerent epiſtylia & capita columnarum.* [g] 2 Reg. 25. 17. *Similem & columna ſecunda habebat ornatum.* Jer. 52. 22. *ſimiliter & columnæ ſecundæ* [h] 1 Reg. 7. 42. *Et malogranata 400 in duobus retiaculis.* 2 Par. 3. 16. *Malogranata etiam centum, quæ catenulis interpoſuit* 2 Par. 4. 13 *Malogranata quoque 400 & retiacula duo &c.* Jer. 52. 23. *Et fuerunt malogranata 96 dependentia, & omnia malogranata 100 retiaculis circumdabantur.* [i] 2 Par. 3. 15. *Ante fores etiam Templi duas columnas.* Ib. *Ipſas quoque columnas poſuit in veſtibulo Templi, unam à dextris & alteram à ſiniſtris; eam quæ à dextris erat vocavit Jachin, & quæ ad lævam Booz.*

Lectis ac diligenter conſideratis (inquit Villalpandus) quæ tot Scriptores ſacri de columnis Templi ſcripſerunt, nullus certè tam hebes erit ingenii qui non putet ineſſe aliquid magnum laude & admiratione dignum, quod Divino præcipiente Spiritu articulatim fuit diſtinctéque explicandum. Item, Illud unum initio hujus Diſputationis proponendum, quòd eâ abſolutâ maximè confirmatum iri ſperamus maximam laudem Templo attuliſſe columnas, quibus quicquid in eo genere poſſet excogitari ſuperantibus, ad Templi gloriam explicandam teſtes locupletiſſimos adhibuimus. Fateor ingenuè S. Scripturæ phraſim difficilem eſſe, & in illis præcipue rebus, in quibus plures Scriptores diverſâ ratione locuti ſunt, omnino difficillimam. Verum nobis quibus ab initio conſtitutum fuit Scripturas ſacras aliis Scripturis explanare, ut illæ ipſæ ſibi ſint luci, libentiùs in ea loca incumbimus de quibus plura reperiuntur S. Scripturæ teſtimonia, quamvis longè diverſa videantur aut plerumque etiam contraria. Nam dum ea mutuâ collatione factâ in unam & eandem interpretationem conſentire oſtendentur, quæ in reliquis diſſidebant, eam unam veram ac genuinam eſſe planè demonſtrabunt. Quod in altitudine columnæ primùm oſtendenda perſpectum eſſe poterit: altitudo enim uniuſcujuſque columnæ 18 cubitis finitur in libro Regum, ut in Paral. utraque 35 cubitis eſt dimenſa. Nec tantùm, ſed & capitum uniuſcujuſque columnæ nunc 5 cubitorum conſtare dicitur, nunc trium, nunc denique ad menſuram columnæ, h. e. 2. cubitorum.

CAP. V. *De Altitudine Columnarum.*

Columnæ partes ab imo ad ſummum ſunt hujuſmodi, Baſis (quæ deinde ſuis membris conſtat, quadratâ plintho & in orbem ductis 10 ſpiris) baſi ſuperſtat ſcapus, ſummo ſcapo imponitur capitellum; atque tres dictæ partes ſimul Columnæ nomine plerumque cenſentur. Hujus maxima pars fuit ſcapus qui totus unà cum ſpiris baſis (demptâ plintho) fuſus fuit. Et hunc quidem ſcapum cum baſi metitur uterque locus Regum, *Cubitorum* 18 *altitudinis erant in columnam unam.* Et Jer. 52. 21. *Cubiti* 18 *altitudinis erant in columna una.* Et Joſephus de Chiramo, *Is fecit duas columnas æreas altas cubitos* 18. At quoniam totus ſcapus cavus erat, & additæ inſuper ſpiræ baſis erant etiam cavæ, neceſſarium viſum fuit ſolidam quadratam plinthum fundere, quæ totum opus columnæ inſtar fundamenti & ſuſtentaret & contineret. Atque prædicti loci plinthum columnæ adjecerunt, quæ tota uſque ad capitellum cubitis 18 erat alta. At liber Paral. utramque ſimul ſcapi utriuſque complexus eſt altitudinem, demptâ tamen utrâque plintho, atque eam reperit fuiſſe cubitorum 35 qui locus unicuique columnæ cubitos tribuit $17\frac{1}{2}$ tot enim præciſè altus fuit ſcapus columnæ ſublatâ plintho & capitello.

De Columnarum craſſitudine ſive perimetro.

Ab altitudine ſcapi ad ejus craſſitudinem veniamus: ſequi enim nos decet S. Scripturæ quam interpretamur ductum, *Et linea* 12 *cubitorum ambiebat columnam utramque.* Heb. השני, quod nonnulli verba potiùs quàm verborum ſenſum aſpicientes converterunt *ſecundam*, qui, ſi *ſecundatam* vel *iteratam* ſcripſiſſent, propius ad veritatem acceſſiſſent. Longiſſime à ſenſu receſſit Chald. LXX Interp. fortè imitatus, qui difficultatem Hebraicæ phraſis explanare cupientes aliter ſenſiſſe videntur quàm ut cum Hebraico textu ſentirent, *Et perimetrum* 12 *cubitorum filum ambiebat eam, & ſic columna ſecunda.* Subintelligendum enim videtur *eodem filo*, quaſi ſenſus ſit, filo 12 cubitorum cinxit columnam unam, & reliquâ fili parte cinxit columnam ſecundam. Sed phraſim & rem ipſam uno verbo expreſſit Vulg. *utramque* convertens; hunc enim ſenſum ſortitur ſine controverſia eadem vox Gen. 21. 31. & c. 27. 45. [L. Cappelli Obſervatio. Sed fallitur hîc Villalpandus; non enim eſt utrobique eadem vox: hîc enim 1 Reg. 7. eſt שני *ſecunda*, at iſthic eſt שניכם vel שניהם quod eſt plur. num. à שנים *duo*. Torquet deinde Jeremiæ locum, Non me latet (inquit) Jeremiam de columnis ſic ſcribere c. 52. *Et funiculus 12 cubitorum circuibat eam*, qui cùm lugentis affectum conciſis verbis ac veluti ſingultibus interruptis exprimeret, quam Hiſtoria vocavit *ſecundam*, h. e. utramque, ipſe pronomine, quod affixum vocant, adjuncto *eam* dixit, h. e. eam utramque quam dixit Hiſtoria, atque adeo in idem recidit.] Atque hic rejicit Villalpandus Joſephi & Eupolemi ſententiam qui unicuique columnæ circumferentiam (cum LXX & Chald Par.) tribuunt; Eupolemus quidem (apud Euſeb. l. 9. Præpar. c. 4.) decem cubitorum (ſed Librariorum vitio, uti putat Villalpandus, pro 12.) Joſephus verò 12 cubitorum; nam præterquam quòd (inquit Villalpandus) perſpicuis S. Scripturæ teſtimoniis adverſatur, univerſi ædificii proportionibus repugnat ut tantam craſſitudinem columna habeat, quæ alta ſit duntaxat 18 cubitos. Sentiamus igitur quod verum eſt ac certum filum 12 cubitorum circumdediſſe columnam utramque, ſex cubitorum lineam cinxiſſe alterutram. Hujus ergo diameter ex tertia circumferentiæ parte 2 cubitorum fuit, quanta videlicet data eſt à Propheta noſtro frontibus aut ſemicolumnis univerſi Templi latitudo, quantáque à nobis oſtenſa eſt eſſe debuiſſe omnium columnarum Templi diameter ſeu craſſitudo, non earum modò quæ in mediis porticibus atriorum Iſraelis & Sacerdotum erigebantur, ſed & earum quæ univerſum atrium Gentium cingebant, & porticuum contignationem ſuſtinebant. Id quod non ſymmetriæ ratione tantùm confirmatur, ſed & Joſephi teſtimonio, qui cùm Meridianam porticum atrii Gentium ab Herode factam retuliſſet, quæ antiquæ Orientali porticui ex prima Salomonis ædificatione adhuc (eodem atteſtante Joſepho Antiq. l. 15. c. 14.) ſuperſtiti conjungeretur, ut perſpectum foret hujus atque illius columnas pares fuiſſe, ſic ait, *Craſſitudo autem cujuſque columnæ quantam poſſent tres homines conſertis inter ſe brachiis complecti, longitudo 27 pedum.* Ubi primùm eam quam tres homines complectuntur columnam diametrum habere indicat ſtaturæ hominis fere parem, cùm ea par ſit ſuis brachiis extenſis. Ex quo longitudo cubiti quam ſtatui (nempe trium fere pedum) confirmatur; quæ quoniam dimidiam hominis ſtaturam (h. e. tres pedes) non aſſequitur, propterea dixit Joſephus *conſertis brachiis* complexos fuiſſe tres homines columnam, majorem complexuri ſi manibus manus contingerent, non verò conſererent. Altitudinem verò ſcapi eandem retulit quam Sacræ hiſtoriæ retulerunt, hoc uno ab illis diſtans, quòd illæ cubitis altitudinem finiunt, hic pedibus, non quibuſcunque ſed eis quibus cubiti proportione reſpondent. Nempe cubiti 8 faciunt 27 pedes. Hoc ergo vult Villalpandus, Columnæ iſtæ æreæ fuerunt veluti modulus & exemplar omnium quæ in univerſo Templo erant columnarum (quod putat his Eupolemi apud Euſeb. l. 9. Præpar. c. 4. verbis confirmari, *erat columnarum altitudo par Templo*, q. d. columnas has reliquis univerſi Templi pares fuiſſe) Jam verò propheta Ezechiel definivit frontes, h. e. diametros columnarum, 2 cubitis, ergo perimeter earum fuit 6 cubitorum non verò 12, itaque dicendum eſt hìc filum 12 cubitorum cinxiſſe utramque columnam, h. e. ambas ſimul ſumtas columnas. Præterea ſymmetriæ ratio non patitur ut columna quæ eſt alta 18 cubitos craſſa ſit 12. imò exigit ſymmetriæ ratio ut craſſa ſit tantùm 6 cubitos, utì infrà demonſtrabitur. Interim dici poſſunt craſſæ 12 cubitos (juxta Joſephi locum modo laudatum Antiq. l. 15. c. 14.) ſi hoc intelligatur non de cubitis ſacris (quos intelligit Scriptura cùm cubitos nominat) ſed de cubitis hominis communibus qui ſacris duplo fere minores ſunt.

CAP. VI. *DE COLUMNARUM CONTRACTIONE.*

Vulg. utriuſque columnæ ambitum facit 12 cubitorum, LXX in Sixt. codice cub. 14. Hanc lectionem refert etiam Theodoretus. Hanc ſuſcipimus non ut Vulgatæ contrariam, ſed ut ejus aptum commentarium. Vulg. hiſtorici morem ſequitur, & παχυμερῶς loquitur, atque adeo columnæ circuitum ſex cubitis definivit, cujus diametrum ſignificare voluit fuiſſe 2 cubitorum. At LXX exactam Mathematicorum rationem ſecuti ſunt, quâ ratione columnæ diametrum & ejuſdem adjectionem quam *ventris columnæ* nomine indicarunt, & ſtriarum præterea latitudinem & alia ſcitu jucunda nobis aperuerunt. Nempe non apud LXX duntaxat ſed & apud ipſos Sacros hiſtoricos, quædam inſinuantur quæ ſine Mathematicis rationibus percipi nullâ ratione poſſunt. Triplex eſt ſcapi columnæ menſura, I. in imo ſcapo, II. contractionis in ſummo, III. adjectionis in medio. Primam imi ſcapi menſuram ex ea calami (quam dixi) in æquas partes ſectione licet colligere, in qua digiti ſinguli ſingulis adduntur cubitis, atque adeo cubitis binis, h. e. digitis 48 adduntur duo digiti, & fit columnæ diameter digitorum 50 quem numerum quaſi proprium ſibi vendicat hæc fabrica, qui & ſequenti ſupputatione confirmatur, Summum hypotrachelium dat nobis circumferentia ſex cubitorum; nam juxta Archimedis demonſtrationes circuli circumferentia ad diametrum eam habet proportionem quam 22 ad 7. Quòd ſi per regulam Trium Arithmeticâ ſupputatione quæram numerum qui ad ſenarium habeat proportionem quam 7 ad 22 inveniam diametrum ſummi ſcapi unius cubiti cum $\frac{10}{11}$ quem numerum ſi ad digitos revocem habebo diametrum digitorum 45 $\frac{9}{11}$ ſed fractionem abjiciemus & ſummo hypotrachelio dabimus digitos 45 imò verò ſcapo digitos 50, & ſic contractio columnæ erit ex decima craſſitudinis parte. Quam contractionis rationem Villalpandus oſtendit congruere cum ea quam tradit Vitruvius l. 3. c. 2. *Contracturæ in ſummis columnarum hypotracheliis ita faciendæ videntur, ut ſi columna ſit à 40 pedibus ad 50 ima craſſitudo dividatur in 8 partes, & earum 7 in ſummo ſcapi hypotrachelio contrahantur. Hæc autem propter altitudinis intervallum ſcandentis oculi ſpeciem fallunt, quamobrem adjiciuntur craſſitudinibus temperaturæ.* Quapropter (inquit Villalpandus) cùm graciliores multo apparerent columnæ Euſtyli & Aræoſtyli ratione diſpoſitæ (quales omnes fuerunt in Templo Salomonico) temperandæ magis fuerunt contracturæ, ita ut in columnis 50 ped. ima craſſitudo divideretur in partes 10, & ex eis 9 craſſitudini darentur. Columnas autem Templi Salomonici fuiſſe altas ped. 50 oſtendit Villalpandus. Aliam præſtantiorem contracturæ rationem licet in hoc ædificio obſervare, ex ipſis intimis Architecturæ principiis petitam, nempe ex Triglyphorum exactiſſima diſtributione exortam. Ratio hujuſmodi eſt, Summo hypotrachelio latitudo Epiſtylii ex æquo reſpondet (teſte Vitruvio) ſitque ſummi hypotrachelii craſſitudo & epiſtylii craſſitudo pariter æqualis altitudini zophori, in qua trabes ſummo artificio diſponuntur. Zophori autem altitudinem fuiſſe 45 digitorum alibi probat Villalpandus.

CAP. VII. *De Columnarum adjectione & Striis.*

Adjectio in columnæ medio Vitruvii juſſu ex ſtriæ magnitudine ſumenda eſt; ſic enim ille l. 3. c. 3. *Columnarum ſtriges faciendæ ſunt 24 craſſitudines* (ſtriarum ſcil.) *faciendæ ſunt quantum adjectio in media columna ex deſcriptione invenietur.* Striatas autem fuiſſe columnas hinc probatur, I. Columnarum proceritas, quæ virginalem imitabatur gracilitatem, earundem ſtriatas ſtolas eſſe imitandas ſuadet. II. Tot tantæque omnium coronarum & ornamentorum ſculpturæ reſpuunt ſcapi univerſum corpus abſque ulla ſculptura apparere. III. Joſephus Antiq. 8. c. 2. juxta Rufini verſionem, *Fecit Hiramus duas columnas æreas cum canalibus cavatione 4 digitorum.* In Græco quidem eſt, ϛύλες δύο χάλκες ἔσωθεν τὸ πάχος τεσσάρων δακτύλων, quæ concinunt cum verbis Jerem. 52. 21. *Craſſitudo ejus 4 digitorum, & intrinſecus cava erat.* LXX *Craſſitudo ejus 4 digitorum in circuitu:* quæ omnia ſolidam indicant metalli craſſitudinem. Sed minimè tamen improbabilis videtur Rufini lectio (inquit Villalpandus) quam hauſit ex aliis Græcis exemplaribus fortè purioribus, & certè minimè abſona videtur, cùm utrumque ex æquo verum eſſe poſſit, columnæ ſc. metallum craſſum undique fuiſſe 4 digitos, & canales inter ſtrias latas fuiſſe totidem digitos. Utriuſque rei exemplum videre licet in veſtigio ſcapi columnæ; confirmatur idipſum ex LXX qui 1 Reg. 7 aiunt, *Perimetrum 14 cubiti circumdabant eam, craſſitiem columnæ 4 digitorum cavitates.* Quos ſecutus Comeſtor, *Stylus columnæ 18 cubitos habebat altitudinis non planæ, ſed valliculatus, habens in circuitu canales cavationis 4 digitorum.* Et certè mira omnium partium cum Architecturæ præceptis conſenſio hoc idem confirmat. Strias enim 24 faciendas eſſe Vitruvius præcipit, quot ſunt in cubito digiti; ex quo fit ut ſummi ſcapi circumferentia, quæ 6 cubitis definitur à Sacro hiſtorico, ſex digitos tribuat unicuique parti, quæ rurſus in canalem ſive ſtrigem dividatur 4 digitorum & ſtriam duorum. Jam cùm ſtriæ craſſitudo ſit perſpecta 2 digitorum, eadem ex utraque parte adjicienda eſt columnæ in ventre; atque adeo diameter ventris columnæ erit digitorum 54. Quæ diametri longitudo poteſt & hinc aliâ ratione demonſtrari. LXX Interp. lectio perimetris utriuſque columnæ cubitos dat 14 uniuſcujuſque ſeptenos. Septem autem cubiti digitos continent 168 quem numerum ſi in ſeptenarium duxeris, productumque per 22 diviſeris, habebis hujus circumferentiæ diametrum digitorum 53 $\frac{10}{22}$ h. e. fere 54 quos paulò antè colligebamus. Hanc in medio columnæ adjectionem probat Villalpandus ex voce Heb. בֶּטֶן 1 Reg. 7. 20. *Ornamenta ſuper duas columnas deſuper è propinquo* בטן *ventris* (nam בטן *uterum* ſignificat qui æquâ ratione undique intumeſcit) ubi Vulg. *juxta menſuram columnæ*, h. e. (inquit Villalpandus) capitella tiliata ipſis impoſita columnarum ſcapis altitudine æqualia erant latitudini ventris columnæ maximæ, nimirum craſſitudini columnæ. At Philander ejuſmodi columnas (in medio ſc. intumeſcentes) non vidit Romæ in antiquis monumentis. Eſto. Sed Cicero vidit, qui Act. 1 & 5 in Verrem, *Nulla eſt*,. inquit, *columna quæ ad perpendiculum eſſe poſſit.* Ubi Pædianus, *Perpendiculum linea laterum æqualitatem probat, à ſummo ad imum altitudinem probans. Hoc in columnis omnibus, tum maximè in ſtructilibus evenit, in quibus aut media aut ima craſſiora ſunt.* Objiciat rurſus aliquis quòd lata plus nimio fiat ſtria 2 digitorum ex dimidia ſtrige, cùm fieri ſtrias in Veterum operibus, Philandro teſte, comperias, nihil plus quàm ex tertia parte, nihil minus quàm ex quarta apertionis canaliculi. Reſp. in planis ſtriis verum id eſſe; at in illis quæ extantibus in mediis ſtriis aſtragalis exornantur, aliter ſe res habet; fiunt enim ex dimidia (& nihilominus) ſtrigis parte, aliquando ex majore. Harum exempla videre eſt in Pantheone, in duabus illis columnis quæ Templi portam ex adverſo reſpiciunt, & in aliis multis Romæ.

CAP. VIII. *De Trabeationibus ſive Coronis.*

1 Reg. 7. 16. *Duo fecit capitella*] Quoniam omnia ornamenta ſcapis columnarum impoſita hoc nomine appellantur, ea verò non ſunt eadem formâ ſed multiplici, quæ diverſis nominibus ab Architectis cenſentur, explicanda eſt vox כותרות quod eſt plur. à ſing. כותרת *corona*, *diadema*, à כתר *cingere*; corona autem *cingit*, *exornat*, *nobilitat*: quæ omnia illis ornamentis conveniunt quæ columnarum ſtylis imponuntur, capitellis nimirum, epiſtyliis, zophoris, coronis, ſed potiſſimum omnium ſummo, quod apud Latinos idem *coronæ* nomen ſibi quaſi proprium vendicat, quòd non modò columnas ſed & univerſum ædificium cingat, coronet & illi veluti perfectionis dignitatem adjiciat. Sed hìc ipſa trabeatio indicatur, conſtans epiſtylio, zophoro & corona. Hunc locum varii variè convertunt, LXX in Reg. codice *capitella*, in Sixt. ἐπιθέματα *additamenta* id indicans ornamenti genus quod in ſummo collocatur. Chald. hoc loco vertit *coronas*, apud Jerem. *capitella*. Atque hìc Villalpandus rejicit Vatabli ſententiam qui reddit *epiſtylia rotunda*, quòd abſonum ſit epiſtylia eſſe rotunda.

De tota Columnarum forma, figura, diſpoſitione, partibus & ornamentis vide Tabulas proprias tres Columnarum.

SYMMETRIÆ ARCHITECTURÆ SACRÆ.

DIAMETRI COLUMNARUM,

ORDINIS	Domus Domini		Atriorum		Domus Regiæ.	
	Cubiti.	Digiti	Cubiti.	Digiti	Cubiti.	Digiti.
Primi	$4\frac{1}{6}$	100	$2\frac{1}{12}$	50	$1\frac{1}{24}$	25
Secundi	$3\frac{1}{8}$	75	$1\frac{9}{16}$	$37\frac{1}{2}$	$\frac{25}{32}$	$18\frac{3}{4}$
Tertii	$2\frac{1}{2}$	60	$1\frac{1}{4}$	30	$\frac{5}{8}$	15
ALTITUDO COLUMNARUM.						
Primi	40	960	20	480	10	240
Secundi	30	720	15	360	$7\frac{1}{2}$	180
Tertii	24	576	12	288	6	144
TRABEATIONUM ALTITUDO.						
Primi	10	240	5	120	$2\frac{1}{2}$	60
Secundi	$7\frac{1}{2}$	180	$3\frac{1}{4}$	90	$1\frac{7}{8}$	45
Tertii	6	144	3	72	$1\frac{1}{2}$	60
ORDINUM CELSITUDO.						
Primi	50	1200	25	600	$12\frac{1}{2}$	300
Secundi	$37\frac{1}{2}$	900	$18\frac{1}{4}$	450	$9\frac{3}{8}$	225
Tertii	30	720	15	360	$7\frac{1}{2}$	180
PODIOLI ALTITUDO.						
Secundi	$1\frac{1}{4}$	30	$\frac{5}{8}$	15	$\frac{5}{16}$	$7\frac{1}{2}$
Tertii	$1\frac{1}{4}$	30	$\frac{5}{8}$	15	$\frac{5}{16}$	$7\frac{1}{2}$

UNIVERSA ALTITUDO,

Domus Domini.		Atriorum.		Domus Regiæ.	
120	2880	60	1440	30	720

Ad

Ad præcedentem Tabulam Symmetriæ Architecturæ Sacræ.

De numerorum proportione ac modo quo prædicta Tabula componitur hæc accipe, Sunt quædam planè certa ex quibus reliqua deducuntur. Domus Domini dupla eſt Atriorum, Atria ſunt dupla domûs Regiæ. Ex quo fit ut à ſiniſtra ad dextram quilibet numerus ſit tertii duplo major, primus verò ad ſecundum habeat rationem quam cubitus ad digitos quibus conſtat, h. e. quam unitas habet ad 24. Sunt præterea in Atriis quidam numeri noti in primo ordine, diameter ſc. columnæ in imo ſcapo digitorum 50. h. e. cubitorum $2\frac{1}{12}$ altitudo columnæ 20 cubitorum, trabeatio 5 cubitorum, ordo 25 cubitorum. Horum numerorum ſinguli ſunt in ſumma ſuæ Tabulæ linea: ſed deſcendendo numerus primus ad ſecundum habet eam proportionem quam quaternarius ad ternarium, hic rurſum ſecundus ad tertium habet proportionem quam quinque ad quatuor. Quæ proportio in Trabeatione domûs Regiæ perſpecta eſſe poterit propter digitorum numerum 60. quem ſi in quatuor dividas invenies 15. quem ſi ab eodem numero auferas dabit 45. numerum Trabeationis ſecundi ordinis. Hunc iterum in quinque partes divide, & inventum novenarium ab eodem auferas numero habebis 36. numerum trabeationis tertii ordinis. Atque eadem ratione omnes alii numeri ſunt inventi. Inter primum ordinem & ſecundum proportio eſt ſemper ſeſquitertia, quæ conſonantiam efficit Diateſſaron. Inter ſecundum & tertium ordinem proportio eſt ſeſquiquarta, quæ conſonantiam propriè Muſicam non efficit. Inter Domum Dei & inter Atria atque Domum Regiam proportio eſt dupla quæ Diapaſon facit. Inter Domum Dei verò & domum Regiam proportio eſt ſubdupla, ſivequadrupla, quæ facit Diſdiapaſon. Ib. Supereſt ut aliquid dicamus de quarto ordine Atriorum, qui ſuper portis & capitellis erigitur, ac quinto qui huic imponitur in eiſdem caſtellis, quos pares eſſe oſtendendum eſt primo & ſecundo ordini domûs Regiæ. Nam (ſicut à S. Textu docemur) ſecundus ordo minor eſt primo quartâ hujus parte, tertiâ verò illius tertius autem ſecundo quintâ hujus, quartâ verò illius. Sic & ulterius in altum progrediendo quartus tertio minor erit quintâ ſui parte, hujus verò ſextâ. Quare ſi numerum tertii ordinis trabeationis Atriorum 72 digitorum in ſex partes dividas cuique obvenient 12. Hos à primo numero auferas & habebis 60, quot tribuuntur primo ordini domus Regiæ. Cúmque omnium partium eadem ſit ratio certò agnoſces quartum ordinem Atriorum primo domus Regiæ fuiſſe parem. Quintum verò Turris (ſeu caſtelli) æqualem fecimus ſecundo domûs Regiæ, quoniam illum oportuit altiorem facere, quòd in medio Caſtello excitaretur. Sed operæ pretium eſt aperire proportionem quam habent ad altitudinem univerſi ædificii columnæ ſingulorum ordinum. Et in Atriis quidem univerſa altitudo eſt cubitorum 60. cujus tertia pars eſt prima columna cubitorum 20. ſecunda 15. ex quarta totius, tertia 12. ex quinta, nam reliqui tabulatis tribuuntur. Hoc ordine totius altitudinis duodecima pars eſt prima Trabeatio, decimaſexta dat ſecundam, vigeſima dat tertiam, quam partiendi normam ſequuntur in Muſicis rationibus, ut ex nervi in partes ſectione conſonantias rimentur Muſicæ periti.

Ib. De Podiolo.

Unum fortaſſe mirabitur in hac Tabula Lector cujus nondum ullam rationem dediſſe videmur. Podiola ſc. illa duo quæ, quòd ſint paria facta, & in ſecundo tantum & tertio ordine, extra morem reliquarum proportionum eſſe videbuntur. Sed certè uſus & ratio poſtulabat ut (ne à projecturis coronarum, ſuperiorum ordinum vaſes impedirentur) podiolis erigerentur. Sed quoniam quo altiores ſunt coronæ magis impediunt ea quæ retro ſunt etſi minùs projiciantur, ideo ſecundi ordinis podiola paria fecimus podiolo tertii ordinis, ut propter majorem altitudinem tertii ordinis eadem videretur ſervata proportio quæ verè major eſt.

TABULA PARTIUM TRABEATIONIS.

ORDINIS	IN DOMO DOMINI.			IN ATRIIS.			IN DOMO REGIA.		
	Epiſtylium.	Zophorus.	Corona.	Epiſtylium.	Zophorus.	Corona.	Epiſtyl.	Zophor.	Coron·
I.	60	90	90	30	45	45	15	$22\frac{1}{2}$	$22\frac{1}{2}$
II.	45	$72\frac{1}{2}$	$67\frac{1}{2}$	$22\frac{1}{2}$	$33\frac{1}{4}$	$33\frac{1}{4}$	$11\frac{1}{4}$	$16\frac{1}{2}$	$16\frac{1}{2}$
III.	36	54	54	18	27	27	9	$13\frac{1}{2}$	$13\frac{1}{2}$

ORDINIS	Triglyphi.	Metopæ.	Triglyphi.	Metopæ.	Triglyphi.	Metopæ.
I.	60	90	30	45	15	$22\frac{1}{2}$
II.	40	60	20	30	10	15
III.	30	45	15	$22\frac{1}{2}$	$7\frac{1}{2}$	$11\frac{1}{4}$



Earùm ratio in Monochordo facilè examinatur. Nam ſi extenſa chorda AB dividatur in quatuor partes in punctis C E G, & rurſum in tres in punctis D F, habebitur Monochordum ad omnes concentus inveniendos aptiſſimum. Si enim totam chordam AB pulſes & ejus partem A G, reddet conſonantiam Diateſſaron, quæ proportione ſeſquitertiâ conſtat. Si verò chordam iterum pulſes & ejus partem A F reddet Diapente ſeſquialterâ proportione. Si verò totam & partem ejus A E Diapaſon reddet proportione duplâ. Et hæ ſunt tres ſimplices. Compoſitæ ſunt hæ. Si totam chordam pulſes & ejus tertiam partem A D, habebis Diapaſon cum Diapente triplâ proportione; ac tandem Diſdiapaſon inter totam chordam & ejuſdem quartam partem A C. Quas omnes Conſonantias numeris notavimus, ut ad eorum normam facilè quis examinare poſſit numeros illos quibus hujuſmodi Conſonantias omnes in Tabulis notavimus.

Ad antecedentem Partium Trabeationis Tabulam.

Univerſalis Architecturæ ſacræ conſideratio, & Triglyphorum in ſecundo & tertio ordine diſtributio.

Villalpandus Tom. 2. Part. 2, lib. 5. cap. 20. Siquis ædificium velit extruere oportet imprimis columnæ craſſitudinem, altitudinem, ac diſtantiam intercolumnii conſtituere, ex qua reliqua deducat. Atque ut facilior ſit Diſputatio numeros accipiam Atriorum, & ſtatuam columnæ craſſitudinem 2. cubitorum, ex qua deducam decuplam altitudinem 20 cubitorum. Hanc dividam in 4 partes, & habebo Trabeationis altitudinem 5 cubitorum, & totum ordinem 25 cubitorum. Hanc altitudinem dividam in 4 partes & habebo cubitos $6\frac{1}{4}$. ac tantum diſtare faciam centra columnarum. Hanc rurſus bifariam ſecabo & habebo cubitos $3\frac{1}{8}$ ac tantam conſtituam Epiſtylii & Zophori altitudinem, quâ ſublatâ ex Trabeationis altitudine quinque cubitorum reliquus erit cubitus unus cum $\frac{7}{8}$ cubiti partibus, h. e. digitorum 45, qui numerus æqualis eſt numero altitudinis Zophori ſupra inventi. Quare ſi hunc numerum ex altitudine Zophori cum Epiſtylio ſubtrahas, reliquus erit cubitus $1\frac{1}{4}$ altitudini Epiſtylii aut latitudini Triglyphi tribuendus; ex quibus patet modus Trabeationis in partes ſuas immediatè diſtribuendæ. Si univerſa altitudo 120 digitorum dividatur in partes 8. una pars erit 15 cujus duplum Epiſtylio dabis, triplum Zophoro, ac tantundem Coronæ. Vel faciliùs, quartam partem totius, h. e. digitos 30 dabis Epiſtylio, reliquos 90 bifariam divides, & alteram partem digitorum 45 dabis Zophoro, reliquam Coronæ. Ad ſecundum ordinem quod attinet ejuſque Triglyphorum diſtributionem obſervandum eſt Vitruvii præceptum lib. 3. cap. 3. quod ab ipſa rerum natura originem trahere videtur. *Quo altiùs ſcandit oculi acies, non facile perſecat aeris crebritatem, dilapſo itaque altitudinis ſpatio, & viribus extrito, incertam modulorum renunciat ſenſibus quantitatem. Quare ſemper adjiciendum eſt rationis ſupplementum in ſymmetriarum membris, ut cùm fuerint in altioribus locis opera, aut etiam ipſa Coloſſicotera, certam habeant magnitudinum rationem,* h. e. (inquit Villalpandus) tanto majorem habeant magnitudinum rationem. Id autem quomodo præſtandum ſit ſatis perſpectum eſt (inquit Villalpandus) ex his noſtris fabricis; in quibus ex numeris S. Scripturæ eorumque proportionibus eam deduximus Trabeationum altitudinem, quam in ſuperiori Tabula notavimus; cujus etiam partes, Epiſtylium, Zophorus atque Corona ex ſimili ratione quâ primi ordinis Trabeatio in partes diſtributa eſt, comparabuntur. Nam ſi ſecundi ordinis Atriorum Trabeationem in prædicta Tabula conſideres, quæ Trabeatio eſt 90 digitorum, eámque in 8 partes dividas, ſingulis partibus obvenient digiti $11\frac{1}{4}$ quam ſi bis ſumas dabis Epiſtylio digitos $22\frac{1}{2}$ eandem partem ſi ter ſumas dabis Zophoro $33\frac{3}{4}$ ac tantundem Coronæ. Verùm Triglyphi & Metopæ latitudo aliâ ratione inveſtiganda eſt. Nam pari ratione calamus unus, quo ab invicem diſtant centra columnarum, dividendus eſt in partes 3 non 2 ut in priori ordine, eritque una 2 cubitorum ac totidem digitorum, quæ ſi ad digitos revocetur, erunt omnes ſimul digiti 50, quantam eſſe decet Triglyphi cum Metopa latitudinem. Hanc ſi in 5 diſtribuas partes, ex quibus duas Triglyphi tribuas latitudini habebit digitos 20, reliquas dabis Metopæ, & habebit digitos 30. Et quoniam in priore ordine obſervatum fuerat Epiſtylii craſſitudinem latitudini Triglyphi fuiſſe parem, & Metopam Zophoro, hos duos numeros cum prioribus conferes, & invenies hos ab illis ſuperari octavâ horum parte, illorum verò nonâ. Atque hanc eſſe intelliges perfectiſſimam rationem, ut ſimiles habuiſſe inferiori modulos eorum altitudo viſui renunciet. Denique & in tertio ordine pari ratione progrediendum eſt, ſi tamen calamum, quo ab invicem diſtant centra columnarum, quem in priori ordine in duas partes ſecuimus, in ſecundo in tres, in tertio dividamus in 4. tot enim Triglyphi atque Metopæ ſunt in eo ordine diſtribuendi; Quod ſi plures ſupponerentur ordines in quarto fierent 5. Triglyphi, & ſic deinceps. Illud præterea obſervandum in collationibus numerorum Triglyphi & Epiſtylii, Metopæ & Zophori, non eſſe addendam octavam partem, ſed propter majorem altitudinem, majorem, nimirum ſextam. Quæ omnia & ſingula ex antecedentibus duabus Tabulis quaſi compendio manifeſta ſunt.

De Symmetria ſive Proportione partium ædificii.

Villalpandus l. 5. cap. 24. Proportio triplex eſt, Arithmetica, Geometrica, Muſica ſive Harmonica. Harum unamquamque licet in his noſtris fabricis obſervare, & in illis potiſſimum numeris quos in partium hujus ædificii Tabulas redegimus. Ac primum Arithmeticam proportionem quæ per eandem differentiam progreditur, in ipſis numeris ordinum Veſtibuli licet intueri, quos ex Sacro textu collegimus, viz. 50.40.30. Et hæc ipſa ratio in ſubduplis Atriorum numeris reperiatur, & in ſubquadruplis domus Regiæ. De proportione Geometrica in qua primus ad ſecundum eandem habet rationem quam ſecundus ad tertium ſi continua ſit proportio, aut quam tertius ad quartum ſi diſcreta, non eſt hujus loci exempla proferre; nam ſi univerſa exemplis probare velimus, ea omnia in unum locum congerere cogemur quæ de partium menſuris ſeorſim alibi proſecuti ſumus. Illud verò hujus ædificii proprium eſt atque maximè obſervandum, ídque ad harmonicam proportionem ſpectat, quod non alia ratione viſus hujus ædificii partibus contemplandis delectari videatur, quam auditus vocum aut inſtrumentorum ſuavi modulatione perfruatur. Porrò concentus omnes, quos Græci *συμφωνίας* appellant, ſunt omnino ſex, Diateſſaron, Diapente, Diapaſon, Diapaſon cum Diateſſaron, Diapaſon cum Diapente, Diſdiapaſon. Verùm cùm Diapaſon cum Diateſſaron ſuperpartiens denominari poſſit, harmonica certè conſonantia non eſt; atque adeo omnes conſonantiæ ſunt tantùm quinque, tres viz. ſimplices, duæ compoſitæ. Et horum quidem rationem in Monochordo examinant Muſicæ periti. Hîc vide antecedentem Tabulam partium Trabeationis.

De Templi admirandis.

Villalpandus lib. 5. cap. 26. Templi Architectus fuit ipſe Deus ex 1 Par. 28. 19. *Omnia*, inquit David, *ad me venerunt ſcripta manu Dei ut intelligerem univerſa opera exemplaris.* Quibus verbis (inquit Villalpandus) deſignatur quod Dei manu non deſcriptiones modo, figuræ ac diſpoſitiones omnes, Ichnographiæ, Orthographiæ & Scenographiæ graphicè depictæ fuerint, verùm etiam longior quidam Commentarius, in quo univerſa Davidi tradita fuerant, & ab eo Salomoni, per artifices opere complenda. Dei Architecti veluti executor, quem Hiſpani vocant *apparejador*, fuit Hiramus, de quo 2 Par. 2. 13, 14 & 1 Reg. 7. 13, 14.

CAP. XXVII. Villalpandus ex 1 Reg. 5. 13, 14, 15, 16. & ex 2 Par. 2. 17, 18. colligit operariorum numerum fuiſſe 411900. nempe ex Proſelytis 150 m. & præterea 3600 Præfecti; Deinde ex Iſraelitis 30 m. qui per vices operabantur, 1 Reg. 5. 13, 14, 15, 16. & 2 Par. 2. 17, 18. His addit 80 m. Tyriorum, totidémque Ægyptiorum ex Eupolemo, quia 1 Reg. 5. 17, 18. fit mentio cæmentariorum Hirami qui junguntur cæmentariis Salomonis. Hos omnes Villalpandus vult occupatos fuiſſe in monte lapidibus atque lignis cædendis, dolandis atque convectandis. Præter hos vult fuiſſe 165 m. qui Jeroſolymis præparatos lapides exciſaque ligna in ipſo ædificio diſponerent, cum ipſorum præpoſitis 3300. Horum 165 m. quia non fit expreſſa mentio eos colligit ex 3300 præfectis, quorum mentio fit 1 Reg. 5. 15, 16. quos præpoſitos vult eſſe diverſos à 3600 præpoſitis quorum fit mentio 2 Par. 2. 2, 17. 18. Porrò ex collatione 3600 præpoſitorum cum 180 m. quibus præfecti erant, colligit quinquagenis operariis unum præpoſitum fuiſſe ἐργοδιώκτην ſive præfectum. Itaque 3300 præfectos Hieroſolymitanos eâ ratione dare operarios 165 m. [L. Cappel. In operariis his recenſendis falli atque hallucinari videtur omnino Villalpandus, ac pro more ſuo omnia in majus augere ſine neceſſitate. Nam ad Eupolemum quod attinet qui de ſuo addit 80 *m. Tyriorum totidémque Ægyptiorum,* authoritas ejus tacente Scripturâ nulla eſt. Ægyptiorum autem in hac fabrica mentio nulla eſt in Scriptura, Tyriorum quidem illa meminit & eorum non indicato numero. Itaque videntur omnino illi comprehendi in illis 150 m. peregrinorum ſeu proſelytorum quos גרים Scriptura vocat, quique memorantur 2 Par. 2. 16. Salomon enim dominabatur toti Palæſtinæ uſque ad Euphratem, ac proinde omnibus Chananæis qui circa Tyrum & Sidonem in monte Libano & circa eum habitabant, qui etſi Tyriorum Regi ſubditi eſſent, erant tamen Salomonis tributarii. Ergo ſecundùm Scripturam fuerunt tantum in univerſum 80 m. operariorum, nempe 150 m. גרים & 30 m. Iſraelitæ. Præfecti eorum 3600 comprehenduntur in illo numero. Nam ſi 150 m. peregrinorum dividerentur in πεντηκοντάδας, invenientur 3 m. πεντηκοντάδες. Jam verò in ſingulis πεντηκοντάσι unus eligebatur qui reliquis 49. præficiebatur, eratque eorum ἐργοδιώκτης. 30. verò millibus Iſraelitarum præfecti videntur fuiſſe 300 centuriones, ſic fiunt 3300 præfecti, qui memorantur 1 Reg. 5. 15. Quod autem 2 Par. v. ult. dicuntur fuiſſe 3600 vel Σφάλμα eſt Librarii, cujuſmodi Σφάλματα in numeris frequentia occurrere in libris Sacris in Critica noſtra Sacra oſtendimus: Vel etiam hoc ἐναντιοφανὲς ſic conciliari poteſt, ut dicamus decem πεντηκοντάρχοις proſelytorum præpoſitum unum fuiſſe πεντακοσίαρχον, ita ſuper 30. m. πεντηκοντάρχοις proſelytorum præpoſiti fuerint 300 πεντηκοσίαρχοι qui ſi addantur ad præcedentem numerum 3300 præfectorum, erunt in univerſum 3600 præfecti. Hi autem 180 m. operarii in tres partes diſtribuebantur, quarum una conſtans 60 m. hominum menſem unum operabatur in monte, lapides & ligna cædendo & convectando, reliquos duos menſes domi manebat; alternis enim & per vices operabantur & quieſcebant, non verò perpetuo occupabantur in opere: nam quod de 30 m. Iſraelitis dicitur 1 Regum 5. 14. id per analogiam & proportionem de reliquis operariis intelligendum eſt. Fuerunt ergò in univerſum 60 m. homines qui perpetuo in opere occupabantur. Horum fere dimidia pars (nempe circiter 25 m.) occupantur in convectandis lignis & lapidibus, reliqui illis in monte cædendis, dolandis atque ſculpendis ac præparandis. Verbum enim חצב & חטב quo Scriptura utitur de utriſque tam lignis quàm lapidibus uſurpari poteſt; aut ſi diſtingui debent חצב de lapidibus, חטב, verò de lignis potiùs uſurpatur; unde eſt quod Arabicè حَطَبٌ חטב *lignum* ſignificat.]

CAP. 27, 28, 29, 30 & 31. Villalpandus confert Templi ſtructuram cum univerſi mundi fabrica, cum caſtrorum Iſraeliticorum circa Tabernaculum Moſaicum diſpoſitione, denique cum humani corporis fabrica & proportione. (De quibus vide Tabulam propriam) ubi multa à Villalpando gratis ſumuntur, vel ex cœnoſis Judæorum lacunis, & febriculoſis Rabbinorum ſomniis atque commentis hauriuntur, atque pro libitu & arbitrio Villalpandi collocantur atque diſponuntur.

CAP. 32, 33, 34 & 35. perſequitur nonnullas Templi cum Chriſto myſticas & typicas ſimilitudines. Calamum quo omnia Templi membra & partes menſurantur comparat Charitati. Corpus Chriſti Templo fuiſſe adumbratum oſtendit ex Joh. 2. 19. quam ſimilitudinis rationem in eo ſtatuit ut fingat Corpus Chriſti brachiis diductis ſed junctis cruribus extendi per totum Templum, ita ut caput occupet Sanctuarium, pectus Altare, pedes portam Orientalem, manus verò Aquilonarem & Meridionalem portas. Quomodo ergo per tres illas portas aditus & via ad Altare & Sanctuarium patebat, ſic per Chriſti pedum & manuum vulnera patet nobis ad verum Sanctuarium aditus. Mare autem æneum ad latus Meridionale Templi prope Altare conſtitutum figurabat aquam & ſanguinem è latere Chriſti dextro promanantem ad peccatorum noſtrorum ablutionem ſpiritualemque ſanctificationem. Hæc quidem ſunt acutè & ingenioſè à Villalpando excogitata, ſed non parum coacta tamen videntur, ac ſubtile ingenii humani acumen magis quam Spiritus Sancti ſolidam ſapientiam atque doctrinam ſapere atque redolere.

Summa totius ſtructuræ Templi, ejuſque magnificentiæ. & Salomonis gloriæ atque opulentiæ. Ex Villalpando Tom. 2. Explanationum. Part. 2. lib. 5 Diſp. 4. cap. 60.

SUBSTRUCTIONES.

Parietum ſubſtructionis longitudo erat ſuperne 800 cubitorum quorum ſinguli paſſus communes exæquabant, infernè cubitorum 1000. Latitudo 100 cub. in angulis 50 cub. ubi erant anguſtiſſimi, altitudo 300. Anterides ſive eriſmæ quibus paries fulciebatur, ejuſdem cum pariete altitudinis, nempe 300 cubit. latæ in quadrum ſuperne 50 cub. quanta erat muri craſſities, infernè vero extra murum ſubſtructionis procurrebant 150 cubit. ea nimirum proportione qua pes tibiæ craſſitiem ſuperat. Lapides quibus extructæ erant ejuſmodi ſubſtructiones, longi erant (ſecundum Joſephum) 40 cub. (alias 25. cub.) lati 12. alti 8. omnes ex marmore ſerrâ intrinſecus & extrinſecus ſecti, commiſſuræ lapidum ita latentes ut oculos fallerent.

COLUMNÆ.

Columnæ item è Pario marmore 1453. non computatis dimidiatis columnis parietibus ac pilis adpactis, numero pluſquam duplo plures. Singulæ è ſingulis ſaxis, craſſæ quantum tres homines conſertis ulnis amplecti poſſent, decupla altitudine. Nulla minor altitudine 15. cubit. Capitella opere Corinthio pulchra ad miraculum.

FENESTRÆ.

Præter eas quæ in pavimento aperiebantur ad illuſtrandam hypogæam habitationem, fuerunt majores quædam feneſtræ 2246.

PERIBOLUS.

Peribolus ex ſingulis lateribus longus 125 calamos, craſſus & altus calamum unum, h. e. palmos Rom. $22\frac{121}{1000}$, vel Hiſpanicos $23\frac{659}{1000}$ cancellis marmoreis inter columellas calamum unum cubicas. Via inter Peribolum & porticum gentium lata $37\frac{1}{2}$ cub. longa calamos 123. ſive cubitos $768\frac{3}{4}$.

PORTICUS GENTIUM.

Longa calamos 110, ſive cubitos $687\frac{1}{2}$, lata cubitos $43\frac{3}{4}$. Paries ejus ſuper altitudine Periboli erigebatur uſque ad ſummam domatis coronam cub. 25. utriuſque autem Porticus (nam duplex in altitudine erat) altitudo erat par latitudini, nempe cubitos $43\frac{3}{4}$. Atrium Gentium latum 50 cubitos, longum 600.

ATRIORUM.

Paries ejus longus 500 cubitos, altus cum triplici columnarum ordine 60. cubit. præter ſtylobatæ altitudinem quæ par erat peribolo, nempe calami unius. Portarum ejus (in quibus quartus columnarum ordo erigitur) altitudo à pavimento Atrii Gentium fuit cub. 78. Caſtellorum autem (in quibus quintus erat columnarum ordo) cubit. 90. Atriorum Iſraelis areæ (quæ ſeptem fuerunt) ſingulæ quadratæ erant 100 cubitos. Area autem Atrii interioris ſive Sacerdotum, in cujus medio Domus Dei inſidet, proprioque peribulo cingitur, ejuſdem eſt cum cæteris latitudinis, nempe 100 cubitos, longitudine verò hujus dupla ſeſquialtera, h. e. cubitos 250. Porticuum quibus areæ undique cingebantur longitudo par erat areæ, latitudo dimidia longitudini, nempe cub. 50. Caſtella in angulis & Porticuum conjuncturis conſtituta, numero 16. ſingula quadrata cubitos 50 longa & lata. Portæ ſex, tres exteriores in Atrio Iſraelis, interiores totidem quæ aperiebantur in Atrium Sacerdotum, ſingulæ longæ 50 cubitos (quantum nimirum porticus erant latæ) latæ verò 25 cubitos, ſpatium verò vacuum relictum inter Thalamos latum erat 10 cubitos. Thalami ſex, tres ab uno latere, totidem ab altero. Thalami quadrati calamum unum longi, lati & alti, cancellis undique cincti. Poſtium craſſitudo calami unius. Portarum lumen altum 13 cubitos, latum 8.

DOMUS DEI.

Latitudo turris erat cubitos 64. altitudo ab ima turris parte ad lapidis angularis apicem, qui totius ædificii eſt pars ſublimior, cubiti 125. Veſtibulum ab altero pariete uſque ad parietem Sancti alterum, latum eſt cubitos $12\frac{1}{2}$ (*en dedans oeuvre*) longum cubitos 20. Sancta, ſive locus ſanctus cub. 20 longitudine dupla (nimirum cubitos 40) in qua includitur paries interjectus qui dividit Adytum, latus ſeu craſſus cubitos $2\frac{1}{2}$. Adytum interius longum latum & altum fuit cubitos 20, abſque feneſtris. Erant in univerſo ædificio Cubicula 712, ferè quadrata omnia, ſingulorum inane erat cubitos 12, quædam ex illis multo majora. Præterea erant ſubterraneæ officinæ, Culinæ ſacræ & prophanæ, & Gazophylacia ampliſſima in quibus ſervabantur decimæ & primitiæ totius Iſraelis. Erat præterea, maxima illa aula quæ Sancto & Sancto ſanctorum imminebat, in qua ſervabantur Tabulæ, Cortinæ, ac cætera Tabernaculi inſtrumenta & anathemata ſacra. Via quæ inter cubicula utrimque poſita interjacet, eandem habebat cum cubiculis latitudinem, longitudinem verò cubitos 487. Trabes communes habuerunt minimam longitudinem cubitos $12\frac{1}{2}$, craſſæ cubitos $1\frac{1}{4}$, latæ cubitos $1\frac{7}{8}$. Aliæ fuerunt majores quæ domus Dei univerſæ latitudinem colligabant, longæ cub. 54. craſſæ cubit. $2\frac{1}{2}$ latæ cubitos $3\frac{3}{4}$. Omnes cedrinæ ſculpturis, cælaturis, bracteis aureis erant ornatæ. Pavimentum totius ædificii, præſertim Porticuum, ſtratum erat lapidibus varii diverſique coloris admodum pretioſis, adeoque cruſtis artificioſè ad picturæ normam teſſellato opere conjunctis erat compoſitum, ut unius inſtar lapidis appareret. Parietes, tectum & pavimentum ſanctæ Domus laminis aureis contecta ſplendebant, clavis ſimiliter aureis affixis, quorum capita miro artificio elaborata erant, in eorumque ſingulis auri 25. unciæ conſumptæ ſunt. Erant omnes variis & artificioſiſſimis cælaturis inſculpti, & encauſti loco varii coloris pretioſiſſimæ gemmæ auro incluſæ, ſuis locis miro ordine diſponebantur, quæ ſuo ſplendore ſtellarum cœtum imitarentur. Vaſa ex auro conflata 440 m. Argentea 1340 m. Conſumpta in his 108 m. auri talenta, cum 2 m. auri ſiclis. Quæ auri ſumma æquivalet Romanæ Monetæ aureis ſcutis 1817654024. Argenti verò talenta mille millia, faciant Romanæ Monetæ aureos ſcutos 1464480000. De qua auri & argenti ſumma nihil detractum eſt ſolvendæ operariorum mercedi vel iis nutriendis, vel aliis impenſis Templi faciendis, ſed totum illud aurum & argentum in Templo ſanctificatum fuit. Aurum hoc univerſum in ea vaſa conflanda expenſum ad formam cubicam revocatum efficit cubicos cubitos 500, quam maſſam vix caperet cubiculum quadratum cubitos 10, altum 5. Argentum verò ad eandem formam cubicam revocatum implere potuit totam Oraculi domum, quæ longa, lata & alta erat 20 cubitos. Altaris ænei pondus fuit talentorum 20 m. Maris ænei pondus fuit talentorum 8640, quæ æquivalent Romanis libris 1080000. Tectum univerſum Templi tegulis æneis operiebatur, quare omnium pondus ad minimum eſt talentorum 500141 cum libris præterea 103, ſive librarum Rom. 625117728. In duabus æneis columnis conflandis impenſa ſunt æris talenta 19027, paria libris Rom. 23178375. Eiſdem auro veſtiendis (cujus craſſitudo erat unius digiti) expanſa ſunt auri talenta 5758, quæ æquivalent ſcutis Rom. 9691078 In decem luteribus cum ſuis vaſibus expenſa ſunt æris talenta 20 m. quæ æquivalent libris Rom. 2. Millionibus, ſive 2000000. Adhibuit Salomon in Templi fabrica operarios Iſraelitas, Sidonios, Tyrios, Ægyptios 401900, quorum ſingulis ſub diſceſſum abſolutâ fabricâ, præter diurnam mercedem & omnia ad victum neceſſaria durante fabricâ abunde ſuppeditata, liberaliter erogavit auri ſiclos denos, h. e. Scuta Rom. 56. Quorum omnium ſumma eſt 4109000, æqualia ſcutis Rom. 22546590. Præbebat Salomon in cibaria domûs Regi Tyrio coros tritici 20 m. Vini metretas 20 m. Olei coros 20, ſeu metretas 200. Ægyptio Regi dabat earundem rerum parem vel modum vel pretium aliis rebus permutatum. Dabat Tyriorum 80 m. in ſingulos annos coros tritici 120 m. & hordei totidem, atque adeo Arithmeticâ ratione operariis omnibus erogabat in ſingulos annos tritici coros 602850. Dabat ſextæ parti Tyriorum operariorum metretas vini 20 m. Ergo omnibus Tyriis 80 m. metretas 120 m. Igitur omnibus operariis dabat vini metretas 602850. Eidem ſextæ Tyriorum parti qui ligna cædebant dabat olei ſata 20 m. Igitur omnibus Tyriis dabat ſata 120 m. Ergo omnibus operariis 602850 ſata olei, h. e. Hiſpanæ *Arrobæ* 565171, vel Italicæ *Botte* 17661. Et præter hæc, carnes & alia neceſſaria in ſingulos menſes ex Galilæa, Samaritide, &c. Abſolutis ædificiis dono dedit Salomon Regi Ægyptio olei metretas 10 m. ſive dolia vel *botte* Rom. 878. Dactylorum artabas mille ſive coros 166. Mellis vaſa 100 atque aromata. Tyrio Regi præterea dono dedit 20 oppida in Galilæa, & auream maximi pretii columnam. Quamvis tanta eſſet Gentium & operariorum varietas & multitudo quæ in hoc ædificio operam navabat, quamvis tam abunde copiam rerum omnium ad victum neceſſariarum ſuppeditatam operariis providerit, quamvis ad manus habuerit infinitam pene pecuniam mercedi ſolvendæ, & operariis ſuſtentandis, quamvis maximas impenſarum partes paratas à Davide habuerit, aurum, argentum, ferrum, æs, pretioſos lapides abundantiſſime, lapides grandes è monte Libano, ligna cedrina & abiegna, & ſexcenta alia tanto ædificio neceſſaria, nihilominus ſeptem annos cum dimidio conſumpſit ædificando Templo. Tantæ moræ cauſa erat Templi magnitudo. Quare Joſephus affirmat hæc tam magna & pulchra opera perfeciſſe ſeptennio, non ad opulentiæ modò ſed ad celeritatis oſtentationem.

Reditus Salomonis annui.

Ex duodecim tribubus tributi nomine colligebat talenta auri 1440. Ex ſubjugatis Gentium regnis 666. Ex fodinis Ophir triennio 450 vel 420. Summa eſt aureorum talentorum 2226. Æquivalent ſcutis Rom. 73463580. Argenti talentis Hebraicis 26712. Atticis talentis 53426. Hæc præter aurum quod habebat ex vectigalibus univerſi regni Iſraelitici & aliorum regnorum; Excepto item argento tum ex tributis, tum ex vectigalibus, tum ex fodinis, cujus pondus decuplo majus erat auro. Annona præterea regiæ domûs tanta erat ut ex ea ſuſtentari potuerint 48600 homines. Adde expenſas in nutriendis equorum currilium 40 m. & equeſtribus 12 m. item curribus 1400 eorumque famulis ſtabulariis 14400. Templi & Tabernaculi uſibus è cenſu capitis ſingulis annis Hebræi dabant Argenti talenta circiter 22 m. quæ æquivalent ſcutis Rom. 31680000. Capitationi addebant Aurum pari ſaltem æſtimatione, ex quo fit ut inferrent ſingulis annis Hieroſolymam Argenti talenta 70712, quæ æquivalent ſcutis Rom. 100815580. Quibus ſi reliqui proventus addantur, quorum ſumma ignoratur proculdubio ſumma aſcendiſſet ad Hiſpanica ſcuta millies millia, quod vulgò diceremus *cien milliones*.

Templi Salomonici vaſa ex Joſepho lib. 8. Antiq. cap. 2.

	Aurea.	Argentea.
Pateræ	20. m.	40. m.
Candelabra	10. m.	20. m.
Canthari	80. m.	160. m.
Phialæ	100. m.	200. m.
Lances	80. m.	160. m.
Crateres	60. m.	120. m.
Menſuræ olei & vini	20. m.	40. m.
Acerræ odoramentorum	20. m.	
Acerræ ad ignem deferendum	50. m.	
Tubæ		200. m.
Inſtrumenta muſica.		400. m.
	440 m.	1340 m.

Stolæ Sacerdotales ex byſſo cum Zonis purpureis. 10 m.
Stolæ Cantorum byſſinæ 2000 m.

Davidis Theſaurus Salomoni relictus, ex Villalpandi æſtimatione.

	Auri talenta		Argenti talenta.
1 Par. 22. 14.	100 m.		1000 m.
1 Par. 29. 3. 4.	3 m.	Sicli aurei 1000 m.	7. m.
1 Par. 29, 7, 8.	5. m.		10. m.
	108 m.	2500.	1017 m.

Scuta Romana.
Pretium Auri 1817654024
Pretium Argen. 1464480000 1464450000
Summa totalis 3282134024

Ad hujus ſummæ tam immenſæ confirmationem ſubjicit Villalpandus locum Eupolemi ex Euſebio lib. 9. Præp. Evang. extremo, qui locus ſic habet. *Porro Auri ſumma, quod in duas columnas fuerat Templumque collatum, fuit quadrageſies ſexies centena millia talentorum. In clavos verò ac reliquum apparatum Argenti talenta mille ducenta triginta duo, Æris verò in Columnas & Labrum & Porticum talentorum duodeviginti millia & quinquaginta.* Cujus Eupolemi computatio (inquit Villalpandus) facile cum numero S. Scripturæ conferetur, cum perſpectum erit, Argenteum talentum apud Græcos in uſu fuiſſe, Aurei verò talenti nullam fieri à Græcis Hiſtoriographis mentionem. Et talenta quidem Attica computaſſe eum exiſtimamus, & omnem expenſarum ſummam Auri nomine compellaſſe. Quibus ſtatutis numerus talentorum Auri S. Scripturæ duodecies multiplicetur, ut fiant talenta argentea, & producto numero addatur numerus talentorum Argenti S. Scripturæ, & tota ſumma bis accipiatur ut fiant ex Sacris Attica talenta, & habebis numerum Eupolemi quadragies ſexies centena Atticorum talentorum millia, reſpondentia talentis à Sacra Scriptura computatis; nam 26 m. talentorum quæ ſuperſunt, prætermiſſa fuiſſe videntur ab Eupolemo vel tanquam minima pars tam magni numeri, vel quòd publica fama, ſecundùm quam ejuſmodi ſummam poſuerat, minores illos numeros contempſerat. Quod autem Eupol. ſubjungit, *In clavos ac reliquum apparatum Argenti talenta expenſa fuiſſe* 1232, Villalp. vult referendum ad id quod idem Eupolemus narrat Salomonem *Templum intrinſecus laterculis aureis* (quadratis) *quinque cubitorum opere fuſorio deauraſſe, atque quaternis argenteis clavis talenti pondere* (ſingulis) *confixiſſe in papillarum ſpeciem ordine diſpoſitis, atque ita illud à pavimento ac tectum uſque inauraſſe, contignationem etiam ex laquearibus aureis confeciſſe.* Sunt nempe in toto Templo 304 ejuſmodi quadrati laterculi (nimirum 96 in Oraculo, 208 in loco Sancto) Oraculum enim cubicum erat, & patebat in omnes partes 20 cubitos: Sanctum verò longum erat 40, latum 20, altum 30 cubitos. Illis 304 laterculis, ſi quaternos des clavos Argenteos, fient in univerſum clavi 1216, totidem talenta ex Eupolemo pendentes: ſexdecim talenta quæ ſuperſunt ſignificat expenſa fuiſſe in reliquo apparatu.

Hæc porrò tam ingens Auri Argentique copia eò major eſſe videbatur, quòd licet tota ad Templi apparatum & ornamenta fuiſſe exiſtimetur, ad impenſas tamen Templi ferè nihil fuiſſe videatur; quippe cùm in alendis operariis atque ſolvendis, in exſtruendis Machinis, in ſubvehendis oneribus, atque in aliis innumeris rebus quæ in ædificiis ſunt neceſſariæ nihil ex ejuſmodi Auri vel Argenti ſumma imminutum ſit. Nam in Paralip. ſic legimus, *Intulit igitur Salomon omnia quæ voverat David pater ſuus.* Hæc verò quæ fuerint indicat ſubjungens, *Argentum & Aurum & univerſa vaſa poſuit in theſauris domus* Dei. Ea verò quæ ſancta ſunt nefas eſſet in manus artificum aut mercatorum dare ac profana reddere: quapropter ea omnia oblata illata quidem fuere ibique conſervata, donec Templi cultus & religio prophanata fuit. Quibus tam amplis atque inauditis pene Donariis cumulus acceſſiſſe videtur Gemmarum, quarum minima moles pretio atque æſtimatione plerumque major eſt alia Auri & Argenti ſumma quantumvis maxima. De his porrò quarum certa ratio reddi non poteſt, nulla reddetur.

TEMPLI HIEROSOLYMITANI

SITUS, FORMA, STRUCTURA atque DELINEATIO

Ex Joſephi lib. 6. De bello Jud. cap. 6. & Antiq. lib. 15. cap. 14. itemque lib. 18. cap. 2.

Per *LUD. CAPPELLUM.*

TEmplum firmiſſimi collis jugo fuit impoſitum, circa quod tota Hieroſolymorum civitas in Theatri quodammodo ſpeciem erat circumpoſita, atque ab eo profundis vallibus tribus ex partibus diſcreta atque ſejuncta. Ex Orientis autem parte Collis ſenſim à vertice verſus eam Urbis partem quæ *Acra* dicitur declivis erat atque reſupinus. Initio autem vix Templo & Aræ quæ juxta Templum eſt ſufficiebat jacens in ſummo Collis jugo area atque planicies, quod undique præruptus eſſet, arduus, petricoſus atque declivis Collis. Verùm Solomon (qui primus Templum condidit) partem eam quæ ab Oriente eſt in ſummo jugo muro munivit fortiſſimo, & aggeſtæ illi terræ porticum impoſuit. Quin & tribus aliis ex lateribus collem imis à radicibus incipiens ad ſummum ejus jugum muro firmiſſimo & altiſſimo cinxit, cujus ſaxa erant 40 cubitos longa ferro & plumbo intus devincta, atque inter ſe connexa, ut in omne ævum perdurarent adverſus omnem temporum injuriam. Hoc opus poſtquam coæquatum eſt vertici, cavitas quæ murum inter & tumulum intercedebat aggeſtâ terra repleta eſt, ut complanatis omnibus fieret quadrangularis area, cujus ambitus erat quatuor ſtadiorum, ſingulis lateribus per ſtadium unum in longum porrectis. A parte autem Auſtrali & Occidentali profundiſſima valle ambiebatur, cui murus ille imminebat, altus ea parte 300 cubitos, cui altitudini præterea accedebat Porticûs ipſi ſuperſtructæ tota altitudo, ut ſiquis in anguli illius ſummo vertice conſtitutus deorſum aſpiceret, & utramque illam altitudinem conjunctam contemplaretur, caligarent oculi, vertiginemque capitis ipſe pateretur, viſu deficiente ob nimiam profunditatem, priuſquam ad imum pertingeret; valle in immenſum iſthac dehiſcente, quin & quibuſdam in locis major erat fundamentorum profunditas, quæ non conſpiciebatur ob aggeſtam ad complendas valles terram, ut anguſtæ nimium civitatis viæ complanatæ dilatarentur. A Boreali parte non erat tanta vallis profunditas; quin & ab ea parte Templo adjacebat arx *Antonia*, & ipſa quadrangularis ambitu duorum ſtadiorum, tumulo undique præciſo 50 cubitos alto impoſita, Temploque juncta in Occidentali & Boreali ejus angulo. Quadrangulari illi quatuor ſtadiorum ambitus muro impoſitæ erant pari menſurâ & longitudine Porticus quatuor magnificentiſſimæ, tantorum fundamentorum vaſtarumque ſubſtructionum dignitati & ſtructuræ magnificentiæ paria & condigna opera. Harum illa quæ Meridionali lateri impoſita erat *Regia* dicta triplex erat, ſtadii unius longitudine ab Orientali in Occidentalem angulum porrecta; neque enim ulterius produci poterat ob ſupradictam profundam vallem. Stabant autem in ea paribus intervallis in longum ducti quatuor columnarum ordines, quorum quartus connexus erat ipſi exteriori Porticûs muro. Univerſus earum numerus fuit 162. capitellis opere Corinthio ſculptis, pulchris ad miraculum; earum craſſitudo tanta erat quantam poſſent tres homines conſertis inter ſe ulnis complecti, longitudo autem pedum 27 (videtur legendum 37. nam mox infra dicit columnas reliquarum porticuum fuiſſe 25 cub. altas; jam verò 25 cubiti faciunt pedes 37 pede cum dimidio) duplici ſubjectâ ſpirâ. Hæ columnæ quaterno ordine in longum diſpoſitæ triplicem faciebant Porticum, ſive tria in Porticu ipſa ad deambulandum diſtincta ſpatia. Horum duo erant ab utroque porticûs latere æqualia, lata nimirum pedes 30, excelſa verò pedes 50, illius autem quod medium fuit latitudo erat ſeſquialtera (hoc eſt pedum 45.) altitudo vero dupla, tantum nempe hoc ſuperabat utrumque alterum ſpatium. Excitatus autem erat ſuper ejus epiſtylia paries lapideus politiſſimus columnis aliis inſertis diſtinctus, mirabili artificio commiſſuris oculos fallentibus. Hujus laquearia erant cedrina variis & multiplicibus figuris ſculpturata. Reliquæ tres Porticus duplices erant latæ 30 cubitos, quarum columnæ 25 cubitos erant altæ, de ſingulis ſaxis ſingulæ ex candidiſſimo marmore trabibus & laquearibus cedrinis ornatæ, quarum trabium & laquearium naturalis pretioſitas, quodque eſſent è ligno politiſſimo & aptiſſimè cohærente digniſſimam viſu exhibebant pulchritudinem, cùm cæteroqui nullo vel ſculptoris vel pictoris opere extrinſecus exornarentur. Porrò Orientalis & Meridionalis Porticus ſingulæ in medio habuerunt portam ab utroque angulo æqualiter diſtantem, quâ hinc in Acram, inde in reliquam urbem patebat aditus. Occidentalis verò porticus quatuor habuit, quarum una tranſitus erat εἰς τὰ βασίλεια (h. e. Herodis regiam) per vallem in medio interjectam; duæ in ſuburbia (τὸ προάστειον) ducebant, quartâ ibatur in reliquam urbem, gradibus multis ad imam uſque vallem diſpoſitis, atque inde rurſum aliis per acclive tendentibus. Atque hoc modo ſe habuit prior & exterior Templi ambitus ſive ſeptum, quod Judæis cum Gentilibus fuit commune, in illud enim patebat etiam ipſis Ethnicis ingreſſus. Intra hunc exteriorem ambitum, ſive ſeptum, aliud fuit interius ſeptum non longe à priori illo diſſitum, & ipſum quoque quadratum, proprioque muro lapideo ſeptum quo ſummus collis vertex cingebatur. Hoc ſecundum Septum ἅγιον & δεύτερον ἱερὸν, h. e. *Sanctum*, ſive *ſecundum Templum* dicebatur. Ad illud ſolis Judæis, tum viris tum fœminis, iiſque ſecundùm legem mundis patebat ingreſſus, proptereaque quà à priore Septo ad ſecundum via dabatur per interjectum ſub dio ſpatium lorica fuit lapidea elegantiſſima tres cubitos alta, cui æquis poſitæ intervallis columnæ ſuperſtabant Græcis & Romanis inſcriptæ literis, quibus ſignificabatur non licere alienigenis ſub pœna capitis in locum *Sanctum* tranſire, itaque ex priore Septo ejuſque Porticibus proſpectantes Ethnici verſus Templum adorabant. Spatium autem quod ſub dio (ὕπαιθρον) intercedebat inter primum & ſecundum Septum, totum variis lapidum politiſſimorum generibus conſtratum variegatumque fuit, atque ex eo quatuordecim gradibus ad ſecundum Septum aſcendebatur, poſt hos ad murum uſque Septi ex Septentrionali & Meridionali latere ſpatium erat planum decem cubitorum, unde rurſus alii quinque gradus ad Septi portas ducebant; ex latere autem Orientali deerant gradus iſti quinque, ſolis quatuordecim gradibus aſcendebatur, ita ut gradibus iſtis quinque humilius ea parte fuerit Atrium ad quod aſcendebatur. Murus autem hujus Septi & ipſe quadratus extrinſecus quidem ad cubitos 40 attollebatur, intrinſecus verò 25 duntaxat cub. erat, cùm enim in ſuperiori Collis jugo exſtructum eſſet hoc Septum ad quod 20 gradibus uti dictum aſcendebatur, ex inferiore pars muri ipſius interius à Colle, exterius à gradibus illis tegebatur, ut tota muri altitudo propterea non potuerit interius eſſe conſpicua. Erant autem à Septentrione, & Meridie octo in ſecundo iſto Septo portæ, quatuor nimirum utrinque, duæ vero ab Oriente neceſſario, quia ab ea parte locus erat fœminis ad adorandum deſtinatus, propter eaque alterâ iſthic opus erat portâ, erátque ea ex adverſo prioris: ex aliis verò plagis una erat à Septentrione, una item à Meridie, per quas in fœminarum Septum, ſive Atrium, ingreſſus erat; nam per alias portas fœminis non licebat ingredi, ſed neque per ſuas portas ultra proprium ſibi dicatum Septum permittebantur progredi; ab Occidente vero nulla fuit, ſed continuus & perpetuus erat ab ea parte exſtructus murus. Inter portas autem illas Porticûs introrſum verſæ contra vel juxta Gazophylacia magnis & pulcherrimis ſuſtinebantur columnis, erantque illæ ſimplices, neque præter vaſtam magnitudinem ab inferioribus Septi porticibus ulla in re differebant. At ea Porticus quæ ab Oriente erat, quæ recta in Templi portam ſpectabat, duplex fuit, & ab aliis ante Herodem Regibus magno ſumptu fuerat exſtructa atque decorata. Portæ autem illæ octo quæ à Septentrionali & Meridionali latere fuerunt, altæ erant ſingulæ 30 cubitos totidemque latæ, atque poſt introitum introrſum dilatatæ Exhedras habebant tricenos cubitos longas & latas, altas verò 40 in turris modum exſtructas. In ſingulis binæ erant fores, totidem, nempe 30 cubitos altæ, quindecim latæ, aureis & argenteis laminis undique tectæ, unà cum poſtibus & ſuperliminari, ſingulæ autem ſingulis utrinque ſuſtinebantur columnis duodenum cubitorum craſſitudine. Porta autem illa quæ ab Oriente recta ex parte Atrii fœminarum in Templi portam reſpiciebat, multo reliquis fuit amplior, alta enim erat cubitos 50, lata verò 40, cum foribus paris magnitudinis, quæ magnificentiore ornatu decoratæ erant, craſſioribus enim auri & argenti laminis incruſtatæ erant, atque totum illud aurum atque argentum novem iſtis portis infundi curaverat pater Tiberii Alexander, Alexandriæ Alabarcha. Ex adverſo autem ei reſpondebat in exteriore Templi ambitu & Orientali ejus Porticu alia porta ampla, cujus fores erant ære Corinthio (auro & argento multo pretioſiores) obtectæ, quà in oppoſitam Acram aditus patebat.

Intra hoc ſecundum Septum tertium fuit quò ſolis Sacerdotibus acceſſus patebat, humili & eleganti lapideâ loricâ cubitum unum altâ à præcedenti diviſum, inque ejus medio Ara & Templum fuit, ad quod 12 gradibus aſcendebatur. Et à fronte quidem, latitudo & altitudo ejus par fuit, nempe centum cubitorum, pone verò 40 cubitis erat anguſtius; nam à fronte duo veluti humeri utrinque 20 cubitis producebantur. Prima autem ejus porta alta fuit 70 cubitos, lata 25, neque fores habebat ullas, cœlum enim undique conſpicuum ſemperque patens ſignificabat; frontes ejus totæ erant inauratæ, perque eam prior domus, quantumvis magna, tota interius conſpicua erat, quæque circa interiorem Templi portam auro circumfulgebant, ſpectantium oculis patebant omnia. Hæc prior domus lata erat 20 cubitos, longa 50. (legendum 40 cum Ruffino, nempe utrinque à Portæ medio ad finem veſtibuli fuerunt 40 cubiti) alta verò 90 (nempe ad contignationem uſque; nam ſupra contignationem altum adhuc erat 10 cubitos, ut ſumma 100 cubitorum efficiatur) ſine contignatione intermedia perpetua illa altitudine ad illud quod in ſummo fuit tabulatum attollebatur. Interior autem domus (quæ τὰ ἅγια ſive *Sanctum* dicitur) cùm & ipſa eſſet 100 cubitos alta contignatione intermedia diſtinguebatur in duo veluti tabulata ſive membra, quorum ſuperius 40, inferius verò 60 cubitos altum erat, latum 20, longum verò 40. In eo erat candelabrum aureum cum ſeptem lychnuchis, menſa aurea cum 12 panibus, & Altare ſuffitus aureum cum 13 variis Thymiamatum generibus. Eò ſolis Sacerdotibus λειτουργοῦσι patebat acceſſus. Portam habuit 55 cubitos altam, 16 latam, cum foribus inauratis, unaque poſtibus, & qui utrinque adjacebat pariete. Supra portam dependebat vitis aurea cum racemis aureis hominis ſtaturam magnitudine æquantibus. Foribus oppanſum erat velum ſive aulæum pari magnitudine, opere Babylonio mirabili, totum ex byſſo, purpurâ, cocco & hyacintho variis figuris contextum, in quo depicta erat tota cœli ratio, exceptis ſignorum Zodiaci figuris. Intimum poſtea adytum (quod ἅγια ἁγίων *Sanctum ſanctorum* dicitur) ſequebatur longum & latum 20 cubitos, altum verò 60, pari nempe cum τῷ ἁγίῳ altitudine, à quo altero ſimili velo ſive aulæo ſeparatum fuit. In eo nihil omnino fuit poſitum, inviſum etiam & inacceſſum erat omnibus præterquam ſoli ſummo Pontifici, qui ſemel duntaxat in anno eo ingrediebatur ſolenni feſto quo publicum à tota Gente celebratur jejunium.

Porrò circa latera inferioris hujus partis Templi multæ erant cameræ ſive cellæ mutuò perviæ cum feneſtris aureis triplici erectæ in altum tabulato, in quas juxta Templi portam (interiorem ſcilicet) utrinque patebat ex una in aliam ingreſſus. Secundum autem ſive ſuperius Templi tabulatum nullas ejuſmodi habuit adjunctas & circumpoſitas cellas, tantoque fuit propterea inferiore anguſtius, excelſius verò fuit 40 (uti dictum) cubitis; atque ſic colligitur univerſa Templi altitudo 100 cubitorum, additis nimirum ad 60 cubitos inferioris partis hiſce 40 cubitis ſuperioris tabulati, ſpeciemque habuit & formam Baſilicæ. Exterior autem Templi facies nihil habuit quod animus & oculi non mirarentur, laminis enim graviſſimis aureis undiquaque obtectum erat, ita ut ad Solis primum exorientis (ad quem obverſum erat) jubar ſplendorem ejacularetur tantum ut intuentium oculi quaſi ſolaribus radiis perſtringerentur; peregre autem advenientibus ſimile niveo monti videbatur, nam ubi deauratum non erat, candidiſſimo marmore conſtabat. In ſummo denique verubus ſive ſpiculis aureis veluti horrebat acutiſſimis ne ab inſidentibus avibus inquinaretur. Saxorum porrò quibus exſtructum erat nonnulla longa erant 45 cubitos, ſex lata, craſſa verò quinque.

Ante Templum autem ex adverſo portæ ipſius Ara collocata fuit quadrata, longa & lata 50 cubitos, alta quindecim, angulos habens inſtar cornuum prominentes, ad quam à Meridie aſcenſus ſenſim aſſurgebat; ſine ferro autem conſtructa fuit, neque unquam ferrum eam tetigerat. Cæterùm Templum & Aram cingebat (uti dictum) humilis quædam ex pulcherrimo ſaxo lorica, quâ populus à Sacerdotibus dirimebatur. Qui autem ex populo & Sacerdotibus per omnia mundi non erant, ab interiore Septo excludebantur. Sacerdotum verò quibus ob aliquem in corpore defectum non licebat per Legem ſacris operari, aderant quidem intra loricam illam cum reliquis qui integro erant corpore (partémque ſuam de ſacrificiis accipiebant) at communi & plebeia in veſte, ſacris enim veſtibus ſoli ii utebantur qui ſacra faciebant. Ad altare autem aſcendebant & in Templum ingrediebantur de Sacerdotibus qui puri & integro erant corpore, byſſinâ veſte amicti, & abſtemii, nè vino obruti in Miniſterio ſuo perperàm agerent. Summus autem Pontifex unà illis aderat, at non ſingulis diebus, ſed Sabbathis & Noviluniis ſolemnibúſque feſtis. Semel autem in anno ſolemni die Jejunii, veſte amictus ſplendidiſſimâ planéque ſingulari in Adytum ſive Sanctum ſanctorum ingrediebatur.

Antonia

Antonia Arx.

Arx Antonia exſtructa erat ad angulum quo Septentrionalis & Occidentalis ſepti exterioris Templi Porticus conjungebantur, quadrata & ipſa ſicut Templum, ab Aſamonæis primùm exſtructa (& *Baris* ab iis appellata) ad hoc ut in ea aſſervaretur ſtola Pontificia, quam Herodes poſt occupatum regnum ibidem aſſervari curavit, póſtque ejus mortem Romani eâ tanquam Arce uſi eandem ſtolam ſive veſtem ibidem repoſitam aſſervarunt ſub ſigillo ſummi Pontificis & eorum qui Gazophylacio erant præpoſiti. Ii pridie Feſti aſcendebant eò, & agnito ſigillo integro & inviolato ſtolam depromebant, móxque peracto Feſto eodèm reponebant, ſigillum ſuum Arcis Præfecto præmonſtrantes. Hanc Arcem ad Templi tutelam munitiorem reddidit multò, déque Antonii Octavii Auguſti in Triumviratu Collegæ amici ſui nomine *Antoniam* vocavit. Ea inædificata fuit ſcopulo collis ſaxoſo undique prærupto 50 cubitos alto; hunc ab ipſis radicibus levibus ex cæſo lapide cruſtis obtegi curavit Herodes, quo & decus adderetur operi, & facilè dilaberentur qui vel aſcendere vel deſcendere tentaviſſent. Deinde ante Arcis ipſius ædificium murus erat cubitorum trium, intra hunc Arx ſive Turris ipſa quadrata conſtructa erat, cujus latera erant 200 cubitos, ſive dimidium ſtadium, longa (ut totus ejus ambitus fuerit duorum ſtadiorum, Templum autem illi junctum, unà cum ipſa Arce, ſex in univerſum fuit ſtadiorum) 40 verò cubitos alta. Cúmque tota haberet Turris ſpeciem, quatuor in angulis quatuor habuit alias turres quarum 3 fuerunt 50 cubitos altæ, illa verò quæ ad angulum Meridionalem [Angulus ille ſic dicitur non reſpectu Templi ſed reſpectu Antoniæ: non enim ſita fuit Antonia ad Meridionalem & Orientalem Templi plagam, ſed ad Septentrionalem & Occidentalem ejus angulum] & Orientalem ſita erat, 70 cubitis eminebat, ita ut ex ea totum Templum conſpici poſſet, quà verò Templi porticibus jungebatur utrinque in ambas habuit deſcenſus, unde milites commeabant ad Templi cuſtodiam. Semper enim in ea Romani milites reſidebant qui per Porticus cum armis diſpoſiti feſtis diebus obſervabant nè populus aliquid tumultuaretur: nam Templum urbi veluti Arx ſeu Caſtrum quoddam erat impoſitum, Templo verò ipſa Antonia, in qua qui erant collocati milites trium illorum erant cuſtodes, Urbis nempe, Templi & Antoniæ ipſius, præterquam aliud fuit ſuperioris civitatis veluti præſidium quoddam, Herodis nempe Regia. Antoniæ autem olim Bezetha ſive nova civitas juncta fuit, ſed eam ab iſta Herodes profundâ & latâ foſſâ ſeparavit, ut ſic nulla ex parte acceſſus ei præterquam ex Templo pateret. Porrò ipſa Antonia introrſum Regiæ altitudinem & formam habuit, diviſa enim & diſtincta fuit in varia omnis generis omníſque uſus habitacula, atria, porticus, balneas & aulas ampliſſimas militibus collocandis aptiſſimas, ita ut ſi omnia quæ in ea erant ad uſum vitæ neceſſaria ſpectentur, Urbs; ſi verò ſtructuræ magnificentia, Regia videretur.

In Templi Hieroſolymitani deſcriptionem a Joſepho factam, & dimenſiones ab eo traditas OBSERVATIONES.

Totius Templi longitudo atque latitudo.

Joſephus & Talmudiſtæ totum Templum quadratum faciunt, cum duplici Septo, interiore uno, exteriore altero, quorum alterum altero includebatur, quomodo quadratum minus in majore includitur. Talmudiſtæ Septum exterius vocant *montem Domûs*, הר הבית, interius autem vocant מקדש *Sanctuarium*; à Joſepho iſtud dicitur ἅγιον & δεύτερον ἱερόν. Joſephus Septi exterioris latera ſingula facit longa ſtadium unum, Talmudiſtæ autem 500 cubitos. Hæc videntur adverſis frontibus pugnare, cùm omne ſtadium ſit ſpatium apud omnes Gentes longum 400 duntaxat cubitos, ſive pedes 600, paſſus 120, aut ad ſummum cubitos 412 $\frac{1}{2}$, pedes 625, ſive paſſus 125, quandoquidem octo ſtadia mille paſſus conficiunt ſive 5000 pedes. Sed hæc facilè conciliari poſſunt, ſi dicamus Joſephum ſtadia intellexiſſe Hebraica, Talmudiſtas autem cubitos intellexiſſe non Hebraicos, ſed vel Atticos vel Romanos. Nam ut ab aliis (Jac Capel. de menſuris intervallorum, Defin. 29.) jam antea obſervatum eſt, qui de menſuris accuratè ſcripſerunt, pes Hebraicus Romano (& verò etiam Attico ferme) major eſt præciſè quartâ ipſius Romani pedis parte, ita ut 4 pedes Hebraici faciant 5 Romanos, & 600 Hebraici Romanos 750, Atticos 744, proindéque 400 cubiti Hebraici faciunt præciſè 500 Romanos. Hoc pacto ſtadium Hebraicum conſtans 400 cubitis Hebraicis, & 500 cubiti Romani, una ſunt eadémque plane menſura paris omnino longitudinis. Hoc itaque ſit jam conſtitutum, ſingula Septi exterioris latera longa fuiſſe 500 cubitos, non Hebraicos ſed Atticos vel Romanos, omnéſque cubitos, quibus tum Joſephus tum Judæi in Templi dimenſione utuntur eſſe Atticos vel Romanos cubitos. Atque hæc eſt amplitudo quæ ab Ezechiele tribuitur toti ambitui Templi, quo omnia Templi atria & membra continebantur, c. 42. 20. ubi pro קנים intelligendum eſſe אמות *cubitos* rectè obſervat ex LXX & Vulg. interprete Caſtalio. Indéque deprehenditur Villalpandi error qui Septo exteriori tribuit 125 calamos.

Utriuſque Septi dimenſiones.

Quantum fuerit interius Septum Templi quantúmque quod inter utrumque Septum fuit ὕπαιθρον ſpatium Joſephus non definit, tantùm Porticuum exterioris Septi & Atriorum interioris latitudines notat, non item longitudines. Itaque indaganda illa & colligenda ſedulò nobis fuerunt, ut accuratam totius Templi ἰχνογραφίαν, ſecundùm Joſephi mentem & menſuras ab eo traditas, efformaremus atque deſignaremus. Illa autem inveſtigavimus & collegimus ex atrii Sacerdotum (quod intra Septi interioris ambitum concluſum fuit) dimenſione quam Talmudiſtæ accuratè & convenienter definiunt. Dicunt igitur Atrium illud (intra quod Templum propriè dictum poſitum fuit) fuiſſe ab Oriente in Occidentem longum 187 cubitos, à Meridie verò in Septentrionem latum 135 cubitos. Notat etiam Joſephus Atrium illud humili quadam & eleganti loricâ lapideâ, cubitum unum duntaxat altâ, diſtinctum fuiſſe & ſeparatum, tribus ex partibus, à Virorum & Fœminarum Atriis, quæ illi fuerunt ab Oriente, Meridie & Septentrione circumpoſita. Hujus loricæ latitudinem non definit Joſephus; ſed quando tam humilis fuit, veriſimile non eſt eam latiorem fuiſſe cubito uno, vel ſeſquicubito, ad hoc enim duntaxat exſtructa erat nè quis è plebe ſive vir ſive fœmina ex Atrio ſuo in illud Sacerdotum irrumperet & tranſileret; itaque eam ab Oriente ex Atrii fœminarum parte latam facimus cubitum unum, à Meridie autem & Septentrione ex parte Atrii virorum latam ſupponimus ſeſquicubitum. His poſitis ſic colligimus Septi interioris intrinſecus amplitudinem. Ab Oriente in Occidentem Atrium Sacerdotum longum fuit 187 cubitos. Lorica quæ ab Atrio fœminarum ſeparabatur lata fuit cubitum unum, Atrium ipſum fœminarum latum fuit 40 cubitos; ſic colliguntur in univerſum 228 cubiti. A Meridie autem in Septentrionem Atrium Sacerdotum latum fuit 135 cubitos, Lorica quô utrinque diſcernebatur ab Atriis virorum, lata fuit utraque ſimul 3 cubitos, Atria duo virorum lata ſimul fuere 60 cubitos. Ita colliguntur in univerſum 198 cubiti. Septum ergo interius intrinſecus longum fuit ab Oriente in Occidentem 228 cubitos, latum verò à Meridie in Septentrionem 198 cubitos. Jam longitudini illi 228 cubitorum addatur latitudo Porticûs Orientalis & Occidentalis Septi exterioris, quæ latæ fuerunt ſingulæ 40 cubitos, ſic fient 308 cubiti, qui deducti de 500 cub. reſtant 192 cub. in duas æquales partes hinc inde ab utroque Septi interioris latere dividendi, quare unaquæque fuit 96 cubitorum, tot nempe fuerunt cubiti inter Orientalem & Occidentalem Porticum exterioris Septi & Septum ipſum interius. Spatium autem illud 96. cubitorum utrinque ſic diſtinguimus in tres inæquales partes, quare priori damus 31 cubitos, quos aſſignamus latitudini Exhedrarum Septo interiori extrinſecus circumpoſitarum, 30 cubitos damus gradibus quibus ab exteriori ad interius Septum aſcendebatur, (de quibus infrà dicturi ſumus ubi de gradibus Templi agemus) denique 35 cubitos aſſignamus ſpatio illi ὑπαίθρῳ æquo & plano quod interceſſit inter porticus Septi exterioris & ſupradictos Gradus. Similiter latitudini interioris Septi 198 cubitorum addenda eſt latitudo Porticûs Meridionalis Septi exterioris, quæ fuit 70 cubitorum, item latitudo Porticûs Septentrionalis illi oppoſitæ, quæ fuit 40 cubitorum, ſic fiunt in univerſum 308 cubiti deducendi de 500, reſtant 192 cubiti, rurſus in duas æquales partes, ſingulas 96 cubitorum, ut ſuprà, dividendi, & hi 96 cubiti in tres inæquales partes pari modo, ut ſuprà, diſtinguendi. Porrò Septum interius bifariam poteſt accipi, ejúſque amplitudo bifariam intelligi, nempe vel cum, vel ſine Exhedris illis adjunctis & circumpoſitis. Si poſteriore modo accipiatur, nempe ſine Exhedris, amplitudo ejus ea eſt quam ſuprà poſuimus, nempe longum fuit 228 cubitos, latum 198. Si verò priore modo accipiatur, addenda eſt utrinque priori illi menſuræ latitudo Exhedrarum illi adjunctarum, quam diximus fuiſſe 31 cubitorum, & infrà ubi de Exhedris dicemus probabitur. Itaque extrinſecus longum fuit Septum interius ab Oriente in Occidentem 290 cubitos, latum verò extrinſecus etiam à Meridie ad Septentrionem 160 cubiti. Spatium autem hypæthrum quod quatuor ex partibus interceſſit à Porticibus Septi exterioris ad murum extimum ſepti interioris fuit 65 cubitorum, quorum 35 cubiti fuerunt (uti dictum) in loco æquo & plano, vario lapidum politiſſimorum genere conſtrato, 30 autem cubiti occupati fuerunt à gradibus quibus ad portas Septi interioris aſcendebatur.

Exhedræ Septi interioris.

Septo interiori Exhedræ ſive grandiores Cellæ aut Cameræ fuerunt extrinſecus omni ex parte etiam ab Occidente circumpoſitæ. Harum Talmudiſtæ diſertam & expreſſam faciunt mentionem, earúmque indicant uſum. Et ſanè tota miniſterii Sacerdotalis & Levitici ratio poſtulabat, & verò exigebat flagitabat ut multæ eſſent variæque & multiplices in Septo illo Exhedræ & grandiores Cellæ, quarum aliæ inſervirent ad recondendam ſacram pecuniam, aliæ ad reponenda varia & multiplicia quæ Altari & victimarum mactationi inſerviebant ſacra vaſa & inſtrumenta, aliæ ad aſſervandas & reponendas Sacerdotum veſtes, & Levitarum Cantorum tubas & Muſica inſtrumenta, aliæ ad recondendum ſacrum Vinum, Oleum, Salem, Thus & Aromata ad Incenſum & libamina, aliæ ad reponendas Decimas, Primitias & votivas Oblationes, aliáque id genus multa, aliæ ad lavanda & purganda victimarum inteſtina, ad parandas & ſervandas earum pelles & exuvias, ad includendos & ſervandos jugis Sacrificii agnos quotidie immolandos, aliæ ad paranda & conficienda liba, & quæcunque in ſartagine & frixorio confici ſolebant, ad coquendos item & paxandos panes Propoſitionis, aliaque ejuſmodi multa quæ ad varium & multiplex miniſterium Altaris Leviticum pertinebant. Hæc omnia prope & circa Templum & Altare poſita eſſe debuerunt, ut eſſent ad manum in quotidiano uſu atque miniſterio. Joſephus earum nonniſi verbulo tenus meminit, ubi de portis Septi interioris loquitur, dicit nempe quòd duæ τοῦ πυλῶνος θύραι τὸ πλάτος πηχῶν πεντεκαίδεκα, μετὰ τὰς εἰσόδους πλατυνόμενοι ἐνδοτέρω παρ' ἑκάτερον τριακονταπήχεις ἐξέδρας εἶχον, εὖρός τε καὶ μῆκος πυργοειδεῖς. Ubi obſervandum eſt duo fuiſſe circa ſeptum illud Exhedrarum veluti genera, unum in ipſis ſepti portis, quas Joſephus hîc vocat πυργοειδεῖς, quia illis quæ à latere erant inter duas portas altiores erant, & turris in modum ſupra eas attollebantur; alterum genus erat earum quæ vel inter duas portas, vel à latere portarum erant. Harum non meminit Joſephus. Quæ in ipſis Portis erant per eas populus ad Atria ſua in interius Septum ingrediebatur, atque hic unus earum videtur uſus, niſi fortè utrinque ſedes collocatæ fuerint, in quibus Sacerdotum & Primorum populi habita fuerint Concilia & conventus. Exhedrarum quæ à portarum latere, vel inter duas portas fuerunt, varius fuit & multiplex uſus, quem modò indicavimus. Quæ in Portis fuerunt Joſephus dicit eas poſt introitum introrſum dilatatas longas & latas fuiſſe 30 undique cubitos, quod accipiendum ut πηχυμερῶς dictum, præciſè enim loquendo longæ fuerunt 31 cubitos à primo Portæ limine ad ingreſſum uſque Atrii ſeu virorum ſeu fœminarum, latæ verò fuerunt 29 duntaxat cubitos, tot autem revera earum area cepit quadratos cubitos (nempe 900 uno excepto) quot caperet ſi ſingula earum latera fuiſſent 30 præciſe cubitos longa; ſi enim 29 per 31 multiplices dabunt 899, triginta autem per ſe multiplicati dant 900. Exhedrarum quæ à latere portarum, vel inter portas fuerunt, eadem fuit menſura, ſi quadruplicem quo cinctæ fuerunt quatuor ex partibus murum complectaris, at ſi quadruplicem illum murum & ſpatium inter quadruplicem illum murum vacuum ſpectes, latæ fuerunt & longæ in quadrum 20 cubitos, nempe extimum Septi interioris murum (quà porticus Septi exterioris reſpiciebat) craſſum facimus 5 cubitos (& ſanè Judæi Talmudiſtæ poſt Ezech. 40. 5, 6. & 41. 5. tot cubitos craſſitudini muri tum Templi ipſius tum atrii Sacerdotum) interiorem verò, quo Porticus ſive Atria interioris Septi ab Exhedris illi circumpoſitis ſeparabantur, craſſum facimus quinque duntaxat cubitos; neque enim neceſſe fuit eum tam eſſe craſſum quàm exteriorem: ſpatium autem inter utrumque murum Exhedrarum latitudini deſtinatum 20 cubitos fuit latum; murum autem qui ab utroque Portarum latere Exhedras quæ in ipſis portis, ab Exhedris quæ à latere Portarum erant, diſcludebat, craſſum facimus cubitos $4\frac{1}{2}$. Quòd autem Exhedræ non fuerint 30 cubitos (ut vult Joſephus) latæ, ſed duntaxat 29, oſtendetur infrà ubi de columnis Templi & columnationis ratione agemus, & latitudinis earum ratio demonſtrabitur. Cæterùm ab Occidente pone Templum poſt parietem Occidentalem atrii Sacerdotum videtur ſpatium aliquod fuiſſe non occupatum ab Exhedris, tum quòd ab ea parte Romani dicuntur diu fruſtra quaſſaſſe murum illum ariete, ut inde irrumperent in Templum & atrium Sacerdotum, tum ex loco qui habetur l. 6. c. 1. de bello Jud. ubi Johannes dicitur ab ea parte juxta Exhedram erexiſſe ligneas turres ut inde Zelotas Templum occupantes impeteret: Porrò diſtat Joſephus à Talmudiſtis in Septi interioris deſcriptione, quòd Talmudiſtæ non meminerunt omnino duplicis Atrii virorum, quod Joſephus collocat intra Septi interioris ambitum interiorem, à partè nempe ejus Meridionali & Septentrioali; Atrium autem fœminarum ipſi non collocant cum Joſepho intra ſed extra Septi interioris ambitum interiorem; quin faciunt Exhedras atrio Sacerdotum utrinque contiguas, Atrii Sacerdotum muro duntaxat ab eo diſcretas.

Columnæ Templi, earum numerus & columnationis ratio.

Joſephus notat in Porticu Meridionali Septi exterioris, quæ Regia dicitur, quadruplicem fuiſſe columnarum ſeriem, in eáque columnas in univerſum numero 162 Idem alibi notat columnas Templi tantas fuiſſe quantum capere po-

poſſent expanſis ulnis tres homines, ſive, ut ipſe explicat, habuiſſe eas in circuitu 12 cubitos. Verba ejus ſunt Antiq. lib. 15. c. 14. πάχος ἦν ἑκάστου κίονος ὡς τρεῖς ἐπὶ συναπτόντων ἀλλήλοις τὰς ὀργυιὰς περιλαβεῖν, ubi legendum eſt ὡς τρεῖς ἄνδρας συνάπτοντας &c. Item de bello Jud. lib. 6. c. 6. δύο δ᾽ ἀνεῖχον ἑκάστην (θύραν ſcilicet) κίονες δώδεκα πηχῶν τὴν περιοχὴν ἔχοντες, καὶ τὸ μὲν ἄλλων ἴσον ἦν τὸ μέγεθος. 12 cubiti & trium hominum ulnæ congruunt, unam eandémque menſuram conſtituunt, quatuor nempe in unius hominis ἀγκάλαις ſunt cubiti: atq; hæc columnarum craſſitudo videtur facta ad imitationem columnarum ærearum quæ in Templi Salomonici veſtibulo fuerunt poſitæ; fuerunt enim illæ tantundem craſſæ. Hoc jam ergo poſito & dato in Porticûs illius Meridionalis longitudine 162 columnas fuiſſe in quadruplici ſerie collocatas, ſingulas 12 cubitos in circuitu habentes, ſequitur Porticum illam diſtinctam fuiſſe in 40 ſpatia æqualia, ſingula $12\frac{1}{2}$ cubitos lata, atque in iis conſtitutos 39 quaternarum columnarum ordines, in quibus 156 columnæ fuerunt, deinde in utroque Porticûs extremo, muro ipſi infixos fuiſſe duos ternarum columnarum ordines, quomodo id videre eſt in ἰχνογραφίᾳ noſtra, ita fiunt in univerſum 162 columnæ. Diximus autem ſpatia illa in quibus columnæ fuerunt poſitæ lata fuiſſe cubitos $12\frac{1}{2}$ ſi enim 500 dividas per 40, partes erunt $12\frac{1}{2}$ ab hac menſura ſi demas columnæ ipſius craſſitudinem, quatuor nempe cubitos, (nam quandoquidem ambitus earum fuit 12 cubitorum diameter fuit 4 cubitorum) reſtabunt cubiti $8\frac{1}{2}$ pro intercolumnio, quæ columnationis ratio media eſt inter Syſtylon & Euſtylon; nam in Euſtylo intercolumnium eſt (ſecundùm Vitruvium) craſſitudo duarum columnarum & quartæ partis craſſitudinis columnæ, In Syſtylo verò intercolumnium eſt duarum præciſè columnarum. At hìc intercolumnium eſt duarum columnarum & octavæ partis craſſitudinis columnæ, nam dimidius cubitus eſt octava pars craſſitudinis columnæ, cujus diameter fuit (uti dictum) 4 cubitorum. Quod ſi 400 duntaxat cubiti darentur longitudini Porticûs illius, tum 40 illa intervalla eſſent denum duntaxat ſingula cubitorum, ac proinde intercolumnia fuiſſent unius duntaxat & dimidiæ columnæ, ſive ſex cubitorum, quæ columnationis ratio ea eſt quæ Pyknoſtylos à Vitruvio dicitur. Sed ea ipſi improbatur ut incommoda minúſq; conveniens, itaq; non videtur omnino ea uſurpata in Templi hujus elegantiſſimè & ſumma cum arte atque ſymmetria extructi fabrica. Deinde ſi Porticus iſtæ Septi exterioris longæ duntaxat fuiſſent 400 cubitos, ſpatium hypæthrum inter eas & Septi interioris Exhedras latum fuiſſet 20 tantùm cubitos, quæ nimia eſt planè inter utrumque Septum tam altum anguſtia. Itaque hinc rurſus probatur atque demonſtratur id quod initio poſuimus pro conſtituto, Porticus exterioris Septi ſingulas longas fuiſſe non 400 ſed 500 cubitos. Jam verò par & eadem ratio fuit Porticûs Septentrionalis iſti oppoſitæ, quæ cùm 40 tantùm cubitos lata eſſet, tres duntaxat habuit columnarum ſeries, paritérque 39 ternarum columnarum ordines (in quibus 117 columnæ) & in extrema porticu duo binarum columnarum ordines in ipſis Porticûs extremis parietibus infixi: ita fuerunt in ea Porticu 121 in univerſum columnæ, eadem columnationis ratione poſitæ, nempe mediâ inter Syſtylon & Euſtylon. In Orientali autem & Occidentali Porticu fuerunt 29 ternarum ſimiliter columnarum ordines, h. e. in utraque Porticu 87 columnæ, quarum intercolumnia fuerunt 9 cubitorum, h. e. craſſitudinis duarum columnarum & quartæ partis, quæ columnationis ratio ea eſt quæ à Vitruvio Euſtylos dicitur, maximéque illi probatur, utpote convenientiſſima. Hoc autem ſic oſtenditur, Si de longitudine 500 cubitorum demas latitudinem Meridionalis & Septentrionalis Porticûs, quæ ambæ latæ ſimul fuerunt 110 cubitos, remanet longitudo duarum illarum Porticuum 390 cubitorum, hanc divide in 30 ſpatia ſeu intervalla æqualia, erunt illa lata ſingula 13 cubitos, ab his 13 cubitis demenda eſt columnæ unius craſſitudo, nempe 4 cubiti, reſtant 9 cubiti pro intercolumnio. Intervalla autem illa 30 dant 29 ternarum columnarum ordines. Sic ergo in univerſum 457 fuerunt in quatuor Septi exterioris Porticibus columnæ. Earum numerum Joſephus non commemorat, at nos eum ſic collegimus cùm eadem fuerit in reliquis Porticibus diſpoſitionis columnarum ratio. Pari modo indagamus & deprehendimus columnarum Septi interioris numerum. In eo tria fuerunt Atria, duo virorum, una fœminarum, illa fuerunt ſimplicia, propterea̍que in iis duo duntaxat columnarum ordines, iſtud duplex fuit, atque ideo tres in eo columnarum ſeries. Atrium fœminarum longum erat (uti ſuprà vidimus) 198 cubitos, hi dividendi in ſpatia ſeu intervalla æqualia 15, ſingula lata 13 cubitos cum cubiti quinta parte, quæ columnationis ratio eſt parum admodum major Euſtyli ratione, hujus nempe intercolumnium majus eſt Euſtyli intercolumnio vigeſimâ parte diametri columnæ, ſive quintâ cubiti unius parte. Intervalla illa 15 dant 14 ternarum columnarum ordines (h.e. 42 columnas) cum quatuor aliis, in duobus Atrii extremis, columnis. Ita fuerunt in Atrio fœminarum 46. columnæ. Utrumque virorum Atrium longum fuit 188 cubitos, nempe quantum fuit longum ipſum Sacerdotum Atrium, additâ ejus longitudini latitudine Loricæ quâ illud ab Atrio fœminarum diſtinguebatur. Hi 188 cubiti ſi in 13 ſpatia ſeu intervalla æqualia dividantur, ſingula erunt 14 cubitos cum $\frac{6}{14}$ ab his ſi demas columnæ craſſitudinem reſtabunt 10 cubiti cum $\frac{6}{14}$ ad intercolumnium, quæ columnationis ratio media eſt inter Euſtylon & Diaſtylon; nam in Euſtylo intercolumnium eſt 9 cubitorum, in Diaſtylo 12 cubitorum ſive craſſitudinis trium columnarum, at hic eſt cubitorum $10\frac{6}{14}$. Intervalla illa 13 dant 12 binarum columnarum ordines, fuerunt itaque in ſingulis virorum Atriis 24 columnæ, proindéque in tribus Septi interioris Atriis 94 columnæ, viz. 48 in duobus virorum Atriis, 46 autem in fœminarum Atrio. Hæ ſi addantur 457 columnis quæ fuerunt in Septo exteriore, exurgit univerſus in utroque Septo 551 columnarum numerus. Quibus ſi addantur columnæ 49 quæ in omnibus tum Templi tum utriuſque ſepti portis fuere, exurget univerſus columnarum toto Templo numerus ad 600. Nimirum 9 fuere in Septo interiore portæ majores, in exteriore autem quatuor majores, tres autem minores, quæ εἰς τὸ προάστειον & in Antoniam ducebant. Majoribus portis tres tribuimus columnas, minoribus duas, ita portæ illæ habuerunt 45 columnas. In Veſtibuli autem & Templi ipſius porta quatuor omnino fuerunt columnæ. Sic fiunt 49 in Templi & utriuſque Septi portis. Porro ex dimenſione illa quam modò fecimus utriuſq; Atrii virorum, quæ nos diviſimus in 13 ſpatia ſeu intervalla æqualia ſingula cubitorum $14\frac{1}{2}$, liquet portas Meridionales & Septentrionales Septi interioris non fuiſſe præciſè latas tricenos cubitos (uti vult Joſephus) ſed duntaxat 29; nempe portæ illæ occuparunt ſpatium duorum intervallorum in quæ diviſa fuere virorum Atria, intervalla autem illa non potuerunt eſſe niſi cubitorum 14 cum ſemiſſe, non verò 14, uti jam oſtenſum eſt.

Portarum Templi numerus & menſuræ.

Quæ de illis habet Joſephus plana & expedita videntur, egent tamen aliquâ illuſtratione. Et ad numerum quidem Portarum quod attinet, certum eſt in Templo propriè & ſtrictè ſic dicto duas fuiſſe Portas; unam exteriorem & grandiorem, quâ ex atrio Sacerdotum in Templi Veſtibulum ingreſſus patebat; alteram interiorem & minorem quà ex Veſtibulo in locum Sanctum ingrediebantur Sacerdotes. Tertia fuit in Templo Salomonico Porta, qua ex loco Sancto in Adytum, ſive Sanctum ſanctorum, dabatur ingreſſus per parietem interjectum, at in Templo Joſephiano & Talmudiſtico nulla fuit ejuſmodi Porta; ſimplici enim ſecundum Joſephum velo (duplici verò ſecundum Talmudiſtas) diſtinctus fuit locus Sanctus à Sancto ſanctorum. Oſtia autem illa, quibus ex Veſtibulo in Cellas Templo circumpoſitas ab utroque Portæ interioris latere dabatur ingreſſus, non numeramus in Portarum cenſu, uti neque oſtia illa multa numero quibus in varias Exhedras Septo interiori circumpoſitas ingreſſus erat, quia illa revera non fuerunt Portæ, ſed anguſta potiùs & humilia oſtiola, Portarum amplitudini minimè comparanda. Joſephus Antiq. lib. 6. c. 6, videtur Septo interiori Portas decem attribuere, 4 nempe à Meridie, totidem à Septentrione, duas verò ab Oriente, ſed cùm aliàs conſtanter novem tantùm Portas ſepto illi tribuat, monuimus alibi (in Hiſtoria noſtra Apoſtolica) errorem eo loci eſſe apud Joſephum, & quomodo ſit accipiendus ille locus expoſuimus. Talmudiſtæ ſeptem duntaxat agnoſcunt in ſepto illo Portas, tres à Meridie, totidem à ſeptentrione, unam denique ab Oriente, nempe cùm illi Atrium fœminarum collocent non intra (cum Joſepho) ſed extra ſepti illius ambitum, neceſſe eſt eos ignoraſſe duas illas Portas quibus ſecundùm Joſephum in Atrium illud à Meridie & ſeptentrione patebat ingreſſus. Porrò tum Joſephus tum Talmudiſtæ nullam agnoſcunt in Atrio ſeu ſepto illo interiori Portam à latere Occidentali, ſed perpetuum ab ea parte (pone Templum) murum. In exteriori ſepto Joſephus 6 ſtatuit Portas, unam ab Oriente, aliam à Meridie, utramque in Porticûs ſuæ medio collocatam, & ab utroque ejus angulo ſive extremo æqualiter diſtantem, quatuor alias collocat in Occidentali Porticu Portas, duas nempe (uti videtur) minores, illas nempe quas dicit duxiſſe εἰς τὸ προάστειον, duas verò majores, quarum una ducebat εἰς τὰ βασίλεια, ſive Aſſamonæorum (uti videtur) regiam atque palatium, & in Xyſtum juxtà poſitum, per pontem mediam vallem interjectam trajicientem, altera in reliquam urbem per gradus diſpoſitos ad imam uſque vallem, indeque per adverſum collem aſcendentes. Quamquam ſuſpectæ mihi omnino videntur duæ illæ minores Portæ quæ ducebant εἰς τὸ προάστειον, cum Urbis & Templi ſitûs ratio non videatur poſſe facilè pati tot ab ea parte fuiſſe Portas, ſiquidem Porticui illi ſubjecta erat immenſa quædam & profundiſſima vallis ſeu vorago. Præter has dabatur etiam proculdubio à Septentrionali Porticu aliquis in Antoniam arcem aditus; ſed quia is fortè fuit anguſtus non videtur Portæ nomen meruiſſe, ſaltem nullius ab ea parte meminit Joſephus Portæ, quamvis videantur neceſſariæ etiam ab ea parte Portæ, cùm tota nova civitas veteri ab illa parte accreverit. Talmudiſtæ quinque duntaxat in iſto Septo conſtituunt Portas, & quidem duas à Meridie (Joſephus unam tantùm agnoſcit) ſingulas autem in reliquis tribus partibus.

Ad amplitudinem etiam Portarum quod attinet magna eſt inter Joſephum & Talmudiſtas diſſenſio. In hoc conveniunt quòd neutri menſuras Portarum exterioris ſepti definiunt, in cæteris perpetua eſt inter eos diſſenſio. Nam Talmudiſtæ Portas interioris Septi faciunt latas omnes 10 cubitos, altas 20, eandem dant menſuram portæ interiori Templi, Veſtibuli autem portam latam faciunt 20 cubitos, altam 40, h. e. duplo cæteris majorem. Joſephus portas octo Septi illius quæ à Meridionali & Septentrionali latere, omnes latas facit 30 cubitos, altas totidem, unam Orientalem facit latam 40 cub. altam verò 50. Veſtibuli portam latam fuiſſe dicit 25 cub. altam 70 ſine valvis, interior denique Templi porta ſecundùm eum lata fuit 16 cub. alta 55. Atque hìc obſervandum in menſuris iſtis à Joſepho traditis, non eſſe putandum valvas quibus portæ claudebantur latas fuiſſe 15 vel 20 cubitos cum dupla altitudine, in portis puta illis quas facit 30 & 40 cubitos latas; vaſta enim nimis eſt proculdubio illa valvarum latitudo atque amplitudo, & ad motum in aperiendo & claudendo gravis & operoſa nimis nè dicam, fortè impoſſibilis, tum etiam non tanta fuit muri craſſitudo ut valvæ introrſum apertæ & adductæ muróque utrinque applicatæ ejus craſſitiem (quod neceſſe tamen fuit) non exceſſerint. Portarum igitur ratio & ſtructura ita eſt inſtituenda ut valvæ utrinque apertæ & muro applicatæ ejus craſſitiem non multò ſuperent aut verò exæquent. Quod nos ſic fieri poſſe putamus, ſi in medio totius latitudinis Portæ, ſive τοῦ πυλῶνος aut θυρώματος collocemus reliquis ſimilem columnam, craſſam nempe 4 cubitos, cui duæ appenſæ ſint fores ſeu valvæ ligneæ, utrinque nimirum ligneæ, columnæ autem duæ quæ ab utroque Portæ latere ſtant poſtium vice, ſingulæ duos cubitos, h. e. mediâ craſſitudinis ſuæ parte intra portæ latitudinem projiciantur, quibus itidem duæ aliæ valvæ appenſæ ſint. Sic enim fiet ut & ſpatium in porta ab utroque mediæ columnæ vacuum & inane quod valvis clauditur, ſit convenienter latum, nec multum abſcedat à latitudine quam vel æquet vel parum ſuperet, aut proximè accedat ad muri craſſitiem, utpote quæ in tota quidem Porta quatuor ſint numero, binæ nimirum in ſingulis θύραις, quæ geminæ fuerunt in unoquoque πυλῶνι, ſive majori Porta. Exempli gratiâ, In portis Septi interioris Meridionalibus & Septentrionalibus quas Joſephus dicit latas fuiſſe 30 cubitos, nos credimus earum latitudinem præciſam fuiſſe 29 duntaxat cubitorum. Si hæc ratio obſervetur, ut in medio earum ſtatuatur columna ejuſdem cum reliquis craſſitudinis, & columnæ duæ quæ ab utroque Portæ latere ſtant, duos utrimque cubitos projiciantur intra Portæ latitudinem, fiet ut ſpatium utrinque vacuum & inane latum ſit 10 cubitos cum dimidio, conjunctum autem 21 cubitos, ſi enim 8 cubitos de 29 demas reſtant 21, qui in duo æqualiter diviſi dant $10\frac{1}{2}$. Ergo geminæ valvæ quibus utrumq; ſpatiũ utrinq; claudebatur latæ fuerunt cubitos $5\frac{1}{4}$, imo vero $5\frac{1}{2}$, (nam quadrans cubiti addendus eſt, tantundem enim valvæ columnæ cui appendebantur craſſitudinem ingrediebantur) quæ menſura muri craſſitiem (quæ fuit 6 cubitorum) fere exæquat, ita valvæ apertæ atque muro applicatæ ejus craſſitiem tegebant. Atque hæc ſpatii utrinque vacui accuratè reſpondet proportioni quam Vitruvius in Hypothyri limine vult obſervari lib. 6. cap. 4, ut nempe latitudo ejus ſit paulo minor altitudinis dimidiâ parte, altitudinem ſcilicet vult dividi in partes 12, & ex eis quinque & dimidiam latitudini luminis tribui ab imo. Jam verò Portæ illæ ſecundùm Joſephum altæ fuerunt 30 cubitos, revera autem præciſè 24 aut 25 cubitos, quanta nempe fuit ipſius muri altitudo qui (ipſo Joſepho teſte) à limine Portarum altus tantùm fuit 25 cubitos (quod autem Portarum altitudini dat 30 cubitos, hinc eſt, quia in earum altitudine complectitur Portarum fornicem ſeu concamerationem ſupernam, quæ fuit 5 cubitos alta, ſiquidem ſpatii vacui fornici ſubjecti latitudo fuit (uti diximus) decem cubitorum cum dimidio, fornicis enim altitudo debet eſſe dimidium diametri circuli qui ex latitudine ſpatii ſibi ſubjecti conficeretur.) Portæ ergo fuerunt propriè & præciſè 24 aut 25 duntaxat cubitos altæ (neque ſanè decuiſſet valvas altitudine ſuperaſſe murum in quo collocatæ erant, quod neceſſe tamen eſſet ſi valvis 300 cubitorum altitudinem tribueremus cum Joſepho.) Hanc altitudinem ſi in 12 partes dividas, ſingulæ erunt 2 cubitorum, ſumantur ex iis quinque & dimidia (ut jubet Vitruvius) ad luminis latitudinem, invenietur luminis latitudo inferne 11 cubitorum. Ita confirmatur latitudo illa quam ſpatio utrinque vacuo in Portarum latitudine dedimus, nempe cubitorum $10\frac{1}{2}$. Portas autem illas ſic fuiſſe conſtructas (uti diximus) ut nempe in media ſui latitudine habuerint columnam reliquis ſimilem, & ab utroque ejus latere ſpatium vacuum & patens ad ingreſſum, videtur oſtendi poſſe ex his Joſephi verbis lib. 6. de bello Jud. c. 6. quum de illis portis agit, καὶ δύο μὲν ἑκάστου πυλῶνος θύραι, τριάκοντα δὲ πηχῶν τὸ ὕψος ἑκάστης, ut nempe voce πυλῶνος intelligat Joſephus totam Portæ amplitudinem, per θύρας autem non valvas ſeu fores ligneas quibus Portæ clauduntur, ſed ſpatia illa duo inania & patentia ad ingreſſum, quæ utrinque à mediæ columnæ lateribus erant, quæ foribus & valvis utrinque appenſis claudebantur; nam θύρα non propriè *valvas* ſed *ſpatium inane quod valvis clauditur* ſignificat, unde etiam eſt quod Vitruvio ſpatium illud inane & patens *hypothyrum* (voce Græcâ inde ductâ) appellatur loco modò citato. Sic ergo πυλὼν fuerit *porta*, θύραι verò duo in porta ſpatia vacua & inania, quorum unumquodque binis valvis claudebantur, ita fuerunt in ſingulis Portis, quaternæ valvæ, binæ nempe in ſingulis θύραις, ſive inanibus & patentibus ad ingreſſum ſpatiis.

Eadem fuiſſe videtur reliquarum Portarum ratio & ſtructura, licet menſura diverſa. Puta, Orientalis porta ejuſdem Septi interioris lata dicitur à Joſepho 40 cubitos, alta 50, revera & præciſè lata fuit 39 cubitos, occupavit nempe latitudinem trium intercolumniorum, quæ nos ſuprà demonſtravimus fuiſſe in Porticu illa 13 cubitos lata ſingula, tria ergo intervalla 39 cubitorum menſuram impleverunt. Ex his 39 cubitis demantur 8 cubiti, qui occupabantur à media columna & duabus ab utroque latere Portæ columnis, quæ duos ſingulæ cubitos intra Portæ latitudinem projiciebantur, reſtant cubiti 31, ad duorum hypothyrorum latitudinem. Ergo ſingula hypothyra lata fuerunt cubitos $15\frac{1}{2}$, aut ad ſummum 16. Ergo valvæ quibus claudebantur latæ fuerunt 8 duntaxat cubitos, quæ apertæ & adductæ muróque utrinque applicatæ (qui craſſus erat 6 cubitos) ejus craſſitiem duobus tantùm cubitis exceſſerunt atque ſuperaverunt, quod ſane longè eſt tolerabilius quàm ſi cum aliis diceremus eas ſuperaſſe muri craſſitiem 14 cubitis. Quòd autem Joſephus eam dicit altam fuiſſe 50 cubitos, puto errorem eſſe in numero, & 50 pro 40 ſcriptum eſſe, ſi nempe 50 legamus, nulla fuerit conveniens latitudinis Portæ ad ejus altitudinem ratio & proportio, at ſi legamus 40, tum eadē erit latitudinis ad altitudinem proportio quam ſuprà in reliquis ex Vitruvio oſtendimus, nempe latitudo fuerit altitudinis dimidiâ parte paulo minor. Si enim ex 40 cubitis demas 8, quæ fuit fornicis Portæ altitudo, reſtant 32 cubiti, quæ fuit vera & præciſa poſtium Portæ altitudo, cujus dimidium ſunt 16 cubiti, ergo cubiti $15\frac{1}{2}$ erit vera luminis hypothyri (ut loquitur Vitruvius) latitudo. Quod ſi Portæ tribuatur cum Joſepho altitudo 50 cubitorum, non erit hoc accipiendum de ſpatii vacui & inanis valvarúmque illud claudentium altitudine, ſed de totius Portæ, cum ſuperno fornice & ſuprà fornicem ſuperliminari, & ſuperliminaris ornamentis omnibus, altitudine, ita ut lumen ipſum hypothyri altum fuerit duntaxat 32 cubitos, fornix verò 8 cubitos, ſuperliminare autem ejúſque ſupra fornicem ornamenta, triglyphi, &c. alta fuerint 10 cubitos, ita univerſa Portæ altitudo fuerit 50 cubitorum.

Eadem ratio & proportio fuit in porta Veſtibuli Templi, quæ ſecundùm Joſephum lata fuit 25 cubitos, alta verò 70, nam ſi duplicaveris ejus latitudinem habebis 50 cubitos ad latitudinem luminis hypothyri, fornix autem ſupra illud alta eſſe debuit cubitos $12\frac{1}{2}$, en tibi 62 cubitos cum dimidio, reliqui ad 70 uſque dantur ſuperliminari & ejus ornamentis. Eandem voluit proculdubio Joſephus fuiſſe rationem Portæ interioris Templi, quam latam facit 16 cubitos, altam 55. nam duplicetur latitudo exurget poſtium ſeu columnarum ad fornicem uſque altitudo 32 cubitorum, fornix alta fuit 8 cubitos, en tibi 40 cubitos, craſſitudo fornicis cum epiſtyliis ſive ſuperliminari & variis ſuperliminaris ornamentis aſſurgere potuerunt ad 15 cubitos, ita invenitur tota Portæ altitudo 55 cubitorum. At non eſt ita accipiendus Joſephus quaſi voluerit valvas quibus Porta illa claudebatur altas fuiſſe 55 cubitos, latas verò octo, fuiſſet enim illa valvarum nimia & portentoſa plane amplitudo, ad motum in claudendo & aperiendo prorſus inepta, pene & impoſſibilis, ſic enim ſingulæ valvæ occupaſſent 440 cubitos quadratos, qui, ſi dimidii cubiti craſſitudo valvis tribuatur (minor autem in tanta altitudine tribui non poteſt) efficient 220 cubitos cubicos, quæ moles videtur non facilè mobilis, & ad uſum quotidianum inepta. Itaque fuerit ſane tota Portæ altitudo & amplitudo ejuſmodi, uti jam eam explicavimus, at luminis hypothyri valvarumque illud claudentium minorem multo menſuram fuiſſe arbitramur. Itaque nos columnam reliquis parem in medio ejus (ut in cæteris fecimus) ſtatuimus cubitos 4 craſſam, qui ſi demantur de 16 cubitis reſtabunt 12 ad luminis utriuſque hypothyri latitudinem. Ita latitudo ſpatii hinc & inde vacui & patentis fuerit 6 cubitorum, valva ergo quæ illud clauſit cùm lata ſimiliter fuerit 6 cubitos, aperta & adducta muróque applicata muri craſſitiem exæquavit, eámque totam texit. Duplicetur jam hæc hypothyri latitudo, altitudo ejus & valvarum fuerit 12 cubitorum. Inde ad initium fornicis ſupremi Portæ fuerunt 18 cubiti, quibus ſi addantur 8 cubiti altitudinis fornicis invenietur ſpatium æquum & planum (à ſupremis valvis ad ſummum uſque Portæ fornicem) 36 cubitos altum, latum verò 16, in quo videtur pependiſſe & applicata muro fuiſſe intra Portæ amplitudinem Vitis illa aurea cujus & Joſephus & Talmudiſtæ meminerunt, tanta ut ejus racemi hominis ſtaturam exæquarent. Nam tam vaſta Portæ amplitudo (ut ſpatium inane & patens altum fuerit 40 cubitos ad ſummum fornicem, latum autem 16) non videtur omnino decuiſſe tam breve & anguſtum loci ſancti ædificium, maximè cum non magna populi multitudo, ſed pauci admodum Sacerdotes eo quotidie ingrederentur ad ſuffitum faciendum, accendendas lucernas, & parandos panes Propoſitionis. Abunde ad id ſuffeciſſe videtur ea quam nos aſſignamus menſura, ut nempe duo ſpatia (quæ θύραι dici poſſint, & à Joſepho, uti ſuprà vidimus, dici videntur) inania & patentia in ea Porta fuerint ſingula 6 cubitos lata, alta 12, cum binis paris magnitudinis foribus ſeu valvis auro obductis. Atque hæc valvarum altitudo 12 cubitorum hinc rurſus confirmari videtur; quòd ſi altiores conſtituantur, puta 32 cubitorum, tum per Portam tam altam, valvis apertis & reducto velo videri facile potuit totus locus Sanctus non modò à feminis in Atrio ſuo adorantibus, ſed & à promiſcua plebe, ipsíſque adeo Gentilibus in Orientali Porticu exteriore ſtantibus, quod non videtur eſſe veriſimile, ut oculis profanorum hominum patuerint loca tam ſancta, at ſi valvæ Portæ illius conſtituantur altæ duntaxat 12 cubitos, tum neque feminæ neque viri in exteriore Porticu ſtantes introſpicere potuerunt intra locum Sanctum, potuerunt duntaxat videre ſummas valvas Portæ interioris & Vitem auream illis imminentem, obſtante ſcilicet & aſpectum intercludente Arâ ſacrificiorum, altâ ſcilicet ſecundùm Joſephum 10 cubitos.

Ad Portas Septi exterioris quod attinet, quarum menſuras neque Joſephus neque Judæi tradiderunt, earum quædam majores, quædam magnæ, quædam denique minores fuiſſe videntur; Majores ſive maximæ fuiſſe videntur Orientalis & Meridionalis, quia una tantùm fuit in ſingulis illis Porticibus, per quas magna populi è toto Templo effundebatur multitudo, his minores ſed magnas tamen arbitror fuiſſe duas in Occidentali Porticu, per quas in Regiam & reliquam urbem ibatur; his adhuc minores & omnium minimas fuiſſe veriſimile eſt, duas illas in eadem Occidentali Porticu conſtitutas quibus εἰς τὸ προάστειον (ut loquitur Joſephus) patebat aditus. Quæ majores ſive maximæ fuerunt, eas puto occupaſſe quatuor columnarum intervalla quæ diximus ſuprà fuiſſe in Orientali Porticu 13 cubitos lata, in Meridionali verò cubitos 12 cum dimidio, ac proinde Orientalis porta exterior lata fuerit 52 cubitos cum tribus interjectis columnis, quatuor ſpatiis patentibus, & octo valvis, ſingulis latis cubitos 4 cum dimidio, ita ſpatium inane & apertis valvis patens fuit totum ſimul 36 cubitorum, per quod ſimul eodémque tempore 26 homines ſeriatim potuerunt commodè egredi. Ejuſdem pene menſuræ fuit porta Meridionalis duobus duntaxat cubitis iſtâ anguſtior. Quæ verò fuerunt in Occidentali Porticu magnæ videntur iſtis duplo minores, quippe quæ duo tantùm occuparent columnarum intervalla, in quibus intercolumnia oſtendimus ſuprà fuiſſe 9 cubitorum, proindéque valvæ in unoquoque intercolumnio geminæ latæ fuerunt cubitos $4\frac{1}{2}$, duo itaque hypothyra ſive ſpatia patentia fuerunt 18 cubitos lata, per quæ 12 homines ſimul & ſemel eodem tempore ſeriatim potuerunt egredi. Reliquas duas minimas Portas putamus ſingulas intervallum duntaxat unum columnare occupaſſe, proindéque hypothyrum earum patuiſſe in latum 9 cubitos, quantum nempe fuit intercolumniorum ſpatium, quod geminis valvis claudi potuit, ſingulis cubitos 4 cum $\frac{1}{2}$ latis, atque per has Portas ſex homines ſimul egredi facilè potuerunt, ita in univerſum per ſex illas Septi exterioris Templi Portas ſimul & ſemel egredi eodem momento potuerunt 84 homines, quod ſi horæ ſpatio 1200 homines eadem Portâ egredi poſſunt, licet ſinguli alius poſt alium exeant (quod videtur fieri poſſe) liquet unius horæ ſpatio per portas illas Templo exire potuiſſe 100000 hominum. Altitudo portarum illarum debuit eſſe latitudini earum commenſurata ad rationem Vitruvianam, ut nempe altitudo dupla ferme fuerit latitudini. Portarum Templi amplitudo ſecundùm Judæos eſt plana & expedita, omnes enim latæ fuerunt (ſecundùm ipſos) cubitos 10, altæ cubitos 20, quæ eſt proportio dupla, quam Vitruvius exigit in latitudine hypothyri ad ejus altitudinem. Unam Veſtibuli portam latam faciunt 20 cubitos, altam 40, quæ eſt itidem ratio dupla. Atque hæc de Templi Portis.

Gradus Templi.

Planū eſt ex Joſepho & Talmudiſtis totū Templū non fuiſſe in loco æquo & plano ſitū, ſed homines à porticibus Septi exterioris ad intimum Templum gradibus quibuſdam aſcendiſſe, atque in hoc quidem conveniunt Joſephus & Talmudiſtæ, quod utrique faciunt ſummum Templi ſolum infimo ejuſdem ſolo ſeu pavimento altius eodem ferme cubitorum numero; Talmudiſtæ enim aiunt Templi propriè dicti ſive Veſtibuli & loci Sancti, Adytique ſolum altius fuiſſe pavimento montis domûs (h. e. ſolo Porticuum Septi exterioris) 22 cubitis; ex Joſepho autem colligi poteſt illud iſto altius fuiſſe cubitis 21 vel 24. Sed in Graduum numero longius invicem diſtant; nam Judæi 43 vel 44 Gradus numerant, Joſephus vero 32 duntaxat, nempe 20 quibus ex Septo exteriori ad interius aſcendebatur, deinde 12 quibus ex Atrio Sacerdotum in Veſtibulum conſcendebatur, & illi quidem Gradus omnes Templi altos ſive craſſos faciunt dimidium cubitum (uno excepto quem altum faciunt cubitum unum) Graduum autem retractiones faciunt item latas omnes dimidium cubitum. Joſephus Graduum menſuram non tradit, ſed eam colligimus partim ex ipſo Joſepho partim ex Vitruvii de gradibus Ædium ſacrarum regulis & præceptis. Tradit Joſephus ex hypæthro loco Septi exterioris ad interius Septum Gradibus 14 (ſed legendum videtur 15, tot enim numerant Judæi Talmudiſtæ) aſcenſum fuiſſe, inde verſùs Septi interioris murum ſpatium fuiſſe æquum & planum latum 10 cub. inde rurſus ad Septi portas aſcenſum fuiſſe Gradibus aliis quinque. Ita fuerunt in univerſum 20. Porrò hoc intelligendū de Gradibus qui fuerunt tribus ex partibus, nempe à Meridie, Septentrione & Oriente, nam ab Occidente nulli fuerunt Gradus, uti liquere poteſt ex Joſephi loco qui eſt l. 6. c. 1. de bel. Jud. Quin & ab Oriente 15 tantùm Gradibus aſcendebatur. Idem tradit ſolum Septi interioris altius fuiſſe ſolo exterioris 15 cubitis. Ergo ſecundùm ipſū 20 iſti gradus alti fuerunt 15. cubitos, proindéque ſinguli alti fuerunt ſive craſſi pollices 13 cum dimidio, quæ eſt craſſitudo pluſquā pedalis, quam non probat Vitruvius, qui non vult Gradus ſupra 10 pollices altos, neq; infra novem craſſos. Gradus ergo Judaici ſemicubitales ad rationem Vitruvianam fuerunt conformati. At Judaicorum Graduum retractio item ſemicubitalis non congruit cum Vitruvianis rationibus, qui retractiones Graduum non vult eſſe minus quàm ſeſquipedales, h. e. cubitales, neque pluſquam bipedales. Nos Vitruvium ſecuti omnes facimus cubitales, inde eſt quòd ſuprà in dimenſione utriuſque Septi ſpatium quod 20 iſtis Gradibus & denorum cubitorum interjecto intervallo occupabatur, fecimus 30 cubitos latum. Joſephus unà cum Talmudiſtis dicit Gradibus 12 aſcenſum fuiſſe ex Atrio Sacerdotum in Templi Veſtibulum, neque Graduum menſuram definit. Nos juxta Vitruvium eos ſemicubitales facimus omnes, retractiones autem Graduum cubitales. Ita fit ut ſolum Veſtibuli altius fuerit ſolo Atrii Sacerdotum 6 cubitis, quod fatentur Judæi: & quandoquidem Veſtibuli murum craſſum fecimus 98 cubitos, intra cujus craſſitiem 8 horum Graduum potuerunt eſſe poſiti, neceſſe eſt 4 primos Gradus quibus aſcendebatur extra Veſtibuli murum projectos occupaſſe quaternos cubitos in Atrio Sacerdotum, atque ita ſpatium inter Gradus illos & Altare fuerit 16 cubitorum, uti infrà demonſtrabitur. Judæi præter 22 hoſce Gradus quos agnoſcit Joſephus, 12 alios numerant, quibus aſcendebatur (uti volunt) ex חיל in Atrium fœminarum, hos non agnoſcit neque eorum meminit Joſephus, neque ratio dimenſionis totius ſtructuræ utriuſque Septi admittere poteſt 12 hoſce gradus, &, ſi admitterentur in Joſephiani Templi ſtructura, diſcederet ab illis in numero cubitorum, quibus ex utriſque liquet ſolum Veſtibuli altius fuiſſe ſolo Porticuum exteriorum, uti modò ſuprà monuimus, nam ex his quæ hactenus vidimus planum eſt ſolum Veſtibuli altius fuiſſe ſolo Porticuum exteriorum 21 cubitis, Judæi numerant 32 cubitos, quod ſi 21 illis cubitis Joſephianis addendi eſſent præterea 12 iſti Gradus à Joſepho ignorati exſurgeret cubitorum numerus ad 27, ita foret ſolum Veſtibuli altius Porticibus exterioribus cubitis quinque ſecundùm Joſephum pluribus quàm quos agnoſcunt Judæi. Judæi ergo à Joſepho diſſentiunt in numero Graduum quibus à priore Septo ad Atrium uſque Sacerdotum aſcendebatur; hi enim 32 numerant, Joſephus duntaxat 20, at in numero cubitorum quibus Atrium Sacerdotum erat altius Porticuum exteriorum ſolo, fere conveniunt; nam Judæi 16 numerant, Joſephus 15, nempe Joſephiani Gradus alti fuerunt ſinguli pollices, uti diximus, 13 cum dimidio, Judaici vero novem duntaxat. Denique in Graduum etiam numero conſentiunt aliquo modo cum Joſepho Judæi, nam utrique agnoſcunt Gradus 32, ſed diverſa ratione; nam Joſephus 32 in univerſo Templo agnoſcit, Judæi itidem 32, ſed ad Atrium uſque Sacerdotum, ita poteſt quodammodo iniri inter eos diſſentiens Concordia.

Templi propriè & ſtrictè dicti dimenſiones.

Convenit Joſepho cum Judæis in eo quod utrique faciunt Templum, (ídque videntur habere ex Ezech. 41. 13, 14.) longum, latum & altum 100 cubitos quòd duplicem illi tribuunt contignationem ſive tabulatum, quòd multas Cellas Templo circumponunt, denique in locis Sanctis & Adyti longitudinis & latitudinis menſuris quos convenienter cum menſuris in Scriptura traditis aſſignant ſed in aliis multis tum invicem tum à Scriptura diſſentiunt, aut diſtare ſaltem videntur. Longitudo Templi numeratur ab Oriente in Occidentem, ab ingreſſu videlicet portæ Veſtibuli ad extremum murum quo Adytum à tergo claudebatur, & ab Atrio Sacerdotum ſeparabatur, quæ ſic per partes ſecundùm Joſephi dimenſiones colligitur. Murus quo Adytum & locus Sanctus undique claudebatur fuit ſecundùm Judæos & Ezech. cap. 41. 5. & convenienter veritati craſſus ſex cubitos. Adytum longum fuit viginti cub. locus Sanctus quadraginta. Murus quo à Veſtibulo ſeparabatur craſſus 6 cubitos. Veſtibulum ſecundùm Joſephum latum fuit 20 cubitos ſumma eſt 92, reſtant 8 cubiti, qui dandi ſunt craſſitudini muri Veſtibuli, Et ſanè tot ſunt illi tribuendi cubiti, duo nempe plures quàm muro Adyti & loci Sancti, hoc nempe neceſſe fuit ad majorem ſtructuræ firmitatem, ob vaſtam ejus altitudinem, quæ 100 cubitorum fuit ſine ullo intermedio tabulato, ulliſque adjunctis fulcris, quæ duo ad ſtructuræ firmitatem ſubſidia fuerunt in Adyto & loco Sancto; nam & interjecto in media altitudine tabulato muri ejus utrinque tabulati trabibus veluti fibula conſtringebantur & Cellis extrinſecus circumpoſitis utrinque fulciebantur; itaque opus non fuit ut tanta eſſet muri Adyti & loci Sancti craſſities, quanta muri Veſtibuli. Judæi murum Veſtibuli craſſum faciunt quinque duntaxat cubitos, ſed perabſurdè, cùm ratio ſtructuræ (uti dictum) poſtulet & verò exigat ut craſſior fuerit muro Adyti & loci Sancti. Talmudiſtæ eandem agnoſcunt Templi longitudinem, 100 nempe cubitorum, ſed eam per partes aliter quàm Joſephus numerant & colligunt, quia cum eo non conveniunt in Veſtibuli latitudine & muri ejus craſſitie. Sic ergo illi centenarium cubitorum numerum in longitudine Templi colligunt per partes, Murus Veſtibuli craſſus erat 5 cubitos, Veſtibulum latum 11 cub. Murus quo locus Sanctus à Veſtibulo diſtinguebatur craſſus 6. Locus Sanctus longus 40 cub. Spatium inter Adytum & locum Sanctum inane latum cub. unum, Adytum longum 20 cub. Murus ejus à tergo craſſus 6 cub. Cellæ quæ à tergo Adyti erant latæ fuerunt 6. cub. Murus earum craſſus 5. cub. Colliguntur in univerſum 100 cubiti. Has Cellas à tergo Adyti Joſephus non agnoſcit, neque patitur centenarius cubitorum in longitudine Templi numerus, ut Cellæ pone Adytum ex Joſephi dimenſione ullæ fuerint, ſed quod Judæi Veſtibuli latitudini, & craſſitudini muri ipſius detraxerunt à fronte domus, videntur voluiſſe addere & compenſare, adjectis à tergo, & pone Adytum, Cellis iſtis. At ſecundùm Scripturam vix colligi poſſunt in longitudine niſi 94 cubiti, nempe Adytum longum fuit 20 cub. Locus Sanctus 40 cub. Veſtibulum latum 10 cub. En tibi 70 cub. Murus Templi pone Adytum, & ante locum Sanctum, 12 cub. Cellæ poſt Adytum latæ 5 cub. Sic colliguntur 87 cub. his addantur 3 cub, craſſitudinis muri Cellarum, & 4 cub. muri Veſtibuli, fient 94 cubiti.

Latitudo Templi à Meridie in Septentrionem porrigebatur, & bifariam conſideranda venit, nempe vel à fronte quâ ingreſſus in illud per Veſtibulum ab Oriente patebat, vel à tergo poſt Veſtibuli latitudinem, & muri, quo Veſtibulum à loco Sancto ſeparabatur, craſſitudinem. Et à fronte quidem latum fuit 100 cubitos, quot nempe longum fuit extrinſecus ipſum Veſtibulum, Veſtibuli enim longitudo in Templi latitudinem porrigebatur. Ab extremo ergo Veſtibuli Meridionali angulo ad alium ejus Septentrionalem angulum extrinſecus 100 fuerunt cubiti, intrinſecus verò duntaxat 84, quia, uti dictum, Veſtibuli utrinque murus craſſus fuit 8 cubitos, detrahendi itaque ſunt 16 cubiti de 100. Hæc Veſtibuli intrinſecus longitudo 84 cubitorum, ſecundùm Joſephum, videtur inde confirmari, quòd in latina Ruffini interpretatione (Antiq. l. 6. c. 6.) Veſtibulum dicitur longum 40 cubitos ubi in Græco eſt πεντήκοντα Uterque numerus verus eſſe poteſt, & uterque debet de dimidia non de tota Veſtibuli longitudine accipi; nam ex iis quæ jam vidimus liquet longum fuiſſe neceſſariò extrinſecus 100 cubitos, intrinſecus verò 84. Ergo dimidia ejus longitudo, à Portæ medio ad alterutrum extremum, extrinſecus fuit 50 cubitorum (ut habet Græcus textus πεντήκοντα) intrinſecus verò fuit 42 cubitorum pro quo Ruffinus dixit 40, numerum nempe rotundum poſuit proſ actо. Sic ergo accipiendus omnino videtur locus ille, alioqui Joſephus ſecum ipſe ἀδιαλλάκτως pugnabit. Judæi quia Veſtibuli murum volunt fuiſſe craſſum quinque duntaxat cubitos, Veſtibulum intrinſecus longum faciunt 90 cubitos, extrinſecus verò 100.

Templi latitudo à tergo non fuit (ut à fronte) 100 ſed 60 duntaxat cubitorum ſecundùm Joſephum, *Pone enim* (ut ille ait) *40 cubitis erat anguſtius*, quam fuit à fronte. *nam à fronte Veſtibulum utrinque duorum inſtar humerorum 20 cubitis ab utroque latere producebatur.* Hæc Templi latitudo ſic per partes, ſecundùm Joſephum, colligitur. Locus Sanctus & Adytum lata fuere 20 cub. Murus quo utrinque claudebantur craſſus fuit 6 cub. ſic colliguntur 32 cubiti, qui de 60 deducti dant 28 cubitos, Cellis quæ utrinque Templo adhærebant aſſignandos, 14 nempe ab utroque latere cubitos. Horum 14 cubitorum damus decem latitudini Cellarum, 4 verò cubitos craſſitudini muri quo utrinque Cellæ claudebantur, & ab Atrio Sacerdotum ſeparabantur. Ita Cellarum & muri earum craſſitiem, quam Joſephus non definit, certo colligimus, indidemque confirmatur quàm verè à Judæis definiatur muri Templi craſſitudo eſſe 6 cubitorum, neque enim aliter inveniri poſſet tota Templi à tergo latitudo eſſe 60 cubitorum prout eam definivit. Ita mutuas ſibi præſtant operas mutuamque fœnerantur lucem in dimenſionibus ſuis Joſephus & Judæi, aliorúmque ab aliis caſtigari & deprehendi poteſt in numeris error atque lapſus. Talmudiſtæ hanc Templi latitudinem, ut aliam à Joſepho ſtatuunt, ſic etiam aliter eam per partes colligunt atque dinumerant. Nam ad loci Sancti & utriuſque ejus muri communem cum Joſepho 32 cubitorum latitudinem adjiciunt ab uno latere Cellarum latitudinem 6 cubitorum, muri earum craſſitiem quinque cubitorum, illi muro adjungunt Cochleam vel potiùs ſcalam lapideam (quâ per Cellarum longitudinem aſcendebatur in ſecundum & tertium earum tabulatum earúmque tectum) latam 3 cubitos, murum autem ejus craſſum quinque cubitos. Sic colliguntur ab uno Templi latere 19 cubiti, totidem erant ab altero Templi latere. Sic in univerſum colliguntur 70 cubiti, quot cubitos volunt latum fuiſſe Templum à tergo. Sed hæc cellarum earúmque muri, adjunctæque Cochleæ & ejus muri dimenſiones & ratio non conveniunt; nimia enim eſt proculdubio illa muri (quâ ſtatuunt) tum Cellarũ tum Cochleæ craſſities: non enim magna fuit muri illius altitudo ut tantam poſtulaverit craſſitiem, altus nempe fuit murus ille 30 duntaxat cubitos. Deinde quod aiunt Cellarum muro adjunctam fuiſſe Scalam lapideam, cum muro qui eam ſuſtineret quinque cubitos craſſo, falſum eſſe (& ignarorum Judæorum commentum, qui rationem Cochleæ quâ ad Cellarum tabulata & tectum aſcendebatur non intellexerunt) inde convincitur quod Joſephus Antiq. ubi de Templi conflagratione agit, narrat militem Romanum, quum Judæos in Templum refugientes perſequeretur, ſublatum à ſocio in humeros, titionem quem ex Porticuum incendio rapuerat injeciſſe ex atrio Sacerdotum per feneſtram in Cellas Templo circumpoſitas, quod fieri nullâ ratione potuiſſet, ſi ſcala illa Judæorum & ejus murus admittatur, uti planum eſt ex Talmudiſtici Templi delineatione noſtra. Imò verò ſi ea admittatur, nullæ potuerunt eſſe in pleriſque inferioris Tabulati Cellis feneſtræ, imò neque in ſecundi ſeu medii Tabulati nonnullis Cellis, ſiquidem à Scala illa lapidea, ejúſque muro obtecta & obſcurata prorſus fuit magna Cellarum tum primi tum ſecundi Tabulati pars, quod vehementer abſurdum eſt, unde enim habere potuerunt Cellæ lumen? Itaque rejicienda prorſus videtur illa Judæorum Templi hac in parte dimenſio atque delineatio; recipienda contrà magis videtur illa quæ à Joſepho traditur, ut magis vero conſentanea. De Templi Salomonici latitudine Scriptura hoc tantùm dicit, locum Sanctum latum fuiſſe 20 cubitos, Cellas autem utrinque Templo adhærentes latas fuiſſe 5 cubitos, ita colliguntur 20 cubiti, quibus ſi addas muri Templi quo à Cellis utrinque ſeparabatur craſſitudinem 10 cubitorum, exſurgunt 40 cubiti. An Cellæ murum habuerint quo ab Atrio ſeparentur Scriptura non dicit, ſiquis tamen contendat lapideo muro eas fuiſſe ab atrio Sacerdotum ſecluſas, muri illius non videtur magna fuiſſe craſſitudo, cùm ex Scriptura Cellarum tria Tabulata alta fuerint 15 duntaxat cubitos, itaque 3 cubitorum craſſities muro illi abunde ſuffecerit. Atque ſic tota Templi Salomonici latitudo invenietur fuiſſe 46 cub. longitudo autem ejus 94 cub. quæ eſt ratio dupla longitudinis ad latitudinem, quam rationem Vitruvius requirit in Doricis Ædium ſacrarum ſtructuris.

Veſtibuli Templi dimenſiones.

Jam ſuprà indicavimus quanta fuerit Veſtibuli, ex Joſephi mente, amplitudo nempe longum fuiſſe extrinſecus 100 cubitos, intrinſecus verò 84, latum autem intrinſecus 20 cub. extrinſecus verò 34, quia 20 illis cubitis addendi ſunt tum 8 cubiti craſſitudinis muri Veſtibuli à fronte, tum 9 cubiti craſſitudinis muri quo à loco Sancto diſtinguebatur. Talmudiſtæ longum illud faciunt extrinſecus 100 itidem cubitos, intrinſecus verò 90 cub. cujus cauſam ſuprà aperuimus, latum autem faciunt intrinſecus 11 duntaxat cubitos. Sed hæc latitudo anguſta nimis proculdubio eſt, nec æquâ ſatis proportione reſpondens tum longitudini tum altitudini ejus, quam utramque fuiſſe aiunt 90 cubitorum. Sanè Scripturæ Veſtibulum facit 10 duntaxat cubitos latum, ſed & eadem illud ipſum longum facit 20 duntaxat cubitos, altum verò (uti videtur) 30 cub. quæ æqua eſt & valde accommodata latitudinis ad longitudinem & altitudinem ratio atque proportio. At verò ut latum fuerit 11 cubitos, longum verò & altum 90 cub. non id patiuntur leges proportionis, quæ in ſtructuris Ædium ſervanda eſt. Latitudo 20 cubitorum, quam Joſephus ei tribuit multò convenientior videtur, & ad juſtæ proportionis leges & rationem longè propiùs accedere. Porrò cur in latitudine ejus aſſignanda Judæi uno amplius cubito à Scripturæ menſuris diſceſſerint cauſam aliam non video, neque conjicere poſſum, niſi hanc, ut centenarium ſcilicet cubitorum in longitudine Templi numerum explorent, qui alioqui uno cubito diminutus inveniretur. At cur tam ipſi quàm Joſephus etiam in longitudine Veſtibuli dimetienda tam longe à Scriptura abierint (Scriptura enim illi tribuit 20 duntaxat cubitos, iſti verò eidem tribuunt, Judæi quidem 90, Joſephus autem 84) cauſam nullam prorſus probabilem comminiſci aut divinare poſſum. Fortè Herodes (qui Templum hoc, quod tum à Joſepho tum à Judæis deſcribitur, condidit) putavit Veſtibuli Salomonici magnitudinem & menſuras non æquâ ſatis proportione reſpondere ad reliquæ Domûs amplitudinem, ideóque voluit illud ampliare, ut juſta inter ea eſſet proportio. Ambulatio item in Veſtibulo ante Domum videbatur illi in longitudine 20 cubitorum brevis nimium, eam itaque quadruplo longiorem fecit, quadruplò autem auctâ longitudine duplicanda minimùm fuit ejus latitudo. Atque ita factum ut eadem eſſet totius Templi à fronte latitudo cum ejus longitudine, quod elegantiſſimum & convenientiſſimum videbatur. Et figura ſanè Templi Herodiani quæ literam T inverſam refert ſpeciem habet convenientiſſimam gratiſſimámque.

Altitudo Veſtibuli ſecundùm Joſephum & Talmudiſtas extrinſecus (uti ſuprà diximus) fuit 109 cubitorum, intrinſecus autem à ſolo Veſtibuli ad ſummum uſque tabulatum, ſive potiùs tectum perpetuâ altitudine (ſine ulla interjecta contignatione) fuit 90 cubitorum. Quibus ſi infernè addantur 6 cubiti, quibus ſolum Veſtibuli altius fuit ſolo Atrii Sacerdotum (nam, uti ſuprà dictum eſt, 12 Gradibus ab Atrio Sacerdotum in Veſtibulum aſcendebatur, qui Gradus ſinguli erant alti dimidium cubitum) fient 96 cubiti, his ſupernè addendi ſunt 4 cubiti ad tecti craſſitudinem, & coronamenti ſive periboli altitudinem. Et ſanè Judæi περίβολον altum faciunt tres cubitos, ita cubitus reliquus dandus eſſet craſſitudini tecti; ſed quia major fuiſſe videtur ejus craſſities ob longarum trabium & trabibus impoſitorum tignorum, híſque injectarum tabularum & tabulis inducti cæmenti craſſitiem, tribuendi omnino videntur toti tabulati ſive tecti craſſitudini duo cubiti, reliqui duo cubiti ſufficere poſſunt ad altitudinem Periboli qui tecto circumpoſitus erat ad prohibendum inopinatum caſum deambulantium ſuper tectum, trium nempe pedum altitudo ad cujuſvis ferme proceri hominis umbilicum poteſt pertingere, cúmque à caſu prohibere,

Templi quæ & quanta fuerit altitudo & amplitudo.

In deſcriptione Templi Salomonici quæ habetur 1 Reg. c. 6. nulla fit ſingularis mentio altitudinis Veſtibuli, ita ut videatur eadem fuiſſe cum reliquæ Domus altitudine, quæ dicitur fuiſſe 30 cubitorum, aut verò potius 20 duntaxat cubitorum, uti infrà oſtendetur. Quod ſi verum eſt, fuit ſanè Templum Salomonicum Herodiano longe minus atque anguſtius, quod cùm abſurdum minimèque admittendum videatur, quandoquidem Salomonicum tantopere à magnificentia & amplitudine celebratur, ideo nonnullis viſum eſt rationes ſuas ita inſtituere ut inveniatur Templum Salomonicum Herodiano 20 cubitis altius. Atque ad id adferunt locum qui habetur 2 Par. 3. 4. ubi Veſtibulum Templi dicitur fuiſſe altum 120 cubitos, quod dictum eſſe volunt de ſolo Veſtibulo, ſed ad totum Templum trahunt, ut & Veſtibulum & locus Sanctus & Adytum intelligi debeant alta fuiſſe 120 cubitos. Atque in hac ſententia eſt R. Salomo Jarhi in hunc locum: cui ſi objicias locum 1 Reg. cap. 6. ubi altitudo Domûs dicitur fuiſſe 30 cubitorum, reſpondebis hoc dici de primo ſeu infimo tabulato, cæterùm tria alia iſti ſimilia fuiſſe illi ſuperimpoſita, ita ut quatuor fuerint in toto Templo tabulata, ſingula alta 30 cubitos, atque ita tota altitudo aſſurrexit ad 120 cubitos. Atque ad hujus ſententiæ confirmationem adfert locum ex 1 Par. 28. 11. ubi David dicitur *dediſſe Salomoni typum Porticûs, domorum ejus, Gazophylaciorum ejus, Cœnaculorum ejus* וחדריו הפנימים *& intimorum ejus penetralium, domúſque Propitiatorii.* Unde, inquit, liquet fuiſſe in Templo עליות *tabulata* ὑπερῷα & Ribera de Templo Salomonis hoc loco per בתים intelligit locum Sanctum & Adytum, per גנזכים *Gazophylacia*, Cellas Domui circumpoſitas, per עליות *cœnacula*, illa tabulata primo ſive infimo ſuperpoſita, denique per חדריו הפנימים *cubicula in adytis* ſive *interiora*, ea quæ erant in ſecundo & tertio tecto Templi, & *interiora*, inquit, *dicuntur ut diſtinguantur à Cellariis quæ exteriora erant.* Ad ejuſdem ſententiæ confirmationem idem Ribera adfert Herodis ad Judæos verba apud Joſephum Antiq. 15. c. 4. *Templo huic, quod poſtliminio reverſi à captivitate Babylonica patres noſtri inſtauraverunt, deſunt ad priſcam altitudinem 60 cubiti, tanto enim celſius erat vetus illud Salomonis ædificium.* Porrò Templum ſecundum, de quo iſthic loquitur Herodes (inquit Ribera) conſtat habuiſſe 60 cubitos altitudinis ex Eſd. 6. prohibente viz Cyro altius ædificari Templum, ut ibidem ait Joſephus, & ex cap. 6. Eſdræ intelligitur. Cùm autem ſecundum multo minori magnificentiâ exſtructum fuiſſe conſtet (ex Agg. 2.) quàm primum, dubium non eſt primum habuiſſe multo majorem altitudinem. Confirmat hoc (inquit) quod legimus Eſd 3. Plurimi de Sacerdotibus & Levitis, ac Principes patrum, & Seniores qui viderant Templum prius, cùm fundatum eſſet & hoc Templum in oculis eorum, flebant voce magnâ, ſcilicet quoniam ex fundamento cognoſcebatur non poſſe illud ſurgere in altitudinem prioris. Poſtremò, cùm in cap. illo 3. lib. 2. Paralip. deſcribatur menſura longitudinis & latitudinis Domûs, & nihil de altitudine dictum ſit, non eſt dubium quin id quod ſubjicitur, *porrò altitudo 120 cubitorum erat.* non ſolùm ad Porticum ſed etiam ad Domum referri debeat. Ex his ſic concludit Ribera, *Dicendum igitur eſt ſi & citatos autores & veritatem ipſam ſequi velimus 1 Reg. cap. 6. deſcribi altitudinem Domûs uſque ad primam contignationem, in Paralip. autem uſque ad ſupremam, & ita omnia conciliantur.* Atque hæc Ribera qui Salomonis Jarhi ſententiam ſecutus eſt. Kimhi in aliam propendet ſententiam, ut nempe ſolum Veſtibulum fuerit 120 cub. altum, quam confirmare etiam nititur, eámque poſt eum alii ſecuti ſunt, recentiores maximè interpretes, atque inter eos præcipuus Villalpandus, qui putant Veſtibulum inſtar altiſſimæ turris ſupra Domum eminuiſſe.

Verùm neutra harum ſententiarum ſtare poſſe videtur. Ac primò, poſterior iſta hinc refelli videtur, quòd tanta Porticûs altitudo nullam habet convenientem & juſtam proportionem tum ad reliquæ Domûs illi junctæ altitudinem, tum ad areæ ſuæ latitudinem & longitudinem: nam quæ hæc eſt proportio ut quadruplò

druplò fuerit reliquâ Domo altior. Nulla invenietur turris toto terrarum orbe quæ ædificium ſibi junctum tanto ſuperavit intervallo, deforme enim illud eſt, quippe non ſervatâ juſtâ membrorum inter ſe proportione. Area etiam illius Porticûs tam anguſta, 10 nimirum cubitos lata, 20 longa, omnino ſufficere non videtur ad tantam altitudinem ſuſtinendam; nec invenietur, uti arbitror, turris ulla hujus altitudinis, quæ non triplo aut quadruplo ampliorem obtineat aream. Turris dicta Phaſaelus ab Herode exſtructa, cùm eſſet 90 cub. alta, lata & longa fuit in quadrum 40 cub. Hippicos cùm eſſet 80 cubitorum, longa & lata fuit 25 cub. Et quidem ſolidæ erant, non inanes, ad altitudinis ſuæ fere dimidium, aut ſaltem trientem. Non decuit ergo tam humilem Domum (30 nempe cubitorum) tam alta & procera turris ei juncta, nec tam brevis Porticûs ipſius area juſtâ proportione tantæ altitudini reſpondet. Itaque rejicienda videtur hæc ſententia quæ juſtæ in ſtructuris obſervandæ proportioni tantopere repugnat, támque longe ab ea recedit. Non minùs longè ab ea diſcedit prior illa ſententia quæ ſtatuit Domum totam cum Veſtibulo fuiſſe 120 cub. altam; nam ex 1 Reg. 6. 10. liquet Cellas Templo circumpoſitas fuiſſe ſingulas quinque duntaxat cubitos altas, proindeq; tria Cellarum tabulata alta fuerunt 15 tantùm cubitos, aut ad ſummum 18, ſi ſingulorum tabulatorum contignationis craſſitudini & tecto cubitum unum demus. Jam verò quæ hæc eſt 18 ad 120 cubitos altitudinis proportio? Sanè non minùs abſona, & à juſta ratione abhorrens, quàm altitudinis Porticûs ad Areæ ſuæ amplitudinem proportio. Deinde & latitudinis ipſius Domûs (quæ fuit 20 cubitorum) nulla eſt juſta & æqua ad tantam Domûs altitudinem proportio; itaque tam anguſta Domûs latitudo cum tanta ejus altitudine, & 80 ut minimum cubitorum longitudine ingratam & inconcinnam oculis præbuiſſet ſpeciem, maximè ſi tam humiles ei adjunctas Cellas cum ejus altitudine conferas. Nam quod Joſephus Antiq. l. 8. c. 2. Cellas facit 25 cub. longas & latas, 20 autem cub. altas, repugnat manifeſtè Scripturæ, & Templi Salomonis ſtructuram cum Herodiani ſtructura confundit atque commiſcet imperitè. Neque rationes quibus ea ſententia ſuffulcitur ita certæ ſunt ut refelli non poſſint. Nam ad locum 1 Par. 28. quod attinet, quo Jarhi nititur, Primò Reſpondet Kimhi, Domos, Cellas, Gazophylacia, tabulata vel cœnacula & penetralia, quorum iſthic fit mentio, fuiſſe ipſius Porticûs Domos, Cellas, &c. non verò totius Domûs, proindéque non debere intelligi illa עליות *tabulata* de tabulatis loco Sancto & Adyto ſuperpoſitis, ſed de tabulatis ipſius Porticûs quæ ſecundùm eum quatuor fuerunt. Sed quia in tam anguſto ſpatio non potuerunt eſſe tot diverſa membra, Domus, Cellæ, Cœnacula, &c. propterea aliter malim reſpondere. Itaque ſecundò Reſp. Eo loco per בתים *domos* intelligi poſſe (uti Jarhi accipit) locum Sanctum & Adytum, quæ ideo dicuntur Veſtibuli domus, quia per Veſtibulum in ea dabatur ingreſſus, quomodo in communibus ædibus à Veſtibulo itur in Domum; per גנזכים *gazophylacia* intelligi debere Cellarum Templo ab utroque latere circumpoſitarum primum tabulatum, quarum Cellarum hic videtur fuiſſe uſus ut in iis pretioſiſſima quæque reconderentur & aſſervarentur; per עליות *cœnacula* poſſe intelligi ſecundum & tertium Cellarum illarum tabulatum, fuerunt enim illa revera ὑπερῷα Cellis inferioribus ſuperpoſita; per חדרים הפנימים *penetralia intima*, intelligendæ veniunt Cellæ illæ quæ erant à tergo Adyti, quæ ſic dicuntur quia in illas penetrari non poterat niſi per anteriores Cellas, quæ priùs erant emetiendæ & penetrandæ, ex una nempe in aliam dabatur ingreſſus, erántque omnes invicem penetrabiles; בית הכפורת *domus propitiatorii* Adytum ſignificat in quo erat Arca fœderis, qui locus licet in præcedentis vocis complexu בתם ſit comprehenſus, ſingulariter tamen adhuc commemoratur, quia pars erat Templi maximè præcipua, cæteríſque ſanctitate longe præſtans. Ita nihil neceſſe eſt eo loco comminiſci ex voce עליות tria ſuperna in Templo tabulata infimo ſuperimpoſita ad altitudinem 120 cubitorum. Ad locos autem Eſdræ & Aggæi quod attinet, quibus ſignificatur Domus ſecunda alta & lata 60 cub. & tamen multo minor priore, Reſpondeo primo Templum bifariàm accipi, latè nimirum & ſtrictè, & ſtrictè quidem pro Adyto, loco Sancto & Veſtibulo; Templum ſtrictè ſic ſumptum non commendatur in libris Regum & tota Scriptura à magnitudine & amplitudine, ſed a ſtructuræ pulchritudine & magnificentia, cùm totum intrinſecus Cedro & aureis laminis eſſet obductum. Itaque licet Templum ſic acceptum à Cyro ædificari juſſum amplius & majus illo eſſet quoad menſuram, magnificentiâ tamen & interno ornatu atque mundo longè erat illi inferius. Itaque inde fortè fletus & ejulatus eorum qui prius illud viderant, cùm poſterius iſtud longè infra illud viderent quoad ornatum & ſplendorem ſubſiſtere: atque ita intelligendus eſt locus Aggæi, quo poſterius Templum priori collatum dicitur fuiſſe inſtar nihili in oculis Judæorum, Id, inquam, accipiendum eſt de cultu & ornatu non de amplitudine. Nam cùm ex eorum ipſorum (quos jam refutamus) ſententia poſterius iſtud dimidio tantùm minus altum eſſet quàm Salomonicum, cauſa non erat cur diceretur quaſi nihil fuiſſe in eorum oculis ſi id dictum fuiſſet reſpectu amplitudinis, maximè cùm illi ipſi quos refutamus negare non poſſint poſterius iſtud à Judæis reducibus exſtructum, ſi reſpectu altitudinis cedebat priori, at latitudinis reſpectu longe illud ſuperavit, cùm prius 20 tantùm cubitos latum, iſtud 60 dicatur latum fuiſſe, ita ut quod altitudini deerat in poſteriore, latitudine ipſius majore compenſari videretur. Sed ut nè eos hìc plus æquo gravemus, facilè concedimus latitudinem illam 60 cubitorum non eſſe accipiendam de Adyti & loci Sancti, ſed de tota Templi cum adjunctis Cellis latitudine, quæ ne quidem tanta fuit in Templo Salomonico, in quo adjunctæ Cellæ latæ fuerunt 5 duntaxat cubitos, ac proinde ſi Adyti & loci Sancti latitudini (quæ 20 fuit cubitorum) addas Cellarum latitudinem 10 cubitorum, & muri utrinque craſſitiem 10 vel 12 cubitorum, tota Templi illius latitudo exſurget ad 40 vel 42 cubitos. Ita igitur negari non poteſt ſecundum Templum priore fuiſſe latius 20 cubitis, h. e. triente. Locus ergo ille Aggæi qui adverſùs ſententiam noſtram objicitur, non de Templi ſtrictè dicti amplitudine ſed de ejus ornatu & magnificentia eſt accipiendus. Quod ſi omnino de amplitudine Templi accipiendum eſſe contendat aliquis, Reſp. id tum accipi debere non de Templi ſtrictè ſed latè ſumpti amplitudine. Nam circa Templum propriè & ſtrictè ſumptum Salomon exſtruxerat varia ampliſſima ſimul & magnificentiſſima ædificia, Porticus puta, Atria & Exhedras, &c. ad populi, Sacerdotum, Levitarum, totúmque Leviticum miniſterium accommodata, quæ à Judæis reducibus non eâ magnitudine, ſplendore & magnificentiâ exſtructa ſunt, quâ fuerant in priore Templo, ut hac in parte Templum ſecundum priori longe fuerit inferius. Secundo Reſpondemus eos qui prius Templum viderant non ideo dici fleviſſe & ejulaſſe quòd viderent poſterioris iſtius fundamenta ejuſmodi eſſe ut non potuerint ferre tantam muri altitudinem quanta erat in priore Templo, videntur potius ideo fleviſſe quòd tum ſubierit eorum mentem recordatio ſtatûs Reip. totiúſque populi, qui ſub priore Templo longè fuit diſpar, major nempe & glorioſior quàm tum erat ſub ſecundo Templo. Illi ergo memores ſtatûs Reip. qui tum fuit, præſentem rerum ſtatum longè diſparem & inferiorem lugebant, reliqui qui non viderant ſtantem Judaicam ſub Regibus & priore Templo Remp. ſed collapſam duntaxat & everſam in captivitate Babylonica, reputantes tum animo ſtatum præſentem & cum illo Babylonico componentes exultabant & jubilabant, mixtæque ſic fuerunt populi voces variæ, fletus & lætitiæ, ex aſpectu quidem Templi quod tum fundabatur excitatæ, at non tamen ex murorum ejus (quaſi minùs eſſent antiquis craſſi) ſed ex præſentis ſtatûs ſui cum eo quem priùs viderant collati conſideratione ortæ. Sed objicitur non eſſe veriſimile Cyrum Spiritu Dei excitatum ad inſtaurandum Templum, voluiſſe menſuras ejus à Deo olim conſtitutas arbitratu ſuo immutare. At, inquam ego, ſi eædem ſervandæ fuerunt quæ fuerant in priore Templo, quid opus erat in Edicto ſuo menſuras deſignare atque notare; ſatis erat edicere ut priſtinis fundamentis imponeretur Templi ſtructura, úsque juxta veterem ejus menſuram & figuram exſtrueretur, quæ ſatis erat ex Scriptura nota: quod itaque menſuram Edicto ſuo deſignavit, & quidem diverſam ab ea quæ notatur (libro Regum) fuiſſe in priore Templo, argumentum eſt certiſſimum immutatæ priſtinæ menſuræ atque amplitudinis. Et quando Cyrus non ſuopte motu ſed Divino juſſu inſtaurationem illam Templi ſuſcepit, omnino exiſtimandum eſt menſuras illic præſcriptas à Deo etiam fuiſſe, non ab arbitratu humano. Et quando tam certum eſt ut negari non poſſit (uti modò demonſtravimus) Templi ſecundi latitudinem diverſam, & quidem non minorem ſed majorem & ampliorem fuiſſe latitudine prioris Templi, & quidem tertiâ (ut minimum) parte majorem, quidni etiam veriſimile ſit ut altitudo item diverſa, neque minor ſed major, & quidem duplo major altitudine prioris Templi fuerit. Nam quis credat Cyrum voluiſſe tertiâ parte latius duplo verò humilius facere Templum quàm olim fuerat? imò verò ut latius ſic & altius illud facere voluit. Quandoquidem enim ſub poſteriore Templo futura erat major Judæorum per univerſum Orbem terrarum ſparſorum multitudo, videtur etiam Deus voluiſſe Templum ſecundum majus & amplius exſtrui, etſi non ita ſplendidum & ornatum quàm fuerat ſub Salomone, quia humilis Judæorum reducum ſtatus id non ferebat. Sed Herodes nobis objicitur apud Joſephum, dicens defuiſſe Templo à reducibus Judæis exſtructo ad priſtinam altitudinem 60 cubitos, quos ipſe voluit addere, proptereáque ab ipſis fundamentis Templum inſtauravit. Reſp. hoc tantùm inde effici, Herodem & qui ei hujus conſilii autores & fautores fuerunt, in ea quidem fuiſſe ſententia, quam ex occaſione loci ſuprà memorati 2 Par. 3. videntur concepiſſe, quomodo jam diximus Salomonem Jarhi ex eo loco occaſionem cepiſſe abeundi in eam ſententiam, at non ſequitur tamen rem ita revera habuiſſe, cùm videamus Kimhi in diverſa eſſe nihilominus ſententia. Itaque ego potiùs dixerim Herodem hominem gloriæ ex magnificentia appetentiſſimum, poſt multa à ſe per totam Judæam & in ipſa Jeroſolyma magnificentiſſimè exſtructa ædificia, & hinc etiam gloriam captare voluiſſe, exſtructione nimirum Templi majoris & amplioris magnificentioriſque quàm unquam antea fuerat, ut ſic vel ipſum Salomonem regem glorioſiſſimum & famoſiſſimum & Cyrum hac in parte aut æquaret aut etiam quodammodo ſuperaret. Et quoniam difficile erat Judæis perſuadere ut rem arbitrio ſuo permitterent, ut hoc ab ipſis faciliùs impetraret, perſuaſiſſe illis videtur ex loci illius 2 Par. 3. occaſione Templum iſtud à reducibus Judæis exſtructum duplo humilius fuiſſe Salomonico, hócque dedecus propterea non eſſe diutius illis ferendum, ideòque cùm facultas ipſi jam ſuppeteret dedecus illud abolendi, propoſuiſſe animo Templum ad juſtam & priſtinam ſuam formam & altitudinem erigere atque inſtaurare, ſi modò per eos id ſibi liceat. Si exertè id quod res erat illis aperuiſſet, ſe nempe proponere animo Templum exſtruere amplius & magnificentius quàm vel à Salomone vel à Cyro Perſarúmque regibus exſtructum fuerat, fidem apud eos non impetraſſet, neque paſſi fuiſſent Judæi vetus ſuum Templum dirui ut novum exſtrueretur, regeſſiſſent enim ſtatim non eſſe movendos antiquos terminos, neque mutandam priſtini Templi figuram & menſuram. Verùm honeſta erat apud eos hæc oratio, quæque facilè perſuaderi illis poterat, Quod fieri hactenus ob temporum præcedentium anguſtias & calamitates varias & multiplices non potuit, ut Templum ſcilicet ad priſtinam amplitudinem revocaretur, id jam eſſe tentandum & exequendum, quando id efficiendi Deus in ſummo otio & rerum omnium abundantia facultatem ipſis præberet. Sed quis ergo, dicet aliquis, erit tandem loci illius Paralipomenων ſenſus & mens? Nempe ſuſpicarer מאה iſthic poſitum eſſe per literarum Metatheſim pro אמה, quomodo alibi frequentes occurrunt hujuſmodi literarum Metatheſes, adeóque & in illa ipſa voce ſimilis occurrit, & à Maſorethis annotatur in Keri & Cetib, Metatheſis Ezech. 42. 6. ubi אמות poſitum eſt pro מאות. Sic ergo & hìc exiſtimarem מאה poſitum pro אמה, *Vau* autem ſequens additum & præpoſitum eſſe ſequenti voci עשרים ab iis qui legendum putabant מאה non vero אמה. Ita ſenſus loci fuerit planus, Veſtibulum nempe latum fuiſſe 10 cub. longum & altum 20 cubitos. Sic nempe fieri olim ſolebant (ut etiamnum hodie ſæpe fit in Pontificiorum Eccleſiis) πρόθυρα ſeu Veſtibula quædam ante Templorum ſive Ædium ſacrarum portas, quæ portæ ipſius altitudinem vix ſuperabant, ubi Templum ingreſſuri aliquantum conſiſtebant, & ad Templi ingreſſum ſeſe parabant & veluti accingebant. Atque ſic Templi Salomonici ſtrictè dicti harmonia & ſymmetria partium omnium accurata, eximia & ſingularis fuerit (uti mox demonſtrabitur) quæ tota conturbatur & enormis prodigioſáque fit, ſi admittatur ſententia illa de altitudine 120 cubitorum, uti modò ſuprà demonſtravimus. Videtur ergo omnino Templum illud Salomonicum ſtrictè dictum, longum fuiſſe 60 cubitos, altum 30, latum 20. Veſtibulum autem ante Templi portam poſitum 10 latum, 20 autem longum & altum fuiſſe, Cellas autem Templo circumpoſitas altitudinis dimidium occupaſſe, quæ ſymmetria eſt convenientiſſima, uti jam oſtendetur, & ea omnia plana & manifeſta ſunt ex 1 Reg. 6. ſi ſolam Veſtibuli altitudinem excipias quam putamus petendam ex 2 Par. 3. ubi legendum omnino videtur אמה עשרים pro eo quod jam legitur מאה ועשרים. Scio non eſſe temere ſollicitandam lectionem illam, quæ ab omni ævo omnibus ſemper Interpretibus uſurpata fuit, cujuſmodi eſt iſta (nam & LXX eóſque ſecutus Joſephus, & jam Judæi omnes, omnéſque ſacrorum librorum Interpretes eam ſequuntur) at quum res ipſa ita poſcit, & verò flagitat, non puto tantâ nos debere teneri relligione, ut levi aliquâ literulæ mutatione aut inverſione tolli, corrigi & emaculari non debeat, & poſſit, librarii quantumlibet antiquus lapſus.

Ex his ſi per partes ſubducatur ὅλως ϗ ἐν παραβύστῳ calculus, invenietur totum Salomonis Templum ſtrictè ſumptum, h. e. Adytum cum loco Sancto Cellis & Veſtibulo cepiſſe (ſecundùm illas Scripturæ dimenſiones in univerſum 52150 cubitos cubicos, nempe Adytum cum loco Sancto 36 M. Veſtibulum 4000, Cellæ 12150. Si enim Adyti & loci Sancti longitudinem 60 cubitorum per latitudinem 20 cubitorum multiplices exſurget area 1200, hac multiplicatâ per 30 cubitos altitudinis fiet ſumma 36000 cubitorum. Similiter multiplicetur Veſtibuli longitudo 20 cub. per latitudinem 10 cub. fit area 200 cub. quâ multiplicatâ per 20 cub. altitudinis exſurgit numerus 4000 cub. Cellæ ab utroque latere fuerunt longæ 60 cub. latæ 5, altæ 15. Hæc ſi in cubum multiplicentur invenientur ab unoquoque latere 4500 cubiti, in utroque latere 9000. A tergo Adyti longæ fuerunt 42 cub. latæ 5, altæ 15, hæc cubicè multiplicata faciunt ſummam 3150, quâ additâ cum 9000 exſurgit numerus 12150. Fuiſſe autem longas pone Adytum 42 cubitos patet; nam Adytum fuit longum 20 cub. murus ejus utrinque craſſus 12 cub. en 32 cub. his in utroque extremo ſive angulo addenda eſt Cellæ unius menſura, h. e. 10 cub. ſic fiunt 42 cubiti. Sic ergo planum fit totius Templi capacitatem fuiſſe (uti dictum) in univerſum 52150. At Templum Herodianum ſecundùm dimenſiones à Joſepho traditas cepit 356M. cubitos cubicos, nempe Adytum cum loco Sancto 120 M. cub. Veſtibulum 200M. Cellæ 36 M. ſumma eſt 356 M. Nam ad Adytum & locum Sanctum quod attinet, eadem fuit ejus cum Salomonici area, nempe 1200 cubiti, quibus multiplicatis per altitudinem 100 cub. fit numerus 120 M. cubitorum, Veſtibuli longitudo

100 cub. per latitudinem 20 cub. multiplicata facit aream 2000 cubitorum, hæc per altitudinem 100 cub. multiplicata facit ſummam 200 m. Cellæ ab utroque latere fuerunt longæ 60 cub. latæ 10, altæ 30, quæ ſi cubicè multiplicentur fient ab unoquoque latere 18000 cub. ab utroque autem 36 m. Summa univerſa eſt totius Templi (uti dictum) 356 M. cub. qui ſi dividantur per 52150 (quæ fuit Salomonici Templi capacitas) invenietur Templum Herodianum Salomonico fere ſeptuplo amplius atque capacius. Porrò in hac ſummaria dimenſione utriuſque Templi non comprehendimus murorum Templi craſſitudinem, ſed vacui tantùm illius quod intra Templi muros comprehenſum fuit capacitatem. Atque hinc eſſe videtur quòd Judæi locum qui eſt Aggæi cap. 2. 9. de ſecundo Templo, quòd futura ſit ejus gloria major quàm prioris, accipiunt ad literam de Templo ab Herode conſtructo, quaſi amplius multo futurum prædicatur Salomonico, etſi fortè intrinſecus non fuerit tantopere exornatum, nempe non fuit ὅλον κατάχρυσον. Quod ſi Salomonicum Herodiano non ornatius tantùm ſed & majus & amplius fuiſſet (quod volunt illi quorum jam ſententiam rejicimus) nullo omnino fundamento niteretur iſta Judæorum loci hujus Aggæi interpretatio, quæ etſi genuina non ſit, videtur tamen aliquo nixa fuiſſe fundamento. Hinc etiam forte natus eſt & exordii ſui occaſionem cepit Herodianorum (quorum in Evangelio fit mentio) error, qui dicuntur habuiſſe Herodem pro Meſſia, hinc nempe quod & viderent tempus Meſſiæ tum adveniſſe, & ſub Herode Judæos altâ pace fruentes, Herodémque ipſum Regem eſſe ditiſsimum & magnificentiſsimum, atque ab eo Templum Hieroſolymitanum inſtauratum, auctum, amplificatum, ſplendidiúſque multo quàm erat antea effectum, quod à Meſsia faciendum Judæi tum ſperabant, & etiamnum hodie ſomniant ſperantque. Non jam inquiro an Herodes ipſe hoc conſilio inſtaurandi & amplificandi Templi hoc ſpectaverit & ſperaverit, fore ut hac ratione Judæis perſuaderet ſe eſſe Meſsiam, an verò adulatores ejus ex iſta Templi inſtauratione & amplificatione anſam & occaſionem arripuerint rumorem illum inter populares ſuos de Herode ſpargendi, atque errorem illum diſſeminandi. Satis mihi eſt ſi modò illa Templi amplificatio occaſionem huic errori, qui Herodianis tribuitur, præbuerit, quod omnino factura fuiſſe non videtur tam efficaciter ſi Herodianum Templum Salomonico non ornatu modò & ſplendore, ſed & amplitudine Salomonico ceſſiſſet.

Cellarum circa Templum dimenſiones & numerus.

In hoc convenit Joſepho cum Talmudiſtis, quòd utrique tria Cellarum circa Templum collocant tabulata, ſed triplici diſcrimine inter ſe diſſentiunt. Primùm quidem in Cellarum numero; nam Joſephus 30 duntaxat ſtatuit Cellas, Judæi 38 agnoſcunt. Secundo in ſitu earum, nam Joſephus eas collocat in latere Meridionali & Septentrionali duntaxat Domûs, quindecim nempe in unoquoque latere, quinque ſcilicet in unoquoque tabulato; Judæi præter illas 30 Cellas ſtatuunt 8 alias in latere Occidentali Domus pone Adytum, tres nempe in primo & totidem in ſecundo tabulato, tum ſuper illas, duas alias in tertio ſive ſupremo tabulato. Tertiò differunt in cellarum amplitudine; nam ſecundùm Joſephum ſingulæ cellæ erant 10 cubitos longæ, latæ, & altæ, Judæi earum altitudinem non definiunt, videtur tamen fuiſſe eadem cum illa Joſephi. Itaque (uti videtur) ſecundùm Judæos ſunt quidem omnes altæ 10 cubitos, & 30 priores Cellæ ſunt itidem ſecundùm eoſdem longæ 10 cub. ſed latæ omnes duntaxat 6 cubitos in infimo tabulato, 7 cub. in ſecundo, 8 denique in ſupremo tabulato. At illas quæ fuerunt in latere Occidentali Domûs in primo & ſecundo tabulato oportet fuiſſe longas 16 cub. aut earum duas longas fuiſſe 20 cub. reliquas quatuor ſingulas 10 cub. eas nempe quæ in angulis Adyti fuerunt, duas denique ſupremas, quæ in tertio fuerunt tabulato neceſſe eſt fuiſſe 24 cub. longas, háncque ab altera diviſam fuiſſe non muro ſeu pariete lapideo, ut reliquas, ſed aſſerum duntaxat contabulatione. Atque ita tum invicem tum à Scriptura hac in parte diſcedunt. Nam Scriptura quidem una cum Talmudiſtis Cellas Templo circumponit tribus ex lateribus (Joſephus tantum duobus) ſed Cellas omnes facit longas & altas 5 duntaxat cubitos, latas verò in infimo tabulato 5 ſimiliter cubitos, 6 in ſecundo, 7 in tertio. Atque ex hac cellarum 5 cubitorum longitudine, ſequitur fuiſſe ſpatia 39 Cellarum à latere Meridionali totidemque à Septentrionali, nempe 13 in ſingulis duorum illorum laterum tabulatis; Cùm enim Domus longa fuerit 65 cubitos (connumeratâ ſcilicet muri quâ Adytum ab Occidente claudebatur craſsitudine, quæ fuit quinque cubitorum) Cellæ autem ſingulæ 5 duntaxat cubitos longæ fuerint, proculdubio in longitudine Domûs 13 Cellarum ſpatia in unoquoque fuere tabulato. In latere autem Occidentali Domûs 8 fuerunt duntaxat in unoquoque tabulato Cellæ, h. e. 24 in tribus tabulatis; nempe Domus lata fuit (cum adjunctis ab utroque latere Cellis) 40 cubitos, quos ſi per 5 dividas exſurgit octonarius Cellarum in unoquoque tabulato ab ea parte numerus: Ita in univerſum fuerunt Templo circumpoſitæ (ſecundùm eas quas Scriptura tradit dimenſiones) 102 ejuſmodi Cellulæ. Secundùm Judæos 38 duntaxat fuerunt, Joſephus autem 30 tantummodo numerat, neque dimenſiones ab eo traditæ patiuntur ut plures fuerint, ſed Joſephi & Judæorum Cellæ majores multò & ampliores fuerunt Cellulis illis Salomonicis.

Porrò excutiendus & expendendus nobis venit locus qui eſt apud Joſephum Antiq. lib. 8. ubi poſtquam dixit Templum & Templi Veſtibulum altum fuiſſe 120 cubitos, fuiſſéque Templum (Salomonicum nempe, nam illud eo loci deſcribit) diſtinctum in duo tabulata, quorum utrumq; fuit altum 60 cubitos, ſubjicit iſta, περιῳκοδόμησε δὲ τὸν ναὸν ἐν κύκλῳ τριάκοντα βραχέσιν οἴκοις, ἕκαστος δὲ τῶν οἴκων τούτων εὖρος μὲν εἶχεν εἴκοσι πέντε πήχεις, μῆκος δὲ τοὺς αὐτοὺς, ὕψος δὲ εἴκοσι, ἐπῳκοδόμηντο δὲ τούτοις ἄνωθεν οἶκοι ἕτεροι, καὶ πάλιν ἄλλοι κατ᾽ αὐτῶν ἴσοι καὶ τοῖς μέτροις καὶ τῷ ἀριθμῷ, ὡς τὸ πᾶν ὕψος αὐτοὺς λαβεῖν τῶν κάτωθεν οἴκων παραπλήσιον, ὁ γὰρ ὑπερῷος οὐκ ἦν περιῳκοδομημένος. Quibus verbis videtur Joſephus primâ fronte velle innuere Templo fuiſſe circumpoſitas in unoquoque trium tabulatorum 30 Cellas, ita ut 90 in univerſum fuerint circa Templum Cellæ ſingulæ latæ & longæ 25 cub. altæ verò 20 cubitos. At non ſunt tamen ejus verba ſic accipienda; ſi enim in unoquoque tabulato 30 fuerunt circa Templum Cellæ (cùm Cellæ tribus duntaxat ex lateribus Templo fuerint circumpoſitæ, neceſſe eſſet ab unoquoque latere 10 fuiſſe in unoquoque tabulato Cellas contiguas, quæ ſi fuerunt ſingulæ longæ & latæ 25 cubitos, oportet ſingula Templi latera longa fuiſſe 250 cubitos, nam decies vigintiquinque numerum illum efficit. Atqui Templum, ſive locus Sanctus & Adytum (quibus ſolis Cellæ fuerunt circumpoſitæ) longa fuerunt ex Scriptura 60 cub. duntaxat, lata verò 20 cub. quî pote ergo circumponi illis potuerunt 30 Cellæ longæ & latæ ſingulæ 25 cubitos? quarum 10 in ſingulis lateribus requirunt neceſſariò longitudinem 250 cubitorum. Quare ſi Cellas volumus fuiſſe ſingulas latas & longas cubitos 25, neceſſe eſt dicere non 90 ſed 30 duntaxat in univerſum Templo circumpoſitas fuiſſe Cellas, nempe 9 à Meridie, totidem à Septentrione, 12 verò ab Occidente, atque ita à Meridie & Septentrione tres duntaxat fuerint in unoquoque tabulato Cellæ contiguæ, 4 verò ab Occidente in ſingulis tabulatis. Porrò tres Cellæ longæ & latæ 25 cub. faciunt latera Templi longa 75 cubitos, 4 autem Cellæ ab Occidente faciunt Templi latitudinem 100 cubitorum, quæ ſic colligi & dinumerari poſſunt, ſi nempe domus Templi murum undiquaque craſſum fuiſſe 10 cub. parietem autem quo Adytum à loco Sancto ſeparabatur craſſum fuiſſe 5 cubitos, totidémque cubitis craſſum fuiſſe murum quo Cellæ undiquaq; claudebantur & ab Atrio Sacerdotum ſeparabantur. Hoc enim dato ſequitur locum Sanctum cum Adyto habuiſſe in longitudinem 75 cubitos, craſſitudine muri utriuſque in eo numero comprehenſâ, nam præter muri craſſitudinem longa fuerunt 60 cubitos. Latitudo autem Templi, hoc etiam dato, fuerit 100 cubitorum, qui ſic colliguntur. Locus Sanctus latus fuit 20 cub. murus utrinque craſſus 10 cub. Cellæ utrinque latæ 25 cub. murus quo utrinque Cellæ claudebantur craſſus 5 cub. ſumma eſt 100 cubiti. Et longitudo ſimiliter fuerit 100 cubitorum, ſi enim ſuperioribus 75 cubitis longitudinis addas Cellarum (quæ à tergo Adyti poſitæ erant) latitudinem 25 cubitorum, & muri earum craſſitudinem 5 cubitorum, exurget numerus 105 cubitorum. Atque ita fuerit Templum longum & latum 100 cubitos, qua in longitudine non comprehenditur Templi Veſtibulum. Sed ſi Cellæ illæ longæ & latæ fuerunt 25 cub. altæ verò 20 cub. non video quî dici poſſint *βραχεῖς οἶκοι breves domunculæ*, quomodo Joſephus eas appellat, ſic enim vel ipſius Adyti amplitudinem ſuperaviſſent; longum enim & latum fuit Adytum 20 duntaxat cubitos. Tum & huc accedit illud, non videri congruum ut tam ingentes & vaſtæ Cellæ nullo interjecto muro ſeu lapideo pariete, diviſæ & à ſe invicem diſtinctæ fuerint, quod neceſſe eſt tamen concedere, ſi dicamus ſingulas fuiſſe 25 cub. longas & latas. Itaque non cohærent iſta.

Quòd ſi demus 90 Cellas circa Templum fuiſſe poſitas, erunt ſane illæ *βραχεῖς οἶκοι breves & anguſtæ cellulæ*, nempe quinque vel ſex cubitos longæ & latæ, quod longè abeſt à menſura quam eis aſſignat Joſephus, quòd nempe fuerint 25 cub. longæ & latæ. Sic autem poſſunt Templo circumponi 90 Cellæ. Locus Sanctus & Adytum longa erant 60 cub. his adde muri utrinque craſſitudinem, quæ fuit 6 cubitorum, en tibi 72 cubitos. In illa longitudine poſſunt collocari in unoquoque tabulato 12 Cellæ contiguæ ſolâ aſſeris contignatione à ſe invicem diviſæ, ſingulæ longæ ſex cubitos, nam ſexies duodecim efficit numerum 72, latitudini earum dandi ſunt quinque cubiti. Potuerunt itaque à duobus Templi lateribus, Meridionali ſcilicet & Septentrionali collocari 72 Cellæ ſingulæ longæ 6 cub. latæ 5 cub. Ab Occidente verò collocari poterunt in latitudine Templi 18 Cellæ, 6 nempe in unoquoque tabulato, ſingulæ longæ 7 cub. latæ verò 6. Nempe hac ratione Templum latum fuerit 42 cubitos, locus ſcilicet Sanctus latus 20 cub. murus utrinque craſſus 6 cub. deinde Cellæ ab utroque latere latæ 5 cub. In latitudine ergo illa Templi 42 cubitorum collocari poſſunt pone Adytum ſex in longum Cellæ, ſingulæ longæ 7 cub. nam ſexies ſeptem ſunt 42. Sic ergo poſſunt Templo circumponi 90 Cellulæ, 5 vel 6 vel 7 cub. longæ & latæ. Sed ejuſmodi Cellulis tam anguſtis & brevibus tribuere altitudinem 20 cubitorum, qualem eis tribuit Joſephus, abſurdum omnino videtur, & ab omni juſta ſymmetria & proportione prorſus alienum & abhorrens. Rurſus & alia de cauſa abſurdum videtur tantam cellis tribuere altitudinem, ſic enim fit ut aſſurgant ad altitudinem primi tabulati Templi, itaque vel cæcum planè & prorſus tenebroſum fuit prius illud ſive inferius Templi tabulatum, omnique lumine privum & caſſum præter illud quod portam loci Sancti (quum illa patebat) intromitti potuit, quod eſt vehementer abſonum; vel dicendum eſt aliquot tertii tabulati Cellas nihil aliud fuiſſe quàm feneſtras per quas lumen admitteretur, & per feneſtras in Templi muro eis ex oppoſito reſpondentes in Templum intromitteretur, quod incongruum omnino videtur, & viſu atque ſpecie inconcinnum. Neque enim dici poteſt per feneſtras in ſuperiori tabulato poſitas (quod, ut ait Joſephus, non fuit περιῳκοδομημένον, h. e. *cellis cinctum*) admitti & delabi potuiſſe lumen in inferius tabulatum, nam alterum tabulatum ab altero diſtinctum fuit intermedia contignatione, ita ut lumen à ſuperiori non potuerit in inferius delabi. Itaque neceſſe eſt Joſephum graviter hîc lapſum & hallucinatum eſſe in numero & dimenſione Cellarum iſtarum quas Templo Salomonico ait fuiſſe circumpoſitas, neque enim poſſunt numeri illi & dimenſiones quas tradit ullo modo ſimul conſiſtere, uti oſtenſum eſt. Nam attendit, inquam, Joſephus quid hîc ſcriberet, neque vidit quam hæc pugnent, ſintque prorſus ἀσύστατα, ut ne jam dicam quòd hæc longe diſtant à menſuris in Scriptura traditis, ex qua liquet Cellas fuiſſe duntaxat 5 cubitos longas, latas & altas. Congruit ſanè & convenit illa Cellarum dimenſio atque amplitudo à Joſepho tradita altitudini 120 cubitorum quam Templo tribuit, at latitudini 20 cubitorum quam Scriptura Templo tribuit non quadrat, Cellæ enim utrinque poſitæ longè minores eſſe debent mediâ Cellâ. Atque ut illa Cellarum altitudo aptè congruat cum Templi ipſius altitudine, non fuit Templi altitudo dividenda in duo tabulata (uti facit Joſephus) intermedia contignatione, ſic enim (uti oſtenſum eſt) inferius tabulatum obſcurum planè & cœcum redditur, ſed perpetua altitudine ad ſummum uſque tectum fuit educendus atque evehendus ejus murus, hoc enim pacto feneſtræ ſupra Cellas in muro Templi lumen immittere potuiſſent in Templum. Verùm etiam alia ex parte tam anguſta loci Sancti latitudo, 20 nimirum cubitorum, non congruit cum tanta 120 cubitorum altitudine. Itaque non eſt hîc juſta & conveniens omnium partium inter ſe ſymmetria, id quod ex his quæ ſequuntur jam fiet manifeſtius.

Templi dimenſionum juſta & conveniens Symmetria atque proportio.

Vitruvius lib. 4. cap. 7. Tuſcanam Ædium ſacrarum rationem ſic definit. *Locus in quo Ædis conſtituetur cùm habuerit in longitudine ſex partes, unâ demptâ reliquum quod erit latitudini detur. Longitudo autem dividatur bipartitò, & quæ pars erit interior Cellarum ſpatiis deſignetur, quæ erit proxima fronti Columnarum diſpoſitioni relinquatur. Item latitudo dividatur in partes decem, ex his ternæ partes dextra ac ſiniſtra Cellis minoribus, ſive ubi alæ futuræ ſunt, dentur; reliquæ quatuor mediæ Ædi* (h. e. mediæ & majori Cellæ) *attribuantur*. Juxta hanc rationem extructum fuit Templum Herodianum à Joſepho deſcriptum, hoc excepto, quod in Herodiano non fuit Pronaum, quod dimidiam longitudinis partem occupaverit, ſed illius loco fuerit Veſtibulum, quod Pronai quodammodo vice fuit. Longitudinem autem hîc jam non intelligimus totam Templi unà cum ipſo Veſtibulo longitudinem (quæ, uti ſupra vidimus, fuit in Templo Herodiano 100 cubitorum) ſed intelligimus loci Sancti & Adyti (quæ Domus ſive Ædes propriè dicitur) longitudinem, ea autem fuit 72 cubitorum, comprehenſâ ſcilicet in eo numero muri utrinque craſſitudine quæ fuit 12 cubitorum, utrinque ſcilicet ſex. Hæc longitudo dividatur in partes ſex, ſingulæ erunt 12 cubitorum, quinque ejuſmodi partes ſi dentur latitudini erit latitudo 60 cubitorum, atque ea fuit Templi Herodiani latitudo. Talmudiſtæ non obſervatâ illâ ratione ſive proportione faciunt Templum 70 cubitos latum. Rurſus dividatur hæc latitudo in partes decem, ſingulæ erunt 6 cubitorum, Harum tres partes faciunt 18 cubitos aſſignandos Cellis minoribus, quæ ab utroque latere loci Sancti & Adyti (quæ Cella, ſive Ædes, media dici poteſt) fuerunt poſitæ. Hi 18 cubiti ſic colliguntur, Cellæ latæ fuerunt 10 cub. Murus earum craſſus 4 cud. ſumantur ab altero Cellarum latere totidem cubiti, in craſſitudine Muri quo Cellæ à loco Sancto diſtinguebantur, en tibi 18 cubiti Cellis aſſignandi. *Ita* ergo *ternæ totius latitudinis partes* (nempe 18 cubiti) *dextra & ſiniſtra* (Cellæ majoris ſive loci Sancti) *Cellis minoribus datæ ſunt, reliquæ quatuor partes* (quæ ſunt 24 cubitorum) mediæ Ædi (h. e. loco Sancto & Adyto) *attributæ ſunt*; nam locus Sanctus latus fuit 20 cubitos quibus addendi ſunt utrinque duo reliqui cubiti in craſſitudine Muri, qui craſſus fuit ſex cubitos, quorum quatuor utrinque Cellis minoribus aſſignavimus, itaque reliqui duo mediæ Ædi veniunt aſſignandi. Ad altitudinem autem quod attinet docet Joſephus prius ſive inferius Templi tabulatum altum fuiſſe 60 cub. quod intelligendum eſt à ſolo Atrii Sacerdotum, non verò à ſolo ſeu pavimento ipſius Templi ſive loci Sancti, nempe ſolum Templi altius fuit ſolo Atrii 6 cubitis (uti antea vidimus) itaque à ſolo Templi ad lacunar

Prioris tabulati cubiti fuere duntaxat 54. Cellæ autem in eodem fuerunt cum Templo plano ſive ἐπιπέδῳ, itaque cùm Cellæ Templi Herodiani altæ fuerint 30 cubitos, ſequitur prius Templi tabulatum eminuiſſe ſupra circumpoſitas Cellas 24 cubitis, quod ſpatium ſuffeciſſe omnino videtur feneſtrarum diſpoſitioni quibus lumen in Templum immittebatur, ita apta, juſta & conveniens videtur illa prioris tabulati ſupra Cellas altitudo atque eminentia. At quòd priori illi tabulato aliud ſuperſtructum fuerit 40 cubitos altum, ita ut eminuerit ſupra Cellas 64 cubitis, h.e. pluſquam duplâ ratione, neſcio an id ſatis juſtæ proportioni atque ſymmetriæ reſpondeat.

Longitudinis ad latitudinem alia in Templo Salomonico habita eſt ratio, nempe non Tuſcana iſta ſed Dorica quam tradit Vitruvius lib. 4. cap. 4. his verbis, *Diſtribuitur longitudo Ædis uti latitudo ſit longitudinis dimidiæ partis, ipſaque Cella quartâ parte longior ſit quam eſt latitudo cum pariete, qui paries Valvarum habuerit collocationem. Reliquæ tres partes Pronai ad Antas parietum procurrant, quæ Antæ columnarum craſſitudinem habere debent.* Quod ſic oſtenditur, Latitudo Templi Salomonici fuit 46 cubitorum (uti ſupra demonſtravimus) longitudo autem 92 cubitorum, jam 46 eſt dimidium 92. Ruſus quarta pars hujus latitudinis ſunt cubiti $11\frac{1}{2}$, addantur illis 46 cubitis latitudinis fient $57\frac{1}{2}$, addatur his craſſitudo parietis 5 cubitorum, fient $62\frac{1}{2}$, quæ eſt longitudo Cellæ (h. e. loci Sancti cum Adyto) quæ longa fuit 60 cub. Quod addit Vitruvius, *reliquas tres partes Pronai ad Antas parietum procurrere* non habuit locum in Templo Salomonico, in quo Veſtibulum, & ſpatium hypæthrum ante Veſtibulum, in quo fuit Ara, fuerunt vice & loco Pronai. Porrò ratio latitudinis & altitudinis loci Sancti & Adyti in Templo Salomonico ad eorum longitudinem reſpondet accuratè rationi illi quam tradit Vitruvius lib. 6 cap. 5. ubi de Tricliniis & Conclavibus, Sic enim ille, *Tricliniorum quanta latitudo fuerit bis tanta longitudo fieri debet* (idem tradit de Templi Cella lib. 4. cap. 7. *Cellæ longitudines duplices ſunt ad latitudines*) *Altitudines omnium Conclaviorum quæ oblonga fuerint, ſic habere debent rationem uti longitudinis & latitudinis menſura componatur, & ex ea ſumma dimidium ſumatur, & quantum fuerit tantum altitudini detur. Sin autem Exhedræ aut Oeci quadrati fuerint latitudinis dimidiâ additâ altitudines educantur.* Juxta hanc rationem exſtructum fuit Templum Salomonicum, nam loci Sancti longitudo dupla fuit ad ejus latitudinem, longus nempe fuit 40 cub. latus 20. latitudo autem & longitudo ejus compoſita ſimul dant 60 cub. cujus dimidium nempe 30 cubiti faciunt ejus altitudinem. Adytum quadratum fuit, longum nempe & latum 20 cubitos, dimidia ergo latitudinis pars, nempe decem cubiti, addita longitudini facit 30 cub. quæ fuit muri ejus itidem altitudo, par altitudini loci Sancti, ſed interjecto lacunari ad altitudinem 20 cub. 10 ſuperiores cubiti ad tectum uſque intercepti ſunt, ita ut introrſum latum, longum & altum fuerit 20 duntaxat cubitos, totum cubicum factum uti habetur 1 Reg. 6. 20. Porrò locus Sanctus fuit veluti Triclinium & Cœnaculum Domini, inde in eo Menſa cum panibus Propoſitionis, Candelabrum item & Ara incenſi, Adytum verò fuit veluti Conclave & arcanum penetrale, ideo anguſtius & quadratâ fuit formâ. In Templo Herodiano eadem quidem fuit loci Sancti & Adyti longitudo & latitudo cum Salomonico, at non eadem altitudo, quæ duplicata fere fuit; fuit enim ſecundùm Joſephum à ſolo ad tabulatum 54 cubitorum, ſecundùm Judæos vero 44 cubitorum, quæ altitudo juſtam ſuperat rationem duobus trientibus aut quatuor quintis, itaque conturbata omnino videtur in ea menſura juſta & legitima ſymmetria atque proportio. Non fuit eadem ratio altitudinis ſervata in Veſtibulo quod longum fuit 20 cub. latum 10 in Templo Salomonico, altum autem fuiſſe neceſſe eſt vel 30 cub. pari cum reliqua domo altitudine (atque ita longitudo & latitudo ſimul juncta effecerint ejus altitudinem) vel 20 cub. duntaxat pari cum longitudine menſurâ. In Herodiano Templo Veſtibulum longum fuit intrinſecus 84 cub. latum 20. altum 90. ſecundùm Joſephum, quod non eſt ad Vitruvianam illam rationem. Porrò eſt inter Scripturæ & Joſephi menſuras ratione altitudinis analogia & proportio quædam; nempe quomodo ſecundùm Scripturam in Templo Salomonico Domus alta fuit 30 cub. Cellæ autem 15 cub. dimidiâ ſcilicet Domûs altitudine, ita ut in ſpatio illo 15 cubitorum, quibus Domus eminebat ſupra Cellas collocari potuerint feneſtræ quibus lumen immittebatur, ſic & in Herodiano Templo prius Domûs tabulatum altum fuit 60 aut ſaltem 54 cub. Cellæ autem 30 cub. h. e. dimidiâ aut fere dimidiâ altitudinis parte, ita ut in illo 30 aut 24 cubitorum ſpatio quo prius tabulatum eminuit ſupra Cellas potuerint collocari feneſtræ quibus inferius Templi tabulatum lumen ſuum accipiebat. Eadem fuiſſe videtur ratio in Templo à Talmudiſtis delineato, licet non definierint altitudinem cellarum. Porrò altitudo illa 30 vel 24 cubitorum abunde ſufficere videtur ad feneſtrarum lumen.

De Templi Cochleis.

Joſephus Cochlearum Templi nullus omnino meminit in Deſcriptione Templi Herodiani, quæ fuerunt tamen omnino neceſſariæ, ut iis aſcenderetur tum in Cellarum ſecundum & tertium tabulatum, earumque tectum, tum in ſecundum Templi ipſius tabulatum, denique in prioris & ſecundi Septi Porticuum & Atriorum tecta & ὑπερῷα. Verùm Antiq. lib. 8. in Deſcriptione Templi Salomonici ſic de Cochlea ſcribit, quâ in ſuperius Templi tabulatum aſcendebatur, ἐφιλοτέχνησε, inquit, ὁ βασιλεὺς ἄνοδον εἰς τὸ ὑπερῷον οἶκον διὰ τῆς θύρας τοῦ τοίχου, οὐ γὰρ εἶχε θύραν μεγάλην κατὰ τῆς ἀνατολῆς ὡς εἶχεν ὁ κάτωθεν οἶκος, ἀλλ' ἐκ τῶν πλευρῶν ἦσαν αἱ εἴσοδοι διὰ μικρῶν πάνυ θυρῶν. Ejuſmodi Cochleam intra muri latitudinem concluſam juxta Cellas in Ichnographia noſtra notavimus, eâ enim potuit aſcendi tum in Cellarum tectum & tabulata, tum in ſuperius Templi tabulatum, adeoque & in ipſum tectum, atque ad id craſſitudo muri ſex cubitorum abunde ſufficere potuit; nam ut Cochleæ diametro dentur 4 cubiti (quod omnino ſufficiebat) reliquus erit hinc inde cubitus unus in craſſitie muri, ubi feneſtellæ collocari potuerunt, quibus lumen in Cochleam immitteretur. Ejuſmodi Cochleam ad utrumque portæ Templi latus collocavimus, ut utrinque ad Cellas & earum tectum aſcenderetur. Abſurdè enim & imperitè videntur Talmudiſtæ unam tantùm à latere Septentrionali collocare, ita ut non potuerit quis ad Cellas Meridionales Templi pervenire & eas ingredi, niſi prius percurreret totũ Septentrionale & Occidentale Templi latus: Eámque nolunt in Cochleæ modum factam quâ obliquè & velut in orbem ſurſum aſcenditur, ſed ſcalam fuiſſe lapideam quâ gradibus in longum & directum juxta Cellarum longitudinem diſpoſitis in earum tabulata & tectum aſcendebatur, ita ut qui per ſcalam illam aſcendebat, faciem haberet ad Occidentem obverſam, totúmque Septentrionale Cellarum latus percurrebat. Hujuſmodi Scala Cellis lumen obſtruit, earúmque magnam partem cæcam & prorſus tenebroſam efficit, ita ut ſit inſulſiſſimum Judæorum imperitorum figmentum & ineptum commentum. Scalas in Cochleæ modum aſcendentes, nos pluribus in locis, quos appoſitos & convenientes neceſſarioſque duximus, in Ichnographia noſtra appoſuimus & ſignavimus.

De Templi ſitu ſive poſitu ratione plagæ Cœli.

Vitruvius lib. 4. cap. 5. ita de ſacrarum Ædium ſitu ſive poſitu ſcribit, *Ædes ſacræ Deorum immortalium ſic erunt conſtituendæ, ut ſi nulla ratio impedierit, liberáque poteſtas fuerit Ædis, ſignum quod erit in Cella collocatum ſpectet ad veſpertinam Cœli regionem, uti qui adierint ad aram immolantes aut ſacrificia facientes ſpectent ad partem Cœli Orientis & ſimulacrum quod erit in Æde, & ita vota ſuſcipientes contueantur Ædem & Orientem Cœli, ipſáque ſimulacra videantur exorientia* (videtur omnino legendum *ex Oriente*) *contueri ſupplicantes & ſacrificantes, quod Aras omnes Deorum neceſſe eſſe videatur ad Orientem ſpectare.* Contraria ratio in Templo Dei fuit obſervata; porta enim ejus obverſa fuit Orienti, & portæ illi oppoſita fuit Ara, ita ut qui ad Aram ſacrificabant vel ſupplicabant Ædem contuentes ad Occidentalem Cœli regionem obverterentur eámque ſpectarent. Deus item (qui nullum quidem ſimulachrum habuit ſed tamen alis Cherubinorum inſidere in Adyto ἀνθρωποπαθῶς dicitur) ſupplicantes & ſacrificantes ſibi, non ab Oriente ſed ab Occidente ſpectabat. Voluit nimirum Deus certo conſilio populum ſuum hac in parte contrario Ethnicis more & ritu uti, quòd ſcilicet conſuetudo obvertendi ſe ad Orientem adorandi gratiâ ab Idololatria ortum ſuum habuiſſe videatur, nempe à Solis orientis adoratione, quæ omnium prima & antiquiſſima videtur fuiſſe Idololatria, quòd inter omnes Dei creaturas aſpectabiles Sol hominum in ſe maxime traxerit oculos atque admirationem, & ad ſui cultum atque adorationem olim eos induxerit atque pellexerit. Deinde, ſi Numini locus ſive poſitus & ſitus aliquis in Æde ſua κατ' ἀνθρωποπάθειαν aſſignandus eſt, omnino magis convenit & decet ut is ſtatuatur & cenſeatur eſſe Orienti potius quàm Occidenti obverſus, ab ea enim parte lux (quæ Deum maximè decet) venit atque illuceſcit. Et ſanè pars illa Cœli in ipſa Scriptura Antica cenſetur, unde eſt quod Meridies ימין *dextra*, Septentrio contra שמאל *ſiniſtra* dicitur. Pontificii & qui primi Chriſtianorum Ædes ſacras ita conſtituerunt ut & populus orans & qui ad Aram ſacra peragit ſacerdos obvertantur ad Orientalem cœli regionem, videntur conſultò voluiſſe contraire Judæorum conſuetudini qui ad Occidentem converſi adorabant, ſed ſic imprudentes Ethnicorum mori ſeſe conformarunt.

Atrii Sacerdotum Diſpoſitio.

Quanta fuerit ejus amplitudo ſupra indicatum eſt. Judæi nempe Talmudiſtæ definiunt illud longum fuiſſe ab Oriente in Occidentem 187 cub. latum verò à Meridie in Septentrionem 135 cub. Tribus ex lateribus cinctum fuit Atriis ſive Porticibus à Meridie nempe & Septentrione gemino virorum Atrio, ab Oriente verò Atrio fœminarum, in quibus Atriis Judæi adoraturi ſtabant, atque inde in Aram & Templum Sacerdoteſque ſacris operantes ſpectabant. Ab Occidente clauſum præalto & craſſo muro cui extrinſecus ſubjectæ fuerunt nonnullæ Cellæ ſive majores Exhedræ ad Gazophylacia. In Atrio illo Sacerdotum poſitum fuit Templum proprie dictum, atque ante Templi portam Ara holocauſtorum ſive ſacrificiorum, at quo poſitu & quâ proportione Joſephus non explicat, uti neque reliqua quæ ad ſacrificia pertinebant exponit. Ea nobis petenda fuerunt à Talmudiſtis qui iſta ſigillatim & accuratè proſequûntur. Dicunt ergo illi ſpatium fuiſſe 11 cubitos latum inter murum Atrii Occidentalem & Templi murum quo à tergo claudebatur & ab Atrio Sacerdotum diſcludebatur, inter Veſtibulum autem Templi & Aram 22 cubitos fuiſſe interjectos totidemque inter Aram & Atrii murum Orientalem, ſic enim exſurgunt 187 cubiti longitudinis Atrii illius. Verùm quoniam Joſephus Aram facit 50 cubitos longam & latam (Judæi verò 32 duntaxat cubitos) ideo nobis paulo diverſa ineunda fuit ab illis ratio. Itaque ut omnia aptè inter ſe quadrent, ſpatium inter Atrii murum Occidentalem & Templum ipſum facimus latum 10 cubitos, inter Veſtibulum autem & Aram 20 interponimus cubitos, ſeptem autem inter Aram & Loricam lapideam quæ Atrio fœminarum juncta fuit; ſic enim colliguntur ſimiliter 187 cubiti longitudinis Atrii ipſius. Atque hæc de longitudine. Ad latitudinem quod attinet, quandoquidem Templum tam latum quam longum fuit 200 cubitos, qui 100 cubiti porrigebantur in longitudinem Veſtibuli, Atrium autem Sacerdotum latum fuit 135 cub. planum eſt Templum ita conſtitutum fuiſſe ut duo Veſtibuli extrema utrinque à virorum Atrio diſſita fuerint cubitis 19. ſive à Lorica lapidea Atrio illi juncta cubitis $17\frac{1}{2}$. Ara poſita fuit in eo Atrio ex adverſo portæ Veſtibuli, inter Veſtibulum & Atrium fœminarum inter Aræ latus Septentrionale & Veſtibuli partem Septentrionalem Atrium virorum Septentrionale & Atrii fœminarum partem dextram ſive Septentrionalem locus fuit in Atrio Sacerdotum quadrangulus, longus ab Atrio fœminarum ad Veſtibulum Templi 76 cub. latus verò ab Altari ad Atrium virorum Septentrionale 60 cub. qui à Talmudiſtis dicitur צפון *Septentrio*, in quo mactabantur, jugulabantur, deglubebantur, parabantur atque in fruſtra diſſecabantur Victimæ ut inde in Aram inferrentur. Nos quia Joſephi Ara longe amplior eſt Talmudiſtarum Altari, paulò arctiorem locum illum fecimus, nempe 56 cubitorum. Hunc autem locum ſic illi diſtribuunt ut ejus latitudinem in quinque diſtincta ſpatia dividant, quorum duo erant vacua, reliqua tria occupata. Tria illa loca ſive ſpatia occupata vocant 1. quidem *Annulorum* הטבעות 2. המטבחים *Mactatorum*. 3. השלחנת *Menſarum*. Locus annulorum latus fuit 24 cub. inter eum autem & Altare ſpatium fuit vacuum 8 cub. latum (nos ſex duntaxat illi tribuimus.) In hoc Annulorum loco erant defixi in pavimenti ſaxis annuli ferrei craſſi ad quos religabantur Victimæ majores, Boves puta mactandi, atque iſthic mactati jugulabantur, jugulati inde ad proximum illi locum המטבחים *Mactatorum* ſive *Laniorum* trahebantur. In eo erant variæ columellæ lapideæ cum trabibus ligneis in patibulorum modum tranſverſim earum capitibus ſuperimpoſitis cum uncinis ferreis unde victimæ dependebant, atque iſtic deglubebantur ſive excoriabantur, viſceráque & inteſtina omnia detrahebantur, erátque locus ille latus 12 cubitos. Ubi pellis & viſcera fuerant illis detracta, victimæque in partes majores ſive quadrantes diſſectæ inde in locum illi proximum *Menſarum* transferebantur, atque iſthic menſis marmoreis impoſitæ in fruſta minoreſque partes diſſecabantur, earumque membra & partes Altari inferendæ parabantur; erátque locus ille *Menſarum* latus 8 cubitos, inter quem & Loricam Atrii virorum Septentrionalis 8 alii cubiti fuerunt interjecti (quod alterum fuit ſpatium vacuum) nos ſex duntaxat ponimus cubitos ob prædictam cauſam, quatuor nempe cubitis anguſtiorem fecimus totum illum Septentrionalem Atrii Sacerdotum tractum quàm Judæi ob majorem Aræ Joſephianæ amplitudinem. Trium illorum ſpatiorum quæ ab *Annulis*, *Menſis* & *Columellis* occupata fuere longitudinem non definiunt Judæi, nos eam facimus 45 cubitorum; fere quot occupavit ipſa Ara, nempe in loco *Annulorum* quinque ſeries Annulorum in latitudine 24 cubitorum facimus, quatuor cubitis invicem diſtantes, quare quinta ſeries columellis loci *Mactatorum* connexa erat. In unaquaque autem ſerie ſex Annulos collocamus novem cubitis invicem diſtantes in longitudine illa 45 cubitorum, ut viginti octo vel triginta in univerſum fuerint annuli, quibus 20 Boves quantumlibet magni potuerunt tum cornibus ad unum tum poſterioribus pedibus ad alium annulum illi oppoſitum religari, atque ita mactatum jugulari. Atque in ea annulorum diſpoſitione, ut in longitudine diſtarent 9 cub. in latitudine verò 6, rationem habuimus longitudinis & craſſitudinis Boum quam maximorum, adeóque & Canonis illius Vitruvii qui habetur lib. 6. c. 9. ubi Bubilia ſive Boum ſtabula deſcribit, *Bubilium*, inquit, *debent eſſe latitudines nec minores pedum denum, nec majores quindenum, longitudo uti ſingula juga ne minus occupent pedes ſeptenos.* Boum longitudo in Bubilibus protenditur in Bubilis latitudinem, & eorundem craſſitudo in Bubilis longitudinem, plura enim Boum juga juxta poſita in Bubilis longitudinem collocantur. Quum itaque præſcribit Vitruvius ut ne fiant Bubilia latiora pedibus quindenis, ſive denis cubitis, ſatis eo oſtendit quam maximos Boves non eſſe longos ſex vel ſeptem cubitos; nam in Bubili à tergo Boum ſpatium debet relinqui vacuum ſex ut minimum vel ſeptem pedes latum, ad viam quâ ab uno Bubilis extremo ad aliud extremum iri poſſit ad curandos Boves. Quum itaque ſpatium 9 cubitorum damus inter annulum cui Bovis mactandi caput & alium annulum cui poſteriores ejuſdem pedes religabantur, ſatis ſufficiens ad id ſpatium illud eſſe arbitramur, multo majus ſufficere videtur ad Bovis ejuſdem proſtrati & jugulandi latitudinem ſpatium ſex cubitorum quod nos ſtatuimus inter unam annulorum ſeriem & alteram ipſi proximam, cùm Vitruvius ſingulis Boum recumbentium in Bubili jugis ſeptenos duntaxat vel octonos aſsignet pedes, h. e. vix totos quinque cubitos. Sic ergo potuerunt eo loco eodem temporis momento ſimul 20 maximi Boves mactari & jugulari. Juxta locum illum fuit locus המטבחים *mactatorum*, latus 12 cubitos, in quo collocari poſſunt tres columellarum ſeries 4 cubitis invicem diſtantes, & in unaquaque ſerie 6 columellæ in longitudinem 45 prædictorum cubitorum protenſæ cum trabibus ligneis tranſverſim poſitis quibus craſſi uncini ferrei fuerunt infixi, ex quibus uncinis pendebant victimæ mactatæ & jugulatæ deglubendæ. In unaquaque trium illarum columellarum ſerie potuerunt eſſe uncini 15 tribus cubitis invicem diſtantes, quod ſatis fuit ſingulis Bobus deglubendis, itaque potuerunt in iis ſimul eodem tempore deglubi 45 Boves, quod ſatis fuiſſe videtur ad quotidianum Altaris miniſterium. Si extra ordinem longe major interdum Boum & aliarum Victimarum multitudo mactabatur ſolennibus diebus feſtis, potuit id peragi & adminiſtrari tum in ſpatio illo vacuo quod utrinque à latere Templi inter Templum & virorum Atrium interceſſit, longum 60 cub. latum 40, tum etiam forte in ſpatio illo hypæthro quod interceſsit inter Porticus Septi exterioris & Gradus quibus ad interius aſcendebatur, quod longiſsimum fuit, latum vero 35 cubitos. Loco illi *Mactatorum* contiguus fuit locus M*enſarum*, in quo Talmudiſtæ notant fuiſſe octo Menſas, quaternas nempe in duplici ſerie, quas neceſſe eſt fuiſſe binos duntaxat cubitos latas, quaternos autem interceſsiſſe cubitos inter duas illas Menſarum ſeries, ut ſcilicet utrinque Menſis illis aſtare poſſent Sacerdotes, & inter eas libere permeare, ne ſe invicem permeando & occurrendo propellerent & offenderent. Menſis illis imponebantur Victimarum artus majores diſſecandi in partes minores & parari ad Aram. Spatia illa duo vacua quæ interceſſerunt inter Menſas illas & virorum Atrium, ut & inter Altare & Annulos, item & illa duo quæ interceſſerunt tum inter Veſtibulum & צפון, h. e. tractum iſtum Septentrionalem modò deſcriptum, tum inter eundem & Atrium fœminarum, fuerunt, inquam, illa quatuor ſpatia ad liberum Sacerdotum hinc inde huc & illuc ad varia ſua miniſteria commeantium tranſitum.

Ara ſive Altare holocauſtorum.

Fuit ea, uti diximus, poſita rectà ex adverſo portæ Veſtibuli Templi, ut ſcilicet Sacerdotes ei adſtantes ſacrificaturi faciem haberent obverſam rectà in locum Sanctum & Adytum verſùs Arcam, cui in Adyto poſitæ Dominus in Scriptura dicitur inſidere eamque habere pro pedum ſuorum ſcabello, alis nempe Cherubinorum ipſi ſuperſtantium inſidens. Talmudiſtæ eam faciunt inferne longam & latam 32 cubitos, supernè verò aream Foculorum 24 cub. cum quatuor palmis in quadrum longam & latam faciunt; volunt nempe eam omni ex parte 4 cubitis anguſtiorem fuiſſe ſupernè quàm erat infernè, altam autem eam volunt 10 cubitos ſive 58 palmos. Juxta has menſuras potuerunt in ſuprema Foci area exſtrui ſex Foculi ſive prælongæ areolæ, ſingulæ binos cubitos latæ, longæ verò 24 cub. Spatium autem inter ſingulas areolas ſive Foculos vacuum debuit ut minimum eſſe duos cubitos latum, Foculi ipſi alti fuerunt tres cubitos. Potuerunt Foculi illi capere 72 Sacerdotes eodem tempore ſimul ſacris operam dantes, ſi ſingulis Sacerdotibus bini cubiti dentur, nam ſexies 24 ſunt 44, qui ſi in duas æquales partes dividantur ſunt 72. Joſephus Aram longe ampliorem facit, nempe 50 cub. in quadrum infernè longam & latam, ſupernè nos eam ſex omni ex parte cubitis anguſtiorem facimus quàm erat inferne: nam ubi Talmudiſtæ locum quem calcabant pedes Sacerdotum circa Foculos latum faciunt cubitum unum duntaxat, nos facimus latum tres cubitos, ſi enim cubitum unum duntaxat latus fuiſſet, Sacerdotes euntes & redeuntes ſibi mutuo occurrendo moleſti fuiſſent, ſeſéque invicem inter eundum impuliſſent. Eadem de cauſa ſpatium inter Areolas ſive Foculos in Joſephiana iſta Ara vacuum latum facimus itidem 3 cubitos, ne Sacerdotes ſibi mutuo occurſantes alter alteri impedimento eſſent, ſed liberum haberent & laxum tranſitum. Ita fuerit in Ara illa area Foci longa & lata in quadrum omni ex parte 38 cub. in qua potuerunt exſtrui octo Foculi ſive Areolæ altæ tres cub. longæ 38, latæ 2 cub. cum ſpatio, uti dixi, inter ſingulas Areolas vacuo lato 3 cub. Potuerunt hi octo Foculi ſeu Areolæ capere ſimul eodem tempore 152 Sacerdotes ſacra facientes, ſi ſingulis binos latos cubitos, uti ſupra, demus, nam octies 38 faciunt 304, qui diviſi in duas partes dant 152. Singulis Foculis videtur craticula ærea vel ferrea ejuſdem cum Foculo longitudinis & latitudinis impoſita, cui victimarum membra igne abſumenda imponebantur. Plures autem diſtinctos ejuſmodi Foculos in ſuprema Ara fuiſſe poſitos omnino veriſimile eſt, imò neceſſe fuit, quia alioqui ſi unus duntaxat fuiſſet Focus qui totam ſupremam Aram occupaſſet, maxima ejus pars inutilis fuiſſet ob nimis vaſtam ejus amplitudinem, neque enim potuiſſent Sacerdotes tribus ex partibus illi adſtantes Victimarum partes in medium ejus uſque promovere adolendas, nam ut quiſq; quantum poteſt vel maximè nitatur atque contendat brachia porrigere, nunquam poterit ad ternos aut ad ſummum quaternos longè à ſe cubitos aliquid manibus promovere atque porrigere: at verò fuit ſuprema Ara ſecundùm Judæos Talmudiſtas 24 cub. in quadrum omni ex parte exporrecta, ſecundùm verò Joſephum 38 cub. quis ergo potuit à latere ejus ſtans in medium uſque Victimarum partes & membra porrigere? Omnino ergo variæ & viâ latâ invicem diſtinctæ Areolæ in ſuprema Ara exſtrui debuerunt, ut Sacerdotum ſacra facientium miniſterium expeditum eſſet, miniméque impeditum.

Cùm Ara ſecundùm Judæos 10 cub. ſecundùm Joſephum 15 cub. alta eſſet, ad eam aſcendi debuit, non gradibus, nam lege id vetitum erat, ſed leniter acclivi aſcenſu quodam quem Judæi כבש vocant, ſtatuuntque eum à latere Meridionali Aræ planè commodè, ex adverſo nempe loci in quo diximus mactatas, jugulatas & diſſectas fuiſſe Victimas; nam ubi ſuper Menſas in partes erant diſſectæ, à Sacerdotibus è Menſis ſumebantur, atque par viam quæ inter Veſtibulum & Altare fuit deferebantur, atque in tranſitu è regione portæ Veſtibuli elevabantur, Deóque veluti offerebantur, indéque progredientes ad Aræ Aſcenſum per eum in Aram conſcendentes Foculis in Ara ſuprema conſtitutis imponebant, faciem ad Templi portam & Sanctuarium obvertentes. Aſcenſum illum Talmudiſtæ longum ſtatuunt 32 cub quot nempe ipſi Aræ tribuunt, latum autem faciunt 16 cub. quod eſt latitudinis Aræ dimidium, cúmque eſſet in medio latitudinis Aræ conſtitutus, Ara ſecundùm eos 8 cubitis Aſcenſûs latitudinem utrinque exceſſit atque ſuperavit. Altus autem fuit ſeptem duntaxat cubitos (nam quod Maimonides novem dicit error eſt) cùm enim Ara dicitur Talmudiſtis alta 10 cub. hoc intelligendum eſt ad ſummum uſque Aræ focum, qui cùm altus fuerit ſecundùm eoſdem tres cubitos ſequitur Aſcenſum qui ad imum uſque Focum duntaxat porrigebatur & aſcendebat, altum fuiſſe 7 duntaxat cubitos, cúmque longus eſſet 32 cubitos, ſequitur quaternis quibuſque in longum cubitis cum dimidio elatum fuiſſe Aſcenſum paulatim cubitum unum in altum, ſi enim dividas 32 per 7 quotiens dabit $4\frac{1}{2}$, quæ ratio duplo minor eſt eâ quæ per Gradus fit. Nam, uti ſupra vidimus, Vitruvius ſingulos Gradus facit in latitudine ſeſquipedales, h. e. latos cubitum unum, in altitudine autem dodrantales, h. e. craſſos 9 pollicibus ſive dimidio cubito, ſecundùm quam rationem quaternis Gradibus aſcenditur in altum duos cubitos, at hìc quaternis in longum cubitis cum dimidio aſcenditur duntaxat cubitum unum in altum: Duplo ergo lenior fuit hic Aſcenſus quàm ſi Gradibus ad Altare aſcenſum fuiſſet.

Quoniam Joſephus Aram ſuam longè ampliorem facit quàm Talmudiſtæ, nempe 50 cubitos infernè longam & latam, propterea neceſſe eſt Aſcenſum ipſius breviorem fuiſſe Aſcenſu illo quem Talmudiſtæ definiunt. Itaque 25 duntaxat cubitos illi aſſignamus ad infimam uſque crepidinem, quibus deinde duo ſunt alii addendi ut ſint in univerſum 29 cubiti, ſex autem interjectos ſtatuimus inter Aſcenſûs initium & Loricam Atrio virorum Meridionali connexam ubi Judæi $12\frac{1}{2}$ cubitos interponunt. Et quando Ara ſecundùm Joſephum alta fuit (ad ſummum uſque Focum) 15 cub. Focus autem altus 3 cub. ſequitur Aſcenſum fuiſſe altum 12 cub. ad imum uſque Focum, quibus 12 cubitis ſi longitudinem Aſcenſûs 30 cubitorum dividas Quotiens dabit fere $2\frac{1}{2}$, unde liquet in eo Aſcenſu binis quibuſque cubitis cum dimidio elatum fuiſſe Aſcenſum illum in altum cubitum unum, quæ eadem eſt fere ratio quam Vitruvius in Aſcenſu qui per Gradus fit, poſtulat. Amplitudo Altaris quam Joſephus tradit videtur magis convenire multitudini ſacrificiorum quæ in eo fieri ſolêbant, at ea quam Talmudiſtæ definiunt videtur magis proportionata reliquis omnibus Atrii Sacerdotum partibus; utra autem ſit verior & cui magis credendum hac in parte videatur, num Joſepho qui ipſe fuit Sacerdos, ac proinde ſæpius in eo Altari rem divinam fecit, an Talmudiſtis qui ſæpe ſunt fabuloſiſſimi homines, prudentis & cordati Lectoris liberum eſto judicium. Tanta autem Altaris altitudo omnium minimè neceſſaria videtur, ſic enim Altaris tam alti appoſitu intercludebatur adſtantis plebis aſpectus ne oculos intendere poſſet in loci Sancti portam, atque per eam in ipſum locum Sanctum, niſi quis forte exiſtimet conſultò exſtructam fuiſſe in eam altitudinem Aram in eum ipſum finem. Porrò neutrius illius menſuræ (ſive illius quam Talmudiſtæ tradunt, ſive illius quam tradit Joſephus) ne verbum quidem extat in Scriptura. Etenim 1 Par. 4. 1. Altare æneum Salomonis dicitur longum & latum 20 cubitos. Ezech. autem cap. 43. infernè longum & latum dicitur 14. cub. ſupernè verò 12 cubitos. Ad altitudinem autem quod attinet Salomonicum dicitur altum 10 cub. (1 Par. 4. 1.) hinc forte Talmudiſtæ ſuum faciunt ejuſdem altitudinis. Ezech. 43. Altare ita deſcribitur ut ad ſummum uſque Ariel numerentur 11 cubiti. Jam ſupra Ariel fortè fuit locus המערכה *Foculus* qui altus erat 3 cub. ita fuerit Altare illud altum 14 cub. Joſephianum autem fuit 15 cub. altum, uno ſcilicet cubito altius illo. Totum autem fuit ſecundùm Joſephum & Talmudiſtas conſtructum ex lapidibus integris, rudibus & impolitis, adeóque etiam non cæſis, quos ferrum nunquam attigerat, nempe juxta Legis præſcriptum. Villalpandus codicem Joſephi tum Græcum tum Latinum erroris ſtupendi arguit in numeris menſuræ Altaris, ſed maximè Græcum, qui 50 cubitos longitudini & latitudini tribuit Altaris; Latinum codicem qui 40 tantùm cubitos dat illi, ſic accipit ut dicat longitudinem & latitudinem Altaris Salomonici fuiſſe ſimul conjunctas in numero illo 40 cubitorum. Mirum autem cùm Salomonicum fuerit æreum, cur Herodes & Judæi noluerint ejus magnificentiam hac in parte æmulari. Porrò quandoquidem Judæi Herodis tempore Altare longe amplius fecerunt quàm fuerat ſub Salomone, nemini mirum eſſe debet ſi & Templum ipſum ab iis longè auctius & amplius fuerit factum.

Cæterùm Talmudiſtæ monent juxta Altaris Aſcenſum à latere ejus Occidentali poſitas fuiſſe duas Menſas, argenteam unam cui vaſa miniſterii imponebantur, alteram verò marmoream cui imponebantur membra ſeu partes Victimarum quæ Altari erant inferendæ, unde à Sacerdotibus ſumebantur, & Altari poſtmodum inferebantur. Fuit & ad ejuſdem Aſcenſûs latus idem veluti feneſtella quædam in quadrum longa & lata cubitum unum per quam in ſubjectam cloacam conjiciebantur immundæ partes avicularum quæ Altari inferebantur. In angulo etiam Altaris Meridionali Occidentali aiunt fuiſſe lapidem quadrum marmoreum cum foramine cubitum unum longo & lato, in quod ſanguis Victimarum mactatarum influebat, inde in cloacam per quam deferebatur in torrentem Cedron. Sane neceſſe erat ut circa Altare ejuſmodi unum vel plura foramina eſſent per quæ in ſubterraneas cryptas & cloacas tot Victimarum quæ iſthic jugulabantur ſanguis ſanies (forte & ſtercus ipſum) & immunditiæ quam plurimæ deferrentur longé. Quin & iidem Judæi obſervant Altaris cornu Meridionale Occidentale concavum fuiſſe (cubitum unum longum, latum & altum) in eoque duo exigua foramina per quæ in ſubjectum tabulæ marmoreæ quadrum foramen defluebat ſanguis membrorum Victimarum (quæ in Altare inferebantur) mixtus vino ſacrorum libaminum. Juxta autem Veſtibuli murum ſeu latus Orientale, ad ſiniſtram ingredientis portam Veſtibuli iidem Talmudiſtæ collocant mare æneum, non quod fuerit mare illud æneum in Templo Herodiano (neque enim Joſephus illius meminit) ſed quia eo ſitu fuit poſitum in Templo Salomonico, 1 Reg 7.39. Omnino autem veriſimile eſt juxta latus Orientale Veſtibuli ad dextram & ſiniſtram portæ Veſtibuli collocata fuiſſe labra quædam magna & conchas quibus aqua ad lavandos Sacerdotes & purganda Victimarum inteſtina atque viſcera continerentur: nam & hoc factum eſt in Templo Salomonico 1 Reg. 7.39. Ut & veriſimile eſt in Atrio Sacerdotum ab utroque Templi latere Meridionali & Septentrionali ſub ſpatium illud vacuum longum 60 cub. latum 40. (quod inter Templum & virorum Atrium utrinque interceſſit) duas fuiſſe ampliſſimas ciſternas quibus tota aqua pluvia & cœleſtis quæ ex Templi & trium circa Templum Porticuum, ſive virorum & fœminarum Atriorum tectis defluebat, exciperetur, atque illic aſſervaretur, indéque hauriretur ad Altaris & Sacerdotum miniſterium, locus enim ille ad id commodiſſimus fuit, nullóque negotio tota totius interioris Septi aqua pluvia potuit eò derivari. Et ſanè eò libens traherem quod Talmudiſtæ ad latus Meridionale Domûs collocant בית הורדת המים *locum defluxus aquarum* quem imperitè latum faciunt 3 duntaxat cubitos, ejúſque murum latum 5 cubitos, faciúntq; abſurde locum illum partem ipſius Domûs in poſteriore ejus latitudine. Videntur omnino ciſternam ab ea parte Templi ſitam imperitè commutaſſe in partem unam ipſius Domûs. Iidem etiam ſcribunt ꝙ inter Exhedras Templi quas à latere ejus Septentrionali collocant * una eſt quam vocant בור הגולה unde hauſtâ ad Sacrificia aquam dicunt rotâ quadam verſatili Ciſternæ ſuperimpoſitâ. Ubi rurſus Ciſternam ſubterraneam in ipſo Sacerdotum Atrio juxta Templum ad latus ejus Septentrionale videntur imperitè commutâſſe in Exhedram extra Atrium ipſum ad latus ipſius poſitam. Idem etiam videtur fuiſſe factum in priore ſeu exteriore Septo, ut nempe in quatuor ejus interioribus angulis quatuor ſint conſtitutæ Ciſternæ tectæ & ſubterraneæ in ſpatio hypæthro quod interceſſit inter utrumque Septum, in quas derivata ſit tota aqua Cœleſtis quæ ex quatuor longiſſimarum & ampliſsimarum Porticuum illarum tectis colligi potuit, alioqui enim longe operoſiſsimum fuiſſet ex urbe aquam in Templum ſubvehere atque deferre. Et ſanè Zelotæ qui diutiſsimè in Templo & à concivibus primò, & poſtea à Romanis obſeſsi ſunt, non potuerunt aliunde aquam ſibi parare quàm ex ejuſmodi Ciſternis. Quin & cùm ipſi Zelotæ in duas factiones abiiſſent (quarum una exterius altera interius Templi Septum tenebat, illa autem quæ tenebat exterius Templi Septum, eadem à Simeone qui urbem occupabat obſidebatur) neceſſe fuit ſingulas illas factiones habuiſſe intra Templi Septum illud quòd unaquæque occupabat Ciſternas ſuas, unde aquam ſibi hauriebant.

Cryptæ etiam fuerunt & Cloacæ ſubterraneæ variæ, multæ & ampliſſimæ tum in exteriori tum & in interiori Templi Septo ; teſtatur enim Joſephus de bello Jud. l. 6. c. 4. quòd cùm die feſto Azymorum Johannes qui Septum exterius tenebat aliquot ſuorum ſub veſtibus armatos clam inter plebem in interius Septum Templi ſubmiſiſſet, tanquam ſacrificaturos, hi abjectâ veſte repentè armati apparuerunt, ſubitóque in Eleazarum ejuſque ſocios (qui interius Septum tenebant) irruerunt, qui ut periculum effugerent, conjecerunt ſe εἰς τοὺς ὑπονόμους *in Cryptas & Cloacas* Templi, unde mox egreſſi cum Johanne pepigerunt, & concordiam inierunt. Oportuit Cryptas illas amplas fuiſſe & vaſtas quæ tantam Zelotarum ſeditioſorũ manum capere poſſent. Idem alibi teſtatur Cryptam quandã fuiſſe quâ ex Antonia ad portam Templi Orientalem permeari poſſent, quam Herodes fieri curavit ut quum libuiſſet ex Antonia illuc ſtatim cum armato milite permearet, & populo, ſi tumultuari vellet, ex Porticu illa ſtatim immineret atque minitaretur.

In Atrio Sacerdotum ponè Templum prope utrumque Adyti angulum juxta virorum Atrium poſuimus duo Gazophylacia ex verbis illis Joſephi lib. 6. De bel. Jud. c. 6. αἱ στοαὶ δὲ μεταξὺ τῶν πυλῶν ἀπὸ τοῦ τείχους ἔνδον ἐστραμμέναι πρὸ τῶν Γαζοφυλακίων σφόδρα μὲν καλοῖς καὶ μεγάλοις ἀνείχοντο κίοσι. Quæ verba ſic exiſtimamus accipienda eſſe ut Porticus dicantur μεταξὺ τῶν πυλῶν poſitæ, quia virorum Atria (de iis enim iſthic ſermo eſt) erant poſita non *inter* ſed *poſt* Portas illas tres per quas in Atria illa patebat ingreſſus, μεταξὺ enim aliquando, licèt rariùs, idem ſignificat quod *poſt*, etiam hoc ipſo capite, πρὸς δὲ τῷ πλεονεκτήματι τοῦ τόπου, καὶ καρτερῶς ἐδεδόμητο, Δαβίδ τε καὶ Σολομῶντος, ἔτι δὲ τῶν μεταξὺ τούτων βασιλέων φιλοτιμηθέντων περὶ τὸ ἔργον, ubi manifeſtè μεταξὺ ſignificat idem quod μετὰ *poſt*; nam inter Davidem & Salomonem nulli fuerunt interjecti Reges, ſed poſt eos multi ſucceſſerunt. Ergo & hic μεταξὺ τῶν πυλῶν *poſt Portas* & Exhedras in Portis conſtitutas *introrſum* verſùs ſcilicet Atrium Sacerdotum, *poſitæ erant Porticus*, h.e. Atria virorum, ἀπὸ τοῦ τείχους *à muro*, ſcilicet Occidentali illo in quo nullæ erant Portæ incipientes πρὸ τῶν Γαζοφυλακίων *ante Gazophylacia* illa quæ nos conſtituimus contra murum illum Occidentalem, inter Atria virorum & extremos Templi ſive Adyti angulos. Extrorſum autem poſt eundem illum murum Exhedras in angulis Septi collocamus aliquot, nullas autem rectà à tergo Templi propter locum qui habetur cap. 1. hujus libri ſexti, ubi dicit Johannem, qui Templi Septum exterius occupabat adverſùs Eleazarum qui tenebat interius Septum, exſtruxiſſe ligneas turres præaltas quas erigere volebat à tergo Septi, viz. interioris, contra Exhedram Occidentalem quæ iſtic erat, quoniam aliâ parte non poterat, ſiquidem tres aliæ partes gradibus longe fuerunt diviſæ. Locus eſt, ὁ Ἰωάννης τεμὼν αὐτὰ (ſcilicet ξύλα) πύργους κατεσκεύαζεν ἐξαρκοῦν τὸ μῆκος εὑρὼν πρὸς τοὺς καθύπερθεν ἱεροῦ μαχομένους, ἵστησί τε προσαγαγὼν κατόπιν τοῦ περιβόλου, τῆς πρὸς δύσιν ἐξέδρας ἄντικρυς, ᾗπερ καὶ δυνατὸν ἦν, τῶν ἄλλων μερῶν σταθμοῖς πόρρωθεν διειλημμένων· h. e. *Johannes ſectis illis lignis, quòd eorum longitudinem ſufficere ad propoſitum ſuum videret, turres ex eis ædificavit adverſùs eos qui deſuper è Templo adverſùs ſe pugnabant, eáque conſtituit à tergo Septi* (interioris) *contra Exhedram Occidentalem, quâ ſolùm parte erigi poterant, reliquæ enim partes gradibus erant à longinquo occupatæ.* Nempe, uti antè oſtendimus, inter ſpatium hypæthrum æquum & planum & Septum interius ſpatium fuit aliud interjectum 35 cubitos latum, gradibus occupatum & interceptum ut ab illis partibus propterea non potuerint commodè erigi turres illæ. Idem liquet & ex alio loco lib. 7. De bello Jud. cap. 9. Ἤδη δὲ τῶν ταγμάτων συντετελεκότων τὰ χώματα Λῴου μηνὸς ὀγδόῃ, προσάγειν ἐκέλευσε τοὺς κριοὺς κατὰ τὴν ἑσπέραν ἐξέδραν τοῦ ἔσωθεν ἱεροῦ· πρὸ δὲ τούτων ἓξ ἡμέραις ἀδιαλείπτως στερροτάτη πασῶν ἑλέπολις τύπτουσα τὸν τοῖχον οὐδὲν ἤνυσε, ἀλλὰ καὶ ταύτης καὶ τῶν ἄλλων μέγεθος καὶ ἡ ἁρμονία ἦν ἀμείνων. Idem hîc locus deſignatur qui modò. Eâ ſcilicet parte putavit Titus ſibi oppugnandum eſſe Templum ſive ſeptum interius quâ Johannes antè cogitaverat illud oppugnare, erectis ab ea parte turribus, nempe ab ea parte unus duntaxat murus Templum & Atrium Sacerdotum dividebat atque ſecludebat ab exteriori Septo quod Titus jam tum occupaverat, itaque ab ea parte juſſit admoveri arietes & murum illum concuti, ſed fruſtra, quia nempe & murus ille validiſſimus erat, & præterea etiam area Septi exterioris inferior eâ parte erat 15 cubitis areâ Atrii Sacerdotum, itaque murus ille ab aggeſta intrinſecus terra ſuſtinebatur adverſùs vim & ictus arietum atque machinarum.

TEMPLI HIEROSOLYMITANI

Forma, figura ſeu delineatio atque ἰχνογραφία, ſtructurave & menſura,
Excerpta ex Miſna in Maſſecheth תמיד & Maimonidis Tractatu
De domo electa.

PArtes præcipuæ atque eſſentiales ſtructuræ Domûs ſunt hæ, *Sanctum* nimirum & *Sanctum Sanctorum*, atque ante Sanctum locus qui dicitur אולם *Veſtibulum*; tria illa conjuncta dicuntur היכל *Templum*, Deinde eſt מחיצה paries quidam circa Templum, remotus ab eo, reſpondens cortinis Tabernaculi Moſaici quibus undiquaque cingebatur in deſerto, ità ut totum ſpatium quod pariete illo ambiebatur reſponderet Atrio Tabernaculi conventûs; & hoc illud eſt ꝙ עזרה *Atrium* dicitur, totúmque illud ſimul cum היכל *Templo* vocatur מקדש *Sanctuarium*. In hoc Sanctuario erant vaſa & inſtrumenta ad holocauſta & cæteras oblationes, nempe Altare holocauſti & mare æneum cum ſua baſi, item Altare ſuffitûs, Candelabrum & Menſa aurea, atque hæc tria fuerunt in loco Sancto ante Adytum. In Atrio etiam limes fuit quouſque Iſraelitis licet progredi, ulteriùs verò non licebat, ſed ſolis Sacerdotibus.

Porrò היכל ſive *Templum* propriè ſic dictum conſtabat quatuor veluti præcipuis membris, puta Adyto ſive Sancto ſanctorum, loco Sancto, Veſtibulo & Cellis circa Templum. Adytum longum & latum erat 20 cubitos plenos, locus Sanctus illi proximus longus erat 40 cubitos, latus 20, ejuſdem nempe cum Adyto latitudinis. Inter Adytum & locum Sanctum ſpatium fuit latum cubitum unum, vacuum interceptum inter duo vela, quorum alterum erat à parte Adyti, alterum à parte loci Sancti. In priori quidem Domo quam ædificavit Salomon paries fuit craſſus cubitum unum quo ſeparabatur Adytum à loco Sancto, verùm cùm Judæi reduces à captivitate ædificarunt Templum, ambigebant utrum paries ille pertineret ad locum Sanctum an verò ad Adytum, propterea fecerunt locum Sanctum 40 cubitorum plenorum, & Adytum 20 cubitorum item plenorum, reliquerúntque cubitum unum vacuum inter locum Sanctum & Adytum, neque extruxerunt parietem illum, ſed fecerunt duo vela cubitum unum invicem diſtantia, quorum alterum fuit in loco Sancto, alterum in Adyto, at in priori Templo unicum fuit velum. Murus Templi quo quatuor ex partibus cingebatur craſſus erat ſex cubitos, altus verò 100 cubitos, nam à ſolo ſive pavimento Atrii ad ſolum Veſtibuli & Atrii Templi ſex erant cubiti, inde aſſurgebat murus 40 cubitos uſque ad laqueare, laqueare autem quinque occupabat cubitos cum tabulato illi ſuperimpoſito. Inde ὑπερῷον ſive ſuperius tabulatum alios 40 cubitos aſſurgebat, laqueare ejus cum tecto quinque rurſus occupabat cubitos, Peribolus circa tectum tres cubitos erat altus, Peribolo denique impoſita erat lamina ferrea acuta enſis inſtar, cubitum unum alta, ad arcendas aves nè Templo inſiderent illúdque fœdarent atque inquinarent. Ita in univerſum colliguntur 100 cubiti altitudinis Templi. In muro Orientali Templi porta erat 20 cubitos alta, 10 lata, cum quatuor valvis quibus claudebatur, duæ erant ex parte loci Sancti, atque in locum Sanctum aperiebantur, nempe contra murum qui utrinque inter portam & loci Sancti latera intercedebat, duæ verò aliæ erant ex parte Veſtibuli, atque intra ipſam portam aperiebantur, iiſque utrinque tegebatur muri craſſities. Supra portam dependebat ex laqueari ſeu tabulato Vitis aurea. Ex utroque portæ latere ſingula erant oſtiola, alterum à dextra alterum à ſiniſtra ingredientis per portam in locum Sanctum. Quod erat à ſiniſtra clauſum erat, illúdq; eſt de quo Ezech. 44. 1, 2. at verò illud quod erat à dextra aperiebatur, atque ex eo ingreſſus dabatur in Cellas Templo circumpoſitas. Templo Veſtibulum adhærebat latum 11 cubitos, longum verò 90, à Septentrione in Auſtrum; murus quo triplici ex latere (nempe ex Septentrione, Meridie & Oriente) cingebatur craſſus erat 5 cubitos, ab Occidente autem Templi ſeu loci Sancti muro Orientali cui adhærebat claudebatur; ejuſdem erat Veſtibulum cum Templo altitudinis, 100 nempe cubitorum. Ab Oriente portam habuit portæ Templi ex adverſo reſpondentem, latam 20 cubitos, altam 40, abſque valvis. Pro ſuperliminari habuit quinque craſſas trabes alias aliis ſuper impoſitas, inter quas ſeries una lapidum cæſorum intercedebat, ſemper autem ſuperior trabs inferiorem in longitudinem utrinque cubito uno ſuperabat, ita ut infima longa eſſet 22 cubitos, ſuprema verò 30. Totus autem Veſtibuli undiquaque murus à ſolo ad ſummum uſque faſtigium ſic exſtructus fuit ut poſt ternum quemque altitudinis cubitum, cubitum unum altitudinis extrorſum promineret veluti cinguli inſtar.

Porrò circa Templum. h. e. circa locum Sanctum & Adytum, tribus ex lateribus (nempe à Septentrione, Occidente & Meridie) circumpoſitæ erant Cellæ (quæ תאים vel יציעים dicuntur) 38, quindecim nempe à Septentrione, totidem à Meridie, octo verò ab Occidente, in triplici undique tabulato, ita ut à Septentrione & Meridie quinque fuerint Cellæ in unoquoque tabulato, ab Occidente verò tres duntaxat fuerint in infimo, & totidem in medio tabulato, duæ denique in ſupremo. Cellæ quæ in primo ſeu infimo erant tabulato latæ fuerunt quinque cubitos, (Miſna dicit ſex, & ratio id exigit, alioqui non invenietur Templi à tergo latitudo eſſe 70 cubitorum, qualem eam definiunt Judæi, utì neque ejus longitudo 100 cubitorum, deeſſet enim illi unus cubitus) quæ verò in ſecundo ſeu medio fuerunt tabulato latæ erant 6 cubitos, quæ in tertio ſive ſupremo tabulato, latæ erant 7 cubitos, murus nempe Templi retrorſum recedebat in ſecundo & tertio tabulato cubitum unum ad excipienda trabium tabulati Cellarum capita, quæ muro ſic recedenti imponebantur. Murus quo extrinſecus claudebantur Cellæ craſſus fuit quinque cubitos. Illi muro adhærebat in angulo Septentrionali Orientali Templi המסבה *Cochlea* ſive *Scala*, quâ in tectum Cellarum aſcendebatur, lata tres cubitos, murus autem quo ea nitebatur craſſus erat quinque cubitos. In angulo autem Meridionali Occidentali iſti oppoſito ex altero Templi latere fuit בית הורדת מים *locus deſcenſionis aquarum* (h. e. in quem confluebat & deferebatur tota pluvialis aqua ex Templi, Veſtibuli & Cellarum circa Templum tectis) lata & ipſa tres cubitos, murus verò craſſus quinque. Hinc & inde ex utroque latere Templi prominebat Veſtibulum 12 cubitos, murus nempe ejus craſſus erat 5 cubitos, à muro autem Veſtibuli ad murum Sanctuarii (h. e. hinc ad murum Cochleæ inde verò ad murum Stillicidii) decem fuerunt cubiti. Ita Veſtibulum longum fuit 100 cubitos, utrinque Templi latitudinem (quæ fuit 70 cubitorum) ſuperans 15 cubitis. Sic itaque Templum longum, latum & altum fuit 100 cubitos. Et longum quidem ab Oriente in Occidentem, ab ingreſſu portæ Veſtibuli ad murum quo Cellæ à tergo Adyti claudebantur, nam Veſtibuli murus craſſus erat 5 cubitos, ipſum Veſtibulum latum 11 cubitos, murus Templi Orientalis craſſus 6 cubitos, locus Sanctus longus 40, ſpatium inter locum Sanctum & Adytum latum erat cubitum unum, Adytum 20 cubitorum erat, murus ejus Occidentalis craſſus 6 cubitos, Cellæ quæ à tergo erant latæ 6 cubitos, murus earum craſſus 5, colliguntur in univerſum 100 cubiti. Latum autem erat à Septentrione in Meridiem juxta longitudinem Veſtibuli, quæ (utì modò dictum) latitudinem Domûs 15 utrinque cubitis ſuperabat; hæc Veſtibuli longitudo dicitur anterior Templi latitudo atque facies, poſterior autem ejus latitudo à muro Cochleæ ad murum Stillicidii fuit (uti dictum) 70 cubitorum, nempe Cochlea cum muro ſuo 8 cubitos, murus Cellarum craſſus 5 cubitos, Cellæ latæ 6 cubitos, murus Templi Septentrionalis 6 cubitos craſſus, locus Sauctus latus 20, murus ejus Meridionalis craſſus item 6 cubitos, Cellæ latæ 6, murus earum craſſus quinque, Stillicidium cum muro ſuo 8 cubitos occupabat, ſic colliguatur in univerſum 70 cubiti. Ita Templum latius fuit ab anteriore quàm à poſteriore parte, nam anterius quidem latum fuit 100 cubitos, à poſteriore verò parte 70 duntaxat. Inde volunt dici in Scriptura אריאל quòd leonis referat ſpeciem, qui ab anteriore parte latior eſt & amplior quàm à poſteriore. Altum etiam fuit Templum 100 cubitos, prout ſuprà dinumerata eſt ejus altitudo.

In priore Templo in Sancto Sanctorum ſive Adyto ad Occidentale latus ejus lapis fuit cui impoſita fuit Arca federis, & ante eam urna Mannæ & virga Aharonis. Cùm autem Salomon ædificavit Templum, ſciretque illud eſſe aliquando deſtruendum, curavit iſtic exſtrui Cryptam ſubterraneam profundam & flexuoſam ad recondendam Arcam, quæ Joſiæ regis juſſu iſtic recondita eſt, juxta illud quod habetur 2 Chron. 35. 3. unáque cum ea condiderunt virgam Aharonis quæ floruerat, & urnam Mannæ cum oleo unctionis. In loco Sancto fuit Candelabrum aureum cum ſeptem ſuis ramis totidémque in ſummo ramorum lychnuchis, in Meridionali latere ad ſiniſtram ingredientis in Templum, Menſa verò cum duodecim panibus facierum ad dextram in Septentrionali Domûs latere, Altare denique aureum ſuffitûs inter illa duo ex adverſo ingreſſûs in Adytum. In Veſtibulo duæ fuerunt menſæ, una marmorea ad portæ Domûs latus dextrum cui imponebantur panes facierum inferendi in locum Sanctum, altera aurea ad ſiniſtrum ejuſdem portæ latus, cui imponebantur iidem panes quum efferebantur è loco Sancto. Porrò Cochleâ ſive Scalâ (quæ ad latus Septentrionale Templi erat poſita) aſcendebatur ab angulo ejus Orientali Septentrionali ad angulum Septentrionalem Occidentalem in tecta Cellarum: qui autem aſcendebat per Scalam illam lapideam obvertebat faciem verſùs Occidentem, progrediebatúrque per totum tractum ſive latus Septentrionale donec perveniret ad latus Occidentale, quò cùm pervenerat obvertebat faciem ad Meridiem & percurrebat latus Occidentale donec perveniret ad latus Meridionale, iſtic faciem obvertebat ad Orientem & percurrebat tractum Meridionalem uſque ad Portam ὑπερῴου Templi, quæ erat ad Meridiem poſita. In ea Porta fuerunt duæ קלונסות cedrinæ quibus aſcendebatur in ejus tectum, h.e. brevi quadam & humili Loricâ lapideâ diſtinguebatur pars tecti quæ erat ſupra Sanctum ſanctorum ab ea parte quæ fuit ſupra locum Sanctum, lapidibus autem cæſis & dolatis dividebatur tectũ loci Sancti à tecto Sancti ſanctorum. Quid hîc ſibi velint Talmudiſtæ non eſt facile conjicere: meræ videntur nugæ. Fuerunt etiam לולין *ſcalæ* in ὑπερῴῳ verſùs Adytum quibus artifices & operarii (quum opus erat) משלשין funibus ſubvehebantur vel demittebantur arculis concluſi nè oculi illorum יזונו ſpectarent in Sanctum ſanctorum.

Templum Atrio quadrangulo undique fuit cinctum in cujus medio fuit ſitum & collocatum. Atrii longitudo ab Oriente in Occidentem fuit 187 cubitorum,

rum, latitudo à Septentrione in Meridiem fuit 135. Ex adverſo portæ Veſtibuli Templi collocatum erat Altare holocauſti, eo ipſo in loco (ut ex certiſſima apud omnes habetur traditione) unde Adam à Deo primùm creatus fuit (unde dicunt Sapientes אדם ממקום כפרתו נברא *Homo creatus eſt de loco propitiationis ſuæ*) Iſtic Adam Deo primum obtulit munus ſuum quum creatus eſt; Iſthic Abel & Cain Deo ſacrificarunt; Ibidem Noe egreſſus Arcâ Deo ſacrificavit; Iſthic Abraham Iſaacum ligavit eum Deo oblaturus; Iſthic David Deo Altare exſtruxit in area Araunæ; Iſthic denique à Salomone collocatum eſt in Templo Altare holocauſtorum. Altare altum fuit 10 cubitos, latum in baſi 32. Ab Altari ad parietem uſque Atrii Septentrionalem cubiti fuerunt 60 cum dimidio. A pariete autem Veſtibuli uſque ad parietem Atrii Orientalem cubiti erant 76. Totum hoc quadrangulum vocatur צפון *Septentrio*, atque in eo jugulabant & parabant Sacerdotes victimas & holocauſta. Hoc ſpatiũ quadrangulum ſic diſtinguebatur ut poſt interjectos à latere altaris Orientali Septentrionali octo cubitos locus eſſet dictus הטבעות *Annulorum* latus 24 cubitos, in eo quatuor fuerunt ſeries Annulorum ferreorum pavimento infixorum, quibus victimarum mactandarum pedes & caput religabantur, in unaquaque autem ſerie ſex erant annuli (vel, ut alii volunt, ſex fuerunt ſeries cum quaternis in unaquaque ſerie annulis.) Juxta locum iſtum fuit locus *Menſarum*, latus 8 cubitos, in eo 8 fuerunt menſæ marmoreæ quibus membra ſeu partes victimarum diviſas imponebant, & carnem elixandam ſive aſſandam lavabant. Rurſus juxta hunc locum fuit locus המטבחים *Mactatorum*, latus 12 cubitos cum dimidio. In eo fuerunt tres ordines quinque brevium columellarum cum tranſtris cedrinis ſuperimpoſitis, ínque iis uncini unde ſuſpendebant & deglubebant victimas in menſis ſubjectis inter columellas. Ab hoc loco ad parietem Atrii Septentrionalem octo fuerunt cubiti interjecti.

Altare holocauſti quadratum fuit, longum & latum ab omni parte in baſi 32 cubitos, altum verò 10 cubitos, ſive 58 palmos, nam horum 10 cubitorum octo fuerunt ſex palmorum, duo verò quinque palmorum, cubiti autem omnes reliqui totius ſtructuræ fuerunt 6 palmorum. Quod autem ſcriptum eſt in Lege, *Altitudo Altaris erit trium cubitorum*, intelligendum eſt duntaxat de loco המערכה h. e. de *foculo* ſeu *craticula* cui victimæ igne abſumendæ imponebantur. Sic autem conſtructum fuit ut poſtquam cubitum unum (h. e. quinque palmos) in altum ſurrexiſſet arctaretur ex omni latere palmos quinque (atque hoc erat quod יסוד *Baſis* dicebatur) tum inde adſurgebat ad altitudinem 5 cubitorum ſive 30 palmorum, atque hic rurſus arctabatur ex omni parte palmos quinque, (& hoc illud eſt quod סובב ϖερίζωμα vel *cingulum* dicebatur.) Tum cornua Altaris hinc & inde occupabant latitudinem cubiti unius undiquaque, erántque & ipſa cubitum unum quinque palmorum alta, tum & ſupra cornua locus quem calcabant pedes Sacerdotum undiquaque cubitum unum latus erat. Ita locus המערכה *Foci* ſeu *Craticulæ* invenitur longus & latus in quadrum 24 cubitis cum quatuor palmis. Focus autem ipſe altus fuit 3 cubitos palmorum 18. Ita media totius Altaris altitudo invenitur in ſexto palmo infra finem הסובב *Perizomatis*, atque iſtic fuit filum הסקרא *rubrum* in medio Altari quo diſtinguebantur ſanguines inferiores à ſuperioribus, (h. e. ſanguis qui ad baſim Altaris effundebatur ab eo qui ſupra Altaris focum ex aviculis exprimebatur, aut ex victimarum membris & partibus adolendis defluebat.) Baſis Altaris non illud circundabat quatuor ex lateribus quemadmodum Perizoma, ſed protendebatur quidem per totum latus Septentrionale & Occidentale, at verò ex Oriente & Meridie אוכל cubitum unum. Cornu quod erat in angulo Meridionali Orientali non nitebatur baſi Altaris. Cornu autem Occidentale Meridionale concavum erat, atque in eo duo erant anguſta foramina (inſtar duarum narium) quæ שיתין dicebantur, ſanguis nempe victimarum eò defluebat, atque in cornu cum vino libaminum miſcebatur, indéque in pavimentum defluebat, ubi infra illud cornu lapis erat quadratus marmoreus cubitum unum longus & latus, atque in eo foramen in quod defluebat ſanguis, unde per Cloacam ſubterraneam in torrentem Cedron deferebatur. Porrò à Meridionali Altaris latere fuit leniter acclivis quidam ejus *Aſcenſus* qui כבש dicitur (non enim gradibus ad Altare licet aſcendere) longus 30 cubitos, latus 16. producebatúrque ad 32 cub. ex latere Altaris, nam פורח creſcebat ex ea parte cubitum unum ſuper ipſius baſim; & alium item cubitum ſuper הסובב *cingulum*, fuítque אויר מעט *interſtitium quoddam exiguum* ſeparans Aſcenſum ab Altari כדי ליתן האיברים למובח בזריקות *ad imponendum Altari in lancibus membra victimarum adolendarum*. Altitudo Aſcenſûs fuit 9 cubitorum (omnino neceſſe eſt hîc eſſe errorem: nam Altare in univerſum altum fuit 10 cub. duntaxat, Focus autem altus erat 3 cub. Aſcenſus verò ad imum uſque Focum tantùm attollebatur, itaque non potuit altior eſſe quàm 7 cubitorum & duorum palmorum) minus שתות *ſextâ parte* (h. e. palmo) uſque ad locum Foci. Eràntq; duo alii breves כבשים *Aſcenſus* qui ex iſto procedebant, quorum alter ducebat ad Altaris baſim, alter ad סובב *Cingulum* ſeu ϖερίζωμα, ſeparabantúrque ab ipſo Altari quaſi lato pilo. In Occidentali autem latere Aſcenſûs majoris erat feneſtra veluti quædam quadrata cubitum unum longa & lata quæ dicebatur רבובה, in quam conjiciebantur immundæ partes avicularum pro peccato mactatarum. Duæ etiam Menſæ fuerunt in latere eodem Aſcenſûs Occidentali, una marmorea cui partes ſeu membra victimarum imponebantur, altera argentea cui imponebantur vaſa miniſterii, Mare autem æneum כיור dictum ſitum fuit inter Altare & Veſtibulum verſùs Meridiem ad ſiniſtram illius qui ingreditur in Templum.

Porrò inter Altare & Templi Veſtibulum ſpatium fuit 22 cub. latum, totidémque fuerunt cubiti inter Altare & murum Atrii Orientalem, atque hoc poſtremum ſpatium in duas partes diſtinctum fuit, quarum prior lata 11 cubitos Altari proxima locus erat quem calcabant pedes Sacerdotum, dicebatúrque *Atrium Sacerdotum*, poſterior verò iſti contigua lata itidem 11 cubitos dicebatur *Atrium Iſraelis*. Item inter Atrii Occidentalem murum & Templum ſpatium fuit vacuum 11 cubitos latum. Inter autem Aſcenſum Altaris & Atrii murum Meridionalem cubiti 12 cum dimidio fuerunt interjecti. Sic ergo totum Atrii ſpatium dimenſuratur, Longitudo ejus fuit (uti dictum) ab Oriente in Occidentem 187 cubitorum, nempe à muro ejus Occidentali ad Templi murum 11 erant cubiti, Templum ipſum longum erat 100 cubitos, Inter Veſtibulum & Altare 22 cubiti, Altare occupabat 32 cubitos, Atrium Sacerdotum latum erat 11, totidem Atrium Iſraelis; ita colliguntur in univerſum 187 cubiti. Latitudo Atrii fuit à Septentrione in Meridiem 135 cubitorum, utì dictum, qui ſic colliguntur, A muro atrii Septentrionali ad locum Mactatorum fuerunt 8 cubiti, locus ipſe Mactatorum latus erat 12 cubitos cum dimidio, locus Menſarum illi contiguus fuit 8 cubitorum, locus Annulorum 24 cubitorum, inter eum & altare 8 fuerunt cubiti interjecti, altare erat 32 cubitorum, aſcenſus altaris 30 cubitos fuit longus, inter aſcenſum & murum atrii Meridionalem 12 cubiti cum dimidio fuerunt interjecti; colliguntur in univerſum 135 cubiti.

In atrio ſeptem fuerunt Portæ & octo Exhedræ ſive amplæ Cameræ: Tres fuerunt à Septentrione Portæ, totidémque juxta eas Exhedræ, par numerus fuit à Meridie Portarum & Exhedrarum, ab Oriente una fuit Porta in medio ex adverſo Portæ Templi & Veſtibuli, atque juxta eam duæ Exhedræ; altera à dextra, quæ dicebatur Phineazi המלביש, quòd iſthic (uti videtur) Sacerdotes miniſtraturi ſacras ſumerent atque induerent veſtes; altera à ſiniſtra quæ dicebatur עושה חביתים, q. d. *operis frixorii*, quòd iſtic in ſartagine (quæ חבית dicitur) frigerentur atque coquerentur lagana, munera & oblationes, quæ ex Legis præſcripto erant in ſartagine coquenda atque paranda. Unaquæque Portarum lata fuit 10 cubitos, alta 20, habebátque bifores ſive valvas omnes auro obductas, præter Orientalem, quæ obducta fuit ære ſplendidiſſimo & pretioſiore auro; hæc eſt illa Porta quæ dicitur עליון *ſuperior* & ניקנור *Nicanoris*. Trium Portarum quæ fuerunt à Meridie nomina hæc ſunt, prima הדלק, ſecunda הקרבן, tertia המים *aquarum*. Portarum verò quæ fuerunt à Septentrione hæc ſunt nomina, prima חנצוץ quæ inſtar Exhedræ exſtructa fuit, habuitque ſupernè ὑπερῷον, in quo Sacerdotes cuſtodiam ſeu excubias noctu agebant, Levitæ verò infernè, aperiebatúrque verſus חיל, ſecunda dicebatur הקרבן, tertia בית המוקד *domus combuſtionis*. Hæc fuit domus magna & ampla tota fornicata & lapideis רבידין cincta, in qua quatuor erant Exhedræ & duæ Portæ, una aperiebatur in Sanctum, habuítque oſtiolum adjunctum, altera in profanum; & Exhedrarum duæ erant in ſacro, duæ item in profano, ſeparabatúrque profanum à Sancto בראשי פספסין *interjecto humili lapidum dolatorum pariete*. Harum quatuor Exhedrarum prima Occidentalis Meridionalis dicebatur Exhedra הקרבן ſive הטלאים, h. e. *agnorum*, quòd iſtic Agni ad juge ſacrificium ſervarentur; ſecunda Orientalis Meridionalis dicebatur Exhedra לחם הפנים *panis facierum*, quòd iſtic coqueretur & pararetur panis facierum; tertia Orientalis Septentrionalis, in eam Aſſamonæi condiderunt lapides Altaris quod profanaverant Seleucidæ; quarta Septentrionalis Occidentalis: Excubias hîc agebant noctu Sacerdotes atque hinc per Cryptam ſubterraneam deſcendebatur ad foricas & בית הטבילה *domum ablutionis* ubi lavabantur quibus per noctem contigerat ὀνειρωγμός. In hac Exhedra ſeniores Sacerdotes excubias agentes decumbebant in רבידין illis lapideis quibus undique cingebatur. Adoleſcentes verò filii Sacerdotum recumbebant in pavimentum quiſque ſuper veſtem ſuam. Eràtque iſtic locus tabulâ quadratâ marmoreâ cubitum unum longâ & latâ tectus in quo è catena ferrea claves portarum atrii pendebant, quas inde ſumebant Sacerdotes ad claudendas vel aperiendas atrii & Templi portas, eíque tabulæ indormiebat aliquis ad cuſtodiendas claves. Juxta Atrii portas Exhedræ fuerunt (utì dictum) tres à Meridie totidemq; à Septentrione. Quæ ad Meridiem fuerunt hæ ſunt, prima Exhedra מלח *Salis*, in qua reponebatur ſal ad oblationes; ſecunda Exhedra הפרוה, in qua ſaliebantur pelles victimarum, ſupra cujus tectum locus fuit הטבילה *ablutionis* ſummi Pontificis feſto die Propitiationum; tertia Exhedra המדיחים, in qua lavabantur & purgabantur victimarum cæſarum inteſtina atque ex ea per Cochleam ſeu Scalam aſcendebatur ſupra tectum Exhedræ הפרוה. Exhedrarum autem quæ erant ad Septentrionem prima dicta fuit הגוית q. d. *cæſi lapidis*, in ea cogebatur magnum Synedrium. Hujus Exhedræ pars dimidia fuit in Sancto, altera pars dimidia in profano, Sanctum autem à profano humili cæſi lapidis pariete intergerino, atque in ea dimidia parte quæ erat in profano ſedebant Synedrii Judices, quia non licet ſedere in Sancto; erántque illi Exedræ duæ portæ, altera in Sanctum altera in profanum aperiebatur. Secunda Exhedra dicta fuit הגולה, in ea fuit בור *puteus* vel *ciſterna*, cum rota ſuperne, indéque ſufficiebatur aqua toti Atrio. Tertia Exhedra dicta fuit העץ *ligni* vel *lignea*, erátque Exhedra ſummi Pontificis, dicebatúrque propterea פרהדרין ϖαρέδρου. Tectum harum trium fuit æquale.

Ad Orientem Atrii contiguum ei fuit Atrium הנשים *fœminarum* dictum, longum & latum in quadrum 135 cubitos juxta latitudinem Atrii Templi. In quatuor ejus angulis quatuor fuerunt ingentes Exhedræ non tectæ, ſed apertæ & ſub dio poſitæ, in quadrum longæ & latæ ſingulæ 40 cubitos. Prima in angulo Meridionali Orientali dicta eſt *Nazaræorum* quia Nazaræi iſtic מבשלים את שלמיהם lavabant veſtes ſuas & radebant caput, immittebántque capillos in ignem תחת הדוד *ſub olla*. Secunda in angulo Orientali Septentrionali dicta fuit העצים *lignorum*, quia Sacerdotes quibus ob aliquem corporalem defectum ſacris operari non licebat, iſtic ligna ad ſacrificia evermiculabant (h. e. ligna è vermiculis eroſa ſeparabant) omne enim lignum in quo vermis invenitur profanum eſt & ad Altare ineptum. Tertia in angulo Septentrionali Occidentali dicebatur *Leproſorum*. Quarta denique in angulo Occidentali Meridionali poſita dicebatur בית שמנים *domus olei*, quòd iſtic reconderetur oleum & vinum ad libamina. Porrò Atrium fœminarum intrinſecus undique circundabatur בצוצרה (Maimonides habet גוווטרה h. e. ambulacro ligneo contabulato, Galli vocant *Galleries*) unde illæ supernè ſpectabant (verſùs Templum ſcilicet, adoraturæ) infernè verò viri, ut non commiſcerentur ſed ſeparatim adorarent. Porrò ſub Atrio Iſraelis contiguo fœminarum Atrio hinc & inde ex utroque portæ ipſius latere fuerunt Exhedræ quæ in Atrium fœminarum aperiebantur, in quibus Levitæ citharas, nablia & cætera inſtrumenta ſua Muſica reponebant.

Atrium autem Templi cum omnibus ſuis Exhedris extrinſecus poſitis, ſimulque fœminarum Atrium totum undiquaque cingebatur muro 10 cubitos alto qui dicitur חיל CHAJIL. Ante iſtum ſpatio aliquo interjecto alius fuit humilis סורג SOREG dictus, altus 10 palmos, undiquaque circumdans *Chajil*. Juxta hunc undiquaque in circuitu fuit הר הבית *mons domûs*, qui eſt mons Moria, longus & latus in quadrum 500 cubitos, muro undique circumdatus, lapidéſque ſuper lapides fuerunt exſtructi מתחתיו *infernè* (ſeu infra ipſum, Gall. *par deſſous*) מפני אוהל הטומאה *propter tabernaculum immunditiei*, fuítque totus מקורה סטיו לפנים סטיו *contabulatus porticu ante porticum*, h. e, (utì videtur) duplici intercolumnio vel porticu tectâ cinctus. Porrò quinque fuerunt in monte domûs Portæ, duæ à Meridie, quæ dicta ſunt portæ *Huldæ*, quibus populus ingrediebatur & egrediebatur è Templo, una ab Occidente dicta קיפונוס *Kipponos* quâ patebat in Templum ingreſſus & egreſſus, una à Septentrione dicta טדי *Taddai*, cujus (ſecundùm nonnullos) non alius erat uſus niſi quòd eá noctu egrediebantur qui ex Levitis & Sacerdotibus per noctem ex ὀνειρωγμῷ polluti erant. Quinta denique ab Oriente, cui inſculpta erat figura urbis Suſan Perſidis Metropoleos, atque per eam Pontifex maximus egrediebatur in montem Olearum, quum feſto die Propitiationis vacca rufa erat ab eo extra urbem ex Legis præſcripto comburenda, atque in eam portam, & in Templi etiam portam reſpiciebat tum quum fiebat ſanguinis Vaccæ aſperſio, proptereáque murus ejus ut & portæ Orientalis atrii dictæ *Nicanoris* humilis erat præ cæteris nè eo interciperetur aſpectus ſummi Pontificis ſtantis in monte Olearum, atque inde in Templi portam reſpicientis. Non fuit autem atrium Templi rectà in medio montis Domûs poſitum, ſed ita collocatum fuit ut à Meridionali ejus latere magis recederet quàm à reliquis ejus lateribus, magíſque ad ejus latus Occidentale accederet quàm ad reliqua ejus latera, diſtaret autem à Septentrionali ejus latere magis quàm ab Occidentali, minus autem quam ab Orientali. Neque fuit totum המקדש *Sanctuarium* in æquo & plano loco ſitum ſed in acclivi montis parte. Itaque qui ingrediebatur per portam Orientalem montis Domûs progrediebatur per locum planum & æquum uſque ad finem *Chajil*. Inde aſcendebat in atrium fœminarum 12 gradibus, quorum ſinguli alti erant dimidium cubitum, & ſingulorum projectio ſive latitudo erat item dimidii cubiti. Atrium fœminarum totum planum fuit & æquum (videntur iſta quodammodo reſpondere iis quæ Joſephus ſcribit de 15 gradibus quibus aſcendebatur ex Septo exteriori ad portas interioris, tum de ſpatio plano 10 cubitorum, denique de quinque cubitis quibus inde ad portas ipſius Septi aſcendebatur) tum ex eo aſcendebatur in Atrium Iſraelis (quod fuit initium Atrii Templi) gradibus 15 paris cum antecedentibus

cedentibus menſuræ. [Cùm dimidius cubitus rectè tribuatur altitudini omnium graduum, locus hic ita videtur accipiendus, ut ſcilicet ex Atrio Iſraelis in Atrium Sacerdotum aſcenderetur quinque gradibus, tot enim ſemicubitos erat altius Atrium Sacerdotum ſupra Atrium Iſraelis, in ſummo autem gradu fuit poſitus ſuggeſtus Levitarum] Ex Atrio Iſraelis in Atrium Sacerdotum aſcendebatur primùm gradu uno alto cubitum unùm in quo fuit דוכן *Suggeſtum* ad quod tribus paris cum præcedentibus menſuræ gradibus aſcendebatur, ita Atrium Sacerdotum altius erat Atrio Iſraelis duobus cubitis cum dimidio. In eo ſuggeſtu ſtabant Levitæ cum Muſicis inſtrumentis tempore oblationis jugis ſacrificii. Atrium Sacerdotum uſque ad Templi Veſtibulum planum & æquum fuit, ſed ex eo in Veſtibulum aſcendebatur 12 gradibus paribus cum præcedentibus. Templum autem & Veſtibulum totum fuit in loco æquo & plano. Ita invenitur Templi & Veſtibuli ſolum altius ſolo portæ Orientalis montis Domûs cubitis 22.

Porrò 24 in locis excubiæ à Levitis & Sacerdotibus per noctem in Templo agebantur. Et à Sacerdotibus quidem tribus duntaxat in locis, nempe in domo אבטינס *Abtines*, in domo ſive porta Atrii dicta הניצוץ, & in porta domóque illa magna juxta Atrium dicta המוקד *combuſtionis*. Levitæ autem excubias agebant 21 in locis, nempe ſinguli in quinque Portis, & quatuor angulis montis Domûs intrinſecus, item in quinque Portis & quatuor angulis Atrii Templi extrinſecus, denique ſinguli in his duabus Exhedris, in Exhedra nempe הקרבן & הפרכת, & unus à tergo domûs Propitiatorii. Præfectus autem montis Domûs ſingulis noctibus cum facibus accenſis circuibat ſingulos Vigiles, ſiquem offendebat ſtertentem, virgâ eum percutiebat, & face accenſâ veſtem ejus urere licebat.

DE HIEROSOLYMITANI TEMPLI Structura atque delineatione Excerpta ex Maimonide, Tract. De domo Electa.

Ex CAP. I.

HÆ ſunt partes principales (עיקר) ſtructuræ Domûs, *Sanctum* nempe & *Sanctum ſanctorum*, atque ante Sanctum locus qui dicitur אולם *Veſtibulum*. Tria illa dicuntur היכל *Templum*. Deinde eſt מחיצה paries quidam intergerinus circa Templum remotus ab eo, qui reſpondet cortinis tabernaculi Moſaici quibus undiquaque cingebatur Tabernaculum in deſerto, ita ut totum illud ſpatium quod à pariete illo ambiebatur reſpondeat Atrio Tabernaculi conventûs. Et hoc illud eſt quod עזרה *Azara*, h. e. *Atrium* vocatur, totúmque illud dicitur מקדש *Sanctuarium*. In Sanctuario illo erant inſtrumenta ad holocauſta & cæteras oblationes, item Altare & ad id acclivis aſcenſus (qui כבש dicitur) quo ad Altare aſcenditur, éſtque locus ipſius ante Veſtibulum productus verſûs Meridiem. Mare etiam æneum cum ejus baſi inter Veſtibulum & Altare verſûs Meridiem ad ſiniſtram illius qui Sanctuarium ingreditur. Pariter Altare ſuffitûs, Candelabrum & Menſa, quæ tria in loco Sancto erant collocata ante Sanctum ſanctorum. Candelabrum quidem in Meridionali latere ad ſiniſtram ingredientis, Mensa verò ad dextram, cui imponebantur panes Propoſitionis; hæc duo fuerunt ad utrumque latus Sancti ſanctorum extrinſecus, Altare autem ſuffitus fuit inter illa duo extrinſecus. In *Azara* autem ſive Atrio limes eſt quouſque Iſraelitis licet progredi, ulteriùs ſolis Sacerdotibus licet. Conſtructum fuit Templum ex lapidibus integris cæſis & dolatis atque expolitis extra montem Domûs, neque conſtrui debet ex ligno בולט *quercino*, ſed vel ex lapidibus vel ex laterculis, totúmque Atrium ſtratum fuit lapidibus egregiis. Altare exſtrui non debet niſi ex lapide cóque rudi atque impolito non cæſo atque dedolato, imò ſi ferrum lapidem vel leviſſimè attigerit profanus eſt, & ad exſtructionem Altaris & aſcenſûs ipſius ineptus. Non licet gradus facere quibus ad Altare aſcendatur, ſed exſtruitur ad latus ejus Meridionale aſcenſus leniter acclivis inſtar Tumuli paulatim aſſurgentis, dictus כבש.

Ex CAP. II.

Locus Altaris certus eſt atque conſtitutus, neque ex eo moveri ullo modo debet, éſtq; certiſſima apud omnes traditio, locum illum in quo David exſtruxit Altare in area Araunæ, atque ubi à Salomone collocatum eſt in Templo Altare, eum eſſe in quo Abraham Iſaacum ligavit immolare eum paratus, ibidem Noe egreſſus Arcâ ſacrificavit, iſtic Abel & Cain ſacrificium Deo obtulerunt, iſtic etiam primus Adam obtulit Deo munus ſuum quum creatus eſt, atque adeò indidem creatus eſt, dixerunt enim Sapientes אדם ממקום כפרתו נברא *homo creatus eſt de loco propitiationis ſuæ*. Altaris menſura eſt certò præſcripta, neque ei quicquam detrahi aut addi debet, forma autem ejus nota eſt ex traditione [illegible]. Singula ejus latera alta fuerunt 10 cubitos, (nam quod ſcriptum eſt in Lege *altitudo ejus erit trium cubitorum*, intelligendum eſt de loco המערכה, h.e. de *foculo* vel *craticula* cui victimæ igne abſumendæ imponebantur) longum autem & latum fuit Altare 32 cubitos, [Porrò cubitorum illorum decem altitudinis Altaris alii ſunt quinque palmorum, alii verò ſex palmorum, cubiti autem reliqui omnes totius ſtructuræ fuerunt ſex palmorum] itaque altum fuit Altare 58 palmos, [Ergo fuerunt 8 cubiti illius altitudinis qui erant ſinguli ſex palmorum (conficiebántque in univerſum 48 palmos) duo verò reliqui cubiti fuerunt 5 palmorum, conficiebántque 10 palmos quibus junctis præcedentibus 48 palmis exſurgit univerſus 58 palmorum numerus. Nempe tres cubiti altitudinis Foci fuerunt ſex palmorum, item 5 cubiti altitudinis cinguli, at baſis Altaris & cornua ejus fuerunt alta cubitum unum qui erat quinque palmorum] Atque hæc ejus fuit forma & ſtructura. Poſtquam aſſurrexiſſet ad 5 palmos reducebatur & arctabatur ex omni latere palmos quinque, (atque hæc erat veluti baſis יסוד Altaris) ita fiebat reliqua ejus longitudo & latitudo 30 cubitorum cum duobus palmis. Tum aſſurgebat rurſus ad altitudinem 30 palmorum, atque hîc rurſus reducebatur & arctabatur quinque palmos (atque hoc illud eſt quod סובב *cingulum* dicitur) ita fiebat hîc Altaris longitudo & latitudo 28 cubitorum & 4 palmorum. Deinde locus Cornuum Altaris hinc & inde occupabat latitudinem cubiti unius undiquaque, pariter & locus pedum Sacerdotum undiquaque cubitum unum latus erat, ita locus המערכה *foci* invenitur latus & longus 24 cubitos cum 4 palmis; altitudo Cornuum fuit 5 palmorum, ita ut quadratum uniuſcujuſque cornu fuerit cubiti unius undiquaque, erántque Cornua illa intrinſecus concava. Focus fuit 18 palmos altus, atque ita invenitur media Altaris altitudo in ſexto palmo infra finem הסובב *cinguli*, iſtícque fuit filum הסקרא *rubeum* (forte pro סרקא *ſericum*) in medio Altaris, quo diſtinguebantur ſanguines ſuperiores ab inferioribus, éſtq; tota Altaris altitudo à terra ad locum uſq; Foci novem [Per locum Foci intelligit vel pedem vel ſummum Craticulæ, cui imponebantur victimæ igne abſumendæ, jam ad pedem uſque Craticulæ fuerunt duntaxat 40 palmi ex ſuperiore dinumeratione particulari; ad ſummum autem Craticulæ fuerunt 58 palmi. Jam verò 40 palmi conficiunt præciſè 8 cubitos quinque palmorum, vel ſeptem cubitos, ſex palmorum, minus duobus palmis. Rurſus 58 palmi conficiunt 11 cubitos, quinque palmorum, cum tribus palmis, vel 10 cubitos, ſex palmorum minus duobus palmis. Itaque neceſſe eſt hîc eſſe errorem in numero, legendúmque videtur *ſeptem* (aut verò *decem*) *cubitos minus duobus palmis*] cubitorum uno palmo minus. Baſis Altaris non illud circundabat ex quatuor lateribus quemadmodum Cingulum, ſed protendebatur quidem juxta totum latus Septentrionale & Occidentale, at ex Meridionali אוכל *abſumebat* cubitum unum, & ex Oriente cubitum unum. Cornu quod erat in angulo Meridionali Orientali non nitebatur fundamento ſive baſi Altaris, in Cornu autem Occidentali Meridionali duo erant foramina inſtar duarum narium anguſtarum quæ dicebantur שיתין, ſanguis nempe victimarum eò defluebat, atque in cornu miſcebatur, indéque in torrentem Cedron defluebat, infra autem illud Cornu in ipſo pavimento lapis fuit marmoreus quadratus cubitum unum, atque in eo foramen, in quod defluebat ſanguis è Cornu. כבש ſive *Aſcenſus* acclivis Altaris fuit ad latus ipſius Meridionale, longus 31 cubitos, [Dicendum 30 cubitos, quomodo alibi infrà aſſignat ipſi longitudinem 30 cubitorum, quod rectius eſt] latus 16, ואוכל *producebatúrque* ad 34 ex latere Altaris, פורח *creſcebat* enim ex eo cubitum unum ſuper ipſius baſim, & alium item cubitum ſuper Cingulum (סובב) fuítque אויר מעט *exiguum quoddam interſtitium* ſeparans Aſcenſum ab Altari כדי ליתן האיברים למזבח בצריקי'' *ad imponendum Aræ in lancibus membra victimarum*. Altitudo Aſcenſûs fuit 9 cubitorum [hîc error eſt in numero, legendúmque *ſeptem cubitos minus duobus palmis*. Nam Altare ad pedem uſque craticulæ (qui dicitur *locus Foci*) altum erat 40 palmos. Jam ſeptem cubiti ſex palmorum conficiunt 42 palmos] minus שתות h.e. *ſextâ parte* uſque ad locum Foci, erántque duo alii breves כבשים ſive *Aſcenſus* qui ex eo procedebant, quorum alter ducebat ad Altaris baſim, alter ad Cingulum ſive περίζωμα. ſeparabantúrque ab ipſo Altari quaſi lato pilo. Erat autem in Occidentali latere Aſcenſûs feneſtra lata & longa cubitum unum quæ dicta eſt רבובה in quam conjiciebantur immundæ partes avicularum pro peccato oblatarum, interim dum aves igne abſumerentur. Duæ etiam Menſæ fuerunt in latere eodem Occidentali, una marmorea cui partes ſeu membra victimarum imponebantur, altera argentea cui imponebantur vaſa miniſterii.

Ex CAP. III.

Toto hoc capite deſcribit Candelabrum, Menſam & Altare aureum ſuffitûs quæ erant in loco Sancto, ubi notat fuiſſe præterea in Veſtibulo juxta latera portæ interioris hinc & inde duas menſas, unam marmoream cui imponebantur panes inferendi, alteram auream cui imponebantur panes efferendi. Item ante Candelabrum (quod altum fuiſſe ait 18 palmos) dicit poſitum fuiſſe lapidem, atque in eo tres gradus quibus aſcendebat Sacerdos ad accendendas lucernas.

Ex CAP. IV.

Lapis fuit in Sancto ſanctorum ad Occidentale latus ejus cui impoſita fuit Arca, & ante eam urna Mannæ, & virga Aharonis. Cùm autem Salomon ædificavit Templum, ſcirétque illud eſſe deſtruendum, ædificavit illic Cryptam ſubterraneam profundam & flexuoſam ad recondendam Arcam, quæ iſtic Joſiæ juſſu recondita eſt, juxta illud quod habetur 2 Chron. 35. 3. atque unà condiderunt etiam virgam Aharonis, urnam Mannæ, & oleum Unctionis. Quin & per Urim & Tummim quæ fuerunt in domo ſecunda non dabatur reſponſum à Spiritu S. ſed ea duntaxat fecerunt ut compleretur numerus octonarius veſtiũ Sacerdotalium nè Sacerdos magnus foret מחוסר בגדים *veſte defectus*. In priore Domo quam ædificavit Salomon fuit paries cubitum craſſus, quo ſeparabatur Adytum à loco Sancto. At quum Judæi reduces à Captivitate ædificarunt Templũ ambigebant utrũ paries ille pertineret ad locũ Sanctum an verò ad Adytum, propterea fecerunt locũ Sanctũ 40 cubitorum plenorũ, & Adytum 20 cubitorum plenorũ, reliquerúntque cubitum unum ſuperabundantem inter locum Sanctum & Adytum, neque exſtruxerunt parietem illum, ſed duo Vela fecerunt cubitum unum diſtantia invicem ſecundùm craſſitudinem muri, quorum alterum fuit in loco ſancto alterum in Adyto, at in priori Templo unicum fuit Velum. Templum quod exſtructum fuit à Judæis reducibus ex Captivitate Babylonica fuit longum, latum & altum 100 cubitos. Atque hæc eſt particularis dimenſio altitudinis ejus. כנו Baſis veluti ejus alta fuit 6 cubitos, tota ſolida, fuítque illi inſtar fundamenti, tum parietes ad tabulatum uſque alti erant 40 cub. tum כיור [Corrector in hunc locum negat iſtic fuiſſe כיור in tabulato ſed intrinſecus fuiſſe טוח tectorium in muro validum ex calce nè aqua התאים irrumperet in murum Templi. Per דילפא intelligit canales ſeu fiſtulas parietibus adhærentes ad excipiendum ſtillicidium tecti & effundendam aquam extra.] trabes tabulati erant craſſæ cubitum unum, ſupra trabes locus erat vacuus cubitos duos altus ad excipienda ſtillicidia, vocatúrque propterea בית דילפא *domus ſtillicidii*, tum ſupra ſtillicidii locum craſſum erat tabulatum cubitum unum, ſupra tabulatum autem מעזיבה altum fuit cubitum unum. Supra iſta fuit עלייה ὑπερῷον ſecundum tabulatum, altum ſimiliter 40 cubitos, atque in ejus tecto כיור trabes erant altæ cubitum, tum locus ſtillicidii cubitos duos, Tabulatum cubitum unum, מעזיבה alium cubitum, tum περίβολον (מעקה) tres cubitos altum, ſupra peribolum autem undiquaque fuit טס *lamina* ferrea inſtar enſis acuta alta cubitum unum, quâ prohibebantur aves nè inſiderent Templo, proptereáque vocata eſt כלה עורב q. d. *Arcicorvum* (ab arcendis corvis) ita fiunt 100 in univerſum cubiti. Ab Occidente Orientem verſûs longum fuit Templum 100 cubitos, qui ſic dinumerantur, Quatuor fuerunt parietes [Quatuor illi muri & inter eos tria loca vacua in Occidentali parte Adyti ſunt merum Maimonidis delirantis ſomnium, nulla enim ejuſmodi fuerunt iſtic loca vacua, neque ipſe explicat quæ illa fuerint & cui uſui, ſtultúmque eſt fingere ſibi animo tria loca inter quatuor muros ſive parietes, quæ omnia unà cum ipſis muris non occupent niſi 17 cubitos. Itaque rectiùs ſic diſtribues illos 17 cubitos ut ſex aſſignes cubitos craſſitiei muri qui Adytum ſeparabat à Cellis quæ illi ab Occidente adhærebant, totidémque craſſitiei Occidentalis Templi quo Cellæ illæ ab Occidente claudebantur, denique quinque reliquos cubitos latitudini Cellarum, quæ inter utrumque murum ſitæ erant; nam Maimonides Cellas omnes quibus Templum totum undique infernè cingebatur facit latas duntaxat cubitos quinque] juxtà poſiti, inter quos tria fuerunt loca vacua, atque inter parietem Occidentalem & proximum illi parietem quinque fuerunt cubiti, inter parietem ſecundum & tertium ſex fuerunt cubiti, inter tertium & quartum ſex pariter cubiti; (atque hæ ſunt menſuræ craſſitudinis parietis cum loco vacuo qui erat inter duos parietes) Longitudo Adyti fuit 20 cubitorum, inter duo Vela fuit ſpatium vacuum [Spatium illud vacuum inter duo Vela videtur omnino eſſe Rabbinicum commentum & ſomnium, locus nempe Sanctus ab Adyto videtur fuiſſe ſeparatus ſeu diſtinctus ſolo velo. Itaque cubitus iſte commentitius videtur potiùs rejiciendus in craſſitiem muri Veſtibuli, quem Maimonides facit craſſum quinque duntaxat cubitos, ſed, uti videtur, perperam; opus enim fuit majore craſſitie muro Veſtibuli quàm in muro Templi. Itaque ſi Templi murus fuit ſex cubitorum Veſtibuli murus debuit eſſe ut minimum totidem cubitorum] cubiti unius, Longitudo loci Sancti fuit 40 cubitorum, craſſitudo muri Orientalis in quo fuit porta ſex erat cubitorum, Veſtibuli latitudo 11 cubitorum, craſſitudo muri Veſtibuli fuit quinque cubitorum; ita inveniuntur in univerſum 100 cubiti. A Septentrione verſûs Meridiem fuerunt etiam 100 cubiti [Corrector hîc deridet Maimonidem negátque iſthac parte fuiſſe ullum Veſtibuli murum præterquam Orientalem qui erat è regione Templi, propтereáque dicunt Templum eſſe à poſteriore parte anguſtum, ab anteriore verò latum, latitudo autem Veſtibuli numeratur ſecundùm latitudinem Templi. Hæc ille Corrector. Sed ipſe in hac correctione videtur omnino delirare] nempe craſſitudo muri Veſtibuli fuit 5 cubitorum, à muro Veſtibuli ad murum Sanctuarii 10 cubiti [Hîc verò videtur omnino Maimonides delirare, quum ex utroque Templi latere (iſtic ubi fuerunt תאים *Cellæ*) dicit fuiſſe ſex parietes juxtà poſitos cum quinque locis vacuis interjectis; nam neque explicat quæ fuerint loca illa & cui uſui, (quæ certè nulla fuerunt præter תאים) neque exponit quæ fuerit murorum illorum ſex craſſitudo, neque in hac dinumeratione particulari cubitorum connumerat craſſitudinem murorum cum latitudine ſpatiorum interjectorum, quod factum tamen oportuit, quódque ſi feciſſet exſurrexiſſet longè major numerus quàm 100 cubitorum; ſi enim ſingulis ſex illis muris des craſſitudinem 5 cubitorum, eandémque ſex alteris illis qui fuerunt ab altero latere, exſurgent in univerſum 160 cubiti à Septentrione ad Meridiem. Abſurdum autem quinque illis ſpatiis vacuis & ſex muris attribuere in univerſum 26 cubitos duntaxat. Rectiùs ergo multò ſic dinumerandi ſunt 100 illi cubiti, ſi nempe ad 15 illos cubitos quibus utrinque Veſtibulum ſuperavit latitudinem Templi (qui conficiunt 30 cubitos) addamus latitudinem loci Sancti quæ fuit 20 cubitorum, ſic fiunt 50 cubiti, tum utrinque craſſitiem interioris muri loci Sancti ſex cubitorum, ſic fiunt 62 cubiti, quibus addenda utrinque longitudo *Cellarum* תאים quæ ab utroque fuerunt latere Templi videnturque fuiſſe 15 cubitos longæ, ſic fiunt 92 cubiti, quibus addenda utrinque craſſities muri exterioris quo Cellæ illæ ambiebantur, qui ut minimum fuit cubitorum 4, ſic colliguntur in univerſum 100 cubiti] Muri autem Sanctuarii ſex fuerunt, inter quos fuerunt quinque loca ſive ſpatia vacua, inter exteriorem parietem ſive murum & ſecundum 5 cubiti, inter ſecundum & tertium tres cubiti, inter tertium & quartum quinque cubiti, inter quartum & quintum 6 cubiti, inter quintum denique & interiorem murum ſex fuerunt cubiti, ſic fiunt in univerſum 40 cubiti ab uno latere, dein totidem ab altero Sanctuarii latere, his accedit latitudo loci Sancti quæ erat 20 cubitorum; ſic fiunt in univerſum 100 cubiti. Duo fuerunt פישפשין *oſtiola* à latere portæ loci Sancti, alterum à Septentrione alterum à Meridie. Illud quod erat à Meridie clauſum fuit, neque per illud ingrediebatur quiſquam, atque de eo dictum eſt ab Ezechiele *Porta iſta claudetur neque aperietur*, &c. [Duobus illis Oſtiolis patebat ingreſſus in Cellas; quæ verò hîc nugatur Maimonides de illis ſunt ſomnia & deliramenta Rabbinica] Illud autem quod erat à Septentrione apertum fuit, atque per illud ingrediebatur (Sacerdos ſcilicet) atque incedebat inter duos parietes donec perveniret ad locum apertum loci Sancti ab ejus ſiniſtra, & ingrediebatur in medium Templum, veniebátque ad Portam magnam quam aperiebat. Erat autem Porta illa magna lata 10 cubitos, alta 20. [Somnium item eſt Rabbinicum iſtud lepidè excogitatum] Quatuor illi fuerunt fores, duæ intrinſecus à parte interiore loci Sancti, duæ autem extrinſecus à parte ejus exteriore; quæ erant extrinſecus aperiebantur in portæ medium ad tegendam muri craſſitiem, quæ verò erant intrinſecus aperiebantur verſùs medium Domûs ad tegendum eam muri partem quæ erat à tergo forium. Porta Veſtibuli lata fuit 20 cubitos, alta 40, neque fuerunt ei fores ullæ. Illius ſuperliminari ſuperimpoſitæ erant quinque מלתראי *trabes* של מילא [Videtur corruptum à Græco μίλαθρον quod Heſychius interpretatur διάπυνον δοκὸν *trabem extenſam* ſive *prælongam* & *tranſverſalem*. מילא autem quid ſit incertum eſt] Infima earum hinc & inde exuberabat ultra Portam cubitum unum, ſicque earum unaquæque inferiorem ſibi ſubjectam ſuperabat utrinque cubito uno, ita fiebat ut ſuprema eſſet 30 cubitorum, porro ordo ſive ſeries una lapidum intercedebat inter trabem & trabem. Templum latum erat מלפניו *ab interiore ejus parte* וצר מאחוריו *anguſtum verò à poſteriore ejus parte* leonis inſtar. Erant etiam יציעים *Cameræ* vel *Cellulæ*, quæ totam domum undiquaque circundabant excepto muro המסבה. Cella inferior erat 5 cubitorum, רובד *tabulatum* autem quod illi impoſitum erat 6 cubitorum, Cella media fuit 6 cubitorum, רובד illi impoſitum ſeptem cubitorum, Cella ſuperior fuit ſeptem cubitorum, juxta illud quod eſt 1 Reg. 6. 6. atque ita tria illa יציעים Cellarum tabulata circundabant Templum tribus ex lateribus. Similiter circa murum Veſtibuli ab imo ad ſummum ſic fuerunt, cubitum unum חלק, dieni רובד tres cubitos, tum cubitum unum חלק & רובד tres cubitos uſque ad ſummum, erántque רובדין circumdantes מוקפין parietes Veſtibuli, latitudo uniuſcujuſque רובד fuit 3 cubitorum ad ſummum uſque, inter autem unumquodque רובד fuit cubitus unus, ſupremum autem רובד fuit 4 cubitos latum. Omnia illa loca vacua quæ fuerunt inter parietes vocantur תאים Cellæ; inveniuntur autem ejuſmodi Cellæ circumdantes Templum, quinque à Septentrione, totidem à Meridie, tres autem ob Occidente, tria autem fuerunt earum דיוטות tabulata, tabulatum ſupra aliud tabulatum, ita inveniuntur 15 Cellæ à Meridie, totidémque à Septentrione, octo verò ab Occidente, nempe tres mediæ ſupra tres infimas, duæ verò ſupremæ ſupra tres haſce medias in ſupremo tabulato, in univerſum ſunt 38 Cellæ. Tres [Villalpandus Tom. 2. Part. 2. lib. 4. cap. 26. iſtud de tribus portis in ſingulis Cellis, accipit de duntaxat duabus illis majoribus Cellis quæ erant ab utroque latere Veſtibuli Templi, & per quas introitus dabatur in Cellas quæ erant circumcirca Templum, hæ enim majores Cellæ tres habebant, unam quá ex Atrio Templi in Cellas illas dabatur ingreſſus, alteram illi oppoſitam quâ ex Veſtibulo in Cellas illas acceſſus patebat, tertiam quâ ex Cellis illis in minores Templo circumpoſitas dabatur introitus. Verùm hæc Villalpandi explicatio non videtur ſatis quadrare huic loco.] פתחים *Portæ* (vel potiùs *feneſtræ*) fuerunt unicuique Cellæ, una Cellæ à dextra, altera Cellæ à ſiniſtra, tertia Cellæ quæ eſt ſuper eam. In cornu autem Orientali Septentrionali Cellæ quæ erant in medio tabulato fuerunt quinque פתחים, una Cellæ à dextra, una Cellæ quæ eſt ſupra eam, una למסבה *cochleæ*, una Cellæ cui eſt פשפש oſtiolum, & una denique Templo. Cochlea autem aſcendebat à cornu Orientali Septentrionali ad cornu Septentrionale Occidentale, per eam enim aſcendebatur ad tecta Cellarum: qui aſcendebat per Cochleam faciem obvertebat ad Occidentem, ibátque per totum tractum Septentrionalem donec perveniret ad Occidentem, quum eò pervenerat obvertebat faciem ad Meridiem, & ibat per totum tractum Occidentalem donec perveniret ad Meridiem, quò cùm perveniſſet obvertebat faciem verſùs Orientem, ibátque per tractum Meridionalem donec perveniret ad portam ὑπερῴου Templi, porta enim ὑπερῴου erat ad Meridiem poſita. In ea autem porta fuerunt duæ קלונסות cedrinæ quibus aſcendebatur in ejus tectum, duo item lapides dolati fuerunt quibus dividebatur tectum loci Sancti, à tecto Sancti ſanctorum, fuerunt etiam ſcalæ apertæ in ὑπερῴῳ verſùs Sanctum ſanctorum, quibus משלשין artifices in arculis כדי שלא יזונו oculi eorum ex Sancto ſanctorum. Semel in anno à Paſchate uno ad aliud מלבנין dealbant Templum.

Ex Capite quinto.

Mons Domûs qui eſt mons Moria fuit longus & latus (in quadrum) 500 cubitos, fuítque circumdatus muro lapidéſque ſuper lapides fuerunt exſtructi מתחתיו *infernè* (ſeu *infra ipſum*) *per deſſous* מפני אוהל הטומאה *propter tabernaculum immundum*, fuítque totum מקורה מטיו לפנים סטיו contabulatum porticibus ante porticus (h. e. undiquaque fuit porticu vel intercolumnio duplici circumdatum.) [Schindlerus exponit סטיו *pavimentum*, ſed hæc ſignificatio hîc non quadrat cum voce מקורה quæ *contabulatum* ſignificat; meliùs David de Pomis exponit סטיון (quod videtur ſcriptum pro סטיו) *locum columnis circumdatum*, quod nihil aliud eſſe videtur quàm porticus. Itaque סטיו videtur omnino corruptum ex Græco ςοὰ *porticus*] Erant illi quinque Portæ, una ab Occidente, una ab Oriente, una à Septentrione, & duæ à Meridie. Latitudo Portarum ſingularum fuit 10 cubitorum, altitudo 20, quibus additæ erant fores. Ante montem (extrinſecus ſcilicet) fuit סורג undiquaque circumdans (Atria nimirum & Templum non verò ipſum montem) cujus altitudo fuit 10 palmorum. & ante סורג fuit חיל altum 10 cubitos de quo dicitur in Threnis, *lugebit* חיל *& murus*, hic murus eſt murus Atrii qui fuit ante חיל Atrii. Atrium longum fuit 187 cubitos, latum 135. Septem in eo fuerunt Portæ, nempe tres à Meridie juxta Occidentem, & tres à Septentrione juxta Occidentem, una ab Oriente ex adverſo Sanctuarii in medio. Unaquæque Portarum fuit lata 10 cubitos, alta 20, erántque illis fores obductæ omnes auro præter Portam Orientalem quæ obtecta fuit ære ſimili auro. Hæc eſt illa Porta quæ dicitur עליון *ſuperior* itémque *Porta Nicanoris*. Atrium non fuit directè in medio montis Domûs poſitum ſed remotum fuit à Meridionali [Fieri id non poteſt, quin magis fuit remotum à parte Orientali quàm à reliquis omnibus; nam ab ea parte inter Atrium Templi & latus Orientale interjectum fuit Atrium fœminarum, quod longum fuit 135 cubitos. Itaque legendum hîc *Orientali* pro *Meridionali*] latere montis plus quàm à reliquis ejus lateribus, & magis propinquum fuit lateri ejus Occidentali quàm reliquis lateribus, inter Atrium & latus Septentrionale montis major fuit diſtantia quàm inter Atrium & latus Occidentale, itémque ſpatium inter Atrium & latus Orientale majus fuit quàm illud quod fuit inter Atrium & latus Septentrionale. Porrò ante Atrium ab Oriente fuit Atrium fœminarum quod longum & latum fuit 135 cubitos. Quatuor fuerunt Exhedræ in medio quatuor angulorum ipſius, ſingulæ 40 cubitorum, neque fuerunt contabulatæ ſicque ſunt futuræ, atque hic eſt earum uſus. 1. Exhedræ Meridionalis Orientalis dicitur *Nazaræorum* quia iſtic מבשלין את שלמיהם lavabant veſtes & tondebant caput. 2. Orientalis Septentrionalis fuit Exhedra דירה עצים *evermiculationis lignorum*, quia in ea Sacerdotes quibus ob aliquem corporalem defectum non licebat operari ſacris vermiculata ligna ſegregabant; lignum enim omne in quo vermis invenitur profanum eſt (h. e. non licet illud Aræ ad incendenda ſacrificia inferre.) 3. Septentrionalis Occidentalis eſt Exhedra *Leproſorum*, המצורעים. 4. Occidentalis Meridionalis vocabatur בירת שמנים *apotheca oleorum*, quia iſtic oleum & vinum ad libamina reponebantur. Atrium fœminarum undiquaque circumdabatur גווזטרא (h. e. utì videtur, *ambulacro ſupernè contabulato*) ut inde ſuperne proſpectare poſſent fœminæ, infernè verò viri, néve commiſcerentur inter ſe. Porrò domus magna fuit in latere Atrii (Sacerdotum nempe) à Septentrione extra Atrium, inter Atrium & חיל, quæ in fornicis modum exſtructa fuit, & cincta רובדין lapideis quæ dicebatur בירת מוקד *domus combuſtionis*, erántque ei duæ portæ, una aperiebatur verſùs Atrium, alter verſùs חיל, quatuor autem erant ei Exhedræ, duæ in ſacro, duæ verò in profano & ראשי פיספסין *paries lapidum dolatorũ* ſeparabat inter ſacrum & profanum. Harum hic fuit uſus, 1. Occidentalis Meridionalis erat Exhedra הטלאים *agnorum*. 2. Meridionalis fuit Exhedra eorum qui conficiebant panem propoſitionis. 3. Orientalis Septentrionalis; in eam condiderunt Aſſamonæi lapides Altaris quod profanaverant reges Græciæ (h. e. Seleucidæ.) 4. Septentrionalis Occidentalis; ex ea deſcendebant in baptiſmi ſeu ablutionis domum. Porrò qui deſcendit in domum ablutionis it per Cochleam quæ vadit ſub totum Sanctuarium (in Maſſecheth Tamid. cap. 1. dicitur תחת הבירה) habetque hinc & inde lucernas accenſas donec perveniatur ad locum ablutionis, atque iſtic eſt מדורה *pyra* ſive *rogus* (vel *Camera*) & latrina *gloriæ* של כבוד cujus hæc eſt gloria, quòd ſi quis eam reperiat obſeratam, ſignum eſt certiſſimum in ea eſſe aliquem: poſtquam abluerat ſe & abſterſerat calefaciebat ſe juxta rogum, tum redibat ad fratres ſuos.

Atrii (Sacerdotum ſcilicet) longitudo eſt cubitorum 187 ab Oriente in Occidentem, quorum hæc eſt particularis dinumeratio, Ab Occidentali pariete Atrii uſque ad murum Templi ſunt 11 cubiti, Templum ipſum totum longum 100 cubitos, Inter Veſtibulum & Altare erant 22 cubiti, Altare longum fuit 32 cubitos, Locus quem calcabant pedes Sacerdotum (qui dicitur Atrium Sacerdotum) 11 cubitorum, Locus quem calcabant pedes Iſraelis (qui dicitur Atrium Iſraelis) 11 cubitorum. Latitudo Atrii à Septentrione verſùs Meridiem erat cubitorum 135, nempe à pariete Septentrionali uſque ad locum המטבחי *Mactatorum* 8 cubiti, locus ipſe Mactatorum 12 cubitorum cum dimidio, atque iſtic ſuſpendebant & deglubebant victimas ſacras, juxta locum illum fuit locus Menſarum 8 cubitorum, in quo erant menſæ marmoreæ quibus imponebant membra ſeu partes victimarum diviſas, tradebántque carnem elixandam; erant iſtic 8 menſæ. Juxta hunc locum fuit locus הטבעי *annulorum* 24 cubitorum, atque iſthic jugulabant victimas. Inter locum Annulorum & Altare fuerunt 8 cubiti, Altare ipſum fuit 32 cubitorum, & Aſcenſus ejus 30 cubitorum. Inter Aſcenſum autem & parietem Meridionalem 12 cubiti cum dimidio. A pariete Septentrionali Atrii uſque ad Altaris parietem (& hæc eſt latitudo) erant 60 cubiti cum dimidio; at à muro Veſtibuli ad parietem Orientalem Atrii (& hæc eſt longitudo) fuerunt 76 cubiti. Totum illud quadrangulum vocatur צפון *Septentrio*, atque in eo jugulant (& parant) ſacras victimas. Octo fuerunt Exhedræ in Atrio, tres ad Septentrionem, & tres ad Meridiem. Quæ ad Meridiem hæ fuerunt, 1. Exhedra מלח *ſalis*, in qua reponebatur Sal ad oblationes. 2. Exhedra הפרוה, in qua ſaliebantur pelles victimarum, ſupra cujus tectum fuit locus ablutionis ſummi Pontificis die Propitiationum. 3. Exhedra המדיחין, in qua inteſtina victimarum lavabantur & purgabantur, atque ex ea fuit Cochlea quâ aſcendebatur ſupra tectum Exhedræ הפרוה. Trium Exhedrarum quæ erant ad Septentrionem prima fuit הגוית q. d. *ex cæſo lapide*, in qua habebatur magnum Synedrium. Hujus Exhedræ pars dimidia fuit ſancta, pars altera verò fuit profana, erantque ei duæ Portæ, earum una aperiebat in locum Sanctum, altera in profanum, & in dimidia parte quæ profana erat ſedebant Synedrii Judices. Secunda fuit הגולה *captivitatis* Exhedra; in ea fuit בור *puteus* vel *ciſterna* שממלאין ממנו בגולה indéque ſufficiebant aquam toti Atrio. Tertia Exhedra fuit העץ *ligna* (vel *lignea*,) quæ fuit à tergo duarum illarum, erátque Exhedra ſummi Pontificis, vocabatúrque Exhedra παρέδρων. Tectum harum trium fuit æquale. Reliquarum duarum Exhedrarum quæ fuerunt in Atrio Iſraelis, una fuit ad extra portæ Orientalis dicebatúrque *Exhedra Phineazi* המלביש, q. d. *ſartoris*; altera fuit à ſiniſtra ejuſdem Portæ, erátque Exhedra ejus qui ſartagines conficiebat, עושה החביתי vel qui in ſartagine coquebat oblationum munera.

Ex Capite VI.

Sanctuarium non fuit ſeam totum in planitie ſed in acclivi Montis. Qui ingrediebatur per portam Orientalem montis Domûs incedebat per locum æquum & planum uſque ad finem חיל. inde aſcendebat in Atrium fœminarum 12 gradibus, quorum ſinguli alti erant dimidium cubitum, & ſingulorum projectio (ſeu latitudo) erat dimidii cubiti, tum incedebat per totum Atrium fœminarum loco plano, inde aſcendebat in Atrium Iſraelis (quod eſt principium Atrii) 15 gradibus paris cum ſuperioribus menſuræ. Atrium Iſraelis fuit planum, ex eo in Atrium Sacerdotum aſcendebatur gradu uno alto cubitum in quo fuit דוכן *ſuggeſtum* trium graduum, qui prioribus erant ſimiles; ita Atrium Sacerdotum altius erat Atrio Iſraelis duobus cubitis cum dimidio. Inde progrediebatur per totum Atrium Sacerdotum, item Altare, & ſpatium quod inter Altare & Veſtibulum loco plano & æquo, indéque aſcendebatur in Veſtibulum duodecim gradibus paribus cum antecedentibus, Templum autem totum & Veſtibulum fuerunt in loco æquo & plano. Ita invenitur ſolum Templi altius ſolo portæ Orientalis montis Domûs 22 cubitos, porta autem ipſa montis Domûs alta erat 20 cubitos; itaque qui ſtabat ex adverſo Portæ Orientalis non videbat portam Templi; propterea fecerunt murum qui eſt ſupra portam illam humiliorem נמוך, ut qui ſtabat in monte Olearum videre poſſet portam Templi cum quum facit aſperſionem de ſanguine juvenci ex adverſo Templi. Erant autem Exhedræ ſub Atrio Iſraelis quæ aperiebantur in Atrium fœminarum, in quibus Levitæ reponebant citharas ſuas, reliquáque omnia inſtrumenta Muſica. In ſuggeſtu autem in quem aſcendebatur de Atrio Iſraelis in Atrium Sacerdotum ſtabant Levitæ cum Muſicis inſtrumentis tempore oblationis. Quod ad Exhedras ædificatas in loco ſancto quæ aperiuntur in profanum, ſi tectum earum æquale eſt cum ſolo Atrii, earum medium eſt profanum, ſed tectum eſt ſanctum, ſed ſi tectum earum non ſit æquale (ſolo Atrii ſcilicet) etiam tectum earum eſt profanum, tecta enim & ὑπερῷα non ſunt ſanctificata; propterea in ejuſmodi tectis non licet comedere res ſanctiſſimas, neque in iis jugulant minores victimas. Si exſtructæ ſint in loco profano & aperiantur in ſanctum, earum medium ſanctum quidem ad comedendum iſthic res ſanctiſſimas, ſed non jugulant in eis minores victimas, & ſi quis immundus iſtuc ingrediatur inſons eſt, tectáque earum ſunt profana ad rem omnem. Foſſæ מחילות (ſeu Cryptæ vel Cloacæ) quæ aperiuntur in Atrium ſunt ſanctæ, quæ verò aperiuntur in montem Domûs ſunt profanæ. Feneſtræ & craſſities murorum כל פנים ſunt liberæ ſive ad eſum rerum ſanctiſſimarum ſive ad immunditiem. Reliquo capite agit de ratione ſanctificandi loca quæ de novo exſtruuntur & adduntur tum Templo tum urbi Jeruſalem.

Capite ſeptimo toto agit de honore & reverentia quæ haberi debet Templo, tum de variis ſanctificationis gradibus terræ Iſraelis, Jeroſolymæ, Templi, & partium Templi, quibúſque in rebus ſiti ſint varii illi ſanctificationis gradus.

Capite octavo ſive ultimo agit de cuſtodia Templi déque ratione Vigilum ſeu Cuſtodum collocandorum in Templo; quæ de illis habet ad formam ſive figuram Templi, cùm nihil pertineant, à nobis omittuntur.

TRACTATUS TALMUDIS

Qui מִדּוֹת dicitur, eſtque de Templi Salomonici *menſuris*, *magnitudine* & *Structura*, Latine redditus.

CAPUT. I.

De Excubiis & Templi Portis, déque Domo quæ מוקד *dicebatur.*

SECT. I. Tribus [α] in locis Sacerdotes excubias agebant in domo Sanctuarii 1. in domo אבטינס, 2. in domo הנצוץ, (quæ fuerit iſta vide mox infra Sect. 5. hujus capitis) 3. in domo המוקד. (de domo Moked vide etiam Sect. 6, 7, 8. hujus capitis.) Levitæ autem in uno & viginti locis excubias habebant, nempe quinque ſuper (vel juxta) quinque portas montis Domûs, quatuor in quatuor ejus angulis intrinſecus, quinque in quinque [β] portis העזרה *Atrii*, quatuor in quatuor ejus angulis extrinſecus, denique unus in Exhedra הקרבן, (fuit illa in domo Moked, de qua vide mox infra Sect. 6.) alius in exhedra *Veli* הפרכת (quæ iſta fuerit non explicant Commentatores) & unus poſt domum הכפורת *Propitiatorii* (h. e. à tergo Templi ſed tamen extra Atrium Templi.

SECT. II. Præfectus montis Domûs (is erat Præfectus Vigilum in Templo) circuibat ſingulas Excubias cum funali accenſo ante ſe, (quis fuerit mons Domûs vide infra cap. 2. Sect. 1.) ſiquem Excubitorum videbat non ſtantem, compellabat eum Præfectus Domûs hac ſalutatione, Pax ſit tibi; ſi deprehendiſſet dormientem percutiebat eum virgâ, licebátque veſtem ipſius funali accenſo comburere, quo exclamante, & quærentibus cæteris Excubitoribus, Cujus eſt hæc vox in Atrio? reſpondet Præfectus montis Domûs, Vox eſt Levitæ qui cæditur, cujúſque veſtis comburitur, quia obdormivit in cuſtodia ſua. Rabbi Eliezer F. Jacob dixit, Cùm ſemel dormientem offendiſſent avunculum meum aduſſerunt veſtem ejus.

SECT. III. Quinque fuerunt in monte Domûs Portæ, nempe duæ Portæ חולדה [γ] *Huldæ* à Meridie, per quas dabatur ingreſſus & egreſſus (id eſt. populus per eas ingredi in Templum & è Templo egredi ſolebat) tertia קיפונוס *Kipponos* ab Occaſu, quæ ad ingreſſum & egreſſum ſerviebat, quarta טדי *Taddai* à Septentrione, quæ omnino non inſerviebat, (nempe ad ingreſſum & egreſſum populi. Quis autem eſſet ejus uſus vide infra Sect. 8. hujus capitis) ultima deniq; fuit porta Orientalis, [δ] ſupra quam urbis Suſarum figura inſculpta fuit. Verſùs hanc (hac de re vide infra cap. 2. Sect. 4.) reſpiciebat Pontifex maximus cùm vaccam (die Propitiationum) combureret, atque ex ea aſcendebatur in montem Olearum.

SECT. IV. Septem [ε] fuerunt in Atrio Templi Portæ, tres à Septentrione, totidem à Meridie, una autem ab Oriente. Atque hæ ſunt quæ erant à Meridie, Prima erat Porta הדלק *uſtionis*, ſecunda Porta הקרבן *oblationis*, tertia Porta המים *aquarum*. Quæ autem erat ab Oriente Porta dicebatur נקינור *Nicanoris*, fuerúntque juxta eam duæ Exhedræ, altera à dextra ejus quæ dicebatur *Exhedra Phineazi Veſtiarii* המלביש (h. e. cuſtodis veſtium ſacrarum Sacerdotalium quæ iſthic recondebantur. De ejuſmodi Cuſtode vide 2 Reg. 22. 14.) altera à ſiniſtra quæ dicebatur [ς] עושה חביתין h. e. in qua parabantur quæ in ſartagine frigebantur.

SECT. V. A Septentrione autem erat Porta הנצוץ quæ erat inſtar Exhedræ, atque ſuper eam exſtructum fuit ὑπερῷον. Et Sacerdotes quidem ſupernè excubias in ea agebant, Levitæ verò infernè, erátque illi janua per quam exibatur ad חיל *Chajil* (quid fuerit חיל vide infra cap. 2. Sect. 3.) Secunda porta erat הקרבן *Corban*, ſeu oblationis, tertia denique fuit domus המוקד *Moked* ſive *combuſtionis*.

SECT. VI. Quatuor fuerunt in domo *Moked* Exhedræ [ζ] בקיטונות פתוחות לטרקלין (eſt quidem corrupta hæc vox à Græca τρικλίνιον, ſed ſumitur etiam pro ingenti & magnifica domo) inſtar *Cœtonus* in regio palatio. Harum Exhedrarum duæ erant in loco Sancto, duæ verò בחול *in profano*. In capite earum (h. e. ubi ſe mutuò jungebant Exhedræ illæ) fuit [η] פישפשין *humilis lorica* ſeparans locum Sanctum à profano. Hic autem fuit Exhedrarum illarum uſus, 1. Occidentalis Meridionalis fuit Exhedra Agnorum [θ] קרבן *Corban*. 2. Meridionalis Orientalis fuit Exhedra panum Propoſitionis (quia in illa Exhedra panes illi conficiebantur & coquebantur, & forte etiam liba illa Sacrificiorum, quæ ex Lege in clibano coqui oportebat) 3. Orientalis Septentrionalis, in qua repoſiti fuerunt ab Aſmonæis lapides Altaris quod à Seleucidis (Antiocho ſcilicet Epiphane qui polluit Templum. Hanc Maimonides dicit vocari Exhedram חתמות *ſigillorum* in Maſſech. Tamid) profanatum fuerat. Quarta denique Septentrionalis Occidentalis per quam deſcendebatur ad latrinas (hæ fuerunt in Crypta ſubterranea, atque eſt juxta eas lavacrum in quo abluebant ſe qui alvum purgaverant aut paſſi fuerant ὀνειρωγμὸν) & domum הטבילה *lavacri* (Maimonides dicit hanc vocari domum מוקד *uſtionis* in Maſſech. Tamid, quia iſthic fuit focus ad quem ſe calfaciebant qui corpus abluerant.)

SECT. VII. Duæ fuerunt in domo *Moked* Portæ, una aperiebatur verſùs *Chajil*, altera aperiebatur in Atrium. Rabbi Juda dixit in ea quæ in Atrium aperiebatur fuiſſe parvum oſtiolum, per quod ingrediebantur in Atrium Sacerdotes illud exploraturi.

SECT. VIII. Domus illa *Moked* tota fuit fornice tecta, fuitque ampla domus, undique [ι] prominenti veluti cingulo lapideo cincta, atque iſtic ſeniores domûs patrum Sacerdotes dormiebant cum clavibus Atrii in ſuis manibus, at juniores Sacerdotes per terram ſtrati jacebant quiſque ſuper veſtem ſuam. Erat autem iſtic locus quidam quadrangularis, latus in ſingula latera cubitum unum cum tabula marmorea: (quâ ſupernè tegebatur) in ea fuit annulus infixus cum [κ] catenula, cui claves (Portarum ſcilicet & Exhedrarum Atrii) appendebantur. Cùm tempus obſerandi Portas advenerat, attollebat (aliquis Sacerdotum) tabulam illam marmoream annulo, accipiebátque claves de catenula, & obſerabat Portas. Sacerdotes quidem introrſum (h. e. intra Atrium) Levitæ verò extrorſum dormiebant. Ubi abſolverat (Sacerdos) obſerare Portas, reponebat claves & de catenula appendebat, tabulâque redditâ loco ſuo, veſtem ei injiciebat in quam recumbens dormiebat. Si cui fortè (Sacerdotum iſtic dormientium) accidiſſet קרי *pollutio nocturna* egrediebatur במסובה *per Cochleam* ſeu Cryptam ſubterraneam quæ ibat ſub [λ] הבירה (h. e. portam Atrii Orientalem ſic dictam ob effigiem urbis Suſarum ei inſcriptam) in qua Crypta ab utroque latere hinc inde dependebant lucernæ accenſæ, donec perveniret ad domum ablutionis (in qua ſcilicet corpus ab immunditie illa abluebant.) R. Eliezer F. Jacob dicebat eum egreſſum per Cryptam quæ ibat ſub [μ] *Chajil* atque ita per portam Taddai egreſſum eſſe è Templo.

AD CAP. I.

[α] Maimonides notat numerari hîc 24 in univerſum Cuſtodias in Templo, pro numero ſcilicet cuſtodiarum Janitorum in portis Templi qui numerantur 1 Par. 26. 18. Porrò tota hæc cuſtodia fuit intra quidem murum montis Domûs, ſed extra murum Atrii Templi, quia non licebat ſedere in Atrio Templi, non potuiſſent autem Cuſtodes ſtare totâ nocte, atque hoc illud eſt quod hic dicitur *intrinſecus & extrinſecus*, nempe intra murum montis Domûs, extra verò murum Atrii Templi. Et bifariam quidem fuerunt diſtributi Cuſtodes iſti Levitæ, nempe novem in quinque Portis & quatuor angulis montis Domûs, atque hi excubabant inter murum montis Domûs & *Chajil*, alii novem in quinque Portis & quatuor angulis Atrii Templi excubabant inter murum Atrii Templi & *Chajil*, itaque hi fuerunt intra *Chajil*, illi verò extra. Cæterùm non erat hæc cuſtodia ad tutelam Templi, nihil enim opus habebat tutelâ, ſed erat לכבוד *ad decus* & magnificentiam duntaxat, uti obſervant Commentatores Judæi.

[β] Septem fuerunt in Atrio Templi Portæ uti mox dicitur infra Sect. 4. Itaque iſtud ſic intelligendum eſt (uti Maimonides explicat ex ſententia Sapientum) ut Cuſtodes ſeu Vigiles non adhibiti fuerint niſi quinque duntaxat Portis Atrii, duas reliquas caruiſſe Cuſtodibus, cujus rei cauſam nullam reddunt, neque etiam exponunt quænam fuerint Portæ illæ quibus adhibiti fuerunt Vigiles.

[γ] De duabus iſtis Huldæ Portis & de Porta Kipponos nihil aliud obſervant Commentatores, niſi hoc fuiſſe earum nomen, unde autem nomen illud habuerint non explicant. Mentio fit 2 Reg. 22. 14. Huldæ Prophetiſſæ quæ habitabat במשנה. h. e. ut explicat Targum, בבית מולפנא *in domo doctrinæ*, ſive in Collegio, videtur autem iſtud Collegium in parte aliqua Templi fuiſſe, atque inde fortè inditum eſt nomen iſtis Templi portis quòd eſſent circa domum Huldæ prophetiſſæ. Atque hæc eſt ſententia Salom. Jarchi in locum illum 2 Reg. 22. 14. Nomen autem קיפנוס, quod קפנוס ſcribitur ſine Jod, nomen eſt barbarum, & proprium fortè viri qui illam exſtruxit, & neſcio an Κηφηνὸς fortè legendum ſit.

[δ] Maimonides ſcribit hîc, cùm Judæi aſcenderent ex Captivitate Babylonica juſſos eſſe à Perſarum rege inſculpere portæ Templi ſui effigiem urbis Suſan Metropoleos Perſidis in ſignum dominii Perſarum in Judæos, utque memores eſſent Judæi beneficii illius accepti, ſolutæ ſcilicet eorum Captivitatis, cui mandato obtemperantes Judæi Portæ Templi Orientali inſculpſerunt illam effigiem, unde etiam nomen inditum illi Portæ, quæ inde dicta fuit *Suſan metropolis*.

[ε] Notat Maimonides quoſdam eſſe qui quinque tantùm Portas Atrio aſſignant, nempe ex eo quod dicitur Sect. 1. hujus capitis, alios verò eſſe qui undecim in eo Portas ſtatuunt, qua de re vide infra Cap. 2 Sect. 6. Pleróſque Sapientum ſeptem duntaxat illi attribuere juxta id quod hîc dicitur.

[ς] Notum eſt ex Lege Lev. 2. 5. varia fuiſſe oblationum genera, quæ in olla, lebete, caldario, frixorio vel ſartagine parabantur, ad ea opus ſingulari aliquâ Exhedra & 1 Par. 9. 32. fit mentio Mattithiæ Coritæ qui præfectus erat על מעשה החביתים *ſuper opere frixorii*, h. e. qui curam habebat eorum quæ in frixorio parabantur.

[ζ] Maimonides hoc ſic explicat, ut ſcilicet quatuor iſtæ Exhedræ fuerint in magna illo domo quomodo ſunt בתי השינה *cubilia* ſeu κοιτῶνες in palatiis Regum, nempe domus quædam parva medio domus magnæ, exponit autem טרקלין per בית מלכות *domum regiam*, קיטונא autem rectè exponit בית שינה *cubile in quo ſomnus capitur*, ſed ineptè vult hîc dici à voce Chaldæa קייטא quæ *æſtatem* ſignificat, quod in ejuſmodi locis, inquit, Reges ſolerent ſomnum ſuum capere æſtivo tempore, nam קיטונא eſt vox corrupta à Græca κοιτῶνας & טרקלין à Græca τρικλίνιον *triclinium*. Itaque ſecundùm eum legendum videtur כקיטונות per Caph non autem per Beth. Quæ expoſitio videtur commoda.

[η] Videtur legendum פיספסין cum Samech non verò cum Schin, nam פשפש propriè eſt *oſtiolum* in vel juxta Portam majorem, quod Galli vocant *guichet*. At פיספסין eſt *lorica* quæ locum à loco ſeparat. Hanc Maimonides dicit eſſe דבר קטן מפיין מנוקב נקבים קטנים *rem parvam ſeparantem totam foraminoſam parvis foraminibus*, intelligit nempe *Cancellos* ſeu *Clathros*, quos dicit interdum fieri ex Cannis atque tum dici Arabicè مرعاب interdum ex lignis, atque tum dici Hebraicè שבכות *cancellos*, interdum ex בדים *vectibus* cujuſcunque materiæ, atque tum dici פשפש.

[θ] In hac aſſervabantur per aliquot dies Agni qui ſingulis diebus mane & veſpere offerebantur in ſacrificium, quæ oblatio קרבן dicitur.

[ι] Non videtur iſtud intelligendum de tota domo *Moked*. ſed de ea Exhedra de qua Sect. præcedenti dicitur fuiſſe in ea Cryptam per quam ibatur ad latrinas & domum lavacri (de quibus latrinis nihil hîc dicitur, ſed in Maſſech. Tamid memorantur) In ea, inquam, Exhedra dormiviſſe videntur Sacerdotes τῆς ἐφημερίας, ſeniores quidem in prominentia quadam muri circumquaque alta à terra cubitum unum aut alterum, lapideâ, aut verò etiam ligneâ ex tabulis & aſſeribus (Gallicè diceremus *un rebord de pierre, ou des eſtaux debir tout allei to joignant le muraille*, Rabb. dicitur רובד) juniores verò humi in pavimentum ſtrati recumbentes in veſtes ſuas.

κ Hinc Maimonides putat certò colligi ſeras Portarum fuiſſe ad inſtar eorum quæ barbarè dicuntur *cadenas*, à catena ſcilicet ſic dictæ, ſed fallitur : nam catena iſta ad hoc tantùm ſerviebat ut ex ea penderent, ſeu ei appenderentur claves Portarum, in loco illo quadrangulari in quo ſub tabula iſta marmorea reponebantur & aſſervabantur, neque ex eo loco movebatur catena illa.

λ Sunt qui hac voce intelligunt hoc loco totum Templi Atrium, ſed omnino, uti videtur, ineptè, cùm ſignificetur porta Orientalis montis Domûs. Mens ergo hæc eſt, Eum Sacerdotum qui noctu paſſus eſſet ὀνειρωγμὸν in Crypta quidem corpus abluiſſe, verùm non rediiſſe eâ nocte in domum *Moked* ad cæteros fratres Sacerdotes, ſed egreſſum è Templo per illam Cryptam quæ ad portam uſque Orientalem exteriorem penetrabat.

μ Quid fuerit *Chajil* vide mox cap. 2. Sect. 3. Mens hujus Rabbi Eliezer hæc fuit, Sacerdotem qui paſſus erat ὀνειρωγμὸν exiiſſe per Cryptam extra murum qui *Chajil* dicitur in locum חול *profanum* in quem aditum habebant immundi & profani homines, etiam ipſi Gentiles, atque inde è Templo egreſſum eſſe per portam quæ טדי *Taddæi* dicebatur.

CAP. II.

SECT. I. Mons Domus[a] fuit in quadrum longus & latus per ſingula latera quingentos cubitos. Maxima[b] ejus pars fuit à Meridie, ſecunda illi proxima fuit ab Oriente, tertia fuit à Septentrione, minima ejus pars fuit ab Occaſu. Porrò in ea montis Domûs parte quæ fuit ampliſſima iſtic fuit etiam רוב תשמישו multo maximum Templi miniſterium (At non exponunt tamen quodnam fuerit multo maximum illud miniſterium, neque enim ab ea parte aliud collocant niſi tres Exhedras, quales ſtatuunt à Septentrione.)

SECT. II. Qui ingrediebantur לדרך הבית *versùs domum* (h.e. qui ingrediebantur Septum exterius Templi ut in interius Septum penetrarent, ſtatim poſt ingreſſum in exterius Septum deflectebant ad dextram, & circumacto Templo egrediebantur à ſiniſtra, ex gr. Qui ingreſſus erat per portam Suſan deflectebat ad dextram verſùs portam Taddæi & circumacto Templo egrediebatur per portam Huldæ) ingrediebantur דרך ימין *dextrorſum*, tum circuibant & egrediebantur דרך שמאל *ſiniſtrorſum*, iis exceptis quibus aliquid acciderat, hi enim circuibant ſiniſtrorſum, qui interrogati (à janitoribus ſcilicet) Quid tibi vis quòd tu circumis ſiniſtrorſum ? (ſi reſpondebat) Quia ego lugeo (parentes puta, vel uxorem, aut liberos) regerebant janitores, Qui habitat in hac domo conſoletur te (Si reſpondebat) Quia ego ſum מנודה *excommunicatus*, (regerebant janitores,) Qui habitat in hac domo יתן בלבך ויקרביך *det in cor tuum, & accedant ad te.* Hæc ſunt verba R. Meir, Dixit ei Rabbi Joſe עשיתן כאילו עברו עליו את הדין *vos feciſtis quaſi tranſiſſet ſuper eum judicium*, quin (potiùs dicendum) qui habitat in hac domo det in cor tuum ut tu audias verba ſociorum tuorum & accedant ad te.

SECT. III. Ante eum (Domus montem ſcilicet) fuit סורג *Soreg* lorica nempe alta decem palmos (Comment. Rab. Schemaiah dixit eſſe loricam (Gallice *un taniere*) ex lignis decuſſatis & in retis modum diſpoſitis inſtar clathrorum) atque in ea 13 fuerunt פרצות rupturæ, quas fecerant Seleucidæ, has ubi repararunt [d] Judæi decreverunt pro earum numero 13 adorationes. Ante loricam iſtam fuit חיל *Chajil* (murus ſcilicet) altus 10 cubitos (R. Schemaiah dicit id intelligendum eſſe ab Oriente duntaxat, ab ea nempe parte humilis fuit murus ille, uti dicitur Sect. 4. hujus capitis, ab aliis vero partibus vult fuiſſe longe excelſiorem murum illum) atque in eo fuerunt 12 gradus, quorum ſinguli alti erant dimidium cubitum, projectura autem eorum (h. e. latitudo) dimidium ſimiliter cubitum. Omnes qui iſtic (h. e. in Templo) fuerunt gradus, ſinguli alti erant dimidium cubitum, & lati dimidium cubitum, præter gradus Veſtibuli. Omnes portæ qui iſtic fuerunt habuerunt januas (ſeu valvas) ligneas exceptâ Veſtibuli portâ. Omnes portæ quæ iſtic fuerunt, היו להם שקופות *fuerunt feneſtratæ* (h. e. habuerunt hyperthyrum ſive feneſtellam ſupra limen ſuperius R.Shemaiah exponit vocem illam de arcuato fornice quo Portæ poſtes ſupernè conjunguntur. Maimonides exponit per משקוף quod *ſuperliminare* ſignificat, nempe arcuatum) (vel arcuatæ) ſupernè, præterquam porta Taddæi in qua fuerunt duo lapides [e] מוטות, quorum alter alteri impoſitus erat. Omnes Portæ quæ iſtic fuerunt נשתנו *immutatæ ſunt* להיות של זהב *ut fierent aureæ*, exceptâ Nicanoris portâ quia in iis factum eſſet נס [f] *miraculum*. Alii dicunt quia æs earum מצהיב (Maim. exponit ירוק כעין הזהב *fulvum inſtar auri*) inſtar auri ſplendebat.

SECT. IV. Omnes muri ſive parietes כותלים erant excelſi præter Orientalem, quia Sacerdos [g] qui Vaccam comburebat ſtans in vertice montis Olearum reſpiciebat & oculos intendebat in portam Templi quo tempore ſanguis aſpergebatur.

SECT. V. Atrium fœminarum (R. Schemaiah dicit Atrium iſtud eſſe illud quod ab Ezechiele vocatur החיצונה *exterius*) longum & latum fuit in quadrum 135 cubitos, erantque 4 Exhedræ in quatuor ejus angulis, ſingulæ 40[h] cubitorum ולא היו מקורות *quibus nullam fuit tabulatum* ſeu tectum ligneum, atque ſic futuræ ſunt (nempe quum à Meſſia, quem expectant Judæi, Templum inſtaurabitur) eſſe, dictum eſt enim in Ezech. Eduxit me in Atrium exterius & circumduxit me ad quatuor angulos Atrii, & ecce Atrium in Angulo Atrii, & in quatuor angulis Atrii Atria קטורות juncta (vel fumoſa) אלא שאינן מקורות niſi quod non erant tecta. Porro hic erat earum uſus ; 1. Meridionalis Orientalis erat Exhedra Nazaræorum, iſtic enim Nazaræi coquebant pacifica ſua ſacrificia, & radebant capillos ſuos quos (in ignem) ſub aheno injiciebant. 2. Orientalis Septentrionalis erat Exhedra lignorum, iſtic nempe Sacerdotes בעלי מומין *quibus erat aliquod corporis vitium* מתליעים evermiculabant ligna, (ſeparabant ligna in quibus inveniebantur vermes & teredines, quòd vermiculis ejuſmodi polluuntur ligna) omne enim lignum in quo invenitur vermis profanum eſt, nec licet illud inferre Altari. 3. Septentrionalis Occidentalis erat Exhedra Leproſorum. 4. Occidentalis Meridionalis de qua R. Eliezer F. Joſe dixit, Oblitus ſum quis eſſet ejus uſus, ſed Abba Saul dixit quòd iſtic reponeretur vinum & oleum, proptereáque dicebatur *Domus* שמניה *oleorum* (vel *pinguium*) Et initio quidem fuit (Atrium illud fœminarum) [i] הלקה undiquaque planis parietibus ſed poſtea circumdederunt illud [k] [l] בצוצרה ambulacro quodam ligneo (*une gallerie eſlevee tout à l' entor du Pauvis endedans*) (in hunc ſcilicet finem) ut fœminæ ſuperne aſpicere poſſent (verſùs Templum) viri autem inferne, ne ſimul miſcerentur (viri & fœminæ.) Erant autem 15 gradus quibus ex eo (Atrio) aſcendebatur in Atrium Iſraelis qui reſpondent illis 15 Pſalmis qui *cantica graduum* dicuntur. Levitæ enim ſuper illis (gradibus) canebant cantica (illa.) Non erant autem (gradus illi) טרוטות (directi & in longum protenſi) *theatrales* ſed מוקפות *circulares*, inſtar dimidiæ areæ rotundæ (ſeu dimidiatæ lunulæ.)

SECT. VI. Sub Atrio Iſraelis erant Exhedræ quæ aperiebantur in Atrium fœminarum, in quibus Levitæ citharas, nablia, cymbala & cætera Muſica inſtrumenta reponebant. Atrium Iſraelis longum fuit 135 cubitos, latum verò 11 cubitos [ſimiliter Atrium Sacerdotum longum fuit 135 cubitos, latum verò 11 cubitos] R. Shemajah exponit ווילין של עץ mutulos ligneorum infixos ad ſignandum diſcrimen inter utrumque Atrium ראשי פספסין lorica autem dividebat (ſeu ſeparabat) Atrium Iſraelis ab Atrio Sacerdotum. Rabbi Eliezer F. Jacob dicit, Gradus unus fuit (viz. inter Atrium Iſraelis & Atrium Sacerdotum) altus cubitum unum, & ſuper eum דוכן *ſuggeſtum* (unde Sacerdotes benedicebant populo) poſitum ad quod aſcendebatur tribus gradibus ſingulis altum dimidium cubitum, atque ita invenitur Atrium Sacerdotum altius Atrio Iſraelis duobus cubitis cum dimidio. Totum Atrium (Templi ſcilicet) עזרה מוחלטה, inquit Maimonides, h. e. Atrium abſolute dictum eſt Atrium Templi) longum fuit 187 cubitos (cubiti illi 187 numerandi ſunt ab Atrio Iſraelis uſque ad murum qui eſt ponè Sanctuarium ; vide infra cap. 5. Sect. 1. & hoc Atrium illud eſt quod abſolute מקדש dicitur inquit Maimonides) latum verò 135. Atque in eo fuerunt 13 adorationes. Abba Joſe F. Hanan dixit pro numero nempe 13 Portarum. (Maimonides rejicit ſententiam illius Rabbi & ſequitur ſententiam Sapientum qui 7 duntaxat ſtatuunt Portas in Atrio Templi) (quæ in eo Atrio fuerunt.) Meridionales incipiendo ab Occaſu (quatuor nempe) Porta הלעיון *Superior*, Porta הדלך, Porta בכורות *primitiarum*, Porta aquarum. Et quare dicta eſt Porta aquarum ? Quia per eam inducebant phialam aquæ quæ die Feſti libabatur. R. Eliezer F. Jacob dixit, Quia per eam aquæ effunduntur, futurúmque ut aliquando egrediantur deſub limine Domûs. Ex adverſo harum à Septentrione incipiendo ab Occaſu (quatuor itidem Portæ, nempe) Porta Jechoniæ, Porta קרבן *Corban*, Porta fœminarum, Porta cantici. Quare autem dicta eſt Porta Jechoniæ ? Quia per eam Jechonias egreſſus eſt quum migraret in Captivitatem. Porta quæ ab Oriente fuit dicta eſt *Nicanoris Porta*, juxtáque eam duo fuerunt oſtiola, alterum à dextra, alterum à ſiniſtra, duo itidem ab Occidente quibus nullum eſt nomen.

Ad CAP. II.

a Sic quidem dicitur hìc totus mons Moria cui inædificatum erat Templum, ſed mox cum dicitur, *maxima hujus pars, &c.* intelligitur pars ea montis quæ non occupabatur ab Atrio Templi, ſeu quæ interjacebat inter murum extimum, quo omni ex parte cinctus erat mons Moria, & murum Atrii Templi. Hoc illud ipſum eſt quod Joſephus vocat *Septum exterius*, Atrium autem Templi illud eſt quod Joſephus vocat *Septum interius*. At ſic ſæpius hic mons Domus ſignificat Septum Templi exterius.

b Hoc ſic accipiendum eſt, (uti recte exponere videtur Maimonides) Atrium Templi non erat (ex ſententia horum Talmudiſtarum , ſed contra quàm docet Joſephus) præciſè in medio montis Moriæ poſitum, ita ut à quatuor Atrii lateribus ad quatuor montis Domus latera æquale intercederet intervallum, ſed ita erat collocatum, ut latus Atrii Meridionale omnium longiſſimè recederet ſeu diſtaret à latere montis Domus Meridionale ſibi oppoſito, Orientale autem Atrii latus ab Orientali montis Domûs latere paulò minùs recederet, Septentrionale verò Atrii latus à Septentrionali montis Domûs latere minùs adhuc recederet, propiùs denique omnium à muro montis Domûs Occidentali recederet Occidentale Atrii latus, quod ut commodè fiat cùm ſingula montis Domûs latera fuerint 500 cubitorum, Atrium autem longum fuerit 185 cubitos ab Oriente in Occidentem, latum 135 à Septentrione in Meridiem, neceſſe eſt ut ſtatuamus Atrium Templi diſtaſſe à muro Montis à Meridie 234 cubitos, ab Oriente verò 227, à Septentrione 131, ab Occidente denique 86, quomodo nos in Ichnographia noſtra illud diſpoſuimus.

c Quid hìc ſibi velint Talmudiſtæ non ſatis capio, neque planè explicatur ab ejus Commentatoribus.

d Hoc eſt inquit Maimonides quum quis ad aliquam ex illis rupturis pervenerat, iſtic adorabat Deum, & Deo gratias agebat quòd Græcorum regnum excideret.

e Commentatores iſtud non explicant. Sed videntur hoc velle Talmudiſtæ, nempe, omnes Templi Portas habuiſſe ſuperliminare arcuatum (Gallicè *eſtoet faittes en arcade*) exceptâ Taddæi Portâ, cujus ſuperliminare arcuatum non fuit, ſed conſtabat duobus lapidibus poſti utrique Portæ ad angulos rectos ſuperimpoſitis, quorum lapidum alter alteri incumbebat, & uterque longitudine ſuâ totam Portæ latitudinem occupabat, quod fieri ſolet in Portis anguſtioribus (qualis fuiſſe videtur Porta iſta) at in latioribus (quales reliquæ Templi Portæ fuerunt) ſuperliminare arcuatum & fornicatum fieri ſolet. R Schemajah ſic rem explicat ut dicat totam Portam conſtitiſſe ex duobus tantùm lapidibus, in quorum ſuperiore fuit ſculptum ſuperliminare, atque hinc inde media poſtium pars, in inferiore autem ſculptum fuit limen inferius, atque hinc inde altera dimidia poſtium pars.

f Repetitur illud in Maſſech. Joma cap. 3. Ghemara, ubi narratur miraculum illud. Et R. Eliezer iſtic vocat æs illud ſplendens inſtar auri æs קלוניתא, videtur legendum קרוניתא pro קורינתא, h. e. *Corinthium*, Joſephus enim aſſerit fuiſſe ex ære Corinthio.

g Lev. 17. 27. Deus jubet ut feſto die Propitiationum Juvencus & Hircus, quorum ſanguis inferebatur in ſacrarium, extra caſtra comburerentur toti. Ubi Templum extructum fuit mos inolevit ut comburerentur extra Jeroſolymam in monte Olearum (qui erat ab Oriente urbis) ex adverſo Portæ Templi, ut Sacerdos qui iſti rei vacabat poſſet inde videre quando ſummus Sacerdos inferret ſanguinem in ſacrarium, atque ex eo aſpergeret ante Arcam. Atque hìc Maimonides rectè obſervat limen inferius portæ Templi altius fuiſſe duobus cubitis quàm eſſet limen ſuperius portæ Orientalis quæ Suſan dicebatur, quia ſolum Templi 22 cubitis excelſius fuit ſolo Septi exterioris in quo porta fuit Orientalis, Porta autem ipſa Orientalis alta fuit tantùm, 23 cubitos ; itaque per Portam illam non potuit Sacerdos ſtans in vertice montis Olearum videre ſummum Pontificem aſpergentem ſanguinem in Sanctuario : linea enim viſualis ab ejus oculo tendens per ſuperliminare Portæ Orientalis non potuit tangere niſi gradum octavum graduum illorum qui erant in Veſtibuli porta. Itaque ut Sacerdos comburens juvencum poſſet videre Pontificem aſpergentem ſanguinem, neceſſe fuit ut murus portæ Orientalis impoſitus humilis eſſet, ſic enim fieri potuit ut ממעל *deſuper* (*par deſſous*) murum illum videret Pontificem aſpergentem. R Schemajah exponit hoc de muro *Chajil* qui ab Oriente erat , & quem ait fuiſſe cæteris humiliorem, & 10 cubitos tantùm altum, ut deſuper Sacerdos poſſet videre, &c.

h R. Schemajah dicit ſe neſciſſe an Exhedræ illæ fuerint quadratæ, & habuerint in ſingula latera 40 cubitos ; & notat Exhedras quarum meminit Ezechiel latas fuiſſe tantùm 30 cubitos.

i Maimonides & R. Schemajah exponunt *fumoſa* : קיטור enim eſt *vaper inſtar fumi*, & קטורת *incenſum* ſic dicitur ob fumum quem emittit cùm incenditur. Atria autem illa dicuntur *fumoſa* quia (inquit R. Schemajah) populi victimæ iſtic coquebantur, unde fumus aſcendebat, ac propterea tecta non fuerunt Atria illa, ut fumus liberè exire poſſet, néve à fumo Atria denigrarentur. At LXX legerunt eo loci apud Ezechielem קטנות h. e. *parva*, quæ lectio videtur melior & convenientior : ſenſus enim erit, Exedras iſtas fuiſſe veluti totidem Atria parva in quatuor angulis majoris illius Atrii.

k חלק *lavem & glabrum* ſignificat, Hoc ergo vult, Parietem illum initio fuiſſe planum, nullo ejuſmodi ambulacro ligneo veſtitum & veluti cinctum, quod poſtea infixis muro trabibus adjectum eſt. Vide eadem hæc in Maſſech. Sora cap. 5. f. 91.

l R. Schemajah vocat illud סיסטרא, aliàs גווטרא dicitur ; omnia videntur

tur corrupta à voce Græca *ζῶστρον cingulum* : erat enim ambulacrum illud circa Atrium veluti cingulum aliquod quo murus Atrii undiquaque intrinſecus cingebatur.

CAP. III.

SECT. I. Altare longum & latum fuit in quadrum 32 cubitos. Poſt cubitum unum altitudinis reducebatur (introrſum) cubitum unum, atque hoc illud eſt quod dicitur יסוד *fundamentum*; ita invenitur longum & latum 30 cubitos. Inde poſt 5 cubitos altitudinis reducebatur (rurſus introrſum) cubitum unum, atque hoc eſt quod dicitur סובב περίζωμα, ſic invenitur longum & latum 28 cubitos. Locus cornuum hinc (reducebatur introrſum) cubitum unum, atque inde cubitum alterum : ſic invenitur longum & latum 26 cubitos. Inde locus à pedibus Sacerdotum calcatus cubitum hinc unum, inde alterum (rurſus reducebatur introrſum) atque ſic invenitur locus המערכה *Foculi* longus & latus 24 cubitos. R. Joſe dixit, In principio nonniſi 28 cubitos longum fuit & latum, poſtmodúmque reducebatur ad eum quem expoſuimus modum, ita ut inveniretur locus Foculi longus & latus 20 duntaxat cubitos; verùm cùm filii Iſrael aſcenderunt à Captivitate adjecerunt illi (Altari) quatuor cubitos à Septentrione & totidem ab Occaſu כמין גמא *ad inſtar foſſæ*. Dictum eſt enim (Ezech. 43. 16.) *Ariel longum & latum erit 12 cubitos, quadratum*, videtur innuere, quod nonniſi 12 cubitos longum & totidem latum eſſet, at quum ſubjicit, על ארבעת רבעין *verſùs quatuor latera ſua*, docet quod à medio (Altaris) dimetiebatur 12 cubitos verſùs ſingula latera. Filum autem סיקרא *Sericum* purpureum cingebat Altare in medio, ad ſeparandum inter ſanguines ſuperiores & ſanguines inferiores. היסוד *fundamentum* protendebatur per totum latus Occidentale Altaris, ואוכל ſed deficiebat à Meridie cubitum unum, & ab Oriente cubitum alterum (nempe in ipſo angulo Orientali Meridionali.)

SECT. II. In Cornu Occidentali Meridionali fuerunt duo foramina inſtar duarum narium exiguarum, per quæ ſanguis qui effundebatur in fundamentum Occidentale & Meridionale effluebat & miſcebatur in cubitali ſpatio (in angulo poſito.) indéque effluebat in torrentem Cedron (nempe per Cryptam ſubterraneam.)

SECT. III. Infra illud Cornu in ipſo (Atrii) pavimento locus erat longus & latus cubitum unum, cum tabula marmorea deſuper, & annulo tabulæ infixo, atque per locum illum quadrum deſcendebant שיתין) לשיח ſunt duo exigua foramina per quæ vinum libaminum defluebat in locum quendam ſubterraneum ſub Altari, qui ſimiliter dicebatur שיח) in ſubterraneum foramen ſic dictum ſub Altari ad illud purgandum. Aſcenſus (dictus כבש (erat ad latus Meridionale Altaris longus 32 cubitos, latus 16, cum feneſtella ad latus ejus Occidentale in quam conjiciebant immundas partes avicularum quæ pro peccato offerebantur.

SECT. IIII. Lapides tum Aſcenſûs tum Altaris ipſius ſumi debet de valle vitibus conſita, in qua fodiunt ſub virgine tellure (ſic vocatur terra quæ nunquam ab æterno tacta fuit à ferro) atque inde educunt lapides integros, ſuper quos motum non fuit ferrum; nam ferrum vel ipſo tactu aut levi cæſurâ polluit rem omnem. Si in uno horum lapidum ſit vel minima cæſura (à ferro) pollutus eſt ille lapis, ſed reliqui ſunt legitimi. Dealbant autem lapides Altaris bis ſingulis annis, ſemel Paſchate, & iterum in feſto (Tabernaculorum ſcilicet.) Templum autem ipſum ſemel (duntaxat) Paſchate ſcilicet, ſolent dealbare. Rab. dixit, Veſperâ ſingulorum ſabbathorum dealbant Altare mappâ propter ſanguinem (victimarum ſcilicet qui ad Altaris fundamentum effunditur) Calcem autem non illinunt cum trulla ferrea nè fortè ferrum tangat (lapides) & eos polluat; ferrum enim creatum eſt ad abbreviandos dies hominis, Altare autem creatum eſt ad producendam ejus vitam : non eſt autem æquum ut quod abbreviat moveatur ſuper illud quod producit (vitam.)

SECT. V. Annuli fuerunt ad Septentrionale Altaris latus; ſex fuerunt eorum ordines, quaterni autem in ſingulis ordinibus annuli. Sunt qui dicunt quatuor fuiſſe ordines, ſenos autem in ſingulis ordinibus annulos (ad quos) annulos religabant (mactandas victimas.) Locus Mactatorum fuit etiam ad latus Septentrionale Altaris, atque in eo fuerunt columellæ (marmoreæ) cum trabe cedrina earum capiti impoſita, cum uncinis ferreis ei infixis, eráutque tres hujuſmodi columnarum ordines, atque ex iis appendebant deglubendas (victimas,) cum menſis marmoreis inter illos columnarum ordines.

SECT. VI. Mare æneum fuit inter Templi Veſtibulum & Altare verſùs Meridiem. Inter Veſtibulum & Altare ſpatium fuit 22 cubitorum cum 12 gradibus, quorum altitudo & latitudo (ſive projectura) fuit dimidii cubiti אמה רובד ג׳אמא אמה רובד שלשה &c. h. e. *cubitus, tum retractio trium cubitorum, cubitus, tum retractio trium* (cubitorum) in ſupremo autem fuerunt bini cubiti, dein retractio 4 cubitorum. R. Jehuda dicit, In ſupremo fuerunt bini cubiti, retractio autem 5 cubitorum.

SECT. VII. Porta Veſtibuli alta fuit 20 (alia editio Miſnæ habet 40. quod melius eſt) cubitos, lata totidem. Quinque autem מלתראות *craſſæ trabes* (alia editio addit של מילא quo notatur certa ſpecies arboris, fortè à Græco *μῆλον pomus*) ſupernè fuerunt illi impoſitæ, quarum infima excedebat Portæ poſtes hinc & inde cubitum unum, atque ita invenitur ſuprema fuiſſe 30 cubitos longa, ſeries autem lapidum interjecta fuit inter ſingulas trabes.

SECT. VIII. כלונסות של אבן Retinacula autem lapidea infixa erant muro Templi & muro Veſtibuli, nè diſſiliret (murus.) Catenæ autem aureæ pendebant de contignatione (tecti) Veſtibuli, quibus juniores Sacerdotes aſcendebant ut viderent coronas, (Alia editio addit שבחלונות *quæ* erant *in feneſtris*) Scriptum eſt enim (nempe Zach. 6. 14.) *Et coronæ erunt Helem & Tobijæ & Jedahiæ & Heno filio Sophoniæ in memoriale in Templo Domini.* Vitis aurea ſuperſtabat portæ Templi ומודלה על גבי כלונסות *& innitebatur retinaculis illis* (lapideis.) Quiſquis (Templo) vovebat (aurum) is (ex eo) vel folium vel granum (ſeu acinum) vel racemum fieri curabat, atque iſtic appendebat. R. Eliezer F. Tſadoc dixit, מעשה היה *factum eſt* ſemel ut 300 Sacerdotes (Maimonides ait eſſe hyperbolen pro *multi*) ſuper eam numerarentur לפנתה ad eam expediendam vel removendam.

CAP. IV.

SECT. I. Porta Templi alta fuit 20 cubitos, lata 10. Quatuor fuerunt illi januæ ligneæ, duæ intrinſecus, & totidem extrinſecus, Scriptum enim eſt *Duæ fores Templo & Sanctuario.* Exteriores fores aperiebantur intra Portam ad tegendam muri craſſitudinem, interiores autem januæ aperiebantur intra ipſam Domum ad tegendam eam muri partem quæ erat à tergo januæ. R. Juda dicit, Valvas fuiſſe in medio Portæ וכמין אצטבאמיטה replicatáſque retrorſum, hinc duos cubitos cum dimidio, indéque duos cubitos (pariter) cum dimidio, hincque poſtis Portæ dimidium cubitum, & inde poſtis Portæ alterum dimidium cubitum (occupabat,) juxta illud quod ſcriptum eſt Ezech. 41. 24. Duæ fores erant cuilibet valvarum, duæ, inquam, plicatiles fores, duæ uni valvarum, & duæ (aliæ) fores alteri valvarum,

SECT. II. Duo oſtiola fuerunt Portæ illi majori, unum quidem à Septentrione, alterum verò à Meridie. Per illud quod fuit à Meridie nemo unquam ingreſſus eſt, atque de illo intelligi debet id quod ſcripſit Ezechiel (cap. 44. 2.) *Et dixit mihi Dominus, Porta iſta clauſa manebit, non aperietur, neque ullus per eam ingredietur quia Dominus Deus Iſrael per eam ingreſſus eſt.* Accipiebat clavem (Sacerdos) & aperiebat oſtiolum (Septentrionale ſcilicet) & ingrediebatur in Cellam, & ex Cella in Templum. R. Juda dicit, In ipſa craſſitudine muri erat via per quam ibat Sacerdos donec perveniret & ſtaret inter duas januas, aperiebátque valvas exteriores ab interiore parte, & interiores ab exteriore parte.

SECT. III. Triginta octo Cellæ iſtic fuerunt, nempe 15 à Septentrione, totidem à Meridie, octo ab Occaſu. Quæ à Meridie & Septentrione fuerunt (ita erant diſpoſitæ) ut quinque (h. e. tria erant Cellarum tabulata & in unoquoque tabulato fuerunt quinque Cellæ) eſſent ſuper alias quinque, & rurſus ſuper iſtas aliæ quinque; Ab Occaſu autem tres fuerunt ſuper tres alias, duæ denique aliæ ſuper iſtas. [Villalpandus Tom. 2. part. 2. lib. 4. cap. 26. hunc Talmudis locum accipit non de quibuſlibet Cellis quæ erant circa Sanctuarium ſed ſolummodo de illis duabus quæ erant utrinque à lateribus Veſtibuli Templi (quas vocat *Mutatoria*) Habet (inquit) utrumque hoc cubiculum terna oſtia, ad Atrium unum, alterum ex adverſo hujus ad Veſtibulum Templi, & tertium quo ad interiora cubicula patebat introitus; neque enim ad ea aliâ poterant ingredi viá quàm per hæc cubicula anteriora in angulis conſtituta Orientalibus Meridiano & Aquilonari. At cap. 28. aliam proponit hujus loci expoſitionem quam rejicit ac refellit. Eam refert Clarius Brixienſis, ex quo (inquit Clarius) facilè colligitur unumquodque cubiculum tria ut minimum habuiſſe oſtia, duo ad cubicula hinc atque hinc adjecta proximè, & tertium ſurſum verſùs ad ſuperius cubiculum per Cochleam; nam ab infimo ad medium, & à medio in ſupremum aſcenſus per Cochleam patuit. Duo quidem oſtia in ſingulis cubiculis admittit Villalpandus, ſed tertium per Cochleam in ſuperius tabulatum rejicit, quia una erat Cochlea, juxta verò illam expoſitionem ſingulæ ſingulis cubiculis tribuuntur Cochleæ.] Tres Portæ fuerunt ſingulis Cellis, una quidem, in Cellam dextram, altera in Cellam ſiniſtram, tertia denique in Cellam ſuperioris ſibi tabulati. In Cornu autem (h. e. in prima Cella infimi tabulati quæ erat in angulo Templi Septentrionali Orientali) Septentrionali Orientali quinque fuerunt Portæ, una in Cellam dextram, altera in Cellam ſibi ſuperiorem, tertia in Cochleam, quarta in oſtiolum, quinta in Templum.

SECT. IV. Inferioris *Tabulati Cellæ* latæ fuerunt quinque cubitos, contignatio verò earum *ſuperior lata fuit* ſex (cubitos) medii *tabulati Cellæ latæ fuerunt* ſex *cubitos*, contignatio earum *ſuperior* ſeptem, ſuperioris *tabulati Cellæ lata fuerunt* ſeptem *cubitos*, ſcriptum enim eſt (1 Reg. 6. 6.) tabulatum inferius fuit quinque cubitos latum, medium ſex cubitos latum, tertium ſeptem cubitos latum.

SECT. V. Cochlea (vel potiùs Scala) aſcendebat à cornu (h. e. angulo) Orientali Septentrionali ad cornu Septentrionale Occidentale, per quam aſcendebant in tectum Cellarum. Qui aſcendebat per ejus gradus faciem obvertebat ad Occaſum, & percurrebat latus Septentrionale donec perveniret ad Occidentalem (Templi) partem, tum vertebat ſe ad Meridiem & percurrebat latus Occidentale, donec perveniret ad latus Meridionale, quò ubi pervenerat faciem obvertebat ad Orientem, & percurrebat latus Meridionale donec perveniret ad Portam tabulati ſuperioris Templi, quæ Porta erat ad latus Meridionale. Atque in Porta tabulati illius erant duo כלונסות cedrina per quæ aſcendebatur in tabulati tectum, & in eorum ſummo erat lorica quæ dividebat in tabulato locum Sanctum à Sancto ſanctorum, & in tabulato לולין *cataractæ* (Maimoni. exponit לול pro פתח קטון) erant apertæ in Sancto ſanctorum per quas catenis in arcula concluſos demittebant artifices (ſeu operarios) ut nè oculi eorum יזונו paſcerentur aſpectu Sancti ſanctorum.

SECT. VI. Templum longum, latum & altum fuit 100 cubitos, האותם altum fuit 6 cubitos, tabulatum inferius 40 cubitos, כיור cubitum unum בית דילפא cubitos duos, תקרה tabulati trabes cubitum unum, מעזיבה lutamentum cubitum unum, ſecundum tabulatum altum 40 cubitos, rurſus כיור cubitum unum, בית דילפא duos cubitos, tabulati trabes cubitum unum, lutamentum cubitum unum, peribolus tres cubitos, כלה עורב arcicorvus cubitum unum. R Juda dicit arcicorvum non venire in menſuram (altitudinem ſcilicet Templi,) ſed peribolum fuiſſe quatuor cubitorum.

SECT. VII. Ab Oriente in Occidentem 100 cubiti, nempe murus Veſtibuli (craſſus fuit) 5 cubitos, Veſtibulum ipſum 11 cubitos, murus Templi craſſus 6 cubitos, Locus Sanctus 40 cubitos, טרקסין cubitum unum, Sanctum ſanctorum 20 cubitos, Murus Templi 6 cubitos, Cella 6 cubitos, Murus Cellæ 5 cubitos. A Septentrione in Meridiem (latum fuit Templum à tergo) 70 cubitos, (nempe ſic) Murus Scalæ 5 cubitos, Scala 3 cubitos, Murus Cellarum 5 cubitos, Cellæ 6, Murus Templi 6 cubitos, Templum latum 20 cub. Murus Templi 6 cub. Cellæ 6 cub. Murus Cellæ 5. cub. Stillicidii locus 3 cub. murus ipſius 5 cubitos. Veſtibulum excedebat illam (Templi latitudinem) 15 cubitis à Septentrione, & totidem à Meridie, & hoc illud eſt quod vocabatur בית חילפות *domus cultrorum*, quia iſtic recondebant cultros (mactatorios ſcilicet.) Templum itaque anguſtius fuit à tergo quam à fronte, qua in re ſimile fuit leoni, ſcriptum nempe eſt *Væ Arieli civitati in qua caſtrametatus eſt David.* Qualis eſt Leo ? Anguſtus à tergo, latus verò à fronte, ſic etiam Templum anguſtum erat à tergo, latum verò à fronte.

CAP. V.

SECT. I. Totum Templi Atrium longum fuit 187 cubitos, latum verò 135. Ab Oriente inquam in Occidentem fuerunt 187 cubiti, nempe locus qui à pedibus Sacerdotum calcabatur (latus erat) 11 cubitos, Altare 32 cub. inter Altare & Veſtibulum 22 cub. Templum (longum) 100 cubitos, locus autem qui fuit poſt domum Propitiationis latus erat 11 cubitos.

SECT. II. A Septentrione in Meridiem Atrium latum fuit 135 cubitos, nempe Aſcenſus & Altare occuparunt in longitudinem 62 cub. Ab Altari ad locum Annulorum 8 fuerunt cubiti. Locus Annulorum latus 24 cub. Ab Annulis ad Menſas 4 cub. A menſis ad Columellas 4 cub. A Columellis ad murum Atrii 8 cubiti; quod verò reliquum eſt de numero, fuit inter Aſcenſum & murum Atrii. item locus Columellarum.

SECT. III. Sex Exhedræ fuerunt in Atrio, tres nempe à Septentrione, totidem à Meridie. Exhedræ quæ fuerunt à Septentrione ſunt hæ, Exhedra מלח *ſalis*, Exhedra הפרוה, Exhedra המדיחין. Exhedra Salis ea fuit in qua reponebatur Sal ad oblationes; Exhedra הפרוה ea eſt in qua ſale condiebant (ſeu parabant) pelles victimarum; ſupra cujus tectum fuit בית הטבילה *locus ablutionis* Pontifici maximo die feſto Propitiationum. In Exhedra המדיחין lavabant & purgabant inteſtina Victimarum, atque ex ea per Cochleam aſcendebatur ſupra tectum Exhedræ הפרוה.

SECT. IV. (Exhedræ) quæ fuerunt à Meridie (hæ ſunt,) Exhedra העץ *lignorum*, Exhedra הגולה, Exhedra הגזית. Et ad Exhedram quidem Lignorum quod attinet, R, Eliezer F. Jacob dicit, Oblitus ſum quis eſſet ejus uſus; ſed

Aba Saul dicit, Erat Exhedra ſummi Sacerdotis, erátque à tergo reliquarum duarum, & tectum trium illarum erat æquale. In Exhedra הגלה fuit בור הגולה (Alia editio legit קבוע, h. e. *certa, fixa*) *ciſterna ſcaturiginis* cum rota deſuper, atque inde ſufficiebant aquam toti Atrio. In Exhedra הגזית habebatur Synedrium magnum Iſraelis quod ſedens judicabat de Sacerdotibus. Sacerdos qui inveniebatur פסול *illegitimus* pullam veſtem induebat, & involvebat ſe pullâ veſte, atque ſic abibat; qui verò non inveniebatur eſſe פסול *illegitimus* induebat candidam veſtem & candidâ amiciebatur, ingrediebatur Atrium & miniſtrabat cum fratribus ſuis Sacerdotibus. Porrò 19 faciebant ut ne inveniretur פסול *illegitimus* in Aharonis Sacerdotis ſemine, atque ſic dicere ſolebant, Benedictus ſit Dominus quòd non inventus eſt פסול *illegitimus* in Aharonis ſemine, & benedictus ſit Dominus eò quòd elegit Aharonem & filios ejus ad ſtandum & miniſtrandum coram facie ſua in domo Sanctuarii ſui.

Templi Hieroſolymitani dimenſiones ſecundum Joſephum.

Longitudo Templi ab Oriente in Occidentem.

Muri Septi exterioris, ſive Atrii Gentium craſſitudo non definitur à Joſepho, ſed à nobis conjicitur fuiſſe omni ex parte octo cubitorum.

Porticus Orientalis lata 40 cub.

Spatium ὕπαιθρον illi proximum latum 65 cub.

Craſſitudo muri Orientalis Septi interioris 6. cub.

Exhedræ illi proximæ latæ 20 cub.

Murus earum interior craſſus 5 cub.

Atrium fœminarum latum 40 cub.

Lorica lapidea illud ſeparans ab Atrio Sacerdotum, craſſa cubitum unum.

Atrium Templi ſive Sacerdotum longum ſecundùm Talmudiſtas Judæos 187 cub.

Craſſitudo muri Occidentalis Septi interioris 6 cub.

Exhedræ juxta ipſum latæ 20 cub.

Murus earum exterior craſſus 5 cub.

Spatium ὕπαιθρον inter eas & Porticum Occidentalem latum 65 cub.

Porticus Occidentalis Septi exterioris lata 40 cub.

Craſſitudo muri Septi exterioris 8 cub.

Summa 516 cub.

Latitudo Templi à Meridie in Septentrionem.

Murus Septi exterioris craſſus 8 cub.

Porticus regia, ſive Salomonis, Septi exterioris lata 70 cub.

Spatium ὕπαιθρον illi proximum 65 cub.

Exhedræ illi proximæ cum muro ſuo exteriore latæ 25 cub.

Murus Septi interioris craſſus 6 cub.

Atrium virorum Meridionale latum 30 cub.

Lorica Meridionalis lata cubitum unum cum dimidio.

Atrium Templi ſive Sacerdotum latum, ſecundùm Judæos Talmudiſtas, 135 cubitos.

Lorica Septentrionalis lata cubitum unum cum dimidio.

Atrium virorum Septentrionale latum 30 cub.

Murus ejus craſſus 6 cub.

Exhedræ juxta murum, cum muro ſuo exteriore latæ 25 cub.

Spatium ὕπαιθρον illis proximum, latum 65 cub.

Porticus Septentrionalis Septi exterioris lata 40 cub.

Murus ejus craſſus 8 cub.

Summa 516 cub. quorum 16 cubiti dantur craſſitudini muri Septi exterioris, reliqui 500 cubiti longitudini Porticuum, qualem eam definiunt Talmudiſtæ, & ipſe Joſephus qui facit Porticus longas ſtadium unum, ſcilicet Hebraicum, h. e. 400 cub. Hebraicos qui faciunt Romanos cubitos 500.

Templi propriè & ſtrictè dicti Dimenſio

Longum, latum (à parte anteriore, ſive in facie Veſtibuli) altum ἀνὰ 100 cub. latum verò à parte poſteriore 60 cub. altum totidem.

Murus ejus craſſus 6 cub.

Murus Veſtibuli exterior craſſus 8 cub.

Veſtibulum latum 20 cub. altum 90 cub. longum intrinſecus 84 cub. non comprehenſo utrinque muro ejus exteriore craſſo 8 cub. itaque extrinſecus longum fuit 100 cub. latum 34 cub.

Τὰ ἅγια ſive Sanctum, longum 40 cub. latum 20 cub. altum 60 cub.

Ἅγια ἁγίων ſive Adytum, longum & latum ἀνὰ 20 cub. altum 60 cub.

Cellæ circa Templum numero 30 in triplici tabulato, ſingulæ longæ, latæ & altæ ἀνὰ 10 cub.

Murus earum craſſus 4 cub.

Paries earum intergerinus qui cellam à cella dividit, craſſus 2 c. cum dimidio.

Altare Sacrificiorum longum & latum ἀνὰ 50 cub. altum 15 cub.

Aſcenſus ad Altare longus 24 cub.

Spatium ὕπαιθρον quadrangulare juxta Altare, in quo mactabantur & parabantur Victimæ, longum 76 cub. latum 56 cub.

Spatium ὕπαιθρον inter Veſtibulum & atria virorum, latum cub. 17 cum dimidio.

Spatium ὕπαιθρον inter poſteriorem Templi partem & eadem virorum Atria, latum 37 cub. cum dimidio.

Spatium inter poſticam Templi partem & murum Occidentalem Septi interioris, latum 10 cub. longum verò ab uno Gazophylacio ad aliud 80 cub.

Spatium inter Altare & Templi gradus latum 16 cub. inter Veſtibulum Templi & Aram 20 cub.

Spatium inter Altare & Atrium fœminarum latum 7 cub.

Portæ Templi earumque Dimenſiones.

In Septo exteriore.

Portæ, Orientalis & Meridionalis, ſingulæ latæ 40 cub.

Porta Occidentalis Porticus regiæ, lata 30 cub.

Reliquæ tres Occidentales, ſingulæ latæ 20 cub.

Porta ducens in Arcem Antoniam, lata 20 cub.

In Septo interiore.

Quatuor à Meridie, totidem à Septentrione, ſingulæ latæ 29 cub. altæ 30 cub.

Porta Orientalis Atrii fœminarum, lata 39 cub. alta 50 cub.

Porta Veſtibuli Templi propriè dicti lata 25 cub. alta 70 cub.

Porta interior ipſius Templi, qua ex Veſtibulo ingreſſus eſt εἰς τὰ ἅγια, lata 16 cub. alta 55 cub.

Numerus Columnarum in toto Templo.

In Septo exteriore.

In Porticu
- Meridionali 162 col.
- Orientali 87 col.
- Occidentali 87 col.
- Septentrionali 121 col.

Summa 457.

In Septo interiore.

In Atrio
- Fœminarum 46 col.
- Virorum
  - Septentrionali 24.
  - Meridionali 24.

Summa 94.

In omnibus Templi univerſi Portis 49 col.

Itaque in univerſo Templo fuerunt columnæ 600. quorum omnium diameter fuit 4 cub. ambitus 12 cubitorum.

Gradus omnes tum Templi ſtrictè dicti, tum Septi interioris lati fuerunt ſinguli cubitum unum, alti verò dimidium, exceptis gradibus Septi interioris qui alti fuerunt 13 pollices cum dimidio, ſive paulò pluſquam pedem unum.

Templi capacitas.

Totum Templum cùm in quadrum longum & latum ab omni parte fuerit 500 cubitos, Area ejus cepit 250 m. cubitos quadratos. Sed magna ejus pars occupata fuit à Columnis & Septi muris & Exhedris.

Quatuor Septi exterioris Porticuum area cepit 86200 cub. à quibus ſi demas ſpatia à 457 columnis (ſeu earum ſtylobatis) occupata (quorum ſingulis 25 cubitos aſſignamus, nempe unicuique ſtylobatæ 5 cubitos in quadrum) reſtant 74775 cubiti, tantundem cepit Porticuum illarum tectum vel ſecundum tabulatum in quo homines potuerunt adoraturi ſtare. Jam ſinguli cubiti quadrati ſingulis hominibus ſtantibus debent aſſignari, non plures; nam etſi ab humero ad humerum homo latior ſit cubito uno, at certè craſſus non eſt cubitum unum, itaque quod illi deeſt iſtinc accedere poteſt. Quare in ſingulis cubitis quadratis ſinguli homines ſtare potuerunt. Itaque in Porticibus Septi exterioris earúmque tecto vel tabulato ſtare potuerunt 149550.

Spatium hypæthrum totum inter Porticus & Septum interius habuit 90400 cubitos, proindéque totidem potuit capere homines.

Atria virorum duo longa ſingula 187 cub. lata 30 habuerunt ſingula 5610 cubitos, ambo 11220 cub. Eorum tectum vel tabulatum tantundem: ſumma eſt 22440 cubiti, ac proinde totidem homines.

Sex Exhedræ illis junctæ in ipſis Portis ſingulæ longæ, latæ 30 cub. faciunt in univerſum 5400 cubitos, qui ſuperioribus ſunt addendi. Sic fiunt 27840.

Atrium fœminarum utrumque deductis columnis ſeu ſtylobatis capit 5850 cub. totidémque fœminas, Atrii tectum totidem, potuit ergo capere 11700 fœminas. Exhedræ duæ in Portis illius poſitæ 1800, itaque in eo capi potuerunt 13500 fœminæ.

Atrium Iſraelis longum 70, latum 40 cub. capere potuit 2700 homines, ejuſque tabulatum totidem; ſunt in univerſum 5400.

Jam ſi omnes in unum colligantur qui potuerunt in toto Templo capi homines è plebe præter Sacerdotes & Levitas qui Atrium Sacerdotum occuparunt, invenientur 286690 h. e. paulò plures quàm ipſa tota area Templi pura capere poſſet.

Atrium Sacerdotum longum 187, latum 135, habuit 11581. cubitos quadratos 25245, à quibus ſunt demendi quot nempe Templi & Aræ & Gazophylaciorum area occupavit, reſtant 13664 cubiti quadrati in quibus totidem capere potuerunt Sacerdotes & Levitæ.

VESTIGIVM TEMPLI HIEROSOLYMITANI AB HERODE secundum Iosephum exstructi.


Porta in Civitatem Davidis
Porta εἰς προάστειον
Porta per pontem in Xystum et Forum superius,
Porta εἰς Προάστειον.
Porta in Antoniam.
PORTICVS OCCIDENTALIS
Lorica
Lorica
PORTICVS REGIA siue SALOMONIS
Porta Meridionalis
PORTICVS SEPTENTRIONALIS
Occidens
Gazophylacium
Gazophylacium
TEMPLVM היכל
ATRIVM SACERDOTVM
CELLAE
CELLAE
קדש הקדשים
קודש
אולם
VESTIBVLVM.
ATRIVM VIRORVM
ATRIVM VIRORVM
Lorica
Lorica
ARA siue ALTARE SACRIFICIORV
Ascensus in Aram.
Locus in quo mactabantur, jugulabantur, deglubebantur, et parabantur ad Aram victimae,
Cubiti 10 20 30 40 50 100 150 200.
ATRIVM FOEMINARVM
Porta Orientalis interior
חיל
Lorica
PORTICVS ORIENTALIS
Porta Orientalis exterior

IXNOΓPAΦIA PORTARVM ATRII VIRORVM, CVM GRADIBVS QVIBVS AD ILLAS ASCENDEBATVR ET EXHEDRARVM IN PORTIS, IN INTERIORI TEMPLI SEPTO, IVXTA IOSEPHI MENTEM, ET MENSVRAS AB EO TRADITAS.


Occidens
lorica
lorica
ATRII VIRORVM PARS
EXHEDRA IN IPSA PORTA
ATRII VIRORVM PARS
Gradus quinque quibus ex spatio plano ad Portam ascendebatur.
Spatium planum.
Exhedra iuxta Atrium
Gradus 10. quibus ex priore seu exteriore Septo ad interius, Atriumque Templi ascendebatur.
Exhedra iuxta Atrium
5 10 20 30

IXNOΓPAΦIA PORTAE ORIENTALIS ATRII ISRAELIS, LATAE SECVNDVM IOSEPHVM, CVBITOS XL.


ATRIVM TEMPLI sive SACERDOTVM.
lorica
lorica
Gradus quinque, quibus ex Porta et Atrio Israelis ascendebatur in Atrium Templi siue Sacerdotum.
Ingressus in Atrium Foeminarum
Ingressus in Atrium Foeminarum
Pars Atrij Foeminarum
Pars Atrij Foeminarum
Ingressus in Atrium Foeminarum,
Ingressus in atrium Foeminarum
Limen Portae
Oriens
Gradus quibus ascendebatur ad Portam, ex Septo anteriori ad interius, numero 15.
PARS Ingressus in Exhedras EXHEDRAE
PARS Ingressus in Exhedras EXHEDRAE
Cubiti 10 20 30 40

TEMPLI STRICTE SIC DICTI DELINEATIO ATQVE ἰχνογραφία Iosephi mente, et iuxta mensuras ab eo traditas,


Occidens.
Gazophylacium
Gazophylacium.
ATRIVM SACERDOTVM
TEMPLI
ἅγια ἁγίων SANCTVM SANCTORVM longum et latum 20 Cub
Velum
τὰ ἅγια LOCVS SANCTVS longus 40 latus 20 cub
CELLAE
CELLAE
Porta Templi
VESTIBVLVM TEMPLI longum intrinsecus 84 Cub: lat: 20 extrinsecus verò longum 100 Cub: lat: 34.
Fenestra
Fenestra
Fenestra
Fenestra
Porta Vestibuli lata 20 C. sine valvis
Oriens
Lorica
Lorica
Porta
Porta
ATRIVM VIRORVM
ATRIVM VIRORVM

IXNOΓPAΦIA PORTAE TEMPLI, qua ex Vestibulo in Sanctuarium ingressus patet


Iuxta mensura a Iosepho data, qui eam portam facit 10 Cubitos latam,
τὰ ἅγια
SANCTVM, siue Locus Sanctus.
Cellae secundae pars.
Cellae secundae pars.
Cellae primae pars.
Cellae primae pars.
Ingressus ex Cella in templum ad aperiendam intrinsecus Templi portam.
limen
limen
VESTIBVLI PARS.
Cubiti 5 10 15 20 25 30

ORDO ET DISPOSITIO COLVMNARVM ET FENESTRARVM in Atrijs et Porticibus Templi trabiumq. Cedrinarum Columnarum capitibus impositarum, ad tabulata et laquearia, cuius rei specimen hic exhibet in Atrio Foeminarum pars septentrionali.


Occidens
TABVLATA
ATRII FOEMINARVM
PARS SEPTENTRIONALIS
CEDRINAE
Exhedrae pars
Atrij Foeminarum
Gradus quinque quibus ascendebatur ad Portam
Porta Septentrionalis
Exhedrae pars
Cubiti

VESTIGIVM TEMPLI HIEROSOLYMITANI SECVNDVM IVDAEOS


Mons Domus.
Occidens
Mons Domus Meridies
Mons Domus Septentrio
Oriens
Mons Domus
Atrium Sacerdotum
Atrium Israelis
Atrium Virorum et foeminarum, in quo Viri infernè, Faeminae verò supernè, è tabulatis spectabant,
היכל
חיל
חיל
חיל

Forma et mensurae Templi secundum Iudaeos.
Mons Domus in singula latera longus 500 Cub:
Atrium Templi longū ab Oriente in Occid: 187. C. latum a Septen: in Merid. 135. C.
Atrium faeminarum, longū et latū in quadrum, 135. C.
Murus Atriorum Crassus 6. Cub,
Porticuum, quae erat circa latera montis domus intrinsecus latitudinem ut Iudaei definiunt, nos statuimus 40 Cubitorū, quales eas statuit Iosephus.
Par intervallum 40 Cubitorum tribuimus spatio illi quod intercedebat inter Porticus illas et Atrium Templi ab Occidente, Atrium Foeminarum ab Oriente, et Domum מוקד Atrio Templi iunctae a Septentrione, quo in spacio fuit et Sorég, et Chaîl, His positis Atrium Templi distare oportuit a muro montis domus, a Meridie 234 Cub: ab Oriente 227. a Septentrione 131. deniq. ab Occidente 96 Cubitis,
Exhedrae quatuor in Atrio Foeminarum singulae longae et latae erant 40 Cub:
Portae omnes latae 10 Cub: altae 20. sola excepta Vestibuli Templi porta, quae lata fuit 20. alta 40 Cub:
Quinque fuerunt in monte domus portae, Septem verò in Atrio Templi, nempe, tres a Meridie, totidem a Septentrione, una ab Oriente, nulla ab Occidente.


Porta הקרבן
Porta הניצוץ
Occidens
PARS VESTIBVLI
Porta Vestibuli
Locus הטבעות siue Annulorum, ubi mactabantur et jugulabantur, victimae religatae ad hos annulos.
ATRIVM SACERDOTVM
Exhedra המלח
Atrium Israelis
Pars Atrij Foeminarum
Oriens
Altare
Porta ביכורים

ura Altaris secundum Iosephum
inferne longū et latum 50 Cu:
m 15 Cub:
ci longa et lata 30 Cub: Octo
a foculi seu areolae, singuli longi
ub: lati 2 Cub: alti 5. C:
m vacuum inter et circa fo-
latum 5 Cub:
ad Altare longus 24 Cub: lat
m, altus 12 Cub: usque ad lo-
foci.

ura Altaris, secundum Misnas.
inferne longū et latū erat 32 C.
10 Cub: siue 50 palmos.
e area foci longa et lata erat
adrum 24 Cub: cum 4 palmis.
ea foculi seu Areolae potuerunt
tae 2. Cub: Spatium inter eas
um debuit esse latum 2. Cub:
m circa foculos vacuū, latū 1 C.
capere 72 Sacerdotes eodem
re sunt in eo stantes alij mini
es secundum Iosephi men
potuit capere 152 Sacerdo-
inguis 2. Cub assignet.


Septentrio
Occidens.
Oriens
LOCVS SACRIFICIORVM
כבש siue ascensus ad Altare leniter acclivis, longus secundum Misnas 32 Cub: lat 16

Altaris pars planior


Spatio pedum Sacerdotum.

VNIVERSI TEMPLI HIEROSOLYMITANI ORTHOGRAPHI
EXTERIORIS ET PARTEM MVRI PORTICVS GENT


VNIVERSA LONGITVDO CEN
Cubiti
10 20 30 40 50
1 2 3 4 5 6 7 8
Calami

DISSECTI TEMPLI SALOMONIS ORTHOGRAPHIA, OSTENDENS INTERIORA
NEC NON TERNOS EIVSDEM FACIEI ET ATRII INTERIORIS ATQVE


Cubi
10 20 30 40 50
1 2 3 4 5 6 7
Calam

Pars Faciei muri Orientalis atq. Muri Area Atrii exterioris demonstratio planior.


Cubiti
Calami

ORIENTALIS FACIES SVBSTRVCTIONIS AB IMIS VALLIBVS CVBITOS TRECENTOS ER
XANDAM CVRAVIT, NEC NON PERIBOLI ATQVE PORTICVV QVÆ AD HEBRÆOS QVÆQVE AD GENTIL
DIMENT



W. Hollar fecit aqua forti.

PHIA QVAE OSTENDIT ORIENTALEM FACIEM MVRI ATR
ENTIVM QVAE DEINDE DICTA EST SALOMONIS.


ENTVM VIGINTI QVINQVE CALAMORV
Cubiti
30 40 50 60 70 80 90 100
Calami
5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16

RIORA PORTICVVM ET CRYPTO PORTICVVM ET ORIENTALEM SANCTVARII FACI
TQVE EXTERIORIS ORDINES BINOSQVE ATRII GENTIVM.


Cubiti
30 40 50 100
5 6 7 12 16
Calami

ENTOS ERECTAE AD SVSTINENDOS AGGERES QVIBVS ATRIORVM TEMPLI AREAM SALOMON LA-
, AD GENTILES PERTINEBANT SVB MINIMA CVBITORVM MENSVRA QVA ETIAM VNIVERSALIA VESTIGIA
DIMENTIVNTVR.



Anno 1652.

Media pars basis Orientalis faciei
Turris superstructæ Vestibulo Sanctu
arij, maiori forma expressa.



Dissectionum pars
planior


Cubiti
Calami

AE ARCHITECTVRAE PARTES EARVMQVE MENSVRAE ET ORNAMENTA


Retiaculorum, forma, maior
Pars Ichnographiæ Coronicis, in qua numerus, situs, et dispositio, maiorum granatorum ostenditur.
A B C D.
Caput trabis siue grossionis ligni,
Cubiti Sacri
1
2
3
4
5
Digiti
10
20
30
40
50
Corona
Mutuli inter quos pendent mala granata.
A
B
C
D
ZOPHORVS
EPISTYLIVM
CAPITELLVM IN SVMMITATE COLVMNAE
Cubiti Sacri
1
2
3
Digiti
6
12
24
VESTIGIVM IMI SCAPI AENEAE COLVMNAE.
Torus superior
Scotia Trochilus superior
Regula
Astragali
Scotia Trochilus, inferior
Regula
Torus Inferior
Plinthus
Basis Parastadum Templi.

BASIS COLVMNARVM TEMPLI SALOMONIS.

VESTIGIVM TEMPLI HIEROSOLYMITANI ET VNIVERSARVM ILLIVS PORTICVVM A SALOMONE CONSTRVCTARVM, AD PRIMARIVM EXEMPLAR OLIM A DEO INVENTORE DAVIDI TRADITVM ET AB ANGELO POSTEA EZECHIELE PROSPECTANTE COMMENSVRATVM.


OCCIDENS
Longitudo muri ambientis atrium prophanum Calamorum 110
ATRIVM TEMPLI EXTERNVM ET MAXIMVM ISRAELITIS ET VNIVERSIS GENTIBVS COMMVNE
Longitudo muri ambientis Atria Sancta calamorū 80
Area atrij exterioris spectans Africum
Area atrij exterioris spectans Caurum
ATRIVM INTERIVS LEVITICVM.
Area atrij exterioris spectans Austrum
Area atrij exterioris spectans Septentrionem
Porta Australis atrij exterioris
Porta Australis atrij interioris
Altare holocausto rum
Porta Septentrionalis atrij interioris
Porta Septentrionalis atrij exterioris
Mare Æneum
Musach Sabbathi
Porta Orientalis atrij interioris
Area atrij exterioris spectans Eurum.
Area atrij exterioris spectans Orientem.
Area atrij exterioris spectans Aquilonem.
Porta Orientalis atrij exterioris
MERIDIES
SEPTENTRIO
Cubiti
10
20
30
40
50
100
200
300
400
500
Calami
5
10
15
20
25
30
35
40
50
60
70
80
ORIENS.
Longitudo peribole ambientis domum universam calamorum centum viginti quinque.

ASPECTUS LATERIS SANCTUARII ET COENACULI AC TURRIS SUPERSTRUCTAE VESTIBULO.



Cubiti
Calami
10
20
30
40
50
60
70
80
1
2
4
8

DORSUS sive OCCIDENTALIS ASPECTUS SANCTUARII, COENACULI ET TURRIS SUPER EMINENTIS



100
110
120
130
140
150
16

SECTIO MURORUM TESTUDINIS ATQ. COENACULI AULÆ SANCTÆ OSTENDENS FACIEM SANCTI SANCTORUM

Occidens.

VESTIGIUM SANCTUARII



SIN LATERIBUS DOMUS
INTERIORDOMUS
SANCTA
ARCA TESTAMENTI
SANCTORUM
ALTARE INCENSI
SANCTA
Candelabra
ÆNEÆ COLUMNAE
Iachin
Booz
VESTIBULUM
Septentrio,
Cubiti
Calami
10
4
20
8
30
40
Meridies

Oriens.



Digitus
1
2
3
4

Mensura unius palmi sacri, quorum sex Cubitum unum, & horum 6. & palmus Calamum unum efficiunt quo distributiones & commensurationes Templi Salomonis factæ sunt



a
b
c
d
e
Altitudo triginta septem cub. et
Altitudo quinquaginta Cubitorum

a. Ostium Sancti Sanctorum.
b Ambulationes inter muros domus.
c Paries Coenaculi.
d Parietes domus.
e Fenestrae.

THALAMI PORTARUM ATRIORUM.



Thalamus unius calami in longum
et unius Calami latum

Wenceslaus Hollar fecit aqua forti, A°. 1657. Aet. 50.

SVMMVS SACERDOS.



CANDELABRVM TEMPLI AVREVM



MENSA PANVM.





ALTARE INCENSI AVREVM
tres Cubitos altum.

ARCA TESTAMENTI
CVM CHERVBINIS



PROSPECTVS TESTVDINIS, MVRORVM, ET



M. ET PAVIMENTI SANCTI SANCTORVM.



MARE ÆNEVM VBI
SACERDOTES LAVABANTVR
12 Cubitos altum.

BASIVM AC PELVIVM AENEARVM, QVIBVS SACRIFICIA LAVABANTVR $4\frac{1}{2}$ Cubitos altum.





Gradus [illegible] ad Orientem

ALTARE HOLOCAV
TORVM [illegible] IN QVO
IGNIS [illegible]
[illegible] SACER
DOTES [illegible] SERVA
BANTVR [illegible] cubitos altum

W. Hollar fec. 165[illegible]

BRIANI VVALTONI,

S. T. D.

In Biblia Polyglotta,

PROLEGOMENA.

I. DE *linguarum natura, origine, diviſione, numero, mutationibus, & uſu.*

II. *De literis ſive characteribus, ipſarum uſu mirabili, origine & inventione prima, & diverſitate in linguis præcipuis.*

III. *De lingua Hebraica, ejus antiquitate, conſervatione, mutatione, præſtantia & uſu, characteribus antiquis, punctiſque vocalibus, & accentibus.*

IV. *De Bibliorum editionibus præcipuis.*

V. *De Bibliorum verſionibus.*

VI. *De variantibus in Scriptura lectionibus.*

VII. *De Textuum originalium integritate, & autoritate.*

VIII. *De Maſora, Keri & Ketib, variis lectionibus Orientalium & Occidentalium, Ben Aſcher & Ben Nephtali; & de Cabala.*

IX. *De verſione Græca 72. Interp. aliiſque Græcis verſionibus.*

X. *De verſione Vulgata Latina.*

XI. *De Pentateucho Samaritano, ejuſque verſionibus.*

XII. *De lingua Chaldaica, & verſionibus Chaldaicis.*

XII. *De lingua Syriaca, & verſionibus Syriacis.*

XIV. *De lingua Arabica, & verſionibus Arabicis.*

XV. *De lingua Æthiopica, & verſionibus Æthiopicis.*

XVI. *De lingua Perſica, & verſionibus Perſicis.*

PROLEG. I.

De linguarum natura, origine, diviſione, numero, mutationibus, & uſu.

1. *Rationis & Orationis connexio, ſermonis uſus.* 2. *Sermo primo homini concreatus.* 3. *Lingua nulla homini naturalis.* 4. *Poſſibile eſt ex hominum inſtituto ſermonem oriri : de facto tamen prima lingua a Deo immediate infuſa.* 5. *Sermonis ſubjectum natura intellectualis. De linguis Angelorum.* 6. *Lingua unica ante cladem Babylonicam.* 7. *Confuſio linguarum a Deo immediate, non ab Angelis.* 8. *Peccatum exſtructorum turris Babylonicæ quodnam fuerit.* 9. *Divinæ clementiæ, ſapientiæ, & bonitatis, cum juſtitia mixtura in hac pœna.* 10. *Linguas primævas diverſas fuiſſe, non Hebraicæ dialectos.* 11. *Linguas 70. eſſe ſtatuunt Judæi.* 12. *Chriſtiani ſcriptores plerique 72. linguas Originarias fuiſſe ſentiunt : multo tamen pauciores fuiſſe probatur, numerum etiam incertum eſſe.* 13. *Linguarum a primis ortarum numerum certo definiri non poſſe.* 14. *Linguæ Cardinales nobis cognitæ.* 15. *Linguas omnes eſſe in perpetuo fluxu. Hebraicæ linguæ mutatio.* 16. *Græca multum mutata.* 17. *Et Latina. Columnæ roſtratæ inſcriptio.* 18. *Linguarum mutationis cauſa triplex. Prima, rerum omnium viciſſitudo, & vulgi mobilitas.* 19 *Secunda, mixtura ex coloniis, vicinitate; maxime ex armis victricibus.* 20. *Ex Religione & Sacris. Ubi cauſæ mutationum abſunt, lingua antiqua retenta, ut in Wallia, Cantabria, &c.* 21. *Cauſa tertia, ex regionis ſitu, & cœli temperie.* 22. *Linguarum uſus & utilitas, ad vitæ ſocietatem, commercia, ſcientias & artes. &c.* 23. *Præcipue ad fidem propagandam. Nunquam defuiſſe in Eccleſia viros linguarum peritos. Hebraicæ, Græcæ, &c. linguarum Originalium ſcientia neceſſaria ad Scripturas intelligendas.* 24. *Sciolorum ſupercilio occurritur. Linguæ non propter ſe, ſed propter aliud addiſcuntur. Scientiarum janua, tantum. Rerum ipſarum cognitio vere doctos reddit.*

1. DUO ſunt actionum humanarum principia, quibus a reliquis animantibus homo potiſſimum diſcriminatur : *Ratio*, quæ mentis conceptus format; & *Oratio*, quæ eoſdem tanquam rationis miniſter ac inſtrumentum aliis manifeſtat: Unde dixerunt Democritus & Epicurus, *ſermonem eſſe rationis flumen*, quia a rationis conceptu fluit oratio, ratione quaſi ſtillante in linguam, ut ea plectri inſtar aera diverberans voces efformet, conceptuum, qui a ratione fiunt, ſignificativas : & tam arcta eſt inter eas connexio, ut utraſque una eademque voce Hebræi Græcique exprimant, illi per, דבר, hi per, λόγον. Eſt enim ſermo quaſi animæ immortalis vehiculum, quod mentis arcana ex imo pectore pandit, & orationis ſuadela in aliorum mentes influit. Unde illud a Platone in Timæo, *Propter hoc datum eſſe ſermonem, ut præſto forent mutuæ voluntaris indicia* : & promptuarium hoc rectæ rationis, & ſuaviſſimæ orationis homini datum eſſe affirmat Apuleius de Dogmat. Plat. ut quæ prudentia corde concepit, ea in ſenſus promat oratio : unde eſt quod ſermo ſit ſocietatis humanæ vinculum, ſine quo nullum inter homines commercium inſtitui, nullum vitæ ſolamen haberi poſſit : imo mallet quiſque, ut ſcripſit Auguſt. De Civit. 19. 7. *cum cane ſuo verſari, quam cum homine ignotæ linguæ.* Parum ſane fuiſſet, ut ait Poſtellus lib. de Originibus, in Præf. Deum hunc microcoſmum feciſſe & totius naturæ parvum quoddam exemplar, divinitatis participem, & orbis terrarum poſſeſſorem unicum; niſi ad propalandum tantum beneficium accederet ſermo; quo omnium creaturarum vice cauſam ipſam primam, omnium nomine celebraret, & poſteritati tanti magnitudinem beneficii & artificium per manus traderet. Cum itaque in opere hoc Polyglotto præcipuas orbis terrarum linguas, quibus eloquia ſacra afflatu Sp. S. primum ſcripta, vel in quas veterum Eccleſiæ Antiſtitum cura traducta erant, exhibemus; quædam de linguarum natura, origine, confuſione, numero, mutatione, conſervatione & uſu præmittenda, haud inutile judicamus.

2. Primo, ſtatuendum eſt hominem ut ab initio ratione, ſic etiam & oratione ſive loquela fuiſſe præditum : unde Hebræi hominem vocant חַי מְדַבֵּר *animal loquens*, & Græci ζῶον λογικὸν & πολιτικόν : quæ utique homini nequaquam competerent, niſi præter rationem etiam organum, quo rationales conceptus enuntiare poſſet, Creator ipſi dediſſet. Nam ſine hoc ſermocinandi inſtrumento, non eſſet animal politicum ſive ſociale : nec ad imaginem Dei creatus dici poſſet, ſi non menti divinæ ſe per verba & ſigna exteriora exprimenti ſimilis eſſet : Cumque ex communi Theologorum ſententia primus homo conditus ſit perfectus animo & corpore, omnibuſque eorum dotibus, idque virili ætate, *ſine progreſſu incrementorum*, ut loquitur S. Aug. de Geneſi ad literam cap. 14. & Scriptura teſtetur, ipſum vocem Dei in horto intellexiſſe; quis negabit in Adamo ſermonem cum ratione concreatum fuiſſe? Unde falſiſſimum eſt, quod inter Ethnicos quidam non indocti ſcriptis prodidere. Scribunt enim Diodorus Siculus in hiſtoria ſua, & Vitruvius de Architect. l. 2. c. 1. homines primo more beſtiarum in ſylvis & cavernis vixiſſe, voceſque inarticulatas & confuſas habuiſſe, donec per timorem congregati ſuam inter ſe formam cognoverint, & paulatim verba flectendo, & de rebus ſingulis mutua inter ſe ſigna fingendo, notam ſibi fecerint omnium interpretationem, & ejuſmodi conventiculis ſparſim per orbem factis : inde eſſe quod non omnes eandem linguam habuerint, cum ſinguli fortuito nomina fingerent. Hoc ſomnium ex ignorantia hiſtoriæ Creationis ortum refellit Euſeb. de Præp. Evang. l. 1. c. 4.

3. Nec minus certum eſt, nullam linguam homini naturalem eſſe, ſed ex inſtituto divino vel humano (de quo poſtea) tum primam in Creatione, tum reliquas in linguarum diviſione poſt Diluvium ortas fuiſſe. Nam, ut arguit Franc. Valleſ. de ſacra Philoſ. cap. 3. Si naturalis eſſet aliqua lingua, innaſceretur etiamſi alium ſermonem quis addiſceret, & ſic omnes eſſent duplicis ſermonis: Facilius etiam prima lingua diſceretur, quam alia; utpote ad quam natura ſaltem procliviores eſſemus: cum tamen contrarium liquido conſtet: ad linguam enim Hebræam (quam jam ſupponimus primam fuiſſe) non majorem proclivitatem ſentimus, quam ad quanvis aliam. Porro ſi ex natura lingua aliqua homini ineſſet, omnes hac per totum terrarum orbem uterentur, omnes eam intelligerent, nec poſſet quis per deſuetudinem ejus oblivisci: nam quod a natura eſt, ubique, apud omnes, & ſemper, idem eſt. Ipſa etiam linguarum fabrica, qua voces aliæ radicales, aliæ ab ipſis derivatæ: verborum item & nominum formatio, eorumque ſecundum certas regulas perſonarum, generum, ac numeri diſtinctio; non a cæco naturæ impetu, ſed a natura aliqua intelligente omnia ſumma arte diſponente, profectas eas fuiſſe clariſſime teſtantur. Tandem Pſammetichi Ægyptiorum Regis experimentum, de quo Herodotus lib. 2. & aliud Melabdin Echebar Regis Jndoſtan, quem magnum Magor appellant, apud Purchaſium noſtrum lib. 1. c. 8. hoc etiam confirmant: qui cum infantes quoſdam ab omnium ſocietate ſeclusos enutriri juſſerant, ut quiſnam eſſet ipſis a natura ſermo inditus indagarent, ſpe deluſi erant: pueri enim muti evaſerunt, nec vocem articulatam proferre poterant: quod enim quidam vocem Bec, Bec ediderunt, vel a capris quas ſugebant, vel a paſtoribus, vel aliis animalibus habere poterant: & ut obſervat Poſtellus de Origin. voces iſtæ Ba, be, bi, bac, bec, &c. quæ labiis potiſſimum conſtant, ſæpiſſime & mutis, & trimeſtribus infantibus communes ſunt.

4. Nulla itaque lingua homini naturalis eſt; ſed vel ab inſtituto pendet, vel imitatione addiſcitur: prima vero lingua ab inſtituto Dei vel hominum, neceſſario proveniſcitur. Non plane negandum eſt poſſe aliquam ex hominum inſtituto oriri: nam cum omnia locutionis inſtrumenta homo a natura habeat; rationem etiam Deus conceſſerit, cujus ope ſonorum differentias obſervare, & ex varia vocis modulatione literas diſtinguere, & ex eorum ſitu & connexione varia, dictiones & orationes componere, longo uſu & obſervatione poſſit; non video quin ex pacto inter homines ſimul degentes linguæ alicujus rudimenta ut ſigna externa excogitari poſſibile ſit. Cernimus etiam quotidie voces novas in ſingulis linguis a viris doctis cuſas, quæ uſu communi receptæ pro ſignis conceptuum internorum apud omnes habentur: In arte etiam qualibet de novo inventa, nova verba artificialia finguntur: Cur itaque ex hominum inſtituto tacito vel expreſſo, lingua aliqua integra oriri non poſſit, plane non perſpicio. Si tamen non quid fieri poſſit, ſed quid in primo rerum exordio factum ſit, quæratur; clarum eſt ex Creationis hiſtoria primam linguam ab inſtituto divino prorſus fluxiſſe; ipſumque, qui primorum hominum animas non tanquam raſas tabulas, ſed ſcientia rerum inſtructas creavit, etiam linguam primam in eos infudiſſe, ſine qua rerum ſcientia nulli fere uſui inſerviret: unde Gen. 2. ubi legimus, *Adamum factum eſſe animam viventem*, Onkelos paraphraſtes reddit, *ſpiritum loquentem*. Præterea primi parentes, ſtatim poſtquam creati erant, tum inter ſe, tum cum Deo, & ſerpente colloquuti ſunt; & Adam animalibus nomina impoſuit: quæ clare probant, ipſorum linguam non ex proprio conſenſu vel inſtituto fluxiſſe, ſed cum utrique a Deo concreatam fuiſſe: & hoc bonitati divinæ maxime congruum erat, ut obſervat Abraham de Balmis in præf. Gram. יוצר שמים וארץ ואדם לשבת עליה : ונתן לו לדבר בה בפרטים וכלליה : *Ut creans cœlum & terram, & hominem ad habitandum ſuper eam, daret etiam ipſi ad loquendum ea, ſecundum particularia, & univerſalia.* Prima itaque lingua erat Adamo divinitus data, a quo ad poſteros ejus uſu & imitatione derivata eſt.

5. Subjectum, cui ſermo convenit, eſſe naturam intelligentem, ex dictis patet: eſt enim ſermo animi nuncius, & loqui actio intellectualis, quæ hoc modo fit. Conceptu in mente formato, quem verbis exprimendum ratio imperat, aer a pulmonibus ſurſum expreſſus, & per λάρυγγα, ſive aſperam arteriam ad palatum delatus, a lingua labiis & dentibus ex rationis imperio ſic flectitur & concinnatur, ut moderatione ea fiat vox articulata. Quæ itaque fabulantur Poetæ & alii de brutorum & avium linguis, maxime Elephantum, de quibus mira referunt Geſnerus in Mithrid. & Waſerus Comment. ad ejus cap. 1. Plinius, Joſ. Acoſta, & alii; non moramur. Ut enim umbram tantum rationis habent animalia bruta, ſic tantum ſermonis umbram: ſoni enim quos edunt, ſunt affectuum naturalium ſigna, quæ in ejuſdem ſpeciei animalibus ſemper eadem ſunt. Narrat quidem auctor poſterioris Targum in Eſther, Salomonem linguas avium intellexiſſe, & avem quandam, ſcil. gallum ſylveſtrem ad Reginam Æthiopiæ cum mandatis miſiſſe: quodque ejuſdem eſt farinæ, in Alcorano legimus Azor. النمل Salomonem dixiſſe يا ايها الناس علمنا منطق الطيور *O homines intelligite avium eloquentiam*; & unam de avibus, *upupam*, ſcil. الهدهد famam reginæ Sabæ Salomoni attuliſſe: Sed nolo nugis Rabbinicis, & pſeudoprophetæ deliramentis lectori moram injicere. Plato etiam, ut et Homerus, deorum Dialecti meminere: & hic nomina quædam divina, quædum humana fingit, ut apud ipſum & Scholiaſt. Odyſſ. κ. videre licet: de quibus dicere ad inſtitutum noſtrum non ſpectat. Diſputant etiam de locutione Angelorum Scholaſtici, ad 1 Tho. q. 107. & in Sent. 2 Diſt. 11. Supponit ſane Apoſtolus ſermonem eſſe inter Angelos, 1 Cor. 13. cum ſcribit, *Si linguis hominum loquar & Angelorum*; de quo Chryſoſt. Hom. 22. Ambroſ. Theodor. Oecumen. Anſelm. & alii in eum; & Proſper epiſt. ad Demetriadem. Angeli etiam inter ſe colloquuntur, ut ex Zach. 2. & 3. Apoc. 7. & 9. Judæ epiſt. v. 9. & alibi conſtat. Unde Damaſcen. l. 3. c. 3. dicit Angelos inter ſe ſpirituali modo cogitationes & conſilia communicare: non tamen per ſigna ſenſibilia, ut homines animi ſenſa aliis ſignificant; ſed per ſpecierum impreſſionem, ut inter ipſos Scholaſticos doctiores ſtatuunt; & late oſtendit Suarez, de Angelis lib. 2. c. 26, 27, &c. Sed de his non inſtituitur noſtra diſquiſitio: unde iis prætermiſſis, e diverticulo in viam revertimur.

6. Linguam omnibus unicam fuiſſe ante cladem Babylonicam, docet Hiſtoria Sacra, Gen. 11. 2. *Erat tota terra labii unius, & verborum eorundem.* & v. 6. *Dixit Dominus, En populus unus, & labium unum eſt omnibus illis.* Quæ verba quidem de Noachi poſteris poſt Diluvium dicta ſunt; toto tamen tempore antediluviano unicam inter Adami poſteros linguam viguiſſe, facile probatur. Cum enim ab una communi ſtirpe totum genus humanum ortum ſit, primique parentes linguam unicam a Deo infuſam habuerint, hanc unicam liberos & poſteros ſuos edocuiſſe, negari non poteſt: cum liberi non niſi a majoribus linguæ uſum primum acceperint. Cumque genus humanum tanquam una fuerit familia, mutuo convictu, ſocietate, & commercio gaudens; quis dubitabit, quin unam eandemque linguam tanquam commune ſocietatis vinculum coluerint omnes: unde Maim. More Nevochim p. 3. c. 50. ſcribit, *Labium unum omnibus illis fuiſſe: ſic enim decebat, cum omnes eſſent filii viri unius.* Inter Ethnicos etiam fuerunt qui hoc agnoverunt. Sibyllæ neſcio cujus meminit Joſephus l. 1. contra Appion. cujus hæc verba refert: πάντων ὁμοφώνων ὄντων τῶν ἀνθρώπων, πύργον ᾠκοδόμησαν· &c. *cum homines ejuſdem eſſent linguæ, turrim ædificarunt*: Et ex Abydeno hæc nobis profert Euſeb. Præp. 9. 14. & Cyrill. l. 1. contra Julian. τέως δὲ ὄντας ὁμογλώσσους ἐκ θεῶν πολύθροον φωνὴν ἐνείκασθαι, *Cum unius linguæ eſſent, diverſa a diis lingua immiſſa fuit.* Ante Diluvium ut nullam legimus ex divina punitione diviſionem; ſic nec cauſam ullam fingere poſſumus, cur nova lingua formetur: nec ullum ejus veſtigium apparet, ſed contrarium potius. Nam ſi ulla mutatio fuiſſet, maxime in familia Cain contigiſſet. At Gen. 4. nomina propria poſterorum ejus, quæ ibi recenſentur, originem trahunt a vocibus Hebræis. Varias tamen fuiſſe dialectos non negaverim. Præterea, Patriarcharum tanta fuit longævitas, ut Noachus, qui diſperſioni multis annis ſupervixit, facillime primam linguam conſervare potuerit: natus enim erat, annos circiter 120. poſt mortuum Adamum. Reliquis vero Patriarchis omnibus (exceptis Setho & Henocho) qui Adamo coætanei erant, contemporarius fuit. Unde notant ex Talmude. c. 8. tract. Bava Bathra, et Sedar Olam Magno, duos homines Jacobum cum Adamo conjungere, Methuſalem & Semum: vixit enim Methuſala annis 243 ſuperſtite Adamo, Semus 98 annis ſuperſtite Methuſala, & Jacob 50 annis ſuperſtite Semo. Ex his itaque conſtat, linguam primam facile ſervari potuiſſe ad confuſionem uſque Babylonicam: imo moraliter loquendo, vix fieri poſſe, ut mutationem aliquam notabilem paſſa ſit. Nequaquam itaque audiendi ſunt, qui plures linguas ante confuſionem illam fuiſſe aſſerunt. Inter quos R. Elieſer in Talm. Hieroſol. lib. Megillah. c. 1. qui affirmat ſtructores turris Babylonicæ loquutos fuiſſe 70 linguis. Inter Chriſtianos vero Philaſtrius, Catal. Hæreſ. c. 106. contendit, magnam fuiſſe linguarum varietatem ante turrim conſtructam, omnes tamen ſe invicem intellexiſſe; & fuiſſe linguam unam non ex eorundem vocabulorum uſu, ſed ex eadem loquentium & audientium intelligentia. Hoc vero licet firmiter credendum eſſe contendat Philaſtrius, ut commentum vanum rejiciendum eſſe, ex dictis patet.

7. Confuſio Linguarum quo authore, & quomodo facta ſit, proximo loco inquirendum. Ab ipſis hominibus fuiſſe nemo facile crediderit. Nam (ut arguit Theſ. Ambroſ. de cauſis mutationis linguarum) nulla reddi poteſt cauſa ſufficiens, cur vellent homines ſermonem per tot ſecula uſitatum, & ad vitæ ac negotiorum communionem neceſſarium mutare, & ſeſe tanto beneficio privare: nec ſi voluiſſent, in tot linguas & idiomata ſponte conſentire potuiſſent, ut alii Babylonicam, alii Ionicam, alii Ægyptiacam, &c. eligerent. Nec ab Angelis, prout Orig. Hom. 11. in Numer. & Rabbinis quibuſdam viſum; Jonath. ſcil. in Gen. 11. 7, 8. & aliis. Nam Angelicam poteſtatem ſuperat immediate in mentes & voluntates hominum influere; ita ut ſpecierum, quas antea habuere, oblivionem inducere, novaſque imprimere poſſint. Poſſunt quidem Angeli, ut corpus, ſic & linguam humanam aſſumere; ut ex ſcriptura certum eſt: ſed hanc in hominibus nec creare nec mutare poſſunt: Solus Creator qui unitatem linguæ primus dedit, eam mutare & tollere poteſt; ut Luther. in Geneſ. 11. Cognitio vero linguarum, quam mali Spiritus quibuſdam etiam rudibus ſuggerunt, non eſt habitualis & permanens, ſed actualis ſuggeſtio, ita ut non ipſi obſeſſi, ſed ſpiritus per eos, Deo permittente, loquatur: unde ad ſanam mentem redeuntes, in priſtinam ruditatem redeunt; ut ſcribit. Corn. a Lap. in Gen. 11. Verba vero illa, *Venite, deſcendamus, & confundamus linguam eorum*, hoc tantum ſignificant, Deum non temere, ſed maturo conſilio, ſapienter & juſte, ut omnia judicia ſua, ſic hoc de linguarum confuſione inflixiſſe. De ſeipſo etiam ſæpe Deus loquitur more Regum & magnatum, ſicut ex Rabbinis multi locum iſtum exponunt, quos citat clariſſ. Buxtorf. in diſſertatione de linguarum confuſione. Nec ſi concederemus, Deum Angelos hiſce verbis allocutum fuiſſe, aliud inde colligi poteſt, quam Deum cum deſcenderet ut hanc pœnam infligeret, Angelos habuiſſe quaſi ſatellites, quibus ſtipatus præſentiam ſuam ſpecialem in hac pœna irroganda manifeſtavit: qua ratione etiam Angeli quoque ea verba loqui in ſcripturis dicuntur, quæ Dominus ipſe loquutus eſt. Reſtat itaque Confuſionem a ſolo Deo inductam fuiſſe: ſic enim diſerte docet textus, Gen. 11. 9. *Dominus confudit labia eorum.* Cumque ſubito & quaſi momento facta ſit hæc unius linguæ in plures diviſio, & varietas tanta in animis hominum introducta ſit, proficiſci aliunde non poterat (ut optime obſervat doctiſſ. Brochart. Geogr. Sac. parte prima l. 1. c. 15.) quam ab eo cui velle & facere idem eſt: quique donum lingua-

rum (miraculorum omnium fere maximum) hominibus etiam indoctis immeditate contulit, hanc mutationem Babylonicam virtute plane divina effecit. De modo vero quo varietatem induxit, multi multa curioſe quærunt. Rabbini hic multa fingunt, quorum opiniones diligentiſſime collegit D. Buxtorf. dicta diſſertatione. Mihi maxime probantur, quæ ex Mercero adfert; *Non eſſe quod ſubtilius & curioſius quæramus, quomodo facta ſit hæc Linguarum confuſio : repente id factum arcana ratione putarim & nobis ignota, ſicut & pleraque alia in ſuperioribus narrata: quæ facta quidem ſcimus, ſed quo tandem modo ignoramus. Fide opus eſt.*

8. Quodnam vero erat peccatum, quod Deum impulit, ut hanc pœnam infligeret? Hic varii varia commenti ſunt. Rejicienda vero omnino eſt Toſtati, Aben Eſræ, & aliorum opinio, qui nullius peccati conditores turris reos fuiſse vel inde colligunt, quod hæc diſperſio in bonum humani generis ceſserit : Hoc enim ex ſapientia & bonitate divina provenit, quæ ex malo bonum elicere novit. Abſurdum vero eſt vel cogitare, Deum Opt. Max. aliquid in hoc opere admirando ſine cauſa magna mutare voluiſse; hominibus linguam, quam a mundo condito ipſis conſervaverat, ſubito mutando, ut alius alium non intelligeret : nam pœnam peccati alicujus fuiſse, ex eo conſtat, quod linguæ unitas magnum erat Dei beneficium, ſcil. ſocietatis mutuæ vinculum : unde ejus immutatio, quæ ad ſocietatis humanæ diſſipationem tendebat, neceſsario erat ingens hominum pœna. Hoc vero ut plenius conſtet, quale demum fuit illorum peccatum, inquiramus. Joſephus vult hoc ſibi propoſuiſse inſanos hos ſtructores, ut turrim altiſſimam exſtruendo, contra futuram aquarum cladem ſe munirent, ſi aliud Diluvium a Deo mitteretur. Atqui hoc metuere non poterant, cum promiſiſſet Deus ſe poſthac aquas non immiſsurum, quibus terram deleret : quinimo nec poſsent hoc pacto ſecuros ſe fore credere, cum tantum aquarum impetum nulla ædificia ſuſtinere poſsent : nec in loco humili & paludoſo inter duos ingentes fluvios ſito, & inundationibus expoſito; ſed in altiſſimo aliquo monte, vel rupe editiſsima molem hanc conſtruxiſsent. Minus adhuc probabile eſt eos aliquid de futuro mundi incendio præſagientes (de quo & apud poetas legimus) hoc propugnaculo contra conflagrationem ſibi proſpexiſse. Quis enim in univerſali mundi concrematione ſe ope alicujus ædificii licet altiſsimi a flammis immunem fore ſperare poſset? Maxime autem omnium a vero abeſt, quod quidam affirmant, hoc ſibi propoſuiſse, ut tanquam per ſcalas ad cœlum aſcenderent, quaſi Deum de throno deturbaturi : cum ignorare non potuerint, quam immenſo ſpacio cœlum a terris diſtat, præſertim ſi Aſtrologiæ præcepta columnis inciſa a Sethi poſteris poſt Diluvium extiterint, quod teſtatur Joſeph. Ant. l. 1. c. 2. Duplicem proinde cauſam veſanæ hujus ſtructuræ nobis indicat textus, Gen. 11. Primo, *ut nomen ſibi pararent : Ædificemus* (aiunt) *nobis urbem, & turrim cujus faſtigium ad cœlum pertingat, ut nobis faciamus nomen :* ut ſcil. gloriam nominis ſui hoc opere inſigni poſteris relinquerent. Hoc vero ſuperbi animi indicium erat contra Deum gloriantis, & propriam, non Dei, gloriam quærentis : & quod quaſi hæreditarium erat Babyloniorum crimen, cum Dan. 4. 27. ejuſdem urbis inſtauratorem ita jactantem legimus, *Nonne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloriam decoris mei?* Deinde, *ne diſpergerentur.* Cum enim Dei voluntas eſſet & conſilium, ut homines replerent terram, & ubique terrarum ejus potentiam, bonitatem & ſapientiam gratis animis agnoſcerent; contra ſupremam voluntatis divinæ rationem, conſilia & potentiam ſuam conjungentes, quaſi Deo bellum indicere vellent, molem hanc ſtruunt, ne diſpergerentur : id eſt, ne decretum divinum effectum ſuum ſortiretur. Quocirca Deus ſtultitiæ & dementiæ ipſorum pœnam in eos immiſit, quo id, quod maxime timebant, in ſemetipſos accerſerent; & diſperſionem, quam maxime nollent, ſubito in ſe attraherent : ut diſcerent, conſilia divina ſtabilia eſſe, *nec eſſe prudentiam vel conſilium contra ipſum,* Prov. 21. 30.

9. Admirandam tamen, ut obſervat vir doctus, divinæ tum clementiæ, tum ſapientiæ & potentiæ cum juſtitia mixturam in hac pœna cernere licet. Pœnam enim peccato congruam inflixit divina juſtitia; cum ſermoni, quo reliqua animantia homines ſuperant, quo opera omnia, & inter cætera hoc opus ſuperbum & audax perficere conati ſunt, ſempiternæ vindictæ notam impreſſerit : potentiam etiam ſuam demonſtrat, cum nullis utatur machinis, ſed tantum linguas confuderit, quo tum opus eorum ſimul impedierit, tum ipſos etiam eadem opera diſperſerit. Bonitatem tamen ſapientiamque divinam tum juſtitia conjunctam perſpicere licet, quod non fulmine temerarium incœptum irritum reddiderit, non terræ hiatu abſorpſerit, nec terræ motu everterit : ſed tantum ab inchoato eos opere deſiſtere fecerit; ipſorum ædificium perenne monumentum tum ipſorum ſuperbiæ & vanitatis, tum ultionis divinæ, poſteris relinquens: nec ratione, intellectu vel memoria homines privavit, vel ſermonis organa abſtulit; ſed rationi vincula quaſi injecit, ſermonemque, qui unicus antea fuerat, in multiplices loquendi formas derivavit, ita ut voces eædem varie compoſitæ non omnibus idem ſignificarent. Nec ſingulis hominibus propriam indidit linguam; quod certiſſimam humano generi perniciem attuliſſet, cum nec in civitate nec in familia officia mutua ob linguarum diſcrepantiam præſtari potuiſſent : nec valuiſſet hoc ad multiplicandos hominum cœtus & civitates, ſed ad omnes a ſe invicem diſtrahendos, ut notat Salianus Annal. ann. 1931. n. 13 : Sed ſumma cum ſapientiæ & æquitatis laude, ſingulis familiis diverſam indidit linguam, quam qui intelligerent ſocietate conjuncti coloniam facerent, propriaſque ſedes quærerent, ubi fixi vitam communem colerent; & cum terram univerſam filiis hominum colendam conceſſiſſet, hoc pacto in omnes regiones illos diſperſit, ut ubique in operibus & creaturis divinam ſapientiam, potentiam, & bonitatem contemplantes, grata variarum linguarum harmonia laudes ejus celebrarent : adeoque magnum hominum emolumentum cum gloria divina conjunctum ex hac diſperſione emerſit.

10. Quod ad linguarum numerum attinet, quæri poteſt vel de linguarum primarum numero poſt cladem Babylonicam, vel de hodiernis omnium nationum linguis. De primo antequam dicamus, ſtatuendum eſt, non omnes linguas ex Hebraica ortas eſſe, ita ut reliquæ ejus tantum ſint dialecti, prout multi opinantur, qui omnes linguas ad Hebraicas origines revocare ſtudent. Hoc tentavit Daviſius Cambro-Britannus de lingua Wallica (quam eandem eſſe cum antiqua noſtra Britannica, ut & Gallica, multis probat Boxhornius de Originibus Gallicis lib. 1. cap. 7.) de Danica doctiſſ. Wormius, de Germanica Claudius Mitilerius, & alii; at omnes conatu irrito. Eſt quidem Hebræa omnium antiquiſſima; ejuſque reliquiæ quædam in omnibus fere linguis reperiuntur: quædam etiam linguæ magnam cum Hebræa affinitatem habent, præſertim quæ Babyloni viciniores, (ut de Chaldaica, Arabica, Syriaca, Æthiopica, & aliis videmus: unde ejus filiæ, & dialecti improprie dici poſſunt:) proprie tamen & ſtricte loquendo, linguæ ſunt diverſæ, quarum, qui unam callet, alteram forte non intelligit. Hoc alias pœnæ gravitatem tolleret, quæ ejuſmodi intulit diverſitatem, ut mutuo colloquendi abſtulerit facultatem, & ut paucis verbis exceptis reliqua cum Hebræa nihil cognationis haberent. Alias etiam finem ſuum Deus non aſſecutus eſſet, ut ſcil. ſtructores cum ſe mutuo non intelligerent, ab incœpto opere deſiſterent, & novas ſedes quærerent: & cum Dominus Apoſtolis linguarum donum conceſſit, non variis dialectis, ſed diverſis plane linguis loquebantur. Multa ſane verba ſunt in diverſis linguis, quæ eundem ſonum, imo & ſignificationem habent: non tamen ejuſdem ſunt originis, nec linguarum una ab altera derivatur. Multa vocabulorum millia collegit Camerarius, quæ Græce & Germanice idem ſignificant: multa etiam vocabula Germanica & Anglicana, quæ prorſus cum Perſicis eadem ſunt, obſervarunt Joſ. Scal. Gravius noſter, & alii. Varia exempla congeſſerunt Poſtellus l. de 12 Linguis, & Boxhornius de Orig. Gallicis, quæ eadem plane ſunt Hebraice, Græce, Germanice, & Gallice: imo quædam linguæ Hebraicæ veſtigia in novo orbe reperta eſſe teſtatur Hornius, de Americ. Orig. l. 3. c. 13. ſcil. in Nova Anglia, & Novo Belgio: ubi vox (Arguada) *terram* ſignificat; & nomen, *Joſeph* apud Hurones invenitur. Hinc tamen non probatur, linguas iſtas haud eſſe diverſas, vel ejuſdem dialectos : ſimilitudo enim hæc vocum quarundum caſu accidere poteſt, prout multi ſunt vultu ſimiles, non tamen ab iis prognati quorum vultus referunt : & nulla fere eſt lingua, quæ ex aliis verba quædam non ſit mutuata, ex commercio mutuo, coloniis novis, aliiſque cauſis: ſic videmus Indicas pleraſque merces, apud Europæos Indica nomina ſortitas eſſe. Hoc itaque fixum ſit, varias & revera diverſas fuiſſe linguas primævas, non primæ dialectos.

11. De numero variant antiqui & recentiores. Antiqui plærique numerum circiter ſeptuagenarium eſſe ſtatuunt. Hebræi ſecundum numerum nepotum Noachi ſimpliciter 70 numerant, quia totidem familiarum capita ex Gen. 9. 18. & cap. 10. colligere ſibi videntur; ſcilicet, Japheti, 14. Chami, 30. & Semi, 26. nam poſt familiarum iſtarum recenſionem, ſequitur, *Ab ipſis diviſas eſſe terras, juxta linguas ſuas.* Necnon Deut. 32. 18. *Statuiſſe Altiſſimum terminos populorum ſecundum numerum filiorum Iſrael.* Filii vero Iſrael, qui cum ipſo in Ægyptum deſcenderunt, erant 70. Inde paſſim apud ipſos legitur, 70 eſſe Angelos, qui ſingulis populis orbis terrarum præſunt: & hæc tria nexu individuo conjungunt, 70 linguas, 70 nationes, 70 Angelos: 70 etiam recenſent nomina legis, totidemque nomina divina, quæ apud Juſtinian. Epiſ. Nebienſem habentur in Pſal. 119. Hinc in Talm. l. Sanhedrim de judicibus & judiciis cap. 1. dicunt, Judices ſynedrii ſive aſſeſſores Cameræ judicialis Hieroſolymæ 70 linguarum peritos eſſe debere, ut ex omni terrarum parte coram ipſis litigantes intelligere & judicare poſſint, idque ſine interprete, ne judicia eorum errori obnoxia ſint. Sic multi Rabbinorum, quos adducit clariſſim. Buxtorf. dicta diſſertatione.

12. Ex Chriſtianis, antiquiores tam Græci quam Latini, cum pleriſque recentioribus interpretibus in Gen. 11. communiter 72 linguas primævas numerant, Græcam 70 verſionem ſecuti, qui Eliſam inter Japheti filios, & Cainanem inter Semi recenſent : qui nec in textu Hebræo hodierno, nec in Chaldæo habentur. Legit quidem Auguſtinus Eliſam octavum Japheti filium in codice ſuo : quæ lectio licet a multis codicibus Græcis diſcrepet, extat tamen in codice Vaticano, quem in hac editione ſecuti ſumus : alii vero duos Cainanes adjiciunt, unum Semi filium, ver. 23. alterum Arphaxadi, ver. 24. qui in omnibus Græcis codicibus extant. Qui vero hos duos omittunt, tamen ut numerum 72 efficiant, adjiciunt Philiſtæos, qui e Chaſluchæis orti, ex Gen. 10. 14. Hujus vero ſententiæ ſunt, Clem. Alex. Strom. l. 1. Euſeb. Chron. lib. 1. Auguſtin. de Civit. Dei 16. 3. & 7. Hieronymus in Matth. 26. 23. Epiphan. contra Hæreſes lib. 1. Proſper de vocat. Gentium lib. 2. cap. 4. qui præter dicta Scripturæ loca, alia adducunt argumenta, ſed debiliora. Verum etſi magna & veneranda ſit apud me antiquorum Eccleſiæ procerum auctoritas, a quibus non niſi invitus diſcedo: cum tamen de rebus iſtiuſmodi ſalva fide diſſentire liceat; rationeſque, quibus hæc nititur ſententia, infirmæ videantur; illorum ſententiæ potius accedo, qui linguarum numerum in Scripturis non eſſe definitum, nec a nobis certo determinari poſſe judicant. Inter quos Franciſ. Junius, Bonfrerius, Corn. a Lap. in Gen. 11. Sam. Brochart. Geogr. Sac. lib. 1. cap. 15. doctiſſ. Buxtorf. diſſertatione de ling. confuſione, cum aliis. Rationes vero præcipuæ ſunt. 1 Longe plures videntur fuiſſe ex poſteris Japheti & Chami, quam qui in Gen. recenſentur: extenditur enim eorum Genealogia tantum ad tertiam, Semi vero ad ſextam generationem. 2. Inter ipſos qui recenſentur multi ſunt, qui non poſſunt diverſas gentes & familias, adeoque linguas diverſas conſtituere: quomodo enim patres ſine filiis, gentes & familias ſinguli conſtituere poſſint? vel quis credet eos ſeorſim a filiis habitaſſe, vel poſteros ſuos a ſe ablegaſſe? Ideo Cornel. a Lap. demptis nominibus patrum, qui non poterant diverſam a filiis familiam aut gentem condere, numerum decurtat ad 55. Nec alicujus momenti eſt, quod adfert Salianus in Annal. anno 1931. 11. 13. potuiſſe ſcil. patres familias habere per alios

filios præter eos qui in textu ſacro nominantur. Hoc enim ab ipſo gratis dictum eſt: & licet veriſimile ſit patres multo plures habuiſse filios, quam quorum nomina habemus in Geneſi: hoc tamen ab hujus ſententiæ patronis affirmari non poteſt, qui ex patrum & filiorum nominibus quæ in textu habentur, inferunt totidem fuiſſe linguas & gentes, nec plures nec pauciores: Si vero ſecundum filios, quorum nomina non memorantur, linguarum numerum colligere velint, rem plane incertam faciunt: quum illorum numerus nobis omnino incertus ſit. 3. Probabile eſt Phalegi majores, Arphaxad, Sale, & Heber, non conſpiraſse cum reliquis in turris exſtructione, (maxime Heber, in cujus familia plerique linguam primam cum vera religione manſiſse credunt:) unde nec pœnæ de linguæ mutatione obnoxii erant. 4. Multi, qui pro familiarum capitibus nominantur, eundem, non diverſum ſermonem habuere; ſcil. Chanaanis filii plerique, qui terram Chanaan habitarunt: quorum lingua eadem erat cum Hebræa, vel dialecto tantum ab ea diſcrepabat, ut alibi probabitur: omnia enim locorum nomina ſunt mere Hebraica. Præterea, ſi tres Noe liberos addamus, erunt plures quam 72. niſi cum Saliano fingere liceat, ipſos plures habuiſſe linguas, primævam, ſcil. quam a patre didicerunt, & aliam per quam poſteros inſtruere & ſalutaria monita ipſis dare poterant, ut cum ipſo ſentit Torniellus. Denique, quod obſervat Brochartus, in Græcia eandem linguam habuere Javan & Eliſa; in Ægypto Miſraim & Patraſius, incolæ Thebaidos; in Aramæa Aram & Hus, Syriæ incolæ; in Arabia cum Jectanæis fere omnes filii Chus, &c. Unde vix triginta linguas, his omnibus decurtatis, relinquit. Ex his vero neceſſario concluditur, multo pauciores fuiſse linguas Originarias, quam vulgus exiſtimat: cum hodieque paucæ iſtiuſmodi reperiantur, pleriſque fere ex mixtione ortis. Satis erat Deo tantam mutationem induxiſse, ut non poſsent ſe mutuo intelligere, nec in ædificio progredi. Nec Moſi propoſitum fuit, ſingulas gentes & totius orbis linguas enumerare; ſed præcipuas, maxime quæ Judæis proximæ erant, in quorum gratiam ſcripſit. Idcirco, notante Junio, gentem Chanaanis minutim & accurate deſcripſit: fineſque ejus anguſti accurate explicantur, quia ipſorum terram Iſraelitæ erant poſſeſſuri: gentes vero alias licet maximas, vel plane reticuit, vel unico verbo deſignavit. Verba vero Moſis, Gen. 10. 31. *Iſti ſunt filii Semi, vel Chami, ſecundum cognationes & linguas ſuas*, hoc tantum volunt, populos & familias haſce ab illis prognatas eſse, linguaſque varias habuiſse; non tamen ſingulis propriam & a reliquis diverſam fuiſse: ut cum Eſth. 8. 9. dicitur, Ahaſueri regulos ad 120 provincias literas ſcripſiſse, *ſecundum ſcripturam & linguam cujuſque provinciæ*; hoc tantum colligi poteſt, varias fuiſse provinciarum linguas, varioſque modos ſcribendi, non vero ſingulis provinciis linguam & ſcripturam propriam. Nec ex loco Deuter. Quod *Deus conſtituerat terminos gentium juxta numerum Angelorum*, ut eſt in Græco, vel *filiorum Iſrael*, juxta Hebræum, colligitur certus numerus populorum 70 vel 72, cum incertus omnino nobis ſit Angelorum numerus, & de numero filiorum Iſraelis diſputetur: ſed vel, ſecundum Græcos, Deum regiones & orbis regna per Angelos miniſtros gubernare, ut ex Daniele multi colligunt; vel, ſecundum Hebræum textum, Deum cum terram inter populos diſtribueret, tantam terrarum partem filiis Iſraelis reſervaſse, quantam ipſorum habitationi commodam futuram noverit, ut optime exponit D. Brochartus. Quæ vero de 70 diſcipulis, & 70. Angelorum Chiliadibus &c. a quibuſdam adferuntur, cum meræ ſint conjecturæ, & nullam probandi vim habeant, reſponſione ſeria non egent.

13. Linguarum primarum numerum certo definiri non poſſe probavimus: magis vero incertum eſse earum numerum, quæ a primis ortæ ſunt, linguarum mixtura, & mutatio, quæ quotidie fit, plane oſtendunt. Narrat Plinius Mithridatem regem Ponti viginti duabus linguis locutum eſse ſine interprete, quot ſcilicet populis ipſe imperabat. Multarum linguarum homines ad bellum Trojanum confluxiſse, prodidit Homerus Iliad. 4. Colchorum emporium, urbem Dioſcuriam, quæ nunc deſerta eſt, olim adeo claram fuiſse teſtatur Timoſtocles, ut in eam trecentæ nationes negotiorum cauſa, quæ linguis diſſimilibus uterentur, confluxerint: poſtea vero per 120 interpretes negotia ibi geſta, narrat Plinius lib. 6. cap. 5. Si tot linguæ fuerint nationum quæ huic urbi erant vicinæ, quot putemus eſse in totius orbis regionibus? 1 Enumerat quidam linguas in univerſum quadringentas: ſed multas prorſus omittit; & multas, quæ dialecto tantum diſcrepant, pro diverſis linguis ponit. Multas quotidie novas oriri, obſervat Goropius Becanus lib. 1. Hermath. quæ antehac non extiterunt. In Europa ſola, minima orbis parte, quamplurimæ exortæ: Græcia tota cum ſuis inſulis, Hiſpania, Gallia, Britannia, Italia, cum inſulis adjacentibus, novis linguis utuntur, poſt diviſum imperium Romanum, ex priorum mixtione vel corruptela, vel aliis de cauſis enatis. Variæ etiam reſtant gentes adhuc incognitæ, præter plurimas, quæ quotidie de novo deteguntur, antiquis penitus ignotæ, quæ linguis tantum inter ſe diſtant, quantum uterque polus. Quot ſunt in orbe Atlantico & apud Hyperboreos, quis nobis explicabit? quot in terra Auſtrali incognita, aliiſque terris nondum exploratis, quis vel divinare audet? Concludam itaque verbis ejuſdem Becani, *Etſi quot linguæ olim fuerint, vel hodie extant, quidam definire audeant; nemini tamen liquere puto, adeoque non magnopere noſtra intereſſe.*

14. Quædam tamen inter linguas nobis cognitas quaſi Cardinales, e quibus multæ aliæ pullularunt, a doctis recenſentur. 1 Hebræa, unde Chaldaica ſive Syriaca, Chanaanitica, Punica, Arabica, (quæ hodie omnium latiſſime per orbem propagata eſt,) Armena, Æthiopica, & ex parte Perſica. 2. Græca, cum variis ejus dialectis, tam quinque vulgo notis, quam aliis plurimis: quæ per diverſas urbes genteſque Græciæ finitimas, & per varias, ubi Græcorum imperium vigebat, nationes extenſa, cum aliis mixta novas linguas produxit, ut Ægyptiacam hodiernam, quæ maxima ex parte ex Græca & antiqua Ægyptiaca enata eſt. 3. Latina, ſub qua tum antiqua & hodie obſoleta Volſcorum, Samnitum, Hetruſcorum, &c; tum quæ perfecta erat tempore Cæſaris, Ciceronis, Plinii, &c. tum hodierna corrupta ex Gothorum aliorumque Barbarorum irruptione, ut Italica, Hiſpanica, Gallica, &c. 4. Teutonica ſive Germanica, unde Germanica communis, Helvetica Teutonicæ priſcæ proxima, Suevica, Weſtphalica, Auſtriaca, Belgica per Flandriam, Brabantiam, Bataviam, aliaſque regiones diſſeminata; & Cimbrica, ſub qua Danicam, Suedicam, Norwegicam, Anglicam, Gothicam numerant. 5. Sclavonica ſive Illyrica, longe per Europam & Aſiam ſe extendens; ſub qua Dalmatica, Moſcovitica, Vandalica, Croatica, Bohemica, Polonica, Lithuanica, aliæque ejus quaſi dialecti. Geſnerus in Mithridate ſexaginta nationes enumerat, quæ hac lingua utuntur, cap. 2. p. 62. 6. Tartarica, quæ longe per ſeptentrionem vagatur, ad quam multæ Europæorum & Aſiaticorum linguæ antiquæ referendæ, ſi Boxhornio credendum; ut antiqua Gallica, & Britannica, cujus reliquiæ adhuc in VVallia manent, Hiſpanica antiqua, Turcica &c. 7. Addunt quidam Chinenſem, ab omnibus totius orbis diſcriminatam; tum vocabulis, quæ omnia monoſyllaba; tum characteribus, qui non literas vel voces articulatas Alphabeti, ut in reliquis mundi partibus, ſed res ipſas menti repræſentant: unde illorum numerus a quibuſdam ſupra centum millia extenditur. Lingua vero hæc licet hodie in varias diviſa ſit, ita ut unius provinciæ incolæ alios non intelligant: communibus tamen utuntur omnes characteribus, quos (utpote a rebus ipſis deſumptos) omnes legere & intelligere poſſunt, etiam ea quæ lingua ſibi ignota ſcripta ſunt. Cumque ipſi literarum ſive characterum ſuorum uſum prope Diluvium ex certis & indubitatis ipſorum monumentis & hiſtoriis deducant, (omnes enim mortales, ſolis exceptis Judæis, Hiſtoriæ gentis ſuæ certitudine & antiquitate ſuperant;) & vix ullam cum aliis nationibus, vel linguæ vel morum mixturam habeant, ut qui ex fundamentali & antiqua lege, de exteris in regnum non admittendis, omnes fere cum exteris commercium obſtinate rejiciunt, ipſorum linguam unam ex primævis fuiſse, quæ in clade Babylonica exorta hodie conſervatur, veriſimile videtur.

15. Ut vero omnia ſublunaria in perpetuo fluxu ſunt, ſic nulla mutationi magis obnoxia ſunt quam linguæ. Errant enim, ut ſcribit Lipſius epiſt. 44. Cent. 3. ad Belgas, qui in re inſtabili maxime, ſtabilitatem quærunt: quam tamen aliquam a literis dari fatetur, *Una fideli rerum cuſtodia.* Nam quod Hebræa, Græca, Latina perſeverant, eſt a libris & literis: in quibus tamen inſignem mutationem temporum viciſſitudines invexiſse, tum in verborum flexione, pronunciatione, ſignificatione; tum in characterum figura & connexione, facile advertet, qui antiqua MSS. præſertim quæ mille abhinc annis conſcripta ſunt, cum iiſdem libris nuper ſcriptis vel impreſſis contulerit. Hoc in linguis primariis facile cernimus. Quantum diminutus ſit priſtinus linguæ Hebraicæ nitor, vel inde liquet, quod per 70 annorum captivitatem ita cum Chaldaica commixta ſit, ut vernacula amplius poſt reditum non fuerit; ſed per vocabulorum Chaldaicorum mixturam, & eorum ad Chaldaiſmum inflexionem in Aramæam degeneraverit: unde nullibi niſi in libris Vet. Teſt. pura & primogenia Hebraica reperiatur. Poſtquam vero Græcis & Romanis ſervierunt Judæi, & in varias terras diſperſi vel abducti ſunt, omnium fere linguarum vocabulis exoticis corruptam & interpolatam eſse Hebræam teſtatur chaos illud linguæ Rabbinicæ, & inprimis opus Talmudicum, cujus ſtylus horridus, monſtroſus, & ex omnium fere linguarum vocibus commiſtus eſt: ut de eo ſcripſit vir doctus in ejus lectione multum verſatus.

16. Quod de Hebræa diximus, etiam de Græca affirmari poteſt; multum a priſtina puritate deflexiſse, & barbariem hodie induiſse: adeo ut Liturgias Baſilii & Chryſoſt. quæ in Eccleſiis publice leguntur, vulgus non intelligat; ut nec vulgarem Græcam docti, qui antiquam callent. Quantum ſcriptio Græca antiqua ab hodierna differat, oſtendunt antiquiſs. MSS. ut Callimachi carmina, quæ deſcripſit Angel. Polit. cap. 80. & MS. noſtrum Alexandrinum verſionis Græcæ τῶν ό, literis uncialibus deſcriptum ab hodiernis figura multum diſcrepantibus: idque ſine ulla vocabulorum diſtinctione, vel ſpirituum & accentuum notis: de quo poſtea plura ſuo loco. Obſervat etiam doctiſſ. noſter Breerwoodus ex Cruſio & aliis, non tantum ex alienarum dictionum mixtura, ſed & in vocibus nativis & maxime propriis mutationem factam eſse; & in libris Cedreni, Nicætæ, aliorumque Græcorum Doctorum, longe ante Turcarum invaſionem barbariei veſtigia multa reperiri. Hoc vero non ex Gothorum inundatione profluxit, ut qui moram in Græcia non traxerunt, nec in unum populum cum Græcis coaluere: ſed partim ex rerum omnium viciſſitudine, quam tempus edax rerum in linguis omnibus efficit, ſenſim non ſubito mutationem inferendo; partim ex tranſlatione ſedis Imperii, quæ multa vocabula Romana in Græciam invexit; maxime vero ex ipſa Græcorum incuria, & affectatione, dictiones decurtando, confundendo, vocales & diphthongos aliter pronunciando, & accentus a ſyllabis propriis transferendo.

17. Latinam vero idem fatum ſubiiſse, liquet ex Quintil. Inſtit. l. 1. c. 6. qui Saliorum verſus a Numa compoſitos memorat, a ſacerdotibus vix intellectos: Leges etiam 12 Tabularum, quas collegit Fulvius Urſinus, & propriis verbis Decemvirum ac Regum a quibus factæ, publicavit, quantum Latinus ſermo recentior ab antiqua deflexerit, plane demonſtrant. Polybius Hiſt. l. 3. teſtatur, articulos fœderis inter Romanos & Carthaginenſes, quod paulo poſt Regum expulſionem factum eſt, vix intelligi potuiſse a doctis ſui ſeculi, etiam antiquitatum ſtudioſis: quod tamen fœdus vix ante 350 annos factum erat. Hodie etiam videre licet Romæ columnam roſtratam in Capitolio, in ædibus Conſervatorum, a roſtris navium, quibus ornata conſpicitur, dictam, memoriæ Druſilli Conſulis Romani dicatam, qui primo bello Punico victoriam navalem contra Carthaginenſes reportavit, non ultra 150 annos ante Ciceronis tempora, cum maxime floruit lingua Latina: cujus verba, quæ legi poterant, ita exprimuntur, multum a Ciceronianis diſcrepantia; ut ex utrorumque collatione patet, quæ apud Breerwoodum ita habentur.

Exemit. Leciones. Maciſtratos. Caſtreis. Exfeciont.
Exemit. legiones. magiſtratus. caſtris. effugiunt.
Pugnandit. Cepet. Inque navibos. Maria. Conſol.
Pugnando. cepit. Inque navibus. Mari. Conſul.
Primos. ornavit. Navibos. Claſeis. Pœnicas. Sumas.
Primus. ornavit. navibus. claſſes. Punicas. ſummas.
Cartacinenſes. Dictatored. Altod. ſocias. Trireſmos.
Carthaginenſes. Dictatori. Alto. ſociis. Triremes.
Naveis. Captom. Numei. Navaled. Praided. poplo &c.
Naves. Captum. Nummi. Navali. præda. populo &c.

Hic videmus literas ſibi invicem commutari; c pro g poni, e pro i, o pro u, interdum pro e, d ad finem dictionum adjici, &c.

In Jacobi Lauri libro dicto, *Antiquæ urbis ſplendor*, plenius deſcribitur iſta inſcriptio, una cum vera columnæ figura. Inſcriptio vero talis eſt, quam ad verbum deſcripſimus.

C. Duillio M. F. M. N. Conſol. . . . .
. . . . Segeſta opidon. . . . .
OBSIDIONED. EXEMET. LEGIONES. ROMANas periculo.
MAXIMOSQUE. MAGISTRATOS. Liberavit. Civium.
in novem. CASTREIS. EXFOCEVNT. MARCELLam urbem.
puNANDO. CEPET. ENQUE. EODEM. MAGIſtratum.
REM. NAVIBOS. MARID. CONSOL. PRIMOS. Geſſit.
CLASSESQUE. NAVALES. PRIMOS. ORNAVET. PALmaa
CUMQUE. EIS. NAVEBOS. CLASSEIS. POENICAS. OMnes.
SUMAS. COPEAS. CARTAGINENSIS. PRæſente hannibale.
DICTATORED. OLOTOM. IN. ALTOB. MARID. pugnando cum
quinque. naVEBOS. ET. CUM. SOCIEIS. SEPTE. REMEM.
BiremosQUE. TRIREMOSQUE. NAVEIS. X. CEPIT.
auroM. CAPTOM. PREDA. NVMET. . . . .
. . . .

IdeoQUE. NAVALED. PREDAD. POPLONiolos donavit.
CARTHAGINENSI . . . . N . . . . NVOS L . . . . . .
. . . . ET . . . . CAPT. . . . . . .

Cauſas vero tantæ mutationis, quæ paulo poſtquam lingua Latina ad ἀκμὴν pervenit, accidit; refert vir Doctiſs. partim ad ſervorum multitudinem, qui civium Romanorum numerum ſuperabant, una cum advenis innumeris ex omnibus provinciis confluentibus, qui barbariſmos multos invexere, teſte Iſidoro Orig. lib. 9. cap. 1. (ita ut Tertullianus, qui ſub Septimio Severo floruit ante irruptionem Barbarorum, Romanis exprobraret, quod linguam patrum ſuorum abrenunciaſsent;) partim ex linguarum Provincialium cum Romana commixtione; maxime vero ex Gothorum &c. mixtura, qui ſeculo quarto inſtar torrentis ex Septentrione in Italiam, aliaſque Occidentales Imperii partes irruerunt: ex qua confuſione non potuit non lingua Latina, a puritate ſua multum antea deflexa, per tantam Barbarorum illuviem, magnas ſordes contrahere. Quod vero in doctis linguis evenit, in aliis multo clarius conſpicitur: ut in Germanica, Gallica, Anglica, aliiſque, quæ ſpacio 300 vel 400 annorum, tantam ſubierunt mutationem, ut non niſi longa obſervatione, diligenti ſcrutinio, vel Gloſsarii alicujus ſubſidio, monumenta patriæ antiqua quiſquam intelligere poſſit: et ſi quis hodie ita loqueretur, ut majores noſtri ante paucas centurias, riſu exciperetur. Vide Beſold. de natura populorum, p. 49. Trithem. lib. 3. de Polygraphia, in præf. Scalig. Epiſt. 228. quæ eſt ad Johan. Iſaacum Pontanum. Duretum de linguis, p. 825. &c.

18. Mutationem hanc linguarum ex triplici cauſa fieri docet Joh. Bodinus in methodo Hiſt. cap. 9. Una eſt in ipſo decurſu temporum: quibus non modo linguæ, ſed res omnes immutantur. Altera eſt coloniarum & populorum confuſio: Argumento ſit Italia & Græcia, quæ tot ſeculis puritatem ſermonis tenuerunt: hodie tamen tanta mutatio conſecuta eſt, ut nec Latina, nec Attica, ubi nunc ſunt, unquam extitiſse videantur. Poſtrema cauſa in ipſa regionis natura verſatur. Cauſas has generales, ad quas reliquæ quodam modo reduci poterunt, libet paulo latius diducere. Primo, ut omnium rerum eſt viciſſitudo; ſic & linguarum. Mutantur (ut ait Trithemius) homines, variantur & mores: mutantur animi, variantur & veſtes: linguarum alteratur ſimplicitas, & priſca idiomatum proprietas. Hominum enim ingenia, verba uſitata pertæſa, ut cibum, (quem, ſi ſemper idem fuerit, ſtomachus faſtidit,) nova & varia appetit: & cum ſermo in uſu & conſenſu populorum poſitus ſit, ideo multis de cauſis (prout vulgus ſemper mobilis eſt,) mutatur. Nemo enim (ut ait Bibliander) leges populo dare poteſt, ut ſic vel ſic loquatur: Unde illud Pomponii ad Cæſarem, *Tu, Cæſar, civitatem dare potes hominibus; verba dare non potes*: dum adulationem Ateii Capitonis reprehendit, dicentis, *Cæſarem verba incongrua & parum Latina, poſſe Latio donare.* Hinc Cicero in Oratore ait; *Uſum loquendi populo conceſſi, ſcientiam mihi reſervavi.* Et Poeta,

Multa renaſcuntur, quæ jam cecidere, cadentque
Quæ nunc ſunt in honore vocabula, ſi volet uſus:
Quem penes arbitrium eſt, & jus, & norma loquendi.

Verba enim valent uſu, ſicut nummi: & cum in literarum ſono & pronunciatione non leviter erratum ſit, præſertim a vulgo, inde facile mutantur vocabula: a mala enim pronunciatione fit mala ſcriptio, & mala ſcriptio errorem poſteris tradit. Unde illud Quintiliani, *Orthographiam conſuetudini ſervire, ideoque ſæpe mutari.* Mores etiam & ingenia magnam viciſſitudinem inferunt: ut cum quorundam ignavia, aliorum levitas & affectatio, exotica & peregrina vocabula novamque pronunciandi formam in linguas vulgares introducunt. Novis etiam rebus, noviſque inventis nova cudenda, vel mutuanda ſunt nomina: & in artibus omnibus ſcientiiſque, vocabula propria imponit neceſſitas, vel infert curioſitas. Verborum enim licet numerus ſit definitus & certus; rerum tamen eſt infinitus: & rerum natura inductum eſse dicit Ulpianus, *ut plura ſint negotia quam vocabula.* Ex his cauſis fit, ut in lingua Græca, quæ omnium copioſiſſima & verboſiſſima habetur, (Arabicam tamen quidam excipiunt,) magna facta ſit mutatio: nec mirum, ſi *paupertati anguſtiori Romanæ* (ut loquitur Seneca,) idem accidat: cujus tamen vocabula quinquies centena millia numeravit Varro, cum Hebrææ radices vix ultra quingentas tradunt hujus linguæ magiſtri.

19. Secundam mutationis cauſam quotidiana omnium fere nationum experientia confirmat: fit enim ex vicinitate, coloniis, religione, artium progreſſu; maxime vero ex armis victricibus. Hinc enim conſtat, magnam linguarum confuſionem ortam; novaſque a prioribus multum diſcrepantes factas eſſe. Germaniæ finitimi ſunt Itali, Galli, Dalmatæ, Iſtri, Sclavones; ex quorum Idiotiſmis confuſa eſt lingua Germanica: ut plerique lingua promiſcua loquentes, nihil loqui videantur. Coloniæ Tuſcorum, qui ex Italia pulſi erant a Gallis; & Gallorum, qui in Germaniam migrabant, tertium loquendi genus ab utriſque diverſum conflarunt. Hiſpania, quæ a Romanis, Mauris, Gothis victa & habitata erat, ſermonem ex omnibus mixtum habet. Sic Gallica hodierna ex antiqua Gallica & Romana coaluit. Guilielmus Angliæ Conqueſtor dictus, cum victoriis ſermonem Gallicum introduxit; leges, cauſas forenſes & judicia eodem ſermone conſcribi & tranſigi juſſit. Ita ut lingua noſtra cum ex Romanorum, Danorum, Saxonum & Normannorum compoſita ſit, ſupra omnes mixtam eſſe pronunciavit Geſn. in Mithrid. c. 1. Hoc plerumque evenit, ut in victos ſimul cum imperio victorum lingua derivetur: nec ſe victores exiſtimant, aut rerum potitos, aut actionum humanarum dominos, niſi & ſermoni etiam dominentur; ut ſcripſit vir doctus. Græci infinita vocabula hodie Turcis, ſed dominis debent. Ægyptii ab Alexandri temporibus linguam Græcam cum propria mixtam, & Alphabetum Græcum receperunt, paucis adjunctis de ſuis literis, ut quædam exprimerent, ad quæ Græcorum literæ non ſufficiebant. Horum non tantum victoriæ, ſed & Coloniæ, & artium ac Philoſophiæ ſtudium, linguam ſuam ubique dilatarunt: ita ut totus Oriens, (teſte Hieron. in Proem. l. 2. ſup. Epiſt. ad Galat.) Græco ſermone uteretur: qui tamen poſt Saracenorum inundationem corruptus eſt ubique vel fere periit. Romani etiam hoc unice ſtudebant, linguam ſuam cum imperio propagare, teſte Auguſtin. de Civ. Dei. l. 19. c. 7. Omnes enim legationes, appellationes, lites, cæteraq; Provincialium negotia in Senatu tractata, Latino idiomate agitata erant: Prætorum judicia, inſtrumenta, leges Provinciarum hac lingua conſcripta: Et narrat Dion Caſſius, virum quendam magnum in Græcia, per Claudium ex Judicum albo eraſum, quia Latine neſcivit: nec Græcorum legationem (multo minus Barbarorum) audire voluit Senatus, niſi in lingua Latina, teſte Val. Max. l. 2. c. 2. Hoc tamen notandum, non potuiſse Romanos linguas Provinciarum extirpare funditus; cum adhuc maneant in Europa 14 linguæ præter Latinam, quas matrices appellat Scalig. de linguis Europæ, a Romanis haud multum mutatæ, ſcil. Hibernica, Britannica, Cantabrica, Arabica, Finlandica, Teutonica, Cauchiana, Sclavonica, Illyrica, Græca, Epirotica antiqua, Hungarica, Jazygiana, & Tartarica Præcopenſium. Haſce enim omnes (excepta Arabica, &, ut quidam volunt, Hungarica) certum eſt fuiſse in Europa, durante Romanorum imperio; pleraſq; etiam intra imperii fines.

20. Nec tantum vi & armis, ſed Religione & Sacrorum reverentia linguas multas mutatas eſse apparet. Nam cum ſuperſtitione Muhammedica Arabiſmum per totam Aſiam, magnamq; Africæ & Europæ partem propagatum videmus: & Moſci ſive Ruſſi, aliæq; gentes a Græcis Religionem Chriſtianam accipientes, cum Græcis literis, ut ex Alphabeto Cyrilli liquet, etiam plura vocabula Græca linguæ ſuæ adjecerunt. Ubi vero mixturæ linguarum cauſæ aberant, incolæ linguam ſuam antiquam ſine notabili variatione retinent: ubi ſcil. mercium eſt inopia, quæ exteros non invitat; ſolum aſperum, montoſum & incultum, quod aureum vellus non profert; populique artium & ſcientiarum rudes. Inde eſt, quod montoſa Hiſpaniæ pars, quæ a Romanis, Pœnis, & Mauris nunquam debellata erat, adhuc vetuſta lingua Cantabrica utatur. Idem de Atticis narrat Thucydides, & de Arcadiæ incolis: unde illi ſe αὐτόχθονας, hi ſe προσελήνους vocitabant. Sic Epiroticam linguam adhuc retinent Epiri montium incolæ. Et Walli noſtri ſive Cambrobritanni a Saxonibus inter aſperos & incultos montes depulſi, linguam longe antiquiſs. Britannicam minime permiſtam, adhuc conſervarunt; ut ſcribit Doctiſs. Cambdenus. Imo ipſis perſuaſum eſt, linguam ſuam nunquam interituram, ut ex Teleſini carminibus liquet. Hodie tamen ex frequenti cum Anglis commercio, & filiorum in Anglia educatione, in Anglicam multo proniores ſunt, & multa vocabula Anglicana lingua ſuæ quotidie admiſcent.

21. Tertiam etiam variationis linguarum cauſam confirmant, qui pro regionis ſitu, cœlique temperie pronunciationem variant: proprium eſt enim omnium populorum, quo magis ad Septentrionem inclinant, voces conſonantibus aſperrime colliſis, ſine vocalibus ex intimo pectore, & per crebras aſpirationes efferre, idque propter ſummam ſpirituum vim & impetum caloris. Nam Saxones & accolæ maris Baltici ubique fere medias pro tenuibus, & aſpiratas pro mediis, pronunciant: cujuſmodi ſunt hæc, *pibimus ponum finum.* Orientales in gutture verba collidunt, ut Hebræi; Chaldæi, Syri, Arabes: Occidentales verba in dentibus frangunt, ut Itali & Hiſpani: Auſtrales, quibus temperatus eſt calor, & ſpiritus debilis, leniſſime pronunciant: Septentrionales & Germani verba faciunt in pectore; Galli in guture, palato, & pectore: unde vulgo dicitur, Itali caprizant, Alemanni ululant, Galli cantant, Angli jubilant. Legimus Judic. 12. 8. Ephraimitas non potuiſse literam ש ſchin pronunciare, ſed *Sibbolesh* pro *Shibboleth* protuliſse: de quo R. Kimchi ſcribit, quod forte aer terræ in cauſa fuit, quod literam iſtam non pronunciarent: ſicut hodie homines Sarphath (id eſt Galliæ) neſciunt ſonare Schin; ſed pronunciant, ac ſi eſset Thau Raphatum. Alia exempla profert Bodinus, ut in Gallia Narbonenſi: ubi omnes Labdaciſmo balbutiunt, ut & in Valedoca Taurinorum, Sabini veteres, fœdum pro hœdo, fircum pro hirco, dicebant; ut ſcribit Varro: ſic apud Vaſcones, hocum pro foco, hilium pro filio, pronunciant. Pariſienſes & Aurelianenſes veterum Hetruſcorum more, Valeſiū & Fuſium, pro Valerio, & Furio uſurpant. Sed de linguarum mutatione ſatis.

22. Reſtat, ut de linguarum uſu & utilitate pauca adjiciamus. Certe magnum eſse linguarum cognitionem Dei beneficium, vel inde conſtat; quod magnum erat irati numinis judicium, linguarum confuſio; ut quæ ſocietatem inter homines ejuſdem linguæ, & vitæ communionem dirimebat: quæ per linguarum ſcientiam aliquatenus reſarcitur. *Per*

variam enim hanc in uno ſubjecto peritiam, plures illæ linguæ in unum quaſi iterum junguntur; & ſic unitas illa amiſſa quaſi recuperatur, ut notat D. Buxt. dicta diſſert. Linguarum enim diverſitas, ut ait Auguſt. de Civit. lib. 19. cap. 7. *hominem ab homine abalienat: & facilius animalia muta generis diverſi, quam homines diverſarum linguarum, inter ſe ſociantur: ita ut libentius homo ſit cum cane ſuo, quam cum homine alieno.* Auguſtino conſentit Plinius, dum ſcribit, *exterum alieno non eſſe hominis vice.* Quantum vero ad vitæ ſocietatem linguarum cognitio confert, ex commerciis, (nam *non omnis fert omnia tellus,*) ex principum fœderibus & legationibus, ex peregrinationibus in longinquas regiones, quæ ſine hoc adminiculo perfici non poſſunt, unicuiq; conſtat: maxime vero ad ſcientias & diſciplinas omnes confert, ad Philoſophiam, Medicinam, Juriſprudentiam, Matheſim, Hiſtoriam; præſertim ad Fidei propagationem, & Theologiæ & ſacrarum literarum penitiorem cognitionem. Eſt enim linguarum ſcientia, clavis qua januam reſeramus, ut omnium gentium abſconditos ſapientiæ theſauros poſſidere valeamus: ſine qua ſunt quaſi liber obſignatus, quem nemo introſpicere poteſt. *Habent enim omnes ſcientiæ præcurſionem neceſſariam* (ſunt verba clariſſ. Gerhardi Voſſ. præf. ad Grammat.) *linguæ intelligentiam, qua traduntur: adeo ut qui linguas deſpiciat, omnibus ſapientiæ ſtudiis bellum indicere videatur.* Unde Pythagoras aliique veterum, inter quorum ultimos fuerunt Plato, Eudoxus, Cnidius, & Euripides, in Ægyptum, Indiam, Chaldæam, aliaſque regiones remotiſſimas peregre profecti ſunt, ut linguas primo addiſcerent; dein ſcientias: tandemque gentium iſtarum ſpoliis onuſti patriam ditarent. Habuit enim Oriens viros omnibus ſcientiis & diſciplinis conſpicuos, a quibus omnis fere ſcientia ad nos derivatur. Licet vero in linguam Latinam omnis fere eruditio Orientalium hodie derivata ſit: habent tamen linguæ, in quibus artes & ſcientiæ primo exaratæ ſunt, aliquid ſingulare, quod in Latinum ſermonem traduci non poteſt: *dulcius* enim *ex ipſo fonte bibuntur aquæ.* Imo ſine aliis linguis, præſertim Græca, nemo Latine doctus evadit: ſine literis Græcis deguſtari poteſt Philoſophia, hauriri non poteſt. Scribit & Quintilianus, ſermonem Romanum non recipere illam ſolis Atticis conceſſam Venerem, de qua affirmavit Cicero, *Jovem ſi loqui velit, non aliter locuturum, quam Plato locutus eſt.*

23. Ad Religionem vero Chriſtianam exteris propagandam, & eloquia ſacra intelligenda, quantum valeat linguarum cognitio, ipſe titulus ſuper crucem Domini affixus indicat: qui non ſine myſterio, linguis latiſſime per orbem diffuſis deſcriptus erat, quo linguas iſtas conſecravit Dominus ad evangelium per orbem propagandum. Unde & linguarum χάρισμα Apoſtolis aliiſque miraculoſe collatum erat: qua armatura cœlesti viri etiam indocti & idiotæ mundum Chriſto ſubjugarunt, & diſperſas per orbem Chriſti oves in unum ovile collegerunt: & quod inſanis Babelis ædificatoribus pro pœna immiſſum erat, ut turrim quæ cœlum attingeret perficere non potuerint; pro magno in Eccleſiam naſcentem beneficio merito habendum eſt, ita diſponente providentia divina, ut variarum linguarum adminiculo domus Dei, cujus faſtigium cœlos ſuperat, æternum duratura ædificaretur. Ceſſantibus etiam donis extraordinariis, non ceſſarunt Eccleſiæ doctores ex ſacrorum codicum fontibus aquas ſalutis in linguas vernaculas derivare, per verſiones in omnes linguas, quarum variæ ad hunc uſque diem perdurarunt. Nunquam enim defuerunt in Eccleſia viri linguarum periti, Hebraice Græceque docti (licet ſeculis quibuſdam haud ſcriptis noti, nec tot quot noſtra ætas protulit) quorum ſtudio libri ſacri conſervati ſunt, & verſiones adornatæ: Unde eſt quod multos habeamus codices vetuſtiſſimos hodiernis conformes, Hebræos & Græcos: ut inter alios probant D. Hotting. philol. lib. 2. cap. 16. Simeon de Muis epiſt. de textus Heb. integritate. Bonfrer. in Præloquiis. Driedo lib. 2. de dogm. Eccleſ. Joſeph. a Coſta. De Chriſto. lib. 2. cap. 16. Habemus quidem verſiones plures Latinas, quas merito magni facimus: multa tamen ſunt in textu Originali, quæ plene Latina lingua exprimi vix poſſunt. Ut enim omnes linguæ, ita maxime Hebræa ſuas veneres habet, & idiotiſmos peculiares, aliis ad plenum imperceptibiles. Characteres majeſtatis & ἐνεργείας, Spiritus S. quaſi ſui veſtigia impreſſit, quæ nemo interpretum ad vivum delineare poteſt: Idcirco iis ſaltem, qui aliis dogmata fidei proponunt, & animarum ſaluti invigilant, ſi non abſolute neceſſaria, certe valde utilis eſt fontium cognitio. Unde non ſine cauſa decretum erat in concilio Viennenſi, ſub Clem. 5. ut in Academiis eſſent profeſſores publici linguarum, Hebraicæ, Græcæ, Arabicæ, ad fidei propagationem, ejuſque contra Judæos alioſque infideles defenſionem: ſtatuitque Paulus 5. anno 1610. occaſione legationis a Xa Aba Perſarum rege, ut in Religioſorum ſtudiis eſſent Hebraicæ, Arabicæ, Græcæ & Latinæ linguæ profeſſores. Idem etiam Pontifex Brevi ſuo conſtituit, ut in promotione ad gradus Doctoratus, & ad alios ſui ordinis honores, illi (cæteris partibus) aliis præferrentur, qui in cognitione trium linguarum ita profeciſſent, ut ad docendos alios apti eſſent. Exemplo Clem. 5. & aliorum pontificum, Greg. 13. magnus Hetruriæ Dux, & alii, Typographias linguarum Orientalium erexerunt: & Reges ac principes alii profeſſores publicos in Academiis conſtituerunt, iiſdem ſtipendia aſſignarunt: multi etiam viri docti itinera longinqua & periculoſa ſuſceperunt, ut linguas Orientales addiſcerent; Clenardus, Hubertus in Africam; Guil. Poſtellus, Joh. Andr. Reimundus & alii in Aſiam: ubi multos annos tranſegerunt. Idem conſtituerant Joh. Mercerus, & Auguſtin. Nebienſis, qui fato functi præventi ſunt.

24. Antequam finem huic diſſertationi imponam, Sciolorum quorundam ſupercilio occurrendum eſt: qui in omnibus ſcientiis & diſciplinis plane infantes, ſi forte linguarum, præſertim Hebraicæ, cognitionem umbratilem adepti ſunt, elati & tumidi omnes alios ipſis longe doctiores, & in rerum ſcientia ſuperiores, ſpernunt & contemnunt; quaſi ipſi ſoli docti eſſent, reliqui volitarent ſicut umbræ. At ſciendum eſt, linguarum peritiam januam quidem eſſe ad rerum doctrinam adipiſcendam: at rerum ipſarum cognitionem illud eſſe, quod viros vere doctos reddit: (linguæ enim putamina ſunt, nucleus vero eſt ipſa rerum cognitio:) nec linguas propter ſe, ſed propter aliud addiſcimus: qui vero in linguis hærent, ſimiles ſunt iis qui in porticu ſubſiſtunt, in domum vero non intrant, nec ejus penetralia vident. Unde inter Sciolos, Grammaticos, vel Criticos numerari poſſunt; in doctorum albo poni vix merentur. Clar. Voſſii ſententia eſt, (ipſe licet inter Grammaticos & Criticos hujus ſeculi ſummus fuerit,) *Antiquitatis providæ judicium ſemper fuiſſe, in pulcherrimo eorum cœtu, qui doctrinarum ſtudia profitentur, primos quidem honores facile tueri, divinæ humanæque ſapientiæ profeſſores; proximos vero eos jure ſuo vindicare, qui ad eam melius accipiendam animos præparent humanos, ſcil. Grammaticos, Criticos, & linguarum Profeſſores.* Itaque non poſſum non laudare modeſtiam Lud. de Dieu, viri linguaguarum Orientalium peritiſſimi: qui licet multa in N. Teſtamenti editione Syriaca, Tremelliana & Boderiana, ſe deſiderare oſtenderit: ingenue tamen fatetur, non in recta legendi ratione præcipuam eruditionis laudem poſitam eſſe; ſed in prompta & expedita Scripturæ intelligentia: qua ab ipſis, qui plures fortaſse libros Syriacos legerint, quam ſibi vel videre contigerit, ſe multis paraſangis ſuperari agnoſcit.

PROLEG. II.

De literis ſive characteribus, ipſarum uſu mirabili, origine & inventione prima, & diverſitate in linguis præcipuis.

1. *Literarum uſus mirabilis.* 2. *De literarum inventione. Plinius earum uſum æternum eſſe ſcripſit. Judæorum fabulæ.* 3. *Alii Ægyptiis primam inventionem tribuunt. Rationes contra hanc ſententiam.* 4. *Literæ Græcæ, quas in Græciam Cadmus intulit, non fuerunt Ægyptiacæ, contra Kircherum. Characteres hodierni Ægyptiaci a Græcis derivati.* 5. *Alii ad Moſem, alii ad Abrahamum referunt: quorum opinio rejicitur.* 6. *Alii ad Phœnices referunt, a quibus Græci literas habuerunt. Ab Aſſyriis habuerunt Phœnices.* 7. *Aſſyrii primi poſt Diluvium literas habuerunt. Ante Diluvium erant literæ. Primus homo literas primo invenit.* 8. *Literæ Hebr. hodiernæ non erant primæ, ſed quæ Samariticæ dicuntur.* 9. *Græci literas ab Phœniciis habuerunt per Cadmum.* 10. *Non a Palamede, Lino, vel Cecrope; ſed a Cadmo.* 11. *Ante omnes Hebræis literas in uſu fuiſſe.* 12. *A Græcis Latini literas accepere.* 13. *Multæ nationes ſero literas receperunt.* 14. *De Chinenſium characteribus. Non articulatos ſonos, ſed res ipſas immediate exprimunt.* 15. *Modus ſcribendi duplex, a dextris ſiniſtrorſum, a ſiniſtra ad dextram, βουστροφηδὸν, a ſumma paginæ deorſum.* 16. *De variis characterum formis.* 17. *De Hieroglyphicis Ægyptiacis.* 18. *Ægyptiacorum characterum genera. Antiquas literas Ægyptiaticas epiſtolares non fuiſſe eaſdem cum hodiernis, vel Græcis, contra Kircherum. Poſt Cambyſem, in uſu fuiſſe literas Ægyptiacas in obeliſcis, mummiis, &c. contra eundem.* 19. *Quid de Ægyptiorum literis Hieroglyphicis, & eorum priſca ſapientia judicandum.* 20. *De literis Chinenſium.* 21. *Earum numerus, addiſcendi difficultas.* 22. *Characterem univerſalem poſſibilem eſſe.* 23. *De literis Mexicanis, & Mexicanorum Chronico. Characterum linguarum præcipuarum hodiernarum Alphabeta; ut, & ſpecimen literarum Græcarum ex MS. Alexandrino.*

1. Magna res eſt & Philoſopho digna, ſi Platoni credimus; non vero ridicula, ut Socrati in Cratylo viſum eſt, literas cognoſcere: quia ἐπὶ ταῖς συλλαβαῖς τε καὶ γράμμασιν ἡ μίμησις τυγχάνει οὐσίας, *In literis & ſyllabis fit imitatio eſſentiæ*, & de primorum nominum veritate melius judicare poſſimus. Nam licet res deſpicabiles ignaris videantur; per illas tamen omnis ad nos ſcientia dimanat, & unica ſunt adminicula, quibus viri magni immortalitati conſecrantur: nec ulli hactenus, niſi his *matricibus* evaſere *-dias in luminis auras.* Inventio ſane literarum omnes in admirationem ſui rapuit. *Per has enim* (ut viri doctiſſ. verbis utar,) *non tantum præclara facta immortalitate donantur; ſed & animarum effigies æternitati pinguntur.* Sunt enim libri conſpicua animi lumina & ſpecula, partæ gloriæ cuſtodes fidæ, vocaliſſimi virtutis præcones, inconcuſſa præclare factorum monumenta. Hinc amico ſuo Seneca; *Si gloria tangeris, notiorem te facient epiſtolæ meæ, quam omnia iſta quæ colis, & propter quæ coleris. Quid profecto admirabilius,* inquit *Cl.* Voſſius in Præf. Artis Gram. *quam pauculis literarum figuris contineri, quicquid ſacri, publici, privati, dici aut cogitari poteſt? Quæ præterea urbium, regionum, generiſque humani facies tandem foret, ſublata hac fida cuſtodia omnium geſtorum, omnium doctrinarum, omnium fœderum, pactorum, &c?* Per notas enim & ſigna literarum, ratio humana foras prodit, ſeipſam depingit, & deponit in librorum velut arca conſervandam, ac tranſponit ſe in illorum animos, quorum corpora locorum & temporum intervallis maximis dirempta ſunt. Cicero, in primo Tuſcul. literarum inventionem Deo adſcribit, ut & Plato in Philebo, & in Phædro: nam ingenium humanum ſuperare videtur; ſive inventionis ſubtilitatem, ſive uſum ſpectemus. Quam ſtupendum eſt inventum, verba & ſonos, quæ *auditu* percipiuntur, *oculis* viſibilia reddere, & per paucas literas quaſi magica incantamenta, voces a proprio auditus ſenſorio, ad viſionis organum transferre? Eſt hoc vere mirandum, cum nulla ars tale quid hactenus in reliquis ſenſibus efficere poſſit, ut ſenſuum objecta externa invicem commutarentur

mutarentur: Utilitatem vero & uſum quis ſatis efferre poteſt? Nam literarum ope, negotia noſtra in procul diſsitis regionibus diſponere poſſumus, licet pedem de proprio lare non moveamus; cum amicis libere colloqui, qui in extremis orbis partibus degunt, *Dum peragunt linguæ charta manuſque vices.* Literæ ſunt, quæ, ut loquitur Cæl. Rhodig. antiq. lect. l. 4. *vetuſtatem prorogant, nihil ſinunt interire; &, quod omnia conterit, tempus, noſtris cogunt manibus ſuccumbere: quid æque admirandum, in quod ne mortis quidem rapacitas jus ullum habeat?* Hiſce ſubſidiis, quicquid ab Orbe condito fecerunt, excogitarunt, qui aliis ſapientia, fortitudine omnibuſque virtutibus præcelluere, quaſi cum iis convixiſsemus, ad nos derivatur: viroſque omnes, qui in Philoſophia, Matheſi, Hiſtoria, Theologia, reliquiſque ſcientiis quovis ſeculo clari erant, quaſi ab inferis revocare, ut ad quæſita reſpondeant, & conſilia ſua communicent, efficere poſsumus. Nam haud minus miraculum videtur mortuum arte Necromantica redivivum ſiſtere, quam cum hominibus, aliquot ante hac annorum millibus denatis, quaſi in vivis eſsent, colloqui, & ſermones miſcere. Certe populi Americani literarum ignari, cum viderent Hiſpanos per chartulam mentis ſenſa amicis abſentibus nota facere, ipſos pro Diis vel Dæmonibus habuerunt: imo Chinenſes licet ingenioſiſsmi, quique literas ſuas, quæ res ipſas, non verba deſignant, ſe habuiſse paulo poſt Diluvium affirmant, ſtupore perculſi erant, quum viderent ipſorum verba literis Romanis deſcripta ab Europæis legi & proferri, qui nec linguam Chinenſem, nec ipſorum characteres norant: nec concipere potuere, quomodo verborum ſonos literis exprimere poterant, teſte Kirch. Oedip. Ægypt. l. 3. c. 2. Concludam verbis ſummi noſtri ſeculi Mathematici, & novorum inventorum gloria clariſsimi, Magni Galilæi, Syſtem. mund. in Colloq. 1. diei ad finem, *Super omnes inventiones ſtupendas, qua ingenii eminentia fuit is, cui venit in mentem excogitare modum penitiſſimas animi ſui cogitationes alii cuicunque communicandi, etſi longiſſimo loci & temporis intervallo diſtanti, colloquendi cum his qui verſantur in Indiis, cum his qui necdum nati ſunt, nec niſi mille aut decies mille abhinc annis naſcuntur? idque quanta facilitate? nimirum viginti characteres in charta, inter ſe varie jungendo: Eſto hoc omnium admirandarum inventionum humanarum ſigillum.*

2. De prima literarum inventione variant ſcriptores, Alii enim, ut magnus ille naturæ Myſtes Plinius, literarum uſum æternum, ſemperque apud Aſſyrios fuiſſe ſtatuunt: ſic ille Hiſt. l. 7. c. 56. Etſi vero falſo fundamento nitatur hæc ſententia, mundum ſcil. æternum fuiſſe; aliquid tamen ineſſe veri in ea, fortaſſe concedi poteſt, ſcil. Homines nunquam ſine literarum uſu fuiſse, & ab Aſſyriis in reliquas nationes eas derivatas eſſe. Fingunt etiam Judæi decem creata eſſe veſpera Sabbati, ſcil. Iridem, Mannam, Puteum petræ, Columnam nubis & ignis, Scripturam ſive literas, Tabulas, & Baculum Aaronis, ut refert Munſterus in Geneſ. Ejuſdem etiam eſt commatis illud Talmudicum a R. Abraham proditum, Adamum librum ſcripſiſſe de divinitate: & Abelem quædam ſcripſiſſe, citatur etiam a Maſio in Joſ. ספר יצירה *liber creationis*, quem etiam Adami eſſe volunt. Hæc refutatione non egent, nam ut ille in Epigram.

Turpe eſt difficiles habere nugas,
Et ſtultus labor eſt ineptiarum.

3. Alii itaque Ægyptiis literarum gloriam tribuerunt, ut ex eodem Plinio conſtat, loco citato: ubi, cum dixiſset literas apud Aſſyrios ſemper fuiſſe, addit, *alios apud Ægyptios a Mercurio, ut Gellius; alios apud Syros repertas velle.* De Mercurio idem tradit Diod. Siculus, l. 2. Plutarch. Sympoſ. l. 20. c. 3. & Cicero de natura Deorum lib. 3. Hujus etiam ſententiæ meminit Tertull. de corona militis, cap. 8. & de Animæ teſtim. c. 5. Plato etiam narrat, Deum quendam ab Ægyptiis cultum, quem *Teuth* nominant (aliis Τάαυτος dicitur) qui præter artes alias, etiam literas Ægyptios docuit: Hunc vero Teuth, Mercurium eſſe volunt, quem Triſmegiſtum vocant: imo ſingulas literarum formas a Taauto ſive Mercurio inventas deſcribit Kircherus, Oedip. Ægypt. Tom. 3. diatr. 2. Philo Biblienſis Græcus interpres Sanchuniathonis, qui res Phœnicias ſcripſit circa tempus Semiramidis, (ut ex Euſeb. Præp. Evang. l. 1. c. 10. & Porphyrio, ἐν τετάρτῳ κατὰ Χριστιανῶν λόγῳ conſtat,) memorat commentarios Taauti de cultu Deorum, & ἱερὰς γραφάς, in quibus Serpenti divinam naturam Taautus adſcripſerat: Imo incredibilem fuiſſe hujus Mercurii ſive Taauti librorum numerum, quos ſcripſit de diis empyreis, æthereis, & cœleſtibus, tradit Iamblichus opere de Myſteriis, cujus verba interpretatur Marſilius. Hæc tamen dubiæ ſunt fidei: nam librorum illorum Taauti nemo hactenus præter Philonem illum meminit; nec præter nudum nomen aliquid eorum a multis ſeculis conſpectum eſt: Et Iamblichi relatio merito ſuſpecta eſt: nam refert idem initio libri de Myſteriis, Ægyptiorum ſcriptorum morem fuiſſe, omnes ſuos libros, & omnia ſua inventa Mercurio aſcribere. Imo non deſunt viri docti, magnique judicii, qui Hermetem iſtum Mercurium Ægyptium, & omnia quæ de ipſo feruntur, eſſe fabuloſe conficta aſſerunt: ut videre eſt apud Conrigium virum doctiſſimum lib. de Hermetica medicina c. 7. Præterea Aſsyriam longe ante Ægyptum cultam fuiſse, & artes ac literas coluiſse, certum eſt. In ipſa enim primi homines creati, & poſt Diluvium ex ipſa genus humanum propagatum: ibi etiam primum imperium. Ante Ægyptios, Aſsyrios Aſtrologiam coluiſse, quod ſine literarum uſu fieri non potuit, teſtatur Proclus Lycius in Timæo: & ab Abrahamo, adeoque a Chaldæis, Arithmeticam & Aſtrologiam in Ægyptum primum perveniſse, ſcribunt Nicolaus Damaſcenus, author magnæ fidei apud Joſeph. Antiq. l. 1. Eupolemus, & Artabanus apud Alexand. Polyhiſt. in Euſebio Præp. l. 9. Apud Simplicium etiam legimus Comment 46. in Ariſt. lib. 1. de cœlo, Obſervationes Aſtronomicas quas Calliſthenes e Babylone Ariſtotelis juſsu miſerat, fuiſse annorum mille nongentorum trium, quas refert Porphyrius ad Alexandri Macedonis tempora ſervatas fuiſse: Harum vero initium erat paulo ante Turris Babylonicæ ſtructuram, & circa annos ducentos ante natum Abrahamum. Verum fortaſse eſt literas Hieroglyphicas apud Ægyptios primo in uſu fuiſse. imo apud ſolos Ægyptios, niſi Chinenſium literas, quæ Hieroglyphicis ſimiles, Ægyptiacis antiquiores ſtatuamus: ſed hæ non literas Alphabeti, ſed res ipſas denotarunt, & ad quæſtionem noſtram non pertinent. Pſammetichus Ægypti Rex, qui centum annis poſt primam Olympiadem vixit, primus erat qui homines peregrinæ linguæ, & quidem Græcæ, in Ægyptum admiſit: ex quo tempore Græci cum Ægyptiis commercia habuere. Nam ante Pſammetichum, teſte Diodoro Sic. l. 1. inacceſſa erat peregrinis Ægyptus: qui vero appulerunt, vel morte vel ſervitute mulctati. Ægyptii itaque reliquis literas non dederunt, quibuſcum nullum habere vellent commercium.

4. Athanaſius Kircherus in magno illo opere, quod Oedipi Ægyptiaci titulo publicavit, probare conatur, literas primas fuiſſe Ægyptiacas: quas in Græciam intulit Cadmus: ipſaſque Cadmæas eaſdem fuiſſe cum Ægyptiacis, quarum figuras ibi deſcribit, Tom. 3. diatr. tertia præluſoria. Sed argumentis plane arundineis nititur, & authores qui ſententiæ ipſius directe adverſantur, adfert. Primo enim literas hodiernas Copticas ſive Ægyptiacas profert, a quibus Græcas derivatas eſſe ſomniat: cum potius a Græcis hodiernis Ægyptiacas fluxiſſe, literarum figuræ & nomina clare demonſtrant. Nam poſt Græcorum victorias, Ptolemæus linguam cum literis Græcis in Ægyptum intuliſſe, nemo dubitare poteſt, qui libros Coptos Græcis vocabulis refertos legerit, vel ipſorum Alphabetum cum Græco contulerit. Literarum etiam figuras ab animalium Ægyptiis ſacrorum formis, operoſe deducit, ſcil. Ibidis, Canis, Accipitris, Bovis, &c. & has communes ſive Pharaonicas vocat: & non tantum conſcribendis Epiſtolis, aliiſque rebus commune hominum commercium ſpectantibus; ſed & myſteriis Hieroglyphicis inſerviiſſe exiſtimat. Has vero literas (neglectis animalium formis) & uſui communi accommodatas per Cadmum in Græciam tranſlatas, ait: & adfert Herodoti verba in Terpſichore, qui literas Græcas Φοίνικα τοῦ Κάδμου γράμματα appellat. Denique affirmat ex Hieronymo, Cadmum & fratrem Phœnicem Ægyptios fuiſſe, & veriſimile eſſe tempore Othonielis in Græciam veniſſe: Cadmum vero, relicto fratre Phœnice in Phœnicia, cui nomen dedit, in Græciam veniſſe: quibus alias literas quam Ægyptiacas, quas puer in Ægypto didicerat, dare non potuit: & concludit hoc nulli dubium eſſe poſſe. At contra hæc multa opponi poſsunt. Nam literas Ægyptiacas communes ſeu epiſtolares ex animalium formis, vel earum partibus varie diſpoſitis, compoſitas fuiſse, quis credat; cum nimis operoſum hoc eſset ſcribendi genus, & ſcripturæ communi ineptum? Nec in vetuſtioribus Obeliſcis & mummiis, quæ ab ipſo proferuntur, characteres ejuſmodi reperiuntur, excepta ultima litera Tau, in crucis formam varie deſcripta: quæ aperte Samaritanum ſive antiquum Hebraicum Tau refert; & in quibuſdam recentioribus literam primam  quæ tamen Ionicam vel Phœniciam formam refert potius quam Coptam vel Ægyptiacam. Nec affirmat Herodotus Cadmum Ægyptiacas literas in Græciam attuliſſe, ſed plane contrarium. Scribit enim attuliſſe Phœnicias: Phœnicias vero eaſdem fuiſſe cum Chananæis, ſive Hebræis, qui lingua eadem utebantur, a Scaligero, Gerh. Voſſio, Brocharto, aliiſque, luce clarius demonſtratur. Nec de literis quicquam dicit Hieronym. an Phœniciæ, an Ægyptiacæ fuerint. Phœnicem vero & fratrem Cadmum Ægyptios fuiſſe, negat Scalig. ad annum Euſeb. 594. Phœnicia quidem a Phœnice denominata eſt, quæ antea Chanaan dicebatur: Ægyptium vero non fuiſſe Phœnicem probat, quia hoc cum Phœnicum annalibus, quos vetuſtiſſimus Philo Biblius-Græce verſos edidit, pugnat; & quia nomen Phœnix eſt Hebraicum ſive Phœnicium, nam פנחס ſine ulla mutatione eſt Φοίνιξ, ſi adhibeatur vocalis diſtinctio פִּנְחָס: quod idem cum Hebræo פִּנְחָס Phineas, Aaronis filio.

5. Alii itaque ad Moſem, alii ad Abrahamum literarum originem referunt. Ad Moſem refert Eupolemus, teſte Clem. Alex. 1. Strom. & Euſebius Præpar. lib. 9. c. 4. cui aſſentit Iſidor. Orig. 1. 3. Hoc vero refutatur; tum ex eo, quod apud Aſſyrios literarum uſum fuiſſe longo tempore ante Moſem, ſupra oſtendimus; tum quod Dei ipſius manu in Tabulis lapideis lex ſcripta erat; & Numer. 21. meminit Moſes libri bellorum Domini: quæ probant literas prius in uſu fuiſſe. Moſem vero literas immutaſſe, quod autumant quidam, qui concedunt ipſum eas non inveniſſe, nullo nititur fundamento: nam cum eadem eſſet Iſraelitarum lingua in Ægypto, quam habuerant antea in terra Chanaan; in quem finem literas immutaret Moſes, cum populus nec aliam linguam, nec alios characteres noverit? Abrahamum itaque literarum, ut & linguæ Hebraicæ authorem facit Suidas: ſed in utriſque errat, cum jam probavimus literas apud Aſſyrios fuiſſe ducentis ſaltem annis ante natum Abrahamum: nec linguam Hebræam ipſe excogitavit; ſed vel illam, quam a majoribus acceperat, vel quæ Chananæorum vernacula erat, quamque ab ipſis didicerat, poſteris reliquit.

6. Hiſce itaque rejectis, multi Phœnices literarum inventores faciunt: ſic Plinius refert. l. 5. & l. 7. c. 56. *Ipſa gens Phœnicum in gloria magna literarum inventionis, & ſyderum, navaliumque ac bellicarum artium.* Idem teſtatur Curtius: *Si famæ* (inquit) *credere libet, gens Phœnicum literas prima didicit & docuit.* Unde Lucanus cecinit l. 3.

Phœnices primi, famæ ſi credimus, auſi
Manſuram rudibus vocem ſignare figuris.

Et Critias apud Athenæum, lib. 1.

Φοίνικες δ' εὗρον γράμματ' ἀλεξίλογα.
Subſidium vocis ſcripta reperta Tyri.

Hinc apud Heſychium, ἐκφοινίξαι ſeu *Phœniciſſare*, eſt ἀναγνῶσαι, *legere*: & Plut. lib. de aqua & igne dicet, mare ex Phœnicia ad vexiſſe γράμματα μνημόσυνα λήθης, *literas contra oblivionem remedium.* Licet vero Phœnices Græcis literas primo tradiderint, a quibus ad Latinas derivatæ: apud Phœnices tamen non primo ortas eſſe, ſed ab Aſſyriis eas habuiſſe ſive Chaldæis (inter quos Abrahamus natus & educatus eſt) non tantum communis eſt Theologorum ſententia; ſed etiam adſtipulatores habet Ethnicos ſcriptores præcipuos, Diodor. l. 5. Σύροι μὲν εὑρεταὶ γραμμάτων εἰσί, παρὰ δὲ τούτων Φοίνικες μαθόντες τοῖς Ἕλλησι παραδεδώκασιν, οὗτοί εἰσιν οἱ μετὰ Κάδμου πλεύσαντες εἰς τὴν Εὐρώπην. *Syri quidem li-*

teras invenerunt: ab iis autem edocti Phœnices Græcis tradiderunt: hi vero erant, qui cum Cadmo in Europam navigarunt. Ex his aliiſque concludit Euſeb. Præp. l. 10. Cadmum, qui genere Phœnix erat, primum Græcis communes literas ſive prima Grammaticæ elementa tradidiſſe: unde & Phœniciæ a veteribus appellatæ, Εἰσὶ δὲ οἱ Σύρους γράμματα ἐπινοῆσαι λέγουσι πρώτους· Σύροι δ' ἂν εἶεν ϗ Ἑβραῖοι. *Sunt autem qui Syros primum literas inveniſſe dicunt: Syri vero iſti ſunt Hebræi:* nimirum Heberi poſteri, qui inter Aſsyrios vixerunt primo, & poſtea inter Chananæos, a quibus Hebræi dicebantur. Eandem linguam & communes cum Chananæis & Phœnicibus characteres habuiſse, teſtatur Eupolem. de Regibus Judææ apud Euſebium, Τὸν Μωσῆ πρῶτον σοφὸν γενέσθαι, καὶ γραμματικὰ πρῶτον τοῖς Ἰουδαίοις παραδοῦναι, ϗ παρ' Ἰουδαίων Φοίνικα παραλαβεῖν. *Moſem ſcil. primum fuiſſe ſapientem, atque ab eo datam literaturam Judæis, quæ ab Judæis ad Phœnices pervenerunt.* Hinc illud Luciani. Ὁ δὲ φωνάς τινας ἀσήμους φθεγγόμενα, οἷα γένονται ἂν Ἑβραίων ἢ Φοινίκων, *Loquebatur verba quædam ignota, qualia ſunt Hebraica ſeu Phœnicia.* Et de Solymis dicit Chærilus, Γλῶσσαν μὲν Φοίνισσαν ἀπὸ στομάτων ἀφιέντες, *Hi vero ore ſuo Phœnicia verba ſonabant.*

7. Aſſyrii vero, inter quos Hebræi, etſi primi fuerint poſt Diluvium, qui literas habuiſſe memorantur; (ipſorum enim primum erat imperium, unde facile ab ipſis in vicinos literarum uſus derivari potuit:) tamen ante Aſſyriorum Regnum, imo ante Diluvium, inde a mundo condito, literas in uſu fuiſſe, mihi vix dubium videtur. Unde primum hominum parentem, etiam primum literarum inventorem fuiſſe veriſimile eſt, a quo eas didicit Seth: unde Noacho ejuſque poſteris cum prima lingua traditæ ſunt, & uſque ad linguarum Confuſionem remanſerunt; quando cum novis linguis, etiam temporis progreſſu novi characteres excogitati ſunt, veteribus apud eos, qui primævam linguam retinuerant, ſervatis. Kircher. in Obeliſc. Pamphil. l. 1. c. 1. affirmat, in hoc conſentire omnium fere Latinorum, Græcorum, Hebræorum, Chaldæorum, Arabum, Samaritanorum, Æthiopum, & Ægyptiorum monumenta: ex quorum libris multa profert teſtimonia. Suidas, etſi alibi ad Adamum, vel ad Seth, literarum originem videtur referre; tamen in Ἀδὰμ ſtatuit, ipſum literas & artes inveniſſe. Τούτου τέχναι ϗ γράμματα· *Hujus ſunt artes & literæ.* Conſentaneum etiam rationi, & primi hominis excellentiæ & dignitati putat Bibliander, literis cogitationes ſuas & rerum geſtarum memoriam depinxiſſe: Quem enim *alium putemus illum Deum* vel *divinum hominem*, ut Plato ait, *qui literas primus invenerit?* Bonfrer. in Gen. 11. veriſimile eſſe putat fuiſſe literas ante Diluvium, etſi nullum fere ejus veſtigium habemus. Res enim erat valde neceſſaria ad vitam humanam, & ad commercia cum abſentibus, & ad res geſtas poſteris commendandas: qua caruiſſe viros illos naturalium & ſupernaturalium rerum ſcientia inſtructos, vix eſt probabile. Salomon Geſnerus in Gen. 5. q. 6. p. 138. rationem hanc reddit, quæ mihi efficax videtur; quod *nec annorum ſeries exquiſite ad tot ſecula obſervari, neque Henochi verba retineri abſque literarum adminiculo potuiſſe videantur.* Enochi certe prophetiam, cujus partem habemus in Epiſt. Judæ. v. 14. ſola traditione ab Enochi temporibus ſine ſcripto, tot annorum millibus perduraſſe, vix credibile videtur. Imo teſtatur Orig. Hom. ult. in Numer. Enochum multos libros propheticos ſcripſiſſe: & Auguſt. de Civ. 1. 15. dicit, *Scripſiſſe quædam divina Enochum illum ſeptimum ab Adamo, negare non poſſumus.* Idem eſt judicium Tertull. de habitu mulierum. Novi multa ficta & fabuloſa de Enochi libris a quibuſdum prodita. Apud Epiphanium etiam in Panario, mentio fit libri inſcripti, *Revelatio Adami*, cum Deus ſoporem in illum immiſit: & apud Hebræos memorant librum dictum, *Generationes Adami*, quem a Deo Adamo dictatum eſſe volunt. Etiam apud Duretum & alios, habemus characterum formas, Adami, Seth, Enochi, & Noæ: quæ omnia conficta eſſe non dubito. Meminit etiam Aug. contra Fauſtum, libri dicti, *Genealogia filiorum Adæ, & pœnitentia Adami*: quos declaravit Gelaſius papa eſſe Apocryphos. Enochum tamen prophetaſſe, ejuſque prophetiæ partem Apoſtolorum temporibus extitiſſe, ex Epiſt. Judæ, certum eſt: Sine ſcriptura vero tot annorum millibus conſervatam fuiſſe, nullo modo probabile videtur. At ſi verum ſit, quod a Joſepho Antiq. 1. 3. refertur, de columnis duabus, (quarum una ad ſuam uſque ætatem remanſit,) in quibus rerum cœleſtium diſciplinas, & aſtrorum curſus & leges deſcripſerant homines antediluviani; de literis ante diluvium nulla poteſt eſſe dubitatio. Auguſt. q. 69. in Exod. memorat nonnullorum ſententiam, qui literas Hebræas a primis hominibus cœpiſſe dixerunt, & perductas eſse ad Noe; atque inde ad parentes Abrahæ; & inde ad populum Iſrael: ipſe vero dubitat, unde hoc probari poteſt. At quæ a nobis dicta ſunt, ni fallor, probabilem ſaltem hanc ſententiam reddunt: nec aliter concludet, qui longam Adami vitam cum diutina ejus & multijugi experientia ſecum perpendet, quam illum, novem ſecula emenſum, & univerſæ in terris familiæ regem, patrem, & ſacerdotem, otioſum rerum ſpectatorem non fuiſse: ſed, neceſſitate viam monſtrante, prima doctrinæ & artium rudimenta docuiſse, & memoriæ cauſa etiam characteres inveniſse, quibus fugacibus & inaſpectabilibus vocibus indumenta quædam & vincula injiceret; per quæ & oculis & manibus teneri poſsent: miraculo, quo magis admirere, tanto magis admirabili. In Bibliothecæ Vatic. deſcriptione memorat Angelus e Roccha, ut & Laurentius Schraderus in Monumentis Italiæ. p. 197. Columnam literarum Octavam in Bibliotheca illa, ubi ſupra caput effigiei Adami extant literæ antiquæ, & ad ejus pedes inſcriptio Latina talis: *Adam divinitus edoctus, ſcientiarum & literarum inventor*: & Bonav. Hepburnus Scotus inter 70. Alphabeta Romæ edita, numerat Adamicum.

8. Verum, etſi literas a primis hominibus ad Noachum & ipſius poſteros fluxiſse ſtatuamus: non tamen putamus literas hodiernas, quas Hebraicas vulgo vocamus, primas fuiſse; ſed potius illas, quæ Samariticæ dicuntur, quibus ſacri codices primo exarati, quæque Judæis in uſu erant, antequam eas in Aſsyrias commutavit Eſdras poſt reditum e captivitate Babylonica; ut alibi probabitur. Nec literas apud omnes nationes ſtatim poſt confuſionem Babylonicam receptas vel excogitatas fuiſse, ſed apud quaſdam nationes poſt longa temporum intervalla: quod breviter de Græcis, Latinis, & quibuſdam aliis, oſtendemus.

9. Græci fatentur ſe literas aliunde accepiſse, & Iones primum a Cadmo Phœnicias habuiſse. Herodotus in Terpſich. ſcribit, Iones a Phœnicibus literas didiciſse, quibus uſi ſunt cum immutatione quadam: & inde Phœnicias dictas fuiſse. Hinc a Timone apud Sextum Empiric. dicuntur, Φοινίκια σήματα Κάδμου, *Cadmi Phœnicia ſigna.* Idem teſtatur Callimachus.

Κάδμος ἀφ' οὗ γραπτὰς Ἑλλὰς ἔχει σελίδας.
Cadmus, ab hoc ſcriptos Græcia nacta libros.

Videantur inter veteres, Plut. Sympoſ. l. 9. problem. 2. & 3. Philoſt. l. 2. de vitis Sophiſt. Critias apud Athenæum l. 1. Clem. Alex. Strom. l. 1. inter recentiores Gerh. Voſſ. de arte Gram. l. 1. c. 10. Scal. in notis ad Euſeb. 1617. Grot. in notis ad libr. de verit. Relig. l. 1. n. 13. & nuperrime Sam. Brochart. Geogr. Sacr. part. 2. l. 1. c. 20.

10. Scio non defuiſſe, qui literas Græcas ad Palamedem authorem referunt; alios qui ad Linum Herculis præceptorem; alios vero ad Cecropem primum Athenienſium Regem, pro quo haud ſpernenda argumenta profert Cl. Voſſius loco citato. Erat enim Cecrops Cadmo antiquior & natione Ægyptius, (apud quos longe ante Græcos erat literarum uſus) quemque διφυῆ ſive geminum efformatum volunt, quia teſte Ovid. Metamorph. l. 2. fab. 8. & linguam Græcam & Ægyptiacam callebat. Teſtimonia vero quæ pro Cadmo adferuntur, clariora mihi videntur, quam ut ullum ſubterfugium admittant. Herodot. enim loco cit. affirmat, ſe oculatum teſtem fuiſse inſcriptionum quarundam, (quibus nihil habet Græcia antiquius) quæ apud Thebas Bœotias erant in templo Apollinis: quæ literis Cadmæis, ex magna parte Ionicis ſimilibus, inciſæ ſunt in tripodibus quibuſdam: quarum prima erat Amphytrionis, Cadmi pronepotis, circa Laii ætatem; altera Hippocoontis Laii filii; tertia Laodamantis, Eteoclis filii. Ipſas vero literas Ionicas, ſive Græcas priſcas, a Phœnicibus ſeu Hebræis antiquis, quas Samaritanas hodie vocamus, ex ipſarum figuris parum diſcrepaſse, contendit Scaliger, digreſs. ad annum Euſeb. 1617. niſi quod Phœnices a dextra ſiniſtrorſum legant, Græci vero a ſiniſtra ad dextram. Inſcriptiones ipſas literis Ionicis priſcis expreſsas videre licet apud Scal. ibidem: qui etiam inſcriptiones literis ex parte Ionicis inciſas in duabus Columnis, quæ anno ab urbe condita 441. ab Appio Claudio ſtratæ erant, & quas in hortos Farneſianos tranſlatas vidit, imprimi curavit, Euſeb. num. 1702. Dico ex parte Ionicis: nam licet totam inſcriptionem ex veteribus Ionicis conſtare fidenter aſserat Scalig. probabilior tamen videtur ſenten- Cl. Voſſii, & Salmaſii, ſcripturam eſse ex literis Græcis & Latinis mixtam; prout ſcribere ſolebant Græci, cum libertate omiſsa, ſub Romanorum poteſtatem redacti ſunt. Græcos vero literarum formas poſtea mutaſse in iſtas, quas hodie cernimus, non certo conſilio, ſed uſu aſſiduo & longo temporis progreſsu, idem exiſtimat: quod quidem verum eſse non ibo inficias, cum apud omnes populos ſingulis ſeculis ſcribendi modum ab antiquo paullatim variare videamus; quæ tamen variatio non niſi poſt plura ſecula deprehenditur: literarum tamen Phœniciarum ſitum invertiſſe Græcos planum eſt, cum a ſiniſtra, non a dextra, ut Phœnices, ſcripſerint: unde ex ࠁ factum B. ex ࠂ. Γ. ex ࠄ. E. ex ࠃ. D. &c.

11. Certum etiam eſt, ſive Cadmo Phœnici, ſive Cecropi Ægyptio rei tam perclaræ gloria tribuatur, extra controverſiam eſſe, ante utroſque Hebræis literas in uſu fuiſſe: cujus argumentum eſt evidentiſſimum, quod Græcarum literarum nomina, ab Hebræis levi deflexione deducantur: de quo plura habet Euſeb. de Præp. l. 10. c. 11. Hoc etiam ipſis Græcis notum erat, ut ex Plutarch. Sympoſ. l. 9. q. 2. liquet: ubi rationem reddit, cur Alpha omnibus præponatur, διὰ τὸ Φοίνικας οὕτω καλεῖν τὸν βοῦν, *quia Phœnices ſic bovem appellant.* Et apud Varronem legimus, vocabula iſta, Alpha, Beta, &c. non pro Græcis haberi, ſed pro Barbaris. Præter figuras & nomina, etiam Alphabeti ordo idem fere Hebræis & Græcis, oſtendit, utriuſque literas ex eodem fonte fluxiſſe. Ordo enim Alphabeti Hebraici (cujus vetuſtatem probant Verſus Acroſtichi in Pſalmis, ut & in Hieremiæ Threnis, & Proverb. ult: nam in Pſal. 25. & alibi, ordo literarum ſæpius habetur, in Threnis ſexies, in univerſum vero locis 21.) Ordo hic (inquam) idem eſt cum Græco: nam pro ו ſexta litera habent Græci Epiſemon Bau (ϛ) & Epiſema Coppa Ϟ quod Hebraico Coph, & Σάνπι (ϡ) quod Hebr. Tſade reſpondet, (ordine in his tantum inverſo,) quas literas olim fuiſſe contra Scalig. & Voſſ. probat Brochart. loco citato: licet ab annis ſexcentis, vel eis circiter (nam a Rabano, & aliis poſt ipſum, in Alphabeto ponuntur) ſolum pro numeris deſignandis inſervierint, & in Alphabetis pleriſque omittuntur. In Alphabeto enim Latino quod a Græco fluxit, ἐπίσημον βαῦ, quod apud Æoles Vau conſonantem valuiſſe notum eſt, tranſit in F, & Koppa in Q. Idemque ex Alphabeto Copto ſive Ægyptiaco conſtat: quod itidem ex Græco derivatum eſse, tam ordo, quam nomina & figuræ literarum, clare demonſtrant; ut ſupra innuimus. Literam enim ſextam So, ⲋ, pro S. adhuc retinent Copti, ut & Kabba Ⲕ pro K, & zida, Ⲍ pro z: quæ cum a Græcis mutuatæ ſint, eaſdem pro literis antiquitus apud Græcos uſurpatas fuiſse oſtendunt.

12. Ut Græcos a Phœnicibus, ſic Latinos a Græcis literas primum accepiſse, teſtantur ſcriptores veteres. Nam, ſive a Pelaſgis (ut affirmant Plinius & Solinus) qui circa annos 150 poſt adventum Cadmi in Græciam, in Italiam migrarunt; ſive ab Arcadibus ſub Evandro eorum Duce, (*a quibus*, ait Tacitus, *Aborigenes literas didicerunt*,) qui 60 annos poſt Pelaſgorum adventum, in Italiam venerunt; literas introductas ſtatuamus: in hoc omnes conſentiunt, Latinos a Græcis ipſas primo accepiſse; & ab Ionicis eas parum diſcrepaſse. Dioniſ. Halicarnaſs. l. 2. diſerte affirmat, quod Arcades γραμματικῶν Ἑλληνικῶν χρῆσιν εἰς Ἰταλίαν πρῶτοι διακομίσαι· *primi in Italiam Græcarum literarum uſum invexerunt.*

vexerunt. Tacitus Annal. l. 11. aſſerit, formas eaſdem eſſe literis Latinis cum veterrimis Græcorum: & Plinius l. 5. c. 58. idem probat ex Delphica Tabula antiqui æris, quæ tunc erat in Palatio, dono principum, Minervæ dicata, in Bibliotheca cum inſcriptione tali; Ναυσικράτης Τισαμένου Ἀθηναῖος. Quibus vero literis inſcripta erat hæc tabula, (antiquis ſcil. Ionicis,) oſtendit Scal. ubi ſupra: ubi etiam addit, literas Phœnicum, Syrorum, Maronitarum, Græcorum, & Latinorum, eaſdem olim fuiſſe, vel ab eadem origine fluxiſſe. Quomodo vero ex Græcis Romanæ ſingulæ levi deflexione formatæ ſunt, docet Voſſ. l. 1. c. 24, 25, &c.

13. Quod ad alias nationes attinet, Ab Aſſyriis ſive Hebræis literas habuiſſe Arabes, Syros, Æthiopes, alioſque Orientales, probatione non eget. Nec difficile eſſet oſtendere, Europæos pleroſque, literas, vel a Græcis, vel a Romanis, per ipſorum victorias, & colonias, vel per illorum ad Religionem Chriſtianam converſionem, hauſiſſe: multas etiam ſero eas recepiſſe. Refert enim Ælianus Var. hiſtor. l. 8. c. 6. Androtionem ſcriptum reliquiſſe, literarum & diſciplinarum apud Thracas alioſque Barbaros magnam fuiſſe ignorantiam: (adeo ut veterum Thracum nemo literas noverit;) & omnes Barbaros in Europa probro ſibi duxiſſe literis uti. Unde a nonnullis dubitatum erat, an Orphei fabulæ per ipſum compoſitæ ſint, an per alios; quia Thrax fuit. De Ulphila Gothorum Epiſcopo, qui circa annum Chriſti 370. floruit, ſcribit Socrates Hiſt. l. 4. c. 27. ipſum literas Gothicas inveniſſe, & Scripturam in linguam Gothicam tranſtuliſſe: cujus tranſlationis exemplaria adhuc ſuperſunt. Affirmat quidem Olaus Magnus, Gothos habuiſſe literas ante Latinos, & per mille ducentos annos ante Chriſtum: In hoc tamen fidem vix meretur, cum gentes Septentrionales ab Orientalibus, (ubi literarum & artium origines) remotiores ſint, nec commerciorum frequentia notæ: unde, ut diſciplinas ac Religionem, ſic literas ſero habuerint. Slavos refert Aventinus Annal. l. 4. literas a Methodio Philoſopho accepiſſe, non ante tempora Ludovici Imperatoris, qui Lothario ſucceſſit. An Franci, qui ſub Pharamundo & Marcomero Galliam ſubegerunt, literas habuerint Græcis non diſſimiles, ut affirmat Cornel. Agrippa de Vanit. ſcientiarum l. 1. c. 11. dubitat Voſſius de arte Gram. l. 1. c. 9. Hieronymum vero literas, Græcis ſatis affines, Dalmatis tradidiſſe, una cum verſione Bibliorum vernacula: alias vero a Cyrillo inventas Illyricis traditas; ipſorum libri iſtis characteribus conſcripti, qui ab eorum inventoribus adhuc Hieronymiani, & Cyrilliani dicuntur, hodie teſtantur.

14. Chinenſes, quorum literæ ſimiliores ſunt Ægyptiorum Hieroglyphicis, (a quibus tamen diſcrepant, ut infra videbimus,) quam noſtris, quæ vocis humanæ articulatos ſonos exprimunt, cum multa de literarum ſuarum antiquitate jactent, haud mirandum ipſos de prima literarum inventione gloriari. Imperatorem primum, quem Fohy vocant, (ante cujus tempora ſe nihil certi habere fatentur,) primum faciunt literarum inventorem: hunc vero imperaſſe ſcribit Auctor mirandorum in Sina & Europa. c. 47. annis ante Chriſtum, 2847. qui calculus Diluvii calculum vulgarem ſuperat ultra annos 500. At Alvarez Semedo in hiſtoria ſua Chinenſi Italice ſcripta l. 1. c. 6. licet a Fohy Imperatore literarum originem apud ipſos deducat haud tamen ultra annos 2060. ab ipſo ad Chriſtum numerat. Fruſtra tamen hanc ſibi gloriam aſſumunt Chinenſes, cum primis hominibus literas innotuiſſe, probabiliorem eſſe ſententiam ſupra oſtenderimus, & per Noachi poſteros ad Aſſyrios alioſque traductas eſſe. Et porro ex hiſtoria Sacra certum eſt, poſt Diluvium apud Aſſyrios, ubi arca requievit, originem fuiſſe humani generis, ubi artes primo cultæ, & inde ad alias nationes propagatæ. At poſt diſperſionem Babylonicam ſingulas colonias literarum ſcientiam retinuiſſe, cum linguam antiquam amiſerant, vix probabile videtur: imo contrarium verum ſentio, eo quod non niſi longo temporis intervallo nationes aliæ literarum uſum acceperint: unde & Chinenſes primo ſine literarum cognitione fuiſſe crediderim, cum characteres habeant toto genere diverſos ab iis, quos aliis nationibus dederunt Aſſyrii: & probabile mihi videtur (nam cum ob hiſtoriarum defectum de rebus adeo remotis certi aliquid ſtatuere difficile ſit, probabilibus argumentis agendum eſt:) quod Chinenſes, cum ab aliis nationibus literas accipere non potuere, (ut qui ex lege antiquiſſima & fundamentali omne commercium & cum extraneis mixtionem ſemper fugiebant,) novum literarum genus ob neceſſarium vitæ communis uſum invenerint, ipſaſque paulatim excoluerint: quas ad hunc uſque diem aliquanto mutatas retinent.

15. Hæc de literarum origine. Modum autem ſcribendi multiplicem & olim fuiſſe, & hodie eſſe, videmus. Primus & maxime antiquus eſt a dextra ſiniſtrorſum: qualis eſt Hebræorum, & aliorum qui ab Hebræis morem eundem receperunt; ſcil. Chaldæorum, Syrorum, Arabum, & plerorumque Orientalium. Eundem modum ſervaſſe olim Ægyptios, & ex parte Græcos, ex veteribus conſtat. De Ægyptiis hoc affirmat Herodotus in Euterpe: & morem hunc eos mutaſſe veriſimile eſt, cum poſt Alexandrum una cum Græcorum imperio, ipſorum literas, & ex magna parte linguam, recipere coacti ſunt. Græci vero, licet, ut antea dictum, literas quas a Cadmo acceperant, inverterunt, tamen ex parte Orientalium morem imitabantur, quod cum lineam abſolviſſent, ab eodem loco ſiniſtrorſum ſtylum ducebant, & poſtea dextrorſum; tum ſiniſtrorſum, donec ad finem paginæ perveniſſent: & hic modus dictus erat βουστροφηδὸν, de quo ſtatim dicemus. Secundus erat a ſiniſtra verſus dextram, quem Græci & Latini, reliquique Europæi uſurpant; & inter Orientales, Armeni, Georgiani, Ægyptii & Æthiopes: & hic maxime naturæ congruus eſt. Nam ipſi qui dextrorſum ſcribunt, literarum lineas directas vel tranſverſas a ſiniſtra incipiendo in dextram ducunt, & ibi deſinunt: Cum vero eadem ſit ratio partis & totius, ut lineæ eodem modo quo literæ, ſcribantur, maxime naturale videtur. Tertius eſt: quem βουστροφηδὸν diximus; cum ſcil. ſcribunt ad modum boum ſulcos ducentium, incipiendo ſecundam, ubi deſinebat prima: ſic enim explicat Heſychius. Hujus etiam meminit Pauſanias Eliacorum priori, ubi narrat inſcriptionem factam Olympiæ Cypſelidarum γράμμασι τοῖς ἀρχαίοις, *antiquis literis*, Ionicis ſcil. formam vero ſcriptionis fuiſſe βουστροφηδὸν, quo ſcil. ἀπὸ τοῦ πέρατος τοῦ ἔπους ἐπιστρέψαι τῶν ἐπῶν τὸν δεύτερον, ὥσπερ ἐν διαύλου δρόμῳ. *In ſuperiori verſus fine fit converſio ad initium ſequentis, ad modum quo in diaulo curritur.* Iſidorus Orig. l. 6. c. 13. ait, *vulgo vocari verſus, quia ſic ſcribebant antiqui, ſicut aratur terra, ſtylum a ſiniſtra ad dextram, deinde a dextra ad ſiniſtram vertendo: & hos ruſtici hodie verſus vocant.* Hoc modo ſcriptæ ſunt Solonis leges antiquæ, teſte Euphorione apud Didymum, & ex ipſo Suida. Quartus eſt a ſummo paginæ incipiendo deorſum ſcribere, quod Sinenſibus in uſu eſt: & a dextra parte chartæ primum verſum ſcribunt, ut narrant Alvar. Simoneta. Trigaultius, Kircherus, & alii, qui res Chinenſes tractant; & ut ex libris ipſorum more impreſſis, quos huc advexere Portugalli, videmus. Hoc etiam apud Indos Orientales obtinere affirmat Gerh. Voſſius ex Joh. Franciſco Poggio Florentino, libro de varietate fortunæ; & apud antiquos idem teſtatur Diod. Sicul. l. 2. ad finem: ubi ſcribit, Inſulæ Taprobanæ incolas ſic olim ſcripſiſſe, Γράφουσι τοὺς στίχους οὐκ εἰς τὸ πλάγιον ἐκτείνοντες, ὥσπερ ἡμεῖς, ἀλλ' ἄνωθεν κάτω καταγράφοντες εἰς ὀρθὸν, *Verſus ſcribunt non eos in tranſverſum extendentes ut nos, ſed a ſummo ad imum recta deducendo.* Hunc vero modum ſcribendi Græcos vocaſſe Tapocon, affirmat Feſtus: quam vocem conjicit Voſſius lib. 1. Gram. c. 34. Græcos habuiſſe a Phœnicibus, & originem ducere ab Heb. הָפַךְ *vertit, convertit*, &c. a cujus futuro תַּהֲפוֹךְ *invertet*, fit Tapocon. Plures præter hos dari poſſe ſcribendi modos, qui olim, vel hodie uſurpantur, non negamus: hi tamen quos recitavimus, ſunt celebriores: idcirco plura de variis ſcribendi rationibus non addimus.

16. De ſingulis characterum formis, quæ paſſim per orbem uſurpantur, differere, inſtituti noſtri brevitas non permittit. De quibus vide Poſtel. de 12. linguis. Duretum de linguis & characteribus omnium linguarum. Tabulas Alphabeticas variorum characterum editas Francofurt. anno 1596. Jac. Bonav. Hepburn. Alphabeta 70. Romæ edita 1616. & alios: ad quos lectorem remitto. In genere obſervamus, duas potiſſimum eſſe literarum ſive characterum ſpecies: de quibus quædam breviter dicenda. Una, quæ ſermonis humani ſonos articulatos exprimit; altera, quæ res ipſas menti immediate repræſentat. Prioris generis ſunt literæ tum Hebraicæ, tum aliarum gentium, Syrorum, Arabum, Æthiopum, & reliquarum per Aſiam, Europam, & Africam: quæ vel ex Hebraicis deductæ, vel per earum imitationem excogitatæ. Poſterioris ſunt duarum præcipue nationum, Ægyptiorum ſcil. Hieroglyphicæ, & Chinenſium; quibus addunt quidam Mexicanos in America: de quibus quædam annotanda.

17. Apud Ægyptios in uſu erant ab ultima antiquitate, literæ Hieroglyphicæ, quæ ex animalium aliarumque rerum figuris conſtabant: quarum uſus erat præcipue in eorum ſacris, quibus myſteria occultabant, ne a vulgo perciperentur. *Non enim, ut nunc*, inquit Ammianus Marcell. l. 17. c. 7. *literarum numerus præſtitutus & facilis exprimit quicquid humana mens concipere poteſt, ita priſci quoque ſcriptitarunt Ægyptii: ſed ſingulæ literæ ſingulis nominibus ſerviebant, & verbis nonnunquam ſignificabant integros ſenſus.* Idem teſtatur Cornel. Tacitus l. 11. Annal. *Primi* (inquit) *per figuras animalium Ægyptii mentis ſenſus effingebant: ea antiquiſſima monumenta memoriæ humanæ ſaxis inſculpta erant.* Unde Lucanus. --------*Saxis tantum, volucreſque feræque*

Sculptaque ſervabant, magicas, animalia, linguas.

Eadem habentur apud Diodor. Sicul. l. 3. & 4. At Cæl. Rodigin. l. 29. c. 26. & Volater. l. 12. ab Æthiopibus hunc morem ſymbolicum ſcribendi accepiſſe Ægyptios ſcribunt: de quo multum dubito, cum Æthiopes potius Ægyptiorum coloni primo fuerint, quam Æthiopum Ægyptii. De hoc etiam Apuleius in Metamorph. ſcribit, veteres illos habuiſſe *ignorabilibus literis prænotatos, partim figuris hujuſmodi animalium concepti ſermonis compenſa verba ſuggerentes; partim nodoſis & in modum rotæ tortuoſis, capreolatimque condenſis apicibus, a curioſitate profanarum lectionum munita.* Exemplum dat Clem. Alex. Strom. 5. *In Dioſpolitana Ægyptia* (inquit) *in æde ſacra quæ vocatur Pylon, expreſſus eſt puellus ſymbolum generationis, ſenex vero interitus: rurſus Dei accipiter, & piſcis odii; & in alio ſigno Crocodilus impudentiæ. Videtur ergo univerſum hoc ſymbolum ſimul poſitum hoc ſignificare; O qui naſcimini & interitis, Deus odio impudentiam habet.* De his plura legere licet apud eundem Clement. & Ammian. Item apud Porphyr. Iambl. Horapollinem & alios. Tabulam etiam Iſiacam ſive Bembinam ſuperiori ſeculo repertam explicare tentarunt Laurentius Pignorius Patavinus, Georgius Herwartus, & alii. Maximam vero hujuſmodi inſculptis lucem attulit, &, quæ per annorum quorundum millia tenebris ſepulta jacuerunt, eruit, & orbi Chriſtiano propalavit, Athanaſ. Kircherus, tam in prodromo Copto, quam in lingua Ægyptiaca reſtituta: præſertim vero in Theatro Hieroglyphico Tomis 4. comprehenſo, quod Oedipum Ægyptiacum appellat, & in Obeliſco Pamphiliano: in quibus omnium obeliſcorum, mummiarum, Tabularum, aliarumque veterum Ægyptiacarum inſcriptionum, quæ ullibi haberi poterant, figuras, ipſarumque explicationem dedit. Opus certe ſummi laboris & induſtriæ, cujus authori ob tot antiqua & præclara veterum monumenta poſteris ſervata omnes docti multum debent: an vero in explicationibus expectationi ſatisfecerit, aliorum eſto judicium.

18. Characterum Ægyptiacorum quatuor genera ex Arabico quodam auctore recenſet Kircherus Obeliſ. Pamph. l. 2. c. 1. Sed ita confuſe & indiſtincte vel ab ipſo, vel ab auctore proponuntur, ut quinam fuerint, ego quidem non intelligo. Magis diſtincte Clem. Strom. l. 5. tria characterum genera apud ipſos uſitata, deſcribit: quorum primum vocat ἐπιστολογραφικόν, quo epiſtolas & reliqua ad communem uſum pertinentia conſcripſerunt. Secundum ſacerdotalem, quo utebantur ἱερογραμματεῖς, qui de rebus ſacris ſcribebant. Tertium, ἱερογλυφικὸν ſive ſacrum, quo inſculpitur ſcriptura pyramidibus, obeliſcis, aris, tabulis, &c: ut cum Solem pingunt, faciunt circulum; Lunam pingunt per figuram Lunæ curvam. Quomodo vero literæ ſacerdotales ab epiſtolaribus diſcriminentur, an aliud habuerint Alphabetum, an ſymbolis conſtarent ut Hieroglyphicæ; & quomodo ſingulas ab aliis diſtinguerent, nondum ſatis ex ejus verbis colligitur. An etiam alias initio habuerint Ægyptii literas præter Hieroglyphicas, multi dubitant; imo a

quibuſdam negatur : inter quos Mercerus in notis ad Horapollinem : contra quos Kircher. Obeliſ. Pamph. l. 2. Ipſe vero dum antiquas ipſorum literas eaſdem facit cum hodiernis Coptitis, (quas a Græcis profluxiſſe, nomina & figuræ ita clare teſtantur, ut luſcus ſit qui non videat,) iiſdem ſe involvit difficultatibus, quibus premitur ejus ſententia de Græca lingua, quam ab Ægyptiaca derivari dixerat : quam cum ab omnibus doctis, ut aperte falſam, exploſam videret, ingenue retractavit. Qaod vero aſſerit, poſt Cambyſem nullum fuiſſe literarum Ægyptiacarum uſum in obeliſcis, mummiis, &c. (unde infert, omnes obeliſcos, mummias, &c. in quibus characteres Copti hodierni viſuntur, ante Cambyſis tempora fuiſſe, ut inde hodiernarum literarum antiquitatem oſtendat,) parum firmum mihi videtur. Quis enim ſibi perſuaſerit, ex Cambyſis irruptione ſubita, brevique tyrannide, omnes vetuſtos Ægyptiorum mores, Religionem & ſapientiam, ſtatim evanuiſſe ? Imo certum eſt ex hiſtoriis multis ſeculis poſt Cambyſem, ipſorum mores & cultum ſuperſtitioſum ad Theodoſii tempora permanſiſſe : cujus juſſu ipſorum templa everſa, & ſolo æquata erant, & ſuperſtitio funditus abolita. Unde obeliſcos aliaque monumenta, in quibus characteres quidam hodierni cum Hieroglyphicis mihi cernuntur, recentiora eſse; & ſaltem poſt Pſammetichum,(qui primo cum Græcorum coloniis, Græcas literas in Ægyptum introduxerat,) compoſita, clarum mihi videtur.

19. Si vero quis a me quærat, quid de hoc Hieroglyphico ſcribendi modo, & de ſapientia illa Ægyptiorum priſca, (quæ magnis præconiis a multis extollitur, & ſub hoc velo tegitur,) judicandum ſit; Reſpondeo verbis viri doctiſs. Conringii, de priſca Hermeticorum medicina l. 1. c. 14. *Tales* ſcil. *literas excogitare, rem eſſe multæ operæ, prolixi otii, & non vulgaris doctrinæ ; eademque omnia requiri ad ipſarum intellectum diſcendum : quem ubi didiciſti, nondum tamen certus es de ſententiæ veritate aut falſitate, cum nulla adhibita fuerit demonſtratio : ita tantum non omne tempus impendendum eſt vel literis excogitandis vel ediſcendis, ut parum ſuperſit inquiſitioni veritatis. Fecit autem diſcendi rationem juſto graviorem, ſcribentium ruditas ; ſi pro literis fuerint uſi figuris, quibus reapſe cum re ſignificata nihil eſt ſimilitudinis, aut ſi de re quapiam erroneas ſententias foverint : nec enim tum, quamvis induſtrius, aut acuti ingenii, potuit ſine vivo magiſtro ſenſum earum hariolari. Laboraſſe vero hiſce vitiis Hieroglyphicas Ægyptiorum literas, luculenter probant Horapollinis aliorumque monumenta. Neque vero niſi raro deprehendere eſt in illis Hieroglyphicis quicquam cum re ſignificata vere* συμβολικόν. *Ea etiam cum de ſymbolis, tum de rebus indicandis, apparet hinc Ægyptiis credita, quæ ab omni ſunt veritate alieniſſima. Quo ſimul patet, quam illi operam ludunt, qui ultra illas, quæ in Horapolline, Clem. Alex. Ammiano, aliiſque veterum extant ex ore Ægyptiorum hauſtæ Hieroglyph. expoſitiones, moliuntur etiam aliorum novas interpretationes. Sunt illæ & perpetuo erunt* Latinis ignorabiles *literæ, ut cum Ammiano loquar : neque Sphingum illarum ænigmata ſolvet, ſcio, Athanaſius Kircherus, qui novum Oedypum polliceri non dubitavit* (qui jam editus eſt :) *etſi multa ſpecioſius illum futurum (qua valet ingenii præſtantia) quam factum eſt a Georgio Hervvarto & aliis, nullus dubito. Sed & omnis ille Hieroglyphicorum theſaurus, quem magno ſtudio collegit Hervvartus pater, ſpecioſa illa Bembina tabula, & quicquid præterea paſſim ſupereſt Hieroglyphicæ literaturæ, ne per Oedipum quidem ſolidæ quidquam dabit doctrinæ, quantum ex Horapolline aliiſque conjicere eſt : meliora enim hic latere abſcondita, caret vero ſimilitudine.* Hactenus Conringius. Quod vero ſcribit, raro in Hieroglyphicis illis quicquid eſſe cum re ſignificata ſimilitudinis; unde, niſi ex Ægyptiorum ore hauſtas, vel ex veterum libris excerptas, expoſitiones, nemo certo reddere poſſit; libet confirmare exemplis quibuſdam ex Horapolline. Ubi lib. 1. 22. Ægyptum deſignantes, conflagrantem acerram pingunt, & ſuperne, cor : quia ſcil. ut zelotypi cor in perpetuo æſtu & flamma eſt; ſic Ægyptus, quia immodice calet, continenter quæ in ea ſunt animat ac procreat. Quis vero per hoc ſymbolum potius Ægyptum, quam alias Africæ partes, quæ Ægypto plus calent, deſignari augurari poſſit? Eod. lib. Hierogl. 23. hominem, qui nunquam ſolo natali relicto peregrinatus eſt, ſignificantes, Onocephalum pingunt : rationem vero reddunt, quia nec ullam audit hiſtoriam; nec quæ apud exteros fiunt, cognoſcit. Egregium ſcil. acumen; ſed per quodcunque aliud animal brutum, imo per inanimatum ſaxum, idem innuere poſsent. Sic Hierogl. 28. ſilentium ſignificantes, quot dies tribus annis includuntur, ſcil. 1095. pingunt: pro ſingulis annis dies 365. numerantes. Cur vero hoc? quia ſcil. cum intra tres annos non loquitur puellus, etſi linguam habuerit, indicatur ipſi vocem & loquelam defeciſſe. E longinquo hæc petita eſſe, quis non videt? & quis ſine viva præceptoris voce talia expiſcari poſſet? Certe ſi quis hodie talia ſub myſteriorum velo obtenderet, omnibus merito ridendum ſe præberet.

20. Hieroglyphicis Ægyptiacis ſimiles videntur literæ Chinenſes : diſcrepant tamen, quod illa non rem aliquam ſimplicem ſignificant, ſed integros conceptus myſterioſos : ut ſcarabæus, non ſolum ipſum animal præciſe, ſed occultas operationes, quas non tantum Sol in mundo viſibili, ſed et quas Archetypus in mundo intelligibili efficit, indicat. Chinenſes vero tantum ad ſimplices rerum conceptus indicandos, nullo ſub eis latente myſterio, inſerviunt : quibuſdam tamen exceptis, quæ ſignificatione parum ab Ægyptiacis differunt. Præterea Chinenſium literæ omnibus communes ſunt : Hieroglyphica ſacerdotibus & magnatibus, qui ad ſacerdotium vel regnum aſpirabant, propria erant; vel quibus per legem & inſtitutum politicum hoc permiſſum fuit.

21. Chinenſium vero literæ, (ut ex Alvar. Semedo, aliiſque patet) ejuſdem ſunt cum gente antiquitatis : numerant enim in ipſorum Annalibus, a prima ipſarum inventione ad annum quo ipſe hiſtoriam ſuam ſcripſit, qui erat ſecundum æram Chriſtianam, 1640. annos 3700. licet alii hunc numerum multo augent, ut ſupra monuimus. Et quanquam a Chinenſibus denominantur : in regnis tamen adjacentibus, Japoniæ, Coreæ, Cochinchinæ, &c. in uſu ſunt : quas ſingulæ gentes idiomate ſibi proprio exprimunt : ut apud nos Europæos, numerorum figuræ ſive cyphræ, & planetarum characteres, ſignaque cœleſtia. Primum ipſarum auctorem faciunt Fohy, unum ex primis eorum regibus. Vocabula habent pauciſſima, omniaque monoſyllaba : nomina enim non agnoſcunt ultra 326. nec in univerſum, ultra 1228. vocabula, (unde magna homonymia laborant :) characteres tamen habent fere infinitos; alii ſexaginta millia, alii octoginta, alii uſque ad 120000. numerant : omneſque in vocabulario ſuo magno, quod *Halpien*, id eſt, Oceanum appellant, (quo nomine Lexicon ſuum ornavit celebris ille Lexicographus Arabs, Camus) deſcripti ſunt : Et qui ad eruditionis faſtigium apud ipſos pervenire velit, neceſſe eſt ut omnes, vel pleroſque memoriter teneat; ad communem tamen uſum, inter artifices, mercatores, alioſque de plebe, octo vel decem millia ſatis erunt. Hinc apud ipſos doctiſſimus habetur, qui plures iſtorum characterum memoria tenuerit : idcirco non immerito ex literatis, omnes, qui Regni negotia adminiſtrant, eliguntur : non enim ſine ſummo labore addiſcuntur; & magnum ætatis ſuæ ſpacium in iis addiſcendis inſumunt. Ad omnes vero hos characteres formandos novem tantum diverſis lineis utuntur : quæ quia ex ſe ad tot verborum myriades non ſufficerent, literas plures inter ſe conjungunt, ex quorum mixtura novæ oriuntur, quæ a ſimplicibus ſignificatione differunt. Quia vero valde ambigua ſunt ipſorum vocabula, ita ut unum viginti vel triginta res diverſas ſignificet, quæ ambiguitas ſola pronunciatione tollitur, (quod ipſis, qui a pueritia huic linguæ aſſueti ſunt, facile eſt; ab extraneis vero non niſi ſumma cum difficultate addiſcitur :) ideo Jeſuitæ, qui inter ipſos ad fidei propagationem miſſi ſunt, ut faciliorem viam ad linguam addiſcendam pararent, quinque apices ſive notas excogitarunt, quibus ſupra ſingula vocabula poſitis, accentuum ſive toni gradus juxta modum notarum muſicarum exprimunt. Notæ vero tales ſunt, ˆ ˉ ˋ ˊ ˇ. Harum ope dictio una, ſcil. ya, literis noſtris ſcripta, & notis iſtis affecta, diverſi mode pronunciari debet, & diverſas res ſignificat; ut ex ſubſcriptis liquet.

Deus	yâ
murus	yā
excellens	yà
ſtupor	yá
anſer	yǎ

Horum apicum auxilio lingua hæc addiſcitur, ſed magno (ut dixi) tædio; & his notis videmus dictiones Chinenſes affectas in libris, Lexico ſcil. & aliis, quos nuper typis Latinis evulgarunt Jeſuitæ.

22. Ex dictis de Chinenſium literis, patet, quid de quæſtione illa ſentiendum ſit; An character communis qui toti orbi inſerviat, excogitari poſſit? Quid enim impedit, quo minus hoc fieri poſse concedamus? Nam cum tales characteres, qui tot regionibus (quæ Europam magnitudine ſuperant) communes ſunt, excogitatos & uſurpatos videamus; cur non poſſibile ſit, idem pro omnibus regionibus fabricari, nondum video: unde, quin hoc poſſit humana induſtria efficere, dubitandum non eſt. Rationes varias adducit Gerh. Voſſ. de arte Gram. lib. 1. c. 41. *Primo, habemus vocum omnium ſigna, quæ pro linguis variant : cur itaque non poſſint fingi ſigna, quæ* ἀμέσως *rerum vel conceptuum notæ omnibus eſſe poſſint ? 2. Plurimæ gentes in iiſdem cyfris ſive notis Arithmeticis; item in notis Planetarum, &* 12 *Signorum, conſentiunt: quas tamen idiomate proprio ſingulæ efferunt. 3. Si homines,* (*maxime pueri, quorum ætas memoria maxime valet,*) *brevi ſpacio plures addiſcunt linguas; cur non eodem ſpacio rerum ſigna addiſci poterint, quaſi ſigna linguæ alicujus communis ? nam non opus eſſet pluribus rerum ſignis, quam nunc opus eſt vocum in lingua qualibet.* Hinc concludit vir doctus, haud dubium eſſe, quin qui turrem Babylonicam ædificarunt, cum in varias linguas diviſi fuerint, ſi communi aliquo charactere ad ſcribendum uſi eſſent, optime alios aliorum ſenſum potuiſſe cognoſcere. Hoc tamen addendum judico, ædificatores iſtos, licet communi lingua & communibus characteribus ante Confuſionem uſi ſint: non potuiſſe tamen ſeſe mutuo intelligere; quia immediato in animos eorum influxu divino, utrorumque, tum characterum, tum linguæ, obliti ſunt. Sepoſita tamen actione hac & judicio divino, potuiſſe ſeſe mutuo per ſcripta intelligere, licet in linguis diviſi ſint, conceſſerim.

23. De literis Mexicanis, quas natura & ratione duce invenerunt, ſine aliarum nationum exemplo, cum a reliquo orbe diviſi ſint, quærunt nonnulli; An tertium characterum genus conſtituant ? Inter omnes novi orbis incolas Mexicani erant reliquis cultiores : unde & literas quaſdam habuerunt, quibus rerum geſtarum memoriam conſervabant. Lingua etiam Mexicana cœpit eſſe communis variarum nationum ad 1200 milliaria, ut apud Europæos Latina, apud Orientales Arabica. Purchaſius noſter in Itinerariis ſuis habet integrum Chronicon Mexicanum cum ejus explicatione: Hoc vero a novæ Hiſpaniæ Prorege, Carolo 5. miſſum erat : & a Gallis piratis interceptum, ad Thevetum pervenit; poſt cujus obitum in Hackluiti noſtri manus incidit : a quo Purchaſius illud nactus, publici juris fecit. Digniſſimum (ut Hornius lib. citato) opus, quod antiquitatis ſtudioſi introſpiciant: ex ipſo enim multi Joſephi Acoſtæ errores deteguntur. Conſtat vero ex variis picturis, quibus tum reges ſuos, tum celebriora ipſorum acta, aliaque quæ poſteris tradi digna conſebant, deſcribuntur. Nam, ut exempla quædam proferam; Hiſpanorum adventum per hominem barbatum rubra veſte indutum, quo ipſorum crudelitatem denotarunt, deſignarunt; Regem Tizocic per naſum perforatum (quia ille talem habuit) exprimebant; migrationem Navatlacum, per ſeptem ſpecus cum totidem hominibus inde prodeuntibus, pingebant. Characteres vero iſti, licet ex variis animalium, herbarum, inſtrumentorum figuris, conſtructi ſint, ut videre licet apud Purchaſium & Kircherum : tamen inſtar Hieroglyphicarum non fuere, quia nullam habebant arcanam ſignificationem: nec tamen vocis humanæ ſonos articulatos repræſentabant; ſed rerum geſtarum ſeriem inſtar picturæ omnium oculis exhibebant, quæ ſtatim ſine ullo ſtudio a quibuſvis intelliguntur: unde conſtat characteres vel literas proprie non eſſe has ipſorum picturas, nec aliquod literarum genus conſtituere. Erant rudia quædam notarum indicia a Barbaris hiſce uſurpata, qui alias non noverunt : inter literas vero Hieroglyphicas non numeranda; multo minus literis Alphabeti comparanda.

Alphabeta Linguarum Præcipuarum hodiernarum ſequuntur; ſcil. Hebraicæ et Chaldaicæ, cum literis Rabbinicis; Samaritanæ, Syriacæ, cum literis Neſtorianis & antiq. Eſtrangelis; Arabicæ, Perſicæ, Æthiopicæ, Armeniacæ, Coptæ ſive Ægyptiacæ, Illyricæ, Dalmaticæ, Georgianæ, Gothicæ; cum ſpecimine characterum Chinenſium, & Græc. in MS. Alexandrino.

1 *Alphabetum Hebraicum & Chaldaicum.*

	Nomen.	Figura.	Poteſtas.	*Literæ Rabbinicæ.* *Ital.*	*Germ.*
1	Aleph	א	*Aſpiratio lenis.*	א	א
2	Beth	ב	V *Conſ. vel B.*	ב	ב
3	Gimel	ג	Gh. *vel* G.	ג	ג
4	Daleth	ד	Dh. *vel* D.	ד	ד
5	He	ה	H.	ה	ה
6	Vau	ו	V. *alii* W.	ו	ו
7	Zain	ז	Z *vel* ds.	ז	ז
8	Cheth	ח	Ch. *alii* Hh.	ח	ח
9	Teth	ט	T. *alii* Tt.	ט	ט
10	Jod	י	J. *Conſonans.*	י	י
20	Caph	כ	Ch. *vel* c. *alii* K.	כ	כ
30	Lamed	ל	L	ל	ל
40	Mem	מ	M	מ	מ
50	Nun	נ	N	נ	נ
60	Samech	ס	S *acutum.*	ס	ס
70	Ajin	ע	Aa. *alii* Gn.	ע	ע
80	Pe	פ	Ph. *vel* P.	פ	פ
90	Tſade	צ	Tſ. *vel* Sſ.	צ	צ
100	Koph	ק	K *alii* Q.	ק	ק
200	Reſch	ר	R.	ר	ר
300	Schin *vel*	שׁ	Sh.	ש	ש
	Sin	שׂ	S.		
400	Tau	ת	Th. *vel* T.	ת	ת

Literæ Rabbinicæ finales.

Ital. כך מם נן פף צץ

Germ. כך מם נן פף צץ

Literæ communes finales.

ך ם ן ף ץ

3 *Alphabetum Syriacum.*

	Nomen.	Figura. *In fine.*	*In medio.*	*In Initio.*	Poteſtas.
1	Olaph	ـܐ ܐ	ـܐ ܐ	ܐ	*Aſpir. tenuiſſ.*
2	Beth	ـܒ ܒ	ـܒـ	ܒـ	B
3	Gomal	ـܓ ܓ	ـܓـ	ܓـ	G.Gh
4	Dolath	ـܕ ܕ	ـܕ	ܕ	D.Dh
5	He	ـܗ ܗ	ـܗ	ܗ	H
6	Wau	ـܘ ܘ	ـܘ	ܘ	V vel W
7	Zain	ـܙ ܙ	ـܙ	ܙ	Z
8	Cheth	ـܚ ܚ	ـܚـ	ܚـ	Ch.Hh.
9	Teth	ـܛ ܛ	ـܛـ	ܛـ	T
10	Jud	ـܝ ܝ	ـܝـ	ܝـ	J conſ.
20	Coph	ـܟ ܟ	ـܟـ	ܟـ	C
30	Lomad	ـܠ ܠ	ـܠـ	ܠـ	L
40	Mim	ـܡ ܡ	ـܡـ	ܡـ	M
50	Nun	ـܢ ܢ	ـܢـ	ܢـ	N
60	Semchath	ـܣ ܣ	ـܣـ	ܣـ	S
70	Ae	ـܥ ܥ	ـܥـ	ܥـ	Aa
80	Pe	ـܦ ܦ	ـܦـ	ܦـ	P
90	Tſode	ـܨ ܨ	ـܨ	ܨ	Tſ
100	Koph	ـܩ ܩ	ـܩـ	ܩـ	K
200	Riſch	ـܪ ܪ	ـܪ	ܪ	R
300	Schin	ـܫ ܫ	ـܫـ	ܫـ	Sh
400	Tau	ـܬ ܬ	ـܬ	ܬ	T

Literæ Syriacæ.

Duplices. Neſtorianæ. Eſtrangelæ.



2 *Alphabetum Samaritanum.*

	Nomen.	Figura.	Poteſtas.
1	Aleph	ࠀ	א
2	Beth	ࠁ	ב
3	Gimel	ࠂ	ג
4	Daleth	ࠃ	ד
5	He	ࠄ	ה
6	Vau	ࠅ	ו
7	Zain	ࠆ	ז
8	Hheth	ࠇ	ח
9	Teth	ࠈ	ט
10	Jod	ࠉ	י
20	Caph	ࠊ	כ
30	Lamed	ࠋ	ל
40	Mem	ࠌ	מ
50	Nun	ࠍ	נ
60	Samech	ࠎ	ס
70	Aain	ࠏ	ע
80	Pe	ࠐ	פ
90	Tſade	ࠑ	צ
100	Koph	ࠒ	ק
200	Reſh	ࠓ	ר
300	Shin	ࠔ	ש
400	Tau	ࠕ	ת

4 *Alphabetum Arabicum.*

	Nomen.	Figura. Final.	Med.	Init.	Poteſtas.
1	Elif	ـا ا	ـا	ا	*Spirit. lenis.*
2	Be	ـب ب	ـبـ	بـ	B
3	Te	ـت ت	ـتـ	تـ	T

Alphabetum Arabicum.

	Nomen.	Figura. Final.	Med.	Init.	Poteſtas.
4	Thſe	ـث ث	ـثـ	ثـ	T *blæſum.*
5	Gjim	ـج ج	ـجـ	جـ	G *Gallicū.*
6	Hha	ـح ح	ـحـ	حـ	Hh
7	Cha	ـخ خ	ـخـ	خـ	Ch
8	Dal	ـد د	ـد	د	D
9	Dſhal	ـذ ذ	ـذ	ذ	D *blæſum.*
10	Re	ـر ر	ـر	ر	R
11	Ze	ـز ز	ـز	ز	Z
12	Sin	ـس س	ـسـ	سـ	S
13	Schin	ـش ش	ـشـ	شـ	Sh
14	Sad	ـص ص	ـصـ	صـ	S
15	Dad	ـض ض	ـضـ	ضـ	D
16	Ta	ـط ط	ـطـ	طـ	T
17	Da	ـظ ظ	ـظـ	ظـ	D

Alphabetum Arabicum.

	Nomen.	Figura. Final.	Med.	Init.	Poteſtas.
18	Aain	ـع ع	ـعـ	عـ	ỳ
19	Gain	ـغ غ	ـغـ	غـ	G
20	Fe	ـف ف	ـفـ	فـ	F
21	Kaf	ـق ق	ـقـ	قـ	K
22	Kef	ـك ك	ـكـ	كـ	C *ante, a, o, u.*
23	Lam	ـل ل	ـلـ	لـ	L
24	Mim	ـم م	ـمـ	مـ	M
25	Nun	ـن ن	ـنـ	نـ	N
26	Wau	ـو و	ـو	و	W
27	He	ـه ه	ـهـ	هـ	H
28	Je	ـي ي	ـيـ	يـ	J *conſ.*
	Lam elif	ـلا	لا	لا	La

5 *Alpha-*

5 *Alphabetum Perſicum.*

	Nomen.	Figura. Final.	Med.	Init.	Poteſtas.
1	Elif	ـا ا	ـا ا	ا	Spirit. lenis.
2	Be	ـب ب	ـبـ بـ	بـ	B
3	Pe	ـپ پ	ـپـ پـ	پـ	P
4	Te	ـت ت	ـتـ تـ	تـ	T
5	Se	ـث ث	ـثـ ثـ	ثـ	S *Angl.*
6	Gjim	ـج ج	ـجـ جـ	جـ	G *Gallicè.*
7	Che	ـچ چ	ـچـ	چـ	Ch *Angl.*
8	Hha	ـح ح	ـحـ	حـ	Hh
9	Cha	ـخ خ	ـخـ	خـ	Ch. χ.
10	Dal	ـد د	ـد	د	D
11	Zal	ـذ ذ	ـذ	ذ	Z
12	Re	ـر ر	ـر ر	ر	R
13	Ze	ـز ز	ـز ز	ز	Z
14	Zhe	ـژ ژ	ـژ ژ	ژ	Zh *Angl.*
15	Sin	ـس س	ـسـ	سـ	S
16	Schin	ـش ش	ـشـ	شـ	Sh *Angl.*
17	Sad	ـص ص	ـصـ	صـ	SS *Angl.*
18	Zad	ـض ض	ـضـ	ضـ	Z
19	Ta	ـط ط	ـطـ طـ	طـ	T
20	Za	ـظ ظ	ـظـ ظـ	ظـ	Z
21	Aain	ـع ع	ـعـ عـ	عـ	A *vel* y
22	Gain	ـغ غ	ـغـ غـ	غـ	G *Angl.*
23	Fe	ـف ف	ـفـ فـ	فـ	F
24	Kaf	ـق ق	ـقـ قـ	قـ	K
25	Kef	ـك ك	ـكـ	كـ	C *vel* K.
26	Ghaf	ـگ گ	ـگـ	گـ	Kh *vel* Gh.
27	Lam	ـل ل	ـلـ لـ	لـ	L
28	Mim	ـم م	ـمـ مـ	مـ	M
29	Nun	ـن ن	ـنـ نـ	نـ	N
30	Vau	ـو و	ـو و	و	V
31	He	ـه ه	ـهـ	هـ	H
32	Ye	ـي ي	ـيـ يـ	يـ	Y *Angl.*

6 *Alphabetum Æthiopicum.*

Tabula ſyllabarum.

Nomen.	Figura. A	U	I	A	E	E	O	Numeri.
	Brev.	long.	lon.	lon.	lon.	brev.	long.	
Hoi	ha ሀ	hu ሁ	hi ሂ	ha ሃ	he ሄ	he ህ	ho ሆ	1 ፩
Lau	la ለ	lu ሉ	li ሊ	la ላ	le ሌ	le ል	lo ሎ	2 ፪
Haut	ha ሐ	hu ሑ	hi ሒ	ha ሓ	he ሔ	he ሕ	ho ሖ	3 ፫
Mai	ma መ	mu ሙ	mi ሚ	ma ማ	me ሜ	me ም	mo ሞ	4 ፬
Saut	ſa ሠ	ſu ሡ	ſi ሢ	ſa ሣ	ſe ሤ	ſe ሥ	ſo ሦ	5 ፭
Res	ra ረ	ru ሩ	ri ሪ	ra ራ	re ሬ	re ር	ro ሮ	6 ፮
Saat	ſa ሰ	ſu ሱ	ſi ሲ	ſa ሳ	ſe ሴ	ſe ስ	ſo ሶ	7 ፯
Kaf	ka ቀ	ku ቁ	ki ቂ	ka ቃ	ke ቄ	ke ቅ	ko ቆ	8 ፰
Bet	ba በ	bu ቡ	bi ቢ	ba ባ	be ቤ	be ብ	bo ቦ	9 ፱
Tau	ta ተ	tu ቱ	ti ቲ	ta ታ	te ቴ	te ት	to ቶ	10 ፲
Hharm	ha ኀ	hu ኁ	hi ኂ	ha ኃ	he ኄ	he ኅ	ho ኆ	20 ፳
Naas	na ነ	nu ኑ	ni ኒ	na ና	ne ኔ	ne ን	no ኖ	30 ፴
Alph	a አ	u ኡ	i ኢ	a ኣ	e ኤ	e እ	o ኦ	40 ፵
Caf	cha ከ	chu ኩ	chi ኪ	cha ካ	che ኬ	che ክ	cho ኮ	50 ፶
Vaw	va ወ	vu ዉ	vi ዊ	va ዋ	ve ዌ	ve ው	vo ዎ	60 ፷
Ain	a ዐ	u ዑ	i ዒ	a ዓ	e ዔ	e ዕ	o ዖ	70 ፸
Zai	za ዘ	zu ዙ	zi ዚ	za ዛ	ze ዜ	ze ዝ	zo ዞ	80 ፹
Jaman	ja የ	ju ዩ	ji ዪ	ja ያ	je ዬ	je ይ	jo ዮ	90 ፺
Dent	da ደ	du ዱ	di ዲ	da ዳ	de ዴ	de ድ	do ዶ	100 ፻
Geml	ga ገ	gu ጉ	gi ጊ	ga ጋ	ge ጌ	ge ግ	go ጎ	200 ፪፻
Tait	ta ጠ	tu ጡ	ti ጢ	ta ጣ	te ጤ	te ጥ	to ጦ	300 ፫፻
Pait	pa ጰ	pu ጱ	pi ጲ	pa ጳ	pe ጴ	pe ጵ	po ጶ	400 ፬፻
Zadai	za ጸ	zu ጹ	zi ጺ	za ጻ	ze ጼ	ze ጽ	zo ጾ	500 ፭፻
Zaap	zza ፀ	zzu ፁ	zzi ፂ	zza ፃ	zze ፄ	zze ፅ	zzo ፆ	600 ፮፻
Af	fa ፈ	fu ፉ	fi ፊ	fa ፋ	fe ፌ	fe ፍ	fo ፎ	700 ፯፻
Pſa	pa ፐ	pu ፑ	pi ፒ	pa ፓ	pe ፔ	pe ፕ	po ፖ	800 ፰፻

Aliæ ſyllabæ extra Alphabetum.

chuo ኰ	chuu ኵ	chui ኲ	chua ኳ	che ኴ	900 ፱፻
kuo ቈ	kuu ቍ	kui ቊ	kua ቋ	kue ቌ	1000 ፲፻
guo ጐ	guu ጕ	gui ጒ	gua ጓ	gue ጔ	2000 ፳፻
huo ኈ	huu ኍ	hui ኊ	hua ኋ	hue ኌ	

7 *Alphabetum Armenum.*

	Nomen.	Figura.	Poteſtas.
1	Aip	ա	A
2	Pien	բ	P
3	Chiem	գ	Ch
4	Ta	դ	T
5	Jeg	ե	Je
6	Sſa	զ	Sſ
7	E	է	E
8	Jet	ը	Je
9	Tho	թ	Th
10	Sgie	ժ	Sg
20	Ini	ի	I
30	Liun	լ	L
40	Hhe	խ	Hh
50	Za	ծ	Z
60	Ghien	կ	Gh
70	Ho	հ	H
80	Zza	ձ	Zz
90	Kat	ղ	K
100	Ge	ճ	G
200	Mien	մ	M
300	I	յ	I
400	Nu	ն	N
500	Scia	շ	Sc
600	Vua	ո	V
700	Ccia	չ	Ce
800	Be	պ	B
900	Gge	ջ	Gg
1000	Rra	ռ	Rr
2000	Se	ս	S
3000	Vieu	վ	V
4000	Diun	տ	D
5000	Ere	ր	R
6000	Zzo	ց	Zz
7000	Hiun	ւ	V
8000	Ppiur	փ	Pp
9000	Che	ք	Ch
	Ieu	և	Eu
10000	Fe	ֆ	F

Literæ quæ figuræ habent affinitatem.

ա, a   տ, d
գ, ch   դ, t
ե, e   է, e
զ, ſſ   ղ, k
ը, ie   ր, r
ժ, ſg   ծ, z
ի, i   խ, hh
լ, l   չ, cc
ձ, Zz   շ ſc   ն, n
ռ, rr   ս, ſ   ո, u

Collatio literarum Arabicarum & Perſicarum cum Hebræis, quoad poteſtatem earum in numerando.

א	ב	ג	ד	ה	ו	ז	ח	ט	י	כ	ל	מ	נ	ס	ע
ا	ب	ج	د	ه	و	ز	ح	ط	ي	ك	ل	م	ن	س	ع
1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	20	30	40	50	60	70

פ	צ	ק	ר	ש	ת	ך	ם	ן	ף	ץ	א
ف	ص	ق	ر	ش	ت	ث	خ	ذ	ض	ظ	غ
80	90	100	200	300	400	500	600	700	800	900	1000

8 *Alphabetum*

8 *Alphabetum Coptum, ſeu Ægyptiacum.*

Nomen.	Figura.		Poteſtas.
Alpha	Ⲁ	ⲁ	A
Vida	Ⲃ	ⲃ	V
Gamma	Ⲅ	ⲅ	G
Dalda	Ⲇ	ⲇ	D
Ei	Ⲉ	ⲉ ε	E
So	Ⲋ	ⲋ	S
Zida	Ⲍ	ⲍ	Z
Hida	Ⲏ	ⲏ	I
Thita	Ⲑ	ⲑ	Th
Iauda	Ⲓ	ⲓ	I
Kabba	Ⲕ	ⲕ	K
Lauda	Ⲗ	ⲗ	L
Mi	Ⲙ	ⲙ	M
Ni	Ⲛ	ⲛ	N
Exi	Ⲝ	ⲝ	X
O	Ⲟ	ⲟ	O
Bi	Ⲡ	ⲡ	P
Ro	Ⲣ	ⲣ	R
Sima	Ⲥ	ⲥ	S
Dau	Ⲧ	ϯ ⲧ	T
H	Ⲩ	ⲩ	E
Phi	Ⲫ	ⲫ	F
Chi	Ⲭ	ⲭ	Ch
O	Ⲱ	ⲱ	O
Scei	Ϣ	ϣ	Sc
Fei	Ϥ	ϥ	F
Chei	Ϧ	ϧ	Ch
Hori	Ϩ	ϩ	H
Giangia	Ϫ	ϫ	Gi
Scima	Ϭ	ϭ	Sc
Dei	Ϯ	ϯ	Di
Ebſi	Ⲯ	ⲯ	Ps

9 *Alphabetum Illyricum, ſive Servianum.*

Cyrillian.		Hieron.		Poteſtas.		N.
А	а	Ⰰ	Ⰰ	A	a	1
Б	б	Ⰱ	Ⰱ	B	b	
В	в в	Ⰲ	Ⰲ	V	v	2
Г	г	Ⰳ	Ⰳ	G	gh	3
Д	д	Ⰴ	Ⰴ	D	d	4
Є	є	Ⰵ	Ⰵ	E	e	5
Ж	ж	Ⰶ	Ⰶ	X	sh	
Ѕ	ѕ	Ⰷ	Ⰷ			6
З	з	Ⰸ	Ⰸ	Z	z	7
И	и	Ⰺ	Ⰺ	I	i	8
Ѳ	ѳ			Th		9
Ꙇ	ꙇ	Ⰻ	Ⰻ			10
І	і	Ⰹ	Ⰹ	Y	j	10
К	к	Ⰽ	Ⰽ	K	k	20
Л	л	Ⰾ	Ⰾ	L	l	30
М	м	Ⰿ	Ⰿ	M	m	40
Н	н	Ⱀ	Ⱀ	N	n	50
Ѯ	ѯ			X	x	60
О	о	Ⱁ	Ⱁ	O	o	70
П	п	Ⱂ	Ⱂ	P	p	80
Ҁ	ҁ					90
Р	р	Ⱃ	Ⱃ	R	r	100
С	с	Ⱄ	Ⱄ	S	ſz	200
Т	т	Ⱅ	Ⱅ	T	t	300
Ѵ	у			Y	y	400
Ѹ	ꙋ	Ⱆ	Ⱆ	V	u	400
Ф	ф	Ⱇ	Ⱇ	F	f	500
Х	х	Ⱈ	Ⱈ	H	h	600
Ѱ	ѱ	Ⱉ	Ⱉ	Ps		700
Ѡ	ѡ			O		800
Щ	щ	Ⱋ	Ⱋ	Sct	ch	
Ц	ц	Ⱌ	Ⱌ	Cz	ç	900
Ч	ч	Ⱍ	Ⱍ	C		1000
Ш	ш	Ⱎ	Ⱎ	Sc		
Ь	ь	Ⱏ	Ⱏ			
Ѣ	ѣ	Ⱑ	Ⱑ	Ie	ja	
Ꙗ	ꙗ	Ⱑ	Ⱑ	Ya		
Ѥ	ѥ	Ⱖ		Ye		
Ю	ю	Ⱓ		Yo		
Ю	ю	Ⱓ	Ⱓ	Yu		

10 *Alphabetum Ibericum, ſive Georgianum.*

Figura.	Nomen.	Poteſtas.	
ა	An	a	
ბ	Ban	b	
გ	Ghan	gh	*ut* ג, *Hebr. & Ital. ghe, ghi.*
დ	Don	d	
ე	En	e	
ვ	Vin	u	*Conſonans, ut* β *Græc. & Ital. ſerva.*
ზ	Zen	z	*ut Ital. Zefiro.*
ჱ	Hai	h	
ჰ	Hhai	hh	*ut* ح *Arab.*
თ	Than	th	*ut* θ, *Græc.*
ი	In	i	
კ	Kan	k	
ლ	Las	l	
მ	Man	m	
ნ	Nar	n	
ო	On	o	
პ	Par	p	
რ	Rai	r	
ჟ	jan	j	*Hiſpanicum, ut hijo.*
ს	San	ſ	
ტ	Tar	t	
უ	Vn	u	*Vocalis, ut auctor.*
ფ	Far	f, ph	
ქ	Cha	ch	
ღ	Car	c	
ყ	Gan	g	*Italicum, ut ga, go, gu.*
შ	Scin	ſci	*ut Ital. ſcia, ſcio, ſciu.*
ჩ	Ciûen	ci	
ც	Zan	z ç	*ut Ital. Zoppo.*
ძ	Zil, &		
წ	Zil	z	*ſibilantem, ut Ital. Zio.*
ჭ	Chahar	ch	*Gall. ut Charles. Hiſp. ut hecho.*
ხ	Chan	ch	*ut* ח *Hebr.*
ჴ	Char	ch	*ut* خ *Arab.*
ჯ	Gian	g	*Ital. ut gia, gio, giu.*
ჵ	Hhoi	hh	

11 *Alphabetum Gothicum ex Dureto.*



12 *Specimen Characterum Chinenſium, ex initio cujuſdam libri, eorum typis impreſſi.*


萬曆壬辰仲夏月
書林余氏雙峯堂

13 *Specimen Characterum Græcorum antiquorum, ex MS. Alexandrino. Pſal. 1. ver. 1.*

ΜΑΚΑΡΙΟϹΑΝΗΡΟϹΟΥΚΕΠΟΡΕΥΘΗΕΝ
ΒΟΥΛΗΑϹΕΒΩΝΚΑΙΕΝΟΔΩΑΜΑΡΤΩ
ΛΩΝΟΥΚΕϹΤΗΚΑΙΕΠΙΚΑΘΕΔΡΑΛΟΙΜΩΝ
ΟΥΚΕΚΑΘΙϹΕΝ

Μακάριος ἀνὴρ, ὃς οὐκ ἐπορεύ-
θη ἐν βουλῇ ἀσεβῶν,
Καὶ ἐν ὁδῷ ἁμαρτωλῶν οὐκ ἔστη,
Καὶ ἐπὶ καθέδρᾳ λοιμῶν οὐ
κ ἐκάθισεν.

PROLEG. III.

De lingua Hebraica, ejus antiquitate, conſervatione, mutatione, præſtantia & uſu. Item de antiquis ejus characteribus & punctis vocalibus.

1. *De lingua Hebraica. De vocis origine, variæ doctorum ſententiæ.* 2. *Non ab Hebero, ſed* עברי, a trajiciendo, *Abrahamus primo dictus Hebræus.* 3. *De linguæ Hebraicæ antiquitate, variæ ſententiæ.* 4. *Pro antiquitate Hebraicæ argumentum præcipuum a nominibus hominum & locorum Hebræis ab initio.* 5. *Tolluntur quorundam reſponſiones.* 6. *Idem ex vetuſtis gentium & populorum nominibus probatur.* 7. *Ex Gentilium Deorum nominibus.* 8. *Ex reliquiis linguæ Hebraicæ apud omnes gentes.* 9. *Ex ejus puritate & ſimplicitate.* 10. *Ex nomine Tetragrammato, & ex Babel.* 11. *Ex omnium fere doctorum conſenſu.* 12. *Ad argumenta contraria reſpondetur.* 13. *Non eſſe eandem linguam cum Chaldaica vel Syriaca. Eandem vero fuiſſe cum Chananæa ſive Phœnicia.* 14. *Hoc probatur ex nominibus propriis hominum, urbium, &c.* 15. *Ex mutuo colloquio Chananæorum & Iſraelitarum ſine interprete.* 16. *Ex reliquiis ſermonis Punici apud auctores veteres.* 17. *De Plauti verſibus Punicis in Pœnulo.* 18. 19. *Eorum explicatio.* 20. *De conſervatione linguæ Hebraicæ. Non per totam Aſſyriam remanſiſſe, contra Scaligerum.* 21. *Nec tantum in Heberi familia.* 22. *Non mutata in Ægypto.* 23. *Nec ante Captivitatem Babylonicam.* 24. *Poſt* 70. *annorum Captivitatem mutatam in Chaldaicam ſive Syriacam.* 25. *An futura ſit Beatorum in cœlis.* 26. *Linguæ hujus præſtantia.* 27. *Perfectio.* 28. *Utilitas & uſus.* 29. *De antiquis Hebraicis characteribus, doctorum ſententiæ.* 30. *Eoſdem fuiſſe cum Samaritanis hodiernis, probatur ex antiquis ſiclis.* 31. *Ex Hieronymo & Euſebio.* 32. *Ex utroque Talmude, & Rabb. antiquis.* 33. *Exceptionibus reſpondetur.* 34. *Diſtinctionem characteris in ſanctum & prophanum, eſſe commentitiam.* 35. *Ad Rabbinorum teſtimonia in contrarium reſpondetur. Ad argumentum ex monetis. Ad inſcriptiones fictas quorundam ſepulchrorum.* 36. *De verbis Chriſti. Mat.* 5. 17, 18. *Tau habuiſſe crucis figuram. De Mem clauſo in medio, & aperto in fine. De litera Vau. Exod.* 27. 10, 11. 37. *Cur Eſdras antiquas literas poſt Captivitatem mutaverit.* 38. *De punctorum vocalium & accentuum origine, variæ ſententiæ.* 39. *Virorum doctorum teſtimonia contra punctorum antiquitatem.* 40. *Argumentum contra eorum antiquitatem, ductum a literis Hebræis antiquis ſive Samaritanis, quæ puncta non habent.* 41. *Ex praxi Judæorum antiqua in Synagogis, ubi exemplaria ſunt ſine punctis.* 42. *Ex doctiſſimis inter ipſos Judæos, Elia Lev. & Aben Ezra.* 43. *Ex Talmude, ubi nulla punctorum mentio, nec apud antiquos Cabaliſtas.* 44. *Ex Keri & Ketib.* 45. *Ex punctorum vocalium & accentuum numero, officio, uſu, & nominibus.* 46. *Ex antiquis verſionibus, Græca, Chald. Syr. &c.* 47. *Ex Hieronymo, Origene, aliiſque antiquis Patribus.* 48. *Ex aliis linguis Orientalibus.* 49. *Argumentum primum pro punctorum antiquitate, quod omnes linguæ conſtant ex conſonantibus & vocalibus, proponitur & ſolvitur.* אוי *vocales erant antiquitus apud Hebræos, ſæpe* ה & ע. *Specimen antiquæ pronunciationis literarum Hebraicarum ex Origenis Hexaplis. Samaritani eaſdem vocales habent. Probatur idem ex Joſepho, Hieronymo, Gerhardo Voſſio, Druſio.* 50. *Ad ſecundum argumentum ex difficultate & incertitudine legendi ſine punctis, reſpondetur.* 51. *Ad tertium, quod Scripturæ ſenſus incertus & obſcurus redditur, reſpondetur.* 52. *Quartum ex libro Zohar ſolvitur.* 53. *Ad quintum ex Talmude.* 54. *Ad ſextum ex notis Maſorethicis.* 55. *Ad rationes ex hiſtoria Judaica petitas.* 56. *De muſica antiqua in Templo, ſine punctis fuiſſe. De verbis Domini. Matth.* 5. 18. *De Judæorum recentiorum conſenſu: nihili eſſe in hac cauſa.*

1. DE nominis origine duæ ſunt ſententiæ, quarum utraque magnos habet patronos: tertia enim, quæ ab Abrahamo Hebræos deducit, quaſi Abrahæos, dudum exploſa eſt, ut ab ignorantia linguæ Hebrææ profecta. Primo, multi ſunt viri docti, qui ab Hebero Semi pronepote, Arphaxadi nepote, filio Sale, Hebræos dictos eſſe volunt : nam ab עבר facile deducitur nomen patronymicum עברי. Hanc ſententiam tuentur inter veteres, Joſeph. Antiq. l. 1. c. 6. Euſeb. Præp. Evang. l. 7. c. 2. S. Auguſt. de Civ. lib. 16. c. 3. & l. 18. c. 39. Eucherius in Gen. l. 2. c. 7. Inter recentiores, Calvinus in Gen. 10. 21. Pererius in Gen. Mercerus, Auguſtinus Steuchus in Gen. 14. Genebr. Chronol. l. 1. p. 33. Franciſ. Junius, orat. de ling. Heb. Cornel. a Lap. cum aliis. Inter Rabbinos, Aben Ezr. ad Exod. 1. 16. Kimchi, rad. עברי Abarbenel in Legem. f. 51. & alii. Secunda ſententia eſt eorum, qui hoc nomen deducunt a verbo עבר *tranſire*, vel *trajicere*. Abraham enim primo a Chananæis dicebatur עברי, quaſi, *tranſitor*. Gen. 14. 13. quia de regione trans Euphratem, ubi prius habitaverat, in Chanaan venerat. Sic Paul. Burgenſ. in Matth. 21. addit. 2. *Hebræus vocatur, id eſt, Transfluvialis, ut, Ultramontani, Tranſalpini, Tranſmarini*, &c. Per Fluvium vero abſolute poſitum in Scriptura, Euphrates intelligitur, unde verba illa Exod. 23. 31. *A deſerto uſque ad Fluvium*, reddunt 70. *A deſerto uſque ad Fluvium magnum Euphratem*. Ad hoc vero etymon probandum, producunt verba Scripturæ, Joſ. 24. 2. 3. & v. 14. בְּעֵבֶר הַנָּהָר. *In transfluvium habitaverunt patres veſtri a ſeculo, Terah pater Abrahami, & pater Nachoris · & ſervierunt diis alienis. Et accepit patrem veſtrum Abrahamum* מֵעֵבֶר הַנָּהָר *de transfluvium, & deduxit eum in univerſam terram Chanaan*. Quibus verbis explicatur textus Gen. 14. 13. de *Abram Hebræo*, per *Abraham transfluvialem*. Vide 2 Sam. 10. 16. & 1 Chron. 19. 16. ubi eadem verba eodem ſenſu uſurpantur. Sic reddunt 70 Interpretes verba Gen. 14 13. ἀπήγγειλον Ἄβραμ τῷ περάτῃ, *nunciaverunt Abram tranſitori*, vel *transfluviali*. Nec multo aliter Aquila. Chald. Paraph. *nuntiavit Abrahæ* עֲבַרָאָה *ultra*, id eſt, qui venerat ultra fluvium. Nam licet in Bibliis Regiis Latine reddatur, *Hebræo* : tamen, *ultra* ſignificare, ex aliorum locorum collatione liquet, ut Joſ. 2. 10. & Joh. 18. 1. ubi redditur *ultra*. In hanc ſententiam deſcendunt plurimi, tum veterum, tum recentiorum, Hebraicæ linguæ peritia inſignes. Inter Hebræos, plurimi ex Rabbinis, inquit Genebr. Chron. l. 1. Azar. l. 3. Meor enajim. R. Salom. Gen. 10. 21. R. Moſes-Bar Nachman, in Comment. ad finem ſect. נח R. Bechai in Exod. 1. aliique in Bereſchit. Rabba. ſect. 41. Aben Ezra in Ex. 21. dubitat. Inter ſcriptores Chriſtianos veteres, Africanus & Euſeb. Chronol. l. 1. Origen. in Num. Homil. 19. & Hom. 35. in Gen. & in Matth. c. 5. Hieronym. Eſ. 19. 18. & in Ezek. 7. Chryſoſt. Hom. 35. in Gen. & Hom. de nomine Abraham. Theodor. in Gen. q. 60. Inter recentiores Capnio de verbo mirifico, l. 3. Paulus Burg. loco cit. Eſtius in 2 Cor. 12. 22. Ribera in Jon. 1. 9. Ar. Mont. in Chanaan c. 9. Joſ. Scal. epiſt. ad Tompſ. & ad Ubertum. Munſterus Præf. in Gram. Chald. J. Seldenus de diis Syris l. 1. c. 2. Lud. Capell. Chronol. Sacra, p. 110. &, ut alios prætercam, magna illa Belgii lumina, Nobiliſs. Grotius in Gen. 14. & Gerh. Joh. Voſſius de Idololatr. l. 3. c. 44.

2. Rationes vero validæ pro hac ſententia militant. Diſtabat Abrahamus ab Hebero ſexta generatione : & tamen nullus eorum, qui de ſtirpe Heber fuit, dictus eſt Hebræus ante Abrahamum : nec ipſe Abrahamus, niſi poſt tranſitum fluvii. Cur vero denominatus eſſet ab Hebero, qui tot gradibus ab ipſo remotus erat, & de quo nil ſingulare legimus; potius quam a Patre, vel alio progenitorum, nulla ratio idonea redditur. Si vero ab origine ſtirpis nomen eſſet deducendum, potius a Semo, cui ipſe Heber pronepos erat, quam ab alio, duceretur. Nec ratio ulla probabilis reddi poteſt, cur Heberi filii & nepotes, ipſi proximiores, quam Abraham, non dicerentur Hebræi, ſi ab Hebero deducimus. Si vero a tranſeundo, ratio evidens ſe offert, quia ſcil. ſolus Abrahamus cum familia ſua fluvium trajiciebat, & in terra Chanaan habitabat, reliquis Heberi poſteris transfluvium manentibus. Dein, liquet incolas terræ Chanaan, qui primo hoc nomine Abrahamum appellarunt, (ut plerique exiſtimant,) reſpexiſſe ejus trajectionem; qua cum numeroſa familia inter ipſos venerat, & quaſi princeps ab iis habitus eſt : (erat enim hoc in ipſorum oculis, & omnibus notum,) non vero Heberum, quem ignorarunt, & de quo fortaſſe non audierant. Nec multum urget, quod adferunt alterius ſententiæ patroni, ex Gen. 10. 23. ubi ante recenſionem progeniei Semi, dicitur, quod *hic fuerit pater omnium filiorum Heber* : ubi per filios Heberi, intelligi volunt Hebræos; ut per filios Iſrael, Iſraelitas. Sed ſi hæc verba ad ipſum Heberum referantur, hæc præfatur Moſes, quia Heberi filii poſterique plenius recenſentur, quam eorum qui ante eum ex Semo prodierunt : nam ad ſextam generationem eos deducit; at Aram, Arphaxad, & Sale filios tantum nominat, de ipſorum poſteris prorſus ſilet. Poſſunt tamen hæc verba ſignificare, Semum fuiſſe patrem omnium transfluvianorum. Nam cum prius recenſuiſſet Japheti & Chanaanis progeniem, quarum illa in inſulis aliiſque Europæ partibus ſedes habuit, hæc vero in terra Chanaan aliiſque locis cis fluvium; ad Semi progeniem tranſiens, hæc primo præfatur, ad denotandum ipſius poſteros ſedes habuiſſe transfluviales ſive ultra Euphratem : adeo ut ipſe ſit pater omnium, qui erant trans Euphratem. Objiciunt etiam, linguam primam ſive Hebræam, una cum vero Dei cultu, in Heberi domo & familia ſervatam fuiſſe; ipſumque Heberum, qui Abrahamo ſuperfuit, Abrahamum linguam ſanctam docuiſſe, & ad poſteros inſtar peculii ſacri tranſmiſiſſe. Sed hæc magna ex parte gratis dicuntur. Nuſquam enim in Scriptura legitur, Abrahamum in domo Heberi educatum, nec apud Heberum ſolum linguam Hebraicam remanſiſſe : cum certum videtur, apud Chananæos linguam eandem in uſu fuiſſe, ut ex nominibus regionis, urbium, oppidorum, montium, hominum &c. conſtat : quæ omnia ſunt mere Hebraica. Nec probari poteſt, in unica Heberi familia verum Dei cultum remanſiſſe; vel ipſum cum reliquis in ædificatione turris non conſpiraſſe; vel omnes Chami poſteros Idololatras fuiſſe & maledictos : cum Scriptura contrarium potius affirmet. Dicitur enim Joſ. 24. patres Iſraelitarum, antequam Abraham exivit e Chaldæa, deos alienos coluiſſe : & in terra Chanaan erat Melchiſedec ſacerdos Dei altiſſimi, qui Abrahamo benedixit; & Oraculum publicum, quod conſuluit Rebecca de geminis in utero. Aliud objicit vir doctus, quod tranſitus fluvii non erat actio ita inſignis vel memorabilis, ut inde nomen genti ſanctæ, Dei ipſius peculio, apud omnes perpetuo duraturum imponeretur. At certe actio inſignis erat hic tranſitus, & illuſtre Abrahami fidei argumentum, exire e patria & cognatione, & domo paterna, & in alienam terram Dei juſſu peregrinari. Certe hæc actio tantopere Deo placuit, ut ipſam terram in qua peregrinatus erat, poſteris ſuis daturum in hæreditatem Deus ſe juramento obſtrinxit; & inſignem illam benedictionem promiſit, Gen. 12. 1, 2, 3. quod *in ipſo omnes cognationes terræ benedicerentur*. Multo aliter de hac migratione ſentit divinus auctor Epiſt. ad Hebræos, Heb. 11. 8. dum fidem Abrahami inde miris præconiis celebrat. Sententiam itaque poſteriorem multo probabiliorem exiſtimamus. Si quis tamen porro objiciat, omnes Abrahami poſteros, non dictos Hebræos, licet omnes transfluviales eſſent, ſed tantum Iſaaci & Jacobi progeniem; non Iſmaelitas alioſque, qui ex Abrahamo etiam proſapiam ducunt : dico, eandem objectionem facere contra priorem ſententiam : nam nec omnes Heberi poſteri vocabantur Hebræi, qui tamen plures erant quam Abrahami. Dico itaque, licet ad omnes, qui cum Abrahamo trajiciebant, hoc nomen primo pertinebat : manſit tamen penes ſolam Abrahami ſanctam poſteritatem, & ſobolem legitimam ipſius, & Iſaaci & Jacobi, non apud Iſmaelis & Eſavi poſteros, qui ſe cum incolis terræ & Idololatris miſcentes, nomen, diſtinctionis ſignum, amiſerunt : Sanctum vero ſemen quia a prophanis gentibus ſeparatum vixit, nomen Hebræorum ſive *Tranſitorum* retinuit. Sic nomen, quod primo pluribus commune erat, ſolis Iſraelitis poſtea proprium eſt factum. Notandum etiam, quod ſicut Hebræi non dicebantur ante Abrahamum; ſic nec Iſraelitæ, antequam Jacobo Iſraelis nomen a Deo impoſitum eſſet; nec Judæi ante defectionem decem tribuum a Rehoboamo : unde qui tribui Regiæ, ſcil. Judæ, adhæſerunt, Judæi poſtea dicti ſunt : & hoc nomine deinceps frequentius, quam alio, compellantur. Lingua vero Hebraica poſt Captivitatem ita dicta eſt ab Helleniſtis Judæis, qui Græca utebantur, ut hoc modo a reliquis Judæis diſtinguerentur.

3. Quod ad antiquitatem hujus linguæ attinet, ſunt qui Chaldaicam præferunt, ut inter patres Theodoretus natione Syrus, & varia eruditione clarus; inter recentiores Maronitæ de monte Libano : quorum argumenta non contemnenda profert Georg. Amira, vir hujus linguæ peritiſſimus, in Præf. ad Grammaticam ſuam Syram; & poſt illum, Myricæus in Præf. ad Grammaticam ſuam Chaldaicam. Erpenius etiam Orat. de lingua Hebr. ait, *adhuc ſub judice litem eſſe*. Cumque primi homines in Oriente creati fuerint, ibique humanum genus multiplicari cœptum, idque in illa Orientis parte, quæ Aſſyria dicitur, ubi Hebraica & Chaldaica in uſu olim fuerint; neceſſe eſt, ut harum altera linguarum prima & antiquiſſima ſit. Goropii vero Becani Paradoxon, qui linguam Cimbricam ſive Flandricam primam fuiſſe contendit, (cum ab omnibus doctis riſu excipiatur; & ipſe potius ad ingenii oſtentationem, quam quod ita crederet hoc ſcripſerit,) nolo argumentis ſeriis confodere. Clariſſ. Grotius ſentit, primam linguam nullibi extare, ſed in confuſione periiſſe; ejus tamen reliquias in omnibus linguis extare : quæ ſententia una cum illa Syrorum iiſdem argumentis expugnatur.

4. Pro Hebraica præcipuum & maximi ponderis argumentum petitur a nominibus, primis hominibus, lociſque quæ in hiſtoria ſacra habentur, ab initio mundi uſque ad diſperſionem Babylonicam, impoſitis : quorum ratio redditur in textu ſacro ex radicibus Hebraicis. Cum enim iſta nomina eadem maneant ſine ulla mutatione, talis vero ipſorum derivatio in alia lingua non habeatur, nec haberi poſſit, niſi in Hebraica; neceſſario ſequitur, hanc linguam omnium primam fuiſſe. E multis pauca proferam. אדם Adam ſic dictus eſt, quia ex אדמה id eſt, *terra factus eſt*. Gen. 2. 7. Eva חוה, a חיה *vivere*, quia *fuit mater omnium viventium*. Gen. 3. 20. Kain קין ab *acquirendo*, quia dixit Eva, קניתי *acquiſivi virum a Domino*. Gen. 4. 1. שת Seth a *ponendo*, quia dixit mater, שת *repoſuit mihi Deus ſemen aliud pro Abele, quem occidit Cain*. Gen. 4. 25. Henoch חנוך a *dedicando*, quia natus eſt, cum dedicata eſſet urbs quam Cain ædificavit. Peleg, פלג *diviſio*, quia *in diebus ejus* נפלגה *diviſa eſt terra*, Gen. 10. 25. Noah נח *conſolator*, a verbo נחם abjecto Mem, quia dixit Lamech, *Conſolabitur nos ab opere noſtro*. Gen. 5. 29. ſic אשה Iſcha, *mulier*, quia מאיש *ex viro deſumpta eſt*. Sic hortus Eden עדן ſignificat *locum voluptatis*, Terra נוד *terram exilii*, quia Cain ibi exulavit, Babel בבל *confuſionem*, quia *ibi linguarum erat diviſio*. Multa talia proferri poſſunt, hæc vero ſufficiunt. Adfert etiam hoc argumentum Georg. Amira, ut ex nominum eorundem etymis Chaldaicis idem probet. Nec negandum eſt, ob affinitatem linguarum, multas voces Chaldaice & Hebraice eaſdem eſſe : unde & eadem ratio derivandi. Sed licet hoc ita ſit in quibuſdam, non tamen in omnibus, ſed in multis ipſis aqua hæret. Kain, Peleg, aliaque quædam, licet diverſam habeant flexionem, ejuſdem tamen ſunt originis in utriſque linguis : ſed in plurimis aliis perit Etymologia Hebraica. *Mulier* Hebraice dicitur, איש & ab איש *viro* deducitur : at Chaldaice, *mulier* אתא *Itta*, vel אתתא dicitur : *vir* vero גבר *gevar*, vel בעל *Baal*, inter quæ nulla cognatio, nulla ſimilitudo. Chaldaice quoque אדם primus homo dicitur, ſed in iſta lingua non extat אדמה *Adamah, terra*, unde derivari poſſit : ſed pro *terra*, habent ארעא a quo vox Adam derivari nequit. Habent שת Seth nomen proprium, ſed pro שת Scheth *repoſuit*, habent שוי *poſuit*, etymologia perdita. Idem in aliis linguis obſervare licet. Homo quidem ab *humo* dicitur apud Latinos, ut Adam ab *Adamah* : ſed apud Græcos ἀνὴρ vel ἄνθρωπος non poteſt ex γῆ *terra*, derivari. Unde apud LXX. pro Adam ponunt, ἄνθρωπος, pro γῆ, *terra*, etymologia amiſſa, pro חוה habent Εὔα, at pro חיה, ζώντων *viventium*, pro קין habent Κάϊν, at pro קניתי dicunt ἐκτησάμην. Idem eſt obſervare in Seth, Phaleg, &c.

5. Ut vim hujus argumenti eludant, reſpondent quidam, inter quos Cl. Grotius in Geneſ. 11. & in notis ad lib. 1. de veritate Relig.

Chriſtianæ n. 16. Moſem nomina mutaſſe ex lingua primæva in Hebraicam, in qua ſcripſit, ut ita eorum vis ab Hebræis intelligi poſſit: Ut apud Curtium videmus, qui Perſarum nomina quædam Græce reddit eadem ſignificatione: ac ſi quis hiſtoriam creationis Latine reddens, primum hominem vocaret *terram*, quia ex terra deſumptus eſt; Evam, *vivificam*, quia omnium viventium mater; mulierem, *viram*, quia de viro facta eſt; Cain, *acquiſitum*, quia dixit Eva, *Acquiſivi virum.* Sic Alexand. Polyhiſt. Iſaacum Græce ſcribens, γέλωτα vocavit: & multa talia apud Hiſtoricos reperiuntur. Hoc vero gratis aſſeritur, nec probabili ratione nititur. Etſi enim Hiſtorici vel Interpretes, qui aliarum nationum res geſtas ſcribunt, vel in ſuam linguam vertunt, aliquando officia, & dignitates, & interdum ex cauſa ſpeciali propria nomina, in quibus emphaſis vel energia quædam latet, ſua lingua explicant: hoc tamen conſtanter per totam hiſtoriæ ſeriem ab aliquo fieri, præſertim cum nullibi tale quid Hiſtoricus vel Interpres lectori inſinuet, abſolute nego: nec ullus talis Hiſtoricus nominari poteſt. Scripſerunt Græci bella Græcorum cum Perſis; nomina tamen Perſarum plerumque retinent: Artaxarxem vel Xerxem nominant, non *lumen ſilentium ponens*; & Darium, non *inquirentem*; licet iſta nomina talem habeant ſignificationem. Romani ſcriptores bella Punica deſcribentes, non ſcribunt pro Carthagine, *Civitatem novam*; nec pro Burſa, *Carthaginis arcem*; nec pro Aſdrubale, *Dominum ad pugnam accinctum*; licet voces iſtæ ita reddi poſſent: ſed proprio nomine unumquemque deſignant, ut Hannibalem, Hannonem, &c. ut ſcil. ipſi, de quibus ſcribunt, per propria nomina, quibus a ſuis appellantur, ab aliis dignoſci poſſint. Abſurdum enim eſt, nomina propria, quibus tum domi tum foris noſcuntur, negligere; aliaque pro arbitrio fingere, & ex propriis appellativa facere: hoc enim eſſet hiſtoriam de neſcio quibus conſcribere, & hiſtoriæ finem non curare. Nec unum Hiſtoricum proferre poſſunt ex omnibus, qui aliarum regionum res geſtas narrant, Græcorum, Latinorum, Perſarum, Indorum, Aſſyriorum, Gallorum, Britanorum, novi orbis Incolarum, &c. qui non locorum & hominum propria nomina retinent.

6. Idem demonſtrant vetuſta gentium & populorum nomina, quæ plerumque originem habent Hebraicam; aliis vero linguis nil ſignificant: quod apud eundem Grotium libro primo de Verit. Chriſtianæ Religionis; maxime apud D. Bochartum Geogr. ſacræ parte prima, fuſe probatum. Ubi ſingulos Semi, Chami, & Japheti filios & nepotes ſingulis gentibus nomina dediſſe oſtendunt: ut Aſſur, Aſſyriis; Elam, Elamitis; Aram, Aramæis; Lud, Lydis; Gomerum, Cimbris, ſive Cimmeriis, (de quibus Diodor. l. 5.) Madai Japheti filium, Medis; Javan, Ionibus, &c.

7. Ex antiquis Gentilium deorum nominibus, quibus apud gentes nihil antiquius, ejuſdem linguæ antiquitas ſuadetur: quæ ex lingua Hebraica orta, & a vicinis regionibus ad Aſsyrios & Græcos derivata fuiſse, oſtendit Doctiſs. Gerh. Voſſius libris de origine Idololatriæ. Iapetum faciunt filium cœli & terræ, patrem Atlantis, Promethei, & Epimethei: de cujus etymo varie ſe torquent Græci, ob hiſtoriæ veræ ignorationem. Ex qua colligitur, Iapetum alium non fuiſse, quam Japhetum Noæ filium, Septentrionalium, tam per Europam, quam per Aſiam, parentem. Saturnus ab Heb. סָתַר id eſt, a *latendo* deducitur, ut Latium dici volunt Latini, quia Saturnus ibi latuit, cum a Jove fugeret. Jovem a Tetragrammato יהוה deducunt multi: Belum ſive Baal ab Heb. בעל *dominus*, quo nomine plures deos habuerunt Phœnices: Vulcanum a Tubalcain, qui uſum ferri & æris invenit; Cererem, non a *ferendo* ut Latini, ſed ab Heb. גֶּרֶשׂ, quod notat *fructus extruſos* per influentiam Lunæ, ad quod Græcum γῆρυς, unde Scaliger Cererem deducit, referri poteſt. Plura qui volet, legat, præter D. Voſſium, Bochartum, Jo. Seldenum de diis Syris, & alios.

8. Aliud ſuppeditant argumentum reliquiæ quædam linguæ Hebraicæ, in omnibus aliis a viris doctis obſervatæ: unde quidam omnes alias ab illa derivatas eſse volunt, ut Waſerus in notis ad Mithrid. Geſn. c. 1. p. 87. 113. Hoc maxime conſpicitur in iis populis, qui Babyloni propinquiores; ubi prima linguarum diviſio facta: ut in Chaldaica, Syriaca, Arabica, Perſica, Phœnicia, Chanaanæa. Unde Poſtell. l. de 12. linguis, *Niſi eſſet Hebraica lingua principium omnium iſtarum, nunquam poſſet fieri, ut tot linguæ in tam variis orbis partibus diſperſæ per tot annorum millia ita affines eſſent, & ad illam unam ita accedentes, ut ea diligenter cognita illas diſcas faciliori negotio, quam Latina lingua quidam adjuti, Italicam, Hiſpanicam, Gallicam, Siculam, &c.* Apud Græcos plura themata ab Hebræis deducta eſse affirmat Erpenius, Orat. de ling. Hebr. In Barbaris etiam linguis, Germanica, antiqua Gallica, (quæ eadem cum VVallica,) Illyrica, &c. veſtigia ipſius plurima extare, a variis demonſtratur. Catalogos contexuit Poſtellus, lib. de Originibus, vocum quarundum, quæ apud Æthiopes ſive Indos, Latinos, Gallos, & Græcos, communes ſunt cum Hebræis: imo Catalogum exhibet vocum origine Hebraicarum, quæ in omnibus fere linguis retinentur. Idem oſtendit Joh. Daviſius Cambro-Britannus in Lexico MS. citante Marco Zuero Boxhornio Orig. Gall. c. 7. cujus verba adferre libet. *Sunt* (inquit) *iſta Hebrææ linguæ veſtigia in aliis linguis ita manifeſta, ut voces aliquæ in omnibus linguis eædem ſint in ſono & ſignificatione; ut ſaccus, vinum, cornu, camelus, quem nomine Syriaco in Latium veniſſe, dicit Varro: aliquæ in pluribus, ut Kir, Keriath, urbs, unde Carta & Gartago, & Cair magna Ægypti urbs, & Sarmaticum ſeu Scythicum Cair, & Carni, & Parthorum Certa in Dudocerta, Tigranocerta, Vologecerta &c. & noſtrum* (VVallicum) *Caer. Sic Græcum* παλλακὴ *ab Hebr.* פלגש *pillegeſh, unde noſtrum pſilog. Et Latinum menſura ab* משורה *meſurah, unde & noſtrum, meſur, & Anglicum, meaſure.* His ſimilia habet Doctiſs. Bochartus libro ſupra laudato de lingua antiqua Gallorum, quam multa habuiſse vocabula Phœnicia ſive Hebræa prolixe probat, ex deorum, dignitatum, officiorum nominibus; ex iis quæ ad bellum pertinent; ex veſtium, animalium, & plantarum appellationibus; ex Geographicis & Chorographicis vocabulis, &c. quæ licet non probant, antiquam Gallorum linguam vel Phœniciam fuiſse, vel ejus dialectum, (nam Galli cum Pœnis non agebant ſine interprete, cum in Hannibalis exercitu de Magilio quodam Gallorum Regulo apud Polybium legimus, quod δι' ἑρμηνέως τὰ δεδογμένα παρ' αὐτῶν διεσάφει τοῖς ὄχλοις, *per interpretem quæ ab ipſis* (Gallis) *decreta erant, multitudini* (Pœnorum) *declaravit:*) tamen aperte probant, ſive per crebra commercia, vel bella utriſque communia; vel (quod maxime probabile eſt,) per Phœnicum colonias, quas ubique terrarum miſerunt; multa vocabula Punica apud Gallos in uſu fuiſſe: Idemque teſtatur Reverendiſſ. Uſſerius de Wallia noſtra, lib. de Britannicarum Eccleſiarum primordiis. cap. 5. his verbis. *Joh. Caius ex Tilburienſi, Cair, lingua Trojana, civitatem dici vult: addit & Cambris quoque murum ſignificare: ut quemadmodum* קיר *Kir, murum, & Keria, urbem vocant; ita Britannis vox non abſimilis, Caer, & mœnia & urbem mœnibus cinctam denotet.*

9. Hiſce adjicimus linguæ Hebrææ puritatem & ſimplicitatem, quæ plane demonſtrant, ipſam ante alias fuiſſe: cum omnia ſimplicia ante illud, quod ex ipſis compoſitum eſt, neceſſario exiſtant. Omnes enim aliæ linguæ quædam vocabula ab Hebræa mutuantur; hæc vero ab iis nulla: ſed ab omni exterarum dictionum mixtura immunis eſt, cum tamen in Chaldaica & Syra multa peregrina vocabula admixta inveniantur. Non negamus, Chaldaiſmos quoſdam in vet. Teſtamento reperiri: nam ob Chaldæorum vicinitatem idiotiſmi quidam eorum in Hebræam advenerunt: & cum de rebus Chaldaicis loquuntur ſcriptores ſacri, interdum quaſdam eorum voces uſurpant: ut Eſ. 14. 4. Pſa. 74. 6. præſertim in libris poſt Captivitatem ſcriptis. In prioribus tamen pauciſſimi ſunt Chaldaiſmi, & a multis in dubium vocati, ita ut vix notatu digni videantur. Præterea Chaldaica vocabula multa, ſignificatione licet diverſiſſima, ſæpe ad unam radicem Hebræam reducuntur: & varia Chaldaica ex Hebraica manifeſto derivantur, præcipue per πρόσθεσιν & ἐπένθεσιν, ut notat vir doctus. Unde Joſ. Scalig. Epiſt. 242. quæ eſt ad Rich. Thompſonum, ob hanc ſolam rationem affirmare non dubitat, *ſummam eſſe imperitiam, ſi quis Syrorum linguam Hebraica antiquiorem eſſe velit; ac perinde eſſe ac ſi quis Italicum hodiernum idioma Latino vetuſtius eſſe diceret. Certe* מלך *prius eſt quam* מלכא; *& alia multa ad hanc pertinaciam expugnandum adferri poſſunt.*

10. Tandem Cajetani argumenta duo, vel conjecturas potius, adferre libet. 1. Ex nomine Tetragrammato יהוה quod Dei proprium & eſſentiale eſt, & aperte Hebraicum; & in nulla alia lingua habetur vel exprimitur. Nam quod regerit G. Amira, etiam in Syriaca dari nomina Dei Tetragrammata, ſcil. ܐܠܗܐ & ܡܪܝܐ nihil eſt: cum argumenti vis non in hoc ſit, quod nomen ſit quatuor literarum, (hoc enim & in aliis linguis videmus, ut θεὸς, *Deus*, &c.) ſed quod nomen Dei propriam ipſius Eſſentiam denotans, (quod ſibi impoſuit, quo ab omnibus aliis diſtingueretur,) Hebraicum tantum ſit, nec ejus interpretationem in ulla lingua reperimus. Syriacum vero ܐܠܗܐ derivatur ab Heb. אלהים & ܡܪܝܐ *Dominus*, eſt ex imitatione 70 Interpretum, qui nomen illud eſſentiale ubique per κύριον exprimunt; & Judæorum, qui legunt אדני Adonai, *Dominus*, cum occurrit יהוה niſi adſit aliud Adonai: tunc enim legunt Elohim, ne duo Adonai ſimul legantur; & puncta propria Elohim ponunt ſub יהוה. Invaluerat enim ante tempora 70 Interpretum conſuetudo illa apud Judæos, ut nomen hoc ob majorem reverentiam a nullo ſub gravi pœna pronunciaretur, niſi per ſacerdotes, dum populum in Templo benedicerent: unde everſo Templo, cum nemini illud pronunciare licitum ſit, amiſſa eſt ejus vera pronunciatio: nam qui per *Jehova* efferunt, errare, alibi clariſſime probamus. 2. Ex nomine Babelis Hebraico, quod in omnibus linguis perſeveravit: nam quod dicit Amira, nomen ܒܒܶܠ eſſe ex Chaldaico ܒܳܒܳܠ parum valet, cum Syriacum Boblo ab Heb. בלל derivari, perſpicuum ſit iis, qui præjudicio non laborant.

11. Præter rationes, teſtimonia omnium fere Scripturæ interpretum, antiquorum, recentiorum, Chriſtianorum, Judæorum, (pauciſſimis exceptis) adducere poſſemus, ſi opus eſſet: unum tantum & alterum proferam, Auguſt. & Hieronymum, magna Eccleſiæ lumina. Illius verba hæc ſunt, de Civit. lib. 16. cap. 11. *Lingua Hebraica remanſit, diviſis per alias linguas cæteris gentibus, ideo deinceps Hebraica eſt appellata: tunc enim opus erat diſtingui eam ab aliis linguis nomine proprio. Quando enim erat una omnium, nihil aliud quam humana lingua vocabatur, quod ea ſola univerſum genus humanum loquebatur.* Hic epiſt. ad Damaſ. ita ſcribit. *Initium oris & communis eloquii, & hoc omne quod loquimur, Hebræam eſſe linguam, qua vetus Teſtamentum ſcriptum eſt, univerſa tradit antiquitas.* His omnes (unico excepto Theodoreto) Græcos & Latinos Patres adjungere poſſimus, qui uno ore idem dicunt, omneſque fere hujus ſeculi linguarum peritia inſignes, ſi hoc non eſſet, lucem Soli fœnerari.

12. Ad argumenta Amiræ pro Chaldaica non eſt difficile reſpondere. Primum eſt, quod Hebræi ſunt ex progenie Chaldæorum, itaque ipſis poſteriores: ergo eorum lingua eſt poſterior Chaldaica. Confirmat hoc ex Juſt. Mart. Orat. Paræneт. ad Gentes, ubi ex Platone & Joſepho probat, Moſem ex Chaldæorum genere fuiſse. Reſpondeo, nomen Hebræorum fuiſse quidem impoſitum poſt Abrahami migrationem ex Chaldæa, & ipſum cum majoribus ſuis in Chaldæa degiſse: at cum Chaldæis commixtos non fuiſse, ſed linguam primævam una cum veri Dei cultu, retinuiſse. Nam ipſe Sem, qui ante linguarum diviſionem vixit, Abrahami & Iſaaci tempore ſuperſtes erat ſecundum computum vulgarem: qui facile primam linguam conſervare poterat inter poſteros ſuos uſque ad Abrahamum. Præterea lingua Hebræa eadem erat cum Chananæa: Chananæi vero non ex Chaldæis orti, ſed Chanaanis erant progenies. Secundo. ex Jer. 5. arguit, ubi Chaldæi vocantur gens antiqua, vel gens a

ſeculo. Sed quid hoc ad prioritatem linguæ? Erant ſane gens antiqua ſive a ſeculo, id eſt, a linguarum diviſione extiterunt: at & aliæ gentes, quæ ex eadem cauſa ab aliis diviſæ ſunt, ejuſdem cum Chaldæis ſunt antiquitatis. Nos vero contendimus linguam Hebræam longe ante linguarum diviſionem, a mundi primordio extitiſſe. 3. Dicit, rationi eſſe conſentaneum, ut lingua prima & communis, remanſerit in illa regione communi, ubi facta eſt diviſio: hæc vero erat Chaldæa. At hoc rationi minime conſentaneum eſt, ſed rationi potius contrarium, ut Deus in illo loco linguam primam ſervaret, ubi linguarum diverſitatem immiſerat, ne cœpto opere progrederentur. Sic enim progredi poſſent, & opus perficere, quod divino conſilio plane adverſabatur. Probabilius itaque eſt, linguas alias in eos Deum infudiſſe, qui ibi commorati ſunt, ne ſe mutuo intelligerent, & ut ab inſana ſtructura deſiſterent; & non niſi poſt longum tempus (ſcil. poſtquam ii qui robuſtiores erant, vicinos ſubjugaſſent, & imperium erexiſſent,) victorum linguam, quæ Chaldaica poſtea dicta erat, per totum Aſſyriorum imperium dilatatam fuiſse.

13. Hæc de hujus linguæ antiquitate: jam de ejus cognatione cum aliis linguis, paucis agendum. De qua notandum eſt, quoſdam eandem cum Syriaca vel Chaldaica facere: contra quos hoc unicum proferam argumentum ex Jer. 5. 15. ubi Chaldæi ſive Aſſyrii, quos Deus per prophetam ſe adducturum contra Judæam comminatur, vocantur, *Gens antiqua & robuſta, cujus linguam ignorabat domus Iſrael, nec intellexit quid loquantur.* Quid clarius dici poterat ad probandum diverſas fuiſſe has linguas, cum ii quibus una erat vernacula, alteram non intellexerint? De lingua vero Chananæa, quæ & Phœnicia, plura dicenda. Viri enim quidam haud indocti magnas tragœdias excitant, ſi quis dicat, linguam ſanctam, qua Deus voluntatem ſuam humano generi manifeſtavit, apud impiam & maledictam gentem, a Chamo oriundam, remanſiſſe: quod tamen a viris magnis, imo pleriſque eruditione celeberrimis, hodie propugnari videmus: ut Joſ. Scalig. epiſtolis ſupra citatis ad Thompſonum & Ubertum, & notis ad Feſtum ad dict. Sarra. Gerh. Voſſio, lib. 1. de arte Gram. Magno Grotio in notis ad l. 1. de verit. Religionis Chriſtianæ. Breerwoodo noſtro, libro ſæpius citato, Lud. Capello Chronol. ſacr. notis ad Tab. 5. Sam. Petito in miſcellaneis. Poſtello lib. de Phœnic. lit. cap. 2. ſect. 3. Genebr. Chron. l. 1. anno Diluvii 131. Joh. Seld. de diis Syris l. 1. c. 2. Præcipue vero a Clariſſ. Bocharto, in Geograph. ſacr. part. 2. l. 2. aliiſque plurimis.

14. Probatur vero hoc efficaciter, ex nominibus propriis hominum, urbium, regionum, montium, fluviorum, &c. in terra Chanaan, antequam Iſraelitæ ejus incolas expulerint. Hæc enim omnia pure Hebraica eſse, a nemine, quod ſciam, negatur. Nam Hiericho, Salem, Sichem, Bethleem, Segor, Cariatharbe, Cariathſepher, & aliæ urbes, a Chananæis nomina acceperunt: & tamen, ut advertit Bonfrer. in Joſ. 3. 9. non tantum ſunt ab Hebræa lingua, veram etiam Hebraicam dialectum ſonant. Idem probat Beerſheba nomen ab Abrahamo & Chananæis communi conſenſu impoſitum, Gen. 21. voce ab Hebræa lingua deducta, ſed a re tunc peracta. Etiam & nomina propria Chananæorum idem plane probant, Melchizedeck, Adonibezek, Abimelech, Rahab, & alia, non tantum ſignificatione, ſed & compoſitionis modo, terminatione, & dialecto, Hebraica. Fullerus noſter Miſcell. l. 4. c. 4. concedit quidem nomina eſse pure Hebraica: fingit tamen non fuiſse a Chananæis impoſita; ſed ab Hebræis in eorum ſedes ſuccedentibus, qui nomina iſta Hebraice expoſuerunt. Sed hoc commentum ſupra refutavimus: & licet ex dictis, ejus vanitas apparet; hæc tamen addamus, in Joſua locorum multorum nomina occurrere, quibus nota erant, antequam in Iſraelitarum poſseſſionem venerant, quæ mere Hebraica ſunt: ut Joſ. 15. 15. 49. קרית־ספר & קרית סנה *Kiriath ſepher*, & *Kiriathſannah*; *urbs librorum*, & *urbs doctrinæ*. Nam v. 15. expreſse dicitur, Calebum expuliſse incolas *Debir, quæ antea dicta fuit Kiriathſepher*: & v. 49. eadem urbs vocatur *Kiriath ſannah, quæ fuit Debir*. Judic. 1. 10. dicitur, Judam aſcendiſse *contra Chananæos, qui in Hebron habitarunt* (*Hebron vero antea dicta fuit Kiriath Arba*) id eſt, civitas Arbæ, qui gentis Anakæorum conditor fuit. Obſervat etiam D. Bochartus tanquam ſingulare a Moſe notatum, Num. 32. 38. *quod Reubenitæ nomina nova impoſuerint civitatibus a ſe ædificatis, ſcil. Nebo & Baalmeon, quarum nomina mutarunt.* Quorſum vero hoc addidiſset, ſi omnium nomina mutaſsent? In reliquis itaque nomina non ſunt mutata, ſed eadem ſunt Chananæis & Iſraelitis. Præterea variæ erant urbes in terra Chanaan, in quibus Hebræi nihil juris habebant; quarum nomina tamen ſunt Hebraica, ut צרפתה צור צידון.

15. Hebræi cum Chananæis colloquebantur ſine interprete: ſcil. exploratores a Joſua miſſi, cum Rahab meretrice: legati etiam & nuncii, qui vel ad Joſuam miſſi, ut Gabeonitarum & aliorum, vel ab ipſo ad Chananæos mutuo colloquio utebantur: unde liquet, eandem linguam utriſque communem fuiſse. Et Eſ. 19. 18. *In illo die* (ait Propheta) *erunt quinque urbes in Ægypto, quæ loquentur labio* (ſive lingua) *Chanaan.* Ubi Ægyptiorum ad fidem Chriſti converſionem Propheta prædicens, affirmat ipſos lingua Chanaan locuturos; hac phraſi eorum converſionem & admiſſionem in Iſraelis rempublicam denotans: ubi plane eandem facit Judæorum linguam, cum lingua Chanaan.

16. Idem luculenter probant ſermonis Punici reliquiæ, quæ apud auctores veteres reperiuntur. Pœnos enim tam nomen, quam linguam Phœniciam ex Phœnicum coloniis, qui in Africam migrarunt, habuiſse, apud omnes teſtatum eſt. Nihil enim frequentius apud ſcriptores veteres occurrit, quam Didonis in Lybiam navigatio; ubi condidit Byrſam in Carthagine: & in vicinia Carthaginis ſitos eſſe Liby-Phœnices, mixtum Afris genus Punicum, aliaque id generis, videre licet apud Juſtin. l. 18. Liv. l. 21. Narrat etiam Diodorus l. 17. cum Tyrus ab Alex. Magno obſeſſa erat, *Tyrios maxime fiſos* τοῖς ἀπογόνοις αὐτῶν Καρχηδονίοις, *nepotibus ſuis Carthaginenſibus*: & teſtatur Livius. l. 34. Annibalem, cum ad Tyrum veniſſet, *exceptum eſſe a Carthaginenſibus, ut ab alia patria*: & e Phœnicia tranſlata lingua, magnam Afrorum partem uſam eſſe affirmant, S. Auguſt. de Civ. lib. 16. cap. 6. & Arnobius in Pſal. 104. Phœnices vero a Chananæis ortos, ex Phœniciæ nomine & ſitu, antiqua ipſorum lingua, moribus & inſtitutis, facile eſſet oſtendere. Sufficit, quod LXX. Seniores ſæpe Phœnicum & Chananæorum nomen promiſcue uſurpant, ut ex locis inter ſe & cum textu Hebr. collatis apparet, ſcil. Ex 6. 15. cum Gen. 46. 10. & Ex 16. 35. Joſ. 5. 12. ubi pro terra Chanaan in Hebræo, eſt apud LXX. terra Phœnicum. Phœniciam vero eandem cum Hebraica linguam facit Lucianus natione Syrus, in Pſeudomanti, dum de Alexandro dicit, ipſum voces quaſdam ignotas protuliſſe, οἷαι γένοιντ' ἂν Ἑβραίων ἢ Φοινίκων, *quales ſunt Hebraicæ vel Phœniciæ*: & Chærilus de Solymis dicit; Γλῶσσαν μὲν Φοινίκων ἀπὸ στομάτων ἀφίεντες, *Hi vero ore ſuo Phœnicia verba ſonabant.* Vocabula etiam Phœnicia, quæ apud priſcos auctores extant, vel Hebraica eſſe, vel parum diſtare, omnibus conſtat. In Sanchuniathone vetuſtiſſimo auctore, qui Phœnicum Annales ſermone Phœnicio conſcripſit, quos poſtea in Græcum tranſtulit Philo Biblius, cujus fragmenta quæda nobis ſervavit Euſebius, legimus Βελσάμην explicatam per *cœli Dominum*, ζοφασήμην *cœli contemplatorem*, Σαδὸκ *juſtum*, μὼθ *mortem*. Sic in Heſychio Ἄδωνις redditur *Dominus*. Apud Plutarchum Ἄλφα, *bos*: in Porphyrio μάλχος *rex*. In Athenæo νάβλα pro *inſtrumento quodam muſico*: quæ omnia Hebraica eſſe omnibus notum eſt. Pœnorum vero lingua quantam affinitatem cum Hebraica habuit, clariſſime oſtendit, ex infinito vocum numero, quas ex omnibus auctoribus ſummo ſtudio collegit, D. Bochartus: cui aliquid adjicere, eſſet teruncium Crœſi theſauris addere. Paucas ex multis ſeligemus, quæ eædem ſunt Punicæ & Hebraicæ. Affirmat S. Auguſtinus, qui inter Pœnos Epiſcopalem ſedem habuit, annum circa 1900 poſt primum Phœnicum in Libyam adventum; quique ipſorum linguam ignorare non potuit, in expoſ. Epiſt. ad Rom. inchoata, *Ruſticos juxta Hipponem interrogatos unde eſſent, Punice reſpondiſſe, Chanani, id eſt, Chananæos eſſe.* Idem tract. 15. in Johan. *Cognatæ ſunt linguæ iſtæ & vicinæ, Hebræa, Punica, & Syra.* Et contra literas Petiliani. l. 2. c. 104. *Hebræi dicunt Meſſiam, quod verbum Punicæ linguæ conſonum eſt, ſicut alia permulta Hebraica, & pene omnia.* Vid. Serm. 35. de verb. Domini: ubi *Mammona* ait eſſe *verbum Hebræum cognatum linguæ Punicæ.* Idem diſerte affirmat Hieronym. locis pluribus. Comment. in Jer. l. 5. c. 25. *Tyrum ſcil. & Sidonem in Phœniciæ littore principes eſſe civitates: --quarum Carthago colonia eſt. Unde & Pœni ſermone corrupto, quaſi Phœni, appellantur, quorum lingua linguæ Hebrææ magna ex parte affinis eſt.* Idem eſt videre apud eundem in Eſ. 3. c. 7. & quæſt. in Geneſ. de voce שים Gen. 36. 24. Ex iſtis vero duobus patribus varias voces Punicas colligere licet, quas ipſi Hebraicas eſſe, affirmare non dubitant, ut שלש *tres*, Auguſt. in expoſit. inchoata ad Rom. הדם *ſanguis* in Pſal. 136. ממון *lucrum*, Serm. Dom. in monte, l. 2. c. 14. בעל *Dominus*, Quæſt. in Jud. c. 16. שמים *cœlum*, ibid. משח *unctus*, Tract. 15. in Johan. Sic apud Hieron. in Eſ. c. 7. עלמה *virgo*. Licet vero Auguſtinus ſæpius profiteatur ſuam in lingua Hebræa ignorantiam, ut Epiſt. 131. ad Memorium, & 119. ad Januarium, & Confeſſ. 11. c. 3. hoc tamen modeſtiam viri ſummi arguit potius, quam omnimodam ejus linguæ ignorantiam. Exactam ejus ſcientiam forte non habuit: tantam tamen, qua ejus cum Punica convenientiam obſervare poſset. Qui plura deſiderat, adeat D. Bochart. libro citato, ubi ex Sanchuniathone. Herodoto, Joſepho, Polybio, Livio, Trogo, Strabone, Plutarcho, Solino, Herodiano, Julio Capitolino, Athenæo, Macrobio, aliiſque veterum, ampliſſimam inveniet ſegetem vocabulorum Punicorum, quæ Hebræis conſona: Præſertim ex Plauti Pœnulo, Act. 5. Scena 1. ubi ſermonis Punici continuatam habemus orationem, pluresque periodos, quam ullibi hodie extant: in quorum explicatione Critici ingenia ſua multum torſerunt, ita ut quidam in Comment. in Plautum, hæc habeat; *Hæc Punica ſunt, non poſſunt legi.* Videantur Joſ. Scalig. Joh. Seldenus de diis Syris, lib. 1. c. 2. D. Grotius Epiſt. 106. ad Gallos. Sam. Petit. Miſcel. l. 2. c. 1. & D. Bochart. Geog. Sacr. part. 2. l. 2. c. 5. Salmaſ. epiſt. lib. 1. epiſt. 18. ad D. Grotium, &c.

17. Corrupta ſane ſunt & valde confuſa omnia apud Plautum; ex imperitia librariorum maxime, qui vocales appoſuerunt. Nam, ut bene notat Petitus, *Scripta erant primo ſine punctis vocalibus, ut Hebræa & Phœnicia omnia.* Eoſdem verſus a craſſioribus mendis purgatos, exhibent tum Petitus, tum Bochartus, literis tum Latinis, tum Hebraicis, cum verſione Latina: quos apud eoſdem auctores perſpicere licet. Varietatem tamen aliquam apud eos tum in erratis corrigendis, tum in Hebraica lectione, & ejus verſione Latina, obſervare poſsumus. Ut ex primo verſu, quem juxta utroſque ſubjiciam, una cum utriuſque verſione Latina, & Plautina illa paulo liberiore.

Apud Plautum ſic habetur verſus primus.

Ny thalonim valon uth ſi corathiſima conſith.

quem ita reddit Poeta, *Deos deaſque veneror, qui hanc urbem incolunt.*

Bochart. נא את עליונים ועליונות שכורת יסמכון זות.

Rogo Deos Deaſque, qui hanc regionem tuentur.

Petit. נְט עֶלְיונים וְעֶלְיונות זְכור אֶת־אִישֵׁי מָקום זות.

Inclinate & advortite, O Dii Deæque, quorum ſub numine
viri hujus civitatis ſunt.

D. Bocharti lectio & explicatio mihi magis placet, ut quæ propius ad verba Plautina accedunt, eorumque ſenſum melius explicant. Sunt in totum verſus iſtiuſmodi 16. quorum ſex poſteriores eadem repetunt, quæ in prioribus, ut exiſtimat Bochartus, una cum D. Grotio. Quod probant; tum ex ſimili initio, (nam *Nith alonim Valanuth ſiccoreth, &c.* parum diſtant, ab *Exanolim Volanus ſiccuratim,*) quam ex propriis nominibus, iiſdem ſcil. Antidamaſchi & Agoraſtoclis ſive Ariſtoclis, qui ubique nominantur paribus fere intervallis; tum, quod ultimus decem verſuum orationem claudit: & quod Plautus decem tantum verſus priores Latine reddidit, & reliquos præterit: quod non feciſſet, ſi quid aliud iis ineſſet, quam in prioribus. Poſteriores vero ſex alia lingua ſcriptos arbitratur, Libyca ſcil. antiqua : nam utrumque idioma erat in uſu apud Pœnos, unde *bilingues* dicti : ideo tam Punice, quam Libyce loquentem Hannonem Pœnum inducit Poeta. Fruſtra itaque ſunt, qui ex lingua Hebraica verſus iſtos ſex explicare ſatagunt, inter quos Petitus, & Grotius, cum nulla ſint Hebraiſmi veſtigia, niſi quod prima vocabula, *Alonim, Valonus*, videntur corrupta eſſe ex Punicis, *Alonim, Volanus*, quæ cum deorum nomina ſint, facile potuerunt Pœni eadem in lingua Libyca uſurpare. *Siccorath* etiam, & *ſucceratim* videntur idem eſſe a Græco χώρα facta. Bocharto conſentit D. Grotius. Epiſt. ad Gallos 106, niſi quod ſex poſteriores verſus etiam Hebraice ſive Punice deſcriptos ſentit : cujus verba ſunt ; *Non aliam in illa nobili ſcena quærendam interpretationem ab iis, quæ Latine ſequuntur; ſed Punica bis eſſe poſita, ex diverſis ſcil. codicibus duplicata ſcriptura, & ita ut poſterior ſit priore corruptior ; &, vocibus quibuſdam omiſſis, contractior. Idem enim eſt* Hyeli Alonim, *quod poſtea* exanolim ; *&* Valonus *quod poſtea* Volanus, *& ſic deinceps; cujus differentia pars inde nata, quod Syri* ת *ut S pronunciabant, quod hodieque Judæi faciunt. Unde iſta jam olim* שור *&* תור *& ſimilia. Verum eſſe quod dico, nominibus propriis, quæ neceſſario eadem eſſe debent, convincitur.* Agoraſtacles *eſt in priore parte Punica, in ſecunda corrupte* Ariſtoclem, *in Latino eodem loco* Agoraſtoclem. *Sic v. 5, Punico legendum,* Antidamas chon : *in parte ſecunda Punica, ubi confuſi ſunt verſus, eſt,* Athidamaſcon. *In eundem modum reſtituerem, quod in Latino,* Antidamas *fuit. Nam* חון *pro* חִיָה *etiam nunc Rabbini uſurpant.---Omnia corrigere difficile eſt ob peccata ſcribarum in lingua ignota. Adde, quod vetus Pœnorum pronunciatio nos fugit ; neque tota reſarciri poteſt, aut ex Hebræo ſermone, qui haud dubie a Tyro deſtitit* (dialecto ſcil.) *aut a Syriaco, qualem habemus in libris tanto ſerioribus. Quædam ſunt facilia, ut,* binuthi, *gnatas meas, pro quo legitur,* bimuthii, *&* bin achi *fratris filium, pro quo* binuthii. Sic fel yth chylu, chim tem liphul, *eſt,* פעל את שלו כין חם לפעל feciſse ſibi quod faciendum fuit. *In Punica abundat* חם omnino, *cætera aperta ſunt.*

18. Hactenus D. Grotius : qui, ut videmus, in hoc cum Bocharto congruit, quod idem bis repetitur : (quod iiſdem argumentis probat,) & Plautinam interpretationem Latinam attendendam eſſe, licet in aliis quibuſdam differant. Claud. Salmaſii verba in Epiſt. ad D. Grotium. lib. 1. epiſt. 18. libet etiam apponere; *De Punicis Plautinis tecum ſentio, vel Pluto caciorem in plæriſque deprehendo* (Exiguum) *In primo verſu omnes aberrarunt, quem ſic componendum judico, & judicii etiam tui facio.* אֶת־עֶלְיֹנִים וְעֶלְיוֹנוֹת שֶׁקֶּרֶת הַזּוֹת מְקוֹם יָרֵת *quod eſt, Deos Deaſque veneror, quibus urbs hæc habitatio eſt. Plautus ad verbum, qui hanc urbem colunt.* ירת *pro* יש. *Non dubito quin illud Corath Plautinum ſit urbs, Hebraice Kereth, quæ Syris Cartha. Eadem illa, quæ ſcribis, animadverteram de repetitis verſibus ex* διττογραφίᾳ, *ut &* Antidamas con, *Antidamas fuit, idque ex Arabiſmo meo, quibus* كان *eſt, fuit. Hebræis autem puto, & Phœnicibus perpetuum eſt, ubi eſt Arabicum Elif, ponere Vau, quod in ſexcentis obſervavi. Mirum vero Pœnos Phœniciam linguam vel uſque ad extima tempora pene puram conſervaſſe, ut conſtat ex multis Auguſtini locis, apud quem* Namphanio *ille, in quo hæret Seldenus, debet eſſe* Namphamio *: ut ſæpe in libris vetuſtis N. pro M. reperitur exaratum. Nullus certe eſt liber Plinii aut Solini, quamlibet antiqua ſcriptus manu, in quo non* Minas *pro* Mimante *monte offenderim.* Namphanio *plane Punicum proprium nomen, quod* boni pedis *hominem ſignificare ſcribit Auguſtinus nempe* נעם פעם.

19. Ex ſententia celeberrimorum hujus ſeculi Criticorum, videmus verſus decem priores ex vocabulis Hebraicis conſtare : unde infertur, quod propoſuimus, eandem eſſe linguam Hebraicam cum Phœnicia ſive Punica, vel ſaltem dialecto tantum diverſam fuiſſe. Nemini vero mirum ſit aliquatenus Punicam ab Hebræa tanto temporis intervallo, ſcil. annorum 1900, variaſſe : cum multo minore tempore magnas mutationes linguas fere omnes ſubire, ſupra oſtendimus. Apud Græcos diverſæ erant dialecti, lingua tamen eadem ; & apud omnes fere gentes idem obſervare licet. In Anglia noſtra, præter linguas VVallicam & Cornubienſem, dialectus Septentrionalium ab Auſtralium, & utrorumque ab illa Occiduarum plagarum differt : omnes tamen eandem linguam colimus. Apud Judæos etiam obſervarunt multi dialecti varietatem ex Jud. 12. 6. in pronunciatione Schibboleth : quam tamen dialectum eſſe negat Mayerus, Philolog. ſac. l. 1. c. 1. Et ſerioribus temporibus, alia erat dialectus Galilæorum, alia Hieroſolymitanorum, ut conſtat ex Matth. 26. 73. & Mar. 14. 70. Videatur Buxtorf. Lexic. Rabbinic. voce גלל. Nec dubitandum, Punicam & Chananæorum dialectum ab Hebraica diſcrepaſſe, & utraſque peculiares habuiſſe ſermonis proprietates ſive idiotiſmos, quibus non obſtantibus, una eademque lingua erat omnibus communis. Peregrina etiam vocabula in Pœnorum linguam irrepere poterant a vicinis gentibus, Arabibus, Æthiopibus, Ægyptiis, &c. quædam etiam ex antiquis incolis Libyca retenta ſunt, quibus ab Hebraica in multis diſcrepare potuit. Multa etiam vocabula Hebraica perierunt, & nobis hodie incognita ſunt : deſiit enim eſſe vernacula poſt Captivitatem Babylonicam, nec ullum habemus librum, in quo pura Hebraica extat, præter vet. Teſtamentum, in quo mutilam eſſe neceſſe eſt, cum omnes voces Hebraicas in eo reperiri, nemo ſibi facile perſuaſerit. Ex hiſce ratio reddi poteſt, cur in ſcriptis veterum multa occurrant vocabula Punica, quæ ad Hebræas origines revocari non poſſunt : poſſunt enim eſſe antiqua Libyca, vel nationum vicinarum, vel Hebraica nobis incognita. Cauſa vero cur Deus linguam primam inter Chananæos manere voluit, (ut alibi indicavimus,) erat, quia Patriarchæ inter eos peregrinaturi erant per longum tempus, cumque iis commoraturi, (quod, niſi eandem habuiſſent linguam, commode fieri non potuit,) & quod ipſorum poſteris terram iſtam Deus deſtinaverat in hæreditatem.

20. De conſervatione Linguæ Hebraicæ, ſecundum varias temporum periodos, quædam obſervanda veniunt. Primo, a Confuſione Babylonica ad Abrahamum, ſtatuunt quidam, per totam Aſſyriam inter poſteros Shemi, & in Chananæa inter Chami progeniem, linguam Hebræam poſt diviſionem remanſiſſe : In Aſſyria vero, ob frequentia variorum populorum commercia, & magnas imperii mutationes, in Chaldaicam degeneraſſe : adeo ut Abrahamus Chaldaicam tantum calleret, antequam fluvium trajiceret ; & in Chananæa linguam Chananæam diſceret, quæ poſtea ab ipſius tranſitu dicta eſt Hebræa. Eandem etiam puram manſiſſe apud Chananæos, qui eaſdem cum Aſsyriis mutationis cauſas non habuere, niſi quod circa loca maritima Tyro & Sidoni vicina, aliqua dialecti varietas a frequentia commerciorum per Tyrorum navigationes introducta ſit. Sic Joſ. Scal. Epiſt. ad Tompſonum, & ad Ubertum. Idem docent Genebr. Chronol. lib. 1. Erpenius Orat. de ling. Heb. Gerh. Voſſius de arte Gram. l. 1. Joh. Seld. de diis Syris l. 1. c. 2. qui omnes (uno excepto Genebrardo, qui in modo loquendi differt) a Scaligero hanc ſententiam hauſiſse videntur. Quæ quidem quoad Chananæos & Phœnices vera eſse probavimus : at per totam Aſsyriam hanc linguam ſervatam fuiſse poſt diviſionem, vel in Chaldæam mutatam, vel Abrahamum eam a Chananæis primum dediciſse ; mihi non videtur veriſimile. Linguam enim Chaldaicam unam eſse ex primis poſt Confuſionem ortis ſtatuunt plerique graviſſimique authores. Nec videtur conſilio divino conſentaneum de impediendo Turris ſtructuram, ut per vaſtas illas Babyloniæ & Syriæ regiones lingua prima permaneret. Si enim omnes, qui illas terras habitarunt, ſeſe mutuo intelligerent, cur non potuerint in ſtructura ſua progredi ? Abrahamum vero a Chananæis linguam Hebræam didiciſse antea ſibi ignotam, concedi non poteſt. Nam Semus non erat in conſpiratione Babylonica, ut plerique ſtatuunt : unde pœnæ non obnoxium fuiſse ; ſed linguam primam retinuiſse, vero conſentaneum eſt. Et licet quoſdam ex Semi poſteris cum Idololatris mixtos fuiſse, teſtetur hiſtoria Sacra : apud alios tamen ejuſdem ſtirpis, verum Dei cultum viguiſse una cum lingua primæva, negari non poteſt. Si enim apud Chananæos utrumque ſervatum erat, multo magis inter Semi poſteros, ſemen benedictum. Linguam vero ſuam, quam in Confuſione ſervaverat, ad poſteros Semum propagaſse, non eſt cur dubitemus : præſertim cum ſecundum computum vulgarem codicum Hebræorum, Semus vixerit temporibus Abrahami & Iſaaci, a quo Abraham linguam Hebræam addiſcere potuit, cum in Chaldæa vixit. Unde & Abraham duplici lingua in Chaldæa locutum fuiſse, teſtantur Munſter. Gram. Chald. p. 10. Hieron. in Dan. 2. & liber Coſri Orat. 2 ſect. 68. Hoc etiam clare evincunt nomina Pelegi, Abrahæ, Saræ, & locorum ab ipſis impoſita, quæ Hebraica ſunt.

21. Aliorum eſt opinio huic oppoſita, qui linguam Hebræam in Heberi tantum familia (unde nomen accepit) conſervatam fuiſse volunt ad Abrahamum uſque : a quo ad Jacobi poſteros propagata fuit : Ita viri docti, qui ab Hebero linguam Hebræam dictam eſſse volunt. Hanc vero ſententiam ſupra rejecimus, cum de linguæ Hebrææ denominatione egimus. Vera itaque ſententia eſt, non tantum in Heberi familia, ſed & inter alios Semi poſteros, (inter quos unus erat Heber,) etiam & inter quoſdam de Chami progenie in Phœnicia, & Chanaanæa, ſervatam fuiſse, ut jam oſtendimus. Quæ enim de Hebero ſupponunt, reliquis Semi poſteris æque convenire poſſunt : nec de Hebero magis, quam de Semo, Arphaxade, Sala, Peleg, Reu, vel Serug quicquam probant : cum nil ſingulare de Hebero magis, quam de iſtis ſcriptum legimus : nec ulla ratio ſuadet, Semum linguam primam oblitum fuiſſe, nec ejus poſteros non docuiſſe & inſtituiſſe ad Jacobum uſque, cum tamdiu poſt Diluvium vixerit. Cum itaque in eo ejuſque poſteris a patre Noah benedictis, vera Eccleſia, vera religio, cultuſque veri Dei ad Abrahamum uſque manſerit ; dubitari non poteſt, quin & lingua prima etiam inter ipſos conſervata ſit.

22. Poſtea, cum Jacob et ejus filii in Ægyptum deſcenderant, & per ducentos annos in immenſum multiplicati ſunt, linguam ſuam in Ægypto ſervaſſe, nec eam cum Ægyptiaca mixtam fuiſſe, ſed eandem demum in terram Chanaan attuliſſe, inter omnes convenit. Hinc illud inter Hebræos, referente Dav. de Pomis, Præf. ad Lexicon ſuum, *Iſraelitas in Ægypto non mutaſſe veſtimenta, nec linguam, nec* (quod alii addunt) *nomina.* Elias enim in Præf. Methurg. dicit, *tria in Ægypto non mutaſſe Iſraelitas, nomina, veſtes, & linguam.* Cauſam vero cur tot annis linguam ſuam puram conſervarunt, cum multo minori ſpacio in Babylonia captivi linguam vernaculam obliti ſunt ; hanc fuiſſe exiſtimo ; quia ſimul in una Ægypti parte convixerunt, in terra Goſhen : captivi vero ubique diſperſi erant ſub variis dominis ; quorum mandatis ut obtemperarent, neceſſario ipſis addiſcenda erat lingua Chaldaica. Unde licet inter ipſos, Seniores linguam propriam retinere poterant ; liberi tamen, quos durante Captivitate habuerunt, pro Hebræa Chaldaicam addiſcebant : ut Judæi hodie regionum, ubi diſperſi vivunt, linguas pro vernaculis habent. Linguam vero Hebræam & Ægyptiacam diverſas fuiſſe, ex eo conſtat ; quod Joſephus fratres per interpretem allocutus ſit : & Pſaltes dicit, *Cum in Ægypto peregrinati ſunt, Iſraelitas linguam alienam audiviſſe.*

23. Cum vero Iſraelitæ terram promiſſam poſſederunt, expulſis antiquis incolis, linguam ſuam puram ſervaſse, teſtantur libri Sacri ante Captivitatem Babylonicam ſcripti, uſque ad everſionem Templi primi : ita ut per totum illud tempus nullam notabilem mutationem ſubiit hæc lingua. Quod partim a ſingulari Dei providentia profectum, partim ex moribus & inſtitutis Judæorum ; quibus a connubiis, fœderibus, & omni fere cum vicinis gentibus Idololatris commercio arcebantur : unde, quia cum gentibus mixti non ſint, linguam ſine mixtura conſervabant ; ſicut ob eandem cauſam Chinenſes, & alii, linguas ſuas per tot ſecula immixtas habent, ut in Proleg. de linguis diximus.

24. Durante vero Captivitate 70 annorum, magnam mutationem ſubiit : adeo ut Judæi linguæ propriæ obliti, Chaldaicam cum aliqua Hebrææ tinctura poſt ſolutam Captivitatem in patriam introduxerint.

A quo tempore, Hebraica, poſtquam duraſſet annos plus minus ter mille & quadringentos juxta computum vulgarem, deſiit eſſe vernacula, juxta communem omnium fere doctorum ſententiam. Unde legimus Neh. 8. 7.8. Eſdram & Levitas, cum legem populo prælegerent, eandem expoſuiſse, & ſenſum dediſse, (lingua ſcil. vulgari) ut populus intelligeret. Et hinc erat origo Paraphraſium, cum poſtquam legem & prophetas in ſynagogis prælegerant, explicationem lingua vulgari dederunt. Hinc ſcribit Elias, præf. lib. Methurg. וּבְשָׁגְלוּ מֵאַדְמָתָם וּבָאוּ לְבָבֶל שָׁכְחוּ מִכֹּל וְכֹל בַּכָּתוּב בְּסֵפֶר נְחֶמְיָה׃ *Cum vero ex terra ſua exularent, & in Babyloniam abducti eſſent, penitus obliti fuerunt linguæ ſuæ; ſicut ſcriptum eſt in libro Nehemiæ.* Idem teſtantur Kimchi præf. lib. Michlol. Ephodæus Gram. c. 7. & alii. *Interim tamen manebat in quorundam animis,* (ſacerdotum, ſcil. & judicum) *cognitio legis & linguæ*, ut in libro Coſri part. 3. ſ. 15. *conſervata fuit* (lingua) *in corde ſacerdotum & Judicum, ut docerent judicia juſtitiæ.* Pro Hebraica itaque poſthac Chaldaica Judæis facta eſt vernacula, quæ primo purior, poſtea magis corrupta & vitiata, pro diverſitate nationum, quibus ſerviebant, variis dialectis & idiotiſmis. Et non tantum hac lingua locuti ſunt, ſed & in hac libros ſuos conſcripſerunt uſque ad everſionem Templi ſecundi, & ſeculis ſequentibus: ita ut nullibi hodie extet lingua Hebraica pura, niſi in vet. Teſtamento. Unde illa querela D. Kimchi præf. lib. Michlol. *quod ex quo tempore deportati ſint ipſorum patres in terram alienam, gentium linguam didicerint, & linguæ ſanctæ obliti ſint, & ad hunc diem loquitur quiſque labium peregrinum, ſecundum locum captivitatis ſuæ & exilii ſui: nihil inveniri in manibus ſuis* Hebraice *ſcriptum, præter 24 libros ſacros, & paucula quædam vocabula in Miſchna.* Quod vero quidam objiciunt, ut Gordon. Chronol. Tom. 1. f. 115. præcipue Barthol. Mayerus Philol. ſacr. parte 2. cap. 2. linguam Hebræcam vernaculam fuiſſe durante Imperio Perſico & Græco, & non ante Aſſamonæorum tempora in Aramæam degeneraſſe, quia Prophetæ poſt Captivitatem prophetias ſuas lingua Hebraica conſcripſerint; & probabile non ſit Deum populum reducem aliena lingua allocutum fuiſſe: quod ex hoc confirmant, quia Paraphraſes nullæ fuerint ante Onkeloſum & Jonathanem, qui paulo ante Chriſtum floruerunt, vel circa Chriſti tempora: Hæc (inquam) parum movent. Nullam enim probabilitatem habet, quod ſub Græcorum imperio lingua Hebræa in Chaldaicam vel Syriacam mutata ſit: Græci enim potius propriam linguam more victorum introduxiſſent, quam Chaldaicam. Neceſſario itaque hæc mutatio a Chaldæis dominis, non a Græcis profecta eſt: multa enim præter linguam a Chaldæis Judæi mutuarunt, (inter alia Menſium nomina Chaldaica, cum antea eos per primum, ſecundum, tertium, &c. numerarent:) nec ſentimus ſtatim poſt reditum apud omnes Judæos amiſsam eſse linguam Hebræam: nam apud ſacerdotes & ætate provectiores remanſit. Multi enim erant, qui cum Templi ſecundi fundamenta jacta fuiſſe primum viderant, fletus & lachrymas miſcuerunt cum juniorum jubilo: multi etiam, dum in captivitate erant, linguam hanc liberos a pueritia docuerunt: licet prævaluerit Chaldaica apud plebem. Imo certum eſt, quod non tantum Prophetarum temporibus Sacerdotes & Levitæ, qui plebem ex officio tenebantur inſtruere, linguam ſanctam retinuere; ſed & inter populum multi ex primoribus, ut & ſacerdotes, omnibus poſtea temporibus linguam antiquam coluerunt. Imo reliquias ejus quaſdam apud populum remanſiſse, haud invitus conceſsero. Vix enim ullam linguam tantillo tempore ita extinctam fuiſse legimus, ut nulla ejus veſtigia extarent, etiam in magnis mutationibus: vulgus tamen, *quem penes arbitrium eſt, & jus, & norma loquendi*, plerumque Chaldaice loquebantur. Non mirandum itaque, Prophetas ultimos prophetias ſuas Hebraice ex maxima parte (nam quædam ſunt Chaldaica apud Eſr. & Daniel.) conſcripſiſse: cum omnes reliqui libri ſacri eodem idiomate conſcripti fuerint; & nunquam defuerint ex ſacerdotibus aliiſque, qui linguam hanc tenebant, & ſcripturas populo explicare poterant. Ad illud quod de Paraphraſibus addunt, dico in ipſos retorqueri poſse: nam ab illo tempore quo ipſi linguam mutatam eſse volunt, uſque ad Jonathanem, nullum probare poſsunt extitiſse Targum, per 200 fere annos. Si vero dicant; Sacerdotes & Levitas legem populo expoſuiſse lingua vulgari, poſtquam ipſam prælegiſsent publice in ſynagogis, & hoc ſatis fuiſse ad populi inſtructionem; idem reſpondeo de temporibus prioribus, eundem ſcil. docendi morem invaluiſse, a reditu Babylonico. Sed de his plura, cum ad Paraphraſes Chaldaicas deventum fuerit.

25. De duratione etiam hujus linguæ, curioſe ſatis quidam diſputant, An ſicut omnium prima fuit, ſic omnium ultima ſit futura, ſcil. Beatorum in cœlis? Ut vero Judæorum & Chiliaſtarum nugas prætereamus, qui terrenum Chriſti regnum ante generalem reſurrectionem expectant, in quo ipſi cum Chriſto ſuper omnes populos regnaturi ſunt, & labium electum erit Hebraicum: hoc certum eſt, fideles poſt reſurrectionem ſermonem aliquem habituros, quo laudes divinas uno ore in æternum celebrabunt: corpora enim eorum erunt perfecta, & omnia ſermonis inſtrumenta habebunt, ut in corpore Chriſti poſt reſurrectionem videmus. Chriſtum enim Apoſtoli & diſcipuli poſt reſurrectionem audierunt loquentem: imo S. Paulus Chriſtum de cœlo loquentem audivit, & Chriſto audiente reſpondit, ut obſervat Bell. de fœlicitate æterna, l. 4. c. 16. Linguam vero Beatorum futuram Hebraicam ſtatuunt multi tam Judæorum, quam Chriſtianorum: quos enumerat inter alios, D. Buxt. diſſert. de ling. Hebr. conſervatione, & Joh. D' Eſpeires Tract. de Textu Heb. diſp. 1. q. 5. Huc trahunt loca Scripturæ, Eſ. 19. 18. Zeph. 3. 9. Zach. 14. 9. Pſal. 149. 6. ubi vaticinantur Prophetæ de 5 civitatibus Ægypti, qui loquentur linguam Chanaan; & de labio electo, ſive uno, quo omnes nomen Dei invocabunt; & quod Deus erit unus per univerſam terram, & nomen ejus unum. Ex his enim concludunt, omnes tandem linguam Hebræam locuturos. Hoc tamen ex iſtis locis firmiter colligi non poteſt. Loquuntur enim Prophetæ, de converſione gentium ad Chriſtum, quod abjecta Idololatria & falſo cultu, omnes quaſi uno ore unum verum Deum ubique invocabunt: quod impletum videmus poſt Evangelii promulgationem. Nam ex omnibus nationibus collecta Eccleſia Chriſti laudes divinas unanimiter celebrat; ipſumque confitentur ſinguli, non lingua Hebræa, ſed linguis propriis. Rationes etiam proferunt, quod hæc lingua prima fuerit, ideoque noviſſima erit; quod a cœlo originem traxit, a Deo infuſa primis hominibus in Paradiſo: unde conjiciunt, eandem futuram in Paradiſo cœleſti, cujus typus erat terreſtris. Hæc vero parum ponderis habent. Nam cum vita beata, quam expectamus, longe ſuperat hujus vitæ ſtatum; etiam quæ fuit in Paradiſo; imo quicquid intellectu concipere poſſimus: myſteriaque Chriſtianæ religionis, quæ a Domino & Apoſtolis lingua Syriaca primo tradita, & poſtea Græcis literis conſignata, omnia quæ in lingua Hebraica ante Chriſti adventum Deus revelaverat, gloria & altitudine multis gradibus excedant: infirmum eſt ex lingua, quam ad hujus vitæ uſum Deus infudit, colligere eandem in ſtatu futuro permanſuram, vel aliquid de linguæ Hebraicæ, potius quam Syriacæ vel Græcæ, uſu, inter Beatos pronuntiare. Multo probabilius ſentiunt, qui Angelicum illum, de quo Apoſtolus 1 Cor. 13. 1. futurum ſermonem Beatorum ſentiunt: cum Dominus diſerte dicat, *fideles futuros fore ἰσαγγέλοις*: & ut in prima creatione Hebraicam primis hominibus infudit, & Eccleſiæ naſcentis primordio, quod quaſi nova erat Creatio, multarum linguarum χάρισμα Apoſtolis aliiſque divinitus conceſſit: ſic rationi conſonum eſſe, Deum poſt reſurrectionem in animos Sanctorum novam linguam infuſurum, qua omnes in divinis laudibus perpetuo ſe exerceant. Joh. D' Eſpeires, licet priorem ſententiam fere communem eſſe Theologorum agnoſcat; addit tamen, *probabilius dici poſſe, novam linguam, Hebraica longe excellentiorem, futuram eſſe, quæ ſuavitate & energia omnes ſuperet; quæ unico verbo ſententias indicet, ut verba in pariete ſcripta*, Dan. 5. 17. *imo tam fœcundam fortaſſe fore, ut ex ſolis monoſyllabis conſtet: qualem omnium perfectiſſimam eſſe putat, &c.* Quicquid vero de hiſce ſcribunt curioſi, nil certi ſtatui poſſe arbitror, cum a ſola Dei voluntate pendeant, qui de iis nihil nobis adhuc revelavit. Hoc certo ſcimus, linguam fore omnium præſtantiſſimam, & Beatorum ſtatui congruentem. Concludam itaque cum D. Buxt. loco cit. verbis R. Jehoſuæ in Talm. qui cuidam curioſe percontanti de ſtatu reſurgentium ad vitam æternam, reſpondit, *Quando reviviſcemus, cognoſcemus, qualis futurus ſit eorum ſtatus:* Sic de futura lingua Beatorum in cœlis, quando reviviſcemus, cognoſcemus illam.

26. Præſtantiam vero hujus linguæ, ejuſque excellentiam, oſtendunt antiquitas, origo divina, ſanctitas, perfectio, ſub qua ejus puritas, elegantia, energia, & apta verborum ſignificatio; utilitas denique, & addiſcendi facilitas: de quibus, quia antea quædam diximus Proleg. I. num. 22. 23. De Linguarum maxime Orientalium uſu; idcirco hoc loco breviores erimus. Antiquiſſimam omnium eſſe, jam fuſe probavimus, mundo coævam, primis hominibus infuſam. Hac, ut notat Ar. Mont. potiſſimæ mundi partes, cœlum, terra, mare, animalia, cæteraque creaturæ, & antiquiſſimæ orbis regiones, nomina ſua ſortitæ ſunt: adeo ut merito omnium linguarum mater dicatur, non quod omnes ex illa ortæ ſint, ut a radicibus derivativa; ſed quod ante omnes alias extitit, ejuſque reliquiæ quædam in omnibus fere linguis inveniantur: & quod Orientales plæræque tantam cum ipſa habent affinitatem, Chaldaica, Syra, Arabica, Æthiopica; ut jactis primo Hebraicæ fundamentis, reliquæ faciliter addiſcantur: Scythicam etiam ſive Tartaricam, (ex qua Perſica, Armena; cui etiam, ut quibuſdam videtur, Europæarum magna pars originem debent,) Hebraicæ affinem eſſe, non deſunt magni viri qui affirmant. Sanctitatem oſtendunt, tum primus ejus auctor D.O.M. qui hanc in mentes primorum humani generis parentum immediate infudit; (nec enim ab hominibus inventa, vel ex aliarum commiſtione (ut pleræque hodiernæ) orta eſt; ſed ab ipſo fonte omnium bonorum, patre luminum, cum primis hominibus concreata:) tum ſacroſancta divina myſteria, de vera Dei cognitione, vero ejus cultu, æternaque hominum fœlicitate, quæ in hac lingua, ut fido tanti theſauri cuſtode, primo impoſita & recondita ſunt: nomenque illud ſanctum & venerandum, quod eſſentiam Dei exprimit, omniumque ſuperat intellectum, in hac lingua expreſſum ſit, quod nulla alia lingua explicare, nedum imitari poteſt. Unde ſcripſit Poſſevinus in Biblioth. ſelect. *tot eſſe in Hebraica ſcriptura ſacramenta, quot literæ; tot myſteria, quot puncta; tot arcana, quot apices.* Cum enim orbis univerſus altis errorum tenebris quaſi immerſus erat; & qui ſapientiæ nomen inter Gentes maxime ſibi arrogabant, cæci erant cæcorum duces: vera ſapientia, quæ ad Deum, ultimum finem, & ſummum hominis bonum, hominem ducit, in hac lingua ſola conſignata fuit: ex quo fonte, qui non hauriebant, ſapientes hujus mundi facti ſunt ſtulti, & in cogitationibus ſuis vani.

27. Perfectionem indicant, verborum puritas, energia, elegantia. Nullas enim habet extraneas voces admixtas: unde hanc ſolam puram, reliquas omnes mixtas, ſcribit Geſner. in Mithrid. c. 1. p. 3. Ex aliarum linguarum radicibus voces ſuas non derivat; ſed omnes, vel pleraſque, ex verbis habet, quæ regulariter tribus literis conſtant; (qui numerus ternarius, numerus perfectionis a multis habetur;) quæque unam ſimplicem & primariam habent ſignificationem, a qua tamen magna cum elegantia aliæ derivantur. Res ipſas etiam apte & accommodate exprimit, ut nulla alia lingua cum ea in hoc comparari poſſit, teſte Erpen. Orat. de ling. Hebr. In verborum etiam per varias conjugationes flexione, earum variam ſignificationem tanta brevitate, & energia exprimit, ut Græcorum & Latinorum compoſitionem multo poſt ſe relinquat, ut oſtendit idem. Hinc *maxime naturales linguas illas eſſe* ſcribit Poſtellus de Originibus, *quæ paucis verbis multa comprehendunt & docent, quæ breviſſimis, illis tamen claris, dictionibus, ac citius una ſyllaba quam duabus, vel litera una, ſenſum explicant; quales Hebræa, & quæ Hebraiſmo originem debent: cum Græca et Latina, ut recentiores et majori diligentia exculta, ſola omnium linguarum declinationem Nominis et Participii, mutata caſuatim voce, noverint; dictionibuſque conſignificativas particulas adjungunt, quas Hebræi et cæteri literis tan-*

tum efferunt: unde remotiores a naturalibus linguis ſunt Græca et Latina. Veneres etiam ſuas habet, quas nulla alia lingua exprimere poteſt. Unde dixit Lutherus Epiſt. ad Lincum, *Ebræos prophetas velle cogere, ut Germanice loquantur,* (*vel alia quavis lingua,*) *perinde eſſe, ac ſi Philomelam quis cogeret, ut dulciſſima ſua melodia relicta, utriſonam cuculi vocem imitaretur.*

28. Utilitas vero longe maxima ex hoc conſpicitur, quod myſteriorum divinorum explicationem ita plene ac perfecte, ac ex ipſarum Originalium tabularum inſpectione, aſſequi nemo poteſt. Unde & neceſſaria eſt aliqua ſaltem ejus cognitio iis, qui eloquia divina aliis explicare tenentur. Quam abſurdum enim eſt, ut legatus mandata regis ſui non intelligat, ſed interprete opus habeat? De Themiſtocle narrant, quod cum a Perſarum Rege quædam petere, & cum ipſo colloqui cuperet, annum integrum in addiſcenda Perſarum lingua inſumpſerit, ne Regem per interpretem adiret. Quid ergo ipſis agendum, qui non ſemel, ſed quotidie cum ſummo omnium Rege colloqui tenentur, ejus mandata ad populum deferendo, ipſorumq; vota ad Deum offerendo? Nam, ut viri docti verbis utar, *qui verſiones tantum norunt, aliorum oculis vident, & cum plebe in atriis ſtantes e longinquo ſacra contuentur: qui vero ipſum textum Originalem intelligit, cum ſacerdotibus in ſanctuarium admiſſus, omnium quæ in penetralibus aguntur, ipſe teſtis eſt & arbiter. Hinc* (inquit Lutherus,) *etſi exigua ſit mea linguæ Hebrææ notitia, cum omnibus tamen totius mundi gazis non commutarem.* Ad fontes Hebræos in vet. Teſtamento recurrendum eſſe, cum aliquod dubium occurrit, vel exemplarium varietas, uno ore affirmant veteres: maxime Hieron. Epiſtola ad Suniam & Fretellam. & Aug. de Doctrina Chriſtiana: quod alibi, ſcil. Proleg. de textuum Originalium integritate fuſe probamus. Agnoſcunt Bellarm. lib. 2. de verbo Dei, cap. 11. Canus loc. lib. 2. cap. 15. & alii, in quibuſdam caſibus Hebræos codices conſulendos. Sed etiamſi verſiones ad manus habeamus, *ad multa alia neceſſaria eſt textus Hebraici ſcientia*; ut optime docet Ar. Mont. præf. ad Bib. Interlin. Cum verbum ambiguum eſt, non ſemper ambigue reddi poteſt per interpretem: unde ſignificatio non integra, ſed manca redditur, cum fortaſſe in Hebraica utraque ſignificatio ſervanda eſſet. Nam, ut ait S. Aug. *inter alias S. Scripturæ proprietates hæc neutiquam poſtrema eſt, quod unus aliquis locus adeo dives & abundans ſit, ut plures interpretationes, quarum ſingulæ piæ & bonæ ſunt, admittere poſſit.* Unde a Deo electa videtur hæc lingua myſteriorum Divinorum ſacrarium quaſi omnium fœcundiſſimum. E contra, quod in lingua Hebræa certum quid ſignificat, per vocem ambiguam ab interprete ſæpe redditur: ut in Pſal. 110. ubi נדבות a Græco interprete redditur Ἀρχὴ, unde Latinus vertit *Principium*: quod potius per *Principatum* vertendum eſſet. Præterea quæ in prima lingua ſignificationem habent perſpicuam, in verſione habent obſcuram: ut in proverbiis, idiotiſmis, & verbis arti alicui propriis; vel quæ per tranſlationem facta ſunt, quæ in alia lingua convenire non ſolent. Hinc difficile agnoſcit Hieron. ad Pammach. *alienas literas inſequentem non alicubi excidere, ut quæ in alia lingua bene dicta ſunt, eundem decorem in tranſlatione conſervent:* Ex aliiſque multis, quæ adduci poterant, magna hujus linguæ utilitas ad verum Scripturæ ſenſum enucleandum apparet. Tandem ſi linguæ tantæ dignitatis, perfectionis, elegantiæ, & utilitatis, etiam addiſcendi facilitatem addamus, quid amplius deſiderari poteſt? Talis vero eſt hæc lingua, ut haud decimam temporis & laboris poſtulet, quam Latina vel Græca, ut tradunt ejus inſigniores magiſtri. Si quis enim menſes aliquot in eam impendat, (*menſes, non annos*; ſic Erpenius) facile bonos progreſſus in ea faciet. *Bimeſtris vel trimeſtris induſtria ſufficiet,* (ſic Amama) *ut mediocriter quis addiſcat: annum vero non requirit, ut omnis ejus difficultas fœliciter ſuperetur.* Qui vero tantillum temporis ab aliis negotiis & ſtudiis, imo a ludis, abſtrahere nolit; tam pretioſo theſauro ſe plane indignum reddit: Qui vero experietur, laboris fructus haud pœnitendos brevi reportabit.

29. His quæ de lingua Hebraica dicta ſunt, quædam de antiquis Hebræorum literis, & de punctis vocalibus annectere, haud inutile erit. Et primo, quod ad literas attinet, ſententia eſt plerorumque linguarum peritia inſignium, literas quas Samaritanas dicimus, quibus Pentateuchum Samaritanum in hac Bibliorum editione excudimus, Hebræorum primævas fuiſſe, quibus Lex & Prophetæ primum ſcripti; eaſque Judæis & Samaritanis communes fuiſſe ante deportationem Babylonicam: Eſdram vero, qui poſt reditum codices ſacros recenſuit & inſtauravit, eoſdem literis Aſſyriis populo Judaico magis notis, (qui, durante Captivitate, linguæ & literarum obliti ſunt,) deſcripſiſſe; & priores Samaritanis, quos cane pejus et angue oderunt, reliquiſſe: ut hoc modo ſe nil cum iis commune habere, teſtatum facerent. Joſephus Scalig. Epiſtola ad Tompſonum & ad Ubertum, & in notis ad Euſeb. an. 1657, digreſſione de literis, hanc ſententiam acriter pro more tuetur, & in contra ſentientes ſtomachatur: ubi de literis Græcis & Phœniciis loquens, dicit, *Græcas a Phœniciis natas, quibus omnes olim & Chananæi & Hebræi uſi ſint, adhucque Samaritani utuntur: neque alios in uſu fuiſſe a temporibus Moſis ad excidium Templi. Nam eæ, quibus Judæi hodie libros ſacros & omnia acta ſua ſcribunt, nuperæ ac novitiæ ſunt, ex Syriacis depravatæ: illæ autem ex Samaritanis. Quod cum luce clarius ſit, tamen quidam ſemidocti, ſemitheologi, &* (*ut ſignantius loquar,*) *ſemihomines, non ſolum Judaicas literas vere Hebraicas eſſe priſcas, audent dejerare; ſed etiam impios putant, atque adeo palam vocant, qui aliter ſentiunt: miſeram vero doctorum & piorum hominum conditionem, ſi doctrinæ & pietatis ſuæ non alios teſtes haberent, quam Aſinos.* Poſtea fol. 107. col. 2. *Viſuntur quidem hodie ſicli, qui quotidie Hieroſolymis effodiuntur, & ſub regibus Juda in uſu fuerunt. In illis nummis eædem literæ inciſæ ſunt, quæ in ſcriptis Samaritanorum leguntur, ſine ulla vel exigua mutatione: & putare veterum Hebræorum alias literas fuiſſe, quam quæ in illis ſiclis viſuntur, & quæ ſub regibus Judæ in commerciis Judæorum erant, extremæ & inſaniæ & imperitiæ eſt.* Ad eundum modum Joh. Druſius in Exod. cap. 36. ſcribit, *Hoc ita clarum eſſe, ut nemo amplius, niſi forte alter Carneades, qui de rebus omnibus dubitare ſolebat, iſtud in dubium vocare auſit.* Sic Joh. Gerh. Voſſ. de Arte Gram. lib. 1. cap. 9. *Male eas literas vocamus Hebræas, cum Judaicæ dici debent. Hebrææ enim proprie ſunt Chananææ, hoc eſt* Phœnicum, *quarum literarum figuram cognoſcere licet ex nummis, qui hodieque crebro eruuntur de partibus Tyri & Sidonis. Iiſdem Judæos ante exilium Babylonicum uſos dicimus, quemadmodum & lingua eadem utrique genti communis erat.* Idem lib. 1. c. 31. dicit, *Judæos Babyloniam abductos, ut Chaldaice didicerunt, ita characteribus uſos Chaldaicis: ubi autem in Judæam reverſi, pauci admodum veteres* Hebræorum *characteres noverant: eoque Eſdras coactus eſt, iis Moſem &* Prophetas *literis deſcribere Chaldaicis, quibus aſſueverant: —poſteriores Hebraicæ fuere analogæ veteribus ſive Samaritanis: ut Eſdras optime potuerit vocem voce ſine ullius literæ diſpendio reddere: atque hoc ſufficiebat, ut Scripturarum veritas ſarta tecta permaneret.* His conſentiunt viri clariſſimi, Grotius in notis ad libr. de verit. Relig. Chriſtianæ, Sixtin. Amam. Antibarb. Bibl. Iſaac. Caſaub. exercit. in Baronium, Sam. Bochart. in Geogr. Sacra, Lud. Capell. libello docte & eleganter de hoc argumento ab ipſo edito, Waſerus, lib. de nummis Hebræorum, Mayer. Philol. Sacr. cum plurimis aliis. Inter Eccleſiæ vero Romanæ Doctores, Ar. Mont. Sixtus Senenſ. Serrarius, Bellarmin. Villalpand. Bonfrerius, Guido Fabricius, Joh. Morinus, Joh. D'Eſpieres, tract. 1. de Bibl. Hebr. dub. 1. qui communem hanc ſententiam vocat, & omnium approbatione receptam.

30. Quia tamen non deſunt viri docti, qui contrariæ ſententiæ mordicus adhærent, & ſentiunt hodiernum characterem, quem *Quadratum* vocant, antiquum & Moſaicum fuiſſe, quo lex & reliqui libri ſacri olim conſcripti ſunt; argumenta potiora proferam, tum ex antiquis ſiclorum inſcriptionibus, tum ex teſtimoniis veterum Scriptorum Chriſtianorum & Judæorum petita: eaque contra exceptiones adverſæ partis tuebor: poſtea ad rationes, quas ipſi producunt, reſpondendum. Primum itaque & præcipuum argumentum pro literis Samaritanis, & quod luce ſua evidenter hoc probat; (cui nemo niſi qui luſcus, vel oculos claudit, aſſentiri non poſſit;) ductum eſt ex antiquis ſiclis & numiſmatis Hebræorum ante Captivitatem cuſis; imo ante defectionem decem tribuum, (ut infra patebit,) ex ruderibus Hieroſolymitanis, olim, & hodie effoſſis. Omnes vero ſculpti ſunt characteribus, qui cum hodiernis Samaritanis plane iidem ſunt; paululum quidem variatis ob magnum temporis intervallum, (ut in omnium linguarum literis,) & in quibuſdam vetuſtate exeſis: ita tamen, ut eoſdem eſſe, facile agnoſcas. Sicli autem omnes quatuor drachmas pendent: quod Joſ. Antiq. lib. 3. cap. 9. de ſiclis ſui temporis aſſeruit. Hemiſiclus vero ſive ſicli Dimidium, drachmas ducas. Ex una parte habent urnam auream cum manna, (de qua Exod. 16.) poſito ſupra urnam, vel quaſi in ore calicis, in multis Aleph Samaritano, in quibuſdam Aleph & Schin, aliiſve literis, cum inſcriptione, literis Samaritanis, *Siclus Iſraelis.* Ex altera parte virga Aaronis cum amygdalis, & inſcriptione hac iiſdem characteribus, *Jeruſalem ſancta.* Alia etiam numiſmata diverſam habent inſcriptionem, ſed iiſdem literis inciſa. Horum vero omnium formas, quos alicubi invenire potuimus, ſculptas exhibebimus tractatu de nummis, ponderibus, & menſuris Hebræorum, una cum ſingulorum explicationibus. Horum unum nactus Ar. Montanus, ut certiſſimum veritatis teſtem, pro magno theſauro habuit, cujus *unius cognitio omnem ſibi in ponderum et monetarum ratione conſolidanda, veri diſquirendi laborem ademit,* ut ipſe loquitur in Apparatu, libro Tubalcain. Guiliel. Poſtellus vir linguarum peritia ad miraculum doctus, (licet ſenex Rabbinicis deliriis faſcinatus, ad varias & impias opiniones delapſus ſit) lib. de 12. linguis, poſtquam Hieronymum citaſſet de mutatione facta per Eſdram, ejuſque ſententiam approbaſſet, affirmat, Samaritanos eſſe veros, genuinos, antiquoſque linguæ Hebraicæ characteres: & hoc probat ex antiquis ſiclis, his verbis; *Eſſe autem hujuſmodi formas antiquas, argumenta mihi fuere numiſmata argentea, magnam admodum antiquitatem repræſentantia, quæ excuſa vidi apud Judæos, qui uſque adeo magni theſauri loco ducunt, ut unum* (*quod alioquin vix quincuncem æſtimes,*) *non potui mihi duobus aureis nummis redimere: aſſeruntque, eſſe a temporibus Salomonis. Cum autem meas hac de cauſa mutationis characterum conjecturas ipſis Judæis aperirem, dicebant eſſe veriſſimas, & a multis ſuorum Doctorum probatas: & nil aliud eſſe cauſæ* (*cum alioquin Samaritanos cane pejus & angue oderunt, quos vix colloquio dignos putant*) *cur ita chara illa numiſmata habeant, niſi quia illi characteres illic deſcripti olim ſibi in uſu familiari fuiſſent, quaſi natura quadam illos ad priſtina revocante. Aſſerunt etiam, indies Hieroſolymis in maceriis ſive ruderibus profundis hæc crebro ab effoſſoribus reperiri: Antiquitatis certiſſimum argumentum, quod illic ſcribitur, HIERUSALEM SANCTA: quam Samaritani ipſi a temporibus Salomonis nec ſunt ingreſſi, nec ſanctæ nomine dignati ſunt, ut qui adorarunt in monte &c.* Hactenus Poſtellus: quem tamen adducunt quidam pro altera ſententia, qua fide ipſi viderint: non potuit enim aliquid clarius pro literis Samaritanis dici. Si quid vero poſtea ſcripſit ſenex, cum delirare cœpit, hoc nullum pondus habere debet. Siclos autem iſtos a Judæis, non a Samaritanis, cuſos eſſe, probat inſcriptio illa, (ut obſervat Poſtellus,) *Hieroſolyma ſancta.* Samaritani enim nunquam Hieroſolyma potiti ſunt; nec ipſam, ut *urbem ſanctam* agnoſcere vellent. Inſcriptio etiam altera, *Siclus Iſraelis,* (ut obſervat Ar. Mont.) antiquitatem arguit, cuſos ſcil. eſſe ante defectionem decem tribuum, vel ſaltem ante eorum captivitatem, cum omnes tribus nomen Iſraelis obtinebant: poſtea enim a tribu Judæ, quæ principalis erat earum, qui relicti Judæi appellati ſunt. Idem etiam conſtare poteſt, eo quod in multis, literæ quædam vetuſtate conſumptæ ſunt, ita ut vix legi poſſint. Characterum etiam rudis & ſimplex figura, (a qua hodiernam Samaritanam paulatim deflexiſſe ad ſcriptionis celeritatem, liquet,) idem plane dedemonſtrat; & quod a plurimis, diverſis temporibus, effoſſi: unde tam a Judæis, quam Chriſtianis, pro genuinis agnoſcuntur.

31. Præter argumentum hoc reale, quod ſolum apud omnes haud pervi-

caces ſufficeret, teſtimonia etiam veterum tam inter Chriſtianos, quam apud Judæos, qui de hoc optime teſtari poterant, habemus: quibus firmiora probationis genera in rebus ejuſmodi dari vel deſiderari non poſſunt. Inter Chriſtianos veteres pro nobis teſtimonium ferunt duo, ſui ſeculi in linguarum cognitione & Judaicarum aliarumque antiquitatum ſcientia maxime inſignes, Euſebius ſcil. & Hieronymus: quos dum adfero, omnes adfero, qui inter veteres de hac quæſtione aliquid ſcriptum reliquerunt: nullus enim veterum pro contraria ſententia, vel verbum protulit. Euſebii verba ſunt in Chron. ad annum mundi 4740. *Fuit Eſdras eruditiſſimus legis divinæ, & clarus omnium Judæorum magiſter, qui de captivitate regreſſi fuerunt in Judæam: affirmaturque divinas Scripturas memoriter condidiſſe, & ut Samaritanis non miſcerentur, literas Judaicas commutaſſe.* Hic videmus Euſebium non tantum hanc literarum mutationem diſerte aſſerere; ſed etiam ejus cauſam adferre; ut ſcil. Judæi cum Samaritanis non miſcerentur. Varia hic comminiſcuntur, ut vim hujus teſtimonii evadant; ſcil. Euſebium poſſe intelligi de mutatione, qua literas antiquas Hebraicas, quibus libri ſacri conſcripti, in uſum communem revocavit, relictis ipſorum literis communibus, Samaritanis. Sed ut hoc de duplici charactere Hebræo, ſacro & communi, commentum eſt vanum, ut poſtea oſtendemus; ita cum Euſebii verbis conſiſtere non poteſt: loquitur enim de Judæorum charactere, ut de uno, eoque ab Eſdra mutato. Aliud vero eſt, characterem ſacrum in uſum communem, poſtquam deſueverat, revocare; aliud characterem mutare, ut a Samaritanis diſtinguerentur. Addunt etiam, Euſebium fortaſſe deceptum fuiſſe a Samaritanis, qui Cæſareæ magno numero vixerunt: ubi Euſebius erat Epiſcopus. At hoc eſt ejus teſtimonium plane negare, & ipſum ignorantiæ incuſare, ut qui ſe a Samaritanis illudi paſſus ſit. Quomodo etiam probant, ipſum Samaritanos potius quam Judæos, qui numero, eruditione, & dignitate Samaritanis ſuperiores erant, conſuluiſſe, & ab iis in errorem inductum fuiſſe? Anne etiam a Samaritanis habuit, quod eodem loco affirmat, Eſdram divinas Scripturas memoriter condidiſſe? Certe non; cum ipſi Eſdram, & omnes Scripturæ libros præter Pentateuchum rejicerent. Nec ſatis eſt oſtendere, hoc fieri poſſe, ſed ita de facto fuiſſe: ad quod probandum, ne verbum proferunt. Hieronymus clarius loquitur in Prologo Galeato in 1. Regum, & in Ezech. 9. & comment. in Tit. 3. In Prologo ita ſcribit, *Certum eſt, Eſdram Scribam, Legiſque Doctorem, poſt captam Hieroſolymam, & inſtaurationem Templi ſub Zorobabele, alias literas reperiſſe, quibus nunc utimur: cum ad illud uſque tempus iidem Samaritanorum & Hebræorum characteres fuerint. Et tot literis Pentateuchus a Samaritanis deſcriptus eſt, quot Hebræus, quæ figuris tantum & apicibus differunt*: ut ibid. ipſe teſtatur. In Ezek. 9. *Antiquis Ebræorum literis, quibus uſque hodie utuntur Samaritani, extrema, Thau litera, Crucis habet ſimilitudinem*: Et in Gal. 3. probat ex codice Samaritano contra Judæos, vocabulum *omnis* olim lectum fuiſſe, quia *antiquiores alterius quoque gentis literæ* (id eſt Samaritanorum) *id poſitum fuiſſe teſtantur*. Ubi videmus Hieronymum non dubitanter loqui, ſed ut de re certa & explorata, *Hoc certum eſt*: cumque præceptores habuerit inter Judæos celebres, a quibus hoc certo ſcire poterat; & ipſe in Hebræorum ſcriptis & monumentis verſatus fuerit, & in Hebraica eruditione omnibus ſui temporis ſuperior eſſet; nec tantum peritiam linguæ habuerat, (quam habuerunt etiam Rabbini,) ſed etiam judicio ſolido ipſos omnes ſuperaret; & non uno loco, ſed ſæpius hoc affirmaverit; merito ejus teſtimonium magni æſtimandum eſt. Quod vero dicit, Eſdram alias literas reperiſſe, non hunc ſenſum neceſſario habet, quod ipſe earum primus inventor fuerit, (prout videtur D. Voſſio;) ſed tantum, eas Judæis loco earum, quibus antea uſi ſint, dediſſe, & auctoritate ſua introduxiſſe. Ut hoc Hieron. teſtimonium enervent, varia effugia excogitarunt, quæ ipſa Hieronym. verba plane præcludunt. Alii dicunt, ipſum loqui tantum de ſex literis Hebraicis finalibus, ut Picus, & Reuchlinus: alii de punctis vocalibus, & literis Syriacis, ut Schickardus: alii de literis Hebræorum ſacris, quas vulgo ignotas & latentes Eſdras publice propoſuit, ut alicubi Poſtellum dixiſſe, quidam affirmant; cujus verba tamen in contrarium jam attulimus. At hæc omnia plane conficta eſſe, & cum Hieronymi verbis ſtare non poſſe, luce clarius eſt; ut cuique verba ejus conferenti patet. Loquitur enim non de punctis vocalibus, quæ nunquam mutata, nec Hieronymo nota erant, cum ipſius tempore non extarent; nec de literis finalibus, ſed de omnibus; nec de charactere ſacro, quem latentem in uſum revocavit; ſed de novo introducto, veteri Cuthæis relicto: nec duplicem agnoſcit antiquum Hebræorum characterem, ſed unicum tantum, quo libri ſacri deſcripti ſunt, quem Samaritanis reliquit. Fictam enim hanc diſtinctionem Hieronym. ignoravit; nec verba ejus, ſi equuleo torqueantur, talem ſenſum admittere poſſunt, ſed ei prorſus repugnant. Habemus itaque conſenſum veterum Eccleſiæ Doctorum, qui merito multis neotericis Criticis & Grammaticis præferendi. His addit D. Capellus Bedam, qui ob eruditionem ſummam *Venerabilis* nomen meruit: qui ſcribit, *Apud Hebræos nullam eſſe de hac re dubitationem, Eſdram literas leviores ſub nominibus earum, quas eatenus habuerunt, excogitaſſe, priores Samaritanis reliquiſſe &c.* Nec quicquam valet, quod ſupponunt, ipſum hoc ex Euſebio vel Hieronymo hauſiſſe. Nam a quocunque habuerit, liquet ipſum hanc ſententiam alteri prætuliſſe. Sed cum Hieronymo multo poſterior fuerit, nolo ejus teſtimonio eos ulterius premere; licet ejus auctoritas, multis recentioribus præponderare poſſit.

32. Præter veteres hoſce Eccleſiæ Scriptores, habemus etiam, inter Judæos, Rabbinos Talmudicos, & recentiores, qui idem affirmant. In Talm. Babylonico, tract. Sanhedrim, ſect. 2. *In principio data eſt Iſraeli Lex* בכתב עברי *ſcriptura Hebræa, & lingua ſancta: poſtea data eſt illis in diebus Eſræ,* בכתב אשורית *ſcriptura Aſſyriaca, & lingua Aramæa: poſtea elegerunt Iſraelitæ ſcripturam Aſſyriacam & linguam ſanctam, & reliquerunt idiotis ſcripturam* Hebraicam, *& linguam Chaldaicam. Qui ſunt illi Idiotæ?* Reſpondet *R. Chaſda, Cuthæi. Quæ eſt ſcriptura Hebraica?* Reſpondet *iterum Chaſda,* כתב ליבונא *ſcriptura Libonæa.* Per *ſcripturam Libonæam* intelligunt omnes, Samaritanam; & per *Cuthæos*, Samaritas: licet de voce *Libonæa*, aliqua ſit diſcrepantia. Hic expreſſe legimus, Legem primo datam ſcriptura Hebræa: quæ ſcriptura relicta eſt Cuthæis, Iſraelitis eligentibus ſcripturam Aſſyriacam. Quod vero dicitur, datam eſſe Legem temporibus Eſdræ, non tantum ſcriptura, ſed & lingua Aſſyriaca; non intelligendum, quaſi Eſdras Legem ſcripſiſſet in hac lingua: ſed cum, durante captivitate, Judæi tam linguæ, quam characteris proprii, obliti fuerint, & Legem quidam tam lingua quam charactere Chaldaico ſibi deſcripſerant; Eſdram Legem lingua Hebraica, charactere vero Aſſyrio, ſcripſiſſe, relicto Cuthæis charactere Hebraico, & rejectis exemplaribus quæ lingua Chaldæa apud plebem invaluerant: ut explicat R. Japhe. Eodem cap. 1. Tract. Sanhedrim, R. Joſe Eſdram cum Moſe comparans, ut qui dignus eſſet, per cujus manus lex daretur Iſraeli, niſi Moſes eum præceſſiſſet, addit, *quod licet non ſit data Lex per manum ejus, mutata tamen eſt per manum ejus ſcriptura; quum vocatur nomen ejus* אשורית *Aſſyria, quia aſcendit cum eis* מאשור *ex Aſſyria*. Ubi aperte videmus ſcripturam Aſſyriam, quæ hodie Hebraica dicitur, ex Aſſyria ſive Babylone cum Eſdra aſcendiſſe, & ab eo mutatam eſſe: unde infertur, ante illud tempus apud Judæos in uſu non fuiſſe. In Talm. Hieroſolym. tract. Magill. ſect. 1. אשורי *Aſſyria eſt ei ſcriptura, ſed non ei lingua. Hebræa eſt ei lingua, ſed non ei ſcriptura: elegerunt illi ſcripturam Aſſyriacam, & linguam Hebræam. Quare autem vocatur Aſſyria? quia character ejus eſt* מאושר בכתבו *excellens & ornatus. Dixit* R. *Levi, eo quod aſcendit per manum earum de Aſſyria*: poſtea ſubjiciuntur verba R. Joſe ſupra adducta ex Talm. Babyl. & Rab. Japhe. Veteribus iſtis etiam recentiores pleroſque adjungere licet: qui, etſi inter ſe ſententiis variant, in hoc tamen omnes conſentiunt, literas Hebræorum antiquas eaſdem fuiſſe cum Samaritanis hodiernis, & Eſdram literis Aſſyriis legem tradidiſſe. Ut tamen literas hodiernas, quibus ipſi utuntur, Samaritanorum characteribus præferant; (quibus gloriam literarum primogeniarum, quibus Lex a Moſis ſcripta fuit, dari, iniquiſſime ferunt;) fingunt aliqui tabulas legis cum Moſis αὐτογράφῳ charactere hodierno ſive Aſſyriaco, quem ſacrum eſſe volunt; exemplaria vero reliqua cum omnibus, quæ uſum civilem ſpectabant, charactere communi, qui Samaritanis adhuc in uſu eſt, deſcripta eſſe: Eſdram vero hunc characterem populo ignotum in lucem protuliſſe, & tam in ſacris quam prophanis hunc ſolum uſurpandum ſanxiſſe: Alii tamen omnia librorum ſacrorum exemplaria, etiam quæ in uſu populari erant, charactere hodierno, quem ſacrum eſſe volunt, deſcripta fuiſſe: ejus tamen uſum in Captivitate amiſſum & deperditum, Eſdram reſtituiſſe, & hunc ſolum in omnibus ſcripturis uſurpandum edixiſſe; priore, cujus uſus erat in rebus civilibus, Cuthæis relicto. Priorem ſententiam tuetur R. Moſes Bar-Nachman, quem Ramban vocant, qui circa annum Chriſti 1260. mortuus eſt, qui in Comment. in Pentateuch. narrat, *ſe, cum apud Anconem eſſet, inveniſſe in manibus quorundam Seniorum, ſiclum argenteum ponderis ſemiunciæ ſive 4. drachmarum, qui ſignatus erat ex uno latere figura virgæ amygdalinæ, ex altera urnæ cum literis quibuſdam ſcriptis ad marginem utriuſque lateris; quem cum Samaritanis oſtenderunt, ipſi ſtatim legerunt: ex uno latere erat*, Siclus ſiclorum (potius *Siclus Iſraelis*, nam inter omnes ſiclos nullus hodie videtur cum tali inſcriptione, unde illud (*Siclorum*) videtur eſſe error ſcribæ:) *ex altera*, Hieruſalem ſancta. Addit Nachman, quod *ſcriptura Hebræa relicta erat Cuthæis, ſicut commemoratur in Sanhedrim*: memorat quoque ſe vidiſſe Hemiſiclum dimidii ponderis cum iiſdem verbis & inſcriptione. R. Joſ. Albus in libro עקרים ſive de fundamentis fidei Judaicæ, idem affirmat. Scribit enim, *Judæos duo habere monumenta Captivitatis ſuæ Babylonicæ: unum, quod menſibus nomina Chaldaica indiderunt, cum antea, primus, ſecundus, tertius, &c. dicti ſint: alterum, quod ſcripturam Hebraicam Cuthæis reliquerunt, & Aſſyriam elegerunt.* Et citat illud ex Sanhedrim, quod jam attulimus. Unde infert, *ſcripturam, quæ hodie eſt in ipſorum manibus, non eſſe Hebraicam ſine dubio, &c.* Poſterior ſententia plures habet adſtipulatores: inter quos numerant R. Jacob, Sam. Japhe, Moſem Ægyptium, R. Azariam, R. Hai, Ephodæum, cum aliis. Quorum omnium ſententia cum figmento illo duplici characteris nitatur, ſi illud fundamentum ipſis ſubtraxerimus, quicquid illi ſuperſtruunt, mole ſua ruet. Omnes tamen hodiernam ſcripturam vocant Aſſyriam; & priorem, quam Cuthæis reliquerunt, Hebræam.

33. Habemus itaque ex utriuſque Talmudis auctoritate, (quæ omnibus Judæis ſacroſancta eſt:) & ex ſententia Judæorum & Rabbinorum poſteriorum; Characterem Hebræum veterem eſſe Samaritanum: hodiernum vero eſſe Aſſyrium, quo Eſdras Legem poſt Captivitatem deſcripſit. Quidam tamen ex Rabbinis, (præſertim junioribus,) & ex noſtris ſcriptoribus, ne quicquam ab hodierni characteris antiquitate, ejuſque ſanctitate, (ut ipſis videtur,) detrahatur, varia commenta fingunt, ut teſtimonia prædicta, & argumentum a ſiclis ductum evadant. Primo enim, ſcripturam hodiernam dictam volunt Aſſyriam, non ab אשור gentis nomine, quaſi ab Aſſyria cum Eſdra primo aſcenderat, & antea non eſſet apud Judæos in uſu: ſed ab אשר *beatum reddidit*, unde deduci volunt אשורית, quaſi hoc modo beatificata eſſet ſcriptura ſive character, vel propter characterum magnificentiam & ornatum: (ſpecioſa eſt enim hæc ſcriptura;) nam literæ nullæ ſunt ſibi ſimiles, nec una alteri adhæret in ſcribendo. Sic Moſes Ægyptius, R. Jacob in oculo Jacobi, Bartenora, Azarias, & alii. At quis non videt meras nugas, & vanorum hominum vaniſſima hæc eſſe commenta, quorum Chriſtianos Theologos pudere debet? Neſcio ſane quid ſit ineptire, ſi hoc non ſit. In locis enim ex Talmude adductis diſerte dicitur, *ſcripturam Aſſyriam ſic dictam, quia ex Aſſyria cum Eſdra aſcendit; ut & alteram Hebræam, quia erat antiqua Hebræorum.* Quod vero ab אשר *beatum reddidit*, deduci volunt, puerile & ridiculum eſt, contra omnem Lexicorum fidem, & contra communem vocis uſum: nam nec unum locum proferre poſſunt, ubi אשורית, *beatitudinem* ſignificat. Præterea, quam bellas rationes

adferunt, cur literæ iſtæ beatæ, aliis omnibus magis ornatæ & magnificæ ſint? Nam plures earum ſibi ſimiles eſse, quis niſi luſcus non videt? unde ſæpe invicem commutantur. Annon ו & י item ד & ר, & ם & ס ſimiles ſint? & annon plures aliæ ſint Europæorum literæ, qui ſibi invicem non cohærent? annon rationes iſtæ Samaritanis potius quam Hebræis hodiernis conveniant? Denique, quam ſtultum & ineptum eſt, characteres beatos vel beatificos dicere, quaſi ſcil. literæ, & linearum ductus beatitudinis capaces eſſent? Apage iſtiuſmodi nugas & deliria.

34. Secundo, duplicem fuiſse characterem in uſu apud Judæos ante Captivitatem volunt; hodiernum ſcil. quem *ſacrum* & *ſanctum* vocant, quo libri ſacri conſcripti ſunt, ut plerique aſerunt; vel ſaltem tabulæ legis, & Moſis autographon, ut alii: & communem ſive *prophanum*, quo in negotiis civilibus uſi ſunt, quique populo notus erat. Et hunc characterem agnoſcunt Judæis & Samaritanis communem fuiſse: priorem vero tempore Captivitatis amiſsum Eſdram reſtituiſse; & hoc libros Sacros exaraſse, altero Samaritanis relicto. At huic duplici characteri repugnant omnia, quæ a nobis allata ſunt teſtimonia: quæ de unico charactere ante Captivitatem, quo libri ſacri deſcripti ſunt; quemque Hebræum vocant; non de pluribus, loquuntur. Nec dicunt, Scripturam ab Eſdra reſtitutam, vel characteres antea latentes ipſum in uſum revocaſse: ſed mutaſse ex Hebræis in Aſsyrios, ut luce clarius conſtat. Apud Gentes Idololatras legimus quidem fuiſse literas ſacras, quibus myſteria ſua horrenda & turpia in delubris occultabant: ut ignara plebecula, quæ non intelligebant, venerarentur. Tales fuiſse apud Ægyptios teſtatur Diodorus l. 3. & apud Æthiopes fuiſse præter literas vulgares etiam Regias, quæ Ægyptiis ſacris ſimiles fuere, ſcribit Heliod. lib. 4. & de Babyloniorum literis ſacris, & de ſacris Meroe ſcripſiſſe Democritum dicit Laertius lib. 9. quibus myſteria ſua plerumque impia occultis characteribus, vulgo ignotis, velabant; ne fraus & impoſtura ipſorum patefieret, ipſique omnibus ludibrio eſsent. At in hoc differt vera Religio a falſa Gentilium ſuperſtitione, quod myſteria ſua non occultabat, nec occultis characteribus vulgus ab ipſorum cognitione arceret; ſed potius omnibus propalanda exponeret, ut omnes ſalvi fierent. Suſpectam etiam facit hanc ſententiam, altum de ea tum in Scripturis, tum in Joſepho & Philone de duplici charactere ſilentium. Scio argumentum negativum non ſemper firmum eſse: At cum ſæpe data fuerit occaſio ejus mentionem faciendi, præſertim apud Joſephum, qui antiquitates ſuæ gentis melius, quam omnes Rabbini poſteriores, novit, nec de iis ſilere ſolet; apud quem tamen ne verbum de hujuſmodi characteribus invenitur: probabile ſaltem facit talem characterum diſtinctionem nunquam fuiſſe. Imo multa ſunt in Scripturis, quæ contrarium ſuadent; Deum ſcil. legem ſuam populo ſuo propoſuiſse, ut omnes eam legerent, & poſteros docerent; & per prophetas ſæpius expoſtulaſſe de eorum negligentia: quod ſane non feciſſet, ſi charactere aliquo ignoto lex ſcripta eſſet; & tali, qui in uſu communi non fuiſſet. Si vero dicant, characterem hunc populo haud ignotum fuiſſe, licet in libris ſacris ſolis ejus uſus eſſet; cur non habuerint etiam Samaritani Pentateuchum ſuum iiſdem literis conſcriptum? Si enim character ille in uſu publico fuiſſet, certe libros ſuos charactere ſacro deſcripſiſſent, non prophano & communi. Anne credibile eſt ante defectionem 10. tribuum, cum eaſdem literas antea habuerint cum reliquis Iſraelitis, ipſos in communes eas commutaſſe? vel Manaſſem, qui primus Pontifex fuerat Templi in monte Geraſim, librum legis alium, aliiſve characteribus deſcriptum, attuliſſe, quam qui antea in uſu erant? vel ſacerdotem a Rege Babyloniæ miſſum, ut Samaritanos verum Dei cultum doceret, librum Legis aliis characteribus exaratum habuiſſe, quam quibus libri ſacri antea deſcripti fuerant? Si vero poſt aſportationem decem tribuum exemplaria legis quædam inter reliquias populi remanſerunt, (nam ex omnibus tribubus quoſdam, pauperiores, ſcil. relictos eſſe, viri docti ſtatuunt;) certe iiſdem characteribus talia exemplaria ſcripta erant, quibus exemplaria in tribubus cæteris. A quibuſcumque vero Samaritani codices ſuos habuerint, nemo ſanus credet, ipſos prophanum characterem in codicibus ſuis ſacris eligere voluiſse, cum ſacrum in publico uſu eſſe viderent. Præterea ſiclorum inſcriptiones, quæ omnes charactere Samaritano inciſæ ſunt, (antiquiorum ſcil. qui ante Captivitatem cuſi,) plane oſtendunt, alium characterem in uſu non fuiſse. Si enim alius extitiſset, certe aliqui ſicli eo percuſſi fuiſsent. Si vero dicant, ſiclos illos non fuiſse ſiclos Sanctuarii, ſed civiles; Reſpondeo, nullo fundamento niti diſtinctionem iſtam ſicli in ſacrum & civilem, ut a Villalp. in Ezech. & aliis clare oſtenditur. Omnis enim æſtimatio erat ſecundum ſiclum Sanctuarii, Levit. 27. 25. & cum ſæpius legimus de ponderibus & ſiclis Sanctuarii, hoc non ideo fit, quaſi alius eſſet ſiclus civilis ab illo Sanctuarii diverſus, ſed quia in Sanctuario aſservabantur ponderum & menſurarum ſtateræ. Hoc enim ad ſacerdotum officium pertinebat, 1 Paralip. 23. 29. ut ſint *ſuper omne pondus & menſuram.* Imo tanti æſtimabant etiam Ethnici pondera & menſuras, ut in Templis ſervari vellent: ſicut ex inſcriptione Congii Veſpaſiani conſtat. A Chriſtianis etiam in Eccleſiis aſservata fuere, ut ex Juſtiniani Authentic. Novell. 128. c. 15. apparet, qui legem ſanxit, ut *pondera & menſuræ in ſacratiſſima cujuſvis civitatis Eccleſia cuſtodirentur.* Diſtinctionem itaque iſtam, tam ſicli, quam characterum, in ſacros & communes, plane confictam eſse, ex dictis liquet. Plura qui deſiderat, legat inter alios Lud. Capellum de antiq. Lit. Hebr. & Joh. Morin. in Pent. Samar. Exerc. 2. cap. 3. ſect. 4. 5, &c.

35. Reſtat, ut argumenta contraria breviter percurram. Primo producunt Rabbinorum teſtimonia, tum veterum tum recentiorum: quibus, in rebus ſuæ gentis, æquum eſt, ut fidem adhibeamus. Reſp. In iis, quæ ad gentis ſuæ gloriam pertinent, haud æqui ſunt arbitri Judæi, cum in talibus nihil non mentiantur; & ob crebras diſperſiones & exilia facti ſunt in propria hiſtoria peregrini: Ita ut nihil firmi in hiſtoria ex iis hauriri poſſit, nec tuto iis fidendum, niſi res aliunde confirmetur, ut affirmat D. Grotius. In hac cauſa etiam habemus inter ipſos vetuſtiſſimos doctiſſimoſque, qui nobiſcum ſentiunt: quorum verba jam adduximus: rationes etiam prægnantes, quæ quemvis a præjudicio liberum in aſſenſum trahere poſſunt. Secundo, proferunt monetas quaſdam literis hodiernis inſcriptas: & aſſerit quidem Schickardus, ſe vidiſſe ſiclos Salomonis nomine & vultu percuſſos ex una parte, ex altera Templi. Sed non negamus, quoſdam cuſos poſt reditum a Babylone literis hodiernis, quas pro antiquis introduxerat Eſdras: quales & ipſe vidi. Sed hæc noſtram ſententiam non oppugnant. Quod vero ad ſiclum, in quo erat Salomonis nomen & imago, qualem etiam nuper habui, tales plane fictitios eſſe conſtat: quod Judæis illicitum fuit cujuſquam animantis ſpeciem ſculpere vel effingere, & præcepto ſecundo interdictum; ut non tantum ipſi Judæi, ſed inter Chriſtianos doctiſſimi ſtatuunt. Inter alios vid. D. Grotium in præcept. 2. Imo illicitum fuit in quemcunque uſum, ſive ſacrum ſive civilem, ſine ſpeciali diſpenſatione divina, qualis facta eſt Moſi, & Salomoni, cum Cherubinos in Tabernaculo & Templo fabricarent. Unde Tacitus lib. 5. de iis affirmat, *Nulla ſimulacra urbibus ſuis, nedum templis, ſunt: non regibus hæc adulatio, non Cæſaribus honor.* Habet quidem Waſerus inter alios nummos, unum cum Salvatoris effigie ex una parte, & nomine Jeſu: ex altera hunc titulum habet, *Rex venit cum pace, Deus homo factus eſt:* taleſque videt tam Samaritanis, quam Hebraicis literis hodiernis expreſſos vulgo circumferri, quos fictos, & recentiores eſſe, nemo ambigit. Tertio, arguunt ex inſcriptionibus quorundam ſepulchrorum, quas refert R. Benjamin in Itinerario ſuo, qui obiit circa annum Chriſti 1170. Scribit enim, ſe vidiſſe Patriarcharum ſepulchra, Abrahami, Iſaaci, Jacobi; item Saræ, Rebeccæ, & Leæ, cum inſcriptionibus literarum Hebraicarum hodiernarum: ſcil. Abrahami hæc erat; *Hoc eſt ſepulchrum Abrahami beati patris noſtri:* & hæc vidit in valle prope Hebron, ubi templum quoddam Chriſtianorum, cui nomen, *Sancti Abrahami.* Reſp. Authorem hunc fabuloſiſſimum eſſe, ejuſq; librum infinitis mendaciis & erroribus ſcatere: quæ detegit & ubique confutat Conſtant. L'Empereur, qui Benjamini librum cum notis edidit. Nec dicit R. Benjamin, inſcriptiones fuiſſe literis hodiernis; ſed quod ſingula ſepulchra literis inciſis obſignata eſſent: vel ſi tales fuiſſent, quomodo probetur, non fuiſſe a poſterioribus Judæis inſcriptas, qui Prophetarum ſepulchra ædificare & ornare ſolebant? Nec affirmat, hæc eſſe ipſorum ſepulchra, quorum nomina præ ſe ferunt: ſed Chriſtianos, qui ibi habitabant, hæc ſepulchra feciſſe, quibus impoſuere nomina prædicta, quæ peregrinantibus pro Patriarcharum ſepulchris oſtendunt; & inde pecuniam erogare. Quæ verba plane indicant, (ſi non ſit hoc merum Benjamini commentum,) confecta eſſe hæc ſepulchrorum nomina, ab avaris quibuſdam nebulonibus, ut hac impoſtura credulos pecunia emungerent. Certe, ſi talia ſepulchra extitiſſent, Judæi antiquiores, qui tantum de Abrahamo gentis ſuæ conditore gloriantur, de iis nunquam ſiluiſſent, ſed plenis buccis ubique prædicaſſent. Aliud ejuſdem ponderis producunt argumentum ex R. Moſe Schim Toff, qui vixit circa annum 1480. de viſo ſibi monumento ducis exercitus Regis Jehudæ Amaſiæ in Valentia, Hiſpaniæ provincia: ubi Seniores oſtenderunt ipſi lapidem ſepulchralem in vertice montis, cum inſcriptione literis & verbis Hebr. quæ latine ita redditur, *Edite lamentum: Voce amara: Duci magno: erepto a Deo:* reliqua vetuſtate exeſa. Sed ad finem erat למציה *Amazia.* De hoc monumento prolixam texuit hiſtoriam Villalp. in Ezech. Tom. 2. lib. 5. cap. 58. pag. 554. & licet verba Hebraica ob lectionis difficultatem ex literis vetuſtate attritis paulo aliter referat ex MS. quodam apud Saguntum in Hiſpania, ubi ſepulchrum hoc inventum eſt: (ipſum enim lapidem reperire non poterant duo Societatis ſuæ ad exquirendam veritatem miſſi:) tamen lapidem eundem eſſe ex loco & tempore, quæ cum relatione R. Schim Toff congruunt, plane conſtat. Addit vero Villalp. ex eodem MS. hæc verba tumulo quodam inſcripta literis Hebraicis, *Hic eſt Tumulus Adoniram ſervi Regis Salomonis, qui venit ut exigeret tributum, & mortuus eſt die* ··· reliqua vetuſtate obliterata. Ex his vero quam infirmum ducitur argumentum, cæcus eſt qui non videt, cum ex nomine Amaziæ inferant, hunc fuiſſe Ducem exercitus Amaziæ Regis Judæ: quaſi nomen Amaziæ ſoli illi Regi Judæ proprium eſſet. Quid etiam, ut objicit L. Capell. regibus Judæ commune cum Hiſpania, cui nomen Amaziæ fortaſse inauditum? Probabilis eſt viri docti conjectura, cum Mauri regnabant per Hiſpaniam multis annis, & Judæi ab Oriente expulſi ſupra mille poſt Chriſtum annos illuc confluxerant, Judæum hic ſepultum fuiſse ſervum cujuſdam Amaziæ Maurorum Reguli. Quæ vero habet Villalp. ex MS. ſuo, aperte falſa ſunt. Contradicunt enim hiſtoriæ ſacræ, quæ teſtatur Adoniramum a Rehoboamo ad ſedandos rebelles miſsum, lapidibus ab Iſraelitis obrutum fuiſse, & in Sichem ſepultum. Unde etiam erat, ut Hiſpania Salomoni vel Regibus Judæ tributaria facta ſit, de qua forte nunquam inaudiverant? Credibile eſt itaque, quod idem Capellus addit, Judæum quendam cum inventus eſset hic lapis, Chriſtianis linguæ Hebraicæ ignaris impoſuiſſe: unde in librum iſtum MS. hæc relata fuere. Hiſce inſcriptionibus etiam addunt illam, quæ in aurea lamina ſummi Pontificis fieri juſſit Dominus, Exod. 36. 37. de qua Hieron. Epiſt. ad Fabianum ſcribit, *inſcriptum fuiſſe Dei nomen literis* Hebraicis יהוה. At non dicit Hieronymus, ante captivitatem laminam talibus literis inſcriptam fuiſse: poſt Eſdram vero quis negat laminam talibus literis inſcribi potuiſse? Sed quid ſi in antiquis Hieronymi editionibus, literarum iſtarum nomina tantum appoſita fuerunt; figuræ vero additæ ab iis, qui editionem procurarunt? Tale quid in nomine Tetragrammato accidiſse obſervavit D. Boch. Geogr. ſacr. parte 2. lib. 2. cap. 17. Nam in Comment. Hieron. in Pſal. 8. ubi de hoc nomine dicit, quod legi poteſt, *Jaho*, ut habent veteres editiones, novæ perperam fecerunt, *Jehova*, de quo Hieronymus nunquam cogitavit. Sic hoc loco, quod Hieronymus de literis Hebraicis dixit, quarum nomina ſolum appoſuit, hoc perverſe & mala fide editores de hodiernis formis intelligi volunt, quas de ſuo addiderunt.

36. Ex literarum figuris etiam alia petunt argumenta. Et primo

objiciunt verba Chriſti, Matth. 5. 17. 18. *Donec tranſeat cœlum & terra, iota unum vel apex non præteribit a lege.* Hinc colligunt, Jod minimum fuiſſe literarum Hebraicarum: quod de hodiernis verum eſt, non vero de Samaritanis, ubi ⲙ Jod eſt potius literarum maxima. Hoc argumentum palmarium vocat Schickardus Bechinhap. diſp. 5. p. 82. 83. & Delherus Eclog. ſac. Syr. Dict. 1. cum Crineſio in Babele, colligunt, non uſitatos fuiſſe characteres Samaritanos, ubi Jod notabilem habet magnitudinem. At argumentum hoc vere ſtramineum eſt: & non poſſum ſatis mirari virorum doctorum incogitantiam, qui talia jactant: adverſam enim ſententiam non petunt, ſed cum larvis luctantur. Poſito enim (quod concedendum non eſt) Chriſtum loquutum fuiſſe de minima Alphabeti litera; nil aliud inferre poſſunt, quam inter literas, quæ tunc Judæis in uſu erant, Hebraicas, Jod minimam fuiſſe: at quis hoc unquam negavit? Annon inter omnes convenit, ab Eſdræ reditu libros ſacros his characteribus deſcriptos fuiſſe? quid vero hoc ad Samaritanos vel eorum characteres? Dominus enim ſermonem habuit ad Judæos, in quorum codicibus Jod erat litera minima, non ad Samaritanos. 2. Urgent literam Tau, quam olim Crucis figuram habuiſſe teſtantur Orig. in Ezech. 9. Hieron. ibid. et alii. Hodiernum vero Tau nullam cum Cruce convenientiam habere videmus: unde Scal. ad annum Euſeb. 1657. digreſſ. de literis, in Orig. & Hieron. invehitur; & ſcribit, *nil falſius dici poſſe, quam Tau habuiſſe Crucis figuram.* At pace tanti viri dixerim, nil verius dici poſſe: nam in antiquis ſiclis certiſſimum eſt, talem figuram literæ Tau inveniri, quæ exacte Crucem repræſentat; licet hodiernum Tau ab antiqua forma aliquantulum deflexerit, ob facilitatem ſcripturæ, ut ex ſiclorum variorum formis Tomo noſtro ult. clarum faciemus. Inter eos enim videmus Tau inſtar Crucis diverſimode expreſſum: quod & ex hac ratione conſtat. Nam figura Aleph, quæ ſupra urnam imponitur, Crucem exacte repræſentat, ſi inferiorem lineam tranſverſam tollas: per hanc enim ſolam lineolam a Tau diſcriminatur Aleph, ut ex hodiernis Tau & Aleph Samaritanis liquet: quorum utrumque ab antiqua forma ad ſcriptionis celeritatem eodem modo deflexit: & in unica illa linea totum hodie diſcrimen conſiſtit, qua dempta ex Aleph fit Tau. Nec ab alio fonte illud Ægyptiorum Tau, quod varias Crucis formas repræſentat, (ut in Hieroglyphicis Ægyptiorum eſt videre;) vel Æthiopum Tau, quod eandem habet figuram, fluxit; quam ab antiquo Phœnicum vel Hebræorum Tau, a quibus Ægyptii aliique literas habuere. 3. Objiciunt Mem clauſum in voce media, Eſ. 9. 7. לםרבה & apertum in fine vocis, Neh. 2. 13. הם פרוצים in quibus magna myſteria ineſſe volunt Judæi; & in priore Chriſtiani quidam interpretes. Ad hæc reſpondet Magnus Grotius, (cujus ſententia eſt multorum gravium Theologorum, quibus aſſentior) hæc primo ex librariorum errore orta fuiſſe, poſtea vero Judæos myſteria quæſiviſſe. Cum vero locum illum, Eſ. 9. multi ex Patribus de myſterioſa Chriſti incarnatione & Nativitate agere obſervarint, etiam illi aliquid myſterii ineſſe ſuſpicati ſunt, ad characteres, qui tunc in uſu, ſolos attendentes. Clariſſ. Capell. refert hoc ad varias lectiones, nempe, verba poſſe diviſim legi לם רבה *ipſis multiplicabit imperium*, ut & El. Lev. Maſ. Hammaſ. Tab. 2. orat. 1. mihi tamen magis placet altera reſponſio. Superſtitioni Judaicæ aſcribit Wigammeierus in Tabulis. Forerius idem cum Grotio ſtatuit, lapſum fuiſſe ſcribæ: quem, ut & alios ejuſmodi lapſus, præpoſtera religione Judæi non auſi ſunt e textu tollere. Scaliger, Druſius, Voſſius, aliique Hebraice doctiſſimi, negant ita ſcriptum fuiſſe initio. Maſora nihil notat, quam legi לםר בה cum Mem aperto, licet ſcriptum ſit cum Mem clauſo. Hieron. Ar. Mont. Junius, Piſcator, Deodatus, Genevenſes Interpretes, & complures alii, de myſterio aliquo altum ſilent. Calvinus vero dicit, *aſſeri vix poſſe, ita ſcriptum fuiſſe a Prophetis.* Chriſtiani interpretes, qui myſterium ineſſe volunt, ut de antiquo charactere forte nil cogitarunt; ita inter ſe diviſi ſunt. Judæorum vero explicationes de Mem clauſo & aperto, mera ſomnia & inania figmenta ſunt: quæ legere licet apud Sixt. Am. Antibarb. Bibl. Non omnes tamen Judæi hic myſteria quærunt. R. Salomon ita nugatur, *Dixerunt Doctores noſtri, Deo Benedicto propoſitum fuiſſe, ut Hezekiam Meſſiam faceret, & ex Sennacharib Gogum & Magogum. Dixerunt Angeli miniſterii Deo Benedicto; An is, qui truncavit jannas templi, & miſit eas Regi Aſſyriæ, fiet Meſſias? & ſtatim clauſerunt ſcripturam.* Ejuſdem commatis ſunt, quæ habet Ab. Ezra, *Mem clauſum in medio vocis innuit ſignum Solis: quia enim retrcivit umbra, par erat, ut hoc cederet ad magnitudinem nominis ejus:* מרבה *enim eſt nomen formæ* מַעֲשֶׂה Idem vero de voce הֵם Neh. 2. 13. innuit *Mem apertum, muros apertos, & ruptos, ſed hoc myſticum eſt.* Iſtiuſmodi myſteria elicit Kimchi ex Mem clauſo in medio, Eſ. 9. & aperto in fine. Neh. 2. 13. De hoc, ut & de illo, nullum myſterium latere; ſed ſcribæ errorem eſſe, ſcribit Voſſius de arte Gram. l. 1. c. 13. cum apud Job 38. 1. Nun non productum reperitur in fine vocis: etſi hic ratiunculæ aliquid commentus eſt R. Salomon. Producunt etiam & illud Talmudicum Tract. Megill. c. 1. & de Sabbato, de litera Samech & Mem finali clauſo, quæ miraculoſe ſteterunt in Tabulis; quia Tabulæ perforatæ erant, ut omnes literæ per utramque partem tabularum apparerent: quod probant ex illo, Ex. 32. 15, *Tabulæ erant inſcriptæ ex duobus ipſarum lateribus: hinc & hinc ſcriptæ erant.* Hinc inferunt, literas Samaritanas in uſu non fuiſſe, cum illæ ſine miraculo ſtare poſsent. Hoc vero Rabbinicum commentum ſerio reſponſo vix dignum eſt. Unde enim hoc miraculum probant, niſi hoc eis concedatur, quod in quæſtione eſt, Tabulas his literis ſcriptas fuiſse: nec ex Moſis verbis tale quid colligi poteſt, nec quiſquam ſani cerebri ita interpretatus eſt. Si vero dicant, hoc ipſos habere per traditionem a monte Sinai; hoc ipſis probandum, non nude affirmandum erat. Verius multo eſt, eos hoc & alia hujuſmodi habuiſse a mendaciorum patre, *qui efficaciter operatur in filiis inobedientiæ.* Tandem proferunt illud trium Rabbinorum ex eodem loco Talmudis, qui ex Exod. 27. 10. 11. probant, literas nunquam mutatas fuiſse, ex figura literæ Vau. Nam Moſes vocat uncinos columnarum ווין *Vavin*, a figura τῶ Vau: unde inferunt, eandem fuiſse figuram Vau tempore Moſis, quæ hodie. At quis riſum teneat, cum nugas bullatas iſtiuſmodi profundorum Rabbinorum audit? Dicit Moſes, columnas Tabernaculi habuiſse uncinos, quibus aulæa appendi poterant, De Vau litera non cogitavit: nam ווי *uncinos*, non Vau literam ſignificat: eſt enim in conſtructione & Genitivum regit, ut alibi. Si vero ad figuram Vau alluſiſſet Moſes, argumentum potius inde pro Vau Samaritano, vel pro Daleth aut Reſh Hebræo, quæ uncini figuram potius referunt, quam Vau Hebræum, peti poſset. Vau enim potius clavum refert, quam uncum: & Samaritanum etiam cujuſlibet figuræ uncum repræſentat.

37. Objicit Fullerus in Miſcellaneis, *Gentem Judæorum longe numeroſiſſimam facilius potuiſſe characteres ſuos conſervare, quam Samaritani exiguus popellus, in anguſtum angulum concluſus.* At de hoc non quæritur, quid fieri potuit, ſed quid factum ſit. Conſervarunt quidem Judæi characteres ſuos a Moſe ad Captivitatem ſupra mille annos; et adhuc conſervare poterant, ſi Eſdræ ipſorum Duci, *quem alterum Moſem* vocant, non viſum fuiſset illos mutare: mutatio vero hæc non ex negligentia, ſed ex aliis cauſis facta eſt. Primo, quia populus Judaicus hiſce aſſuetus erat durante Captivitate, prioribus vulgo fere obliteratis: ita ut in illis legem tradere, haud populo convenire judicabat prudens ille Dux & Sacerdos. Secundo, capitales erant inter Judæos & Samaritas inimicitiæ: ita ut qui panem cum Cuthæo comederet, eodem loco eſſet, ac ſi carnem porcinam comediſſet. Ut itaque ſe nil habere cum iis commune teſtarentur, literas antiquas, quas retinuerunt Samaritani, iis reliquit: & Aſſyriacis, quibus populus inoleverat, libros ſacros deſcripſit. Hoc etiam non ſine ſpeciali providentia Dei factum eſſe videtur, ut Legem charactere Aſſyriorum, quorum imperium longe lateque diffuſum erat, deſcribendo, innueret, tempus adfuturum per adventum Filii ſui, ut non inter Judææ pomœria verus Dei cultus concluderetur, ſed undique inter gentes, & ubique terrarum in ſpiritu & veritate coleretur.

38. Hæc de characteribus Hebraicis antiquis: quibus de punctis vocalibus & accentibus quædam ſubjicienda. Hæc vero a quibuſdam, literis ſive conſonantibus coæva eſse ſtatuuntur. Alii ad Moſem referunt; alii ad Eſdram & Synagogam magnam; alii denique ad Maſorethas Tiberienſes, qui circa 500 poſt Chriſtum annum, textui ſacro ea appoſuerunt. Qui vero pro eorum antiquitate contendunt; alii, cum ex uſu quotidiano quiſque ſine punctis legeret, paulatim in oblivionem ea veniſse, vel non niſi apud doctos eorum notitiam manſiſse, dicunt: donec poſt confectum Talmud, a Tiberienſibus, aliiſve, in uſum revocata fuerint. Dubitant etiam, an vocalium notas, quas jam habemus, initio fuerint, an aliæ. Pro hac ſententia adducunt Petr. Cevalier. & Radulph. Cevalier. in Gram. Heb. c. 4. Flac. Illyr. Clavis parte 2. c. 6. Marc. Marin. Præf. Lexici ſui Hebr. Poſtell. de Origin. c. 6. Alii ſtatuunt, a Moſe non textui affixa, ſed lege orali non ſcripta tradita, per Eſdram in lucem prodita, & textui affixa: & hæc plerumque Judæorum eſt ſententia. Alii vero ſimpliciter Eſdræ adſcribunt, quem volunt punctorum auctorem fuiſse: unde punctationem divinæ auctoritatis eſse ſtatuunt. Contra vero plerique hujus ſeculi, doctrina, ac eruditione Hebraica clari, punctorum auctores faciunt Maſorethas Tiberienſes, qui poſt confectum Talmud, ſeculo poſt Chriſtum quingenteſimo, vel ſexcenteſimo, notas hodiernas vocalium & accentuum textui appoſuerunt, ut facilius legeretur, & ut vera lectio melius conſervari poſset. Et licet eorum quidam, tempus, cum primo inventa fuerint, præciſe aſſignari poſse negent; in hoc tamen omnes conveniunt, nec ab Moſe, vel Eſdra, vel a Prophetis & ſacris ſcriptoribus affixa eſse, nec eſse originis divinæ; ſed a Maſorethis excogitata aliquot poſt Chriſtum ſeculis: ſive vero 4. 5. 6. vel alio poſt Chriſtum ſeculo inventa ſint, haud multum refert: hoc enim probato, reliquæ ſententiæ mole ſua ruunt. Hæc controverſia licet pure Grammatica ſit, a Theologica tamen originem duxit. Verentur enim quidam non indocti, ſi puncta vocalia non ſint originis divinæ, ne porta lata Pontificiis aperiatur, ad evertendam Scripturæ certitudinem & auctoritatem; cujus lectio (hoc conceſſo) incerta & ambigua redditur, unde ab Eccleſiæ auctoritate, ſaltem quoad nos, Scriptura dependet. Itaque ſententiam illam de punctorum antiquitate, licet falſam, quidam mordicus defendi vellent, quod in controverſia de Scripturæ auctoritate nobis magis favere videtur. At non eget veritas mendacii patrocinio: nec neganda vel occultanda eſt veritas, licet in malum finem aliqui ea abutuntur.

39. Antequam rationes utriuſque proferam, libet virorum quorundam clariſſimorum pro ſententia, quam veriorem exiſtimamus, teſtimonia adducere. Joſ. Scaliger Epiſt. ad D. Joh. Buxtorf. ſeniorem, quæ eſt 243. ſic ſcribit, *De apicibus & vocalibus Hebræorum tam mihi conſtat rem novam eſſe, quam eos falli, qui natos una cum lingua putant: quo nihil ſtultius dici potuit aut cogitari. Nam præceptiones Grammaticæ alicujus linguæ tunc inſtituuntur, non quando vernacula eſt illa lingua, ſed poſtquam in uſu vulgi eſſe deſiit. Quis enim negare poteſt, Arabiſmi puncta vocalia recens eſſe inventum, id eſt, multis annis poſt obitum impoſtoris Mahommetis? Hodie tamen pueri Turcarum, Arabum, Perſarum, ac omnium denique Mahummedanorum, ſine punctis legere diſcunt. Eodem modo Samaritani & Judæi ſine ullis punctis in Synagogis ſuis legem* ἐν ταῖς διφθέραις *legunt. Nec eſt, quod qui contra ſentiunt, locum illum objiciant ex Zohar, quem in Epiſtola tua produxiſti: iſte liber eſt recentior, quam Talmud. Nobis plura argumenta ex Verſione 70 Interpretum ſuppetunt; ut probemus, nulla puncta olim fuiſſe Judæis, qui illud tantum ex paucis aliquot Targum locis probare poſſunt.* Hactenus Scaliger. Cum quo conſentit magnus Grotius, in Matth. 5. 18. ubi affirmat, *libros veteres etiam poſt Eſdram ſine punctis vocalibus ſcribi ſolitos: quod ita perſpicuis argumentis a viris harum rerum doctiſſimis demonſtratum eſt, ut id amplius inficiari, non niſi pertinacium ſit.* Schickardus. cap. 2. de jure Regio Hebræorum p. 41. ſcribens de pun-

ctis vocalibus & accentibus, dicit; *quod nil tale uſpiam apparet in authenticis libris Judæorum: et valde miratur, ſupereſſe, qui vocalium antiquitatem ſerio credant. Exiſtimat enim, non ſerio, ſed ad oſtendendam eruditionem Rabbinicam, vel aciem ingenii, vel ex contra dicendi ſtudio ſcripſiſſe &c.* Mercerus vir Hebraice inſigniter doctus, & Theologus magni judicii, cui omnes ſui ſeculi linguarum periti palmam merito detulere, in Gen. 16. 13. hæc habet, *Nolim quidem temere a Maſoretharum judicio recedere, qui communicata inter ſe Bibliorum lectione, non ſine magno, ut veriſimile eſt, judicio, cum docti eſſent, & in Scripturis exercitati, Bibliis puncta adhibuere. Verum, ubi aliud ſenſus ſuadet, ſi aliter legatur, quam illi ſcripſerint, præſertim ſi nihil de literis mutetur, ſed tantum aliis punctis dictio aliqua legatur; non reformidarem ab illorum judicio dependere, qui id piaculum haud judicarint.* Hic videmus, Mercerum non tantum ſenſiſſe puncta a Maſorethis textui appoſita fuiſſe; ſed, cum aliud ſenſus ſuadeat, ab ipſorum lectione recedere licere: quod quidem auctoritate aliorum codicum, & antiquorum interpretum, vel ex ratione evidenti aliquando fieri poſſe, concedo: non vero quemlibet pro arbitrio Maſorethicam lectionem rejicere poſſe. Poteſt enim punctatio eſſe opus induſtriæ humanæ: lectio tamen, quæ per puncta ſignificatur, divinæ prorſus authoritatis; nec hominum arbitrio ſubjicienda. Nam, ut optime Joh. Druſius, de recta lectione ling. ſanct. c. 4. *Vocalium ſoni literis coævi ſunt; figuræ vero poſteriores, & poſt Hieronymi ætatem.* Joh. Gerh. Voſſius, vir, in quo ſumma doctrina, limatum judicium, & magna animi modeſtia convenere, lib. 1. de arte Gram. c. 31. dicit, *Puncta vocalia, quibus in Hebræis hodie utimur, longe eſſe* (conſonarum figuris) *recentiora: ſane veteres ea ignorarunt.* Et poſtea, *Valde autem eos ratio fugit, qui arbitrantur, illis Moſem Pentateuchum exaraſſe, vel Eſdram ſaltem & viros ſynagogæ magnæ iis uſos fuiſſe.* Et lib. 2. c. 8. de Accentibus ait, quod *Hebræi ſero admodum accentus adſcripſere, & demum poſt Honorii Imperatoris tempora.* Et paulo poſt addit, quod *ars punctationis a Ben Aſcher perfectionem ſuam eſt conſecuta. Calvinus* in Zach. 11. 7. *Scio, quanta induſtria, veteres ſcribæ puncta excogitarunt, cum jam lingua non eſſet tam communis & familiaris uſus. Qui ergo puncta negligunt, vel prorſus rejiciunt, certe carent omni judicio & ratione: ſed tamen habendus eſt aliquis delectus. Si enim legamus hic,* proditores, *nullus eſt ſenſus; ſi legamus,* funiculos, *nulla litera mutatur: interea mutantur duo puncta. Cum ergo id neceſſario poſtulet res ipſa, miror cur interpretes ita ſerviliter paſſi fuerint ſe regi, ut non ſpectarent Prophetæ ſenſum.* Ad eundem modum Mercerus in Gen. 18. 3. Job. 23. 6. Amos. 2. 12. & annotat. in Targum. Mal. 2. Theod. Beza. lib. de recta linguæ Græcæ pronunciatione, ab Henr. Steph. edito. an 1587. *Non enim dubito,* (inquit) *quin ante puncta vocalia ab Hebræis Grammaticis, diviniſſimo certe invento, excogitata, (quod poſt Hieronymi ætatem contigit,) Aleph idem prorſus illis atque cæteris gentibus ſonuerit.* Chamierus Panſtrat. l. 12. c. 4. n. 15. diſtinguit inter vocalium ſonos & figuras: *& vocales, quoad ſonos, ſemper fuiſſe* aſſerit: *nam conſonantium abſque vocalibus uſus nullus:* de figuris vero, vel (ut ille loquitur) *picturis,* dicit, *ſe nolle cum ullo contendere: nam poſſe concedi, codices antiquitus non fuiſſe punctatos.* In hanc ſententiam concedunt Lutherus ad finem libri Schem Hammeph. Pellican. præf. in Pentat. Zuingerus præf. in Eſaiam: cujus verba ſunt, *Hebræorum literæ aliquando caruerunt vocalibus notis, quas parum civiliter Rabbini finxerunt & ſuppoſuerunt: quod non tantum hinc colligitur, quod & D. Hieronymus nullam prorſus eorum mentionem facit, & vetuſtiſſimos eorum codices, etiamſi nunc habeant eas notas, aliquando tamen non habuiſſe, cum ex atramenti diſſimilitudine, tum ex ſitu earum, deprehenditur: ſed vel hinc maxime, quod vocalibus nunquam caruit ea lingua.* א *enim a,* ע *e,* י *i,* ו *o, & u, nunquam eis defuerunt, quamvis hæ voces, in quibus tot conſonantes ſine vocalibus conſtipantur, videantur contra venire, ſed vulgare fuit eis advoculare ad ejuſmodi &c. quomodo ſi Germanice a Flech, id eſt, caro, jam Helvetii legerent Fluſch, Suevi Fluaſch, Rhæti Flaiſch &c. quum interim eædem manerent originales, (quas ipſi radicales vocant,) & ſubſtantiales literæ: uſu igitur conſtabat hujus generis lectio, quam variis calamitatibus & captivitatibus* dicit *prorſus exoletam eſſe.* Idem ſentiunt P. Phagius ad Targ. Gen. 47. 24. Druſius ad loc. difficil. Pent. c. 25. Piſcator Schol. ad Geneſ. 15. 8. P. Martin. Technol. p. 58. Lud. de Dieu, Gram. l. 1. c. 7. Iſaac Caſaub. Erpenius, Sixtin. Amam. Mayer. Philol. ſacra. Quibus adjungere poſſum Reverendiſſ. Uſſerium τὸν μακαρίτην, et Joh. Seldenum, virum ex ſcriptis ſatis notum; qui ſæpius mihi affirmarunt, ſe hujus eſse ſententiæ: & vix fere quemquam novi, qui judicium cum eruditione Hebraica conjunxit, qui aliter ſentit. Ante hos idem ſcripſere, Reuchlinus, Picus Mirand. Lyra: Romanæ vero Eccleſiæ hodie doctores fere omnes, Bellarminus, Serrarius, Salmeron, Villalpandus, Morinus, &c. Omnium vero hoc argumentum accuratiſſime tractavit Clariſs. Lud. Capell. libro de punctationis arcano revelato: cujus lectio omnes fere a præjudicio liberos in hanc ſententiam pertraxit. Arnoldus Bootius vir Hebraice doctus, & qui calamum contra Capellum in aliis acriter ſtrinxit, fatetur, ſe alterius ſententiæ fuiſse, deceptum prætenſa antiquitate libri Zohar: at ex lectione libelli Capelliani, ſententiam mutaſse. Non poſsum itaque non mirari, virum doctum in Crit. ſua Hebr. aſserere, Lud. Capellum ſolum eſse in hac cauſa: cum vix quiſquam ſit ſolidæ in Hebraicis doctrinæ, qui a Capello differt.

39. Ex tot itaque, tantorumque virorum ſuffragiis, videmus, nec novam, nec ſingularem eſse ſententiam de novitate punctorum. Cum tamen adhuc ſint viri haud infimi ſubſellii, qui pro punctorum antiquitate, tanquam pro aris & focis, pugnant, præcipua utriuſque partis argumenta proferam, cum ſolutionibus eorum quæ mihi infirmiora videntur; omnia lectori pio & prudenti ſubjiciens. Qui vero plura deſiderat, ad dictum D. Capelli librum eruditum & elegantem remitto. Argumenta vero præcipua contra punctorum hodiernorum antiquitatem & auctoritatem divinam, hæc ſunt.

40. Primum ducitur ex literis Samaritanis, quas eaſdem fuiſse cum antiquis Hebræis ante Captivitatem, ſupra fuſe probavimus: puncta vero vocalia nulla agnoſcunt Samaritani, nec in libris ipſorum MSS. aut antiquis eorum ſiclis, a regibus Iſraelis percuſſis, ulla punctorum vocalium veſtigia apparent. Nam ope trium literarum, quas *matres lectionis* vocant, quæque antiquitus pro vocalibus habitæ ſunt, libros ſuos ſacros legerunt, & hodie legunt: nec ex hac cauſa (ex hac, inquam, non ex aliis) aliquid diſcriminis inter ipſorum exemplaria, & hodierna Hebraica, ad hunc uſque diem emanavit. Conſtat quidem ex Hiſtoria ſacra, poſt abductas decem tribus, & novos colonos in eorum ſedes a Salmanaſſare introductos, cum a leonibus novi incolæ infeſtarentur, quod verum Dei Iſraelis cultum ignorarent, miſſum a rege ſacerdotem, qui ipſos in veri Dei cultu inſtrueret: unde, licet cum Idolis, Deum tamen dicuntur coluiſſe. Sacerdotem vero hunc aliud Legis exemplar, quam quod characteribus Iſraelitarum uſitatis, &, quibus Lex a Moſe tradita, deſcriptum, ad eos detuliſſe, nemo ſanus dubitare poteſt. Non potuit enim modum colendi Dei ipſos docere, niſi ex libro Legis: nec ex alio exemplari, quam quod in uſu communi erat, illum eos docuiſse, leviſſima rationis umbra ſuadet. Aliud enim novis & ignotis characteribus ipſum deſcripſiſse, ab omni ratione abhorret: cum ex hiſtoria certum ſit, Samaritanos legem recepiſse; & tandem, abjectis Idolis, Deum verum, eumque ſolum, coluiſse, (non tamen ſine ſchiſmate,) Templumque Hieroſolymitani æmulum in monte Garizim erexiſse.

41. Secundo, ex praxi hodierna Judæorum in Synogogis ab ultima antiquitate obſervata, idem evincitur. Ubi volumina ſacra, quæ populo publice præleguntur, ſine punctis, accentibus, vel verſuum diſtinctionibus, exarata ſunt: ut ſecundum morem antiquis temporibus uſitatum, Moſis ipſum αὐτόγραφον, quod in arca repoſitum erat, adumbrarent. Nam præter libros typis excuſos & punctatos, unum habent volumen Legis in ſingulis ſynagogis peculiari modo deſcriptum, circa columellam convolutum, quod in arca peculiari aſſervatur, ſerico coopertum, & auro ac gemmis ornatum: quod in magna apud eos veneratione eſt. Cum vero ex arca proferunt, ut ex eo aliquid legatur, magna cum reverentia tractant; populuſque cum jubilo & acclamatione, honorem, (tantum non divinum,) ipſi tribuit: poſt lectionem vero eadem cum pompa & reverentia in arcam reponunt. Hoc vero volumen non punctatum, volunt ipſum Moſis volumen in arca Dei juſſu ſervatum referre, quod (fatentibus pleriſque eorum Doctoribus) erat punctis deſtitutum: imo ponunt quidam ipſorum, Moſis ævo, extra controverſiam, figuras vocalium & accentuum nondum fuiſse; & hac de cauſa librum illum in Synagogis hodie ſine notis in Moſaici exemplaris memoriam, ſcribi. In hanc rem Rabbinorum teſtimonia profert D. Buxt. l. de punct. antiq. ex Aben Ezra, libro Zohar. R. Aſaria. Ephodæo, Muſcato, & aliis: quæ apud ipſum lector inveniet. Idem dicunt inter Judæos Carræi, qui inter traditiones etiam punctationem rejecerunt; & Cabaliſtæ, quorum hoc effatum eſt, *Legem datam fuiſſe totam inſtar unius* פסוק *ſive verſiculi, id eſt, ſine ulla libri, capitis, verſus, ſectionis, vel periodi diſtinctione.* Nec tantum Legem ita deſcribunt, ſed etiam, teſte Ab. Ezr. *ſtatutum olim fuit, librum Eſtheræ ita ſcribendum eſſe:* quem etiam in Synagogis die peculiari una lectione abſolvunt. Habeo ego tale volumen Eſtheræ, conſtans ex multis membranis conſutis, ſuper columellam convolutis, hoc modo ſcriptum, ſine punctis, accentibus, vel diſtinctionibus: verſus enim, ut verba ſingula, ſolo ſpaciolo, non duobus punctis, diſtinguuntur. Imo probat D. Buxt. ex Ephodæo, & aliis, librum Legis punctatum apud eos prophanum eſſe, etiam ſi punctationem eraſerint; & quod liber, in quo verſus per duo puncta diſtinguuntur, profanus eſt. Ex his itaque conſtat, Judæos publice teſtari per libros in Synagogæ uſum ſcriptos, puncta ab initio non fuiſse. Confirmatur etiam hoc argumentum ex hiſtoria Chinenſi: ubi referunt Jeſuitæ, qui in China vixerunt, præſertim Semedo. l. 3. c. 13. *Judæorum Synagogas quaſdam repertas fuiſſe; & penes eos fuiſſe librum Legis Hebraicum, ante annos* 600 *& amplius ſine punctis vocalibus deſcriptum: Judæos vero iſtos de Chriſto nihil unquam audiviſſe: (unde liquet, ante ejus adventum, eos illuc appuliſſe;) imo nomen Judæorum ignorabant ſed Iſraelitas ſe eſſe dixerunt. Unde probabile eſt, eos reliquias quaſdam fuiſſe decem tribuum, qui abducti erant: nam poſt illud tempus nomen Iſraelitarum in uſu vulgari non erat, ſed Judæorum, ut ſupra obſervatum eſt.* Quædam tamen ſunt, quæ hic reponunt punctorum patroni. Primo, hoc fieri ob difficultatem punctationis, ut ſcribarum labori conſuleretur. Hoc vero vanum eſt. Quis enim credet, laboris ſcribarum rationem ullam habitam eſſe in publicis his voluminibus, quæ ut ſacroſancta venerantur; cum alia volumina habeant ob privatum uſum, punctis deſcripta? Certe hæc ratio contrarium potius probaret, ſcil. Synagogæ librum punctandum eſſe, reliqua ſine punctis ſcribenda. Secundo, dicunt, duplex exemplar Legis ſcribi potuiſſe pro duplici charactere, unum charactere vulgari ſine punctis, alterum ſacro cum punctis. At hoc de duplici charactere commentum ſupra rejecimus: & qui hæc fingunt, ſe propriis pennis configunt. Quid enim, an charactere vulgari ſive prophano volumen illud Synagogæ ſacroſanctum, quod tanta veneratione proſequuntur, ſcriptum fuerit; charactere vero ſacro libri ad uſum popularem expoſiti? quam inſulſum hoc & ſibi contradictorium? Tertio, itaque reſpondent, hoc argumento probari tantum, Moſis αὐτογράφῳ puncta adſcripta non fuiſſe, non vero Eſdræ; quia ſcil. libri hi Synagogarum, Moſis exemplar, non Eſdræ, repræſentant. Dico vero, utrumque inferri, nec a Moſe, nec ab Eſdra, puncta affixa fuiſse. De Moſe concedunt. At ſi credidiſsent Judæi, Eſdram & viros Synagogæ magnæ, (inter quos erant Prophetæ,) puncta exemplaribus addidiſse, ſe jure divino ad codicum ſuorum punctationem adſtrictos fuiſse exiſtimarent. Etſi vero exemplaria communia ſine punctis, ad ſcribentis tædium ſublevandum, ſcribi permiſiſsent: hoc tamen, quod præ reliquis ſanctum habuere, omnibus numeris perfectum, & punctis ornatum, publice legendum propoſuiſsent. Cum vero contrarium ab ipſis factum videamus, annon hinc conſtat, ſe non exiſtimaſse, puncta divina auctoritate fuiſse, vel a Moſe, vel ab Eſdra, textui appoſita? Hoc argumento ſatis firmiter probari punctorum novitatem fatetur Arnold. Bootius, qui tamen

primo alterius erat ſententiæ; Epiſt. contra Capell. de Textus Hebraici auctoritate, ſect. 46.

42. Tertio, non deſunt inter Judæos doctiſsimi, qui huic ſententiæ ſubſcribunt. Etſi enim Judæorum teſtimonia pro adverſa parte parum ponderis habeant, cum domeſtica ſint, & in propria cauſa ab iis profecta, qui quidlibet fingunt, quod ad gentis ſuæ gloriam facit: tamen contra ſe vel unius teſtimonium maximum momentum habet, & ſexcentis aliis præferri debet. Elias vero Levita, Grammaticus inter ipſos doctiſsimus, non nude affirmat, ſed multis argumentis probat, puncta vocalia non ab Eſra, ſed a Tiberienſibus Maſorethis originem habuiſse; alioſque ſui gregis Rabbinos adducit ſibi conſentientes, libro quem de Maſora ſcripſit: ubi variis rationibus probat, a Tiberienſibus Maſorethis poſt Talmud excogitata eſſe, circa annum mundi juxta æram Judaicam 3989, qui erat Chriſti 500. Pro hac ſententia citat Aben Eſram, Rabbinum inter eos magni nominis, qui libro Elegantiarum ſcribit, *Sapientes Tiberiadis pro norma & Canone lectionis habendi ſunt.* Rationem vero reddit, *quia ab iis ſunt Maſorethæ, a quibus totam punctationem accepimus.* Non dicit, Maſorethas Tiberienſes puncta ordinaſse, vel inſtauraſse, ut quidam reſpondent; ſed totam punctationem ab iis acceptam refert: unde vocat eos *principium, fontem, & fundamentum omnis punctationis.* Et Comment. in Exod. 25. 31. teſtatur ſe vidiſſe ipſos libros Tiberienſium, quos punctaverunt. *Vidi*, inquit, *libros, quos examinaverunt ſapientes Tiberiadis, & de quibus juraverunt quindecim ex ſenioribus eorum, quod ter diligenter conſideraverunt omnem dictionem, omnem punctationem, & unamquamque vocem plenam & defectivam: & ecce ſcriptum erat Jod in dictione* תיעשה: *ſed non ſic inveni in libris Hiſpaniæ & Galliæ, nec in ultramarinis.* Alios etiam profert Elias, qui cum Aben Ezra conſentiunt, ſcil. Kimchi in Michlol. & R. Jehudam Levitam. Videtur quidem Aben Ezra quibuſdam, alibi adſcribere verſuum & dictionum diſtinctionem Eſdræ, licet dubitanter loquatur: at puncta vocalia clare aſcribit Maſorethis Tiberienſibus.

43. Quarto, ex ſcriptoribus Talmudicis & Cabaliſticis antiquis idem probatur. Nam in toto Talmude, tam in Miſchna, quam in Gemara, (fatentibus ipſis punctorum aſſertoribus) nulla eſt punctorum mentio, nec ullius accentus nomen vel figura. Unde altum illud ſilentium in vaſtis illis voluminibus argumentum validum ſuppeditat, eorum compilatoribus puncta prorſus ignota fuiſse: præſertim cum in locis plurimis occaſio ſe obtulit; imo neceſſarium fuiſſet, illorum mentionem facere, ſi tunc extitiſſent, ſcil. cum controverſia erat de vocabuli alicujus lectione, quod punctis deſtitutum varie legi poterat. Nam ſi punctatos codices habuiſſent, punctatio controverſiam diremiſſet, ut in Eſai. 54. 13: ubi hodie legitur וְכָל בָּנַיִךְ *& omnes filii tui*: notant in Talm. in diſput. ad finem libri Berachoth, non legendum בניך ſed בניך hoc eſt, non *filii tui*, ſed *ædificatores tui.* Hic certe debuerant dicere non legendum בָּנַיִךְ cum Camets, ſed בֹּנַיִךְ cum Cholem: & vocales nominaſſent, ſi tales aliquas habuiſsent. Sic alibi lectorem admonent variæ lectionis, dicendo, *ne legas ſic* דבר דבר *ſed ſic* דבר nec aliud addunt, quo pronunciationis varietas, unde ſenſus diverſi oriuntur, diſtingui poſſit. Facile eſt ex auditu differentiam percipere inter *Dabar* & *Deber*; ſed hoc ſcripto exprimere non poterant ob defectum punctorum: itaque tres literas tantum repetunt, ut intelligat lector, iſta repetitione pronunciationem uſitatam non eſſe ſequendam. Aliquando tamen, ut lectorem juvent, Vau vel Jod dictioni ſuperaddunt: certe ſi puncta habuiſsent, nihil facilius fuiſſet ea adhibere; & addere, ne legas דָּבָר cum duplici Camets, ſed דֶּבֶר *Deber* cum duplici Sægol. Aliud habemus in Maſſach. Bava Bathra c. 2. ubi Joab dicitur interfeciſse præceptorem ſuum, quod docuiſset illum legere, Deut. 20. 12. זכר Zacher, *maſculum*, pro זכר Zecher, *memoriam.* Etſi vero hoc ſit figmentum Rabbinicum, probat tamen, Doctoribus Talmudicis puncta non innotuiſse. Si enim puncta affixa fuiſsent, nec Joabo, nec præceptori ſuo, errandi cauſa aliqua fuiſſet: & Talmudici vocalium Camets & Segol mentionem feciſſent; vel vocalium figuras addidiſſent. Verum eſt, Maſoræ & traditionum mentionem fieri in Talmude: ſed Maſora verſatur non tantum circa puncta vocalia, ſed circa multa alia; circa literas & dictiones, circa quas Maſorethæ priores ſcil. ante-Talmudici multa notarunt: nec tota Maſora ſimul nata eſt, ſed variis ſeculis ante & poſt Talmudem a variis auctoribus compilata, ut omnes agnoſcunt. De Cabaliſtis etiam antiquis ante-Talmudicis obſervatur, qui myſticas Scripturæ expoſitiones ſectantur per literarum permutationem, Gematriam, & Notaricon; unde Scripturam in varios torquent ſenſus, ridiculos pleroſque & ineptos, aliquando impios, quod myſteria ſua, vel potius aniles fabulas, ex ſolis literis ſive conſonis hauriunt, nulla ex punctis & accentibus: quod plane probat, puncta illorum temporibus non extitiſſe; vel eos non ſenſiſse, puncta a Deo per Moſem vel Eſdram profecta fuiſſe: cum ex iis, & eorum numero, ordine, & figuris, non minus, quam ex conſonis, myſteria ſua extraxiſſent, ſi divinam auctoritatem in iis agnoviſſent. Quæ vero a quibuſdam ex libro Zohar & Bahir afferuntur, quem antiquiſsimum eſse volunt, nullius roboris ſunt, cum recentem eſse, & mille poſt Chriſtum annis delituiſse conſtet: ut videre licet apud D. Buxtorf. lib. de abbreviaturis, in רשב״י de quo poſthac plura. Nugatur vero plane nuperus quidam ſcriptor, qui, ut probet antiquos Cabaliſtas etiam ex punctis myſteria hauſiſse, adfert quædam ex R. Joſ. Gecatella l. 2. quem tamen eodem paragrapho agnoſcit, non ante annos ducentos vixiſſe.

44. Quinto, arguunt ex Keri & Ketib, quæ marginibus Bibliorum Hebraicorum adſcribuntur: de quibus poſthac dicturi ſumus peculiari diſsertatione. De origine eorum diſputant nonnulli: antiqua eſse certum eſt: nam quorundam meminit Talmud. Sive vero referantur ad traditionem e monte Sinai, & ad ipſos librorum ſacrorum ſcriptores, ut nugantur Judæi; ſive ad varias codicum lectiones, quod de pleriſque veriſsimum eſt: argumentum firmum petitur, puncta tunc non extitiſse, quia omnia verſantur circa literas ſive conſonantes, ut vocant, ne unum circa puncta vocalia vel accentus: in quibus tamen facilior eſt error ſcribæ, quam in literis, & major exemplarium varietas inde oriri poſset. Præter hoc vero, multa alia ſunt circa Keri & Ketib obſervanda, quæ punctorum novitatem aperte probant. 1. Puncta, quæ τῷ Ketib, ſive voci intra textum apponuntur, non habent puncta ſibi propria affixa, ſed puncta quæ ad vocem marginalem ſub Keri pertinent: quo lector monetur, vocem in margine legendam eſse, ſed cum punctis quæ ſunt in textu ſub Ketib. At quam indigna hæc ſunt divino auctore, ut puncta ſub una voce in textu ponantur ad aliam in margine pertinentem? Quis ſanæ mentis credet, talem punctationem a Sp. S. eſse, vel a ſcriptoribus Sp. S. afflatis? Nam, ut valde abſurdum eſt varias iſtas lectiones ſacris ſcriptoribus aſcribere, quaſi neſciiſsent Eſdras & Prophetæ, quænam fuerit vera lectio librorum a ſeipſis ſcriptorum: ita non minus abſurdum eſt, hanc punctationem ipſis attribuere; cum potius ſi a ſcriptoribus ſacris ortum duxiſsent, veram lectionem, (marginalem ſcil.) intra textum poſuiſsent, & puncta ejus propria ſubjeciſsent, ejecta plane e textu voce, quam mendoſam eſse noverant: certe nunquam appoſuiſsent vocibus in textu puncta, cum quibus nunquam legi debent, nec poterant. Exempla, cum ubique per Biblia occurrunt, non opus eſt adferre. 2. Obſervarunt Maſorethæ, quinque voces eſſe, quæ in textu ſcribuntur, ſed non leguntur, quia abundant: unde & nulla puncta ſibi affixa habent; ut Jer. 51. 3. ידרך ſcribitur in textu, ſed non legitur, nec puncta ei ſubſtituuntur. In aliis vero locis, voces ſeptem, quæ non ſcribuntur in textu, ſed ſpacium vacuum relinquitur: leguntur tamen, ſolis punctis vocalibus adſcriptis ſine literis; ut Jer. 31. 34. poſt יָמִים ſpacium vacuum relinquitur ſine conſonantibus: in margine vero ponitur vox, quæ legenda eſt, cum punctis in textu. 3. Variæ ſunt voces, quæ in textu diviſim, quaſi duæ eſsent, ponuntur; de quibus notatur in margine conjunctim, ut una vox, legendas: & e contra, quædam ſunt, quæ conjunctim in textu ſcribuntur, & in margine notantur diviſim legendas eſſe. Vide exemplum prioris, Jer. 6. 29. מֵאֵשְׁתַּם pro מֵאֵשׁ תַּם: poſterioris, 2 Chron. 34. 6. בְּחַר בָּתֵּיהֶם pro בְּחָר בְתֵיהֶם 4. Multæ voces ſunt in textu, quæ obſcœniores, vel minus caſtæ, videntur magiſtris iſtis, qui Spiritu S. ſapientiores videri volunt, quæ in textu ſemper fuerunt; pro quibus alias notarunt in margine legendas: vocem vero in textu, quam non legendam eſſe volunt, alienis punctis afficiunt, eis ſcil. quæ voci marginali propria ſunt, ut 2 Reg. 18. 28. pro חֹרֵיהֶם monent in margine legendum צוֹאָתָם. Ex his vero aliiſque ejuſmodi, luce clarius demonſtratur, punctorum auctores non fuiſse Eſdram vel ſcriptores ſacros. Anne enim illi ignoraverint, quænam voces ſeparatim, quænam conjunctim legendæ ſint? An puncta vocibus figenda docuerint, quæ aliena ſunt, & verborum in margine propria? Cur non vocem, quam legendam voluere, cum ſuis punctis ſcripſerint, vel in textum poſuerint, idemque fecerint ſeparando quæ diviſim, conjungendo quæ conjunctim legi debuerunt? An neſciverint ſcriptores ſacri, quænam voces vel literæ redundarent vel deficerent in Textu? An quiſquam vero, cui ſanum ſinciput, credet, verbis, quæ obſcœna his bonis viris cenſentur, Spiritum ſanctum puncta appoſuiſſe, quæ ad vocem honeſtiorem in margine ab audacibus homuncionibus notatam pertinent? Cum omnibus fabulis Talmudicis credam, etiam hiſce aſſenſum brutum adhibebo.

45. Sexto, ex punctorum & accentuum numero, officio, uſu, & nominibus varias rationes depromit D. Capellus contra eorum antiquitatem: quas fuſe proſequitur libro laudato. Puncta vocalia faciunt 14. vel 15. quinque longa, quinque brevia, quatuor breviſſima, Scheva ſimplex unicum, & compoſitum triplex; quibus addunt Raphe, Daghes, & Mappic: quæ omnia a ſacris ſcriptoribus uſurpata, nemo ſibi facile perſuaſerit: cum, poſtquam lingua Hebr. vernacula eſſe deſiit, inventa fuere ad textum facilius legendum. Nam naturales vocalium ſoni non ſunt plures, quam quinque; nec fere apud ullas nationes figuræ diſtinctæ vocalium longarum vel brevium inveniuntur, niſi fortaſſe apud Græcos, qui 7 numerant: quarum tamen (η) & (ω) ab (ε) & (ο) figura olim non diſcrepaſſe, probant Scal. in Euſeb. digreſſ. de literis, ad annum. 1657. Voſſius de Arte Gram. l. 1. & alii. Nec proſodiæ Hebraicæ olim inſerviiſſe has notas liquet, quod non tantum libri Metrici, ut Pſalmi, Cantica, &c. ſed & reliqui Scripturæ libri his punctis ſignati ſunt: nec quænam fuerit proſodia antiqua Hebraica, quiſquam hodie explicare potuit, cum periiſſe penitus plerique ſtatuant. Nec qui carmina Hebraica annis abhinc ſexcentis compoſuerunt, ullam habuere rationem vocalium longarum vel brevium, ſed decem illas pro longis uſurparunt, & ſolas raptas pro brevibus. Et fatentur punctorum adſertores præcipui, vocalium longarum & brevium diſtinctionem non ſpectare proſodiam, vel ſyllabarum quantitatem: ſed quod longas adhibeant in ſyllabis ſimplicibus, quæ uno conſonante, & una vocali conſtant; breves, ubi gemina conſona in ſyllaba compoſita per unam vocalem copulatur. Nec apud antiquos Maſorethas occurrunt punctorum vocalium nomina, præter Patach & Camets: (ſub illo comprehendentes Segol, quod vocatur Patach parvum; ſub hoc Tſeri, quod Camets parvum appellant:) nec alia nomina occurrunt, niſi apud Grammaticos, qui non ante 500, vel ad ſummum 600 annos ſcripſerint. Quis vero credat, puncta fuiſſe ab Eſdræ temporibus, & per mille annos nominibus caruiſſe, cum literarum nomina ſupra ter mille continuata ſint, & hodie eadem maneant? Reſpondent vero, fieri poſſe, ut nomina rebus poſteriora ſint: at certe, ut res, quæ in quotidiano uſu ſunt, per tantum temporis intervallum, nominibus careant, quibus dignoſcantur, plane incredibile eſt. Si vero dicas, antiqua nomina mutata eſſe, & nova a Maſorethis impoſita; hoc gratis dicitur; imo contra apertam rationem, cum nulla in Miſchna,

vel Talmude, vel aliquo ſcriptore antiquo ſit vel leviſſima iſtorum nominum antiquorum memoria, quibus nova ſucceſſerunt. Nec nomina punctorum ſunt Hebraica, ſed plerunque Chaldaica, vel Syriaca, & reſpectu puræ Hebraicæ peregrina: quod ſatis innuit, nomina iis non impoſita fuiſſe, quandiu Hebraica vernacula fuerit, ſed poſtquam Chaldaicam pro vernacula commutarint. Aben Ezra, & illius ætatis Grammatici, ſeptem tantum vocales agnoſcunt, quas *reges* appellant: & ad Maſorethas Tiberienſes, ut auctores, referunt; ſcil. Cholem, Schurek, Chirek, Patach, Segol, Camets, & Tſere. Puncta etiam Daghes, Raphe, & Mappic, licet lectorem imperitum in legendo adjuvent; tamen antiquis ignota fuiſse, conſtat ex Hieron. Sept. & aliis. Literæ Begad-Cephat בגדכפת ſine Daghes ſemper aſpiratas, cum Daghes tenues eſse volunt Grammatici: at apud 70. tres priores ſemper ut tenues efferuntur, tres poſteriores ut aſpiratæ, ut loca infinita probant. Nam pro תֵּימָן legunt illi Θαιμὰν, תְּקוֹעַ per Θηκῶε, ſic Kaph ſemper efferunt per χ Græcum, Phe per φ, nunquam per π. Imo Hieron. in Eſa. 2. ait, *Qui Palaſtini dicuntur Græcis, Hebræis vocari Philiſtinos, quia P literam Hebræus non habet.* Idem habet & in Dan. 11. Idem de Mappic dicendum; Utile eſse linguæ hujus ignaris; iis, quibus vernacula eſt, plane ſuperfluum eſse. Raphe vero in pleriſque libris omiſsa eſt, & in deſuetudinem abiit. Idem ſtatuendum de duplici puncto literæ Schin, Sept. & Hieron. nullam hic agnoſcere diſcrepantiam: nam hi illud ſemper per σ, hic per ſ effert. Et in comment. in Titum, *Nos*, inquit, *& Græci, unam tantum literam S habemus; illi vero tres, Samech, Sade, & Sin, quæ diverſos ſonos poſſident. Sion per S, Sade, ſcribitur; Iſrael per S. Sin, &c.* Ex his, ni fallor, ſatis conſtat, puncta hodierna vocalia longe poſt Eſdram inventa eſse. De accentibus idem dici poteſt. De numero inter Grammaticos non convenit: alii numerant ad minimum 20. alii 30. cum tamen tres tantum ſint naturales accentuum differentiæ, acutus, gravis, circumflexus. Quorſum itaque tot apud Hebræos, quorum plurimi lectionem potius interturbant, quam adjuvunt; nec omnium rationem hodie quiſquam explicare potuit? Nonne Rebhia pro commate, & in longioribus Sægolta. Athnach pro Colon, & Silluk vel Sophpaſuk pro periodo inſervire poſſint, ut oſtendit Capellus? In quem finem reliqui? Dicunt, in uſu fuiſse ad Muſicam in Templo & Tabernaculo. At contra hoc facit, quod non tantum libri Poetici & Cantica his apiculis notantur; ſed & Prophetici & Hiſtorici: imo capita, in quibus ſola propria nomina recenſentur, & libri qui populo in uſu privato erant, qui Muſicam ignorabant. Veriſſima itaque eſt D. Capelli, Voſſii de Arte Gram. l. 2. c. 8. aliorumque ſententia, nec ad Muſicam primo vel ſecundo Templo denotandam, ſed ad lectionem in ſynagogis poſt Captivitatem inventos eſſe hos apiculos, cum cantillatione quadam illa lectio fit: nec ſimul, ſed gradatim introductos, donec ultimam manum appoſuerat nobilis Maſoretha Ben Aſcher, qui poſt annum Chriſti milleſimum floruit. Scripſit nuper quidam integrum volumen de Accentuum ratione: in quo narrat, *ſe quaſi ſpeciali Sp. S. luce illuſtratum omnem accentuum doctrinam, eorumque myſteria hactenus incognita plene enucleaſſe.* Varios accentuum gradus facit, diſtinguit in *Reges, Duces, Comites, Dynaſtas, Toparchas, Miniſtros majores, minores &c*, & totum vetus Teſt. percurrit, dum illos explicat. Cujus librum cum legerem, non potui non hominis miſereri, qui tanto molimine nihil egit; & dum lucem majorem promittit, omnia tenebris involvit: dum ſupponit omnes apiculos, qui hodie textui apponuntur, divinæ originis eſſe, & magna myſteria continere: quorum magna pars erant hominum inventa, ocio abundantium: quæ nihil conferunt ad linguæ cognitionem; nec ex curioſa eorum ſpeculatione quiſquam doctior evaſit, aut in textus ſacri intelligentia quicquam profecit. Pauci ſane ad diſtinctiones orationis, & tonum in ſyllabis denotandum, ſufficere poſſent: reliquorum uſus præcipuus eſt in Textus cantillatione in ſynagogis. *Miniſtri*, quos vocant, cum lectorem moneant tantum, ſententiam continuandam ad proximum inciſum, parvum habent uſum, cum ex abſentia *Regis* hoc cuique notum ſit. Quis enim adeo hebes, ut neſciat continuandam orationem, donec ad aliquam diſtinctionem perveniat? vel quis in aliis linguis, ſi talibus apiculis ſingulæ voces notarentur, moleſtiam non ſentiret in legendo potius, quam adjumentum aliquod? Certe accentus notandi morem recentem eſſe apud Græcos & Latinos, obſervarunt viri doctiſſimi: Et etiam apud Hebræos: a quibus ut literas accepere; ſic accentus etiam, ſi in uſu fuiſſent, traduxiſſent. Morem autem hunc apud Græcos & Latinos non invaluiſſe, antequam eorum linguæ deſierunt eſſe vernaculæ, multa demonſtrant: Antiquorum lapidum ſculpturæ, quæ quo vetuſtiores, eo magis his apicibus carent: MSS. etiam libri antiquiſſimi, qui accentibus omnino deſtituuntur; ut de MS. Græco 70 Interp. Vaticano refert Joh. Morinus; & de noſtro MS. Alexandrino τῶν ο conſtat, quem circa 1200 abhinc annos ſcriptum fuiſſe veriſimile eſt: qui abſque ullis accentibus vel ſpiritibus, vel verſuum vel dictionum diſtinctione, pulchre admodum deſcriptus eſt: Quod etiam probat liber MS. antiquiſſ. N. Teſtamenti in Bibliotheca publica Cantabrigienſis Academiæ, ex dono Theod. Bezæ. Idem teſtatur Angel. Politian. Miſcell. c. 58. & 80. de verſibus Sibyllinis & Callimachi hymno, quos ſine accentibus deſcriptos vidit. Ariſtoteli ignotos fuiſſe, probat D. Voſſ. ex verbis ejus de Sophiſt. Elench. c. 3. Imo Hieronymi ætate ſolitos ſine apicibus ſcribere, obſervat Scal. ad annum Euſeb. 1426. ex eo, quod καθαιρεῖ legit Hieron. pro καθαίρῃ, & tranſtulit, *ſubvertit*, cum verti debuiſſet, *mundavit*. Complutenſes etiam in Bibliis ſuis Novum Teſt. ediderunt Græce ſine apicibus: cujus rationem reddunt in una Præfationum, *quia antiquitus Græca lingua accentibus deſtituta erat.* Ideo, ut Textus ipſorum Græcos codices Originales (quos ſine accentibus ſcriptos fuiſſe, tanquam certum ſupponunt) plenius aut perfectius exprimeret, ſine accentibus imprimebant. Ut ergo laude digni ſunt Maſorethæ, quod puncta & accentus invenerint, quæ ad textus lectionem faciliorem, & orationis diſtinctionem conferunt: ſic quædam addiderunt, quorum hodie haud magnus eſt uſus. Et ut in his fortaſſe nimis diligentes aliquibus videri poſsunt: ſic in aliis incurioſi fuere, ex defectu notarum, interrogationis, admirationis, interjectionis, exclamationis, parentheſeωs &c. quæ in aliis linguis uſurpantur, & in omnibus utilitatem habent: cum de his apud Hebræorum magiſtros ſit altum ſilentium; nec in exemplaribus Biblicis Hebraiicis, eorum aliquod veſtigium apparet.

46. Septimum argumentum ſuppeditant antiquæ verſiones, Græcæ, Chaldaica, Syriaca, &c: ex quibus perſpicuum eſt, ob defectum punctorum voces quaſdam ambiguitate laboraſse: unde aliter interpretati ſunt Verſionum iſtarum auctores, quam hodie in punctatis codicibus legimus: qui ſi olim punctati fuiſsent, ambiguitas nulla fuiſset; nec aliter legiſſent illi, quam in hodiernis exemplaribus legimus. Hoc paſſim obſervant viri docti in commentariis ſuis aliiſque ſcriptis; & multa exempla ex 70. aliiſque Interpretibus colligunt, ubi eædem literæ (ſublatis punctis) tam ipſorum verſioni, quam lectioni hodiernæ inſervire poſsint. Exempla paſſim occurrunt. Geneſ. 47. ult. ubi הַמִּטָּה ſine punctis reddi poteſt, *virga*, vel *lectulus*, legendo *hammita*, vel *himmata*. LXX reddiderunt ῥάβδον, *virgam*: hodie, ut nunc punctatur, *lectulum* ſignificat. Sic Eſ. 4. 5. vox משרא ab Aquila redditur *menſura*, at LXX & Hieron. vertunt *principatum*. Hieronymus vero ait, Aquilam deceptum fuiſſe ambiguitate verbi: quod ſi punctatum fuiſſet, nulla relicta eſſet ambiguitas: nam מִשְׂרָא *miſra* eſt *principatus*, מְשֻׂרָא *meſura* eſt *menſura*. Sic Hoſ. 13. 3. vox ארבה a LXX redditur *locuſta*, a Theodotiones *fumarium*: cauſam reddit Hieronym. quia apud Hebræos *locuſta* & *fumarium* iiſdem literis ſcribuntur. Si enim legas *Arbe*, eſt *locuſta*; ſi *Arabe*, *fumarium*. Idem obſervat Mercerus in Chald. Paraph. Deut. 26. 5. circa vocem אבד quem vertit Chaldæus, *quærebat perdere*; Vulg. Latin. *perſequebatur*. *Non eſt dubium* (inquit) *quin ſine punctis, quibus tunc carebant Biblia,* אבד *legerint in Piel, hoc eſt, perdebat, non antea* אבד *in Kal.* Multa talia ubique occurrunt. Argumentum hoc, quod invictum & Achillæum videri fatentur, variis modis eludere conantur. Dicunt, *punctatos codices raros fuiſſe, & interpretes talibus codicibus uſos non fuiſſe: imo* LXX *codicibus corruptis uſos fuiſſe, ab optimis diſcrepantibus; idque conſulto, eo quod inviti, & juſſu Ptolemai, (cujus offenſam metuerunt,) hoc opus aggreſſi ſunt: unde tranſlationem corruptam & falſam conſulto dediſſe; lectionem eam cum punctis fuiſſe partem legis Oralis a Moſe in monte Sinai traditæ, quam exteris & gentibus exponere nefas putarunt: &c.* Quam vana & abſurda comminiſcuntur homines pervicaces, cedere neſcii? An LXX, Aquila, Theodotion, Symmachus, Chaldæus Paraphraſtes, Hieronymus, &c. codices punctatos non habuiſſent, ſi tales tunc extitiſſent? Anne credibile eſt tales extitiſſe, ipſos vero eorum nunquam meminiſſe? Certe nemo verſionem publicam unquam aggreſſus eſt, quin exemplaria optima, quæ haberi poterant, ſibi compararet: quæ non conſulere, extremæ eſſet dementiæ. Cum itaque, fatentibus adverſariis, punctatis codicibus non uſi ſint interpretes, certum eſt nullos tales extitiſſe. Quod vero punctationem faciunt legis oralis partem, hoc merito eam ſuſpectam reddit: cum tota iſta lex oralis figmentis & ſuperſtitioſis plerunque traditionibus conſtet, a poſterioribus Judæis poſt Eſdræ tempora inventis. Interpretes vero 70 optimos codices non conſuluiſſe; imo punctatos, ſi tales extitiſsent, cum ex auctoritate publica verſionem ſuam adornarent, a Pontifice ſummo & Sanhedrim miſſi cum exemplari aureis literis deſcripto, ut refert Joſephus; ipſoſque regem potentiſsimum, (ſub quo multæ Judæorum myriades vixerunt,) auſos fuiſse falſa & corrupta interpretatione illudere, nemo niſi Talmudicis & Rabbinicis ſomniis faſcinatus credet. Imo ex hiſtoria certum eſt, ipſos optima exemplaria attuliſse, fideliter vertiſse, idque tum ob gentis ſuæ gloriam, tum ut regem demererent, & ſuæ gentis Helleniſtis, (qui magno numero per Ægyptum, aliaſque regiones diſperſi erant,) conſulerent, qui Græcam linguam melius, quam propriam, noverant. Certe multi erant inter Judæos, qui de verſione judicare poterant, an fideliter facta eſset: nec, ſi conſulto corrupta fuiſſet, tantam habuiſset auctoritatem apud Judæos, ut publice in ſynagogis legeretur; nec ea uſi fuiſsent Apoſtoli, cum Eccleſiam plantarent, nec eam Eccleſiæ Chriſtianæ tradidiſsent: nec in tanto honore apud univerſam Eccleſiam Chriſti fuiſset per multa ſecula, ſi conſulto corruptam exiſtimaſsent. Sed de hoc fuſius, cum ad hanc Verſionem perventum fuerit.

47. Octavum ex Hieronymo, & Origene, aliiſque Græcis & Latinis Eccleſiæ Patribus petitur: apud quos nullum de vocalibus punctis veſtigium apparet; ſed altum apud omnes de iis eſt ſilentium: cum tamen Hieronym. omnium ſuæ ætatis erat Hebraice doctiſſimus, rerumque & antiquitatum Judaicarum indagator ſolertiſſimus. Origenes vero erat auctor Hexaplῶν. Hieronymus ſtudiis indefeſsis, & laboribus magnis, ſummam linguæ Hebr. peritiam aſsecutus eſt: puncta vero & accentus ignoraſse, ex innumeris locis in ejus operibus colligi poteſt: quorum pauca referam. In Hierem. q. 22. *verbum Hebraicum, quod tribus literis ſcribitur* דבר (*vocales enim in medio non habent; ſed pro conſequentia & legentis arbitrio legunt*) *ſi legatur, Dabar, ſermonem ſignificat; ſi Deber, mortem; ſi Daber, loquere. Unde LXX. & Theodotion junxerunt illud præterito capitulo, ut dicerent, diſperdens parvulos de foris, juvenes de plateis, morte: Aquila vero & Symmachus tranſtulerunt* λάλησον, *loquere*: ſic etiam tranſtulit Hieron. In nupera vero Hieronymi editione, notandum, quod obſervavit vir doctus, Marianum Victorium, qui notas addidit, & editioni præfuit, haud bona fide egiſse, cum pro Hebraicis verbis, quæ Latinis literis extant in Hieron. textu, Hebraicas literas cum punctis hodiernis ſubſtituat; quod Hieronymi ſcopo plane contradicit: nam in hoc loco poſitis punctis ambiguitas plane nulla eſt. Hic vero videmus, nullam apud Hieron. iſtorum apicum mentionem fieri; licet ad ambiguitatem tollendam, & varietatem ſignificationis explicandam, commodiſſima ſeſe obtulerit occaſio. Certe æquum eſſet, ut hoc loco ſe explicaret, dicendo, דבר cum duplici Camets ſignificare *verbum*; cum duplici Sægol *mortem vel peſtem*; cum Patach & Tſere *loquere*: & quod ſic legerunt Aq. & Sym. & ipſe ſic legat: at LXX. & Theodotion cum duplici Sægol: Vel ſi noluit puncta nominare, ſaltem debuit ea ſub literis ſubſcribere. Tantum

vero abeſt, ut hoc ne leviſſime inſinuet, cum maxime opportunam habuit occaſionem, ut diſertis verbis, quantum fieri poſſit ab punctorum ignaro, contrarium affirmet, cum dicat, *vocales in medio apud Hebræos non haberi, & pro conſequentia & legentis arbitrio varie legi poſſe.* Idem ad Evagrium ſic ſcribit; *Non refert, utrum Salem an Salim nominetur, cum vocalibus in medio literis perraro utantur Hebræi, & pro voluntate lectorum atque varietate regionum, eadem verba diverſis ſonis atque accentibus proferantur.* Idem in Eſai. 26. 14. circa lectionem *zacar* & *zecer*, de qua ſupra quædam diximus, ſcribit, *Nec nos terrere debet, quod LXX.* maſculum, *& cæteri interpretes* memoriam *tranſtulerant, cum iiſdem tribus literis* זכר *utrumque ſcribatur apud Hebræos, ſed quando* memoriale *dicitur, legitur, zecer; quando* maſculum, *legitur zacar: & hac verbi ambiguitate deceptum arbitrantur Judæi Saulem, cum pugnavit contra Amalecitas.* In Eſai. 32. ait, *Ignis & lumen Hebraice iiſdem ſcribuntur literis* אור, *quod ſi,* ur *legatur, ignem ſonat; ſi,* or, *lucem.* Plurima talia ex Hieronymo proferri poſſunt: Quæ licet luce clariora videntur, ad probandum puncta vocalia Hieronymi ætate in uſu non fuiſſe: ne tamen victi videantur, qui contra ſentiunt, cum plane convicti ſint, reſponſum ad præcedens argumentum hic ingeminant, ſcil. *punctatos codices raros tunc fuiſſe; Hieronymum quidem tali codice uſum non fuiſſe, nec de punctatis codicibus inaudiviſſe:* quæ omnia ſine ulla probatione, vel probabilitatis umbra dicuntur; ideoque eadem facilitate rejiciuntur, qua affirmantur. Imo non tantum Hieron. ſed nec ullus Patrum Græcorum vel Latinorum, aliuſve ſcriptor ab ipſis Apoſtolorum temporibus, per quingentos annos, eorundem meminerit; nec unicum teſtimonium ex iis proferri poſſit, unde hoc probetur. Nec dici poteſt, veteres (excepto Origene & Hieronymo) linguæ Hebraicæ ignaros fuiſſe: hoc enim, licet falſiſſimum ſit, dato, ſed non conceſſo; non potuere tamen, quin aliquid de punctis audiverint, ſi tunc in uſu fuiſent: cum Judæi magno numero inter Chriſtianos viverent, & lectio hæc per puncta novum quid & inſolitum fuerit, a Græcis & Latinis alienum. Quis enim eſt inter nos, qui Græcum & Latinum ſermonem callet, qui de punctis Hebraicis nihil audivit? At ex Hieronymo objiciunt, ipſum ſæpe mentionem facere apicum Hebraicorum, *qui ſine dubio* (ſic vir doctus) *erant puncta vocalia. Hieron. Præf. in lib. Regum dicit, Pentateuchum Samaritanum totidem literis ac Hebraicum ſcriptum eſſe: figuris tantum & apicibus diſcrepare.* At ſine dubio Hieronym. non legerunt, qui hæc affirmant. Ipſe enim pluribus locis explicat, quid per apices literarum intelligat; linearum ductus ſcil. vel ſummas earum particulas. In Zach. 12. 10. dicit, *Hebraicæ literæ* ד & ר *ſimiles ſint, & parvo tantum apice diſtinguuntur.* Quis hic per apicem, vocalem deſignari dicet? an Daleth & Reſh vocali differunt? Imo planum eſt, ſolum ductum lineæ ſuperioris, apicem vocari. Idem habet Eſa. 8. 4. & 27, 1. & Eccleſ. 8. 6. Gloſſa ordinaria in Luc. 16. 17. ait, quod *apex eſt ſumma literæ particula:* Et Eraſm. intelligit *ſummum elementi faſtigium.* Præterea notum eſt, Judæos literas quaſdam coronulis & apicibus quibuſdam ornare ſolitos, in libris quibus publice in Synagogis utuntur: literæ vero iſtæ ſunt ſeptem שעטנזגץ. Habeo librum Eſther, de quo ſupra, hoc modo deſcriptum, ejuſmodi apicibus & coronulis inſignitum: & ex his apicibus magna myſteria extrahunt Cabaliſtæ. Hic vero mos ſuperſtitioſus forte Hieronymi ætate invaluerat, licet priorem reſponſionem veriorem exiſtimo. Cum vero dicit Hieron. literas Samaritanas ab Hebræis, figuris & apicibus diſcrepare, non potuit per apices intelligere puncta vocalia, cum Samaritani talia nunquam habuerint, nec in hunc uſque diem agnoſcunt: unde idem, qui hoc objicit, vir doctus, addit, *ſe vix exiſtimare puncta vocalia tempore Hieronymi Samaritanos habuiſse:* imo dicere potuit, *nunquam habuiſſe.* At, inquiunt, Hieronym. ſæpe meminit accentuum, ut in Amos 8. Epiſt. ad Evagrium, & alibi. Facilis eſt reſponſio, per accentum tonum ipſum intelligi, non ejus notam vel figuram: nam ex uſu & conſuetudine notum erat, quæ ſyllaba in dictione elevanda eſſet, licet figuræ nullæ extabant; prout hodie apud Syros, Arabes, Æthiopes, & in omnibus linguis vernaculis notum eſt, in qua ſyllaba accentus eſſe debet, vel quæ ſyllaba attollenda eſt, licet notas vel figuras accentuum nullas habeant. Joh. D' Eſpeires, licet puncta ab Eſdra non inventa fuiſſe ſentit; tamen quædam puncta vocalia fuiſse tempore Hieronymi affirmat, Tract. 1. diſp. 1. dub. 3. quia Hieron. reprehendit lectionem *τῶν* ο, Gen. 47. ult. qui מטה tranſtulerunt, *virgam*, cum ipſe legendum vult, *lectum*. Nam ſi nulla fuiſent puncta, quomodo Hieronymus tam confidenter pronunciare poterat, legendam eſse, *lectum?* Sed reſponſio eſt facilis, quod ex uſu & legendi conſuetudine tempore Hieronymi, ſciri poterat, vertendum eſse, *lectum*, licet puncta vocalia non eſsent. Voces enim, quæ in ſe ambiguæ erant ſine punctis, certam tamen plerunque lectionem habent in contextu: quæ uſu & traditione ad poſteros derivata fuit, & ſecundum quam, quum puncta inventa eſsent, tales voces punctarunt.

48. Nono, probatur ex aliis linguis Orientalibus, quæ maximam cum Hebraica habent affinitatem; quæ tamen puncta & accentus vel recenter accepere, vel hodie ignorant: quales ſunt Arabica, Chaldaica, Samaritana, Syriaca. De Arabica, quæ omnium hodie latiſſime propagata eſt, res plana eſt, eam puncta vocalia olim non habuiſse: accentus vero hodie habet nullos: ut nec Syriaca, nec Samar. Tres habent Arabes literas أوى quas *quieſcentes* vocant, ut Hebræi; quæ omnium vocalium vicem olim ſuſtinebant: poſtquam vero notas adhibuere vocalium ad morem Hebroræum, tres tantum excogitarunt, Phatha (َ) Damma (ُ) & Keſri (ِ) quæ licet ad ambiguitatem tollendam haud ſatis videri poſſint; tamen ex iis cum paucis regulis, & ex uſu & conſuetudine, omnes vocalium ſonos diſtinguunt, & verum legendi modum brevi aſsequuntur. Poſt conſcriptum Alcoranum cœpiſse Muhammedanos linguam hanc excolere, & puncta pro faciliori lectione textui Corani affigere, teſtantur viri in Arabiſmo verſatiſſimi, ejuſque profeſſores celeberrimi. Inter cæteros, clariſſ. Golius Præf. ad cap. 31. Corani, ad finem Gram. Arab. Tho. Erpenii, advertit ſe *variantes lectiones inveniſſe in exemplari Alcorani, ex Mogullorum regno ſibi delato, in margine notatas, quæ peculiarem habuere ſemper auctoritatem ex antiqua doctiorum criſi. Univerſam vero illam varietatem fere in vocalibus conſtitiſſe, quas ut poſteriores & externas ſcriptionis partes, veriſimile videtur, literatorum Antiſtitum conſenſu eſſe adjectas, tunc demum, cum aliquandiu Coranus fuiſſet divulgatus: inde eſse duorum codicum, quos poſſedit, fragmenta quædam in membranis exarata vetaſtiſſimo charactere, qui ante ſecula exolevit, ubi nullæ prorſus vocales comparent: communem vero lectionem vulgato textu expreſſum eſſe Meccenſem, & Medinenſem.* Sic vir ille longe doctiſſimus: nec quenquam me legiſse memini, qui puncta Arabica cum literis coæva ſtatuit. De Syriaca Maronitarum idem inter alios teſtatur D. Maſius, *puncta initio non habuiſse: poſtea ad facilitatem lectionis, vel ad ambiguitatem tollendam, unicum punctum adhibuiſse, quod pro vario ſitu infra vel ſupra literam vocales diſtinguebat:* ut affirmat etiam Bootius Epiſt. dicta, ſect. 48. *Figuras vero, quibus nunc utuntur,* dicit Maſius, *ipſos a Græcis mutuaſſe.* Idem de Samaritanis obſervare licet, qui lectionem veram ope trium literarum ࠀࠅࠉ quæ pro vocalibus olim etiam apud Hebræos habitæ ſunt, & uſu ac majorum traditione conſervarunt: nec puncta ulla vocalia ad hunc uſque diem habent. Perſæ vix aliquos punctatos codices adhuc habent, vel certas regulas de punctandi ratione tradiderunt, licet quidam in Grammaticis quaſdam nuper excogitarunt. Chaldæas etiam Paraphraſes antiquiſſimas punctatas non fuiſse, ex literis ſuperfluis poſt punctationem relictis, teſtatur Lud. de Dieu. Compar. trium Ling. l. 1. c. 7. quod etiam ante ipſum oſteudit doctiſſ. Buxt. Gram. Syr. & Chald. l. 1. c. 1. unde poſt ſuperaddita vocalium puncta, relictis illis conſonis, quæ vocalium erant indices, confuſa extiterit punctatio, quæ tum in Bibliis Venetis, tum in Regiis paſsim invenitur, & ſummo labore Buxtorfii in Baſileenſibus ex maxima parte ſublata eſt. Ex his omnibus colligitur, cum in omnibus his linguis, Hebrææ cognatis, puncta recenter uſurpata ſint, nec literis coæva fuere, idem etiam de Hebræa dicendum; nec hujus magis, quam illarum perfectioni, lectioni, &c. derogaſſe.

49. Hæ ſunt præcipuæ rationes, quas pro hac ſententia proferunt. Reſtat, ut, quæ in contrarium adducuntur, perpendamus; idque breviter: ut enim omnes minutias conſectemur, chartarum anguſtiæ non permittunt. Qui plura deſiderant, adeant L. Capellum, & D. Buxtorfium, qui argumenta pro utraque parte latius deducunt. Primo arguunt ex cujuſque linguæ natura, quæ conſtare debet ex conſonis & vocalibus. Vocales enim ſunt dictionum quaſi animæ, quæ eas vivificant & movent: unde a voce dicuntur vocalia, quia eorum adminiculo vox articulata profertur. Reſp. veriſſimum eſſe, nullam linguam vocalibus carere poſſe, nec vocem ullam ſine vocalibus pronunciari. Quod vero hinc inferunt pro punctorum vocalium antiquitate, negamus. Nam habuit ab initio, habetque hæc lingua, tam vocales, quam conſonas, ex quibus conſtat, inſtar aliarum linguarum: nec audiendi ſunt Grammatici, ſi ſtricte & proprie loquamur, qui vocales ex literarum albo expungunt, & omnes literas conſonas eſſe volunt. Nam א ו י præcipue, ſæpe ה & (ut Hieronymo, aliiſque placet) ע, quæ hodie pro conſonis tantum habentur, olim pro vocalibus erant uſurpatæ. Tot ſane literas Hebræi habebant, quot aliæ nationes, cum ab ipſis cæteræ nationes literas hauſerint. Cur itaque non potuerint Hebræi omnia ſua vocabula viginti duabus literis exprimere, ut aliæ nationes? Origenes enim integra volumina Hebraica deſcripſit Græcis characteribus, nec novas vocales ſibi finxit, ut abſentes vocales in Hebraicis dictionibus exprimeret: & ad eundum modum Hieronymus multa vocabula & verſiculos expreſſit literis Latinis, ut & alii linguæ Hebraicæ periti: annon idem poterant Moſes & Prophetæ? In codice MS. Barbarino. antiquiſſ. ex quo variantes lectiones Prophetarum minorum deſcriptas exhibemus Tomo ult. hujus operis, extant ſpecimina quædam ex Origenis Hexaplis deſcripta, ex quibus conſtare poteſt ex parte, quænam literæ Græcæ Hebraicis olim reſpondebant. Hoſ. 3. 2. וחמר שערים ולתך שערים pro *Omer hordei, & dimidio Omer hordei,* ſic reddit Origenes literis Græcis, ΟΥΧΟΜΡ ΣΕΑΡΙΜ ΟΥΛΕΧΘ ΣΕΑΡΙΜ. & Cap. 11. 1. כי נער ישראל ואהבהו וממצרים קראתי לבני *Cum Iſrael eſſet puer, dilexi eum, & ex Ægypto vocavi filium meum.* Quæ literis Græcis ita exprimit Origenes, Χι νερ ισραηλ ουε αβη ου ε μεμμισραιμ καραθι βανι. Hic inter alia videmus, Jod per vocalem ι, & aliquando per ε, exprimi; Ain, pro α, & ε inſerviiſse; Aleph pro α; Vau pro ο, & ου ſive υ, poni. Joh. Morin. Gram. Samar. cap. 13. multis exemplis probat, Samaritanos, qui eaſdem habent literas cum Hebræis, figuris ſolum diſcrepantes, nec puncta vocalia agnoſcunt, per א ה ו י ע vocales a e i o u. ubique exprimere. Certe mutilum eſſet Alphabetum Hebraicum, ſi deeſſent vocales, quæ inter literas præcipuæ ſunt, & quarum cauſa reliquæ excogitatæ ſunt: eſſet enim Alphabetum literarum, cum quibus nihil pronunciari poſſit. Et plane abſurdum eſſet, ut a e i o u, non poſſent niſi aliarum literarum ope pronunciari: ut apud Grammaticos hodie videmus, qui efferunt a per אָה, e per אֵי, i per אִי, o per אוֹ, u per אוּ: nihil enim ſonarent illæ literæ ſine punctis. Unde, ut obſervat Morinus, *quod natura ſua eſt vocaliſſimum, & per quod cætera redduntur vocalia, eorum opinione eſt mutum: & quod ſemper efficax & mobile eſt, et cujus ope cætera moventur, ſemper quieſcet, et otioſum erit.* Joſephus etiam lib. 6. de Bello Judaico, literas, quibus nomen Dei Tetragrammaton lamina aurea inſcriptum erat in ornatu Pontificis, vocat *elementa quatuor vocalia,* Ταῦτα δ' ἐϛὶ φωνήεντα τέσσαρα· per *φωνήεντα* enim *vocales* intelliguntur oppoſitæ aliis literis, quas *σύμφωνας, conſonantes,* vocant. Vocales enim literarum nomen maxime merentur: &, ut obſervat clariſſ. Voſſius, *Non ſine ratione Maſorethæ ſubtiliorum figurarum notis, vocalium nomen tribuerunt; craſſiorum, conſonantium: quia illæ quaſi animæ, hæ veluti corpus orationis referunt. Sed non hinc ſequitur, vocales non eſſe literas: imo, ſi argumentari liceret, dicerem,*

cerem, hoc ipſum, eas vel magis, quam conſonas, eſſe literas, arguere: cum animæ magis, quam corporis, habenda eſt ratio. De Arte Gram. lib. 1. cap. 27. *Verum eſt quidem, hodie vocales in iis quieſcere: at olim pro vocalibus fuiſſe, teſtatur Hieronymus, qui eas vocales appellat; cujus verba adſcribam. Hieronymus* (inquit) *Epiſt.* 145. *docet pro Hoſianna, dici* Hoſanna, *media vocali eliſa, quia ab Aleph excluditur Jod: & Epiſt. ad Evagrium de Melchiſedec, referre negat, utrum dicamus, Salim, quod ſcribitur* שלים *cum Jod, an Salem, quod ſcriberetur* שלם *ſine Jod: & cauſam hanc addit; quod vocalibus in medio literis, raro utuntur Judæi, & pro voluntate locorum, atque varietate regionum, eadem verba diverſis ſonis atque accentibus proferantur. Idem in tradit. Hebr. Geneſ.* 13. *dicit* אפרון *cum* ו *ſcribi, &* אפרן *ablata* ו *litera, quæ apud Hebræos pro* (*u*) *legitur. Etiam Jer.* 9. 22. *ſcribit, verbum* דבר *quod tribus literis ſcribitur (vocales enim in medio non habent) pro conſequentia & legentis arbitrio, ſi legatur Dabar,* ſermonem *ſignificat; ſi Deber,* mortem; *ſi Dabar, loquere. His locis per vocales non poſſumus aliud intelligere, quam literas* אוי. *Ex quibus, Jod loco vocalium poni ſolere, etiam ſunt argumento vox* Darius, *&* Cyrus, *quæ ſi Hebraice ſine punctis ſcribantur, & Jod pro i, Vau pro u, poſitum ſtatuas, longe fœlicius expriment* Darius, *&* Cyrus, *quam ſi cum punctis legas,* Dariares, *&* Cores. *Cæterum Jod, non* (i) *ſolum, ſed* (e) *quoque, ſignabat; ac Vau nunc pro* (o), *nunc pro* (u) *poni, quid mirum? quando apud Latinos quoque hæ literæ operas quaſi mutuas tradunt: ut Davos, Davus; ſervos, ſervus; heri, here; Virgilius, Vergelius: utrumque etiam & ratione & auctoritate ſtabiliri poteſt. Quod vero ad vocalem* (a), *ea ſæpe colligebatur ex abſentia τῶ Jod & Vau: quandoque etiam per Aleph ſignabatur, ut 2 Sam.* 12. 1. *& Prov.* 10. 4. ראש *pro* רֵש pauper. *Neh.* 13. 16. ראג pro דָּג piſcis, *& alia aliis locis. Et ſane Aleph valuiſſe* (*a*) *luculento ſit argumento Græca lingua, ubi princeps litera hanc habet poteſtatem: at Alpha eſſe ex Aleph factum, ſatis eſt apertum.* Hactenus vir Doctiſſ. Idem legimus apud Druſium in variis locis opuſculorum ſuorum, Libro de recta lectione linguæ ſanctæ, cap. 4. & de vocibus Hebraicis N. Teſtamenti, cap. 9. ubi concludit, *Quis neget has literas interdum vocalium loco uſurpatas fuiſſe, quum etiam nunc a conſonantium natura recedant, imo plane eam exuant in* עלם *olam,* אור *ur,* אלהים *Elohim,* פרא *pere, & aliis multis nominibus?* Vide Morinum, ubi ſupra. Habuere itaque Hebræi vocales, licet puncta vocalia non habebant, ut ex dictis patet. Quibus & hoc addendum, vocem conſonis expreſſam legi & intelligi poſſe, ut experientia teſtatur; legi ſine vocalibus non poſſe: ſed legi poteſt, iis non expreſſis. Non adſcriptis, legere poteſt Hebraice peritus; iis additis, legere etiam poſſunt Hebraice neſcientes. Leguntur hodie Talmud, & Rabbinorum Commentarii, librique Judæorum, ſine punctis vocalibus: imo qui in hac lingua exercitati ſunt, ipſa Biblia ſine punctis expedite legunt, ut præter Rabbinos in ſynagogis alii privati: & teſtatur Joſ. Scal. lib. 3. Epiſt. 244. *Hodie pueri Turcarum, Arabum, Perſarum, omniumque Muhammedanorum, ſine punctis legere diſcunt, licet non ſine vocalibus.* &c.

50. Secundo objiciunt, lectionem Hebraicam maxime incertam & difficilem reddi ob defectum punctorum. Poſito enim, has literas fuiſſe vice vocalium, adhuc tamen incertam eſſe lectionem, tum quod ſingulæ modo unam, modo aliam vocalem repræſentant: Vau, (o), vel (u), Jod (i) vel (e), &c. tum quod multa ſunt vocabula, quæ nullam habent harum literarum, ſed ex meris & proprie dictis conſonantibus conſtant. Etiam dato, quamdiu lingua hæc vernacula fuerat, lectionem ſine punctis fieri potuiſſe: cum tamen plures, quam mille anni interceſſerint ab Eſdræ tempore, quando vernacula eſſe deſiit, ad Maſorethas punctorum inventores; impoſſibile fere eſſet per tantam temporis intercapedinem, lectionis & pronunciationis regulas, de tot vocalibus & accentibus, conſervari. Nulla enim hominum memoria, tot mille verſuum pauſas, tot millenarum vocum diſtinctam pronunciationem retinere potuit adeo exacte, ut in nulla voce vel vocali erraret, uſque ad Maſorethas Tiberienſes. Reſp. etiam poſtquam lingua deſiit eſſe vernacula, vera tamen lectio continuari poſſet inter doctos, (apud quos quaſi vernacula erat,) uſu & conſuetudine, & inſtitutione Scholari, quæ inter ipſos vigebat ante punctorum inventionem, & tum ambiguitas vocalium tolli, tum earum abſentia ſuppleri, ex legendi uſu, & ex contextu orationis, quo vox, quæ in ſe ſpectata varie legi poſſet, ad unam lectionem determinatur. Fatetur Schickardus punctorum adſertor ſtrenuus, *ſolere Judæos abſque Grammatica, mero uſu, hanc linguam aggredi:* ait etiam, ſe vidiſſe *pueros ſeptennes Moſem ſola exercitatione legentes, licet adultiores, & cum ad* Rabbinatum *aſpirent, artis rudimenta ex Elia vel Kimchi didicere.* Meminit etiam viri cujuſdam docti, qui *præcepta prorſus eliminavit:* cujus conatus laudat, licet proceſſum improbet, Præf. in Horolog. Quomodo vero ex literis אהוי quieſcentibus, aliiſque ſervilibus, & radicalibus, etiam ſine punctis, confici poſſunt canones ſive regulæ paucæ generales, quibus vera lectio & pronunciatio addiſci poſſit, etiam ab iis quibus non eſt vernacula, late & accurate oſtendit D. Capell. lib. 1. cap. 18. quo lectorem remittimus. Nec neceſſarium eſt pro ſingulis verſibus, vel vocabulis particularibus, tot pauſas & vocalium ſingularum pronunciationem addiſcere & memoria tenere: cum probabile ſit, Eſdram verſus, ſpacio, non punctis, diſtinxiſſe; (quod ſatis erat ad verſus diſtinguendos:) & ex linguæ natura & analogia, uſu & traditione majorum, præſertim ex inſtitutione doctorum, & paucarum regularum generalium obſervatione, hoc fieri poſſet: ut in aliis linguis Orientalibus, Chaldaica & Arabica, videmus; quæ puncta non habuerunt ante Hebraicam, (præſertim Samaritana, quæ puncta adhuc nulla habet,) eædem tamen linguæ manſerunt ſine mutatione, cum nec vernaculæ fuerint, nec puncta habuerint. Linguam Græcam eandem manſiſſe videmus, quæ tempore Platonis & Ariſtotelis erat, licet accentus longo poſt tempore inventi & appoſiti ſint. Si quis vero a me quærat, unde hæc conſuetudo Hebræis, vocales in mediis vocibus omittendi plerumque, cum ſemper initio & fine adhibeant; non poſſum J. Morino, licet doctiſſimo, & in his rebus exercitatiſſimo, aſſentiri, Quod *Moſes, qui in omni Ægyptiorum ſapientia inſtructus erat, in Ægyptiorum imitationem hoc fecerit: quorum ſacerdotes, præter characteres Hieroglyphicos, & epiſtolares ſive communes, habuere etiam alios ſibi peculiares, quibus res ſacras conſcripſere, qui vocati ſunt ſacerdotales: & ut myſteria ſua populo occultarent, hunc modum ſcribendi elegiſſe ſine vocalibus mediis.* Nam, præterquam quod, quinam characteres hi ſacerdotales fuerint, nobis prorſus ignotum ſit; nec an medias vocales omiſerint ſacerdotes, ullibi conſtet, cum nulla iſtorum characterum veſtigia veterum monumentis appareant; etiam hoc ſententiam iſtam plane evertit: quod Moſes in omnibus inſtitutis hoc agebat, ut cum Ægyptiis populus Iſraeliticus nihil commune haberet: unde, ut immunda & abhominanda Deus prohibuit, quæ Ægyptiis ſacra & veneranda: multaſq; leges tulit, quarum vix ulla ratio reddi poteſt, quam quod, quæ ab illo prohibita ſunt, apud Ægyptios ſacroſancta habebantur. Quis vero exiſtimet, Deum legem ſuam ſanctiſſimam ſcribi voluiſſe more ſacerdotibus Idololatris uſitato: qui nulla cum Idololatris commercia, nulla connubia, nullam ſocietatem, niſi quæ neceſſitas poſtulabat, permittere voluit? Probabilius mihi videtur, Orientales (hoc enim Hebræis cum reliquis Orientalibus commune eſt) linguas ſuas primo non ita excoluiſſe, ac Europæi; nec in vocalium ſonis diſtinguendis ita exactos & accuratos fuiſſe, ut Græci & Latini: unde ſatis duxerint vocales adhibere initio & fini dictionum, relictis mediis: quæ, ut ex Hieronymo ſupra diximus, *pro conſequentia & lectoris arbitrio, et ſecundum regionum varietatem, varie pronunciabantur,* vel ex uſu & conſuetudine determinatum ſonum habuere: poſtea, cum vernacula eſſe deſierunt, accuratius omnia diſtinxerunt, & excoluerunt.

51. Tertio objiciunt, ſublata punctorum auctoritate divina, quæ lectionem alias ambiguam determinet, ſenſum Scripturæ prorſus incertum & obſcurum reddi, quem quilibet ad ſententiam ſuam, inſtar naſi cerei, inflectere poſſit, niſi ad auctoritatem Eccleſiæ confugiamus: hoc vero eſſet in Pontificiorum caſtra tranſire, & fidem, quæ ſolis oraculis divinis nititur, humanæ auctoritati ſubjicere. Hoc vero eſt μορμολύκειον illud, quod multos etiam doctos ab altera ſententia deterret. Ut vero ab hoc metu eos liberemus; notandum eſt primo, hoc argumentum, ut & ſecundum, contra pleroſque, & doctiores, punctorum patronos facere, qui Eſdram punctationis auctorem faciunt. Nam a Moſe uſque ad Eſdram, eadem incertitudine laboravit textus ſacer, quam contra nos objiciunt: cum per totum illud tempus ſine punctis fuiſſe fere omnes ſtatuant. Si vero ante Eſdram textus ſine ambiguitate legi, & intelligi potuit ſine punctis; cur non etiam poſt Eſdram uſque ad Maſorethas Tiberienſes? Secundo notandum eſt, illos qui argumentum hoc urgent, Romanenſium cauſam incautos promovere, a quibus tamen longiſſime abeſſe videri volunt. Concedunt enim ipſis, quod ſi puncta non ſint a ſcriptoribus ſacris adſcripta, Scripturæ ſenſus erit omnino incertus, & ejus auctoritas mere humana: quo dato, minorem probant Romanenſes, puncta ſcil. non eſſe a ſacris ſcriptoribus: quod certe majori cum probabilitate faciunt, quam contraſentientes contrarium: Unde dicta concluſio ſequitur, ſenſum Scripturæ eſſe incertum, &, quoad nos ſaltem, ab Eccleſiæ auctoritate pendere. Conſequentiam tamen hanc licet quidam Eccleſiæ Romanæ Doctores urgent, inter quos Morinus Exerc. Bibl. 6. cap. 2. n. 3. & alibi: ubi oſtendit vocem דבר ex ſolis conſonis conſtantem octo diverſas habere poſſe ſignificationes, quas ibi enumerat: hujus vero in textu Hebræo ambiguitatis cauſam inter alia aſſignat n. 7. *conſilium divinum, ut omnes Eccleſiæ judicio ſe ſubmitterent:* Non deſunt tamen inter ipſos viri docti, qui non tantum contrarium affirmant, & conſequentiam negant; ſed etiam validiſſimis rationibus idpſum probant: ut Simeon de Muis Profeſſor Ling. Hebr. Pariſienſis, animadverſ. in præf. J. Morini in Bib. Græc. Joh. D'Eſpeires Tract. 1. de auctor. text. Hebr. Dub. 3. contra Tannerum. Probant vero ex textu & Verſ. Samaritica, (quæ iiſdem literis ſcribuntur, quibus Textus Hebraicus: nec enim puncta unquam habuere Samaritani, & tamen ſine ambiguitate, tam ab ipſis, quam a nobis, eorum codices leguntur,) & ex codicibus, Syriacis, Arabicis, Perſicis, Rabbinicis, &c. non punctatis: in quibus tamen tum ab ipſis, tum a mediocriter inter nos doctis, libri ſacri aliique leguntur, ſenſuſque certus, ut ex codice punctato, elicitur. Et licet Arabes notas tantum tres pro omnibus vocalibus, & accentuum nullas, adhibeant; ex uſu tamen, & paucis regulis, tam certa ac indubitata lectio comparatur, ac ſi omnes vocales Maſorethicas uſurparent. Teſtatur Elias Lev. præf. in Maſ. Hammaſ. ſe *Romæ vidiſſe tres Chaldæos pueros, pſalterium Davidis lingua Chaldaica ſcriptum ſine punctis expedite legentes.* Dicit etiam Galat. *apud Chaldæos Scripturam doceri in ſcholis abſque punctis, quæ ab omnibus legitur ſine hæſitatione.* Ad argumentum vero reſpondeo, dictiones ſine punctis vocalibus, quæ in ſe ſpectatæ ambiguæ ſunt, & varie legi poſſunt; in contextu certum & determinatum ſenſum habere, a quo in lectione diſcedere non licet, nec eum pro arbitrio rejicere: contextus enim, ſive antecedentia & conſequentia, ambiguitatem tollunt plerunque. Si vero adhuc vox ſit ambigua, ita ut ex orationis ſerie & ſtructura determinari non poſſit: uſus tamen, & conſuetudo ſive traditio univerſalis a majoribus accepta, omnem tollit ambiguitatem. Si vero adhuc ſit ambigua, & vox a variis varie lecta ſit, (quod interdum, licet rariſſime, nec in rebus alicujus momenti, accidit,) ibi ad codices antiquiores aliaque media reſpiciendum eſt, de quibus diximus in Variis lectionibus. Exemplum in caſu primo ſit, Ex. 18. 15. ubi ſcriptum eſt ויאמר משה לחתנו *Et dixit Moſes ad ſocerum ſuum;* ſingula verba per ſe ſpectata ſenſum alium admittere poſſunt: nam primum legi poteſt cum punctis, vel וַיֹּאמֶר vajomer, *& dixit,* vel וַיֵּאָמַר vajeamar, *et dictum fuit:* ſecundum legi poteſt מֹשֶׁה Moſche, *Moſes,* vel מָשָׁה Maſcha, *extraxit:* tertium itidem legi poteſt לְחֹתְנוֹ lechotheno, *ad ſocerum ſuum,* vel לַחֲתָנוֹ *ad generum ſuum.* Licet vero voces non punctatæ ambi-

guæ ſint, orationis tamen ſeries ambiguitatem tollit. Si legas, *Et dixit Moſes ad generum ſuum*, erit falſum; quia Jethro erat Moſes ſocer, non gener : ſi vero legas, *Et dictum eſt, Extractum eſt ad generum ſuum*, abſurda erit lectio, quæ nullum parit ſenſum. Ergo neceſſario legendum eſt, *Et dixit Moſes ad ſocerum ſuum.* Multa talia dari poſſunt. Si vero adhuc vox maneat ambigua, & ſenſum duplicem habeat, reſpiciendum eſt ad codices optimos & vetuſtiſſimos, ad Eccleſiæ uſum & conſuetudinem, quomodo legerunt veteres Eccleſiæ Patres, vel antiquæ verſiones ab Eccleſia probatæ, vel quænam lectio ab Eccleſia hodie recepta ſit. Tandem & hoc notandum, Maſorethas, dum puncta invenerunt, non novos vocalium ſonos, vel pronunciationem novam induxiſſe; ſed juxta conſuetudinem ipſis traditam libros ſacros punctaſſe: ideoque lectionem non ab ipſis pendere, licet ipſi apices excogitarunt; nec ideo veram eſſe lectionem, quia eſt a Maſorethis: ſed quia verum Sp. S. ſenſum exprimit, quem ſcriptoribus ſacris dictavit, & per eos literis conſignavit, quemque tum Judæi, tum Chriſtiani conſervarunt. Non enim punctarunt Maſorethæ ſacros codices pro arbitrio; ſed ſecundum veram & receptam lectionem, quam diligenter poterant, puncta appoſuere. Ipſos vero plerumque recte punctaſſe liquet, tum ex antiquis Verſionibus ante puncta affixa factis, quarum lectio cum hac Maſoretharum in omnibus, quæ ad fidem & mores ſpectant, concordat; ut Græca, Chaldaica, Syriaca: tum ex eo quod Textus punctatus non tantum apud Judæos, ſed etiam apud Chriſtianos tam Romano-Catholicos, quam Proteſtantes, publice acceptus & approbatus ſit, & ubique imprimitur. Ex dictis itaque conſtat vanitas hujus objectionis. Nam licet punctatio ſit Maſoretharum inventum, & humani juris quoad apices & figuras: non tamen ſequitur, ſenſum Scripturæ lubricum & incertum eſſe, vel ab Eccleſiæ arbitrio pendere; ſed quod per puncta ſignificatur, vocalium ſcil. ſonum & verborum ſenſum, divinæ prorſus auctoritatis eſſe, Deumque ſolum auctorem agnoſcere.

52. Objiciunt ex libro Zohar, libro Cabaliſtico omnium antiquiſſimo, expreſſam in illo fieri punctorum mentionem ſub iiſdem nominibus, quibus hodie appellantur. Auctorem hujus libri faciunt quidam, R. Simeonem filium Jochai, qui mortuus eſt circa annum Chriſti 120. Imo quidam Chriſto antiquiorem faciunt. Vulgus Judæorum putat, ſcriptum eſſe in ſpelunca, ubi ob metum Romani Imperatoris delituit Simeon cum aliis Rabbinis. Hiſtoriam fabulis refertam habemus in Talm. tract. de ſabb. cap. 2. Impreſſus eſt Cremonæ anno Chriſti, 1555. poſtea Cracoviæ 1603. Inter alia, hæc leguntur, f. 110. *Puncta & vocales ſunt traditio Moſis de monte Sinai*: & fol. prox. *Motiones accentuum omnes firmatæ ſunt per manum Moſis*: nominatim vero memorat Sægol, Tſere, Chireck. &c. & fol. 262. *dictiones abſque punctis ſunt ſicut mulier abſque veſtimento, quæ non poteſt prodire in publicum.* Et fol. 28. *non eſt ſubſiſtentia aut lux ullis literis ſine luce punctorum: & totum illud traditum eſt per ſecretum legis in Sinai.* Hujus quidem libri ſi tanta eſſet antiquitas, res conclamata eſſet. At commentitiam eſſe iſtam antiquitatem, & falſo iſti R. Simeoni librum adſcriptum eſſe, certum eſt: idque agnoſcunt præcipui punctorum defenſores. D. Buxtorfius expreſſe tum in Bibliotheca Rabbinica, verbo זוהר tum in Abbreviat. in רשבי ejus auctoritatem elevat: ſcribit enim ex R. Gedaliah in Schalſ. *R. Simeonem, & ejus filium* R. *Eliezerem nihil ſcripſiſſe de libro Zohar, qui hodie eſt in manibus noſtris, ſed diſcipulos ejus, & diſcipulos diſcipulorum ejus, ſcripſiſſe eum in foliis multis, & tantam fuiſſe molem hujus compoſitionis, ut totam vix camelus ferret.* Exiſtimat vero D. Buxtorf. non innotuiſſe ante annum Dom. 1240, quia R. Nachman, & R. Aſcher, qui circa id tempus vixerunt, nondum cognoverant. Et addit, *Hoc fabuloſum omnino videri: deinde incredibile eſſe, quia poſt mille demum annos & amplius, innoteſcere primo cœpit liber iſte. Qua ſchola in Ægypto tamdiu duravit, ut eum tot ſeculis ab hominum manibus ſecluſum, a vermibus & obliteratione conſervaret?* Citat etiam Librum Juchaſin. fol. 52. dicentem, quod *ut Liber Perke nomen habeat Eleazaris, quum tamen poſteriores fecerunt ejus capita: ſic liber Zohar cognomen Simeonis, & liber Jetzira cognomen habet Abrahami patriarchæ noſtri, &c.* Poſtea ad illud, quod a Simeonis diſcipulis profectus ſit, reſpondet Buxt. *quanta annorum ſerie, aut quot ſeculorum connexione illi telam iſtam pertexerint, ſic ut ad mille annos incognitus fuerit?* Quis itaque credat hunc librum ſcriptum eſſe tot annorum centuriis ante Talmud, qui tam aperte de punctis vocalibus mentionem injicit, quorum in Talmude, omnibus fatentibus, altum eſt ſilentium: cumque in tota Maſora alia vocalium nomina non occurrant, quam Camets & Patach, fatente D. Buxt.? Certe Arnoldus Bootius, ut antea dixi, qui ſententiam ſuam de punctorum antiquitate mutavit, fatetur ſe *deceptum fuiſſe prætenſa antiquitate libri Zohar.* Præterea nihil frequentius apud Judæos, quam libros recentes ſub veterum nominibus publicare, ut ipſis auctoritatem concilient: ut ait idem R. Abrah. Zac. auctor libri Juchaſin: interpolare etiam, & quædam pro libitu inſerere ipſis ſolenne eſſe, omnes norunt. Et in Targum mutata eſſe a poſterioribus quædam locorum nomina, urbium, &c. antiqua, pro quibus alia recentiora ſubſtituta ſunt, obſervarunt viri docti. Teſtatur Helvicus, de Chald. Paraphr. cap. 2. ſe habere exemplar partis Talmud, qua uſus fuit Judæus quidam, qui paſſim illud in propriis nominibus correxit, aliaque nomina ſubſtituit. Pro Samaritanis & Perſis ſemper ſubſtituit Gentiles ſive Chriſtianos; pro urbe ponit Romam; pro dominantibus, Romanos; pro incredulo, Cæſarem; pro Ægyptiis, populos mundi, & alicubi Chriſtianos. Sic Romani, Roma, & Italia nominantur, Targ. Hieroſ. in Num. 24. quorum tamen nullum extat in eo, quod Venetiis impreſſum eſt. Ad eundem modum probabile eſt, Judæum quendam, cum librum Zohar deſcriberet, nomina punctorum vocalium inſeruiſſe, ut hujus libri auctoritate punctorum antiquitatem lectori ſuaderet. Sed non neceſſe eſt huc confugere, cum certum ſit, librum iſtum poſt puncta inventa longo tempore ſcriptum eſſe.

53. Loca etiam quædam proferunt ex Talmude, ubi mentio fit accentuum & verſiculorum. Tract. de votis. c. 4. ſect. 3. in Gemara, & in tract. Megill. c. 3. in Miſchna. At ex iis, quæ diximus, liquet, hæc parum valere: nam ante puncta eodem modo textum lectum fuiſſe quoad vocales & accentus, concedimus; eaſdemque pauſas fuiſſe, quæ poſt punctationem. Non enim punctarunt Maſorethæ Biblia pro arbitrio, ſed ſecundum lectionem & pronunciationem, quam a majoribus habuerunt; quamque a ſacris ſcriptoribus primo traditam credidere. Accentus itaque habuiſſe, non negatur: at eorum notas ſive figuras habuiſſe, probandum erat. In Syriaca, Arabica, aliiſque linguis, norunt iſtarum periti, ubi ſyllaba attollenda eſt, ſive ubi accentus eſſe debet: at accentuum nullas notas, nullas figuras habent, ut nec in aliis pleriſque linguis: & de Græca ſupra probavimus, accentus apponi non ſolere, niſi longo tempore, poſtquam deſiit eſſe vernacula. De verſiculis idem dico: licet per puncta, quæ hodie in uſu, non diſtinguebantur, norunt tamen docti ex contextu, ubi verſiculi incipiebant, vel terminati ſunt. In MS. noſtro Græco Alexand. τῶν ο, nulla eſt diſtinctio vocum; (nedum verſuum,) ſed tantum ſectionum quarundam: optime tamen norunt iſtius ſeculi viri docti, tum dictiones, tum verſiculos ſive periodos ex orationis contextu a ſe invicem diſtinguere. Sic norunt hæc Hebræorum docti ante punctationem: alias nullum memoriæ vel ingenii laudem reportaſſent, qui alios hæc docebant; cum ſtupidus quiſquam ignorare non poterat, ubi verſus finiri debeat, ſi modo ſignati eſſent, ut hodie videmus. At objiciunt ex Talmude, mentionem fieri vocum 15. quæ ſuperne punctatæ ſunt, in quibus myſteria ineſſe volunt Judæi, quæ nemo adhuc explicare potuit. At cum iidem qui hæc objiciunt, fateantur, hæc non ad puncta vocalia pertinere, nec per iſta puncta, accentus vel vocalia deſignari; non opus eſt iis immorari: de quibus plura, Proleg. de Maſora.

54. Ex notis Maſorethicis etiam arguunt, in quibus frequens eſt vocalium, & accentuum mentio: obſervarunt enim Maſorethæ multa vocabula, quæ anomalωs & contra regulas punctantur. Hinc colligitur Maſorethas non auctores fuiſſe punctationis, ſed formas iſtas anomalas, quas in exemplaribus ante punctatis invenerunt, ſpecialiter annotaſſe: ergo Maſorethæ non erant punctorum auctores. Sed ad hoc ex ſupra dictis facile eſt reſpondere: unde licet aliquibus Achillæum videatur; præcipui tamen ejuſdem ſententiæ patroni, hoc argumentum, ut & reliqua ex Talmude petita, plane omittunt: nec ſine cauſa. Nam, ut ſupra oſtendimus, non ab uno aliquo auctore, nec uno ſeculo perfecta eſt Maſora; ſed a variis iſtiuſmodi Criticis incœpta, & per multas centurias continuata eſt, ita ut cum priores puncta adjicerent, poſteriores obſervationes ſuas circa punctationem vocum quarundam irregularium & anomalarum addiderint; aliis ſemper novi aliquid adjicientibus eorum obſervationibus, qui præceſſerint. Vnde facile fieri potuit, ut priores Maſorethæ de verſiculis, literis, vocibus, &c. notas conficerent, quas alii poſtea auxerunt: & poſtquam puncta affixa fuerant, poſteriores Maſorethæ, qui criſim ſuam exercebant, (omnes textus voces, ſyllabas, literas, una cum punctis, ad examen revocando,) obſervationes etiam facerent circa voces anomalωs punctatis. Mihi enim probatur eorum ſententia, anomalam iſtam vocum punctationem, ab iis, qui puncta primo textui addiderunt, non conſilio, ſed caſu factam fuiſſe, ex incogitantia ſcil. vel inadvertentia: ita ut inter innumeras, quas punctarunt, voces, paucæ illæ eorum diligentiam effugerint: poſteriores vero, qui omnia minutim recenſuerunt, & obſervationes novas confecerunt, cum voces quaſdam anomalωs punctatas animadverterent, & in omnibus fortaſſe codicibus, quos conſulebant, invenerint, reverentia (vel ſuperſtitione potius) in anteceſſores ducti, (quorum diligentiam nihil effugiſſe crederent,) quod ab ipſis caſu & errore primo factum fuit, ipſi certo conſilio factum exiſtimabant; & cum nihil mutare auderent, notas ſuas de iſtis Anomaliis in Maſoram conjecerunt. Dici etiam poteſt, primos punctatores in punctatione ſua, uſum & conſuetudinem pronunciandi & legendi, prout a magiſtris edocti fuerant, (quorum effata tantum non pro oraculis æſtimarunt,) ſecutos eſſe contra Analogiam Grammaticam: poſteriores vero, cum voces iſtas immutatas viderent, intactas reliquiſſe, & cenſuram ſuam addidiſſe.

55. Rationes etiam quaſdam ex hiſtoria Judæorum depromptas proferunt. Primo, quod ex hiſtoria Judaica conſtat, ſcholas & earum rectores Babylone per mille annos poſt urbis excidium continuatas fuiſſe: nulla vero fit mentio ſcholarum Tiberienſium, ex quibus punctatores Maſorethæ, poſt annum Chriſti 340. Secundo, rei tam memorabilis, ac punctorum vocalium inventio, nullum reperitur in hiſtoria Judaica veſtigium: certe qui utriuſque Talmudis meminere, & quibus auctoribus, & quo tempore confecta ſint, diligenter annotarunt, de hoc inventa admirando non tacuiſſent. Tertio, Babylonici Doctores, qui florebant in magna gloria, & fama ſua ſcholas Palæſtinorum obſcurarunt, hujus ſtudii gloriam Tiberienſibus eripuiſſent. Quarto, nullum extat teſtimonium Babyloniorum, apud quos fere omnis Judaicæ doctrinæ culmen, de conſenſu & approbatione ſua hujus Palæſtinorum inventi: quod certe publicum aliquod totius ſynagogæ teſtimonium merebatur. Ad hæc breviter reſpondetur; Judæos in hiſtoria propria, ob exilia & diſperſiones frequentes, peregrinos eſſe; & poſt excidium vix aliquem hiſtoricum fide dignum habuiſſe. Hoc omnibus notum, nec a Judæis negari poteſt. Unde maximus Grotius in Matth. 24. 24. affirmat, *Judæos eſſe peſſimos hiſtoriæ magiſtros: nam ex quo patria expulſi ſunt, omnis apud illos hiſtoria craſſis erroribus & fabulis eſt inquinata: quibus proinde nihil credendum eſt, niſi aliunde teſtes accedant.* Pauca hic illic in Talmude interſperſa ſunt, ſed innumeris fabulis mixta: & quæ de ſcholis Babylonicis, & Rectorum & Rabbinorum ſucceſſionibus per mille annos referuntur, viris doctis valde ſuſpecta ſunt: cum auctores, qui hæc recenſent, recentiores ſint; nec ulla habeant gentis ſuæ certa monumenta, ex quibus iſta deducunt. Nec multum refert, an a Tiberienſibus, an ab aliis puncta inventa fuerint; modo divinis ſcriptoribus non adſcribantur, ſed ad poſt-Talmudicos referantur: quod ſupra probavimus. Nec potuit in hiſtoria ipſorum aliquid de hoc invento apud Tiberienſes extare, cum vix quicquam habent de rebus ſuæ gen-

tis in Palæſtina tunc temporis geſtis ab aliquo Hiſtorico conſcriptum. Extitiſſe vero ſcholam celebrem apud Tiberienſes, ex Chriſtianis ſcriptoribus colligitur, & ab ipſis Antagoniſtis conceditur. Fatentur enim, Maſorethas Tiberienſes, non punctorum quidem auctores; reſtauratores tamen fuiſſe: qui punctationem neglectam & corruptam correxerint, voces punctatas ſub cenſura revocarint, & judicium ſuum de iis per notas ſuas Maſorethicas tulerunt; denique, quod in ordinem hodiernum reduxerint: quod plane contra ipſos demonſtrat, ſcholas Tiberiade extitiſſe; & tamen de hoc præclaro facinore Babylonii ipſis litem non moverunt, nec ex certa aliqua hiſtoria Judaica hæc probant. Imo ex ſcriptoribus Chriſtianis certum eſt, circa illud tempus ſcholas fuiſſe celebres Tiberiade. Epiphanius, qui prope annum quadringenteſimum floruit, meminit ſcholæ & Patriarchæ Judæorum Tiberiade; & affirmat, *res Judæorum ibi, & in aliis locis Paleſtinæ, fuiſſe florentes*: & Hieronymus ſua ætate teſtatur, *ſe inter alios præceptores, habuiſſe unum* Rabbi*num celebrem Tiberienſem, qui apud ſuos in magna admiratione fuit.* Imo agnoſcunt omnes, Ben Aſcher, qui Biblia & punctationem recenſuit, poſt annum Chriſti milleſimum in Palæſtina vixiſſe: unde omnes Occidentales Judæi ejus lectionem ſequuti ſunt. Sive vero Tiberiade vixerint Maſorethæ, & tamdiu eorum ſchola duraverit; ſive alibi in Paleſtina degerint, & Tiberiade ob hoc negocium confluxerint, haud multum refert. Scholam tamen iſto tempore, quo puncta inventa ſunt, Tiberiade extitiſse, ex Judæorum ſcriptis multo probabilius colligitur, quam non extitiſse: de quo nullum auctorem proferunt. Præterea multi ſunt præclarorum inventorum auctores, de quibus tempus ignoratur, quando vixerint; nec de iis aliquid in hiſtoriis ſuorum temporum proditum eſt. Quis pyxidis nauticæ primum inventorem certo nominare poteſt? De arte Typographica, inventione præclara, & vix ante 200 annos in uſu, diſputant, quiſnam primus auctor. Tubi optici ſive Teleſcopii, cujus ope tot miranda in cœlo deteguntur, quod noſtra memoria prodiit, certus auctor ignoratur. Galilæus enim licet illud multum excoluit, primus tamen ejus non fuit inventor. Et, ut propius ad rem, de qua agimus, accedamus, dicant nobis, quis primus ſpiritus & accentus libris Græcis appoſuit, & tam apud Græcos, quam Latinos alioſque, comma, colon, & periodum, eorumque notas, ad diſtinctionem ſententiæ uſurpavit: quæ tamen maxime utilia, & tantum non neceſſaria, nemo non agnoſcit. Quiſnam apud antiquos, libros Novi teſtamenti, & quoſdam veteris in ϛίχους primo diviſit? Quin & de eo, quod nuper in uſu cœptum, dubitant nonnulli, quis primus Biblia Latina & Græca per verſus primo partitus ſit. Videmus in iis, quæ paucis abhinc annis inventa ſunt, quam difficile ſit authores certo deſignare. Hæc vero nullo publico decreto egebant, cum manifeſta utilitas inde emergens, ut apud omnes ſtatim reciperentur, effecit. Idem de punctis vocalibus dici poteſt: non neceſſarium erat aliquod publicum Synagogæ decretum pro eorum uſu & receptione apud Judæos, cum evidentem utilitatem inde exurgentem omnes agnoverint: ut nec tale aliquod decretum editum legimus pro lectione Ben Aſcher, quæ tamen apud omnes Occidentales recepta eſt, & hodie in uſu.

56. Quæ ſequuntur leviora ſunt, eaque breviter perſtringam. 1. Dicunt, Muſicam antiquitus in Templo uſurpatam, qua Pſalmos & Cantica pſallebant, ſine notis muſicis fieri non potuiſſe; nec artem hanc memoriter tradi potuiſſe: cum vero de aliis notis nullibi fit mentio, neceſſarium eſt, accentus, inſtar notarum iſtius Muſicæ, fuiſſe. 2. Dominus, Matth. 5. 18. loquitur de apicibus legis, quos volunt fuiſſe puncta vocalium. 3. Adferunt generalem Judæorum conſenſum, qui omnes, uno excepto Elia Levita, puncta referunt ad Moſem, vel ad Eſdram: quod argumentum licet ab aliquibus in prima acie ante reliqua, ut omnium firmiſſimum collocetur; ego tamen tanquam omnium infirmiſſimum loco ultimo ponendum duxi. Qui vero, quæ ſuperius a nobis dicta ſunt, perlegerit, non multum de reſponſione ad hæc laborabit. Nam primo, cum fateantur omnes (unico excepto Lyræ Davidicæ auctore) Muſicam & Proſodiam antiquam periiſſe funditus, & hodie ignotam eſſe; quis pro certo affirmare poſſit, accentus hodiernos fuiſſe iſtius Muſicæ notas, quorum uſum Muſicum prorſus ignorant? Dein, cur non poſſet iſta Muſica ſuis notis appoſitis addiſci? Nam, ut lectionem & pronuntiationem veram habere poterant ſine punctis; ſic etiam Muſicam modulationem ſine accentuum notis: præſertim cum probabile ſit, Muſicam & Proſodiam iſtorum temporum valde rudem & imperfectam fuiſſe, reſpectu ejus artificii, quod hodie cernimus. Præterea, ut ſupra diximus, non tantum libri Poetici & Cantica iſtis accentibus inſigniuntur, ſed omnes libri reliqui: quod aperte oſtendit, eos Muſicæ modulationi non inſerviiſſe. Ad ſecundum quædam ſupra diximus: & cum fatentur viri alterius ſententiæ doctiſſimi, de his verbis Chriſti ſe cum nemine contendere velle; annon apiculi & coronulæ, de quibus ſupra, per κεραίας intelligantur? Apponam tamen Cl. Grotii verba in Lucam; *Certum eſt* (inquit) *hoc eſſe* παροιμιῶδες, *qualia ſunt pleraque e Domini noſtri ſermonibus deſumpta; & neceſſe eſt id adagium ex ſcribendi ratione, quæ tum vigebat, originem duxiſſe: unde ſequitur, jam tum in lingua Hebraica, Jod literam minorem locum occupaſſe, quam literas cæteras: ac proinde eos characteres, quos ſicli præferunt, jam Chriſti tempore uſurpari deſiiſſe; & in uſu fuiſſe, quas habemus, Aſſyriacas, ab Eſdræ, ut creditur, temporibus ſcribi Hebræis cœptas.* Κεραίας autem nomen a quibuſdam ad puncta vocalia trahitur: ſed idem eſt, quod *Apex* Latine. Apices literarum, *ipſos literarum ductus aut partes* dixit Gellius: & hinc nata tranſlatio, de juris apicibus diſputare. Etiam Ariſtides de Græcorum legibus agens, dixit νόμου κεραίαν. In gloſſis veteribus Apex, κεραία γράμματος ἄκρον: ſed & apud Plutarchum, Dionem, Chryſoſtomum, Philonem Judæum, Clementem Alexandrinum, & in Pſeudo-Sibyllinis extat vox κεραία eo ſenſu. *Apice literam Daleth a Reſch differre*, dixit Hieronymus; Eundem, ni fallor, ſenſum recipit خط quod hic poſuit Arabs. Libros vero poſt Eſdram ſine punctis vocalibus ſcribi ſolitos, adeo perſpicuis argumentis a viris harum rerum doctiſſimis demonſtratum eſt, ut id amplius inficiari, non niſi pertinacium ſit. Ad tertium ſatis diximus, cum de characterum hodiernorum novitate diſſeruimus. Hic addendum, Judæorum conſenſum nihil valere, cum rationes apertæ in contrarium adferuntur; ipſique, ut ſupra innuimus, nihil non fingunt & mentiuntur, quod ad gloriam ſuæ gentis facere poſſit. Nec tamen generalem horum conſenſum habent, ut ex doctiſſimorum inter ipſos teſtimoniis, & praxi ipſorum antiqua ac hodierna in Synagogis oſtendimus. Si hoc vero argumentum valeret, omnia eorum deliria & nugamenta, ut veriſſima, recipienda eſſent. Tota Cabala, & lex oralis, cujus partem faciunt punctationem: omnes etiam ipſorum traditiones & ritus ſuperſtitioſi, quos Dominus in Evangelio damnavit, pro oraculis divinis habendi: nam in Talmude omnes reperiuntur; & apud Judæos, omnes de iis dubitare nefas ducunt. Totam enim legem oralem & traditiones Talmudicas, (ineptas licet, fabuloſas, & impias,) verbo ſcripto æquant. Hæc de literis & punctis Hebraicis.

PROLEG. IV.

De Bibliorum Editionibus præcipuis.

1. *De Editionibus Bibliorum in genere. Earum cauſæ.* 2. *De Editione Eſdræ & virorum magnæ Synagogæ.* 3. *Omnia exemplaria ante Eſdræ inſtaurationem non periiſſe.* 4. *Eſdræ* αὐτόγραφον *non extare.* 5. *Poſt Eſdram non fuiſse alios libros in Canonem Vet. Teſt. receptos.* 6. *De N. Teſt. Editione.* 7. *De Editione Maſorethaꝛum Tiberienſium.* 8. *De codicibus apud Judæos celebribus. De Hilleliano.* 9. *De codicibus Ben Aſcher & Ben Naphtali.* 10. *De codice Sinai.* 11. *De Pentateucho Hierichuntino.* 12. *De MSS. Hebraicis antiquis inter Chriſtianos.* 13. *De Origenis Hexaplis, &c.* 14. *De Editionibus ſuperioris et noſtri ſeculi. De Bibliis Complutenſibus. Venetis. Regiis. Munſteri. Hutteri. Stephani. Buxtorfii. Pariſienſibus Heptaplis.* 15. *De Editionibus Bibl. Heb. in forma minori.* 16. *De Editionibus Novi Teſt. Hieronymi. Eraſmi. Complutenſium. Stephani. Bezæ. De prima Bibliorum impreſſione, ſcil. Vulg. Lat. Mogunt. anno,* 1472.

1. UT magnum & ineffabile erat divinæ bonitatis argumentum, voluntatem ſuam de ſalute humana, primo per homines θεοπνεύϛοις ſcripto conſignare, quo melius doctrina cœleſtis contra temporum injurias conſervari poſſet: ſic, poſtquam ſacrorum ſcriptorum αὐτόγραφα vetuſtate conſumpta perierant, (ἀπόγραφα vero omnia ab hominibus errori obnoxiis deſcripta ſunt,) non minus invigilavit Divina providentia, ne in exemplaria Sacra quicquam irreperet, quod vel fidem labefactaret, vel ſaluti officeret; ſed ut ſanctiſſima hæc ſalutis humanæ monumenta ſarta tecta in omne ævum durarent. Eccleſia enim Chriſti, (cui concredita ſunt oracula cœleſtia, quam conſtituit Deus columnam & firmamentum veritatis, & cui ſe ſemper adfuturum promiſit Dominus uſque ad conſummationem ſeculi,) ſemper habuit viros doctrina ac pietate claros, qui ſitum & ſqualorem, quem ex frequenti exemplarium deſcriptione, ſcribarum oſcitantia vel audacia, & Rectorum Eccleſiæ inadvertentia, divina volumina contraxerant, emacularent; & per collationem antiquorum codicum, aliaque media, priſtino nitori reſtituerent. Hinc ſæpius novæ editiones adornatæ, (præſertim hoc ultimo ſeculo,) in quibus nullum non adhibuit diligentiam Eccleſia, ut ſacrum hoc depoſitum cuſtodiret, & doctrinam in eo conſignatam, prout ab ipſo authore eam acceperat, poſteris, (quantum fieri potuit) puram & incorruptam traderet. Haud inutile itaque judicavimus, celebriores Bibliorum editiones, quæ variis ſeculis, (præſertim hoc ultimo,) prodierunt, enumerare; & quid in ſingulis præſtitum ſit, breviter indicare. Primo autem dicemus de Editionibus, quæ factæ ſunt in linguis Originalibus, quibus Scripturæ primum conſcriptæ ſunt: poſtea de verſionibus ex fontibus in alias linguas traductis.

2. Prima & maxime celebris librorum Veteris Teſt. Editio, erat illa Eſdræ (quem alterum Moſem vocant Judæi) & Synedrii magni, ſive virorum magnæ Synagogæ, poſt reditum a Babylone. Nam cum toto Captivitatis tempore negligenter ſervata fuerint Sacra Volumina, quia nec erat Templum nec Tabernaculum, ubi authentica exemplaria erant depoſita; codices ex variis locis collegerunt, ordinarunt, & in unum corpus redegerunt Eſdras, & ſocii: quæ vitiata erant, repurgarunt, & integritati ſuæ reſtituerunt: & ſic Canonem conſtituerunt. Erat vero hæc ipſorum conſtitutio divinæ prorſus auctoritatis, cum in iſto Synedrio eſſent non tantum Eſdras, ſed & Prophetarum ultimi, Haggæus, Zacharias, Malachias, & (ut quibuſdam videtur) Daniel: qui omnes partem Canonis ab ipſis ſanciti inſtinctu divino prius ſcripſerant. Libri vero hi primum in 24. volumina diſtributi erant, ut aſſerit El. Lev. Præf. 1. in Maſ. Hammaſor. & Buxtorf. comment. Maſoreth. c. 11. Compendii vero cauſa, & ad juvandum memoriam in libros 22 ab ultima antiquitate diſtincti, juxta numerum literarum Hebraicarum. Sic Joſeph. in Appion. l. 2. Euſeb. Hiſt. Eccleſ. l. 3. c. 10. Hieronym. in Prolog. Galeato, & alii. Rem totam dilucide explicat Sixtus Senenſ. Biblioth. l. 1. p. 2. cujus verba ſunt, *Apud Judæos libri ſacri, qui ſoli in auctoritate habentur, triplici numerorum varietate ſupputari ſolent.* 1. *Quidam, inter quos Joſeph. et Philo, ſupputarunt libros ſacros juxta numerum literarum Hebraicarum: ut, ſicut apud Hebræos duæ et viginti ſunt literæ, quibus omnia, quæ dici ſcribique poſſunt, comprehenduntur; ita viginti duo volumina ſunt, quibus continentur omnia, quæ de divinis rebus ſcribi et enunciari queant: quam enumerationem ſecuti ſunt inter Chriſtianos, Origenes,*

Epiphanius, Gregorius Theologus, Hieronymus, Ruffinus. 2. *Alii ex Judæis, (de quorum numero ſunt Aben Ezra, et D. Kimchi,) 24. libros Vet. Teſt. recenſent, juxta eundem literarum numerum, ter tamen repetita litera Jod, in honorem divini nominis. Solent enim Judai nomen Dei quadriliterum (quod apud ipſos propter Dei reverentiam lingua et voce proferre nefas eſt) triplicata litera Jod, Chaldaico more, conſcribere, hoc modo* ייי. *Hanc partitionem nonnulli veterum Græcorum, quod aptiſſime conveniret numero 24 Græcarum literarum, ſuſceperunt: et Latinorum plerique, tam priſci, quam recentiores, pari ſtudio complexi ſunt, reſpicientes ad myſticum illum numerum 24 ſeniorum in Apocalypſi, &c. Rurſus Hebræorum nonnulli 27. libros numerare conſueverunt, juxta numerum 27 characterum Judaicorum, additis 5 literis finalibus.* Hactenus Sixt. Seneſ. Inter hos non numerantur libri, Eſdræ tertius, Tobiæ, Judith, Baruch, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Macchabæorum; nec additamenta ad Eſtheram & Danielem: quod extra controverſiam eſt, cum eorum aliqui longo poſt tempore conſcripti ſint, ut ex Joſepho & aliis patet: unde & in Canonem fidei recepti non fuerint. Tamen ex eodem Joſepho conſtat, eoſdem pro libris Sacris, a ſubjecta ſcil. materia, habitos, & omnibus aliis ſcriptis humanis prælatos. Nam contra Appionem loca quædam profert ex his ſub nomine librorum Sacrorum: unde & a primis Chriſtianis recepti ſunt, & cum reliquis Scripturæ libris, in uno eodemque volumine ſemper conjuncti, & inter libros Eccleſiaſticos relati: quo nomine olim ab Apocryphis ſive libris fictitiis (in quibus falſa vel impia,) diſtinguebantur: licet aliquando ſub hoc nomine apud Hieronym. & alios veterum notentur. Idcirco eos in Eccleſiis publice legi, permiſſum ſemper fuit: qui honos Apocryphis proprie dictis nunquam tributus eſt.

3. De his libris Vet. Teſt. opinio eſt quorundam, tam antiquorum, quam recentium, omnia exemplaria incendio Templi conflagraſſe, vel in Captivitate Babylonica periiſse: ab Eſdra vero (ſuggerente Spiritu Sancto) de novo reparata fuiſſe. Quod ex ſpurio & (ex omnium ſententia,) Apocrypho libro 4. Eſdræ adſcripto, cap. 14. probant: ubi ſcriptum eſt, Eſdram totis 40. diebus divino Sp. afflatum, quinque viris dictaſſe, qui ſumma celeritate, quæ ab eo dicebantur, excipiebant: & hoc modo totam Scripturam reparatam fuiſse. Citant etiam Baſil. Epiſt. ad Chilonem, cujus verba ſunt, *Hic campus*, ἐνταῦθα πεδίον, *in quo Eſdras, ſeceſſu facto, divinos libros ex mandato Dei eructavit*, ἐξηρεύξατο. Ejuſdem etiam ſententiæ videntur eſſe Clem. Strom. 1. Tertull. de habitu Mulier. c. 3. Irenæ. lib. 3. cap. 25. Iſid. Etymol. lib. 6. cap. 1. cum aliis. Hoc ſi verum eſſet, nihil derogaret Canonicæ verbi Divini auctoritati, cum Eſdræ prophetæ, & a Deo edocto Canonis reſtitutio adſcribatur. Nequaquam tamen admittendum eſt, cum fabuloſo nitatur fundamento; unde & impugnatur a Bellar. l. 2. de verbo Dei. c. 1. Mariana Vict. in Schol. ad Hieron. Prol. Galeatum, aliiſque plurimis. Liber enim iſte fabulas Judaicas in multis redolet: & in illo ipſo capite auctor loquitur de aliis libris ſecretis, & perfectiorem doctrinam continentibus; ut Judæi ſolent de ſua Cabala & lege orali. Præterea non erat unicum tantum legis exemplar, ſicut unica erat arca, quæ cum Templo in cineres redacta eſt: ſed tum Rex, tum populus, plura exemplaria habebant a ſcribis deſcripta, ex quibus Levitæ & ſacerdotes per tribus diſperſi populum inſtruebant; & ad hoc ex mandato divino tenebantur: imo ſtatuunt Rabbini, unumquemque teneri librum legis per ſe vel per alium deſcriptum habere. An vero probabile eſt Prophetas, Ezechielem, Jeremiam, Haggæum, Zach. Malach. Eſdram, &c. viros ſanctos, zelo legis ardentes, nulla exemplaria habuiſse? Imo de Daniele expreſſe dicitur, *eum intellexiſse ex libris numerum annorum Captivitatis, anno primo Darii.* Dan. 9: & cum populus Eſdræ dixerit, *ut legem Moſis adferret, eamque perlegeret*: non petunt, ut librum Legis de novo conſcriberet; ſed ut adferret: quia ſciebant extare. Chryſoſt. Hom. 8. ad Hebr. dicit, *ex reliquiis Scripturæ Eſram iterum eum compoſuiſse.* Sic Hilar. Præf. in Pſal. dicit, *Eſram omnes Pſalmos collegiſſe, & ex iis unum librum confeciſſe.* Theodor. etiam in Præf. in Pſal. ait, *Scripturam vetere tempore Captivitatis depravatam, ab Eſdra fuiſſe reſtitutam.* Baſil. vero per πεδίον, *plateam, ubi populus adſtabat ad legem audiendam*, intelligit; alludens ad illud Eſr. 8. & per ἐξερεύξατο, non video cur non lectionem Legis ſignificare poſsit. Ad teſtimonia vero Clem. Tertul. Irenæi, &c. negat Bellarm. *eos hoc aperte docuiſſe, ſed Eſdram tantum recenſuiſſe, & inſtauraſſe libros Vet. Teſtamenti:* nec de hiſtoria illa Eſd. 4. aliquid dicunt: potius dicerem, eos Pſeudo-Eſdræ narrationi fidem adhibuiſſe. Hieronymus Eſdram *legis Inſtauratorem* vocat, quod *codices ſacros repurgaverit, in ordinem redegerit, & adhibitis novis characteribus*, Aſſyriis ſcil. quibus populus aſſuetus erat, (*veteribus* Cuthæis ſive *Samaritanis*, hoſtibus Judæorum capitalibus, *relictis*,) *codices quaſi novos confecerit, prioribus abrogatis*: quod fortaſſe fabulæ occaſionem dederit.

4. Ipſum vero Eſdræ αὐτόγραφον quidam nimis creduli hodie extare volunt in Civitate Bononienſi, in Eccleſia S. Dominici: ſic Finus Adrianus in flagello Judæorum, lib. 4. cap. 2. Ang. Roccha in Biblioth. Vatic. p. 394. Addit Finus, *Biblia hæc multis locis vitiata eſſe, quia per communitatem Bononiæ loco pignoris data fuiſſent Judæis, a quibus pecunias mutuata eſt civitas.* Hæc vero habent ex traditione, vel potius errore populari Bononienſium. Nam ſi hoc vel probabile eſſet, quantus eſſet undique confluxus Judæorum & Chriſtianorum, ut tantum venerandæ antiquitatis monumentum conſpicerent? quanta cum cura tale κειμήλιον conſervarent? Cum vero nec in Judæorum antiquorum, nec in Chriſtianorum Patrum ſcriptis, ulla ſit mentio hujus exemplaris, plane fictam eſſe narrationem, unicuique conſtare poteſt. Unde & eam rejicit Morinus Exercit. Bibl. 1. cap. 2. Refert quidem Ar. Mont. præf. de variis Hebr. lection. *ſe hunc codicem vidiſſe*, & ut *antiquum & elegantem* laudat; ſed Eſdræ non adſcribit. Simile commentum eſt, quod habet R. Azar. cap. 4. part. 3. libri Meor Enajim, de Eſdræ codice Cabilione ad Ararim (forte Chalone in Gallia ad fluvium Saona) conſervato; & quod *Maimon ex Ægypto Cabillonem venerat, ut librum Legis cum hoc MS. Eſdræ conferret, &c*: quod merum figmentum eſſe, ipſa Azariæ relatio, ſi cuiquam locum inſpicere libeat, clare oſtendit.

5. Poſt hanc Eſdræ editionem authenticam, alias numerant quidam poſt tempora Antiochi: Nobilis vero illa 70 Seniorum verſio, de qua ſuo loco, inter editiones textus Hebræi non eſt ponenda. Genebrard. Chron. l. 2. (cui ex parte conſentit Guiliel. Bailius Catech. controverſ. append. q. 13.) duas facit editiones. Quarum prima fuit ſub Eleazare Pontifice, Simonis fratre, conventu Hieroſolymis facto de negotio vertendarum Scripturarum, in quo *videri* ait *editum ſecundum Canonem Hebræorum, additis ad libros* 22 *prioris Canonis, libris Tobiæ & Eccleſiaſtici.* Alteram refert ad Joh. Hircani tempora, *convocato concilio ad probandos Phariſæos*: & in hac confirmatos vult *libros Judith, Tobiæ, &* alios; et *Macchabæorum libros tum primum in Canonem relatos*: & ita conditum tertium Canonem Hebræorum. Bailius vero hujus tantum Canonis poſt Eſdræ tempora meminit, non multo ante Joſephum. Quæ vero de duplici vel triplici Canone ab iis dicuntur, cum nullo nitantur certo veterum teſtimonio, ſed conjecturis meris; eadem facilitate rejiciuntur, qua affirmantur. Hoc quidem certum eſt, Joſephum lib. 2. contra Appionem citare verba Eccleſ. 42, 14, ut ex divina lege deprompta: & Rabbinos in utroque Talmude, & in aliis ipſorum libris, ſententias quaſdam ex his libris proferre. Unde Junil. Afric. lib. de part. divin. legis, cap. 3. ait, *hos libros a Judæis cum aliqua differentia recipi*: idemque teſtantur Hieron. aliique veterum. Nec minus certum eſt, hos libros non æqualem cum cæteris habuiſſe auctoritatem: diſerte enim teſtatur Joſephus l. 1. contra Appionem, *præter illos* 22 *libros eſſe & alios, ſed non ſimili dignos fide.* Nam poſtquam numeraſſet libros illos 22. addit, *Ab Artaxerxe vero uſque ad noſtrum tempus, ſingula quidem conſcripta* (volumina,) *non tamen prioribus ſimili ſunt fide habita, eo quod non fuerit certa ſucceſſio Prophetarum.* Quibus verbis cauſam certam reddit, cur Canonici non ſint habiti iſti libri: quia ſcil. a Prophetis, vel viris divinitus inſpiratis, non ſunt conſcripti. Ruffinus etiam in Symb. aſſerit, *antiquitus vocatos fuiſſe Eccleſiaſticos, ut diſtinguerentur a Canonicis*; licet, ut antea dixi, tam Nazianz. quam Hieron. in prol. Galeato eos *Apocryphos* nominent. Hoc tantum affirmare audet Bonfrer. in præloq. *non fuiſſe hos libros publica auctoritate a Canone rejectos, ſed aliquam habuiſse auctoritatem:* quod quidem ad mores formandos, & hiſtoriam ſacram continuandam, non ad fidem confirmandam concedi poteſt. Fatetur etiam, *permiſſum fuiſse cuilibet de iis ſentire quid vellet: dum alii cum libris legis numerarent, alii pro piis tantum & honeſtis haberent.* Poſt Antiochi vero tempora, qui in libros ſacros ſæviebat, & omnia exemplaria comburi juſſit, Legemque a Judæis prælegi ſub pœna capitis prohibuit, (unde ortum habuerunt Lectiones prophetarum, quæ Haphtaroth vocantur,) & Templum Idolis polluit & prophanavit, (ceſſante demum perſecutione, Templo repurgato, & Religionis exercitio publice inſtaurato,) probabile quidem eſt, Pontificem cum ſacerdotibus libros ſacros recenſuiſſe, & ſi quas maculas tempore perſecutionis contraxiſſent, emendaſſe: At alium Canonem conſtituiſſe, vel alios libros in Canonem recepiſſe, nulla vel probationis umbra ab ullo fide digno Hiſtorico profertur. Cum vero ſupra Eccleſiæ poteſtatem ſit, libros Canonicos de novo conſtituere, vel pro talibus declarare; niſi quos per continuam traditionem a majoribus acceptam, pro Canonicis, & a viris Sp. S. afflatis conſcriptis, Eccleſia ſemper agnoverit: certumque ſit, Judæos non eandem his libris cum reliquis auctoritatem detuliſſe, ſed inferiori loco collocaſſe; impoſſibile eſt Eccleſiam Chriſtianam aliam poſſe ipſis conferre auctoritatem, vel altiori ſede collocare, quam apud Judæos, a quibus eos receperant, antea habiti fuere. Ut libros tamen ſanctos & pios, quibus proximus poſt libros divinitus inſpiratos locus debetur, ſemper eos recepit Eccleſia Chriſtiana.

6. Poſt Chriſti Aſcenſionem, cum ubique prædicaſſent Evangelium Apoſtoli, tandem ſcripto doctrinam ſuam conſignarunt; at non ſimul, ſed ſucceſſive, ut ex ſcriptoribus Eccleſiaſticis liquet. Ultimus S. Johannes Apocalypſim ſuam conſcripſit: quæ tamen non ſtatim apud omnes Eccleſias in Canonem recepta eſt; ſed de hac aliiſque quibuſdam partibus N. Teſtamenti per quædam ſecula dubitatum erat: donec tandem tacito totius Eccleſiæ conſenſu, potius quam expreſſo aliquo decreto, (nam inter Concilia, ut & inter Patres, dum libros Canonicos recenſent, diſcrepantia aliqua invenitur,) omnes libri, prout hodie leguntur, recepti & approbati ſint. Sed cum non de prima librorum ſacrorum ſcriptione, vel receptione, noſtra inſtituitur diſſertatio; ſed tantum de eorum editionibus præcipuis, nolo hic diutius immorari.

7. Veteris Teſt. poſt Chriſti adventum varias habuerunt editiones tam Judæi, quam Chriſtiani. Inter Judæos, nobiliſſima erat illa Maſoretharum Tiberienſium; qui ad faciliorem textus lectionem, & ut melius ſervaretur vera lectio cum recta pronunciatione, (quam uſu & majorum traditione acceperant,) puncta vocalia & accentus textui appoſuerunt circa annum Chriſti, 500: quorum ope etiam linguæ Hebraicæ ignari eam facile legere & addiſcere poſſunt. Notas etiam Criticas, cum Keri & Ketib, quæ hodie in Bibliorum marginibus cernuntur, ex parte addiderunt. Etſi vero quædam ex nimia curioſitate, quæ ſine diſpendio abeſſe poterant, excogitarunt: inventum tamen laudabile erat, & ob evidentem utilitatem ab omnibus ſtatim receptum. De hoc vero ipſorum inſtituto alibi uberius diſſeremus.

8. Codices etiam quoſdam, variis ſeculis, ſumma cura & ſtudio elaborarunt inſigniores Rabbini: per quos exemplaria reliqua corrigi & emendari poterant. Nam ante inventionem artis Typographicæ, a doctioribus Rabbinis & Grammaticis libri quidam accurate & magna diligentia conſcripti erant: ad quos, ut ad lapidem Lydium, exemplaria ſua vicini Judæi examinarunt, & correxerunt: quorum multos recenſet Elias in Tabulis fractis. Talis fuit, 1. Codex Hillelis. 2. Codex Ben Aſcher, qui etiam Palæſtinus ſive Hieroſolymitanus, ut & Ægyptius, dicebatur. 3. Codex Ben Naphtali ſive Babylonicus. 4. Codex Sinai. 5. Pentateuchus Hierichuntinus. 6. Codices Hiſpaniæ. 1. De Codice Hillelis ſcribunt Mercerus in Prov. 24. 14. Elias in Tab. fract. D. Kimchi rad. שום, D. Hottingerus Theſauro Philol. J. Morin. in Pent. Samar. exerc. 4. c. 9. & in Exer. Bibl. 1. c. 2. Codex hic ab Hillele quodam ſcriptus, & magno ſtudio correctus eſt: per quem vulgus Judæorum codices ſuos probarunt.

Hujus

tis in Palæſtina tunc temporis geſtis ab aliquo Hiſtorico conſcriptum. Extitiſſe vero ſcholam celebrem apud Tiberienſes, ex Chriſtianis ſcriptoribus colligitur, & ab ipſis Antagoniſtis conceditur. Fatentur enim, Maſorethas Tiberienſes, non punctorum quidem auctores; reſtauratores tamen fuiſſe: qui punctationem neglectam & corruptam correxerint, voces punctatas ſub cenſura revocarint, & judicium ſuum de iis per notas ſuas Maſorethicas tulerunt; denique, quod in ordinem hodiernum reduxerint: quod plane contra ipſos demonſtrat, ſcholas Tiberiade extitiſſe; & tamen de hoc præclaro facinore Babylonii ipſis litem non moverunt, nec ex certa aliqua hiſtoria Judaica hæc probant. Imo ex ſcriptoribus Chriſtianis certum eſt, circa illud tempus ſcholas fuiſſe celebres Tiberiade. Epiphanius, qui prope annum quadringenteſimum floruit, meminit ſcholæ & Patriarchæ Judæorum Tiberiade; & affirmat, *res Judæorum ibi, & in aliis locis Paleſtinæ, fuiſſe florentes*: & Hieronymus ſua ætate teſtatur, *ſe inter alios præceptores, habuiſſe unum* Rabbinum *celebrem Tiberienſem, qui apud ſuos in magna admiratione fuit.* Imo agnoſcunt omnes, Ben Aſcher, qui Biblia & punctationem recenſuit, poſt annum Chriſti milleſimum in Palæſtina vixiſſe: unde omnes Occidentales Judæi ejus lectionem ſequuti ſunt. Sive vero Tiberiade vixerint Maſorethæ, & tamdiu eorum ſchola duraverit; ſive alibi in Paleſtina degerint, & Tiberiade ob hoc negocium confluxerint, haud multum refert. Scholam tamen iſto tempore, quo puncta inventa ſunt, Tiberiade extitiſse, ex Judæorum ſcriptis multo probabilius colligitur, quam non extitiſse: de quo nullum auctorem proferunt. Præterea multi ſunt præclarorum inventorum auctores, de quibus tempus ignoratur, quando vixerint; nec de iis aliquid in hiſtoriis ſuorum temporum proditum eſt. Quis pyxidis nauticæ primum inventorem certo nominare poteſt? De arte Typographica, inventione præclara, & vix ante 200 annos in uſu, diſputant, quiſnam primus auctor. Tubi optici ſive Teleſcopii, cujus ope tot miranda in cœlo deteguntur, quod noſtra memoria prodiit, certus auctor ignoratur. Galilæus enim licet illud multum excoluit, primus tamen ejus non fuit inventor. Et, ut propius ad rem, de qua agimus, accedamus, dicant nobis, quis primus ſpiritus & accentus libris Græcis appoſuit, & tam apud Græcos, quam Latinos alioſque, comma, colon, & periodum, eorumque notas, ad diſtinctionem ſententiæ uſurpavit: quæ tamen maxime utilia, & tantum non neceſſaria, nemo non agnoſcit. Quiſnam apud antiquos, libros Novi teſtamenti, & quoſdam veteris in στίχοις primo diviſit? Quin & de eo, quod nuper in uſu cœptum, dubitant nonnulli, quis primus Biblia Latina & Græca per verſus primo partitus ſit. Videmus in iis, quæ paucis abhinc annis inventa ſunt, quam difficile ſit authores certo deſignare. Hæc vero nullo publico decreto egebant, cum manifeſta utilitas inde emergens, ut apud omnes ſtatim reciperentur, effecit. Idem de punctis vocalibus dici poteſt: non neceſſarium erat aliquod publicum Synagogæ decretum pro eorum uſu & receptione apud Judæos, cum evidentem utilitatem inde exurgentem omnes agnoverint: ut nec tale aliquod decretum editum legimus pro lectione Ben Aſcher, quæ tamen apud omnes Occidentales recepta eſt, & hodie in uſu.

56. Quæ ſequuntur leviora ſunt, eaque breviter perſtringam. 1. Dicunt, Muſicam antiquitus in Templo uſurpatam, qua Pſalmos & Cantica pſallebant, ſine notis muſicis fieri non potuiſſe; nec artem hanc memoriter tradi potuiſſe: cum vero de aliis notis nullibi fit mentio, neceſſarium eſt, accentus, inſtar notarum iſtius Muſicæ, fuiſſe. 2. Dominus, Matth. 5. 18. loquitur de apicibus legis, quos volunt fuiſſe puncta vocalium. 3. Adferunt generalem Judæorum conſenſum, qui omnes, uno excepto Elia Levita, puncta referunt ad Moſem, vel ad Eſdram: quod argumentum licet ab aliquibus in prima acie ante reliqua, ut omnium firmiſſimum collocetur; ego tamen tanquam omnium infirmiſſimum loco ultimo ponendum duxi. Qui vero, quæ ſuperius a nobis dicta ſunt, perlegerit, non multum de reſponſione ad hæc laborabit. Nam primo, cum fateantur omnes (unico excepto Lyræ Davidicæ auctore) Muſicam & Proſodiam antiquam periiſſe funditus, & hodie ignotam eſſe; quis pro certo affirmare poſſit, accentus hodiernos fuiſſe iſtius Muſicæ notas, quorum uſum Muſicum prorſus ignorant? Dein, cur non poſſet iſta Muſica ſuis notis appoſitis addiſci? Nam, ut lectionem & pronuntiationem veram habere poterant ſine punctis; ſic etiam Muſicam modulationem ſine accentuum notis: præſertim cum probabile ſit, Muſicam & Proſodiam iſtorum temporum valde rudem & imperfectam fuiſſe, reſpectu ejus artificii, quod hodie cernimus. Præterea, ut ſupra diximus, non tantum libri Poetici & Cantica iſtis accentibus inſigniuntur, ſed omnes libri reliqui: quod aperte oſtendit, eos Muſicæ modulationi non inſerviiſſe. Ad ſecundum quædam ſupra diximus: & cum fatentur viri alterius ſententiæ doctiſſimi, de his verbis Chriſti ſe cum nemine contendere velle; annon apiculi & coronulæ, de quibus ſupra, per κεραίας intelligantur? Apponam tamen Cl. Grotii verba in Lucam; *Certum eſt* (inquit) *hoc eſſe* παροιμιῶδες, *qualia ſunt pleraque e Domini noſtri ſermonibus deſumpta; & neceſſe eſt id adagium ex ſcribendi ratione, quæ tum vigebat, originem duxiſſe: unde ſequitur, jam tum in lingua Hebraica, Jod literam minorem locum occupaſſe, quam literas cæteras: ac proinde eos characteres, quos ſicli præferunt, jam Chriſti tempore uſurpari deſiiſſe; & in uſu fuiſſe, quas habemus, Aſſyriacas, ab Eſdræ, ut creditur, temporibus ſcribi Hebræis cœptas.* Κεραίας autem nomen a quibuſdam ad puncta vocalia trahitur: ſed idem eſt, quod *Apex* Latine. Apices literarum, *ipſos literarum ductus aut partes* dixit Gellius: & hinc nata tranſlatio, de juris apicibus diſputare. Etiam Ariſtides de Græcorum legibus agens, dixit νόμου κεραίαν. In gloſſis veteribus Apex, κεραία γράμματος ἄκρον: ſed & apud Plutarchum, Dionem, Chryſoſtomum, Philonem Judæum, Clementem Alexandrinum, & in Pſeudo-Sibyllinis extat vox κεραία eo ſenſu. *Apice literam Daleth a Reſch differre*, dixit Hieronymus; Eundem, ni fallor, ſenſum recipit خطه quod hic poſuit Arabs. Libros vero poſt Eſdram ſine punctis vocalibus ſcribi ſolitos, adeo perſpicuis argumentis a viris harum rerum doctiſſimis demonſtratum eſt, ut id amplius inficiari, non niſi pertinacium ſit. Ad tertium ſatis diximus, cum de characterum hodiernorum novitate diſſeruimus. Hic addendum, Judæorum conſenſum nihil valere, cum rationes apertæ in contrarium adferuntur; ipſique, ut ſupra innuimus, nihil non fingunt & mentiuntur, quod ad gloriam ſuæ gentis facere poſſit. Nec tamen generalem horum conſenſum habent, ut ex doctiſſimorum inter ipſos teſtimoniis, & praxi ipſorum antiqua ac hodierna in Synagogis oſtendimus. Si hoc vero argumentum valeret, omnia eorum deliria & nugamenta, ut veriſſima, recipienda eſſent. Tota Cabala, & lex oralis, cujus partem faciunt punctationem: omnes etiam ipſorum traditiones & ritus ſuperſtitioſi, quos Dominus in Evangelio damnavit, pro oraculis divinis habendi: nam in Talmude omnes reperiuntur; & apud Judæos, omnes de iis dubitare nefas ducunt. Totam enim legem oralem & traditiones Talmudicas, (ineptas licet, fabuloſas, & impias,) verbo ſcripto æquant. Hæc de literis & punctis Hebraicis.

PROLEG. IV.

De Bibliorum Editionibus præcipuis.

1. *De Editionibus Bibliorum in genere. Earum cauſæ.* 2. *De Editione Eſdræ & virorum magnæ Synagogæ.* 3. *Omnia exemplaria ante Eſdræ inſtaurationem non periiſſe.* 4. *Eſdræ* αὐτόγραφον *non extare.* 5. *Poſt Eſdram non fuiſse alios libros in Canonem Vet. Teſt. receptos.* 6. *De N. Teſt. Editione.* 7. *De Editione Maſorethar um Tiberienſium.* 8. *De codicibus apud Judæos celebribus. De Hilleliano.* 9. *De codicibus Ben Aſcher & Ben Naphtali.* 10. *De codice Sinai.* 11. *De Pentateucho Hierichuntino.* 12. *De MSS. Hebraicis antiquis inter Chriſtianos.* 13. *De Origenis Hexaplis, &c.* 14. *De Editionibus ſuperioris et noſtri ſeculi. De Bibliis Complutenſibus. Venetis. Regiis. Munſteri. Hutteri. Stephani. Buxtorfii. Pariſienſibus Heptaplis.* 15. *De Editionibus Bibl. Heb. in forma minori.* 16. *De Editionibus Novi Teſt. Hieronymi. Eraſmi. Complutenſium. Stephani. Bezæ. De prima Bibliorum impreſſione, ſcil. Vulg. Lat. Mogunt. anno,* 1472.

1. UT magnum & ineffabile erat divinæ bonitatis argumentum, voluntatem ſuam de ſalute humana, primo per homines θεοπνεύστους ſcripto conſignare, quo melius doctrina cœleſtis contra temporum injurias conſervari poſſet: ſic, poſtquam ſacrorum ſcriptorum αὐτόγραφα vetuſtate conſumpta perierant, (ἀπόγραφα vero omnia ab hominibus errori obnoxiis deſcripta ſunt,) non minus invigilavit Divina providentia, ne in exemplaria Sacra quicquam irreperet, quod vel fidem labefactaret, vel ſaluti officeret; ſed ut ſanctiſſima hæc ſalutis humanæ monumenta ſarta tecta in omne ævum durarent. Eccleſia enim Chriſti, (cui concredita ſunt oracula cœleſtia, quam conſtituit Deus columnam & firmamentum veritatis, & cui ſe ſemper adfuturum promiſit Dominus uſque ad conſummationem ſeculi,) ſemper habuit viros doctrina ac pietate claros, qui ſitum & ſqualorem, quem ex frequenti exemplarium deſcriptione, ſcribarum oſcitantia vel audacia, & Rectorum Eccleſiæ inadvertentia, divina volumina contraxerant, emacularent; & per collationem antiquorum codicum, aliaque media, priſtino nitori reſtituerent. Hinc ſæpius novæ editiones adornatæ, (præſertim hoc ultimo ſeculo,) in quibus nullum non adhibuit diligentiam Eccleſia, ut ſacrum hoc depoſitum cuſtodiret, & doctrinam in eo conſignatam, prout ab ipſo authore eam acceperat, poſteris, (quantum fieri potuit) puram & incorruptam traderet. Haud inutile itaque judicavimus, celebriores Bibliorum editiones, quæ variis ſeculis, (præſertim hoc ultimo,) prodierunt, enumerare; & quid in ſingulis præſtitum ſit, breviter indicare. Primo autem dicemus de Editionibus, quæ factæ ſunt in linguis Originalibus, quibus Scripturæ primum conſcriptæ ſunt: poſtea de verſionibus ex fontibus in alias linguas traductis.

2. Prima & maxime celebris librorum Veteris Teſt. Editio, erat illa Eſdræ (quem alterum Moſem vocant Judæi) & Synedrii magni, ſive virorum magnæ Synagogæ, poſt reditum a Babylone. Nam cum toto Captivitatis tempore negligenter ſervata fuerint Sacra Volumina, quia nec erat Templum nec Tabernaculum, ubi authentica exemplaria erant depoſita; codices ex variis locis collegerunt, ordinarunt, & in unum corpus redegerunt Eſdras, & ſocii: quæ vitiata erant, repurgarunt, & integritati ſuæ reſtituerunt: & ſic Canonem conſtituerunt. Erat vero hæc ipſorum conſtitutio divinæ prorſus auctoritatis, cum in iſto Synedrio eſſent non tantum Eſdras, ſed & Prophetarum ultimi, Haggæus, Zacharias, Malachias, & (ut quibuſdam videtur) Daniel: qui omnes partem Canonis ab ipſis ſanciti inſtinctu divino prius ſcripſerant. Libri vero hi primum in 24. volumina diſtributi erant, ut aſſerit El. Lev. Præf. 1. in Maſ. Hammaſor. & Buxtorf. comment. Maſoreth. c. 11. Compendii vero cauſa, & ad juvandum memoriam in libros 22 ab ultima antiquitate diſtincti, juxta numerum literarum Hebraicarum. Sic Joſeph. in Appion. l. 2. Euſeb. Hiſt. Eccleſ. l. 3. c. 10. Hieronym. in Prolog. Galeato, & alii. Rem totam dilucide explicat Sixtus Senenſ. Biblioth. l. 1. p. 2. cujus verba ſunt, *Apud Judæos libri ſacri, qui ſoli in auctoritate habentur, triplici numerorum varietate ſupputari ſolent.* 1. *Quidam, inter quos Joſeph. et Philo, ſupputarunt libros ſacros juxta numerum literarum Hebraicarum: ut, ſicut apud Hebræos duæ et viginti ſunt literæ, quibus omnia, quæ dici ſcribique poſſunt, comprehenduntur; ita viginti duo volumina ſunt, quibus continentur omnia, quæ de divinis rebus ſcribi et enunciari queant: quam enumerationem ſecuti ſunt inter Chriſtianos, Origenes,*

Epiphanius, *Gregorius Theologus*, *Hieronymus*, *Ruffinus*. 2. *Alii ex Judæis*, (*de quorum numero ſunt Aben Ezra*, *et D. Kimchi*,) 24. *libros Vet. Teſt. recenſent*, *juxta eundem literarum numerum*, *ter tamen repetita litera Jod, in honorem divini nominis. Solent enim Judæi nomen Dei quadriliterum* (*quod apud ipſos propter Dei reverentiam lingua et voce proferre nefas eſt*) *triplicata litera Jod, Chaldaico more, conſcribere, hoc modo* ייי. *Hanc partitionem nonnulli veterum Græcorum, quod aptiſſime conveniret numero* 24 *Græcarum literarum, ſuſceperunt : et Latinorum plerique, tam priſci, quam recentiores, pari ſtudio complexi ſunt, reſpicientes ad myſticum illum numerum* 24 *ſeniorum in Apocalypſi, &c. Rurſus Hebræorum nonnulli* 27. *libros numerare conſueverunt*, *juxta numerum* 27 *characterum Judaicorum, additis* 5 *literis finalibus*. Hactenus Sixt. Senenſ. Inter hos non numerantur libri, Eſdræ tertius, Tobiæ, Judith, Baruch, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Macchabæorum; nec additamenta ad Eſtheram & Danielem : quod extra controverſiam eſt, cum eorum aliqui longo poſt tempore conſcripti ſint, ut ex Joſepho & aliis patet : unde & in Canonem fidei recepti non fuerint. Tamen ex eodem Joſepho conſtat, eoſdem pro libris Sacris, a ſubjecta ſcil. materia, habitos, & omnibus aliis ſcriptis humanis prælatos. Nam contra Appionem loca quædam profert ex his ſub nomine librorum Sacrorum : unde & a primis Chriſtianis recepti ſunt, & cum reliquis Scripturæ libris, in uno eodemque volumine ſemper conjuncti, & inter libros Eccleſiaſticos relati : quo nomine olim ab Apocryphis ſive libris fictitiis (in quibus falſa vel impia,) diſtinguebantur : licet aliquando ſub hoc nomine apud Hieronym. & alios veterum notentur. Idcirco eos in Eccleſiis publice legi, permiſſum ſemper fuit : qui honos Apocryphis proprie dictis nunquam tributus eſt.

3. De his libris Vet. Teſt. opinio eſt quorundam, tam antiquorum, quam recentium, omnia exemplaria incendio Templi conflagraſſe, vel in Captivitate Babylonica periiſse : ab Eſdra vero (ſuggerente Spiritu Sancto) de novo reparata fuiſſe. Quod ex ſpurio & (ex omnium ſententia,) Apocrypho libro 4. Eſdræ adſcripto, cap. 14. probant : ubi ſcriptum eſt, Eſdram totis 40. diebus divino Sp. afflatum, quinque viris dictaſſe, qui ſumma celeritate, quæ ab eo dicebantur, excipiebant : & hoc modo totam Scripturam reparatam fuiſse. Citant etiam Baſil. Epiſt. ad Chilonem, cujus verba ſunt, *Hic campus*, ἐνταῦθα πεδίον, *in quo Eſdras, ſeceſſu facto, divinos libros ex mandato Dei eructavit*, ἐξηρεύξατο. Ejuſdem etiam ſententiæ videntur eſſe Clem. Strom. 1. Tertull. de habitu Mulier. c. 3. Irenæ. lib. 3. cap. 25. Iſid. Etymol. lib. 6. cap. 1. cum aliis. Hoc ſi verum eſſet, nihil derogaret Canonicæ verbi Divini auctoritati, cum Eſdræ prophetæ, & a Deo edocto Canonis reſtitutio adſcribatur. Nequaquam tamen admittendum eſt, cum fabuloſo nitatur fundamento; unde & impugnatur a Bellar. l. 2. de verbo Dei. c. 1. Mariana Vict. in Schol. ad Hieron. Prol. Galeatum, aliiſque plurimis. Liber enim iſte fabulas Judaicas in multis redolet : & in illo ipſo capite auctor loquitur de aliis libris ſecretis, & perfectiorem doctrinam continentibus; ut Judæi ſolent de ſua Cabala & lege orali. Præterea non erat unicum tantum legis exemplar, ſicut unica erat arca, quæ cum Templo in cineres redacta eſt : ſed tum Rex, tum populus, plura exemplaria habebant a ſcribis deſcripta, ex quibus Levitæ & ſacerdotes per tribus diſperſi populum inſtruebant; & ad hoc ex mandato divino tenebantur : imo ſtatuunt Rabbini, unumquemque teneri librum legis per ſe vel per alium deſcriptum habere. An vero probabile eſt Prophetas, Ezechielem, Jeremiam, Haggæum, Zach. Malach. Eſdram, &c. viros ſanctos, zelo legis ardentes, nulla exemplaria habuiſse? Imo de Daniele expreſſe dicitur, *eum intellexiſse ex libris numerum annorum Captivitatis*, *anno primo Darii*. Dan. 9 : & cum populus Eſdræ dixerit, *ut legem Moſis adferret, eamque perlegeret* : non petunt, ut librum Legis de novo conſcriberet; ſed ut adferret : quia ſciebant extare. Chryſoſt. Hom. 8. ad Hebr. dicit, *ex reliquiis Scripturæ Eſram iterum eum compoſuiſse*. Sic Hilar. Præf. in Pſal. dicit, *Eſram omnes Pſalmos collegiſſe, & ex iis unum librum confeciſſe*. Theodor. etiam in Præf. in Pſal. ait, *Scripturam vetere tempore Captivitatis depravatam, ab Eſdra fuiſſe reſtitutam*. Baſil. vero per πεδίον, *plateam*, *ubi populus adſtabat ad legem audiendam*, intelligit; alludens ad illud Eſr. 8. & per ἐξερεύξατο, non video cur non lectionem Legis ſignificare poſsit. Ad teſtimonia vero Clem. Tertul. Irenæi, &c. negat Bellarm. *eos hoc aperte docuiſſe, ſed Eſdram tantum recenſuiſſe, & inſtauraſſe libros Vet. Teſtamenti:* nec de hiſtoria illa Eſd. 4. aliquid dicunt: potius dicerem, eos Pſeudo-Eſdræ narrationi fidem adhibuiſſe. Hieronymus Eſdram *legis Inſtauratorem* vocat, quod *codices ſacros repurgaverit, in ordinem redegerit, & adhibitis novis characteribus*, Aſſyriis ſcil. quibus populus aſſuetus erat, (*veteribus* Cuthæis ſive *Samaritanis*, hoſtibus Judæorum capitalibus, *relictis*,) *codices quaſi novos confecerit, prioribus abrogatis :* quod fortaſse fabulæ occaſionem dederit.

4. Ipſum vero Eſdræ αὐτόγραφον quidam nimis creduli hodie extare volunt in Civitate Bononienſi, in Eccleſia S. Dominici : ſic Finus Adrianus in flagello Judæorum, lib. 4. cap. 2. Ang. Roccha in Biblioth. Vatic. p. 394. Addit Finus, *Biblia hæc multis locis vitiata eſſe, quia per communitatem Bononiæ loco pignoris data fuiſſent Judæis*, *a quibus pecunias mutuata eſt civitas*. Hæc vero habent ex traditione, vel potius errore populari Bononienſium. Nam ſi hoc vel probabile eſſet, quantus eſſet undique confluxus Judæorum & Chriſtianorum, ut tantum venerandæ antiquitatis monumentum conſpicerent? quanta cum cura tale κειμήλιον conſervarent? Cum vero nec in Judæorum antiquorum, nec in Chriſtianorum Patrum ſcriptis, ulla ſit mentio hujus exemplaris, plane fictam eſſe narrationem, unicuique conſtare poteſt. Unde & eam rejicit Morinus Exercit. Bibl. 1. cap. 2. Refert quidem Ar. Mont. præf. de variis Hebr. lection. *ſe hunc codicem vidiſſe*, & ut *antiquum & elegantem* laudat; ſed Eſdræ non adſcribit. Simile commentum eſt, quod habet R. Azar. cap. 4. part. 3. libri Meor Enajim, de Eſdræ codice Cabilione ad Ararim (forte Chalone in Gallia ad fluvium Saona) conſervato; & quod *Maimon ex Ægypto Cabillonem venerat*, *ut librum Legis cum hoc MS. Eſdræ conferret*, *&c* : quod merum figmentum eſſe, ipſa Azariæ relatio, ſi cuiquam locum inſpicere libeat, clare oſtendit.

5. Poſt hanc Eſdræ editionem authenticam, alias numerant quidam poſt tempora Antiochi : Nobilis vero illa 70 Seniorum verſio, de qua ſuo loco, inter editiones textus Hebræi non eſt ponenda. Genebrard. Chron. l. 2. (cui ex parte conſentit Guiliel. Bailius Catech. controverſ. append. q. 13.) duas facit editiones. Quarum prima fuit ſub Eleazare Pontifice, Simonis fratre, conventu Hieroſolymis facto de negotio vertendarum Scripturarum, in quo *videri* ait *editum ſecundum Canonem Hebræorum*, *additis ad libros* 22 *prioris Canonis*, *libris Tobiæ & Eccleſiaſtici*. Alteram refert ad Joh. Hircani tempora, *convocato concilio ad probandos Phariſæos* : & in hac confirmatos vult *libros Judith*, *Tobiæ*, *&* alios ; et *Macchabæorum libros tum primum in Canonem relatos* : & ita conditum tertium Canonem Hebræorum. Bailius vero hujus tantum Canonis poſt Eſdræ tempora meminit, non multo ante Joſephum. Quæ vero de duplici vel triplici Canone ab iis dicuntur, cum nullo nitantur certo veterum teſtimonio, ſed conjecturis meris; eadem facilitate rejiciuntur, qua affirmantur. Hoc quidem certum eſt, Joſephum lib. 2. contra Appionem citare verba Eccleſ. 42, 14, ut ex divina lege deprompta : & Rabbinos in utroque Talmude, & in aliis ipſorum libris, ſententias quaſdam ex his libris proferre. Unde Junil. Afric. lib. de part. divin. legis, cap. 3. ait, *hos libros a Judæis cum aliqua differentia recipi* : idemque teſtantur Hieron. aliique veterum. Nec minus certum eſt, hos libros non æqualem cum cæteris habuiſſe auctoritatem : diſerte enim teſtatur Joſephus l. 1. contra Appionem, *præter illos* 22 *libros eſſe & alios, ſed non ſimili dignos fide*. Nam poſtquam numeraſſet libros illos 22. addit, *Ab Artaxerxe vero uſque ad noſtrum tempus*, *ſingula quidem conſcripta* (volumina,) *non tamen prioribus ſimili ſunt fide habita, eo quod non fuerit certa ſucceſſio Prophetarum*. Quibus verbis cauſam certam reddit, cur Canonici non ſint habiti iſti libri : quia ſcil. a Prophetis, vel viris divinitus inſpiratis, non ſunt conſcripti. Ruffinus etiam in Symb. aſſerit, *antiquitus vocatos fuiſſe Eccleſiaſticos, ut diſtinguerentur a Canonicis*; licet, ut antea dixi, tam Nazianz. quam Hieron. in prol. Galeato eos *Apocryphos* nominent. Hoc tantum affirmare audet Bonfrer. in præloq. *non fuiſſe hos libros publica auctoritate a Canone rejectos, ſed aliquam habuiſse auctoritatem:* quod quidem ad mores formandos, & hiſtoriam ſacram continuandam, non ad fidem confirmandam concedi poteſt. Fatetur etiam, *permiſſum fuiſse cuilibet de iis ſentire quid vellet : dum alii cum libris legis numerarent, alii pro piis tantum & honeſtis haberent*. Poſt Antiochi vero tempora, qui in libros ſacros ſæviebat, & omnia exemplaria comburi juſſit, Legemque a Judæis prælegi ſub pœna capitis prohibuit, (unde ortum habuerunt Lectiones prophetarum, quæ Haphtaroth vocantur,) & Templum Idolis polluit & prophanavit, (ceſſante demum perſecutione, Templo repurgato, & Religionis exercitio publice inſtaurato,) probabile quidem eſt, Pontificem cum ſacerdotibus libros ſacros recenſuiſſe, & ſi quas maculas tempore perſecutionis contraxiſſent, emendaſſe : At alium Canonem conſtituiſſe, vel alios libros in Canonem recepiſſe, nulla vel probationis umbra ab ullo fide digno Hiſtorico profertur. Cum vero ſupra Eccleſiæ poteſtatem ſit, libros Canonicos de novo conſtituere, vel pro talibus declarare; niſi quos per continuam traditionem a majoribus acceptam, pro Canonicis, & a viris Sp. S. afflatis conſcriptis, Eccleſia ſemper agnoverit : certumque ſit, Judæos non eandem his libris cum reliquis auctoritatem detuliſſe, ſed inferiori loco collocaſſe; impoſſibile eſt Eccleſiam Chriſtianam aliam poſſe ipſis conferre auctoritatem, vel altiori ſede collocare, quam apud Judæos, a quibus eos receperant, antea habiti fuere. Ut libros tamen ſanctos & pios, quibus proximus poſt libros divinitus inſpiratos locus debetur, ſemper eos recepit Eccleſia Chriſtiana.

6. Poſt Chriſti Aſcenſionem, cum ubique prædicaſſent Evangelium Apoſtoli, tandem ſcripto doctrinam ſuam conſignarunt; at non ſimul, ſed ſucceſſive, ut ex ſcriptoribus Eccleſiaſticis liquet. Ultimus S. Johannes Apocalypſim ſuam conſcripſit : quæ tamen non ſtatim apud omnes Eccleſias in Canonem recepta eſt; ſed de hac aliiſque quibuſdam partibus N. Teſtamenti per quædam ſecula dubitatum erat : donec tandem tacito totius Eccleſiæ conſenſu, potius quam expreſſo aliquo decreto, (nam inter Concilia, ut & inter Patres, dum libros Canonicos recenſent, diſcrepantia aliqua invenitur,) omnes libri, prout hodie leguntur, recepti & approbati ſint. Sed cum non de prima librorum ſacrorum ſcriptione, vel receptione, noſtra inſtituitur diſſertatio; ſed tantum de eorum editionibus præcipuis, nolo hic diutius immorari.

7. Veteris Teſt. poſt Chriſti adventum varias habuerunt editiones tam Judæi, quam Chriſtiani. Inter Judæos, nobiliſſima erat illa Maſoretharum Tiberienſium; qui ad faciliorem textus lectionem, & ut melius ſervaretur vera lectio cum recta pronunciatione, (quam uſu & majorum traditione acceperant,) puncta vocalia & accentus textui appoſuerunt circa annum Chriſti, 500 : quorum ope etiam linguæ Hebraicæ ignari eam facile legere & addiſcere poſſunt. Notas etiam Criticas, cum Keri & Ketib, quæ hodie in Bibliorum marginibus cernuntur, ex parte addiderunt. Etſi vero quædam ex nimia curioſitate, quæ ſine diſpendio abeſſe poterant, excogitarunt : inventum tamen laudabile erat, & ob evidentem utilitatem ab omnibus ſtatim receptum. De hoc vero ipſorum inſtituto alibi uberius diſſeremus.

8. Codices etiam quoſdam, variis ſeculis, ſumma cura & ſtudio elaborarunt inſigniores Rabbini : per quos exemplaria reliqua corrigi & emendari poterant. Nam ante inventionem artis Typographicæ, a doctioribus Rabbinis & Grammaticis libri quidam accurate & magna diligentia conſcripti erant : ad quos, ut ad lapidem Lydium, exemplaria ſua vicini Judæi examinarunt, & correxerunt : quorum multos recenſet Elias in Tabulis fractis. Talis fuit, 1. Codex Hillelis. 2. Codex Ben Aſcher, qui etiam Palæſtinus ſive Hieroſolymitanus, ut & Ægyptius, dicebatur. 3. Codex Ben Naphtali ſive Babylonicus. 4. Codex Sinai. 5. Pentateuchus Hierichuntinus. 6. Codices Hiſpaniæ. 1. De Codice Hillelis ſcribunt Mercerus in Prov. 24. 14. Elias in Tab. fract. D. Kimchi rad. שום, D. Hottingerus Theſauro Philol. J. Morin. in Pent. Samar. exerc. 4. c. 9. & in Exer. Bibl. 1. c. 2. Codex hic ab Hillele quodam ſcriptus, & magno ſtudio correctus eſt : per quem vulgus Judæorum codices ſuos probarunt.

Hujus codicis auctoritatem ſæpius adducit Kimchi, & de eo ſcribit Abr. Zucuth in Juchaſin, Anno mundi 4956, *cum magna defectio contigit in Regno Legionenſi, eductum fuiſſe librum* 24. (Biblia ſcil.) *qui Hillelis dicebatur, quem ſcripſit R. Hillel, ex quo corrigebant omnes libros.* Teſtatur etiam ſe vidiſſe *partem ejus, quæ vendebatur in Africa,* illo vero tempore, 900 fuiſſe annos, cum ſcriptus erat. Kimchi etiam parte prima Grammaticæ memorat, codicem illum fuiſſe Toleti. Cum vero plures fuerint Hilleles, diſputant, quiſnam fuerit iſte Hillel, qui librum hunc exquiſitum ſcripſit. Quidam volunt eſſe Hillelem Babylonicum, qui Chriſti tempore vixit, & multos habuit in ſchola ſua Rabbinos celebres: ſic Schickardus de Jure Reg. pag. 19. Alii volunt eſſe Hillelem illum apud Epiphanium in Panario, qui princeps inter ſuos dictus erat; &, ut quidam, Chriſti fidem ſuſcepit, & baptizatus eſt: ſic D. Buxtorf. de punctis vocalibus pag. 353. Nepos hic fuit R. Jehudæ auctoris Miſhnæ, & circa annum Chriſti 340 floruit. Alii dicunt, fuiſſe quendam Hillelem recentiorem in Hiſpania; ad cujus exemplar Hiſpani Judæi libros ſuos abhinc 500 annis emendare ſolebant. Antiquum illum non fuiſse fere omnes concedunt: nec ullam rationem, vel teſtimonium antiquum adducit Schickardus pro hac ſententia. Non fuiſse illum qui Chriſtianus factus eſt, inde liquet; quod illum poſteriores Judæi nunquam ita honorarunt, nec codicem illius ita extollerent, ſi ad fidem converſus eſset. Imo neutrum horum antiquorum fuiſse, ſatis aperte conſtat. Nam ſi tantæ eſset antiquitatis, Maſorethæ, reliquique Critici, libros ſuos ex hoc emendaſsent: nec Ben Aſcher & Ben Naphtali tantum operæ impendiſsent in codicibus ſuis edendis; vel tantum diſcrepaſsent, cum uterque ex Hillelis codice ſuos corrigere, eique conformes reddere poſsent. Reſtat itaque fuiſse recentioris cujuſdam Hillelis, qui poſt Ben Aſcher & Ben Naphtali vixit; & fortaſſe Hiſpani illius. Meminit tamen Ramban in lib. Jetſirah. fol. 62. libri Hilleliani: vixit autem Ramban, teſte Buxt. in Abbreviaturis, circa annum Chriſti, 1200. Et Joh. Morinus exercit. in Pent. Samarit. 4. c. 9. n. 4. deſcribit exemplar MS. Hebr. in Bibliotheca Oratoriana, ſcriptum anno Chriſti 1208. ubi duo illi verſus Joſ. 21. 36. 37. primum ſcripti fuerant: ſed poſtea ab eo qui ſcripſerat, eraſi ſunt, hac nota in margine addita, *non invenimus illos duos verſus in Hillelianis.* Si quis tamen antiquiorem fuiſse probaverit, me contradicentem non habebit. Ratio etiam probabilis reddi poteſt, cur non habeamus codices Hebræos ita antiquos, ut Græcos quoſdam Veteris ac Novi teſtamenti: quia ſcil. poſt Maſoretharum Criticam & punctationem ab omnibus receptam, Judæorum magiſtri omnes codices his non conformes, ut prophanos & illegitimos, damnarunt: unde poſt pauca ſecula, omnibus juxta Maſoretharum exemplaria deſcriptis, reliqui rejecti, & aboliti. Hinc eſt, quod pauca habemus exemplaria Hebraica 500 vel 600 annorum: quædam tamen affirmat D. Buxtorfius ſe vidiſse annorum 700 vel 800, quæ rariſſima. Græca tamen habemus ſupra mille ducentos annos abhinc ſcripta, ut MS. Vaticanum, noſtrumque Alexandrinum, 70 Interpretum &c.

9. Codices Ben Aſcher & Ben Naphtali conjungimus. Erant hi Rabbini, ut ſcribit Elias, duo capita ſive rectores Academiarum: & a R. Gedal. vocantur *magni ſapientes*: certe nobiles ſuo ſeculo Maſorethæ fuerunt. Ben Aſcher, ut ex libro de accentibus conſtat, qui in Bibl. Ven. primis extat, & huic auctori adſcribitur, fuit ex Tiberiade, juxta Genneſareth, vel Rector Academiæ, vel Doctor celebris. Ubi obiter notandum, Tiberiade poſt punctationem inventam, longo tempore fuiſſe ſcholas & Doctores. Ben Naphtali putatur fuiſſe Babylonius, unde Orientales ejus lectionem ſequuntur. Floruerunt, teſte eodem Gedaliah, circa annum æræ Judaicæ 4794. id eſt, Chriſti, 1034. Uterque multum laborabat, ut Biblia quam emendatiſſime ederent. Ortæ tamen inter eos diſſentiones, non de dictionibus integris vel literis, ſed de punctis vocalibus, & accentibus, præſertim minoribus. Differentes utriuſque lectiones notantur in Bibliis Venet. & Baſilienſ. ſed valde confuſe; nec notantur capita vel verſus, ubi inveniuntur: quod in ſolis noſtris Bibliis hactenus factum eſt. Magni nominis uterque erat: unde Babylonii ſecuti ſunt lectionem Ben Naphtali, Palæſtini Ben Aſcher: ad cujus normam conformantur omnia Bibliorum exemplaria impreſſa. Codex autem hic Ben Aſcher aliquando vocatur Ægyptiacus, de quo Maim. in Hil. ſeph. Thora. c. 8. ſ. 4. ita ſcribit, *Liber, cui innixi ſumus in rebus iſtis, eſt liber celeberrimus per Ægpytum, qui a plurimis annis erat Hieroſolymis, ut ex eo corrigerentur libri. Huic autem omnes innitebantur, eo quod cum eum correxiſſet Ben-Aſcher, & multos annos diligentem in eo operam navaſſet, & ſæpius eum recenſuiſſet: iſtum librum ſecutus ſum & ego in libro Legis, quem deſcripſi juxta ejus formam.* De hoc etiam libro ſcribit Elias, ſcil. *Librum eſſe, cui innititur R. Jonas Grammaticus, qui fortaſſe eſt liber, quem emendavit R. Aſcher, qui longo tempore Hieroſolymis vixit.* Addit, *ad hujus libri formam deſcriptos codices vocari libros Iſraelis, id eſt, Palæſtinorum: codicem vero Ben Naphtali vocari Babylonicum.* R. Moſes Bar Nachman, quem per abbreviaturam vocant Ramban, qui circa annum Chriſti, 1200 floruit, comment. in Lib. Jetſirah. fol. 61. meminit trium codicum præcipuorum, cum dicit, *In* עחה *non reperiri Daghes per totam Scripturam, ut deprehenditur ex accurata perquiſitione in omnibus libris Babylonicis & Hieroſolymæ, nec in libro Hilleliano.* Ex quibus verbis liquet, hos tres codices tunc celebres fuiſſe. De Ben. Aſcher & Ben Naphtali, vide D. Buxt. l. 1. de punctis, c. 15.

10. Codex Sinai, erat Pentateuchus emendatus, ut ſcribit Elias in Tab. fractis. Dicit enim, *Sinai eſſe nomen Pentateuchi correcti, tractantis diverſitatem accentuum.* Exempla profert, in vocibus וישמע יתרו ubi pro Geraſchim, in libro Sinai notatur Rebhiah; & in illis verbis אל משה אל המדבר ubi pro Zakef, in libro Sinai notatur zakef gadol: authorem vero ſe neſcire profitetur.

11. De Pentateucho Jerichuntino, idem Elias ibid. ſcribit, *hunc codicem agere non de accentibus, ut Sinai; ſed de vocibus plenis & defectivis. Vocat Chumaſch Jericho, exemplar Legis correctiſſimum Jerichunte allatum*: citat inter alia loca, Numer. 13. 22. ילידי הענק quod bis in ea hiſtoria occurrit. In codice vero Jerechuntino, prius eſt plenum, poſterius defectivum.

12. Præter codices hos MSS. celebres inter Judæos, non deſunt codices MSS. Hebraici antiquiſſimi, qui hodie in Bibliothecis Chriſtianorum extant. Scribit Ar. Mont. *ſe habuiſse quoſdam*, ut ex modo ſcripturæ conjicit, *ante* 400. *annos deſcriptos, & in Complut. Academia eſſe antiquiores, Bononiæ & Mediolani antiquiſſimos.* In Coll. Gonvilli & Caii Acad. Cantab. extat MS. exemplar antiquiſſimum, cui deeſt Pentateuchus: & hoc peculiare habet, quod nullum Keri in margine notatur, ut in aliis exemplaribus, ſed in textum plerumque inſeritur; ut ex collationibus hujus libri cum hodiernis impreſſis, quas mihi miſit vir doctiſſ. iſtius Academiæ, apparet. Habeo exemplar MS. quod olim erat Joh. Seldeni, ſcriptum annis abhinc 350. cum variis lectionibus Orientalium & Occidentalium, Ben Aſcher & Ben Naphtali: ex quibus quædam ſupplevimus in noſtris Bibliis, quæ nec in Venetis, nec in Baſilienſibus habentur. Erat quondam Leonis Modenæ, ſcriptum vero anno æræ Judaicæ 5064, Chriſtianæ 1304. ut in fine libri notatur. Joh. Morinus meminit etiam exemplarium quorundam antiquorum, ex occaſione verſuum duorum, Joſ. 21. 36. 37. qui in plæriſque antiquis codicibus deſunt. In Pent. Samar. exerc. 4. c. 9. n. 4, 5, 6, 7. memorat unum eſſe in Biblioth. Oratoriana deſcriptum anno Chriſti, 1208. Aliud ibidem ſcriptum anno 1300. Aliud in Regia Bibliotheca, quod, ut fertur, Veneti Henrico 2. Regi obtulerunt, propter antiquitatem magnam, cum e Polonia in Galliam rediens Venetiis hoſpitaretur. In horum primo fit mentio codicis Hillelis, in quo deficiebant iſti verſus: in reliquis etiam deſunt. In Bibliotheca Heidelb. extabat Codex MS. antiquiſſimus, cujus auctoritatem D. Junius codicibus vulgaribus prætulit, ut ex verſione ejus Lat. 2 Chron. 26. 5. & 35. 3. liquet. Dicit etiam D. Buxtorfius, quoſdam codices eſſe MSS. Hebraicos ante annos 800 exaratos, Anticrit. p. 149. Exemplaris vero illius Marchionis Badenſis, quod olim erat Reuchlini, quodque Macchabæorum temporibus deſcriptum eſse volunt, antiquitas plane conficta eſt; nec aliam fidem meretur, quam illud Bononienſe Eſdræ manu conſcriptum, de quo ſupra.

13. Præter editiones Hebraicas Judæorum, vix aliquas a Chriſtianis ante hoc ultimo elapſum ſeculum prodiiſse legimus, excepta illa in Origenis Hexaplis. Hic enim poſt Biblia ſua Tetrapla, ex 4 verſionibus Græcis concinnata, Septuaginta, Symmachi, Theodotionis, & Aquilæ, Hebraicum textum adjecit, literis tam Hebraicis quam Græcis, per columnas duas ſibi invicem reſpondentes deſcriptum; (unde Hexapla dicta;) Opus magni laboris, nec minoris utilitatis: quod magno Eccleſiæ damno, & intoleranda Græcorum negligentia periit. Si enim hodie extaret, quæſtiones variæ, quæ circa textum Hebraicum, ejuſque lectionem hodie agitantur, facile terminari poſſent. Sola verſio τῶν ο, quia in publico uſu Eccleſiarum fuit, adhuc ſervatur: reliquæ verſiones evanuerunt, niſi quod earum reliquiæ quædam, hic illic in veterum ſcriptis ſparſæ inveniuntur: quæ ſummo ſtudio collectæ, in ultimo Bibliorum noſtrorum Tomo habentur. Sed de hoc Origenis opere fuſius agemus, cum ad Sept. Verſionem deventum erit.

14. Superiori, ut & noſtro ſeculo, variæ prodierunt editiones Biblicæ Hebraicæ, typis impreſsæ, tum a Judæis, tum a Chriſtianis adornatæ: quarum præcipuas enumerabimus, tum quæ totum vetus Teſtamentum complectuntur, tum quæ ejus partes quaſdam. Quaſdam recenſet Buxtorf. in Bibliotheca Rabbinica: quibus alias adjungimus, quas nobis videre contigit.

1. Biblia Complutenſia, eodem tempore adornata, quo primæ editionis Veneta. Prodierunt in fol. anno 1515. impenſis Franciſci Ximenii Cardinalis, Archiepiſ. Toletani, collatis ſtudiis Theologorum Academiæ Complutenſis. Complectuntur Textum Hebraicum, Verſionem Græcam Sept. Vulgatam Latinam, Chaldaicam etiam, ſed Pentateuchi tantum, ſcil. Onkeloſi, Novum Teſtamentum Græcum ſine ſpiritibus, et accentibus, cum Verſione Latina. Extant in 6. voluminibus, cum Apparatu, Grammaticis, Lexicis, Indicibus, &c.

2. Venetæ editiones quatuor. Prima incœpta anno 1515. finita anno 1517. opera & impenſis Danielis Bombergi, Typographi celebris. Operi præfuit Fœlix Pratenſis, cujus ductu & hortatu Bombergus primo literas Hebraicas didicit, & per Typographiam mirifice propagavit. Continet hæc editio Textum Hebræum, Targum, & varios Rabbinorum Commentarios. In fine adjiciuntur, Targum Hieroſol. in Pentateuchum, Targum ſecundum in librum Eſther, Tabulæ ſectionum Legis & Haphtararum ſive lectionum Propheticarum, Articuli 13 ſive fundamenta fidei Judæorum, præcepta jubentia & prohibentia, libellus de Accentibus R. Ben Aſcher, lectiones variantes inter Ben Aſcher & Ben Nephtali, cum notis quibuſdam Maſorethicis; in quas vehementer invehitur Elias in præf. lib. 3. Maſoreth: quia ſcil. a Judæo non ſunt appoſitæ: ſcribit etiam, quod *in Maſora nihil intellexit, qui eas appoſuit; ſed palpat, ut cæcus in tenebris.* Secunda, in fol. per eundem Bombergum, inchoata anno 1523. finita anno 1528. In hac editione uſus eſt Bombergus opera R. Jacob Ben Chajim, quem magna pecuniæ ſumma conduxit. Præmiſsa operi, 1 Præfatio R. Jacob, ubi de Maſora, Keri & Ketib, de diſcrepantiis inter Talmudiſtas & Maſorethas; de 18 locis, quos vocant Correctiones ſcribarum, & de Maſoræ magnæ ordine. 2 Indices capitum ſive paraſchioth, ſectionum, ordinum partium totius Scripturæ juxta Maſorethas. 3, Præfatio Aben Ezræ de ratione commentandi in Scripturam, & de 5 modis interpretandi. Adjecta eſt duplex Maſora; Minor, quæ ſingulis paginis ad latera textus imprimitur: & Major, quæ partim ad finem juxta ſeriem Alphabeticam apponitur, cum inſtructione Ben Chajim; partim per ſingulas paginas infra & ſupra textum. Poſtea ſubjiciuntur lectiones variantes Ben Aſcher & Ben Naphtali, Orientalium & Occidentalium, & libellus de accentibus. Hanc editionem magnis encomiis celebrat Elias, & in ejus laudem carmen Encomiaſticum compoſuit. Tertia editio Veneta, impreſsa anno 1618. Eadem eſt cum ſecunda, ſed

multo correctior : vix tamen viceſimam partem animadverterunt Correctores eorum, quæ emendationem deſiderarunt ; ut affirmat D. Buxtorfius in præf. ad Biblia Baſilienſia. Quarta Editio Veneta prodiit anno 1623. Eadem eſt cum priori, ſed Typorum elegantia & impreſſionis nitore, præcedentibus multo inferior.

3. Biblia Regia, ſic dicta quia auſpiciis & ſumptibus Philippi 2 Hiſpaniarum Regis in uſum Eccleſiæ edita. Prodierunt in 8 Tomis, charta Regali, Typis Plantinianis, Antvverpiæ, anno 1571. Magnifico huic operi præfuit Ben. Arias Montanus. Hæc Biblia opus Complutenſe multum ſuperant, tum Chartæ & Typorum elegantia, tum quod multa habeant, quæ in Complutenſibus deſiderantur. 1. Chaldaicam Paraphraſim integram, cum Verſione Latina. 2. Textum Hebræum Veteris, & Græcum Novi Teſtamenti, cum Verſione interlineari Santis Pagnini, Tomo peculiari. 3. Syriacos Novi Teſt. libros, tam Syriacis, quam Hebræis characteribus deſcriptos, opera Guidonis Fabricii Boderiani. 4. Apparatum magnum duobus Tomis comprehenſum, in quibus tractatus varii ad Scripturæ intelligentiam facientes, Lexica, Grammaticæ, variæ lectiones, Tabulæ, Indices, &c. Tomus ille cum Verſione interlineari etiam ſeorſim editus eſt variis locis, & formis. Fol. per Plantinum. Iterum Genevæ, cum ſupplemento librorum Apocryphorum Græco-Latino, anno 1619. In quarto ex officina Plantiniana Raphelengii, anno 1613.

4. Sebaſtianus Munſterus Biblia edidit Hebræo-Latina, Verſionis propriæ, in fol. Baſil. 1534. in 2 Tomis. Adjiciuntur ex Rabbinorum commentariis, annotationes haud pœnitendæ, pulchre voces ambiguas & obſcuriora quæque elucidantes.

5. Eliæ Hutteri Biblia Hebraica, literis majuſculis impreſſa Hamburgi, in fol. 1587. Editio hæc maxime accommodata eſt tyronum captui : nam in ſingulis dictionibus, literæ ſerviles a radicalibus, ut & quieſcentes etiam et deficientes, figura diſtinguuntur,

6. Roberti Stephani Biblia, quæ vulgo Franciſci Vatabli, linguæ Sacræ profeſſoris Pariſienſis, eſſe dicuntur, complectentia Textum Hebræum, cum Verſione Græca ex Editione Complutenſi, Latinam Vulgatam, cum Latina altera nova. Prodierunt primo in amplo quarto tribus voluminibus, adjuncto Novo Teſtam. Poſtea in fol. tribus Vol. 1586, ex officina Santandreana, cum annotationibus, quæ a quibuſdam Vatablo adſcribuntur. Editio hæc poſterior hunc titulum habet ; *Biblia Sacra, Hebraice, Græce, Latine. Latina interpretatio duplex eſt*, *altera vetus, altera nova, cum annotationibus Franciſci Vatabli. Omnia cum Editione Complutenſi diligenter collata, additis in margine, quos Vatablus in ſuis Annotationibus nonnunquam omiſerat, idiotiſmis, verborumque difficiliorum radicibus.* Nulla præfigitur præfatio his Editionibus; nec ex toto opere conſtare poteſt, quiſnam eas procuravit, vel Verſionis novæ author fuit. At Stephanum auctorem eſſe annotationum iſtarum, quas primo ipſe edidit 1545. cum Verſione Vulgata & Tigurina, quæ poſtea auctæ & immutatæ ſunt in Editionibus ſequentibus, probat Arn. Bootius in Animadv. ſacris, Indice auctorum, ex Stephani Præf. Edit. primæ : ubi dicit, *acceſſionem ad priores ſuas annotationes nolle ſibi acceptam referre : hoc tantum præſtitiſſe, ut nonnulla ex iis, quæ profeſſorum Regiorum auditores exceperunt, ad alios typographicæ artis beneficio fideliter permanarent.* Addit, *Fruimini ultimis noſtris collectaneis.* Stephanus autem modeſte ad Vatablum eas refert, quia ex ejus prælectionibus quaſdam earum exceperat : cum ipſe Vatablus indigne tulerit, eas ſibi attribui ; eo quod multa haberent, quæ Religionem Reformatam ſaperent, a qua ipſe alienus fuit.

7. Johannis Buxtorfii Biblia Hebraica & Chaldaica Baſileæ prodierunt fol. 1618. cum Maſora, quæ Critica eſt Hebræorum, magna & parva, & ſelectiſſimis Hebræorum Commentariis, Rab. Salom. Jarchi, Aben Ezræ, D. Kimchi, &c. quibus Textus Grammatice & Hiſtorice illuſtratur ; in quibus poſt 4 Editiones Venetas, Textus Chaldaicus a deformitate punctationis & pravitate vocum innumerarum vindicatus, loca in Maſora tranſpoſita, deficientia, pugnantia, numeris depravata, ſubſidio diverſorum exemplarium & concordantiarum Hebraicarum repoſita, reſtituta, & reconciliata ſunt. Hanc quidem Editionem omnibus prioribus correctiorem ſecuti ſumus in Bibliis noſtris, in Chaldaica, ſcil. Paraphraſi. Licet vero magnam curam & diligentiam in hac editione adhibuit Buxtorf. fatetur tamen quædam reperiri poſse, quæ diligentiam ſuam effugerunt, quod ex collatione noſtrorum Bibliorum lector alicubi perſpicere poteſt.

8. Biblia magna Heptaglotta, impenſis D. Michaelis de Jay, ſtudio & opera Gabrielis Sionitæ Maronitæ, Johannis Morini & Abrahami Ecchellenſis in decem tomis, folio magno, charta Imperiali, Pariſiis excuſa 1645. Characterum elegantia, & Chartæ magnificentia, tum Regia, (quæ a quibuſdam *Orbis miraculum* dicebantur,) tum omnes alias editiones ſuperantia ; adjectis etiam aliis antiquis monumentis, quæ a nemine antehac Typis evulgata erant. Nam præter Textus & Verſiones, quæ in Regiis antea extabant, de novo adduntur Pentateuchus Samaritanus, una cum Verſione Samaritana, & Verſione ejus Latina; Syriaca Verſio Teſtamenti Veteris, & tam Veteris quam Novi Arabica, quæ in Regiis non extabant. Dolendum vero, Apparatum cum Prolegomenis, & Appendicibus variarum lectionum, Tabulis, Indicibus, aliiſque quæ ad operis complementum pertinebant ; ex diſſidio eorum, qui operi præfuerunt, deſiderari : nec editiones, quas protulit hæc ætas, limatiores, quam quæ in Complutenſi, vel Regio opere habentur, eos ſecutos fuiſſe ; ut nil dicam de intoleranda ipſorum incuria, qui correctioni invigilare debuerunt. Unde innumeris mendis & erratis ſcatet hæc editio, quæ ſplendorem ejus multum obſcurarunt.

15. Præter has editiones in folio, extant & aliæ plurimæ in quarto, octavo, decimo ſexto, & viceſimo quarto ; a Plantino & aliis, cum punctis, & ſine punctis, variis locis excuſæ : quas ſigillatim omnes enumerare difficile eſſet, nec lectori multum profuturum. Editionem accuratam Hebraici textus cum punctis, & literis elegantiſſimis, item Keri & Ketib, in marginibus nuper adornavit Manaſſes Ben Iſrael in quarto Amſtelod. 1635. Aliamque in octavo cum punctis vocalibus & accentibus, notiſque marginalibus eiſdem, edidit idem Manaſſes Amſtel. 1639. quæ omnium manibus teruntur. Extant etiam & aliæ editiones, non totius Vet. Teſtamenti, ſed quarundam ejus partium : quarum præcipuæ ſunt. 1. Pentateuchi, inter quas inſigniores ſunt, 1. Conſtantinopolitana in fol. a Judæis impreſſa, anno 1551. Ubi præter textum Hebræum, imprimitur per ſingulas paginas variis columnis, Targum Onkeloſi, cum verſione Arabica R. Saadiæ, & Perſica Jacobi Tawuſi (utraque literis Hebraicis) & Commentariis R. Salomonis. 2. Pentateuchus Hebraicus, cum Triplici Targum, Onkeloſi, Jonathanis, & Hieroſolymitano, & Commentariis Rabbi Salomonis, notis quibuſdam Maſorethicis ac Symbolis Gematricis, &c. Venet, 1590 in quarto. Verſio vero illa Perſica, Perſicis characteribus deſcripta, & Targumim illa Jonathanis & Hieroſol. cum ſingulorum tranſlationibus Latinis, in quarto Tomo noſtrorum Bibliorum imprimi curavimus. 2. Pſalmorum, qui ſæpius cuſi & recuſi. Duæ tamen eorum inſigniores ſunt editiones. 1. Auguſtini Juſtiniani Epiſc. Nebienſis, qui Pſalterium Hebraicum edidit, cum verſione Chaldaica, Græca & Arabica, adjecta triplici interpretatione Latina, & Scholiis utilibus, Genuæ, in fol. 1516. 2. Johannis Potkenii præpoſiti Eccleſiæ Sancti Georgii Coloniæ, qui Pſalmos Hebraice, Græce, Æthiopice, & Latine per columnas in qualibet pagina ſibi reſpondentes edidit Coloniæ, 1513.

15. Inter veteres, licet multi Nov. Teſt. commentariis illuſtrarunt, & de variis lectionibus exemplarium Græcorum in quibuſdam locis interdum diſſerunt : nemo tamen, quod ſciam, editionem novam totius Novi Teſtamenti aggreſſus eſt, unico excepto Hieronymo, qui juſſu Damaſi Pontificis Romani, Verſionem Vulgatam Latinam cum Græcis codicibus contulit, & recognovit ; cujus tamen ſcopus erat magis Verſionem Latinam emendare ex ejus collatione cum Græcis exemplaribus, quam editionem aliquam Græcam ex Græcorum codicum collatione emendatam dare. Sic enim ſcribit præf. ad Evangel. *Hæc præfatiuncula pollicetur quatuor tantum Evangelia, codicum Græcorum emendata collatione, ſed veterum : quæ ne multum a lectionis Latinæ conſuetudine diſcreparent, ita calamum temperavimus ; ut his tantum, quæ ſenſum videbantur mutare, correctis, reliqua manere pateremur, ut fuerant.* Non deerant tamen antiquiſſimi codices Græci MSS. quos, cum dubium aliquod de vera lectione oriebatur, vel cum Hæretici textum corrumpere laborarunt, conſuluerunt Eccleſiæ Patres, ut inde veram lectionem confirmarent vel reſtituerent. Noſtro vero ſeculo plurimæ prodierunt editiones N. Teſt. Græcæ, quas omnes enumerare vix poſſibile eſt. Præcipuæ vero, circa quas ſudarunt viri docti, ſunt quæ ſequuntur. 1. Eraſmi, viri magnæ lectionis, nec minoris judicii, qui multa vetuſta exemplaria MSS. contulit, & ex iis N. Teſt. Græce, quam potuit, emendate publicavit : annotationes etiam doctiſſimas edidit, in quibus lectionum, quas ſecutus eſt, rationem reddidit, & ex libris antiquis confirmavit. Hæc cum Verſione Latina, Baſileæ, Tiguri, Wittenbergæ, & aliis locis, variis formis impreſſa eſt. 2. Complutenſis, quæ in Bibliis Complutenſibus, Regiis, & Pariſienſibus extat, a Complutenſibus ad fidem veterum exemplarium magno ſtudio & diligentia collata. 3. Roberti Stephani, omnium accuratiſſima, *cujus*, ut ipſe agnoſcit in præf. *mirus eſt cum Complutenſi conſenſus.* Præter Complutenſe tamen, exemplaria 15 alia, quæ ex Italia, Bibliotheca Regia, & aliunde ab amicis habuit, contulit, & varias lectiones collegit, quas in margine interiori notavit. In altera Concordantias Evangeliorum ſecundum Canones Euſebianos : τῶν ςίχων etiam numerum adjecit, & librorum ſingulorum κεφάλαια. Prodiit primo Pariſ. in folio. 1550. poſtea Francof. in fol. anno 1601. dein pluribus formis. Hanc editionem ſecuti ſumus in opere noſtro, ut omnium accuratiſſimam. 4. Theodori Bezæ, qui variis collatis codicibus, multum laboravit in editione Græca N. Teſt. quod cum verſione Latina duplici, Vulgata & propria, una cum annotationibus, ſæpius edidit, & recognovit. Accurata hæc editio, præſertim ultima, multis videtur. Non deſunt tamen, qui authorem nimis audacem fuiſſe judicant, dum a recepta lectione ſæpius ſine neceſſitate recedit ; & unius, interdum nullius, codicis [illegible]oritate fretus Prætoriam exercet poteſtatem, ex conjecturis mutando & interpolando Textum ſacrum pro libito. Vide inter alia, Luc. 9. 48. 53. & 3. 36. 1. Cor. 15. 55. &c. Prima vero Bibliorum editio impreſſa, erat Latinæ Vulgatæ, Moguntiæ, anno 1472. teſte Luca Brugenſi præf. libri de variantibus Scripturæ Locis. Aliam tamen illa priorem quidam ſe vidiſſe dicunt. Hanc ſubſecutæ ſunt Colonienſis, anno, 1479. Nurenburgenſis, 1578. Veneta, 1497. Poſtea prodiit Complutenſis Heb. Græc. Chald. anno 1515. Veneta Hebraica, 1517. Græca, Venetiis, 1518 per Aldum Manutium : aliæque innumeræ.

PROLEGOM. V.

De Bibliorum Verſionibus.

1. *Biblia primis Eccleſiæ ſeculis in varias linguas converſa fuiſse.* 2. *Verſiones approbat Joh. Papa* 8. 3. *Verſionum uſus & utilitas.* 4. *De Verſionibus in ſpecie.* (1. *Græca τῶν ο'.* 2. *Samaritana.* 3. *Chaldaica.* 4. *Syriaca.* 5. *Æthiopica.* 6. *Armeniaca.* 7. *Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis.* 8. *Coptica ſive Ægyptiaca.* 9. *Arabica.* 10. *Perſica.* 11. *Gothica.* 12. *Dalmatica.*) 5. *De Verſionibus Latinis. Hieronymi. Pagnini, & aliorum.*

1. MAgna eſt, ut linguarum, ſic verſionum varietas, quibus myſteriorum ſuorum theſaurum communicare dignatus eſt Deus. Cum enim Apoſtolos in univerſum mundum miſit, cum mandatis, ut *omnes gentes docerent, & omni creaturæ Evangelium prædicarent*; ipſiſque in hunc finem variarum linguarum χαρίσματα cælitus contulit: hoc ipſo oſtendit, ſe nolle doctrinam ſuam in aliquo orbis angulo deliteſcere; ſed ut omnes propriis linguis τὰ μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ audirent: ut impleretur illud Prophetæ, Eſ. 45. *Omne genu mihi flectetur, & omnis lingua confitebitur Deo.* In hoc enim ſapientiæ divinæ abyſſus manifeſtata erat, ut qui primo per varias linguas inſanorum Babelis ſtructorum conſilia diſſipavit, ipſoſque in varias terras diſperſit; idem per variarum linguarum χαρίσματα Eccleſiam ſuam ex omnibus terris colligeret, domumque Dei, cujus faſtigium cœlos ſuperat, eiſdem machinis ex lapidibus vivis ædificaret. Cum vero poſt jacta Eccleſiæ fundamenta Chariſmata hæc ceſſaverint, neceſſarium erat Oracula divina in linguas vernaculas propagari. Nam, ut olim Ptolemæus Rex, cum Hebræorum volumina in Græcam linguam transferri deſideravit, in Epiſtola ad Judæorum Pontificem, quam recitat Epiph. lib. de pond. & menſ. θησαυροῦ κεκρυμμένου ϗ πηγῆς ἐσφραγισμένης τίς ὠφέλεια; *Theſauri abſconditi, & fontis obſignati quæ utilitas?* Hinc varias in pura et primæva Eccleſia Verſiones factas legimus. S. Aug. l. 2. de doctrina Chriſtiana, c. 5. dicit, *Scripturas per varias interpretum linguas longe lateque diffuſas eſse.* Et in Pſal. 105. agnoſcit *magnum Dei beneficium, qui Scripturas ſuas in multis linguis eſse voluit.* Theodoretus vero l. 5. de curand. Græc. affectibus teſtatur, *univerſam faciem terræ, quantacunque Soli ſubjicitur, ejuſmodi verborum (Apoſtolicæ & Propheticæ doctrinæ) plenam jam eſse. Hebraicos vero libros non in unicum Idioma converſos eſse, ſed in Romanam, Ægyptiacam,* Perſicam, *Indicam, Armenam, Scythicam, adeoque Sauromaticam, uno verbo, in omnes linguas.* Chryſoſtomus in Joh. c. 1. Hom. 1. verſionum meminit *Syriacarum, Ægyptiacarum, Perſicarum, Æthiopicarum, & aliarum nationum Barbararum,* &c. Hieronym. præf. in Evang. ad Damaſum, dicit, *Scripturam in variarum gentium linguas tranſlatam eſse.* Ipſe vero utrumque Teſtamentum tranſtulit in linguam Dalmaticam: ut & Chryſoſtomum Pſalmos, & N. Teſtamentum in Armenam vertiſſe, fatentur Sixt. Senenſ. & Stapletonus. Meminit Auguſt. verſionis Pſalmorum in linguam Punicam, in Pſal. 118. ad finem. Cyrillus vel (ut alii) Methodius in Sclavonicam, Scripturam tranſtulit. Ulphilas Gothorum Epiſcopus primus literarum Gothicarum inventor, ϗ εἰς τὴν οἰκείαν φωνὴν μετέφρασε τὰς ἱερὰς βίβλους, *& in propriam linguam convertit libros ſacros,* teſte Sozom. l. 6, c. 37. (Vide & Iſid. in Chron. Gothorum, & Paul. Diac. lib. 12.) Beda in Anglicam, teſte Joh. Treviſano. Michael Adam Judæus converſus in Germanicam, & characteribus Hebræis in uſum Judæorum expreſſit, teſte Wulf. Strab. de rebus Eccleſ. c. 7. & Sixt. Senenſ. lib. 4. Johannes Seviliæ Epiſc. in Arabicam, anno Chriſti, 717. Valdo Epiſc. Friſingenſis circa annum, 800, Evangelia Germanice tranſtulit, teſte Beato Rhenano. Italice Jac. de Voragine Archiep. Genuenſis, anno 1200. teſtibus Stapletono & Sixto Senenſi. Polonice Hieron. Leopold. Gallice Carolus 5. Rex Galliæ. Haud itaque novum eſt, quod ſacram Scripturam in vernaculas linguas hodie tranſlatam habemus.

2. Johannes Papa 8. circa annum Chriſti 880, ut ex ejus literis ad Sfontem Comitem de Methodio conſtat, affirmat, *Sanæ fidei non repugnare, ſive miſſas, ſive ſacra Evangelia, vel lectiones divinas Veteris & N. Teſtamenti bene tranſlatas, lingua Sclavonica canere: quoniam qui fecit tres linguas principales, creavit & omnes alias ad laudem & gloriam ſuam*, ut refert Baron. Annal. To. 10. Obſervatione etiam digna ſunt Johannis Morini verba exercit. Bibl. 1. c. 5. 11. 8. de Verſionum utilitate, *Utiliſſimas eſſe de multis cauſis, ut poteſtas & energia dictionis cujuſpiam exprimatur, quæ Latine non ſatis expreſſa eſt, aut non poteſt exprimi: ut variæ vocis aut phraſis ſignificationes cognoſcantur, quæ peregrina lingua, unico verbo, aut unica phraſi, omnes repreſentari non poſſunt: ut emphaſim & genium linguæ, ſine cujus cognitione ſenſus auctoris interdum obſcurus eſt, & fere* ἀνερμήνευτος *&* ἀδιήγητος, *variarum verſionum comparatione ſacræ lectionis ſtudioſus percipiat & imbibat: ut Judæi propriis armis confodiantur, et diſſentientibus ex utraque parte variis Latinis codicibus, fons tunc velut arbiter conſulatur, &c.*

3. Verſionum etiam antiquarum uſus & utilitas hinc colligitur quod harum collatione tam integritati ſacrorum codicum, & veritatis divinæ conſulitur, quam populorum ſaluti; dum unamquamque gentem Deus propria lingua alloquitur. Linguæ enim, quas hodie doctas vocamus, quæ vulgo ignotæ ſunt, olim vernaculæ erant, cum primum in iis divina myſteria conſcripta ſint; Hebraica Judæis, Græca Græcis, imo omnibus fere ſub imperio Græcorum vel Romanorum. Liturgiæ etiam & officia divina, quæ linguis non vulgaribus hodie celebrantur, apud Judæos, Chriſtianos, & Muhammedanos, cum primum compoſita & inſtituta fuerunt, haud alia, quam ea quæ tunc vulgaris & omnibus nota erat lingua, celebrata ſunt: licet decurſu temporum, lingua primo vernacula deſiit eſſe vulgaris, & facta eſt populo ignota. Mirus etiam Verſionum conſenſus in omnibus quæ ad fidem & ſalutem neceſſaria ſunt, (nam in aliis minutioribus omnis fere varietas conſiſtit,) inter omnes populos, tantis terræ mariſque intervallis diſſitos, ſoloque ejuſdem fidei vinculo connexos, clare teſtatur, doctrinam horum codicum non in ſapientia humana fundatam eſſe, ſed authoritate Divina ſtabilitam: quorum conſervatio contra Sathanæ, ejuſque ſatellitum furores, qui eos non tantum corrumpere, ſed penitus abolere totis viribus conati ſunt, aperte eorum originem divinam probant. Erroribus etiam, qui ex librariorum inſcitia, incuria & audacia, vel Hæreticorum fraude irrepere poſſunt, obviatur. Nam quod in una lingua forte contingere poteſt, in tot per orbem Verſionibus fieri non poteſt. Præterea Verſionum antiquarum, & quæ auctoritatem in Eccleſia pura & primæva obtinebant, collatio, ad verum Scripturæ ſenſum in dubiis & obſcuris eliciendum, multum lucis adferre, nemo negaverit, qui animo perpendit, Verbum Dei non in literis, ſive ſcriptis ſive impreſſis, ſed in vero verborum ſenſu proprie conſiſtere: quem nemo melius explicare poteſt, quam Eccleſia vera, cui ſacrum hoc depoſitum Chriſtus commiſit: quæ per verſiones varias genuinum ejus ſenſum quaſi per manus traditum ab Apoſtolis, & ab Eccleſiarum rectoribus acceptum, fideliter poſteris tranſmittit. Unde ejus vocem omnes ſub pœna gravi audire tenentur: ut & ipſa ſponſo ſuo in omnibus auſcultare debet. Si enim Commentaria virorum doctorum multum conferant ad Scripturæ intelligentiam, quæ idcirco in locis obſcuris & dubiis omnes ſolent conſulere: quanto magis conferunt Verſiones antiquæ ubique receptæ, & ab Eccleſia approbatæ, quæ non unius vel plurium privatorum hominum, ſed totius Eccleſiæ ſenſum & judicium nobis exhibent: præſertim, cum multæ non nudæ ſint verſiones, ſed in locis multis inſtar Paraphraſium, quæ loci ſenſum clarius explicant, ita ut pro pluribus Commentariis Verſio unica inſervire poſſit? Vid. Auguſt. 2. de doctrina Chriſt. c. 14. *Plurimum hic quoque juvat Interpretum numeroſitas, collatis codicibus inſpecta & diſcuſſa, tantum abſit falſitas.* Maxime vero Orientalium utilitas apparet, tum ratione affinitatis, quam habent cum linguis Originariis, qua plenius vim & energiam verborum exprimere poſſunt, quam authoritatis uſuſque generalis, quem per totam Eccleſiam vel partes ejus nobiliores conſecutæ ſunt. Paraphraſes Chaldaicas Judæi ipſis Scripturis æquant. Syriaca verſio magnam habet per totum Orientem authoritatem. Græca LXX. Seniorum per Orientem & Occidentem ab ipſis naſcentis Eccleſiæ primordiis, ab omnibus in tanto honore fuit, ut vix pro Chriſtiano haberetur, qui contra eam aliquid mutire auderet: ut nil dicam de reliquis.

4. Verſiones vero omnes enumerare non eſt animus: ſaltem, quæ extant veteres, & ex recentioribus præcipuas, nominaſſe ſatis erit: cum de iis, quæ in his Bibliis habentur, ſuo loco uberius dicemus.

1 Prima & omnium antiquiſſima eſt nobilis illa 72 Seniorum ex Hebræo in Græcum ſermonem traducta ſub Ptolemæo Philadelpho, annis ante Chriſtum 277. Quæ non ſine ſpeciali Dei providentia facta eſt in linguam omnium latiſſime per orbem propagatam: ut ante ortum Solis juſtitiæ, quaſi Prodromus orbem tenebris immerſum aliquo modo illuſtraret; & viam pararet pro adventu Salvatoris, qui pulſis errorum tenebris, omnes gentes radiis Evangelii illuminavit. Qui vero aliam ante hanc factam fuiſſe, vel non totam Scripturam, ſed ſolum Pentateuchum a 70 tranſlatam eſſe, vel Verſionem illam periiſſe, & quoad ſubſtantiam adhuc non supereſſe, (quod affirmant Neoterici quidam) errore manifeſto teneri oſtendemus, cum de hac Verſione in ſpecie agemus.

2 Eſt Samaritana. Nam præter Pentateuchum Hebraica lingua, & Samaritanis ſive antiquis Hebraicis literis deſcriptum, habent etiam Samaritani Pentateuchum in linguam Samaritanam vulgarem converſum: quorum uterque in Bibliis Pariſianis, ut & in noſtris, exhibetur. Verſio hæc ſaltem ante natum Dominum facta eſſe videtur. Joh. Morinus facit Græca antiquiorem, ſcil. ab Eſdræ tempore, de quo poſtea.

3 Eſt Paraphraſis Chaldaica, a variis auctoribus & diverſis temporibus concinnata. Legem tranſtulit Onkelos circa Chriſti tempora. Prophetas priores & poſteriores Jonathan Ben Uziel Hillelis illius celeberrimi diſcipulus, de quo mira tradunt Talmudici: vixit circa annum 30 ante Chriſtum. Huic etiam adſcribunt aliam in Pentateuchum Paraphraſim: quæ tamen multo poſterioris auctoris eſſe probabitur, cum ad illam devenimus. Hagiographorum Verſio vulgo adſcribitur Joſepho Cæco: ſed a variis authoribus factam, & non ante annum Chriſti 600, judicat doctiſſ. Buxtorfius. Targum Hieroſolymitanum, non totum Pentateuchum, ſed quaſdam ejus partes explicat, ſæpe in medio verſiculi deſinit. Probabile eſt olim integrum extitiſſe; (multa enim citat Elias, ut ex Targ. Hieroſol: quæ in hoc non leguntur;) vel duplex fuiſſe. Qui ad Apoſtolorum tempora referunt, falluntur: multo recentius eſſe ſuadent, tum altum de eo ſilentium apud antiquiores Judæorum ſcriptores, tum vocum barbararum mixtio. Targum Megilloth ſive libellorum quinque, qui hoc nomine peculiari ratione appellantur, ſcil. Cantic. Salom. Thren. Ruth, Eccleſ. & Eſther; ut & Targum ſecundum Eſther, recentiora eſſe & poſt Talmud ſcripta, inter alia probant, Cant. 1. 2. Thren. 2. 19. ubi expreſſa ſit Talmudis mentio.

4 Syriacam tam Veteris quam Nov. Teſtamenti, non multo poſt Apoſtolorum tempora factam eſse, conſtans eſt Orientalium traditio: nec deſunt argumenta, quæ idem ſuadent. Publice per Orientem in Eccleſiis legitur: plerumque textum Hebræum ſequitur, ex quo Vet. Teſt. Verſio facta eſt. Hanc vero vocant antiquam & ſimplicem, ut ab altera recentiore ex Græca τῶν ο', traducta diſtinguatur.

5 Eſt Æthiopica totius Scripturæ, quam multo antiquiorem eſſe, quam putat Joſ. Scaliger, infra probabimus. Chryſoſt. Hom. 1. in Joh. 1. ejus mentionem facit. In Vet. Teſt. plerumque Græcam ſequitur: In Novo multum cùm vulg. Latina concordat; non quod ex hac facta ſit, ſed quod utraque eoſdem Græcos codices ſecuta ſit.

6 Armeniaca etiam extat totius Scripturæ, ut a teſtibus oculatis accepi. Evangelia quatuor Armeniaca habeo: ſed in multis obliterata, ita ut ſine alterius exemplaris integrioris ope, typis imprimi non poſſint. Plerique ab Chryſoſt. factam affirmant, cum ab Imperatore in Armeniam relegatus erat, ut Sozom. Hiſt. l. 8. cap. 22. Sic Sixtus Senenſ. Biblioth. lib. 4. Theodoretus lib. 5. de curandis Græc. affectibus teſtatur, *ejus tempore Armenos habuiſſe Scripturas lingua vernacula*: vixit autem paulo poſt Chryſoſtomum. Angelus de Roccha in Biblioth. Vaticana, p. 117. ſcribit, *Chryſoſt. inveniſſe characteres Armenos, qaibus hodie utuntur.* Ipſi vero Armeni in Hiſtoria Eccleſ. Armena, Latine & Armeniace nuper edita, cap. 2. tum Scripturæ verſionem, tum gentis ad fidem converſionem, ad Georgium primum ſuum Patriarcham referunt: cujus opera Rex cum tota gente ad fidem converſus eſt: quem etiam annis 266 elapſis, in Apoſtolorum Bartholomæi & Thaddæi cathedram ſucceſſiſſe volunt.

7 Verſiones Græcas, Aquilæ, Theodotionis, & Symmachi, in Tetraplis & Hexaplis ſuis diſpoſuit Origenes; iiſque poſtea quintam & ſextam addidit: unde cum Hebræo textu literis Hebræis & Græcis exarato, Octapla nominavit hæc volumina. Aquila qui ad Judæos defecit, verſionem ſuam fecit circa annum Chriſti 130. Theodotion etiam proſelytus & Apoſtata factus, primo Marcionita, poſtea Judæus, ſuam confecit circa annum 180. Symmachus etiam proſelytus ſuam edidit, Severo imperante, circa annum 200. Verſiones iſtæ in odium verſionis Sept. ab Apoſtatis & Judaizantibus factæ, licet iis uſi ſint veteres in ſcriptis ſuis; nunquam tamen ab Eccleſia publice receptæ vel approbatæ ſunt: unde & omnes hodie evanuere (ſuperſtite tamen illa 70, quia ſemper in publico Eccleſiarum uſu fuit,) fragmentis quibuſdam paucis exceptis, quæ ex veterum ſcriptis collegere viri docti, quæ & in Tomo noſtro ultimo exhibentur. Idemque fatum ſubierunt duæ aliæ verſiones, quas in doliis repertas Nicomediæ & Hierichunte Origenes ſuis Octaplis inſeruit.

8 Coptica ſive Ægyptiaca, circa tempora concilii Niceni facta eſt, ut conjicit Athanaſ. Kircherus in Prodr. Coptico. Exemplaria ejus rariſſima ſunt, ex quo, extirpata fere Religione Chriſtiana, Ægyptii Turcis ſervierunt. Pentateuchum Copticum, alioſque quoſdam libros Bibliorum, qui in Bibliotheca Vaticana ſervantur, recenſet idem Kircherus. Evangelia etiam MS. antiquiſs. in Bibliotheca Oratoriana Pariſiis extare, affirmat Joh. Morinus: hodie tamen ibi non reperiuntur, ut ab amico accepi, qui illa ibi fruſtra meo nomine quæſivit.

9 Arabicas verſiones habemus tum Judæorum, tum Chriſtianorum. Judæorum duplex extat Pentateuchus Arabicus. 1 Rabbi Saadiæ, qui circa 900 annum poſt Chriſtum floruit: ejus verſio Arab. extat in Bibliis Conſtantinopolitanis, de quibus ſupra, inter editiones Hebr. Hic etiam reliquos libros Vet. Teſtamenti tranſtulit, quorum quidam MSS. ſunt in manibus D. Pocockii. 2. eſt Judæorum Maurorum, quam edidit Cl. Erpenius. Meminit etiam Verſionis Arabicæ factæ per Johannem Epiſcopum Sevillienſem, circa annum Chriſti 717, Vaſeus in Chron. Hiſp. cujus nulla pars, quòd ſciam, hodie extat. Duæ tamen hodie extant inter Chriſtianos Verſiones Bibliorum Arabicæ, ut ex Nebienſi & aliis colligitur. Una Antiochena, quam nondum vidi: altera Alexandrina ſive Ægyptiaca a Chriſtianis ſub Patriarcha Alexandrino uſurpata: cujus exemplar ſcriptum annis abhinc 300, Gabriel Sionita nactus in Bibliis Pariſianis publicavit; quod etiam multis in locis ex MSS. antiquis ſuppletum, ubi Pariſienſe deficiebat, in noſtris Bibliis habetur.

10. Perſicam olim extitiſſe Verſionem, teſtantur Theodoretus & alii: Hodie vero an Verſionis iſtius antiquæ aliquæ ſuperſint reliquiæ, dubitatur. Evangeliorum varias habemus Verſiones. Unam edidit Abrahamus VVhelocus ſecundum exemplar Cantabrigienſe: Aliam nos edimus in Bibliis noſtris ſecundum exemplar MS. Pocockianum, quod trecentis abhinc annis ſcriptum fuiſſe, ex ipſo exemplari conſtat. Pſalmorum etiam duas Verſiones habuimus, ſed utraſque recentiſſimas, a Jeſuitis, aliiſque in Perſia commorantibus, nuper factas: unde haud dignas judicavimus eas inter antiquas Verſiones in hoc opus Biblicum inſerere. Si tamen ſeorſim ab aliquo ederentur, utiles eſſe poſſunt ad diſcendam linguam Perſicam, in qua pauciſſimos libros typis impreſſos adhuc habemus.

11. Datur & antiqua verſio Gothica ab Ulphila Gothorum Epiſcopo facta, qui ſucceſſor erat Theophili, qui Concilio Niceno interfuit, & inter reliquos Epiſcopos Concilio ſubſcripſit. De hac verſione Socrates l. 4. c. 17. Sozom. l. 2. c. 37. & Niceph. Hiſt. Eccleſ. l. 11. c. 48. Meminit Gruterus inſcript. Vet. p. 146. Verſionis Evangeliſtarum annis abhinc mille factæ, quæ ſervatur in Monaſterio VVardino: quam partem Ulphilæ tranſlationis eſſe, ſuſpicatur doctiſſ. Breervvoodus. Gothicæ hujus verſionis, vel alicujus ejus partis, exemplar hodie in Bibliotheca Sereniſſ. Chriſtinæ Suecorum Reginæ extare, a fide dignis accepi.

10. His annumerare licet Hieronymi verſionem in linguam Dalmaticam: quod præter alios teſtatur ipſe Hieron. Epiſt. ad Sophronium. Hunc etiam ferunt, characteres Dalmaticos inveniſſe, qui ab ipſo Hieronymiani dicuntur: & hodie in uſu ſunt per Liburniam, Iſtriam, Moraviam, Sileſiam, Bohemiam, Poloniam. Aliam etiam habent Sclavoni verſionem Hieron. recentiorem in lingua vernacula a Cyrillo, (non Alexandrino, nec Hieroſolymitano, ſed alio) qui vixit circa annum Chriſti 860 factam: quem lingua ſua vocant Sclavoni Chiurill, qui cum Methodio, Circaſſianos, Guearenſes, & Mengrellianos ad fidem Chriſti convertit. Hic Cyrillus aliud Alphabetum Illyricum invenit, ab Hieronym. diverſum, in quibus verſionem habent deſcriptam, per Raſciam, Bulgariam, Moldaviam, Ruſſiam, Muſcoviam, aliaſque regiones, quæ lingua utuntur Sclavonica.

5. Quod ad verſiones Latinas attinet, multæ olim erant ex Græco factæ, ita ut vix numerari poſſint, teſte Auguſtino l. 2. de doct. Chriſtiana, c. 11. Quiſquis enim Græcæ linguæ vel mediocrem cognitionem aſſecutus erat, protinus ad vertendum ſe accingebat. Inter reliquas tamen unam præ reliquis commendat, quæ *Vulgata* & *Itala* dicta eſt, quæ in verbis erat cæteris magis perſpicua. Hanc vero, cum *Vulgatæ* & *Veteris* nomen his temporibus nacta ſit, reliquis Latinis antiquiorem eſſe neceſſe eſt. Cumque Latina Eccleſia ſine verſione Latina nunquam fuerit, veriſimile eſt hanc primam fuiſſe Latinam verſionem ex Græco factam Apoſtolorum temporibus, vel non multo poſt; ne dicam cum Baronio, Bonfrerio, Serario, & aliis, *ab aliquo Apoſtolorum diſcipulo factam, & ab ipſis primis Eccleſiæ fundatoribus viſam & approbatam.* Hieronymus bis ſacros codices Latine tranſtulit. 1. Ex Græca verſione τῶν ο, ut in Origenis Hexaplis extabat, pura & incorrupta, ut ipſe teſtatur Epiſt. ad Suniam & Fretellam. 2. Ex Hebræo. Novi vero Teſtamenti Latinam verſionem Evangeliorum juxta Græcum textum correxit hortatu Damaſi Papæ; non de novo confecit, ut ex præf. ad Evangelio liquet. Hæc vero poſtrema Vet. Teſt. Hier. Verſio non ſtatim recepta eſt: ſed ut nova, & in opprobrium Græcæ Sept. facta, multos habuit magni nominis in Eccleſia contradicentes. S. Auguſtinus non permiſit in ſua diœceſi publice legi: alii in eam invectivas ſcripſere, ut ex ejus Apologiis patet. Ducentis poſt Hieronymum annis, utraque tam vetus quam nova in uſu erat, ut ex Gregor. Epiſt. ad Leandrum, ante libros Moralium, & Moral. libr. 20. c. 23. conſtat; donec tandem ex utraque, Vulgata hodierna conflata eſt. Sed de authore & tempore ſilent Hiſtorici, teſte Baronio ad annum 231. Sect. 47. Poſt Hieronymum, Vulgata recepta, nil tentatum in Verſionibus Latinis uſque ad ſeculum 1500 & 1600. Lyranus & P. Burgenſis multa correxerunt in Vulg. Latina; at novas Verſiones non fecerunt. Iſidorus Clarius, qui circa annum 1540 floruit, ex Monacho Epiſcopus Fulginatenſis, totam Scripturam in Latinum ſermonem iterum tranſtulit, teſte Sixto Senenſi, & Poſſevino. Scholia etiam collegit: quæ cum ipſius verſione hodie extant. Primus, qui novam Verſionem Latinam poſt Hieronymum ex Hebræo edidit, erat Santes Pagninus hortatu & impenſis Leonis X. poſtquam 25 annos circa eam ſudaſſet. Typis edita eſt anno 1523. Hæc verſio poſtea excuſa eſt in Bibliis Regiis opera B. Ariæ Montani, alicubi mutata, & ad verbum juxta Hebraici textus proprietatem reddita. Quod ejus ſtudium omnibus non probatur, dum Pagnini Verſionem temere loco movit, & verba barbara & inuſitata, quæ Latinæ aures non ferunt, pro Pagnini bonis ſubſtituit. Hoc tamen pro Aria dici poteſt, quod hoc modo tyronibus in Lingua Hebræa conſuluit, nec Pagnini verba prorſus ſuſtulit, ſed tantum in marginem tranſtulit. Poſt hanc multæ prodierunt Verſiones Latinæ. Complutenſis, quæ ad Græcam aptata erat, quæ in Regiis, & nupera Pariſiana extat. Vetus Vulgata, quæ ante Hieronymum in uſu erat, quam intermortuam poſt mille annos redivivam, ex Patrum Latinorum ſcriptis collectam, immenſis laboribus reſtituit Flaminius Nobilius, reſpondentem editioni Græcæ Romanæ Codicis Vaticani: quam etiam in Bibliis noſtris imprimi curavimus. Ex Textibus etiam Originariis multæ prodierunt verſiones Latinæ. Inter alias Sebaſtiani Munſteri, Oſiandri, Caſtellionis, Tigurinorum, Vatabli, vel (ut alii putant) Rob. Stephani, Piſcatoris, Junii & Tremelii, &c. de quibus, ut & de Verſionibus in linguas vernaculas, non opus eſt plura dicere. In omnes enim fere Europæ linguas hodie eloquia Sacra traducta ſunt, Italicam, Gallicam, Hiſpanicam, Polonicam, Belgicam, &c. Inter omnes vero eminet Anglicana, Jacobi Regis auſpiciis, collatis multorum virorum doctorum ſtudiis, elaborata.

PROLEG. VI.

De Variis in Scriptura Lectionibus.

1. *Dari varias lectiones non tantum in Scripturæ verſionibus, ſed etiam in textu Hebræo & Græco.* 2. *In rebus omnibus, quæ fidem & mores ſpectant, omnes codices convenire.* 3. *Dari lectiones variantes in codicibus* Hebræis *probatur, teſtimoniis virorum doctorum. Sixtini Amamæ. Bocharti.* H. *Grotii. Lud. de Dieu. Dan.* Heinſii. *&c.* 4. *Etiam maximorum Textus* Heb. *Vindicum. D. Buxtorfii. Rev. Uſſerii. Arnoldi Bootii, & aliorum.* 5. *Auctoritatem librorum Sacrorum inde non labefactari.* 6. *Dari media, quibus vera lectio, cum codices diſcrepant, reſtitui poſſit. Regulæ de variantibus lectionibus notandæ.* 7. *Lectionum variarum cauſæ.* 8. *Unde lectiones variæ colligi poſſint. Ex exemplaribus* Hebræis *Vet. & Græcis Nov. Teſtamenti.* 9. *Etiam ex verſionibus: quod doctorum teſtimoniis fuſe probatur. Cautiones quædam.* 10. *Idem rationibus probatur.* 11. *Non omnes diſcrepantiæ pro variis lectionibus habendæ.* 12. *Non ex conjectura colligendæ.*

1. DAri lectiones variantes, non tantum in Scripturæ verſionibus, præſertim antiquis; ſed etiam in ipſo textu Hebraico Veteris, & Græco Novi Teſtamenti, a nemine negari poteſt: cum hoc teſtentur tot varietates ex codicibus MSS. & impreſſis a viris doctis annotatæ. Qua-

les ſunt in Teſt. Veteri, Keri & Ketib, a Maſorethis collectæ; item diſcrepantes Orientalium & Occidentalium lectiones; quæque inter codices Ben Aſcher & Ben Naphtali obſervantur, quæ in Bibliis Venetis, Baſilienſibus, & in noſtris imprimuntur. Tales ex Novo Teſtamento collegit Rob. Stephanus ex 16 exemplaribus antiquiſſimis 2384. quas in N. Teſt. a ſe edito excudit, præter loca deficientia 280. quæ obeliſcis notavit, & multo plures ex vetuſtis aliis codicibus a nobis collectæ ſunt, quæ in Bibliis noſtris exhibentur. Ex Latinis codicibus idem fecere Stephanus in Bibliis ſuis magnis, Hentenius, aliique Theologi Lovanienſes in Bibliis a ſe editis: maxime vero in hoc pulvere ſudarunt viri duo, linguarum, & S. Theologiæ ſcientia clari, Lucas Brugenſis Decanus Lovanienſis, & Ludov. Capellus S. T. D. & linguæ Hebraicæ profeſſor Salmurienſis, ut ex libris de hoc argumento ab ipſis editis liquet. Cumque ipſa ſcriptorum Sacrorum αὐτόγραφα hodie non extent; ἀπόγραφα vero, quæ habentur, omnia ab hominibus errori obnoxiis exarata ſint; nec ſapientiæ divinæ viſum ſit, ut vel Eccleſiam, vel Scripturarum ſcribas & librarios ab omni erroris labe immunes ſervaret: quis ſanæ mentis negare poteſt, leviores quaſdam labeculas, & errata quædum ex ſcribarum & Typographorum oſcitantia, ignorantia, vel audacia irrepere poſſe? quum hoc teſtetur quotidiana experientia. Ita tamen invigilavit providentia Divina, Eccleſiæque diligentia, ut in iis quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, & ad fidem & mores ſpectant, omnia pura & integra ſint. Si vero in talibus aliquid forte obrepſerit, nemo fidei & Religionis rudimentis imbutus eſt, qui non ſtatim judicare poterit, ſcribæ errorem eſſe, & corrigi debere.

2. Duo enim ſunt rerum genera, ut inter alios optime notavit Clariſſ. Capellus (Crit. l. 6. c. 5.) in Scripturis. *Alia enim ſunt ad ſalutem neceſſaria; ſive quæ ad fidem & mores ſpectant; ſive hiſtoriæ ſint, quæ ad fidem & ſpem roborandam multum faciunt: ut hiſtoria de Creatione, de providentia divina, de nativitate, vita, morte, reſurrectione Chriſti, &c. Quæ vero ejuſmodi ſunt, in omnibus codicibus clare & evidenter traduntur, ita ut doctrina ſalutaris a Prophetis & Apoſtolis tradita in iis omnibus inveniatur. Res enim tales non hic & illic ſparſim per Scripturam traduntur: ſed ut ſanguis per venas & arterias per totum corpus ubique traducitur; ſic illæ per totum Scripturæ corpus diſtribuuntur: ita ut licet in uno loco vel altero aliqua varietas oriri poterit, veritas tamen ſalutaris periclitari non poſſit, niſi univerſa Scripturæ compages laxata & corrupta eſſet. Alia vero ſunt, in quibus error vel ignorantia ſine ſalutis periculo oriri poſſit, ut multa in Chronologicis, & in nominibus hominum, urbium, regionum, &c. circa quæ varietas codicum eſſe poteſt, manente Scripturæ authoritate; & ſine ſalutis diſpendio vel periculo errare poſſumus: tum quod res ipſæ momentoſæ non ſint, tum quia ex ipſa Scriptura judicari poterit, quænam lectio ſit verior.*

3. Capello in hoc conſentiunt Theologi plerique, aliique doctrina & eruditione Hebraica clari; etiam rigidiſſimi textus Hebraici defenſoſores: quorum teſtimonia ſubjicere libet. Sixtinus Amama linguæ Hebraicæ profeſſor olim in Acad. Franekerana, Antibar. Bibl. lib. 1. de hac re late diſſerit. *Haud* (inquit) *negare auſim, & injuria temporum, & deſcriptorum incuria, errata quædam & ſphalmata in textum Hebræum irrepſiſſe. Hoc autem dum admittimus, auctoritati Textus Hebraici nihil detrahimus: manet nihilominus textus authenticus, & omnium verſionum norma.* --Poſtea addit, *Ex omnibus variantibus lectionibus producatur una, unde vel orthodoxæ fidei vel pietati, ullum detrimentum inferri poſſit. Certe his talibus nullam interveniſſe Judæorum malitiam, non tantum hinc apparet, quod nullum ex illis Judaicæ perfidiæ patrocinium exſculpi poſſit; ſed ex eo, quod fontes variantium lectionum aſſignari poſſint: inter quas ſunt primarii; affinitas ſoni, ut inter* לא *&* לו, *vel affinitas figuræ conſonarum, ut in* הוא *&* היא, *in* כארו *&* כארי, *vel indifferentia ſenſus: multa enim occurrunt loca, in quibus adeo pulchre utraque quadrat lectio, ut nulla Logica vel Grammatica definiri poſſit, utra genuina ſit. Potuiſſet quidem Deus, ab his quoque erratulis literas Divinas præſervare, & ſupernaturali quadam gratia & ope omnibus, qui Hebraica exemplaria exſcripſere, adeſſe, ſicut primorum exemplarium* θεοπνεύστοις *ſcriptoribus adſtitit: at quia id non fecit, ideo cum eo expoſtulabimus? Magnum ſatis illud beneficium, quod cœleſte hoc Chirographum ita revelaverit Deus, ut adverſus malitioſam depravationem illud ſartum tectum conſervaverit. Quin & illud conſideratione dignum, in iſtis infirmitatis humanæ erratis &* ἁμαρτήμασι *non dormitaſſe vigilem providentiæ oculum, dum cavit diligentiſſime, ne vel minima orthodoxæ fidei particula, vel pietas ex eorum uſu detrimentum caperet.* Exemplum profert ex Gen. 3. 15. in loco illo illuſtri, ubi primum Evangelium extat, ubi conſtanter legitur הוא, licet ſcelerata manus mutare tentavit in editione quadam interlineari anno 1572. His gemina habet Doctiſſ. Bochartus in Geogr. ſacra part. 1. lib. 2. cap. 13. *Licet eandem ſcribis non tribuam* ἀναμαρτησίαν, *quam ſcriptoribus ſacris: non tamen inde ſequitur, quod nonnulli ſubinde oggerunt, actum eſſe de fide & ſalutis doctrina, & in ea nihil eſſe certi: quis enim ferat in aliis ſic arguentem? In Livii & Suetonii ſcripta, quidam errores irrepſerunt: ergo in hiſtoria* Romana *nihil eſt certi; & in iis quæ de Hannibale, aut Julio, aut Auguſto leguntur, nutat fides? Ariſtotelis Græci codices ſunt alicubi mendoſi: ergo, quid ille ſenſerit de rebus Philoſophicis, certo ſcire haud poſſumus. Quamvis exemplum ſit valde diſpar. Nam multo aliter invigilavit Dei providentia, ut ſacros Scripturæ codices præſtaret immunes, ſaltem in iis quæ ad fidem & ſalutem ſunt abſolute neceſſaria. Unde eſt, quod utut Hebræi & Græci codices variant in minutulis, & ſacri textus interpretes ſæpe in diverſa abeunt: tamen in fidei capitibus &* τὰ νόμου τοῖς βαρυτέροις *eadem ubique doctrina occurrit, non jam dicam in* αὐτογράφοις *ſed & in verſionibus corruptiſſimis.* Magnus Grotius Epiſt. ad Gallos, quæ eſt 186. *Exiguus noſter nodum in ſcirpo quærit, non metuenda metuens. Nam ſi Novi fœderis auctoritati non obſtent tot, quæ olim deprehenſæ ſunt, & quotidie deprehenduntur, diſcrepantes ſcripturæ; quid mali fecit, qui in Veteris fœderis libris, ſive ex Orientalibus Judæis, ſive ex interpretibus antiquis, aliquas fuiſſe præter eas, in quas inciderunt Maſorethæ, ſedulo obſervat, & verecunde docet?* Lud. De Dieu. præf. animadv. in Evang. idem dicit. *Nec eſt* (inquit) *quod quemquam turbet ea codicum lectionumque varietas, — quaſi nihil certi haberet fides Chriſtiana cui inniteretur: nihil enim deprehendo, quod fidei ſubſtantiam læderet. — Tantum abeſt, ut Eraſmum, Camerarium, Bezam, viros pietate & eruditione conſpicuos culpare audeam, quod in ſuis ad ſacros libros notis varias lectiones obſervarunt, ut contra eos utilem operam navaſſe credam.* Daniel Heinſius Proleg. in Nov. Teſt. *Serio reſponſo eos haud dignos* credit, *qui aut variaſſe olim in quibuſdam libros, aut ex iis minus emendatos cum cura reſtitutos negant.* — Et poſt alia, *Satis ſit,* (inquit) *ejuſmodi varietates eas eſſe, ut vel quæ neceſſario credenda ſunt, non evertant; vel quæ non credenda ſunt, non doceant.* Vide & Croium, Obſerv. in N. Teſt. cap. 15. 16. Morin. Diatr. l. 1. c. 9.

4. Sed quid multis opus eſt, cum textus Hebraici vindices acerrimi idem diſerte fateantur, licet de numero variarum lectionum idem cum aliis non ſentiant. Doctiſſ. Buxtorfius, eruditione Hebraica nulli ſecundus, De Punct. Antiq. parte. 1. c. 16. & Anticrit. part. 2. c. 13. p. 848: *neque* (ait) *exiſtimo tales fuiſſe,* (codices Hebræos,) *ut in nullo plane punctulo, apiculo, aut literula, a primis Moſis & Prophetarum autographis, apographa unquam diſceſſerint, aut nullum omnino vitium vel leviſſimum in eos irrepſerit. Nam nec ipſi quidem Judæi hoc aſſerunt, --cum inter celebres auctores, tum inter exemplaria diſſentiones & diſcrepantes quaſdam lectiones notant. Tales ſunt præter notas* τῶ קרי וכתיב, *diſſentiones inter Orientales & Occidentales, & inter Ben Aſcher & Ben Naphtali: nec diſſimulant varietates nonnullas ex libris MSS. celeberrimis, & magnæ auctoritatis, ut Librorum Hieroſolymitanorum, Babylonicorum, Hiſpanienſium, exemplaris Hilleliani,* &c. Idem Anticrit. part. 1. c. 4 p. 67 ſcribit, *Emendatum ſatis exemplar cudi poſſe, licet non ad extremum uſque apicem: iſtud enim facile concedimus, nec eſſe, nec fuiſse, imo nec eſse poſse.* Reverendiſſ. Uſſerius Epiſt. ad Lud. Capell. pag. 21. *Sententia* (inquit) *mea hæc perpetua fuit, Hebræum Vet. Teſt. codicem ſcribarum erroribus non minus obnoxium eſse, quam Novi codicem, & omnes alios libros: ſed ad errores illos dignoſcendos & corrigendos, peculiare hic nobis ſuppeditaviſse ſubſidium Maſoretharum induſtriam; ex quibuſdam veterum interpretationibus etiam excerpi poſse aliquas variantes Textus Hebraici lectiones. -- In variantibus lectionibus magnam antiquitatis exemplarium habendam eſse rationem, & ubi cætera ſunt paria, ex variantibus lectionibus eam præferendam, quæ ſenſum parit commodiorem.* Arnold. Bootius Epiſt. ad eundem Uſſer. ſect. 64. *Non negamus, vel irrepere potuiſse in ſacros Codices Hebraicos varias lectiones, vel revera irrepſiſse: neque infeſti ſumus iis, qui vel ab aliis deprehenſas agnoſcunt, vel ipſi plures deprehendere ſatagunt, atque deprehenſas in medium proferunt. — nec in iſtud album eos duntaxat codices admittimus, qui hodie extant, ſed et qui unquam fuerint; nominatimque illos, quibus veteres interpretes uſi ſunt.* &c. Eadem dicunt Eccleſiæ Romanæ doctiores, inter quos Bellar. de Verbo Dei. l. 2. c. 2. *Varietates iſtæ non tanti ſunt momenti, ut in iis quæ ad fidem & mores pertinent, S. Scripturæ integritas deſideretur: plerunque enim differentia eſt in dictionibus quibuſdam poſita, quæ ſenſum aut parum aut nihil mutant.* Bellarm. conſentiunt Dominicus Bannes, Sixt. Senenſis, & alii multi. Et hinc in Vulgata Latina, quam pro Authentica habent, errata ſcribarum & lectiones varias ejus auctoritati nihil derogare ſtatuunt, licet millia quædam variarum lectionum in ea notarunt Lucas Brugenſis, & Theol. Lovanienſes: imo poſt correctiones Sixti 5. duorum annorum intervallo, (nam inter Sixtinam & Clementis editionem plus temporis non interceſſit) millia aliquot diſcrepantiarum, inter Biblia Sixti & Clementis, annotantur. His plura adjicere licet ex Talm. aliiſque Judæorum ſcriptis, quæ in Proleg. ſequenti adducemus.

5. Hæc vero virorum doctorum teſtimonia proferenda duximus, ut eorum timori occurramus, qui nimis meticuloſi, & in exemplaribus antiquis conferendis parum exercitati, verentur, ne hoc modo labefactetur divina Scripturæ auctoritas, fideſque noſtra incerto fluctuet: unde ex uſu eſſe exiſtimant, licet ſint variæ lectiones, de iis tacere prorſus, & nullas colligere, ne ſcrupulos in animis infirmorum excitemus. Sed præter ea quæ ex viris doctiſſimis jam citavimus, & hæc addenda duximus, Vanum eſſe iſtorum metum, & utilitates non ſpernendas habere variarum lectionum collectionem. Multum enim facit ad veram lectionem tum conſervandam, tum reſtituendam, ejuſque rectam intelligentiam. Codicum innumerorum conſenſus mirus in omnibus, quæ Religionis ſubſtantiam ſpectant, veritatem divinam multum confirmat, Deique curam ſpecialem circa hos libros demonſtrat: qui hominum negligentiæ, ignorantiæ, & temeritati permiſit *cutim quaſi ſtringere in levioribus,* (ut cum Doctiſſ. Sixt. Amama loquar,) *at vulnera lethalia infligi* (ſalutaria dogmata corrumpendo) *non ſivit.* Qui vero ne minimas a textu Originario variationes dari poſſe defendunt, in laqueos & nodos inexplicabiles ſe involvunt, ſimulque impiis & prophanis hominibus, (quorum hæc ætas feraciſſima,) ſe ridendos præbent: qui facile obſervant in libris Regum, & Chronicorum, & alibi, quædam ἀπορ., ut in 2. Reg. 26. 8. collato cum 2. Chron. 22. 2. de ætate Ahaziæ filii Joram. Unde colligunt, nullam eſſe in ſacris literis certititudinem, nec iiſdem fidem adhibendam. Quibus facile os obſtruitur, cum hæc ex variante codicum lectione, non ex ipſo textu αὐτογράφῳ oriri dicimus; unde conſequentia illa nullum habet robur. Variationes itaque hæ leviores idem præſtant Scripturam legentibus, quod acus magnetis variationes a vero mundi polo ejuſque ſitu nautis in medio mari: qui curſum ſuum eo melius & tutius dirigere norunt, quum variationes locorum quorundam cognoſcunt; quam ſi acum veram Poli Latitudinem ſemper indicare crederent: tunc enim extra viam vagarent, & in ſcopulos impingerent.

6. Præterea notandum eſt, dari media certa, quibus vera lectio, cum codices diſcrepant, ſtabiliri poteſt; ſcil. Analogia fidei, antiquorum ſcripta & commentaria, antiquæ verſiones, codicum antiquorum collatio;

maxime vero ipſa Scriptura, in qua antecedentium & conſequentium conſideratio, & locorum parallelorum & ſimilium obſervatio, multum ad veram lectionem conferunt. Nam illa lectio, quæ cum antecedentibus & conſequentibus, & cum locis parallelis conſentit, & analogiæ fidei conſona eſt, vel cum aliis bonæ notæ codicibus concordat, & ex antiquis Patrum Eccleſiæ ſcriptis corroboratur, proculdubio pro vera & genuina habenda eſt. Si vero, his omnibus penſiculatis, adhuc lectio dubia maneat, liberum eſto cuiquam judicium: non enim poteſt eſſe alicujus momenti illa varietas, utramlibet elegeris: utraque enim vera eſſe poteſt. Non dico cum Morino, exer. Bibl. 6. cap. 12. n. 4. 5. &c. *utramque authenticam eſſe poſſe.* Nam cum uno tantum modo ſcripſerit Propheta, & unica lectio ſit ex ſe divina; impoſſibile eſt utramque eſſe authenticam, licet altera nil falſi in ſe contineat in ſe ſpectata ut propoſitio: vera enim eſſe poteſt, & aliquid facere ad loci explicationem: & ſic de divinis codicibus dici poteſt quodammodo; Ἀεὶ γὰρ εὖ πίπτουσι οἱ Διὸς κύβοι, *ſemper bene cadunt Jovis taxilli.* Inter codices vero ipſos variantes, regulæ quædam obſervandæ ſunt. Primo enim, *Quæ ex codicibus antiquioribus elicitur lectio, cæteris paribus, præferri debet ante eam, quæ ex recentioribus colligitur.* Veritas enim eſt errore antiquior; & codices quo antiquiores, eo primis αὐτογράφοις propiores, & per pauciores deſcriptiones a primis fontibus derivantur: quo enim ſæpius unum ex altero exemplar deſcribitur, eo facilius errata irrepere poſſunt: ut rivuli, quo longius a fontibus abſunt, eo minus fontium puritatem ſapiunt, & ſordes ac alienas qualitates contrahunt. Hinc colligitur, lectionem, quam ſecuti ſunt antiqui Eccleſiæ ſcriptores, qui propius Apoſtolorum temporibus vixerunt, plus auctoritatis habere, quam recentiorum quorumcunque, utcunque doctrina polleant. Secundo, *quæ lectio cum pluribus, & melioris notæ codicibus congruit, præferenda eſt ei, quæ paucioribus, vel non ita accurate ſcriptis codicibus nititur.* Hic enim valet illud Tert. in Præſcript. *Quod apud multos unum invenitur, non eſt erratum, ſed traditum.* Codices vero melioris notæ ſunt, qui majori cura & diligentia, & quam accurate ſcripti ſunt; ubi pauciora ſcribæ errata inveniuntur, & ſcribam ad exemplar attendiſſe conſtat. Codex enim vel unicus ita ſcriptus præponderat viginti aliis, quæ negligenter & oſcitanter deſcripti ſunt. Unde videmus, apud interpretes unum talem codicem multis aliis præferri: ubi autem codices æquales eſse apparent, ibi antiquiores vel major numerus merito præfertur. Tertio, *Quæ, cæteris paribus, ſenſum fundit veriorem, clariorem, & cum antecedentibus & conſequentibus magis congruentem, & codicibus paris auctoritatis confirmatum, præferenda.* Quarto, *Ubi utraque lectio per has regulas examinata æqualis deprehenditur, non multum refert, quam ſequaris.* Tandem eſt hoc notandum, *a recepta lectione non temere recedendum, nec aliquid in textu mutandum ſine Rectorum Eccleſiæ conſenſu, quibus Chriſtus animarum curam commiſit, & oracula ſua concredidit: ſed modeſte rationes & conjecturæ proponendæ ſunt; et Eccleſiæ judicium expectandum: quæ non ſemper omnia, quæ correctione egere videntur, corrigit; ſed quædam permittit ad populi et infirmorum offenſionem vitandum:* quod olim monuit Hieronymus, & in Vulgatæ Latinæ emendatione obſervatum eſt, ut ex ejuſdem præfatione, & ex epiſtola Bellarmini, qui unus erat correctorum, ad Luc. Brugenſem liquet. Si hoc enim cuilibet concedatur, pro norma fidei Leſbiam regulam haberemus; nec jam verbum Dei ultra eſset, ſed aliorum qui hoc ſibi temere permittunt. Si enim in decretis Principum & Regum aliquid immutare, majeſtatis reum efficit; quantum erit crimen aliquid pro libitu mutare in ſacris hiſce ſcriptis, *in quibus*, ut olim S. Auguſtinus, *de cœlo Rex regum & Dominus dominantium loquitur.* Ex his videre licet, quiſnam ſit variarum lectionum uſus, quem experti ſunt interpretes antiqui & recentiores; quique vel editiones Bibliorum novas adornarunt, vel commentariis ſuis libros ſacros illuſtrarunt: ut videre licet apud Origenem, Auguſtinum, Hieronymum, alioſque veterum. Hoc fecerunt Maſorethæ, cum Biblia Hebræa recenſebant. Idem obſervarunt Sixtus 5. & Clem. 8. in editione Vulgata Latina; Cardinalis Caraffa, Flam. Nobilius, & alii in nobili illa editione Romana Græca τῶν ο. Sic denique Complutenſes, Eraſmus, Stephanus, L. de Dieu, Beza, & alii, in Novi Teſt. editione Græca.

7. De cauſa, unde fluxerunt variantes lectiones, non multum laborandum; cum certum ſit eas a ſcriptoribus ſacris oriri non poſſe. Nec enim audiendi ſunt, qui eos alicubi memoria lapſos eſſe in rebus leviculis aſſerere audent. Eorum enim αὐτόγραφα, cum dictante Sp. S. vel calamum ita dirigente, ut errare non potuerint, exarata ſint; ab omni vel leviſſima erroris labe immunia eſſe, pro certo ſumendum. Errores itaque omnes a ſcribis, vel interpretibus ortos fuiſſe, neceſſarium eſt. A ſcribis vel librariis, qui exemplaria deſcripſerunt, & non ſatis accurate cum codice Originario contulerunt, fluxere primo: a quibus alii alia deſcribentes, errores eorum propagarunt; qui (non extantibus codicibus Originariis, unde corrigi & emendari poterant,) in plures derivati ſunt. Sic ab uno codice, multa millia propagari poſſunt; & quo plures codices deſcripti, & quo longius a prototypis diſtant: eo plures mendas contrahere proclive eſt. Scribarum vero error interdum ex oſcitantia, vel non ſatis attenta ectypi cum archetypo collatione oritur: aliquando ex inſcitia vel ignorantia, cum verba haud ſatis intellexit; unum pro alio, vel ſenſu alieno reddens; ſæpe ex audacia nimia, cum quæ in margine notata invenit, in textum inſerit; vel mendam ſuſpicans, ubi nulla eſt, ſub ſpecie corrigendi textum, corrumpit. De Hæreticis etiam frequens eſt inter veteres querela, qui in textum manus ſacrilegas injecerunt, ut erroribus velum obtenderent. Nec non Interpretes (licet non ita frequenter, ut ſcribæ; quibus plerunque doctiores ſunt, nec ita feſtinanter ſcribunt, ac ii qui precio conducti, penſum, quam citiſſime poterunt, abſolvunt,) aliquando ex inadvertentia, vel aliis de cauſis, verba non apte reddunt, nec verum ſenſum exprimunt. Notandum etiam, ex linguæ Hebrææ genio proclivem eſse tum ſcribarum, tum interpretum errorem; tum ob literarum quarundam ſimilitudinem, ut ב & כ, ד & ר, ו & י &c. quas difficile eſt diſtinguere, præſertim cum libri minutis characteribus olim deſcripti fuerint; ita ut Hieronym. præf. l. 7. comment. in Ezech. dicat, *ſuo ſeculo, codices fuiſſe tam exiguis literulis depictos, ut eos ad nocturnum lumen nequaquam potuerint diſtinguere, & ad Solis ortum & diei fulgorem oculi cæcantur*; tum ob ſoni in aliis affinitatem, ut in ט & ח, שׂ & שׁ, צ & ז, &c: ut & per literarum metatheſin & tranſpoſitionem; maxime ob vocum quarundam ex abſentia punctorum ambiguitatem, ut in דבר quæ ſecundum punctationem variam, *mortem* & *peſtem*, vel *verbum* ſignificat. Et licet plerunque in orationis contextu ambiguitas tollatur; ſæpe tamen ambiguitas manet, & ſolo uſu tollitur. Aliquando etiam ex verborum varia diviſione vel compoſitione, ambiguitas oritur: quorum omnium exempla proferemus in tractatu de Keri, & Ketib.

8. Reſtat, ut diſquiramus, unde lectiones variæ colligendæ ſint: de quo a viris undiquaque doctiſſimis magna animorum contentione diſceptatur. Alii enim ex ſolo Textu Originario colligendas eſse volunt. Alii etiam ex antiquis verſionibus, Græca, Chaldæa, Syriaca, Samaritana, &c. Alii, licet de quibuſdam verſionibus hoc concedant, alias tamen excludunt; hic Græcam τῶν ο, & Samaritanam; ille Hieronymi Latinam & Chaldæam in Prophetis, &c. quas ita mendis refertas eſse volunt, ut nil certi inde hauriri poſſit. Alii denique ex propria conjectura ſine codicum & verſionum conſenſu extrahi poſse ſtatuunt. De hiſce vero ſciendum eſt primo, non quaſlibet diſcrepantias codicum hic intelligi; cum multæ ſint, quæ non ex exemplarium diverſitate, ſed ex ſcribarum errore manifeſto fluxere: ſcribarum vero errores, de quibus certo conſtat, inter varias lectiones nequaquam referendi. Licet enim omnes diſcrepantiæ a librariorum vel interpretum errore originem primo duxerint, (ipſa enim πρωτότυπα a ſeipſis non poterant variare:) tamen, cum liquido oſtendi non poteſt, diſcrepantiam ex hoc fonte emanaſſe; ad exemplarium, ex quibus codices ſuos deſcripſerunt, differentiam, neceſſe eſt confugere; & tales diſcrepantiæ pro variis lectionibus habendæ ſunt, ex quarum collatione de vera lectione & loci ſenſu genuino melius judicare poſſumus. Secundo, certum eſt, ex codicibus Hebraicis Veteris, & Græcis N. Teſtamenti varias lectiones colligi poſse, eaſque omnium certiſſimas eſse. Hoc enim omnes concedunt; (ut ſupra oſtendimus;) licet multi olim aliter ſenſerunt de Textu, ſcil. Hebraico: nam de Novo Teſtamento haud ita ſoliciti erant. Tertio, quod ad Verſiones attinet, ex quibus nullas textus originarii varietates colligi poſſe, quidam abſolute ſtatuunt; certum eſt pleroſque Theologos etiam ex verſionibus diſcrepantes textus Græci & Hebraici lectiones collegiſse: quod ex omnium fere virorum doctorum ſcriptis liquet, qui Commentarios in Scripturam ediderunt, vel qui eruditione Hebraica clari erant; etiam qui integritatis textus Hebraici defenſores ſunt acerrimi: ut miror, viros quoſdam doctos contrarium tam fidenter ſine ulla limitatione aſserere. Concedo quidem, has non pari certitudinis gradu cum iis incedere, quæ in codicibus originariis inveniuntur: colligi tamen poſse, tum exemplis & teſtimoniorum inductione, tum rationibus probatur.

9. Teſtimonia & exempla hic coacervare facillimum: nos pauca ſeligemus. Gen. 47. ult. verba hæc על ראש המטה ita reddunt Græci interpretes, ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ, *in ſummitatem virgæ ſuæ*, prout etiam citantur in epiſt. ad Hebr. c. 11. & ita vertit Syrus. Cum vero ex varia punctatione המטה reddi poſſit, *lectum*, vel *virga*; & alii reddant *virgam*, alii *lectum*, prout hodie punctatur, quis non hinc firmiter concludit, Sept. & Syrum legiſse הַמַּטֶּה, non הַמִּטָּה, præſertim cum nulla alia ratio probabilis reddi poſſit, cur ita tranſtulerint. Hieronym. legit, מִטָּה *mitta, lectum*, Sept. מַטֶּה *matte, virga*, vel *ſceptrum*, ab eadem radice נָטָה utrumque. Per puncta vero hic non intelligo MaſorethHarum puncta vocalia, quæ poſt multa ſecula inventa erant; ſed vocales ipſas, ſive ipſorum ſonos & pronuntiationem, quæ apud Hebræos, ut apud omnes alias nationes, ſemper in uſu erant. Unde videmus, ex verſionibus lectionem variam colligi poſse. Multa loca proferri poſsunt ex Sept. ab ipſis aliter verſa, quam hodie in Hebræo leguntur: quod ex codicum varietate fluxiſse, conſtat ex notis Maſoretharum, quæ eaſdem lectionum varietates in Bibliis obſervarunt, ſub Keri & Ketib. Joſ. 15. 47. legerunt LXX. ut et Hieronym. & Chaldæus, *& mare magnum*, והים הגדול, cum in textu hodie legatur והים הגבול *& mare termini*. Varietatis cauſa manifeſta eſt, facilis mutatio literarum ſimilium ב & ד, quod confirmant Maſorethæ, cum in textu ponunt lectionem hodiernam, in margine illam LXX. & Chald. ſub ק. Sed annon verum fuiſset, hic variaſse codices, etſi Maſora non annotaſset? Sic Ex. 21. 8. tranſtulerunt LXX & Hieronym. *quæ ſibi deſponſata fuerat* אשר לו יעדה, cum hodie legatur אשר לא יעדה *qui non deſponſavit eam.* Codicum varietas hic apparet, in לו & לא, quod confirmant Maſorethæ, qui lectionem לו ponunt in margine cum ק, alteram לא in textu. Sic Hieron. Eſ. 49 5. vertit, *Et Iſrael non congregabitur*: & reprehendit Aquilam, qui tranſtulit, *& Iſrael ei congregabitur.* Certe ex his verſionibus colligitur, Hieron. legiſse in codice ſuo לא, Aquilam vero לו, quod verum eſse, confirmatur ex Maſora, ubi utraque lectio notatur. Cur itaque in aliis iſtiuſmodi locis colligi non poſſit ex verſionibus varia lectio, etiamſi Maſorethæ non annotarunt? nam omnes codices non habuerunt, nec contulerunt. Hoſ. 11. 10. Tranſtulerunt LXX. מים *aquarum*; at cum punctis hodiernis ſignificat *mare*. Hab. 1. 5. ubi nunc legitur, *videte* בגוים *in gentibus*, verterunt LXX, *videte contemptores*, & legerunt בגדים quam lectionem

ſequitur Apoſt. Act. 13. 14. Differentia eſt in ו cum ד commutatione. Et certe lectio 70 videtur magis Apoſtoli ſcopo convenire, ut ex contextu patet: & cum alia cauſa aſſignari non poſſit hujus varietatis, (nam nec myſterii cauſa, nec clarioris explicationis, ita vertiſſe 70 liquet,) neceſſario recurrendum eſt ad codicum varietatem. Pſal. 145 ſinguli verſus incipiunt ſecundum ordinem Alphabeti: at inter verſ. 13. & 14. deeſt unus in codicibus Hebræis, qui incipere debuiſſet a litera Nun: quem tamen olim in quibuſdam codicibus extitiſſe, judicant viri docti ex Verſione Græca Sept. ubi inter hos duos, hic verſus interponitur, Πιστὸς Κύριος ἐν πᾶσι τοῖς λόγοις αὐτοῦ, καὶ ὅσιος ἐν πᾶσι τοῖς ἔργοις αὐτοῦ: cujus primum vocabulum ſi ab Heb. נאמן inciperet, totum Alphab. Hebraicum per verſus initiales extaret. Multa ejuſmodi ubique occurrunt. Exemplis teſtimonia ſubjungam virorum doctorum, qui ſine ullo ſcrupulo ex Verſione varietatem textus Originalis inferunt. Beza in Luc. 9. 48. ubi nunc legitur, οὗτος ἔσται μέγας, notat Vulgatam legiſſe, ἐστι *eſt*, in præſenti: quam lectionem magis ſinceram eſſe putat. Sic v. 53. ubi Græce nunc legitur, ὅτι τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἦν πορευόμενον &c. dicit, *Durum & inſolens hoc dicendi genus ſibi videri*: itaque cum vetere Latino interprete vult ſcribendum πορευομένου. Idem in 1. Cor. 15. 55. in hæc verba, *Ubi eſt, mors, victoria tua? ubi eſt ſtimulus tuus?* quæ ſecundum 70 ita a Paulo citantur, ita ſcribit, *Græca editio, quam ſecutus eſt Paulus, legit* איה *pro* אהי *per metatheſim: deinde Græci interpretes* דבריך *deduxerunt non a* דבר deber, *peſtis*, *ſed a* דבר dabar, *verbum.* Infinitum eſſet, omnia ex Beza adferre. Joh. Druſius ad Gen. 26. 20. *Legerunt 70. & Vulgatus, & Scholiaſtes* עשק *cum puncto in dextro cornu,* שׁ, *at nunc legunt* עשק *cum puncto in ſiniſtro.* Idem in Jer. 1. 11. miratur, Hieronymum dicere, Saced, ſignificare, *nucem*, & tamen vertere, *virgam vigilantem*, id eſt, Soced. *An legit aliter, quam nunc eſt in codicibus Hebræis? Videtur. Nam etiam Aquila & Symmachus ita legerunt.* In Parallelis Sacris in illa verba, *Ex Ægypto vocavi filium meum*, ita ſcribit, *Prius erat in 70* τὰ τέκνα αὐτῆς, *ut dici poſſit, interpretes illos legiſſe* לבנו *nam proclivis & frequens eſt error de Jod in Vau.* Schindlerus in Lexico Pentaglotto, ex Verſionibus Hebraicam lectionem variantem ubique colligit. In radice לוח Ezech. 27. 5. ita ſcribit, *In codice hodierno eſt* לחותים tabulas, *at Hieron. legit* tabulatum maris, לוחות ים *duas faciens dictiones*, LXX ταινίαι σανίδων, coronæ tabularum. In rad. ימם. Lam. 2. *Magna eſt* כים *ſicut mare.* LXX *Magnum eſt* ποτήριον, *poculum*, legerunt כוס *poculum, ob affinitatem literarum* ו *&* י, *&* ס *quoque &* ם. Vide in rad. כלם. & in בריר, & in שלח, aliiſque quamplurimis. Lud. de Dieu, in Act. 1. 9. ita ſcribit, *Porro Syrus & Arabs v. 11. legerunt quoque* οὕτως ἐλεύσεται, *non* οὗτος, *prout affirmat Beza in tribus veteribus codicibus ſcribi*: & hanc lectionem laudat, ut *valde emphaticam.* Idem v. 14. dicit, *Syrum, Arab. & Æthiop. Interpretes legiſſe,* καὶ τῇ δεήσει. Ad Marc. 1. 2. *Syrus non legit* ἔμπροσθέν σου, *quod tamen in Græcis codicibus extat, & in Vulgata atque Arabe lectum fuit.* Ita paſſim ille. Iſaacus Caſaub. Exer. 13. n. 21. ad annum 31. n. 32. dicit, LXX *pro* הקל Hekal *legiſſe* Hakal. *Eſ.* 9. 1. *mutatis punctis,* κουφίζεται *ſublevari, & vertiſſe* ταχὺ ποίει, *cito fac.* Nobiliſſ. Grotius, ubique notat 70 *aliter legiſſe, quam hodie legitur.* Act. 8. 33. *legerunt 70* בעצר משפטו לקח *poſtquam depreſſus eſt, allata eſt ab eo pœna.* Doctiſſ. Hottingerus in Analect. diſſert. 2. de Heptaplis Pariſ. colligit ex Verſione Syra, interpretem Syrum variantem Hebræum codicem habuiſſe. Inter alia, hæc profert. Num. 10. 33. *Ubi omnes verſiones legunt iter trium dierum, ſola editio Syriaca habet* ܡܪܕܝܐ ܕܝܘܡܐ *iter unius diei. Exemplum* (inquit) *manifeſtum codicis variantis.* Idem Theſaur. Philol. l. 1. c. 3. ſect. 2. obſervat ex editione Arabica Erpeniana, Pentateuchi authorem uſum exemplari Hebræo a communibus noſtris diverſo, quod ex variis locis probat. Gen. 50. 19. Pro, *An loco Dei ego ſum?* legit, *Ego timeo Dominum*; quaſi pro התחת הֲתַחַת eſſet הֲחִתָּתִי. Idem obſervat Exo. 12. 8. & 23. 17. Sam. Bochartus in opere illo omnigena eruditione referto, Geogr. Sac. part. 1. l. 2. cap. 22. præfert lectionem Græcam Sept. 2. Chron. 20. 1. Hebraicæ, & ſubdit, *Fruſtra ſe torquent interpretes in his explicandis,* Filii Ammon, & cum iis ex Ammonitis: *ſed ſi pro* מהעמונים *Mem & Ain tranſpoſitis, legatur* מהמעונים *prout legiſſe Græcos ex eorum Verſione conſtat, tollitur omnis ſcrupulus.* Idem part. 1. l. 2. c. 23. ex Verſione 70, Euſeb. & Vulg. colligit, Veteres legiſſe עיבל pro עובל. Videatur & part. 1. l. 3. c. 5. Clariſſ. Salmaſius (vide Capelli Apol. p. 113.) de iſtiuſmodi diſcrepantiis ait, *ſe ex iis cognoviſſe interpretes rectiorem lectionem in libris eo tempore inveniſſe, quam quæ hodie in noſtris extat.* Imo Cl. Buxtorfius, ſtrenuus Hebraici Textus defenſor, fatetur, *de Verſionibus Græcis, quorum fragmenta extant, Aq. Theodot. & Sym. quæ interdum ab hodiernis Hebraicis codicibus differunt, ſe nihil pronunciare audere.* Idem de Hieronym. differentiis dicit, *ſe incertum eſſe, quid reſpondere debeat.* Anticrit. l. 1. c. 8 p. 152. Hiſce adjicere poſſem, Brentium, Oſiandrum, Calvinum, Muſculum, Mercerum, Scaligerum, alioſque plurimos; ſi hoc non eſſet lucem Soli fœnerari. Hoc enim ita frequenter apud Interpretes occurrit, ex verſionibus colligere varias textus lectiones, ut a nemine negari poſſit.

10. Denique ratio manifeſte probat, ex interprete authoris mentem, & quomodo interpres legerit, colligi poſſe. Verſio enim authoris verba & ſenſum reddit, ut ſpeculum imaginem: alias Verſio dici non meretur. Hoc in omnibus libris in omni ſcientiarum genere conſtat. Alias fruſtra eſſent verſiones, & nulli uſui inſervirent: & inter alia, fruſtra tot antiquas verſiones in hoc Bibliorum opere (cujus pars maxima ex verſionibus conſtat) congeſſimus, ſi ex iis de textus originalis tum ſenſu, tum lectione, nihil judicare poſſemus. Cum enim eundem codicem varii interpretes varie reddunt, hujuſque cauſa ſaltem probabilis reddi poteſt, præſertim ſi periti fuerint, & fideliter omnia reddere ſibi propoſuerint, ipſos codices originarios a ſe invicem in quibuſdam diſcrepaſſe colligitur. Extat jam Arati Phænomenon, quod Latine olim reddidit Cicero: obſervant vero Critici codicum varietatem ex Ciceronis verſione. Idemque de Ariſtotelis & Galeni verſionibus per Averroem & Avicennam obſervatur, ipſorum codices in aliquibus ab hodierno textu Græco diverſos fuiſſe. Nec eſt, quod quis objiciat, hujuſmodi lectiones eſſe conjecturas tantum, non demonſtrationes. Nam etſi interdum diverſitas ex interpretis errore, vel ex certo conſilio oriri poſſit, quod plerumque ex ipſa verſione colligi poteſt: tamen cum cauſa varietatis manifeſte reddi poteſt, iſtiuſmodi lectiones variantes ſuam certitudinem habent, cum ſcil. ex levi literarum figura, vel ſono ſimilium, mutatione, vel metatheſi ſive tranſpoſitione, vel ex ambiguitate per abſentiam punctorum, iſtiuſmodi lectio oriri poteſt, qualem reddit interpres; nec alia ratio oſtendi poteſt probabilior, cur interpres ita reddiderit. Certe demonſtrationes Mathematicæ in omni materia non dantur; ſed ſecundum ſubjectam materiam probationes ſunt diſtinguendæ: & in hoc genere alia demonſtratio dari non poteſt, quam oſtendendo, verſionem quadrare lectioni, quæ illi tribuitur, nec poſſe cum altera congruere. Sic demonſtramus LXX. et Evangeliſtam legiſſe כארו non, כארי quia vocem Hebraicam reddiderunt per ὤρυξαν, *foderunt*, quod nulli lectioni convenit niſi כארו. Imo ſi dicamus, tantum veriſimile eſſe, interpretes ita legiſſe; hoc ſatis eſt, donec probetur veriſimilius eſſe, eos ita non legiſſe: cum ratio manifeſta ſit, quare ita legerint, quia ſcil. quadrat eorum interpretatio cum tali lectione. *Rationi vero conſentaneum eſt* (ut ait vir Doctiſſ.) *interpretes ita legiſſe, quomodo reddiderunt, potius quam reddidiſſe aliter quam legerunt*: nec valet dicere, poſſibile eſſe, ut aliter legerint; ſed reddenda eſt ratio probabilior, ita non legiſſe. Unde Bootius cum larvis luctatur, Vindic. cap. 23, p. 225: idemque fere dicit quod adverſarius, contra quem pugnat, cum fatetur *lectiones conjecturales ex verſionibus peti poſſe.* Lectiones enim tales conjecturis niti verum eſt; ſed talibus, quæ probabiliorem faciunt lectionem, quam quæ in contrarium afferri poſſunt: nec enim aliud in hoc negotio dari poteſt. Quod vero ipſe cum ſociis in verſiones omnes pro libitu, præſertim Græcam τῶν ό debacchatur, quaſi *nulla fides huic verſioni habenda ſit, quod non ſibi propoſuerint Græci Interpretes, ſententiam originarii textus exprimere; ſed quod ad libitum addere & ſubducere, eis ludus fuerit, &c.* proprio loco, meras calumnias eſſe, oſtendemus. His enim conceſſis, non interpretes, ſed corruptores peſſimi & perditiſſimi nebulones eſſent. Convicia vero, quæ in eos a Novatoribus conjiciuntur, per ipſorum latera feriunt totam Eccleſiam Chriſtianam, omneſque Patres, antiquos, (ne ipſo Hieronymo excepto) qui talem corruptam verſionem in precio habebant, populo explicabant, & commentariis illuſtrarunt. Imo Apoſtolos eodem crimine involvunt, qui hac verſione frequenter uſi ſunt, eamque Eccleſiæ Chriſtianæ tradiderunt. Sed de hac reliquiſque verſionibus, earumque uſu, uberius dicemus, cum ad ſingulas in ſpecie deventum erit.

11. Non tamen omnes interpretum ab originario textu diſcrepantias pro variis lectionibus habendas volumus; nec quenquam novi, qui hoc affirmat: etſi Bootius omnibus ſibi adverſantibus affingit. Multæ enim eſſe poſſunt ex interpretis lapſu, dum vel in lectione, vel in genuino loci ſenſu, vel in vera verborum ſignificatione errare poſſit. Sæpe etiam Paraphraſtem agit, & verba quædam ad loci explicationem addit; quædam etiam, quæ minus neceſſaria videntur, omittit. Scribarum etiam errores, qui tum in textum, tum in verſionem irrepere poſſunt, pro variis lectionibus non habendi. Diſtinguendi itaque ſunt errores librariorum ab ipſa verſione; & in hac accurate diſtinguendi ſunt interpretis lapſus, & expoſitiones Paraphraſticæ, a variantibus codicis originarii lectionibus. Variæ enim poſſunt eſſe cauſæ, cur interpres aliter legerit, quam vertit. Cum vero ratio alia nulla probabilis reddi poteſt, cur interpres ita tranſtulerit, præter exemplaris varietatem; & ratio probabilis adferri poteſt, ex vocabuli ambiguitate, vel literarum figura, vel ſono ſimilium, mutatione, vel ex literarum levi tranſpoſitione, vel ex vocis diviſione vel compoſitione &c. exemplar ita habuiſſe; non video, quin hoc caſu ex verſione, varia exemplaris lectio colligi poſſit.

12. At ex mera conjectura, varias colligere lectiones, (cum ſcil. nulla codicum vel interpretum diſcrepantia adferri poſſit, nec lectio recepta quicquam in ſe falſum & abſurdum contineat,) quia ex levi ſcil. punctorum mutatione, vel literarum ſimilium tranſpoſitione, mutatione &c. melior elici videtur ſenſus; ſalvo aliorum judicio, vix tutum eſt. Scio, magni nominis Theologos ſentire, hoc fieri poſſe: imo tentaſſe: ut videre eſt apud Brentium, Pſal. 8. 4. 2 Chron. 2. 40. Oſiandrum Pſal. 53. 6. Muſculum Eſ. 49. 24. Pellicanum in Pſal. 2. 6. & 35. 16. & alios. Hoc vero conceſſo, lata feneſtra aperietur luxuriantibus ingeniis Scripturam depravandi, & in quemlibet ſenſum flectendi: ita ut inſtar Cothurni Theramidis cujuſlibet pedibus aptari poſſit. Quod enim in prophanis auctoribus non audent Critici (ſine codicum vel interpretum authoritate, vel urgente neceſſitate) ex proprio ingenio corrigere, & aliam lectionem ſubſtituere, (quod in iſtiuſmodi libris vix ferendum:) in libris Sacris, quibus multo major reverentia debetur, quam ullis ſcriptis humanis, plane illicitum. Unde illorum auctoritas non ſollicitanda, nec lectio uſitata mutanda, niſi ex optimorum codicum vel interpretum conſenſu, vel cum lectio abſurda & plane falſa in textum irrepſit, quæ nullo modo defendi poſſit. Hæc de variis lectionibus.

PROLEG.

PROLEG. VII.

De Textuum Originariorum integritate & auctoritate.

1. *Controverſia de Textuum integritate & auctoritate unde orta.* 2. *Multi tum veterum, tum recentiorum, Judæos accuſant de corruptione Textus Hebraici.* 3. *Judæos ante Chriſtum, Textum non corrupiſſe.* 4. *Poſt Chriſtum, nec a Judæis, aut aliis Scripturas malitioſe corruptas fuiſse.* 5. *Repugnaret hoc providentiæ divinæ.* 6. *Et fidelitati Eccleſiæ. Codices Hebræi ad Eccleſiæ curam ſpectant. Nunquam defuerunt in Eccleſia viri docti, quorum ſtudiis Codices Hebræi conſervati.* 7. *Probabile eſſe, cum duplex eſſet lectio, Judæos eam lectionem ſecutos, quæ Chriſtianis minus faveret. De loco celebri, Pſal.* 22. 17. 8. *Ad argumenta pro depravatione per Judæos facta reſpondetur.* 9. *Examinantur loca, quæ corrupta eſſe, affirmant nonnulli.* 10. *De correctionibus ſcribarum ſive* תקון ספרים *locis* 18. 11. *Loca illa non eſſe a Judæis malitioſe depravata.* 12. *Errata tamen quædam leviora ex ſcribarum incuria, temporumque injuria irrepere poſſe in textus Originales. De tribus codicibus diſcrepantibus in Talm. Hieroſol. De iis doctorum judicia.* 13. *Idem probatur ex Hieronymo.* 14. *Et aliorum doctorum teſtimoniis.* 15. *Idem de N. Teſt. Græco aſſeritur.* 16. *De Authentia textuum Originalium.* 16. *Quid proprie ſit Authenticum? Exemplaria Hebr. & Græca hodierna cum ipſis* αὐτογράφοις *convenire.* 17. *Textus Originales ſemper fuiſse, & hodie eſſe Authenticos.* 18. *Probatur ex providentia divina, & Eccleſiæ fidelitate.* 19. *Ex appellatione, Fontium.* 20. *Ex Veterum teſtimoniis.* 21. *Ex doctioribus Eccleſiæ Romanæ.* 22. *Objectioni occurritur.* 23. *De quibuſdam caſibus, quibus concedunt Bellar. et Canus, poſse nos a Verſionibus ad fontes recurrere. Enumeratio iſta eſt inſufficiens. In omnibus ad textum Originarium recurrendum eſse, niſi ubi certo conſtat, mendam irrepſiſse.* 24. *Reſpondetur objectioni, quod ſublatis punctis textus Hebræus eſt ambiguus, et quod pauci textus Originales intelligunt. Unde fidei firmitas in rudioribus.* 25. *Verſiones ex textu Originali corrigendas eſse.*

1. DE Textus Hebraici Veteris, & Græci N. Teſtamenti integritate & ſinceritate primo dicendum: deinde de ejus auctoritate & Authentia. Sciendum vero, controverſiam de his ex Decreto Concilii Tridentini, quo Vulgata Latina pro Authentica declarata eſt, potiſſimum ortam eſſe. Hinc enim alii ita pro vulgata decertant, ut non tantum aliis Verſionibus prælatam eſſe velint, ſed etiam ipſis fontibus. Quia vero abſurdum videtur rivulos fontibus præferre; ideo fontes non puros hodie eſſe, ſed turbidos, & ita corruptos, ut pro regula fidei haberi non poſſint; nec dogmata controverſa, vel verſiones per eos examinari poſſe, affirmant. Alii e contra, non tantum Vulgatam Latinam Authenticam eſſe negant; ſed in eam, ut omnium verſionum peſſimam pleno ore declamant: nec tantum Textus Hebraicos & Græcos puros, & ab omni corruptione ſpontanea immunes eſſe volunt; ita ut pro regula fidei & morum haberi poſſint: ſed ne in minimo apice ab ipſis Autographis diſcrepare, nec ex ſcribarum errore aliave cauſa, mendas leviſſimas in eos irrepere poſſe, ſtatuunt. De Latina Vulgata peculiari diſſertatione dicemus, hic de textibus Originalibus agendum.

2. Multi ſunt inter veteres, qui Judæos accuſare videntur de corruptione textus Hebraici voluntaria: inter quos Juſt. Martyr dial. cum Tryphone. Iræn. lib. 3. cap. 24. Tertull. de hab. mulier. cap. 3. Nec aliter ſentire videntur Athanaſius in Synopſi Script. Euſeb. Hiſt. lib. 4. cap. 18. Chryſoſt. Hom. 5. in Matth. & Hieronym. ipſe in Gal. 3. licet hic poſtea ſententiam contrariam acerrime defendit. Horum tamen teſtimonia ita exponit Bell. lib. 2. de Verbo Dei. cap. 2. ut non de textu Hebraico, nec contra Judæos ita ſcripſiſſe, ſed contra Aquilam, Theodotionem & Symmachum, qui erant Judæi Apoſtatæ, & Verſionibus ſuis Scripturam contaminarunt, intelligenda ſint: quod, an de omnibus, quos citavimus, dici poſſit, multum dubito. Inter recentiores tamen plures hanc ſententiam propugnarunt. Ante Concilium Tridentinum pauciores quidem, ut Lyra in Hoſ. 9. 12. Paul. Burg. in Pſal. 22. & alibi. Porchetus in Victoria contra Judæos, part. 1. cap. 2. & per totum cap. 15. Galatinus, qui omnia fere ex Porcheto tranſcripſit. Nebienſis in Pſal. 22. Poſt Concilium vero multo plures; Canus locorum lib. 2. cap. 13. Lindanus de opt. gen. interp. lib. 1. cap. 2. Leo Caſtrius, proleg. in Eſaiam. Garcias contra perfidiam Judæorum. Salmer. in Proleg. 4. Auguſtin. Steuchus in recognit. Vet. Teſt. Mercenus in Gen. 3. 18. Greg. de Val. Analyſ. lib. 8. cap. 5. Serarius Proleg. cap. 11. q. 2. Gordonius Controv. 1. cap. 9. quibus Cochlæum, Tannerum, alioſque adjicere licet, qui in gratiam Vulg. Lat. Hebræum textum malitioſe a Judæis corruptum eſſe, clamitant. Ejuſdem criminis reos facit impoſtor impius Muhammedes tum Judæos, tum Chriſtianos: illos accuſat falſaſſe Teſtamentum Vetus, hos corrupiſſe Novum: ipſe vero a Deo miſſus eſt, ut omnia reſtitueret. Surat. 4. & 5.

3. Quid nobis videtur vero conſentaneum, paucis exponam. Prima concluſio ſit hæc; Judæi ante Chriſtum malitioſe Scripturam non depravarunt. Nam, ut ſcribit Hieron. in Eſ. 6. nunquam Dominus & Apoſtoli, qui cætera crimina arguunt Scribarum & Phariſæorum, de hoc crimine, quod maximum, tacuiſſent. Tantum vero abeſt, ut Chriſtus reprehendat, ut potius contrarium innuat; dum Joh. 3. 39. ad Scripturas ſcrutandas auditores ſuos amandat: quod nunquam feciſſet, ſi falſatæ & corruptæ fuiſſent; ſed de corruptione præmonuiſſet. Et Matth. 23. 2. 3. dicit, *Sederunt Scribæ & Phariſæi ſuper Cathedram Moſis. Quæcunque ergo dixerint vobis, ſervate & facite.* Credatne aliquis, ad Scripturas corruptas legendas, & ad ipſos corruptores audiendos, Dominum populos ablegaſſe?

4. Poſt Chriſtum vero malitioſe non corruptas fuiſſe, a Judæis vel aliis, multis probant Bellarm. lib. 2. de Verbo Dei. cap. 2. Joh. D' Eſpeires, Simeon de Muis, aliique Eccleſiæ Romanæ Doctores argumentis validiſſimis. Primum eſt Hieron. loco citato, & Orig. lib. 8. in Eſaiam, quod quæ a Domino & Apoſtolis ex Scriptura citantur, eadem plane ſunt in codicibus noſtris: at abſurdum & plane ridiculum eſt imaginari, eos loca iſta ita citaſse, ut a Judæis vel aliis poſtea depravanda fore præviderant. 2 Si Judæi malitioſe corrupiſſent Scripturas odio Chriſtianorum, hoc ſine dubio feciſsent in vaticiniis de Chriſto, & in locis quæ de præcipuis myſteriis religionis Chriſtianæ agunt: hoc vere non fecerunt. Nam in quibus codices Hebræi a Græcis & Latinis differunt, ea nullius aut parvi momenti ſunt: imo ut obſervat Bellarmin. in iis ſæpe codices Hebræi Judæis magis obſunt, quam Græci & Latini; ut in Pſalmo 2. ubi legunt Græci & Latini codices, *Apprehendite diſciplinam, ne iraſcatur Dominus*; in Hebr. eſt, *Oſculamini filium, ne iraſcatur.* Quæ lectio magis facit pro Chriſto Dei filio, quam prior. Quis vero credat, Judæos depravaſse locos, de quibus inter nos & illos nulla eſt controverſia; & in reliquis, quæ de graviſſimis myſteriis noſtræ religionis agunt, nihil immutaſse? Hinc affirmat Andradius, *Si quis velit Judæorum petulantiam coercere, & dementiam reprimere, multo apertiora & illuſtriora ex Hebræis, quam ex Græcis & Latinis codicibus, argumenta deducturum.* De locis vero quæ a quibuſdam objiciuntur, infra dicemus. 3 Judæos Scripturas corrumpere nec potuiſse, nec voluiſse, probat S. Aug. lib. 13. de Civit. cap. 13. *Anne credibile eſt ipſos codicibus ſuis voluiſſe eripere veritatem, ut nobis eriperent auctoritatem; vel per totum orbem diſperſos potuiſſe in hoc conſpirare, nullo contradicente?* Confirmatur vero, Judæos hoc nunquam voluiſſe, ex incredibili ipſorum zelo erga Legem & libros Sacros, ut mortem potius omniaque tormenta ſubirent, quam vel unum legis apicem mutare vel adulterare vellent: ut de iis teſtatur Joſeph. lib. 1. contra Appionem, & Philo apud Euſeb. l. 8. c. 6. & 8. Imo tanta ſuperſtitione feruntur erga Sacros codices, ut in libro Legis ſi vel unicum erratum deprehendant, pro illegitimo damnant, et abjiciunt; nec ullos libros non correctos ſervandos volunt ultra 30 dies: ſi vero ultra 4. errores habent, ſepeliendum volunt cum probis hominibus.

5. Repugnaret providentiæ divinæ, ut libros quos ad ſalutem generis humani exarari voluit ab hominibus θεοπνεύστοις, quoſque permanere voluit ad finem mundi; ex quibus, ut fontibus, aquas ſalutares omnes gentes haurirent; ita falſari ſineret, ut ad hunc finem inepti eſſent. Non ita unquam indormivit cuſtos Iſraelis, qui in neceſſariis Eccleſiæ ſuæ nunquam deficit: Cumque novæ revelationes non ſunt expectandæ, eo quod Deus totam voluntatem ſuam de doctrina ſalutis libris Scripturæ conſignaverit; injurioſum eſset Dei providentiæ, qui ſe Eccleſiæ ſemper adfuturum promiſit, aſſerere, libros, in quibus hæc doctrina continetur, perituros aliquando, vel corruptos fore. Cumque Judæos per omnes gentes diſperſerit, qui hos libros ubique circumferunt, ſpecialem ejus curam obſervant Juſtin. Orat. Exhort. et Auguſt. l. 18. de Civ. c. 46. & in Pſalm. 56. *ut Judæi, tanquam capſarii noſtri libros noſtros circumferrent, ut cum Pagani non credunt, quæ nos de Chriſto prædicta fuiſſe dicimus, quaſi a nobis eſſent conficta, mittamus eos ad inimicos fidei noſtræ Judæos, qui libros noſtros circumferunt, in quibus eadem habentur, quæ nos prædicamus.*

6. Præterea hoc contra fidelitatem & curam Eccleſiæ Chriſtianæ erga libros Sacros faceret, quam Deus *columnam* fecit *& firmamentum veritatis*, cui oracula ſua concredidit; ſi ſacrum hoc depoſitum adulterari & falſari permitteret. Libros N. Teſtamenti Eccleſiæ Chriſtianæ tradiderunt Apoſtoli, quos fideliter conſervavit. Hebraicos etiam ad Eccleſiæ curam pertinere, agnoſcunt doctiores Romano-Catholici. Ex quo enim Judæis libellum repudii dederit Deus, nec amplius pro populo ſuo agnoverit, facti ſunt injuſti Oraculorum divinorum poſſeſſores; quorum curam Deus in Eccleſiam tranſtulit: nec aliter jam portant Judæi Scripturam, quam cæci ſpeculum, in quo alii multa vident, ipſi nihil. Multum itaque a vero aberrant, qui de Hebræis codicibus ita loquuntur, quos *Judaicos* vocant, quaſi ad Judæos tantum pertinerent, non ad Eccleſiam Chriſti. Longe aliter ſentit Joh. Mariana. tract. de Vulg. Lat. cap. 9. *Omnino abſurdum videtur, divinas Scripturas, hoc eſt, Teſtamentum, quod Deus nuncupavit, & in quo Eccleſiam heredem ſcripſit, in linguam Latinam transfuſum modo conſervare: amiſſum autem, aut depravatum penitus, & contaminatum in iis linguis, in quibus ſcriptum primo eſt.* Unde poſtea infert, *Sit itaque fixum, non minus ad Eccleſiæ curam Hebraicos & Græcos codices, quam Latinos pertinere. Unde primo efficitur, neque eos codices potuiſse in univerſum, vel in re majoris momenti corrumpi: continuo enim Eccleſia occurriſset, quæ divino inſtinctu & afflatu regitur; & viri docti, quorum numerus aliquis ſemper fuit, periculum indicaſſent.* Ad eundem modum Joſeph. a Coſta de Chriſto revelato lib. 2. c. 16. *Editionem Hebraicam authenticam eſse, dubitare non poſſumus: & quamvis Judaica perfidia atque invidia tentatum eſset, tantum nobis bonum eripere, fontem ipſum, ſcil. ſermonem Dei inficere: tamen nullo modo credendum eſt, licuiſse eis, quicquid libuit.* Rationem reddit, *Non defuerunt in Eccleſia viri docti, quorum ſtudio conſervati ſunt Hebræi codices.* Simeon de Muis Hebraicæ linguæ Profeſſor Regius Pariſiis, Epiſt. de Verit. Hebr. p. 17. *Ut dem Judæos exemplaria omnia adulteraſse; nego, & pernego, in ea, quæ in Chriſtianorum Bibliothecis extarent, neque adeo ipſorum juris eſset, quicquam potuiſse. Omnes enim mihi videntur conceſſuri, Hebraica Bibliorum exemplaria Chriſtianis nunquam defuiſſe.*

fuiſse. Idem probat Bellarm. ex Origene, Auguſtino, Hieronymo, & Euſebio. Sixtus Senenſis Biblioth. ſanct. l. 8. p. mihi 627. Driedo de tranſl. Script. l. 2. Andradius defenſ. Concil. Trid. l. 4. Eſtius in Gal. 3. 10. Dom. Bannes in 1. Tho. q. 1. art. 8. dub. 4. Lorin. in Pſal. 26. 12. Quibus & hoc D. Buxtorfii ſubnectam, Anticrit. part. 2. cap. 14. quod *ſimulac Reſp. Judaica abolita, & doctrina Chriſtiana introducta eſſet, etiam Judæi magno numero, & inter eos non infimi ſubſellii, nec vulgaris eruditionis, doctrinæ, & pietatis, Chriſto nomen dederint, qui linguæ & legis peritia inſtructi codices ſacros ſecum ad Chriſtianiſmum detulerunt, & cæteris quoque communicaverunt: adeo ut ſi quid malitia et invidia, vel negligentia & temeritate mutatum eſſet, hi deprehendere poſſint*. Hoc vero argumentum latius deducendum volui, non tantum, ut integritatem textus probarem; ſed etiam ut quorundam ſciolorum temeritati occurratur, qui peritia umbratili linguæ Hebraicæ inflati, ſcribunt, ab Hieronymo uſque ad hoc ſeculum, Hebræa volumina a Chriſtianis ſpreta & tenebris ſepulta jacuiſse; nec quemquam extitiſse, qui hujus linguæ gnarus eſset. Vide Cunæum de Rep. Hebr. lib. 2. p. 187. Hæc autem a vero abeſse, ex dictis conſtat. Vide D. Hottingerum Theſ. Philol. lib. 1. c. 2. q. 4. & quæ a nobis dicta ſunt Proleg. de linguis & earum uſu.

7. Licet vero Judæi malitioſe textum non corruperint, probabile tamen eſt, ubi duplex eſset lectio, quarum una magis favebat Chriſtianis, eos alteram ſecutos eſse, ex odio Chriſtianorum. Sic Sixtinus Amama Antibarb. Bibl. lib. 1. cap. 1. & lib. 3. in Pſal. 22. 17. Idem concedit Bellar. loco citato. Joh. D' Eſpeires, tract. 1. de Textu Hebr. diſp. 2. dub. 2. probat ex loco illo celebri, Pſal. 22. 17. ubi olim erat in textu כארו *foderunt*, & in margine, כארי, *ſicut leo*: poſteriores vero Judæi τὸ Keri ſive כרי poſuerunt in textu, כרו vero prorſus ſuſtulerunt, nec aliquid in margine notarunt. Primum plane probatur ex Maſora, Numer. 24. 9. ubi in Maſora marginali legitur, *quater occurrere* כרי *bis cum Camets, & bis cum Patach*, & in Maſora textuali hæc adducuntur, כרי *bis extat. Sic Num. 24. 9. accubuit ſicut leo, et Pſal. 22. 17.* כארי *manus & pedes meos: ſed in poſteriore loco, Ketib, ſive ſcriptum eſt* כארו. Ubi aperte dicunt, כארו fuiſse in textu, quæ nunc nec in textu, nec in margine conſpicitur in illorum libris, ideoque antiqui Maſorethæ hunc locum non corruperunt. Idem etiam teſtatur Ben Chajim, in Maſora finali ſive magna, ad finem Bibl. Venet. ſub litera א, ad vocem כארי, in libris quibuſdam correctis, Ketib eſse כארו, Keri כארי. Si quis vero dicat, Maſorethas poſuiſse meliorem lectionem in textu, cum generaliter ſtatuant, lectionem in margine eſse meliorem; Reſp. ſæpe Keri & Ketib tranſponi, teſte Elia in edit. Ven. 1525. Lindanus etiam, & Fœlix Pratenſis dicunt, *ſe vidiſſe exemplaria vetuſtiſſima, in quibus erat* כארו *in margine*. Alterum vero de recentioribus Judæis patet ex hodiernis exemplaribus, ubi in textu eſt כארי, in margine vero nihil adnotarunt: & hoc ipſos conſulto feciſse dicit R. Moſes Hadderſon in Geneſ. 18. & hanc unicam eſse probabilem mendam in textu Hebr. agnoſcunt, Sixt. Amama, Junius, Whitakerus, & alii. Hoc vero ipſos feciſse ex odio in Chriſtum, & contra propriam conſcientiam, apparet ex Commentariis R. Salom. Ab. Ezra. R. David, & aliorum: qui licet alias omnes minutias excutiant, cum tamen in hunc locum ſcribunt, nullam mentionem faciunt lectionis כארו, ſed exponunt per כארי *ſicut leo*, ſenſu plane abſurdo & incongruo: licet optime noſsent, in Maſora textuali ad Num. 24. dici, quod in codicibus correctis ſcriptum eſset כארו in Pſal. 22. Notandum etiam, licet Rabbini poſteriores exponant hæc verba כארי *ſicut leo*, hoc tamen ipſos feciſse contra Maſoram marginalem hoc loco, ubi notatur כארי bis reperiri cum Cametz in duplici (ſive diverſa) ſignificatione, ſcil. Eſ. 30. 13. & Pſal. 22. 17. cumque certum ſit, hanc vocem in Eſ. 30. reddendam eſse *ſicut leo*; certum etiam eſt, hoc loco aliam debere ſignificationem habere, quæ non poteſt eſse alia, quam *foderunt*. Sic Buxtorf. in Lex. in ארה & Sixtus Senenſ. reddunt vocem כארי per *foderunt*. Sic etiam legerunt antiqui interpretes 70, Aquila, Hieronym. & Patres univerſi. Unde licet in pleriſque exemplaribus impreſſis ſit כארי (excepto Complutenſi, in quo legitur כארו) ſemper tamen vertunt per *foderunt*. In noſtra vero editione ſecundum Biblia Interlinearia, quæ ſecuti ſumus, eſt כארי at notavimus cum circello, qui ad Keri refert, quod inter varias lectiones Hebraicas in Tomo noſtro ultimo, cum כארו exprimitur. V. D. Pocock. in Porta Moſis, in Miſcell.

8. Reſtat, ut ad argumenta, quæ adducuntur a quibuſdam Romanæ Eccleſiæ Doctoribus, ut probent Judæorum depravationem Scripturæ voluntariam, reſpondeamus. Joh. Morinus, Exerc. Bibl. 1. c. 6. oſtendere laborat, quomodo Judæi, licet ubique diſperſi, potuerint conſentire in librorum ſuorum corruptionem: *Quia ſcil. Senatum habuere Babylone, & in Palæſtina, cujus decretis univerſa gens per orbem terrarum diffuſa religionis voto adſtricta lubenter obtemperabat: ſi quis vero refragetur,* ἀποσυνάγωγος *factus eſt*. Scribit enim Moſes Ægyptius in procemio operis ſui יד, *Uſque ad Talmudis collectionem ſe adſtrictos fuiſse decretis Rabbinorum, qui in terra Iſraelis vixerunt: poſtea eorum, qui Babylone Synedrium faciebant, cum ex Palæſtina expulſi erant. Si vero Senatus ille ſub ſpecie emendandi, libros ſuos depravaſsent, & ſic deſcribendos edixiſsent; nullus eſset Judæus, qui vel unam literam aliter deſcribere auſus ſit*. Reſpondeo, licet hæc a Morino adferuntur, ipſe tamen fatetur, *Judæos codices ſuos de facto non depravaſſe*. Addam ego, nec potuiſse, non obſtante tali decreto. Nam 1. Valde improbabile eſt, totum Synedrium in tale decretum conſenſuros, cum ex omnibus regionibus Rabbini ibi convenerint. 2. Exemplaria Hebr. paſſim in Chriſtianorum manibus erant, qui corruptelam talem facile animadvertiſsent, Judæiſque exprobraſsent. 3. Licet Maſorethæ; & Rabbini plerique a vero Legis ſenſu longe aberraverint, & ad nugas, & ineptas expoſitiones ſe receperint, quibus Scripturam macularunt; verborum tamen & literarum, quæ Legis cortex, maxime tenaces erant, uſque ad ſuperſtitionem; quod de Judæorum populo ſupra ex Joſepho & Philone oſtendi.

9. Loca quædam producunt Bonfrer. in Præloq. Canus l. 2. loc. Theol. c. 12. Salmer. Proleg. 4. Lindan. de opt. gen. interpr. c. 11. Gordonius, Huntlæus, & alii, quæ corrupta eſſe in codicibus Hebraicis probare nituntur. Præcipua ſunt, (1) Gen. 8. 7. ubi Hebr. legit. *Corvus egrediebatur & revertebatur*: cum tamen LXX. Vulg. Lat. & omnes Patres legunt, *non revertebatur*. (2.) Gen. 49. 18. pro שלוח *miſsus*, vel שלה, ipſi legunt שילה *Schilo*, ſenſu nullo. (3.) Pſal. 18. 5. pro קולם *vox eorum*, legunt קום *linea eorum*. (4.) Pſal. 21. 17. pro כארו *foderunt*, legunt כארי *ſicut leo*. (5.) Eſ. 9. 6. pro יקרא *vocabitur*, legunt יקרא *vocabit*. (6.) Jer. 21. 6. pro יקרוהו *vocabunt*, habent יקראו *vocabit eum*. Reſp. Nondum convenit inter hujus ſententiæ patronos, quænam loca ſunt corrupta; cum alii plura, alii pauciora enumerant. Nec ſi in his locis mutatum eſſe textum concederemus, univerſalis textus corruptio inde inferri poſſet, ita ut Scriptura fidei & morum regula eſſe non poſſit: cum multo plura errata & depravata, imo millena quædam in Vulgatam Latinam irrepſerint ante correctionem Sixti 5. vel Clem. 8. multaque adhuc ſupereſſe, (quorum plurima collegit Lucas Brugenſis,) quæ correctione egent, fateantur adverſarii: quam tamen juxta Decretum Concilii Trident. authenticam eſſe volunt. Nec ſi in locis iſtis eſſent mendæ, ſtatim ſequeretur, a Judæis malitioſe factas eſſe, & non ex Scribarum errore, vel caſu fortuito. Nec deſunt inter ipſos viri docti, qui negant hæc loca depravata eſſe: excepto fortaſſe illo, Pſal. 22. 17. quod tamen non a veteribus Judæis corruptum, ſed a recentioribus male legi dicunt; dum ex duabus lectionibus pejorem in textum retulerint: de altera vero, quæ multo melior, prorſus ſilent. In ſpecie vero ad loca quæ proferunt, Reſp. Ad primum dicit Bellarm. *Non defuiſse Biblia Latina, quæ legerunt, ut eſt in Hebræo, egrediebatur & revertebatur*. Et notant Lovanienſes duo MSS. ſic legiſſe, ut ex variis lectionibus Lat. ad finem hujus operis, eſt videre. Deinde verba in Hebr. *exiit exeundo & redeundo* &c. non ſignificant corvum in arcam rediiſſe; ſed volitaſse circa arcam eundo & redeundo idque ſæpius, (fortaſse enim, ut conjicit Luc. Brugenſ. in Notationibus, cadavera invenit in ſummitate montium, qui aquis nudati erant) donec ſiccarentur aquæ: & cum hoc cohærere poteſt, quod *exibat & non revertebatur, in Arcam*, ſcil. ita ut hic varia lectio fortaſse olim fuerit, nulla ſpontanea corruptio. Ad 2. reſp. Per שילה intelligunt *Meſſiam*, tria Targumim. Onk. Hieroſol. & Jonath. & Kimchi. Unde liquet, Judæos hunc locum non corrupiſse, ut probarent Meſſiam nondum veniſse. Ad 3. dicit Joh. Iſaacus, קום inter alia ſignificare, *vox eorum*: alii, quod LXX & Hieron. legerunt קולם, ſed poſtea ל excidiſse: alii, (quod probabilius,) ipſos legiſse קום, ſed ad ſenſum magis, quam verba reſpicientes, tranſtuliſse, *vox* vel *ſonus eorum*. Ad 4. reſponſum eſt ſupra. Ad 5. ex Eſ. 9. 6. agnoſcit Calvinus cum aliis, Judæos ſenſum hujus loci depravare voluiſse male interpretando, ne pro Chriſti divinitate faceret; non tamen verba mutaſse. Vox enim ויקרא ſecundum variam punctationem recipere poteſt tum activam, tum paſsivam ſignificationem: & verti poteſt, *vocabitur*, vel, *vocabit*. Paſsive legunt LXX. Chald. Sym. Aquil. Hieron. &c. Punctarunt Maſorethæ active, & forte hanc lectionem ſecuti ſunt, quia Chriſtianis minus favet: At cum hanc punctationem retineant omnia exemplaria inter Chriſtianos impreſsa, non neceſse eſt, ut ad hoc confugiamus. Nam certum eſt, familiare eſse apud Hebræos verba activa ponere ſine ſuppoſito pro paſsivis, ut notat Bonfrer. in locum huic ſimilem. Deut. 15. 2. Unde eſt, quod frequenter hæc ipſa vox ויקרא *vocabit*, paſsive reddatur, tum a LXX. tum a Vulgata; aliiſque Interpretibus: ut obſervat Forſterus in Dictionario ſuo, ut Gen. 25. 25. Numer. 13. 25. Ex. 15. 23. 2. Reg. 2. 16. & 5. 20. & alibi. Videatur Joh. D' Eſpieres, ubi ſupra, dub. 3. Et ſane contextus hujus loci hoc poſtulat, ut ita legatur: alias nullum commodum ſenſum fundit. Ad 6. Reſp. quæ de præcedenti loco dicta ſunt, etiam huic quadrare; nec ulla eſt in hoc corruptio. Legunt יקראו *vocabit ipſum*. Sic legit LXX Rom. At Chaldæus, Syrus, Arabs, Symmachus, Vulgata, Pagninus, vertunt *vocabunt*. R. Kimchi, *vocabit*, id eſt, Iſrael vocabit Meſsiam hoc nomine, *Deus juſtitia noſtra*. Bonfrereus Præloq. c. 13. ſect. 4. dicit, *ſcriptum olim,* יקראוהו *vocabunt, & Judæos mutaſſe in* יקראו *ut hoc vaticinium pro Chriſti divinitate nobis eriperent*. Sed probabilius multo, lectionem non mutatam fuiſse: ſic enim legerunt LXX, *& vocabit*. Interpretes vero reliqui legerunt יקראו licet verterunt, *vocabunt*, ſenſu eodem, referendo ſcil. ad populum Iſraelis. Hieronymus utramque lectionem habet, *vocabit* et *vocabunt*; nec apud ullos veteres ſcriptores eſt, qui locum hunc depravatum dixerit. De his vero aliiſque locis, quos enumerant Gordonius, Huntlæus, & alii, non opus eſt plura dicere: cum vel nulla ſit in iis menda; vel, ſi aliqua ſit, nihil tamen facit contra fidem & mores; nec ex Judæorum odio in Chriſtianos, ſed ex errore ſcribarum, vel cauſis fortuitis orta ſit.

10. Tandem producunt teſtimonia Judæorum, qui fatentur loca quædam aliter lecta fuiſse, ac codices hodierni habent; quæ a ſapientibus ipſorum mutata erant, & ab ipſis vocantur תקון ספרים *Tikkun ſopherim*, ſive *Correctiones ſcribarum*; vel, ut alii reddunt, *Aptationes vel ordinationes ſcribarum*. Hujuſmodi loca refert Maſora interior, initio libri Numer. & Pſal. 106. octodecim; vel potius loca ſexdecim, in quibus verba 18. immutantur. Galatinus vero & alii pauciora faciunt. Joh. D' Eſpieres, et alii plura. Talmudici vero, in Seder, 4. tract. Nedarim, omneſque fere Rabbini numerant 18. Recenſentur vero a Maſora, Num. 1. hoc ordine. (1) Gen. 18. 22. ubi olim lectum erat, *Dominus adhuc ſtabat coram Abrahamo*, pro quo ſubſtituerunt Scribæ, *Abraham autem adhuc ſtabat coram Domino*, ut hodie legitur in omnibus codicibus, & apud omnes Interpretes, Sept. Chald. Vul. Lat. Syr. &c. (2) Numer. 11. 15. ubi pro, *non videam* ברעתך *malum tuum*, ſubſtituerunt ברעתי *malum meum*. (3.) Numer. 12. 12. ubi pro אמנו *matris noſtræ*, ſubſtituerunt אמו *matris ſuæ*, & pro בשרנו *carnis noſtræ*, בשרו *carnis ſuæ*. (4) 1 Sam. 3. 13. ubi לי *mihi*, mutarunt in להם *ipſos*. (5) 2. Sam. 16. 12. ubi pro בענים *afflictionem ſuam*, poſuerunt in textu בעוני *afflictionem meam*,

meam, & in margine בעיני *in oculum meum.* (6.) 1. Reg. 12. 16. ubi pro לאלהיך *ad deos tuos*, legunt לאהליך *ad tabernacula tua.* (7.) Ezech. 8. 17. ubi pro אל אפי, *ad naſum meum*, poſuerunt אל אפם *ad naſum ſuum.* (8.) Habac. 1. 13. ubi pro אל תמות *non morieris*, ſubſtituerunt לא נמות *non moriemur.* (9.) Eſt Mal. 1. 13. ubi pro והפחתם אותי *& afflixiſtis me*, eſt והפחתם אותו *& afflixiſtis eum.* (10.) Zach. 2. 8. ubi per עיני *oculi mei*, ſubſtituunt עינו *oculi ejus.* (11.) Jer. 2. 11. ubi pro כבודי *gloriam meam*, poſuere כבודו *gloriam ſuam.* (12.) Job. 7. 20. pro עליך *ſuper te*, ſubſtituunt עלי *ſuper me.* (13.) Hoſ. 4. 7. pro כבודי *gloriam meam*, legunt כבודם *gloriam ſuam:* (14.) Job. 32 3. ubi pro *Deo*, ſubſtituerunt, *Job.* (15.) Thren. 3. 20. ubi pro עליך נפשך *ſuper te, anima tua*, legunt עלי נפשי *ſuper me, anima mea.* (16.) Pſal. 106. 20. pro כבודי *gloriam meam*, ſubſtituere, ut ſupra כבודם *gloriam ſuam.* Poſt hæc 16 loca a Maſorethis recenſita ad Num. 1. hæc addunt, *Hæc ſunt* 18 *verba correctionis ſcribarum, & diſquiſitiones eorum accuratæ, laudabiles.* Licet vero 16. tantum loca recenſeant, tamen 18. verba numerant: nam in loco 3. ſunt verba duo, ut & in 15. Hiſce addunt Porchetus lib. 1. de Vict. contra Judæos, & alii, loca alia a Judæis immutata, ſcil. Mich. 1. 10. ubi pro התפלשי *involve me*, ſubſtituerunt, התפלשתי *involve te.* Hoſ. 9. 12. ubi pro בשרי *caro mea*, ſcripſerunt בשורי *cum receſſero.* Addit Joh. D' Eſpeires, Deut. 28. 30. ישגלנה *coivit cum illa*: pro quo ſubſtituerunt, ישכבנה, *cubabat in illa.* Galatinus vero affirmat, loca iſtiuſmodi plura eſſe, ita ut vix recitari poſſint. Notat D. Buxtorf. in 1. Numer. & Pſal. 106. *tantum 16 correctiones recenſeri: ſed in Num.* 12. 12. *duo exempla occurrere.* Deeſſe tamen illi videtur *locus unus, quem a nullo Judæorum hactenus expiſcari potuit, nec Magnus Mercerus eum invenerit.* Sed quod jam innuimus, locus 15. ex Thren. 3. 20. duo habet verba mutata, unde numerus 18. exurgere poteſt.

11. Quod ad argumentum attinet, negamus, ullum ex his locis a Judæis malitioſe mutatum eſſe. Scio, non deeſſe viros doctos, qui totum hoc de correctione ſcribarum in dubium vocant; imo, qui merum figmentum eſſe ſtatuunt: ut Bellarm. loco citato, Bonfrer. Præloq. c. 13. Sect. 5. Chamier. Panſtrat. l. 12. c. 11. ſ. 16. D. Buxtorfius dubitat: nam *nullum hactenus ſive ex Evangelicis, ſive Catholicis vidiſſe* ſcribit, *qui explicarit, quinam fuerint ſcribæ illi, & quales* תקונין *ipſorum: & quam antiquæ hæ notæ de Tikkun ſint, liquido ſibi non conſtare. Antiquiorem earum memoriam eſſe in libro* ספרי *qui ante Talmud. Babylon. fertur conſcriptus: diſſentire tamen Hebræos de ejus antiquitate & tempore. In neutro Talmud ullam plane Tikkun illius mentionem fieri; cum alias* עמור סופרים *longe minoris negotii, in Talmud commemoretur.* Negant etiam Sixtus Senenſ. lib. 8. Ribera in Hoſ. 9. &, ut quibuſdam videtur, Aben Ezra præf. ad Bibl. Verior tamen videtur eorum ſententia, qui concedunt, hanc mutationem factam fuiſſe, (cum frequens ſit ejus mentio in Maſora, & omnes fere Rabbini unanimiter ita ſentiant;) non tamen malitioſe hæc loca corrupta eſſe poſt Chriſtum, ſed per Eſdram & Synedrium magnum (qui per ſcribas hic intelliguntur) reſtituta, cum poſt reditum e Babylone volumina ſacra recenſerent, & ex variis codicum lectionibus illas approbarent, quæ hodie leguntur. Nam primo omnia exemplaria Hebraica legunt ſecundum correctiones iſtas. 2. Ita omnes antiquæ verſiones, etiam quæ ante Chriſtum, legunt, & cum codicibus Hebræis conſentiunt, ut Sept. & Chaldaica; ut & Syriaca, & Vulg. Lat. poſt Chriſtum: quæ certo probant, antiquos codices Hebræos ita olim legiſſe. Tandem ipſa Maſora expreſſe has mutationes ad Eſram refert, quem καθ' ἐξοχὴν *Scribam* vocant. Legimus enim Numer. 12. 12. in Maſora marginali, *locum iſtum eſſe unum ex* 18. *correctionibus Eſdræ*, יתתקון עזרא. Eſdram vero & Prophetas poſteriores, libros Sacros recognoviſſe, & lectionem veram, ubi dubium aliquod occurrebat, reſtituiſſe, nemo negaverit: unde planum eſt, a poſterioribus Judæis hæc loca non eſſe corrupta. Præterea in his locis non agitur de ullo Chriſtianæ religionis myſterio; nec Chriſtianis una lectio magis favet, quam altera. Judæi itaque non corruperunt: ſed vera eſt lectio, quæ hodie in codicibus, tum Judæorum, tum Chriſtianorum, extat.

12. Etſi vero textus originarii non ſint a Judæis vel aliis ſtudioſe corrupti; ſed in omnibus, quæ ad fidem & mores ſpectant, puri & integri: tamen ſcribarum incuria, vel temporum injuria, in Textus Originarios errata quædam & mendas leviores irrepere potuiſſe, & irrepſiſſe, negari non poteſt: quæ aliorum codicum, & interpretum collatione, aliiſque mediis, (de quibus ſupra,) tolli & emendari poſſunt. Nam in hiſcis, ſacra Volumina idem fatum cum aliis libris ſubiiſſe, præſertim antiquis, & ſæpius deſcriptis, experientia plane teſtatur. Hoc a nemine hodie aperte negari video, ut in Proleg. de Variis lectionibus fuſe oſtendi: licet quidam fuerint, (inter quos Pagn. Præf. ad Gram. Hebr. Polanus, & alii,) qui, quaſi Judæorum ſcribæ privilegium habuiſſent ἀναμαρτησίας, *in nullo, ne minimo quidem apice, erraſſe unquam*, affirmarunt: & multi hodie, qui argumentorum vi coacti hoc fatentur; poſtea tamen, quod liberaliter una manu dare videntur, altera ſurripiunt. Contra hos facile eſt nubem teſtium proferre. Apud Judæos notæ Maſorethicæ circa Keri & Ketib, diſcrepantiæ inter Orientales & Occidentales, inter Ben Aſcher & Ben-Nephtali; libri correcti, (de quibus ſupra,) ad quorum normam cæteri emendati erant, hoc aperte probant. Unde eſt, quod in Talmude Hieroſol. legimus. Tract. Thanioth ſive Jejuniorum. c. 4. ſidra מועד pag. 68. col. 1. *Tres libros invenerunt* בעזרה *apud Eſdram* (ut reddit Joh. Morinus, Diatr. p. 102. &c. & exerc. Samar. 4. c. 9.) *in atrio* (ſcil. Templi, ut alii,) *unus erat* מעוני, *alter* זעטוטי, *tertius* היא. *In uno eorum invenerunt ſcriptum* מעוד אלי קדם, *in duobus* מעונה (ſcil. Deut 33. 27.) *duos receperunt, & tertium abjecerunt. In uno invenerunt ſcriptum*, & miſit זעטוטי, minimos filiorum Iſrael, ſcil. Exod. 24. 5. *in duobus vero ſcriptum erat*, & miſit נערי juvenes filiorum Iſrael. *Duos illos receperunt, tertium rejecerunt. Invenerunt ſcriptum in uno* (ſcil. Gen. 32. 22.) תשע הוא novem illa, I*n duobus* אחת עשרה היא undecim illa, *receperunt illos duos, & tertium rejecerunt.* Ex quibus verbis clarum eſt, apud antiquos Judæos codices variaſſe, & eos plurium lectionem elegiſſe. De his tribus libris hæc mihi ſcripſit vir Doct. D. Joh. Lightfoote. *Ego ſuper totam materiam fere ſuſpicor.* 1. *Duo approbata fuiſſe exemplaria, unum Judæorum in Canaanitide, alterum Judæorum in Babylone: tertium rejectum, exemplar LXX. relatum ex Ægypto, vel aliquod aliud ſequens LXX.* 2. *Sept. non ſolum Legem Græce reddidiſſe, ſed Hebræum textum vel Græcis literis vel Hebraicis tranſcripſiſſe:* unde alias vox ואטיטי. De diſcrepantiis iſtis antiquorum codicum apud Judæos idem ſentit Kimchius præf. Comment. in Proph. priores. *Viri* (inquit) *Synagogæ magnæ, qui Legem nobis in priſtinum ſtatum reſtituerunt, invenerunt differentias in libris, & ſecuti ſunt multitudinem. In locis vero, quorum claram cognitionem aſſecuti non ſunt, unum ſcripſerunt in textu, & non punctaverunt; aut ad marginem, & textui non inſeruerunt.* Hic videmus, eos varietates agnoſcere in textu Hebræo, & ex pluribus codicibus reliquos correxiſſe. Quod vero Keri & Ketib ad magnam Synagogam refert, alibi diſcutiemus. Ad eundum modum, idem Kimchi. in 2 Sam. 15. 21. & Joſ. 21. 7. Idem agnoſcit in Bibliis Venetis Ben Chajim, qui editioni ſecundæ præfuit, dum variæ lectiones non per ק̈, ſed per נ״א, id eſt *alius codex*, notantur: ut videmus Jerem. 14. 14, 22. & alibi: quod etiam in Baſileenſibus & Interlinearibus obſervare licet. Maxime vero notandum, quod Joſ. 21. verſus 36. & 37. deſunt in edit. Venet. 1. & 2. ut & in Baſil. & in Chald. Paraphr. & in margine annotatur, quod *in omnibus antiquis, & emendatis codicibus non reperiuntur, nec in codice Hilleliano: in quibuſdam tamen codicibus inveniri.* Imo numerus verſuum hujus libri, a Maſorethis notatus, his duobus omiſſis, plane congruit. In omnibus vero aliis editionibus impreſſis extant hi duo verſus, ut & in LXX. & Vulg. Lat. & neceſſario adeſſe debent, quia alias urbium numerus, quæ ad Levitas pertinebant, ver. 41. confici non poſſet, nec numerus urbium duodecim Meraritarum: de quibus v. 40. & ex 1. Chron. 6. 78, 79. ubi eædem urbes recenſentur, clare conſtat, iſto loco verſus iſtos deeſſe. Certe D. Buxtorfius in Hebræorum ſcriptis antiquis multum verſatus, fatetur *Judæos a tempore Eſdræ negligentiores fuiſſe circa textum Hebræum, & non curioſos circa lectionem veram.* De punctis lib. 1. cap. 9. Unde libri Hebræi, tam MSS. quam impreſſi, erroribus obnoxii fuerunt, & ſunt: ac proinde corrigendi & emendandi ex aliorum collatione, ut affirmat idem Anticrit. part. 1. cap. 4. p. 74, 75. 90. & 95. & cap. 8. p. 136. Et Cl. Junius, diſcrepantes lectiones præter Maſorethicas notavit ex vetuſtiſſimo codice Heidelberg. ut ex ejus annotatis, 2. Chron. 26. 5. & 35. 3. patet: ubi codicis illius lectionem hodiernæ præfert, eamque ſequitur. Varii etiam obſervant, Gen 4. 8. a Judæis ſpacium relictum pro verbis illis, (*Tranſeamus in campum,*) quod ſupplent omnes verſiones antiquæ, excepto Onkeloſi.

13. Inter Patres, unicus Hieronymus erit inſtar omnium: quem tamen alii in contrarium allegant; qua fide, ipſi viderint. Hic comment. in Gal. 3. in hæc verba, *Maledictus omnis, qui pendet in ligno*, ſic ſcribit, *Mihi videtur, aut veteres Hebræorum libros aliter habuiſſe, quam nunc habent; aut Apoſtolum ſenſum Scripturæ poſuiſſe, non verba; aut, quod magis eſt æſtimandum, poſt Chriſti paſſionem, & in Hebraicis, & in noſtris codicibus, ab aliquo* Dei *nomen appoſitum: ut infamiam nobis inureret, qui in Chriſtum maledictum a Deo credimus.* Licet vero Hieronymi conjecturæ non aſſentior; ex his tamen verbis patet, Hieronymum exiſtimaſſe, etiam in textu Hebraico lectionem variantem inveniri poſſe; contra illorum ſententiam, qui magna fiducia aſſerunt, ſemper ad interpretes Hieronymum omnes lapſus & varietates retuliſſe, nunquam ad codices Hebræos. Idem in eodem cap. in verba illa, *Maledictus omnis homo, qui non permanſerit in omnibus &c.* hæc habet, *Incertum habemus, utrum 70 Interpretes addiderint*, omnis homo *an in veteri Hebraico ita fuerit, & poſtea a Judæis deletum ſit. &c.* Epiſtola ad Suniam & Fretellam, agens de verbis, Pſal. 34. 10. *Omnia oſſa mea dicunt, Domine*, hæc habet, *Se in editione LXX. deprehendiſſe bis, Domine:* poſtea addit, *Multa ſunt exemplaria apud Hebræos, quæ ne ſemel quidem Dominum habent. Hodie vero ſemel habent.* In eadem Epiſt. in verba Pſal. 124. 4. *Propter legem tuam ſuſtinui te, Domine*, ait, *Aquilam legiſſe* יירא *& vertiſſe* φόβον timorem: *Theodotionem vero & Symmachum legiſſe* תורה *& vertiſſe*, νόμον, Legem. Ubi non tantum fatetur, codices Hebræos variaſſe; ſed & ex Verſione Græca colligit lectionem variantem in codicibus Hebræis antiquis, quarum tamen neutra cum noſtris hodiernis convenit, in quibus eſt תִּוָּרֵא *timeberis.* Idem in Hoſ. 5. 13. *Alii male legunt* יערים *per* ם *literam, quæ transfertur in Sylvas: pro* יריב *Jareb.* Legitur vero nunc, ut legit Hieronymus. In epiſt. 132. de Salomone & Achas undecim annorum, cum filios generabant, notat, *hanc difficultatem ex æquo pulſare textum Hebræum & LXX. Interpretes:* Poſtea concludit, *Relege omnes Vet. & N. Teſtamenti libros, & tantam reperies annorum diſcrepantiam, & numerum inter Judam & Iſrael, id eſt, inter regnum utrumque, confuſum; ut hujuſmodi inhærere quæſtionibus, non tam ſtudioſi, quam otioſi hominis eſſe videatur.* In Epiſt. ad Titum, cap. 3. conqueritur de annorum varietate in Scriptura *propter librorum diſcrepantiam, & dum paulatim de inemendatis inemendata ſcribantur, errores inolitos eſſe, &c.*

14. Cum Hieronymo conſentiunt fere omnes in antiquis codicibus verſati: qui, ut in aliis varietates irrepſiſſe advertunt, ſic præcipue in numeris, et propriis nominibus. Euſeb. Chron. Can. lib. 2. in procemio de annis παιδογονίας Veterum Patriarcharum, & antiquis regnis Aſſyrio-

rum, Ægyptiorum, Arglvorum, &c. hæc habet, interprete Hieronym. *Nec me fugit, in Hebræis codicibus diſſonantes ætatum annos inveniri; pluſque vel minus, prout interpretibus viſum eſt, lectitari: ſequendum vero illud, quod exemplarium multitudo in fidem traxit.* Scio Scaligerum aliter hæc referre in notis, & quod Hieron. taxat, quaſi Euſebium non recte verterit, cum aliter ſit in Græco Euſebii exemplari. At certe vel Hieronymus ita legit in ſuo exemplari Græco; vel ſi de ſuo quædam addidit, ita Hieron. ſentit. Ipſe etiam Scalig. Elencho Chronol. p. 26, &c. de loco illo 2 Reg. 8. 16. ſic ſcribit, *Has turbas concitant verba illa virgulis incluſa (*& Jehoſaphat Regis Juda*) quæ abundare omnino neceſſe eſt, adeo ut in editione Græca non extent, quamvis agnoſcantur a Paraphraſte Chaldæo. Huic ſimile eſt illud 2 Reg. 24. 8. ubi Joachim iniit regnum annos natus* 18. *At in 2 Chron.* 36. 9. *erat octo tantum annorum, ut omnino denarii nota hic deſideretur. Nam literis numeralibus, non verbis antiquitus numeri concipiebantur: unde natum eſt illud* 1 Sam. 13. 1. בן־···שנה שאול *deeſt enim nota numeralis. Editio Græca* ὑὸς ἑω̃ ἐνιαυτȣ̃, *alii codices* τριάκοντα ἐτῶν. *-Hoc natum eſt ex compendioſa numerorum ſcribendi ratione: quod niſi concedamus, quomodo tot varietates & diſcrimina numerorum excuſemus, non video.* Teſtimonia alia virorum doctiſſimorum protulimus, Diſſertatione de variis Lectionibus; D. Uſſerii, Buxtorfii, Bocharti, Heinſii, Grotii, Sixtin. Am. Lud. de Dieu: quæ hic repetere non eſt neceſſe. Præter hos adducit Six. Am. Mercerum, Druſium, Erpenium, Bertramum, VViggameierum, Piſcatorem, &c. Qui vero diſcrepantias illas non volunt eſſe codicum variorum lectiones, (quod de Keri & Ketib quidam negant,) ſed utraſque divinæ eſſe auctoritatis; hi (ut loquitur Pagettus) *ex Deo Janum aliquem bifrontem faciunt, ſpectantem* πρόσω καὶ ὀπίσω. Cum vero vix aliquem librum, molis licet exiguæ, impreſſum videamus, ſine erratorum Indice ſuo; quis credet humanam induſtriam efficere poſſe, ut vaſtum illud opus Biblicum ſine ullis mendis excudatur? In Bibliis Regiis omnis cura & diligentia, moraliter (ut dicunt) poſſibilis, adhibita eſt; ita ut affirmare non dubitaverit Ar. Montanus, *ne unicum erratum inveniri poſſe, &c.* Multa tamen ſunt, quæ virum diligentiſſimum effugerunt: quæ enumerare poſſem, ſi tanti eſset. Biblia Veneta prima a Fœlice Pratenſi edita accuſat Elias Lev. *ut mendis plena, & inſincera*: unde aliam editionem pararunt, magis puram & priore correctiorem, quam miris laudibus extollit Elias. Hanc tamen a plurimis erroribus expurgavit D. Buxtorf. in Bibliis Baſileenſibus: fatetur tamen ipſe, *Editionem ſuam licet diligenter recognitam, ſine nævis quibuſdam non eſſe, quæ ipſius diligentiam effugerunt.* Potuit quidem Deus omnes librorum ſacrorum ſcriptores & Typographos ἀναμαρτήτȣς reddere, ſi ipſi ita viſum fuiſset; ſicut Apoſtolos & Prophetas Spiritu ſuo gubernavit, ut in ipſorum autographis nullum eſset erratum. At, ſicut Eccleſiæ Doctores omnes erroribus obnoxios eſse voluit, licet primi Eccleſiæ proceres ab omni errore immunes reddidit; ut ſcil. omnes excitaret ad diligentem uſum mediorum, quibus veritas divina conſervari poſset: ſic dicendum de exemplaribus apographis: mendis & erroribus levioribus, quæ fidei & moribus non officerent, obnoxia eſse voluit; ut diligentiam noſtram in codicum ſacrorum puritate conſervanda exerceret. Nam vigilantibus, & non dormientibus, Deus ſuccurrit: & opera ac miniſterio hominum uti decrevit ad oraculorum ſuorum conſervationem; nec omnia immediata Spiritus ſui virtute efficere voluit: unde mendas irrepere poſse, quis non videt? quas tamen ex aliis codicibus, vel antiquis verſionibus, & loci circumſtantiis emendare licet, ut ſæpius diximus. Agnoſcimus, in libris impreſsis errata melius præcaveri poſse, cum unica impreſsione varia librorum millia excuduntur, inter quos vix aliqua eſse poſsit diſcrepantia, (quia omnes iiſdem Typis inter ſe ordinatis & compactis imprimuntur,) cum vel mille ſcribæ tot codices non deſcriberent, quorum ſinguli ex ignorantia vel incuria in aliquibus a ſe invicem variare poſsint. Unde Eraſmus adverſus Leum, ad primam annot. *Quis hactenus tanta cura, tantaque religione vel ſcripſit calamo, vel forma aliqua excudit ſacros libros, ut non alicubi deprehendatur aliquid mutatum?* Dico itaque cum doctiſs. Bibliandro Præf. ad Gram. Hebr. Tiguri 1535. *Non convenit Judaica ſuperſtitione alligatum eſſe, ut nefas vel ſacrilegium putemus ſuſpicari, mendas ſcriptioni librorum ſacrorum inoleviſſe. Nam ſi pro emendato & ſincero libet amplecti, quicquid in divinis occurrit voluminibus; etiam muſca inſidens literæ myſterium pariet, ſi faveret Juno Lucina.*

15. Quæ de Textu Hebraico dicta ſunt, etiam ad Græcum N. Teſtamenti applicari poſſunt. *Agnoſcimus* (inquit Sixtin. Amama, lib. 1. cap. 3. Antibarb. Bibl.) *in Novo Teſtamento, ſi librorum molem, numerum, & antiquitatem cum Veteri conferamus, paucis annis longe plures irrepſiſſe lectionum varietates, quam in Vetus per aliquot ſecula.* Annotavit Rob. Stephanus, ut ſupra oſtendimus, ex 16 codicibus 2384 varias lectiones, præter deficientia loca 280, quæ obelis notavit: & multo plures ex variis antiquiſſ. codicibus nos annotavimus, quæ una cum collationibus Stephani in unum corpus digeſtæ in ultimo noſtro Tomo exhibentur. Divina tamen providentia ita invigilavit, ut fides ac pietas nullum detrimentum ſenſerit. Cujus varietatis cauſam præcipuam non puto cum Sixtino eſse defectum Maſoræ, in Nov. Teſtamento: (Concordantiæ enim Bibliorum noſtro ſeculo editæ Maſoram multis paraſangis ſuperant, & ad puritatem librorum Sacrorum conſervandam magis conferunt:) ſed quia multo ſæpius N. Teſt. exemplaria deſcripta ſunt, quam Hebraica Veteris. Nam antequam Chriſtus Eccleſiæ pomœria dilatavit, libri Hebraici noti erant tantum inter Judæos, qui angulum orbis habitarunt; nam *notus erat in Judæa Deus, non in omni natione*, ut cecinit vates Regius: Novum vero Teſtamentum inter omnes nationes ab Ortu Solis ad Occaſum, ubicunque Chriſti nomen invocatum eſt; publice & privatim perlectum erat, & omnium manibus terebatur. Præterea omnes fere ubique Græcam linguam callebant, pauciſſimi Hebræam: unde plurima deſcripta habebant exemplaria Græca, pauciſſima Hebraica. Ex frequenti vero deſcriptione exemplarium, errores plures ſcribarum oriantur, neceſse eſt. Hi tamen non tanti ſunt, quin adhuc exemplaria Græca incorrupta habeamus: nam ex erratis quibuſdam fortuitis non poteſt inferri generalis corruptio. Quæ diximus de providentia Divina & Eccleſiæ diligentia in conſervandis Vet. Inſtrumenti codicibus, multo magis de Novo dici poſsunt. Nec valet, quod objiciunt, ab Hæreticis libros Græcos corruptos eſse. Nam etſi Hæretici multa depravare conati ſunt; non deerant Catholici & Orthodoxi, qui eorum corruptelas detexerunt, & non permiſerunt libros Sacros corrumpi. Imo licet ex multitudine ſcribarum & exemplarium plures errores fortuiti irrepere poſsent; tamen exemplarium multitudo voluntariis Hæreticorum corruptelis obſtabat. Nam quo plura erant, eo difficilius erat, ut omnia inficerent: unde impoſſibile erat Hæreticos Novum Teſtam. corrumpere, cum ubique terrarum extarent exemplaria, ex quibus convinci poterant, ut falſarii & corruptores peſſimi. Et ex quo ars Typographica in uſu eſse cœpit, fere impoſſibile eſt textum ſtudioſe corrumpi, licet caſu vel incuria edentium errores oriri poſsint. Hinc illud Epiphanii contra Marcionem; *Etſi tu non relinquas Scripturam, quemadmodum a Salvatore pronunciata eſt:* ἀλλὰ ὅμως γε σώζονται οἱ τόποι ἐν τῷ εὐαγγελίῳ τῆς ἁγίας ἐκκλησίας, *ſervantur tamen iſta loca in Evangelio ſanctæ Eccleſiæ.* Et poſtea, ȣ̓δὲν ἡμᾶς ἀδικήσει τȣ̃το &c. *nihil hoc nobis nocet. Etſi enim abſciderit illud, non abſcidit a nobis, ſed ſe ſuoſque damno affecit: ſatis enim refutatur teſtimoniorum pluralitate.* Notat D. Bannes in 1. Tho. q. 1. art. 8. quod *Scriptura ſacra eſt primario in corde Eccleſiæ, & ſecundario in libris: utroque vero modo Eccleſia Catholica eſt ejus cuſtos*: quod quidem verum eſt; at ſi in libris non ſervaretur, cito ex corde evaneſceret. Quæ vero a quibuſdam adferuntur in contrarium, vel mendæ non ſunt, vel leviores, quam ut ex iis textus corruptus dici poſſit; cum non ex conſilio, ſed caſu fortuito evenerint.

16. Licet ex ſupradictis colligi poſſit, codices Hebræos Veteris, & Græcos Nov. Teſtamenti Authenticos eſſe, ad quorum normam controverſiæ de fide, omneſque verſiones probari poſſunt & debent: (quæ enim de integritate textuum originalium dicta ſunt, huc ſpectant, ut eorundem auctoritatem ſupremam probarent:) quia tamen multi hanc quæſtionem cum præcedenti confundunt, licet eandem diſtincte & per ſe tractare. Orta vero eſt hæc quæſtio ex decreto Concilii Tridentini, quo Vulgata Latina declaratur Authentica, quam nemo rejicere quovis prætextu audeat. Ante Concilium vero liberius de hoc ſcripſerunt auctores, quorum plerique codices originarios pro Authenticis habuerunt. Sciendum vero eſt, vocem hanc (*Authenticum*) a Juriſperitis Theologos mutuaſſe, & ipſis ſignificare, *ſcriptum aliquod, quod ex ſe fidem facit in judicio, & ſupremæ eſt auctoritatis, ut a nullo rejici vel in quæſtionem vocari debeat.* Sic enim Julianus Juriſconſ. tract. de fide inſtrumentorum explicat. Inde dicta ſunt authentica ſcripta & inſtrumenta, quæ fidem certam & infallibilem faciunt. Deinde & hoc obſervandum, originaria principum edicta & ſcripta proprie & per ſe authentica dici; exemplaria vero ſive exſcripta dicuntur authentica, non proprie & per ſe, ſed quatenus cum originali conveniunt: quæ convenientia ſigillo, vel teſtimoniis, aliiſve rationibus probanda eſt. Sic Scriptura S. Authentica dicitur, quæ ex ſe fidem facit, & ſummam habet auctoritatem, ita ut nemo refragari poſſit, vel ab ipſa provocare. Ipſa Prophetarum & Apoſtolorum Autographa, omnium proprie Authentica ſunt, ut quæ a Sp. S. dictata: Apographa vero, ſive tranſcripta, eatenus Authentica ſunt: quatenus cum Autographis conſentiunt. Verſiones vero proprie Authenticæ non ſunt, ſed authoritatem ſuam habent ex convenientia cum libris originariis, ex quibus ſeu fontibus traductæ ſunt. Jam vero, textus Hebræos & Græcos, quos hodie habemus, cum ipſis Autographis convenire, præter argumenta inſita, teſtimonium habemus ampliſſimum, &, poſt Dei ipſius, omnium certiſſimum; totius ſcil. Eccleſiæ, tam loci quam temporis reſpectu Catholicæ, cui ſacrum hoc depoſitum a Deo concreditum eſt. Textus Hebraicus teſtimonium habet Chriſti & Apoſtolorum, qui ex eo doctrinam ſuam confirmarunt, & omnes ad ejus lectionem hortati ſunt: quod nunquam feciſſent, niſi pura & incorrupta fuiſſent exemplaria Autographis reſpondentia. Novi vero Teſtamenti codices originarii multis ſeculis poſt Apoſtolorum tempora, ut pretioſa κειμήλια, ſervati ſunt: quorum quoſdam Tertulliani temporibus extitiſse, teſtatur ipſe, lib. de præſcript. adv. Hæret. Imo S. Johannis Evangelium ipſius Evangeliſtæ manu ſcriptum, ſi auctori Chronici Alexandrini fides habenda ſit, in Eccleſia Epheſina remanſit tempore Honorii Imperatoris: & ex antiquiſſimis ſcriptoribus Eccleſiæ, qui ipſa Apoſtolorum Autographa conſulere poterant, & ex locis Scripturæ ab ipſis citatis, quæ ad amuſſim congruunt cum noſtris codicibus, conſtat, codices hodiernos eoſdem plane eſſe cum ipſis αὐτογράφοις, & ab eis fideliter tranſcriptos: quod ex ſcriptis genuinis Ignatii, Clementis utriuſque, Juſtini Martyris, Jrenæi, Tertulliani, aliorumque, quorum ſcripta indubitata ad nos pervenerunt, luce clarius eſt. Quis a multis ſeculis vidit Autographa Platonis, Ariſtotelis, Theophraſti, Ciceronis, Senecæ, aliorumque, qui multis abhinc annis floruerunt? Nemo tamen ambigit, quin vera ſint eorum exemplaria hodierna, & cum Autographis convenire, quæ nunc habemus, licet ex ſola traditione, & Ethnicorum præcipue teſtimonio hoc habeamus: quæ multis gradibus inferiora ſunt, traditione & teſtimonio Eccleſiæ Catholicæ per orbem diſperſæ, ſive teſtium multitudinem, ſive eorum pietatem, veracitatem, probitatem, & ſapientiam ſpectemus.

17. Sententia itaque noſtra eſt, *Textus Hebraicos Veteris, & Græcos N. Teſtamenti ſemper fuiſſe, & adhuc eſſe authenticos, ad quos omnes de fide & Religione controverſiæ, omneſque verſiones probari et examinari debent.* Hoc ex ſupradictis abunde probatur, ubi ex ſententia præcipuorum Romanæ Eccleſiæ Doctorum oſtendimus, Textus Originarios immunes eſſe ab omni corruptione præcogitata, & in omnibus ad fidem & mores ſpectantibus, integros: quo conceſſo, neceſſario ſequitur, authenticos eſſe, & in rebus fidei ac Religionis normam certiſſimam. Nec obſtat, quod mendis ex errore ſcribarum fortuito obnoxii ſint, cum talia errata ex aliis codicibus emendari poſſint, & quotidie emendentur; nec ejuſmodi mendæ Authentiam tollant, cum in omnibus verſionibus reperiantur, & in Vulg. Latinam multo plures & majoris momenti, quam in codicibus Originariis irrepſerint. Quot millia variarum lectionum, quarum pars altera neceſſario erronea eſt, ante correctiones

Sixtinam & Clementinam collecta, & emendata? Multas etiam alias poſt iſtorum Pontificum editiones remanſiſse, quæ correctione indigebant, tam ex Epiſtola Bellarmini (qui unus erat Cenſorum) ad Lucam Brugenſem; tum ex iis, quas poſtea collegit idem Lucas, liquet. Et in Bibliis Latinis juſſu Clem. 8. recognitis diſerte affirmatur, quod *in illa pervulgata editione, multa quæ mutanda videbantur, immutata relicta ſunt.* Et poſtea, *Biblia non ſunt a nobis accuratiſſime caſtigata: multa enim juſtis de cauſis pertranſivimus ad populi ſcandalum vitandum. Nullum tamen ſcandalum extimeſcendum, nec incommodum fore,* aſſerit Oleaſter in præf. ad ſuum Pentat. *ſi Paulus* 4. (qui tunc Pontifex erat) *ad inſtar Damaſi, vulgatam verſionem ad fontes corrigendi provinciam viris linguarum peritis demandaret.* Et Luc. Brugenſis edidit Catalogum errorum, qui poſt Sixti & Clementis caſtigationes remanſerunt: & affirmat *perfectiorem reddi poſſe fœliciter incœptam correctionem, ſi accederet Pontificis auctoritas.* His tamen non obſtantibus, iſti contra quos diſputamus, Latinam editionem Authenticam eſse contendunt. Si enim hujuſmodi errata tollerent Authentiam Scripturæ, neceſsario ſequeretur, nullam Scripturam hodie Authenticam extare, nec Eccleſiam regulam certam fidei & morum habere: quod omnibus ἄτοπον & abſurdum.

18. Dein, codices originarios olim fuiſse puros & Authenticos omnes concedunt, cum ſcil. primum Eccleſiæ traditi erant: imo tempore Hieronymi fuiſse Authenticos, fatentur præcipui Eccleſiæ Romanæ Doctores. *Hoc verum eſſe, nemo qui ſane ſapit, dubitare poteſt,* inquit Ribera in Hoſ. 9. n. 10. *Nam ſi tunc depravati erant, cum Hieronymus tranſlationem Latinam edidit, non habet Eccleſia veram Scripturam. Si enim prototypi Hebræi codices depravati tunc erant, cum noſtra editio ſit ex illis deprompta, omnino & illa depravata erit, & vera & incorrupta Scriptura Eccleſia caret: quo quid turpius dictu? quid inſanius?* Cum vero Authentici olim fuerint; qui hodie non eſſe Authenticos affirmant, iis probandi onus incumbit, quod corrupti jam ſint, & de gradu Authentias dejecti: quod ſi oſtendere non poſſunt, recipi debent Codices hodierni, ut qui ſunt in poſſeſſione auctoritatis ſuæ. Sic Simeon de Muis, Epiſt. 1. contra editionem Pariſ. p. 72. *Si textus primogenii hodie ſunt ſicut ſacra templa, quorum auguſtas ſedes Spir. S. primum incoluerit; quis credet Eccleſiam nunc non habere Scripturam ſacram ſibi a Deo conſcriptam & concreditam?* Et p. 73. *Quæro, quo tempore Sp. S. a quo primaria Scripturæ auctoritas, ædes illas auguſtas & ſacra veluti templa deſeruerit? Si vero tempus illud aſſignari poſſit, merito Eccleſia Dei accuſaretur incuriæ, quæ tantum theſaurum quorundam hominum perfidia extorqueri ſibi de manibus, atque etiam lacerari paſsa eſt: imo jure aliquis exiſtimare poſset, exoſam Deo fuiſse aliquando Eccleſiam, quia fraude hominum perire neglexerit, quo majus in terris amoris Divini pignus non haberet.* Argumenta ergo ſupra adducta a providentia Divina, & Eccleſiæ fidelitate, huc quadrant. Tradidit enim Deus Eccleſiæ non primum Verſiones, ſed Textus primævos, eoſque puriſſimos & Authenticos. Qui itaque tales hodie extare negant, non tantum in providentiam Divinam, quæ Eccleſiæ nunquam deficit in neceſſariis, contumelioſi; ſed & in Eccleſiam, Chriſti ſponſam, injurii ſunt, quæ depoſitum hoc corrumpi ſineret: cujus erat officium, illud ſartum tectum conſervare. Nam, ut idem Sim. de Muis, p. 56. 57. *Ad Eccleſiam pertinet divinæ Scripturæ depoſitum, tanquam communem fidelium poſſeſſionem incolumem conſervare.*

19. Ipſum nomen Fontis ſatis indicat textum Authenticum. Nam *negari non poteſt* (inquit Bellar. l. 2. de Verbo Dei 2. 11.) *quin fontes Scripturarum præferendi ſint rivulis, quando conſtat, fontes non eſſe turbatos.* At fontes non eſſe turbatos in rebus fidei vel morum, agnoſcit Bellarm. ut ſupra oſtendimus: & ſi qua errata inveniantur, nullius eſſe momenti; & caſu, non conſilio irrepſiſſe, ipſe confitetur. Etiam apud veteres frequens eſt mentio *Hebraicæ veritatis,* præſertim apud Hieronymum. Hoc vero elogium falſo illi textui adſcriberetur, ſi Authenticus non eſſet. Hoc etiam pro Textuum originalium authoritate ſupra Verſiones facit, quod tam quoad verba, quam quoad ſenſum ſint immediate a Deo: Verſiones vero, licet ſenſum verum exprimant, tamen quoad verba ex humana induſtria pendent; nec plus certitudinis habent, quam fidelitas, doctrina & diligentia auctoris conferre poteſt. Hoc ingenue fatetur Gretſerus p. 520. *Plenitudo* (inquit) *& integritas Hebræi textus habet prærogativam iſtam, quod non modo res ſignificatæ, ſed et ipſa verba immediate ſunt a Deo: quod de tranſlatione non contingit, cum verba ſuppeditet interpres, & quidem humano ſtudio, non illo peculiari ductu & inſtinctu; quo ſcriptor Canonicus ducitur & regitur.*

20. Conſtans hæc erat veteris Eccleſiæ ſententia. Aug. l. 15. de Civ. c. 13. hæc habet, *Cum diverſum aliquod in utriſque codicibus invenitur, quandoquidem ad fidem rerum geſtarum utrumque eſſe non poteſt verum, ei linguæ potius credendum, unde eſt in aliam per Interpretes facta tranſlatio.* Hieron. Epiſt. ad Suniam & Fretellam ſic ſcribit, *Sicut in N. Teſt. ſi quando apud Latinos quæſtio exorta eſt, & inter exemplaria varietas, recurrimus ad fontem Græci ſermonis, quo Novum ſcriptum eſt inſtrumentum: ita in Vet. Teſtam. quando inter Græcos Latinoſque varietas eſt, ad Hebraicam recurrimus veritatem; ne quicquid de fonte proficiſcitur, hoc quæramus in rivulis.* Iterum in Epiſt. ad Lucinium, quod etiam relatum eſt a Gratiano in jus Canonicum, & a Pontifice promulgatum, Diſtinct. 9. cap. Ut veterum. *Ut veterum librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda eſt; ita novorum veritas Græci ſermonis normam deſiderat.* His addendus Ambroſius. l. 2. de Sp. S. c. 6. *Si quis de Latinorum codicum varietate contendit, quorum aliquos perfidi falſaverunt, Græcos inſpiciat codices.* Ex his ſatis conſtat, quantum veteres fontes prætulerint verſionibus; iis vero, qui verſiones præferunt dico cum eodem Hieron. Epiſt. 102. ad Marcellam, *quibus diſplicet fontis unda puriſſima, cœnoſos rivulos bibant.*

21. Sed quid opus eſt teſtimonia coacervare, cum habeamus Eccleſiæ Romanæ viros doctiſſimos, quorum aliqui Concilio Tridentino interfuerunt, confitentes, *nihil contra textuum Originalium Authentiam concilium decreviſse, nec Vulgatam Latinam fontibus prætuliſſe.* Andrad. Defenſ. dicit, *Valde inconſiderate eos loqui, qui plus fidei Editioni Latinæ, quam Hebr' voluminibus deferendum putant.* Addit, *ſe ab Andrea Vega Cardinali S. Crucis, (qui poſtea erat Marcellus ſecundus Pontifex, & Concilio interfuit) habuiſse, nil aliud Concilium decreviſſe, dum Latinam Vulg. Authenticam declaravit, quam eam nullo defœdatam eſſe errore, ex quo pernicioſum dogma aliquod in fide vel moribus colligi poſſit.* Bellarm. l. 2. de Verbo Dei c. 10. *Patres nullam fontium mentionem faciunt, ſed ſolum ex Latinis verſionibus, quæ nunc circumferuntur, unam delegerunt, quam cæteris anteponerent.* Salmeron, qui etiam Concilio interfuit, Proleg. 2. *Liberum reliquit* (Concilium) *omnibus, qui Scripturas ſacras profundius meditantur, fontes Hebræos & Græcos, quatenus opus eſt, conſulere, quo noſtram* (Latinam) *vitio librariorum vel temporum injuria corruptam emendare valeant.* Serarius in Proleg. c. 19. q. 12. multis probat, non prætuliſſe Hebræis Græciſve fontibus Latinam Verſionem, Synodum Trident. *Satis manifeſtum eſt,* (inquit) *fontem purum, rivo, quamtumvis puro, cum prærogativa quadam præferendum: --nam Authenticam Verſionem eſse, eſt cenſeri cum Originaria lingua convenire.* Adam Contzen. Polit. l. 3. c. 23. *Libere affirmo, Verſionem Latinam ita probatam, ut tamen Græcis & Hebræis fontibus maneat ſua auctoritas.* Tragice vero exclamat Julius Rugerius, Secretarius Apoſtolicus, lib. de Script. Canonicis, c. 44. *Cujus* (ait) *piæ aures ferre poterunt, Hebraicam Editionem* (de Græco N. Teſt. idem dici poteſt) *a Spir. S. iiſdem verbis dictatam, a Prophetis conſcriptam, ab Eſra reſtitutam, a Chriſto recitatam & explanatam, &c. a qua omnes Editiones, velut a parente & fonte ſuo fluxerunt, correctiones derivantur, & diſcrepantiæ librariorum culpa exortæ ſæpius ſublatæ ſunt, nunc exploſam & damnatam eſse?* Ex horum teſtimoniis, quibus plures adjungere licet, ſatis conſtat, quænam ſit virorum in Eccleſia Romana doctiorum in hac controverſia ſententia.

22. Si quis vero dicat, Si poſsint in textus Originarios errores irrepere ſcribarum lapſu, vel ex alia cauſa fortuita, ut in Verſiones alioſque omnes libros; quomodo in locis talibus poſsint Verſiones ex iis corrigi? Reſpondeo, In tali caſu, ubi de menda conſtat, ex aliis codicibus, reſtituenda eſt vera lectio. Nam, ut antea oſtendimus, varia ſunt media, quibus, dum codices variant, lectio vera reſtitui, & errores emendari poſſunt. Primo itaque lectionem librorum originalium in vitio cubare clare probandum eſt, tum error corrigendus: ſic vera lectione reſtituta, Textus originarius Verſionum norma & regula fit. His itaque non obſtantibus, codices originarii vere dici poſſunt Authentici, &, (generaliter loquendo,) norma omnium Verſionum. Nam, ut ſupra demonſtratum eſt, codices tales, in quibus nullum omnino ſit erratum dari, eſt, ſi non abſolute & phyſice, ſallem moraliter impoſſibile: & ſi tales mendæ Authenticam Scripturæ auctoritatem tollerent, nulla eſſet Scriptura Authentica; cum nulli tales codices extent, nec per induſtriam humanam dari poſſint. Potuit quidem Deus omnes ſcribas ab errore omni immunes præſtare: hoc vero Dei ſapientiæ haud congruum videbatur, qui laborem & diligentiam noſtram in ſervandis & corrigendis codicibus adhibendam voluit: unde & aliquando labi permiſit, ſed non in gravioribus; nec ita, ut media deeſſent, quibus lapſus iſti corrigi poſsint. Recte itaque Raderus, Animadv. in Chron. Alexandr. p. 25. *Univerſe loquendo, ſemper plus tribuit Eccleſia Hebraicæ, velut fonti, quam Græcæ inde derivatæ.* Videatur J. Morinus Diatr. parte 2. Elench. Sect. 15.

23. Concedit Bellarm. in quibuſdam caſibus, poſſe nos a Verſionibus ad fontes recurrere. De Verbo Dei. l. 2. c. 11. Primo, cum in Latinis Verſionibus videtur eſſe error librariorum. 2. Cum Codices Latini variant. 3. Cum verbum, vel ſententia eſt anceps. 4. Ad energiam ac proprietatem vocabulorum quorundam in textu originario percipiendam. Melchior Canus alios addit, ſcil. 5. Cum diſſeritur cum infidelibus. 6. Cum emphaſis eſt in vocabulo Hebraico. 7. Ad eruendos plures ſenſus. 8. Ad percipienda verba Græca vel Hebræa, quæ in editione Latina remanſerunt. Etſi vero aliquid ſit, quod nobis hi largiuntur, non tamen totam veritatem proferunt. Inſufficiens enim eſt iſta caſuum enumeratio. Errores enim varii dari poſſunt, & in Vulg. Lat. dantur, qui ad iſta capita revocari non poſſunt. Deut. 29. 23. legitur in Vulg. Lat. *ſulphuris & ſolis ardore comburens,* errore manifeſto, cum in Hebr. ſit, *ſalis.* Erratum hoc non obſervarunt Harlemius vel Lucas Brugenſis, qui codices diligenter contulerunt. Correxit tamen Sixtus 5. ex Hebræo ſine ulla exemplarium Latinorum auctoritate: nec conjicere quiſquam potuit, eſſe librarii errorem, ſine codicis Hebræi inſpectione, cum ſenſus bene flueret. Præterea major codicum numerus ſæpe fallit. Gen. 3. 15. in omnibus fere exemplaribus Latinis legitur, *Ipſa conteret caput tuum.* Et duo tantum habuit Luc. Brug. quæ legerunt, *Ipſe:* ita ut ſine textus Archetypi inſpectione emendari hic locus non potuit: ex quo Auguſt. Steuchus emendavit, *Ipſum.* In exemplo, quod profert Bellar. ex Eccleſiaſtico, cap. 45. 6. *Dedit illi cor ad præcepta.* Ex loci circumſtantiis non poteſt colligi, legendum eſſe, *coram;* nec ex variis codicibus deprehendit Luc. Brug. ſed ex paucioribus Harlemius, ex quibus ſine recurſu ad Hebr. non poteſt vera lectio reſtitui. Sæpe etiam errare poteſt interpres ex ignorantia vel inadvertentia; qui caſus inter modo dictos non habetur: nec tamen ejus error ſine textu originario deprehendi aliquando poteſt. Itaque regulam conſtituimus generalem, ſcil. In omnibus ad textum originarium recurrendum eſt, niſi ubi plane conſtat, errorem in textum irrepſiſſe: ubi vero hoc probari non poteſt, neceſſario ad textum, ut ad normam, omnes verſiones ſunt probandæ. Non ſatis eſt dicere cum Bellarm. *Ex fontibus, ſi puri ſint, corrigendæ ſunt verſiones:* hoc enim ſupponi debet, fontes eſſe puros, donec contrarium per inſtantias particulares liquido probetur, ſecundum regulam Juriſconſultorum, *Quilibet præſumitur eſse bonus, donec conſtet de contrario.* Nec tamen ex quibuſdam inſtantiis probatur generalis fontium corruptio, ſed tantum in his locis lapſum eſſe ſcribam; quod cum fontis puritate ſtare poteſt: ut ex iis, quæ diximus, liquet.

24. Quædam tamen hic ſpecioſe objiciuntur. 1. Incertum eſſe textum Hebræum, ſublatis punctis, quæ non ſunt de eſſentia textus. Exemplum profert Joh. Morinus exercit. Bibl. 6. cap. 2. in verbo דבר, quod octo modis

legi poteſt, & totidem diverſas habet ſignificationes, ut דָבָר *verbum*, דֶבֶר *peſtis*, דְבִר *adytum*, דִבֵּר *dixit*, דֹבֵר *loquens*, דֻבַּר *dictum*, דַבֵּר *loqui*, דַבֵּר *loquere*. Ad eundem modum, ex tribus literis Latinis c r s, omiſſis vocalibus, 23 vocabula Latina diverſarum ſignificationum deduci poſſe, ſcribit. Unde inferunt, Textum Hebræum non poſſe pro certa regula haberi; ſed verſiones, quæ tam vocalibus, quam conſonantibus conſtant, eſſe certiores. Ad hæc multa reſponderi poſſunt, vocabula quædam per ſe ſpectata multiplicis ſignificationis capacia eſſe: at in orationis contextu plerunque indifferentiam tolli, & ex antecedentibus & conſequentibus determinari. Si vero adhuc vocabulum ſit ambiguum, ex uſu, & legendi conſuetudine, ambiguitas tollitur. Ex uſu enim, & majorum traditione, ope trium literarum ו י א quæ matres lectionis vocantur, & ante punctorum inventionem loco vocalium erant, vera lectio & pronunciatio conſervata fuit. Licet enim puncta hodierna a Maſorethis inventa ſint: ipſorum tamen ſonus, ſive vocales ipſæ, reliquis literis coævæ ſunt: nec punctarunt textum Maſorethæ pro libitu; ſed ſecundum lectionem illam uſitatam, quam a majoribus habuerant. Præterea contra Textum Hebræum tantum militat hoc argumentum, non contra Græcum: manet ergo Textus Græcus Nov. Teſtam. Authenticus. Si vero alicujus roboris eſſet contra textum Hebraicum, probaret, codices Hebræos nunquam fuiſſe Authenticos, ne quidem cum primum ſcripti erant: eadem enim ambiguitate laboraſſent, cum puncta vocalia nondum inventa fuerint. Secundo objiciunt, quod ſi verſiones non ſunt Authenticæ, fides plerorunque nullum haberet certum fundamentum, cui inniti poſſet: cum vix unus e mille textum Græcum vel Hebraicum intelligat. Reſp. Multa de hoc diſputant Scholaſtici, quorum ſubtilitatibus nolo lectorem irretire. Si aliquid valeret hoc argumentum, probaret, omnes Verſiones in linguas vernaculas fieri debere; (has enim ſolas plerunque vulgus intelligit;) & tam contra verſiones, quam contra fontes facit, cum e vulgo plurimi ſint, qui firmiter credunt; nec tamen verſiones Latinas intelligunt, imo literas plane ignorant. Unde itaque firmitatem habet ipſorum fides? Totam Eccleſiam non audiunt, nec Concilia generalia evolvunt; ſed ex proprii Paſtoris vel Parochi, vel parentum inſtitutione (quorum nemo infallibilis) credunt. Ipſorum itaque eſt, qui nodum hunc nectunt, ſolvere. Breviter tamen dico, fidem niti verbo Dei, ſive veracitate divina, quocunque modo nobis ſufficienter proponatur: Scriptura vero Originalis, Verſiones, prædicatio, inſtructio privata &c. media tantum ſunt, quibus objectum fidei ſive veritates revelatæ nobis proponuntur. Fundamentum vero fidei eſt authoritas Divina, cui non poteſt ſubeſſe falſum; quam objectum fidei *formale* vocant Scholaſtici, ſicut res ipſas credendas appellant *materiale*. Fides nititur itaque fundamento certo & infallibili; licet media quædam, quibus Deus utitur ad fidem generandam, infallibilia non ſint. Sufficit enim actu non errari, cum objectum fidei proponitur; licet errare poſſibile ſit: ſufficit in hoc quemquam actu non errare, licet errare poſſit. Annon poſſumus certi eſſe, quod Solem videmus, etſi viſus circa objectum ſuum errare poſſit? & quia viator per devia errare poteſt, ergo nunquam certus eſſe poſſit, ſe recto tramite incedere? Objectum fidei proponitur ſufficienter, ita ut prudenter de eo dubitare non liceat; non ita evidenter, ut non poſſimus non credere; ut in concluſionibus Mathematicis, ubi intellectis terminis non poteſt quis non aſſentire. Alias nulla eſſet fidei obedientia, ſi actus credendi neceſſario eliceretur, ſive (quod affirmant nonnulli) per vim Sp. S. irreſiſtibilem voluntas neceſſario in aſſenſum traheretur. Noluit Deus res fidei ita proponi: ſufficienter proponuntur, ut non ſit juſta cauſa dubitandi; non evidenter, ut fides ſit actus obedientiæ liberæ: proponuntur ut ſumme credibilia, cum evidentia morali tanta, quæ ſufficit ad obedientiam evangelicam producendam; non cum evidentia phyſica, quæ neceſſario fidem generat. Non nego tamen, evidentiam illam Spiritum S. in cordibus fidelium per gradus augere, & certitudinem evidentiæ tandem producere.

25. Unica reſtat quæſtio, An ſemper per Textus originarios corrigendæ ſint verſiones, an aliquando per Verſiones corrigi poſſint textus originarii? Etſi vero ex dictis decidi hæc quæſtio poſſit; tamen quia ſtatuunt nonnulli, ex Vulgata Latina corrigi debere codices Græcos & Hebræos, hæc pauca adjicimus. Etſi Verſiones, antiquæ præſertim, multum conferre poſſint, cum erratum in textum Originarium caſu irrepſit, ad veram lectionem indagandam & reſtituendam; tamen, generaliter loquendo, Verſiones omnes ſecundum textus Originales corrigi & examinari debere. Nam, cum omnes Verſiones, tanquam rivuli, ex codicibus originariis, ut fontibus, fluxerint; neceſſe eſt, ut quicquid veritatis in Verſionibus inveniatur, illud a fontibus habuerint. Eatenus enim Verſio vera dici poteſt, quatenus cum textu originario concordat. Sic enim Greg. de Valentia, *Tranſlatio vera eſt, cujus ſenſus a ſuo fonte non deviat; ſed ſententias reddit eaſdem & æquales, nec ampliores, nec reſtrictiores*, &c. Contradictionem itaque plane implicat, affirmare ſimpliciter, fontem ex Verſione corrigendum: æque enim abſurdum eſt, ac ſi quis Solis motum ex horologio corrigere vellet; vel cum Automaton aberrat, dicere Solem irregulariter circumferri, potius quam vitium aliquod in Automato concedere. Quod enim quidam aſſerere audent, Vulgatam Latinam factam eſſe peculiari Sp. S. aſſiſtentia, ita ut interpres errare non poſset, a cordatioribus ejuſdem Eccleſiæ ut ineptum rejicitur. *Stultum eſt* (inquit Bellarm. l. 2. de Verbo Dei. c. 11.) *dicere, Theodotionem Hæreticum* (ex cujus Verſione quædam ſunt in Vulgata, ut ſcil. liber Danielis) *non potuiſſe errare; vel S. Hieronymum nunquam erraſſe, cum ipſe in Eſaiam cap. 19. dicat ſe erraſſe, & Eccleſia ejus correctionem acceperit. Non illos authores Canonizavit Eccleſia, ſed tantum hanc Verſionem approbavit; nec ita approbavit, ut aſſereret, nullos in ea librariorum errores reperiri: ſed certos nos reddere voluit, in iis, quæ ad fidem & mores pertinent, nulla eſſe in hac Verſione interpretum errata.* Hæc de hac quæſtione ſufficiant.

PROLEG. VIII.

De Maſora, Keri & Ketib, lectionibus variis Orientalium & Occidentalium, Ben Aſcher & Ben Naphtali; & de Cabala.

1. *De Maſoræ nomine.* 2. *De Maſora circa verſus.* 3. *Circa voces.* 4. *Circa literas.* 5. *De literis majuſculis & minuſculis.* 6. *De ſuſpenſis & inverſis.* 7. *De Mem clauſo & aperto, & Nun medio & finali.* 8. *De literis 5 finalibus, quoties inveniuntur.* 9. *Muhammedani numerarunt verſus in Alcorano.* 10. *Maſorethicæ notæ circa puncta vocalia & accentus.* 11. *Maſoræ forma, antiqua, hodierna.* 12. *De authoribus Maſoræ. Non eſſe ab Eſdra, vel Synagoga magna, nec a ſacris Scriptoribus; ſed a variis auctoribus, & variis ſeculis. Primæ obſervationes Maſorethicæ fuerunt circa tempora Macchabæorum poſt ortos Phariſæos: aliæ a* Rabbinis *poſt-Talmudicis.* 13. *De uſu Maſoræ. De hoc variaſſe Rabbinos. Maſoram perfectam non extare.* 14. *Quædam in Maſora utilitatem ſuam habere.* 15. *Quædam plane inutilia & ſuperflua.* 16. *Nunquam ita perfectam fuiſſe, ut efficeret, ne ulla poſthac depravatio oriri poſſit. Calculus literarum Vet. Teſt. an verus.* 16. *Multa in Maſora ſuperſtitionem* Rabbinicam *olent.* 17. *Punctatio utilitatem habet.* 18. *De Keri & Ketib, quid ſint.* 19. *De harum notarum ſpeciebus. Pronunciatio nominis* יהוה *per Jehova eſt vitioſa.* 20. *Enumeratio illarum ſpecierum.* 21. *Numerum Keri & Ketib variare in præcipuis Editionibus Bibliorum.* 22. *De notarum iſtarum auctoribus.* 23. *Eſdram & ſuos non fuiſſe earum auctores.* 24. *Auctores fuiſſe Maſorethas ante-Talmudicos & Tiberienſes.* 25. *Non ex Criticorum judicio, ſed ex codicum diſcrepantia pleroſque fluxiſſe.* 26. *De iiſdem obſervationes quædam.* 27. *De variis lectionibus Orientalium & Occidentalium.* 28 *De iis variæ obſervationes.* 29. *De lectionibus variis Ben Aſcher & Ben Naphtali.* 30. *De Cabala.* 31. *De Cabalæ ſpeciebus.* 32. *De ſenſu myſtico.* 33. *De Cabala practica.* 34. *De Cabala ſpecialiter ſic dicta.* 35. *De Gematria.* 36. *De Notarico.* 7. *De Temuria, ſive permutatione.* 38. *De auctoribus Cabalæ.*

DE Maſora ſcripſerunt, Elias Levita, Petr. Galatinus, Joh. Morinus, Joh. D'Eſpeires, & alii: omnium vero accuratiſſime D. Buxtorfius in Tiberiade. Nos pauca, quæ neceſſaria nobis videntur, excerpemus. Dicemus vero, 1. De nomine, quid per illud ſignificetur. 2. De materia, circa quam verſatur. 3. De modis variis, quibus olim deſcripta & hodie impreſſa eſt. 4. De ejus auctoribus. 5. De uſu & utilitate.

1. Maſora eſt vox Hebraica, & diverſimode ſcribitur, מְסוֹרָה מָסֹרֶת & מַסּוֹרֶת ſenſu eodem. Derivatur enim a radice מסר quæ *tradere* ſignificat, & bis in veteri Teſtamento occurrit, ſcil. Num. 31. 5. 16. Unde Maſora *traditionem* ſignificat, ſcil. cum quis aliquid quaſi in manus alteri tradit, vel committit, ut explicat Elias, ſive de rebus, ſive de perſonis accipiatur. Hic pro doctrina accipitur, quam quis a majoribus quaſi traditam poſteris de manu in manum tranſmittit. Unde eam deſcribunt, eſſe Criticam Hebræorum ſacram, qua ſcriptionis & lectionis varietas per totam Scripturam traditur, quoties, quo loco, & qua forma quæque dictio in textu Hebræo invenitur; inventa, ut genuina lectio ab omni corruptione & mutatione immunis ſervetur. Opus ſane incredibilis & ſtupendi laboris, totius Scripturæ ſtructuram, quoad omnes minutias verſuum, dictionum, literarum, punctorum, &c. excutere, & ad incudem revocare; omnes verſus, dictiones, & literas numerare, (unde סופרים *numeratores* dicti) virgulam cenſoriam adhibere, &c. Horum vero omnium notas in Bibliis Venetis & Baſileenſibus impreſſis, partim per ſingulas paginas in margine, & inter columnas; partim ad finem Bibliorum excuderunt. An vero ex tantis laboribus fructus & utilitas tanta exurget, & an hoc ſtudio effecerint, ut nihil poſtea in Textu Hebræo depravari aut mutari poſſit, (prout a multis affirmatur,) poſthac diſquirendum eſt.

2. Quod ad materiam Maſoræ attinet, ſciendum eſt, eam poſitam eſſe in annotationibus Criticis circa textum Hebræum, & verſari circa 1. Verſus. 2. Voces. 3. Literas. 4. Puncta vocalia & accentus. Circa verſus, numerarunt Maſorethæ ſingulos verſus uniuſcujuſque libri, et uniuſcujuſque ſectionis majoris Legis; nec tantum Pentateuchi, ſed & totius textus Hebraici: numerumque ad finem cujuſque ſectionis vel libri annotarunt: primo literis numeralibus; dein nomine aliquo ſymbolico, ex cujus literis idem numerus exurgit. Dein verſum medium ſingulorum librorum annotarunt. In Geneſi numerant verſus 1532. & verſum medium eſſe cap. 27. 40. *Et gladio tuo vives.* In Exodo, 1209. medium, c. 22. 28. *Magiſtratui ne maledicito.* In Levit. 859. medium, c. 15. 7. *Qui tetigerit carnem fluidi.* In Numer. 1288. medium. c. 17. 5. *Et erit ut ejus, quem elegero, virga floreat.* In Deuter. 955. medium, c. 17 10. *Et facies juxta verbum.* Omnium ſumma eſt, 5845. In hac tamen ſumma, ut obſervat D. Buxt. diſſentiunt codices, dum in omnibus impreſſis mendoſe ponitur, 5245. Edit. Venet. per Fœlicem Pratenſem, anno 1517. ponit in Deut. 1055. ubi centum redundant. Sic etiam diſcrepant Elias & Talmudici: ille præf. 3. lib. Maſor. numerat 5842. Hi in libro Kidduſchin. 5888. In omnibus mendoſe: cum ex Maſora ad finem cujuſque libri conſtet, numerum eſſe 5845. In reliquis libris idem fecerunt. In Joſua ſunt verſus 656. medius, c. 10. 8. In Samuelis 1. & 2. 1506. medius, 1. Sam. 28. 24. In Regum. 1534. medius, 1. Reg. 22. 6. In Eſai, 1295. medius, c. 33. 21.

Jerem. 1365. medius, cap. 28. 11. Ezech. 1273. medius non apponitur in fine libri, ſed in Maſora parva notatur, cap. 26. 1. Prophetæ minores pro uno libro habentur, in quo 1050. medius, Mich. 3. 12. Pſalm. 2527. medius, 78. 36. Prov. 915. medius, cap. 16. 18. Job 1070. medius, cap. 22. 16. Cantic. 117. medius, 4. 14. Ruth 85. medius, c. 2. 21. Threni non habent numerum adſcriptum: eſt autem, 154. medius, cap. 3. 34. Eccleſ. 222. medius, cap. 6. 10. Eſther 166. medius, c. 5. 7. Daniel. 157. medius, c. 5. 30. Eſdras & Nehem. 688. medius, Nehem. 3. 32. Chronic. 1. & 2. 1763. medius, 1 Chron. 27. 25. Summa omnium verſuum Vet. Teſtament. eſt, 23206. Hos verſus numerarunt, ne quis fraude vel negligentia verſum aliquem detruncaret, vel audacter adderet: quem finem an aſſecuti ſint, infra diſquiremus. 2. In verſibus etiam quædam obſervarunt quoad voces & literas, ex quibus conſtant: quorum quædam proponit D. Buxtorf. & alia multa quiſque colligere poteſt. Verbi gratia, unus verſiculus datur, conſtans ex 42 vocibus, & literis 160. ſcil. Jer. 21. 7. Duo ſunt tantum in Lege, quæ incipiunt a litera Samech, ſcil. Ex. 32. 8. Num. 14. 19. Et duo in Lege, quorum ſingulæ voces exeunt in Samech. viz. Gen. 32. 14. Num. 29. 33. Duo, in quibus quater eſt ויאמר. Geneſ. 22. 7. & 1 Reg. 20. 14. Tres ſunt, in quarum ſingulis ſunt 80 literæ, quorum unus notatur in Maſ. mag. Num. 36. 8. Sic 47 verſus ſunt, in quibus ſingulis ter legitur, לא ut Gen. 21. 26. Verſus ſunt 123. in quorum ſingulis bis legitur ולא ut Gen. 13. 6. Hæc, inter alia innumera, proferre placuit, ut per ea de reliquis judicare quiſque poſſit. 3. Circa verſus etiam notarunt, in quibuſdam eſse hiatum, ubi ſenſus eſt Ellipticus vel imperfectus: horum alii numerant 25. alii 28. ubi in libris quibuſdam vacuum ſpacium relinquitur. Primus eſt Gen. 4. 8. ubi Textus Hebræus habet, *Et locutus eſt Cain cum Abele fratre ſuo*: poſt hæc verba relinquitur ſpacium, quod LXX. & Cod. Samarit. ſupplent hoc modo; *Eamus in agrum.* Ad quem locum Maſora ait, eſse 28 verſus deficientes in medio verſus, ſcil. quoad ſenſum, qui imperfectus videtur. At Gen. 35. 21. Maſora notat tantum 25 hujuſmodi loca, quam notam veriorem eſse putat Buxtorf. Loca recenſet in Lege quatuor. Gen. 4. 8. & 35. 22. Num. 25. 19. ſive 16. 1. Deut. 2. 8. Reliqua ſunt Joſ. 4. 1. & 8. 24. Judic. 2. 1. 1 Sam. 14. 13. 20. 37. & 16. 12. & 19. 21. & 23. 2. 11. 2 Sam. 5. 2. 19. & 7. 4. & 24. 11. 1 Reg. 13. 20. Eſa. 8. 3. Ezech. 3. 17. & 44. 15. De quibuſdam tamen dubitat, an huc pertineant. 4. Ad verſus etiam pertinent notæ Maſorethicæ circa correctiones ſcribarum, voces ſcil. 18. quas ſcribas mutaſse aiunt. Loca recenſentur ad initium libri Numer. & Pſal. 106. 20. De his locis egimus Proleg. de Textuum Original. integritate: ubi oſtendimus per ſcribas intelligi Eſdram & viros Synagogæ magnæ, qui loca iſta emendarunt, & veram lectionem reſtituerunt. 5. Huc etiam referri poteſt ablatio ſcribarum in quinque vocibus, de quibus Maſora Gen. 18. 5. Dicunt enim quinque eſſe voces, quibus in vulgaribus codicibus præpoſita erat litera Vau: quæ tamen in textu Authentico non extabat, ſed auferri debuit. Monent enim, iſtis locis ita legi non debere: quod perinde eſt, ac ſi auferri vellent, unde *Ablatio ſcribarum* dicta. Loca ſunt, Gen. 18. 5. ואחר *& poſtea*, pro, אחר, *poſtea.* Gen. 24. 55. ubi vox eadem. Num 12. 14. ubi ואחר in qua monet Maſora, Vau tollendum: at in libris pleriſque impreſſis manet. Pſal. 68. 26. ubi etiam ואחר, pro אחר. Pſal. 36. 7. ומשפטיך pro משפטיך ubi Maſ. magna tantum quatuor iſtiuſmodi locorum meminit, uno per errorem omiſſo: at Maſoram correxit Buxtorfius. Ad verſus etiam pertinet, quod in quatuor libris penultimum verſum repetunt, vel ejus ſaltem initium, viz. ad finem Eſaiæ, Thren. Malach. & Eccleſiaſtis: ut in libris, tam impreſſis, quam MSS. videre licet. Cauſam hanc reddunt, quod verſus ultimi iſtorum librorum deſinunt in minis, vel pœnis. Verſus vero penultimus benedictionem vel bonum aliquod habet: ergo, ne lectores triſtes diſcederent, verſus penultimos repetunt, ut læti diſcedant. Alii aliam cauſam reddunt, a dignitate verſuum penultimorum, qui ſæpe repetendi & ruminandi ſunt.

3. Ut verſus, ſic voces recenſuerunt: circa quas, 1 Annotarunt varias codicum lectiones, aliaque quæ ſub nomine Keri & Ketib comprehenduntur; cum vox ſcil. aliter in textu ſcribitur, aliter in margine legenda notatur: unde puncta, quæ voci marginali propria ſunt, voci textuali adſcribuntur. Horum variæ ſunt ſpecies: non enim omnia ad lectionis varietatem proprie pertinent. De his vero peculiari Diatriba dicendum eſt. 2. Notarunt voces quaſdam plene vel defective ſcriptas. Plenæ dicuntur, cum literæ Vau & Jod quieſcentes, exprimuntur, ubi non ſemper exprimi ſolent; vel cum He paragogicum additur perſonæ ſecundæ Præteriti, & ejus affixo. Defectivæ, cum voces ſcribuntur ſine literis Jod, Vau, Aleph, quieſcentibus, vel He finali, licet communiter cum iis ſcribi ſoleant. Non vero ad omnes ejuſmodi voces plenas vel defectivas annotarunt aliquid Maſorethæ: ſed ad eas maxime, quæ communiter ſcribi ſolent plene, & raro defective; vel communiter defective, & raro plene, ſecundum regulam Eliæ in Præf. 3. Maſ. c. 1. Cum dictiones plenæ plures ſunt, quam deficientes, numerarunt deficientes; e contra, cum deficientes ſunt plures, quam plenæ, numerarunt plenas. V. g. Gen. 2. 7. וייצר *& formavit*, notant ſemel ſcribi plene cum duplici Jod, cum alias communiter cum uno Jod ſcribatur. Jon. 2. 3. יסבבני *circumdedit me*, notat Maſora hoc verbum novies defective, id eſt, ſine Vau in medio reperiri, cum communiter Vau exprimatur. 3. Quædam notarunt circa vocum ſitum vel locum; reſpectu initii, medii, vel finis alicujus verſus, ut Gen. 1. 30. notant ולכל quater verſum incipere: loca vero alibi proferunt, ſcil. ad finem Deuteron. Gen. 1. 1. Maſora notat vocem הארץ quæ verſum ibi terminat, ter in fine verſus inveniri. Gen. 6. 4. Voces אחרי כן quæ ſunt in medio verſus, notantur ter inveniri ſimul in verſiculi medio: frequentiſſime vero hoc notant in particulis indeclinabilibus, ut in אשר, אל, את &c. 4. Significationis ambiguitatem in quibuſdam notarunt. Ut Gen. 19. 8. ad האל notant octies accipi in ſignificatione communi, ſcil. pro pronomine, cum alias ſit unum ex divinis nominibus. Huc etiam referri poſſunt voces, quas quis exiſtimare poſſit aliter legendas eſſe, vel propter ſenſum, vel quia aliter leguntur. Ad has notarunt סבירין *putantur*, ſcil. aliter legi poſſe, ut Ex. 4. 19. לך שב מצרים *ito, redito in Ægyptum.* Notant quinque loca eſſe, quæ putantur eſſe debere מצרימה quia ſcil. motus ad locum alias ſic exprimitur. Præcavent (ut quibuſdam placet) temeritatem audaculorum, ne aliquid immutare præſumant; vel, ut alii conjecturas ſuas proponant de alia lectione.

5. Verborum quorundam ſtructuram notant, cum verbum aliquod cum nomine certo, vel cum præpoſitione certa peculiariter jungitur, vel cum literis ſervilibus extra communem uſum; maxime vero vocum, quæ incipiunt a literis כלב & cum Scheva vel Patach ſequente Daghes punctatæ ſunt: ut verbum ירא cum את האלהים pro, *timere Deum*, ſepties occurrit: loca recenſet Maſora, Gen. 42. 18. Sic Gen. 1. 22. ad בַּיַּמִּים notant, tria eſſe Dagheſſata, ſcil. cum Patach ſub ב ſequente Daghes etc. 6. Multas etiam voces numerarunt Maſorethæ, quoties ſcil. in Bibliis inveniuntur. Ut Jon. 3. 6. notant vocem וַיַּעֲבֹר novies reperiri: loca vero, ubi occurrunt: non ſemper exprimunt. 7. Notarunt etiam voces 15. quæ ſuperne uno vel pluribus punctis notantur: quarum 10. ſunt in Lege, 4. in Prophetis, & una in Hagiographis. Hæc puncta vero non ſunt vocalium notæ, ſed ad myſteria quædam notanda appoſita eſſe volunt; quæ Legis Oralis pars erant: hodie vero per frequentes diſperſiones oblivioni fere tradita. Antiqua eſt horum punctorum mentio in Talmude Tract. Berachoth. c. 1. & libro Zohar: unde quidam ad Eſdram & viros Synagogæ magnæ referunt. Ut vero facile concedam, a poſterioribus Maſorethis non eſſe adſcripta, qui puncta vocalia invenerunt, quia ante Talmudem extiterunt: ſic non facile credam ab Eſdra vel Prophetis appoſita eſſe; ſed poſt eorum tempora caſu (ut alia ejuſmodi) in textum irrepſiſse: vel forte conſulto a quibuſdam Judæis addita, ut inde myſteria quædam de textu depromerent: Poſteriores vero mutare noluiſse, ſed quaſi ab Eſdra vel ſacris Scriptoribus adjecta eſsent, ſuperſtitioſe retinuiſse: quod ipſis ſolenne eſt. Myſteria enim, quæ a Maſorethis eliciuntur, plane ridicula ſunt, & Spiritu Dei indigna, ſuperſtitionem Rabbinicam olentia. Loca vero ſunt Gen. 16. 5. In וּבֵינֶיךָ ſupra Jod poſterius punctum affigitur: vox vero hæc non plene ſcripta eſt in tota Lege, niſi hoc loco cum duplici Jod, ad hoc myſterium ſcil. notandum. Sara his verbis cum Abrahamo expoſtulat, dicens, *Judicabit Deus inter me* וּבֵינֶיךָ *et inter te.* Hoc vero verbum cum duplici Jod, ſignificare poteſt, (*et inter filium tuum*:) unde volunt Saram, licet voce externa Abrahamum alloquens, dixit, *Judicet Deus inter te et me*, tamen tacite in animo, Hagaram, dixiſſe: ſcil. *Judicet Deus inter me* ובינך *& filium tuum*, quem ſcil. Hagar in utero geſſit; ita ut Abrahamum voce, & ancillam animo allocuta ſit: & ob hoc magnum myſterium ſcil. Rabbini nonnulli nugantur, hanc vocem ſuperne punctatam eſſe. Quis vero ferat, ut iſtiuſmodi ineptiæ ſacris Scriptoribus adſcriberentur? 2 locus Gen. 18. 9. אֵלָיו *ad eum*, ubi Aleph, Vau, & Jod punctata ſunt. (3.) Gen. 19. 33. ובקומה *& cum ſurgeret illa*: punctum eſt ſupra Vau. (4.) Gen. 33. 4. וישקהו *& oſculatus eſt eum*, ubi 4. literæ punctatæ. (5.) Gen. 37. 12. את (6.) Numer. 3. 39. ואהרן *& Aharon*: ubi omnes literæ punctatæ. (7.) Num. 9. 10. רחקה *longinqua*, ubi He punctatum. (8.) Num. 21. 30. אשר, quod duobus punctis notatur. (9.) Num. 29. 15. ועשרון *& decimam.* Maſora notat hanc vocem eſſe punctandam; ſed in Bibliis omittitur, forte errore Typographorum. (10.) Deut. 29. 29. לנו ולבנינו, *nobis & liberis noſtris*: ubi plures punctantur. (11.) 2. Sam. 19. 20: יצא *Egreſſus eſt*, ubi omnes literæ punctantur. (12.) Eſa. 44. 9. המה *ipſa*, ubi He punctatum. (13.) Ezech. 41. 20. ההיכל *templi*, ubi 4. puncta. (14.) Ezech. 46. 22. מהקצעות *angulata*, ubi plura puncta. (15.) In Hagiographis una iſtiuſmodi vox eſt. Pſal. 27. 13. לולא *niſi*, ubi Maſora notat, hanc vocem punctatam eſſe ſupra & infra. Rationem agnoſcit Buxtorf. inſipidam reddi in Talmude, loc. cit. quam idcirco negligit.

4. Ut verſus & voces; ſic etiam literas, tam conſonantes, quam vocales, recenſuerunt Maſorethæ. 1. Circa conſonantes, quas vulgo vocant literas 22 Alphabeti, notarunt quædam ſpectantia, tam quantitatem, quam ſitum, & numerum. Reſpectu quantitatis, quaſdam notarunt in Textu, reliquis majores, quaſdam minores, quaſdam quaſi ſuſpenſas ſupra reliquas in eadem linea, quaſdam inverſas, quaſdam medias in quolibet libro. Reſpectu numeri, ad calculum revocarunt, quot literæ occurrant in ſingulis libris, quot ex quinque finalibus, quot in omnibus libris Vet. Teſtamenti. Licet vero labor hic immenſus ex magna parte inutilis ac ſuperfluus videatur, parumque conducat ad textus Hebraici integritatem conſervandam (de quo poſtea:) libet tamen ſingula lectori proponere, ejuſque judicio ſubjicere.

5. Literæ majuſculæ conſtituunt in Lege Alphabetum, quibuſdam tamen literis geminatis, & una triplicata. Catalogum recenſet Maſora initio Geneſis, & initio libri Chron. ſed cum diſcrimine circa Vau, Teth, Lamed, Nun, Samech, & Pe finale, ut ſuis locis videbimus. Harum mentio eſt in Talmude, tract. סופרים ſive de ſcribis, unde & Maſorethis Tiberienſibus antiquiores ſunt. Tempus vero, quo in textū introductæ ſunt, exacte notare non poſſumus. Quod vero quidam, qui Maſoram ad Eſdram & Synagogam magnam referunt, ſtatuunt myſteria quædam in his literis, ut & reliquis, olim fuiſſe Hebræis nota; hodie vero oblivioni tradita, probare non poſſum. Quicquid enim antiquiores de iis judicabant; certe myſteria, quæ a poſterioribus Maſorethis & Rabinis traduntur, mera ſomnia ſunt, & gerris Siculis vaniora: ut cum litera ג majori forma ſcribitur, Levit. 13. 33. in והתגלח volunt memoriale eſſe trium, qui radi tenebantur. ſcil. Nazaræorum, pollutorum, & Levitarum, qui 13 annum exceſſerant. ב in voce בראשית Gen. 1. 1. ad denotandum duplex opus Creationis, ſcil. cœli & terræ. א in voce *Adam* אדם 1. Chron. 1. 1. ad denotandum primum hominem, unde humani generis origo. ד Deut. 6. 4. in אחד *unus*, ad denotandum Deum unicum eſſe in 4. mundi partibus &c. Quis vero non videt hæc eſſe mera hominum commenta; a ſacris ſcriptoribus nequaquam intenta vel cogitata? Literæ vero iſtæ non in omnibus Bibliis exprimuntur. Munſterus ex ſuis eliminavit: in aliis editionibus quædam notantur, quædam omittuntur. Cum tamen in pleriſque editionibus majoribus retineantur, etiam in noſtra exprimi curavimus: & ne qua operarum negligentia omittantur, earum Catalogum hic ſubjicimus. De his, ut & de minuſculis, inverſis, ſuſpenſis, finalibus, in dictionis medio, & e contra, eorum ſententiæ accedimus, qui ſtatuunt errore librariorum, vel caſu fortuito, in textum primo irrepſiſſe: ſcribas vero poſteriores, qui cum codices alios exſcriberent, talium literarum quantitatem & ſitum obſervantes ex libris vetuſtioribus, certo conſilio a majoribus ita ſcripta fuiſſe ſibi perſuaſerunt; & ex innata gentis ſuperſtitione myſteria neſcio qualia ex eis elicuere: (quæ a poſteris, qui a majorum placitis vel latum unguem diſcedere nefas arbitrantur, potius aucta, quam imminuta ſunt, & ambabus manibus accepta ac firmiter retenta:)

vel Judæos quoſdam antiquiores, qui ex textu per Cabalam alios ſenſus, myſticos ſcil. præter literalem hauſere, has literas iſto modo ſcripſiſſe: quas poſteriores ab Eſdra profectas eſſe, ſtulte ſibi perſuaſerunt. Catalogus literarum majuſcularum & minuſcularum ſequitur.

א in *Adam* אדם 1. Chron. 1. 1.
ב in בראשית *In principio*. Geneſ. 1. 1.
ג in והתגלח *& raditur*. Lev. 13. 33.
ד in אחד *unus*. Deut. 6. 4.
ה in הליהוה *an Domino*. Deut. 32. 6.
ו geminum, in גחון *venter*. Levit. 11. 42. ubi mediam hanc literam eſſe volunt Pentateuchi, & in ויזתא Eſth. 9. 9.
ז in זכרו *recordamini*. Mal. 3. 22.
ח in חור *candidum*. Eſth. 1. 6.
ט geminum, in שבטו *virga ejus*. Job. 9. 34. & in טוב *bonus*. Eccleſ. 7. 1.
י in יגדל *magnificetur*. Numer. 14. 17.
כ in וכנה *& ſurculus*. Pſal. 80. 16.
ל bis occurrit, in וישלכם *& disjecit eos*. Deut. 29. 26. & in והלטאה *& lacerta*. Levit. 11. 30.
מ bis occurrit, in משלי *proverbia*. Pro. 1. 1. & in שלשים *Abnepotes*. Gen. 50. 23.
נ ter occurrit, in נצר *ſervans*. Ex. 34. in ליני *pernocta*. Ruth. 3. 13. ubi 7. Orientales non Nun, ſed Lamed pro majuſcula ponunt, & in משפטן *cauſam earum*. Num. 27. 5.
ס geminum, in סוף *ſumma*. Eccleſ. 12. 13. & in ויהס *& ſilere fecit*. Num. 13. 30.
ע in שמע *audi*. Deut. 6. 4.
פ geminum, in בשפרפרא *ſumma aurora*. Dan. 6. 20. & in ובהעטיף *& in ſerotinando*. Gen. 30. 42.
צ in צפו *ſpeculatores ejus*. Eſ. 56. 10.
ק in קי *nidus*. Pſal. 84. 4.
ר in אחר *alius*. Ex. 34. 14.
ש in שיר *Canticum*. Cant. 1. 1.
ת etiam geminum, in תמים *integer*. Deut. 18. 13. & in ותכתוב *& ſcripſit*. Eſth. 9. 20.

Literas etiam minuſculas annotarunt, reliquis minores, ad numerum 33. per ſingulas literas Alphabeti. Quædum tamen ſunt triplices, una quadruplex: de quibus idem dicendum, quod de majuſculis, in quibuſdam libris non exprimi; in aliis plures vel pauciores, ut videre eſt apud Buxt. in Tiberiade, qui quaſdam ab Elia in Maſora omiſſas ſupplevit. Significant vero in genere ex mente Rabbinorum, rei de qua agitur, *diminutionem* vel *contemptum*: & ex eodem fonte profluxerunt, quo majuſculæ. Earum etiam mentio fit in Talmud tract. de ſcribis: recenſentur initio Levitici, & initio Maſoræ magnæ.

א minuſculum, eſt in ויקרא *& clamavit*. Lev. 1. 1. Myſteria Rabbinica hujus & reliquorum, vid. apud Buxtorf.
ב in הב, *da*. Prov. 30. 15.
ג in וגיש *& gleba*. Job. 7. 5. denotat minutas pulveris partes, in quas corpus poſt mortem redigitur.
ד in אדם *Homo*. Prov. 28. 17.
ה in כהבראם *quando creata ſunt illa*. Gen. 2. 4.
ו eſt geminum, in שלום *pax*. Num. 25. 12. dein in לשוא *in vanum*. Pſal. 24. 4.
ז in ויזתא Eſth. 9. 9.
ח in חף *nitidus*. Job. 33. 9.
ט duplex, in טבעו *demerſa ſunt* Thren. 2. 4. & in וטהרתם *& mundi eritis*. Num. 31. 24.
י in תשי *oblitus es*. Deut. 32. 18.
כ in ולבכתה *& ad deflendum eam*. Geneſ. 23. 2.
ל in לוא *non*. Thren. 1. 12.
מ triplex, in מוקדה *adustio*, Levit. 6. 9. In ממרים primum מ, *rebelles*. Deut. 31. 27. & in וטהרתים *& mundavi eos*. Neh. 13. 30.
נ quater invenitur, in נעו *vagantur*. Thren. 4. 14. In Eſa. 44. 14. ארן *ornus*. Jer. 39. 13. In ונבושזבן *& Nebuſchazban*. & Pro. 16. 28. In נרגן *ſuſurro*. In tribus ultimis Nun finales ſunt minuſculæ.
ס duplex. Nah. 1. 3. in בסופה *in tempeſtate*, & Pſalm. 27. 5. in בסכה *In tabernaculo ſuo*.
ע in לעות *ad pervertendum*. Thr. 3. 36.
פ prius in בשפרפרא *in ſumma aurora*. Dan. 6.20.
צ duplex. Jer. 14. 3. וצוחת *& clamor*. & Job. 16. 14. פרץ *ruptura*.
ק bis occurrit. Gen. 27. 47. in קצתי *tædet me*, & Ex. 32. 25. בקמיהם *inter adverſarios eorum*.
ר bis etiam occurrit. Ex. 23. 19. & 34. 26. ראשית בכורי *principium primitiarum*: ſed Maſora parva non exprimit, ad quem locum referri debeat, & Maſora finalis aliud ſubſtituit. In Eſth. 9. 9. in פרמשתא
ש in Eſth. 9. 7. In פרשנדתא
ת In Eſth. 9. 9. in פרמשתא

6. Tertio notarunt literas quaſdam ſuſpenſas, & unam, ſcil. נ in verſam. Suſpenſæ notantur in Maſora ad Judic. 18. 30. & Pſal. 80. 14. Nun ſuſpenſum eſt Judic. 18. 30. in מנשה *Menaſſes*. Ain in 3 locis Pſal. 80. 14. מיער *ex ſylva*. Job. 38. 13. in רשעים *improbi*, & v. 15. מרשעים *ab improbis*. Nun vero inverſum eſſe in novem locis, notat Maſora. Num. 10. 35. & Pſal. 107. 23. Loca ſunt, Num. 10. 35. בנסע *in proficiſcendo*: ubi Nun inverſum eſt, ut innuatur, ſic retrorſum agendos eſſe omnes hoſtes Iſraelis. Quis hic non miretur acumen Rabbinicum? Imo quis non indignetur talia ad ſacros ſcriptores referri? Num. 11. 1. כמתאננים *quæritantes*. Reliqua ſunt in Pſal. 107. ubi tamen, Nun inverſum non cernitur in textu, ſed figura Nun inverſi ponitur in marg. in Bibl. Venetis. Primum eſt v. 23. באניות *in Navibus*. 2. v. 24. ונפלאותיו *& mirabilia ejus*. 3. v. 24. in quo nullum eſt Nun: unde Maſora hoc loco mendoſa eſt. 4. v. 26. נפשם *anima ipſorum*. 5. וינועו *& vagantur*. v. 27. 6. & v. 28. in quo tamen nullum Nun invenitur. 7. verſ. 40. נדיבים *principes*. His quidam addunt Nun in חרן Gen. 11. ult. de quo nihil apud Buxtorf. Tamen Rabbi. Salom. in explicatione legis. & R. Bechai notant, Nun inverſum ſcribi debere, & Maſora notat ad marginem נון הפוכה *Nun inverſum*: in nullis tamen libris MSS. vel impreſſis, inverſionis iſtius extat veſtigium.

7. Quarto notarunt literas Mem & Nun, in quibuſdam locis irregulariter ſcribi, ſcil. Mem clauſum in medio dictionis, Eſ. 9. v. 7. למרבה & Mem apertum in fine Neh. 2. 13. הם. Nun etiam medium ſcribitur in fine vocis. Job. 38. 1. מנ *ex*. & in quibuſdam libris Keri marginale monet legendum cum Nun finali מן. De his quædam diximus Proleg. de antiquis literis Hebraicis: quo lectorem, qui plura deſiderat, remittimus. Notarunt etiam literam mediam cujuſque libri, & libri cujuſque literas omnes, ut ex reliquiis quibuſdam iſtiuſmodi Maſoræ adhuc ſervatis colligitur. Nam Levit. 11. 42. ad Vau in voce גחון notat Maſora, literam Vau eſſe literam mediam legis: quod etiam notatur in Talm. lib. Kidduſchin. cap. 1. Sic Pſal. 80. 14. In מיער *ex ſylva*, litera Ain notatur eſſe media libri Pſalmorum, ut & legitur in Talm. eodem loco. Literas etiam ſingulorum librorum numerarunt. In fine Geneſ. poſt verſiculorum numerum addunt numerum literarum iſtius libri eſſe, 4395. quod tamen, monente D. Buxt. intelligendum eſt de ultima ſectione iſtius libri, non de toto libro. Elias Lev. Præf. 3. dicit, literas totius Legis eſſe, 600045. & literas primæ ſectionis eſſe, 1915. quem calculum tamen falſum eſſe, monet idem Buxtorf. qui putat eſſe ultra 5000. Ita fecerunt in reliquis libris, licet in Maſora hodierna illorum calculi non extent: nam haud dimidia eſt pars Maſoræ, quam in Bibliis impreſſis habemus.

8. Numerarunt etiam, quoties literæ 5. finales, quas vocant, in toto Vet. Teſt. occurrunt. Notarunt Caph finale inveniri vicibus 10981, Mem finale 24973, Nun 8719, Pe 1975, Tzade 4872. Summa totalis eſt 51520. Eaſdem literas intermedias etiam ad calculum revocarunt. Caph 37272. Mem 52805, Nun 32977, Pe 20750, Tſade 16950 vicibus reperiri. In toto 160754. Numerarunt etiam quoties ſingulæ Alphabeti literæ per totum V. Teſt. reperiuntur. Quod ex carmine de hoc compoſito per Saadiam Gaon, qui Babylone floruit poſt annum Chriſti 900. & Vet. Teſt. ex Hebræo in Arabicum tranſtulit, conſtat: quod ex Elia proponit Buxt. c. 18. Comment. Maſor. Singularum vero literarum ſummam, Tabula ſequens declarat.

א	42377.	ו	76922.	כ	48253.	ע	20175.	ש	32148.
ב	38218.	ז	22867.	ל	41517.	פ	22725.	ת	59343.
ג	29537.	ח	23447.	מ	77778.	צ	21882.		
ד	32530.	ט	11052.	נ	41696.	ק	22972.		Summa totalis
ה	47554.	י	66420.	ס	13580.	ר	22147.		815280.

Hos vero literarum numeros collegit Saadias ex Maſoræ ſchedis, quæ tunc extabant, nobis vero ignotæ ſunt: & fortaſſe fidelius & multo certius in Maſora, quam in Saadiæ rythmis exprimebantur. Unicuique vero literæ verſum Biblicum ſubjungit, qui eundem numerum, quem literis prius expreſſerat, vocibus integris deſignaret. An vero hic numerus bene ſubductus ſit, a multis (idque non ſine cauſa,) dubitatur. Schick. in Bechinhap. p. 47. ſupputationem quandam conjecturalem inſtituit, per paginam unam vel alteram: unde numerum multo majorem eſſe conjicit. Certe ſi vera ſit Eliæ ſupputatio, qui ultra 60000. in ſolo Pentateucho colligit, numerus multo major exurget per omnes libros Vet. Teſtamenti. Suſpicatur itaque Schickardus, literas tantum quæ in Prophetis et Hagiographis continentur, ſub hoc calculo comprehendi: cui ſi addantur literæ in Pentateucho, ſcil. 600045. exurget numerus, 1415325. Alii hanc viam tentarunt. Primo literas unius paginæ numerarunt, quas per paginarum numerum per tota Biblia multiplicant: unde numerum, 1200000. literarum in toto Vet. Teſt. collegerunt. Quiſnam vero ſit numerus certus & exactus, nemo adhuc (quod ſciam) demonſtravit: nec videtur, moraliter loquendo, poſſibile eſſe calculum exactum conficere, cum vix poſſibile ſit librum aliquem ita exacte correctum invenire, in quo literarum quarundam mendæ non reperiantur: literæ etiam multæ ita ſibi ſimiles ſunt, ut facile poſſit calculator unam pro alia legere, ſi nullus eſſet error in ipſo codice: unde calculus neceſſario falſus conficitur. Nec video, quomodo ad textus ſacri integritatem conſervandam labor hic inutilis inſervit, ut poſtea oſtendemus.

9. Judæos imitati ſunt Arabes, aliique Muhammedani in Alcorano ſuo; idque non tantum in punctatione, & variarum lectionum collectione, ſed etiam in verſuum, dictionum, & literarum calculo conficiendo: quem teſtatur Cl. Hottingerus Theſ. Philol. lib. 1. cap. 3. ſect. 4. in MS. quodam Arabico ſe inveniſſe, in quo numerantur verſus in Alcorano. In exemplari Medinenſi priori, 6000. In Medinenſi altero, 6216. In Meccenſi, 9219. In Cufenſi, 6236. In Bozorenſi, 6216. In Syriaco vel Schanienſi, 6226. Literarum numerus, 323015. Nec defuerunt inter Chriſtianos, qui non tantum στίχους numerarunt in Nov. Teſt. ad finem cujuſque libri, quorum diſtinctio utiliſſima fuit; ſed & verſus & literas librorum quorundam Vet. Teſtamenti, ut in MSS. Syriacis quibuſdam invenimus, de quibus alibi.

10. Circa vocales, earumque punctationem, & accentuum notas, magnam eamque utiliſſimam operam navarunt Maſorethæ. Idque primo in punctorum inventione: quibus textum non pro arbitrio, ſed ſecundum veram & receptam lectionem a ſacris ſcriptoribus ad ipſorum tempora conſervatam punctarunt: unde facilior lectio, & textus ambiguitati ac corruptioni minus obnoxius redditur: hoc enim ipſorum inventum fuiſſe, ſupra, ni fallor, ſatis clare probatum. Etſi vero punctorum vocalium & accentuum notas plurimas ſine neceſſitate multiplicarunt, & minori compendio idem efficere poterant: tamen, quin utiliſſimum hoc eorum inventum fuerit, nemo iverit inficias: unde & in aliis linguis Orientalibus idem imitati ſunt Arabes, Syri, Perſæ, &c. Poſt punctorum appoſitionem, multa annotarunt poſteriores Maſorethæ, circa vocalium lectionem rectam, & irregularem multorum punctationem; ne quis eas, mendoſas eſſe ſuſpicans, mutare tentaret: ut cum vox irregulariter, ſine cauſa legitima, contra formam communem, & ſimilium vocum analogiam, punctata eſt: cujus extant exempla plurima. Inſolens etiam & inconſtans ratio in punctis Daghes & Mappic, contra analogiam Grammaticam notatur. Annotarunt etiam vocum quarundam ſtructuram, quæ cum aliis, vel cum literis ſervilibus contra regulas communes conſtruuntur. Multas etiam voces hoc vel illo modo punctatas numerarunt, quoties ſcil. in Scriptura inveniantur: & loca ſæpe indicant. Monet vero D. Buxtorf. Tiber. lib. 1. cap. 13. In Maſora magna, vocales tantum nominari Camets & Tſere; ſub Camets vero Patach, ſub Tſere Sægol comprehendi: poſteriores vero Rabbinos, qui Maſoram parvam ex magna collegerunt, diſtinctionis cauſa eas vocaſſe Camets par-

vum & Patach parvum. Maſora vero parva, interdum Vocalium iſtarum & aliarum nomina exprimit, interdum nudam figuram ponit: quod fit in iis tantum vocibus, ubi periculum aliquod eſſe videretur erroris in lectione, vel quod alibi ſic non occurrant, vel ut diſtinguerentur ab aliis locis, ubi aliæ vocales legebantur. Exempla ubique obvia in Bibliis Venetis & Baſileenſibus, ut Gen. 3. 22. ad vocem כְּאַחַד notat utraque Maſora, duodecim eſſe cum Patach, ne ſcil. hæc ab incauto confunderentur cum כְּאֶחָד quorum ſunt 7. quæ notantur in Maſora ad Eſa. 65. ad finem. Ad finem Gen. 2. 22. ad הַצֵּלָע notat Maſora parva, formam ejus juſtam eſſe Camets parvum & Patach magnum, id eſt, Tſere & Patach. Abſque hac nota facilis eſſet lapſus, ut ſcriberetur Segol ab initio, ut alibi ſæpe ſcribitur juxta formam יֶשַׁע & ſimilium, quibus tertia gutturalis eſt ח vel ע. De accentibus etiam quædam obſervarunt; at non adeo frequenter, ac in vocalibus: cum non tam ſignificationi, quam pronunciationi inſerviant. Nam etſi ſenſum per membra ſententiæ accentus indicant: tamen (obſervante eodem) de hoc nihil monent. At cum vocales per accentus diſtinguentes mutantur, vel non mutantur; id obſervant aliquando, cum a communi uſu ratio aliqua peculiaris inerat diverſa: ut Geneſ. 3. 11. ad לְךָ Maſora utraque notat eſse quatuordecim cum accentu Sakeph in Lege: ubi legendum לְךָ non לָךְ ut uſus in pauſis aliter poſtulat. Tandem, cum vox aliqua cum accentu contra uſum communem notatur; monent, talem accentum illo loco eſse debere, etſi vox ſæpius alibi alio accentu notetur: ut Jon. 1. 3. ad vocem בָּאָה cum accentu in ultima ſyllaba, Maſora parva notat, hoc verbum occurrere undecies in Bibliis cum accentu Milra. i.e. in ultima ſyllaba. Sic cum vox aliqua contra naturam accentus eſt punctata, hoc caſu tum accentum, tum vocalem notant, ne quis mendam ſcribæ eſſe putaret, ut בֵּן cum accentu ſemper habet Tſere: at cum accentu privatur, & ſequenti voci per Maccaph conjungitur, habere debet Sægol. At contra hanc regulam, obſervant ad Gen. 17. 17. ſepties extare hanc vocem, cum Patach parvo, id eſt Sægol; & e contra quater cum Tzere & Maccaph, contra uſum communem. Infinita hujuſmodi occurrunt: quædam etiam, quarum cauſa nos latet, auctoribus fortaſſe perſpecta, quorum rationem reddere non poſſumus.

11. Hæc paulo fuſius de materia Maſoræ. Formam quod attinet, alia fuit olim, quam quæ hodie in Bibliis impreſſis conſpicitur, ut ex Elia obſervarunt D. Buxtorf. Schickard. Joh. D' Eſpeires, & alii. Non enim textui Hebræo in margine adſcripta erat; ſed in chartis ſive ſchedis ſeparatis obſervationes ſuas annotarunt, quas publice in ſcholis diſcipulis ſuis explicabant. In tantam etiam molem excreſcebant, ut textum Biblicum ſuperarent, teſte eodem Elia: unde in marginibus Bibliorum commode deſcribi non poterant. Deinde non ſimul & ſemel, nec ab uno auctore notæ iſtæ collectæ ſunt; ſed a diverſis auctoribus, variiſque temporibus; imo per plura ſecula compilatæ, noviſque obſervationibus indies auctæ: cum poſteriores prioribus ſemper aliqua nova addiderint; adeo ut inſtar Crocodili, (quem, quamdiu vivit, creſcere & augeri ſcribunt,) nova incrementa quotidie faceret Maſora, nec in hunc diem (teſte eodem Buxtorf.) finem perfectum aſſecuta ſit. Hanc vero fuiſſe antiquam Maſoræ formam, teſtantur antiquiſſ. exemplaria MSS. quæ hodie apud Judæos ſunt in Pergameno per libros ſeparatos conſcripta: ex quibus R. Jacob Ben Chajim ſuam, quæ in Bibliis Venetis primo, poſtea & in Baſileenſibus imprimitur, extraxit: nec enim omnia publicavit, ſed ex pluribus ſchedis, quæ ſibi potiora viſa ſunt, extraxit: quæ cum Bibliis Venetis prodierunt, rejectis vel omiſſis reliquis, quæ major pars erant. Talibus etiam uſus eſt Elias. Tale etiam habuit Capnio ex dono Maximiliani I Rom. Imperatoris, quod conſcriptum erat ante aliquot ſecula pro Aben Ezra, minutiſſimis literis exaratum; nec per lineas, ſed per varias animalium formas quaſi depictum, quod Schickard. præf. ad Bechin. Happ. teſtatur ſe vidiſſe, & jam eſſe apud Marchionem Badenſem. Alterius etiam meminit D. Buxtorf. in Bibliotheca Palatina aſſervati. Cum vero variæ Maſoræ exemplaria MSS. in publicum prodirent, & apud populum innoteſcerent, cœperunt Maſorethæ vana ſcientia tumidi, & ut popularem auram captarent, (referente D. Buxtorf.) & pecunias corrogarent, notas ſuas ad ſingulas paginas Bibliorum adſcribere; quaſdam ad partem paginæ ſuperiorem, quaſdam ad inferiorem, quaſdam ad latera deſcribendo; ut in Bibliis quibuſdam MSS. antiquis videre licet: unde magna confuſio & multiplices errores orti, de quibus conqueritur Elias Levita. Habeo tale exemplar Bibliorum MS. ante annos 300 exaratum, cum variis notis Maſorethicis, quæ tam minutis characteribus deſcriptæ ſunt, ut oculorum aciem effugiant. Sic vero per partes ad textum adſcriptæ erant, confuſe, & mendoſe, donec typis primus edidit cum Textu Hebræo, Bombergus Typographus celebris Venet. uſus in hoc opera Judæi illius Tunetani, R. Jacob Ben Chajim, quem magna ſumma conduxit: qui collectis undique & collatis notis Maſorethicis, ſive per libros ſeparatim, ſive cum textu conjunctim ſcriptis, & poſt plurima errata correcta, in hodiernam formam reduxit, quam in Bibliis Venetis videmus; multis quidem erroribus conſperſam: quos tamen magna ex parte correxit Buxtorf. in Bibliis ſuis. Eſt autem hæc Maſora, vel potius Maſoræ pars reliqua (nam ex majori parte, ut dixi, periit) duplex, Textualis & Finalis. Textualem in magnam & parvam dividunt. Parva ex magna contracta eſt: & ad latus interius, vel ſi materia poſtulat, ad exterius, literis numeralibus, vocibus decurtatis & ſymbolicis, breviter deſcribitur. Loca Scripturæ hic non deſignantur, niſi vox bis tantum occurrat: tunc enim locus alter, una alteraque voce ad 'ב adjecta recenſetur. Numerus major aliquando per verba ſymbolica, idque lingua Chaldaica, exprimitur. Nota Maſorethica refertur ad vocem in textu, quæ circello notatur: ſi vero plures ſint, notæ ipſis ordine reſpondent. Si vero ad medium duarum vel plurium dictionum circellus ponatur, nota Maſorethica ad omnes conjunctim refertur. Hæc & alia ejuſmodi ad Maſoræ uſum ſpectantia apud D. Buxtorf. habentur, Clave Maſor. c. 1. Maſora magna Textualis eſt, quæ cuique paginæ ſupra & infra textum, & aliquando ad latus, cum Comment. Rabb. totum ſpacium non explent, adſcribitur. Hic voces præcipue recenſentur, & loca Scripturæ enumerantur, quæ in parva omittuntur. Primo enim ponunt vocem textus, deinde numerum quoties reperitur: & tandem loca Biblica notantur, quæ aliquando per &c. omittuntur, & ad alium locum referuntur. Puncta duo notam Maſorethicam finiunt, & duo apices indicant verba Ben Chajim, qui Maſoram ordinavit. Huc ſpectant & Maſoræ præliminares, quæ in librorum quorundam veſtibulo circa vocem primam majuſculam ponuntur: quarum notæ non ſemper ad textum iſtum ſpectant, ſed generalia quædam plerunque continent, occaſione ex textu capta. Maſora magna Finalis in fine Bibliorum diſponitur ordine Alphabetico, & inter alia habet plurima, quæ in Textuali Maſora ob ſpacii anguſtiam adſcribi non poterant. Voces proponit ſecundum duas priores literas radicales, unde vox incipit: primo autem generalia quædam præmittuntur, quæ ad talem literam, ejuſque communes affectiones ſpectant: tum ad voces ipſas ſecundum formam radicis progrediuntur: ſæpe tamen peccant, cum voces non ſecundum formam radicis, ſed ſecundum formam derivativam in aliena litera proponunt; unde confuſio magna, obſervante Buxtorf. Nec proponunt librum & caput in vocibus recenſendis, (hæc enim ex Concordantiis petenda;) ſed verba quædam ex verſu, ubi iſta habentur, repetuntur. Loca vero Biblica vel ſtatim adducunt, vel ad Textualem Maſoram relegant. Videatur D. Buxt.

12. De authoribus Maſoræ non una eſt omnium ſententia. Quidam ad Moſem & traditionem e monte Sinai, ut omnia ſua ſomnia & deliria, referunt: quod plane ineptum, cum vix quarta veteris Teſt. pars per Moſem tradita, vel ejus tempore conſcripta ſit: Maſora vero continet obſervationes per omnes libros Vet. Teſtamenti. Judæorum plerique Eſdram & viros Synagogæ magnæ, inter quos Prophetarum ultimi numerantur, auctores Maſoræ faciunt. Alii denique ad Maſorethas Tiberienſes circa annum Chriſti 500 notas referunt Maſorethicas: non negant tamen, quin variis ſeculis a variis auctæ & continuatæ fuerint. Quod mihi videtur vero conſentaneum, paucis expediam. 1. Certum eſt, notas has Maſorethicas, nec ſimul, nec ab uno auctore, collectas fuiſſe; ſed per varia ſecula a diverſis auctoribus compilatas. Hoc tandem omnes concedunt, Buxtorf. Joh. D' Eſpeires, &c. Unde Elias præf. 2. in Maſor. Hammaſor, ait, *notas illas ejuſmodi eſſe, ut ſemper iis aliquid novi adjici poſſit, & novæ indies excogitari poſſint.* Hoc etiam res ipſa clamat, cum notæ circa voces irregulariter punctatas, & de earum numero, neceſſario ſupponunt punctationem multo ante factam; & Maſoretharum diſtinctio in priores & poſteriores plane arguit, diverſis temporibus eos ſcripſiſſe. 2. Conſtat etiam, quaſdam notarum Maſorethicarum partes, collectas fuiſſe ante confectum Talmud: ideo tota Maſora non eſt a Tiberienſibus. Hoc patet ex vocibus ſuperne punctatis, & ex literis majuſculis, minuſculis, ſuſpenſis, inverſis: quarum expreſſa fit in Talmude mentio, prout ſupra notavimus. 3. Eſdram, vel ſacros ſcriptores, & magnæ Synagogæ viros, fuiſſe auctores Maſoræ, vel alicujus partis Maſoræ, nulla ſolida ratione hactenus probatur: imo multa potius ſuadent contrarium. Nam punctorum vocalium & accentuum inventio, & ad textum appoſitio poſt Talmud facta eſt, ut ſupra evicimus: at maxima pars Maſoræ eſt circa voces punctatas, & punctatione, ut fundamento nititur. Notæ vero circa literas majuſculas, minuſculas, ſuſpenſas, inverſas, Mem & Nun medias & finales, &c. plane ſuperſtitionem olent Rabbinicam; & ſacris ſcriptoribus, viriſque θεοπνεύστοις indignæ ſunt, circa quas futilitatem ſuam vel pueris ridendam præbent Rabbini, dum earum rationes reddere conantur. Varias vero lectiones, quæ ſub Keri & Ketib nomine veniunt, nemo ſacris ſcriptoribus adſcribet, qui perpendet, quod in Eſdræ, Danielis, Zach. & Malachiæ prophetiis iſtiuſmodi notæ inveniuntur: nemo enim mente ſanus affirmaverit, ipſos veram in propriis ſcriptis lectionem ignoraſſe; vel quas in diverſis codicibus invenerant, ſub ק in margine annotaſſe. Numerum vero vocum & literarum in ſingulis libris colligere; item medias literas &c. cujuſque libri annotare; res eſt plane inutilis, nec quicquam ad integritatem textus conſervandam faciens: ut antea oſtendimus, & ſtatim clarius demonſtrabimus: ita ut viris iſtis divinis talia aſcribere, non aliud eſt, quam magna injuria eos afficere. Cum itaque quicquid in Maſora aliquid habet utilitatis, longe poſt Eſdræ tempora inventum ſit; reliqua vero, quæ plane inutilia vel ſuperſtitioſa ſunt, nefas ſit Prophetis aſcribere; ſequitur nullam Maſoræ partem ab iis compoſitam eſſe. Certe ſi tales habuiſſet auctores, divinæ eſſet auctoritatis, ut reliqua Scriptura, quam viri iſti Sp. Sancto afflati ſcripto conſignarunt: cum tamen omnes, quod ſciam, fateantur, humanæ tantum auctoritatis eſſe. Nec ita negligenter eam tractaſſent Rabbini, ut in varias chartas ac ſchedas quiſque pro libitu eam conjiceret, & dimidiam ad minimum partem perire ſinerent. Imo quiſque pro arbitrio eam corrigit, & a Maſoretharum traditionibus non raro diſcedit, teſte Elia, Tab. 1. orat. 3. R. Jacob Ben Chajim Præf. in Biblia Venet. & ex Chriſtianis multi viri Hebraice doctiſſimi, Maſoræ ſæpe contradicunt, eamque corrigunt, Scal. de Emend. lib. 5. Gomarus de Relig. diſp. 6. præter Capellum, & alios. Denique non auſi fuiſſent notas ſuas, poſteriores Maſorethæ iis, quas viri divinitus inſpirati collegerunt, adjungere, & cum iis miſcere, quaſi pari gradu incederent. Hæc, & alia, quæ adferri poſsent, hoc plane certum reddunt, Maſoram poſt Eſdram incœpiſſe. Judæorum vero auctoritas parum valet, ut ſupra oſtendimus, in propria cauſa: cum ex ipſorum hiſtoriis fabulis refertis poſt diſperſionem, nil certi haberi poſſit; nec iis tuto fidendum ſit, niſi aliunde confirmetur: præſertim cum rationes firmæ in contrarium adducuntur. 4. Probabile tamen eſt, licet non ſtatim poſt Eſdram, tamen circa tempora Macchabæorum, cum Phariſæorum ſecta exorta eſt, qui traditionum magiſtri erant, quoſdam incœpiſſe obſervationes facere. Tunc enim incœperunt eſſe valde ſtudioſi circa Legis corticem, verum ejus ſenſum & obſervationem parum curantes: quod ſtudium eorum, poſteri multo auxerunt, dum quiſque Criticen ſuam exerceret, & novas obſervationes cumulo adjiceret. Probabile autem eſt, primo verſus numeraſſe; poſtea verba & literas; tandem, poſt appoſita puncta vocalia, & accentus, ex iis obſervationes confeciſse. Summa huc reddit, Maſoram non eſſe ex ulla parte ab Eſdra & Prophetis, ſed humanæ tantum authoritatis: ante Talmud quædam obſervata fuiſse, poſt Talmud multa plura a Tiberienſibus aliiſque adjecta: præciſe vero tempus, cum primo incœperit, vel quando deſierit, aſsignari non poſset.

13. Ad uſum Maſoræ tandem devenimus: quam quidam ita admiran-

tur, ut dicant impoſſibile eſse poſt Maſoram, ullum errorem, depravationem, vel mutationem in textum irrepere poſse. Alii e contra opus vanum, inutile, nulli uſui inſerviens, otioſorum hominum inventum eſse, affirmant. Qui vilipendunt, ſunt tum inter Judæos, tum Chriſtianos. Auctor libri Coſri ſerm. 3. c. 31. ad proſelytum ſuum hæc verba habet; *Vides eorum opus (*Maſoretharum*) vanum fuiſſe & ſupervacaneum, & occupationem diligentem in re inutili.* Coſri Commentator in hunc locum, eandem fuiſse ſententiam plurium Rabbinorum affirmat. *Multi* (inquit) *ſapientes, quos vidi & audivi, traducunt, deſpiciunt, & vituperant hoc ſtudium* (Maſorethicum.) *Sapiens quoque R. Aben Ezra comparat eos numeranti folia & paginas librorum medicorum, quibus omnibus non ſanatur ullum vulnus.* Inter Chriſtianos multi ſunt viri docti, qui hanc operam nihili faciunt. Vir doctus in Critica ſua Hebræa, licet Maſoram ex magna parte ad Eſdram & magnam Synagogam referat; & multa adferat pro utilitate ejus ad textum purum conſervandum: ita tamen concludit; *Hoc tempore Maſoram non poſſe Scripturam defendere, quia jam eſt corrupta, & dimidia ſua parte mutila: ideoque etiam non eſt certa & infallibilis regula lectionis S. Scripturæ. Judæi jam diu ſub jugo aliorum habitarunt, ac propterea Maſoram ſuam tam nitide & incorrupte conſervare non potuerunt. Hinc eſt, quod tractu temporis magna ejus pars perierit; & reliqua pars, quæ adhuc ſupereſt, corruptionem talem paſſa ſit, ut non amplius regula incorruptilitatis Scripturæ eſſe poſſit.* Joh. Morinus in Pent. Samarit. exerc. 4. c. 7. 8. contendit, *Maſoram eſſe in multis confuſam, corruptam, incertam, falſam; niſi, quod cum res aliunde nobis conſtat, Maſoræ conſenſu quomodocumque confirmetur.* R. Jacob Ben Chajim, qui Maſoram in Bibliis Venetis primus edidit, fatetur ad finem Præf. Maſoræ, *Libros quos inſpexit fuiſſe omnino confuſos, et ita perturbatos, ut nulla in illis eſſet domus ſine mortuo.* Etiam & ipſe Elias licet Maſoram multis encomiis celebrat, tamen Præf. 2. in Maſoram Hammaſ. invehitur contra Maſorethas propter inanis gloriæ deſiderium: et affirmat, *defectus Maſoræ non poſſe numerari:* & concludit, *opus imperfectum defectibus undique ſcatere.* Nec aliter D. Buxt. qui in c. 19. Comment. Maſ. ait, *infinitos errores in Maſoram introductos eſſe, ut ex caſtigationibus ſuis abunde liquet:* & incuſat *Judæorum negligentiam, immanem incuriam, & oſcitantiam, qui ad maniſeſtiſſima etiam vitia cæcutiere, & inter tot impreſſiones ad ea meliorem manum non adhibuere.* Etſi vero librum integrum conſcripſerit de Maſoræ erroribus, quos ipſe emendavit: addit tamen, *Ne quis credat omnia eſſe correcta, & emendata:* quia nunquam ordine in ſingula inquiſivit: ſed prout quæque nunc hic, nunc illic obviam accedebant, ita ad cenſuram vocavit; & multa non dubitat ſupereſſe, ad quæ examinanda hinc patebit aditus. E contra alii quam magnifice de Maſora ſentiunt. Idem Elias ſibimet contradicens, Præf. 3. dicit, *quod poſt Maſoram fieri non poteſt, ut incidat mutatio aut depravatio quoviſmodo in aliquibus libris Scripturæ. Unde non ſine cauſa dixerunt Magiſtri, Maſora eſt ſepes legis.* Eliæ ſuffragantur hodie omnes Judæi, & ex Chriſtianis non pauci. D. Buxtorf. dicto libro, licet multa in Maſora falſa & confuſa eſſe oſtendat; tamen ſæpe de ea loquitur, ac ſi poſt hunc laborem vix poſſet Scriptura Vet. Teſt. corrumpi, vel mutari in aliquo. Ar. Mont. Præf. Tom. 1. ad Bibl. Reg. ait, *In Maſora tanquam in ſacra & fida cuſtodia, ſumma diligentia, &c. antiquæ lectionis reliquiæ, veſtigia exemplaque omnia continentur, &c.* Et in Præf. de variis lection. Hebr. vocat *Maſoram utiliſſimum theſaurum, qui varias lectiones fideliter tradat, & tanta cura conſervat, ut nulla ne vel minima in variis exemplaribus diſcrepantia, vel perſpicaciſſimo deprehenſa unquam fuerit, &c.* Mariana tract. pro Edit. Vulg. c. 10. *per Maſoretharum diligentiam cautum eſſe dicit, ne facile Hebræi codices vitiari poſſint.* Bonfrer. Præloq. c. 13. ſect. 3. ait, *eos omni diligentia morali adhibita effeciſſe, ut deinceps nihil in textu Hebræo immutari vel depravari poſſit.* Idem ſentiunt multi alii, præſertim qui rem ſerio non perpenderunt. Schickard. Happ. diſp. 3. de Maſoreth. p. mihi 52. 53. allatis quibuſdam locis ex Elia & Ab Ez. de Maſoretharum diligentia, quaſi extra ſe raptus exclamat; *O incredibilem etiam in minutiſſimis diligentiam! O ſingulare numinis beneficium! O mirandam, tot exemplarium per omnes Europæ, Africæ, Aſiæque angulos diſperſorum, per tot ſecula ad nos propagationem, & ſalutarem harmoniam!* Tandem concludit, quod *ne vel tantillum depravare* (ſcioli) *poſſint, quin id ſacrilegium ſacra hæc Critica ſtatim proderet.* Simeon de Muis Cenſur. exerc. Samar. Morini. p. 148, 149. ſcribit, *quod Maſora nobis Biblica Volumina ſarta tecta ſervavit, æternumque ſervatura ſit:* Et, *quod ne minimus apex de Bibliis Hebraicis periit, Maſoræ beneficium eſt.*

14. Ut vero, quid de hac re ſentimus, explicemus, diſtinguendæ ſunt Maſoræ partes. Quædam enim in ea notata utilitatem magnam habere, & ad textum conſervandum multum facere, negari non poteſt: Alia vero plane ſuperflua & parum utilia eſſe, haud difficile eſt oſtendere. Maſoram vero nunquam ita perfectam fuiſse, ut efficeret, ne poſthac ulla depravatio vel mutatio oriri poſſit. Hoc per partes probandum. Et primo, licet Maſora aliquid valeat, ut textus Hebræus in quibuſdam locis integer conſervetur: nunquam tamen effecerunt Maſorethæ, ut totus textus ſacer eſset extra omne periculum mutationis vel depravationis cujuſcunque. Nam primo, opus ſuum nunquam perfecerunt Maſorethæ; cum ſemper novas obſervationes quiſque adjiceret, ut ſupra ex Elia & Ben Chajim oſtendimus. Multa quidem notarunt circa voces plenas & defectivas, & circa vocales & accentus in quibuſdam vocibus: quæ loca ab ipſis notata ſi concederemus, depravari non poſse; quid tamen de reliquis vocibus fiet, (quæ infinitæ,) ad quas nihil notarunt? Hæ in eodem ſtatu ſunt, ac ſi nulla eſset Maſora; ideoque depravationi non minus obnoxiæ ſunt, quam ſi Maſora nulla fuiſset. Dein conſtat, quod, non obſtante Maſoretharum diligentia, multa errata in textum irrepſerint, codiceſq; in multis diſcrepaverint; nec ex Maſora omnes diſcrepantias componi poſſe. Hoc clariſſime liquet ex differentiis codicum Ben Aſcher & Ben Naphtali, tum ex variis notis in Maſora poſitis ex codicibus a priori Maſora diſcrepantibus: quas diſcrepantias collegit Ben Chajim ex libris plurimis, & in Bibliis Venetis & Baſileenſibus extant. Ut Gen. 25. 3. ad vocem ולאמים annotant, *libros eſſe quoſdam correctos, in quibus eſt* ולאמם V. 14. ejuſdem capitis, ad vocem ודומה notant, quod *in libris Hiſpanicis,* quos ſecuti ſunt, *ſcribatur per* ה, *in multis tamen per* Aleph, דומא. Cap. 34. 22. ad נמלים notant, *non eſſe amplius hoc vocabulum in Lege, & deficere: at in libris emendatis ſe inveniſſe* נמהלים. Infinita talia ubique ſe offerunt. Multa obſervarunt Sixt. Amam. Joh. Morinus, & alii. Celebris eſt locus, Joſ. 21. 36. 37. ubi verſus duos in omnibus antiquis correctis codicibus deeſſe notat Maſora. Unde in Edit. Ven. 2. & Baſileenſi omittuntur: & in quibuſdam recentioribus MSS. codicibus, ubi adduntur hi verſus, notatur, *non extare in libro Hillelis.* Maſorethicus etiam verſuum numerus quadrat, ſi verſus iſti omittuntur: de quo ſupra: ex textu tamen clarum eſt, adeſſe debere; & hodie ubique in Bibliis extant. Multa etiam effugerunt Maſoretharum diligentiam, ut in variis locis obſervarunt viri docti: nec contulerunt, vel conferre poſſent, omnes codices; ſed quos comparare poterant. Unde in aliis codicibus aliæ poſſent eſſe diſcrepantiæ, non obſtante eorum diligentia. Maſora etiam ita conſcripta eſt, lingua Chaldaica, vocibus decurtatis, & abbreviatis, literiſque numeralibus, ut una facile pro alia poni poſſit, unde Maſora depravatur, vocabulis etiam quibuſdum Maſoræ propriis, quæ alias nullibi extant: quæ omnia Maſoram ita difficilem lectu reddunt, ut innumeris mendis neceſſario ſcateat: quod Buxt. Clavis Maſor. teſtatur. Unde profitetur Elias præf. 3. *ſe viginti annos in hoc ſtudio inſumpſiſſe, ut Maſoram explicaret:* primus enim Elias explicavit, licet Ben Chajim ante Eliam in ordinem redegerit. Hinc innumeræ mendæ deprehenſæ, de quibus iidem Rabbini una cum Buxtorfio: ut nil dicam de Maſoræ contrarietate, magnæ cum parva, & magnæ ſecum, &c. de qua Lud. Capell. Crit. lib. 5. c. 12. D. Buxtorfius, qui primus inter Chriſtianos in Maſoræ myſteria altius penetravit, plurima errata in numeris, aliiſque notis Maſorethicis correxit, partim ex aliis Maſoræ locis, partim ex propriis obſervationibus. Ut Geneſ. 1. 1. in ipſo limine, Maſora parva ad verba את השמים ואת הארץ notat 'ג id eſt, ter inveniri cum tamen, י"ג tredecim locis illa verba ſimul legantur. Sic. v. 7. in Maſ. parva ad ויהי־כן notatur 'ז ſeptem eſſe: at in Maſora magna 'ח octo, & ſic in Maſora finali. At ver 30. edit. prim. notatur, ſex eſſe in hoc capite, cum qua conſentit codex Maſoræ MS. Bibliothecæ Palatinæ: ita ut quænam lectio ſit vera, dubitet Buxtorf. licet ad ultimam magis inclinet. Plurima talia notavit vir ille Doctiſſ. In ſolo Pentat. correxit ſupra 200 iſtiuſmodi mendas; & in Maſora finali, quæ paucis conſtat paginis, ultra 180. Cum vero Maſora ita ſit imperfecta, falſa, & erratis ſcatens; quomodo poteſt eſſe fidelis cuſtos veræ lectionis per totum Vet. Teſtamentum, cum ipſa correctione & caſtigatione toties egeat, nec adhuc perfecte caſtigata ſit? quomodo textum ubique purum & incorruptum ſervare poteſt? *quis cuſtodiet ipſos cuſtodes?*

15. Magnam vero Maſoræ partem, parum utilem eſſe, vel uſui nulli inſervire, multa probant. Numeratio ſcil. vocum, præcipue literarum per ſingulos libros, & per tota Biblia; literæ mediæ Legis vel aliorum librorum notatio; literarum etiam finalium; item majuſcularum, minuſcularum, inverſarum, ſuſpenſarum, Mem clauſæ & apertæ, Nun finalis & mediæ: quæ nihil ad Textus Hebræi conſervationem conferunt, vel conferre poſſunt. In verſuum numero diſcrepant, dum alii in Geneſi numerant, 1534, alii 1540. in Deuter. 1455, alii 1055. ut obſervat D. Croius obſerv. in Nov. Teſtament. pag. 74. c. 10. In literarum numero calculum incertum eſſe, fatentur præcipui Maſoræ patroni; imo falſum, ut ſupra notavimus. Nec poſſibile eſt, in vocibus præſertim & literis, exactum calculum conficere: cum per humanam induſtriam fieri non poſſit, ut exemplar tale ſit, in quo non deficiunt vel redundant literæ aliquæ: nec quiſquam adhuc extitit, qui examen inſtituit, an Maſoretharum calculus verus ſit. Nec, ut dixi, Maſorethæ omnes codices examinarunt; ſed numerum ex codicibus ſuis, quos contulerunt, collegere: ſi vero alios contuliſſent, diſcrepaſſent calculi; cum impoſſibile ſit duos codices, multo minus omnes, in omnibus inter ſe conſentire, ut ne in unica litera diſcrepent. In variis lectionibus Orientalium & Occidentalium, obſervarunt nonnulli, pro nomine Tetragrammato יהוה quod extat apud Occidentales, ponere Orientales אדני Appellativum. Vid. Thren. 5. 21. quod plane probat Maſoretharum calculum incertum eſſe de numero ſingularum literarum, cum incertum ſit utram lectionem ſequaris. Si vero hæc in nomine illo ſacro incertitudo ſit, quanto magis in aliis vocibus? Tentarunt Muhammedani in ſuo Alcorano, verſus, voces, & literas numerare; at ne unum exemplar cum altero convenit; ſed in omnibus erat aliqua diſcrepantia, ut ſupra notavimus. Idem fecerunt quidam inter Chriſtianos, qui vocum quorundam Scripturæ librorum numerum confecerunt. In MSS. quibuſdam Syriacis, quibus uſi ſumus, notatur ad finem libri Samuelis, conſtare illum librum vocibus 3436. Initio libri Regum notatur, illum librum conſtare vocibus 5221. In Novo etiam Teſt. Æthiopico, ad finem quorundam librorum, invenitur verborum calculus, quæ in illo libro extant. Sed nulli uſui inſervierunt tales calculi, nec textum ſine mendis conſervare poterant: quem, cum occurrebant, vel cum codices variarunt, nunquam ex computatione literarum, ſed ex loci circumſtantiis, & variorum codicum collatione, aliiſque mediis, emendavimus. Judæorum calculum, ut dixi, nemo adhuc ita ocio abundavit, ut ad examen revocaverit: nec ſane multum refert, an verus ſit, necne. Nam poſito tali numero certo & definito literarum in aliquo libro, poſſunt tamen corruptelæ & mutationes introduci, manente eodem numero literarum. Unius vocis vel literæ pro alia ſubſtitutio, tranſpoſitio, additio, ſubſtractio vocum & literarum fieri poteſt; ut & vocum diviſio, conjunctio, & diſtinctio, eodem manente literarum numero fieri poteſt; quibus ſenſus mutari & corrumpi poteſt: numerus tamen vocum & literarum idem maneat. Quis unquam in locis controverſis, vel in textu Hebr. Græco, vel alio, hanc viam tentavit, cum quæſtio de vera lectione exorta ſit, vel de corruptela loci alicujus; ut ex vocum vel literarum numero per totum librum, vel mediæ literæ obſervatione, litem dirimeret, vel locum reſtitueret? Imo ipſi Judæi, cum de lectione exorta eſſet quæſtio, (ut inter Orientales & Occidentales,) non ad calculum vocum vel literarum confugerunt, vel ex media litera alicujus libri, vel aliis iſtiuſmodi rationibus litem determinarunt: ſed ex codicibus antiquis & correctis, locorum collatione, &c, libros emendarunt, & veram lectionem eruerunt. Cum itaque hæc Maſoræ pars ad hunc finem inepta ſit; non poſſum ſatis mirari, viros doctos, cum de hac vocum

&

& literarum numeratione loquuntur, quaſi pro confeſſo ſumere, omni corruptelæ hoc modo obicem eſſe poſitam. Unde etiam patet, quam abſurdum ſit, hoc divinis ſcriptoribus adſcribere, quod ab hominibus otio abutentibus profectum eſt. Idem de media litera Legis, & media aliorum librorum dicendum; quis nos certos facere poteſt, talem literam eſſe mediam? Si vero conſtaret; quomodo hoc modo depravationi obviatur: cum mille poſſint eſſe errores in Lege, manente Vau, Levit. 11. 48. media Legis litera; præſertim ſi corruptelæ conſilio, non caſu, factæ fuerint: licet utroque modo accidere poſſit, eodem literarum numero manente? Nunquam legimus, Eccleſiam Chriſti, cui majorem Spiritus ſui menſuram ipſe promiſit, talibus mediis uſam ad textum Græcum Novi Teſtamenti conſervandum. Multitudo exemplarium ubique terrarum; ſcripta, & commentarii Patrum & Doctorum per ſingula ſecula; codicum, qui in publico uſu erant, ad vetuſta exemplaria examen accuratum; locorum ſimilium collatio, &c. multo certiora media erant ad veram lectionem conſervandam; quam vana hujuſmodi Rabbinorum inventa: præcipue vero Bibliorum Concordantiæ, hoc ſeculo ad perfectionem perductæ, plus faciunt, tum ad veram lectionem conſervandam, tum ad ſenſum genuinum indagandum, quam tales Maſoretharum obſervationes. Imo unicus Buxtorfii liber Concordantiarum Hebraicarum (excepta punctatione, & quæ ex ea pendent obſervationibꝰ, una cum Keri & Ketib,) totam Maſoram, ad veram lectionem conſervandam, ſenſumque loci eruendum, multis paraſangis ſuperat. *Exhibet* enim *illud opus Concordantiarum*, (ut verbis auctoris utar in Epiſt. ad Sixtin. Amam. quam citat Sixtin. in conſilio ſuo de ſtudio linguæ Hebr.) *præter Lexici Hebraici omnibus vocibus Biblicis completi abſolutam formam, etiam & perfectam Maſoram.* Sunt enim Concordantiæ iſtæ, abſolutus & perfectus omnium vocum Biblicarum theſaurus locupletiſſimus: qui non tantum voces omnes refert, & loca, ubi, & quoties inveniuntur; ſed verba quædam antecedentia & conſequentia: quorum nullum in Maſora eſt reperire.

16. Quædam etiam in Maſora plane ſuperſtitionem Judaicam olent; (tantum eſt, ut ab Eſdra, vel Prophetis originem ducant:) qualia ſunt, literarum majuſcularum, minuſcularum, inverſarum, ſuſpenſarum, vocum ſuperne punctarum, & alia ejuſdem farinæ, annotatio. Arbitrantur quidam viri docti, priſcos Judæos ſapientes harum rationem reddere potuiſſe: fatentur tamen, rationes, quas reddunt Rabbini, eſſe vanas & ridiculas: nec probabile eſt, Eſdram & Synagogam magnam, qui toti erant pro Legis obſervantia, quæ omnium legum finis eſt, in iſtiuſmodi tricis, quæ ad pietatem nil ſpectant, operam collocaſſe. Eſt plane infra majeſtatem Sp. S. per literarum figuras & ſitum myſteria adumbrare, & ſenſus plane contrarios in eadem ſententia proponere. Nec graviſſimi Theologi in Commentariis ſuis iſtiuſmodi myſteria notarunt vel curarunt: nec ſi veteres Judæi hæc ab Eſdra & Prophetis profecta fuiſſe crediddiſſent, ad myſteria quædam ſignificanda; ita incurioſi fuiſſent, ut eorum ſignificationem veram obliviſcerentur. Ad hoc caput etiam referri poteſt, pro dictionibus in Textu, quæ ipſis obſcœniora viſa ſunt, aliorum honeſtiorum in margine ſubſtitutio; quibus appoſuerunt τὸ קָ, ut monerent aliter legendum eſſe. Hoc enim excuſari non poteſt, cum Deo ipſo ſapientiores videri velint, & aures ita caſtas habere, quæ offenderentur vocibus a Sp. S. in textu poſitis.

17. Quædam tamen in Maſora utilitatem ſuam habere, negari non poteſt. Punctatio enim, licet multo majori compendio fieri poſſet, multum confert ad veram & facilem lectionem textus Hebraici. Multa etiam, quæ annotarunt circa punctationem vocum quarundam irregularem, & quoties voces hac vel illa ſignificatione accipiuntur; item de vocibus plene & defective ſcriptis; variæ item lectiones in margine notatæ, & quæ habent de inſolita vocum quarundam cum aliis ſtructura: hæc, inquam, & alia ejuſmodi, utilia eſſe tum ad lectionem veram, tum ad ſenſum genuinum, libenter agnoſcimus. Concludam itaque hoc caput verbis D. Buxtorf. fil. Anticrit. part. 2. c. 4. p. mihi 502. *Scio equidem Maſoram ſuos habere errores aliquando, neque ſemper ſibi conſtare, vel plenam & perfectam eſſe. Illi tamen errores ſæpe* (non ſemper) *ex collatione Maſoræ ipſius corrigi & deprehendi poſſunt; neque illa propterea prorſus eſt negligenda: magnum enim adhuc uſum nobis præſtare poteſt.*

18. Hæc de Maſora in genere; jam de Keri & Ketib dicendum: quæ cum inter præcipuas Maſoræ partes numeretur, ideo ſeorſim tractanda. Per קְרִי ſignificari *lectum*, per Ketib כְּתִיב *ſcriptum*, omnes norunt. In marginibus vero Bibliorum pro Keri occurrit ejus prima litera, brevitatis cauſa, ſic notata 'ק: quæ lectorem monet, vocem ſub 'ק in margine adſcriptam legendam eſſe; at cum punctis, quibus afficitur vox in textu: vox vero in textu ſcripta, quæ vocatur Ketib, circellum ſupra ſe appoſitum habet, quæ lectorem ad vocem marginalem ſub 'ק remittit. De iis vero hæc tradunt Judæorum magiſtri, Elias, & alii. 1. Vocem, quæ in margine ſcribitur, legendam eſſe, non quæ in textu. 2. Vocem textualem non habere ſibi propria vocalia affixa vel accentus; ſed quæ ad vocem marginalem pertinent. 3. Quum puncta vocis marginalis plura ſunt, quam literæ vocis textualis ferre poſſunt, tum ſæpe literam unam textualem pluribus punctis affici; ut & cum vox textualis plures habet literas, quam marginalis, earum aliqua punctis deſtituitur. Exemplum prioris vide in Jer. 42. 8. in אֲנוּ ubi Vau, præter punctum Schureck, habet etiam ſub ſe Scheva: quia ſcil. puncta illa ſunt propria vocis marginalis אֲנַחְנוּ. Poſterioris generis. 2 Reg. 19. 23. in בְּרֹבכ, ubi Caph nullum habet punctum, eo quod lectio marginalis בְּרֹב plura non habet puncta. 4. Cum duæ ſunt voces in margine, unica vero in textu; puncta quæ ad duas voces marginales adſcribi debent, uni voci textuali apponuntur. 5. E contra, cum duæ ſunt voces in textu, & unica in margine, litera finalis prioris dictionis textualis non eſt legenda omnino. Exemplum prioris generis eſt, in 2 Reg. 18. 27. ubi in textu eſt שֵׁינֵיהֶם cum ſex punctis, quæ ad duas voces in margine pertinent מימי רלגיהם. Poſterioris, 1 Sam. 24. 9. ubi in textu ſunt duæ voces מִן הַמְּעָרָה, pro quibus in margine notatur unica מֵהַמְּעָרָה, unde in מִן litera Nun non eſt pronuncianda, ſed ſupprimenda; ac ſi abeſſet. Quorſum ſpectat hæc regula, plane ignoro: cum ex prima regula, vox textualis non ſit legenda.

19. De his notis, 1. De earum variis ſpeciebus. 2. De numero. 3. De authoribus, inquirendum. 1. Quod ad ſpecies attinet, exiſtimat Sixt. Amama, vel ex Judæorum religione quadam vel εὐλαβείᾳ, vel ex codicum mendoſa deſcriptione & librariorum errore, ortas eſſe. Ad primam refertur nominis Tetragrammati יְהוִֹה pronunciatio per אֲדֹנָי, cujus puncta ſub יהוה ponuntur; vel per אֱלֹהִים & ejus puncta, cum aliud Adonai immediate præcedit vel ſequitur: nam hoc caſu ne Adonai bis legatur, ſub יהוה ponunt puncta τοῦ Elohim. Hoc vero ad Keri & Ketib proprie non ſpectat: nam licet veriſſimum ſit, vocem יהוה cujus vera pronunciatio nobis ignota eſt, vel per Adonai, vel per Elohim, quorum punctis afficitur, legendam eſſe; hoc tamen in margine per τὸ Keri non notatur: ideoque ſub hoc capite variarum lectionum non comprehenditur. Quia tamen de hoc nomine mentionem fecimus hoc loco, libet quædam de eo adjicere, ſcil. vulgarem pronunciationem hodiernam nominis יהוה per Jehova, quaſi propriis punctis afficeretur, eſſe omnino vitioſam; & apud veteres, tam Judæos, quam Chriſtianos, prorſus ignotam. Certum enim eſt, apud Judæos longe ante Chriſti tempora, ſive ob Divini nominis reverentiam, ſive ob aliam cauſam, nominis hujus pronunciationem ſub magna pœna interdictam fuiſſe omnibus, niſi ſolis Sacerdotibus, cum in templo populum ſolenniter benedicerent, ex Num. 6. unde poſt Templi everſionem nemini omnino licitum fuit illud effari; & ſic brevi vera ejus pronunciatio penitus periit. Hoc vero non ſine ſpeciali & admirabili Dei providentia factum eſſe, obſervarunt viri doctiſſimi; ut Judæi ſimul cum Templo, in quo Deus verus colebatur, etiam nomen ejus eſſentiale & maxime proprium amitterent: ita ut cum ipſorum Deus ulterius eſſe noluerit, (everſo enim templo publicum repudii libellum ipſis dedit,) verum ejus nomen poſthac ignorarent. Quod vero ſolis Sacerdotibus permiſſum ſit in templo in ſolenni illa benedictione illud effari, (imo, ut quibuſdam placet, ſoli Sacerdoti ſummo,) conſtat ex Talm. Maſſecheth Sota. c. 7. & ex Maimon. libro Jad, Halacha de benedictione Sacerd. c. 14. S. 10. qui ſcribit, *Non pronunciari nomen illud ſecundum Scripturam, niſi in Templo.* Addit etiam, *poſt tempora Simeonis Juſti deſiiſſe etiam Sacerdotes per nomen illud benedicere; ne illud diſceret aliquis, qui non eſſet vir bonus et honeſtus. Imo nullum Iſraelitam habere partem in futuro ſeculo, qui hoc nomen literis ſuis pronunciat*; legitur in Talm. Maſſechet. lib. Sanhedrim. c. 11. Et alibi, *Nomen Tetragrammaton non eſt datum niſi ſolis Sacerdotibus.* His ſimilia habet Philo lib. 3. de vita Moſis. Videntur poſteriores Judæi ſimiles fuiſſe Romanis, de quibus Plinius Hiſt. lib. 28. c. 2. dicit, quod *nomen Dei, ſub cujus tutela erant, ſtudioſe occultarunt, ne nomine cognito hoſtes ipſum evocarent.* Joſephus etiam, qui everſioni Templi & Urbis excidio ſupervixit, & ex ordine Sacerdotali unus erat, Antiq. l. 2. c. 5. de hoc nomine loquens, ſubjicit, περὶ ἧς οὐ θέμις μοι εἰπεῖν, *de quo mihi non eſt fas loqui*: pronunciationem non ignoravit, illicitum tamen putavit illud effari. Si vero Sacerdotes, ſtante Templo, illud exprimere nefas duxerint; non mirandum, uſum ejus, everſo Templo, prorſus periiſſe: Unde nullibi apud Judæorum Scriptores reperitur; omneſque hodie diſerte profitentur, ſe illud ignorare: & per Adonai ubique exprimunt, niſi aliud Adonai immediate præcedat, vel ſequatur: tunc enim, ut diximus, puncta Elohim ſubjiciunt, & per Elohim legunt, ut in Bibliis Hebræis punctatis videmus. Apud Patres, omneſque Eccleſiæ ſcriptores, ubique per Adonai, κύριον, *Dominum* exprimunt: quorum nemo aliam enunciationem novit, nec ſane poſſent; cum non niſi ex Hebræis addiſcere poterant, qui illam ignorarunt: vel ſi ſcirent, ex ſuperſtitione id alios docere, pro piaculo habebant. Unde ſæpius illud nomen vocant, ἀνεκφώνητον, ἀπόῤῥητον, ἄῤῥητον, *ineffabile*, &c. ut apud Clem. Alex. Theodor. Euſeb. alioſque, tam Græcos, quam Latinos, legimus. Idem conſtat ex omnibus antiquis Scripturæ Verſionibus, Græca τῶν ο, Aquilæ, Theodot. Symmachi, Syra, Arabica, Latina Vulg. &c. in quibus omnibus, ubicunque hoc nomen occurrit, legitur *Adonai*, quod Græci ubique exprimunt per κύριον, Syri per ܡܪܝܐ, Arabes per الرب, Latini per *Dominum*. Imo ipſi Evangeliſtæ & Apoſtoli, cum aliquid ex Vet. Teſtamento citant ipſi, vel verba a Domino citata referunt, ſemper hoc nomen per κύριον reddunt: quod plane probat, ipſos non legiſſe Jehova, ſed Adonai. In Hieronymo quidem ſecundum nuperas quaſdam editiones, legitur aliquando, Jehova, ut Pſal. 8. at hoc ab Editoribus nuperis inſultum eſſe, certiſſimum eſt; cum in antiquis Editionibus, Froben. imo & Pariſ. & in MSS. ſit Jao, non Jehova. Analogia etiam Grammatica poſtulat, ut literæ ſerviles וכלב cum præponuntur יהוה ſub ſe habeant Chirik, cum tamen ſemper ſub ſe habeant Patach: nam ante Jod Schevatum ſemper debent affici cum Chirik, at ante א ut in אֲדֹנָי debent habere Patach, ut in וִיהוִֹה בִּיהוִֹה לִיהוִֹה. Hæc vero inſolita punctatio aliunde eſſe non poteſt, niſi quod puncta illa ſub יהוה ſunt propria vocis אדני: unde non legi poſſunt, *vaihova, baihova, laihova*, ſed *vadonai, badonai, ladonai.* Idem liquet ex literis בגדכפת quæ poſt vocem deſinentem in litera quieſcente aſpirantur, alias habent Daghes: at vero poſt יהוה habent Daghes, licet ה quieſcat, ſi legatur per Jehova: ſi vero legatur אֲדֹנָי ubi Jod non quieſcit, debet litera ſequens affici cum Daghes, quod certum eſt indicium, puncta hæc eſſe Adonai propria, non vero יהוה. Primus, qui per Jehova legit, erat P. Galatinus, qui floruit circa annum 1520. qui licet per Jehova legi poſſe dicat, nunquam tamen affirmat ita legi debere: & ipſe ſemper per *Dominum* expreſſit, addita voce Tetragram. uncis incluſa, & *Judæos a Moſe edoctos* ait, *hoc nomen non proferendum, ſed loco ejus Adonai legendum.* lib. 2. de Arc. cap. 10. Si vero dicatur, nomen Jehova inveniri apud Paulum Burg. qui ante Galatinum vixit; apud quem in Exod. 3. Edit. Lugd. hæc verba habentur, *Proferri tamen poteſt Jehova: unde & Jovem Pagani dixere*; Reſpondet Amama, *hæc verba interpolata eſſe, cum in reliquis Editionibus non habeantur.* Idemque dici poteſt de Dionyſ. Carthuſ.

in Ex. 6. Edit. Col. qui etiam erat ante Galat. ubi habetur vox Jehova pro Jao, vel alio iſtiuſmodi nomine, a ſciolo quodam ignaro interpolatum. Quod contra objiciunt alicujus ponderis, eſt, puncta Adonai non eſſe eadem cum iis ſub יְהוָה: nam in Adonai primum punctum eſt Chateph Patach; at ſub יְהוָה eſt Scheva ſimplex. Ad hoc vero facilis eſt reſponſio, Scheva compoſitum ſub gutturalibus eſſe vicarium Scheva ſimplicis ſub reliquis literis; ita ut non natura, ſed figura tantum & officio differant. Nam idem eſt Scheva ſimplex ſub aliis literis, quod compoſitum ſub gutturalibus: quæ cum non ferant Scheva ſimplex, præſertim mobile, aſſumunt compoſitum: unde, cum prima litera in Adonai ſit gutturalis, debet ſub ſe habere Chateph Patach: at cum prima in יְהוָה ſit Jod, Scheva compoſitum non erat neceſſarium. Præterea, ut notant harum rerum periti, Scheva ſimplex a priſcis expreſſum erat per vocalem, A, ac ſi eſſet Chateph Patach; modo non ſequeretur gutturalis vel Jod, ut in שְׁלֹמֹה *Salomo*. Sonus itaque olim erat idem Scheva ſimplicis & Chateph Patach: unde neceſſarium non erat ſub יְהוָה ponere Chateph Patach, cum Scheva ſimplex ſufficeret, quod majori compendio ſcribi poterat; præſertim in hoc nomine, quod in omni fere linea occurrit. Frequenter etiam in Scheva, compoſito, modo Scheva, modo punctum, quod cum Scheva componitur, excidit. Denique, hæc quæ diximus confirmantur auctoritate virorum in lingua Hebraica celeberrimorum. Inter quos Lyra, Toſtatus, Mercerus, Cevallerius, Joſ. Scaliger, Buxtorfii utrique, Arias Montanus, Beza, Schlindlerus, Erpenius, Bellarminus, cum aliis plurimis. Ex profeſſo vero hoc argumentum fuſe tractarunt Druſius Tract. de nomine Tetragr. Lud. Capell. Orat. de nomine יְהוָה, Sixtin. Amama diſſertatione de nomine Tetragram. in Gram. Hebr. & in Antibarb. D. Buxtorf. fil. de Divinis nominibus: qui omnes pronunciationem per Jehova, ut vitioſam, rejiciunt. Quod vero objicit vir doctus in Critica ſua Hebr. non auſos fuiſſe Rabbinos nomini Tetragrammato, quod ipſis tam venerandum erat, aliena puncta vocis Adonai affigere; nimis frivolum eſt: cum certum ſit, quod nec ab ipſo, vel alio quoquam negari poſſit, puncta vocis Elohim huic nomini per ipſos affigi, cum Adonai præcedit vel ſequitur. Si vero auſi ſunt affigere puncta, quæ ſunt propria Elohim; cur non etiam quæ ad Adonai pertinent? Si quis vero quærat, quænam ſit vera hujus nominis enunciatio; (nam cum conſonantibus & vocalibus conſtet, certum eſt olim pronunciatum fuiſſe cum vocalibus propriis:) licet hoc definire difficile ſit, cum a pluribus ſeculis vera pronunciatio amiſſa ſit; probabilis tamen videtur Doctiſſ. Capelli ſententia, punctandum eſſe per Patach, Scheva, & Cholem; & potius legendum יַהְוֹה *Jahvo*, quam *Jehova*. Nomina enim, quæ apud exteros ſcriptores Deo Judæorum attribuuntur, propius ad illud accedunt, quam ad hoc; ita ut ſint quaſi veſtigia quædam, obſcura licet, antiquæ pronunciationis. Nomen enim veri Dei veriſimile eſt a Judæis habuiſſe Tyros & Phœnices, a quibus ad Græcos perveniſſe videtur. Diodorus Siculus, lib. 1. ex antiquis hiſtoriis meminit, *Judæorum Deum, a quo Moſes dixit, ſe leges ſuas accepiſſe, dictum fuiſſe* Ἰάω. In Apollinis Clarii Oraculo apud Macrobium, lib. 1. cap. 18. *ſummus Deus vocatur* Ἰάω. Porphyr. lib. 4. contra Chriſtianos, levi deflectione, vocat Ἰευὼ, loquens de Jerambalo ſacerdote Dei Ἰευώ. Idem nomen Tyrii, ut ex Philone Biblio diſcimus, protulere per Ἰευὼ, alii per Ἰαὼ, ut apud Clem. Alexan. Stromat. 3. Apud veteres Chriſtianos ſcriptores, idem nomen extat. Irenæ. lib. 2. cap. ult. inter alia nomina habet *Jaoth*, vel potius *Jaoh*. Epiph. Hæreſ. 26. ſcribit, *apud Baſilidianos Hæreticos alioſque Gnoſticos, nomen primi ſive ſummi Dei fuiſſe, Jao.* Theodor. q. 15. in Exod. dicit, *Samaritanos nomen illud Tetragram. efferre per* Ἰαβὲ (ubi ו per ב exprimitur, ut in דָּוִד Δαβὶδ,) *Judæos vero per* Ἰαώ. Obſervat etiam D. Grotius annot. ad notas de Verit. Chriſt. Relig. lib. 1. 11. 16. *Orientales iiſdem vocibus alios alias tribuiſſe vocales: unde in propriis Nominibus Vet. Teſtamenti tanta varietas.* Ex his probabiliter colligitur, vocem יְהוָה per Ἰαὼ expreſſam, Vau quieſcente in Cholem; vel Ἰαούω, quod idem cum יְהוָה, ſi Vau ſit mobile, υ poſito pro Vau mobili, ut in Λευὶ pro לוי. Hæc quidem probabiliter diſputant viri docti: hoc tamen prudenter monent, *Cum non tantum a Judæis longo tempore ante Chriſtum, ſed & ab ipſis Apoſtolis, omnibuſque Eccleſiæ ſcriptoribus, nomen illud ſemper per Adonai efferatur, non eſſe temere lectionem hanc Apoſtolorum, & tam Synagogæ, quam Eccleſiæ praxi perpetua ſtabilitam, mutandam; aliamve incertam, licet probabilem, introducendam; ſaltem lectionem per Jehova, ut novitiam & vitioſam, omnino rejiciendam.* Cui ſententiæ lubens ſubſcribo.

20. Ut vero ad Keri & Ketib redeamus, licet a variis varie recenſeantur, omnium tamen optima & accuratiſſima videtur illarum enumeratio per D. Capellum facta: ex cujus diſſertatione lib. 3. ſuæ Criticæ, aliiſque quibuſdam, ipſas lectiones variantes, quas in ultimum tomum hujus operis rejicimus, extraximus. Hic tantum capita notabimus. Verſantur itaque vel circa dictiones integras, vel circa literas, ſive conſonas, quas vocant: nam circa puncta vocalia & accentus varietates, hæ non verſantur. Quæ autem circa voces integras verſantur, oriuntur, vel ex vocum omiſſione, additione, compoſitione, vel permutatione. Et primo, quædam ſunt iſtiuſmodi notarum; quæ ſunt circa voces, quæ leguntur & non ſcribuntur, vel quæ ſcribuntur & non leguntur. Primi generis ſunt, quæ in textu non ſcribuntur, vacuo ſpacio relicto, aut ſolis punctis adſcriptis, cum hac nota marginali, קרי ולא כתיב, *legitur, ſed non ſcribitur.* Et hujuſmodi ſunt 13. Vide Catalogum in Tomo noſtro ultimo. Quæ ſcribuntur, ſed non leguntur, habent hanc notam in margine, כתיב ולא קרי, *ſcribitur, ſed non legitur*: & his nulla puncta ſubſcribuntur. Loca talia numerant 5, quæ cum reliquis vide dicto Tomo ult. 2. Quædam conjunctim ſcribuntur in textu, ac ſi eſſent vox una, quas diviſim legendas eſſe monet Keri marginale. Tales dictiones communiter numerantur 11. ſecundum Maſoram parvam 15. Quædam e contra diviſim ſcribuntur, ſed conjunctim leguntur: quarum ſunt 8. 3. Quædam ſunt voces, pro quibus, quia obſcœnæ videbantur, alias ſubſtituerunt Rabbini in margine legendas, magis caſtas & honeſtas. Tales ſunt decem. 4. Quæ circa literas verſantur, vel ſunt ex literarum omiſſione, additione, Metatheſi ſive tranſpoſitione, vel permutatione: & verſantur vel circa literas radicales, vel ſerviles; inter ſerviles vero frequentiſſimæ ſunt circa literas אהוי. 5. Quædam ſunt voces, quæ per Metatheſin literæ radicalis aliæ fiunt, & ſunt ſecundum Eliam, 11. 6. Ex literarum additione, vel permutatione notat Maſora 62 lectiones varias. 1. Radicalium, ſcil. ג pro ע bis. Daleth bis legitur non ſcriptum; ſemel ponitur pro Vau, bis pro Reſch, ter pro Cheth. Cheth bis legitur non ſcriptum; ſemel pro Tau, ſemel pro Ain, quater pro He. Ain ponitur pro Aleph 4. locis. Pe ponitur pro Beth ſemel. Tſade πλεονάζει quinquies. Reſh πλεονάζει quater; ſcribitur pro Beth ſemel, pro Daleth quater. 2. Circa literas ſerviles frequentiores ſunt lectiones variæ, ſive ſint actu ſerviles, ſive de radice. Beth quater πλεονάζει, ſemel deficit; radicale quater pro Caph ponitur, ſervile ſepties pro Caph. Beth ſemel ponitur pro He, ſemel pro Daleth, pro Pe ſemel. Caph radicale redundat bis, deficit ſemel, ponitur pro Beth ter, pro He ſemel, finale ponitur ſemel pro Daleth, & ſemel pro Mem. Lamed redundat ſemel, & ſemel deficit. Mem redundat bis, deficit ter; ſemel ponitur pro Beth, bis pro He fœminino. Mem finale ſemel ponitur pro Samech, plurale ſemel pro Nun, clauſum ſemel pro initiali, & apertum pro clauſo ſemel. Nun redundat ter, & ter deficit; initiale pro finali ponitur ſemel, ſemel pro Tau, pro Mem finali bis. Schin ſemel redundat, ſemel pro Teth ponitur. Tau redundat bis, ſemel deficit; bis ponitur pro Daleth, & bis pro He. Loca omnium harum varietatum vide in Tomo ſexto. 7. Circa literas אהוי frequentiſſimæ ſunt variæ lectiones, tum quia interdum moventur hæ literæ, interdum quieſcunt; tum quia ſunt matres lectionis, & ſono vel figura affines. Hæ vero vel abundant, vel deficiunt, vel tranſponuntur, vel pro alia litera ponuntur; idque in initio, medio, vel fine vocis. Aleph redundat in medio vocis, 45 locis. He initio, medio, & fine, in 33 locis. Vau 35. Jod 147. Deficiunt etiam. He 44 locis. Vau 30. Jod innumeris locis. Sed quia de harum numero, diſcrepant tam inter ſe, tum cum Maſora, variæ editiones Biblicæ, quarum differentias multas diligenter annotavit D. Capellus; lectorem remitto ad Catalogum noſtrum duplicem in ultimo Tomo, ex Capello, & ex aliorum exemplarium collatione, confectum.

21. De Summa omnium iſtarum variantium lectionum, quibus τὸ Keri in margine apponitur, viri docti variant. Affirmat Elias Lev. Præf. 1. Maſ. Hammaſ. ſe omnes numeraſse, & inveniſse ſummam totalem eſſe, 848. Quarum in Lege 65. In Prophetis 454. In Hagiographis 329. Miratur vero tam paucas inveniri in Lege, quarum 22 ſunt, cum נַעַר ſcribitur, & legitur נַעֲרָה. In libro autem Joſuæ, qui non æquat decimam partem Legis, ſunt 32. & in libris Samuelis, qui vix quartam partem Legis æquant, inveniuntur 133. Hunc vero Eliæ computum haud accuratum eſſe, conſtat: vel tantum, quas in ſuo codice invenit, expreſſit: nam alios codices ab hoc calculo variare, certum eſt. D. Capellus editiones quaſdam celebriores Bibliorum Hebr. contulit, quæ ſecundum MSS. & exemplaria optima editæ ſunt. ſcil. Venetam ſecundam, Regiam, & Plantinianam in quarto; & tam voces quibus Keri apponitur, quam voces multas in quibus literæ אהוי redundant, quas יתירות vocant; & quaſdam earum, in quibus eædem literæ deficiunt, quas חסירות appellant, annotavit: quæ licet ad eadem variarum lectionum capita referri poſſunt, in dictis tamen Editionibus ab iis diſtinguuntur. Editiones autem tam a ſe invicem ſingulas, quam ab Eliæ calculo omnes diſcrepantes invenit, ut ex Tabula ſubjecta liquet.

In Edit. Venet. ſecunda.	In Edit. Plant.	In Bibliis Regiis.	Elias Levit.
Pentat. Ker. 73. *Jeth.* 1.	K. 74. *Jeth.* 1. *Chaſ.* 2.	K. 69. *Jeth.* 1. *Ch.* 1.	K. 65.
Megill. Ker. 51. *Jeth.* 11.	K. 43. *Jeth.* 14.	K. 48. *Jeth.* 8.	
Proph. pri. Ker. 337. *Jeth.* 11. *Chaſ.* 2.	K. 239. *Jeth.* 25. *Chaſ.* 1.	K. 277. *Jet.* 18. *Ch.* 5.	K. 454.
Proph. poſt. Ker. 348. *Jeth.* 2.	K. 250. *Jet.* 25. *Chaſ.* 1.	K. 347. *Jeth.* 11.	
Hagiog. Ker. 362. *Jeth.* 60. *Chaſ.* 1.	K. 187. *Jeth.* 34. *Chaſ.* 1.	K. 242. *Jeth.* 20. *Ch.* 1.	K. 229.
Summa totalis K. 1171. *Jeth.* 85. *Chaſer.* 3.	K. 793. *Jeth.* 99. *Chaſ.* 9.	K. 983. *Jeth.* 58. *Chaſ.* 7.	K. 848.

Scripſit quidem Ar. Montanus, notas haſce marginales eaſdem in omnibus exemplaribus deprehenſas fuiſſe, & ab omni ævo ſine ulla mutatione permanſiſſe: Ejuſdemque ſententiæ ſunt multi viri docti. Sed in hoc deceptos eſſe, nemo non videre poteſt: unde etiam acerrimi Hebræi Textus vindices tandem fatentur, numerum ipſum in codicibus, tum MSS. quam impreſſis, variare. Doctiſſ. Buxtorf. fil. integrum librum magno ſtudio compoſuit; in quo, non tantum ex libris omnibus impreſſis, ſed & ex MSS. plurimis, variantes omnes lectiones collegit, & in corpus digeſſit, judiciumque ſuum de ſingulis adjecit: Opus hactenus a nullo Chriſtianorum tentatum; cujus titulum auctor nuper communicavit, ipſumque librum ſe brevi editurum promiſit. Plures itaque ſunt iſtiuſmodi codicum diſcrepantiæ, quam in Bibliis impreſſis habemus; quæ ex variis MSS. colligendæ reſtant: ita ut earum numerus certus & determinatus adhuc non extet. Imo earum, quæ in codicibus impreſſis extant, agnoſcunt viri docti, quaſdam recentiores eſſe, & per poſteros numerum auctum fuiſſe: rationemque quidam ineunt, qua veteres a novis dignoſci poſſunt; ſcil. per Maſoræ, & antiquorum codicum collationem; & ubi vox marginalis habet puncta ſubjecta, quod novitatis eſt indicium, quales multæ ſunt in Edit Venet. per Fœlicem Pratenſem: cum voces antiquitus notatæ nulla habeant puncta in margine, ſed tantum in textu.

22. De auctoribus iſtarum notarum, variant tam Judæi, quam Doctores Chriſtiani. Inter illos ſunt, qui ad traditionem Moſis in monte Sina referunt: qui riſu potius, quam refutatione ſeria, digni ſunt. Ridiculum enim eſt, Moſem traditionem dediſſe de variis lectionibus in libris, qui non extabant, ſed poſt multa ſecula ſcripti ſunt: niſi dicamus, ipſorum mentem eſſe, quod

Moſes annotavit omnia Kerioth per totum Pentateuchum; ad cujus exemplum reliqui ſacri Scriptores in ſuis ſcriptis idem fecerunt: ſic enim eorum ſententia a quibuſdam exponitur: quod neſcio, an cum eorum verbis conciliari poſſit. Utcunque, plane abſurda eſt hæc ſententia; cum nec Moſes, nec reliqui Scriptores ſacri ignorare poſſent veram in ſuis ſcriptis lectionem. Et ipſis indignum eſt, ut ex variis codicibus differentias colligerent, & in margine annotarent: unica enim eſt lectio a Sp. S. profecta, nec poſſunt eſſe plures, nedum contrariæ. Alii itaque, imo Judæorum plerique, et inter Chriſtianos non pauci, originem ad Eſdram & viros Synagogæ magnæ (ſi talis Synagoga unquam fuerit: video enim quoſdam viros doctos, & in Hebraicis antiquitatibus verſatos, de hoc dubitare,) referunt: quos volunt poſt reditum a Babylone libros ſacros contuliſſe; & ubi diſcrepantiam invenerunt, lectionem unam in textu reliquiſſe, aliam in margine collocaſſe; quaſi ambigui hærerent, utra lectio eſſet præferenda. Addunt etiam Judæi (ut ex Elia patet) myſteria quædam magna in his vocibus marginalibus latere, quæ per Cabalam, a Moſe per Prophetarum manus, Eſdras & ſocii ejus acceperunt. Videantur Elias Præf. 3. in Maſor. & Ben Chajim Præf. in Bibl. Venet. Inter noſtros ſunt, qui partim ad Eſdram referunt, partim ad Maſorethas ante-Talmudicos, & poſt-Talmudicos: quænam tamen Eſdræ & Synagogæ adſcribenda, quænam Maſorethis; dicunt ſe non poſſe definire. Doctiſſ. Buxtorf. Vindic. Hebr. part. 2. c. 4. p. 449. in medio relinquit, an Judæis hoc aſſerentibus fides ſit adhibenda; & an ſufficientibus id probent rationibus: in eorum tamen ſententiam magis propendere videtur, qui ad Eſdram referunt.

23. Contra omnes haſce ſententias, utcunque explicentur, concluſio noſtra eſt; *Eſdram & ſocios non fuiſſe harum notarum authores; ſed longo poſt Eſdram tempore, partim ante Talmud, partim poſt, a Maſorethis annotatas fuiſſe.* Nam 1. præter Eſdram, & Nehemiam in hoc concilio aderant Haggeus, Zacharias, Malalachias, Prophetarum ultimi; in quorum omnium libris inveniuntur iſtæ marginales notæ de Keri & Ketib. Cum vero inſtinctu divino libros ſacros recenſuerint, & reſtaurarint; maxime abſurdum eſt aſſerere, eos in variis codicum lectionibus hæſiſſe dubios, vel diſcrepantiam codicum in margine annotaſſe; quaſi in libris ab ipſis ſcriptis veram lectionem, & mentem propriam ignoraſſent: cum iis adfuit Sp. S. cujus ductu libros ſacros priſtino nitori reſtituere, & mendas omnes corrigere, veramque lectionem ſecundum mentem Dei reſtituere potuiſſent; nec lectores dubios reliquiſſent. 2. Diſcrepantia inter Orientales & Occidentales Judæos hoc commentum plane refellit. Si enim Keri & Ketib, vel a Moſe, vel ab Eſdra & Prophetis fuiſſet, hocque Judæi antiqui credidiſſent; eadem eſſet traditio de iis, idemque numerus apud omnes. Abſurdum enim eſt dicere, Eſdram & Prophetas has notas aliter tradidiſſe Orientalibus, quam Occidentalibus. At certum eſt, aliter legere & ſcribere Orientales, quam Occidentales; etiam in his locis, quæ per ק notantur: ut ex indiculo illo variarum lectionum inter utroſque conſtat, qui primum in Bibliis Venetis per Ben Chajim, poſtea in Baſileenſibus prodiit. Interdum utrique conveniunt in τῷ Ketib, at in τῷ Keri diſcrepant; Ut Joſ. 8. 13. ſæpius conveniunt in τῷ Keri, ſed differunt in τῷ Ketib; ut Joſ. 8. 12. & 15. 51. & in vocibus, in quibus diſcrepant, pleriſque geminam agnoſcunt lectionem Occidentales, ſcil. τοῦ Keri, & τοῦ Ketib: ubi Orientales unicam habent; ut Judic. 19. 5. 1 Reg. 9. 15. 3. Si ab Eſdra & Prophetis eſſent, divinam prorſus auctoritatem haberent: quod ſi ita ſenſiſſent Judæi, non miſcuiſſent eas cum reliquis, quæ a Maſorethis poſterioribus appoſitæ erant; ſed ab reliquis, quæ humanæ erant induſtriæ, ſeorſim ſumma cum reverentia ſervaſſent & tractaſſent. 4. Regula eſt apud omnes Judæos recepta, lectionem marginalem eſſe meliorem: unde & in Synagogis, & privatim ſemper legunt, ut eſt in margine; licet in libris Synagogicis iſta lectio marginalis appoſita non ſit, ſed memoriter recitetur. At certiſſimum eſt, tum LXX, tum Chaldæos Paraphraſtas, Onkeloſum & Jonathanem; imo Aquilam, Symmachum & Theodot. in Verſionibus ſuis aliquando τὸ Keri, aliquando τὸ Ketib ſequi, prout in ſuis codicibus legerunt, ut variis inſtantiis jamjam oſtendam: quod plane indicat, in codicibus ſuis iſtis voces variaſſe, ipſoſque tranſtuliſſe, prout in ſuis codicibus invenerant; nec regulam talem de lectione marginali, qualem ſomniarunt poſteriores Judæi, agnoviſſe: imo Keri & Ketib nondum notata vel collecta fuiſſe. 5. In Miſna, quod quaſi textus eſt Talmudis, nulla eſt mentio τοῦ Keri & Ketib; nec in Gemara, quod inſtar Gloſſæ ſeu commentarii eſt in Talmud, quod ante annum Chriſti 500 conſignatum non erat. Notantur tantum, in libro נדרים octo voces, quæ leguntur & non ſcribuntur; & quinq; quæ ſcribuntur & non leguntur: quæ minima pars ſunt τοῦ Keri, & τοῦ Ketib: reliquarum lectionum nulla in Talmude vola, nec veſtigium. Imo in his diſcrepant Maſorethæ a Talmude; quod certo probat, ab Eſdra & Prophetis non fluxiſſe: addunt enim Maſorethæ duas ad voces lectas, ſed non ſcriptas; & ad ſcriptas, ſed non lectas, ſex. Objiciunt ex Talmude Hieroſolymitano, lib. Sanhedrin. cap. אלו הן הגולה, ubi dicunt, Hag. 1. 8. legi ואכבדה, ſcriptum vero cum defectu literæ He. Reſpondeo, hic nihil de Keri in margine notato: hoc tantum inferri poſſe, codicem variaſſe in hoc loco; legi cum He in uno codice, ſcribi ſine He in altero. 6. Nec apud Origenem, qui allegoriis deditus myſteria ex verbis venari ſolebat; nec apud Hieronymum in Hebraicis doctiſſimum, qui Hebræorum monimenta penitus inveſtigavit; nec apud ullos Eccleſiæ Græcæ vel Latinæ Patres antiquos, ulla eſt memoria Keri & Ketib. Nec apud Joſephum & Philonem, Judaicarum antiquitatum ſolertes indagatores, ulla eſt eorum mentio; etiam cum de libris ſacris agunt, vel eos contra hoſtes defendunt, Appionem vel alios, qui hujuſmodi varietates, ſi annotatæ eſſent, Judæis objeciſſent. Nec valet, quod producit vir doctus ex Hieronymi comment. in Eſ. 49. 5. ubi reprehendit Aquilam, quod *deceptus perverſa expoſitione Phariſæorum, tranſtulit per* לו *(ei,) cum verbum Hebr. ſcriptum ſit per* לא *quod* (non) *ſignificat: unde infert,* לו *fuiſſe* τὸ Keri, לא τὸ *Ketib.* At nihil hic apud Hieronymum dicitur de Keri vel Ketib; vel de voce aliter lecta, aliter ſcripta: imo potius hinc probatur, varietates illas tunc non fuiſſe annotatas. Hieronym. enim unam lectionem agnoſcit, ſcil. לא, & de interpretatione, quam Phariſæorum vocat, cum Aquila contendit; non de lectione: ut verba ejus legenti liquet.

24. Reſtat itaque, authores, ſi non omnium, certe plerarumque, fuiſſe Maſorethas; poſteriores Tiberienſes ſcil. alioſque, qui poſt confectum Talmud floruerunt. Quædam a Talmudicis annotatæ ſunt, ut Paragr. ſuperiori diximus de vocibus ſcriptis & non lectis, & lectis ſed non ſcriptis: quibus etiam addendæ voces obſcœnæ, quas noluerunt legi, de quibus in Talm. cod. Megilla. c. 3. *Omnes voces, quæ in Lege ſunt obſcœnæ, eas legunt honeſte.* Reliquarum vero in Talmude nullum eſt veſtigium. Ad Eſdram vero & Prophetas ultimos non poſſe referri, jam oſtendimus: unde neceſſario ſequitur, Maſorethas poſteriores earum authores fuiſſe; Tiberienſes ſcil. & alios: ut cum Elia ſtatuunt plerique Theologi graviores, & inter Hebræo-Criticos haud pauci. Fuerunt Tiberienſes plerarumque auctores: alii tamen poſt illos extiterunt, qui plures obſervationes (ut de Maſora diximus in genere) addiderunt: pluresque ex MSS. codicibus addi poſſunt, ut ex Buxt. aliiſque obſervavimus. Nugatorium vero plane eſt, quod a quodam adfertur in Crit. Hebr. ad probandam antiquitatem τοῦ Keri, & τοῦ Ketib; quod Chaldæus Paraphraſtes, imo ipſi LXX ſæpius exprimunt lectionem τοῦ Keri, aliquando lectionem τοῦ Ketib; quaſi ſcil. LXX & Chaldæus mentionem feciſſent τοῦ Keri & τοῦ Ketib: ad hoc enim probandum adfertur hoc argumentum; de quibus tamen antiqui illi interpretes ne per ſomnium cogitarunt. Hoc tantum ſequitur, codices tunc temporis variaſſe; & in aliquibus fuiſſe lectionem, quam poſtea Maſorethæ in marginem poſuerunt ſub nomine τοῦ Keri; in aliis lectionem, quæ in textu remanſit, quam Ketib dixerunt. Imo contrarium certiſſime colligitur, quia ſcil. in textu legerunt, quæ nunc in margine collocarunt Maſorethæ: ideo notas haſce Maſorethicas iſtorum interpretum temporibus non extitiſſe; cum ipſi tranſtulerint, prout in ſuis codicibus legerint.

25. Reſtat alia quæſtio. Hoc enim ſuppoſito, Maſorethas fuiſſe auctores, adhuc quæritur, An ex variantibus codicibus has notas collegerint, an vero ex proprio judicio & critica cenſura voces textuales recenſuerint; & illam, quam meliorem lectionem judicarint, in margine legendam poſuerint? Hic vero diſtinctio eſt adhibenda. Nam primo, quædam ſunt circa voces obſcœniores, quas per caſtiores efferendas in margine ſub τὸ ק monuerunt. Has vero non eſſe ex codicum diſcrepantia, apertum eſt; ſed ex Rabbinorum audacia & ſuperſtitione. Sacri enim ſcriptores nunquam ſcripſiſſent voces, quas noluerunt legi; nec alias eorum loco in textu ſubſtituiſſent. Si enim aures offendunt, cum leguntur; cur non etiam legentis oculos: cum tam per oculos, quam per aures turpia repræſentari animo poſſint? Secundo, reliquas lectiones (ſi excipiantur נַעַר & יְרוּשָׁלַם) exiſtimo cum S. Amama loco citato, fuiſſe ex codicum diſcrepantium collatione. Cum enim lectionem in textu, codicum antiquitate & reverentia ducti, non auſi ſint mutare; lectionem aliorum codicum, quam veriorem judicabant, in margine annotarunt, punctis vocis marginalis ſub voce textuali adhibitis: ut hoc modo monerent, vocem marginalem legendam eſſe. Et hæc eſt communis plerorumque doctorum ſententia; Merceri in Pag. Theſau. voce דין. Druſii in Levit. 11. 21. Bertrami in Theſau. Pagn. Erpenii Gram. Heb. p. 256. Piſcatoris, in 1 Reg. 22. 48. D. Buxtorf. Anticrit. part. 2. cap. 4. Sixt. Ama. & aliorum innumerorum. Cur vero excipiantur נַעַר & יְרוּשָׁלַם rationem hanc reddit Sixt. Ama. *Quod cum illud 21 locis inveniatur in Pentateucho ſine* ה, *legatur vero cum* ה, *non veriſimile videtur ex errore ablatum fuiſſe* ה, *ſed* puellam *olim &* נערה *&* נער *voce communis generis dictam fuiſſe; ſcribas vero poſtea diſtinxiſſe, non addendo* ה, *quod non auſi fuiſſent, ſed ponendo punctum ſub* ר. *De* יְרוּשָׁלַם *quinquies tantum occurrit cum Jod, id eſt, plene: unde non eſt probabile, tot locis, ubi occurrit ſine Jod, ex ſcribarum errore Jod excidiſſe: veriſſimum itaque* putat, *antiquitus ſcriptum fuiſſe ſine Jod. Sic enim* Salem, *unde hoc nomen derivatum, ſine Jod ſemper ſcribitur: quam lectionem LXX. Chald. ſcriptores Nov. Teſt. & Hieronym. conſtanter retinent. Poſterioribus vero temporibus, cum urbs eſſet quaſi gemina, inferior & ſuperior, ſcribi cœpiſſe Jeruſalaim; idque nonniſi in libris, qui circa Captivitatem, vel ſub Captivitate ſcripti, ut Jer. 18. 26. 1 Chron. 3. 5. 2 Chr. 25. 1. Eſth. 2. 6. Punctatores vero, ut ubique eadem eſſet urbis appellatio ipſorum ſeculo uſitata, ubique eaſdem vocales ſubjecerunt: nec hoc unicum eſſe vult, in quo uſui & pronuntiationi ſui ſeculi aliquid dederint.* Hæc Sixt. Amama. Contra illud vero, quod de codicibus variantibus lectiones has colligi diximus, non ex Maſorethar um judicio Critico, objicit vir doctiſſ. quod ſine codicum collatione potuerunt Maſorethæ ex proprio judicio & cenſura Critica voces anomale, vel irregulariter & vitioſe ſcriptas, ex linguæ natura & analogia Grammatica corrigere & emendare. Hoc quidem verum eſt: probabilius tamen eſt, varios codices conſuluiſſe; & non niſi eas, quas aliorum codicum auctoritate niti invenerunt, in margine annotaſſe: cum non omnes ejuſmodi voces annotarint; (quod ſane feciſſent, ſi ex ſolo proprio judicio correctionem iſtam inſtituiſſent,) ſed eas tantum, quas aliorum codicum conſenſu firmatas viderint. Vide Jo. Morin. exercit. Samarit. 4. cap. 5. n. 9.

26. Antequam huic diſſertationi de Keri & Ketib finem imponam, obſervationes quaſdam de Keri & Ketib, a viris doctis annotatas, non inutile fuerit apponere. 1. Quod *in pleriſque iſtis lectionibus parum refert, utram ſequaris, cum loci ſenſus idem maneat: ſi vero in quibuſdam ſenſus mutetur, ex utraq; tamen lectione ſenſus verus & commodus oriatur, quem quiſq; velit, pro arbitrio ſequi poteſt: imo cũ ſenſ⁹ videtur eſſe oppoſit⁹, ut cum* לא *ſcribitur &* לו *legitur, nec cum loci circumſtantiis pugnat, utralibet retineri poteſt.* Exempla ſingularum petantur ex tract. de Keri & Ketib, Tomo ult. 2 *Licet Judæi hodie velint lectionem marginalem ſemper præferendam eſſe, tamen auctores veterum & celebriorum Bibliorum Verſionum, LXX. Chald. Vulg. Lat. aliquando lectionem, quæ hodie in margine ponitur; aliquando illam, quæ in textu relinquitur, ſecutos fuiſſe liquet, prout ſcil. in codicibus ſuis legerunt.* Sic Sept. & Vulg. Lat. ſequuntur τὸ Keri, Ex. 11. 21. Lam. 4. 18. Eccleſ. 4. 9. &c. Chald. & Græc. ſequuntur τὸ Ketib. Aliquando Vulg. Lat. ſequitur Keri, at de LXX. non conſtat; & e contra, LXX ſequuntur τὸ Keri, at de Vulg. Lat. non conſtat: ut Ex. 25. 30. ſæpe LXX. & Vulg. ſequuntur τὸ Ketib, ut Thren. 5. 3. 5. Joſ. 15. 53. Aliquando LXX

ſequuntur τὸ Ketib, Vulg. τὸ Keri; ut Thren. 2.2. Eſth. 1. 14. Idem etiam de Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis Verſionibus dici poteſt, ipſos non raro ſequi τὸ Ketib, non ſemper τὸ Keri: ut ex Nobilii aliorumque notis in noſtro ultimo Tomo cuique conſtare poteſt. 3. *Editiones Bibliorum Hebr. celebriores licet in pleriſque conſentiant, aliquando tamen diſcrepant, dum in una notatur τὸ Keri, quod aliæ prætermittunt.* Exempla vide in Catal. noſtro, Tomo 6. 4. *Conſtat, Verſiones pleraſque recentiores, tam Latinas, quam vernaculas, interdum ſequi τὸ Keri, interdum τὸ Ketib.* Junius Ketib præfert, Pro. 31. 4. Eccleſ. 9. 4. Jer. 3.20. & alibi. Aliquando in una editione ſequitur τὸ Keri, in alia τὸ Ketib; ut Eſdr. 4. 2. 1 Reg. 22. 29. aliquando utrumque; ut Pſal. 11. 1. 2 Reg. 5. 12. Et ad eundem modum Tigurini, Dan. 9. 29. Job 13. 15. Eſ. 63. 9. Pro. 17. 27. Sic Piſcator aliquando ſequitur τὸ Ketib, ut Levit. 11. 21. Pſal. 100. 3. Eſ. 9. 3. Job. 6. 2. ſæpius τὸ Keri. Idem obſervant nonnulli de verſione Pagnini, & Ar. Mont. Idem etiam de gravioribus Theologis obſervare licet in Commentariis ſuis. Auctores etiam Verſionum vernacularum modo τὸ Keri, modo τὸ Ketib ſequuntur; modo unam lectionem in textum ponunt, alteram in margine; lectori liberum relinquentes, utramlibet amplecti. Obſervant quidam nuperam Verſionem Belgicam ſæpius ſequi τὸ Ketib, rarius τὸ Keri; ſcil. 1 Reg. 12. 33. 2 Sam. 20. 14. & 23. 13. Ezech. 42. 16. & in paucis aliis locis. Lectionem liberam relinquit Piſcator in Verſ. German. Jer. 2. 20. Dan. 3. 12. Neh. 3, 30. In Anglicana ultima & accurata idem eſt videre, Joſ. 8. 12. 1 Reg. 22. 48. Pſal. 100. 3. Jer. 2. 20. & paſſim alibi. Sic etiam Genevenſ. Ex. 21. 8. Prov. 26. 2. Pſal. 100. 3. Eſa. 63. 9. Eccleſ. 9. 4. Ex his aliiſq; patet, cujuſnam auctoritatis ſit illa Judæorum regula, de præferenda ſemper lectione marginali. Quod vero contendit quidam Neotericus, ſemper τὸ Ketib retinendum eſſe, cum valde infirmo nitatur tibicine, & ex codicum & Verſionum antiquiſſimarum diſcrepantia clariſſime confutetur; ejuſmodi eſt, ut refutatione longa non indigeat.

27. Præter lectiones iſtas variantes τῶ Keri & Ketib, quas omnium antiquiſſimas ſtatuunt Judæi, notantur etiam in Bibliis Venetis & Baſileenſibus, ut & in noſtris, duo alia variarum lectionum genera: quarum primum eſt inter Orientales & Occidentales; alterum inter codices Ben Aſcher & Ben Naphtali: de quibus breviter. Per Orientales intelliguntur Judæi Babylonii, per Occidentales Palæſtini: frequentiſſima enim eſt hæc diſtinctio in Judæorum ſcriptis: Unde Talmud Hieroſolomytanum vocatur Talmud filiorum *Occidentis*, ut Babylonicum *Orientis*. In his enim locis, Babylonia ſcil. & Palæſtina, poſt excidium Templi & Urbis (alii poſt Captivitatem Babylonicam dicunt, qua auctoritate neſcio,) celebriores erant Scholæ per varia ſecula continuatæ; & Rabbini ac Doctores, qui multos habuere diſcipulos. Ex hac vero diviſione, ut fieri ſolet, diſſentiones & æmulationes inter Academias & Scholas ortæ ſunt; ut ex utroque Talmude inter alios notat D. Buxtorf. Unde & ex variante codicum deſcriptione, (qui, ut antea oſtendimus, vix ulla humana diligentia ita accurate exarari poſſunt, quin varietas aliqua orietur,) vel ex codicibus per celebriores Rabbinos emendatis, (ex quibus utrarumque partium diſcipuli & ſequaces ſuos diſcripſerint,) dum utrique lectionem ſuam ſequerentur, ortus eſt variarum lectionum catalogus. De Antiquitate harum varietatum fatentur, qui maxime in Hebræorum ſcriptis verſati ſunt, ſibi non conſtare, quando collectæ fuerint. Primus, qui eas publicavit, erat auctor Bibl. Venet. Edit. 1. in fol. quam procuravit Fœlix Pratenſis, ubi index iſtarum varietatum habetur: numerantur vero 210. quarum nulla eſt in Lege: ex hoc tamen numero detrahendæ ſunt duæ, niſi Librarii vel Typographi ſit lapſus, ſcil. Ezech. 21. 14. & Jer. 39. 11. ubi utroſque dicit iſte indiculus legere על. At errorem eſſe, non ſine cauſa judicat Capell. Crit. lib. 3. cap. 17. ſect. 1. & legendum eſſe loco priore על apud Orientales, & loco altero אל apud eoſdem: ut imprimi curavimus in Tomo noſtro ultimo. Nam על & אל, ut ex illo indice videre licet, ſæpe commutantur apud Orientales & Occidentales. Unde hunc Indicem habuerit Pratenſis, vel a quo collectus ſit, non exprimit: videntur lectiones tamen eſſe antiquæ, & punctorum vocalium inventionem præceſſiſſe; ut affirmat Elias præf. 3. in Maſora: cum omnes ſint circa literas & voces; nullæ circa puncta & accentus: circa quæ tamen multo facilior fuiſſet ſcribarum in deſcribendo lapſus, ſi puncta vocalia & accentus tunc extitiſſent. Duo tamen loca obſervat Clariſſ. Capellus, variæ lectionis circa ה Raphatum & Mappicatum, ſcil. Jer. 6. 6. & Amoſ. 3. 6. quæ quomodo inter reliquas varietates, quæ ſolum circa literas & voces verſantur, advenerint, neſcio; niſi a poſterioribus quibuſdam adjectæ ſint. An vero præceſſerint collectionem τοῦ Keri & Ketib, quæ in Occidentalium libris notantur, quæri poteſt. Mihi quidem videntur antiquiores eſſe: quum tam in Keri, quam in Ketib, multum ſit inter eas diſcriminis; tum quod & Keri & Ketib multo aliter in variis locis referantur in iſto Indice, & aliter Occidentalibus adſcribatur, quam hodie in Editionibus Occidentalium invenimus.

28. De hoc Indice, qui in Tomo noſtro ultimo inter alias varias lectiones habetur, hæc a viris doctis, præſertim a Lud. Capello, annotata ſunt. 1. Ut jam dixi, *Indicem iſtum referre Occidentalium lectionem in multis aliter, quam in Editionibus hodiernis impreſſis legimus*: quod vel ex negligentia deſcribentis, vel ex codicum diſcrepantia; idque, ut obſervat Capellus, in locis 55. In quorum 16. agnoſcunt Occidentales variam τοῦ *Keri* & *Ketib* lectionem: author autem Indicis illis adſcribit lectionem τοῦ *Keri* in locis decem, in 6 reliquis τοῦ *Ketib*. In locis vero, ubi Occidentales non agnoſcunt varietatem *Keri* & *Ketib*, adſcribit illis Index ille lectionem, quæ in 39 locis differt ab hodierna Occidentalium lectione: in quorum duobus duplicem illis adſcribit lectionem, cum illi unicam tantum agnoſcant, ſcil, Ezech. 38. 4. in החים. & Job. 2. 7. ועד, ubi eandem lectionem habent codices Occidentalium cum Orientalibus: licet in Indice dicantur Occidentales in primo loco ſcribere החיים & legere חיים, & in ſecundo ſcribere עד & legere ועד. Dein in locis illis 55. octo ſunt, in quibus eſt, vel auctoris, vel ſcribæ, vel Typographi error. Et in 30. locis dicit, differre inter ſe Orientales & Occidentales: cum tamen ſecundum codices hodiernos, Occidentales conveniunt lectione Orientalibus adſcripta, ut Joſ. 7. 22. 1 Sam. 13. 32. Eſ. 23. 12. Sic conſtat, ipſum male retuliſſe Occidentalium lectionem. An vero melius expreſſerit Orientalium, non poſſumus judicare; cum codices nullos habeamus Orientales: ſed veriſimile eſt, eadem male fide cum utriſque egiſſe. 2. Notant, quod *in tota Lege Moſis, nulla invenitur lectionis varietas*: quod quidam arbitrantur haud probabile, licet ita perſuaſum omnibus voluerit Tabulæ iſtius auctor. Nam cum inter Occidentalium codices diſcrepantia & varietas inveniatur, etiam in Lege, imo in ipſo *Kerioth* calculo; quis credet inter Occidentalium & Orientalium codices nullam reperiri diſcrepantiam? Alii hinc colligunt, magnam fuiſſe Judæorum diligentiam circa Legem; cujus nullum exemplar, ut legitimum, probant, ſi vel unicam mendam habeat. 3. Obſervant etiam, *varietatem hanc eſſe non modo in vocibus, ubi Occidentales agnoſcunt lectionem unicam, ſcil. vel Keri, vel Ketib; ſed etiam, ubi duplicem, ſcil. & Keri & Ketib*: quales numerantur 53, in quarum 20 Orientales ab iis diſſident. 4. Notant etiam, *hanc varietatem lectionis inter Orientales & Occidentales* (ut alibi de Occidentalium *Keri* & *Ketib* dictum eſt) *verſari tam circa voces integras, quam literas; & quod ad voces attinet, circa earum redundantiam, vel defectum, diviſionem, vel permutationem.* Ubi maxime notandum, Orientales pro voce יהוה ſcribere אדני nomen appellativum, & præpoſitiones אל & על frequenter commutari: ita ut in hac Tabula ſint loca 36. ubi cum Occidentales habent אל, Orientales habent על. Verſantur etiam circa literas; earumque redundantiam vel defectum, tranſpoſitionem, & permutationem. Et hac varietas frequentiſſime conſpicitur in literis אהוי, raro in reliquis, ut apud D. Capellum videre licet, Crit. l. 3. c. 17. Hic etiam notandum cum Thren. 5. 21. Orientales legant אדני, Occidentales habent nomen Tetragram. יהוה. Tandem conſentiunt *omnes varias iſtas lectiones nullius eſſe momenti, nec multum intereſſe quoad ſenſum, quam lectionem ſequaris.* Verſantur enim potius circa ὀρθογραφίαν, quam ὀρθοδοξίαν, ut loquitur D. Buxtorf: unde licet Palæſtini & Europæi ſequantur lectionem Occidentalium, alteram tamen non ubique rejiciunt: ſed utramque in editionibus quibuſdam Bibliorum imprimunt.

29. Quod ad varias lectiones inter Ben Aſcher & Ben Naphtali attinet, licet earum auctores abbreviate dicuntur *Ben Aſcher* & *Ben Naphtali*: nomina tamen plena ſunt, notante Elia, illius, *R. Aharon filius R. Moſis de tribu Aſcher*; hujus, *R. Jacob filius Naphtali*: Fuere etiam principes vel Rectores Academiarum. Locum vero, ubi Ben Aſcher vixit, liber de Accentibus in Bibliis Venet. Aſchero adſcriptus, dicit fuiſſe Tiberiadem ad lacum Geneſareth: unde probabiliter colligitur, fuiſſe Rectorem Tiberiadis, (ſic Buxtorf.) & Academiam ibi tunc fuiſſe, (quod obſervandum in controverſia de punctorum antiquitate:) alterum vero floruiſſe Babylone ſtatuunt. Nam Orientales ſequuntur lectionem Ben Naphtali, Occidentales Ben Aſcher. De his Maimon. lib. אהבה ſectione ספר תורה cap. 8. ita ſcribit, *Liber, cui in his innitimur, eſt liber per Ægyptum notiſſimus, qui viginti quatuor libros complectitur,* (id eſt, Vet. Teſt.) *qui multis annis Hieroſolymis ſervabatur, ut ex eo corrigerentur & emendarentur libri: & omnes huic innituntur, quia eum correxit, & emendavit fil. Aſer, & laboravit in ea diligenter per multos annos, & ſæpius illum correxit, prout ex eo deſcribebant.* De hoc libro etiam Elias affirmat, *ejus lectionem ſe & reliquos ſequi in omnibus his regionibus.* Tempus, quo vixerunt, refert D. Buxt. ex Gedalia ad annum Chriſti 1034. licet Genebr. & Galatinus illos antiquiores faciunt. Studia eorum erant, emendata & correcta Bibliorum exemplaria edere. Unde, quia æmulatio fortaſſe inter Doctores Babylonicos & Palæſtinos gliſcebat, noluit alter alterius opem petere, ut collatis ſtudiis unum emendatiſſimum exemplar conficerent; ſed uterque critica ſua ſcientia tumidus, codicem proprium, quam emendatiſſime potuit, conſcripſit; quem publici juris fecit, ut ex eis reliqui ſuorum ſequacium libri corrigerentur. Unde Occidentales communiter ſequuntur lectionem Ben Aſcher, (ut in Bibliis Europæis eſt videre;) Orientales Ben Naphtali: ita tamen, ut aliquando, notante Mercero in Gen. 41. 50. & 32. 17. in Bibliis quibuſdam MSS. & impreſſis, apud Occidentales inveniatur lectio Ben Naphtali. Differentia vero inter illas non eſt circa literas vel voces; ſed de punctis quibuſdam, maxime vero de Accentibus. De punctis ſcil. de Cholem, Cametz magno, Patach, Camets Chataph, Scheva, & Chateph Patach, & de Daghes & Mappic. De Accentibus vero minoribus, ut de Metheg, Maccaph, Munach, Paſta, ut an uno an gemino accentu Paſta legenda ſit, &c. Unicam tamen notat D. Buxt. diſcrepantiam de vocis integræ ſcriptione, Cant. 8. 6. non vero de ſenſu, de שַׁלְהֶבֶתְיָה quam vocem unicam eſſe vult Ben Aſcher, & in Maſora notatur; duas vero Ben Naphtali. Hinc etiam conſtat, lectiones iſtas Grammaticales tantum rixas fuiſſe, nulliuſque momenti, quum ſenſus idem ſit in utraque lectione, & quum circa puncta & accentus verſentur. Extra dubium ponit Elias, annotatas fuiſſe has varietates, poſtquam puncta & accentus inventa eſſent: quod unicuique clarum eſt. Numerantur vero iſtarum varietatum, 864. ut in Bibliis Venet. & Baſil. videre licet; in quibus extat earum Catalogus: quem etiam in Bibliorum noſtrorum Tomo ultimo exhibemus, ſed ex MS. codice antiquo in aliquibus auctum, & in meliorem ordinem digeſtum; una cum libri, capitis, & verſus notatione ubi ſingulæ inveniuntur in Bibliis noſtris: quod antea in nulla editione præſtitum fuit.

30. Cabalam Maſoræ ſubjungimus: ſunt enim correlata. Cabala קַבָּלָה eſt *receptio*, a rad. קִבֵּל *recepit*, ut Maſora *traditio* a מָסַר *tradidit*. Unde unius & ejuſdem rei diverſo reſpectu eſt traditio, & receptio; eademque ſcientia apud Judæos tam Cabala, quam Maſora, dicitur: at uſus obtinuit, ut קבלה dixerint non quamvis παράδοσιν, ſed non ſcriptam; nec omnem ἄγραφον, ſed eam tantum, quæ eſt μυστικωτέραν. Legem enim diſtinguunt in ſcriptam, & traditam ſive oralem. Illam in quinque libris Moſis contineri dicunt; hanc a Moſe voce traditam volunt: unde legem *Oralem* ſive תורה שבעל פה τὸν ἐν στόματι νόμον appellant; quam a Moſe continua ſucceſſione ad Eſdram, & ab illo ad ipſos quaſi manu traditam a majoribus dicunt. Hanc vero in duas diſpeſcunt partes, quarum una pleniorem habet explicationem præceptorum & ceremoniarum Legis, a legiſperitis & prudentibus, diverſis temporibus, factam: quæ in Miſna & Gemara, Talmudis partibus integralibus, continentur. Et tales non omnino ſunt rejiciendæ, ſi nil habent verbo ſcripto contrarium; nec in ſe ineptæ ſint: quales plurimæ hujuſmodi Talmudicæ; nec auctoritatem divinam ſibi arrogent,

ſed pro humanis conſtitutionibus, vel explicationibus recipiantur. Huc etiam ſpectant notæ Grammaticæ circa voces, literas, puncta, &c. de quibus ſupra tract. de Maſora; quæ ſtricte Maſora dicuntur, quam ſtatuit Poſſev. Biblioth. l. 2. c. 18, *Nihil aliud eſſe, quam traditionem Grammaticam de punctis vocalibus, accentibus, ſyllabis, & iſtiuſmodi minutiis.* Altera pars circa profunda legis myſteria verſatur, quæ ex verbis, literis, punctis, &c. eliciuntur: & hæc pars, quæ magis Theologica videtur, proprie ab ipſis *Cabala* dicitur. Qui vero Legi ſcriptæ tantum inhærent, ab iis ſtupidi & indocti, ut qui circa corticem tantum verſati ſunt, habentur. At qui traditiones callent, præcipue Cabaliſticas, ut ſapientes celebrant; qui intimos legis ſenſus, & altiorem ſcientiam, quam reliqui, inveſtigarunt. Hinc ſomnia & commenta ſua non tantum legibus divinis æquabant; ſed prætulerunt: unde illud decantatum in Talmude, *Plus eſſe in verbis ſapientum, quam in Lege.* Tit. Berachoth Chagiga, & de Synedrio. Et in Tract. ראש השנה p. 9. col. 1. legitur, *Verba Cabalæ æquiparantur Legi:* imo Scripturam, ejuſque ſenſum literalem, comparant Candelæ, quæ minimo quadrante emitur; Cabalam vero Margaritæ pretioſæ, quæ per Candelam accenſam invenitur. Tantam etiam reverentiam apud imperitū vulgus nacti ſunt harum rerum auctores, ut ſententiam hanc in ore habent; *Si dixerint Doctores, dextram eſſe ſiniſtram, & ſiniſtram eſſe dextram, audiendi ſunt.* Hinc, qui ultra legem ſcriptam non ſapiunt, ut rudes, imperiti æſtimantur. Miſnicos Doctores aſſimilant Apothecariis, qui medicamenta parant ex Medici præſcripto, quorum vires ipſi ignorant: & Cabaliſtas Doctores Medicis, qui omnium rerum cauſas & vires penitus exploratas habent. Videatur Manaſſes Ben Iſrael in Conciliatore. Hæc habent Judæi de Cabala, *de qua* altum eſt ſilentium apud antiquos Eccleſiæ ſcriptores; licet apud Hieronymum traditionum non ſcriptarum ſubinde mentio fiat. Joh. Picus Mirandula, & poſt ipſum Galatinus, primo apud Chriſtianos, Cabalæ naturam explicarunt.

31. Hujus vero Cabalæ ſpecies numerantur tres a Galatino, Sixto Senenſi, Bonfrerio, Serario, aliiſque, qui de ea ſcripſerunt. Prima eſt eorū, qui ante Chriſtum vixerunt, quam ex Judæorum libris primus Jo. Picus Mirandula Chriſtianis aperuit; teſtibus Petro Galat. l. 1. c. 6. & Sixto Sen. Biblioth. l. 2. & aliis. Continet vero Myſticam & ſecretam Scripturæ expoſitionem, non ſcriptam, ſed ore traditam; idque non omnibus, ſed ſenioribus, & ſapientioribus. Nec multum differre volunt a Myſtica Scripturæ expoſitione, quæ a Chriſtianis quibuſdam uſurpatur. Hanc volunt, Moſem primo a Deo in monte Sinai accepiſſe, quam Joſue tradidit; hic vero LXX ſenioribus; hi prophetis: a quibus Eſdras & Synagoga magna acceperunt; & ab his Rabbini et Judæi hodierni quaſi per manus habuerunt. Et ad hanc ſpeciem referunt quidam verba fabuloſi ſcriptoris, qui nomine Eſdræ circumfertur. l. 4. c. 14. v. 46, 47. ubi jubetur Eſdras præter legem ſcriptam, quam ex revelatione divina reſtituit, omnibuſque legi permiſit, doctrinam ſecretiorem, quam a Deo accepit, ſolis ſapientibus tradere: quia *in his erat vena intellectus & ſapientiæ fons.* Etſi vero ſub hac Cabala multa habuere antiquiores Judæi, quæ de Meſſia ejuſque regno recte expoſuerunt: multas tamen fabulas & ineptias miſcebant, & verborum involucris tegebant; quarum ſpecimen dat Mirandula, ut videre eſt in ejus operibus: ita ut inter ſenſus myſticos Veteris Teſtamenti, præter eos, quos nobis reliquerunt ſcriptores ſacri Novi Teſt. vel quos ex Apoſtolica traditione Eccleſia Chriſti Catholica, Patreſque orthodoxi, conſenſu unanimi explicarunt; ex Judæorum ſcriptis vix aliquid ſani hauriri poſſit. Fatendum vero eſt, præter ſenſum literalem, quem verba Scripturæ, ſive proprie ſive metaphorice accepta, ex Sp. S. intentione primo & immeditate ſignificant; dari etiam ſenſum myſticum quorundam Scripturæ locorum, qui non primo per voces, ſed remote per res ipſas, etiam ex intentione Sp. S. deſignantur, ſicut reconditum quid & medulla, cujus res ipſæ typus ſive umbra fuere: hicque tum Allegoricus ad Chriſtum & ejus regnum, tum Tropologicus ad mores ſpectans. Hoc enim in diſputationibus contra Judæos tenendum eſt; loca Vet. Teſt. quæ de Meſſia a nobis exponuntur, literalem ſenſum alium habere, in quo omnia implentur: licet altiorem & illuſtriorem ſenſum myſticum habeant; quo non tantum verba, ſed & res ipſæ Chriſtum, & quæ ad regnum ejus ſpectant, repræſentant. Hæc accurate, ut omnia, explicat Nobiliſſ. Grotius. Comment. in Evang. Matth. 1. 22. cujus verba, quia multum faciunt ad tollendas difficultates de Vaticiniis Vet. Teſt. a Novi Teſt. Scriptoribus ad Chriſtum applicatis, & ad Judæorum objectiones diluendas, nec res ipſa ab interpretibus plene explicata videtur, apponam. *Diſerte Apoſtolus affirmat* 1 *Cor.* 10. 11. *omnia hæc (quæ ſub vetere fœdere erant) eveniſſe* τυπικῶς, *ſcripta autem eſſe ad noſtri admonitionem,* εἰς οὓς τὰ τέλη τῶν αἰώνων κατήντησεν. *Hinc Chriſti tempus vocatur plenitudo temporum, Gal.* 4. 4. *Eph.* 1. 10. *adeo ut non tantum inſtituta legis fuerint umbra Chriſti, ut ex Heb.* 8. 5. *&* 10. 1. *& Col.* 2. 17. *conſtat; ſed & res geſtæ, præſertim nobiliores. Unde Juſt. Mart. contra Tryphonem, ait, res geſtas eſſe* προκηρύγματα τῶν κατὰ Χριστοῦ ἀπάντων. *Tertull. Scimus, ut vocibus, ſic & rebus prophetatum. Et Chryſoſt. in* 1 *Cor.* τὰ μὲν διὰ ῥημάτων, τὰ δὲ διὰ τύπων ἐστὶν αὐτοῖς κείμενα. *Et ſerm. de jejunio, ait, aliam eſſe Prophetiam* διὰ τύπου *ſive* πραγμάτων, *aliam* διὰ λόγου sive ῥημάτων. *Sic Chriſtus adumbratus erat per agnum Paſchalem: qui ut ſignum erat liberationis ex Ægypto; ſic ipſa liberatio ex Ægypto erat typus liberationis noſtræ a peccato. Hoſ.* 2. 8. *ſub liberatione ex Ægypto liberatio major per Chriſtum typica adumbrata fuit. Ita enim dirigebatur mens Prophetæ, ut quod ab ipſo de populo Iſraelitico dicebatur, non minus recte, imo rectius, de Chriſto diceretur. Sic Pſal.* 72. *qui, ut ex titulo conſtat, de Salomone & ejus honore quoad literam ſcriptus eſt, ad Meſſiam referunt Chald. Paraphr. in locum, ut & ex Rabbinis, Jarchi & Saadias in Dan.* 7. 14. *Quod de cædibus in regione Babylonica ſuo tempore dixerat Jeremias,* 31. 15. *ita depingit id quod Herodes in Infanticidio patravit, ut aliis verbis non potuit id ſignantius exprimi. Quæ Davidi* κατὰ λέξιν *conveniebant, etiam ad Chriſtum, ſervata verborum proprietate, pertinent, ut de veſtium diviſione, & ſortilegio, Pſal.* 22. 19. *Matth.* 27. 25. *& de potu aceti & myrrha, Pſal.* 69. 22. *Joh.* 19. 28. *Sic in præſagiis futurorum, idem bis impletum: ſemel, cum res ipſa evenit, quæ directe prædicitur; & excellentius, cum id apparet, cui adumbrando, tum res illa, tum verba ea notantia ſerviebant.* Hæc, & alia, vir ille longe doctiſſ. quæ pluribus exemplis illuſtrat, ex Eſ. 9. 1. & 42. & Zach. 9. 9. & ex Kimchi, qui Pſal. 2. tum de Davide, tum de Chriſto interpretatur. Ex quibus infert, *præter ſenſum literalem, eſſe & ſenſum myſticum, qui in literali fundatur; & utrumque Sp. S. intentioni convenire, & ita a Chriſto & Apoſtolis in N. Teſt. explicari.* De locis itaq; illis Vet. Teſt. in quibus veteres ſudarunt, ut de Chriſto intelligi debere probarent, cum Judæi alium ſenſum literalem iis affixerint, exiſtimat vir Clariſſ. *nihil veritati periturum, ſi concedatur, aliud prima fronte indicari, aliud ſub involucro tegi: adeo, ut verba ad ultimum illud ſignificatum, obtineant ſenſum magis proprium, magiſque excellentem. Hoc tamen advertendum eſt, quod ejuſdem ſententiæ non verba ſingula Chriſto congruunt, ſed præcipua quædam: ut* 2. *Sam.* 7. 13. *verba illa,* Ipſe ædificabit domum nomini meo, & firmabo ſolium regni ejus uſque in ſeculum. Ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium: *quæ ita de Salomone dicuntur, ut Chriſtum modo eminentiori reſpiciant: at quæ ſequuntur, ad Chriſtum neutiquam pertinent, de caſtigatione,* Si peccaverit: &c. Hactenus D. Grotius. Ex his vero videmus, ſenſum myſticū literali ſuperſtructum ex Scripturis probari poſſe, & iſtiuſmodi ſenſus apud Judæos antiquos ante Chriſtum a ſacris ſcriptoribꝰ primo hauſtos eſſe, quos inter poſteros ſapientiores conſervarūt.

32. De hujuſmodi tamen ſenſibus notandum, Non licere unicuique pro libitu ſenſum myſticum in Scriptura fingere. Nam vel ex ipſa Scriptura, vel ex traditione Catholica (quæ neceſſario Apoſtolos vel Prophetas auctores habet) conſtare debet, ſenſum iſtiuſmodi, Sp. S. intentioni reſpondere. Ideoque inutilem operam ponunt in ſenſu myſtico indagando, qui, neglecto ſenſu literali, proprii ingenii figmenta pro ſenſu myſtico venditant; quæ vel in ipſa Scriptura, vel traditione Catholica fundamentum non habent. In hoc, tum a Chriſtianis, tum a Judæis, multum peccatum eſt, dum allegorias ſectando & ſimilitudines, proprias conjecturas pro Verbo divino crepant: quæ, ſi ut ingenii partum ad Scripturam illuſtrandam, non ad aliquid probandum proponerent, tolerari poſſent: dum vero pro ſenſu vero Scripturæ, ſive literali, ſive myſtico, aliis obtrudunt, non ſunt audiendi. 2 Scripturæ ſacræ proprium eſſe, ſenſum myſticum reconditum habere ſub cortice literæ, ut notat Tho. part. 1. q. 1. art. 10. & ex ipſo, Bonfrer. præloq. c. 20. ſect. 2. Unde Gregorius l. 20. Moral. c. 11. ait, *Scripturam omnes alias ſcientias ſuo locutionis more tranſcendere.* Licet enim Platonici & Pythagorici obſcuris verborum ambagibus quædam abdiderint; Ægyptii figuris Hieroglyphicis, res quas arcanas eſſe voluere, legerint; alii per fabulas & parabolas res alias ad mores ſpectantes repreſentarent: ſenſus tamen illorum abditus primus eſt, quem ſub iſtis involucris intelligi volunt. At vero in Scriptura verba ſenſum immediatum & proximum clare & perſpicue oſtendunt, literalem ſcilicet; remote tamen alium ſenſum habent, ſub rerum ipſarum, quæ verbis exprimuntur, figuris contectum; quem ſolius Dei eſt rebus imponere: qui ut omnia intellectu ſuo comprehendit; ſic pro ſuprema poteſtate ſua, tum verba, tum res verbis ſignificatas, in ſigna conſtituere poteſt, ad quicquid ipſi placuerit exprimendum. 3. Multum etiam differt modus tradendi ſenſus myſticos in Cabala, ab eo quem ſcriptores Nov. Teſtamenti, vel Patres Eccleſiæ Orthodoxi ſervarunt. Cabaliſtæ enim obſcuris verbis myſteria ſua tradunt, ut a vulgo non intelligantur; (ut Pythagorei per obſcura ſymbola myſteria ſua efferebant, quos a Cabaliſtis antiquis hunc modum hauſiſſe volunt;) vel ut Chymici Doctores ſecreta ſua obſcuris verborum involucris involvunt: quod faciunt, quia pleraque falſa & inepta ſunt, & riſum moverent, ſi citra ambages aperte proponerentur. At ſenſus myſtici Chriſtianorum plane & perſpicue traduntur: ut ſi quis non intelligat, non ex tradendi modo, ſed ex objecto (quod ſublime) tanta obſcuritas oriri videatur. Cabaliſtæ etiam pro libitu ſenſus myſticos comminiſcuntur, & ſomnia ſua ac deliria pro Verbi divini ſenſu myſtico obtruduent. At ſenſus myſtici, qui a nobis probantur, ſunt tantum qui vel ex Nov. Teſt. ſcriptoribus & eorum libris colliguntur; vel quos Eccleſiæ traditio vere Catholica, tanquam ab iis profectos, nobis commendat.

33. Alia ſpecies Cabalæ eſt, quam *Practicam* vocant, quæ ab omnibus ut Magica & illicita damnatur; cum ex literis vel verbis Scripturæ detortis, & arcanis quibuſdam inde elicitis, Judæi quidam ſe Angelis familiares reddere opinantur, miracula poſſe patrare, morbos ſanare, dæmones fugare, &c. Huc ſpectant exorciſmi, amuleta, &c. Exemplum hujus Magicæ Cabalæ refert Ramban, ſive R. Moſ. Ben Nachman, de medico quodam, qui cum propter ſcortationem comburendus eſſet, beneficio Cabalæ practicæ ita formam ſuam mutavit, ut ejus loco equum in ignem conjicerent. Refert etiam idem de ſeipſo, quod virtute nominis Tetragram. quod in ſchedula habebat ſcriptum, navem a terra in mare deduceret, quam Naupegi loco movere non potuerunt: quod factum erat Barcilonæ in conſpectu Regis. Et per hoc nomen, (cum miracula Chriſti negare non poſſint) non minus ridicule, quam impie, blaſphemant, Chriſtum Dominum omnia ſua miracula perfeciſſe; nomine hoc ſcil. in templo invento, quod in membrana ſcriptum, in vulnere pede facto occultaverat. Hoc vero, ut dixi, non minus ridicule, quam impie, ab iis fictum. Si enim per veram nominis hujus pronunciationem miracula patrari poſſunt; cur ſacerdotes, qui ſtante Templo, per nomen hoc, (cujus veram pronunciationem norant,) populum benedicerent, iſtiuſmodi miracula efficere non poterant? Vide Sixt. Senenſ. lib. 2. Bonfrer. præloq. cap. 21. ſect. 4. Schickard. & alios.

34. Tertia ſpecies Cabalæ apud Judæos recentiores, ſpecialiter *Cabala* dicitur, quæ in literis, punctis & accentibus, & Scripturæ verbis ludit; ex variis permutationibus, combinationibus, abbreviaturis, vel ex literarum figura, vel valore Arithmetico, myſticos ſenſus eliciendo, & myſteria plerunque inania, & ſuperſtitioſa excogitando. Hæc ars a Judæis, qui eam profitentur, ſtudioſe occultatur: ita ut vulgus nihil, & qui inter eos docti habentur, pauciſſimi de ea aliquid intelligant. Unde & Elias Levita (qui tamen inter ipſos Grammaticorum doctiſſimus ſui temporis habetur) in Theſbite, lit. Coph, profiteatur ſe non poſſe hanc ſapientiam ſufficienter exponere, & ob pravitatem ſuam non attigiſſe iſtam ſapientiam & ſcientiam ſanctorum: & R. Bechari Bar Aſcher, qui multum in hoc ſtudio profecerat, & quædam de ea obſcure ſcripta reliquit, lectoribus ſuis ſerio injungit; ſi aliqua iſtorum myſteriorum didicerint, ne temere aliis communicent. Plinius tamen (utcunque occultarent) de ea aliquid ſubolfecit, cum hanc inter Magiæ ſpecies referat, licet nomine depravato: nam Jochabelam vocat, & a Moſe & Judæis arceſcit, licet multis annorum millibus poſt Zoroaſtrem ponat, Hiſt. l. 30. c. 1. Ut vero, quid ſit, melius intelligamus, ſingulas ejus ſpecies conſideremꝰ: quas pleriq; tres faciunt, alii plures: ut Schick. & Manaſ. in Conciliatore in Ex. & alii: quæ tamen omnes ad has facile revocari poſſunt.

35. Prima eſt גימטריא *Gematria.* Vox eſt origine Græca: hic tamen uſurpatur ad denotandam Arithmeticam literarum ſupputationem, qua dictionum quarundam, quarum literæ eundem numerum producunt, unam per alteram explicant. Fundamentum hujus eſt, quod literæ apud Hebræos, ut apud alios, ſingulæ

numeros denotant, quos nos per cyphras deſignamus. Nec multum diſſimile eſt hoc artificium Chronogrammatiſmo, quo per verborum literas numerales annũ rei geſtæ indicamus: cum hoc diſcrimine, quod non omnes literæ Romanæ numeros denotant, ſed hæ tantum, C.D.I.L.M.V.X: apud Hebræos vero omnes huic officio deſerviunt. Exempla inter plura hæc ſunt, Zac. 3.8. *Adducam ſervum meũ*, צמח *Tſemach:* ubi Kimchi notat, quoſdam per צמח intelligere Meſſiam. Hoc vero probant, quia inter Meſſiæ nomina, quæ a Talmudicis ei tribuuntur, unum eſt מנחם Menachem, *Conſolator*, literæ autem utriuſque vocis, & צמח & מנחם producunt numerum 138. unde inferunt per צמח intelligi Meſſiam. Acute ſane. Sic ex prima voce Geneſis בראשית probant Deum creaſſe mundum in *lege*, quia ſcil. ex his verbis בתורה יצר *in lege formavit*, idem numerus elicitur, ſcil. 913. Sic ex בראשית ברא *In principio creavit*. Gen. 1.1. probant mundum creatum fuiſſe initio anni, ſcil. menſe Septembris, quia in his verbis בראש השנה נברא *In principio anni creatus eſt*, idem numerus ſcil. 1136. continetur. Huc etiam referunt quidam artificium, quo ex Ædificiis, ut Arcæ, Templi, &c. myſteria eliciunt; ut cum Geneſ. 6.15, Arca deſcribatur eſſe longa 500 cubitos, lata 50. alta 30. longitudinem dividunt per altitudinem: unde ſummam 10 producunt, quæ reſpondet literæ Jod: deinde huic numero adjungunt arcæ longitudinem, ſcil. 500. qualis numerus denotatur per Schin: tandem eam dividunt per latitudinem, ſcil. per 50. & prodeunt ſex, quæ denotantur per Vau. Sic elicitur nomen Salvatoris ישו: ſic enim pro vero nomine ישוע ſcribunt, idque per contemptum. Huc etiam a quibuſdam refertur, cum ex figuris vel formis literarum aliquid eliciunt: de quibus Schick. Bechin. p. 78.

36. Secunda ſpecies dicitur נוטריקון *Notaricon*, quo per compendium literarum ſingulæ literæ alicujus dictionis totidem verba ſignificant, quæ eaſdem literas initiales vel finales habent. Ut Gen. 1. 1. ex בראשית, *In principio*, hunc ſenſum eliciunt בראשית ראה אלהים שיקבלו ישראל תורה .i. *In principio vidit Deus, quod Iſraelitæ acceperunt Legem*, quia ſcil. literæ initiales verborum hujus ſententiæ eædem ſunt, & in eodem ordine ponuntur, quæ in בראשית: quaſi ſcil. Deus mundum creaſſet, quod videret Iſraelitas legem recepturos. Sic in Vulgato illo nomine מכבי *Maccabei*, ſingulas literas volunt exprimere totidem voces iiſdem literis incipientes. Ex. 15. 11. מי כמוך באלים יהוה *Quis, ſicut tu, inter deos, Domine?* Dicunt quidam, Judam, cum contra Antiochum præliaturus erat, hoc ſignum in vexillis habuiſſe: unde, parta victoria, poſtea dictus eſt Maccabæus. Ut initiales, ſic finales literæ, huic uſui inſerviunt: ut cum dicitur, *Principium verborum tuorum veritas*, quærunt profundi iſti doctores, quomodo hoc verum eſſe poſſit, cum principium Geneſis ſit, *In principio creavit Deus, &c.* Quæſtionem vero ſolvunt per artem Notaricam, quia poſt primam dictionem בראשית, trium ſequentium literæ finales faciunt hoc verbum אמת *veritatem*, ſcil. ברא אלהים את; unde probant, quod principium verborum Dei ſit veritas.

37. Tertia ſpecies eſt תמורה *Permutatio*, qua, eodem literarum numero retento, eas, eodem ordine manente, aliter componunt; vel, mutato ordine, tranſponunt; vel per certam Alphabeti combinationem cum aliis permutant. Sic enim optime hanc ſpeciem explicat Schickardus. Exemplum primi modi ponit in בראשית Gen. 1. 1. quam vocem, eodem literarum ordine manente, dividunt in duas ברא שית *creavit fundamentum*, vel בר אשית *filium ponam*. Secundi, cum ex literis tranſpoſitis aliud vocabulum exurgit; quod primum explicat; ut cum vocem האדם explicant per אדמה *terra*. Sic Ex. 23. 23. ex מלאכי *angelus meus*, probant hunc fuiſſe Michaelem, quia literis tranſpoſitis fit מיכאל. Et hic modus ſimilis eſt Anagrammatiſmo, Latinis aliiſque uſitato. Tertii, cum unam literam pro alia ponunt; ita ut idem ſit literarum numerus, una tamen alterius poteſtatem habeat, unde in magno Alphabeto faciunt 242 portas ſive congregationes: ipſi tamen unam ſeriem tollunt, & tantum 231 numerant. Non quod quælibet litera pro qualibet ponatur; ſed quod una litera pro alia ſubſtituatur, ex pacto inter eos, qui arcana inter ſe per occultas literarum notas communicant. Exempli gratia, cum pro א prima Alphabeti litera ponunt ת ultimam, pro ב ſecunda ש penultimam &c. Et hujuſmodi Cabalam volunt Prophetam uſurpaſſe, Jer. 23. 26, cum infauſta Regi Babylonis prænunciat: quia vix tutum erat Regem Babylonis nominare, pro בבל poſuit ששך, ut explicat Hieronym. ſubſtituendo literas ש ש pro ב ב & ך pro ל modo ſupra expoſito. Quod an Prophetæ in mentem venerit, aliis judicandum relinquo. Præter has Cabalæ ſpecies, alias recenſet Manaſſ. loco citato: quarum quædam ad has referri poſſunt. Aliæ depromuntur ex vocibus ſcriptis, & non lectis; & lectis, ſed non ſcriptis; ex literis clauſis & apertis, magnis & parvis, inverſis & ſuſpenſis; ex plenis & defectivis, ex vocibus ſuperne punctatis, ex accentuum irregularitate, &c. de quibus ſupra in Maſora diximus. Myſteria vero, quæ ex his depromunt, cum meræ nugæ & ineptiæ ſint, nolo in iis tempus terere.

31. Reſtat, ut quædam de authoribus & uſu Cabalæ ſubnectam. Ubi primo ſtatuendum eſt, falſiſſimum eſſe, & nullo fundamento niti, quod Judæi hæc omnia ad Moſem vel Prophetas referant. Quam indignum enim eſt Scriptores ſacros iſtarum nugarum auctores facere? Nec credendum eſt, eos Scripturas, earumque verum ſenſum ita pervertere voluiſſe, ut in Cabala fieri videmus. Auctores itaque non ſunt alii, quam ſuperſtitioſi Rabbini, qui juſto judicio Dei excæcati ob rejectum Salvatorem, dum cæcum populum ducant, in foveam ſecum præcipitant; & pro verbo divino animarum pabulo, quiſquiliis populum deludunt potius quam paſcunt. Horum quidam Ante-Talmudici, plerique recentiores. Secundo, artem hanc, quam ad Scripturæ ſenſum eruendum adhibent, prorſus vanam, ridiculam, ſæpe impiam & ſuperſtitioſam eſſe. Talibus enim commentis quidlibet ex verbo Dei extrahere poſſunt, & pro regula fidei & morum, regulam Lesbiam facere. Unde & apud ipſos etiam Judæos, cordatiores tales interpretationes parum curant. Aben Eſra præf. in Legem, tales interpretes *noctuis* aſſimilat, *qui in literalis ſenſus ſplendore cæci ſunt, at in myſteriorum tenebris perſpicaces*: & axioma hoc Rabbinicum habet, quod *Textus ſacer non egreditur de manibus ſimplicis & literalis ſenſus*: & in Gen. 14. 24. ait, *Scripturam non loqui Gematrice; ſed verba intelligenda ſunt, prout ſonant*. Etſi ergo quædam habeant, quæ ingenioſa videntur; quæque in aliis ſcriptis tolerari poſſent, utpote in ſe indifferentia: tamen, cum in rebus ſacris ludere nefas ſit, & myſteria ſua iſti pro vero Scripturæ ſenſu venditent, quæ potius ad Scripturam ſacram corrumpendam viam muniunt; iſtiuſmodi ſtudia, ut inutilia & infructuoſa, rejicienda cenſeo. Videant, qui plura deſiderant, Joh. D'Eſpeires, Tract. de textu Hebr. diſp. 2. Dub. 5. Schickard. Bechin. Hap. ſect. 6. D. Hottingerum Theſaur. Philol. lib. 1. cap. 3. ſect. 5. Joh. Morinum in Pent. Samarit. exercit. 2. c. 7. 8. 9. Bonfrer. Præloq. c. 21. Serar. in Prolegom. qui inter alios hoc argumentum fuſius tractarunt.

PROLEG. IX.

De Verſionibus Græcis, præcipue LXXII. Seniorum.

1. *De Verſionis Græcæ LXXII Interpretum præſtantia & dignitate.* 2. *Ejus hiſtoria.* 3. *Conſilium Divinum in hac Verſione.* 4. *Ariſtæi librum de hac Verſione genuinum eſſe.* 5. *Quo tempore facta fuerit.* 6. *Primam fuiſſe Verſionem Græcam.* 7. *Interpretes fuiſſe LXXII.* 8. *Interpretes non fuiſſe infallibiles.* 9. *De cellulis in quibus Verſionem ſuam confecerint.* 10. *Spacio 72 dierum confectam fuiſſe.* 11. *Non ſolum Pentateuchum vertiſſe, ſed omnes Vet. Teſt. libros Canonicos.* 12. *Non ad verbum tranſtuliſſe, ſed ſenſum reſpexiſſe, aliquando Paraphraſtas egiſſe.* 13. *Libros, qui Apocryphi vocantur, eos non tranſtuliſſe.* 14. *Codice Hebræo puro uſos eſſe, non plebeio vel corrupto, Chaldaico, vel Samaritano.* 15. *Verſionem hanc a Judæis receptam & probatam fuiſſe, & in Synagogis publice prælectam.* 16. *De locis* 13. *quæ Judæi dicunt Sept. mutaſſe.* 17. *An loca quædam aliter verterint, ut myſteria fidei occultarent.* 18. *An alia Verſio Philometoris tempore facta ſit, quæ nomen τῶν ό adepta ſit? An vera Sept. Verſio in Cleopatræ Bibliotheca repoſita fuerit?* 19. *Poſt Chriſtum varias Verſiones Græcas fuiſſe ab apoſtatis Judaizantibus factas per Aquilam, Theodotionem & Symmachum.* 20. *De Verſione V. & VI. & VII.* 21. *De Origenis Tetraplis, Hexaplis, Octaplis.* 22. *De obelis & aſteriſcis, quos appoſuit Origenes.* 23. *De ordine Verſionum ab Origene in Hexaplis ſervato.* 24. *Origenem Græcum textum non corrupiſſe.* 25. *De Editionibus Græcis Sept. per Euſebium Pamphili, Lucianum, & Heſychium elaboratis. Non multum inter ſe diſcrepaſſe.* 26. 27. *Vulgata ſive κοινὴ quænam fuerit:* 28. *De Editionibus recentioribus. Complutenſi.* 29. *De Editione Veneta.* 30. *De Romana: ubi de codice MS. Vaticano.* 31. *De antiqua Vulgata Latina.* 32. *Editionem Romanam omnium maxime ſinceram eſſe.* 33. *De Editione Romana Londinenſi.* 34. *De MS. noſtro Alexandrino.* 35. *An Verſio Sept. vera & genuina hodie extet?* 36. *Unde hæc Controverſia orta ſit.* 37. *Veram eſſe, quæ hodie extat, probatur, ex teſtimonio Judæorum.* 38. *Ex locis, quæ citantur ab Apoſt. & Evang. ex Verſione τῶν ό.* 39 *Hieronymi aſſertiones rejectæ.* 40. *Idem probatur ex veteri Eccleſia, & Patrum ſcriptis.* 41. *Ex locis, in quibus notarunt Veteres Verſionem LXX ab Heb. diſcrepaſſe.* 42. *Ex antiquiſſimis MSS.* 43. *Ex Verſionibus Orientalibus.* 44. *Ex Adverſariis.* 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. *Ad argumenta contraria reſpondetur.* 52. *De auctoritate hujus Verſionis.* 53. *Contra Hieronymum defenditur.* 54. *Contra recentiores.* 55. *Non eſſe proprie Authenticam.* 56. *Quænam auctoritas ei tribuenda ſit.* 57. *De quæſtione circa annos Patriarcharum ante & poſt Diluvium.* 58. *Argumenta pro Hebraicorum codicum calculo.* 59. 60. 61. 62. 63. *Pro codicum Græcorum calculo, argumenta varia.* 64. *De Cainane Arphaxadi filio in Genealogia Chriſti, Luc.* 3. 36. 65. *Objectionibus reſpondetur, nec per errorem ſcribæ in textum irrepſiſſe, nec ex vulgi ſententia Evangeliſtam inſeruiſſe.* 66. *Evangeliſtam Genealogiam τῶν ό ſecutum fuiſſe.*

1 INter Græcas Veteris Teſtamenti Verſiones principem locum merito obtinet celebris illa LXXII. Interpretum, nobile illud Synagogæ & Eccleſiæ monumentum, ut quæ in tanto honore fuit tam apud Judæos, quam Chriſtianos, tum Orientis, tum Occidentis: ut ab illis in Synagogis; ab his fere ſola, vel ex ea factæ verſiones, in Eccleſiis, publice perlegerentur. Ex hac reliquæ Verſiones omnes ab Eccleſia antiquitus approbatæ (ſola excepta Syriaca) traductæ ſunt, viz. Arabica, Æthiopica, Armena, Illyrica, Gothica, Latina vetus ante Hieronymum: nec aliam Eccleſia Græca, & pleræque Orientales in hunc uſque diem agnoſcunt, hac ſola contenti. Hanc Patres & Theologi, tam Græci quam Latini, commentariis illuſtrarunt, & in ſcriptis ſuis ubique citarunt; Ignatius, Clemens uterque, Juſtinus, Tertullianus, Irenæus, Cyrillus, Baſilius, Theodoretus, Gregorius, Athanaſius, Chryſoſtomus, Ambroſius, Auguſtinus, Hilarius, totuſque venerandus Veterum Chorus, antiqua illa Eccleſiæ Lumina, quotquot doctrina & ſanctitate claruerunt. Ex hac veritatem doctrinæ probarunt, errores & hæreſes profligarunt; vitæ & diſciplinæ regulas hauſerunt. Imo in Conciliis, tam provinciliabus, quam generalibus, hæc a ſanctiſſimis Patribus uſurpata: ita ut Philaſtrius Hæreſ. 39, 40. ſcribere non dubitaverit, quod *hanc Eccleſia Catholica colit, legit, prædicat; alias autem* (ſcil. Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis) *ut ſupervacaneas, & tantæ Editioni contrarias contemnit.* Multi tanquam divinam, & ſpeciali Sp. S. afflatu factam prædicarunt; &, teſte S. Auguſtino de Civit. l. 18. *ita hanc acceperunt*, præſertim inter Græcos, *ut an alia eſſet, ignorarent.* Hieronymus etiam, qui inter omnes Veteres minus æquus erat in hanc Verſionem, eam tamen, ut ab *Apoſtolis approbatam, veram eſſe* ſtatuit, Præf. in 4. Evang. ad Damaſum; & Epiſt. ad Suniam, & Fretelam affirmat, *Verſionem Græcam, quæ in Origenis ἐξαπλοῖς habetur, & quam ipſe verterat, ipſam eſſe, quæ in eruditorum libris incorrupta, & immaculata LXX Interpretum tranſlatio reſervatur; & quod quicquid ab hac diſcrepat, nulli dubium eſſe, quin ita & ab Hebræorum auctoritate diſcordet.* Maximum vero auctoritatis pondus huic Verſioni accedit, quod Chriſto & Apoſtolis in uſu fuerit, qui pleraque teſtimonia, quæ ex Vet. inſtrumento proferunt, ſecundum hanc Verſionem citant: imo, cum verba ab Hebraico textu differre videntur. Unde Irenæus l. 3. c. 25. hæc habet, *Apoſtoli, cum ſint his omnibus vetuſtiores, conſonant prædictæ interpretationi, & interpretatio conſonat Apoſtolorum traditioni. Etenim Petrus, & Johannes, & Matthæus, & Paulus, & reliqui deinceps, &*

ho-

rum ſectatores prophetica omnia ita enunciarunt, quemadmodum Seniorum interpretatio continet, &c. Per hanc Eccleſia ubique terrarum Chriſto primum acquiſita, hujuſque lacte ſacro enutrita. Unde Chryſoſt. in Joh. 9. Hom. 68. Verſionem τῶν ο' vocat, *oſtium ad Chriſtum.* Et recentiores Critici & Grammatici, qui novandi ſtudio omnia antiquorum monumenta ſpernunt & conculcant, & in Verſionem Græcam convitia pleno ore eructant; inviti tamen aliquando pro eadem teſtimonium honorificum ferunt. Scal. in Euſeb. anno 1734. fol. 124 ſcribit, *multa a ſe dici poſſe, quam utilis iſtius tranſlationis lectio ſit, quamvis ab Hebraicis fontibus longe recederet.* Et Verſionem hanc *rarum & incomparabilem theſaurum eſſe, neminem negare poſſe, niſi qui ab omni eruditione alienus ſit,* ſcribit Heinſius Ariſtarch. Sacri c. 15. p. mihi 951. Et auctor Anonymus quæſtionis de locis parallelis Vet. & Novi Teſt. licet in LXX. iniquus eſſe videatur, tamen p. 490 dicit, *neminem eſſe, qui non eam & antiqua ſua canitie, & ex miris dotibus, & rerum earum, quas exprimit, præſtantia, dignam judicet, ut omnium præconiis celebretur: prout ea etiam omnium ſeculorum probata ſuffragiis ad noſtra uſque tempora pervenit.* De hac itaque Tranſlatione dicturi, 1. De ejus Hiſtoria, a quibus, quando, qua occaſione facta, quos libros tranſtulerint, & de quibus exemplaribus; & de hiſtoricis hoc teſtantibus, &c. 2. De ejus ſinceritate. 3. De ejus auctoritate, inquirendum.

2. Hiſtoriam hujus interpretationis primo ſcripſit Ariſtæas, qui & Ariſtæus, & a quibuſdam Ariſteas dicitur, inter Philadelphi Regis Ægypti, Lagi filii, ab Alexandro tertii, proceres ſummus; ob eximiam eruditionem, prudentiam, & probitatem Regi charus, & ex amicis intimis; Hieronymo Regis ὑπερασπιστὴς dicitur, quaſi ejus *propugnator*; aliis Regi a cubiculo fuiſſe dicitur. Hic teſtis omnium oculatus, rebus geſtis interfuit: unde Hiſtoricus fide dignus, & omni exceptione major haberi debet. Librum primus conſcripſit peculiarem ſermone Græco ad Philocratem fratrem ſuum: in quo rem totam plene narrat; ad quem Joſephus lectorem remittit: eundemque in Hebraicum ſermonum tranſtulit R. Azar. Idumæus, & in libro Meor Enajim continetur. (Vide Buxt. Biblioth. Rabbinic.) In Latinum vero Idioma varii verterunt: alii etiam in linguas vernaculas tranſtulerunt. Quæ vero ſcripſit, Ægyptiorum annalibus, quæ a ſacerdotibus ſumma cura ſcribi conſueverant, confirmari tradit Galeſinius Com. de LXXII. Interp. p. 9. Nec ſuſpicari quiſquam poteſt, ipſum Hiſtoriæ leges neglexiſſe, vel in Judæorum gratiam aliquid commentum fuiſſe; cum Judæus non fuerit, licet ipſis ex innata bonitate faveret, ipſorumque patrocinium in ſe ſuſceperit. Circa idem tempus, vel non multo poſt, Ariſtobulus Judæus Ariſtotelica philoſophia clarus, libro ad Ptolom. Philometorem l. 1. c. 4. cujus etiam præceptorem fuiſſe tradunt, eandem hiſtoriam refert. Ad hunc Ariſtobulum legimus, 2 Macc. 1. 10. Judam & Senatum cum populo Epiſtolam dediſſe, quæ ibi recitatur. Poſt hos hiſtoriam hanc ſcripſerunt, Joſeph. l. 12. Antiq. c. 2. & Præf. ad hiſt. & lib. 2. contra Appionem; Philo lib. 2. de vita Moſis, Hiſtoricorum apud Judæos facile principes: Talmud utrumque tract. Megill. & Rabbini plurimi. Inter Chriſtianos vero Juſtinus Mart. Tertull. Euſeb. A[illegible]ſt. Hieron. Epiphanius, reliquique Eccleſiaſtici Scriptores, qui omnes hi[illegible]iam, ut ab Ariſtæa & Joſepho refertur, ut certiſſimam ſine ulla dubitatione receperunt: ita ut veriſſime dixerit Joh. D' Eſpeires Tract. de LXX. Interp. *hiſtoriam hanc eſſe teſtatiſſimam & celeberrimam: ita ut vix ulla ſit inter Ethnicos nobilior vel certior.* Summa hiſtoriæ totius huc redit; Regem Ptolemæum, (quem magnis elogiis ornat Philo; ut qui ſupra omnes ſui vel ſuperiorum ſeculorum Reges, virtutibus Regiis emineret, ita ut ab ipſo in proverbium abierit, ut omne opus magnum & ſumptuoſum *Philadelphium* diceretur,) cum magno literarum ſtudio flagraret, omniſque generis libros, qui ullibi haberi poterant, conquireret, ut Bibliothecam ſuam magnis ſumptibus Alexandriæ ſtructam ornaret, & inſtructiſſimam haberet, ſuaſu Demetrii Phalerii, (quem Bibliothecæ præfecerat,) Judæorum leges & religionem, cum ipſorum libris ſacris, in Bibliothecam ſuam inferri deſideraſſe, & ut in linguam Græcam, quæ omnium longiſſime propagata, & ſibi optime nota erat, verterentur. In hunc finem legationem honorificam miſit cum literis, & magnificis in uſum Templi donariis, ad Eleazarum Judæorum Pontificem, (hic fuit Oniæ primi filius, Simeonis Juſti frater; de quo Siracides cap. 10. & Jaddi nepos, qui Alexandro obviam ivit, ejuſque iram lenivit,) poſtulans, ut libros ſuos ſacros ad ipſum mitteret, una cum viris, tam doctrina, quam ætate & moribus, conſpicuis, qui ad tantum opus conficiendum idonei eſſent. Eleazarus, convocato concilio, viros LXXII. ex qualibet tribu ſex, una cum exemplari librorum Sacrorum, (quod ex multis membranis artificioſe connexis conſtabat, & literis aureis erat deſcriptum,) ad Regem miſit: qui ſummo gaudio eos excepit, & Volumina ſacra venerabundus aſpexit; & poſt convivia & colloquia, in inſulam Pharum, ſeptem ſtadiis ab Alexandria diſtantem, remiſit: ubi procul a ſtrepitu, domum contemplationibus divinis idoneam eis aſſignavit; ubi omnibus neceſſariis inſtructi, Verſionem ex Hebraica in linguam Græcam perficerent: quam ſpatio LXXII. dierum abſolverunt. Qua peracta, & juſſu Demetrii, in præſentia Sacerdotum, & principum Judæorum, totiuſque populi Judaici, (quorum multi erant in Ægypto,) perlecta & examinata; ab omnibus acclamatum eſt, Bene & fideliter omnia tranſlata eſſe: utque rata in perpetuum maneret, neminique aliquid in ea mutare liceret, dira imprecati ſunt in omnes, qui quicquam in ea mutare tentarent. Rex vero, cum omnia ei perlecta eſſent, Legiſlatoris ſapientiam admiratus, libros religioſe aſſervari juſſit; permiſſis principibus Judæorum Synagogarum, ut exemplaria deſcriberent in uſum ſuum; ipſiſq; LXXII. Interpretibus cum donariis magnis in patriam remiſſis & centum viginti Judæorum captivorum millibus, Demetrii ſuaſu, rege λύτρον perſolvente, pro manumiſſis, tum exemplar quoddam Hebraicum, tum ipſam Verſionem in Bibliothecæ collocavit. Rege etiam a Demetrio quærente, quot libros comparaſſet; reſpondit, *ſe habere circa ducenta millia; ſperare tamen, ſe brevi habiturum quingenta millia.* Imo A. Gellius lib. 6. c. ult. affirmat, Demetrium comparaſſe Volumina ſeptingenta millia. Quorum pars magna, ſi non omnia, bello Alexandrino priore, tempore Julii Cæſaris conflagratione perierunt. Tantum etiam invaluit hujus Verſionis auctoritas apud Judæos, ut ubique per Ægyptum, Græciam, Aſiam, &c. imo in ipſa Hieroſolyma, publice in Synagogis ut jam innuimus, prælegeretur; omnibus Judæis linguam Græcam optime callentibus: cum Hebraicam (quæ dudum vernacula eſſe deſierat,) ſoli Sacerdotes & docti intelligerent.

3. Verſionem vero hanc non ſine admirando conſilio divino factam eſſe, fatentur omnes: quod a Rege Ægypti, Judæorum & eorum religionis hoſte, Paganæ ſuperſtitionis ſtudioſo, hæc tranſlatio procurata eſſet in linguam per orbem notiſſimam, qua paratiores factæ ſint gentes ad Evangelium amplectendum. Sic Tert. in Apol. cap. 19. Lact. lib. 4. cap. 2. Clem. Strom. 3. Euſeb. Præp. lib. 9. cap. 1. Chryſoſt. etiam Hom. 4. in Geneſ. *rarum & ſingulare miraculum* appellat, *ut a Rege barbaro, alieno, & populo Dei inimico, veritas divina inter gentes diſpergeretur.* Et Auguſt. de Doctr. Chriſt. lib. 2. cap. 15. obſervat, hanc Verſionem Apoſtolorum prædicationi viam ſtraviſſe; cum gentes lingua ſibi nota, ea quæ ab Apoſtolis de Chriſto prædicata erant, a Prophetis prius prædicta fuiſſe legerent: ita ut fuerit quaſi fundamentum magni cujuſdam ædificii immenſæ molis, quod inter gentes ſuper illud extruendum foret. Nulla enim de Apoſtolorum fraude, vel de Judæorum malitia & obſtinata perfidia dubitatio oriri poterat; cum ipſi Judæi libros ſacros diligentiſſime in linguam Græcam traductos Gentibus tradidiſſent: ex quibus tum myſteria Chriſtiana probari, tum ipſorum incredulitas, qui Chriſtum non receperant, redargui poterant. Si vero poſt Chriſtum facta fuiſſet hæc Verſio, ſuſpicarentur Judæi, haud fideliter factam fuiſſe: & ipſi vel ex invidia libros ſuos corrumpere tentaſſent, vel Chriſtianos de corruptione accuſaſſent. Amplius etiam circa hanc Verſionem eluceſcit providentia Divina, quod cum conflagraret Bibliotheca Philadelphi, in qua repoſitum erat ipſum Tranſlatorum αὐτόγραφον, ipſam nihilominus Verſionem ab interitu ſervavit: quod exemplaria inde deſcripta in omnium manibus tunc temporis extarent, & in ſynagogis publice prælecta, quo Verſio ipſamet ſarta tecta ſervata eſt: & vanitas argumenti, quod a Neoterico quodam affertur, apparet: qui, ut probaret Verſionem τῶν ο' hodie non extare, hoc utitur argumento; quod temporibus Cæſaris incendio perierat ipſa Bibliotheca, & Verſio Græca Originalis: quaſi non fuiſſent exemplaria innumera inter Judæos per orbem terrarum diſperſos, qui hac tam publice quam privatim uſi ſunt. *Ingrati itaque, imo indigni* (verba ſunt Doctiſſ. Woweri Syntag. cap. 8. *niſi providentiæ Divinæ ingens beneficium agnoſcamus & admiremur; Scripturam ſacram, tanquam propriam & peculiarem Judæorũ, Hebræis conſignatam literis, plurimis annis ante exortum ſalutare Chriſti ſydus, Græco ſermone indutam, ipſiſq; Judæis invitis veritatem effluxiſſe: & niſi ante fœliciſſima tempora, quando Chriſtus hominem induit, opus hoc Græcæ interpretationis abſolutum fuiſſet, flagrantibus livore & odio Judæis, ſordibus & mendis depravatam Scripturam, aut mira obſcuritate involuta prodidiſſent:* ut obſervavit Euſeb. Præp. lib. 8.

4. In hac hiſtoria, qua nulla fere inter Judæos vel Chriſtianos certior vel illuſtrior, quædam ſunt, de quibus Neoterici quidam, qui omnia in dubium revocant, quæſtionem movent. Primo de Ariſtææ libello, qui hujus hiſtoriæ quaſi fons habetur, & ad quem Joſephus lectorem remittit. De quo omnium primus Lud. Vives in Aug. de Civit. lib. 11. cap. 42. dubium injicit, an non a Judæo aliquo nomine Ariſteæ evulgatus ſit? Confictum enim ipſe putat ab aliquo recentiore: cui adſtipulantur Leo a Caſtro proœmio in Eſaiam, Salmeron Proleg. 6. maxime Joſeph. Scal. ad annum Euſeb. 1730. qui librum ſuppoſititium eſſe pronunciat, & a Judæis Alexandrinis confictum. Lud. Vives tamen non hoc abſolute aſſerit, ſed ita ſe putare dicit. Scaliger etiam loco citato, Ptolemæum Philadelphum Alexandriæ Bibliothecam locupletiſſimam extruxiſſe, & Hebræorum monumenta ſacra in Græcum ſermonem converti præcepiſſe, certum eſſe, affirmat. Hiſtoriam tamen Ariſtæi carpit, & falſam eſſe vult. At argumenta ab ipſo & aliis leviora ſunt, quam ut hiſtoriam tantis & tam antiquis præſidiis munitam convellere poſſint: contra hos enim alioſque paucos recentiores teſtium nubem adferre licet. Nam inter omnes, qui hanc hiſtoriam pertractant, nulli hactenus inventi ſunt, qui de illa vel tantillum dubitarunt; ſed ut rem certam & indubiam ſupponunt, exceptis paucis quibuſdam recentioribus: quorum auctoritatem veteribus illis, qui propius multo erant ad Ariſtæi tempora, & veritatem melius percipere poſſent, nemo ſanus æquiparat, multo minus præfert: cum non tantum Joſephus, Philo, Tertull. Cyrillus, reliquique antiqui ſcriptores; ſed & ipſe Hieronymus plurimis in locis Ariſtæi teſtimonia proferat: omniaque, quæ vel ab illo, vel a Joſepho, aliiſque veterum ex Ariſtæa depromuntur, libro Ariſtææ, qui hodie extat, ad amuſſim reſpondeant: ut obſervat, inter alios, Bellarm. lib. 2. de Verbo Dei, cap. 6. Unde Reverendiſs. Uſſerius, licet nullum non moveat lapidem, ut Verſionem hanc deprimat, Ariſtæam tamen contra Scalig. tuetur, Syntag. cap. 1. & Iſaacus Caſaubonus, in Græcis Scriptoribus verſatiſſimus, qui de ipſorum νοθείᾳ optime, ſi quis alius, judicare poterat, in notis quibuſdam propria ipſius manu ſcriptis, quas mihi communicavit Doctiſſ. ejus filius Mericus, S. T. D. de Ariſtææ hiſtoria hoc fert judicium; *Ariſtæam elegantem eſſe ſcriptorem, cujus antiquitatem tum phraſis arguit; tum Joſephus, qui multa hinc deſcripſit.* Et paulo poſt, *Credimus admodum antiquum eſſe, & plane ejuſmodi, quem non legiſſe pœniteat ſtudioſo, aut Græcæ linguæ aut antiquitatis.-nam antiquiſſimus eſt auctor. Nec dubito eum eſſe, de quo Joſephus.-Itaque ille ipſe eſt, qui rebus geſtis interfuit, quæ hic memorantur.* Hæc Caſaubonus. Quibus hoc addendum; nullam rationem dari poſſe, cur libellum hunc fingerent Judæi: *ut auctoritatem hujus Verſionis elevarent*, dicit Salmeron, *miraculum cellularum ſilentio ſuo extenuando*: e contra, *ut auctoritatem huic Verſioni conciliarent*, dicit Scaliger, *fingendo prodigia circa hanc Verſionem*: Sic alter alterius fundamenta convellit, cum utraque ruinoſa ſint. Quæ a Scaligero & aliis objiciuntur, facile diluuntur. Primo, cum Ariſtæas ſcribat, Demetrium Phalereum Bibliothecæ Præfectum fuiſſe, & Verſionem Græcam procuraſſe; hoc falſum eſſe, probat Scaliger, quia Demetrius initio Regni Philadelphi extinctus, & Regi ſemper in odio fuit, ut ex Diogene Laertio probare nititur. At hoc ex auctore indubitato refellitur, qui paulo poſt Ariſtæam ſcripſit; & vel ab ipſo, vel aliis, qui rei geſtæ interfuerunt, veritatem addiſcere potuit; Ariſtobulo ſcil. Judæo Philoſopho Peripatetico, cujus hæc verba inter alia ex ejus libro ad Ptol. Philometorem refert Euſeb. de Præp. Evang. l. 13. ἡ δὲ ὅλη ἑρμηνεία τῶν διὰ νόμου πάντων ἐπὶ τοῦ προσαγορευθέντος Φιλαδέλφου βασιλέως, σοῦ δὲ προγόνου [γέγονε,] προσενεγκαμένου μείζονα φιλοτιμίαν Δημητρίου τοῦ Φαληρέως [καὶ] πραγματευσαμένου τὰ περὶ τούτου, *Tota vero Legis interpretatio ſub Rege Philadelpho cognominato, abavo tuo, peracta eſt, Demetrio Phalereo magnum ſtudium adhibente, & totum negotium promovente.* His Ariſtobuli verbis, quid clarius pro iis, quæ de Demetrio narrat Ariſtæas, dici poterat, non video. At ultra objiciunt, quomodo ex ſingulis tribub' ſeni deligi poſſent, cum ſolæ relictæ fuerint tribus Judæ & Benjamin, reliquis longe antea deportatis? Ad hoc reſpondeo cum Serario,

ex omni tribu aliquos ſemper in patria manſiſſe tempore Captivitatis, & ex omnibus tribubus aliquos rediiſſe. Unde Luc. 1. legitur, Annam fuiſſe de tribu Aſer: & inter veteres, Chryſoſt. Euthym. & alii affirmant, Phariſæos fuiſſe ex omnibus 12 tribubus. S. Jacobus etiam Epiſtolam ſcripſit 12 tribubus diſperſis: & Rever. Uſſerius, Annal. ad annum 3468. ſcribit, quod *non integras Regni Iſraelitici tribus Salmanaſſer abduxit; ſed partem reliquit, qui cum Judæis, Benjamitis, & Levitis a Nebuchadneſaro in Babylonem deportati, & a Cyro dimiſſi. Unde, ſoluta Captivitate, anno* 1. *Cyri, omnes Iſraelitæ* dicuntur *habitaſse in civitatibus ſuis*, Ezr. 2. 70. Et 6. 16. 17. *hirci duodecim oblati ſunt pro peccatis totius Iſraelis, juxta numerum tribuum.* Et Matth. 4. 14. impletum eſt vaticinium Eſaiæ de *terra Zabulon & Naphtali, vidente magnam lucem* per Chriſti prædicationem. Ex quibus plane conſtat, tribuum diſtinctionem fuiſſe etiam Chriſti temporibus, diu poſt Philadelphum. Quod vero objicit Salmeron, quod ab aliis Ariſtæas, ab aliis Ariſtæus, & Ariſteas hic auctor vocetur; nullius eſt momenti: cum diverſæ terminationes ejuſdem nominis ubique occurrant, nec inter varias antiquorum MSS. lectiones, varietas major invenitur, quam in propriis nominibus.

5. Quo tempore facta fuerit hæc verſio, nondum inter auctores convenit: apud omnes tamen conſtat, quibuſdam ſeculis ante Chriſtum factam eſſe, & apud Judæos in uſu publico fuiſſe. Quidam ex antiquis ad Ptolemæi Lagi tempora referunt, ut Irenæus & Clem. Alexandr. Alii, ut Ariſtæas, Joſephus, Philo, & reliqui fere omnes, ad Philadelphum. De numero annorum ante Chriſtum etiam diſcrepant: tot enim ſunt fere ſententiæ, quot auctores. Sixtus Senenſis numerat annos 350. Genebr. 200. Bellarm. 291. Euſeb. & Baron. 280. Bonfreреus 272. Rever. Uſſerius 277. Dionyſ. Petav. 278. Torniellus 245. Omnes tamen hodie concordant; quod vel Philadelphi tertio, ut Euſeb. in Chron. vel ejus anno 7. ut Epiph. de Pond. & menſuris, facta fuerit. Nam, quod quidam in Epiph. legunt 17. hoc erroneum eſſe, & legi deberi 7. docent Serarius in Proleg. 4. 17. 9. & Scalig. Iſag. in Proleg. Mihi potior videtur Epiphanii, quam Euſebii ſententia, anno. 7. factam eſſe, non vero 3. licet uterque magnos ſequaces habeat. De anno etiam ante Chriſtum libenter in Rev. Uſſer. ſententiam ibo; qui in annalibus refert ad annum, 277: cum quo fere conſentit Petavius vir in Chronologicis exercitatiſſimus, magnique judicii; qui per Characteriſmum cœleſtem, certiſſimum in Chronologicis fundamentum, idem demonſtrat. Extat enim obſervatio Aſtronomica apud Ptolemæum lib. 10. c. 4. de tempore, quo regnavit Philadelphus, quando a Timocharide notata erat Venus anno 13. Philadelphi eſſe in gradu Virginis 4. 10. Meſori 17. ſequente 18, qui fuit Octobris 12. annis ante natum Chriſtum 272. Unde infertur, Philadelphum incœpiſſe regnare anno ante Chriſtum 285, & annum ejus ſeptimum fuiſſe ante Chriſtum 278. Sed unius anni differentia haud tanti eſt, cum ex initio anni, quo regnavit Ptolemæus, non certo cognito, talis diſcrepantia oriri poſſit. De anno Mundi non laboro, cum in hoc incertitudo magna ſit inter præſtantiſſimos Chronologos; nec inter innumeros, quos protulit hæc ætas, vel duos reperias, qui circa annos a Mundo condito exacte conveniunt.

6. An Verſio hæc τῶν ο' prima omnium fuerit, inter doctos diſceptatur. De Græcis autem Vet. Teſt. Verſionibus intelligitur hæc quæſtio, quam hoc loco tractandam proponimus. Nam, quod quidam dicant, Verſionem quandam Chaldaicam a temporibus Eſdræ extitiſſe, quæ hodie periit; alii Samariticam Verſionem, ejuſque tranſlationem Græcam iiſdem temporibus fuiſſe contendunt; propriis locis, cum ſcil. ad Verſiones Chaldaicas, & Samariticas deventum erit, examinabimus. Verſionem autem aliam Græcam ex Archivis Hebraicis, ante Philadelphi tempora, ſaltem Legis factam fuiſſe, affirmarunt multi ex Veteribus, Clem. Alexand. Strom. 1. ex Ariſtobulo Judæo, Euſeb. lib. 9. Præp. cap. 3. Juſtin. Mart. Apol. Chryſoſt. Theodoret. quibus adſtipulantur recentiorum plurimi; Bellarm. lib. 2. de Verbo Dei. cap. 5. Serarius Proleg. cap. 16. q. 2. Galiſinius vero p. 13. *nullum de hoc dubitandi locum eſſe* aſſerit, *quin ante Alexandri tempora & Perſarum imperium, Pentateuchus ſaltem in Græcum ſermonem converſus fuerit.* Fundamentum hujus ſententiæ eſt, quod Philoſophi Græci multa hauſerunt ex Scripturis, quæ in ſcriptis ſuis quaſi propria venditant; viz. Plato, Ariſtoteles, & alii. Unde Cyrillus eos *fures* appellat, lib. 1. contra Julian. & Joſeph. ſecundo contra Appion. dicit, Platonem in libris de Legibus ex Moſe multa depromſiſſe; unde alii Platonem vocarunt *Moſem Atticum.* S. Ambroſ. ex Salomonis Cantico Platonem multa tranſtuliſſe ſcribit. Ex Lege Moſis Pythagoram multa habuiſſe, dicit Hermippus Pythagoræus, & Juſt. Mart. adverſus Gentes: quod & de Ariſtotele affirmat Clearchus Peripateticus, & de Platone Numenius Pythagoræus. Contra vero Baronius Tom. 2. anno Chriſti 231. ſect. 10. 11. &c. Dom. Bannes in 1 Thom. q. 1. art. 8. Joh. D'Eſpeires tract. 2. diſp. 2. dub. 3. D. Lud. Capell. Critic. lib. 4. cap. 1. & alii, ex traditione, & Judæorum vicinitate, eorumque commercio & convictu, Philoſophos iſta hauſiſse ſtatuunt, potius quam ex Verſione aliqua Græca, quæ publice extabat: quorum opinio mihi multo probabilior videtur. Nam ſi Verſio aliqua Græca prius extitiſset, quorſum Philadelphus tantis ſumptibus, tantoque ſtrepitu aliam procuraſset; cum omnes libros, qui ullibi extarent, præſertim Græcos, per totum orbem conquiſiverat, ut in Bibliotheca ſua reponeret? Quomodo potuerit Verſionem illam Græcam, ſi talis extitiſset, ignorare Demetrius Phalereus: qui tamen expreſse Regi dixit, ſe Judæorum volumina ſacra deſiderare? Certe, ſi talis Verſio alicubi extitiſset, in Ægypto reperta fuiſset; quo Platonem alioſque Philoſophos peregrinatos fuiſse, ut Orientalium doctrinam addiſcerent, teſtantur omnes. In Ægypto etiam plures habitaſse Judæos, quam alibi, conſtat ex Philone: qui teſtatur, decies centena Judæorum millia per Ægyptum diſperſos fuiſſe. Ex hiſtoria tamen Joſephi & Ariſteæ, conſtat, nec Judæos in Ægypto degentes, nec Ptolemæum Ægypti Regem, ejuſve Bibliothecarium, de tali Verſione quicquam inaudiviſse. Apud Ariſtæam enim legimus, *cum Regi indicaſſet Demetrius,* quando de Bibliotheca & librorum numero verba haberet, *Judæorum leges dignas eſſe, quæ tranſcriberentur, & in Bibliotheca reponerentur:* Regi dicenti, *nihil obſtare, quod hoc fieri prohiberet; nam omnia ipſi* (Demetrio) *in hunc uſum prompta fore:* reſpondit Demetrius, *Interpretatione opus eſſe.* Unde Rex promittit *ſe ſcripturum ad Judæorum Pontificem, ut omnia perficeret,* id eſt, ut Interpretes mitteret: ex quibus liquet, nullam fuiſse ante illud tempus Verſionem Græcam. Idem ex Joſepho, & Philone colligitur. Ille lib. 12. cap. 2. & contra Appion. refert, Demetrium Regi dixiſse, *Neminem Hiſtoricorum vel Poetarum auſum fuiſſe hos libros attingere: quoſdam enim a numine punitos fuiſſe, qui temere eos attrectarunt, Theodoctum poetam &c.* Philo etiam lib. 2. de vita Moſis diſerte affirmat, *Legem ſcriptam eſſe ſermone Chaldaico* (Hebraicum intelligit) *& in eo per longum tempus manſiſſe, quamdiu ejus pulchritudo externis hominibus non eſſet intellecta:* hoc vero erat, ut poſtea explicat, *donec juſſu Ptolemæi traducta erat in linguam Græcam. Opus enim, quia magnum erat, non fuit privatorum hominam, ſed Regis potentiſſimi & celebratiſſimi.* Ex his Philonis verbis plane conſtat, Legem ante Ptolemæū illum haud alio ſermone notam fuiſſe, quam Hebraico, quo primum conſcripta fuit. Præterea, ſi alia fuiſſet Verſio Græca, quænam cauſa reddi poteſt, cur Ptolem. novam fieri curaret? An quia prior illa minus accurata fuerit? At altum de hoc ſilentium eſt apud ſcriptores antiquos, qui Verſionis Septuag. meminerunt. Et cur minus accurata eſſet, cum facta fuerit eo tempore, quo Judæorum lingua vernacula ipſis erat, & multo magis nota & familiaris, quam cum ſuam Verſionem fecerint LXX Interpretes? An vero Verſio illa perierat prorſus? At hoc poſt Captivitatem fieri non potuit, florente & pacato Judæorum ſtatu a reditu Babylonico ad tempora Philadelphi: nec tam brevi temporis intervallo probabile eſt, Verſionem talem extinctam fuiſſe. Ante Captivitatem vero minus probabile eſt, cum illis temporibus rarum aut nullum erat Judæorum cum Græcis commercium. Potuerunt tamen Græci Philoſophi, præſertim poſt Captivitatem, aliquam habere legum Judaicarum cognitionem ex Judæorum commercio, a quibus quædam addiſcere poſſent, etſi Verſio nulla ſcripta eſſet. Sic enim refert Clearchus apud Joſ. l. 1. contra Appionem, de Ariſtotele præceptore ejus, quod *uſus ſit viro Hebræo, ut Scripturas ipſi interpretaretur.* Si vero Verſio aliqua nota fuiſſet, quorſum opus eſſet Interprete? Didicerunt Philoſophi doctrinam Gymnoſophiſtarum, Druidum, &c. qui tamen nihil ſcriptum reliquerunt. Refert etiam Joſ. contra Appion. *multos fuiſse, qui de rebus Judæorum ſcripſerunt, Hiſtoricos Ægyptiacos, Chaldæos, Phœnicios, Græcos:* ex quibus etiam poterant Philoſophi multa de Judæorum ritibus & Religione cognoſcere: & affirmat, Hecatæum Abderitam, qui circa Alex. tempora vixit, libellum integrum de Judæis ſcripſiſſe. Ex his itaque, etſi non extaret Græca Scripturæ Verſio, multa haurire poterant Græci. Unde concludit Orig. contra Celſum, lib. 6. *Platonem vel a Judæis quædam audiviſſe, vel in prophetarum libris legiſſe.* Judæi vero cum ubique magno numero inter Græcos poſt Captivitatem degerent, nulli dubium eſſe poteſt, quin eorum plurimi Græcam linguam didicerint: (alias quomodo inter eos viverent?) cumque ipſorum lingua poſt Captivitatem Chaldaica ſive Syriaca fuerit, quam Græcorum plures callebant; hinc, ut Judæi Græcorum, ſic Græci Judæorum, res & religionem cognoſcere poterant, etſi nulla Scripturæ Verſio Græca extaret.

7. Interpretes fuiſſe LXXII. tradunt, Ariſtæas, Joſ. Philo, & quotquot inter Chriſtianos hanc hiſtoriam commemorant: nec unus a nato Chriſto, per quindecim ſecula repertus eſt, qui de hoc dubitavit: nec ullum proferri poteſt teſtimonium in contrarium, vel ex Judaicis, vel ex Chriſtianis Scriptoribus, inter omnes, qui de hac Verſione mentionem feceri[illegible]anto temporis intervallo; unico excepto Talmudico in Maſſ. Soph. (quod [illegible]ert Azarias) c. 1. ubi hæc Tranſlatio vocatur *opus quinque ſeniorum:* quod tamen, ut communi & receptæ Judæorum ſententiæ contrarium, poſteriores Rabbini commoda aliqua interpretatione emollire ſtudent, cum defendere nequeant; quaſi ex numero LXXII. quinq; delegati eſſent, qui hoc opus perficerent: quod probant quidam ex hoc, quod unam vocem per quinque ſignificata tranferunt. Noſtro ſeculo non defuerunt, qui ut alias hiſtoriæ partes circa hanc Verſionem, ſic numerum ſeptuagenarium in dubium vocant. Joſ. Scaliger, Annot. in Euſeb. 1730. loco cit. tum Epiſt. 14. ut Ariſtæi hiſtoriam, ita LXX. Interpretes a Ptolemæo accerſitos fuiſſe, *fabulam a Judæis confictam* eſſe dicit. Eadem ex Scal. habet VVovverus Syntag. cap. 4. Et Dan. Heinſius in Ariſtarcho ſuo ſacro, c. 10. numerum Interpretum, una cum cellulis, & interpretandi ratione, *inter nugas a Græcis excogitatas* refert. Rationes a tantis viris non expectes: ipſi dixerunt; ergo dubitare nefas eſt. Ne tamen ſine ratione inſanire videatur Heinſius, *ipſam nominis originem, & ſcenæ* (ut ipſe loquitur) *detegere* ipſi placuit: *quod hactenus factum a nemine.* Exod 24. 7. 11. dictum erat, cum Moſes legiſſet in libro fœderis coram populo; *Moſem, Aaronem, et LXX Seniores aſcendiſse ad Deum;* & *quod in principes filiorum Iſrael non miſit manum ſuam: pro quibus ultimis verbis Helleniſtæ habent,* ϗ τῶν ἐπιλεκτῶν τοῦ Ἰσραὴλ διεφώνησεν οὐδὲ εἷς, *& Electorum Iſrael non diſſonuit neque unus. Hinc* (ait Heinſius) *haud dubio hiſtoria de Ptolemæo, ex illis LXX. ſenioribus, ſeniores Interpretes: hinc famoſæ illæ ſcenæ, quas Beatus Hieronymus explodit: hinc inventum illud, neminem in tanto numero in exprimendis ſacris diſſenſiſſe.* Quis hic non miretur acumen Grammatici, qui rem nobis inauditam, de qua nemo antehac cogitavit, detexit; & ex tenebris in lucem produxit? Imo potius, quis non vani hominis arrogantiam ridet, de Tripode dictantis, quæ nullo teſtimonio Veterum, nec aliqua rationis umbra nituntur? Imo, qui contra omnem hiſtoriæ fidem, contra omnes Eccleſiæ & Synagogæ ſcriptores, auſus eſt fabulam, ſui cerebri figmentum, orbi obtrudere. Unde enim habuit Heinſius, Helleniſtas ex his verbis, Ex 24. tam ineptas deduxiſſe conſequentias? Vel unicum proferat verbum ex ſcriptoris alicujus Judæi vel Chriſtiani monumentis, quo hoc ſomnium ſtabiliat. Quod enim Hieronymum pro ſua ſententia adducit, quaſi Hieronym. cum ipſo ſentiret, non minus falſum eſt, quam Judæos Helleniſtas hæc ſomniaſſe, quæ ipſis affingit. Nunquam dubitavit Hieronymus de numero LXXII interpretum, nec de Ariſteæ vel Joſephi hiſtoria, nec a Ptolemæo eos accerſitos fuiſſe: ſed ubique Ariſtæam & Joſephum citat; imo cellularum hiſtoriam rejicit, quia nec in Ariſtæa, nec Joſepho ulla ſit earum mentio. Merito itaque hæc iſtorum hominum, qui nil certi nobis in hiſtoria relinquere volunt, commenta & deliria rejicimus. Quæ de Ariſtææ hiſtoria ſupra diximus, ſatis ſunt ad ejuſmodi temerarias aſſertiones refellendas: ad quæ lectorem remittimus. Fixum itaque ſit, quod unanimi omnium Veterum conſenſu teſtatum habemus, de numero LXXII Interpretum. At quinam fuerint iſti LXXII, non ita liquido conſtat. Certum eſt, fuiſse linguæ Hebraicæ & Græcæ pro ratione illorum temporum peritos, doctrina, & probitate conſpicuos, & ex ſingulis tribubus electos. Addunt quidam, fuiſse ipſos Synedrii magni aſſeſſores, ad quos ex officio pertinebat de rebus, quæ S. Scripturam ſpectant, decernere: unde opus tantum ipſi per ſe exequuti ſunt: idque rei dignitas poſtulare videtur. Sic Baron. loc. cit. ſect. 18. 19. qui hoc confirmare

mare nititur ex Origene, qui frequenter eos nominat Seniores,& ex Hilar. Pſ.8. Infirmo vero tibicine nititur hæc ſententia. Seniores enim dicuntur, tam propter ætatem,quam dignitatem.Synedrium etiam,cum fixam habuerit ſedem Hieroſolymis,in quo omnes controverſiæ difficiliores terminandæ erant,& ad quod ex omni tribu,ultima facta eſt appellatio;quis credat Senatum illum,deſerto Reipub. clavo, in regionem exteram demigraſſe, totamque gentem ſuam ſine Judicibus ſuis ſupremis reliquiſse? Præterea in Ariſtæa diſerte legimus, Ptolemæum poſtulaſſe,ut ex omni tribu ſeni deligerentur ad hoc munus obeundum: quod & præſtitiſſe Eleazarum, ex eadem hiſtoria conſtat. Certe Synedrium illud ante legationem Ptolemæi conſtitutum erat: at quos ipſe poſtulavit Interpretes, poſt legationem delecti & miſſi ſunt. Hæc de ipſis Interpretibus.

8. Inter alia, quæ de hac Verſione referunt miracula Veteres, tria ſunt præcipua. Primo, quod Sp. S. afflati Interpretes nunquam erraverint, nec errare poterant. Secundo, quod in diverſis cellulis ſinguli Regis mandato concluſi, ut veritatem Interpretationis ex omnium conſenſu cognoſceret, omnes in unam eandemque ſententiam, imo in eadem verba conſpirarunt, eademque ſcripſerunt. Tertio, quod tam immenſum opus tantillo tempore, ſpacio ſcil. 72 dierum, abſolverunt. De primo, Videmus pleroſque extrema ſectari; dum Neotericorum plurimi omni auctoritate hanc Verſionem ſpoliant; e contra Veterum pleriſque auctoritatem ſummam ei tribuentibus.De prima ſententia alibi dicemus, cum de auctoritate hujus Verſionis agemus. Secunda hoc loco breviter expendenda: Veteres enim fere omnes Interpretibꝰ infallibilitatẽ attribuunt, ita ut in vertendo errare non potuerint; excepto Hieronymo, qui tamen,cum ab adverſariis premitur,idem cum illis ſentire videtur. S. Aug. lib.18. de Civit. cap.43. *Spiritus, qui in Prophetis erat,quando illa dixerunt; idem ipſe erat etiam in LXX viris, quando illa interpretati ſunt.* Et lib. 2. de conſenſu Evangeliſt. cap. 66. affirmat, *LXX eo ſpiritu interpretatos, quo & illa quæ interpretabantur, dicta fuerunt.* Idem ſcripſerunt Iren. l. 3. adverſ. Hæreſ.cap. 25.Clem. Strom.b.1.Theod.Præf.in Pſal.Et Hieronym. Præf.2. in Paralip.ſcribit,*eos Sp.S. plenos, ea quæ vera ſunt, tranſtuliſſe. &c.* (licet alibi dicat, *eos Interpretes fuiſſe, non Vates*; varioſque errores illis attribuat.)Inter recentiores idem ſentiunt Bell. deVerbo Dei,l.2.c.6.Baronius ad annum Chriſti 231.Joh.Morinus Exercit.Bibl. 6.c.1. & Exerc.8. c.1. & in Præf. ad Biblia Græca Pariſ. Joh. D' Eſpeires tract. 2. diſp.1. dub.10. & diſp. 2. dub.1. & diſp. 3. dub. 1. 2. &c. Bonfrer. Præloq. c.16. &c. Huc vero confugiunt,ut argumenta evadant, quæ contra Verſionem τῶν ό ex ejus diſcrepantia ab Hebræo textu adferuntur. Reſpondent enim,Sp.S. ita illis dictaſſe, quum verterent, qui Moſi & Prophetis adfuit, cum ipſi ſcriberent. Unde concludit J. D' Eſpeires cum aliis, *authenticam fuiſse, & ne in minimo erroneam, imo adhuc authenticam eſse*: cum tamen in quibuſdam non tantum diverſa, ſed plane contraria habeat, tum textui Hebræo, qui ſine dubio eſt authenticus; tum Vulgatæ Latinæ, quam ipſe pro authentica habet; ut in annis Patriarcharum ante & poſt Diluvium: ita ut nullo modo reconciliari poſſint, quin in aliquibus codicibus menda irrepſerit. Hæc tamen ſententia licet magnos habeat auctores, cum hiſtoria Verſionis apud Ariſtæam, (unde pleraque ſua Joſephus,aliique, qui hoc argumentum tractarunt,deſumpſerint,) conſiſtere non poteſt. Expreſſe enim dicitur, *Interpretes inter ſe contuliſse,diſputantes & conferentes inter ſe de re qualibet,donec tandem in unum omnes convenerint: quæ redegerunt in ſcriptis, & quod compoſuerunt, in ordinem redegerunt, quam poterant, doctiſſime & elegantiſſime: ut quæ omnium conſilio & conſenſu diſponebantur, in manus Demetrii traderentur.* Hæc verba plane afflatui Prophetico repugnant. Si enim inter ſe contulerunt, non prophetarunt. Sacri namque ſcriptores nunquam cum aliis contulerunt, diſputantes de qualibet re, quam ſcripſerunt: ſed prout a Sp. S. edocti erant, ſine ulla diſquiſitione vel mora, ſcriptis omnia mandarunt. Præterea ſi Sp. S. afflati ſcripſerint, numerus talis ſuperfluus fuiſſet, cum unus ſufficeret: nec opus eſſet viris doctrina claris, & linguæ Hebraicæ ac Græcæ peritis, ſi ſine ſtudio & auxiliis humanis confecta fuiſſet. Denique, ut jam diximus, quædam ſunt in hac Verſione; quæ nec cum textu hodierno Hebraico, nec cum Vulgata Latina, ulla arte conciliari poſſunt: ita ut Joh. Morinus, vir alias doctiſſ. cum multum in conciliatione ſudaſſet, hoc tandem fateri coactus ſit, Exerc. Bibl. 7. cap.4. *Auctoritatem itaque aliam non adſcribendam cenſemus huic Verſioni, quam aliis induſtria humana factis.* Merito tamen magni faciendam, & aliis præferendam judicamus reſpectu antiquitatis, uſuſque generalis,tum apud Synagogam,tum apud Eccleſiam primævam: quodque Apoſtolis in uſu fuerit;& ab iis, Gentibus ad Chriſtum converſis,tradita: ut infra plenius explicabimus.

9. Quod ad cellas attinet, primus qui de iis expreſſe ſcripſit, erat Juſtinus Martyr: vir ob doctrinam eximiam & ſanctitatem clarus, quique Martyrio coronatus fuit; patria Samaritanus, natione Palæſtinus. Hic Orat. ad Gentes teſtatur, Se Alexandriæ vidiſse cellularum iſtarum reliquias, quarum memoriam per majorum traditionem Alexandrini ad ejus tempora ſervarunt. Sic enim ſcribit; *Nec ſane vobis* (Græci) *ut fabulam aut confictam narramus hiſtoriam; ſed, quæ ipſi, cum Alexandriæ fuimus, veſtigia ædicularum reliqua in Pharo vidimus; & ab incolis, qui res patrias a majoribus acceperunt, audivimus, commemoramus: quæ ex aliis quoque ex parte intelligere poteſtis, & potiſſimum ex iis, qui iſta ſcriptis ſuis inſeruerunt, ſapientibus & ſpectatis viris, Philone, Joſepho, & aliis pluribus.* Hoc viri ſanctiſſimi teſtimonium, quod αὐτόπτης confirmat, amplexi ſunt Scriptores plerique veteres, (unico fere excepto Hieronymo,) Irenæus l. 3. c. 25. Tertul. Apologet. c. 18. Clem. Alex. Strom. l. 1. Cyrill. Hieroſol. Catech. 4. Hilar. in Pſal. 2. Auguſt. de doctr. Chriſt. l. 2. c. 15. & de Civit. l. 18. c.43. Theodoret. Præf. in Pſal. Epiphanius vero tradit, *binos in ſingulis cellis incluſos*: quem Bellar. de Verbo Dei l. 2. c. 10. putat, *non legiſſe Ariſtæam; vel ex aliorum relatione audiviſſe, quæ ſcripſerat.* Conſentit Talmud utrumque in tract. Megill. ubi hanc hiſtoriam ita referunt, quod *Ptolemæus Rex, congregatis LXXII. Senioribus, poſuit eos in 72. domunculis,& non revelavit iis quorſum eos congregaverat,* (hoc autem eſt Talmudicum figmentum contra Ariſtæam & Joſephum:) *& congregavit eos ſeparatim unumquemque ab altero; & dixit eis, Scribite mihi legem Moſis magiſtri veſtri. Dedit Sanctus Benedictus ipſis conſilium in corde uniuſcujuſque eorum, & concors fuit ſententia eorum in unam ſententiam.* Huic ſententiæ præter Veteres adſtipulantur. Serarius, Bonfrereus, Galeſinius, cum multis recentioribus Interpretibus Sacræ Scripturæ. E contra Hieronymus Præf. in Pent. narrationem de cellulis explodit, dicens, *ſe neſcire quis primus auctor 70 cellulas Alexandriæ mendacio ſuo extruxit.* Et Præf. prima in Chron. dicit, *Cellulas iſtas vulgo ſine auctore jactari.* Hieronymum ſequuntur multi ex recentioribus, Maſius Præf. in Joſ. Bellar. loco cit. Joh. D' Eſpeires Tract. 2. diſp. 1. dub. 5. Baronius etiam affirmanti ſententiæ inclinat: concludit tamen, *Non eſſe ſui de tam antiqua quæſtione quid certius definire.* Hæc etiam eſt ſententia Proteſtantium fere omnium. Rationes ſunt. 1. Altum de hiſce cellulis ſilentium apud Ariſtæam, Joſephum, & Philonem; etiam, cum occaſio ſe obtulit de hoc miraculo dicendi. Philonis enim verba, quæ a quibuſdam pro cellulis adferuntur, nil tale probant, lib. 2. de vita Moſis: ubi hæc habet, *Non alii alia, ſed omnes ad verbum eadem, quaſi quopiam dictante ſingulis inviſibiliter, reddiderunt.* Quæ verba nil aliud probant, quam in eandem ſententiam conveniſſe: quod fieri potuit omnibus ſimul in eadem domo conferentibus. Unde Bellar. l. 2. de Verbo Dei, c. 10. dicit, *Summam conſenſionem in eandem ſententiam non neceſſario convincere eos loqui de cellulis. Nam revera mirum tum fuit; tot homines ſimul conferendo potuiſse tam brevi tempore convenire in ſingulis ſententiis transferendis: ubi enim eſt multitudo,diverſitas judiciorum evitari non poteſt; & raro conveniunt, niſi poſt longam diſceptationem.* 2. Imo diſerte dicunt Ariſtæus & Joſephus, *Eos omnes in unam Baſilicam congregatos inter ſe contuliſse.* Si ſimul in uno loco contulerunt, non ſinguli in cellis prophetarunt, ſed diſputabant inter ſe de re qualibet, donec convenirent omnes in unam ſententiam,quam redegerunt in ſcriptis. Imo opus eſſet, ut ſingulis ſinguli codices traderentur a Sacerdote ſummo, qui ipſos miſerat, a ſingulis ſigillatim vertendos: cum tamen in hiſtoria legamus, unicum exemplar aureis literis deſcriptum ab Eleaſare ad Regem miſſum fuiſſe. Nec potuit Pontifex divinare, Ptolemæum tale de Interpretibus ſumpturum experimentum,aut credere in hoc morem illi gerendum fuiſse, Deumque ſine neceſſitate tentandum, ut notat Doctiſſ. Capel. Crit. l. 4. c. ult. Ob has rationes, potiorem exiſtimo ſententiam cellulas negantium. Licet enim invitus antiquos deſeram,tamen Ariſtæas,Joſeph.& Philo antiquiores ſunt omnibus, qui affirmativam tuentur. De Juſtino vero reſpondeo cum Bellarm. quod Judæi fabulam a ſe confictam ipſi perſuaſerint; & quaſdam ruinas oſtendentes, cellulas eſſe dixerint LXX Interpret. unde facile fieri potuit,ut Juſtinus eis fidem habuerit. Nec minus facile fuit, ut Juſtino viro ſancto fidem haberent alii, cum dicat ſe habuiſſe ab accolis Alexandriæ.Tertullianus vero nil habet de cellulis loco citato, & Auguſtinus dubitanter, non aſſeveranter loquitur, cum his verbis utitur, l. 2. de Doctr. Chriſt. c. 15. *Dicuntur LXX Interpretes &c. fertur, & multi fide non indigni prædicant, ſingulis cellis incluſos fuiſſe,*&c. quæ verba indicant, ipſum non certo hoc de cellulis affirmaſſe. Etſi vero negamus, ſingulos in cellulis ſeorſim Verſionem ſuam afflatu Sp. S. confeciſſe, omneſque in omnibus conſenſiſſe: aliquid tamen veri fortaſſe in hac ſententia ineſſe poteſt, ut in ſequenti quæſtione explicabimus; ſingulos proprium habuiſſe cubiculum vel domunculam, ubi ſtudiis & orationi vacabant, & penſum ſibi aſſignatum verterunt: quod poſtea,cum ſimul omnes convenerunt,relectum, examinatum, & approbatum, & omnium nomine Demetrio oblatum. Reliqua vero a Judæis falſa veris miſcentibus, aſſuta fuiſſe.

10. Verſionem hanc LXXII. dierum ſpacio confectam fuiſſe tradunt Ariſtæas, Joſephus, omneſque ſcriptores veteres, Judæi & Chriſtiani,qui unanimiter, in hoc concordant: nec ante avorum memoriam quiſquam aliter ſcripſit. Dubitarunt quidem aliqui, an ſolus Pentateuchus, an vero omnes libri Vet. Teſt. ab ipſis traducti ſint: nemo tamen dubitavit, quin hoc temporis ſpacio tota Verſio, quorumcunque librorum fuerit, confecta ſit. Neoterici quidam, qui omnia in dubium vocant, ut Ariſtææ hiſtoriam reliquam; ſic hoc de 72 dierum ſpacio a Judæis confictum eſse, aſserere non verentur. Horum audaciæ occurrere conati ſumus, cum de Ariſtææ libro egimus. Alii, inter quos Joh. D' Eſpieres, tract. 2. diſp.1.dub. 7. ſtatuunt, ſolum libros Legis infra 72 dies verſos fuiſse; reliquos ab iiſdem poſtea, vel Alexandriæ, vel domum reverſos traductos fuiſse.Rationem vero reddit, *quia moraliter,imo Phyſice, impoſſibile eſſet, ut tam exiguo temporis ſpacio, duorum menſium & dimidii, tot ac tanta volumina ſcripſerint,nedum ut conferentes & diſputantes tranſtulerint ex Hebræo in Græcum.* Legem Moſis facile potuiſſe intra illud tempus transferri,probat Bonfrer. Præloq. c. 16. ſ. 2. hac ratiocinatione, quod *capitula librorum Legis ſunt tantum* 187, *ut hodie diſtinguuntur. Si vero duo capita cum dimidio ſingulis diebus abſolverent, totum Pentateuchum intra 72 dies conficere potuiſsent; idque ſine miraculo.* Imo totam Scripturam intra hoc tempus transferri potuiſſe non dubitarem; ſi verum eſſet, quod a multis affirmatur, ſcil. ipſo Sp. S. ſuggerente, quaſi Prophetas, eos locutos fuiſſe. Cum vero de hoc non ſine cauſa dubitetur; dicendum videtur, potuiſse tot viros Hebraice & Græce doctiſſimos (qui enim recentiores ignorantiam linguarum eis exprobrant, propriam inſcitiam produnt,) mediis ordinariis 72 diebus hoc opus perficere, totum Vet. Teſtamentum vertendo, idque ſine miraculo. Nam primo maxime probabile eſt, cum ad hoc munus delecti eſsent, antequam e patria diſcederent, inter ſe conveniſse; & de modo, quo tantum opus confici poſset,inter ſe deliberaſse: unumquemque etiam ſe diligenter præparaſse, tum codices conferendo, tum partem quandam Scripturæ tranferendo, & loca difficilia annotando; obſervationes etiam ſuas in ſchedas conjeciſse, quas ſecum attulerunt, quo citius & fœlicius opus abſolverent. Nam (quod dicunt Talmudici) ipſos ignoraſse, quorſum Rex eos accerſiverat, antequam in Ægyptum venerant, eſt Talmudicum figmentum, contra hiſtoriæ fidem: ut apud Joſ. & Ariſt. legimus. Deinde, cum Alexandriæ conveniſsent, haud probabile eſt, omnes ſimul in unaquaque ſectione vel libro vertendo laboraſse: (quanta enim hinc confuſio orta eſset, ſi omnes ſimul loquerentur?) ſed totum opus inter ſe partitos fuiſse;aliis hanc partem, aliis illam aſſignando: cumq; ſinguli penſum ſuum,vel ejus partem aliquam confeciſsent, ſtatis horis, vel diebus, inter ſe conveniſse, ubi ſingulorum elucubrationes reliquorum judicio ſubmiſsæ:& ſi dubium aliquod occurrebat,communi conſilio explicatum, omnibuſque mature perpenſis & diſcuſſis, quod ab uno vel pluribus primo confectum fuerat, communi omnium ſuffragio approbatum,pro totius conventus Verſione receptum, & evulgatum fuit. In hac conjectura habeo viros doctos conſentientes. Bonfrer. Præloq. c. 16. ſect. 6. agnoſcit, *Non eſſe veriſimile, omnes ſimul eodem tempore, & momento eaſdem Scripturæ ſententias eſſe interpretatos.* Et Serar. Proleg. c.q.10. in Ariſtææ verba, quod *omnes in una Baſilica inter ſe conferebant,*&c. hæc habet, *In una Baſilica ſuas Verſiones recte dicuntur contuliſse,ſed non eo tempore quo fiebant; verũ poſtea cum facta jam eſſent: ut ſignificant Ariſtæas & Joſephus.* Hinc etiam oriri potuit ſtyli illa diverſitas in quibuſdam libris, cum alii magis cum Hebræo conveniant,quod de Pentat. obſervat Hieronymus, & de Jeremia Rever. Uſserius: in aliis liberius a ver-

bis diſcedunt. Hinc etiam fortaſſe ortum illud de cellulis, quia ſinguli diverſis cellulis vel cubiculis partem aliquam Scripturæ primo verterunt, quam poſtea reliquis in una Baſilica congregatis communicarunt: ubi poſt diſceptationem, quod omnibus probatum erat, communi calculo ratum fuit. Unde non tantum probabile, ſed neceſſarium erat, ſingulos cellam vel cubiculum peculiare habuiſse, ubi verſioni vacarent, præter domum communem, in qua omnes convenirent. Hujuſmodi ordinem in hoc opere conficiendo eos obſervaſse, mihi veriſimile videtur; & vix aliter fieri potuiſse. In celebri noſtra Verſione Anglicana auſpiciis Sereniſſimi Regis Jacobi facta, in qua plurimi per totum Regnum delecti viri doctiſſimi ſudarunt, tale quid obſervatum fuit. Primo inter ſe regulas quaſdam obſervandas in Verſione ſua formarunt. Dein tota Biblia in partes diviſerunt, tot pro unaquaque parte deſignatis, qui etiam inter ſe penſum ſuum ſubdiviſerunt, certiſque temporibus, quod a ſingulis paratum erat, reliquorum judicio ſubmiſerunt: donec tandem totum opus omnium calculis approbatum, omnium nomine in lucem prodiit. Sic ſingulis diebus LXXII Interpretes, Rege ſalutato primo, in unam Baſilicam vel domum convenerunt: ubi, precibus fuſis, ſe ad opus parabant; &, quam poterant, accurate, interpretabantur, *uſque ad horam nonam aſſidentes operi*, (ut Joſephus refert;) id eſt, ſeorſim ſinguli operi ſuo incumbebant: ubi per *horam nonam*, mediam diei partem inter Meridiem & Solis Occaſum intelligit. Solebant enim Judæi diem in 12 horas dividere ab Ortu Solis ad Occaſum; ita ut Meridies eſſet hora ſexta, Solis Occaſus duodecima, medium inter eos nona. Si itaque ſingulis diebus huic operi ſinguli incumbebant; non video, quin ſine miraculo poſſent omnes Vet. Teſt. libros Canonicos (reliquos enim, qui vulgo Apocryphi vocantur, eos non attigiſſe, poſtea patebit,) ſpacio LXXII dierum in Græcum transferre. Supponamus enim, ſingulos dimidium capitis ſingulis diebus tranſtuliſſe, (quod nullo negotio fieri poterat;) totum opus, quod 925 capitibus concluditur, ſingulis diebus capita 36 interpretando, intra 28 dies abſolvere potuiſſent; qui non multum ſuperant partem tertiam dierum LXXII. Reliquum vero temporis impendi poterat, quod a ſingulis confectum fuit, coram omnibus legendo & examinando: unde poſt diſceptationem de iis, quæ dubia viſa fuerint, & deliberationem maturam, quod communi ſuffragio ratum erat, Demetrio offerebatur. Dices, hoc ſuppoſito, ſingulos legis exemplaria habuiſſe neceſſarium eſſet: cum tamen unicum exemplar Rex poſtulaſſet, nec de alio in hac hiſtoria ſit mentio. Reſp. negando ſequelam. Nam unicum exemplar in plures partes dividendo, unicuique aliquam ejus partem aſſignare poterant. Et licet unum tantum habuiſſent exemplar publicum, quod quidam opinantur fuiſse ipſum volumen, quod in Templo publice in uſu fuit, quia Pontifex a Rege petiit, ut ipſum tuto remitteret: nil tamen vetat, quin ſinguli Interpretes etiam per ſe in uſum proprium exemplaria propria habuerint. Et plane incredibile eſt, eos ad tantum opus a Rege potentiſſimo evocatos ita incurioſos fuiſse, ut non ſinguli propria exemplaria haberent, quo melius Regis, & aliorum expectationi ſatisfacerent. In hoc conſentientem habeo Wower. Syntag. cap. 7. Certe ſi hodie talis doctorum numerus ab aliquo Principe extraneo ad transferendum Biblia Hebraica in Latinum Idioma vocaretur; nullus eorum ſine codice ſuo, itineris ſocio, ad tale opus ſe accingeret. Quod de his Interpretibus magis probabile eſt, eo (quod ex Judæorum ſententia) quilibet tenetur volumen Legis in uſum proprium deſcribere: vel, ſi ipſe literas neſciat, per alium deſcribendum procurare. Quis itaque credat, hos Interpretes, cum infimi ſubſellii non fuerint, ſed apud ſuos in maximo honore, ſingulos proprium codicem non habuiſſe; vel ſecum in itinere non attuliſſe? Si quis vero objiciat, auctores, qui hiſtoriam de cellulis referunt, dicere, ſingulos interpretes totam Scripturam tranſtuliſſe, omneſque in unum conſpiraſse miraculoſe, licet ſimul non convenirent, nec invicem conferrent; Reſpondeo, hoc ab iis, unde illi hiſtoriam de hac Verſione hauſerunt, non dici; ſed potius contrarium: ut modo oſtendimus, ex Ariſtæa, Joſepho, & Philone. Poſteriores quidem tale quid affirmarunt, ut hiſtoriam magis miraculoſam redderent: & probabile eſt, ut jam dixi, Judæos vera falſis miſcuiſse, & figmenta ſua veræ hiſtoriæ aſſuiſse, ut ex Talmude oſtendimus: unde quidam incauti temere de tota hiſtoria judicarunt. A Judæis vero Chriſtianos ſcriptores eoſdem errores imbibiſse, cum aliunde hanc hiſtoriam habere non poterant, non eſt cur miremur.

11. Ut de Interpretibus, ſic de libris quos verterunt, quæſtionem movent nonnulli. 1. An ſolum Pentateuchum verterint, an etiam totam Vet. Teſt. Scripturam. 2. An libros, qui Vulgo Apocryphi vocantur, tranſtulerint. De 1. Neoterici quidam, qui Verſionem Græcam hodiernam deprimere conantur, duplici argumento probare nituntur, LXX Interpretes ſolum Pentateuchum vertiſse. 1. Quia Ariſtæas & Joſephus, qui primi hanc hiſtoriam nobis tradiderunt, Legis tantum mentionem faciunt, non reliquorum librorum Scripturæ. 2. Idem auctores cum Philone dicunt, Verſionem Sept. exacte Hebræo textui reſpondiſse, & ab omnibus acclamatum fuiſse, Tranſlationem fideliter factam eſse: cum tamen editiones Græcæ hodiernæ multum ab Hebræo textu differre videantur. De his itaque hujus ſententiæ fundamentis videndum eſt, An vera ſint, & quantum ponderis habeant. De 1. Ut primus, ſic ſolus eſt Hieronymus inter veteres Eccleſiæ ſcriptores, qui ſolum Pentateuchum a LXX ſenioribus verſum fuiſse aſeruit: qui tamen dubitanter hoc affirmat, & pluribus in locis Græcam reliquorum librorum tranſlationem iiſdem aſcribit; ita ut ſibimet contradicere videatur: unde in hac quæſtione, ejus auctoritas parum valet. In Præf. Quæſt. in Geneſ. ſic ſcribit, *Accedit ad hoc quoque, quod Joſephus, qui LXX ponit hiſtoriam, quinque tantum libros Moſis ab iis tranſlatos refert: quos nos quoque profitemur, pluſquam cæteros, cum Hebraicis conſonare.* Item in c. 5. Ezech. dicit, *Quanquam & Ariſtæus, & Joſephus, & tota ſchola Judæorum quinque tantum libros Moyſi a LXX tranſlatos aſſerant.* Et in Ezech. 16. affirmat, *hanc eſſe eruditorum opinionem*, id eſt, Joſephi, Ariſtæi, & Judæorum, ut ſeſe explicat loco priori. Et in Mich. 2. videtur ipſe in hanc opinionem propendere: nunquam tamen diſerte profitetur Hieronymus, ſe huic ſententiæ ſuffragari; ſed tantum Judæorum opinionem refert. Multi tamen recentiorum ſcriptorum huic ſententiæ ſubſcribunt, quia authoritati hujus Verſionis videtur hæc ſententia detrahere, ſi a LXX Senioribus profecta non ſit. Judæi etiam plerique poſt Talmudem idem ſentiunt; licet relatio illa Talmudica ſit mere fabuloſa, ut ſupra oſtendi, cum de cellis egimus. Contraria ſententia eſt veterum Eccleſiæ Scriptorum omnium, ſolo excepto Hieronymo, qui (ut diximus) dubitare videtur: Plerorumque etiam recentiorum; ut & quorundam Rabbinorum, qui, non obſtante Talmude, vel contrarium aſſerunt, vel dubitare videntur. Juſt. Mart. *totam Scripturam ab iis tranſlatam* affirmat, Apol. ad Antonin. Imperatorem, & Dialog. cum Tryph. Clem. Alexand. expreſſe dicit, *ipſos tranſtuliſſe*, τὰς γραφὰς τάς τε τοῦ νόμου, καὶ τὰς προφητικάς. Euſeb. Præp. lib. 1. idem oſtendit ex Ariſtobulo Judæo, qui paulo poſt ipſos LXX vixit, quemque ſupra adduximus pro Ariſtæa: qui libro ad Ptolem. Regem diſerte ſcripſit, *Totam Scripturam ſacram Demetrii Phalerei opera & Philadelphi regis juſſu, recte tranſlatam.* His conſentiunt Irenæus, Tertul. Orig. Auguſt. Epiphan. &c. totuſque antiquæ Eccleſiæ Venerandus Chorus. Imo ipſe Hieronymus, licet alicubi dubitare videatur, poſtea tamen plurimis locis totam Græcam Verſionem LXX aſcribit. Nam in Commentariis ſuis in Prophetas, ipſam Sept. Verſionem Latinam, ſub nomine Septuaginta, præter propriam ex Hebræo, per columnas ſibi reſpondentes apponit, eamque exponit, & ubique pro ipſorum Verſione agnoſcit. Idem contra Ruffinum, lib. 2. *Egone* (inquit) *contra LXX. Interpretes aliquid locutus* &c. *quos quotidie in conventu fratrum ediſſero. — Univerſi tractatus mei horum teſtimoniis texti ſunt: commentarii in* 12 *Prophetas, & meam, & LXX. Verſionem ediſſerunt*. Et Epiſt. ad Suniam & Fretelam, dicit; *Editionem Pſalmorum* κοινὴν *ipſam eſſe, quæ & Septuaginta.* Rationes vero magni ponderis pro hac ſententia adferuntur. Primo, Evangeliſtæ & Apoſtoli, cum ex Veteri inſtrumento, ex Prophetis & Hagiographis, loca a ſeipſis, vel a Domino citata adferunt, plerumque ſecundum Verſionem Græcam reddunt, quæ cum hodiernis Græcis Editionibus concordant, ut infra demonſtrabimus. Editionem vero Græcam Prophetarum & Hagiographorum nullam præter illam τῶν ο′ extitiſſe ante Chriſti tempora, ita certum eſt, ut ex nullo auctore vel verbulum in contrarium produci poſſit. Aquila enim primus fuit, qui poſt Sept. ex Hebræo in Græcum ſermonem Vetus Teſt. vertere tentavit. Unde Vir Reverend. in ſyntag. quod contra Græcam Verſionem collegit, agnoſcit *Verſionem Græcam, quam communiter uſurparunt Judæi in Synagogis, & ex qua Dominus & Apoſtoli teſtimonia ſua protulerunt, fuiſſe ſub Sept. nomine communiter receptam; eandemque eſſe, quæ hodie extat:* licet alia ἀσύστατα addat, de quibus poſthac. Secundo, ita argumentantur Maſius Præf. in Joſ. pag. 119, aliique viri docti, *Quæ potuiſſet cauſa Ptolemæum movere, (qui ſtudio incredibili tenebatur omnia antiquitatis monumenta comparandi, quæ literis conſignata erant,) ut Moſis leges a Pontifice poſceret; cæteras gentis nobiliſſimæ admirandas hiſtorias, & prophetica oracula prætermitteret? &c.* Certe qui omnes per totum orbem libros conquiſivit, non hoſce neglexiſſet. Si vero quoſdam neglexiſſet, tamen, ut obſervat Baronius, *illos qui rerum Judaicarum continerent hiſtoriam, qui* Regibus *& rerum antiquarum ſtudioſis magno in pretio eſſe ſolent, non prætermiſiſſet.* Tertio, oſtendimus ſupra (quod & omnes agnoſcunt) miram Dei providentiam circa hanc Verſionem factam ante Chriſtum, ut gentes pararet ad Evangelium recipiendum: Unde & *oſtium ad Chriſtum* a Chryſoſt. vocatur. Jam vero ad hunc finem neceſſarium erat, non tantum ut lex Moſis; ſed, & præcipue, ut Prophetarum oracula in linguam Græcam omnibus notiſſimam transferrentur: ut quæ a Chriſto & Apoſtolis prædicabantur, & Judæis & Gentibus ex hac Verſione Græca probarent: & ut omnia a Prophetis prius prædicta fuiſſe conſtaret. Quarto, apud omnes in confeſſo eſt, & tam ex Judaica hiſtoria, quam ex Nov. Teſtam. conſtat, & Legem & Prophetas lingua Græca in Synagogis publice prælecta fuiſſe: & ab Antiochi temporibus certum eſt, Haphtoras ex Prophetis Hebr. prælectas, cum Tyrannus ſub pœna capitis Pentateuchi lectionem prohibuiſſet: aliam vero præter hanc Verſionem Græcam tunc fuiſſe, nemo adhuc probavit. Denique ex Judæis varii idem nobiſcum ſentiunt, non obſtante Talmudis auctoritate. R. Azar. lib. אמרי בינה cap. 7. varia loca ex Rabbinis profert, ubi per Legem totam Scripturam intelligunt, & rationem pro totius Script. Verſione ex Ptolemæi conſilio urget. Joſ. Hebr. cap. 17. libri ſui Conſtantinop. ante annos 120 impreſſi, dicit, *libros ſacros* 24 *ab Interpretibus LXX. verſos fuiſſe.* Dubitat Gedalias in Catena Cabalæ, & ſcribit, *ſe neſcire, in quam partem propendendum ſit.* Ad objectiones in contrarium facilis eſt reſponſio. Nam licet Ariſtæas & Joſephus de Lege per LXX verſa loquantur; certum tamen eſt per Legem totam Scripturam ſæpiſſime intelligi: & ita intellexiſſe Judæos, conſtat ex Evang. Joh. 15. 25. ubi Dominus dicit eſſe ſcriptum ἐν τῷ νόμῳ, *in Lege, Oderunt me ſine cauſa:* quod ex Pſal. 34. 19. producit: &, *Nonne ſcriptum eſt in Lege veſtra, Ego dixi, quod dii eſtis?* Joh. 10. 34. quod Pſal. 82. 6. habetur. Apoſtolus 1 Cor. 14. 21. dicit, *in Lege ſcriptum eſſe, Quoniam in aliis linguis & labiis loquar populo huic:* quod tamen non in Pentat. invenitur, ſed Eſa. 28. 11. Ad eundum modum loquuntur Veteres. Hilar. in Pſal. 2. *In 22 libros Lex Vet. Teſtamenti deputatur.* Et ipſe Hieron. agnoſcit Epiſt. ad Algaſiam, *Pſalmos Legem appellari:* & in Prol. Galeato, *Ita fiunt Veteris Legis libri* 22. Sic Judæi, R. Azar. in Meor Enajim, *Apud ſapientes noſtros multa loca reperiuntur, in quibus nomen Legis complectitur etiam* Prophetas *& Hagiographa.* Joſephus etiam lib. 20. cap. 4. & de Bell. Judaic. lib. 2. cap. 12. agens de libris Judæorum, qui in Synagogis legi conſueverant, omnes ſub libris *Legis* comprehendit: cum tamen præter Pentateuchum conſtet, legi etiam ſolitos Prophetas, Luc. 4. Act. 15. Nec unquam Joſephus dixit, ſolos 5 libros Moſis a Senioribus converſos fuiſſe, licet hoc de ipſo affirmaverit Hieronymus; ſed *Legem*, per quam totam Scripturam intelligi poſſe oſtendimus. Prooemio tamen in Hiſtoriam Antiq. dicit, ipſos LXX. *Legem, non vero reliquam Scripturam interpretatos fuiſſe:* ubi quidam reſpondent, per *Scripturam reliquam* intelligi poſſe libros, qui Vulgo *Apocryphi* vocantur: quos licet inferiori gradu collocet Joſephus, pro Sacris tamen agnoſcit, lib. 1. contra Appion. Hoc mihi tamen videtur nimis longe petitum, nec Joſephi verbis vel menti convenire. Itaque melius eſt Joſepho unico teſti, præter omnes Chriſtianæ Eccleſiæ Patres, qui contrarium aſſerunt, Judæum Ariſtobulum opponere, quem ſupra ex Euſebio adduximus libro ad Ptolem. cujus auctoritas Joſephi multo potior eſt in hac re, cum multo ante Joſephum vixerit, & paulo poſt ipſam Verſionem ſcripſerit: ita ut vel ipſe rebus geſtis interfuerit, vel ab iis, qui intereſſe poterant, omnia circa hanc Verſionem geſta habuerit. Sic Joſepho Judæo, Judæum ipſo antiquiorem, Ariſtobulum opponimus, virum doctum, Philoſophum inſignem; & Hieronymo tum ipſum Hieronymum locis aliis, tum univerſam Eccleſiam Græcam & Latinam. Quod vero Joh. D' Eſpeires dicto loco putat, *Impoſſibile fuiſſe tot tantaque volumina 72 diebus transferri poſſe:* unde conjicit, *Legem tantum 72 illis diebus juſſu Ptolemæi verſam; reliquos vero libros poſtea, vel Alexandriæ, vel poſt Seniorum reditum, Hieroſolymis eoſdem tranſtuliſse:*

tuliſse : quod & ante ipſum Paradinus præf. in Edit. Gallicam Ariſtæi, & Genebr. in Chronol. affirmarant; hoc ſine neceſſitate excogitatum videtur: cum (ut ſupra vidimus) ſine ullo miraculo, a tot viris Hebraice & Græce doctis, 72 diebus omnes Vet. Teſtam. libri verti poſsent: nec Ptolemæi deſiderio ſatisfeciſſent, niſi omnes vertiſſent. Si hoc tamen probabilius cuiquam videbitur, nolo anxie de eo contendere: fruſtra enim ſunt, qui hinc diminutam fore Verſionis hujus auctoritatem ſperant, ſi reliquos libros poſt Pentateuchi Verſionem ab aliis traductos fuiſſe evincant. Cum enim Verſionem, quam hodie habemus, Græcam, contendant tempore Philometoris, circa centum annos poſt Philadelphũ, factam fuiſſe, (quod tamen ſine ulla ratione & contra omnium Veterum auctoritatem aſserunt,) non multum refert, ſive Alexandriæ, ſive Hieroſolymis; ſive juſsu Prolemæi, ſive non; ſive tempore LXXII Seniorum, ſive poſtea, facta fuerit. Auctoritas enim eadem eſt, cum a Judæis omnium librorum Verſio publice recepta & uſurpata ſit variis ante Chriſtum ſeculis; eademque a Domino & Apoſtolis ubique citata, Eccleſiæ Chriſtianæ ab iiſdem tradita, ab univerſa Eccleſia approbata, & apud Græcos alioſque Orientales in hunc uſque diem continuata, & in ſummo honore habita. Hoc vero, ſi conceſsum illis fuerit, (quod ab ullo verecunde negari non poteſt;) videant, quid inde lucrati ſunt, & annon magno molimine nihil agant, qui LXXII Interpretes ſolum Pentateuchum vertiſse dicunt.

12. Quod ad ſecundum argumentum attinet, videtur quidem Philo ſentire, LXX. ad verbum tranſtuliſſe: loco enim citato ait, *propria propriis nominibus reddita fuiſse, Græcis ad Chaldaica* (intelligit Hebraica) *exacte reſpondentibus: unde in utraque Scriptura, tam Chaldaica, quam ejus interpretatione, miretur quis germanitatem, imo rerum verborumque conſonantiam adoret.* Ante Philonem ſcripſit Ariſtæus, *admirabilem fuiſſe rerum & verborum conſonantiam inter codices Hebræos & Verſionem Græcam*: Et ad finem libri, *Interpretationem ab omnibus diſcuſſam, conſideratam, examinatam, antequam in Regis Bibliotheca poneretur; & ab omnibus acclamatum, Sancte & fideliter ſingula eſſe tranſlata, ut nihil addi, nihil demi poſſet.* Hæc a Neotericis quibuſdam avide arripiuntur, ut probent veterem illam tranſlationem periiſſe: quia hæc, quam hodie habemus, in multis ab Hebraicis codicibus differt. De hac vero quæſtione infra fuſius agemus. Hic breviter ad argumentum reſpondemus, Interpretes non verba verbis, ſed ſententias ſententiis reddidiſſe. S. Auguſtinus de Conſenſu Evangeliſt. c. 60. ait, *Manifeſtum eſſe, illam interpretationem in nonnullis aliter ſe habere, quam invenimus in Hebræo*: quod de verbis, non de ſenſu affirmat. Hieron. de optimo gen. interpretandi, ait, *In iis quæ addita ſunt, non verba conſideranda, ſed ſenſus; ad quem LXX. de ſuo nihil addiderunt, licet verba quædam, quæ in Hebræo non ſunt, adjunxerint.* Probatq; idem Hieron. Præf. in Euſebii Chron. *Difficile eſſe alienas linguas inſequentem non alicubi excidere, & ut quæ in aliena lingua bene dicta ſint, eundem decorem in tranſlatione conſervent.* Et eodem loco, *Illud ſuum, ut ita dicam, vernaculum linguæ genus, ſi ad verbum interpretor, abſurde ſonat.* Unde illud, *Nec verbum verbo reddere curat fidus interpres.* Addit Baronius, *ex lingua Hebr. ſingula Græca reddere ſi voluiſſent, facere non potuiſſe: cum nonnulla ſint in Hebraicis verba, quæ vix una periodo orationis æque recte poſſint Græce interpretari.* Et hunc fuiſſe modum vertendi Veterum, obſervat Genebr. in Pſal. 95. 10. *ut paucula obiter intercalarent, quæ inſervirent perſpicuitati Myſterii.* Sic ſæpe præter Hebraicum contextum nonnulla de ſuo interponunt in Lege & Prophetis, ad locos obſcuriores illuminandos, Jonathan & Onkelos: qui proinde non tam Chaldaici Tranſlatores, quam Paraphraſtæ appellantur. Hoc etiam frequenter apud Apoſtolos obſervatum, in citatione locorum Veteris Teſtamenti; non tam verba, quam ſenſum reſpexiſse: unde quædam verba mutare, non obſtat fidelitati Tranſlatoris, ſi ſervetur ejuſdem ſenſus veritas. Imo veriſſimum eſt illud Serarii in Proleg. *Optimum & nobiliſſimum modum interpretandi de lingua in linguam eſſe, cum ab auctoris mente nihil diſcedat Interpres, ſive de verbo ad verbum transferat, ſive aliter, contractius, vel uberius, & paraphraſtice addendo vel demendo aliqua, prout primus auctor, habita rerum, perſonarum, & circumſtantiarum ratione, fieri vult.* Cum enim oratio mentis interpretatio ſit, optime quis alicujus orationem interpretatur, qui ejus mentem optime, prout ille, perſonis atque circumſtantiis omnibus exprimi curat. Ad Philonis vero teſtimonium, reſpondent Baronius & alii, & ex ipſis Philonis verbis probant, nihil aliud ipſum voluiſse, niſi interpretes ita vertiſſe, ut rebus ſignificatis verba optime congruerent: non ut omnia Hebræa Græcis quaſi numerato reſponderent; ſed ut verba & res ita congruerent, ut auctoris mens optime exprimatur. Philonem vero aliud non ſenſiſse, manifeſto hinc conſtat, quod ipſe hanc Verſionem ubique ſequatur, (fatente Rev. Uſser. Syntag. c. 3. p. 25.) ejuſque loca citat, quæ cum Hebræo ad verbum non conveniunt, ſed exemplaribus Græcis hodiernis plerumque congruunt; & quam ipſe deſcripſerat Verſionem, eandem ſuo tempore extitiſse exiſtimavit. Quomodo itaque potuit exiſtimare, ipſos de verbo ad verbum vertiſse, cum contrarium ex ipſa Verſione, quam quotidie legebat, ipſi conſtabat? Addit alius, Philonem *more ſuo Hyperbolice & Rhetorice multa locutum fuiſse.* Imo Hieronymus ipſe Epiſt. dicta ad Pammach. de opt. gen. interpret. qui omnes in illa Verſione errores illapſos notavit, ſæpius teſtatur, eos *non verba verbis, ſed ſententias ſententiis* reddidiſſe: legerat utique ipſe Ariſtæam & Philonem, nec tamen eo ſenſu eorum verba accipienda eſſe putavit. De diſcrepantia vero Verſionis Græcæ ab Hebr. ejuſque cauſis, nolumus hoc loco plura dicere; cum de ſinceritate & auctoritate ejus agemus, de his latius diſſerturi.

13. De libris Apocryphis, An eos tranſtulerint LXX. prout hodie extant, merito dubitatur. Exiſtimat Vir Rever. totius Vet. Teſt. Verſionem factam fuiſſe poſt Ptol. Philometoris annum quartum, & ante Euergetis 38. idque probat ex additione quadam ad calcem libri Eſtheris in Edit. Græca, ubi legimus, *Anno* 4. *regnantibus Ptolemæo, & Cleopatra, attuliſse Doſitheum, qui ſe ſacerdotem eſſe Levitici generis ferebat, & filium ejus Ptolemæum, Epiſtolam Phrurim. Ptolemæus* (inquit ille) *non fuit alius, quam Philometor, ut obſervat Pererius in Dan.* 13. *cujus, & Cleopatræ uxoris ejus meminit Joſeph. l.* 2. *contra Appion.* Hæc adfert vir Rev. ut probet, Editionem Græcam Vet. Teſt. non fuiſse ante annum 4. Philometoris, qui ſecundum computationem ejus erat ante Chriſtum 177. cum illa τῶν ο' (Pentateuchi ſolius, ut ipſi videtur) ex ejuſdem calculo, fuerit anno 277. Infirmiſſima vero eſt hæc ratio, niſi ſimul probaret, omnes libros Apocryphos, et omnia eorum additamenta, ſimul cum Canonicis verſos fuiſse: quod nemo ipſi conceſserit. Sixtus Senenſ. Biblioth. l. 1. p. 35. affirmat, *Omnia ſex capitula ad finem libri Eſther, ab incerto Græco auctore addita eſſe ex diverſis hiſtoriis, præcipue ex Joſeph. Antiq. l.* 11. *unde exempla literarum Aman & Epiſtolæ regis Artax. quæ cap.* 13. *&* 16. *hujus libri recitantur, ad verbum deſumpta ſunt.* Et poſtea agnoſcit, quod *propter has appendicum lacinias, hinc inde quorundam Scriptorum temeritate inſertas, liber hic, quamvis Hebraicus, ſero apud Chriſtianos auctoritatem receperit, &c.* Hactenus Sixt. Senenſ. Ex quibus conſtat, quam infirmum ſit argumentum ex additamentis hujus libri ductum, de quibus incertum eſt, quando vel a quo auctore aſsuta fuerint, contra illud quod totius Eccleſiæ Chriſtianæ conſenſu unanimi ſtabilitum & teſtatum eſt. Deinde luce clarius eſt, libros omnes Apocryphos cum reliquis Canonicis verſos non fuiſse; cum eorum quidam tunc temporis non extiterint, ſed longo poſt tempore ſcripti ſint. Quis unquam ſomniavit, Macchabæorum libros tempore τῶν ο' ſcriptos, vel in Græcum ſermonem traductos eſse? De Eccleſiaſtico etiam ex ipſa Siracidis præfatione liquet, librum hunc non a Septuag. ſed ex Hebræo in Græcum fuiſse converſum poſt annum 38. Euergetis. Macchabæorum etiam libri poſt tempora Antiochi ſcripti ſunt: quis vero inde argumentum ducet, ad probandum Verſionem Græcam poſt Antiochi tempora factam? Libri etiam Apocryphi dicti, licet apud Judæos Alexandrinos in uſu, ab Hebræis tamen Hieroſolymitanis, qui tantum Hebraicos 22 agnoſcunt, recepti nunquam ſunt in Canonem. Nec probabile eſt, Eleazarum Pontificem, qui exemplar aureis literis deſcriptum ad Philadelphum miſit, libros dubiæ auctoritatis cum iis miſiſſe. Incertum enim eſt, an librorum iſtorum aliqui tunc temporis extiterint: certum, aliquos non extitiſſe. Libri itaque Apocryphi, ut a variis auctoribus, ita variis temporibus, ſcripti ſunt; quidam Hebraice, quidam Græce: & licet apud Helleniſtas primum recepti fuerint; tempus tamen præciſe aſſignari non poteſt, quando cum reliquis libris Sacris in unum Volumẽ compacti fuerint. Hoc tamen clarum eſt a Judæis Helleniſtis cum reliqua Scriptura Eccleſiam eos recepiſſe. Etſi vero haud ita antiquam facimus eorum Verſionem, ut ad Sept. Seniores referri poſſint: non tamen iis aſſentimur, qui Theodotionem primum eos in Græcam linguam vertiſſe dicunt. Vix enim credibile eſt, Judæos, qui Græcam linguam melius, quam Hebræam, plerique callebant, non habuiſse hos libros, qui hiſtoriam ſuæ gentis complexi ſunt, lingua ſibi nota deſcriptos ante Theodotionem. Liber Eccleſiaſticus etiam quibuſdam ante Theodotionem ſeculis Græce traductus erat: & Clemens Romanus in Epiſtola ad Corinth. auctoritatis indubitatæ, quam Patricius Junius ex tenebris, poſtquam mille annos delituerat, ex MS. noſtro Alexandrino in lucem produxit, loca quædam ex his libris Græce profert, ut obſervat Clariſs. Grotius Epiſt. ad Gallos. 154. Et Joſeph. (de quo multi dubitant, an linguæ Hebraicæ peritus fuerit) lib. contra App. loca quædam ex his libris Græce citat: ex quibus clariſſime conſtat, ante Theodotionem hos libros Græce extitiſse.

14. Codice Hebræo, puro, optimæque notæ, uſos eſse LXX. Interp. quem curavit Eleazarus Pontifex ad Regem mitti, tam clare tradunt Ariſtæus, Joſephus, aliique Veterum; ut nemo de hoc dubitaverit ante hoc ultimum ſeculum: quo omnia, quæ prioribus ſeculis certa erant & indubitata, in quæſtionem vocarunt homines ſceptici & vertiginoſi. Fingunt enim Neoterici quidam, ut Verſionem Græcam nunquam ullius pretii fuiſſe probent, contra omnem hiſtoriæ fidem, omniumq; Judæorum & Chriſtianorum conſenſum, Sept. ſenes non Hebraicis, ſed Syriacis, vel Chaldaicis, vel Samaritanis codicibus, iiſq; corruptis & plebeiis, uſos fuiſse in ſua tranſlatione: unde cauſam reddunt, cur ſæpe ab hodiernis Hebræis codicibus differat Verſio Græca, quia non ex puro fonte, & probatis codicibus, ſed ex codicibus Vulgaribus, qui in manibus plebis erant, eam extraxerint. Primus, qui hoc figmentum propalavit, erat Guiliel. Poſtellus, in Tab. 12. linguarum, vir certe linguarum ſcientia clarus: at ſenex Judaicis & Rabbinicis ineptiis miſere faſcinatus; necnon erroribus periculoſis contra fidem Chriſtianam, & fanaticis opinionibus mire irretitus: quibus tamen (teſte Spondano in continuatione ſua) ante mortem renunciavit. Hic primus aſſeruit, *Septuaginta ex codicibus Samaritanis ſuam Verſionem confeciſſe.* Alii vero e contra, *Samaritanos ex Græca τῶν ο' Verſione Pentateuchum ſuum deſcripſiſſe*, aiunt: in quam ſententiam adducunt quidam Lud. de Dieu. in Matth. 19. 5. & Joh. Seldenum, in Mare clauſo p. 57. quorum tamen neuter hoc directe affirmavit. R. Azar. libro Meor Enajim. c. 8. & 9. & paulo ante illum R. Gedalias, dicunt, *Poſt Eſdræ reditum, Legem in linguam Chaldæam tranſlatam fuiſse, in gratiam vulgi, quod linguæ Hebrææ tempore Captivitatis obliti, Chaldæam melius intelligerent; & hujus uſus duraſset per totum tempus Templi ſecundi. Sed quia carebant Maſora, inter vulgus corruptam & depravatam fuiſse; & ex hoc depravato codice Chaldaico, Septuaginta ſuam feciſse Verſionem: hanc eſse cauſam diſcrepantiarum inter eam & Hebræum; licet exemplari, quod ſecuti ſunt, ad amuſſim reſpondeat.* Contra hanc ſententiam tota clamat Hiſtoria Verſionis. 1. Demetrius ad Ptolemæum ſcribit, *Velim te ſcire, inter libros, quos adhuc deſideramus, eſse Judæorum leges. Hebraicis enim characteribus, & gentili eorum lingua cum ſcriptæ ſint, a nobis intelligi non poſsunt.* Hic videmus codicem, quem Demetrius deſiderabat, fuiſſe Hebræum; quem Syri vel Chaldæi intelligere non poterant: nam etſi affinitatem hæ linguæ habeant, diverſæ tamen ſunt, ut qui unam intelligit, non ſtatim intelligat alteram. Exemplar etiam, quod ab Eleazaro miſsum eſt, non erat aliquod vulgare, ſed *magnificum, eleganter deſcriptum aureis literis, membranis cum commiſsuris adeo ſubtilibus* (teſte Joſepho) *ut oculorum aciem effugerent: quod Rex non ſine admiratione conſpexit, & volumina ſacra adoravit.* Quis vero credat, Pontificem tanto apparatu deſcriptum codicem, legatione publica, per tot viros ſcientia & probitate claros, ad Regem potentiſſimum, ſub quo tot Judæorum myriades vixerunt, corruptum, vulgarem, mille mendis ſcatentem, idque conſulto, miſiſse? vel Eleazarum ita ſtudioſe a Rege petiiſse, ut codicem talem remitteret cum ipſis Interpretibus? Teſtatur etiam Hiſtoria, poſtquam verſionem abſolverant Interpretes, non tantum coram Demetrio; ſed & coram Judæis, eorumque Senioribus, Sacerdotibus, totoque populo, lectam fuiſse, diſcuſsam, & approbatam: petitumque, ut ſi quis aliquid deeſse vel additum eſse deprehenderit, indicaret: alias ut rata maneret in perpetuum; neminique liceret aliquid de ea mutare, cui omnes conſenſerunt: & anathemate devoverunt omnes, qui contrairent. Anne vero credibile eſt, ſi ex corrupto codice Verſio corrupta facta fuiſset, neminem ex Judæis hoc deprehendiſse; ſed omnes in talem Verſionem, quæ ipſos falſarios eſse convinceret, conſpiraſse? Præterea ex Talmude affirmant Judæi, loca 13 ab Interpretibus mu-

mutata eſſe in textu Hebraico(quam vere hoc aſſerunt,hoc loco non diſputo,) ne quid impium aut indecorum Rex in Lege ſuſpicaretur. At quorſum hic metus, hæc cura, ſi codicibus corruptis, Syriacis vel Samaritanis, Regem fallere voluiſſent? Objiciunt etiam multi contra Verſionem Græcam, ipſos Interpretes frequenter deceptos eſſe ex literarum ſimilitudine, unam pro alia legendo, ut ה pro ח, ו pro י, ד pro ר, ס pro ם, ט pro ם, & e contra. Hoc vero certiſſime probat, eos codice Judaicis literis deſcripto uſos fuiſſe, non Samaritanis, cum literæ hæ in Samaritano Alphabeto nullam ſimilitudinem habeant, ſed multum inter ſe diſcrepent, ut ࠄ & ࠇ, ࠅ & ࠉ, ࠃ & ࠓ, ࠎ & ࠌ, ࠈ & ࠌ,&c. Ex his itaque patet, LXX ex Hebraicis fontibus Verſionem ſuam traduxiſſe, non vero ex turbidis rivulorum lacunis. Pro confictа Azariæ narratione nullus adfertur teſtis; ſed frivolæ quædam ratiunculæ, quas referre piget. Unam maxime urgent, quæ tamen nullius eſt momenti, quod Philo ſcribat, *Sept. ex Chaldæo in Græcum ſermonem Legem tranſtuliſſe*. At omnibus notum eſt, Philonẽ per Chaldæam Hebræam linguam intellexiſſe, ut ex libro de Abrahamo liquet: ubi nomina Hebraica *Henoch, Sara*.&c. explicans,modo Hebraica, modo Chaldaica vocat:& lib. 3. de vita Moſis,ſcribit de feſto Paſchali, τὸ Χαλδαϊστὶ λεγόμενον πάσχα: quum tamen libro de Decal. dicat, quod hoc feſtum Hebræi patria lingua vocant *Paſcha*. Sententiam itaque hanc, ut novam & falſam omnino, rejicimus: nec poſſum non mirari, virum doctum ejus patrocinium in ſe ſuſcipere, ut eam *probabilem eſſe, & nihil manifeſto falſum in ſe continere* aſſerat: cum manifeſto falſum ſit, Interpretes Chaldaico, vulgari, & non Hebraico codice uſos eſſe: quo nihil falſius affirmari poterat. Nam, ut utar verbis D. Hottingeri,Exerc. Anti-Mor. ſect.43. *Quotquot hiſtoriam LXX Interpretum pertexuere (pertexuerunt autem eam Hebræi antiquiores, recentiores, Græci, Arabes, Chriſtani æque ac Muſlimini,Latini,)* ὁμοθυμαδὸν *R. Azariæ reclamant,docentque Biblia Græca verſa eſſe non ex mendoſis, ſitu & ſqualore obſitis, multo minus ſacrilegis plebis manibus dilaniatis & diſcerptis exemplaribus Chaldaicis, ſed emendatiſſimo codice Hebræo.* Wowerus Syntag. c.7. *Libros, quibus in vertendo uſi, omnino incorruptos fuiſſe, cenſendum eſt.* Concludam hanc quæſtionem verbis Doctiſſ. Iſaaci Caſauboni, *Puerum in ſacris literis eſſe oportet, qui neſciat, LXX Interp. Verſionem ex Hebræo eſſe deſumptam.* Exerc. 16. ſect. 11.

15. Verſionem hanc Græcam a Judæis olim receptam & approbatam fuiſſe, licet ex dictis ſatis conſtet: quædam tamen ad hoc confirmandum adjicere placuit. Ex Ariſtæa, Joſepho, Philone,pro certo ſupponitur. Verba Ariſtææ ſunt, *Cum Tranſlatio illa approbata eſſet ab omnibus*, (id eſt, principibus Judæorum, Sacerdotibus, & populo) *& decretum approbationis promulgatum, juſſit Demetrius, ut Judæi pro eorum conſuetudine imprecarentur, ſi quis addere, transferre, mutare, vel delere auderet quidquam ex iis, quæ ſcripta ſunt: cumque univerſi hæc rite explevißent, ut perennis illa ſit ſemperque ſervetur, Judæos adjurant: quod ſe facturos cum maximo gaudio & plauſu receperunt.* Hactenus Ariſtæas:cui ſuffragantur Joſephus, Philo, omneſque ſcriptores veteres. Cum enim publica Pontificis ſummi & Synedrii auctoritate hæc Verſio adornata eſſet, non potuit non ab omnibus Judæis recipi et agnoſci: unde poſtquam exemplaria inde deſcripta fuerint,in ſynagogis publice lecta,& uſurpata ſunt. Teſtatur Joſ.Scaliger Animadv.in Euſeb.loc. cit. *per totam Aſiam, Græciam & Ægyptum lectam fuiſse in Synagogis.* Cui omnes concordant, qui ab ultima antiquitate, inter Helleniſtas præſertim,publice & privatim,uſurpatam fuiſſe teſtantur. Unde R. Azar. p.26. ſcribit, *confirmatam fuiſse interpretationem Græcorum ab univerſo Iſraelitarum cœtu.* Idemque affirmat, *Talmudicorum decreto ſancitum fuiſſe, ut Lex ſolis Græcis literis ſcriberetur.* לא התירו שיכתבו ספרים בכל לשון אלא ביונית *non permiſerunt ſcribere libros ulla lingua, excepta Græca.* Huc pertinet hiſtoria in Talm. Hieroſ. Sota. c. 7. quam refert Buxtorf. Lex. Talm. p. 104. de quodam R. Levi, *qui Cæſareæ audiens eos legentes Græce, vellet impedire: at R. Joſe iratus eſt, dicens, Qui Hebraice non poteſt legere, num omnino non leget? imo legat quacunque lingua quam intelligit, & ſic officio ſuo ſatisfaciet.* Talmud utrumque tract. Megillah. c. 1. hiſtoriam Tranſlationis refert, licet mendaciis conſperſam, ut ſupra monuimus. Ubi dicunt, *Magiſtros ſuos permiſiſſe linguam Græcam, ſed non niſi pro libro Legis: unde ortum eſt opus Ptolemæi Regis, &c.* Poſtea referunt loca 13. quæ LXX aliter interpretati ſunt, de quibus poſtea. Idem teſtatur Tertull. Apologet. cap. 18. *Judæi* (inquit) *palam lectitant: vectigalis libertas vulgo auditur ſabbatis omnibus: qui audierit, inveniet Deum.* Ubi per *vectigalem* (ut omnes conſentiunt) intelligit libertatem legendi & audiendi, quam omnes tributo redemerunt. His gemina habet Juſtin. 2. Apol. & Oratione ad Græcos Parænet. Imo Hieroſolymis, apud Helleniſtas, qui ibi vixerunt, in Synagogis ſuis Græcam Verſionem prælectam fuiſſe, conſtat, tum ex Act. 6. 1. ubi ſcriptum eſt, fuiſſe γόγγυσμον τῶν Ἑλληνιστῶν πρὸς τοὺς Ἑβραίους; *murmur Helleniſtarum adverſus Hebræos*: ubi *per Hebræos iidem, quos Chryſoſt. in Act. 6. vocat* Ἑβραίους βαρεῖς graves *Hebræos, intelliguntur, id eſt, Judæi, qui Bibliis Hebræis utebantur, oppoſite ad Helleniſtas, qui lingua & Bibliis Græcis uſi ſunt*: ut in notis ſuis ad Chryſoſt. Edit. Savil. oſtendit Andræas Dunæus, ſive Dovvnes. Talem Alexandrinam Synagogam Hieroſolymis fuiſſe, notatur in Gloſſa ad cap. 11. Heſteris: et aliam Cæſareæ, in Talm. Hieroſol. Unde Syrus Act. 9. 29. Ἑλληνιστὰς interpretatur *Judæos, qui noverunt Græce*; Chryſoſt. Oecumenius, Theophilactus τοὺς Ἑλληνιστὶ φθεγγομένους. *Horum pleri que non intelligebant Hebraice, quorum fuit & Philo, quanquam Judæus ex Judæis ortus.* Sic Grot. in Act. 6. Ex S. Luc. Evang. c. 4. v. 18. 19. colligunt viri haud indocti, Dominum in Synagoga legiſſe ex Verſione Græca, verba quæ ibidem recenſet Evangeliſta ſecundum illam Tranſlationem, non ſecundum textum Hebræum. Locus eſt Eſ. 61. 1. ubi verba ſecundum LXX. ita reddit Lucas, Πνεῦμα Κυρίου ἐπ' ἐμὲ, οὗ εἵνεκεν ἔχρισέ με, εὐαγγελίσασθαι πτωχοῖς ἀπέσταλκέ με, ἰᾶσθαι τοὺς συντετριμμένους τὴν καρδίαν, κηρύξαι αἰχμαλώτοις ἄφεσιν, καὶ τυφλοῖς ἀνάβλεψιν. *Spiritus Domini ſuper me, propter quod unxit me: evangelizare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde, prædicare captivis remiſſionem, & cæcis viſum.* Textus Hebraicus eundem fundit ſenſum, ſed verbis diſcrepantibus, quæ ita Latine redduntur, *Spiritus Domini Dei mei ſuper me: ideo unxit Dominus me ad pronunciandum manſuetis, miſit me ad alligandum contritos corde, ad prædicandum captivis libertatem, & vinctis apertionem carceris.* Hic videmus verba Evangeliſtæ ab Hebræo textu differre: quæ tamen cum Interpretatione Græca exacte congruunt. Unde videtur colligi poſſe, Dominum Verſionem Græcam in Synagoga uſurpaſſe: quam poſtea lingua vernacula, Syriaca, populo explicavit. Quicquid vero dicamus de codice, ex quo Dominus hunc locum legit; certum eſt,Evangeliſtam ſecundum LXX. ejus verba recitare; & in Synagogis Judæorum, qui inter Græcos diſperſi vixerint, Legem & Prophetas ex hac verſione ſingulis ſabbatis lectos fuiſse. Ut ex Act. 13. 15. μετὰ τὴν ἀνάγνωσιν τοῦ νόμου καὶ τῶν προφητῶν. Et cap. 15. 21. Μωσῆς ἐκ γενεῶν ἀρχαίων κατὰ πόλιν τοὺς κηρύσσοντας αὐτὸν ἔχει, ἐν ταῖς συναγωγαῖς κατὰ πᾶν σάββατον ἀναγινωσκόμενος· quæ non de ſolis Judæis Judæam habitantibus,ſed de omnibus per univerſum orbem diſperſis dicuntur a Jacobo. Præterea ex Joſephi & Philonis libris Græce ſcriptis conſtat, ipſos Græcam Verſionem in Scripturis citandis ſequi. Imo dictus Azarias dicit, *hanc Verſionem eſſe apud Judæos gloriam & ornamentum Iſraelis.* E contra tamen videntur Judæorum multi hanc Verſionem vituperaſse, & Helleniſtas propter ejus uſum odio proſecutos eſse. Unde diſcordiam inter Hebræos & Helleniſtas Act. 6. 1. licet ex alia cauſa profectam, ex Bibliorum tamen diſcrimine primo ortam, & poſtea continuatam obſervarunt multi: quibus aſsentit Joſ. Scaliger, qui ex Benjaminis Itinerario notat, Alexandriæ duo fuiſse Judæorum genera,Babyloniorum, & Helleniſtarum: quorum illi hos cane pejus & angue oderunt, & per contemptum vocarunt, *legentes barbare*, & *legentes Ægyptiace*: quia verſio illa confecta fuit in Ægypto. Circa annum Chriſti 550, tempore Juſtiniani Imperatoris, controverſiam hanc magna animi contentione proſequebantur, dum alii ſolum textum Hebræum publice legi vellent, alii vero etiam Verſionem Græcam legendam cenſerent. Juſtinianus vero, ut litem dirimeret, Conſtitutionem edidit,quæ extat Novel.146. in qua pro Helleniſtis ſententiam tulit, Δι' αὐτῶν γὰρ τῶν προσενεγκαμένων ὑμῖν προσελεύσεων ἐμάθομεν,&c. *Per has enim,quæ ad nos allatæ ſunt interpretationes,didicim⁹,quod quidam ſolam habentes Hebraicam vocem, & ipſa uti in Sacrorum lectione librorum volunt; alii vero Græcam Editionem aſſumendam quoque eſse arbitrantur, & per multum jamjudum tempus hac de re inter ſe contendunt. Nos igitur cum hæc audierimus, meliores judicavimus eſse eos, qui Græcam quoque Editionem ad librorum ſacrorum lectionem aſſumere volunt, & quamcumque linguam ſimpliciter, quam locus commodiorem, & aptiorem audientibus facit.* In hac Imperatoris Conſtitutione obſervare licet cum Croio, Obſerv. in Novum Teſt. cap. 31. *Petiiſſe eos qui Græcæ Editionis lectionem petebant, ut hujus lectio una cum Hebræo Textu ſimul conjungeretur: quod & Juſtiniani Conſtitutio admittit.* Dein in Judæorum Calendario, octavo menſis Tebith, jejunium quotannis celebrandũ indicitur,propter Legẽ Græce tranſlatã: & in aliis Judæorum libris, etiam antiquis, deſcribuntur dies, quibus ſe affligunt propter Legem tranſlatam. Unde tenebras fingunt fuiſse ſuper univerſam terram per tres dies,& in Talm.tract.Sopherim dicitur, *diem illum fuiſſe durum Iſraeli, ſicut dies in quo factus eſt aureus vitulus.* Ad hæc vero reſpondetur, Jejunium hoc omnibus antiquioribus Judæis ignotum recentiorum Rabbinorum commentum eſſe: cui anſam forte dedit traditio de 13 locis a LXX mutatis in Lege, ne Regis animum offenderent. Quod vero ab uno Rabbino alicujus nominis ſemel traditur, ſtatim reliqui arripiunt & mordicus tuentur, quod ipſis ſolenne eſt. Licet etiam hoc jejunium aliquando celebratum fuiſſe non negaverim; hodie tamen deſiit, & in Calendariis Vulgaribus omittitur, nec inter Judæorum feſta & jejunia a Buxt. recenſetur in Synagoga Judaica. Videatur Joh. Morinus Exerc.Bibl.8.c.3. Originem vero hujus jejunii & Judæorum odii erga hanc Verſionem cum Serario hanc fuiſſe arbitror: quod ægre ferrent Judæi, per eam Gentes ad Chriſti fidem converti, & in ea nutriri; eandemque in magno pretio fuiſſe apud vet. Eccleſiæ & Judæorum plurimos: hac enim plerumque uſi ſunt Apoſtoli in prædicatione ſua. Ob hanc cauſam nollent Rabbini, ut in Synagogis legeretur: & licet ante Chriſti tempora eam magni æſtimabant; poſteriores,qui Gentium ad fidem converſionem invidebant,omnibus modis deprimere conati ſunt.

16. Ut in Textu Hebræo tradunt Talmudici, 18 eſſe loca,quæ ab iis *Correctiones ſcribarum* vocantur, in quibus ſapientes ipſorum a vero Textus ſenſu deceſſiſſe volunt; de quibus Proleg. VII. *De Textuum Originalium integritate*, diximus: ſic in Verſione Græca τῶν ο', loca 13 memorant, quæ Sept. aliter de induſtria tranſtulerunt; ne Ptolemæi Regis Ethnici animum offenderent, vel occaſionem ſcandali darent, vel pravæ cogitationis, aliqua in Lege ſiniſtre intelligendi. Hoc in utroque Talm. tract. Megillah,& ab aliis Judæorum ſcriptoribus refertur: ipſaque loca in Talm. recenſentur. Nec hoc ipſorum LXX conſilium improbant; ſed potius laudant, ut a cauſis graviſſimis profectum. Ex locorum vero inſpectione patebit, pleraque cum Textu Hebræo convenire, ejuſque vel verba vel ſenſum referre, ita ut hæc obſervatio merito inter fabulas Rabbinicas numerari poſſit. (1) Gen. 1. 1. Dicunt LXX tranſtuliſse, Ὁ Θεὸς ἐποίησεν ἐν ἀρχῇ &c. non, Ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ Θεὸς· quod falſum eſt, cum in omnibus exemplaribus Græcis, verba hoc ordine leguntur, Ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ Θεὸς &c. Ratio vero R. Jacob eſt ridicula, *ne* ſcil. *putaret aliquis, Bereſith eſſe nomen Dei, & ſic viderentur duos Deos introducere, quorum alter alterum creaſſet.* (2) Gen. 1. 26. volunt ipſos tranſtuliſse, *Faciam hominem*, non *Faciamus*, ne Deorum pluralitatem introducere viderentur. Hoc vero eſt merum commentum Rabbinicum: nam verterunt LXX, Ποιήσωμεν, *Faciamus*, ut omnia exemplaria teſtantur. (3) Gen. 2. 2. ubi dicunt, LXX vertiſse, *Et conſummavit Deus die ſexto opera ſua, quæ fecit, & requievit die ſeptimo*: cum in Heb. ſit, *Conſummavit die ſeptimo opera ſua.* Et quidem verum eſt, ita legi in Græcis codicibus: ita etiam legunt codices Samaritani, omneſque antiqui ſcriptores: ſenſus vero idem eſt in utraque lectione. At ratio R. Jacob,cur ita tranſtulerint, inter ſomnia Rabbinica referri poteſt, *Ne* ſcil. *aliquis exiſtimaret, Deum laboraſſe die ſabbati.* (4) Gen. 11.7. Verterunt, *Deſcendam*, pro *Deſcendamus*. At hoc aliter eſt in Græc. nam in Plurali eſt, *Deſcendamus*. (5) Geneſ. 18. 12. De Sara dicitur ſecundum LXX, *ipſam riſiſſe cum propinquis ſuis*: at ſecundum Heb. בקרבה *in ſeipſa.* At & hoc eſt commentum Talmudicum: nam apud LXX eſt ἐν ἑαυτῇ, *in ſeipſa.* (6) Gen.49.6. ubi vertunt, *Occiderunt taurum*, quod in Heb. eſt, *Suffoderunt murum.* At verba Heb. עקרו שור utroque modo reddi poſsunt: & ita præter Sept. reddiderunt etiam Forſterus, Oleaſter, Cajetanus, & plerique Interpretes Judæi. (7) Ex. 4. 20. dicunt, LXX vertiſse, *ſuper id quod geſtat filios hominum*, pro, *ſupra Aſinum*. Senſus idem eſt: tamen transferunt LXX. ἐπὶ τὰ ὑποζύγια, *ſuper ſubjugalia, ſive jumenta.* (8) Ex. 12. 40. reddunt LXX, *Habitatio filiorum Iſrael, qui habitaverunt in Ægypto, & in terra Chanaan*, (vel ut eſt in Talmude, *in reliquis terris*,) *annorum fuit quadringentorum triginta*: cum tamen in Hebræo ſit, *Habitatio filiorum Iſrael, qui habitaverunt in Ægypto, fuit quadringentorum & triginta annorum.* Eſt quidem hic locus princeps, quem aliter reddidere Sept. ac eſt in textu Hebræo: & certum eſt Iſraelitas in Ægypto commoratos eſse tantum 210 annos, & ad complendum numerum

rum 430. includi debere annos a peregrinatione Abrahami in terra Chanaan, quomodo plerique hunc locum exponunt. At hinc non probatur, LXX hunc locum de induſtria immutaſſe, ſed vel codices Hebræos olim in hoc variaſſe, (quod multi opinantur ; nam Codex Samarit. ita legit, ut LXX,) vel LXX hæc verba (*& in terra Chanaan*) addidiſſe explicationis cauſa, prout in pluribus aliis locis ob eandem cauſam verba quædam addunt, quæ in textu Hebræo non leguntur. (9) Exod. 24. 11. dicunt ipſos reddidiſſe, *Et ad minimos filiorum Iſrael non miſit manum ſuam*; cum in Hebr. ſit, *Et ad principes filiorum Iſrael non miſit manum ſuam.* At & hic nugantur: nam LXX verterunt, ϗ τῶν ἐπιλεκτῶν, *Electorum*, id eſt, *Nobilium* ſive *Principum non diſſonuit unus.* (10) Lev. 11. 5. dicunt, LXX. tranſtuliſſe ארנבת *pro lepore*, δασύποδα, *parvũ pedibus*, quia Ptolemæi uxor appellata erat, Λαγὸς, ne viderentur ipſam irriſiſſe, cum ejus nomen inter animalia immunda poneretur. At delirant: nam δασύπες, non *parvum pedibus*, ſed *hirſutum pedibus*, proprie ſignificat, a δασὺς hirſut⁹, & tam δασύπες, quam ארנבת generaliter ſignificant tam *leporem*, quam *cuniculum* : nec ullibi conſtat, Ptolemæi uxorem nominatam fuiſſe, *Lagos*. Fortaſſe aliquid audierant de Ptolemæo Lago, Philadelphi avo, quod inepte retulere ad Philadelphi uxorem. (11.) Num. 16. 25. Vertunt LXX, *Nihil deſiderabile ab iis accepi*, cum in Heb. ſit, *Non aſinum unum ab iis accepi.* Hic ſuſpicantur quidam, LXX legiſſe חמוד *deſiderium*, pro חמור *aſinus*: & hoc probabile eſt ob literarum ſimilitudinem: ita enim legit codex Samaritanus (*deſiderabile.*) Alias dici poſſit, ipſos in genere expreſſiſſe, quod in Hebræo per *aſinum* in particulari exprimitur. Senſus enim idem eſt in utriſque, ſe nihil ab iis accepiſſe, ne quidem aſellum. (12) Deut. 4. 19. affirmant, LXX. addidiſſe textui Hebr. *Ut lucerent omnibus populis.* Sed & hoc ejuſdem commatis eſt cum prioribus : nam verba iſta non habentur apud LXX. (13.) Deut. 17. 3. dicunt, LXX hæc verba omiſiſſe, *Et adoret eos, & Soli & omni militiæ cœlorum ſerviat.* Sed hoc a vero abeſt : nam hæc verba habentur apud LXX. Videmus itaque mutationes iſtas, exceptis duabus vel tribus, omnes confictas eſſe : unde eſt, quod apud Joſephum, & Philonem, qui tranſlationem iſtam fuſe deſcripſerunt, nulla ſit earum mentio. In Rabbinorum itaque cerebris natæ.

17. Ut vero Judæi fingunt, LXX quædam de induſtria mutaſſe in locis iſtis: ita ſcriptorum Chriſtianorum veterũ multi, & recentiorum non pauci, idem de aliis locis per eoſdem omiſſis, vel aliter verſis, quam in Hebr. leguntur, tradunt; cum de myſteriis fidei, ut de Trinitate, de Incarnatione Chriſti, ejuſque Deitate, Regno, &c. agitur, ne ſcil. myſteria fidei Ethnicis deridenda proponerent : idcirco noluerunt *ſancta dare canibus.* Hinc Hieron. Præf. in Pent. *Ubicunque teſtatur Scriptura de Patre & Filio & Sp. S. aut aliter interpretati ſunt, aut omnino tacuerunt, ut & Regi ſatisfacerent, & arcanum fidei non vulgarent.* Idem habet Præf. in Eſaiam, *Conjicio, tunc temporis noluiſſe LXX Interpretes fidei ſuæ Sacramenta Ethnicis perſpicue prodere, ne ſanctum canibus & margarita porcis darent.* Sic & in Tradit. Hebr. in Geneſ. Sic Auguſt. de Civit. l. 18. 42. 44. Inter recentiores Sixtus Senenſ. Biblioth. lib. 4. p. mihi 302. Bonfrer. Præloq. c. 16. ſect. 6. De his vero Patrum dictis, ſentio cum Bellar. l. 2. de Verbo Dei, c. 6. *Patres iſtos pie quæſiviſſe rationes excuſandi, & defendendi iſtam Verſionem, qua tunc Eccleſia uſa eſt ; potius quam Interpretes ex hac cauſa aliter vertiſſe.* Nec enim hæc providentiæ Divinæ ſcopo reſpondent ; nec veræ religionis indoli ac ingenio conveniunt. Voluit enim Deus (ut ſupra innuimus) per Verſionem Græcam gentes parare ad Evangelii receptionem : erat enim hæc Verſio quaſi ſtella matutina, Solis orientis prodromus. Huic fini vero repugnaſſet, quæ a Deo patefacta erant in hac Verſione ad hominum ſalutem, celare : nec Ptolemæo ſatisfeciſſent, ſi eum manca interpretatione conſulto deluſiſſent ; nec a Judæis, eorumque principibus, (ut antea retulimus,) ut fidelis & ſincera recepta fuiſſet. Dubitari enim non poteſt, quoſdam inter Helleniſtas Judæos fuiſſe, qui Hebraicam linguam callebant, qui fraudem hanc ſuboleviſſent, & detexiſſent. Et licet Paganorum Religio vel ſuperſtitio propalari noluit, (unde ſacerdotes ejus myſteria occultarunt, ne eorum vanitas & falſitas omnibus pateficeret :) vera tamen Religio omnibus exponi geſtit, angulos non quærit ; ſed luce ſua in omnium oculos prodire deſiderat, ut vel invitos ad ſe amplectendum traheret. Præterea multa ſunt loca in Pſalmis & Prophetis, quæ de Chriſto expreſſa vaticinia exhibent, ubi Verſio Græca Hebræum exacte exprimit : qualia in Pſal. 22. & 110. Eſa. 7. & 9. & 53. & plurimis locis, eſt videre. Septuaginta itaque non ob hanc cauſam aliquid aliter verterunt, quam legerunt in Textu Heb. ſed diſcrepantiæ quæ inveniuntur, ab aliis cauſis fluxere: de quibus quædam in ſuperioribus diximus, plura in ſequentibus dicturi.

18. Hiſce, quæ hactenus hiſtorice de Verſione hac protulimus, ſubnectenda quædam, quæ ad illuſtrationem ejus ſpectant; viz. de aliis Verſionibus Græcis, a quibus, & quando confectæ; & de variis Editionibus Verſionis τῶν ό, a Veteribus, vel Recentioribus elaboratis. Quod ad alias Verſiones attinet, primo quæritur, An præter illam τῶν ό, alia Græce facta fuerit ante Chriſtum. Hic vero non agam de illa quæſtione, An LXX Pentateuchum tantum verterint, an totum Vetus Teſtamentum ; cum de hac jam dictum ſit : ſed, An totum Vetus Teſtamentum poſt Philadelphi tempora in ſermonem Græcum converſum ſit. Etſi enim Judæorum plerique, & noſtrorum nonnulli ſtatuant, tantum quinq; libros Moſis a Sept. tranſlatos eſſe: aliam tamen totius Veteris Inſtrumenti Verſionem poſt illam LXX factam fuiſſe ante Chriſti tempora, vix aliquis eſt, qui affirmaverit : unico excepto, qui libro de hoc argumento nuper edito, inter alia contendit, *Veterem illam Sept.* (quam Pentateuchi tantum fuiſſe affirmat) *periiſſe funditus ; aliamque, quæ hodie extat, poſt annum quartum Philometeris*, a neſcio quibus, *confectam fuiſſe : quam in Templum ſuum Heliopolitanum Onias Pontifex, qui illud conſtruxit, primum introduxit.* Etſi vero a viro longe doctiſſimo hæc dicantur : cum tamen nullo, ne unico Veterum teſtimonio, ſuffulta ſit hæc ſententia, nec probationem ullam præter nudum (*videtur*) adferat ejus auctor; imo contra omnes, qui de Verſione τῶν ό quicquam nobis ſcriptum reliquerunt, noviter inventa ſit: per nudum (*non videtur*) ſatis refellitur. Qui enim contra omnium Veterum ſententiam, (etiam eorum, qui prope ipſa tempora, quibus illud, de quo controvertitur, factum erat,) ſcripſerunt, aliquid proferre audent ; non nudas conjecturas, ſed apertiſſimas rationes adferre debent, quibus nemo contradicere poteſt : alias apud omnes, qui vel micam judicii habent, oleam operamque perdunt. De hoc vero plura dicemus, cum ad quæſtionem illam deveniemus, An antiqua illa Græca Verſio LXX Seniorum adhuc ſuperſit, & eadem ſit cum illa, quæ hodie extat. Hic quædam ſubjungam, quæ ad Hiſtoriam elucidandam conferre poſſunt. Primo, certum eſſe, Autographon ipſum LXX Seniorum in Ptolemæi Bibliotheca repoſitum fuiſſe, ibique manſiſſe ſupra annos 200, uſque ad Julii Cæſaris tempora, quando annis ante natum Chriſtum circa 48, bello priori Alexandrino, a Cæſare geſto, ex militum ſeditione, Bibliotheca illa celeberrima conflagratione periit ; libris tamen quibuſdam (ut quidam aſſerunt) e flammis ereptis : inter quos fortaſſe fuit illud LXX Seniorum 'αὐτόγραφον' cum affirment Tertull. Juſtin. Mart. & Chryſoſt. illud ſuis temporibus in Serapeo extitiſſe. Secundo, nec minus certum eſt, Verſionem hanc in Judæorum manibus, præſertim Helleniſtarum, fuiſſe, & in Synagogis cum textu Hebræo, vel ſine eo, publice prælectam fuiſſe. Nam ex Ariſtæa & Joſepho liquet, Judæos Alexandrinos ex ipſo 'αὐτογράφῳ exemplaria deſcripſiſse, permiſſu Demetrii. Diſerte etiam legitur, Act. 15. 21. *Moſem ab antiquis temporibus habuiſſe, qui ipſum prædicarunt in Synagogis ſingulis ſabbatis* : ab antiquis temporibus. Et ex Act. 13. 15. conſtat, *Moſem & Prophetas publice in Synagogis lectos fuiſſe* : quod de Græca Verſione apud Helleniſtas Antiochenſes intelligi debere, fatetur Rev. Uſser. Syntag. cap. 3. pag. 24. qui & hæc addit, *Græcos hos libros a Judæis ubique lectos fuiſſe:* & adducit teſtimonia a nobis ſupra allata, Juſt. Mart. & Tertull. & narrationem illam, quam ſupra dedimus, ex Gemara Hieroſol. tract. Sota, c. 7. Tertio, poſt Ptolemæi Bibliothecam incenſam, novam eodem loco conſtruxiſſe Cleopatram, teſtatur Epiphanius, de Pond. & Menſuris, quæ prioris filia dicebatur : quam libris undique conquiſitis inſtruxit, ut priorem referret. Unde apud Plutarch. legitur in vita Antonii, hoc *contra Antonium objectum fuiſſe, quod Cleopatræ donaſſet Bibliothecas, quæ Pergami erant, in quibus eſſent ducenta millia librorum ſimplicium*: quos probabile eſt, eam in hac ſua nova Bibliotheca collocaſse. Locus vero hujus Bibliothecæ erat Serapidis Templum, vel ejus ſaltem porticus quædam, teſtibus Tertull. dicto Apol. cap. 18. & Chryſoſtom. Orat. contra Judaizantes. Tom. 6. Edit. Savil. pag. 373. qui affirmant 'αὐτόγραφον Verſionis Græcæ ſuis temporibus in Serapeo fuiſse. Sive vero ipſum αὐτόγραφον ibi ſervatum fuerit, ſive non ; certum eſt, exemplaria, tam Græca, quam Hebraica, in hac Bibliotheca repoſita eſſe : nec dubitari poteſt, quin optima & maxime caſtigata exemplaria pro hoc celeberrimo librorum repoſitorio eos comparaſſe. Et cum fateatur Rev. Uſſer. Syntag. c. 3. p. 25. *Chriſti & Apoſtolorum temporibus, in privatorum manibus poſt incenſam Philadephi Bibliothecam, veteris illius LXX Seniorum Verſionis adhuc exemplaria extitiſse, quorum admirandam cum textu Originali conſonantiam a Philone prædicatam ſupra* oſtenderat: quis ambigere poteſt, ſi genuina exemplaria tunc extitiſſent, quin in hac ſplendida librorum officina ſervata fuerint? Nemo enim ſanæ mentis, corrupta & vitiata exemplaria, quæque ipſe talia eſſe noverat, tanto ſtudio, præſertim in uſum publicum, comparare vellet ; cum pura & genuina, quæque ipſe omneſque alii pro talibus habuere, parabilia eſſent : unde ex his neceſsario ſequitur, vera & genuina primævæ Verſionis exemplaria τῶν ό in Cleopatræ Bibliotheca poſita fuiſse, annis circiter 48. ante Chriſtum. Nec valet objectio Baronii, *Non potuiſſe Chryſoſtomum vel per ſomnium cogitare, ipſum autographon Græcum in Serapidis templo ſervatum fuiſse : cum conſtet, anno ſecundo Commodi, Serapidis templum conflagraſſe, & antequam Chryſeſtomus ea ſcriberet, ſub Thedoſio ſeniore funditus dirutum eſſe.* Reſpondet enim Rev. Uſser. eodem cap. 3. p. 33. *Etſi a Serapidis templo non abſtinuerit ignis ; totum tamen templum non fuiſſe abſumptum : ſed porticus ſaltem illas, in quibus erat Bibliotheca, ſuperſtites fuiſse relictas, ex Tertull. teſtimonio citato manifeſtiſſimum eſt. Et de Templis Alexandrinis ſuo tempore extantibus agens Ammianus Marcellinus lib. 22. inter ea eminere Serapeum ſcribit, in quo Bibliothecæ fuerant ineſtimabiles. Serapeum vero juſſu Theodoſii anno æræ Chriſtianæ* 389, *cum reliquis Ægypti templis idolorum cultui dicatis, exciſum eſt ; libris quoque direptis, ut ex Oroſio conſtat, qui & eorum armaria exinanita ipſe ſe vidiſſe teſtatur. Chryſoſtomum vero Orationem iſtam habuiſse, cum Diaconus eſſet, ante annum* 386. quod ex variis auctoribus idem vir Rever. oſtendit.

19. Nulla itaque extitit alia ante Chriſtum Verſio Græca præter illam τῶν ό: poſt Chriſtum vero, ſeculo ſecundo, & tertio, variæ fuerunt Græcæ ex Hebræo fonte traductæ, ex quibus Tetrapla, Hexapla, & Octapla ſua contexuit Origenes : quarum nulla ab Eccleſia publice probata fuit ; at in privatis doctorum manibus extiterunt, qui in commentariis & expoſitionibus ſuis iis uſi ſunt : unde eſt, quod omnes perierint ; nec de iis aliquid hodie extat præter fragmenta, quæ in ſcriptorum Veterum libris hic illic diſperſa reperiuntur : quæ, quantum per induſtriam virorum doctorum fieri potuit, in unum collecta, in ultimo noſtro Tomo exhibemus. Sola illa τῶν Sept. ut quæ in uſu publico erat, tam in Synagogis, quam Eccleſiis ; & adhuc ſola in Eccleſiis Græcorum legitur, hodie manſit. Prima poſt Chriſtum fuit Aquilæ, gente Pontici, urbe Sinopæi : quem male confundunt quidam cum Onkeloſo Paraphraſte Chaldæo. Aquila enim longe poſt urbis excidium vixit, & ſub Adriano Imperatore Verſionem ſuam fecit, circa annum Chriſti 130, teſte Epiphanio, de Pond. & Menſ. Onkeloſum vero ante calamitatem iſtam mortuum eſse, plerique affirmant. Fuit vero Aquila proſelytus, ex Chriſtiano factus Judæus, & Rab. Akibæ, Chriſtiani nominis hoſtis infenſiſſimi, diſcipulus ; qui, teſte Hieronymo ad Pammach. c. 4. & Comment. in Eſai. 8. *Biblia in Græcam linguam contentioſe tranſtulit, qui non ſolum verba, ſed Etymologias verborum transferre conatus eſt : unde jure projicitur a nobis. Quis enim pro frumento, & vino, & oleo poſſet vel legere vel intelligere* χεῦμα, ὀπωρισμὸν, στιλπνότητα, *quod nos poſſumus dicere, fuſionem, pomationem, & ſplendorem? Alibi inepte vertit pro Sole, calorem ; pro Luna, album.* Hic Gentilis primo, poſtea ad fidem converſus, cum Aſtrologiæ & Genethliacæ nimium deditus eſset, & poſt monitionem non reſpiſcens ejectus eſset ex Eccleſia, a fide Chriſtiana deficiens fit Apoſtota Judæus ; & cum linquam Hebræam didicerat, Interpretationem Græcam aggreſsus eſt, in qua ex odio Chriſtianæ religionis teſtimonia de Chriſto, quantum potuit, pervertit & corrupit, teſte Epiph. loco citato. Hieronymus tamen, licet ipſum *Judæum* vocet, in Abac. 3. alibi collaudat, ut *verborum Hebræorum Interpretem diligentiſſimum*, Epiſt. ad Marcellam, quæ eſt 138. Et in Hoſ. 2. vocat, *curioſum & diligentem Interpretem* : & Epiſt. 125. ad Damaſum, q. 2. dicit, *Aquilam non contentioſius, ut quidam putant; ſed ſtudioſius verbum interpretari ad verbum.* Aug. etiam

de Civ. lib. 15. cap. 23. affirmat, *Judæos Aquilam interpretem cæteris anteferre:* & teſte Hiernym. in Ezech. 3. *Verſionem ejus ſecundam dixerunt eſſe* κατ' ἀκρίβειαν. Secunda erat Symmachi ſub Severo Imperatore, teſtibus eodem Epiphan. & Athanaſio in Synopſi. Alii vero non ſub Severo, ſed ſub Lucio Vero Symmachum tranſtuliſſe volunt: unde eum ante Theodotionem ponunt, qui ſub Commodo ſcripſit. Ideo mendum ſuſpicantur in Epiphanio, Severo pro Lucio Vero per errorem ſcribæ poſito: quod tamen legenti Epiphanium vix probabile videbitur. Fuit Symmachus natione Samaritanus, poſtea Judæus & circumciſus, deinde Chriſtianus, poſtremo Ebionita Hæreticus, ut ex Epiphanio liquet. Unde Hieron. Præf. priore in Job, vocat Symmachum & Theodotionem *Judaizantes Hæreticos:* alibi etiam ipſum laudat,quod *non verbum e verbo, ut Aquila; ſed ſenſum ex ſenſu expreſſit.* Tertia, erat Theodotionis,qui Commodo imperante ſuam conflavit, teſtibus iiſdem Epiphan. & Athanaſ. Multum enim errant,qui Theodotionem eundem eſſe dicunt cum Jonathane Paraphraſte Chaldæo; cum inter eos interceſſerint anni plus minus 200. Hic natione Ponticus, vel, ut alii, Epheſius; poſtquam ad fidem converſus erat, ad Ebionis & Marcionis hæreſes prolapſus, tandem proſelytus & Apoſtata Judæus factus eſt. Unde ab Hieron. proœm. ad Danielem, vocatur *incredulus & Ebionita:* & Epiſt. 89. ad Auguſt. *homo Judæus & blaſphemus.* Hic tamen, quia medium inter Aquilam & Symmachum, & temperatum ſcribendi genus ex utroque mixtum expreſſit,teſte Hieron. Præf. ad Evangel. ad Damaſum, & Præf. priore in Job, cæteris prælatus eſt; tum apud Origenem in Hexaplis,qui quæ in LXX deerant ex Hebræo, ſupplevit ex Theodotione; (unde & Epiphan. libro dicto, illum plerumque cum LXX conſenſiſſe,ſcribit,) tum ab Hieron. qui in Pſalmorum libro a ſe emendato obelis & aſteriſcis appoſitis, Theodotionem in emendatione LXX ſequutus eſt; tum ab Eccleſia, quæ Danielem ex Theodotionis Verſione Græca publice legit. De Aquila etiam & Symmacho notandum, utroſque duas Verſiones confeciſse, ut ex Hieronymo patet. De Aquila, in Ezech.3.5.8.16. & 40. & in cap.8. 20. 40.ubi utriuſque ejus Verſionis diſcrepantias notat, & ſæpe poſteriorem priori præfert. De Symmacho idem affirmat in Jer.cap.32. ubi utriuſque varietatem notat, & Nah. cap. 3. De auctoritate vel uſu harum Verſionum ſi quis quærat, reſpondeo; quod in iis quæ ad Chriſtum & Chriſtianæ Religionis myſteria ſpectant, & de iis vaticinia, nullam fidem merentur; cum ex odio Chriſtianæ Religionis factæ fuerint, ut ex dictis patet. Unde ab Hieronymo *Judaizantes Hæretici* dicuntur, *qui multa myſteria Salvatoris ſubdola interpretatione celarunt*, Præf. priore in Job. In reliquis,ut ex iis quæ ſuperſunt fragmentis liquet, ad verum ſenſum eliciendum, & Verſionis Sept. ſinceritatem demonſtrandam, non parum proſunt: unde ab Origene in Hexaplis deſcriptæ, & ab Hieronymo in Commentariis, aliiſque veteribus ſcriptoribus Eccleſiaſticis, ſæpius citatæ. Hieronymus etiam tum in Verſione ejus Latina, tum alibi, cum a LXX diſcedit, eos pro ſe adfert, &, ut ſupra indicavimus, ſæpe laudat.

20. Præter has tres, duas alias ab Origene forte inventas legimus, circa idem tempus,quo Symmachus ſuam confecit: ut ex Epiphan. Hieron. Euſebio, & aliis habemus: quas, quia auctores incerti eſſent, *Quintam* & *Sextam* appellarunt. Illam reperit in neſcio quibuſdam doliis, anno ſeptimo Caracallæ, Hierichunte: (unde *Hierichuntina* dicta,)teſte eodem Epiphanio; licet Athanaſius inventum Pythis,& Hierichunte ſcriptam aſſerat. Hæc, quæ & Quinta ab Origene dicebatur, teſte Hieronym. quia fortaſſe ante Sextam inventa, Nicopoli, ad Actium promontorium,tempore Alexandri Mammææ,reperta: quam tamen Athanaſius inventam vult Pythis, ut priorem, Nicopoli vero confectam. Harum auctores licet ignoti fuerint, quidam tamen Judæos fuiſſe volunt, ut Hieronym. lib.2. contra Ruffin. alii utroſque putant Chriſtianos fuiſſe. Quintam enim commendat Athanaſ. in Synopſi, ut a quodam, qui Hieroſolymis orationibus vacaverat, compoſitam:utramque Hieronym. in Habac.3. quod locum de Chriſto bene explicaſſent. In Sexta etiam *Jeſus Chriſtus* nominatur, ut Salvator mundi. Meminit etiam Hieronym.in Habac.2.præter Quintam,duarum Editionum,quæ erant 12 Prophetarum: Et cap.3.in Tit.præter Quintam & Sextam,meminit etiam Septimæ Editionis,*quæ omnes ſine nominibus auctoritatem conſecutæ ſunt*. Et in Catal. Scriptorum Eccleſiaſt. dicit, *Origenem V. VI. & VII. Editionem,quas ipſe ex ejus Bibliotheca habuit, miro labore reperiiſſe,& cum cæteris Editionibus contuliſſe.* Euſeb. etiam Hiſt. lib.6.12.Septimæ hujus editionis meminit. Hanc tamen Septimam editionem, non novam aliquam verſionem fuiſſe conſtat, ſed Luciani Editionem: cum qui Editiones numerarunt, Epiphan. Athanaſ. Theodoret. & alii,aliam Septimam non agnoſcant,præter illam Luciani Martyris: Imo tam Euſeb. quam Hieron. Apol. 2. contra Ruffin. licet Septimam enumerent, alibi tamen ſex tantum memorant in Hexaplis vel Octaplis deſcriptas fuiſſe: imo ſuſpicantur nonnulli, talem fuiſſe,qualis Lucianea, Quintam illam apud Auguſt.lib. 17.de Civit.quamque Iſidorus lib. 7. *Vulgarem* vocat: in qua etiam habebantur libri poſt LXX. ſcripti, ſcil. Eccleſiaſtici & Macchab. Unde Joh. Morinus Præf. ad Bibl.LXX,quænam illa Septima fuerit,divinandum relinquit: & Flam. Nobil. Præf. ad Latinam Editionem Romanam τῶν ο'. dicit, *In vetuſtis ſcholiis Quintæ duntaxat & Sextæ mentionem fieri;nec fere Græcos aliam Septimam agnoſcere præter Luciani,qui ætate inferior erat Origene,interpretationem.* De Quinta, Sexta, & hac Septima, ſi talis aliqua fuerit præter Lucianeam,dubitant nonnulli, an fuerint totius Vet. Teſt. an ſolorum librorum, qui Hebraice metrice compoſiti dicuntur, ſcil. Pſalmorum, Proverbiorum, Eccleſiaſtis, & Cantici Salomonis, una cum 12 minoribus Prophetis: idque non ſine cauſa,ut ex Hieron.verbis ſupra adductis probabile videtur. Sixtus Senenſ. Biblioth. lib.4. aliarum Verſionum meminit ex Hebr. Græc. quas fecerunt Euſebius & Patroclus: quod probare ſtudet ex Socr. lib. 1. Hiſt.& Sozom. lib.2. .c.6. cum nihil aliud ibi dicatur, quam Euſebium Emiſſenum Scripturæ intelligentiam a Patrophilo & Euſebio Cæſarienſi hauſiſſe, dum libros ſacros explicarent.

21. Alias Verſiones Græcas præter dictas non reperimus. Editionum tamen Verſionis τῶν ο' plurium mentio apud Veteres ubique occurrit, ut Origenis, Luciani Martyris, Heſychii, Euſebii Pamphili; quas quidam per errorem pro novis Verſionibus habuere: cum tantum veteris Verſionis recenſiones fuerint. Nemo enim Chriſtianorum poſt LXX, ante Hieron. novam ex Hebræo Verſionem Græcam tentavit.

Prima erat Origenis: quem propter magnos labores *Adamantium* vocarunt; & ob multiplicem doctrinam,poſt Apoſtolos *Eccleſiarum magiſtrum* dixerunt Veteres: quod *neminem, niſi ignorantem negare poſſe,* affirmavit Hieronym. Hic cum in Editionem, quæ tunc *Vulgata* & *Communis* dicebatur, errata quædam irrepſiſſe advertiſſet, ex Alexandrina Bibliotheca,ubi genuinum Cleopatræ exemplar,(& ut quidam ſentiunt,Ptolemæi Autographon)aſſervatū erat, Verſionem Græcam τῶν ο' deſcripſit,& collatis plurimis optimiſque exemplaribus,magno labore,puram Septuaginta Editionem exhibuit:in qua nihil ad textū Græcum adjecit,nihil ademit;ſed,quantum potuit,ab omni corruptela & mixtura puram,& integritati ſuæ reſtitutam vindicavit:quam in Tetraplis,& Hexaplis poſuit: Et hæc ab omnibus Veteribus pro ſincera & genuina (etiam ab ipſo Hieronymo) ſemper agnita fuit. Et ut ex aliorum Verſionum collatione plus utilitatis ad Eccleſiam redundaret, primo tres illas, Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis, una cum illa τῶν ο', per columnas ſingulis paginis diſpoſuit, ita ut uno intuitu lector omnes conſpiceret, eaſque conferre poſſet: quæ volumina propter quatuor columnas,& Verſiones,*Tetrapla* appellavit. In Threnis tamen, teſte Origene in Catena Græca, Editio Aquilæ & Theodotionis nuſquam apparet, ſed ſolius Symmchi & LXX. Poſtquam etiam linguæ Hebraicæ cognitionem aſſecutus eſſet, Textum Hebræum, characteribus tum Hebraicis, tum Græcis addidit: unde *Hexapla* nominata. Tandem poſt repertam Quintam & Sextam Verſionem, & ipſas cum reliquis diſpoſuit, & *Octapla* nominavit. Hoc ejus opus ita omnibus probatum erat, ut *opus Eccleſiæ* nominaretur,propter multiplicem ejus uſum, quod olim præſtabat,& adhuc,ſi extaret,præſtaret. Nam ex illo,Textus Vet. Veſtamenti, ejuſque ſenſus verus illuſtrari, & ſinceritas demonſtrari poſſet; multæque controverſiæ hodiernæ, de ejus integritate, ut & de literis, punctis vocalibus, vera lectione, & recta pronunciatione, determinari poſſent. Unde inexcuſabilis eſt Græcorum negligentia, qui nobiliſſimum, & incomparabilem hunc theſaurum amiſerunt. De his ſuis laboribus ita ſcribit Orig. tract.8. in Matth. *In Veteris Teſt. exemplaribus, quæcunque fuerunt inconſonantia, Deo præſtante, coaptare potuimus, utentes judicio cæterarum Editionum. Ea enim quæ videbantur apud LXX dubia eſſe propter diſſonantiam exemplarium, facientes judicium ex Editionibus reliquis,convenientia ſervavimus*, &c. Idem in Epiſtola ad Africanum hæc habet; *Excuſſi omnes omnium Editiones,et omnes varietates,ut collata varietate Tranſlationum,intelligerem LXX Tranſlationem,& illius ſenſus ſacros eruerem. Non enim fuit conſilium cudere quicquam, quod diſcreparet ab Scriptura in Eccleſia Catholica recepta, neque volui anſam dare iis qui quærunt occaſiones, ut res receptiſſimas cavillentur, & communem ſententiam Eccleſiæ Catholicæ damnent.* Hic videmus, quantam diligentiam, & cautelam adhibuit in conferendis exemplaribus, & quantum a novandi ſtudio abfuerit; ne quicquam mutaret, quod ab Eccleſia Catholica receptum erat. De hoc præclaro opere ita ſcribit Ruffin. lib.6. Hiſtoriæ Euſebianæ a ſe Latine redditæ, cap. 13. *Famoſiſſimos illos codices primus compoſuit Origenes, in quibus per ſingulas columnulas e regione ſeparatim opus Interpretis uniuſcujuſque deſcripſit: ita ut primo omnium, ipſa Hebræa verba Hebraicis literis poneret; ſecundo in loco per ordinem Græcis literis e regione Hebræa verba deſcriberet; tertiam Aquilæ Editionem adjungeret; quartam Symmachi,quintam LXX Interpretum,quæ noſtra eſt; ſextam Theodotionis collocaret: & propter ejuſmodi compoſitionem exemplaria ipſa nominavit* Ἑξαπλᾶ. Hieronymus paulo plenius in cap.3. Epiſt. ad Titum,*Nobis* (inquit) *curæ fuit omnes veteres Legis libros, quæ vir doctus Adamantius in Hexapla digeſſerat, de Cæſarienſi Bibliotheca deſcriptos ex ipſis authenticis emendare. In quibus & ipſa Hebræa propriis ſuis characteribus verba deſcripta, & Græcis literis, tramite e vicino; Aquila item & Symmachus, Septuaginta, & Theodotion ſuum ordinem tenent. Nonnulli vero libri. & maxime hi, qui apud Hebræos verſu compoſiti ſunt,tres alias Editiones additas habent; quas Quintam & Sextam & Septimam Tranſlationem vocant,auctoritatem ſine nominibus conſecutas. Hoc immortale illud ingenium ſuo nobis labore donavit.*

22. Idem Origenes,cum omnium non eſſet magna hæc Volumina comparare, aliam Editionem elaboravit ſolius Verſionis Sept. cui aſteriſcos & obelos appoſuit. Quæ enim in Textu Hebræo erant, & in Græco deerant, ſupplevit ex Theodotione plerumque; ut qui præ reliquis propius ad Verſionem LXX accederet, appoſito aſteriſco, ne additamentum hoc cum textu τῶν ο' confunderetur: quæ vero in Græco erant, & non in Hebræo, non expunxit nec delevit, ſed obelo notavit; non ut quicquam in textu Sept. mutaret: nam in dicta Epiſtola ad Jul. African. ſic ſcribit, *Quædam notavimus quaſi non poſita in Hebræo, non audentes ea auferre; quædam autem cum aſteriſcis addidimus, ut ſit manifeſtum, quoniam quæ non fuerunt poſita apud LXX, ex Editionibus cæteris addidimus convenienter Hebræo.* Rationem hanc reddit Epiph. de Pond. & Menſ. *ut Judæi facilius a Chriſtianis revincerentur, qui ubique Chriſtianis exprobrarunt, aliter eſſe in Hebræo textu, quam in eorum Græca Verſione, & ut Judæorum interpretationum impoſtura melius pateſceret.* Et hæc Editio, ut facile parabilis, in omnium manibus ſtatim erat; &, teſte Auguſt. *omnes Bibliothecas implevit.* In neutra tamen Editione mutationem ullam in textu Græco fecit Origenes. Unde Ruffin. Invect. ſecunda dicit, *Origenem neque verbum aliquod de ſuo inſeruiſse, neque noſtrorum exemplarium fidem feciſſe in aliquo vacillare.* Et Aug. de Civit. l. 18. c. 43. & lib. 15. c. 14. dicit, *Myſterio non carere, quod LXX. Interpretes in plurimis, quæ diverſa dicere viderentur, ex Hebræo emendare auſus eſt nemo.* Obſervat tamen vir Doctiſſ. ex Schol. Græc. in 1 Reg. 14. 42. *Origenem in hac Editione non ſolum quæ in Hebræo, ſed & quæ in Theodotione amplius repererat adjeciſſe, & aſteriſco (licet in Hebræo non eſſent) prænotaſſe: at hoc rariſſimum.*

23. Quod ad ordinem attinet, quem in Verſionibus diſponendis ſervavit Origenes, licet res ſit haud magni momenti, hoc ex Hieron. Ruffino, loc. citatis, aliiſque notare licet;In Tetraplis primo poſitam eſſe Verſionem LXX, at in Hexaplis non immediate poſt Textum Hebræum, ſed in medio poſitam fuiſſe poſt Symmachum:adeo ut primū locum inter Interpretes teneret Aquila, ſecundum Symmachus, tertium LXX Interp. quartum Theodotion,poſt quem erant Quinta,Sexta, et fortaſſe Septima: adeo ut Verſio LXX medium locū occupaverit,tanquam reliquarum norma & regula,per quam probari debeant. Specimina quædam ex MS. antiquiſſimo Cardinalis Barbarini deſcripta exhibemus inter varias noſtras Lectiones Græcas in Hoſ. 2. & 11. 1. ubi tum ordinem Verſionum in Hexaplis, tum literas Hebræas Græcis characteribus ab Origene expreſſas, cernere licet. De Verſione τῶν ο' quæſtionem nuper movit vir longe Doctiſſ. annon duplex fuerit in Origenis Hexaplis? & concludit, *præter accuratam illam & puram,quam agnoverunt Hieron.& alii;fuiſſe etiam aliam,quam Vulgatam vocat,et pro corrupta habet, obelis et aſteriſcis notatam.* Unde Hexapla dicta vult,*non a ſex columnis, ſed a ſex Verſionibus.* Hoc vero repugnat omnibus Veteribus,ut ex verbis Origenis, Ruffini,Hieronymi,Euſebii,&c.ſupra adductis manifeſtum eſt, qui de Verſione LXX in Hexaplis, ut de unica, ſemper loquuntur; nec Hexapla dicta volunt a ſex Editionibus, ſed a ſex columnis; Hebraica

in duas diviſa, quarum una Hebraicis, altera Græcis literis erat deſcripta, quæ cum quatuor Verſionibus Græcis numerum ſex conficiebant. Conficta plane eſt illa duplicis in Hexaplis τῶν ο' Editionis diſtinctio, ne quis hodiernam Græcam Editionem eandem eſſe cum illa Veterum in Hexaplis agnoſceret. Optime enim novit vir ille in Veterum monumentis verſatus, negari non poſſe, Verſionem Græcam, quæ hodie extat, eandem eſſe cum illa in Hexaplis, quam tantopere celebrarunt Veteres: idcirco, ut ejus authoritatem deprimeret, contra apertiſſima Veterum teſtimonia, & rationes clariſſimas, aſſeruit; præter illam, quam omnes pro ſincera in Hexaplis habebant, fuiſſe etiam aliam in iiſdem Hexaplis corruptam licet & depravatam, quæ cum hodierna convenit. Sed de hoc plura dicemus, in quæſtione illa, An Verſio illa τῶν ο' adhuc extet? Hic notare ſufficit, Hieronymum huic ſententiæ aperte contradicere. Nam in Epiſt. ad Suniam & Fretelam, Editionem Vulgatam diſtinguit ab ea quæ in Hexaplis erat, quam puram & immaculatam judicat: nec poſſunt ejus verba aliter exponi, quam de unica τῶν ο' Verſione, quæ erat in Hexaplis. Nec aliis opus eſt teſtimoniis, cum ex ſpecimine dicto, ex Antiquiſſ. MS. Barb. ex Hexaplis deſcripto, ad oculum conſtet, quot Editiones & quo ordine in Hexaplis extarent: ubi poſt duas columnas, in quibus textus Hebr. literis Hebr. & Græcis exaratur, ſequuntur quatuor aliæ pro Aq. Symm. LXX. & Theodot. Quæ autem adfert vir Rever. ex Hieron. in ſecundo adverſ. Ruffinum, & ex Maſii verbis Epiſt. Dedic. in Joſ. de Syro Interprete, vel ex Scholiis Græcis in 3 Reg. cap 14. & 1 Reg. 14. & 42. viz. *quod in Origenis Hexaplis obſervarunt aſteriſcos & obelos, & Theodotionis additamenta*, nil probant: Cum haud negemus, Origenem in Hexaplis, Verſioni LXX, quam *puram & immaculatam* dixerat Hieronymus, appoſuiſſe aſteriſcos & obelos, vel in margine vel in textu, cum primo Hexapla conficeret, vel poſtea: ut per has notas, verus τῶν ο' textus a Theodotionis additamentis diſtingueretur: Et hoc ſenſiſſe auctores quos profert: nam ut Hier. Epiſt. ad Auguſtinum, *Si vis verus amator eſſe LXX Interpretum, non legas quæ ſub aſteriſcis ſunt.* Si quis enim puram LXX Verſionem habere vellet, omittendo quæ ſub aſteriſcis erant, & legendo quæ ſub obelis, veram habebit illorum Verſionem. Hoc ex Maſio luce clarius conſtat; qui obelos & aſteriſcos cum lemniſcis & hypolemniſcis, per totum Joſuam appoſuit; ut hoc modo ipſam, quam cum Veteribus ſinceram fuiſſe credidit in Hexaplis olim extitiſſe, reſtitueret, & poſteris ſervaret, juxta exemplar ſuum Syriacum, quod ante mille annos ex Origenis Hexaplis expreſſum erat: quod (etiamſi obelis & aſteriſcis diſtinctum) pro genuina τῶν ο' Editione agnovit. Ex dictis etiam concidunt, quæ eodem fundamento ſuperſtruit idem vir Rever. qui putat lemniſcis & hypolemniſcis, eas voces denotari, quæ in puriori illa LXX Editione in Hexaplis aliter legerentur, quam in Vulgata; quam etiam in iiſdem Voluminibus fuiſſe autumat: cum Maſius de lemniſcis, & hypolemniſcis, quibus ex eodem antiquiſſimo exemplari deſumptis Joſuæ librum diſtinctum excudi curavit, plane oſtendat; lemniſcum duobus punctis hoc modo ÷ ſignatum diverſam ſcripturam denotare; hypolemniſcum puncto unico ſubſignatum, eandem ſed pauciorum codicum teſtimonio confirmari: quod probabile videtur. Quæ in contrarium adferuntur ex Heſychio in Pſal. 12. (alias 13.) parum valent: qui licet de uſu harum notarum fortaſſe a Maſio diſcrepet; ne verbulum tamen habet de duplici Editione LXX in Hexaplis per illas deſignata: cum hæc tantum dicat, *Lemniſco, per mediam virgulam ſignificari verſiculum ſive ϛίχον, per duo puncta, quorum unum ſupra, alterum infra, duos ordines ipſorum Interpretum.* Quod quidem concedi poteſt: erat enim Vulgata ſine obelis & aſteriſcis, & Vulgata cum illis; ſed in Hexaplis hæc diſtincte poſita fuiſſe, ne verbulum habet. Verba etiam (utcumque obſcura) de duobus, vel pluribus exemplaribus, quæ iſtam lectionem ſecuta ſunt, melius intelligi poſſunt; quam de duabus Editionibus LXX, quæ in Hexaplis extabant: de quo nemo Veterum vel per ſomnium cogitavit.

24. Nobile hoc Origenis opus, licet multiplicis eſſet utilitatis, detractores tamen habuit, qui illud carpebant; inter veteres Hieronymum; inter recentiores Galeſinium, & alios. Quia enim obeli & aſteriſci appoſiti erant, cum ſupplementis ex Theodotione; hinc textum Græcum ab illo mixtum fuiſſe clamarunt. Hieronymus vir doctus, at acris & fervidi ingenii, ut qui neminem ſibi contradicentem ferre potuit; inter alia, quæ ubique contra Editionem Sept. inculcat, etiam & hæc contra Origenem ſcribit, *per aſteriſcos & obelos eum Græcam Editionem corrupiſſe.* Nam Præf. 1. in Paralip. dicit, *Origenem non ſolum exempla compoſuiſſe quatuor Editionum e regione ſingula verba deſcribentem, ut unus diſſentiens, ſtatim cæteris inter ſe convenientibus arguatur: ſed, quod majoris audaciæ erat, in Editione LXX Theodotionis Editionem miſcuiſſe, aſteriſcis deſignantem, quæ minus fuerant; virgulis, quæ ex ſuperfluo videbantur appoſita.* Hic audaciam Origenis taxat, & Epiſt. ad Chromat. quæ eſt 107. eundem culpat, quod *Theodotionem prophanum auctorem admiſcuit Verſioni LXX Interp.* At immerito hoc Origeni objicit. Nam, ut ex Ruffino ſupra oſtendimus, Invect. 2. *neq; verbum unum de ſuo inſeruit, nec noſtrorum exemplarium fidem fecit in aliquo vacillare.* Aſteriſco enim ſatis proſpectum fuit integritati LXX; cum ille diſtingueret, quæ ex Theodotione addita ſunt: & Hieron. ipſe Præf. l. 16. in Eſaiam, teſtatur, *tantum abeſſe, ut Origenis Editio habita ſit corrupta, ut omnes Bibliothecas impleverat, & Vulgata dicta ſit.* Et in Epiſt. ad Tit. c. 3. de Origenis opere ſcribit, *Hoc nobis immortale illud ingenium ſuo labore donavit; ut non magnopere pertimeſcamus Judæorum ſupercilium, ſolutis labiis, & obtorta lingua, & ſtridente ſaliva, & raſa facie gaudentium.* Etiam & Epiphan. licet Origeni infenſiſſimus, lib. de Pond. & Menſ. hæc habet; *Eodem modo Origenes recte fecit, & de obelo judicavit:* & poſtea, *ſex columnas Interpretum alternatim collocans, magnam utilitatem cognitionis exhibuit*, &c. Non erat itaque Origenis hic labor corruptio, ſed *diligens facta collatio*, ut ait Baron. ad annum Chriſti, 231. ſect. 4. Inter omnes tamen non poſſum ſatis mirari, cur Hieronym. hoc Origeni objiceret, cum ipſe Origenem in hoc ſibi imitandum propoſuerit. Ipſe enim Latinam ſuam τῶν ο' Verſionem immiſcuit obelis & aſteriſcis: Aſteriſcos vero, non ex Theodotione, ſed de ſuo tranſtulit ex Hebræo. Sic enim ſcribit Apol. adv. Ruffin. inter alia, *ſe libros Salomonis, quos olim juxta LXX in Latinam verterat, obelis & aſteriſcis additis, ex Hebræo tranſtuliſſe. — Si cui LXX Interpretum magis Editio placeat, habet eam a nobis olim emendatam: neque enim ſic nova cudimus, ut vetera deſtruamus.* Et Epiſt 104. quæ eſt Præf. in Pentat, expreſſe dicit, *Origenis ſtudium ipſum provocaſſe, qui Editioni antiquæ Theodotionis Tranſlationem miſcuit, aſteriſco, & obelo opus omne diſtinguens*, &c. Origenes etiam a ſe calumniam hanc abſtergit, dum ſcopum ſuum candide, & ſincere proponit, Epiſt. ad Jul. Africanum: ut ex ejus verbis, quæ jam adduximus, ſatis liquet. Objiciunt tamen quidam ex Hieronymo, quod inde manavit corruptionis occaſio, quod cum ſcribæ aſteriſcos omitterent & obelos, inde factam fuiſſe ex Theodotione & LXX mixtam Verſionem. At hoc non Origeni, ſed ſcribis adſcribendum eſt: & licet aliquando contigerit ſcribarum incuria; ſemper tamen extarunt exemplaria vetera, ex quibus errata emendare licuit. Nam ex Origenis Hexaplis in Bibliotheca Cæſarienſi, Euſebium & Pamphilum emendatos codices habuiſſe notum eſt: quod & alios factitaſſe, Lucianum, Heſychium, ipſumque Hieronymum (ut ex Epiſt. ad Suniam & Fretelam conſtat, ubi diſerte hoc affirmat) eſt extra dubium. Etſi itaque nec Ptolemæi codex, nec illud exemplar quod in Cleopatræ Bibliotheca repoſitum erat, extitiſſet; quorum tamen poſterius Origenis tempore ibi ſervatum fuiſſe fatentur, qui in Verſionem LXX iniquiſſimi ſunt: tamen ex aliis exemplaribus, quæ ex antiquioribus correcta, & emendata; quæque in publico uſu Eccleſiarum florentiſſimarum erant, & accurate caſtigata, codices ſuos correxiſſe Eccleſiarum præſides, (id poſtulante Eccleſiarum, quibus eos Chriſtus præfecerat, neceſſitate,) nulla eſt ratio, cur dubitemus: nam per temporum injurias, & frequentes deſcriptiones, quin vitia quædam obrepant, moraliter loquendo, vix eſt poſſibile. Sed de his infra plenius agemus.

25. Hæc de Origenis Editione, in qua prolixiores fuimus, quia omnium prima & celeberrima, & reliquarum fundamentum. Secunda enim, quæ fuit Euſebii & Pamphili, qui martyrium ſubiit ſub perſecutione decima, alia non erat, quam ipſa LXX Verſio Origenis, a mendis, quæ irrepſerant, caſtigata. Nam teſte Hieronym. Præf. 1. in Paralip. *Codices ab Origene elaboratos evulgarunt.* Origenes enim, ut diximus, nihil in textu Græco immutavit: & ut idem Hieron. Ep. ad Suniam & Fretelam, *Illa Editio, quæ in Hexaplis erat, pura & ſincera erat, & ab omnibus ita habita:* cumq; Hexapla non niſi magnis ſumptibus deſcribi poterant, ſolam Verſionem LXX ex Hexaplis deſcripſerunt quam emendatiſſime. Et hæc Editio maxime in uſu fuit in provinciis inter Antiochiam & Ægyptum, *& vocati etiam ſunt iſti codices Palæſtini, quia in Palæſtina Origenes, cum eſſet apud Cæſaream, eos elaboravit; vel quod Pamphilus ex Hexaplis, quæ in Bibliotheca Cæſarienſi repoſita, eos tranſcripſit, & cum Euſebio, qui poſtea Cæſarienſis erat Epiſcopus, (cui ob familiaritatem cognomen dedit,) emendavit & ſeorſim evulgavit:* prout ex Hieron. Epiſt. 104. ad Chromat. colligit Rev. Uſſer. Syntag, cap. 6. p. 73. Tertia Editio fuit Luciani presbyteri Alexandrini, & ſanctiſſimi Martyris; qui, teſte Euſebio, Hiſt. lib. 8. *Editionem LXX cum codicibus Hebræis contulit, & recenſuit.* De hac Euthym. Præf. in Pſalmos. *Hæc cum LXX Tranſlatione conſentit, & quæ ab aliis depravata fuerunt, reprobat.* De Luciano etiam & Heſychio affirmat Hieron. Præf. in 4. Evang. *Eos nec in toto Vet. Teſtamento poſt LXX Interpretes emendare licuiſſe, nec in Novo emendaſſe profuit.* Hic itaque emendavit, non de novo tranſtulit. Et ut idem Hieron. Epiſt. 135. ad Suniam & Fretelam, *eadem fuit cum Vulgata, ita ut* Κοινὴ *ſive Vulgata a pleriſque* Λουκιανὸς *diceretur:* unde iterum patet, novam Verſionem non fuiſſe, ſed Vulgatam emendatam. Flam. Nobil. Præf. ad Edit. Rom. Lat. dicit, quod in *Apollinario reprehendit Hieronymus, quod Sept. Interpretum dictiones mutavit ſæpe, ac pro ipſis Symmachi vel alterius, vel etiam ſuas ſubſtitueret. Lucianus Martyr in eodem fortaſſe inſtituto, verecundior tamen videtur fuiſſe. Hujus enim Interpretationem, memoriæ proditum eſt, cum LXX Interpretatione, rejectis iis quæ ab aliis depravata erant, conſenſiſſe. Hinc fluxit illa, quam multi Septimam nominarunt*, Hæc Luciani Editio, ejus manu ſcripta, teſte Athanaſio in Synopſi, poſt ipſius certamen ſub Maximiano Nicomediæ inventa eſt. Quarta fuit Heſychii Epiſcopi Ægyptii, in eadem perſecutione decima Martyrio coronati: de quo Euſeb. Hiſt. lib. 8. cap. 14. Hic veterem tranſlationem recognovit; quæ, teſte Hieron. per Ægyptum & Alexandriam celebris erat: novam non cudit. Hujus Editionis habemus antiquiſſimum exemplar, quod ex Alexandria allatum fuit; cujus diſcrepantias a codice Vaticano, in hac Bibliorum editione excudi curavimus. De his Editionibus ſcribit Hieronym. in Epiſt. ad Chromat. quæ in libb. Paral. eſt Præfatio 1. quod *Alexandria & Ægyptus in LXX ſuis Heſychium laudant auctorem, Conſtantinopolis uſque ad Antiochiam Luciani Martyris exemplaria probent. Mediæ inter has provinciæ Palæſtinos codices legunt, quos ab Origene elaboratos Euſebius & Pamphilus evulgaverunt: totuſque orbis inter ſe hac trifaria varietate compugnat.* Quicquid vero ſcripſerit Hieronymus de harum Editionum diſcrepantiis, qui omnes ingenii nervos intendit, ut Verſionem τῶν ο' deprimeret, & ut ſuam Latinam, ex Hebræo noviter factam, in ejus locum in Occidentis Eccleſias introduceret: varietates tamen iſtas haud magni momenti fuiſſe, patet: tum ex ſcriptis & commentariis eorum, qui iiſdem locis, ubi Editiones iſtæ vigebant, claruerunt, in quibus magna eſt concordia; (ita ut nemo præter Hieron. alicujus fere differentiæ inter iſtas Editiones meminerit;) & ex ipſis diſcrepantiis, quæ ab Hieronymo afferuntur, Epiſt. ad Suniam & Fretelam, quæ nullius momenti ſunt; tum ex præcipuis exemplaribus, & Editionibus antiquis & recentibus, eorumque collatione: maxime vero ex Pſalterio Vulg. Latino, quod ex Luciani Editione eſſe, Hieronymus omneſque alii fatentur: inter quod, & illud quod ex Græco LXX, in noſtris Bibliis imprimitur, vix aliquod diſcrimen obſervatur. Sed de his poſthac plura.

26. Præter has, quas enumeravimus, Editiones, Quintam addunt alii, Vulgatam, quam a reliquis diſtinguunt. De qua ſcribit Hieron. Epiſt. 135. ad Suniam & Fretelam, *Pro locis & temporibus, & pro voluntate ſcriptorum veterum corruptam eſſe Editionem*; & ab ea diſtinguit, *quæ in* Ἑξαπλοῖς *extabat*, & quam ipſe *fideliter in linguam Latinam verterat, quæque in eruditorum libris pura & immaculata LXX tranſlatio habebatur, & Hieroſolymis, & in Orientis Eccleſiis decantabatur.* Ex his enim, aliiſque hujuſmodi Hieronymi verbis, hyperbolice ab ipſo pro more dictis, probare nituntur Neoterici quidam, Editionem Græcam, quæ in communi uſu erat Eccleſiarum, corruptam, & vitioſam fuiſſe. Unde cum Origenis Hexapla (in quibus ſincera Editio deſcripta fuit) hodie non extent, inferunt; veram, & genuinam Editionem hodie non haberi. Ex iiſdem etiam Hieronymi verbis, (quæ tamen, quod notandum, de Pſalterio tantum, non de toto Vet. Teſt. dicta ſunt,) colligit Vir longe doctiſſ. Vulgatam ſive Κοινὴν, & illam in Ἑξαπλοῖς, quam ſinceram τῶν ο' fuiſſe, uno ore judicabant Veteres, (quos ipſe tamen omnes deceptos arbitratur,) toto cœlo differre, quaſi duæ eſſent Verſiones. Hinc verba hæc habet, quæ captum meum plane ſuperant; *Priorem, quam ſinceram & immaculatam* fuiſſe putabant Origenes, Hieronymus, & alii, *Origeni ex ipſo Authentico exemplari in Alexandrina Bibliotheca, (ad quam quotidianus illi patebat acceſſus) aſſervato, deſcribere facile licuit: ſed in poſteriore* (Vulgata ſcil. ſive Κοινὴ) *ut corruptelis, & veterum ſcriptorum varietatibus laborante, emen-*

danda, & ad certum ordinem redigenda amplius illi inſudandum fuit.—Et paulo poſt, *Ad argumentum Baronii, quod ne fingi potuit, vetus exemplar Verſionis LXX in Bibliotheca Alexandrina remanſiſſe ad Chryſoſtomi uſque tempora: quia ſi ipſum ſuppetebat exemplar Originale, cur adeo elaboratum ab Origene primum, deinde a Luciano & Heſychio, in eo recognoſcendo, emendando, & in candorem priſtinum reſtituendo; cum ex ipſo exemplari Originali potuiſſent omnia quam veriſſime atque puriſſime ſumma facilitate corrigi & emendari?* Reſpondet, *Id ipſum fugere, ab Origene primum, deinde a Luciano & Heſychio, non in ea quæ pura & germana τῶν ο' habebatur, ſed in altera inde derivata, quæ in communi uſu omnium erat, indeque τῆς Κοινῆς, & Vulgatæ Editionis nomen obtinuit, emaculanda & reſtituenda, tantopere fuiſſe laboratum.* Hæc ſunt viri Rev. verba: quæ, niſi me ratio fugit, oſtendunt, quantas præjudicium nebulas menti effundat, etiam in viris alias doctiſſimis, ut potius quam ab opinionibus ſemel imbibitis recedere videantur, abſurdiſſima quæque affirmare non vereantur. Quæram enim, annon per Vulgatam Editionem intelligat ipſam LXX Verſionem, licet in aliquibus vitiatam; an aliam plane diverſam Verſionem? Aliam non fuiſse ex Hieronymi verbis loco citato plane conſtat, cujus etiam verba idem auctor adfert: Κοινὴ *enim* (inquit) *iſta Editio ipſa eſt, quæ & Septuaginta*, Epiſt. ad Suniam & Fretel. Hoc autem conceſſo, (quod nec ipſe, nec alius quiſquam unquam negavit,) libenter ſcire vellem, quidnam ſibi propoſuerint Origenes, Lucianus, Heſychius, &c. in Editionibus ſuis, vel in recognoſcenda LXX Verſione? Annon, ut puram & immaculatam redderent, & priſtino nitori reſtituerent? At cum in Alexandrina Bibliotheca, & poſtea in Hexaplis, extaret illa, quam puram & ſinceram ipſi omneſque alii agnoſcebant, imo ipſe Hieronymus; cur tantum laborarent in Vulgata illa ſive corrupta reſtituenda, cum ex ipſo exemplari publice ſervato, puro & immaculato, omnia cum ſumma facilitate corrigere & emendare poterant? Anne laborarint, ut vitioſam & corruptam Editionem denuo ederent, cum puram & ſinceram ad manum haberent, ex qua omnia deſcribere poſsent, & nullo negotio omnia corrigere? Eratne Vulgata ſive Κοινὴ tot corruptelis, & veterum ſcriptorum varietatibus depravata; & adeo ſtolidos, & plane ſtipites, fuiſse exiſtimemus Origenem, Euſebium Pamphilum, Lucianum, Heſychium; ut pro emendata Editione ipſam corruptam Editionem iterum exhiberent; etiam cum exemplaria haberent emendatiſſima, quæque ipſi talia eſſe judicabant, ex quibus omnia corrigere poſſent? Mira ſane eſt hæc emendatio: quid enim eſt codicem aliquem emendare & reſtituere, niſi ad priſtinam puritatem reducere, & genuinum ſublatis corruptelis exhibere?

27. Si vero dicat, per Vulgatam Editionem intelligi Editionem mixtam ex Theodotionis additamentis, cum aſteriſcis, &c. ipſoſque laboraſſe, ut aſteriſcos reſtituerent, quibus diſtinguebantur Theodotionis additamenta a textu ipſorum LXX. Reſp. Licet talis Editio cum aſteriſcis proprie non ſit Vulgata, nec ab iis, contra quos diſputamus, ita habeatur: hoc tamen conceſſo, vim argumenti non infringi. Poterant enim ex Origenis Hexaplis puram LXX Verſionem deſcribere, & additamenta per aſteriſcos ſignare facili labore. Pura enim editio eſſe potuit etiam cum aſteriſcis & obelis, cum per aſteriſcos additamenta a reliquo textu diſtingui poſsent: ſublatis enim aſteriſcis, & verbis quæ ſub ipſis erant, quod reliquum eſt, erit ipſa pura τῶν ο' Verſio. Dico itaque, ne fingi quidem poſse, ipſos in Editione corrupta reſtituenda laboraſse, & puram Editionem neglexiſse. Ejuſdem commatis ſunt, quæ habet idem eodem libro, & plane (ut mihi videntur) ἀσύστατα. Dicit, & quidem veriſſime, *ipſum Sept. Seniorum* αὐτόγραφον *in Ptolemæi Bibliotheca ſervatum fuiſse*, (unde alia exemplaria deſcribi, & ex ea emendari poterant: liber enim omnibus patebat aditus,) *uſque ad conflagrationem ſub Julio Cæſare*: & alibi, *genuinam illam τῶν ο' Verſionem puram in privatorum manibus fuiſſe tempore Apoſtolorum*: & tamen alibi eodem libro affirmat, *Judæos aliam plane Verſionem, Vulgatam ſcil.* & corruptam a neſcio quibus confectam, (quæ eadem eſt cum ea quæ hodie extat,) *in Synagogis publice & etiam privatim uſurpaſſe: Joſephum etiam & Philonem, imo ipſos Apoſtolos, Vulgatam & corruptam illam citaſſe, & hanc Eccleſiæ Chriſtianæ tradidiſſe.* His gemina ſunt, quæ apud eundem legimus, viz. *Palæſtinos Chriſtianos, cum prius ea, quæ pura LXX Editio habita eſt, uſi fuiſſent*, (quam & *Juſtinum Martyrem, qui inter eos degebat, uſurpaſſe* ſcribit,) *Vulgatam illam Editionem alteram ab Origene interpolatam, poſtea recepiſſe, priori abjecta, exceptis Pſalmis.* Hæc mihi ſane ἄτοπα videntur. Ut itaque hujuſmodi abſurditatum ſcopulos evitemus, ſciendum eſt, per Vulgatam Verſionem apud Hieron. ipſam τῶν ο' Verſionem intelligi; & ipſam quæ in Hexaplis erat, quamque Hieronymus verterat in Latinum ſermonem, fuiſse eandem cum Vulgata & Κοινῇ, ut vere affirmavit Baron. anno, 231. ſect. 8. 40. 41. licet fortaſſe in nunnullis magis correctam, quam quæ in vulgari uſu erat. Dicta enim erat Vulgata, non reſpectu alterius Editionis, quæ pura & incorrupta erat, quaſi Vulgata ſola eſſet impura & corrupta; ſed quod in communi uſu erat omnium Eccleſiarum: ſicut Vulgata Latina in Occidente ita dicta eſt, non reſpectu alterius Editionis quæ purior, ſed quia ſola hæc in vulgari uſu apud Latinos ſit. Nam etſi Vulgatam Latinam recenſuerint Sixtus 5. & Clem. 8. & Editionem mille locis emendatiorem fecerint: nemo tamen negabit, codices correctos Vulgatam Latinam Verſionem exhibere. Hoc tum ex aliis veterum teſtimoniis, tum ex ipſo Hieronymo clariſſime conſtat. Euſeb. Hiſt. lib. 6. cap. 15. dicit; *Origenem præter Vulgatam & communem, alias inveniſſe tranſlationes inter ſe variantes, Aquilæ, Symmachi, &c.* Hic videmus, Græcam τῶν ο' Verſionem in genere, ab ipſo dici Vulgatam & communem. Sic in codice Barbarino, MS. antiquiſſimo, in quo variæ lectiones collectæ ſunt Verſionum & Editionum antiquarum, quas in ultimo noſtro Tomo Lector inveniet, Zach. 12. 10. Editio τῶν ο' & Κοινὴ pro eadem ſumuntur. Sed quid pluribus opus eſt, cum ipſum habeamus Hieronym. idem diſerte affirmantem? Nam in Comment. in Prophetas, quos in dicta Epiſt. ad Suniam & Fret. ex pura & immaculata Hexaplῶν Editione, ſe in Latinum vertiſſe dicit; ſæpiſſime Editionem illam Vulgatam & Κοινὴν, appellat Editionem τῶν ο'. Loca in commentariis iſtis ubique occurrunt. Pauca ex Eſaia adferam. Eſa. 26. 9. *Volumus* (inquit) *& Hebraicum ſequi, & Vulgatam Editionem non penitus præterire.* Hic Editionem, quæ in Hexaplis erat, (nam in hanc commentatur) Communem vocat. Sic cap. 30. 20. *Multum in hoc loco Sept. Editio, Hebraicaque diſcordant: primo itaque de Vulgata Editione tractabimus.* Hic Editionem LXX, & Vulgatam unam eandemque facit tam inter ſe, quam cum Editione illa quæ in Hexaplis. Multa plura adferri poſſent, ſi neceſſarium eſset. Quid ergo dicemus ad Hieronymi verba, Epiſtola illa 135. ubi aliam facit Editionem Vulgatam, aliam quæ in Hexaplis: & ad alios, qui Verſionem τῶν ο', ab Origenis, Euſebii, Luciani, &c. Editionibus videntur diſtinguere? Reſp. hoc ſolum voluiſse Hieronymum, niſi ſibimetipſi contradicere velit, illam in Hexaplis in quibuſdam locis ab Origene emendatam eſse, licet & ipſa Vulgata eſset; cum alii quidam codices, qui in uſu vulgari erant, & ex Hexaplis nondum correcti, non ita caſtigati fuerint. Et idem dicendum de aliis, qui Editionem Κοινὴν a Vulgata diſtinguere videntur. Editiones etiam illæ, Euſebii, Luciani, & Heſychii, tot erant Vulgatæ ſive communis Editiones, quæ haud multum inter ſe diſcreparunt; dum quiſque vitia, quæ oſcitantia librariorum, vel alia de cauſa irrepſerant, ex aliorum veterum exemplarium collatione (quorum Origenis Hexapla, & quæ ex iis emanarunt, primas tenuere,) emendarunt. Has vero Editiones vix in rebus alicujus momenti diſcrepaſse, jam oſtendimus. Sed videtur Hieronymus in hoc, ut in aliis, quæ ad minuendam Sept. Verſionis æſtimationem ubique inculcat, hyperbolice locutum eſse: nec varietates multas in codicibus, præſertim accurate ſcriptis, & ad celebrium exemplarium amuſſim examinatis, alicujus momenti reperiri; ſed in Vulgaribus tantum, quæ ex librariorum feſtinatione & lucri deſiderio corrupte ſcripti erant. Nec alias fuiſſe, quam quales hodie in omnium librorum Editionibus variis conſpicimus, Ariſtotelis, Platonis, Ciceronis, Senecæ, aliorumque: ubi variantes quædam lectiones annotantur ab iis qui eos ediderunt, quæ tamen auctoritati codicum non derogant, nec Editiones multum faciunt differre.

28. His Editionibus antiquis, viſum eſt recentiores, quas hoc ſeculum produxit, annectere, una cum MSS. vetuſtioribus. Editiones hujus ſeculi Græcæ LXX Interpretum, tres ſunt, a quibus reliquæ derivantur. 1. Complutenſis. 2. Veneta. 3. Romana: quibus quartam adjicere licet, noſtram viz. in Bibliis hiſce, ex MS. Alexandrino. Prima eſt Complutenſis, opera Theologogorum Complutenſium, anno 1515. ſumptibus & auſpiciis Cardinalis Ximenii Archiepiſcopi Toletani, una cum textu Hebraico, Chaldaica Paraphraſi Pentateuchi, & Vulgata Latina, per columnas ſibi ex adverſo reſpondentibus prodiit: quam poſtea Bibliis Regiis inſeruit Ar. Montanus, anno 1571. Eadem etiam recuſa typis Commelianis, in Bibliis, quæ Vatabli nomine vocantur, cum ejuſdem Vatabli annotationibus, anno 1599. Poſtea in magno illo opere Pariſiano Heptaglotto, D. Michaelis de Jay, excuſa anno 1645. Hujus etiam Editionis Verſio Latina cum Græca Editione Veneta, (interdum tamen mutata, ut cum Edit. Veneta congrueret, licet hoc non ſemper obſervatum ſit) impreſſa eſt per Andr. Cratandrum Baſil. anno 1520. & iterum Baſileæ anno 1550. typis Rich. Brylingeri. In hac Editione obſervarunt viri docti, quod licet tantum honorem conſecuta ſit, ut in celebribus Editionibus, Complutenſi, Regia, Vatabli, & Jayana extet: omnium tamen quæ impreſſæ ſunt, maxime mixta ſit & interpolata, & a genuina Sept. Verſione maxime diſtet. Licet enim inter omnes hodiernas Editiones ad textum Hebræum proxime accedat; unde a lectore ignaro, & in Verſione Sept. prout olim apud Veteres extabat, & ut hodie in MSS. antiquiſſimis habetur, non verſato, optima prima fronte videatur: tamen rerum iſtiuſmodi peritus, & in lectione Veterum exercitatus, omnibus inferiorem eſſe, & a genuina Sept. Verſione, quæ apud Veteres celeberrima fuit, omnium longiſſime abeſſe, deprehendet. Nova enim & mixta eſt hæc Verſio, partim ex Septuaginta, partim ex Origenis additamentis ex Theodotione, partim ex Aquilæ, Symmachi, aliorumque Interpretum, imo & Commentatorum Græcorum verbis conſarcinata, ut hoc modo textui Hebræo per columnas aptius reſponderet. Unde Doctiſſ. Maſius Annot. in Joſ. 21. dicit, *Meram eſse inſcitiam, ſi quis dicat Complutenſem Editionem puram LXX Verſionem repreſentare. Licet enim viri iſti docti*, (ut obſervat Nobilius in Præf. ad Editionem Romanam,) *hujus Editionis auctores, Origenem aliqua ex parte ſibi imitandum propoſuerint, ut quæ in Hebræo eſsent, & non in* LXX, *ex alia Verſione ſupplerent: in hoc tamen ab Originis inſtituto diſceſſerunt, quod quæ apud* LXX *habentur, & non ſunt in Hebræo, quæque Origenes non tollere auſus eſt, ſed obelo notavit, ipſi ſæpe reſecuerint, & delectu habito, collatiſque exemplaribus non modo Bibliorum, ſed & Græcorum Commentatorum, ubi varia eſset lectio, (quod frequentiſſime evenit) eam probarent, & retinerent, non quæ Sept. Interpretum fuiſſe conſtabat, ſed quæ ad Hebraicum propius accederet, etiamſi eſſet Aquilæ, Symmachi, vel alterius cujuſque Interpretis: hoc tamen vel libris deſtituti, vel tædio victi, non perpetuo fecerunt. Hoc ipſorum conſilium ut non damno, (rationes enim fortaſſe quaſdam habuere, cur hoc ſibi proponerent,) omnino tamen non ad Editionem LXX Interpretum conſtituendam, ſed ad novam potius ex multis excudendam* (ut cenſet Nobilius) *videtur pertinere.* Aliud enim eſt Græcam Verſionem ſecundum textus Hebraici normam conficere, aliud Verſionem illam Sept. ut apud Veteres extabat, repræſentare. Hoc in libro Job demonſtrat Rev. Uſser. Syntag. cap. 8. p. 81. ex Orig. Epiſt. ad Jul. Africanum: ubi *ea quæ affirmat Origenes in LXX haberi, ſed non in Hebræo, in hac Editione reſecantur; alia quæ idem aſſerit in* Hebræo *extare, ſed non apud LXX, hic leguntur.* Specimina quædam placuit ſubjicere ex Job. cap. 1. ubi verſ. 1. legunt LXX. ἐν τῇ χώρᾳ τῇ Αὐσίτιδι, *in regione Auſitide*; Compl. legunt ex Aquil. ἐν γῇ Οὖς, *in terra Us.* Ibid. legunt, LXX, θεοσεβὴς, *Dei cultor*; Comp. ex alia Verſione, φοβούμενος τὸν θεὸν, *timens Deum.* V. 3. Sept. εὐγενὴς, *nobilis*; Compl. μέγας, *magnus.* V. 4. Comp. ἕκαστον τὴν ἑαυτοῦ ἡμέραν, ex Aquila, pro καθ' ἑκάστην ἡμέραν, *quotidie.* V. 5. Sept. μήποτε οἱ υἱοί μου ἐν τῇ διανοίᾳ αὐτῶν ἐνενόησαν τὸν θεὸν ἐπὶ καρδίας αὐτῶν, *ne forte filii mei in mente ſua cogitaverint mala erga Deum*; Compl. μήποτε ἥμαρτον καὶ εὐλόγησαν θεὸν ἐπὶ καρδίας αὐτῶν οἱ υἱοί μου, *ne forte peccaverint & benedixerint Deo in cordibus ſuis filii mei*: ſic fere Aquila. V. 6. Sept. οἱ ἄγγελοι τοῦ θεοῦ, *Angeli Dei*; Complut. ex alia Verſione, οἱ υἱοὶ τοῦ θεοῦ, *filii Dei.* Ibid. μετ' αὐτῶν, *cum iis*; Complut. ex Aquila, ἐν μέσῳ αὐτῶν, *in medio eorum.* Plura obſervare licet ex collationibus noſtris Compl. Editionis cum Romana, Tomo noſtro ult.

29. Secunda eſt Veneta, quam ex multis vetuſtiſſimis exemplaribus opera Andreæ Aſulani, excudit Aldus Manutius, anno 1518. Hæc quidem Editio proxime ad Romanam accedit, & Complutenſi purior eſt. Abſunt enim plerumque additiones, quæ ſub aſteriſcis poſuit Origenes; adſunt, quæ per obelos notavit: tranſpoſitiones etiam Capitum & Verſuum, quas commemorant Veteres in Editione LXX fuiſse, in hac Editione inveniuntur. Quæ etiam a Veteribus allegata, vel. Commentariis illuſtrata erant, eadem plerumque ſunt in hac Editione. Unde Doctiſs. Maſius, Præf. Comment. in Joſ. ſcribit, *Venetam Editionem eſse quidem ſimplicis interpretationis* LXX *Seniorum exemplum*: addit tamen, *ſed haud ab omni admixtione verborum Theodotionis liberum*: quod veriſſimum judico. Quædam enim, licet pauciſſima, iſtorum

additamentorum relicta eſse, tum in hac, tum in aliis caſtigatiſſimis Editionibus, non negandum; quæ tamen ejus ſinceritatem non tollunt, quin vera & genuina LXX Editio dici poſſit. Ab hac Aldina Editione fluxerunt omnes Editiones Germanicæ: quæ plerumque quoad verba Aldinam ſequuntur, niſi quod ordinem librorum, capitum, & verſuum quorundam, quæ alio ordine, quam in Hebræo poſita fuiſse, omnes antiqui codices teſtantur, ad normam textus Hebræi plerumque mutarint & tranſpoſuerint. Libros etiam, qui vulgo Apocryphi dicuntur, non ſparſim inter reliquos ſecundum ordinem hiſtoriæ, ut omnes antiqui codices, habent; ſed ſeparatim poſt reliquos poſuerunt. 1. Baſileenſis prima per Andream Cratandrum, anno 1520, cui, ut jam diximus, appoſita eſt Latina Verſio Complutenſis. 2. Argentoratenſis apud VVolphium Cephalæum, opera Loniceri in octavo, anno 1527. 3. Baſileenſis ſecunda Typis Hervagianis, fol. cum Melancthonis Præf. Hæc, licet ille qui Francofurtenſem edidit, dicat cum Aldina prorſus convenire, in iis tamen, quæ jam notavimus, diſcrepat. 4. Baſileenſis tertia Græco-Lat. per Nicolaum Brylingerum in octavo, anno 1550. 5. Francofurtenſis per VVechelianos in fol. Græce tantum, ex recenſione, ut putatur, Franciſci Junii, anno 1596, cum variis lectionibus. Memorant quidam alias Editiones, quas nondum videre contigit; Santandreanam, anno 1597; Amburgenſem apud Jacobum Lucium, Jul. 1596. Et addit Draudius in Catal. aliam Editionem Baſil. Græco-Lat. in octavo, 1578. Omnes iſtæ Editiones a Veneta parum diſcrepant; ita ut qui Venetam habet, omnes habeat. Unde eſt, quod inter varias noſtras variarum Editionum lectiones in ultimo tomo, tantum Venetam & Complutenſem cum Romana contulimus. Excipiendæ tamen, ut diximus, tranſpoſitiones plurimæ, in quibus alii quædam, alii omnia ad ordinem Hebræum repoſuerunt. In Francofurtenſi etiam, in quatuor Exodi penultimis capitibus, ut & alicubi in Proverb. pleraque, quæ in Veneta erant, expuncta ſunt, & eorum loco textus Complutenſis inſertus. Libri etiam Apocryphi in omnibus ſeorſim poſiti, & in quibuſdam Liber Joſephi poſt Macchabæos additus, de Imperio rationis, ſive de Martyrio Macchabæorum, qui in pleriſque Græcis MSS. antiquiſſimis habetur. Contra has Editiones objicit vir Doctiſſ. *gloſſemata multa ex margine in textum irrepſiſſe variis locis:* quod probare nititur ex locis quibuſdam per Apoſt. citatis, quæ aliter in Vulg. Græca τῶν ο' leguntur: ut Eſai. 52. 7. Zach. 12. 10. ex Rom. 10. 15. & Joh. 19. 37. &c. At hæc potius probant, codices Græcos in iſtiuſmodi locis variaſſe, quam ex N. T. in Græcos codices verba inſulta eſſe: vel Apoſtolos ſenſum potius, quam verba reſpexiſſe; nec ſinceritati hujus Editionis quicquam derogari. Si paucis locis verbum unum aut alterum aliter legatur in uno codice, quam in alio; quid hoc ad generalem Editionis corruptionem? ſi hujuſmodi argumenta valerent, omnes codices, tam Sacri, quam prophani, ut corrupti abjiciendi eſſent. Quodque porro objicitur, *Integros libros Job, & Eſaiæ, ex mixta Editione Origenis expreſſos eſſe;* aliter ſe habere ex collatione noſtra textus Romani cum Aldino & Complutenſi, liquet: ubi, quæ abſunt in codice Romano & in Alexandrino, per aſteriſcos in Editione mixta notata, etiam in Aldina plerumque exulant.

30. Tertia eſt Romana, quæ ex codice MS. Vaticano antiquiſſimo opera Anton. Carafæ Cardinalis, aliorumque virorum doctorum, qui per 9. annos in hac Editione ſudarunt, auſpiciis & juſſu Sixti 5. Pontificis, prodiit; qui cum Cardinalis erat, Gregorio 13 auctor fuit, ut hoc opus aggrederetur: quod ſub Gregorio inceptum, & Cardinali Carafæ demandatum, ipſo jam Pontifice, ejuſdem Cardinalis opera perfectum eſt. Primo Græce tantum edita cum Scholiis Græcis Romæ, anno 1587. Poſtea Latine cum notis doctiſſimis & longe utiliſſimis per Flaminium Nobilium etiam Romæ, anno 1588. Tandem Græcam Editionem cum Latina conjunxit, verſuum etiam diſtinctione juxta Vulgatam Latinam adhibita, & tam Græcis Scholiis, quam Nobilii notis, ad finem cujuſlibet capitis appoſitis; vir doctiſs. Joh. Morinus, quam Pariſiis excudi curavit, anno 1628. per Nicol. Bluon. De hac Editione, & de MS. exemplari Vaticano, ex quo expreſſa eſt, multa habentur lectu digna in Præfationibus Editioni præfixis; ut & apud J. Morinum in Exercit. Bibl. lib. 1. exerc. 9. cap. 1. n. 8, 9, 10, 11, 12. Nos hæc pauca annotamus. Codicem MS. Vaticanum, ex quo hæc Editio expolita fuit, deſcribunt exaratum literis majoribus ſive uncialibus, quas vere antiquas vocant, ſine capitum, verſuum, vel verborum diſtinctione; ſine accentuum vel ſpirituum notis; &, quantum ex ſcriptura conjicere licuit, ante mille ducentos annos, id eſt, ante Hieronymi tempora ſcriptum videri. In libro tamen 4 Prophetarum diſtinctio quædam ſubobſcura apparebat, illi pene ſimilis, quam deſcribit S. Dorotheus Martyr. Inſcriptionem habuit, Κατα τȣ̀ς ἑϐδομήκοντα; *Juxta Septuaginta.* Mancus erat ab initio Geneſ. ad cap. 48. & in Pſalmis deerant omnes a Pſal. 105. ad 148. paginis vetuſtate exeſis. Maccabæorum etiam libri aberant. Hæc autem omnia ad fidem exemplarium reſtituta ſunt. Præter hunc codicem duobus aliis uſi ſunt, qui ad ejus vetuſtatem proximi acceſſerunt; uno Veneto ex Bibliotheca Cardinalis Beſſarionis, majoribus etiam literis ſcripto: altero ex magna Græcia advecto, cujus cum Vaticano ſummus erat conſenſus; ita ut ille ex hoc tanquam archetypo deſcriptus eſſe videretur. Licet vero tum horum codicum, tum aliorum multorum, quos per omnes Italiæ Bibliothecas Carafa conquiſiverat; maxime vero ex Medicæa Florentiæ, varias lectiones ex codicum collatione notari curaverat idem Carafa: (quarum multas in ſcholiis retulit, ex quibus etiam Vaticani textus ſinceritas multis in locis confirmata eſt & illuſtrata:) ad Vaticani tamen MS. codicis normam, qui omnium antiquiſſimus, reſpexerunt; & librum ipſum ad literam, quantum fieri poſſet, (niſi ubi conſtabat de manifeſto librariorum lapſu,) exprimebant: cujus bonitas non tam ex aliorum codicum conſenſu perſpicitur; quam ex locis, quæ ab antiquis Scriptoribus adducuntur vel explicantur: qui fere ſemper cum hoc exemplari conveniunt; niſi cum aliorum Interpretum loca afferunt, non LXX. In libris Prophetarum (excepto Daniele, qui ex Theodotione in omnibus Eccleſiis legebatur) puram LXX Verſionem reſipit hoc exemplar; cum deſint quæ deeſſe debent, quæque ex veteribus Græcorum & Latinorum ſcriptis ſub aſteriſcis notata fuiſſe conſtet. Scopus hujus Editionis, ut ſcribit idem Carafa, *non erat, ut ex Interpretationum aliarum permixtione Latinæ Vulgatæ vel Hebræo reſpondeat; ſed ut ad eam, quam LXXII Interpretes ediderunt, quantum per veteres libros fieri poſset, proxime accedat.* Contra hanc etiam Editionem objicit vir doctiſſ. *Hoc exemplar Vaticanum ex illa, quæ pro pura habebatur in Hexaplis, & Communi ſive* Κοινῇ *mixtam eſſe.* Quod ex locis quibuſdam in Pſalmis probare conatur, quæ aliter in Hexaplis, aliter in Vulgata & Romana Editione leguntur. Nec in Prophetis puram LXX Verſionem reſipere, ex paucis aliis aſtruere nititur. Sed hæc parvi ſunt ponderis, cum paucis illis locis nos obſtantibus, in quibus codices antiqui variare poterant, non tollitur generalis illa hujus Editionis puritas, nec inducitur generalis aliqua corruptela: alias de Græco N. T. textu actum eſſet, in quo multo plures varietates (ſi molem libri ſpectemus) cernuntur, quam inter hæc exemplaria Græca.

31. Quod ad Latinam, ex Græca τῶν ο' expreſſam, Verſionem attinet, quæ olim *Vulgatæ* nomen obtinuit, quaque ſola uſa eſt Eccleſia Latina ante Verſionem Hieronymi; quæq; poſt Hieronym. tempore Greg. Magni adhuc in uſu erat, ut ex variis Gregorii locis alibi adductis conſtat: etſi nunquam eandem cum Græca auctoritatem habuerit, nec eadem ubique eſſet per Occidentem: (tot enim Auguſtini tempore erant Verſiones Latinæ, ut vix numerari poſſent; eodem teſte:) hanc tamen cæteris præfert Auguſtinus, quam ipſe *Italam*, Hieronymus *Vulgatam*, Gregorius *Veterem* appellat; quamque Hieronymus ad Græcam, quæ in Hexaplis erat ſincera, recenſuit & caſtigavit. Hanc Auguſtinus cæteris prætulit, *quod verborum tenacior fuit, cum perſpicuitate ſententiæ.* Licet autem in vulgari uſu fuerit: poſtquam tamen Nova Hieron. in Eccleſias poſt Gregorii tenpora recepta fuerit; vel plane evanuit, (exceptis Pſalterio, partibus quibuſdam Eſtheræ & Danielis, Baruch, Epiſt. Jeremiæ, libris Macchab. Eſdræ tertio & quarto, Sapientiæ & Eccleſiaſtico;) niſi quæ in veterum ſcriptis & commentariis reperitur; vel in unam cum Nova coaluit. Unde, cum haud æquum viſum fuerit, ut Verſio illa quæ Eccleſiæ Occidentalis nutrix fuerat, cum conſenuiſſet, rejiceretur, nulla ejus ratione habita; rem magnam aggreſſus eſt Flam. Nobilius, vir in Patrum ſcriptis, & antiquis Eccleſiæ monumentis multum verſatus, veteris hujus Verſionis Latinæ partes laceras in Veterum ſcriptis hic illic diſperſas, quaſi membra Hippolyti diſcerpta, in unum colligendo. Primo enim, Vulgatam hanc Latinam jam per mille annos intermortuam ex variis Veterum ſcriptis conquiſitam, quaſi redivivam ſtitit; idque ipſiſſimis ipſorum verbis, ubi haberi poterant: reliqua non ex proprio ingenio ſupplevit, ſed verba in hac Verſione uſitata, eaſdemque locutiones & phraſes, quantum res ipſa ferret, retinuit: ſimplicem enim & incultam illam loquendi formam ipſi LXX conſtanter tenuerunt. *Habet enim Scriptura ſancta,* teſtibus Chryſoſt. & Greg. *ſuas proprietates & verborum formas ſimplices:* quæ licet Criticis noſtris non arrideant; majeſtatem tamen divinam ſpirant. Unde illud Aug. *Verba cœleſtis Oraculi non ſunt reſtringenda ad regulas Donati; & melius eſt, ut nos reprehendant Grammatici, quam ut non intelligant populi.* Secundo, Theſaurum inæſtimabilem annotationum doctiſſimarum ex Patribus Græcis & Latinis, & ex aliis Editionibus, omnibuſque Eccleſiæ ſcriptoribus antiquis, eorumque monumentis, (quibus Editio Romana confirmatur vel illuſtratur, vel Scripturæ ſenſus verus & vera lectio eruitur & explicatur,) Herculeo labore compilavit: quas in ultimo noſtro Tomo imprimi curavimus, una cum iis, quæ in ſcholiis Romanis a Nobilio prætermiſſa erant; adjectis etiam ipſis Græcorum ſcriptorum verbis, quæ interdum Latine tantum a Nobilio citantur. Scholia enim Romana cum Nobilii notis ſeorſim imprimere, ut in Editione Pariſienſi videmus, eſſet eandem cramben repetere: cum pleraque, quæ in Scholiis habentur, etiam in Nobilii notis reperiantur, omniaque a nobis in unum corpus redacta ſint. Multa etiam veterum Interpretum fragmenta, quæ nec in Scholiis, nec in Nobilio habentur, propriis locis inſeruimus: quem laborem Lectori æquo haud ingratum fore ſpero.

32. Etſi autem Editionem hanc omnium, quæ extat, maxime ſinceram judicamus, & proxime ad puram Sept. Editionem accedere; tamen ex omni parte perfectam eſſe non audemus aſserere: cum hoc non aſserant, qui ipſam ediderunt. Quædam enim habere poteſt σφάλματα ex librariorum incuria, incogitantia, vel audacia introducta; ut Aldina, Baſileenſis, aliæque Editiones. Hoc tamen non efficit, quin eadem ſit Verſio, quæ primis trecentis poſt Chriſtum annis, & Hieronymi tempore pro illa τῶν ο' habita & recepta fuit: nec cauſa eſt ulla, cur non pro genuina Sept. Verſione, & non alterius auctoris cenſeri debeat. Nobilius ipſe, in notis ad Regn. 3. cap. 3. ſcribit, *quod multis modis conſtat, aliqua admiſta ex aliis Interpretationibus, & nonnunquam ex margine quædam in textum irrepſiſſe:* & Editores in Præf. non dicunt, *ex omni parte perfectam & ſine menda eſſe; ſed ad eam, quam* LXX *ediderunt, quantum per veteres libros fieri poſſit, quam proxime accedere.* Joh. Morinus, ſtrenuus hujus Editionis defenſor, Diatr. part. 1. cap. 12. dicit, *omnium quæ nunc extant eſſe maxime ſinceram, & a mendis ac perturbationibus expurgatiſſimam; & ad primogeniam illam proxime accedere.* Poſtea etiam ſe explicat & ſcribit, *Hæc epitheta* (vera, germana, ſincera,) *rei fictæ, adulterinæ & ſuppoſititiæ opponuntur, non autem mendis aut labeculis aſperſæ.* Et Exerc. lib. 1. exerc. 9. cap. 3. ad finem, *Negare nolim additamentorum Origenianorum pauca quædam in Editione Romana ſupereſſe;* ut Eſa. 34. 4. Jer. 16. 17. Itaque cum larvis luctantur, & contra umbram propriam dimicant, qui quædam ex aſteriſcis adhuc manere magnopere contendunt: vel, ſi quædam loca proferre poſsunt, quæ apud veterem aliquem ſcriptorem, præſertim apud Hieronymum, aliter lecta erant; ſtatim clamant, Verſiones hodiernas vitioſas & corruptas eſse: nec veram LXX Verſionem extare: cum varietates iſtæ ne centeſimam partem codicis ſpectent; & in confeſſo ſit apud omnes, non omnimodam puritatem in hac Editione expectandam; ſed tantam, quæ eandem cum illa a Veteribus celebrata Verſionem hanc eſse, oſtendit: quod paucis inſtantiis in contrarium everti non poteſt. Nec quicquam valet objectio cujuſdam, quod *licet non ſit ex Origenis mixta Editione deſumpta, tamen ex Editione Vulgata ſive* Κοινῇ *deſumpta eſſe poſſet:* cum ex iis, quæ ſupra de Vulgata diximus, conſtet, Vulgatam aliam non eſse, quam ipſam τῶν ο', quæ in Hexaplis fortaſse emendatior erat, quam in aliis quibuſdam libris. Si vero per *Vulgatam* intelligat mixtam ex Theodotione & illa τῶν ο' Editionem; ultro concedit idem, ex eo quod non habeat quæ aſteriſcis notantur, ſequi, *ex mixta illa Editione illam factam non eſſe,* cap. 8. p. 93. Hanc itaque Editionem Romanam, ut omnium, quæ extant, maxime ſinceram, in Bibliis noſtris exhibemus: quam ſine ulla variatione ſecuti ſumus, niſi quod per inadvertentiam verſiculus unus Ex. 25. 6. ex Londinenſi & Aldino exemplari in noſtram Editionem irrepſit, qui non eſt in Romana. Nobilii quoque Verſionem Latinam exacte retuſimus, niſi quod quæ-

dam in Latina Verſione nonnunquam omiſſa (nam in Græca extabant) ſupplevimus.

33. Editio hæc Romana etiam nuper Londini prodiit in octavo, 1653, Græce tantum. In qua, etſi profiteantur, qui Editioni præfuerunt, ſe Editionem Romanam excudere; nimiam tamen licentiam aſſumpſerunt, eam pro libitu mutandi & interpolandi, ut ad Hebræum textum & nuperas Verſiones accomodarent. Non enim tantum ordinem librorum, capitum, & verſuum, contra omnium antiquorum codicum fidem, in quibus diſcrepantiæ ab Hebræo per tranſpoſitiones quaſdam ſemper notatæ erant, ad normam Hebræi codicis reduxerunt, ut authores Germanicarum Editionum plerumque fecerunt, & Pſalmorum nomenclaturam, quæ a Veteribus, Juſtino, Cypriano, Hilario, Athanaſio, Hieronymo, Auguſtino, &c. obſervata erat, in illam Hebræorum commutarunt: ſed etiam quædam ex Complutenſi aliiſque Editionibus addiderunt, quæ in Editione Romana non habentur: ut Exod. 25. 6. ubi verſiculum ex Aldina Editione adjecerunt; & cap. 28. poſt verſ. 22. pro duobus verſibus, qui & in Romana & in Aldina Editione leguntur, ſubſtituunt octo verſus ex Complutenſi, ut Hebræo aptius reſpondentes. Quorundam etiam capitum diſtinctioné aliter, ac in Romana Editione, dederunt, ut Verſioni noſtræ Anglicanæ melius reſponderet. At hoc non eſt Editionem Romanam, vel antiquā LXX Verſionem excudere, ut Editores præ ſe ferunt; ſed novam & mixtā Editionem conficere. In pleriſque tamen codicem Romanum exprimunt; & in hoc laudandi, quod Editionem, quæ extat, optimam, ut minori forma, ſic minori pretio, parabilem fecerunt.

34. Reſtat, ut de MS. noſtro celeberrimo & vetuſtiſſimo, quem Alexandrinum vocamus, qui a multis diu deſideratus, in his Bibliis primum lucem vidit, quædam addamus. Alexandrinum dicimus, non tam quod ex recenſione Heſychii fuerit, a quo exemplaria per Alexandriam & Ægyptum ſecundum ipſius codicem caſtigata emanarunt; quam quod ex Alexandria primo allatus ſit per Cyrillum Lucarem, nuper Sedis Alexandrinæ Patriarcham, qui cum ad Conſtantinopolitanam tranſlatus erat, hunc librum tanquam magnum theſaurum ſecum attulit, quem per D. Tho. Roe equitem auratum Regis noſtri apud Turcarum Imperatorem legatum, eidem Regi donavit. Exaratus eſt hic liber in Pergameno literis majoribus antiquis (quarum ſpecimen inter alias characterum formas dedimus ad finem Proleg. 2.) ſine ulla capitum, verſiculorum, vel verborum diſtinctione, & ſine accentuum vel ſpirituum notis, exceptis quibuſdam ſectionibus, quæ per ſpacium quoddam inter verba deſignantur, & libris 5 quos per ςίχȣς olim diſtinctos fuiſſe tradiderunt veteres; ſcil. Job. Pſal. Prov. Eccleſ. & Cant. ut ex libro Job. quem ex hoc MS. olim publicavit Patric. Junius perſpicere licet. His etiam in eodem volumine, atque eadem ſtichorum forma, adduntur libri Sapientiæ & Eccleſiaſtici. Deſcriptus eſt hic liber Alexandriæ per Theclam, fœminam nobilem, cujus nomen (jam obliteratum) ad finem libri olim inſcriptum fuiſſe, teſtatur idem Cyrillus; cujus verba ipſius manu initio libri exarata hæc ſunt. *Liber iſte Scripturæ ſacræ Veteris & Novi Teſtamenti, prout ex traditione habemus, eſt ſcriptus manu Theclæ, nobilis fœminæ Ægyptiæ, ante mille & trecentos annos circiter, paulo poſt Concilium Nicænum. Nomen Theclæ in fine libri erat exaratum, ſed extincto Chriſtianiſmo in Ægypto a Mahumetanis, & libri una Chriſtianorum in ſimilem ſunt redacti conditionem: extinctum ergo & Theclæ nomen & laceratum, ſed memoria, & traditio recens obſervat.* Hæc Cyrillus. Quænam hæc Thecla fuerit, nolo anxie inquirere. Quandam, iſtius nomine, martyrium pro Chriſto ſubiiſſe, conſtat ex Oratione Chryſoſt. in laudem S. Theclæ: at an ab hac ſancta fœmina codex hic ſcriptus fuerit, an ita dicatur, quia ad Monaſterium aliquod S. Theclæ dicatum pertinebat, non multum refert, cum conſtet, antiquiſſimum eſſe, & codicis Vaticani ſeculum æquare ſaltem, ſi non ſuperare: quod præter dicta, ſuadent tum ſcriptionis modus, characterum figura, accentuum & ſpirituum abſentia; tum alia, quæ ſummam vetuſtatem teſtantur: ut cum frequenter ponunt (αι) pro (ε), ut παιδιον pro πεδιον, αιρεσον pro αρεσον & e contra (ε) pro (αι) ut φυλαξε pro φυλαξαι. Ad eundem modum ſcribunt (ι) pro (ει) diphthongo, ut λιψει pro λειψει, (μ) pro (ν) ut εμμεσω pro εν μεσω. Sic μ ſæpe interponitur præſertim in deſcendentibus a λαμβανω, ut λημψομαι pro ληψομαι, (ν) duplex pro ſimplici, in verbis a βαινω, ut διαβεννετε pro διαβαινετε; aliaq; hujuſmodi: quæ fortuito ſcribæ errori non imputanda, cū ubiq; per totum codicem reperiantur. N. Teſt. iiſdé literis & eodem modo ſcriptū eſt, Evangelia in κεφάλαια diſtincta, quæ ſingulis Evangeliis præfiguntur: ipſa etiam κεφάλαια in minores ſectiones ſive ςίχȣς diviſa, quæ ſecundum Canones Euſebianos minio in margine diſtincta. In quibuſdā etiam mancus eſt: nam a Pſal. 49. 20. ad 79. 12. omnia deſunt; ut & in N. Teſt. Evang. S. Math. uſq; ad cap. 27. Ad finem libri, extant Epiſtolæ duæ Clementi Romano adſcriptæ: quarum prima eſt ipſiſſima Clementis S. Pauli diſcipuli, Veteribus decantata, quæ in Eccleſiis quibuſdam olim publice cum Scripturis prælecta erat, ut omnes docti conſentiunt, & inter alios argumentis inſitis probat Nobiliſs. Grotius, Epiſt. ad Gallos, quæ eſt 105. Hanc poſt mille annos, cum periiſſe credebatur, in lucem revocavit ex hoc MS. Patricius Junius, eamque cum Verſione Latina publicavit. Altera lacera eſt & imperfecta, quam etiam cum priori edidit D. Junius Græce tantum. D. Grotio primi ſeculi eſſe videtur, & ante conſtitutum Eccleſiarum conſenſu Scripturæ Canonem ſcriptam fuiſſe: & licet Clementis nomen præ ſe ferat, alterius tamen Clementis eſſe, antiqui judicarunt. Inter Vaticanum & hunc noſtrum conſenſus magnus in pleriſque obſervatur, licet in minutis quibuſdam ſubinde differant, præcipue in libro Joſua, etiam in Judicum, Reg. 3. & Job. Diſcrepantia invenitur maxime in propriis nominibus, in quibus inter omnes libros antiquos diſcrimen ſæpius occurrit. Hæc tamen non efficiunt, ut non ſit veræ & genuinæ Verſionis Sept. exemplar, prout apud antiquos Eccleſiæ Patres extabat. Mixtam enim Editionem non eſſe, probant additamentorum Theodotionis ſub aſteriſcis abſentia, & eorum quæ obelo notata ſunt præſentia: & cum Hieronymi aliorumque commentariis, lociſque ab antiquis citatis vel explicatis conſenſus: unde & in ſingulis paginis una cum Romana excudi curavimus, ubi ſcil. a Romana differt: ut hoc modo Lector utrumque exemplar inter ſe melius conferre poſſet, & duo antiquiſſima & nobiliſſima totius Orbis τῶν ό MSS. exemplaria uno intuitu conſpiceret. Quæ vero ex codice Alexand. ſubjicimus, ſine ulla mutatione exhibuimus, etiam ubi aliquando conſtabat de Scribæ errore, vel obſoletus illius ſeculi ſcribendi modus ad noſtrum fortaſſe reducendus videretur. Propoſuit quidem D. Junius multis antehac annis MS. hoc Typis evulgare, cujus etiam ſpecimen impreſſum vidi: ſed conſilium ejus multis viris doctis merito improbatum, ejus progreſſum retardavit; dum multa pro arbitrio ex MS. detruncavit, & mutavit; idque cum nulla premebat neceſſitas, prout ex Catalogo ſatis magno vocabulorum per pauca Geneſeos capita, quæ ipſe mutaverat et expunxerat, (quem mihi oſtenderat Typographus) conſtat. Idem etiam ex notis ejus, quas impreſſas dedimus Tomo ult. percepi: ubi multa a codice Alexandrino diverſa inveni, ſæpe lectionem Romanam pro Alexandrina poni, & ex Romano, Veneto, Complutenſi, & Alexandrino exemplari, invicem mixtis, novam quaſi Editionem conflatam: Unde non ſine magno labore, notas ejus reviſendi onus erat impoſitum, ut codicem noſtrum ab ejus mutationibus liberarem, & unicuique Editioni, quæ ſibi propria erant, redderem. Hanc viam inire mihi non placuit; cui religio eſt, quicquam in tam celebri MS. immutare, niſi cum librarii error manifeſtus poſtulabat. Integrum itaque hic exhibemus MS. non mutatum, nec mutilatum, vel interpolatum; omnia Lectoris docti & pii judicio ſubjicientes. Quæ autem contra hoc exemplar, inter alia objicit vir Rev. quæſtione ſequente, in reſponſione ad ea, quæ ab ipſo aliiſque adferuntur, ut probent, veram LXX Verſionem hodie non extare, diſcutiemus.

34. Tandem ad quæſtiones maximi momenti deventum eſt, ad quas omnia hactenus dicta referenda ſunt, ſcil. de ſinceritate hujus Verſionis, An quæ hodie extat, vera & genuina ſit Sept. Verſio, quæ apud Judæos ante Chriſtum, ab Apoſtolis & Eccleſia Chriſtiana poſt Chriſtum in uſu fuit; quæque apud Veteres tantopere celebrata erat: Et de ejus auctoritate, An divina & Authentica ſit, ut quidam; an nullius plane auctoritatis, ut alii Neoterici ſtatuunt? Has enim quæſtiones pervicacia quorundam recentiorum, & partium ſtudium, nobis peperit. De prima primum dicendum, de qua hæc præfari libet: Hic non quæri, An LXX ſolum Pentateuchum, an omnes libros Vet. Teſt. verterint: (de hoc enim ſupra egimus, Paragr. 11. ubi oſtendimus, totum Vetus Teſtam. ab ipſis converſum eſſe:) nec an alia Græca Verſio facta ſit tempore Philometoris, quæ in locum Sept. ſuccreverit: probavimus enim unicam tantum Verſionem Græcam ante Chriſti tempora notam fuiſſe, nec a Judæis vel a Chriſtianis aliam agnoſci; ſed an illa, quam Judæi variis ſeculis ante Chriſtum in Synagogis prælegerunt, quam Apoſtoli & Evangeliſtæ in ſcriptis & ſermonibus ſuis citarunt, quamque Eccleſiæ Chriſtianæ reliquerunt; quæque apud Veteres in tanto honore fuit; adhuc ſuperſtes ſit, ita ut vera & genuina ejus exemplaria habeamus. Hoc enim ſi probatum dabimus, fruſtra ſe torquent Neoterici, ut probent non Philadelphi, ſed Philometoris tempore confectam fuiſſe; nec omnes libros LXX vertiſſe, ſed tantum 5 libros Moſis. Hæc enim, licet falſiſſima eſſe ſupra, ni fallor, demonſtratum ſit, nec veritati vel auctoritati hodiernorum codicum quicquam derogant. Unde nobis perinde erit, quid de his ſtatuant, modo quæſtionem propoſitam probemus. Nec negamus, codices Græcos hodiernos ſuos nævos, & mendas habere; &, pro omnium librorum antiquorum fato, ſordes quaſdam contraxiſſe, per frequentes deſcriptiones, & exemplarium per totum orbem diſperſionem, jam per annos fere bis mille, a quo primum facta eſt hæc Verſio. Fatetur enim Nobilius, nobilis ille hujus Verſionis Scholiaſtes, ejuſque defenſor ſtrenuus, Præf. ad Edit. Lat. Rom. quod *poſt Hieronymi ætatem, librariorum primum, deinde Typographorum inſcitia & impudentia, confuſis variis interpretationibus alienoque loco poſitis, membriſque laceratis, & luxatis, dictionibus ſæpe contaminatis, liber ille, qui naſcenti Eccleſiæ bonæ obſtetricis, creſcenti nutricis officium præſtiterat, non ſolum exiguo cum fructu, ſed cum magno dolore legebatur.* Etiam & hoc monendum, demonſtrationes Mathematicas non expectandas eſſe, quæ in rebus hujuſmodi haberi non poſſunt; ſed quæ ex probatis cujuſque ſeculi ſcriptoribus, & antiquorum exemplarium cum hodiernis collatione; Eccleſiæ etiam Judaicæ & Chriſtianæ conſenſu & praxi, &c. petuntur. Denique & hoc præfandum, licet onus probandi nobis non incumbat, cum Verſio hæc apud Judæos ante Chriſtum, & a temporibus Chriſti in uſu continuo, Eccleſiæ præſertim Græcæ, ſemper fuerit, & adhuc ſit, & in poſſeſione ſuæ auctoritatis poſita, ſub nomine LXX Seniorum; unde ad eos, qui contrarium affirmant, probandi munus pertinet: tamen ex abundanti ea proferemus argumenta, quæ non niſi pertinacem in aſſenſum trahere poſſunt.

36. De hac quæſtione, quæ ſeculis ſuperioribus erat ignota, recentiores acriter contendunt. Poſtquam enim Concilium Trident. Vulgatam Latinam pro Authentica habendam declaraſſet, hinc quidam Eccleſiæ Romanæ Doctores, licet contra mentem Concilii, contra omnes alias Verſiones, præcipue contra Græcam, quæ cum Latina contendere videtur, inſurgunt; cum illa in Oriente, ut hæc in Occidente, in uſu communi ſemper fuerit, adhucque ſit: nec tantum contra Verſiones, ſed contra ipſos fontes, & textus Originales, calamos ſtrinxerunt. Alii e contra extrema ſectantes ex imbecillitate humana, non tantum Vulgatam Latinam, ſed & omnes Verſiones antiquas; & inter reliquas, Græcam, utpote omnium antiquiſſimam, (quam eo nomine odio proſequuntur) rejiciunt, & ſolos textus Originales, prout hodie extant, unice venerantur. Inde apud utroſque ſunt, qui Græcam hodiernam explodunt, & ita corruptam, & interpolatam eſſe clamitant, ut eadem cum illa, quæ apud antiquos olim in uſu fuerat, dici non mereatur. Contra plerique viri graves & docti, qui in hac arena ſudarunt, & partium ſtudiis non abrepti nudam veritatem quærunt, ut aliam non agnoſcunt præter illam Sept. ante Verſionem Aquilæ; ita illam, ſæpius ab Origene, Euſebio, Luciano & Heſychio emendatam & repurgatam, adhuc extare ſentiunt, eandemque plane eſſe hodiernam cum illa apud Veteres celebrata: & licet, pro fato omnium librorum, ut ſupra diximus, multa paſſa ſit a librariis, & injuria temporum: hæc tamen tanti non eſſe, quin vera, & genuina adhuc ſit, & haberi debeat, Verſio illa quæ hodie extat. Quod rationibus ſequentibus ſtabiliri exiſtimant.

37. Primo, habemus teſtimonium Judæorum generale, apud quos hæc Verſio publice in Synagogis, & privatim a pleriſque lecta & recepta fuit per tria fere ſecula ante Chriſtum, & poſt Chriſtum ad tempora poſt-Talmudica ſcil. poſt Juſtiniani tempora: quod ſupra oſtendim⁹ ex Ariſtæa, Joſepho, Philone, Talmude, & Rabbinis, & ex ſcriptoribus Chriſtianis omni exceptione majorib⁹. Eandem vero fuiſſe ipſorum Verſionem cum noſtra hodierna, inde conſtat, quod primi Chriſtiani a Judæis Helleniſtis Verſionem ſuam Græcam acceperunt; quam ad noſtra tempora ſucceſſive continuatam fuiſſe, præſertim in Eccleſia Græca, ſtatim probabimus: unde una eademq; opera probabitur, eandem cum hodierna fuiſſe illam Chriſtianæ Eccleſiæ primævæ, & Judæorum Verſionem. Præter hoc argumentū,

quo firmius in hac materia dari non poteſt, idem oſtendi poteſt ex ſcriptoribus Judaicis, præcipue ex fide dignioribus, qui Scripturæ teſtimonia in ſcriptis ſuis ex Verſione LXX ſui temporis citant, quæ cum hodierna Græca exacte congruunt. Hoc de Joſepho & Philone apud omnes conſtat; qui teſtimonia Scripturæ ubique ſecundum Verſionem Græcam hodiernam proferunt, etiam in iis locis, ubi LXX Verſio ab Hebræo diſcrepare videtur. Conſulat quis Philonem, verbi gratia, libro Leg. Allegoriarum, & videbit citata loca cum Verſione Græca convenire, cum ab Hebræo differunt: ut Gen. 2. 2. legit Philo, *die ſexto*, ut & LXX. cum in Hebr. ſit, *die ſeptimo*. Idem obſervare licet, cap. 2. 3. 4. cap. 3. 15. & locis aliis innumeris. Unde & Rever. Uſſerius. Syntag. c. 3. p. 25. fatetur, Philonem Alexandrinum, eo quod communi Helleniſtarum uſu hæc Verſio recepta ſit, in Pentateuchi explicatione ſemper illa uſum eſſe.

38. Secundo, idem probatur ex locis V. Teſt. quæ ab Apoſtolis & Evangeliſtis proferuntur plerumque ex LXX, etiam cum LXX; & textus Heb. non videntur convenire. Interdum quidem, licet raro, textum Hebræum ſequuntur, ne Verſionem Sept. Authenticam facere viderentur, vel Hebræo præferre; aliquando ſenſum verborum, non ipſa verba, vel ſecundum Hebræum vel Græcum referunt: In pleriſque tamen Verſionem LXX ſequuntur, & in omnibus iſtis locis verba ab ipſis prolata cum noſtris exemplaribus congruunt. Unde Auguſt. Epiſt. ad Hieronym. inquit, *Non parvum pondus habet illa* (Verſio Græca) *quæ ſic meruit defamari, & qua uſos Apoſtolos non tantum res ipſa indicat, ſed etiam te atteſtatum eſſe memini.* Ex locis multis pauca ſeligemus, ubi ſequuntur Græcam τῶν ο', etiam cum aliter in Hebr. legitur. Luc. 3. 36. in genealogia Chriſti numeratur Cainan ſecundum Sept. Gen. 11. 12. At in codicibus Hebræis, iſtius Cainanis nulla eſt mentio: In codicibus tamen hodiernis Græcis legitur. Act. 7. 14. dicit S. Stephanus, Jacobi familiam, quæ cum ipſo in Ægyptum deſcendit, fuiſſe 75 animarum: ſic etiam legunt codices noſtri Græci cum antiquis, Gen. 46. 28. At in codicibus Hebræis dicuntur fuiſſe tantum 70. Eodem cap. Act. ſcil. 7. v. 43 ἀνελάβετε τὴν σκηνὴν τοῦ Μολὸχ, *tabernaculum Moloch*: ſic codices Græci hodierni. Hebr. tamen Amos. 5. 26 legit, *tabernaculum* מלככם *Regis veſtri.* Sic Ro. 10. 18. citat Apoſt. locum ex Pſal. 19. 5. *In omnem terram exivit* φθόγγος αὐτῶν, *vox eorum*: Sic Apoſtolus, ſic omnes noſtri codices. At Hebraice legitur קום *linea eorum.* Heb. 11. 21. *adoravit Jacob* ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ, *ſuper* 47 *ſummitatem baculi ſui*: & ſic legunt codices hodierni. At in Heb. Gen. 37. 31. legitur, ſecundum punctationem hodiernam, *in caput lecti:* differentia enim lectionis eſt tantum in punctis, ut ſupra notavimus. Rom. 15. 12. citat Apoſtolus locum ex Eſa. 11. 10. ubi verba ſecundum LXX, & noſtros codices ita redduntur; *Erit radix Jeſſe, qui ſtat in ſignum populorum, & qui exſurget regere gentes: in eum gentes ſperabunt.* At ſecundum textum Hebr. eſt; *In illa die radix Jeſſe, qui ſtat in ſignum populorum: ipſum gentes deprecabuntur.* Luc. 3. 6. citat Evangeliſta, ex Eſaia 40. 5. *Videbit omnis caro Salutare Dei:* ſic habent etiam noſtri codices. At in Heb. eſt, *Videbit omnis caro, quod os Dei locutum eſt.* Idem videre eſt in Rom. 9. ult. collato cum Eſa. 28. 16. Heb. 10. 5. citato ex Pſal. 39. 7. aliiſque locis: ubi quæ ab Apoſtolis verba proferuntur, eadem reperiuntur in codicibus Græcis, licet verba aliud ſonare videantur in textu Hebræo. In multis aliis etiam locis conveniunt verba Apoſtolorum cum Græcis codicibus hodiernis, ubi etiam textus Hebr. conſentit. Ut hujus argumenti vim eludant, hoc effugium excogitarunt quidam, quod plane miſerum eſt, & deſperatæ cauſæ indicium; quod Apoſtoli & Evangeliſtæ loca illa, quæ citarunt, de novo interpretati ſunt, prout Sp. S. illis ſuggerebat, quæ poſtea per ſcribas & alios, ita deſcripta ſunt & immutata in omnibus Græcis exemplaribus, ut hoc modo exemplaria Græca τῶν ο' concordarent cum Evangeliſtis: ſic Apoſtoli Interpretum veſtigiis non inhærebant, ſed exemplaria Græca ex Apoſtolorum ſcriptis mutata ſunt. At hujus commenti vanitatem oſtendunt, quod non in omnibus locis, ſed in quibuſdam tantum hæc mutatio facta ſit, cum eadem eſſet cauſa, ut ita fieret in omnibus: & plane incredibile eſt, omnes Græcos codices per totum orbem, qui vel in Judæorum, vel Chriſtianorum manibus eſſent, tali alicui codici conformes ſubito factos fuiſſe: nam ſi fingamus, Chriſtianos, codices ſuos omnes Apoſtolorum verbis conformes reddidiſſe, anne Judæi etiam ſuos mutare vellent? Imo hoc Chriſtianis exprobraſſent, quod Verſionem LXX falſaſſent, cum contra eos diſputantes loca ex Verſione LXX attuliſſent: aliter enim in ſuis codicibus legerunt. Denique, cur nemo Veterum de hac mutatione locorum quidquam ſcripſerit, ſed omnes de eo altum ſilent? Imo plane contrarium affirmant, cum omnes uno ore fateantur, Apoſtolos ex Tranſlatione Sept. teſtimonia protuliſſe. Hoc itaque, ut febricitantis ſomnium, merito rejicimus; certumque manet, ſacros N. Fœderis ſcriptores, teſtimonia, ut plurimum, Vet. Teſt. ſecundum LXX Verſionem citaſſe: quæ cum ita in codicibus hodiernis reperiuntur, prout illi citarunt, argumentum invictum præbent pro veritate & ſinceritate noſtrorum codicum.

39. Ex dictis plane refelluntur duæ Hieronymi aſſertiones. Primo, negavit Verſionem τῶν ο' ab Apoſtolis unquam in ſuis ſcriptis citari. At cum locis clariſſimis ab Auguſtino allatis, contrarium fateri coactus eſſet; affirmavit, hoc tantum ab iis fieri, cum Verſio Sept. cum Hebræo conveniebat, non ubi diſcrepabant. Epiſt. 101. ad Pammach. lib. 15. Comment. in Eſaiam. & in Malach. 1. & Epiſt. ad Algaz. q. 2. At hoc etiam a vero abſonum eſſe, ex locis a nobis jam allatis luce clarius probatur. Interdum quidem citantur loca, quæ nec in Heb. nec in Græc. inveniuntur: ſed alluſione quadam ſenſus utcunque retinetur, ut Matt. 5. 33. ex Lev. 19. 22. & Matt. 10. 35. 36. ex Mich. 7. 6. &c. Interdum etiam, uti diximus, relictis LXX, ne Verſionem eorum Authenticam facere viderentur; vel quia textus Hebr. ſenſum habet meliorem, hunc ſecuti ſunt; ut Joh. 19. 37. ex Zach. 12. 10. Matth. 2. 15. ex Hoſ. 11. 1. aliiſque locis pauciſſimis. Plerumque tamen ad LXX reſpiciunt, non ad textum Hebræum, ut in locis ſupra allatis, innumeriſque aliis patet. Profert quidem Hieron. Præf. in Pent. & in Joſ. & in Paralip. quinque loca ab Evangeliſtis & Apoſtolis citata, quæ in LXX non extant, ſed in Hebr. inveniuntur, quæ vehementer pro more urget, ſcil. *Ex Ægypto vocavi filium meum.* Et, *Quoniam Nazaræus vocabitur.* Et, *Videbunt, quem confixerunt.* Et, *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Et, *Quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt &c.* Quibus reſponderi poteſt, excepto primo, & fortaſſe tertio, reliqua nec in Hebræo, nec in Græco, quoad verba reperiri. In primo vero, eſt tantum unius literulæ differentia, cum LXX legerint בניו *filios ejus*; Evangeliſta, בנו *filium meum.* In tertio, codices Græci variarunt; alii enim legunt ὠρχήσαντο, *ſaltaverunt*, alii (ut ex Nobilii notis in Zach. 12. conſtat) legunt ἐξεκέντησαν, *compunxerunt*, ut eſt in Hebræo Sic videmus, hanc Hieronymi jactantiam in fumos abire. Secundo, affirmavit Hieronym. de Epiſtola ad Hebræos, dubitaſſe veteres, quia loca in ea adducuntur juxta LXX, non ſecundum Hebræum. At hoc ejuſdem commatis eſt cum priori. Nam de hac Epiſtola nunquam dubitarunt Græci, inter Latinos pauci: & qui dubitarunt, non hac de cauſa dubios fuiſſe liquet, quia teſtimoniis ex Græco utitur; (hoc enim nullus affirmat;) ſed quia cap. 6. & 10. Novati erroribus patrocinari videtur. Deinde, qui fieri poſſit, ut huic Epiſtolæ contradicerent, quia teſtimoniis ex Græca τῶν ο', utatur; cum Eccleſiæ Orientales, Occidentales, Græcæ, Latinæ, Græca τῶν ο', vel ex ea expreſſis Verſionib', tunc temporis ubiq; uſæ ſint.

40. Tertio, poſt Apoſtolorum tempora, Eccleſia Chriſtiana, ejuſque præcipui Doctores, apud quos Verſio LXX in magno honore fuit; hanc publice in Eccleſiis, vel ex ea factas Verſiones (ſola excepta Syriaca prima) legerunt, populo expoſuerunt, in hanc commentati ſunt, ex hac exorientes hæreſes & errores jugularunt, eamque ſcriptis ſuis ubique illuſtrarunt: imo, ut olim S. Auguſt. an alia eſſet præter Græcam, quidam ignorabant. Eandem vero fuiſſe cum hac noſtra, unicuique plane conſtabit, ſi quis Editionem Venetam, & quæ ex ea expreſſæ ſunt, (exceptis quibuſdam, de quibus ſupra,) maxime vero Romanam, vel noſtram Alexandrinam, cum veterum ſcriptis confert. Commentarios ediderunt Hilarius, Ambroſ. Auguſt. in Pſalmos, Cyrillus & Procopius in Eſaiam, Origenes & Ambroſ. in Prophetas majores; Cyrillus in Geneſin, Leviticum, & Prophetas majores, & quod nuper prodiit, in minores; Hieronymus in omnes Prophetas; Chryſoſt. & Theodoretus in totum fere Vet. Teſt. vel in partem ejus majorem. Jam ſi quis horum commentarios cum Editionibus prædictis confert, experietur in locis quæ primo occurrunt, & ſtatim deprehendet, textum Græcum hodiernum eundem eſſe cum eo, quem antiqui iſti ſcriptores ubique illuſtrarunt: quædam hic illic diſcrepantia inveniet, ut in omnibus ſcriptis antiquis; ſed quæ ne centeſimam partem conficiunt eorum, in quibus conveniunt. Præter Commentarios, etiam in Veterum ſcriptis ubique textus quidam citantur, quos aliquando (longiores præſertim) ad verbum exprimunt, aliquando memoriter citant. Hos cum dictis Editionibus ſi quis contulerit, magnam fere ſemper conſenſionem inveniet: quod ut in vetuſtiſſimis Eccleſiæ ſcriptoribus, Ignatio, Juſtino, Irenæo, Tertulliano, &c. ubique eſt videre; ita in illoqui omnes hos præceſſit Clemente Romano, Apoſtolorum Petri ac Pauli diſcipulo: cujus Epiſtolam ad Corinthios, e tenebris, ubi ſupra mille annos delituerat, eruit, & ex MS. noſtro Alexandrino in lucem produxit Patric. Junius. In hac Epiſtola multa ex Vet. Teſt. citantur, ut initio Epiſtolæ, verſus 6. ex Gen. 4. in quibus hæc verba Cain ad Abelem, *Egrediamur foras*, extant: & alibi loca plura adducit ex Verſione pura τῶν ο', ut annotavit Clariſſ. Grotius Epiſt. ad Gallos 105. quæque cum noſtris Editionibus mire conveniunt. Ubi autem memoriter tantum verba refert, vel plura loca in unum coacervat, (quod & Apoſtolis frequens erat,) ſenſum potius, quam verba reſpiciens; apertum eſt, haud aliam Verſionem, quam illam LXX uſum fuiſſe; non vero ſecundum textum Hebræum allegaſſe; & quod verborum ſenſus cum noſtris codicibus conſentit.

12. Quarto, Idem clare probatur ex variis locis, quæ commemorant antiqui Eccleſiæ Patres apud LXX abfuiſſe, & in Hebræo adfuiſſe, quæ aſteriſco notarunt; vel in textu Græco redundaſſe, & in Hebræo abeſſe, quæ obelo notarunt; vel alio ordine poni, quam in codicibus Hebræis. Sic Joſ. 20. tres verſus in antiquis Editionib' Græcis defuiſſe, ex antiquis Græcorum commentaris liquet, (ut obſervat Nobilius in notis,) licet in Hebræo extarent. At abſunt iidem in Editione Veneta, Romana, Alexandrina. In Hierem. 17. initio, notavit Hier. quatuor verſus in textu LXX abfuiſſe, quæ & abſunt in Edit. Rom. Aldina, & noſtra. Eſa. 1. 4. aberant hæc verba, *Abalienati ſunt retrorſum*, teſtibus Hieron. & Baſil. vel (quod idem eſt) ſub aſteriſco notata erant: quæ verba etiam in Editionibus noſtris abſunt. Sic Eſ. 2. verſum 22. abeſſe notarunt Hieron. Baſil. Cyrill. Eſa. 6. v. 13. aberat, et cap. 9. v. 6. cap. 10. 4. c. 14. 1. c. 23. 7, 13. cap. 4. 7, 8. vel toti, vel quædam eorum particulæ ab antiquis notantur cum aſteriſco; eo quod aberant a Græca τῶν ο'. Eadem vero verba in noſtris codicibus plerumque exulant. Multa talia ubique occurrunt apud Nobilium. Secundo, multa a Veteribus obelo erant notata, quæ in LXX extabant, ſed in Heb. deerant. Talia multa diligenter collegit D. Morinus, exerc. Bibl. 9. c. 2. Joſ. 15. 60. annumerantur urbes 11. quæ, teſte Hieron. in Mich. 11. non reperiuntur in Hebræo: at omnes recenſentur in Edit. Romana, Veneta, Alexandrina; etiam & Baſileenſ. Argentor. & Francofurt. quamvis hujus auctor multa addidit, & varia expunxit, ut textui Hebræo conformem redderet. Loca iſtiuſmodi multa notantur a Veteribus. Joſ. c. ult. Deut. 32. 43. Prov. 9. 2 Reg. cap. ult. ad finem. 3 Reg. c. 8. 53. Eze. 17. 23. aliaque plurima: ubi verſus unus, vel plures, vel unius particulæ quædam a Juſtino, Hilario, Epiphanio, Theodoreto, Procopio, aliiſque deeſſe dicuntur: quæ omnia in Editionibus hodiernis deſunt. Tertio multa ſunt capita, verſuſque varii qui tranſponuntur, hoc eſt, aliter ponuntur in Græca LXX Editione, quam in Hebræo: quas tranſpoſitiones obſervarunt Veteres in codicibus ſuis fuiſſe. Sic Exod. cap. 36. 37, 38, 39. omnia varie tranſpoſita olim fuerunt, quæ eodem modo tranſpoſita ſunt in noſtris codicibus. 3 Reg. cap. 3. 4, 5. varie tranſponuntur. Sic in Jer. a cap. 25. ad finem libri, omnia aliter ponuntur. Plures tales tranſpoſitiones in Proverbiis, libris Regum, Eccleſiaſtico, &c. olim fuiſſe, oſtendunt notæ Nobilii, & obſervarunt Orig. Epiſt. ad Jul. Afric. Olympiodorus, Theodoret. Procopius Gazæus, & alii: ita etiam hodie eſſe in Editionibus dictis, Veneta, Rom. Alex. ex locorum inſpectione patet. Ita ut ex iis, quæ vel abeſſe vel adeſſe, vel alio loco & ordine diſponi, notarunt Veteres in ſui temporibus codicibus Græcis, cum eadem plane in noſtris codicibus inveniantur; quis niſi vertigine abreptus negabit, Verſionem hodiernam eandem cum illa Antiquorum eſſe? Si quis autē quærat, unde iſta capitum ac verſuum tranſpoſitio originē duxerit: Reſp. ſive ex ſchedarum confuſione, antequam compactæ fuerint, ut ſuſpicatur D. Capellus; ſive ex ſciolorum audacia, qui ordinem meliorem introducere vellent; ſive alia de cauſa evenerit; hoc nihil contra Verſionem τῶν ο' facit: cum eadem poſſit eſſe Verſio, licet capitum & ſententiarum ordo permutetur; nec a ſitu in codice Sacro pendet Verbi divini auctoritas, ſed a Dei ipſius infallibili veracitate, & ſupremo imperio. Sic, ſive Prophetæ majores, ut hodie; ſive minores, ut olim, primo loco ponantur; eadem eſt utrorumque auctoritas. Sic in N. Teſt. ordo Evangeliſtarum, Actuum, & Epiſtolarum hodiernus multum differt ab illo, quem in multis antiquis MSS. codicibus invenimus: hoc tamen earum auctoritati non derogat. *Non enim cura erat Prophetis, tempora conſervare, quæ hiſtoriæ leges deſiderant*: ut olim Hieron. in cap. 25. Hierem. Judæi etiam hodie ordinem librorum V. Teſt. diverſum habent

ab eo, quem tam Græci, quam Latini habent codices, omneſque Verſiones hodiernæ in linguis vernaculis.

42. Quinto, Ex antiquis libris MSS. quorum quidam nuper in lucem editi, Verſionem illam Veterem τῶν ο' adhuc extare, clariſſime oſtenditur. De codice Vaticano & noſtro Alex. non opus eſt plura addere iis, quæ antea dicta ſunt. Hi enim cum Hieronym. vel Origenis fere tempora attingunt, palam teſtantur, Verſionem Græcam, quam his temporibus Eccleſia ſecuta eſt, eandem cum hodierna eſſe. Præter hæc, alia omnia, quæ hodie reperiuntur, vetuſta monumenta idem demonſtrant. 1. Codex Cottonianus exhibet Geneſis Verſionem Græcam, cujus pleraque capita ad Gen. 47. cum Editione Romana collata, in Tomo noſtro ſexto habentur. Liber hic MS. eſt longe vetuſtiſſimus, Vaticano, & Alexandrino antiquior: quem ſæpius audivi Rev. Uſſer. affirmantem, *eſſe omnium totius orbis antiquiſſimum*, quantum conjicere poſset. Si vero cuiquam placuerit Variantes Lectiones iſtius codicis, quas notavimus, perlegere; perſpiciet plane, eandem cum hodierna Verſionem illam fuiſſe; nec in rebus alicujus momenti diſcrepare: & varietates paucas eſſe, quales in omnibus libris, ſi cum antiquis exemplaribus conferantur, inveniuntur. 2. Teſtatur Doctiſs. Maſius, Præf. in Joſ. ſe habuiſſe Syriaca exemplaria antiqua ſupra mille annos abhinc *conſcripta Alexandriæ. viz. anno ab Alex. Mag.* 927. hoc eſt, ante annos 1000. ſecundum æram Chriſtianam: *qui ad verbum converſa erant ex Græco exemplari, quod manu Euſebii ad Origenis libros, quo in Eccleſiæ Cæſarienſis Bibliotheca aſſervabantur, emendatum erat; cum ei ad hanc rem adjutor fuiſſet ſuus Pamphilus.* In his libris Syriacis, cum omnes ubique notæ, (aſteriſci, obeli, lemniſci, & hypolemniſci,) ſumma cura, & incredibili diligentia appoſitæ fuerint; ſine magno labore, & nullo errore deprehendi judicarique poterant, eæ, quas modo dicebam, additiones. Libros habuit præter Joſuam, ut ipſe refert, Judicū, Regum, Chronicorum, Eſdræ, Eſtheris, Judith, Tobiæ, & partem Deuteron. Ex hoc codice Syriaco, qui ipſiſſima Origenis Hexapla referebat, librum Joſuæ edidit Maſius, & aſteriſcos omnes atque obelos, lemniſcos etiam & hypolemniſcos appoſuit, (quos in Tomo noſtro ultimo Lector inveniet,) & omnia quam accuratiſſime correxit; ut, demptis aſteriſcis, Verſionem Græcam puram, quæ in Hexaplis extabat, exacte repræſentaret. 3. Extat in Bibliotheca publica Cantab. vetuſtiſsimum exemplar Chronicorum, quod ex Græcia cum aliis multis ſelectis libris Græcis olim allatum erat, per Theodorum, Archiepiſcopum Cantuarienſem, qui ſedem illam tenuit anno Chriſti 668. teſte Godvvino de Præſulibus Angliæ: unde conſtat ante mille annos hunc librū ſcriptum fuiſse. Antiquis literis deſcriptus eſt, quarum figura in quibuſdam ab hodiernis differt. Hunc codicem cum Romana collatum habeo opera generoſi ſummæq; ſpei Juvenis, D. Man, Collegii Chriſto dicati Cantab. nuper Commenſalis, qui Lectiones Variantes mihi miſit, quas in Tomum ultimum rejicimus. 4. Edidit Joh. Curterius Procopium in Eſaiam, cum ejus Verſione Latina: cui etiam addidit Eſaiæ textum ex admirandæ antiquitatis libro MS. quod olim ad Cardinalem Rupifucaldianum pertinuit, & Marchalum Renatum aliquando poſseſsorem habuit. Liber iſte, ut refert Joh. Morinus, qui ipſum vidit, & cum aliis exemplaribus contulit, continet Prophetas, (e quibus Eſaiam publici juris fecit Curterius,) Hoſeæ quatuor priora capita cum commentariis Joh. Philippæus. Deſcriptus eſt ille codex ex Apollinarii Cœnobiarchæ codice, in quo ad finem hæc verba adjiciuntur; *Deſumptus eſt Eſaias ex Hexaplis, juxta Editiones: collatus autem cum Hexaplo alio, in quo iſta adnotantur. Accurate Editiones omnes correctæ ſunt: collatus enim cum Tetraplo Eſaias & cum Hexaplis.* '*Ad hæc, ab initio etiam uſque ad viſionem Tyri, accuratius emendatus eſt: uſi enim fuimus ad finem uſque Viſionis, quæ de Tyro eſt, Tomis Origenis, in quibus Eſaiam explicat: & ſedulo advertentes, quo ſenſu ſingulas dictiones ſumpſiſſet, quantum potuimus, omne dubium ex ſenſu ipſius correximus. Præterea collata eſt etiam quæ LXX virorum eſt Editio cum iis, quæ in Eſaiam ſcripſit Euſebius, atque in quibus erat varietas ex indagato explicationis ſenſu, eam ipſi quoque correximus.* —*Ego Euſebius Scholia adjeci.* —*Pamphilus & Euſebius correxerunt.* Hic videmus Apollinarium puriſsimum textum ex Hexaplis & Tetraplis exſcripſiſse: quæ vero ex aliis codicibus exſcripſit, in margine annotavit; obeli autem notam in honorem LXX omiſit. Notæ, quas in margine adhibuit, ſunt, aſteriſcus, lemniſcus, & hypolemniſcus, illo addito ex Hebræo, his ex variis codicibus. De quibus aliiſq; ad hoc MS. pertinentibus, vide quæ in ultimo Tomo noſtro habentur collecta a Doctiſs. viro Guilielmo Norvvich, S. T. D. nuper S. Petri Cant. Socio; qui librum cum Editione Romana contulit, obelos, omneſque varietates collegit, & quicquid in vetuſtiſſimo iſto codice obſervatu dignum eſt, non minori judicio, quam diligentia extraxit. 5. In Cardinalis Barbarini Bibliotheca Romæ, eſt aliud exemplar Prophetarum vetuſtiſſimum, ſcholiis marginalibus ex Aq. Symmacho, Theodotione, Luciano, & in Hoſ. 5. ex Verſione Quinta, item ex Heb. & Syr. ut & aliis exemplaribus LXX inſignitum. Secundum Hexapla hunc codicem correctum fuiſſe conſtat, quod in locis quibuſdam ſcriba exhibet ſpecimina quædam textus Hebræi, & Verſionum Græcarum, prout in Hexaplis diſpoſita erant, per columnas, de quibus quædā ſupra dicta ſunt. ſect. 23. Hujus exemplaris collationē cum Editione Romana comparavi, quam cum varietatibus in textu, & ſcholiis Marginalibus inter alia ejuſmodi in ultimo Tomo hujus operis Lectori exhibemus. Horum vetuſtiſſimorum exemplarium collationes, ſi quis cum Editionibus hodiernis, Veneta, Romana, aut Alexandrina, quorum diſcrepantiæ dicto Tomo ſexto habentur, conferre velit; inveniet inter omnes magnum conſenſum: varietates etiam pauciores & minoris momenti eſſe, quam quæ ex variis Græcis N. Teſtamenti exemplaribus congeſſimus. Adeo ut ſi quis ex iis inferre velit, non eandem eſſe Verſionem illam antiquorum cum hodierna, eadem opera etiam probabit, Evangelia, ut in hodiernis extant codicibus, non eſſe eadem cum illis, quæ ab Evangeliſtis ſcriptis tradita erant: quod qui aſſereret, helleboro opus habet. Diſcrepantiæ enim, quæ occurrunt, tales ſunt, ut pleraſque ex ſcribarum inſcitia, incuria, vel ſciolorum audacia irrepere potuiſſe, facile deprehendi poſſit.

43. Sexto, Si omnia alia argumenta deficerent, Eccleſiæ Græcæ praxis continua omnibus novandi ſtudio haud occæcatis ſatis probaret, eandem Verſionem hodie extare, quæ apud primævam Eccleſiam in uſu fuit. Cum enim ab initio naſcentis Eccleſiæ Græci aliam non agnoverint, quam illam τῶν ο', quam in Eccleſiis publice prælegerunt, populo in concionib⁹ & Homiliis expoſuerunt, ſcriptis ſuis explicarunt & illuſtrarunt; nec aliam in hunc uſque diem in cultu publico, & officiis Divinis uſurpant, (unde profitentur Eccleſiæ Romanæ Doctores, Bonfrer, Præloq. c. 16. ſect. 4. Sixt. Senenſ. Bibliothec. lib. 8. *Si reconciliatio fieret inter Eccleſiam Græcam & Romanam, haud aliam Verſionem habituros fore Græcos, quam quæ ipſis nunc in uſu eſt;*) quis imaginari poterit, Eccleſiam illam ampliſſimam, & olim florentiſſimam, quæ tot viros doctrina & ſanctitate claros peperit; Scripturam, quam ipſorum lingua ab initio habuerint, quæque in uſu quotidiano apud eos fuerit, ſartam tectam non conſervaſſe; cum Judæi Hebræum textum, Romani Latinum, Syri, Maronitæ, Syriacum, conſervaſſe videamus? Vel ſi ſordes quaſdam temporis progreſſu contraxerit, quis Eccleſiarum rectores ita incurioſos & ſtupidos crediderit, ut ex aliis antiquis exemplaribus non emaculaverint, & correxerint? Imo his rite perpenſis, liquet, moraliter (ut loquuntur Scholaſtici) vix poſſibile eſſe, Verſionem hanc periiſſe. Quinetiam, Tranſlationes omnes antiquæ inter Orientales (ubicunque Chriſtus Eccleſiam ſibi collegit,) quæque ex Græca τῶν ο' expreſſæ ſunt (excepta Syriaca prima) Græcam illam adhuc extare, clare teſtantur: omnes enim cum Græca hodierna conſpirare, ex collatione quiſque perſpicere poteſt. Hoc ex his Verſionibus, earumque partibus, quæ ad manus noſtras pervenerunt, & in Bibliis hiſce imprimuntur, Arabica (exceptis libris quibuſdam) & Æthiopica, eſt videre: diſcrepantias vero, quæ occurrunt, vix ullius eſſe momenti. Reliquas etiam, quæ adhuc ineditæ, ſcil. Syriacā illam ſecundam, (de qua Syrus Scholiaſtes,) Armenorum a Chryſoſtomo, vel a Georgio Patriarcha eorum, Gothorum ab Ulphila, Dalmatarum ab Hieronymo factas, ex eodem fonte τῶν ο' profluxiſſe, plerique ſentiunt: cumque tot Græcæ Verſionis propagines ubique terrarum extent; quis credet ipſorum radicem exaruiſſe: vel tot ſcaturigines orbem terrarum irrigare, fontem vero nullibi reperiri poſſe?

44. Tandem adducere poſſumus Adverſariorum præcipuorum teſtimonia, qui fatentur Verſionem illam, quam poſt quartum Philometoris natam arbitrantur, quamque Apoſtoli citarunt, adhuc manere: licet Vulgatam & corruptam eſſe clamitent. Sic enim Vir magnus, de quo ſupra, (qui inſtar multorum eſſe poſſit, cum omnes, qui LXX Verſionem oppugnarunt, eruditione multiplici longe ſuperet,) Cap. 3. p. 21. ſcribit, *Stante adhuc Alexandrina Ptolemæi Philadelphi Bibliotheca, in qua accurata illa Pentateuchi Interpretatio aſſervabatur, etiam perturbatam illam, quam hodie habemus, Legis Moſaicæ Verſionem in manibus hominum fuiſſe, Demetrii illa annorum mundi Chronologia manifeſte demonſtrat. Neque Legis ſolum, ſed & Prophetarum ex Hebraico factam Verſionem tunc extitiſſe, in Eccleſiaſtici ſui Prologo Jeſus Siracides indicat.* Et cap. eodem, pag. 25. *Chriſti poſtremis & Apoſtolorum primis temporibus ſcribens Alexandrinus Philo, quod communi Helleniſtarum uſu eadem tum quoque eſſet recepta, in Pentateuchi explicatione ſemper illa eſt uſus.* —*Et ob eandem cauſam Apoſtoli & Evangeliſtæ, in citandis Veteris Scripturæ teſtimoniis frequenter, in ſermonis vero genere paſſim hanc ſequuntur.* Idem etiam paulo ante, de Hieronymo affirmat; *Inde* (ait) *Hieronymus, quod in Eccleſiis eam Editionem obtinuiſſe videret, in Scripturarum citatione & ipſe ea eſt uſus.* Hic videmus, Editionem illam Græcam, quam hodie habemus, fuiſſe in hominum manibus ante Chriſtum natum; eadem Philonem uſum eſſe; imo Apoſtolos & Evangeliſtas in citandis Vet. Scripturæ teſtimoniis frequenter, & in ſermonis genere paſſim hanc ſequutos; eandem Hieronymum uſurpaſſe: quod nobis ſufficit ad probandam concluſionem noſtram. Quod enim perturbatam & corruptam illam fuiſſe dicit, in reſponſionibus ad ſequentes objectiones examinabimus.

45. Ad argumenta contraria, quæ a quibuſdam adferuntur, jam deventum eſt. Primum & præcipuum, quo innituntur, eſt, quod locis innumeris Græca hodierna Verſio a textu Hebræo diſcrepet, ut conferenti ubique patet; cum tamen Ariſtæus ſcripſerit, *admirabilem rerum & verborum conſenſum fuiſſe inter Verſionem Græcam, & libros Hebræos*: & Philo lib. 2. de Vit. Moſ. cujus verba ſupra retulimus, ſcribat, *Græca* Hebræis (vel, ut ille loquitur, *Chaldaicis*,) *exacte reſpondiſſe*: nec tantum verba, ſed & integri verſus & periodi, adduntur in LXX, quæ non ſunt in Hebr. vel deficiunt in LXX, quæ ſunt in Hebr.

46. Ad hoc, quod palmarium eſt ipſorum Argumentum, reſpondemus. Primo, licet in multis diſcrepet Verſio Græca ab Hebræo; hoc diſcrimen tamen eſſe in rebus parvi momenti. Fatentur enim adverſæ ſententiæ patroni, ita omnia diſpoſuiſſe divinam providentiam, ut omnia ſalutaria dogmata, quæque fidem & mores ſpectant, in hac Verſione ſarta tecta conſerventur, nec quicquam continere iis contrarium, teſte Rev. Uſſer. Epiſt. ad Lud. Capell. Hoc vero ſatis eſt, ut Verſio aliqua dicatur Authentica juxta quoſdam Romano-Catholicos, Bonfrer. Serarium, & alios: quorum ſententiæ licet non aſſentior; contra eos tamen eſt argumentum ad hominem, qui hoc argumento contra Verſionem Græcam uti non poſſunt. Secundo, negandum, LXX ad verbum vertiſſe: nam ad ſenſum plerumque reſpexerunt magis, quam ad verba: unde Paraphraſtas ſæpius agunt, ut ſupra demonſtravimus. Apoſtoli ſæpe etiam, dum loca ex LXX allegant, Paraphraſtas agunt; quædam addendo explicationis gratia; quædam detrahendo, ubi ſenſus plenus eſſet ſine illis. Hoc modo Interpretes, ſenſu non mutato, verba ſæpius mutarunt, & aliquid explicationis gratia addiderunt: ut Eſa. 50. 6. Hebræus habet, *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus*: Sept. vero clarius (quaſi de Chriſto) explicant, *Dorſum meum dedi ad flagella, & genas meas ad alapas*. Eſa. 65. 2. Ex Hebr. reddit Hieronymus, *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum*: Sept. reddunt, *incredulum & contradicentem*, prout & Apoſt. Rom. 10. ult. Philo itaque & Ariſtæas non ſunt aliter intelligendi, quam eos ita interpretatos eſſe, ut rebus verba optime congruerent: quod evidenter de Philone conſtat, qui ubique Scripturam allegat ſecundum Verſionem Græcam, prout eam hodie habemus: nec aliam tamen Verſionem agnovit, quam illam, quæ ſuo tempore vigebat τῶν ο'. Tertio, in multis videri LXX a textu Hebræo differre, cum tamen optime conveniant: ita ut nec ad Variam Lectionem in Textu Hebræo, nec ad errorem in LXX neceſſario recurrendum ſit. Sæpe enim vox Hebræa varias habet ſignificationes, quarum unam ſecuti ſunt Rabbini, Hieronym. & alii Interpretes; aliam Septuaginta. Unde (ut obſervat vir Doctus) *Neoterici, qui Verſionem LXX magno ſupercilio deſpiciunt, cum ex ſolis Rabbinis & eorum Lexicis parum fidelibus, dictionum Hebraicarum ſenſum emendicant; haud mirum eſt, ſignificationem genuinam ipſis videri alienam.* Ut cum verba Gen. 4. 9. *Ad prædam aſcendiſti, fili mi*; Sept. reddunt, *Ex germine aſcendiſti*. Quia vox טרף tam *germen*, quam *prædam* ſignificat. Sic Numer. 21. 1. vox נגב ab Hieronymo redditur *meridies*, a LXX *deſertum*: utraſque enim ſignificationes complectitur. Hoc in aliis locis (ſpeciminis ergo) egregie oſtendit D. Pocockius in Portæ Moſis Append. cap. 1, 2, 3. &c. ubi pluribus demonſtrat, *Verba quædam Hebraica, (quæ unam tantum ſignificationem vulgo putantur habere, eo quod in Bibliis ſolis habemus reliquias Linguæ Hebraicæ,) aliam poſſe ſignificationem habere, pro-*

ut LXX reddiderunt: quæ non tantum ex textu Hebræo & loci circumſtantiis erui poteſt, ſed & ex Verſionibus antiquis, (quarum auctores vixerunt temporibus, quibus Judæorum res & lingua magis florerent, & facilius hæc addiſceretur,) quales præcipue Græca LXX, & Chaldaica; & ex Rabbinis, qui in hac lingua, quam a teneris unguiculis ſtatim addiſcunt, exercitatiſſimi ſunt: & quod ad verba attinet, non parum iis tribuunt Chriſtianorum cordatiores; & tandem ex vicinarum linguarum collatione, Syriaca, Chaldaica, & Arabica. Hinc Jer. 31. 32. בעלתי *Baalti* non neceſſario per *dominatus ſum, vel maritus fui*, ſed commode per ἠμέλησα, *neglexi, deſpexi*, verti poſſe oſtendit, prout verterunt LXX. Eſa. 28. 16. לא יחיש *non feſtinet*, verti poſſe cum LXX μὴ καταισχυνθῇ, *non pudefiet*. Non aliter itaque legerunt LXX, quam nos hodie: ſed aliter reddiderunt, quam recentiores, cum varias ſignificationes ambitu ſuo idem verbum comprehendat. Sic in loco celebri, Pſal. 19. 5. *In omnem terram exivit* קום Kavam, *linea eorum*, quod vertunt LXX φθόγγος αὐτῶν, *ſonus eorum*, (unde ſuſpicantur multi olim in textu Hebr. lectum fuiſſe קולם *vox eorum*;) oſtendit ille ex Arab. voce קו aliud ſignificatum, licet minus notum, convenire, ſcil. tam *clamoris*, quam *lineæ vel amuſſis*: unde recte verti poſſit cum LXX, *vox eorum*. Hæc inter alia profert vir ille doctiſſ. quam viam utinam alii tentaſſent, antequam virgulam cenſoriam ad LXX Verſionem appoſuiſſent, vel in Hebr. ad codicum varietatem confugiſſent. Novi virum doctiſſimum, linguarum peritiſſimum, qui quarundam Hebrææ vicinarum ſubſidiis, aliiſque fundamentis nixus, Verſionem Græcam cum textu Hebræo reconciliare fœliciter incœpit, & libros quoſdam perfecit. Quarto, diſcrepantiæ multæ ortæ ſunt ex ſcribarum mercede conductorum incuria, & feſtinatione; qui ut citius penſum abſolverent, mendas plurimas reliquerunt; (quod in libris toties deſcriptis, & ubique terrarum diſperſis, facile evenire poterat;) aliæ etiam ex audacia & temeritate ſciolorum, qui ſub ſpecie corrigendi textum corruperunt: aliæ ex gloſſematis in margine ex aliis exemplaribus annotatis, quæ in textum poſtea migrarunt; (quod in omnibus libris nimis frequens eſt & familiare:) aliæ ex Interpretum lapſu: nam in quibuſdam eos erraſſe, ut homines, nullatenus dubitandum. Nam facile erat ipſos hallucinari in opere adeo difficili, a nemine antea tentato, in quo neminem habuere præeuntem vel prælucentem: cum deſtituti etiam fuerint plurimis adminiculis, quæ nos habemus; nec alio viatico inſtructi, quam mediocri (licet pro temporum ratione magna) Hebraicæ & Græcæ linguæ cognitione: qualis tunc temporis inter Judæos eſſe poterat, quo ſeculo Græca illis peregrina & barbara fuit: Hebraica etiam per ducentos fere annos Judæis deſierat eſſe vernacula, ut obſervavit Doctiſſ. Capell. de locis parallelis. Novimus rerum omnium principia rudia eſſe: nec mirandum, progreſſus in omni cognitionis genere meliores indies fieri: facile enim eſt inventis addere. Ipſi primo hoc tentarunt, & alii ipſorum opera adjuti loca quædam fortaſſe melius reddere poſſunt: nam Pigmæus Gigantis humeris inſidens, longius proſpicere poteſt, quam Gigas ipſe. Unde fieri poſſit, ut ſequentibus ſeculis, quibus tot tam Judæi, quam Chriſtiani in hoc ſtudio incubuerunt, & Sacrarum literarum illuſtrationi operam navarunt, quidam Verſione hac ſuffulti multa obſervaverint, & commodius explicarint, quam qui primo glaciem fregerunt. Quinto, etiam ex codicum Hebræorum Varietate quaſdam diſcrepantias fluxiſſe, certum eſt: unde unam lectionem ſecuti LXX, aliam Rabbini & Phariſæi, qui libros Hebræos poſt Antiochi tyrannidem recenſuerunt. Hoc conſtat ex notis marginalibus Keri & Ketib, prout ſupra notavimus: ubi LXX aliquando lectionem, quam poſtea in marginem retulerunt Maſorethæ, in textu ſecuti ſunt. Judæorum enim ſcribæ privilegium ἀναμαρτησίας habuiſſe, præ Nov. Teſtam. deſcriptoribus, nulla ratio ſuadet. Ex defectu etiam punctorum non negandum, voces quaſdam & ſententias ambiguitate laboraſſe, & alio ſenſu reddi poſſe. Idem etiam ex literarum tranſpoſitione, mutatione, &c. ob ſoni vel figuræ affinitatem, aliiſque de cauſis, accidere poſſe, oſtendunt Schindlerus Præf. Lexic. Pentaglott. & D. Capellus Criticæ lib. 4. Hæc omnia accurate diſtinguere, & ex cauſis dictis diſcrepantias ſingulas ſigillatim colligere, ut quænam ex ſcribarum negligentia, ſciolorum audacia, Interpretum inadvertentia, vel codicum varietate, profluxerint, dignoſci poſſit, opus eſſet viris, qui judicio, doctrina, & otio abundant, digniſſimum: in quo multa quidem præſtitit Nobilius; omnia tamen non ita perfecit, quin multa adhuc reſtant in eodem genere peragenda.

47. Objiciunt ſecundo, Tetrapla, Hexapla, & Octapla periiſſe, & una cum iis eam, quæ pro pura & ſincera LXX Verſione olim habita eſt: Sic vir Rever. Præterea exemplaria hodierna mixta eſſe ex Aquilæ, Sym. Theodot. aliiſque Verſionibus, una cum illa LXX: Origenis etiam aſteriſcos & obelos evanuiſſe; ita ut Vulgata & mixta ſit, quæ hodie habetur. Reſp. negando, puram & ſinceram illam, quæ in Origenis Hexaplis extabat, una cum Hexaplis periiſſe: nec poſſum non mirari virum Rever. iſta ſcripſiſſe; cum idem ſæpius Hiero. Epiſtolam ad Suniam & Fretelam citaverit: ubi diſerte affirmat Hieron. *puram illam, quæ in Hexaplis erat, a ſe verſam fideliter in Latinum ſermonem, eandem Hieroſolymis, atque in Orientis Eccleſiis decantari, necnon in eruditorum libris incorruptam & immaculatam reſervari.* Si in Orientis Eccleſiis & Hieroſolymis in uſu fuit hæc pura tranſlatio; ſi ab ipſo Hieronymo in Latinum verſa, cujus Verſionē Prophetarum adhuc inter ejus opera habemus; ſi in eruditorum libris tunc temporis extabat; quomodo perire poterat cum Hexaplis? Adeone negligentes erant omnes Eccleſiæ Orientis; ita vecordes omnes eruditi, ut nil curarent de pura Verſione poſteris tranſmittenda: ſed veram & ſinceram Editionem, quam publice in Divinis uſurpabant, perire ſinerent? Imo nobis pura exemplaria reliquerunt: adhuc enim habemus exemplaria cum Hexaplis convenientia, quædam ex iis correcta & elaborata, de quibus ſupra prolixe diſſeruimus.

48. Si quis vero dicat, omnia illa exemplaria vetuſta Vulgatā tantū Editionē referre, non purā: licet de Vulgata illa Editione quædā ſupra habuimus, hoc addendū cenſemꝰ; maxime abſurdum eſſe hoc effugiū, & ab omni ratione alienum. Supponit enim, omnes qui codices ſuos emendare & corrigere deſiderabant, neglecta pura & ſincera Editione, quam ipſi pro tali habebant, quæq; ad manum erat, impuram ſecutos eſſe; & ſeipſos Eccleſiaſque miſere per ſummam ſtultitiam decepiſſe. Si vero per Vulgatam intelligant mixtam cum aſteriſcis; pura eſſe poterant iſtiuſmodi exemplaria, ſi aſteriſcos habuiſſent appoſitos. Nam, ut Hieron. ad Auguſtinum, *Tolle, vel ne legas, quæ ſub aſteriſcis poſita ſunt, & habebis reliquam Verſionem LXX.* Sic in ipſa Vulgata erat & Editio pura.

49. Tertio, objiciunt quidam, αὐτόγραφον ipſum τῶν ο' periiſſe in conflagratione Bibliothecæ Ptolemæi: ergo hodie non extat verum aliquod exemplar. At hoc plane puerile eſt, & reſponſione ſeria vix dignum, cum tempore conflagrationis iſtius nemo ignoret, infinita fuiſſe exemplaria inter Judæos ubique diſperſos, qui hanc Verſionem publice in Synagogis, & privatim legerunt. Simili argumento probare poſſent, nulla ſincera Vet. vel Novi Teſtamenti exemplaria hodie extare, quia omnes codices Originales perierunt, & a multis ſeculis nullibi extarunt. Certe helleboro opus habet, qui inde probare vellet, nulla vera Sacrorum librorum ἀπόγραφα hodie haberi. Ratio tamen eſt plane eadem, vertant ſe quocunque velint.

50. Quarto, objiciunt alii, Sept. Seniores tantum quinq; libros Moſis vertiſſe, cum in Editionibus hodiernis omnes Vet. Teſtamenti libros converſos habeamus. Ad hoc ſupra reſponſum, Paragr. 11. quo Lectorem remitto.

51. Quinto, affirmat Hieron. Præf. in Job, *Si quis ea, quæ in hoc libro ſub aſteriſcis addita erant, detraxerit, pars maxima detruncabitur*: & in Latinis codicibus ante ſuam emendationem, 70, vel 80 Verſus defuiſſe. Danielis etiam Verſionem Græcam ita corruptam fuiſſe, ut Eccleſiæ Chriſtianæ, quæ in aliis libris LXX Verſionē ſecutæ ſunt, hic eam repudiarint; & quod in ejus locū Theodotionis Verſionem ſubſtituere coactæ ſint. Librum etiam Eſtheræ valde corruptum fuiſſe oſtendit vir ille doctiſſ. ex Hieron. & ex duobus exemplaribus MSS. multū inter ſe diſcrepantibus: producit etiam ex Editione Romana Judicum cap. 8. & cum Editione noſtra Alexandrina confert, ut magnam inter illa duo vetuſtiſſima exemplaria diſcrepantiam probet: nec non ex Juſtino loca varia profert, quæ a lectione codicum hodiernorum multum diſtant. Reſpondeo. In Danielem magis æquus erat Hieronym. (licet in LXX omnium Veterum maxime iniquus,) quam Neoterici noſtri: nam alias cauſas refert, cur Theodotionis interpretatio loco τῶν ο' perlecta publice fuerit; non quod vitioſa erat, & adeo corrupta illa τῶν ο', ut aliam coacti ſint Eccleſiæ præſides ejus loco ſubſtituere: nam nihil tale apud Hieronymum legitur. Verba ejus ſunt; *Cur hoc acciderit, neſcio. Sive enim quia ſermo Chaldaicus eſt, & quibuſdam proprietatibus a noſtro eloquio diſcrepat, noluerunt LXX Interpretes eaſdem linguæ lineas in tranſlatione ſervare; ſive ſub nomine eorum, ab alio neſcio quo, non ſatis Chaldæam linguam ſciente, editus eſt liber; ſive aliud quid cauſæ extiterit, ignorans; hoc unum affirmare poſſum, quod multum a veritate diſcordet, & recto judicio repudiatus ſit.* Hic videmus, Hieronymum alias cauſas adferre: inter quas eſt & illa, quod non a LXX, ſed ab alio linguæ Chaldaicæ ignaro, verſus ſit hic liber: quod probabile eſt. Cur enim Eccleſiarum Magiſtri hunc potius librum, quam reliquos, reſpuerent, non video, ſi ab iiſdem auctoribus profectum fuiſſe credidiſſent. Hoc telum itaque Verſionem LXX non petit. Si conjecturæ locus ſit, videtur hic liber, cum prophetias haberet apertas de mutatione, & ruina maximorum Orbis regnorum, ſub quibus Judæi vixerunt, publice ab iis prælectum non fuiſſe, ne principes, ſub quorum jugo erant, irritarent: ut de Apocalypſi ſuſpicantur multi, ob hanc cauſam non ſtatim publicatam, vel in Eccleſia receptam, quia in ea multa mala imperio Romano prædicta erant. Imo fortaſſe ob eandem cauſam, Sept. hunc librum non tranſtulerunt, ne Ptolemæum offenderent; ſed ab alio quodam poſtea in Græcum converſus erat. Ad illud Hieronymi, de triplici fere parte libri Job in Verſ. LXX. decurtato; Reſp. Hieronymum fortaſſe in aliquod tale exemplar mancum & imperfectum incidiſſe, vel in quibuſdam Eccleſiis talia exemplaria forte vidiſſe: at alia omnia exemplaria talia fuiſſe, a vero alieniſſimum eſſe, teſtantur codices MS. antiquiſſimi, Vaticanus & Alexandrinus, quorum uterque Hieronymi ſeculo antiquior eſt: in quibus liber Job integer habetur; prout hodie in aliis libris impreſſis legitur. Idem etiam conſtat ex Veterum ſcriptis, qui vel in librum Job commentarios ediderunt, ut Greg. Magnus; vel ejus loca quædam explicant, vel allegant, apud quos altum eſt de hiſce defectibus ſilentium: imo liquet, ipſum Hieron. hunc librum integrum legiſſe. Ex hoc autem aliiſque liquet, Hieronymum omnem occaſionem captaſſe Verſionem hanc deprimendi, quo facilius ſuam ex Hebræo traductam in Eccleſiam Latinam ejus loco introduceret: nec tuto fidendum Hieronymo in iis, quæ contra Verſionem LXX profert; cum ex animi impetu & fervore, affectibus nimis indulgens, multa hyperbolice locutus ſit, imo circa eam variis locis ſui oblitus aperte contradictoria ſcripſerit. Idem de libro Eſtheræ dicendum, Hieronymum ex uno vel altero codice, quos viderat, de omnibus temere pronunciaſſe. Nam in libris MSS. Hieronymo antiquioribus, liber Eſther, conſentit cum exemplaribus reliquis impreſſis. In omnibus quædam ſunt, quæ Apocryphorum nomine in quibuſdam exemplaribus recentioribus ſeorſim imprimuntur, quæ in omnibus antiquis codicibus per totum librum interſperſa reperiuntur: quæ forte Hieronymo erroris occaſionem dederunt, cum aliter in codice Hebræo legerit. In exemplaribus antiquis Romano, & Alexandrino diſcrepantiæ quædam occurrunt, ut in omnibus antiquis codicibus, præſertim in libris Judicum & Regum: at vix alicujus ſunt momenti, nec plerumq; aliæ, quam quæ ex ſcribarum oſcitantia, vel ſciolorum audacia in omnes libros irrepere poſſunt. Imo in Novi Teſt. antiquis Græcis codicibus, ſi quis exemplaria impreſſa cum antiquiſſimis MSS. illo Bezæ, noſtro Alex. aliiſque, quæ a nobis collata ultimus noſter Tomus exhibet; tot inveniet diſcrepantias, ut ſi aliquid valeret hoc argumentum, codicum Novi Fœderis auctoritatem, ut antea diximus, enervaret, vel prorſus everteret. Quæ ex Juſtino, aliiſque Patribus adferuntur, quæ ab hodiernis codicibus differre videntur, haud magni ponderis ſunt: nam Patres ſæpe memoriter verba Scripturæ citant; ad ſenſum, non ad verba reſpicientes: ſæpe per alluſionem referunt, ubi nec ſenſum quærunt; aliquando codices habuere vitiatos, per gloſſemata per culpam librariorum intra textum illapſa, & cum eo commixta: hinc teſtimonia ſæpe proferunt a LXX diverſa. Hoc enim multis ſolenne fuit, cum Verſionem LXX legerunt: eamque vel cum Aq. Sym. vel Theodoſ. contulerunt, vel cum textu Hebræo, quædam in margine annotare, ubi aliquod diſcrimen deprehenderent: unde notis iſtis ex margine in textum receptis, qui iſtiuſmodi codicibus uſi ſunt, vel aliis ex ejus deſcriptis, ſæpe multum diſcrepantia a vera τῶν ο' lectione verba referunt.

52. De Auctoritate hujus Verſionis, quantumque ei tribuendum ſit, licet ex dictis judicare poſſimus: quædam tamen addenda duximus, ad recentiorum ora obſtruenda; qui Hebraicæ veritati, vel Vulgatæ Latinæ honorem debitum exhibere ſe non putent, niſi in Græcam Verſionem involent, & tantum non pedibus conculcent. Inter alios, Arnoldus Bootius & Taylerus, in examine Præf. Joh. Morini in Biblia Græca, paſſim ipſos LXX incuſant falſati textus Hebraici; & tragice exclamant, quod *illuſtriſſimam de Chriſto Prophetiam, Eſa. 42. 1. perverterunt, & ad Iſraelitas Dei verba detorſerunt.* Et ibidem illis adſcribunt *indignum & plane intolerandam perverſionem nobiliſſimæ Prophetiæ de Paſſione Domini noſtri*, Zach. 12. 10. & multa iſtiuſmodi in antiquiſſimam &

ipſa canitie venerandam Verſionem paſſim eructant. Inter Romano-Catholicos etiam non deſunt; qui licet haud ita intemperanter in ipſos Interpretes ſcribant, omni tamen auctoritate Verſionem ſpoliant. Inter alios Pet. Poſſinus de Geneal. Chriſti, c. 5. & Martinus Martini Hypotyp. Theolog. l. 1. c. 4. Joh. Curterius Præf. in Procop. Eſaiam affirmat, *omnes Græcas Editiones, ſive typis mandatas, ſive in Bibliothecis adhuc latentes, mixtas eſſe:* cum tamen liber, quem cum Procopio edidit, Eſaias ſecundum exemplar Marchali ſive Rupifucaldianum de (quo ſupra) contrarium plane oſtendit.

53. Inter Veteres ſolus Hieronymus paſſim Interpretes erroris incuſat, & ipſorum Verſionem carpit, Comment. in Prophetas, & alibi. Præf. priori in Job; *Neque* (inquit) *fieri poteſt, ut quos plura intermiſiſſe ſuſceperint, non eoſdem etiam in quibuſdam erraſſe fateantur; præcipue in Job: cui ſi ea quæ ſub aſteriſcis ſunt ſubtraxeris, pars maxima detruncabitur.* Loca vero, quæ ex Hieronymo in contrarium adferuntur, ubi honorifice de LXX & eorum Verſione loqui videtur, ut Præf. 2. in Paralip. ubi ſcribit, *eos Sp. S. plenos ea quæ vera fuerunt tranſtuliſſe, ſed ſcriptorum culpæ adſcribenda errata,* &c. Et lib. 2. Apol. contra Ruffinum, ubi profitetur, *ſe nunquam LXX Interpr. tantillum voluiſſe detrahere: Egone* (inquit) *contra LXX Interpretes aliquid ſum locutus, quos ante annos plurimos diligentiſſime emendatos meæ linguæ ſtudioſis dedi?* &c. Hæc, inquam, loca hoc tantum probant, vel Hieronymum ſententiam mutaſſe, vel cum ab adverſariis premeretur, quaſi ipſis detraheret, ut invidiam a ſe amoveret, honorifice de LXX ſcripſiſſe: cum tamen in expoſitionibus, ubi libere quid ſenſit deprompſit, paſſim eorum interpretationem carpſerit: unde videtur, Hieronymum ſui oblitum, interdum de hac re contraria ſcripſiſſe.

54. Quæ vero a Recentioribus contra hanc Verſionem dicuntur, longiſſime a vero abeſſe, cuivis conſtabit, qui animo perpenderit, univerſam Chriſti Eccleſiam aliam Verſionem, per quingentos poſt Chriſtum annos, præter hanc, & quæ ex ea derivatæ ſunt, Verſiones, (unica excepta Syriaca) ignoraſſe; hanc una cum fide Chriſtiana ab Apoſtolis accepiſſe, & tantum non pro ſacroſancta habuiſſe; tantumque abfuiſſe, ut de Interpretum fide dubitarint, ut potius Sp. S. dictante, ita eos ſcripſiſſe, affirmarint. Etſi enim Interpretes eos fuiſſe, non Vates exiſtimo: tamen Sacros codices ſponte eos corrupiſſe, (licet, qua homines, errare potuiſſent,) dictu nefas, omnes exiſtimarint. Unde valde temeraria (ne quid gravius dicam) eſt illorum cenſura, qui *ipſos pro arbitrio addidiſſe, detraxiſſe, & quodlibet mutaſſe: luſumque ipſis fuiſſe, omnia pro libitu mutare & corrumpere,* dicunt: quod non Interpretum erat, ſed corruptorum peſſimorum, imo impiorum & perditiſſimorum nebulonum: hoc enim nulli homini ſobrio, vel mentis compoti in mentem venire poterat; nedum viris tantis, doctrina & probitate celeberrimis. Quæ vero a Viro Summo dicuntur, infirmis niti fundamentis, ex ſequentibus liquet. 1. Quod de authore neſcio quo habet hujus Verſionis, qui eam coactus eſt conficere, & quanta potuit negligentia perfecit, *ne porcis,* (id eſt, gentibus,) *margaritas projiceret.* &c. plane novum eſt & inauditum; cum nullum Veterum teſtimonium pro eo adferat: imo omnes hiſtoriæ, omneſque veteres ſcriptores reclamant, qui unicam tantum Verſionem agnoſcunt, eamque LXX Interpretibus adſcribunt: Vel ſi Pentateuchum ſolum ad LXX referant, ut Judæorum quidam videntur: nemo tamen reliquorum librorum Interpretes textum ſponte corrupiſſe, vel coactos illum vertiſſe, affirmavit; ſed a Judæis quibuſdam in gratiam Judæorum Alexandrinorum, qui Hebraicam linguam ignorarunt, converſum fuiſſe opinantur. Qui vero contra unanimem omnium veterum ſcriptorum, imo totius Eccleſiæ Chriſtianæ, ſententiam, quicquam profert, in rebus, quæ teſtimoniis præcipue nituntur, certe non nudas conjecturas, ſed majoris ponderis teſtimonia, vel liquidas demonſtrationes, quibus nemo refragari poterit, adferre debet. 2. Dum Verſionem illam corruptam, & a neſcio quo profectam, in locum puræ LXX Verſionis ſuccreviſſe, ejuſque nomine tam apud Judæos, quam apud Chriſtianos, invaluiſse contendit, plurima inde abſurda neceſsario ſequuntur. 1. Hanc impuram & perturbatam Verſionem ab omnibus Judæis per Aſiam, Ægyptum, &c. publice in Synagogis receptam & uſurpatam fuiſse: cum tamen, fatente eodem, *pura τῶν ο', ſaltem Pentateuchi, Verſio in Ptolemæi Bibliotheca uſque ad Cæſaris tempora extaret, cui omnibus liber aditus patebat;* & *ex quo,* teſte Ariſtæa, *Judæi alia exemplaria deſcripſerunt:* Hoc tamen licet optime ſcirent, voluiſse aquam turbidam & cœnoſam bibere, potius quam puram & limpidam ex fonte puro. 2. Etſi *pura illa τῶν ο' in privatorum manibus extaret temporibus Domini & Apoſtolorum,* (fatente eodem,) Joſephū tamen & Philonem ubique fere turbidam illam in citationibus ſecutos eſſe; imo Apoſtolos (pura illa, quæ tum extabat, neglecta) turbidam & Vulgatam in concionibus & diſputationibus uſurpaſſe; imo in ſacro Nov. Teſtam. Canone, omnia fere ex illa citaſſe, & quaſi conſecraſſe & authenticam feciſſe. 3. Eoſdem Vulgatam hanc & impuram Verſionem Eccleſiæ Chriſtianæ tradidiſſe, nec de erroribus monuiſſe, nec de alia meliori proſpexiſſe: cum tamen ipſam τῶν ο' ſinceram in multorum manibus eſſe noſsent. Hæc & alia ejuſmodi ἄτοπα plurima, ex uno dato, neceſſario ſequuntur, quæ digito monſtrare ſatis erit. Denique, ſi vera eſſent, quæ affirmant Neoterici, eorum cauſam nil juvarent. Nam ſive hæc Verſio facta fuerit ſub Philadelpho, ſive ſub Philometore, ſive a LXX viris, ſive ab aliis, cum apud omnes certum ſit, quibuſdam ante Chriſtum ſeculis a Judæis publice receptam, & ab Apoſtolis & Eccleſia Chriſtiana uſurpatam, ut ex dictis abunde liquet; auctoritatem eandem habet, & habere debet apud omnes. Nam non ex eo quod per Sept. Seniores facta ſit, vel quod tempore Philadelphi, vel Philometoris &c. ſed quod tum a Judæis, tum ab Apoſtolis, & Eccleſia Chriſtiana, accepta & approbata fuerit, auctoritas ejus pendet. Nam ut Synagogam ante Chriſtum; ſic Eccleſiam poſtea, veritatis columnam, & ſacrorum codicum cuſtodem, Deus conſtituit: ex cujus ore legem populus haurire debet, teſte Propheta Malach. 2. 7.

55. Huic ſententiæ oppoſita eſt alia, quæ LXX Interpretibus infallibilitatem tribuit, eorumque Verſionem authenticam facit. Hanc Veterum plerique tenuerunt, unico excepto Hieronymo: qui tamen cum ab adverſariis premeretur, idem cum reliquis ſentire videtur. Hanc ſententiam ſupra rejecimus, Paragr. 8.

56. Aliam itaque auctoritatem Verſioni Græcæ non tribuimus, quam aliis Verſionibus, quarum nulli Authentiam proprie convenire exiſtimamus: ſed auctoritatem tantum humanā. Ante omnes tamen in multis merito eā præferri debere, ſtatuimus; licet non ſemper ſenſum abſolute meliorem reddat: cum prærogativas ſequentes præ reliquis habeat. Primo, Quod ſit omnium antiquiſſima, ante annos fere bis mille facta, prout ſupra probavimus, a LXXII Viris per Judæam delectis, qui linguarum Græcæ & Hebraicæ peritia, & probitate conſpicui erant. Unde infert Auguſt. de Civit. lib. 18. cap. 43. *Si non illud verum eſſet, quod primum; tamen nullus unus Interpres debuit illis anteponi.* Nec ſine ſpeciali providentiæ divinæ ductu confecta, quam omnes admirentur: unde Gentibus *oſtium ad Chriſtum* fuiſſe, dixit Chryſoſtomus: Si vero nævos aliquos contraxerit; ob canitiē tamen omnibus honoranda eſſe debet: nam ut Dominus Luc. 5. 39. *Nemo bibens vetus vinum, ſtatim vult novum: dicit enim, quod vetus melius eſt.* Secundo, quod a Judæis ubique terrarum diſperſis, publice & privatim perlecta fuerit; cum vix unus e centum textum Hebræum intellexerit: unde nulla in Chriſtianos ſuſpicio cadere poſset, quaſi eam adulteraſſent, cum contra Judæos ex hac vaticinia in Chriſto impleta eſse probarent, ipſoſque propriis pennis configerent: præcipui enim eorum ſcriptores, Joſephus, Philo, & alii, ex hac Scripturæ loca citare ſolent. Tertio, quod Apoſtoli & Evangeliſtæ eadem in Scripturis Vet. Teſtamenti citandis uſi ſint, eamque ſcriptis ſuis quaſi conſecrarunt. Hinc Auguſt. Epiſt. ad Hieronym. ita ſcribit; *Neque parvum pondus habet illa* (Verſio LXX) *quæ ſic meruit deſſamari, & qua uſos Apoſtolos, non ſolum res ipſa indicat, ſed etiam te atteſtatum eſſe memini.* Et de Civit. lib. 18. cap. 44. *Ego pro meo modulo veſtigia ſequor Apoſtolorum, qui & ipſi ex utriſque,* id eſt ex Hebræo & ex LXX, *teſtimonia Prophetica poſuerunt.* Et Cyrill. Hieroſ. *Has meditare Scripturas, quas in Eccleſiis confidenter legimus: multo te prudentiores, & religioſiores erant Apoſtoli, & primi Epiſcopi, veritatis duces, qui nobis eas tradiderunt. Ex hac etiam Apoſtolorum συγκαταβάσει,* ut fatetur Rever. Uſser. cap. 3. pag. 29. *ad Græcam Verſionem magnum auctoritatis pondus acceſſit.* Quarto, Verſionem hanc Apoſtolos Eccleſiæ tradidiſse, cum per eam mundum Chriſto ſubjugaſsent: adeo ut per illam inter Gentes Eccleſia genita, & hujus lacte enutrita fuerit. Quinto, Eccleſiam Græcam & Latinam hanc pro Vulgata per 600 annos habuiſse. Nam tempore Greg. Magni, tam ex hac traducta Latina, quam nova Hieronymi, in uſu erat apud Latinos. Eccleſia etiam Græca, ut ab ejus primordiis aliam non habuit; ſic eandem ad hunc uſque diem conſervavit: nec ſi cum Eccleſia Romana in unam coaleſceret, aliam habitura eſſet; ut ex præcipuis Romanæ Eccleſiæ ſcriptoribus modo probavimus. Sexto, Patres & ſcriptores Eccleſiaſticos antiquos, hanc commentariis ſuis explicaſse, populo in Homiliis expoſuiſse, & ſcriptis ſuis illuſtraſse: adeo ut maxima pars Theologiæ & ſcientiæ Scripturarum, quam ab antiqua Eccleſia accepimus, per eam quaſi per canalem ad nos derivata ſit. Septimo, Quod per hanc Patres Eccleſiæ, exorientes hæreſes jugularunt & extirparunt, ejuſq; ſurculos quaſi enſe ancipiti amputarunt: Concilia etiam celebriora, (quatuor prima Generalia, aliaque,) veritatem divinam contra hæreſes confirmarunt, canoneſque ad fidem & mores formandos ex eadem hauſerunt. Ex his aliiſque patet, quantum huic Verſioni deferendum ſit, quantumque ſupra omnes alias Verſiones emineat. Unde non temere rejicienda, licet prima fronte cum Hebræo non convenire videatur; ſed omnia tentanda, ut in quæſtione præcedente oſtendimus, antequam nigrum Theta in eam proferamus. Et in hoc maxime laborandum, ſi qui nævi in ipſa occurrant, ut ex diligenti collatione cum Hebræo, aliiſque Veterum monumentis; & diſtinguendo inter librariorum errata, & gloſſemata in textum illapſa, quæ prorſus ejicienda, & alia quæ interpretum lapſui tribuuntur, cum textu Hebræo conciliatio fiat: & ita tandem priſtino nitori, Verſio hæc nobiliſſima & antiquiſſima reſtituatur.

57. Qui contra Verſionem LXX Seniorum calamum ſtinxerunt, inter alia argumenta, quibus eam impetunt, hoc inprimis urgent; quod in annis Patriarcharum ante & poſt Diluvium uſque ad Abrahamum, a codicibus Hebræis multum variat, & annos circa, 1500 ad calculum Hebræum addat. Etſi vero quæſtiones Chronologicæ nihil ſunt ad fidem & mores, nec Authentiam textus tollunt; & ad Chronologiam hæc quæſtio proprie pertineat: cum tamen ad Verſionis Græcæ auctoritatem convellendam a quibuſdam hoc adferatur, paucis de eo hoc loco agemus. Cum autem in his numeris concordet Vulgata Latina cum hodierno Hebræo; inde eſt, quod plerique tum Romano-Catholici, tum Proteſtantes, computationem Græcorum rejiciant. Vir Summus, (ex quo antea quædam adduximus) c. 2. p. 14. *luſiſſe* (ait) *in Chronologia iſta pertexenda Helleniſtam noſtrum, nihilque minus, quam Interpretis officio, fungi voluiſse; ſed data opera ab eo, quod in textu Originali invenit, receſſiſſe; veritatis ratione omni inſuper habita in annorum Methuſalem, & filii ejus Lamechi deſignatione.* Quæ quidem cenſura, ut iniquiſſima, ſic a vero eſt maxime aliena; tum in eo, quod Helleniſtam, neſcio quem, auctorem Verſionis Græcæ fingit, contra omnes Veteres; tum in hoc de annis Mathuſalæ. Cum enim de eo affirmet, ex calculo LXX, ipſum diluvio 14 annis ſupervixiſſe contra expreſſam Scripturam, 1 Pet. 3. 20. Gen. 7. 7. & 8. 16. 28. 23. optime novit, errorem illum omnes codices Græcos non invaſiſſe, cum Auguſtinus notaverit, *In tribus Græcis exemplaribus, uno Syriaco & altero Latino, aliter annos Methuſalæ deſcriptos fuiſſe.* De Civ. lib. 15. 13. Et idem q. 2. in Geneſ. dicit, *Quæſtionem illam plurium codicum mendoſitatem peperiſſe, quia non ſolum in Hebraicis aliter invenitur; verum etiam in LXX Interpretatione, Methuſalem in codicibus paucioribus, ſed veracioribus, ſex annos ante Diluvium reperitur fuiſſe defunctus.* Alii eodem anno Diluvii mortuum eſſe dicunt; & quod pro 167 annis Methuſalem, cum generavit Lamech, ſcribendi ſunt, 187. prout in MSS. legitur, & in antiquiſ. Cottoniano MS. Octateucho Joh. Clementis, & Aldina Editione, ex qua pleræque Germanicæ. Et ita legiſse Epiphanium, Auguſtinum, & Julianum Africanum ex eorum computatione conſtat. Merus itaque calumniandi pruritus recentiores adegit, ut hæc contra LXX objicerent: cum inter eos doctiores optime norint, in antiquiſſimis Græcis codicibus aliter legi: unde errorem corrigere debuerunt, non calumniandi anſam arripere.

58. Ut ad reliquorum Patriarcharum annos veniamus; In ſex eorum Antediluvianis, poſt παιδογονίαν annos 100 ſingulis adimit Verſio LXX; totidemque iis ante παιδογονίαν addit. Geneſ. 5. Et Geneſ. 11. ſex ſimiliter aliorum Patriarcharum ſingulis annos 100 ante παιδογονίαν adjicit. Calculus itaque ætatum Patriarcharum ante Diluvium, ſecundum Hebr. & Vulg. Lat. eſt annorum 1656. Græcorum 2242. poſt Diluvium ad Abrahamum ſecundum Hebræos, 292. ſecundum LXX Interp. 1171. Hæc ut melius intelligantur, conſulat Lector Tabulas Chronologicas Doctiſs. Lud. Capell. quas, cum Chronologia ſua Sacra, in hoc opere excudimus. De hac quæſtione gravi ac difficili, nos ſententiam non ferimus; ſed rationes pro utraque lectione proponimus, omnia Lectoris pii ac prudentis judicio ſubjicientes. 1. Ex una parte, pro calculo Hebraico militat codicum Hebraicorum conſenſus, ſaltem a temporibus Talmudicis; imo in quibuſdam codicibus circa tempora Chriſti ita lectum fuiſse ex Onkeloſi Paraphraſi conſtat, quæ omnium conſenſu circa illa tempora facta eſt, & ex-

acte in annorum iſtorum computatione, cum codicibus hodiernis Hebræis convenit. Ita etiam Hieronym. ex Hebræo tranſtulit; & Vulgata Latina apud Occidentales Eccleſias in uſu ſupra mille annos, ita legit. Magni quidem ponderis eſt hoc argumentum ex auctoritate codicum Originariorum deductum; quibus ante omnes Verſiones fides adhibenda eſt, niſi oſtendi poſſit, errorem in textum Hebræum irrepſiſſe: quod hic vix probabile eſt, cum nullus poſt tot annorum centurias emendationem tentaverit, nec lectionis varietatem agnoverint Maſorethæ priores vel poſteriores: Cum in aliis locis emendationem videamus, ut Joſ. 21. ubi duo verſiculi in omnibus fere antiquis codicibus Hebræis aberant, quos adeſſe debere manifeſtum eſt, & in omnibus fere codicibus & exemplaribus recentioribus reſtituuntur. Accedit plerorumque hujus ſeculi Chronographorum conſenſus; inter quos viri multi doctiſſimi, qui vel Hebraici textus, vel Vulgatæ Latinæ auctoritate ducti, calculum τῶν ό rejiciunt.

Ex altera parte, multa producuntur a viris doctrina & judicio claris, & in hac quæſtione exercitatiſſimis. 1. Verſio illa Græca antiquiſſima, conſtanter has annorum centurias addit: quod aliunde fieri non potuit, niſi quod ita erat in exemplaribus Hebræis, quibus uſi ſunt LXX: quam Verſionem licet nemo ſanus fonti æquet, multo minus præferat, (textus enim Originalis Verſioni, cæteris paribus, præferendus eſt;) cum tamen ex Verſione, & aliis evidentibus rationibus oſtendi poſſit, codices quoſdam Hebræos olim aliter legiſſe: tum non inter fontem & Verſionem inſtituitur quæſtio; ſed inter codices varios, quorum alii hoc, alii alio modo legerunt, cujuſnam codicis lectio ſit præferenda: & ſi probari poſſit, in codices hodiernos mendam irrepſiſſe, calculus LXX erit præferendus. In codicibus autem Græcis mendam non eſſe, inter alia hæc ſuadent: quod nec caſu, nec conſilio hæc variatio fieri potuit. Non caſu fortuito, vel librarii lapſu factum eſſe fatentur omnes: nam licet in unius Patriarchæ vita annorum centuria caſu addi poſſet; in tot fieri non potuit, niſi certo conſilio. Et verba ſequentia in quolibet verſu, quo Patriarcharum anni ante & poſt παιδογονίαν in unam ſummam colliguntur, (quæ ſumma cum centuriis adjectis congruit,) plane convincunt, hoc caſu fortuito fieri non potuiſſe. Qui vero affirmant, LXX certo conſilio & de induſtria a textu Hebræo receſſiſſe, nullam cauſam probabilem adferre poſſunt, cur ita factum ſit: nec oſtendere, a quibus hæc mutatio introducta. Ad ſcribam plerique referunt, qui primo ex eorum αὐτογράφῳ exemplar ſuum deſcripſit, unde in reliqua error manavit; variaſque rationes comminiſcuntur, cur ita fecerit. Exiſtimavit fortaſſe, annos Patriarcharum fuiſſe lunares, dierum 30. non ſolares, dierum 365: vel ſi ſolares fuiſſe putaverit, exiſtimavit fortaſſe, ut pubertatis tempus, quo incipiunt homines generare, erat quarta aut quinta pars iſtius periodi, ad quem hominũ ætas tunc pertingeret: (nam decimus quartus, aut decimus ſextus annus erat annus pubertatis; & tot anni ſunt quarta aut quinta pars annorum 70 vel 80.) ſic cum Patriarcharum vitæ ad annos 600 vel 700 protendebantur, ann' 130, vel 140. poterat eſſe annus pubertatis. Et has duas rationes volunt Auguſtinum innuiſſe, De Civ. l. 15. c. 12. 15. ubi hæc verba habet, *Tanto ſerior erat proportione pubertas, quanto vitæ major immenſitas.* At conjecturæ iſtæ vanæ ſunt, & quæ in hominis ſani mentem venire vix poterant, præſertim prima. Quomodo enim exiſtimare quis poſſet, ætates numerandas eſſe ſecundum annos lunares, cum ſecundum hunc calculum Abrahamus, & alii vix 12 aut 14 annos vixiſſent? nulla enim eſt annorum diſtinctio in libro Geneſis, qua lunares ante Abrahamum; ſolares poſtea, hiſtoricum ſacrum ſecutum eſſe conſtaret. Iſaacus etiam, Jacobus, &c. quinquennes vel ſexennes forent, cum liberos generarent. Imo Arphaxad, Saleh, Heber, & reliqui, qui circa annum triceſimum dicuntur generaſſe liberos, anno ſecundo vel tertio ætatis ſuæ generare inciperent. Idem de ante-diluvianis dici poteſt; Cainane, Mahaleele, Enoch, qui dicuntur filios generaſſe anno ſeptuageſimo, quadrageſimo quinto, &c. id eſt, anno ſolari, tertio, quarto, &c. Præterea non unum, ſed plura exemplaria habuere Judæi ex Ptolemæi αὐτογράφῳ deſcripta: & plane incredibile eſt, quenquam tam profligatæ audaciæ fuiſſe, ut ἀπόγραφον primum pro libitu corrumperet; cum ex Autographo, cui omnibus liber erat aditus, & ex ipſis Hebræis codicibus, qui in multorum manibus erant, falſati textus ſacri convinci poſſet. Anne credibile eſt, in re, quæ omnibus nota erat, potuiſſe nebulonem aliquem omnibus Judæis, eorumque ſacerdotibus & principibus imponere; cum promptum eſſet ex Hebræis codicibus, & primo exemplari Græco, productis tabulis, ipſum mendacii arguere? Hæc quæ de primo exſcriptore diximus, etiam ad Interpretes applicari poſſunt, ſi quis dixerit eos mutationis hujus auctores fuiſſe. Quis enim credet, in Verſione tam celeberrima, auctoritate publica adornata, in quam omnium oculi converſi, ipſos Interpretes, alioſve auſos fuiſſe, protinus in re quæ neminem latere potuit, ſacrilegas manus in textum Sacrum, quem tanta cum veneratione tractabant, injeciſſe; & mendacio publico, Verſioni ſuæ notam falſi inurere? Quænam etiam cauſa illos in hoc facinus impellere potuit, cum nihil inde commodi vel utilitatis haberent? *Nemo gratis malus eſt.* Quænam itaque malitia, quænam utilitatis ſpes, vel ipſos LXX vel eorum amanuenſes ad hoc facinus impellere potuit; diſertis verbis, toties repetitis, mendacium ſolenne in textum, quem pro Sacroſancto habuerunt, introducere? Dicunt quidam, LXX, ne Ægyptiorum annalibus fidem derogarent, qui gentem ſuam multo antiquiorem crediderunt, quam codices Hebræi permittunt, ideo temporis intervallum inter Diluvium & Abrahamum extendiſſe. At præter ea, quæ jam dicta ſunt, incredibile eſt, ipſos viros doctrina & probitate celebres, voluiſſe codices ſuos Sacros corrumpere. Neque hæc ratio ulla probabilitate nititur; cum Ægyptiorum Annales initium Regni ſui per multa annorum millia, ante calculum LXX extendant, imo non tantum ultra Diluvium, ſed & ante Creationem etiam ſecundum computum LXX, derivare vellent: (nam Regum ſuorum Dynaſtiam decimamſextam ad initium mundi referunt:) non poterant itaque LXX credere, ſe Ægyptiis hoc ſplendido mendacio gratificare poſſe. Præterea multo facilior eſt ſcribarum lapſus, in vocabuli alicujus omiſſione, quam additione; cum illud ex inadvertentia fieri poſſit, hoc vix niſi certo conſilio: facilior etiam eſt unius vocabuli omiſſio, quam plurium additio in verſibus plurimis, quam in Patriarcharum vitis Græci codices habent. Notandum etiam, numeros apud Hebræos per literas numerales, non per verba olim exprimi ſolitos, & minutiſſimis characteribus exemplaria conſcripta fuiſſe, (ut ex Hieronymo alibi oſtenſum,) qui oculorum aciem fere effugerunt: ita ut facillime unius literulæ omiſſione, numerus centenarius excidere poſſit. Etiam & hoc perpendendum, ante Antiochi tempora Judæos alta pace fruentes, circa libros Sacros magis incurioſos fuiſſe, (teſte D. Buxt.) unde lectionum varietas in codicibus oriri poterat, cum poſt Antiochi perſecutionem circa corticem Legis ad ſuperſtitionem ſcrupuloſi fuerint, Phariſæorum ſecta circa id tempus exorta. Omnia etiam exemplaria publica ſub Antiocho, quæ inveniri poterant, combuſta erant, paucis in privatorum manibus relictis, ex quibus (tempeſtate illa depulſa) alii codices deſcripti, qui ad tempora noſtra pervenerunt: codicibus etiam in quibuſdam minutis diſcrepantibus, probabile eſt, Phariſæos, qui circa Religionem omnia poterant, illam lectionem elegiſſe, quæ a LXX Verſione, (quam illi oderunt,) maxime diſtabat.

60. Lectionem etiam codicum Hebræorum olim in his variaſſe, ex Joſepho colligitur, qui ex Archivis ſacerdotum, quum ipſe ſacerdos eſſet, hiſtoriam ſuam extraxit: Antiq. l. 1. 4. & 2. 7. & iſtius libri prooemio, primo contra Appionem, &c. ſæpius profitetur, ſe ex codicibus Sacris deſcripſiſſe, prout invenerat. Hujus autem ſupputatio temporum, ad Græcam propius accedit, quam ad illam codicum Hebræorum. Dicit enim, ſe Hiſtoriam confeciſſe ab initio mundi, ad everſionem Templi ſecundi, annorum circa 5000, cum juxta ſupputationem Hebræorum codicum hodiernam, vix 4000 communiter numerentur. Judæi vero longe a vero aberrant, qui ad annũ poſt Templi everſionẽ 167. numerant annos tantum 4000 in addit. Talmud. Unde ad natum Chriſtum, ex eorum computo fluxerunt anni a mundo condito tantum 3766. In ætatibus Patriarcharum ante Diluvium, quas ſigillatim recenſet, lib. 1. Antiq. c. 4. & lib. 4. c. 7. multum diſtat ejus computus ab Hebræo hodierno. Nam ab Adamo ad Diluvium annorum ſumma eſt 2253. cum codices Hebræi habeant tantum 1656. Sic in ſupputatione ante Diluvium cum LXX convenit: at in annis poſt Diluvium ad Abrahamum uſque cum codicibus hodiernis convenit: ſupputat enim tantum annos 292. Samaritani autem codices, in annis poſt Diluvium ad Abrahamum plerunque cum Græcis conveniunt: diſcrepant in annis ante Diluvium, ut ex Bibliis noſtris liquet. Ex hiſce hoc videtur plane confici, codices Hebræos olim in his numeris variaſſe, unamque lectionem nos habere in libris hodiernis, aliam ſecutos fuiſſe LXX. quibus in multis conſentiunt Joſephus & codices Samaritani.

61. Idem probare laborant ex Hiſtoricis Græcis ante Joſephum, qui rerum Judaicarum notitiam habuerunt ex Judæis, & teſte eodem Joſ. Prol. de Bello Judaico, & lib. 1. contra Appionem, gentis Judaicæ res accurate ſcripſerunt; a quibus Græci ſcriptores eaſdem in linguam ſuam derivarunt. Nec eos multum a vero abeſſe, idem Joſ. affirmat. Hiſtoricos illos nominat lib. 1. contra Appionem, Demetrium Phalereum, Philonem ſeniorem, & Eupolemum. Ex his hiſtoricis, ut colligit Clem. Strom. l. 1. annorum calculus cum illo τ͂ ό fere convenit, ab hodierna lectione longe recedit. Ex Demetrio colligit ab initio mundi ad Diluviũ annos 2140. a Sem ad Abrahamum, 1250. Ex Eupolemo, ab Adamo ad Coſſ. Domitianum & Caſſianum. (qui annis 80 erant ante Chriſtũ) annos 5349. Euſebius etiam ex Alexandro Hiſtorico antiquo lib. 9. de Præp. Evang. cap. 4. numerat a mundo condito ad Diluvium 2284. & a Diluvio ad Iſraelis tranſmigrationem in Ægyptum, annos 1340. Ex horum calculis, qui a Græco parum diſtant, quorum auctores laudant Joſ. Clemens Alexan. & Euſeb. computus LXX clare confirmatur. Hæc vero non adferuntur, quaſi Hiſtoricorum iſtorum teſtimonia contra ſacros ſcriptores aliquid valeant: ſed cum illi hæc ex Judæorum ſcriptis hauſerint, qui ex ſacris ſuorum temporum codicibus ſuum calculum confecerunt, ut oſtendatur codices Hebræos in his numeris olim variaſſe; & probabile ſaltem eſſe, ſi non certum, LXX ſecundum codices, quos ſecuti ſunt, numeros illos fideliter expreſſiſſe.

62. His Judæorum, & exterorum teſtimoniis, addunt ſuffragium totius Eccleſiæ Chriſtianæ, per Orientem & Occidentem, quæ Græcam ſupputationem ſemper ſecuta eſt; omniumque Scriptorum celebrium, qui in Eccleſia floruerunt, uſque ad hoc ultimum ſeculum, quo Eccleſiæ Romanæ ſcriptores plerique (non tamen omnes) ſe Tridentini Concilii decreto obſtrictos credentes, computum Hebræum defendunt: non quia ita habent codices Hebræi, ſed quia ita legitur in Vulgata Latina. Alii e contra ſoli textui Hebræo adhærentes, omneſque antiquas Verſiones flocci facientes, eundem cum prioribus calculum probant; ab utriſque rejecto illo, quem Eccleſia Catholica antea retinuit. Unde Baron. in Appar. n. 118. *non prætermittendum* ſibi putat, *annotare, ſanctam Dei Eccleſiam antiquitus conſueviſſe computare annos ab origine mundi, non ſecundum Hebræos, ſed ſecundum LXX Interpretes:* Et multos adducit ſcriptores veteres pro horum computo, cum verius adducere poſſet omnes Veteres, ſolo excepto Hieronym. & Auguſtino, qui tamen alicubi dubii hærent: nemo enim alius aliter inter antiquos ſentiebat. Inter reliquos, primus qui de computo Græco dubitavit, erat Beda, qui tamen illum nunquam rejecit, licet Hebræo magis adhæſerit. Illum ſecuti ſunt quidam alii, ſed pauci reſpectu eorum, qui antiquum calculum prætulerunt. Notat idem Baronius, in ſexta Synodo, quam quidam Oecumenicam faciunt, ſupputationem Græcam a Synodo comprobari; ut ex ejus actis patet: ubi numerantur a mundo condito ad initium Synodi, anni 6199. In Romano etiam Martyrologio, 8 Calend. Jan. Nativitas Domini dicitur fuiſſe anno a Creatione 5199. ut tam Græci, quam Euſebius, numerant, & in antiquis Eccleſiæ tabulis habetur: et ſic præter Romanum habent martyrologia Uſuardi, Rabani, Adonis, & aliorum. Hoc ita clarum eſt, ut etiam inter Romano-Catholicos recentiores, qui ſupputationem Græcam rejiciunt, fateantur tamen, *Eccleſiam tam Græcam, quam Latinam; tam Orientalem, quam Occidentalem, ſemper uſam fuiſſe Græca ſupputatione in numeratione annorum a Creatione ad Chriſti Nativitatem.* Verba ſunt Joh. D'Eſpeires, de Verſ. LXX. Tract. 2. diſp. 2. Dub. 5. Quantam vero habere debeat auctoritatem Eccleſiæ teſtimonium præſertim apud eos, qui in nullo Eccleſiam errare poſſe ſtatuunt, omnibus dijudicandum relinquo. Nec valet effugium ipſius D'Eſpeires, Dionyſii Petavii, & aliorum; quod *Eccleſia uſum hujus computationis probavit, non ejus errores*; & quod *ſatis ſit, quod ab aliquo certo & fixo principio pendeat.* Nam ſi ipſa computatio ſit falſa, Eccleſia eam uſurpando, errores ejus approbat: nec certum et fixum dici poteſt illud principium, quod ſupra mille annos a principio vero aberrat. Idcirco hæc dici non poſſunt ab illis, qui in nullo Eccleſiam errare poſſe contendunt. Nec ab ullo vix dici debent, cum univerſalis Eccleſiæ traditio omnibus nuperorum Chronologorum ſententiis præferenda ſit: inter quos hac ætate pene innumeros, vix unus eſt, qui cum altero in omnibus convenit; cum, ut annotat Spondanus ad finem Appar. Baronii, *omnia ad libitum invertunt, contrahunt, protrahuntque, ut computis ſuis æquent, & ſuas temporum Epochas per incertos cœleſtes characteres; priſcorum ſeculorum Neomenias, Emboliſmos, Eclipſes &c, anxio, ſi non prorſus inutili, labore ſe miſere torqueant.*

63. Rationes etiam proferunt, cur ſupputatio Hebræorum conſiſtere nequeat. Annos enim a Diluvio ad ortum Abrahæ, vix trecentos numerant, viz. 292. Regnum vero Aſſyriorum initium habuit juxta Petavium, Virum in hoc genere ſummum, alioſque Chronologos peritiores, anno a Diluvio, 152. Imperavit etiam Ninus ad Indos uſque, omnibus conſentientibus. Diviſa erat terra anno nativitatis Phaleg, qui erat circiter centeſimus a Diluvio: facta eſt confuſio Linguarum, & inde facta diſperſio eorum, qui antea ſimul vixerunt prope Babelem, circa annum poſt Diluvium 100. Legimus etiam Abrahami tempore reges plurimos fuiſſe; Ægypti regem potentiſſimum, alioſque Reges, qui 14 *annos ſervierunt Choder Laomer, & poſtea rebellarunt.* Præterea in vivis erat Noe, totius humani generis parens & princeps, ejuſque filii, tempore Abrahami: imo filiorum ſuorum quidam ad Iſaaci tempora vitam produxerunt, & vixerunt diu poſt incœpta Regna Aſſyriæ, Ægypti, & aliarum nationum, cum reges alii mutuis ſe bellis oppreſſerunt. At hæc omnia, quæ ſecundum computum Hebræum neceſſario dicenda, ſunt plane incredibilia. Nam non multum crevit genus humanum ante confuſionem Babylonicam, cum omnes ſimul convixerint. Unde tanta ſubito multitudo, quæ ſpacio centum annorum totum fere orbem impleverit, & tot regna erexerit? Quis capiet magnum illud Aſſyriorum imperium intra annos 150 poſt Diluvium cœpiſſe, vel Noam & ejus filios, poſt hujus & aliorum regnorum initia quibuſdam annorum centuriis ſupervixiſſe; quorum tamen altum apud omnes exteros Hiſtoricos ſilentium? Nullane ratio eorum habebatur, qui totius orbis terrarum hæredes & Domini erant? an in inſulas deportati ab ipſorum filiis & nepotibus, ut omnes de iis nullam mentionem fecerint? Imo nihil de iis legimus in Scriptura tempore Abrahami, Iſaaci, &c. quibus tamen erant contemporanei. Nulla ipſis reliqua erat auctoritas, ut filios bellis cruentis ſe mutuo trucidantes, pacificare poſſent? Nemo poſthac miretur Iſraelitas ita creviſſe in Ægypto ſpacio 200 annorum, cum multo minori ſpacio, infinitæ hominum myriades orbem fere repleverant. Nec diffidere potuit Sara ſe propter ſenectutem parituram, aut Abrahamum voluptati operam daturum; cum Abraham erat tantum annorum 99, Sara aliquot annis junior; & oculis utrique viderent, avos, abavos, tritavos, & eorum avos & abavos, annorum ducentorum, 300, 400; filios procreantes. In vivis tum erat Heber Abrahami tritavus, Sala, Arphaxad, Sem: quorum quidam Abrahamo ſupervixerunt: nam poſt natum Iſaacum vixit Sale annis ſupra 70, Arphaxad 48 Sem ſupra centum, ipſe etiam Noe ad annum Abrahami 58, vitam produxit. Confecit quidem Petavius diagramma, quo oſtendere nititur, intra 290 annos in infinitum numerum humanum genus propagari potuiſſe: ſed multa aſſumit, quæ ab ipſo non probantur; omnes ſcil. per annos 300 poſt Diluvium vixiſſe, & neminem per totum illud tempus mortuum fuiſſe: omnes etiam anno ætatis 16 genuiſſe, quorum nihil ulla probabilitate fulcitur; cum non poſſent tot regna erigi, tot bella cruenta ſine ingenti mortalium ſtrage confici, præter eos etiam qui caſu & morbis interempti periere. Præterea initium Regni Aſſyriaci ad annum poſt Diluvium 152 refert; cum impoſſibile videatur, homines intra illud ſpacium ita multiplicatos fuiſſe. Hæc & alia multa plane ſuadere videntur, tempus illud a Diluvio ad Abrahamum non tam arctis limitibus includendum; ſed computum Græcum admittendum, qui omnes iſtas difficultates tollit. Nam ſecundum hunc mortuus eſt Noe ante natum Abrahamum, annis 722. Sem ante Jacobum annis 635. Incepit Imperium Aſſyriacum poſt Diluvium annos circa 750: quo temporis ſpacio facile eſt concipere, quomodo genus humanum propagari poterat, & tot regna erigi. Hæc tamen omnia, quæ niſi concedatur calculus LXX, prudentioribus ἄπορα videntur, vulgus Chronologorum nil curat, quibus, (ut ait Petavius, Chronologorũ hujus ſeculi princeps,)

> *Nil intra eſt oleum, nil extra eſt in nuce duri:*

qui nullo ſe negotio expediunt, cum prudentiores inſcitiam ſuam fateri mallent, quam aliquid falſum, vel abſurdum affirmare.

64. Tandem producunt Evangeliſtam Lucam, cap. 3. v. 36. qui in Genealogia Chriſti Cainanem Arphaxadi filium inter Patriarchas poſt Diluvium recenſet, qui in Hebræis codicibus deeſt, ſed in Græca LXX Verſione habetur: unde videtur S. Evangeliſta ipſorum computum Hebræo prætuliſse. Eſt vero hoc argumentum haud parvi ponderis. Cum enim S. Lucas, non niſi dictante Sp. S. hoc nomen in Evangelium ſuum inſeruerit; nec minor ſit auctoritas textus Græci Novi Teſt. quam Hebraici Veteris; videtur Evangeliſta pro LXX in hac cauſa ſententiam tuliſſe: ita ut vix negari poſſit, lectionem τῶν ο' veriorem eſſe. Varia hic quærunt ſubterfugia alterius ſententiæ patroni. Primo negant Cainanis nomen ſemper in LXX Verſione fuiſſe: vel ſi in Editione illa Κοινῇ fuerit; non tamen in illa Hexaplῶν ſincera. Secundo, nec in S. Luca, ita ſcriptum fuiſſe, ſed hoc nomen a Græculo quodam inſertum in Lucam: unde in alia exemplaria manavit error. Verum cum in omnibus codicibus, etiam antiquiſſimis, nomen Cainanis legatur, tum apud LXX, tum apud S. Lucam; & inter veteres Eccleſiæ Scriptores ne unus ſit, qui aliter legerit; nec ab ipſis Apoſtolorum temporibus auſus ſit quiſquam nomen hoc vel ex Evangeliſta, vel ex LXX expungere. (unico excepto Beza, qui in Verſione ſua Latina nomen Cainanis delere auſus eſt;) ſed apud omnes Eccleſias ubique terrarum ad hunc uſque diem conſtanter retineatur; non conjecturis, vel probabilibus argumentis agendũ, quæ tamen cum magna fiducia a quibuſdã adferuntur; ſed plane irrefragabilibus, invictis et certiſſimis, quibus nihil obtendi poſſit: qualia cũ nemo adhuc protulerit, firma manet lectio Evangeliſtæ, quam nemo ſolicitare præſumat.

65. Contra objicit vir ſummus, H. Grot. in Luc. 3. 36; quod *Africanus, Theophilus Antiochenus, Euſebius in Chronicis, Epiphan. Hæreſ. 55. nomen Cainanis omittunt; licet alias ſupputationem Græcam ſequantur. Præterea Abrahamum fuiſſe a Diluvio decimum, agnoſcit Joſephus, & ab ipſo productus Beroſus, & ex Græcis Eupolemon apud Euſebium; cum tamen, ſi Cainan inſeratur, undecimus eſset.* Ad hæc reſponderi poteſt. 1. Antiquiſſima exemplaria Græca, *etiam ante Chriſti tempora habuiſſe nomen Cainanis*, ut probat Rever. Uſſerius in diſſertatione de Cainane, ex Demetrii Chronologia (qui ante Chriſtum ſcripſit) apud Euſeb. Præp. lib. 9. qui calculum annorum *a Diluvio, ad Jacobi & filiorum deſcenſum in Ægyptum facit annorum* 1360. *quorum* 215 *erant ab adventu Abrahami in Chananæam. Unde annorum* 130 *interpoſitio neceſſario requiritur* ad hunc calculum conficiendum: *quod* (ut idem) *ſi a Grotio fuiſſet animadverſum, in eam opinionem nunquam conceſſiſſet, in Luc.* 3. 36. *primum Cainanis nomen errore quodam repoſitum fuiſſe.* 2. Certum eſt, Euſebium & Epiphanium, licet Cainanis nomen alicubi omittunt, tamen alibi exprimere, nunquam negare. 3. Probabile eſt, codices Græcos Euſebii tempore non nihil variaſſe, & in aliquibus nomen Cainanis inſertum fuiſſe, in quibuſdam non; ut ſupra diximus: Joſephi tempore variaſſe codices Hebræos itidem in his numeris: unde non mirum eſt, Joſephum, Beroſum & Eupolemonem ab LXX diſcrepaſſe, cum a codicibus Hebræis, qui hodie in uſu ſunt, idem Joſephus diſcrepet. Quod ad S. Lucæ verba attinet, dicit etiam D. Grotius cum aliis, *quædam MSS. antiqua hoc nomen non exprimere*, ſcil. illud Bezæ, quod Academiæ Cantab. donavit, & aliud Anglicanum ex Græcia allatum: unde fieri poſſet, ut Cainanis nomen ex errore in aliquod exemplar Græcum, unde plura alia emanarunt, irrepſerit. Hæc vero (pace tantorum virorum dixerim) mihi parum firma videntur; partim etiam a vero abſona. Verum eſt, in illo Bezæ non extare: ſed quid valet unius exemplaris auctoritas contra omnium exemplarium etiam vetuſtiſſimorum fidem, & omnium ſcriptorum Eccleſiæ antiquiſſimorum teſtimonium & conſenſum unanimem, qui omnes de lectione Cainanis in S. Luca teſtantur? Iſtius etiam exemplaris fidem multum diminuit, quod Rev. Uſſerius de eo affirmet, *in aliis locis plus diſcrepare ab hodierna lectione, quam omnes alii Bibliothecarum libri*: quod etiam ex ejus cum aliis MSS. collationibus in ſexto Tomo noſtro apparet. Sed aliud eſt, quod iſtius exemplaris auctoritatem in hac cauſa plane tollit, quod (ut etiam Beza annotavit) in recenſenda Genealogia Chriſti apud S. Lucam, contra omnium exemplarium fidem; & contra omnes ſcriptores veteres, eadem habeat nomina aſcendendo a Joſepho ad Salomonem, quæ ſunt apud Matthæum: ita ut qui hoc exemplar deſcripſit, crucem, quæ omnes Interpretes vexavit, circa diſcrepantiam inter Matth. & Luc. hoc modo plane ſuſtulerit; & nodum, quem quidam indiſſolubilem putarunt, cum ſolvere non poſſet, diſſecuerit. In hac itaque Genealogia recenſenda nullam fidem meretur. Qui enim tantæ audaciæ erat, ut tot nomina contra omnium exemplarium fidem mutaret, a Salomone ad Chriſtum, ut Evangeliſtas concordes faceret; nomen etiam Cainanis in eadẽ Genealogia expungere, ut omnia cum codice Hebræo convenirent, nefas duxiſse, haud exiſtimandum. De altero MS. exemplari, quod nos Alexandrinum dicimus, & cum Romano in hac Editione imprimimus; dico, D. Grotium male informatum fuiſse: nam in hoc exemplari, quod, dum hæc ſcribo, oculis objicitur, exprimitur Cainanis nomen. Aliud effugium habet, alius magni nominis, quod *Lucas Genealogiam Chriſti ex vulgo recepta ſententia ſcripſerit, non ex propria; nec ſecundum rei ipſius veritatem, ſed quia apud Judæos Helleniſtas, & apud Chriſtianos, qui Verſioni Græcæ aſſueti fuerant, ita legebatur. Nam ita Genealogiam exorſus eſt; Exiſtens, ut putabatur, filius Joſeph*, &c. Hoc vero, ut temerarium & dictu periculoſum, omnino rejiciendum: ut quod latam feneſtram aperit ad univerſam Scripturæ auctoritatem labefactandum; cum in aliis locis quiſque obtendere poſset, ſcriptores ſacros hoc vel illud ſcripſiſse, non ex propria ſententia, ſed ſecutos fuiſse vulgi errores: quod omnibus hareſibus & erroribus viam ſternit. Hoc enim conceſso, ſcriptores ſacros ullo prætextu falſum ſcripſiſse; quomodo conſtabit, quando verum ſcripſerint? Verum eſt, Chriſtum vulgo pro Joſephi filio habitum, & affirmat Evangeliſta, vulgo ita creditum fuiſse. At idem Evangeliſta contrarium ſatis clare oſtendit, & errorem vulgi plane rejicit per totam Hiſtoriam nativitatis; in qua non Joſephi, ſed Dei filium eſse prædicat. Non ſcribit Lucas fuiſse Joſephi filium, ſed ita habitum fuiſse, ex errore vulgi, quem aperte detegit. At non ſcribit, Cainanem fuiſse vulgo habitum filium Arphaxadi: nec alibi exprimit, talem Cainanem revera nunquam extitiſse; ſed eodem ordine & iiſdem verbis cum reliquis recenſet. Unde ſi hoc concederetur; eadem ratione dici poſset, reliquos omnes non fuiſse veros, ſed putatitios filios eorum, quorum nomina commemorantur; & totam Genealogiam non veram, ſed erroneam fuiſse ex vulgi ſententia deſcriptam. In hac itaq; ſententia, ut ſcribit Bochartus Geogr. Sacr. part. 1. l. 2. c. 13. *non videtur quicquam eſse ſani: neq; enim veriſimile eſt, ſcriptorem ſacrum minus habuiſse curæ veritatis, quam famæ: cui ne ſic quidem conſuluiſſet. Quippe ut vitaret ſcandalum aliquod Helleniſtarum, objeciſſet ſe cavillis Judæorũ omniũ, qui Evangeliũ ipſius cum Textu Hebræo contuliſſent.*

66. Cum itaque conſtet, hoc nomen ex errore aliquo ſcribæ in textum non irrepſiſſe, nec Evangeliſtam ex ſententia vulgi illud inſeruiſſe; aliud dicendum non reſtat, quam quod multi viri doctiſſimi ſtatuunt, inter quos varii Romano-Catholici (qui licet propter Vulgatam Latinam, Græcam ſupputationem rejiciant, Evangeliſtæ tamen verbis non auſi ſunt contradicere, vel locum ſollicitare,) S. Lucam Genealogiam τῶν ο' ſecutum fuiſse, & ita eam deſcripſiſſe, quemadmodum in Græcis codicibus extabat. Nec in hoc diſcrepare Evangeliſtam a textu Hebraico, cum olim codices Hebræos quoſdam ita legiſſe, vero conſentaneum ſit, ut ſupra oſtendimus. Si vero concedatur, codices Hebræos hoc nomen nunquam habuiſſe, dici poſſet, Moſem conſulto hanc generationem omiſiſſe, (quam ex certa traditione, vel Sp. S. ſuggerente, Sept. & S. Lucas ſuppleverunt,) ſicut Matthæus in eadem Genealogia quaſdam omiſit: & ut hic in quatuordecim generationes Genealogiam ſuam diſtribuit, omiſſis reliquis; ita Moſes ſuam contexendo ad Abrahamum in duas decades eam diviſit, hac unica generatione omiſſa; ob cauſam nobis ignotam: & hoc modo dici potuiſse a Moſe, Arphaxad genuiſse Sale, qui tamen genitus eſt a Cainane: ut in Evangelio dicitur, Joram genuiſse Oziam, qui tamen ab alio genitus eſt: quorum utrumque verum eſt; non generatione immediata, ſed mediata: ſic enim genuit Axphaxad Sale, quia genuit Cainanem, in quo, ut parente, extitit Sale. Sic Bonfrer. & alii, quorum opinio multo probabilior eſt, quam eorum, qui textum erroris accuſant. Fatetur etiam Eman. Sa, notis ad Geneſ. 11. 1. ut & Toletus, cujus verba jam proferam, Cainanis nomen in Vulgata Latina deeſse; *Cogimur* (inquit) *fateri, aliquid deeſse in noſtra Editione, quod mirum non eſt, cum Matth. in Chriſti genealogia aliquos omiſerit.* Dicendum itaque videtur in hac quæſtione cum Toleto (cui etiam conſentit Cajetanus,) qui pie ac prudenter, poſtquam eam ventilarat, ſic concludit, Luc. 3. annot. 61. *Difficultatibus aliorum ponderatis, in Hebræo deeſſe illam generationem Cainanis, quæ revera legebatur* (in quibuſdam codicibus) *& a LXX converſa eſt in Græcum. Non enim eſt credibile LXX, non ſolum numeraſse Cainan, ſed etiam annos vitæ ejus, ſi non legiſſent in Hebræo. Legerunt ergo, & exemplaria illa ita habebant: nec novum eſt, eos alia etiam tunc legiſſe, quæ nunc non habentur, vitio ſcriptorum, quod etiam in Vulgato dicendum eſt. Credere enim debemus Evangeliſtæ id affirmanti: minuſque periculum eſt dicere, Hebraica exemplaria ex parte non haberi perfecta, quam aſſerere in Evangelio errorem, ſeu mendacium vel minimum reperiri.* His Toleti verbis finem huic quæſtioni impono, nihil de Cathedra definiens, ſed omnia Lectoris æqui judicio ſubjiciens: & licet ſententiam poſteriorem probabiliorem judico; paratus tamen, ſi quis argumenta meliora pro priore attulerit, iis non refragari.

PROLEG. X.

De Vulgata Latina Verſione.

1. Multas S. Aug. tempore verſiones Latinas fuiſſe. Italam ſive Vulgatam cæteris prætuliſſe Auguſtinum. Hanc ab ipſis Apoſt. temporibus Eccleſiæ Rom. in uſu fuiſſe probabile eſt. Hieronymus ex Græca LXX. hanc emendavit, & Aſteriſcis ac obelis notavit, non ex Theodotione, ſed ex Hebræo. Authentica proprie non fuit. 2. De vulgata Latina hodierna. 3. Quomodo Hieron. inſtructus erat ad novam verſionem ex Hebr. faciendam. 4. Cauſa quæ ipſum ut novam verſionem aggrederetur impulerunt. Privato conſilio & amicorum hortatu, non Eccleſiæ nomine hanc verſionem aggreſſus eſt. 5. Quoſnam libros vertit. Nov. Teſt. non vertit, ſed tantum emendat, & Evangelia tantum. 6. Hieronymum non fuiſſe infallibilem in ſua verſione. 7. Hieronymi verſionem non ſtatim receptam fuiſſe. Ab Auguſtino & aliis improbatam. Greg. Magnus veteri & hac nova uſus eſt. Tacito Eccleſiæ conſenſu non publico aliquo decreto recepta fuit. 8. Cur Eccleſia Romana novam verſionem receperit. 9. De Vulgatæ hodiernæ auctore. Totam non eſſe Hieronymi. Pſalmos alioſque quoſdam libros eſſe antiquæ Vulgatæ editionis. Reliquos libros plerumque eſſe ex verſione Hieronymi, multa tamen ex vet. Vulgata retenta. Inde mixtam eſſe ex nova Hieron. & antiqua Vulgata. 10. De auctoritate Vulgatæ Latinæ hodiernæ. 11. Non eſſe proprie Authenticam vel infallibilem, ex Eccleſiæ Romanæ Doctoribus oſtenditur. Ante Concilium Triden. non fuiſſe Authenticam. Fontibus non æquari per Concilium. Nec aliud decreviſſe Concilium quam nihil habere fidei vel bonis moribus contrarium. Ab erroribus tum Typographi tum Interpretis non immunem eſſe, poſt Sixti. 5. vel Clem. 8. correctionem. Multa adhuc emendatione egere, ex Præf. Clement. & Lucæ Brugenſis Catalogo oſtenditur. Multa emendavit Clem. 8. poſt editionem Sixtinam. Declaratio Cardinalium a multis Romanæ Eccleſiæ Doctoribus rejecta. 12. Vulgatam Lat. licet non ſit Authentica tamen magni faciendam ſtatuunt Proteſtantium doctiſſimi.

1. MUltas olim fuiſſe Verſiones Scripturæ Latinas docet S. Auguſtinus lib. 2. De doctrina Chriſtiana cap. 11. ubi ita ſcribit, *Qui Scripturas in Græcam linguam verterunt numerari poſſunt, Latini autem Interpretes nullo modo: ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit codex Græcus, & aliquantulum facultatis ſibi utriuſque linguæ habere videbatur, auſus eſt interpretari.* Inter illas autem una erat quæ ab Auguſtino loco citato, cap. 15 *Itala*, ab Hieronymo in cap. 14, & 49. Eſaiæ *Communis & Vulgata*, a Gregorio Epiſt. ad Leandrum ante Moral. præfix. *Vetus* appellata erat, quam reliquis prætulerunt, quia, ut Auguſtinus, erat verborum tenacior cum perſpicuitate ſententiæ: hanc vero in Eccleſia Lat. maxime in uſu fuiſſe conſtat, unde nomen *Italæ* & *Vulgatæ* habuit; quia vero reliquis antiquior erat *Vetus* dicebatur. Facta eſt autem hæc Verſio (ut & reliquæ omnes Latinæ V. Teſt. iſtorum temporum) ex Græca § 6, & magnæ auctoritatis erat apud Eccleſias Occidentis. (Primus enim inter Orthodoxos qui poſt LXX ex Hebræo fonte Latinam Verſionem aggreſſus eſt, erat Hieronymus.) Auctoritatis vero tantæ fuit ut quidam ad Apoſtolorum Diſcipulum quendam ut auctorem, referre non dubitarint, ut Serar. Proleg. Bibl. cap. 19. q. 8. & alii, qui peculiari Sp. S. aſſiſtentia factam eſſe volunt, quod licet ſine auctoritate aſſerant, probabile tamen eſt ipſam ab ipſis Eccleſiæ primordiis in uſu fuiſſe, cum Eccleſia Latina ſine Verſione Latina eſſe non potuerit, eamque Eccleſia Romana, quæ principem inter Eccleſias locum ſemper tenuit, & antiquarum Traditionum tenaciſſima fuit, in communi uſu reciperet. Unde Sixtus Senenſis Biblioth l. 8. ait Editionem Veterem *Vulgatæ* & *Communis* nomen accepiſſe, tum quia nullum certum haberet auctorem, tum quia non de Hebræo fonte, ſed de κοινῇ, vel de LXX interpretatione ſumpta eſſet, quemadmodum Auguſt. 18. De civ. Dei, & Hieronymus Præf. Evangeliorum teſtantur. Cujus lectione uſa eſt Eccleſia longe ante Hieronymi tempora, & etiam multo poſt, uſque ad tempora Gregorii Papæ. Hanc enim communis Patrum aſſenſus à primordio naſcentis Eccleſiæ uſque ad Damaſum Papam longo uſu approbabat. De hac quædam diximus cum de editione Romana § 6 diſſeruimus. Conſtat etiam Hieronymum multis annis antequam ad textum Hebraicum vertendum ſe accingeret Græcam LXX Latine tranſtuliſſe, ut ex lib. 2. contra Ruffinum, quem circa 15. annos ante ipſius obitum ſcripſit, ſatis conſtat, ubi ſcribit ſe LXX Interpretes ante annos plurimos diligentiſſime emendaſſe, & linguæ ſuæ ſtudioſis dediſſe, & quod Pſalterium juxta LXX à ſe emendatum Romæ receptum eſſet. Eadem habet Præf. in Paralip. ad Chromatium, & Præf. ad Lev. & Epiſt. ad Auguſtinum. Unde bene colligit J. Morinus Hieronymum cum adhuc juvenis eſſet hoc opus confeciſſe: Hujus vero Verſionis ſuæ habemus Prophetas inter opera ſua adhuc ſervatos. An vero Hieronymus Latinam illam Verſionem ex Græca LXX de novo fecerit, an tantum Vulgatam & Italam emendaverit, vix liquido conſtat. Probabile tamen mihi videtur quoſdam libros de novo vertiſſe, reliquos tantum emendaſſe. De novo vertit Pſalterium ut ipſe ſcribit Epiſt. ad Sun. & Fret. librum Jobi, ut ex utraque Præfatione conſtat, & libros Solomonis, ut lib. 2. Adverſus Ruff. cap. 8. habetur; reliquos ſolum emendavit. Codices vero ſibi Græcos comparavit quam maxime caſtigatos, qui ſcilicet in Hexaplis extabant, ubi puram & incorruptam verſionem LXX ab Origene deſcriptam fuiſſe, ipſe tum Epiſt. ad Suniam & Fretelam tum alibi affirmat. Aſteriſcis etiam & obelis hanc ſuam Verſionem notavit, non tamen ex Theodotione (ut fecerat Origenes) ſed ex ipſo textu Hebræo, qui quidem hodie evanuerunt, nec ullibi apparent. Hoc ex Præf. 2. in Paralip. & Epiſt. ad Auguſt. conſtat, ubi hæc habet, *Quod in aliis quæris Epiſtolis cur prior mea in libris Canonicis interpretatio Aſteriſcos habeat, & Virgulas prænotatas, & poſtea aliam Tranſlationem abſque iis ediderim,* &c. reſpondet, *Se non tam vetera abolere conatum fuiſſe, quam linguæ ſuæ hominibus emendata de Græco in Latinum tranſtuliſſe,* &c. Nec etiam Vetus illa quam *Vulgatam* dicimus (ante Nobilii labores) ullibi ſimul extabat. In uſu quidem fuit, non obſtante nova Hieronymi Verſione ex Hebræo, per ducentos fere annos poſt Hieronymum, ut ex verbis Gregorii conſtat, qui utraque tam Nova Hieronymi quam Vetere illa ex LXX in Commentariis ſuis uſus eſt, ut ex verbis ejus in Epiſt. ad Leandrum præfixa libris Moralium, & lib. 20. Moral. cap. 23. liquet; *Quia ſedes Catholica,* inquit, *cui auctore Deo præſideo, utraque utitur, mei quoque labor ſtudii ex utraque fulcietur.* Non fuiſſe autem proprie Authenticam Vulgatam illam Latinam aperte conſtat, tum quia ex Græca facta ſit, quam Authenticam non fuiſſe jam oſtendimus, nec poteſt rivulus auctoritatis plus habere quam erat in ſuo fonte; nec poteſt ulla Verſio dici Authentica, niſi Interpres eodem Spiritu verterit quo primus author ſcripſit, quod de hac Verſione nemo affirmavit: nec illam Eccleſia Romana rejeciſſet, & aliam novam accepiſſet, ſi Authenticam judicaſſet. Nec valet objectio J. D'Eſpeires quod vix credibile eſt Eccleſiam Romanam non habuiſſe Authenticam verſionem; habuit enim textus originales authenticos; habuit etiam Verſionem quæ fonti in omnibus ad ſalutem neceſſariis conveniebat, quod ſatis erat. De hac plura in ſequentibus.

2. Cum vero hodiernæ Vulgatæ editionis autorem eſſe Hieronymum multi contendant, de Hieronymi Verſione ex Hebræo primo dicendum eſt, viz. 1. Quibus auxiliis ſuffultus Verſionem ſuam aggreſſus ſit. 2. Rationes quænam fuerint quæ ad hoc opus ipſum impulerint. 3. Quoſnam Scripturæ libros verterit. 4. An ita à Spiritu S. in Verſione ſua afflatus ſit ut errare non potuerit. 5 De laboris & operis hujus ſucceſſu, ſive quomodo recepta fuit hæc Verſio in Eccleſia. Poſtea inquirendum, 1. An Vulgata hodierna eadem ſit cum illa Hieronymi, vel quemnam habuit autorem. 2. Cujus ſit autoritatis ante & poſt Concil. Trident. 3. Ex quibus codicibus confecta ſit. 4. Cur Eccleſia Latina relicta veteri Vulgata Latina novam reciperet.

3. Hieronymum quidem dotibus naturæ & artis optime inſtructum fuiſſe ad hoc opus nemo negabit, cum improbo labore trium linguarum præ reliquis ſui temporis fuerit peritiſſimus, & in omni literatura excellens. Unde illud Proſperi de ipſo diſtichon,

Hebræo ſimul & Graio Latioque venuſtus
Eloquio, morum exemplum, mundique magiſter.

Ex ipſius enim operibus colligitur ipſum variis Judæorum Rabbinis præceptoribus uſum fuiſſe, ut in Linguæ Hebrææ & Chaldaicæ ſcientiam penitiorem penetraret. Primo cum Juvenis in eremo degeret, vitam Monaſticam ſectans, à Judæo converſo prima linguæ Hebraicæ rudimenta hauſit; ſic enim ſcribit epiſt. 4 ad Ruffinum, Quod quum Juvenis in eremo eſſet, nec vitiorum incentiva nec naturæ ardorem jejuniis frangere poterat, ad mentem edomandam fratri cuidam qui ex Hebræis crediderat ſe in diſciplinam dederat, ut poſt Quintiliani acumina, Ciceronis fluvios, gravitatem Frontonis, & lenitatem Plinii, alphabetum diſceret, & ſtridentia anhelantiaque verba meditaretur, &c. Eadem habet Præf. in Dan. II. Poſt annos ſupra 20. ex Ægypto rediens Hieroſolymam majores fecit progreſſus in Hebraicis ſub Barrabano Judæo quem magno pretio conduxerat, ut ipſum nocte inſtrueret, quia inſtar Nicodemi Judæos fratres ſuos timuit. Sic Epiſt. 65. ad Pammachium & Oceanum, Cum putabant homines ſe finem feciſſe diſcendi ſcribit quod venit rurſum Hieroſolymam & Bethlehem; quo labore quo pretio Barrabanum nocturnum habuit præceptorem? timebat enim Judæos, & mihi alterum exhibebat Nicodemum. De hoc etiam in Eſ. 21. III. Poſtea alterum habuit præceptorem de Tiberiade, Legis doctorem, qui apud ſuos in admiratione habebatur, cum quo contulit à vertice ad extremum unguem. De hoc Præf. in Paralip. IV. Alium habuit Lyddæum Præceptorem, qui apud Hebræos primus putabatur, quem multis redemit nummis, De quo in Præf. in Job. V. Alium tandem habuit pro lingua Chald. De quo Præf. in Dan. *Adhortante quodam Heb. et illud crebrius in ſua lingua ingeminante Labor improbus omnia vincit, qui mihi videbar ſciolus inter Heb. cœpi rurſus eſſe diſcipulus Chaldaicus.* Ex hiſce videmus ipſum nullis laboribus vel ſumptibus pepercisse, ut ad Hebraicæ eruditionis culmen aſcenderet. Unde Auguſtinus licet Hieronymi conſilium non probaret, fatetur tamen ipſum fuiſſe trium linguarum peritiſſimum. Jam vero præter linguarum ſubſidia magnum adjumentum in hoc opere perficiendo ſuppeditarunt Origenis Tetrapla, Hexapla & Octapla, in quibus præter textum Hebræum tam Hebraicis quàm Græcis deſcriptum literis, ſex habuit verſiones Græcas, de quibus ſupra, viz. Aquilæ, Symmachi, LXX ſeniorum, Theodotionis, & Quintam ac Sextam anonymas, ex quarum tum ſecum invicem tum cum textu Hebræo collatione, non potuit non multum proficere.

4. Cauſæ vero quæ ipſum ad hoc opus impulerunt, prout ipſe variis in locis agnoſcit, erant variæ quæ in verſionibus Græcis & Latinis irrepſerunt corruptelæ, tum etiam quod ipſos LXX ſæpius ceſpitaſſe, & ab Hebraico textu longe diſceſſiſſe ipſe (poſtquam Hebraicam linguam exactius calleret) obſervarat, tum quod reliquæ Verſiones factæ ſunt ab hominibus ſemi-chriſtianis & Judaicis Apoſtatis qui in odium fidei Chriſtianæ multa Scripturæ loca perverſa expoſitione corruperant. Præterea Aquila, ut ſupra innuimus, non tantum vocum ſenſum, ſed & vocum etymologias ſuperſtitioſe ſæpe ſectatus eſt, unde obſcurus erat. Symmachus vocum ſenſum reſpiciens, verbis ſe non obſtringens, longe à vero ſenſu aberravit. Theodotion vero licet medius incederet, & à doctis præ reliquis probaretur; ſæpe tamen, (cum à fide deficeret) verba torquebat, ut erroribus ſuis patrocinium quæreret. Hieronymus ergo, vir acri & fervido ingenio, imperfectiones aliarum Verſionum animo revolvens, & amicorum ſuaſu

ac hortatu excitatus, rem Eccleſiæ utilem ſe facturum exiſtimabat ſi novam Verſionem ex Hebraico fonte exprimeret, quam ingenti animo & laboribus indefeſſis tandem perfecit, quæ magis quàm reliquæ cum Hebræo conveniebat, & accuratior erat. Hanc fuiſſe conſilii ſui rationem ipſe ſæpius explicat. Præf. Paral. hæc habet, *Si LXX Interpretum pura, & ut ab eis in Græcum verſa eſt, editio permaneret, ſuperflue me, Chromati Epiſcoporũ ſanctiſſime, impelleres, ut tibi Hebr. volumina Latino ſermone transferrem. Quod enim ſemel aures hominum occupaverit & naſcentis Eccleſiæ roboraverit fidem, juſtum erat etiam noſtro ſilentio comprobari. Enimvero cum varietate regionum diverſa ferantur exemplaria, et germana illa et antiqua Tranſlatio corrupta ſit atque violata, noſtri arbitrii putas, aut in pluribus indicare quid ſit verum*, &c. Hæc & alia iſto loco & alibi in verſionem LXX ſcribit, quæ licet Hyperbolice ab ipſo dicta ſint, nec tantam paſſa eſſet illa Verſio mutationem quantam ille credi voluit, imo ex aliis illius ſcriptis, præſertim antequam de Hebræum in Latinam vertendo cogitaverat, ipſum plane contrarium ſenſiſſe conſtat de Græca verſione, ut ſupra oſtendimus, quæ alias haud paſſa ſit corruptelas, quam omnes libri vitio librariorum & temporum injuriâ contrahunt, nec quam ipſius verſionem Latinam (ſi modo ipſius ſit Vulgata hodierna) paſſam eſſe omnes conqueruntur, hanc tamen cauſam ubique affert, eamque more ſuo exaggerat datâ qualibet occaſione, ut hoc modo ab adverſariorum invidia ſe protegeret, qui hoc ipſius molimen ſuggillarunt, ut in LXX Verſionis opprobrium factum, de qua omnium animis alte inſederat exiſtimatio veneranda. Hoc itaque aggreſſus eſt Hieronymus privato conſilio & quorundam amicorum hortatu, non verò ex juſſu Damaſi Pontificis, vel Eccleſiæ totius nomine, ut inter alios affirmat Joh. D'eſpeires tract. 3. diſp. 3. Dub. 1. affirmat etiam Platina in Vitis Pontif. Damaſum primum ſcriptis Hieronymi authoritatem dediſſe, cum prius LXX Interpretum ſcripta tantummodo in pretio erant. Certum tamen eſt Hieronymum hanc Verſionem poſt Damaſi mortem confeciſſe; Damaſo quidem charus erat, cui fuit ab Epiſtolis, ſed Juvenis erat cum Damaſo innotuit, & Damaſum annos ſupra triginta ſupervixit & mortuo Damaſo Roma Hieroſolymam ſeceſſit, & Bethlehemum, ubi per quinquennium in Monaſterio vixit, ut ex Epiſt. 99. ad Aſellam, & initio Epiſt. 116. ad Paulam & Euſtochium colligitur; poſt hæc Barrabanum præceptorem habuit, ut ex Epiſt. 65. ad Pammachium conſtat, & poſtea Hebraice ſatis inſtructus ad Verſionem ex Hebræo ſe accinxit. Verum eſt ipſum juſſu Damaſi N. Teſtamentum vel Evangelia ſaltem emendaſſe, ut ex Præf. Evangeliorum liquet, at V. Teſtamenti ex Hebræo Verſionem non potuit aggredi ex Damaſi juſſu, qui multis antea annis mortuus eſt. Nec nomine totius Eccleſiæ illam confecit, cum certum ſit multos Epiſcopos & inter alios Auguſtinum hanc Hieronymi operam ubique improbaſſe, nec niſi multis poſt Hieronymi obitum annis in Eccleſias publice receptam fuiſse.

5. Quoſnam vero Scripturæ libros vertit? Quoad V. Teſtamentum ex Præfationibus quas ſingulis libris præfixit conſtat, omnes qui ab Hebræis pro Canonicis recipiuntur, ut & libros Judith & Tobiam, vertiſſe; in quibus Præfationibus calumniam frequenter deprecatur, quod Scripturam ex Hebræo in Latinum vertere auſus ſit. Affirmat de ſe lib. De viris illuſtribus extremo, & teſtatur Auguſtinus Epiſt. 8. & 10. & De civitate Dei l. 18. cap. 43. ipſum V. Teſtamentum ex Hebræo vertiſſe; libros vero Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Maccabæorum, Baruch, Epiſtolam Jeremiæ Additiones ad Eſtherem & ad Danielem non vertit, tum quia Hebraice non extabant, tum quia pro Canonicis non habuit, ut in Præfationibus ſuis ſæpius teſtatur; Eos etiam intra Canonem non poſuiſſe liquet ex ejus Prologo galeato, tum ex Præf. in Prov. & Danielem. Eccleſiaſticum tamen & lib. 1. Maccabæorum affirmat ſe in Hebraica lingua vidiſſe, ut & librum Tobiæ. Inter Canonicos, conſtat ipſum Pſalterium tum ex Hebræo convertiſſe (licet hæc ejus Verſio in Vulgata hodierna non ſit) tum ſæpius ex Græco vel vertiſſe vel emendaſſe. Quater enim circa Pſalterium laboravit; Primò, ex Hebræo, ut dixi, in Latinum vertit, ut in Epiſt. ad Sophronium legimus, & hæc ejus Verſio inter opera ejus extat. Secundò, ex editione τῶν ό Græca quæ in Hexaplis erat ſincera & incorrupta, quam Aſteriſcis & obelis notavit, de qua in Epiſt. 135. ad Suniam & Fretelam. Tertiò, ex Præf. Pſalt. ad Paulam & Euſtochium & Epiſt. ad Sophronium conſtat ipſum bis emendaſſe, ex editione Lucianea, quæ Vulgata & Communis dicta eſt, quæ eadem erat cum LXX, ſed à Luciano in quibuſdam correcta & emendata, hanc prima vice emendavit, ut eſt in Epiſt. ad Sophronium, & poſtea iterum emendavit additis aſteriſcis & obelis, ut ipſe affirmat Præf. in Pſalt. ad Paulam & Euſtochium; & hæc ejus emendatio auctoritate Damaſi Romæ in uſu erat teſte ipſo Hieronymo l. 1. contra Ruffinum, c. 8. Novum vero Teſtamentum non de novo vertit Hieronymus ſed tantum emendavit, nec fortaſſe totum emendavit ſed Evangelia tantum. Sic enim ipſe lib. De ſcript. Eccleſ. *V. Teſtamentum juxta Hebraicum tranſtuli, Novum Græcæ fidei reddidi.* Hoc vero juſſu Damaſi Pontificis præſtitit. Sic enim Præf. ad Evang. ad Damaſum ſcribit, *Novum opus me cogis facere ex veteri, ut poſt exemplaria Scripturarum toto orbe diſperſa quaſi quidam arbiter ſedeam, & quia inter ſe variant, quæ ſunt illa quæ cum Græca conſentiant veritate decernam. Pius labor ſed periculoſa præſumptio judicare de cæteris, ipſum ab omnibus judicandum*, &c. Poſtea hæc addit, *Hæc præſens Præfatiuncula pollicetur quatuor tantum Evangelia, quorum ordo eſt Matth. Marc. Luc. Joh. codicum Græcorum emendata collatione, ſed veterum, quæ ne multum à lectionis Latinæ conſuetudine diſcreparent, ita calamum temperavimus, ut his tantum quæ ſenſum mutare videbantur correctis reliqua manere pateremur ut fuerunt.* Hic aperte videmus Hieronymum non Verſionem ſed Emendationem ſibi arrogare, & Evangelia tantum nominare, licet alibi de toto N. Teſt. loqui videatur. Cum enim Auguſtinus Epiſt. 10. cap. 4. hoc opus ſibi acceptum eſſe ſignificavit (licet aliter de ejus labore in V. Teſt. vertendo ſentiret) ſic ſcribit, *Non parvas Deo gratias agimus de opere tuo quod Evangelium ex Græco interpretatus ſis, quia in omnibus fere nulla eſt offenſio, cum Scripturam Græcam contulerimus.* Hieronymus reſpondet, *Si me ut dicis, in N. Teſtamenti emendatione ſuſcipis*, &c. Ubi quod Auguſtinus *Verſionem* vocaſſet, ipſe tantum *Emendationem* dicit, & de N. Teſt. in genere loquitur. Quando vero vel à quo facta ſit Latina hæc N. Teſt. Verſio difficile eſt aliquid certi ſtatuere. Probabile eſt antiquiſſimam fuiſſe, & in Eccleſia Romana ab ipſis Apoſtolorum temporibus in uſu fuiſſe, ut de Veteri Vulg. V. Teſt. diximus, cum de nulla alia antiquiore aliquid legimus. Nec veriſimile eſt Latina Verſione Eccleſiam Latinam caruiſſe, nec quam initiò habuerit primævis temporibus Apoſt. voluiſſe mutare vel rejicere. Et quæ ab antiquiſſimis Scriptoribus Latinis ex N. Teſtamento citantur cum hac Verſione congruunt. Innuit Baronius ad ann. Chriſti 231. & Bonfrerius Præloq. cap. 15. Sect. 2. ab Apoſtolis viſam & approbatam, hoc vero nullibi probant, nam hoc modo infallibilis eſſet autoritatis in omnibus, quod tamen, ut ſtatim videbimus, à pleriſque Eccleſiæ Romanæ Doctoribus negatur.

6. An vero Hieronymus peculiari Spiritus S. lumine illuſtratus Verſionem ſuam confecerit ita ut nunquam erraverit, quæſtio eſt quam nuper excitarunt quidam poſt editum Decretum Concilii Trident. de verſionis Vulgatæ authentia, cum antea nemo de illa cogitarit. Licet enim communis ſit ſententia Doctorum Eccleſiæ Romanæ Hieronymum non aliter quam alii interpretes vertiſſe, quidam tamen, inter quos Joh. Morinus Exerc. Bibl. 6. cap. 12. n. 9, & 14. volunt Hieronymum peculiari S. Spiritus afflatu Verſionem illam condidiſſe, & eodem Spiritu dirigente ac movente ab omni errore exemptum fuiſſe, ita ut nec decipi potuiſſet, nec errorem aliquem vel leviſſimum vertendo commiſerit. Sic etiam Canus l. 2. cap. 24. Titleman. Apol. pro Vet. Interprete. Hæc vero ſententia eſt aperte falſa & vix refutatione eget, cum Hieronymus ſæpe faſſus ſit ſe erraſſe ut hominem, ut Eſ. 19. *Melius reor proprium errorem reprehendere, quam dum erubeſco imperitiam confiteri in errore perſiſtere, in eo quod tranſtuli.* &c. Ex quibus verbis Oleaſter in cap. 23. Exodi infert Hieronymum in Scripturæ interpretatione Hominem non Prophetam egiſſe, & errare potuiſſe. Et Bellarminus lib. 2. De verbo Dei, cap. 11. ex eodem loco obſervat Hieronymum ſe erraſſe agnoviſſe, & quod Eccleſia ejus correctionem reciperit, & addit quod cum Vulgata editio non ſit unius authoris ſed quædam habeat ex Hieronymo, quædam ex Luciano, quædam ex Theodotione, ſtultum videtur dicere Theodotionem Hæreticum errare non potuiſſe. Idem affirmant Driedo De Eccl. Script. lib. 2. contr. 3. Vega l. 15. in Concil. Trid. cap. 9. Andrad. lib. 4. Nec ſane ita libere Hieronymi incœptum in vertendo improbaſſent Auguſtinus, Ruffinus, aliique celebres Eccleſiæ Doctores ac Epiſcopi, ſi ipſum a Sp. S. peculiari modo in illa Verſione adjutum fuiſſe exiſtimaſſent. Quid quod plerique Eccleſiæ Romanæ Doctores, ut poſthac videbimus, fatentur errores in Vulgata Latina (quam illi Hieronymi eſſe volunt) non tantum fuiſſe ante Concilii decretum, ſed etiam poſt Sixti V, & Clementis VIII. emendationes, Idque non tantum Typographi, ſed & Interpretis vitio? Sic Cajetanus in 2 Chro. c. 16. Torniellus ad annum M. 3149. Dionyſius Petavius Tom. 2. de annis Ahaziæ Regis, Sixtus Senenſis l. 8. Biblioth. ad finem, Dom. Bannes parte 1. q. 1. art. 8. dub. 4. Bellarminus loco citato, & in Epiſt. ad Lucam Brugenſem, Bonfrerius præloq. c. 15. Sect. 3. &c. & Franciſcus Lucas Brugenſis, qui multa loca collegit quæ poſt correctionem Clementis VIII. adhuc emendanda videntur. Certum itaque eſt Hieronymum mediis ordinariis inſtructum, eruditione & induſtria humana hoc opus confeciſſe, & ut alii interpretes errori obnoxium fuiſſe.

7. De ſucceſſu vero conatus ejus conſtat, quod licet Verſio ad textum Heb. propius accederet quam illa τῶν ό, cum illi ſenſum ſæpe paraphraſtice reddiderint, hic vero ipſa verba exacte plerumque ſequutus ſit, & ſenſum ſæpius optime expreſſerit, unde à multis cum magno applauſu recepta fuit, plerique tamen Doctores, Eccleſiarum rectores & Epiſcopi, inter quos Auguſtinus, hoc ejus incœptum primo improbarunt ut temerarium, & ad auctoritatem verſionis LXX convellendam & minuendam factum. Unde multis calumniis impetitus Hieronymus neceſſario Apologias ſcribere coactus eſt, in quibus ſæpe teſtatus eſt ſe nihil in LXX Verſionem molitum eſſe, ſed ex Hebræo fonte in Latinum tranſtuliſſe ut eorum deſiderio ſatisfaceret, qui avebant ſcire quomodo in Hebræis codicibus legeretur. Judæi quidem Verſionem ejus approbarunt ut conformem textui Hebræo, unde ipſum vocat R. Azarias l. 3. meor enajim *Interpretem Chriſtianorum* κατ᾽ ἐξοχὴν. Sic Kimchi ad Pſal. 110. vocat *Interpretem* abſolute, Ab. Eſra ad Pſal. 3. *Interpretem præputiatorum*, R. Joſ. Alb. lib. Fundamentorum vocat *ſapientem tranſlatorem*, Elias Levita *doctum Hieronymum.* Græci vero in ſermonem Græcum verterunt, teſte ipſo Hieronymo l. 2. contra Ruffinum, ubi contra calumniatores ſic ſcribit, *Unde me putabam de Latinis meis bene mereri & noſtrorum ad diſcendum animos concitare, quod etiam Græci verſum de Latino poſt tantos Interpretes non faſtidiunt, inde in culpam vocor.* Genebrardus l. 2. Chronol. dicit à Sophronio verſam fuiſſe, a quocunque vero converſa ſit, certe hodie periit iſta Verſio, nec publice recepta fuit apud Græcos, licet in privatorum manibus eſſet; nam nulla ejus veſtigia ullibi jam apparent. Ruffinus vero acriter Hieronymum increpavit (cui non ſine bile reſpondet Hieronymus,) *Quis*, inquit ille l. 2. Invect. *ex tot & tantis prudentibus & ſanctis viris qui ante te fuerunt ad iſtud opus auſus eſt manum mittere? An ut divinarum Scripturarum libros, quos ad pleniſſimum fidei inſtrumentum Eccleſiis Chriſti Apoſtoli tradiderunt, nova nunc & à Judæis mutuata interpretatione, mutares?* Hæc & multa alia objiciebant ejus æmuli, maxime vero urgebant quod LXX interpretationem, quæ in magna apud omnes veneratione erat, hac nova Verſione conatus ſit de ſolio dejicere, ad quod ſæpius reſpondet, profitendo ſe ne tantillum auctoritati LXX derogare velle, quorum Verſionem divinam & in S. Spiritu factam agnoſcit. Sic Præf. in Jobum, *Cogor per ſingulos Scripturæ divinæ libros adverſariorum reſpondere maledictis, qui interpretationem meam reprehenſionem LXX criminantur*, quibus ſubdit, *Audiant canes mei idcirco me in hoc volumine laboraſſe, non ut interpretationem antiquam reprehenderem, ſed*, &c. Sic in Prol. Galeato. *Periculoſum opus certe & obtrectatorum meorum latratibus patens, qui me aſſerunt in LXX Interpretum ſuggillationem nova pro veteribus cudere*, &c. *Quid igitur, damnamus veteres? minime: ſed poſt priorum ſtudia quod poſſumus in domo Domini laboramus.* Unde contra Ruffinum qui hoc ipſi objecerat ſic ſcribit, *Egone contra LXX Interpretes aliquid*

ſum locutus, quos ante annos plurimos diligentiſſime emendatos meæ linguæ ſtudioſis dedi, quos continue in conventu Fratrum ediſſero, quorum Pſalmos jugi meditatione decanto, ſtultus eram, ut quod in pueritia didici ſenex oblivïſci vellem, &c. S. vero Auguſtinus, qui Hieron. familiaris, opus hoc ita improbavit ut non permiſerit novam hanc Verſionem per ejus diœceſin legi, & antequam perfecta fuerat Hieronymum hortabatur ut ab incœpto deſiſteret, & in aliis operam poneret: Sic enim ſcribit ad Hieronymum Epiſt. 19. *Propterea ſe nolle ejus interpretationem in Eccleſiis legi ne contra LXX auctoritatem tanquam novum aliquod proferentes magno ſcandalo perturbemus plebem Chriſti quarum mens & corda illam interpretationem audire conſueverunt, quæ etiam ab Apoſtolis approbata eſt.* Idem Epiſt. 10. ad eundem Hieronymum, *Ego ſane te mallem Græcas potius Canonicas nobis interpretari Scripturas, quæ LXX Interpretum autoritate perhibentur. Perdurum erit enim ſi tua Interpretatio per multas Eccleſias frequentius cœperit lectitari, quod à Græcis Eccleſiis Latinæ Eccleſiæ diſſonarent*, &c. Dein exemplum profert tumultus a plebe excitati ex lectione novæ Hieronymi verſionis per quendam Epiſcopum in Eccleſia cui præerat, ubi Græci quidam Hieronymi verſionem apud Jonam Prophetam falſi arguebant, ita ut cogeretur Epiſcopus Judæorum teſtimonium flagitare, &c. Ex his videmus verſionem Hieronymi omnibus non placuiſſe, nec ab omnibus receptam; poſt ipſius vero obitum, ut obſervant Serrarius & alii, paulatim autoritatem nacta eſt, & apud multos recepta, qui ejus ſinceritatem & cum Hebræo convenientiam deprehenderunt, ita tamen ut tum Vetus tum hæc Nova in uſu eſſent uſque ad Gregorii Magni tempora. Ipſe enim Epiſt. ad Leandrum ad finem, ante libros Moralium ſic ſcribit: *Novam tranſlationem diſſero, ſed ut comprobationis cauſa exegit, nunc Novam nunc Veterem per teſtimonia aſſumo, ut quia ſedes Apoſtolica, cui, auctore Deo, præſideo, utraque utitur, mei quoque labor ſtudii ex utraque fulciatur*, ubi videmus utrumque in uſu fuiſſe, in expoſitionibus, &c. ita tamen ut Nova Veterem adhuc non excluſiſſet: licet vero utraque uſus eſſet Greg. tamen alibi liquet ipſum Novam prætuliſſe: nam l. 20 Moral. c. 3. dicit quod Nova hæc tranſlatio cuncta verius transfudiſſe perhibetur, & credendum ſit quicquid in ea dicitur.

Poſtea per gradus Editio hæc prævaluit, tacito potius Eccleſiæ Latinæ conſenſu quam ullius Synodi vel Pontificis Decreto; nam licet Hugo de Sancto Victore l de Script. c.9. aſſerat Eccleſiam Latinam hanc ſolam verſionem legendam & in auctoritate habendam conſtituiſſe, Conſtitutionem tamen nullam profert, nec a quo vel quando facta ſit indicat: Imo Eraſmus Epiſt. ad Dorp. Theol. ipſum Dorpeum urget, ut vel unam proferat Synodum in qua hæc editio ſit comprobata. Verum eſt Anſelmum, Bernardum, Rupertum, Haymonem & alios hanc probaſſe, & in ſcriptis generaliter explicaſſe, vel potius ex nova & veteri mixtam, ut poſthac explicabimus: non tamen ita prævaluit ut veterem penitus extrudere potuerit, ſed utraque in uſu fuit, donec tandem ex utriſque mixta hæc, quæ nunc Vulgata dicitur, coaluit, quæ nulla publica auctoritate ſtabilita eſt, nec in ſolium authentias poſita ante Decretum Tridentinum, ſed tacito conſenſu cum veteri recepta.

8. Cauſas vero quæ tum Hier. ut conficeret tum Lat. moverint ut novam ſive ex toto, ſive ex parte majori reciperent, varias allegant Salm. Proleg. 3. Bonfrer. Præloq. c. 15. Sect. 3. Sixtus Senenſis lib. 8. Biblioth. ad finem, & alii, quarum potiores hæ videntur: 1. Quia ut olim Orig. Epiſt. ad Jul. Africanum, neceſſarium erat habere tranſlationem ex Hebraico factam, quæ cum verſione LXX conferri & legi poſſet, ut contra Judæos melius fidei noſtræ dogmata tueremur; nam niſi in textu aliquo conveniremus, nunquam cum hoſte decertare, vel ipſum convincere poſſemus: Hæc vero nova verſio Hebraico textui verbis magis conſonat quàm Græca. Judæi Chriſtianis inſultabant dicentes non ita eſſe in Codice Heb. ut illi citabant, unde Hier. Præfat. ad Eſaiam dicit ne Judæi de de falſitate Scripturarum Eccleſiis diutius inſultarent ſe ex Hebræo vertiſſe. Dein tranſlatio LXX erat potius (ſaltem in multis) periphraſis & commentarius quam verſio, obſcura elucidans & explicans, ſenſum potius quam verba reddens; unde congruum erat aliam ex Hebraico fere de verbo ad verbum cudi, quo oſtenderetur illos nihil Heb. textui contrarium reddidiſſe: Præterea poſt Chriſtum Prophetiis expletis, ex ipſo rerum eventu longe clarius reddi poſſe veteres prophetias ad Chriſtum & N. Teſt. ſpectantes quæ ante impletionem obſcuræ erant, & ab Interpretibus non niſi obſcurè reddi poſſent. De hoc Hier. Præfat. in Pentateuch. *Illi qui ante Chriſtum interpretati ſunt, quod neſcierunt dubiis ſententiis protulerunt, nos vero poſt paſſionem & reſurrectionem ejus non tam Prophetiam quam hiſtoriam ſcribimus.* Tandem & hoc adjicit ex Hieron. Præfat. in Eſd. Sixtus Sinenſis l. citato, ut hoc modo exultantem Græciam compeſcerent & eorum faſtum ſupprimerent, qui ſe Latinis in tantum præferebant, ut dicerent, nihil divinarum Scripturarum habere Latinos quod non à Græcis mutuo accepiſſent: ex hac cauſa credibile eſt Pontifices Romanos hanc verſionem promoviſſe. Ex his quidem cauſis novam verſionem in uſu publico recepit Eccleſia Latina, ut ad uſum magis aptam, Veterem tamen nunquam rejecit vel damnavit, vel contra ejus auctoritatem aliquid decrevit, ſed in eodem ſtatu eam eſſe permiſit, quo antea fuit, licet ex negligentia Doctorum, ſqualida & inculta, & quaſi in tenebris ſepulta jacuerit antequam hujus ſeculi induſtria eam in lucem produxit & priſtino nitori reſtituit.

9. De authore Vulgatæ Latinæ hodiernæ diſceptant Romano-Catholici tum inter ſe, tum cum Proteſtantibus, negantibus horum pleriſque Hieronymi eſſe; ex illis verò affirmant plerique, quidam negant. Negant eſſe Hieronymi Pagninus Præf. ad Vet. Teſt. Paulus Sempronii Epiſcop. lib. 2. c. 1. De die paſſionis Dei. Eraſmus Roterod. in N. T. Driedo lib. 2. cap. 1. Baronius loco citato. Duacenſes Theol. Præf. in Vet. Teſt. Sixtus Senenſis lib. 8. ad object. 8. Guil. Budæus Annotat. ad Pandectas p. 163. quibus etiam Bellar. Azorium, Maldon. adjungunt, qui vel Hieron. eſſe negant vel ex Hieron. & veteri Vulgata mixtam eſſe affirmant. Proteſtantes vero omnes (pauciſſimis exceptis) Hieronymi non eſſe contendunt. Auguſtinus Steuchus, Serarius, Jo. Mariana & plerique hodie Romanæ Eccleſiæ Doctores, quorum aliqui concedunt mixtam eſſe, in minutis quibuſdam, ex majori tamen parte cum fiat denominatio Hieronymo aſcribendam eſſe ſtatuunt. Qui ad Hieronymum referunt, ex ejus nomine auctoritatem majorem ei conciliare ſtudent, alii ita vitioſam eſſe dicunt ut Hieronymo indignam exiſtiment. Ut vero certi aliquid ſtatuere poſſimus, diſtincte agendum eſt, I. Certum eſt Pſalmorum librum in Vulgata non eſſe ex Hieronymi verſione ex Hebræo (licet Pſalmos ex Hebræo verterit, & inter ejus opera verſio illa extet) ſed eſſe ex antiqua verſione τῶν ό ſecundum Luciani Martyris emendationem. Hunc librum recenſuit Hieronymus juſſu Damaſi Pontificis, & Romæ receptus eſt, ut ſupra indicavimus: quia vero Pſalmos ex quotidiano uſu, & quia in Templis quotidie decantati præ cæteris Scripturæ partibus, etiam vulgus memoriter tenebat, ita ut mutatio ſine gravi offenſa populi fieri non poſſet, ideo Pſalmi in Vulgata ſecundum antiquam editionem retenti. Idem etiam ſtatuendum de pleriſque libris quos Judæi in Canonem non receperunt, quos ſupra enumeravimus, & de his nulla eſt controverſia, concedunt enim Bellarm. Bonfrer. & alii. II. Quod ad reliquos libros attinet, certum eſt illos majori ex parte Hieronymi verſionem ſpirare: nam ſi quis contulerit Prophetarum verſionem Latinam ex Hebræo quæ inter ejus opera extat cum Vulgata Latina hodierna, deprehendet in omnibus fere ad verbum convenire eundemque authorem referre, vix enim per integrum aliquod caput unius verbuli differentiam inveniet. Præterea Vulgatam ex Hebræo factam eſſe, non ex Græca Sept. ipſa ubique clamat, cum Hebræo enim plerumque convenit, ipſumque ad verbum magis exprimit quam textus Græcus. Certum vero eſt, nullum fuiſſe qui poſt Hieronymum ad noſtra tempora (ad Pagninum uſque). Biblia ex Hebræo in Latinum tranſtulit. Pleraque etiam (non omnia, ut Bellar. & alii) quæ in antiqua verſione defuerunt, quæque ex Heb. ſe ſuppleviſſe dicit Hieronymus in ſua verſione, exprimuntur in Vulgata: ut illud Hoſ. 11. 2. *Ex Ægypto vocavi filium meum.* Zach. 12. 10. *Videbunt in quem crucifixerunt.* Pleraque etiam (non omnia ut poſthac videbimus) quæ in antiqua Vulgata aliter legebantur ac in Hebræo (obſervante Hieronymo) eodem modo hodie leguntur in Vulgata, ut in Hebræo, & ut legenda cenſuit Hieronymus, ut Gen. 2. 2. ubi vetus editio ex Græca legebat, *Complevit* Deus *die ſexto opus ſuum*, monuit Hieronymus ſecundum Hebræos legendum eſſe, *die* 7. & v. 22 pro *ecſtaſin*, vertit Hieronymus *ſoporem.* Gen. 5. in annis παιδογονίας Patriarcharum convenit Vulgata cum Heb. non cum Sept. Gen. 35. 16. pro *Hippodromum*, vertit *verno tempore.* Jon. 4. 6 pro *cucurbitam*, vertit *hederam.* At vero in omnibus iſtis locis, ut aliis multis, Vulgata ſequitur lectionem Hieronymi. Videatur Hieronymi Epiſtola 89. ad Auguſtinum, quæ eſt 11. inter Epiſt. Auguſtini. Tandem in eadem Epiſt. dicit Hieronymus ſe omnibus fere libris quos ex Hebræo traduxit Præfationes præfixiſſe, quas in omnibus Bibliis Vulgatis ſingulis libris præfixas videmus, at incredibile eſt (ut obſervat Bellarm.) totum opus periiſſe, ſolas Præfationes remanſiſſe. III. Certum eſt in omnibus Vulgatam non eſſe Hieronymi, nam præter Pſalmos & ea quæ ex veteri Vulgata, vel ex Theodotione addidit, ut in additionibus ad Eſtheram & Danielem eſt videre, etiam in reliquis libris ubique multa occurrunt quæ Hieron non eſſe cuilibet clarum eſt: nam in multis convenit cum veteri Vulg. ſive LXX, ubi Verſio Sept. ab Heb. differt; ſæpe cum Theod. Sym. Aq. ſæpiſſime etiam aliter habet, quam Hieronymus in operibus ſuis vertendum cenſuit: unde puram Hieron. non eſſe, ſed mixtam facile eſt colligere. Hieronymus ſæpius profitetur, ſe ſecundum Hebraicam veritatem tranſtuliſſe, nec verſionem 70, ubi ab Hebræo differt, probat, ſed ubique data occaſione oſtendit quantum ab Hebræo diſcrepat, imo hoc ſæpe inculcat, quod ipſum primum ad novam verſionem impuleret, τῶν ό ab Hebræo diſcrepantia; unde vix credibile eſt ipſum alicubi ſponte ab Hebræo diſceſſiſſe, & in eundem lapidem impingere voluiſſe. Prologo Galeato dicit quod ſibi omnino conſcius non ſit mutaſſe ſe quippiam de Hebraica veritate: Imo ad Judæos provocat, annon fideliter ex Hebræo verterit. Præfat. in Eſth. & Neh. ad Domnionem & Rogatianum hæc habet; *Quid interpretem laniant? Interrogent Hebræos, & ipſis autoribus, tranſlationi meæ vel arrogent vel derogent fidem.* Idem in Præfat. in Eſtheram ſic alloquitur Paulam & Euſtochium, *Tenentes adhuc Hebraicum librum per ſingula verba novam tranſlationem aſpicite, ut poſſitis agnoſcere me nihil etiam augmentando, addendo, ſed fideli teſtimonio ſimpliciter, ſicut in Hebræo habetur, hiſtoriam Hebraicam Latinæ linguæ tradidiſſe.* Videmus Hieronymum fidenter ſuam in vertendo fidelitatem aſſerere, & quod Hebræum textum accurate exprimeret. At 1. ſæpe relicto Hebræo, Vulgata ſequitur LXX, ut plurima loca aperte oſtendunt. Gen. 4. 8. verba illa, *Egrediamur foras*, non ſunt in Hebræo, habet tamen Vulgata una cum LXX. Gen. 8. 7. in Hebr. eſt, *Corvus exibat exeundo & redeundo*; at legit Vulgata cum LXX, *Egrediebatur & non revertebatur.* Gen. 4. 15 לכן *Propterea quicunque occiderit Cainum*: at Vulgata, cum LXX. Sym. & Theodot. legerunt diviſim לא כן *nequaquam id fiet.* Joſ. 21. 37. pro nomine Civitatis *Kedemoth* legerunt LXX. ἰεθσὼμ, quibus conſentit Vulgata quæ habet *Jethſom.* 1 Sam. 10 19. in Hebr. eſt, *Et dixiſti* לך *ei*: ubi Sept. & Vulgata legerunt לא *nequaquam*, 1 Sam. 9. 24. addit Vulg. ex 70 verba hæc quæ non ſunt in Hebræo, *Stravitq; Saul in ſolario & dormivit.* Job. 1. 21. deſunt in Hebræo hæc quæ 70 & Vulgata habent, *ſicut Domino placuit, ita factum eſt.* Thren. 3. ult. in Heb. *Dabis ipſis obfirmationem cordis, maledictionem tuam eis*: Vulg. & 70 legunt *laborem tuum.* Hoſ. 10. 14. pro בית ארבאל legerunt ירבעל *Jerobaal, à domo ejus qui judicavit Baal.* Ezech. 34 16. *Robuſtum & pingue perdam*, אשמיד Vulgata legit, *cuſtodiam*, ut 70 φυλάξω. legerunt enim אשמיר. Multa talia proferri poſſunt, ubi relicto Hebraico Vulgata ſequitur Septuaginta; unde ingenue fatetur Bellar. Editionem Vulgatam eſſe mixtam ex Hieronymi, veteris Vulgatæ & Theodotionis editionibus, lib. 2. de Verbo Dei, c. 11. Infinitum eſſet alia omnia recenſere ubi ab Heb. differt Vulgata præter Codicum varietatem, Interpretis errores, & librariorum incuriam vel audaciam. Quædam addam ubi Hieronymus in Commentariis & Tractatibus, aliter ex Hebr. vertit, vel vertendum cenſet, quam in Vulgata legitur, Gen. 1. 2. legit Vulgata, *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*: Hier. Quæſt. Hebr. docet Hebr. מרחפת vertendum, *incubabat.* Gen. 3. 8. legit Vulg. *ad auram poſt meridiem*,

ridiem, Hieron. vero vult legendum, *ad veſperam.* Gen. 4. 4. legit Vulgata *& reſpexit Dominus ad Abel, & munera ejus*, &c. Hieron. Theodotionis verſionem præfert qui vertit, *Et inflammavit Dominus ſuper Abel, & ſuperſacrificium ejus*, &c. quæ verſio ſignificat quomodo Deus teſtatus eſt Abelis ſe ſacrificium acceptaſſe; ſc. ignem cœlitus mittendo: ſic in plurimis aliis locis, unde affirmant Villalpand. & Pradus in Ezech. centum locis aliter vertiſſe Hieronymum quam eſt in Vulgata, in quibus locis Vulgata Hieronymum correxit. Sic Morin. Exercit. 6. c.12. Sect.7. Id evidenter colligitur ex Sancti Hieronymi Commentariis, in quorum variis locis aliter vertit, addit vel ſubtrahit, quam antea in tranſlatione feciſſet. Præter hæc etiam quædam Vulgata Editio addit quæ non ſunt in Hebræo; Quædam tranſponit aliter ac in Hebræo; quæ omnia oſtendunt authorem non κατὰ πόδα Hebræos codices ſecutum, cum tamen Hieronymus profiteatur ſe ad verbum, quantum fieri poterat, ex Hebræo tranſtuliſſe, vel ſaltem Codices Hebræos Hieronymi tempore multum ab hodiernis diſcrepaſſe, quod tamen de tam ingenti diſcrimine nemo facile conceſſerit, poſt Hieronymi ſaltem tempora. Exempla additionum habemus, Eccleſ.9. 2. ubi in Hebræo legimus, *Omnibus idem eventus, bono & puro & impuro*, Vulgata legit, *bono & malo, puro & impuro*, Joſ. 21. 36. adduntur in Vulgata, *in ſolitudine*, item nomen civitatis *Miſor*, quæ non ſunt in Hebræo. Omiſſionis, inter alia Gen. 49. 32. ubi verſiculus qui eſt in Hebræo omittitur in Vulgata, ſc. *Poſſeſſio agri & ſpeluncæ quæ eſt in eo*, ex *filiis Heth.* Ruth 2. 19. ad finem hæc verba ſunt in Hebræo, *Ipſe eſt vindex noſter*, quæ in Vulgata deſunt. Thren. 1. 12. hæc verba, *Annon ad vos*, quæ ſunt in Hebræo, in Vulgata non habentur. Tranſpoſitionis ſeu Metatheſis, Hoſ. 12. 3, 4. in Hebræo ſic legimus, *In utero ſupplantavit fratrem, & in robore ſuo dominatus eſt Deo, & dominatus eſt Angelo, & prævaluit.* Vulg. vero ita legit & invertit, *In fortitudine ſua directus eſt cum Angelo & invaluit ad Angelum, & confortatus eſt.* Ex his vero aliiſque quæ afferri poſſunt locis, Vulgatam non eſſe puram Hieronymi verſionem, ſed ex Hieronymi aliiſque, maxime vero ex Vulgata veteri mixtam patet, quæ ſententia eſt multorum Eccleſiæ Romanæ Doctorum haud inferioris ſubſellii, quos ſupra attulimus: nempe licet nova editio à plurimis probata fuerit, tam altas tamen in aliorum animis radices egerat Græcæ τῶν ὁ authoritas, ut per novam penitus aboleri non potuerit, ſed utraque tam publice in Eccleſiis quam privatorum Doctorum manibus in uſu erat, donec tandem, ad conciliandos omnium animos, & ut pax ac unitas ſervaretur, ex utriſque tertia conflata ſit, quæ maxima quidem ex parte Hieronymum auctorem agnoſcit, ne tamen antiqua penitus ſperni videretur, multis locis lectio antiqua retenta: ſic enim Fortunatus Fanenſis Præfat. de variis tranſlationibus, *licet* (Vulgata) *aliquandiu Hieronymi eſſe credita fuerit, tamen ut majoribus noſtris, quaſi per manum traditum eſt, partim ex antiquiſſima & vetuſtiſſima editione Latina, quam Hieronymus Communem & Vulgatam, Auguſtinus Italam, Gregorius Veterem appellat, retentam eſſe; partim ex Hieronymi verſione ex Hebræo nata eſt.* Idem ſentit Baronius Annal. ad annum 231. Sect 47. ubi *ex duplici editione magnam animorum contentionem, & metum ſchiſmatis ortum fuiſſe* dicit, *dum alii novæ, alii veteri adhærebant, unde ad offenſam & ſcandalum præcavendum cum in divinis laudibus, cæteriſque ſacris officiis alii aliam legendo, pſallendo, concionando, tractando conſectarentur, ne Eccleſia pœne diviſa ſchiſmate videretur, afflante numine proviſum eſt, ut ad Eccleſiaſticum communem uſum una ex duabus quæ uſui omnibus eſſet Eccleſiis conflaretur, quæ Communis omnibus & Vulgata diceretur, exploſâ Veteris & Novæ nomenclaturâ.* Bellar. de Verbo Dei. lib.2. c. 9. ita ſcribit. *Editio Vulgata quamvis maxima ex parte Hieronymi ſit, tamen non eſt illa pure quam ipſe ex Hebræo convertit, ſed eſt aliquo modo mixta, additis non paucis ex verſione* LXX. *quæ in Heb. non inveniuntur, atque id potiſſimum in lib.*1. *Regum & in Proverb.* Idem notant Theologi Duacenſes Præfat. in Vet. Teſt. & quod omni exceptione majus eſt, idem teſtatur Præfatio Bibliis vulgatis auctoritate Clementis 8. repurgatis & publicatis præfixa, ubi diſerte habentur hæc verba, *Latinam hanc edit. ex Hieronymi tranſlatione vel emendatione ſuſceptam, partim retentam ex antiqua verſione Latina quam S. Hieronymus Communem & Vulgatam, S. Auguſtinus Italam, S. Gregorius Veterem tranſlationem appellat.* Non opus eſt plura addere cum ex dictis ſatis conſtet, quidnam de Vulgatæ auctore ſentiendum ſit.

10 Autoritatem Vulgatæ quod attinet, definivit Concilium Trident. Seſs.4. Can.2. *Authenticam eſſe & ſummæ autoritatis*; ſtatuit enim & declarat ut *hæc ipſa vetus, & vulgata editio, quæ longo tot ſæculorum uſu in ipſa Eccleſia probata eſt, in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus & expoſitionibus pro authentica habeatur, et ut nemo eam rejicere quovis prætextu audeat vel præſumat.* Circa cujus Canonis ſenſum multæ inter ipſos qui Concilii autoritatem agnoſcunt ortæ ſunt altercationes, dum alii Vulgatam ipſis fontibus præferunt, alii nullam inter ipſam & fontes originales comparationem à Concilio factam volunt, ſed adhuc ex fontibus corrigi & emendari poſse ſtatuunt; alii tantum in rebus fidei & morum nullum ineſse errorem in Vulgata à Concilio declarari ſentiunt; alii nullum vel leviſſimum errorem continere dicunt, præſertim poſt correctiones Sixti 5. & Clem.8. alii errores leviores habuiſse tam ante Concilium quam poſt, imo & poſt Sixti & Clem. diligentiam adhuc errores quoſdam manſiſſe, eoſque non tantum Typographi, ſed & Interpretis; alii denique ante Concilii definitionem in ſe fuiſse authenticam & Divinitus inſpiratam; alii per Concilii declarationem in hoc authentias gradu ſupremo collocatam arbitrantur. Qui vero Concilio ſe non teneri putant, aliam autoritatem Vulgatæ non tribuendam ſentiunt quam aliis verſionibus, quarum nulla authentica, vel Divinitus inſpirata dici poteſt, omnes enim erroribus obnoxiæ ſunt, nec aliam auctoritatem habent quam quatenus cum fontibus conveniunt, eoſque fideliter exprimunt, licet vulgatam cæteris Latinis hodiernis in hoc præferendam exiſtimant, quod omnibus antiquior, & in Eccleſia Occidentali per mille annos publice recepta ſit, unde merito magni facienda eſt, nec temere rejicienda, ut poſtea fuſius oſtendemus.

Quid vero per vocem illam (*Authentica*) intelligendum ſit, non convenit inter Concilii interpretes, dum alii volunt *Authenticam* dici, quia ex ſe Auctoritatem habet, & ut Franciſcus Suarez, De Fide Diſp. 5. Sect. 3. n. 10. infallibilem habet autoritatem, & ſit certa regula fidei in omnibus quæ continet. Alii, & major pars, quia nihil in ſe continet fidei & bonis moribus repugnans; alii quia nihil habeat veritati, aut rerum geſtarum hiſtoriæ repugnans vel in rebus fidei vel aliis, ut Bonfrer. Marian. &c. Alii quia fontem ſuum fideliter exprimit, ut Serarius, Gregorius de Valent. alii quod æqualem autoritatem habeat cum fonte, ut exemplar æqualem autoritatem habet cum ſuo originali, quod ſit cum eidem eſt conformis, ad verbum ſi ſit tranſcriptio, ad ſenſum ſi ſit tranſlatio, quia αὐθέντικον idem eſt ac *ſummam autoritatem habens*: Sic Jo. D'eſpieres Tract. 3. Diſp. 3. Dub. 2. *Authenticum* enim apud Juriſconſultos eſt idem quod Originale Diploma ex ſe fidem habens, unde *Inſtrumentum authenticum*, *Tabulæ authenticæ*, improprie vero quod cum Originali convenit: ex qua ſententia, Patres Concilii Tridentini volunt eſſe quaſi notarios publicos à Deo conſtitutos, qui poſt examen diligens & collationem hujus exemplaris cum Originali certam ei fidem facerent.

11. Vulgatam vero editionem non eſſe, nec dici poſſe proprie *authenticam*, nec in omnibus infallibilem, vel authoritatis divinæ & ſupremæ, prout à vulgo Eccleſiæ Romanæ ſtatuitur, multis modis oſtendi poteſt, idque ex ipſis ejuſdem Eccleſiæ Doctoribus. 1. Ante Decretum Concilii non fuit authentica, multos enim habuit errores quos libere redarguunt Nichol. Lyra, P. Burgenſis, Driedo, Hier. ab Oleaſtro, Cajetanus & alii, præcipue Iſidorus Clarius, qui octoginta millia errorum in Vulgata Latina ſe obſervaſse dicit. *Mihi non eſt dubium* (ait Jo. D'eſpieres Tract. 3. Diſp. 2 Dub. 1.) *quin olim ante correctionem Sixtinam fuerint in Vulgata plures errores*, quod probat ex uno exemplo quod inſtar omnium eſſe poteſt, 2. Reg. 24. 17. ubi dicitur *Quod vixit Amazia filius Joas Rex Judæ, poſtquam mortuus eſt Joas filius Joachas Regis Iſrael*, 25. *annis*, & ita legebatur in omnibus exemplaribus impreſſis & MSS. quem locum certum eſt corruptum fuiſſe, & pro 25. legendum *quindecim*, ut eſt 2 Chron. 25. 25. & ut in exemplaribus Græcis, Hebraicis, Chaldaicis omnibus legitur, & in Bibliis Sixtinis corrigitur. Habemus ingenuam confeſſionem in hac re plurium inſignium Eccleſiæ Romanæ Doctorum (præter nominatos.) Joh. Driedo de Eccleſ. Scripturis & Dogmat. lib. 2. cap. 2. dicit eſse communem opinionem multorum Doctorum, tranſlationem hanc Latinam, qua communiter utitur tota Eccleſia Latinorum, neque eſse Divi Hieronymi, nec in omnibus conſonam Scripturæ Sacræ originali, quippe quam Ambroſius, & ipſe etiam Hieronymus quibuſdam in locis, & poſt eum Armachanus, Lyranus, & cæteri etiam hujus temporis viri utriuſque linguæ periti arguunt, emendant, & ex Hebræa vel Græca lingua caſtigant & corrigunt, dicentes, & in Hebræo codice Vet. Teſt. & in Græco N. Teſt. aliter haberi quam nos habemus, adducentes in ſuæ ſententiæ corroborationem Auguſtinum, & ipſum etiam Hieronymum, cæteroſque Patres, qui docent ad originales Linguas eſse recurrendum, ſiquando varietas in Latinis codicibus reperitur. Driedoni addam Sixtum Senenſem lib. 8. Biblioth. ad finem; *Ingenue fatemur & nos, multos errores ab Hieronymo emendatos in veteri traductione, & ſimiliter in hac noſtra nova editione nonnullas inveniri mendas, ſolœciſmos, barbariſmos, Hyperbata, & multa parum accommodate verſa & minus Latine expreſſa, obſcure & ambigue interpretata, itemque nonnulla ſuperaddita, aliqua omiſſa, quædam tranſpoſita, immutata, ac vitio ſcriptorum depravata, quæ Santes Pagninus, Thomas Cajetanus, Franciſcus Vatablus & Hieronymus Oleaſtrius interpretationibus & expoſitionibus ſuis indicarunt.* Hactenus S. Senenſis: Quomodo vero hæc ſimul conſiſtere poſsunt cum iis quæ ab aliis ſcripta ſunt de authentia hujus Verſionis ante Concilium non video. Jo. Morinus Exercit. Bibl. lib. 1. exerc. 6. c 12. n. 9. *Quapropter exiſtimo S. Hier. penitiore Spiritus S. afflatu Verſionem illam condidiſſe, eodemque Spiritu dirigente ac movente ab omni errore exemptum fuiſſe, nec uſquam e textus originarii obſcuritate, ambiguitate, tranſpoſitione, neque ullis mendis quæ Hebræum aut Græcum textum invaſerant ita decipi potuiſſe, ut vel leviſſimum errorem vertendo commiſerit.* Addit n. 11. *Ipſam Vulgatam verſionem ipſis fontibus, id eſt codicibus ipſa Prophetarum & Apoſtolorum manu deſcriptis, longe ſimiliorem & conformiorem eſſe quam nunc ſunt originarii textus.* Hanc ſententiam tuetur Titlem. Apolog. pro Vet. Interp. Canus lib. 2. cap. 21. & Salmeron probabilem judicat, Proleg. 3. Paraph. *Si quis tamen*, &c. Gretſerus Defenſ. Bell. lib. 2. cap. 10. affirmare non veretur quæ à Theodotione Hæretico & Apoſtata Judæo deſumpta ſunt de fide & religione in iis Theodotionem non erraſse; ſingulari providentia Interpretem illum, quamvis perditum & impium, iis in locis, quæ Eccleſia tanquam authentica approbatura erat, ab omni errore cuſtodiente. Omnes vero modeſtiæ terminos excedit, qui ſcribere auſus eſt, *pro certo & indubitato apud nos eſſe debere Vulgatam editionem, quæ Communi Catholicæ Eccleſiæ lingua circumfertur; verum eſſe ac genuinum Scripturæ fontem; hanc conſulendam ubique, inde fidei dogmata repetenda*; quaſi verſio ſit fons, & non rivulus de fonte derivatus. Gretſeri vero illud dictum, Bellarminus (cujus Hyperaſpiſtem agit Gretſerus) abſurdum judicat; *Stultum enim*, inquit, *videtur dicere, Theodotionem Hæreticum errare non potuiſſe.* Certe S. Auguſtinus Epiſt. 8. ad Hieron. diſerte dicit, *Hieronymum in hac Verſione errare potuiſſe: unde etiam* (ait) *nobis videtur aliquando te quoque in nonnullis falli potuiſſe.* Imo Hieronymus ipſe fatetur ſe aliquando erraſse in cap. 19. Eſa. male reddendo *refrænantem* pro *laſcivientem*, & addit, *melius reor proprium errorem reprehendere, quam dum erubeſco imperitiam confiteri in errore perſiſtere, cum ea quæ tranſtuli*, &c. vide n. 6. ad finem. *Imo Pagninus* (inquit Sixtus Sinenſis) *Vulgatam vel temporum injuria, vel hominum incuria cum animadvertiſſet maxima ex parte corruptam fuiſſe, Leone* 10. *hortante*, (alii dicunt, *jubente & ſumptus impreſſionis ſuppeditante*) *conſultis optimis Hebræorum exemplaribus, quanta valebat fide & induſtria, omne Vetus Teſtamentum ex Hebraica veritate Latinitate donavit.* Theologi vero Lovanienſes & Ar. Montanus Præfat. in Interlin. Pagnini verſionem omnium tutiſſimam judicarunt quæ in Bibliis Regiis Heb. textui annectitur. Certe ſi Vulgatam authenticam judicaſsent, vel Pagninus vel Leo 10. Pontifex, non dixiſsent eam maxima ex parte corruptam fuiſse, nec ex hac cauſa de alia verſione ex Hebræo cogitaſsent. Recte itaque Mareſius contra Tyrinum p. 33. *ſi authen*

thentica antea fuiſſet, *nec Leo* 10. *approbaſſet Verſionem N. T. ab Eraſmo adornatam*, *nec Clem.* 8. *novam Pſalterii interpretationem*, *quam Cajetanus procuravit*, *neque opus fuiſſet Santi Pagnino*, *Lucenſi*, *concionatori Apoſtolico*, *Leone* 10 *authore*, *et ſumptus faciente*, *novam adornare tranſlationem totius Scripturæ.*

2. Vulgata Latina, fontibus Heb. & Græcis non æquatur, nedum præfertur, per decretum Concilii, ſed tantum aliis verſionibus Latinis præfertur, relictis textibus originariis eodem ſtatu quo prius. Sic Bellar. lib. 2. De verbo Dei cap. 10. refert inter Calvini mendacia, quod dicat *Concilium Vulgatam fontibus præpoſuiſſe*, aitque Concilium de fontibus nullam feciſſe mentionem nec iis aliquid derogaſſe, ſed tantum reliquis Latinis verſionibus quæ hodie circumferuntur Vulgatam antetuliſſe. Serrarius Proleg. cap. 19. q. 12. concl. 1. dicit Synodum Trid. non antetuliſſe Heb. Græciſque fontibus Vulgatam, quod probat tum ex verbis Concilii, tum ex ejus ſcopo. Alphonſus Salmeron, qui Concilio interfuit, Proleg. 3. *Nihil de exemplaribus Græcis vel Hebræis agebatur*, *tantum inter tot editiones Latinas quas noſtra ſecula parturierant*, *quænam ex illis præſtaret ſermo erat*, *liberum autem reliquit omnibus qui Scripturas ſacras profundius meditantur*, *fontes Græcos aut Hebræos*, *quatenus opus ſit*, *conſulere*, *quo noſtrum vitio librariorum aut temporum injuria corruptum emendare valeant.* Iterum, *Licebit itaque nobis*, *ſalva Concilii auctoritate*, *ſive Græci ſive Hebræi exemplaris lectionem variam producere*, *eamque ut verum Bibliorum textum expendere et enarrare*, *nec tantum bonos mores per eam ædificare*, *verum etiam fidei dogmata comprobare et ſtabilire*, *atque adeò ab illis ſumere efficax argumentum tanquam ex textu Scripturæ ſanctæ.* Idem ſentiunt Mariana Tract. de edit. Vulg. Epiſt. ad Sanderum, Sanderus lib. 2. De viſib. Monarch. ad annum 1541. Azorius lib. 8. Moral. cap. 3. q. 2. Adam Contzen Polit. lib. 5. cap. 23. *Libere*, inquit, *affirmo verſionem Latinam noſtram ita probatam*, *ut tamen & Græco & Hebræis fontibus maneat ſua auctoritas.* Bonfrer. Præloq. c. 15. Sect. 3. Hinc Andradius & alii ſtatuunt Vulgatam ex fontibus corrigi & emendari poſſe: ſic enim ſcribit pag. 363. *Quare qui Græcos*, *Latinoſque codices de Hebræis ſupplendos emendandoſve eſſe contendunt*, *non quidem ab Eccleſia ad externos* (*ut quidam putant*) *ſed ad ipſammet Jeſu Chriſti Eccleſiam provocant*, *& ab eadem illa ipſa præſidia comparant.* Jam vero ſi fontibus manet ſua auctoritas, cum fontes, ut ſupra cum de Hebraici textus authentia egimus, authentici ſint, Vulgata vero in pluribus locis ab iis differt, ut luce clarius eſt, neceſſario ſequitur Vulgatam non poſſe proprie authenticam dici, cum duo authentici textus ſibi invicem repugnantes dari non poſſint.

3. Maxima pars Doctorum Eccleſ. Rom. ſtatuit, nil aliud decreviſſe Concilium quam in rebus fidei & morum Vulgatam nullum errorem continere, ideoque authenticam eſſe, etſi nec ab authore propheta ſit, nec erroris expers. Sic Bellar. lib. 2. cap. 11. Concilii mentem explicat: *Eccleſia certos nos reddere voluit*, *in iis præſertim quæ ad fidem & mores pertinent*, *nulla eſſe in hac verſione interpretum errata*: Et eodem cap. *In iis præſertim quæ ad fidem & mores ſpectant*, *nulla eſſe in hac Interpretis errata*, *ſed tuto poſſe fideles & ſine periculo huic verſioni confidere.* Sic Driedo lib. 2. cap. 1. Vega lib. 15. cap. 9. Serarius Proleg. cap. 19. q. 11. Sixtus Senenſis lib 8. ad finem, cum multis aliis, Alphonſus Salmeron Proleg. Andradius; quorum quidam Concilio interfuerunt. Andradius enim f. 361. affirmat, ex Vega qui Concilio adfuit Tridentino, Patres cum Vulgatam authenticam pronunciarent, nihil aliud ſignificare voluiſſe quam nullo eam deformatam errore exiſtere ex quo pernicioſum aliquod dogma in fide ac moribus colligi poſſet. Et ne quis hanc Concilii mentem fuiſſe dubitare poſſet, teſtem citat Cardinalem S. Crucis, Pontificis tunc Legatum, poſtea Pontificem Max. Marcellum ſecundum appellatum, à quo pridie quam Decretum hoc rogaretur, ſe illud accepiſſe dicit, & poſtea non ſemel confirmantem audiviſſe. Sic Mariana cap. 20, & 23. de Vulg. Verſ. Serarius ubi ſupra, qui hoc addit, *Hoc ſcripſiſſe Vegam cum Cardinalis ille ſuperſtes eſſet*, *poſſetque de re tota interrogari.* Idem etiam conſtat ex Jacobo Laines, Jeſuitarum Præpoſito generali, qui etiam Concilio interfuit; unde concludit Serarius, Proleg. cap. 19. q. 11. *autoritatem quæ a Concilio tribuitur Vulgatæ Verſioni*, *non eſſe infinite accipiendam ſed definite*, *certis modificationibus*, quas ibi recitat. Hæc autem limitatio plane authentiam tollit, nec aliam relinquit autoritatem Vulgatæ, quam Pagnini verſioni, vel aliis Latinis verſionibus, quæ omnes nil habent contra fidem & mores, & tamen authenticæ nunquam dictæ erant, ſic etiam authentica eſſet Verſio Tigurina, Junii, Caſtellionis, imo vernaculæ pleræque, quarum vix ulla quæ non propius ad textum Heb. accedit quam Vulgata, nec tot errores ac mendas habet, quot in illa obſervarunt ejuſdem defenſores.

4. Nec Vulgatam ab omnibus erroribus immunem eſſe volunt, tum Typographi, tum Interpretis, poſt Sixti 5. correctionem, vel Clem. 8. ſed poſt utriuſque emendationes adhuc errores quoſdam manere. Statuit quidem Concilium Seſſ. 4. ut poſthac Scriptura ſacra, potiſſimum vero hæc ipſa Vetus & Vulgata editio, quam emendatiſſime imprimatur, &c. unde qui Vulgatam in omnibus ſinceram, & ſine ulla erroris labecula eſſe volunt, explicant ſe de editione emendata ſive impreſſa juxta Concilii Decretum hoc affirmare. Quæ quidem explicatio, licet ex verbis Decreti neceſſario non inferatur, decernit enim Concilium abſolute ſine ullo reſpectu ad impreſſionem futuram, Vulgatam prout tunc in uſu fuit authenticam eſſe quod vero poſtea de impreſſione emendata alio loco ſubjicitur, ad Typographos pertinet, & tam ad omnes alias Bibliorum editiones quam ad Vulgatam extenditur; cumque hæc Sixti V. emendatio ultra 40 annos poſt cuſum Decretum facta fuerit, monſtroſum videtur (ut obſervat Rev. Mortonus noſter, Epiſcopus Dunelmenſis) verſionem authenticam decerni tot annis priuſquam emendatiſſime prodiret; quod idem eſt ac ſi quis infantem in utero matris baptizaret antequam naſceretur. His tamen poſitis, non deſunt inter ipſos doctiſſimi viri, qui poſt Sixti 5. & Clem. 8. editiones, errores multos adhuc inemendatos reſtare contendunt, eoſque ipſius Interpretis: Sic Bellar. lib. 2. De v. Dei c. 11. Bonfrer. Præloq. c. 15. Sect. 3. Simeon de Muis de veritate edit. Heb. aliique paſſim. Bellar. vero in Epiſt. ad Lucam Brugenſem hæc habet; *Si videro textum ipſum certo in melius alicubi poſſe mutari*, *ſignificabo id ſummo Pontifici & Cardinalibus deputatis*, *ſed tu ipſe plane vides*, *non facile hujuſmodi mutationes in ſacro textu eſſe faciendas*, *quamvis utiliſſimum ſit ut viri docti tum de variis lectionibus*, *tum de judicio peritorum hominum tui ſimilium*, *admoneantur.* Idem poſtquam viderat Lucæ Brugenſis libellum de correctionibus Romanis, ita ad ipſum ſcribit; *De libello ad me miſſo gratias ago*; *ſed ſcias velim Biblia Vulgata non eſſe a nobis accuratiſſime caſtigata*, *multa enim de induſtria juſtis de cauſis pertranſivimus*, *quæ correctione indigere videbantur.* Ex quibus Bellarmini verbis infertur Bellarminum unum fuiſſe è correctoribus, & poſſe aliquando fieri ut accuratior caſtigatio adhibeatur. Obſervat etiam Jo. D'eſp. Tract. 3. diſp. 2. dub. 3. ea quæ reſtant corrigenda non eſſe librariorum vel Typographorum errata, ſed lapſus interpretis; nec enim Correctores de induſtria vel juſtis de cauſis librariorum errores tolerarent. At omni exceptione majora ſunt ipſius Clem. 8. Pontificis verba in Diplomate præfationi ſuæ editionis emendatæ præfixa, ubi inter alia hæc habentur. *In hac pervulgata editione ſunt nonnulla conſulto mutata*, *ita etiam alia*, *quæ mutanda videbantur*, *immutata relicta ſunt*, *tum quod ita faciendum eſſe ad offenſionem populorum vitandam S. Hieronymus non ſemel admonuit*, *tum*, *quod facile fieri poſſe credendum eſt*, *ut majores noſtri qui ex Hebræis & Græcis Latina fecerunt*, *copiam meliorum & emendatiorum librorum habuerint quam ii qui poſt illorum ætatem ad nos pervenerunt.* Poſtea dicit *propoſitum fuiſſe Vulgatam ſuæ priſtinæ integritati & puritati*, *quantum fieri potuit*, *reſtituere*: Ex quibus verbis infert Symeon de Muis epiſt. dicta. *Igitur nondum eſt omnibus numeris abſoluta Editio Vulgata*, Affirmat quidem Sixtus V. in Bulla editioni ſuæ præfixa, omnia emendatiſſime prodire, *Et*, inquit, *quo res magis incorrupte perficeretur*, *noſtra nos ipſa manu correximus ſiqua prælo vitia obrepſerant*, omneſque Bibliorum codices ſancit juxta ſuum exemplar in poſterum imprimendos eſſe, ne minima quidem particula mutata, addita vel detracta: alia vero omnia exemplaria ut ad hoc emendarentur, alias nullam fidem vel authoritatem habitura eſſe, & hæc ſub pœna excommunicationis majoris, &c. Sic quidem Sixtus V. poſt cujus editionem ſperabant omnes ſe habuiſſe Biblia caſtigatiſſima, & omnibus erroribus repurgata. Sic enim Andradius fol. 361. *Cum ab Apoſtolica ſede veterem Vulgatam editionem quam emendatiſſimam acceperimus*, *omni erimus cura & dubitatione liberi.* Ecce tamen vix elapſo biennio poſt Sixti mortem, Clem. 8. novam editionem procudit, in qua plurimos errores, qui in Sixtina editione remanſerant, emendavit, non tantum qui Typographi vitio irrepſerant, ut in Præfat. Clementis affirmatur, & ut Gretſerus, Tannerus & alii excuſant (cum ipſe Sixtus propria manu omnia errata ſe correxiſſe in Diplomate affirmet) ſed etiam alia multa de induſtria mutata & correcta invenimus, quæ à Tho. Jameſio S. T. D. Bibliothecario Bodleiano in peculiari libro de earum editionum differentiis edito, cui nomen *Bellum Papale*, ad duo millia numerantur, quæ in editione Sixtina ab ipſo per Bullam ſuam contra codices Hebræos & Græcos confirmata, Clemens ejus ſucceſſor authoritate ſua ſuſtulit, & ſecundum textus originarios reformavit. Hoc enim agnoſcendum, Clementem plurima quæ in Sixtinis erant errata, ex fontibus emendaſſe, & tamen multo modeſtius de ſua editione quam de ſua Sixtum loquutum eſſe, cum fateatur varia ſupereſſe adhuc emendanda. Sixt. Amama Antibarb. lib. 1. cap. 8. ſpecimina multa ex Jameſio collegit tum vocum & ſententiarum quas à Sixto omiſſas Clemens bene reſtituit, tum aliarum quas à Sixto male interpolatas Clemens bene expunxit, tum contrarietatum inter utraſq; editiones, item diſcrepantiarum in numeris, manifeſtam autem differentiam in locis de induſtria mutatis, quæ ad præli vitia referri non poſſunt, quæ hic recenſere inſtituti noſtri brevitas non permittit ideoque ad Sixtinum Ama. & ad Jameſii librum lectorem remitto. Ex his luce clarius demonſtratur tum editionem Sixtinam in multis vitioſam fuiſſe, tum Clementis ulteriore correctione indiguiſſe, ita ut authentica & omnibus numeris abſoluta hactenus dici non poſſit. Licet vero Clementis editio multo accuratior ſit Sixtina, & ad fontes in plurimis reformata, adhuc tamen manere multa quæ ulteriore correctione egent, tum ex ipſa præfatione Clementinis Bibliis præfixa quam ſupra adduximus, tum ex Lucæ Brugenſis Catalogo locorum quæ adhuc corrigenda videntur, qui ad calcem Bibliorum Plantinianorum habetur, aliorumque Doctorum virorum Eccleſ. Rom. teſtimonio manifeſto conſtat. Recenſet Luc. Brug. epiſtola ad Blaſæum Epiſc. Audomaropolitanum loca præcipua quæ corrigi poſſint, ſuo aliorumque judicio, ultra ſexcenta. Certe Jo. D'eſpeires aliquot recenſuit loca quæ negotium faceſſunt iis, qui omnimodam integritatem verſionis Vulgatæ tueri volunt (ut ipſe loquitur) ut Gen. 11. 12. de Cainane Arphaxadi filio, de quo idem auctor, ſive admittatur error in Evangelio S. Lucæ, ſive in Genealogia Patrum Gen. 11. 12. admittitur error in Vulg. verſione, ut clarum eſt. Pſal. 131. 13. ubi adhuc legitur in Vulgata Latina *vidua* pro *victu* vel pro *venatione*, quia Latinus Interpres pro θήραν *venationem*, quod erat in Græco, legit χήραν, *viduam*, ut obſervavit Hieron. Pſal. 33. 8. ubi Vulg. legit, *immittet* pro *caſtrametabitur* ex Homonymia vocabuli παρεμβαλεῖ, notante Janſenio. Matt. 27. 8. ubi nomen *Jeremiæ* ponitur pro *Zachariæ*. Multa alia notavit Lucas Brugenſis, quem conſulat lector, loco citato. Qui itaque inter Romanenſes Vulgatam ita perfectam eſſe dicunt, ut nullus ſit vel leviſſimus error ſaltem Interpretis, &, ut alii addunt, qui correctorum diligentiam fugerit (quam ſententiam vulgo receptam eſſe dicit Jo. D'eſpeires tract. 3. diſp. 3.) ipſamque fontibus æquant, vel potius præferunt, quaſi divinæ prorſus eſſet authoritatis, multis ſcopulis impingunt, & tam virorum doctorum ſuæ Eccleſiæ, quorum varii Concilio interfuerunt, & Canonem ſuo calculo confirmarunt, ideoque ejus mentem probe noverunt, quàm ipſius Pontificis Clem. 8. ſententiæ, quæ errori non eſt obnoxia, refragantur, qui authentiam hujus verſionis aliter expoſuerunt, ut vidimus.

Declararunt quidam Cardinales ſub Gregorio 13. ne unam periodum, clauſulam, dictionem vel ſyllabam, iotave unum admitti poſſe quod repugnet huic Vulg. edit. Lat. At Declarationem iſtam ſuſpectam habent varii, Serarius, Jo. D'eſpeires, &c. eo quod in variis editionibus Declaratio illa Cardinalium non habetur, unde in aliis Typographum de ſuo hæc addidiſſe dicunt, nec in Judicio, nec extra, fidem facere niſi ſub ſigillo authentico, nec volunt alii iſtiuſmodi Declarationes alio loco habendas, quam doctorum virorum opiniones; ſic Jo. D'eſp. tract. 3. Diſp. 3. dub. 5. Eorum vero teſtimoniis, etiam rationes quaſdam adjungere licet, verſionem enim authenticam proprie loquendo facere non eſt in Eccleſ. poteſtate: ut enim librum non Canonicum, non poteſt Canonicum facere, ſed tantum teſtificare vel declarare quoſnam libros ipſa pro Canonicis habet, & à majoribus receperit, ſic non poteſt verſionem authenticam vel cum textu originali æqualem facere (hoc enim ſolius Dei eſt, qui divinam authoritatem cuilibet ſcripto conferre poteſt) ſed tantum declarare, verſionem fidelem eſſe & fonti ſuo conformem, vel ſi mendæ irrepſerant, eas corrigere, & in publicis Eccleſ. officiis uſum ejus imperare. Dein, ſi ſola Vulgata Latina ſit authentica (ſuo ſenſu) quid dicent de Græcorum Eccleſia, & omnibus Eccleſiis Orientalibus, quæ Græca, vel Syriaca, vel Æthiopica verſione utuntur? an dicent eas veras Scripturas, & verbum Dei non habere? At ſtatuunt inter ipſos doctiores, Eccleſiam Græcam, ſi Rom. reconciliata eſſet, Græcam Verſionem etiam retenturam. Bonfrer. J. D'eſpeires, &c. et ad Latinam non reſtrictos fore. Andrad. f. 263. *Eccleſia Chriſti non exiguis Occidentis finibus, quibus Latina editio familiaris eſt, continetur, ſed per omnes univerſitatis oras, omnes Gentes & nationes, quæ Chriſto Jeſu nomina dederunt, continet; neque ad illam magis Itali, Galli, Germani & Hiſpani, quàm Scythæ, Indi, Græci, Brachmaneſque pertinent, dummodo Chriſtum vera fide proſequantur: & tamen Latinam linguam cum non intelligunt, in Vulgata editione prorſus ſurdi ſunt. Unde ſane fit, ut ſi ſacram Scripturam veram & incorruptam in ſola eſſe Vulgata editione putemus, maximam atque ampliſſimam partem illius ſplendore ſpoliemus*: Sic Andradius; cui quid opponi poſſit, nondum video. In multis etiam verſio Græca & Vulgata differunt & ſibimet contradicunt, præſertim in ſupputatione annorum παιδογονίας Patriarcharum, quæ nullo modo reconciliari poſſunt, ut tandem poſt omnes vias tentatas fateri cogitur Morinus Exerc. Bibl. 9. & tamen utramque authenticam facit, quod plane ἀσύστατον, cum duas verſiones ſibi mutuo contradicentes impoſſibile ſit eſſe authenticas. Concludimns itaque Vulg. authoritatem haud aliam eſſe quam verſionum aliarum quæ fideliter Originales textus reddunt, cum quæ de illa ſcripſerunt celebriores Eccleſ. Rom. Doctores ejuſque authoritate, aliis Verſionibus adaptari poſſint: Licet vero divinam non agnoſcamus, magni tamen faciendam, & non temere proſcindendam, tum propter ejus antiquitatem & uſum generalem per Occidentem per mille annos, tum propter Interpretis, quem Hieronymum ex parte majore agnoſcimus, doctrinam & fidelitatem, quem de Eccleſia bene meruiſſe gratis animis prædicant Proteſtantium doctiſſimi. *Nunquam dubitavi* (ait vir doctus) *quin antori ejus Eccleſia Chriſtiana eo nomine multum debeat, quod Latinis auribus, tam peregrina lingua ſcripta myſteria regni cœlorum fecerit intelligibilia.* Certe Theodorus Beza Præf. in N. Teſt. anno 1559. omnibus cæteris Latinis verſionibus præferendam affirmat, Eraſmumque reprehendit quod veterem Interpretem rejiciat, quia à Græcis hodiernis codicibus diſſentiebat, cum emendatius exemplar ſecutus eſſe videatur. Utque Vulgatam contra Eraſmum defendit Beza, ſic eundem contra Bezæ cenſuras, ſæpe injuſtas, juſto volumine tuetur vir doctiſſimus Jo. Boys, nuper Præbendarius Eccleſ. Elienſis, idque hortatu Reverendi & longe doctiſſimi Præſulis, D. Lanceloti Andrewes τοῦ μακαρίτου, tunc Elienſis, poſtea Wintonienſis Antiſtitis digniſſimi, qui hoc onus ipſi impoſuit. Paulus Fagius in Cap. 4. verſionis ſuæ Lat. Paraphr. Chald. contra eos, qui cum Vulgata non ad verbum Heb. textui per omnia reſpondeat, eam exſibilant, damnant, rejiciunt, hæc habet: *Non attendunt quid vel quem ſecutus fuerit Vulgatus auctor, cum enim à veritate Hebraica diſſentire videtur, vel Sept. vel Paraphraſtem Chaldaum, vel aliquem ex Rabbinis ſecutum fuiſſe fere ſemper deprehendo: non eſt ergo temere nata Vulgata Editio, ut quidam ſcioli ſtulte & imprudenter clamitant.* Lud. de Dieu, vir linguarum cognitione inſignis, in notis ad Evangelia, ubi verſiones Syriacam, Arabicam, *&c.* cum Vulgata & Eraſmi, maxime vero cum Bezæ verſionibus confert, Præfat. ita de Vulgatæ Authore ſcribit; *Si Vulgatum Interpretem, quiſquis is tandem fuerit, doctum, imo doctiſſimum virum fuiſſe aſſeram, non me peccaſſe judicavero; ſuos habet nævos fateor, habet & ſuos barbariſmos, ſed quin paſſim ejus fidem judiciumque admirer, etiam ubi barbarus videtur, negare non poſſum.* Hinc ſæpe inter varias lectiones Vulgatam reliquis præfert, & contra Bezam defendit, ut Matth. c. 11. 23. & c. 18. 35. c. 24. 36. Marc. c. 1. 2, 11, 21. c. 2. 17. Luc. c. 4. 8. c. 6. 43. c. 18. 32. c. 19. 43, 44. Johan. c. 7. ad finem. c. 19. 29. Idem ante De Dieu ſcripſit Clar. Iſ. Caſaubonus, notis, ſuis ad Evangelia & Actus, ubi ſæpe Vulgatam editionem Græci textus hodierni lectioni præfert, & cum antiquis Græcis MS. Vulgatam conveniſſe oſtendit. Videantur Matth. 15. 39. & 21. 7. Jo. 12. 40. & 18. 1. Act. 3. 2. & 12. 8. unde ſæpe cum diſſentire videtur Vulgata à Græco, nec Vulgatam dicat ſemper in vitio cubare, nec in Interpretis errorem invehitur, ſed Græcos Codices quibus Interpres Latinus uſus eſt, à noſtris variaſſe oſtendit. Et hoc ſæpius nos obſervavimus tum in MS. noſtro Alexandrino, tum in aliis codicibus Græcis MSS. quorum variantes lectiones in N. Teſt. in ultimo Tomo Bibliorum exhibemus, quod cum iis ſæpe conſentit Vulgatus Interpres, cum ab hodiernis codicibus diſſentire videtur; præſertim cum codice illo Claramontano, quem Beza codicem ſuum *venerandæ antiquitatis* appellat. Tandem Illuſtriſſ. Grotius Præfatione Annotationum ſuarum in Vet. Teſt. rationem reddens cur ad Vulgatum, quaſi textum, notas ſuas referat, dicit *ſe Vulgatum interpretem ſemper plurimi feciſſe, non modo quod nulla dogmata inſalubria continet, ſed etiam quod multum habet in ſe eruditionis, quanquam in dicendi genere ſatis horridus.* Ex his teſtimoniis ſatis clare conſtat Proteſtantium doctiſſimos, licet Vulgatam in Thronum authentiæ non ponant, nec fontibus æquent, nec ab omni errore immunem ſtatuant, haud tamen eam contemnere, ſed ei honorem debitum deferre, ob cauſas quas jam declaravimus, & ob eaſdem cauſas eandem in hac noſtra Bibliorum editione exhibemus, reliquis hodiernis Latinis omiſſis, quæ cum omnes ex Hebræi veteris & Græci Nov. Teſt. hodiernis codicibus factæ ſint, haud æquum judicavimus inter antiquas, quæ propter canitiem ſuam venerabiles exiſtunt, neotericas haſce collocare.

PROLEG. XI.

De Samaritanis & eorum Pentateucho, ejuſque Verſionibus.

1. *De Samaritanis dicenda proponuntur.* 2. *De decem tribuum defectione, & earum Metropoli Samaria, religione corrupta, captivitate. Coloniæ introductæ à*
Babylone, &c. 3. *Totum populum decem tribuum abauctum non fuiſſe. Novi incolæ cur dicti Cuthæi; à leonibus infeſtantur, à Sacerdote morem*
Dei colendi docentur. Deum & Idola ſua coluerunt: librum legis eundem habuere cum Judæis, literis antiquis Hebræis deſcriptum, Judæorum cognatio-
nem rejiciunt in adverſis alias ſe ex tribu Ephraim fuiſſe jactant. 4. *Cauſa inimicitiarum inter Judæos & Samaritanos, ab Eſdra excommunicantur, for-*
ma excommunicationis: Templum Garizitanum extruitur, Judæorum multi ad Samaritanos confugiunt. 5. *Coram Ptol. Lago contendunt Judæi &*
Samaritani pro Templi ſui auctoritate. Hircanus Samariam, & Templum Garizitanum diruit. Herodes Urbem & Templum de novo ædificat. Sama-
ritani ſpreto Herodis Templo, ſuper altari in monte Garizim offerunt. Sichemis adhuc ſedet eorum Pontifex; Et feſta ſolemnia literis circularibus defi-
nit. Sub Zenone Imperat. rebellarunt. Ubi habitant eorum reliquiæ. 6. *Religio Samarit. eadem eſt cum Judaica. Poſt erectum Templum Garizitanum*
unum Deum colunt, rejectis Idolis. Sacerdotes eorum ex ſtirpe Aaronis. Eorum mores, ritus, ceremoniæ ex R. Benjam. & Joſepho Eorum ſectæ. In quibus à
Judæis diſcrepabant. 7. *Judæorum in eos calumniæ.* 8. *De Pentateucho Samaritano.* 9. *Cur ſolum Pentateuchum recipiant.* 10. *De exemplaribus*
Pentat. Samar. apud nos. De literis, & notis in Pentat. obſervationes Joh. Morini. 11. *Pentateuchum eorum olim eundem fuiſſe cum illo Judæorum.*
De Doſitheo: Omnia exemplaria ipſum non corrupiſſe. Codices hodiernos non eſſe per Doſitheum corruptos. 12. *Non deſcriptum eſſe Pentat. ex codice*
aliquo literis Hebraicis hodiernis exarato. 13. *Non ex Palæſtinis, Babyloniis, & Græcis codicibus conflatum eſſe: cum iiſdem tamen in quibuſdam conve-*
nit. 14. *Eoſdem eſſe codices Samar. hodiernos cum iis quos Hieronymus aliique veterum citant.* 15 *Objectio ex codice Samaritico apud Scholiaſtem Græ-*
cum. 16. *Reſponſio.* 17. *De auctoritate codicis Samaritici: non eſſe Authenticum. De exemplari Sichemis ſervato, ſcripto diebus Phineæ filii Elea-*
18 *zaris.* 19 *De uſu Pentateuchi Samaritani. Pro codicibus Hebræis teſtimonium fert. Loca obſcura explicat.* 20. *De verſionibus tribus hujus Pen-*
19 *tateuchi* 1 *Chaldæa Samaritana, de ejus auctore, antiquitate,* &c. 21. *De* 2 *verſione Arabica.* 22. *De verſione* 3 *Græca.* 23. *De Liturgia Sa-*
maritanorum. 24. *De Chronico Samaritano.*

1. DE Scriptura Sanct. ut extat in tribus Linguis præcipuis, quas Chriſtus cruce ſua conſecravit, Hebræa, Græca, Latina, ſatis pro inſtituto diximus, reſtat ut de verſionibus quæ antiquitus in aliis Linguis extabant quædam addamus, in quibus breviores erimus, cum in illis prolixiores fortaſſe quibuſdam videamur. Primum vero ſibi locum vendicant Pentateuchus Samaritanus ejuſque Verſiones, cum Pentateuchi codex idem fere ſit cum Hebræo, characteribus Hebraicis antiquis deſcriptus, quos Judæi, reduces in Aſſyriacos quibus hodie utuntur permutarunt, unde non inter Verſiones ſed inter Textus Hebraici exemplaria vetuſta numerari poſſit. Quædam tamen de Samaritanis, eorumque origine, rebus geſtis, Religione, ſchiſmate à Judæis facto, capitali Judæorum in eos odio, ejuſque cauſa, aliiſque hujuſmodi prælibanda.

2 Primo ex Scriptura conſtat 1 Reg. 12. & 2 Chron. 10. decem tribus, quæ à Rehoboamo Salomonis filio defecerant, Regem ſibi elegiſſe Jeroboamum, qui antea metu Salomonis in Ægyptum fugerat, (cum Ahijah Propheta prædixerat ipſum ſuper decem tribus regnaturum, 1 Reg. 11.) Hic vero ne populus Hieroſolyma aſcendendo, ob cultum & ſacrificia quotannis ſecundum legem peragenda, in Rehoboami obſequium redirent, duos vitulos aureos una cum Altaribus in Dan & Bethel erexit, ut coram eis populus ſacrificaret, loca etiam excelſa extruxit, & Sacerdotes non ex tribu Levi, ſed de vulgi fæce ordinavit, 1 Reg. 12. 28, 29. *&c.* ut his artibus populum Iſraeliticum ſibi obſtrictum teneret. Optime enim noverat Jeroboam quantam in animis hominum vim religio obtinet, quantumque in politia & civili regimine valeat; unde Religionem duxit innovandam cum regimen politicum immutaret, ne ſi antiqua ſtaret Religio, novum ejus Regnum (quod cum illa conſiſtere non potuit) ſtatim corrueret. Poſtea Regum Iſraelitarum ſedes & regni metropolis facta eſt Samaria, quam Rex Omri empto à Schomeron monte Samariæ ædificavit 1 Reg. 16. 24. & ſecundum nomen Schomeron à quo montem emit *Samariam* denominavit. Licet vero cum ſchiſmate verus Dei cultus magnam partem inter decem tribus

corruptus ſit, ita ut nec debito loco & tempore, nec per ſacerdotes legitimos Deus coleretur, non tamen videtur totalem à Deo factam eſſe defectionem, nam multa millia erant qui genu Baali non incurvarant, nec legem Moſaicam ita rejectam fuiſſe quin ex magna parte ſecundum eam cultus & regimen adhuc inſtituta fuerint. Habuerunt ergo decem tribus Sacerdotes ſed non omnes è tribu Levi, dixerunt etiam ſe ſacrificare Deo cum coram Vitulis ſacrificia offerrent, & Feſta obſervarunt ſolennia, licet non Hieroſolymis ſecundum Legem, ut ex 1 Reg. 12. liquet. Miſit etiam Deus ad eos Prophetas, nec deerant viri pii (inter quos Obadiah) qui ipſis auſcultarunt, nec cultu Idololatrico ſeſe contaminarunt, ita ut habuerit Deus populum ſuum inter Idololatras, reliquias quaſdam verorum cultorum quaſi triticum inter paleam. Cumque ante factum Schiſma Levitæ ex Pentateucho populum per civitates inſtruerent, neceſſarium erat ut haberent Legis exemplaria, quæ inter eos diſperſa etiam poſt defectionem remanſerunt, ſine quibus Sacerdotes ipſos docere non poſſent. Habuerunt etiam præter loca excelſa Deo Iſraelis conſecrata templum Baalis Idoli, qui Prophetas & Sacerdotes ſuos habuit, & cultores ac ſectatores plurimos, ut ex hiſtoria Eliæ patet: ita ut nec Deum ſecundum voluntatem ejus colerent, nec ab Idolis puri fuerint, ſed Religionem miſere corumpentes, mixtum & Idololatricum cultum introduxerint, qua de cauſa iram Dei provocarunt, qui ipſos in manus Salmanaſſeris regis Aſſyriæ tradidit, qui poſt Samariæ obſidionem triennalem regem Hoſheam cum populo in Aſſyriam captivos abduxit, & in eorum ſedes Colonias introduxit à Babylone & ex Cuthah, Ava, Hamath & Sepharvaim, quas in civitatibus Samariæ collocavit, prout legimus 1 Reg. 17.

3. Totum vero populum Iſraeliticum haud abductum fuiſſe ſed ex plebe multos relictos, inter quos etiam tribuum diſtinctio ſervabatur, ſupra, cum de LXX Interpretibus ex tribu qualibet electis diximus, tum ex Scripturis, tum veterum Doctorum teſtimoniis probavimus. Novi etiam incolæ (qui a civitate primaria quam tenuerunt *Samaritani*, & ex loco unde plerique eorum venerunt, viz. ex Cutho fluvio כותיים *Chutæi* vel *Chuthæi* conſimiliter dicti ſunt, ut habet Joſephus l. 9. cap. 20.) cum Deos patrios in terra Iſraelis colerent, & ob Idololatriam fœdam à Leonibus infeſtarentur, (vel ut Joſephus ibid. peſtilentia exorta) quod ipſi accidiſſe putarunt, quia morem colendi Deum regionis neſciebant, Regem Salmanaſſerem orant ut unum ex Sacerdotibus captivis ſibi mitteret (vel ut refert Joſephus aliquot Sacerdotes) qui ipſos rationem colendi Deum doceret, quorum votis Rex annuens Sacerdotem eis miſit: (quod vero Epiphanius in Panario dicit nomen ejus fuiſſe Ezdram, Ibn. Patricius Lun, in Scripturis non habetur. Judæi etiam cum in c. Eliezer. 38. duos fuiſſe dicant, R. Doſitheum & R. Zachariam, hoc etiam ut Scripturæ contrarium, merito rejicitur) Sacerdos hic in Bethel habitavit, & ipſos legitima Dei regionis docuit 2 Reg. 17. 28. unde à Leonum infeſtatione liberi. Ex hoc obſervat vir doctus magnam fuiſſe diſcrepantiam inter cultum decem tribuum ante ipſorum captivitatem, & Idololatriam novorum incolarum; ſiquidem ille appellatur mos & ratio Deum colendi, quod de horum cultu non dicitur. Cuthæi enim licet Deum timuerint ſive coluerint, tamen & Diis ſuis falſis, Succoth benoth, Nergal, Aſhima, Nibhaz, Tartak, Adrammelech, reliquiſque Idolis ſuis ſacrificarunt, dicto cap. v. 30, 31, &c. Sic Deum timuerunt & Sacerdotes ſibi fecerunt ex fæce plebis qui pro ipſis ſacrificia obtulerunt in locis excelſis, ut ibidem legimus. Sacerdotem vero hunc ex lege Moſis cultum præſcriptum ipſos docuiſſe, codicemque Legis iiſdem literis exaratum, quibus tum X tribus ante eorum captivitatem tum tribus Judah uſi fuerint, ſecum attuliſſe neminem ambigere video; Imo vir doctus affirmare non dubitat ne latum unguem à Moſis αὐτογράφῳ receſſiſſe, D. Hotting. Exerc. Samar. ſect. 10. Ipſique Samaritani cum poſtea ſe Eſdræ & ſociis ad Templi ædificationem adjungere vellent, affirmarunt ſe *quærere Deum illorum, cui ſacrificarant à diebus Eſarhaddon regis Aſſyriæ qui ipſos iſtuc tranſtulit*, Eſd. 2. 2. Cumque multi veterum incolarum adhuc cum Cuthæis mixti viverent, probabile eſt ipſos vel ſaltem ipſorum aliquos legis Moſaicæ codicem quo antea utebantur, vel ejus exemplaria quædam retinuiſſe, vel ex Sacerdotibus tribus Judæ comparaſſe; ita ut tum codicem legis Moſaicæ, tum Sacerdotes, altaria & loca excelſa habuerint, & ſacrificia obtulerint Deo vero, Idolis tamen pro more gentium, ut antea ſolebant, cultum præſtiterint. Hanc veram eſſe Samaritanorum, ſive Cuthæorum originem ex hiſtoria Sacra liquido conſtat. Ipſi etiam teſte Joſepho l. 9 c. ult. & l. 12. cap. 7. cum res Judæorum florerent, ſe ejuſdem cum ipſis proſapiæ fuiſſe, & ex eadem ſtirpe natos jactare ſolebant, Judæis vero afflictis cognationem cum ipſis rejecerunt; Sidonios enim ſe eſſe affirmarunt, et nullam cum Judæis habere cognationem, cum Antiocho graſſante Judæi omnia mala perpeſſi ſint, ſic enim ſcribit Joſephus, lib. 12. cap. 7. *Samaritæ videntes in tali calamitate conſtitutos Judæos, non amplius profitebantur ſe cognatos eorum, neque Garizitanum templum eſſe Dei maximi, nihil abſonum eorum facientes à ſuo ingenio, de quo ante diximus, ſed dicentes ſe Medorum & Perſarum colonos, ut revera ſunt, miſerunt legationem ad Antiochum cum Epiſtola, Regi Antiocho, Deo illuſtri, ſuggeſtio Sidoniorum in Sicimis habitantium*, &c. *Rogant ut templum, quod hactenus nullius Dei titulum habuit, poſthac vocetur Jovis Græcanici*, &c. *& ut Judæorum crimini ne involvantur*, &c. quorum votis Rex annuit. At Cuthæos aliunde quam ab Aſſyriis genus ſuum deducere poſſe, tum S. Scriptura tum omnia veterum monumenta aperte negant. Poſteriores Samaritani Hiſt. de X tribuum deportatione ignari (cum ſolum Pentateuchum reciperent) ſe nunquam ſedes mutaſſe ſomniarunt, ſed, ut ex Chron. Samarit. conſtat, crediderunt ſe eſſe poſſeſſores montis benedicti, quem Garizim eſſe volunt, & ſibi à Joſua cum terram partiretur in hæreditatem aſſignatum, nec aliunde quam ex Ægypto cum Moſe migraſſe, ut obſervat Joſ. Scaliger. l. 7. De emend. temp. in notis ad annum Samariticum, *Reges veteres Samariæ, & defectionem X tribuum ne fando quidem acceperunt.* Teſtatur etiam R. Benjamin in Itinerario, Cuthæos quos invenit in Sichem inter montes Ephraim, *ſe ex tribu Ephraim oriundos profiteri, & Sacerdotes habere ex Aaronis proſapia, quos Aaronæos appellant, quia cum aliis qui non ſunt ex genere Sacerdotali matrimonium non contrahunt.* Patricides etiam Patriarcha Alexandrinus in Chronol. ſcribit ipſos ſuum Præſidem, quem *Rus* vel *Rebis* ſive *Cephat* appellant, habere ex filiis Aaronis. Quod ad Sacerdotes attinet, probabile eſt ab Eſdræ temporibus ex Sacerdotibus quoſdam, qui uxores alienigenas duxerant quas repudiare noluerunt, Manaſſi, qui novum Templum in monte Garizim inſtar Hieroſolymitani exſtruxerat, ſeſe adjunxiſſe, & Sacerdotum officium apud Samaritanos obiiſſe. Probabile etiam eſt reliquias quaſdam ex tribu Ephraim poſt captivitatem relictas, adhuc remanſiſſe, ſed non à reliquis diſtinctas, verum cum Cuthæis commixtas, unde loci illius incolæ ſe ex tribu Ephraim, quæ ſedes ſuas ibi antiquitus habuit, ortos fuiſſe jactare poterant. Legimus enim in Evang. Joh. 4. verba mulieris Samariticæ, *Numquid tu major es Patre noſtro Jacobo?*

4 Vixerunt autem Samaritani ſub Regibus Aſſyriæ, Judæis non infeſti, at in Religione ἀμφίϐιοι, donec Eſra & Nehemias populuſque Judaicus ſoluta Captivitate reduces ex Cyri (qui imperium Orientis ab Aſſyriis ad Perſas tranſtulit) & poſtea ex Darii decreto templum & urbem cum muris ædificare, & regimen tam Politicum quam Eccleſiaſticum inſtaurare cœperint, Samaritanis (qui Judæis operam ſuam in Templi ædificatione obtulerant, aſſerentes ſe eundem Deum cum ipſis quærere) rejectis, qui repulſam indigne ferentes incœptis Judæorum reſtiterunt, ædificationem pro virili remorantes per multos annos, calumniis ſuis quas Perſarum Regi ſuggerebant, tandem effecerunt ut Judæi ab incœpto deſiſtere cogerentur, Eſr. cap. 4. Joſeph. Antiq. l. 11. cap. 4, & 11. Sic enim Joſ. l. 11. cap. 4. *Samaritæ Judæos accuſarunt quod Urbem muniant Templumque arci quam fano ſimilius extruant, aſſerentes hoc non eſſe in rem Regis. Unde gens infenſa & invida multis moleſtiis eos afficiebat, freti opibus & affectantes cognati Perſarum videri, quod eſſent inde oriundi, nam quæ juſſi erant ex tributis in ſacrificia conferre gravabantur*, &c. *Et quæcunque in re vel per ſe, vel per alios poterant noſtram gentem lædere nullam occaſionem prætermittebant.* Hinc odium internecinum inter ipſos exarſit, quod utraque gente diſperſa licet & diſſipata nondum extinctum. Nam in Pirke avoth, ſive *capita Patrum*, cap. 38. legimus (ſi modo fides R. Eleazaro habenda ſit) *veniſſe Samaritarum* 180000. *viros contra Eſram & Nehemiam, ut impedirent eos in ædificando, unde Excommunicationem ſolennem contra ipſos Eſra, Zerubbabel & Jehoſua*, &c. *fulminarunt*, viz. *convocarunt totum cœtum in templum Dei, & venire fecerunt trecentos Sacerdotes, trecentos pueros qui habuerunt trecentas buccinas, & trecentos libros Legis in manu eorum qui clangebant, Levitæ vero canebant & pſallebant, & Cuthæos anathematizabant & ſchammatizabant & excommunicabant* (omnibus ſcilicet fulminibus & ſpeciebus excommunicationis) *per ſecretum nominis Tetragrammati, & per ſcripturam quæ ſcripta fuit in Tabulis, & per anathema domus Judicii ſuperioris, et per anathema judicii inferioris, ne quis Iſraelita comederet panem Cuthæi in æternum; undo dixerint, Quiſquis comederet carnem Cuthæi erit ſicut comedens carnem Porci.* Et, *Ne quiſquam Cuthæum faceret Proſelytum, Nec ſit Cuthæis pars in reſurrectione mortuorum, ſicut dictum eſt, Non nobis & vobis ædificatio domus Dei, neque in hoc ſeculo, neque in futuro, nec eis ſit pars & hæreditas in Jeruſalem.* Hoc Anathema Judæis qui in Babylonia remanſerunt miſſum eſt, qui non ſolum illud approbarunt, ſed & novo ſuperaddito auctum & confirmatum remiſerunt: Vide Druſium l. 3. De tribus Sect. Jud. c. 11. ex Tanchuma. De hoc Judæorum odio in Samaritas legimus in Evangelio Joh. c. 4. mulierem Samaritanam Chriſto aquam ab illa petenti ita reſpondiſſe, *Quomodo tu, qui Judæus es, bibere a me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana? non enim coutuntur Judæi Samaritanis.* Syracides vero, qui non multo poſt Eſdræ tempora vixit, cap. 50. 27, 28. ait, *Duas eſſe gentes quas odit anima ejus; tertiam autem non eſſe gentem quam oderit: Qui ſedent in monte Seir, & Philiſthiim: & ſtultus populus qui habitat in Sicimis.* Odium vero ἄσπονδον eo uſque inferbuit ut de Judæis ſcribat Mamonides in Jad. part. 1 Tract. de Tephill. Sect. 1. num. 11. *Quidquid neceſſarium eſt ab ipſis fieri nomine ſuo, ſi faciat Cuthæus, profanum eſt.* Unde nec Legem, nec Tephillim in Pergamenis à Cuthæis factis (utpote profanis) deſcribere liceat. Inimicitiæ vero iſtæ ad ἀκμὴν pervenere, cum Templum monte Geriſim erexiſſent Samaritani, Hieroſolymitani æmulum, cujus occaſionem præbuit Manaſſes, Jaddi Pontificis ſummi frater, qui ducta Sanballetis filia, quem Darius Samariæ præfecerat, ipſam repudiare noluit, cum omnes alienas uxores Judæi dimittere ab Eſra & Nehemia coacti eſſent: Unde Manaſſes Sacerdotio exutus & ab Altari repulſus, ad ſocerum Sanballetem confugit, & permiſſu primo Darii poſtea Alexandri M. Templum in monte Geriſim exſtruxit, ubi Sacerdotis ſummi officio fungebatur, & ſacrificia obtulit. Huc etiam confluxerunt multi Judæorum, tum procerum, tum plebis, qui cum uxores nollent repudiare, nec reformationi ſe ſubjicere, Manaſſi ſe adjunxerunt, & in Samariam ſe receperunt, ubi majori cum licentia vivere permiſſum fuit. Hinc Joſephus, lib. 11. c. ult. Templum in Geriſim monte ſitum (poſt Alexandri mortem) manſit incolume & ſi quis Hieroſolymitanus aut illiciti cibi ſumpti, aut violati Sabbati, aut ſimilis criminis reus ageretur, ad Sicimas confugiebat, calumniam ſe paſſum dictitans.

5. Poſt Alexandri M. mortem Ptolemæus Lagus (qui partem Alexandrini imperii, Ægyptum ſcil. occupavit) devicta Judæa & Samaria magnum Judæorum & Samaritarum numerum in Ægyptum captivos abduxit, & in Ægypto ſedes figere juſſit, de quibus Joſ. l. 12. c. 1. quos multi ſponte ſequebantur, partim ubertate terræ allecti, partim Ptolemæi liberalitate; continuæ vero inter Samaritanos & Judæos Alexandrinos agitabantur rixæ & contentiones, ut ibidem teſtatur Joſephus, utriſque pro Templo ſuo certantibus, dum hi victimas ad Hieroſolymas ſolum mittendas contendebant, illi ad templum Garizitanum, eoque audaciæ devenerunt Samaritani, ut etiam coram Rege Ptolemæo Philometore & amicis ejus contra Judæos pro Templo ſuo contra Hieroſolymitanum decertare auſi ſint, idque pœna capitis conſtituta ſi cauſa caderent, prout diſputationem illam deſcribit Joſephus l. 13. c. 6. ubi victi qui pro Samaritanis decertabant juſſu Regis morte mulctati ſunt. Dein Joh. Hyrcanus Simeonis filius Pontifex Judæorum (Judæis libertatem recuperantibus & excuſſo Græcorum jugo) Samariam poſt obſidionem unius anni cepit, & Templum Garizitanum

cum Urbe diruit, & ſolo æquavit poſtquam ſteterat Templum annis ducentis, ut eſt apud Joſephum lib. 13. c. 17. Cum enim ſub exterorum jugo non erant Samaritani, Judæis ſerviebant, nunquam ſui juris erant quod legimus. Judæorum vero hoc in Samaritanos imperium non diu duravit, utriſque paulo poſt ſub Regum Syriæ primo, deinde Romanorum poteſtate redactis. Regnante vero in Judæa Herode, cujus imperio Auguſtus etiam Samariam addidit, Samariam de novo & in ea Templum magnis ſumptibus Rex ædificavit. Poſt Herodis mortem iterum Romanis ſervierunt, a Judæorum jugo poſthac liberi. In Templo vero quod Herodes extruxerat ſacra celebrare induci non poterant, etiam vivente Herode, ſed more patrio ſuper Altare quod in monte Garizim conſtruxerant ſacrificia obtulerunt, ut Joh. 4. ex verbis mulieris Samaritanæ conſtat, Chriſtum alloquentis, *Patres noſtri in hoc monte* (inquit) *adoraverunt, & vos dicitis quod Hieroſolymis eſt locus ubi adorare oportet*, quem morem etiam hodie continuari ſcribit Joh. Morinus in Pent. Samar. Exercit. 1.cap.2.Sect. 11. qui cum Scaligero tradit ex relatione eorum qui ibi peregrinati ſunt Pontificem Samaritarum Sichemis ad montem Garizim adhuc ſedere, Samaritanis reliquis imperare, & feſta ſolennia ſingulis annis literis circularibus definire. Eorum computum Paſchalem publicavit Scaliger. Itaque qui ipſorum Periodum & Computum ſcire deſiderat legat eundem De emend. Temp. l.2. p. 114, 115. qni etiam c. 7. Notis ad annum Samariticum ipſorum Computum literis tam Samaritanis quam Hebraicis deſcriptum ſubjicit. Etſi vero Romanis ſervierunt, & gens eſſet deſpicatiſſima (Quod enim de Judæis olim Tacitus dixerat, cum imperium eſſet apud Orientem, *viliſſimam fuiſſe partem ſervientium*, veriſſimum fuit de Samaritanis) ſubinde tamen contra Romanos rebellarunt, prout legimus in Chron. Alexandrino, de Juſtuſa quodam Samaritano ſub Zenone Imperatore, qui Regis titulo aſſumpto capitali ſupplicio affectus eſt. Idemque alii fecerunt ſub Juſtiniano, à cujus Ducibus fugati ſunt & multi interempti, ex reliquis plurimi ſe Chriſtianos ſimulabant ut pœnas debitas evaderent. Leges etiam ſeveras contra eos ſanxerunt Imperatores, ne ſcilicet militiæ, honorum, vel poteſtatis Judiciariæ capaces eſſent, nec liberos qui Chriſto nomina dederunt exhæredarent, prout ex Novell. Theod. & Valent. tit. 3. de Judæis & Samaritanis liquet. Hinc ſub Imperatoribus ita fracti & diſſipati ſunt, ut paucæ ipſorum reliquiæ hodie ſuperſint. Benjamin in Itinerario, annos fere ante quingentos ſcripto, affirmat ſe inveniſſe Samaritanos in Damaſco 400. Aſcalone 300. Cæſareæ Paleſtinæ 200. Sichemis pauciores, non ultra centum. Hodie pauciores ſunt prout refert doctiſſimus Morinus ſe accepiſſe à Petro à Valle, qui loca illa ubi habitant illorum reliquiæ peragratus eſt. Et vicatim & oppidatim in Samariæ regione habitant, præcipuæ urbes Flavia Cæſarea, & Flavia Neapolis, quæ olim Sichem, Scal. Emend. l. 7. Notis ad annum Samarit. *Synagogas habent Sichemis, Hieroſolymis, Gazæ, Cayri & Damaſci, ubi plures quam alibi reperiuntur. Colonias enim ex Samaria in Ægyptum traduxit Ptolemæus, quarum reliquiæ hodie Cayri, ubi & Synagogas habent*, Scal. de Emend. l. 7. Paucæ vero familiæ alibi degunt, ita ut tam gens quam ipſorum religio pene extincta eſſe videatur. Meminit quidem Geographus Nubienſis Inſulæ cujuſdam clim. 2. part 5. quæ *Samari* dicitur, ubi habitat populus quidam Judaicus, *Samaritani* dicti, quod inde liquet, quia cum quiſquam eis in occurſum venerit, clamant, Ne me tangas, *&c.* quam ſuperſtitionem faſtuoſam in hodiernis Samaritis inveniri affirmant qui ipſorum regiones peragrarunt. Obſervat etiam Morinus Exercit. 1. c.4. Sect. 5. ex libro Cozri aliiſque Judæorum ſcriptis Regem quendam Cozar nomine, qui in regione Togarma ad fluvium Ebal. regnavit, quæ, ut ex Benjaminis Itinerario colligitur, Circaſſis erat finitima, circa annum Chriſti 740. Proſelytum factum eſſe, Cozræos vero iſtos fuiſſe Samaritanos qui religionem Judaicam amplexi ſunt. Nulla vero hodie exſtat memoria eorum (quod legimus) vel in Inſula aliqua vel ad Ebal fluvium. Et hæc de Samaritarum gente ab Hiſtoricis tradita.

6. Quod ad religionem ſpectat, certum eſt Judaicam eſſe, cum Pentateuchum recipiant, licet in multis à Judæis diſcrepent. *In monte Garizim conſtituta ſedes, & ſacrarium religionis habent*, Scal. Et licet ante quam Manaſſes ad Sanballatum ob nuptias illicitas confugerat, & ipſorum Pontifex factus eſſet, Idolorum cultum cum vera unius Dei religione miſcerent, Templo tamen Garizitano conſtructo, & ad Manaſſen multis Judæorum confugientibus, puriorem Dei cultum relicto Idolorum cultu apud eos viguiſſe, quod autoritate Sanballati fretus Manaſſes effecerat, omnes affirmant. *Hodie ita ab Idololatria abhorrent ut ipſis Judæis ſuperiores videantur*, Scal. Emend. l. 7. p. 617. R. Benjamin in Itinerario quod Hebraice & Latine edidit Conſtantinus L'Empereur p. 38, 39. *&c.* ſic eos deſcribit: *In valle jacet inter montem Gerizim & montem Ebal Neapolis, olim dicta Sichem, ubi centum circiter Chuthæi legis tantum Moſaicæ obſervatores, quos Samaritanos appellant. Hi Sacerdotes habent ex Aaronis in pace quieſcentis proſapia, eoſque Aaronæos appellant, qui cum illis matrimonio non junguntur, ſed inter ſe qui ex Sacerdotali ſunt genere, ne cum illis confundantur. Sunt tamen legis illorum Sacerdotes, parantque victimas ac offerunt holocauſta in illorum congregatione, idque in monte Gerizim, quemadmodum in Lege ſcriptum eſt Deut.* 11. 29. *Edes benedictionem hanc in monte Gerizimorum, ideoque hanc eſſe Domum Sanctuarii affirmant. Offerunt autem holocauſta cum Paſchate tum aliis feſtis in Altari, quod in monte Gerizim ex illis ſtructum fuit lapidibus, quos Iſraelitæ Jordanem tranſgreſſi erexerant. Ex Ephraimi tribu ſe oriundos profitentur, & in diœceſi ſua habent ſepulcrum Joſephi Juſti filii Jacobi patris noſtri, qui in pace quieſcit, ſecundum illud Joſ.* 24. 32. *Oſſa Joſephi quæ deportaverunt filii Iſraelis ex Ægypto ſepelierunt Sichemi. Tribus his carent literis* ה, ח *&* ע: ה *in nomine Abrahami patris noſtri, unde etiam deſideratur nomen* הוד *Gloria*: ח *in nomine Iſaaci patris noſtri, unde etiam deſideratur* חסד *Benignitas*: ע *in nomine Jaacobi patris noſtri, unde nec vocem* ענוה *quæ ſignificat Manſuetudinem, adhibent. Quocirca in his dictionibus utuntur litera* א, *atque hoc indicio ex Iſraelis poſteris non eſſe cognoſcuntur, quia legem Moſis abſque his tribus literis agnoſcunt. Sollicite ſibi cavent a mortuorum, oſſium occiſorum, & ſepulcrorum contaminatione. Veſtes quibus veſtiuntur quotidie cum ad Synagogam ſuam ſe conferunt deponunt, & corporibus aqua ablutis alias quotidiano ritu induunt.* Hactenus Benjamin; qui licet quædam falſa cum reliquis Judæis de Samaritanis fingit, viz. de tribus literis quas non agnoſcunt; de quo aliiſque mendaciis à Judæis confictis ſtatim dicemus, quoad ceremonias tamen & religionem eorum à vero non multum aberrat, cum in his conſentiant alii Benjamino multo fide digniores auctores. Joſephus enim l. 9. c. ult. ſcribit, *Poſtquam Legem & Dei colendi rationem ab iis* (Sacerdotibus à Ptolemæo miſſis) *edocti, diligenter eum cœperunt colere, moxque ceſſavit Peſtilentia; permanentque nunc quoque in ea religione, Cuthæi vocati Hebræis, Græcis vero Samaritæ.* Epiphanius vero Hæreſ. 9. dicit illos *accepta Lege hoc unum ſtuduiſſe ut Idolorum repudiata ſuperſtitione ſummum Deum agnoſcerent.* Etiam inter Rabbinos doctiores hoc de illis affirmant; Maimonides in Berachoth c. 8. Sect. 8. *ſcribit quod Deum quidem timuerunt ſed Idola ſua ſimul coluerint; verum tractu temporis didicerunt Legem, & eam acceperunt ſecundum ſenſum literalem ſuum: præcepta autem quæ apprehenderunt accuratiſſime obſervabant, corque ſuum valde iis apponebant.* Sic Obad. de Bartenora, Eodem Tract. c. 7. Sect. 1. *Obſervabant Legem ſcriptam, & omne præceptum quod tenuerunt, id longe diligentius & accuratius obſervabant quam ipſi Iſraelitæ.* Hæc Rabbini de illis affirmant. Addunt vero *poſtquam ſapientes in eos inquiſiverunt inveniſſe quod columbæ ſpeciem adorarunt, unde pro Idololatris habiti.* Joſephus l. 12. c. 1. ſcribit *ipſos inſtituta patria pertinaciter retinere.* Et Epiphanius l. 1. De Hæreſ. dicit, *Omnia habent, quæ Judæorum, niſi abominari Gentes, nec attingere aliquos, & præterquam quod negant reſurrectionem mortuorum, & adverſantur aliis Prophetis præter Moſem.* Poſtea Sectas quatuor inter eos deſcribit; Gorthenos, qui aliis temporibus feſtivitates agunt quam Sebuæi; Sebuæos, qui ob eandem cauſam à Gorthenis diſſentiunt; Eſſenos, qui neutri adverſantur, ſed cum omnibus feſta indifferenter celebrant; Doſitheanos, qui in iiſdem gentibus velut Samaritæ vitam degunt, utuntur etiam libris Moſis, amplius autem quam alii ſervant abſtinentiam ab animatis, & frequenter in Jejuniis vivunt, quidam ipſorum etiam Virginitatem ſervant, alii continenter agunt, creduntque mortuorum reſurrectionem, quod alienum eſt à Samaritis. Ægyptii Samaritæ à Ptolemæo Lago traducti à Synagoga & Synedrio Garizim typum anni quem ſequi debeant accipiunt, qualem anno Chriſti 1589. Cairo ad ſe in Galliam miſſum fuiſſe ſcribit Scaliger, qui incipit, *In nomine Jah*, ipſum vero typum ibidem ſubjicit. Hic etiam Epiphanius licet vir doctrinæ multiplicis, à Judæis tamen deceptus, quædam ipſis aſcribit quorum rei non erant, viz. quod reſurrectionem negarent. Inter ſectas etiam eorum, cum Eſſenos numerat, Joſepho contradicit, qui Eſſenos facit tertiam Judæorum ſectam, non ſecus ac Phariſæos, & Saducæos. Sectas iſtas longe antehac evanuiſſe conſtat, cum nullæ illarum reliquiæ hodie inveniantur, quaſdam tamen antiquas fuiſſe patet, cum Doſithei Doſitheanorum principis meminerit Tertullianus De præſcriptione, & ipſum Apoſtolorum temporibus fuiſſe ſcribit Origenes in Matth. 27. Judaicam religionem amplexi ſunt, in multis tamen ab eis diſcrepabant. I. Montem Garizim dicebant eſſe locum Sanctum, ubi Deus colendus eſt, non Hieroſolymæ. II. Pentateuchum ſolum recipiebant, reliquis libris ſacris rejectis. III. Traditiones omnes quas Sacro textui æquiparant Judæi rejiciebant, ſoli literæ adhærentes. De primo negari non poteſt, ipſorum codices, de loco publici cultus, Deut. 37. 4. corruptos eſſe, cum non tantum Judæorum Pentateuchus, ſed omnes libri Hiſtorici & Prophetici ubique Templum Hieroſolymitanum locum à Deo electum eſſe affirment. Traditiones etiam (quas verbo ſcripto æquant Judæi) cum Saducæis rejiciunt, quæ licet ad traditionem in Monte Sinai per legem oralem a Judæis referantur, tamen poſt ſchiſma Samaritanum introductæ ſunt pleræque a Phariſæis traditionum Magiſtris, quorum ortum ſtatuunt docti circa tempora Macchabæorum fuiſſe, & niſi a R. Jehud. in Miſchnam (quæ Talmudis textus) ſcripto conſignatæ fuiſſent, inter tot Judæorum exilia et diſperſiones, tam Judæis ignotæ eſſent quam Samaritanis.

7. Alia vero quæ ipſis affingunt Judæi meræ calumniæ ſunt, viz. I. Ipſos coluiſſe imaginem Columbæ in memoriam Semiramidis. II. Reſurrectionem negaſſe. III. Tres literas Alphabeti non agnoviſſe. IV. Verba Geneſis 1. 1. *In principio creavit Deus*, ipſos legiſſe, *In principio creavit Aſima.* Hæc enim omnia totidem Judæorum commenta eſſe nullo negotio oſtenditur. I. Quod reſurrectionem negarunt non ſolum Judæi ſed etiam ſcriptores quidam Chriſtiani illis attribuunt. S. Gregorius l 1. Moral. in Job, c. 15. Samaritanos Camelis aſſimilat, *qui grave onus in dorſo mentis tolerant, quia in omni quod faciunt ſine ſpe æternitatis elaborant*, fidem quippe Reſurrectionis neſciunt. Idem ſcribit Epiphanius de omnibus eorum Sectis, Doſithei excepta, qui ſe pro Meſſia venditabat, ut ex Orig. l. 2. Contra Celſum conſtat. Saducæi quidem cum primum orti ſint, Samaritanis mixti in eorum Templo ſacrificarunt, & cum ipſis Traditiones rejecerunt, unde & illa quæ Sectæ alterutri propria erant utriſque communia credebantur. Samaritanos vero reſurrectionem expectaſſe, vel inde liquet quod Meſſiam expectabant. *Cum veniet Meſſias* (inquit mulier Joh. 4. *annuntiabit nobis omnia.* Et Juſtinus (qui & ipſe patria licet non proſapia Samaritanus) Dial. contra Tryphonem ſcribit *Judæos & Samaritanos nunquam non Chriſtum præſtolantes advenientem & præſentem non recepiſſe, paucis exceptis.* Nec de ulla inter Judæos Secta (exceptis Saducæis) legimus quæ reſurrectionem negaret. Affirmat quidem Scaliger ex Chron. Samarit. probari poſſe eos reſurrectionem crediciſſe, ſed verba non citat. Alius vero vir doctus ex verbis Scribæ Chronici iſtius, in quibus à Deo remiſſionem pecatorum precatur, ipſum reſurrectionem & alteram vitam expectaſſe probat, argumento ut mihi videtur infirmo, cum peccatum remitti poſſe reſpectu pœnæ temporalis hujus vitæ certum ſit, unde poterat Saducæus petere remiſſionem peccati licet vitam futuram non crederet. II. Idololatriæ ipſos paſſim accuſant, & inter Paganos numerant Judæi, ut ex Maimonide & Obad. de Barten. locis citatis conſtat, qui ſcribunt ipſos in monte Garizim Columbæ imaginem coluiſſe. Alii, ut in Talm. Maſſech. Avoda Sara. c. 5. dicunt ipſos adoraſſe *Teraphim*, Idolum quod ſuffurata eſt Rachel à Labane, quodque ſub quercu prope Sichemum ſepultum erat à Jacobo Gen. 35. Hæ autem meræ calumniæ; cum Samaritani omnem Idololatriam non minus quam Judæi abominentur;

occaſionem autem hujus calumniæ arripuerunt, quod Aſſyrii (à quibus orti Cuthæi) in Vexillis columbam habuere. Unde illud Jer. 25. *Facta eſt terra in deſolationem à facie iræ columbæ:* id eſt, Aſſyriorum. Refert etiam Diodorus Sicul. l. 3 Semiramidem infantem ab avibus, præcipue à Columbis, enutritam fuiſſe, unde illa primum in Vexillo Columbam poſuit, & ab illa hunc morem habuere Aſſyrii. Refert doctiſſimus Hottingerus Exercit. Anti-Mor. ſect. 17. ex Chron. Samar. nondum edito, quod cum Alexander mandaſſet ut imagines & Idola erigerent Samaritani, in monte benedicto convenerunt Deum ſupplicantes ut Alexandri decretum irritum faceret, &c. Utque Alexandrum placarent liberis ſuis Alexandri nomen impoſuerunt: Unde cum ex Ægypto redux ipſos interrogaſſet de ſtatuis quas erigi juſſit ſtatim filios ſuos produxerunt, exclamantes, Hæ ſunt, ô Rex, ſtatuæ vivæ quæ omnes nomine tuo appellantur. III. Quod ad literas tres quas vult Benjamin Cuthæos ex Alphabeto eliminaſſe, nil falſius dici poterat. Nam ut Scaliger De emend. l. 7. p. 662. his literis ubique ſcatent Samaritanorum codices, quod & in Pentateucho jam edito & ejus MSS. antiquiſſimis aliiſque ipſorum libris liquido omnibus conſtat. Schickardus l. De jure Reg. Notis ad calcem, hinc argumentum petit, ut ipſe putat, validum ad probandum ipſorum literas non fuiſſe ante Hebraicas, cum iſtis literis careant. Schickardus certe nunquam vidit ullos libros Samaritanos, aliter non ita lapſus eſset. Nec quicquam valet quod adfert vir doctiſſimus, Licet habuerint harum literarum figuram, non tamen veram pronunciationem, quia viz. iſtæ literæ apud ipſos varie invicem commutantur: nam hoc argumento probaret pluribus literis eos caruiſſe, cum nil notius ſit quam alias literas, præſertim ejuſdem organi, ſepe inter ſe commutari. Tandem quod ſcribunt de Aſima Gen. 1. 1. *In principio creavit Aſima* (quod Aſima eſſet Idolum Emalecitarum, ut ab Ezra Præf. in Eſther) MSS. libri Pentateuchi, etiam antiquiſſimi, hoc commentum refutant, qui cum Judæis Heb. habent *Elohim* ࠀࠋࠄࠉࠌ, in verſione Samaritana ࠀࠋࠄࠄ. Et multo ſpecioſius, inquit Scaliger, mentiti fuiſſent ſi dixiſſent ſcriptum eſſe, *In principio creavit Nergel*, quia Nergel erat unum Idolorum Cuthæorum 2 Reg. 17. non autem Aſima. Hactenus de Samaritanorum gente Hiſtoria; jam ad ipſorum Pentateuchum ejuſque Verſiones veniendum.

8. De Pentateucho Samaritano dicturis non opus eſt aliquid de literis eorum addere iis quæ ſupra Proleg. de antiquis literis Heb. diximus, ubi probavimus characteres hodiernos Samaritanorum quibus libri ipſorum exarati ſunt eſſe antiquos Hebraicos, quibus lex Moſis aliique libri ſacri primo conſcripti ſunt: oſtendimus enim tum quia Judæi reduces Aſſyriacæ Scripturæ aſſueti linguæ vernaculæ & characterum Heb. obliti eſſent, tum propter eorum odium verſus Samaritanos literas antiquas eos Cuthæis reliquiſſe, ſcripturamque V. Teſt. quam reſtituit & ordinavit Eſdras cum viris magnæ Synagogæ, characteribus Aſſyriis (qui hodie Hebræi appellantur) conſcripſiſſe. De Pentateucho itaque hæc nobis tractanda ſunt. I. Cur ſolum Pentateuchum recipiant Samaritæ. II. Unde & ex quibus exemplaribus deſumptus ſit. III. Ad idem ſit cum eo quem Hieron. aliique vet. ſubinde memorant. IV. De ejus auctoritate & uſu. V. De ejus verſionibus.

9. Cur Pentateuchum tantum recipiunt variæ poſſunt cauſæ aſſignari. Primo enim Pentateuchus ſolus religionis Judaicæ ſummam complectitur, cujus reliqui libri ſunt explicationes. Unde cum in illo fœdus Dei cum populo Judaico comprehenſum ſit, conſtans mandatis & legibus per quas tum Sacra tum Civilia apud ipſos adminiſtrari debeant, præmiis etiam & pœnis ſancitum, hujus ſolius exemplaria per ſingulas tribus inter populum diſperſa erant, ex quibus Levitæ eos inſtruerent. Hinc eſt quod tradunt Judæorum magiſtri, *Unumquemque teneri legis exemplar vel per ſe, vel ſi ſcribere neſcit, per alium deſcriptum habere, non item reliquorum librorum.* Unde & peculiarem ſanctitatem Pentateucho præ reliquis libris attribuunt. Reliqui enim libri licet in Templo aſſervati, unde exemplaria deſcripta Sacerdotum & Doctorum manibus terebantur, apud populum tamen in rariori uſu erant; nec in unum volumen fortaſſe redacti ante Eſdræ tempora, à quo cum magna Synagoga Canon hodiernus, ut plerique ſtatuunt, conſtitutus eſt, & in Legem, Prophetas, & Hagiographa partitus. Præterea cum X tribus primum à reliquis abſciſſæ erant, librorum Hiſtoricorum vel Hagiographorum multi, Prophetarum vero nulli extabant. Cumque ubique fere Prophetæ in Reges Iſraelis eorumque populum & in Samaritanos judicia Divina prædixerint propter ſchiſma & Idololatriam & cultum corruptum, tum quod alio loco quem Deus non elegerat ſacrificia & ſacra celebrarunt, neglecto Templo Hieroſolymitano, in quo Deus nomen ſuum poſuerat, nemini mirum videbitur, ſi reliquis ſacris libris rejectis ſolo Pentateucho adhæſerint: ſi enim libros reliquos recepiſſent, cultum & religionem propriam damnaſſent, cum illi ubique teſtentur in nullo alio loco quam Hieroſolymis cultum publicum Deo gratum præſtari poſſe. Demum cum Eſdræ temporibus odia & ſimultates inter Judæos & Samaritas exarſerint, ita ut illi hos anathemate percuſſerint, hi vero, multis ex Judæis ad ipſos cum Manaſſe Pontificis fratre confluentibus, aliud Templum in monte Garizim, Hieroſolymitani æmulum extruxerint, quod locum Sanctum eſſe in lege Moſis (quam in hoc manu ſacrilega corruperunt) conſtitutum pro cultu publico contenderent, nil mirum ſi Canonem ſacrum ab Eſra & ſociis factum rejicerent, & ſolius Pentateuchi, quem antiquitus ſemper inter ſe habuerunt, divinam autoritatem agnoverint. Quod vero Hieronymus aliique ex veteribus crediderunt etiam & Saducæos cum Samaritis ſolam Legem agnoviſſe, rejectis reliquis Scripturæ libris, manifeſte falluntur. In quibuſdam eos cum Samaritis ſenſiſſe jam oſtendimus, ſed in hoc in diverſum abiiſſe certum eſt, cum Joſephus aperte dicat Saducæos τὰς παραδόσεις ἀγράφους, *traditiones non ſcriptas* rejeciſſe, ſed πάντα τὰ γεγραμμένα *omnia quæ ſcripta ſunt* amplexos. Præterea cum in Templo Hieroſolymitano ſacrificarent eo ipſo teſtati ſunt ſe locum illum agnoviſſe ſecundum Prophetas & libros Hiſtoricos pro ſede à Deo electa in cultum ſuum publicum. Nec hoc tacuiſſent Phariſæi ſi Prophetas rejeciſſent, hoſtes ipſorum capitales, ſed Populum in eos concitaſſent ut lapidibus obruerent, ut dicit J. Scaliger Elench. Trihæreſ. c. 16. apud quem & Druſium De tribus Sectis l. 3. c. 9. alioſque plura contra hanc ſententiam adducuntur.

10. De ſecundo. Pentateuchum hunc ſæpe citant Hieronymus aliique Patres, quorum teſtimonia jam afferemus, à quorum temporibus ad ſeculum noſtrum ſupra annos mille in tenebris ſepultus jacuit. J. Scaliger, qui Chronicon Samaritanum ex Hebræo priſco in linguam Arabicam converſum ſed literis Samaritanis ſcriptum nactus erat, Pentateuchum autem nunquam vidit conqueſtus, eſt de hominum Chriſtianorum negligentia, qui in Palæſtina peregrinantes poſſent & alia, & Pentateuchum à Samaritanis adipiſci, ex cujus cognitione ſperavit uberrimos fructus in Sacram Hiſtoriam redundaturos l. 7. Emend. Ad eundum modum Waſerus Comment. in Mithrid. Geſneri pag. 129. ſcribit, *Si à Samaritanis Pentateuchum extorquere & Sedarim ſive Annales habere poſſemus, multa, quæ in S. literis adhuc obſcura, eorum opera illuſtrarentur.* Joh. Morinus qui primus noſtris temporibus de Pentateucho Samaritano aliquid publicavit Præf. in Editionem τῶν ό Pariſienſem 1628. deſcribit MS. librum Pentateuchi in Bibliotheca Oratoriana Pariſienſi, quem ex Oriente attulit Harlæus Sancius ejuſdem Congregationis Presbyter, ex quo quædam ibidem notat quæ difficultates quaſdam in textu Hebræo elucidare videntur, poſtea integrum volumen edidit Pariſiis anno 1631, ubi de hoc Pentateucho ejuſque ſinceritate & uſu, item de Samaritarum origine, rebus geſtis, cum Judæis diſſidio, ſtatuque tum antiquo tum hodierno, diſſerit. Multa etiam habet notatu digna in Præf. ad Pentateuchum Samaritanum in Bibliis magnis Pariſienſibus, & in opuſculis Samaritanis nuper editis, in quibus Grammat. Samar. cum Lexico, variis lectionibus & annotatis in Samar. verſionem. Contra quem calamum ſtrinxit Simeon de Muis Profeſſor Hebr. Pariſienſis, Joh. Hottingerus Exerc. Antimorin. Bootius etiam & Taylerus ſcripto aculeato, cum aliis. Reverendiſſimus vero noſter Jacobus Uſſerius, Archiepiſcopus Armachanus, ſi non primus certe inter primos erat, qui magnis ſumptibus exemplaria Samaritica Pentateuchi in Europam intulit. Hic enim exemplaria varia Manuſcripta ex Palæſtina comparavit, una cum Arabicæ verſionis magna parte, quarum aliqua variis amicis communicavit, nobis etiam quædam quæ magno nobis uſui erant commodavit. Unum eorum Pentateuchum integrum pulchre exaratum habet; aliud in quibuſdam lacerum & imperfectum, utraque vero ita accurate ſcripta, ut vix per integrum aliquod folium unius literulæ differentiam obſervare licuerit; tertium verſionem habet Arabicam una cum textu Samaritano, ipſam quoque accurate factam; aliud Lyturgiam Samaritanorum ex parte complectitur; aliaſque ſchedas laceras licet & imperfectas communicavit, quæ magno nobis adjumento erant in adornando Pentateucho noſtro, eumque à mendis, quæ in Editionem Pariſianam irrepſerant, repurgando. In exemplaribus vero omnibus Samaritanis nullus eſt punctorum vocalium uſus, nulla enim agnoſcunt Samaritani, ſed ſecundum antiquum morem etiam Hebræis uſitatum ante punctorum inventionem, & antequam inter Judæos & Samaritanos odium capitale eruperat, per literas tres ࠀࠉࠄ quæ *matres lectionis* vocantur apud Judæos, quæque etiam antiquitus pro vocalibus habebantur (prout alibi probavimus Proleg. De punctis vocalibus) omnes vocales efferunt: dictiones ſingulas non ſpatio tantum, ſed & puncto ſeparant, ut olim tam Græci quam Latini; Comma vero, Colon, ut & Periodum per punctum unum ſuper aliud poſitum, vel Aſteriſcos diſtinguunt, puncta vero duo in longum poſita orationis continuationem ſine mora indicant poſt brevem reſpirationem; ſed notæ iſtæ fere ſunt pro ſcribarum arbitrio, non conſtantes, nec in omnibus codicibus eædem. Sectiones vero diſtinguunt duobus vel tribus punctis cum lineis ad hunc modum :-= vel -<:- aliquando inter duas Sectiones ſpatio unius lineæ vacuo relicto. In noſtra editione ad initium cujuſq; Sectionis duos aſteriſcos appoſuimus. Sæpe etiam ponunt virgulam ſuper literam, cum vox ambigua vel in uſiata ſignificatione non accipienda eſt, ut Exod. 5. 3. ࠁࠃ̄ࠁࠓ *cum peſte*, Lineola ſuper Daleth notat non cum duplici a, nec in communi ſignificatione accipiendum, viz. pro *verbo* ſed per duplex e legendum, quomodo *peſtem* ſignificat, aliquando literam aliquam abeſſe demonſtrat quæ adeſſe debet, vel cum litera ſequentis dictionis commutandam, ut Gen. 4 4. ࠄࠉࠔࠏ̄ linea ſupra Ain notat abeſſe ࠄ. Gen. 29. 34. in verſione Samarit. ࠌࠀ̄ lineola ſupra ࠀ monet, Aleph pro He ſcriptum eſſe. Aliquando vero duplex linea ſupraponitur, quam fatetur Morinus quid denotat ſe non poſſe conjicere. Obſervat etiam idem alias notas occurrere, quæ Interrogationum, Obſecrationis, Exclamationis, Ironiæ, Indignationis, *&c.* aliorumq; affectuum ſigna habent, quæ tamen nec in diverſis codicibus, nec in eodem codice conſtanter obſervantur, ſed modo hac vel alia figura uſurpantur; modo in totum omittuntur, adeo ut de iis nulla certa regula tradi poſſit, ita ut non opus ſit plura de iis monere. Singulos etiam libros Pentateuchi in Sectiones quaſdam valde inæquales diſtinguunt, quas ࠒࠑࠉࠌ *Katſim* vocant, Judaicis Paraſchis & Sidris multo breviores: nam in tota Lege numerant *966*, Judæi vero tantum 53 Paraſchas, & Sidras 145. Ad ſingulorum etiam librorum finem numerum Sectionum apponunt, & in Judæorum imitationem etiam ſingula per totam Legem vocabula numerarunt, & Levit. 7. poſt Verſ. 15. notant *dimidium Legis*, in noſtro MS. integro ࠐࠋࠂࠄ࠰ࠃࠀࠓࠉࠕࠄ dimidia pars Legis; quod de vocabulis intelligendum; nam in vocibus quas plene vel defective ſcriptas notant Judæi non ſunt accurati Samaritani, ſicut nec erant Judæi ante Maſorethas punctorum autores, unde obſervatur literas quæ poſt punctationem abeſſe debent plerumque in codicibus Samaritanis relictas eſſe, quia ſcilicet ita ſcribebant ante punctorum inventionem. Hæc in genere annotaſſe ſufficit de Pentateuchi textu Samaritano; de Verſionibus ejus poſtea agendum.

11. Unde autem vel ex quibus codicibus ſuum exemplar deſcripſerint Samaritani, etſi ex ſupradictis clarum ſit ipſos eadem exemplaria cum Judæis ab initio habuiſſe, eaque antiquis literis Hebræis deſcripta, [unde Joſephus Scaliger De emendat. Temp l. 6. in Notis ad annum Samariticum dicit, *totidem literis ne una quidem minus aut amplius Pentateuchum legere Samaritanos, & tantum abeſſe ut aliquod aſſuerint Pentateucho, ut totidem literis quot Judæi ſcriptum habeant*: ſed in hoc viro docto ignoſcendum, qui hoc ex aliorum relatione ſcripſit, ipſo ibidem fatente ſe Pentateuchum Samaritanum non vidiſſe, quem ſi conſuluiſſet longe aliter ſcripſiſſet.]

quidam tamen Neoterici, & inter alios vir longe Doctiſſ. quaſi exiſtimarent textum Hebræum non poſſe in debito honore ſervari, niſi omnia alia exemplaria Verſioneſque antiquas deprimant & pedibus conculcent, ſtatuunt ex Hebraica à Palæſtinis & Babyloniis, atque Græca Helleniſtis Judæis recepta editione, Hebræam novam ſive Samaritanam hodiernam conflaviſſe impoſtorem quendam Doſitheum, (quem ſupra ex Epiphanio & Origene docuimus fuiſſe ſectæ Doſitheanorum inter Samaritanos caput & principem, qui ſe Meſſiam eſſe ſectæ ſuæ hominibus perſuadere laboravit) hunc novis detractionibus, mutationibus & adjectionibus, prout libitum, Pentateuchum contaminaſſe. Poſtea idem author in Doſitheum hunc mire debacchatur, ipſum *nefandum impoſtorem* & *hominis monſtrum* appellans, quaſi totum textum Heb. corrupiſſet; unde miſere paratragœdiat, & fulgura in pelvi excitat. Hæc vero unde probantur? Origenes l. 1. Contra Celſum ſcribit quod *poſt Jeſu tempora Doſitheus Samarita ſuadere Samaritas voluit ſe eſſe Chriſtum illum a Moſe prænunciatum, & viſus eſt nonnullos doctrina ſua cepiſſe:* & in Matth. Tract. 27. *Sicut manifeſtat hiſtoria lectionum non multi fuerunt homines tempore Apoſtolorum qui Chriſtos ſe eſſe dixerunt, niſi forte Doſitheus Samaritanus, unde & Doſitheani dicuntur, & Simon, de quo referunt Actus Apoſtolorum.* Eulogius etiam Patriarcha (apud Photium in Bibliotheca) Synodum convocavit exorta controverſia inter Samaritanos Alexandrinos de illo loco Deut. 18. 15. *Prophetam tibi ſuſcitabit Dominus Deus tuus ex fratribus tuis ſicut me*, quæ verba alii eorum ad Joſuam, alii ad Doſitheum, ſive Doſthen, Simoni Mago æqualem referebant. Eulogius vero de Jeſu Chriſto intelligi definivit. De Doſitheo vero hæc habet Photius, Μυρίαις ϗ ποικίλαις ἄλλαις νοθείαις τὴν Μωσαϊκὴν Ὀκτάτευχον καταχιβδηλεύσας, ϗ ἕτερά τινα συγγράμματα, μωρά τε ϗ ἀλλόκοτα ϗ ἀπεναντία πνευματικῆς νομοθεσίας συντεταχὼς τοῖς πειθομένοις κατέλιπεν. *Infinitis diverſique generis corruptelis Moſaicum Octateuchum* (fortaſſe *Pentateuchum* eſſe debet) *adulteravit, alioſque libros ſtultitia & portentis plenos diviniſque legibus contrarios conſarcinavit, ſuiſque aſſeclis reliquit, Reſurrectionem quoque negavit,* &c. *Quibus illi faſcinati proinde quaſi ille non periret ſed alicubi in hac vita degeret eum ſuſpiciebant, ut in Evang. Joh. 1. tom. 14. habet Origenes.* Verum quæ hic objiciuntur Pentateuch Samaritani exemplaria hodierna non petunt. Doſitheum quendam fuiſſe qui ſe pro Meſſia venditabat, & qui cujuſdam ſectæ inter Samaritanos dux fuit, quoſdam etiam ſequaces habuiſſe non negamus, nec non exemplaria quædam corrupiſſe & adulteraſſe, quæ ſuis aſſeclis tradidit. At omnes Samaritanos vel majorem gentis partem ipſum ſecutos fuiſſe, & pro Meſſia agnoviſſe, vel Pentateuchum juxta ejus exemplaria corrupta depravaſſe, nullo teſte probatur, imo contrarium liquido demonſtrari poteſt. Nam ex Photii verbis & Eulogii Decreto conſtat inter Samaritanos Alexandrinos fuiſſe qui ſe Doſitheanis oppoſuerunt, & ad Eulogium appellarunt, nec potuiſſe illum omnia exemplaria depravare ſi vellet, cum in Synagogis Sichemi, Damaſci, Cairi, aliiſq; locis in publico uſu eſſent exemplaria incorrupta, per quæ reliqua corrigi & emendari poſſent. Idem enim hic dici poteſt quod ſupra diximus contra corruptionem textus Hebraici a Judæis, vel Græci N. T. per Hæreticos, non potuiſse, ſi maxime vellent, corruptionem talem inducere niſi omnes Samaritani in talem corruptelam conſenſiſsent. Certe ita obſcurus erat Doſitheus, & tam paucos ſequaces habuit, ut de eo prorſus ſileat Joſephus nec vel unico verbo ejus meminit, quod certe, ſi apud gentem Samaritanam ita prævaluiſset ut pro Meſſia ab ipſis receptus eſset, ſilentio ſcriptor diligentiſſimus, qui eodem tempore vixit, non præteriiſset. Dein ex ipſorum exemplarium inſpectione clarum eſt illa a corruptela iſtiuſmodi immunia eſse; nam ſi aliqua loca depravaſset, maxime quæ de Meſſia agunt, quæ, ut ad ſeipſum applicare poſset, pervertiſset: at vero omnia iſtiuſmodi loca in Samaritanis codicibus cum Heb. codicibus conveniunt, Ut locus ille de promiſſo ſemine, Jacobi vaticinium de Shiloh venturo ex tribu Judah; imo ipſum locum Deut. 18. 15. De quo controverſia orta erat, partes utræque eodem modo citant prout in Heb. codicibus legimus, & hodie legunt Samaritani. Apud Photium etiam legimus eodem loco Doſitheum in divinos Dei Prophetas maledicum fuiſse, potiſſimum in Judam unum ex 12 Patriarchis contumelioſum: & quod Prophetis omnibus exploſis exſibilatiſque ipſe ſibi omnia & vaticinia & reliquam Divinitatem arrogavit, & reſurrectionem negavit. At vero nihil tale in Pentateucho Samaritano legitur, vel in Prophetas maledicentiæ, vel in Judam Patriarcham maxime, de quo omnia eodem modo ſcripta invenimus quo in libris Heb. In quibuſdam quidem variant codices Samaritani ab Heb. præſertim in loco illo de monte Garizim, qui de induſtria videtur mutatus, ut novo ſuo Templo autoritatem inde conciliarent: tranſponunt etiam varia, & multa repetunt quæ in Heb. non habentur, ut ex locis ab Heb. variantibus, quos in ultimum Tomum rejecimus, liquet: Quid vero hæc ad Doſitheum faciunt plane non video. Illud de *monte benedicto*, ut appellant, longe ante Doſithei tempora erat, cum primo templum Garizitanum Eſdræ temporibus exſtructum fuit. Tranſpoſitiones vero locorum nihil ad Textus depravationem conferunt, nec ad Doſithei propoſitum quicquam faciunt, ut nec verſuum quorundam repetitio, qui ſæpius occurrunt quam in Heb. quædam etiam diſcrepantiæ vel ex codicum varietate, vel ſcribarum incuria & lapſu oriri poſsunt prout in aliis libris antiquis, Reſurrectionem vero Samaritanos generaliter credidiſse ſupra probavimus, ita ut in codicibus hodiernis ne leviſſima quidem ſuſpicionis umbra appareat de corruptione per Doſitheum facta, ſed omnia potius contrarium probant: ſi enim ab ipſo depravati eſsent, certe in iis locis quæ contra ipſum facerent, hoc tentaſset; nemo enim gratis malus eſt. Antiqui Hæretici qui loca quædam Nov. Teſtamenti depravare conati ſunt, in locis quæ contra ipſos facerent, vel quæ pro Hæreſi ſua ſtabilienda facere viderentur, hoc tentarunt, non in locis quæ rem ſuam non promoverent; & certe de Doſitheo idem par eſt ſentiamus. Si vero generalis hæc depravatio codices Samaritanos invaſiſſet, anne de hoc ſilerent Judæi capitales ipſorum hoſtes? nonne pleno ore hoc ebuccinarent Rabbini, qui de iis tot mendacia gratis confinxerunt (de quibus jam diximus) ut eorum codicibus fidem derogarent? Apud neminem vero ipſorum me legiſſe memini hæc de corruptis ipſorum codicibus a Doſitheo, nec apud antiquos ſcriptores Eccleſiæ, qui Pentateuchum Samaritanum citant, Hieronymum, Cyrillum Alex. Euſebium Cæſarienſem, Procopium Gazæum, Diodorum Tarſenſem quicquam invenimus de corruptione per Doſitheum in codicibus qui eorum temporibus extabant introducta, imo potius Hieronymus ex Pentateucho Samaritano colligere non dubitat, Judæos quædam in codicibus ſuis eraſiſſe, ut in loco celebri Gal. 3. *maledictus omnis*, &c. aliiſque, de quibus ſupra, clare conſtat. Ex hoc itaque Doſithei conatu, ſi valeret argumentum contra omnes hodiernos codices Samaritanos, itidem valeret argumentum contra libros Græcos N. Teſtamenti, viz. eos corrumpere nitebantur Hæretici quidam ad Hæreſes ſuas ſtabiliendas, ergo omnes Græci hodierni corrupti ſunt, qualis conſequentia quam invalida ſit luſcus eſt qui non videt.

12. Aliorum ſententia eſt, Pentateuchum Samaritanum deſcriptum eſſe ex Judæorum codice poſt Eſdræ tempora, vel certe poſtquam codex Hebraicus literis Aſſyriis deſcriptus eſſet, quod probant ex frequenti commutatione literarum quæ figura in Alphabeto Hebraico valde ſimiles ſunt, unde facilis eſſet ſcribæ lapſus, in Samaritano vero multum diſcrepant, ut in ח pro ה Exod. 28. 9. שחם *Sardonyx* pro שהם. Sic Gen. 14. 14. ponitur ד pro ר, ut pro וירק *armavit*, legunt Samaritani ࠅࠉࠃࠒ Sic , pro ו & e contra, ut Exod. 22. 11 ࠅࠉࠔࠋࠌ *& retribuet* pro ישלם *retribuet*. Hoc argumentum profert Guil. Eyrius, nuper Præbendarius Elienſis, Epiſt. ad Reverendiſſimum Uſſerium, & inde probare nititur, hodiernas Judæorum literas fuiſſe ante Samaritanas quia ex codice Hebræo deſcriptus eſt codex Samaritanus. Ad hoc vero argumentum reſponderi poteſt, Samaritanos codices ſuos antiquos, quos antea habuerunt, conferre potuiſſe cum aliis Aſſyriaco charactere ſcriptis, & hinc fortaſſe in literis ſimilibus varietatem illam oriri potuiſſe, vel Manaſſem alioſque Sacerdotes, cum ad Samaritanos ſe reciperent, habuiſſe & ſecum attuliſſe codices quoſdam ex emendatione Eſdræ & Synagogæ magnæ literis Aſſyriacis deſcriptos, ſecundum quos Samaritani ſuos emendare in quibuſdam poterant. Diſcrepantiæ etiam iſta ex aliis cauſis oriri poterant, ex codicum varietate, & in quibuſdam ex ſoni ſimilitudine. Poterant enim codices antiqui in hiſce vocabulis olim diſcrepare, & cum Samaritani lectionem unam ſecuti ſint, Eſdras & ejus ſocii alteram elegerunt. Voces enim iſtæ non tantum literis ſed ſæpe ſignificatione differunt. Præterea non tantum literis figura ſimilibus, quæ paucæ, quod & caſu fieri poſſet, ſed pluribus differunt quæ figuram ſimilem non habent. Hoc etiam à veritate alienum eſſe probant tot tranſpoſitiones, verſuum repetitiones, aliæque diſcrepantiæ inter Textum Hebraicum & Samaritanum, quarum catalogum in Tomo noſtro ult. Lector inveniet, quæ ſole clarius demonſtrant Samaritanos codices ex Hebræis non deſcriptos fuiſſe. His itaque non obſtantibus multo probabilior eſt ſententia, Samaritanos codices & Hebræos, utcunque hodie in aliquibus diſcrepent, eoſdem tamen olim fuiſſe eodemque charactere ſcriptos, quem Samaritani adhuc retinent. Nam tempore Regum Iſraelis, decem tribus habuiſſe Pentateuchum, & Sacerdotes, qui ex illo inſtruebant populum, ſupra oſtendimus. Poſtquam vero abductæ erant decem tribus & Samaritani in eorum ſedes introducti, & Leones in eos Deus immiſerat ob Idololatriam, Sacerdotem impetrarunt à Rege qui ipſos morem Dei regionis doceret, unde licet Idola ſua adhuc retinuerunt, tamen Deo vero cultum præſtabant, quod tantum apud ipſum prævaluit, ut Leones ab ipſis amoveret. Dicunt etiam ſe Deo ſacrificaſſe à temporibus Ezarhaddon qui illos iſtuc tranſtulit, Ezr. 4. At vero ſine exemplaribus Legis impoſſibile erat eos in cultu veri Dei inſtruere, ita ut dubitari non poſſit ipſos habuiſſe Legis exemplaria ante extructionem Templi Garizitani. Exemplaria vero iſta alia non fuiſſe quam quæ Judæis in uſu erant non eſt quod quis ambigat. Imo vix probabile eſt nulla relicta fuiſſe exemplaria poſt aſportationem decem tribuum inter illos qui in terra relicti ſunt: nam ſupra probavimus totum populum non aſportatum fuiſſe ſed primores cum Sacerdotibus, è plebe multis relictis, unde & tribuum diſtinctio quædam longo poſt tempore ſervata fuit, licet Cuthæis qui cum ipſis mixti erant ſervirent.

13. Quod vero objicitur ex Hebræis codicibus Palæſtinorum & Babyloniorum, & ex Græca verſione Doſitheum Pentateuchum ſuum conflaſſe, ut gratis dictum, & nulla probatione ſuffultum, eadem facilitate rejicitur qua affirmatur. Doſitheum enim autorem eſſe codicum hodiernorum, ex dictis merum febricitantis ſomnium eſſe unicuique liquet. Quod vero dicunt partim cum codicibus Palæſtinis, partim Babyloniis, partim cum Græcis convenire, hoc ejus autoritati vel antiquitati non derogat, imo multum pro ipſo facit; non enim ex his conflatum & mixtum eſſe inde probatur, ſed longe ante illas Babyloniorum & Occidentalium codicum differentias obſervatas, & ante verſionem Græcam à LXX adornatam, Samaritanum Pentateuchum cum Judæorum codice conveniſſe & conſpiraſſe, cum nondum variæ iſtæ lectiones collectæ eſſent: nec diſcrepantes illæ lectiones Orientalium & Occidentalium tanti momenti ſunt, ut textus inde corruptus dici poſſit, nec qui cum alterutris conveniunt codices, ideo corrupti æſtimandi ſunt, prout alias oſtendimus cum de iſtis varietatibus egimus. Quod vero cum Græcis in quibuſdam convenit codex Samaritanus ubi Græca verſio ab Hebr. diſcrepat, hoc potius probat Hebraicos codices in minutis quibuſdam diſcrepaſſe, & LXX unam lectionem ſequutos fuiſſe, Maſorethas alteram. Quod inſuper dicunt Doſitheum pro libitu textui addidiſſe, detruncaſſe & mutaſſe, ex ipſorum codicum cum Hebræo collatione refutatur. Nec ſupponi poteſt quenquam ita dementem fuiſſe ut gratis malus eſset, vel nullius commodi cauſa textum depravaret.

14. An codices hodierni iidem ſint cum illis qui ab Hieronymo aliiſque veterum citantur proximo loco diſquirendum, quod nulla ratione melius explicari poteſt quam locorum qui ab illis citantur cum codicibus hodiernis collatione: ex his enim codicis hodierni ſinceritas demonſtratur. Hoc quidem prolixe egit Joh. Morinus Exercit. Pent. Samar. 3. c. 1. 2, 3. ad quem Lectorem remittimus, nos pauca ſeligemus. Quædam a veteribus notantur ubi Samaritanus codex ab Hebræo differt, quædam ubi Samaritanus cum Hebræo conſentit; in utriſque idem

conſenſus & diſsenſus in libris hodiernis conſpicitur, ut ex ſequentibus conſtabit. Multi inter veteres Samaritani codicis meminerunt, Euſebius, Cyrillus Alexandrinus, Procopius Gazæus, Diodorus, Hieronymus, Scholiaſtes Græcus & alii; per annos vero ſupra millenos quaſi tenebris ſepultus jacuit, nulla fere ejus mentione apud ullos autores facta. Tanta tamen diligentia codices ſuos conſervarunt Samaritani ut iidem plane hodie ſint quales antehac annis 1200, vel 1300. Euſebii ſcilicet & Africani temporibus, ita ut Simeon de Muis, accerrimus licet hujus Pentateuchi impugnator, dicat in Cenſura ſua, c. 3. quod teſtimonia veterum quæ a Morino afferuntur probant tale eſſe hodie Samariticum exemplar quale ante mille & amplius annos, id quod ultra illi concedit.

Euſebius Cæſarienſis annos à Diluvio ad Abrahamum ſupputat ex Africano ſecundum Calculum Hebræorum, τῶν ό, & Samaritanorum: calculum vero LXX cum Samaritanorum congruere notat, viz. quod ambo numerant annos 992. cum in Hebraicis codicibus ſint tantum 292. eundem vero calculum exhibent codices hodierni Samaritani. Ab exordio mundi etiam notat differentes calculos Hebræorum, LXX, & Samaritanorum ad Diluvium uſque, ubi Samaritanorum ſupputatio plane eadem eſt cum codicibus noſtris. Cyrillus Alexandrinus Gen. 4. ut & Hieronymus Quæſt. in Gen. teſtantur, hæc verba Cainis ad Abelem, *Tranſeamus in campum*, (quæ in Hebræo non ſunt, vacuo ſpatio in aliquibus codicibus relicto, Maſorethis inſuper ad marginem notantibus 28. eſſe iſtiuſmodi loca quæ in medio verſus deſinunt) in codicibus Samaritanis legi; ſic etiam ſunt in noſtris, ut & in LXX, Syro, Targ. Hieroſol. & in illo Jonathani adſcripto. Idem Hieron. in Gal. 3. 10. ſcribit, vocabula *omnis* & *in omnibus* in Deut. 27. ubi legitur, *maledictus ſit omnis qui non permanſerit in omnibus*, &c. Judæos è codicibus ſuis eraſiſſe ne ſub maledictione eſſe dicerentur, ipſum vero Samaritanos conſuluiſſe in quibus verbum illud ࠁࠊࠋ *in omnibus* reperit, quod & in noſtris codicibus hodie legitur, ut & apud LXX. Syrum & S. Paulum qui hæc verba citat. Hoc vero teſtimonium urget Hieronymus contra Judæos, *Fruſtra*, inquit, *illud tulerunt Judæi, ne viderentur eſſe ſub maledicto, ſi non poſſent omnia complere quæ ſcripta ſunt, cum antiquiores alterius quoq; gentis literæ id poſitum fuiſſe teſtentur*, ubi videmus ipſum Samaritanorum codicem Judæis opponere ut literis antiquioribus ſcriptum, quod fruſtra feciſſet ſi nullius autoritatis codex Samariticus fuiſſet. Hic vero contra Hieronymum inſurgit vir doctus, affirmans quicquid Hieronymus de literis & libris Samaritanorum ſcripſit vix tamen unquam codices illorum vidiſſe liquet, quod probat I. quia Hieronymus in Ezek. 9. ſcriptum reliquit, Tau Samaritanum inſtar crucis fuiſſe quod hodiernæ figuræ non congruit. II. Quia dicit literas Samaritanas apicibus ab Hebraicis differre, per *apices* ſine dubio intelligens puncta vocalia, cum tamen Samaritani puncta vocalia non habeant. At valde infirma ſunt hæc argumenta, & falſiſſimis nituntur fundamentis: nam ſupra probavimus, Proleg. de literis Hebr. antiquis Tau antiquum habuiſse crucis figuram, quæ paulatim deflexit in formam hodiernam: nec minus certum eſt Hieronymum per *apices* non intellexiſse puncta vocalia, de quibus nunquam ſomniavit, cum ejus ætate non extarent: dicit enim Daleth & Reſh apice tantum differre, ubi per *apicem* nimis clarum eſt literarum ductum & figuram non puncta vocalia denotari, ut in Proleg. de punctis vocalibus demonſtratum eſt. In Deuteronomio, quod Legis eſt repetitio, quædam inveniuntur quæ tamen in libris prioribus, viz. Exod. Levit. & Num. non habentur in codicibus Hebraicis, in Samaritanis tamen haberi notat Procopius Gazæus, quæ etiam in noſtris codicibus ita leguntur, ut Deut. 1. 6. ubi monet Procopius verba illa *Dominus Deus noſter locutus eſt nobis in Horeb, dicens*, &c. in Samariticis libris inveniri, *&c.* Num. 10. 10. Eadem leguntur in codicibus hodiernis Samariticis. Similiter monet ejuſdem cap. v. 9. ad v. 19. verba quæ hic repetuntur nullibi antea in Hebræo inveniri, ſed in codice Samaritico, viz. Exod. 18. 24. ubi etiam in codicibus noſtris extant. Idem ex veteri Scholiaſte Græco patet quem in Notis ad Romanam & Pariſienſem τῶν ό editionem ſæpe citarunt tum Nobilius tum qui Scholia Græca collegerunt. Græcus enim hic Scholiaſtes (quiſquis fuerit) multa profert loca ex codice Samaritico, quæ cum libris hodiernis fere ad amuſſim congruunt licet ab Hebræis diſcrepant. Exod. 32. 18. Scholiaſtes ait Samaritanum codicem legere *vocem peccatorum audio*: Sic vero legunt noſtri codices, cum Hebræus legat *vocem cantantium*. Num. 32. 33. obſervat mentionem fieri à Moſe dimidiæ tribus Manaſſe cujus antea non meminerat, at in Samaritico mentionem ejus fieri. Sic etiam in noſtris codicibus fit mentio dimidiæ tribus Manaſſe, quod etiam loci ſenſus poſtulare videtur. Num. cap. 24. 7. notat Diodorus legi in Samaritano *Gog*, ut & noſtri libri legunt, cum tamen Heb. & Vulg. Lat. legunt *Agag*, Theodoretus vero Quæſt. 43. in Geneſ. ex Symmacho legit *Og*, ex quibus videtur lectionem variam fuiſſe in codicibus Hebraicis. Præter hæc loca quæ in antiquis codicibus Samariticis aliter legebantur quam in Heb. quibuſcum tamen conſentiunt codices hodierni, alia proferuntur loca ubi notarunt veteres conſenſum codicum Hebraicorum vel Græcorum cum Samaritanis, qui conſenſus etiam in hodiernis libris Samariticis conſpicitur. Loca quædam proferuntur ex Scholiaſte Græco quem citant Scholia Romana & ex Nobilii Notis quas Tomo ultimo hujus operis Lector inveniet: nos quia brevitati ſtudemus loca tantum indicabimus, Exod. 10. 7. c. 14. 15, 20. cap. 23. 16. Lev. 8. 15. c. 13. 8. c. 25. 5, 25. c. 26. 24, 41, 43. Num. 4. 25. c. 7. 3. c. 13. 33. c. 18. 7. c. 29. 1. c. 31. 26. His a Morino notatis alia plura adjici poſſunt, ut Exod. 8. 21. cap. 16. 31. cap. 26. 5. c. 28. 4. c. 32. 18. Lev. 13. 51. c. 27. 14. c. 24. 7. c. 32. 12. In his aliiſque apud illum Scholiaſten locis, quæ Lectoris diligentiæ obſervanda relinquimus, fit mentio codicis Samaritici antiqui, cum quo hodiernus conſpirat.

15. Contra hunc codicum conſenſum objiciunt[illegible] quædam ex Scholiaſte illo quæ aliter ex Samaritico codice tranſlata ſunt quam hodie leguntur, ad quæ reſponderi poteſt I. Verbum Samariticum plures poſſe ſignificationes habere, maxime cum punctis ſemper deſtituti ſint Samaritani codices, ut Exod. 8. 21. ubi interpres Græcus הערב κόρακα *corvum* reddidit, LXX *cynomiam*, ut & Hieron. ex Heb. *omne genus muſcarum*: nam ערב ſignificat *muſcarum colluviem*, at עֹרֵב *corvum*. II. Interpretes Græci & alii Interpretes non ſemper ad verbum vertunt ſed ſenſum præcipue reſpiciunt, unde aliis verbis fortaſſe idem reddunt, imo ſæpe explicationis gratia aliquod verbum addunt, ut Gen. 49. 25. tranſtulit antiquus interpres ex Samaritano *Et permanſit in profundo ſagitta eorum*, cum ſecundum hodiernos codices legendum ſit, *Et oderunt eum domini ſagittarum*, ubi ſenſum non verba reſpexit interpres, ſenſus enim eſt in utriſque idem. Præterea obſervare licet Scholiaſtem hunc Græcum ſæpius cum verſione Samaritana quam cum textu Heb. Samaritano convenire, illamque exprimere, non tamen mendoſa eſt interpretatio, cum nihil textui contrarium additur, nec quod ad explicationem non confert. III. Concedi etiam poteſt ex errore ſcribarum diſcrimen aliquod inter antiquos codices & modernos oriri poſſe, ita ut quædam eſſe poſſent in antiquis codicibus quæ in neotericis non habentur, & econtra. Nam ſi, qui codices Hebraicos Veteris & Græcos Novi Teſtamenti deſcribunt non ſunt ἀναμάρτητοι, ſed aliquando ceſpitare poſſunt, unde lectionum varietas orta, nemo Samaritanos ſcribas extra erroris aleam poſitos eſſe affirmabit. Sed contra ſinceritatem horum codicum objici poteſt diſſenſus ab Hebraico textu, I. in eo quod Deut. 27. 4. pro *monte Ebal* ponunt *montem Garizim* contra omnium codicum & interpretum fidem. II. Multa ſunt in Samaritano tranſpoſita aliter ac in Heb. non tantum verſus integri, ſed magna pars quorundam capitum, ut ex Deut. 11. 29, 30. & 27. 4 aliiſque locis, ut in collatione noſtra textus Hebræi cum Samaritico in ultimo Tomo eſt videre. III. Multa repetita & bis variis locis poſita in textu Samaritico, quæ ſemel tantum ac loco unico in Hebræo reperiuntur, quorum multa in collatione noſtra prædicta Lector inveniet. Præter hæc etiam tam in integris dictionibus quam literis multiplex diſcrimen invenitur inter hæc exemplaria, multis additis, detractis, mutatis, quæque aliquando ſenſum mutant, quæ per ſingula capita notavimus in dictis collationibus.

16. Ad hæc reſpondeo, I. locum illum Deut. 27. 4. mendoſum eſſe in exemplaribus Samaritanis, idque negari non poſſe cum in omnibus codicibus Hebræis omnibuſque verſionibus antiquis legatur *Ebal* non *Garizim*. Hebræorum enim potiorem eſſe auctoritatem quibus oracula Dei concredita fuerunt, quique Eccleſia Dei permanſerunt, donec propter rejectum Meſſiam Deus ipſos rejecit, & libellum repudii dedit, Samaritis ſchiſmate & cultu corrupto ab Eccleſia vera divulſis, dubitari non poteſt. Hoc vero à Manaſſe ipſorum primo pontifice Sanballati præfecti autoritate freto conſulto factum eſſe probabile eſt, ut inde Templi ſui auctoritatem aſtrueret, & ab unius codicis in hoc novo Templo auctoritate in reliquos errorem propagatum fuiſſe; ipſos vero ſuſpicionem fortaſſe habuiſſe erroris in Hebræis codicibus, & pro *Ebal* antiquitus ſcriptum fuiſſe *Garizim*, cum mons Garizim mons benedictionis à Deo conſtitutus ſit, & ex ipſo benedictiones promulgari, ex Ebal vero maledictiones denunciari, juſſerit, ut ex Deut. cap. 11. v. 29 & cap. 27. v. 12. conſtat, quod etiam Joſuam cum Sacerdotibus & populo iis locis præſtitiſſe diſerte legimus Joſ. 8. 33. cum in terram promiſſam ingreſſi ſunt, Jordane trajecto, unde fortaſſe inferebant haud probabile eſſe montem Ebal, ubi maledictiones denunciatæ, Deum elegiſſe pro loco ubi Altare extrueretur & ſacrificia offerrentur, neglecto monte Garizim, ubi benedictiones promulgatæ ſunt. Quicquid vero oſtendere poterant non negandum quin hic locus corruptus ſit in codicibus Samaritanis, ut pro ipſis faceret, nec quenquam novi qui ab omni errore immunes eſſe ipſorum libros affirmaverit. II. Tranſpoſitiones quacunque ex cauſa ortæ ſunt, ſive ex ſchedarum ſeparatarum erronea commiſſura, ſive ex ſcribæ audacia, auctoritati ac ſinceritati textus non derogant, cum non ex ſitu & ordine in codice, ſed ex Dei autoris autoritate ſuprema Canonica verbi divini autoritas pendeat: ubicunque enim verbum divinum reperitur, ſi collocatio aliquid falſi in ſe non importet, eandem autoritatem habet: quod enim de librorum integrorum & de Pſalmorum ordine diſcrepante obſervatum eſt, eum nihil eorum autoritati Canonicæ derogare, idem etiam de capitibus vel eorum partibus, & Hiſtoriæ vel Prophetiæ partibus dici poteſt. Unde Joſ. Scaliger Elencho Chronol. *Multa ὕστερα πρότερα in Scripturis occurrunt quorum cauſas ignoramus. Hæc nos minus movere debent, quia quo ordine quid referatur, modo conſtet veritas, aut nihili aut parum intereſt.* III. Quod additiones vel repetitiones ſpectat, quæ in textu Samaritano non in Hebraico extant, aliquam ſane probabilitatis ſpeciem pro libris ſuis habent Samaritani; nam cum in multis locis quædam referuntur in codicibus Hebraicis quæ alibi prius ſcripta eſſe inſinuantur, alibi tamen in exemplaribus Hebraicis non inveniuntur, hinc probabiliter conjicere videntur quædam in codicibus Hebraicis deeſſe, quæ in ſuis extent, ut cum Deut. 1. 1. repetuntur verba quæ Moſes locutus erat cum Iſraelitis trans Jordanem in deſerto, quæ verba quaſi repetita ſubjiciuntur verſibus ſequentibus, tamen in codicibus Heb. alibi non reperiantur talia verba à Moſe prolata, in codicibus vero Samaritanis habentur Num. 10. 10. & Exod. 18. 24. ut ſupra ex Procopio Gazæo obſervavimus; multa enim talia in dictis noſtris collationibus obſervare quilibet poteſt. Hic, inquam, cum probabilitate aliqua dicere poſſent Samaritæ, codices aliquos variaſſe in iſtis locis. At cum potior ſit Hebræorum codicum autoritas, ut jam diximus, & ab iis diſcedere non tutum, (niſi manifeſta coget neceſſitas) potius dicendum cenſeo, deſcriptores quorundam codicum Samaritanorum ſuſpicatos eſſe hæc in Heb. deficere, & ſuppleri debere, unde loca iſta ſuppleverunt, quod ſive antiquorum codicum autoritate freti, ſive ex conjectura propria fecerint, non facile eſt definire: probabile tamen eſt ex conjecturis ſuis feciſſe, cum verbatim ſine ulla vel minima diſcrepantia loca, quæ ſuppleri videntur, cum illis in quibus repetuntur congruant. Cumque novum Templum erexiſſent, Eſdram & Synagogam magnam imitantes, licet autoritate legitima deſtituti, ne ipſorum codex Judaico inferior videretur, codices proprios reviſos emendaſſe, ordinaſse, & ubi deficere viſi ſunt ſuppleviſse, ut pro authenticis inter ſuos eſsent, non ſine probabilitate affirmari poteſt. IV. Quod vero ad alia loca pertinet, pro fato omnium librorum antiquorum, illa vel ex librariorum incuria vel ex codicum varietate fluxiſse arbitror; imo in locis plurimis pleonaſmi conſpiciuntur, verborum initio vel fine, quæ ſenſum non mutant, in quibus Judæorum codices, poſtquam puncta

à Maſorethis appoſita ſunt, ab iis diſcrepant, quod & ſupra monuimus. Quod enim de editione Græca τῶν ό diximus idem de exemplari Samaritano optandum, ut doctus aliquis judicio & linguarum cognitione pollens, & partium ſtudio non abreptus, cui otium & ingenium ad rem tantam aggrediendum ſuppetit, accurate diſcrepantias has examinaret, & quænam ex ſcribarum errore, quænam ex codicum Hebræorum varietate ortæ ſint, quænam de induſtria mutationes factæ, diſtingueret. Certe qui hoc opus perficeret magnam à grata poſteritate laudem reportaret.

17. Ad autoritatem & uſum exemplaris Samaritani devenimus. De autoritate non opus eſt multa dicere: neminem enim novimus qui authenticum facit, vel textui Hebraico generaliter præfert. Scripſit quidem Jo. Morinus ſe facto examine Pentateuchi Samaritani, ipſum purum putum Moſis Pentateuchum eſſe deprehendiſse. Cum vero ipſe ſe alibi explicet Animad. in cenſur. exerc. Samar. c.7. nil aliud voluiſse his verbis quam exemplar illud non eſse ſpurium vel ſuppoſititium, nec de ejus autoritate ſe aliud dixiſse. Operam & oleum perdunt qui magno molimine probare ſatagunt Samaritanum textum authenticum non eſse nec Hebr. præferendum; hoc enim eſt cum larvis luctari vel cum umbra propria contendere. De hac quæſtione, quæ inter doctos nulla eſt, nil aliud dicam quam populo Judaico oracula divina authentica concredita eſſe, quorum cuſtodes erant, donec à Deo rejecti & a fœdere excluſi iniqui facti ſunt ipſorum poſſeſſores, honore illo ab iis ad Eccleſiam tranſlato, cujus fidei authentica ſalutis monumenta commiſſa ſunt, quam etiam conſtituit Chriſtus (non Synagogam) *firmamentum & columnam veritatis.* Judæi vero ut olim eleganter Auguſtinus, noſtri tantum Capſarii ſunt qui libros noſtros portant; & licet corticem Legis habeant à vero tamen ſenſu aberrantes non poſſunt dici veram Scripturam inter ſe habere, haud aliter quam Hæretici, qui Scripturam gloſſematis ſuis corrumpentes & à vera Chriſti Eccleſia divulſi, non poſſunt dicere ſe veram Scripturam poſſidere. Samaritani tamen ut codicum ſuorum autoritatem probent, non ſolum contendunt (quod veriſſimum eſſe ſupra evicimus) Legem primo datam eſſe Scriptura Samaritica, h. e. antiqua Hebræa, ſed etiam ſe exemplar Legis habere Sichemi ſervatum, ſcriptum diebus Phineæ filii Eleazaris, filii Aaronis, ut de ipſis ſcribit Alaſchkar. reſp. cap. 74. Moſes enim (ut quidam volunt) præter αὐτόγραφον Legis, quod in Arcæ latere repoſitum in Sancto ſanctorum una cum Arca fœderis ſervatum erat, etiam duodecim alia exemplaria conſcripſit vel conſcribi juſſit pro XII. tribubus, quorum unum, vel certe exemplar ex illo deſcriptum, ſe adhuc habere jactant. Hæc vero ſi liquido demonſtrare poſſent, nemo non fatebitur ſumma cum reverentia eorum exemplaria ab omnibus recipienda. Et certe ſi tale aliquod exemplar habuiſſent, ad Judæos convincendos multo antehac protuliſſent ad codicum ſuorum authentiam ſtabiliendam, nec de hoc ſiluiſſet Joſephus cum diſputationem illam deſcribit quæ coram Ptolemæo inter illos & Judæos de Templi utriuſque prærogativa habita fuit, nec de hoc tacuiſſet qui Samaritanorum cauſam agebat, cum producto hoc exemplari pro monte Garizim lis ſtatim finita fuiſſet, & pro Samaritanis Rex pronunciaſſet, cum tamen pro Judæis ſententiam tulerit, Samaritanorum Patronis ob probationis defectum ſupplicio affectis. Aliam igitur autoritatem non concedimus eorum Pentateucho quam aliis antiquis exemplaribus, quæ injuria temporum vel ſcribarum negligentia nævos & maculas quaſdam contrahere poterant, quæ ex aliorum codicum collatione maxime Hebraicorum veterumque Interpretum, aliiſque mediis, de quibus in Proleg. de variantibus lectionibus actum eſt, corrigi & emendari poſſunt.

18. Etſi vero authenticam huic exemplari non attribuamus authoritatem, non tamen omnem ejus uſum negamus, imo multum utilitatis ad Hebraicum textum illuſtrandum & verum in locis perplexis & obſcuris Scripturæ ſenſum indagandum conferre ſtatuimus. Vide Scaligeri verba antea citata. Primo enim ex hoc vetuſtiſſimo exemplari, quod in pleriſque cum Hebræo hodierno congruit, confirmantur Hebraici codices, præſertim cum per annos bis mille quingentos inter populum qui cum Judæis nullum habuit nec adhuc habet commercium, ſed quibuſcum inimicitiæ capitales ſemper vigebant, ſervatus ſit codex utriſque ſacer, excepto enim loco illo cultui ſacro deſtinato vix in rebus alicujus momenti diſſident, ſed in omnibus quæ ad fidem & mores ſpectant, & ad cultum & religionem legeſque politicas pertinent, eadem leguntur in utrorumque codicibus: Nam ut Chriſtiani ex codicibus Hebraicis Judæos, ſic ex codicibus Samariticis Samaritanos Judæi convincere poterant. Lectionem vero codicum Hebræorum à Samaritico confirmari liquet; locus unus & alter inſtar multorum ſit. Gen. 3. 15. Samar. cum Hebræo legit ࠄࠅࠀ *ipſe* non ࠄࠉࠀ *ipſa* contra audaciam eorum qui textum Hebraicum hic depravatum ſuſpicantur; idem videmus in Gen. 49. 10. II. Ad loca quædam difficilia, quæque ex ſolo Hebraico textu vix explicari poterant, enodanda multum confert. Unum & alterum indicabo. Exod. 12. 40. ſic legimus ex codicibus Hebraicis, *Habitatio autem filiorum Iſrael, qua habitaverunt in Ægypto, annorum fuit* 430. Hic locus mire Interpretes torſit, cum certum ſit Iſraelitas in Ægypto non multum ſupra ducentos annos habitaſſe. Difficultatem vero omnem tollit Samaritanus, qui ita legit, *Habitatio vero filiorum Iſrael & patrum eorum, qua habitaverunt in terra Canaan & in terra Ægypti, fuit annorum* 430. hæc enim ſupputatio cum hiſtoria ſacra optime convenit, & à LXX confirmatur, & ab utroque Talmude. Hanc vero lectionem etiam cum textu Hebraico quidam conciliare ſtudent. Quicquid vero de hoc ſit certum eſt vel ita Hebraicum textum olim lectum fuiſſe, vel ita intelligi debere, cum aliter exponi non poſſit ſine aperta hiſtoriæ Sacræ depravatione. III. Ubi ab Hebræo differt Samaritanus ſenſum tamen explicat & illuſtrat, non tantum repetitionibus quæ propriis locis juxta hiſtoriæ ſeriem inſeruntur, ſed in plurimis aliis ubi textum Hebraicum aliis verbis exprimit, vel hic illic verbum unum aut alterum explicationis gratia addit, ut Gen. 49. 10. *Donec veniat Shiloh*, qui locus à multis in quæſtionem vocatur, quaſi à Judæis corruptus ſit; Samaritanus vero hic Hebræo ſuppetias fert, ubi ſcribitur ࠔࠋࠄ quod idem eſſe cum Hebraico שולה liquet. Videatur D. Hotting. Theſaur. l. 1. c. 2. q. 4. Fruſtra itaque contendunt Huntlæus Controv. 1. c. 10. & Aug. Steuchus dum lectum fuiſſe volunt שלוח vel שלוח *mittendus*, cum Hebraicam lectionem modernam confirmet codex Samaritanus.

19. Tandem magnum uſum habet codex Samariticus ad Judæorum commenta & deliria detegenda, dum myſteria quærunt ex verbis & literis quibuſdam, quum ex textu Samaritico iſtiuſmodi nugas in textu non fundari apodictice oſtendi poſſit, ut Exod. 25. 31. *Ductile fiet candelabrum*, ad verbum תֵּיעָשֶׂה notant tum Jod poni poſt Tau Futuri characteriſticum, tum vocem punctari pro tertia perſona Futuri Niphal. Myſterium duplex hic fingunt Rabbini: primum Jod irreptitium (quod numerum denarium denotat) ad ſignificandum inter alia, decem candelabra quæ à Salomone poſtea facienda erant. Secundum, Deum Moſi præcepiſſe candelabra cum omnibus ſuis partibus facere ex una continuata auri maſſa ſine ullis juncturis, quodcum Moſes an fieri poſſit dubitavit, ſtatim Deus dixit *Fiet candelabrum* non *facies*, unde cum Moſes aurum in ignem conjecerat ſtatim ſine ullo artificis labore, exiit candelabrum formatum ſicut Deus mandaverat. Has vero inanes nugas eſſe oſtendit textus Samariticus, qui legit ࠕࠏࠔࠄ in Futuro Activo *facies*, & ſine Jod, quod ex errore ſcribæ irrepſit. Gen. 1. 14. יהי מארת *fiant luminaria.* Illud מארת defective ſcribitur, duplici vau omiſſo; ſcribi enim debet מאורות. Et hic myſteria fingunt Rabbini cur utrumque Vau omittitur. Multa talia refert D. Morinus Exerc. Samar. 4. c. 6. quorum unum eſt R. Salomonis. Quia vox illa defective ſcripta eſt ambigua, ſignificat enim tam *maledictiones* quam *luminaria*, ſcripta eſt ſine Vau, quia dies quartus eſt maledictus, qui anginam in infantibus producit, unde die quarta jejunant ne morbus hic infantes ſuffocet. Alterum myſterium elicit R. Bechai, viz *luminaria* hic ſcribi ſine Vau ut ſignificaretur idem lumen eſſe in Sole & Luna. Iſtiuſmodi figmenta ex codice Samaritico refutantur, in eo enim integre ſcribitur cum utroque Vau ࠌࠀࠅࠓࠅࠕ.

20. Et hæc quidem de Pentateucho ipſo: pauca breviter addenda de Verſionibus ejus, & de aliis libris Samariticis quos videre contigit. Verſionem Hebræo-Samaritani textus triplicem quidam ſtatuunt, viz. Samaritanam, Arabicam, & Græcam. De duabus prioribus nullum eſt dubium, utrumque enim habui, & in editione noſtra Bibliorum iis uſi ſumus; habuit & D. Morinus ad editionem Pariſianam concinnandum. De tertia vero quæ hodie non extat dubitatur. Prima verſio facta eſt de textu Hebræo-Samaritano in dialectum Samaritanam, ſive in linguam Chaldæo Samaritanam, quo tempore cum Judæis in Religione convenerant Samaritani, ut arbitratur D. Mich. de Jay Præf. ad Biblia ſua Pariſiana. Hæc vero tum in Bibliis Pariſianis, tum in noſtris habetur una cum verſione Latina, quæ tum textum tum verſionem refert, cum tranſlatio in pleriſque textum κατὰ πόδα ſequatur. De hac hæc obſervanda. I. De autore nihil alicubi extare; nec apud ipſos Samaritanos nec apud Judæos vel alios quos videre licuit Scriptores, ut nec de tempore quando facta eſt. In hiſtoria enim, ut vere de iis ſcripſit Scaliger, in rerum omnium vetuſtate omnino peregrini ſunt adeo ut ipſorum hiſtoria ex ipſis peti non poſſit, cum nulla extet eorum hiſtoria vel Chronologia excepta illa nondum edita, quæ, ut ex ejus per D. Hottingerum edito ſpecimine patet, erroribus fœdis ſcatet. Conſtat vero valde antiquam eſſe; eadem enim cauſa quæ Judæos impulit ad Targumim ſive Paraphraſes ſuas lingua ſibi nota conficiendas, quia ſcilicet deſierat lingua Hebraica eſſe ipſis vernacula, etiam Samaritanos ſine dubio moverit ut Verſionem hanc conficerent, quando ſcilicet Hebraica lingua deſierat eſſe ipſis vernacula, ut hoc modo libros ſacros lingua ſibi nota legerent. Hoc vero non multo poſt Templum Garizitanum extructum fuiſſe vel hinc patet, Quod Judæi, quorum magna pars Samaritis ſe adjunxerant, poſt reditum à Babylonie propriæ linguæ tempore captivitatis obliti ſunt, ut omnium conſenſu antea docuimus, & Chaldaica, vel ex Hebraica & Chaldaica mixta uſi ſunt. Etſi enim ex ſenioribus multi, Sacerdotes vero omnes, ad huc Hebræam callerent, pauci tamen erant reſpectu plebis, quæ generaliter Chaldaicam tantum intellexerat; & ſenibus mortuis reliquus populus, qui Hebraicam ignorabat, ſola Chaldaica ſive ex hac & Hebraica mixta Syriaca uſi ſunt. Cuthæi vero, qui cum Judæis mixti vivebant per Samariæ regionem colluvies erat variarum gentium, ex Aſſyriis tamen præcipue oriunda, Unde & ipſi Chaldaicam vel ob Judæos cum iis mixtos vel ipſis conterminos mixtam ex Hebraæa & Chaldæa itidem uſurpabant. (Nam cum Judæis, Tyriis & Syris undique quaſi cincti eſſent Samaritani. non potuit non eorum dialectus ex vicinorum linguis multa communia participare:) Unde licet nihil ex hiſtoria certi ſtatuere poſſumus, veriſimile tamen eſt multo ante Chriſti tempora, viz. non multum poſt Eſdram & Nehemiam, verſionem hanc conflatam fuiſſe. II. De lingua ſive dialecto in qua conſcripta eſt, Hebraicæ & Chaldaicæ affinis eſt; pleraque enim vocabula à radicibus Chaldaicis vel Hebræis derivantur, unde Chaldæo-Samaritana à pleriſque dicitur. Quædam tamen habet ſibi propria & peculiaria quorum multa collegit Joh. Morinus in Lexico ſuo Samaritano, quod cum opuſculis ſuis Samaritanis nuper prodiit, multo plura adjecit doctiſſimus noſter D. Edm. Caſtellus in Annotationibus ſuis Samariticis, quæ in ultimo noſtro Tomo exhibentur: Præter Chaldaica etiam Arabica quædam vocabula occurrunt. In formatione Nominum & Verborum modo Hebraicæ modo Chaldaicæ regulis conformis eſt. Hoc etiam annotandum, quod alibi notavimus, literas ejuſdem originis ſæpius in dialecto Samaritana quam in aliis linguis commutari, ut & alias, quæ vel ſoni vel figuræ ſimilitudinem habent, ita ut eadem vox ſæpius in eadem periodo varie exprimatur. Alia de hujus linguæ proprietate & genio qui ſcire deſiderat, conſulat Annotationes illas D. Caſtelli. Hoc etiam merito miratur D. Morinus quod dialectus hæc Samaritica ad Hebraicam propius accedat quam vel Chaldaica vel Hieroſolymitana, tam in verbis & phraſibus quam in conſtructione, ut ex Verſione Samaritana patet, ubi Nominum formationes ſunt pure Hebraicæ. Cauſam unde hæc affinitas orta ſit non exprimit; mihi veriſimile videtur Judæorum moram longam in captivitate ipſorum linguam magis mutaſſe ab Hebraica in Chaldaicam quam reliquorum qui abducti non erant. Samaritani enim licet ex Aſſyria originem traxerint, tamen cum Judæorum reliquiis mixti eſſent inter decem tribus, ipſorum idioma in Hebraicum fere tranſiit, quod cum tantam mutationem paſſa non ſit ac Judæorum

ob cauſam dictam inde fieri potuit ut Hebrææ propius accederet. III. Verſionem hanc Samaritanam, licet Hebræi textus veſtigia premat, non ſemper tamen illum exacte exprimere. Affirmat quidem Joh. Morinus ita preſſe & κατὰ πόδα textum Hebraicum ubique ſequi, & verbum de verbo reddere, ut unam tranſlationem utrique textui ſufficere judicaret, quod quidem ut plurimum verum eſt, non tamen ubique; cum in multis locis textum deſerat, verbi gratia, pro *Deo Elohim* vertit *angelum Domini*, & quod de Deo dicitur Angelis aſcribit. Gen. 17. 22. pro *Aſcendit Deus* vertit, *Aſcendit Angelus Domini*. Gen. 2. 28. pro *ſubjicite eam* interpres reddit, *Habitate per generationem veſtram*. Gen. 12. 6. pro *quercu More* vertit interpres *vallem viſionis*. Multa ubique ejuſmodi occurrunt, ut ex diſcrepantiis ad finem cujuſque columnæ Samariticæ in noſtris Bibliis annotatis quiſque perſpicere poteſt. Nec tantum à textu Hebræo-Samaritano diſcedit Samaritana verſio, ſed tum à textu tum à verſione ſæpe differt verſio Latina, ſæpe neutrius ſenſum aptè exprimens, ſed potius Vulg. Latinam, ut qui verſionem Vulgatam cum hac contulerit plane videre poteſt.

21. Secunda verſio eſt Arabica, literis tamen Samaritanis exarata; quam ſimul cum textu Hebræo-Samaritano inter alia MSS. exemplaria nobis communicavit Rev. Uſſerius. Multa quidem capita deſunt, ex iis tamen quæ integra habentur, conſtat Verſionem hanc accuratam eſſe, & ſæpiſſime cum Verſione Arabica Pentateuchi Saadiæ convenire, ut ex Annotationibus Samariticis in ultimo noſtro Tomo apparet. De tempore vero quando vel de autore per quem facta eſt hæc Verſio non conſtat, cum nihil ex ipſis Samaritanis ut jam diximus peti poſſit. Poſtquam Muhammedana ſuperſtitio Orientem invaſerat, cum qua etiam lingua Arabica propagata fuit, nata videtur hæc tranſlatio, at quo ſeculo definire non poſſum. Poſt Saadiæ vero tempora, hoc eſt, poſt annum Chriſti 900 confectam eſſe probabile eſt, eo quod multa habet cum illius Verſione communia. Codex vero noſter MS. ſcriptus erat, ut ex ipſo patet, à quodam Ab Helion viz. circa annum Chriſti 1524. D. Morinus in Præfat. ad Annotationes ſuas in Tranſlat. Samarit. ſcribit ſe codicem hujuſmodi habuiſſe ex dono Ampliſſimi Pereſcii, quem Trilinguem nominat, eo quod præter Arabicam verſionem habuit etiam à lateribus textum Hebræum & Samariticum. Codex etiam hic, ut fatetur, erat lacerus & imperfectus, noſtro tamen multo antiquior, ut qui deſcriptus erat (ut ad finem Exodi & Num. notatur) menſe Rabir altero anni Iſmaelitici 625. viz. ante quadringentos & aliquot annos.

22. Tertia verſio eſt Græca, ſecundum Morinum, Hottingerum & alios, quam quidem vir doctus vult ſine dubio factam fuiſſe tempore Alexandri Magni. Fundamentum vero cui innititur (verſio enim ipſa hodie non extat) eſt Scholiaſtes Græcus antiquus ſæpe citatus apud Nobilium, & in Scholiis Græcis ad editionem Romanam LXX Interp. ubi ſæpe τὸ Σαμαρειτικὸν citatur, cujus lectiones Græcas adfert ipſe Scholiaſtes. Cyrillus etiam Alexandrinus, Hieronymus, aliique veterum ex codice Samaritico, quædam ſubinde producunt. An vero ex ipſo codice Samaritico, vel ex ejus aliqua tranſlatione quæ tunc extabat, teſtimonia iſta proferunt, dubium videtur. Si vero ex verſione quadam Græca, ut videtur, citentur, potius tamen verſionem Samariticam quam ipſum textum, cum inter ſe variant, exprimere, obſervatum eſt. Loca multa ab ipſis adducta ſupra collegimus: ſi vero talis aliqua extitiſſet verſio Græca, nequaquam tamen ad tempora Alexandri pertigiſſe ſed multo recentiorem eſſe certo perſuaſus ſum. Nam ante LXX. verſionem nullam Græcam extitiſſe alibi, ni fallor, ſatis probatum eſt. Fruſtra enim Ptolemæus ejuſque hyperaſpiſtes Phalereus de verſione Græca adeo ſoliciti fuiſſent, & tantos ſumptus in eam adornandam inſumpſiſſent, ſi ulla tunc temporis verſio Græca extitiſſet, præſertim ſi, quod multi contendunt, ſolus Pentateuchus à LXX converſus fuerit.

23 Præter has Verſiones habemus etiam Liturgiam Samaritanorum, characteribus Samariticis deſcriptam, ex dono dicti Rev. Uſſerii, in qua precum eorum formulæ & officia divina cum lectionibus Legis deſcribuntur, quam valde antiquam & prope tempora Eſdræ in uſu fuiſſe, vel ex ipſis Judæorum formulis, quas paulò poſt reditum è Babylone ab Eſdra & ſociis ejus compoſitas fuiſſe affirmant uno ore Judæi, quaſque in hunc uſq; diem uſurpant, colligi poteſt. Videantur Capelli Spicileg. & Seldeni notæ in Eutych. unde Sectariorum noſtratium pervicacia & impietas merito redarguitur, qui ſpretis omnibus publicis orationum & Liturgiarum formis, per omnes Chriſti Eccleſias ab ipſis Chriſtianæ fidei primordiis & Apoſtolorum temporibus uſitatis, Liturgiam *Eccleſiæ Anglicanæ*, omnium per orbem Chriſtianum puriſſimam & ſanctiſſimam damnarunt, & omnibus liberum permiſerunt, tonſoribus, bajulis, cauponariis, viliſſimiſque è fæce plebis, quicquid in buccam venerit publice in Eccleſiis effutire & blaterare, quorum praxis vel ab ipſis Judæis eorumque æmulis Samaritanis erroris & novitatis arguitur. Ex hac Liturgia Samaritica quædam notata lectu non indigna reperiet Lector in dictis notis Samaritanis inter alias ad calcem hujus operis rejectis.

24. Hiſtoriam vel Chronologiam ipſorum nullam vidimus. In Bibliotheca Scaligerana inter alia Orientalium monumenta extabat Chronicon ipſorum magnum, ut vocatur, ex Hebræo priſco in Arabicum converſum, ſed charactere Samaritano deſcriptum, de quo quædam habet Scaliger, lib. de Emend. 7. in notis ad annum Samarit. ſcil *quod multa habeat cognitu digna, quamvis aliquando commentis Samaritanis incruſtata.* Incipit ab exceſſu Moſis, deſinit in tempore Imperatoris *Hadriani, unde vocatur* liber Joſue, *quia ſcilicet ab exceſſu Moſis & ducatu Joſuæ incipit.* Hæc quidem Scaliger. Plura legere licet de hoc Chron. apud doctiſſimum Hottingerum in Exercit. Anti-Mor. ſect. 49. 50, *&c.* & in fine, ubi inſtar ſpeciminis brevem totius Hypotypoſin edidit, ex quo, ſi typis tandem mandetur, quid expectandum ſit, conjicere licet. Multa habet Scripturæ conſona, multa fingit falſa & fabuloſa, viz. Joſuam templum conſtruxiſſe in monte Garizim; Eli & Samuelem Magos fuiſſe; Captivitatem X. tribuum cum captivitate Judæ pueriliter confundit, cum aliis ejuſdem farinæ, quæ in Epitome illa D. Hottingeri videre licet, cui lectorem remittimus qui plura deſiderat. Ipſum Chronicum ſe editurum promittit D. Hottinger. Hæc de Samaritanis & eorum Codicibus.

PROLEG. XII.

De Lingua Chaldaica & Targumim, ſive Paraphraſibus in hac lingua ſcriptis.

1. *De nomine, unde deductum. Cur lingua Chaldæa interdum dicta Hebræa. Hebrææ affinis eſt, non tamen eadem: diverſam eſſe probatur.* 2. *De ejus antiquitate, dignitate, amplitudine, addiſcendi facilitate, utilitate ad omnes ſcientias.* 3. *præcipue in Theologia.* 4. *De Paraphraſibus Chaldaicis.* 5. *Earum Origo unde. In Synagogis lectas tam in Legem quam in Prophetas, poſtquam lingua Hebraica deſierat eſſe Vernacula. Primo fuiſſe ſine punctis.* 6. *Objectionibus Helvici, & Mayeri reſpondetur.* 7. *Ante Onkeloſum & Jonath. non fuiſſe perlectas ex verſione ulla ſcripta, ſed a Levitis & Scribis textum expoſitum.* 8. *De auctoribus & numero Targumim.* 9. *De Onkeloſi paraphraſi in Pentateuchum.* 10. *De Jonathane & ejus Paraphraſi in Prophetas.* 11. *De Targum Pentat. Jonathani adſcripto.* 12. *De Targ. Hagiographorum Jonathani adſcripto.* 13. *De Targum Hieroſolymitano. Poſt Talmud conſcriptum eſſe.* 14. *Objectionibus pro ejus antiquitate reſpondetur.* 15. *De Hagiographorum Targum. An ſit Joſ. Cæci. Duplex erat Hagiogr. Targum.* 16. *De auctoritate Paraphraſ. Chald. Judæi eandem cum textu Hebræo auctoritatem iis tribuunt. Miracula de iis fingunt. Omnes Judæorum libri non ſunt rejiciendi.* 17. *Textus Hebraici integritatem confirmant.* 18. *Fidei Chriſtianæ Articulos multos explicant.* 19. *In locis obſcuris & vocabulis inuſitatis lucem adferunt.* 20. *Quænam exemplaria Chaldaica ſecuti ſumus. In Latinis verſionibus quid in hac editione præſtitum.*

1. DE nomine primo conſtat à Cheſed filio Nachor fratris Abrahæ Gen. 22. v. 22. factum eſſe nomen Gentilitium כשדי ſive *Chaſdæus*, unde Daniel. 1. 4. לשון כשדי *lingua Chaldæorum*, ſic dicta à regione ubi primo poſt linguarum diviſionem in uſu fuit. De nomine hæc habet Hieron. Tradit. in Gen. *Chaſed quartus eſt à Noe, a quo Chaſdim, i. Chaldæi poſtea vocati ſunt, unde &* אור כשדים, *Ur Chaſdim*, ſive *Ura Chaldæorum paſſim vocatur Regio ubi ſedes fixerant Chaldæi*; vocatur enim Ura Chaldæorum per prolepſin urbs è qua Chaldæi poſtea erant orituri, quod in Scriptura frequens, Boch Phaleg. part. 1. l. 2. c. 4. Varia etiam nomina hæc lingua pro varietate Regionum & locorum in quibus florebat (ut obſervat Georgius Amyra Prælud. 1. ad Grammat. Syriacam) ſortita eſt. Unde ut Chaldæa ſic etiam dicta eſt Babylonica à civitate Babylone nobiliſſima, omniumque poſt Diluvium prima, quæ & Regia, unde Nebuchadneſar 2 Chron. 36. 6 qui in Textu Hebræo, Chaldæo & Græco dicitur Rex Babylonis, in Vulgata Latina vocatur *rex Chaldæorum.* Poſtea appellata eſt Syriaca à regione Syriæ, Aramæa ab Aram, & ab Aſſyria Aſſyriaca: aliquando etiam dicta eſt Hebræa, in Nov. ſcil. Teſtamento, non quod proprie eadem ſit cum Hebraica, ſed quod populus Hebræus poſt captivitatem Babylonicam hac uſus ſit pro vernacula cujus oblitus erat. Hanc linguam contendunt quidam eſſe omnium primam, reliquarum matrem, ſic Theodoretus inter Patres, Maronitæ inter recentiores, ut ex Georgio Amyra, aliiſque patet. Hanc vero ſententiam ſupra rejecimus cum de Hebraica lingua egimus, quam omnium primam eſſe fuſe probavimus. Aliam vero quæſtionem quidam excitarunt, qui Chaldaicam eandem cum Hebræa eſſe volunt, & ſola dialecto differre. Etſi vero largo ſenſu lingua Hebraica Chaldaicam ſuo ambitu comprehendat, magnam enim cum Hebraica habet affinitatem, proprie tamen & ſtricte loquendo, linguæ diverſæ ſunt. Hoc vero probatur, tum quod multa vocabula utraque lingua habet ſibi propria & peculiaria, licet multa Chaldaica à radicibus Hebræis deriventur, tum ex modo flexionis Verborum & Nominum diverſis ut ex Grammaticarum Hebraicarum & Syriacarum diſcrepantibus regulis liquet. De his antiquiſſimum habemus exemplum Gen. 31. 47. ubi eundem locum vocat Laban, Syrus Syriace, יגר סהדותא *acervum*, ſive *tumulum Teſtimonii*, Jacob Hebraice, licet & linguam Chaldæam intelligeret, גלעד quod ejuſdem eſt ſignificationis. Hier in Quæſt. Heb. & LXX reddunt Labanis verba, *acervum teſtimonii*; Jacobi, *acervum teſtis*. Præterea Jer. 5. 15. & alibi minatur Deus *ſe adducturum gentem contra Hebræos cujus linguam non intelligerent*, ſc. Chaldæos ſive Aſſyrios. Idem etiam clare probat hiſtoria 2 Reg. 18. 26, 27, &c. ubi Eliachim orat Rabſacem ut loquatur eis lingua Syriaca quam ipſi proceres intelligebant, & non lingua Judaica ſive Hebraica, audiente populo, unde Rabſaces coactus eſt populum alloqui lingua Hebraica ut ab ipſis intelligeretur. Dein Daniel. 1. legimus Regem Babylonis præcepiſſe ut pueri Judæorum quidam, forma decori, & omni ſapientia eruditi eligerentur, qui linguam Chaldaicam

addiſcerent; quod certe non feciſſet ſi lingua Hebræa cum Chaldaica eadem eſſet. Conqueritur etiam Hieron. Præfat. in Daniel. quantis laboribus linguam Chaldaicam didicit, *unde*, inquit, *qui mihi videbar ſciolus inter Hebræos, cœpi rurſus eſſe diſcipulus Chaldaicus, & ut verum fatear, uſque in præſentem diem magis poſſum ſermonem Chaldaicum legere & intelligere quam ſonare.* Certe ſi eadem eſſet Chaldaica cum Hebræa Hieronymus non coactus fuiſſet tanta devorare tœdia, ut ipſam addiſceret: certum eſt itaque diverſas eſſe linguas, licet ad Hebræam præ omnibus aliis propius accedat Chaldaica. Quod vero quidam objiciunt Philonem linguam Hebræam vocare Chaldaicam, cum ſcribat LXX Interpretes Scripturam ex Chaldaico ſermone in Græcam tranſtuliſſe, certum eſt Philonem per Chaldaicam Hebræam intellexiſſe, ut ſupra clarum fecimus, cum de τῶν ό verſione diſſeruimus. Unde Bellar. lib. 2. De Verbo Dei, cap. 6. dicit ſic locutum fuiſſe Philonem, *Eo quod linguæ ſint affines, & notior tunc eſſet Chaldæa propter imperium Aſſyriorum quam Hebræa.* Et Oleaſter in Gen. 2 ſcribit, *cum textus dicat totam terram fuiſſe unius linguæ equidem facile crediderim eam fuiſſe Chaldaicam vel Hebraicam; has enim duas nunc linguas, unam & eandem fuiſſe à principio puto, cum ſint admodum vicinæ.*

2. Hanc linguam commendant Antiquitas, amplitudo, addiſcendi facilitas, utilitas maxima, ut in aliis diſciplinis, ſic præcipue in Theologia. Antiquitas tanta eſt, ut cum ipſa Hebraica de antiquitate contendat, aſſeritque Erpen. Orat. de lingua hac, *adhuc ſub judice litem eſſe, utra prima fuerit.* Etſi vero omnium primam fuiſſe Hebraicam ſupra probatum ſit, Chaldaicam tamen unam ex matricibus fuiſſe poſt cladem Babylonicam, ex qua multæ aliæ pullularunt, extra controverſiam eſt; imo *omnium linguarum matrem eſſe* aſſerit Camdenus noſter p. m. Britann. 204. Et magnam partem hujus antiquæ linguæ monumentorum periiſſe, quod in cauſa eſt cur tam anguſtis limitibus hodie arctata ſit, ſcribit Geſner. in Mithridate pag. 101. De reliquis matricibus præter Hebræam, quæ non tantum in familia Heber, ſed & inter Cainanis poſteros remanſit, ut ſupra probavimus, quænam fuerint difficile eſt aliquid certo definire. Dignitatem etiam hujus linguæ oſtendit, quod Babylone & Aſſyriis vernacula fuit, cum illa prima & nobiliſſima eſſet poſt Diluvium urbs, & Monarchiæ primæ regia, cujus Monarcha *Rex Regum* appellatur, & per aureum caput in Nebuchodonoſoris ſtatua deſignatur, & per Monarchiam illam ampliſſimam propagata eſſet, unde & hodie in omnibus fere Orientis Regionibus hujus linguæ reliquiæ adhuc manent; ut in Syria, Meſopotamia, Arabia, Judæa, Armenia, imo & in Æthiopia apud Abyſſinos, quarum omnium linguæ hodiernæ Chaldaiſmum redolent, & ex ea ſe ortum ducere aperte clamant. Diſcendi facilitas vero iis qui Hebraicæ rudimentis inſtituti ſunt, tanta eſt, ut brevi magnos progreſſus in Chaldaica faciant, & ut ſcite quidam, mirentur ſe tam doctos eſſe antequam didicerint. Lucas Brugenſis tract. de Chald. Paraph. dicit *ſpatio bimeſtri Chaldæam & Syriacam, quantum Theologo ſatis eſt, addiſci poſſe ab eo qui Hebraicæ rudimentis inſtructus eſt:* quod & experientia omnium qui in hac mediocrem diligentiam adhibuerunt plane confirmat. Utilitatem vero magnam adferre inde liquet, quod omnis aliarum nationum ſapientia ex Chaldæis originem duxerit, omneſque ſcientiæ ab Oriente in reliquas mundi partes deriventur; ut enim Latini ex Græcis, ſic Græci aliique ex Chaldæis ſive Aſſyriis ſcientias omnes, quas poſtea excoluerunt, primo acceperunt, unde illud oraculi apud Juſtinum, Orat. Paræn. ad Gentes;

Solis Chaldæis ſapientia ceſſit, Hebræi
Ingenitum Regem, Mente Deumque colunt.

3. In Theologia vero utilitas longe maxima, imo neceſſitas apparet, tum quod quaſdam Vet. Teſt. partes hoc idiomate conſcribi voluit Deus, magnam ſc. Danielis & Eſd. partem à c. 1. 4. Danielis ad c. 8. & ab Eſdræ c. 4. 8. ad c. 7. 27. In Jeremia etiam comma unicum c. 10 11. tum quod omnium linguarum maximam cum Heb. habet affinitatem, ejuſque emphaſim & proprietatem ſupra alias exprimat, unde in explicando Heb. textu magnum ejus uſum agnoſcunt omnes ejus gnari, quod probat Baſilius Magnus in Gen. 1. 2. ex Ephraim Syro (quem ibi laudat; & per Syrum intelligit) cujus expoſitionem in illa verba, *Et ſpiritus Domini ferebatur*, affert ut maxime aptam ad vocis Hebraicæ emphaſim reddendam. Infinitæ ſunt linguæ Hebrææ voces obſcuræ, (ut obſervat doctiſſ. Buxtorfius Præfat. in Lex. Chald. & Syr.) locutiones irregulares, Schemata antiqua, quæ ex Chaldæa lucem & explanationem accipiunt, ſenſum etiam Hebræi textus ſæpe concordia ſua corroborat, contracta dilatat & explicatione illuſtrat. Multa vocabula Chaldaica occurrunt in Job. Proverb. Jer. & alibi, quod etiam obſervat Waſerus in Mithrid. p. 102. Cumque magna pars Orientis ab Eccleſia divulſa Hæreſes Dioſcori, Neſtorii, Eutychetis aliorumque per longum tempus amplexa fuerit, hanc rationem inter alia reddit Georgius Amira Præfat. de utilitate hujus linguæ cur Græci & Latini non potuerint eos ab erroribus revocare, & ad Eccleſiæ unitatem reducere, quod linguam Syriacam ignorarent, nec ut illam callerent operam poſuiſſent. Nec tantum antiquæ Paraphraſes tempore Chriſti & poſtea ſcriptæ, quarum uſum ſtatim explicabimus, quibus parem cum Sacra Scriptura autoritatem attribuunt Judæi, hac lingua conſcriptæ ſunt, ſed & Rabbinorum & poſteriorum Judæorum libri hoc idiomate, corrupto licet, exarati ſunt, unde qui aliquid utilitatis ex his haurire velit, neceſſarium eſt ut linguæ Chaldaicæ cognitione aliqua imbutus ſit. Et præter S. Scripturæ partes Chald. idiomate ſcriptas, quæ Chald. linguæ notitiam poſtulant, etiam utilis eſt hæc lingua, 1. ad Chaldaiſmos qui in textu Hebr. ſæpius occurrunt, ut cum verba Hebræa Chaldaice formantur, ut Job. 24. 24 pro חיים legitur חיין *vita*: Prov. 13. 3. pro מלכים legitur מלכין *reges*, quod in multis aliis locis varii obſervarunt: econtra vocabula Chaldaica aliquando formam induunt Hebraicam, ut Ezr. 4. 13. pro מלכין legitur מלכים. Interdum nomina Hebræa pluralia in forma Chaldaica conſtructa ſcribuntur, ut Zach. 14. 5. הָרַי *montes*. Hoſ. 10. 4 שָׂדַי, &c. Nec tantum in nominibus ſed in verborum inflectione, ſtylus Hebraicus in centum locis quæ ubique occurrunt Chaldaizat. Sic econtra multa verba Chaldaica facta Hebraica Hebraice formantur, ut in Gen. 1. 11. לְזְנֵיהּ *juxta ſpeciem ſuam*, in Targ. Onkeli reſpondet Heb. לְמִינוֹ at 2 Chron. 16. 14. occurrit nomen Chaldaicum וּזְנִים *& ſpeciebus*. Sic כיפא nomen Chaldaicum habetur Jer. 4. 29. Econtra vocabula quæ natura ſua Hebraica ſunt, Chaldaicam ſignificationem habent, ut מְלַךְ *regnavit*, Chaldaice *conſuluit*, quo ſenſu uſurpatur Neh. 5. 7. Præterea quædam ſunt vocabula Hebræa in Scriptura in quibus quia raro occurrunt, nec radicem Hebraicam habent, ad Chaldaicam linguam recurrendum eſt, ut explicentur, ut Mercerus in Joel 1. 17. obſervat de voce עָבַשׁ quæ nullibi extat niſi in ipſo loco Joelis; unde aſſerit ad Chaldaiſmum & Rabbinorum ſcripta recurrendum, ut inde latiorem ſignificationem deſumamus. In Nov. Teſt. etiam multa invenimus propria nomina, quæ ex lingua Hieroſolymitana tranſlata ſunt, quæ Chaldaico-Syriaca fuit, ut de nominibus quorundam Apoſtolorum liquet. Sic Bartholomæus, de quo varii varia comminiſcuntur, idem eſt ac *filius Thalmai*, quod erat nomen Gigantis de filiis Anak, Num. 13. 22. Jud. 1. 10. Hiſce adjungere licet Paraphraſes Chaldaicas, de quarum uſu ſtatim dicendum, & verſiones antiquas Græcas, Vulgatam Latinam, Syriacam, Æthiopicam, Arabicam, in quibus multa ſunt quæ ſine linguæ Chaldaicæ cognitione plene intelligi non poſſunt: ne dicam de ejus uſu in Hiſtoria Eccleſiaſtica in qua varia ſunt à ſcribis ob ignorantiam hujus linguæ depravata, quæ ſine ea reſtitui non poſſunt; ut cum quidam *Maſſilia* nomen à Græco ψάλλειν deducunt, unde dici volunt *Pſallianos* & Græce Euchitas, cum potius derivetur iſtud nomen à Chaldaica מולין, unde pro ו poſito צ fit צלין *oravit*, & per duplex S. *Maſſiliani*.

4. His de lingua præmiſſis ad ipſas Paraphraſes, quæ Chaldaice conſcriptæ ſunt, veniendum; quæ communiter vocantur Targum, & voce plurali Targumim. Eſt vero תַּרְגּוּם vox Chaldaica quæ ſignificat *interpretationem, verſionem* vel *paraphraſim*, quæ non tam verbum de verbo (licet hoc ſæpe in Targumim in quibuſdam obſervetur) quam ſenſum ex una lingua in aliam transfert. Deducitur hoc vocabulum à verbo quadrato תַּרְגֵּם *exponere* vel *interpretari*, unde מְתַרְגֵּם & מְתוּרְגְּמָן *interpres*, ut annotat Schickard. Bechin Hap. cap. 1. Etſi vero ad omnes tranſlationes hæc vox accommodari poſſit, unde Tawoſi Tranſlatio Pentateuchi Perſica Targum appelletur, & de verſionibus in linguam Græcam & Æthiopicam ab ipſis Judæis idem vocabulum uſurpetur, ut apud Eliam in Tisbi voce תרגום & alios eſt videre, peculiariter tamen uſus ipſum appropriavit ad Paraphraſes Chaldaicas quæ apud Judæos in maximo honore ſunt, & uſu frequentiore, quas etiam ipſis S Scripturis æquant. De his videndum I. Unde originem habuerint, & quam antiquæ. II. Quot hodie extent. III. A quibuſnam authoribus factæ. IV. Cujuſnam ſint auctoritatis. V. Quiſnam earum uſus, & quæ utilitas ex ipſarum lectione redundabit.

5. Originem Paraphraſeum Chaldaicarum dedit mutatio linguæ Hebrææ durante 70. annorum captivitate, in Chaldaicam, de qua ſupra diximus Prolegom. de lingua Hebraica, ubi ex conſenſu plerorumque doctorum oſtendimus Judæos captivos linguæ propriæ oblitos, Linguam dominorum quibus ſerviebant, Chaldaicam, ſc. neceſſitate coactos didiciſſe; licet enim multo longius linguam propriam retinuerint in Ægypto immutatam, hoc tamen inde fuit quod ſimul in terra Goſhen convixerunt Iſraelitæ cum Ægyptiis non mixti, in Babylonia vero captivi, variis locis diſperſi dominis multis ſerviebant, quorum juſſa capeſcere non poterant niſi ipſorum linguam callerent; ſervi enim dominorum linguam neceſſario addiſcere tenentur. Multi quidem Judæorum reducum, præſertim ætate grandiores, Sacerdotes etiam & Scribæ Hebræam adhuc tenebant: unde erat quod Prophetæ poſteriores vaticinia ſua majorum ſuorum lingua ſcripſerint; in uſum tamen plebis, cujus ignorantiæ neceſſario conſulendum erat, ut Scripturas intelligerent dum in Synagogis & in Templo perlegerentur, introductæ ſunt Targumim ſive explicationes lingua ſibi nota, ſc. Chaldaica, ſive quæ eadem fuit, Syriaca. Hoc plerique tam Judæi quam Chriſtiani probant ex Neh. 8. 8. *Et legerunt in libro, in lege Dei explanate, & appoſuerunt intellectum, & intellexerunt illam lectionem*: ubi verba priora de lectione textus Hebræi exponunt, poſteriora de Paraphraſi ſive explicatione Chaldaica, facta per Levitas vel Scribas. Hunc locum ſic exponunt Talmudici, lib. נדרים *De votis*, cap. 4. & lib. מגלה cap. 1. *Legerunt in libro illo, in lege Dei; is fuit textus Hebraicus: explanate, illud fuit Targum.* Paraphraſes vero factæ ſunt non tantum in Legem, quam ab antiquis temporibus ſingulis Sabbatis in Synagogis prælectam fuiſſe teſtatur Jacobus Apoſtolus Act. 15. ſed etiam in Prophetas, quas itidem in Synagogis prælegi ſolitas fuiſſe patet ex eo quod Chriſtus, Luc. 4. 21. Pericopen ex Iſaia legit & expoſuit, & ex Paulo, Act. 13. 17. cujus originem ducunt à temporibus Antiochi Epiphanis, qui cum prohiberet lectionem Legis, inceptæ ſunt lectiones ex Prophetis, ſectionibus legis reſpondentes, quas *Haphtoras* vocarunt, unde hodie inter Haphtoras legunt Eſ. cap. 60. & 61. ad 4. & 5. Sabbato ante novi anni initium, ut ex Catalogo Paraſcharum & Haphtorarum in fine noſtrorum Bibliorum liquet. Hinc natæ ſunt non tantum Onkeloſi in legem, & Jonathanis in Prophetas expoſitiones, ſed & aliorum in reliquos omnes libros Hagiographos, exceptis libris Eſdræ & Danielis, qui antea ſemi-Chaldaici erant, & Chron. qui antea in libris Regum explicati ſunt, ut obſervat Schick. loco citato. Fuerunt vero Paraphraſes iſtæ abſq; punctis primo editæ, idque pro certo affirmat El. Lev. in Præf. Methurg. *Proculdubio* (inquit) *Interpretes ſcripſerunt verſiones ſuas abſque punctis, & demonſtrant id exemplaria valde vetuſta; longo poſt tempore demum punctata ſunt per manum unius aut alterius Anonymi, ſingula pro arbitrio ſuo*: unde cum Judæi de punctatione deſperaſſent, inter Chriſtianos hoc opus varii aggreſſi ſuut; cum vero plurima abſurda in Targum ex imperfecta punctatione relicta eſſent, à Complutenſibus quædam reformari cœpta, multa plura in Bibliis Regiis per Ariam Montanum, qui tamen fatetur plurima adhuc relicta eſſe, omnium noviſſime immenſis Buxtorfii laboribus, opus punctationis ad umbilicum redactum fere, omnibus ad Analogiam Eſræ & Danielis reductis, ut ex Bibliis ejus liquet; ita tamen ut quædam addendi & in melius reformandi aliis anſam non præciderit, teſte Lud. de Dieu in comparat. trium linguarum, in Præfat. Vide Buxt. Gram. Chald. & Syr. De hoc tamen pun-

ctationis opere ſcribit Lud. de Dieu Præfat. Gram. Orient. eam arbitrariam eſſe, & vix quicquam certum in ea eſſe, ſed ab Europæorum arbitrio magis quam à certa linguæ ratione petitam: unde certam & unicam punctandi regulam in Chaldaicis à lingua Syriaca arceſſit.

6. Quod vero contra objicit doctiſſimus Helvicus de Paraph. Chald. cap. 1. Abſurdum eſſe noſtrates Judæos jam plus intelligere in lingua Hebræa, quam olim priſci Judæi ante diſperſionem in 4 Regiones mundi, parum valet; nam nec Judæis hodiernis ullibi lingua Hebræa eſt vernacula, ſed eam addiſcunt ut pueri noſtri Latinam & Græcam, cum tamen Regionis in qua degunt lingua ipſis ſit vernacula, qua in quotidiano convictu utuntur. Quod etiam Mayerus Philol. ſacræ l. 2. cap. 2. Theorem. 2. hoc de explanatione textus per Targum, vocat figmentum vanum, eo quod Judæi hodie lectiones antiquas ſingulis Sabbatis ex Moſe & Prophetis legunt, non ex Targum, ſed ex ipſo textu Authentico, quem intelligunt melius quam verba Chaldaicæ Paraphraſis, quam in Scholis addiſcere neceſſe habent, non ſecus ac Chriſtiani, leve eſt. Cenſura etiam nimis eſt temeraria, contra pleroſque Hebraica eruditione claros, qui fere omnes in hoc concordant, quod poſt lectionem textus Hebraici explanatio olim lingua vernacula ſive verbo tenus, ſive ex ſcripto, facta fuerit; videantur Helvicus de Chald. Par. cap. 1, 2. Buxt. de punctorum antiquit. lib. 1. cap. 19. Schick. Bechin. Happer. cap. 1. Hotting. Philol. Theſaur. lib. 1. cap. 3. & alii. Exemplaria etiam adhuc extant antiqua, in quibus alternatim ſcribuntur Textus Hebræus & Paraphraſis Chaldaica, ita ut ſingulis verſibus Hebraicis ſtatim Paraphraſ. Chald. ſubjuncta ſit. Tale exemplar Bibliorum ſe vidiſſe Argentinæ teſtatur Cl. Buxt. in Epiſtola ad D. Hottingerum, & addit; *Sic puto moris fuiſſe, ut poſt captivitatem Babylonicam Lex Chaldaice fuerit explicata*; Ipſe etiam tale MS Pentateuchi exemplar habui ex Bibliotheca Weſtmonaſterienſi, pulchre deſcriptum in magno folio, in Pergameno, quod ex Ormo in ſinu Perſico nuper direpto huc attulit Mercator quidam Londinenſis, una cum alio volumine eodem modo exarato, quod in manus Doctiſſimi viri, amici mihi multis nominibus colendi Thomæ Gatakeri pervenit. Quæ vero objicit Mayerus de hodierna conſuetudine Judæorum in Synagogis, & quod linguam Chaldaicam ignorent, *&c.* facile diluuntur: Cum enim hæ Paraphraſes publice prælectæ erant in Synagogis, erat lingua Chaldaica ſive Chaldaico-Syriaca ipſis Judæis vernacula, quam vulgus tunc temporis intellexit, at poſt diſperſionem populi in varias regiones, Republica eorum cum templo & urbe everſa funditus, non erat vel Chaldaica vel Hebraica ipſis vernacula, ſed pro ratione cujuſlibet gentis & nationis ubi commorantur alio utuntur ſermone vernaculo, ita ut fruſtra fuiſſet Chaldaicam interpretationem legere in Synagogis, quam nemo qui non antea in Scholis eam didicerat, intelligeret.

7. Certum itaque videtur fuiſſe Paraphraſes Chaldaicas publice prælectas; an vero primis temporibus expoſitiones illæ factæ fuerint ex cujuſque arbitrio, an ex certa aliqua verſione prælectæ, ante Onkeloſi & Jonathanis tempora in quæſtionem vocant nonnulli. Et quidem videtur Levitas & Scribas, quibus hoc munus impoſitum fuit Synagogis operam dare & Sabbatinis lectionibus intereſſe, poſt contextum Hebræum ab ordinario lectore prælectum, ſenſum & interpretationem ejus lingua populo nota, præſertim Chaldaica, ſecundum talentum ſibi datum, prout ſenſus in lege exercitatos habuerunt, dediſſe: nam Targum ullius ſcripti ante Onkeloſum & Jonathanem, qui circa Chriſti tempora floruerunt, nulla extant veſtigia in antiquiſſimis Judæorum monumentis; & verba Maimonidis in Hilc. Tephil. cap. 12. hoc videntur innuere; dicit enim, *à diebus Eſdræ conſueverunt habere interpretem, qui populo id interpretaretur, quod lector ex Lege prælegit, ut ſenſum verborum intelligeret* Videmus hic interpretem lectori opponi, quaſi diverſum, cum tamen ſi certæ alicui verſioni aſtrictus fuiſſet, ipſe alius non fuiſſet à lectore, cum quod unus ex codice Hebræo alius ex Chaldaico legeret, unde duo eſſent lectores, non Lector & Interpres. Nec periculum eſſet (quod veretur vir doctus) ne ex hac libera interpretatione pro cujuſque ingenio veritati aliquid decederet, & errores inter populum ſpargerentur; nam non erant hi interpretes à ſuperiorum judicio liberi, vel ab earum cenſuris immunes ſi aliquid falſi vel contra legem docerent, haud ſecus ac qui inter nos verbum divinum populo exponunt, licet non ex præſcripta formula doceant, ſi tamen aliquid contra receptam doctrinam effutiant, vel contra fidem & mores evulgent, cenſuris Eccleſiaſticis obnoxii ſunt ex ſuperiorum judicio, quibus hoc ex offico incumbit. Quod vero Judæi, ut majorem hiſce Targumim concilient auctoritatem, alii eorum originem ad Prophetas referunt, a quibus Jonathan & Onkelos doctrinam ſuam paraphraſticam habuerunt, alii ad Moſen in monte Sinai, qui ſenioribus & Prophetis tradidit Paraphraſes Chaldaicas, ut legitur apud Zacut. fol. 53, *&c.* quas tempore captivitatis deſuetas & in oblivionem traditas quaſi poſtliminio in uſum revocarunt & reſtituerunt Jonathan & Onkelos, hoc inter Rabbinicas fabulas merito referendum: quam abſurdum enim & ridiculum eſt fingere Moſen Chaldaicam Paraphraſin Judæis dediſſe, cum Chaldaicam linguam non intellexerint Judæi, ſed Hebræam haberent vernaculam; poſtquam vero Chaldaicæ linguæ aſſueti fuerant, ejus oblitos fuiſſe, donec a Jonathane & Onkeloſo reſtituta eſſet. Non opus eſt immorari in Talmudicis iſtis commentis refutandis. Origo itaque Paraphraſium ab Eſdræ temporibus, non altius, arceſſenda eſt, quo tempore ſine præſcripta forma explicationes factæ ſunt, ſcriptæ vero non ante Jonathanem & Onkeloſum, quantum ex Judæorum monumentis colligi poteſt.

II. *De Authoribus & numero Targumim, & de iis in ſpecie.*

8. Celebris & antiqua eſt apud Judæos partitio ſacrorum codicum in tres ordines; in Legem, ſub qua quinque libri Moſis; Prophetas, tum priores quos vocant, ſc. Joſ. Judic. libros Samuelis & Regum, tum poſteriores, Eſaiam, Jer. Ezech. & 12. minores, quos pro libro unico habent; & Hagiographa, ſub quibus libri reliqui undecim, unde exſurgit numerus librorum 24. Alii vero libros 22, ſecundum numerum literarum Hebraicarum olim numeraſſe ex antiquis ipſorum ſcriptoribus conſtat, Ruth, ſc. adjecto ad librum Judicum, & Threnis ad Jeremiam. Joſephus lib. 1. contra Apionem paulo aliter libros hos diſtribuit, dum præter 5 libros Legis, Prophetarum facit ter decem, qui ab exitu Moſis uſque ad Artaxerxem Perſarum Regem qui fuit poſt Xerxem res geſtas ſuorum temporum ſcripſerint, inter hos omnes libros hiſtoricos complexus; quæ quidem diviſio, ut obſervat Helvicus, ubi ſupra, magis convenit cum verbis Chriſti Luc. 24. 44. Reliquos vero 4. (quos Poeticos vocamus, quique numerum 22. faciunt) dicit Hymnos in Deum, & vitæ Humanæ præcepta continere, per quos intelligit Pſalmos & tres Salomonis: Hæc tamen diſtributio Joſephi ante Hieronymi tempora apud Judæos mutata eſt in eam quam recitavimus, ut ex Prologo ejus Galeato & Præfat. ad Dan. patet. Quicquid ſit de hac partitione, Paraphraſes ſive Targumim ad triplicem hodiernam diſtributionem aptantur, dum aliam Pentateuchi, aliam Prophetarum, aliam Hagiograph. faciunt. Illius in Pentateuchum ad Onkel. in Prophetas ad Jonath. filium Uzielis, exceptis lib. Eſr. Dan. & Chro. Hagiographorum ad Joſephum quendam cæcum communiter referunt. Præter has, extant duæ in Pentateuchum, una eidem Jonathani adſcripta, altera quæ Hieroſolymitana dicitur, ſed incerti authoris; alias etiam fuiſſe Paraphraſes præter dictas à quibuſdam obſervatum eſt, quod tum ex Hieroſolym. quæ duplex fuit, ut poſtea videbimus conſtat, tum ex duplici Targum Eſther, quorum utrumque hodie extat, tum ex variis locis Scripturæ in quibus duplicis, alicubi ternæ Paraphraſis mentio fit. ut Pſal. 77. 11. & 78. 64. & 88. 3. Eſa. 49. 25. idque in Job. ſæpius obſervatum à doctiſſ. Helvico, ut Job. 36. 20, 21, 32, 33. & Job. 39. 24, 25, 36, 37. ubi aliud & aliud Targum adducitur, ut in Bibliis noſtris eſt videre, unde etiam fuiſſe Targum Hagiographorum ante Joſephum cæcum probat Zacuth. Juchaſ. fol. 53. & affirmat Eliaſin Thisbite rad. פום (cui ſubſcribit Helvicus) diverſas à diverſis ſcriptas fuiſſe paraphraſes, ex quibus tantum eæ quæ ſupra recenſentur relictæ ſunt, cæteris perditis vel poſthabitis, quarum fragmenta tantum habemus, quod etiam inde confirmant, quod varia citantur à veteribus ex Targum Job. Ruth, Amoſi, &c, quæ in hodiernis non habentur; quibus etiam & hoc addere licet, ab ipſo Elia varia citari ex Targum Hieroſolym. quæ in eo quod hodie extat non leguntur, imo ex iiſdem capitibus & verſibus quæ in noſtro Hieroſolym. explicantur, quæ tamen ibi non reperiuntur. Extabat etiam aliud Targum in Prophetas & Hagiographa ab R. Akilas qui Proſelytus erat ſub Antonino Imperatore, tempore R. Eleeſaris ſcriptum, ex quo quædam paſſim citantur in Bereſchit Rabba (ut annotavit Schickardus) cujus Paraphraſis injuria temporum hodie nuſquam apparet.

9. De Onkelo vel Onkeloſo primo videndum. Hic Pentateuchum Chaldaice vertit: de Authore autem duplex vertitur quæſtio, dum alii eundem faciunt cum alio Akila, qui teſte Schickardo Bechin. diſ. 2. & Helv. c. 2. aliud Targum confecit in Prophetas & Hagiograph. quod, ut diximus, hodie non extat; alii eundem cum Aquila qui primo Chriſtianus, poſtea Judæus Apoſtata, Vet. Teſt in Græcum ſermonem *contentioſe* tranſtulit, ut affirmat Hieronymus, i. e. ut verſioni Sept. quod tunc temporis apud Chriſtianos in magno honore fuit, derogaret; cum tamen hic ab utriſque diverſus eſſe videatur. Non fuit idem cum Akila illo ſub Eleazare, licet uterque Proſelytus fuerit: nam primo nomina אונקלום & עקילם Akilas & Onkelos multum differunt: deinde variis temporibus vixerunt, Onkelos tempore Hillelis ſenioris ante Chriſtum annis circa 40. ſub Hircano, & coætaneus erat Jonathani, alteri paraphraſtæ, teſte R. Aſar in Meor Enajim c. 45. aliiſque Rabbinis ab aliis adductis. Hic vero quem faciunt Titi imperatoris ex ſorore nepotem, poſt excidium urbis vixit, & ſub Adriano imperatore. Ille ſcripſit in Pentateuchum, hic in Hagiographa & Prophetas: Aquilas vero qui verſionem Græcam confecit, de quo quædam diximus Proleg. de LXX Interpretibus, poſt utroſque vixit: floruit enim circa annum Chriſti 130. teſte Theodoreto & aliis, nec tantum Legem, vel ſola Hagiographa & Prophetas, ſed univerſam Veterem ſcripturam vertit, adeo ut multum fallantur Bellar. 2. De verbo Dei c. 3. Serar. Prolegom. de Rabb. & alii qui Onkeloſum cum Aquila interprete Græco confundunt, nec non R. David aliique Rabbinorum qui Akilam eundem faciunt cum eodem Aquila. Huic vero Onkeli Targum merito primas deferunt Judæi, tum quod textum Hebræum ad verbum magis exprimat, ita ut ſub iiſdem accentibus Hebræorum inſtar ipſius textus authentici decantari poſſit, ut annotat Schickard. exceptis quibuſdam verbis per Maccaph. conjunctis à Rabbinis, ut Gen. 1. 2. ut hoc modo accentuum ſeries inviolata ſervaretur, ubi liberius expatiatur; tum quod reliquis facilior & diſcentibus utilior. De hac etiam teſtatur Clariſſ. Buxtorf. Præfat. ad Lexic. Chaldaico-Syr. ſtylum ſimpliciorem eſſe, & ad Danielis & Eſræ puritatem magis accedentem, maximeque literalem eſſe, cum verbum fere de verbo reddat. Ob hoc etiam reliquis præfertur, quod cautus ſit in iis locis vertendis quæ de Deo aliquid ἀνθρωποπαθῶς efferunt, ne imperitis occaſio detur aliter de Deo concipere quam oportet. Unde Eli. Lev. Præf. in Methurg. ſcribit, quod *ante inventam artem Typographicam, licet reliquorum Targumim unum vel duo in Provincia extarent, Onkeloſi tamen ubique in uſu fuerit; & hoc ideo, quod nos* (Judæi ſcilicet) *obligati ſumus ut legamus quavis ſeptimana Paraſcha bis, ſemel in textu & ſemel cum Targum.*

10. Onkeloſo proximus eſt Jonathan Ben Uziel, qui Prophetas priores & poſteriores (excepto Daniele) tranſtulit, de quo non ita litigant authores ac de Onkeloſo. Fuit hic Jonathan diſcipulus Hillelis, ſenis illius celeberrimi qui poſt reditum è Babylone ætatis anno 40 erat Doctor Academiæ Hieroſolymitanæ, & iterum per 40 annos Rector Collegiorum ejuſdem Academiæ, ſi vera ſunt quæ de eo narrant Judæi. Jonathanis vero condiſcipulum faciunt plerique Simonem Juſtum, quem Chriſtum infantem ulnis excepiſſe memorat Evangeliſta, & Gamalielem Sancti Pauli præceptorem. Ut vero Onkelum quidam eundem fecerunt cum Aquila, interprete Græco, ſic Jonathanem eundem faciunt alii cum Theodotione illo qui itidem in Græcum ſermonem ſcripturam vertit, argumento à nomine ducto, quia ſc. utriuſque nomen *Dei donum* ſignificat,

quod ſane ſublectæ fidei eſt argumentum, cum eadem ratione, ut acute arguit Schickardus, probare poſſent eundem eſſe cum Theodoſio imperatore, cujus nomen idem habet ſignificatum. Floruit hic centum annis ante Templi ſecundi vaſtationem, ut habetur in Talm. Tract. de Sabbato c. 1. Hujus item collega erat Shammaius ſive Shimeon, ut in eodem loco legitur. Shimeon hic primus erat Hillelis filius, Gamaliel Shimeonis filius, Hillelis nepos, Shimeon ſecundus Gamalielis filius, abnepos Hillelis, qui in excidio urbis & templi peremptus fuit. Gorionides lib. 5. Hiſt. ſuæ ſcribit quod Herodes honoravit ſupra modum Hillelem ſeniorem, principem Phariſæorum, & Sammaium diſcipulum ejus, illi enim primi fuerunt qui ſuaſerunt populo electionem Herodis Regis. Fuerunt itaque Onkelos & Jonathan σύγχρονοι Hillelis ſenioris & Sammai inter quos erat contentio cum Sammai Hilleli contradiceret, unde adagium, *Eſto humilis ut Hillel, & non iracundus ut Sammaius.* Putat vero D. Buxtorf. de Abbrev. p. 58. ad בש״, Shimeonem illum primum qui patri ſucceſſit, tempore Chriſti nati adhuc in officio fuiſſe, licet dubitet an ille fuerit qui Chriſtum brachiis amplexus eſt, eo quod ſi ipſe in Chriſtum credidiſſet, etiam Gamalielem filium ejus in fide Chriſti inſtituiſſet. Fuit vero hic Jonathan inter octoginta Hillelis celeberrimos diſcipulos primus & doctiſſimus, ſicut infimus erat Rabban Jochanan Zacchæi filius, ut in Talmude legitur in Bava Batra f. 134. & in Succa f. 28. cujus verba citat Buxt. in Abbrev. ל״ח p. 104. Schickardus Bechin. p. 26. & alii. Multa fingunt Judæi de hoc Paraphraſte miraculoſa, de quibus infra. Prophetas priores & poſteriores explicaſſe teſtatur Talmud tract. Megilla c. 1. ubi legitur, Targum Legis Onkelum proſelytum compoſuiſſe, Targum Prophetarum Jonathanem filium Uzielis, quando commota fuit terra Iſraelis ad quadraginta milliaria, & tum egreſſam fuiſſe vocem de cœlo, dicentem; *Quis eſt iſte qui revelavit ſecreta mea filiis hominum?* Jonathanem vero in pedes exſurgentem reſpondiſſe, *Ipſum fuiſſe qui hoc fecerat, at non honoris proprii ſtudio, vel patrum ſuorum, ſed propter nomen divinum, ne multiplicarentur diviſiones in Iſrael:* unde cum Targum Hagiographorum aggreſſus fuerat, vocem de cœlo iterum auditam fuiſſe, *Sufficit tibi. Quamobrem vero? Quia revelatur in eis finis Meſſiæ*, ſc. in Daniele. Hæc vero ultima verba aliter refert El. Lev. Præfat. dicta, quod ſcilicet venit illi vox de cœlo, dicens; *Annon tibi ſufficit myſteria prophetarum prodidiſſe, ſed etiam arcana Spir. S. proſtituere velis?* unde deſtitit à verſione Hagiographorum. De hoc vero Jonathanis Targ. ſcribit Buxtorf. filius Præfat. ad Lex. Chaldaic. & Syr. *quod in Prophetis prioribus tum in ſermone tum in re ſimplex eſt, in poſterioribus qui paulo obſcuriores, paulo liberior ſit & allegoriis nimis indulgens. Hoc etiam in ipſo laudandum quod plurimos locos de Meſſia non ita explicate ſcriptos, ipſe ſenſu ſane Chriſtiano de Meſſia exponit.*

11. Præter Targum in Prophetas, quod omnium conſenſu Jonathani adſcribendum, alia etiam prodierunt Targumim quæ ipſi adſcribuntur; 1 in Legem ſive 5. libros Moſis, quod paucis ante hæc tempora innotuit, qui enim ejus meminerunt Rabbini, fatentur ſe illud non vidiſſe, & dubii ſunt an exſtaret. Galatin. de Arcan. lib. 1. cap. 3. affirmat ſe ſemel vidiſſe. Paulus Phagius & Mercerus de hoc altum ſilent, niſi quod hic in Gen. 3. 21. ejus meminit, affirmat tamen non extare: verum ex P. Burgenſi in Lyram additam. 4. in Gen. 41. coſtat ipſi notum fuiſſe. *Notanda* (inquit) *eſt hic gloſſa ſeu tranſlatio Chaldaica ipſius Jonathæ, quæ apud Hebræos quaſi tantæ auctoritatis eſt ſicut textus, ubi ex eo recitat colloquium inter Cain & Abel, quod idem eſt fere quod in Hieroſolymitano.* Scripſit vero Burgenſis anno 1429. quo anno impreſſæ fuerant ejus annotationes. Typis vero tandem primo excuſum eſt Judæorum opera Venetiis, poſtea recuſum Baſileæ, tandem cum Onkeloſi Targum & Hieroſolymitano per columnas ſibi invicem reſpondentes Hanoviæ in 8°. minuto charactere, & ibid. anno 1591. pulchriore charactere impreſſum; poſtremo per Manaſſ. Ben Iſrael anno 1640. & nunc in noſtrorum Bibliorum tomo 4to cum Hieroſolymitano & Tawoſi Perſico ſingulorumque verſionibus Latinis (quæ antea, excepta Hieroſolymitana, non extabant.) Jonathanis Verſionem MS. Latinam habui viri quondam clariſſimi Cevallerii, quam mihi communicavit vir doctiſſ. Mericus Caſaubonus Iſaaci filius, multis tamen nævis & erroribus ſcatentem, ita ut neceſſe eſſet denuo cum textu Chaldaico ſecundum varias ejus editiones conferre, & infinitis locis corrigere & emendare. Hæc vero paraphraſis multum cum Hieroſolymitana ſtylo convenire obſervatur, imo alicubi eadem fere verba habet, unde infert Joh. Druſius hoc Targum idem eſſe cum Hieroſolymitano, quod quidem ſi de fragmentis Hieroſolymitanæ, quam nunc habemus, loquatur, à vero alienum eſſe puto, & ex primis Geneſeos verbis confutari poſſe, cum pro בראשית *in principio* legat Hieroſ. בחוכמה *in ſapientia*, Jonathan באולא *in principio.* Si vero alia fuerit olim Hieroſolymitana præter hanc (prout duplicem fuiſſe volunt nonnulli, quæ hoc nomine dicta fuerit, ut infra oſtendam) fortaſſe alteram illam eandem fuiſſe cum hac quæ Jonathani aſcribitur, non negarim. An autem hæc quæ Jonathanis nomine circumfertur ſit Jonathanis an recentiorem aliquem habeat auctorem, multum diſceptatur. Jonathani adſcribunt Galatinus de Arcanis lib. 1. cap. 3. Poſtellus, Paulus Phagius, Helvicus cap. 2. Serarius de Rabbin. lib 1. cap. 16. & alii. Negant Buxtorfius in Abbreviaturis רש״בי & ל״ח. Druſius de quæſitis per epiſt. 70. cum aliis in medio relinquit Schickar. Bechin. pag. 31. Buxtorfius falſiſſimum eſſe putat Jonathani aſcribere; rationes profert tum ex ſtyli & dictionis differentia, quia multo impurior & magis mixtus, tum ex fabularum frequentia quibus referta eſt, ut Gen. 1. 16. ubi dicit, *Luminaria duo magna primo æqualia fuiſſe annis 21. poſtea lunam diminutam eſſe*: maxime vero ex cap. 26. Exod. v. 9. ubi meminit סלרי מתניתא *partium Talmudicarum*, quæ ducentis poſt Chriſtum annis factæ ſunt: dicit enim decem aulæa ſeorſim facta juxta ſex ordines Miſchnajoth ſive Talmudicos; nec valet effugium Schickardi, Quod traditiones Miſchnicæ ſunt Jonathane antiquiores, & ipſi non minus quam omnibus Hillelianis diſcipulis notiſſimæ?, etſi ducentis poſt Chriſtum annis à R. Jehuda in ſchedas collectæ: Hoc, inquam, parum movet, non enim traditiones Talmudicæ in iſto loco referuntur, poſſunt enim harum aliquæ fuiſſe ante compoſitam Miſchnam vel Talmud, ſed mentio fit partium Talmudis in quas dividitur, quod plane probat poſt Miſchnam ſcriptam eſſe hanc paraphraſin. Præterea Num. 24. 19, 24. mentio fit urbis *Conſtantinopolis*, quæ multo poſt Jonathanem exſtructa eſt. Idem obſervat Clariſſ. Bochartus Geograph. ſacræ parte 1. l. 3. cap. 5. ex Num. 24. 24. ubi mentio fit Lombardiæ ac Italiæ, ubi pro למברניא legendum monet למברדיא, ut ex Saadia in hoc loco probat. Hinc enim ſequitur vel Targum hoc ſcriptum fuiſſe poſtquam Longobardi in Italia rerum potiebantur, id eſt, poſt annum Chriſti 570. aut quædam addidiſſe Judæos poſteriores: quod etiam de Hieroſolymitano notat, in quo idem nomen reperitur. Et Deut. 33. fit mentio maris Tiberiadis, quæ urbs ab imperatore Tiberio nomen habuit; vix autem probabile eſt eo tempore Jonathanem ſupervixiſſe, prout ſuſpicatur Helvicus, nec quod de nominum priorum mutatione in libris ſuis à Judæis ſæpe facta pro arbitrio, dum unum pro alio ſubſtituunt, idem regerit, multum valet; nam licet hoc in privatorum quorundam codicibus aliquando fit, ut inſtantia ejus probat, tamen in omnibus exemplaribus, præſertim in libris qui in uſu publico erant, mutationem, vel depravationem talem fieri poſſe, haud probabile eſt. Objicit Schick. Bechin. p. 31. vix probabile eſſe Jonathanem incepiſſe à Prophetis, & legem omiſiſſe, librum frequentiſſimi uſus, præſertim cum Onkelos qui legem tranſtulit, tempore poſterior eſſet: cui reſpondeo argumentum retorquendo; ſi Jonathan legem tranſtuliſſet, cur Onkelos ſtatim fere idem tentaret & actum ageret? Hoc mihi magis probare videtur Jonathanem legem non tranſtuliſſe. Nec multum urget quod habet idem in Præf. ſc. ex 2 Tim. 3. 8. ubi Apoſtolus Janneſium & Jambreſium memorat Moſi reſtitiſſe, quod videtur Apoſtolus hauſiſſe ex Jonathanis Targ. Exod. 7. 1. ubi eadem nomina recitantur, unde infert hoc Targum fuiſſe ante Apoſtolos; fruſtra vero hoc, nam hoc de Janneſio & Jambreſio ex antiqua traditione habere poterat hujus Targum auctor; alias eodem argumento probare quis poſſit, Talmud ante S. Paulum ſcriptum eſſe, quia ſc. in ipſo fit mentio iſtorum magorum per eadem nomina. Majoris momenti eſt quod multa loca in hoc Targum inveniuntur quæ contra Judæos faciunt ad Chriſtianæ religionis illuſtrationem; ſed & hoc in omnibus Targumim eſt obſervare, quædam in eis inveniri pro myſteriis religionis Chriſtianæ, ut in illo in Hagiographa, quod tamen ab omnibus multis poſt Chriſtum ſeculis ſcriptum habetur. In antiquioribus, Onkeli & Jonathanis plura reperiuntur quam in poſterioribus, in his tamen, licet multa depravata fuerint, quædam tamen ex antiquorum traditionibus & ſcriptis, quaſi Scholarum Propheticarum rudera relicta ſunt, quæ in ſuis Paraphraſibus poſuerunt, ita dirigente divina providentia, ut propriis pennis increduli ſe configerent. Librum itaque hunc non eſſe Jonathanis mihi certum eſt, ſed poſt Miſchna ſaltem, ab aliquo qui emendicato Jonathanis nomine auctoritatem Paraphraſi huic conciliare voluit, compoſitum fuiſſe.

12. Præter has Paraphraſes in legem & Prophetas, aſcribitur etiam Jonathani Paraphraſis in Hagiographa, quam optat Helvicus à tenebris tandem erutam eſſe, vel ſaltem in Pſalmos; *Haberemus enim* (inquit) *proculdubio illuſtriſſima teſtimonia contra Judæos*: Jacobus enim Chriſtopolitanus Epiſcopus in Expoſit. Pſal. 20. narrat de Chriſti divinitate & de ſancta Trinitate myſteria ab eo explicata fuiſſe, ut in Pſal. 2. verba illa, *Dixit Dominus ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te*, &c. ita exponit; *Duo hic Pater & filius, tres ſunt in una Perſona tertia, nimirum Spiritu ſancto, & hi tres unum ſunt una, inquam, ſubſtantia, una eſſentia, & unus Deus. Hæc cum Jonathan ſcripſerit, vox de cœlo audita eſt*, inquiens, *Quis eſt iſte qui audet ſecreta mea gentibus revelare?* Tum Jonathan; *Ego*, inquit, *Domine ob reverentiam & gloriam nominis tui hoc tentare auſus ſum*: vide Sixt. Senenſ. lib. 4. voce *Syra editio.* Hæc verba in Targum Hagiograph. quod hodie extat, non habentur, unde conſtat aliud fuiſſe quod jam periit. Cocceius in Sanhedr. pag. 326. memorat frequenter citari in Talmude loca quædam ex Targum Rab. Joſephi in Prophetas priores & poſteriores, quæ eadem habentur in Paraphraſi quæ Jonathani filio Uzielis adſcribitur. Vide D. Hotting. Philol. l. 1. cap. 3. Sect. 1. præterea in Targum noſtro in Job. Pſalmos, &c. quædam variis locis ex alio Targum recitantur, ut ex locis quibuſdam ſupra notatis liquet. Et Galatinus l. 3. cap. 28. expreſſe citat fragmenta quædam verſionis Jonathanis in Pſal. 72, & 110. & in Cantic. Canticorum. Et aliam fuiſſe Paraphraſin in Hagiographa ante Joſephum Cæcum probat Elias in Thisbi rad. פום ex vocabulis Chaldaicis per veteres allegatis ex Targum Jobi, Amoſi, Ruth, quæ in eo quod typis impreſſum eſt non leguntur. Præter Jonathanis in Prophetas, etiam alias duas Paraphraſes in Prophetas numerat Helvicus, quarum neutra hodie extat; unam R. Joſephi Cæci, quæ in Gemara citatur, teſte Elia Præfat. in Methurg. alteram quam R. Akibæ attribuunt, de quo ſupra, quæ teſte eodem Elia citantur in Bereſith Rabba, de quibus, cum nullibi habeantur, non eſt opus plura dicere.

13. De Targum Hieroſolymitano notandum eſt illud quod hodie habemus, haud integrum eſſe, ſed interruptum & mutilum, cum non continua ſerie ſed hic illic verſus quidam transferantur, imo ſæpe in verſus medio deficit, & poſteriorem tantum ejus partem interpretatur, unde conjiciunt multi fragmentum eſſe Paraphraſeos integræ quæ olim extabat. Hoc vero negat Schick. Bechin p. 37. quod eadem ſæpe tautologice repetuntur, quod in unius continui operis fragmentis vix probabile; concludit eſſe potius centonem ex pluribus collectum, quod etiam confirmatur ex eo quod in multis eadem habeat cum Jonathane, & quod nulla ſit auctoris mentio; unde putat Druſius, ad difficil. loca Num. cap. 25. Hieroſolymitanum idem eſſe cum illo quod Jonathani affingitur, cui Jonathanis nomen (quod apud Judæos eſt ſacroſanctum) præfixerunt ad quæſtum faciendum. Hoc etiam textui non ita adſtrictum eſt ut Onkeloſi, ſed ſæpe diſcurrit & potius Commentarius quam Paraphraſis in multis videtur. Hiſtorias etiam quaſdam ſæpe illuſtrationis gratia inſertas habet, quæ in Scripturis non habentur, ſed probabile eſt ex antiquis traditionibus

hauſtas, ut Gen. 1. 27. & 3. 9. 15. 18. 22. 24. Hoc vero multum differre à Babylonico teſtatur Elias Præfat. in Methurg. quod pluribus vocabulis barbaris ſcatet, Perſicis, Græcis, Latinis, &c. unde videtur eadem dialecto ſcriptum eſſe qua R. Jonathan. ſuum Talmud Hieroſolymitanum exaravit, trecentis poſt excidium Templi & urbis annis, ut D. Buxt. in recenſ. operis Talmud. Dictum vero eſt Hieroſolymitanum, ut plerique opinantur, vel ab urbe ex qua prodiit, vel ex dialecto qua conſcriptum eſt. Quo tempore vero vel à quo auctore ſcriptum ſit, apud Judæos eſt omnino incertum: ſic enim Elias loco citato; *Hieroſolymitanus interpres quiſnam fuerit nobis ignotum eſt; num ipſe qui vertit Hagiographa, an diverſi fuerint homines diverſis temporibus.* Conjicit vero paulo ante, vel paulo poſt Talmud conſcriptum fuiſſe. Nic. Serarius in Proleg. ex nomine Hieroſolymitani colligit, Onkeloſi Targum fuiſſe Babylonicum, & ab hoc diſtinctum, ut Talmud Hieroſolymitanum à Babylonico: nullibi vero conſtat Onkeloſi vocari Babylonicum vel Babyloniis Judæis magis in uſu fuiſſe quam Hieroſolymitanis; nec Hieroſolymitanum tam antiquum fuiſſe quam Onkeloſi, vel in Synagogis publice prælectum, quod de Onkeloſi plures affirmant. Etſi vero de authore nihil pro certo affirmatur, conjiciunt tamen plerique circa idem tempus ſcriptum eſſe quo Talmud: dialectum enim eandem habet qua Talmud illud exaravit R. Jochanan, teſte Elia, ut ſupra. Buxtorf. Præf. in Lex. Chald. Syr. idem judicium facit de hoc Targum quod de illo Jonathanis in Legem, & de Targum Hagiographorum, Megilloth, &c. cujus partem poſt Talmud factam arbitratur (quod ad minimum 500 poſt Chriſtum annis conſignatum eſt.) Talmudis enim fit mentio Cant. 1. 2 & Thren. 2. 14. unde poſt Talmud ſcriptum eſſe clarum eſt: etiam dialectus impurior idem arguit ad Syro-Hieroſolymitanam accedens.

14. Contra, pro antiquitate hujus Targum objici poteſt, multa in ipſo inveniri quæ in Novo Teſtamento per Chriſtum & Apoſtolos iiſdem verbis proferuntur, unde inferunt in hoc Targum ſcripta fuiſſe, unde hauſerunt Chriſtus & Apoſtoli. Ita quidem Mayerus Phil. ſacra lib. 2. cap. 2. pag. 185. – 200. &c. quibus idem reſponderi poteſt quod idem reſpondet ad Targum Jonath. in Pentateuch. de nominibus Jannes & Jambres pag. 47. Hæc utroſque non aliunde habuiſſe quam ex traditione vel vetuſtis Judæorum ſcriptis. Loca quæ adfert ſunt Luc. 6. 38. *Eadem quippe menſura qua metimini, metientur alii vobis*, quæ verba habentur in Targum Hieroſolymitano Gen. 38. 28. *Qua menſura homo metitur, eadem metientur & alii.* Apoc. 20. 6, 14. legitur diſtinctio mortis in primam & ſecundam, quam Millenarii noſtri ad ipſorum phantaſmata detorquent; & eadem diſtinctio invenitur in Targum Hieroſol. Deut. 33. 6. *Vivat Reuben in hoc ſeculo, & non moriatur morte ſecunda, qua morientur impii in ſeculo futuro*, ubi explicatur recte quid ſit mors prima & ſecunda. Apoc. 1. 4. ὁ ὢν, ϗ ὁ ἦν, ϗ ὁ ἐρχόμενος· ex Exod. 3. 14 deſumpta eſt hæc Dei deſcriptio. Targum Jonath. Deut. 33. eadem verba Dei filio attribuit. Apoc. 5. 10. *Feciſti nos Deo noſtro Reges & Sacerdotes*, hæc deſumpta ſunt ex Targum Hieroſolymitano, Exod. 19. 6. Phraſes illæ ἔργον ἀγαθὸν, ἔργον καλὸν in Vet. Teſt. non habentur; in Novo Tit. 2. 14. & 3. 1. Epheſ. 2. 10. Act. 9. 36. 1 Tim. 5. 10. Eadem phraſis in Jonath. & Hieroſol. Gen. 4. 8. & cap. 6. Tandem Matth. 6. πατὴρ ἡμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς· Eadem verba habentur in Targum Hieroſolymitano, Deut. 32. 6. *Annon ipſe Pater veſter, qui in cœlis eſt*: unde concludit Dominum & Apoſtolos hæc ex Targum deprompſiſſe ac in uſum ſuum tranſtuliſſe. Sed hæc quidem probant utilitatem hujus Targum ad explicandum loca iſta Scripturæ, non vero quod Dominus & Apoſtoli ex Targum aliquo ea deſumpſerint: nam iſtorum nonnulla in Vet. Teſtamento extant, unde tam Targumiſtæ quam Apoſtoli habere poterant. Quædam erant Proverbiales locutiones quas ex vulgari uſu utrique in ſua ſcripta retulere; quædam, ut ipſe alibi, ex traditione vel libris Judæorum potuit habere Hieroſolymitanus, ut & Apoſtoli, ita ut neuter ex altero, ſed utrique ex eodem fonte hæc haurire poterant: unde idem pag. 113. *Dubitare quis poſſit an auctor iſtius Paraphraſeos ex ſcriptis Evangelicis, an vero Chriſtus & Apoſtoli ex vulgari loquendi modo iſta hauſerint, ac ſuo ſermoni inſeruerint*; Quod vero affirmat Helvicus, non alio ſermonis genere uti hunc Paraphraſtem quam reliqui, Onkelos ſc. & Jonathan, hoc eſt contra omnium ſententiam qui facillime deprehendunt, ex collatione harum Paraphraſium, differentiam inter eas immenſam; Onkeloſi enim & Jonathanis dictio eſt multo purior & ad Danielis & Eſræ ſtylum propius accedens, ſine tanta mixtura vocabulorum Barbarorum, Babylonicorum, Græcorum, Latinorum, Perſicorum, quæ in Hieroſol. conſpiciuntur, ut idem Elias loco citato, qui etiam in nomine Cepha obſervat in multis locis cum lingua Romana & Italica hoc Targum convenire, quæ aperte probant longo poſt Chriſtum tempore exaratum eſſe, cum ex variarum Gentium colluvie, quibus Judæi ſerviebant, eorumque linguis compoſita ſit hujus Targum dialectus. Adferunt alii & aliud argumentum, quod poſt vaſtationem urbis & Templi factum ſit, quia Lev. 26. 24. fit mentio diræ illius famis in obſidione urbis, cum matres liberorum ſuorum carnem comedebant. Etſi vero veriſſimum ſit longe poſt urbis excidium factum fuiſſe, hoc tamen argumentum, ut mihi videtur, illud non probat; verba enim ſunt, *Rebellarunt illi peccatores qui occaſionem præbuerunt Patribus noſtris in Hieruſalem, ut comederent carnem filiorum ſuorum & filiarum ſuarum*: quæ verba intelligi poſſunt de obſidione Babylonica, cum mulieres infantum tenerorum carnes comedebant, ut conqueritur Hier. in Thren. 2. 20. & 4. 10. nec neceſſario ſunt intelligenda de obſidione Romanorum. Multo firmius hoc probatur ex Num. 24. 24. ubi verbum Hebræum *Chittim* exponit Hieroſ. interpres בלברדיא *in Lombardia ex urbe magna*, ſc. Roma, ubi per *Libardia* intelligi Lombardiam ſupra oſtendimus; Lombardi enim in Italia imperabant annis poſt Chriſtum 580, ut ſupra. Hoc itaque omiſſo, firmiſſimum mihi videtur illud à ſtylo ductum, qui in hoc Targum tantum differt ab illo Onkeloſi & Jonathanis, quantum Thomæ, Scoti, aliorumque Scholaſticorum à Ciceronis vel Senecæ, vel Bartoli ac Baldi ab Ulpiani.

Præter hoc Targum, de quo hactenus, aliud fuiſſe quod etiam Hieroſolymitanum dicebatur, colligit Helvicus ex fragmentis in Thoſophoth in Gen. 48. 29. & 38. 25, 26. & 44. 18. Exod. 13. 17. & 14. 21. ut etiam ex quibuſdam locis quos allegat Kimchi in Michlol. Idem etiam Chriſt. Gerſon in Talm. parte 1. c. 30. eo quod quædam à veteribus citantur ex Targ. Hieroſolymitano, quæ in hoc noſtro non occurrunt, quod & ex Elia clarum eſt, qui varia iſtiuſmodi producit. Rem extra controverſiam ponit editio Veneta hujus Targum, anno Judæorum 350. ubi in fine Geneſis & Deuteronomii, præter verſionem quæ in noſtris extat, etiam aliud Targum affertur in verſus quoſdam. Ad Hagiographa etiam videtur Elias hoc Targum extendere in Thisbi nomine *Cepha*, ubi loca quædam profert ex Targum Pſalmorum & 5. libellorum, quod ille Hieroſolymitanum appellat. Gal lib. 11. c. 1. & lib. 3. cap. 28. ait, *Hagiographorum Talmud vocari Hieroſolymitanum*, & Joſ. Scalig. Epiſt. 449. *Targum Job, Pſalmorum, & Proverbiorum ad Hieroſolymitanum refert.* Hoc vero videntur feciſſe, quod eadem Dialecto, impura ſcil. Hieroſolymitana, conſcriptum ſit illud in Hagiographa, ut jam videbimus.

15. Poſt Pentateuchi & Prophetarum Paraphraſes pauca addenda de illa Hagiographorum, quæ communiter aſcribitur R. Joſe, ſive R. Joſepho, quem Cæcum ſive Luſcum fuiſſe tradunt, unde ejus verſio ab ipſo non ſcripta ſed orali traditione recitata erat, quam alii literis conſignarunt. Non deſunt tamen inter Judæos qui authorem dubium relinquunt. R. Azar. in Meor. enajim affirmat authorem ignotum eſſe. Elias Præfat. 3. in Ham. dubitat an ſit Joſephus hic an alius dictus Aquila. De hoc etiam dubitant ſcriptores Chriſtiani; Helvicus dicit eſſe Joſephi vel Aquilæ; Schichardus Bechin. pag. 37. licet vulgo ejus eſſe habeatur, dicit tamen de authore nondum certe conſtare. Sixtus Senenſis refert ad annum Chriſti 400. Buxtorf. Præfat. Lex. Chaldæo-Syr. ait *ex hiſtoria Hebr. nil certum haberi, & authores varios fuiſſe ex ſtylo apparere, qui Onkelo & Jonath. longe poſteriores. Certe Targum Megilloth ſive 5. librorum, poſt 500 Chriſti annum compoſitum liquido conſtat, cum Cant. 1. 2 & 2. 19. expreſſam faciat mentionem ſex tractatus Miſchna & Talmud cum explicatione, quod ad minimum circa illud tempus conſignatum eſt. Addit vero linguæ Dialectum impuriorem ad Syro Hieroſolymitanam accedentem novitatis illud arguere, & ut prolixior eſſe ſolet, ſic pluribus allegoriis refertur. In Cant. Eccleſ. & Eſther maxime vagatur, præſertim in Eſther, cujus alterum Targum (nam duo extant in Eſther) omnium recentiſſimum & fabulis refertum, inſtar prolixi commentarii eſſe poſſit.* Mixtum vero eſſe hoc Targum Hagiograph. obſervant omnes ex variis peregrinis vocabulis, Græcis & Latinis cum Syris, unde ſæpe aqua hæret Rabbinorum doctiſſimis circa genuinam vocum quarundam ſignificationem, qui linguas illas non callent. Duplex etiam fuiſſe in Hagiographa Targum veriſimile eſt; nam præter hoc quod habemus, aliud fuiſſe quod Jonathani adſcribunt, quod adhuc lucem non vidit, ex iis quæ ſupra ex Elia, Zacutho, Galatino, & aliis produximus ſatis liquet. Præter hæc quæ enumeravimus, extant etiam in Bibliotheca Cantabrig. inter Erpenii libros quos Academiæ donavit Dux Buckingamius, Biblia Hebraica, cum annotationibus marginalibus, in librum Pſalmorum, Job, Proverbiorum partem priorem, 1 Chronic. uſque ad cap. 22. v. 6. ſcriptis ut ad finem notatur, anno Chriſti 1347. quando autem primum confectæ, vel à quo authore, nondum mihi conſtat; ſero admodum harum notitiam habui poſtquam Biblia noſtra abſolvimus, idcirco ſpecialem illarum diſcriptionem aliis relinquimus. Et hæc de Targum eorumque auctoribus quantum ex hiſtoria colligi poteſt ſufficiant. De ſinceritate vero Targumim, eadem eſſe ſine ulla corruptione, niſi quæ ex temporum injuria & codicum varia lectione omnibus libris accidit, vel ex maxima diligentia, pene dixerim ſuperſtitione, Judæorum in libris ſuis ſacris (inter quos Targumim antiqua referunt) conſervandis, ſatis probatur, ad quas cauſas referendæ diſcrepantiæ quæ inter Veneta, Regia, & Baſileenſia exemplaria conſpiciuntur. Unum reſtat ſcrupulum de antiquitate Onkeli & Jonathanis, quod eximendum eſt, ſcil. Quænam ſit cauſa cur apud omnes Eccleſiæ Patres, etiam Origenem, Hieronymum, & Epiphanium, qui Hebraice doctiſſimi, & Judæorum monumenta optime norant, altum ſit de his Chaldaicis Paraphraſibus ſilentium, cum ex iis, antiquioribus præſertim, contra Judæos, quibuſcum acriter diſputarunt, argumenta valida pro religione Chriſtiana depromere, & propriis telis ipſos confodere poſſent, apud quos tamen Targumim nomen non invenitur. Certe verſiones iſtas antiquiſſimas fuiſſe, & eorum tempore extitiſſe, ſaltem Onkeloſi & Jonathanis, negari non poteſt, cum tantus ſit in omnibus Judæorum codicibus de iis conſenſus, nec credibile eſt cum Chaldaica lingua ipſis vernacula & familiaris fuerit, verſiones illas Chaldaicas eos neglexiſſe, & poſtea cum nec Hebræam, nec Chaldaicam Vulgus intellexerit eaſdem procuraſſe & compilaſſe. Multum miratur ergo Cl. Helvicus, unde erat quod apud Eccleſiæ proceres nulla de iis mentio ullibi fit; cauſas vero inter alias has fuiſſe liquet, quod inter Judæos & Chriſtianos illorum temporum magnæ ſimultates ortæ, Judæis ubique in perſecutionem Chriſtianorum Ethnicos propellentibus, donec ex Imperatorum ad Chriſtum converſione Chriſtiani ſuperiores evaſere, tantæ tamen animorum acerbitates exerſerint, ut patres Chriſtiani Judæorum libros abominarentur, pauci vero vel Hebræam vel Chaldaicam linguam multum curarunt, cum Nov. Teſt. haberent lingua omnium notiſſima Græca conſcriptum, & Vet Teſtamentum itidem Græce ex Hebr. multis ſeculis antea à LXX converſum, quod ab Apoſtolis receperunt, & magno honore proſequebantur: multi etiam ipſi textui Hebræo, quem in multis à Judæis malitioſe corruptum plerique putarunt, prætulere; perſecutionum etiam mole preſſi ſtudiis linguarum vacare non poterant, ſed quod maxime neceſſarium erat, unice ſectabantur, ut maximos in pietate progreſſus facerent, cumque (ut antea oſtendimus) habuere ſcripturas in omnium fere nationum linguas converſas, haud neceſſarium putarunt circa codices Judaicos operam impendere: toti erant in pietatis praxi promovenda, &

ut mundo quaſi mortui, ſanctimonia & martyrii gloria fidem Chriſti confirmarent & dilatarent, animaſque Deo lucrarentur, ad quem finem Græcam, Latinam, aliaſque verſiones ſufficere arbitrabantur. Hebræum vero & Chaldaicam, quæ quaſi Judæis propria erant, neglexerunt.

De Autoritate Paraphraſεων Chaldaicarum.

16. Apud Judæos æqualem habent cum textu Hebraico auctoritatem, præcipue Onkeloſi & Jonathanis Paraphraſes, unde nemo audet iis contradicere: quod inde patet, quod tradunt Jonathanem ſuam expoſitionem accepiſſe à Prophetis Zach. Haggæo & Malachia; Onkeloſum à R. Eliezer & R. Jehoſua, qui eam à Prophetis habuerunt, Prophetæ vero eandem à Moſe in monte Sinai per traditionem ſeniorum derivarunt; ſic omnia ſua, etiam nugas & deliria, ad originem Divinam referunt, quo majorem iis venerationem concilient. De hoc ipſorum commento ſupra egimus, ubi ejus vanitatem oſtendimus. In hunc finem etiam miracula facta fuiſſe fingunt, dum ſcriberentur hæ Paraphraſes, maxime Jonathanis, quem omnibus præferunt. Scribunt enim quod inter Hillelis diſcipulos 80. digni erant ut ſuper eos Divinitas quieſceret, ut ſuper Moſen; triginta propter quos ſol ſtaret immobilis, ut ad imperium Joſuæ; & 20. reliqui mediocres, inter omnes vero maximus erat Jonathan, Talmud Bava Batra fol. 134. & in Succa f. 28. Fingunt etiam cum Targum conſcriberet, ſi vel muſca chartæ inſideret, igne cœleſti conſumptam fuiſſe, charta intacta. Terram etiam Iſraelis commotam fuiſſe cum ſcriberet ad 40. uſque milliaria, Tract. Megill cap. 1. fol. 31. vocem de cœlis auditam, dicentem, *Quis eſt iſte qui ſecreta mea revelat filiis hominum?* tandem & Angelos è cœlo deſcendiſſe ut auſcultarent dum ille Targum conficeret, Succa p. 28. Ex hiſce fabuloſis licet, conſtat quantum tribuant Targum Jonathanis, nec multo minus attribuunt reliquis, ita ut quicquid ex Targum aliquo afferatur contra Judæos, illud non poſſint rejicere. At hiſce fabulis rejectis, certum eſt authoritatem habere humanam tantum, cum non ab hominibus Spir. S. afflatis facta ſint, ſed ſtudio & mediis ordinariis confecta, quo antiquiora tamen eo majorem habent authoritatem, quo recentiora eò minorem, cum fabulis & nugis Judaicis magis ſcateant. Si quis vero objiciat Rabbinos aliquando ab expoſitione Targumim diſcedere, & aliter loca quædam exponere: Reſpondendum, ipſos hoc non aperte facere, nec Targum erroris inſimulare, ſed alias probabiles expoſitiones adferre, quæ cum Targumica ſtare poſſunt: Pruritus etiam allegorizandi in Scriptura & varios ſenſus eliciendi & in ſenſum literalem alios ſuperinducendi in cauſa eſſe potuit. Quamnam vero apud Chriſtianos authoritatem habere debeant, ex ipſorum uſu, de quo proxime dicendum, patebit: ex ſe enim, quatenus à Judæis profecta, parum apud nos valere debent; ubi tamen cum Scriptura congruunt, & rectæ rationi non adverſantur, licet à Judæis profecta, recipienda, nec propter ſcoriam admixtam aurum projiciendum, quicquid enim verum eſt, à Deo, qui ipſa eſt veritas, procedit. Non deſunt qui omnes Judæorum libros (ut qui jurati Chriſti hoſtes) & hos inter reliquos damnant, ut prorſus inutiles, impios, & inter Chriſtianos non ferendos. At hoc de omnibus recte non poteſt affirmari, cum Jonathan ante Chriſti adventum ſcripſerit, & fortaſſe Onkelos, ut ex ſupra dictis probabile eſt: de reliquis vero temerarium judicium ferunt, ut de libris quos forte nunquam legerunt, unde hoc obſervare licet, pleroſque qui duræ judicant de Paraphraſibus, aliiſque Judæorum libris, in ipſis plane peregrinos eſſe; optime enim ſcripſit Oratorum princeps, *Fœlices fore artes ſi de iis ſoli artifices judicarent*, optandumque eſſet ut de nulla ſcientia ſcioli quicquam ſcriberent, ſed illi ſolum qui tempus & operam in ea inſumpſerunt. Hieronymus, ut de ipſo loquitur Munſterus Præfat. Bibl. *Vir tantus & per orbem celebris, non dedignatus eſt rurſum fieri diſcipulus etiam eorum qui inimici erant crucis Chriſti, & nominis Chriſtiani.* Imo multum nobilitavit Dominus Targum, quod probant haud infimi Hebræo-critici, Helvicus, Mayerus, Schik. & alii, dum in cruce pendens verba ex Pſal. 22. non ſecundum textum Heb. ſed ex Targum recitavit, & ſacro ore ſuo conſecravit; nam non ex Heb. עזבתני ſed ex Chaldæo, שבקתני exclamavit, Matth. 27. 46. Lectionem etiam ejus Sabbatinam putat Schick. Bechin. p. 21. quam in Synagoga habuit Luc. 4. nec Hebræo, nec Græco texui congruere, ſed potius Chaldæo, unde probabiliſſimum exiſtimat fuiſſe ex aliquo tunc extante & vulgo intelligibili Targum recitatam. Non tamen omnia in Targum approbanda, ſed triticum à Zizaniis, noxium à ſalutari diſcernendum, juxta illud Talmudicum, *Comede dactylum, ſed projice corticem foras.*

17. Primo itaque textui Hebræo teſtimonium ferunt ejuſque integritatem confirmant Paraphraſes, præſertim antiquiores qui Hebræum κατὰ πόδα ſequuntur, ut Onkeloſi, & in pleriſque Jonathanis; maxime vero cum etiam alias habeant antiquas Verſiones, ut Græcam Sept. Aquilæ, Theodotionis, Symmachi, Syriacam, conſentientes. Dubitari enim non poteſt Textum Hebræum incorruptum eſſe, & eundem olim fuiſſe qualem jam habemus, cum antiquiſſimæ verſiones paulo ante vel non multum poſt Chriſti tempora ſcriptæ eodem modo legerint prout nunc extat. Idcirco qui de Judæis clamant quod codices ſacros depravarunt, hoc argumento convincuntur. Etiam & illi qui poſt Chriſti tempora dicunt Judæos ſuos codices depravaſſe, ex Chaldaica Paraphraſi, præſertim Onkeloſi, plane refutantur, quæ cum Hebræo textu ubique fere concordat, ut in loco illo celebri de promiſſo ſemine Gen. 3. 15. Sunt qui in quæſtionem vocant textum Hebræum quaſi aliter olim hæc verba legerentur, ſc. היא *illa*, gen. fœm. Hic vero pro textu Hebræo hodierno teſtantur Paraphraſes, Onkeli, Hieroſol. & illa Jonathani adſcripta, quæ omnes vel legunt הוא gen. maſc. cum Heb. ut Onkelos, vel ad *ſemen* verba referunt non ad *mulierem*. Pſal. 132. v. antepenult. Latina Vulgata legit, *viduam ejus benedicam*: in textu Hebræo eſt, *victum ejus benedicam*. Hic pro Hebræo judicium fert Chald Paraph. dum Hebræum vocabulum צֵידָהּ reddit per זְוָדָא *cibum*, cui conſentiunt Aquila & Symmachus. Hinc Paraphraſtem Chaldaicum loco antiquiſſimi exemplaris Hebraici eſſe poſſe ad veram lectionem in dubiis confirmandam dicit Lucas Brugenſis Tract. 1. de Chald. Paraphr. Exemplum profert ex 2 Sam. 7. 23. ubi LXX legerunt אהלו vertunt enim σκηνώματα, *tabernacula*, cum per tranſpoſitionem unius literæ Codex Hebræus & Latinus interpres legunt אֱלֹהָיו *deos* quorum lectionem confirmat Chaldaica Paraphraſis, licet LXX in ſuo codice aliter legerint, nam nulla ratio dari poteſt cur redderent per σκηνώματα, niſi quod codex quem ſecuti ſunt haberet אהלו.

18. Secundo, in multis locis articulos fidei Chriſtianæ confirmant, & contra Judæos fortiſſima argumenta ſuppeditant, quod ex alio fonte proficiſci non potuit, quam quod ea ſcripſerant Paraphraſtæ quæ habuerunt ex antiquis traditionum & expoſitionum reliquiis quas ex Prophetis hauſerunt. De *Verbo Dei* per quem cuncta creata, &c. multa habent quibus mirifice confirmatur Phraſis illa apud Johannem de τῷ λόγῳ, & probatur ad Meſſiam ſive filium Dei deſignandum uſurpaſſe Evangeliſtam nomen quod apud Judæos in familiari uſu ab antiquis receptum fuit, licet omnibus haud ita probe intellectum. *Verbo* attribuitur *Creatio*, Hieroſol. *Et creavit verbum Domini hominem*, Gen. 1. 27. In eodem Targum in unico verſiculo Gen. 3. 22. *Verbo* attribuitur *Creatio*, & *locutio*, & *unigenitum eſſe*; *Et dixit Verbum Adonai* ſive *Domini*; *ecce Adam quem creavi unigenitus eſt in mundo, ſicut ego unigenitus ſum in cœlis excelſis*. Deut. 32. 39. Jonathan, *Quando manifeſtabitur verbum Domini, ut redimat populum ſuum?* Gen. 19. 24. Sulphuris & ignis miſſio in Sodomam & Gomorrham adſcribitur *Verbo* Domini, *Demiſſa ſunt ſuper ipſo Sulphur & ignis a Verbo Domini de cœlo.* Sic Onkelos, *Et reverſum eſt verbum Domini.* ibid. Hieroſ. Gen. 5. 24. *Enoch ſubſtractus erat per Verbum coram Domino.* Sic Hieroſol. Deut. 18. 19. *Verbum meum vindictam faciet de eo.* Sic Onkeloſ. & Jonathan. Infinita ſunt loca ubi Verbo Dei multa adſcribuntur quaſi perſonæ diſtinctæ. De Chriſto, ſive Meſſiæ perſona, adventu, officio multa clara teſtimonia habentur. Loca illa de Meſſia exponunt quæ ad Chriſtum pertinent, licet multum laborent recentiores Rabbini eadem perverſa interpretatione detorquere. Vaticinium illud celebre Jacobi Gen. 49. 10. *Donec veniat Siloh*, reddunt, *Donec veniat Meſſiah*, Onkel. Jonathan. Hieroſ. nullum tamen non movent lapidem perfidi Rabbini, ut hoc non ad Meſſiam pertinere probent, unde in alios ſenſus trahunt. Joſ. Cæcus clare veritatem vidit, dum Pſal. 45. in Paraph. Hagiographorum, de Meſſia totum exponit, quod Rabbini Joſepho cæciores de Salomone tantum intelligi volunt. Pſal. 70. ita reddit idem. *Deus ſententiam judiciorum tuorum Regi Meſſiæ da, & juſtitiam tuam filio Davidis Regis.* Iſa. 7. 14. *Virgo concipiet*, vocem עלמא non depravat Jonathan, ut poſteriores Rabbini, ſed fideliter vertit, nomine ad formam Chaldaicam mutato עלמתא. Eſa. 9. 6. vaticinium illud Meſſiæ applicat Jonathan, *vocabitur nomen ejus admirabilis, conſiliarius, vir permanens in ſæculum, Meſſias.* Eſ. 52. à verſ. 13. ad finem cap. 53. idem diſerte de Meſſia interpretatur, ut Chriſtianum fuiſſe ante Chriſti manifeſtationem quis diceret; *Ecce proſperabitur ſervus meus Meſſias, exaltabitur & augeſcet*, &c. ubi plane recentiorum Judæorum commenta confutantur, qui hic fingunt Prophetam de ſe ipſo, vel de populo Judaico loqui. Multa talia proferri poſſunt, quibus Judæorum ora obturantur, qui loca iſta quæ ab ipſorum Doctoribus de Meſſia explicantur, & nemini niſi Chriſto Jeſu Domino noſtro quadrare poſſunt, in quo impleta ſunt, aliter detorquent, contra celebres ipſorum Targumiſtas, quorum tamen verſiones alias S. ſcripturæ æquant.

19. Tertio in textibus difficilibus, locis obſcuris, & vocabulis inuſitatis multum lucis afferunt, dum ritus, conſuetudines, hiſtorias, vocabulorum ſignificationem genuinam, ſenſumque literalem explicant, quæ ipſis ex majorum traditione accepta melius quam nobis nota erant: unde fatetur Serarius in hoc utiles eſſe ad Scripturæ interpretationem quod ingenii bonitate vel majorum traditione quædam ad rituum qui nobis ignoti, & in vetere Synagoga uſurpati erant, explicationem adferunt. In vocabulis etiam inſuetis multum faciunt ipſorum interpretationes, qui propiores erant temporibus quando lingua ipſis fuit vernacula, unde ſæpe talia fœliciter explicarunt Job. 33. 25. vox רטפש varie à variis exprimitur, optime vero reddit Chald. Par. per אתקליש *Ithkelis attenuata eſt*, quod confirmat Vulg. Lat. ubi redditur, *conſumpta eſt*. Exod. 4. 25. *Sponſus ſanguinum*, exponit clare Onkelos, *Niſi ſanguis circumciſionis hujus* (fuſus fuiſſet) *condemnatus* eſſet ſponſus *ad mortem*: ſic vocavit ipſum *virum ſanguinum*, non quod ſanguinolentus erat, ſed quia per ſanguinem ſervatus eſt. Gen. 30. 14. *Invenit* in agro דודאי *Dudaim*. Quid per iſtud intelligitur multum diſceptant interpretes. Chald. Jonathan & Onkelos reddunt יַבְרוּחִין quos ex Arabica lingua & Rabbinis *mandragoras* ſignificare probant; hanc vero interpretationem confirmant LXX qui reddunt μῆλα μανδραγορῶν. Gen. 41. 43. *Clamaverunt ante eum* אַבְרֵךְ. Multum ſudant Interpretes de ſignificatione. Onkeloſ. Jon. & Hieroſ. reddunt, *Pater Regis*, ab אָב *Pater* & רֵךְ Syriace *Rex*, quam interpretationem confirmant verba Joſephi, Gen. 45. 8. Arab. duplex Erp. Pentateuchus & Saadiæ. Ibid. v. 45. *vocavit eum* צפנת פענח vox Ægyptiaca plurimis videtur, LXX. retinent vocem Ægyptiam. Chald. vero, Jonath. & Onkelos reddunt, *Arcanorum revelatorem*, vel *virum cui arcana revelata ſunt*: quæ explicatio pleriſque doctoribus hodie probatur. Vide Mayer Philol. Sacr. Kirch. Prod. &c. p. 125. Boch. parte 1. lib. 2. cap. 15.

20. His itaque perpenſis, nemo nobis vitio vertet quod Chaldæas Paraph. in Bibliis noſtris retinuimus, ſecuti exempla Editionum celebrium, Complutenſis, Venetæ, Baſileenſis, Regiæ, & Pariſienſis. Cum vero reliquis accuratior ſit Baſileenſis, opera Cl. Buxtorfii tum in punctatione tum quod quæ in aliis editionibus reſecantur, hic ex MSS. antiquis reſtituuntur, illam præ cæteris ſecuti ſumus: Verſionem vero Latinam quæ in Regiis primo, poſtea in Pariſienſi excuſa, cum non exacte Chaldæo textui reſpondeat, in multis ad Chaldæum aptius exprimendum emendavimus, maxime vero poſt Pentateuchum, cum diſcrepantia iſta verſion. Lat. à Chaldæo in Regiis non niſi poſt impreſſum Pentateuchum à nobis obſervata ſit. Ubi tamen Regia & Baſileenſia Exemplaria variant, Verſionem Latinam alio Charactere diſtinctam notavimus. Jonathanis vero, & Hieroſolymitana, quarum prima Latinè hactenus non extitit, nunc primum Latio donata prodit. Hieroſolymitanæ etiam, licet à Taylero nuper Latine edita ſit, cum tamen multis erroribus ſcateat ejus verſio,

aliam magis accuratam dedimus, quod qui ejus verſionem cum noſtra contulerint facile deprehendent; ut etiam quot mendæ quæ in aliis editionibus Chaldaicis Jonathanis & Targum Hieroſol. ubique occurrunt, in noſtra magno labore & ſtudio ſublatæ, ipſæque integritati ſuæ reſtitutæ ſint.

PROLEG. XIII.

De Lingua Syriaca, & Scripturæ Verſionibus Syriacis.

1. De Syriæ & Aſſyriæ nomine. 2. De lingua Syriaca & ejus variis nominibus. Chriſtianis Orientalibus in ſacris propriam eſſe. Ex Hebraica & Chaldaica mixtam. Argumentis G. Amyræ reſpondetur. 3. Triplex Chaldaicæ linguæ Dialectus; Babylonica, Hieroſolymitana, Antiochena ſive Maronitica. 4. Antiochenam ſive Syriacam & Chaldaicam unam eſſe eandemque linguam. 5. An Syriaca Chriſto vernacula fuerit. Chriſtum non uſum fuiſſe lingua Syriaco-Anteochena, ſed Targumica, vel Syriaco-Hieroſolymitana quæ ipſi erat vernacula. 6. Evangelium S. Matthæi, & Epiſtolam ad Hebræos, ſcripta fuiſſe non lingua Hebraica, ſed Syriaca vel Syro-Chaldæa. 7. De charactere Antiocheno. Cur diverſus ſit ab Hieroſolymitano. 8. De Utilitate linguæ Syriacæ: De verſione Syriaca Nov. Teſt. De Pſalterio Syriaco Erpenii, & Gabr. Sionitæ. 9. De Vet. Teſt. Syriaco à Gabr. Sionita primum punctato & in Heptaplis Pariſienſ. impreſſo. 10. Syros antiquitus puncta vocalia non habuiſſe. 11. De alia verſione Syriaca recentiore, ante annos tamen 1000 facta. 12. De Epiſtolis Canonicis. 13. De Apocalypſi, quæ in antiqua & ſimplici editione non extarunt. 14. De Evangelio Hebraico S. Matthæi. 15. Verſionem Vet. Teſt. Syriacam non factam fuiſſe ante tempora Chriſti. Quando facta ſit? 16. Prope Apoſtolorum tempora factam fuiſſe Syriacam utriuſque Teſt. Verſionem. 18. De uſu generali verſionis Syriacæ apud Orientales. 19. De uſu linguæ Syriacæ & verſionum Syriacarum.

1. SYria & Aſſyria, licet diverſam ſortiantur vocis originem, ſæpe tamen apud Auctores pro una eademque habentur, eaſdemque Regiones ſuo ambitu comprehendunt: Syrorum enim nomen quod primum Phœnicibus à Tyro ipſorum metropoli nomine deducto proprium erat, poſtea gentibus circum vicinis factum eſt commune: Tyrum enim Hebræi צור *ſor* vel *ſur* appellant, unde *ſurim* vel *ſorim*, qui iidem cum Σύροις. Ex *ſorim* autem, annotante Bocharto, præfixo articulo, fit הצורים *Hatſorim*, 1 Chro. 22. 4. Neh. 13. 16, quo nomine ſæpius Tyrios vel Phœnices deſignant auctores veteres. Aſſyrii vero plane diverſi ab his: nam ab Aſſur ſunt אשורים *Aſſyrii* trans Euphratem & Tygrin, qui & primo Aſſures, quorum nomen omnibus ſub imperio Aſſyriorum olim erat commune, unde apud multos veterum Syrorum & Aſſyriorum nomina eadem, ut apud Juſt. lib. 1. Strabonem lib. 2, & 16. & alios quos adfert vir doctiſſimus. At uſus tandem invaluit ut in Syros & Aſſyrios imperium diviſum eſſet, Aſſyriorum nomine iis qui trans Euphratem erant appropriato, Syrorum vero reliquis à Phœnice ad Euphratem, unde Heſychius Syriam vocat terram quæ eſt à Phœnice Babylonem uſque. Ante diviſionem Imperii in Aſſyrios & Syros, ab Aram Semi filio dicti erant Syri Aramei; ſic enim Joſephus, Ἀραμαίους ἔχεν οὓς Ἕλληνες Σύρους προσαγορεύουσι. & Strabo lib. 16 οἱ Ἕλληνες Ἀραμαίους ἐκάλουν ἢ Ἀρίμους, *Græci vocabant Syros Aramæos*, Syri etiam ſe hodie Aramæos vocant. Hoc etiam nomen apud ipſos deſiiſſe poſtea ex hac cauſa quidam conjiciunt, quod nomen Aramæi pro Gentili Idololatra uſurpatum fuit, ut in Gemara Talmud Babylonici de Idololatria, ubi Samaritanus ſive Cuthæus medius ponitur inter Judæum & Aramæum i. Idololatram Gentilem. Sic apud Onkel. Lev. 25. 47. Aramæus ponitur pro idololatra, & Nov. Teſt. Syriaco Gal. 2. 14. & 3. 2. pro *Gentili* & *Græco* legimus *Aramæum*. Hoc vero inde erat, quod primi idololatræ, quorum Scriptura meminit, ſcil. Cham, Nachor & Laban Joſ. 24. 2. Gen. 31. 19. erant patria Aramæi.

2. Quicquid autem ſit de regionum nominibus, ubi hæc lingua vigebat, de lingua ipſa certum eſt eam olim variis temporibus varia nomina habuiſſe: dicta eſt enim Chaldaica, Babylonica, Aramæa, Syriaca, Aſſyriaca, imo & Hebræa, ut ſupra indicavimus Proleg. præcedente. Specialiter vero Syriaca hodie appellatur lingua ſive dialectus illa in qua extant antiquiſſimæ Veteris & Novi teſtamenti verſiones apud Chriſtianos Orientales, quæ eo quod Antiochiæ in uſu erat, ubi primum nomen Chriſtianorum, ubi etiam erectus eſt Patriarchatus diu ante Concilium Nicænum, per cujus Eccleſias in ſacris in uſu frequentiori erat, dialectus inde Antiochena dicebatur, ut & Comagena, à Comagene ultima Syriæ regione, & Maronitica à Maronitis qui habitant in pagis Montis Libani & in oppidis Syriæ minoribus, qui etiam Sacra ſua in hac lingua etiamnum celebrant. Dicuntur autem Maronitæ à Marone Abbate viro ſanctiſſimo de quo vide Præfat. ad Liturgiam Maronitarum, & Sionitæ Præfat. ad Pſalterium Syriacum, Breerw. c. 25. p. 175. & è contra J. Morin. de Ordinatione apud Maronitas. Pontifici & Eccleſiæ Romanæ reconciliati ſunt Gulielmo Tyro Archiepiſcopatum adminiſtrante anno Chriſti 1182. Hodie Collegium habent Romæ Maronitarum à Greg. 13. fundatum, quod inſtar ſeminarii eſt, unde Sacerdotes & Epiſcopi in patriam mittuntur. Collegium reditibus auxit Sixtus 5. Aderat eorum legatus conſilio Lateran. ſub Innocentio tertio, ubi fidem Eccleſiæ Romanæ edoctus, ad ſuos redit, perſtiteruntque in fide immobiles, licet ſub infidelibus degant, quibus tributum ſolvendo libertatem religionis redimunt. Chriſtiani per Orientem hanc linguam quaſi ſibi propriam fecerunt, lectiones ſuas Bibliorum & officia divina ſive Liturgiam tum Commentarios ſive expoſitiones Scripturarum in eadem exprimendo. Chaldaicam, ſive Aramicam ſive Syriacam, eandem olim fuiſſe & ab Hebraica diverſam conſtat tum ex illa nomenclatura loci per Labanem Syrum Gen. 31. 47. tum ex 2 Reg. 18. 26. & Eſa. 36. 11. ubi lingua Chaldæorum & Aſſyriorum vocatur Syriaca, & ab Hebræa aliam fuiſſe liquet cum populus Judaicus eam non intelligerent; tum ex Daniel 2. 4. Ubi Chaldæi dicuntur Regem allocuti ארמית, *Aramice* i. Syriace, ut plerique reddunt, & pueri Judæorum mandato Regis edocti ſunt linguam Chaldaicam. An vero eadem fuerit antiqua Syriaca cum ea quam hodie Syriacam vocamus, quamque vocat Georg. Amyra Syriacam reformatam, Prælud. Gram. Syr. controvertitur. Communis eſt ſententia Judæos poſt captivitatem reduces, linguæ Hebraicæ oblitos Chaldaicam ex Babylone ubi 70 annos ſerviebant in patriam intuliſſe, cumque ex reliquiis linguæ olim vernaculæ Hebræo propius acceſſerit eorum ſermo, quam eorum qui puram loquuti ſint Chaldaicam, inde natam tertiam ex utriſque mixtam, quæ Syriaca ſpecialiter dicta erat. Hoc vero negat G. Amyra prælud. dicto, & affirmat falſiſſimum eſſe Syriacam ex Chaldaica & Hebraica mixtam eſſe. rationes vero quas adfert aliud nihil probant quam Syriacam antiquam, ſc. tempore Labanis & Hezechiæ, & ante captivitatem eandem fuſſe cum Chaldaica, quod à nemine negatur. Syriacam vero Hieroſolymitanam, ut & Antiochenam eandem cum Chaldaica eſſe quoad eſſentiam, ut ipſe loquitur, & accidentaliter tantum ab ea differre, ut in vocum terminationibus & flexione, aliiſque minutis negari non poteſt. Veriſſimum itaque eſt Chaldaicam & Syriacam unam & eandem eſſe linguam, & utroque nomine linguam utramque appellatam fuiſſe, longe ante Chaldæorum captivitatem, ideoque Syriacam non ortam eſſe poſt ipſorum reditum ex mixtura Chaldææ & Hebrææ, nec Syriacæ nomen Judæorum linguæ propriam fuiſſe poſt reditum, ſed Chaldaicæ vel Syriacæ nomen generaliter tam Babyloniorum quam Judæorum linguæ adhibitum fuiſſe. Erat tamen lingua reducum Judæorum licet Chaldaica tamen Hebraicæ ſimilior quam pura Chaldaica Babylonica, unde & Hebraica in Nov. Teſt. vocatur, etiamſi Chaldaica eſſet, & poſtea vocabulis multis Arabicis, Græcis, Romanis aliiſque exoticis mixta & contaminata. Hinc etiam eſt quod Paraphraſes lingua Hieroſolymitana ſive Judaica extantes vocantur Chaldaicæ.

3. Dialectus tamen Chaldaica quæ Antiochiæ & partibus vicinis in uſu erat, ſpecialiter Syriaca vocata eſt, unde communiter etiam verſiones Scripturæ quæ apud Chriſtianos Antiochenos habentur, Syriacæ dicuntur. Triplicem enim conſtituunt Chaldaicæ vel Syriacæ linguæ Dialectum, 1. Babylonicam omnium puriſſimam, in qua edoctus erat Daniel, item Eſdras, qui capita quædam in ſuis libris ſtilo hoc puriſſimo exarata reliquerunt. Fundamentum enim, ut loquitur Buxt. ad Gram. Chald. Syraicam, hujus linguæ ponendum in Daniele & Eſdra; *In his enim puriſſimus & elegantiſſimus linguæ nitor, ut tunc in florentiſſimo Babyloniæ regno excolebatur, vivide perſpicitur.* 2. Hieroſolymitanam ſive Judaicam, qua Judæi reduces uſi ſunt, quæ Hieroſolymitana dicta eſt ab urbe Regionis Metropoli; hæc multo purior erat Eſdræ temporibus licet Hebraicæ attemperata, poſtea ex variarum nationum quibus ſerviebant Judæi confluxu, magis mixta & corrupta & à pura Chaldaica magis paulatim deflexit. Hæc erat Chriſti & Apoſtolorum vernacula. Hujus etiam variæ erant Dialecti eodem tempore, & ſingulis ſæculis varii puritatis vel impuritatis gradus: nam progreſſu temporis magis ſemper inquinata fuit. Dialectus erant variæ, nam Galilæana ab Hieroſolymitana diſcrepabat, unde ex Petri ſermone colligebant ipſum eſſe Galilæum, magis enim rudis & agreſtis erat ſermo Galilæus, ut ſcribit doctiſſ. Buxtorf. Lex. Chald. Talmud. Rabb. voce גליל. In Hieroſolymitana etiam varii erant gradus, ut ex Onkeloſi & Jonathanis verſionibus liquet, quæ multo puriores quam Hieroſolymitana, vel Targum Hagiographorum; Talmud etiam Babylonicum à Judæis Babylonicis compoſitum non ita corruptum, ut Hieroſolymitanum vel Rabbinorum poſteriorum ſcripta.

4. Tertiam Antiochenam, Comagenam vel Maroniticam, quam Chriſtiani ſibi quaſi propriam fecerunt, ut ſupra innuimus, quæ licet Syriacæ nomen ſpecialiter obtinuerit, eadem tamen eſt lingua cum priori, à qua dialecto tantum differt, unde etiam eſt quod Palæſtinam & Antiochenam ſub una eademque dialecto complectatur Gregorius Abul Faraius apud D. Pocock. in notis ad Hiſtoriam Arabicam pag. 360, &c. *diſtinguitur* (lingua Syriaca) *in tres dialectos, quarum elegantiſſima eſt Aramæa, quæ eſt lingua incolarum Rohæ & Harran & Syriæ exterioris; proxima illi eſt Palæſtina, quæ eſt ea qua utuntur Damaſci & montis Libani, & reliquæ Syriæ interioris incolæ: at omnium impuriſſima Chaldaica Nabatæa, quæ eſt dialectus populi montium Aſſyriæ & pagorum Eraci.* Ubi videmus ſub Dialecto Palæſtinorum, etiam locorum adjacentium, Antiochenam, Damaſcenam, & Maronitarum in monte Libano comprehenſam, quaſi unam haberent omnes dialectum, licet inter illas diſcrimen aliquod ſit. Syriacam itaque ſpecialiter dictam & Chaldaicam unam & eandem linguam eſſe ſatis conſtat, de qua cum multos harum rerum peritiſſimos producere liceat unicum tantum adferam, virum merito ſuo in linguarum Orientalium cognitione celebrem Lud. de Dieu, cujus verba aſcribere placuit Præfat. in comparat. trium linguarum; *Chaldaicam voco quæ in Daniele, Eſra, & Targum Jonathanis, Onkeli & Joſephi Cæci continetur. A Syriaca eam diſtinguo, quia ſic ab aliis fieri ſolet, & non raro phraſi & flectione ab ea differt, alioqui eandem eſſe linguam fateor Chaldaicam & Syriacam, quomodo & Daniel.* 2. 4. *Chaldæi dicuntur Regem* ארמית i. e. *Syriace allocuti, nec differat quicquam ab illa, niſi Judæi inter quos Daniel & Eſras, in Babyloniam traducti de ſua lingua Chaldaica miſcuiſſent. Inde dialectus linguæ Syriaca nata eſt, quam Chaldaicam dicimus, quia in Chaldæa nata, & inde Judæis reducibus in Palæſtinam tranſvecta. Sed & hæc dialectus minus a Syriaca differret ſi punctatoribus placuiſſet, ſi enim pro* מַלְכְּהוֹן punctes מַלְכְּהוֹן *rex eorum* pro מַלְכְּכוֹן

ut mundo quaſi mortui, ſanctimonia & martyrii gloria fidem Chriſti confirmarent & dilatarent, animaſque Deo lucrarentur, ad quem finem Græcam, Latinam, aliaſque verſiones ſufficere arbitrabantur. Hebræum vero & Chaldaicam, quæ quaſi Judæis propria erant, neglexerunt.

De Autoritate Paraphraſεων Chaldaicarum.

16. Apud Judæos æqualem habent cum textu Hebraico auctoritatem, præcipue Onkeloſi & Jonathanis Paraphraſes, unde nemo audet iis contradicere: quod inde patet, quod tradunt Jonathanem ſuam expoſitionem accepiſſe à Prophetis *Z*ach. Haggæo & Malachia; Onkeloſum à R. Eliezer & R. Jehoſua, qui eam à Prophetis habuerunt, Prophetæ vero eandem à Moſe in monte Sinai per traditionem ſeniorum derivarunt; ſic omnia ſua, etiam nugas & deliria, ad originem Divinam referunt, quo majorem iis venerationem concilient. De hoc ipſorum commento ſupra egimus, ubi ejus vanitatem oſtendimus. In hunc finem etiam miracula facta fuiſſe fingunt, dum ſcriberentur hæ Paraphraſes, maxime Jonathanis, quem omnibus præferunt. Scribunt enim quod inter Hillelis diſcipulos 80. digni erant ut ſuper eos Divinitas quieſceret, ut ſuper Moſen; triginta propter quos ſol ſtaret immobilis, ut ad imperium Joſuæ; & 20. reliqui mediocres, inter omnes vero maximus erat Jonathan, Talmud Bava Batra fol. 134. & in Succa f. 28. Fingunt etiam cum Targum conſcriberet, ſi vel muſca chartæ inſideret, igne cœleſti conſumptam fuiſſe, charta intacta. Terram etiam Iſraelis commotam fuiſſe cum ſcriberet ad 40. uſque milliaria, Tract. Megill. cap. 1. fol. 31. vocem de cœlis auditam, dicentem, *Quis eſt iſte qui ſecreta mea revelat filiis hominum?* tandem & Angelos è cœlo deſcendiſſe ut auſcultarent dum ille Targum conficeret, Succa p. 28. Ex hiſce fabuloſis licet, conſtat quantum tribuant Targum Jonathanis, nec multo minus attribuunt reliquis, ita ut quicquid ex Targum aliquo afferatur contra Judæos, illud non poſſint rejicere. At hiſce fabulis rejectis, certum eſt authoritatem habere humanam tantum, cum non ab hominibus Spir. S. afflatis facta ſint, ſed ſtudio & mediis ordinariis confecta, quo antiquiora tamen eo majorem habent authoritatem, quo recentiora eò minorem, cum fabulis & nugis Judaicis magis ſcateant. Si quis vero objiciat Rabbinos aliquando ab expoſitione Targumim diſcedere, & aliter loca quædam exponere: Reſpondendum, ipſos hoc non aperte facere, nec Targum erroris inſimulare, ſed alias probabiles expoſitiones adferre, quæ cum Targumica ſtare poſſunt: Pruritus etiam allegorizandi in Scriptura & varios ſenſus eliciendi & in ſenſum literalem alios ſuperinducendi in cauſa eſſe potuit. Quamnam vero apud Chriſtianos authoritatem habere debeant, ex ipſorum uſu, de quo proxime dicendum, patebit: ex ſe enim, quatenus à Judæis profecta, parum apud nos valere debent; ubi tamen cum Scriptura congruunt, & rectæ rationi non adverſantur, licet à Judæis profecta, recipienda, nec propter ſcoriam admixtam aurum projiciendum, quicquid enim verum eſt, à Deo, qui ipſa eſt veritas, procedit. Non deſunt qui omnes Judæorum libros (ut qui jurati Chriſti hoſtes) & hos inter reliquos damnant, ut prorſus inutiles, impios, & inter Chriſtianos non ferendos. At hoc de omnibus recte non poteſt affirmari, cum Jonathan ante Chriſti adventum ſcripſerit, & fortaſſe Onkelos, ut ex ſupra dictis probabile eſt: de reliquis vero temerarium judicium ferunt, ut de libris quos forte nunquam legerunt, unde hoc obſervare licet, pleroſque qui duræ judicant de Paraphraſibus, aliiſque Judæorum libris, in ipſis plane peregrinos eſſe; optime enim ſcripſit Oratorum princeps, *Fœlices fore artes ſi de iis ſoli artifices judicarent*, optandumque eſſet ut de nulla ſcientia ſcioli quicquam ſcriberent, ſed illi ſolum qui tempus & operam in ea inſumpſerunt. Hieronymus, ut de ipſo loquitur Munſterus Præfat. Bibl. *Vir tantus & per orbem celebris, non dedignatus eſt rurſum fieri diſcipulus etiam eorum qui inimici erant crucis Chriſti, & nominis Chriſtiani.* Imo multum nobilitavit Dominus Targum, quod probant haud infimi Hebræo-critici, Helvicus, Mayerus, Schik. & alii, dum in cruce pendens verba ex Pſal. 22. non ſecundum textum Heb. ſed ex Targum recitavit, & ſacro ore ſuo conſecravit; nam non ex Heb. עזבתני ſed ex Chaldæo, שבקתני exclamavit, Matth. 27. 46. Lectionem etiam ejus Sabbatinam putat Schick. Bechin. p. 21. quam in Synagoga habuit Luc. 4. nec Hebræo, nec Græco texui congruere, ſed potius Chaldæo, unde probabiliſſimum exiſtimat fuiſſe ex aliquo tunc extante & vulgo intelligibili Targum recitatam. Non tamen omnia in Targum approbanda, ſed triticum à Zizaniis, noxium à ſalutari diſcernendum, juxta illud Talmudicum, *Comede dactylum, ſed projice corticem foras.*

17. Primo itaque textui Hebræo teſtimonium ferunt ejuſque integritatem confirmant Paraphraſes, præſertim antiquiores qui Hebræum κατὰ πόδα ſequuntur, ut Onkeloſi, & in pleriſque Jonathanis; maxime vero cum etiam alias habeant antiquas Verſiones, ut Græcam Sept. Aquilæ, Theodotionis, Symmachi, Syriacam, conſentientes. Dubitari enim non poteſt Textum Hebræum incorruptum eſſe, & eundem olim fuiſſe qualem jam habemus, cum antiquiſſimæ verſiones paulo ante vel non multum poſt Chriſti tempora ſcriptæ eodem modo legerint prout nunc extat. Idcirco qui de Judæis clamant quod codices ſacros depravarunt, hoc argumento convincuntur. Etiam & illi qui poſt Chriſti tempora dicunt Judæos ſuos codices depravaſſe, ex Chaldaica Paraphraſi, præſertim Onkeloſi, plane refutantur, quæ cum Hebræo textu ubique fere concordat, ut in loco illo celebri de promiſſo ſemine Gen. 3. 15. Sunt qui in quæſtionem vocant textum Hebræum quaſi aliter olim hæc verba legerentur, ſc. היא *illa*, gen. fœm. Hic vero pro textu Hebræo hodierno teſtantur Paraphraſes, Onkeli, Hieroſol. & illa Jonathani adſcripta, quæ omnes vel legunt הוא gen. maſc. cum Heb. ut Onkelos, vel ad *ſemen* verba referunt non ad *mulierem*. Pſal. 132. v. antepenult. Latina Vulgata legit, *viduam ejus benedicam*: in textu Hebræo eſt, *victum ejus benedicam*. Hic pro Hebræo judicium fert Chald Paraph. dum Hebræum vocabulum צֵידָהּ reddit per וידא *cibum*, cui conſentiunt Aquila & Symmachus. Hinc Paraphraſtem Chaldaicum loco antiquiſſimi exemplaris Hebraici eſſe poſſe ad veram lectionem in dubiis confirmandam dicit Lucas Brugenſis Tract. 1. de Chald. Paraphr. Exemplum profert ex 2 Sam. 7. 23. ubi LXX legerunt אהלי vertunt enim σκηνώματα, *tabernacula*, cum per tranſpoſitionem unius literæ Codex Hebræus & Latinus interpres legunt אלהי *deos*, quorum lectionem confirmat Chaldaica Paraphraſis, licet LXX in ſuo codice aliter legerint, nam nulla ratio dari poteſt cur redderent per σκηνώματα, niſi quod codex quem ſecuti ſunt haberet אהלי.

18. Secundo, in multis locis articulos fidei Chriſtianæ confirmant, & contra Judæos fortiſſima argumenta ſuppeditant, quod ex alio fonte proficiſci non potuit, quam quod ea ſcripſerant Paraphraſtæ quæ habuerunt ex antiquis traditionum & expoſitionum reliquiis quas ex Prophetis hauſerunt. De *Verbo Dei* per quem cuncta creata, &c. multa habent quibus mirifice confirmatur Phraſis illa apud Johannem de τῷ λόγῳ, & probatur ad Meſſiam ſive filium Dei deſignandum uſurpaſſe Evangeliſtam nomen quod apud Judæos in familiari uſu ab antiquis receptum fuit, licet omnibus haud ita probe intellectum. *Verbo* attribuitur *Creatio*, Hieroſol. *Et creavit verbum Domini hominem*, Gen. 1. 27. In eodem Targum in unico verſiculo Gen. 3. 22. *Verbo* attribuitur *Creatio*, & *locutio*, & *unigenitum eſſe*; *Et dixit Verbum Adonai* ſive *Domini*; *ecce Adam quem creavi unigenitus eſt in mundo, ſicut ego unigenitus ſum in cœlis excelſis.* Deut. 32. 39. Jonathan, *Quando manifeſtabitur verbum Domini, ut redimat populum ſuum?* Gen. 19. 24. Sulphuris & ignis miſſio in Sodomam & Gomorrham adſcribitur *Verbo* Domini, *Demiſſa ſunt ſuper ipſo Sulphur & ignis a Verbo Domini de cœlo.* Sic Onkelos, *Et reverſum eſt verbum Domini.* ibid. Hieroſ. Gen. 5. 24. *Enoch ſubſtractus erat per Verbum coram Domino.* Sic Hieroſol. Deut. 18. 19. *Verbum meum vindictam faciet de eo.* Sic Onkeloſ. & Jonathan. Infinita ſunt loca ubi Verbo Dei multa adſcribuntur quaſi perſonæ diſtinctæ. De Chriſto, ſive Meſſiæ perſona, adventu, officio multa clara teſtimonia habentur. Loca illa de Meſſia exponunt quæ ad Chriſtum pertinent, licet multum laborent recentiores Rabbini eadem perverſa interpretatione detorquere. Vaticinium illud celebre Jacobi Gen. 49. 10. *Donec veniat Siloh*, reddunt, *Donec veniat Meſſiah*, Onkel. Jonathan. Hieroſ. nullum tamen non movent lapidem perfidi Rabbini, ut hoc non ad Meſſiam pertinere probent, unde in alios ſenſus trahunt. Joſ. Cæcus clare veritatem vidit, dum Pſal. 45. in Paraph. Hagiographorum, de Meſſia totum exponit, quod Rabbini Joſepho cæciores de Salomone tantum intelligi volunt. Pſal. 70. ita reddit idem. *Deus ſententiam judiciorum tuorum Regi Meſſiæ da, & juſtitiam tuam filio Davidis Regis.* Iſa. 7. 14. *Virgo concipiet*, vocem עלמא non depravat Jonathan, ut poſteriores Rabbini, ſed fideliter vertit, nomine ad formam Chaldaicam mutato עלמתא. Eſa. 9. 6. vaticinium illud Meſſiæ applicat Jonathan, *vocabitur nomen ejus admirabilis, conſiliarius, vir permanens in ſæculum, Meſſias.* Eſ. 52. à verſ. 13. ad finem cap. 53. idem diſerte de Meſſia interpretatur, ut Chriſtianum fuiſſe ante Chriſti manifeſtationem quis diceret; *Ecce proſperabitur ſervus meus Meſſias, exaltabitur & augeſcet*, &c. ubi plane recentiorum Judæorum commenta confutantur, qui hic fingunt Prophetam de ſe ipſo, vel de populo Judaico loqui. Multa talia proferri poſſunt, quibus Judæorum ora obturantur, qui loca iſta quæ ab ipſorum Doctoribus de Meſſia explicantur, & nemini niſi Chriſto Jeſu Domino noſtro quadrare poſſunt, in quo impleta ſunt, aliter detorquent, contra celebres ipſorum Targumiſtas, quorum tamen verſiones alias S. ſcripturæ æquant.

19. Tertio in textibus difficilibus, locis obſcuris, & vocabulis inuſitatis multum lucis afferunt, dum ritus, conſuetudines, hiſtorias, vocabulorum ſignificationem genuinam, ſenſumque literalem explicant, quæ ipſis ex majorum traditione accepta melius quam nobis nota erant: unde fatetur Serarius in hoc utiles eſſe ad Scripturæ interpretationem quod ingenii bonitate vel majorum traditione quædam ad rituum qui nobis ignoti, & in vetere Synagoga uſurpati erant, explicationem adferunt. In vocabulis etiam inſuetis multum faciunt ipſorum interpretationes, qui propiores erant temporibus quando lingua ipſis fuit vernacula, unde ſæpe talia fœliciter explicarunt Job. 33. 25. vox רטפש varie à variis exprimitur, optime vero reddit Chald. Par. per אתקליש *Ithkelis attenuata eſt*, quod confirmat Vulg. Lat. ubi redditur, *conſumpta eſt.* Exod. 4. 25. *Sponſus ſanguinum*, exponit clare Onkelos, *Niſi ſanguis circumciſionis hujus* (fuſus fuiſſet) *condemnatus* eſſet ſponſus *ad mortem*: ſic vocavit ipſum *virum ſanguinum*, non quod ſanguinolentus erat, ſed quia per ſanguinem ſervatus eſt. Gen. 30. 14. *Invenit* in agro דודא *Dudaim.* Quid per iſtud intelligitur multum diſceptant interpretes. Chald. Jonathan & Onkelos reddunt יַבְרוּחִין quos ex Arabica lingua & Rabbinis *mandragoras* ſignificare probant; hanc vero interpretationem confirmant LXX qui reddunt μῆλα μανδραγορῶν. Gen. 41. 43. *Clamaverunt ante eum* אַבְרֵךְ. Multum ſudant Interpretes de ſignificatione. Onkeloſ. Jon. & Hieroſ. reddunt, *Pater Regis*, ab אָב *Pater* & רֵךְ Syriace *Rex*, quam interpretationem confirmant verba Joſephi, Gen. 45. 8. Arab. duplex Erp. Pentateuchus & Saadiæ. Ibid. v. 45. *vocavit eum* צפנת פענח vox Ægyptiaca plurimis videtur, LXX. retinent vocem Ægyptiam. Chald. vero, Jonath. & Onkelos reddunt, *Arcanorum revelatorem*, vel *virum cui arcana revelata ſunt*: quæ explicatio pleriſque doctoribus hodie probatur. Vide Mayer Philol. Sacr. Kirch. Prod. &c. p. 125. Boch. parte 1. lib. 2. cap. 15.

20. His itaque perpenſis, nemo nobis vitio vertet quod Chaldæas Paraph. in Bibliis noſtris retinuimus, ſecuti exempla Editionum celebrium, Complutenſis, Venetæ, Baſileenſis, Regiæ, & Pariſienſis. Cum vero reliquis accuratior ſit Baſileenſis, opera Cl. Buxtorfii tum in punctatione tum quod quæ in aliis editionibus reſecantur, hic ex MSS. antiquis reſtituuntur, illam præ cæteris ſecuti ſumus: Verſionem vero Latinam quæ in Regiis primo, poſtea in Pariſienſi excuſa, cum non exacte Chaldæo textui reſpondeat, in multis ad Chaldæum aptius exprimendum emendavimus, maxime vero poſt Pentateuchum, cum diſcrepantia iſta verſion. Lat. à Chaldæo in Regiis non niſi poſt impreſſum Pentateuchum à nobis obſervata ſit. Ubi tamen Regia & Baſileenſia Exemplaria variant, Verſionem Latinam alio Charactere diſtinctam notavimus. Jonathanis vero, & Hieroſolymitana, quarum prima Latinè hactenus non extitit, nunc primum Latio donata prodit. Hieroſolymitanæ etiam, licet à Taylero nuper Latine edita ſit, cum tamen multis erroribus ſcateat ejus verſio,

aliam magis accuratam dedimus, quod qui ejus verſionem cum noſtra contulerint facile deprehendent; ut etiam quot mendæ quæ in aliis editionibus Chaldaicis Jonathanis & Targum Hieroſol. ubique occurrunt, in noſtra magno labore & ſtudio ſublatæ, ipſæque integritati ſuæ reſtitutæ ſint.

PROLEG. XIII.

De Lingua Syriaca, & Scripturæ Verſionibus Syriacis.

1. *De Syriæ & Aſſyriæ nomine.* 2. *De lingua Syriaca & ejus variis nominibus. Chriſtianis Orientalibus in ſacris propriam eſſe. Ex Hebraica & Chaldaica mixtam. Argumentis G. Amyræ reſpondetur.* 3. *Triplex Chaldaicæ linguæ Dialectus; Babylonica, Hieroſolymitana, Antiochena ſive Maronitica.* 4. *Antiochenam ſive Syriacam & Chaldaicam unam eſſe eandemque linguam.* 5. *An Syriaca Chriſto vernacula fuerit. Chriſtum non uſum fuiſſe lingua Syriaco-Anteochena, ſed Targumica, vel Syriaco-Hieroſolymitana quæ ipſi erat vernacula.* 6. *Evangelium S. Matthei, & Epiſtolam ad Hebræos, ſcripta fuiſſe non lingua Hebraica, ſed Syriaca vel Syro-Chaldæa.* 7. *De charactere Antiocheno. Cur diverſus ſit ab Hieroſolymitano.* 8. *De Utilitate linguæ Syriacæ: De verſione Syriaca Nov. Teſt. De Pſalterio Syriaco Erpenii, & Gabr. Sionitæ.* 9. *De Vet. Teſt. Syriaco à Gabr. Sionita primum punctato & in Heptaplis Pariſienſ. impreſſo.* 10. *Syros antiquitus puncta vocalia non habuiſſe.* 11. *De alia verſione Syriaca recentiore, ante annos tamen* 1000 *facta.* 12. *De Epiſtolis Canonicis.* 13. *De Apocalypſi, quæ in antiqua & ſimplici editione non extarunt.* 14. *De Evangelio Hebraico S. Matthæi.* 15. *Verſionem Vet. Teſt. Syriacam non factam fuiſſe ante tempora Chriſti. Quando facta ſit?* 16. *Prope Apoſtolorum tempora factam fuiſſe Syriacam utriuſque Teſt. Verſionem.* 18. *De uſu generali verſionis Syriacæ apud Orientales.* 19. *De uſu linguæ Syriacæ & verſionum Syriacarum.*

1. **S**Yria & Aſſyria, licet diverſam ſortiantur vocis originem, ſæpe tamen apud Auctores pro una eademque habentur, eaſdemque Regiones ſuo ambitu comprehendunt: Syrorum enim nomen quod primum Phœnicibus à Tyro ipſorum metropoli nomine deducto proprium erat, poſtea gentibus circum vicinis factum eſt commune: Tyrum enim Hebræi צור *ſor* vel *ſur* appellant, unde *ſurim* vel *ſorim*, qui iidem cum Σύρους. Ex *ſorim* autem, annotante Bocharto, præfixo articulo, fit הצורים *Hatſorim*, 1 Chro. 22. 4. Neh. 13. 16, quo nomine ſæpius Tyrios vel Phœnices deſignant auctores veteres. Aſſyrii vero plane diverſi ab his: nam ab Aſſur ſunt אשורים *Aſſyrii* trans Euphratem & Tygrin, qui & primo Aſſures, quorum nomen omnibus ſub imperio Aſſyriorum olim erat commune, unde apud multos veterum Syrorum & Aſſyriorum nomina eadem, ut apud Juſt. lib. 1. Strabonem lib. 2, & 16. & alios quos adfert vir doctiſſimus. At uſus tandem invaluit ut in Syros & Aſſyrios imperium diviſum eſſet, Aſſyriorum nomine iis qui trans Euphratem erant appropriato, Syrorum vero reliquis à Phœnice ad Euphratem, unde Heſychius Syriam vocat terram quæ eſt à Phœnice Babylonem uſque. Ante diviſionem Imperii in Aſſyrios & Syros, ab Aram Semi filio dicti erant Syri Aramei; ſic enim Joſephus, 'Αραμαίους ἔσχεν οὓς Ἕλληνες Σύρους προσαγορεύουσι. & Strabo lib. 16. οἱ Ἕλληνες 'Αραμαίους ἐκάλουν ἢ 'Αρίμους, *Græci vocabant Syros Aramæos*, Syri etiam ſe hodie Aramæos vocant. Hoc etiam nomen apud ipſos deſiiſſe poſtea ex hac cauſa quidam conjiciunt, quod nomen Aramæi pro Gentili Idololatra uſurpatum fuit, ut in Gemara Talmud Babylonici de Idololatria, ubi Samaritanus ſive Cuthæus medius ponitur inter Judæum & Aramæum i. Idololatram Gentilem. Sic apud Onkel. Lev. 25. 47. Aramæus ponitur pro idololatra, & Nov. Teſt. Syriaco Gal. 2. 14. & 3. 2. pro *Gentili & Græco* legimus *Aramæum*. Hoc vero inde erat, quod primi idololatræ, quorum Scriptura meminit, ſcil. Cham, Nachor & Laban Joſ. 24. 2. Gen. 31. 19. erant patria Aramæi.

2. Quicquid autem ſit de regionum nominibus, ubi hæc lingua vigebat, de lingua ipſa certum eſt eam olim variis temporibus varia nomina habuiſſe: dicta eſt enim Chaldaica, Babylonica, Aramæa, Syriaca, Aſſyriaca, imo & Hebræa, ut ſupra indicavimus Proleg. præcedente. Specialiter vero Syriaca hodie appellatur lingua ſive dialectus illa in qua extant antiquiſſimæ Veteris & Novi teſtamenti verſiones apud Chriſtianos Orientales, quæ eo quod Antiochiæ in uſu erat, ubi primum nomen Chriſtianorum, ubi etiam erectus eſt Patriarchatus diu ante Concilium Nicænum, per cujus Eccleſias in ſacris in uſu frequentiori erat, dialectus inde Antiochena dicebatur, ut & Comagena, à Comagene ultima Syriæ regione, & Maronitica à Maronitis qui habitant in pagis Montis Libani & in oppidis Syriæ minoribus, qui etiam Sacra ſua in hac lingua etiamnum celebrant. Dicuntur autem Maronitæ à Marone Abbate viro ſanctiſſimo de quo vide Præfat. ad Liturgiam Maronitarum, & Sionitæ Præfat. ad Pſalterium Syriacum, Breerw. c. 25. p. 175. & è contra J. Morin. de Ordinatione apud Maronitas. Pontifici & Eccleſiæ Romanæ reconciliati ſunt Gulielmo Tyro Archiepiſcopatum adminiſtrante anno Chriſti 1182. Hodie Collegium habent Romæ Maronitarum à Greg. 13. fundatum, quod inſtar ſeminarii eſt, unde Sacerdotes & Epiſcopi in patriam mittuntur. Collegium reditibus auxit Sixtus 5. Aderat eorum legatus conſilio Lateran. ſub Innocentio tertio, ubi fidem Eccleſiæ Romanæ edoctus, ad ſuos redit, perſtiteruntque in fide immobiles, licet ſub infidelibus degant, quibus tributum ſolvendo libertatem religionis redimunt. Chriſtiani per Orientem hanc linguam quaſi ſibi propriam fecerunt, lectiones ſuas Bibliorum & officia divina ſive Liturgiam tum Commentarios ſive expoſitiones Scripturarum in eadem exprimendo. Chaldaicam, ſive Aramicam ſive Syriacam, eandem olim fuiſſe & ab Hebraica diverſam conſtat tum ex illa nomenclatura loci per Labanem Syrum Gen. 31. 47. tum ex 2 Reg. 18. 26. & Eſa. 36. 11. ubi lingua Chaldæorum & Aſſyriorum vocatur Syriaca, & ab Hebræa aliam fuiſſe liquet cum populus Judaicus eam non intelligerent; tum ex Daniel 2. 4. Ubi Chaldæi dicuntur Regem allocuti ארמית, *Aramice* i. Syriace, ut plerique reddunt, & pueri Judæorum mandato Regis edocti ſunt linguam Chaldaicam. An vero eadem fuerit antiqua Syriaca cum ea quam hodie Syriacam vocamus, quamque vocat Georg. Amyra Syriacam reformatam, Prælud. Gram. Syr. controvertitur. Communis eſt ſententia Judæos poſt captivitatem reduces, linguæ Hebraicæ oblitos Chaldaicam ex Babylone ubi 70 annos ſerviebant in patriam intuliſſe, cumque ex reliquiis linguæ olim vernaculæ Hebræo propius acceſſerit eorum ſermo, quam eorum qui puram loquuti ſint Chaldaicam, inde natam tertiam ex utriſque mixtam, quæ Syriaca ſpecialiter dicta erat. Hoc vero negat G. Amyra prælud. dicto, & affirmat falſiſſimum eſſe Syriacam ex Chaldaica & Hebraica mixtam eſſe. rationes vero quas adfert aliud nihil probant quam Syriacam antiquam, ſc. tempore Labanis & Hezechiæ, & ante captivitatem eandem fuſſe cum Chaldaica, quod à nemine negatur. Syriacam vero Hieroſolymitanam, ut & Antiochenam eandem cum Chaldaica eſſe quoad eſſentiam, ut ipſe loquitur, & accidentaliter tantum ab ea differre, ut in vocum terminationibus & flexione, aliiſque minutis negari non poteſt. Veriſſimum itaque eſt Chaldaicam & Syriacam unam & eandem eſſe linguam, & utroque nomine linguam utramque appellatam fuiſſe, longe ante Chaldæorum captivitatem, ideoque Syriacam non ortam eſſe poſt ipſorum reditum ex mixtura Chaldææ & Hebrææ, nec Syriacæ nomen Judæorum linguæ propriam fuiſſe poſt reditum, ſed Chaldaicæ vel Syriacæ nomen generaliter tam Babyloniorum quam Judæorum linguæ adhibitum fuiſſe. Erat tamen lingua reducum Judæorum licet Chaldaica tamen Hebraicæ ſimilior quam pura Chaldaica Babylonica, unde & Hebraica in Nov. Teſt. vocatur, etiamſi Chaldaica eſſet, & poſtea vocabulis multis Arabicis, Græcis, Romanis aliiſque exoticis mixta & contaminata. Hinc etiam eſt quod Paraphraſes lingua Hieroſolymitana ſive Judaica extantes vocantur Chaldaicæ.

3. Dialectus tamen Chaldaica quæ Antiochiæ & partibus vicinis in uſu erat, ſpecialiter Syriaca vocata eſt, unde communiter etiam verſiones Scripturæ quæ apud Chriſtianos Antiochenos habentur, Syriacæ dicuntur. Triplicem enim conſtituunt Chaldaicæ vel Syriacæ linguæ Dialectum, 1. Babylonicam omnium puriſſimam, in qua edoctus erat Daniel, item Eſdras, qui capita quædam in ſuis libris ſtilo hoc puriſſimo exarata reliquerunt. Fundamentum enim, ut loquitur Buxt. ad Gram. Chald. Syriacam, hujus linguæ ponendum in Daniele & Eſdra; *In his enim puriſſimus & elegantiſſimus linguæ nitor, ut tunc in florentiſſimo Babyloniæ regno excolebatur, vivide perſpicitur.* 2. Hieroſolymitanam ſive Judaicam, qua Judæi reduces uſi ſunt, quæ Hieroſolymitana dicta eſt ab urbe Regionis Metropoli; hæc multo purior erat Eſdræ temporibus licet Hebraicæ attemperata, poſtea ex variarum nationum quibus ſerviebant Judæi confluxu, magis mixta & corrupta & à pura Chaldaica magis paulatim deflexit. Hæc erat Chriſti & Apoſtolorum vernacula. Hujus etiam variæ erant Dialecti eodem tempore, & ſingulis ſæculis varii puritatis vel impuritatis gradus: nam progreſſu temporis magis ſemper inquinata fuit. Dialectus erant variæ, nam Galilæana ab Hieroſolymitana diſcrepabat, unde ex Petri ſermone colligebant ipſum eſſe Galilæum, magis enim rudis & agreſtis erat ſermo Galilæus, ut ſcribit doctiſſ. Buxtorf. Lex. Chald. Talmud. Rabb. voce גליל. In Hieroſolymitana etiam varii erant gradus, ut ex Onkeloſi & Jonathanis verſionibus liquet, quæ multo puriores quam Hieroſolymitana, vel Targum Hagiographorum; Talmud etiam Babylonicum à Judæis Babylonicis compoſitum non ita corruptum, ut Hieroſolymitanum vel Rabbinorum poſteriorum ſcripta.

4. Tertiam Antiochenam, Comagenam vel Maroniticam, quam Chriſtiani ſibi quaſi propriam fecerunt, ut ſupra innuimus, quæ licet Syriacæ nomen ſpecialiter obtinuerit, eadem tamen eſt lingua cum priori, à qua dialecto tantum differt, unde etiam eſt quod Palæſtinam & Antiochenam ſub una eademque dialecto complectatur Gregorius Abul Faraius apud D. Pocock. in notis ad Hiſtoriam Arabicam pag. 360, &c. *diſtinguitur* (lingua Syriaca) *in tres dialectos, quarum elegantiſſima eſt Aramæa, quæ eſt lingua incolarum Rohæ & Harran & Syriæ exterioris; proxima illi eſt Palæſtina, quæ eſt ea qua utuntur Damaſci & montis Libani, & reliquæ Syriæ interioris incolæ: at omnium impuriſſima Chaldaica Nabatæa, quæ eſt dialectus populi montium Aſſyriæ & pagorum Eraci.* Ubi videmus ſub Dialecto Palæſtinorum, etiam locorum adjacentium, Antiochenam, Damaſcenam, & Maronitarum in monte Libano comprehenſam, quaſi unam haberent omnes dialectum, licet inter illas diſcrimen aliquod ſit. Syriacam itaque ſpecialiter dictam & Chaldaicam unam & eandem linguam eſſe ſatis conſtat, de qua cum multos harum rerum peritiſſimos producere liceat unicum tantum adferam, virum merito ſuo in linguarum Orientalium cognitione celebrem Lud. de Dieu, cujus verba aſcribere placuit Præfat. in comparat. trium linguarum; *Chaldaicam voco quæ in Daniele, Eſra, & Targum Jonathanis, Onkeli & Joſephi Cæci continetur. A Syriaca eam diſtinguo, quia ſic ab aliis fieri ſolet, & non raro phraſi & flectione ab ea differt, alioqui eandem eſſe linguam fateor Chaldaicam & Syriacam, quomodo & Daniel.* 2. 4. *Chaldæi dicuntur Regem* ארמית i. e. *Syriace allocuti, nec differat quicquam ab illa, niſi Judæi inter quos Daniel & Eſras, in Babyloniam traducti de ſua lingua Chaldaica miſcuiſſent. Inde dialectus linguæ Syriacæ nata eſt, quam Chaldaicam dicimus, quia in Chaldæa nata, & inde Judæis reducibus in Palæſtinam tranſvecta. Sed & hæc dialectus minus a Syriaca differret ſi punctatoribus placuiſſet, ſi enim pro* מלכהון punctes מַלְכְּהוֹן *rex eorum* pro מַלְכְּכוֹן

מַלְכְּכוֹן מַלְכְּכוֹן *rex veſter, pro* מַלְכוּהִי מַלְכוּהִי *reges ejus, pure erunt Syriaca.* מַלְכֵּיהּ *in Targum eſt rex ejus viri, ubi Jod, cum ſolæ conſonantes ſcriberentur, notabat ſolummodo vocalem Tſeri, quod ſi appoſitis vocalibus removeas Jod & ſcribas* מַלְכֵּהּ *jam vere Syriacum eſt, alioqui* מַלְכֵּיהּ *ſignificat reges ejus, fæm. quomodo ſi punctes* בְּרַגְלֵיהּ *pedibus ſuis, Dan. 7. 7. pure habes Syriacum; jam autem punctatur* בְּרַגְלָיהּ *& Maſorethæ volunt* י *redundare tum multum differt a Syriaco: Sic in verbis ſi pro* פִּקְדַת *legas* פְּקַדַת *præcepit illa, pro* פִּקְדֵת פִּקְדֵת *præcepi ego, pro* אוֹתֵב אוֹתֵב *collocavit, pro* מוֹתְבָא מוֹתְבָא *ſedes. ſic cum literis ſervilibus pro* לֶאֱלָהָא, לֶאֱלָהָא *Deo, pro* וּבְיוֹמֵיהוֹן וּבְיוֹמֵיהוֹן *& in diebus illorum, pro* וּמְהֵימַן, וּמְהוֹמַן *& fidus, certe rurſus habes Syriaca: talia infinita ſunt.* Poſtea addit, *quod licet in Chaldaicis punctandi rationem quæ vulgo uſitata eſt, præſertim quæ a doctiſſ. Buxtorf. Patre adhibita eſt, ſequaur; palam tamen profitetur, vix quicquam in ea certum eſſe, & arbitrarium eſſe potius, atque ab Europæorum arbitrio magis, quam a certa ratione petitum.*

5. An vero Chriſto & Apoſtolis vernacula fuerit lingua Syriaca à quibuſdam quæritur. Widmanſtadius qui primus in Europa Nov. Teſt. Syriacum edidit, Præfat. dicit, *Hanc linguam Redemptoris noſtri ortu, educatione, doctrina, miraculis, corporis & ſanguinis ſui confectione Eucharistica, ac patris etiam æterni voce bis cœlo ad eum emiſſa conſecratam, & hac lingua ſcriptam eſſe antiquam verſionem quam ipſe edidit,* quamq; in Bibliis noſtris cum veteri Teſt. Syriaco nos edimus. Cujus ſententiæ plerique ſuffragantur, Maſius, Boderianus, Troſtius, Tremelius, Buxt. *&c.* Non deſunt tamen qui contendunt Syriacam verſionem non eſſe in illa lingua conſcriptam quæ Domino Salvatori vernacula fuit, vel ſaltem poſterioribus temporibus illam factam fuiſſe, poſtquam mutata eſſet lingua illa Judæorum quæ Chriſti tempore erat vernacula: ſic doctiſs. noſter Breerwodus de linguis & Religione cap. 10. Barth. Mayerus Philol. ſacra lib. 1. cap. 2. & lib. 2. cap. 2. Probat vero ille ex vocibus Syriacis ab Evangeliſtis retentis, quas notârunt Hieronymus & alii, quæ ab iis quæ in Teſt. Syriaco habentur differunt, vel conſonis quibuſdam, vel vocalibus, vel utriſque ut ex ſequentibus liquet, μαμμωνᾶ Marc. 7. 24. Syr. *Mamouna.* γαββαθᾶ Jo. 19. 13. *Gephiptho.* γολγοθᾶ Matth. 27. 23. *Gogaltho.* Ἀκέλδαμα Act. 1. 19. *Chakaldemo.* μαραναθα 1 Cor. 16. 22. *Moraneto.* Mayerus etiam eodem argumento utitur ex vocibus iſtis deducto, ut & ex nominibus propriis Ἰωσαφὰτ Matth. 1. 8. Ἰωσὴφ, Ἰωσίας v. 10. Ἰωρὰμ v. 8. pro quibus Syrus habet *Jauſeph, Juſaphat, Juſia, Juram*; Syri enim vocali (*o*) carent, & pro eo utuntur (*u*) vel (*au*:) Chaldæi vero non aliter ac Hebræi יוֹסֵף *Joſeph* dicunt, & ſic in cæteris, ut ex Targumim apparet. Ex quibus infert Dialectum illam Comagenam quæ κατ᾽ ἐξοχὴν Syriaca dicitur tempore Chriſti non fuiſſe vernaculam, ſed potius illam Chaldaicam qua Onkelos & Jonathan ſuas Paraphraſes exararunt. Joſ. Scaliger Epiſt. lib. 4. Epiſt. 449. de hiſce ſic ſcribit; *Lingua Syriaca tam pro genere uſurpatur quam pro ſpecie (nam Chaldaica & Syriaca unius Syriacæ linguæ nomine comprehenduntur, ut apud Juris conſultos Adoptio comprehendit ſpecies, Arrogationem & Adoptionem, Cognatio Agnationem & Cognationem) Igitur lingua Syriaca non ſolum dicitur ea qua Syri, ſed etiam qua Chaldæi uſi ſunt, & in genere Judæis lingua dicitur Aram. --- Syriaſmi multæ fuerunt propagines, ſed illa omnium nobiliſſima Syriaca Dialectus qua Vet. & Nov. Teſt. conſcriptum eſt, quæ & elegantiſſima & puriſſima. Tempore Chriſti ea in tractibus, Antiochiæ, Cœloſyriæ & Meſopotamiæ in uſu erat. In Galilæa alia Dialectus, & in aliis partibus alia, quæ omnes uno nomine Aram comprehenduntur. Qui Apoſtolos ea uſos dicunt, falluntur. Apoſtoli ad Judæos verba cum faciunt, Judaico Syriaſmo, ad alias gentes alia Dialecto utebantur: nam lingua Chriſti Galilæa non eadem cum ea qua Maronitarum & Neſtorianorum libri hactenus conſcripti ſunt.* Certe quo ſermone conſcriptæ erant Paraphraſes Onkeli & Jonathanis, idem fuit Judæis vernaculus Chriſti tempore. Hæ vero ſtylo Chaldaico-Syro ſunt contextæ, ergo hic fuit Judæis vernaculus. Jonathan enim erat Hillelis diſcipulus, qui floruit tempore Hyrcani & Herodis magni, Onkelos tempore ejuſdem Hillelis factus erat Proſelytus, ut ſupra oſtendimus. Paulo itaque ante Chriſti tempora ſcripſerunt hi duo Paraphraſtæ, eo ſeculo quo Phariſæorum ſectæ principes duo Hillel & Samma floruerunt, qui, ut teſtatur Hieronymus Ep. 8. *per traditiones ſuas & δευτερώσεις Legis præcepta diſſipabant & maculabant.* Chriſtum etiam conſtat in Cruce verba ex Pſal. 22. non ut in Syriaca Nov. Teſt. verſione extant, nec ut in Hebræo textu (ut Eraſmus & Beza exiſtimarunt) nec ut in Joſ. Cæci Targ. quod hodie in Pſalmos extat protuliſſe, ſed ſermone Hieroſolymitano qui in Vulgari uſu fuit. Verba enim ita in Syra verſione exprimuntur ܐܝܠ ܐܝܠ ܠܡܢܐ ܫܒܩܬܢܝ. In Paraphraſte Chaldæo אלי אלי מטול שבקתני. In Hebræo autem אלי אלי למה עזבתני. Reſtat itaque ut lingua vulgari ſcripta fuerint. Hic vero non poſſum non aſcribere magni Grotii verba in Matth. 27. 46. & Marc. 15. 34. de verbis hiſce Chriſti & qua dialecto dicta erant. *Et hinc,* inquit, *& aliunde colligitur Chriſtum neque veteri uſum Hebræorum ſermone, neque Syriaco, ſed mixta dialecto quæ tum in Judæa vigebat. Ea lingua quædam retinebat avitæ pronunciationis ut ἠλὶ,* אלי, *pro quo Syri dicere ſolent* אלהי. *Quædam cum Syris habebat communia ut* שבק *pro* עזב. *Eli à Chriſto pronuntiatum ipſe ſonus ad Eliam proxime accedens evincit. Quare mihi perſuadeo in Syriaca verſione tum hic tum apud Marcum tranſpoſitas literas, & quod* אלי *ſcriptum fuerat mutatum in* איל, *inde nato errore quod* אלי *Syris eſſet incognita, quidam autem Syrorum deum* איל *appellarent;* Ἦλον *ſcribebat Philo Biblius ex Sanchuniathone. Sic apud Ezekielem, qui interdum χαλδαΐζει, 31. 2. ubi nunc* אל *legimus libri Orientales Judæorum habebant* איל, *& ubi nunc eſt* אלי, *Ezek. 32. 21. iidem codices habebant* אילי. *Enimvero, ut dixi, a Syro non* איל *ſcriptum ſed aut* אלי *aut certe* אילי *indicio eſt ipſius interpretatio quæ ſubjungitur apud Marcum, quæ eſt* אלהי *cum affixo primæ perſonæ. Marcum autem non* ἐλωῒ *ſcripſiſſe liquet, ſed* ἠλεὶ, *quod idem cum* ἠλὶ *prout citat Euſebius, ita ut omnia exemplaria non habuerint* ἐλωῒ. *Et licet apud Syrum Marc. 15. 34. ſit* איל איל *haud dubium literæ tranſpoſitæ ſunt, cum ſcribendum fuerit* אלי אלי. *Quod autem in tam multa exemplaria* ἐλωῒ *hoc loco penetraverit inde profectum arbitror, quod ſicut Lucæ Evangelium initio maxime celebratum eſt per Eccleſias a Paulo fundatas, ita Marci per omnem Babylonicam* διασπορὰν *cui Petrus præfuerat, ac proinde deſcriptum ab hominibus Syrum ſermonem callentibus quibus notius erat* אלהי *quam* ܐܠܝ. *Quod autem Latina quædam exemplaria hoc loco pro* lamma ſabactani *habuerunt verba Hebraica* lamma azabtani, *ſi quid recte judico ab Hieronymi eſt manu, qui ipſa Pſalmi verba hic ponenda exiſtimavit.* Hactenus Grotius. Ex his viri longe doctiſſimi verbis colligitur Chriſtum non uſum eſſe idiomate Antiocheno, quod ſtricte Syriacum vocatur, nec Hebræo puro quod multis antea ſeculis vernaculum eſſe deſierat, ſed lingua vulgari, quæ Chaldaica & Hebraica quædam verba mixta habuit, quod & olim ſentiebat Epiphanius Hæreſ. 69. dum ſcribit *Chriſtum partim Hebraice partim Syriace iſta verba protuliſſe.* Tota autem controverſia facile dirimi poteſt concedendo dialectum Antiochenam, quæ Syriacæ nomen κατ᾽ ἐξοχὴν jam obtinuit, & in qua ſcripta eſt verſio Syriaca Chriſtum uſum non fuiſſe ſed Targumica ſive Chaldæo-Hieroſolymitana, quæ tamen cum eadem eſſet lingua cum Syriaca, ut omnes uno ore affirmant, veriſſime dici poſſit Chriſto linguam Syriacam vernaculam fuiſſe, eamque ſacro ore conſecraſſe; cum tam Antiochenum quam Hieroſolymitanum idioma eſſet Chaldaicum ſive Syriacum, ut qui Attice vel Ionice ſcripſerunt dici poſſint Græce ſcripſiſſe, eo quod utraque dialectus ſit Græca. Plura qui volet legat Geor. Amyræ præludium 3 Gram. Syr.

6. Licet vero ex dictis ſatis conſtet linguam Judaicam tempore Chriſti Syro-Chaldaicam fuiſſe, & ex Hebræa & Chaldæa mixtam, non vero pure Hebraicam, quum tamen S. Matthæi Evangelium & ad Hebræos Epiſtolam primo Hebraice conſcripta fuiſſe teſtentur Veteres, & ſæpius in Novo Teſtamento verba quædam occurrant, quæ ex Hebraico reddere videntur Evangeliſtæ, quaſi Hebraica fuiſſet tunc temporis iis vernacula, & Paulus allocutus eſſe dicitur Judæos ſeditioſos lingua Hebraica Act. 21. pauca quædam adjicienda ſunt. Scribit enim Hieron. Catal. Script. Eccl. *Matthæum Evangelium Chriſti propter eos qui ex Circumciſione in Chriſtum crediderunt Hebraicis literis verbiſque compoſuiſſe, quod in Euſebii Pamphili Martyris Bibliotheca Cæſarienſi erat repoſitum, & quod ipſe a Nazaræis qui in Berœa civitate Syriæ eo utebantur deſcribendi facultatem obtinuit.* Hoc vero Comment. in Matth. 12. *Nazaræorum* ſive *Hebionitarum Evangelium* appellat, & in cap. 6. *Evangelium ſecundum Hebræos.* Memorat etiam idem Hieronymus Catal. dicto, *Pantænum Philoſophum a Demetrio Epiſcopo Alexandrino in Judæam miſſum reperiiſſe Evangelium Matthæi Hebraicis literis ſcriptum, ſecundum quod Bartholomæus Apoſtolus fidem Chriſti inter Judæos plantaverat, hoc vero ipſum Alexandriam attuliſſe.* Idem affirmat Paulum Apoſtolum Hebræis Hebraice ſcripſiſſe. Origenes vero Judaico ſermone Evangelium Matthæi, Nicephorus lib. 4. cap. 7. patrio ſermone Pauli epiſt. ad Hebræos ſcripta eſſe affirmant. Auguſtinus lib. 1, & 2. De conſenſu Evang. non pro certo affirmat lingua Hebræa Matthæum ſcripſiſſe, ſed ita tantum perhiberi. In N. T. etiam ſæpe verba quædam occurrunt quæ ab Evangeliſtis *Hebraica* vocantur, ut Joh, 9. 20 Titulus Cruci à Pilato appoſitus dicitur ſcriptus fuiſſe Ἑβραϊστὶ *Hebraice,* & Paulus Act. 21. 40. & 22. 2. τῇ Ἑβραΐδι διαλέκτῳ populum allocutus fuiſſe dicitur. Joh. 19. 13. legimus Chriſtum adductum eſſe εἰς τόπον λεγόμενον Λιθόστρωτον, Ἑβραϊστὶ δὲ Γαββαθᾶ. Nic. Fullerus etiam Miſcel. Sacr. l. 3. c. 20. in Nov. Teſt. linguam Aramæam ſive Syram Hebræam dici ſcribit, licet de cauſa cur ita dicatur, viz. quia Hebræis vulgaris erat illius uſus, ſine cauſa dubitat. Dicendum itaque cum Widmanſtadio haud eſſe probabile Bartholomæum Judæis Evangelium Hebræum attuliſſe quibus nulli uſui eſſe poterat, cum ex Judæis pauci Hebræum callerent. Ad Indos vero Syriacam linguam ex Meſopotamia & vicinis regionibus promanaſſe magis credibile eſt, cum apud Chriſtianorum reliquias qui in iis locis ultimo ſeculo reperti etiam Syriacam linguam cum religione Chriſtiana ſervatam eſſe perhibent. Probabile itaque eſt Pantænum Syriacum Evangelium ex his oris non proprie Hebraicum retuliſſe. Hieronymus vero de hoc dubius erat, & fortaſſe Nazaræorum Evangelium quod Hebraicis literis & lingua exaratum fuit, nactus, credidit aliud præter hoc non extitiſſe. Hieronymum etiam linguam Syriacam ignoraſſe, cum Catalogum ſcripſerat, hinc probat Widmanſtadius loco dicto, quod Jacobum Niſibenæ Perſarum urbis Epiſcopum, ſcriptorem Syrum, in linguam Græcam nondum converſum, & idcirco ipſi ignotum, in Catalogo ſuo prætermiſit; nec Ephraimi & Archelai, Bardeſaniſque opera Syriaca legere potuit antequam Græce verterentur. Cum itaque linguæ iſtius notitiam nullam vel ſaltem parvam haberet, facile adduci potuit ut Nazaræorum Evangelium ipſius Matthæi eſſe exiſtimaret. Hoc vero Widmanſtadii reſponſum mihi non probatur: licet enim Hieronymus Syriacam linguam ignoraret Hebraicam tamen callebat; non potuit itaque pro Hebraico habere quod tale non erat. Addit vero illuſtriſs. Grotius in Matth. cap. 17. Hieronymum dubitaſſe an illud Matthæi Hebræum eſſet illud ipſum quo ſuo tempore utebantur Nazaræi, quodque tum in Bibliotheca Cæſarienſi tum Berœæ, tum alibi ſua ætate extitiſſe memorat. Alibi etiam contra Pelagium affirmat ſcriptum fuiſſe Chaldæo & Syro ſermone, ſed Hebraicis literis, viz. idiomate Hieroſolymitano, lingua ejus temporis. Per linguam Hebraicam itaque intelligit Hieronymus idioma Hieroſolymitanum. Hoc vero Nazaræorum Berœæ habitantium vetus Evangelium, quod à ſe conſultum, tranſlatumque in linguas alias narrat Hieronymus, omnino arbitratur Grotius ex ipſo Matthæi codice fluxiſſe, de quo plura paulo infra. Per ſermonem itaque Hebraicum in Nov. Teſt. clarum eſt Syriacum, ſive Chaldæo-Hieroſolymitanum intelligendum eſſe. Vide plura apud Widmanſtadium, Præf. in Nov. Teſt. D. Grotium locis citatis, Mayer. Philol. Sacr. lib. 2. cap. 3.

7. De charactere vero qui hodie vocatur Syriacus cur utantur Syri Maronitæ diverſo à Chaldæo illo Hieroſolymitano, cum linguam utrique communem habeant, quæritur. Scaliger in annum Euſeb. 1617. digreſs. de literis dicit Chaldæos ſuas literas à Phœniciis adumbraſſe, per Chaldaicas vero literas, ut ibi ſe explicat, intelligit eas quibus, hodie Eccleſia Antiochena utitur, item Chriſtiani Neſtoriani & Maronitæ, qui (quemadmodum Græci & Latini) Literas habent duplices, majuſculas quas *Capitales* vocant, & minuſculas quas *Practicas* aut *Curſivas* dicimus,

quæ ad celeritatem ſcribendi excogitatæ ſunt : ſcribit etiam quod Capitales majuſculæ Chaldaicæ ita expreſſæ ſint ex Phœnicibus, ut negari non poſſit eas ex illis fluxiſſe, ut noſtræ minuſculæ à majuſculis veteribus Romanis. Addit vero Arabes & Judæos ſuas hodiernas ex Chaldaicis depravaſſe, quod Chaldaicæ mediæ ſint inter Phœnicias vel Judaicas, & Arabicas. Hæc Scaliger. Per Phœnicias intelligit Samaritanas quæ antiquæ Heb. erant ante Eſram apud Judæos uſurpatæ. Et quidem majores Syriacas hodiernas, quas *Eſtrangelas* vocant Amyra & alii, quibus in librorum titulis & Inſcriptionibus utuntur Syri, ut in libris ipſorum impreſſis & MS. videre licet, facile à Phœnicibus vel Samaritanis deduci poſſe ſine magna mutatione non negarem, facilius tamen multo ab Heb. hodiernis ſive Chald. deducuntur, cum quibus majorem ſimilitudinem habere videntur quam cum Samaritanis, ita ut ab his potius quam illis deductas fuiſſe judicem, cum magna tamen in aliquibus variatione. Minuſculas vero quibus communiter in libris impreſſis & MSS. utuntur, quaſque cernere licet in Bibliis noſtris, à majoribus illis dirivatas eſſe manifeſtum eſt, ut cuique eas inter ſe conferenti liquido conſtare poteſt. Cur tamen Antiocheni hanc formam à Chaldaica & Judaica variantem introduxerint cauſam hanc reddidit Fabric. Boderianus Præf. ad Lexic. Syriacum, ut ſcilicet Antiocheni Chriſtiani Evangelium quo ipſi utebantur ab illo Nazaræorum & Ebionitarum, de quo jam diximus, quodque literis Heb. ſive Chald. exaratum erat, diſtinguerent, nihilque ſe commune cum iſtis Hæreticis habere teſtarentur; quæ quidem ſententia probabilis eſt, cum ex ſimili cauſa oſtendimus Eſdram poſt reditum è Babylone dum ſacra volumina recenſeret characteres mutaſſe, (antiquo Hebraico quo utebantur Samaritani ſeu Cuthæi ipſis relicto) in Chaldaicum ſive Aſsyriacum cui in Babylonia aſsueti erant, ne quid ſcilicet cum Cuthæis, quos inter Gentiles numerabant Judæi, commune haberent.

8. Quod ad utilitatem hujus linguæ ſpectat, præter ea quæ de Chaldaica Proleg. proxime præcedenti diximus hæc de Syriaca Antiochena addere licet, Quod in ea extat vetuſtiſſima tranſlatio V. T. ex Heb. & N T. ex Græco, quæ omnes poſt Chriſtum factas antiquitate ſuperat. In hac lingua celebrantur ſacra per maximam Orientis partem, multaque Veterum in Scripturas Commentaria aliaque monumenta ſcripta ſunt, de quibus breviter. Habemus Syriace vetuſtiſſimam tranſlationem tam Vet. quam N. T. ut enim Judæi habent ſuas Chaldaicas Paraphraſes V. T. ſic Chriſtianis non deeſt ſua Chaldaica verſio tam Veteris quam Novi, de qua videndum. I. Quando edita fuerit. II. Quando facta. III. Quotuplex ſit. IV. Quis ejus uſus. I. Primus qui N. T. Syriacis typis edidit erat Joh Abbertus Widmanſtadius IC. & provinciæ Auſtriæ Orient. Cancellarius, auſpiciis Ferdinandi Imperatoris, Viennæ anno 1555, vir linguarum Orientalium peritus. Cum enim quidam Moſes Meridinæus ex Meſopotamia Sacerdos ab Ignatio Patriarcha Jacobitarũ Antiocheno tum ob alias cauſas tum ut N. T. cujus exemplar MS. ſecum attulit arte Typographica (cujus uſu in Oriente deſtituuntur) multiplicatum in uſum Eccleſiarum ſuarum, quæ librorum inopia laborabant, reportaret, & fruſtra Venetiis ac Roma laboraſſet, neminemque qui opus hoc arduum & difficile aggredi vellet inveniſſet, tandem ad Widmanſtadium profectus eſt qui juſſu Imperatoris Ferdinandi illud typis nitidiſſimis imprimi curavit; primus certe liber qui excuſus Characteribus Syriacis in Europa lucem viderit, cujus ad duo vetuſtiſſima exemplaria collati & impreſſi numerum magnum ad Patriarcham Antiochenum Chriſtiani Regiique muneris loco mitti curavit Ferdinandus Imperator religioſus. Quamprimum vero in lucem prodiit, ſummo doctorum applauſu tanquam κειμήλιον divinum & magnus Orientis theſaurus approbatus, variis formis, variiſque locis, & à variis Latinitate donatus, ut per Immanuelem Tremellium, Fabricium Boderianum, Troſtium, Characteribus Syriacis & Hebraicis cum punctis & ſine punctis ſæpe cuſus & recuſus eſt. Poſt Nov. Teſtamentum Pſalmos etiam edidit ſine punctis Erpenius, cum punctis Gab. Sionita, ejuſdem verſionis quæ in Bibliis Pariſ. & in noſtris exhibetur, viz. antiquæ ſive ſimplicis, in cujus editione habuimus præter impreſſum Pſalmorum Pariſienſe exemplar aliud MS. Rev. Uſſerii duo quoque Pocockiana, unum Jacobitarum alterum Neſtorianorum, quæ cum priori conveniunt. II. Cum Novo Teſtamento habuerunt etiam Syri & Vetus Syriace verſum ejuſdem cum Novo antiquitatis, quod licet in privatorum quorundam bibliothecis Europæis extaret MS. typis tamen primum edidit Michael de Jay in ſplendido ſuo opere Heptaglotto Pariſienſi, uſus præcipue in hac re opera clariſſimi viri Gabrielis Sionitæ Maronitæ S. T. D. qui primus illud punctavit, & Latinam ejuſdem interpretationem adjunxit, antea enim MS. omnia punctis vocalibus vel prorſus deſtituta erant, vel ſi in una dictione punctum aliquod vocale notatum eſſet in alia erat omiſſum, prout in exemplaribus MSS. hodie videmus, una etiam ejuſdem dictionis ſyllaba aliquando notata alia nuda erat, ita ut à Lectore ex uſu vel analogia Grammatica quæ deerant eſſent ſupplenda. Sciendum enim ſecundum Sionitam & alios apud Syros antiquitus ܐ ܘ ܝ omnium vocalium vicem ſuppleviſſe, vel, ut Arabes antiqui, ad tollendum ambiguitatem unicum punctum illos uſurpaſſe, quod ſupra literam a, o, & u, breve, infra e, ſub Jud i longum, ſub Vau u longum denotavit. Recentiores duabus utuntur vocalium figuris, una ſemipunctorum, altera notarum Græcis vocalibus, è quibus deſumptæ ſunt, ſimilium. Semipuncta eundem ſitum perpetuo ſervant, aliæ notæ ad libitum incerta ſede vagantur. Quod etiam antiquitus Syri puncta vocalia ignorabant patet ex Elia in Maſ. Hammaſ. Præfat. qui ſcribit, quod cum Romæ eſſet *ecce tres viri ex Regno Presbyt. Johannis* (intelligit Regem Abyſſ. qui vulgo, licet erroneè *Presbyt. Johannes* vocatur) *quos Papa Leo X accerſiverat, qui cognitionem habuerunt ſcripturæ ac linguæ Chaldæorum; lingua enim eorum vulgaris erat lingua Arabica, lingua autem propria in qua tranſcripti ſunt ipſorum libri, in qua etiam habent totum Evangelium Chriſtianorum, erat Chaldaica, quam etiam vocant Aramæam, Babylonicam, Aſſyriacam, Chaldaicam, Syriacam, Targumicam. Papa eos advocaverat ut ex eorum libris codicem Evangelii Latina lingua conſcriptum caſtigaret. Eo tempore vidi Pſalterium in manibus eorum Syriace ſcriptum & Syriace explicatum*, i. e. *ſcriptum literis Syriacis, quarum pronunciatio & forma valde erat affinis linguæ Hebrææ, quumque viderem quod legerint ſine punctis interrogavi eos, dicens, Anne habetis puncta aliqua ſigna vel indicia quæ ſunt vobis loco vocalium? Reſpondebant ſe non habere, quia autem, inquiebant, exercitati ſumus inde à pueritia noſtra in hac lingua, idcirco eam abſque punctis legere novimus.* Hæc vero editio Gab. Sionitæ licet merito ab omnibus ſuſpicienda ſit (præclaram enim utiliſſimamque operam virum magnum navaſſe omnibus tam linguarum quam Scripturæ ſtudioſis, malevolus & maxime ingratus eſſet qui non agnoſceret, imo immortales ipſi gratias ab omnibus deberi concedimus) negari tamen non poteſt multos & graves defectus ac nævos in Editione iſta occurrere tam ex MSS. librorum, quibus uſus eſt Sionita, lacunis, quas aliquando ex proprio ingenio non ex codice MS. ſupplevit, & aliquando ut invenit reliquit, quam ex operarum erratis quæ nimis frequenter occurrunt, tum ex Verſione Lat. quæ cum Syr. ubique non exacte quadrat. Quæ omnia in Editione noſtra ſupplere conati ſumus, non ex propriis conjecturis ſed ſecundum exemplaria MSS. quorum quædam antiquiſſima, reliqua ex authenticis apud Syros codicibus deſcripta ſunt; unde non tantum infinita vocabula quæ vel deficiebant ſupplevimus vel quæ depravata erant reſtituimus, ſed & in plurimis locis integros verſiculos & Capita inſeruimus, imo quoſdam libros addidimus qui in Pariſienſ. non extabant, quique antehac in lucem non prodierant, cum Latinis ſuis interpretationibus, viz. librum Eſther, totum librum Judith, lib. Tobiæ, Jeremiæ Epiſtolam, Baruch, hiſtoriam Suſannæ, alteram Belis & Draconis, Canticum trium puerorum, cum Macchabæorum 2. & 3. quæ in noſtris Lector inveniet. Exemplaria vero MSS. quibus uſi ſumus, duo nobis ſuppeditavit Reverendiſſimus Uſſerius, quorum unum ſolum Pentateuchum complectitur, liber venerandæ antiquitatis & accurate ſcriptus, aliud totum continebat Vet. Teſtamentum exceptis Pſalmis (quos antea typis evulgaverat Sionita) quod magnis ſumptibus ex Codice Patriarchæ Alexandrini tranſcribi curavit. Hoc vero cum Codice alio Manuſcripto contulit vir doctus cum Pariſiis agebat, & diſcrepantias quaſdam in margine notavit. Aliud etiam accurate deſcriptum nobis commodavit vir clariſſimus Edwardus Pocockius, linguarum Hebraicæ & Arabicæ Profeſſor Oxon. celebris, in quo etiam omnes libri Vet. Teſtamenti. Tertium habuimus ex Bibliotheca publica Academiæ Cantabrigienſis, mancum vero; nam ſolummodo Prophetas majores & libros omnes qui vulgo Apocryphi dicuntur, nobis exhibuit; eſt tamen quantum conjicere licet omnium antiquiſſimum. Hæc vero omnia cum textu impreſſo conferri curavimus, & lectiones variantes colligi, quæ cum reliquis in Tomum ultimum rejiciuntur. Etſi vero omnium Verſionum ad textum Hebraicum hæc Syriaca propius accedat; in quibuſdam tamen hic illic obſervant quidam cum D. Hottingero Codicem Hebraicum iſtius Interpretis à noſtro diſcrepare, aliquando cum LXX, aliquoties cum Samaritano convenire; Unde Bootius nec ex Syro ubique lectiones varias vult colligi, ut ſupra notavimus. Vide Geneſ. cap. 3. ver. 10. & c. 4. v. 18 & c. 10. v. 7, 10. & c. 11. v. 10. & c. 14. v. 5. & c. 25. 3, 13, 14, 15. & c. 29. v. 32. & c. 40. v. 14, 36. & c. 31. v. 53. & c. 36. 4, 24. & c. 38. v. 1. & c. 41. v. 54. & c. 42. v. 15. & c. 47. v. 7. & c. 50. v. 10, 16 Exod. cap. 15. ver. 22. & c. 25. v. 33 Levit. cap. 1. ver. 46. Num. cap. 1. ver. 10, 14. & c. 2. v. 14, 20. & c. 3. v. 4. & c. 6. v. 25. & c. 7. v. 15, 42, 59. & c. 10. v. 33. & c. 21. v. 11, 15. Vide apud D Hotting. plura ibid. de concordia Syri cum Græc. Chald. Vulg. Lat. Samarit. in Analectis de Heptaplis Pariſienſ.

3. Præter hanc Verſionem Syriacam quam *Simplicem & Antiquam* appellant Maronitæ, qua ſola in officiis Divinis publice utuntur, teſte Gregor. Syro in lib. MS. Syriaco ubi Scholia habet in totum V Teſt. aliam etiam habent recentiorem ex Græco expreſſum tam Vet. quam Nov. Teſt. de qua Andreas Maſius Præfat. ad Joſuam, & Arias Montanus admonitione ad Lectorem ante verſionem Syriacam Nov. Teſt. Scribit quidem Maſius ſe habuiſſe varios libros Syriacos V. Teſtamenti, viz. Joſuæ, Regum, Chron. Eſdr. Eſth. Jud. Tobiæ, & Deuteronomii, qui ſupra 1000 ab hinc annos conſcripti ſunt Alexandriæ, ſed ex Græca verſione LXX, viz. ex Origenis Hexaplis emendatis & ab Euſebio collocatis in Bibliotheca Cæſareenſi, in quibus diligentia incredibili omnes Aſteriſcos, Obelos, &c. inſertos reperit, ut cum de LXX ſinceritate ſupra egimus latius explicavimus. Arias Montanus (qui antiquam Editionem nunquam vidit) ſcribit, de V. T. libris Syriacis non adeo laborandum eò quod ex iis fragmentis quæ ſibi videre contigit illam ſacrorum librorum partem non ex Hebraica & primæva lingua ſed ex Græca ab Origene permixta verſione ad Syros eſſe tranſlatam cognoverit. Quibus verbis duplicem errorem erravit vir alias doctiſſimus, tum quod non aliam habuiſſe Syros verſionem ſcribat quam quæ ex Græco facta eſt, tum quod, ut magis deprimeret hanc verſionem, dicat factam eſſe ex Græca ab Origene permixta verſione, quorum neutrum verum eſſe ſatis probatum eſt : nam verſionem habent ex Hebræo antiquiſſimam quam in his Bibliis exhibemus, & illa quam poſtea hauſerunt ex Græco non erat ex mixta aliqua Editione ſed ex ea quam in Origenis Hexaplis puram eſſe & genuinam omnes veteres, imo ipſe Hieronymus, uno ore affirmarunt, ut latius alibi probatum, Proleg. de verſione Græca §. 6. Duplicis hujus verſionis etiam meminit Gregorius ille Abul-Farajius à D Pocockio citatus in dicta hiſtoria Arab. p. 184. cujus verba ita Latine reddit, viz. *Verſio LXX illa eſt quam ſequuntur apud nos docti, & Græcorum manibus teritur, aliarumque apud Chriſtianos ſectarum exceptis Syris & præcipue Orientalibus; ſiquidem exemplar ipſorum, quod ſimplex appellatur, quia qui illud elaborarunt de ornatu verborum ſoliciti non fuerunt, convenit cum exemplari Judæorum: at Syri Occidentales duas habent verſiones, ſimplicem illam quæ è lingua Hebraica in Syriacam tranſlata eſt poſt adventum Domini Chriſti tempore Addæi Apoſtoli, vel, juxta alios, ante eum tempore Salomonis filii David & Hirami; & alteram figuratam juxta LXX ſeniorum interpretationem è lingua Græca in Syriacam traductam longo poſt Salvatoris Incarnationem intervallo.* Nov. Teſtamen-

tum etiam habere Syros editionis recentioris conſtat tum ex Epiſtolis Judæ, 2 Petri, 2. & 3. Johannis, quas ex bibliotheca Bodleiana edidit D. Pocockius, tum ex Apocalypſi, quam ex bibliotheca Scaligerana deprompſit Lud. de Dieu, & ex hiſtoria de muliere adultera Joh. 8. quæ in antiqua editione non habentur ſed ex poſteriore adjecta ſunt, tum ex exemplari altero Syriaco MS. Evangeliorum apud eundem D. Pocockium nondum edito, de quo in Præfat. ad editionem ſuam Epiſt. Syr. De quibus Epiſtolis à ſe editis hæc habemus ex Præfatione, *A quo aut quando in linguam Syriacam tranſlata ſunt hæ Epiſtolæ ſupra vires meas diſquiſitio eſt. Unum tantum monere licet, Dionyſium quendam (ita ſe vocat) qui Commentariis Syriacis has una cum cæteris Canonicis & Actis Apoſt. & Apocalypſi illuſtravit, in Præfat. ad 2 Petri monere,* &c. ܐܓܪܬܐ ܕܬܪܬܝܢ ܕܦܛܪܘܣ. *Epiſtolam ſecundam Petri non fuiſſe verſam in linguam Syram cum libris qui diebus antiquis redditi ſunt, ideoque non inveniri niſi in tranſlatione Thomæ Epiſcopi qui cognominatus eſt Heracleenſis ſecundum nomen Heracleæ civitatis ſuæ. Quis fuerat Thomas iſte vel qualis ejus verſio compertum non habeo. Hoc ſcio, Verba quæ è textu eorum qui commentantur more adducit certo arguere eam ab hac noſtra ſtylo multo diſcrepaſſe. Unum habet κριτήριον, cum noſter interpres (quod & in libris olim a Clariſſ. Widmanſtadio editis fieri ſolet) affixa nominibus ſuis annectat, iſte per* ܕܡܢ *particulam (quod annon etiam in Apocalypſi ita ſe habeat videndum) efferat; idem ſæpe factitatum in alia (quam mihi communicavit vir quidam doctiſſimus) 4 Evangeliorum verſione, quam etſi cum illa quæ pridem doctorum manibus teritur non contendam adæquandam, neutiquam tamen contemnendam arbitror, Græcam certe magis κατὰ πόδα exprimere conatur; ea ſi e re tua videbitur (Deus modo otium & vitam ſuppeditaverit) uti aliquando lucem videat operam dabo. Hoc tandem cenſeo illam quam innuit Dionyſius iſtam, noſtram vero antiquam cæterorum librorum interpretationem ſtylo magis referre, quod ut dijudicare poſſis quæcunque ex interprete ſuo citavit Dionyſius fideliter excerpſi, & in notis per literas S. A. (Syrum alterum denotantes) indicavi.*

De Apocalypſi Syriaca a Lud. de Dieu edita hæc inter alia apud illum legimus in Præf. *Conſcriptus eſt* (codex quem ſecutus eſt) *manu eleganti & vere Syriaca, ſed ab hoc noſtro charactere ſatis diſcrepanti. Maronitarum manus eſſe videtur qua in ſcribendis Epiſtolis utuntur, ubi celeriores magis compactas & ſæpe implexas ſibi invicem literas adhibent. Vocales additas non invenimus niſi paucis in locis ubi expreſſas reperies. Verſuum diſtinctiones proprie habet nullas, ut nec capitum, niſi quæ a Lectore quodam neſcio quo noſtris numeris adſcripta ſunt, Sententiarum tamen diſtinctiones habet varias, quarum quædam longiores aliæ breviores periodos diſcernere videntur, quas nos non gravate omiſimus, &c. Eſſe hanc Syriacam a Græca tranſlationem nullus dubito, & cuivis phraſin conferenti id facile liquebit, unde factum eſt cum Syri articulo emphatico careant qui Græcorum articulo præpoſitivo ὁ ἡ τὸ reſpondeat, quem Hebræi per ſuum* ה *exprimunt, feliciſſime hic noſter potius quam ut emphaſin articuli Græci omitteret pronomen tertiæ perſonæ* ܗ̇ܘ *vel* ܗ݂ܘ *ſubſtituit, quæ alioqui proprie valent* ἐκεῖνος *vel* αὐτὸς, *in quo quidem noſter hic libellus longe luxuriat magis quam qui antehac è N. Teſtamento editi fuerunt. Authorem verſionis ignoramus, ſcriptoris vero nomen in calce libri reperimus, ubi ſe Caſparum nuncupat natum* ܡܢ ܐܪܥܐ ܕܗܢܕܘ̈ܝܐ *tempus vero ſcriptionis ſubticet. Mirum ſane cum N. Teſtamentum ab Ignatio Patriarcha Antiocheno per Moſen Meridinæum è Meſopotamia Sacerdotem in Occidentem mitteretur, in Syriam reportandum, imo in gratiam Syriacarum Eccleſiarum Viennæ anno 1555 imprimeretur, Apocalypſin una cum 2 Epiſt. Petri, ſecunda ac tertia Johannis, nec non Epiſtola Judæ defuiſſe; fortaſſe quod ut olim ita & tum apud omnes Orientis Eccleſias iſtæ S. Scripturarum partes communiter nondum receptæ eſſent; extitiſſe tamen certum eſt: ſic enim Widmanſtadius in editione Viennenſi in Præf. ad Epiſtolas Canonicas quas ab ipſo vulgatas habemus. Reliquæ,* inquit, *S. S. S. Petri, Johannis & Judæ Epiſtolæ una cum Apocalypſi etſi extent apud Syros tamen in exemplaribus quæ ſecuti ſumus defuerunt.* Poſtea adjicit, *Moſen illum Meridinæum qui in Meſopotamiam abierat reverſurum, & reliquas illas Epiſtolas cum Apocalypſi allaturum, & allatas fuiſſe licet hactenus non editas.* Poſſevinus in Apparatu dicit Epiſtolas illas cum Apocalypſi à Maronita acceptas per Balthaſarem Etzelium Jeſuitam Latinas factas eſſe, quas excepta Apoc. ſe vidiſſe L. de Dieu affirmat. *Et quod verba quædam citat Amyra Grammaticæ ſuæ p. 241. ex Apoc. c. 7. quæ in Apoc. a ſe edita c. 7. v. 14 prorſus eodem modo ſe habent. Si autem ſuſpicetur quis hos libros non factos eſſe Syriacos niſi poſtquam Maronitæ ſe Romano Pontifici ſubjecerunt, contrarium ſaltem de Apocal. inde conſtat, quod & à Græcis, quæ Pontificii ſequuntur, exemplaribus, & à Vulg. Latina, quam illi authenticam fecerunt, paſſim multum abeat.* Poſtea multa ſubdit de punctandi ratione contra Tremellium & Boderianum.

14. Ex dictis liquet præter veterem & antiquam editionem Vet. & Nov. Teſtamenti alias dari, unam ex Græca Veteris, plures Novi; Reſtat ut quædam dicamus de Evangelio Hebraico ſecundum Matthæum, quod Syriacum fuiſſe, lingua Judæorum vernacula ſcriptum, licet charactere Hebræo, ſupra innuimus. De hoc inter alios Chamier. Tom. 1. p. 421. Mercerus in Notis ad Pagnini Theſaur. radice Ajin, & Præf. in verſionem ſuam. Gomar. in Diſſert. de hoc Evangelio, p. 157. Hotting. Theſ. Philol. l. 2. c. 1. Sect. 5. p. 518. Lud de Dieu in Matth. 1. 1. & 15. 17. Maldonatus in Matthæum, præcipuè H. Grotius in Matth. 1. ex quo quædam ſupra habuimus, quibus hæc hoc loco ex eodem ſubjicimus: *Evangelium ſuum S. Matthæum Hebraicè, i. Syriacè, ſcripſiſſe ita conſtanter apud veteres, quibus de hac re veritas melius quam nobis innoteſcere poterat, traditum eſt, ut nullus plane ſit dubitandi locus: non enim audiendi ſunt qui ſpurium eſſe volunt & Patres à Papia deceptos fuiſſe, nec minus certum eſt, illud quod a Munſtero primum & a Mercero poſtea terſius editum eſt, non eſſe Matthæi ſed a recentioribus quibuſdam Judæis in Hebraicum ſermonem converſum, quod adeo clarum eſt ut nullis indigeat argumentis. Sicut autem Marcus uſus eſt Matthæi Hebræo,* i. *Syriaco codice, ita Marci libro Græco uſus eſt ipſe, quiſquis is fuerit, Matthæi interpres Græcus; nam quæ Marcus ex Matthæo deſcripſerat, idem hic iiſdem verbis poſuit, niſi quod quædam a Marco Hebraico aut Chaldaico loquendi genere expreſſa propius ad Græci ſermonis normam emollivit, de cujus verſionis ab ipſo Chriſtianiſmi initio per Eccleſias receptæ autoritate ac fide dubitare nefas arbitror. At vetus illud Nazaræorum Berœæ habitantium quod a ſe conſultum tranſlatumque fuiſſe tradit Hieronymus, arbitror omnino ex ipſo Matthæi codice fluxiſſe, quod ab illis conſtantiſſime aſſeveratum fuiſſe tradit idem Hieronymus. Addit Epiphanius (ſed quod non inſpexiſſe apparet) fuiſſe penes ipſos Evangelium Matthæi pleniſſimum, quod aliis argumentis confirmatur. Nam Nazaræi illi erant progenies eorum qui primi in Palæſtina Chriſti fidem erant amplexi, unde nomen Nazaræorum illis additur quia Chriſtus Nazaræus vocabatur Act. 25. 5. ut & illi qui lingua Græca Chriſtum ſunt amplexi dicti ſunt* Χριστιανοὶ *Act. 11. 26. Addit Epiphanius hos Nazaræos fuiſſe propaginem eorum qui divinitus admoniti ſunt Hieroſolymis Pellam diſcedere obſidionis tempore. Quædam tamen a Matthæo non ſcripta, ſed auditu percepta paulatim a Nazaræis aſſuta eſſe probabile eſt, unde diverſitas inter ipſorum Hebraicum & noſtrum Græcum, ut hiſtoria de Adultera Joh. 8. aliaque dicta Chriſti quæ apud Ignatium ad Smyrnæos, Hieronymum, Clementem per manus tradita, in Evangeliis tamen non ſcripta, ut illud Act. 20. 35. Ebionitæ etiam, quorum ut commune cum Nazaræis Evangelium citat Hieronymus, quædam teſte Epiphanio detruncarunt ut Nazaræi addiderunt. Genealogiam enim Chriſti & hiſtoriam in Johanne ad Baptiſmum Chriſti a Johanne deleverunt, in hoc ſimiles Marcionitis qui Evangelium Lucæ cum Catholicis commune habuerunt paucis mutatis, quæ Marcioni non arridebant. Nazaræi vero in hoc ſolo a reliquis Chriſtianis diſcreparunt quod ritus Judaicos obſervabant ex antiqua conſuetudine quam Apoſtoli pro tempore tolerarunt; unde ab Irenæo inter Hæreticos non numerantur.* Ex his & aliis concludit vir doctus Hebraicum illud Nazaræorum Evangelium, quod ſæpe laudat Hieronymus, eſſe idem ac Ebionis ſed, ut recte judicavit Gelaſius, ab Ebione maculatum.

15. Ut vero de tempore & authoribus quando vel à quibus factæ fuerunt Verſiones iſtæ dicamus, Veterem ſive Simplicem Vet. Teſt. contendunt Syri factam ex parte, tempore Salomonis in gratiam Hirami Regis Tyri, viz. Pent. Joſ. Jud. Ruth. Sam. Par. Prov. Cant. canticorum & Job. reliquos libros tam Veteris quam Novi converſos tempore Abgari Regis Syriæ, cura & ſolicitudine Thaddæi aliorumque Apoſtolorum. Sic Sionita Præf. in Pſalm. Syr. ex Soadedo quodam Epiſcopo Hadethienſi antiquo apud Syros ſcriptore. Fatetur tamen ibidem Sionita quorundam Syrorum ſententiam eſſe, Totam Vet. & Nov. Teſt. Verſionem factam fuiſſe tempore S. Thaddæi (quem Addæum vocant) & Regis Abgari; priorem vero ſententiam probabiliorem judicat, quæ mihi multo improbabilior videtur. Nam primo Tyri & Phœnices incolæ communem habebant cum Judæis linguam, Hebræam ſcilicet, ut ſupra oſtendimus. Quorſum itaque Verſionem deſideraret Hiramus librorum in linguam ſibi vernaculam cum in eadem extarent. Si enim aliqua eſſet differentia inter Tyriorum linguam & Judæorum, Dialecto tantum diſcrepabant. Deinde nulla extabat verſio librorum Vet. Teſtamenti ante natum Chriſtum præter Græcam τῶν ό ut ſatis ni fallor ſuo loco planum fecimus, præter illas Jonathanis & Onkeli in Judæorum gratiam factas; nec aliarum ulla extat apud Judæos memoria: ſi hæc Tyriorum extitiſſet non eſſet tam altum de ea ſilentium apud antiquiores Judæorum ſcriptores quos latere non potuit; imo quantum de hac per Salomonem facta verſione gloriarentur Judæi, qui qualibet capta occaſione nihil non fingunt quod ad gentis ſuæ gloriam faciat. Præterea apud quoſnam ſervata fuit hæc antiqua Salomonis verſio? non apud Judæos qui eam non agnoſcunt, nec apud Chriſtianos, quorum nomen multis poſt ſeculis inauditum. An vero Tyriorum tanta eſſet cura de libris ſacris Judæorum ſervandis? Tandem dialectus qua extant Biblia Syriaca aperte clamat multis ſeculis poſt Salomonis tempora hanc verſionem ortam eſſe, imo poſt Chriſti tempora. Lingua enim Judæorum ut & Syrorum vicinorum erat pura Hebraica ante captivitatem Babylonicam, at hæc verſio ſcripta eſt lingua ex Chaldæa & Hebræa mixta, quæ & Syriaca communiter dicta eſt, & Judæis circa Chriſti tempora vernacula fuit; imo una eademque dialecto omnes libri in hac verſione Vet. & Nov. Teſt. ſcripti ſunt, non quidem alii lingua Tyriorum ſed omnes Syriaca quæ eadem eſt cum illa Judæorum. Vaniſſimum itaque eſt commentum de antiquitate tanta hujus verſionis, nec quicquam valet probatio quam affert ex Eph. 4. ubi Paulus verba hæc citat ex Pſal. 60. *dona dedit hominibus* non ſecundum Hebræum, Græcum vel Latinum, ſed ſecundum Syriacum exemplar ܘܝܗܒܬ ܡܘܗܒ̈ܬܐ ܠܒܢܝܐܢܫܐ *& dediſti dona hominibus*, unde infert proculdubio Apoſtolum uſum fuiſſe Syriaca verſione quæ Apoſtolis antiquior erat. Sed proculdubio probabilius eſt ex Apoſtolo hæc verba ita tranſtuliſſe Syrum interpretem, non ex Syro Apoſtolum: verum hic Apoſtolum ut ſæpius ſenſum non verba Hebraica vel Græca attendiſſe, & ut ad myſticum ſenſum de Chriſto verba traheret verbum לקח in dandi ſenſu ſumpſit, quod non mirum, cum quæ dare volumus, accipimus ut demus, ut eſt videre Exod. 25. 2. & 1 Reg. 17. 10. quare & per ἐκβάλλειν vertitur Job. 22. 22. Jer. 23. 30. & ſic ſumpto verbo, ב valebit *propter*. Optime autem Chriſto locus hic convenit qui à Patre dona accepit quæ hominibus diſpertiretur. Haud itaque tantæ antiquitatis eſt hæc verſio, nec auſim dicere à Marco factam, cùm multæ Nov. Teſt. partes poſt ipſius mortem ſcriptæ ſint; obiit enim teſte Hieronymo De ſcript. Eccleſ. & aliis anno 8 Neronis Apoſtolorum vero tempore, vel per quoſdam ipſorum diſcipulos vel à viris Apoſtolicis factam eſſe, præter Maronitas & Syros, apud quos conſtans & non interrupta viget hæc traditio, teſtantur etiam viri docti, Widmanſtadius, Tremellius, Troſtius in Præfationibus, Geſnerus in Mithrid. p. 131. Ab Apoſtolorum aliquo factam haud facile conceſſerim, ſic enim divinam & parem cum reliquis libris ſacris haberet autoritatem, quod nemo hactenus affirmavit: ab Apoſtolicis vero viris factam concedo, quod præter traditionem generalem Eccleſiarum Orientalium, cui multum in hoc tribuendum, cum nulla ratio clara in contra-

rium affertur, etiam ex inſitis argumentis probatur in ipſa verſione quæ magnam ejus antiquitatem teſtantur. In antiqua enim editione non extant Epiſtolæ 2 Petri, 2. & 3. Johannis, Judæ, Apocalypſis, ut ex exemplari primo à Widmanſtadio edito conſtat, & ex ſcriptoribus Syris, qui teſtantur has partes in antiqua editione non verſas fuiſſe, ut ex verbis Thomæ Heracleenſis quæ à D. Pocockio citata jam adduximus liquet, dum de 2 Petri dicit, non verſam fuiſſe in linguam Syriacam cum libris qui diebus antiquis redditi ſunt. unde collegi videtur factam eſſe antequam Canon librorum Nov. Teſt. communi Eccleſiarum conſenſu confirmatus eſſet, cum de his Epiſtolis & Apocalypſi certum ſit apud antiquos dubitatum eſſe. De hiſtoria etiam Adulteræ quam nunc legimus Joh. 8. ut & de verſiculo 1 Joh. 5. 7. qui adhuc in antiquis quibuſdam Græcis exemplaribus non habetur, ut videre eſt in noſtris lectionibus Græcis, olim diſceptatum fuit, licet ex recentiori verſione Syriaca, de qua jam diximus, in noſtris libris ſuppleta ſunt. Syri vero teſte Gregorio Scholiaſte Syro editionem Simplicem ſive Antiquam tantum publice legunt, unde probabile eſt in exemplaribus ipſorum publicis adhuc deeſſe. Idem Gregorius affirmat Interpretes qui miſſi erant ab Adi Apoſtolo & Abgaro Rege Aurhi ad Palæſtinam traduxiſſe Scripturam ab Hebraica in Syriacam. Verba ejus ſubjiciam,

ܡܛܠ ܕܥܬܝܪ̈ܐ ܠܐ ܒܥܡܐ ܕܡܥܠܒܝܢ ܗܘܘ ܠܡܣܟܢ̈ܐ
ܕܒܝܢܬܗܘܢ. ܝܘ̄ ܕܝܢ ܕܝܐܦܣܠܡܐ. ܒܢܘܣܚܐ ܦܠܓܘܬ. ܡܙ̄ܡ.
ܠܬܫܥܐ. ܝܥܩܘܒ ܕܐܘܪܗܝ ܐܡܪ: ܡܦܫܩܢ̈ܐ ܗܢܘܢ
ܕܐܫܬܠܚܘ ܡܢ ܐܕܝ ܫܠܝܚܐ ܘܐܒܓܪ ܡܠܟܐ ܕܐܘܪܗܝ
ܠܦܠܣܛܝܢܝ ܘܐܥܒܪܘ ܟܬܒܐ ܡܢ ܥܒܪܝܐ ܠܣܘܪܝܝܐ
ܟܕ ܒܬܪ ܦܬܓܡܐ ܗܘ ܕܢܕܥܘܢ ܥܡ̈ܡܐ ܕܒܢܝ̈ܢܫܐ ܐܢܘܢ.
ܕܝܐܦܣܠܡܐ ܐܫܟܚܘ ܠܡܙܡܘܪܐ ܕܥܣܪܐ ܣܒܪܘ ܕܫܪܐ ܗܘܐ
ܗܘ ܕܡܟܐ. ܘܒܩܨܬܗܘܢ ܡܢ ܢܘܣܚ̈ܐ ܥܒܪ̈ܝܐ ܚܠܦ
ܕܝܐܦܣܠܡܐ ܒܟܠܙܒܢ ܪܫܝܡ. *Pſalmus decimus de divitibus in gente qui injuria afficiebant quos inter ſe habebant pauperes. Græce Διάψαλμα in exemplari manuſcripto portio eſt Pſalmi noni, Jacobus de Aurhi ſic dicit, Interpretes illi qui miſſi erant ab Adi Apoſtolo & Abgaro Rege Aurhi ad Palæſtinam, & traduxerunt Scripturam ab Hebraica ad Syriacam, quum poſt hanc ſententiam,* Ut ſciant Gentes ſe homines eſſe, *Διάψαλμα inveniſſent, Pſalmum decimum ab illo loco incepiſſe exiſtimarunt, & in quibuſdam exemplaribus Hebraicis ſemper pro Διάψαλμα lineamentum ducitur.* In quanta vero exiſtimatione erat hæc verſio oſtendit idem Scholiaſtes Syrus Pſal. 15. quod licet Armeni è Græco tranſtulerint, cum Syriaco tamen poſtea contulerunt exemplar eorum, & illud ſingulis in locis cum Syriaco concordare fecerunt. Verba ejus ſunt:

ܝܕܝܥܐ ܕܐܦܢ ܡܢ ܝܘܢܝܐ ܐܦܩܘܗ ܐܪ̈ܡܢܝܐ. ܐܠܐ ܒܣܘܪܝܝܐ ܠܒܬܪ
ܦܚܡܘܗܝ ܠܨܚܚܗܘܢ. ܘܫܠܡܘܗ ܥܡܗ ܕܘܟ ܕܘܟ ܒܟܠܗ.

Res nota eſt quod etiamſi è Græco tranſtulerunt Armeni, tamen cum Syriaco poſtea contulerunt exemplar eorum, & illud ſingulis in locis concordare fecerunt.

17. Verſionem vero alteram quæ ex Græco Vet. Teſt. expreſſa eſt ſupra millenos annos factam eſſe ſupra ex Maſio oſtendimus, unde priorem illam longe antiquiorem fuiſſe credendum eſt. Imo quædam adhuc extant exemplaria Syriaca N. Teſt. ſupra millenos abhinc annos conſcripta, quod nuper ex literis viri doctiſſimi Florentiæ commorantis accepi, qui in Bibliotheca Ducis Florentiæ affirmat ſe vidiſſe plures libros Syriacos Nov. Teſt. MSS. quorum quidam illam ætatem ſuperant, et doctiſſ. Langium Danum, cum nuper Catalogum librorum MSS Orientalium hujus Bibliothecæ conficeret, hæc inter alia annotaſſe & ſcripta reliquiſſe I. *Scamno* 1. *cod. numero* 40. *Evangelia* 4. *Syriace ſine punctis vocalibus ante annos* 925. *ſcripta, nempe anno Alexandri* 1038. *i. juxta Epocham vulgarem Syrorum & Orientalium ad noſtrum computum deductam anno Chriſti* 727. *Initio habetur Harmonia Evangelica Euſebii Pamphili: liber eſt in folio pergamenus. Eodem Scamno cod. num.* 56. *Evangelia* 4. *Syriace literis capitalibus & ſine punctis vocalibus ſcripta ante annos* 1066. *anno nempe Alexandri* 807. *hoc eſt anno Chriſti* 586. *Habetur & in hoc codice Harmonia Evangelica Euſebii & Ammonii cum miniaturis (quæ etiam in codice ſuperiore ſunt) picturiſq; hiſtoriarum Vet. & Nov. Teſt. Hic codex vere ineſtimabilis eſt, ſcriptus nitidiſſime & optime conſervatus; unum tantum in principio folium deeſt. Eodem Scamno cod. num.* 38. *Evangelia* 4. *Syriace maxima antiquitatis, quippe iiſdem literis quibus prima ſcripta, ſed quia in fine deſunt quædam de ætate MS. nihil certo affirmare poſſum.* Hactenus Langius. Præterea ex lectionibus variis Keri & Ketib à Maſorethis annotatis plane conſtat ante illorum tempora confectam eſſe Vet. Teſt. verſionem, cum illas plane negligat hic Syrus interpres, & aliquando τὸ Keri aliquando τὸ Ketib ſequatur, prout in codice ſuo legerat, cum Judæi ſemper τὸ Keri legendum volunt. Contra hæc objiciunt quidam verba Syriaca quæ in Nov. Teſt. Græco exprimit Evangeliſta à Syriacis hujus verſionis differre, ut in μαμμωνᾶ & ܡܡܘܢܐ γολγωθᾶ ܓܓܘܠܬܐ &c. videmus. Unde aſſerunt ſcriptam eſſe hanc verſionem longiore poſt Apoſtolos intervallo, quo mutatio tanta linguæ Syriacæ fieri poſſet. Ad hoc ſupra reſponſum dedimus, viz. Verſionem hanc non ſcriptam fuiſſe dialecto Hieroſolymitana ſed Antiochena, unde hæc diverſitas oriri potuit. II. Objiciunt Bellar. De verbo Dei & alii nullam fieri hujus Verſionis mentionem apud antiquos Patres & ſcriptores Eccleſiaſticos qui in regionibus Orientalibus vixerunt, & ſcripta varia reliquerunt, & qui omnes Scripturæ Verſiones & Editiones diligenter conquiſiverunt. Ad hoc vero reſpondeo, eodem argumento probarent Targumim Chaldaica non circa Chriſti tempora extitiſſe quia eorum nullus veterum meminit, nec Origenes nec ipſe Hieronymus, ad quod argumentum ſupra reſpondimus; addo etiam veteres Scriptores Græcos & Latinos quorum monumenta ad nos venerunt Syriacam linguam ignoraſſe, nec multum neceſſariam duxiſſe linguarum Orientalium cognitionem. Hieronymum linguæ Syriacæ ignarum fuiſſe ex Gennadio refert Widmanſtadius, quod in Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum Jacobum Niſibenæ civitatis Epiſcopum, ſcriptorem Syrum egregium, prætermiſerit, quia ſcilicet in linguam Græcam nondum erat converſus, ut jam diximus. Obſervat tamen G. Amyra Præludio 4. ex Hieronymi Catalogo obſcuram fieri mentionem verſionis Syriacæ in eodem Catalogo cum de Ephremo Edeſſenæ Eccleſiæ Diacono dicit quod *ad tantam venit claritudinem ut poſt lectionem Scripturarum* (i. lingua Syriaca editarum) *publice in quibuſdam Eccleſiis ejus ſcripta* (ut nunc etiam, maxime apud Maronitas in Officiis divinis) *recitentur.* Quicquid vero ſit de hoc Hieronymi teſtimonio, certum eſt Syriacæ verſionis apud multos veterum Græcorum & Latinorum fieri mentionem. Baſilius magnus Hom. 1. in Hexam. ad Gen. 1. 2. ex Syro interprete vim vocis מרחפת exponit, quem locum ſupra adduximus. Ambroſ. Hexam. l. 1. c. 8. in eundem locum citat Syrum his Verbis, *Denique Syrus qui vicinus Hebræo eſt & ſermone conſonat & in pleriſque congruit ſic habet,* ET SPIRITUS DEI FOVEBAT AQUAS. Procopius in Exod 22. memorat Syrum vertiſſe *excutite, vacuifacite,* συσκεδάσατε. Theodoretus in cap. 3. Jonæ Syros codices citat, ut & in Pſal. 104, 113, 116. Chryſoſtomus in Pſal. 94. & Heb. 11. Syri codicis etiam meminit S. Auguſtinus De civitate Dei l. 15. c. 13. ubi ſcribit, errorem de annis Mathuſalem non omnes codices invaſiſſe, ſed quod in tribus Græcis, uno Syro, & uno Latino ipſe recte deſcriptos inveniſſet. Ad hæc ſæpiſſime τοῦ Σύρου mentionem habemus in antiquiſſimis Scholiis Græcis quæ ad editionem Romanam ut & noſtram LXX Interp. annotantur, ubi legi poſſunt, ut Gen. 4. 11. & 11. 3. Exod. 1. 13. Sæpe etiam in iiſdem Scholiis ex antiquis Scriptoribus citatur Syrus interpres, ex Diodoro Gen. 27. 29 & 32. 2. Euſebio Gen. 31. 7. Melitone Gen. 22. 13. aliiſque, quorum loca plura collegit vir doctiſſimus D. Hottingerus Analect. 2. p. 106. &c. In antiquiſſimo codice MS. Card. Barberini Prophetarum minorum, ad cujus marginem annotantur ex ipſis Hexaplis Origenis, omnibuſque verſionibus Græcis LXX Aq. Symm. Theod. &c. variæ lectiones, invenio mentionem τοῦ Σύρου in Hoſ. 11. 4. ut ex ipſis lectionibus variis ex MS. deſcriptis & in ult. Tomo noſtro impreſſis eſt videre. His etiam adjungere licet antiquos Scriptores Syros nec doctrina nec ſanctitate Græcis inferiores, ut Jacobum Syrum qui Concilio Nicæno interfuit, qui in textum Syrum varia edidit commentaria, & alterum illum (ut Greg. Nyſſen. in vita ejus) Magnum Ephremum qui univerſam S. Scripturam Syriace illuſtravit, & verſionis Simplicis ex Hebræo meminit, quorum monumenta apud Syros extare & notiſſima eſſe affirmat Amyra Prælud. ult. cum apud Occidentalem Eccleſ. nihil fere eorum habeatur. Tandem Theodoretus l. 5. De curand. Græc. affect. dicit ſuo ſeculo ſacros codices in omnes linguas traductos fuiſſe, quarum plures ibidem numerat. Omitto quæ antea adducta ſunt de duplice editione Syra ex Greg. Arab. Scriptore & ex Soadedo Epiſc. Hadethenſi, &c. Ex his plene ni fallor, conſtat quantum à vero aberrant qui aſſerere audent apud nullos Scriptores veteres verſionis Syriacæ mentionem ullam fieri.

3. De verſione Syriaca teſtatur Sionita, quod ut ſemper in ſumma veneratione & authoritate habita erat apud omnes populos qui Chaldaica ſive Syriaca utuntur lingua, ſic publice in omnibus eorum Eccleſiis antiquiſſimis, conſtitutis in Syria, Meſopotamia, Chaldæa, Ægypto, & denique in univerſis Orientis partibus diſperſis ac diſſeminatis accepta & lecta fuit. Nec tantum in hac lingua Scripturas legunt ſed & Liturgias & Officia divina celebrant, etiam iis in locis ubi lingua Syriaca hodie non eſt vernacula, licet ex Liturgiis ipſis & reſponſis populi longioribus ſatis conſtet Liturgias iſtas cum primo in uſu eſſe cœperunt vulgo notas & intellectas fuiſſe. Affirmat quidem Genebrardus fidenter ſatis Chron. l. 3. ad annum Chriſti 32. omnes Orientales ſacra ſua lingua Hebræa celebrare, cum tamen nec rationem ullam nec Scriptoris unius autoritatem qua aſſertionem ſuam roboret adducit, unde quam à vero aliena ſit hæc aſſertio ſatis conſtat, niſi per Hebræam intelligat Syriacam, vel Syro-Chaldæam, quam in Novo Teſtamento ſæpius per Hebraicam intelligi oſtendimus. Et licet ipſi daremus Apoſtolos qui, poſtquam Eccleſias plantarant, primas Liturgiarum formulas ſine dubio inſtituerunt, primam Liturgiam inter Judæos converſos in ipſorum lingua vulgari inſtituiſſe, hæc tamen, ut ex ſupradictis patet, non erat Hebræa pura, ſed Chaldaica vel Syriaca ex Chaldaica & Hebraica mixta & compoſita. Qui vero hac lingua ſacra ſua celebrant, ut à doctiſſ. Brerewoodo recenſentur, ſunt 1. Maronitæ in monte Libano, à Marone viro ſancto ita dicti, prout ex Præfatione ritualis libri Maronitarum liquet, qui Monaſterio ampliſſimo in monte Libano præpoſitus erat, non ab Hæretico Marone, prout affirmat Morinus lib. De Ordinationibus, Præfat. ad Ordinationes Maronitarum, & alibi. Habent iſti Maronitæ Patriarcham, qui ſedem Patriarchalem plerumque habet in monte Libano, aliquando in Tripoli; Scripturas vero & cultum publicum lingua Syriaca ſive Maronitica celebrant, etiam poſtquam Pontifici Romano reconciliati ſunt, & obedientiam ei præſtiterunt, lingua ſcilicet quæ olim omnibus Vulgaris erat, & adhuc in vicis quibuſdam & pagis per montem Libanum vernacula manet. Liturgias etiam habent Petri, Jacobi & Xyſti teſte Poſſevino Appar. Sacr. verbo Maronit. II. Neſtoriani à Neſtorio Hereſiarcha olim dicti, cujus tamen Hæreſes hodie ejuraſſe videntur, qui magnam partem Orientis (licet cum Muhammedanis & paganis mixti) hodie occupant: nam præter regiones Babyloniæ, Aſſyriæ, Meſopotamiæ, Parthiæ & Mediæ in quibus frequentes degunt, etiam longe lateque ex parte Septentrionali ad Cathaiam, & ex Auſtrali Indos verſus propagantur. Patriarcham habent in urbe Muzal ad ripas Tigridis in Meſopotamia. III. Jacobitæ dicti à Jacobo Syro, qui magnus erat Eutychianorum hæreſis propugnator circa annum Chriſti 530. cujus ſectatores multi hodie conſpiciuntur in Syriam, Cyprum, Moſopotamiam, Babyloniam, Palæſtinam diſperſi. Patriarcham habent, poſtquam ab Antiochena juriſdictione ſe ſubduxerunt, cujus ſedes eſt in urbe Caramit, antiqua Meſopotamiæ metropoli, qui ſe Patriarcham Antiochenum vocat. Antiquam

vero Eutychis hæreſin de una in Chriſto natura abjecerunt, ut de iis teſtatur Vitriacus Hiſt. Orient. cap. 76. & ex confeſſionibus ipſorum, & in Bibliotheca Patrum liquet. Ab his miſſus erat Moſes ille Meridinæus qui Syriacum Teſtamentum, typis impreſſum Viennæ, ſecum reportavit; ipſorumque Liturgiam habemus ex Syriaca in Latinam converſam opera Andr. Maſii, quæ in Bibliotheca Patrum ſub nomine Anaphoræ Baſilii habetur. IV. Copti vel Coptitæ (qui in religione Jacobitæ) per Ægyptum in ſacris linguam Syriacam uſurpant, teſte Botero & aliis. Poſt lectum vero Evangelium lingua Syriaca legunt idem Arabica, quæ hodie ipſis facta eſt vernacula. Liturgiam vero habent Severi Patriarchæ Alexandrini quæ ex Syriaca verſa eſt per Fabricium Boderianum. Patriarcham Alexandrinum agnoſcunt, cujus ſedes eſt Cayri. V. Indi ſive S. Thomæ Chriſtiani, cujus prædicatione ad fidem dicuntur converſi: qui olim Patriarchæ Mozal in Eccleſiaſticis ſubditi erant, poſtea ſuaſu Portugallenſium Pontifici Romano ſe ſubjecerunt, quem hodie agnoſcunt, retentis antiquis ritibus & dogmatibus, poſtea vero etiam Romanos ritus ita amplexi ſunt ut Liturgiam à Neſtorianiſmo repurgatam adhuc in lingua Syriaca retineant, ut teſtantur Poſſevinus, Oſorius, &c. Et ex ipſa Liturgia liquet, quæ in Bibliotheca Patrum habetur, quæ ex lingua Syriaca in Latinam verſa eſſe ibidem affirmatur. VI. Hiſce tandem addendi Chriſtiani qui inſulam Zocotoram extra ſinum Arabicum inhabitant: utrum Jacobitæ ſint an Neſtoriani variant autores; hoc tamen certum eſt, ipſos obedientiam deferre Patriarchæ Mozal & cultum publicum habere lingua Chaldaica vel Syriaca. Ex hoc calculo liquet præcipuas per totum Orientem Chriſtianorum Eccleſias, longe lateque propagatas, Scripturas & officia ſacra lingua Syriaca legere & celebrare, unde magna utilitas linguæ hujus emergit, cum tot tantæque Eccleſiæ olim florentes, hodie vero ſub Muhammedanorum tyrannide gementes, per totum Orientem hanc linguam in ſacris retineant. Etſi vero olim in Hæreſes miſere prolapſi ſe à reliquis Eccleſiæ Catholicæ membris ſepararunt, unde juſto Dei judicio ſub Infidelium jugo oppreſſi ſerviunt, qui ipſis dominantur, ex continuis tamen calamitatibus edocti & ſapientiores redditi, (eſt enim Schola Crucis Scola Lucis) tandem eorum miſertus Deus miſericordiarum pater eos ad rectam fidem ſanamque mentem rejectis antiquis erroribus reduxit, ut ex eorum confeſſionibus per Maſium ex Syriaca expreſſis, in Bibliotheca Patrum, cuique patet. Idem etiam ex Confeſſionibus Coptitarum, Indorum, reliquorumque Orientalium, Abyſſinorum, Armenorum quæ apud Baronium, Damianum à Goes, Poſſevinum & alios extant, omnibus eſt videre.

Tandem ad uſum linguæ Syriacæ deventum eſt ejuſque utilitatem, quæ ſane magna eſt; cum in hac antiquiſſimæ Bibliorum verſiones extent, & tot Eccleſiarum Orientalium, quæ Europæas numero æquant, ſi non ſuperant, ſacra celebrentur, ipſorumque ſcripta & commentaria in hac lingua exarata ſint.

I. Quod ſupra de Judæorum Paraphraſibus Chaldaicis diximus, multo magis de Chaldaica ſive Syriaca Chriſtianorum verſione dicendum, maxime de antiqua ſive ſimplice: ut in ſpeculo faciem nativam textuum Originalium ſine fuco oſtendit, ſic eorundem integritatem teſtimonio ſuo confirmat: Hebræum enim & Græcum κατὰ πόδα plerumque ſequitur, quos magis exacte refert quam ulla ex vetuſtis tranſlationibus: Ex hac enim Verſione nullo negotio vanitas ſententiæ eorum luce clarius oſtenditur qui textus Originales corruptos eſſe clamitant, ita ut pro regula fidei & verſionum norma haberi non poſſint. Conſultantur loca in quibus Hebræum V. & Græcum Nov. Teſtamenti corruptos eſſe ſcribunt, & clare apparebit ex hac Verſione ita lectum eſſe in Hebræis & Græcis codicibus Apoſtolorum temporibus, vel cum facta fuit hæc Verſio, prout nos hodie legimus, (quod facile cuivis conſtare poſſet qui Biblia noſtra legit, & textum cum verſione hac conferet) Fruſtra D. Morinus. probare nititur poſt Chriſti & Apoſtolorum tempora ante & Hieronymum Hebraicos codices corruptos fuiſſe, cum contrarium ex hac verſione liquido conſtet. Generaliter enim cum Heb. convenit, etiam ubi Vulg. Lat. vel aliæ Verſiones ab Heb. diſcrepant, ut Gen. 3. 15. & 11. 12. Deut. 23. 17, 18. & 32. 42. aliiſque locis pluribus. Quod plane oſtendit Hebraicos codices ita olim habuiſſe cum facta erat hæc verſio, etſi fortaſſe cum factæ erant verſiones LXX vel Targumica, quidam codices, quos ſecuti ſunt iſtarum verſionum autores, aliter in iſtis locis legerunt. Imo ubi Judæi, (cum textus ob ambiguitatem varie legi poſſet) eam ſecuti ſunt lectionem quæ Chriſtianis minus favebat, oſtendi poteſt ex hac verſione olim Hebraicos codices ſenſu plane Chriſtiano omnes legiſſe, ut in celebri illo loco, de quo ſæpius diximus, Pſal. 22. 17. ubi contendunt Judæi legendum eſſe כארי lectum fuiſſe olim כארו conſtat ex Syro, qui vertit ܒܙܥܘ *foderunt*. Cum vero ab Hebræo differt Syrus, cum aliis antiquis Verſionibus convenit, ut Gen. 4. 8. convenit Syriaca cum Samaritana, Græca & Vulg. Lat. Exod. 12. 40. cum Græca, Samar. & Arab. Deut. 27. ult. cum Samar. Gen. 6 3. & 8. 7. cum Vulg. Lat. &c. Hæc vero, ut ſupra diximus, cum aliis Verſionibus harmonia non arguit Hebraici textus depravationem vel corruptionem, prout arguunt Epicurei & Athei, ſed variantem tantum codicum antiquorum lectionem, viz. Interpretes illos aliter legiſſe in codicibus quos ſecuti ſunt, idque in rebus levioribus quæ ad fidem & mores non ſpectant, quam legunt codices Hebræi hodierni, de quo ſupra plene diſſeruimus, varias vero codicum lectiones tam in Hebraicis quam Græcis voluminibus nemo eſt qui hodie negat, licet de numero variarum lectionum præſertim in Hebræo aliqua ſit controverſia; ut ex iis quæ ſuperius à nobis dicta ſunt plane apparet.

II. Ut textuum Originalium veſtigiis preſſius inſiſtit Syrus interpres quam Verſiones aliæ, ſic ob linguæ affinitatem Hebræam magis emphatice & proprie exprimit. Habet enim Hebraica lingua præ aliis (ut in Prolegom. De lingua Hebraica oſtenſum eſt) idiotiſmos, proprietates & emphaſes ſuas, quas vix ulla alia plene exprimere & aſſequi poteſt; Syriaca vero vel Chaldaica præ aliis propius ad Hebræam accedit, ita ut à quibuſdam tantum dialecto differre dicantur, Hoc agnovit Baſilius Hexam. in verba Gen. 1. 2. *Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas*, ubi Syrus ut Hebr. vocem מְרַחֶפֶת exprimeret, eandem vocem forma Syriaca ܡܪܚܦܐ retinuit, i. *incubabat* ſive *fovebat* ut avis ſupra pullos. Gen. 2. 7. Hebræum וייצר *plaſmavit*, viz. ut figulus lutum fingit, exprimit per ܓܒܠ ejuſdem ſignificationis. Lev. 19. 26. Hebr. לא תנחשו *ne auguremini* Syrus emphatice exprimit cum vertit ܠܐ ܬܢܚܫܘܢ ܒܦܪܚܬܐ ܕܓܦܐ *ne auguremini per avem alatam* ſive *aves*, quia per aves divinare eſt augurii ſpecies. Num. 5 18. Hebr. מים המאררים *aquæ maledicentes*; Syrus uſum iſtarum aquarum explicat dum vertit ܡܝܐ ܕܒܘܩܝܐ *aquæ ſcrutatrices*, &c. Non negandum tamen aliquando in verſione Syriaca verba quædam deficere, ut Lev. 11. 10. Num. 9. 6. aliquando redundare, ut Gen. 34. 15. Exod. 9. 28. Levit. 10. 1. illud fit ex librarii plerunque errore, hoc explanationis gratia paraphraſtice.

N. Teſtamentum, quod Græco idiomate ſcriptum à viris quibus Syriacum erat vernaculum, Syriaſmum paſſim ſapit. Unde & Lud. de Dieu Præf. in Harm. trium linguarum affirmat Phraſium quæ paſſim in Novo Teſtamento occurrunt verum ſenſum vix aliunde quam ex Syriaco petendum eſſe. Phraſin enim Evangeliſtarum & Apoſtolorum Græcam eſſe nemo dixerit: & facilius foret Europæis Platonis & Ariſtotelis elegantiam imitari; quam Platoni & Ariſtoteli Novum Teſtamentum nobis interpretari; quia ſcilicet ſancti viri Syriace conceperunt quæ Græce ſcripſerunt, & linguæ vernaculæ emphaſin peregrinis verbis indiderunt. Unde illud Georg. Amyræ ex Widmanſtadio, Palæſtinum illud dicendi genus in ſacris libris quacunque lingua promulgatis implicatum inſidet, ut Marcus Evangeliſta non magis Latine, vel Johannes & Lucas Græce ſcripſiſſe, quam vel P. Terentius Afer Comœdias ad Punicæ, vel Judæus Philo ſcripta ſua ad Hebraicæ dictionis normam direxiſſe videantur. Præterea multa ſunt verba pure Syriaca in Novo Teſtamento Græc. & Lat. relicta quæ ſine Syriacæ cognitione explicari non poſſunt, ut Matth. 5. ܪܩܐ *raka*, de cujus ſignificatione laborant interpretes linguæ Syriacæ ignari, cum apud Syros ܪܩܐ idem ſit quod *homo vilis*, *contemptus*, *abjectus*, Math 6. ܡܡܘܢܐ *divitiæ*, c. 16. 17. ܒܪ ܝܘܢܐ *filius columbæ*. Marc. 7. 11. ܩܘܪܒܢܐ *oblatio*. Matth. 27. 46. ܫܒܩܬܢܝ *deſeruiſti me*. Marc. 3. 17. ܒܢܝ ܪܓܫܝ *filii tonitrui*. Marc. 5. 41. ܛܠܝܬܐ ܩܘܡܝ *puella ſurge*. Act. 1. 19. ܚܩܠ ܕܡܐ ἀκέλδαμα *ager ſanguinis*. Plura talia occurrunt Act 5. 1. & 9. 36. Joh. 1. 47. 1 Cor. 16. 22, & alibi. Imo nomen Domini noſtri Ἰησοῦς Syriacum eſt ܝܫܘܥ σωτὴρ, & nomen Meſſias quod Græci & Latini retinent eſt Syriacum ܡܫܝܚܐ *unctus* à ܡܫܚ *ungere*. Maximam itaque utilitatem hujus linguæ ex antiquiſſimis hiſce Verſionibus colligimus, quia cum ipſi N. Fœderis Scriptores hac lingua ſibi vernacula primum Judæis & aliis circumvicinis populis cœleſtia oracula promulgarint, & poſtea Græco idiomate conſcripſerint, Syriaſmi tamen guſtum ubique retinent. Imo ipſi Domino & Salvatori vernacula erat, quam una cum lacte materno ſuxit, in qua voluntatem Dei & expreſſa vitæ æternæ promiſſa unigenitus Dei filius orbi revelavit. Hanc ſacro ore conſecravit, in hac doctrinam Evangelicam tradidit, in hac Preces ad Patrem obtulit, myſteria mundo abſcondita aperuit, Patris de cœlo vocem audivit, ita ut dicere poſſimus

Lingua hominum eſt lingua nobilitata Dei.

Et ut quidam cecinit de Syro lexicographo.

Nos docet hic unus Numinis ore loqui.

His accedit quod doctorum lingua inter Chriſtianos per totum fere Orientem ſit, ut ex Liturgiis & Officiis divinis conſtat, quæ, ut diximus, in hac lingua ubique fere peraguntur. Etſi vero hodie paucis circa montem Libanum oppidis vernacula ſit, olim tamen antequam Muhammedana impietas Orientem invaſerat, locis plurimis in uſu populari fuit. Poſt Muhammedem quidem lingua Arabica in qua ſuperſtitionem ſuam exaravit, per ejus propagationem & Muhammedanorum victorias in locum Syriacæ aliarumque linguarum vernacularum introducta eſt, ut jam dicemus, ita tamen ut Syriacam prorſus eradicare non potuerit, ſed ſacra adhuc in hac celebrentur. Præter hæc multa Veterum ſcripta in ſcripturam Commentaria in hac lingua extant, ut magni Ephremi, Jacobi Syri aliorumque, quæ partim edita ſunt partim in Bibliothecis deliteſcunt, teſte Poſſevino in Appar. Georg. Amyra, Widmanſtadio & aliis, nec tantum ad Theologiam ſed ad Philoſophiam, Mathematicam, Hiſtoriam omniumque artium & Scientiarum libros evolvendos plurimum conferre hujus linguæ ſcientiam apud ejus peritos ita liquido conſtat ut non neceſſarium ſit de ea plura adjicere.

De Lingua Arabica, & Scripturæ Verſionibus Arabicis.

PROLEG. XIV.

1. *De Arabia Regione.* 2. *De lingua Arabica.* 3. *Ejus antiquitas. Quam antiqui Arabum Characteres. Muhammedes literas ignoravit.* 4. *Lingua Arab. amplitudo.* 5. *Elegantia.* 6. *Copia, Emphaſis, addiſcendi facilitas.* 7. *Utilitas ad explicationem vocum Hebraicarum.* 8. *Ad ritus & ceremonias in Scripturis intelligendos.* 9, 10. *In Theologia.* 11. *Ad errores Muhammedanorum refutandos.* 12. *In aliis ſcientiis & facultatibus.* 13. *In Geographia, Hiſtoria, Poeſi, Peregrinationibus.* 14. *De Academiis & Bibliothecis Arabum, librorum copia, &c.* 15. *De Scripturæ Verſionibus Arabicis. Saadiæ totius Vet. Teſt.* 16. *De Pentateucho Maurorum per Erpenium edito. Et D. Pocockii exemplari Arab. lib. Regum.* 17. *De Verſionibus Arabicis Chriſtianorum, totius Scripturæ. De ea quæ extat in Bibliis Pariſianis. Non eſſe eandem quæ Hieronymi temporibus extitit.* 18. *Duplicem fuiſſe Verſionem apud Chriſtianos Arabicam. Unam Antiochenam ſive Syriacam, alteram Alexandrinam ſive Ægyptiacam.* 19. *De aliis Verſionibus Pentateuchi.* 20. *De Verſionibus Pſalmorum.* 21. *De MS. Arab. Prophetarum Seldeniano.* 22. *De Verſionibus Arab. Evangeliorum.* 23. *De reliquorum librorum Novi Teſt. Verſ. Arab.*

1. ARabiam nobilem Aſiæ partem ſinu Perſico, mari Rubro & Indico fere circumſeptam eſſe, niſi quod ejus pars Syriæ contigua eam Aſiæ connectit, ex Geographia notum eſt. Olim Sabæa dicta à Sabi Chuſi filio Chami nepote, ut quibuſdam videtur. Alii probabilius à Seba vel Saba filio Joctanis vel Jectanis filii Heber, Schemi pronepotis, Sabæorum, qui poſtea Arabes dicti, originem ducunt, inter quos doctiſſ. Bochartus, Geogr. Sacr. l. 1. c. 15, 26. 30. ubi fuſe oſtendit contra veteres, qui ſtatuunt Jectanis poſteros ſedes habuiſſe circa Cophetem amnem Indiæ, eorum pleroſque in Arabiæ Felicis vel Aromatiferæ interiora ſeceſſum feciſſe ibique habitaſſe, id quod ex hiſt. Sacr. Gen. 10. clare demonſtratur. Dicit enim Moſes eos habitaſſe *à Meſa quà venis Sephar montem Orientis.* Meſa autem vel Muſa erat portus celeberrimus ad mare Rubrum, unde iter erat ad Sepharitas populos interioris Arabiæ, & Saphar erat eorum metropolis, ut ex Ptolemæi Tab. & Plinio l. 6 c. 23. patet. Inter eos conſtat Sabæos metropolim habuiſſe, nomine Saba vel Seba, ut Diodorus, Ptolemæus, aliique Scriptores antiquiſſimi tradunt, eandemque eſſe quam ab eo nomine vocant Strabo l. 16. Plin. &c. Mariaba vel Meriaba, quod à verbo רבה *rabba dominari* deducitur, unde nomen מרב quaſi dominorum ſedes ſive metropolis, prout & Saba ex Arab. שבא vel سبا vel سبو derivatur, quod *eminere* ſignificat, quia tum ſitu tum potentia & dignitate cæteris anteibant Sabæi. Unde à Geographo Arabe Clim. 2. part. 6. *Jactantia & ſuperbia dicuntur Arabes alios excellere.* Hæc urbs, quæ non multo poſt Diluvium condita putatur à Saba Jectanis filio, aquis ſubmerſa eſt ex rupto aggere quem in medio civitatis extruxerunt, altum viginti ulnas, ad aquas excipiendas ut in regionem vicinam derivare poſſent ad libitum, unde incolas omnes, qui Homeritæ dicti, & cæteris omnibus ſuperbiores erant, demerſos, urbemque everſam narrat ibidem Geographus Arabs Nubienſis. Hic regnavit Regina illa quæ à longinquo venerat ad audiendam ſapientiam Salomonis. Reges enim ſuos & Reginas ſemper habuerunt, nunquam aliorum jugo ſubditi, nec ab iis qui orbi dominabantur ſuperati, adeo ut fœdera cum Romanis tanquam ſociis inierint, ipſos nunquam ut Dominos agnoſcebant. Dividitur communiter in tres partes, Felicem, ubi aurum, gemmæ & aromata, Petræam, & Deſertam. Ipſi in 5 diſpeſcunt, Titianam, Nagiedam, Higiazam, Aroudam & Jamanam, de quibus non eſt hujus loci dicere. Arabes dicti ab Arabia, hæc vero à regione in qua ſolitudines vaſtæ & campeſtria multa, quod Hebraicum ערב ſignificat. Saraceni vero dicti non à *Sarah*, quod ab omnibus rejectum, nec à سرق *ſarak furari*; quia furaces, ut communis eſt opinio, quaſi hoc nomine infamiam ſibi crearent, ſed ut multis oſtendit Cl. Pocockius Specim. Arab. pag. 2, 3. à شرقي *Sharkion oriens*, quia Arabes Orientales erant, præſertim Judæis. Unde Arabes Jer. 49. 28. בני קדם *filii Orientis.* Ut vero Sabæi & alii Jectanis poſteri qui Amanitæ vel Homeritæ dicti, interioris Arabiæ partem, ſic Septentrionalem, quam *Deſertam* vocant, incolebant cum aliis Iſmaelitæ, ab Iſmaele Abrahami filio orti, qui & ab Hagar ejus ancilla Agareni vocantur, qui poſtquam Arabum linguam didicerant, nomen commune cum reliquis Jectanis poſteris habuerunt, ita tamen ut hi ſe genuinos Arabes haberi velint عرب عربة quaſi naturales & natos, reliquos vocarint عرب مستعربة vel عرب متعربة Arabes factos, ut & de Judæis legimus Eſth. 8. 17 quoſdam Judæos factos qui veris Judæis opponuntur.

2. Poſt linguarum diviſionem per multa ſecula intra Arabiæ terminos delituit & concluſa eſt Arabum lingua, pura tamen & ſine aliarum mixtura per annos prope ter mille. Poſtea vero circa annum Chriſti 600. intra anguſtos iſtos limites coarctari dedignata ampliores ſedes nacta eſt, cum paucis annis tertiam fere orbis veteris partem pervaſerit, exorto impoſtore illo Muhammede, cujus doctrina, in Korano lingua ſibi vernacula conſignata, paulo pòſt totum invaſit Orientem & Occidentis partem: hinc una cum religione & imperio Muhammedanorum longe lateque lingua Arabica in univerſam fere Aſiam, magnam Africæ & Europæ partem propagata fuit, nulla poſt confuſionem Babylonicam tantum terrarum tractum occupante. Nam ſpacio 60 ann. à Chriſtianis eripuerunt Palæſtinam, Syriam, Armeniam utramque, Aſiam minorem, Perſiam, Indiam, Ægyptum, Numidiam, Barbariam, Luſitaniam, Hiſpaniam, Italiæ partem, Siciliam, Candiam, Cyprum, &c.

3. Hanc Linguam vero commendant Antiquitas, Amplitudo, Elegantia cum addiſcendi facilitate & utilitate maxima. Inter antiquiſſimas merito refertur, utpote ex matricibus una, quæ poſt cladem Babylonicam, poſt tot ſeculorum decurſus, ſalva & incorrupta permanſit. Cum enim unicuique genti in rebus ſuis, niſi contrarium oſtendi poteſt, credendum ſit, Arabum ſcriptores celeberrimi originem ſuam ad Jectanem Heberi filium referunt, quos producit doctiſſ. Bochartus part. 1. l. 2. c. 15. unde linguam ſuam aliunde non habuiſſe, ſed à Jectane ſine mutatione continuatam, credendum eſt, præſertim cum mixturam nullam aliarum Gentium cum ipſis factam tradant Hiſtoriæ, nec ab aliis victis victorum linguam addiſcere coacti ſint; quas cauſas eſſe potiſſimas mutationis linguarum docet experientia. Cum Hebræa etiam affinitas plane indicat ab ipſa ortam fuiſſe poſt linguarum diviſionem. Unde Geſnerus in Mithrid. pag. 93. excepta Hebraica & Chaldaica omnibus antiquiorem facit. Et Joſeph. Scaliger Epiſt. ad Hubertum Arabiſmum priſcum adhuc conſervatum eſſe ſcribit, nec magis differre, Arabiſmum vernaculum à priſco, quam Pictoniſmum ab aulicorum Gallorum ſermone. Quod vero de linguæ Arabicæ antiquitate dixi, nolo de eorum literis & ſcriptura intelligi, quas multo recentiores eſſe oſtendit D. Pocock in notis ad Specim. Arab. pag. 154. 155, 156. Dialectos etiam inter eos plures fuiſſe probat pag. 150. diverſa enim erat lingua qua locuti Hamyai & Arabes puri ab illa qua uſi Koraiſhitæ, & in qua conſcriptus eſt Alcoranus, qua locutum eſſe Iſmaelem primùm volunt. Idem D. Pocockius etiam monet p. 153. quod de lingua tam late patente periiſſe aliquid nemo mirabitur qui quam nuperum ſit apud illos ſcribendi inventum perpenderit, cujus primum inventorem ex Hiſtorico Ebn Chalican oſtendit fuiſſe Moramerum filium Moræ Aubarienſis, quod non multum ante ortum Muhammedanis contigit: Hoc vero intelligendum de Koraiſhitis aliiſque Iſmaemitarum tribubus, cum apud Hymarienſes in confeſſo ſit antea notam fuiſſe artem ſcribendi, characteres vero erant multum ab iis quibus Arabes utuntur diverſi, quod genus ſcripturæ المسند *Almoſnad* dixere, literis inter ſe implexis minimeque diſtinctis, quas vulgo diſcere non permittebant, nec cuipiam niſi poſt impetratam veniam iis uti. Scribit idem Ebn Chalecan cum primo evulgari cœperit Alcoranus non repertum in univerſa regione Yamani qui Arabice ſcribendi vel legendi peritus erat. Unde & Shareſtanus celebris apud ipſos autor ſcribit ante Muhammedem duas ſectas fuiſſe; *Populum libri*, qui literas norunt, viz. Chriſtianos & Judæos, qui Medinam incolebant, & *Idiotas*, qui Meccam habitarunt & literas ignorarunt. Ipſum vero Muhammedem fuiſſe tum ſcribendi tum legendi ignarum omnes ſtatuunt, unde ipſum vocant نبيا اميا *Nabeyan Ommian.* i. *Prophetam illiteratum*, pag. 156. Characteres vero à Moramero excogitati, & diu apud Arabes retenti, erant valde rudes, quales *Kufienſes* vocant, quos in librorum titulis & lapidibus inſculptos videre eſt: nec aliis deſcriptum olim Alcoranum teſtantur folia aliqua antiqua literis ſemiuncialibus in pergameno exarata, quæ doctiſſimus J. Gravius ex Ægypto ſecum attulit. Elegantiores iſtos quibus jam utuntur non niſi trecentis annis fere poſt Muhammedem ab Ebn Mulka concinnatos; deinde ab Ali Abu Bonah ad perfectionem perductos, teſtatur Hiſtoricus fide dignus Ebn Chalecan. Quod vero ſarta tecta ſervata ſit hæc lingua Poeſi Arab. aſcribit idem doctiſſ. Pocockius, quod late probat ex eorum Scriptoribus. Fuerunt enim poemata eorum Arabibus Pandectæ, ultimus ſapientiæ eorum terminus, *&c.* Sane ut apud Cambro-Britannos Bardi, apud Gallos & Britannos Druides ante literarum uſum omnia antiqua Gentis monumenta carminibus tradidere, ita Poetæ apud Arabes, ut & apud Græcos, omnem eorum Theologiam & literaturam poſteris traduxerunt. Nam inter cæteras Poeſeos laudes hoc ponunt, quod linguæ conſervatio & ſermonis proprietas & elegantia ei debeatur. Unde poemata Arabibus Commentariorum vice, quorum beneficio imperturbata ſervabatur Genealogiarum ſeries, ne oblivioni traderentur res geſtæ memoria dignæ, & è quibus linguæ peritia hauriebatur, ut ex Ibn Phares apud Jollalodinum idem refert Pocockius Not. pag. 158. Antiquitatem etiam probat ipſa ſcriptura Vet. Teſt. quæ omnes qui extant libros antiquitate ſuperat, in qua multæ voces Arabicæ repertæ, (ut poſtea oſtendemus) præſertim in libris Poeticis, & inter hos in omnium antiquiſſimo Job, cujus hiſtoriam plerique ad tempora Moſis referunt, de quo teſtatur Hieronymus præf. ad Danielem, quod plurimam habet cum lingua Arabica ſocietatem, unde Præf. in Job ſcribit, *Tranſlationem ſuam nullum ex veteribus ſequi interpretem; ſed ex ipſo Hebraico & Arabico ſermone, & interdum Syro, nunc verba, nunc ſenſum, nunc utrumque reſonare.*

4. Amplitudinem quod attinet, extra anni ſoliſque vias ſuper Garamantas & Indos protulit imperium, ut obſervat Erpenius. Per immenſos enim terrarum tractus ita propagata eſt, ut hodie fere extremos Orientis & Occidentis terminos conjungat. Ubicunque enim Muhammedana ſuperſtitio pervenit, vel Muhammedanorum arma victricia gentes ſubjugarunt ibi lingua Arabica vel paulatim vernacula facta eſt, linguam nativam obliterando, vel pro doctorum lingua habita eſt, cum ſuum Alcoranum in alias linguas tranferri nefas putant Muhammedani, ne ſcilicet profanetur. Unde & preces & officia publica Arabice legunt, & in eadem jura reddunt provinciarum rectores. Habeo tamen Alcorani exemplar nitide deſcriptum cum verſione interlineari Perſica minio deſcripta, à Muhammedano proculdubio facta. Fortaſſe enim Perſæ, qui à Turcis pro Hæreticis habiti, in hoc à majorum inſtitutis receſſerunt. Hinc omnium linguarum latiſſime propagata Græcam (quæ olim (ut hodie Sclavonica vel Illyrica) per Græcorum arma & artes terrarum magnam partem occupavit) multum ſuperat; & non tantum per Anatoliam (licet cum Græca & Sclavonica permixta) & Armeniam, ſed & in partibus Orientalibus Ciliciæ ultra fluvium Pyramum, ut & in Syria, Meſopotamia, Palæſtina, Arabia, Ægypto, & inde per Afri-

cam ab Ægypto ad fretum Gaditanum, per totam Barbariam & per omnes terras quæ inter mare Mediterraneum & montem Atlantem interjacent (exceptis Maroccenſibus & quibuſdam in partibus interioribus incolis veteribus Africanis) facta eſt vulgaris & vernacula, aliquantum tamen corrupta & Dialectis varia, teſte doctiſs. Breerwoodo. Imo in Perſia & regno magni Mogul, Indiæ variis Provinciis, apud Japonenſes item, Chinenſes, Tartaros, Abyſſinos, omneſque fere inſulas Orientis, radices altas figit; ita ut, quod olim de Latina reſpectu Græcæ dictum erat, idem de Græca aliiſque omnibus præ Arabica dici poſſit, anguſtis limitibus comprehenſas eſſe; & iis curtam eſſe ſupellectilem. Ubi vernacula non eſt, in Scholis ut Latina & Græca apud nos à pueris addiſcitur, & pro eruditorum lingua habetur; nec tantum Chriſtiani qui inter Muhammedanos diſperſi vivunt, ſed & Judæi Samaritani & Pagani hac lingua utuntur. In hanc Scripturam ſacram tranſtulerunt tam Judæi quam Chriſtiani, & teſte Scaligero Epiſt. ad Hubertum 362. Syri Maronitæ Liturgias ſuas & Diurnalia duplici lingua legunt, Syriaca vetuſtiſſima & Arabica, quia Syriacam non niſi docti intelligunt, Arabicam vero habent vernaculam.

5. Elegantiam linguæ in verborum apta ſignificatione, copia, ſuavitate orationis elucere docet Erpenius Orat. 1. De lingua Arab. Gab. Sionita de moribus Orientalium cap. 13. & alii, quibus addere licet puritatem ab alienis mixturis liberam. Verborum copia tanta eſt ut & Græcam & Latinam ſuperet, quæ inopes præ hac videri poſſunt. Scribit Joſ. Scaliger Epiſt. dicta, Lexicon domeſticum à ſe compoſitum fuiſſe ex autoribus Arabicis quod ex viginti millibus vocum conſtabat, quarum radicales non poſſunt eſſe pauciores octo millibus, quem tamen numerum multo excedunt Lexica Arabica poſt Scaligerum edita Giggæi & Clariſs. Golii. Imo ipſe Scaliger Epiſt. 275. quæ eſt ad Martinum Lydium ſcribit ſe ex Arabicis autoribus collegiſſe 22000. vocabula, quorum themata ad minimum ſunt 4000, & addit, *Et cum hac copia quam inopes ſimus nos non fugit.* Cl. Pocockius etiam in dictis Notis p. 133. dicit Arabes immenſam ſuæ linguæ latitudinem prædicare, quam tantam eſſe volunt ut nullus niſi Spiritu Prophetico illuſtratus univerſum ejus ambitum comprehendat, nec quiſquam eò unquam pervenerit, ut omnes ejus theſauros exhauriret.

6. Tanta copia alias linguas ſuperat ut unius rei appellationes variæ earumque explicationes voluminis integri materiam præbeant. Leonis nomina habent quingenta, Serpentis ducenta, mellis 80. de quibus integrum libellum ſcipſit Firauzabadius. Enſis vero appellationes teſtatur idem eſſe ſupra mille, quas in libro à ſe compoſito enumeravit. Emphaſis vero & apta vocum ſignificatio, rerum ipſarum naturam plene exprimentes, phraſes porro & formulæ tanta gratia & venuſtate pollent, ut Græcorum χάριτες cum his collatæ ἀχάριτες, & Latinorum gratiæ ingratæ videri poſſint. In hac tamen copia vocum compoſitionem non agnoſcit; omnia tamen linguarum aliarum compoſita plene exprimit; maxima conjugationum varietate, quibus ſignificationis vis multum variatur. Facilitas vero tanta eſt, teſte eodem Erpenio, (qui inter inſtauratores hujus linguæ in Europa merito primas tenet) ut ſi quis quotidie paucas horas ei impenderit, inter 4 vel 5 ſeptimanas linguæ fundamenta addiſcere poſſit, & brevi laudabiles progreſſus faciet: multo enim faciliorem vult eſſe Græca vel Latina, etiam Hebraica, cujus difficultates & anomalias & punctorum mutationes fere ignorat. Unde vix tot voces irregulares in univerſa hac lingua habentur quot in unico Vet. Teſt. libro. Adeò enim regularis eſt ut regulas habeat pleraſque tales, quæ omnium linguarum pauciſſimas habent exceptiones. Imo facilitas tanta ut ſine Magiſtro addiſci poſſit, Scaliger Epiſt. 361. ad Steph. Ubertum, *Quod unicum ſupererat mihi profugium eo uſus ſum, ut meipſo Magiſtro uterer, quandoquidem meliorem nanciſci non potui.* Idem habet Epiſt. 362. De his vero qui plura ſcire deſiderat, legat Erpenium alioſque qui hæc latius proſecuti ſunt. Accedimus ad utilitatem quæ ad ſcopum noſtrum maxime facit.

7. Utilitates longe maximæ ex multis conſpiciuntur, quæ apud Erpenium Orat. 1, & 2 De lingua Arab. præcipue vero apud Cl. Hottingerum in Analect. Diſſert. 2. de Heptapl. Pariſienſ. & Diſſert. 6. de uſu linguæ Arab. & D. Pocock. Specim. Hiſt. Arab. & alios fuſe recenſentur. Nos ſumma rerum capita perſtringemus. I. Etſi abſque cognitione linguæ Hebrææ, ut quibuſdam placet, Arabica addiſci poſſit, nemo tamen Hebrææ perfectionem ſine Arabica aſſequi poteſt, cum multæ voces in Scriptura Vet. reperiantur, quæ ab Arabicis lucem accipiunt, in quibus eædem radices. Lingua vero Hebræa licet olim vocabulis magis numeroſa, mutila tamen & exigua ſua parte in Vet. Teſt. tantum hodie extat, unde ex Arabica, quam integram habemus, ſuppleri & explicari debet. Multæ etiam radices Hebraicæ communes ſunt cum Arabicis; & vocabula Hebraica quæ ſemel vel bis occurrunt in Vet. Teſt. ex conſuetudine ſermonis Arabici exponenda eſſe ſtatuit inter alios Aben Ezra Comment in Cant canticorum, Unde ex Hebræorum ſcriptis conſtat (ut vere obſervavit Cl. Bochartus) quod Rabbini, cum iis aqua hæret, ad hanc linguam ut ad ſacram anchoram confugiant, & felicius textum Hebr. explicaſſent ſi Arabicæ peritiores fuiſſent. Hinc illud Kimchi Præfat. in lib. Rad. *apud Magiſtros habetur quod linguam didicerint ex lingua,* quod explicat de Hebraicarum vocum quarundam intelligentia ex Arabiſmo, ut Pſal. 54. 23. projice יהבך *onus tuum*, neſciebant quid per יהבך ſignificaretur donec ex Arabe mercatore audiviſſent *cape* יהבך *onus tuum & impone Camelo.* Doctiſſimus Pocockius in Specim. Hiſt. Arab. Notis p. 203. ſcribit quod innumeris pene aliorum Scriptorum & non paucis Scripturæ teſtimoniis hoc confirmatur, & quod non ſolum Rabbini ſed & Chriſtiani doctores textum Hebræum ſæpe ex Arabiſmo explicant, unde hanc ſibi libertatem indulgendo illud Prov. 30. 31. אלקום ex Arabum dialecto mutuatum explicat per Arabicum القوم *Rex quem ſequitur populus ſuus*, & p. 154. 92. ubi illud Eſ. 65. 11. מני, quod interpretes multum vexavit, ex Arab. مناة pro Idoli nomine explicat. In Gen. 1. 1. tres voces notat Erpenius & alii quæ ab Arabica lucem accipiunt, אלהים *Deus* ab اله *coluit*, vel *adoravit*, שמים *cœlum* ab Arab. سمى *excellere* vel *eminere*, ארץ *terra* ab أرض *humile & depreſſum eſſe.* Amos 5. 25. vocem כיון Arabicam eſſe & *Saturnum* denotare ſtatuunt Kamius in Lexico, Aben-ezra & alii; maxime vero in libris Poeticis Arabiſmi occurrunt, præcipue in libro Jobi, quem *Arabum Theologum* vocat Bibliander, de quo Hier. Præf. teſtatur magnam habere cum Arabica lingua cognationem. Inſtantias varias collegit doctiſs. Hottingerus Theſaur. Philolog. l. 1. c. 1. ſect. 3. p. 506, &c. Job. 35. 16. יכביר & 36. 31. מכביר, unde nomen כבד *magnus, multus*, vox quæ non alibi niſi in Jobo extat in V. Teſt. at apud Arabas frequentiſſimum eſt verbum كبر *fuit magnus*, vel *potens*; c. 41. 9. עטישה *ſternutatio* ab Arab. عطس *ſternutare*; verſ. 11: נחירים ſemel extra Jobum invenitur, at apud Arabes frequens; unde ex Arabica conſuetudine reddendum. Plurimas iſtiuſmodi voces obſervat idem vir doctiſſimus, & promiſit Bochartus ſe idem in libro Job facturum. Nec tantum voces ſed & phraſes Arabicas ibi eſt invenire, ut cap. 41. 24. Nec tantum in Vet. Teſtamento Hebraico ſed in N. Syriaco & Græco uſum habet Arabiſmus. Act. 13. 8. Ἐλύμας multi putant idem eſſe cum Arabico علم *ſciens.* Gal. 5. 12. in verſione Syriaca vox ܥܠܬܐ *occaſio* ab Arabico علل *occaſionem præbui* deducunt. Matth. 9. שדים *dæmones* potius ab Arab. سدا quam ab שדד derivari vult Lud. de Dieu, qui quantam utilitatem in N. T. adfert Arabicæ linguæ cognitio in Notis ad N. T. oſtendit.

8. II. Rituum & Ceremoniarum frequens mentio in Scripturis, maxime in V. T. occurrit, quarum ratio non niſi ex Scriptorum Orientalium, maxime Arabicorum, libris peti poteſt, ut quod Ezech. 21. 21. legimus de rege Babyloniæ *ſtante in bivio ad divinandum per ſagittas*, &c. explicat D. Pocockius Specim. dicto in Notis p. 328, &c. oſtendens apud Arabas in uſu fuiſſe hunc ritum ſuperſtitioſum divinandi per Sagittas, ejuſque veſtigia apud Muhammedanos hodie manere. D. Hottingerus Hiſt. Orient. l. 1. cap. 8. p. 197, &c. idem probat de ritibus quibuſdam in Lege Judæis prohibitis vel conceſſis, quos ex Sabæorum vel veterum Arabum, quorum inſtituta contraria erant, conſuetudine illuſtrat, ut ex Lev. 21. 1. Ne calvitium in capite ſuo decalvarent & barbæ extremitatem raderent, & inciſuram in carne ſua facerent. Cap. 11. 7. De non edendo carne ſuilla. Cap. 19. 26. & Deut. 18. 14. Contra magos, augures, incantatores. Cap. 17. 7. De ſacrificando שעירים *dæmonibus hircorum forma apparentibus.* Cap. 11. De carnibus animalium licitis, quas Sabæi prohibuerunt. De Phylacteriis Lev. 2. 13. De ſacrificiis ſale condiendis ſine melle & pane fermentato offerendis. De adorando verſus Occidentem Exod. 28. 42. De Sacerdotum femoralibus tegendis cum offerrent, cum Arabes Veteres nudi ſacra ſua celebrarent. Lev. 11. 10. & 20. 3. De eſu ſanguinis prohibito, quem Sabæi edebant. Num. 28. 15. De Hirco in Novilunio offerendo. Deut. 22. 5. De muliere ut non induat veſtes viri. De non traducendis per ignem liberis. Levit. 19. 25. De comburendis trium annorum primorum frugibus: & aliis id genus. In quibus omnibus Sabæorum & Arabum Idololatrarum inſtitutis contraria præcepta Deum dediſſe, ne quid cum Idololatris commune haberet populus ſuus, ex Arabum aliorumque monimentis demonſtratur.

9. III. Maxima vero in Theologia utilitas exſurgit ex verſionibus Arabicis Vet. & Nov. Teſt. quarum quædam ſatis antiquæ, omneſque Scripturam ſatis illuſtrant, & ad ſenſum genuinum eruendum multum conferunt, ut qui eas cum textibus Originariis & aliis verſionibus antiquis in noſtris Bibliis conferre voluerit, vel Annotationes Lud. de Dieu perlegerit, plane perſpiciet, ut v. g. Matth. 6. 11. verba illa in Oratione Dominica τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον vertit Arabs ut Syrus ܠܚܡܐ ܕܣܘܢܩܢܢ *panem neceſſitatis noſtræ.* Heb. 7. ubi Melchiſedec dicitur eſſe, *ſine patre & matre*, ita reddit, *cujus nec pater recenſetur nec mater.* Gal. 5. 6. ἀλλὰ πίστεως δι' ἀγάπης ἐνεργουμένης reddidit Arabs *fidei quæ per charitatem perficitur.* Infinita talia producere licet, ubi textus dubius, perplexus & difficilis multum illuſtratur.

10. Quarto uſus etiam linguæ Arabicæ in Theologia magnus eſt dum hiſtoriam Eccleſiaſticam tam Chriſtianorum quam Judæorum illuſtrat; Chaldæorum, Sabæorum & Orientalium dogmata explicat, multaque profert quæ ex Græcis & Latinis ſcriptoribus cognoſci non poſſunt. In Oriente reperiri omnia Chryſoſtomi opera Arabice teſtantur quidam, item Baſilium, Euſebium, Clementem Alexandrinum, ejuſque multa quæ in Græco deſiderantur. Imo Patres pene omnes Arabice in una Bibliotheca in Eccleſia Halebi cujuſdam extare probant ex oculato teſte qui iis uſus eſt, ut nil dicam de Canonibus Eccleſiæ Nicænæ quæ Arabice extant in Bibliotheca Oxonienſi. Hoc tantum monere libet, cautione & judicio opus eſſe in libris quibuſdam Arabicis perlegendis qui vel ſuppoſititii & ficti ad incautos decipiendos, vel falſo antiquitatis velo prætenſo multa falſa & inepta habent, & ad errores palliandos à quibuſdam eduntur, qualis eſt ille à viro ſane linguarum perito ſub Eutychii nomine Patriarchæ Alexandrini initio motuum noſtrorum editus, ut Eccleſiæ noſtræ politiam & regimen enervaret, ubi contra omnium Hiſtoriarum fidem affirmat nugivendulus & fictitius autor per ducentos annos poſt S. Marcum nullos fuiſſe Epiſcopos à Presbyteris diſtinctos in Ægypto, & Patriarcham Alexandrinum per Presbyteros electum & conſecratum fuiſſe, & per Presbyteros ſolos omnia peragi ſolita quæ poſtea per Epiſcopos tranſacta ſunt. Quænam vero fides fabuloſo iſti Scriptori (quiſquis fuerit) habenda ſit vel ex hoc patet, quod idem autor aſſerere non veretur mille Epiſcopos Concilio Nicæno interfuiſſe; cum ex omnibus Scriptoribus Græcis & Latinis, quorum multi eodem tempore vixerunt, quidam Concilio

interfuerunt, communi conſenſu teſtatiſſimum ſit, Epiſcopos tantum 318. adfuiſſe. Hæc vero apponere placuit ut quamnam fidem mereatur iſtud ſcriptum conſtaret. Commentum vero illud de Presbyteris & Epiſcopis plene refutavit vir doctiſſimus Joh. Morinus libro de Ordinationibus 3. Exerc. 7. cap. 7. quem conſulat qui plura deſiderat.

11. V. Theologis etiam utilis eſt hujus linguæ ſcientia ad Muhammedanorum errores detegendos & refutandos, & ut populi Orientales ſeducti & decepti ad Eccleſiam reducantur, quod fieri non poteſt ſine illius linguæ cultu & ſcientia, quæ una eſt communionis noſtræ cum iſtis gentibus inſtrumentum. Quomodo enim lucem iis qui in tenebris ſedent præferre poſſumus, vel errantes in viam revocare, quando linguæ ipſis fere omnibus in uſu ignorantia laboramus? unde nec deliria & impoſturas Pſeudoprophetæ ipſis detegere, nec veram fidem ipſis lingua ſua vernacula proponere poſſumus. In hoc ſane excuſari non poſſunt Chriſtiani eorumque Antiſtites quibus ſanctiſſimæ iſtæ curæ non ſunt cordi, quorum incuria factum eſt, ut exiguam meſſem hactenus habuerit Chriſtus in iis locis. In hoc ſane laude digni illi qui improbo labore linguam omnium difficillimam, Chinenſem, didicerunt, ut in deviis errantes Chinenſes, Japonenſes, &c. in veram ſalutis viam ducerent.

12. Ut in Theologia ſic in omnibus aliis ſcientiis & facultatibus inſignem utilitatem adfert; In Philoſophia, Hiſtoria, Juriſprudentia, Poeſi, Philologia, maximam vero in Medicina, Geographia, Matheſi, in quibus varii extant libri, præter impreſſos, MSS. qui ſi ederentur multum inde lucis affulgeret. In Medicina autores habent celebres, quorum libri partim editi partim MSS. habentur; Avicennam, (qui vulgo Princeps vel Doctor primarius dicitur, qui decennis literas humaniores didicit, & ante annum 18 totam ἐγκυκλοπαιδείαν percurrerat, quo ſpatio ne unicam noctem integram dormiiſſe ſcribunt, & toto die ſtudiis vacaſſe, niſi quod cùm nodus aliquis difficilis occurreret, ad templum ſe contulerit dubii explicationem precibus à Deo petens) Meſuem, Raſin, Serapionem, quorum opera omnium teruntur manibus qui in hac arte clari evadunt. Trecentos alios magni nominis numerat Raſis in opere ſuo, quod الحاوي ſive *continens* dicitur, in Linguam Latinam olim verſo. Sane ita exculta erat hæc ars apud Arabes, ut ſcriptum reliquerit vir doctus neminem per tranſennam Medicinam aſpexiſſe qui Arabicæ linguæ cognitionem artis illius profeſſoribus neceſſariam eſſe non confiteatur. Summam vero artis Medicæ peritiam attigiſſe Arabes Medicos vel inde colligere licet, quod in ſeipſis artis ſuæ experimentum dederint vitæ ſuæ prolongatione, cum alii ad 125, ut Avicenna, alii ad 130, ut Ibn Zoari, teſte Averroe, alii ad 180, ut Coſſus, teſte Elmacino, vitam produxerint. Nec tantum in Galenica Medendi methodo, ſed & in Chymica, quam in praxi plerique hodie cum altera jungunt, celebres extitere Arabes, ut liquet ex Gebere & aliis, ex quorum ſcriptis vulgo haud notis hodierni Chymico-Jatroi myſteria artis ſuæ præcipua hauſerunt. In Mathematicis ita inſignes fuere Arabes & tot ingenii ſui reliquerunt monumenta, ut tum Græcos, tum alias omnes nationes ſuperare videantur, quorum integrum exhibet Catalogum Kirkerus in Suppl. Prodr. cap. 8.

13. In Geographia plurimos habent Arabes Ptolemæo accuratiores. Iſmael Abulfeda in Syria Rex in opere ſuo nobili Geographico trecentis abhinc annis ſcripto, quod Directorium Regionum vocavit & in plurium Bibliothecis habetur, triginta citat Geographicos authores Arabes. Extat & Geographia Nubienſis Arab. & Latine à Gabriele Sionita edita, à doctis multum probata. Hiſtorias etiam habent, teſte Erpenio, non tantum Græcorum & Romanorum, ſed & Aſſyriorum, Chaldæorum, Perſarum, Tartarorum, Judæorum, Ægyptiorum, Africanorum, &c. In Poeſi vero tantum excelluerunt ut plures numeret Poetas Arabia quam omnes reliquæ nationes: Sexaginta numerat principes (ut affirmat Erpenius) ſub quibus infiniti alii inferioris ſubſellii: & incredibilem eſſe eorum poeſis ſuavitatem, elegantiam, harmoniam, &c. ſcripſit Leo Africanus. Doctiſs. Poc. Spec. Hiſt. Arab. p. 157, 158, 159, &c. Poematis ipſorum linguæ conſervationem adſcribit cum literas neſcirent: quæ reliquis præſtantiora à Regibus inter κειμήλια repoſita erant, unde 7 illa notiſſimæ famæ Poemata المولقات *Almoulekat* dicta, quaſi *appenſa*, eo quod in templo Meccano honoris cauſa appenſa fuiſſe ferantur. Et de tribus, ſolenniter amicis gratulari ſolebant, ſc. cum puer naſceretur, cum poeta apud illos inclareſceret, & cum equa pullum generoſum peperiſſet. Prætereo alia, quantum in Philoſophia naturali, in Moralibus, Politicis, Philologicis præſtiterint. Grammaticos habuerunt Arabes diu ante Judæos, qui Grammaticas conficere cœperunt cum Arabes deſierint. Tandem quantum facit ad peregrinationes hæc lingua, inde conſtat, quod hujus ope totum Orientem, magnam Africæ & Europæ partem peragrare quis poterit, ubi in regionibus multis eam inveniet vernaculam; ubi vero non eſt vernacula, vix in ulla urbe, pago vel domo non inveniet unum vel alterum qui hanc non callet: unde Poſtell. de ling. 12. p. 83. *Amplectatur hoc linguæ beneficium, quo cum Mauro, Ægypto, Syro, Perſa, Turca, Tartaro, Indo, & ut ſemel dicam, fere in toto terrarum orbe ſine interprete converſari valeamus, quo optimos authores & diſciplinas poſſimus noſtris hominibus tradere, omnes Chriſtianæ fidei hoſtes Scripturarum gladio confodere, eos ex ipſorum dogmatibus refellere, totius orbis commercio unius linguæ cognitione uti.*

14. Nec eſt quod miretur quis ipſos in artibus & ſcientiis tantos feciſſe progreſſus, cum poſt ipſorum imperia dilatata multas habuerint Academias, magnas Bibliothecas infinitis libris inſtructas, quodque annis abhinc ſexcentis cum fœda apud Græcos & Latinos regnaret barbaries, apud Arabes omnium literarum ſtudia exculta fuerint. Academias habuerunt plurimas, Marocum, Feſſum, Septæ, Hobbedæ, Conſtantinæ, Tunetum, Tripoli, Alexandriæ, Alcairo, Baſor & Cufa, in quibus millia ſtudioſorum omnium facultatum. In Africa fuiſſe 50 Academias teſtatur Joh. Leo Africanus. Bibliothecas non tantum libris Arabicis inſtructiſſimas, ſed & Græcorum & Latinorum libros Arabice traductos habuerunt; unde multi qui injuria temporum vel apud nos perierant, vel mutilati extant, integri ſervati ſunt, inter quos Titi Livii opera, Pappi quoſdam libros Mathematicos, Ariſtotelis, aliorumque quæ nobis perierunt, ſuppleri & inſtaurari poſſe affirmant. Joſ. Scaliger Epiſt. 361 ad Steph. Ubertum; *Quicquid Latini ſcripſerunt, poſtquam inſcitia ſuæ monuit Arabum induſtria, id totum Arabicis acceptum referre debent, Philoſophiam, Medicinam, Mathematicam. Nam nullum Græcum Scriptorem habemus, quem in Arabicam linguam prim, deinde ex Arabica in Latinam tranſlatum non legerint.* Ptolomæi magnam Syntaxin prius ex Græca Arabicam, ex Arabica Latinam factam tractare cœperunt. Sic Euclides prius Arabice, deinde Latine converſus tamdiu inter nos obtinuit donec capta Conſtantinopli exules Græci nos relictis lacunis ad ipſos fontes convertere docuerunt. Typographicam quidam artem non permittunt Muhammedani, quam dicunt cauſam eſſe diviſionum & omnium Hæreſium, libros tamen MSS. habent in omni ſcientiarum genere plurimos. In Bibliotheca Feſſana ſcribunt libros fuiſſe 32000. In Bibliotheca Regis Mauritaniæ quam in ſuam Laurentianam transferri juſſit Rex Hiſpaniarum anno Chriſti 1610. erant libri 7800. nec tantum apud Arabes ſed etiam apud Chriſtianos tum publice tum privatim Bibliothecæ extant innumeris libris Arabicis repletæ, ut Laurentiana illa in Eſcuriali, quarum Catalogum exhibuit Rav. in ſpecimine Alcorani; Lugdunenſis quorum Catalogus extat; Bavarica, Vaticana, Mediolanenſis, Palatina, Wittenbergenſis, Haſſiaca, Oxonienſis quam MSS. libris Orientalibus locupletavit Reverendiſſimus iſtius Academiæ Cancellarius, Guil. Laud Archiepiſcopus Cantuarienſis, qui tantam librorum MSS. copiam ex omnibus mundi oris conquiſitam, Hebr. Chald. Syr. Arabicorum, Perſicorum, Armenorum, Ægyptiacorum, Chinenſium, Turcicorum, &c. in Bibliothecam illam transferendam curavit, ut vel ſoli magnam Bibliothecam conſtituere poſſent. Non eſt itaque quod conqueri quis debeat de librorum Arabicorum paucitate, cum tot ubique extent, plurima etiam erecta ſint τυπογραφικὰ, ſive officinæ Typographicæ tum Arabicæ, tum aliarum linguarum Orientalium Romæ, viz. Medicea, Mediolani Borrhomæa, Pariſiis Savariana, & Vitteyana, Leydæ Raphelengiana & Erpenica, Londini noſtra, ex quibus libri multi Arabici prodierunt, pluresque indies, bono cum Deo, prodituri. Stipendia publica in Academiis Profeſſoribus linguæ Arabicæ à Regibus aliiſque viris nobiliſſimis decreta, Pariſiis, Romæ, Cantabrig. Oxon. Ante annos 300. in Concilio Viennenſi ſub Clem. 5. celebrato ſancitum eſt Decretum de linguarum ſtudiis inter quas Arabica nominatur, quod poſtea Martinus V. renovavit, cujus ſcopus primarius erat Mahumedis impoſturas detegere & refutare.

15. Reſtat ut de verſionibus Scripturæ MSS. vel impreſſis dicamus, & de exemplaribus in ſpecie, quibus uſi ſumus in hac noſtra Editione. I. Inter Judæos tranſtulit totum vetus Teſtamentum in Arabicum idioma R. Saadias quem Gaon per excellentiam appellant. Gaones, i. e. *excellentes*, dicti erant Scholarum Babyloniæ Rectores, duravitque hæc dignitas Rabbinica quamdiu durarunt Scholæ Babylonicæ, quibus deletis circa annum Chriſti 1040 evanuit hæc dignitas, & poſteri ſimpliciter Rabbini dicti ſunt. Hic itaque Saadias Gaonum unus apud ſuos celeberrimus circa annum Chriſti 900. Vetus Teſtamentum ex Hebræo in Arabicum, literis vero Hebraicis, tranſtulit, in uſum Judæorum qui longe lateque per imperia Saracenorum, qui per arma victricia Religionem & Linguam Arabicam ubique tunc temporis propagarant, diſperſi vixerant. Hujus verſionis pars tantum, ſc. Pentateuchus, hactenus lucem vidit, quem typis ediderunt Judæi Conſtantinopoli, centum abhinc annis in folio una cum textu Hebræo, Targum Onkeloſi Chaldaico, & Jacobi Tuſenſis (Tawoſi vulgo) Perſico, literis tamen Hebraicis excuſo. Hujus meminit Abenezra variis locis, Gen. 2. Exod. 12. *&c.* legem dicit ipſum explicaſſe lingua Arabica & charactere Arabico, de cæteris Scripturæ libris, an eos tranſtulerit, ſilet, ut & Gedalias, qui etiam legis tantum meminit. Doctiſſimus Erpenius Præfat. ſua ad Arabicum Pentateuchum, Fabric. Boderianus Præfat. in Nov. Teſt. Syr. & D. Pocockius Spec. Arab. p. 365. affirmant ipſum totum Vetus Teſtamentum in ſermonem transfudiſſe Arabicum, promiſitque Erpenius, ſe totam editurum, quod antehac præſtitiſſet, ſi Deo viſum fuiſſet vitam ejus prolongare, at morte erepto immatura hactenus caremus illa verſione, excepto ſolo Pentateucho. Habet etiam D. Pocockius, prout mihi retulit, alios quoſdam Vet. Teſt. libros præter Pentateuchum verſionis Saadianæ. De hac verſione notatur Saadiam ſæpe Paraphraſtem potius quam interpretem nudum agere, & à verbis & phraſibus Hebræis interdum longius recedere, & in Pentateucho modo Onkeloſum, modo 70 ſequutum, modo ingenium ſuum, Judaicum ſc. unde & ab Aben Ezra reprehenditur, Gen. 2. in tranſlatione urbium, beſtiarum, volatilium, lapidum, *&c.* in quibus reddendis (cum ipſis non ſit vernacula lingua Hebr.) doctioribus Rabbinis aquam hærere conſtat. De hac vero verſione, præſertim Pentateuchi, qui plura volet legat luculentam D, Pocockii præfationem variis ejuſdem lectionibus præfixam, Tomo noſtro ultimo.

16. II. Præter verſionem Saadiæ, habent etiam Judæi verſionem Pentateuchi Charactere Hebræo, in Mauritania olim editam, quam ex Bibliotheca Joſ. Scaligeri characteribus Arabicis typis edidit Lugd. Batav. 1622. Erpenius. Scaliger in Teſtamento librum optimæ vocat notæ, & Saadiæ præfert Erp. loco cit. quod preſſius verbis Hebraicis inſiſtit & totidem fere Arabicis exprimit, locis quibuſdam exceptis obſcurioribus, in quibus à verbis nonnihil recedit, ſed ita ut ad ſenſum magis inclinet eumque clarius exprimat. Hanc vero edidit Erpenius ſine Lat. interpretatione, cujus rationem reddit quod cum ad verbum fere Hebræum exprimat, B. Ariæ Montani verſio interlinearis vice tranſlationis eſſe poſſit, quæ ſi alicubi ab ea diſcrepat, quod in locis quibuſdam ambiguis & difficilioribus contingit, illic ſe lector modice Arabiſmi peritus expediet, maxime adhibito Lex. Arab. quod ſi ipſe Deus vitam conceſſerat editurus erat Erpenius, ipſo vero defuncto, Lexicon Arabicum omnium abſolutiſſimum edidit & eruditionis & virtutum hæres Clar. Golius, qui ipſi in munere ſucceſſit, inter primarios hujus linguæ Profeſſores merito numerandus.

De hac Verſione obſervatur auctorem exemplari Hebræo à noſtris codicibus alicubi diverſo uſum fuiſſe, quod ex quibuſdam locis, Gen. 50. 19. Exod. 12. 8. & 23. 27. liquet, tum nimis rigide in Hebræis vocibus interdum exprimendis inhærere ut Exod. 29. 13. Gen. 46. 30. & 49 11. ſingularis tamen induſtriæ & judicii, & divinæ majeſtatis reverentiæ ſpecimina ſæpe exhibere, cum quæ Deo ἀνθρωποπαθῶς attribuuntur verbis commodiſſimis exprimat, ut cum ex Exodo 29. 45, 46. verba, *Habitavi in medio filiorum Iſrael*; ita reddit, *Habitare faciam ſplendorem meum in medio filiorum Iſrael.* Emphaſim etiam verborum eleganter exprimit, ut cum nomen Dei Exod. 3. 3. *Ero qui ero*, interpretetur, *Æternus nunquam tranſibit*, vel *mutabitur*; & quod nomen אלהים cum pro *idolo* ſumitur, ſemper per pluralem fœmininam exprimat ut Exod. 12. 12. de quibus aliiſque vide D. Hotting. Theſaur. Philolog. lib. 1. cap. 3. Sect. 2.

III. Inter Verſiones etiam Judæorum refert D. Pocock. libros Regum quos habet ipſe Arabice MSS. auctor Judæus aliquis Anonymus, Saadiam non eſſe ſtylus indicat: Spec. Arab. 34. & 36. Interpres optimus cujus verſionem Saadiæ præfert.

17. A Chriſtianis vero verſiones variæ Arabicæ factæ, aliæ totius ſcripturæ, aliæ quorundam librorum Scripturæ, ſc. Pſalmorum, Prophetarum, Evangeliorum, Epiſtolarum, & Apocalypſis, 1. Totius Scripturæ (exceptis quibuſdam V. Teſtamenti, viz. libro Eſther, Judith, Tobiæ, Mac. 2, & 3.) verſio Arabica habetur in Bibliis Pariſianis D. de Jay, in qua Vet. Teſt. partim ex Hebræo, partim ex Syra verſione, partim ex LXX Græca traducta. De hac verſione ita ſcripſit Erpenius (antequam edita fuerat) Præf. ad Pent. ſuum Arabicum; *Alia reperitur eorundem librorum tranſlatio Arabica, elegans quidem & antiqua, apud Arabes Chriſtianos nata, quam omnino opera pretium eſſet typis quoque excudi. Hujus exemplar extat in inſtructiſſima libris Orientalibus Bibliotheca viri nobiliſſimi D. Franc. Savari de Breves, Regis Chriſtianiſſimi apud Turcarum Imperatorem Legati, inque ea vertenda in Latinum ſermonem occupari nunc intelligo viros clariſs. & Arabiſmi promotores non minus vigilantes quam doctos DD. Gabrielem Sionitam, & Johannem Heſronitam linguæ Arabicæ in Academia Pariſienſi profeſſores & Interpretes Regios, qui utinam eam quoque nobis dent Arabice: ſic enim habere poſſemus quatuor elegantes & utiles Vet. Teſt. verſiones Orientales, Chaldaicas inquam duas, Judaicam unam, alteram Chriſtianam, & totidem ac ſimiles Arabicas.* Si hucuſque vixiſſet Erpenius voti ſui compos fuiſſet: vidiſſet enim Arabicam hanc verſionem Pariſiis impreſſam & Londini recuſam adjectis variis quæ in editione Pariſienſi deſiderantur. Dolendum vero eſt, quod de verſionis hujus auctore ac tempore, à quo & quando facta fuerit, nec de ejus utilitate ac uſu, vel de ejus collatione cum aliis codicibus quicquam dixerint, qui editioni Pariſienſi præfuerunt, quod ex ipſorum diſſidio ortum arbitror, unde abortum quendam paſſum eſt opus nobiliſſimum, multis deſideratis quæ ad complementum ejus perinebant: nam ex Epiſt. Valeriani de Flavigni Heb. ling. profeſs. Regii Lutetiæ quas contra editionem Jayanam edidit, conſtat inter alia luculentum tractatum de Arabicæ linguæ literis, punctis, verſionibus, *&c.* à Gabriele Sionita paratũ fuiſſe pro illa editione, quæ cum aliis iſtiuſmodi Prolegomenis, *&c.* nuſquam apparent. Hoc tantum nobis reliquit Sionita de hac verſione Præfat. in Pſalterium ſuum Syriacum quod editum erat Pariſiis an. 1625. *Se adjeciſſe ad calcem iſtius operis Syriaci Pſalmorum titulos Arabicos decerptos ex nobiliſſimo totius Vet. Teſtamenti exemplari in Ægypto exarato ab annis amplius* 300. *quo quidem una cum Verſione Latina frueretur modo Chriſtiana Reſp. liberalitate illuſtriſſimorum Eccleſiæ Gallicanæ Præſulum, niſi pecunias ab iis in Comitiis Bleſenſibus An.* 1619. *huic operi moliendo attributas, quidam avertiſſent, inque alios & forſitan proprios uſus conjeciſſent.* Ex quibus conſtat exemplar ſuum Arabicum, cujus editionem tunc in animo habuit, quodque poſtea edidit impenſis D. de Jay ſcriptum fuiſſe in Ægypto 300. abhinc annis: quando vero vel à quo adornata fuit, illa verſio altum ſilet. In Præf. vero editionis Pariſienſis dicit Præfationis auctor; *Hinc maximam mutuari commendationem verſionem illam Arabicam, quod S. Hieronymi ſeculo quidam è ſacris libris hac lingua ſcripti reperirentur, quorum auxilio librum Job in* 700 *ferme aut* 800 *verſibus, ut ex præfixa libro Hieronymi Præfatione manifeſtum eſt, reſtituit*: quibus verbis Lectori inſinuare velle videtur, eandem eſſe hanc verſionem cum ea quæ Hieronymi ætate extabat. At primo non loquitur Hieronymus illo loco de verſione aliqua Arabica, licet ejus verba primo aſpectu tale quid innuere videntur (unde & me olim ita ea accepiſſe fateor;) loquitur enim, ut verba ejus penitius intuenti liquet, de tranſlatione ſua Latina quam ex Hebræo traduxerat & hoc tantum innuit, in libro Job Hebraico vocabula multa Arabica occurrere, & hunc librum præ aliis Vet. Teſtamenti Arabiſmum ſapere; quod veriſſimum eſt: multa enim verba obſervarunt docti in hoc libro quæ alias in Vet. Teſt. nunquam occurrunt, quæ ad Arabicam originem omnes referunt; nec ex hac Arabica verſione verſus vel στίχους potius 700 vel 800 reſtituit Hieronymus, licet exemplar aliquod mancum vel imperfectum nactus ſit, cujus verſiculos vel potius στίχους ex aliis codicibus vel verſionibus ſupplevit vel perfecit; certum enim eſt exemplaria Græca verſionis 70, de quibus loquitur Hieronymus integra tum extitiſſe, ut ex patrum & ſcriptorum veterum citationibus & commentariis, tum ex MSS. vetuſtiſſimis Græcis, Vaticano & noſtro Alex. in quibus hic liber integer habetur, quorum utrumque Hieronymi ætatem attigit, manifectum eſt. Nec ſi Hieronymum de verſione Arabica loqui concederemus, quæ ipſius ævo extitit (haud enim negamus, imo ſupra probavimus, ſcripturas hiſce temporibus in Arabicam & alias omnes linguas celebriores converſas fuiſſe) haud tamen quam exhibent Biblia Pariſienſia tantæ antiquitatis fuiſſe ſequeretur, quam ſeculi multo poſterioris eſſe facillime deprehenditur, idq; tum ex vocibus Arabicis quæ in Alcorano ſolo & ab Alcoraniſtis uſurpantur, quæ in hac verſione occurrunt, ut cum Moſen & Aharonem vocibus Alcorani موسي هارون *Muſa* & *Haron* exprimit, Joſua Exod. 33. 11. non per يهوشوع ut Saadias & alii, ſed more Alcorani per يوشع *Juſcha* reddit: Tum ex verſione Pentateuchi Saadiæ, facta, ut dixi, circa annum Chriſti 900, quam verſionem vel eandem eſſe cum hac Pariſienſi, ut exiſtimat D Pocockius, vel ad eam proxime accedere, eamque in locis difficilibus exprimere, ut ſentit D. Hottingerus, manfeſto liquet. Fatendum enim eſt Pariſienſem cum Saadiæ ita convenire, ut quicquid difficile & obſcurum ſit in Pentateucho uterq; interpres iiſdem verbis reddat; quæ à Saadia in Rabbinorum ſenſum torquentur, in Pariſienſi ita ſe habent, uterque eodem modo propria nomina refert, quæ ab Aben-Ezra in Saadia reprehenduntur, ita in Pariſienſi inveniuntur, textus difficiles iiſdem verbis ambo explicant, imo loca in quibus exemplaria Heb. ab hodierno codice variaſſe videntur, ambo eodem modo legerint; quæ omnia variis exemplis illuſtrat D Hotting. Analect. Diſſert. 2. Ex quibus omnibus luce clarius conſtat vel unam & eandem eſſe utriuſque verſionem vel alterum alterius vitulo araſſe. Cum vero de hoc diſſentire video viros Arabice peritiſſimos non eſt meum ſententiam ferre, ſed unicuique judicium eſto liberum. Hiſce addere licet librum Job ex Syriaco in hac verſione traductum eſſe, ut in fine expreſſis verbis invenimus, & librum Joſhuæ ex Hebræo, reliquos præter Pentateuchum ex Græca τῶν ό: cumque verſiones Arabicas apud multas Eccleſias Orientis in uſu eſſe certum ſit, ita ut poſt lectam Scripturam ex Syriaca recitetur etiam in Arabica, ut ſupra ex Scaligero diximus: hinc plane conſtat verſionem Arab. apud eas factam eſſe poſtquam lingua Arabica per victorias & Religionem Muhãmedanam per Orientem propagata fuerat, & in multis locis facta eſſet vernacula, unde neceſſarium erat Scripturas in hanc linguam, ut ſibi notam, verſas comparare. Tempus vero cum primum facta fuerit, vel quibus auctoribus, exacte definire haud facile eſt, cum qui eam primo ediderunt, nihil de his prodiderint, nec ex Orientalium monimentis de hac vix aliquid certi habeamus. Probabile eſt vel circa Saadiæ tempora, vel non multo antea confectam fuiſſe, cum ſc. lingua Arabica in Orientem penetravit, & linguas vernaculas in multis locis abſorpſerat: unde antiquitas ejus non ſpernenda aſtruitur. De uſu vero magno, in locis difficilibus explicandis; in vocabulorum apud Hebræos dubiorum & raro occurrentium, ex Arabiſmo ſignificationem veram eruendo, textus Hebræi ſenſum genuinum ex collatione illuſtrando, aliiſque ejuſmodi jam diximus, cum de utilitate hujus linguæ egimus, ut plura addere neceſſarium non ſit.

18. Duplicem vero eſſe verſionem Arabicam Vet. Teſt. apud Chriſtianos Orientales in uſu, conſtat ex Aug. Juſtin. Epiſc. Nebienſi in Pſal. 14. & 84. qui utraque uſus eſt, & unam vocat Syriacam, alteram Ægyptiacam, à Regionibus ubi in uſu erant, ipſe vero in editione ſua Pſalmorum Syriacam illam ſecutus eſt, ut ex ipſius verbis locis citatis eſt videre. utriuſque Verſionis exemplar in Bibliotheca Vaticana & Medicæa extare teſtatur Cornelius à Lapide Comment. in Prophet. minores in arg. p. 5. quarum unam appellat Antiochenam, Alexandrinam alteram, à Patriarcharum ſedibus, qui Eccleſiis Syriæ & Ægypti præfuerunt: *utraſque vetuſtas eſſe, & tum in majoribus tum in minoribus Prophetis ſe citaſſe; eaſdemque etiam à Sergio Riſio Maronita Archiepiſc. Damaſceno, cui Arabica lingua materna erat, in Latinum idioma converſas eſſe, qui verſiones ſuas ſibi communicavit edendas, rogatu quorundam Concionatorum, unde & ipſe in Commentariis ſuis quædam ex iis habet ut Concionatorum commodo inſerviret; faciunt enim antiquæ iſtæ verſiones ad Scripturæ claritatem & copiam, quam ambiunt Concionatores.* Riſii verſiones iſtæ nondum quod ſciam editæ ſunt. Utriuſque hujus Verſionis & Riſii interpretationis meminit etiam Jo. Tirinus in Indice Auctorum ad finem Bibliorum ſuorum, & nævos ſuos habere judicat. Utramque hanc Verſionem ex Græca τῶν ό traductam eſſe non dubitat Nebienſis, & tum ex ejus editione Arabica Pſalmorum, quæ Antiochena ſive Syriaca, tum ex altera Alexandrina, quæ in Pariſienſibus & noſtris Bibliis exhibetur, plane apparet: non poſſum enim aſſentiri viro docto qui affirmat utramq; verſionem eſſe ἀνέκδοτον. Nebienſis enim diſerte affirmat ſuam Pſalmorum eſſe illam Syriacam Pſal. 14. & 84. noſtram vero eſſe Ægyptiacam ſive Alexandrinam conſtat ex ejuſdem notis Pſal. 84. 1. ubi diſcrepantiam utriuſque oſtendens verba quædam ex Ægyptiaca profert quæ plane eadem ſunt cum noſtra & Pariſienſi. Affirmat etiam Sionita Præf. in Pſalt. Syr. Exemplar ſuum Arabicum, quod poſtea in Heptaplis Pariſienſibus excudit, ſe habuiſſe ex Ægypto, ubi annis abhinc 300 deſcriptum erat. Inſcriptiones etiam Pſalmorum Arabicæ quas ſubjunxit Sionita ad finem Pſalterii ſui Syriaci ex MS. Arab. Alexandrino, eædem plane ſunt quæ in Bibliis Pariſienſibus. Eſt itaque Arabica noſtra eadem cum Alexandrina ſive Ægyptiaca; an vero altera illa Antiochena eadem ſit cum illa de qua Georgius itiner. p 178 qui ſcribit quod per totam Syriam & circa Hieroſolymam Græci non utantur Græca lingua, ſed tranſtulerunt totam Scripturam in Arabicum idioma, aliis judicandum relinquo. De nævis quos in utraque eſſe vult Tyrinus, non multum laborandum eſt, cum omnes verſiones deprimat ipſe cum ſuis, ut Vulgatam Latinam in ſolio ponat, cum tamen in Vulgata nævos etiam plurimos fuiſſe & adhuc eſſe probatione non egeat, hoc enim fatentur inter ipſos doctiores, ut ſuperius à nobis oſtenſum eſt; nec aliquam Verſionem unquam extitiſſe quæ nævos ſuos non habuerit, probari poteſt. Præter has aliam etiam verſionem Scripturæ Arabicam memorant, à Johanne Epiſc. Sevilienſi in Hiſpania factam anno Chriſti 719 de qua Vaſcus in Chron. Hiſpan. & Jo. Mariana de rebus Hiſp. l. 7. c. 3. Hac uſum fuiſſe Patricidem in Hiſtoria ſua Eccleſiaſtica conjicit Joh. Seldenus Com. in Eutych. Orig. p. 163.

19. Præter has totius Vet. Teſtamenti verſiones variæ etiam librorum quorundam extant tam MSS. quam impreſſæ apud Chriſtianos. I. Verſio Pentateuchi Arabica per Haritem Ibn Sinam ex Syriaca, juxta LXX Interpretes. Memoratur etiam in Catalogo librorum Bibliothecæ Laurentianæ, tranſlatio Pentateuchi Arabica per Haritem Ibn Sinam ex lingua Chaldaica (hoc eſt Syriaca) verſionis non primæ, vel ſimplicis, ſed alterius recentioris, de qua ſupra in Proleg. Syr.) traducta juxta LXX Interpretes, facta anno à fuga Muhammedis 891. hoc eſt anno Chriſti 1513. hujus etiam exemplar habuit Cornelius Haga Ordinum Belgiæ apud Turcarum Imperatorem Legatus ordinarius, ut refert D. Hotting. Præfat. in exercit. Anti-morin. de Pentateucho Samaritano. Addit maxima ex parte ex Græca Verſione expreſſam eſſe, ubi vero à Græca recedit, videri ſequi paraphraſin ipſam Aramæam, Chaldaicam vel Syriacam Chriſtianorum, vel Tranſlationem aliquam Græcam ex Bibliis Syriacis expreſſam. Facta eſt hæc Verſio ab aliquo Chriſtiano, ut videtur, quia in Exodum ſcribit ex quorundam interpretum ſententia, Arcæ longitudi-

nem & latitudinem fuiſſe 5 cubitorum, ut indicaret annos 5500 ante adventum Meſſiæ. Hunc vero computum annorum à mundo condito ad Chriſtum ſequuntur Chriſtiani Orientales ſecundum LXX. II. Verſio Arabica duplex Pentateuchi MSS. ſecundum LXX in Bibliotheca Oxonienſi, in quibus de Obelis, Aſteriſcis &c. ab Origene uſurpatis diſſeritur. An hæc exemplaria eandem habeant verſionem, & an hæc eadem ſit cum ea quæ in Bibliotheca Laurentiana, quamque deſcripſit Hottingerus, nondum mihi liquet. Hos libros contulit Patritius Junius cum MS. noſtro Græco Alexand. cujus notas in Tomo ultimo noſtrorum Bibliorum excuſas damus.

III. Pſalmorum verſiones Arabicæ plures, quarum duas impreſſas habemus, unam in 4. Romæ 1619. opera Gabrielis Sionitæ & Victorii Scialac Accurenſis Maronitarum, quæ plerumque cum Græca τῶν ό convenit, & eadem plane eſt cum editione Antiochena ſive verſione Syriacarum Eccleſiarum: Alteram in Bibliis Pariſienſibus, ut & in noſtris, quæ à priori diſcrepat, eſt enim Alexandrina ſive Ægyptiaca. Priorem edidit Auguſt. Juſtinianus Epiſcopus Nebienſis, vir pro temporum ratione linguarum Orientalium peritiſſimus: quæ cum textu Hebræo, verſionibus Chaldæa, Græca, Arabica, & verſionibus Latinis per columnas diſpoſitis & annotationibus prodiit Genuæ 1516. De hoc ita Sixtus Senenſis lib. 4. *Auguſtinus Nebienſis Epiſcopus, patria Genuenſis, ex illuſtri Juſtinianorum familia, Prædicatorii ordinis Profeſſor obſervantiſſimus, Theologus ſumme doctus, & linguarum omnium quæ toto terrarum orbe diſperſæ ſunt peritiſſimus, novo & ingenti auſu primus omnium utriuſque ſacræ legis Inſtrumentum* 5 *præcipuis linguis, Hebræa, Chald. Græca, Latina & Arabica in unum corpus, Octapla inſcriptum, redegit, & in ſingulis paginis octo columnas diſpoſuit in quibus omnes prædictæ linguæ propriis characteribus expreſſæ, totidem lineis totidemque verbis ſibi correſpondentes, uno eodemque aſpectu cernuntur, hoc ordine.* 1. *Hebræam poſuit editionem.* 2. *Latinam Hebræo reſpondentem de verbo ad verbum.* 3. *Latinam Vulgatam.* 4. *Græcam.* 5. *Arabicam.* 6. *Chaldaicam.* 7. *Latinam Chaldæo reſpondentem.* 8. *Scholia.* Hujus tam præclari operis ipſe ſcribit *ſe duo tantum volumina videre meritum eſſe, viz. ex Vet. Teſtamento ad Leonem* 10. *Pontificem Maximum in totum Pſalterium Octaplum typis excuſum, cujus initium eſt; Scio Pater benigniſſime,* &c. *et ex N. Teſt. in univerſa* 4 *Evangelia Octaplum ipſa auctoris manu, atramento minioque deſcriptum, cujus initium eſt, Fructum ſalutiferum, magnumque utilitatis incrementum,* &c. Hactenus Sixtus Senenſis. Verſio autem hæc Arabica non eſt ex Hebræo ſed ex Græca LXX tranſlatione, ut ex locis variis conſtat ubi Hebraicam deſerit & LXX ſequitur; videantur Pſal. 48. 15. & 68. 13. Tertia nondum excuſa, cujus varia vidi exemplaria, unum in Collegio Sionenſi Londini, duo alia MSS. ipſe habeo ejuſdem verſionis, quorum unum omnium quos unquam vidi librorum MSS. pulcherrime deſcriptum eſt, ſæpe etiam quibuſdam literis aureis exaratum una cum verſione Latina Interlineari etiam nitide deſcripta. Hoc exemplar quod olim erat Clariſſ. Petri Du Vall linguæ Arabicæ profeſſoris Pariſienſis, cum multis aliis poſt ejus obitum venundatis ad manus meas pervenit. Alterum vero habeo etiam, codicem vetuſtiſſimum, qui cum priore plane conſentit in omnibus: quando vero vel à quo ſcriptus ſit in exemplari non exprimitur, ex Græca tamen Sept. factam eſſe hanc verſionem conſtat, quam ubiq; fere exprimit, niſi quod tres illos verſiculos in Pſal. 14. qui in Heb. Chald. & Syro non habentur, licet in Græco et Vulgata Lat. extent, non habeant MSS. exemplaria noſtra; poſt quoſdam etiam Pſal. habet Doxas & Cathaſmata, quorum viginti in toto Pſalmorum libro minio ſignantur. Hoc vero indicat ex Græco traductam eſſe hanc verſionem, in cujus exemplaribus quibuſdam eadem reperiuntur. Fortaſſe hæc verſio apud Maronitas facta eſt, poſtquam Romanæ Eccleſiæ ſe adjunxerunt: habet enim poſt Doxas ſæpe Orationes vel Collectas ad Beatam Virginem, quales apud ſolas Eccleſias Latinas in uſu ſunt, à quibus videntur Maronitæ eas accepiſſe, cum apud reliquos Orientales neque in ipſorum Pſalteriis nec alibi ulla ſint talium orationum veſtigia.

IV. Prophetarum omnium liber MS. vetuſtiſſimus quem Academiæ Oxonienſi inter alios libros Orientales legavit Jo. Seldenus: verſio præſtantiſſima plerumque ſequitur textum Hebræum illumque exprimit, aliquando cum Verſione LXX concordat. Codex hic magno nobis uſui erat cum Prophetas excudimus in noſtris Bibliis, conferendo cum Pariſienſi quod mancum & valde lacunoſum: cum enim non tantum Verſus quamplurimi deeſſent variis locis in exemplari Pariſienſi, ſed & interdum integra fere capita, quicquid deerat ex hoc exemplari ſupplevimus & uncis incluſimus cum his literis *MS. Oxon.*

Novi Teſtamenti varias habemus editiones Arabicas. Evangeliorum tres habemus verſiones, quarum 1. Romæ excuſa ſine punctis typis Medicæis in fol. cum verſione Latina interlineari, poſtea Romæ recuſa ſine Verſione Latina. De auctore autem hujus verſionis Arabicæ vel cujus ſit antiquitatis nil certum & exploratum habemus, nec quicquam dicunt qui eam ediderunt. Doctum tamen fuiſſe hunc Arabem interpretem, quiſquis fuerit, fatetur D. Bochart. Geogr. ſacra, parte 2. lib. 1. cap. 1. pag. 365. ex Marc. 7. 26. ubi verba Græca ἦν δὲ ἡ γυνὴ Ἑλληνὶς Συροφοίνισσα τῷ γένει, ita reddit Arabs, *Et erat Græca Syra, & genus ei ex Algaur,* id eſt, ex Cœle-Syria.

II. Evangelia cum reliquis libris N. Teſt. Arabice edidit Tho. Erpenius Leidæ, an. 1616. in quarto, quæ editio licet cum Romana plerumque conveniat, ita ut unam eandemque eſſe verſionem quidam arbitrentur, in multis tamen diſcrepant, ut conferenti patet, & ex utriuſque collatione collectis varietatibus liquet, quæ omnes cum ex ſcribæ lapſu oriri non poſſint, plane aliam indicant verſionem: authores tamen, quicunque fuerint, unum alterius vitulo araſſe, quod antea de Pentateucho Saadiæ diximus, hic etiam videtur. De antiquitate vero harum verſionum non certo conſtat, antiquiſſimas tamen fuiſſe patet, tum ex librorum ordine, cum Epiſtolis Acta Apoſtolorum poſtpoſita ſint in codice MSS. Erpeniano, quem ordinem ut in aliis antiquiſſimis Græcis Exemplaribus, ſic in noſtro vetuſtiſſ. MS. Alex. obſervavi, tum ex clauſula quam ſcribit Erpenius in ſuo codice repertam eſſe, viz. *Abſoluta eſt hujus libri deſcriptio die* 16 *menſis Banna anno* 988. *Martyrii Juſtorum.* (anno Chriſti 1171.) deſcriptus autem eſt ex emendatiſſimo exemplari, cujus deſcriptor ait ſe id deſcripſiſſe ex alio exemplari emendato, exarato manu Johannis Epiſcopi Cophtitæ; qui Johannes dicit ſe ſuum deſcripſiſſe ex exemplari emendatiſſimo, quod ediderat D. Neſiulaman. F. Azalkeſati. Ex hac inſcriptione patet Neſiulaman fuiſſe auctorem hujus verſionis; quando autem Neſiulaman iſte vixerit nondum liquet: antiquiſſimam vero eſſe verſionem colligere ex eo eſt quod Mat. 6. 13. deeſt Doxologia in Orat. Dominica, ut in Vulg. Lat. & in omnibus antiquis Græcis MSS. ut in collationibus noſtris codicum Græc. Nov. Teſt. apparet; nam Orationem illam deſiiſſe iſtis verbis, *Libera nos à malo*, ſtatuunt viri longe doctiſſimi. Doxologia vero iſta erat Chori vel populi reſponſum, poſtquam in Liturgia recitata erat Oratio Dominica, unde in margine primo poſita, poſtea in textum irrepſit; Vide D. Grotium in locum. Tertiam habeo in codice MS. quæ à prioribus magis diſcrepat quam ipſæ à ſe invicem, fortaſſe tamen eadem cum illis eſt verſio, ab aliquo hic illic immutata. Codex videtur eſſe vetuſtiſſimus tum ex charta, tum ex forma ſcripturæ.

23. II. Reliquorum vero librorum Novi Teſtamenti duas tantum vidi verſiones, eaſque impreſſas, Erpenianam ſc. quam una cum Evangeliis ipſe publicavit, & Gab. Sionitæ in Bibliis Pariſienſibus, quas plane diverſas eſſe tranſlationes clarum eſt. Hanc vero Alexandrinam ſive Ægyptiacam eſſe conſtat ex Sionitæ verbis quæ ſupra adduxi, Præfat. in Pſal. Syriacos, ubi totam Scripturam ſe habuiſſe dicit Verſ. Arab. ex antiquo codice in Ægypto deſcripto trecentis abhinc annis; hanc itaque eſſe eandem Ægyptiacam cum illa Vet. Teſtamenti patet, quæ ſc. per Ægyptum reliquaſque Eccleſias Alexandrino Patriarchæ ſubditas in uſu erat: fortaſſe altera eſt Syriaca ſive Antiochena in uſu infra Patriarchatum Antiochenum, quod magis probabile eſt, quia non immediate ex Græco ſed ex Syro traducta eſſe videtur; nam Syriaco textui in locis pleriſque quam Græco vicinior eſſe deprehenditur: utriuſque vero antiquitas ex verſiculi illius 1 Joh. 5. 7. abſentia colligitur, qui in Syriaca, ut & vetuſtiſſimis Græcis exemplaribus, noſtro Alex. aliiſque MSS. Græcis quos contulimus, non reperitur: quod ſane magnæ vetuſtatis argumentum eſt, cum poſt damnatam Arii hæreſin, hic verſiculus, qui tunc in multis exemplaribus deſiderabatur, in omnibus ſuppletus eſſe videtur. Habeo etiam Epiſtolas S. Johannis Arabice, quas cum Latina interpretatione Bedwellus noſter edidit Raphelengii ex officina Plantiniana an. 1612. Et Epiſtolam ad Titum etiam Arabico-Latinam quam edidit Jo. Antonides, iiſdem typis & eodem anno. Omnes vero cum Erpenii editione conveniunt, unde ſecundum verſionem Antiochenam deſcriptæ ſunt, quod & Bedwellus innuit cum ſcribat, non Græcum ſed Syriacum Teſtamentum Arabem hunc tranſtuliſſe, ut ex multis locis conferenti apparebit; unde quæ optime à Syro redduntur, ea ab Arabe quoque ad verbum reddita ſunt; ubi hallucinatus eſt Syrus, ibi & Arabs à ſcopo aberravit longius. Ad Galatas Epiſtolam Arab. & Lat. edidit Rutgherus Speyrobopurdianus Heydelb. 1583. Convenit prorſus cum Erpeniana.

Inter Arabica MSS. Bibliothecæ Laurentianæ in Catalogo mentio fit 4 Evangeliorum quæ ex Chaldæo in Arabicam tranſlata ſunt per Pharaonem Hebræum. Per Chaldæum intelligit Syriacum, ex quo, ut ſuperius dixi, traducta eſt verſio Arabica quam Antiochenam & Syram vocant, quæ nondum lucem vidit. In Bibliotheca etiam Leydenſi extant 4 Evangelia Arabice, quæ aſſerit D. Hottingerus ab Erpeniano differre, forte eadem ſunt cum Ægyptiaco, quæ in Pariſienſi & in noſtra Editione imprimuntur.

PROLEG. XV.

De Lingua Æthiopica, & Scripturæ Verſione Æthiopica.

1. *Æthiopiam in Script. non per terram Chus, ſed per Lud deſignari.* 2. *Regem Abyſſinorum non eſſe Presbyterum Johannem.* 3. *Abyſſinos ante tempora Juſtiniani fidem recepiſſe contra Scaligerum probatur.* 4. *Pauca de Æthiopibus in Hiſtoriis extant poſt eorum converſionem.* 5. *Patriarchæ Alexandrino ſubjiciuntur.* 6. *Linguam Æthiopum affinitatem habere cum Chaldæa.* 7. *Variæ ejus Dialecti.* 8. *De lingua Suriana ſive ſancta, & Gheez ſive libera quæ vernacula, & de earum Characteribus.* 9. *Cur lingua Æthiopica vocetur Indica.* 10. *De Scripturæ verſionibus Æthiopicis. Totam Scripturam hac lingua extare. De Pſalmis & Cantico Canticorum. De Nov. Teſt. Æthiopico. Verſionem Vet. Teſt. eſſe ex Græca* τῶν ό, *Novi Teſt. non ex Syro, ſed ex Græco codice expreſſam eſſe.* 11. *Actus Apoſtol. non ex Vulgata Latina tranſlatos, contra Scaligerum & Lud. de Dieu.* 12. *Verſionem Æthiopicam antiquam eſſe, contra eoſdem. Dies feſtos obſervant ex Apoſtolica traditione. Petrum Æthiopem & ſocios non fuiſſe auctores verſionis Æthiopicæ, ſed eam primum typis edidiſſe Romæ.*

ÆThiopiam in Scripturis non deſignari per *terram Chus*, contra communem opinionem probatur ex Prophetæ verbis Hab. 3. 7. terram Madian, (quæ ſine dubio ſita erat in Arabia prope Rubrum mare) cum Chuſam confundentis, & ex 2 Reg. 19. 9. ubi legimus quod Sennacheribum obſidentem Libnam ſubito Tirhaca Rex Chus adortus ſit, & ex 2 Chron. 14. 9. ubi legimus Zerah alium Regem Chus contra Aſam Regem Judæ decies centena millia militum duxiſſe, quod fieri non poterat niſi Æthiopes Ægyptum interjacentem prius debellaſſent & ſubjugaſſent. In eodem etiam capite legimus Aſam Regem hac invaſione irritatum, civitates Zerah evertiſſe uſque ad Gerah, quæ in Arabia Petræa ſita eſt ex parte Auſtrali Judææ, uti agnoſcunt omnes. Alia etiam ſunt Scripturæ loca (in quibus fit mentio Chus) quæ de Æthiopia intelligi non poſſunt. Job.28.19 Ezec. 29.10,&c. & Sententiam illam licet magna auctoritate ſuffultam ſtare non poſſe plane demonſtrant: maxime vero Zeph 3.10 & Eſ. 18.1. ubi Ægyptus deſcribitur eſſe trans flumina Chus, quod de Æthiopia dici non poteſt, quæ potius reſpectu Judææ, ubi Propheta ſcripſit, eſſet trans Ægyptum, ita ut neceſſario Chus ſit terra aliqua inter Judæam & Ægyptum intermedia, quæ alia non eſt quam Arabiæ pars quæ Chuſæa dicitur, & ſita erat in Arabia Petræa & Fœlice, & Chuſan dicta fuit Veteribus; Plin. lib 8 c.11. Eratoſtheni apud Strabonem & aliis, cujus incolæ primo Scenitæ à tentoriis in quibus degebant, & poſtea Saraceni à latrociniis, ut quidam, vel potius à ſitu Orientem verſus dicebantur. Fluvius item Gihon, unus eorum qui ex Paradiſo exivit, dicitur circumiviſſe Terram Chus, quod de Æthiopia dici non poteſt. Æthiopiam vero iiſdem ſacris ſcriptoribus per *Lud* & Æthiopes per *Ludim* vel *Ludæos* ſignificari probatur tum ex moribus Ludæorum, ut quod arcu potentes deſcribuntur, Eſ. 66 19 Jer.46 9. &c. & quod anthropophagi erant, teſte Baal Aruc, quæ Æthiopibus non conveniunt, tum ex ſitu, cum Phut & Lud Eſ. 66. 19 deſcribantur ut loca vicina, Phut vero eſt nomen urbis & inſulæ in Nilo inter Ægyptios & Æthiopes, unde infertur per Lud Æthiopiam à Propheta intellig.: videatur D. Bochart. Geogr. ſacra part. 1 l. 4. c. 2, 3, & 26. Arabes eos vocant *chabatti* حبشي vel Habaſſi, unde dempta aſpiratione Abaſſeni vel Abaſſini, tamen origine Ægyptiaca Abyſſinos dictos tradunt nonnulli à domibus quas *Abaſes* Ægyptii appellant, vel quod gentes diſperſas ſignificat, alii à fluvio magno Abaſo dicto; ipſi ſe vocant Chaldæos. Græci Æthiopiam deducunt ab αἴθω *cremo, uro*, & ὢψ ὢπὸς, *facies, aſpectus*, quia ii ſolis vicinitate ita uruntur & torrentur, ut atro ſint colore, Jer. 13. 12. unde Prov. *Æthiopem lavare, dealbare*, &c Waſer. in notis ad Geſn. Mithrid. ad cap. 2. pag. 89, & 92. Homeritas vero ex Arabia per fretum anguſtiſſimum in Æthiopiam trajeciſſe teſtantur veteres, & Auxuma poſſediſſe, unde Plin. lib. 9. cap. 29. & lib. 5 c.9 Nili accolas à Siena non Æthiopum populos ſed Arabum eſſe dicit, & Æthiopes dictos Homeritas ſcribit Theophanes apud Photium, unde apud Stephanum Omeritæ gens Æthiopum; eoſdem Omeritas dici Abaſenos vel Abyſſenos, ab Uranio apud Stephanum ſcriptore vetere conſtat, quos in Arabia Fœlici ponunt juxta Sabæos, adeo ut Abyſſinorum nomen ſit Arabicum: vide Bochart. lib. 2 cap. 23. Scalig. de emend. lib. 7. notis in Comput. Æthiop. Arabice dicit الحبشي *Elhabuſei* ſcribi. Auxumitæ itaque vel Homeritæ non ſunt inter Veteres Æthiopiæ incolas ſed ex Arabia Coloniæ, nec totam Æthiopiam vel maximam ejus partem ſubegerunt, ſed regionem quæ prope fretum illud maris Rubri vel Arabici ſita eſt Hinc non mirandum ſi qui apud Plinium & Ptolomæum vocantur Homeritæ in Arabia Fœlici Procopio dicuntur Auxumitæ ab Auxumis in Æthiopia, à Regia nomine Ἄξυμα.

2. Regem Æthiopiæ vel Abyſſinorum, vulgus Hiſtoricorum ſuperioris ſæculi per errorem vocarunt Presbyterum Johannem, de quo nomine licet apud omnes fere doctos convenit huic Regi falſo attribui, unde tamen error natus ſit & quiſnam fuerit Rex ille qui iſtiuſmodi titulo inſignitus erat multum diſcrepant. Videantur Scalig. loco cit. Kirk. Prodr. Copt. c. 4. Bochart. part. 1. lib. 4. cap. 20. Licet autem Scaliger cum cæteris dicant Regem quendam hujus nominis fuiſſe per Aſiam longe lateque dominantem qui Perſica lingua, quæ per magnam Aſiæ partem locum habet, ut in Occidente Latina *Preſtigiani* فرستكاني id eſt *Apoſtolicus* vocatur, quaſi Rex Orthodoxus & Chriſtianus appellatus ſit. in hoc tamen deceptus eſt, quod origine Afrum aut ex Aſia pulſum in Æthiopia poſtea ſedes fixiſſe fingit, quod nullo idoneo teſte, vel ratione probabili confirmat. Primus qui errori occaſionem dedit hoc nomen Regi Abyſſino tribuendo erat Petrus Covillanius qui à Joh 2. Rege Portugalliæ in Perſiam & Indiam miſſus, cum de Presbytero quodam Johanne aliquid audiviſſet ex Pauli Veneti aliorumque relationibus, & Abyſſinorum Regem vocari accepiſſet à Perſis & Indis Preſter Chan, id eſt *Regem mancipiorum*, quorum magnus numerus ex Æthiopia advectus erat, Abyſſinos vero ſuum Regem Belul Gian appellare quod *gemmam precioſam* ſignificat, inde Johannis nomen ortum, & *Preſter Chan* vel *Gian* Regem Æthiopum appellarit, & hic error, rebus nondum ſatis exploratis, latius inter ſcriptores emanavit. Scribit Waſerus notis ad Geſn. Mithrid. ex Scal. loco cit. Reges Æthiopum ante 300 annos in Aſia, præſertim in Dragiana, finibus Suſianæ, in India & Sinis late imperaſſe, donec ab imperatoribus Tartariæ imperio Aſiæ exuti, & ex Sinarum regione pulſi, primo à Cingi Tartarorum Rege, interfecto Uncan magno Æthiopum imperatore; poſtea Cnican filius Cingis & ejus filius Bethin Can omnes Abyſſinos ex Moni & Sinarum regno expuliſſe, & in Africam fugere compuliſſe, à quibus temporibus ejus Imperatoris notitia ad nos pervenit nomine Preſtigiani, quod lingua Perſica Orthodoxum ſignificat, &c. In hoc diſcurſu verum eſt regem quendam ita nominatum in Oriente regnaſſe & à Tartaris victum, qui ipſius regno finem impoſuerunt, licet aliqui adhuc in Tartaria ſupereſſe volunt ut Hornius de Orig. Amer. l. 4. cap. 2. ſed quod ab Æthiopia ortus ſit, vel quod Æthiopes per Aſiam ita imperium dilatarunt, vel quod poſtea ex Oriente pulſus Abyſſinorum regnum in Æthiopia erexit, meræ nugæ & ſomnia ſunt ſine ulla authoritate ficta, unde & ipſe Scaliger multa contra hæc objicit quibus nemo reſpondet nec reſpondere poteſt. Quidam cum magno Cham confundunt, quidam ridicule in honorem Jonæ Prophetæ, Reges ipſorum Johannis nomine appellari volunt. In partibus Occidentalibus vult Kirkerus Presbyterum dici, non quod Sacerdos eſſet, ſed quia primatum more crucem erectam, ut ſe fidei defenſorem oſtenderet, præferri curavit. Rex itaque Aſiaticus qui 300 vel 400 abhinc annis in Cathaia, ut pleriſque placet, longe lateque imperabat, & ut quidam contendunt adhuc regnat, Presbyter Johannes vocatus eſt ab Europæis, quia ut dixi Preſtigan Perſis *Apoſtolicum* & *Chriſtianum* notat Unde eſt quod Neſtoriani (teſte Hornio de orig. gent. Amer. l.4. c.2.) ſuum Juhanna titulo illo Preſtigan ornarunt, quaſi dicas, Rex Chriſtianiſſimus, Abyſſinorum vero quia Rex Preſterchan (ut diximus) id eſt *rex mancipiorum*, ab Indis & Orientalibus reliquis appellatus ſit. Hodie undique Muhammedanis & Paganis cincti ſunt quorum etiam multi inter eos vivunt: vaſtæ ſolitudines & deſerta exercitibus invia ipſos tutos reddunt ab aliorum invaſione, quod multis abhinc ſæculis damno ſuo expertus eſt Cambyſes Perſa, qui poſt victam Ægyptum exercitum numeroſum in Æthiopiam miſit, quorum pauci redierunt, pleriſque fame & æſtu, poſtquam per arenas & deſerta loca erraſſent, mortuis & conſumptis.

3. Ut ad ea quæ inſtitutum noſtrum propius attingunt accedam, quæſtionem movet Joſ. Scal. de tempore quo primum fidem Chriſtianam receperunt Abyſſini, & ſtatuit non ante Juſtiniani Imperatoris tempora fidem Chriſti in Æthiopia receptam; ſic enim ſcribit de emendat. Temp l. 7. in notis ad comp. Æthiopicum, *Jactant vetuſtatem Chriſtianiſmi à Candace Regina & Philippo Apoſtolo, ſed id manifeſto falſum convincit Eccleſiaſtica Hiſtoria. Anno enim 25 Juſtiniani Imperatoris Adad Rex Auxumitarum vovit, ſi vinceret Omeritarum vicinorum Regem ſe Chriſtianum factum iri, victo Rege Omeritarũ miſſis ad Juſtinianum legatis impetravit ab eo Epiſcopos, qui primi omnium Chriſtianiſmum in Æthiopia publicarunt. Adad igitur Auxumitarum Rex primus in Æthiopia Chriſtianiſmum prædicari curavit.* Hactenus Scaliger: unde infert ipſorum verſionem Bibliorum recentem eſſe. In hoc vero vir doctus multum à vero aberrare videtur: licet enim concedamus Auxumitas tempore Juſtiniani ad fidem converſos, quid hoc ad univerſos Æthiopas, quorum pars minima Auxumitæ, qui cum non multo antea ex Arabia trajeciſſent ubi Idololatræ erant (nam Procopii Gazæi tempore nondum trajeciſſe ipſe Scaliger ibidem obſervat ex Procop. in 1 Regum) quid mirum eos non antea fidem recepiſſe, cum Idololatras multos fuiſſe inter Æthiopes, imo & adhuc eſſe in vaſtiſſimo illo regno (quod 70 regna continet) extra controverſiam ſit; nec omnes populos qui iſto Regi ſubjiciuntur ſimul ad Chriſtianiſmum converſos eſſe quiſquam affirmaverit. Ex Actis Apoſtolorum cap. 8. ver. 27. conſtat Eunuchum Candaces Reginæ Æthiopiæ per S. Philippum ad fidem converſum primum in Æthiopia fidem Chriſti plantaſſe, prout omnes Hiſtoriæ teſtantur, nec à fide ipſos defeciſſe ex ullo probato Hiſtorico oſtendi poteſt, ſed in hunc uſque diem in eadem perſeverare. Per Æthiopiam hic intelligit Grotius Meroen, quæ Æthiopiæ accenſetur; affirmatque quod nomen Candaces ab Auguſti ævo ad Veſpaſianum ad Meroes regiones tranſiit, ut diſcimus ex Strabone 17. Plinio 6. 29. Idem ſcribit quod probabile ſit Eunuchum locum legiſſe in ſermone Hebræo quem facile addiſcere potuit à multis Judæis qui in Æthiopia erant, à quibus & religionem acceperat. Grotius Act. 8. 32. Poſtea teſtantur Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ S. Thomam Evangelium inter Indos & Æthiopes prædicaſſe, cujus veſtigia invenerunt Portugalli, cum in iſtas oras primum appulerant. De Eunucho veterum teſtimonia frequenter occurrunt. Irenæus cap. 12. dicit eum miſſum eſſe in regiones Æthiopiæ prædicaturum illis quæ ipſe credidit, &c. *Deum unum per Prophetas prædicatum*, &c. *hujus filium mundum feciſſe*, &c. *Item in ejus perſona impletum eſſe quod olim cecinerat David; Æthiopia præveniet manus ejus Deo*, Pſal. 67. Euſeb. lib. 2. cap. 1. ad finem, imprimis id teſtatur, & Cyril. Hieroſ. Catech. 17. Hieron. in Eſ. 53. ſcribit Eunuchum, ab Apoſtolo genti Æthiopum miſſum, &c. unde Epiſt. 10. *Ex diſcipulo fit Magiſter*: Idem ſcribit Niceph. Hiſt. l.2. c. 6,7. Doroth. in Synop dicit ipſum per Arabiam Fœlicem, in Inſula Taprobana & in univerſa Erythra Evangelium prædicaſſe: ferunt & martyrium glorioſe tuliſſe, & ibi ſepultum eſſe. Eſ 66 19. vaticinatur Propheta de converſione Gentium, & inter reliquas Æthiopum, quod ſc. qui evaſuri eſſent cladem quam Genti Judæorum interminatus eſt Deus, id eſt, Apoſtoli earumque diſcipuli in Tarſhiſh, Put & Lud qui arcum trahunt, gloriam ipſius inter gentes prædicarent. Hoc vero impletum erat cum Eunuchus Reginæ Candaces à Philippo baptizatus inter Æthiopes tanto ſucceſſu Evangelium prædicavit, ut hodie poſt tot ſecula fides Chriſti apud eos permanſerit. Sic hanc prophetiam explicat doctiſſ. Bochartus. His vero temporibus Candaces nomen fuiſſe Reginæ Æthiopum commune, ut Pharaonis regibus Ægyptiis, Ptolemæi iiſdem, poſt Alexandrum Magnum ex Plinio l. 6. c. 29. Strabone l. 17. Dione in Auguſto & aliis ſatis liquet. Ipſorum Hiſtoriæ, quibus in rebus propriis fides habenda eſt cum non adſunt rationes validæ in contrarium, hoc de ipſorum converſione conſtanter tradunt, (videantur D' Alvares, Damianus à Goes, &c.) Cumque Patriarchæ Antiocheno, ubi primus ſedit Patriarcha S. Marcus, ſubditi ſint, quem in ritibus & religione plerumque ſequuntur, eumque agnoſcunt, (Abunam enim ſuum Patriarcham licet eligant è Monachis Abyſſinis qui Hieroſolymis degunt, ex ordine S. Antonii, confirmationem tamen petunt à Patriarcha Alexandrino, qui ipſum ad Abyſſinos mittit, & regimen animarum eidem mandat) Hinc conſtare poteſt ante Auxumitarum converſionem inter Æthiopes fidem Chriſtianam viguiſſe: ſi enim Epiſcopos miſit Juſtinianus Imperator à Conſtantinopoli cur juriſdictionem Conſtantinopolitani vel Antiocheni Patriarchæ non agnoſcerent Æthiopes, niſi quod ante hæc tempora Alexandrino ſubjiciebantur? Idem ex antiquis ritibus inter Æthiopes, quos ipſe Scaliger loco citato adducit, probari poteſt, ut qui in uſu erant diu ante Juſtinianum, & ipſius tempore exoleverant, qualis fuit Sabbati obſervatio una cum die Dominico, ceſſando ab operibus, quod non Judaiſmi ſed veteris Chriſtianiſmi argumentum eſſe ipſe ibidem fatetur; nam antiquiſſimi Canones vetant Sabbato opus facere. Idem obſervare licet dum panem vino tinctum in S. Euchariſtia porrigunt, quod poſteriores Canones prohibuere. Hæc & alia ante Juſtiniani tempora exoleta fuerunt, licet prope Apoſtolorum temporib' & ſequentibus ſeculis ob certas cauſas in uſu erant. Deinde nec ſanguinem nec morticinum, &c. comedunt, ſecundum Apoſtolorum Canonem, qui in Actis habetur, qui inter Canones Apoſtolorum relatus eſt, Can. 55. Certe hic ritus ab ipſis Apoſtolorum temporibus fluxit, à quibus vel ab eorum diſcipulis illum hauſerunt, nec poterant ab Epiſcopis inter eos miſſis ſeculo Juſtiniani illum habuiſſe, cum diu antea

in Eccleſiis Aſiæ & Occidentis mos iſte evanuerat; denique ex Conſtantii Epiſtola ad Clerum Alexandrinum contra Athanaſium, quæ extat in Athan. Apologia conſtat Athanaſium ordinaſſe Frumentium, Epiſcopum Auxumitarum, quod clare probat multo ante Juſtiniani tempora fidem Chriſti apud Æthiopes viguiſſe.

4 Poſt eorum converſionem pauca de iis legimus in Hiſtoriis cum loca Æthiopiæ interiora pauciſſimi Europæorum penetrarint, donec ſuperiori ſeculo per *Portugallenſium* navigationes detecti 1484. qui in Religione Chriſtianos deprehenderunt, & cum Eccleſia Alexandrina & Ægyptiaca, quibus contermini ſunt, in pleriſque communionem fovere (exceptis quibuſdam antiquis ritibus & conſuetudinibus quæ ab ipſis Eccleſiæ ſuæ primordiis conſtanter retinuere.) An. 1177. narrat Rogerius in Annalibus Alexandrum Papam 3 literas ſcripſiſſe ad Æthiopum Regem precibus Philippi Pontificis Medici, qui in illis partibus peregrinatus eſſet & retuliſſet Principem fide Chriſtianum, in aliquibus tamen à Romanis Eccleſiis diſſidentem, avide deſideraſſe in omnibus erudiri, & cum Eccleſia Romana conſentire; & Eccleſiam Romæ habere pro ſuæ gentis hominibus ubi inſtrui poſſent in omnibus quæ poſtea in Patria docerent: conſtat poſtea Eccleſiam Abyſſinis datum S. Stephani quam in hunc diem poſſident. *Portugallienſium* etiam opera Pontifici Romano ſe ſubmiſerunt, à quo Patriarcham receperunt; nuper tamen ferunt Imperatorem cum toto regno à Pontifice defeciſſe, ejuſque jugo excuſſo in priſtinum ſtatum revertiſſe. Narrat Victorius Reutinus de Regibus Æthiopiæ, an. 1267. Icum Nuambech de familia David, Æthiopicum regnum majoribus ſuis ereptum, ope optimatum qui res Sabæ Provinciæ procurarunt recepiſſe, & ex Auxuma provincia in Sabam tranſtuliſſe. An. 1437. cum Joh. Imperator Græcus & Eugenius Papa de unione conſilia inierunt in Concilio Ferrarienſi, Zarah Jacob Abyſſinorum Imperator ab Eugenio invitatus legatos ad idem Concilium miſit. An. 1515. Legatum cum muneribus mittit David Abyſſinorum Rex ad Leonem Pontificem. An. 1624. A Davide Rege & ejus Avia ad Clem. Pontificem legati mittuntur obedientiam promittentes & benedictionem obſecrantes, Jov. Genebr Dam. à Goes.

5. Æthiopes vero ut Alexandrinum Patriarcham agnoſcunt, ſic ab Ægyptiis in ritibus ſacris parum differre ipſorum Ritualia & Liturgiæ palam teſtantur, unde Nicephorus, Zonaras, Chron. Alexandrinum, *&c.* eandem faciunt Eccleſiam Ægyptiacam & Æthiopicam. In Liturgia enim ſua orant Æthiopes non tantum pro fœlici ſtatu Eccleſiæ ſuæ, Regis, Principum ac Judicum, ſed etiam ſpeciatim pro Alexandrino Antiſtite, (ut ex verbis Liturgiæ ad finem Nov. Teſt. impreſſæ, & in Bibliotheca Patrum Lat. patet.) pro Principe ſuo, Archiepiſcoporum ſuorum principe, & Epiſcoporum magnæ provinciæ Alexandrinæ capite, *&c.* poſtea ſubdunt, pro patriæ noſtræ capite venerando Archiepiſcopo noſtro N. N. & omnibus Epiſcopis, ſacerdotibus & Diaconis rectæ fidei. Una cum Ægyptiis etiam æram Martyrum, à Diocleſiano in dira illa perſecutione occiſorum. anno Chriſti 383. quam vocant *æram gratiæ*, ſequuntur, quam lingua Patria ዓመተ፡ ምሐትረ፡ *Amath Macharath* appellant, nec alio computo utuntur; unde notante Kirchero cum Epactas alioſque cyclos inveſtigant, annum gratiæ pro radice computi accipiunt. Nomen illud Scal. dicit ſe non intelligere lib. 5. de emend. & lib. 7. in notis dictis ſcribit, *Æthiopes æram Diocleſiani qua utuntur appellare annum Gratiæ, ſe cauſam appellationis ignorare.* Et in fine fatetur, *ſe æſtuaſſe antequam annos Gratiæ intelligeret*, quæ ejus verba cum aliis quæ eodem loco ipſe ſcripſit, neſcio quo pacto conciliari poſſunt. Narrat Genebr. an. 1555 Petrum quendam Æthiopem familiarem fuiſſe Marcello Papæ, à quo Marianus Victorius Epiſcopus Reatinus linguam Æthiopicam didicit anno 1532. inſtitutionibus de ea editis, nunquam antea à Latinis viſis.

6. De lingua Æthiopum notandum (quod in tam vaſto regno aliter fieri non poteſt) ipſos varias habere dialectos: lingua vero ipſorum à multis Chaldæa dicitur, ut apud authorem Chron. Alexandr. Baronium anno 1260. & an. 134. Scaliger etiam teſtatur *quod ſe appellant Chaldæos, idque non ſine cauſa, quia lingua elegantiſſima & vetuſtiſſima, qua libros ſacros & prophanos conſcriptos habent proxime abeſt à Chaldæa vel Aſſyriaca.* In Alphabeto cum Nov. Teſt. impreſſo, ut & in Pſalterio Æthiopico, ſe Chaldæos vocant. Waſerus in notis ad Geſn. Mithridat. ad cap. 2. ſcribit linguam eorum proxime abeſſe à *Chaldæa* & *Aſſyria* itemque *Hebraica*, quam in Æthiopiam intulerunt Chriſtianorum reliquiæ. Affinitatem vero hanc facile perſpiciet qui verſum unum vel alterum Æthiop. Pſalmorum vel Nov. Teſtament. in Bibliis noſtris perlegerit. Multas enim Colonias ex Aſſyria in Æthiopiam olim tranſmigraſſe, quæ & linguam Chaldaicam ſecum introduxerint, refert Niceph. l. 9. c. 18. ex antiqua Hiſtoria Eccleſiaſtica, & tempore Juſtiniani Chaldaicam linguam ipſis in uſu fuiſſe. Deniq; Marianus Victorius Epiſc. Reatinus, qui primus Æthiopicam linguam in regulas Grammaticæ redegit, quam edidit Romæ circa annum 1550. quamque poſtea recuſam an. 1630 Romæ edidit Achilles Venerius nomine Congregationis de propaganda fide, in Proœm. dicit, *Æthiopes linguam ſuam vocare Chaldæam, ut quæ à Chaldæa Babylonica exoriatur, & Hebraicæ quam ſimilis eſt, a qua non ſecus quam Syriaca, Arabica ac etiam Babylonica, quam etiam Aſſyriacam appellant, originem ducit*, unde concludit, *facillime hanc linguam perdiſci poſſe ab eo qui Hebraicam callet.*

7. Teſtatur quidem Herodotus lib. 2. Ammonios, qui Ægyptiorum & Æthiopum erant Coloni, linguam inter utroſque mediam uſurpaſſe. Diod. Sicul. lib. 4. de fabuloſis antiquorum geſtis, affirmat Æthiopes primum eaſdem literas habuiſſe cum Ægyptiis, quas ſacras & Hieroglyphicas vocarunt, quæ variis animantibus, extremitatibuſque hominum atque inſtrumentorum præcipue artificum perſimiles. Hæc vero multis ab hinc ſeculis evanuerunt. Geſn. in Mithrid. p. 62 ſcribit linguam Indicam, i. Æthiopicam Hebraicæ, Chaldaicæ & Arabicæ affinem eſſe, ut raro admodum ſit in hac aliqua dictio quæ non in illarum aliqua reperiatur: & hæc ſola Orientalium quæ ex Hebræo originem ducit legitur noſtro modo à ſiniſtra ad dextram. Refert Mariana Victorius tria apud ipſos eſſe linguarum genera vel potius dialectos, vernaculam, Babylonicam, & Sanctam ſive liberam, quarum exemplum dat in hoc verbo, Panis, quem lingua materna vocant ለቅ፡ Babylonica ለቶሬ፡ ſancta vero ac libera ኅብስት፡ Babylonicam illam explicat Gram. p. 43. eſſe floridum & ornatum dicendi genus quod omnes modos & omnia tempora habet, & in qua multa elegantiſſima ut dicunt tum nomina tum verba reperiuntur, & p. 43. dicit Phraſin eſſe nitidam ac politam, non ſecus ac apud nos Ciceronianam, quodque eanon plebs ac vulgus, ſed elegantiores utantur, tum ad ſolutam orationem tum ad carminum compoſitionem, vocantque à tabernaculis, ut aiunt, Babylonicum hoc idioma, differtque ab eo quo omnes utuntur, & ab eo etiam quo ſacræ literæ deſcriptæ ſunt, & p. 8. refert Characteres alios ipſos habere pro hac lingua, nobis hodie incognitos, utpote qui nullam de eo in S. literis mentionem habemus.

8. Præter hanc alias duas linguas vel potius dialectos habent, quarum Characteres diverſi, de quibus Kirkerus ex Sacerdotum Abyſſinorum qui Romæ ſunt relatione & alii: unam vocant ſanctam, Surianam & antiquam quia volumina ſacra olim conſcripta ſunt Charactere Suriano vel Sancto, ſacerdotibus ſolis & doctioribus noto, unde & inter ipſos pro lingua docta habetur, & vocarunt ſanctam quia Chriſto erat vernacula. Hic vero character idem eſt cum eo quem vocamus *Eſtrangelum*, quo Syri hodie utuntur in librorum inſcriptionibus, qui reſpondet literis noſtris Capitalibus, à quibus deducti reliqui Syrorum characteres ordinarii, Hic vero Character ipſis hodie in uſu non eſt. E Syria in Ægyptum & Æthiopiam, utpote confines regiones traductas eſſe colonias, & linguæ Syræ & Characterum fuiſſe traditrices affirmat Kirker. Prodr. Copt. c. 3. pag. 46. Altera eſt Vulgaris & communis qua in hunc diem Abyſſini omnes utuntur, qua etiam impreſſa habemus Pſalterium Æthiopicum, Cant. & N. Teſtamentum, hanc vero vocant ግእዝ፡ *Geez*, i. e. *liberam* quod à nulla alia lingua originem duxerit, & huic linguæ proprius eſt hic character qui hodie vulgaris eſt, & qui in Alphabetis ubique conſpicitur. Priorem vero vocant Chaldæam et Aſſyriam. Tabulam confecit Poſtellus vocum quæ eædem ſunt Hebraice et Æthiopice, eiſdem literis et eadem ſignificatione, quarum multæ in Lexico Wemmeri extant, licet & multa ſint vocabula Æthiopica ab ipſo omiſſa, ut à viris doctis obſervatum eſt, Hæc quidem obſcure admodum & perplexe ſcripta invenimus ab iis qui linguæ hujus peritiam profitentur, Linguam enim ſanctam & Surianam modo à vernacula quam Ghees ſive *liberam* vocant, ut diverſam videntur diſtinguere, modo cum eadem confundunt, modo Scripturam in illa Suriana et ſancta. modo in vernacula ſive libera ſcriptam volunt. Hoc vero ex libris Æthiopicis impreſſis conſtat, Novum Teſtamentum, Pſalmos, &c. ſcripta eſſe lingua illa quam Ghees ſive liberam vocant, ſic enim diſerte affirmatur in Titulo Nov. Teſt. Romæ à Petro Æthiope edito. 2. Ex ipſa verſione conſtat multa vocabula Novi Teſtamenti quod ſcriptum eſſe dicitur lingua Ghees ſive *libera* eſſe Hebraica, multa Chaldaica, Arabica quædam, plurima tamen alterius plane Linguæ, quæ ad Heb. Chald. vel Arabicam referri non poſſunt, quamque Vernaculam eſſe exiſtimamus. Lingua ergo illa non eſt ita dicta quaſi a nulla alia originem duxerit, ſaltem quoad integram ejus naturam, cum multa ſint vocabula, quæ ad origines Hebraicas, Chaldaicas, & Arabicas referuntur; nec verſio Æthiopica, quam habemus facta eſt in pure vernacula ſive Ghees, niſi dicamus vernaculam mixtam eſſe cum Heb. Chald. & Arabica.

9. Linguam illam qua in ſacris utuntur elegantiſſimam eſſe affirmat Scaliger, quod quidem verum eſſe facile deprehenditur, & in multis etiam adventitiam eſſe, & à nativa Æthiopum linguam differre. Quod vero Æthiopes aliquando etiam Indos, & eorum lingua Indam vocari legimus, hoc inde fit quod olim Æthiopia ſub Indiæ nomine à veteribus Scriptoribus comprehenſa ſit, unde apud Poetam Nilus ab Indis fluere dicitur, ut & apud Procopium lib. 6. Sic Ælian. lib. 17. Æthiopes vocat Indos. Marcellinus Comes Indict. 4. Coſſ. Paulo ſolo, dicit Anaſtaſio principi Elephantem, &c. ex India miſſum, i. ex Æthiopia. Panegyriſtes etiam hæc habet, *Dent veniam trophæa Niliaca, ſub quibus Æthiops & Indus intremuit.* Vide Scal. Inda itaque non dicitur, quaſi hæc cum Indorum proprie dictorum lingua eadem ſit, ſed ob cauſam jam dictam. Sebaſt. Munſterus in Gram. Chald. notat *duplicem eſſe Indiam, unam Orientalem, quæ ſcilicet in Aſia extremum occupat locum, cujus linguam & literas omnino ignoramus; alia eſt Meridionalis, in Africa ſcilicet ſita, quæ ad Orientem habet mare rubrum, Arabiæ fœlici contermina, niſi quod Arabicus ſinus interfluit; porro ad Septentrionem jungitur Ægypto & ad Occidentem Æthiopiæ —— Hodie Abaſini & Indi Indiani appellantur*, &c. *Ad hos itaque homines dictam ſpectare linguam non modo Joh. Breſhenbachius, verum & Jo. Potken teſtatur, quem de Hieroſolymis hic Romæ homines Indos conveniſſe & Alphabet. eorum libris deſcripſiſſe fatentur.* Poſtea apponit ex hac lingua & Chaldaica vocabula quædam cum interpretatione Latina, ut harum linguarum affinitas & diverſitas pateat.

Indica.	Chald.	Lat.	Indica.	Chald.	Lat.
Loboi.	*Lebbi.*	*Cor meum.*	*Baſam.*	*Betſcham.*	*Pinge.*
Zadok.	*Zaddika.*	*Juſtus.*	*Booſi.*	*Gabra.*	*Vir.*
Anta.	*Ante.*	*Tu.*	*Amolacha.*	*Elaha.*	*Deus.*
Modorna.	*Aronana.*	*Terra noſtra.*	*Dubra.*	*Thura.*	*Mons.*
			Saboo,	*Enoſchi.*	*Homo.*

Indica.	Chald.	Lat.
Obolo.	*Lachme.*	*Panis.*
Jon.	*Chamra.*	*Vinum.*
Beta.	*Beta.*	*Domus.*
Gaburcha.	*Thadra.*	*Feciſti.*
Saburca.	*Tebarta.*	*Fregiſti.*

Tunc hæc ſubdit: *Hinc facile eſt judicare linguam quam Indianam vocant non eſſe Chaldaicam, niſi contra claram Scripturam ſentire velis Danielem, Jonathan, Onkeloſum & reliquos interpretes non Chaldaice ſed forte Calicutice ſcripſiſſe. Eſt igitur lingua propria & ſuæ genti peculiaris, nunc quidem cum Chaldaiſmo, nunc cum Hebraiſmo nonnihil habens affinitatis, ſed plus cum utraque diverſitatis; proinde mihi videtur, ſi in ſenſu meo abundare permittar, eam Æthiopum eſſe linguam, ſicut & Abyſſini* *ipſi non admodum ab Æthiopibus differre dicuntur; quanquam non neſciam ipſos Judæos in ſuo Haruch eam vocare linguam Iſmaeliticam.*

10. De verſione Scripturæ Æthiopicæ pauca dicam, cum totam non habeamus, & pauci ſint qui de hac verſione vel linguæ ejus utilitate aliquid ſcriptum reliquerunt.

1. Conſtat apud Æthiopes totam Scripturam lingua ipſorum, quam Chaldæam & Gheez ſive liberam vocant, eſſe deſcriptam; licet enim tantum Pſalmorum liber, & Novum Teſtamentum typis apud nos edantur, cum Cantico canticorum & Canticis ſacris quibuſdam aliis, tamen totam eos habere Scripturam tam Vet. quam Novi Teſtamenti ſatis exploratum & certum eſt, totamque ſperabam me in hiſce Bibliis in lucem editurum, ſi promiſſis ſtetiſſent qui exemplaria perfecta Æthiopica mihi promiſerant. Habuit doctiſſimus Gaulminus in Gallia univerſum Vet. Teſtamentum Æthiopicum, quod ope D. Bigo, viri undequaque doctiſſimi, conſecutus eſſem, niſi quod exemplar ipſum Sereniſſimæ Reginæ Suecorum commodatum & in ipſius Bibliotheca repoſitum, fortuito an fraude alicujus neſcio amiſſum, haberi non poterat.

2. Habemus Pſalmorum librum cum Cantico canticorum aliiſque ſacris canticis characteribus Æthiopicis editum primo Romæ anno 15:3. poſtea Coloniæ anno 1518. per Potkenium Præpoſitum Eccleſiæ S. Georgii apud Colon. qui etiam ad finem Alphabetum Æthiopicum cum paucis lectionem & pronunciationem ſpectantibus adjecit. Exemplar etiam MS. Pſalmorum Æthiopicum habui à D. Pocockio accurate ſcriptum, ex quo errata quæ in codicibus Romæ & Coloniæ impreſſis quamplurima occurrunt, correcta & emendata. Novum vero Teſtamentum edidit Frater Petrus Æthiops, Pontifici Leoni X. ut dixi charus, auxilio, ut ipſe loquitur, piorum Romæ anno 1548. Paulo tertio Pontifice & Claudio Abyſſinorum Imperatore. Primo vero Evangelia 4. excuderunt cum Euſebii Canonibus concordantiarum & Epiſtolis Sancti Pauli, Epiſt. ad Hebræos, Apocalypſi &, quæ ultimo loco ponuntur, Actis Apoſtolorum. Ad finem etiam Miſſale Æthiopicum ſive Liturgiam adjunxerunt cujus in Bibliotheca Patrum habemus Latinam verſionem: poſt triennium etiam Epiſtolas reliquas idem edidit: unde eſt quod in pleriſque codicibus deſunt Epiſtolæ Catholicæ quas vocant, quia poſt reliquas editæ. In exemplaribus quibus
Hardie uſus ſum deſiderabantur, & poſtquam illas diu fruſtra quæſieram, tandem
Farnus à doctiſſimo D. ~~Gaulmino~~, perfectum exemplar nactus ſum. Cum vero nihil unquam in hoc genere typis antea evulgatum eſſet; non mirandum eſt nævos multos & errata plurima occurrere, quæ in editione noſtra, ni fallor, emendata ſunt.

3. Ex iis quæ edita habemus liquet Vet. Teſtamentum apud eos ex Græca LXXII interpretum verſione traductum eſſe, quam, ut ab Apoſtolis traditam, in ſummo honore primis Eccleſiæ temporibus fuiſſe nemo eſt qui ignorat, unde eſt quod Pſalterii in Bibliis noſtris verſionem Latinam aliam non dedimus præter illam quæ Græcæ reſpondet, ubi tamen à Græca diſcrepat Æthiopica, diſcrepantiam Latine exprimi curavimus. Quod ad N. Teſt. attinet, mihi videtur ex Græco codice expreſſum eſſe, non ex Syro quod autumant quidam: nam qui Syrum cum Æthiopico conferet, plane percipiet magnum ubique inter eos diſcrimen, & ſæpiſſime à Syro Æthiopicum recedere tum verbis tum ſenſu: Hoc tamen notandum, in multis cum Syro convenire, ut in Doxologia ad finem Orat. Dom. Matth. 7. quæ in Syro & Æthiopico habetur, at in Vulgata Latina, Arab. ut & in omnibus fere Græcis codicibus antiquioribus deeſt. Matth. 22. 27. hæc verba, *& in omni virtute tua*, adduntur à Syro et Æthiop. Cap. 23. 8. non legunt (ὁ Χριστός) Æthiopicus cum Syro et Vulgat. Matth. 21. 23. verba reddit plane ut Syrus. Sic Act. 3. 37. verſiculus integer ut in Syro ſic in Æthiopico deeſt, et 1 Joh. 5. 7. verſus ille, quem in plurimis codicibus Græcis antiquis non extitiſſe notatum eſt apud Veteres, nec in Syro nec in Æthiopico exemplari apparet. Quod mihi probabile reddit, non unum ex altero expreſſum, ſed utrumque ex antiquo aliquo codice, qui in hiſce ab aliis diverſus erat, factum fuiſſe, quod utriuſque antiquitatem probat. Matth. 27. 49. addit Æthiop. ex Johanne, *& alius rurſus accepit lanceam, & confodit ea latus ejus, & efflaxit ſanguis & aqua*, quæ non in Syr. Arab. vel Vulgata Latina leguntur. Beza tamen in duobus vetuſtis Codd. Græcis ita legi notat. V. 56. addit, *Et Maria quæ Jacobi, & mater Joſeph*; quæ ſolum in Evangelio Hebr. habentur. V. 53. cum Arabe conſentit addendo, *poſtquam reſurrexiſſent*, &c. & hoc obſervandum Verſionem hanc textum ſatis fideliter plerumque reddere, verumque ejus ſenſum exprimere, obſcura quoque loca illuſtrare, ita ut ex hujus cum antiquis collatione multum lucis textui oriri poſſit, unde temeraria & injuſta videtur Joſ. Scaligeri de hac verſione, quam vix ſatis intellexit, cenſura, cum ſcribit, peſſima fide eorum libros traductos eſſe, & malam fidem in Epiſt. Pauli reperiri, in quibus vix tria commata continua reperies in quibus aut verba aut ſenſus Apoſtoli reddita ſint, quod qui Epiſtolas diligenter contulerit cum verſione noſtra Latina aliter ſe habere deprehendet.

11. De Actis Apoſtolorum innuere videtur qui ea edidit, ſe ſecundum Vulgatam Latinam tranſtuliſſe, quod Scaliger affirmat etiam vel puero ex innumeris locis colligere haud difficile fore, cum tamen hunc librum conferenti aperte conſtet Vulgatam non exprimere magis quam Syriacam, vel aliam verſionem, imo in quibuſdam à Vulgata plane variare verba addendo vel omittendo, & aliquando ſenſum plane alium reddendo. Verba etiam quæ ad finem Actuum Apoſtolorum in edit. Æthiop. adduntur mala fide recitat Scaliger, quæ verbatim reddita ita ſonant, *Hic abſoluta ſunt Acta Apoſtolorum, quorum preces & benedictiones ſint cum ſcriptore Tiſpha Zion & eum plurimis illorum interpretibus, cum S. Johanne Præfecto* (vel *Dictatore*) *& cum omnibus noſtris baptiſmi filiis in ſecula ſeculorum, Amen. Iſte Actus Apoſtolorum cujus Romæ multæ ſunt tranſlationes, Latinæ Græcæque conformem fecimus (vel contulimus) exemplari Æthiopico, Patris cauſa: ſi qua omiſimus addidimuſve condonate nobis & voſmet corrigite, quippe hac non confecimus ab gloriationem aut quæſtum, ſed propter Deum, cujus cauſam habent: ſumus enim omnes filii Abuna Tecla Haimanoth.* Ex quibus verbis clare conſtat Æthiopes iſtos exemplar Æthiopicum ſecutos eſſe in editione ſua, non vero Vulgatam Latinam, licet Latinam cum Græca aliaſque verſiones contulerint. Præterea in Actis, ut in reliquo Teſtamento, lectiones Scripturæ notantur pro diebus feſtis ſecundum uſum Eccleſiarum Æthiopicarum non Latinarum, ut Act. 2. 22. lectio in Lampadibus Paſchatis & in cruce. Act. 3. 12. lectio in Lampadibus Paſchatis. Act. 4. 1. in die feſto Paſchatis lectio, *&c.* quæ indicare videntur eos exemplare Æthiopicum ſecutos fuiſſe tam in Actis quam in libris reliquis. Quid itaque dicendum de ipſius interpretis aut editoris verbis quæ adfert Lud. De Dieu in Appendice ad Evang. Matth. ubi adducit verba authorum (ut ipſe exiſtimat) tranſlationis hujus Æthiopicæ ad finem Evang. S. Matth.? *Propter Patrem & Filium et Spir. Sanct. et propter electos. & indutos cruce, lectores hujus libri memores eſtote noſtri in precibus veſtris ſanctis. fratrum veſtrorum expectantium ſpem reſurrectionis filii, & ternarii, Petri, Pauli & Bernardini (nam omnes nos filii Abuna ſumus, planta fidei montis Libanon.) Laboravimus in hoc libro afflictione magna*; unde notat De Dieu *Abyſſinos ſive Æthiopes Patriarcham ſuum non alio nomine quam Abuna*, i. Pater noſter, *nuncupare: quod autem ſe dicant plantam fidei montis Libanon, ſignificat derivatam ad ipſos fidem a Syris Chriſtianis, qui montem Libanon incolunt.* Suſpicatur etiam *cautionis gratia id expreſſum, ut conſtet ex illorum numero eos eſſe, qui Maronitas montis Libani ſecuti Pontifici Romano ſe ſubjecerunt, quod a Maronitis iſtius montis anno* 1182. *factum ex Setho Calviſio didicimus, atque inde de antiquitate & auctoritate hujus tranſlationis non obſcurum judicium fieri poteſt.* Hactenus De Dieu. At primo fallitur vir doctus dum auctores tranſlationis facit eos, qui ipſam Romæ ediderunt & typis excudi curarunt; in editione enim tantum, non in verſione laborarunt Petrus Æthiops cum ſociis Paulo & Bernardino: quod & ex lectionibus diebus feſtis obſervatis & ubique notatis in hac verſione conſtat; hoc enim plane oſtendit ipſos verſionem apud Eccleſias ſuas uſurpatam edidiſſe, non novam condidiſſe, quæ ſane nulli uſui inſerviiſſet. Quod vero dicunt ſe Æthiopes eſſe & *filios Abuna & plantam de monte Libanon*, multum errat vir doctus in verborum tranſlatione, cum alium plane ſenſum habeant, nec per *plantam fidei ex monte Libanon* reddi poſſunt, ſed proprium nomen Abuna exprimunt, & ita reddi debent, *Sumus enim nos omnes filii Abuna Tecla Haimanoth montis Libani*, quæ eadem verba ad finem S. Matthæi, & ad finem Actuum habentur, unde omnia quæ ex his verbis deducit De Dieu, ſublato hoc fundamento corruunt.

12. De antiquitate hujus verſionis non poſſum Scaligero ſubſcribere, qui vult recentem eſſe, & ante Juſtiniani tempora fidem Æthiopibus non prædicatam fuiſſe magna fiducia affirmat; cum vero hoc manifeſte falſum eſſe, & omnibus antiquis ſcriptoribus contraire ſupra oſtendimus, etiam & hoc de ipſa tranſlatione à vero alienum eſſe ſtatuimus: ſi enim fides Chriſtiana ab ipſis Apoſtolorum temporibus ab ipſis recepta fuit, quod ſupra evicimus, *Eccleſia vero ſine Scripturis eſſe non poteſt*, cumq; etiam nullam aliam ex ullis Hiſtoriarum monumentis ipſos habuiſſe probari poſſit, primis vero illis temporibus omnes fere nationes Scripturam in linguam ſuam converſam habuerint, hinc ſane probabile videtur à primis naſcentis Eccleſiæ Æthiopum incunabulis verſionis hujus originem accerſendam eſſe. Ideo ab exemplaribus Græcis antiquis, à proximis Apoſtolorum temporibus, tranſlationem hanc derivatam eſſe probabiliter colligitur. Hoc enim manifeſtum eſt magnæ antiquitatis argumentum, quod cum antiquis Græcis exemplaribus in multis locis concordat, ubi aliter hodie legunt codices Græci, ut ex variis noſtris lectionibus Græcis liquet. Feſta autem quorum ex Scriptura lectiones annotantur, non in omnibus ejuſdem cum textu antiquitatis ſunt, cum illorum multa temporibus poſterioribus inſerta ſint, ut in Syriaco textu videmus, qui tamen fatentibus pleriſque non multum poſt Apoſtolorum tempora conſcriptus eſt. Conſuetudinem tamen hanc dierum feſtorum in genere antiquiſſimam eſſe, & Catholica traditione niti, hinc contra Novatores noſtros ſectarios plane conſtat, cum in omnib⁹ per Aſiam Orientis Eccleſiis, ut ex verſione Syriaca & Arabica perſpicimus, etiam in Æthiopicis per Africam, ut & Latinis per Europam, hanc conſuetudinem obtinuiſſe clarum ſit: qui quidem conſenſus orbis Chriſtiani neceſſario probat hoc ex aliqua authoritate quæ totam Eccleſiam obligare poſſet ortum fuiſſe: cumque in Conciliis generalibus hoc non primo conſtitutum, ſed ſemper ſupponi videamus, nec in Scripturis expreſſe mandatum, non ex alio fonte quam ex Apoſtolica traditione profluxiſſe manifeſtum eſt, ut longe antehac S. Auguſtinus de talibus ritibus pronunciavit.

Ut vero iis quæ à Lud. De Dieu & à Scaligero dicuntur de hac verſione, (quaſi, ſc. à Petro ejuſque ſociis primo confecta fuerit, qui eam Romæ ediderunt, & quod recens ſit) fides à credulis non adhibeatur, placuit verba quæ ad finem Evangeliorum adjiciuntur ex Æthiopico exemplari Latine reddita hic adſcribere: verba enim quæ ad finem Actuum habentur Paragr. præcedente retulimus.

Ad finem Matthæi, *Propter Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, propter electos & indutos cruce, lectores hujus libri memores eſtote noſtri in precibus veſtris ſanctis, fratrum veſtrorum Tiſpha Zion Melzazo, Tanſa Wald & ternarii, Petri, Pauli, & Bernardini: ſumus enim nos omnes filii Abuna Tecla Haimanot montis Libani: elaboravimus hunc librum afflictione magna.*

Ad finem Marci, *Memores eſtote Petri, & Pauli, qui nobis propter Deum opitulati ſunt, & noſtri memores eſtote in precibus veſtris, laborum ſc. noſtrorum ob hunc librum. In multa afflictione elaboravimus 500 novos libros juxta beneplacitum Dei: Ei & Trinitati ejus convenit laus. Amen.*

Ad finem Lucæ, *Benedictus ſit Dominus qui ad gratiam recordari vos fecit, ut agnoſcatis gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti; Pauper ego & deſpectus juxta ritus Patrum meorum, peregrinus Jeruſalem etiam adivi civitatem Romæ, atque mecum frater meus Tanſa Wald, eò quod non attenderemus verba eorum atque mores. Et Romanenſes admodum benigni ſunt, ut & Pontifex eorum Maximus, & omnium Chriſtianorum Antiſtes, qui recti ſunt fide, cujus nomen eſt Paulus tertius Farneſius. Finita ſunt verba Evangelii, & beneplacitum Dei habent qui in præceptis atque ritibus ejus ambulant. Diligant, miſereanturque noſtri omnes boni, quorum ope confecimus*

fecimus hanc impreſſionem, & 500 libros conſignavimus. Memores eſtote noſtri vos omnes Eccleſiæ Chriſtianæ Æthiopicæ, eorumque etiam memores qui in ſorore ſunt rectæ fidei. Sumus cum Romanenſibus *nos viri Æthiopiæ, teſte Spiritu Sancto.* Ad finem Johan.

Benedictus ſit Deus, qui auxiliatus eſt nobis in Evangeliorum impreſſione abſolvenda : Eum denuo obteſtamur, ut reliquos etiam libros nobis manifeſtet, cui Laus. Amen. Agite nunc, defleamus apud Creatorem atque Dominum noſtrum cum Jeremia Lamentationum peritiſſimo, tempore calamitatis filiorum Iſrael per manus Nabucodonoſor; adeo ut obliti ſint feſtorum atque rituum ſuorum, diripiente illo domum Dei ipſorum, atque libros eorum, utpote inutiles, comburente : Par eſt, ut nos etiam lugeremus miſerandã captivitatem hominum noſtrorum et mulierum. Quæ de afflictione magna & perſecutione habentur, intelligenda ſunt de invaſione Æthiopum per Arabes Muhammedanos tunc temporis facta, qui omnia vaſtarunt, Eccleſias, urbes, & pagos ubique combuſſerunt, & Æthiopes plurimos captivos abduxerunt. Ex his vero luce clarius conſtat, Petrum & ejus ſocios, non fuiſſe auctores Verſionis Æthiopicæ, ſed eam typis primum ediſſe, ipſamque Verſionem multo antiquiorem eſſe.

PROLEG. XVI.

De Lingua Perſica, & Verſionibus Scripturæ Perſicis.

1. *Perſia olim vocata Cuth, & Elam. Sub Cyro dicta Perſia ab equitibus.* 2. *De lingua Perſica.* 3. *Plurimæ voces Perſicæ eædem cum Germanicis & Anglicis.* 4. *Unde hæc convenientia.* 5. *De uſu linguæ Perſicæ.* 6. *De Verſionibus Scripturæ Perſicis.* 7. *De Pentateucho Perſico.* 8. *De Pſalmorum exemplaribus Perſicis.* 9. *De Evangeliis Perſicis.*

1. PErſiam olim ſub nominibus Cuth & Elam notam fuiſſe, teſtatur Joſephus, qui Antiq. 1.7. ſcribit Ἔλυμον καὶ Ἐλυμαίους fuiſſe Περσῶν ἀρχηγέτας, *Perſarum gentis conditores*; & lib. 9. cap. 14. Samaritanos dictos Cuthæos, quia ἐκ τῆς Χουθᾶς καλουμένης χώρας μεταχθῆναι, αὕτη δ᾽ ἐστὶν ἐν τῇ Περσίδι, καὶ ποταμὸς τοῦτ᾽ ἔχων ὄνομα; *quia ex Cutha, regione ſic dicta, tranſlati ſunt, (hæc vero eſt in* Perſide,*) aut fluvio qui idem nomen habet.* Frivolum enim eſt, & a fabulis petitum, quod quidam a Perſeo Perſarum nomen deducunt: nec verum eſt, quod alii ſcribunt, a ſeipſis Artæos dictos eſſe, quo nomine ſoli Heroes & Magnates dicti; nec Charſachas, quomodo eos vocabant Scythæ per retaliationem: cum enim Perſæ ipſos vocabant Sacas, inde illos Charſacas, quaſi Φυγοσάκας appellabant. Occaſionem mutati nominis dedit Cyrus Monarcha Perſarum primus: nam cum, teſte Xenophonte, lib. 1. Cyropæd. ante Cyrum rarum eſſet in Perſia equum videre, (regio enim montana ad equos alendos, ut & ad equitandum minus apta erat,) Cyrus primus omnes a teneris equitare juſſit, & edicto ſancivit, *ut ignominioſum eſſet, ſi quis, qui equitare poterat, poſtea pedes iret*: unde apud eundem Xenophontem legimus lib. 4. equites ſtatim Perſas factos, & quod vir probus nemo haberetur, qui pedibus ultro iret: &, ut Herodotus, pueros a teneris hæc tria addiſcere curabant, ἱππεύειν καὶ τοξεύειν καὶ ἀληθίζεσθαι, *equitare, ſagittas mittere, & vera dicere.* Cum vero فرس Arabice ſignificet *equum*, & فارس *Pharis* equitem, ut & Hebr. פרש, hinc Perſæ dicti quaſi *equites.* Hinc etiam eſt, obſervante viro Doctiſſ. quod apud ſacros ſcriptores, qui ante Cyri tempora ſcripſerunt, nulla ſit Perſarum mentio: at in libris Danielis, Ezech. Eſræ, Nehem. Eſther. & Chronic. quorum ſcriptores Cyro coævi erant, vel poſt ipſum vixerunt, frequenter Perſarum nomen occurrit.

2. De lingua Perſarum legimus Act. 2. inter alias nationes, quæ Hieroſolymis confluxerant feſto Pentecoſtes, fuiſſe & Perſas, qui Apoſtolos (dono linguarum cœlitus collato) audierunt ſua lingua τὰ μεγαλεῖα τοῦ θεοῦ loquentes. Cum vero varias ſubierit mutationes hæc regio, dum ſub imperio Græcorum, Romanorum, Sarracenorum, Turcarum, &c. fuerit, dubitatio oritur de lingua Perſica. 1. An poſt tot mutationes adhuc ſuperſtes ſit, an vero perierit prorſus. 2. Unde ſit, quod tot vocabula Perſica ſint, quæ prorſus Germanica & Anglica ſunt eadem ſignificatione. De prima ſciendum eſt, in Perſica hodierna magnam eſſe mixturam vocabulorum, ex gentium varietate, quæ in Perſiam variis temporibus irruperunt, Græcorum ſc. Romanorum, Arabum, Turcarum, Tartarorum ſub Tamberlane &c. Maxima tamen pars eſt Arabicorum & Turcicorum: quaſdam tamen eſſe reliquias veteris ſermonis Perſici inter veteres authores, quæ adhuc inter Perſas ſervantur, quorum quædam collegit Geſnerus in Mithridate, plura Waſerus in notis ſuis ad Mithridatem pag. 127. Multa interpretatur Andræas Bellavicenſis in Gloſſis Avicennæ, omnia fere Guil. Burtonus in Vet. linguæ Perſicæ Λειψάνοις, quæ apud priſcos authores reperiuntur: ex quibus varia ſunt quæ in Tawoſi Verſione Perſica Pentateuchi reperiuntur, vel ad ea prope accedunt, ut *Paraſanga* hodie dicitur فرسنك in Tawoſ. Gen. 35. 16. & 45. 7. Sic apud alios Cyrus vulgo ſcribitur, ſed forma Perſica خرس quod alii a خورش *Coris* deducunt, quod *alimentum* vel *cibum* ſignificat; quia Reges nutricii patres ſunt populo; alii a Perſica خرشيد *Curſhid*, deducunt; quia ut Sol inter ſydera, ſic principes in terris, ut Cteſias & Plutarchus: quæ vox adhuc inter Perſas in hoc ſignificatu manet. Plura iſtiuſmodi obſervari poſſunt ex dicta Paraphraſi Perſica, quæ eſt in Appendice noſtra Tomi quarti, & ex aliis libris Perſicis collatis cum vocibus Perſicis apud authores priſcos repertis. Ex quibus, conſtat veterem Perſarum linguam non prorſus extinctam eſſe, licet alienarum vocum colluvie fere ſepulta ſit. Arabes vero ut Religionem, ſic characteres Perſis dedere, victorum more, una cum lingua ſua propagatos: unde, quiſnam fuerit antiquus character, ignoratur.

3. De ſecunda obſervarunt plures, voces quamplurimas Perſicas cum Germanicis & Anglicis prorſus eodem ſenſu, & literarum fere numero occurrere. Multas collegit Lipſius Epiſtolarum Cent. 3. ad Belg. Epiſt. 44. ut & Doctiſſ. noſter Joh. Gravius ad finem Grammat. ſuæ Perſicæ: quarum ſpicilegium ex meſſe pleniori vocum Perſicarum & Anglicarum, cum Latina Interpretatione, ſequens tabella indicat.

Perſ.	*Angl.*	*Lat.*
پدر	fader.	pater.
مادر	moder.	mater.
برادر	brother.	frater.
دختر	daughter.	filia.
ماده	mayd.	virgo.
تندر	thunder.	tonitru.
بد	bad.	malus.
بهتر	better.	melior.
بربر	barbar.	tonſor.
در	door.	oſtium.
لب	lip.	labium.
بستر	bolſter.	pulvinar.
ابرو	a brow.	frons.
ناف	navel.	umbilicus.
بند	bond.	vinculum.

4. Cum Germanis Saxonibus quædam verba Anglos habere communia, nemo mirabitur, qui de Saxonum primum Heptarchia, & poſtea Monarchia in Inſula noſtra audiverit: quomodo vero utrique in tanta locorum intercapedine voces cum Perſis communes habuerint, haud facile quiſpiam capiet; cum nulla extent Hiſtoriarum monumenta de aliquo inter has gentes commercio, nec de Coloniis ab una in alteram miſſis. Unde haud immerito dubitat D. Bochartus, an talis ſit convenientia linguarum iſtarum: agnoſcit tamen, *tot exempla a doctis congeſta eſſe, ut ab invitis pene fidem extorqueant.* Joſ. Scaliger Epiſt. 228. ad Iſaacum Pontanum ſcribit, *Nihil tam diſſimile eſſe alteri, quam Teutoniſmus linguæ Perſicæ: in quo reperitur fader, moder, broder, tochter, & a Perſis ita* patrem, matrem, fratrem, filiam, *vocari. Qui inde eandem eſſe linguam arbitrantur, cum ratione errare fatetur, errare tamen: alias, eadem eſſet lingua Hiſpanica cum Arabica, cum tot puræ Arabicæ voces in Hiſpania reperiantur, ut ex illis juſtum Lexicon confici poſſet.* Agnoſcit tamen Teutoniſmi veteris multas fuiſſe *propagines, quarum matricem Danicam & Norvegicam linguam eſſe, non immerito quis ſuſpicari poſſet. Iſlandica lingua, quæ eſt priſca Norvegica, quid habet commune cum hodierno Teutoniſmo, præter* ἐξίτηλα ἴχνη, *quæ veteri Saxonum linguæ & linguæ Anglicanæ magis reſpondent, quam reliquo Teutoniſmo: ſed libri ſacri in priſcum Teutiſmum, ſive Teutoniſmum converſi, qui penes doctos ſcripti extant, quos & nos vidimus. quid maxima ex parte habent commune cum hodierno Germaniſmo,* &c? De hac quæſtione difficile eſt aliquid pro certo affirmare. Probabilis tamen mihi videtur Boxhornii ſententia, quam amplectendam ſentio, donec aliquid probabilius adferatur, *Vocum iſtiuſmodi originem nec a Perſis, nec a Germanis petendam; ſed ab iis*

a quibus tam Perſæ, quam Germani ea accepere; a Scythis ſive Tartaris, quorum irruptiones tam in Orientem, quam in Occidentem vocum quarundam ſimilitudinem & identitatem in locis longe a ſe diſſitis introduxerunt. Adfert idem tabulas etiam vocum Græcarum cum Germanicis convenientium: inde tamen non probari has a Græcis derivatas, aſſerit; ſed utraſque ab aliqua tertia, quam Scythicam eſse non ſine probabilitate ſtatuit. Dialectos in hac lingua plures proprie dictas, negat Salmaſius Epiſt. lib. 1. 78. ad D. Golium, etſi linguæ eorum hodie in tres dividatur, *Xiraſi*, *Loſtralis*, & *Hormaſi*: quarum prima elegantior & quaſi aulica; tertia durior, & tam pronunciatione quam vocabulorum impropriorum admixtione impurior.

5. Ut vero de linguæ hujus uſu dicamus, late per Orientem propagata eſt, unde peregrinantibus neceſſariam eſse liquet: imo affirmat VVaſerus in notis ad Geſneri Mithrid. p. 124. *quod in tota fere Aſia hodie locum habet.* In Vet. Teſtamento multa occurrunt vocabula Perſica; in Daniele ſcil. Eſdra, Nehemia & Eſther, in quibus Hiſtoria rerum Judæorum ſub imperio Perſarum continetur: qualia ſunt *Ahaſuerus*, ex variis vocabulis Perſicis compoſitus; *Eſther*, quod, notante VVaſero, nunc alii vocabulo præponitur, ut *Aſtrampſychus*; nunc poſtponitur, ut in *Zoroaſter*; aliquando per ſe ponitur, ut in regina *Eſther*, quæ antea Hadaſſa הדסה: *Pur* vel *Purim* affirmat Lyranus vocem Perſicam eſse, non Hebraicam. *Gaza* Eſth. 3. 9. Regis ærarium denotat, ut Hieron. in Eſ. 39. & ante illum Curtius lib. 3. *Paradiſus* Neh. 2. 8. فردس volunt eſse Perſicum, licet etiam in Eccleſiaſte & Cant. Salom. reperiatur. Perſica alia plura apud Eſtheram occurrunt. In Dan. 3. 2. nomina dignitatum, quæ ibi recitantur, Perſica eſse, arbitratur Bochart. Nomina etim illa celeberrima Cyri & Darii, Perſicæ originis eſse tradit VVaſerus loco cit. Hæc & alia vocabula in Scripturis ſine linguæ Perſicæ ope, plene intelligi & explicari vix poſsunt.

6. Ad Verſiones vero Scripturæ, vel quarundam ejus partium, quæ in hac lingua extant, nemo negabit eas maxime utiles eſse. Olim habuiſse Perſas totam Scripturam in linguam ſuam verſam, ex Veterum ſcriptis abunde liquet: quod ex Theodoreto & aliis ſupra oſtendimus. Licet enim de generali totius gentis converſione nihil legimus; (nullum enim Regum Perſarum Chriſtianum fuiſse ex Hiſtoriis conſtat:) fidem tamen Chriſtianam multum propagatam & publice toleratam ibi fuiſse; multaſque Eccleſias ibi fundatas, Epiſcopoſque plurimos Martyrio celebres fuiſse, ex Hiſtoria Eccleſiaſtica certum eſt. Inter alios, Epiſcopum quendam Perſam Concilio Nicæno interfuiſse, conſtat ex Euſebio in vita Conſtantini, 3. 7. Eccleſiæ etiam Antiochenæ Perſia ſubdita erat. De perſecutione Saporis regis Perſarum, Magorum incitatione, qui Gentis idololatriam propugnare ſtudebant contra Chriſtianos, late ſcribunt Sozom. lib. 2. c. 8. & ſeq. Hieron. in Chron. Theod. lib. 1. c. 24. Cedren. in Compend. anno 21 Conſtantini, ſcil. quod Eccleſiis dirutis Simeon Seleuciæ & Cteſiphonis primariæ Civitatis Archiepiſcopus, Uſtuzan Eunuchorum princeps, & præter eos centum Epiſcopi, cum multis ſacerdotibus & diverſorum ordinum Clericis, martyrio coronati fuerint anno Chriſti, 343. Poſtea vero Eccleſia ſub Iſdegerdi ſive Vararim propagata fuit anno Chriſti 420. cum Theodoſius junior pro ejus defenſione bellum contra Perſarum Regem ſuſcepit. Coſroes etiam anno 622, ut Heraclio Imperatori rem moleſtam faceret, Chriſtianorum Eccleſias omnes per ſuum regnum donis & donariis ſpoliavit; omneſque Chriſtianos vi & minis ad Neſtorianorum errores amplectendos coegit; ut vindictam non tantum in eorum corpora, ſed etiam animas exerceret: donec tandem Deus vindex, Perſarum peccatis ad ſummum perductis, imperio eorum terminum impoſuerit, regno Arabibus delato, qui nova ſuperſtitione Muhammedis invecta, in corpora & animas Perſarum tyrannidem exercebant. Cum vero tot inter Perſas eſsent Eccleſiarum principes, tantuſque Chriſtianorum numerus; quis credet ipſos Scripturas in propria lingua non habuiſse? præſertim cum in omnibus fere Gentibus hiſce temporibus hoc in uſu fuerit; & de Perſia nominatim idem teſtantur Theodoretus, Hieronymus, & alii quos ſupra adduximus. An vero reliquiæ aliquæ antiquæ Verſionis Perſicæ adhuc extent, multum dubitatur. Verſiones enim, quas jam habemus, Pentateuchi ſcil. Pſalmorum, & Evangeliorum, de quibus jam dicendum, recentiores eſse non diffitemur.

7. 1. Pentateuchum Perſice tranſtulit Jacobus Tavvoſus, vel, ut alii, Tavuſius aut Tuſius Judæus, ab urbe Tus Academia celebri, denominatus, ex textu Hebræo, in uſum Judæorum in Perſia degentium, quem typis ediderunt Judæi, ſed charactere Hebræo, Conſtantinopoli centum abhinc annis, ſcil. anno Chriſti 1551, una cum textu Hebræo & Onkeloſi & Saadiæ Verſionibus, ſingulis in eadem pagina, ut ſibi invicem reſpondeant, ordine diſpoſitis. Hanc, cum Pentateuchus ille Conſtantinopolitanus rarus ſit, in Appendice noſtra ad Tomum quartum exhibemus characteribus Perſicis cum Verſione Latina, quæ antehac non extabat. Ex hujus vero Paraphraſis cum aliis Verſionibus collatione, multum utilitatis exſurgere, facile perſpiciet Lector Chriſtianus; cum textum Hebræum plerunque fœliciter exprimat, veramque lectionem locique ſenſum conſenſu ſuo corroborat. Vaticinium Jacob de venturo Chriſto, cum ſceptrum de Juda auferretur, de Meſſia plane explicat; non, ad morem Rabbinorum quorundam, in alienos ſenſus detorquet: unde inſolubile argumentum contra Judæos, ad probandum Meſſiam jam veniſse, depromitur: loca tamen quædam obſcura & difficilia non vertit, ſed verbis Hebraicis exprimit, ut videre licet, Lev. 8. 8. ubi retinet voces Hebræos *Urim* & *Thummim*; de quarum ſenſu multa diſputant Interpretes. Pro יהוה ſcribit literis Hebr. יי ubique. Lev. 11. Avium & beſtiarum, quæ nobis ignota ſunt, nomina plane omittit, quæ in noſtra tamen Editione exprimuntur.

8. Pſalmorum Exemplaria MSS. Perſica habui: unum doctiſſimi viri, & linguarum Orientalium callentiſſimi, D. Thomæ Gravii, quod ex Oriente attulit frater ejus ejuſdem generis literatura clarus, Johannes Gravius ὁ μακαρίτης; alterum ex Bibliotheca celeberrima Oxonienſi, quod inter innumeros alios libros Orientales eidem dedit Reverend. Guil. Laud nuper Archiepiſc. Cantuarienſis, totius Angl. Primas, qui hoc unice in votis habuit, ut Eccleſiæ & Reipub. Literariæ bonum promoveret. Horum vero neutrum in hac Editione exhibetur; quod licet diverſæ plane ſint Verſiones, utraque tamen valde recens. Una ſtudio Luſitani cujuſdam fratris Carmelitæ in Civitate Sphahanenſi elaborata eſt, ut ex initio libri liquet; & in calce libri additur annus, quo abſoluta erat hæc Verſio, ſcil. Hegiræ 1028. i. e. æræ Chriſtianæ 1618. Alteram a Jeſuitis quibuſdam factam, ut libri titulus indicat, deprehendimus. Plurimis erroribus & ſolœciſmis utraque ſcatet: nec ex Hebræo fonte traductæ, ſed ex Vulgata Latina, cujus veſtigia exacte premunt. Inter multos errores unum hunc nominare ſufficiat, qui nullo modo excuſari poteſt; ſed inſignem inſcitiam, vel oſcitantiam, vel audaciam Interpretis prodit. Pſal. 139. juxta Hebr. 15. verba Hebr. לא נכחד עצמי ממך quæ reddit Vulgat. ut & LXX. *Non eſt occultatum os meum a te*, Perſici illi Interpretes utrique ſolam Vulgatam conſulentes, illud *os* non pro *oſſe*, ſed pro *ore* accipientes ita Perſice reddiderunt, ut lectori riſum moveant نه پوشيده است دهن من از تو cum tamen Auguſtinus multis antehac ſeculis lib. 3. de doctrina Chriſtiana c. 31. ipſos ut errorem hunc fugerent monuerit: ubi de his verbis agens docet, *in Latina illud* os *ambiguum eſse, ſed ex Græco ambiguitatem tolli, ubi legitur non* στόμα *ſed* ὀστέον. Unde, tum eo loco, tum alibi l. 2. c. 11. *linguarum ſcientiam neceſſariam eſse ad Scripturæ cognitionem, & contra errores magnum remedium* eſse affirmat.

9. Evangeliorum Verſiones duas habuimus: prioris exemplaria duo; unum Academiæ Cantabrigienſis, alterum Oxonienſis; ſecundæ unicum, Clariſſ. D. Pocockii. Harum primam, exemplaribus inter ſe collatis, & quibuſdam inde notatis, imprimere cœperat D. Abrahamus VVhelocus, in Acad. Cantab. nuper Arabicæ linguæ Profeſſor, cum Latina Verſione: quæ poſt ipſius obitum integra prodiit ſumptibus viri optimi, & de literis Orientalibus bene meriti, D. Adams Civis Londinenſis. Secundam, quam omnium antiquiſſimam & optimam judicavimus, inter reliquas Verſiones Tomo quinto hujus operis inſeruimus, una cum Verſione Latina, viri doctiſſimi D. Sam. Clerici. De qua hæc pauca annotare licet. 1. Deſcriptam fuiſse trecentis abhinc annis, ut ex verbis quibuſdam ad finem libri colligitur. Verba ex Perſico tralata ita ſe habent. *Abſoluta ſunt quatuor Evangelia glorioſa Matthæi, Marci, Lucæ, Johannis, in urbe Chriſtianis habitata Caffa, die tertio ſeptimanæ, precibus ſecundis peractis, nono menſis Tamuzi, qui Latine dicitur Julius, anno 1341 Chriſti Meſſiæ, per manum imbecillimi populi Dei. Simon Ibn Joſeph, Ibn Abraham Altabrizi Deus timentium* (ſui, id eſt Chriſtianorum) *miſericordia & providentia ſua miſereatur: ut cum hoc Evangelium legerint vel audierint, Pater noſter & Ave Maria pro Scriptore paupere legant, ut ipſi etiam per miſericordiam divinam condonetur, Amen. Et ſcriptum fuit per mandatum & conſilium Domini & Regis ſui, (qui Gloria Magnatum & Mercatorum, Decus populi Chriſti,) Amici & fratris Eccleſiæ puræ, Domini & principis Ibn Sahm Addaula Ibn Scirana, cognominati Teflizi. Propitius ſit ei Deus & parentibus ejus. Amen.* 2. Quod ex textu Syriaco, non vero immediate ex Græco, tradita ſit: unde plurimæ voces Syriacæ occurrunt, quarum intepretationem ſubjungit Interpres Perſicus: quod ſane magnam Syriacæ Verſionis auctoritatem indicat, cum ut ſupra de Verſione Armena ex Gregorio Syro notavimus, hanc quaſi normam & regulam aliarum Verſionum æſtimarunt Orientales omnes. 3. Aliquando ſeipſum interpretari interpretem Perſicum, cum non tantum peregrina, ſed etiam verba Perſica per alia etiam Perſica, ſed notiora & magis uſitata, explicat. 4. Arabicas etiam voces, quæ apud Perſas familiares, retinere, & interdum interpretari, interdum non, ut ſatis apud Perſas notas. 5. Sæpe etiam quædam explicationis gratia addere, & Paraphraſten potius quam Interpretem agere, ita ut in aliquibus vice Commentarii hæc Verſio eſſe poſsit. Hinc ſæpe verba ἰσοδύναμα conjungit, quorum unum tantum exemplaria Græca & Syr. habent, ut Matth. cap. 6. 13. *Serva & libera.* c. 11. 13. *Dæmonia ejicite & fugate.* c. 10. 14. *Pacem & tranquillitatem.* & v. 21. *mentem puram* & *Spiritum Sanctum* conjungit: & Marc. 1. 10. *Spiritus Sanctus*, 1. *mens pura.* Hæc & alia ejuſmodi Lectori occurrunt, de quibus hic breviter monere ſufficit.

De hac Verſione plura vide a Doctiſſimo viro D. Thoma Gravio in ultimo noſtro Tomo annotata.

Prolegomenwn FINIS.

Errata ſequentia, aliaque ejuſmodi, in Proleg. corrigat lector benignus.

Pag. 1. Col. o. lin. 5. *lege*, plerique. p. 2. 1. 6. natura. 22. juſſiſſent. 55. יוצר. p. 3. 1. 23. fuerit. p. 5. 2. 3. tradant. ib. Hebræos. p. 6. 2. 20. paribus. p. 7. 2. 69. probaverimus. 84. dicit. p. 8. 2. 73. *ab* eis. p. 9. 2. 83. intelligam. p. 15. 1. 84. videatur. 2. 8. obſtruxerit. 16. promiſerit. 76. אשר. 87. חי. p. 17. 1. 61. oſtenderimus. p. 18. 2. 55. legamus. 70. ſint. 84. ſubierit. p. 19. 1. 9. שכחו. ib. כתוב. 2. 9. ſuperet. 52. 53. facile. p. 20. 2. 4. debeant. 63. potuerim. 68. oderint. p. 21. 2. 1. כתב. 2. 33. Moſe. p. 22. 2. 50. לאמציה. p. 23. 1. 76. reperiatur. 22. judicaret. p. 44. 2. *antepen.* l. eos. p. 25. 1. 39. obtulerint. 55. quam ea. 2. 7. 8. pro, *non habent puncta ſibi propria affixa.* l. non ſunt τῷ Ketib propria. 62. fuerint. p. 26. 1. 11. literas. 31. adjuvant. 2. 14. המטה 15. hammatti, vel hammitta. 17. Eſ. 9. 7. משרה. 20. משרה. ib. משורה. 25. quam. 27. autem. 69. eſſet. p. 27. 1. 1. hoc vel. 56. agnoſcant. 69. velit. 2. 32. fuerint. 63. reſponderent. p. 28. 1. 2. ſit. 16. daber. 75. poſſint. *ult.* cum ſæpius. p. 29. 2. 1. hæc. 6. habuerunt. 14. inceperint. 16. ſint. 21. poſſet. 34. Achilleum. ult. habeant. p. 30. 1. 7. tulerint. p. 30. 2. 18. fateantur. 41. adferantur. 42. fingant & mentiantur. p. 31. 2. 67. inſtituatur. p. 32. 1. 21. honorarent. p. 33. 2. 26. ut imprimerentur. p. 34. 2. 70. devenerim. p. 36. 1. 24. poſſit. p. 37. 1. 8. cuique. 19. ei. 79. ſcribæ. 2. 43. mirer. p. 39. 2. 36. damnent & abjiciant. 38. ſepeliendos. p. 40. 1. 27. כארי. ib. כארו. 2. 8. Jer. 23. 6. ib. יקראוהו. 10. enumerent. p. 41. 1. 22. 23. coibit — cubabit. 2. 70. *lege* 129. p. 46. 1. 76. quæritantes. p. 47. 2. 34. ſupponant. 80. adducantur. *penult.* poſſe. p. 49. 1. 32. abeſt. 66. numerentur. 88. רגליהם 2. 53. poſſent. p. 52. 1. 45. oriatur. 90. conveniant. p. 53. 1. 18. habeant. 82. potuerit. 86. arceſsit. p. 54. 1. 17. *lege* 300. p. 55. 69. ſtudioſum. *antepen.* poſſet. p. 65. 1. 75. conquiſiviſſet. p 58. 1. 27. *lege* 929. p. 58. 1. 61. poſſent. p. 59. 2. 31. poſsit. p. 60. 2. 52. converſioni. p. 61. 1. 18. l. 15. p. 62. 1. 77. Eccleſiaſtæ. p. 63. 1. 76. impleverit. 2. 27. poſſent. p. 64. 1. 7. poſſent. p. 66. 2. 79. temporis. 3. 6. attingant. 81. probaverit. p. 67. 1. 43. *pro* in hoc *lege*, huic. 3. 8. oſtendat. p. 67. 4. 65. *lege* 8. 16. 18. & 9. 1. p. 68. 1. 40. eſt. 50. pro, *Iſaacus & Jacobus &c. quinquennes*, lege, *Sem & Nachor ſeptennes.* 53. ab *Imo* dele quatuor ſequentes lineas, uſque ad *Præterea.* 2. 34. pro *a quibus.* l. *a Judæis enim.* 91. pro, *cum.* l. *nam.* c. 3. 10. *eſſet.* c. 4. 2. dele (:) 55. l. *aliquot.* p. 71. 2. 83. אשמיר 84. אשמיר p. 76. 2. 6. *pro* Ptolem. *lege* Salmanaſſ. p. 77. 1. 28. Ab. Ezra. 46. an. 2. 37. liturgiam. 64. denotet. p. 78. 1. 84. probent. p. 79. 2. 10. addatur. ib. conferat. p. 80. 2. 80. organi. p. 85. 1. 61. poſſent. 2. 62. unus-ſcrupulus. 76. eſſet. p. 89. 1. 23. oſtenderimus. p. 91. 1. 8. colligi. 48. mille. 50. mille. p. 91. 2. 15. מרחפת 61. adducat. p. 92. 1. 54. conſulantur. p. 93. 2. 77. Muhammedis. 77. putent. p. 96. 2. 10. videam. p. 98. 1. 16. *dele*, non. p. 99. 1. 1. evanuiſſet. p. 99. 2. 52. lingua. 53. linguam. 100. 2. 41. oſtenderimus.

AD

BIBLIA SACRA
POLYGLOTTA

APPENDIX.

In quo varij Tractatus, Annotationes, Lectiones variæ,

Hebr. Samarit. Arab.
Græc. Chald. Æthiop.
Lat. Syr. Pers.

Cum Indicibus, &c.

QUÆ
TOMUM SEXTUM CONSTITUUNT.

Quorum Catalogum verſa Pagina exhibet.

LONDINI
Imprimebat THOMAS ROYCROFT,
M DC LVII.

INDEX eorum quæ hoc ultimo Tomo exhibentur.

I. *Tractatus de* Codicum Hebræorum variis lectionibus, *quæ* Keri *&* Ketib *dicuntur; eorum origine, numero,* &c. *Item de variantibus lectionibus* Orientalium *&* Occidentalium, Ben Aſcher *&* Ben Napthali, *cum ſingularum Catalogis,* Paraſcharum *item &* Haphtararum *Tabulis.*

II. Chaldaicæ Paraphraſeωs *Editionis noſtræ cum illa in Bibliis Regiis Collatio, ubi diſcrepantiæ annotantur, cum Annotationibus & Obſervat. doctiſſimis.*

III. Syriacæ *verſionis Vet. Teſt: cum aliis vetuſt. Codd. Syr. MSS. Uſſerianis, Pocockiano & Cantabrigienſi collatio, cum notis & obſervationibus circa loca variantia.*

IV. Pentateuchus Samaritanus *cum Textu Hebraico collatus, diſcrepantiæ omnes collectæ, loca etiam in quibus Text. Samar. cum verſione Græca τῶν ό convenit, utrumque vero ab Heb. differt.*

V. *Annotationes & Obſervationes doctiſſimæ ad* Textum & verſionem Samarit. *ſpectantes.*

VI. Notæ *& Obſervationes doctiſſimæ in Pſalmos, Cantic. Canticorum & Nov. Teſt. verſionis* Æthiopicæ.

VII. Annotationes *in Pentateuchum* Perſicum *& in* 4. *Evangelia* Perſica.

VIII. Arabica *verſio* Pentat. *cum R. Saadiæ verſione, tam quæ in Codd. MSS. quam quæ in Bibliis Conſtantinopolitanis extat, collata.*

IX. Flam. Nobilii *notæ in Græcam LXXII editionem Romanam, in quibus ex antiquis Eccleſiæ Scriptoribus, & libris tam MSS. quam impreſſis, Hebr. Græc. Samarit. Lat. Syr. Chald.* &c. *textus explicatur vel confirmatur, quibus varia a* Nobilio *prætermiſſa ex Scholiis Romanis, Jo. Druſio & aliis, vel Latine tantum ab ipſo ex Græcis Scriptoribus citata, ipſis Scriptorum verbis adductis, adjecimus.*

X. Editio Romana *LXXII Interpret. cum aliis* editionibus Hodiernis, Veneta *&* Complutenſi, *ex quibus reliquæ profluxerunt, & cum quibuſdam MSS. exemplaribus collata, omniaque loca variantia collecta.*

XI. *Ejuſdem collatio cum aliis MSS. vetuſtiſſimis,* Cottoniano *per Geneſin,* Cantabrigienſi *per libros Chronic.* Rupifucaldiano *per Eſaiam* Card. Barberini *per Minores Prophetas.*

XII. Andr. Maſii *notæ in Joſuam, cum Aſteriſcis, Obelis, Lemniſcis, Hypolemniſcis,* &c. *ex vetuſtiſſ.* exemplari Syriaco *ante mille annos exarato, collectæ.*

XIII. Lovanienſium *Theologorum collationes Vulg. Lat. Vet. Teſt. cum aliis exemplaribus, item cum Textu Hebr. verſionibus Chald. Græc. Syr. & Latinis Eccleſiæ Patribus.*

XIV. Patricii Junii *Annotationes quas paraverat ad* MS. Alexandrini *editionem, in quibus Codicem illum antiquiſſ. cum Textu Hebr. & veteribus Eccleſiæ Scriptoribus, aliiſque Græcis editionibus confert.*

XV. *Ex viri ſummi* Hug. Grotii *Annotatis in univerſam Scripturam Excerpta de locis variantibus, cum ejuſdem de ſingulis judicio.*

XVI. Variæ lectiones Græcæ N. Teſt. *tam quas collegerat* Rob. Stephanus *ex* XVI *Codicibus MSS. quam ex plurimis aliis vetuſtiſſimis exemplaribus collectæ & in unum corpus digeſtæ.*

XVII. Lucæ Brugenſis *libelli duo de Græcis & Latinis varietatibus Evangeliorum, & Lovan. Theolog. Collationes Vulg. Lat. Nov. Teſt. cum Textu Græc. Syr. & Latinis Scriptoribus.*

XVIII. *In Syriacam verſionem* N. Teſt. *notæ Mart. Troſtii; ex variis codicibus collectæ, cum aliis quibuſdam a nobis nuper adjectis.*

XIX. Propriorum *nominum, Hebraicorum, Græcorum, Chaldaicorum,* explicatio.

XX. *Rerum & Verborum per totam Scripturam* Index, *ſecundum Libros, Capita & Verſus.*

VARIÆ LECTIONES HEBR. קרי וכתיב

De notis marginalibus קרי וכתיב quæ in omnibus ſere Bibliorum Hebraicorum editionibus extant, & plerumque varias antiquiſſimorum codicum lectiones à Maſorethis collectas denotant, in prolegom. egimus, ubi earum naturam, authores, & uſum explicavimus. Hic duplicem earum catalogum exhibemus, in quibus etiam diſcrepantias quæ in celebrioribus Bibliorum editionibus, aliiſque tam Judæorum quàm Chriſtianorum ſcriptis, in iis recenſendis reperiuntur, annotari curavimus; cùm multis perſuaſum ſit, earum numerum certum eſſe, & in omnibus codicibus eundem. Primus eſt ſecundùm ordinem librorum, capitum & verſuum, adjectis editionibus ubi diſcrepant, quod à nullo hactenus factum vidimus. Secundus eaſdem refert, ſed ſecundùm claſſes ad quas ſingulæ reducuntur, in quo Clariſſ. Lud. Capellum, Criticæ ſuæ lib. 3. præeuntem habuimus. Hiſce adjicimus lectiones varias inter Codices Ben Aſcher & Ben Naphtali, item Orientalium & Occidentalium Judæorum. De quibus etiam quædam in dictis Proleg. obſervavimus.

Notarum quæ in ſequentibus Catalogis occurrunt explicatio.

L. vel leg. *legitur.* leg. non ſcrib. *legitur non ſcribitur.* ſcrib. non leg. *ſcribitur non legitur.* Ven. vel Bomb. *Editio Veneta Bombergi.* R. vel Reg. *editio Regia per Ariam Montanum.* Plant. *editio Plantiniana in 4.* Int. *Biblia Interlinearia.* Steph. *editio Rob. Stephani.* Munſt. *editio Munſteri in 4. & in fol.* El. *Elias Levita.* Targ. *Targum.* Talm. *Talmud.* Aven. *Avenarius in Gram. Hebr.* Maſ. mag. *Maſora magna.* Maſ. par. *Maſora parva.* Maſ. fin. *Maſora finalis.* Ed. 3. *tres editiones; Bombergiana, Regia, & Plantin.* Ed. 4. *editiones quatuor; Bomb. Reg. Plant. Interlin.* ag. *agnoſcit.* non ag. *non agnoſcit.* ib. *ibidem.* id. *idem.*

B. W.

GEN.

CAP. 8. Verſ. 17. הוֹצֵא leg. היצא. 10. 19. וּצְבֹיִם leg. וצבוים. 14. 2. צְבִיִּים l.
צבוים. 14. 8. idem. 24. 14. הַנַּעֲרָ l. הנערה. 24. 16. id. 24. 28. id. 24. 33. וַיּוּשַׂם l. ויושם.
24. 57. הַנַּעֲרָ l. הנערה. 24. 58. id. 25. 23. גֹיִים l. גוים. 27. 29. וְיִשְׁתַּחֲוּ l. וישתחוו.
ita Bomb. Plant. Interl. 30. 11. בְּגָד l. בא גד. 33. 4. צַוָּארָו l. צואריו. 34. 3.
הַנַּעֲרָ l. הנערה. ib. id. 12. id. 36. 5. יְעִישׁ l. יעוש. 36. 14. id. 36. 15. תֵּימָן l.
תימן. 39. 20. אֲסוּרֵי l. אסירי. 39. 22. הָאֲסוּרִם l. האסירם. 43. 28. וַיִּשְׁתַּחֲוּ
l. וישתחוו. ita B. Pl. ſed Int. circulum tantùm inſcribit.

EXOD.

CAP. 4. Verſ. 2. מַזֶּה l. מה זה. 13. 11. וּבְאָךְ l. יבאך. 16. 2. וַיִּלּוֹנוּ l. וילונו.
16. 8. תַלּוֹנוּ l. תלינו. 21. 8. לֹא l. לו. 22. 27. כְּסוּתֹה l. כסותו. ita B. Pl. ſic Int.
circulum inſcribit. 27. 11. וְעַמֻּדָו l. ועמדיו. ita R. Pl. Int. ſed B. inter Chaſiras numerat. 28. 28. מִטַּבְּעֹתָו l. מטבעתיו. 32. 17. בְּרֵעֹה l. ברעו. 32. 19. מִיָּדָו
l. מידיו. 35. 11. בְּרִיחָו l. בריחיו. 37. 8. קְצוֹתָו l. קצותיו. 39. 21. מִטַּבְּעֹתָו
l. מטבעתיו. 39. 33. בְּרִחָו l. בריחיו.

LEVIT.

Quia nanciſcar tempus. Græcus, cum accepero tempus; ſcil. quod Deus ܐܦܢܝ. *præfinivit.* Ver. 9. ܘܡܠܐ ܡܙܓܐ ܕܚܡܪܐ ܥܟܝܪܐ. ܝ̄ ܚܡܪܐ ܠܐ *Et plenus eſt miſtione vini fæculenti. Græcus vino non miſto.* h. e. mero. *Armenus, vino puro.* Id ܡܙܝܓܐ. ܐܪܡ̈ ܚܡܪܐ ܚܝܐ. Id ܚܝܐ & חיא tam Syris quam Hebræis: unde illud Maimonidis אין נוטלין ידיהן ביין בין חי בין מזוג Non lavant manus ſuas in vino, nec puro, nec mixto. Tractat. ברכות Cap. 7.

PSAL. LXXVIII. Ver. 57.

Inſtar arcus fallacis. Armenus, extenſi. ܐܝܟ ܩܫܬܐ ܢܟܝܠܬܐ. ܐܪܡ̈ ܡܬܦܫܛܬܐ.

PSAL. LXXIX. Ver. 1.

ܘܥܒܕܘ ܠܐܘܪܫܠܡ ܚܪܒܬܐ. ܝ̄ ܠܡܛܠܬܐ. ܐܩ̄ ܠܓܘܪܐ.

Feceruntque Jeruſalem ܣ̄ ܠܥܒܐ. ܐܪܡ̈ ܠܡܛܠ̈ܬܐ ܕܢܛܘܪ̈ܝ ܦܐܪ̈ܐ. *deſolatam. Græcus pergulam. Aquila, acervum. Symmachus, Sylvam. Armenus, tuguria cuſtodientium fructus.*

PSAL. GII. Ver. 7.

ܘܐܬܕܡܝܬ ܠܩܩܐ ܕܒܡܕܒܪܐ. ܗ̄ ܠܩܘܩܢܘܤ ܐܪ̄ܡ ܠܦܪܚܬܐ ܕܢܘܗܪܐ

Et ſimilis factus ſum pellicano, qui eſt in ſolitudine: hoc eſt, Cygno. Armenus, Avi lucis; f. Gallum intelligit gallinaceum: juxta illud Poetæ, Criſtatæque ſonant undique Lucis aves. Martial. lib. 14. qui Græcis ὀρθροβόαν dicitur: cujus inſuper nomen fere idem eſt Græcis, Gallis, Luſitanis, Polonis, atque Hungaris, manifeſto veſtigio (alio licet ſenſa) vocis hujus Syriacæ, ܩܩܐ. Nec multum diverſo nomine appellatur Arab. Gallis, Bohemis, Hiſpanis, &c. Alauda avis, Lucis etiam non minus matutinæ præcentor. Dictiones autem illæ, quibus utitur hic Æihiops, ſcil. አድግ ፡ መሬብ ፡ priori conjecturæ magis favere videntur: ſiquidem አድግ ፡ affinis eſt τῷ Arab. الديك *Gallus*; & መሬብ ፡ Iaponenſium, Maru, vel, Marab, pec. *Gallus gallinaceus.* vid. Dict. Iapon. p. 54. a. & 237. a.

PSAL. CIV. Ver. 18.

Et rupes latibulum ܘܫܘ̈ܥܐ ܓܘܣܐ ܠܩܘ̈ܦܕܐ. ܝܘ̄ ܠܐܪ̈ܢܒܐ. *herinaceis. Græcus, leporibus.*

PSAL. CVII. Ver. 1.

Confitemini Domino, ܐܘܕܘ ܠܡܪܝܐ ܕܛܒ ܗܘ. ܐܪ̄ܡ ܕܚܝܠܬܢ ܗܘ *quia bonus eſt. Armenus, quia fortis eſt.* Ver. 23. ܘܥܒ̈ܕܝ ܥܒܕܐ ܒܡ̈ܝܐ ܣܓܝ̈ܐܐ. ܩܪܩܦ̄ ܥܒ̈ܪܝ ܬܚܘ̈ܡܐ ܒܪܫܝܬ ܐܘ ܫܘܪܝܐ. *Et gerentes negotium in aquis multis. Carcaphienſis, tranſeuntes terminos, vel tranſitus in principio. At non probatur.*

PSAL. CIX. Ver. 8.

ܘܡܛܪ̈ܬܗ ܕܢܛܝܪܐ. ܗ̄ ܕܟܢܝܫ ܠܗܘܢ. ܐܚܪ̈ܢܐ ܢܣܒܘܢ ܗ̄ ܢܒܙܘܢ. ܝܘ̄ ܘܐܦܝܣܩܘܦܘܬܗ. ܐܪ̄ܡ ܘܡܫܝܚܘܬܗ ܢܣܒ

Et quod cuſtoditum eſt, hoc eſt, quod congregatum eſt eis, alii ܐܚܪ̈ܢܐ. *accipiant, h. e. deprædentur. Græcus, & Epiſcopatum ejus; Armenus, & unctionem ejus alius accipiat.*

PSAL. CXV. Ver. 11.

ܐܢܐ ܐܡܪܬ ܒܙܘܥܝ. ܐܪ̄ܡ ܒܬܕܡܘܪܬܝ. ܡܨܪ̄

Ego dixi in tremore meo. Armenus, in admiratione mea. ܒܛܥܝܘܬܝ *Ægyptus, in errore meo.*

PSAL. CXXXV. Ver. 13.

ܠܦܠܓ ܝܡܐ ܕܣܘܦ. ܐܪ̄ܡ ܠܝܡܐ ܪܒܐ ܠܦܠܓ̈ܘܬܐ.

Dividenti Mare Suph in duas partes: (id proprie ܦܠܓ in Kal, ܒܐܘܪܚܐ ܕܬܪܬܝܢ ܡܢ̈ܘܢ *in viam duarum partium*: teſte Bar Bahlul, qui etiam adducit hunc ipſum locum, eumque ita explicat ܘܐܦܠܓܗ ܦܠܓܐ ܠܝܡܐ ܘܦܠܓܐ ܠܝܡܐ) *Armenus, mare magnum in partes.*

PSAL. CXXXVI. Ver. 1.

ܕܐܬܕܟܪܢ. ܩܪܩܦܝܐ ܕܐܬܕܟܪܢ ܥܡܗ̄. ܐܘ ܠܝܗܘܕ.

Ad recordandum nos, vel, *cum recordaremur. Carcaphienſis, cum recordaremur Judæam; quod non probatur.*

ANNOTATIONES *E. Caſtelli* in ÆTHIOPICAM Verſionem CANTICI CANTICORUM.

CAP. I.

VErſ. 5. ሊደርአየኒ ፡ ፀሐይ ፡፡ *Ita etiam S. Ambroſius d. Iſaac.* Non eſt intuitus me Sol; *nec multo aliter Arabs. Quod obſervandum quidem, vel ob hoc, quod vocem* Hebræam שזפתני *in contrarium tranſtulerint ſenſum, non* Hebræi *tantum omnes, qui* ענין ראיה והבטה *communiter ei tribuunt, ſed & Symmachus atque Senes, qui* שזף *ubique interpretantur idem quod Arab.* شزر (ר & ر *in aliis etiam vocibus alternant nonnunquam*) limis oculis intuitus eſt. *id proprie* παρέβλεψε, *qua voce utuntur ſemper quoties occurrit* שזף. *Niſi dicamus*, non eſt intuitus—*idem denotare quod* non *benigne*, h. e. *torve, vel limis oculis* intuitus eſt. *Hunc intuitum Syrus per ejus exprimit effectum, idque melius teſte* S. *Hieronymo*, decoloravit, nigram me reddidit. *ver.* 8. ጎበየ ፡ *Eſt quidem* حب *Arab.* Amicus 1. *q. Heb.* רעה, *unde* רעיתי *hoc ipſo in loco: at hic potius a uſu hujus vocabuli apud Æthiopes vertendum eſt*, propinqua mea: *ad verbum*, prope me; *at more Græc.* πλησίον, *ut nomen uſurpatur* 1. *q.* ቢጽ ፡ *cui etiam ſæpiſſime reſpondit tam in N. Teſtamento, quam in Veteri. v.* 12. አቍጻሪ ፡ Alligamentum. *Convenit plane cum* عقد *Arab. atque* Heb. Ligavit, alligavit: *permutatis tantum* ر : & د : *quæ literæ in* Heb. *admodum ſimiles: nec infrequens hæc alternatio. Sic* اقر & اقد *Arab. idem*, locus *ſc.* arboribus conſitus. ገነይ ፡ *Æth. i. q.* جهر &c. *Ibid.* ማየ ፡ ልብን ፡ *plane idem eſt quod Arab. hic* الميعة & *alibi* لبني ſtyrax: *vid. Gen.* 30. 37. *Exod.* 30. 34. *Ecclus* 24. 17. *vel aliter ita verti poſſint hæc verba,* Alveus aquarum Libani—*At prior magis placet interpretatio. ver.* 15.—ዘብሑቅ ፡ in cubili noſtro ornato, ſplendido, venuſto, nitido. *Ita multo mallem transferendum; ut* ብሑቅ ፡ *plane idem ſit quod Ch.* בהק & *Arab.* بهي (*ſiquidem* ሐ ፡ & ה; *itemque* ק & ي *alternant ſæpe*) *In eundem ferme ſenſum Aquila hic, atque alibi Symmachus, & Senes vertunt non infrequenter* Heb. רענן ſc. εὐθαλής. *Vid. Dan.* 4. 1. *Job.* 15. 32. *Sym. Quinetiam ut verſu ſequenti Heb.* ברות *per eandem vocem exponit noſter, nec multo aliter reddunt Græci Heb.* ברוש *idem omnino quod* ברות, *& pro eo poſitum* (*ut aliqui volunt*) *ſc.* ἡρμοσμένον. 2. *Reg.* 6. 5. concinnum, ornatum. Cupreſſum *autem minime denotare* ብሑቅ ፡ *exinde colligo, non tantum quia Interpretum nullus eſt qui* Heb. רענן *ita verterit; ſed quia inter Orientales nulla lingua eſt, in qua* Cupreſſi *nomen affinitatem ſaltem aliquam non habet cum voce Græca & Lat. Non* Heb. ברות & ברוש *quibus deeſt tantum prima ſyllaba, ne dicam litera. Armen. Turcæque deeſt*, ر : سالوي *Cæteræ omnes propiores Arab.* شربين *tranſpoſitis* ر : & ب. *Georg. Sclavon*, &c. *prorſus eadem.*

CAP. II.

Verſ. 1. ጽጌ ፡ ገደም ፡ (*ita leg. cum* ደ ፡ *primæ Claſſis*) *male hic videtur poni, pro* ጽጌ ፡ ደንጕላት ፡ *ut mox ſequitur. Ver.* 2. ጽጌ ፡ ደንጕላት ፡ Flos virginum: *non uſitata pluralis forma*, ደንጕላት ፡ 1. *q.* ደናግል ፡ *ſatis apte ita appellatur* Lilium, *propter candorem atque puritatem; virginum autem ſummum decus eſt, ut in hac præcellant.* Hinc *etiam vice verſa*, Florem Lilii *appellant Sancti Patres virginitatem: Et quidem quod in ſuo genere optimum eſt, ac præſtantiſſimum, Æthiopes hoc inſigniunt epitheto: unde Thus puriſſimum iis dicitur* ዕጣን ፡ ደንገል ፡ Thus Virginis, *quo nomine vocatus fuit* David *Abyſſinorum Imperator, Caroli Quinti* συγχρονός. *Huc ſpectant quæ habet S. Ambroſius de Inſtit. Virginis; Chriſti Lilia ſunt ſpecialiter ſacræ Virgines; quarum eſt ſplendida, & immaculata virginitas: cujus (inquit alibi) decor excellit ſuper omnem alium Eccleſiæ decorem. v.* 8. ወየንበሰብስ ፡ *Reſpondet* Heb. מקפץ raptim accurrens, *ut Ar. Montanus,* ממהר ללכת, *ut* D. *Kimhi in lib. Rad. plane* 1. *q. Arab.* بسبس Properavit, acceleravit. *ver.* 10. እንቲአየ ፡ *pro quo alibi* ጎበየ ፡ 1. *q. Syris* ܕܝܠܝ *q. d.* mea ſolius, & propria, *ut cum Cicer. loquar. v.* 17. ደትኃን ፡ *Convenit certe cum* ደሐየ ፡ Cavavit, excavavit: *Hæ enim verborum formæ tam apud* Heb. *quam Arabes ſæpiſſime inter ſe permutantur. Atque ita cum* 70. *conſentit noſter Interpres. ver.* 17. *Male hic in Notis ſuis citat Nobilius,* S. *Ambroſium libr.* 3. *de Virginitate, qui non hunc vertit locum, ſed illum huic ſimilem, verſu ultimo* Cap. 8. *ubi loco Græc.* ἀρωμάτων, & *Heb.* בשמים *noſter cum* S. *Bernardo legit* ቤቴል ፡ *Quam lectionem retinent hic Complutenſ. Biblia Regia, & cum Patribus ſaltem Latinis, Ambroſ. Anſelm. Greg. &c. omnes fere codices impreſſi, teſte Ghiſlerio in lo. Montes autem iſti de quibus in hoc libro ſæpius loquitur Salomon, tria habuiſſe nomina ex ipſo textu, præſertim Gr. atque Æthiop. ſatis conſtat. Primo Montes* בתר *hic in Heb. dicuntur, vel ob id quod in plures partiti erant, vel quod eorum rupes bifidæ eſſent, hiulcæ atque diffiſſæ. Deinde, Montes* בשמים Cap. 8. *ver. ult. quia herbis aromaticis pleni eſſent ac referti. Denique Montes* Βαιθήλ *Æthio.* ቤቴል ፡ Cap. 2. *v.* 9. *ex vicina civitate Bethel in tribu Benjamin, ubi deſcripti reperiuntur Montes quidam nemoroſi, arboribus conſiti, gramineque ac herbis aromaticis pleni.*

CAP. III.

Verſ. 6. ስሪን ፡ *& alibi*, ስሒን ፡ Thus *a* ሰኀነ ፡ *Chal. Syris, atque Arab.* Calefecit, incaluit: *Vid. cap.* 4. 6. 11. *cap.* 5. 15. *cap.* 7, 8. *Apoc.* 18. 13. *ut ab* ዐጠነ ፡ Incenſavit, ዐጠን ፡ Incenſum, Thus. *q. ſine calore & incendio aromata odorem non emittunt. v.* 9. መጸሬ ፡ *ut* מצור Heb. Munitio, propugnaculum; *vel a* ጸወረ ፡ Portavit, geſtavit, መጸሬ ፡ φορεῖον, *qua voce utuntur hic Senes.*

CAP. IV.

Verſ. 2. ይመንትዎ ፡ *ſic etiam cap.* 6. 5. *A Chald.* תיומין *per inverſionem literarum formatur verbum* መንተወ ፡ Gemellos edidit: *unde* መንታ ፡ Gemelli. *cap.* 7. 3. *Roman.* 9. 10. *v.* 4. መዋጽፋት ፡ *videtur convenire cum Arab.* مواصفة Tituli, inſignia; deſcriptiones, encomia: *in Impreſſis amplius non occurrit. v.* 7. ወሊመንተኂ ፡ ላዕሌኪ ፡ neque ſuper te quidem quicquam eſt; *h. e. nihili, vel, nullius culpæ reus es; non* debitor—*id* ሰዐለ : *Æthiop. ut* علي *Arab. ver.* 9. ንብረትኪ : *eſt hic & cap.* 7. 1. ንብረት : Situs; poſitio, ſtructura, lineamentum. *v.* 13. ዐቅማሓ : *rectius* አቅማሕ : *ut cap.* 7. 13. አ : *enim nota pluralis, vel characteriſtica conjugationis, male cum* ዐ : *commutatur, inquit apud Venerium Petrus Æthiops, vir ſuæ linguæ peritiſſimus: quamvis in libris præſertim impreſſis hoc admodum frequenter invenimus.*

CAP. V.

Verſ. 1. አቅማሂሑ : *male in exemplari ponitur pro* አቅማሑሂ::=: *Verſ.* 11. ድሉል : pendulus. *Convenit Æthiop.* ደለለ : *cum Arab.* ادل 4. *conj.* Extendit ſe. *Gig.* انذل 7. *conj.* effuſus eſt: *itemque cum Chald.* דלדל, *atque Arab.* تدلدل Pendula res fuit; *in quibus Heb.* תלתל *liquido agnoſcas.* Huic *expoſitioni aſtipulatur Syrus, qui* ܡܦܩܥܢ *& Ar. qui* سبطة *reddit. Nec refragantur Senes, qui* Elatæ *in longum ſua filamenta diffundenti, cincinnos comparant ſponſi. vid. Proſper. Alpin. de Plantis Ægypt. cap.* 7. *Bauhini* Hiſt. *Plant. T.* 1. *l.* 3. *p.* 352, *a. Proinde errant hic fere omnes Hebræi Interpretes, eorumque ſequaces, qui Heb.* תלתלים criſpos *exponunt, vel* condenſos, *tanquam a* תלל *ut A. Ezra,* D. *Kimhi, &c. Solus Raſhi inter eos quos mihi videre contigit, rectum aſſecutus eſt hujus vocis ſenſum, qui* לשון תלוים פנדלויים בלעז *ei tribuit; omnino ut nos vertimus, tanquam a* תלה *deducens; ad quod certe propius accedit ejus ſignificatum. v.* 13. መለትሒሑ : *male in exemplari pro* መለትሒሁ : *Ibid.* ርኅ : areola, *ab* Heb. ערוגה *corrupte deduci, eliſo* ע, *nullus dubito. Propius aliquanto Chald.* אריגא 1. *q.* ערג *in quo ultimo vocabulo deficit ſecunda Heb. litera; ut in Æthiop. prima.*

CAP. VI.

Verſ. 1. አብያት : *Ita etiam ſcribitur Pſal.* 143. 13. *Et in utroque loco vocem eandem ei reſpondentem ſc.* ταμεῖα *Senes habent. Alibi in R. & C. ſemper cum* ዓ : *occurrit,* ዓብያት : *in Poc. tamen cum* አ : *&* Palatia, ædes magnas, *vel* regias *proprie denotat ab* ዐበየ : *Sic autem cum nullo alio hic convenit noſter interpres. v.* 2. *Poſt* ኀቢየ : *in verſione Æthiop. deſunt nonnulla partim ad hunc verſum, & partim ad ſequentem pertinentia. v.* 10. ወረደ :——*Duplex eſt hic in noſtro Interprete diſcrepantia a cæteris verſionibus omnibus;* 1. *quod legit* Deſcendit nepos meus *pro* Deſcendi: 2. *quod hæc verba inſuper addit,* ወእመ : ጸገየ : ቀዐ : *quæ deſumpta videntur ex cap.* 7. 12. *& perperam huc tranſlata. Vid. illic.*

CAP. VII.

Verſ. 1. ሰጠዊት : Reſpondens, *vel,* reſponſio; *videtur mihi e margine in textum irrepſiſſe hæc dictio; quæ enim ſequuntur verba manifeſtam* reſponſionem *continent præcedenti quæſtioni factam. Ibid.* መድበለ : *Eſt* دبل *Arab.* congregavit, coegit; adunavit, adaptavit, concinnavit: *Gig. unde ſenſus huic loco exoritur non incongruus. Siquidem caſtra bene coacta, atque ordinata intelligenda hic eſſe communiter cenſent interpretes. v.* 2. ተንበርትኪ : *Eſt* ተንበርት : *idem quod Chald.* טבור, פרת, *quibuſcum etiam ex parte conſonat: At propius ut aiunt, Japon.* Tandaporoth, *umbilicus. Ibid.* ማዐከክ : *Affine videtur Arab.* عكة, عكك : Uter, vas, *in quo retinetur aliquid, ab* عك Retinuit. *Ibid.* ርሱቅ : Tornatus, tornatilis; *ut Gr. & Vulg. Lat. quibus non refragor. Quin & ex uſu Arab.* فهق (*ſi modo* ማዐከክ : *putemus cum Ar.* عكك *convenire, de quo propruſſime dicitur*) *vocem hanc etiam non inepte interpretandam judico,* plenus, amplus fuit. *Quæ ſignificatio tam ſenſui hujus loci, quam & cap.* 5. 14. *ubi idem occurrit vocabulum, perbelle quadrat: De hoc loco extra dubium eſt. In illo altero,* Manus ſponſi *dicuntur* ፈሱቅ : *h. e. carnibus* plenæ, *vel carnoſæ,* planæ, læves, *quaſi* torno *edolatæ: ut ſic coincidat Æthiop. cum* 70. *Ibid.* ሰወጠ : Acervus; *ab effundendo, & projiciendo multa ſimul, Æthiop. nomen habet. Ibid.* ሓጹር : Vallatus, circundatus, 1. *q. Arab.* حصر *Vid. Luc.* 19. 43. *Nulla harum in hoc unico verſu vocum prout annotavimus, apud Wemmers in Lex. ſuo Æthiop. invenitur. Solum hanc ultimam habet in ſenſu* abbreviationis, *&* diminuntionis, 1. *q. Arab.* قصر : *Atque ita etiam vertit hunc locum* S. *Ambroſius,* Sicut acervus tritici minuti inter lilia. *ver.* 7. *In hoc verſu, & ſequentibus, ſive ſcriptoris, ſive epanorthotæ incuria, tum ordo verſuum invertitur, tum deſunt etiam non pauca. ver.* 12. ጸገየ : ቀዐ : floruit Cyperus. *Ita cum Philone legit noſter, a cæteris omnibus interpretetibus, ut alibi etiam quam ſæpiſſime, admodum hic diverſus. De Cypero videſis Avicennam. Lib.* 2. *Tit.* 2. *ſub* حنا *quo nomine ab eo appellatur. Proſper. Alp. d. Plant. Ægypt. cap.* 13. *ſed præſertim Bauhin. To.* 2. *lib.* 18. *cap.* 182. *Heb.* סמדר *Senibus* 1. *q. Gr.* κυπρισμὸς *Judæis* primulus vitium fructus, *qui flore deciduo emergit: Paulo grandior, ſed adhuc immaturus* בסר *dicitur; demum cum plane maturus* ענב *nuncupatur. Ter in hoc libro occurrit Æthiop.* ቀዐ : *Cap.* 4. 14. *ubi in Heb.* כפרים. *Gr.* κύπρος, *& c.* 6. 10.

CAP. VIII.

Verſ. 6. ድርክት : Durus, a, um *Mat.* 25. 24. *idem quod Arab.* درق *v.* 7. *Deeſt in Æthiop. quod reſpondeat his verbis* [& flumina non undabunt eam] *Ibid.* ተብእሲ : *bis occurrit: alterum videtur* πλαδάζειν. *v.* 10. እኒ : ወደእቲ : *f. pro* ወእኒ : ደእቲ : *Ibid.* እርክብ : *in Exempl.* ዐርክብ : *haut recte, teſte Petro Æthiop. v.* 12. *Deeſt initium hujus verſus in Æthiop. v.* 13. ደረእየዎ:: vident, percipiunt intelligunt eum. *v.* 14. ቤቴል : *Ita etiam S. Bernardus: quæ lectio deſumpta videtur ex Cap.* 2. *ver. ultimo. Vid. Annot. illic.*

THOMÆ GRAVII

Obſervationes quædam in Perſicam Pentateuchi Verſionem.

Quinque Moſis libros in Perſicam linguam traduxit *Jacobus Tuſenſis* (qui vulgò *Tawoſius* audit) cujus verſio ſuperiori ſeculo (an. ſcil. 1551) *Conſtantinopoli* excuſa eſt, additis etiam *Chaldæâ Onkeluſii* Paraphraſi, & R. *Saadiæ Arabicâ* interpretatione, quæ omnia Hebraicis duntaxat, non Perſarum aut Arabum propriis characteribus exarata ſunt.

Eſt autem, ut rectè cenſet *Lud. de Dieu*, Verſio minimè contemnenda, quæque Lectori Sacrarum literarum, & Perſicæ linguæ ſtudioſo utilis admodùm eſſe poſſit, ideoque Vir præſtantiſſimus *Br. Waltonus* ſuæ Bibliorum πολυγλώττων editioni adjungi dignam cenſuit. Multa quidem de ea ejuſdem Viri rogatu, atque ut mihimet ipſi ſatisfacerem, obſervavi, quæ memoriæ atque ordinis causâ ad certa quædam *Capita* ſeu *Claſſes* redegi: quorum brevem hic indicem ſubjicere viſum eſt, ut videat Lector quæ potiſſimum in hoc opere animadvertere oporteat, de quibus aut ego (ſi Deus facultatem conceſſerit) alibi fuſiùs diſſeram, aut ſaltem alius quiſpiam, harum literarum peritus, non inutiliter uberiorem *Tractatum* conficere poſſit.

Sic autem mihi commodiſſimè diſtribui poſſe videntur.

I. *De locis quibuſdam difficilioribus à Perſico Interprete illuſtratis.*
II. *Loca in quibus* Rabbinorum *traditiones & placita, potius quam Hebraicum Textum, ſequitur.*
III. *Loca in quibus* Hebraiſmi *nimis tenax videtur.*
IV. *Peculiares quædam interpretationes & locutiones huic Scriptori uſitatæ.*
V. *Diſcrepantiæ inſigniores, & loca in quibus ab aliis Interpretibus recedit.*
VI. *Loca prætermiſſa, & ſine interpretatione relicta.*
VII. *De Latinâ hujus Verſionis interpretatione.*
VIII. *De erroribus ex vocum ambiguitate enatis, aliiſque locis emendatione indigentibus.*

De hiſce omnibus aliiſque nonnullis ad Opus hoc pertinentibus multa in Adverſariis meis annotata habeo, quæ in aliud tempus & volumen reſervanda ſunt, ne ultimus hic ſacri operis Tomus, eruditis aliorum obſervationibus refertus, in molem nimiam, & enormem excreſcat. *Specimen* tamen exiguum, & veluti guſtum hic exhibere libuit, ut reliqua faciliùs vel ipſe Lector ſuppleat, vel poſthac abſolvenda æquiori animo expectet.

Ad *primam Claſſem* referri meretur celeberrimum illud *Jacobi Vaticinium* Gen. 49. 10. quod ſic à Perſico Interprete redditum eſt. نه گردد سلطنت از يهوده— h. e. *Non recedet Principatus à Jehuda, neque Scriba è medio filiorum ejus, donec veniat* Chriſtus *ejus, et ad eum congregabuntur* Gentes.

Quanquam verò *Benjamin Tudelenſis* aliique prophetiam hanc eludere conentur, magnifica quædam de Judæorum Bagdadi aliiſque locis dominatu & imperio referentes, mera tamen figmenta & fabulas eſſe *Kimchi* aliique ingenuè fatentur: ut ad verba illa Hoſ. 3. 4. *Dies multos manebunt filii Iſraelis abſque Rege & abſque Principe, & abſque ſacrificio*--- ואלה הם ימי *Hi ſunt dies exilii* (inquit Kimchi) *in quo hodie ſumus, nec Regem nec Principem ex Iſraele habemus, & in poteſtate Gentium ſumus.* Promiſſum igitur Meſſiam veniſſe propriæ ipſorum confeſſiones, & Perſæ aliorumque ſanæ hujus loci interpretationes clarè teſtantur.

Magiſtrorum ſuorum expoſitiones, & *Rabbinorum* commenta interdum, potiùs quàm *Moſis* verba ſecutum eſſe multa indicia commonſtrant: ut Exod. 24. 12. *Dixit Dominus ad Moſen, Aſcende ad me in montem, & ibi eſto: et dabo tibi* אֶת־לֻחֹת הָאֶבֶן *Tabulas lapideas.* Sic V. Vulg. & LXX. & Syrus. At Perſicus habet مر لودهاي آن جواهرين *Tabulas Gemmeas* (nam جوهر Perſis, quod etiam گوهر ſæpe ſcribitur, *Gemmam*, & *Margaritam* vulgò notat) ſic etiam Exod. 31. 18. ubi Targum Jonathanis B. Uziel, *dedit Moſi duas Tabulas* ſapphirinas è *ſolio gloriæ, etc.*

Imò poſtquam Moſes has Tabulas confregiſſet, alteras ſimilis materiæ confectas & edolatas fuiſſe ſcribit. Vide Exod. 34. 1. *Dola tibi tuas Tabulas lapideas:* ubi Perſicus iterum habet دو لودهاي جواهرين: atque etiam Arab. interpres utroque loco eâdem voce الجوهر utitur. Aliquando tamen Perſicus habet سنگيها *lapideas*, ut Deut. 4. 13. & cap. 5. 22. & cap. 9. 9, 10. quibus in locis Targum *marmoreas* fuiſſe dicit.

Aliud exemplum ſit illa *Balaami prædictio*, Num. 24. 24. --- צִים מִיַּד כִּתִּים quæ ſic Pagninus vertit, *Naves è littore* Chittim *affligent* Aſſur, *& affligent* Heber, *& etiam ipſe in ſeculum perit:* at Perſicus in hunc modum, *Turmæ populi Romæ affligent Aſſur et Heber, &c.* quem locum Targum utrumque & Jonath. & Hieroſol. de exercitibus, & copiis ex *Italia* deductis, ad Aſſyrios & Judæos ſubjugandos exponunt. Imò Hieronymus ſeu V. Interpres Lat. eodem modo intelligit. *Venient* (inquit) *in Trieribus de Italia, ſuperabunt Aſſyrios, vaſtabuntque Hebræos.* Hinc (ut credibile eſt) Latini & Romani Κίττιοι dicti ſunt, ut apud Euſebium, & alios legimus.

Quamplurimis in locis *Hebraiſmi* (ut ſuprà dixi) tenaciſſimus eſt, quod ſatis liquet ex voculis آن & مر ad nauſeam uſque repetitis: ſcilicet, veritus eſt ne ſe alioqui parum fidelem interpretem oſtenderet, & Lectorem ſuum defraudaret, ſi pro אֵת & הָ nihil reponeret. Cui labori utinam peperciſſet, nihil enim Verſionem hanc, multis in locis venuſtam ſatis & laudandam, magis ingratam atque faſtidiendam reddit. Quòd ſi הָ conſtanter exprimenda ſit, cur non etiam ו quæ apud Moſem toties in principio ſententiarum, & alibi occurrit? Quamvis enim Perſica lingua aſyndetis gaudeat, hìc tamen multis in locis ו potiùs quàm آن libenter admitteret.

Eandem κακοζηλίαν & Hebraiſmi affectationem in vocula بود (*Fuit*), aliiſque tum verbis tum nominibus paſſim deprehendas. Ob hanc & ſimiles alibi cauſas *Latinus Interpres* dum Perſici veſtigia arctiùs premit, ſæpenumerò locutiones & phraſes habet inconcinnas, & (ſi ad *Grammaticorum* ſtateram appendantur) minime probandas, quas tamen Lector cauſæ haud ignarus, ei faciliùs condonabit. Tales ſunt Gen. 15. 17. Gen. 23. 3. Vide etiam cap. 26. 10. *quid hoc feciſti nobis? ut parum dormierit unus &c.* & cap. 27. 30. & 34. *fuit quando fin.*--- *erat tantùm exeundo egreſſus.* & v. 34. *benedic mihi etiam ego.* & Gen. 20. 18.

Enimverò, non in hac tantùm ſed in aliis quoque Verſionibus *interpretationes nimiùm verbis aſtrictæ à* Solœciſmis *parum abſunt.*

Quanquam verò religioſè adeò tot locis Perſa Hebraicis verbis incubet, in nonnullis tamen habenas ſibi laxat, & *libertatem*, ut opinor, majorem quàm fidum interpretem decuit, ſibi indulget; ut Gen. 10. 10. pro בָּבֶל *Babel*, بغداد *Bagdad* ſubſtituit. Atqui Bagdad, ſi cum Babylone conferatur, recens urbs eſt, quippe ab *Almanſore* condita anno *Hegiræ* 145. (*Chriſti* 762.) Porrò Babylon ad *Euphratem*, & Bagdad ad *Tigrim* fluvium ſita eſt, ut videas apud *Geogr. Nub.* 6. parte Climatis 4. & *Sarac. hiſt.* autorem in vita Almanſoris Chaliphæ. lib. 2. cap. 3.

Peculiares huic Scriptori interpretationes, & proprias quibus gaudet formulas & locutiones crebrò obſerves. Gen. 31. 19. legimus, *Rachel furata eſt* הַתְּרָפִים Teraphim *patris ſui*, i. e. ut Vulg. & LXX. reddunt *Idola*, & Chald. Syr. ut etiam Anglicana noſtra Verſio habet *Imagines.* At Perſicus آن اسطرلابها i. e. juxta Lat. interpretem, *furata eſt Aſtrolabia patris ſui*: ſic etiam commate 34. & 35. ejuſdem capitis. Adeoque nomen hoc illi placet, ut eo ſæpiſſimè utatur. Num. 22. 7. Legati à Balaco ad Bilhamum profecti dicuntur, וּקְסָמִים בְּיָדָם & *Divinationes* (ut vertit Ar. Mont.) *in manu eorum*, vel ut LXX. μαντεῖα. At noſter — رفتند *perrexerunt* (inquit) *cum Aſtrolabiis in manu ſua.* Et Num. 24. 23. Bilhami verba ſic redduntur, *Non eſt omen in Jacob, neque Aſtrolabium in Iſraele.* Et Moſis verba, Deut. 18. 10. Vide etiam v. 14.

Ad interpretationum *diſcrepantias* & differentias inſigniores digitum duntaxat referre nunc licet. Vide Gen. 32. 32. Exod. 4. 16. & 17. 15. Levit. 26. 30. Num. 33. 55. Deut. 33. 3. quibus alias quamplurimas adjicere facile eſt.

Loca prætermiſſa & ſine interpretatione derelicta habes Exod. 3. 14. Num. 33. 10. Deut. 14. 12. Integræ quidem ſententiæ rariſſimè abſque interpretatione occurrunt: at nomen unum & alterum per ſe, & veluti ſolitarium, ſæpiſſimè ſine verſione reperitur. Ut שַׁדַּי Shaddai *Omnipotens*: כּוּשִׁית Cuſhith *Æthiopiſſa*: עֲזָאזֵל Azazel *hircus emiſſarius*: &c.

De *Latina interpretatione*, de *interpolationibus*, atque clauſulis quibuſdam ei adjectis, de *erroribus* item & lapſibus nonnullis, ſi fuſè, & prout res poſtulat dicerem, longiori multò tempore quam nunc mihi conceſſum eſt, opus foret.

Cum *linguâ Perſicâ*, characteribus verò & *literis Hebraicis* (quarum numerum Perſicæ longè ſuperant) Verſio hæc excuſa & exarata prodierit, certè non *interpretari* modò, ſed & fideliter *deſcribere* Libros hoſce arduum & difficile erat: quapropter Interpreti Latino æquus Lector facilè ignoſcet, ſi in viâ tam perplexâ, ſpinoſâ, & aſperâ hæſitaverit aliquando, vel etiam impegerit. Meo certè judicio non veniam tantùm, ſed et laudem meretur, qui opus adeò intricatum ſuſceperit, & eo, quem vides, modo abſolverit.

Si igitur eum aliquando *literarum*, aliquando autem *ſignificationum ambiguitas* fefellerit, quis adeò iniquus, aut etiam propriæ ſortis, & ignorantiæ immemor eſt, ut errata quædam carpere & vellicare potiùs velit, quàm ob tot bene & fideliter præſtita meritam laudem, & grates rependere?

Alia permulta ſunt quibus te *ſtudioſe Lector* alloqui libenter, & commonefacere vellem: ſed inſtat, atque urget feſtinans Typographus, ut mihi ad hæc & alia quædam perficienda paucæ tantùm horæ ſuperſint. Quamplurima igitur hìc omiſſa, tuo candori & diligentiæ ſupplenda relinquo: quod idem de *Evangeliorum* quoque Perſica Verſione intelligi cupio. Quanquam enim in meis *Annotationibus* haud pauca animadverſa ſint, plura tamen reſtant dicenda, quæ temporis anguſtiæ, & MSSorum exemplarium defectus præterire invitum coegerunt. De quibus, & aliis tum Novi tum Veteris Teſtamenti locis uberiùs diſſerere ſtatui, ſi Deus O. M. vitam & vires benignè conceſſerit, cui nos & noſtra, Chriſto mediante, probari & accepta eſſe cupimus, atque ad hunc optatiſſimum Finem, *Vita*, & *Vota*, ac *Studia* noſtra omnia dirigantur.

Annotationes *E. Caſtelli* in ÆTHIOPICAM Novi Testamenti Versionem.

Annotationes in Evang. ſecundum *MATTHÆUM*.

CAP. IV.

IN *Exemplari omittitur numerus, quo ſuum ſumit initium hoc Cap. qui deeſt etiam Capp. 6, 7. 9. nec non ſequentibus plurimis.*

CAP. V.

Verſ. 18. እንተ ፡ እሐቲ ፡—*videtur hic* እንተ ፡ *ut in ſeq. verſſ. itemque alibi nonnunquam ſignificare*, vel, etiam : *vid. Lexicon noſtrum.*

Ver. 22. ዘፀርቀ ፡ *Ita in exemplari; rectius alibi* ፀሪቀ ፡ *ut in Miſſ. Æthiop. p.* 159. *Co.* 2. *li.* 6. *vel* ጸሪቀ ፡ *Mat.* 10. 9. *Mar.* 6. 8. *cap.* 12. 41. *in quibus omnibus locis reſpondet Græc.* χαλκὸς. *Eſt autem* χαλκὸς, *proprie* quadrans oboli. *Vnico tantum in loco idem videtur quod Gr.* λεπτὸν, ſc. *Luc.* 21. 2. *hoc eſt*, octava pars oboli, *Syr.* ܦܘܠܣܐ minimus nummus : q.d. nihili, *vel*, triobularis *homuncio. ver.* 23. ዘይኄይስከ ፡ *Significatione proculdubio convenit hoc verbum cum nomine* ሒስ ፡ *Pſal.* 118. 112. *&* *Act.* 25. 27. *i. q. Arab.* حيس Res prava ; error, culpa, crimen, reatus; *cui affine etiam* ሐሰወ ፡ *proinde locus ita vertendus*, quod—in te reus factus ſit, *vel*, crimen commiſit. *Vid. Annot. ad Pſal.* 118. 112. *ver.* 29. *poſt* ለሐዱ ፡ *deeſt in exemplari.* እምኔ ፡ ለበልከ ፡፡=፦

CAP. VI.

Verſ. 20. ወሊይፈትሉ ፡ Et non operantur, *pro quo leg.* Et non nent.

CAP. IX.

Verſ. 4. *Poſt* ኃጠውኢከ ፡ *deeſſe videntur hæc verba*, እምበሂለ ፡ ተንሣእ ፡ ወሑር ፡፡ *v.* 37. ገባሪ ፡ *idem ſignificare quod* ገባሬ ፡ factor, operarius *conſtat ex Rom.* 9. 21. *ubi opponitur* τῷ ግቡር ፡፡=፦

CAP. X.

Titulus ante initium hujus capitis, in exemplari ad initium ver. 37. *præcedentis Cap. minus commode ponitur.*

CAP. XI.

Hujus capitis initium in exemplari ponitur ante ſequentem Titulum.

CAP. XII.

Verſ. 1. *Tit.* ሰንበተ ፡ ወትረ ፡፡ Veſpere Sabbati : *Ita literis de hoc rogatus tranſtulit hæc verba doctiſſimus Interpres : Certe in Scripturis Vet. atque N. Teſtamenti Æthiopumque Leiturgiis, quas mihi percurrere licuit*, ወትረ ፡ *nihil aliud adhuc denotare reperi, niſi* Semper, continuo ; frequenter : *Vid. Pſal.* 102. 9. *Mat.* 18. 10. 1 *Theſſ.* 1. 2. *cap.* 5. 17. *Act.* 24. 26. *mitto quæ in Liturgiis occurrunt loca. At certo certius hujuſmodi Titulis, qui quidem ter in* S. *Lucæ Evangelio*, *Capp.* IV. VI. *&* XIII. *& ſemel hic habentur, minime competunt iſthæc ſignificata. Si quod ipſe ſentio liberum ſit proferre, dicerem* ወትረ ፡ *plane idem eſſe quod* ፋሲክ ፡ *Primo, quia aliter nulla inſtituitur lectio pro ipſo die Paſchatis, prima* ſc. *Sabbato: Pro ſecundo, ni fallor poſt Paſcha extat, Luc.* 24. *pro tertio. Joh.* 20. *pro quarto, Joh.* 21. *pro quinto. Joh.* 4. *pro ſeptimo. Acts* 6. *pro octavo Act.* 18. *pro ſexto & ipſo Paſchatis die ſub hoc nomine nullam invenimus ; loco igitur poſterioris autumo* ሰንበተ ፡ ወትረ ፡ *hic poni ; loco prioris*, በ ፯ ሰንበተ ፡ ወትረ ፡ *Luc.* 4. In ſexto Sabbato VVathra. *Ita dictum forte ad diſtinguendum Sabbatum Judæorum, quod temporarium tantum fuit, ab hoc Chriſtianorum, quod cum Salvatoris noſtri reſurrectione ſuum cepit initium, perpetuum, ad finem uſque mundi duraturum, Æternique Sabbati (quod proprie* ሰንበተ ፡ ወትረ ፡) *clarior typus. His deinde addo etiam Perſicum hujus vocis uſum. Joh.* 11. 55. *Vbi Græcus textus habet* τὸ πάσχα, 4. *Arab.* فصح, *Vul. Lat.* Paſcha, *vertit hoc Perſa* عيد.ورم *Ver.* 44. ወሥርጎ ፡ & ornatam : *In libris Scripturæ quos impreſſimus amplius non occurrit : Vox eſt Æthiopibus peculiaris : Hinc Sapientia* መርጕተ ፡ ጻድቃን ፡ *dicitur*, Ornatrix. *vel*, ornamentum juſtorum.

CAP. XIII.

Verſ. 1. *In exemplari omittitur titulus qui præfigitur, quod & alibi etiam fit ſæpiſſime; ex Tabula autem ante initium N. T. illum reſtituimus.*

Verſ. 22. ወስጠፍተ ፡ *Eſt* שטף *Talm.* Feſtinavit, acceleravit cum impetu; *unde hoc nomen. ver.* 33. ሐሪጽ ፡ *Eſt proprie* Farina, *a* ሐረጸ ፡ Moluit : *ut* ἄλημα *Gr. ab* ἀλέω. *Reſpondet alibi* τῷ *Gr.* φύραμα. 1 *Cor.* 5. 6, 7. *Gal.* 5. 9.

CAP. XIV.

Verſ. 1. *Titulus cum initio hujus capitis in exemplari ponitur ad initium v.* 58. *cap. præcedentis.*

CAP. XVI.

In exemplari incipit in medio primi verſ. hujus Cap. cum ወእንዘ ፡፡=፦

CAPX. XVIII.

Verſ. 7. ግብር ፡ neceſſario : *ita tranſtulerat hanc dictionem doctiſſimus interpres : & quidem optime. Neque tamen diſplicebit opinor verſio quam ejus loco ſubſtituimus. A* ግብረ ፡ *enim* Res, factum *formatur* ግብር ፡ *Adverbium affirmandi*, i. q. *Gallis* De faict, *h. e.* certe, *vel ut Gr.* Πάντως *cui diſerte reſpondet Luc.* 4. 23. omnino, utique : *vid. quæ habet Stephanus in Lex. de voce* πάντως, *per omnia enim conveniunt huic* ግብር ፡፡=፦

CAP. XXI.

In exemplari incipit hoc cap. cum Titulo, medio primi verſ. cum voce በእሴ ፡፡=፦

CAP. XXII.

Verſ. 8.———ሊከፈሎሙ ፡ *eodem puto ſenſu quo* ἐκείνοις οὐ δέδοται *dicitur, Mat.* 13. 11. *ver.* 11. በተዝካረ ፡ ነገሥት ፡ Et cum admonuiſſet regina ; *vel*, & quum annuntiatum eſt Principibus, *prout nos tranſtulimus ; in quo fere cum Perſ. convenit. Omiſit hunc locum interpres. v.* 42. [ይቤ ፡] *quod in exempl. deeſſe videbatur, ſupplevimus.*

CAP. XXIII.

Verſ. 6. ፍጽሞ ፡ *Eſt* ፈጸሜ ፡ Finis, conſumatio : *finis autem menſæ, eſt in conſeſſibus ſummus ac ſupremus locus, quem præcipue ambiebant Phariſai.*

CAP. XXIV.

Verſ. 12. ተሰኰስ ፡ *Plane convenire puto cum Arab.* شكس Durus, difficilis : Avarus, tenax ; *q.d.* gravate, ac valde difficulter ſe exeret. *ver.* 27. ወያበርቅ ፡ *In exemplari*, ወያስበርሊ ፡ *vitioſe procul dubio, vel pro* ያበርቅ ፡ *ut impreſſimus ; vel potius f. pro* ያስተርኢ ፡ videtur, apparet *ut mox occurrit v.* 31.

CAP. XXV.

Verſ. 9. እመቦ ፡ *Rectius leg. videtur* ለልቦ ፡ እመቦ ፡ *ut cap.* 13. 29. *v.* 24. ድሩክ ፡ *vid. Annot. ad Cant.* 8. 6.

CAP. XXVI.

Verſ. 50. ወሊአኃዝዎ ፡፡—*Diverſus hic admodum noſter, ac plane contrarius Gr. ac cæteris Interpretibus : f.* ሊ ፡ πλεονάζει.

CAP. XXVII.

Tit. ante ver. 20. በደገመ ፡ መስቀል ፡ *Dies* መስቀል ፡ i. q. *Arab.* عروبة *Scriptoribus antiquis magis peculiariter* σωτηεία, *& Paraſceve ; Hiſp.* El viernes ſanto, *quo die, ut ex Rituali Arab. penes Illuſtriſſ. hujus operis* ἐργοδιώκτην, *D.* VValtonum *ſatis conſtat ; In more antiquitus Eccleſiis Orientalibus poſitum fuit, pro qualibet hora tot diſtinctas habuiſſe Evangeliorum Lectiones : unde* ደገመ ፡ *hoc in loco vel alteram harum Lectionum, vel ſecundam hujus Diei partem reſpicere videtur. Ibid.* ለሀ ፡ ለበሉ ፡ *Aliter*, annuerunt populo. *vid. An. Æthiop. ad Rom.* 3. 26. *v.* 51. ወነቅዐ ፡ *Convenit certe cum Arab.* نقع Sciſſus, apertus fuit. انكتب نقع *Gig. vid. Pſal.* 77. 18. *Pſal.* 104. 39. *Æthiop.*

CAP. XXVIII.

In Titulo, ወበሚከሊል ፡—*f. leg. potius*, በሚአከለ ፡——in medio Sabbati : *ut Mar.* 7. 1. *Tit in Syr.* ܕܫܒܐ ܡܨܥܬܐ

Annotationes in Evangelium ſecundum *MARCUM*.

CAP. I.

V*ERS.* 3. ጺሑለ ፡ *Eſt* ለ ፡ *vel paragogicum, vel ſollicitudinis nota ; quæ in initio Apocal. ſub fine vocum occurrit quam ſæpiſſime.*

CAP. IV.

Verſ. 22. ዘይትከበት ፡ *quid ſi legamus* ዘኢይትከሰት ? *facili ſcribæ lapſu*, quod non manifeſtabitur ? *Hoc certe ad Gr. magis appoſite. v.* 27. ወይፄኑዮ ፡ Et viſitat illud ; *Id quidem proprie videtur ſignificare : vid. Pſal.* 88. 33. እፄህዮ *in R. & C. ſcribitur, in P.* እፄሕዮ ፡ *& Act.* 15. 36. ንፄሕ ዮሙ ፡ Hic viſitationem *cum expectatione innuit, qualis illa agricolarum.*

CAP. V.

Verſ. 26. ዘአልሐቀ ፡ Addidit, adjecit, *ita videtur ſignificare ex comparatione Luc.* 5. 36. *cum hoc loco.*

CAP. VI.

Ver. 14. ረድአ ፡——*ad verbum*, Auxiliatur ei virtus. *Id proprie tam Arab. quam Æthiop.* ረደአ ፡፡=፦

CAP. VII.

Verſ. 3. በሕቁ ፡ *Semel occurrit hoc verbum poſt in N. Teſt.* ſc. *Act.* 18. 28. በሕቁ ፡ ይትዋቀሥሙ ፡ *qui locus f. non inepte transferri ſic poteſt*, Clare *vel* manifeſte redarguebat —*& quidni etiam hic (ſalvo ſemper Doctiſſimi Interpretis judicio)* aperte, manifeſte, (*niſi malles dicere*, ornate) lavant—*videtur enim convenire cum Chald.* בהק *in omnibus quibus invenitur locis, vid. Annot. in Æthiop. Verſ. Cantic. Cap.* 1. 15. *Ibid.* ወኵሰኵሰት ፡ *Affine* τῷ *Arab.* كاس *& idem proculdubio ſignificans. Ibid.* ወጸሀሪት ፡ صهور *ſimile quid* æri *ſignificat apud Gig. Convenit plane cum Arab.* صفر i. q. *Gr.* χαλκὸς ; *nec exemplis caret iſthæc alternatio, ſc.* τῶ ف *&* ሀ : *ſic Arab.* فلع i. q. فلغ, *&c. Japonenſibus ſignificat hæc dictio* i. q. *Arab.* قصاع *qua voce utitur hoc in loco Arabs noſter & Erpen. v.* 11. ቍርባን ፡—*Locus iſte non parum perplexus, ita non inconcinne reddatur*, Donum *quod* Lucrareris, *vel*, in quo quæſtum faceres, a me, *h.e. de poteſtate mea elapſum* dicendum eſt.

CAP. IX.

Verſ. 50. ዘተሰናአዉ ፡፡ *Vt alia habent vocabula quam plurima Arabes ſenſu Hebræis plane contrario, ita & hoc : Eſt enim* שנא *Heb.* Odio habuit ; *Arab. contra in* 3. *conjug.* Benevolus fuit, comiter egit : *Cum illo etiam convenit hic Æthiop. at ſenſu potius, licet forma remotior cum Syr.* ܚܬܡ *Ezech.* 39. 2. *Syr. vid.* 1 *Pet.* 5. 14. 2 *Pet.* 3. 14. *Æth.*

CAP. X.

Verſ. 5. አንስቲያክሙ ፡ uxores veſtras ; *ita vertimus. Eſt enim* አንስት ፡ *non* Fœmina *tantum, ut Wemmars in Lex. ſuo habet, ſed etiam* Uxor, *ut* אנתתא *Chald. & Syr.* ܐܢܬܬܐ ; *quod per* امراة *reddit B. Bathlul*, *vid. Pſal.*108.9. *Arab. & paulo poſt per* ثيب Uxor, *quam novit maritus ejus. v.*40. ——ለካልኣን፡ አኮተደለወ፡ *Ita etiam verti poteſt hic locus*, Non ego ille, qui daturus ſum vobis; *at* amicis, *vel* ſodalibus paratum eſt: *quo ſenſu vocabulum* ከልኣን፡ *præſertim in libro Canticorum ſæpius occurrit. Cap.*5.1. *Cap.*1.6. *Cap.*8.13.

CAP. XIII.

Verſ. 1. መንት፡ ይመስል፡ *Al.* —cui ſimilis, *h. e.* qualis eſt *hæc ſtructura*— *v.*17. ይሐፅና፡ *plane convenit cum Arab.* حضن fœtum fovit, in ſinum cepit. *v.*24. ወእት፡ *Ita in exemplari fuit, pro quo leg. potius* እተወ፡ *ut poſuimus.*

CAP. XIV.

Verſ. 3. ወአከሰቶ፡ *vel a* ከሰተ፡ *deducitur, & cum Syro atque Perſa convenit; vel a* ከሰሰ፡ *i.q. Arab.* كسس *(quæ tamen forma in Defectivis vix reperitur) magis apposite ad Gr. & Vul. Lat. v.*12. ፊሲክ፡ *videtur hic* feſtum Paſchatis *denotare; ut* ፋሲሕ፡ Paſchale ſacrificium: *vel forte indifferenter pro eodem uſurpantur; ut etiam* ܦܨܚܐ *Syris Ezr.* 6. 19. *i. q.* ܦܨܚܐ *ver.*44. ወአጽንዎ፡ *Arab. convenit* اصدن *cum* اسر *&* اصر Ligavit *f. idem etiam Æthiop. ver.* 54. በርሀ፡ *Ut* φῶς *Græcis* Lux & Ignis; *ſic* በርሀ፡ *Æthiop. &* بهر *Arab.* Luxit, & ignis, *vel* ſolis calore uſtus fuit; *Huic interpretationi ſuffragantur Syrus, Uterque Arabs noſter & Erp. Perſa, & Vulg. Lat. Proinde nec reijcienda.*

CAP. XV.

Verſ. 1. ወወመይዎ፡ *ſic in exemplari; nec amplius invenitur: De mendo ſuſpectum, f. pro* ወይደዎ፡ commiſerunt——*vel,* ሐመይዎ፡ *quo verbo utitur S. Johan. cap.*18.12. *putat doctiſſimus Interpres pro* መቀሕዎ፡ *poni. At quid ni potius cum Arab.* الواهية Anguſtia *conveniat, nihil video: Hinc verbum* ወመየ፡ Anguſtiavit: Ligavit. *Quæ duo ſignificata eidem competunt voci apud* Heb. *Chal. & Syr. in* צור; *apud Arab. in* صرّ, *itemque in aliis linguis.*

Annotationes in Evangelium ſecundum *LUCAM.*

CAP. I.

V*ERS.* 80. የገይሥዎ፡ *ad verbum,* manicaret ſe; *niſi ſit forte mendum pro* የግሀድዎ፡ manifeſtaret ſe, *ut in Gr. quæ vox occurrit Math.* 12. 16.

CAP. II.

Verſ. 7. ወአሰረቶ፡ መንኮቢያቲሁ፡ ligavit pollicem ejus: *Phraſis obſcura ſatis; niſi f. D. Wemmers ſua fefellit interpretatio; quem alibi erraſſe obſervavimus non ſemel: Indis tamen occidentalibus* Pollicem *paulo contractius ſc.* Cobian *dici reperio. Mallem latioris eſſe hic ſignificationis, ut apud Arabes. Sed hic certi nihil habeo quod ſtatuam. ver.* 37. ማዕሰብታ፡ *Ita eſt in exemplari: i. q.* መበለተ፡ *vel potius f. pro eo.*

CAP. V.

Verſ. 36. ግመደ፡ ይርገሕ፡ ——*alio, & quidem meliori ordine leguntur hæc verba, Mar.* 2. 21. *vid. illic.*

CAP. VI.

Verſ. 38. ወንሕኑሕ፡ *f.* conjectam, projectam, depulſam: *Arab.* نخ *&* نهنه Repulit, depulit rejecit, *Ita fere convenit cum Ar.* ملغ.

CAP. VIII.

*Numerus hujus cap, omittitur in exemplari. v.*1. መከተ፡ *i.q. Arab.* الى *cui hic reſpondet: in qua ſignificatione etiam alibi ſæpe invenitur. Pſal.* 118.81. *Pſal.* 136.1.12. *&c. v.* 14. ወሐወዘ፡ ተደለወ፡ *f.* voluptas copiæ, abundantiæ; proſperitatis. *Illud Gr.* εὐθηνία *cui reſpondet, Pſal.* 29. 7. *vel*, deliciarum, *prout ſignificat,* 2 *Pet.* 2. 13. *& in Miſſ. p.* 164. *Col.* 4. *li.* 3. *a Petro Paulo Gualterio Aretino ita transfertur.* ወረሲ፡ ፍግዓ፡ ወተድለ፡ ወትረ፡ præbe ſemper gaudium & delicias.

CAP. IX.

Verſ. 4.——ትወፅኡ፡ *puto rectius ſcrib.* ታወፅኡ፡ donec emiſeritis *aliquos ſc. ex illa domo; vel,* donec feceritis *ut alii vobiſcum* exeant. *v.* 6. አሐደ፡ aliqui *eorum ſc. Apoſtolorum, ut diſerte Syrus. ver.* 62. *Ante* ድኅሬት፡ *videtur deeſſe* እንዘ፡ ነጸረ፡ *vel* ነጺር፡ *retro* reſpiciens.

CAP. XI.

*Numerus hujus cap. omittitur in exemplari. v.*42. ወጸናትዎ፡ etiam Rutam. *Mihi enim videtur (eliſo* ና፡*) conſonare, & ſignificatione omnino convenire cum* سذاب *Avicen. Lib.* 2. *Tr.* 2. *n.* 578. *idem ſc. eſſe quod Gr.* πήγανον. *Ibid.* ወተተኀወርዎ፡ Occultatis, *vel* abſcondi faciatis; *reſpondet enim Heb.* העלים *Pſal.* 9. 22. *unde poſt ver.* 52. *clavis juſtitiæ dicitur abſcondi.*

CAP. XII.

Numerus hujus Capitis omittitur in exemplari, atque ut priori jungitur.

CAP. XIII.

Verſ. 19. ላሕ፡ *Tam ſono quam ſignificatione plane convenit cum Teuton.* Ochs. *Apud Talmudicos etiam dicitur* אחוות *de pecudibus.*

Annotationes in Evangel. ſecundum *JOHANNEM.*

CAP. I.

V*ERS.* 1. ወሊእመሥረት፡ *Ita nos reſtituimus: pro quo in utroque exemplari* ወሊእመረት፡ *quamplurimis hujuſmodi mendis ſcatent Codices quos ſecuti ſumus Æthiopici: perpaucas tantum notare patitur operis atque temporis noſtri ratio. ver.* 25. የሊክንክ፡ Qui non es Chriſtus. የ፡ *enim pro* ዘ፡ *alibi etiam nonnunquem occurrit Luc.* 13.35. *vid. Lex.*

CAP. III.

Verſ. 5. *In utroque exemplari legitur* መንገሠሠንት፡ እግዚአብሔር፡— *v.*6. ወእቱ፡ *pro* መንግሠተ፡ እግዚአብሔር፡—— *v.* 6. ሠጋ፡ ውእቱ፡ *Infinitum fere eſſet omnia hujuſmodi errata quæ in eo extant recenſere.*

CAP. IV.

*Verſ.*1. *Tit.* በኃምስ፡ ፋሲክ፡ *Non his verbis intelligitur Feſtum Pentecoſtes, ut quibuſdam videri poteſt, vel ob hanc cauſam, quia apud Syros illi feſto inſtituitur hæc lectio: primo enim* ኃምስ፡ *non* quinquaginta, *ſed* quinque *tantum denotare conſtat ex duplici titulo ad cap.*15. *Actorum ubi;* ኃምስ፡ *in priori; per* ፭ *hoc eſt,* quinque, *in poſteriori exprimitur: Pentecoſte autem alibi non per* ፭፡ *ſed* ፶፡ *Actor.* 2. *Tit. & plenius per ipſam Græcam vocem Act.* 2. 1. *cap.* 20. 16. *Æthiop. deſignatur; & dictio illud ſignificans, non* ኃምስ፡ *ſed* ኃምስ፡ *vid.* 1 *Cor.*12.11. *Tit. in Syr. & Æthiop. Quid quod in Tit. ante, v.* 33. *cap.* 13. *Joh. ubi noſter legit* ኃምስ፡ *(paſcha intelligens) Syrus habet,* Quinta *poſt* Reſurrectionem, *quod plane in idem recidit. Denique Rituale Arabicum D.* VValtoni *(quod luce aliquando* ان شا الله *cum aliis etiam ejuſdem generis gentis literatæ peculio non indignis donari poſſe ſperamus) iſti lectioni hunc præfigit Tit.* الخامس بعد الفصح *p.* 56. *a. v.* 8. ኀብስተ፡ ሲሳዮሙ፡ *Al.* panem comeſtionis eorum; *quo veſcerentur: v.* 12. ጥሪቱ፡ *ut a* קנה Poſſedit מקנה Pecus, *atque Arab.* قنيان; *ſic a* ጠረየ፡ *nomen* ጥሪት፡ Pecora, *vel* armenta *opinor hic non inepte ſignificare poteſt. ver.* 28. ቀሡት፡ *Mihi plane videtur idem quod Syris* ܩܣܛܐ Urceus, hydria.

CAP. V.

Verſ. 39. ትርእዩ፡ ክታሴት፡ *Ita eſt in exemplari: Non ſine mendo puto pro* ክሴታተ፡ *ut nos mutavimus; & tranſtulit D. Interpres. Remotius Arab.* كناشة Pandectæ, *quamvis* Nun *&* Thau *in hac dialecto nonnunquam alternant. Eſt quidem* כתש *Chald. atque Syr.* Certavit, *unde* Certamina, *vel* Controverſias; δυσνόητα *illa, ex quibus Scripturæ maxima lis oritur* f. *denotare videatur. At prima magis placet conjectura. Non invenitur iſta lectio in* 4. *Arab. Rituali Arab. Syr. Perſ. vel ullo alio Interprete.*

CAP. VII.

In exemplari incipit hoc caput ad verſ. 68. *cap. præcedentis v.* 17. ለሊእየ፡ እነግር፡ de meipſo loquor: *eſt enim fere idem quod Syr.* ܡܛܠ ܢܦܫܝ *quo ſenſu ſæpius* ለ፡ *Æthiop. ſumitur; pro De: verſ. ſc. ſequenti: &* 1 *Cor.* 9.11. *ab ipſo Interprete ita transfertur. v.*28. ወለሊየ፡ *aliter,* ex meipſo: *neque enim* ለሊየ፡ *unius tantum caſus particula eſt: vid. infra cap.* 8. 42. *ubi D. Interpres ita vertit.*

CAP. VIII.

Verſ. 25. ወነገርኩክሙ፡ *idem quod* ዘነገርኩክሙ፡ Hoc *nihil frequentius apud Æthiopes. vid. Var. Lect. in Æthiop. Pſal. verſ. ad Pſal.* 77. 71. *Pſal.* 85. 9. *&c. ubi eſt in uno Exemplari* ወ፡ *eſt in alio* ዘ፡ *v.* 33. ወእምአመ፡ ኮነ፡ *ſubintelligi videtur* ዓለመ፡ *quod alibi diſerte exprimitur. Mar.*13.19. *Niſi dicendum potius* ኮነ፡ *contracte pro* ኮንነ፡ ex quo fuimus.

CAP. IX.

In exemplari incipit medio ultimi verſ. cap. præced cum ወዐለ፡——

CAP. X.

Verſ. 1. በጴጥሮስ፡ ዘኀድር፡ De Petro peregrino, *vel* Monacho: *vel,* de Petri cathedra, ſede, reſidentia: *vel, prout nos in impreſſis tranſtulimus. v.* 22. *Tit.* በመስቀል፡ *Ad verbum,* In cruce, *hoc autem per* Humiliationem *vertimus: quia magnum Humiliationis, vel Jejunii ut dicitur Jer.* 36. 6. *feſtum, menſe* መስከረም፡ *hoc eſt, Septembris inſtituit Deus: vid. Levit.* 23. 24. 27. *&c. quo tempore Feſtum Dedicationis* መድቀሐ፡ *hoc verſu dictum, celebrabant Judæi; alii tamen id menſe Decembris obſervatum volunt. Dicitur Dedicatio* ዘመስከረም፡ *hyemalis, vel quæ in hyeme, (cujus primus menſis Æthiopibus* መስከረም *appellatur) ad diſtinguendum illud a tribus aliis Dedicationis Feſtis; de quibus vid. Schindler. Lex. ſ.* חנוכה. *vel. f.* መስቀል፡ *idem eſſe poteſt quod* يوم الجمعة Dies veneris, *Titulus* ſc. *qui huic lectioni præponitur in Rituali Arab. D* VValtoni.

CAP. XI.

Verſ. 41. ወአንቀዐ፡ —— *Al.* & aperuit *eos* etiam: *Arab. id ſignificat* نقع *apud Gig.* نقع الجيب aperta eſt tunica. *p.*784.

CAP. XIII.

Verſ. 29. ዘሙደየ፡ *Non extat omnino apud Wemmars, ut nec aliæ voces quam plurima, quæ ut hæc in N. præſertim Teſtamento occurrunt ſæpiſſime: Eſt autem* ሙደየ፡ *proculdubio, i. q. Arab.* مدي Pera, capſula فنج *qua voce hic utitur Arabs noſter. Ibid. Tit. ante ver.* 33. O : ጸሬቅሊጦስ : *Referre mihi videtur hoc* O : quatuor, *ad quatuor perſonarum genera in Officio Æthiopico per vices loquentia, ſc.* ቀሲስ : ካህን : ዲያቆን : ወሕዝብ : *Epiſcopum, Sacerdotem, Diaconum, & Populum ; quorum f. unumquodque ſemel clamat*, Paraclete.

CAP. XV.

In Cod.Roman.incipit hoc caput cum his verbis ተንሥኡ:ንሖር : እምዝየ: *in fine ultimi verſ.præcedentis capitis.*

CAP. XVII.

Verſ. 8. *Eſt redundantia quarundam vocum in hoc verſu. v.* 12. *Sunt etiam in hoc verſu nonnullæ dictiones quæ redundant in utroque exemplari. At nihil hic mutavimus.*

CAP. XIX

Verſ. 23. *Male ponitur verborum ordo in hoc verſu, quæ ſic forſan legi poſſint,* ክደና : ሊየልተት : ወውእቱ : ክደን : ዘአልቦ : ርፍአት : ሰዕሉ: ወሊመንቱ : Tunicam ejus non lacerabunt,& illa tunica non habuit futuram ſuper eam ullam.

Annotationes in *ACTUS APOSTOLORUM.*

CAP. I.

T*It.* ትብሐጽን : *male, vel pro* ትብቍዑ : proficiant, *ita ut tranſtulimus; vel pro* ትብጽሑ : adveniant. *v.*3. እንዘ : ይመዕደሞ : *vel*, confirmans eos, *ut tranſtulit D. Interpres ; vel*, conſolans eos, *vertenda eſt opinor hæc dictio. In iis quas impreſſimus Scripturæ libris non occurrit amplius : ſemel invenitur in Miſſ. proprietates trium in Deitate perſonarum quantum ad fideles diſtinguens, hæc habet*, አብ : ይሰሕብ : ወወልድ:ያለምድ: ወመንፈስ : ቅዱስ: ይመዕድ: Pater attrahit, filius aſſueſcit, Spiritus ſanctus conſolatur, *ita potius vertendum puto, quia hoc officium ejus eſt maxime peculiare, ob quod ei nomen Paracleti, quem præ aliis Chriſtianis Æthiopes ſumma cum ſolennitate ſub hoc titulo,& ceremoniis celebrant ſingularibus. Vid. An. ad Joh.* 13.33. *Tit. itemque Tit. ſeq. ver.* 12. ቀደሚት : ሰንበት : *Al.* primam ſeptimanæ, diem *intelligit* Dominicum, *quale ſc. iter illo die carpere fas erat.*

CAP. II.

Verſ. 31. ወረሠገሁ : *præponendum potius* ሊይረኢዮ : *v.* 33. ዘሦጦ : *Al.* Effuſionis, *vel* qui effunditur. *v.*41. ሠለስቱ : *male opinor in exemplari pro* ሠላስ : Trigeſies : *eſt enim* ሠለስቱ : Tres. *v.* 47. ወእንተ : ጸብተ : *Eſt Chald.* צברת Ordinavit, *hinc transſferenda putanimus hæc verba* ex decreto, *vel* ordinatione : *ſed potius de mendo ſuſpectum, ſc.* ጸብተ : *pro* ጸብሐት : per omne mane, *ſynechdochice pro* in dies : *occurrit hæc phraſis infra. cap.* 16. 5. እንተ : ጸብሐት : *prætermiſit hunc locum D. interpres.*

CAP. III.

Verſ. 17. ለእመረ : ——*Aliter*, Scitote quod in non cognoſcendo eum, *h.e.*per ignorantiam——

CAP. V.

Verſ. 5. ነገርረ : *vitioſe puto in exemplari pro* ነገረ : audiens hunc ſermonem. *v.*7. ዘኮነ : መታ : quod fuit maritus ejus : *Al.* quid factum fuerat, *(h. e.*acciderat) marito ejus.

CAP. VI.

Verſ. 1. ወእለ : እመአረሚይ : *Al.* cum Gentilibus *hanc ſignificationem habet* ወ : *Æthiop. ut etiam Heb. ſæpe : vid. Schindler. ſ. hac litera Ibid.* ይፀመዱ : *Al.* Attendentes, permanentes, *q. d.* Præſtolantes *fruſtra.*

CAP. VII.

Verſ. 39. *Ante initium hujus verſus poſt* ያሀበነ : *redundant in exemplari omnia hæc verba,* ዘሉቱ : ዐበዩ : አበዊነ : ዘተመጠወ : ነገሬተ : ሕይወት : ከመ : ለነ : ይሀበነ : *tum ſequitur* ዘሎቱ—— *ut in Impreſſis noſtris. v.*54. ለኀዘፈ : *Al.* excanduerunt, efferbuerunt corda eorum, *ex uſu Ch.* נוף, *magis appoſite ad Gr.*

CAP. VIII.

Verſ. 32. ሰተኀርደ : *Paulo aliter verbum ſcribitur, Cap.* 10. 13. *& ca.*11.7. ሕርድ : *Affine quidem eſt* τῷ הרג *Heb. ut obſervavit D.Interpres ; addo & Iberorum* Chdari, mactare.

CAP. X.

Verſ. 6. ቆርኔሊዮስሰ : *Al.* O Corneli ; *non enim Cornelii, ſed Petri domus vicina fuit mari, ut diſerte mox etiam noſter habet Interpres. v.* 32. *ver.* 10 ግዕዘ : ኅሊና : *Aliter*, Ecſtaſis, *vel* abſtractio mentis *a corpore, quæ Dionyſio* ἀναγωγὴ *dicitur.*

CAP. XI.

Verſ. 18. እንዳዒ : ለእመ : *Al.* Quod ſi forte, *vel*, forte ita eſt quod i.*q.Syris* ܟܒܪ ܠܡܐ *& conſonat etiam* እንዳዒ : *cum* ܠܡܐ : ለእመ : *autem plane idem eſt quod Syr.* ܟܒܪ : *hoc a Bar Bahlul exponitur per* ܟܒܪ تري لعل *& ſæpius quidem in hoc ſenſu occurrit.*

CAP. XII.

Verſ. 20. ደቀ : ጽርሑ : ለንጉሠ : *Al.* Miniſter palatii regis : ጽርሕ: *enim idem puto quod Arab.* صرح *v.* 23. ወዐጺዩ : *Al.* & vermiculatus, *vel* vermibus exeſus, *ab* ዕፄ : *enim* vermis, *formari videtur verbum* ዐፀየ : *ſive* ዐጸየ::=:

CAP. XIV.

In cod. Rom. numerus ፲፭ : h. e. 15. *Male ponitur pro* ፲፬ : *ante* ወሶሬ:——*in ultimo verſ. præced. cap. v.*5. *videtur deeſſe* ከመ : ይትኀሥርዎሙ : *ante* ወይትቀገሩ : *& quidem hujuſmodi defectus in exemplari occurrunt non inſolentur. v.*11.——ዮብ : *h. e. Barnabam* Jovem *dicunt & Paulum Mercurium in lingua Romana ; utitur Interpres noſter Latina voce.*

CAP. XV.

Verſ. 16. ዘወድቆ : መዝብር : *Al.* Siquid mali, detrimenti, *vel* ruinæ ei accidit. זבורית *apud Talmudicos peculiaritur dicitur de* Agro deterrimo ; *vid. Miſhn. fo.* 1. *pa.* 1. *ſect.* 6. *& fo.* 5. *p.* 4. *ſect.* 8. *atque alibi ſæpiſſime occurrit. Hinc generatim etiam de re quavis* deteriori זבר *&* נובר *intelligi videtur. Hinc & Arab.* زبير & زوبرا (*quibuſcum haud dubie convenit noſtrum* መዝብር :) Malum : Infortunium, adverſitas, noxa, detrimentum. عدت علي بزوبرا cum detrimento, *vel* noxa ad me refertur. *ver.* 38. በጸንፊሲያ : *pro hoc in Codice Rom. legitur* በጸንሲያ::=:

CAP. XVI.

Verſ. 11. እምተራቁ : *f. pro* ሰእምተራቁ : *v.* 12. ቅድሜ : *Al.* Primitiæ. *vid. Pſal.* 77. 56. *vel prima &* præcipua *civitas, ut Gr. Vul. Lat. atque Arab.*

CAP. XVII.

In Cod. Rom. incipit hoc cap. cum verſ. 40. *cap.præced. v.*28. *In Cod.Rom. ita legimus,* ወንሄሉዒ : ወንትሐወስዒ : ወንሄሉዒ : *ubi poſterius* ወንሄሉዒ : *proculdubio redundat. v.*31. *Poſt* በከመ : *deeſt* ሠሪዐ : *vel* ሠየመ : *& tum locus ita vertendus*, Eo quod ſtatuit diem —— *At quomodo poſterior pars verſus ſupplenda eſſet, difficilior conjectura. Ibid.* ወአንሥአ : *Al.* eo quod, *vel* quia ſuſcitavit eum. *Vid.* 1 *Cor.* 14. 5. *Rom.* 16. 27. *ver.* 34. እለ : ዘንሲስ : *Eſt* נסס *Rab. teſtibus Schindlero & Munſteto,* Illuſtravit ; *unde ita verti poſſint hæc verba*, qui illuſtris, *vel* clariſſimi Dionyſii *ſequaces, a partibus ei*——ንሱሰ: *in Miſſal. ſemel tantum inveni, locus ita ſe habet,* በእንተ : ንሱሰ : ክርስቲያን : ሕዝብከ : ከመ : ትዕቀቦሙ : ——*qui f. ita vertendus*, pro Secta, *vel* inſtituto Chriſtianorum populo tuo, ut ſervares eos. —— *Arab. etiam* دس & دسدس *idem fere videtur quod* مسي : *Hinc ita etiam hunc locum tranferre non inepte liceat*, qui Sectæ, *vel* inſtituti erant Dionyſii——

CAP. XIX.

In Cod. Rom. incipit ad verſ. 6. *hujus cap. v.* 2. ሰማዕናሁ : ጥቀ : *Al.* Vix dum audivimus quod—— *v.* 18. ወይኔስሑ : *Al.* Et pœnitentiam egerunt de iis quæ fecerant. *v.* 40. ዘአልቦሙ : ጌጋየ : *Al.* ab inculpatis.

CAP. XX.

Verſ. 5. ፀኑሐን : *Omittitur* እንዘ : *nota participii, ut & alibi ſæpe. Al.* expectantes nos erant. *Participium enim Paul Activam habet nonnunquam ſignificationem. Luc.* 9. 53. ሖሉፍ : iens, tendens. Heb.4. 12. *ſic* ድኑዕ : *&c. v.*34. *Poſt* ተቀንዩ : *deeſſe videtur* ዘእንበለ : Non——Miniſtrarunt niſi——.

CAP. XXI.

In Cod.Rom. incipit hoc cap. cum ወፈነውዎ:——*in ultimo verſ. cap. præcedentis. ver.* 33. ግብሬ : factum ejus, *vel leg.* ግብረ : *ver.* 35. ዐሮ : *Al.* Accidit ei, *ab* ዐረየ : i. *q. Chald.* ארע, *a quo etiam deduci videtur. Atque ſic conſentit noſter Interpres cum Gr. Vulg. Lat. atque Arab.*

CAP. XXIII.

In Cod. Rom. incipit cum ይቤሎሙ : *medio primi verſus hujus Capitis. v.* 19. ዘእንተ : *redundat hic, ut alibi etiam ſolet.*

CAP. XXIV.

Verſ. 4. ሊየጽሕብከ : *Tanquam vitioſe pro* ሊየሰሕብከ : *vertit hoc D. Interpres*, ne protraham te, *ita conſentit cum Vulg. Lat. Al.* ne nimis familiariter tecum agamus, *ex uſu vocis Arab. in* 3. *conj. vid. Ecclus* 30. 9. *vel denique* ጸሐብ : *idem opinor hic ſignificare quod Arab.* صعب (*eſt nihil apud Æthiopes uſitatius quam harum literarum permutatio*) gravis, moleſtus fuit : ne tædio ſim tibi. *v.* 24. *vocabula quædam perperam in hoc verſu poſita, ita f. rectius legenda,* ዘስማ : ድሩሲላ : እንተ : አይሁዳዊት : እስመ : ይስምዑ : በእንተ : ሊየሱስ : ክርስቶስ : ——cujus nomen Druſilla (quæ Judæa fuit) quia audirent de Jeſu Chriſto—— *v.* 29. ወበጽሑ : —— *Ita in Cod. Rom.* Et venerunt Portius & Feſtus : *ac ſi duo diverſi homines erant. Per oſcitantiam certe vel ſcribæ, vel epanorthota, f. utriuſque.*

CAP. XXV.

Verſ. 14. ፊስጦስ : *male in exemplari pro* ፊልክስ : *v.* 16. ወእቤሎሙ: *pro quo in exemplari* ወይቤሎሙ : & dixit eis. *ver.*27. ሒስ : *vid. An. ad Pſal.* 118. 112.

CAP. XXVI.

Verſ. 3. ተዐጊሠከ : እጽምአኒ : *Al.* ut patienter me audias. *v.* 14. መንጠየ : ወተርገጸ : *Aliter f. ſic reddi poteſt*, Spinæ, vel ſpineto meo, ut pedem opponeres : መንጠ : *enim convenire puto cum Arab.* عبط & عيص i. *q.* شوك *qua voce hic utitur Arabs Mauritanus,* Palus ; Spina, ſpinetum. ተርጋፀ : *autem idem eſt quod* እገር : Pes, *Joh.*20. 12. *inde formari videtur verbum*, Pede conculcare, pedem opponere, *&c. v.*29. ከመ : ይኩኑ:—— *Al.*ut ita ſint, exceptis vinculis meis.

CAP. XXVIII.

Verſ. 3. አሲዶ : *Ita in exemplari, pro* አሐዶ : *ut videtus D. Interpreti, qui proinde ita tranſtulit,* accepit : *quæ quidem verſio etiam convenit cum Syr. Niſi f. vox ſit Æthiopibus peculiaris : in Impreſſis alibi non extat.*

Annotationes in Epiſtolam ad ROMANOS.

CAP. I.

ANte verſ. 26. ቁሙ : *In more eſſe videtur apud Æthiopes in Templis ſuis ſtare in pedes cum leguntur Evangelia atque Epiſtolæ. Quod ad Evangelia diſerte conſtat ex ipſorum Miſſ. p.* 162. *col.* 3. *li.* 30. *Diaconus accipens Evangelia dicit,* ቁሙ : አጽምዑ : ወንገለ : ቅዱስ, *&c.* State, & audite Sanctum Evangelium.

CAP. II.

Verſ. 3. ወዘትጸልኣ : *male, vel pro* ወዘትጸአኣ : *vid. Gram. Æthiop. vel pro* ወዘተጸአልኣ : criminaris, detractas—— *v.* 15. ወይቀልዩሙ : & deteſtabuntur. *Ex uſu ſc. Arab.* قلي *quo ſenſu in V. Teſt. ſæpe occurrit, Levit.* 20.23. *cap.* 26.30. *&c. vel potius opinor convenit cum Heb.* הקלה *& Chald* אקלי. vilipendit, contempſit, ſprevit. *vid. An. in* 1 *Joh.* 3.20.

CAP. III.

Verſ. 22. ሌለየ : *Caute hic diſtinguendum eſt (quod noſtrorum ſaltem virorum quos vidimus adhuc nullus fecerit, & hujus diſtinctionis aliquando nos etiam cum aliis magni nominis fefellit defectus) inter hæc tria verba,* ሰየለየ : *ex quo in* 4. *conj. Ar. formatur* ለሌሊ : Pernoctavit: *&* ለወለ : Inflammavit, *a quo* ትሎሊ : *Jac.* 3.6. *&* ሌለየ : *vel* ሌሊ : Diſtinxit, diſcriminavit, diſcrevit: *Hoc ſemel tantum in Scripturis occurrit. Heb.* 4.12. *de verbo Dei dicitur* ወይሌሊ : ሠርወ : አምሌሊት : Et diſcernit, *vel* diſtinguit a nocte *vel* tenebris perditionem; *ita vertendum opinor vocabulum* ሠርወ : *Sunt in omnibus hominibus tenebræ quædam quoad Scripturarum veræque Religionis myſteria; at in quibuſdam, ne dicam plurimis, tenebræ ut ita dicam Ægyptiacæ ad perditionem, animum intelligo non cæcutientem tantum, ſed pertinaciter obſtinatum, veritatique adverſantem: Inter hos diſcernit Sermo Dei. Niſi forte alluſio fiat ad Horrorem illum noctu perdentem, Pſal.* 90.5, 6. *quærant quibus pinguius otium; nobis non vacat. Hujus verbi in Liturgiis Æthiop. frequentius occurrit iſte ſenſus. In confeſſione fidei illorum ita legimus,* አብ : ይነብር : ወወልድ : ይኴንን : ወመንፈስ : ቅዱስ : ይሐትት : ከመዝ : ነአምን : ጽምረ : ወሀብረ : እንዘ : ኢንፈልጥ : ወኢንሌሊ : ከመ : ኢይኩን : ብዑድ : ንፈልጥ : እንከ : ወንሌሊ : ከመ : ኢይኩን : ሳውስ : Pater inhabitat, Filius judicat, Spiritus Sanctus ſcrutatur, Ita credimus communicationem atque unionem, non ſeparantes neque diſtinguentes *ſc. eſſentialiter:* Separamus autem ſine diverſitate, & diſtinguimus ſine mixtura. *p.* 171. *col.* 3. *li.* 30. *Atque hinc ſatis aperte deducitur* ሌለየ : Diſtinctio, differentia. *v.* 26. ወበአሆ : ብሂሉቱ : ejuſque conniventiam *: vox compoſita, quales perpaucæ Æthiopicæ, ex* አሆ : etiam. *Mat.* 21. 30. *&* በሂለ : dicere. *Verbum ſignificat* Annuere, connivere, conſentire, obedire, accomodare ſe, *vel quid ſimile. Conſule ſis hæc loca, Mat.* 27.20. *Rom.* 6.12.16. *Jac.* 4. 7. *cap.* 5. 6. *in editione Niſſel. ver.* 7. *ubi, ut in aliis etiam locis male transfertur. Hinc nomen* አሆ : ብሂሎት : *&* አሆ : ትብሉ : *μακροθυμία. cap.* 2. *Eph.* 4. 2. *Atque* አሆ : በሃሊት : *εὐπειθὴς idem plane quod Perſis* اري كرد *Hiſt. Chriſti Perſice. p.* 40. *li.* 6.

CAP. V.

Verſ. 5. መልአ : ውስተ :—— *Eo ſenſu vocem* መልአ : *accipiendam hic puto, quo Heb.* הממלאים *Iſa.* 65. 11. libantes, infundentes, *ut Schindl. vel* effundentes. *Apud Æthiopes a. nihil uſitatius quam idem verbum in quacunque fere conjugatione, præſertim prima, Activam ſimul & Paſſivam habere ſignificationem: Vel aliter ita etiam verti poteſt,* expanditur, *vel* extenditur in cordibus noſtris: *Id Arab.* ملتيم *qua voce loco Iſaiæ prædicto utitur Arab. Oxon. ex quo plurima ſupplevimus in Bibliis noſtris, quæ deerant in Pariſienſ. (quem ſperamus, cum bono Deo, in Majores ac Min. Prophetas integrum cum aliis etiam Scripturæ partibus, tam Arabice, quam Syriace, Æthiop. &c. fore ut brevi edamus)* املي *in* 4. *conj.* Expandit, extendit: Dilatavit, amplificavit *: fere ut Senes qui per πληθύνω vertunt, Exo.* 1. 7. Multiplicabat—— *v.* 14. እስመ : *Mihi videtur hic, ut & Ca.* 7. 18. *atque Eph.* 6. 12. *idem ſignificare quod* ዘዘ : quilibet, quicunque, quodcunque.

CAP IX.

Verſ. 3. እትዐለል : *genuinam hujus vocis apud Æthiopes nondum inveni ſignificationem: ex uſu Arabico tantum conjecturam fecimus, quibus* اعلل *in* 4. *conj. itemque in* 8. *eſt* Avertit, divertit; deduxit, abduxit; ablactavit.

CAP. XI.

Verſ. 1. እሉ : *videtur male pro* አቤ : *vel* እለ : አቤ : *ut cæteræ habent verſiones. v.* 21. ሌመሕክሙ : *Ita eſt in Cod. Rom. male, pro* ኢመሐክሙ : *v.* 22. ያወቀየከ : *videtur convenire cum* ዐወቀ : animadvertit; *vel* وقي Reformidavit, *q.* formidabile exemplum te reddet; *vel f. pro* ይውቅርከ : exſcindet te.

CAP. XIV.

Tit. ante v. 19. ለፓንያ : *quo modo occurit etiam. Cap.* 15. *v.* 14. *Cap.* 16. *v.* 1. *male opinor pro* ለጲፓንያ : Epiphania, *prout alibi ſcribitur.*

CAP. XVI.

Verſ. 2. ዘፈቀድክሙ : *f. pro* ዘፈቀድተክሙ : rogaverit vos——

Annotationes in I. Epiſtolam ad CORINTHIOS.

I. CORIN. III.

VERS. 5. ለአኩ : *f. vel pro* ለአከኒ : Miniſtri, *ut in verſione*; *vel pro* ተለአኩ : miſſi ſunt illi, *ut* per eos.——

CAP. IV.

Verſ. 7. ትገእዝ : *Non ſatis aſſequor rationem cur ita verterit hanc vocem doctiſſ. Interpres: Eſt proprie,* exprobras, contemnas; judicas, ſtatuis, *&c. v.* 8. *Eſt* ወነሠእክሙኒ : *in Rom. Cod. loco* ወነጋሠክሙኒ : *prout reſtituimus.*

CAP. V.

In Rom. Cod. incipit cum ወበየውሀት : *ultima voce cap. præcedentis.*

CAP. VII.

Verſ. 10. መስለ : *idem quod* እመ : *v.* 12. ኢይሜብል : non ſubjectus ero: *ita in prima conj. ſignificare videtur. Contra in* 5ª. *Arab.* ተሜብለ : Dominare, 1 *Tim.* 2.12. *vox eſt peculiaris Æthiopibus.*

CAP. VIII.

Incipit hoc caput in Cod. Rom. ad finem ult. verſus præcedentis Cap. cum ዘሀሎ : *perperam. ver.* 7. በኢያጠብዮቶሙ : *Al.* in inſtabilitate eorum. *ver.* 12. ወታወድቁ : *Al.* Deijcientes, *vel* deiici facientes.

CAP. IX.

Verſ. 22. በገዐዝ : ኵሉ : *Al. pro* omni indole, *vel*, cujuſquam ingenio.

CAP. X.

Verſ. 18. በሥጋ : *Al.* ſecundum carnem hominis: qui edunt victimas, etiam ſunt——*ver.* 22. ንቅናእኑ : *f. rectius tranſpoſitis duobus Nun,* ናቅንእኑ : zelare, iraſci facimus—— *ver.* 28. ከመ : ይገአዝዋ : —— *Al.* ut judicarent conſcientiam veſtram.

CAP. XI.

Verſ. 14. ኢየወቀቀክሙኒ : *pro* ኢያዋውቀክሙ : *ut D. Interpres,* nonne manifeſtum facit vobis, —— *vel. f. pro* ይውቀሥክሙ : *ſed prior magis placet conjectura. v.* 15. እንጎተ : *Eſt contracte pro* እንወጎተ : *vid. Gram. v.* 34.—— ኢትትሐየሱ : *Al.* Ut in hoc non ſitis crimine maculati, notati; *a* ሐየሰ : *vid. Annot. ad Pſal.* 118. 112.

CAP. XII.

Verſ. 7. አሐዱ : *videtur redundare: Atque hujuſmodi pleonaſmus in Scripturis occurrit alibi non inſolenter. vid. Act.* 17. 28. *cap.* 19. 1. *Heb.* 11. 9. *Rom.* 15. 6. *Jac.* 1. 27. *&c. ver.* 13. ገብረ : *Pro hoc leg.* ነብረ : *ut in Cod. Rom. Nam ſæpius ita occurrit, & opponitur τῷ* አጋዕዚ : *vid. Gal.* 3. 28. *Cap.* 4. 1. *Eph.* 6. 5. 8. *Col.* 3. 11. 22. *Cap.* 4. 1. 1 *Tim.* 6.1. *Tit.* 2.9. *Rom.* 14. 4. 1. *Pet.* 2. 18.

CAP. XIII.

Verſ. 3. ከመ : እትመዘገን : *Al.* ut premium nanciſcar. *ver.* 6. በፍገዕ : in violentia; *retinemus vocabulum ut in exemplari, affine Chald.* פגע violenter incurrere, impetum facere. *ver.* 12. *media pars hujus verſus ita mihi legenda videtur,* ወእስተርአየኒ : ኵሉ : ከመዝ : በመጽሄት : ወአመዘ : *(quod inſerendum)* ከሡተ : ገጽ : በገጽ : & viſa ſunt mihi omnia quaſi in ſpeculo, tunc autem aperte *videbo* facie ad faciem. *Alia exemplaris vitia, quæ emendavimus (non tamen omnia, nimis longum id foret) uncis habentur incluſa. ver.* 13. ወተቀሀዉ : *Eſt radix* ቀሐወ : *vid. Lexic. noſtrum. Affine eſt Chald.* קהה Laborioſe, diligenter intendere, *q.d.* zelare.

CAP. XIV.

Verſ. 15.——ሰቢጸየኒ : *leg. f.* ሰልብየኒ : & petam, *vel* rogabo corde meo. *ver.* 18. —— እነብብ : *Al.* quod loquar, *vel* loquens ſim. *v.* 33. ሊኮኑ : *f. pro* ሊኮን::=÷

CAP. XV.

Verſ. 1. ——ተዓሉክሙ : *Al.* quemadmodum adducta, *vel* oblata eſt.

Annotationes in II. Epiſt. ad CORINTHIOS.

CAP. II.

VERS. 5. ወዘኒ : ተከዘ : ——*Aliter,* Et ſiquid triſtitiæ eſt, non eſt *multum* mihi, quod contriſtatur, ipſe ſi unus pariter *afficiatur*, ut non aggravem illud, *vel* illum ſupra vos omnes. *Huic expoſitioni favere videntur illa quatuor puncta quæ ante* ውእቱ : *ponuntur, majoris pauſæ nota.*

CAP. IIII.

Verſ. 8. ንሐመም : ——*Al.* in omnibus afflicti, ſed non tentati.

CAP. V.

Verſ. 4. *Pro* ንሰልበ : *ut nos mutavimus, in exempl. eſt* ንልበሰ : *vitioſe. ver.* 6. ትነግዱ : *Al.* peregrinamini in corpore veſtro *:* ለመ : *idem eſt quod* In; *Math.* 12. 42. *Mar.* 6. 11. *ver.* 7. በአድልዎ : *Al.* per id quod apparet. *ver.* 10. ንትሐተት : *Eſt proprie* Scrutinio, indagini, explorationi ſubijci. *ver.* 19. እናሕሰየ : *Al.* Dimittens peccata eorum.

CAP. VI.

Verſ. 7. ዘአልበ : ኑፋቄ : *Al.* abſque ſimulatione, *vel*, quæ non eſt ſimulata. *Ex tribus, quibus uſi ſumus Codicibus in excudendo N. hoc Teſtamentum Æthiop. unico illi Doctiſſ. Interpretis D. Loftuſii qui ſolus Paulinas habuit Epiſtolas, caſu contigit infœlici, ut ex eo hoc in loco voces aliquot exuſtæ fuerint, quas (ne moraretur prelum) conjectando ut ut potuimus uncis incluſas ſupplevimus; ubi autem noſtra nos fefellit conjectura. dictiones illas ex perfecto quem poſtea comparavit* R. D. D. VValtonus *exemplari, hic tandem reſtituimus. v.* 9. *pro* [ነጎደሂ] *leg.* ሕያዋን : *Ibid. pro* [ወሊቀታለን] : *leg.* ወሊቀታልያን : *ver.* 10. *pro* ንትሐሰየ:

[ንትሐስይ] *leg.* ንትፈሣሕ : *eodem ſenſu. Ibid. pro* [ከመዝ : አልብክሙ: ወታጠርዩ : ኵሎ :] *leg.* ከመዝ : አልብክሙ : ወሊመንት : ወኵሎ :—— ut nihil omnino apud vos habentes, & omnia in manibus veſtris. *ver.* 11. *pro* [ርኁተ :]*leg.* ክሡተ : *eodem etiam ſenſu. Ibid. pro*[ቆርንቆሰ: *(error typograph.)* ተረሐበ:] *leg.* ቆሮንቶስ : ወርሐበ : *Ib. pro* [ተነሀቡ:] *in exemplari eſt* ነሀቡ : *an recte dubito.*

CAP. VII.

Verſ. 1. *pro*[ንፈጽም] : *leg.* ወንግበር : ſed operemur, *vel* perficiamus. *ver* 2. *pro* Agedum *leg.* Statio. *Ib.pro* [ጸንሐነ:] *leg.* ትፈልጡነ : Diſtinguite nos *v.*3. *pro*[አቀደምኩ :] *leg.* ወደአኩ : *quod in idem recidit,* jam antea ego, *adverbio more verborum formato. vid. Phil.* 3. 12.

Verſ. 7. ወትትቃሐው : *Al.* & zelo commoti eſtis, zelamini. *vid. An. ad* 1 *Cor.* 13. 13.

CAP. VIII.

Verſ. 17. ሰላጤክሙ : *Al.* Conceſſionem, poteſtatem veſtram, facultatem ei impertitam.

CAP. IX.

Verſ. 7. ሜህዘ : ዚአክሙ:መዝገ:ኵልክሙ : *Convenit f.* ሜህዘ : *cum* ሙሕዘ : *a* ወሐዘ : affluxit*: q. d.* de veſtra propria affluentia, *vel* abundantia propinarunt vobis : *ſed pro* ኵልክሙ : *puto melius leg.* ኵሉሙ::==÷

CAP. X.

Verſ. 1. *Pro* እስፈ : *in exemplari eſt* አተፈ : *ſine ſenſu. v.* 18. ክመ: *cum* ክ : *in hac claſſe,*Idem *ſignificat.vid. An.ad Pſa.*61.9.

CAP. XI.

Verſ. 19. ነበበያን: *vitioſe puto in exemplari pro* ጠቢባን::=÷

CAP. XIII.

Verſ. 11. ወተሠናአው : *Significatione convenit cum Syr.* ܫܝܢ & pacem habete, inite, *vid. Annot. ad Marc.* 9. 50.

Annotationes in Epiſtolam ad *GALATAS.*

CAP. II.

V*ERS.* 20. እሐዱ : *videtur leg.* አሐዩ : vivo. *ver.* 21. አሰመሰኬ : *f. pro* እስመ : ሰበኬ::==÷

CAP. IV.

Verſ. 3. እንደዊ : ለእመ : *vid. An. ad Act.*11.18. *ver.*13. በእመጠነ: — *Al.* pro infirma, *vel* tenui facultate mea, edocui vos. *v.26.* ወሊየሩሰሌም:—— *Al.* Et Hieruſalem quæ ſurſum, libera eſt ,cujus, *vel* de qua mater noſtra. *v.*29. በመንፈስ : ቅዱስ : *Al.* per Spiritum Sanctum.

CAP. V.

Verſ. 17. ዘሊይፈቅድ : *In exempl. abſque* ሊ : *vitioſe* ዘይፈቅድ : *v.* 24. አልቦ : ዘይኋይስ :—— *Al.* non habet criminis quod incuſet eum ; *vel* adverſus eum nil habet reatus lex.

CAP. VI.

*Verſ.*3.— ዘየስሕት : ርእሶ : *Al.*nemo ſit qui fallit ſeipſum. *v.*12. የድልዎ: ለገጽ : qui volunt accipere perſonas.

Annoeationes in Epiſtolam ad *EPHESIOS.*

CAP. III.

V*ERS.*11. በዘ : ሠረዎ : *Al.* propter quam, *h.e. propter Eccleſiam* conſtituit mundum *:* በ : *ſæpe hoc ſenſu occurrit. Joh.*4.41,42,50. *vel*, per quam.

CAP. IV.

Verſ. 32. መርያነ : *male puto pro* መሐርያነ : *vel,* መሀርያነ : *vid.Rom.* 12. 10. *Phil.* 1. 20. benigni ; *a* መሐረ : benignus fuit *: nomen* መሐሪ : *pl.* መሐርያነ::=÷

CAP. V.

Verſ. 5. ወዘየጠውዑ : *pro hoc in exempl. vitioſe ponitur* ወዘየጠዐው : *v.* 17. እንዘ : ታናሕሶ : *Al.* Dimittentes quæ ſunt——

CAP. VI.

*Verſ.*4. ሊታስተቆጥዑ : *Al.*angore ne afficiatis. *vid.Col,*3.21. *Tit.*3.2.

Annotationes in Epiſtolam ad PHILIPPENSES.

CAP. I.

V*ERS.*12. ከመ :—— *Al.* quomodo *jam* major eſt profectus , *ſive* exaltatio in doctrina Evangelii. *ver.* 20. መሀርያነ : benigni. *vid. An. ad Eph.* 4. 32.

CAP. II.

Verſ. 6. አኮ : ሀይዶ:—— *Al.* Non *fuit* rapina ejus, quod factus eſt Deus. *ver.*17. ሖወጽኣ: *Significatione convenit cum Arab.* ضحى Sacrificavit.

CAP. III.

Verſ. 8. ኵስሕ : *Eſt plane,* i. *q. Arab.* كساحة Purgamentum, quod verrendo ejicitur , *a* كسح i.q. كنس.

CAP. IV.

Verſ. 8. ወዘመደሐር : *Al.* & quodcunque benedictio *eſt. ver.*16. ትክዝየ: *Al. in* ærumna,*ſive* ſollicitudine mea,*per ellipſin præpoſitionis,quæ frequens valde in hac lingua.*

Annot.

Annotationes in Epiſtolam ad COLOSSENSES.

CAP. I.

V*ERS.* 20. በድመ : መስቀሉ : *pro hoc in exemplari legitur* በቅድመ : መስቀሉ : in conſpectu crucis ejus,*puto non ſine mendo. v.*24. ተኀጸጸ: *Ita eſt in exempl.* minutiora, *vel* minima. *Niſi f. leg. potius* ተሓደደ : *quod neſcio an quis* Reliquias *vertat, a* ሓደደ reliquit : *Pſal.* 37.10. *in Edit. Col. pro quo in Codd.Rom. & Poc. rectius ponitur* ሓደገ: *& quidem de mendo prius illud merito ſuſpectum.*

CAP. II.

Verſ. 15. ተዋለጦሙ : ቦቱ : *Al.* transfiguratus eſt eis in illa. *ver.*16. ወሊበእለሠሓርትክሙ : *Deduci videtur a Chald.* סהר Luna. *v.*18. ፈቂደ:— *Al.* Cupiens per blanditias religionem Angelorum, quaſi oblitus *(id Ar.* سهي *Alibi non occurrit:videtur legiſſe D.Interpres* ይትሰናየ : *at in exempl. eſt* ይትናሰየ : *f. vitioſe)* ſuiipſius, aut inflatus carnali corde ſuo*: v.*16. & non firmiter tenet caput ſuum—— *Ibid.* ወይትወደይ : *ſignificat hoc verbum in* 4. *conj.* Configere, *vid. Annot. ad Pſal.*118. 120. *in hac* 5ª. *conj.* configi, arcte conjungi, connecti. *In* 10. *conj.* Apte, arcteque concinnare,conjungere, copulare.*Pſ.*151.2.

Annotationes in Epiſt. I. ad THESSALONICENSES.

CAP. II.

Verſ. 5. ወእመአመ :——*Ad verbum*, Ex quo fuimus, non ſumus uſi— *ver.* 6. ወሊባዕደ : *f. melius* ባዕደ : *ver.*14. በክርስቶስ : *pro hoc in Rom. Cod.* ዘክርስቶስ : *quam recte judicet Lector.*

CAP. III.

Verſ. 1. አቴናኒ : *pro quo perperam in exemplari* እሕታኒ::=÷

CAP. IV.

*verſ.*11. ትክብሩ : *Al.*——Honoretis, *h. e.* honorem æſtimetis— *v.* 17. ወእመዝ :—— *Al.* Et tunc nos qui vivi, & qui reliqui ſumus, nos rapient———

CAP. V.

Verſ. 9. ለመንሱት : *hic & Cap.*2.10. *idem videtur denotare quod* ሙሰን: *v.*13. መገበረ : *pro quo male in exemplari.*መክበረ::=÷

Annotationes in Epiſt.II .ad THESSALONICENSES.

CAP. III.

Verſ. 7. ሊሠሠዐነ:——*Proprie,* non fiſſo, *h. e. falſo ac duplici corde* fuimus apud vos. *Semel tantum occurrit in Pſalmis, Pſa.* 100. 7. *ubi pro* ሠሡዐ : *in R.& C. in P.eſt* ክሉእ : fiſſus;*adeo ut de hoc ſenſu vocis liquido conſentiunt omnes codices. ver.* 11. ወእልቦ : ዘይትቀነዩ : *Al.* non eſt cui inſerviunt.

Annotationes in Epiſtolam I. ad TIMOTHEUM.

CAP. I.

Verſ. 6. ዐወክኩ : *Eſt* ܥܘܩ *Syr.* Obſtetit, impedit. *Arab.* Decertavit. *Æthiop. videtur ſignificare hoc verbum* Defecit, receſſit ; *ut D. Interpres* abrenuntiavit *cum quadam reſiſtentia atque impugnatione. vide ſis hæc loca, v.*19. *hujus cap.* 2. *Tim.*2.18. *v.*15. ከመ : የድኅኖሙ : *pro quo in exempl.* ይድኅኖሙ : ከመ::=÷

CAP. II.

Verſ. 9. ይትረሰዩ : *Al.* conſtituantur, collocentur. *v.*12. ወይትሜሀብል : *vid. An. ad* 1. *Cor.* 8.2.

CAP. III.

Verſ. 1. ጳጳስ : Papa , *apud Æthiopes eſt diſtinctus clericorum gradus ſupra Epiſcopos ; quod conſtat ex Miſſal. p.* 161. *c.* 2. *l.*13. *ubi hoc ordine ponuntur perſonæ inter eos ſacræ (alibi tamen alia etiam reperio nomina) pro quibus indies orare ſolent ; ſc.* ሊቀ : ጳጳሳት : ጳጳሳት : ኢጲስቆጳሳት : ቀሳውስት : ወዲያቆናት : Archi-papæ,Papæ,Epiſcopi,Præsbyteri, & Diaconi. *ver.* 5. ወዘሰ : ——— *Al.* Nam qui——— ወ : *enim ut conjunctio illativa quam ſæpiſſime uſurpatur : vid.* 1 *Cor.* 14. 5. *Act.*7.40. *v.* 13. ይገበሩ : *Al.* efficiunt, operantur, procurant.

CAP. IV.

Verſ. 7. መድኃት : *Ita in exempl. pro* መኀይምት : *ut rectius occurrit ſupra. Cap.*1.4.

CAP. V.

Verſ. 1. ሊተመኈጽ : *Si recte ſcribitur vox eſt peculiaris Æthiopibus i. q.* ገሠጸ::=÷

CAP. VI.

Verſ. 9. ወዘይብእሶሙ : *Al.* & quæ malæ,ſive peſſimæ ſunt eis ; *vel,*quæ nocivæ ; *id Syris* ܒܐܫ *teſte B.Bahlul,qui per* ضر *exponit.*

Annotationes in Epiſt. II. ad TIMOTHEUM,

CAP. I.

I*N Titulo per hæc verba* ዘኋዲር : ሰዐሊነ : *quæ ad ver.* 14. *hujus Cap. ſatis aperte referenda, intelligi videtur Hymnus ille quem nos appellamus* , Te Deum.

CAP. III.

Verſ. 9.—— ሊይትለዓሉ : *Al.* ſed non proficient, provehentur ; *atque ſimiliter ver.* 13. *ver.* 10. በተስፈ : በእፍቅር : *pro quo in exempl.vitioſe* በተስፋቅር::=÷

CAP. IV.

Verſ. 10. ጋልየ፡ *f. pro* ጋሳቲየ፡ *v.* 13. ተማልአ፡ *Si* ፈሉ፡ *eo ſenſu ſumatur quo Syrus noſter, Ar. Erpen. cum veterum nonnullis* φελόνιον *vertunt* وعا الكتب vaſa librorum, *tum ſic vertendus erit iſte locus,* vaſa chartacea collige, *vel* aſsume tecum; *Id.* መስአ፡ *non* Heb. *tantum, ſed & Æthiopibus; vel a* ايت *Ar.* venire fac, adducito: *vel denique pro* ተመጽአ፡ *qua conjectura eſt D. Interpretis. Mitto quod* ليف *Ar. eſt* Surculus, *vel filamentum* Palmæ, *cujus uſus Scriptioni inſervire teſtantur cum Plinio etiam alii plures.*

Annotationes in Epiſtolam ad TITUM.

CAP. I.

VERS. 2. እንዘ፡ ተሰፈዉ፡ — *Al.* expectantibus vitam. *v.* 8. ዘየንሕሲ፡ *Al.* remittentem, qui facile condonat peccantes in eum; *vel,* qui piger, tarduſve eſt ad iram.

CAP. II.

Verſ. 14. ዘይትቀሐዉ፡ *Al.* fervidum, zelo affectum. *vid. An. ad* 2 *Cor.* 7. 7.

CAP. III.

Verſ. 8. ዘሊይበቍዒ፡ *f. intelligit, quod* non utile *tantum eſt hominibus, ſed in ſe etiam bonum; vid. Luc.* 16. 6. 7. *ubi laudatur factum* ዘይበቍዕ፡ ለሰብእ፡ አሰ፡ ሊአምግዕዘ፡ hominibus bonum, non ex ſua natura.

Annotationes in Epiſt ad PHILEMONEM.

CAP. I.

VERS. 15. ለዕሌከ፡ *Ita eſt in Cod. Rom.* ſupra te, *ut tranſtulit D. Interpres: vel,* ut factus ſis debitor: *id* ለዕሌ፡ *Æth. ut &* علي *Ar. vid Luc.* 16. 6. 7. *vel f. mendum eſt pro* ለዓለም፡ in perpetuum.

Annotationes in Epiſt. ad HEBRÆOS.

CAP. II.

VERS. 8. አር አየነ፡ *vitioſe puto pro* ኢርአየነ፡ *vel* ኢር ኢነ፡ nunc autem non videmus———

CAP. VIII.

Verſ. 6. ኅሬየ፡ *q. d.* Electiſſimus, *qui ad Mediatoris officium aptiſſimus eſt atque convenientiſſimus; ut* حري *Arab. quod neque de duobus, neque de omnibus uſurpatur, vid. Gal.* 3. 20. *ſed qui unus eſt ex multis.*

CAP. X.

Verſ. 5. ኢፈቀድኩ፡ *Al.* Nolui: *permagna eſt varietas quæ in hiſce verſibus apud Interpretem noſtrum invenitur; qua non a fonte tantum, ſed ab omnibus aliis quæ adhuc apud nos extant verſionibus longe diſcedit. vid. An. ad Pſal.* 39. 9. *ver.* 25. ለምድር፡ *videtur idem connotare quod* ይለምድ፡ ሰብእ፡ ut mos eſt quibuſdam; *vel f. pro eo ponitur.*

CAP. XI.

Verſ. 5. ወዘእንበለሰ፡ *pro quo vitioſe proculdubio in exempl.* ወዘአበለሰ፡ *v.* 20. ባረኮሙ፡ *Ita nos reſtituimus, at pro hoc in exempl. male legitur* ረከቦሙ፡ adeptus eſt— *Ib.* በእንተ፡ —*Al.* de rebus futuris, quæ ipſis eſsent eventuræ. *v.* 35. ወነሥአ፡ —*Æth.* Et mulier accepit— *v.* 38. ዘኢይደልዎ፡ —*Æth.* Quos non decuit, non æquum, *vel* par erat, *ut*——

CAP. XII.

Verſ. 1. ተፋን፡ *puto pro* ተሐፈን፡ ad conſtructa nobis promiſsa. *v.* 4. ወዓ ዲ፡ *f. rectius* ወኢዓዲ፡ *vel,* ወዓዲ፡ ኢ—nondum ad mortem——

CAP. XIII.

Verſ. 5. ——ለመለአክተክሙ፡ *Al.* perſiſtite, *vel* durate, ſi modo ſufficit vobis pro miniſterio veſtro. *Pro* ለመልአክተክሙ *in exempl. prave habetur* ለመ ልአክክሙ፡ pro principe veſtro, *contra textum Græcum, verſiones omnes, ſanumque ſenſum. v.* 15. በኑ፡ Nunquid: *f. pro* በቱ፡ per eum igitur—

Annotationes in Epiſtolam. S. JACOBI.

CAP. I.

Verſ. 27. ሕብቃቄ፡ *i. q. Ar.* عيب, *& cum eo partim conſonat, & partim Græc.* κακῷ.

CAP. II.

Verſ. 7. ዘተሰምየ፡ —*Al.* quod nominatum ſupra vos. *v.* 11. ኢትቅትል፡ ነፍሰ፡ ne percutias, *vel* occidas animam, *h. e. lethaliter. vid. Gen.* 37. 21. *unde phraſis iſthæc Æthiopibus juxta cum Chald. uſitatiſſima ſuum traxit originem.*

CAP. III.

Verſ. 4. ወይትነድአ፡ *Convenit haud dubie cum Arab.* ناد Commotus eſt; *cui affine Heb.* נוד, נדד, נדה, *Ib.* ዘኅደፈ፡ ብእሲ፡ *Ad verbum* Gubernans homo, *h. e.* navarchus; *In impreſſis Scripturæ libris alibi non occurrit: In Confeſſione autem fidei Æthiop. de proprietatibus* 3. *Perſonarum hæc lego,* አብ፡ ያጸንዕ፡ ወወልድ፡ ያጠብዕ፡ ወመንፈስ፡ ቀዱስ፡ ይሔድፍ፡ *h. e.* Pater corroborat, Filius præparat, Spiritus Sanctus dirigit, *vel* gubernat. *p.* 171. *c.* 3. *li.* 28. *Atque hinc* ሐይፈ፡ Gubernaculum navis, *Act.* 27. 40. *v.* 5. ሰም፡ *Nequaquam ut præpoſitio hic, quæ utramque literam alterius Claſſis habet, ſed ut nomen extra omne dubium ſumi debet; & ut Latinis* Mater, *&* Materia *cognatæ voces ſunt, ſic* እም፡ *&* ሰም፡ *Æthiopibus. Poſterius hoc* Materiam, *vel* Sylvam *denotare, vel ex hoc loco ſatis conſtat. Addo quod* أجم *Arab.* Spinæ *genus eſt: &* Deſertum, *locus ſylveſtris Japonenſ. jama,* Sylva: *quæ vox Lat. ut Gr.* ὕλη *generatim etiam pro quacunque* materia *uſurpatur. Et materia quidem quaſi mater eſt ex cujus potentia, vel matrice (ut ita dicam) res materiatæ omnes a prima Cauſa in actum educuntur. Ibid.* ወታሬምፀ፡ *ab* አረምፀ፡ *vel i. q. Arab.* أرمض Afflixit, dolore affecit; *vel f. convenit cum* رمص Sordidat, inquinat; *quod magis appoſite ad Gr. cæteraſque verſiones omnes. Ib.* ወትሌሉ፡ *Eſt tanquam a* ለወለ፡ Inflammavit, *de quo tamen nihil adhuc inveni in ulla Orientalium lingua. Proinde tam hoc quam alia vocabula plurima Æthiopica, Syriaca, Samaritana, Arabica, atque Perſica, de quibus in omnibus quos habemus Lexicographis ne* γρῦ *quidem extat, vel ad Lexicon noſtrum Orientale, vel ad aliud volumen Biblicum, quod aliquando (volente Deo) ſimus edituri, referre neceſſum erit.*

CAP. V.

Verſ. 7. ትሰዊ፡ Spicas edat, *vertit D. Interpres:* effundat *pluviam, Niſſelius, tanquam a* ሰወጠ፡ *nos, ut cognatæ ſignificationis cum Arab.* سوي demittat *pluviam. Mentem Interpretis Æthiop. an quis noſtrum aſſecutus fuerit, haud parum dubito. ver.* 11. ኖሰተበጽዎሙ፡ *Ita in exemplari, melius* ኖሰተበጽዕዎሙ፡ *ver.* 12. ሰም፡ ኢትትክኑነ፡ ወኢትበሉ፡ ዉስተ፡ ደይን፡ *Quæ verba ita tranſtulit D. D. Loftuſius, vir non tantum* πολυγλώττατος, *ſed & omnigena eruditione clarus, mihique multis nominibus merito colendus;* Niſi in judicium vocemini, & intretis in judicium.

Annotationes in I. Epiſtolam S. PETRI.

CAP. I.

VERS. 5. ከመ፡ ትድኅኑ፡ ——*Æthiop.* ut ſervemini *ad id* pro quo parati eſtis, & revelabitur———

CAP. III.

Verſ. 18. ጸድቅ፡ *Æthiop.* Juſtitia.

CAP. IV.

Verſ. 8. ወጸሐዉ፡ *Occurrit hæc dictio Math.* 16. 2. *nec in impreſſis alibi, ubi convenit cum* Heb. צחח Terſus, politus, lucidus, luculentus. *f. leg.* ቀሐዉ፡ *vel* ጸሐቁ፡ *ut conjectat D. Interpres. v.* 17. ለፍዳ፡ *videtur idem quod* Heb. לפיד *: niſi mendum ſit pro* ፍትሐ፡ *vel* ለፍትሐ፡፡ =፡

CAP. V.

Verſ. 8. ይኀሀር፡ *idem puto quod Arab.* ظهر Prodit: *vel dictio f. Æthiopibus peculiaris.*

Annotationes in II. Epiſtolam S. PETRI.

CAP. I.

VERS. 9. በመርሰስ፡ *f. rectius leg.* መገስስ፡ ambulat contrectans, palpans, manu tentans; *vel ſi* በመገሰስ፡ cum contrectatione—— *v.* 10. ለብ ዕሉ፡ *Al.* contra divitias ejus; *Ita ſæpe ſignificat hæc litera, vid. Act.* 6. 13. ሉቱ፡ *C.* 15. 2. *C.* 18. 28. *&c.*

CAP. II.

Verſ. 4. ባዕሬ፡ Ardor, incendium, perditio; *ut Hebræis. v.* 14. ወስጡሕ፡ *Eſt proprie* extenſum, dilatatum: *Heb.* 4. 13. *ut Heb.* שטוח. *v.* 20 በከንቱ፡ *Al.* fruſtra, gratis: *i. q. Heb.* חנם.

CAP. III.

Verſ. 2. ዘዐቀደምን፡ *rectius leg.* ዘአቀደምን፡፡ =፡

Annotationes in I. Epiſtolam S. JOHANNIS.

CAP. I.

VERS. 1. *In exemplari* ለዓለም፡ ዓለም፡ ዓለም፡ *ubi* πλεονάζει *poſtremum* ዓለም፡ *v.* 5. ኅቤሁ፡ *pro quo male in exempl.* አቤሁ፡፡ =፡

CAP. II.

Verſ. 2. *Incipit hic verſus in exemplari cum duabus ultimis vocibus præcedentis, ſc.* ጸድቅ፡ ወእቱ፡ *v.* 14. አእመርክዎ. *f. leg.* አእመርክሙዎ፡ noviſtis.

CAP. III.

Verſ. 20. ወይቀልየነ፡ & contempſerit nos: *Eſt plane idem Æthiopibus in Kal, quod in Hiphil Chald.* אקלי: Vilipendit, ſprevit, contempſit: *Et noſtro hic aſtipulatur Arabs Erp.* حقرنا.

Annotationes in Epiſtolam 3am. S. JOHANNIS.

CAP. I.

VERS. 9. አሰ፡ ርቱዕ፡ አቀድሞ፡ ሎሙ፡ *Al.* Sed rectus (*ut Iſrael* ישרון *Deut.* 32. 15. *h. e. vel quem oportuit fuiſse rectum, vel per antiphraſin*) *qui* præeſt eis, is quidem per infidelitatem ſuam vos minime acceptos habet; *id ſignificare,* ኢይሰጠወክሙ፡ *conſtat ex* 1 *Pet.* 2. 5. *atque hic ſenſus ad Gr. magis eſt accommodus.*

Annotationes in Epiſtolam S. JUDÆ.

CAP. I.

VERS. 9. ይኂስከ፡ እግዚአብሔር፡ *Male hic in* Edit. *Niſsel.* ይጌሠጽከ፡ *Significat proprie* ይኂስከ፡ criminis te reum peragat Deus. *vid. An. ad Pſal.* 118. 112. *& ad Math.* 5. 23. *ver.* 13. እሰ፡ ይፈልሐ፡ ለሐሰርሙ፡ Egerentes *vel* eijcientes ignominiam ſuam, h. e. *quocunque ſe conferunt ſuam produnt infamiam, atque turpitudinem. Satis apte convenit vox iſthæc D. Niſselio adeo difficilis explicatu cum Arab.* فلج Egeſſit, ejecit: *unde* فلجة الغايط ventris egeſtio, *apud. Gig. v.* 21. እንተ፡ ሕይወት፡ —— *Æth.* ad vitam quæ in ſecula ſeculorum.

Anno.

Annotationes in Apocalypſin S. Johannis.

CAP. I.

In Tit. ——ዘቍስጥንጥንያ : ሞጥርጸሊስ : *vertit D. Interpres*——Chuiſtntniæ metropolis; *cujuſmodi loci, nedum Metropolis, nuſpiam apud ullum Chorographum mentionem invenimus: niſi (quod probabile)* pro Chuiſtntniæ *intelligenda ſit Conſtantinopolitana; unde mutavimus hic, ut etiam alibi nonnunquam erudititiſſimi viri tranſlationem: Hoc certiſſimum, his literis apud Æthiopes ſcribi ſolere nomen hujus urbis: Conſule ſis Miſſ. Æthiop.* p.161.col. lin.1.3. *In formula Abſolutionis* ፍትሐት : ዘወልደ : *ut ibi dicitur, quam Sacerdos ante Synaxin legit, eam rogant ipſis ratam fieri per os* 318. *Epiſcoporum qui recta fide in Synodo Nicena fuerunt congregati, & centum quinquaginta* እለ : በቍስጥንጥንያ : *in* Conſtantinopolitana. *Firmant inſuper ſententiam noſtram idem etiam ſcribendi modus apud Arabes; vid. Cl. Joh. Gravii Tabulas Geogr. P.4.p.7.*

CAP. I.

Verſ. 15. ዘአርሰነወ : *Plane convenit hæc dictio cum Heb.* כשף, *& Arab.* رصف (ف & ص : *alibi alternant non raro) vid. Pſal.* 18.33. *Pſal.* 118.140. *Apoc.* 2.18.

CAP. II.

Verſ. 5. በበይነ : ምንት : *Al.* propter quod, *vel* qua de cauſa. *Ibid.* ሊነስሕከ : *Hoc ſubſtituimus, pro* ሊነኀሕከ : *quod in exemplari vitioſe legitur; niſi f. affine ſit Arab.* نخّ & نخ Extimulaveris, incitaveris te. *v.*10. ዘሐወት : *male in exempl. pro* ዘሐይወት : *& quidem centurias aliquot hujuſmodi mendarum in eo invenire eſt; quas ut plurimum nos correxiſſe ſperamus.*

CAP. IV.

Verſ. 5. ያወዓዋ : *Ita nos mutavimus, pro quo in exempl. male* ያትዋ ::=:

CAP. V.

Verſ. 5. ይፍትሃ : *Ita in exempl. rectius le.* ይፍትሖሃ ; *v.*6. ፮ : ፮ : *pro his in exempl.*——፯ ፯ .*h.e.* ſex.

CAP. VI.

Verſ. 6. ሊያእብሬ : *Puto convenire hanc vocem cum Arab.* أبر i. q. *Heb.* אבד (ד & ר *ob ſimilitudinem literarum ſæpiſſime permutantur*) perdidit, exitio dedit. *v.*16. ወበጸበት : *male pro* ጸበዓት : i.q. Heb. סלע *Pſ.* 103.13.19. *atque ita vertit D. Interpres : vel f. tanquam ab* Hebr. צולה *formatur* ጸለት : Abyſſus, profundum : *ut operuit Pharaonem, ejuſque exercitum Exod.* 15.5. *Ita eos etiam obruat, & abſcondat a c. e.q.ſ.*

CAP. VII.

Verſ. 4. ፲ ወ ዐ፻ ወሠ፻ : እለ : ተኀትሙ : *Quæ verba ita tranſtulit D. Interpres,* decies & quadragies, centies & quadragies centum obſignati erant: *et ſic poſt v.*5. ፻፻ ወ፳፻ : decies centies, & vigeſies centum, *et ita in ſequentibus: nos vero mutavimus ut in Impreſſis. Et quidem ut verum hic fatear, in figuris Æthiopicis debito modo computandis errarunt omnes quotquot adhuc vidimus Grammaticæ Æthiopicæ Scriptores, Jo. Potken, Ach. Venerius, & quem ſequitur Marianus Victorius, Joh. Gerhardus, & Jac. Wemmers qui omnes* ፻፻ : mille *denotare volunt, &* ፲፻፻ : myriadem, h.e. 10000. *Cum revera Æthiopes mille ſic exprimunt,* ፲፻ : *& myriadem hoc modo* ፻፻ : *&* 20000. ፪፻፻ : 30000. ፫፻፻ : *&c. Hunc nodum non ſine ope ſuaviſſimi mei amici, inque maximo hoc opere* Σωέργυ ἀκμῆλος, *Sam. Clerici, A. M. viri tum in ſtudiis Philologicis, tum Mathematicis, nec non univerſa politiori literatura verſatiſſimi, expedivi.*

CAP. IX.

Verſ. 12. ወተሬፈ : *f. le.* ወተረፈ : *v.*17. ደርከነ : *Eſt dictio quæ alibi in Impreſſis quos habemus Scripturæ libris quantum ad hunc præſertim ſenſum nequaquam comparet,* درکون *Perſis eſt* دوال فتراك (*teſte* نعمة الله) Lorum pharetræ, *vel potius* hippoperæ ; *Arab.* funis, *vel* chorda arcus, *Gig. hinc f. verbum,* Chorda, *vel* fune ligare, connectere.

CAP. XI.

Verſ. 1. ዘመጠነ : በትር : *Eſt proprie,* qui baculus *erat* menſorius. *v.* 6. መጠነ : ፈቀዱ :: *Al.* quantumcunque voluerint.

CAP. XII.

Verſ. 14. ኀበ : ትትዓቀብ : —*Æthiop.* ubi ſervatur omnibus diebus, tempus, & tempora, & dimidium temporis. *v.*15. *&* 16. ወሒዘ : *Eſt etiam ubi hæc dictio pro* Torrente, *vel* flumine *uſurpatur; vid. Pſal.* 123.4.

CAP. XIV.

Verſ. 17. ወይጸውር :——*Alit.* Et portabat ille etiam falcem.—— *v.* 20. ምዕራፍ : *Hoc vocabulum* Stationes *puto non inepte transferri poteſt :* Stationi *autem ſi* 100. *tribuere liceat ſtadia, conveniet ita iſthæc computatio cum textu Gr. cæteriſque verſionibus.*

CAP. XV.

Verſ. 8. ወእመነ : መልአ :—*Æthiop.* Et tum implevit *eos* in templo fumo— *Ibid.* ወስብሐት : *rectius f. le.* ወስብሐቱ ::=:

CAP. XVII.

Verſ. 10. ወ ፩ እምጽአ : *Æthiop.* Et unus oh venit : *ſed potius* ኢ : *vitioſe in exemplari videtur poni pro* ኢ : *vel* ዓዲ ኢ : non, *vel* nondum.

CAP. XVIII.

Verſ. 11. ገሬውሂሆሙ : merces eorum, *ita nos vertimus hoc vocabulum, quod a D. Interprete omiſſum eſt : vel, aliter,* agros eorum, *v.*12. ዕፀ : ሕቍ : *Obſervatu forte non indignum* ዕፀ : *aliter hic ſcribi, quam* ዕፅ : Arbor, lignum : *ſc. cum* ፀ : *primæ Claſſis : unde aliam etiam interpretationem ei tribuendam puto : nempe ut fere idem ſit quod* ንዋየ : vas, inſtrumentum, *&c. quod eo magis adducor ut credam; primo, quia Mſ. Alexandr.* pro ξύλον *legit* σκεῦος. *Deinde quia iſte ſenſus melius convenit cum ſequenti voce* ሕቍ, *quæ mihi plane idem videtur quod Arab.* عاج *ſiquidem* ቍ : *&* ج *literæ ſunt homogeneæ*) Ebur. *Totam denique hanc conjecturam firmat Arabs Mauritanus, qui hunc locum ita tranſtulit* وكل انية من العاج & omne vas eburneum. *Niſi ſit f.* ሕቍ : *nomen Æthiop. arboris Thyiæ,* ξύλον θύϊνον, *ut Gr. de qua vid. Bauhin. Hiſt. Plant. To.*1.*li.*9.*c.*17. *&* 18. *vel denique, quid ſi dicamus* ሕቍ : *i. q. Arab.* حاوة *h. e.* قيمة pretium : *quo modo legit Arabs noſter, ſc.* الثمين *v.*14. ወኢይረክብዎ :— *Al.* Et non invenerunt iſta amplius. *v.*15. Mercatores tui horum in te etiam ſtabunt— *v.* 17. ወኵሉ : ኬንት :— *Al.* & omnes artifices navium— *vid. Act.* 19.24.25. *ver.*19. እምነ : ክብሬ : *Al.* de pretioſis, *vel* præcipuis illius——

CAP. XIX.

Verſ. 1. በሰማይ : *Al.* in cœlo. *Ib.* ወይቤሉ : *Al.* & dixerunt. *Ib.* ወፈርቃን : & redemptio, ſalus. *ver.*11. ስሙ : nomen ejus, *ver.*12. አስማት : nomina.

CAP. XX.

Verſ. 1. ጸሐይ : *Mendum puto, pro* ቀበይ : *Aliter diverſiſſimus hic abit noſter interpres, nec raro id quidem, non a textu tantum, Gr. ſed ab omnibus quibuſcunque quæ apud nos ſunt verſionibus. ver.*3. ወአውደቆ : *Æth.* & cadere fecit eum.

CAP. XXI.

Verſ. 5. ዘይቤ : πλεονάζει. *v.*8. እንዘ : የአምኑ : *f. le.* እንዘ : ኢየአምኑ : *ut Gr. uterque Arabs, cæteræque verſiones omnes. ver.*9. በገዑ : *rectius leg.* በገዐ : *ut ver.* 14.

CAP. XXII.

*In Edit. Rom. incipit hoc Cap. medio v.*24. *Cap. præced. cum voce* ወንገሥት : *v.*11. ወለዘገፍዐ : ——*Al.* Et qui oppreſſit, opprimet eum adhuc, & qui ſordidus eſt, ſordeſcere faciet eum amplius. *Eſt enim* ፩ : *ſæpe litera paragogica. Sunt quidem præter hæc, alia etiam vocabula quamplurima, non in hac tantum Tranſlatione, ſed in verſionibus Arabica, Syriaca, atque Samaritana, Animadverſiones opinor ſeveriores merito expoſcentia, quæ ratione ad exitum jam jam feſtinantis preli, neceſſario ſunt hic prætermittenda, et ad aliud tempus, opuſque (ſi Deus annuerit) reſervanda. Quod reſtat, pro* BIBLIIS *hiſce vere* πολυγλωττάτοις, *Providentia ſumme miranda, labores immenſos atque indefeſſos R^{mi}. & ad maxima nati, D.D.* BRIANI VVALTONI *fecundante, nunc tandem fauſte, feſtineque abſolutis,* በስመ : እግዚአብሔር : ለደገ፩ : ኵሉ : ልሳን ::=:

⁂

Annota.

Annotationes quædam in Perſicam Interpretationem EVANGELIORUM.

Doctiſsimo Viro BRIANO WALTONO *S. Theol. Doctori* THOMAS GRAVIUS *S.*

ANimadverſiones quaſdam in Sacra Evangelia, Perſicam in linguam traducta, & tuis auſpiciis luce donata, ut tibi, & aliis communicarem, nuper efflagitaſti. Deſiderio tuo obſecutus *Annotationes* haſce tibi legendas, & (quod maxime cupio) exactâ judicii tui lance trutinandas miſi, ut tuo calculo, & ſuffragio probatæ aliorum cenſuram minus reformident. Utinam majori operâ tibi gratificari, & publicum commodum, cui tu labores tuos, & ſtudia devoviſti, promovere poſſem. Plurima quidem in hoc opere obſervanda occurrunt, ego vero de copioſa ſegete manipulos quoſdam collegi, & ut Arabes loquuntur قليلا من كثير de ingenti acervo pauca delibavi, quod *neceſſitati*, potius quam voluntati meæ, imputandum eſt. Nam temporis anguſtias quibus conſtringor, & occupationes meas ſingulis Septimanis in orbem recurrentes, tute, & alii cognoſcunt. Illud præterea mihi incommodum accidit, quod ab Urbe veſtra, & *Academiis* remoto exemplaria quædam, & inſtrumenta ad hoc opus idonea defuerint, ideoque perplexius iter fuit, cum *Manuſcriptos* Evangeliorum codices, tanquam viæ duces, nullos haberem. Quæcunque hic ſcripta ſunt, non docendi magis, quam diſcendi, & veritatis explorandæ cauſa elucubravi, quæ Doctorum examini, tuo præſertim, libens ſubjicio. Adeo mihi *Veritas* cordi eſt, ut convinci, & moneri, beneficium, non opprobrium eſſe ducam. Latino Perſicæ hujus verſionis interpreti, viro eruditiſsimo, me una cum aliis debitorem agnoſco, a quo ſi aliquando deflectam, & in diverſum abeam, non illud diſſentiendi libidine factum eſt, ſed eâ *Libertate*, & *Candore* quibus literatos uti oportet. Si in meis vero errata nonnulla deprehendantur, veniam quam aliis impertior, ipſe viciſsim jure poſtulo. Labi, & errare hominis quidem eſt, ſed errantibus conſulere, & ignoſcere multo magis humanum eſſe cenſeo. Tuis laboribus (vir Doctiſsime) fauſtum Deus exitum concedat, ut *Sacro Operi* felix colophon imponatur, & omnes חֲנֻכַּת הַבַּיִת h. e. feſta *Encænia* læti celebremus. Vale.

Dunsbeiæ in Agro Lincolnienſi, XI KAL. *Jan.* 1657.

SAMUEL CLERICUS *Linguæ Perſicæ Studioſo Lectori* S.

QUatuor *Evangeliorum* duplex apud nos *Perſica* Verſio habetur; Una recentior, ut quidem videtur, ex *Græco* traducta: hujus exemplaria bina, ex utraque *Academia* unum, nactus vir clariſsimus *Abrahamus Wheelocus* (mihi tum ob eruditionem non vulgarem, tum ob ſingularem ejus, dum viveret, erga me humanitatem, haud ſine honore memorandus) in *Latinum* ſermonem eam convertit, & prelo ſubjectam notis illuſtrare cœpit; ſed morte pręventus opus imperfectum reliquit: quod tamen viri ſplendidiſsimi, *Mæcenatis* quondam illius, munificentia haud penitus intercidit. Altera êſt quam hîc damus; cujus licet unicum exemplar, ex divite celeberrimi viri *Edwardi Pocockii* penu depromptum, habuerimus: quia tamen ex *Syriaco* facta, & priore antiquior viſa eſt, & ne actum agere videremur, eam non indignam judicavit *Cl. D. Waltonus*, operis hujus *Biblici* ἐργοδιώκτης, qui in eo locum haberet. In ea *Latino* ſermone donanda ita verſatus ſum, ut nec verborum proprietates negligerem, nec *Perſicæ* phraſeos, quoad fieri poſſet, vim enervarem; ſed mediam quandam viam ingreſſus, in iis quæ ſæpius recurrunt locutionibus ſatis habui, in uno vel altero loco κατὰ πόδα, alicubi etiam minus forſan Latine, verba reddere, in aliis vero liberiore explicatione eorum ſenſum & *Interpretis* mentem exprimere. Quocirca *Lectorem* plurimum juvabit hujuſmodi loca obſervare & inter ſe conferre, quo uberiorem ab ejus lectione fructum percipiat. Statueram quidem verſionem totam recognoſcere, & quaſi ad incudem revocare, ac plurimorum quę in ea occurrunt rationem reddere: ſed cùm aliis, quę mei in hoc opere muneris fuerunt, diſtracto, feſtinante interim & urgente prelo, id minime liceret, opportune hîc ſubvenit vir doctiſsimus, mihiq; adeo tum eruditionis tum amicitię nomine plurimum colendus, *Thomas Gravius*, cujus in hanc interpretationem exquiſitę animadverſiones, quicquid à me hac in parte expectari, nedum pręſtari potuit, ſatis ſuperque *Lectori* penſabunt. Ille ſi alicubi à me diverſum ſentire videatur, & cum *Lectoris* utilitate res conjuncta ſit, haud ægre mihi ferendum duxi. *Homo* cum ſim, *humani* hoc mihi accidere potuiſſe ut errarem, nihil eſt quod quiſpiam miretur, aut me pudeat; haud novum videri debet ſi currentem impingere contingat, aut ſi mentis æque ac oculorum acies pluribus intenta nonnunquam allucinetur: at ſi in errore pertinacius perſtitero, dignus fuero qui graviſsimas doctorum & bonorum omnium cenſuras ſubeam. Vale, Lector amice, & conatibus noſtris fave.

Perſicæ hujus interpretationis Autorem, Syriacum, *non vero Græcum Evangeliorum contextum ſibi vertendum propoſuiſſe multis indiciis liquido conſtat. Hinc eſt quod Syriaca vocabula interdum retineat, eorundem interpretationem illico adjungens, ut Joh.*19.17. ܩܪܩܦܬܐ *&* 13. ܓܦܝܦܬܐ *& alia Lectori obſervanda. Sæpiſſime vero ſuiipſius quoque interpres eſt. h.e.* Perſicas & Arabicas voces (*Perſis familiares & receptas*) *aliis velut notioribus reddit. Ut pro* Spiritu ſancto *ſæpe* روح القدس & جان پاك *ſimul conjunctis utitur. Sic* شستكاه & معموديت Baptiſmus. *Luc.*20.4. (*v etiam Joh.*1.33.) غيور & بارشك zelotes *Luc.*16.15. عاقر & نازاينده ſterilis *Luc.*1.36. ضحوست & روزبي بارانست ſerenitas eſt. *Mat.*16.2. *Hujus generis creberrima exempla per totum opus ſparſa reperiuntur. Pleraque iſtorum Perſæ ab Arabibus mutuati ſunt, & in ſuam linguam receperunt, quibus promiſcue tanquam vernaculis utuntur, ideoque ab hoc Interprete frequenter etiam ſine ulla explicatione adhibentur. Interdum Syriacas voces haud ſatis animadvertendo hallucinatur, & impingit, præſertim in iis quæ ſonum & literas ſimiles habent, ut in Animadverſionibus hiſce fuſius monſtratur. Crebro liberius ſpatiatur, &* paraphraſten *magis quam interpretem agit, multa de ſuo explicationis cauſa adjiciens. Quorum luculenta exempla habes Mat.*16.18. *& c.*24.37. *Marc.*10.22. *Item Luc.*2.26. *c.*5.8. *c.*16.23. *& c.*24.45. *Vide etiam Joh.*2.9. *&* 21.7.20.25. *&c.*

*Multa Evangelico textui aſſuit, & adjungit, quorum in Græcis & Syriacis codicibus neque vola, neque veſtigium eſt, ut Matth.*26.52. Martyras *poſt Chriſti mortem reſurrexiſſe dicit: & Luc.*15.13. *Filii prodigi fratrem portionem ſuam diligenter aſſervaſſe, & negotiatum fuiſſe ſcribit. Alia his exempla adjicere promptum foret. Vide ſis Marc.*15.65. *Luc.*2.7. *&* 5.7. *&* 18.13. *&* 19.9. *&* 24.53. *Illud quoq; monendum eſt aliqua variis in locis* prætermiſſa *eſſe, quod plerunque non Interpreti, ſed ei potius qui codicem excripſit, imputandum cenſeo, cujus fidem, & diligentiam hic ſæpe deſideramus. Nonnunquam uno & eodem loco* deſunt *alia, & alia* redundant *ut Luc.*11.10. *verborum Chriſti* (πᾶς γὰρ ὁ αἰτῶν λαμβάνει, καὶ ὁ ζητῶν εὑρίσκει, καὶ τῷ κρούοντι ἀνοιγήσεται) *interpretatio omittitur, hæc vero inſeruntur* كيست از شما كه فرزندش ازو— Quis eſt e vobis qui filio bonum petenti malum daturus ſit? *Vide etiam Joh.*2.9. *& alibi.*

Eorum ſane quæ in hac verſione partim deficiunt, partim ſuperfluunt, & redundant, amplum hic indicem Lectori exhibere poſſem. Sed brevitatem mihi prælum feſtinans injungit. Præcipua additamenta *in his Annotationibus indicavi, atque etiam hiatus, &* defectus *inſigniores, quorum aliquos in Lectoris gratiam ſupplevi, idem in reliquis facturus ſi Manuſcripti Evangeliorum codices, & exemplaria mihi præſto fuiſſent. Conſulat Lector Perſicam verſionem doctiſſimi viri* Abr. Wheelock *opera concinnatam, quam morte præreptus imperfectam, & ſemianimem reliquit, quod vero nunc vita & luce fruatur, Clariſſimo Viro* Thomæ Adams (*harum literarum eximio Fautori*) *debemus.*

MATTH.

Tit. *Evangelium*] A Perſis & Arab. إنجيل & أنجيل dicitur. Syri Græcam vocem Εὐαγγέλιον integram retinent, cui Perſæ & Arabes primam ſyllabam detraxerunt. الانجيل فيه هدي ونور *Evangelium in quo directio & lux.* Alcor. Sur. 5. & paulò poſt لستم على شي حتي تقيموا التورية والانجيل *Nihil proficitis niſi obſervetis legem & Evangelium.* Hæc diſerte pronuntiat αὐτοκατάκριτος Muhammedes. A Perſis alio nomine مژده appellatur, quod in hâc verſione paſſim occurrit.

Hebr. dictum eſt] Vel, *prædicatum eſt*. Nam ſic crebrò Gr. κηρυχθῆναι exprimere ſolet. Ut Matth. 24. 14. *Evangelium hoc in univerſo mundo prædicabitur*, habes hæc ipſa verba كلمه سود ſic cap. 26. 13. Matthæum verò *Hebraicè* Evangeliũ non prædicaſſe tantùm ſed etiã ſcripſiſſe plurimorũ ſententia eſt. P*ropter eos qui ex circumciſione crediderant Evangelium Chriſti Hebraicis literis verbiſque compoſuit*, inquit Hieronym in catal. ſcript. Eccl. qui ſe exemplaria ejus apud *Nazaræos* in Syriâ & alibi vidiſſe aſſerit.

CAPUT I.

Verſ. 1. *Liber Generationis*] Diſcrimen eſt inter γένεσιν quæ hìc, & γέννησιν quæ v. 18. habetur: at Perſa eadem voce (زاييدن) utrobique utitur, ſic & Vulg. Lat. Ver. 5. *E Raguth*] Heb. nomen eſt רוּת & Chald. unde 70 Ῥοὺθ, at Syr. & Arab. literam Ain inſerunt, quam Perſa in غ mutat. Sic *Lazarus* qui ab Arabibus Muhammedanis عازر *Azarus* dicitur, à noſtro غازر *Gazarus* vocatur. v. Luc. 16. & Joh. 11. v. 21. *Jeſũ*] Variis modis effertur, & ſcribitur à Perſico interpr. ſalutare hoc nomen: ver. 1. eſt يوشع, at hìc et v. 16. يشوع cap. 3. 13. عيسي & alibi ايشوع. Nomen عيسي Muhammedanis receptum eſt, & in Alcorano ſæpe uſurpatur, Arabes verò & Perſæ, qui Chriſtiani ſunt, aliis libentius utuntur. Sic Johannes Bapt. cap. 3. & alibi paſſim يوحنا & يحيي dicitur: يحيي à Muhamm. (ut in Alc. c. 3. &c.) à Chriſtianis verò uſitatius يوحنا. Quod ad nominis hujus interpretationem attinet (quam hìc Angelus declaravit σώσει γὰρ, &c.) notatu dignæ ſunt Perſicæ voces quibus Σωτήρ exprimitur ſc. خلاص كننده Luc. 2. 10. (ut Tertull. *Salutificator* & *ſalutis artifex*) item زندگاني دهنده Lu. 1. 47. & Joh. 4. 42. vides ut ſingulis locis, binis & compoſitis vocibus utatur. Idem quippe in hâc linguâ notari poteſt, quod *Cicero* in Latinâ de nomine iſto obſervavit. *Ita magnum eſt* (inquit) *ut Latino uno verbo exprimi non poſſit. Is eſt nimirum* Σωτήρ *qui ſalutem dedit.* Or. 2. in Verr. ver. 23. *Deus noſter nobiſcum*] Sic & Syr. pronomen poſſeſſivum adjicit, quod in iſtâ linguâ ſolenne eſt, in *Immanuelis* tamen nomine non includitur, ideoque Evangeliſta habet tantum μεθ' ἡμῶν ὁ Θεός. Arabs vero hìc nominis hujus interpretationem prorſus omiſit, quod ſanè miror; at in editione illâ quæ Romæ prodiit, integra habetur, & Græcæ undiquaque reſpondens. ſc. تفسيره معنا الله*

CAP. II.

Ver. 1. *In Bethlehem*] Locus hic à Perſ. interprete بيت اللحم conſtanter dicitur, at in aliâ verſione Perſ. & ſic apud Arab. بيت لحم Compoſita vox, quæ (ſi verbum verbo reddas) *domum carnis* ſignificat, & ſic Heb. בית־לחם. Sæpe equidem miratus ſum doctos viros in ſcriptis & concionibus nomen hoc explicantes, etymon ejus à לחם quâ *panem* ſignificat arceſſere, de alterâ vero ejus vocis ſignificatione prorſus ſilere. Atqui לחם etiam *carnem* denotare certum eſt, præſertim in iis S. S. locis ubi de ſacrificiis agitur. Zeph. 1. 17. לְחֻמָם *caro eorum*, (ut *Pagn.* & *Angl. noſtra* verſio rectiſſimè,) malè verò ibi Arias M. *panem* ſubſtituit. Audiamus Mercerũ de eo loco ſic diſſerentem. *Quidam pro cibo exponunt, ſed Hebræorum certiòr expoſitio eſt ut* לְחוּם *ſicut &* לֶחֶם, *carnem vel quæ editur, vel quæ non editur*, i. e. *corpus ſignificet*. Sic ille. Apud Arabes لَحْمٌ *carnem* non verò *panem* ſignificat. Itaque licet non improbem priorem nominis rationem, hanc tamen longè præfero, quam forſitan Perſicus interpres & Arabes reſpexerunt. Quo enim aptiori nomine inſigniri poſſit locus ille in quo primo Deus (ut Apoſtolus loquitur) ἐν σαρκὶ ἐφανερώθη? 1 Tim. 3. 16. Certè in ipſo nomine *myſterium*, & *vaticiniũ* latuiſſe non dubito. *Adventus Regum Perſiæ*] Hunc titulum interpres huic capitis parti in gentis ſuæ honorem præfixit, quanquam an *Reges* fuerint, multò magis an in *Perſiâ* regnaverint, dubium ſit. Habet tamen multos ſibi aſſentientes. E Perſiâ veniſſe quibuſdam vox ipſa Μάγος (مجوس) perſuadet, quam *Perſicam* eſſe fatetur Kamuſi author. *Nec quiſquam rex Perſarum poteſt eſſe qui non ante Magorum diſciplinam, ſcientiamque perceperit*; inquit Cicero 1. de divin. Ex *Arabiâ* veniſſe non minus recepta erat opinio apud veteres, de quâ vide Grotium. Magis *ſapientiæ* & *doctrinæ* laudem magno conſenſu tribuunt ſcriptores, unde Anglic. interpretibus viſum pro Magis *Sapientes* ponere, licet aliæ pleræque verſiones Perſicum nomen retineant.

Magi] Quia vox hæc *Perſica* eſſe à ſcriptoribus agnoſcitur, operæ pretium erit pauca hic de eâ notare. Aliis verbis dicitur آتش پرست *Ignis cultor.* Perſas ignem numinis inſtar veneratos eſſe hiſtoriæ paſſim docent. Θεὸν τὸ πῦρ ὑπειλήφασι inquit Theodor. hiſt. eccl. 5. *Sacraria* ei dicata πυρεῖα à Græcis vocantur. In precibus, atque cantilenis, aliiſque myſteriis in Ignis honorem peragi ſolitis, præcipua Magorum θρησκεία & religio ſita erat. Μάγοι τὸ πῦρ τετιμήκασι, &c. v. Clement. Alexandr. & πρώτῳ τῷ πυρὶ εὔχονται, inquit Strabo l. 15. Ignis ille, *Æternus*, & ἄσβεστον πῦρ à Strab. & aliis dicitur, eodem prorſus nomine quo ignis Diabolo, & Angelis ejus paratus in Evangelio appellatur. Fortè hæc Perſarum ſuperſtitio (ut alii quamplurimi Gentilium ritus) à malè intellectis Scripturæ verbis originem traxit, ubi Deus ignis dicitur, ut Deut. 4. 24. אֱלֹהֶיךָ אֵשׁ quod ſic Perſicè vertitur خدا تو آتشي *Deus tuus Ignis.* مجوس ſeu *Magi nomen* (ut refert *Alfirazab.*) ex duabus aliis Perſicis vocibus conflatum eſt, ſc. ميج كوش quæ nihil ad religionem ſpectãns ſignificant, ſed صغير الاذنين *hominem breves aures habentem* notant, qualem primum diſciplinæ hujus *Autorem* fuiſſe perhibent, à quo ad ſectatores ejus nomen tranſlatum eſt. v. Kamus. in مجوس. v. 16. *ipſum ludos feciſſent*] Vel ſimpliciter, *illuſiſſent*. Gr. ἐνέπαιχθη· habes eandem phraſin, Lu. 23. 36. *eum ludificabant*. Idem ſignificat تسخر كردن Mat. 27. 29. v. 20. *Dixit*] Deeſt hic گفت, nam in Gr. eſt λέγων, & Syr. ܐܡܪ: at quod hic omittitur, alibi ſine cauſâ additur, ut Mar. 9. 13. گفت *dixit, Ite* &c. ubi planè redundat, neque in Gr. Syr. aliiſque verſionibus habetur. Conjunctionem و [*&*] in hac verſione, & aliis ſæpiſſimè omitti, in unaquâque ferè paginâ obſervari poteſt.

CAP. III.

Ver. 3. *Vox clamantis reſonat*] Vel, *vox clamat* (ſeu *reſonat*,) quod propius accedit ad Gr. & Syr. nam منادي زدن *verbum* compoſitum eſt quod paſſim apud hunc interpretem ſignificat *clamare, prædicare*, ut cap. 10. 27. *prædicate in tectis*, habes hanc ipſam locutionem. v. 4. *lana*] پشم de ovibus dicta *lanam*, at de camelis *pilos* etiam ſignificat. Hujuſmodi tunica è lana ſeu pilis camelinis alio nomine à Perſis dicitur اشتربانه Arab. زرمانقه

ver. 6. *in fluvio Jor.*] Sic Syr. ſed non Evangeliſta. Marc. 1. 5. utraque vox habetur. ver. 12. *Ignis nunquam ſopietur*] vel, *nunquam extinguetur*; nam ſermo eſt de igne inextinguibili. Sic Marc. 9. 44. & alibi paſſim. خسپيدن eſt *dormire*, at de igne vel lucernâ dictum ſignificat *extingui*, ut Marc. 9. 44. vide etiam Matth. 12. 20.

CAP. IV.

Ver. 1. *A Diabolo calumniatore*] Varia nomina ſunt in Perſ. & Arab. lingua quibus ſolet iſte humani generis hoſtis denotari, ut جانّ, ديو, الوسواس, شيطان, &c. ſed vix ullum frequentiùs eo quo Perſa nunc utitur (ابليس) quod ut Arabes tradunt à verbo ابلس (quod *deſperare* & *animo conturbari* ſignificat) originem habet, quia ſcil. perditus & deploratus Dei miſericordiam, & ſalutem penitùs deſperat: ſic Alkamuſi autor أَبْلَسَ يَئِسَ وتحيّر ومنه ابليس —. Intelligitur plerunque hoc nomine *princeps Diabolorum*, qui ſæpiſſimè ἄρχων δαιμονίων dicitur. Ut verò *Beelzebub* à Syro ܪܝܫ ܕܝܘܐ *caput dæmonum*, ſic in Hebr. Tobiæ verſione *Aſmodæus* ראש השטנים de quo liceat hìc pauca ad caput hoc pertinentia annotare. Dicitur Tob. 3. 8. Ἀσμοδαῖος πονηρὸν τὸ δαιμόνιον· ſic etiam v. 25. De nominis origine varia à doctis adferuntur. Apud *Wierum* de præſtigiis dæmonum acervus etymorum habetur. *Aſmodæus* (inquit l. 1. c. 21.) *ſpiritus vel deus cæcitatis, deſtructor, diſſipator, aut delicti abundantia, vel peccatum abundans, ſive ignem menſurans*. Plerique à verbo שמד quod in Hiphil *perdere, deſtruere* ſignificat duci credunt, ut conveniat cum Ἀβαδδών, Apoc. 9. 11. Verum qui ſequentia perpenderit originis Perſicæ nomen eſſe fortaſſis haud diffitebitur: nam ازمود (*azmoud*) Perſis uſitatiſſimum eſt, & ſignificationem habet Satanæ & malo ſpiritui maximè congruentem. Eſt enim ازمود *ad malum ſolicitavit, tentavit*. Unde tertio hujus capitis verſu ὁ πειράζων, *Diabolus* dicitur, quod Perſicè ازماينده redditur. Hujus capitis titulus eſt, *Azmoudan*, & ſæpè hìc vocabulum iſtud occurrit: verſu primo Chriſtus dicitur ازموده i. e, *tentatus*. Nota & certiſſima regula eſt, apud Perſas *Agentem & Patientem* eâdem voce exprimi ſolere, ut نويسنده *ſcriptor* & *ſcriptus*. خورده *comedens* & *comeſtus*: ſic pariter ازموده (azmoudah) *tentatus* & *tentator*. Perſica vero terminatio هَ in Græcam [αῖος] facillimè tranſit. Illud quoque conjecturam meam probabiliorem reddit, quòd nuſquam ante deportationem Judæorum in Babylonem, eorumque per Mediam & Perſiam diſperſionem nomen hoc legatur, *Ecbatanis* verò Mediæ Metropoli receptum fuerit. Nova hæc eſſe fateor, ſed vera, ut opinor, aut ſaltem veriſimillima eruditus lector cenſebit. v. 2. *Jejunium ſuſcepit*] vel ſimpliciter, *jejunavit*. v. 5. *Urbem Hieroſolymam*] Evangeliſta vocat ἁγίαν πόλιν, ſic Syr. & Arab. قدس *ſanctitatem*, & civitatem etiam *Hieroſol.* denotat, unde & hodie à Turcis aliiſque *Kuds* vulgò dicitur, maluit hic interpres proprium urbis nomen quam ejus epitheton ponere. v. 16. *Tyrannidis mortis*] In Gr. eſt σκιᾷ θανάτου, & ſic Syr. & Arab. atque ita proculdubiò Perſicus interpres verba tranſtulit, non minus hìc quam aliis in locis. Nam Luc. 1. 19. habetur سايه مرك i. e. σκία θαν. ita etiam Pſ. 44. 19. & 107. 10. & alibi. Itaque locus hic corruptus videtur, ut etiam multi alii, non interpretis vitio, ſed ejus qui librum exſcripſit. ver. 24. *Fama ejus inclaruit*] Gr. ἀπῆλθεν ἡ ἀκοή. Vulg. *abiit opinio ejus*: optimè Arab. ذاع خبره *Emanavit fama ejus*, Et ſic Perſ. hoc loco خبر او فاش شد *fama ejus divulgata eſt*. فاش كردن eſt *palam facere & publicare*, ut ſupra, حال اشكارا كردن phraſis ejuſdem ſignificationis, cap. 1. 19.

CAP. V.

v. 4. *Ingemiſcent ad conſol*] multũ ab Evang. verbis differt hic locus, & à Syr. & Arab. facile tamen conciliari poteſt ſi voculam كه quæ تعزيت immediatè ſequitur, ante eam colloces. Tum enim verba ſic reddenda ſunt, *Beati lugentes, quia conſolationem, deſiderium ſuum* (i. e. quam deſiderant) *invenient*.

ver. 7. *In ipſos*] vel, *erga ipſos*. v. 11. *Objecerint*] vel, *ingeſſerint*, nam objicere mala verba eſt potiùs aliquem ut maledicum accuſare. Niſi per *verba* hic res intelligantur, quomodo etiam Hebr. דָּבָר & Græcum ῥῆμα frequenter uſurpantur.

ver. 15. *Lucernam tinæ ſupponat*] Gr. ὑπὸ τὸν μόδιον. *Tina* vaſis vinarii genus, de quo ſic Varro, *antiquiſſimi in convivis utres vini primò, poſtea tinas ponebant*. Perſica vox eſt كاس menſura rotundæ figuræ. Marc. 4. 21. & Luc. 11. 13. *Amphora* redditur, quæ Latinis modio multo major eſt, nam juxta Voluſianum, tres modios continet. Arabs hic habet مكيال quod menſuram in genere ſignificat, & à Lat. ejus interprete *Modius* redditur, ſic Syr. ܣܐܬܐ & pari ratione كاس ita verti poſſit. ver. 19. *Parvi erit*] Syr. ܙܥܘܪ & Arab. صغير *parvus erit*. Perſ. خوار داشتن eſt *parvum habere & rejicere*, & cum شدن *nihili fieri*, quod optimè loci hujus ſenſum explicat, q. d. qui mandata hæc rejecerit ipſe rejicietur, qui ea nihili fecerit is nullo in loco vel numero habebitur. Eo verò elegantior eſt Perſica interpretatio, quia eadem vox & *parvum* & *perditum* ſignificat. v. 21. *Retaliationem in eum competere*] Gr. ἔνοχος ἔσαι τῇ κρίσει, cum quo Syr. & Arab. conveniunt, & certè پاداش hic *judicium* verti poteſt. Signif. enim *retributionem judic.* & *condemnationem*, ut κρίσις.

ver. 25. *Dum in via amicabiles eſtis*] vel, *dum in viâ propinqui* (ſeu *ſimul præſentes*) *eſtis*. Nam يار eſt *propinquus, vicinus, ſocius*, qui eodem loco præſens eſt, & ſic convenit cum Syr. ܥܡܗ, & Gr. μετ' αὐτοῦ· ſermo eſt non de amicis ſed adverſariis. v. 29. *Si oculus tibi fraudem fecerit*] Et mox, ſequenti verſu, *ſi dextra in te proditionem fecerit*: in utroque loco eſt eadem Perſica vox (atque & Græca σκανδαλίζει) خيانة i. e. ὕβρις, & *offenſa*: alibi ſæpiùs پريشاني habetur, ut Jo. 6. 61. & Mat. 18. 7, 8.

CAP. VI.

Ver. 7. *Multiloquium*] Si Perſicè legas, شنوده شوند, ſic vertere licebit, *ob multiloquium eorum*, &c. v. 9. *Sanctum eſt nomen tuum*] Sunt penes me ſex aut 7 *Dominicæ orationis* Perſicæ verſiones inter ſe diverſæ, in nullâ tamen præterquàm iſtâ, Gr. ἁγιασθήτω per indicativum vertitur, quæ ſanè à Gr. Syr. Arab. & aliis omnibus, ut opinor, diſcrepat, imò abſurda videtur, neque enim petitio, ſed affirmatio eſt. In MS. veteri quod Romæ habetur, eſt apud Mat. پاك باشد & apud Luc. پاك شود ſc. ἅγιον ἔσω. In editione etiam Wheelokianâ præfationis pars omittitur, neque enim Perſica verba aliud ſonant quam, *O Pater ſanctum eſto nomen tuum*, Luc. 11. 2. quod fortaſſe Typographo imputandum. است in hac verſione aliquando ponitur pro باشد *eſto*, ut Luc. 3. 14. *ſtipendium veſtrum vobis* بس است ubi Syr. *ſufficiens eſto*, vel *ſufficiat*, Arab. اكتفوا *contenti eſtote*, ſic Luc. 2. 2. Etiam alibi obſervari poteſt apud hunc interp. *Enallage* temporum & modorum, ut Mat. 10. 24. οὐκ ἔστι, at Perſ. نباشد *non erit*, vel *ne ſit*. v. etiam Jo. 3. 18. & v. 35. &c. v. 11. *Panem qui diei neceſſarius eſt*] Gr. ἐπιούσιον, quod quidam ab οὐσία duci volunt: (& inde Vulg. hìc *ſuperſubſtantialem* vertit:) alii verò ab ἰοῦσα ſc. ἡμέρα, at per *ſupervenientem diem* quidam *craſtinum* intelligunt, ut Arab. hìc للغد; plerique rectiùs *hodiernum*, neque tamen abſolutè hodiernum panem peti volunt, ſed potius *ſufficientem*, ſive Deus hodie ſive cras daturus ſit, ejus arbitrio, & providentiæ relinquentes; & hæc interpretatio admodum placet: ſic in Romanâ editione Arab. خبزنا كفافنا *panem noſtrum nobis ſufficientem*. Syr. *panem indigentiæ noſtræ*, e. i. quocunque tempore eo indigemus, Luc. 11. 3. & Perſ. ſimiliter نان در بايست است *panem quo indigetur*, ut Luc. 10. 42. يك چيز در بايست است ἑνός ἐστι χρεία, à quo loco hic etiam aliquam lucem accipiat. v. 13. *Tentationes afflictionis*] Notandum eſt Perſ. interpretem ſolere vel ante vel poſt ازمايش [*tentationem*] aliud vocabulum *miſeriam* denotans addere, ut hic بلا, & Luc. 11. 28. زحمت, & Mat. 26. 41. كلفت, quanquam in ſingulis hiſce locis Gr. πειρασμ. tantum habeat, & Syr. unam duntaxat vocem, ut Perſa etiam Luc. 11. 4. unicâ contentus eſt. *Serva & libera*] Solet Perſ. interpres 2 ἰσοδύναμα & συνώνυμα vocabula conjungere, licet Gr. & Syr. unum ſolummodo exhibeant, exempla paſſim obvia ſunt. Mat. 11. 8. δαιμόνια ἐκβάλλετε, *dæmonia ejicite & fugate*, cap. 9. 9, 10. *publicani & mancipes*, cap. 10. 24. εἰρήνην, *pacem & tranquil.*

quil. cap. 19. 21. πτωχὸς, درويش و مسكين. v. 24. *Servitium præſtare*] vel ſimpliciter, *ſervire.* v. 34. *Malo ſuo competit*] vel, *dies malo ſuo dignus eſt.* Nam ſic Perſicus (licet malè) locum hunc intellexit.

CAP. VII.

ver. 22. *Prophetiã egimus*] vel *prophetavimus. Dæm. eduximus*] vel, *ejecimus.*

CAP. VIII.

ver. 4. *Cohnan, id eſt, ſacerdotibus*] quod hic ſacerdotes in plurali reddat (cum in Gr. ἱερεῖ ſit, & ſic quoque in aliis verſionibus) Syro fortaſſis imputari debet, ubi legitur, *oſtende te ſacerdotibus*, quanquam meo judicio etiã Syrus cum Græco convenit, nam ܟܗܢܐ, ſi vocales demas, eſt tũ ſingul. tũ plur. v. etiã Lu. 1. 5.

ver. 15. *Salutem experta*] vel, *adepta*, ut c. 15. 30. frequens locutio.

ver. 21. Hawarion *ſeu Apoſtolos*] *Apoſtolorum* prima (ut puto) mentio habetur Mat. 10. 2. igitur hæc velut proleptica epentheſis eſt, quâ tamen hoc in loco minimè opus fuit, nam dubitari meritò poteſt, an hîc Diſcipulus ex Apoſtolorum numero fuerit. Certè Beza id negat, D. Auguſtinum ſecutus. Quod ad appellationem hanc [*Hawariyoun*] ſpectat certum eſt Apoſtolos ſic vocari, ſed ab Arab. & Perſis Chriſtianis frequentiùs رُسُل dicuntur (quo nomine hic interpres ſæpiùs utitur) quod omnino convenit cum Syr. ܫܠܝ̈ܚܐ. A Muhammedanis vero اَلْحَوَارِيُّونَ ut Azoar. 3. قال عيسي من انصاري — قال الحواريّون نحن انصار الله امنا بالله *Dixit Jeſus, quinam ſunt* Adjutores mei? *Dixerunt Apoſtoli, nos ſumus adjutores Dei: credimus in Deum, &c.* Cur verò ſic vocati fuerint rationem hanc edunt, quæ magnâ ex parte falſa, & ridicula eſt. حواري *Fullonem* ſignificat, & credunt Muhammedani Apoſtolos non Piſcatores ſed *Fullones* fuiſſe: ſic *Gelaloddîn* celebris apud eos ſcholiaſtes, cujus verba (ut locus hic Perſici interpretis plenè explicetur) viſum eſt hic apponere: ad Sur. 3.

هم اصفياء عيسي اول من امن به وكانوا اثني عشر من الحور وهو البياض الخالص، وقيل كانوا قصارين يحوّرون الثياب اي يبيضونها

Hoc eſt, *Fuerunt electi à Jeſu, primi qui in eum crediderunt numero duodecim.* [*dicti* Hawariyoun] *ab* Al-hawar *quod purum candorem ſignificat. traditur enim* Fullones *eos fuiſſe, & in* veſtibus dealbandis *operam poſuiſſe.* Eadem habet ad Sur. 61. & ſimilia etiam alius Scriptor جامع اللغة dictus, & niſi brevitati ſtuderem plura hâc de re ex eorum ſcriptis proferri poſſent. At longè rectius à *mentis candore* & innocentiâ, ob *vitæ & doctrinæ puritatem* nomen hoc merentur. Illud præterea notandum non Chriſti tantùm Apoſtolos, ſed etiam ipſius Muhammedis *adjutores*, & *ſocios*, & fideliſſimos *ſectatores* حواريون i. e. eodem hoc nomine inſigniri.

CAP. IX.

Ver. 27. *Cæci veſtigiis ejus inhæſerunt*] vel, *ſecuti ſunt eum*: در دنبال cum alio verbo eſt, *ſequi*, ut Marc. 2. 15.

CAP. X.

ver. 10. *Maximus Simon*] Gr. πρῶτος, & Ar. اول & Syr. ܩܕܡܝܗܘܢ, hic مهتر. Mat. 18. 1. مهتر μείζων. Οἰκονόμος in Evang. vertitur مهتر خانه Luc. 12. 42. v. 20. *Mens pura, & Spiritus Sanctus*] Duas haſce ejuſdem rei ſeu perſonæ appellationes ſuo more conjungit, ſic Marc. 1. 10. pleniùs *Spiritus Sanctus*, i. e. *mens pura*: ſic Marc. 13. 11. & Luc. 13. 16. Una quidem ſufficeret, & ſæpe unam duntaxat adhibet, ut Mat. 28. 19. *in nomine Patris & F. & Sp. S.* habetur جان پاك, & Mat. 1. 18. *prægnans de Sp. S.* روح القدس tantùm: eadem in multis locis obſervare poſſis. Ab Arab. & Perſis Sp. Sanctus Arab. روح القدس, at جان پاك putum putum Perſicum ejus nomen eſt. v. 30. *Coma ſingulatim numer. eſt*] Gr. τρίχες πᾶσαι, Syr. ܡܢܝܢ, Perſ. ad verbum *pilus capitis veſtri unus unus* (unuſquiſque) *numer. eſt*: ſimilis pæne phraſis, Hebr. אִישׁ אִישׁ, i. e. *quilibet vir*, ut Lev. 20. 2. ubi Perſ. مردي مردي *vir vir.* v. 37. *Me dedecet*] vel, *me non eſt dignus*, vel, *mihi non eſt aptus*, ut Gr. οὐκ ἄξιος & Syr. ܠܐ ܫܘܐ ܠܝ. Perſ. شايان eſt *dignus*, & vox quâ Syrus utitur eadem eſt quoad ſignif. & originem.

CAP. XI.

Ver. 5. *Pauperes beantur*] At Gr. εὐαγγελίζονται, & ſic reliqui interpretes, Perſ. فرخنده ſignificat *fauſtum, auſpicatum*, ut qui fauſtum & lætum nuntium audit, ſic vox quâ Arab. hic utitur يبشّرون q. d. *fauſta & læta iis nuntiantur.* v. 19. *Sap. ab operibus ſ. perfecta eſt*] Gr. verba ſunt ἐδικαιώθη ἡ σοφία ἀπὸ τῶν τέκνων αὐτῆς. V. Vulg. *Juſtificata eſt ſap. à Filiis ſ.* At Syr. verſionis Lat. interpres longè aliter, *Juſtificata eſt ſap ab operibus ſuis*: & Perſ. hic كردارها [*Opera*] habet. Verùm ut Syriaca vox ſic reddatur, neque neceſſarium, neque huic loco accommodum eſt. Nam ܥܒܕܝܗ̇ *Opera & Operarios*, ſeu *Servos* ac *Cultores* notat: & unius punctuli vario ſitu ſignificationes iſtæ diſtingui ſolent. Utra vero iſtarum loco huic magis conveniat facilè judicabit eruditus Lector. Sapientiæ ſtudio operam dantes *Filios* ejus appellari, in Orientalibus & aliis Linguis uſitatum eſt. ſic φιλοσόφων παῖδες pro Philoſophiæ incumbentibus. Eoſdem ſapientiæ *Cultores* & quaſi *Servos* dici notiſſimum eſt. Ideo Tremellius locum hunc ſic vertit, *Juſtif. eſt Sap. à cultoribus ſuis.* Syro igitur cum Evangeliſtâ ſatis convenit, quod magis manifeſtum eſt è Luc. 7. 35. ubi eadem ſententia habetur, quam Syrus ad verbum reddit. *Juſtif. eſt ſap. à Filiis ſuis* (ܒܢܝܗ̇) & ſic etiam rectè Perſ. از فرزندان خود. Quæ omnia rite conferenti nulla de loci hujus verſione dubitatio aut *ſcrupulus* reſtabit. Iſtud haud intempeſtivè adjiciam ſimillimum planè huic locum eſſe, Eccleſ. 9. 1. חכמים ועבדיהם, ubi per עבדיהם interpretum plerique *ſapientum Opera*, at alii *Operantes*, & ſapientiæ *inſervientes* intelligi volunt. Certè Chald. paraphr. non Opera, ſed *Diſcipulos* reddit, & ſic alii quidam.

CAP. XII.

ver. 9. *In ſynagogis eorum obibat*] vel, *agebat*, ſeu *verſabatur*. v. 19. *Hypocriticè non aget*] corrigendus eſt hic locus, nam Gr. habet οὐκ ἐρίσει *non contendet*, & ſimiliter Syr. & Arab. Pro مراياه itaque videtur legendum ممارات à ماري *contendit, litigavit.* Confer Perſicam interpretationem cum Arab. & in meam ſententiam facilè tranſibis. v. 44. *Calefactam*] Gr. habet σεσαρωμένον, & vulg. *ſcopis mundatam*, ſic etiam Syr. & Arab. cur igitur hic Perſicus گرم شده i. e. *Calefactam* reddit, ut & Luc. 11. 25? Ratio, ut mihi videtur, ſatis manifeſta eſt: vox ܡܟܢܫܐ (quâ hîc Syrus utitur) duo ſignificat, quod *ſcopis purgatum* eſt (v. Luc. 15. 8.) atque etiam quod *calefactum* eſt. Perſicus poſteriorem ſignificationem amplexus eſt, priore neglectâ, quæ tamen huic loco maximè quadrat. ver. 21. *Fiduciam agent*] vel, *fid. habebunt.* ver. 39. *Noviſſimum creaturarum*] vel, *finis rerum creatarum.* Mat. 28. 20. in Gr. eadem verba habentur συντέλεια τοῦ αἰῶνος, & cap. 24. 3. atque hic iterum v. 40. Phraſis hæc, toties repetita, diverſimodè à Perſ. interprete redditur, & reverâ S. Scripturam hâc linguâ editam legentibus obſervandæ, & notatu dignæ ſunt copioſæ, & elegantes locutiones quibus una hæc res (*finis* ſc. *mundi*, Chriſtiano ſemper meditandus, & in animo figendus) à Perſis exprimitur, ut انتها عالم & پايان & فرجام خلق & جهان aliæque in verſione Evangeliorum, & alibi occurrentes. ver. 55. *Jacob & Joſes*] Perſicum nomen hìc eſt يوشا, ſed in genealogiâ Chriſti Luc. 3. 29. يوسا ſcribitur, at Syr. utrobique ܝܘܣܐ, & Arab. يوسا. Monendus eſt Lector de duplici circa hoc nomen errore apud *Vulg. Lat.* Nam primò hic eſt *Joſeph* pro *Joſe*, apud Lucam verò *Jeſu*: quod aliis occaſio errandi fuit, & *Tho. Aquinatem* decepit, qui hinc infert nomen Ieſu novum non fuiſſe, ſed aliis anteà impoſitum, *ut patet* (inquit) *ex genealogiâ Chriſti.* v. tertiæ part. qu. 37. art. 2.

CAP. XIII.

Parab. excudit] vel, *propoſuit*, ut Perſ. زدن idem ſignificet ꝙ Ar. ضرب. ver. 46. *Unionem pretioſiſſimam*] *unio* cum gemmam ſignificat eſt maſculini generis, ut, *unio exaluminatus*, Plin. Legas itaque *pretioſiſſimum*, & *illum*.

CAP. XIV.

Ver. 26. *Spectrum & apparit. falſam*] Sic Marc. 6. 49. φάντασμα. Arab. & Perſæ خيال vocant, *mendax & falſum* دروغ vulgò à Perſis dici ſolet, unde Mendaciorum pater *Diabolus*, Jo. 8. 44. دروغ vocatur. Quidam πνεῦμα, Luc. 24. 37. eodem ſenſu, quo hic φάντασμα, dici volunt, & Angl. verſio utrumque uno *Spiritûs* nomine expreſſit. Syr. verò & Ar. روح habent, & Perſ. جان i. e. *Genius.* v. 35. *Opem prætergreſſos*] ad verbum, *manum prætergreſſos, è manu egreſſos*, i. e. *tanquam inſanabiles relictos.* Quanquam hic mendum ſuſpicer.

CAP. XV.

ver. 24. *Oves quæ aberrarunt*] Gr. πρόβατα ἀπολωλότα, *oves quæ perierunt*, & certe Perſicus hic apto utitur vocabulo quod & *errantem* & *pereuntem* notat: Eſt enim compoſita vox à گم *perditio* & راه *via.* ideo ſæpe priori tantùm utitur, ut Mat. 10. 6. & cap. 18. 12. quod ſatis eſt ad Gr. ἀπολωλὸς exprimendum, & rectè ibi *ovis amiſſa* redditur. v. 27. *Et vivunt*] *Additamentum* hoc eſt, neque tamen hujus ſolius, ſed *Syri* interpretis.

CAP. XVI.

ver. 23. *O infidelis*] Notandum eſt Perſicum hunc interpretem (quiſquis fuerit) ea quæ ad *D. Petri* laudem & honorem ſpectant multum verbis ornare & amplificare, ut paulo antè v. 18. Chriſti verba ita περιφράζει, *Tu es Petra religionis meæ, & fundamentum eccleſiæ meæ, ſuper te extruetur.* Ea vero quæ ad ipſius vituperium & reprehenſionem dicuntur valde minuit & extenuat, ſi hic *pro Satana, infidelem* poſuerit. Ego verò non dubito quin locum hunc rectè ſatis verterit, nam Marc. 8. 33. diſerte habet اي شيطان *O Satana*, & Syrus quẽ ſequitur habet utrobique ܣܛܢܐ, & eo probabilius eſt locum hunc (ut multa alia) à ſcribâ depravatum eſſe, quia utriuſque vocis ايمان & شيطان terminatio eadem eſt, & aliquæ literæ communes.

CAP. XVII.

Ver. 15. *In quem dæmonium poteſtatem obtinet*] Gr. σεληνιάζεται, Syr. ܐܝܬ ܠܗ ܒܪ ܐܓܪܐ *eſt ei filius tecti*, & ſic c. 4. 24. ſimilis locutio, ubi in alia verſione Perſica redditur خداوند بام *dominus tecti.* De nominis hujus ratione video doctos viros *Tremellium, Fullerum, Lud. de Dieu* multùm inter ſe diſſentire.

Tremellius *filium agri* vertit, quod meritò ab aliis exploditur. Ludovic. de Dieu hæc habet, *Filius tecti vocatur ipſe ſpiritus lunaticus gaudens tectis, ac ſupremis ædium partibus.* Fullerus (velut ἐκ διαμέτρε oppoſitus) ſic dici putat *quia tecta fugitaret, & procul à domibus, & locis habitatis (ſolitudinem quærens) verſaretur.* Mihi aliud in mentem venit, quod Lectori perpendendum offero. ܒܪ hic (ut ſæpe alias apud Syros, & בֵּן Hebr. & Arab.) *incolam, poſſeſſorem* (ut à Perſ. etiã redditur خداوند *dominus, poſſeſſor*) ſignificat. In Scripturis verò homo dæmone corruptus impuri ſpiritus *domicilium* eſſe dicitur. Locus ille, Mat. 12. 43 clarè hoc indicat, ὅταν ἀκάθ. πνεῦμα, &c. *Cum immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat quærens requiem--dicit revertar in* Domũ *meam unde exivi & aſſumit ſecum 7 alios ſpiritus, & habitant ibi*, ſic Luc. 11. 24. En *domum & incolas.* Hinc Dæmoniaci vulgò *Poſſeſſi* dicuntur, quia eos malus ſpiritus velut domum ſuam incolit & poſſidet. Hinc toties in ſacris literis dæmonia *ingredi, exire, reverti* dicuntur, planè ut dominus in ſuas ædes. Itaque خداوند بام i. e. *tecti dominus* & *poſſeſſor* ſeu *incola* ſpiritus impurus dicitur, non tamen quivis, aut quovis tempore, ſed is demum qui in miſero homuncione manſionem ſuam habet, ibi velut *ſub tecto* degens. Cogita an non ob ſimilem rationem Syris dæmonia ܥܡܘܪܐ vocentur à ܥܡܪ habitare, ut apud Arabes سكينة non tantùm de Dei præſentiâ (quæ Hebr. שְׁכִינָה eſt) ſed de malo etiam Genio ſeu ſpiritu inhabitante exponitur. v. Kamus. & Cl. Golium in الت. Cur vero ܐܓܪܐ & بام i. e. *tectum* & ſuperior ædium pars nominatur? Nimirum domini & incolæ in eâ parte plurimum gaudebant, ibi *ambulare, colloqui, cubare* ſolebant, ut etiam hodie moris eſt in Perſiâ & calidioribus Orientis regionibus. Hinc teſte Hieronymo *tecta* domorum peculiariter δώματα dicebantur, quod liquet etiã ex variis V. & N. T. locis. Hæc à me *quæſita* magis quàm aſſerta in medium protuli, veriora monſtrantem ſequi paratus. v. 25. *Corpus perdat*] Nimis à Gr. & Syro diſcrepat, apud quos ſic habetur, *qui voluerit animam ſuam ſervare perdet eam*; cum quibus convenit Perſicus: nam تن eſt *corpus*, ſed ſæpiſſimè ponitur pro Gr. αὐτὸς, *ipſe*, ſic Marc. 5. 34.

CAP. XVIII.

Ver. 6. *Dignus eſt cui lapis*] Luc. 17. 2. hic vertitur بهتر مي بود *melius eſſet, ut* &c. rectiſſimé. Eadem eſt hic, & illic Syriaca vox ܦܩܚ, quæ aliquando Perſicè redditur per بهتر *melius*, aliquando per لايقست, *aptum, conveniens eſt*, quomodo ſi hic verteretur proximè accederet ad Gr. συμφέρει, viz. *Conveniret ei ut lapis* &c. v. Marc. 9. 42. ver. 10. *Angeli cum illis--videbunt*] Inſignis diſcrepantia tum à Gr. tum Syr. verbis, quæ tamen facilè tolli poteſt. Nam vocula با redundat, (ut alibi,) quâ neglectâ ſic locus hic verti debet. *Angeli eorum omni temp. vultum patris m. qui in cœlis eſt vident.* ver. 25. *Venditum eſſe*] ſeu *venum dari.*

CAP. XIX.

Ver. 22. *Non evenit ei relinq.*] *Animus ei non erat relinquere*, vel magis ad verbum, *in cor ejus non venit ut relinqueret.* v. Marc. 10. 22.

ver. 29. *Decuplam mercedem*] Imò *centuplam*, ut Gr. ἑκατονταπλασίονα & Syr. ſic Marc. 10. 30. ubi Perſ. rectè habet يكي در صد, itaque hîc etiam repone صد pro ده, 100 pro 10.

CAP. XX.

Ver. 18. *Mortem ei adjudicabunt*] vel, *eum morti adjudicabunt*, juxta Syr. nam الزام كردن apud hunc interpretem eſt *reum facere & damnare.* v. Marc. 12. 41. & alibi. ver. 19. *Eum in manus plebis tradent*] Gr. τοῖς ἔθνεσι, Chriſtus intelligit *Gentes* à Judæis diſtinctas, & ſic Latini interpretes Gr. Syr. & Arabici textus. At عوام quo Perſicus utitur (quod ejuſdem omnino originis eſt cum voce Syriacâ) ita redditur ac ſi plebem & vulgus Judæorum etiam denotaret, de quo monendum putavi Lectorem, nam ſæpiſſimè hæc apud Perſicum confunduntur. Verum eſt عوام aliquando ſignificare *plebem & populum Judaicum*, ut cap. 27. 20. Sed hîc, & Marc. 10. 33. & quam plurimis aliis in locis aliter intelligendum, pro *Gentibus*, ut dixi, à Judæis ſejunctis.

ver. 28. *Animam ſ. pro ſalute m.*] Gr. ψυχὴν α. λύτρον ἀντὶ π. Arab. ليبدل نفسه *ut commutaret animam ſ.* &c. Multùm notandæ ſunt voces apud Hebr. & alios Orientales quibus λύτρον exprimitur: nam ad intelligendum grande ſalutis noſtræ & *redemptionis myſterium* plurimum conferunt. *Syr.* vox hîc & 1 Tim. 2. 4. eſt ܦܘܪܩܢܐ pro qua Perſ. hîc adhibet عوض خلاص. عوض idem eſt quod Gr. ἀντάλλαγμα, & pro eo ponitur, Mat. 16. 26. *res ſc. quæ pro aliâ viciſſim datur.* خلاص pro פִּדְיוֹן Ex. 21. 30. Num. 3. 49, 50. & alibi ſæpe, cùm igitur utrumvis ſeparatim hoc notent, multò magis hîc conjuncta. *Hebr.* maxime uſitata ſunt כֹּפֶר ,פִּדְיוֹן, & גְּאֻלָּה. *Perſis* كفارت, فدي, خلاص, عوض quæ illis cum *Arabibus* communia ſunt, & *Hebraicis* valdè affinia.

CAP. XXI.

ver. 7. *Veſtimentum ſuum Jeſus*] At Evangeliſta (quem reliqui interpretes ſequuntur) non Jeſum ſed diſcipulos ejus hoc feciſſe narrat, ſic tamen Perſicus vertit etiam Marc. 11. 7. ver. 9. *Hoſanna, id eſt, Laus*] In laudem & honorem Chriſti hæc dicta & facta fuiſſe non eſt dubium, & ob hanc rationem forſan *Hoſanna laudem* ſignificare dicit. Quid propriè ſonet notum eſt è Pſal. 118. 25. הוֹשִׁיעָה־נָּא i. e. *libera obſecro* (ubi in הוֹשִׁיעַ eſt alluſio ad *Jeſu nomen* inde deductum) & Perſicus ibi interpres rectè vertit فرج ده *liberationem* vel *ſalutem da.* Judæi *ramos palmarum* in feſto Tabernaculorum geſtari ſolitos nomine hoc vocant, & *diem ſeptimum* feſti Hoſanna magnum: ſi igitur frondes, quid ni Laus etiam, & feſtæ acclamationes eâ voce denotentur? Ut ὡσαννὰ ab Hebr. voce differt, ita reliquæ linguæ illam corrumpunt & variè efferunt. v. Syr. Arab. Perſ. At Joh. 12. 13. in Perſ. codice omittitur.

CAP. XXII.

In puncto ſermonis] Gr. ἐν λόγῳ, & ſic Syr. atque ita Perſ. vox نكته Luc. 11. 54. *dictum* redditur. v. 30. *In reſurrectione conjugium non eſt*] Liberius quidem hunc locum vertit, ſed tamen eleganter Chriſti verba παραφράζει, & fortaſſe hanc ob cauſam, quia religioni quam *Perſæ & Muhammedani* profitentur, & eorum ſententiæ de ultima hominis *felicitate*, hic maximè locus adverſatur. Notiſſimum eſt Muhammedem ſuis *poſt hanc vitam* polliceri *uxores, & mulieres* formæ elegantiſſimæ, auro, & gemmis, & ſericis veſtimentis indutas, & ſuper pulvinaribus in Paradiſo recubantes, ut ipſe loquitur *Sur.* 18. & 76. & alibi: poſt longos hac de re ſermones illud epiphonematis loco ſubjungit, نعم الثواب, *O ſuavem retributionem!* Meritò igitur hîc Perſa Chriſti verba paulò fuſiùs exponit, ut vecordi eorum opinioni, & ſpei divinum hoc oraculum opponeret.

v. 39. *Proximum veluti oculum*] Gr. ὡς σεαυτὸν, *ſicut teipſum*, & Syr. *ſicut animam tuam*, & Perſa plerunque habet جان *animam*, ut cap. 19. 19. & Marc. 12. 31, 33. &c. ubi Lat. *teipſum* (& rectè quidem) vertit. Solent verò Orientales *oculum* pro *ipſa perſona*, ſeu *rei eſſentia*, quod apud *Arabes* uſitatiſſimum eſt, ponere. Ut Hebr. עֶצֶם (*os* vel *corpus*) pro re ipſa frequenter ſumunt. vide Joſ. 10. 27. & Gen. 7. 13. ubi Arab. بذات *in eſſentia.* Ita Arabes & Perſæ *oculum* accipiunt. Exempla obvia ſunt è quibus facilè loci hujus interpretationis cauſa, & ratio diſcernatur. v. 46. *Procaciter adortus eſt*] Vel, -- *audaciâ uſus eſt*: phraſis hæc frequens eſt, & Marc. 12. 34. eadem verba habes, ubi vertitur, *nemo auſus eſt* &c. ſic Luc. 12. 40.

CAP. XXIII.

Ver. 23. *Hæc oportet vos facere, non illa*] vel Perſici interpretis, vel ſcribæ magnum hic erratum eſt; nam verbum quod reſpondeat τῷ ἀφιέναι (i. e. *omittere*) prorſus omiſit, quod tamen ſenſus maximè poſtulat, alioqui Chriſto contradicit, qui utraque præſtari voluit. Itaque گذاريد vel tale quid, quod *omittendi* ſignificationem habet, hic poſt اينها ponendum eſt. Quòd ſi nihil addere velis, ſenſus longè ſanior erit, ſi verba *per interrogationem* legas, viz. *hæccine oportet facere, non illa?* quod quidem Luc. 11. 42. (ubi locus huic germanus habetur) fecit Lat. interpres. Utinam verò errato huic obtegendo velum iſtud ſufficeret.

CAP. XXIV.

Ver. 6. *Unicâ vice*] vel, *primâ vice* (i. e. nondum, οὔπω) erit finis. v. 24. *Uſque electos etiam*] Quanquam mihi feſtinanti quædam neceſſariò prætereunda ſint, hîc tamen monere libet duo verba اگر توانند i. e. *ſi poſſent*, εἰ δυνατὸν, (quæ habentur Marc. 13. 22. ubi idem ſermo eſt) hîc etiam inſeri debere, alioqui interpretatio hæc minus ſana erit. ver. 37. *De diluvio notitiam non habuerunt*] Hoc inter *Additamenta* illa de quibus in Præfatione monui, recenſendum eſt. Annon *Noam præconem*, & futuræ calamitatis vatem habuerunt? ſenſus hîc eſſe videtur, diem quo venturum eſſet diluvium neminem præſciviſſe: & ſic optimè convenit cum verbis Chriſti de die judicii, verſu præcedente, *diem & horam nemo ſcit.* Sed reverâ præferenda eſt alia, loci hujus interpretatio, *de diluvio nullam rationem*, ſeu *conſiderationem habebant*: nam phraſis quá hîc utitur وقوف داشتن eſt ad verbum, *conſiderationem habere*, ſeu *animum rei intendere*, atque ita Perſicus verè & eleganter hunc Evangeliſtæ locum exponit, ſcil. quanquam Noachus de diluvio venturo eos admoneret, imò *in conſpectu eorum arcam extrueret*, minimè tamen animum advertebant: ſed prædicantem ſuſque deq; habebant. Confer hæc cum verbis D. Petri, 1. epiſt. c. 3. 20. & judica.

CAP. XXV.

ver. 23. *Majus hoc meritus es*] Multum à Gr. & Syr. differt, neque certè سزا *meritum*, ſed convenientem, & congruam cuique ſeu *pœnam*, ſeu *mercedem* ſignificat. v. paſſim. ver. 34. *prædeſtinatum*] معد *paratum* ſignificat, ut etiam verbum illud quod hîc immediatè ſequitur; ſolet enim ut ante dixi, duo ἰσοδύναμα vocabula unius loco crebrò ponere. (v. 41.) Arab. etiam habet hanc ipſam vocem معد, & à Lat. interprete *paratum* bene redditur.

CAP. XXVI.

ver. 7. *Unguentum Galiæ*] Sic etiam in titulo hujus Sectionis, & Luc. 7. 35. & alibi, *Galiam* appellat. Evangeliſta dicit fuiſſe βαρύτιμον *pretioſum*, & Syrus, *aromaticum*, quæ duo hoc unum Galiæ nomen comprehendit, & includit: nam غاليه ſignificat unguentum maximè *odoratum*, notat etiam *rem charam & pretioſam*, & hinc Galia nomen habet apud Arabes, tum ob *odorẽ* tum ob *pretiũ*. v. Jo. 12. 3. ubi dicitur نردين *nardus*, &c. v. 31. *Duplici animo eritis*] Animi dubius & hæſitans, à Perſis eleganter دودله dicitur, i. e. *duo corda*, vel (ut hîc vertitur) duplicem animum habens, & دودله شدن eſt *ambigere & dubitare*, quod de iis aptè uſurpatur, qui perſecutione ingruente animo diſtrahuntur, incerti quam viam eligant, & Chriſtum ſequantur necne. Talis à D. Jacobo δίψυχος appellatur, c. 1.9 cum quo Perſica vox omnino convenit. Idem διακρινόμενος dicitur, i.e. juxta Arab. *dubitans & animo diviſus*. Utrumque Perſico vocabulo comprehenditur. Syriacam vocem, quæ Gr. σκανδαλισθῆναι reſpondet, Perſicus variè interpretatur, ut ſuprà dictum, & clariùs Marc. 11.23. Luc. 17.1. Jo. 6.61. patebit; præcipuè verò Mat. 18 6,7. qui locus hujus ope corrigi & explicari poteſt. ver. 41. *Corpus meum*] Differt à Gr. & reliquis omnibus interpretibus, qui pronomen non addunt, neque de Chriſto, ſed potius de diſcipulis ejus verba intelligenda ſunt; ſic tamen etiam Marc. 14. 38. vertuntur. ver. 75. *Peccatum ejus remiſſum eſt*] Hoc etiam interpretis Perſici aſſumentum eſt, ut multa alia.

CAP. XXVII.

ver. 32. *Angariarunt.*] Syr. Arab. & Perſa hîc utuntur verbo ejuſdem originis, ſignificationis, & literarum (ſcil. سخر) quod eſt *compellere*, & *vi adigere*. Interpretes Latini ſingulis in locis illud verbo *angariandi* reddiderunt, quod ſanè improbari non debet. Licet enim *peregrina*, & *Perſica vox* ſit, Græcis tamen & Latinis in uſu eſt, pro *cogere*, *Angarorum* ſcil. & regiorum apud *Perſas* miniſtrorum more. Propriè quidem *equi & jumenta* (τοῦτο τὸ δράμημα τῶν ἵππων καλέουσι Πέρσαι Ἀγγαρήϊον, inquit Herodotus lib. 8.) at apud Ulpianum etiam *naves*; apud Evangeliſtas verò *Homines*, ſæpè dicuntur *Angariari*. Ἄγγαρος λέξις Περσική, inquit *Heſychius*, quod etiam alii ſcriptores ſatis teſtantur.

MARC.

CAPUT I.

Ver. 2. *in Iſaiah propheta ſcriptum eſt*] Non ſunt *Iſaiæ*, ſed *Malachiæ* verba quæ immediatè ſequuntur, & duorum prophetarum vaticinia hic conjunguntur: ideoque Evangeliſta habet, ἐν τοῖς προφήταις, ſine ullius nomine. Syrus tamen quem hîc ſequitur Perſicus *prophetas* omittit, & Iſaiæ nomen inſerit, imo ſic etiam *Vulg. Lat.* Igitur vel ſic antiquitùs legebatur, vel interpretes iſti reſpexerunt locum Matth. 3.3. ubi Evangeliſta Iſaiam prophetam citat, hujus Malachiæ teſtimonii nullâ mentione factâ, quod tamen cap. 11.10. legitur. vide Luc. 1.76. & 7.27. ver. 4. *Johannes, i.e. Jahja*] Sæpè interpres hoc *Baptiſtæ nomen* cum altero illo quod à Syro accepit, conjungit. Sic Mat. 3.1. *Jahja quem* (inquit) *Johannem appellatur*. Pleniùs verò Joh. 1.6. *nomen ejus* Johannes, *Perſicè autem* Jahja *vocatur*. Quod non ita intelligendum eſt, quaſi hujus linguæ proprium nomen eſſet, nam certum eſt Perſas illud ab Arabibus accepiſſe, (diſertè enim *in Alcorano* hoc nomine appellatur Sur. 3.) quod interpres hîc agnoſcit. Luc. 1. tit. ſect. quartæ, *Johannes* (inquit) *ſignificat miſericordiam Dei*, *eum verò* (بلغت عرب) *ſermone Arabum* Jahia *appellant*: quod nomen ab altero, punctorum mutatione, originem habuiſſe videtur. ver. 13. *à ſpiritibus impuris*] Gr. ἦν μετὰ τῶν θηρίων. Sic Syr. & Arab. at Perſicus, *pro beſtiis, dæmonas* ſubſtituit. Interdum quidem per beſtias & feras, diabolos allegoricè exponi haud nego, at hîc veriſimilius eſt eum Synonyma more ſuo conjungere, & poſt *Satanam, impurum ſpiritum* explicationis gratiâ addere. Pro verbis autem illis, καὶ ἦν μετὰ τῶν θηρίων (quæ hîc non redduntur) ſupple وبود بحيوانات. Sic in Levit. 26. 22. ubi Gr. θηρία, Perſ. habet حيوانات & Syr. ſimiliter (ut hîc etiam) ܚܝܘܬܐ. ver. 24. *Quid opus eſt tibi Jeſu?*] vel, *quod negotium eſt tibi?* Sic cap. ſequenti v. 7. بكار خود برو *ad negotium tuum abi*. cap. 5.7. habes eadem verba etiam ab impuro ſpiritu prolata, τί ἐμοὶ καὶ σοί; ubi Lat. interpres, *quid negotii habes mecum?* & Luc. 4.34. & Jo. 2.5. — چه كارداري با من *quid negotii mecum habes mulier?* ſæpiſſimè enim hæc formula occurrit, pro qua Ar. plerunq; ما بالك *quæ voluntas*, vel *quis animus eſt tibi*, interdum ما لك ولي. v. paſſim. ver. 27. *Authoritati ſimilis eſt*] vel, *cum authoritate verſatur*, ſeu *manet*. Sic enim ماندن ſignificat, atque ita aliis in locis vertitur, ut cap. 6.2. در تعجب ماندند *cum admiratione manſerunt*. Et cap. 6.51. cum ب, quod propius accedit ad hunc locum.

CAP. II.

Ver. 4. *Per feneſtram*] Evangeliſta dicit eos tectum nudaſſe & perfodiſſe, quod foramen Perſ. روزنه appellat. Sic verò dicitur quivis locus in domo, روز i.e. *diem* & lucem admittens, & hic feneſtra ſatis aptè redditur, nam Latinis etiam oſtium, & quivis aditus aliquando feneſtra dicitur. ver. 15. *Matthæum ſequerentur*] Imò potiùs Jeſum quàm Matthæum ſequebantur. Sed facilè agnoſces hic in Perſico textu erratum eſſe quod etiam facillimè tolli poteſt, ſi pro مي ſcribas مى, quod *temporis nota*, non *hominis nomen* eſt, & ſequenti ſtatim verſu, imò ſæpè in hoc capite, & alibi millies occurrit, verbis præpoſitum. Sic igitur lege دنبال او مي امدند, *eum ſequebantur*. Hoc ſi admittas (quod ut opinor, negari non debet) diſcrepantia omnis ſublata eſt.

CAP. III.

Ver. 22. *Amici ejus*] Gr. οἱ παρ' αὐτοῦ, quinam verò hi fuerint incertum eſt. Syr. habet ܐܚܝܢܘܗܝ *conſanguinei ejus*, at Anglicana verſio cum Perſica conſentit, in margine verò habet *cognatos*: iidem fortaſſe Johan. 7. 3. برادران ἀδελφοὶ dicuntur. ver. 22. *Ex intellectu ſuo exceſſit*] Gr. ἐξέστη. Multum locus hic interpretes torſit, & à nonnullis eorum viciſſim tortus eſt. Videat Lector an ex his quæ dicturus ſum lucis aliquid ei accedere poſſit. Quidam hoc *per ſimulationem* dictum putant, ut eo prætextu Chriſtum è turba eriperent, cui ſententiæ, haud quidem probabili, favet tamen Maldonatus. Illud affirmari poteſt nullam neceſſitatem aut cauſam hic eſſe cur per verbum ἐξέστη, *amentiam*, aut *inſaniam*, multò minus *furorem* (ut vet. Lat. tranſtulit --- *in furorem verſus eſt*) intelligamus. Haud ſanè credibile eſt (licet impii ſcribæ eum *dæmonium habere*, & μαίνεσθαι Joh. 10.20. dixerint) *amicos Chriſti*, inter quos etiam *mater* ejus nunc adfuiſſe putatur, eum pro inſano aut furioſo habuiſſe. Quare commodâ interpretatione leniendæ ſunt phraſes illæ (*extra mentem ſuam exiit*) ut Syrus, & (*ex intellectu ſuo exceſſit*) ut Perſicus vertit. Chriſtus turbæ docendæ, ægrotis ſanandis, dæmoniis ejiciendis intentus, ne comedendi quidem tempus (ut refert Evang.) habebat. Itaque ſui velut oblitus videbatur, & eorum quæ ad corpus & vitam ſpectant, curam abjeciſſe. Solent verò *extatici* per plures dies inediam pati, ut Act. 9.9. *Paulus* cœleſti viſione & voce attonitus, per triduum neque comedebat neque bibebat; & *Pſaltes* in vehementi angore conſtitutus queritur ſe oblitum fuiſſe comedere panem, Pſal. 102.4. Longam verò abſtinentiam ſequi ſolet ἔκλυσις & ἀρρωστία, & *animi deliquium* (v. quæ de Jonathane dicuntur, 1 Sam. 14.) quod nunc Chriſto accidiſſe amici ejus cenſebant, ſi *Arab. interpretem* ſequamur, qui ἐξέστη ita reddit ساهي القلب, *in deliquium cordis incidit*, ut in *Waltoniana* editione vertitur, melius certè quàm in *Romana* (*vecors eſt*); nam سهى ſignificat, *oblitus eſt*, *neglexit*. Sæpè ἐξίστασθαι in S.S. dicuntur, non mente & intellectu privati, ſed rei alicujus admiratione perculſi. vide Act. 8.9,13. & cap. 9.21. ſæpè vehemens animi intentio intellectum, licèt non tollat, abſtrahit tamen, ita ut homines *extra ſe rapi*, & res ad victum & vitam ſpectantes minimè intelligere, aut animadvertere videantur. Liceat unum exemplum huic loco accommodare. *Socrates* (ut refert Gellius noct. Att. l. 2. 1.) *perdius & pernox ſtare ſolitus eſt, à ſolis ortu ad ſolem alterum orientem --- tanquam quodam* ſeceſſu *mentis*, &c. Annon de ſapiente illo (quanquam ab inſania remotiſſimus erat) dici poterat ἐξέστη; & ſi amici ejus ex humanitate & benevolentia eum κρατῆσαι (ut hic loquitur Evang.) *prehendere*, & ad cibum ſumendum cogere voluiſſent, ecquid mirum fuiſſet? Mihi certè hujuſmodi interpretatio placet, quæ haſce locutiones duras apud Syrum & Perſicum & alios interpretes molliat, quibus ſe offendi quidam, & olim, & nuper profeſſi ſunt.

CAP. IV.

Ver. 40. *Quid me terruiſtis?*] Imò diſcipuli territi & conſternati ſunt, non Chriſtus, quod affirmare valde abſonum & indecorum eſſet: longe rectiùs Matth. 8. 26. ubi de hac ipſa re ſermo eſt چرا ترسيديد *quid timuiſtis?* & hîc proculdubio ita legendum eſt. Locus ſane corruptus eſt, ſed ſcribæ potiùs quàm interpretis vitio.

CAP. V.

Ver. 13. *Extra ſe cucurrerunt*] Confer hunc locum cum Mat. 8.31. & Luc. 8. 33. videbis hîc quædam *deeſſe*, & quædam etiam *redundare*.

CAP. VI.

Ver. 1. *In eum crediderunt*] Longè aliter Evang. ἀκολουθοῦσιν αὐτῷ, & Syrus: non dubito quin aſſentiaris legendum eſſe كرديده (nullâ pænè mutatione) & ſic omninò convenit cum Gr. *ambulabant cum eo*: habes hanc ipſam phraſin de diſcipulis Jeſum ſequutis, Joh. 6.66. باوي نمي كرديدند οὐκέτι μετ' αὐτοῦ περιεπάτουν. Ver. 9. *Calceos odio haberent*] Odioſa fortaſſis Lectori videatur hæc interpretatio, quæ Chriſti verbis, & loci hujus ſenſui, & cæteris interpretibus repugnat. Juſſit Chriſtus diſcipulos iter capere ὑποδεδεμένους σανδάλια i.e. (ut vulg. Lat. vertit) *calceatos ſandaliis*, ita Syr. ܢܣܐܢܘܢ *ut calcearentur ſandaliis*, & Arab. احذية في ارجلهم. Quæ igitur tam inſignis diſcrepantiæ cauſa fuit? rationem breviter edam. Perſicus hîc Syrum ſequi voluit (ut ex ipſo ejus errore manifeſtum eſt) verum ut in LXX. Interpretum verſione graviſſima errata ſæpenumero contigerunt, ob voces quaſdam malè acceptas (quæ literas quidem eaſdem, vel ſimiles, at ſignificationes toto cœlo diſtantes habent) idem hic accidit. Nam Syr. ܣܢܐ eſt *odio habuit*: item ܣܐܢܐ eſt *calceus* (& Chald. סין Exod. 3.5.) quod cum ܒ præpoſito ſæpiſſimè occurrit. v. Luc. 15.22. Joh. 1.27. v. Joh. 15.25. ܣܢܐܘܢܝ *odio hab.* & Epheſ. 6.15. ܣܐܢܘ *calceate*: utraque vox iiſdem literis conſtat. Ut verò propiùs accedam, & rem quaſi manu palpandam exhibeam, Matth. 24.10. habes ܢܣܢܘܢ *odio proſequentur*, & hîc ܢܣܐܢܘܢ *calcearentur*: ecce autem quantilla differentia! Perſicus igitur non ſatis hîc oculatus unum pro altero accepit, notabili ſanè errore; quem tamen ut aliquantulum excuſemus, dici poteſt illa Chriſti verba reſpexiſſe quibus prohibet diſcipulos calceos ſecum ferre. v. Luc. 10.4. *Nolite portare ſacculum, neque peram, neque calceamenta.* In cujus loci expoſitione interpretes quidam eodem ferè modo, quo hic Perſa, falluntur. Sed verba in ſpeciem pugnantia è Matth. 10.10 *conciliari*, ut opinor, poſſunt. Nam ibi legimus, μηδὲ δύο χιτῶνας, μηδὲ ὑποδήματα, & vox δύο ad ſequentia referri videtur. Chriſtus non *nudis pedibus* (ut aliqui putant) diſcipulos incedere voluit, ſed vetat futuri ſollicitos plures tunicas, & calceamentorum paria ſecum portare. Sic Juvencus,

Nec geminas veſtes, nec plantis tegmina bina.

CAP. VII.

Ver. 4. *A foris* empta] In Perſ. & Syr. textus Latinâ verſione vox (*empta*) inſeritur, quæ vereor ne erudito Lectori multum diſpliceat, nam omnino ab hoc loco aliena eſt, neque lucem aliquam miniſtrat, ſed à vero ſenſu animum legentis abſtrahit, ut ex ſequentibus facilè patebit. Evang. verba ſunt ἀπὸ ἀγορᾶς ἐὰν μὴ βαπτίσωνται οὐκ ἐσθίουσι. quæ optime exprimunt Judæorum traditionem & conſuetudinem, & rectiſſime Syr. & Perſ. hunc locum verterunt; ut etiam vet. Lat. (*à foro*) nude & ſine ulla interpolatione. Non enim de rebus in foro emptis, ſed *de hominibus à foro redeuntibus* verba intelligenda ſunt. Etiamſi nihil emiſſent, tamen juxta placita τῶν πρεσβυτέρων, neceſſe erat à foro revertentibus manus lavare. Ratio hæc erat, quia in forum prodeuntibus multa obvia erant (tum homines, tum res venales) e quorum contrectatione facile polluerentur. Ideò ut refert *Maimonides. Solebant Phariſæi ad latera viarum incedere, ut ſic* (עמי הארץ) *populi terræ, ſeu plebeiorum contactum in plateis, ne contaminarentur, melius vitarent. Domi* quidem manentibus difficile erat pollutionem vitare, *in foro* autem pæne impoſſibile judicabatur. Ideoque ex ſeniorum traditione neceſſe erat non tantùm Phariſæis, ſed etiam cuivis plebeio (unde etiam hic Evang. poſtquam dixiſſet Φαρισαῖοι, addit καὶ πάντες Ἰουδαῖοι) à foro venientibus, ſive aliquid emiſſent, necne, lavari. Imò *Druſius* & alii ex hoc loco, & verbo βαπτίσωνται, probare contendunt à foro redeuntes *totum corpus* lavaſſe ſolitos. Lege quæ de Judæorum lotionibus Cl. & doctiſſimus Pocockius obſervavit, & facile mihi aſſentieris vocem (*empta*) hoc loco omitti poſſe, cui (ut puto) inferendæ occaſionem dedit *Arab. interpres.* ver. 11. *Ut vobis miniſterium præſtem*] Si Perſicus interpres minùs rectè locum hunc exponat, & quid ſit juramentum ſeu votum Κορβᾶν haud ſatis intellexerit, facilius ei ignoſci poteſt, cum alii quamplurimi in ejus explicatione à vero deviarint. Doctiſſimi Viri *Pocockius* & *Capellus* hac de re multa obſervarunt. Rem paucis accipe. *Corban* eſt *munus* Deo conſecratum, quod in privatam alicujus utilitatem convertere illicitum fuit: erat etiam *juramenti* ſeu *voti contracta quædam formula.* Corban *eſto quicquid mei te juvare poſſit*, ut Chriſtus hic loquitur, Κορβᾶν (ὅ ἐστι δῶρον) ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς, quaſi plenius diceret, *è rebus meis utilitatem aliquam capere tam illicitum tibi eſto, quàm* Corban, *i.e. donum Deo conſecratum in tuos uſus convertere.* His animadverſis facile erit à Chriſto *diſputata* intelligere. Jubet Deus *parentes* honore afficere, & ſi *egentes* fuerint ſublevare. Ingratus aliquis *filius* (avaritiâ aut aliâ cauſâ ſtimulante) jurat, & voto *Corban* ſe obſtringit, egenti patri *nihil ſe daturum.* Quid igitur hîc faciendum? Reſpondent *Scribæ*, Mandatum potiùs quàm ſacroſanctum illud juramentum violandum. Unde clare ſequitur illud *Concluſionis* loco à Chriſto illatum, ἀκυρ. τὸν λόγ. Θεοῦ τῇ παραδ. *Traditione veſtrâ irritum facitis Dei mandatum.* Notandum voto hoc obſtrictos non ſemper bona ſua Deo voviſſe, & conſecrâſſe, (ut multi exiſtimârunt) ſed apud ſe retinuiſſe, alii tamen (cui nunquam benefacere decreverant) *haud profutura*, nec magis ei communicanda, quàm ſi conſecrata, & alienis uſibus prorſus interdicta fuiſſent. Hæc *ſummatim dicta* in Judæorum libris, & doctorum ſcriptis fuſiùs differuntur.

CAP. VIII.

ver. 12. *Jeſus quietem cepit*] Sic etiam cap. 7. 34. *quievit*, آسود, at Gr. ἐστέναξε, error quidem eſt Perſici interpretis, ſed eo magis excuſabilis, quia labi hic facillimum erat, nam *unum iota* differentiam hanc peperit, ܐܬܬܢܝܚ eſt *quievit*, at ܐܬܬܢܚ *ingemuit*, ἐστέναξε, exemplum habes Mat. 26. 45 *dormite & requieſcite*, ubi vides hanc Perſicam vocem & Syriacam *Jud* intermediâ auctiorem.

CAP. X.

v. 19. *Peccatū ne committas*] Gr. eſt μὴ μοιχεύσῃς, pro quo Perſa habet كناه مكن peccatum ne facito, *genus* pro *ſpecie* ſumens: ſic ſupra v. 12. hujus cap. در كناه باشد *in peccato erit*, ubi Gr. μοιχᾶται. Mat. 19. 9. فساد quod *ſpurcitiem* & *corruptelam* notat, ſpecialiter pro *adulterio* ponitur: etiam apud Evang. ἁμαρτωλὸς pro adulterâ, v. Luc. 8. 37, 39. alibi verò planius habet زنا مكن, ut Mat. 19. 18. *adult. ne committas.* ver. 22. *Non ferret relinquere*] Hæc de ſuo addit, quæ neque Gr. neq; Syr. habet. v. 30. *Omnia anxietas & ægr.*] Nil tale habet Gr. vel Syr. neque hoc dicere voluit Chriſtus, ſed potius fidelem Chriſtianum inter *perſecutionum ærumnas & anxietates* pro rebus Evangelii cauſâ relictis centies majori emolumento & *ſolatio, & poſt hanc vitam æternâ* fruiturum, ut rectè ſatis Perſicus int. apud Matth. Chriſti verba reddit, cap. 19. 29. quæ hic nimis *diſtorquentur*. μετὰ διωγμῶν, i. e. في الشدايد, *inter tribulationes & perſecut.* ut rectè Arab.

CAP. XI.

ver. 17. *Emiſtis & vendidiſtis*] verba hæc neque apud Evang. neque Prophetam habentur, nec Syrus aut alius quis interpres, imò neque ipſe Perſicus ea adjecit Mat. 21. 13: at Luc. 20. 46. poſt *ſpeluncam latronum* additur مقام طراران *loc° crumeniſecarū*, ſic n. Ar. طرّار βαλαντιοτόμος.

CAP. XII.

ver. 42. *Duos glomos fili*] Locus inſigniter depravatus. Gr. verba ſunt δύο λεπτά, quæ Perſ. reddit دو كروهها ريسمان, ſic Luc. 21. 2. Eadem & Gr. & Perſica verba ſunt: at Luc. 12. 59. τὸ λεπτόν, pro quo Perſicus habet پولي, quod in hâc linguâ ſæpiſſimè pro *minutulo nummo* uſurpatur. ريسمان eſt *filum* & ſic *Latinus interpres* hic vertendum eſſe judicavit. كروهه etiam eſt vox πολύσημος. Fateor me MSS. exemplaribus deſtitutum iſtic hærere, & quanquam multa divinare poſſem, mallem tamen *vera* ab aliis diſcere, quam dubia & incerta proferre.

CAP. XIII.

ver. 34. *Ut janua ſemper clauſa eſſet*] Sic quidem ſonant Perſica verba. v. Luc. 11. 7. & Joh. 20. 19. at Evangeliſtæ verba ſunt τῷ θυρωρῷ ἐνετείλατο ἵνα γρηγορῇ. Mihi videtur hujus loci *ſenſum dimidiatum* reddidiſſe: Nam duplex *janitoris* officium in Evangelio refertur, Primò, oſtium furibus & *alienis clauſum* diligenter cuſtodire, Secundò, *Domino pulſanti ſtatim reſpondere & aperire*. v. Joh 10. 3. & hoc à nobis Chriſtus potiſſimum exigit, Luc. 12. 36. *Sitis ſimiles expectantibus Dominum ſuum*--*ut cum pulſaverit ſtatim aperiant ei.* Syrus hic habet, *janitori præcepit*, ܕܢܗܘܐ ܥܝܪ, *ut vigilans eſſet*, i. e. paratus Domino pulſanti reſpondere & fores recludere, ut apud Malach. prophetam cap. 2. 12. עֵר וְעֹנֶה *vigilans & reſpondens*.

CAP. XIV.

ver. 65. *Teipſum libera*] verba hæc ab Evangeliſtâ ſemel, à Perſâ bis referuntur, hic ſc. & cap. ſequenti v. 19. utroque in loco convitia & ſcommata Chriſto ingeruntur, at hujus dicterii nulla iſtic apud *Gr.* vel *Syrum* mentio habetur.

CAP. XV.

ver. 43. *Joſeph*-- *Boulentes dictus eſt*] Gr. Ἰωσὴφ εὐσχήμων βουλευτής Syr. *honorabilis Senator*: at notandum βουλευτοῦ nomen à Syro retineri, quod Perſa aliud *Joſephi nomen* eſſe credidit, atque ut illud Mat. 27. 22. *Jeſus qui vocatur Chriſtus*, & Mat. 10. 2. *Simeon qui vocatus eſt Cephas* ita hic eodem modo, *Joſephus qui vocatur Boulentes*, vertit: nam in ſingulis locis eſt خوانده شود. Cauſam vero mecum perpende, quam ut opinor veriſſimam agnoſces, ܡܝܩܪܐ eſt *honoratus, nobilis*, ܡܩܪܐ (& frequentius ܡܬܩܪܐ quod in locis proximè citatis occurrit) *nominatus, vocatus*, iiſdem ferè literis conſtans: Perſicus præſentem quoque vocem tanquā à ܩܪܐ deductam ſumens, ob *literarum & ſoni ſimilitudinem*, per خوانده itidem reddidit, & hinc Joſepho novum nomen indidit. Confer Mat. 27. 16, 17. Luc. 1. 36. Joh. 11. 16. εὐσχήμων, (cujus interpretatio hic deeſt) Perſicè eſt كرامي & بزرك. Cum autem *de corpore* & *animo* dicatur, ut utriuſque decorem notet, utraque vocis ſignificatio ſcitè ab *Arab. interprete* conjungitur, ubi ſuavis agnominatio eſt vocum ري & راي.

CAP. XVI.

ver. 16. *Aquâ Chriſtianus factus*] Sic Gr. vox βαπτισθεὶς & Syr. ܥܡܕ redditur: ita Mat. 28. 19. عماده كنيد يعني ترسا كنيد, *Baptizate*, i. e. *Chriſtianos efficite*. Arab. صبغة eſt *Baptiſmus* atque etiam الدين والملة i. e. *Ipſa Religio*.

LUC.

CAP. I.

VEr. 4. *Fideliſſime Theophile*] Gr. κράτιστε, Syr. ܢܨܝܚܐ *potens, illuſtris*, Arab. العزيز, ubi Lat. *O Chariſſime*. Verum quidem eſt عزيز Arab. & Perſis aliquando *carum* & *dilectum*, uſitatius verò, & loco huic convenientius, *potentem*, & *excellentem* denotare. مومن à *fide*, & *ſecuritate* pariter ſic dicitur. Is nimirum cujus fidei ſe alii committunt, & qui eos poteſtate ſuâ protegit, & incolumes præſtat. *Auditor fuiſti*] Obſervet hic Lector verbi κατηχήθης interpretationem, quæ optimè convenit cum voce à *Tertulliano, Cypr.* & aliis Scriptoribus Latinis receptâ. شنودن Perſis eſt *audire*, & à Patribus Lat. *Catechumeni, Audientes* paſſim dicuntur: hinc Rupertus de div. off. *Audiens quiſque regulam fidei Catechumenus dicitur: Catechumenus namque Auditor interpretatur*, lib. 4. cap. 18. ver. 6. *Deo digni*] vel, *Deo placentes*, nam شايستن eſt *placere*, & *dignum eſſe*: utrumque includit phraſis illa ab Apoſtolo uſitata, περιπατῆσαι ἀξίως τοῦ Θεοῦ. ver. 17. *Univerſum populum*] Gr. λαὸν κατεσκευασμένον, Syr. ܡܫܡܠܝܐ *perfectum*, & ſic Perſis تمامت de numero vel opere dictum ſignificat *Totum*, & *finem*, at de moribus & animo, *perfectionem & integritatem*, ut Gr. τέλειος, & *Integer* Lat. ver. 36. *Eliſabetha matertera tua*] Gr. συγγενής σου, & Syr. *cognata*: at *Nicephorus* longè diverſum tradit, ſc. Elizabetham & Mariam *conſobrinas* fuiſſe, ſic etiam *Xaverius* in hiſt. Chriſti, juxta interpretationem *Ludovic. de Dieu*, aſſerit Eliſabetham è *matertera* Mariæ genitam. ver. 61. *In Iſraele tuo*] à Gr. & Syr. plurimum diſcrepat, imò & ſacris literis contrarium dicere videtur: Nam certum eſt in Iſraele quendam longè antè hoc nomine appellatum fuiſſe. v. 1. Paralip. 12. 12. Evangeliſtæ verba ſunt, οὐδεὶς ἐν τῇ συγγενείᾳ σου, &c. quibus Syr. & Arab. conſimilia habent, nec dubito locum hunc à Perſico bene redditum fuiſſe, ſed à *ſcribâ* depravatum. Nam vix credibile eſt eum qui paulò ante (verſ. 58) συγγενεῖς rectè vertit, ſtatim in συγγενείᾳ reddendâ turpiter adeo lapſum eſſe. Quare hic etiam قبيله (quæ habetur v. 58.) repone, quod συγγενεῖς & συγγένειαν, *cognatos* & *tribum* ſignificat. Si retinere quis velit vocem اسرائيل, ſic forſan defendi poſſit, ſi dicas تو (*tuum*) Iſraelis nomini appoſitum ita generale illud vocabulum reſtringere, ut idem cum συγγενείᾳ ſignificet: q. d. *in eâ Iſraelis parte* quam tu cognatione propius contingis, nemo ſic appellatus eſt. Sed hoc nimis *tortum* & violentum videtur, itaque mallem loco corrupto medicinam, quam patrocinium commodare.

CAP. II.

ver. 11. *Hodie ſervator naſcitur*] vel, *natus eſt*, nam idem prorſus eſt Perſ. زاييده شد cum Gr. ἐτέχθη & Syr. ܐܬܝܠܕ. Certum anni diem quo natus fuerit Chriſtus etiamſi non referant Evangeliſtæ, antiquiſſima tamen Eccleſiæ traditio VIII. *Kal. Januar.* Natalem ejus fixit. Eodem die *Bruma*, ſeu ſolſtitium hyemale, illo ſeculo ſtatuebatur. Sic Plinius qui illo ævo vixit, lib. 18. 25. *Bruma Capricorni ad* VIII. *Kal. Jan. ferè*. & cap. 27. VIII. *Kal. Jul. longiſſima dies totius anni.* Notatu verò haud indignum eſt Muhammedanos, Arabes ſc. & Perſas hâc in re cum Chriſtianis conſentire. Nam apud eos, *Natalis Meſſiæ* quaſi in proverbium abiit pro nocte longiſſimâ. Sic ſcriptor quidam جامع اللغة his verbis, وقت ولادة عيسي ع م وهو اطول ليلة من السنة *Tempus nativitatis Jeſu, ſuper quo pax, fuitque illud nox totius anni longiſſima.* Huc referendum eſt illud in Gloſſario Perſico شبي يلدا. *Nox longiſſima.* Eadem quoque ليلة التمام *Nox perfectionis,* ſeu *conſummationis,* Kamuſio & aliis, quia tum ſolis curriculum perficitur, & abſolvitur.

ver. 49. *Convenit ut in domo Patris ſim*] Sic etiam Syrus hæc Chriſti verba *de templo* dicta intelligit. Gr. ἐν τοῖς τȣ̃ πατρός. Profectò ſenſus hic, & interpretatio rejici non meretur: quaſi dixerit Chriſtus parentibus (qui eum anxie apud cognatos & amicos quæſiverant) Cur me alibi quam in templo quærebatis? *ubinam filium commorari oportet potius quam in Patris ſui domo,* in quâ me nunc inveniſtis? Amplectuntur hanc interpretationem non tantum *Syrus* & *Perſicus,* ſed etiam B. *Auguſtinus, & alii* ex antiquis.

CAP. IV.

ver. 11. *Alis ſuis te tollent*] Nullus, ut opinor, interpres locum hunc ſic vertit, in Gr. eſt ἐπὶ χειρῶν ἀρȣ̃σί σε, ſic Syr. *in ulnis ſuis* vel *brachiis,* atque ita Pſal. 91. 11. unde hæc verba citata ſunt. ubi etiam Perſ. در دستان *in manibus.* Arab. علي ايديهم *ſuper manus ſ. portabunt te.* Quid verò moror Lectorem cum vera interpretatio in propinquo ſit, ſc. cap. 2. 28? ibi Simeon dicitur Chriſtum in *ulnas ſuas* accepiſſe, ubi Perſicus habet دربر, & Marc. 10. 16. Chriſtus ipſe dicitur puerulos *in ſinum* ſuſcepiſſe: in ſingulis hiſce locis Perſicus eadem phraſi utitur, quæ eodem modo etiam hic reddenda. ver. 41. *Chriſtus ſeverus fuit*] vel, *objurgabat, increp.* ut Gr. ἐπιτιμῶν, & Syr. Perſis تند eſt *durus,* & *de metallis* dicitur poſt liquefactionem concretis & duratis, hinc تنديدن *durum ſe* & *aſperum exhibere,* quod etiam apud Latinos *ad verba* & *orationem* transfertur.

CAP. V.

ver. 10. *Venator hominum*] vel *Piſcator,* شكار كردن reſpondet Hebr. צוד quod ab Orientalibus de *ferarum, avium, & piſcium capturâ* uſurpatur, ut hic apud Syr. & Arab. videas. Gr. eſt ζωγρῶν *vivos capiens,* ideoque addit Syr. & Perſ. *ad vitam* quanquam vox hæc non tantum de Apoſtolis, ſed etiam *de Satanâ* (qui non ad vitam ſed *mortem homines* capit) uſurpetur, 2 Tim. 2. 26. Mat. 4. 19. ἁλιεῖς ἀνθρώπων *piſcatores hominum,* ubi Perſ. eleganter ادمي كيران, ſic Marc. 1. 17.

CAP. VI.

ver. 35. *Quempiam deſperabundum ne facite*] Locus hic eò magis obſervandus eſt, quòd non tantum *Perſicus,* ſed etiam *Syrus & Arabs* velut uno conſenſu eum tali interpretatione donarint, quæ cū à *Vulgata* & ab antiquis receptâ verſione recedat, argumento eſt aliter ab illis quam à noſtris lectum fuiſſe. Græca verba (prout nunc legimus) ſunt δανείζετε μηδὲν ἀπελπίζοντες. Vulg. *mutuum date nihil inde ſperantes,* at Syrus ita videtur legiſſe δαν. μηδένʼ ἀπελπίζοντες (exiguâ quidem, imò nullâ quoad literas, differentiâ, quæ tamen ſenſum inſigniter variat) & ἀπελπίζειν non eâ ſignificatione quæ probatiſſimis apud Græcos Scriptoribus uſitata eſt (quibus *deſperare* ſemper ferè notat) ſed qualis eſt plerunque verborum apud Hebræos in *Piel* & *Hiphil* accepit. Si igitur *Græcos* Scriptores, & *Orientales,* & *Latinos* hic conferas, *triplex* apparebit vocis hujus uſus: & ἀπελπίζοντες ſunt. Primo, *Qui ipſi deſperant,* juxta communem Græcorum uſum. Secundo, *Qui alium deſperare faciunt,* juxta Syr. Arab. & Perſicum. Tertio contrariâ pœne ſignificatione, *qui aliquid aliunde ſperant,* juxta *Vulgatam* & *Latinorum* interpretationem. E tribus hiſce vocis hujus acceptionibus, *tres,* & quidem ſatis elegantes, ſenſus emergunt, in quibus expendendis ingenioſus lector ſeſe utiliter exercere poſſit.

CAP. VII.

ver. 47. *Multum digna fuit*] & paulò poſt, *parum dignus fuit,* multum diſcrepat à Gr. & reliquis interpretibus, cujus cauſam è Syro interprete Lector divinet. *Tria* ſunt in hâc parabolâ præcipuæ notæ verba, quibus tota narratio quaſi pendet, & innititur, quorum unum alterum conſequitur, *Debuit, Remiſit, Dilexit,* quæ ſi rite perpenderis differentiæ hujus anſam prehendes.

CAP. IX.

ver. 7. *Mirans hæſitabat*] Gr. διηπόρει, V. Lat. *hæſitabat,* at Syr. ܐܬܕܡܪ *miratus eſt,* Mat. 8. 10. ubi Gr. ἐθαύμασε. Perſa utroque in loco Syrum ſequitur eandem phraſin adhibens. Arab. eleganter & Gr. & Syr. interpretationem conjunxit, تحيّر وانكاد.

CAP. X.

ver. 21. *Cum Spiritu Sancto collocutus eſt*] بروح hic idem eſt quod τῷ πνεύματι, ut بجان alibi paſſim. v. Luc. 1. 17, 80. Joh. 4. 23. Quia vero Syrus *Sanctum* addidit, idem & Perſa fecit. Pro ἠγαλλιάσατο, Syrus habet ܪܘܙ quod *gaudere,* & *exultare* ſignificat. v. Mat. 5. 12. at Perſ. مناجات كرد. *de rebus arcanis ſermonem fecit,* (ناجي eſt *ſecretum communicavit*) quia Chriſtus de revelatione & occultatione *myſteriorum* hic loquitur: vel fortaſſe ܪܘܙ idem hic quod ܪܐܙ *myſterium, arcanum* denotare ſenſit, ut etiam Perſica vox راز: utriuſque exemplum habes Gen. 49. 6. ver. 34. *In diverſorium ſuum*] Nota voces quibus hic Syr. Arab. & Perſa utuntur, Arab. الفندق Græcæ voci πανδοχεῖον eſt ſignificatione, & ſono ſimillima: dicitur etiam فندق, cui proximè accedit Syr. ܦܘܬܩܐ *nun* eliſâ. Eſt autem ut Kamus exponit خان السبيل, i. e. *taberna diverſoria,* ut Plautus loquitur. Talis fuit (ſecundum Chald. paraph.) *Rahab* mulieris domus in quam Iſraelitarum exploratores diverterunt, Joſ. 2. 1. dicitur enim פּוּנְדְקִיתָא, i. e. πανδοκεύτρια, *mulier cauponaria.* vide Exod. 4. 24. ubi 70 κατάλυμα habent, ut Luc. 2. 8. Nomen autem quo Perſicus hic utitur eſt *Caravanſerai,* i. e. *domus* ſeu *hoſpitium Caravanæ,* quæ mercatorum aliorumque *ſimul iter facientium caterva* eſt. Nomen ut judico Perſicum eſt, & quidem aptiſſimum: nam كار eſt *negotium,* كاروان *negotiatorum turba.* سرا Perſ. eſt *ampla domus,* unde Mat. 26. 3. Pontificis M. *Aula* ſic dicitur, & Turcici Imper. (ut etiam aliorum) palatium *ſerai* (vulgò *Seraglio*). v. Matth. 11. 8. convenit cum Ch. & Syr. ܥܡܪ, *habitavit, manſit.*

ver. 41. *Martha-- in omnib. rebus exornata es*] Locus hic attentum Lectorem poſtulat, ne ipſe una cum Perſico interprete fallatur, quem certum eſt in hoc verſu reddendo ceſpitaſſe. Error verò hic cum multis aliis ex eodem fonte manavit, nempe ex verbis literas ſimiles habentibus, vel ejuſdem ſoni, aut organi, malè intellectis & confuſis, quod non tantum huic interpreti, ſed D. Hieronymo, & aliis frequenter impingendi cauſa fuit. Si hic اراسته cum Lat. interprete vertas *ornata es,* Syr. vocem ܝܨܦܬܝ *ſolita es,* videtur accepiſſe pro ܨܒܬܝ. v. Luc. 21. 5. ubi ܡܨܒܬ *ornatum* per اراسته redditur. Sed ut, quantum fieri poteſt, interpretem excuſemus, & errorem hunc minuamus, cogitet lector annon hæc ipſa vox quâ hic utitur (اراسته) utrumque denotet, *ſolicitudinem,* ſc. & *ornatum:* profectò meâ ſententiâ, poſterior ſignificatio cum priori bellè & aptè congruit. Nimirum qui ornati & nitidi videri cupiunt, ſolent multam ſolicitudinem, & curam adhibere, atque in ſe poliendo & cómendo, ut loquitur Comicus, anxiè laborare, & ſatagere, ut non immerito idem verbum & *curam,* & *ornatum* ſignificet. Etiam Latinis *adornare* eſt curare & parare, & eodem ſenſu à Perſis dicitur اراسته كردن. Locum huic ſimillimum habes, Luc. 21. 34. ubi Gr. ἐν μερίμναις, at Perſ. ارايش, cum quo ſi conferas Syrum conjecturam meam probabiliorem dices. ver. 41. *Præcellentiam habes*] Gr. τυρβάζῃ, Syr. *inquieta es,* at immane quantum diſtat ab his noſter? decepit illum ut puto vox πολύσημος ܪܗܒ, quæ Syris *perturbationis,* atque etiam *excellentiæ,* & *roboris* ſignificationem habet. Perpende annon ſimillima huic παρερμήνεια & diſcrepantia in LXX. & aliis verſionibus reperiatur, Cantic. 6. 4. ubi habes hoc ipſum verbum רהב, quod tum *velocitatem* & *commotionem,* tum *præcellentiam* & *elationem* notat: hanc poſteriorem *Anglic.* & aliæ verſiones ſequuntur, LXX. & Arab. priorem: operæ pretium erit loca & verba conferre. Præſens verò locus ſatis arguit Perſam Græcum codicem haud conſuluiſſe, nam apud Evang. eſt περὶ πολλά, quod Syrus per plurale fœmininum reddit, (cui reſpondet neutrum apud Græcos) quia verò de Marthâ muliere ſermo eſt, putavit etiam hâc voce ܣܓܝܐܬܐ *fœminas* plures denotari.

CAP. XI.

Ver. 3. *In cœlo terræ potiris*] Locus corruptus, quis enim credat Perſam, qui hæc orationis Dominicæ verba apud Matth. rectè vertit, hic adeò à veritate, atque etiam à ſeipſo diſcrepare? Matth. 5. 10. ſic legimus, *Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra:* et ſi Perſicas voces rite perpenderis, hoc loco eaſdem poſitas fuiſſe dices, & à ſcriba præpoſterè & perverſè exaratas. Nam pro *zamîn dari*, ſcribe *dar zamîn,* & nihil hic differt ab Evang. aut à Syr. & reliquis, & apud Mat. 5. 10. expreſſè habetur در زمين. Vides quàm exiguâ & pæne nullâ mutatione verus ſenſus emergat: quòd ſi *MSS exemplaria* mihi ſuppeterent, non dubito quin Verſio hæc à multis erroribus (quibus nunc *exſcriptoris* vitio ſcatet) vindicari poſſet, in quorum nonnullis detegendis, atque emendandis tantum laboris & operæ impendi. ver. 31. *Regina Auſtri,* i. e. *Æthiopiæ*) Mat. 12. 42. βασίλισσα Νότȣ, ut hoc etiam loco dicitur: à *Joſepho* Antiqu. 8. (p. 270.) Αἰγυπτίων ϗ Αἰθιοπίας βασίλισσα ſæpiùs appellatur. Verùm Arabes اليمن i. e. Yamanenſis *Arabiæ reginam* fuiſſe magno conſenſu affirmant, & in Regum Hamyarenſium ſerie numerant. Imò nomen ipſius referunt بلقيس (*Belkis*), cujus ſæpe à ſcriptoribus mentio fit. vide *Geogr. Nub.* & *Alcor. Scholiaſt.* ad Sur. 27. ubi varias fabellas & narrationes de hac Regina legas. A Syro & Arab. ملكة التيمن. Nomen verò hoc تيمن *Auſtrum* quidem & *Meridionalem plagam* (ut Pſal. 126. 5.) ac peculiariter Territorium & *Clima Arabiæ* felicis denotat, quod *Auſtrale* jure dicitur, cum ad æquinoct. fere circulum pertingat. Nam *Sanaa* urbs Ar. fel. & Regia olim ſedes, ab Arabum Geographis initio primi climatis ſtatuitur, & *latitud.* gr. 14. 30. ac dies noctibus toto anno prope æquales habere dicitur. *Aden* verò maritimum oppidum multò Auſtralius eſt, de quo ſic Abulfeda خارجه عن الاول الي الجنوب, *Extra primum clima jacet ad Meridiem.*

ver. 34 *Lucerna corporis oculus*] Locus hic corruptus eſt, non tamen interpretis ſed *ſcriptoris* culpâ, quod res ipſa monſtrat. Nam Matth. 6. 22. (ubi eundem ſermonem habemus) rectè & fideliter vertitur, at hic quàm præpoſtera & confuſa ſint verba facile videas. Itaque prior ille locus integer & ſanus huic male affecto medeatur. Idem *remedium* aliis quoque permultis applicandum eſt.

CAP. XII.

Ver.16. *Aquam & terram habuit*] Notanda eſt hæc *Divitis* deſcriptio آب وزمين داشت *Aquam & terram habuit:* per duo hæc elementa omnium rerum affluentia & abundantia denotatur. Ideoque Perſarum Reges à populis quos imperio ſuo ſubdere volebant, per feciales denuntiare ſoliti erant, ut Aquam & Terram traderent, hoc eſt, ut omnia ſuo imperio & poteſtati reſignarent & ſubjicerent. Clarè hoc indicat Ariſtides in Panathen. — αἰτεῖν ἔφασκεν — ἀπαρχὰς Γῆς καὶ Ὕδατος· πάντων δ᾽ εἶναι τούτων Κύριος. Unde Ariſtot. Rhet. 2. Διδόναι Γῆν καὶ Ὕδωρ δουλεύειν ἐστὶ, *Tradere Terram & Aquam, ſervire eſt*. Hinc facilè intelligas locum illum *Judithæ* cap.2.7. ubi *Nabuchodonoſor* Olopherni adverſùs Occidentales populos expeditionem paranti hæc mandat, ἀπαγγελεῖς αὐτοῖς ἑτοιμάζειν γῆν καὶ ὕδωρ. Simillimus huic locus eſt apud Diod Sic. lib.11. de Xerxe, — κήρυκας ἐξέπεμψε προστάξας εἰς πάσας τὰς πόλεις ἰέναι, καὶ τοὺς Ἕλληνας αἰτεῖν ὕδωρ καὶ γῆν, hoc eſt, ut ſe ſervos ejus agnoſcerent, neque liberum ſibi eſſe vel Aquam *bibere*, vel Terræ fructibus *veſci* abſque ipſius permiſſu. Sic enim inſolens hoc Perſarum poſtulatum Alexander M. Interpretatus eſt --- *Aquam ipſam Terramque poſtulantium, ut neque Fontium hauſtum, nec ſolitos cibos relinquerent*, apud Q. Curt. l. 3. Quid igitur per Terram & Aquam apud noſtrum Interpretem ſignificetur ex *Judit*. cap.3.3. colligas, ſcil. agri & valles frugiferæ, fontes, campi, greges ovium & caprarum, armenta boum, equorum, camelorum, & alia quæ ibi recenſentur à LXX. & V. Lat.

CAP. XIV.

Ver.2. *Hydropicus eſt tumefactus toto corpore*] Hic nobis Perſicus more ſuo Arabicam vocem مستسقي interpretatur, & ſimul Syriaca verba, quibus *hydrops* exprimitur. Cùm verò tria hujus morbi genera medici ſtatuant, *Tympanitem, Aſcitem, & Anaſarcā* (v. Celſ. 3.21.) quæ Arabes الطبلي, السقي, اللحمي vocant, manifeſtum eſt hic *Aſciten* intelligi. Non ingratum, ut puto, neque ab hoc loco alienum erit, ſi paucis hujus morbi nomen, quod apud Lat. & Græcos obtinet, ab hoc ipſo verbo, quo hic Perſa & Arabs utuntur, peti oſtendam. Nam اسقا (*Aſca*) eſt propriè *aquam in hydria detulit*; inde, *aquâ intercute* ſeu *hydrope laboravit*. اسقيه (ipſum ferè Gr. nomen ἀσκοὶ) *Utres*, unde *Aſcites* hic morbus. Quàm verò cognata & propinqua ſint iſta Hebr. שקה *bibit, adaquatus f.* facilè vides. ver. 5. *Filius aut bos*] In Gr. eſt, ὄνος ἢ βοῦς, at Syr. ܒܪ *filium* habet: cùm primò hoc legerem, facile ſuſpicabar exemplar, quod ſecutus eſt, υἱὸν habuiſſe, quod confirmat MS. Alexandrinum eximiæ antiquitatis, cujus diſcrepantes à codicibus vulgatis Lectiones in hac editione *Waltoniana* (magno ſtudioſorum commodo) apponuntur, in quo ſic legitur, υἱὸς ἢ ὄνος. Arab. verò utrumque tum υἱὸν tum ὄνον omiſit, & tantùm ثور *bovem* habet, at in Romana editione eſt حماره او ثوره.

CAP. XV.

Ver.13. *Victu, voluptate, & ſociis*] Habes hic non inelegantem ἀσώτως deſcriptionem. Optimè huic loco conveniunt quæ Philoſophus initio quarti lib. Ethic. ſcripſit *de prodigis*, & εἰς ἀκολασίαν δαπανηροῖς. vide etiam & confer Sap. 2. 6, 7, 8, 9. Multa in hoc verſu addidit Perſa, quæ neque apud Evangeliſtam neque Syrum interpretem habentur. Ver.23. *Boves ſaginatos mactate*] Multa hic notanda occurrunt. Gr. habet τὸν μόσχον τὸν σιτευτὸν θύσατε, & Arab. etiam عجل *vitulum*: at Syr. quem Perſ. ſequi ſolet, ܬܘܪܐ *bovem*. Nec tamen hoc Lectori diſpliceat, nam *aureus ille vitulus* quem Iſraelitæ coluerunt à Pſalte, dicitur שור *bos*, Pſal. 106. 20. Imò Græci μόσχον *Bovem*, & *Vitulum* Latini *Juvencum* appellant, quare utro modo hic vertatur parum refert: ſed neque hic Perſicus ab uſitata verſione recedit, nam præſens vox كاو eſt etiam *vitulus*, ut Gen. 18.17. ubi Hebr. בן־בקר, LXX. μοσχάριον, Tawoſius hâc ipſâ voce كاو utitur. At illud longè majoris momenti eſt, quòd hic *boves ſaginatos* mactari dicat, cum nulla quod ſciam verſio hic plurali numero utatur, imò ſingulari numero *ſingulare myſterium* ineſſe Chriſtiani fatemur, quibus per vitulum Chriſtus intelligitur. *Vitulus ſaginatus* (inquit Hieron.) *qui ad pœnitentis immolatur ſalutem ipſe Salvator eſt, cujus quotidiè carne paſcimur, cruore potamur.* Libenter velim Perſam cum cæteris interpretibus in concordiam reducere, & quidem facile erit, ſine ulla verborum diſtortione, ac ne literulâ quidem mutatâ. Diſjungas modò vocis hujus كاوان ſyllabas, & ſeparatim ſcribas كاو ان, omnis diſcrepantia penitùs ſublata eſt, habes ipſiſſima Evangeliſtæ verba Perſicè reddita. Nam نره كاو ان فربهرا بكشيد ad verbum exprimit μόσχον τὸν σιτευτὸν θύσατε. آن ſexcenties ab hoc interprete uſurpatur (& Gr. articulo ὁ, Hebr. ה paſſim reſpondet) nominibus frequenter propoſitum, & interdum cum illis coaleſcens, ut انكس *ille homo*, انكاه *illud tempus*, ſeu *opportunitas*. Obſerva autem hîc ab Evangeliſta articulum geminari, & bis dici τὸν μόσχον τὸν σιτευτὸν, ut meritò Perſa quoque notam emphaticam addiderit.

CAP. XVII.

Ver.10. *Servi mundi*] Aut hic in codice vitium eſt, aut fatendum interpretem locum hunc haud rectè vertiſſe. ver.36. *Ubi cadaver vultures*] Haud dubium eſt quin Chriſtus verba illa reſpexerit, quæ Jobi c.39.30. habentur, ubi de נֶשֶׁר ſive *Aquilâ*, ſic legimus. באשר חללים שם הוא, quod V. Lat. ita reddit, *ubicunque cadaver fuerit ſtatim adeſt*. Deut.14.12,13. & Levit.11.13. varia avium genera memorantur, ubi hæc ipſa vox à Perſ. interprete ponitur pro פֶּרֶס i. e. *Oſſifraga*, ut in Anglicana verſione & alibi redditur. Oſſifragæ verò à Plinio & aliis in Aquilarum genere recenſentur, à quibus etiam *Vultures* progenerari ſcribit, natur. hiſt. lib. 10. c. 3. Notet verò Lector *Hieroſolymorum ruinam* & excidium hîc à Chriſto prædici, ideoque clariſſimus Theologus ſcitè per *cadaver urbem Hieroſolymitanam*, per *aquilas, Romanorum inſignia* & exercitus denotari voluit, qui in Judæa *congregati* urbem illam obſidione cinxerunt, & tandem *(ut aquilæ & vultures putidum cadaver)* penitùs abſumpſerunt.

CAP. XVIII.

Ver. 2. *Jus meum ab adverſario capias*] داد eſt *æquitas*, & jus illud quod unicuique tribuendum eſt (aptiſſimum huic loco verbum) à دادن *dare, tribuere*: hinc etiam دادن *debitum* notat. Senſus itaque eſt, æquum & juſtum, quod ab adverſario obtinere nequeo, *Tu exigito*, & dare cogito. ver.7. *Deus jus capiet*] Notatu dignum eſt, & huic loco convenit, apud Perſas *Dei nomen* eſſe دادار. Sic Nematallah, دادار نام خداي تعالي partim ob eam rationem quæ hîc à Chriſto exprimitur, quia ἐκδίκησιν ποιεῖ, & æquitatem & juſtitiam diſpenſat; præcipuè verò quia bonorum omnium (دهنده) *Dator* & Largitor eſt. ver.13. *Capite ſuo terram pulſabat*] Obſervet hic Lector novam planè interpretationem; quoties apud Evang. occurrit phraſis hæc ἔτυπτε στῆθος, pluribus verbis à Perſa redditur, quæ longè aliud ſignificant, ſcil. *in genua procidit capite terræ applicato*. Sic Luc. 23. 48. Quæ verò hujus diverſitatis cauſa eſt? Dicam quod mihi veriſimile videtur. Ut Phariſæi jactantiam, ita ſummam Publicani humilitatem Chriſtus hîc exprimit, qui voce, & geſtu pœnitentis, & demiſſi animi indicia commonſtrat. Solent verò Perſæ, atque Muhammedani cùm in templo ſunt (ut nunc Publicanus fuiſſe dicitur) ad reverentiam, & animi dejectionem teſtandam fronte terram contingere, & caput, ac pedes, & genua, & utramque manum humo applicare. Actio hæc ſeu geſtus peculiariter سجود dicitur, quo verbo Perſa ſæpe utitur pro γονυπετεῖν & προσκυνεῖν. v. Luc. 22. 41. Matth. 2. 11. Marc. 10. 17. Ut verò locum hunc, & Orientalium morem pleniùs intelligas, notandum eſt *ſeptem corporis membra* (paulò ante nominata) quibus venerationem & humilem ſubmiſſionem indicant, ob hanc cauſam مساجد dici, i. e. *religioſæ proſtrationi inſervientia*. Sic Alfiraz. الاراب السبعة مَسَاجِدُ, quibus adjice quæ ex *Gienhario* citavit J. Golius, السجود علي سبعة اراب *adoratio fit ſuper ſeptem membris, ſcil. utroque pede, utriſque genibus, utraque manu, & fronte humo applicitis.* Iccirco ſolent in Templis ſtoream ſeu *ſtratum* ponere corporis humani longitudine, ne frons & reliqua membra humi defixa ſordidentur, quod etiam à religioſo hoc uſu سجّاده dicitur. Igitur per ritus à Perſis nunc, & olim, uſitatos Publicani ſubmiſſionem & humilitatem deſcribit. Hæc mihi probabilis hujus interpretationis ratio videtur, quam, donec meliorem quis ſuggerat, boni conſulas. Certè aliis in locis interpres iſte vocabula quædam è Muhammedana religione deprompta Chriſtianis rebus accommodat, & locutiones nonnullas adhibet quæ *Iſlamiſmum* redolent.

CAP. XIX.

Ver.11. *Ad parabolas adjecit*] Unam hanc parabolam ita titulis & verbis diſtinguit, acſi duæ eſſent, & duæ etiam Perſonæ, *Rex & Mercator*. Poſtremâ tamen parte unus idemque eſt qui à ſervis rationes exigit, & rebelles ſubditos ſupplicio afficit. Reverâ hic ut multis aliis in locis nimis confuſa, & perplexa narratio habetur: & in hujus Evangeliſtæ Perſicâ verſione plura quàm in cæteris, ut mihi videtur, luxata & diſtorta ſunt.

CAP. XXI.

Ver.35. *Veluti fulgur*] Repentinus Chriſti adventus fulguri comparatur, ut Mat. 24.27. ubi Perſ. eandem vocem habet, برق, ſcil. quæ *fulgur* ſignificat. Neque dubito quin illa Chriſti verba in animo habuerit, cùm hæc ſcriberet; nam alioqui nulla hujuſmodi comparatio aut ſimilitudo hoc loco occurrit, ſed Gr. verba ſunt, ὡς παγίς. Syr. vox ܦܚܐ & *laqueum* & *fulmen* denotat: unde hæc diſcrepantia, ut opinor, nata eſt.

CAP. XXII.

Ver.32. *Tu convertere, & fratres tuos confirma*] Notanda eſt hæc interpretatio: non enim Perſicè tantùm, ſed & Syriacè atque Arabicè locus hic ita vertitur. Syr. ܐܬܦܢܝ (vide cap. 9. 38.) Arab. فارجع, *revertere*: gemino *Imperativo* utuntur, & Petro *duo* hic præcipi innuunt, Primò ut pœnitentiam ageret, dein ut Fratres quoque (ſui lapſus & imbecillitatis memor) erigeret & confirmaret. Et profectò ſi Græca verba perpendas, ἐπιστρέψας στήριξον τοὺς ἀδελφούς, ipſa quoque ſenſum hunc & interpretationem commodè ferre poſſunt. Nam ſæpe in ſacris literis Participium cum Imperativo junctum ejuſdem *Modi* vim & poteſtatem obtinet, ut Act. 22. 16. ἀναστὰς βάπτισαι, ubi V. Vulg. *exurge* & *baptizare*, & ſic quoque Syr. & Arab. vertunt. ver. 4. *Lacryma ejus inſtar ſanguinis*] Apud Syrum eſt ܕܘܥܬܗ *ſudor ejus*, Perſa autem legiſſe videtur ܕܡܥܬܗ, & pro oculorum humore, ſeu *lacrymis* accepit: non magnâ quidem quoad literas differentiâ; at grandi, ſi ſenſum ſpectes, vel ipſius, vel codicis, quem ſecutus eſt, errore.

JOHAN.

JOHANNES.

CAPUT I.

VEr. 1. *In principio ſermo erat*] كلمة. Aliæ verſiones Perſicæ habent سخن, ſed ut apud Latinos, perinde eſt, ſive *Sermo*, ſive *Verbum* reddatur ὁ Λόγος, (cum utrumque Veteribus in uſu fuerit:) ita apud Perſas utraque vox indiſcriminatim uſurpatur. سخن *Perſarum* pecularis eſt, at كلمة illis cum *Arabibus* communis. Notatu dignum eſt, non à Chriſtianis tantùm, ſed etiam à Muhammedanis Chriſtum كلمة, ſeu *Dei verbum* agnoſci. Sic enim Alcor. Sur. quartâ, انما المسيح عيسي ابن مريم رسول الله وكلمته *Certè Chriſtus Jeſus filius Mariæ Dei Legatus eſt, & Verbum ejus.* Inſigne profectò ad ipſos convincendos teſtimonium; ſed peſſimâ interpretatione veritatem depravant. Nam ab Evangeliſta Chriſtus dicitur Verbum illud quod *omnia creavit*, (verſ. 3.) at juxta hos ſic dicitur, quia ipſe verbo *creatus eſt*, ſcil. in utero Matris abſque viri operâ. Sic Gielal. Alcor. Scholiaſtes سمي كلمة لانه خلق بكلمة كن, *Verbum nominatur, quia ipſe creatus eſt verbo, Eſto.* Eadem habet Kamuſi autor, & alii eorum ſcriptores. Ver. 4. *Vitæ in eo erant*] Nomen חַיִּים Hebr. Chald. & Syris habet tantùm pluralem numerum, ut etiam alia *ætatum* nomina (ob multitudinem, ut volunt, & diſtinctionem dierum, annorum, &c.) quia igitur Syrus hic habet ܚܝ̈ܐ, Perſicus itidem plurale poſuit. Quod profectò minimè neceſſe erat: nam Latinus Syri interpres rectè ſatis ſingulari utitur, & ipſe etiam Perſ. ſæpiſſimè, ut in illo Chriſti dicto (quod huic loco lucem dat) Joh. 14. 6. *Ego ſum Via, Veritas, & Vita.* At quare Lat. Syri interpres hic vertit, *per ipſum facta eſt vita*, cùm Syriaca verba omnino cum illis Evang. conveniant, ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν? ver. 5. *Lucem non extinxerunt*] Valde alienum hoc eſt ab Evangeliſtæ ſenſu. Gr. habet κατέλαβε, & ſimiliter Syr. & Arab. &c. an hic ܐܕܥܟܗ vel ܐܕܥܟܘܗ pro ܐܕܪܟܗ acceperit, penes Lectorem judicium eſto.

Ver. 13. *Ex voluntate & carne*] Scrib. potiùs از ارادت كوشت, ut Arab. من ارادة لحم *ex voluntate carnis*: nam و hîc redundat. Vel fortaſſe eſt ἓν διὰ δυοῖν, ut apud Poetam, --- *dolor & mens*, i.e. mentis dolor. Sic verſ. 23. *vox & clamor*, i.e. vox clamantis, ut Gr. φωνὴ βοῶντος. ver. 16. *Ex ſcaturigine abundantiæ ejus*] Perſa aptiſſimis verbis hîc utitur ad exprimendam Chriſti plenitudinem. Nam فيض de rebus maximè diffuſis & exuberantibus dicitur. Unde نيل مصر (juxta Kamuſ.) *Nilus* amnis (*Ægypti rigator, & fœcunditatis parens*, ut à Plinio dicitur,) الفيض nominatur. Optimè hæc conveniunt cum illo Joh. 7. 38. ubi de Spiritu, & ubere Chriſti gratiâ ſermo eſt, *flumina aquæ vitæ è ventre ejus manabunt.* Eadem vox فيض hîc adhibita *gratiam Dei*, & *flumina* longè latéque exundantia ſignificat. Imò Arab. الموت *Mors* (vide Kamuſ.) ſic vocatur, quia totum orbem inundavit, vel (ut Apoſt. Rom. 5. 12.) εἰς πάντας ἀνθρ. διῆλθε. ver. 51. *Angeli deſcendent & præibunt*] Gr. & Syr. *aſcendentes & deſcendentes.* Perſica etiam vox رفتن cum بالا eſt *aſcendere*, ut cap. 7. 89. پيش eſt ἐπὶ & πρὸς, ut hoc cap. v. 1, 2. & *ante*, ut cap. 3. 28. quo ſenſu ſi hic ſumendum ſit, intelligit Angelos ut *Miniſtros* & *Anteambulones* Chriſtum præceſſuros. Sic Joh. Baptiſta dicitur *Angelus faciem Domini præcedens*, vide Marc. 1. (& Luc. 1. 76. ubi habes eadem verba quæ hic پيش بروي) & Mat. 4. 11. Angeli dicuntur ad eum *miniſtrandi gratiâ* acceſſiſſe.

CAP. II.

Ver. 6. *Conchæ erant ex lapide*] Gr. ὑδρίαι, Perſa hic طشتي habet, & Luc. 8. 16. σκεῦος eâdem voce redditur. Unde ſatis conſtat *vas* eſſe *lotionibus deſtinatum.* Exod. 30. 18. *Facies concham æris, & baſin:* ibi pro כִּיֹּר Perſicus etiam habet hanc vocem طشتي. At Johan. 4. 28. ubi iterum vox ὑδρία occurrit, eſt كوزه, quod eſt *vas teſtaceum*, unde Perſis كوزكار *Figulus.* De *Hydriis* iſtis variæ quæſtiones moventur, quas utinam ſolverent *Colonienſes*, apud quos (ſi credere libet) una earum aſſervatur, de qua ſic *Winheimius* in ſacr. Agripp. *Bibi inibi ex una Hydria, in qua Chriſtus in Cana Gal. aquam in vinum convertit.*

CAP. III.

Ver. 8 *Spiritus ubicunque vult ſpirat*] Græca vox πνεῦμα anceps & πολύσημος diverſas hujus loci interpretationes peperit. Syriaca ܪܘܚܐ æquè ambigua eſt, Perſica verò جان reſtrictior, quæ *Spiritum* & *Animam* denotat. Arabica eſt ريح *Ventus*, & ſic quoque Anglicani interpretes reddendam judicarunt, Chryſoſtomum aliosque præſtantiſſimos Autores ſecuti. Sæpe hanc diſcrepantiam hâc ipſâ in voce reperias, ut Gen. 1. 2. ubi per רוּחַ plerique *S. Dei Spiritum*, at alii *Ventum* ad Aquas, ſuper quas movebatur, exiccandas emiſſum intelligunt. Perſicus ibi باد *ventum* habet, imò Arabs in plurali, رياح *ventos.* Similis diverſitas eſt Micæ. 2. 11. ubi אִישׁ הוֹלֵךְ רוּחַ, à quibuſdam redditur, *Vir ambulans ſpiritu*, à Junio autem *homo ventoſus.* Pauca hic adjicere libet de loco ſatis vexato, Pſalm. 104. 4. עֹשֶׂה מַלְאָכָיו רוּחוֹת מְשָׁרְתָיו אֵשׁ לֹהֵט, cujus interpretationem (ut mihi videtur) Apoſtolus luculentam exhibuit Hebr. 1. 7. ὁ ποιῶν τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ πνεύματα καὶ τοὺς λειτουργοὺς αὐτοῦ πυρὸς φλόγα, qui utramque verſus illius partem de *Angelis* intelligendam clarè docet, & ex priori πνεύματα, è poſteriori λειτουργοὺς eſſe demonſtrat, quæ poſteà conjungens (v. 14.) Angelos λειτουργικὰ πνεύματα *adminiſtratorios Spiritus* (nam *Ventos* quis hîc diceret?) eſſe pronuntiat. Sic Pagninus illo Pſalmiſtæ loco, & V. vulg. *Angelos & ſpiritus*, Arabica verſio ملايكه & ارواحا habet. Hos, ſeu ipſum potiùs Apoſtolum, Anglici interpretes ſecuti ſunt, quorum verſio rejici haud debet tantâ authoritate ſuffulta. Ver. 18. *Judicium non ſubibit*] Sic rectè vertitur, licèt Perſica phraſis نخورد داوري propriè ſonet, *judicium non comedet.* Notandus enim eſt frequens & elegans uſus verbi خوردن. Qui mentitur, aut jurat, qui curâ torquetur, vel pœnas luit, à Perſis *mendacium, juramentum, ſolicitudinem ſupplicium comedere*, ſeu *devorare* dicitur. Matth. 6. 34. غم نخوريد *ne anxii eſtote*, & paulò poſt غم خودرا خورد, quod Latino interpreti ſic vertere libuit, *moleſtiam devorabit.* Crebras ejuſmodi locutiones apud Hebræos & alios Orientales, & nonnunquam apud Græcos & Latinos reperies. Hinc illud Diaboli nomen toties Chald. & Syris uſitatum אכלקרצא, quod propriè eum notat qui criminationibus veſcitur, ſeu *calumniis paſcitur.* Ad Perſicam phraſin, *edit judicium*, prope accedit illud Apoſtoli 1 Cor. 11. 29. κρῖμα ἐσθίει.

A Filio Dei alienus] Locus multum depravatus & à Syro & Gr. diſcrepans. vide paulò ante v. 16. & ſupra cap. 1. 14. è quibus locis non difficulter hic reſtitui poſſit. ver 33. *Fidem fecit quod Deus*] Locus hic notari meretur ob inſignem interpretationum varietatem. Gr. ἐσφράγισεν ὅτι ὁ Θεὸς ἀληθής, ad quæ Syrus proximè accedit, ܚܬܡ &c. ubi Lat. *definivit*, melius verò eſſet, *ſignavit* Arab. prout nunc legitur, longiùs abit, ſed aliter ſcribendum, & interpretandum eſſe vix quiſquam, ut opinor, dubitabit; ſcil. ختم *obſignavit* &c. ut Joh. 6. 27. habetur. Ne longior ſim, conferas velim loca quæ ſeſe mutuò illuſtrabunt. vide etiam edit. *Wheel.* Perſis σφραγίζειν eſt مهر كردن, ut Matth. 27. 26.

CAP. IV.

ver. 6. *Jeſus non ſolus baptiz. ſed*] Videtur hic Perſicus & verbis & menti Evangeliſtæ contraire, cum quo tamen conciliari poſſit ſi voculam نيز, quæ hic ſenſum corrumpit, auferas. Nam تن & تنهي eſt αὐτὸς, تنها μόνος, ſi ſic legas, diſcrepantia tolletur. ver. 14. *In corpore ejus fons erit*] at Gr. ἐν αὐτῷ πηγή ſic Syr. ܒܗ *in eo*, ſic etiam Perſicus: nam تن eſt αὐτὸς. Notant Perſæ varias habere ſignificationes, & frequenter denotare شخص و كس i. e. *Perſonam & ipſummet hominem.* Ut עֶצֶם Hebr. eſt *corpus*, atque etiam locum *Perſonæ*, & pronominis ſupplet: ſic omnino تن Perſis. Exemplum habes utriuſque tum Hebr. tum Perſ. vocabuli in hac ſignificatione Gen. 7. 13. *in ipſo die*, ubi Ar. Mont. *in corpore diei*, at Angl. & alii, *in illo ipſo die.*

ver. 24. *Rectè oportet ut adorent*] Interpretatio hæc aliquantò perplexior & obſcurior eſt, ſenſus verò dilucidus, & cum Chriſti verbis congruens; nam جان *Spiritus* eſt, & راستي *Veritas*, quæ duo Chriſtus in veris adoratoribus tanquam ἐπωδὴν requirit: externos autem Ritus ad divini cultus τάξιν & decorem pertinentes, neutiquam damnat. ver. 26. *Ego ſum, ego ſum*] Gr. ἐγώ εἰμι, quod Syrus geminato pronomine ܐܢܐ exprimere ſolet, quem loquendi modum Perſicus hic imitatur: ſed hoc notandum, à Syro tantum pronomen duplicari, (uno verbi locum ſupplente,) at à Perſ. & pronomen & verbum etiam geminantur, & in unum coaleſcunt: ſic cap. 6. 35. *ego ſum, ego ſum panis:* & v. 41. Aliquando verò contractiùs dicitur, منم من *ego ſum ego*, ut cap. 6. 20. & 8. 28.

ver. 46. *Nomen ejus Abdo lmelic*] Locus notandus, Gr. eſt βασιλικὸς, qui à V. Lat. *Regulus* dicitur, iccirco, βασιλίσκος, eum legiſſe multi ſuſpicantur. Alii *Regalem* interpretantur, quod Eraſmo placet, & Arab. انسان ملكي *homo regius*, at Syr. ܥܒܕܐ ܕܡܠܟܐ *Servus regius*, ut multi volunt, unus ex Herodis *aulicis.* Perſicus verò Syriacis vocibus *proprium* viri hujus nomen exprimi credidit, atque eum fidenter ſic vocat, & titulus huic ſectioni præfixus, eſt, *Sanat Chriſtus filium Abdo lmelici.* Neque hoc temerè damnes, nam ſi, Græco codice inconſulto, Syriacum tantum ſequereris, fortaſſis locum hunc non aliter verteres, præſertim cum hæ ipſæ voces Syr. *proprium nomen* conficiant Orientalibus uſitatum: nam Jerem. 38. 7. & alibi, *Ebedmelec* Syriacè eſt ܥܒܕ ܡܠܟ, qui in Lat. Vulgatâ *Abdemelech* dicitur.

CAP. V.

Ver. 6. *Fons Baptiſterii*] Sic etiam Syri Lat. interpres vertit, Gr. προβατικὴ κολ: Κολυμβήθρα eſt locus ubi quis *natare*, & *lavare* poſſit, unde κολ. Σιλωάμ *Natatoria Siloe* Jo. 9. 7, 11. à Vulg. redditur; at à Syro juxta poſteriorem ſignificationem *maamuditho*: Perſ. utrumque incluſit, dum hic چشمه *fontem*, & v. 5. حوض *piſcinam* vocat. Locus hic, ut putatur, vicinus erat *portæ* quæ eodem nomine (προβατικὴ) dicta eſt, & ſic à LXX vertitur Nehem. 3. 1. Cum verò Hebraicè *Baitò lheſed* vocari dicat, magis reſpexit Arabicam quā Hebr. linguam: neque enim Hebr. aut Syri articulum ال agnoſcunt. ver. 24. *Vitam æternam in perpetuum*] Gr. ζωὴ αἰώνιος, ſic Syr. & Ar. Obſervet autem Lector ad æternitatē declarandam ſolere Perſicum etiam ابد تا addere, ſic c. 3. 16. & c. 6. 40, 54, 69. ſic Hebr. לעלם ועד, quarum vocum una ſæpe æternitatē ſignificat, & ſic Perſic° etiam unā quandoq; omittit. c. 10. 28. & 20. 31. ver. 25. *Mortui audient*] νεκροὶ Perſ. مردكان. Notum eſt in S. literis etiam *Viventes* Mortuos dici, animâ quidem præditos, at Dei *Spiritu* & gratiâ deſtitutos: quales hic Chriſtum intelligere veriſimillimum eſt, quos Paulus νεκροὺς τοῖς παραπτώμασιν appellat, Eph. 2. 1, 5. Notandus verò eſt (qui mox ſequitur) de *duplici reſurrectione* locus, ζωῆς ſc. & κρίσεως, quo conciliari poſſunt quædam ἐναντιοφανῆ Scripturarum dicta. *Impios* reſurrecturos negant è Rabbinis quidam, quod verum ſanè eſt ſi ἀνάστασιν ζωῆς intelligas. Non adverſatur huic Chriſti effato illud Iſ. 26. 16. מתים בל יחיו רפאים בל יקומו *mortui non vivent, defuncti non reſurgent.* Neque illud Pſal. 88. 11. *Num mortui exurgent?* Nam alia illic reſurrectio, & ad præſentem vitam regreſſus intelligitur. Utile autem, & volupe ſimul erit in his locis diverſas Hebr. vocis רְפָאִים ſignificationes animadvertere, quæ varias pariter interpretationes pepererunt. Siquidem una illa vox & *Mortuos*, & *Medicos*, & *Gigantes* denotat, & juxta ſingulas has acceptiones totidem quoque hîc verſiones reperiuntur. Ex hâc ambiguitate nata eſt abſona illa interpretatio quæ *Medicos* à futurâ reſurrectione excludit; ſic enim Arabicè vertitur ſupra memoratus Iſaiæ locus, 26. 14. الاموات لا يرون الحيوة والاطباء لا يقومون i. e. *Mortui vitam non videbunt, nec medici reſurgent.* Sic etiam Pſ. 88. 11. pro רפאים Vulg. habet *Medicos*, LXX ἰατροὺς. In Walton. editione habes فلاسفة *philoſophos*, (quod eōdem ferè recidit:) at in aliis MSS. Pſalterii codicibus اطباء *Medicos*. Ne verò hoc in Medicorum aut Philoſophorum contumeliam trahatur, notanda eſt *Vet. Latini* interpretis expoſitio, *Num medici ſuſcitabunt?* ut ſenſus ſit Medicos, quanquam ad ſalutem & vitam conſervandam à Deo conſtituti ſint, defunctos tamen ad vitam revocare haud poſſe. Sic etiam Lat. LXX interpres verba illa ἰατροὶ ἀναστήσουσι reddit, tum in Pſal. tum apud Iſaiam. Ἀναστῆσαι cum accuſativo (quem hic ſubintelligi volunt) eſt *ſuſcitare*, ut Joh. 6. 45. 54. ἐγὼ ἀναστήσω αὐτόν. ſic apud Hom. Il. ω. Achilles de Hectore defuncto Priamum alloquens, οὐδέ μιν ἀνστήσεις *Neque ipſum reſurgere facies*, inquit: cui ſimillimum eſt illud Davidis dictum cum ipſi quoque filius obierat, 2 Sam. 12. 23.

ver. 26. *In eſſentiâ naturæ ſ.*] Syrus vocem ܩܢܘܡ hic habet & Perſa quoque eandē retinuit, سرشت inſuper, i. e. *naturam*, addens nimis operoſé. Evang. tantum habet ἐν ἑαυτῷ, pro qua Syriaca vox poni ſolet *perſonam* ſignificans, & *pronominis* vicem frequenter ſupplens. vide Rom. 9. 3. pro quâ Perſicus سرشت adhibet, ut cap. 6. 53. eadem eſt vis & uſus Arab. بذاته hic & alibi. v. Gen. 7. 13.

CAP. VI.

ver. 19. *Uti quiſp. in aridâ*] Hoc Perſæ additamentum eſt; in animo ut opinor habuit alia S. S. loca ubi hæc verba occurrunt, ut Heb. 11. 29. *tranſierunt mare tanquam per aridam.* v. Ex. 15. 19. ubi Perſ. eadem ferè quæ hîc, & Joſ. 13. 7. ver. 27. *Hunc fructum obſignavit D.*] Antiquum hîc Perſa obtinet, &, quod ſæpe aliâs obſervavi, voces Syriacas quæ literas eaſdem, at ſignificationes remotiſſimas habent, confundit. ܐܒܐ demptis vocalibus *patrem* ſignificat & *fructum*, ille non پدر (ut ſolet, & debuit) ſed ميوه *fructum* hîc poſuit. Si Græcum textum, vel ſaltem Arabicum conſuluiſſet, errorem hunc, & plures alios facilè vitaſſet. ver. 31. *Manna comederunt*] variis nominibus à Perſis & Arab. inſignitur, hoc capite كرانكبين, alibi verò dicitur ترانكبين & طلانكبين, i. e. *ros melleus*, nam in ſingulis hiſce habes Perſicam vocem انكبين *Mel*, cujus ſaporem Mannæ tribuit Scriptura. Nominis ratio vulgò petitur ab illâ mirantium Iſraelitarum quæſtione מָן־הוּא *man-hu*, ut Ex. 16. 15. יאמרו איש אל אחיו מן־הוא כי לא ידעו מה־הוא, quod ſic vertit Hieron. *Dixerunt ad invicem* Manhu, *quod ſignificat*, quid eſt hoc? *ignorabant enim quid eſſet.* LXX etiam τί ἐστι τοῦτο; At ſic ſentientes Aben Eſra irridet, neque מן *Quid* ſignificat vel in Hebr. vel in Arab. linguâ, neque in Chaldaicâ (ut cenſet Buxtorf.) niſi impropriè & *abuſivè*. Igitur alii è Rabbinis deducunt à מָנָה *præparavit, diſpoſuit*, ut Dan. 1. 5. וַיְמַן &c. *Conſtituit eis Rex portionem:* fuit enim Manna cibus à Deo præparatus & conſtitutus, & Iſraelitarum quotidianum velut *Demenſum*. Optimam (ut mihi videtur) appellationis hujus cauſam, & rationem ſuggerit Arabica lingua, quæ S. literis, & rei ipſi undiquaque convenit, quam è Judæis quoque nonnulli amplectuntur. منّ (ipſa Hebr. vox מן Man) *Donum* eſt, & مانّ Mânna *donavit, benefecit* idem ſc. cum انعم. Ita quidem *Manna* idem quod Latinis *Munus*, vel Dei benefici Donum: & ſic à Tawoſio Judæo expreſsè redditur in Perſicâ ſuâ verſione מן־הוא, بخششست *Beneficentia, ſeu gratuitum Donū eſt*. Annon ipſe Moſes quoq; hoc dicit? Nam ſimulac Manna cœlitus deciderat mirantibus Judæis illico reſpondet הוא לחם אשר נתן יי לכם *Iſte eſt cib° quem* Donavit *vobis Deus*: & notandū eſt cum de Manna ſermo fit, verbum נָתַן aut δίδωμι præponi vel ſequi, (vide Pſ. 78. 24. Joh. 6. 32, 33.) quaſi nominis vim, & originem, gratioſi Dei eximium munus, & *Donativum* eſſe indicans; jure enim hoc nomen meretur panis ille, & cœleſte alimentum, quod Deus populo ſuo viritim per 40 totos annos quotidie largitus eſt. Hoc quoque obſervandum eſt منّان (*Mannân*) Dei ipſius nomen eſſe, ut apud Kamuſ. & alios, *Benefactorem*, & propitium *Largitorem* ſignificans, qualem ſe Iſraelitis monſtravit, divinum hoc munus liberaliter impertiendo, quod non ineleganter Poetæ verbis appelles -- *Aërii mellis cœleſtia Dona.* Georg. 4. In Datoris igitur & Doni memoriam jure hoc Iſraelitæ, ut Moſes loquitur, מן *Man* appellarunt. Hæc fuſiùs expoſui ut tibi Lector, vel mecum ſentiendi, vel meliora indagandi anſam darem. v. 43. *Futile ne dicatis*] Sic v. 61. & cap. 7. 23. & melius cap. 7. 12. γογγυσμὸς *ſermo indecorus*, Syr. & Arab. رطن (Hebr. רגן) eſt γογγύζειν *murmurare*, Perſ. بيهوده *vanum, ineptum* ſignificat, unde بيهوش *fatuus*: alibi verò habet ܪܛܢܘ, ut Mat. 20. 11. Perſicus vero Pentateuchi interpres ſæpius لندش كردن

CAP. VII.

ver. 8. *Ego non aſcendo*] Notum eſt quantas lites hic locus pepererit. Cum Perſ. conſentit etiam V. Latinus, ut hic quidem editur, nam in nonnullis codicibus legitur, *ego nondum aſcendo*. Etiam in Gr. exemplaribus ſcriptum fuit ἐγὼ οὐκ ἀναβαίνω, ut ex *Chryſoſt.* liquet, apud quem tamen ſequitur νῦν, & ἄρτι, atque hanc lectionem amplectuntur *Syr.* & *Arabs* qui ܗܫܐ, & الآن habent. Ob dictum iſtud (teſte Hieronymo) impius *Porphyrius* Chriſtum mendacii inſimulare auſus eſt: & alii (id quod mendacio proximum eſt) *Æquivocationem* hinc aſtruere nituntur. Sed vox οὔπω ſenſum manifeſtiſſimum reddit, quam ſi cum Perſico & aliis abeſſe ſineres, ex iis tamen quæ verſu 10 ſequntur, Chriſti mentem intelligas.

CAP. VIII.

ver. 6. *Minimum quid captarent*] Gr. ἵνα ἔχ. κατηγορεῖν. Syrus ipſam Gr. vocem retinet, nam ܩܛܓܪܐ per metatheſin literarum eſt à κατηγορεῖν. Arab. علة *cauſa, accuſatio*. Lucem Perſicæ interpretationi miniſtrent illa Kamuſi verba, دعه (inquit) المطهّرون عيوب, i. e. (ut vertit Cl. Golius) *qui aliena manifeſtant vitia.* ver. 9. *Singulatim exibant*] Deeſt hic (& in *Wheel.* quoque editione) interpretatio horum verborū [ἀπὸ τῆς συνειδήσεως ἐλεγχόμενοι] quæ quidem non *Perſicus* tantum, ſed & *Syrus*, imò ipſe etiam V. *Latinus* omiſit, & in quibuſdam *Græcis* codicibus deſunt. Quid verò mirum *particulam* aliquam hujus *hiſtoriæ de adulterâ* muliere omitti, cum *tota* olim à nonnullis interpretibus *excluſa* fuerit? ver. 37. *Verbis meis digni non eſtis*] Hæc interpretatio orta eſt ex ambiguitate Syr. vocis ܫܘܝܢ quæ *ſufficientes, capaces, & dignos* denotat: apud Latinos etiam *ſufficere* aliquando ſignificat *capacem, idoneum & dignum* eſſe, ſic quoque Gr. ἱκανός. ver. 44. *Calumniator qui Diabolus*] Gr. τοῦ διαβόλου, Syr. ܐܟܠܩܪܨܐ ad quam vocem exprimendam ſolet aliquando Perſicus plura nomina conjungere, ſic Mat. 4. 1. ابليس معتاب. Ejuſdem prorſus ſignificationis cum præſenti voce compoſitâ بهتان كوي eſt معتاب, & per eandem à Perſico ſcriptore ſic exponitur, معتاب يعني بهتان كوي. De nomine ابليس quæ ſit Arabum ſententia ſuprà explicavi, quia vero Alfirauz. عجمي ſeu *peregrinum nomen* eſſe ſuſpicatur, non improbanda eſt Cl. Golii conjectura, qui è Gr. διάβολος per aphæreſin contractam eſſe putat. Certè Perſica hæc, ſeu potius Arabica vox non magis à Græcâ diſtat, quàm *Zabulus* apud Cyprianum & alios occurrens: eſt autem بهت, à quo Act. nomen بهت Buhton, *falsò imputavit, calumniatus*, & *mentitus fuit*, & Buhtânon *Calumnia, mendacium*. ver. 56. *Cupidus erat*] Aptè & verba, & mentem Evangeliſtæ, & vim vocis ἠγαλλιάσατο exprimit, quod non tantum *exultare & gaudere*, ſed & *cum gaudio cupere*, deſiderium ſc. cum lætitiâ permixtum, notat. Magis amplectenda eſt hæc interpretatio cum Syrus & Arab. conſentiat, & Gr. vox ἵνα ſic vertendum eſſe ſatis arguat.

CAP. IX.

ver. 35. *Qui te ſanavit*] verba hæc intempeſtivè hic inſeruntur, & locum pervertunt: ſi dixiſſet ei Jeſus, Filium Dei eſſe qui ipſum ſanaverat, quid opus erat ſequenti interrogatione, *Quis eſt Domine?* Notandum verò eſt Syrum illa verba [*qui ſanatus fuerat*] addere, quæ in Gr. non habentur, è quibus non rectè perceptis diſcrepantia hæc orta eſt. Quinetiam deeſt interpretatio horum verborum ἑώρακας αὐτ., quæ Perſice vertas ديدي اورا.

CAP. X.

ver. 1. *Oves per oſtium*] Locus depravatus, cui ſi *MSS.* exemplaria mihi ſuppeterent, mederi fortaſſe haud difficile eſſet. Idem judicium de verſu 5 ferendum. Conſule Wheel. editionem. ver. 10. *Quod amplius eſt*] Gr. περισσὸν *abundantiam*, & *præſtantiam*, ſeu *excellentiam* notat. v. Rom. 3. 1. ſic etiam Syr. ܝܬܝܪ & Arab. افضل. Interpretum alii priorem, alii poſteriorem ſignificationem ſequuntur. ver. 24. *Quamdiu animam noſtram tollis?*] ſic V. Latinus, Gr. ψυχ. ἡμ. αἴρεις; eandem Syriacam phraſin bis habes Rom. 8. 15. de *Spiritum* accipientibus, ὐκ ἐλάβετε πνεῦμα δυλ. &c. ܢܣܒ eſt *accipere*, atque etiam *auferre*, ſic Perſ. vox ستادن hîc uſurpata. Utriuſque exemplum eſt Gen. 30. 15. Ut vero res ſuſpenſæ *Tolli* dicuntur, (ſicut *in crucem tollere*,) ſic animi etiam *dubitatione* cruciati & *ſuſpenſi*. Arab. hic habet متي تعذب *quouſque cruciabis animas noſtras? Enecare*, pro longâ morâ & expectatione ſuſpenſum, & incertum tenere, frequenter apud Latinos legas: & hoc ut puto reſpexit qui Syr. verſioni illud hîc appoſuit (*nos ſines animam agere?*) quod meo judicio omittere ſatius fuiſſet.

CAP. XI.

Tit. *Vivificat Chriſtus Gazarum*] Sic per totum hoc caput conſtanter appellatur, ſic & Luc. 16. *Pauper* ille ad divitis januam decumbens. A Muhammedanis عازر frequenter dicitur, cujus exemplum dabo ad locum hunc imprimis ſpectans, ut ſcias ab illis hiſtoriæ hujus veritatem, & Chriſti miraculum agnoſci. In Alcor. Sur. tertia, Chriſtus ſic loquens introducitur, احيي الموتي *mortuos vitæ reſtituam*. Ibi *Gialal.* celebris Scholiaſtes hæc habet, احيي عازر صديقا له وابن العجوز وابنه العاشر, ubi vides *Azarum* nominari, atque (ut ver. 11. hujus capitis) *Amicum Chriſti*, & unà cum *aliis* recenſeri qui à Chriſto ſuſcitati ſunt. Sic quoque Alfirauzab. Kamuſi author, عَازَر احياه عيسي ع م *Azarus viri nomen, quem vitæ reſtituit Jeſus, ſuper quo pax*. Perſicus verò ع in غ mutat, quod Latini quoque & Græci faciunt in nominibus quibuſdam Orientalibus. Ab Arab. Evang. interprete لَعَازَر dicitur, ſic etiam in alia verſione Perſica. ver. 16. *Thomas, cui nomen Tama*] Gr. Θωμᾶς ὁ λεγόμενος Δίδυμος. Interpretationem nominis *Thomæ* hîc refert, ut aliis in locis, nam *ter* apud unum hunc Evangeliſtam occurrit. v. cap. 20. 24. & 21. 2. Nullius Apoſtoli nomen præterquam hujus interpretatione donatum eſſe obſervat Leontius, quod quare factum ſit divinant potiùs quàm docent ſcriptores. Illud certum eſt Δίδυμον non eſſe aliud Apoſtoli nomen, ſed prioris duntaxat *interpretamentum*, quod clarè liquet è Syra, Arab. & Perſ. verſione. Haud rectè igitur *Nonnus*, & alii *Thomam* διώνυμον fuiſſe affirmant. *Hoc tam ridiculum eſt* (inquit Heinſius) *ac ſi dicam binominẽ Adamum eſſe, quia nomen ejus terram denotat*. Plura quæ hic annotari poſſent omitto, illud tantùm monens in Perſicis vocibus, quæ ان & ام terminationem habent, *fatham* ut *o* ſæpiſſimè pronuntiari, quod ſi hic fiat, تاما melius reſpondebit Græcæ appellationi, & Syriacæ ܬܐܘܡܐ.

ver. 16. *Tama, i. e. Gemellus*], vide locum illum Geneſ. 25. 24. *Gemini in utero ejus erant*, ubi Hebr. תומם. Syr. ܬܐܘܡܐ. LXX. δίδυμα. Perſ. verò (ut hic) habet جفت, cujus vocis elegans uſus notandus eſt, ſignificat enim duos æquales, & *par* conjunctum, ſive *utero*, ut Gemelli, ſive *connubio*, ut maritus & uxor, (v. Mar. 10. 9. & Mat. 19. 6) ſive eâdem *ſpecie*, ut par turturum, (Luc. 2. 24.)

CAP. XII.

Ver. 4. *In manum inimicorum*] Perſica phraſis بدست دادن, ad verbum eſt, *in manum tradere*, non inimici tantùm, ſed cujuſvis, ut ſupra cap. 3. 35. de Chriſto dicitur, *Pater omnia in manum ejus dedit*, ubi Perſicus iiſdem (quibus hîc) verbis utitur. Hîc verò idem notat quod سپردن, παραδιδόναι, quod etiam aliquando habet دست (*manum*) adjunctam. vide Joh. 19. 1. & 18. 35. ver. 32. *Amicos meos ad me traham*] Gr. πάντας. Sic Syr. & Ar. at V. Lat. *omnia*, quaſi legiſſet πάντα. Sic etiam Verſio Wheel. habet همه چيزرا *omnes res*, à quibus vides quantum noſter diſcrepet. Fortaſſe locum illum reſpexit, ubi Chriſtus eos pro quibus moriturus erat, *amicos ſuos* vocat. vide Joh. 15. 13, 14. & confer.

CAP. XIII.

Ver. 38. *Animam tuam non dabis*] Hic abſolutè negat quod Gr. & alii interpretes per *interrogationem* tantùm efferunt. Verùm optime cum illis conveniet, ſi punctulum primæ literæ ſupra poſitum, infra colloces, hoc eſt, ſi pro نلهي legas بلهي.

CAP. XIV.

Ver. 2. *Si dixero, Ibo &c.*] Locum hunc perplexum & difficilem interpretum diſſenſus, & variæ expoſitiones reddiderunt, de quo multa obſervavi quæ nimis longum foret hîc inſerere. Εἶπον, quidam ad præcedentia referunt, alii ad ſequens πορεύομαι, ut hîc Perſicus, qui locum hunc ita interpretatur, acſi μὴ à verbis Chriſti abeſſet, cujus particulæ etiam alii rationem nullam habuerunt.

ver. 8. *Patrem nobis oſtende*] Hic etiam paucula deſunt, nam pro Gr. ἀρκεῖ ἡμῖν, & Syr. ܬܘܒ ܠܢ, nihil habet, quæ ſic interpretari poſſis بس است مارا, vel ut *Wheel.* verſio habet, بسنده است مارا, quæ noſter, ut veriſimile eſt, omiſit, quia vox ܬܘܒ (cujus varius uſus eſt apud Syros) aliquando redundare videtur, & hic pleonaſticam eſſe credidit. Sic Luc. 22. 51. eadem Syr. vox à Perſ. omittitur. ver. 14. *Si à me petieritis*] Verba hæc (*à me*) redundant, notandum tamen non Perſam tantùm, ſed & Syrum, atque Arab. imò & vulg. Lat. ſic locum hunc vertere, quod ſatis innuit aliter olim ſcriptum fuiſſe. In V. Lat. obſerva duplex additamentum, nam verſu præcedenti *Patrem* inſerit, & hîc *Me* (i. e. *Filium*) quum neutrum in Gr. habeatur. ver. 17. *Totus mundus*] ܟܠܗ (*totus*) non rectè hic additur, quod neque Gr. neque Syr. habet. ver. 16. *Paracletum*] Obſerva Perſ. & Syr. & vulg. Lat. hic, & ver. 26. & cap. 15. 26. atque etiam cap. 16. 7. *Græcam* vocem retinere, ab Orientalibus, literis quibuſdam (ut in aliis fieri ſolet) interpoſitis, variatam; à Vulg. Lat. *Paraclitus* ſcribitur. *Arabs* neque Græcam vocem, neque eandem Arabicam conſtanter retinet, ſed hoc loco habet مسليا, at v. 26. المعزي, utraque autem *Conſolatorem* denotat. Aliud quoque hic notandum, ſed & *deteſtandum* ſimul, Muhammedanos hoc nomen *pſeudopropheta* ſuo tribuere, atque de ipſo hæc Evangelii loca, & Chriſti promiſſum interpretari. Sic Greg. Abulfar. de Arabum moribus refert, eruditos inter eos cenſere Muhammedem indigitari في التورية * في الانجيل * في الزبور *In Lege, & Pſalmis, & Evangelio*. Evangelii verò hunc locum intelligunt, *Si ego non abiero, Paracletus non veniet*. Hoc verò minus mirandum, cùm Muhammedes diſertè affirmet, *proprium ſuum nomen à Chriſto prædictum, & expreſſum* fuiſſe. Sic Sur. 61. — قال عيسي *Dixit Jeſus Filius Mariæ Iſraelitis, Ego annuntio vobis poſt me venturum Apoſtolum cui nomen Ahmed* (ſive Muhammed) Sic Sur. 7. ait ſe مكتوبا *ſcriptum*, ſcil. in Lege & Evangelio, i. e. (inquit Scholiaſtes) باسمه وصفته *quoad nomen, & quoad mores* ſeu *officium*. Hinc *Perſa* quidam (cujus epiſtola ad Meletium Monachũ Græcè extat) Chriſtianos ita criminatur, τὸ τῦ Μωαμὲθ ὄνομα &c. *Mahometi* (inquit) *nomen in Vet. Teſt. & in Evang. ſcriptum erat, & à Chriſto laudatum, Chriſtiani verò illud expunxerunt*. Cui elegantiſſimè & ſolidè reſpondens Imperator Conſtantinop. *Jo. Cantacuzenus*, acuto, & forti *dilemmate* impudens hoc mendacium retundit, quod habes *Apologiâ* 4. Hæc (à me alio opere ſi Deus voluerit fuſiùs tractanda) breviter hic referre libuit, ut videat Lector quales blaſphemias in *Paracletum*, Spiritum *veritatis*, Spiritus *mendax* eructaverit.

CAP. XVI.

ver. 2. *Deo oblationem feciſſe*] Obſerva vocem quæ hic à Perſ. Syr. Arab. (nam in eadem omnes conveniunt) uſurpatur, [*Corban*,] quæ *ſacrificium* & *munus Deo oblatum* notat. Vulg. Lat. reddit *obſequium*, nimis laxé. Vox λατρεία, & προσφέρειν ei additum, denotat aliquid *eximium, & extraordinarium*, quod inſtar *gratiſſimæ hoſtiæ* Deo offeratur. Et ſic intelligendum eſſe locum ipſe *eventus*, & *Judæorum ac Paganorum crudelitas* ſatis docet, qui Diis ſuis nullum gratius libamen Chriſtianorum ſanguine crediderunt. Nam (ut *Tertulliani* verbis loquar) *Chriſtianum omnium ſcelerum reum, Deorum, Imperatorum, Legum, Morum, Naturæ totius inimicum exiſtimabant*. Apol. p. 15. Ita apud *Muhammedanos*, bello perſequi الكفار, (ſic illi etiam Chriſtianos vocant,) سبيل الله *via* ſeu *cultus Dei*, & peculiariter امر (quaſi grande & præcipuum *Dei mandatum*) appellatur. Sed *crudelitas veſtra* (inquit Tert.) *noſtra gloria eſt*: & *præmium fecit religio, quod perfidia putabat eſſe ſupplicium*, ut eleganter reſpondit Ambroſ. iis qui Chriſtianos *proſcribere*, & *necare*, Deo & hominibus gratum eſſe cenſebant. ver. 11. *Gubernator mundi is eſt*] Inſignis defectus; deeſt enim interpretatio verbi κέκριται, cujus cauſâ hæc mihi videtur. Syr. vox ܕܝܢ *judicium* notat, atque etiam particula eſt per ſe nihil ſignificans (utriuſque exemplum habes hoc ipſo verſu,) ideoq; eam omittendam cenſuit; confer & judica: ſupple igitur محكوم شده است *judicatus eſt*, (ut rectè Wheelock. editio,) vel ſimile aliquid. ver. 32. *In provinciam diſpergamini*] Supra Joh. 7. 35. ubi de Judæorum διασπορᾷ ſermo eſt, vocem hanc ولايت uſurpavit, quæ *regionem* ſignificat, hîc verò Syr. ܐܬܪܐ, i. e. *loco* reſpondet: & ſic Arab. الي موضعه. Per τὰ ἴδια hic propria cujuſque vel *regio* vel *domus* intelligi poteſt, ſic cap. 19. 27. recepit eam εἰς τὰ ἴδια. Arab. redditur الي بيته, *ad domum ſuam*: atque ita *Angl.* verſio utroque in loco.

ver. 33. *Ut mihi propter vos pax ſit*] Imò potiùs, *ut vobis propter me pax ſit*, ut ſenſus manifeſtò poſtulat. Sic Syr. Arab. لكم السلام بي *vobis pax in me*. Eſt itaque hic manifeſta verborum tranſpoſitio, ut ſæpe alibi. Neque in *Wheelock.* editione ſatis ſana interpretatio eſt, nam ibi ايماني (*fides*) habetur, potiùs, ut noſter, سلامت, (*pax*,) optimus fidei effectus.

CAP. XVII.

Ver. 21. *In ſermonem eorum unum ſint*] Quod ſæpe ſuſpicatus ſum, & antea monui, hic locus confirmat: Nempe in hac verſione phraſes & verba *tranſponi*, ſcribæ, ut opinor, magis quàm interpretis culpâ. Conferenti Græca verba & alias interpretationes, evidenter quod ſcribo eluceſcet, & verba ſic collocanda eſſe, در سخن ايشان كه همگنان يكي باشند — i. e.... *per eorum ſermonem, ut omnes unum ſint*.

CAP. XVIII.

ver. 11. *Alii cuipiam bibendum*] Gr. ὐ μὴ πίω αὐτό; interrogationem hanc Arabs ſic vertit, لَابُدَّ لِي *fieri non poteſt quin bibam*: pari ſenſu Perſa, neceſſe eſt ut *egomet non alius*, poculum hoc bibam. كسي ديگر Chriſto contraponitur, ut in illâ Baptiſtæ quæſtione Mat. 11. 3. Tune es ille venturus, an *alium* (كسي ديگر) expectamus, & Luc. 7. 19. vide etiam Joh. 5. 43.

CAP. XIX.

ver. 11. *Peccato tuo majus*] in Gr. nulla hujuſmodi Pilati cum Juda comparatio habetur, neque in Arab. apud Syrum vero (quem noſter ſequitur) reperitur, ubi in fine verſus verba hæc adduntur, ܫܠܡ ܙܡܚܝ. ver. 13. *Nomen Agger lapideus*] vel, *pavimentum lapideum*, ut Syr. & Arab. notandum enim Syr. Arab. & Perſ. hic eodem verbo uti رصيف pro Gr. voce λιθόςρωτον. رصف eſt *lapides in pavimento*, atque eleganti metaphorâ, *verba in oratione conjunxit*, juxta verſum illum à *Cicerone* ſæpiùs laudatum, *Quam lepide lexes compôſtæ, ut teſſerulæ omnes, Arte pavimento.* ver. 14. *Feriâ ſextâ*] Paraſceue, quod eleganter Marc. 15. 42. προσάββατον dicitur, & Syr. *Arubtho* à Perſico ſolet per روز ادينه exprimi, ſic v. 31. & Luc. 23. 54. & alibi. Arab. جمعه, non quod vox hæc proprie *paraſc.* aut *præparationem* notet, (nam *Congregationem* & σύναξιν potius ſignificat) ſed quia *dies Veneris*, Arabibus جمعه dictus, idem eſt tempus cum Jud. paraſceue. ver. 17. *Impoſ. crucem in loco*] بجايگاهي referendū eſt ad verba بدر بردند v. 16. non ad immediate præcedentia, *crucem impoſ.* Nam antequam ad Golgotha ventum eſſet, crux ei impoſita eſt. v G Syr. Ar. *Karkita*] hic deeſt vox illa quam Evang. & Syr. & Arab. *Hebraicam* vocant, licet diverſimode apud illos ſcriptam. Perſicus *Karkita* Hebraicam vocem dicit, vel potius ſcribæ hoc imputandum, nam Mat. 27. 33. & Marc. 15. 20. habes *Golgothæ* nomen expreſſum, ut minimè dubium ſit quin hic quoque ita ſcripſerit خوانده قرقفتا وبعبري كاكولتا. Syrus ſingulis locis habet *karkaphtho*, quod hic *karkita* corruptè legitur, idem vero ſignificat quod Perſis كله سر *Cranium*. Hebr. גֻּלְגֹּלֶת, Ch. *gulgultha*. Evangeliſta poſterius Lamed, Syrus verò prius abjecit. ver. 19 *Hic eſt Jeſus Nazar. Rex Jud.*] Varietas aliqua & diſcrepantia obſervari poteſt in Evangeliſtarum verbis, dum ἐπιγραφὴν ſeu (ut Johannes appellat) τίτλον cruci impoſitum referunt. In hoc omnes conſentiunt, verba illa ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων, quæ Judæos maximè cruciabant, clarè & diſerte ſcripta fuiſſe: quibus *Jeſu* nomen apud Matth. & Johan. præponitur. Apud Matth verò & Luc. οὗτός ἐστιν ante cætera legitur. Notandum verò apud Syrum ſingulis in locis ܗܢܘ expreſſum eſſe, acſi omnes Evangeliſtæ οὗτός ἐστιν ſcripſiſſent. Conſimiliter Perſa اينست *hic eſt* adhibet, ut loca conferenti liquebit. Annon verò (ut hoc obiter notem) Latina Syriaci textus interpretatio (v. 21.) inconcinna, & ſolœciſmo proxima eſt? viz. *Ipſe dixit me Regem Jud. eſſe*, pro *ipſe dixit quod Rex Jud. ſum.* In *Æthiopicâ* verſione titulus cruci impoſitus talis eſſe dicitur, *Dominus Jeſus Nazarenus Rex Judæorum*, ſic etiam Matth. 27. 37. Quis verò credat Pilatum ſic ſcripſiſſe? ſolet quidem in illa linguâ nomini Jeſu *Domini* titulus præponi, at hic parum aptè neque ex decoro additus videtur. Huc verò loco quadrat *Giraldi Cambrenſis obſervatio*, qui Henr. 2. regnante in *Angliâ* floruit. *Notandum* (inquit) *quod Monachi ferè cuncti abuſivis pronuntiationibus, præ cæteris viris Eccleſiaſticis utentes, quoties Evangelia legunt, huic dictioni JESUS hanc dictionem DOMINUS juxta caſuum inflexiones, adjicere ſolent, in hunc modum, Dixit Dominus Jeſus diſcipulis ſuis: Cùm tamen in Evangelicis ſcripturis, totis 4^r^ ſc. Evangeliis, talis junctura, præterquam duobus in locis, minimè reperiatur.* Sic ille in libro nondum (quod ſciam) typis edito, cujus verba hic opportunè referre libuit. ver. 22. *Quod ſcriptum eſt perinde eſt*] Gr. ὃ γέγραφα γέγραφα, i. e. quod ſcripſi ratum manebit, haud mutabitur, ut Nonnus, ἔγραφον ἀσφαλέως τόσπερ ἔγραφον. Solent ad rei certitudinem, & conſilii immutabilitatem declarandam, verba geminari, ut in illo Eſth. 4. 16. כאשר אבדתי אבדתי, Syr. *cum fecero, fecero*: quanquam ſuſpicari quis poſſit ibi Syriaca verba olim cum Hebraicis eadem fuiſſe, & gutturalem unam pro alterâ (ܟ pro ܙ) poni. Hic vero Perſ. همانست ſignificat *ita eſt, illud ipſum eſt* (ſc. quod ſcripſi) ut Mat. 26. 44. همان سخن گفت *eundem ſermonem dixit*. v. etiam Luc. 6. 33. è quibus locis hic lucem accipiat.

ver. 23. *Veſtimenta*] Deſunt hic quædam aliunde ſupplenda, ut locus integer fiat.

ver. 31. *Judæi dix.*] Evangeliſta non ait Judæos hoc dixiſſe, ſed iſtud *Syri additamentum* eſt, à quo Perſa accepit. ver. 39. *Conditurum -camphoram*] Gr. μίγμα, ſed nota Syr. Arab. & Perſ. eâdem hic voce حنوط uti, quæ propriè exprimit *Orientalium conſuetudinem* in condiendis mortuorum corporibus antequam ſepelirentur, quem morem Ægyptiis uſitatum optimè deſcripſit Herodotus, & doctiſſimus Frater meus *Joh. Gravius* in ſuâ *Pyramidographiâ*: eâdem voce חנט Hebr. etiam utuntur. v. Gen. 50. 1. ubi hæc tibi omnia occurrent, atque ut hic noſter Chriſti, ita illic Jacobi corpus *camphorâ conditum* ait Perſ. interpres.

CAP. XX.

ver. 7. *Strophiolum involutum*] Perſicâ vox دولبند (*Dûlband*) eſt faſcia capiti obvoluta, ſeu *linteum* unde *Tiara* conficiuntur, atque hinc *Cidaris* ſeu capitis tegumentum Orientalibus uſitatum ita appellatur, quod à noſtris variatâ, ut fieri ſolet, peregrinâ voce, *Tulipant* & *Turbant* dicitur, quam poſtremam vocem etiam *Anglicani interpretes* in Bibliorum verſione adhibuerunt, Dan. ſc. 3. 21.

ver. 20. *Manus & axillam*] بغل *axillam* ſignificat & ſic redditur c. 19. 24. & alibi: ſed cum toties ab Evangeliſtâ πλευρὰ dicatur, & à Syr. ܘܓܒܗ, Arab. جنب, idem quoque hic Lector intelligat, ut *axillam & partem alis propinquam, latus* ſc. notet, unde بغل كردن eſt *amplexus*. In Wheel. editione eſt بپهلو, quod ſæpe pro צִדָּה *latere* ponitur.

CAP. XXI.

Ver. 12. *Quis eſſet, vel ut interrogaret*] vel, *quis eſſet interrogare*, ut وا ſæpè, ſic etiam وا redundat, (v. Joh. 14. 2.) atque ita convenit cum Gr. ver. 15. *Paſce agnos meos*] verba hæc à Chriſto inculcata accuratiùs expendi merentur, quibus tenerrimus ejus *affectus* & amor indicatur. Bis dicit βόσκε, ſemel ποίμαινε, at Syrus & Orientales verſiones ſingulis in locis eodem verbo utuntur, quod *paſcere* ſignificat, ut etiam vulg. Latina. *Paſcendos* verò triplici nomine diſtinguunt Syrus, Arabs, & Perſicus, imò ipſe etiam Evangeliſta, juxta codicem Alexandrinum. Primò, Syrus habet ܐܡܪܝ τὰ ἀρνία μου, *Agnos*, vel ut doctiſſimus *Caſaubonus* reddi mavult, *Agnellos meos*. Secundò, ܥܪܒܝ, πρόβατά μου. Lat. Vulg. hic & etiam priore loco *Oves* habet. Tertiò, ܢܩܘܬܝ, Arab. نعاجي, Perſ. ميشان مرا, quæ in his linguis propriè *Oves fœmellas, & fœtantes*, ut Vulg. appellat Pſal. 78. 79. Hebr. רְחֵלִים, notant: exempla habes Gen. 31. 38. *Oves tuæ non abortierunt*, ubi Syrus & Perſa iiſdem quibus hic nominibus utuntur. Sic etiam Gen. 32. 14. *MS. verò Alexandr* προβάτια habet. Pronomen quoq; μου ter ſuffixum, ſuaviſſimum ſenſum efficere, & ſalubre paſtoribus monitum præbere, *B. Auguſt.* obſervavit; cui Syrus ter (majoris emphaſis cauſâ) ܠܝ addidit, & Perſ. براي من, quæ interdum *obſecrandi formula* eſt, quaſi Chriſtus dixiſſet, *Obſecro te paſce, meâ cauſâ*, imò *meâ vice* oves meas paſce: hoc enim Perſis براي من ſignificat. ver. 25. *Scribæ mundi deficerent*] Hoc à Perſico additur ad præcedentis dicti explicationem, ſcil. *ſcriptores univerſos tanto negotio impares futuros*. Eâdem phraſi aptè ſatis utitur Marc. 5. 26. عاجز بودند de *Medicis* qui inveteratum mulieris αἱμαῤῥοούσης morbum nullâ arte ſanare poterant. Multi hic *Allegoriam* ſtatuunt, & Evangeliſtæ verbum χωρῆσαι non de *Locorum* ſed de *Lectorum* capacitate intelligunt: quia ſc. *animalis homo non capit quæ Dei ſunt.* 1 Cor. 2 14. Verum (ut ſcitè regerit Eraſmus) *ad hunc modum nec unam paginam divinæ ſapientiæ caperet mundus.* Itaque *Hyperbolen* eſſe plerique agnoſcunt (quam Perſicus hic ampliorem facit) cùm *ſalvâ Rerum fide Verba fidem excedere videntur.* Ita σοφῇ σιγῇ (ut loquitur Nonnus) *ſapienti ſilentio* Chriſti res geſtas obſignat ſimul, & amplificat Evangeliſta, & magnitudinem earum *tacendo* quodammodo exprimit. Huc referas illud Minutii Fel. de Deo, *Nobis ad intelligendum pectus anguſtum eſt, & ideo ſic eum dignè æſtimamus, dum* Inæſtimabilem *dicimus.*

HÆc, *Amice Lector*, prout tempus (perquam breve, & anguſtum) ferebat, annotavi, ſuaſu doctiſſimi Viri *Br. Waltoni*, cujus indefeſſos conatus, & ſummum de piis doctiſque omnibus bene merendi ſtudium, eximium hoc *Sacrorum Bibliorum* Opus abunde comprobavit. Quantum *Eccleſiæ*, totique *Literariæ Reip.* beneficium hinc acceſſerit, qui candorem, & pietatem cum eruditione conjunctam habent, libenter & grate agnoſcunt. Multi profecto rei *difficultatem*, & funeſtos *Angliæ motus* intuentes, tantæ molis opus inter tantos patriæ noſtræ Tumultus vix inchoari quidem, ne dum perfici poſſe credebant. Sed divina benignitas obſtacula omnia, & fidem quoque plurimorum ſuperavit: quæque propitio numine pridem incepta ſunt, vides nunc eodem cœli favore ad metam feliciter perducta. Ne ipſa quidem *Invidia* inſignem hanc *Dei Bonitatem*, & pulcherrimi iſtius *Operis Utilitatem*, ac præſtantiam diffiteri auſit: quod non *Britanni* modo, ſed *Exteri* quoque ingenti applauſu, meritiſque Encomiis celebrarunt. Quod ſi in tam varia, & multiplici materia, quædam, vel *Codicum* vitio, vel *Typothetarum* incuria, vel *Interpretum* demum hallucinatione, depravata occurrant, haud mirum videri debet: quin illud potius ſtupendum foret, ſi in tam vaſto, & diffuſo opere nihil mendoſum, aut corrigendum inveniretur. Æquiſſimum cenſeo illud Varronis monitum *Si quis multa commode dixerit, magis boni conſulendum, quam ſi aliquid nequiverit, reprehendendum.* (L. L. 6°.) Quum ex fœcundo ſolo uberes proventus, & copioſam meſſem Agricola reportaverit, impium ſane foret ob paucas hinc inde ſpicas, & grana quædam, levia fortaſſis, & rejectanea, Deo frugum datori obmurmurare. Haud minus iniquum eſſet in utiliſſimi Operis contumeliam vitioſa quædam, & defectus perpaucos objicere, ac piis aliorum laboribus obloqui, ſi non omnia curioſitati noſtræ, & votis undiquaque reſpondeant. In ſacris hiſce Bibliis legendis Μωμοσκόπου tantum partes agere, & *maculas* duntaxat, ac *nævos*, (qui formoſiſſimis corporibus inſunt) reprehendere, & ſugillare, maligni eſt animi, & Deo hominibuſque ingrati, atque, ut verbo dicam, à *Charitate* illa remotiſſimum, quam *Sancta* hæc *Volumina* qualibet fere paginâ nobis commendant. Iſtud poſtremum, Lector; opto voveoque, ut aſſidua horum Librorum *Lectione*, & *Studio*, ea tibi Felicitas, qua nulla major eſſe poſſit, obtingat, hoc eſt (ut Davidis utar verbis) חֵן וְכָבוֹד יִתֵּן יְהוָה *Gratiam* ſimul & *Gloriam*, à Deo, qui ſolus utramque largitur, uberem & perennem conſequaris.

Μόνῳ σοφῷ Θεῷ τιμὴ καὶ δόξα.

Præfatio *EDWARDI POCOCKII* linguarum Hebraicæ & Arabicæ in Academia Oxonienſi Profeſſoris,

in qua variantium in Pentateucho Arabico lectionum ratio redditur.

QUod Chriſtianum quendam Alepenſem, ſectæ Melchiticæ, conquerentem aliquando audivi, non reperiri penes ipſos Arabice exemplar Bibliorum aliquod, quod æquali filo contextum partibus inter ſe congruis apteque diſpoſitis conſtaret; idem de illo quod magnificis nobiliſſimi viri ſumptibus, laudatiſſimaque virorum doctorum induſtria Pariſiis nobis exhibitum eſt, Londiniq; non minori cura ac laude fæliciter expreſſum, merito affirmari poſſe res ipſa teſtatur. Ejuſmodi ſcil. eſſe quod e diverſis atque inter ſe multum diſcrepantibus laciniis contextum ſit, ſive id agente qui ipſum deſcriberet, ſive (quod magis veriſimile) quod ipſi ad manum non fuerit, omnium librorum ab uno aliquo concinnata verſio, adeo ut neceſſe habuerit quo integrum ſibi corpus conflaret, partes parum ſibi conſtantes, utpote, e diverſis fontibus, diverſis ſæculis, & a diverſarum ſententiarum hominibus profectas connectere. Hinc factum ut librorum Veteris Teſtamenti alii ea lingua editi fontem Hebraicum, alii LXXII. verſionem, ſive ex ea immediate, ſive (quod de pleriſque forſan affirmandum) mediante Syriaca derivati, referant. Non idem ergo de omnibus judicium ferri poteſt, de ſingulis ſeorſim pronuntiandum erit, unde & a quo tranſlati fuerint, prout cuique ſe obtulerint codices qui interpretum vel nomina, vel ætatem præ ſe ferant. Nobis impreſentiarum de Pentateucho privatim, prima Magni operis parte diſquirendum erit, de quo quid rationibus, ſi non certis atque omnino indubitatis, ſatis tamen (ut mihi videtur) probabilibus nixi ſentiamus, in medium proferre liceat.] Horum igitur librorum verſionem Arabicam quæ hic edita eſt, celebri Judæorum Magiſtro R. Saadiæ Haggaoni originem ſuam debere autumamus licet ab alio quopiam ſubinde interpolatam. Neque enim opera alius cujuſpiam privata, ex fonte Hebraico primitus deductam facile ſuadet ea quæ eſt inter hanc & illam quæ R. Saadiæ eſſe ab omnibus pro conceſſo habetur, in iis paſſim locis quæ Paraphraſtico more interpretandi licentiam ſumpſit, convenientia: Si duobus quibuſvis συγχρόνοις, ὁμοπατρίοις, atq; inter ſe ſtudiis ac familiaritate conjunctiſſimis, mandaretur librum aliquem, quam maxime fieri poſſet, ad verbum ex una in alteram linguam transferendi provincia, haud facile, pro majori quæ in hominibus reperitur ingeniorum & conceptuum quam formarum varietate, eodem ubique verborum delectu, iiſdem loquendi formulis uterentur; at ut qui his legibus non adſtricti, autorem quempiam Paraphraſtica libertate interpretentur iis in locis ubi maxime a verborum ſono abeant, eoſdem ſenſus, eaſdem dictiones adhibeant, haud ſine majori quam quod de LXXII Græcæ verſionis autoribus narratur, miraculo fieri poteſt, fidemque plane exuperat. Quod tamen in iis, de quibus jam ſermo eſt, verſionis Arabicæ exemplaribus, contigiſſe videmus. Non major alibi fere inter ipſa diſcrepantia eſt, quam quæ inter diverſa ejuſdem ſcriptoris ἀπόγραφα & alias occurrit; in locis autem non tam ſecundum autoris verba, quam interpretum mentem expreſſis, ea quæ in diverſorum Interpretum verſionibus haud reperitur, vel repertum iri probabile ſit, concordia. Quod ſi quis R. Saadiæ opus in manus ſumptum ſibi in aliquibus mutandum cenſuerit, non eſt quod novæ verſionis autor habeatur: Ac talem quidem exſcriptorem nactus videtur Haggaon iſte, quem ut plagii, niſi alicunde conſtaret ipſum quæ Saadiæ erant pro ſuis venditaſſe, iiſque nomen ſuum inſcripſiſſe, minime arguerim, ita neſcio an ψευδογραφίας notam facile effugerit. Opus enim cui manum admovit conſulto aliquoties immutaſſe conſtat, adeoque in diverſum a primo ejus autore abiiſſe, ut ſe aliud plane ab ipſo ſenſiſſe ac τῇ ὑποθέτῃ δηλεύην prodat. Probatum hoc nobis dabunt vel loca illa in quibus glorioſa Dei præſentia ejuſque patefactio deſcribitur, aliter paſſim enuntiata. Gen. 11.5. וירד יהוה *Et deſcendit Dominus,* vertit Haggaon, فاورد الله امرا موجلا *Demiſitque Dominus mandatum terrificum*; hic فانحدر ملايكة *Deſcenderuntque angeli.* Cap. 12.7. bis pro יהוה reddente Saadia الله *Dominus*, apud hunc, ملاك الله *angelum Domini* legimus. Ita & cap. 18. ver. 1. Ibid. v. ultimo וילך יהוה *Abiitque Dominus*, Saadias. وارتفع نور الله *Sublatuſque eſt ſplendor Domini*, hic فمضي ملاك الله *Abiitque* (inquit) *angelus Domini*. Exod. 19. 3. Saad. *Aſcenditque Moſes* الي الله *ad Dominum*; hic الي ملاك الله *ad angelum Domini*. ver. 9. ها انا متجلي لك *Ecce ego manifeſtaturus ſum me tibi in nube*; hic, *Ecce ego* مجلي ملاكي لك *manifeſtaturus ſum tibi angelum meum*. ut & ibid. ver. 11. 18. 20. & c. 20. v. 20. & c. 24. v. 1, 2. in his omnibus Saad. الله *Dominus*, hic vero ملاك الله *angelum Domini* reddit. ut ver. 10. 11. 17. Saad. نور الله *ſplendorem Domini*, hic ut ante ملاك الله *angelum Domini*. Sic Exod. 33. 20. *Non poteris videre* את פני *faciem meam*, Saad. اوايل نوري *anteriora ſplendoris mei*; hic وجه ملاكي *faciem angeli mei*. v. 23. *Videbis poſteriora mea, at facies mea non videbuntur*, Saad. *poſteriora ſplendoris mei, at anteriora ejus non videbuntur*; hic *poſteriora angeli mei, at faciem ejus non videtur*. [leg. *facies*. vel, *videbis*] c. 34. 5. *Deſcenditque Dominus in nube*. Saad. *Revelavitque ſe Dominus*, hic, *Et apparuit angelus Domini*. ver. 6. *Et tranſivit Dominus*. Saad. *Cumque tranſiret* نور الله *ſplendor Domini*: hic ملك الله *angelus Domini*. ver. 9. *Vadat nunc Dominus*. Saad. *Cum gradietur* نورك *ſplendor tuus inter nos*: hic مَلَاكُكَ *angelus tuus*. his adde Gen. 9. 6. ubi verba iſta כי בצלם אלהים עשה את האדם *Quia in imagine Dei fecit hominem*. Saadias interpretatur لان بصورة الله مسلطا صنعه *Quoniam in imagine Dei dominantem* [ſeu *dominio præditum*] *fecit ipſum*, (ut in MS. legitur. vel ut in edit. Conſtant. بصورة شريفة *forma illuſtri, glorioſa*) *dominantem fecit ipſum*; hic vero interpoſito الملايكة ſenſum corrumpens, *Quoniam ad imaginem angelorum fecit ipſum dominantem*. Nec non ea loca in quibus pro *Dei* nomine etiam *Propheta* ſubſtituit. e.g. Gen. 18.13. فقال نبي الله لابرهيم *Dixitque Propheta Domini Abrahamo*. ubi Saad. prout ſonant Hebraica, فقال الله لابرهيم *Dixitque Dominus Abrahamo*. cui conſonum eſt & quod Gen. 8. 21. apud ipſum legimus, *Dixitque Dominus* لنبيه *Prophetæ ſuo*, cum Hebraica אל לבו *ad cor ſuum*, vel *in corde ſuo*, reddiderit Saadias, من ذاته *ab eſſentia ſua*, i.e. *a ſeipſo*. Quis non alium hic, ac diverſa plane ſentientem operi Saadiano ſe immiſcuiſſe ſentiat? Cui interim ſectæ ipſum adjudicemus, nondum in comperto eſt. Nam ut a Judæo prodire potuiſſe hæc non temere negaverim, cum ab Aben Ezra diſcamus eſſe inter eos qui Abrahamo non tres Angelos, ſed tres Prophetas apparuiſſe ſtatuant, ita nec eorum quempiam in ipſo verſionis, quam ſuis gratam eſſe cuperet, textu vel pro יהוה, toties ملاك *angelum*, vel eo quem indicavimus loco *Prophetam*, more aliis inſolito atque inaudito, ſubſtituere voluiſſe, haud facile crediderim. Samaritanorum forſan genium magis hæc ſpirant, quorum hanc notat hæreſin Morinus, ad Gen. 5. & Ab. Ezr. ad Gen. 1. (a qua nec immunes videntur Judæorum aliqui) quod hominem ad Angelorum ſimilitudinem creatum aſſerant, quibuſque fere ſolenne eſſe ut nomen Angeli Tetragrammato vel ſubſtituant, vel addant tum ex ejuſdem doctiſſimi viri annotationibus, ipſaque Paraphraſi inſpecta, tum iis quæ ex verſione Arabico-Samaritano adducit Cl. vir, Jo. Henricus Hottingerus, percipere eſt. Sunt & quæ ſuadeant eum a quo hæc navata eſt opera, ſi non Mohammedanorum partibus addictiorem fuiſſe, ſtudium tamen adhibuiſſe ut ipſis non ingrata eſſet: dictiones nempe & loquendi formulæ apud ipſos præcipue in uſu, atque inprimis nomina quædam propria aliis minime uſitata. Quis enim alius Jethronem شعيب *Shoaibum* appellaret? ut taceam ſolennem iſtam ex Alcorano formulam بسم الله الرحمن الرحيم *In nomine Dei Miſeratoris Miſericordis*, libri fronti præfixam, (ſi a MS. ſit) quam non temere adhibent vel Chriſtiani vel Judæi niſi iis in libris quos eo nomine Pſeudoprophetæ iſtius aſſeclis commendatiores eſſe volunt: ac certe verſionem iſtam, prout characteribus Arabicis, eaque quam videmus forma, expreſſa eſt (a quocunque tandem præſtitum fuerit) in Mohammedanorum præcipue gratiam adornatam fuiſſe, ſi quis aſſeruerit, minime me repugnantem habebit. Liceat quæ conjecturæ anſam præbeant Lectori proponere. Iſmael Abulfeda Hamai Princeps opere tam hiſtorico quam geographico, aliiſque ſcriptis clarus, de Judicibus ac Regibus Iſraeliticis acturus hæc habet: *Hac in parte neceſſe eſt ut multa recurrant errata, cum ob magnam temporis intercapedinem, tum quod Hebraice ſcripta ſint quæ de iis memoriæ prodita ſunt, cujus linguæ verba debito modo proferre admodum difficile eſt. Neque in exemplaribus Hiſtoriarum his de rebus conſcriptarum quæ inſpicere contigit inveni de cujus veritate certo mihi conſtaret. Unumquodque enim alteri contrarium reperi, vel in nominibus Judicum vel eorum numero, vel temporis quo præfuerunt ſpatio, notandis. At Judæis libri ſunt viginti quatuor antiquitus apud ipſos per manus accepti,* [ولم تعرب الي الان بل هي باللغة العبرانية] *qui nondum Arabici facti ſunt, verum lingua Hebraica exarati. Comparatis ergo mihi ex ipſis Judicum Iſraeliticorum et Regum libris, accerſivi virum Hebraice & Arabice doctum cui eos prælegendos tradidi, tribuſque adhibitis exemplaribus, ex ipſis tranſcripſi quod mihi veriſſimum viſum eſt, nominaque literis & vocalibus ſuis quam fideliter potui, notavi.* Docent hæc magni Autoris verba nullam tunc temporis reperiri potuiſſe textus Hebraici verſionem, literis Arabicis exaratam. neque enim aliter intelligenda ſunt quæ ſcribit, viginti quatuor Judæorum libros nondum Arabicos factos fuiſſe, cum multis ante annis a R. Saadia (forſan & aliis) verſi fuerint (ipſe enim anno Hejræ 672. natus, Haggaon autem anno mundi ſecundum Judæorum computum 4702. denatus perhibetur) ſed uti Judæis, adhuc etiam, in more eſt, ſuis tantum depicti characteribus quo minus a diverſæ profeſſionis hominibus legerentur. Si quis igitur eandem cum Iſmaele Principe religionem profeſſus, ipſius exemplo, vel ſimili, ea quæ textus Hebraicus a LXXII. verſione, iiſque quæ Samaritanorum libri (forſan & tunc temporis Arabice delineati) præ ſe ferrent, diſcrepantia contineret, videndi deſiderio flagrans, ab aliquo utriuſque linguæ perito obtinuerit, ut quæ penes Judæos eſſet interpretationem Arabicam, Arabicis etiam literis deſcriberet, facile fieri potuit ut cum illis quas innuimus a primigenia ipſius facie differentiis, in eorum quorum manibus terenda erat gratiam, nec aliis obſervata, in plures emanaret. Neque vero tunc primum habitu Saracenico amictam temere affirmaverim, cum de ipſo Saadia aſſerentem Aben Ezram habeamus שתרגם התורה בלשון ישמעאל וכתיבתם ipſum legem lingua & Scriptura Iſmaelitica interpretatum, cujus tamen exemplaria aliqua Iſmaelitis communicata fuiſſe vix credi ſinunt docti Principis, quæ laudavimus, verba. Quicquid hujus ſit, non omnia prout nunc ſe habent a Saadia prodiiſſe cenſeat neceſſe eſt qui non ipſum aliis alium finxerit, aliaque ſuis, alia Mohammedanis obtuliſſe, quam verſutiam ab Aben Ezra operis iſtius cenſore non nimis benigno, haud impune, credo, tuliſſet. At vero propius videtur ut alium quempiam in meſſem Saadianam falcem miſiſſe credamus, eumque ortu vel Judæum vel Samaritanum. Neque enim Chriſtianum (Orthodoxum ſaltem) fuiſſe, vel a Chriſtianis gratiam captare voluiſſe res ipſa docet, nedum ut verſionem iſtam omnes Eccleſias Orientales maximopere venerari concedamus. Si igitur in differentiarum quæ inter hoc & alia interpretationis Saadianæ exemplaria intercedunt, cauſas inquiratur, tres eæ potiſſimum ſtatuendæ videntur. Quarum prima omnibus fere doctorum ſcriptis quæ in vulgus emanarunt, communis eſt: viz. exemplarium, ſive ea autoribus, qui poſt editos a ſe libros aliqua ſubinde mutare conſueverunt, ſive librariis imputetur, varietas (unde & ille, ni fallor, editionis Conſtantinopolitanæ tam a MS. quam ab editione Pariſiana diſſenſus) Secunda, ea quam jam innuimus, viz. tum ut ſententiam ſuam (majori certe audacia quam patitur fidæ verſionis ratio, quicquid ſibi in Commentariis permittere potuiſſet) quaſi divina autoritate ſtabilitam daret; tum ut ad eorum quibus operam ſuam præcipue locavit, uſum ac loquendi morem, ea quæ dicerentur, accommodaret. Tertia demum, quod ad Grammaticorum Canones, quorum in Arabicis Hebraice exarandis, negligentiores fere ſunt Judæi (uti codices ipſorum manuſcriptos conſulenti patebit) omnia inter tranſcribendum diligentius exegerit. Hinc factum ut quæ ad generum ac caſuum diſtinctionem, nec non literarum quieſcentium rationem pertinent, accuratius in his editionibꝰ quam vel Conſtantinop^{na} vel codice MS. expreſſa reperiantur. Cui addi poſſit quod & alias verba minus probata magis Arabicis commutaverit, cum apud Saadiam ea aliquando occurrant, quæ vix agnoſcant qui proprie loqui amant, autores. His conditionibus atque hac uſus licentia, Haggaonis verſionem tranſcribendam ſuſcepiſſe videtur hic quiſquis fuerit, cujus ad exemplar edita Pariſiis prodit. quod tamen doctiſſimi viri meliore fide quam ille Saadiana dedit, edendo, magnam apud bonos omnes gratiam merito inierunt. nec minorem reportabunt, ſpero, qui editioni Londinenſi, magna peneque ſtupenda diligentia incubuerunt, variantes, quo inter ſe conferri poſſint & interpretis & interpolatoris opera, lectiones adjiciendo. Quid de verſione iſta prout recens edita eſt, nobis videatur indicavimus, liceat de eadem prout Saadiam autorem habet, pauca ſubjungere. Conſilium ipſius, ſi præfationem integram inſpicere liceret, magis perſpectum haberemus. E fragmento quod in codice MS. extat aliquatenus illud elicere licet, dum ejuſmodi concinnaſſe ſe ait interpretationem quæ Lectori breviter abditos legis ſenſus, quatenus Majorum traditionibus conſentiant, recluderet, eſſetque تفسير بسيط النص فقط محررا بمعرفة العقل والنقل *illius quod præ ſe fert textus explicatio ſecundum rationem intellectus & traditionis* (Hebraicis שכל & קבלה reſpondent.) واذا امكنني ان اودع الاية كلمة او حرفا ينكشف به المعني المراد لمن يقنعه التلويح من القول فعلت ذلك *quod ſi* (inquit) *potuerim commati alicui, verbum vel particulam addere quo manifeſtior fiat ſenſus illi, cui vel verbo innuiſſe ſufficiat, hoc feci.* Idque in gratiam eorum qui librum aliquem, ex quo depromi poſſent quæ ad Dei cultum ſpectant, deſiderarent, nec quæſtionibus minus neceſſariis, nec adverſariorum objectionibus & ad eaſdem reſponſionibus refertum, ſed qui معاني نص التوراة فقط *ſenſus textus legis tantum exhibens, ad ea interim digitum intenderet.* Quo ſpectant & quæ ad calcem operis monet, يجب ان يتذكر الناظر في هذا التفسير ما تحت كل كلمة زدتها او نقصتها من المعاني فانه اذا صنع ذلك انكشفت له امور كثيرة من المسايل والاجوبة وصار له ذلك اصلا يبني عليه علم الفقه اعني אלמשנה ואלתלמוד وساير ما حملته اثار انبيا الله *Oportet eum qui interpretationem iſtam conſuluerit memoria tenere quid unicuique verbo quod vel addiderim vel ſubtraxerim, ſubſit intellectuum; quod ſi fecerit retegentur ipſi quæſtiones & reſponſa quam plurima, eritq; ipſi fundamentum cui ſcientiam juris ſuperſtruat, viz. Miſhnam & Talmud, reliquaque quæ ſuggerunt quæ a Prophetis ſunt [traditionum] veſtigia.* Opus hoc Conſtantinopoli dudum impreſſum, doctorum manibus teritur, quæ tamen editio paſſim mendis ſcatet, exemplaris, aliquando forſan, quod ſecuti ſunt vitio, alias eorum qui vocales appoſuerunt Grammaticæ Arabicæ linguæque proprietati minus conſonas, ſive imperitia ſive negligentia. Codex MS. cujus mentionem fecimus & ex quo variantes lectiones datæ ſunt, exaratus eſt anno æræ contractuum 1760. initio menſis Niſan, in urbe Hamah ad fluvium Marud [Orontem] ſita, manu Eliæ filii Bar Joſuæ, F. Bar Chalphon. Quando primum literis Arabicis deſcripta ad Chriſtianorum Orientalium manus pervenerit verſio iſta non eſt quod ſtatuamus, aliter quam ex conjectura poſt Abul Fedæ demum tempora factum, ob eas quas innuimus, rationes; nec quam apud ipſos autoritatem conſecuta ſit, cum in eas propenſiores videantur quæ LXXII. ſequantur. quod antiquitus ea ipſis (neſcio quam ob rationem) inſediſſe videatur opinio a Judæis odio Chriſtianorum corruptos eſſe libros ſacros. Ipſi interim complures ſive a Græco, ſive Syriaco derivatas habent. Tres mihi videre contigit Arabice ſcriptas; quarum primæ bina poſſidet Academia Oxonienſis exemplaria, munificentia Magni literarum Orientalium (ut & cæterarum) quondam Patroni Gulielmi Laud Archiepiſcopi Cantuarienſis, lemniſcis, aſteriſcis, obelis, cæteriſq; ab Origene excogitatis notis, & variantibus ſubinde e codd. Judæorum & Samaritanorum lectionibus, ornata, quæ ante annos aliquot una cum Patritio Junio percurri, quo Cl. vir inde quæ ad editionem LXXII. quam meditatus fuerat adornandam facerent, excerperet. Interpretatio iſta ab AlHaretho Senani filio (exemplarium alterum Al Harbo legit) concinnata præfatione luculenta conſpicua eſt, in qua non ſui tantum operis, ſed & multorum quæ ad Græcos & e Græco Syros codices ſpectant, rationem reddit; tum ad Octaplũ ſc. Origenis, in quo areis ſuis diſtinctim locabantur textus Hebraicus tam ſuis quam Græcis depictus characteribus, & ſex quæ tunc temporis extiterunt verſiones Græcanicæ, tum ad opus e ſex illis inter ſe collatis conflatum, necnon ad notas iſtas, Aſteriſcos ſc. Obelos, Lemniſcos, Hypolemniſcos, &c, quas eo fine adhibuit ut verſionum tam inter ſe quam cum textu Hebraico convenientia vel diſcrepantia uno intuitu proponeretur. Origenem etiam oſtendit hallucinationis iſtius qua factum ut in multis codicibus Græcis ΠΙΠΙ, Syris vero ܦܝܦܝ Fifi, ad marginem adſcriptum reperiatur; viz. Librariorum quorundam inſcitia qui nomen יהוה (literis Hebræis, non ut docti quidam, Samariticis quæ figura admodum diſſimiles) ab Origene appoſitum, ubi ab Interpretibus, κύριος (quod ſonat Adonai vice nominis Tetragrammati a Judæis inter legendum proferri ſolitum) redderetur, more non, quo decuit, Hebræorum, a dextra ſiniſtrorſum, ſed Græcorum a ſiniſtra dextrorſum legendo, & pro ipſorum literis quas proxime referre videbantur, habentes, ΠΙΠΙ ſcripſerunt, quod & Syri ſuis exprimere conati in ܦܝܦܝ Fifi corruperunt. Operæ demum a Lucio [i.e. Luciano] in textu conferendo poſitæ meminit. In his atq; hujuſmodi obſervandis tota eſt primæ verſionis præfatio, qua in deſcribenda optandum foret & Scribas autoris diligentiam adæquaſſe. Secundæ pariter exemplar perquam eleganter & ſplendide ſcriptum eidem Bibliothecæ donavit Gulielmus Corderoy Mercator Londinenſis, cui & ſua eſt præfatio, ſed minoris momenti, utpote quæ legibus quas שבכתיב ſeu *ſcriptam*, & שבעל פה *ore traditam* vocant, confuſis, Prophetarum & Sacerdotum apud Judæos, quibus per manus traditam vult ἔγγραφον illam, a Moſe uſque ad Annam & Caipham Pontifices ſummos, Catalogum pertexit. Codex iſte verſionem a priori diverſam exhibet, exaratus anno Æræ Martyrum milleſimo ſexageſimo quarto, a Thoma quodam Monacho, nulla (quam viderim) transferentis facta mentione. Tertia, privati adhuc juris ab utraq; in diverſum, quod ad verba, abit. hoc omnes commune habent quod a LXXII. Interpretum verſione fluxiſſe videantur. quod & de binis adhuc aliis ſtatuendum, quas exhibent duo Commentariorum in Pentateuchum volumina, literis Syriacis dialecto Arabica (quem ſcribendi morem Curſhani vulgo appellant) in eadem celeberrima Bibliotheca Oxonienſi. Textum utrumq; ab altero diverſum, ſed qui LXXII. interpretationem fontem habeat, præfert, uti ea loca in quibus ipſa ab Hebraico longius recedit, videre eſt. Atque hæc de iis etiam quas oculis uſurpare licuit, Chriſtianorum verſionibus e Græca (mediante forſan Syriaca quæ figurata audit) derivatis. ne quid de illa ad ſimplicem quam vocant, conformata, aliiſve quæ nobis auditu tantum cognitæ, inpræ ſententiarum dicamus, cum vel hæc ultra præfationis juſtæ modum, & præter inſtituti de opere privatim Saadiano pauca proferendi eſſe videantur.

Specimen breve verſionum quarum in Præfatione facta eſt mentio.

بديا خلق الله السموات والارض وكانت الارض غير محسوسة في الابتدا خاوية من غير شي مهملة وغير محكمة وكانت الظلمة علي غمر المياه وروح الله ترف على وجه الما Gen. 1. 1. 2. Exem. 1.

Initio creavit Deus cœlos & terram, eratq; terra imperceptibilis " *in principio, inanis, vacua neglecta, non ſtabilita, [vel imperfecta] fueruntque tenebræ ſuper abyſſum aquarum, & ſpiritus Dei incubabat faciei aquæ.*

" forſan loco non ſuo poſita ſunt hæc verba, cum variam primæ vocis lectionẽ exhibeant.

2 في البدء خلق الله السمآ والارض وكانت الارض غير منظورة وغير مستعدة وكانت الظلمة علي وجه الغمر وروح (al. رياح) الله تهب (al. ترف) على المياه *In principio creavit Deus cœlum et terram. fuitq; terra inaſpectabilis et incompoſita, & fuerunt tenebræ ſuper faciem abyſſi, et ſpiritus Dei flabat ſuper aquas.*

3 في الاول خلق الله السمآ والارض وكانت الارض غير منظورة وغير مستعدة والظلمة فوق اللجة وروح الله ترف فوق المآ *Inprimis creavit Deus cœlum & terram, fuitque terra inaſpectabilis, incompoſita, & tenebræ ſuper profundum, & ſpiritus Dei expandebat ſe ſuper aquam [vel incubabat aquæ]*

4 اول ما خلق الله السمآ والارض وكانت الارض غير منظورة وغير مستعدة والظلمة فوق اللجة وروح الله ترف فوق الما *Primum quod creavit Deus [erat] cœlum & terra, fuitque terra [ἀόρατος ϗ ἀκατασκεύαστος] inaſpectabilis & incompoſita, & tenebræ ſuper profundum, & ſpiritus Dei expandebat ſe ſuper aquam.*

5 في البدء خلق الله ذات السمآ وذات الارض وكانت الارض خاوية غير محسوسة من غير شي وغير محكمة وكانت الظلمة على غمر المياه وروح الله ترف علي وجه المآ *In principio creavit Deus ipſum cœlum & ipſam terram, fuitque terra vacua, imperceptibilis, inanis, & non ſtabilita [vel imperfecta] erantque tenebræ ſuper abyſſum aquarum, &c.*

وقال قاين لهابيل اخيه اعبر بنا الي البقعة Gen 4 8. 1.

Tranſi nobiſcum [i.e, tranſeamus]

2 ثم قال قاين لهابيل اخيه *لنمض الي الحقل. * *abeamus.*

3 & 4 قال قاين لهابيل اخيه *امض بنا نسير في الوطا

* *Abi nobiſcum.*

5 ثم قال قاين لهابيل اخيه اعبر بنا الي البقعة

Tum dixit Cain Abeli fratri; Tranſeamus [tranſi nobiſcum] in campum.

Variantes Lectiones in Libro GENESIS.

Cap. I. ver. 2. العَمْرِ *Abyſsi.* Mſ. العمور ib. رِيَاحُ ٱلْإِلَهِ Conſt. & Mſ. رياحُ اللّهِ v.4. فصل اللّه C. & Mſ. وفصل Unde patet, verba ſic diſtinguenda, *Voluitque Deus ut eſſet lux, & fuit lux; cum cognoviſſet Deus lucem eſſe bonam. Et diviſit Deus, &c.* v.5. وَلَمَّا مَضَي ٱللَّيْلُ وَٱلنَّهَارُ يَوْمٌ وَاحِدٌ *Cumque præteriiſſet nox & dies, dies unus.* Conſt. & Mſ. من الليل والنهار *De nocte & die, dies unus.* v.7. والما الذي فوقه C. & Mſ. وبين الماَ الذي من فوقه Non malè repetitur بين *inter.* Et revera requiri videtur من tam ante فوقه quam ante دونه ib. فكان كذلك Mſ. & C. فكان كَذَالك v.9. شا اللّه C. وشآ الله ib. ان يجتمع الماء C. ان تجتمع الامياه ib. كَذَلك P. & C. & Mſ. كَذَالك v.10. وَتَجْتَمِعَ المَآء بَحَارًا Conſt. & Mſ. وملام الماء سمّاه بحارا atque exprimendo מקוה melius convenire videtur تجمع quam تجتمع ib. لما علم ان ذلك جيد *Cum cognoviſſet illud eſſe bonum.* Conſt. لعلم الله ان ذلك جيد *Quod ſciret Deus illud bonum eſſe.* Mſ. Eo modo quo Par. at aliter diſtinguit ut antea monuimus, ſc. ut, *Cum ſciret illud bonum eſſe,* claudat ſententiam, non incipiat. v.11. ان يُكْلِيَ الارض C. & Mſ. ان تكلأ الارض. nam ارض f. g. eſt. ib. عُشْبًا ذا حبّ Mſ. & C. وعشبا *Et herbam, &c.* ibid. كذلك Mſ. & C. كَذَالك v.12. لمّا علم الله &c. *Cum cognoviſſet Deus, &c.* C. rurſus, لعلم اللّه *Ob ſcientiam Dei,* i.e. *quod ſciret Deus illud bonum eſſe.* v.14. أَنْ يَكُونَ أَنْوَارٌ Mſ. & C. ان تكون f. rectè. ib. بَيْنَ ٱللَّيْلِ وَٱلنَّهَارِ *Inter noctem & diem.* Mſ. & C. بين النهار والليل *Inter diem & noctem.* ut in H. ib. فيكون Mſ. & C. فيكونان in duali. v.15. وكان كَذَلِك Mſ. & C. كذالك v.18. وللاضاءه ſic & C. ללאראה niſi quod male cum ד pro צ̇ ut & v.17. Ubi ידו habet pro تضي: & ſic pro ظ ut דלאם h. ver. pro ظلام: at Mſ. وللسلط *ad dominandum,* ut in Hebr. ibid. وَلِتفرز Mſ. & C. والتفرز *Et ad ſeparandum.* ib. لَمَّا عَلِمَ اللّه *Cum cognoviſſet Deus.* ſic & Mſ. at C. rurſus, لعلم الله: male hic iterum Verſ. Latina illis verbis ſententiam inchoat, quibus præcedens claudenda. ſic & rurſus ver. 21. & 25. ver. 20. in C. ساع سعا ubi dictio سعا redundare videtur. v.21. فحلق pro فخلق Cujuſmodi & alia, cunctis ligaturis Arab. ſub initio operis nondum conflatis, nonnunquam occurrunt. ibid. التَّنَانِينَ العِظَامَ ſic & Mſ. ut in margine adſcript. נא i.e. aliud exemplar, אלחנינין אלעצימין v.22. البجار pro البحار ib. في الارض Mſ. على الارض v.24. الارض فكان كذلك Mſ. الارض لاصنافها فكان كذالك ſic & C. niſi quod لاصنافه habet. v.25. فصنع Mſ. & C. وصنع ib. وكل دبيب Mſ. & C. وساير دبيب ib. لاجناسه Mſ. لاصنافها C. لاصنافه v.26. انسانا بتصويرنا وتشكيلنا اياه مسلطا يستولي Mſ. & C. انسان بصورتنا كشبهنا مسلطا يستولون ib. والبهايم ut ſ. v.24. بهايمَ ponitur ut invariabile. v.27. بصوره شرفها الله C. بصورة شريفه at Mſ. بصورة الله v.28. وبارك litera ب cum ligatura peſſimè formata. ibid. فعموا Mſ. & C. وعموا melius prius. ib. البحر pro البحر v.29. هَا قَدْ اعطيتكم Mſ. & C. قد هوذا &c. ib. حب على وجه Mſ. & C. حب الذي على ib. طعاما ſic & Mſ. ماكلا v.30. وجميع طير ſic & C. in Mſ. deeſt. جميع ib. وساير ما دبّ ſic & C. at Mſ. وساير الدابّ. ib. جعلته deeſt in Mſ. & in C. ib. in C. pro الان eſt الي ان. ib. فكان كذلك Mſ. كان كذالك C. وكان كذالك v.31. لما علم C. ولعلم اللّه

Cap. II. v.1. كملت Mſ. فكملت C. وكملت ib. جيوشهنّ Mſ. & C. جيوشهم v.2. مثل خلقه Mſ. & C. addunt الذي صنعه v.3. وبارك الله اليوم Mſ. &c. وبارك الله في اليوم C. وبرك فيه وقدسه omiſſo اليوم v.4. اذ خلقتا Mſ. اذ خلقها C. خلق v.5. وان جميع in Mſ. deeſt. و ib. ولا انسان كان ليفلح الارض Mſ. & C. ولا انسان كان يفلحها v.7. نفسا ناطقًا Mſ. نفسا حيا ناطقا *Animam viventem rationalem.* v.8. وصدّير هناك Mſ. & C. ثم v.9. وطيّب Mſ. deeſt و v.10. وجعل نهر Mſ. & C. ونهر ib. ليسقي Mſ. & C. يسقي ib. فيصير Mſ. & C. ويصير ib. اربعة ارؤس Mſ. رووس C. لاربع روس v.11. الذي فيه Mſ. & C. الذي ثم v.12. ذلك البلد ſic & C. at Mſ. تلك الارض v.13. جيحان Mſ. & C. جيحون ib. المحيط Mſ. & C. محيط v.15. فاخذ Mſ. & C. واخذ v.16. جايز لك ان Mſ. & C. جايز ان v.17. فانك في يوم اكلك منها Mſ. في يوم تاكل منها C. في يوم ان تاكل v.18. وقال الله Mſ. وان الله قال v.19. فحشر C. وحشر ib. ليريه C. لير ib. ما سمّي Mſ. & C. ما سماه ib. باسم deeſt in Mſ. & C. v.20. فسمي ادم Mſ. & C. فسما ib. وطير اسمآ male pro السما C. & Mſ. طاير السما ib. ولم يجد ادم عونا ſic & C. at Mſ. ولم يوجد لادم عون v. 22. وبني الله الضلع التي اخذ امراة Mſ. وبنا الله منها امراة ib. فاتي بها الي ادم Mſ. &C. فاتي بها اليه v. 23. وقال ادم هذه المراة شاهدت &c. عظما. Et Lat. *Et dixit Adam* : *Hæc mulier vidit os ex oſsibus meis, &c.* peſsime: legendum ut in C. هذه المرة &c. شاهدت *Hac vice vidi.* Mſ. habet ايقينا هذه المرة *Num certo hac vice, &c.* ib. ان تسمي امراة ſic & C. at Mſ. ان تسمي هذه امراة v. 24. فيصيران Mſ. فيصيرون male. v. 25. من ذلك in Mſ. & in C. deeſt من

CAP. III. v. 1. تاكلا C. & Mſ. تاكلوا ut & v. 3. ubi & تموتو pro تموتا v. 2. قالت المراة للثعبان C. & Mſ. قالت له *Dixit ea illi.* v. 4. في وسطه ſic & C. at Mſ. في وسط الجنان *In medio Paradiſi.* v. 4. لستما تموتان C. & Mſ. لا موت تموتون v. 5. انكما C. & Mſ. انكم Ut & cætera in pl. quod & alibi ſæpius ubi duali locus eſt, contingit, ut ſemel monuiſſe ſufficiat. ib. تنفتح C. & Mſ. تنفض eodem ſenſu. v. 6. المراة C. & Mſ. الامراة ut & alibi. ſic v. 12. v. 13. &c. ib. شهية للمنظر مني Mſ. شهيه المنظر منا ut & C. quod ad vocem poſtremam. ib. واعطت بعلها Mſ. واعطت ايضا بعلها v. 7. وانفتحت C. & Mſ. وانفضت ib. عريانان C. & Mſ. عريانا ib. مازر C. ميازره Mſ. ميازرا v. 8. في حركة C. & Mſ. بحركة ibid. فاستخبا Mſ. فاختبا ſic & v. 10. in prima perſona. ibid. &c. خبا فيما *Abditione inter arbores horti* C. & Mſ. حيا &c. من بين يدي الله فيما *Præ pudore a præſentia Domini inter, &c.* facile mutari potuit حياء in خباء ver. 9. ادم Mſ. بادم v. 10. &c. فايقنت اذ انا C. & Mſ. فاتقيت *Et timui.* ſi ايقنت *Certus factus ſum*, legatur, deberet potius ſequi انْ *quod* quam اذ *quando.* ver. 11. التي نهيتك عن الاكل منها *E qua prohibui te ne comederes.* C. & Mſ. التي امرتك ان لا تاكل منها *De qua præcepi tibi ne comederes.* v. 14. فانت ملعون Mſ. ملعون انت ib. وجميع Mſ. ومن جميع ib. طول ايام حياتك Mſ. طول حيوتك v. 15. واجعل عداوة C. & Mſ. وعداوة اجعلها ib. &c يشدخ منك الراس Mſ. & C. يشدخك الراس وانت تلدغه العقب v. 16. الاولاد ſic & C. at Mſ. البنين ib. وهو يتسلط عليك *Et ipſe dominabitur tibi.* Mſ. وهو المتسلط عليك بالاختيار *Et ipſe in te dominium exercens* (erit) *pro arbitrio.* Ut & C. niſi quod deſit عليك v. 17. فاكلت Mſ. واكلت ut & ſæpius ف pro و & vice verſa و pro ف occurrit, quod tanti non eſt ut pro variante lectione habeatur. v. 19. الي حين رجوعك in Mſ. & C. deeſt حين v. 20. سمي ادم زوجته C. & Mſ. سمي ادم اسم زوجته ibid. حي ناطق Mſ. حي ان ناطق forſ. pro حيوان vel redundat ان ver. 21. *Indumenta corii* at بدن *Corpus* ſignificat, non *corium* : ut reddi poſſit, *Indumenta corporis*, i. e. quibus corpus ipſorum tegeretur. ver. 22. منا C. & Mſ. منه forſ. eo ſenſu quo Chald. hæc reddit, والان فيجب ان يخرج من الجنان ليلا يمد يده *Et modo oportet ut exeat* (vel *educatur, ejiciatur*) *ex horto ne extendat manum ſuam.* C. & Mſ. والان كيلا يمد يده *Et nunc ne extendat manum ſuam,* omiſsis cæteris, quibus nihil eſt in textu Hebr. quod reſpondeat. ver. 24. الملايكة in C. & Mſ. deeſt articulus. ib. شجر الحياة C. & Mſ. شجرة

CAP. IV. ver. 1. ثم ان C. & Mſ. وان v. 2. هابيل C. & Mſ. هبل ut & alibi. v. 4. واتي هابيل ايضا بشي من بكور C. & Mſ. وهبل اتي هو ايضا من بكور v. 5. وسقط وجه C. & Mſ. ووقع وجهه v. 6. وقال الله القاين ſic & C. at Mſ. قال الله له ib. ولِم سقط C. & Mſ. ولم ووقع v. 7. وانت المسلط ſic & C. at Mſ. وانت المتسلط v. 9. فقال الله لقاين Mſ. فقال الله له in C. deeſt له ibid. هلّ قال Mſ. وقال v. 10. احافظ اخي انا C. & Mſ. انا حافظ v. 12. تفلح الارض ولا C. & Mſ. تفلحها ولا v. 14. هل من بين يديك C. & Mſ. انستر من بين يديك انستر v. 15. قال الله ſic & C. at Mſ. قال له الله v. 16. وواقع v. 17. من بين يدي الله C. & Mſ. من قدام الله Mſ. واقع v. 20. هو اول سكان الخيام ومتخذي المواشي C. & Mſ. وهو كان اول من سكن الاخبية وملك الماشية in C. deeſt articulus. ver. 23. وصلا ايضا C. & Mſ. وصلا هي ايضا ibid. وهو اول C. & Mſ. وهو كان اول ibid. وكانت اخته ſic & C. at Mſ. وكان اسم اخته ibid. فقال لامخ لامراتيه يا عادا ويا صلا C. & Mſ. فقال لمك لنساه ibid. يا عده ويا صله واثقا *Dixitque Lamech uxoribus ſuis confidens*, vel, *confidenter*, deeſt in Mſ. ibid.

ib. ويا مرأتي Mſ. ويا نسا ut & C. niſi quod deſit copula ib. اترائي C. & Mſ. اترا v. 24. تقاه C. & Mſ. يقاه v. 25. ثم ان ادم C. & Mſ. وان ادم v. 26. ولسيت ايضا ولد Mſ. ولشت هو ايضا ولد ابنا ib. حينيذ ابتدي بالدعا باسم الله C. & Mſ. حينيذ تبدلت الدعوة باسم الله Tunc mutata eſt invocatio nominis Dei. Niſi f. leg. تبدلت *pro* חבדלה, *ſic n. in* C. *occurrit*, *Profanata eſt: quod ad* H. *propius*

CAP. V: v. 1. — هذا كتاب شرح اعمار اولاد ادم Mſ. وهذا Mſ. & C. شرح تاليد ادم كما انه في يوم خلقه الله بشبه مسلطا صنعه Explicationis generationis Adami quemadmodum die quo creavit ipſum Deus, in ſimilitudine ſua, dominio præditum fecit ipſum. Niſi ad Deum referatur, & reddend. pro imperio fecit eum. v. 2. ولما خلقهما ذكرا وانثي باركهما Mſ. وخلقهما ذكرا وانثي وبارك فيهما C. ذكرا وانثي خلقهما وبارك فيهما ib. وسماهما ادميين في يوم خلقهما Mſ. وسماهما ادم في ذلك اليوم C. ودعا اسمهما ادم في يوم خلقهما v. 3. فعاش ثم اولد ولدا (pro سنة) ادم ماية وثلثين سنبن Mſ. & C. سنة (C. ماية وثلثين) كذالك لما عاش ادم ثلاثين وماية اولد ابنا Ita poſtquam vixiſſet &c. v. 5. الذي عاشه deeſt in C. & Mſ. ib. تسعماية سنة وثلثين سنة in C. & Mſ. ماية وثلثين سنة v. 6. ماية وخمس سنين ſic & C. & Mſ. ماية سنة وخمس سنين ib. ثماني ماية وسبع سنين C. & Mſ. ثمان ماية سنة وسبع سنين v. 15. خمسا C. & Mſ. خمسة ماية واثنتين v.18, اثنتين وستين سنة وماية سنة C. & Mſ. وستين سنة v.22. بعد ايلاد C. & Mſ. بعد ما اولد v.24. وقبضه اليه Aſſumpſitque eum ad ſe. C. & Mſ. وقبضه الله Aſſumpſitque ipſum Deus. v. 25. ماية سنة وسبعا وثمانين C. & Mſ. ماية وسبعة وثمنين v. 29. ومن مشقة ſic & C. in Mſ. deeſt من v.32. اولد ساما وحاما ويافث Mſ. اولد نوح شم وحم ويفث

CAP. VI. v. 1. الناس ſic & C. at Mſ. الانسان v. 2. بنو Mſ. بني ut ſæpius: non obſervata caſuum differentia: v. 3. قال الله عند ذلك لا تحل روحي على هولاء الناس &c. ابدا Mſ. قال الله لا ينغمد روحي في هولا الناس الي الدهر اذ هم بشريون وتكون مدتهم Non recondet ut in vagina (vaginabitur) ſpiritus meus in iſtis hominibus in ſæculum, cum ſint carnales, eritque ſpatium eorum, &c. ſic et C. niſi quod pro روحي ſpiritus meus, habeat, ذاتي Eſſentia mea. v. 4. وكان على &c. الارض Mſ. وكانو (C. كان) الجبابرة في الارض في ذلك الزمان وبعد ذلك ايضا كان (C. كانو يدخلو) يدخل بنو الاشراف الي بنات العامة حراما فيلدن لهم هم الجبابرة الذي (C. الذين من الدهور) من الدهر ذوو الاسما Fueruntque Gigantes in terra eo tempore, et poſt illud etiam ingreſsi ſunt filii illuſtrium ad filias plebis, per nefas, et pepererunt illis: ſunt illi Gigantes qui à ſæculo magni nominis (*fuerunt*.) v. 5. فراي الرب &c. ان شر الناس قد كثر على الارض Mſ. ولما راي الله ان قد كثر شر الناس في الارض وجميع خاطر افكار قلوبهم شر محض طول الزمان Cumque vidiſſet Deus quod multiplicata eſſet malitia hominum in terra, et omnis imaginatio cogitationum cordium ipſorum malum merum (ſimpliciter mala) eſſet continue: ſic et C. niſi quod pro شر محض legatur راي محض typographi, ut videtur, errore. v. 6. &c. وكره الله خلقه C. et Mſ. تواعدهم (و C. cum præced.) الله كما صنعهم في الارض واوصل المشقة الي قلوبهم Comminatus eſt ipſis Deus, ſicut fecerat ipſos; et induxit (immiſit) miſeriam in corda ipſorum. v. 7. &c. فقال الرب امحي Mſ. بان قال امحو الناس الذين خلقتهم عن وجه الارض من انسان الي بهيمة الي دبيب الي طاير السما اذ تواعدتهم كما خلقتهم Ut diceret; Delebo homines quos creavi à facie terræ ab homine uſq; ad jumentum (beſtiam) uſq; ad reptile, uſque ad volucrem cœli, cum minatus ſim ipſis, ſicut creavi ipſos: ut et C. v. 8. فظفر نوح من الله برحمة Mſ. ونح وجد حظا من عند الله ut et C. niſi quod deſit من v.9. هولا ولد نوح Mſ. et C. هذا شرح تاليد نح ib. برا تقيا —في حقبة Mſ. et C صالحا صحيحا في اجياله في طاعة الله سلك Probus integer in generationibus ſuis, in obſequio Dei inceſsit. v. 10. فولد له ثلث بنين C. et Mſ. واولد نوح ثلث بنين شم وحم ويفث v. 11. وفسدت Mſ. واذ انفسدت in C. deeſt اذ ib. وامتلت اثما فجورا Mſ. et C. وامتلأت الارض ظلما v. 12. ولما راها الله قد فسدت بان افسد Mſ. وراها اذ انفسدت (C. بان) فسد v. 13. من قبلهم ظلما Mſ. et C. ظلما من قبلهم v.14. بالقعر ſic et C. Mſ. بقعر v. 15. ذراعا سمكها in Mſ. deeſt سمكها v. 16. من جانبها Mſ. في حانبها v. 17. لاهلاك كل بشر C. et Mſ. لاهلاك كل بشري ib. يموت C. et Mſ. يتوفا v. 18. ونسوة C. et Mſ. ونسا v. 19. البشرة C. et Mſ. البشر ib. يدخل C. et Mſ. تدخلهم ib. لتحيا Mſ. ليحيو C. ليحيون ib.

يكرن pro يكون C. et Mſ. يكونون v. 20. تدخل اليك لتحيا Mſ. ليحيو. C. يدخلون اليك ليحيون v. 21. فيكون Mſ. ويكون v. 22. بجميع Mſ. جميع ib. الله به in Mſ. et C. deeſt به

CAP. VII. v. 1. فقال الله لنوح Mſ. فقال الله له v. 2. وخذ من جميع البهايم الطاهرة سبعة سبعة الواحد وزوجه C & Mſ. دكورا واناثا من جميع البهايم الطاهرة تاخذ سبعة سبعة ibid. دكرا وانثي Mſ. & C. دكورا واناثا v. 3. وخذ ايضا In C. & Mſ. deeſt خذ ibid نسلها علي وجه الارض C. & Mſ. علي وجه جميع نسلهم v. 4. فانني ممطر بعد سبعة ايام Mſ. فانه سبعة ايام انا ممطر الي ibid. والحو جميع مايقوم مما خلقت C & Mſ. والحو جميع الناس الذي صنعت C. صنعتها التي *Et delebo omnes homines quos feci.* v. 5. نوح جميع C & Mſ. نوح بجميع ibid. الله به in C. & Mſ. deeſt به v. 7. ونسوة بنيه معهم cum ipſis Mſ. ونسا بنيه معه cum ipſo v. 9. دخلت Mſ. دخلو ut et alibi, ut v. 15. &c. ibid. ذكور &c. Mſ. ذكورا واناثا كما امره الله et ſine به in fine. v. 11. لعمر Mſ. et C. من عمر ibid. السبعة عشر C. et Mſ. السابع عشر ib. تشققت عيون Mſ. جميع عيون Omnes fontes. v. 16. والداخلون ذكرا وانثي Mſ. والداخلين ذكور واناث ib. به deeſt in Mſ. v. 17. فحمل Mſ. فحملت v. 18. ولما كثر الما جدا وعظم Mſ. ولما عظم الما وكثر جدا C. ولما كثر الما وعظم جدا v. 20. ولما علا— Mſ. عظم in cæteris convenit, niſi quod in وتغطت copulam و omittat. at C. خمسة عشر ذراع من العلو صعد الما v. 23. نوح ومن معه فقط Mſ. نوح فقط ومن معه v. 24. ولما علا الما غطي الارض Mſ. & C. ولما عظم الما علي الارض forſ. علي rectius quam غطي

(*a*) DE Charran.] Ἐκ χαῤῥάν. *Compl.* ἐν χαράν. S. *Amb. l. de Abraam c.* 2. in Charran. (*b*) Quercum altam.] *Schol.* τῆς δρυὸς μαμβρῆ, Quercum Mambre. (*c*) Receſſit.] *Aquila*, μετῆρεν, *divertit.* (*d*) In Bethel.] *Obſervanda locutio: hoc enim videtur ſignificari*, in loco, qui habet Bethel ad mare, & Angæ ad orientem; *quod ex ſequenti capite colligitur.* (*e*) Ad mare.] *Schol.* ἀπὸ δυσμῶν, ἀπὸ θαλάσσης, ab occaſu, a mari. (*f*) In deſerto.] *Aquila*, νότονδε. *Symm.* εἰς νότον, ad Auſtrum. *Notat in tradit.* S. *Hieron. & in hoc, & in pluribus aliis locis, pro deſerto, ſcribi in hebrao, ad Auſtrum.* (*g*) Invaluerat.] *Aquila* ἐβάρυνεν, ingraveſcebat.

CAP. XIII.

(*a*) ET ivit, unde.] S. *Hier. in tradit.* Denique non, ut in lxx. legimus, abiit unde venerat, in deſertum uſque Bethel; ſed, ſicut in hebræo ſcriptum eſt, abiit itinere ſuo per Auſtrum uſque Bethel. *Vulgata tamen habet*, reverſuſque eſt per iter, quo venerat. (*b*) Boves & tabernacula.] *Ita* S. *Ambr. lib.* 2. *de Abraam, cap.* 5. *& vetuſti codices graci. In aliis, & apud* S. *Joan. Chryſ. hom.* 33. *eſt*, βόες ϗ κτήνη, boves & jumenta. (*c*) Uſque in ſæculum.] *Sic* S. *Aug. lib.* 16. *de civit. cap.* 21. *& quaſt.* 28. *Sed* S. *Ambr. lib.* 2. *cap.* 7. in æternum; *de qua re diſputat* S. *Aug. in illo cap.* 21. *& q.* 31. *& alibi ſape.* (*d*) Et ſemini tuo in ſæculum.] *Habentur hac verba in pleriſque vetuſtis codicibus gracis, & apud* S. *Ambr. lib.* 2. *cap.* 7. *Abſunt tamen a nonnullis codicibus: neque referuntur a* S. *Aug. locis indicatis.*

CAP. XIV.

(*a*) ET Arioch regis.] *In aliqua editione eſt*, ϗ ἀριὼχ βασιλεὺς, & Arioch rex. *A Complutenſi abeſt etiam illud* καὶ. (*b*) Hellaſar. *Aquila*, πόντου, ponti. *Symmachus*, σκυθῶν, *Scytharum.* (*c*) Conſenſerunt.] Συνεφώνησαν. *Aquila*, συνέβαλον, contulerunt, coiverunt. *Symmachus*, συνῆλθον, convenerunt. (*d*) Salſam] Τὴν ἁλυκήν. S. *Hier. in tradit.* ſalinarum. *Addit autem dictionem hebraam Aquilam eſſe interpretatum* τῶν πεδινῶν. *Theodotionem*, τῶν ἀλσῶν, *amœna nemora ſignificantes. Quamvis potuit fortaſſe Aquila regionem campeſtrem ſignificare voluiſſe.* (*e*) Gigantes.] *Aquila*, ῥαφαεὶμ, Raphaim. (*f*) Et Carnain.] *Abeſt conjunctio & a Complut. quemadmodum & a* S. *Hieron. qui diligenter hunc locum tractat.* (*g*) Cum eis.] *Ita etiam in vulgata: quamvis* S. *Hieron. ſcribat in hebrao ſignificare locum, id eſt*, in Hom. (*h*) Terebinthum.] *Schol.* δρυὸς, quercum. ἡ πόλις αὕτη τοῦ ἰὼβ, civitas hæc ipſius Job. (*i*) Gentium.] *Symmachus*, σκυθῶν, Scytharum. *Schol.* παμφυλίας, Pamphyliæ. (*k*) Sennaar.] *Schol.* πόντου, ponti. (*l*) Habitans in Sodomis.] *Alij codices*, κατασκηνῶν ἐν τῇ γῇ σοδόμων, *aut*, ἐν σοδόμοις. Tabernaculum habens in terra Sodomorum, *aut* in Sodomis. (*m*) Evaſerunt.] *Ita* S. *Aug. in locut. quod grace eſt*, τῶν ἀνασωθέντων. *Symmachus*, διαφυγόντων. S. *Hieronymus*, & qui fugerat. (*n*) Tranſitori.] Τῷ περάτῃ, *nec multo aliter Aquila.* περαίτῃ. *Symmachus autem* τῷ ἑβραίῳ, hebræo. *quod eſt in vulgata: licet fateatur* S. *Hier. vocabulo hebrao exprimi tranſitorem. Apud* S. *Aug. in locut. & quaſt.* 29. *eſt* transfluviali, *cujus verba diligenter ſunt perlegenda. Acacius*, τὸ ἀπὸ τοῦ προπάτορος τοῦ Ἀβραὰμ, λέγω δὲ τοῦ ἕβερ, ἐθνικὸν ὄνομα ἑρμηνευθὲν ἐτέθη, οἷον ἀντὶ τοῦ Ἀβραὰμ τῷ ἑβραίῳ, ἀβραὰμ τῷ περάτῃ, ἑβραῖος γὰρ περάτης ἑρμηνεύεται. Poſitum eſt gentile nomen ductum ab atavo ipſius Abraham, id eſt, Heber, ſed interpretatione redditum: nimirum pro, Abram hebræo, Abram tranſitori: hebræus enim interpretatione redditur tranſitor. *Quod etiam eſt Philonis in lib. de migrat. Abraam. Diodorus* περάτην καλεῖ τὸν ἀβραὰμ ὡσανεὶ πέραν οἰκοῦντα τοῦ ἰορδάνου. Tranſitorem vocat Abram, quippe qui habitaret trans Jordanem. *Origines*, περάτης ἑρμηνεύεται ἀβραὰμ ἐπειδὴ ἀπὸ τῆς χαλδαίων χώρας διαπεράσας τὴν μεσοποταμίαν, ἦλθεν εἰς τὰ μέρη τοῦ χαναάν. Tranſitor nominatur Abram, quoniam e Chaldæorum regione pertranſiens Meſopotamiam venit in partes Chanaan. *Schol.* τοῦτο παρὰ τῷ ἑβραίῳ κείμενον εὗρον. ὁ δὲ ἀβραὰμ ἀπὸ τῆς χαλδαίων χώρας εἰς τὴν παλαιστίνην ἦλθεν τὸν εὐφράτην ποταμὸν διαβάς. *Theodoretus q.* 60. *ad iſtud* περάτῃ. Hoc, inquit, in hebræo reperi eſſe ἔβερ (*al.* ἔβρ.) hoc autem græce declinatum fit ἑβραῖος. *& multa alia in hanc ſententiam: ut oſtendat hebraos dictos eſſe ab Abram tranſitore, qui Euphratem tranſierat, cum e Chaldaorum regione in Palaſtinam veniret.* (*o*) Ad ſiniſtram.] S. *Ambr. lib.* 2. *c.* 7. *habet* ad dexteram. (*p*) Et benedixit Abram.] *Ita libri veteres graci, &* S. *Cypr. lib.* 2. *epiſt.* 3. *In aliis eſt*, εὐλόγησεν αὐτὸν μελχισεδὲκ, benedixit eum Melchiſedech. (*q*) Homines.] *Aquila* τὴν ψυχὴν, animam. *Symmachus*, τὰς ψυχὰς, animas. (*r*) A filo.] *Aquila*, ῥάμματος. *Symmachus*, νήματος. *qua idem hoc loco ſignificant ac* σπαρτίον. S. *Auguſt. in locut. habet* σπάρτον, *unde inquit fluxiſſe errorem in latinam interpretationem, ut legeretur*, a ſparto. (*ſ*) Corrigiam] Σφυρωτῆρος, *Schol.* ita autem vocat τὸν ἱμάντα τοῦ ὑποδήματος, corrigiam calceamenti.

CAP: XV.

(*a*) DIcens.] λέγων, *ſape in ſcriptura ponitur, ac ſi eſſet imperſonale, et valeret*, dicendo. (*b*) Deſpota Domine.] *Non invenimus qui aptius interpretaremur illud* δέσποτα κύριε. (*c*) Filius autem Maſec.] *Aquila*, ὁ υἱὸς τοῦ ποτίζοντος οἰκίαν μου, filius potum dantis domui meæ. *Theodotio*, ϗ ὁ υἱὸς τοῦ ἐπὶ τῆς οἰκίας μου, & filius ejus, qui ſuper domum meam eſt. *Ita enim interpretatur utrumque* S. *Hieron. et hac addit*: Quod autem dicit, hoc eſt: Ego ſine liberis moriar, & filius procuratoris mei, vel villici, qui univerſa diſpenſat & diſtribuit cibaria familiæ meæ, vocaturque Damaſcus, Eliezer, hic meus hæres erit. *legenda etiam ſunt, qua de iſto nomine idem affert in cap.* 40. *Schol.* ὁ δὲ συγγενὴς τοῦ οἴκου μου, cognatus (*aut* congenitus) domus meæ. (*d*) Super diviſiones.] S. *Hier. in tradit.* ſuper cadavera, & ſuper diviſiones eorum. *et plerique vetuſti codices graci* ἐπὶ τὰ διχοτομήματα αὐτῶν, *nonnulli vero* ϗ τὰ διχοτομήματα αὐτῶν. *eamque vocem habet omnino Theodoretus q.* 65. *in aliis tamen quibuſdam eſt*, ἐπὶ τὰ σώματα τὰ διχοτομηθέντα. *&* S. *Auguſt.* 16. *de civit. cap.* 24. & deſcenderunt aves, & ſederunt ſuper corpora, quæ diviſa erant. S. *Ambr. lib.* 2. *c.* 8. ſupra deviſa corpora vitulæ. (*e*) Et conſedit.] *Sic* S. *Ambr. &* S. *Auguſt.* S. *autem Hier.* & ſedit cum eis. *Aquila*, ἀπεσόβησεν, abegit. *quo modo inquit* S. *Hier. ex hebrao vertendum eſſe. Theodoretus hoc factum explicans bis utitur verbo*, ἐξήλαυνεν, expellebat. (*f*) Ecſtaſis.] *Ita* S. *Hier*: S. *Ambr*: *lib*: 2. *c.* 9. exceſſus. S. *Aug*: *loco indicato*, pavor irruit. *Symm*: κάρος. S. *Hier*: In hebræo legitur καταφορὰ, quam ſupra vertimus, in ſoporem. (*g*) Et humiliabant eos.] *Hac abſunt a* S. *Aug*: (*h*) In pace.] S. *Aug*: *&* S. *Ambr. locis indicatis*, cum pace. *& aliquot libri graci* μετ᾽ εἰρήνης. (*i*) Nutritus.] *Ita* S. *Ambr*: *&* S. *Aug*: *locis indicatis, & omnes vetuſti codices graci* τραφεὶς. *In Compl*: *eſt* ταφεὶς, ſepultus. AA. LL. πατέρας σου μετ᾽ εἰρήνης τραφεὶς ἐν γήρᾳ καλῷ. AA πατέρας σου τραφεὶς ἐν εἰρήνῃ, ἐν γήρᾳ καλῷ. (*k*) Senecta.] *Schol*: ἐν πολιᾷ ἀγαθῇ, in canitie bona. Omnes LL. VV. τραφεὶς, nuſquam ταφείς.

CAP: XVI.

(*a*) FIlios faciam.] Τεκνοποιήσωμαι. *Ita plerique libri graci manuſcripti, & Theod. q.* 66. *&* S. *Hier. in tradit.* ut habeam filios ex ea. *In aliis quibuſdam eſt* τεκνοποιήσῃς, *& apud Philonem de congreſſu quar. erud. gratia, &* S. *Joannem Chryſoſt. hom.* 38. *Item* S. *Amb. lib.* 1. *c.* 4. ut filium facias ex illa. (*b*) Sur.] *Schol.* τεῖχος ἢ δ᾽ἰθυσμὸς, murus *aut* directio. S. *Hier. inquit viam iſtam per deſertum ducere ad Ægyptum.*

CAP. XVII.

(*a*) PLace.] *Ita* S. *Aug*: *lib*: 16. *de civit. cap*: 26. *quod grace eſt* εὐαρέστει. *Int*: *Orig*: *hom*: 3. complace. S. *Ambr*: *lib*: 1. *cap* 4. emerere: quaſi adhuc, inquit, plene non emeruiſſet, qui deſperaret ſterilis partum uxoris. (*b*) Inculpabilis.] *Sic Int*: *Orig*: S. *Aug*: ſine querela, *grace* ἄμεμπτος. (*c*) Teſtamentum.] διαθήκην. *Notat autem* S. *Hier*: *in tradit. ubicunque in graco, teſtamentum, legimus, ibi in hebrao ſermone eſſe, fœdus, ſive pactum, id eſt, Berith.* (*d*) Inter te.] S. *Aug*: inter me & te. *itemque Compl*: (*e*) Dabo.] *Symm.* ϗ δίδωμί σοι, & do tibi.

CAP. XVIII.

(*a*) ET lavent.] S. *Aug*: *q.* 34 & lavem pedes veſtros, & refrigerate, &c. (*b*) Et dixit.] *In aliquot libris gracis legitur*, ϗ εἶπαν, & dixerunt: *itemque paulo poſt. Philo in lib*: *de Abraham*, omnes ſimul loqui, parum decorum fuiſſet: civilius erat unius verbis cæteros annuere. (*c*) Tres menſuras.] *Aquila, & Symm*: σάτα, ſata: *quod ſe ideo ex hebrao addidiſſe dicit* S. *Hier*: *ut idem myſterium & hic & in Evangelio, ubi mulier tria ſata farina fermentare dicitur, agnoſcamus.* (*d*) Ad faciendum.] *locutio uſitata in ſcriptura, ut* facere *ſignificet* parare. (*e*) In horas.] εἰς ὥρας. *eodemque prorſus modo habet Philo in lib*: *de migratione Abraham.* S. *Hier. in tradit.* & in hora. *pro quo* vitam *inquit legi in hebrao.* (*f*) Riſit autem.] *Aquila*, ἐγέλασε καθ᾽ αὐτῆς, riſit ſuper ſe. (*g*) Nec dum mihi.] *Aquila*, μετὰ τὸ κατατριβῆναί με, ἐγένετό μοι τρυφερία, Poſtquam attrita ſum, facta eſt mihi voluptas. *Symm*: μετὰ τὸ παλαιωθῆναί με, ἐγένετό μοι ἀκμή, Poſtquam vetuſtate conſenui, facta eſt mihi adoleſcentia. S. *Hier. hac Symm. ita vertit*: *ſuperiora autem tamquam ex hebrao affert.* (*h*) Et multam.] *Aquila*, ὀστίνον, oſſeam, *Symm*: ἰσχυρὸν, robuſtam. (*i*) Erga me.] *abſunt iſta à* SS. *Ambroſio, & Aug*: *& ab Int*: *Origenis. Schol*: clamorem dicit τόλμαν, ἢ ϗ τὴν παῤῥησίαν, audaciam, vel etiam, fidentiam. S. *Aug*: *in locut.* Clamorem ſolet ſcriptura ponere pro tanta impudentia, & libertate iniquitatis, ut nec verecundia, nec timore abſcondatur. S. *Ambr*: *l.* 1. *c.* 6. Niſi forte quia ei quem nihil latet, clamant omnia, clamare videntur ſingulorum crimina. (*k*) Magna valde.] *Aquila, & Symm.* ἐβαρύνθησαν, ſunt aggravata. (*l*) Conſummantur.] *Ita* S. *Aug*: *q.* 39 *quod grace* συντελοῦνται. S. *Ambr. eod. cap.* 6. conſummabuntur: *poſſet etiam active accipi*, conſummant: *Symm*: ἐπετέλεσεν (*aut fortaſſe* ἐπετέλεσαν) τὸ ἔργον, complevit (*aut* compleverunt) opus. (*m*) Sicut.] ὡς τὸ ῥῆμα τοῦτο, *Abeſt illud* ὡς *ab aliquot codicibus*: *& à Compl. ſed reſpondet hebrao.* (*n*) Nequaquam.] *Symm.* οὐχὶ σὸν, non tuum eſt. (*o*) Nunquid Domine.] S. *Hier. in tradit.* nunquid eſt Domine. *idque putat obſcure dictum, & in hebrao plenius ſcribi*; ne quæſo iraſcaris Domine ſi locutus fuero. S. *Aug*: *in locut. ait ſubaudiri*, iraſceris, *aut aliquid hujuſmodi. Schol.* μὴ δὴ ὀργίλον τῷ κυρίῳ, ne provocet, obſecro, iram Domini.

CAP. XIX.

(a) FAcie.] S. *Ambr. lib* I. *c.* 6. & S. *Aug. q.* 41. in faciem. (b) Ab adoleſcente.] ἀπὸ νεανίσκου ἕως πρεσβυτέρου. *In Compl. eſt* πρεσβύτου. S. *Ambr.* ab infante uſque ad ſenem, totus populus pariter. *Notavit autem* S. *Hier. in trad. apud hebræos omnem filiũ ad comparationẽ parentũ vocari infantẽ & parvulum.* (c) Attraxerunt.] εἰσεσπάσαντο. *pro quo Juſtinus habet* ἐπίασαν, prehenderunt. (d) In cæcitate.] S. *Ambr. ibidem,* & S. *Aug. q.* 43. percuſſerunt cæcitate. *notatque S. Aug. græcos habere* ἀορασίᾳ, quod magis ſignificet, ſi dici poſſit, avidentia, quæ faciat non videri, non omnia, ſed quod non opus eſt. (e) Et turbati ſunt.] *Aquila,* ἐμέλλησεν, cunctabatur: *quo videtur ſpectaſſe S. Ambr: cum inquit,* & tum adhuc morabatur Lot. *Schol:* ἐστρατεύσατο, profectionem adornabat. (f) Quod facis.] ὃ ποιεῖς. S. *Aug. q.* 44. quam facis in me. (g) Ut vivat.] *Schol:* τοῦ ζῶσαι, ad vivificandum. (h) Nonne parva eſt.] οὐ μικρά ἐστι; *In multis codicibus eſt nota interrogationis: quæ tamen ab aliis abeſt. Philo in lib. de Abraham.* μικρὰν τε καὶ οὐ μικρὰν τὴν πόλιν ταύτην οἱ χρησμοὶ διασυνιστᾶσιν. parvam ſane, & non parvam civitatem hanc oracula ſtatuunt. *Orig. etiam hom.* 5. *id explicat, quomodo Segor ſit puſilla, & non puſilla. Vulgata,* nunquid non modica eſt, & vivet anima mea? *quo etiam loco habet Compl. notam interrogationis.* (i) Admiratus ſum.] ἐθαύμασα, *quod etiam verti poteſt,* ſuſpexi, reveritus ſum. S. *Aug. lib.* 16. *de civit. cap.* 29. *habet;* ecce miſeratus ſum faciem tuam. *Symm.* ὁράσεις ἐδυσωπήθην τὸ πρόσωπόν σου, aſpectu reveritus ſum faciem tuam. *Aquila,* ἦρα τὸ πρόσωπόν σου, ſumpſi faciem tuam. *De hoc loco S. Hier. in tradit.* (k) Cum ipſe dormivit.] ἐν τῷ κοιμηθῆναι αὐτόν. *In aliqua editione, & apud Chryſ. hom.* 44. *& hic, & paulo inferius eſt* αὐτήν. *S.Hier. in tradit.* & neſcivit, cum dormiſſet cum ea, & cum ſurrexiſſet ab eo. (l) Dicens de patre meo.] *Hæc non referuntur à S. Hier. in tradit. quemadmodum neque in vulgata habentur.*

CAP. XX.

(a) QUia.] *Ab aliquot codicibus græcis, & apud S. Auguſt. q.* 48. *abeſt illud,* quia, *itemque in ſequentibus verbis,* timuit, &c. *quæ quidem omnia uſque ad illud,* Miſit autem, *non leguntur in hebræo, neque in vulgata.* (b) Quid videns.] *Aquila,* τί εἶδες, ὅτι ἐποίησας σὺ τὸ ῥῆμα τοῦτο; quid vidiſti, quia feciſti tu verbum hoc? *Symm.* τί ἰδὼν ἐποίησας τὸ πρᾶγμα τοῦτο; quid videns feciſti rem hanc? *Theodotio,* τί ἑώρακας, ὅτι ἐποίησας τὸν λόγον τοῦτον; quid vidiſti, quia feciſti ſermonem hunc? (c) Mille didrachmas.] *hæc hoc loco abſunt à vulgata.*

CAP. XXI.

(a) LUdentem.] παίζοντα. *Acacius.* Num forte illud παίζειν dictum eſt, ἀντὶ τῆς μάχης, καὶ διώξεως, pro pugna, & inſectatione? S. *Hier. notat illa,* cum Iſaac filio ſuo, *non haberi in hebræo, ac dupliciter locum hunc ab hebræis exponi, ſive, quod idola ludo fecerit, ſive, quod adverſus Iſaac joco ſibi, & ludo, primogenita vendicaret.* (b) Et puerum.] S. *Hier. in tradit. & S. Aug. quæſt.* 53. *& Scholium inſertum Theodoreti quæſtionibus, docent ſubaudiendum,* non, impoſuit, *ſed,* dedit. (c) Tene illum.] *Ita plerique vetuſti codices græci,* καὶ κράτησον τῇ χειρί σου αὐτό. S. *Aug. q.* 54. & tene illum in manu tua.. *In alijs quibuſdam, & apud S. Joannem Chryſoſt. homil.* 46. *itemque in Compl eſt* καὶ κράτησον τῆς χειρὸς αὐτοῦ, *& S. Hier. in tradit.* & tene manum ejus. (d) Et Hochozath.] *Notat S.Hier. hunc in hebræo non haberi, ſed tantum Abimelech & Phichol.* (e) Agrum.] *Sic S. Aug. q.* 56. *quod græce eſt* ἄρουραν. *Aquila, & Symm.* δένδρων φυτείαν, arborum plantationem. (f) In puteo.] ἐπὶ τῷ φρέατι. *& ſignificat locum, quem dixit eo modo eſſe cognominatum à puteo, pro quo jurarant. S. Aug. q.* 56. *narrans hanc rem, inquit,* ad puteum juramenti.

CAP. XXII.

(a) TEntavit.] *Symm.* ἐδόξασεν, glorificavit. (b) Dilectum ἀγαπητόν. S. *Ambroſ. lib.* I. *cap.* 8. *habet,* dilectiſſimum: *& paulo inferius,* non perperciſti filio tuo dilectiſſimo, *itemque S. Cyprianus, lib.* 2. *contra Iud. Interpres Orig.* cariſſimum. *Aquila* τὸν μονογενῆ, unigenitum: *quomodo habet S. Hieron. in tradit. & vulgata. Symm.* τὸν μόνον σου, unicum tuum. (c) Excelſam] *Aquila,* τὴν καταφανῆ, lucidam. *Symm.* τῆς ὀπτασίας, viſionis. *Ita enim utrumque interpretatur S. Hieron. in tradit. & poſterius quidem eſt in vulgata. Idem vero notat in hebræo eſſe Moria, & hebræos putare hunc eſſe montem in quo poſtea templum conditum ſit.* (d) Quos] *S.Hieron. & S. Ambroſ. & Interpr. Orig.* quem. (e) Qui tenebatur] *Ita S. Hieron in tradit. & S. Auguſt. lib.* 16. *de civit. cap.* 32. *S. Ambroſ. loco indicato,* hærens. *græce eſt* κατεχόμενος. *Melito,* σύρος καὶ ὁ ἑβραῖος (κρεμάμενος) φησί, ὡς σαφέστερον τυπῶν τὸν σταυρόν. Syrus & Hebræus dicunt, κρεμάμενος, pendens, ut manifeſtius effingeret crucem. (f) In virgulto Sabec.] S. *Ambroſ.* hærens in virgulto. S. *Auguſt. loco indicato.* Quando eum vidit Abraham, cornibus in frutice tenebatur. S. *Hieronym. in tradit.* tenebatur in virgulto Sabec cornibus ſuis, *græce eſt,* κατεχόμενος ἐν φυτῷ σαβὲκ τῶν κεράτων. *apud Philonem autem in lib. de profugis,* κατεχόμενος τῶν κεράτων ἐν φυτῷ σαβέκ. *Schol. refert Aquilam pro virgulto Sabec, dixiſſe* συχνῷ, condenſo, & conſtipato. *Sanctus autem Hier.* Rurſus Aquila συχνεῷ interpretatus eſt, quem nos, vepretum, poſſumus dicere, vel ſpinetum, & ut verbi vim interpretemur, condenſa, & inter ſe implexa virgulta. Vnde & Symm. in eandem ductus opinionem, & apparuit, ait aries poſt hoc retentus in rete cornibus ſuis. *Addit etiam quoſdam putare Sabec eſſe certam virgulti ſpeciem: quod eſt in Scholio quodam incerto codici quæſtionum Theodor.* Schol. τὸ σαβὲκ ἄφεσιν τινὲς ἐκδεδώκασιν. οἱ δὲ ὄρθιος, ὡς εἶναι αὐτὸ τὸ λεγόμενον τράγος ὀρθὸς ἐπαναβεβηκὼς φυτῷ. ἐνταῦθα δὲ ὀρθὸς τῶν κεράτων κατεχόμενος, ὡς εἶναι φανερὸν τύπον σταυροῦ. διὰ τοῦτο δὲ οὐχ ἑρμηνεύεται, ὅτι ἡ ἑβραϊκὴ μία οὖσα λέξις, πολλὰ σημαίνει ἑρμηνευομένη. πρὸς δὲ τοὺς πυνθανομένους δεῖ ἀποκρίνεσθαι καὶ λέγειν, ὅτι τὸ σαβὲκ, ἐπηρμένος ἑρμηνεύει. Illud σαβὲκ quidam reddiderunt ἄφεσιν, dimiſſionem, liberationem: quidam vero ὄρθιος, erectus, ut idem valeat, ac ſi diceretur, hircus erectus, qui in virgultum inſcenderat: hoc autem loco, erectus cornibus detentus, ut ſit manifeſtus typus crucis. Propter hanc vero cauſam in aliam linguam non convertitur, quoniam dictio hebraica, cum una ſit, multa ſignificat, multaſque fert interpretationes. Ad eos autem, qui interrogant, reſpondere oportet, atque ita dicere, Sabec, ſignificare erectum, & ſublatum. S. *Hier.* ridiculam rem in hoc loco Emiſenus Euſebius eſt locutus: Sabec, inquiens, dicitur hircus, qui rectis cornibus, & ad carpendas arboris frondes ſublimis attollitur. (g) Dominus vidit.] *Ita S. Auguſt. refert hunc locum q.* 58. *niſi quod pro* dicant, *habet,* dicatur. S. *Hieron.* Dominus videt; ut dicant hodie, in monte Dominus videt. Pro eo quod hic habet, videt, in hebræo ſcriptum eſt, videbit. *Longe aliter interpretatur paraphraſis Chaldæa.*

CAP. XXIII.

(a) QUæ eſt in valle.] S.*Hier.* Hoc, quod hic poſitum eſt, quæ eſt in valle, in authenticis codicibus non habetur. Nomen quoque civitatis Arboc paulatim a ſcribentibus legentibuſque corruptum eſt. Neque enim putandum lxx interpretes nomen civitatis hebrææ, barbare, atque corrupte, & aliter, quam in ſuo dicitur, tranſtuliſſe. Arboc enim nihil omnino ſignificat: ſed dicitur Arbeæ, hoc eſt, quatuor, quia ibi Abraham, & Iſaac, & Jacob conditus eſt, & ipſe princeps humani generis Adam.

CAP. XXIV.

(a) PEr Dominum.] *Notat S. Aug. in locut. illud,* per, *abeſſe à græcis. Nam verbum* ἐξορκιῶ σε, adjurabo te, *ſignificat, ut in hebræo,* jurare te faciam. (b) A juramento meo.] *In aliquot codicibus græcis eſt* ὅρκου τούτου, a juramento hoc. *& ita S. Aug. in locut. & S. Ambr. lib.* 1. *cap.* 9 *Editio autem Complutenſis habet utrumque,* ὅρκου μου τούτου, juramento meo hoc. (c) Fecit accumbere.] ἐκοίμισε. *Schol.* ἐγονάτισεν, fecit genu flectere, *aut* procumbere in genua. (d) Paraſti.] *Schol.* ἀπέδειξας, demonſtraſti. (e) Singularum drachmarum.] *Sic S. Ambr. ibidem, quod græce eſt* ἀνὰ δραχμὴν ὁλκῆς. *Unus codex vetuſtus habet* διδραχμήν. *S. Hier. in tradit,* & tulit vir inaurem auream: didrachmum pondus ejus. (f) Virias] *Ita S. Ambr.* quod græce ψέλλια. *S. Hier. & hic & alibi interpretatur armillas.* (g) Et benedicens] καὶ εὐδοκήσας, *cujus verbi multiplex eſt notio: interdum autem bene hoc modo reddi admonet S Hier. ad Suniam, in pſal.* 84. *ad illud,* Benedixiſti Domine terram tuam. *Etiam in pſal.* 144. Imples omne animal benedictione: *illud,* benedictione, *græce eſt,* εὐδοκίας. *Poſſet autem hoc loco, & paulo inferius verti,* comprobans. (h) Juſtitiam ſuam.] *Aliquot codices non habent dictionem* αὐτοῦ, *quemadmodum neque S. Auguſt. in locut. Apud Theodoretũ eſt* τὴν διαθήκην teſtamentũ. *In Complutenſi autem legitur,* ὃς οὐ κατέλιπες τὴν δικαιοσύνην σου, qui non dereliquiſti Juſtitiam tuam. (i) Benedictus Domini] εὐλόγητος κυρίου, *& vulgata,* benedicte Domini. *Alii libri* εὐλογητὸς κύριος. Benedictus Dominus. (k) Ad lavandum.] νίψασθαι. *& S. Auguſt. in locut.* lavare. *Abeſt autem à Compl. & aliis quibuſdam editionibus.* (l) Ad Dominum meum.] *In nonnullis codicibus ſequitur,* ἀπαγγείλατέ μοι. *& apud S. Auguſt. quæſt* 66. renunciate mihi (m) Malum, vel bonum] *Alibi libri* κακὸν καλῷ, malum bono. *Schol. Syrus.* ἢ καλὸν ἢ κακόν, vel bonum vel malum. (n) Viam meam in me.] *A Complut. abeſt* in me. *In aliis quibuſdam editionibus eſt* ὁδὸν αὐτοῦ ἐν ἐμοί, viam ſuam in me. (o) Et ſubſtantiam.] *Aquila,* καὶ τὴν τιθήνην αὐτῆς. *Symm.* καὶ τὴν τροφὸν αὐτῆς, & nutricem ejus. *Quod S. Hier. in traditionibus inquit eſſe in hebræo, & dicens fuiſſe: lege eundem ibidem in cap.* 35 (p) Ancillæ.] ἅβραι. *Aquila,* παιδίσκαι. *Symmach.* κοράσια, *quæ idem fere ſignificant.* (q) Exerceri.] ἀδολεσχῆσαι. *Symm.* λαλῆσαι ἐν τῷ ἀγρῷ, loqui in agro. *Aquila,* ὁμιλῆσαι ἐν χώρᾳ, colloqui in regione. *Schol.* ἐξῆλθε κατὰ μόνας τοῖς ἰδίοις λογισμοῖς ἐνομιλῆσαι. οὐ πρόσκειται δὲ τινι. εἰκότως ἐπεὶ μηδὲ ἀνθρώπων ἡ τοιαύτη ὁμιλία γίνεται, ἀλλ' ἤτοι πρὸς θεόν, ἢ αὐτοῦ τινος πρὸς ἑαυτόν. Exiit ſolus propriis cogitationibus operam dare ac ſermocinari. Non additur autem quocum: jure id quidem: quando neque hominum hæc collocutio eſt, ſed vel erga Deum, vel ſui ipſius erga ſeipſum. *Verum de iſto verbo* ἀδολεσχῆσαι *& S.Hier. in tradit. & S. Aug q.* 69. *& alibi ſæpe multa dicunt. S Ambr. de Iſaac c.* 1. *hæc habet,* exivit in campum abalienare. (r) Theriſtrum.] S. Hier. *in tradit.* Theriſtrum pallium dicitur, genus etiam nunc Arabici veſtimenti, quo mulieres provinciæ illius velantur: *ac de eodem nomine plura in cap.* 4. *Eſaiæ.* (ſ) Intravit autem] *Aquila,* εἰσήγαγεν αὐτὴν εἰς τὴν σκηνὴν σάρρας τῆς μητρὸς αὐτοῦ, introduxit eam in tabernaculum Sarræ matris ſuæ, *& ſic vulgata.*

CAP: XXV.

(a) DEficiens.] S. *Hier: in tradit.* Male in lxx interpretibus additum eſt, & deficiens Abraham mortuus eſt, quia non convenit Abrahæ deficere, & imminui. *Eſt tamen etiam in vulgata, & in paraphraſi chaldaica, & reſpondet hebræo.* (b) In ſenectute.] *Aquila, & Symm.* ἐν πολιᾷ ἀγαθῇ, in canicie bona. (c) Dierum] *Hanc dictionem, quæ in græcis codicibus ponitur, S. Hier. in tradit. teſtatur, à ſe omiſſam eſſe: quæ tamen remanſit in vulgata.* (d) Populum ſuum.] *Schol:* πρὸς τοὺς περάτας. *quos ſupra notavimus apud S. Auguſt. eſſe transfluviales.* (e) Generationum ejus.] S. *Hier: in tradit.* in nominibus ſuis, & generationibus ſuis. S. *Aug. in locut.* ſecundum nomina generationes eorum. *In quæſt. autem q.* 71. ſecundum nomina generationum eorum. (f) Et Nabaioth] *Illud,* Et, *abeſt à Compl.. Et S. Hier: in tradit.* primogenitus Iſmaelis Nabaioth. (g) Fratrum.] *diſputat de iſto loco S. Hier: in tradit. ac notat,* fratres *pro filijs appellari, ut etiam alibi.* (h) Exultabant.] ἐσκίρτων. *Verbo exultandi utitur S. Ambr: in lib: de Iſaac. cap.* 4. *Eodem modo redditur idem verbum in vulgata, Pſal:* 113. montes exultaverunt. *S. Aug: & ibi, & hic q:* 72. *&* 16. *de civit. cap:* 35. *utitur verbo geſtiendi. S. Hier: in tradit.* Et movebantur filii ejus in ea. Pro motione lxx interpretes poſuerunt ἐσκίρτων, id eſt, ludebant, ſive, calcitrabant; quod Aquila tranſtulit, conſtringebantur filii in utero ejus. Symm. vero διέπλεον, id eſt, in ſimilitudinem navis in ſuperficie ferebantur. *Scholiaſtes tamen ex Sym. refert*, διεπάλαιον, colluctabantur. (*i*) Simplex.] *S. Aug. q.* 74. Quod græce dicitur ἄπλαστος, hoc latini ſimplicem interpretati ſunt. Proprie autem ἄπλαστος, non fictus. Unde aliqui latini interpretes, ſine dolo interpretati ſunt, dicentes: Erat Jacob ſine dolo, habitans in domo: Ut magna ſit quæſtio, *&c. Idem fere repetit* 16. *de civit. cap.* 37. *Aquila*, ἀπλοῦς, ſimplex. *Symm.* ἄμωμος, ſine crimine. (*k*) Rubea.] *Symm.* ἀδὰμ, Adam.

CAP. XXVI.

(*a*) LUdentem.] *Schol.* εὐσχημόνως εἴρηται, verecunde & honeſte dictum eſt. (*b*) Ignorantiam.] *S. Chryſoſt.* cauſam dediſſes, ut propter ignorantiam in peccatum incideremus. *Aquila, & Symm.* πλημμέλημα, delictum. (*c*) Centuplicans hordeum.] ἑκατοστεύουσαν κριθήν. *S. Hier. in tradit.* centuplum hordei, *Aquila*, ἑκατὸν εἰκασμένον, *id eſt, eodem S. Hieron. interprete & laudatore*, centuplum æſtimatum. (*d*) Pugnaverunt.] ἐμαχέσαντο. *Schol.* ἐδικάσαντο. litigaverunt. (*e*) Vocaverunt.] *S. Ambroſ. cap.* 4. *videtur legiſſe*, vocavit. *itemque S. Chryſoſt. homil.* 52. (*f*) Injuſtitia.] *Schol.* συκοφαντία. ἐσυκοφάντησαν γὰρ αὐτόν. calumnia: nam calumniam intulerant in eum. (*g*) Inimicitia.] ἐχθρεία. *S. Ambroſ.* inimicitias. *S. Hieron.* & vocavit nomen ejus, inimicitiæ. Pro inimicitiis, quod Aquila, & Symm. τῶν ἀντικειμένων, & ἐναντίωσιν, tranſtulerunt, id eſt, adverſum, atque contrarium, in hebræo habet, Satana. Ex quo intelligimus, Satanam, contrarium, interpretari. (*h*) Benedicam.] *Alij codices habent*, εὐλόγηκά σε. *& S. Auguſt.* 16. *de civit. cap.* 36. benedixit te. *Apud S. Chryſoſt. hom.* 52. *utroque modo legitur.* (*i*) Hochozath.] *S. Hier.* Pro, Ahuzath pronubo, in hebræo habet, collegium amicorum ejus, &c. *In vulgata tamen eſt*, Ochozath amicus illius. (*k*) Execratio.] ἀρά. *S. Auguſt. q.* 77. id eſt, juratio, quæ maledictis aſtringit, quæ accidant ei qui pejeraverit. (*l*) Non invenimus.] *Sic omnes græci collati codices, & S. Chryſoſt. eadem hom.* 52. *& S. Ambroſius eod. cap.* 4. *S. Hier. in tradit.* E contrario in hebræo, cui interpretationi Aquila conſentit, & Symm. hoc ſignificat, quod invenerint aquam, & propterea appellatus ſit puteus ipſe, ſaturitas, &c. *In Complutenſi legitur ſine negatione. Videndus S. Aug. q.* 78.

CAP. XXVII.

(*a*) SPernens.] *Aquila*, καταμωκώμενος, irridens, & ſubſannans. *Symm.* καταπαίζων, illudens. (*b*) Agri pleni.] ἀγροῦ πλήρους. *Diodorus.* ὁ σύρος, ἀντὶ τοῦ ἀγροῦ, ἀρούρας ἔχει. Syrus pro ἀγροῦ habet ἀρούρας, arvi, Illud autem πλήρους, πεπληρωμένου βλαστημάτων εὐωδεστάτων, referti germinibus & plantis optime olentibus. (*c*) Expavit.] *S. Auguſt. quæſt.* 80. Quod habent latini codices, expavit autem Iſaac pavore magno valde, græci habent, ἐξέστη δὲ ἰσαὰκ ἔκστασιν μεγάλην σφόδρα. ubi tanta commutatio intelligitur; ut quædam mentis alienatio ſequeretur, Ipſa enim proprie dicitur ecſtaſis, &c. (*d*) Erit.] ἔσται. *Ita libri veteres, & S. Chryſoſt. hom.* 53. *Alij libri* ἔστω. *& S. Auguſt.* 16. *de civit. c.* 37. & ſit benedictus. (*e*) Nunc.] *Notabitur, in pſalmis illud* δὴ *ſolere verti*, nunc, *ſed habere vim quamdam obſecrandi, ac ſi diceremus, quæſo, amabo.* (*f*) Dolo.] *Aquila*, ἐνέδρας, inſidiis, *Symm.* ἐν ἐπιθέσει, in fallacia, imponens mihi. (*f*) Supplantavit.] *Cyrillus.* πτερνιστὴς, ἰακὼβ, τουτέστι τεχνίτης, ἤτοι νικᾶν εἰδώς. ſupplanator Jacob, id eſt artifex, vel ſane doctus vincere. (*h*) Et erit, cum depoſueris.] *Viſa eſt S. Hieron. ſecundum LXX pendere ſententia, nec eſſe completa. Quare ipſe ita vertit*: & erit, quando depones, & ſolves jugum illud de collo tuo. *Schol.* ἔσται δὲ ἐὰν καμφθῇς, ϗ ἔσται καθὰ καταβιβάσῃς, erit autem cum flexeris, & erit, ſicut depoſueris. (*i*) Graviter iratus.] ἐνεκότει, *S. Chryſoſt. hom.* 53. hoc eſt, inſidebat, & perdurabat odium. (*k*) Minatur.] *Schol.* διανοεῖται κατὰ σοῦ, cogitat contra te. (*l*) Inſenſa ſum.] προσώχθικα. *de qua dictione alibi dicetur, Aquila*, ἐσίκχανα, tædio affecta ſum. *Symm.* ἐνεκάκησα, afflixi.

CAP. XXVIII.

(*a*) SYriæ.] *S. Auguſt. in locut.* Quaſi Meſopotamia dicatur, niſi Syriæ: quamvis hoc LXX habere non perhibentur, Syriæ, ſed cum aſteriſco ſcriptum eſt. (*b*) Domus Dei.] *Aquila.* βαιθὴλ, Bethel. (*c*) Ulam Luz.] *Vetuſti codices græci variant: in aliis enim eſt*, οὐλαμμαοὺς, *in aliis*, λαμμαοὺς, *in aliis* οὐλάμ. *S. Auguſt. quæſt.* 85. Ulamaus. *S. Hieron. in tradit.* Et vocavit Jacob nomen loci illius Bethel, & Ulam Luz erat nomen civitatis prius. Ab eo, quod ſupra dixerat, quam terribilis eſt locus iſte, non eſt hic, niſi domus Dei, & hæc porta cœli, nunc loco nomen imponit: & vocavit illum Bethel, id eſt domum Dei: qui locus vocabatur ante Luza: quod interpretatur nux, ſive amygdalum. Unde ridicule quidam verbum hebraicum Ulam, nomen eſſe urbis putant, cum Ulam interpretetur, prius, &c. *Sanctes tamen reddidit*, utique, *nam in fine clauſulæ adeſt dictio hebraica, quæ ſignificat*, prius. *Aquila*, πρότερον λοὺζ ὄνομα τῇ πόλει: antea Luz nomen erat civitatis.

CAP. XXIX.

(*a*) NUptias.] γάμον, *Aquila, & Symmachus*, πότον, potum, convivium. (*b*) Decepiſti.] *Schol.* ἐνήδρευσάς με, inſidiatus es mihi. (*c*) Septimanam.] *Ita S. Auguſt. quæſt.* 89. *quod græce eſt*, τὰ ἕβδομα ταύτης. *S. Hieron. in tradit.* hebdomadam iſtius; *& uterque locum iſtum diligenter tractat.* (*d*) Filiæ.] *S. Auguſt. ibidem*, Rachel filiæ ſuæ, *& ita etiam Complut.* (*e*) Apud me.] πρὸς ἐμοῦ. *S. Hier. ibidem.* Ubi nos legimus, Apud me erit vir meus, Aquila interpretatus eſt, applicabitur mihi vir meus, quod hebraice dicitur, ilave, & a doctoribus hebræorum aliter transfertur, ut dicant, proſequetur me vir meus, &c. (*f*) Nunc etiam hoc.] νῦν ἔτι τοῦτο. *Videtur autem ſignificare*, hac etiam vice: *quod & alibi notabitur.*

CAP. XXX.

(*a*) COaſſumpſit.] συναντελάβετό μου. *Ita libri veteres, & S. Chryſoſt. In aliis eſt*, συνελάβετό μου, auxiliatus eſt mihi. *S. Hier. in tradit.* habitare me fecit Deus habitatione cum ſorore mea, & invalui. *Ex Aquila autem hæc refert*, συναπέστρεψέν με ὁ θεὸς, ϗ συναπεστράφην, convertit me Deus, & converſa ſum. (*b*) In fortuna.] *Ita S. Hieron. ibidem, & libri veteres*, ἐν τύχῃ. *In aliis & apud Chryſoſt. & Theoderetum eſt*, εὐτύχηκα, bona fortuna ſum uſa. *Quomodo autem ſcriptura faciat fortunæ mentionem; docent Theodoretus, quæſt.* 86. *& S. Auguſt. q.* 91. *Ubi etiam hæc habet*: Quod latini habent, nato filio Liæ de Zelpha, quod dixerit, beata facta, vel felix facta ſum, græci habent, εὐτύχῃ, quod magis bonam fortunam ſignificat. Theodoretus. εὐτύχηκα, οὐ τοῦ ἰακὼβ ἐστι ῥῆμα, ἀλλὰ τῆς λείας γυναικὸς ἐν δυσσεβείᾳ τραφείσης, ϗ κατὰ βραχὺ τὰ θεῖα παιδευομένης. οὕτω ϗ ὁ ταύτης πατὴρ ἔφη τὸ οἰωνισάμην. εὐτύχηκα, bona fortuna ſum uſa, non eſt Jacob, ſed Liæ ſermo, mulieris in impietate enutritæ, ſic quoque hujus pater dixit οἰωνισάμην, auguratus ſum. *Sed videri poteſt depravato codice uſus. S. Hieron. ex Aquila*, venit accinctio. (*c*) Beatificabunt.] μακαριοῦσί με. *Ita vetuſti codices SS. Chryſ. Cyrillus, & Philo. In aliis eſt*, μακαρίζουσι, *& S. Hier.* beatificant. (*d*) Aſer.] *In nonnullis codicibus ſequitur*, ὅ ἐστι πλοῦτος, quod eſt, divitiæ, *quam additionem reprobat S. Hier. ibidem.* (*e*) Nunc temporis.] ἐν τῷ νῦν καιρῷ. *S. Hier. in ſua tralatione* (*quamvis aliter vulgata*) *videtur habere*, in hoc tempore: *& fortaſſe etiam hoc ſignificat*, hac vice: *quod de ſimili phraſi notatum eſt cap. præcedente. Notandum autem eſt hæc verba poſſe conjungi & cum antecedentibus, ut eſt in noſtra græca editione, & in Complutenſi, & cum conſequentibus, quemadmodum apud S. Chryſ. & S. Hier.* in hoc tempore habitabit mecum vir meus. (*f*) Deliget.] αἱρετιεῖ. *S. Hier.* Ubi nos poſuimus, habitabit mecum, & LXX interpretati ſunt, deliget me, in hebræo, &c. (*g*) Addat.] προσθέτω. *In aliquot codicibus, & apud S. Chryſoſt. hom.* 56 *eſt*, προσέθετο, addidit. (*h*) Auguratus ſum utique.] οἰωνισάμην ἄν. *Ita etiam S. Chryſoſt. & Theodoretus. Compl.* οἰωνισαίμην ἄν. *& S. Auguſt. in locut.* auguratus eſſem, *& legenda ſunt, quæ ille affert: itemque illa, quæ S. Chryſoſt. hom.* 57. (*i*) Diſtingue.] *id eſt*, diſtincte pronuncia, *ut in pſalmis, & alibi. Aquila*, ἐπονόμασον, nomina. *Symm.* ὅρισον, conſtitue. (*k*) Quando.] πότε. *Apud S. Chryſoſt. legitur ſine interrogatione, ut vertendum ſit*, aliquando. (*l*) Fuſcam.] Shol. ποικίλον, φαιὸν, variam, nigreſcentem. *S. Hier: aliter hæc refert, quam hic ſunt, & putat confuſum eſſe ſenſum* (*m*) Sparſos, & ſubalbos.] *Symm.* λευκόποδας, albis pedibus. (*n*) Nucinam.] καρυΐνην. *Schol*: ἀμυγδαλίνην, amygdalinam. *S. Hier*: Tres enim virgas, populeas, & amygdalinas, & mali granati, quamquam LXX ſtyracinas, & nucinas, & plataninas habeant, &c. (*o*) Et diſtrahens.] *illud*, Et, *abeſt a nonnullis codicibus, & a S. Chryſoſt. In aliis autem quibuſdam minus vetuſtis pro* τὸ χλωρὸν *eſt* τὸ λευκὸν, album. (*p*) Non ſignata.] *Aquila*, ὄψιμα, ſerotina. *Symmac*: δευτερόγονα, nata ex ſecunda fœtura. *Quam ſententiam docet S. Auguſt: quæſt:* 93. *elici etiam ex verbis LXX licet obſcuris.*

CAP. XXXI.

(*a*) CIrcumvenit.] παρεκρούσατο. *Aquila, & Symm.* παρελογίσατό με, decepit me. (*b*) Decem agnorum.] *Ita S. Auguſt. q.* 95. *quod græce eſt*, τῶν δέκα ἀμνῶν, *ſed poſſet etiam verti*, decem agnis, *ut S. Hieron. aut*, agnabus, *ut paulo inferius, quamvis ibi ſit* δέκα ἀμνάσιν. *Aquila*, δέκα ἀριθμοὺς, decem numeros. *Symm.* δεκάκις ἀριθμῷ, decies numero. *Euſebius.* ὁ σύρος, δεκάκις, ἀντὶ τοῦ πολλάκις, Syrus utitur decies pro multoties. *Miratur S. Hieron. cur LXX poſuerint decem agnos, cum verbum hebræum magis numerum quam agnos ſonet. Sed totam hanc rem explicat* S. *Auguſt: q.* 95. (*c*) Apparatum.] ἀποσκευήν. *de qua dictione & dictum eſt, & dicetur. Schol*, κτῆσιν, poſſeſſionem. (*d*) Idola.] *Aquila*, μορφώματα, *id eſt, ut interpretatur. S. Hieron* figuras *vel* imagines. *Symm. poſuit vocem hebræam, Theraphim.* θεραφείν. (*e*) Fratres.] In Compl. eſt τοὺς υἱοὺς αὐτοῦ, ϗ τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ, filios ſuos, & fratres ſuos. *Quod quidem in nullo ex collatis codicibus eſt inventum, neque eſt in vulgata, neque in hebræo. Fratres autem pro filiis appellari docet S. Hieron. in tradit.* (*f*) Et non cognovit apud eum quicquam.] *Hæc abſunt a Complut. ut a vulgata:* (*g*) Diſponam.] διαθῶμαι, *Complutenſis & Chryſoſtomus*, διαθώμεθα, diſponamus. (*h*) Dixit autem ei: ecce nemo nobiſcum eſt: vidit (*aut*, vide) Deus teſtis inter me & te.] *Hæc, ut a vulgata, ita etiam abſunt a Complutenſi: quæ tamen in omnibus collatis codicibus ſunt inventa: & referuntur a Chryſ: hom:* 57. (*i*) Titulum.] *Ita S. Hier: &* S. *Aug. q.* 96. *quod græce eſt*, στήλην, *& poſſet etiam verti*, monumentum, *aut*, columnam. (*k*) Acervus teſtimonii.] *Quomodo aliter vocaverit Jacob tumulum illum, dictione hebræa, aliter Laban dictione Syriaca, docet S. Hier: in tradit: itemque S. Auguſt. q.* 97. (*l*) Viſio.] *Exhibuit hic locus moleſtiam S. Auguſt: q.* 98. *qui neque etiam in vulgata ſatis clare reddi videtur. Hebraice enim eſt alterum nomen ejuſdem loci: Nam ſicut nominabatur Galghed, ex eo, quod fuiſſet acervus teſtimonii; ita nominabatur, Mizpah, id eſt, ſpecula, quia dixiſſet Laban, Speculetur Dominus inter me & te. Apud S. Chryſ: non referuntur verba iſta*, ϗ ἡ ὅρασις, ἣν εἶπεν. (*m*) Videns.] *Ita etiam S. Chryſ: Nonnulli conjungunt cum ſequentibus*, videns Deus. *A Complutenſi abeſt, neque a S. Auguſt: refertur q.* 99. (*n*) Sive enim ego non tranſgrediar.] *A Compl: abeſt negatio, non autem a manuſcriptis, neque a S. Chryſoſt: Et videtur hoc eſſe pactum, ſi ego non tranſiero ad te lædendum, neque tu tranſibis ad me. Sed fortaſſe eſt hebraiſmus, & illud* ἐάν τε γὰρ *valet* ὅτι: *atque hic eſt ſenſus. Titulus hic teſtis eſt, quod neque ego tranſgrediar, neque tu ad malum inferendum.*

CAP. XXXII.

(*a*) ET reſpiciens vidit caſtra Dei applicantia.] *Ita S. Ambr: lib:* 2. *de Jacob, cap:* 6. *quod græce*, παρεμβολὴν θεοῦ παρεμβεβληκυῖαν, *& poſſet etiam verti*, caſtra Dei caſtrametata, *aut*, poſita. *Abeſt autem hæc tota particula à vulgata, & hebræo.* (*b*) Una.] S. *Aug: quæſt:* 102. *habet*, prima. *Nam ſæpe in ſcriptura unum ſignificat primum.* (*c*) Sufficiat.] ἱκανούσθω μοι. *Ita vetuſti codices, & Chryſoſt: Cyrillus autem* ἱκανοῦταί μοι, ſufficit mihi.

Alii libri ἱκανός εἰμι, idoneus ſum. *S. Auguſt. videtur legiſſe* εἶ μοι. *Ita enim q.* 102 Idoneus es mihi ab omni juſtitia. *S. Hieron. in tradit. cum hunc locum ita reddidiſſet*, minor ſum omni miſericordia tua, *hæc addit:* Pro eo, quod nos poſuimus, minor ſum, aliud neſcio quid, quod ſenſum turbet, in græcis & latinis codicibus continetur. *Ac tamen idem ſenſus ex noſtra lectione elicitur. Nam* ἱκανέσθω μοι *hoc valet, ut ſæpe alibi, ſatis mihi ſuperque eſſe deberet, quod me, tot tantiſque beneficiis es proſecutus.* (*d*) Matrem] *Sic etiam S. Chryſoſt. & vulgata. Nonnulli græci codices habent,* μητέρας. *& S. Auguſt. quæſt. indicata*, matres. (*e*) Dices.] *S. Auguſt. locut.* 118. & dices, *notatque ex conſuetudine ſcripturæ redundare illud*, &. *Eſt etiam in hebræo.* (*f*) Præcedentibus eum.] *A Complutenſi abeſt illud*, eum, *ſicut etiam a vulgata. hebræus habet*, ad facies meas. *S. Auguſt. q.* 103. *putavit iſta* in muneribus præcedentibus eum, *eſſe verba ſcriptoris interpoſita inter verba Jacob, ſed poſſunt etiam dici a Jacob, hoc ſenſu*, venientibus ad faciem Eſau, antequam nos accedamus. (*g*) Forſitan.] *Schol.* ἐάν πως ἐντραπῇ, ſi quomodo revereatur. (*h*) Luctabatur.] *Aquila & Symm.* ἐκυλίετο ἀνὴρ μετ᾽ αὐτοῦ, ſeſe verſabat vir cum eo. (*i*) Quia invaluiſti.] *Aquila*, ὅτι ἦρξας κατὰ θεοῦ, quia princeps fuiſti cum Deo. *Symm.* ὅτι ἦρξω ἰσχύϊ πρὸς θεὸν, quoniam princeps fuiſti fortitudine erga Deum. *Ita enim fere videtur interpretari S. Hieron. qui etiam addit Theodotionem vertiſſe, ut lxx.* (*k*) Nomen meum.] *In aliquot codicibus, & apud Theodor. quæſt.* 91. *ſequitur*, καὶ τοῦτο ἐστι θαυμαστὸν, & hoc eſt admirabile, *quæ verba teſtatur Scholiaſtes* παρ᾽ οὐδενὶ κεῖσθαι ἐν τῷ ἑξαπλῷ. *apud neminem eſſe in hexaplo.* (*l*) Species Dei.] *Ita S. Ambr. in Pſal.* 43. *græce eſt*, εἶδος θεοῦ. *S. Hier. in tradit.* facies Dei. *Aquila*, πρόσωπον ἰσχυροῦ. facies fortis. *Symm.* φανουήλ. Phanuel: *quam vocem notat S. Hier. eſſe in hebræo: eamque interpres Theodoreti habet, non autem codex græcus quo uſi ſumus.*

CAP. XXXIII.

(*a*) RESpiciens.] *Aquila*, καὶ ἦρεν ἰακὼβ τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ, & levavit Jacob oculos ſuos. *Symm.* ἐπάρας δὲ ἰακὼβ τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ εἶδε φανέντα ἡσαῦ ἐρχόμενον, Elevans autem Jacob oculos ſuos, vidit apparere Eſau venientem. (*b*) Diviſit.] *Aquila*, ἡμίσευσεν. dimidiavit: *ac de iſto loco diſputat S. Hieron. in tradit.* (*c*) Complacebis mihi.] εὐδοκήσεις με. *Complut.* εὐδοκήσεις με, benedices me. (*d*) Eamus.] *Symm.* καὶ πορευθῶμεν ἵνα συνοδεύσω σοι. & eamus, ut una tecum iter faciam. *Schol.* πορεύσομαι εἰς κατέναντίον σου, ibo e regione tui.

CAP. XXXIV.

(*a*) IPſi.] *S. Auguſt. q.* 107. *habet*, ipſius. (*b*) Dixit.] *Compl.* εἶπε δὲ, dixit autem. (*c*) Appoſitus enim erat.] ἐνέκειτο. *S. Auguſt. in locut.* id eſt, amabat eam. (*d*) Pacifici.] *S Hier. in tradit. habet*, pacifici nobis ſunt. *Aquila.* ἀπηρτισμένοι, conſummati atque perfecti *ut idem S. Hier. interpretatur.* (*e*) Negotiabantur.] οἱ ἐμπορευόμενοι. *Alii libri habent*, ἐκπορευόμενοι. qui egrediebantur (*f*) Confidenter. ἀσφαλῶς, *quod S. Hier. interpretatur*, diligenter. (*g*) Corpora.] σώματα. *Diſputat S. Auguſt. in locut. quid iſta dictione ſignificetur. Non eſt autem inuſitatum ſignificari filios, & ſervos, quemadmodum etiam infra cap.* 36.

CAP. XXXV.

(*a*) ET perdidit ea uſque in hodiernum diem.] *Hæc non ſunt in vulgata, neque in hebræo.* (*b*) Luza.] *S. Auguſt. q.* 113. *putat eandem civitatem tria habuiſſe nomina, Ullamaus, Bæthel, Luza. Sed S. Hieron. in tradit* Ecce manifeſtiſſime comprobatur, Bæthel, non Ulam Luz, ut ſupra dictum eſt, ſed Luzam, id eſt, amygdalam, ante vocitatam. (*c*) Dedi.] *Schol.* ὤμοσα, juravi. (*d*) Profectus autem Jacob de Bæthel, fixit tabernaculum ſuum ultra turrim Gader.] *Hæc à S. Hieron. in tradit videntur referri non ex hoc loco, ſed ex paulo inferiore, ubi etiam habentur in vulgata, & hebræo, nimirum ante illa verba*: Factum eſt autem. quando habitavit Iſrael. (*e*) In Chabratha.] *A Complutenſi abeſt illud* in: *& apud S. Hieron. in tradit.* Et factum eſt, dum appropinquaret Chabratha in terra Chanaan, ut veniret Ephrata. *Qui etiam notat dictionem hebræam Chibrath, quæ nunc verſa eſt Chabratha, infra cap.* 48. *verti hippodromum: in hoc autem capite paulo poſt poni Hippodromum pro Ephratha. Teſtatur etiam Aquilam propoſitum nunc locum ita tranſtuliſſe*, καθ᾽ ὁδὸν τῆς γῆς, id eſt, in itinere terræ. *Melius autem ipſe putat transferri*, In electo terræ tempore. *Alii ex hebræo reddunt*, quaſi tractum (*aut*, milliare) terræ. (*f*) In via Hippodromi Ephrata.] *In aliquot codicibus eſt*, ἐν τῇ ὁδῷ ἐφραθά, in via Ephrata. *S. Hieron.* ubi in hebræo dicitur, & ſepelierunt eam in via Ephrata, hæc eſt Bethleem, rurſus LXX pro Ephrata poſuerunt Hippodromum: *Quare via Hippodromi, & Ephratha, duæ, quantum ex S. Hier. colligitur, videntur interpretationes. Interpretatione quidem LXX utitur S. Hier. in cap.* 4. *Michææ*, Rachel in via erat, & in Hippodromo, id eſt, equorum curſu. Et ipſe Jacob Gen. 48. ἐγγίζοντός μου κατὰ τὸν ἱππόδρομον χαβραθὰ τῆς γῆς τοῦ ἐλθεῖν ἐφραθά. καὶ κατώρυξα αὐτὴν ἐκεῖ ἐν τῇ ὁδῷ τοῦ ἱπποδρόμου. appropinquante me ad Hippodromum Chabratha terræ ad veniendum in Ephratha: & defodi eam in via hippodromi. (*g*) Et malum apparuit coram eo.] *Hæc abſunt a vulgata & hebræo.* (*h*) Campi.] *S. Hier.* Pro arbee in LXX campum habet, cum Chebron in monte ſita ſit. Eadem autem civitas dicitur & Mamre, ab amico Abrahæ ita antiquitus appellata.

CAP. XXXVI.

(*a*) ISti filii Eſau.] *Alii codices*, οὗτοι υἱοὶ ἡσαῦ, οὗτός ἐστιν ἐδὼν, καὶ οὗτοι υἱοὶ σηείρ. Iſti filii Eſau: hic eſt Edom: & iſti filii Seir: *& ita S. Hier. niſi quod addit eo loco, quo habet noſtra*, & iſti principes eorum. (*b*) Chorræi.] *S. Hieron. in tradit. videtur hæc ſejungere à præcedentibus. Ita enim ſcribit*, Eſau, & Edom, & Seir, unius nomen eſt hominis: & quare varie nuncupetur, ſupra dictum eſt. Quod autem ſequitur (& Chorræi habitantis terram, & reliqua.) Poſtquam enumeravit filios Eſau; altius repetit, & exponit, qui ante Eſau in Edom terra principes fuerint ex genere Chorræorum, *&c. Vulg. tamen habet*, Iſti ſunt filii Seir Horræi habitatores terræ: *& paulo poſt.* Hi duces Horræi filii Seir in terra Edom: *quo loco etiam S. Auguſt. quæſt.* 120. *habet*, Horræi. (*c*) Jamin.] *Diodorus*, ὁ σύρος καὶ ὁ ἑβραῖος τὸ ἰαμεὶν ὕδωρ βούλονται λέγειν. ἀντὶ τοῦ, εὗρε πηγὴν ἐν ἐρήμῳ. οἱ δὲ ἑρμηνεύσαντες αὐτὴν πως τὴν λέξιν τὴν ἑβραϊκὴν τεθείκασι. Syrus & Hebræus, ἰαμεὶν, volunt aquam ſignificare; ac ſi diceretur, invenit fontem in deſerto: Qui autem ſunt interpretati, ipſam quodammodo dictionem hebraicam poſuerunt. *Schol. ex Aquila, & Symm.* τοὺς ἰαμείμ. *S. Hier. teſtatur Theodotionem, ut LXX vertiſſe*, τὸν ἰαμεὶν, *quod indicat numerum ſingularem: Aquilam vero, & Symm. uſos eſſe numero plurali: & multa in hunc locum affert: quæ legenda.* (*d*) Hæc nomina.] *S. Auguſt. in locut.* Hæc nomina principum Eſau ſecundum loca eorum in regionibus eorum, & in gentibus eorum, gentes appellans unius gentis, *&c. In aliqua editione additur* ἐν ὀνόμασιν αὐτῶν, in nominibus ipſorum, *quod videtur eſſe ex alia interpretatione, & ſatis reſpondet hebræo.*

CAP. XXXVII.

(*a*) DEtulerunt.] κατήνεγκαν. *Ita Chryſoſt. & Theodoretus in hunc locum: & Schol. ex Cyrillo.* οἱ ἀπὸ ζέλφας καὶ βάλλας ψόγον πονηρὸν κατήγαγον ἐπὶ τὸν ἰωσήφ. Qui a Zelpha & qui a Balla, crimen malum detulerunt in Joſeph. *Diodorus* ὁ σύρος καὶ ὁ ἑβραῖος ἀντὶ τοῦ κατήνεγκαν κατήνεγκεν ἔχουσι. τουτέστιν, ὁ ἰωσὴφ διέβαλε τοὺς ἀδελφοὺς τῷ πατρὶ, ὡς οὐκ εὐτάκτους ὄντας, ὅθεν καὶ ἐμισήθη παρ᾽ αὐτῶν. Syrus & Hebræus, pro, κατήνεγκαν, habent κατήνεγκεν, id eſt, Joſeph criminatus eſt fratres patri, tanquam non modeſtos, nec bene compoſitos: quare etiam ab illis odio habebatur. *Symm.* καὶ ἔφερεν ἰωσὴφ διαβολὴν κατ᾽ αὐτῶν πονηρὰν πρὸς πατέρα αὐτῶν, & afferebat Joſeph criminationem adverſus eos malam ad patrem ipſorum. *Aquila*, καὶ ἤνεγκεν ἰωσὴφ τὸν ψόγον αὐτῶν πονηρὸν πρὸς τὸν πατέρα αὐτοῦ, & detulit Joſeph vituperationem eorum malam ad patrem ſuum. *nec multo aliter Complutenſis.* (*b*) Variam.] *Aquila*, ἀστραγάλειον, talarem: *Ita enim interpretatur S. Hier. & addit Sym. dixiſſe tunicam manicatam.* (*c*) Vos.] ὑμᾶς. *Philo in lib. de Joſeph videtur legiſſe* ἡμᾶς, nos. (*d*) Si valent.] *Schol.* τὴν εἰρήνην τῶν ἀδελφῶν σου, καὶ τὴν εἰρήνην τῶν βοσκημάτων, pacem fratrum tuorum, & pacem pecorum. (*e*) Malignabantur.] *Schol.* ἐδολιεύσαντο, dolum ſunt meditati. (*f*) Ut eriperet. *Ita etiam hebræus. In aliquot codicibus hæc antecedunt*, ἐζήτει γὰρ, quærebat enim, *& vulgata*, hoc autem dicebat volens eripere. (*g*) Odoramentis.] θυμιαμάτων *Aquila*, στύρακος, ſtyrace. (*h*) Quid utile.] *Aquila*, τί πλεονέκτημα, quæ acceſſio, & emolumentum: *alii interpretes*, τί κέρδος, quod lucrum. (*i*) Madianæi.] *ut S. Hier aut*, Madianitæ, *ut S. Auguſt. Schol.* ἰσμαηλῖται, Iſmaelitæ. *Quomodo autem Iſmaelitæ, & Madianitæ eſſe potuerint, diſputat. S. Aug. q.* 124. (*k*) Aureis.] *Notat S. Hier. in hebræo eſſe*, argenteis. (*l*) Petephræ.] *Ita S. Aug. q.* 127. *& ita teſtatur S. Hier. in latino ſcriptum eſſe: ſed legendum ait*, Putiphar. (*m*) Archimagiro.] *S. Auguſt. ibidem, & S. Ambr. in libro de Joſeph cap.* 4. præpoſito coquorum. *S. Hier. magis probat*, principi exercitus, & bellatorum: *quare in vulgata eſt*, magiſtro militum, *idque non diſplicet etiam S. Auguſt.*

CAP: XXXVIII.

(*a*) HÆc autem.] *S. Hieron. in tradit.* Hæc autem erat in Caſbi, quando peperit eum. Verbum hebræum hic pro loci vocabulo poſitum eſt, quod Aquila pro re tranſtulit, dicens: Et vocavit nomen ejus Selom: & factum eſt, ut mentiretur in partu, poſtquam genuit eum, &c. (*b*) Sava uxor.] *In vulgata eſt*, filia Suæ, uxor Judæ, *& reſpondet hebræo.* (*c*) Theriſtrum] *De hoc dictum eſt ſupra. S. Cyprianus, lib.* 3. *ad Quirinum. numb.* 38. *hunc locum ita reddit*: Thamar cooperuit ſe pallio & adornavit: & cum aſpexiſſet eam Judas, viſum eſt ei meretricem eſſe. *Schol.* σπαθαρίσκον, *flabellum fortaſſe e palmulis factum, aut ſimile ſpathæ.* (*d*) Annulum.] τὸν δακτύλιόν σου καὶ τὸν ὁρμίσκον. *Aquila*, τὴν σφραγίδα σου καὶ στρεπτόν σου, ſigillum tuum, & torquem tuum. *Schol.* ἄλλως φησὶν τὸν ὁρμίσκον, ὠράειον. ὁ δὲ ἅγιος Κύριλλος, κοσμήματι τῷ περὶ τὴν δέῤῥιν, ἔθει χαλδαϊκῷ κοσμουμένῳ τῷ ἰούδᾳ. χρυσῷ γὰρ οὗτοι καὶ χεῖρας καὶ δέῤῥιν καταλαμπρύνουσι, καὶ αὐτὴν τὴν τρίχα στεφανοῦσιν ἔσθ᾽ ὅτε. aliud, τὸν ὁρμίσκον dicit, ὠράειον, orarium. *S. autem Cyrillus*, ornamento, quo δέῤῥις, (*id eſt pellis, aut veſtimentum e pillis confectum*) circumdatur, ex conſuetudine Chaldaica ornato Juda. Auro enim hi & manus, & δέῤῥιν ſplendidam faciunt, & ipſum etiam capillum coronant interdum. (*e*) Virgam.] *Symm.* ἐγχειρίδιον, enchiridion (*f*) Meretrix.] ἡ πόρνη *Aquila*, ἡ ἐνδιηλλαγμένη, proſtituta illa. (*g*) Non fuit hic meretrix.] *A.* οὐκ ἦν ἐν τούτῳ διηλλαγμένη. non fuit in hoc proſtituta. (*h*) Derideamur.] *Aquila, & Symm.* γενώμεθα εἰς ἐξουδένωσιν, ſimus in contemptum. (*i*) Socerum.] *Schol.* κύριον, dominum. (*k*) Juſtificata.] *S. Hier. in tradit.* in hebræo habet, juſtificata eſt ex me, &c. (*l*) Quid diviſa eſt.] *Schol.* Syrus, & Hebræus, τί διεκόπη ἐπὶ σὲ διακοπή; quid diviſa eſt ſuper te diviſio? *Aquila*, τί διέκοψας ἐπὶ σὲ διακοπήν; quid diviſiſti ſuper te diviſionem? *Aliud Scholion aliter*, τί διήπλωσας καθ᾽ ἡμῶν ἅπλωμα; quid trajeciſti contra nos expanſionem? *id eſt, ut opinor, membranulam ſecundinarum. Sanctus quidem Hier. inquit, Aquilam & Symm. pro maceria diviſionem tranſtuliſſe, ab eo quod infans diviſerit membranulam ſecundinarum.*

CAP. XXXIX.

(*a*) EVnuchus.] *Schol.* ὁ μὲν σύρος, μιᾷ προσηγορίᾳ τόν τε σπάδοντα καὶ τὸν πιστὸν ἄνδρα λέγει τοῖς δεσπόταις. ὁ δὲ ἑβραῖος ἀληθῶς εὐνοῦχον, καὶ τοῦτον ἀπὸ τῆς πίστεως. ἐπειδὴ φιλεῖ τὸ τῶν εὐνούχων γένος μάλιστα πιστεύεσθαι τὰ τιμιώτερα τῶν κτημάτων, καὶ αὐτὴν τὴν βασιλέων σωτηρίαν. Syrus quidem eodem vocabulo nominat & ſpadonem, & virum fidelem dominis: hebræus autem vere eunuchum & hunc ex fide: Solent enim eunuchorum potiſſimum generi precioſiſſima quæque bona credi, & ipſamet regum ſalus. *Aliud ſcholium ad marginem quæſt. Theodoreti.* Eunuchi nominantur non ſoli ſecti, ſed etiam qui inter famulos ſunt εὐνοοῦντες τοῖς ἔχουσιν, benevoli poſſeſſoribus. Nonnulli autem dicunt ſolere Eunuchos Ægyptios habere uxores propter libidinem & ſalacitatem. *Verum de hoc Eunucho multa diſputat* S. *Hieron. & alij.* (b) Proſperans.] ἐπιτυγχάνων, *& poſſet etiam verti*, qui aſſequebatur quod cupiebat, fortunatus. *Quamobrem dubitat Theodoretus, quomodo in viro pio utatur hoc nomine ſcriptura: ac reſpondet manifeſto tamen oſtendere ſcripturam, hanc proſperitatem a Deo fuiſſe*; intelligebat enim, inquit, dominus ejus quia Dominus erat cum eo. *Aquila*, κατευθυνόμενος. *Symm* εὐοδούμενος, qui bene dirigebatur ac proſpere procedebat. (c) Propter me.] δι᾽ ἐμέ. *S. Ambroſ. 2. offic. cap.* 17. præter me. (d) Et nihil eſt in domo hac quod ſupra me ſit.] *Hæc non referuntur a S. Ambroſ. loco indicato. A Complutenſi abſunt illa,* quod ſupra me ſit, *ac tamen reſpondent hebræo.* (e) Princeps cuſtodiæ carceris.] ὁ ἀρχιδεσμοφύλαξ, *S. Auguſt. in locut.* & dedit carceris cuſtos carcerem per manum Joſeph, pro eo, quod in manus Joſeph, per quod ſignificat in poteſtate. (f) Abductos.] τοὺς ἀπηγμένους, ὅσοι ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ. *A Compl. abeſt illud* ὅσοι. *quare ita interpretatur*, adductos in carcere. *Symm. pro* ἀπηγμένους, *dixit*, δεδεμένους, vinctos.

CAP. XL.

(a) PRinceps vinariorum.] *Ita S. Hieron. in tradit. quod græce eſt*, ὁ ἀρχιοινοχόος, *& poſſet verti*, præpoſitus pincernarum. *S. Ambroſ. cap. 6. habet*, præpoſitus vini, & præpoſitus piſtorum. *Aquila*, ὁ ποτιστὴς, καὶ ὁ πέσσων, pocillator, & panificus. (b) Princeps carceris] ὁ ἀρχιδεσμώτης. *S. Ambroſ. ibidem*, carceris clavicularius. (c) Fuerunt autem dies.] ἦσαν δὲ ἡμέραι. *S. Ambroſ. ibidem hanc rem narrans*, cum eſſent illic dies complures. (d) Viſio autem.] *In alijs codicibus eſt*, ὅρασις τοῦ ἐνυπνίου αὐτῶν. ὁ ἀρχιοινοχόος, καὶ ὁ ἀρχισιτοποιὸς, οἳ ἦσαν τῷ βασιλεῖ Αἰγύπτου, οἱ ὄντες ἐν τοῖς δεσμωτηρίοις, viſio ſomnii eorum: præpoſitus pincernarum, & præpoſitus piſtorum, qui erant regi Ægypti, qui erant in cuſtodiis. *Complutenſis autem*, ὧν αἱ ὁράσεις τοῦ ἐνυπνίου αὐτῶν ὁ οἰνοχόος, καὶ ὁ σιτοποιὸς, &c. quorum viſiones ſomnii eorum: pincerna, & piſtor, &c. (e) Perturbati.] *Aquila*, ἐμβεβρασόμενοι, perculſi, & concuſſi. *Symmachus*, σκυθρωποὶ, triſtes. (f) Propagines.] πυθμένες. *Aquila, & Symmachus.* κληματίδες, malleoli, & ſarmenta. *S. Ambr.* radices. *S. Hier. in trad. & S. Auguſt. in locut.* fundi. (g) Maturi.] *Aliquot codices habent*, πεπείρους βότρυας σταφυλῆς, maturos racemos uvæ. *Apud S. Hier. hæc de hoc loco referuntur.* Et ecce vitis in conſpectu meo, & in vite tres fundi, & ipſa germinans tres fundos. *Apud S. Ambr.* Erat vitis in conſpectu meo, in vite autem tres radices, & ipſa flores ferens, germina matura, & botryones uvarum. (h) Pincernarum principatum.] ἐπὶ τὴν ἀρχιοινοχοΐαν σου. *S. Ambr.* ſuper officium tuum priſtinum. (i) Furto furtive ablatus ſum.] κλοπῇ ἐκλάπην. *S. Ambr.* furtive captus ſum de terra hebræorum, & hic nihil mali feci, & miſerunt me in lacum carceris hujus. *Compl. quidem habet*, εἰς τὸν οἶκον τοῦ λάκκου τούτου, in domum ciſternæ hujus.] (k) Chondritorum.] *S. Hier.* Pro tribus caniſtris Chondritorum tres cophinos farinæ in hebræo habet *S. Aug. q.* 131. Quod aliqui codices latini habent, tria caniſtra alicæ, cū græci habeant, χονδριτῶν, quod interpretantur, qui uſum ejuſdem linguæ habent, panes eſſe cibarios, &c. *Aquila*, τρεῖς κόφινοι γύρεως, tres cophini pollinis. *Sym.* τρία κανᾶ βαϊνά, tria caniſtra Baina. *Quidam ex hebræo interpretantur*, alba. (l) Opus piſtoris.] *S. Auguſt. quæſt. indicata*, opus piſtorum. *Compl.* ἔργῳ σιτοποιοῦ, opere piſtoris.

CAP. XLI.

(a) PUlchræ ſpecie.] *S. Hieron.* ſpecioſæ ad videndum. *Schol.* στερέμνιοι κρέει, καὶ παχεῖαι σαρξὶν, ſolidæ carne, & denſæ carnibus. (b) In Achi.] ἐν τῷ ἄχει. *Alii libri*, ἐν τῇ ὄχθῃ. *& ita videtur habuiſſe Philo in lib. de Joſeph. Ita enim hanc rem narrans inquit*, καὶ παρὰ ταῖς ὄχθαις νέμεσθαι. & apud ripas paſci. *Schol.* ἐν τῷ ἕλει. in loco ſtirpibus conferto, & uliginoſo, *aut*, in palude. *Aliud Scholium* ἄχος ἐστὶ τὸ λεπτὸν καὶ βοτανῶδες φυτάριον, eſt plantarium tenue, & herboſum. *Job cap. 8. eadem dictio hebræa transfertur*, βούτομον. ἢ ὑψωθήσεται βούτομον ἄνευ ποτοῦ, *quod Aquila vertit*, ἢ πληθυνθήσεται ἕλος. *ubi vulgata editio habet*, carectum. *Et in Eccleſiaſtico cap. 40. ubi græca*, ἄχει ἐπὶ παντὸς ὕδατος, *latina*, ſuper omnem aquam viriditas. *S. Hieron. in tradit. notat Achi eſſe dictionem hebræam nonnihil mutatam, & ſignificare paludem.* (c) A vento corruptæ.] ἀνεμόφθοροι, *Schol.* ἐφθαρμένοι καύσωνι, πεφρυγμένοι ἀνέμῳ. corruptæ ab æſtu, arefactæ a vento. (d) Et erat ſomnium.] *Corrupte videtur legi apud S. Auguſt. in locut.* & non erat ſomnium. *Nam ipſemet locum explanat ſine negatione.* Amant ſcripturæ ſic loqui de ſomniis, cum fuerit evigilatum: tanquam reddita homini veritate vigilantium, tunc illud appareat ſomnium: quod, cum videretur, quaſi veritas fuit. (e) Turbata.] *Schol.* κατεπάρη, trajecta eſt. (f) Interpretes τοὺς ἐξηγητὰς, explanatores. *Aquila*, κρυφιαστὰς, occultorum cognitores. *Symm.* μάγους, magos. (g) Eſt nobis.] *In aliquot codicibus ſequitur*, τὰ ἐνύπνια ἡμῶν, ἀνδρὶ κατὰ τὸ ἐνύπνιον αὐτοῦ ἐπέλυσεν, ſomnia noſtra, viro juxta ipſius ſomnium ſolvit, & explicavit. (h) Eduxerunt.] *Schol.* δρομῇ ἤγαγον, curſim duxerunt. (i) Interpretibus.] *Rurſus Aquila*, πρὸς τοὺς κρυφιαστὰς, *& Symm.* μάγους. (k) Futuræ.] *S. Auguſt. quæſt.* 133. non futuræ illis, qui famem patientur, tamquam poſtea veniat illis ubertas: ſed futura erat tunc, quando loquebatur: tamquam diceret, ubertatis hujus, quam futuram ſignificaverunt boves bonæ, & ſpicæ bonæ, obliviſcentur homines in ea fame, quam ſignificaverunt boves, & ſpicæ malæ. *S. Ambroſ. cap. 7. habet tantum*, & obliviſcentur ubertatem. (l) Verum.] *Schol.* ἕτοιμον τὸ ῥῆμα. βέβαιος ὁ λόγος, promptum, ac paratum verbum, ſermo certus, & ſtabilis. (m) Locorum principes.] *Ita S. Auguſt. in locut. quod græce eſt* τοπάρχας, *Schol.* ἐπισκόπους. viſitatores. *eam dictionem S. Auguſt. interdum vertit*, ſuperintendentes. (n) Eſcas] βρώματα, *Schol.* γεννήματα, genimina, fruges. (o) Cuſtoditæ.] τὰ πεφυλαγμένα. *Aquila*, εἰς παραθήκην. *Sym.* εἰς ἐνθήκην, in depoſito. (p) Præco.] *S. Hier.* Pro quo Aquila tranſtulit, Et clamavit in conſpectu ejus adgeniculationem. Symm. ipſum hebraicum ſermonem interpretans ait, Et clamavit ante eum Abrech. Unde mihi videtur non tam præco, ſive adgeniculatio, quæ in ſalutando, vel adorando Joſeph, accipi poteſt, intelligenda, quam id, quod hebræi tradunt, dicentes patrem tenerum ex hoc ſermone transferri, &c. (q) Manum.] *Vulgata & hebræus, addunt*, aut pedem. (r) Pſonthom Phanech.] *Schol* ὁ σύρος ἔχει Syrus habet, ὁ εἰδὼς τὰ κρυπτὰ, qui novit occulta. *Philo in lib. de Joſeph*, μετονομάζει δ᾽ αὐτὸν ἀπὸ τῆς ὀνειροκριτικῆς ἐγχωρίῳ γλώττῃ προσαγορεύσας, Novum illi nomen imponit, ex judicatrice ſomniorum facultate vernacula lingua illum appellans. κρυπτῶν εὑρετὴς, ἢ ὀνειροκρίτης. abſconditorum repertor, aut ſomniorum judex. idem *S. Hier.* Licet hebraice hoc nomen abſconditorum repertorem ſonet; tamen, quia ab Ægyptio ponitur, ipſius linguæ debet habere rationem. Interpretatur ergo ſermone Ægyptio Zaphanath Phaanecha, ſive ut LXX tranferre voluerunt, ψονθομφανήχ, ſalvator mundi, &c. (ſ) Petephtræ.] *Quomodo Petephres, ſi erat eunuchus, habuerit filiam, diſputant S. Hier. in tradit. & S. Auguſt. quæſt. 136. S. Chryſoſt. hom. 63. non videtur putare hunc eſſe eundem atque eunuchum, de quo ſuperius dictum eſt, nec fortaſſe etiam Philo. vocat enim hanc uxorem clariſſimam præ ceteris; quippe quæ eſſet filia ſacerdotis Heliopoleos.* (t) Uxorem.] *Hic in vulgata, & hebræo, ſequitur*: Egreſſus eſt itaque Joſeph ad terram Ægypti (u) Quia obliviſci.] *Ita etiam S. Chryſoſt. hom. 64. S. Hier* quia dixit, obliviſci me fecit, *& in aliquot codicibus græcis eſt*, λέγων, ὅτι ἐπιλαθέσθαι, *itemque paulo poſt*, λέγων ὅτι ηὔξησε. *quo tamen loco S. Hier.* quia creſcere me fecit. *Eſt autem hebraiſmus: nam utroque loco ſubintelligitur*, dixit. (x) Erant panes.] *Ita vetuſtiores codices, & S. Chryſoſt. Alii libri.* οὐκ ἦσαν ἄρτοι, non erant panes: *quibuſcum videtur facere vulgata*, fames erat, *ſed cum retenta lectione, hebræus & chaldæus.*

CAP. XLII.

(a) LAnguor.] μαλακία. *Aquila*, σύμπτωμα, caſus, calamitas. *Symm.* κίνδυνος, periculum. (b) Exploratores eſtis.] κατάσκοποί ἐστε. *Aquila*, ἐφοδευταὶ, inſidiatores. (c) Pacifici] *Aquila*: ὀρθοὶ, recti. *Symm.* ἁπλοὶ, ſimplices. (d) Veſtigia.] *Aquila & Symm.* τὰ κρυπτὰ, occulta, intima. (e) Manifeſti eritis.] φανεῖσθε. *Aquila, & Symm.* δοκιμασθήσεσθε, probabimini ac deprehendemini. (f) Per ſalutem.] *Ita S. Auguſt. q* 139. *(ubi de hac ſententia diſputat) quod græce eſt*, νὴ τὴν ὑγίειαν. *Aquila* ζῇ φαραὼ, vivit Pharao. (g) Abducamini] ἀπάχθητε. *quo verbo etiam ſuperius ſignificatum eſt, conjci in carcerem. Aquila, & Symm.* δεθήσεσθε, vinciemini. (h) Sin autem non.] εἰ δὲ μή. *S. Auguſt. ibidem habet tantum*, ſin autem, *quaſi valeat*, ſin minus, *ut in Exodo dicitur.* (i) Marſupium.] *Aquila*, θύλακον, vas panarium. *Symm.* σάκκον, ſaccum.

CAP. XLIII.

(a) ET nuces.] *S. Hieron.* ſive, ut Aquila, & Symm. tranſtulerunt, ἀμύγδαλα, amygdala. Idcirco hoc capitulum poſuimus, ut ſciamus, ubi in noſtris codicibus habetur thymiama, in hebræo eſſe nechota, quod Aquila, ſtoracem tranſtulit, &c (b) Et hoc argentum.] *Ita S. Auguſt. in locut. quod græce eſt*, καὶ τόδε τὸ ἀργύριον, *videtur autem illud*, τόδε, *valere idem atque*, ecce. (c) Propitius vobis] *Sic interpungit etiam S. Ambroſ. & reliqui. S. Auguſt. in locut.* In his verbis, quibus dictum eſt, Propitius vobis, duo verba ſunt, quæ ſubaudiuntur, &, ſit, &, Deus Plenum eſt enim, propitius ſit vobis Deus: quod omnino in græco uſitatiſſimum eſt. *S. Chryſoſt. homilia 64. videtur habuiſſe* Deus, *ſicut etiam S. Ambr. cap. 9.* (d) Probum acceptum habeo.] *Sic S. Ambroſ cap. 9. quod græce eſt*, εὐδοκιμοῦν ἀπέχω. *S. Auguſt. quæſt.* 143. probatum habeo (e) Benedictus homo ille Deo.] *Hæc abſunt à vulgata & hebræo.* (f) Inteſtina.] τὰ ἔγκατα. *Alii codices habent* τὰ ἔντερα, *quod idem valet: alij*, τὰ σπλάγχνα, viſcera. (g) Ægyptiis.] *Ita libri veteres, & S. Chryſoſt. ibidem, & S. Auguſt. in locut. In nonnullis recentioribus ſequitur*, πᾶς ποιμὴν προβάτων, omnis paſtor ovium, *quæ videri poſſunt importata ex cap.* 46. (h) Jura ætatis τὰ πρεσβεῖα. *S. Ambr. cap.* 11. contra eum primitivus ſecundum ætatem (i) Ad ſeipſos.] πρὸς ἑαυτούς. *alii libri*, πρὸς αὐτοὺς, ad eos. (k) Inebriati.] *S. Hier.* Idioma linguæ hebraicæ eſt, ut ebrietatem pro ſatietate ponat. *Quod etiam notat S. Auguſt. q.* 144.

CAP. XLIV.

(a) ET injicite.] *S. Hieron. in tradit.* Et pone argentum uniuſcujuſque in ore ſacculi, & Condy meum argentum mitte in ſacculum junioris. Pro ſacculo, peronem, vel follem in hebræo habet. Pro Condy, id eſt, poculo, quod etiam in Eſaia legimus, Aquila, σκύφον. ſcyphum, Symmachus, phialam, tranſtulerunt. (b) Augurio auguratur.] *Schol. Samariticus*, καὶ αὐτὸς πειρασμῷ πειράζει ἐν αὐτῷ, & ipſe tentatione tentat in eo. (c) Augurabitur.] οἰωνιεῖται. *Alii codices, & Theodoretus*, οἰωνίζεται. *& S. Auguſt. q.* 145. augurio auguratur. *Schol.* καὶ γὰρ ἔγνωτε, ὅτι πειρασμῷ πειράζεται ὅμοιος ἐμοί. etenim noviſtis, quia tentatione tentat ſimilis mihi. (d) Dependet.] *Aquila*, συνδεδεμένη, colligata. *Symm.* ἐνδέδεται, illigata eſt. (e) Ut non videam.] *de hac locutione S. Auguſt. in locut.*

CAP. XLV.

(a) AD vitam.] *S. Ambroſius cap.* 12. ad vitam veſtram. *Aquila*, ζώωσιν, vivificationem. *Symm.* σωτηρίαν, ſalutem. (b) Et enutrire.] *Ita vertimus, ut quam minimum à S. Auguſt. diſcederemus, qui quæſt.* 148. *hæc ita refert.* Miſit me Deus ante vos remanere veſtrum reliquias ſuper terram, & enutrire veſtrum reliquias. *Complutenſis, pro*, ἐκθρέψαι ὑμῶν, *habet* ἐκθρέψαι ὑμῖν. *Valde autem ſuſpicamur hujus ſecundæ partis hanc eſſe ſententiam*, ad danda vobis alimenta in evaſionem magnam, & incolumitatem a ſummo famis periculo. *Nam ita videtur habere hebræus.* (c) Arabiæ.] *S. Hier.* Hic Arabiæ additum eſt; In hebræis enim voluminibus non habetur. Unde & error increbruit quod terra Goſem in Arabia ſit. (*d*) Vehicula.] φορεῖα. *Ita libri veteres, &* S. *Hieron*: Pro vehiculis, quæ LXX & Theodotio τὰ φορεῖα interpretati ſunt, jumenta reliqui tranſtulerunt. *In aliis libris eſt*, πορεῖα, quæ ad iter faciendum ſunt neceſſaria. *In aliis*, φορτία. ſarcinas. S. *Ambroſ: cap: 13. ita hanc rem narrat*, & mandat impleri eorum ſarcinas tritico, & vehicula dari. (*e*) Vaſis.] τῶν σκευῶν. *In aliquot libris eſt*, ἐπισκευῶν, ſupellectilibus. (*f*) Eximias.] ἐξαλλασσούσας. *Alij vertunt*, mutatorias: *quarto Reg: cap: 5. eſt* ἀλλασσομένας. *Schol.* ὁ σύρος, πέντε ζυγὰς στολῶν καὶ διακοσίους χρυσίνους. Syrus, quinque paria ſtolarum, & ducentos aureos. (*g*) Eadem.] κατὰ τὰ αὐτά. *Alij libri*, κατὰ ταῦτα, juxta hæc.

CAP. XLVI.

(*a*) PRomovens.] Ἀπάρας, *ſic in libris ſequentibus videbimus a Patribus transferri dictionem iſtam: & ſignificare ſolet, quaſi movere caſtra.* S. *Ambroſ: cap: 14. habet*, & elevans ſe, *ut videatur legiſſe*, ἐπάρας. (*b*) Aſcendere te faciam.] ἀναβιβάσω σε. S. *Auguſt: in locut.* Sic habent græci, quod latini habent, & ego deducam te in finem. S. *Ambr: ibidem*, & ego deducam te in perpetuum, (*c*) Facti ſunt autem.] S. *Hieron: in tradit.* Sed & illud, quod ſupra legimus, [Facti ſunt autem filii Manaſſe, quos genuit ei concubina Syra, Machir: & Machir genuit Galaad. Filii autem Ephraim fratris Manaſſe, Suthalaam, Ethaam: filii vero Suthalaam Edom,] additum eſt. *Habentur tamen in omnibus collatis libris, & referuntur etiam a Philone in libro de congreſſu quærendæ eruditionis gratia.* (*d*) Septuaginta quinque.] *De hoc numero diſputat in tradit.* S. *Hier: &* S. *Auguſt: quæſt: 152. & 16. de civit: cap: 40.* (*e*) Ut occurreret.] S. *Auguſt: in locut.* ut venirent ſibi obviam juxta heroum civitatem.] Neſcio utrum heroum nomen facile in ſcripturis reperiatur. S. *Hieron: ibid.* In hebræo nec urbem habet heroum, nec terram Rameſſe, ſed tantummodo Goſen. Nonnulli Judæorum aſſerunt, Goſen nunc Thebaidem vocari. (*f*) Uberi.] πίονι. *In alijs libris eſt*, πλείονι, plurimo. *Pſalmo quiddem 77. ubi recentiores codices habent* ἀπέκτεινεν ἐν τοῖς πλείοσιν, *in vetuſtioribus eſt*, ἐν τοῖς πίοσιν, *& in vulgata*, occidit pingues. (*g*) Moriar.] ἀποθανοῦμαι, Aquila, ἀποθάνοιμι, mortem obeam.

CAP. XLVII.

(*a*) HAbitabimus.] *Hic in vulgatis codicibus additur*, οἱ παῖδές σου, pueri tui: *& ordo verborum, quæ a Pharaone dicta ſunt ipſi Joſeph, alius eſt eb eo, qui in hac editione, & magis reſpondet hebræo. Sed noſtra videtur convenire cum* S. *Chryſoſt. homil. 65. & cum* S. *Auguſt: quæſt: 155. Qui de his ipſis verbis diſputans, quæ ſoli Joſeph Pharao dixit, ita inquit*, Quorum omnium in codicibus græcis, qui a diligentioribus conſcripti ſunt, quædam obeliſcos habent, & ſignificant ea quæ in hebræo non inveniuntur, & in LXX inveniuntur: quædam aſteriſcos: quibus ea ſignificantur, quæ habent hebræi, nec habent LXX. (*b*) Quos incolo.] *Ita* S. *Auguſt: quæſt: 156. quo verbo vult ſignificari peregrinantis habitationem. Aquila*, ἡμέραι ἐτῶν τῆς προσηλυτεύσεώς μου, dies annorum incolatus mei. (*c*) Iſtam.] ταύτην. *Abeſt dictio iſta ab aliquot codicibus. &* S. *Auguſt: in locut.* Præter terram ſacerdotum tantum non poſſedit Joſeph: quaſi dixiſſet, præter terram ſacerdotum tantum, omnem terram poſſedit Joſeph. (*d*) In datione.] *Aquila*, ἀκριβασμὸς γὰρ τοῖς ἱερεῦσιν. *Symm:* σύνταξις γὰρ ἦν τοῖς ἱερεῦσιν. conſtitutum enim erat ſacerdotibus. *Conſueſſe autem Aquilam*, ἀκριβασμὸν *vocare conſtitutionem, & ordinationem, conſtabit ex alijs locis. Schol.* καὶ γὰρ μερὶς ἦν τοῖς ἱερεῦσιν ἐκ συγχωρήσεως φαραώ. Etenim portio erit ſacerdotibus ex conceſſione Pharaonis. (*e*) Non erat.] *In Compl: eſt*, ἣ οὐκ ἦν, quæ non fuit. (*f*) Et habuerunt.] ἐκληρονόμησαν. *aut, ut in alijs libris*, ἐκληρονομήθησαν. *Aquila*, κατεσχέθησαν, καὶ ηὐξήθησαν, poſſederunt, & creverunt. (*g*) Super ſummitatem.] ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ. S. *Hieron: in tradit.* contra ſummitatem virgæ ejus. S. *Auguſt: q. 162.* Quod habent latini codices, & adoravit ſuper caput virgæ ejus, nonnulli codices emendatius habent, adoravit ſuper caput virgæ ſuæ, vel, in capite virgæ ſuæ, ſive, in cacumine, vel, ſuper cacumen: *& cetera, quæ diligenter legenda ſunt. Theodoretus quidem q. 108. videtur interpretari pro*, ſuæ. *Sed Chryſoſtom: in epiſt: ad hebræos 26.* ejus. *Aquila*, ἐπὶ τὴν κεφαλὴν τῆς κλίνης. ad caput lecti. *Quam interpretationem probat* S. *Hieronym: & agnoſcit etiam* S. *Auguſt: Symmachus autem eadem ſententia*, ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς κλίνης, ad faſtigium lecti. S. *Paulus ſecutus LXX in epiſtola ad hebræos, cap: 11.* ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ, *quamvis in latina vulgata tantum ſit*, faſtigium virgæ ejus.

CAP. XLVIII.

(*a*) TUrbatur.] S. *Auguſt: in locut: probat hanc interpretationem verbi*, ἐνοχλεῖται, *licet alij verterint*, vexatur, *alij*, æſtuatur. S. *Hier: in tradit.* ægrotat. (*b*) Erunt in nomine.] *In aliquot codicibus, & apud* S. *Chryſ: hom: 66. legitur*, σοὶ ἔσονται. ἐπὶ τῷ ὀνόματι, *&c.* S. *Hier.* Quos autem generaveris poſt hæc, tui erunt: in nomine fratrum ſuorum vocabuntur. S. *Aug: q. 164.* Natos autem ſi genueris poſtea; tibi erunt: in nomine fratrum ſuorum appellabuntur in ſortibus eorum. (*c*) Hippodromum Chabathra.] *De hoc loco dictum eſt ſupra in cap: 35.* (*d*) Qui tibi hi.] *In Compl: & apud* S. *Chryſ:* τίνες οὗτοι; qui ſunt hi? (*e*) Qui eruit me.] *Schol:* ὁ ἀγχιστεὺς, redemptor, ultor (*f*) Grave ei.] *Symm:* ἀηδὲς αὐτῷ, injucundum ei. *Aquila*, ἐκακώθη, afflictus eſt. (*g*) In multitudinem.] S. *Ambr: in lib: de benedict: Patriarch: cap: 1.* multitudo gentium. (*h*) Sicimam.] S. *Hier:* Sicima juxta græcam & latinam conſuetudinem declinata eſt: alioquin hebraice Sichem dicitur: ut Joannes quoque Evangeliſta teſtatur: Licet vitioſe, ut Sichar legatur, error inoleverit: & eſt nunc Neapolis urbs Samaritanorum. Quia igitur Sichem lingua hebræa transfertur in humerum; pulchre alluſit ad nomen, dicens: & ego dabo tibi humerum unum. Pro præcipuo enim (id eſt, ἐξαίρετον) unum ſcribitur in hebræo.

CAP. XLIX.

(*a*) DUrus ad ferendum] S. *Hieron: hunc locum ex LXX ita refert.* Durus ad ferendum, & durus procacitate, injuria, ſicut aqua, non ebullias. Aſcendiſti enim ſuper lectulum patris tui, & tunc violaſti ſtratum meum, cum aſcendiſti. S. *Ambroſ: in lib: de benedict: cap: 2.* durus portari, durus, & temerarius affeciſti me contumelia: ſicut aqua non efferveas. *Diodorus.* Syrus habet, ῥουβὴν πρωτότοκός μου, ἡ δύναμίς μου, καὶ ἀρχὴ τῆς ἰσχύος μου. ἐπλανήθης, ὡς ὕδωρ, μὴ παραμείνῃς, ἀντὶ τοῦ μὴ ζήσῃς. Ruben primogenitus meus, virtus mea, & principium fortitudinis meæ: vagatus es, ſicut aqua: ne permaneas, pro, ne vivas. *Aquila*, σὺ ἰσχύς μου, καὶ κεφάλαιον λύπης μου, περισσὸς ἄρσει καὶ περισσὸς κράτει: ἐθαμβώσας ὡς ὕδωρ, μὴ περισσεύσῃς. Tu fortitudo mea, & caput doloris mei, abundans elatione, & abundans potentia: turbaſti, ut aqua: ne excellas. *Symm:* ῥουβὴν πρωτότοκός μου, καὶ ἀρχὴ ὀδύνης, περισσὰ λαβεῖν, καὶ ἐκ περισσοῦ ὑπερζέσας ὡς ὕδωρ, οὐκ ἔσῃ περισσότερος. Ruben primogenitus meus, & principium doloris, ad capiendum excellentia: & præter modum efferbuiſti ut aqua: non eris excellentior. S. *Hieron: ex hebræo, licet non eodem modo ſit in vulgata*, fortitudo mea, & capitulum in liberis meis: major ad portandum, & major robore: effuſus es, ſicut aqua: ne adjicias. Aſcendiſti enim cubile patris tui, & contaminaſti ſtratum in aſcenſu. *Theodoretus quæſtione ultima interpretatur illud*, ὡσεὶ ὕδωρ μὴ ἐκζέσῃς, *pro*, μὴ θερμανθείης εἰς πολυγονίαν, non calefias ad multos procreandos. (*b*) Propoſiti ſui.] ἐξαιρέσεως αὐτῶν. *Interpr: Orig:* voluntatis ſuæ. S. *Hieron:* adinventionis ſuæ. S. *Chryſ: homil: 67. videtur habuiſſe*, ἐξ αἱρέσεως αὐτῶν, ex electione ſua. (*c*) Non contendant.] *Ita* S *Ambroſ: cap: 3. quod græce eſt*, μὴ ἐρίσαι τὰ ἥπατά μου. *Et* S. *Hieron: ex LXX* non æmuletur jecur meum: *In aliis libris græcis, & apud* S. *Chryſoſt: eſt*, μὴ ἐρείσαι. *& Tertullianus adverſus Judæos*, non incubuerint viſcera mea. *Interpr: Origen:* non innitantur viſcera mea. (*d*) Subnervaverunt.] *Schol:* ἐξερρίζωσαν τεῖχος, *&* S. *Hieron: ex hebræo*, ſuffoderunt murum. (*e*) Laudent] αἰνέσαισαν. *Ita Theodoretus in codice manuſcr: Interp: Origen:* collaudant, *& paulo poſt*, adorent. *In alijs codicibus græcis, & apud Chryſoſt: eſt*, αἰνέσουσι. *Et* S. *Cyprianus lib: 1. adverſus Judæos*, S. *Hieronym: in tradit:* S. *Ambroſ: cap: 4.* S. *Auguſt: 16. de civit: cap: 41* laudabunt. (*f*) Princeps.] *Schol:* ἀκύλας σκῆπτρον δὲ ἡ φυλὴ ὀνομάζεται. Aquila, σκῆπτρον, ſceptrum: ſceptrum autem nominatur ipſa tribus. (*g*) Quæ repoſita.] *Ita* S. *Auguſt: lib: xij. contra Fauſtum cap: 42 & lib: 16. de civit: cap: 41. &* S. *Cyprianus loco indicato*, quoaduſq; veniant depoſita illi, *quod græce eſt*, ἕως ἂν ἔλθῃ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ. *quam lectionem habent*, S. *Chryſ: Cyrillus in Glaphyris, Clemens Alexandrinus, & Euſebius Cæſarienſis. In aliis codicibus eſt*, ᾧ ἀπόκειται, *quam lectionem ſequuntur* S. *Ignatius*, S. *Irenæus, Tertullianus de Trinitate*, S. *Ambroſius*. S. *Leo Papa: &* S. *Hieronymus explicans prophetiam de Dan, ita inquit*, ut veniat cui repoſitum eſt, & ipſe erit expectatio gentium. *Juſtinus martyr & interpres Origenis utramque lectionem agnoſcunt. In codicibus Theodoreti manuſcriptis in eadem ultima quæſtione bis eſt*, ὃ, *al:* ὃ ἀπόκειται, qui reſervatur, *aut*, quod reſervatur. (*h*) Ad helicem.] *Ita* S. *Cyprianus loco indicato, græce eſt*, τῇ ἕλικι. *& apud* S. *Ambroſium, &* S. *Auguſt:* cilicio, *vel*, cilicium. *Interpr: Origen:* ad palmitem. S. *Hieron:* funiculo. (*i*) Gratifici.] *Sic voluit Interpr. Orig: vertere dictionem græcam*, χαροποιοὶ, *quam lectionem habent vetuſti codices, & Cyrillus in Glaphyris, & Diodorus Tarſenſis, & Theodoretus; qui hinc putant ſignificari lætitiam orbi terrarum ex ſalutari illa paſſione proventuram: quare verti poſſet* lætifici. *Diodor: ita explicat:* δείκνυσι τὴν ἀπὸ τοῦ πάθους γινομένην εὐθυμίαν. εὐφροσύνη γὰρ τῆς οἰκουμένης τὸ σωτήριον πάθος. *In aliis libris eſt*, χαροποί. *& Schol:* θερμοὶ, διάπυροι, φοβεροὶ, ardentes, ignei, terribiles. *In latinis libris varie legitur. Irenæus*, lætificabuntur oculi ejus. S. *Ambroſ:* hilares. S. *Cyprianus*, formoſi, *aut, ut eſt in manuſcriptis codicibus*, formidoloſi. S. *Hieron: in cap: 55. Eſa.* gratioſi. S. *Auguſt: contra Fauſtum*, fulgentes, 16. *de civit:* fulvi. (*k*) Super vinum.] *In multis libris græcis eſt*, ἀπὸ οἴνου. *& apud latinos fere*, a vino. S. *Ambroſ: abſolute*, hilares oculi ejus vino. (*l*) Vir agricola.] *Schol:* ἄνθρωπος εἰς φόρον δουλεύων, homo in tributum ſerviens, *quemadmodum etiam vertit* S. *Hieron: ex hebræo. Aquila, & Symm:* καὶ ἔσται γεωργὸς ὑπηρετεῖν, & eſt agricola ad ſubminiſtrandum. (*m*) Fiat Dan.] *In aliquo codice eſt*, ἐγενήθη τῷ δὰν, factus eſt ipſi Dan. *S. Ambroſ. cap. 7.* & factus eſt Dan ipſe ſerpens. (*n*) Tentatio.] *Sic* S. *Ambroſ. cap. 8. quod græce eſt*, πειρατήριον. *& poteſt etiam ſignificare globum, atque incurſionem Piratarum, ut in Job notabitur. Aquila*, εὔζωνος. accinctus, *ſive*, expeditus: *utroque enim modo interpretatur* S. *Hieron. & bene putat iſta dictione hebræam reddi. Symm.* λόχος, agmen inſidiatorum. (*o*) Delicias.] *Sic etiam eſt in vulgata latina, quod græce*, τρυφήν. *In alijs libris, & apud* S. *Chryſoſt. eſt* τροφὴν, *&* S. *Ambroſ. cap. 9.* dabit eſcam. (*p*) Virgultum reſolutum.] *Sic interpretatur* S. *Hieron.* στέλεχος ἀνειμένον. S. *Ambroſ: cap. 10. habet*, vitis remiſſa, porrigens in germine decorem. (*q*) Maledicebant] S. *Ambroſ. cap. 11.* maledicebant, & intendebant in eum domini arcum. *Niſi legendum ſit*, arcuum. *Schol.* τὸ σαμαρειτικόν. Samariticum. καὶ ἐμίσησαν αὐτὸν κάτοχοι μερίδων: καὶ διέμεινεν ἐν βάθει τόξευμα αὐτοῦ, & oderunt eum tenaces factionum: & manſit in profundo arcus ejus. (*r*) Qui confortavit.] ἐκεῖθεν ὁ κατισχύσας ἰσραὴλ, παρὰ θεοῦ τοῦ πατρός σου. S. *Auguſt. in locut.* Inde, qui confortavit Iſrael, mirum ſi non ſubauditur, eſt, ut plenum ſit, inde eſt, qui confortavit Iſrael, S. *Ambroſ. cap. 11.* Ille, qui prævaluit a Deo Iſrael patri tuo, & adjuvit te Deus meus. Quis eſt, qui confortavit Iſrael, & adjuvit filium; niſi ſolus Deus pater, &c. *Secundo autem Off. cap. 16. ſic per compendium refert hanc benedictionem*, Filius ampliatus meus Joſeph, filius meus ampliatus, Zelotes filius meus, filius meus adoleſcentior: adjuvet te Deus meus; & benedicat te benedictione cœli a ſummo, benedictione terræ habentis omnia; propter benedictiones patris tui, & matris tuæ: prævaluit ſuper benedictiones montium manentium, & deſideria collium æternorum. *Apud Theodoretum legitur*, ὁ κατισχύσας σε, qui confortavit te. *S. Hieron: in tradit. ex hebræo vertit*, inde paſcetur lapis Iſrael a Deo patris tui. (*ſ*) Benedictionem.] *S. Ambroſ. eodem cap. 11.* Benedictiones patris tui, & matris prævaluit. Benedictiones montium manentium, & deſideria collium æternorum erunt ſuper caput Joſeph. *In aliquo codice eſt, & fortaſſe apud Chryſoſt.* θινῶν αἰωνίων, αἳ ἔσονται ἐπὶ κεφαλῆς ἰωσὴφ, collium æternorum, quæ erunt ſuper caput Joſeph. *Apud Theodoretum (nec multo aliter apud S. Chryſoſt.)* ὑπερίσχυσας ὑπὲρ εὐλογίαν (*al.* εὐλογίας) ὀρέων μονίμων, καὶ ἐπιθυμίας θινῶν αἰωνίων. ἔσονται, &c. Prævaluiſti ſuper benedictionem montium ſtabilium, & deſideria acervorum æternorum: Erunt, &c. *Addit autem Theodoretus, Aquilam,* τὰς θῖνας *eſſe interpretatum* βουνοὺς, colles. *S. Hieron. in 47. Ezechielis dicit ſignificare cumulos arenarum.* (t) Adhuc.] *illud* ἔτι *abeſt a Chryſoſt. & Theodoreto, ſed non a S. Hieron. in tradit.* (u) Dat eſcam.] δίδωσι τροφήν. *Apud eoſdem legitur ſicut etiam in Complutenſi,* διαδώσει, diſtribuet. *S. Hieron.* dabit eſcam. *S. Ambroſ. cap.* 12. & ad veſperam dividet eſcam principibus. *Aquila,* διαμεριεῖ λάφυρα, *Symm.* μεριεῖ σκῦλα, dividet ſpolia. *Alius Schol.* Syrus, ἑσπέρας ἁρπάσεται καὶ τὸ πρωϊνὸν μεριεῖ σκῦλα, veſpere rapiet & mane dividet ſpolia. *Attamen S. Hieron. ex hebræo,* In matutino comedet prædam, & ad veſperam dividet ſpolia.

CAP. L.

(a) Sepultoribus.] *S. Auguſt. in locut.* Non invenit lingua latina, quemadmodum appellaret ἐνταφιαστάς. Non enim ipſi ſepeliunt, id eſt, terræ mandant corpora mortuorum, quod non eſt græce, ἐνταφιάζειν, ſed θάπτειν. Illi ergo ἐνταφιασταὶ id agunt, quod exhibetur corporibus humandis, vel condiendo, vel ſiccando, vel involvendo, & alligando: in quo opere maxime Ægyptiorum cura præcellit. Quod ergo dicit etiam, ſepelierunt, curaverunt, intelligere debemus. (b) Pro me.] *Hæc non referuntur a S. Auguſt. in locut. & multi etiam græci codices non habent* περὶ ἐμοῦ, *quemadmodum neque vulgata.* (c) Et cognatio ejus.] *In aliis græcis codicibus legitur* καὶ τὴν συγγένειαν, & cognationem. *Pro quo in hebræo eſt,* tantum parvulos ſuos. (d) Oſtendimus in eum.] *In aliis codicibus græcis eſt,* ἃ ἐνεδειξάμεθα αὐτῷ. *& S. Auguſt. in locut.* quæ oſtendimus ei. Ex hac locutione ait & Apoſtolus, Alexander ærarius multa mala mihi oſtendit: oſtendimus enim dictum eſt, vel, oſtendit, pro eo, quod eſt, fecimus, vel, fecit. (e) Accipe.] *S. Aug. in locut.* Puto inde eſſe dictum, accipe, ac ſi diceretur, æquo animo accipe, hoc eſt, noli indigne ferre. (f) Dei enim ſum ego.] *Aquila,* ὅτι μὴ ἀντὶ θεοῦ ἐγώ; *al.* ὅτι μὴ θεὸς ἐγώ; quoniam numquid pro Deo ego? *al.* quoniam numquid Deus ego? *Symm.* μὴ γὰρ ἀντὶ θεοῦ ἐγώ; *al.* εἰμὶ ἐγώ; nunquid enim pro Deo ego? *al.* ſum ego? *Samariticus autem,* μὴ φοβεῖσθε, καὶ γὰρ φοβούμενος θεόν εἰμι ἐγώ. Ne timeatis: etenim timens Deum ſum ego.

EXODUS.

CAP. I.

(a) Animæ de Jacob.] *Ita Interp. Origenis homilia* 1. *in Exodum. In Complutenſi eſt,* ψυχαὶ αἱ ἐξελθοῦσαι ἐξ ἰακώβ, animæ eſæ ex Jacob. (b) Effuſi facti ſunt.] χυδαῖοι ἐγένοντο. *Interpr. Origenis,* & in multitudine magna diffuſi ſunt. χυδαῖον *ſæpe ſignificat, vulgare, & ex copia vile. Quare admonet Theodoretus q.* 1. *non eſſe hoc loco accipiendum quaſi per contumeliam dictum, quemadmodum nonnulli acceperint, ſed tantum numeroſam multitudinem ſignificare.* οὕτως ηὐξήθησαν, ὥστε κατὰ πάσης ἐκείνης ἐκχυθῆναι γῆς. *Ita enim creverunt, inquit, ut per univerſam illam terram diffunderentur. Aquila,* ἐξήρπυσαν, *Symm.* ἐξῆρψαν, erepſerunt. (c) Alius.] *Aquila, & Theodotio,* καινὸς, novus. (d) Præfectos operum.] ἐπιστάτας τῶν ἔργων. *Interp. Origenis,* magiſtros operum. *Schol.* ἐργοδιώκτας, *qui inſtando, & urgendo exigerent opus, ut infra cap.* 3. (e) Abhorrebant.] ἐβδελύσσοντο οἱ αἰγύπτιοι ἀπὸ τῶν υἱῶν ἰσραήλ: *quod fortaſſe etiam poſſet verti,* abominationi habebantur Ægyptii a filiis Iſrael. *Aquila,* ἐσικχαίνοντο, execrabantur. *Schol* ὁ σύρος, καὶ ὁ ἑβραῖος. ἐθλίβοντο ὁρῶντες αὐτοὺς πληθυνομένους, καὶ ἐκάκουν αὐτούς. Syrus, & Hebræus: cruciabantur videntes illos augeri, & affligebant eos. (f) Pariunt enim.] *Symmac.* μαῖαι γάρ εἰσι, καὶ πρὶν εἰσελθεῖν τὰς μαίας, τίκτουσιν, obſtetrices enim ſunt: & priuſquam ingrediantur obſtetrices, pariunt. *Theodotio,* ὅτι ζωογονοῦσιν αὐταί. διότι πρὶν εἰσελθεῖν πρὸς αὐτὰς, τίκτουσιν. quoniam ipſæmet vivificant, & incolume præſtant: quare, priuſquam ingrediamur ad eas, pariunt. (g) Fecerunt ſibi domos.] *Schol.* ἀντὶ τοῦ, pro eo, quod eſt, ἐξ αὐτῶν γένος ἐπλήθυνεν, ηὔξησεν ὁ θεὸς αὐταῖς τὸ γένος, ipſarum genus multiplicavit, auxit Deus ipſis genus.

CAP. II.

(a) Levi.] *In aliquot codicibus ſequitur,* καὶ ἔσχεν αὐτήν, *& apud S. Aug in locut. in Exodum,* & habuit eam, & concepit. (b) Elegantem.] *Ita interpr. Origenis: quod græce eſt,* ἀστεῖον, *Aquila,* ἀγαθὸν. bonum, *Symm.* καλὸν, pulchrum. (c) Thibin.] θῖβιν. *Alius codex, & Cyrillus in Glaphyris habent,* θίβην; theben. *In aliis* eſt, θίβιν, thiben. *S. Auguſt. in locut.* Quid ſit thiben, ideo difficile eſt noſſe; quia nec græcus interpres ex hebræo, nec latinus ex græco vertit hoc nomen, ſed tranſtulit ut invenit. *Interpr. Origenis.* Tibis. genus eſt tegminis ex virgis aut ex papyro contextum, vel etiam ex arborum cortice formatum. *Schol.* θίβη, κιβωτὸς παπύρου, ἢ ὑδρία, ἢ πλατυσμὸς, ἣν τινες καλοῦσι σίπην. eſt arca ex papyro, vel hydria, vel latum vas, quam nonnulli vocant σίπην. *In aliqua editione eſt,* θίβην παπύρου. *In Complutenſi vero,* θήκην, thecam (d) Illa autem dixit.] *In aliis codicibus* καὶ εἶπεν αὐτῇ, & dixit ei. (e) Expellebant.] ἐξέβαλλον. *Alii libri,* ἐξέβαλον, *& S. Auguſt. & vulgata,* ejecerunt. (f) Et hauſit eis.] *Hæc abſunt a Complutenſi, ut etiam a vulgata.* (g) Raguel.] *Schol.* ἰοθόρ. Jothor. (h) Aliena.] *In aliis codicibus hæc ſequuntur, quorum magna etiam pars habetur in Complutenſi:* ἔτι δὲ συλλαβοῦσα ἔτεκεν υἱὸν δεύτερον, καὶ ἐκάλεσε τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐλιέζερ, λέγων, ὁ γὰρ θεὸς τοῦ πατρός μου, βοηθός μου, καὶ ἐρρύσατό με ἐκ χειρὸς φαραώ. *Pro quibus eſt in vulgata,* Alterum vero peperit, quem vocavit Eliezer, dicens: Deus enim patris mei, adjutor meus, & eripuit me de manu Pharaonis. *Quæ tamen non habentur in hebræo, neque in paraphraſi Chaldaica: ſed prope eadem afferuntur infra cap.* 18. *inde S. Stephanus Act.* 7. *potuit ſumere Moyſem in terra Madian genuiſſe duos filios.*

CAP III.

(a) Soceri.] γαμβροῦ. *Ita fere vetuſti codices, & Cyrillus Alexandrinus. lib.* 2. περὶ τῆς ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ προσκυνήσεως. *de adoratione in ſpiritu, & veritate. In aliis eſt* πενθεροῦ, *quod idem hoc loco valet.* (b) Montem.] *In quibuſdam codicibus eſt,* τὸ ὄρος τοῦ θεοῦ montem Dei. *quemadmodum & in vulgata.* (c) Igne flammæ.] *Sic Juſtinus Martyr adverſus Tryphonem, & Cyrillus lib. indicato. Et in ſecunda antiphona ex majoribus ante Natalem Domini,* Qui Moyſi in igne flammæ rubi apparuiſti. *Ita etiam Act.* 7. *in editione latina,* in igne flammæ rubi. *Sed & ibi codices græci, & multi hic, & Theodoretus q.* 5. *habent,* ἐν φλογὶ πυρός. *Et S. Cyprianus lib.* 2. *adverſus Judæos,* in flamma ignis de rubo. *quo loco multa ex hoc capite refert S. Auguſt. q.* 3. in flamma ignis in rubo. S. *Ambr. lib.* 1. *de ſpiritu ſ. c.* 16. vox facta eſt de flamma ignis, *& in lib. de fide contra Arianos cap.* 8. Moyſi in rubo in flamma ignis apparuit. (d) Uritur.] *Ita S. Ambroſ: vertit loco indicato de ſpiritu ſ. quod græce eſt,* καίεται, *&* κατεκαίετο. *Cyprianus autem, pro,* καίεται *habet, ardere, pro* κατακαίεται, *cremari. Aquila, pro,* καίεται, *dixit,* ἀναπτόμενος, accenſus, *Symm.* φλεγόμενος, inflammatus. (e) Solve.] λῦσαι. *Symm.* ὑπόλυσον, ſolvendo tolle. *Aquila,* ἔκσπασον, extrahe. (f) Et ego vidi.] *Non multo aliter Aquila,* καί γε ἑώρακα σὺν τὸν ἀποθλιμμὸν, ὃν οἱ αἰγύπτιοι θλίβουσιν αὐτούς. (g) Interrogabunt me.] *In aliis editionibus partim eſt,* καὶ ἐρωτήσουσί με, & interrogabunt me, *partim,* καὶ ἐὰν ἐρωτήσωσί με, & ſi interrogaverint me. (h) Senatum.] γερουσίαν. *Aquila,* τοὺς πρεσβύτας, ſenes. (i) Deus.] *In aliis editionibus eſt,* κύριος ὁ θεὸς, Dominus Deus: *itemque paulo poſt,* ἵνα θύσωμεν κυρίῳ τῷ θεῷ ἡμῶν, ut ſacrificemus Domino Deo noſtro: *quemadmodum etiam utroque in vulgata latina.* (k) Contubernali.] συσκηνοῦ. *S. Auguſt in locut.* & ab inquilina ſua. *Et addit hæc.* Græcus habet, a cohabitatrice ſua, hoc eſt, συνοίκου, quod latini aliqui interpretati ſunt, a concellaria ſua. *quæſt. autem* 39. & mulier a vicina, & concellaria, vel concellanea, ſi ita dicendum eſt, vel cohabitatrice ſua. (l) Spoliate.] σκυλεύσατε. *Ita vetuſti codices. In aliis eſt,* συσκευάσετε, convaſabitis. *In Complutenſi,* ἐπισυσκευάσατε, convaſate. *Schol.* Alius inquit, καὶ συνεπάξετε αὐτοῖς τὴν ἐν τοῖς σκεύεσιν αὐτῶν δύναμιν, & colligite vobis ipſis opes, quæ ſunt in vaſis eorum.

CAP. IIII.

(a) Ut credant tibi.] *Teſte S. Auguſt. in locut. latini codices habebant,* & dixit illi: ut credant tibi. *Sed idem notat græcum non habere,* & dixit illi, *certamque eſſe elocutionis formam.* (b) Manus ejus.] *In multis codicibus, & apud Theodoretum q.* 10. *ſequitur,* λεπρῶσα, leproſa *Sed non apud Philonem lib.* 1. *de vita Moyſis & S. Auguſt. in locut.* Quod latinus habet, & facta eſt manus ejus leproſa, tanquam nix, Græcus non habet leproſa ſed tantum, facta eſt, tanquam nix. (c) Secundi.] *Aquila,* τοῦ ἐσχάτου, noviſſimi. *Symm.* τοῦ ἑπομένου, inſequentis. (d) Idoneus.] ἱκανός. *In aliis vetuſtis libris eſt,* εὔλογος, eloquens: *qua dictione utitur etiam Philo hunc locum tractans in libro* ὅτι τὸ χεῖρον τῷ κρείττονι ἐπιτίθεται, *Quod deterius meliori inſidiatur. S. Auguſt. q.* 7. non ſum eloquens. *Apud S. Ambroſ. lib.* 2. *de Abraham, cap.* 10. *totus hic locus ſic habet,* Precor Domine: non ſum dignus ante heſternam, & nudiuſtertianam diem, neque ex quo cœpiſti loqui ſervo tuo: gracili enim collocutione, & tardiore lingua ego ſum, *ut videatur etiam ipſe habuiſſe,* ἱκανός. *Aquila,* οὐκ ἀνὴρ ῥημάτων, non vir verborum. *Symmac.* οὐκ εὔλαλος, non diſertus, non bene loquens. *Hanc dictionem habet Complutenſis.* (e) Mutum.] δύσκωφον, καὶ κωφόν, *Aquila, Symm. Theodotio, pro* δύσκωφον, *dixerunt,* μογιλάλον, balbum, hæſitantis linguæ. *S. Auguſt. quæſt.* 8. Quis fecit mutum, & audientem? *S. Cyprianus de exhortatione martyrum cap.* 10. & quis fecit mutum, & quis ſurdum? (f) Et inſtruam.] συμβιβάσω. *Aquila,* φωτίσω, illuminabo. *Symm.* ὑποδείξω. commonſtrabo, ac ſubjiciam. (g) Quod locuturus es.] ὃ μέλλεις λαλῆσαι. *S. Cyprianus ibidem,* quid loquaris. *S. Ambroſ. loco indicato,* quod debeas loqui: *In aliquot codicibus eſt,* ἃ μέλλεις. *& S. Auguſt. q.* 9. quæ locuturus es, *& interpres Origenis,* quæ oporteat te loqui. (h) Loquens.] *Philo in eodem libro habet tantum,* ὅτι λαλήσει, quia loquetur. (i) Indurabo.] *Aquila,* ἰσχυρῶ, corroborabo. *Symm.* θρασυνῶ, implebo audacia & confidentia. *Locus eſt & hic a Theodoreto, & alibi ab omnibus fere patribus diligenter tractatus.* (k) Nolis.] εἰ μὲν οὖν μὴ βούλει. *Aquila,* ἀνένευσας, renuiſti. *Symm.* ἠπείθησας contumaciter detrectaſti. (l) In diverſorio] ἐν τῷ καταλύματι. *S. Auguſt. q.* 11. ad refectionem. (m) Angelus Domini.] *Ita etiam paraphraſis Chaldaica. S. Auguſt. quæſt.* 11. *habet tantum,* angelus. *Aquila,* θεὸς Deus. *Symm. & Theodotio,* κύριος, dominus, *quemadmodum & vulgata.* (n) Calculo.] ψῆφον. *Aquila,* πέτραν, petra. (o) Et procidit.] *Schol.* Alius, καὶ ἀψαμένη τῶν ποδῶν αὐτοῦ, εἶπεν, ὅτι νυμφίος αἱμάτων σύ μοι. ἀφῆκε δὲ αὐτὸν ὅτε εἶπεν, νυμφίος αἱμάτων τῆς περιτομῆς. & cum tetigiſſet pedes ejus, dixit, quia ſponſus ſanguinum tu mihi. Dimiſit autem eum, quia dixit, ſponſus ſanguinum circumciſionis. Alius, καὶ ἥψατο τῶν ποδῶν αὐτοῦ, καὶ εἶπεν, ὅτι νυμφίος αἱμάτων σύ μοι. καὶ ἀφῆκαν αὐτὸν, ὅτι εἶπεν, νυμφίος αἱμάτων εἰς περιτομάς. Et tetigit pedes ejus, & dixit, quia ſponſus ſanguinum tu mihi: & dimiſit eum, quia dixit, ſponſus ſanguinum ad circumciſiones. Alius, νυμφίον αἵματος ἔχω, ſponſum ſanguinis habeo. *Aliud Scholium,* hebræus, ἐσφράγισε τὸ αἷμα τῆς περιτομῆς, obſignavit ſanguinem circumciſionis. (p) Receſſit ab eo.] *In aliis codicibus additur,* ἄγγελος, angelus. *S. Auguſt. q.* 11. *non habet: ſed ita interpretatur ac ſi haberet. Alij potius interpretantur, Sephoram receſſiſſe, vel a Moyſe, vel ab angelo.* (q) Verba.] *Alij codices,* τὰ σημεῖα, ſigna.

CAP. V.

(a) Sicut heri.] *Aquila,* καθὰ ἐχθὲς, καὶ τρίτης, αὐτοὶ πορευέσθωσαν. ſicut heri & nudiuſtertius, ipſi vadant. *Sym.* καθάπερ καὶ πρότερον, αὐτοὶ ἀπερχόμενοι, καλαμάσθωσαν ἑαυτοῖς ἄχυρα, quemadmodum & antea, ipſi abeuntes colligant ſibi paleas. *Theodotio*, καθάπερ ἐχθὲς, καὶ τῆς τρίτης, αὐτοὶ πορευθέντες, καὶ καλαμάσθωσαν ἑαυτοῖς ἄχυρον. Quemadmodum heri, & nudiuſtertius, ipſi euntes & colligant ſibi paleam. (*b*) Et ecce pueri] *Aquila*, καὶ ἰδοὺ οἱ δοῦλοί σου πεπληγμένοι, καὶ ἁμαρτία λαῷ σου. Et ecce ſervi tui percuſſi, & peccatum populo tuo. *Symm.* καὶ οἱ δοῦλοί σου μεμαστίγωνται, καὶ ἡ ἁμαρτία εἰς τὸν λαόν σου. Et ſervi tui flagellati ſunt, & peccatum in populum tuum. (*c*) Non omittetis.] οὐκ ἀπολείψετε. *Aquila*, οὐκ ὑφελεῖτε, non ſubtrahetis. (*d*) Execrabilem feciſtis.] *Sic S. Auguſt. in locut. quod græce eſt*, ἐβδελύξατε. *Aquila, & Symm.* ἐσαπρίσατε, fœtere feciſtis. (*e*) Ivi.] πεπόρευμαι. *In aliquot libris eſt*, εἰσπεπόρευμαι. *& S. Auguſt. q.* 14. ex quo enim intravi ad Pharaonem.

CAP. VI.

(*a*) IN qua & incoluerunt.] *Notat hanc locutionem S. Auguſt. in locutionibus. Animadvertendum autem eſt fere ſolere latine reddi*, incolere, *quod græce eſt*, παροικεῖν, *& ſignificare habitationem more advenæ, & peregrini.* (*b*) Quem.] *Neſcio, an hoc referri poſſit ad Iſrael. In Complutenſi eſt, & S. Auguſt. in locutionibus habet*, quemadmodum. (*c*) Veſtri] *In Complutenſi eſt*, τῆς διαθήκης μου, *& in vulgata*, pacti mei. (*d*) A defectione animi.] *Sic apud S. Auguſt. in locut. quod græce eſt*, ἀπὸ τῆς ὀλιγοψυχίας, *& poſſet etiam verti*, præ puſillanimitate. *Schol.* ἀπὸ κολοβότητος πνεύματος, præ inopia ſpiritus. (*e*) Sine ſermone.] ἄλογος. *Quam dictionem interpretatur Philo in libro, Quod deterius potiori inſidietur. S. Auguſt. in locut. habet græce*, ἄλογος, *& latine in codicibus emendatioribus*, ineloquens *Aquila*, ἀκρόβυστος χείλεσι, præputiatus labiis. *Symm.* οὐκ εἰμὶ καθαρὸς τῷ φθέγματι, non ſum purus locutione. *Theodotio*, ἀπερίτμητος τοῖς χείλεσιν, incircumciſus labiis. *S. Hieron in cap.* 43. *Ezech.* Ego autem ſum tardi ſermonis. Pro quo LXX dixere, ἐγὼ δὲ ἄλογός εἰμι. quod melius habetur in hebræo, ego autem incircumciſus ſum labiis. (*f*) Domus familiæ.] οἶκοι πατριᾶς αὐτῶν. *In aliquot libris eſt*, πατριῶν, familiarum. (*g*) Triginta duo.] *Alii codices*, τριακονταεπτὰ, triginta ſeptem quo modo Philo legiſſe videtur lib. 1. περὶ βίου μωυσέως. (*h*) Virtute] *Sic ſolet verti in ſcriptura illud*, δυνάμει, *& plerumque ſignificat exercitum* (*i*) Gracili voce] *Hic in uno Scholio ex alio interprete refertur, quod paulo ante ex alio Scholio tributum eſt Symmacho, ad illud*, ἄλογος.

CAP. VII.

(*a*) ECce.] *Aquila*, ἴδε, vide: *& Symm.* ἴδε, κατέστησά σε θεὸν φαραὼ, vide, conſtitui te Deum Pharaoni. *Theodoreti Interpres quæſt.* 17. *habet*, Deus ipſius Aaron, *ſed in manuſcriptis eſt*, φαραώ. *Et quæ ad hunc locum explicandum affert, ſunt fere eadem cum iis, quæ à S. Auguſt. q.* 17. (*b*) Locutus eſt.] ἐλάλησεν. *Alii vetuſti codices, & Cyrillus lib.* 2. *de adorat.* ἐλάλησαν, locuti ſunt. (*c*) Virgam.] *In aliqua editione eſt*, τὴν ῥάβδον αὐτοῦ, virgam ſuam, *& ita S. Auguſt. quæſt.* 20. *notatque ita dici potuiſſe, quòd eſſet communis Moyſi, & Aaron. hebræus & chaldæus habent illud* ſuam, *a vulgata abeſt.* (*d*) Sophiſtas] *S. Auguſtino in locut. magis placet ita dici, quam*, ſapientes, *quemadmodum alii latini tunc haberent, & nunc habet vulgata. Aquila*, κρυφιασταὶ, occultorum cognitores, *vel*, patratores. (*e*) Invaluit.] κατίσχυσεν, *quod etiam poſſet verti*, corroboravit ſe. (*f*) Præcepit.] *In aliis libris eſt*, ἐλάλησεν, locutus eſt. (*g*) Et factus eſt] *In aliqua editione hæc tantum ſunt*, καὶ ἔσται αἷμα ἐν πάσῃ γῇ αἰγύπτῳ, & erit ſanguis in omni terra Egypto. *Nam illud*, καὶ ἐγένετο αἷμα, & factus eſt ſanguis, *videtur quodammodo præpoſtere narrari.* (*h*) Virga ſua.] *In aliis codicibus eſt* τὴν ῥάβδον αὐτοῦ, virgam ſuam. (*i*) Fecerunt autem ſimiliter.] *Aquila.* καί γε αὐτοὶ οἱ κρυφιασταὶ αἰγύπτου καὶ ἐν ἠρεμαίοις αὐτῶν οὕτως, Ac ſane ipſi etiam occultorum patratores Ægyptii & in ſuſurris ſuis ſic *Schol.* Alius, καὶ αὐτοὶ οἱ ἐπαοιδοὶ τῶν αἰγυπτίων διὰ τῶν ἀποκρύφων αὐτῶν ὡσαύτως. Et ipſi incantatores Ægyptiorum per occulta ſua ſimiliter. Alius, καί γε αὐτοὶ οἱ ἐπαοιδοὶ τῶν αἰγυπτίων ἐν ταῖς φαρμακείαις αὐτῶν ὡσαύτως: ac ſane ipſi incantatores Ægyptiorum in veneficiis ſuis ſimiliter (*k*) Foderunt.] *Aquila*, καὶ ὤρυξε πᾶσα ἡ αἴγυπτος κυκλόθεν τοῦ ῥείθρου ὕδωρ τοῦ πιεῖν, ὅτι οὐκ ἠδύναντο πιεῖν ἐκ τοῦ ὕδατος τοῦ ποταμοῦ. Et fodit univerſa Ægyptus in circuitu fluvii aquam ad bibendum: quoniam non poterant bibere de aqua fluminis.

CAP. VIII.

(*a*) COnſperſis.] *Ita S. Auguſt. in locutionibus, quamvis in explanatione habeat*, conſperſionibus, *quod græce eſt*, ἐν τοῖς φυράμασι. *Ita etiam* 1. *Cor.* 5. *latine eſt* conſperſio, *quod græce* φύραμα. *Alii interpretantur, maſſam, & paſtam.* (*b*) Ipſos] *In aliis codicibus eſt*, τὸν λαὸν, populum. (*c*) Villis.] παύλεων. *Abeſt hoc loco iſta dictio à Compl. ſicut etiam à vulgata. Sed paulo poſt, ubi etiam Compl. habet* ἐπαύλεων, *in vulgata eſt*, villis: *quamvis dictio græca poſſit etiam cortes, & alia ſignificare, itemque dictio hebraica a nonnullis vertatur* atria. (*d*) Pulverem.] χῶμα. *S. Auguſt. in locut.* aggerem. (*e*) Scyniphes.] *Sic S. Auguſt. in locut. quod in pleriſque vetuſtis codicibus eſt*, σκνῖφες. *In aliis, & apud Philonem lib.* 1. *de vita Moyſis eſt* σκνῖπες, σκνιπῶν φορὰ ἐχύθη, *ſcnipum multitudo profuſa eſt. & Interpr. Origenis hom.* 4 ſcnipes. *Eodem modo legitur græce in Pſal.* 104. *ubi latine*, cyniphes, *quomodo etiam habet S. Auguſt. q.* 25. *& multi alii. Schol.* Alius, φθεῖρες, pediculi. (*f*) Cynomyia.] *Ita Interpr. Origenis, & S. Auguſt. in locutionibus & q.* 26. *quod græce eſt*, κυνόμυιαν. *Sic Theodoretus, & Philo eodem* 1. *lib. etymologiam affert, quaſi animal compoſitum ex muſca, & cane. Attamen S. Hier. in extrema epiſtola ad Suniam putat melius ſcribi*, κοινόμυιαν: *quo modo etiam Aquila dixerit*, παμμυῖαν, id eſt, omnimodam muſcam. *Schol.* Samariticus, κόρακα, corvum. *S. Aug. q.* 29. *de hac plaga loquens habet*, cum ablata eſſet locuſta: *ſed erratum aut ſcriptoris, aut memoriæ eſt.* (*g*) Glorioſam.] *Ita S. Auguſt. in locut. quod græce eſt*, παραδοξάσω, *quod etiam valet, faciam mirabilem, & eximiam, diſtinctamque a ceteris, aut mirabiliter diſtinguam, ut cap. ſequenti.* (*h*) Hoc.] *In quibuſdam libris additur* σημεῖον, ſignum. (*i*) Terra.] *Ita hebræus, & chaldæus. In aliquot libris additur*, ταύτῃ. *Et S. Auguſt. q.* 27. terra hac, *quemadmodum etiam vulgata.* (*k*) Abominationes.] *In nonnullis codicibus hæc ſententia profertur cum nota interrogationis: quam varietatem fuiſſe etiam apud interpretes latinos admonet S. Auguſtin. quæſt.* 28. (*l*) Cynomyia.] *Hic in aliis codicibus ſequitur*, ἀπὸ σοῦ, a te: *In aliis* ἀπὸ φαραὼ, καὶ ἀπὸ τῶν θεραπόντων αὐτοῦ, καὶ ἀπὸ τοῦ λαοῦ αὐτοῦ. *Et S. Auguſt. in locut.* a Pharaone, & a ſervis ejus. (*m*) Decipere.] ἐξαπατῆσαι. *Aquila & Symm.* παραλογίσασθαι, *fallere.*

CAP. IX.

(*a*) VErbum.] *Hac dictione in hebræo ſæpe ſignificari* rem *notum eſt. Quare LXX reddiderunt*, ῥητόν. (*b*) Efferveſcentes.] ἀναζέουσαι. *Aquila*, πεταζόμεναι, volaticæ. *Symm.* ἐξανθοῦσαι, effloreſcentes. *Has puſtulas Philo lib.* 1. *de vita Moyſis vocat*, φλυκταίνας. (*c*) Conſtituit Dominus.] *Apud Theodoretum quæſt.* 12. *eſt*, συνέταξεν αὐτοῖς, conſtituit eis. *In Complutenſi, pro*, αὐτοῖς, *eſt*, μωυσῇ, Moyſi. *Vulgata ex hebræo*, ſicut locutus eſt Dominus ad Moyſem. (*d*) Nunc enim in hoc tempore.] ἐν τῷ γὰρ νῦν καιρῷ. *& videtur ſignificare, quod habet vulgata*, in hac vice. (*e*) Voces.] *Notat S. Auguſt. in locut. ſcripturam voces ſolere appellare tonitrua. Schol.* Alius, ἀνέμων ἤχους, ventorum fragores. Alius, βροντὰς, tonitrua. (*f*) Valde.] *In aliqua editione eſt*, σφόδρα σφόδρα. *Et S. Auguſt. in locut.* valde, valde. (*g*) Peccavi nunc.] *Schol.* ἐν καιρῷ ἕως τοῦ νῦν, in tempore uſque nunc. *Sed videtur hoc etiam loco illud* τὸ νῦν, *ſignificare*, hac vice. *Interpr. Origenis habet.* Peccavi, & nunc Dominus juſtus eſt. *Sed fortaſſe legendum*; Peccavi & nunc, Dominus juſtus eſt. (*h*) Nondum timuiſtis.] οὐδέπω πεφόβησθε. *In Compl. eſt*, οὐδέποτε φοβεῖσθε, nunquam timetis. *S. Auguſt. q.* 35. nondum timetis, *ut videatur legiſſe*, οὐδέπω φοβεῖσθε.

CAP. X.

(*a*) DEinde.] ἑξῆς. *S. Auguſt. q.* 36. ut ordine ſuperveniant ſigna mea hæc ſuper eos. *Atque in Compl. etiam eſt*, τὰ σημεῖά μου ταῦτα, Signa mea hæc, *ut vulgata ex hebræo.* (*b*) Illuſi.] *S. Auguſt in locut.* illuſit. *Sed videtur mendum ſcriptoris. Notat idem nonnulla de iſta dictione, quæ quidem eadem notione videtur ſumi & in hebræo, & in græco, Num.* 22. (*c*) Scandalum.] σκῶλον, *Aquila*, πρόσκομμα, offenſio, ruina. *Schol.* Samariticus, εἰς ἄτας, in detrimenta, & calamitates. (*d*) Nunquid ſcire vis] *Aquila*, ἄρα οὔπω οἶδας, ergo nondum noſti. *Schol.* Samariticus, πρὶν γνῷς, ὅτι ἀπόλλυται αἴγυπτος; antequam noveris, quia Ægyptus perit? Sit ſic.] *In aliquot libris hæc conjunguntur cum ſequentibus. ſicut in vulgata*, Sit ſic dominus vobiſcum. *In aliis autem, & in Complutenſi.* Sit ſic: Dominus vobiſcum, ſicut dimitto vos. Nunquid etiam ſupellectilem veſtram? *Quo etiam loco apparet, nomen illud*, ἀποσκευὴν, *quod more aliorum vertimus ſupellectilem, interdum vero apparatum, ſignificare familiam & filios. Vide S. Auguſt. q.* 47. (*f*) Nihil in lignis.] *S. Auguſt. in locut.* Dicendum fuit more locutionis noſtræ, non eſt relictum aliquid viride in lignis. *Ac nos quidem poſthac morem latinæ locutionis ſequemur. Satis eſt enim ſemel indicaſſe morem LXX.* (*g*) Suſcipite.] προσδέξασθε. *S. Auguſt. in locut. notat ſimili locutione uſos eſſe fratres Joſeph, Gen. ultimo*, accipe iniquitatem ſervorum Dei patris tui. *ubi græce eſt*, δέξαι. (*h*) Tantum oves.] πλὴν προβάτων. *S. Auguſt. habet in locut.* præter oves, *atque inuſitata ipſi videtur locutio. Sed ſæpe*, πλὴν, *valet*, tantum. (*i*) Dixiſti.] *In Compl. eſt*, οὕτως εἴρηκας. Sic dixiſti. *In alia editione*, καθὼς εἴρηκας, ſicut dixiſti, *quod reſpondet vulgata.*

CAP. XI.

(*a*) PLagam.] *Aquila, & Symm.* ἀφὴν tactum. (*b*) Omnino.] *græce eſt*, σὺν παντὶ, *& poteſt ſignificare*, cum omni re veſtra. *In aliis editionibus eſt*, σὺν πάσῃ ἐκβολῇ ἐκβαλεῖ ὑμᾶς, cum omni ejectione ejiciet vos. (*c*) Proximo.] *In aliis libris ſequitur*, καὶ γυνὴ παρὰ τῆς πλησίον αὐτῆς. *S. Auguſt. in locut.* & petat unuſquiſque a proximo ſuo, & mulier a proxima ſua. *q. autem* 39. a proximo, & mulier a proxima. *Et a Complutenſi quidem abeſt illud*, αὐτῆς. (*d*) Et mutuo dederunt illis.] *Hæc abſunt a vulgata, & ab hebræo.* (*e*) Et uſque.] καὶ ἕως. *Ab aliqua editione abeſt illud*, καὶ, *quemadmodum & a vulgata, & ab hebræo, in Complutenſi tamen eſt: neque eſt inuſitatum in ſcriptura.* (*f*) Ancillæ.] θεραπαίνης. *Schol.* Alius, αἰχμαλωτίδος, captivæ, *quemadmodum etiam eſt in ſequenti capite.* (*g*) Multiplicans.] *hoc non eſt in aliis editionibus, neque apud S. Auguſt. q.* 40.

CAP. XII.

(*a*) PEcus.] *Sic viſum eſt commodius omnia reſpondere, ſi vertatur dictio illa*, πρόβατον. *Quod etiam vidit S. Auguſt. q.* 41. *&* 42. *licet non ſatis hoc modo judicet ſervari ſacramentum; & ipſe in locutionibus, ſicut etiam S. Cypr. lib.* 2. *adverſus Judæos, habeant*, ovem; *quæ uſitata eſt iſtius vocabuli notio. Sed idem S. Cyprianus, cum paulo poſt dicat*, perfectum maſculum anniculum erit vobis, *videtur aliquid neutri generis ſubintellexiſſe. S. autem Auguſt. habet*, agnus perfectus, *& idem Cypr. adjungit*, occident illum. (*b*) Patriarum.] *S. Auguſt. in locut.* Quas dicat patrias, non facile eſt intelligere: utrum civitates, in quibus commanebant; an potius numeroſas familias, a cujuſque velut paternitate propagatas: hoc enim magis in græco ſignificari perhibetur. *S. Cypr. loco indicato*, accipiant ſibi ſinguli ovem per domos tribuum. (*c*) Maſculum.] *In aliis libris ſequitur*, ἄμωμον. *S. Cyprianus videtur habuiſſe, ſed non eodem ordine. Inquit enim*, ovem ſine vitio: perfectum, maſculum, anniculum erit vobis. *S. Ambroſ. in Pſal.* 39. agnus ſine macula, mundus, maturus, maſculus, anniculus &c. S *Auguſt. q.* 42. *habet ut noſtra, itemque vulgata. Ex vulgata, & chaldæo conjici poteſt hanc eſſe aliam interpretationem pro*, τέλειον. (*d*) Ab agnis, & hœdis.] *Inquit Theodoretus q.* 24. non, ut ſimul utrumque immolent;

ſed, ut is, qui ovem habet, agnum immolet: qui vero caret ove, immolet hœdum: *quam interpretationem dicit* S. *Aug. q.* 42. *ab hebræis ſolitam eſſe afferri.* (e) Illa.] αὐτά. *& poteſt intelligi*, pecora. S. *Auguſt. fatetur græce eſt*, αὐτὰ, *ſed putat eſſe vertendum*, illas, *quoniam intelligatur*, carnes, *quod apud græcos neutri generis eſt. Hæc enim ſequuntur*, καὶ φάγονται τὰ κρέα. *In aliqua editione eſt*, αὐτὸ, *id eſt*, τὸ πρόβατον, *& S. Cyprianus*, in quibus eum edent in ipſis, *ut videatur accepiſſe de agno: S. Ambroſ. ſerm.* 2. manducabitis illud cum amaritudine. (f) Picrides.] *S. Cyprianus*, cum picridibus edent: *ſed nos retinuimus phraſim græcam, quæ reſpondet hebræo*, ἐπὶ πικρίδων. *Theodorus Gaza apud Ariſtotelem & Theophraſtum* πικρίδα *vertit* amaraginem. *Eſt autem genus intybi. Vulgata habet*, cum lactucis agreſtibus *S. Ambroſ. ut diximus*, cum amaritudine (g) Non remanebit.] οὐκ ἀπολείψεται. *Ita eſt in libris vetuſtioribus. In aliis partim eſt*, καταλείψετε, *partim*, ὑπολείψετε. *Et S. Cyprianus ibidem*, nihil derelinquetis de eis in mane. (h) Non conteretis.] *Ita S. Auguſt. q:* 41. *S. Cyprianus*, non confringetis ex eo. *Schol.* οὐ συντριβήσεται, οὐχ ὑπολείψεται, non conteretur, non remanebit. (i) Cum feſtinatione] μετὰ σπουδῆς. *S. Cyprianus*, feſtinanter. *Aquila*, ἐν θάμβῳ, in trepidatione. *Symm.* ἐν ἐπείξει, urgendo. (k) Paſcha.] *Theodoretus q.* 24. Illud πάσχα, ὁ μὲν φίλων ἡρμήνευσεν διαβατήρια, ὁ δὲ ἰώσηπος, ὑπερβασία. ὁ δὲ σύμμαχος, ὑπέρβασις, ὁ δὲ θεοδοτίων, φασέκ, αὐτὴν τὴν ἑβραίαν φωνὴν τεθεικώς. Philo quidem interpretatus eſt, διαβατήρια, ſacrificia pro tranſitu, Joſeppus autem, ὑπερβασία, al. ὑπέρβασιν, Symmac. autem ὑπέρβασις, al. ὑπερβάσεις, (*quibus item nominibus tranſitus ſignificatur*) Theodotio autem Phaſee, ipſam hebraicam vocem ponens. Significat autem nomen hebraicum, primogenitorum ſalutem. *Philonis locus eſt 3. lib. de vita Moyſis: ubi addit chaldaice dici* πάσχα. (l) Domino.] *Hæc lectio videtur conſentire hebræo, & ſignificare*, coram Domino. *In aliis codicibus, & apud Theodoretum eſt*, πάσχα γάρ ἐστι κυρίου, *& S. Ambroſ. & S. Cyprianus locis indicatis, itemque 3. lib. adverſus Judæos num.* 11. Paſcha eſt enim Domini. (m) Diminutionis.] τοῦ ἐκτριβῆναι. *Sic S. Cyprian. ad Demetrianum, & lib. 1. adverſus Judæos num 22. aut*, diminutionis. *Sequitur autem apud eum*, cum percutiam terram Ægypti, *ſed LXX expreſſerunt hebraiſmum.* (n) Servile.] λατρευτόν. *Ex quo loco, & aliis ſimilibus, intelligi poteſt, quamvis*, λατρεία, *ſæpe ſignificet cultum religioſum Deo exhibitum, ut infra in hoc eodem capite, tamen iſtius verbi notionem latius patere, atque interdum vilia etiam miniſteria ſignificare.* (o) Virtutem] δύναμιν. *Significat exercitum, ut alibi ſæpiſſime.* (p) Incipientes.] ἐναρχόμενοι. *In Compl. eſt*, ἐναρχομένῃ. incipiente. (q) Unam.] *Notum eſt unum apud hebræos dici, quod primum eſt.* (r) Et in advenis.] γειώραις. *Theodoretus ibidem*, γειώραν, τὸν προσήλυτον προσηγόρευσεν, appellavit proſelytum. (ſ) Juxta oſtium] *Vulgata*, qui eſt in limine: *hebræus & chaldæus*, qui in vaſe. *S. Auguſt. q.* 46. An, quod eſt credibilius, ideo dixit ex ſanguine, qui eſt juxta oſtium; quia utique ille, qui liniturus eſt ſuper limen & poſtes, vas ipſum, in quo ſanguinem excepit, juxta oſtium poſiturus eſt; ut ad manum habeat, quando tingat? (t) Tangetis] καθίξετε. *Compl.* θίξετε, *quod idem valet. In aliqua editione eſt*, ἐπὶ τῆς φλιᾶς. *Et S. Auguſt. in locut. & quæſt* linietis ſuper limen. (u) Immolatio paſcha hoc Domino] *Ita S. Auguſt. in locut. Sed quod ſequitur in noſtra*, ſicut, *& græce eſt* ὡς, *in aliis codicibus eſt*, ὅς, qui. (x) Et ſurgens.] καὶ ἀναστάς. *In aliis libris eſt*, καὶ ἀνέστη, & ſurrexit. (y) Mortuus.] *Ita S. Auguſt q.* 44 *& vulgata latina. Alii codices habent*, τεθνηκός mortuum: *ut referatur ad* πρωτότοκον, primogenitum. (z) Præter apparatum. πλὴν ἀποσκευῆς. *S. Auguſt. q.* 47. *admonet dictionem iſtam ſolere verti inſtructum, cenſum ſubſtantiam, ac de ejus notione diligenter diſputat. Omnino, ut alibi notavimus, apud LXX videtur ſignificare familiam minime idoneam militiæ. Aquila hoc loco*, χωρὶς νηπίων, ſine infantibus. (zz) Quam habitaverunt] *Hoc modo potius diximus, quam*, incoluerunt, *ut S. Auguſt: bis quæſt.* 47. *quoniam græce eſt* κατῴκησαν, *non*, παρῴκησαν. *In aliis autem codicibus ſequitur*, αὐτοὶ καὶ οἱ πατέρες αὐτῶν. *Et S. Auguſt. ibidem*, quem incoluerunt in terra Ægypti, & in terra Chanaan ipſi, & patres eorum. *Ubi etiam de hoc numero annorum egregie diſputat.* (aa) Cuſtodia.] προφυλακή. *In Compl. eſt*, νὺξ προφυλακῆς, nox cuſtodiæ. *Aquila*, παρατηρήσεως, obſervationis. *Symmachus.* παρατετηρημένη, obſervata. *Schol.* Samariticus, φυλάξεως, obſervationis.

CAP. XIII.

(a) NOvorum.] τῶν νέων. *Et valet*, novarum frugum, *ſicut habet vulgata.* (b) Domini.] *In Complutenſi eſt*, κυρίῳ, Domino. (c) Signum.] *In aliis editionibus eſt*, εἰς σημεῖον, in ſignum. *aut, ut ſolent dicere S. Cyprianus, & S. Auguſt* in ſigno. *Ita etiam paulo inferius in hoc eodem capite.* (d) Legem] *Schol.* Alius, ἀκριβασμὸν, (*ſolet autem Aquila hoc modo vocare præceptum:*) alius, πρόσταγμα, conſtitutionem. (e) Tempora ſtatuta.] *Viſum eſt hoc modo non male reddi illud*, κατὰ καιροὺς ὡρῶν. *Nam & vulgata habet*, ſtatuto tempore. *Complutenſis autem*, tempora annorum. (f) Separabis.] ἀφελεῖς. *Alii libri*, ἀφοριεῖς, *quod idem valet.* (g) Aſini] *S. Auguſt. in locut habebat*, aſinæ: *ſed putat græcum habere*, aſini. *Ita certe vertunt in hebræo.* (h) Redimes.] *Aquila*, τενοντώσεις, jugulabis. *Symmachus*, ἀποκτενεῖς, interficies, (*quod habet etiam vulgata*) *Theodotio*, νωτοκοπήσεις αὐτὸ, cervicem illi franges. (i) Et immobile.] *Aquila*, καὶ εἰς ἐνεκτὰ & in appenſa quædam. *Vulgata*, quaſi appenſum quid. *Sanctes vocabulum hebræum vertit*, & in frontalia. (k) Quinta autem progenie.] *S. Auguſt. q* 50. Has autem dicit progenies latinus interpres, quas γενεὰς græci vocant: quæ in Evangelio generationes appellantur: nec numerantur, niſi per ſucceſſiones hominum, non per numerum annorum. *Aquila, & Symm.* καθωπλισμένοι, *armati* (*quod etiam habet vulgata*) *Theodotio*, πεμπταίζοντες, quintati. *Ita enim vertit Sanctes ex hebræo, alii autem*, accincti.

CAP. XIV.

(a) SUburbii.] τῆς ἐπαύλεως. *Interpres Origines hom. 5. retinuit verbum græcum (quemadmodum & vulgata verbum hebræum Phiairoth) atque ita hunc locum refert:* De Othon converſi iter facite inter Epauleum, & inter Magdalum, quod eſt contra Beelſephon: *Et vulgata etiam habet*, Magdalum: *ſed hoc propius Chaldæo:* Magdolum *autem hebræo.* (b) Sumens.] λαβών. *In aliis libris eſt*, ἔλαβεν, ſumpſit. (c) Triſtatas.] *S. Hier. in cap. 23. Ezech.* Duces, & magiſtratus, ſive triſtatas; quos nos principes principum interpretati ſumus. De quibus, & in Exodo legimus, electos aſcenſores triſtatas: pro quibus latina ſimplicitas ternos ſtatores tranſtulit Triſtatæ autem nomen eſt apud græcos ſecundi gradus poſt regiam dignitatem. De quibus ſcriptum eſt, verumtamen ad tres primos non pervenit. Qui principes equitum peditumque erant, & tributorum: quos nos magiſtros utriuſque militiæ, & præfectos annonarii tituli nominamus. *Ternos quidem ſtatores habet interpres Origenis homil. 6. & ibi multa Origenes, & vide ſequentis capitis notationes.* (d) Acceſſit.] προσῆγε *& non diſcedit a vulgata. Compl. habet*, προῆγεν, præibat. (e) Et Ægyptii.] *In aliis libris eſt*, καὶ ἰδοὺ οἱ αἰγύπτιοι, & ecce Ægyptii. (f) In ſempiternum tempus.] *Ita S. Aug. quæſt.* 51. *quod græce eſt*, εἰς τὸν αἰῶνα χρόνον. (g) Et disjungant.] καὶ ἀναζευξάτωσαν. *Militare verbum eſt, & ſignificat diſſolvere tentoria, ut alibi dicemus ex S. Aug. Schol.* Samariticus. ἵνα ἀπάρωσιν; *quod item ſignificat tollere caſtra, & abire. S. Aug. q.* 47. *ubi græce eſt*, ἀπάραντες. *dixit*, ſuſtulerunt. *Interpres autem Origenis hom.* 5. levantes. *Alibi S. Aug. pro hoc verbo græco, utitur* promovere. *S. Cyprianus lib. 2. teſtim. num* 5. *pro*, ἐξῆρεν, *dixit*, promovit. (h) Virga tua] *In aliis libris*, τὴν ῥάβδον σου, *& S. Aug. q.* 53. & tu eleva virgam tuam. *Eandem varietatem ſupra etiam notavimus.* (i) Per ſiccum.] κατὰ τὸ ξηρόν. *Schol.* εἰς χέρσον, εἰς ξηρὸν. in ſolum terræ, in ſiccum. (k) Tenebræ, & caligo.] *Aquila*, καὶ ἐγένετο ἡ νεφέλη σκότος, καὶ ἐφώτισε τὴν νύκτα, καὶ οὐκ ἤγγισεν οὗτος πρὸς τοῦτον. Et nubes facta eſt tenebra, & illuminavit noctem, & non appropinquavit hic ad illum; *nec multo aliter vulgata. Symm.* καὶ ἦν ἡ νεφέλη σκότος μὲν ἐκεῖθεν, φαίνουσα δὲ ἐντεῦθεν, Et erat nubes inde quidem tenebræ, hinc vero apparens & lucens *Schol.* Samariticus, καὶ ἦν τὸ νέφος, καὶ τὸ σκότος, καὶ ἔφαινε τῇ νυκτὶ, Et erat nubes, & tenebræ: & apparebat nocte. (l) Colligavit.] συνέδησε. *id eſt* impedivit. *Symm.* μετέστησε, tranſtulit, pervertit. (m) Super locum.] ἐπὶ χώρας. *Aquila*, εἰς τὸ ἀρχαῖον αὐτοῦ, ad priſtinum locum, *ut fere vulgata. Paraphraſis autem chaldaica*, ad vigorem ſuum, *nec multo aliter Sanctes.* (n) Sub aquam] ὑπὸ τὸ ὕδωρ. *Compl.* ἐπὶ τὸ ὕδωρ. ad aquam. (o) Excuſſit] *Aquila*, ἀνέβρασεν, coxit, ſuffocavit. (p) Medium maris] *Sic notat in locut. S. Aug. habere græcum pro*, in medio maris. *In aliis tamen editionibus eſt*, εἰς μέσον τῆς θαλάσσης. (q) Dicentes.] *A Complutenſi abeſt illud*, λέγοντες. *In aliis libris eſt*, καὶ εἶπαν τοῦ λέγειν, *quod S. Aug. in locut. vertit*, & dixerunt dicere, *ſed poſſet etiam verti*, & dixerunt dicendo. *Utrumque ſatis reſpondet hebræo. Sed*, λέγοντες, *eſt uſitatius.*

CAP. XV.

(a) TRiſtatas.] *Præter ea, quæ ſuperiore capite ſunt allata, libet & ea afferre, quæ habentur ex Gregorio Nyſſeno partim in catena in hoc canticum verſa in latinum à ſummo & ſingulari viro Cardinali Caraffa: partim hoc loco ex Scholiaſte, qui etiam citat Origenem, quamvis hic quidem homilia ſexta anagogice tantum iſtam dictionem interpretetur.* Nomine iſto, τριστάτας, hoc ſignificat. Contra hoſtiles manus antiqui magnos currus faciebant, adeo, ut tres homines caperent: ὁ μὲν ἡνιόχει, ὁ δὲ ὑπερήσπιζεν, ὁ δὲ ἐμάχετο. ἢ τριστάτας λέγει, τοὺς ἐπὶ τριῶν ἵππων ἐπιβεβηκότας. οἱ γὰρ παλαιοὶ ἐν πολέμῳ ἐξιόντες ἐπὶ τριῶν ἵππων ἐπωχοῦντο. ἢ τοὺς ἰσχυροὺς καὶ πρὸς τρεῖς δυναμένους ἀντιστῆναι. ἢ τοὺς ἐν τῇ παρατάξει τρίτους ἱσταμένους ἐν τῇ φάλαγγι τούτῳ τῷ τρόπῳ τῆς παρεμβολῆς ἱσταμένης φαλαγγοειδῶς. τοῦ γὰρ πρώτου πίπτοντος, ἢ ἀποκάμνοντος, ὁ τριστάτης ὑπεισήρχετο τὸν ἐκείνου τόπον. ἢ τὸν τριστὸν, τοῦτ' ἔστι τὸν ἐν τῷ καθέζεσθαι τὸν βασιλέα τρίτον ἱστάμενον. ἢ τὸν τρίτην ἔχοντα καθέδραν. οἷος ἦν ὁ δαβὶδ παρὰ τῷ σαούλ. Unus quidem aurigæ officio fungebatur: alter vero protegebat, tertius vero pugnabat, (*al.* ut unus quidem auriga eſſet: duo vero alii certarent.) Vel triſtatas dicit eos, qui aſcenderant ſuper tres equos. Antiqui enim in bellum exeuntes ſuper tres equos vehebantur. Inquit enim, omnem equum, & triſtatas ſuper ipſis. (*Videtur autem indicare locum præcedentis capitis, licet paulo aliter referat.*) Vel robuſtos, & eos, qui adverſus tres poſſent conſiſtere. Vel eos, qui in acie, tertii ſtabant in phalange, hoc ipſo modo, exercitu conſiſtente in ſpeciem phalangis. Primo enim cadente, vel defeſſo, ac laborante, triſtata ſuccedebat in locum illius. Vel ſignificat, τριστὸν, id eſt eum, qui ſedente rege tertius ſtat, vel tertiam ſedem habet: qualis erat David apud Saul. *De triſtata cum alibi in ſcriptura fit mentio, tum 4. Reg c. 7. hoc modo*, καὶ ἀπεκρίθη τριστάτης, ἐφ' ὃν ὁ βασιλεὺς ἐπανεπαύετο ἐπὶ τὴν χεῖρα αὐτοῦ. & reſpondit triſtata, ſuper quem rex innitebatur, & quieſcebat ſuper manum ejus. (b) Submerſi ſunt.] κατεπόθησαν. *In aliis libris eſt*, ἐπιλέκτους ἀναβάτας τριστάτας κατεπόντισεν. *Et interpr. Origenis*, electos aſcenſores, ternos ſtatores demerſit, &c. (c) Diviſa eſt aqua] *Ita etiam S. Aug. q.* 55. *Aquila autem, Symm. & Theodotio*, ἐσωρεύθη, coacervata eſt. (d) Mirabilis in majeſtatibus] *Sic Interpr. Origenis, quod græce eſt*, θαυμαστὸς ἐν δόξαις. *Compl* θαυμαστῶς, ἐνδόξως ποιῶν τέρατα, mirabiliter, glorioſe faciens prodigia. *Symm* οὔτε ἐν δυναστείᾳ, οὔτε ἐν ἁγιασμῷ ἐξισωθῆναι, neque in potentatu, neque in ſanctificatione æquari. (e) Terra] *S. Auguſt quæſt* 44. Terra pro aqua nimirum eſt poſita, &c. (f) Advocaſti] παρεκάλεσας τῇ ἰσχύϊ σου εἰς κατάλυμα ἅγιόν σου. *Int. Orig.* Conſolatus es in virtute tua, in requie ſancta tua. *Sym. pro*, παρεκάλεσας, *dixit*, ἐβάστασας, portaſti: *quod habet vulgata.* (g) Iratæ ſunt.] *Aquila*, ἐκλονήθησαν, commotæ ſunt. *Schol.* ἐταράχθησαν, turbatæ ſunt. (h) Feſtinaverunt] *Sic Int. Orig. ſed verbo* σπεύδειν, *non ſolum ſignificari feſtinationem, ſed etiam interdum trepidationem, alibi quoque notabitur. Nam & trepidatio non raro facit feſtinationem: curſitant enim, qui trepidant. Schol.* Alii, ἐθορυβήθησαν, tumultuati ſunt. (i) Magnitudine brachii tui.] *hæc poſſunt etiam conjungi cum præcedentibus. Int. Orig.* Veniat ergo ſuper eos timor, & tremor magnitudinis brachii tui. Fiant tanquam lapis, &c. (k) In paratum habitaculum.] *Schol* ἕδρασμα, εἰς καθέδραν, ſedem, in cathedram. (l) Sanctuarium,] ἁγίασμα. *Int. Orig.* ſanctimonium. (m) Seculum.] *Compl. habet* εἰς αἰῶνα. *& Int. Orig.* qui regnas in ſeculum: *Ubi multa de iſto vocabulo*, αἰών. (n) Sumens.] *In aliis libris eſt*, ἔλαβε, ſumpſit. (o) Principium.] ἐξῆρχε δὲ αὐταῖς. *Schol* καὶ κατέλεγεν αὐταῖς & dicebat eis. (p) Bibere de Merra.] *Alij codices habent*, πιεῖν ὕδωρ ἐκ μερρᾶς. *& Int. Orig. hom* 7. non poterant aquam bibere de Merrha. *Itemque S. Aug. q.* 56. (q) Cognominavit.] *Reſpond. hebræo. In aliis libris eſt*, ἐπωνομάσθη, cognominatum eſt.

CAP. XVI.

(*a*) QUod diei, in die.] τὸ τῆς ἡμέρας εἰς ἡμέραν, *id eſt, quod uni diei ſufficit, ſingulo quoque die. Inter opera S. Cypriani, in lib. de montibus Sina & Sion*, diurnum in diem. *Apud S. Auguſt. quæſt.* 58. *eſt*, unius diei in diem: *itemque apud Interpr. Origenis hom.* 7. *qui verba paulo poſt ſequentia, atque idem ſignificantia*, τὸ καθ' ἡμέραν εἰς ἡμέραν, *interpretatur*, quotidianum in die. (*b*) Lege.] *Interpr. Origenis*, in lege. (*c*) Quodcunque collegerint.] *Interpr. Origenis*, quodcunque intulerint. *Videtur autem idem valere, ac ſi diceretur*, duplum ad illud, quod colligere ſoliti ſunt ſingulo quoque die. (*d*) In exaudiendo.] *S. Auguſt. in locut.* dum exaudiet: *atque optima interpretatio eſt: ſed neſcio quomodo phraſis illa græca & hebræa efficacior eſt: quare in Pſalmo* 125. In convertendo Dominus captivitatem. *Itaque & nos ea interdum utimur.* (*e*) Ortygometra.] *S. Auguſt. q.* 62. Unde & illis ortygometra data eſt, id eſt, aves, quas coturnices multi latini interpretati ſunt: cum ſit aliud genus avium ortygometra; quamvis coturnicibus non uſquequaque diſſimile. *Vulgata quidem habet*, coturnix, *& hic, & Pſalmo* 104. (*f*) Gelu.] πάγος, *Schol.* πάχνη, pruina. (*g*) Contubernalibus.] συσκηνίοις, *aut, ut alij codices*, συσκήνοις. *S. Auguſt. in locut.* cum commanentibus vobis. *Compl. habet.* ἐν ταῖς σκηναῖς ὑμῶν. in tabernaculis veſtris. (*h*) Et ebullivit.] ἐξέζεσε. *Schol.* Alius, ἀνέβρασεν, *quod idem valet.* (*i*) Quod pertinebat.] τὸ καθῆκον. *Schol.* Alius, ἕκαστος τὸ ἀρκοῦν, quod ſatis erat. (*k*) Sabbata.] *Videtur rectius in numero multitudinis, & ſignificare ſolemnitatem ſabbati; quemadmodum apud ethnicos Floralia, Magnaleſia, & hujuſmodi.* (*l*) Cras.] *In Compl. & in multis editionibus vulgatæ itemque in chaldæo conjungitur cum ſequentibus; ut intelligatur, quod coƈturi eſtis cras, coquite hodie: ſed melius conjungitur cum præcedentibus.* (*m*) Hodie.] *In Compl. eſt*, φάγετε σήμερον αὐτό· ἔστι γὰρ σάββατον τῷ κυρίῳ· σήμερον οὐχ εὑρεθήσεται ἐν πεδίῳ· comedite hodie illud: eſt enim ſabbatũ Domino: hodie non invenietur in campo. *In alia autem editione*, φάγετε σήμερον· ἔστι γὰρ σάββατα ἀνάπαυσις τῷ κυρίῳ· σήμερον οὐχ εὑρήσετε ἐν τῷ πεδίῳ. Comedite hodie: ſunt (*al.* eſt) enim ſabbata requies Domino: hodie non invenietis in campo. (*n*) In domibus veſtris.] *In alijs libris additur*, παρ' ἑαυτῷ, apud ſemetipſum. *Hoc habet vulgata ex hebræo, & non illud: quare videri poſſunt duæ interpretationes.* (*o*) Semen coriandri.] *Schol.* Samariticus, ὡς σπέρμα ὀρύζης. tanquam ſemen oryzæ. (*p*) Laganum.] *aut*, ſimila. *græce eſt*, ἐγκρίς. *Theodoretus quæſt.* 30. *ex Symm.* ὡς ἄμυλος ἐν μέλιτι, tanquam bellarium in melle. *Schol. ex Aquila.* ἄμυλος ἐξ ἐλαίου, bellarium ex oleo. *Incertus interpres*, μέλι κηρίου, mel favi. *aut*, placentæ. (*q*) Trium menſurarum.] *Chaldæus*, trium ſatorum. *Schol.* τοῦ οἰφί, *vulgata* Ephi. *Theodoretus notat Gomor apud Joſephum continere tres atticas cotylas cum dimidia. Verum hac de re alibi.*

CAP. XVII.

(*a*) PRopter aquam.] ὕδατι, *id eſt, propter inopiam aquæ. Sic enim quod in hebræo conciſe dictum eſt, explicavit vulgata*, præ aquæ penuria. (*b*) Ipſe ego.] *Sic viſum eſt poſſe reddi illud*, ὁ δὲ ἐγώ. *In aliis editionibus partim eſt*, ὧδε, *hic (itemque apud Philonem lib.* 2 *allegoriarum non longe ab initio) partim*, ἰδοὺ, ecce. (*c*) Sto ibi.] *S. Ambroſius*, de Cain. l. 1. c. 8. Ego ſteti hic priuſquam tu. *Philo*, ὧδε ἕστηκα πρὸ τοῦ σε. hic ſto prius quam tu. *Alii codices, & Compl.* ἕστηκα ἐκεῖ πρὸ τοῦ σε ἐλθεῖν, ſto ibi, antequam tu venias: *aliæ editiones*, ἕστηκα πρὸ τοῦ ἐκεῖσε σε ἐλθεῖν, ſto, priuſquam tu illuc venias. (*d*) Congredere.] παράταξαι τῷ ἀμαλήκ. *S. Cyprianus teſtim. lib.* 2. *num.* 21. & conſtitue cum Amalec in craſtinum: *quo quidem loco, itemque in lib. de exhortatione martyrum, multa refert ex hoc capite.*

CAP. XVIII.

(*a*) POſt dimiſſionem ejus.] μετὰ τὴν ἄφεσιν. *Schol.* ἐξ ἀποστολῆς, *quod videtur ſignificare*, poſtquam eam remiſerat. (*b*) Et egreſſus eſt.] *Aquila*, καὶ ἦλθεν ἰεθρὼ νυμφευτὴ μωυσῆ, & venit Jethro nupta Moyſis. *Symm.* ἦλθεν οὖν ἰοθὸρ ὁ πενθερὸς μωυσῆ: venit igitur Jothor ſocer Moyſis. (*c*) Inſectati ſunt.] ἐπέθεντο. *Schol.* Alius; ὑπερηφανεύσαντο, ſuperbe egerant. *quod habet etiam vulgata.* (*d*) Et ſumpſit.] *S. Auguſt. in locut.* Et ſumpſit Jethor, vel Jethro. *ubi etiam de iſta locutione diſputat.* (*e*) Teſtaberis.] *Ita S. Auguſt. q.* 69. *quod græce eſt*, διαμαρτύρῃ, *aut, ut in aliis libris*, διαμαρτύρει. *Aquila*, διαστελεῖς, diſtingues, explicabis. (*f*) Deum colentes.] *Sic vertit S. Auguſt. ibid.* θεοσεβεῖς. *Schol.* ceteri, φοβουμένους τὸν θεόν, timentes Deum. (*g*) Superbiam.] *Schol.* Alius, πλεονεξίαν, avaritiam. (*h*) Super eos.] *Sic etiam hebræus, & chaldæus, ac ſignificat*, ſuper populum. *In aliis libris eſt*, αὐτοὺς ἐπ' αὐτοῖς, ipſos ſuper eos, (*quemadmodum paulo inferius etiam in noſtra*) *id eſt viros iſtos ſuper populum. S. Aug. in eadem quæſtione.* Electis videlicet potentibus viris, Deum colentibus, juſtis, & qui oderint ſuperbiã; quos conſtituat ſuper millenos, alios ſuper centenos, alios ſuper quinquagenos, alios ſuper denos. (*i*) Decuriones.] *In quibuſdam codicibus hic, in quibuſdam vero paulo inferius, ubi hæc repetuntur, ſequitur*, καὶ γραμματοεισαγωγεῖς, & ſcribas: *quod tamen utroque loco abeſt à vulgata & hebræo. S. Auguſt. ibidem.* Quos autem dicat γραμμάτων εἰσαγωγεῖς, poſt decuriones; non facile ſciri poteſt: quoniam hoc nomen in nullo uſu habemus vel officiorum, vel magiſtrorum, &c. (*k*) Et ſuſcipient.] καὶ συναντιλήψονταί σοι. *Symm. & Theodotio*, συμβαστάσουσιν, ſimul portabunt. (*l*) Grave.] *Sic S. Auguſt. in locution.* ὑπέρογκον. *Schol.* τὸ μέγα, magnum. *Aquila, & Symm.* σκληρόν. durum. *Theodotio*, τὸ δυσχερές. moleſtum.

CAP. XIX.

(*a*) MEnſe autem tertio. *S. Auguſt. q.* 70. Menſis autem tertii. (*b*) Quæ feci.] *S. Auguſt. ibidem*, quæ fecerim Ægyptiis, quomodo portaverim vos ſuper alas aquilarum, & aſſumpſerim mihi. (*c*) Peculiaris.] περιούσιος. *Theodotio*: ἐξαίρετος, electus. *S. Auguſt. ibidem*, eritis mihi in peculium. (*d*) Et vocavit.] *Alii codices*, ἐλάλησε πρὸς τοὺς πρεσβυτέρους, locutus eſt ad ſeniores. (*e*) Purifica.] ἅγνισον. *Et ita S. Auguſt. ibidem. Sch.* ceteri, ἁγίασον, Sanctifica, *& S. Cyprianus lib.* 2. *teſtm. num.* 25. *ſic habet.* (*f*) Veſtimenta.] *In quibuſdam codicibus & hic, & paulo inferius additur*, αὐτῶν. *Et. S. Auguſt. ibidem*, veſtimenta ſua. *itemque S. Ambr. primo Off. c. ult. & S. Cypr. ibidem*, veſtem ſuam. (*g*) Terminabis.] ἀφοριεῖς. *Schol.* ὁροθετήσεις, terminos ſtatues, *quos nimirum populus ne prætergrediatur.* (*h* Jaculo.] βολίδι. *Aquila*, ῥοιζήσει, ſtridore. *Symmach.* βέλεσιν, miſſilibus. *Theodotio*, τοξευόμενος, telis petitus. (*i*) Diſceſſerint.] *non diſſimilem ſententiam reddit chaldæus: Vulgata autem*, cum cœperit clangere buccina. *alia ex hebræo*, cum prolixum ſonum dederit buccina. (*k*) Interimat.] *Non eſt inuſitata hæc notio iſtius verbi*, ἀπαλλάττειν. *& paulo poſt eadem ſententia videtur dici*, ἀπολέσῃ. *quemadmodum etiam eſt idem verbum hebræum. S. Cyprianus ad Epictetum epiſt.* 64. ne forte derelinquat illos Dominus. *Aquila*, διακόψῃ, diſcindat. *Symm.* διαφθείρῃ. diſperdat. (*l*) Vim faciant.] βιαζέσθωσαν. *In Compl. eſt.* βαδιζέσθωσαν, vadant.

CAP. XX.

(*a*) PRæter me.] πλὴν ἐμοῦ. *S. Cyprianus ad Demetrianum*, abſque me. *Sed S. Auguſt. q.* 71. *& alij habent, ut nos.* (*b*) Idolum.] *Schol.* ceteri. γλυπτόν, ſculptum, *vel* ſculptile. *De nomine idoli multa Origenes homil.* 8. *& Theodoretus quæſt.* 38. (*c*) Nec cujuſquam.] *Ita S. Cyprianus de exhortatione martyrum cap. primo. Interp. Origenis*, neque ullam ſimilitudinem. *S. Auguſt. ibidem*, neque ullum ſimulachrum, *Græce eſt*, οὐδὲ παντὸς ὁμοίωμα. (*d*) In vano.] ἐπὶ ματαίῳ. *quod S. Cypr. lib.* 3. *teſtim. num* 12. *habet*, in vanum. *Aquila*, εἰς εἰκῆ, in caſſum. *vide Theodoretum q.* 41. (*e*) Non mœchaberis.] *Ita vetuſti codices. In aliis idem eſt ordo atque in vulgata, & hebræo*, οὐ φονεύσεις, οὐ μοιχεύσεις, οὐ κλέψεις, non occides, non mœchaberis, non furaberis. (*f*) Ne moriamur.] *In aliis libris eſt*, μήποτε ἀποθάνωμεν. *& S. Auguſt. q.* 73. ne quando moriamur. (*g*) Annominavero.] *S. Auguſt: in locut.* Quod græcus habet, ἐπονομάσω, ſupernominavero, aut annominavero, expreſſius dicitur, quod uſitatius: cognominavero, nonnulli interpretati ſunt. Sed non habet neceſſariam ſignificationem cognominavero: propinquius tamen dicitur cognominavero, quam nominavero: nam & hoc aliqui interpretes dixerunt. (*h*) Cultrum.] ἐγχειρίδιον. *Aquila*, ὅτι μάχαιράν σου ἐξῆρες ἐπ' αὐτό, quoniam gladium tuum elevaſti in illud: *nec multo aliter Symm.* τὴν γὰρ μάχαιράν σου ἐκίνησας ἐπ' αὐτό, *& Theodotio*, ὅτι τὴν ῥομφαίαν σου ἐπιβέβληκας ἐπ' αὐτό.

CAP. XXI.

(*a*) ACquiſieris.] κτήσῃ. *S. Auguſt: in locut.* emeris. (*b*) Tribunal.] κριτήριον. *Aquila, & Symm.* πρὸς τοὺς θεούς, ad Deos. *id eſt, judices. Nam nomen hebræum, quod ſignificat Deos, ſignificat etiam judices. Vide Theodoretum q.* 51. (*c*) Famulam.] *S. Auguſt: q.* 78. in famulam. *Shol:* Alius, καὶ ὅταν πωλήσει ἀνὴρ τὴν θυγατέρα εἰς οἰκέτιν, οὐκ ἐξελεύσεται, & quando vendet vir filiam in famulam, non exibit. *In alio Scholio hæc referuntur ex Theodotione, quæ videntur cum iſtis conjungi*, οὐκ ἐξελεύσεται, ὥσπερ ἐκπορεύονται οἱ δοῦλοι, εἰ πονηρά ἐστιν ἐν ὀφθαλμοῖς τοῦ κυρίου αὐτῆς, ἣν οὐ καθωμολογήσατο αὐτήν. non exibit, ſicut egrediuntur ſervi: ſi mala eſt in oculis domini ſui, quam non adnominavit eam. *Ex Symm. autem*, οὐ προσελεύσεται προσέλευσιν δουλικήν, εἰ μὴ ἀρέσκῃ ἐν ὀφθαλμοῖς τῷ κυρίῳ αὐτῆς ἡ μὴ καθωμολογημένη. non adibit aditum ſervilem, ſi non placeat in oculis domino ſuo, quæ adnominata non eſt. (*d*) Quam.] *Ita viſum eſt verti poſſe, quod græce in noſtra editione eſt*, ἣ αὐτῷ καθωμολογήσατο. *ut idem ſit atque illud, quod in alio codice legitur*, ἣν αὐτῷ καθωμολογήσατο. *Sunt enim obſervatæ ſimiles locutiones in codice Vaticano. Num:* 19. τὴν δάμαλιν ἣ οὐκ ἐπεβλήθη ἐπ' αὐτὴν ζυγός, *ubi alii libri habent*, καὶ οὐκ ἐπεβλήθη, *alii* καὶ ἣ οὐκ ἐπεβλήθη. *Deut:* 28. ἔθνος, ὃ οὐκ ἀκούσῃ τὴν φωνὴν αὐτοῦ, *ubi in aliis*, οὗ οὐκ ἀκούσῃ. *Ceterum, quod ad hunc locum pertinet, alii codices partim habent*, ἣν οὐ καθωμολογήσατο αὐτήν, (*quod jam diximus Scholiaſtem referre ex Theodotione*) *& S. Auguſt. eadem q.* 78. quam non adnominavit eam, *atque ita interpretatur*, id eſt, eam non fecit uxorem: *partim vero*, ἣν καθωμολογήσατο αὐτήν, quam adnominaverat eam. *Sine negatione videtur accepiſſe vulgata, & chaldæus: negationem habet hebræus.* (*e*) Redimet.] *durius hoc viſum eſt S. Auguſt: ibidem, dare dominum ejus, ut redimat, quam ipſe famulam poſſidet. quare pro*, ἀπολυτρώσει, *ipſe habet*, remunerabit. *Sed ſi illud*, redimet, *accipiatur more hebræo*, faciat redimi *id eſt, dabit, unde redimi poſſit; idem fere valebit ac*, remunerabit. (*f*) Nolens.] *Sic S. Auguſt: quæſt.* 79. *quod græce eſt*, οὐχ ἑκών. *Aquila*, καὶ ὃς οὐ μεθώδευσεν, & qui non de induſtria id molitus eſt, non eſt inſidiatus, *ut habet vulgata.* (*g*) Tradidit.] παρέδωκεν *Symm.* ἀφῆκεν, dimiſit. *De hac autem re diſputat ibidem S. Auguſt.* (*h*) Quicunque furatus.] *hæc ſententia in hebræo habetur ante illam de maledicto in patrem & matrem.* (*i*) Jurgati.] λοιδορῶνται. *Aquila*, διαμάχωνται, rixati fuerint. *quod etiam habet Complutenſis. S. Auguſt. q.* 80. ſi autem litigabunt. (*k*) Et percuſſerint.] *Alii codices*, καὶ πατάξῃ τις, & percuſſerit quis: *quod etiam eſt S. Auguſtini ibidem.* (*l*) Non formatus.] *S. Auguſt. ibidem*, nondum formatus: *græce eſt*, μὴ ἐξεικονισμένον, *in quo non eſt expreſſa imago, & effigies hominis: qua de re etiam Theodoretus quæſt* 48. (*m*) Dabit cum poſtulatione.] *In aliquot codicibus eſt*, καὶ δώσει. *S. Auguſt. ibidem.* Quod autem dixit, & dabit cum poſtulatione, quod maritus mulieris informi excluſo dandum conſtituerit, non eſt in promptu intelligere. ἀξίωμα (*ita enim locus ille reſtituendus*) quippe, quod græcus habet, pluribus modis intelligitur: & tolerabilius, cum poſtulatione, dictum eſt, quam ſi aliud diceretur. Fortaſſis enim poſtulabit, ut de eo modo Deo ſatisfaciat, etiam ſi maritus mulieris non expetat. *Sed fortaſſe ſignificat interventum judicis, aut arbitri. Interp. Origenis hom.* 10. *habet*, & dabit cum honore. (*n*) Indicta.] ἐπιβληθῇ. *Ita enim paulo ante reddidit hoc verbum S. Auguſt. In aliquot libris eſt*, ἐπιβαρυνθῇ, impoſita tanquam onus.

CAP.

CAP. XXII.

(a) IN ipſa perfoſſione.] ἐν τῷ διορύγματι. *S. Auguſt. q.* 84. ſi autem perfodiens. (*b*) Cædes.] φόνος. *S. Aug. ibidem*, homicidium. (*c*) Viciſſim morietur.] ἀνταποθανεῖται. *S. Auguſt. ibidem*: & morte morietur. *Alii ex hebræo hunc locum interpretantur de fure, qui reddere debeat; ceteroquin, ut in ſequenti ſententia dicitur, ſi non habet, unde reddat, vendatur.* (*d*) Quicquid igitur illud ſit.] ὅ π' οὖν ἂν ᾖ. *Sic fere vulgata*, & quidquid damnum inferre poteſt. *Suſpicari tamen quiſpiam poſſet ex hebræo & chaldæo hunc eſſe ſenſum, ſi quis dixerit, quod hoc ipſum utique ſit, quod reus inquit furto eſſe ablatum; coram Deo, id eſt, judicibus rem eſſe judicandam.* (*e*) De toto depoſito.] καθόλου τῆς παρακαταθήκης. *In quibuſdam libris antecedit*, μελαχεῖν, ut tolleret aliquid. *In Compl. eſt* πεπονηρεῦσθαι ἐπὶ τῆς παρακαταθήκης, improbe ſe geſſiſſe in depoſito. (*f*) Reddet.] *Compl.* ἀποτιννύων ἀποτίσει, reddens reddet. (*g*) Non ſinetis incolumes.] οὐ περιποιήσετε. *In aliis libris eſt*, περιβιώσετε, non dimittetis vivos. (*h*) Eradicabitur.] ἐξολοθρευθήσεται. *Ita S. Cyprianus ad Cornelium epiſt.* 55. *niſi, quod non habet*, morte, *itemque multis aliis locis. Solet autem idem verbum ſæpe verti*, exterminari, *ſæpe etiam*, diſperdi. *Schol.* ἀναθεματισθήσεται αὐτὸς, ipſe anathemati ſubjicietur. (*i*) Urgens.] κατεπείγων, *S. Ambr. de Tobia, c.* 14. Quod ſi pecuniam fœneraveris pupillo orphano, pauperi apud te; non ſuffocabis eum, non impones illi uſuram. *ut videatur legiſſe* καταπνίγων. (*k*) In pignus] *S. Auguſt. in locut. habet tantum*, ſi autem pignus acceperis: *ſed nos conati ſumus reddere locutionem illam græcam reſpondentem hebraicæ.* ἐνεχύρασμα ἐνεχυράσῃς.

CAP. XXIII.

(a) NOn conſenties.] οὐ συγκαταθήσῃ, non diſpones pactum. *Ita enim paulo inferius vertit S. Auguſt hoc verbum in locut. In Compl. eſt*, οὐ συγκαθίσῃ, non ſimul ſedebis. (*b*) In malitia.] *Ita S. Auguſt. q.* 87. *quod græce eſt*, ἐπὶ κακίᾳ, *& poſſet verti*, ad malum. (*c*) Excluſas.] ὥστε ἐκκλεῖσαι. *In aliis libris*, ὥστε ἐκκλῖναι, ad declinandum. *Apud. S. Auguſt. q.* 88. *hic locus ſic habet*: Non apponeris cum multitudine, cum pluribus, ut declines judicium. *A Complutenſi abeſt etiam illud*, κατὰ τῶν πλειόνων, cum pluribus, *& videri poteſt altera interpretatio.* (*d*) Non miſereberis.] *Symm.* οὐ τιμήσεις ἐν δίκῃ αὐτοῦ non honorabis in judicio ejus. (*e*) Sublevabis.] συναρεῖς. *Alii libri*, συνεγερεῖς, conſuſcitabis. (*f*) Verbo.] *In uno vetuſto codice, & in Compl eſt.* κρίματος, judicio. (*g*) Videntium.] *Aquila*, σοφῶν, ſapientum. (*h*) Feræ beſtiæ.] *Ita S. Auguſt. quæſt.* 88. *Aquila*, ζῶα τῆς χώρας, animalia regionis. (*i*) Conſummationis] συντελείας. *Aquila*, συλλογῆς, collectionis. *Symm.* συγκομιδῆς, repoſitionis. *Schol.* Samariticus, συνεισφορᾶς, cum fructus conduntur, & inferuntur in horrea, & cellas. (*k*) Thymiamatis.] *Quaſi dixeris*, incenſi *Ita vetuſti codices, ac Theodoretus q.* 55 *& infra c.* 34. αἷμα θυμιαμάτων. *Ac videtur iſto tamen nomine appellari ſacrificium, quod incenderetur. Hic in aliis libris eſt*, θυμιάσματος, *quod ex eodem loco videtur ductum. In aliis*, ἁγιάσματος, ſanctificationis. *In aliis*, θυσιάσματος. *In Compl.* θύματος, *quæ ſignificant victimam, & ſacrificium. De hoc nomine dicetur etiam cap.* 29. (*l*) Non coques agnum.] *De hac ſententia S. Auguſt. q.* 90. *& Theodoretus q.* 56. *Symm.* οὐ σκευάσεις ἔριφον διὰ γάλακτος μητρὸς αὐτοῦ, non apparabis hœdum per lac matris ſuæ. (*m*) Verebitur.] οὐ γὰρ ὑποστείληταί σε, non parcet tibi. *S. Auguſt. q.* 91 *hunc locum ſic refert*: Attende tibi, & exaudi eum, ne non credas illi: nihil enim ſubtrahet tibi &c. *S. Cyprianus lib.* 2. *teſtim. num.* 5. Obſerva eum, & obaudi eum, & ne fueris inobaudiens ei: & non deerit tibi, &c. (*n*) Si auditione audieritis.] *Hæc uſque ad alterum*, ſi auditione, *abſunt ab aliquot libris græcis, ſicut etiam à vulgata.* (*o*) Deſtructione deſtrues.] *In aliis libris eſt*, καθελεῖς αὐτοὺς, deſtrues eos: *in aliquo etiam*, τοὺς βωμοὺς αὐτῶν, aras eorum. (*p*) Timorem.] *Schol.* τὴν καταπληξίν μου, terrorem meum obſtupefacientem. (*q*) Amentes faciam.] *Sic S. Auguſt. ibidem, quod græce eſt*, ἐκστήσω, in exceſſum & pavorem inducam. (*r*) Ejicies.] *In aliquot codicibus eſt*. ἐκβαλῶ, ejiciam. *& ſic S. Aug. q.* 93. *In aliis*, ἐκβαλεῖ, ejiciet. *& ſic idem S. Auguſt. in locutionibus.* (*ſ*) Paulatim.] *In aliis libris eſt*, κατὰ μικρὸν μικρὸν, paulatim, paulatim. *S. Auguſt. in locut.* per partes.

CAP. XXIV.

(a) CRateras.] κρατῆρας. *Ita libri vetuſtiores. In aliis eſt*, κρατῆρα. *S. Auguſt q.* 99 Sumens autem Moyſes dimidiam partem ſanguinis, infudit in craterem; & partem reliquam ſanguinis, &c. (*b*) Ubi ſteterat.] *In aliquot libris eſt*, οὗ εἱστήκει ἐκεῖ. *S. Auguſt: in locut.* ubi ſteterat ibi Dominus Deus Iſrael. (*c*) Firmamenti cœli.] *S. Aug. q.* 102. Saphiro autem ſignificatur vita cœleſtis, maxime, quia dictum eſt, ſicut aſpectus firmamenti. Firmamentum autem cœlum appellari quis neſciat? *Ex quibus verbis ſuſpicari quiſpiam poſſit, S. Auguſt. non habuiſſe*, cœli. (*d*) Non diſſonuit.] *Ita S. Aug. q. eadem, quod græce eſt*, οὐ διεφώνησεν οὐδὲ εἷς. *Sed fortaſſe poſſet etiam reddi*, nemo detrimentum accepit. *Nam ſimili quadam notione videtur accipi* 1 *Reg.* 30. οὐ διεφώνησεν αὐτοῖς, *itemque Ezech.* 37. διαπεφωνήκαμεν. (*e*) Qui adſtabat ei.] *Aquila, & Symm.* ὁ λειτουργὸς αὐτοῦ, miniſter, & famulus ejus.

CAP. XXV.

(a) ET accipite.] *In aliis libris eſt*, λάβετέ μοι, accipite mihi. *In aliis* καὶ λαβέτωσάν μοι. & accipiant mihi. *quod reſpondet vulgatæ.* (*b*) Hyacinthinas. *In aliis libris eſt*, πεπυρωμένα, ignitas, & flammantes. *In uno pervetuſto* ἰάνθινα, ianthinas, *quomodo eſt in aliquo codice vulgatæ.* (*c*) Sardij] σαρδίου. *In aliis fere omnibus eſt*, σαρδίους. Sardios: *& hæc proxime ſequuntur*, καὶ ἔλαιον εἰς τὴν φαῦσιν, θυμιάματα εἰς τὸ ἔλαιον τῆς χρίσεως, καὶ εἰς τὴν σύνθεσιν τοῦ θυμιάματος, oleum ad illuminationem, thymiamata ad oleum unctionis, & ad compoſitionem thymiamatis. (*d*) Facies.] *Interpr: Origenis homil.* 9. facietis mihi ſanctificationem: & inde videbor vobis. (*e*) Cymacia.] S. *Aug: q.* 104. Cymacia dixit, quæ in quadratura extant per quatuor partes: ſicut menſæ quadræ fieri ſolent. *Alii undulas dixerunt.* (*f*) Tortilia.] S *Auguſt. ibidem habebat verſatilia*: *ſed hæc addit.* Nec quod ait verſatilia, mobilia debemus accipere: (Fixa ſunt enim, ſicut dixi menſas habere ſolitas:) ſed verſatilia dixit tortilia, quæ græce dicuntur στρεπτὰ, vel canalibus, ſicut ſunt columnæ tortiles, aut implicatis duabus virgulis in modum reſtis, ſicut etiam torques fieri ſolent. (*g*) Latera.] S. *Auguſt. ibidem*, latera arcæ: *& in aliquo libro eſt*, κλίτη αὐτῆς. (*h*) Geſtatoria.] *Geſtatoria, vel ſupportatoria dicit* S. *Aug*: *quod græce eſt*, ἀναφορεῖς. *Alii vectes dicunt.* (*i*) Ligna imputribilia.] *In aliis libris eſt*, ἐκ ξύλων ἀσήπτων, ex lignis imputribilibus. (*k*) Extendentes alas.] *Schol*: ἐκπετάζοντες. expandentes. (*l*) Obumbrantes.] *Aquila*, σκεπάζοντες, tegentes. (*m*) Innoteſcam.] *Schol*: ceteri, συντάξομαι, conveniam, conſtituam. (*n*) Et ſecundum omnia.] καὶ κατὰ πάντα. *A Compl: abeſt illud*, καὶ. (*o*) Auream.] χρυσῆν. *Abeſt iſta dictio ab aliquot codicibus. In aliis vero legitur*, τράπεζαν ἐκ ξύλων ἀσήπτων, menſam ex lignis imputribilibus: *ubi vulgata*, de lignis Sethim. (*p*) Tortile cymatium] *Schol*: στρεπτὰ κυμάτια χρυσᾶ. tortilia cymatia aurea. (*q*) In thecas.] εἰς θήκας. S. *Auguſt*: *q.* 106. *habuit*, in thecis: *ſed ita interpretatur.* Erunt quippe in thecis, ita dictum eſt, tanquam diceretur, erunt pro thecis. (*r*) Libabis.] σπείσεις. S. *Auguſt*: *in locut.* in quibus immolabunt in eis. (*ſ*) Præſentes] *Fortaſſe hoc modo non inepte vertitur illud*; ἐνωπίους. *Aquila*, ἄρτους προσώπων. panes facierum. *Symm.* προθέσεως, propoſitionis; *atque ita uſus obtinuit, ut appellentur: & hoc modo à nobis poſthac appellabuntur.* (*t*) Reddentes formam nucum.] ἐκτετυπωμένοι καρυΐσκοις, *aut, ut alibi libri*, καρυΐσκοις *Schol*: *refert ex Aquila*, ἐξημυγδαλωμένην, *& interpretatur*, ἐκτετορνευμένην ἀμύγδαλον, ſculptum in modum amygdalæ. (*u*) Lilia.] *Symm.* ἄνθη, flores. (*x*) Sub quatuor.] *Alii codices habent*, ὑπὸ τοὺς δύο, ſub duobus. *In aliis non eſt hæc geminatio, ſed tantum legitur*, ὁ σφαιρωτὴρ ὑπὸ τοὺς δύο καλαμίσκους ἐξ αὐτῆς, ſphærula ſub duobus calamis ex eo: *quod in vulgata eſt*: ſphærulæ ſub duobus calamis per tria loca. (*y*) Et in candelabro quatuor crateres formati in typum nucum.] *Hæc abſunt a Compl: & vulgata, ac videri poſſunt per errorem ex ſuperiore loco huc irrepſiſſe.* (*z*) Totum.] *Compl*: ὅλοι τορευτοὶ, toti ductiles. *Sed noſtra propius ad hebræum.*

CAP. XXVI.

(a) AUlæa.] S. *Auguſt. q. ultima*, αὐλαίας quas græci appellant, latini aulæa perhibent, quas cortynas vulgo vocant Non ergo decem atria fieri juſſit, ſicut quidam negligentes interpretati ſunt: non enim aulas, ſed aulæas dixit. *Interpres Origen*: *habet*, atria (*b*) Cocco torto.] *Ita* S. *Auguſt: non ſemel, præcipue in q. ultima in Exodum*: *quæ diligenter perlegenda eſt*: *græce eſt*, κοκκίνου κεκλωσμένου, *quod ſolet verti*, coccino retorto. *In vulgata eſt*, coccoque bis tincto. (*c*) Cherubim.] S *Auguſt. q.* 107. *conjungit cum ſequentibus*: Cherubim facies ea opere textoris: *& q. ultima*, opere ergo textili Cherubim juſſit in aulæis fieri. S. *Hieron*: *ad Marcellam.* In Exodo, ceteriſque locis, ubi deſcribuntur veſtes plumaria arte contextæ, opus Cherubim, id eſt, varium atque depictum, factum eſſe deſcribitur, ita tamen, ut vau literam Cherubim non habeat: quia ubicunque cum hac litera ſcribitur, animalia magis, quam opera ſignificat. (*d*) Super labium.] ἐπὶ τοῦ χείλους. S. *Aug*: *ſolet dicere*, ora ſumma (*e*) Faciem contra faciem.] ἀντιπρόσωποι ἀντιπίπτουσαι ἀλλήλαις εἰς ἑκάστην. S. *Aug*: *ibidem*, faciem contra faciem conſiſtentia ex adverſo ſingula *Ac de aulæis videtur accepiſſe*: *cum tamen commodiſſime de anſulis accipi queat Schol* Samariticus, διαδεχόμεναι συμβολαὶ μία πρὸς μίαν ἀντιπροσώπως κατὰ τὸ προσέχειν ἀλλήλαις. excipientes ſe commiſſuræ una ad unam, facie contra faciem, eo quod ſibi invicem cohæreant. (*f*) Vela capillacea.] *Schol*: τρίχινοι καλυπτῆρες, e capillis conſerta opercula. (*f*) Tegmen.] σκέπην. *In aliis eſt*, σκέπειν. S. *Auguſt*: *quæſt*: 108. operire ſuper tabernaculum, *& addit q. ultima*, id eſt, quæ venirent ſuper, non a parte tecti, ſed ſupercingendo: *quam interdum eſſe notionem iſtius dictionis*, ſuper, *docet locut.* 110. (*h*) Circulos] *Ita* S. *Auguſt*: *quod græce eſt*, κρίκοις. *alii vertunt*, fibulas. (*i*) In eo quod abundat.] εἰς τὸ πλεονάζον. *Ab aliis libris abeſt illud*, εἰς S. *Auguſt*: *hunc locum, quem difficillimum judicat, ſic refert*: Et ſuppones in velis tabernaculi dimidium veli, quod ſuperaverit, ſubteges, quod abundat de velis tabernaculi, ſubteges poſt tabernaculum, cubitum ex hoc, & cubitum ex hoc, *&c.* (*k*) Duos anconiſcos] S. *Auguſt*: *locis indicatis*: duos anconiſcos, (*al.* anconicos) columnæ uni conſiſtentes ex adverſo, *& addit q.* 109. Anconicos autem dicit, quos vulgo vocamus ancones: ſicut ſunt in columnis cellarum vinariarum, quibus incumbunt ligna quæ cupas ferunt. Ducta eſt autem ſimilitudo verbi a cubitis, ubi flectuntur manus, quibus incumbunt recumbentes, qui græce, ἀγκῶνες, vocantur. *Quare alii* cubitulos *ſunt interpretati. Symm*: κατοχεῖς, retinacula. (*l*) Omnibus columnis.] S. *Auguſt*: omnes columnas: *utraque eſt non inuſitata locut.* (*m*) Baſes] S. *Auguſt*: *q.* 110. Baſes non eas tantum videtur dicere ſcriptura, quibus columnæ ab imo fulciuntur; ſed etiam ſuperiores; quæ capitella nos dicimus. *Idem Origenes homil*: 9. (*n*) Commiſſuram.] *Sic* S. *Auguſt*: *quod græce eſt*, σύμβλησιν, *aut, ut in aliis codicibus*, συμβολήν. *quæ dictio non ſemel in hoc capite eſt uſurpata, atque idem valet.* (*o*) Columnæ uni.] *Hic in aliquot codicibus ſequitur*, εἰς ἀμφότερα τὰ μέρη αὐτοῦ, in ambas partes ejus: *quæ geminatio habetur etiam paulo ſuperius*: *& eam notat* S. *Auguſt*: *in locut. & q. ultima.* (*p*) Cherubim] *de hac locutione dictum eſt In vulgata appellatur opus plumarium, aut plumarii.* S. *Auguſt*: *hoc loco in q. ultima habet*, ſuper Cherubim. (*q*) Adductorium.] *Ita* S. *Auguſt*: *græce eſt*, ἐπίσπαστον, *& ab aliis ſolet dici tentorium.*

CAP. XXVII.

(a) AD Africum.] *Deſcribuntur quatuor atrii latera per quatuor has hemiſpherii partes, quæ ſunt*, λίψ, ἀπηλιώτης, θάλασσα, νότος, Africus, ſubſolanus;

ſubſolanus, mare, auſter. *In aliis codicibus ſunt*, νότος, βορρᾶς, θάλασσα, ἀνατολαὶ, auſter, aquilo, mare, oriens: *& ita apud* S. *Auguſt. quæſt. ultima.* propterea quod latus atrij e deſerto ad mare ſpectans non reſpiciebat ζέφυρον, favonium & æquinoctialem occidentem, ſed ἀργέστην & occidentem æſtivum; idcirco hic ponitur λὶψ Africus, & ἀπηλιώτης Subſolanus ei adverſus, & θάλασσα mare, eique contrarius νότος *Auſter.* (*b*) Uni lateri.] *Schol.* Alius, τῇ γωνίᾳ, angulo. (*c*) Columnæ.] *Notat Theodoretus quæſt.* 60. *quod hic eſt*, στῦλοι, *alios interpretes dixiſſe*, σανίδας, tabulas. (*d*) Eorum.] *videtur referri ad tentoria: græce eſt*, αὐτῆς, *quod poſſet etiam verti*, earum, *ut habet hic* S. *Auguſt. quaſi ſubintellexerit*, cortynarum, *aut quiddam ejuſmodi: hebræus & chaldæus habent*, ejus, *id eſt*, *lateris; & infra in ſimilibus locis.* S. *Auguſt interdum habet*, ejus, *interdum* eorum. (*e*) Et arcus.] *In aliis libris eſt*, ϗαὶ ψαλίδες αὐτῆς. *Et apud* S. *Auguſt.* & arcus earum. *Alii autem pro circulis & arcubus dixerunt fibulas & forcipes.* (*f*) Quæ ad mare.] τὸ κατὰ θάλασσαν, *& videtur referri ad latitudinem*, *quæ græce eſt*, τὸ εὖρος, *Paulo poſt autem eſt*, τῆς αὐλῆς τῆς πρὸς νότον. *ut illud*, τῆς, *referatur ad ipſum atrium. Sic apud* S. *Auguſt* latitudo atrij, quæ eſt ad mare, & latitudo atrij, quod eſt ad orientem. (*g*) Cocco torto.] S *Auguſt habet*, cocco neto & byſſo torta, *in aliqua autem editione eſt*, κοκκίνου κεκλωσμένου ϗ βύσσου νενησμένης, cocco torto & byſſo neta (*h*) Acu picti] τοῦ ῥαφιδευτοῦ S. *Aug. habet*, acu picta. *Sed videtur intelligendum*, operis acu picti: *ut paulo poſt habet ipſemet* S. *Aug.* (*i*) Ex olivis] *Schol* ἐκ σπερμάτων, de ſeminibus. (*k*) Ad lumen accendendum.] εἰς φῶς καῦσαι. *Ab aliis libris abeſt illud*, καῦσαι.

CAP: XXVIII.

(*a*) SApientiæ.] *dictio* σοφίας, *abeſt ab aliquot exemplaribus, nec refertur à S Aug q.* 114. (*b*) Senſus.] *fatetur ibidem S. Aug. hoc latine eſſe, quod græce eſt*, αἰσθήσεως, *verum quoniam ſcriptura de ſenſu interiore, quem intellectum vocamus, ſic loqui ſolet; propterea in latinis codicibus hic fuiſſe*, ſpiritu intellectus; *cum tamen alibi ſit*, ſenſus; *ut in epiſt ad hebr. cap.* 5. (*c*) Ad ſanctum.] εἰς τὸ ἅγιον, *quod interdum valet*, ad ſanctuarium. *quemadmodum paulo inferius in hoc eodem capite*, εἰσιόντι εἰς τὸ ἅγιον, *ubi S. Auguſt. in locut. habet*, in ſanctum: *quæſt. autem* 119 in ſanctuarium. *Sed poteſt etiam ſignificare*, ad ſanctitatem, ut ſanctificetur. (*d*) Superhumerale.] *S. Hieron. ad Fabiolam*, LXX ἐπωμίδα, id eſt, ſuperhumerale, appellant. Aquila, ἐπένδυμα. nos Ephod ſuo ponimus nomine *Interpr. Origenis, & S. Auguſt. dicunt*, humerale. (*e*) Coſymbotam.] *Putavimus retinendam dictionem græcam, quam etiam retinet S. Hieronymus ad Marcellam. S. Auguſt. q.* 114. *habet* cum cornibus, *& hæc addit*, Tunicam vero cum cornibus honeſtius putarunt latini interpretes dici quam ſi dicerent, cum cirris; qui bene diſpoſiti ornamento eſſe veſtibus ſolent. *Sed alij interpretantur ſtrictam, & præcinctam: quæ interpretatio non videtur inepta; cum infra in hoc eodem capite coſymboti, vel corymbi nodos ſignificent. Alii ex hebræo vertunt*, ocellatam. (*f*) Cidarim.] *Schol.* κατὰ τὸ σαμαρειτικόν. Apud Samariticum, πῖλιον, pileum: ἤτοι καθ' ἑτέραν γραφὴν, vel ſecundum aliam ſcripturam, μίτραν, mitram. *Theodoretus dictionem*, μίτραν, *agnoſcit ex LXX. Sed ad ſignificandum tæniam, quæ frontem tegebat. S. Hieron. ad Fabiolam*: hoc græci & noſtri, τιάραν, nonnulli galerum vocant. *Conferenda ſunt cum ijs, quæ à S. Hieron. ea quæ à Theodoreto quæſt* 60. *& à S. Auguſt. hic quæſt.* 123. *& in Levit. quæſt.* 81. *afferuntur.* Zonam] *S Hier. ad Fabiolam.* nos cingulum, vel baltheum, vel zonam poſſumus dicere. *S Auguſt. utitur vocabulo zonæ.* (*g*) Coccum.] *Notat S. Hieron ad Fabiolam, pro cocco apud hebræos ſcribi vermiculum, & deputari igni, &ætheri, qui hebraice Sen appelletur, quod Aquila* διάφανον, *Symm.* διάχρυσον, *id eſt perſpicuum, & dilucidum ſit interpretatus.* (*h*) De byſſo torta] *Schol. Alius*, ἐκ χρυσίου, ϗ ὑακίνθου, ϗ πορφύρας, ϗ κοκκίνου νενησμένου, ϗ βύσσου κεκλωσμένης, ex auro, & hyacintho, & purpura, & cocco neto, & byſſo torta. (*i*) Smaragdi.] *S. Auguſt. q.* 115 *habet*, onychinos *S. Hieron. ad Fabiolam.* Qui hebraice dicuntur Soom, ab Aquila, & Symmacho, & Theodotione onychini, a LXX Smaragdi transferuntur. Joſephus ſardonychas vocat, cum hebræo Aquilaque conſentiens: ut vel colorem lapidum, vel patriam demonſtraret. (*k*) Secundum generationes.] *S. Auguſt ibidem.* juxta ordinem nativitatis eorum. (*l*) Et pones.] *Schol. Alius*, περικεκυκλωμένοις ϗ συνεσφραγισμένοις χρυσίῳ ποιήσεις αὐτοὺς, ϗ θήσεις, circumdatos, & concluſos auro facies eos & pones. (*m*) Aſpidiſcas] *Ita S. Auguſt. ibidem, ac de etymologia nominis diſputat. Alii uncinos verterunt* (*n*) Secundum paromidas earum ex anterioribus.] *hæc abſunt ab hebræo, & chaldæo. Complutenſis habet*, ſecundum ſuperhumeralia eorum, *recte, an ſecus, non auſim dicere. Non enim videtur eſſe idem*, παρωμὶς *&* ἐπωμίς (*o*) Spithami.] *S. Auguſt. ibidem*, Spithamus autem longitudo & Spithamus latitudo, latini quidem interpretati ſunt menſuram extentæ palmæ a fine pollicis uſque ad finem digiti minimi. (*p*) Saphirus] *S Hieron. ibidem inquit Symm. pro ſmaragdo tranſtuliſſe*, ceraunium. (*q*) Ligurius] *S Hieron. ingenue fatetur ſe ignorare, quis iſte lapis ſit; niſi ſi hyacinthus ſit. Apud Theophraſtum & Plinium fit mentio lyncurii.* (*r*) Unuſquiſque.] ἕκαστος. *in aliis eſt* ἑκάστου, uniuſcujuſque, *ſed longius ab hebræo.* (*ſ*) Fimbrias complectentes] *Sic S. Auguſt. q.* 116. *quod græce eſt*, κρωσσοῖς συμπεπλεγμένοις, *& alii vertunt*, catenis connexas. (*t*) Catenatum.] *Symm.* βροχωτὸν, laqueatum. (*u*) Puro] *Hic in Complutenſi multa ſequuntur, quæ in collatis codicibus non ſunt inventa, neque ſignificantur à S. Auguſt. Reſpondent tamen ſatis vulgatæ.* (*x*) Introeunti.] *Sic manuſcripti, & S. Auguſt. in locutionibus bis in hoc capite notat hanc locutionem, quam inquit potius ſe credidiſſe notandam, quam corrigendam: quod aliqui latini feciſſent. In Compl. eſt*, εἰσιὼν, intrans. (*y*) Et pones.] *Hæc viciſſim hoc loco abſunt à Compl. uſque ad illud*, Et impones. *Atque idem S Auguſt. notat hanc locutionem*, fimbrias, catenata: *quorum loco in Compl. paulo ante videtur dictum*, ϗ ἐπιθήσεις τοὺς κρωσσοὺς, ϗ τὰ ἁλυσιδωτὰ, *&c.* & impones fimbrias, & catenata, &c. (*z*) Subuculam.] *Sic S. Hieron. ad Fabiolam*: ſubtunicalem, *ad Marcellam ſcribens: quod græce eſt*, ὑποδύτην ποδήρη. S. *Auguſt. q.* 118. & facies tunicam talarem hyacinthinam. (*aa*) Periſtomium.] S. *Auguſt. ibidem*, id eſt, qua caput ejiciatur. S. *Hieron. ibidem*, quod vulgo capitium vocant. (*bb*) Ex ipſo.] ἐξ αὐτοῦ, *& videtur ſubintelligi*, periſtomio. S. *Auguſt. tamen ibidem habet*, ex ipſa, *& addit*, id eſt ut ex ſeipſa ſit ipſa ora contexta cum veſte. (*cc*) Et erit Aaron.] S. *Auguſt*: *q.* 119. *nec multo aliter in loc.* Et erit Aaron cum cœperit fungi ſacerdotio, audietur vox ejus intranti, &c. *Theodotio*, ἐπὶ ἀαρών. *Aquila, & Symmac.* ἐπὶ τοῦ ἀαρὼν, ſuper Aaron. (*dd*) Tortam] S. *Auguſt*: *q.* 120. hyacinthum duplicem tortam (*ee*) Super mitram.] *Aquila, & Theodotio*, ἐπὶ τῆς κιδάρεως, ſuper cidarim. (*ff*) Nodi.] οἱ κοσυμβωτοὶ, *aut, ut alii codices*, οἱ κόσυμβοι. *Schol.* ceteri, αἱ συσφίγξεις, conſtrictiones.

CAP. XXIX.

(*a*) SAnctificabis eos.] *in aliis libris eſt*, ἁγιάσαι αὐτοὺς, ad ſanctificandum eos. (*b*) Lagana azyma,] *Schol.* κολλύρας ἀζύμους ἀναμεμιγμένας, placentas azymas permiſtas. (*c*) Talarem.] ϗ τὸν χιτῶνα τὸν ποδήρη *In aliquo codice eſt*, ϗ τὸν ποδήρη, & poderem, *id eſt*, tunicam talarem: *quod reſpondet hebræo, & vulgatæ. Theodotio*, τὸν χιτῶνα, ϗ τὴν ἐπενδύτην τῆς ἐπωμίδος, tunicam & pallium ſuperhumeralis. *Symmac* τὸν χιτῶνα, ϗ τὸ ἐπένδυμα τοῦ ἐπενδύματος, tunicam & ſuperindumentum ſuperindumenti, *id eſt, tunicam illam hyacinthinam, quæ ad tunicam illam ſimplicem lineam intimam relata erat ſuperindumentum; ſed ſubſternebatur alteri ſuperindumento, nimirum ſuperhumerali. Huc videtur ſpectaſſe Theodoretus; cum dixit*, ἐπενδύτην, *in ſcriptura vocari poderem, quod ad pedes uſque perveniret. Superiore tamen capite vocata eſt*, ὑποδύτης, *quod, ut diximus, ſubſternitur ſuperhumerali.* (*d*) Laminam.] *Symm.* ἀφόρισμα, ſeparationem, *id eſt, eximium illud inſigne. Schol. Alius* τὸ ἅγιον, ſanctitatem. *Fortaſſe autem hæc varietas pertinet ad illud, quod ſequitur*, τὸ ἁγίασμα, ſanctificationem. (*e*) Zonis.] *Theodotio*, ζώνη ἀαρὼν, zona Aaron, *Aquila*, διὰ ζώνην ἀαρὼν, per zonam Aaron. *Vulgata convenit cum Theodotione.* (*f*) Et conſummabis.] *Ita S. Auguſt. q.* 125. *quod græce eſt*, τελειώσεις, *& ſic ſolet vertere plerumque hoc verbum, quod alii dicunt*, conſecrare: *ſuperiore capite eadem vox hebræa reddita eſt*, ϗ ἐμπλήσεις, & implebis. (*g*) Aaron] *In aliis libris eſt*, τὰς χεῖρας ἀαρὼν ϗ τὰς χεῖρας τῶν υἱῶν αὐτοῦ, & S. *Auguſt* manus Aaron, & manus filiorum ejus. (*h*) Pennam.] τὸν λοβόν. *Sic S. Auguſt in Levit. q.* 22 *quod in vulgata eſt*, reticulum. *Theodoretus q.* 61 *teſtatur alios interpretes dixiſſe*, περιττὸν, quod excedit. (*i*) Peccati.] *Alii codices*, ἁμαρτία, peccatum, *id eſt, ſacrificium pro peccato* (*k*) Suavitatis.] *Theodoretus q.* 62. Alii quidem interpretes, pro, εὐωδίας, poſuerunt, εὐαρεστήσεως, acceptationis. (*l*) Thymiama.] *quaſi incenſum: nam hujuſmodi ſacrificium hebræus vocat ignitionem. Diximus etiam ſuperius de iſta dictione. In aliis libris eſt*, θυσίασμα, ſacrificium. (*m*) Summitatem.] *Schol.* τὸν ἀντιδάκτυλον, pollicem (*n*) Qui ab altari] τοῦ ἀπὸ τοῦ θυσιαστηρίου. *Alii codices*, τοῦ ἐπάνω τοῦ θυσιαστηρίου qui ſuper altare, *alij*, ἀπὸ τοῦ αἵματος τοῦ θυσιαστηρίου, de ſanguine altaris. (*o*) Adipem ejus] *Schol*: Alius interpres addit ex hebræo, ϗ τὴν κέρκον, & caudam. (*p*) Brachium] *Schol*: ceteri, τὴν κνήμην, femur. (*q*) Illa.] αὐτά. *Alii codices*, αὐτοὺς, illos. (*r*) Oblatio.] *græce eſt*, κάρπωμα *hebraice autem eſt eadem dictio, quæ paulo ante dicta eſt Thymiama.* (*ſ*) Aaron.] *S. Auguſt*: *q.* 128 id eſt ipſius Aaron: hoc enim pertinere voluit ad ſummum ſacerdotem. (*t*) Purificationis.] τοῦ καθαρισμοῦ. *Aquila, Symm. & Theodotio*, ἐξιλασμοῦ, expiationis, aut depropitiationis. *Ita enim vertit* S. *Aug*: *q* 133. (*u*) Purificabis.] *Schol*: ceteri, ἐξιλάσῃ, expiabis. (*x*) Sancti.] *Ita* S. *Auguſt*: *q.* 130. *ubi de hoc loco diſputat. In alijs codicibus eſt*, τῶν ἁγίων, ſanctorum. (*y*) In.] *Theodoretus q.* 64. Genus eſt menſuræ vini & olei apud hebræos; continet autem, ut ait Joſephus, duas choas atticas.

CAP. XXX.

(*a*) IMputribilibus; & facies illud cubiti longitudinem.] *In Complutenſi eſt*, ἀσήπτων ποιήσεις αὐτὸ, πήχεως τὸ μῆκος: imputribilibus facies illud. Cubiti longitudo, &c. (*b*) Duobus lateribus.] *Ita* S. *Auguſt*: *q.* 131. *ubi de hoc loco diſputat. Poſſet tamen dici*, ad duo latera facies in duabus coſtis: *nam græce eſt*, εἰς τὰ δύο κλίτη ποιήσεις ἐν τοῖς δυσὶ πλευροῖς. (*c*) Arcus amitibus.] *Sic idem q.* 132. *& addit*: Quos annulos dixerat, arcus dicit. Annulos quippe pro rotundis anſis poſuit. Et quid eſt aliud annulus, vel circulus, niſi undique arcus? Ideo quidam nolentes arcus dicere, thecas interpretati ſunt quibus amites inducerentur, dicentes, & erunt thecæ amitibus, quaſi græcus hoc non poſſet dicere, cum etiam thecæ græcum verbum ſit. Dixit autem, ψαλίδες, quod arcus interpretatur. *Eodem modo reddita invenitur dictio iſta apud* S. *Auguſt*: *ſupra cap.* 27. *Quod autem pertinet ad amites, alii habent*, vectes, *quemadmodum & c.* 27. *Ibi tamen græce eſt*, ἀναφορεῖς, *hic autem eſt*, σκυτάλαις. *quamvis in hebræo eadem ſit dictio* (*d*) Teſtimoniorum] *In Complutenſi eſt*, τοῦ μαρτυρίου, teſtimonii. *Alii codices manuſcripti addunt*, κατὰ πρόσωπον ἱλαστηρίου, ὅ ἐστιν ἐπὶ τῶν μαρτυρίων, ad faciem propitiatorii, quod eſt ſuper teſtimonia: *quæ reſpondent vulgatæ.* (*e*) Sero.] ὀψέ. *Abeſt ab aliquot codicibus.* S. *Auguſt*: *in locutionibus habet, & conjungit cum ſequentibus*, ſero incendet ſuper illud. *Notat etiam*, ſero, *dictum eſſe pro* veſpere. (*f*) Semper.] *abeſt iſta dictio à* S. *Auguſt*: *q.* 133. *&* ἐνδελεχισμοῦ, *&* διαπαντὸς, *videri poſſunt duæ ejuſdem hebraicæ dictionis interpretationes.* (*g*) Eorum.] *Ita etiam* S. *Auguſt. In Compl. eſt*, ὑμῶν, veſtras: *quæ varietas eſt etiam paulo inferius.* (*h*) Super illud.] *Alij codices*, ϗ ἐξιλάσεται ἀαρὼν ἐπὶ τῶν κεράτων αὐτοῦ ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ ἀπὸ τοῦ αἵματος τοῦ καθαρισμοῦ τῶν ἁμαρτιῶν. *Et* S. *Auguſt*: *ibidem.* Et depropitiabit Aaron, (vel exorabit) ſuper cornua ejus ſemel in anno de ſanguine purificationis delictorum. *Alii codices, ut etiam Compl. poſt verbum*, ἁμαρτιῶν, *addunt*, τοῦ ἐξιλασμοῦ, depropitiationis, *quæ eſt altera interpretatio. Nam Aquila pro*, τοῦ καθαρισμοῦ, *dixit*, ἐξιλασμοῦ. (*i*) Purificabat illud.] *In alijs libris eſt*, ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ καθαριεῖ αὐτό. *& apud* S. *Auguſt*: ſemel in anno purificabit illud. (*k*) Redemptiones.] λύτρα. *id eſt*, pretia pro redemptione. S. *Auguſt. in locut.* dabunt ſinguli redemptionem. *Schol. Alius*, ἐξίλασμα, (*al.* ἐξιλασμὸν,) expiationem. (*l*) Quicumque tranſibunt ad viſitationem.] *Schol.* ὁ πορευόμενος ἐν τοῖς ἀριθμοῖς, qui vadit in numeris, *vel,* ad numeros, S. *Auguſt* q. 134. Quid eſt, quod ait, ſi acceperis computationem filiorum Iſrael in viſitatione eorum; niſi quia jubet eos aliquando viſitari, & computari, id eſt numerari? Quod in David propterea vindicatum intelligendum eſt; quia Deus non juſſerat. *De conſtructione hujus periodi diſputat in locut.* (*m*) Omnis, qui tranſit ad viſitationem.] *Schol.* Alius, πᾶς ὁ πορευόμενος ἐν τοῖς ἀριθμοῖς, omnis, qui vadit ad numeros. *Et eſt vocabulam caſtrenſe.* (*n*) Cum accedent.] *In aliis libris eſt,* ἢ ὅταν προσπορεύωνται, vel quando accedent. (*o*) Cum ingredientur in tabernaculum teſtimonii, lavabunt aqua.] *hæc abſunt ab aliis codicibus: ab aliis quibuſdam tantum illa,* lavabunt aqua. (*p*) Suavitates.] ἡδύσματα, *Aquila* ἀρώματα, aromata, *ut vulgata. De hedyſmatis Plinius, & alii.* (*q*) Non facietis.] *Schol.* ceteri, οὐ ποιηθήσεται, non fiet.

CAP. XXXI.

(*a*) QUi Or.] τ ὤρ. *niſi legendum ſit,* τοῦ ὤρ. *In aliis quidem libris eſt,* υἱοῦ ὤρ, filii Or. (*b*) Netum.] *In aliis codicibus ſequitur,* καὶ τὴν βύσσον τὴν κεκλωσμένην, & byſſum tortam. *Ab hebræo autem & hæc, & alia ex præcedentibus abſunt.* (*c*) Et lapidaria.] *In aliis libris partim eſt,* καὶ εἰς τὰ λιθουργικὰ ἔργα, καὶ εἰς τὰ τεκτονικὰ τῶν ξύλων, & ad lapidaria opera, & ad fabrilia lignorum: *partim,* καὶ τὰ λιθουργικὰ εἰς τὰ ἔργα, καὶ τὰ τεκτονικὰ τῶν ξύλων, & lapidaria ad opera, & fabrilia lignorum. (*d*) Et elaborabunt.] καὶ πονήσουσι, *alii libri,* καὶ ποιήσουσι, & facient. (*e*) Domino vobis.] *A Compl. abeſt illud,* κυρίῳ, Domino, *quemadmodum & a vulgata. In aliqua editione eſt,* κυρίῳ, καὶ ὑμῖν, Domino, & vobis. (*f*) Et filiis Iſrael] *diſputat de hoc loco* S. *Auguſt.* q. 139 *& dubitat, an ita interpungendum ſit,* æternum in me, & filiis Iſrael ſignum, *&c.*

CAP. XXXII.

(*a*) COnvenit.] συνέστη. *Schol.* Alius, συνηθροίσθη, ἢ ἐπανέστη, congregatus eſt, vel inſurrexit. S. *Auguſt. in locut.* conſurrexit. (*b*) Stylo.] γραφίδι. *Schol.* Alius, ἐν τέχνῃ, in arte. (*c*) Fecit eas vitulum conflatilem, & dixit.] *Alii codices,* ἐποίησαν, *&* εἶπαν fecerunt, *&* dixerunt. (*d*) Mandaſti.] *In Complut. eſt* ἐνέτειλα, mandavi. (*d*) Dare eis.] *Alii codices,* δοῦναι τῷ σπέρματι αὐτῶν, dare ſemini eorum. (*f*) Ad ſervandum.] περιποιῆσαι. *In aliis libris eſt,* περὶ τῆς κακίας ἧς πεποιῆσαι. *& apud* S. *Auguſt.* q. 143. de malitia, quam dixit facere populo ſuo. *In aliis,* ἐπὶ τῇ κακίᾳ ᾗ εἶπε ποιῆσαι, ſuper malitia, quam dixit facere. (*g*) Non eſt vox.] *Schol.* ἀντὶ τοῦ, οὔτε νικώντων, οὔτε φευγόντων. Pro eo, ac ſi diceret, neque vincentium, neque fugientium. Samariticus, οὐκέτι φωνὴ ἀποκρίσεως ἀνδρείας, καὶ οὐκέτι φωνὴ ἀποκρίσεως ἥττης. ἀλλὰ φωνὴν ἁμαρτιῶν ἐγὼ ἀκούω. non jam vox reſponſionis fortitudinis, (*id eſt, reſpondens, ac præ ſe ferens fortitudinem*) & non jam vox reſponſionis cladis: ſed vocem delictorum ego audio. (*h*) Et cum vidiſſet.] *Ita* S. *Auguſt.* q. 146. *videtur autem ſumi pro eo, ac ſi diceret,* & vidit: *quamvis, ſi paulo poſt, ubi nos habemus,* ſtetit autem Moyſes, *abeſſet illud,* autem, *ſicut abeſt ab aliis editionibus; plana eſſet conſtructio.* (*i*) Gaudium.] ἐπίχαρμα, *quod poteſt etiam verti,* ludibrium. S. *Auguſt. videtur legiſſe,* ἐπὶ χάρμα *inquit enim* q. 146. ut in gaudium venirent. (*k*) Quis ad Dominum.] *Sic* S. *Auguſt in locut. & poſſet accipi quaſi dictum interrogando. In Compl. eſt,* εἴ τις πρὸς κύριον, ſi quis a Domino. (*l*) Impleviſtis.] *Dictum eſt ſupra, verbum hoc locis hujuſmodi valere idem, ac conſecrare: & eſt phraſis hebraica.* (*m*) Sin autem.] *Ita* S. *Auguſt.* q 147. *&* S. *Cyprianus de lapſis, & alibi, quod græce eſt,* εἰ δὲ μή, *& vetuſtiores latini dicebant,* ſin minus.

CAP. XXXIII.

(*a*) PRocede.] πορεύου. *In Compl. eſt,* πορεύου καὶ ἀνάβηθι, *& apud S. Aug. q.* Vade, 149 & aſcende. (*b*) Introducam.] *In aliis libris,* εἰσάξει. *& S. Aug.* q. 150. & introducet. (*c*) Manifeſte.] *S. Aug.* q. 151. *videtur hoc modo interpungere,* oſtende mihi temetipſum; manifeſte ut videam te. *Nam de iſta dictione hæc addit:* Quod habet græcus, γνωστῶς, hoc quidam latini interpretati ſunt, manifeſte, cum ſcriptura non dixerit, φανερῶς. Potuit ergo fortaſſe potius dici, ſi inveni gratiam in conſpectu tuo; oſtende mihi temetipſum, ut ſcienter videam te. AA. LL. γνωστῶς ἴδω σε, ſcienter videam te. (*d*) Sim inveniens.] *Ita S. Auguſt. græce eſt,* ὅπως ἂν ὦ εὑρηκώς, ut ſim ille, qui inveni. (*e*) Magna.] *Abeſt hæc dictio,* μέγα, *ab aliquot codicibus, & a S. Auguſtino.* (*f*) Veneris.] *In aliis libris additur,* μεθ' ἡμῶν. *& S. Aug.* q. 154 ſi non tuipſe ſimul veneris nobiſcum. (*g*) Teipſum.] *Alii codices,* δεῖξόν μοι τὴν σεαυτοῦ δόξαν. *& S. Auguſt.* oſtende mihi gloriam tuam. (*h*) Prior te gloria mea.] *S. Auguſt.* ante te in gloria mea. (*i*) Et vocabo nomine meo Dominus ante te.] *In aliqua editione loco iſtorum verborum legitur,* τῷ ὀνόματι κυρίου ἐναντίον σου. *Et S. Auguſt ibidem.* Et vocabo nomine Domini in conſpectu tuo. *In Comp.* ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου, κύριος ἐναντίον σου. in nomine meo, Dominus in conſpectu tuo. *Quid autem ſibi velit iſtud,* vocabo nomine; *diſputat ibidem S. Auguſt.* (*k*) Stabis ſupra petram. Statim vero.] *In aliis libris eſt,* καὶ στήσῃ, & ſtabis. *itemque apud S. Aug. à quo tamen abeſt illud,* vero: *& interpretatur,* id eſt, ſtatim ut tranſiet gloria mea; ſtabis ſupra petram. (*l*) Caverna petræ. *S. Aug. ibidem,* Munimen firmiſſimum ſignificat. Alii autem interpretati ſunt, in ſpelunca petræ. Sed græcus habet ὀπήν. hoc enim foramen, vel cavernam, rectius interpretamur.

CAP. XXXIV.

(*a*) EXcide.] *Ita S. Auguſt. in extremo q.* 154. *quod græce eſt,* λάξευσον, *S. Hier. in epiſt. ad Suniam in extremo docet,* λαξευτήριον, *dolatorium dici poſſe.* (*b*) Sicut & primæ.] *S. Auguſt. in locut.* ſubauditur, fuerunt: unde hoc verbum noſtri interpretes etiam addendum putaverunt. *In extremo q.* 154. *habet,* ſicut & primas. (*c*) Et vocavit nomine Domini.] *Hebraiſmus, pro,* vocavit nomen Domini *Euſebius Cæſarienſis,* ἐλάλησε, locutus eſt. (*d*) Dominus Deus.] *Alii codices,* κύριος κύριος ὁ θεὸς Dominus, Dominus Deus. *Euſebius Cæſar.* κύριε κύριε, Domine, Domine. *Vulgata,* Dominator Domine Deus. (*e*) Et miſericordiam.] *In aliis libris,* καὶ ποιῶν ἔλεος, & faciens miſericordiam. (*f*) Ponas.] *In aliis,* θῇ. *S. Auguſt. in locut.* ne quando ponat. *& q* 157. *teſtatur ſic habuiſſe græcum, paulo tamen inferius & ipſe habet,* ne forte ponas. *quod conſtat ex q.* 158. (*g*) Ne tibi.] *Alii,* μήποτε γένηται, ne forte fiat. (*h*) Et ſculptilia Deorum eorum comburetis in igni] *Hæc abſunt ab hebræo, & vulgata.* (*i*) Deos alios.] *Alii libri,* θεῷ ἑτέρῳ, Deum alterum. (*k*) Zelans nomen.] *S. Auguſt.* q. 158. id eſt, ipſum nomen, quod Dominus Deus dicitur, Zelans eſt, quia Deus Zelator eſt. *In uno pervetuſto codice eſt,* ζηλωτὸν ὄνομα αὐτοῦ. Zeli plenum nomen ejus. (*l*) Et comedas de eis.] *Alii libri,* καὶ φάγῃς τῶν θυσιῶν αὐτῶν, & comedas de ſacrificiis eorum. (*m*) Tuæ.] *hebræus habet,* ejus, *id eſt,* populi ſerentis ſuper terram: *& hanc ſententiam reddit vulgata.* (*n*) Fornicentur filii tui.] *Alii libri,* καὶ ἐκπορνεύσωσιν τοὺς υἱούς σου, & fornicari faciant filios tuos: *quod optime conveniret, ſi ſupra legeretur,* ejus. (*o*) Sationi, & meſſi requies.] τῷ σπόρῳ καὶ τῷ ἀμητῷ κατάπαυσις. *Alii libri,* καταπαύσεις. *Et S. Auguſt.* q. 160. de ſatione & meſſe requieſces. (*p*) Principium meſſionis tritici.] *Alii codices,* ἀρχὴ τῶν πρωτογεννημάτων, principium primorum fructuum. *In vulgata videtur utrumque fere conjungi,* in primitiis frugum meſſis tuæ triticeæ. (*q*) Terram tuam.] *S. Aug.* q. 161. de terra tua.] *Sed eodem ſenſu.* (*r*) Incenſorum.] θυμιαμάτων *In aliis partim,* θυσιασμάτων, *partim* θυμάτων. *S Auguſt. in locut & q.* 102. non occides ſuper fermentum ſanguinem immolatorum meorum *De hac dictione dictum eſt ſupra cap.* 23. (*s*) Sacrificia] θύματα. *In aliquo libro eſt,* θύμα. *& apud S. Auguſt. in locut. & q.* 163. Et non dormiet in mane. (*al.* uſque in mane) immolatio ſolennitatis Paſchæ. (*t*) Cutis.] χρώματος, *& poteſt etiam verti,* coloris *In aliis libris eſt* χρωτὸς, *quod aut idem ſignificat, aut,* corporis. *Interpr. Origenis hom.* 12. & erat glorificata facies ejus, & color vultus ejus.

CAP. XXXV.

(*a*) TUnicam talarem.] ποδήρη. *In Compl. eſt,* καὶ εἰς τὸ λόγιον, ad rationale. *Verum & in numero, & in ordine, & in qualitate rerum quæ faciendæ commemorantur, multæ ſunt codicum varietates: nec ſatis cauſæ viſum eſt, cur omnes indicarentur. Poſſunt enim magnam partem peti ex vulgatis editionibus. Complutenſes eo ſpectarunt, ut græca vulgatæ latinæ reſponderet* (*b*) Operimenta.] καταλύμματα, *aut, ut alii,* καλύμματα. *Schol:* ceteri, τὴν σκέπην αὐτῶν, tegmen eorum. (*c*) In eis.] *In aliis codicibus additur,* ἐν τῷ ἁγίῳ, in ſancto. (*d*) Et quibus viſum eſt animæ eorum] *Schol.* Alius, ἑκούσιον καρδίαν, corde ſpontaneo. (*e*) Et pelles arietum] *In aliquo codice eſt,* καὶ πᾶς ᾧ εὑρέθη παρ' αὐτῷ δέρματα κριῶν ἠρυθροδανωμένα, *& apud S. Auguſt: in locut.* Et omnis, cui inventum eſt apud eum coria arietum rubricata. (*f*) Demens demptionem. *S. Auguſt. in locut* Omnis afferens redemptionem, argentum, & æs attulerunt, redemptiones Domino. *quæſt autem* 168. Omnis afferrens demptionem, argentum, & æs, attulerunt, demptionem Domino: *atque hæc adjungit,* tanquam diceret, omnis qui attulit; attulit illud, atque illud, inter cetera quæ dicebat, & argentum, & æs commemorans Demptionem ſane interpretati ſunt latini, quod græcus habet, ἀφαίρεμα. Appellata eſt autem demptio, eo quod ſibi demeret, qui Domino offerret. (*g*) Menti earum.] *S. Aug. in locut.* ſenſu ſuo. *itemque paulo inferius, ubi græce eſt eadem dictio,* διάνοια, *ipſe habet,* quorum afferebat ſenſus eorum. *Sed tamen paulo ſuperius, ubi græce eſt.* σοφὴ τῇ διανοίᾳ, *apud illum eſt,* ſapiens mente. *atque ita videtur tutius verti.* (*h*) Et compoſitiones.] *In aliquo codice eſt,* καὶ εἰς τὰς συνθέσεις, & ad compoſitiones. *In Compl:* καὶ τὰς συνθέσεις, καὶ τὸ ἔλαιον, & compoſitiones, & oleum: *& ita S. Auguſt. in locut.*

CAP. XXXVI.

(*a*) PErtinentia ad ſancta.] *aut,* ad ſanctuarium, *ut Complutenſis: græce eſt,* τὰ κατὰ τὰ ἅγια καθήκοντα. *& in uno pervetuſto codice,* τὰ καθήκοντα. *ac poſſet fortaſſe etiam reddi,* ea, quæ ſecundum ſancta officia. (*b*) Demptiones] *In multis codicibus S. Auguſt.* q 170. *pro,* demptiones, *corrupte videtur legi,* demptum æs. (*c*) Mane.] *Aliquot codices,* τὸ πρωῒ πρωΐ. mane, mane. (*d*) Et dixit.] *Alij codices,* καὶ εἶπαν. *& S. Auguſt* q. 121. *ita refert,* & dixerunt Moyſi. (*e*) Secundum opera.] *Alij codices,* παρὰ τὰ ἔργα, præter opera. (*f*) Stolas ſanctorum. *Ita vetuſti codices collati, & hunc eundem ordinem præ ſe fert S. Auguſt. In Complutenſi autem, quemadmodum & in vulgata, hæc, quæ ad veſtes ſacerdotales pertinent, rejiciuntur in caput* 39. *hic autem ſubjiciuntur, quæ ad tabernaculi conſtructionem.* (*g*) Partibus] *In aliquot codicibus additur* αὐτοῦ *& apud S. Aug. in locut.* partibus ejus. (*h*) Complicata.] *In Compl.* συμπεπλεγμένον, complicatum. (*i*) Exculpta.] ἐγγεγλυμμένα. *Alii codices,* ἐγγεγραμμένα, inſcripta. *Complutenſis,* ἐγγεγλυμμέναι σφραγῖδες, inſculpti ſigilli (*k*) Aſpidiſcas.] *De hoc vocabulo dictum eſt ſupra. Scholion inſertum quæſt. Theodoreti,* Hæ majores quidem erant numiſmatis, rotundæ autem ſicut numiſma, & ſcutum. Utraque enim orbicularia ſunt. (*l*) Annulos.] *Alii codices addunt,* duos, ἐπὶ τοὺς δύο δακτυλίους. (*m*) Et impoſuerunt in duos humeros.] *Pro his in Compl. legitur,* καὶ ἐπέθηκαν ἐπὶ τὰς δύο ἀσπιδίσκας τοὺς ὤμους, & impoſuerunt ſuper duobus uncinis humeros, &c. (*n*) Super ſummitatem.] ἐπ' ἄκρου. *Alii libri,* ἀπ' ἄκρου. a ſummitate: *& a Complutenſi abeſt ſequens,* &. (*o*) Super marginem.] ἐπὶ τὸ λῶμα. *In aliis libris eſt;* καὶ ἐπέθηκαν ἐπ' αὐτῷ λῶμα, & ſuper eam impoſuerunt marginem.

CAP. XXXVII.

(*a*) UNius.] *Hæc in Compl. & vulgata habentur cap.* 36. *& adnectuntur ea quæ pertinent ad conſtructionem ipſius tabernaculi. In extremo*

extremo autem capite 36. *ponuntur ea, quæ in noſtra hoc loco ſequuntur,* Et fecerunt velamen, *&c. uſque ad illud:* Et fecerunt atrium, *nec ſine aliqua varietate in verbis ipſis.* (*b*) Eorum.] *Alij codices,* αὐτοῦ. ejus. (*c*) Et fecerunt atrium.] *Hæc in Compl. & vulgata habentur, cap.* 38. *non longe ab initio.* (*d*) Africum.] λίβα. *In aliis quibuſdam,* νότον, Auſtrum: *& ita S. Auguſt. in ultima illa diligenter perlegenda quæſtione.* (*e*) Centum per centum.] *S. Auguſt. ibidem,* id eſt, centum cubita tentoriorum per centum cubita ſpatii: quod tenebant viginti columnæ. (*f*) Viginti.] *S. Auguſt. addit,* æreæ: *quod etiam repetit in latere ad Aquilonem.* (*g*) Et latus, quod eſt ad Auſtrum, centum per centum.] *Hæc abſunt ab omnibus fere libris, & videntur eſſe ex alia interpretatione. Idem enim latus eſt, quod pertinet ad Africum, atque ad Auſtrum.* (*h*) Aulæa.] *S. Auguſt. ibidem,* Eadem dicit aulæa, quæ tentoria, *id eſt,* αὐλαίας, *&* ἱστία. (*i*) Quindecim cubitorum, quod eſt a dorſo.] *Ita interpungit S. Auguſt. & addit:* Dorſum appellat, quia poſteriora tabernaculi erant: id eſt a parte occidentis: *& paulo poſt:* Manifeſtum eſt certe eadem duo dorſa dici hoc loco, cum commemorantur omnia quemadmodum facta ſunt; quæ latera dicebantur, quando præcipiebatur, ut fierent. (*k*) Tabernaculi.] *Ita etiam Compl. Ac poteſt nomine tabernaculi ſignificari atrium. S. quidem Auguſt. habet,* omnia aulæa atrii. (*l*) Texere de cocco, & byſſo.] *Ita S. Auguſt. in locut. Complut.* ὕφανε τῷ ὑακίνθῳ, ϗ πορφύρᾳ, ϗ κοκκίνῳ νενησμένῳ καὶ βύσσῳ, texuit hyacintho, & purpura, & cocco neto, & byſſo.

CAP. XXXVIII.

(*a*) ET fecit. [*Hæc in vulgata, & Compl. habentur cap.* 37. *& aliqua ex parte ad initium* 38. *Et res, quæ commemoratur, & ordo idem in utraque. Verba etiam, quibus exponuntur in Compl. proprius accedunt ad vulgatam & hebræum, quam noſtra. Veruntamen pleraque illa in collatis codicibus non ſunt inventa.* (*b*) Arcam.] *Aquila,* γλωσσόκομον, *quaſi loculum & thecam rerum ſanctarum.* (*c*) Extra.] *Hic in aliquot codicibus additur,* καὶ ἐποίησεν αὐτῇ κυμάτιον χρυσοῦν κύκλῳ, & fecit ei undulam auream in circuitu. (*d*) Et enthemia.] καὶ τὰ ἐνθέμια, *& paulo poſt,* καὶ τὸ ἐνθέμιον. *Ita in alio etiam codice pervetuſto. In aliis eſt,* ἀνθέμια, &, ἀνθέμιον, *quibus item vocabulis ſignificantur ea, quæ ornamenti cauſa adjunguntur, alibi quoque* σφαιρωτῆρες, *ſphærulæ appellantur, & paulo ante,* βλαστοὶ ἐξέχοντες, *germina extantia.*

CAP. XXXIX.

(*a*) OMne aurum.] *Hæc in vulgata, & Complutenſi habentur partim in cap.* 38. *& partim in* 39. (*b*) Viginti.] *In Compl. ut in vulgata, eſt* triginta. (*c*) Septuaginta.] *Alii libri,* τετρακόσια καὶ ἑβδομήκοντα τάλαντα, καὶ δισχίλιοι, quadringenta, & ſeptuaginta talenta, & bis mille. *Compl.* τριακόσια, ἑβδομήκοντα τάλαντα, ϗ δισχίλιοι, ϗ τετρακόσιοι σίκλοι, trecenta ſeptuaginta talenta, & bis mille, & quadringenti ſicli; *& hoc loco ſunt etiam quædam varietates inter vulgatam, & Complutenſem.* (*d*) Reliquum.] *hæc uſque ad,* & reliquam, *abſunt a Compl. & vulgata.* (*e*) Et reliquam.] *Ita videtur vertendum illud,* καὶ τὴν καταλειφθεῖσαν, *quamvis Compl. verterint,* & receptam, *eodem tamen fortaſſe ſenſu. Nam &* reliquum aurum, *&* reliquam hyacinthum, *hoc videtur ſignificare,* aurum, & hyacinthum, quæ recepta, *aut,* oblata ſunt, præter cetera jam memorata.

CAP. XL.

(*a*) PRopones.] προθήσεις. *In Compl. eſt,* προσθήσεις, appones. (*b*) Holocauſtomatum.] *Ita S. Auguſt. q.* 172. *&* 173. *quod græce eſt,* καρπωμάτων. (*c*) Et circumpones tabernaculum, & omnia ejus ſanctificabis in circuitu.] *Hæc non ſunt in Compl. ſed horum loco iſta, quæ reſpondent vulgatæ,* καὶ θήσεις τὸν λουτῆρα ἀναμέσον τῆς σκηνῆς τοῦ μαρτυρίου, καὶ ἀναμέσον τοῦ θυσιαστηρίου, καὶ θήσεις ἐν αὐτῷ ὕδωρ. καὶ θήσεις τὴν αὐλὴν κύκλῳ, καὶ θήσεις τὸ καταπέτασμα τῆς πύλης τῆς αὐλῆς. Et pones labrum inter tabernaculum teſtimonii, & altare: & pones in eo aquam. Et pones atrium in circuitu: & pones velamen portæ tabernaculi. (*d*) Super tabernaculum.] *S. Auguſt. q.* 173. non utique deſuper tectum, ſed cingens columnas: quia de columnis dixerat quod ſtatuerit tabernaculum. (*e*) Sub arca.] *In Compl. ut in vulgata additur,* καὶ ἐπέθηκεν τὸ ἱλαστήριον ἐπάνω τῆς κιβωτοῦ, & impoſuit propitiatorium ſuper arcam. (*f*) Moyſi.] *In Compl. additur, ut in vulgata,* καὶ ἔθηκε τὸ ἐπίσπαστρον τῆς θύρας τῆς σκηνῆς, & poſuit tentorium portæ tabernaculi. (*g*) Tabernaculi.] *Et hic in Compl. & vulgata interjiciuntur multa de oblatione, & labro, & de lotione Moyſis, & Aaron, quorum nonnulla habentur in noſtra in extremo capitis* 38. (*h*) Statuit.] *S. Aug. ibidem videtur legiſſe,* Et ſuper atrium. (*i*) Disjungebant.] ἀνεζεύγνυσαν. *S. Auguſt. ibidem.* Quando quidem non removebatur; niſi cum eis hoc ſignum dabatur disjungendi, hoc eſt caſtra movendi ex eo loco, ubi erant.

LEVITICUS.

CAP. I.

(*a*) ET revocavit.] ϗ ἀνεκάλεσε. *Ita libri veteres. In aliis,* ϗ ἐκάλεσε κύριος. Et vocavit Dominus. *& ita interpres Origen. homil.* 1. *Iſychius presbyter in comm. in hunc librum,* juxta LXX non vocari, ſed revocari Moyſem ſcriptum eſt; *atque hunc locum diligenter tractat: notatque ſimilem locutionem Exod.* 35 *ſicut etiam eſt Exod.* 31. (*b*) Si holocauſtoma.] *Ita libri veteres, & Cyrillus* ἐν τῷ περὶ τῆς ἐν πνεύματι προσκυνήσεως, *in tractatu de adoratione in ſpiritu, &c. In aliis eſt,* ὁλοκαυτώματα, holocauſtomata. (*c*) Sacerdotes.] *Origenes videtur legiſſe,* ἱερέως, Sacerdotis. (*d*) Conſtipabunt.] *Alij libri,* ἐπιθήσουσιν, *& Interpr. Origenis,* imponent. (*e*) Adipem.] *Interpr. Origenis,* adipes, *& ita teſtatur Iſychius eſſe apud LXX cum ipſe antea eſſet interpretatus,* & quæ adhærent jecori. (*f*) Interanea.] *Ita Interpr. Origenis, quod græce eſt,* τὰ δὲ ἐγκοίλια, *Cyrillus habet,* τὰς δὲ κοιλίας, ventres autem. *Compl.* τὰ δὲ ἐν τῇ κοιλίᾳ, quæ autem in ventre. *Iſychius, cum in textu haberet,* inteſtinis autem, & pedibus lotis aqua, *addit hæc:* Quod LXX edunt: Ea quæ ſunt in ventre, & pedes aqua lavent. (*g*) Et imponent Sacerdotes. *In aliis libris eſt,* ϗ ἐπιθήσει ὁ ἱερεὺς, *& Interpr. Origenis,* & imponet ſacerdos. (*h*) Sacrificium.] *Interpr. Origenis,* hoſtia eſt, & ſacrificium. *Compl. paulo inferius,* κάρπωμα θυσίας, oblatio ſacrificii. *Noſtra reſpondet hebræo.* (*i*) Retorquebit.] *Schol.* Samariticus. ϗ ἀνακλάσει, & refringet. (*k*) Veſiculam gutteris] *Ita Iſychius, & vulgata, quod græce eſt,* τὸν πρόλοβον. *Theodotio,* τὴν φύσαν αὐτοῦ σὺν τοῖς πτίλοις, folliculũ ejus cum lanuginibus. J: Druſius apud Theodot. non φύσαν ſed φύσιν ſcribi ait, & forte inquit φύσιν pro φύσας poſuit ſic in lingua Helleniſtarum χάρις denotiat gaudium. χάραν. *Aquila,* τὴν σιτίζουσαν, (*quamvis Iſychius habeat* σιτίον,) *tanquam partem illam, ut ait Theodoretus q.* 1. *quæ cibum recipit; & aliis partibus ſuppeditat* (*l*) Non dividet.] *Schol.* Samariticus, μαδίσει, λεπίσει, deſquamabit, decorticabit. (*m*) Imponet.] ἐπιθήσει, *Compl.* ἐπιθύσει, ſacrificabit. *Et hanc ſententiam ita ſemper in hoc capite affert Iſychius,* & adolebit ſuper altare.

CAP. II.

(*a*) SAcrificium eſt.] *hoc abeſt ab hebræo, & vulgata, ſicut etiam paulo inferius: & notat Iſychius additum eſſe a LXX.* (*b*) Plenum.] πλήρη. *Alij libri,* πλήσει, implebit. *Iſychius in textu,* ac deferet ad filios Aaron ſacerdotis, quorum unus tollet pugillum plenum ſimila, *&c. nec multo aliter vulgata. Idem autem in comm. notat apud LXX non dici, quis ſit qui in pugillo tollat, ut abſolute offerentem ſignificarent.* (*c*) Ex clibano, munus Domino, ex ſimila.] *Alii libri,* ἐν κλιβάνῳ ϗ ἐκ σεμιδάλεως, *& Iſychius,* in clibano de ſimila. *interpr. Origenis habet,* ex clibano. (*d*) Offeret.] *Complut.* ϗ προσοίσεις τὴν θυσίαν, ἣν ἂν ποιήσῃ, & offeres ſacrificium quodcunque feceris. (*e*) Novas torrefactas ſpicas vigentes comminutas.] νέα πεφρυγμένα χίδρα ἐρικτά. *Euſebius.* χίδρα ἐστίν, ὅταν ἀπὸ τῶν ἀκμασάντων ἀσταχύων λαβὼν διαθρύψῃ τις χερσίν, οἱονεὶ ἀλέσας. ἐρικτὰ ϗ τὰ ἐν μύλῳ πτισθέντα ϗ τὸ φλοιὸν ἀποβαλόντα, ὀσπριώδη λάχανα, χίδρα ſunt, quando quis ſumens de vigentibus ſpicis, conterit manibus, quaſi molens: ἐρικτὰ, olera ex leguminibus, & quæ in mola ſunt piſta, & quæ corticem abjecerunt. *In Compl.* χίδρα ἐρικτὰ, *redduntur,* farra comminuta. *Iſychius, & vulgata, hoc modo faciunt mentionem farris,* & confringes eas in modum farris. *Huic voci reſpondet* χίδρα *niſi fallor. ſunt autem ſpicæ novæ ac virides, ut quidam volunt, alii aliter interpretantur. Moſchopulus* περὶ χεδῶν, χίδρα παρὰ τοῖς μὲν τὰ ἄγρια λάχανα, παρὰ δὲ ἑτέροις τὰ ὄσπρια, ϗ ἔτι παρ' ἑτέροις τὰ ἀπὸ χλωρᾶς κριθῆς. χίδρα apud nonnullos ſunt olera agreſtia, apud alios legumina & porro apud alios, quæ ex viride hordeo exprimuntur. Affine in Arabica lingua Giris quæ eſt minutiſſima farina, pollen, pulvis molendini, ut exponit Stephanus, & citat Sylvaticus in Pandectis Medicinæ. כרמל quæ ſpica recens, tenera & plena: ſic dico, ſpica כרמל dicitur cum adhuc mollis eſt ac delicata virenſque, Druſ. *Aquila,* ἁπαλὰ λάχανα ὀσπριώδη, tenera olera ex leguminibus. *Theodotio,* πίονα ἄλφιτα, pingues farinas. *Interpr. Origenis hæc habet ad hunc locum pertinentia.* Si autem ſacrificium offerat primitiarum de primitiis frugum, ut ſimila ſic recens, id eſt nova, igni quoque eam torreri vult, & medio fractam eſſe (ne multum minutatum ſit, quoniam primitiæ ſunt) & bene purgata ſit: *atque has eaſdem conditiones perpendit in anagoge.*

CAP. III.

(*a*) ADduxerit.] προσαγάγῃ. *Ita libri veteres, & Cyrillus pro eo, quod in aliis eſt,* προσοίσῃ. (*b*) Ante Dominum.] *Hæc abſunt ab aliis codicibus, ut etiam a vulgata.* (*c*) Holocauſtomatum in circuitu.] *Sic etiam Compl. Ab aliis codicibus græcis abſunt: ab hebræo & vulgata illud,* holocauſtomatum, *non autem illud,* in circuitu. (*d*) Ventrem.] *Iſychius cum haberet in textu,* vitalia, *ſicut vulgata; hæc addit:* LXX ventrem, id eſt cor: cujus ſecundo facit mentionem juxta LXX. quia duplicem habet operationem, &c. (*e*) Pennam.] *Hoc agnoſcit ex LXX Iſychius.* (*f*) Super altare.] *Hæc abſunt à multis codicibus, ut etiam a vulgata.* (*g*) De ovibus.] *Iſychius,* LXX vero ſi ab ovibus munus ejus, ab agnis, & hœdis immaculatum offeret. Ovis enim & agnorum, & hœdorum genus eſſe videtur, &c. (*h*) Et lumbum.] *Iſychius,* & caudam, vel etiam ſecundum LXX lumbum immaculatum. *Idem vero refert pro immaculato Symmachum dixiſſe integrum, Aquilam vero perfectum. Theodoretus quæſt.* 1. *teſtatur ceteros interpretes dixiſſe, pro* ὁ ὀσφὺς, ἡ κέρκος, pro lumbus, cauda.

CAP. IV.

(*a*) NOn ſponte.] ἀκουσίως. *Aquila,* ἐν ἀγνοίᾳ, *& vulgata,* per ignorantiam. (*b*) Ventre, & fimo.] *Iſychius,* Cum inteſtinis & fimo. LXX. cum ventre & ſtercore. (*c*) Non ſponte.] *Hoc loco abeſt dictio,* ἀκουσίως,

σίως, ab aliquot codicibus græcis, & ab interprete Origenis hom. 2. ſicut etiam à vulgata. (*d*) Et latuerit.] *Schol.* παρεωραθῇ λόγος, deſpectus fuerit ſermo. (*e*) Quod non fiet.] *ita interpres Origenis; quod græce eſt,* ἣ οὐ ποιηθήσεται: *& reſpondet hebræo; & ita paulo poſt etiam in Compl. in qua tamen hoc loco eſt,* ὧν οὐ δεῖ ποιεῖν, quæ non oportet facere. (*f*) Sacerdos.] *Compl.* ἀρχιερεὺς: *& confunduntur ſæpe iſtæ voces.* (*g*) Incenſorum,] θυμιαμάτων. *Schol.* Alius, τῶν ἀρωμάτων, aromatum. (*h*) Baſim.] *Schol.* Alius, εἰς τὸ θεμέλιον, ad fundamentum.

CAP. V.

(*a*) PEccatum.] *In aliis libris & Compl. additur,* αὐτοῦ, ſuum, *& vulgata,* iniquitatem ſuam, quam vocem nec *Cyrillus* agnoſcit, nec habet lectio Vetus. S. *Auguſt. quæſt.* 1. & accipiet peccatum: *notatque abundare illud* &, *locutione uſitata in ſcripturis: ac ſane in aliquot libris eſt,* καὶ λήψεται, *quod reſpondet hebræo. Interp. Origenis*, & ipſa accipiet peccatum ejus. (*b*) Immundum.] Iſychius, LXX addiderunt immundum. (*c*) Abominationum immundarum.] *Idem notat has eſſe canes, & ſimias, quæ ab infidelibus colebantur, vel quodcumque reptile; quomodo quidem verterint Aquila, & Symmachus.* (*d*) Pecorum.] *Diſputat.* S. *Auguſt. q.*2. *ſic melius verti* κτηνῶν, *quam dicendo*, jumentorum, *quod tamen haberent codices Latini.* (*e*) Immundorum.] *Ita* S. *Auguſt. In multis codicibus ſequitur,* καὶ μεμίανται, *in aliquibus,* καὶ λάθῃ ἀπ᾽ αὐτοῦ καὶ μεμίανται, & latuerit ab eo, & inquinatus eſt. (*f*) Inquinatus fuerit] S. *Aug.* ab omni immundicia cujuſquam ſi tetigerit, & inquinabitur: & ſi latuerit eum, poſt hoc autem cognoverit, etiam deliquerit: *& de horum verborum conſtructione diſputat in extremo quæſt* 3. *Ac fortaſſe tota oratio pendet uſque ad illud*, Et confitebitur, *aut ad illud*, Et offeret. (*g*) Iniqua diſtinguens.] ἢ ἄνομος, ἢ διαστέλλουσα, *in Compl.* ἢ ἂν ὀμόσῃ, διαστέλλουσα, *& S. Auguſt. q.* 3. quæcunque juraverit, diſtinguens. *Et interp. Origenis hom.* 3. quæ juraverit, pronuncians. *Et reſpondet vulgatæ & hebræo.* (*h*) Ante oculos.] *Alius liber,* ἀπ᾽ ὀφθαλμῶν, ab oculis. *Ab aliis libris, & S. Auguſt. & interprete Origenis utrumque abeſt.* (*i*) Et confitebitur peccatum, pro quibus.] καὶ ἐξαγορεύσει τὴν ἁμαρτίαν, περὶ ὧν. *Compl.* καὶ ἐξαγορεύσῃ τὴν ἁμαρτίαν, περὶ ἧς. S. *Auguſt.* Et confeſſus fuerit peccatum, quod peccavit. *Interp. Origenis*, pronunciet peccatum quod peccavit. *Illud quidem* περὶ ἧς, *eſt in pleriſque codicibus.* (*k*) Adverſus ipſum.] κατ᾽ αὐτῆς *Hoc non refertur ab interp. Origenis.* S. *Auguſt.* Quod autem addit, adverſus ipſum; quid intelligitur niſi, adverſus ipſum peccatum confeſſus fuerit, id eſt, confitendo peccatum accuſaverit? (*l*) Oblivio.] ἢ ἂν λάθῃ αὐτὸν λήθη. *Apud Theodoretum quæſt.* 2. *& in Compl. eſt,* ἐὰν λάθῃ αὐτὴν λήθῃ, ſi latuerit eam oblivione. *S. Auguſt. quæſt.* 5. Anima, ſi latuerit, cum oblivio eſt ei, id eſt, ſi oblivione factum fuerit, ut lateat eum, vel, eam. *quæſt. autem* 20. ſi latuerit eum oblivione. *Interp. Origenis*, ſi qua latuerit. *Schol.* Alius, ἀδικήσει ἀδικίαν, injuſte faciet injuſtitiam. Vel, ἐὰν παραβῇ παράβασιν, prævaricatus fuerit prævaricationem. (*m*) Non ſponte.] *Interp. Origenis*, non volens. *S. Auguſt.* nolens: *qui addit*, hoc eſſe, a ſanctis oblivione peccare, aliquid per oblivionem uſurpare, quod debetur ſanctis, ſive ſacerdotibus, ſive oblationibus, &c. *De hac re etiam Origenes & Theodoretus.* (*n*) Siclorum ſiclo ſanctorum.] *Schol.* σταθμὸν ἐν σταθμῷ ἁγίων, pondus in pondere ſanctorum. Eſt cur malim σταθμῶν. ſane in ſeptuaginta τιμῆς ἀργυρίου σικλῶν. Hieronymus, qui emi poteſt duobus ſiclis juxta pondus ſanctuarii, notum ut שקל & pondus & ſiclum ſignificet. *Druſ. Alii codices,* σίκλῳ τῷ ἁγίῳ, ſiclo ſancto. (*o*) Peccatum] *Hic etiam in aliquot codicibus additur,* αὐτοῦ. *S. Auguſt. quæſt.* 2. *depravate, ut videtur*, & non cognoverit peccatum ſuum: *nam quæſt.* 20. *habet*, & acceperit peccatum ſuum. (*p*) In delictum.] *Schol.* εἰς λύτρωσιν, in redemptionem. (*q*) Deliquit enim delicto.] *S. Auguſt: ibidem*, deliquit enim delictum ante Deum. *Iſychius ex LXX*, deliquit enim delictum ante Dominum. *In aliis codicibus eſt,* ἐπλημμέλησε γὰρ πλημμελείᾳ πλημμέλησιν: *& apud S. Auguſt: ibidem paulo inferius, & quæſt.* 20. deliquit enim delicto delictum ante Dominum. *Compl. cetera eodem modo: ſed pro,* πλημμελείᾳ, *habet,* πλημμέλειαν.

CAP. VI.

(*a*) QUæ ſunt ad proximum.] *Ita S. Auguſt quæſt.* 20. *quod græce eſt,* τὰ πρὸς τὸν πλησίον. *ab aliquot codicibus abeſt illud* τά. *& interpres Origenis homil.* 4. & mentietur proximo. (*b*) In deſpoſito.] ἐν παραθήκῃ. *Interp. Origen.* ſuper depoſito. S. *Auguſt.* de commendatione. (*c*) Societate.] *Schol.* ἐν πιστώσει χειρὸς, in eo quod creditum eſt manui. πίστωσις χειρὸς, proprie quando manu rei alicui fidem facimus. Sic πίστωσις λόγων, quando Verbis idem fit. *Druſ.* (*d*) De rapina] *Schol.* ἐν ἀναγκασμῷ, in violentia. ἀναγκασμὸς, quando aliquis cogitur reddere quod non accepit, aut ſolvere quod non debet; hinc *Cohel.* 5. 7. גזל משפט Coactio juris & æquitatis, quando videlicet judices compelluntur contra jus & æquum ſententiam dicere. Aliis גזל eſt ἁρπαγὴ ſive ἁρπαγμὴ, direptio, rapina melius, *Druſ.* (*e*) Aut injuriam fecerit aliquam proximo.] *Sic S. Aug. ibidem. interpr. Origenis*, aut nocuit aliquid proximo. *Schol.* ἐσυκοφάντησεν, *& paulo poſt pro* ἀδίκημα, συκοφαντίαν. *Iſychius*, Ceteri interpretes, Aquila, & Theodotio, & Symmachus, ubi dixerunt LXX, Si nocuit aliquid proximum ſuum; iſti, Si calumniatus eſt aliquid. ἀδίκημα intelligitur quod injuſte alteri extortum, ſic calumnia, quod per calumniam ablatum. *idem.* (*f*) Perditionem.] *Ita S. Auguſt. & Interp. Origenis quod Græce eſt,* ἀπώλειαν. *& eſt hebraiſmus, ſignificatque rem ipſam amiſſam.* (*g*) Et reddat.] *Interp. Origenis*, & reddet. S. *Auguſt.* reddet. *Iſychius totum hunc locum ſic refert.* Erit cum peccaverit, & pœnituerit, & reddiderit rapinam, quam rapuit, vel injuſtitiam, quam injuſte egit, aut depoſitum, quod depoſitum eſt ei, ſive perditum, quod invenit. (*h*) Fuerit] *Ita interpungit interp. Origenis: & S. Auguſt. quæſt.* 9. *eodem modo videtur interpungere.* I*dem vero quæſt.*20. *ſic habet*, Et qua die convictus fuerit delicti ſui; offeret Domino, &c. (*i*) Iſta holocauſtoſis.] *ita S. Auguſt. quæſt.* 10. *et putat, quod ſequitur* & ignis, *redundare illud*, &. *Sed interp. Origenis.* Hoc holocauſtum in crematione ſua erit ſuper altare, &c. (*k*) Catacarpoſim.] S. *Auguſt. in ſuo codice latino habebat*, & auferet holocarpoma, quod conſumpſerit: *ſed addit quæſt.* 9. Niſi forte illud eſt verum, quod in quodam græco invenimus. Non enim ait, auferet holocarpoſim, ſed, auferet catacarpoſim, hoc eſt, reliquias holocauſti, quod ignis conſumpſit. Has autem reliquias, veluti eſt cinis & carbo, appellavit [illam holocauſtoſim] ejus rei nomine, quæ conſumpta eſt, reliquias ipſius conſumptionis appellans. *Notat autem idem eſſe holocarpoma, quod holocauſtoſis: cur autem dicatur holocarpoma rationem reddit ipſe Origenes homil.* 5. (*l*) Holocauſtoſim.] *Sic S. Auguſt. ut diximus.* I*nterp. Origenis* & holocauſtum. I*n Compl. eſt*, holocarpoſim. (*m*) Ab eo.] S. *Auguſt. quæſt.* 12. Et ignis altaris ſemper ardebit ab eo *In aliis libris eſt, nov,* ἀπ᾽ αὐτοῦ. *ſed,* ἐπ᾽ αὐτοῦ. *Et Interp. Orig.* & ignis altaris ardebit ſuper illud. (*n*) Mane, mane.] *S. Auguſt: & Interp. Orig. ſemel tantum habent.* (*o*) Circumvoluta.] ἑλικτά. *Ita libri vetuſtiores. In aliis eſt,* ἐρικτά. *& fortaſſe legendum,* ἐρεικτά, *ut ſupra cap.* 2. *Iſychius.* Quod LXX ſic ediderunt, conſperſam offeret eam, buccellas, ſacrificium boni odoris Domino, odorem .... conſperſam eandem dicentes buccellas. Et buccellas quidem dixiſſe intelliguntur, utpote multipliciter procedentem propter paſſiones per partes provenientes: conſperſam autem, utpote in unum collectam: unde pro buccellis Symmachus dilatatam edidit. Quædam autem antigrapha, electa (*videtur legendum,* ἑλικτὰ) habent, id eſt, complexa; quia invicem ſibi cohærent paſſiones Domini. *Ex quibus verbis, utcunque ſe habeant, in mentem nobis interdum veniebat, ſuſpicari,* ἑλικτὰ, *&* ἐκ κλασμάτων, *duas apud Iſychium eſſe ejuſdem rei interpretationes. S. Auguſt: q.* 15. *in codice græco, quo uſus eſt, habuit,* ἑλικτὰ, *ſed in latina interpretatione*, in ſartagine in oleo fiet conſperſa, offeret eam freſa; *quod videtur magis convenire vocabulo,* ἐρεικτά. *Interp. Orig.* In ſartagine ex oleo fiet conſperſa: offeret eam teneram. (*p*) Holocauſtum erit.] *Refert Iſychius Aquilam edidiſſe*, integrum erit, id eſt, non dividetur dentibus, non mandetur. (*q*) Quicunque aſperſus.] *In aliis codicibus, partim eſt,* ὃ ῥαντισθῇ ἐπ᾽ αὐτὸ, quod aſperſum fuerit ſuper illud, (*& fortaſſe eſt hebraiſmus, ut intelligatur*, illud ſuper quod aſperſus eſt) *partim,* ᾧ ἂν ῥαντισθῇ ἐπ᾽ αὐτῷ, cuicunque reſperſus fuerit ſuper illud.

CAP. VII.

(*a*) SAlutaris] σωτηρίου. *Sic vetuſtiores codices, & Interp. Orig. In aliquibus aliis eſt,* εἰρηνικῶν: *quæ varietas & in hoc, & in aliis capitibus ſæpe notari poteſt. Iſychius quidem lib.* 2. *non longe ab initio admonet, quem alii adipem pacificorum dixerant, LXX edidiſſe, ſalutare.* (*b*) Pro laudatione.] *Schol.* περὶ εὐχαριστίας, pro gratiarum actione, *quod habet vulgata.* Sumptum puto ex editione Aquilæ Pontici; ſane Amos 4. 5. תודה *A.* εὐχαριστίαν. Similiter *Pſal.* 107. 22. זבחי תודה, idem θυσίας εὐχαριστίας. Hieron. hoſtias gratiarum: hinc nomen Juda, quod Joſephus εὐχαριστίαν interpretatur. (*c*) Panes ex ſimila.] *Alii libri habent,* ἄρτους ἀζύμους ἐκ σεμιδάλεως, panes azymos ex ſimila. *Interp. Origen.* & offerent ad ſacrificium panes laudationis ex ſimila: *ſed videtur mendum, ac legendum eſſe*, ad ſacrificium laudationis panes ex ſimila. *Schol.* Ἄλλος φησὶ κολλυρίδας. Alius inquit, collyridas: *quod habet etiam vulgata, ſed paulo poſt.* (*d*) Conſperſam.] *Schol.* Alius inquit, ζεστὴν, coctam, ferveſcentem. (*e*) Super ſacrificio laudationis ſalutaris.] ἐπὶ θυσίᾳ αἰνέσεως σωτηρίου. *Interp. Orig.* Quia ſacrificium laudationis ſalutaris ejus eſt. *Quare primum videtur legiſſe,* ἐπὶ θυσία, *quod in nullo codice eſt inventum; deinde habuiſſe,* σωτηρίου αὐτοῦ, *quod eſt in multis codicibus: & videtur agnoſci a S. Auguſt. quæſt.* 22. *ubi etiam dubitat an aliud ſit* ſalutaris, *aliud* ſalutaris ſui. (*f*) Demptionem.] *Sic enim ſolet S. Auguſt. vertere,* ἀφαίρεμα. *Interp. Orig.* ſeparationem. *Schol.* idem eſt ἀφαίρεμα, καὶ ἀφόρισμα, καὶ ἐπίθεμα, καὶ καρπώματα, ἀπὸ τῶν θυσιῶν ἀφοριζόμενα θεῷ, ἅπερ γίνεται μέρη τοῦ ἱερέως, demptio, & ſeparatio, & impoſitio, & hoſtiæ, quæ de ſacrificiis ſegregantur Deo: quæ quidem fiunt partes ſacerdotis. *Unde quidem dictum ſit pectuſculum impoſitionis, docet S. Auguſt. quæſt.* 23. (*g*) Non erit acceptum ei.] *Ita interp. Orig. quod græce eſt,* οὐ δεχθήσεται αὐτῷ, *ſignificat autem*, non erit, *id eſt*, non proderit ei tanquam acceptum. (*h*) Non reputabitur ei.] *Theodotio,* φέγγους δεῖται, eget lumine. (*i*) Quæcunque tetigerint omne immundum] *In Orig.* quæcunque tactæ fuerint ab omni immundo. (*k*) Domini.] *In aliis libris eſt,* κυρίῳ. *& Interp. Orig.* Domino. (*l*) Fiet in omne opus.] *Ita collati codices, & S. Auguſt quæſt.* 21. *Interp. Orig.* non erit ad omne opus. (*m*) Offeret.] *Ita libri vetuſtiores. In aliis eſt,* προσάξετε. *& Interp. Orig.* ex quibus offertis ab eis. *Apud S. Auguſt. quæſt.* 21. *in aliqua editione eſt*, ex quibus Domino offeretur; *in aliqua*, offeretis (*n*) Sacrificium ſalutaris.] *In ceteris libris partim eſt,* θυσίαν τῶν εἰρηνικῶν αὐτοῦ, ſacrificium pacificorum ſuorum, *partim* θυσίαν σωτηρίου αὐτοῦ, *& interp. Orig.* ſacrificium ſalutaris ſui *Sic etiam haberi apud S. Auguſt. quæſt.* 22. *paulo ante admonuimus.* (*o*) Adipem ſuper altare.] *Alii,* τὸ στέαρ τὸ ἐπὶ τοῦ στηθυνίου ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον. *& Interp. Orig.* adipem, qui eſt ſuper pectuſculum, ſuper altare. (*o*) Salutaris veſtri.] *Ita collati codices. In editionibus vulgatis eſt,* τῶν σωτηρίων, *& interp. Orig.* a ſacrificiis ſalutaribus veſtris.

CAP. VIII.

(*a*) EJus.] *Abeſt à Compl. & Interp. Origenis.* (*b*) Manifeſtationem & veritatem.] *Aquila & Theodotio,* τοὺς φωτισμοὺς, καὶ τελειώσεις, illuminationes, & conſummationes, *ſive* conſecrationes. (*c*) Tunicas.] *Aquila & Theodotio,* ὑποδύτας, ſubuculas. ὑποδύτης tunica interior, ut ἐπενδύτης exterior. Quidam ſubuculam latine reddunt. *Hieron. de veſte ſacerdotali*, Secunda ex lino tunica eſt ποδήρης. *i.* talaris, duplici ſindone, quam & ipſam Joſephus byſſinam vocat, appellatur כתנת. *i.* χιτὼν, quod Hebræo ſermone in lineam vertitur; hæc adhæret corpori, & tam arcta eſt & ſtrictis manibus, ut nulla omnino in veſte ſit ruga & uſque ad crura deſcendat. (*d*) Mundavit.] *Schol.* Samariticus habet, καὶ ἱλάτωσεν, & propitiavit. Alia autem editio, περιημάρτησεν, expiavit, *& quaſi undique aptum reddidit ad peccatum delendum.* (*e*) Et panem ex oleo unum.] *Schol.* Ἄλλος, κολλύραν. Alius, collyram. *In Compl. totus hic locus ſic habet,* ἔλαβε κολλύραν ἄζυμον *μίαν, καὶ κολλύραν ἄρτου ἐξ ἐλαίου μίαν*, ſumpſit collyram azymam unam, & collyram panis ex oleo unam. (*f*) In atrio.] *Compl. παρὰ τὴν θύραν τῆς σκηνῆς*, apud oſtium tabernaculi. (*g*) Donec dies impleatur.] *Alij codices, ἕως ἡμέρας πληρώσεως ἡμερῶν τελειώσεως ὑμῶν*, uſque ad diem plenitudinis dierum conſummationis veſtræ.

CAP. IX.

(*a*) SEniores.] *Sic vertit S. Auguſt. quæſt.* 25. *quod græce eſt, γερουσίαν, licet alii partim dixerint ſenatum, partim ordinem ſeniorum.* (*b*) Et vitulum.] *Sic etiam vulgata, & hebræus. Aliqui codices habent, καὶ κριὸν, καὶ μοσχάριον. Et S. Auguſt. quæſt.* 26. & arietem, & vitulum. (*c*) Illud ſecundum membra ea, & caput.] *In aliis codicibus partim abeſt illud*, ea; *partim vero legitur, αὐτῷ καὶ τὰ μέλη αὐτά, καὶ τὴν κεφαλήν*, ei & membra ipſa, & caput. (*d*) Mente excellit.] *Sic videtur ſubindicare S. Auguſt. quæſt.* 29. *vertendum eſſe illud, ἐξέστη, quod ipſe habuit*, & amens factus eſt, *& alios inquit vertiſſe*, expavit.

CAP. X.

(*a*) FIlios.] *Abeſt dictio iſta à Compl. ut etiam a vulgata.* (*b*) Legitimum æternum in progenies veſtras] *S. Auguſt. quæſt.* 33. Ambiguum eſt, utrum ſuperiori ſenſui connectatur, id eſt, ad vinum non bibendum pertineat; an inferiori, ubi ſequitur, Diſtinguere, *&c. Interp. quidem Orig. hom 7. cum inferiore conjungit.* (*c*) Inſtruere.] *Schol.* Alius, *φωτίζειν*, illuminare. (*d*) Salutaris.] *In aliis libris eſt, σωτηρίων. Interp. Orig.* ſacrificiis ſalutaribus. *S. Auguſt. quæſt.* 35. ſacrificiis ſalutarium; *quamvis dubitet, an ſit vertendum potius*, ſanitatum, *multaque excogitet, quamobrem hoc loco, σωτηρίων, idem valeat ac, σωτηρίου.*

CAP. XI.

(*a*) ET fiſſuras findit duarum ungularum.] *Sic viſum eſt ſatis apte & congruenter etiam hebræo poſſe reddi, quod græce eſt, καὶ ὀνυχιστῆρας ὀνυχίζον δύο χηλῶν. Interp. Origen.* & ungulas habet. (*b*) Quæ dividunt ungulas.] *Apud eundem totus hic locus ſic habet*: Præterea ab his non manducabitis, quæ reducunt ruminationem, & non dividunt ungulas, & habent ungulas: Camelus, *&c. & ita fere vulgata. In aliqua Græca editione eſt, πλὴν ἀπὸ τούτων οὐ φάγεσθε, ἀπὸ τῶν μὴ ἀναγόντων μηρυκισμὸν, καὶ ἀπὸ τῶν μὴ διχηλούντων τὰς ὁπλὰς, καὶ ὀνυχιζόντων ὀνυχιστῆρας.* Tantum ab his non comedetis, a non reducentibus ruminationem, & a non dividentibus ungulas, & habentibus ungulas. *Sed collati codices manuſcripti græci omnes eodem modo, ac noſter: & reſpondent hebræo & chaldæo.* Intelligendum *enim ita eſt, ab iis quæ ruminant, & dividunt ungulam, excipi camelum, & cetera, quæ alterutra iſtarum conditionum carent.* (*c*) Et leporem.] *Hunc ordinem ſervant collati codices; &* Interp. *Orig.* In *Compl. quemadmodum & in vulgata, prius memoratur chirogryllus (quem* Interp. *Orig. erinacium vocat) quam lepus. Eadem varietas eſt paulo poſt in commemoratione aliorum animalium.* (*d*) Reducit.] In *quoſdam libros græcos per errorem irrepſit οὐκ: Nam abeſt ab exemplari Vaticano, ut etiam a Compl. tam in lepore quam in chirogryllo: itemque ab Orig. Et Theodoretus in codicibus manuſcriptis (nam verſio eſt depravata) q.* 11. *inquit, camelum & leporem ruminare quidem, ſed ungulam non dividere.* (*e*) Chalabotes.] *χαλαβώτης. Alij ἀσκαλαβώτης*, ſtellio. (*f*) Et inter vivificantia.] *In aliquot codicibus legitur, καὶ συμβιβάζειν τοὺς υἱοὺς Ἰσραὴλ ἀναμέσον τῶν ζωογονούντων, &c. S. Auguſt. q.* 38. Inſtrue (*fortaſſe legendum*, inſtruere) filios Iſrael inter vivificantia, *&c. Quod autem pertinet ad illud* vivificantia, *S. Auguſt. putat græco verbo ſignificari, non quæ vivere faciunt; ſed quæ vivos fœtus gignunt. Nobis tamen non conſtat, præſertim ſi hebræum conſulamus, an idem ſignificet, quod viventia.*

CAP. XII.

(*a*) PUrgationis] *Ita S. Auguſt. q.* 40 *quod græce eſt, τῆς ἀφέδρου, & ab alijs ſolet verti*, menſtrui: *poſſet etiam*, puerperii. *Notat Iſychius Symm. dixiſſe*, ſecundum dies ſeparationis afflictionis, *Aquilam*, eparationis miſeriæ, *Theodotionem*, ſeparationis doloris ejus. (*b*) Immundo.] *ἀκαθάρτῳ. Sic vetuſtiores codices. In aliis eſt, καθαρῷ. Orig.* quia in ſanguine immundo fecit ſeptem dies, in ſanguine autem mundo triginta & tres dies. *S. Auguſt. utramque lectionem agnoſcit. Compl. καθαρισμοῦ αὐτῆς*, purificationis ſuæ, *quod habet vulgata. Iſychius harum duarum lectionum mentionem facit*, in ſanguine mundo, ſive purificationis. (*c*) Pro filio, aut pro filia.] *Sic placet S. Auguſt. reddi illud, ἐφ' υἱῷ καὶ ἐπὶ θυγατρὶ, potius quam*, ſuper filio aut ſuper filia, *quod nonnulli codices haberent.* (*d*) Aut turturem.] *Idem habet*, & turturem: *quamvis fateatur nonnullos codices habere*, aut turturem: *ac de iſta varietate diſputat.*

CAP. XIII.

(*a*) LUcida.] *τηλαυγής. Ita libri veteres, & S. Auguſt. q.* 41. *& Iſychius lib.* 4. *qui etiam interpretatur, quid ſit τηλαυγής. Alii habent, ἢ τηλαυγὴς*, vel lucida: *quam lectionem agnoſcit S. Gregor. Nazianz. in oratione de amore pauperum.* (*b*) Carnis.] *χρωτός. S. Auguſt. & Interp. Origen. habent*, coloris. *Alii vertunt*, corporis. *Sed viſum eſt omnia melius reſpondere, ſi dicatur*, carnis. (*c*) Tactus] *S. Aug. ibid. & in locut.* Ipſam maculam tactum vocat: unde nonnulli noſtri non tactum, ſed maculam interpretati ſunt, &c. *Poſſemus etiam ſatis apte plagam dicere.* (*d*) Humilis.] *ταπεινή. Schol.* Aquila, & Symm. *κοίλη, βαθυτέρα* cavus, profundior. *Dictio quidem κοίλη habetur etiam in noſtro, & in aliis libris hoc eodem capite; ſicut etiam ἐγκοιλοτέρα, aut, κοιλοτέρα.* (*e*) Inquinabit.] *S. Auguſt. q.* 42. id eſt, inquinatum pronunciabit. (*f*) Non mutavit pilum album.] *Eſt phraſis qua ſignificatur*, non mutaſſe pilum in album. *Paulo quidem poſt ita dicitur, μετέβαλεν ἡ ἀφὴ εἰς τὸ λευκόν.* (*g*) Non eſt commutatus.] *Sic ſolet eſſe apud S. Aug quod græce eſt, οὐ μετέπεσεν. & videtur ſignificare*, non effluxit, *id eſt, ut alij vertunt*, non crevit. (*h*) Significatio.] *σημασία. Aquila, ἐξανάδοσις*, excreſcentia, puſtula. *Th. ἔκβρασμα*, eruptio, ſcabies. Papulæ autem quæ poſt ægrotationem naſcuntur in labiis, vocantur *ἐκβράσματα*, & ſanitatis videtur indicium, morbum in ſuperficiem prorupiſſe. Hieron in Comment. ſuper Nah. 2. apud *Druſ. S. Auguſt. interpretatur q.* 44. non eſt lepra, ſed ſignum. (*i*) Converſa mutata fuerit.] *Aquila, & Symm. ἐπιδόσει ἐπιδῷ τὸ ἐμφύσημα*, procedendo proceſſerit tumor. (*k*) Commutata.] *Ita S. Auguſt. q.* 46. *quod rurſus eſt, μετέπεσεν, & interpretatur*, id eſt, non ſtetit in illa ſanitate, in qua eum viderat, &c. *Aquila, ἐπέδωκεν*, proceſſit. *Symm. ὑπερέβη*, ſupergreſſa eſt. *Th. διακέχυται*, diffuſa eſt. *Schol.* Samariticus, *ἐπλατύνθη*, dilatata eſt. (*l*) Et ſegregabit.] *Compl. οὐκ ἀφοριεῖ, & S. Auguſt. q.* 47. non ſegregabit eum: *quod illi difficultatem fecit: ac tamen reſpondet vulgatæ & hebræo.* (*m*) In tactu.] *αὐτὸν ὁ ἱερεὺς τὴν ἀφήν, id eſt*, ſecundum tactum. *Et ſimili locutione infra habetur, μετὰ τὸ πλυθῆναι αὐτὸ τὴν ἀφήν, quod vertimus*, poſtquam lotum fuerit ipſum in tactu *Alij codices hic partim pro, αὐτὸν, habent, αὐτοῦ*, ejus tactum, *partim neutrum habent, & ibi αὐτῷ*, poſtquam lotus fuerit ei tactus. (*n*) Carnem ſanam.] *τὸν χρῶτα τὸν ὑγιῆ. Scholion. τὴν σάρκα τὴν ζῶσαν*, carnem vivam. (*o*) Et converſus fuerit.] *Sæpe in hujuſmodi locutionibus ſubintelligendum eſt*, tactus. (*p*) Vulnus.] *Sic videtur transferre interp. Orig. quod eſt θραῦσμα. Schol.* Alius, *ἀπόσπασμα*, ſciſſura. *S. Auguſt. quæſt.* 48. *inquit, cum Moyſes de lepra capitis loqueretur, eam etiam quaſſationem appellaſſe.* (*q*) Lepra.] In *quibuſdam codicibus additur, ἐξανθοῦσα*, efflorеſcens. (*r*) Immundus cum ſit.] *Sic S. Auguſt. in locut. quamvis fateatur non potuiſſe exprimi in latino, quod græce eſt ἀκάθαρτος ὢν ἀκάθαρτος ἔσται. Interp. Orig. habet tantum*, immundus erit. (*ſ*) Permanens] *Schol.* Samariticus, *φιλόνεικος*, obſtinata. *ὀπίσω δὲ παλαιουμένην αὐτὴν εἶπεν, ἀντὶ τοῦ συγγηρῶσαν τῷ σώματι, καὶ ἀνίατον.* Superius autem, *παλαιουμένην*, veteraſcentem ipſam dixit, pro eo quod eſt, conſeneſcentem corpori, & inſanabilem. (*t*) Fixit ſe.] *Nimirum tactus, vel lepra. Schol.* Alius, *ἀφανίζουσαν, quaſi corroſione rarefacientem.*

CAP. XIV

(*a*) DUas aviculas.] *Interp. Orig. interpretatur duas gallinas, græce eſt, δύο ὀρνίθια.* (*b*) Cotylam.] *S. Auguſt. in locut. habet*, heminam. *Alii vertunt*, ſextarium. (*c*) Poſſeſſione.] *Alij codices habent, ἐν κλήρῳ*, in ſorte. (*d*) Splendentis.] *αὐγάζοντος. Compl. αὐγάσματος*, ſplendoris.

CAP. XV.

(*a*) OMnes dies.] *Hæc uſque ad* omnis lectus, *abſunt a Compl. ut a vulgata. Ac ſane apparet in his verbis coacervatio quædam. S. Auguſt. in locut. hæc tantum refert.* Viro, viro, cuicunque fuerit fluor, & homo cuicunque exierit ex eo concubitus ſeminis, & omne ſuper quodcunque dormit ſuper illud, & omne, ſuper quod ſederit ſuper illud, immundum erit. *Legendus accurate Iſychius.* (*b*) Stramen aſini.] *ἐπίσαγμα ὄνου. Ita libri veteres. A quibuſdam abeſt vox ὄνου, quam tamen eſſe LXX interpretum teſtatur Iſychius.* (*c*) Et lavabit corpus aqua.] *Alii codices habent, τὸ σῶμα αὐτοῦ ὕδατι ζῶντι*, corpus ſuum aqua viva. (*d*) Et qui patitur fluxum ſeminis in fluxu ſuo.] *καὶ ὁ γονορρυὴς ἐν τῇ ῥύσει αὐτοῦ. In aliqua editione eſt, ἐγονορρύησεν*, & ei qui effudit ſemen.

CAP. XVI.

(*a*) ET arietem.] *καὶ κριόν. ut ſubintelligatur*, adducens. *Alii codices habent, κριῷ*, ariete. (*b*) Lineum.] *Schol. τὸ λινοῦν, καὶ λινῆν ζώνην, ἄλλος φησὶ διπλοῦν, καὶ διπλῆν.* lineum, & lineam ſtolam, alius inquit, duplex, & duplicem. (*c*) Emiſſario.] *Sic B. Auguſt. Interp. Orig. retinuit vocabulum græcum Apopompæi.* Aquila, *κλῆρος εἷς, κεκρατημένος, καὶ εἷς, ἀπερχόμενος*, ſors una, retentus, una, abſcedens. *Iſychius autem in hunc locum hæc habet*, cujus autem rei gratia non immolatur, qui ad confirmatum deputatus eſt, ſicut Aquila edidit? Quis autem ſit confirmatus, ſive fortis, *&c. ut κεκρατημένον, videatur accepiſſe hircum, qui vivus relinquitur. Theodoretus q.* 22. *citans illa verba inferius poſita*, & tollet hircus ſuper ſeipſum, *&c. addit Symm. ipſum Apopompæum interpretatum eſſe, εἰς τράγον ἀπερχόμενον, ὥστε ἀποπέμπειν αὐτὸν εἰς τὴν ἀποπομπήν*, in hircum abſcedentem, ad emittendum eum in emiſſionem: *Aquilam vero, εἰς τράγον ἀπολυόμενον εἰς τὴν ἔρημον*, in hircum qui ſolvitur in deſerto. In *Scholio etiam Apollinaris refertur ex Symm. τράγον ἀπερχόμενον.* (*d*) Et exorabit ſanctum.] *B. Auguſt. q.* 53. *habet*, & exorabit pro ſanctis: *teſtatur tamen in codice Græco, qui emendatior videbatur, ſe legiſſe, τὸ ἅγιον. quomodo autem exoretur, ac propitietur ſanctum, diſputat in ea, ac duab. ſequentib. quæſtionibus, ac quæſt. quidem* 55. *inquit*; An potius, exorabit, dictum eſt, exorando purgabit. (*e*) Requies.] *Abeſt hæc dictio a Compl. & videtur eſſe ex alia interpretatione: habet tamen fortaſſe Theodoretus. Iſychius in cap.* 19. Sicut uno exiſtente ſpeciali ſabbato, ſeptima videlicet die, omne aliud legitimum ocium ſabbatum appellatur, ſic cum generalis, *&c.*

CAP. XVII.

(*a*) VEl proſelytorum, qui appoſiti ſunt in vobis.] *Hæc verba abſunt ab aliquot exemplaribus.*

CAP. XVIII.

(*a*) HAbitaſtis.] *κατῳκήσατε. Ita* ll. vv. *& Clemens Alex. l.* 2. *ſtromatũ. in aliquot cod. eſt, παρῳκήσατε*, incoluiſtis. (*b*) Quæ ſi fecerit.] *ἃ ποιήσας αὐτά.*

Clemens Alex. habet, ὁ ποιήσας αὐτὰ, qui fecerit ea. *Et ſic legitur in quibuſdam codicibus.* (*c*) Mater enim tua eſt.] *S. Auguſt. q.* 58. *videtur legiſſe*, turpitudo enim eorum eſt, *& notat in matre eſſe utriuſque turpitudinem, in noverca tantum patris.* (*d*) Uxorem ſuper ſororem.] γυναῖκα ἐπ' ἀδελφῇ αὐτῆς οὐ λήψῃ ἀντίζηλον. *D. Auguſt. q.* 63. *ſic habet*, ſuper uxorem ſororem ejus non accipies in zelum. (*e*) Principi.] ἄρχοντι. *Theodoretus q.* 25. τὸ ἑβραϊκὸν, μολὸχ ἔχει, καὶ οἱ λοιποὶ δὲ ἑρμηνευταὶ τοῦτο τεθείκασι. Hebraicum habet Moloch, & ceteri interpretes ſic poſuerunt. *B. etiam Aug. q.* 66. *interpretatur*, principi, qui pro Deo colitur. (*f*) Abominatio.] *Teſtatur Iſychius Symmachum vertiſſe*, ineffabile, *Aquilam*, infectum. (*g*) Exhorruit.] *Sic S. Auguſt. in locut. Quæſt. autem* 57. exhorrebit. *Græce eſt*, προσώχθισε. *Theodotio*, ἀπέβαλεν, abjecit. *Aquila*, ἐξῆρεν, *ſuſtulit. Symm.* ἐξήμησεν, evomuit.

CAP. XIX.

(*a*) ACceptum veſtrum.] δεκτὴν ὑμῶν. *Iſychius lib.* 7. *ex LXX* accepta veſtra. *& videtur ſignificare*, quod vobis placet, quod voluntas veſtra fert, *aut, ut putat Iſychius*, illud in quo veſtra conſcientia vos non reprehendit. (*b*) Inſacrificabile.] ἄθυτον. *Aquila*, ἀπόβλητον, abjiciendum. (*c*) Neque admiraberis] *Schol.* Alius inquit, οὐ δοξάσεις πρόσωπον μεγάλου, non glorificabis faciem magni. (*d*) Inſtabis] ἐπιστήσῃ, *& reſpondet hebræo. In aliis codicibus eſt*, ἐπισυστήσῃ, conjurabis. (*e*) Vindicabitur.] *De hoc loco diſputat S. Auguſt. q.* 70. (*f*) Differentem.] διάφορον, diverſam, ac variam. *In aliqua editione eſt*, δίφορον, biferam. (*g*) Manducabile] βρώσιμον. *Philo in libro de plantatione, habet* βρώσεως, cibi, *quod reſpondet hebræo.* (*h*) Circummundabitis.] περικαθαριεῖτε. *Schol. ceteri inquiunt*, ἀκροβυσεῖτε (*fortaſſe legendum*, ἀκροβυστιεῖτε) *quod in vulgata eſt*, auferetis præputia. (*i*) Super montes.] *Iſychius*, Comedere enim ſuper montes, quod LXX in initio præſentis legis poſuerunt pro eo quod noſtra editio habet, non comedetis cum ſanguine, propter eos, qui idolorum feſtivitatibus conſueti ſunt, prohibuit, &c. *Schol.* Alius, οὐ φάγεσθε ἐπὶ τοῦ δώματος, non comedetis ſuper tecto, *ſed fortaſſe legendum*, ἐπὶ τοῦ αἵματος, ſuper ſanguinem. (*k*) Siſoem.] *Theodotio*, οὐ κυκλώσετε τὸ φαὰθ τῆς κεφαλῆς, non circumdabitis (*aut*, rotundabitis) Phaath (*hoc verbum hebræum alij vertunt angulum, alii comam*) capitis. Aquila, οὐ περικυκλώσεις τὸ κλίμα τῆς κεφαλῆς σου, non rotundabis regionem capitis tui. Alius Interpres, οὐ περιξυρήσετε κύκλῳ τὴν πρόσοψιν τῆς κεφαλῆς ὑμῶν. *Hunc vero eſſe Symmachum oſtendit Iſychius his verbis*: Inſuper nec comam in rotundum tondere, id eſt non radere in rotundum, aſpectum capitis, ſicut & Symmachus edidit: quemadmodum etiam hi facere conſueverunt, qui barbaricas ſtudent comas. Propter quod, hoc LXX σισόην, forſitan propter magnitudinem concurſorum capillorum appellaverunt. *Idem paulo poſt.* Sed nec cincinnos nutrire in honorem dæmonum capillis aliis fortiores, & hoc vovere: ſtudent enim hoc pagani, caput puerorum offerre dæmonibus. *S. Cyprianus lib.* 3. *ad Quirinum*, non facietis cirrum ex coma capitis veſtri. *Theodoretus quæſt.* 28. (*quamvis multa in latino impreſſo deſint:*) *de hac ipſa dictione* σισόη. Alii autem dixerunt demptionem capillorum in circuitu capitis: alii autem ex ejus capillis plexum, quem græci κρώβυλον vocant. Saturnium hoc anathema, & devotamentum ſtudioſe curantes: τινὲς τὸ σισόην, τὰς ἐξ ἐπιτηδεύσεως οὔλας γινομένας ἡρμήνευσαν. ἐγὼ δὲ ἄλλο οἶμαι τὸν νόμον ἀπαγορεύειν. εἰώθασιν Ἕλληνες μὴ ἀποκείρειν τῶν παιδίων τὰς κορυφὰς, ἀλλὰ ἐᾶν τοὺς μαλλοὺς, καὶ τούτους μετὰ χρόνον ἀνατιθέναι τοῖς δαίμοσιν. Quidam σισόην interpretati ſunt capillos de induſtria criſpos factos. Ego vero aliud puto lege prohiberi. Conſueverunt græci non attondere puerorum comas, (*al.* extremitates) ſed ſinere promitti capillos, & hos poſt tempus offerre anathema dæmonibus. *Simile quiddam habetur in Scholio*, σισόη ἐστὶν ὁ κρώβυλος. πλέγμα δέ ἐστι τοῦτο, ὃ περ Ἕλληνες ἐπλέκοντο ὡς κρονικὸν ἀνάθεμα. καὶ μᾶλλον σαρακηνοὶ μέχρι νῦν τοῦτο ποιοῦσι. Siſoe eſt cincinnus: plexus autem eſt hic, quem græci complicabant, tanquam Saturnium anathema: & præcipue Saraceni hucuſque hoc faciunt. (*l*) Aſpectum.] ὄψιν. *S. Cyprianus in lib. de lapſis, & lib.* 3. *ad Quirinum.* Non corrumpetis effigiem barbæ veſtræ. *Iſychius lib.* 6. Non oportet, ſicut prædiximus, barbam radere, vel ſecundum LXX, corrumpere faciem barbæ. (*m*) Super animam.] *S. Auguſt. quæſt.* 71. Super animam dixit, ſuper funus mortui. Theodoretus legit ἐντομίδας. *Iſychius*, nec inciſuras in corpore ſibi facere eos, qui flent ſupra mortuos: etiam hoc enim pagani facere conſueverunt, &c. *Qua de re Theodoretus etiam ibidem.* (*n*) Litteras impreſſas.] γράμματα στικτά. *Iſychius*, Prohibet etiam ſtigmata fieri in corpore, &c. Sed & ſtigmata, id eſt malæ doctrinæ dogmata, quia inhærent & infiguntur animæ per quædam blandimenta vel Syllogiſmos vel per quemlibet alium modum docentium intelligamus. Præcepit ergo nobis lex & ab his abſtinere quia impreſſa vel immerſa ſicut ſolent ſtigmata, difficulter abolentur. *Theodoretus de hac græcorum funebri conſuetudine*, & aliquas vero corporis partes acubus pungebant. (*o*) Iniquitate] *Iſychius*, vel ſicut LXX, adulterio. (*p*) Ventriloquos.] *Sic etiam S. Auguſtinus quæſt.* 77. *quod græce eſt*, ἐγγαστριμύθοις. *Scholion.* Alius, *inquit*, μὴ ἐπικλίνητε πρὸς τοὺς θελητὰς, καὶ τοὺς γνώστας, ne declinetis ad Theletas, & Gnoſtas; *de quibus alio loco dicetur.* γνώστας ſciolos dicas; nam vendicant ſibi ſcientiam rerum, quas ignorant, aut ſic dicti a ſcientia rerum abditarum & occultarum: qua ratione κρυφιασταὶ, vocantur in his fragmentis. ſic magi peculiariter, חכמים *i.* Sapientes appellantur. ſane quidem in ידעני, ſignificatio ſcientiæ, unde pluralis, ידענים γνώστας. *i.* gnavos, alii ariolos, alii ἐπαοιδὰς, incantatores referunt, quod genus in fæminis latini ſagas nuncupat. *Druſ. Theodoretus.* τινὲς ὑπὸ δαιμόνων τινῶν ἐγγαστρευόμενοι ἐξηπάτων πολλοὺς τῶν ἀνοήτων ὡς δῆθεν προαγορεύοντες οὓς ἐντερομάντεις οἱ Ἕλληνες προσαγορεύουσιν, ὡς ἔνδοθεν δοκοῦντος τοῦ δαίμονος φθέγγεσθαι. Quidam a dæmonibus quibuſdam agitati multos ex dementibus decipiebant, perinde ac prædicerent, quos ἐντερομάντεις græci appellant, quippe quod ab intus videatur dæmon loqui. *Iſychius ex LXX.* Non ſequimini ventriloquos, & veneficis non adjungamini.

CAP. XX.

(*a*) PRincipi.] *Iſychius*, Olim ergo prohibens, de ſemine ſuo Moloch, ſive ſecundum LXX, principi, dari. Erat autem hoc idoli cujuſdam, vel dæmonis nomen, ſecundum quod Stephanus Amos introduxit dicentem; Et recepiſtis tabernaculum Moloch, &c. (*b*) Deſpectione.] *Schol.* Alius, ἐὰν κρύψει κρύψωσιν ὁ λαὸς τῆς γῆς. ſi occultatione occultaverint populus terræ. (*c*) Ipſe.] *Alij libri*, ὥστε ἐκπορνεύειν αὐτοὺς, ut ipſi fornicarentur. *Noſtra convenit cum vulgata*, ut fornicaretur cum Moloch. *S. Auguſt. q.* 72. ita ut fornicentur principes (*videtur legendum*, in principes) de populo ſuo: *Et addit*, non de populo ſuo principes, ſed de populo ſuo fornicentur. Eos quippe principes vult hic intelligi, qui pro diis colebantur: ſicut Apoſtolus dicit, &c. *Iſta tamen* de populo ſuo, *videntur referenda ad verbum illud præcedens*, & perdam. (*d*) Maledixerit.] κακῶς εἴπῃ. *Schol.* Alius inquit, καταράσηται, execratus fuerit. (*e*) Filiorum.] *Sic teſtatur Iſychius dixiſſe LXX, S. Aug. q.* 75. in conſpectu generis ſui. (*f*) Peccatum.] *In aliquot codicibus eſt*, ἁμαρτίαν αὐτοῦ λήψεται, peccatum ſuum accipiet. *S. Auguſt. ibidem*, peccatum ſuum accipient: *quod convenit cum vulgata.* (*g*) Cognata.] *Vulgata*, cum uxore patrui, vel avunculi ſui. *Legendus S. Auguſt. quæſt.* 76. (*h*) Morientur.] *Scholion*, ἀντὶ τοῦ, οὐ λογισθήσεται τὸ σπέρμα αὐτοῦ εἰς τέκνα. *pro eo quod eſt*, non reputabitur ſemen ejus in filios, *quod etiam & S. Auguſt. ibidem*; *teſtatur Iſychius Symmachum, & Theodotionem edidiſſe*, ſine filiis erunt. (*i*) Exhorreſcet.] *Iſychius*, Hoc eſt enim evomere, quod & Symmachus, ſimiliter & Theodotion, abjicere, edidit.

CAP. XXI.

(*a*) NOn inquinabitur ſubito.] *Hæc agnoſcuntur ab Iſychio eſſe ex LXX, pro quibus in vulgata eſt*, ſed nec in principe populi ſui contaminabitur. *A Compl. abeſt illud proxime præcedens*, μιανθήσεται, *& ita in ea legitur*, ἐπὶ τούτοις οὐ μιανθήσεται ἐξάπινα ἐν τῷ λαῷ αὐτοῦ, ſuper his non contaminabitur ſubito in populo ſuo, &c. (*b*) Caput.] *Non habet iſtam dictionem S. Auguſt. in locut. ſed eſt hebraiſmus.* (*c*) Ex fratribus ſuis.] Sic *Interp. Orig. hom.* 12. *& Iſychius ex LXX*, maximus de fratribus ejus. *S. Auguſt. q.* 29. magnus coram fratribus ſuis. (*d*) Chriſto.] τοῦ χριστοῦ. *Ita S. Auguſt. q. eadem, & addit*, ipſum oleum appellat ſcriptura Chriſtum. *In Compl. eſt* τοῦ χρίσματος, *& Interp. Orig.* cui infuſum eſt ſuper caput ejus oleum chriſmatis. *Paulo poſt tamen ubi idem Interpres habet*, oleum chriſmatis, *etiam Compl. habet*, ἔλαιον τὸ χριστόν. (*e*) Conſummatus.] *Alij codices addunt*, τὰς χεῖρας, *& S. Auguſt. q.* 80. conſummatus manus induere veſtimenta. *Et Iſychius*, & conſecratas fuiſſe manus, ſive, ut LXX, conſummatas. *Compl. addit præterea* αὐτοῦ, *& Interp. Orig.* & perfectas habet manus ſuas. (*f*) Non nudabit.] *vel, ut S. Auguſt.* non reteget. *Schol.* Alius inquit, οὐκ ἀπομιτρώσει, non nudabit mitra. (*g*) Ephelus.] ἔφηλος. *In Compl. additur* ἔφηλος τοὺς ὀφθαλμοὺς, *& vertitur*, lippus oculos. *Vulgata etiam habet*, lippus, *& ita videtur interpretari Iſychius*; *inquit autem Aquilam pro hoc edidiſſe ſuffuſionem. Schol.* ἔφηλος ἀρρώστημα καταμελαίνειν εἰδὸς τὴν ἐπ' ἄκρου δέρματος ὄψιν, ἐπ' αὐτοῖς δεικνύμενον μετώποις. τίλλος δὲ τοὺς ὀφθαλμοὺς, ὁ ἥκιστα μὲν τοῦ βλέπειν ἐστερημένος, ὑγιῶς δὲ τοῦτο ποιεῖν οὐκ ἔχων. ὁποῖοί τινές εἰσιν αἱρετικῶν παῖδες, Ephelus, morbus eſt, qui novit denigrare faciem in ſumma cute, in ipſa ſe oſtendens fronte & ſuperciliis. (*h*) Maculoſus oculos.] *Schol.* τίλλος autem τοὺς ὀφθαλμοὺς, eſt ille, qui parum quidem abeſt, quin cernat, ſed id ſane, atque integre facere non poteſt: cujuſmodi quidem ſunt hæreticorum filii. *Iſychius, ut vulgata*, habens albuginem, *& non affert varietatem ex LXX.*

CAP. XXII.

(*a*) MAtre.] *In quibuſdam codicibus additur*, αὐτοῦ, *& S. Auguſt. in locut.* ſub matre ſua.

CAP. XXIII.

(*a*) FRicta chidra.] *Iſychius loquens de Chriſto*, Et cibum nobis novæ polentæ & pultium, ſive, ut LXX, cytrorum, præſtitit. Non enim nova ſolum, ſed & citra Chriſti præcepta ſunt, ſive ut mollia, ſic enim citra alii Interpretes ediderunt. *Ubi quamvis corrupte, apparet tamen eſſe*, χίδρα, *de quibus ſuperius diximus. Paulo ante apud eundem legitur*, ſive ſecundum LXX, & fricta cedrinea. *Alij vertunt*, toſta farra. (*b*) Sabbatorum.] *S. Auguſt in locut.* ſabbatis: *ut intelligatur idem nonnunquam eſſe ſabbata, ac ſabbatum.* (*c*) Manipulum ſuperpoſitionis.] *S. Auguſt ibidem*, gremium (*fortaſſe legendum* cremium) ſuperpoſitionis. *Schol.* Alius inquit, ἀφορίσματα, ſeparationes. (*d*) Integras.] *Alij codices addunt*, ἀριθμήσεις, *& S. Auguſt. ibidem*, integras numerabis. (*e*) Et imponet.] *Iſychius*, ſecundum LXX autem ſic. Et ſeparabit ea ſacerdos ſeparatione cum panibus primitiarum ante Dominum, &c. (*f*) Vocatam: ſancta.] *Alii codices*, κλητὴ ἁγία, vocata ſancta, *quomodo ſæpe in hoc ipſo capite dicitur. Apud Iſychium paulo inferius ex LXX, dicitur dies vocalis ſanctus. Videtur enim ſignificare diem convocationis & celebrationis.* Ergo vel hinc liquet δουλεύειν καὶ λατρεύειν, Synonyma eſſe. *Druſ.* (*g*) Tubarum.] *Schol.* ἡ τῆς σκηνοπηγίας. quod quid ſibi velit neſcio, nam feſtum tubarum ſive clangoris diverſum erat a feſto ſcenopegiæ ſive tabernaculorum; illud celebrabatur primo die menſis ſeptimi quē Theſri vocant, & eſt initium anni veteris, hoc incipiebat primum decima quinta ejuſdem menſis & durabat dies ſeptem, videlicet uſque ad vigeſimam ſecundam Theſri excluſive. *Druſ.* Vel ſcenopegiæ. (*h*) Servile.] λατρευτόν. *Schol.* Alius inquit, δουλευτὸν, quod eſt expreſſius. (*i*) Exodium.] *vulgata*, cœtus, atque collectæ. *Iſychius*, Vel ſecundum LXX, Egreſſus eſt: quia hinc exitus, illic habitatio eſt. *Theodoretus q.* 32. Exodium indicat finem ſolennitatum. (*k*) Speciosum.] ὡραῖον. *Schol.* Alii, ἔνδοξον, nobilem. (*l*) Spatulas.] κάλλυνθρα. *Schol.* Alius inquit, βάϊα, ramos, *& proprie palmarum.* (*m*) Ad lætandum.] *Alii codices*, καὶ εὐφρανθήσεσθε, & lætabimini, *ut vulgata.* (*n*) Septem diebus anni.] *Alii libri*, ἑπτὰ ἡμέρας. ἑορτάσατε αὐτὴν ἑορτὴν τῷ κυρίῳ ἑπτὰ ἡμέρας τοῦ ἐνιαυτοῦ, ſeptem diebus celebrate ipſam celebritatem Domino ſeptem diebus anni.

CAP. XXIV.

(*a*) ILlud.] *αὐτό. id eſt, lumen. Compl. αὐτὸν. ut referatur ad λύχνον,* lucernam, *& Interpr. Orig.* & accendent illam. (*b*) Et ſal.] *Hoc abeſt ab hebræo, & vulgata; ſed notat Iſychius poſitum eſſe a LXX.* (*c*) In panes.] *Eſt hebraiſmus. Alii codices, & Cyrillus, lib. 9. de adorat.* καὶ ἔσονται οἱ ἄρτοι εἰς ἀνάμνησιν προκείμενοι τῷ κυρίῳ. *Et Interpr. Orig. hom.* 13. Et erunt panes in commemoratione appoſiti Domino. (*d*) Coram filiis Iſrael.] *In aliis codicibus, & apud Cyrillum eodem lib. 9. & 10. eſt,* παρὰ τῶν υἱῶν. *& Interpr. Orig.* a filiis Iſrael. (*e*) Teſtamentum ſempiternum.] διαθήκην αἰώνιον, *& ſubintelligitur præpoſitio; quam ſupplet Interp. Orig.* in teſtamentum. *Alii libri pro illo,* προσθήσεται, apponentur, *quod paulo ante præcedit, habent,* προθήσετε, proponetis, *aut,* προσθήσετε, apponetis. *Compl. hoc loco habet,* διαθήκη αἰώνιος. (*f*) Eorum] αὐτῶν. *Interpr. Orig.* illis. *Alii libri,* αὐτῷ, ei, *& reſpondet hebræo.* (*g*) Nomen] *S. Auguſt. in locut.* Manifeſtum eſt, nomen Dei eſſe intelligendum, cui maledixit. (*h*) Homo.] *Sic etiam Interpr. Orig. & Philo 2. de vita Moyſis; & Theodoretus q. 33. Alii codices habent,* ἄνθρωπος, ἄνθρωπος, ἐὰν καταράσηται θεὸν αὐτοῦ. *& S. Auguſt. in locut.* Homo, homo ſi maledixerit Deum ſuum: *q. tamen 87. ſemel tantum habet* homo. *Iſychius ex LXX* Homo, homo quicunque maledixerit Deo, peccatum accipiet. *Paulo inferius ex Symmacho,* homo, qui detraxerit Deo ſuo. *Et rurſus ex Aquila,* Vir, quando blaſphemaverit Deum ſuum, & acceperit iniquitatem ſibi, & denominans nomen Domini, morte moriatur: *docetque cur dixerit,* denominans. *Legenda ſunt, quæ & ipſe, & S. Auguſt. & Theodoretus in hunc locum afferunt, itemque Origenes.* (*i*) Juſtificatio.] δικαίωσις. *Notat Orig. hom.* 11. *hoc modo appellari, quando judicatur qua pœna quis ſit afficiendus.*

CAP. XXV.

(*a*) ET requieſcet.] *S. Auguſt. q. 89. habuit,* & requieverit: idque ei magnam exhibuit moleſtiam. (*b*) Sanctificationis tuæ.] *S. Aug.* vineam ſanctificationis tuæ. *Schol.* Alius inquit, τῆς ναζιραίας, ſeparationis (*flexit enim dictionem hebræam ad græcam declinationem:*) *Samariticus,* τῶν χέρσων, ſolitudinum: *videtur autem idem ſignificare, id eſt, quam ſepoſuiſti Deo eique ſoli dicaſti. Iſychius,* uvas primitiarum, ſive, *ut LXX* uvam ſanctificationis. (*c*) Eſcæ.] *Apud S. Auguſt. legitur,* ſancta; *ſed ex ea, quam affert, explanatione apparet erratum eſſe librarii. In editione Plantiniana ad marginem eſt,* eſca. (*d*) Requietes.] *Iſychius,* Sabbata autem pro requie reliqui interpretum ediderunt. (*e*) Familiam.] εἰς τὴν πατριὰν αὐτοῦ. *Sic vetuſti codices, & Cyrillus. Alij libri habent,* εἰς τὴν πατρίδα, in patriam. *Iſychius,* vel ſicut, *LXX* ad patriam ſuam. (*f*) Redibit rurſus.] ἐπανελεύσεται. *In alijs additur,* ἕκαστος, unuſquiſque. *In aliquo eſt,* ἐπανελεύσετε ἕκαστος, redibitis unuſquiſque. Si autem vendideris, ἐὰν δὲ ἀποδῷ, *& valet idem atque,* ἀποδῷς, *quod in Compl.* Sic vendet.] οὕτως ἀποδώσεται, *ut quod proxime antecedit,* numerum fructuum ſuorum, *videatur valere,* juxta numerum. *In aliis libris eſt,* οὗτος, hic, *in aliis,* αὐτὸς, ipſe. (*i*) In confirmationem.] εἰς βεβαίωσιν. *S. Auguſt. q. 90. hanc etiam lectionem agnoſcit; ſed ipſe illam primo attulit,* in prophanationem.] *quaſi græce legeretur* βεβήλωσιν. *& utranque lectionem explanat.* (*k*) Redemptionem.] *Idem q. 91. & 92. hanc lectionem teſtatur item in aliis cod. haberi, licet in ſuo fuerit,* mercedem. (*l*) Inopia laboret.] *Iſychius,* Aquila, ſi exciderit, Symmachus, ſi humiliatus fuerit, ediderunt. (*m*) Propinquus.] ὁ ἀγχιστεύων, *Schol.* Samariticus, λυτρωτής, redemptor. Interpretum Chaldæorum alter habet פרקה, alter פריקה: utrumque valet redemptor ejus. λυτρωτὴς αὐτοῦ. Septuaginta maluerunt ὁ ἀγχιστεύων, & eos ſequendo Hieron. propinquus ejus. *Druſ.* (*n*) Redemptio ejus.] *Iſychius videtur legiſſe ex LXX* Diurna erit redemptio ejus. (*o*) Ipſarum.] *vel* ipſorum, αὐτῶν, *quod tamen abeſt ab aliis libris. Teſtatur autem Iſychius, quod LXX dixerunt,* & quicunque rediment a Levitis, *Symmachum, & Aquilam, dicere,* quicunque affinis eſt de Levitis. (*p*) Paupertate.] *Iſychius, ex Aquila,* Si exciderit frater tuus, & culpaverit manus ejus tecum. (*q*) Remiſſione.] *Alii,* ἐν τῇ ἀφέσει, in remiſſione. *In hebræo, & vulgata neutrum eſt.* (*r*) Poſſeſſi.] κατόχιμοι. *S. Auguſt. in locut.* in poſſeſſione. (*ſ*) Diſtendet.] *Schol.* Alius inquit, οὐ παιδεύσει ἐν αὐτῷ ἐμπαιγμῷ, non adhibebit diſciplinam in eum ludibrio. (*t*) Computabit.] *Iſychius, ex Aquila,* ſupputabit cum eo, qui poſſedit eum; *ex Theodotione,* tractabit cum eo, qui acquiſivit eum. (*u*) Mercenarii.] *Schol. Alius inquit,* καθάπερ μισθὸς τοῦ μισθωτοῦ, ſicut merces mercenarii. *Verum in aliis libris eſt,* ὡς ἡμέρα μισθίου, *ſeu,* μισθωτοῦ, ſicut dies mercenarii. *Et Iſychius,* ſive ſecundum LXX, erit pecunia venditionis ejus, anno ſicut dies mercenarii erit cum eo.

CAP. XXVI.

(*a*) ET bellum non pertranſibit per terram veſtram.] *Origenes, & Compl. hæc habent paulo inferius, nimirum poſt illa* & exterminabo beſtias malas de terra veſtra, *quemadmodum & vulgata. Iſychius, apud LXX eundem ordinem agnoſcit quem habet noſtra editio.* (*b*) Quinque centum.] *Iſychius,* ſive, ut LXX quinquaginta, centum quinquaginta. (*c*) Ponam tabernaculum.] *Sic Interpr. Orig. & S. Auguſt. Iſychius autem,* Vel, ſicut LXX, conſtituam teſtamentum meum vobiſcum. (*d*) Non faciatis.] *Iſychius,* Planius Aquila, & Theodotio, & Symmach. ediſſe inveniuntur Nam ille quidem ait, ſi conſtituta mea reprobaveritis: illi autem, ſi ſubtilitates meas, id eſt, agri viam, (*legendum eſt,* ἀκρίβειαν,) renueritis. (*e*) Super vos.] *In Compl. additur* σπουδῇ, velociter: *ſicut habet vulgata.* (*f*) Conſumentem.] *In Compl. eſt,* σφακελίζοντας, *& Iſychius, ex LXX,* Scabiem & morbum regium conſumentes oculos veſtros. *Sed idem paulo poſt,* & ardorem, ſive, ἴκτερον, conficientem, oculos eorum, & animas conſumentem eis dedit. *Sch. Alius inquit,* συντελοῦντα ἴκτερον, conficientem, obcæcantē. (*g*) Perſequentur.] *Iſychius, ex Sym.* in ſervitutē redigent vos, *ex Theodotione, non ſine mendo,* erudiunt a vobis. (*h*) Caſtigare vos.] *Compl. addit,* plagis; *Sed non S. Aug. in locut.* (*i*) Mitto.] ἀποστέλλω. *Alii* ἀποστελῶ, mittam. (*k*) Faciam.] *Compl.* ποιήσει, faciet. (*l*) Furore obliquo] *Schol. Alius* ἐναντιώσει, ex adverſo. *Samariticus,* ἐμφιλονείκως, dure, & pertinaciter. (*m*) Bene ſentiet.] *Ita S. Auguſt. q. 94. quod græce eſt* εὐδοκήσει, *id eſt,* chara habebit: *multa enim intelliget carendo, quæ fruendo non intelligebat.* (*n*) Servitutem.] δουλείαν. *Alii codices,* δειλίαν, *& S Auguſt. ibidem,* formidinem. (*o*) Vox.] *S. Auguſt.* ſonus. (*p*) Incircumciſum.] *Schol. Samariticus,* ἡ ἀκρόβυστος, præputiatum. (*q*) Bene ſentient.] *Iſychius, ſive, ut LXX.* & peccata ſua placita habebunt, id eſt, pœnas, quas patiuntur pro peccatis. (*r*) Accipient.] *Schol.* Samariticus, ἱλάσονται, expiabunt.

CAP. XXVII.

(*a*) TAnquam pretium.] ὥστε τιμήν. *Compl.* εἰς τιμὴν, in pretium. *Theodoretus q. 38.* ὥστε δοῦναι τιμὴν, ad dandum pretium. *Iſychius, vel, ſicut LXX,* honorem animæ ſuæ Domino. *Teſtatur autem, pro eo quod dictum eſt,* votum fecerit, *Aquilam, & Theodotionem ediſſe,* ſi ſuperaverit. *Alij ex hebræo vertunt,* ſeparaverit. (*b*) Inter bonam, & malam.] *Schol.* Samariticus, καὶ διατιμήσεται αὐτὴν ὁ ἱερεὺς, εἴτε καλὴ, εἴτε σαπρά. & æſtimabit eam ſacerdos, ſive bona, ſive putris. (*c*) Sanctificavit eam.] *Iſychius, ex Aquila,* ſi ſanctificans ad finem fecerit. (*d*) Ab anno remiſſionis.] *Eſt notanda iſta locutio, itemque ea quæ paulo poſt ſequitur,* ultimo poſt remiſſionem: *nam hæc ſignificat,* ab inchoatione anni remiſſionis, *ſequens autem,* poſt remiſſionem: *ut illud,* ἔσχατον, *nihil faciat ad ſenſum, ſed efficacius exprimat.* (*e*) Conſecratio.] *Alii retinent verbum græcum anathema. Docet autem Iſychius differre anathema a ſanctificatione. Nam, quæ ſanctificata ſunt, redimi poſſunt: quæ autem anathemati ſubjecta, non poſſunt. Sunt tamen, qui multum differre credant,* ἀνάθεμα, *&* ἀνάθημα. *Sed in codice Vaticano idem eſt,* ἀνάθεμα, *atque* ἀνάθημα.

NUMERI.

CAP. I.

(*a*) PRincipium.] ἀρχὴν, *quo nomine ſignificatur etiam ſumma: ſicut apud hebræos eodem nomine ſignificatur caput, & ſumma.* (*b*) Secundum caput eorum. Omnis maſculus.] *In Compl. eſt,* πᾶν ἄρσεν κατὰ κεφαλὴν αὐτῶν, omne maſculinum per caput ipſorum. *& reſpondet hebræo.* (*c*) Evocati.] ἐπίκλητοι, *quod etiam ſignificat electos, & nobiles: ac ſimilis multiplicitas notionis eſt etiam in dictione hebræa.* (*d*) Chiliarchi.] *Notat* S. *Auguſt. q.* 1. *hos ab alijs eſſe vocatos tribunos: non eoſdem autem plane eſſe atque eos, quorum mentio fit in Exodo. Nam illorum unuſquiſque erat mille hominum princeps: iſtorum autem unuſquiſque millium princeps.* (*e*) Recenſuerunt.] ἐπηξονοῦσαν. ἄξονες, *olim dicebantur tabulæ publicæ: unde factum videtur,* ἐπαξονοῦν, *atque idem valere, ac cenſere, & referre numerum cenſumque in publicas tabulas. Dictum eſt autem,* ἐπηξονοῦσαν, *eodem modo quo Geneſ. 6.* ἐγγυνῶσαν. *Alij codices partim habent* ἐπεσκέψαντο, recognoverunt, *partim,* ἐπεσκέπησαν, recogniti ſunt. *Recognitionis nomine utitur* S. *Auguſt. pro* ἐπισκέψει, *quæ ſolet etiam verti viſitatio, & numeratio, ut apud interp. Origenis.* (*f*) Filiis Symeon.] *De hac locut.* S. *Auguſt. in locut.* (*g*) Filiis Juda.] *In Compl. ponuntur filij Gad ante filios Juda, ut reſpondeat hebræo.*

CAP. II.

(*a*) ORdines.] τάγματα. *Compl.* τάγμα, ordo.

CAP. III.

(*a*) CUſtodias.] *Teſtatur* S. *Aug. q.* 4. *verbum græcum,* φυλακὰς, *quoſdam ita eſſe interpretatos, quoſdam vero, excubias: ipſe putat rectè verti vigilias: ibique de hac re diſputat.* (*b*) Alienigena.] *Quis ſit intelligendus,* ἀλλογενὴς, S. *Auguſt. q.* 3. *&* 5. (*c*) Gedſon.] *Alij codices,* γηρσὼν, *& interp. Origenis* Gerſon, *ut vulgata.*

CAP. IV.

(*a*) SUme caput.] λάβε τὸ κεφάλαιον. *Interp. Origenis homil.* 5. accipiat numerum. *Alii vertunt,* accipe ſummam. *Nam quod diximus de vocabulo* ἀρχὴ, *idem dicendum eſt de* κεφάλαιον. (*b*) A vginti, & quinque.] *Ita etiam Origenes. Vulgata, ut hebræus, & chaldæus,* a trigeſimo. (*c*) Caath.] *ita & alius liber vetus, & Cyrillus de ador. & Compl. & reſpondet hebræo. In aliis additur,* ἐκ μέσου υἱῶν Λευὶ κατὰ δήμους αὐτῶν κατ᾽ οἴκους πατριῶν αὐτῶν. *Interpr. Origenis.* Poſt hæc dicitur, quæ ſint opera filiorum

Caath in medio filiorum Levi ſecundum plebes ſuas in tabernaculo teſtimonij. (*d*) Trajicient per eam.] *Ita alius liber vetus, & Cyrillus In aliis eſt*, ϗ διεμβαλοῦσι τοὺς ἀναφορεῖς αὐτῆς, & trajicient geſtatoria ejus. (*e*) Adoperient.] ἐπικαλύψουσιν. *Alii, & Compl.* ἀποθήσουσιν. *Sed S. Auguſt. quæſt. 8. habet ut noſtra: eamque locutionem interpretatur.* (*f*) Opertorium.] *Etiam Compl. hoc loco habet*, τ καλυπτῆρα, *ſed non poſt tres abhinc lineas. Vulgata hic habet*, & altare mundabunt cinere, *ibi autem*, uncinos, & batylla. (*g*) Et ſument.] *Hæc uſque ad*, & conſummabunt, *abſunt a Compl. ut a vulgata. Sed Origenes*, ſeptimo in loco operitur labrum, *&c.* (*h*) De tribu.] *Interp. Origenis, eadem hom. 5. & 6.* nolite exterminare de tribu ſua plebem Caath: *ſed exterminare de tribu, videtur idem ſignificare, ac ſi diceretur, facere ut non ſit tribus, id eſt, perdere ipſam: quo fere modo habet vulgata.* (*i*) Accedentibus ipſis ad ſancta ſanctorum.] *Hæc ab interp. Origenis videntur conjungi cum ſuperioribus, quemadmodum & in vulgata. Alii præponunt punctum, & conjungunt cum ſequentibus.* (*k*) Cooperimentum.] *Schol.* ϗ δέρματα ὑακίνθινα, & pelles hyacinthinas. Sic & LXX. Latina Vulgata *Janthina.* 1. purpurea aut violacea. Lectio varians, Jacinthina. *Ezec.* 16. תחש *A. Symm.* ἰάνθινον, *alias* ἄνθινον, *i.* floribus diſtinctum. *Oncelos* & *Jonathan* סמוינא. *R. David* in libro radicum. Doctores noſtri piæ memoriæ dixerunt תחש Moſis ævo animal fuiſſe mundum varii coloris, unde Targum *Onceli* ששגונא illud appellat quaſi geſtiens & gaudens de coloribus multis quibus pollet: in alio loco tradunt ſex colores habuiſſe, indeque ששגונא dici. *Druſ.* (*l*) Operimentum.] *Schol.* Samariticus, ἐπίσπαστρον, *quæ dictio in aliquot editiones vulgatas irrepſit, & valet* velum *vel* tentorium: *in quibus etiam, ut in vulgata, antecedit, quod in noſtra ſequitur*, ϗ τὰ ἱστία τ αὐλῆς, & tentoria atrii. (*m*) Capitella.] κεφαλίδας. *ubi vulgata*, tabulas. (*n*) Et cooperimentum, & baſes earum, & columnæ earum & cooperimentum oſtii tabernaculi.] *Hæc, ut a vulgata, ita abſunt a Compl. & certe apparet coacervatio quædam.*

CAP. V.

(*a*) AB omnibus peccatis humanis.] *Ita S. Auguſt. in locut. & q. 10. ubi etiam explicat, quid ſit peccatum humanum; quemadmodum & Theodoretus q. 9.* (*b*) Anima illa.] *Optime poſſunt hæc conjungi cum præcedentibus, & congruenter hebræo. S. Auguſt. tamen ibidem conjungit cum ſequentibus.* (*c*) Proximus.] *Ita S. Auguſt. q. 9. græce eſt*, ὁ ἀγχιστεύων, *ac valet etiam, redimens, & qui habet jus perſequendi: quales ſunt propinqui. Legendus Theodoretus q. eadem.* (*d*) Aqua argutionis.] τὸ ὕδωρ τοῦ ἐλεγμοῦ τοῦ ἐπικαταρωμένου τούτου. *Ita & alius liber vetus, & Theodoretus quæſt. 10. Alii codices*, τὸ ἐπικαταρώμενον τοῦτο. *Et S. Auguſt. in locut.* erit aqua argutionis, quæ maledicitur hæc: *& inquit ita potuiſſe uſitate dici*, erit aqua argutionis hæc, quæ maledicitur. *Verum in hoc eodem capite non ſemel in omnibus codicibus uterque locutionis modus repetitur; ut dicatur & aqua maledicta, & argutio maledicta.* (*e*) Execramentum.] *S. Auguſt. q. 11. in execramentum, & habet, ut etiam Theodoretus*, ἐνόρκιον, *eamque dictionem explanat. Compl.* ἐν ὅρκῳ, in juramentum. (*f*) Inflabitur.] *Sic S. Auguſt. in locut. Poſſet autem verti etiam, ut paulo ſuperius fecimus*, dirumpetur.

CAP. VI.

(*a*) MAgne voverit.] *Sic S. Aug. in locut. Alij ex hebræo vertunt*, Cum mirificaverit vovendo votum. (*b*) Votum ſuum.] *Alij codices, & Compl.* τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ, caput ſuum. *Sed noſtra retinuit hebraiſmum. Nam in hebræo eſt*, poſtquam raſus fuerit Nazareatus ejus.

CAP. VII.

(*a*) REcognitione.] *De hac dictione jam notatum eſt. Schol.* Alius, ἀριθμήσεως τοῦ λαοῦ, numeratione populi. (*b*) Vehicula lampenica.] ἁμάξας λαμπηνικάς. *Schol.* Alius interpretatur, κατασκευαστάς, ædificatas, & apparatas: Aquila, σκεπαστάς, tecta: Samariticus autem habet, δυνάμεως, valida. Euſeb. Emiſſ. ἁμάξας λαμπηνικάς, dicit, τὰς διτρόχους, quæ rotis ad diſcurrendum aguntur, quæ nonnulli vocant, ζυγώτια. *S. Auguſt. in locut.* vehicula tecta. *Vulgata*, plauſtra tecta. λαμπήνη apud Pollucem recenſetur in cenſu vehiculorum. Suidas λαπήνη ſcribit. Stephanus opinatur utrobique mendum eſſe: ſed falſo. *Druſ.* (*c*) Princeps unus quotidie, princeps quotidie.] *S. Auguſt. in locut.* pro eo, ut diceret, ſingulis diebus ſinguli principes. *Ac ſane, quod græce eſt*, καθ' ἡμέραν, *poteſt etiam verti*, in diem, *aut* per diem. (*d*) Anniculi.] *Abeſt hæc dictio a Compl. ſed in hebræo eſt dictio, cui poſſit reſpondere: a quo hebræo potius abeſt illud, quod ſequitur*, immaculatæ. (*e*) Poſtquam implevit manus ſuas, & poſtquam unxit eum.] *In Compl. tantum eſt*, μετὰ τὸ χρῖσαι αὐτό, poſtquam unxit illud. *Sed potuit dici*, αὐτόν, *pro* αὐτό, *quoniam altare in hebræo eſt maſculini generis, ut alibi notatum eſt.*

CAP. VIII.

(*a*) ACcedens.] *Ita plerique libri veteres. In aliis quibuſdam additur*, τῶν υἱῶν ἰσραήλ. *Et S. Auguſt. in locut.* Et non erit in filiis Iſrael accedens filiorum Iſrael ad ſancta. (*b*) Hoc eſt, quod de Levitis.] *S. Auguſt. q. 13.* Hoc eſt de Levitis: Hoc alii interpretes interpretati ſunt, hæc eſt lex de Levitis, &c. (*c*) Operari.] *Alii codices, & Cyrillus lib. 5. de adoratione*, λειτουργεῖν λειτουργίαν ἐν ἔργοις. *& S. Auguſt. q. 14.* miniſtrare in miniſterium in operibus. (*d*) Cuſtodire.] *Ita S. Auguſt. ibidem: notatque hæc eſſe intelligenda de quinquagenario, illa autem proxime antecedentia*, & miniſtrabit frater ejus, *per hyperbaton eſſe interiecta. Sed Compl. habet*, ϗ λειτουργήσει μετὰ ἀδελφῶν αὐτοῦ ἐν τῇ σκηνῇ τοῦ μαρτυρίου φυλάσσειν τὰς φυλακάς, & miniſtrabit cum fratribus ſuis in tabernaculo teſtimonii cuſtodiendo cuſtodias: *quod reſpondet hebræo.*

CAP. IX.

(*a*) HOmo.] *S. Auguſt. in locut.* homo, homo. (*b*) Domum teſtimonii.] *Ita & alius liber vetus. & Cyrillus lib. 5. de adoratione, & S. Auguſt. q. 16. Nonnulli*, ϗ τὸν οἶκον, & domum. (*c*) Collocabunt.] *Notat S. Auguſt. ibidem hanc locutionem: in qua narrator rerum geſtarum utitur verbis temporis futuri.* (*d*) Protraxerit.] *S. Auguſt.* protexerit. (*e*) Menſe diei.] *Sic plerique libri. In Compl. eſt*, vel menſe. *In nonnullis, & apud Cyrillum lib. 5. ſic legitur*, ϗ ἐὰν ἀναβῇ ἡ νεφέλη ἀπαροῦσιν ἡμέρας, ἢ μηνός. *S. Auguſt.* & cum ſic aſcenderit nubes; promovebunt die, vel menſe, &c. *Legenda diligenter ſunt quæ in hoc loco afferuntur à S. Auguſt. quamvis ſubeſſe poſſit mendum aliquod, quod ex collatione cum hebræo & alia interpunctione tolli poſſet.*

CAP. X.

(*a*) SYnagoga.] *Ita etiam alius liber vetus, & Cyrillus. In aliis additur*, πρὸς σέ, ad te. (*b*) In una.] *Ita & alius liber vetus, & Cyrillus in 5. de adoratione. Alii* μιᾷ σάλπιγγι σαλπίσωσι, una tuba cecinerint. (*c*) Duces] ἀρχηγοί. *Ita & alius liber vetus, & Cyril. Alii* ϗ χιλίαρχοι, & chiliarchi. (*d*) Congregabitis.] *Sic viſum eſt ſatis aptam reddi ſententiam; quamvis S. Aug. q. 17. habeat;* Et cum congregaveritis ſynagogã, tuba canetis, & non in ſigno, *eaque verba ingenioſe interpretetur. Omnino*, σημασία *videtur ſignificare certam ſoni ſpeciem, quam alii ex hebræo dixerunt ovationem, alii ululationem. Legendus Theodor. q. 15.* (*e*) Obab.] *S. Auguſt in locut.* Obeth filio Raguel Madianitæ genero Moyſi. *Theodoretus q. 16. putat Jobab fuiſſe filium Raguelis, qui idem ſit, ac Jothor.* (*f*) Et nubes.] *Hæc uſque in finem in Compl. habentur paulo ſuperius, nimirum, ubi in vulgata.*

CAP. XI.

(*a*) COriandri.] κορίου. *Schol.* ceteri, βδελλίου, Bdellii. *Quamvis putem hanc varietatem potius pertinere ad illud ſequens*, cryſtalli. *Nam & eo loco habet vulgata, & ceteri, qui ex hebræo.* (*b*) Ex oleo.] *Schol.* Alius, ἐκ μέλιτος, ex melle. *Aquila, & Symm.* μαστοῦ ἔλαιον, μαστοῦ εἰς λίπος, mammæ oleum (*id eſt, recens; ut puto*) mammæ in pinguedine. (*c*) Gravius eſt mihi.] *id eſt, grave eſt præ me, & facultate mea quod habet hebræus. In aliis libris eſt* βαρύ μοι, grave mihi. (*d*) In choleram.] *Theodoretus q. 19.* Vel, ut Symm. εἰς ἀπεψίαν, cruditatem. ἡ γὰρ ἀδηφαγία τὴν νόσον ἐπήγαγε, ϗ πολλοῖς τὸν θάνατον ἡ θεήλατος πληγή. Nam edacitas morbum attulit, & multis mortem divinitus illata plaga. (*e*) Omne edulium.] πᾶν τὸ ὄψος, *aut*, ὄψον, *ut alii. S. Auguſt. q. 19.* omnis piſcis. (*f*) Si ſuper comprehendet] εἰ ἐπικαταλήψεται. *Ita & alius liber vetus, & Theodoretus: ac poſſet etiam reddi*, ſi antevertet. *In aliis codicibus eſt*, ἐπεὶ καταλήψεταί σε, quoniam comprehendet te, quoniam continget tibi. (*g*) Adjecerunt.] *Ita fere vertit Sanctes ex hebræo: & de hac ſententia diſputat Theodoretus q. 20. Vulgata, & Chaldæus*, nec ultra ceſſaverunt. (*h*) Electus ille.] ὁ ἐκλεκτός. *Ita etiam Theodoretus. Plerique codices habent*, ὁ ἐκλεκτὸς αὐτοῦ. electus ejus. (*i*) Domine Moyſes.] *Ita etiam Theodoretus. Alii*, κύριέ μου, Domine mi. (*k*) Nunquid æmularis me?] μὴ ζηλοῖς σὺ ἐμέ; *In aliis, & apud Theodoretum eſt*, σύ μοι, *& ſine interrogatione*: ne æmuleris tu mihi, *id eſt*, pro me. (*l*) Tranſtulit coturnicem.] ἐξεπέρασεν ὀρτυγομήτραν. *In nonnullis codicibus eſt*, ἐξεπέτασεν, evolare fecit. *De ortygometra autem alibi notatum eſt.* (*m*) Dominus plagam.] *Sic S. Auguſt. in locut. In aliis libris partim eſt*, κύριος ἐν τῷ λαῷ πληγήν, *partim*, τὸν λαὸν πληγῇ, Dominus in populo plagam, *aut* populum plaga.

CAP. XII.

(*a*) FUroris.] *Sic Interpr. Origenis, quod græce eſt*, θυμοῦ. *S. Auguſt. in locut.* animationis, *quæ dictio familiaris eſt etiam S. Cypriano. Quod autem ſequitur*, & abiit, *longe melius eſt, quam quod apud Interpr. Orig. & in Compl. & aliis*, ϗ ἀπῆλθον, & abierunt.

CAP. XIII.

(*a*) AScendemus.] ἀναβησόμεθα, ϗ κατακληρονομήσομεν. *In aliis eſt*, ἀναβησώμεθα ϗ κατακληρονομήσωμεν, aſcendamus, & poſſideamus: *quod habet vulgata. A qua etiam, ſicut ab hebræo abeſt illud proxime præcedens*, nequaquam. (*b*) Pavorem] ἔκστασιν. *S. Aug. q. 22.* Pavorem terræ dixit, non quod paveat eadem terra, ſed quem ex ea terra conceperant. *Schol.* Samariticus, ὄνειδος κατὰ τῆς γῆς, infamiam contra terram. (*c*) Eorum.] *Compl.* ἡμῶν, noſtro: *quod reſpondet hebræo & chaldæo: quamvis idem poſſit etiam ſignificari dictione* αὐτῶν.

CAP. XIV.

(*a*) SI mortui.] *A Compl. abeſt illud* εἰ, *quod tamen ut alibi, valet idem atque* vtinam; *quod etiam in vulgata repetitur.* (*b*) Et domum patris ſui.] *Ita etiam Interpr. Origenis homil. 8. Abſunt autem à Complutenſi, quemadmodum & à vulgata.* (*c*) Et vivens nomen meum.] *Item iſta. In aliquo autem libro eſt*, ϗ ἀεὶ ζῶν, & ſemper vivens. *Apud Theodoretum quæſt. 27.* ϗ ζῇ, & vivit: *ubi etiam notat ceteros interpretes dixiſſe*, ὅτι ἐμπλήσει, quoniam implebit. (*d*) Mare rubrum.] *Supplendum eſt, ut ſæpe alibi*, juxta, *aut hujuſmodi quiddam: In Compl. eſt* θαλάσσης ἐρυθρᾶς, maris rubri. (*e*) Et obſecutus eſt.] *S. Auguſt in locut*, & aſſecutus eſt me, & inducam. *Et in aliquot quidem codicibus eſt*, καὶ εἰσάξω. (*f*) Quam vos.] *Notat iſtam locutionem S. Auguſt. in locut.* (*g*) Reportabunt.] ἀνοίσουσι. *Schol.* Alius, βαστάζοντες, portantes. (*h*) Diem anno.] *Subintelligitur* pro, *ſicut etiam in hebræo. Interpr. Orig.* pro die per annum. (*i*) Et reverſi ſunt in caſtra.] *Iſta etiam abſunt à Compl. ut à vulgata.*

CAP.

CAP. XV.

(*a*) ET facies holocauſtomata.] *In aliis libris eſt*, καὶ ποιήσετε καρπώματα (*al.* κάρπωμα) κυρίῳ, ἢ ὁλοκαύτωμα ἢ θυσίαν, & facietis oblationes (*al.* oblationem,) Domino, vel holocauſtum, vel ſacrificium. (*b*) Facies tantum.] *Hæc uſque ad*, & arieti, *abſunt a Compl. ut a vulgata.* (*c*) Synagoga Domino.] *Sic ſi interpungatur, viſum eſt ſatis reſpondere hebræo.* (*d*) Per omnem Synagogam.] κατὰ πᾶσαν συναγωγήν. *In aliis eſt*, πάσῃ συναγωγῇ, omni ſynagogæ. (*e*) Exorare pro eo.] *Alij libri addunt*, καὶ ἀφεθήσεται αὐτῷ. *Apud S. Auguſt. totus hic locus ſic refertur in locut.* Si autem anima una peccaverit non ſponte, offeres capram unam anniculam pro peccato: & exorabit ſacerdos pro anima invita, & quæ peccaverat nolenter ante Dominum, exorare pro eo, & remittetur ei, *ubi etiam diligenter eum explanat.* (*f*) Superbiæ.] *Ita etiam S. Auguſt. in locut. Theodoretus q. 30. habet* ὑπερηφανίαν, ſuperbiam. *Itemque Baſilius de judicio Dei: ſed ex explanatione quam affert, ſatis apparet eum legiſſe*, ὑπερηφανίας. (*g*) Exacerbabit.] παροξυνεῖ. *Alii* παροξύνει, καὶ. *Et S. Auguſt. q. 25.* exacerbat, &c. (*h*) Sabbatorum.] *Alii* τοῦ σαββάτου, Sabbati, *itemque paulo poſt.*

CAP. XVI.

(*a*) ET dixerunt. Sufficiat.] *In aliis eſt*, καὶ εἶπον πρὸς αὐτούς. ἐχέτω. & dixerunt ad eos. Sufficiat. *Aquila, & Theodotio pro* ἐχέτω *dixerunt* πολύ, multum, *id eſt ſatis ſuperque vobis ſit.* (*b*) Novit.] ἔγνω. *Sic & alius liber vetus, & S. Paulus 2. Timoth. 2. In aliis eſt*, ἐπέγνω, recognovit. *Vulgata ex hebræo habet*, mane notum faciet. (*c*) Sufficiat.] ἱκανούσθω. *Schol.* ἀρκείτω, *eodem ſenſu.* (*d*) Ante tabernaculum.] *In aliis libris eſt*, ἔναντι τῆς συναγωγῆς, coram ſynogoga; *quod reſpondet vulgatæ.* (*e*) Princeps es.] *S. Aug. q. 26.* quoniam præs nobis princeps: & tu in terram, &c. (*f*) Utique abſcidiſti.] ἂν ἐξέκοψας. *à Compl. abeſt illud* ἄν. *S. Auguſt. ibid.* oculos hominum illorum abſcidiſſes, *& diſputat quorum hominum.* (*g*) Confeſtim.] εἰσάπαξ. *Interp. Orig.* Semel. *Sed ſignificat ſubito, & funditus.* (*h*) In viſione.] *S. Auguſt. q. 28.* Quidam interpretati ſunt, in hiatu oſtendit Dominus: credo putantes dictum χάσματι, quod græce poſitum eſt φάσματι, quod pro eo dictum eſt, ac ſi diceretur, in manifeſtatione, quod apertis oculis apparebit. *Illud* χάσματι *inventum eſt in uno antiquo codice, & eſt in multis vulgatis editionibus.* (*i*) Quia dicentes.] ὅτι λέγοντες. *In aliis codicibus partim abeſt illud*, ὅτι, *partim eſt*, ὅτι εἶπαν λέγοντες, quoniam dixerunt dicentes. (*k*) Et ad Eleazarum.] *Ita S. Auguſt. q. 30. In Compl. eſt*, λάλησον πρὸς ἐλεάζαρ, loquere ad Eleazarum, *quod reſpondet vulgatæ.* (*l*) Animabus ſuis.] *S. Auguſt. ibidem*, manibus ſuis, *itemque in locut.* (*ubi tamen ad marginem eſt*, animabus.) *& explanatur locus iſte. Poſſet tamen fortaſſe verti*, Sanctificaverunt ſe in animabus eorum. *Interp. Orig. habet*, quia ſanctificata ſunt. (*m*) Et non erit.] *Interp. Orig.* ne fiat. *S. Cyprianus epiſt. 76.* ut non ſit ſicut Core. (*n*) Vulneratio.] θραῦσις. *Interp. Orig.* vaſtatio, vel certe, ut verius habet ſe ſcripturæ ſermo, confractio: *paulo poſt etiam hujus exemplarium varietatis mentionem facit, Pſal.* 106. θραῦσις *vertitur* quaſſatio.

CAP. XVII.

(*a*) A Me.] *Ita etiam vulgata. In aliis codicibus eſt*, ἀπὸ σοῦ. *& Interp. Orig.* & auferam a te. (*b*) In Domum.] *Sic S. Auguſt. in locut. Interp. Orig.* in domo. (*c*) Nuces.] *Schol.* οἱ λοιποὶ, ἀμύγδαλα. ceteri, amygdala. Sic etiam Hieronym. ante in LXX, erat κάρυα. *i.* nuces; nam in cenſu nucum amygdala. Dicimus autem ἀμύγδαλον & ἀμυγδάλη. Heracleon Epheſius κάρυα ἐκάλουν καὶ τὰς ἀμυγδάλας καὶ τὰ νῦν καστάνεια, nuces vocarunt & amygdalas & caſtaneas; ab hoc nomine verbum eſt apud interpretes ἐξαμυγδαλόω, inſtar amygdalæ torno; de quo alias. *Druſ.*

CAP. XVIII.

(*a*) PAtris tui.] *In aliis cod. ſequitur*, μετὰ σοῦ, *tecum, & ita Interp. Orig. & S. Auguſt. q. 31.* (*b*) Et cuſtodient cuſtodias tuas.] *Apud Origenem videtur abeſſe illud* καὶ, *ac pro* σοῦ, *habuiſſe* αὐτῶν. *Ita enim habet interpres homil.* 10. Et tu, & filii tui tecum in conſpectu tabernaculi teſtimonii obſervabunt cuſtodias ſuas. (*c*) Et non erit.] *In aliis*, καὶ οὐκ ἔσται ἔτι, & non erit ultra. (*d*) Dationem.] *Sic S. Auguſt. in locut. ubi de hoc loco diligenter diſputat.* (*e*) Dationem ſacerdotii.] *Schol.* Samariticus ſic habet, καὶ δόματι δώσω τὰς ἱερατείας ὑμῶν, & datione dabo ſacerdotia veſtra. (*f*) Honorem.] *Sic Interp. Orig. hom.* 11. *quod græce eſt*, γέρας. *Eſt autem quaſi munus quoddam honorarium.* (*g*) Tritici.] *Alii* καὶ σίτου, *& S. Aug. in locut.* & tritici. (*h*) Primogenita.] *S. Auguſt. q. 32. ſic habet, quod græce eſt*, πρωτογεννήματα, *& interpretatur*, primi fructus de terra ſumpti vel de arbore, vel de vite: *ubi etiam declarat quid ſint proprie* πρωτότοκα, *&* ἀπαρχαί. *Nam ubi paulo poſt ſequitur*, primogenita hominum, *ibi eſt*, πρωτότοκα. (*i*) Salis.] *Theodoretus, q. 35.* Teſtamentum ſalis vocat communicationem, &c. (*k*) Eos.] *Ab aliis codicibus abeſt illud* αὐτούς, *quod videtur ſententiam obſcurare.* (*l*) Quod ſanctificatum eſt.] *Proprius ad hebræum, quam quod in Compl. legitur* τῶν ἡγιασμένων, ſanctificatis.

CAP XIX.

(*a* ACcipiant ad te.] *S. Auguſt. in locut. interpretatur*, accipiant, & adducant ad te. (*b*) De ſanguine.] *S. Auguſt. q.* 33. in ſanguine; *ubi vulgata*, tingens digitum in ſanguine. (*c*) Immittent.] *S. Aug. ibidem*, immittet, *quod reſpondet vulgatæ.* (*d*) Suum.] *In aliis libris additur* ὕδατι, aqua: *& ita S. Auguſt.* (*e*) Apponuntur.] *Ita etiam S. Auguſt. In Compl. additur*, ἐν μέσῳ ὑμῶν, in medio veſtri. (*f*) De omni anima.] *S. Auguſt.* Omnis anima hominis immunda erit. (*g*) Vulneratum.] *S. Auguſt: q.* 33. & vulneratum mortuum intelligamus, id eſt, vulnere peremptum. *Ac certe* τραυματίας *ſolet ſcriptura appellare, quos latini dicunt cæſos. Quare nos ea dictione plerumque utimur.* (*h*) Immundo.] *Eſt hebraiſmus, ut ſupra notatum eſt; atque intelligitur*, pro immundo. (*i*) Ejus, quæ combuſta eſt, purificationis.] τῆς κατακεκαυμένης τοῦ ἁγνισμοῦ. *videtur referendum ad juvencam, non ad cinerem, quemadmodum alii faciunt.* (*k*) Et anima, quæ tetigerit, immunda erit.] *Hæc abſunt à Compl. ſed non à S. Auguſt: q. 33. neque ab Hebræo.*

CAP. XX.

(*a*) ISrael.] *In aliquo libro additur* ἐν κατασχέσει, *& S. Auguſt. quæſt.* 39. in poſſeſſionem (*b*) Dimiſſus eſt.] ἀπελύθη. *Notat S. Auguſt. in locut. hoc verbum magis ſonare reſolutionem, quam dimiſſionem. Idem verbum eſt Gen. 15. & alibi.*

CAP. XXI.

(*a*) ANathemabo.] *Sic S. Auguſt. q. 40. quod inquit vulgo ſolitum dici* devotare, *ſicut etiam anathema, devotationem: ac de etymologia iſtius dictionis accurate diſputat.* (*b*) Exhorruit.] *Sic ſolet S. Auguſt. reddere illud* προσώχθισεν. *Aquila*, σικχαίνει, faſtidit. *Symm.* ἐνεκάκησεν, male affecta eſt. (*c*) Super ſignum.] ἐπὶ σημείου, *quod alii verterunt*, pro ſigno, *ut reſponderet vulgatæ: ſicque etiam habet Chaldæus. Sed hebræus videtur ſignificare, ſuper vexillum, & perticam.* (*d*) Et caſtra.] *S. Aug. in locut.* Caſtra collocaverunt in Colgai trans in eremo, hoc eſt in ulteriore eremo. *Et in aliquo cod. pro* ἐκ τοῦ πέραν, *eſt* ἐν τῷ πέραν. *Compl.* παρενέβαλον ἐν αἰεβαρὶμ ἐν τῇ ἐρήμῳ, *quod reſpondet vulgatæ*, fixere tentoria in Jeabarim in ſolitudine. (*e*) Eremo.] *S. Aug. q. 42. habet*, Hermon: *ſed videtur librarii erratum.* (*f*) Moab.] *Ita etiam hebræus: neque aliter vulgata. A S. Auguſt: abeſt iſta dictio. Compl.* ἔστι γὰρ ἀρνὼν ὅρια μωὰβ ἀναμέσον τοῦ ἀμορραίου: eſt enim Arnon limes Moab inter Amorræum. (*g*) Bellum Domini ipſam Zoob.] *S. Aug:* bellum Domini Moab inflammavit, & torrentes Arnon & torrentes conſtituit inhabitare.] *In aliquo libro eſt*, κατοικίαν ἤρ, habitationem Er: *In vulgata ex hebræo eſt*, in libro bellorum Domini: *& cetera etiam non eundem omnino ſenſum præ ſe ferunt.* (*h*) Præcinite illi puteum.] *Vertimus illud* ἐξάρχετε, *quomodo idem verbum redditur Exod. 32. & in Pſal.* 146. Præcinite Domino in confeſſione: *& alibi Interp. Orig.* Initiare illi puteum; *& addit*, Hic eſt ſenſus, Initium, ait, omnium puteum ponite. (*i*) Manthanain.] *Aliquot codices*, μαθαναΐμ, *& Interp. Orig. Mathanain.* (*k*) Janen.] *Alii libri* νάπην, *& Interp. Orig.* in nemus, quod eſt in campo Moab a vertice montis excelſi, qui reſpicit ad faciem deſerti. (*l*) Ceperant.] *In aliis*, ἔλαβε, cepit. (*m*) Ænigmatiſtæ.] *De his Orig. hom. 15. & S. Auguſt. q.* 45.

CAP. XXII.

(*a*) AD occidentem.] *Sic alij verterunt, quod græce eſt*, ἐπὶ δυσμῶν. *Interp. Origen. homil.* 13. ab occidente. *Nos tamen ſuſpicamur, ex hebræo, hoc valere*, ſuper loca demiſſa, & campeſtria. (*b*) Prævalet hic, quam nos, ſi poterimus.] *Eſt hebraiſmus uſitatus. In aliis libris eſt*, ὅτι ἰσχυρότερός μου ἐστὶν, εἰ ἄρα δυνήσομαι. *Interp. Orig.* quia fortior eſt hic quam nos: ſi forte poſſimus. (*c*) Divinationis.] *Interp. Origen. divinacula: græce eſt*, τὰ μαντεῖα. *Ut pœna peccati dicitur peccatum; ita præmium divinationis videtur appellata eſſe divinatio. Multa de hac re Origenes, & S. Auguſt. q.* 47. (*d*) Ad dominum veſtrum.] *Alij* πρὸς τὴν γῆν ὑμῶν, in terram veſtram, *ut vulgata.* (*e*) Faciendo.] *S. Auguſt*: nec facere. (*f*) Differre.] διαβαλεῖν. *Alii*, ἐνδιαβάλλειν. *S. Auguſt. q.* 49. διαβάλλειν, *& habet*, differre in via: *diſputatque, quomodo ſatis apte potuerit verti*, differre, *& paulo poſt*, διαβολήν, dilationem. (*g*) Sua.] *Abeſt à multis codicibus, & S. Auguſt. q.* 50. (*h*) Manu.] *S. Auguſt*: manu mea, *& in aliquot codicibus additur* μου. (*i*) Facie ſua.] *Reſpondet hebræo. Compl. non habet* αὐτοῦ. (*k*) Urbana.] ἀστεία. *Alii vertunt*, regalis. *Vulgata*, quia perverſa eſt via tua. (*l*) Satisfaciet.] ἀρκέσει. *In aliis eſt*, ἀρέσκει, placet. (*m*) Hoc loquar.] *Reſpondet hebræo. In Compl. eſt.* τοῦτο φυλάξω λαλῆσαι, *hoc obſervabo loqui.* (*n*) Platearum.] *Ita multi reddunt dictionem hebræam: nec videtur abeſſe à notione dictionis græcæ* ἐπαύλεων. *Alii vertunt*, diverſoriolum. *Vulgata*, urbem, quæ in extremis regni ejus finibus erat. (*o*) Statuam.] τὴν στήλην. *Alii* columnam. *Vulgata*, excelſa. *Tertullianus vocat* ſtaticulum.

CAP. XXIII.

(*a*) ET aſtitit Balac ſuper ſacrificium ſuum: & Balaam ivit interrogare Deum.] *Hæc abſunt a Compl. ut a vulgata.* (*b*) Iſtorum.] τούτων. *Compl.* τοῦτο, hoc. *Interp. Origenis ſæpe repetit*, juſtorum. (*c*) Deus ſuſpenditur.] *Ita S. Cyprianus lib. 2. adverſus Judæos. Schol.* διαρτηθῆναι, τοῦτ' ἔστι, σαλευθῆναι. τὰ γὰρ κρεμάμενα σαλεύονται. hoc eſt commoveri, & fluctuare. Nam quæ ſuſpenduntur, commoventur, & fluctuant. *Hanc eandem lectionem habet Theodoretus q. 43. quamvis interpres ſuo modo tranſtulerit. Conſiderandum tamen eſt, an iſtud etiam ſignificari poſſit non eſſe Deum tanquam hominem, qui ſuſpendatur, id eſt cohibeatur, ac retardetur, quo minus conſilia ſua ad exitum perducat. In Compl. eſt*, διαψεύσασθαι. *Philo lib. 1. de vita Moyſis*, οὐχ ὡς ἄνθρωπος διαψευσθῆναι δύναται οὐδ' ὡς υἱὸς ἀνθρώπου μετανοεῖ. Non ſicut homo mentiri aut falli poteſt; neque ſicut filium hominis, eum pœnitet. *Interp. Orig. homil.* 16. Non ſicut homo Deus fruſtratur, neque ſicut filius hominis, terretur ipſe: *& paulo poſt*, Non ergo Deus, ſicut homo, qui fruſtra loquatur: neque, ſicut filius hominis, terretur: vel (ſicut in aliis exemplaribus legimus) neque, ſicut filius hominis, terret, *& utrumque explanat Judith 8.* ὅτι οὐχ ὡς ἄνθρωπος, ὁ θεὸς, ἀπειληθῆναι, οὐδ' ὡς υἱὸς ἀνθρώπου, διαιτηθῆναι. quoniam non ſicut homo, Deus, ut minis terreat, (*aut*, terreatur,) neque, ſicut filius hominis, ut judicetur. (*c*) Avertam.] *Interp. Orig.* avertam eam, *id eſt, benedictionem.* (*d*) In eo.] *Idem*, præclara principum cum ipſo ſunt.

CAP.

CAP. XXIV.

(*a*) SIcut conſuetum ei erat.] κατὰ τὸ εἰωθὸς αὐτῷ. *A Compl. abeſt illud* αὐτῷ. *Interp. Origen. homil.* 17. ex more. (*b*) Gog regnum.] ἡ γὼγ βασιλεία. *Ita Euſebius 9. demonſtr. cap. 3. In aliquo codice eſt* ἡ γώγ. *& in manuſc. S. Cypr. 2. teſtim.* quàm Gog. *Apud Origenem latine legitur*, exaltabitur Gog regnum ejus: *atque exponiur* Gog, id eſt, ſuper tecta. *apud Theodoretum q.* 43. ὢγ βασιλεία αὐτοῦ, Og regnum ejus. *Compl.* ἡ ψὼχ βασιλεία. Pſoch regnum *Diodorus*. Samariticus, καὶ ὑψωθήσεται ὑπὲρ γὼγ βασιλεὺς αὐτοῦ, & exaltabitur ſuper Gog rex ejus. *Idem videtur referre Theodoretus q.* 43. *ex Symmacho: ſed habet*, ὑπὲρ ὤγ, ſuper Og. Nota γὼγ hic legi pro ἀγὰγ. i. אגג. Alioqui vocabulo Gog ſignificatur gens Scythica, quæ hodie a Turcis Giok ſive Kioc dicitur: unde Kioc Chan, qui alibi Gogkan. *Theodoretus*, γὼγ ἢ μαγὼγ φασὶν εἶναι ταῦτα σκυθικὰ γένη. *Hujus mentio aliquoties in Ezeciele.* Druſ. (*c*) Ab altiſſimo.] ἐπιστήμην παρὰ ὑψίστου. *Ab aliquo libro abeſt illud* παρά. *& Interp. Orig.* ſcientiam excelſi, *quod reſpondet vulgatæ.* (*d*) Oſtendam ei.] *Interp. Orig.* In aliis quidem exemplaribus legimus, videbo eum, ſed non modo. (*e*) Beatifico.] *Compl.* μακαρίσω, *& Interp. Orig.* beatificabo. (*f*) Homo.] *Sym.* σκῆπτρον, ſceptrum. (*g*) Percutiet.] *Interp. Orig.* vaſtabit. ***Symm.*** παίσει τὸ κλίμα μωὰβ, cædet clima Moab. (*h*) Prædabitur.] ***Symm.*** ἐκδινήσει, excutiet. (*i*) Et erit Edom.] *Interp. Orig. habet*, Et erit Edom hæreditas ejus, Eſau inimicus ejus. (*k*) Ipſi Beor.] τῷ βεώρ. *Interp. Orig.* tibi Beor. (*l*) Pariter.] ὁμοθυμαδόν. *Interp. Orig.* Pariter: ergo græcus ſermo pro, ſtatim, ponit.

CAP. XXV.

(*a*) OStenta eos.] *Sic Interp. Origen. homil.* 20. *& S. Auguſt. in locutionibus, & quæſt.* 52. *quod græce eſt*, παραδειγμάτισον. *& apud latinos de inſigni ſupplicio dicitur, exemplum ede. Aquila*, ἀνάπηξον, confige: *vel*, ſurſum fige. *Symmach.* κρέμασον, ſuſpende. *Sic enim vertit utrumque S. Auguſt. in quæſt. illa. Sunt tamen qui interpretentur*, fac, ut ipſi principes exempla edant, & occidant. (*b*) Siromaſten.] *Aquila*, κόντον, contum. *Symmachus*, δόρυ, lanceam. *De hoc alibi etiam dicetur.* (*c*) Caminum.] κάμινον. *Aquila*, τὸ τέγος, conclave. *Symmachus*, τὸ πυρίνιον. *quod videtur idem valere ac caminus: & fortaſſe balneum fuit. Interp. Orig. habet*, proſtibulum, *vulgata*, lupanar: *quod etiam dictionibus illis græcis ſignificatur.* (*d*) Gentis Ommoth.] *Videntur eſſe duæ interpretationes. Nam Ummoth valet*, gentium. (*e*) Domus familiæ.] *S. Auguſt. in locut. videtur accepiſſe illud* domus, *pro recto: græce tamen eſt* οἴκου.

CAP. XXVI.

(*a*) PRincipium.] *S. Auguſt. in locut.* robur ſcilicet ætatis in populo. *Sed videtur valere* ſummam; *ut jam dictum eſt.* (*b*) Sacerdos.] *In aliis libris ſequitur* μετ' αὐτῶν, cum eis. (*c*) Ipſi Phallu.] τῷ φαλλοῦ. *Notandus modus dicendi; ut hic intelligatur filius proxime memorati, & ex eo prodiiſſe familiam Phalluitarum, & ſic deinceps.* (*d*) Ducenti.] *Hic in Compl. quemadmodum & in vulgata ſequitur de filiis Gad: & etiam in ſequentibus licet animadvertere aliquam ordinis varietatem.* (*e*) Suthalan.] *Sequitur in uno codice, ſicut etiam in Compl.* τῷ βεχέρ, δῆμος ὁ βεχερὶ, ipſi Becher, populus qui Becheri: *nec multo aliter in alio*, βάχαρ, δῆμος ὁ βαχαρί. (*f*) Chebroni.] *In aliis ſequitur*: καὶ δῆμος ὁ μοολὶ, & populus qui Mooli.

CAP. XXVII.

(*a*) IN montem iſtum, qui trans Jordanem, hic eſt mons Naban.] *Vulgata pro iſtis hæc tantum habet*, in montem iſtum Abarim. *Abarim autem ſignificat* tranſituum. *Quare illud* ἐν τῷ πέραν τοῦ ἰορδάνου, *valet fortaſſe, non*, trans Jordanem, *ſed*, in tranſitu Jordanis. (*b*) Synagoga.] ἐν τῷ ἀντιπίπτειν τὴν συναγωγήν. *In Compl.* τῇ συναγωγῇ, cum reſiſteretis ſynagogæ: *quod obeſt ſententiæ.* (*c*) Spiritum.] *Ita libri veteres, & S. Auguſt. quæſt.* 54. *Interpres Orig. hom.* 22. ſpiritum Dei in ſemetipſo. *& Theodoretus q.* 48. πνεῦμα θεοῦ. (*d*) Et mandabis de eo coram eis.] *Hæc non referuntur à Theodoreto, & abſunt à Compl. ſicut à vulgata. Referuntur tamen apud Origenem eadem hom.* 22. (*e*) De gloria tua.] *Ita S. Auguſt. q.* 55. *quod græce eſt*, τῆς δόξης σου. *& ita libri veteres, & Procopius Gazæus, & Theodoretus q.* 48. *quamvis interpres ſuo modo reddat. In aliquot vulgatis editionibus legitur*, τὴν δόξαν σου. *Et S. Auguſt. ibidem teſtatur apud nonnullos interpretes latinos fuiſſe*, gloriam tuam. *Interp. Orig.* claritatem tuam. (*f*) Manifeſtorum.] *Schol.* Iſtud τῶν δήλων, *alii interpretes ediderunt*, φωτισμοὺς, illuminationes. *Theodoretus hunc locum paraphraſi explanans dicebat*, & per rationale judicii, quod illius (*id eſt ſacerdotis*) pectori adjacet, quid agendum ſit, diſcetis. (*g*) Commendavit eum.] *Sic S. Auguſt. in locut. quod græce eſt*, συνέστησεν αὐτόν. *ac poſſet etiam verti*, conſtituit eum.

CAP. XXIX.

(*a*) SIgnificationis.] σημασίας. *De hac dictione ſupra dictum eſt. Schol.* Samariticus, ἡμέραν ἀκουστὴν, diem ſonoram. *Interp. Orig. hom.* 23. *vocat feſtivitatem memoriæ tubarum.* (*b*) Exodium.] *De hac quoque jam dictum eſt. Cyrillus*, Samariticus, pro eo quod dictum eſt, ἐξόδιον, inquit, τελείωσις ἐπισχέσεως, conſummatio retentionis, *quaſi finis manſionis in tabernaculis.* τελείωσις ἐπισχέσεως, perfectio retentionis aut inhibitionis, id eſt, perfecta retentio aut inhibitio. עצר cohibuit, עצרת cohibitio. Feſtum ſignificat quo populus cohibetur ab opere. Sic dico עצרת eſt dies ceſſationis ab opere, cum homines vacant orationi & rebus divinis. Sic ἑορτὴ a cohibendo. Proprie & ἀντονομαστικῶς עצרת dicitur xxij Theſri, quæ eſt octava Succoth. i. feſti tabernaculorum. Pentecoſte tamen ſic etiam vocatur. Ab eadem mente priſca eccleſia Græcanica dixit σύναξιν. i. coactionem, & Latina, *collectam.* Druſ. (*c*) Exceptis.] *De hac locutione S. Auguſt. in locut.*

CAP. XXX.

(*a*) ADverſus animam ſuam.] *S. Auguſt. in locut.* id eſt, adverſus delectationes animæ ſuæ. (*b*) Facta fuerit.] *Sic S. Auguſt. q.* 59. *quod græce eſt*, γινομένη γένηται ἀνδρὶ, *quaſi diceremus, habens habuerit virum.* (*c*) Quas definivit.] οἷς ὁρίσατο. *& videtur ſubintelligi*, οἱ ὁρισμοὶ, definitiones. *In aliis libris eſt*, ὅσα ὡρίσατο. *& S. Auguſt. ibidem*, quanta definivit. (*d*) Quoniam vir abnuit ab ea.] ἀπ' αὐτῆς. *Alij* ἐπ' αὐτῆς, *& S. Aug.* ad eam. *Ab hebræo abſunt omnia iſta verba.* (*e*) Affligere animam.] *Sic S. Aug. ad verbum è græco*, κακῶσαι ψυχήν. *quod tamen poterat verti*, de affligenda anima.

CAP. XXXI.

(*a*) HÆ enim fuerunt.] *In editionibus S. Auguſt. corrupte videtur legi q.* 63. hæc enim fecerunt filii Iſrael. *Græci quidem codices conſentiunt, & Theodoretus quæſt.* 45. *Interp. Origen. hom.* 25. Ipſæ enim ſunt, quæ filios Iſrael ſecundum verbum Balaam apoſtatas fecerunt. (*b*) Propter Phogor.] *Aneſperus.* τὸ σαμαρειτικόν· σαφέστερόν φησι, διὰ λόγου φογώρ. Samariticus manifeſtius inquit, per verbum Phogor. *Theodoretus ibidem.* Phogor eſt nomen Idoli. (*c*) Multitudine.] *Sic redditur iſta dictio*, ἀπαρτία, *apud S. Auguſt. locut.* 99 *Dictio hebræa ſignificat pubem, id eſt, parvulos, quemadmodum habet vulgata. Idem etiam alibi dictum eſt de dictione illa* ἀποσκευή. (*d*) Præter aurum.] *Eſt notanda locutio. Intelligendum enim eſt hæc excipi a proxime præcedente lege, non autem a ſequente.* (*e*) In igni.] *In aliquot codicibus ſequitur*, διάξετε ἐν πυρί. *Et Interp. Orig. hom.* 25. traducite per ignem. (*f*) Caput.] κεφάλαιον. *quo nomine, ut etiam apud hebræos, diximus ſignificari ſummam. Schol.* Samariticus habet, λάβε τὸ τέλος, accipe ſummam. (*g*) Prædati ſunt.] *Schol.* pro eo, ac ſi diceret, ἐκτήσατο. οὐκ ἐκοινοποίησεν, ſibi acquiſivit, non in commune contulit.

CAP. XXXII.

(*a*) MUltitudo.] *Notat hanc locutionem* S. *Auguſt. in locut. Sed paulo poſt habet*, multitudo copioſa valde. *ubi etiam in aliis libris eſt*, πολὺ σφόδρα. (*b*) Ille ſegregatus.] *Schol.* Samariticus, ὁ κενεζαῖος, ἤτοι ἀποχωρίσας ἑαυτὸν ἀπὸ τῆς βουλῆς τοῦ Ισραὴλ λέγοντος, οὐ πορευσόμεθα εἰς τὴν γῆν τῆς ἐπαγγελίας, cenezæus, nimirum ſegregans ſe a conſilio Iſrael dicentis, non ibimus in terram promiſſionis. (*c*) Circumagitavit.] κατερόμβευσεν, *aut, ut in aliis libris*, κατερρέμβευσεν. (*d*) Contritio.] σύντριμμα, *quaſi reliquiæ, aut multiplicati ex contritione. Nam dictio hebræa ſignificat multiplicationem. Alii codices habent*, σύστρεμμα, factio, *aut, ut alij vertunt*, alumni: *& ita vulgata.* (*e*) Impedimentis noſtris.] *Ita hoc loco* S. *Auguſt. in locut. ac videtur commodiſſime hoc modo reddi illud* ἀποσκευή, *& ſignificari tenera ætas, quæ magno impedimento ſolet eſſe in caſtris.* (*f*) In prima acie.] προφυλακήν. *Alij*, παρελευσόμεθα προφυλακῇ, præteribimus in prima acie. (*g*) Commendavit eis.] *Sic* S. *Aug. in locut. ac videt tamen hunc eſſe ſenſum*, commendavit eos Eleazar ſacerdoti. *Poſſent tamen verba illa*, καὶ συνέστησεν αὐτοῖς ἐλεάζαρ, *ita verti*, & conſtituit eis Eleazar. *Hebræus habet*, & præcepit eis Elizaro, *id eſt*, pro eis. (*h*) Trans Jordanem.] *Notandum eſt illud*, πέραν *interdum ſignificare*, ultra; *interdum*, citra. (*i*) Dimidiæ tribui.] *Schol.* Nunc mentionem fecit dimidiæ tribûs Manaſſe, cum in iis quæ antea dicta ſunt, non feciſſet. In Samaritico autem fit.

CAP. XXXIII.

(*a*) ET caſtrametati ſunt e regione Magdoli: & promoverunt contra Iroth] *Schol.* τινὰ τῶν ἀντιγράφων οὕτως ἔχει. καὶ ἀπῆραν ἀπὸ στόματος εἰρὼθ, καὶ παρενέβαλον ἀπέναντι μαγδώλου· καὶ ἀπῆραν ἐκ μαγδώλου, καὶ διέβησαν μέσον τῆς θαλάσσης. Quædam exemplaria ſic habent: Et promoverunt ab ore Iroth, & caſtrametati ſunt e regione Magdoli. Et promoverunt e Magdolo, & tranſierunt, *&c.* (*b*) Ad occaſum.] *Rurſus illud* ἐπὶ δυσμῶν, *& hic, & in locis ſequentibus in hoc capite, videtur ſignificare*, in locis demiſſis, campeſtribus. (*c*) Belſa, qua.] βελσὰ τό. *In alijs libris eſt*, βελσαττείμ. *& vulgata*, Belſathim. *In Complutenſi* ἀβελσαττίμ. *quod non abhorret ab hebræo.*

CAP. XXXIV.

(*a*) HOc erit vobis] S. *Auguſt. in locut.* Non dixit, hi erunt vobis. (*b*) Montem, montem.] *In aliis libris non geminatur. Sed geminatio iſta videtur veſtigium lectionis reſpondentis hebraicæ, quæ habet*, apud Or montem: *& in proxime ſequentibus verbis*, ab Or monte: *quo loco etiam in aliis libris eſt*, ἀπὸ τοῦ ὄρους, τὸ ὄρος. *Vulgata*, ad montem altiſſimum a quo.

CAP. XXXV.

(*a*) SEgregationes.] *In hebræo eadem dictio eſt, quæ paulo ante verſa eſt* προάστεια, ſuburbana. *Nam idcirco fortaſſe ſuburbana dicuntur* ἀφορίσματα, *quoniam ea cives quaſi ſibi ſepoſita, & peculiaria habent: hæc eadem paulo poſt videntur vocari* ὅμορα, confinia. (*b*) Hujus.] *Complut.* τούτων, horum. *Ab hebræo abeſt hoc loco utrumque: ſed in proxime ſequenti ſententia dicitur*, hoc erit eis ſuburbana. (*c*) Dabitis.] *In aliis*, ἃς δώσετε, quas dabitis. (*d*) Vindicante.] *Ita S. Auguſt. q.* 64. *&* 65. *quod græce eſt*, ἀπὸ τοῦ ἀγχιστεύοντος τὸ αἷμα, *& alii vertunt*, a redimente ſanguinem, *aut*, ab eo, qui propinquus eſt ſanguine. *Vulgata habet*, propinquus occiſi, cognatus occiſi. (*e*) Non polluetis.] *Severus.* τινὰ τῶν ἀντιγράφων οὐκ ἔχει τὸ, μή. Quædam exemplaria non habent illud μή, non.

CAP. XXXVI.

(*a*) REmiſſio.] ἄφεσις; *& ſignificat Jobelæum, ut ſupra. Alii libri, & Complut.* ἀφαίρεσις, ablatio. (*b*) Filiabus.] *Alii* θυγατέρες, filiæ: *quod reſpondet vulgatæ.*

DEUTERONOMIUM.

CAP. I.

(*a*) AD occidentem.] *De hoc loco jam indicavimus ſuſpicionem noſtram. Schol. Aquila & Symm.* ἐν τῇ ὁμαλῇ τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης, in planicie maris rubri. οὕτως καλεῖται τὰ μεταξὺ πεδία τῶν τῆς ἀραβίας ϗ ἰουδαίας ὀρέων. Sic vocantur campi, qui interiacent inter montes Arabiæ, & Judææ. (*b*) Sufficiat vobis habitare] *Notanda locutio. Hoc enim videtur ſignificare*, ſatis vobis ſit habitaſſe hucuſque, *vel*, ſatis diu habitaſtis. *Similis locutio eſt in c. ſequenti.* (*c*) Tradidit.] *Alii* παρέδωκα, tradidi. (*d*) Vobis ipſis.] *Eſt hebraiſmus, pro*, de vobis ipſis. (*e*) Judicibus.] *Videtur dictum pro* de judicibus; *hebræus habet*, tribubus. (*f*) Viam montis Amorræi] *Hæc abſunt ab aliis libris, quemadmodum & a vulgata.* (*g*) Quoniam geſtabit te.] *In aliis libris eſt*, ὡς ἐτροποφόρησέ σε, *aut* ἐτροφοφόρησέ σε, quomodo geſtavit te: *quod propius accedit ad vulgatam. Lucifer lib.* 1. *pro S. Athanaſio.* Quomodo fovit te Dominus Deus tuus, ſicut quis foveat homo filium. Videndum an Actor. 13. legi poſſit ex hoc loco ἐτροφοφόρησεν αὐτούς: geſtavit eos ut altor ſive educator: ubi vulgo ἐτροποφόρησεν, mores toleravit. Nam quin huc reſpexerit Apoſtolus non eſt mihi dubium. *Druſ.* (*h*) Siquis homo geſtet.] *Aquila*, ὡσεὶ ἄραι τροφὸς τὸν υἱόν, tanquam nutrix levet filium. *Symm.* βαστάσαι, portet. (*i*) Et omnis. *In aliis libris*, ϗ τὰ παιδία ὑμῶν, ἃ εἴπατε ἐν τῇ ἁρπαγῇ ἔσεσθαι, ϗ πᾶν παιδίον, *&c* & parvuli veſtri, quos dixiſtis in direptionem fore, & omnis parvulus, &c. *quod reſpondet vulgatæ.* (*k*) Caſtra moviſtis.] *Sic etiam Compl. In aliis eſt*, στρατοπεδεύσατε, caſtra facite, *aut*, abite, *ut vulgata.* (*l*) Et vim facientes.] *Compl.* ϗ ὑπερηφανήσατε, ϗ παραβιασάμενοι, & ſuperbe egiſtis, & vim facientes: *quæ fortaſſe duæ ſunt interpretationes.*

CAP. II.

(*a*) ET verebuntur vos valde.] *Pro his in hebræo eſt*, & cavete vos valde, *& vulgata*, videte ergo diligenter. (*b*) Hæreditarunt] *In aliis libris additur*, αὐτούς, eos, *ut paulo poſt etiam in noſtra.* (*c*) Fecerunt] *Sic etiam Compl. In aliquo libro eſt* ἐποίησεν, fecit, *& vulgata*, ſicut fecerat. (*d*) Ante faciem noſtram.] *Hæc a nonnullis codicibus abſunt: in quibuſdam vero adduntur præterea hæc*, εἰς τὰς χεῖρας ἡμῶν, in manus noſtras.

CAP. III.

(*a*) EUm.] *Iſta dictio redundat, & nihil facit ad ſententiam, ut ſæpe aliæ hujuſmodi.* (*b*) Percuſſimus] *Aquila* ἀναθεματίσαμεν, anathemavimus. Nihil verius; ſign. autem ἀναθεματίζω inter alia, occido, funditus perdo, extermino, ut Exod. 22. 20. יחרם. *Schol.* ἀναθεματισθήσεται, occidetur aut exterminabitur, quod ex Aquila ſumptum; id paret ex hoc loco, cæterum Jud. 1. 18. pro ויחרימו אותה legitur in LXX, ἀναθεμάτισαν αὐτὴν ϗ ἐξωλόθρευσαν αὐτήν. ſunt autem duæ interpretationes, prior ex editione Aquilæ irrepſit, poſterior pura puta interpretum eſt. *Druſ.* (*c*) Pherezæas.] *Dictio hebræa, unde hæc inflexa eſt, ſignificat* non munita. *Quare in vulgata eſt*, abſque oppidis innumeris, quæ non habebant muros. (*d*) Exterminavimus.] *In aliis additur* αὐτούς: *& vulgata*, & delevimus eos. (*e*) Reliquus factus eſt a Raphain.] *Ita putat S. Auguſt. quæſt.* 3. *apte reddi hunc locum, & ſignificari ipſum ſolum ex Raphain, id eſt, ex gigantibus, remanſiſſe.* (*f*) Hic eſt in arce.] *Ex græco liquet intelligendum eſſe de lecto. Illud autem* ἐν τῇ ἄκρᾳ, in arce, *in vulgata eſt*, in Rabath. (*g*) Regionem.] τὴν περίχωρον, *quaſi*, circumregionem: *& videntur LXX iſto nomine uſi, ut reſponderent vocabulo hebraico, quod ſignificat funem.* (*h*) Thavoth.] *Alii*, αὐώθ, *& vulgata* Avoth Jair, id eſt, villas Jair. (*i*) Machanareth.] *In aliqua editione eſt* ἀπὸ μαχαινερὲθ, a Machenereth. *In Compl.* ἀπὸ χενερὲθ, a Chenereth, *quod reſpondet hebræo. Sed illud* μα, *in noſtra videtur poſitum ex hebræo, pro* ἀπό. (*k*) Sub Aſedoth Phaſga.] *Reſpondet fere hebræo, & ſignificat*, ſub effuſionibus collis. *Alii*, ἀπὸ σηδὼθ, *aut*, ἀπὸ ἀσηδὼθ, ab Aſedoth. (*l*) Feciſti tu.] *In Compl. additur*, κατὰ τὰ ἔργα σου, ſecundum opera tua, *quod reſpondet hebræo, & vulgatæ.*

CAP. IV.

(*a*) SCulptilem ſimilitudinem.] *Ita S. Auguſt. q.* 4. *& vulgata*, ſculptam ſimilitudinem, *ſed* γλυπτὸν ὁμοίωμα, *poſſet etiam verti*, ſculptile, ſimilitudinem. *Apud eundem ſequitur*, aut omnem imaginem, *& vulgata*, aut imaginem: *Ab hebræo tamen abeſt illud*, aut. (*b*) Quæ diſtribuit.] *Theodoretus:* Sic enim & ceteri ſunt interpretati, ἅτινα διεκόσμησεν ὁ θεός σου εἰς τοὺς λαοὺς ὑφ᾽ ὅλον τὸν οὐρανὸν, quæ diſpoſuit Deus tuus in populos ſub toto cœlo. (*c*) Et faciatis iniquitatem.] *Hæc abſunt a multis codicibus, & a S. Auguſt. quæſt.* 7. *quemadmodum etiam a vulgata.* (*d*) Perdemini.] *In aliis libris additur*, ταχὺ, cito. (*e*) Et ad ſummum cœli uſque ad ſummum cœli.] *Ita fere hebræus: ac tamen idem ſolet ſignificare ac ſi diceretur*, a ſummo cœli, *quod habet S. Auguſt. quæſt.* 8. *& vulgata.* (*f*) Audita facta eſt vox.] ἀκουστὴ ἐγένετο ἡ φωνὴ αὐτοῦ. *In aliis*, ἀκουστὴν σοι ἐποίησε τὴν φωνὴν αὐτοῦ, auditam tibi fecit vocem ſuam: *quod reſpondet vulgatæ.* (*g*) Omnem Araba trans Jordanem ad ortum Solis ſub Aſedoth exciſam.] *Satis ſit ſemel admonuiſſe Araba ſignificare planitiem, aut ſolitudinem: ſicut jam paulo ante diximus*, ſub Aſedoth exciſam, *valere*, ſub effuſionibus collis, *aut*, Phaſga. *Joſue* 12. *eſt*, ὑπὸ ἀσηδὼθ φάσγα. *Valde autem ſuſpicandum eſt hic deeſſe aliquid: nam in vulgata interjicitur ut in hebræo*, uſque ad mare ſolitudinis.

CAP. V.

(*a*) DIcens.] *S. Auguſt. quæſt.* 10. *& in locut. interpretatur*, cum diceret. (*b*) Idolum.] *Alii codices*, γλυπτὸν, ſculptile; *quemadmodum & vulgata.* (*c*) Sabbatorum, & ſanctifices.] *S. Auguſt. in locut.* ſabbati, & ſanctificare.

CAP. VI.

(*a*) IMmobile] *In aliis libris*, ϗ ἔσται ἀσάλευτα, & erunt immobilia. (*b*) Ne obliviſcaris.] *Alij*, μὴ πλατυνθῇ ἡ καρδία σου ϗ ἐπιλάθῃ. *Et ſic S. Auguſt. in locut.* ne dilatetur cor tuum, & obliviſcaris. (*c*) Juſtificationes.] *Aquila*, ἀκριβάσματα, præcepta, *quaſi exquiſitas rationes.*

CAP. VII.

(*a*) ET ſervans.] *In aliis eſt*, ϗ διατηρεῖ & conſervat. *A Compl. abeſt* καί. (*b*) Quos vidiſti, & quæcunque noſti.] *In Compl. non eſt illud*, quos vidiſti: *& habet*, ἃς ἔγνως, quas noſti. *Ac certe videntur duæ interpretationes.*

CAP. VIII.

(*a*) DEus tuus.] *Ita etiam S. Auguſt. q.* 13. *In Compl. additur*, τοῦτο τεσσαρακοστὸν ἔτος, quadrageſimum hunc annum: *quod reſpondet vulgatæ.* (*b*) Fierent.] *S. Auguſt.* faceret. *Apud S. Cyprianum de mortal. ſic refertur hic locus*, Dominus Deus tuus vexabit te, & famem injiciet tibi, & cognoſcetur in corde tuo, ſi bene cuſtodieris, &c. (*c*) Non inveteraverunt a te, & ſoleæ tuæ.] *Hæc abſunt ab aliis libris, & a Theodoreto quæſt.* 6. *ſicut etiam a vulgata. S. Chryſoſt. ad Philipp. hom.* 9. *hunc locum fortaſſe ſignificans ita de Iſraelitis dicebat*, ὧν τὰ ὑποδήματα οὐ κατετρίβετο, οὐδὲ τὰ ἱμάτια, quorum ſoleæ non conterebantur, neque veſtimenta: *quamquam potuit etiam hoc ſumere ex cap.* 29. (*d*) Et, ut firmet.] *Illud*, &, *abeſt a Compl. ut a vulgata.*

CAP. IX.

(*a*) FIlios Enac.] *Theodoretus quæſt.* 7. Gigantum erant abnepotes. (*b*) Juſtitiam meam] *Alij & Theodor. q.* 7. δικαιοσύνας μου. *Et S. Auguſt. in locut.* juſtitias meas. (*c*) De Ægypto.] *In aliis* ἐκ γῆς αἰγύπτου, ἕως ἤλθετε. *S. Auguſt. q.* 14. de terra Ægypti, donec veniſti in locum hunc, incredulus perſeveraſti; quæ ad Dominum. (*d*) Quas diſpoſuit.] *Compl.* ἃς διέθετο, quod diſpoſuit, *ac reſpondet vulgatæ.* (*e*) Die Eccleſiæ.] *Hæc a nonnullis codicibus abſunt. In Compl. autem eſt*, ἐκ μέσου τοῦ πυρὸς ἐν ἡμέρᾳ ἐκκλησίας, de medio ignis in die Eccleſiæ, *quod reſpondet vulgatæ.* (*f*) Uſque ad cœlum.] *hæc abſunt ab aliis exemplaribus.* (*g*) Fuſile.] *In aliis*, μόσχον χωνευτὸν, vitulum conflatilem, *ut vulgata.*

CAP. X.

(*a*) SCribas.] *Alii codices*, ϗ γράψω, & ſcribam, *& ita S. Auguſt. quæſt.* 15. *ubi de hac re diligenter diſputat.* (*b*) Tabulas.] *Alii*, τὰς δύο πλάκας, *& S. Auguſt. ibidem*, duas tabulas. (*c*) Miſadai.] *Compl.* μοσερά, Moſera: *quod eſt in vulgata.* (*d*) Terra, torrentes aquarum.] *Ita fere hebræus. In aliis*, γῆν (*aut* γῆ) χειμάρρου ὑδάτων, terram (*aut* terra) torrentis aquarum. *In Compl.* γῆν, οὗ χείμαρροι ὑδάτων, terram, ubi torrentes aquarum. (*e*) Proſelyto, &.] *Sic etiam Compl. abeſt tamen à vulgata, & hebræo.* (*f*) Septuaginta.] *Joſephus lib.* 2. *Antiquitatum de Jacob ſcribens, eundem numerum poſuit. Et S. Hieron. in quæſt. in Geneſim LXX interpretes ita ſcripſiſſe teſtatur. Alii codices habent*, ἐν ἑβδομήκοντα ϗ πέντε ψυχαῖς, in ſeptuaginta & quinque animabus: *qui numerus habetur Act.* 7. ἀποστείλας δὲ ἰωσὴφ μετεκαλέσατο τὸν πατέρα αὐτοῦ ἰακώβ, ϗ πᾶσαν τὴν συγγένειαν αὐτοῦ, ἐν ψυχαῖς ἑβδομήκοντα πέντε. Miſſis autem nuntiis Joſeph accerſivit Patrem ſuum Jacob, omnemque cognationem ſuam capitum ſeptuaginta quinque.

CAP. XI.

(*a*) QUia non filii veſtri.] *id eſt, quia non ego filios veſtros alloquor, non cum iis nunc mihi res eſt: non enim ipſi hæc noverunt.* (*b*) Et quæ fecit virtutem] *S. Auguſt. in locut.* Intelligendum eſt, quid eam fecit; quoniam ad nihil eam redegit. *Teſtatur autem*, quoſdam latinos vertiſſe, quæ fecit virtuti, vel exercitui. (*c*) Et virtutem eorum.] *Abſunt iſta ab aliis libris.* [ἑώρακαν πάντα] *alii libri*, ἑώρων videbant. (*d*) Mandata.] *In aliis additur*, αὐτοῦ, ejus: *& ita S. Auguſt. in locut.* (*e*) Matutinam, & ſerotinam.] πρώϊμον ϗ ὄψιμον. *Retinuimus dictiones S. Auguſt. in locut. quamvis ipſe habeat*, matutinum, & ſerotinum. *Alii interpretantur*, temporaneam, & ſerotinam: *& ſic vulgata.* (*f*) Timorem veſtrum.] *S. Auguſt. ibidem*, Non timorem & tremorem, quo ipſi timent & tremunt: ſed quo timentur, & alios tremere faciunt. *Poſſet tamen verti*, timorem & tremorem veſtri. (*g*) Occaſum] *Vulgata*, in campeſtribus. *Non enim eadem nunc dictio hebraica eſt ac paulo ante, ubi dicitur*, occaſus Solis. (*h*) Et habitabitis.] *Alii libri*, ϗ κληρονομήσετε αὐτὴν, ϗ κατοικήσετε ἐν αὐτῇ, & hæreditabitis eam & habitabitis in ea. *Sed*, ἐν κλήρῳ, *quod proxime præceſſit, &*, ϗ κληρονομήσετε, *videntur duæ interpretationes.*

CAP.

CAP. XII.

(a) ILlic.] ἐκεῖ. *In aliis* ἐκεῖ τὰ ἔθνη, illic gentes. *Et quoniam hebr. non habet*, illic, *fieri fortaſſe potuit ex* ἔθνη, ἐκεῖ. (b) Quæ vos.] *Ita diximus, ut illud*, quæ, *referatur ad loca: ſicut* οἷς *græce referri poteſt ad*, τοὺς τόποις. *Sed ſi retineatur dictio* ἔθνη, *vertendum erit*, quos. *Uſitatum enim eſt in ſcriptura*, gentes, quos. (c) Civitatum.] *In aliis* τῶν φυλῶν, tribuum. *Compluterſ.* ἐκ πασῶν τῶν φυλῶν ὑμῶν, de cunctis tribubus veſtris: *quod habet vulgata.* (d) Veſtra.] *In compl. ſequitur*, καὶ τὰς δεκάτας ὑμῶν, & decimas veſtras: *quod reſpondet vulgatæ* (e) Et confeſſiones veſtras.] *Non eſt in hebræo, neque in vulgata, quod his verbis reſpondeat: quare ſuſpicari licet, hæc, & illa proxime præcedentia*, ſpontanea veſtra, *duas eſſe cujuſdem ſententiæ interpretationes. Nam paulo inferius, ubi repetitur*, & confeſſiones veſtras, *hebræus habet idem vocabulum ac nunc iſto loco, quo nos habemus*, ſpontanea. (f) Veſtrarum.] *In aliquot codicibus ſequitur*, καὶ τὰ δόματα ὑμῶν, & data (*aut* dona) veſtra. *Theodoretus alicubi in hoc capite videtur habuiſſe dictionem iſtam: atque ita, inquit*, τὰ δόματα *ceteri interpretati ſunt* τὰ ἑκούσια, ſpontanea. *Ita* ἑκούσιον, δόμα, ὁμολογία, *videntur eſſe diverſorum interpretum.* (g) Portas.] *Aliqui codices* πόλεων, civitates. (h) Tribuum.] *Nonnulli* πόλεων, civitatum. (i) Non poteris.] *S. Auguſt. in locut.* pro eo quod eſt, non debebis. (k) Ancilla tua.] *In aliis libris & in compl. ſequitur*, ὁ λευίτης σου, καὶ ὁ προσήλυτος, & Levita tuus, & proſelytus: *quod reſponderet magis vulgatæ & hebræo, ſi abeſſent iſta*, & proſelytus (l) A facie tua.] *In aliis codicibus ſequitur*, οὐ μὴ ἐκζητήσεις τοὺς θεοὺς αὐτῶν; non exquires Deos eorum, *quod reſpondet hebræo.*

CAP. XIII.

(a) TUus.] Alii ὑμῶν, veſter, *& ita S. Auguſt. q. 19.* (b) Timebitis.] *In aliis adjungitur*, καὶ τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ φυλάξεσθε, & mandata ejus cuſtodietis: *quod reſpondet vulgatæ* (c) Et ei apponemini.] *Alii* καὶ αὐτῷ δουλεύσετε, καὶ πρὸς αὐτὸν προστεθήσεσθε, *quod vulgata*, ipſi ſervietis, & ipſi adhærebitis. (d) Non deſiderabis.] οὐκ ἐπιποθήσεις, *Compl.* οὐκ ἐλεήσεις, non miſereberis. (e) Terram.] *Alii* τὴν πόλιν, civitatem. (f) Facta eſt.] γεγένηται. *& optime reſpondet hebræo. In nonnullis eſt* γίνεται, *& cohæret cum antecedentibus, hoc modo.* Et ecce verus manifeſto ſermo factus fuerit; abominatio hæc in vobis. (g) Terra.] *Alii* ἐν τῇ πόλει, in civitate. (h) Quæ in ea.] *In Compl. additur*, καὶ πάντα τὰ κτήνη αὐτῆς ἐν στόματι μαχαίρας, & omnia pecora ejus in ore gladii: *quod reſpondet hebræo.*

CAP. XIV.

(a) VEſtri.] *In Compl. ſequitur*, οὐ κοφθήσεσθε, non vos incidetis; *quod eſt in vulg. In aliis vetuſtis, & ad marginem Vaticani.* οὐ φοιβήσετε, *Quod Cyrillus ſic explicat.* τὸ φοιβᾶσθαι κατὰ τὴν συνήθειαν τὴν ἑλληνικὴν καθαίρειν ἐστὶ, καὶ καθαίρεσθαι ἐπὶ νεκρῷ. οὐ γὰρ προσήκει μολυσμὸν ἡγεῖσθαι ψυχῆς τὸν σωματικὸν θάνατον. Illud φοιβᾶσθαι ſecundum conſuetudinem gtæcam eſt purgare, & purgari ſuper mortuo. Non enim decet inquinationem animæ putare mortem ipſam corpoream. *Theodoretus q. 13.* διὰ μὲν τοῦ οὐ φοιβήσετε, τὰς μαντείας ἐξέβαλε. φοῖβον τὸν ψευδόμαντιν ἐκάλουν τὸν πύθιον. Per illud φοιβήσετε exploſit τὰς μαντείας, vaticinia. Nam Pſeudomantem illum Pythium vocabant Phœbum: *ubi etiam ſequentia verba de calvitio explanat* (b) Capream.] *In aliis codicibus ſequitur*, καὶ βούβαλον, καὶ τραγέλαφον, & bubalum, & tragelaphum. (c) Et ſimilia ei.] *Sic in compl. in aliis autem libris paulo poſt, additur*, καὶ πάντα τὰ κόρακα. (*al. abeſt illud* τὰ, *& recte*) καὶ τὰ ὅμοια αὐτῷ, & omnem corvum, & ſimilia ei. *Sunt etiam nonnullæ aliæ in his avium nominibus varietates non magni ponderis.* (d) Feretis] *In aliis eſt*, ἐκεῖ οἴσετε, illuc feretis. *A vulgata, & ab hebræo utrumque abeſt. Nam pendent ſequentia ab illo* comedes, *quod proxime anteceſſit.* (e) Fuerit via a te.] *S. Auguſt. in locut.* ac ſi diceret, longa via erit; adverbium poſuit pro nomine. (f) Benedicet.] *In aliis eſt*, ηὐλόγησε, *aut*, εὐλόγησε, benedixit. *Sed noſtra magis reſpondet hebræo, & vulgatæ, quæ habet*, tibique benedixerit. (g) Quæ in civitatibus tuis.] *S. Auguſt. q. 20* qui in civitatibus tuis erunt: *ibique comparat verſionem ex LXX cum verſione. S. Hieronymi.* (h) Operibus.] *In aliis & apud Theodoretum additur* σου, *& S. Auguſtinus ibidem*, operibus tuis. *Compl.* τοῖς ἔργοις τῶν χειρῶν σου, operibus manuum tuarum, *ut vulgata.*

CAP. XV.

(a) PEr ſeptem.] *S. Aug. q. 4. habet*, poſt ſeptem annos, *& putat ex hoc declarari illud, quod in proximo ſuperiore capite poſitum eſt*, poſt tres annos. *Nam ut hoc ſignificat, ſeptimo quoque anno, ita illud tertio quoque anno.* (b) Invocata enim eſt.] ἐπικέκληται γὰρ, *aut, ut aliquot codices, & Cyrillus lib. 7. de adorat.* ὅτι ἐπικέκληται, *& Tertullianus lib. 4. contra Marcionem*, quoniam remiſſio Domini Dei tui invocata eſt. *In aliis exemplaribus eſt*, ὅτι ἐπικέκληται ἄφεσιν, quoniam invocavit remiſſionem: *idque reſpondet hebræo, & chaldæo.* (c) Quia benedicens.] *Ita etiam Cyrillus lib. 7. Tertullianus eodem lib. 4.* Non erit, inquit, in te indigens; uti benedicens benedicat te Dominus Deus tuus. *In aliis exemplaribus eſt*, διὰ τὸ ῥῆμα τοῦτο εὐλογῶν, Propter verbum hoc benedicens, *&c.* (d) Fœnerabis gentibus multis.] *Sic S. Ambr. lib. 2. de Jacob cap. 3. S. Auguſt. in locut. habet*, gentes multas, *ſed ipſe etiam paulo poſt*, fœnus fœnerabis ei. (e) Tui autem non principabuntur.] *S. Auguſt. in locut.* tanquam diceret, tibi non dominabuntur, hoc eſt, gentes. (f) Indurabis.] *Sic viſum eſt reddi poſſe illud*, ἀποστέρξεις, *quod magnam vim habet. Significat enim quaſi ex animo ejicere humanitatem, & amorem naturalem. In aliis libris eſt*, οὐκ ἀποστρέψεις. *S. Auguſt. in locut.* non avertes. (g) Quantum poſtulat.] ὅσον ἐπιδέεται, καθότι ἐνδεεῖται. *In aliis*, ὅσων (*aut* ὅσον) ἂν ἐπιδέηται, καὶ καθόσον ὑστερεῖται, *aut*, ὑστερῆται. *S. Auguſt. in locut.* quantumcunque poſtulat, & quantum eget. (h) Ex vino.] ἀπὸ τοῦ οἴνου. *Alij*, ἀπὸ τῆς ληνοῦ, de torculari, *quod eſt in vulgata.* (i) Maſculina.] *S. Auguſt. q. 23.* maſculinum. (k) Vitium malum] μῶμον πονηρόν. *In aliis libris*, ἢ πᾶς μῶμος πονηρός. *& S. Auguſt. in locut.* vel omne vitium malum: *ubi etiam de locutionibus totius hujus loci diſputat.*

CAP. XVI.

(a) IMmolaveris.] *Alii*, θύσητε, immolaveritis: *& ita S. Auguſt in locut. ubi iſtam ſententiam explanat.* (b) Et coques & aſſabis.] *Ex hebræo, & vulgata ſuſpicari licet alterutrum eſſe ex alia interpretatione.* (c) Septimanas.] *Ita etiam vulgata, in aliis additur*, ὁλοκλήρους, integras: *& ita S. Auguſt. q. 25.* (d) Inchoante te.] *S. Auguſt. ibidem*, inchoare te falcem mittere in meſſem. (e) Tuus.] *In aliis eſt*, σοι, καθότι ηὐλόγησέ σε κύριος ὁ θεός σου, tibi, prout benedixit te Dominus Deus tuus. *Sed hæc etiam videri poteſt altera interpretatio præcedentis ſententiæ.* (f) Epulaberis.] *Ita nunc S. Aug, quod græce eſt*, εὐφρανθήσῃ, *& ſolet etiam verti*, lætaberis. (g) Magiſtros.] γραμματοεισαγωγεῖς. *De hac dictione dictum eſt ſupra ex S. Auguſtino.*

CAP. XVII.

(a) NOn præcepit.] *In aliis eſt*, οὐ προσέταξα, non præcepi: *quod reſpondet vulgatæ.* (b) Illam.] *In aliis codicibus ſequitur*, οἵτινες ἐποίησαν τὸ πρᾶγμα τὸ πονηρὸν τοῦτο, ἐπὶ τὴν πύλην, qui fecerunt rem malam hanc ad portam: *quod reſpondet vulgatæ: ſed à Lucifero Caralitano non referuntur.* (c) Malum.] τὸν πονηρόν. *In aliis*, τὸ πονηρὸν, *quod eſt uſitatius: atque hæc eadem varietas eſt paulo poſt, & ſæpe: de qua S. Auguſt. quæſt. 39.* (d) Verbum.] *Apud Theodoretum quæſt. 17. ſequitur*, ἐν κρίσει ἀναμέσον κρίσεως, καὶ ἀναμέσον ἁφῆς, καὶ τὰ ἑξῆς. *Quod ſuſpicionem facit ipſum habuiſſe hoc loco inſignem varietatem. Et illa*, ἀντιλογία ἀντιλογίας, *optime cohærerent cum ſequentibus*, ῥήματα κρίσεως ἐν ταῖς πόλεσί σου, *ut intelligeremus, repugnantes eſſe inter ſe judicum ſententias in minoribus civitatibus.* (e) Illuc.] *In aliis eſt* ἐπικληθῆναι τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐκεῖ. Ut invocetur nomen ejus ibi. *Quæ abſunt à vulgata.* (f) Rem.] *Alii* ῥῆμα, verbum. (g) Tibi.] *In aliis ſequitur*, ἐν κλήρῳ, In ſorte: *& ita S. Auguſt. q. 26. quod tamen abeſt a vulgata, & hebræo.* (h) Quare.] διότι. *Alii*, πλὴν, veruntamen. *S. Auguſt. in locut.* Non multiplicabit ſibi equum: pro equis vel equitatu, equum poſuit: unde nonnulli equitatum interpretati ſunt. (i) Non.] *Abeſt illud* μὴ *a Compl. ſicut ab Hebræo, & Chaldæo.*

CAP. XVIII.

(a) CIvitatum.] *Alii addunt* ὑμῶν, veſtrarum. *S. Auguſt. quæſt. 28.* tuarum, *ut vulgata.* (b) Elegerit.] *In aliis ſequitur*, κύριος, Dominus: *& ita apud S. Auguſt. ibidem, & convenit cum vulgata.* (c) Præter venditionem.] *Legendus eſt S. Auguſt. in eadem quæſt.* (d) Nomine.] *Alii*, ἐπὶ τῷ ὀνόματι, in nomine. (e) Fuerit.] *In aliis additur*, ῥῆμα, verbum *quod reſpondet hebræo.* (f) Non timebitis.] οὐκ ἀφέξετε. *Non enim aliter vulgata, & hebræus, & chaldæus, niſi quod habent* timebis. *Verum dictio græca poſſet verti*, non abſtinebitis ab eo, *id eſt, non abſtinebitis manus ab eo, quin illum interficiatis.*

CAP. XIX.

(a) TErram.] *In aliis additur*, αὐτῶν, *earum.* (b) Cædentis lignum, *videtur dictum pro eo ac ſi diceret*, ad cædendum lignum. *Alii interpretantur*, & percuſſa fuerit manus ejus ſecuri ſcindentis lignum. (c) Et purgabis ſanguinem innoxium.] *Sic fere hebræus, & intelligendum eſt*, auferes effundentem ſanguinem innocentem. *Quare vulgata ad ſenſum ſpectans habet*, & auferes noxium ſanguinem de Iſrael. *Similis loquutio eſt etiam cap. 21.*

CAP. XX.

(a) FRangamini.] θραύεσθε. *Compl.* θροεῖσθε, turbemini. (b) Ad ſimul debellandos.] *Optime reſpondet phraſi hebraicæ. In aliis eſt* συνεκπολεμήσει ὑμῖν τοὺς ἐχθροὺς ὑμῶν, καὶ διασώσει ὑμᾶς. *& S. Auguſt. q. 30. ita hunc locum refert*, Quoniam Dominus Deus veſter, qui præcedet (*in locut.* præcedit) vobiſcum, ſimul debellabit vobiſcum inimicos veſtros, & ſalvos faciet vos. (c) Non de civitatibus.] *Alii codices habent*, αἳ οὐχὶ ἀπὸ τῶν πόλεων τῶν ἐθνῶν τούτων. ἰδοὺ δὲ ἀπὸ τῶν πόλεων τῶν ἐθνῶν τούτων, quæ non ſunt de civitatibus gentium harum. Ecce autem de civitatibus gentium harum. *Hanc repetitionem habet etiam vulgata.*

CAP. XXI.

(a) DUpla.] *Aut ut alii, duplicia. S. Ambr. l. 1. de Cain c. 4.* det illi dotem, &c. *ubi etiam* πρωτότοκια *vertit* primitias.

CAP. XXII.

(a) IPſum.] *Sic hebræus, & chaldæus. Alii codices græci habent* αὐτὰ, *ea.* (b) Si cadat.] *Miratur S. Auguſt. in locut. inuſitatam locutionem. Sed verba græca*, ἐὰν πέσῃ ὁ πεσὼν ἀπ᾽ αὐτοῦ, *poterant hoc etiam modo verti*, Si ceciderit cadens ab eo. (c) Civitati.] *Sic hebræus, & vulgata. In aliquot codicibus additur*, ἐκείνης, illius: *& ita apud. S. Aug. q. 33.* (d) Eam.] *In aliis ſequitur*, οἱ ἄνδρες τῆς πόλεως αὐτῆς. *& S. Auguſt.* viri civitatis ejus. (e) Proximi.] *In aliis additur* αὐτοῦ, ſui. (f) Et vim faciens.] *Item hic additur* αὐτὴν, *& apud S. Auguſt.* & vim faciens ei.

CAP. XXIII.

(*a*) ATtritus, neque abſciſus.] θλαδίας, οὐδὲ (*al.* καὶ) ἀποκεκομμένος; *quorum primum proprie intelligitur de attritione teſtium; ſecundum vero de abſciſione membri.* (*b*) Domini.] *In compl. adjungitur,* ἕως δεκάτης γενεᾶς, uſque ad decimam generationem: *quomodo habet vulgata: non tamen referuntur à Theodoreto quæſtione* 25. *ubi hunc locum recitans, pro* ἐκ πόρνης, de ſcorto, *ipſe habet,* ἐκ πορνείας, ex fornicatione. (*c*) Et uſque ad decimam.] *Sic etiam S. Auguſt. quæſt.* 35. *Schol. ex Theodoreto hæc ſcribit,* In alio exemplari ſic reperi, οὐκ εἰσελεύσεται μωαβίτης καὶ ἀμμανίτης εἰς ἐκκλησίαν, καὶ ἕως εἰς τὸν αἰῶνα, καὶ ἕως δεκάτης γενεᾶς οὐκ εἰσελεύσεται. Non ingredietur Moabites & Ammanites in Eccleſiam,& uſque in ſeculum,& uſque ad decimam generationem non ingredietur. *S. Ambr. in Pſal.* 48. *ſcripſit, Moabitas uſque in tertiam & quartam generationem prohibitos eſſe intrare in Eccleſiam.* (*d*) Appoſitus eſt.] προστέθειταί σοι. *S. Auguſt. q.* 36. id eſt huic adjunctum, cum ab illo abſceſſiſſet. (*e*) Fornicans.] *Ita S. Aug. q.* 37. *& accipit de eo, qui ad meretrices accedit. Vulgata,* ſcortator. *Dictionem hebræam multi accipiunt de ſcorto maſculo.* (*f*) Non erit teletas ferens de filiabus Iſrael: & non erit initiatus de filiis Iſrael.] *In aliquot codicibus additur* πρὸς πᾶσαν εὐχὴν, ad omne votum: *quæ tamen neque a Cyrillo lib.* 15. *de adorat. neque a Theodoreto q.* 28. *afferuntur. A compl. autem abſunt omnia iſta: nec referuntur a S. Auguſt. quæſt.* 37. *&* 38. *ac fortaſſe ſunt altera interpretatio præcedentis ſententiæ. Nam in hebræo non eſt niſi alterutra. Diximus* teletas ferens, *quod græce eſt* τελεσφόρος. *quoniam S. Auguſt. lib.* 10. *de civit. cap.* 9. *hoc vocabulo teletarum utitur, & inquit, conſecrationes quaſdam Theurgicas vocari ſolitas teletas, quæ vere eſſent fallaces ritus dæmorum: atque in eam ſententiam venio fuiſſe ſacra impudica, quibus quæ ſe obſtringerent fœminæ, myſteria quædam portarent, ſicut canephoræ apud Athenienſes: omninoque* τελεσφόρος *videtur dictum de fœmina. Adjungitur enim* de filiabus Iſrael. *Initiatum autem diximus, qui græce eſt* τελισκόμενος. *Nam hoc videtur dictum de homine, ac fortaſſe impuberi, qui iiſdem impuris ſacris ſe addixiſſet, iiſque initiatus eſſet. Eſt omnino locus difficilis, & variæ de eo ſunt ſententiæ. Cyrillus loco indicato.* τελεσφόροι γε μὴν εἶεν ἂν οἱ φόρους τελοῦντες ὡς ἐξ ἀνάγκης ἑτέροις, καὶ τὰ ἐκ τῆς ἀσελγείας μισθώματα τοῖς πριαμένοις συλλέγοντες. τελεσφόροι ſane fuerint, qui vectigalia pendunt tanquam ex neceſſitate, alienis, & mercedes ex impudicitia emptoribus colligunt. *Theodoretus in quæſt illa* 28. Quid eſt τελεσφόρος & τελισκόμενος, & τελισκομένη· ὥσπερ ἡμεῖς πιστοὺς ὀνομάζομεν τοὺς τῶν θείων μυστηρίων μετέχοντας, οὕτω τετελεσμένους ἐκάλει τὰ ἔθνη τοὺς δαιμόνων τινῶν διδασκομένους μυστήρια. τελεσφόρον τοίνυν ἐκάλει τὸν μυσταγωγοῦντα, τελισκόμενον δὲ τὸν μυσταγωγούμενον. Sicut nos vocamus πιστοὺς, fideles, eos qui participes ſunt divinorum myſteriorum; ita gentes vocabant τετελεσμένοις, eos qui dæmonum quorundam docebantur myſteria. τελεσφόρον igitur vocat eum qui myſteriis initiat, τελισκόμενον autem, eum qui initiatur. *Tertullianus in lib. de pudicitia c.* 9. *ex hoc loco iſta videtur referre,* non erit vectigal pendens ex filiis Iſrael. *Operæpretium fuerit ea legere, quæ a S. Hieron. afferuntur in cap.* 4. *Oſee ad illud,* & cum initiatis immolabant: *ubi notat initiatas iſtas fuiſſe ſacerdotes Priapo mancipatas: Eadem vero dictio hebraica eſt hic, ſed in numero ſingulari.* (*g*) Erit in te peccatum.] *S. Cyprianus* 3. *teſtim.* & erit in peccatum.

CAP. XXIV.

(*a*) ET dabit, & dimittet.] *In Compl. eſt,* καὶ δώσῃ, καὶ ἐξαποστελῇ, & dederit, & dimiſerit. *Sed noſtra retinet hebraiſmum.* (*b*) Annunciaverint.] ἀναγγείλωσιν. *S. Auguſt. q.* 40. juraverint. (*c*) Ejus.] *Ita hebræus, & chaldæus. Ab aliis codicibus abeſt illud* αὐτοῦ. *& a S. Ambroſ. lib. de Tobia, cap.* 20. *& a S. Auguſt. quæſt.* 41. (*d*) Pignus.] *Ita S. Ambroſ. ibidem: & S. Joannes Damaſcenus in collectaneis locorum communium,* τὸ ἐνέχυρον αὐτοῦ. *& reſpondet hebræo: & in vulgata ſubintelligitur. In aliis codicibus eſt,* τὸ ἱμάτιον αὐτοῦ, *& S. Auguſt. ibidem,* veſtimentum ſuum. (*e*) Fraudabis.] ἀποδικήσεις, *quod eſt ſignificantius, quam quod in aliis libris habetur,* ἀποστερήσεις. (*f*) Non declinabis.] *Ita S. Auguſt. quæſt.* 43. *quod græce eſt* οὐκ ἐκκλινεῖς, *& valet,* non pervertes. *Retinuimus etiam paulo poſt ex eodem in quæſt.* 44. *illud,* oblitus. (*g*) Non revindemiabis.] *Aquila,* οὐκ ἀποφυλλίσεις, non racemabis. ἐπιφυλλὶς racemulus qui ſub foliis latet aut magno racemo ſubjacet: item racematio Abd. 5. hinc verbum ἐπιφυλλίζειν racemationem facere. Quo uſi ſunt & 70. Thren. 1. 22. *Druſ.*

CAP. XXV.

(*a*) COnſtitues.] *Aut* ſternes. *græce enim eſt* καθιεῖς. *S. Aug. q.* 45. conſtituent: (*quod reſpondet vulgatæ* proſternent.) *itemque paulo poſt,* ſi autem appoſuerint, *ubi etiam Compl.* ἐὰν δὲ προσθῶσιν. (*b*) Et numero.] *S. Aug.* numero quadraginta flagellabunt eum: & non apponent: *quomodo etiam eſt in aliquo libro græco. Compl.* ἀριθμῷ μαστιγώσουσι αὐτὸν, τεσσαράκοντα οὐ προσθήσουσιν. numero flagellabunt eum: quadraginta non addent: *ſed longius ab hebræo.* (*c*) Super has plagas plures.] *Ita etiam S. Auguſt. In aliis codicibus eſt,* ὑπὲρ ταύτας τὰς πληγὰς, πληγὰς πλείους, ſuper has plagas, plagas plures: *quæ geminatio neque in hebræo eſt.* (*d*) Coram te.] *S. Auguſt. addit,* valde. (*e*) Non erit uxor.] *Ita fere hebræus. S. Auguſt. q.* 46. uxor defuncti fratris non alteri nubet appropianti. (*f*) Homines.] *In aliis eſt,* δύο ἄνθρωποι, *& vulgata,* viri duo: *ſed noſtra reſpondet hebræo, & chaldæo.*

CAP. XXVI.

(*a*) SI intraveris.] *In Compl. pro* ἐὰν *eſt* ὅταν, quando intraveris: *ſed frequentiſſime apud LXX* ἐὰν *valet idem atque* ὅταν. (*b*) Dicet.] ἐρεῖ. *In aliis eſt* ἐρεῖς, dices: *quod reſpondet vulgatæ.* (*c*) Rejecit.] ἀπέβαλεν. *Aliqui codices, & Compl.* ἀπέλιπεν, reliquit. *Vulgata,* Syrus perſequebatur patrem meum. (*d*) Lætabuntur.] *In aliis* ἐμπλησθήσονται, ſaturabuntur: *quod reſpondet vulgatæ. In capite ſequenti ponitur ſimul utrumque* ἐμπλησθήσῃ, καὶ εὐφρανθήσῃ, *ubi una tantum eſt dictio hebræa.* (*e*) Dixit.] *In aliis additur* σοι, *tibi.* (*f*) Gloriationem.] *Eſt locutio notanda: ſignificat enim,* ad gloriam, & honorem: *In vulgata autem hæc referuntur ad ipſas gentes: ut intelligamus Iſrael fore ſuperiorem cunctis gentibus, quas Deus creavit in laudem ſuam: quamvis illud* ſuam, *abſit ab hebræo & chaldæo.*

CAP. XXVII.

(*a*) NUru.] νύμφης. *Alii,* πενθερᾶς. ſocru.

CAP. XXVIII.

(*a*) FOEtus.] τὰ ἔκγονα. *quod etiam ſolet verti,* fructus. *In quibuſdam eſt,* τὰ ἔργα, opera. (*b*) Mandatis.] *Alii* λόγων. *& S. Auguſt. q.* 48. verbis. (*c*) Famem.] τὴν ἐκλιμίαν. *Symm.* ἀχορτασίαν, inſatiabilitatem. *Vulgata,* eſuriem. (*d*) Roſione.] ἐρεθισμῷ, *quod alij vertunt,* irritatione, *aut,* pruritu. *In aliis autem libris additur,* καὶ φόνῳ, & cæde. (*e*) Deſcendet.] *In aliis additur* ἐπὶ σὲ, ſuper te. (*f*) Diſperſio.] *Alii,* ἐν διασπορᾷ, in diſperſionem. (*g*) Qui exterreat.] *In aliis,* ἀποσοβῶν, qui abigat. (*h*) Ænigma.] *Aut, ut alii,* proverbium. *Vocem hebræam nonnulli vertunt* deſolationem, *nonnulli* ſtuporem: *quod non longe videtur abeſſe ab ænigmate. Stupemus enim in iis quorum cauſas rationeſque ignoramus: vulgata,* & eris perditus. (*i*) Lignea.] ξύλινα. *Alii,* ξύλα, ligna. (*k*) Non audies.] *S. Auguſt. in locut.* pro eo quod eſt, cujus linguam non intelliges. (*l*) In civitatibus.] *Alii,* ἐν πάσαις ταῖς πόλεσί σου, αἷς ἔδωκέ σοι κύριος ὁ θεός σου. In omnibus civitatibus tuis, quas dedit tibi Dominus Deus tuus: *quæ varietas eſt etiam paulo poſt.* (*m*) Ut det.] *Aut, ut S. Auguſt. in locut.* ita ut det: *quod eſt* ὥστε δοῦναι, *& poſſet verti congruenter hebræo,* à dando, *nempe,* faſcinabit, *hoc eſt,* invidebit ita, ut non det. *Legendus eſt ibi S. Auguſt.* (*n*) Chorium.] *Retinuimus dictionem græcam,* τὸ χόριον. *quæ ſolet ſignificare ſecundas, & nunc ſignificat parvulum, qui illis involutus adhuc naſcitur: ut diſtinguatur ab illo, qui jam natus eſt. Vulgata,* & illuvie ſecundinarum. (*o*) Faciet.] *Alij addunt,* ἐπὶ σὲ, in te. (*p*) Cor aliud incredulum.] *Sive diffidens: græce eſt* καρδίαν ἑτέραν ἀπειθοῦσαν. *Alii,* καρδίαν ἀθυμοῦσαν, cor mœrens.

CAP. XXIX.

(*a*) QUæ.] ὅς. *S. Aug. q.* 49: quod mandavit, *ut videatur legiſſe,* ἧς. *atque ita in vulgata. Theodoretus q.* 35. ὅσα ἐνετείλατο, quæcunque mandavit: *licet interpres alio fortaſſe exemplari uſus habeat,* quod mandavit. (*b*) Dominus.] *Sic hebræus. In aliis additur,* ὁ θεὸς ὑμῶν, *& S. Aug. q.* 50. Dominus Deus veſter. (*c*) Et ſervis ejus.] *Alij,* πᾶσι τοῖς θεράπουσιν αὐτοῦ. *& S. Aug ibidem.* Et omnibus ſervis ejus. (*d*) Magna.] *Ita libri veteres: & reſpondet vulgatæ, & hebræo. Apud S. Aug. additur* & manum validam. *In quibuſdam vero codicibus Græcis ac Compl. & ſunt iſta,* τὴν χεῖρα τὴν κραταιὰν *ac præterea,* καὶ τὸν βραχίονα τὸν ὑψηλόν, & brachium excelſum. (*e*) Ego.] *Reſpondet hebræo & chaldæo. In aliis codicibus eſt,* ὅτι ἐστὶ κύριος ὁ θεὸς ὑμῶν. *& S. Aug. q.* 51. quia eſt Dominus Deus veſter: *quomodo fere vulgata.* (*f*) Nunquid eſt aliquis.] *S. Aug. q.* 52. Ita dictum eſt, nunquid eſt in vobis, ut tanquam requirentem intelligamus, ne forte ſit: *& quod græce eſt,* μήτις ἐστὶν, *poſſet etiam ita verti,* ne forte ſit. (*g*) Profecti.] *In aliis eſt,* πορεύεσθαι. *& ita S. Aug. apud quem quoniam multæ ſunt varietates, libuit totum locum adſcribere, cujus etiam aliquas partes explanat.* Nunquid eſt aliquis inter vos, vir aut mulier, vel famulus, vel tribus, cujus mens declinavit a Domino Deo veſtro ire ſervire Diis gentium illarum? Nequam eſt in eo radix rurſum germinans in felle, & amaritudine. Et erit, cum audierit verba maledictionis hujus; & opinabitur in corde ſuo dicens, ſancta mihi fiant, quoniam in errore cordis mei incedo. Ut non ſimul perdat peccatorem, & eum qui ſine peccato eſt, &c. *quorum poſtremorum verborum loco in vulgata eſt,* & abſumat ebria ſitientem. (*h*) Libro hoc.] *In aliis eſt,* ἐν τῷ βιβλίῳ τοῦ νόμου τούτου, *& apud S. Aug.* in lib. legis hujus. (*i*) Aliis.] *In multis cod. additur,* καὶ προσεκύνησαν αὐτοῖς, Et adoraverunt eos. (*k*) Neque diſtribuit eis.] *Reſpondet omnino hebræo: & videtur poſſe ſubintelligi,* adoraverunt Deum qui nullum illis beneficium eſt impartitus. *Symm.* οὐδὲ προσῆκον αὐτοῖς. Neque pertinebant ad eos, neque utiles erant eis: *vulgata,* & quibus non fuerant attributi.

CAP. XXX.

(*a*) HOdie.] *In hebræo additur,* tu, & filii tui. (*b*) Et ſanabit Dominus peccata tua.] *Pro his in hebræo nunc eſt, ut in vulgata,* reducet te Dominus Deus tuus de captivitate tua. (*c*) Et circumpurgabit.] *Ita S. Aug. q.* 53. *S. Cyprianus, lib.* 1. *teſtim.* In noviſſimis diebus circuncidet Deus cor tuum, *&c.* (*d*) Benedicet.] *Alij codices,* πολυωρήσει, *& vulgata,* abundare te faciet. (*e*) Supra modum.] *Ita S. Aug. q.* 54. *quod græce eſt,* ὑπέρογκος. *& poſſet etiam verti,* grave, intolerabile. (*f*) Surſum.] *Abeſt iſta dictio ab aliquot codicibus, & Theodoreto q.* 38. *& a S. Auguſt. ibid. & in locut.* (*g*) Dicens.] *S. Aug. locis indicatis,* pro eo poſuit quod eſt, ut dicas. (*h*) Et auditum nobis faciet.] *Ita etiam Theodoretus, Alii, & Compl.* καὶ ἀκούσαντες αὐτὴν. *& S. Aug.* & audientes illud. *Sed noſtra propius ad hebræum.* (*i*) Et in manibus tuis.] *Sic etiam Theodoretus. Notat S. Aug. eadem q. hæc in verſione ex hebræo non haberi, nec tamen fruſtra a LXX eſſe addita.* (*k*) Tu ut vivas.] *S. Cyprianus,* 3. *teſtim.* tibi ut vivas.

CAP. XXXI.

(*a*) TRadidit.] *Hebræus habet,* tradet: *Sed uſitata eſt in ſcriptura horum temporum mutatio.* (*b*) Qui ſimul procedit tecum.] *S. Auguſt. in locut. videtur hoc loco habuiſſe, &* Dominus, qui comitabitur tibi, tecum: *neque longe abeſt ab hebræo.* (*c*) Dominus.] *Abeſt dictio iſta ab hebræo: ſed ſuppletur etiam a vulgata. In Compl. autem additur,* ὁ θεός σου, Deus tuus. (*d*) Eſca.] κατάβρωμα, *id eſt,* ut devoretur. *Vulgata,* erit in devorationem.

rationem. (e) Meum.] *In Compl. ſequitur,* ϗ ἔςαι ὅταν εὕρωσιν αὐτὸν κακὰ πολλὰ, ϗ θλίψεις, ϗ ἀντικαταςήσεται, Et erit, cum invenerint eum mala multa, & tribulationes; & reſpondebit, *&c. quæ reſpondent hebræo.* (f) Amaricantes eratis, quæ ad Deum.] *S. Auguſt. in locut.* id eſt, amaricabatis ea, quæ Dei ſunt. (g) Conteſtor.] διαμαρτύρομαι. *Compl.* διαμαρτύρωμαι, teſtificer. (h) Noviſſimum dierum.] *S. Auguſt. in locut.* pro in noviſſimis diebus, aut in noviſſimo dierum.

CAP XXXII.

(a) ECcleſiæ.] *In aliis additur,* ἰσραὴλ, Iſrael: *quod eſt in hebræo, & vulgata.* (b) Stilla.] *Sic ſolet verti hoc loco,* νιφετὸς. *Sed ſolet ſignificare nivem confertim decidentem: & hoc modo accipitur in catena in hoc canticum verſa ab optimo Cardinali Caraffa.* (c) Injuſtitia.] *In aliis, & in catena illa ſequitur,* ἐν αὐτῷ in eo. (d) Non ei filii vituperabiles] *Ita S. Auguſt. q. 55. cui locutio hæc magnam attulit difficultatem. Videtur autem poſſe ſic accipi, ut minime dicantur hi non peccare Deo, ſed non eſſe filii Deo, id eſt, ipſius Dei. Aquila,* διέφθειραν αὐτῷ οὐχ υἱοὶ (al. οἱ υἱοὶ) αὐτοῦ. Corruperunt ſe ei non filii ejus. *Symm.* διέφθειραν πρὸς αὐτὸν οὐχ υἱοὶ τὸ σύνολον, corruperunt ſe erga eum non filii omnino. (e) Sic populus ſtultus.] *Accipiendum eſt in caſu vocandi, ac ſi diceretur,* Siccine popule ſtulte? *ac reſpondet hebræo. In aliis libris, & in catena eſt,* οὗτος λαὸς, iſte populus. (f) Creavit te.] *Ita S. Auguſt. in locut. quod græce eſt,* ἔπλασε, *& ſolet verti,* plaſmavit, finxit, formavit. (g) Annos generationum generationibus.] ἔτη γενεῶν γενεαῖς. *Alii,* ἔτη, γενεὰς γενεῶν, annos, generationes generationum. *Catena,* ἔτι γενεὰς γενεῶν, adhuc generationes generationum. *Compl.* ἔτη γενεᾶς γενεῶν, annos generationis generationum. *Hebræus habet,* annos generationis, & generationis. (h) Angelorum Dei.] *Ita Novatianus in libro de Trinitate, qui ſub nomine Tertulliani circumferebatur, & Rufinus in expoſitione Symboli, & S. Gregorius Papa in hom. 34. & S. Hier. l. 2. in Michæam. Huc etiam ſpectaſſe videtur S. Chryſoſt. in epiſt. ad Coloſſ. hom.* 3. hæc ſcribens: τὸ πρῶτον κατὰ ἀριθμὸν ἐθνῶν ἦσαν οἱ ἄγγελοι, νῦν δὲ οὐ κατὰ ἀριθμὸν ἐθνῶν ἀλλὰ κατὰ ἀριθμὸν πιστῶν. Principio ſecundum numerum gentium erant angeli; nunc autem non ſecundum numerum gentium, ſed ſecundum numerum fidelium. *Et de hac re afferuntur multa in catena ex epiſtola Severi ad Joannem Tribunum. Aquila, & Symmachus,* κατὰ ἀριθμὸν υἱῶν ἰσραὴλ, ſecundum numerum filiorum Iſrael. *Catena etiam illa teſtatur ſic ceteros interpretes edidiſſe. Hujus varietatis facit etiam mentionem Origenes hom.* 28. *in Numeros.* (i) Neceſſaria tribuit ei.] αὐτάρκησεν αὐτόν. *Ita etiam Chaldæus. Aquila, & Theodotio,* εὗρεν αὐτόν, invenit eum, *quod habet vulgata.* (k) Siti æſtus.] *Quaſi dicat,* ſiti æſtuoſa. *Aquila,* ἐν ἀτάκτῳ, ἀοικήτῳ, ἠφανισμένῃ, in inculta, inhabitabili, horroris plena. (l) Deſideravit.] ἐπεπόθησε. *Ita etiã in catena: & ita habet ex lxx S. Hier. in c. 23. Euang. S. Matthæi. Compl.* ἐπεπόθυσε volavit, *& quod ſequitur,* δεὶς, *ad marginem catenæ eſt* ἐκπετάσας, *quod eſt expreſſius.* (m) Fortitudinem.] *Aquila* ἐπὶ τὸ ὕψωμα τῆς γῆς, Super celſitudinem terræ. (n) Taurorum.] *Vulgata, ut hebræus, habet Baſan.* (o) Deorſum.] *In aliis codicibus, & in catena eſt,* κατωτάτου, infimum. (p) Compugnabo.] συμπολεμήσω, *quaſi dicat,* confertim jaculabor. *Catena,* συνταράξω, conturbabo. *In ceteris libris,* συντελέσω, conſumam, *aut* complebo: *quomodo habet vulgata.* (q) Comeſtione.] βρώσει, *quod ſcilicet comedantur ab avibus.* (r) Opiſthotonus.] *Solet ſignificare rigidam contractionem cervicis ad ſcapulas: quæ interpretatio affertur etiam in catena: ſed hic a quibuſdam vertitur,* morſus. *Dictio hebræa ſignificat etiam excidium.* (ſ) Scientia.] *Aquila,* οὐκ ἔστιν ἐν αὐτοῖς φρόνησις. ὄφελον ἐσοφίσθησαν ἐπίστασθαι αὐτήν, συνετίσθησαν εἰς ἐσχάτην αὐτῶν. Non eſt in eis prudentia. Utinam meditarentur ſcire eam, intelligerent in noviſſimo ſuo. *Schol.* εἰς ἐσχάτην, id eſt, in noviſſimis diebus ſuis: *quare nonnulli illud,* εἰς τὸν ἐπιόντα χρόνον, *ſolent interpretari,* in noviſſimum tempus. (t) Amentes.] *Ubi vulgata,* judices. (u) Eis.] *Sic hebræus. In aliis eſt* αὐτῶν, eorum. (x) Hæc.] *In multis libris additur,* πάντα, omnia: *quod abeſt ab hebræo. Catena.* Symm. manifeſtius interpretatus edidit, μὴ οὐχὶ τοῦτο ἀπόκειται παρ' ἐμοί; nonne hoc repoſitum eſt apud me? (y) Vobis.] *Ita collati codices. In hebræo eſt,* eis. (z) Conſolabitur.] *Sic S. Auguſt. in locut, & affert duas explanationes. Græce eſt,* παρακληθήσεται, *& poſſet etiam verti,* revocabit ſe: *quod convenit cum hebræo: nec abhorret a vulgata, quæ habet,* miſerebitur. *De hoc vocabulo dictum eſt etiam in Gen..* (aa) Obductione.] *Catena,* ἐπαγωγή, eſt tempus ultionis. *Alii interpretantur captivitatem. De hac dictione alibi dicetur.* (bb) Dexteram.] *S. Auguſt in locut.* id eſt, per dexteram meam. (cc) Angeli Dei.] *Ita S. Paulus ad Hebr. cap. 1. Juſtinus Martyr in dialogo adverſus Tryphonem, S. Hilarius in Pſal. 67. S. Epiphanius Archiepiſcopus Cypri in libro contra Ariomanitas, & Catena. In aliis hoc loco eſt,* υἱοὶ θεοῦ, filii Dei, *& paulo poſt, ubi noſtra* υἱοὶ θεοῦ, *ipſi,* ἄγγελοι θεοῦ, angeli Dei. *quæ varietas indicatur etiam in Scholiis, & apud S. Auguſt. in locut. Ab hebræo, & a vulgata abeſt tota hæc pars: ſicut viciſſim a nonnullis græcis codicibus ea quæ ſequitur,* Lætamini gentes cum populo ejus, & invaleſcant ei omnes filii Dei. *Et in hebræo quidem tantum eſt, ut in vulgata,* laudate gentes populum ejus. *Quare in Scholio ſcribitur, pro* εὐφράνθητε, *Aquilam dixiſſe,* αἰνοποιήσατε, *licet in Catena ſit,* ἑνοποιήσατε, unum facite.

CAP. XXXIII.

(a) ELevatus virtute.] ἐπηρμένος δυνάμει. *Alii*, ἦν δυνατὸς ἐν ἰσχύϊ, fuit potens in fortitudine. (b) Fornicariæ.] *Ita S. Auguſt. q. 49. quod græce eſt*, ἑταίρας. *Suſpicari tamen licet, hoc loco idem valere, ac ſi diceretur*, ἑτέρας, alterius. *Nam & vulgata ſic habet*, de altera matre natus es. (c) Conglobati ſunt.] συνεστράφησαν. *Alii*, συνελέγοντο. *Et S. Auguſt. ibidem*, colligebantur. (d) Inanes.] *Sic hebræus. In alijs* ἄνδρες λιτοὶ, καὶ συνεξεπορεύοντο μετ᾽ αὐτοῦ. *Quod apud S. Auguſt. videtur eſſe*, viri latrones, qui ambulabant cum ipſo. *Quanquam*, λιτοὶ, *ſoleat ſignificare tenues, & inopes : vulgata*, inopes, & latrocinantes. (e) Et factum eſt, quando pugnarunt.] *In alijs*, καὶ ἐγένετο μεθ᾽ ἡμέρας καὶ ἐπολέμησαν οἱ υἱοὶ ἀμμὼν μετὰ ἰσραήλ. καὶ ἐγενήθη, ἡνίκα ἐπολέμησαν. Et factum eſt poſt dies, & bellarunt filii Ammon cum Iſrael. Et factum eſt, quando bellarunt, *&c.* (f) Et propter quid.] *Compl.* καὶ τί, ὅτι ἤλθετε πρός με νῦν, ἡνίκα ἐθλίβητε ; & quid eſt, quod veniſtis ad me nunc, quando tribulati eſtis ? *Et ſic S. Auguſt. niſi, quod non habet*, ad me nunc. (g) Propter hoc.] *Reſpondet hebræo, & vulgatæ. Alii*, οὐχ οὕτως νῦν ἤλθομεν (*Complut.* συνήλθομεν) πρὸς σέ. *Et S. Auguſt.* Non ſic modo venimus ad te. (h) In principem.] *Alij*, εἰς κεφαλήν. *Et S. Auguſt. in locut.* In caput. (i) Et ibo.] *Abeſt hoc a Compl. ut a vulgata.* (k) Dixit.] *Sic etiam hebræus. Alii*, εἶπαν, dixerunt. (l) Siph.] *Alii*, ἐρυθρᾶς, rubrum. (m) Non credidit.] *Ita hebræus. Alii*, οὐκ ἠθέλησεν, non voluit. (n) Hæreditabit te.] *Id eſt*, hæreditare te faciet : *& reſpondet hebræo. Alii*, κατεκληρονόμησέν σοι hæreditavit tibi. *S. Aug.* hæreditabit tibi. (o) Et omnes, quos abſtulit] *Compl.* καὶ πάντα ὅσα κατεκληρονόμησεν, & omnia quæcunque hæreditavit. *Et ita S. Aug. niſi quod habet*, hæreditabit. *In aliquo libro eſt utrumque*, καὶ πάντας οὓς ἐξῆρε, καὶ πάντα ὅσα κατεκληρονόμησεν. (p) In bono melior.] *Imitatur geminationem quæ eſt in hebræo. Alii tantum*, κρείσσων, melior. (q) Finibus.] *Alij*, θυγατράσιν, filiabus : *itemque paulo poſt.* (r) Eruiſti.] *Alii*, ἐρρύσαντο, eruerunt. *Vulgata*, nihil ſuper hoc repetitione tentaſtis. (ſ) Et præteriit ſpeculam Galaad trans filios Ammon.] *Alij*, καὶ διέβη τὴν σκοπιὰν γαλαάδ, καὶ ἀπὸ σκοπιᾶς γαλαὰδ εἰς τὸ πέραν υἱῶν ἀμμών. *Et S. Aug.* & tranſiit ſpeculam Galaad : & de ſpecula Galaad tranſiit ad filios Ammon. (t) Dans dederis.] *Ita fere hebræus. Alii.* παραδόσει παραδῷς. *Et S. Auguſt.* traditione tradideris. (u) Offeram.] *In aliis eſt*, καὶ ἀνοίσω, & auferam. *S. Aug. utroque modo.* (x) Uſque Arnon.] *Alii*, ἕως τοῦ ἐλθεῖν σε μενεὶθ, *& vulgata*, uſque dum venias in Mennith. *A Compl. abeſt*, σε. (y) Charmin. *Alii*, ἀμπελώνων, vinearum : *quod eſt interpretatio illius.* (z) Humiliati.] συνεστάλησαν. *Propius hebræo, quam quod in alijs*, ἐνετράπησαν, confuſi ſunt. (aa) Unigenita.] μονογενής. *Schol.* ἐν ἄλλῃ ἐκδόσει τὸ ποθητή. ἀπὸ δὲ τινος συνηθείας. ἢ ἰδιώματος τὴν ποθητὴν οὕτως ὀνομάζει. In alia editione eſt, ποθητὴ, optata. Ex quadam autem conſuetudine, aut idiomate, eam, quæ optata eſt, ſic vocat. *In aliquo libro eſt*, μονογενὴς αὐτῷ ἀγαπητὴ, *quam lectionem videtur fere S. Auguſt. in q. 49. habuiſſe, cum ita inquit*, ab unicæ & chariſſimæ nece : *licet in locut. habeat tantum*, unica. (bb) Alius filius, vel filia.] *Alii*, πλὴν αὐτῆς υἱὸς ἢ θυγάτηρ. *Et S. Auguſt. in locut.* præter ipſam filius, aut filia. (cc) Perturbatione perturbaſti me : & tu feciſti in turbamentum meum.] *Alii*, ἐμποδοστάτηκάς με, εἰς σκῶλον ἐγένου ἐν ὀφθαλμοῖς μου. *Et S. Auguſt.* Heu me filia mea impediſti me: in offendiculum facta es in oculis meis. *In aliquot libris utraque lectio ponitur, hæc primo loco, noſtra ſecundo. Schol.* οὕτως κεῖται ἐν ἄλλῃ ἐκδόσει. ἐμποδοστάτηκάς με ἀντὶ τοῦ, ἐμπόδιον καὶ διακοπὴ τῆς πρὸς σὲ γενομένης μοι εὐφροσύνης γέγονας. Sic habet in alia editione, ἐμποδοστάτηκάς με, perinde, ac ſi diceret, facta es mihi impedimentum, & præciſio ejus, quæ mihi ex te orta erat, lætitiæ. (dd) Dum faceret.] ἐν τῷ ποιῆσαί σοι. *Alii & Theodoretus q. 19.* ἀνθ᾽ ὧν ἐποίησέν σοι, pro eo quod fecit tibi. (ee) Deſcendam.] *Ita etiam hebræus. Videtur enim ſignificare quandam non tam corporis quam animi demiſſionem : ſicut aſcendere interdum ſignificat non tam greſſum ad ſuperiora, quam animi elationem, & alacritatem.* (ff) Ibant filiæ Iſrael lamentari filiam Jephthæ Galaaditæ ad quatuor.] *Alii, pro*, ἐπορεύοντο, *habent*, συνεπορεύοντο, *& pro*, ἐπὶ τέσσαρας, *tantum*, τέσσαρας. *Et S. Auguſt.* conveniebant lamentari filiam Jephthæ Galaaditæ quatuor dies in anno.

CAP. XII.

(a) AQuilonem.] *Alii*, Σεφινὰ Sephena : *quod eſt verbum hebræum, ſignificans Aquilonem.* (b) Valde.] *Ita hebræus, Alii*, ἐταπείνουν με σφόδρα, humiliabant me valde. (c) Non es ſalvator.] *Reſpondet hebræo. Alii*, οὐκ ἦν ὁ σώζων, non erat qui ſalvaret. (d) Evaſores.] διασεσωσμένοι, *quaſi qui fugiendo evaſiſtis, fugitivi Ephræm, ut explanat vulgata* (e) Et dicebant eis.] *Alij*, καὶ ἐγενήθη, ὅτι (*al.* ὅτε) εἶπαν. Et factum eſt, quia (*al.* quando) dixerunt. (f) Spica.] στάχυς. *Alii libri, & Theodoretus q. 18:* εἴπατε δὴ σύνθημα. dicite nunc teſſeram. *In Compl. conjungitur utrumque*, στάχυς σύνθημα. *Schol.* In alia editione, μὴ ἐκ τοῦ ἐφραὶμ ὑμεῖς ; καὶ εἶπον, οὐκ ἐσμέν. καὶ εἶπον αὐτοῖς, εἴπατε δὴ σύνθημα. καὶ εἶπαν, στάχυς, καὶ οὐ κατεύθυναν τοῦ λαλῆσαι οὕτως. εἶτα καὶ ἐπελάβοντο αὐτῶν. Nunquid de Ephræm vos ? & dicebant, non ſumus. Et dicebant eis, dicete nunc teſſeram ; & dicebant, ſpica : & non aſſequebantur loqui ſic. Deinde & apprehendebant eos. *Res longe clarior in hebræo, & in vulgata. Nam dictio hebraica ſignificans ſpicam non eodem modo ab Ephratæis atque a Galaaditis pronunciabatur. Et idcirco ea Galaaditæ tanquam teſſera utebantur ad dignoſcendos Ephratæos ab aliis Iſraelitis* (g) Immolabant.] ἔθυσαν. *Alii*, ἔσφαξαν, jugulabant. (h) Ælom.] *Alii*, αἰλεὶμ, Ælim. (i) Amalec.] *Ita etiam vulgata, & hebræus. Compl. autem*, λανάκ. Lanac.

CAP. XIII.

(a) ET concipies filium.] *Alij*, καὶ ἐν γαστρὶ ἕξεις, καὶ τέξῃ υἱόν. Et in utero habebis, & paries filium. (b) Nunc.] δή. *Ita enim ſolet ſæpe verti etiam dictio hebræa, cui hæc reſpondet : ac ſignificat, ut alibi notatum eſt, quendam precantis affectum, ac ſi diceremus, quæſo, obſecro. Abeſt autem hoc loco ab aliis codicibus, & a S. Auguſt. q. 50.* (c) Inebriamentum.] μέθυσμα : *& eſt interpretatio dictionis*, σίκερα, Sicera, *quæ eſt in aliis, & apud S. Aug. itemque in ſequentibus.* (d) Nazir.] *In aliis iſta dictio hebraica eſt inflexa ad formam græcam*, ναζηραῖον, *aut*, ναζιραῖον. Nazeræus (e) Terribilis.] *Sic etiam vulgata. Alii*, καὶ ἡ ὅρασις αὐτοῦ, ὡς ὅρασις ἀγγέλου τοῦ θεοῦ ἐπιφανὴς σφόδρα, & aſpectus ejus, ſicut aſpectus angeli Dei : ſplendens valde. (f) Et non interrogavi.] *Sic hebræus, & chaldæus. Alii codices*, καὶ ἠρώτων, *& S. Aug. q. 51.* & interrogabam. (g) Sanctus.] ἅγιον. *Eſt interpretatio dictionis hebraicæ, quæ eſt in alijs*, ναζηραῖον. *Et S. Auguſt. q. 5.* Nazaræus Dei. (h) Domine Adonaie.] *Videntur duæ interpretationes. Alii habent*, ἐν ἐμοὶ κύριε, ἄνθρωπος. *Et S. Auguſt. in locut.* In me Domine, homo, &c. (i) Nunc veniet verbum.] *Alii*, νῦν δὴ ἐλθόντος τοῦ ῥήματός σου, nunc utique ſi venerit verbum tuum. (k) Retineamus.] κατάσχωμεν. *Et reſpondet hebræo. Alii*, βιασώμεθα δή σε, *& paulo poſt*, ἂν βιάσῃ με, *quo modo etiam habet Theodoretus. Et S. Auguſt. q. 53.* Vim faciamus tibi nunc, &, ſi vim feceris mihi (l) Et ipſum.] καὶ αὐτό. *S. Dionyſius in libro de divinis nominibus*, καὶ τοῦτό ἐστι θαυμαστὸν, & hoc admirabile. (m) Et ſacrificium, & obtulit.] *Ita collati codices, & hebræus. Nam* θυσία *proprie ſignificat oblationes ex farina, quæ fiebant ſuper victimas. S. Auguſt. q. 54. habuit*, & ſacrificium obtulit Domino. (n) Diſceſſit ad faciendum.] διεχώρισε ποιῆσαι. *Videtur hoc valere, diſceſſit ab uſitato rerum ordine in faciendo. Nam hebræus & chaldæus habent*, & mirificavit ad faciendum. *In aliis libris eſt*, τῷ θαυμαστὰ ποιοῦντι. *S. Auguſt. q. 54.* mirabilia facienti. (o) Et non oſtendiſſet] *Sic etiam vulgata. Alij*, καὶ οὐκ ἂν ἐφώτισεν ἡμᾶς. *Et S. Auguſt.* nec illuminaſſet nos.

CAP. XIV.

(a) ET aſcendit.] *Sic etiam hebræus. In aliis eſt*, καὶ ἤρεσεν ἐνώπιον αὐτοῦ, καὶ ἀνέβη, & placuit coram eo, & aſcendit. (b) Filiæ.] *Alii*, ἀπὸ τῶν θυγατέρων, de filiabus. (c) Recta.] *Reſpondet hebræo. Alii* ἤρεσεν, *placuit.* (d) Dominantes.] *Item hoc : ubi alii* ἐκυρίευον, dominabantur. (e) Venit.] *In aliis*, ἐξέκλινεν, declinavit ; aut ἐξέκλιναν, declinaverunt. (f) Direxit.] ηὐθύνθη *Eſt eadem phraſis cum ſuperiore, id eſt, recta ſtetit : quod in aliis*, ἤρεσεν. (g) De ore.] *Alii*, ἐκ τῆς ἕξεως, de corpore. (h) Quando viderunt eum.] *Reſpondet etiam vulgatæ. Alii*, ἐν τῷ φοβεῖσθαι αὐτοὺς αὐτὸν, cum ipſi timerent eum. (i) Lintea.] ὀθόνια. *Alii*, σινδόνας, ſindones. (k) Mutatorias.] *Abeſt ab aliis : Hebræus utrobique habet*, triginta mutatorias veſtes. (l) Manducabile quid] τὶ βρωτόν. *Alii*, ἐκ τοῦ ἐσθίοντος ἐξῆλθεν, de comedente exivit cibus. (m) Quarta.] *Compl.* τῇ ἑβδόμῃ. ſeptima. (n) Ad extorquendum.] ἐκβιάσαι, *quaſi ad opprimendum nos, & quaſi per extorſionem poſſidendos : quod reſpondet hebræo. Alii*, πτωχεῦσαι, ad inopes faciendos. (o) Oriretur.] *Alii*, πρὶν δῦναι, *& S. Ambroſ. epiſt. 70.* ante occaſum ſolis. (p) Et facta eſt uxor.] *In aliis*, καὶ συνῴκησε ἡ γυνὴ σαμψὼν τῷ νυμφαγωγῷ αὐτοῦ, ὃς ἦν ἑταῖρος αὐτοῦ. Et cohabitavit uxor Sampſon cum pronubo ejus, qui erat ſodalis ejus.

CAP. XVI.

(a) IN hœdo.] *Sic hebræus. Alii*, φέρων ἔριφον, afferens hœdum. (b) Et in cubiculum.] καὶ εἰς τὸ ταμεῖον. *Alii*, καὶ εἰς τὸν κοιτῶνα, *& a Compl. abeſt illud*, καὶ. (c) Etiam ſemel.] καὶ τὸ ἅπαξ. *Ab aliis abeſt etiam hoc loco illud*, καὶ. (d) Convertit.] ἐπέστρεψε. *Et reſpondet hebræo. Alii*, συνέδησε, colligavit. (e) Et ligavit.] *Abeſt a Compl. In aliquo eſt*, καὶ ὡδήγησε, & deduxit. (f) Arſerunt.] ἐκάησαν. *Alii*, ἐνεπύρισε, combuſſit. *Et in Compl. ſequitur*, τοὺς στάχυας καὶ τὰ προτεθερισμένα ἀπὸ στοιβῆς, καὶ ἕως ἑστῶτος, ſpicas, & ante meſſa à ſtœba, & uſque ad ſtantem. (g) Gener ipſius Thamni.] νυμφίος τοῦ θαμνί. *Alii*, ὁ γαμβρὸς τοῦ θαμναθαίου, gener Thamnathæi. (h) Uni ex amicis ejus.] *Alii*, τῷ συνεταίρῳ αὐτοῦ, Sodali ejus : *quæ varietas etiam initio hujus capitis notari poteſt.* (i) Si feceritis.] *Aptiſſime ad hebræum. Et habent verba ironiam minarum, & terroris plenam. Alii longe laxiore ſtructura*, ἐὰν ποιήσητε οὕτως, οὐκ εὐδοκήσω, ἀλλὰ τὴν ἐκδίκησίν μου ἐξ ἑνὸς ἑκάστου ὑμῶν ποιήσομαι, ſi feceritis ſic, non bene ſentiam : ſed ultionem meam ex unoquoque veſtrum faciam. (k) Tibiam ſuper femur.] *S. Auguſt. in locut.* hoc eſt, percuſſit eos ad admirationem, ad ſtuporem. *Quod q. 55. copioſe explicat: & hanc ſententiam præ ſe fert vulgata : Chaldæus interpretatur*, equite ſuper pedites. (l) Vir Juda.] *Ita etiam S. Auguſt. in locut. & reſpondet hebræo. Alii*, πᾶς ἀνὴρ ἰούδα, omnis vir Juda. (m) Occurratis.] *S. Auguſt. in locut.* pro eo, quod eſt, occidatis me : *itemque ult. q. quo quidem loco hæc referuntur*, Jurate mihi, ne interficiatis me vos : & tradite me eis, ne forte occuratis in me vos. *Et ita in aliquo lib.* ὀμόσατέ μοι, καὶ μὴ ἀποκτείνητέ με ὑμεῖς, καὶ παράδοτε ὑμεῖς, μήποτε ἀπαντήσητε ἐν ἐμοὶ ὑμεῖς *nec multo aliter compl. ſed facile apparet miſtura plurium interpretationum.*

(*n*) Venerunt.] *Alii*, ϗ αὐτὸς ἦλθεν, & ipſe venit, *quomodo videtur habuiſſe S. Auguſt. in locut. ubi etiam exponit, quod ſit illud, quod ſequitur*, uſque ad maxillam: *ſignificatur enim locus, qui ab hac re poſtea nominatus fuit Lechi, ideſt, maxilla.* (*o*) Inſiliit.] ἥλατο. *Alii* κατεύθυνεν, direxit, proſperavit. *S. Joan. Chryſoſt. in lib. decem homiliarum, Romæ impreſſo hom.* 2. *interdum habet*, κατηύθυνεν, *interdum* ἐπῆλθεν, κατῆλθεν, ἦλθεν. (*p*) Succenſa eſt.] *Reſpondet hebræo. Alii, & Chryſoſt ibidem* ἡνίκα ἂν ὀσφρανθῇ πυρός. *Et S. Auguſt. in locut.* cum olfecerit ignem, *quæ locutio eſt in ſequenti capite.* (*q*) Et ploravit.] ϗ ἔκλαυσεν. *Alii*, ϗ ἐβόησεν, & clamavit. (*r*) Tu benedixiſti.] σὺ εὐδόκησας. *Videtur dictum, quemadmodum in Pſalmo* 84. Benedixiſti Domine terram tuam: *nam* τὸ *ibi idem græcum verbum. Alii autem hic*, σὺ ἔδωκας, tu dediſti, *aut* σὺ εὐώδωσας, tu proſperaſti. (*ſ*) Et rupit Deus lacum.] *Schol.* In alia editione, καὶ ἤνοιξεν ὁ θεὸς τὸ τραῦμα τὸ ἐν σιαγόνι, & aperuit Deus vulnus, quod in maxilla: *quomodo fere habent ceteri impreſſi, & multi manuſcripti Chaldæus*, rupit Deus rupem: *alii ex hebræo*, & rupit Deus mortarium: *quo nomine putant ſignificari molarem dentem: quod eſt in vulgata.* (*t*) Qui eſt in maxilla.] *id eſt*, qui fons: *quod conſtat ex græco*, ἥ ἐστιν. *refertur enim ad* πηγή. *Et videtur intelligi, hunc fontem remanſiſſe in loco illo, qui, ut diximus, ab eventu iſto fuit vocatus Lechi, id eſt, maxilla. Vulgata tamen habet*, de maxilla.

CAP. XVI.

(*a*) MAne, & interficiemus.] *Sic fere hebræus. Alii*, ὄρθρου μείνωμεν καὶ ἀποκτείνωμεν, mane expectemus & interficiamus illum. *Compl. autem*, ἕως φωτὸς πρωῒ μείνωμεν, uſque ad lucem matutinam expectemus, *&c.* (*b*) In dimidio noctis] *Sic hebræus, Compl.* περὶ τὸ μεσονύκτιον, circa mediam noctem. (*c*) Alſorech] *Alii*, ἐκ τοῦ, *aut*, ἐπὶ τοῦ χειμάρρου σωρήκ, in torrente Sorec. *Illud*, Al, *quod eſt in noſtra, eſt veſtigium dictionis hebraicæ quæ ſignificat torrentem, aut vallem.* (*d*) Prævalebimus ei] δυνησόμεθα αὐτῷ. *& repræſentat phraſim hebræam. Alii*, πρὸς αὐτὸν, adverſus eum. (*e*) Nondum ſiccatis.] *Ita S. Auguſt. in locut. quod græce eſt*, μὴ διεφθαρμέναις. *nam corruptio & putredo oritur ex ſiccitate.* (*f*) Ei ſedebant. *Sic etiam S. Auguſt. in locut. quod græce eſt*, αὐτῇ ἐκάθητο. *id eſt, ſedebant, manebant apud eam. In aliis eſt* αὐτῆς, ejus. *Compl.* αὐτοῦ, illic. (*g*) Et inſidiæ exierunt de cubiculo. Et dixit: Alienigenæ ſuper te Sampſon.] *In aliis*, καὶ εἶπε πρὸς αὐτὸν, οἱ ἀλλόφυλοι ἐπὶ σὲ σαμψών. καὶ τὸ ἔνεδρον ἐκάθητο ἐν τῷ ταμείῳ. Et dixit ad eum: alienigenæ ſuper te Sampſon. Et inſidiæ ſedebant in cubiculo. (*h*) Et factum eſt.] *In his uſque ad illud* Et dixit, *ſunt nonnullæ varietates. ſed ab hebræo abſunt omnia iſta: ac tantum habetur*, Et dixit ad eum. *Nam cogitatione ſupplendum eſt illa feciſſe Dalidam.* (*i*) Hoc tertium.] *S. Auguſt. in locut.* Tertium poſuit pro tertio, ſive ter. (*k*) Virum.] *Ita hebræus. Alii*, τὸν κουρέα, tonſorem. (*l*) Ut ſemel, & ſemel] *Reſpondet hebræo: Alii & Theodoretus*, καὶ ποιήσω, καθὼς ἀεί. & faciam, ſicut ſemper. (*m*) Quia tradidit] *Alii*, ὅτι εἶπαν, παρέδωκεν, quia dixerunt, tradidit. (*n*) Bonum fuit.] ἠγαθύνθη. *Sic hebræus, & valet*, exhilaratum eſt. (*o*) Et illudebat coram eis.] *Alii*, καὶ ἔπαιζον (*aut*, ἐνέπαιζον, *ut Compl.*) αὐτῷ & illudebant ei. *Quæ autem in noſtra ſequuntur*, & alapis percutiebant eum *abſunt a ceteris.* (*p*) Inter columnas.] *Sic hebræus. Alii*, ἀναμέσον τῶν δύο στύλων inter duas columnas. (*q*) Dominus ſuper eas.] *Alii*, ὁ οἶκος ἐπεστήρικτο ἐπ' αὐτῶν *Et S. Aug. in locut.* domus confirmata eſt ſuper eas. *Compl. ſic habet verba Sampſonis*, ἐπανάπαυσόν με δή, καὶ ποίησον ψηλαφῆσαί με τοὺς στύλους, ἐφ' ὧν ὁ οἶκος ἐπεστήρικτο ἐπ' αὐτῶν, καὶ ἐπιστήρισόν με ἐπ' αὐτούς. *Et ſic ea vertit*, Dimitte me jam: & fac tangere me columnas, in quibus domus firmata eſt ſuper illis: & reclina me ſuper eas. (*r*) Adhuc.] ἔτι. *Alii*, δὴ πλὴν, nunc tantum. *Compl. autem longius ab hebræo*, διπλῶν, in duplo.

CAP. XVII.

(*a*) MIchæas.] *Alii*, μιχὰ, Micha (*b*) Quos accepiſti argenti tibi ipſi.] *Alii*, ἀργυρίοις (*aut*, ἀργυρίου) τοὺς συλληφθέντας σοι, Argenteos (*aut*, argenti) ſublatos tibi *Vulgata tamen habet*, quos ſeparaveras. (*c*) Et me maledictis adjuraſti. & etiam dixiſti.] καί με ἠράσω, καὶ προσεῖπας. *Alii*, καὶ ἐξώρκισας, καὶ εἶπας, & adjuraſti, & dixiſti. (*d*) Sanctificans.] *Propius hebræo, quam quod in aliis*, ἁγιασμῷ, ſanctificatione, *aut*, ἁγιασμὸν, ſanctificationem. (*e*) Filio meo] *Ad verbum ex hebræo. In aliis eſt*, κατὰ μόνας, ſeorſum. (*f*) Argentario.] *Sic etiam vulgata. quod græce eſt*, ἀργυροκόπῳ, ſculptori argenti. *Alii*, τῷ χωνευτῇ, fuſori, & conflatori. (*g*) Unius de filiis ſuis.] *Nam*, ἀπὸ ἑνὸς υἱῶν αὐτοῦ, *videtur dictum, pro* ἑνὸς ἀπὸ υἱῶν αὐτοῦ. *Abeſt tamen illud*, ἀπὸ, *ab aliis libris, & a Theodoreto.* (*h*) Vir, quod rectum] *Theodoretus.* ἀνὴρ ἕκαστος, τὸ ἀρεστὸν, vir unuſquiſque, quod placebat. *Sed*, ἀνὴρ, *&* ἕκαστος, *ſunt duæ interpretationes: & prior reſpondet hebræo: cui etiam magis reſpondet*, τὸ εὐθὲς, *quam*, τὸ ἀρεστόν.

CAP. XVIII.

(*a*) ET manſerunt.] *Alii*, καὶ κατέπαυσαν ἐκεῖ. αὐτῶν ὄντων ἐν τῷ οἴκῳ μιχὰ, καὶ αὐτοὶ ἐπέγνωσαν τὴν φωνὴν, & quieverunt ibi. Cum ipſi eſſent in domo Micha, & ipſi agnoverunt vocem. (*b*) Quieſcens.] ἡσυχάζουσα. *Vix videtur referri poſſe ad id quod proxime antecedit*, κρίσις σιδωνίων, *niſi intelligamus, judicium, id eſt, morem Sidoniorum, fuiſſe quietum, ac tranquillum, ſimilemque in hac civitate fuiſſe. Sed poteſt facile referri ad civitatem, aut terram. Cetera bene hebræo reſpondent. In aliis eſt*, ἡσυχάζοντα (al. ἡσυχάζοντας) ἐν ἐλπίδι, καὶ μὴ δυναμένοις λαλῆσαι ῥῆμα ἐν τῇ γῇ, κληρονόμος θησαυροῦ ὅτι μακράν εἰσιν ἀπὸ σιδῶνος, καὶ λόγος οὐκ ἦν αὐτοῖς μετὰ συρίας, quieſcentem (*al.* quieſcentes) in ſpe, & non potentes loqui verbum in terra, poſſeſſor theſauri, quoniam longe ſunt a Sidone: & verbum non erat eis cum Syria: *quæ non cohærent* (*c*) Quod precioſum.] *Hoc enim videtur ſignificare*, τὸ βάρος, *quod magni ponderis ac precii eſſet, atque apte reſpondet hebræo. Alii*, τὴν κτῆσιν αὐτῶν τὴν ἔνδοξον, poſſeſſionem ſuam honoratam. (*d*) Apponent.] *Alii* προσθήσεις, appones: *& videtur ſubintelligi*, ad patres tuos, *aut*, ad populum tuum. *Valet enim*, perdes. *Vide primo Reg. cap.* 27. (*e*) Rahab] *Schol.* 70. τοῦ οἴκου ῥεώβ. domus Rheob. *Theodoretus*, ῥιχὰβ, Rhichab. (*f*) Filius Manaſſe.] *Alii*, υἱοῦ, filii, *quâ in re ſæpe diſcrepat Vaticanus a ceteris. Apud Theodoretum autem eſt*, ἰωναθὰν υἱὸς μανασσῆ, υἱοῦ γηρσὰμ υἱοῦ μωυσῆ, Jonathan filius Manaſſe filii Gerſam filii Moyſi. *Vulgata.* Jonathan filium Gerſan filii Moyſi. *Sed noſtræ, & ceteris græcis convenit cum hebræo, & chaldæo.*

CAP. XIX.

(*a*) ET ivit ab eo.] *Non multo aliter vulgata. In aliis eſt*, καὶ ὠργίσθη αὐτῷ, *& S Hieronymus in Michæam c.* 5. & irata eſt ei concubina ſua. (*b*) Manſerunt.] ηὐλίσθησαν. *Alii*, ὕπνωσαν, dormierunt, pernoctarunt. (*c*) Inſtrue.] στράτωσον, *aut, ut alii*, στρατεύθητι. *In quibuſdam vero eſt*, ϗ διεπλάνα αὐτὸν, & fallebat, ac lactabat eum: *quod non longe abeſt ab hebræo.* (*d*) Et venerunt uſque Jebus.] *Alii*, αὐτοὶ κατὰ ἰεβοῦς, ipſi juxta Jebus. (*e*) Cum pueris tuis.] *Sic fere hebræus. In aliis eſt*, τοῖς δούλοις σου, ſervis tuis.] (*f*) Ipſi autem.] *Compl.* αὐτῶν δὲ ἀγαθυνθέντων τῇ καρδίᾳ αὐτῶν. Cum ipſi exhilarati eſſent corde ſuo. (*g*) Et partitus eſt eam in duodecim membra.] *In aliis*, ϗ ἐμέλισεν αὐτὴν κατὰ τὰ ὀστᾶ αὐτῆς εἰς δώδεκα μερίδας, & diviſit eam ſecundum oſſa ejus in duodecim partes. (*h*) Neque viſa eſt.] *Eſt hebraiſmus uſitatus etiam apud LXX. ut fœmininum pro neutro ponatur.*

CAP. XX.

(*a*) HUmiliaverunt] *In aliis*, ἐταπείνωσαν, ϗ ἐνέπαιξαν αὐτῇ, humiliaverunt, & illuſerunt in eam: *quæ duæ videntur ejuſdem dictionis hebraicæ interpretationes.* (*b*) Fervorem, & ruinam.] ζέμα, ϗ ἀπόπτωμα. *Et videntur ſignificare inuſitatum quendam exceſſum libidinis, & furoris. In hebræo etiam ſunt duæ dictiones ſignificantes ſcelus, & fœditatem In aliis autem græcis codicibus tantum eſt*, ἐποίησαν ἀφροσύνην, fecerunt imprudentiam *aut*, impudentiam. ζέμα, nomen mere Hebraicum, quod reperitur et *Ezec.* 24. *Hier.* ibi exponit dicens immunditiem execrabilem ac ſceleſtam. Hic vertit nefas, & alibi ſcelus: quod hodie retinuerunt plerique interpretes. Eſt ubi LXX reddunt vocabulo ἀνομίας. Rabbi *David*, ſignificationem habet rei abominandæ & operis mali. In tractatu de cultu falſo exponitur עצת חטאין concilium peccantium ſive peccatorum; uſus eſt etiam *Theodotio*, ſed neſcio ubi. Ipſe autem ζέμμα ſcribit, μ, geminata, vide Cadmum meum, *Druſ.* (*c*) Viginti tria millia] *In aliis*, εἴκοσι ϗ πέντε, viginti & quinque. *& ſic vulgata, ſed in hebræo* viginti & ſex (*d*) Vir trahens gladium] *Ita fere hebræus. In aliis eſt*, ἀνδρῶν σπωμένων ῥομφαίαν, virorum ducentium gladium. (*e*) Si adjiciamus.] *In aliis eſt in numero ſingulari*, εἰ προσθῶ, *&*, ἀδελφοῦ μου, *& multæ aliæ vocum varietates, quas omnes non eſt viſum neceſſarium indicare* (*f*) Holocauſtoſes, & conſummatas.] ὁλοκαυτώσεις ϗ τελείας. *Ita etiam cap. ſequenti. Alii*, ὁλοκαύτωμα σωτηρίου, holocauſtoma ſalutaris. *Vulgata*, holocauſta, atque pacificas victimas. (*g*) Fratres noſtros] *Alii*, τοῦ ἀδελφοῦ μου, ἢ κοπάσω; fratris mei, an quieſcam? (*h*) Evacuemus] ἐκκενώσωμεν. *Alii*, ἐκσπάσωμεν, avellamus, extrahamus. (*i*) Maraagabe] *Sunt duæ dictiones hebrææ coagmentatæ, quæ ſignificant*, a Gramineto Gabaa, *aut*, ab occidente Gabaa (*quod reſpondet vulgatæ*) aut a planicie. *Et in multis græcis libris eſt*, ἀπὸ δυσμῶν τῆς γαβαὰ, *quod & a planicie, & ab occidente poteſt ſignificare.* (*k*) Pugnæ.] τῆς μάχης. *Videtur rectius, quam quod in aliis*, μάχαιρα. *Non enim ſignum conſtitutum erat gladius, ſed fumus.* (*l*) A Nua.] *Abeſt hæc dictio a Compl. eſt tamen in hebræo: & ſignificat aut certum locum, aut requietem: quare in vulgata eſt*, nec erat ulla requies morientium. (*m*) Methla.] *In aliis*, ἑξῆς, conſequenter *Sed in noſtra eſt veſtigium dictionis hebraicæ, quæ ſignificat perfectionem: & a multis accipitur de virili ætate. Quare vulgata*, a viris uſque ad jumenta.

CAP. XXI.

(*a*) FActa eſt hæc.] *Eſt hebraiſmus, ut alibi dictum eſt. Compl.* ἐγενήθη τοῦτο, factum eſt hoc. (*b*) Requireretur.] *Hoc viſum ſignificare hoc loco illud*, τοῦ ἐπισκεπῆναι, *quaſi in recognitione & numeratione deeſſe.* (*c*) Quis non aſcendit.] τίς οὐκ ἀνέβη. *In aliis*, τίς ὁ μὴ ἀναβάς. Quis eſt qui non aſcendit. (*d*) Superſtitibus iis, qui reſidui ſunt.] τοῖς περισσοῖς, τοῖς ὑπολειφθεῖσιν. *Videntur duæ interpretationes. Nam illud*, τοῖς περισσοῖς, *abeſt a ceteris. Quod autem ſequitur*, εἰς γυναῖκας, *valet*, ad hoc, ut poſſint habere uxores. (*e*) Quis unus.] *Longe propius ad hebræum, quam quod eſt in aliis* τίς μία τῶν φυλῶν, quæ una tribuum. (*f*) Gladii] *In aliis additur*: καὶ τὰς γυναῖκας, καὶ τὸν λαὸν, & mulieres, & populum. (*g*) Et dixerunt, hæreditas ſuperſtitum.] *Aptiſſime ad hebræum: ideſt*, hæreditas ſit eorum, qui evaſerunt. *Alii* καὶ πῶς ἔσται κληρονομία διασεσωσμένη, & quomodo erit hæreditas incolumis. *Compl.* καὶ εἶπεν, κληρονομία διασεσωσμένη, & dixit, hæreditas incolumis. (*h*) Auſtro.] *In Compl. additur*, τοῦ λιβάνου, *quod neque vulgatæ, neque hebræo reſpondet.* (*i*) Miſericordiam facite nobis eas: quoniam non cepimus.] *Sic fere hebræus. Alii*, ἐλεήσατε αὐτοὺς, ὅτι οὐκ ἔλαβεν, miſeremini eorum: quoniam non cepit. (*k*) Sicut Sors, deliquiſtis.] ὡς κλῆρος, ἐπλημμελήσατε. *Vulgata*, a veſtra parte peccatum eſt. *Alii*, ὅτι οὐκ ἐπλημμελήσατε, quoniam non deliquiſtis: *id eſt, quoniam timuiſtis, ne contra jus jurandi religionem delinqueretis. Compl.* κατὰ τὸν καιρὸν ὃν ἐπλημμελήσατε, ſecundum tempus quo deliquiſtis, *non longe ab hebræo. Et alibi autem notatum eſt, quod in aliis exemplaribus eſt*, καιρὸς, *in Vaticano eſſe*, κλῆρος.

RUTH.

RUTH.

CAP. I.

(*a*) Quia eſt mihi ſubſtantia.] *Nomen,* ὑποστάσεως, *ſumi interdum pro ſpe alibi notabitur. Sunt autem hæc dicta quaſi per quandam doloris plenam ironiam: vult enim ſignificare, nullam ſupereſſe ſpem. Apud Theodoretum legitur:* οὐκ ἔτι μοι ὑπόστασις, non ultra mihi ſpes. (*b*) Ne occurrat mihi.] *Vulgata,* ne adverſeris mihi, *Theodoretus,* μή μοι γένοιτο. Abſit a me.

CAP. II.

(*a*) Rependat.] *Sic etiam hebræus. Theodoretus autem,* ἀποτίσαι σοι, rependat tibi. (*b*) Ego ero.] *Compl.* ἐγὼ οὐκ ἔσομαι. ego non ero. *Vulgata,* quæ non ſum ſimilis unius puellarum tuarum. (*c*) Reliquit.] κατέλιπε. *Valet autem,* fecit ſupereſſe reliquias; *quemadmodum etiam paulo poſt,* dedit ei, quæ reliquerat, *id eſt,* dedit ei reliquias, quas ſervarat. (*d*) Et portantes portare ei.] *Hæc abſunt a Compl. ut etiam a vulgata.* (*e*) Et triticorum.] *Compl.* καὶ τὸν θερισμὸν τῶν πυρῶν, & meſſem triticorum.

CAP. III.

(*a*) Pedes ejus.] *In aliis additur,* καὶ ἐκοιμήθη, *aut ut in Compl.* καὶ ἐκάθευδεν, & dormivit.

CAP. IV.

(*a*) Locutus eſt.] *Compl.* εἶπεν, dixerat. (*b*) Quæ data eſt ipſi Noemin reverſæ.] *Videtur eſſe formula certa verborum, qua utebantur redemptores, id eſt, qui ob propinquitatem jus habebant vendicandi, & acquirendi ſibi aliquid. In aliis eſt,* ᾧ ἀπέδοτο (*Compl.* ὃν ἀπέδοτο) νοεμὶν ἡ ἐπιστρέψασα, cui (*Compl.* quem) vendidit Noemin, quæ reverſa eſt. *Et reſpondet hebræo, ſi abſit illud,* cui, & quem: *ut cohæreat hoc modo cum antecedentibus,* partem agri vendidit Noemin. (*c*) Et fecerunt] *Compl. & Theodoretus,* καὶ ποιῆσαι, & faciat. (*d*) Bethleem.] *Apud Theodoretum ſequitur,* παρὰ πᾶσιν ἀνθρώποις ἀοίδιμον, apud omnes homines celebre: *quæ tamen abſunt ab hebræo.* (*e*) Quod dabit.] *Ita etiam hebræus. Compl. autem & Theodoretus,* ἐκ τοῦ σπέρματός σου δῴη, ex ſemine tuo det.

REGNORUM. LIB. I.

CAP. I.

(*a*) Homo fuit.] *In aliis eſt,* καὶ ἐγένετο ἄνθρωπος εἷς, & fuit homo unus. *Interp. Origenis habet duas lectiones,* erat vir unus, &, erat vir quidam: *ac priorem conſentientibus etiam hebræis magis probat.* (*b*) In Naſib Ephræm.] *In aliis,* ἐν νασεὶβ *Compl.* υἱοῦ σὼφ ἐξ ὄρους ἐφραὶμ, filii Soph de monte Ephraim, *quod in vulgata,* filii Suph Ephratæus. *Multæ autem ſemper in his propriis nominibus varietates: quæ omnes indicari nullo modo poſſunt* (*c*) Et filiis ejus.] *In aliis additur,* καὶ ταῖς θυγατράσιν αὐτῆς, & filiabus ejus. (*d*) Unam] *In Compl. additur,* κατὰ πρόσωπον, *quod in vulgata eſt,* triſtis: *quaſi diceret,* demiſſa facie. *Dictionem tamen hebræam* facierum *alii interpretantur electam, & honoratam. Quæ autem ſequuntur,* quia non erat ei filius, *ſunt etiam in Compl. ſed abſunt a vulgata, & hebræo.* (*e*) Quia non dederat ei Dominus filium, ſecundum tribulationem ejus, & ſecundum triſtitiam tribulationis ejus: & triſtabatur propter hoc.] *Interp. Origen. in homil. unica ex hoc loco hæc tantum refert.* Tum deinde refert ſcriptura, quia contriſtata eſt Anna; quod cum acceperit Fenenna plurimas portiones cum filiis; ipſa unam ſolam acceperit partem; & quia hoc dolore percuſſa templum Domini ingreſſa defleverit, *&c. In Compl. autem hoc loco iſta leguntur,* καὶ παρώργισεν αὐτὴν ἡ ἀντίζηλος αὐτῆς καί γε παροργισμῷ διὰ τὸ ἐξουθενεῖν αὐτὴν, & irritabat eam æmula ejus etiam irritatione, eo quod ſperneret eam: *quæ in collatis vetuſtis codicibus non ſunt inventa: ſed reſpondent hebræo, & eodem fere modo leguntur apud S. Joannem Chryſoſt. in hom. de fide Annæ,* καὶ παρώργισεν αὐτὴν ἡ ἀντίζηλος αὐτῆς παροργισμῷ ἐξουθενοῦσα αὐτὴν, *& ſimilia quædam videntur indicari a Theodoreto in canticum ad ea verba,* Dilatatum eſt os meū ſuper inimicos meos. *itemque a Diodoro Tarſenſi.* (*f*) Et dixit ei: Ecce ego domine. Et dixit ad eam] *Hæc abſunt a Compl. ut a vulgata.* (*g*) Et ſtetit coram Domino.] *Pro his in Compl. eſt,* καὶ μετὰ τὸ πιεῖν, & poſtquam biberant. (*h*) Sacerdos.] *In aliis additur,* ἐκάθητο, ſedebat. (*i*) Adonai Domine Eloe Sabaoth.] *Ita etiam in aliis, niſi quod habent,* ἐλωΐ. *Sed Compl. habet tantum,* κύριε σαβαώθ, *& vulgata,* Domine exercituum. (*k*) Mei.] *In Compl. additur,* καὶ μὴ ἐπιλάθῃ τῆς δούλης σου, *quod vulgata,* nec oblitus ancillæ tuæ. (*l*) Virorum] *Sic hebræus. Alii,* ἀνδρὸς, viri. (*m*) Et vinum, & inebriamentum non bibet.] *Hæc videntur agnoſci etiam a Theodoreto q 5. Abſunt tamen a Compl. ut a vulgata.* (*n*) Puer.] *Dictio,* τὸ παιδάριον, *in uno vetuſto codice, & in Compl. non eſt, quemadmodum neque in vulgata: habetur tamen in ceteris vetuſtis, & apud Philonem, de ebrietate, & apud S. Chryſoſt. in homilia de fide Annæ, & hom. 15. in Acta Apoſt* (*o*) Tuum.] *In Compl,* ἀπὸ σοῦ, *a te.* (*p*) Dura dies.] *Ita & alius liber vetus, & Philo ibidem. In aliis libris, & apud S. Chryſoſt. eſt,* ἐν σκληρᾷ ἡμέρᾳ, in dura die. (*q*) Tuam] *Compl. addit,* εἰς πρόσωπον, in faciem: *neque abhorret ab hebræo.* (*r*) In filiam peſtilentem.] *Theodotio,* ὡς μίαν τῶν ἀπαιδεύτων: tanquam unam indiſciplinatarum. (*ſ*) Meæ.] *In aliis additur,* καὶ ἐκ πλήθους ἀθυμίας μου, & ex multitudine mœroris mei: *quod non abhorret ab hebræo.* (*t*) Extendi.] ἐκτέτακα, *propius ad hebræum, quam quod in aliis,* ἐκτέτηκα, extabui. (*u*) Invenit.] *Compl.* εὕροι, inveniat. (*x*) Deo Sabaoth.] *Compl.* παντοκράτορος, omnipotente. *A vulgata, & hebræo utrumque abeſt.* (*y*) Suo.] *In Compl. ſequitur,* οὐκ ἀναβήσομαι, non aſcendam: *quæ tamen abſunt ab hebræo: ſunt enim ſupplenda cogitatione.* (*z*) Quod exiit ex ore tuo.] *Ita etiam Compl. ſed vulgata ex hebræo,* verbum ſuum. (*aa*) Trienni.] τριετίζοντι. *Theodoretus q. 5.* obtulit eum Deo, & cum eo vitulum ejuſdem ætatis. *Vulgata ex hebræo,* in vitulis tribus. (*bb*) Et adduxerunt coram Domino, & mactavit pater ejus ſacrificium, quod faciebat a diebus in dies Domino.] *Pro his in Compl. eſt* καὶ προσήγαγον τὸ παιδάριον, καὶ ἔσφαξαν τὸν μόσχον, & adduxerunt puerum, & jugularunt vitulum. *In aliis libris conjunguntur utræque lectiones, ſed in hac ſecunda pro* προσήγαγον, *&* ἔσφαξαν, *eſt,* προσήγαγε, *&,* ἔσφαξε, adduxit & jugulavit: *ut appareat coagmentatio quædam. Vulgata ex hebræo:* Et immolaverunt vitulum, & obtulerunt puerum Heli. Et ait. (*cc*) Tecum cum orarem.] *Compl.* ἐν τούτῳ προσεύξασθαι, in hoc ut orarem. (*dd*) Et dixit.] *Alii,* καὶ ηὔξατο, (*Compl.* καὶ προσηύξατο) ἄννα, καὶ εἶπεν, *quod vulgata,* & orauit Anna, & ait. *Itemque Interp. Orig.*

CAP. II.

(*a*) Confirmatum eſt.] *Ita etiam S Auguſt. 17. de civitat. cap. 4. ubi totum hoc canticum recitat, & magna ex parte explanat. Int. Origen.* Exultavit cor meum. (*b*) Lætata ſum.] *Ita idem S. Aug. & alii multi. In quibuſdam eſt,* ὅτι εὐφράνθην, *& Int Orig* quia lætata ſum. (*c*) Salute.] *Sic etiam liber vetus manuſcriptus, in quo cum multiplici pſalterio eſt etiam hoc canticum, & græcum latinis characteribus ſcriptum, & præterea verſum ex græco. In aliis eſt, & apud Theodoretum in hoc canticum,* ἐν σωτηρίῳ σου. *& S. Auguſt. & Int. Origenis,* in ſalutari tuo. (*d*) Excelſa] *Ita S. Aug. & S. Cyprianus ad Novatianum, licet 3. teſtim. habeat,* neque loquamini elata. *Nec plura refert Int. Origenis. In aliis codicibus additur,* ὑπεροχὴν, *& ita habet Euſebius ad Marinum, itemque Diodorus Tarſenſis explanans hunc locum, & Theodoretus in hoc canticum, itemque liber manuſcriptus, de quo diximus: in quo in latina verſione eſt,* excelſa eminentia. (*e*) Non procedat.] *Alii,* μὴ ἐξελθέτω. *Et S. Cypr. lib. 3. teſt* & non procedat magniloquentia: *ad Novatianum,* & ne exeat. *S. Auguſt.* neque procedat magniloquium. *Interp. Origenis interdum,* nolite multiplicare mala, neque exeat maliloquacitas de ore veſtro: *quamvis paulo poſt pro* mala, *habeat,* excelſa, *& pro* maliloquacitas, magniloquium. (*f*) Scientiarum.] *Ita fere omnes. Liber ille manuſcriptus habet gnoſeos, & latine,* ſcientiæ. *Int. Origenis interdum* quia fortis in ſcientia Dominus, *interdum vero,* quia fortis ſcientiarum Dominus. *Et potuit illud,* fortis, *eſſe ex Aquilæ interpretatione.* (*g*) Et Deus præparans adinventiones ſuas.] *Sym.* καὶ οὐκ εἰσὶ παρ' αὐτῷ προφάσεις, & non ſunt apud eum prætextus, & excuſationes. *Int. Orig.* & non emendaverunt excuſantes. (*h*) Arcus potentium infirmatus eſt.] τόξον δυνατῶν ἠσθένησε. *S. Auguſt. habuit initio,* arcum potentium fecit infirmum: *ſed paulo poſt habet ut nos, & explanat: itemque int. Origenis: & S. Cyprianus, lib. 3. teſt.* invalidus factus eſt arcus. (*i*) Pleni.] *Symm. & Theodotio,* κεχορτασμένοι, ſaturati. (*k*) Minorati ſunt.] ἠλαττώθησαν, *quod probat iſtam verſionem quamvis minus latinam, S. Aug. Schol.* ἀντὶ τοῦ ἐμισθάρνησαν, locaverunt ſe. *Aquila,* συνετρίβησαν, contriverunt ſe (*l*) Tranſierunt terram.] *Sic S. Auguſt. & liber ille manuſcriptus, quod græce eſt,* παρῆκαν γῆν. *Symm.* ἀνενδεεῖς ἐγένοντο. abundantes facti ſunt. *Interp. Orig hæc refert ex hoc loco,* ſaturati panibus deducti ſunt ad ſervitutem: eſurientes dereliquerunt, uſque quo ſterilis peperit ſeptem. (*m*) Ut ſedere faciat] *Ita fere hebræus. In quibuſdam codicibus & apud Theodoretum eſt* τοῦ καθίσαι αὐτόν. *S. Cypr. lib. 3. teſtim* Et ſedere eum facit cum potentibus populi. *S. Aug.* ut collocet eum cum potentibus populi ſui. *Liber ille manuſcriptus,* ut ſedere eos faceret cum potentibus ſeculi. (*n*) Suum.] *Diſputat S. Aug. quomodo illud,* αὐτοῦ, *poſſit ſignificare* ſuum, & ejus. (*o*) Prudens] *Ita S. Aug. quod græce,* ὁ φρόνιμος ἐν τῇ φρονήσει αὐτοῦ. *Theodoretus* ὁ σοφὸς ἐν τῇ σοφίᾳ αὐτοῦ. *& Lucifer pro S. Athanaſio,* ſapiens in ſapientia ſua, *itemque liber ille manuſcriptus. A Compl. abſunt hæc omnia uſque ad illud,* Dominus aſcendit in cœlos, *ſicut etiam a vulgata.* (*p*) Terræ.] *Sic Euſebius, lib. 4. de Euang. demonſtr. & hebræus. In aliis codicibus & apud Theodoretum hic, q. 5. in manuſcriptis & in explanatione hujus cantici additur,* δίκαιος ὤν. *Et S. Aug.* quia juſtus eſt, *itemque liber ille manuſcriptus.* (*q*) Et dat.] *Ita etiam S. Aug. Alii & Theodoretus,* καὶ δώσει, & dabit. (*r*) Et reliquit.] *In aliis* καὶ κατέλιπον & reliquerunt, *abſunt autem ab hebræo, uſque ad illud,* & abiit. *In Compl. autem ſunt & illa præterea,* καὶ προσεκύνησαν τῷ κυρίῳ, & adoraverunt Dominum. (*ſ*) Faciei Domini coram Heli.] *Compl.* τῷ κυρίῳ πρὸ προσώπου ἠλί, Domino ante faciem Heli. (*t*) Percutiebat.] *Propius ad hebræum, quam quod eſt in aliis,* καθίει, *aut,* καθῆκεν, mittebat. (*u*) Et ſume.] *Sic hebræus. Alii,* καὶ τότε λάβε, & tunc ſume, *vel,* καὶ τότε λήψῃ. *& tunc ſumes.* (*x*) Ephod Bad.] *Abeſt dictio,* Bad, *a Compl. quæ tamen eſt in hebræo: & de ea S. Hieronym. ad Fabiolam. Theodoretus quæſt. 7. ex Aquila,* ἐπένδυμα ἐξαίρετον, ſuperindumentum inſigne, ſelectum. *Schol. ex Symm.* ἐφοὺδ λινοῦν, καὶ ἐφεστρίδα μικρὰν, Ephud lineum, & palliolum parvum. (*y*) Filius Iſrael.] *In Schol. hæc adduntur,* καὶ ὡς ἐκοιμῶντο μετὰ τῶν γυναικῶν τῶν παρεστηκυιῶν παρὰ τὴν θύραν τῆς σκηνῆς τοῦ μαρτυρίου, & quomodo dormiebant cum mulieribus aſſiſtentibus ad januam tabernaculi teſtimonii: *nec multo aliter in Compl. videturque hic locus agnoſci a Theodoreto. q.* 16. (*z*) Non filii.] *Alii repetunt*, μὴ, non filii, non: *quæ repetitio abeſt ab hebræo.* (*aa*) Nolite facere ita, quoniam non bonæ auditiones, quas ego audio.] *Hæc abſunt a Compl. & videntur eſſe altera interpretatio ejuſdem ſententiæ.* (*bb*) Ibat.] *Alij*, ἐπορεύετο, καὶ ἐμεγαλύνετο, ibat, & fiebat magnus. (*cc*) Revelans revelatus ſum.] *Sic S. Auguſt. q.* 17. *de civit. c.* 5. *quod græce eſt*, ἀποκαλυφθεὶς ἀπεκαλύφθην, *ideſt*, revelans revelavi me. *Lucifer pro S. Athanaſio*, manifeſte oſtendi me. *Nos autem libentius ſequimur S. Auguſt. cujus verſio valde tenax verborum eſt.* (*dd*) Ignis.] τοῦ πυρὸς, *id eſt, ex ſacrificiis: atque ita habet S. Auguſt. Lucifer vero*, omnia frumenta filiorum Iſrael. *Ut videatur legiſſe*, πυρῶν. (*ee*) Benedicere de primordio.] ἐνευλογεῖσθαι ἀπ᾽ ἀρχῆς. *Et ſic hebræus: nec multo aliter Lucifer*, ut benediceres eos a primordio. *Alii & Theodoretus habent*, ἀπαρχὴν, *& S. Auguſt.* benedicere primitias. *Schol.* τοῦ πιμελοῦσθαι ὑμᾶς. ut impinguaretis vos. (*ff*) Quoniam tantum.] ὅτι ἀλλ᾽ ἢ, *& ſic ſæpe librarius Vaticanus, præſertim in his Regnorum libris. Compl. habet tantum*, ὅτι. *& Lucifer*, quoniam qui honorificant me. *S. Auguſt. habet tantum*, ſed, *& Theodoretus*, ἀλλ᾽ ἤ. (*gg*) Et qui ſpernit me, honore privabitur.] καὶ ὁ ἐξουθενῶν με, ἀτιμωθήσεται. *S. Ambroſ. de paradiſo cap. xv.* & contemptor mei honore privabitur. *Lucifer*, & qui ſpernit me, ad nihilum redigetur. *Compl. & Theodoretus*, καὶ οἱ ἐξουθενοῦντές με ἐξουθενωθήσονται. *S. Auguſt.* & qui ſpernit me, ſpernetur, *itemque S. Cyprianus de oratione Dom. & de Zelo.* (*hh*) Patris tui] Ita *S. Auguſt. & Lucifer. Theodoretus autem addit*, καὶ ἐπιβλέψεις, (*al.* ἐπιβλέψει, *& ita Compl*) τὸ κραταίωμα ὢν ἐν πᾶσιν οἷς ἀγαθύνει τὸν ἰσραήλ. Et aſpicies firmamentum ὢν in omnibus, quibus benefaciet Iſrael. *Et multa affert, cur*, ὢν, *intelligi debeat is, qui vere eſt Deus*; κραταίωμα *autem, ſacerdotium, quod ſecundum ordinem Melchiſedec. In Scholio inſerto ad finem hujus capitis in codice Silertio primum iſta ponuntur*, καὶ ἐπιβλέψει κραταίωμα ὢν, *&c. deinde adjungitur*, ὁ γὰρ μετὰ πάσης, φησὶ, πάντοτε ἰσχύος ὢν δοκιμάσει τινὶ τρόπῳ προσῆκε κατὰ τὸ δέον ἄγεσθαι τὸν λαόν. Ἀκύλα, καὶ ἐπιβλέψει ἀντίζηλον κατοικητηρίου ἑβδομήκοντα, καὶ Θεοδοτίων, καὶ ἐπιβλέψει κραταίωμα ὢν, *&c.* Nam qui, inquit, cum omni ſemper virtute eſt, judicabit, quo modo decebat juxta id quod conveniens eſt, deduci populum. Aquilæ: & aſpicies æmulum habitaculi. lxx. & Theodotionis, & aſpicies firmamentum, ὢν, *&c. In alio ſcholio affertur ex Symmacho*, καὶ ὄψει θλίψιν κατοικήσεως ἐν παντὶ ᾧ εὐεργετήσεται ἰσραήλ, & aſpicies tribulationem habitationis in omni in quo bene fiet Iſrael. *Fieri poteſt, ut* ὢν, *ſit veſtigium dictionis hebrææ, quæ ſignificat habitaculum, &* κραταίωμα, *hoc loco ſignificet quaſi violentam occupationem, ſicut paulo ante in hoc capite*, κραταιῶς, *ſignificavit, violente: atque ita idem valebit hæc interpretatio, atque illa Aquilæ, & Symmachi. In Compl. eſt*, καὶ ἐπιβλέψει κραταίωμα ναῶν, *atque ita vertunt*, & aſpiciet firmamentum templorum. *Sed fortaſſe iſtud*, ναῶν, *eſt ſimiliter veſtigium ejuſdem dictionis hebraicæ* (*ii*) Non exterminabo.] *Abeſt illud*, non, *a S. Auguſt. & a Lucifero, quemadmodum & a nonnullis græcis codicibus*, οὐκ. *In Compl. eſt*, καὶ ἄνδρα ὃν οὐκ ἐξολοθρεύσω σοι ἀπὸ τοῦ θυσιαστηρίου μου. ποιήσω ἐκλείπειν τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ, & virum, quem non exterminabo tibi ab altari meo, faciam deficere oculos ejus. *Cujus lectionis ſunt etiam expreſſa veſtigia in aliis libris. Noſtra ſatis reſpondet hebræo; niſi quod hebræus pro*, oculus ejus, *&*, anima ejus, *habet*, oculi tui, anima tua. [καὶ ἀναστήσω.] *Diodorus Tarſenſis.* ταῦτα δὲ ἁρμόττει ἀνθρώπων μὲν οὐδενὶ, μόνῳ δὲ τῷ κυρίῳ ἡμῶν ἰησοῦ χριστῷ, ὃς ἀρχιερεὺς ἡμῶν κατὰ τὸ ἀνθρώπινον ὠνομάσθη. ἔχοντες γὰρ, φησιν, ἰησοῦν τὸν ἡμῶν ἀρχιερέα μέγαν διεληλυθότα τοὺς οὐρανούς. καὶ πάλιν. οὐ γὰρ ἔχομεν ἀρχιερέα μὴ δυνάμενον συμπαθῆσαι ταῖς ἀσθενείαις ἡμῶν. Hæc autem nulli hominum conveniunt, ſed ſoli Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui ſummus Pontifex noſter ſecundum humanitatem dictus eſt. Habentes enim, inquit, Jeſum ſummum Pontificem noſtrum, qui intravit in cælos. Et rurſus, Non enim habemus Pontificem qui non poſſit affici ſenſu infirmitatum noſtrarum. (*kk*) Chriſto meo.] *Ita etiam S. Auguſt. & convenit cum vulgata, & hebræo. In aliis eſt*, τῶν χριστῶν μου, Chriſtis meis. *Et S. Cyprianus l.* 1. *teſtim.* in conſpectu Chriſtorum meorum. *Ita etiam habet Theodoretus, q.* 10. *in codicibus manuſcriptis: & multa in hunc locum affert, quorum nonnulla referuntur in commentariis ex Diodoro Tarſenſi. Schol.* τῶν χριστῶν μου. χριστοὺς δὲ αὐτοὺς κέκληκε τοὺς ἱεροὺς ἀποστόλους, καὶ τοὺς τὴν ἐκείνων διαδεξαμένους διδασκαλίαν. οὐκοῦν ἡ πρόρρησις κυρίως μὲν ἁρμόττει τῷ σωτῆρι χριστῷ, κατὰ δὲ τὴν ἱστορίαν τῷ σαδὼκ, ὃς ἐκ τοῦ ἐλεαζάρου κατάγων τὸ γένος, τὴν ἀρχιερωσύνην διὰ τοῦ σαλομὼν ἐδέξατο. Chriſtis meis. Chriſtos autem vocat Sanctos Apoſtolos. Et qui eorum ſuſceperunt doctrinam. Prædictio igitur proprie convenit ſalvatori Chriſto, ſecundum hiſtoriam autem Sadoc, qui genus deducens ab Eleazare ſummum ſacerdotium accepit a Solomone. (*ll*) Omnibus diebus.] *Theodoretus ibid.* Iſtud, πάσας τὰς ἡμέρας, non convenit hominibus mortalibus breve tempus viventibus. *Libuit hunc locum afferre, quoniam in verſione latina valde eſt corruptus.* (*mm*) Veniet adorare ei obolo argenti.] *Sic S. Auguſt. Compl. habet*, ἐν ὀβολῷ ἀργυρίου, καὶ ἐν ἄρτῳ ἑνί. *Et S. Cyprianus lib.* 1. *teſt.* in obolo pecuniæ, & in pane uno. *In codice Theodoreti Sirletio eſt hoc loco inſertum hujuſmodi Scholion Theodori.* Ad quem, inquit, tantum erit eorum, qui ex genere tuo, diſcrimen, ut qui ex iis remanſerint, multa cum reverentia ad eum ſint acceſſuri, & ei tanquam ſacerdoti, oblationes allaturi. Hoc enim eſt, προσκυνῆσαι αὐτῷ ἐν ὀβολῷ ἀργυρίου, καὶ ἐν ἄρτῳ ἑνί. (*nn*) Ad unam ſacerdotiorum tuorum.] ἐπὶ μίαν τῶν ἱερατειῶν σου, *id eſt*, ad unam partium ſacerdotalium tuarum. *S. Auguſt.* in unam partem ſacerdotii tui: *& teſtatur nonnullos eſſe interpretatos*, ſacrificii tui.

CAP. III.

(*a*) ANtequam.] *In hebræo dictio, quæ ſignificat*, antequam, *valet etiam*, nondum: *quare hoc etiam modo poſſet accipi hic, conſentiente etiam Theodoreto, pro*, nondum inſtructa erat, *ut paulo poſt.* Et Samuel antequam cognoſceret, *pro*, Samuel nondum cognoſcebat. (*b*) Eſſet inſtructa.] ἐπισκευασθῆναι. *Theodoretus q.* 11. κατασκευασθῆναι, *eodem ſenſu: putatque ſignificari, ante mediam noctem: nam media nocte apparabatur lucerna injecto oleo. Compl. habet*, πρὶν ἢ κατασβεσθῆναι, antequam extingueretur. *Scholium inſertum codici Theodoreti Sirletio*: Nunquid forte recte dicunt ij qui ſpectant ad editionem Aquilæ, & Symmachi, dicentium πρὶν σβεσθῆναι; Aquila, καὶ λύχνος τοῦ θεοῦ πρὶν σβεσθῆναι, & lucerna Dei antequam extingueretur. Symmachus, οὔπω ἐσβέσθη, nondum extincta erat. (*c*) Filiorum ejus.] *In aliis libris ſequitur*, αἷς ἔγνω, quas novit. *Lucifer pro S. Athanaſio habet*, propter iniquitatem filiorum ejus, quam ego ſcio. (*d*) Et neque ſic.] καὶ οὐδ᾽ οὕτως. *Compl.* καὶ οὐχ οὕτως, & non ſic, *& fortaſſe ſubintelligendum*, & non ſic erit, ſicut illi putant. Juravi enim, *&c. Lucifer.* Et nunc ſic juravi domui Heli. (*e*) Et creditus eſt.] *Pro his uſque in finem, in Complut. ſunt tantum hæc*, ἐν σηλῶ κατὰ ῥῆμα κυρίου. In Sylo juxta verbum Domini. *Ac certe iſta*, Et creditus eſt Samuel propheta (*aut, ut alii libri*) εἰς προφήτην, in prophetam) eſſe Domino in omnem Iſrael, ab extremis terræ & uſque ad extrema, *videri poſſunt alia interpretatio præcedentis ſententiæ*, & cognoverunt omnis Iſrael, *&c. Sed poſtrema*, Et Heli ſenex valde, *&c. referuntur etiam a Lucifero ibidem.*

CAP. IV.

(*a*) IN diebus illis.] *Ita etiam Lucifer pro S. Athanaſio. Complut.* καὶ ἐγένετο ῥῆμα σαμουὴλ πρὸς πάντα ἰσραήλ, *quod in vulgata eſt in extremo præcedentis capitis.* Et evenit ſermo Samuelis univerſo Iſraeli. (*b*) Deficere nos fecit.] *Sic Lucifer. Videtur enim illud*, ἔπταισεν, *ſumptum eſſe tranſitive more hebraico. Compl.* διατί ἄρα ἔθραυσεν. Quare igitur quaſſavit. (*c*) E medio.] *Complut.* ἐν μέσῳ, in medio: *& ſic Lucifer. Vulgata*, & veniat in medium noſtri. (*d*) Inſidentis Cherubim.] καθημένου χερουβίμ. *Lucifer*, ubi ſedebat Cherubim. *Compl.* κυρίου τῶν δυνάμεων, οὗ ἐπικάθηται τὰ χερουβὶν, Domini virtutum ubi inſidebant Cherubim. (*e*) Quis clamor magnus hic.] *Complut.* τίς ἡ φωνὴ τοῦ ἀλαλάγματος τούτου ἡ μεγάλη αὕτη; Quæ eſt vox magna hæc jubilationis hujus? (*f*) Talis.] *Eſt hebraiſmus, & valet*, non eſt factum ſimile quid. *Compl.* ὅτι οὐ γέγονεν οὕτως, quia non fuit ſic. (*g*) Firmorum.] στερεῶν. *Compl.* στερεωτέρων, firmiorum. *Theodoretus q.* 13. *habet in numero ſingulari*, τοῦ θεοῦ στερεοῦ τούτου· οὗτός ἐστιν ὁ θεὸς ὁ πατάξας, Dei firmi hujus; hic eſt Deus qui percuſſit. (*h*) Ordinum.] *Id eſt, peditum deſcriptorum. Lucifer*, virorum. (*i*) Veſtimenta ipſius diſciſſa.] *Refert Theodoretus q.* 43. *Aquilam dixiſſe*, μανδύην διερρηγμένην, mantellum laceratum. (*k*) Nonaginta.] *Compl. addit.* καὶ ὀκτὼ, & octo, *ut vulgata.* (*l*) Steterant.] ἐπανέστησαν, *obriguerant, aut quaſi ſe exeruerant extra locum ſuum, aut ſuo amplius officio non fungebantur: hebræus habet*, ſtetit. *Compl.* ἐβαρύνθησαν, gravati erant. (*m*) Viginti.] *Ita vetuſti codices: & ſic Euſebius in Chronicis affirmat ſcripſiſſe LXX, & ita Lucifer. Sed in impreſſis græcis eſt*, τεσσαράκοντα, quadraginta, *quemadmodum etiam in vulgata.* (*n*) Ploravit.] *Compl.* καὶ ἐστένωσεν, & anguſtiata eſt: *vulgata*, incurvavit ſe. (*o*) Et in tempore ſuo moritur, & dicebant.] *Eſt locutio, quæ hoc ſignificat*, dum ipſa moreretur, in ipſo tempore mortis ejus dicebant ei mulieres. (*p*) Væbarchaboth.] *Compl.* ἐχαβώθ, *quod propius accedit ad vulgatam.* Icabod. *Vide infra cap.* 14. *Nonnulla autem ſunt hic in hebræo, & vulgata, quæ abſunt etiam a Compl.* (*q*) Dixerunt.] *Compl.* εἶπεν, dixit. (*r*) In eo, quod capta eſt.] ἐν τῷ ληφθῆναι. *Compl.* διότι ἐλήφθη ἡ κιβωτὸς τοῦ θεοῦ, quoniam capta eſt arca Dei.

CAP. V.

(*a*) DAgon.] *Sic & Lucifer. In aliis ſequitur*, τῇ ἐπαύριον, *quod in vulgata eſt*, altera die. (*b*) Suam.] *Ita etiam Lucifer. In Compl. additur*, ἐπὶ τὴν γῆν, *quod in vulgata eſt*, in terra. (*c*) Et gravata eſt.] *Hac uſque ad*, Et factum eſt, *hoc eodem loco habentur apud Luciferum: ſed in Compl. paulo poſt, ubi in vulgata.* (*d*) Sedibus eorum.] εἰς τὰς ἕδρας αὐτῶν, *nec multo aliter Aquila*, καὶ ἐπάταξεν αὐτοὺς ἐν ταῖς ἕδραις. *Symm.* καὶ ἔπληξεν αὐτοὺς κατὰ τῶν κρυπτῶν. *Quod vulgata*, & percuſſit in ſecretiori parte natium. *Alii ex hebræo vertunt*, in locis altis, *aut*, in mariſcis, *aut*, in conſtrictionibus. *Lucifer autem hic habet*, in domibus eorum: *licet paulo poſt eadem dictio græca apud ipſum quoque vertatur*, ſedibus. (*e*) Et ambo veſtigia manuum ejus ſuper anteriora Amapheth ſinguli.] *Hæc & quæ ſequuntur*, & ambo articuli manuum ejus ceciderant in limen, *ſunt duæ interpretationes ejuſdem ſententiæ: quod facile ex hebræo, & vulgata conſtare poteſt. Illud autem* Amapheth, *aut, ut in aliis*, Aphethem, *eſt veſtigium dictionis hebraicæ; quæ ſignificat*, limen: *& in aliquo libro utrumque conjungitur*, τῶν σταθμῶν ἀφεθέμ. *In Compl. autem eſt tantum*, τῶν σταθμῶν. *Illud* ſinguli, ἕκαστοι, *in aliis eſt*, ἕκαστον, unumquodque. *Lucifer videtur habuiſſe*, ἑκατὸν, *cum aliqua alia varietate. Ita enim inquit*, & ambo veſtigia manus ejus ablata erant per partes centum. *Qui non animadverterunt conjunctas eſſe duas interpretationes, veriſimile eſt putaſſe priore loco legendum eſſe*, ἴχνη τῶν ποδῶν, veſtigia pedum: *quod eſt in Compl. & aliis libris. Theodoretus quæſt:* 13. *ita hoc factum narrat*, Invenerunt eum poſtridie contritum, & extremis partibus privatum. (*f*) Et gravata eſt.] *Pro his uſque ad illud*, Et viderunt. *In Compl. habentur ea quæ paulo ſuperius indicavimus. Lucifer hoc loco hæc tantum refert*, Et gravata eſt manus Domini ſuper Azotum, & induxit illis mures: & facta eſt confuſio mortis magna in civitate. *Theodoretus eadem q.* 13. *videtur indicare non ante expullulaſſe mures, quam arca fuit relicta in agro: quod dicitur in ſequenti capite.* (*g*) Quoniam ſic.] *Ita hebræus, & ſubintelligendum eſt*, percuſſi ſunt, *Lucifer*, quoniam ſic eſt. *Compl.* ὅτι οὕτως γέγονεν αὐτοῖς, quoniam ſic evenit eis. (*h*) Satrapas.] *Lucifer habet*, reliquos: *ſed ex loco inferiore apparet hic etiam apud eum eſſe legendum*, regulos. (*i*) Ciuitati.] *Alii*, ἐν τῇ πόλει, *& Lucifer*, in civitate. (*k*) Sedes.] *Hæc ſententia abeſt à Compl. ut a vulgata. Lucifer habet*: & ebullivit illis mures in ſedibus: & fecerunt ſibi Getthæi ſedes pelliceas. *Theodoretus habet*, ἕδρας χρυσᾶς, ſedes aureas: *pro quo inquit ceteros eſſe interpretatos*, καὶ περιελύθησαν αὐτῶν αἱ ἕδραι, & undique reſolutæ ſunt eorum ſedes: *quod vulgata*, & computreſcebant partes extales eorum. (*i*) Aſcalonem.] *Ita etiam Theodoretus, & Lucifer. Compl.* ἀκκάρωνα, *& vulgata*, Accharon. (*m*) Reſideat.] καθισάτω. *Alii*, ἀποκατασταθήτω, *aut* ἀποκαταστήτω *& Lucifer*, reducatur. (*n*) Illic.] *Abeſt dictio iſta à Lucifero, & Compl. ſed non ab hebræo: à quo viciſſim illa abſunt*, ut intravit arca Dei Iſrael. (*o*) Percuſſi ſunt in ſedibus.] *Theodoretus*

eadem

agnoſcit hoc eſſe ex LXX. addit autem Aquilam dixiſſe, τὸ τῆς φαγεδαίνης ἐξήλκωσιν ἕλκος, laborarunt ulcere exedente, quod vocant Phagedænam: *Joſephum autem docuiſſe,* τὸ τῆς δυσεντερίας αὐτοῖς ἐσκῆφθαι πάθος. Symmach. παρελύθησαν αὐτῶν αἱ ἕδραι, ſedes eorum diſtolutæ ſunt. *In dyſenteriæ illos incurriſſe morbum: atque iſta, quomodo non diſcrepent inter ſe, accurate diſputat.*

CAP. VI.

(*a*) PRo cruciatu] *In noſtra eſt tantum,* τῆς βασάνου. *Sed uſitatum eſt hujuſmodi locis ſubintelligi,* ὑπὲρ *(ut hic habet Compl.) aut ſimile quiddam. In aliquo libro eſt,* τὸ τῆς βασάνου. *Uſi autem ſumus dictione cruciatus, imitati Luciferum, qui,* βασανίζειν, *ſolet interpretari,* cruciare. *Vulgata habet,* pro peccato. *Alii ex hebræo vertunt,* culpatorium, *id eſt, hoſtiam pro peccato, & culpa.* (*b*) Manus ejus a vobis.] *Sic chaldæus: & videtur ſatis apta ſententia. Vulgata autem,* & tunc curabimini, & ſcietis, quare non recedat manus ejus a vobis. (*c*) Satraparum.] *Ita hebræus. Alii,* τῶν σατραπειῶν, provinciarum. (*d*) Et mures aureos.] *In Compl.* καὶ πέντε μύας χρυσοῦς, & quinque mures aureos. *Et in aliquo libro ſequitur,* ὁμοίωμα τῶν ἑδρῶν ὑμῶν, καὶ ὁμοίωμα τῶν μυῶν, ſimilitudinem ſedium veſtrarum & ſimilitudinem murium, *&c. quod reſpondet vulgatæ.* (*e*) Sine filiis.] *In Compl. additur:* ἐφ' ἃς οὐκ ἐπετέθη ζυγὸς, ſuper quas non eſt impoſitum jugum: *In hebræo hoc eſt, iſtud autem,* ſine filiis, *minime.* (*f*) Capſula Berſechtan.] ἐν θέματι βερσεχθὰν. *Compl. habet tantum,* ἐν θέματι. *Theodoretus q.* 13. Ea autem poſuerunt in quodam vaſe quod LXX quidem dixerunt Boergaz. (*& eſt ipſa dictio hebræa cum præpoſitione ſignificans,* in capſa) Joſephus autem, γλωσσόκομον, loculum, marſupium. *Symm.* θέτε ἐν τῷ λαρνακίῳ ἀπὸ πλαγίου αὐτοῦ, ponite in ſcrinio a latere ejus. *Aquila,* ἐν ὕφει κουρᾶς, in texto comæ. *Addit Scholiaſtes citans Theodoretum,* τὸ βοεργαζὰξ τινὲς μὲν ἔφασαν πλεκτὸν ὡσανεὶ κόφινον, τινὲς δὲ ἐκ τριχῶν κατεσκευασμένον, οἷα τὰ λεγόμενα σακκία. ὅτι ποτὲ δ' ἂν ᾖ πρὸς τὴν ποτε οὕτω καλούμενον, δῆλόν ἐστιν ὅτι ἔν τινι ἔφασαν δεῖν αὐτὰ καινῷ που πάντως καὶ ἁρμόζοντι φέρειν τὰ τοιαῦτα ἀναθήματα. Illud, βοεργὰζ, nonnulli quidem dixerunt teſtilem quaſi cophinum; nonnulli autem ex capillis compoſitum: qualia ſunt ea, quæ dicuntur, σακκία. Quodcunque autem denique ſit illud, quod olim ſic vocaretur, perſpicuum eſt illos dixiſſe in re aliqua nova omnino, & apta alicubi ferenda eſſe hujuſmodi anathemata. (*g*) A parte.] *In Compl. ſunt junctæ duæ interpretationes,* ἐκ πλαγίων μέρους. (*h*) Et expelletis eam, & abibitis.] *In aliis tantum eſt,* καὶ ἀπελεύσεσθαι, & abibit. (*i*) Poſt Bethſamys.] μετὰ βεθσαμύς. *Alii,* κατὰ βαιθσαμύς: *& vulgata,* contra Bethſames. *In hebræo nulla eſt præpoſitio.* (*k*) Capſulam Ergab.] τὸ θέμα ἐργὰβ. *In aliis,* Ergaz: *& eſt eadem dictio hebræa, quæ ſuperius, ſed hic ſine præpoſitione. Ac rurſus in Compl. eſt tantum,* τὸ θέμα, *quod eſt interpretatio dictionis Ergaz.* (*l*) Aureos.] *In aliis additur,* καὶ τὰς εἰκόνας τῶν ἑδρῶν αὐτῶν, & imagines ſedium ſuarum. (*m*) Et ſtatuerunt.] *Compl.* καὶ ἔστη ἐκεῖ παρὰ λίθον μέγαν, & ſtetit ibi juxta lapidem magnum. (*n*) Confirmata.] ἐστερεωμένης. *Schol.* Aquila inquit, ἰσχυρᾶς: forti. Symm. autem, τετειχισμένης ἕως κώμης ἀτειχίστου, καὶ ἕως ἄβελ τῆς μεγάλης, δι' ἧς ἀφῆκαν τὴν κιβωτὸν κυρίου, murata uſque ad villam, quæ erat ſine muro, & uſque ad Abel magnam, per quam dimiſerunt arcam Domini. *Illud quidem,* τοῦ φερεζαίου, *quod eſt etiam in Compl. factum eſt ex dictione hebræa, quæ ſignificat,* abſque muro. (*o*) Domini.] *In aliis ſequitur,* ἕως τῆς ἡμέρας ταύτης, *quod in vulgata conjungitur cum ſequentibus,* quæ erat uſque in illa die in agro, *&c.* (*p*) Et non ſunt delectati filii Jechoniæ, in viris Bethſamys, quia viderant arcam Domini.] *Sic etiam Theodoretus q.* 14. *Sed Compl.* καὶ ἐπάταξεν ἄνδρας βαιθσαμύς, ὅτι εἶδον τὴν κιβωτὸν κυρίου, Et percuſſit viros Bethſames, quia viderant arcam Domini, (*q*) Virorum.] *In Compl. & apud Theodoretum additur,* ἐκ τοῦ λαοῦ, de populo: *quod tamen in hebræo non eſt hic, ſed in ſuperiore membro, pro eo quod græce eſt,* ἐν αὐτοῖς, in eis. (*r*) Tranſire.] διελθεῖν. *Compl. & Theodoretus,* παραστῆναι ἐνώπιον κυρίου τοῦ ἁγίου τούτου, ſtare coram Domino ſancto hoc. (*ſ*) Redire fecerunt.] ἀπεστρόφασιν. *Alii,* ἀπέστρεψαν, *aut,* ἀπεστρέφασιν, *aut,* ἀπεστράφησαν, *eodem ſenſu.*

CAP. VII.

(*a*) REſpexit.] ἐπέβλεψεν. *Alii,* ἐπέβλεψαν, reſpexerunt. *Compl.* ἐπέστρεψε, revertit. *Vulgata,* requievit: *& ſic Chaldæus. Alii dictionem hebræam interpretantur,* lamentati ſunt. (*b*) Lucos.] *Theodoretus in extremo q.* 14. τὰ δὲ ἄλση ἀσταρὼθ ὁ Ἀκύλας ἡρμήνευσεν, τοῦτ' ἔστι τὰ τῆς ἀστάρτης ἀγάλματα. ἀστάρτην δὲ καλοῦσι τὴν ἀφροδίτην ἐκ τοῦ ἄστρου τὴν ἐπωνυμίαν πεποιηκότες. αὐτὴν γὰρ εἶναι τὸν ἑωσφόρον μυθολογοῦσι. ἄλση autem Aquila interpretatus eſt, ἀσταρὼθ, id eſt, ſimulacra. Aſtartes. Aſtartem autem vocant Venerem, ex aſtro cognomen facientes. Hanc enim eſſe Luciferum fabulantur *Hinc colligi poteſt, ubi paulo poſt habetur etiam in Compl.* Lucos Aſtaroth, *eſſe junctas duas interpretationes, nimirum LXX & Aquilæ.* Aſtartes mentio apud Euſebium in libro Προπαρασκ. pag. edit. meæ 24. *Hanc Phœnices,* inquit, *Venerem eſſe dicunt.* Syræ Aſtartes meminit & Tertul. in Apologetico. Appellata creditur a victimarum multitudine. Nam Aſtharoth, greges καὶ τὰ μῆλα. *Druſ.* (*c*) Judicabat.] ἐδίκαζε. *Compl.* ἐδίκασε. judicavit. (*d*) Ut non clames.] τοῦ μὴ βοᾶν, *& in aliquot libris additur,* σαμουήλ, Samuel. *Sed Compl.* τοῦ βοᾶν, clamando. (*e*) Lapis.] *Alii,* ὃ σημαίνει λίθος, quod ſignificat lapis. *S. Auguſt.* 17. *de civit. c.* 7. *ita refert hunc locum,* & ſtatuit illum inter Maſpha novam, & veterem: & vocavit nomen ejus Abenezer, quod eſt latine, lapis adjutorii. *S. Cypr.* 2. *teſt.* Abennezer, id eſt, lapis auxiliator. (*f*) Et reddiderunt ſe ipſi Iſrael] *Abſunt hæc a Compl. Et fieri quidem poteſt, ut illud,* καὶ ἀπέδωκαν αὐτὰς, *ſit admiſtum ex alia interpretatione, illud quidem,* ipſi Iſrael, τῷ ἰσραὴλ, *eſt etiam in hebræo, & vulgata.* (*g*) Ab Aſcalone uſque Azob.] *Alii,* ἀπὸ ἀκκαρὼν ἕως γὲθ, ab Accaron uſque Geth, *ut vulgata. Verba autem quæ ſequuntur, varie conſtrui poſſunt: Propius enim vulgatæ eſſet, ſi diceremus,* ab Accaron uſque Geth, & terminum (*ſcilicet,* earum,) Iſrael abſtulerunt de manu alienigenarum, *Et ita hebræus, niſi quod addit illud,* earum, *& pro,* abſtulerunt, *habet,* liberavit. (*h*) Sanctificatis.] ἡγιασμένοις. *Lucifer pro S. Athanaſio,* ſanctificationibus. *Compl.* τόποις, locis.

CAP. VIII.

(*a*) COnſummationem.[τῆς συντελείας, *& valet hoc loco,* utilitatem propriam: *quæ eſt peſtis reip. Symm.* ἀλλὰ μετέκλινον ἀκολουθοῦντες πλεονεξίᾳ, ſed declinaverunt ſequentes avaritiam. *Aquila, & Theodotio,* καὶ ἔκλιναν ὀπίσω τῆς πλεονεξίας, & declinaverunt poſt avaritiam. (*b*) Ad ponendum.] *Sic hebræus. Compl.* θήσει, ponet.

CAP. IX.

(*a*) TErram.] *Ita & alius liber vetus, & Theodoretus q.* 18. *& Compl: In aliis eſt,* τὸν λαὸν, populum, *ut vulgata.* (*b*) Aſinas.] *In aliquo libro eſt,* τὰ περὶ τὰς ὄνους, ea quæ ad aſinas. *Compl.* τὰς περὶ τὰς ὄνους φροντίδας φροντίζει περὶ ἡμῶν, curas quæ circa aſinas, ſolicitus ſit de nobis. (*c*) Eamus.] *In aliis additur,* ἐκεῖ, illuc, *quod eſt in hebræo. Compl. autem præterea addit,* πρὸς αὐτὸν, ad eum, *quod in hebræo non eſt.* (*d*) Quod eſt nobis.] *Ita fere hebræus. Compl. autem,* ἢ τοῦτο τὸ ὑπάρχον ἡμῖν; Nunquid hoc quod eſt nobis? (*e*) Quoniam prophetam vocabat antea populus, Videns.] *Symm.* τὸν γὰρ προφήτην τότε ἐκάλουν κατὰ τὸ ἀρχαῖον τὸν ὁρῶντα Nam eum, qui iſto tempore propheta, vocabant antiquitus Videntem. *Diodorus in hunc locum.* ἐκ τούτων δείκνυται ὅτι ἃ μὲν τῶν προφητῶν ἕκαστος τὰ ἐν τοῖς κατ' αὐτὸν χρόνοις ἔγραψαν, ταῦτα οἱ μετὰ ταῦτα συναγαγόντες προσέθηκαν, τὸ ὅτι ἔμπροσθεν βλέποντα τὸν προφήτην ἐκάλουν. Ex his oſtenditur, quæ prophetarum unuſquiſque ſuo cujuſque tempore geſta ſcripſerant, hæc qui poſtea collegerunt, addidiſſe illud, a veteribus prophetam vocatum eſſe Videntem. (*f*) Veſtram.] *In aliis ſequitur,* ταχύνατε, *& in Compl.* ταχύνατε, ὅτι νῦν. feſtinate, quia nunc. (*g*) Per diem.] διὰ τὴν ἡμέραν. *Et videtur valere,* hodie, *ut habet vulgata; ſed cum quadam energia: quaſi dicant,* hoc ipſo die ad hanc rem conſtituto. *Ita etiam paulo poſt.* (*h*) Bama.] *Theodoretus q.* 19. βαμὰ quidem Aquila eſt interpretatus, ὑψηλὸν, excelſum, γαβαὰ, autem, τὸν βουνὸν, collem: *quod quidem videtur pertinere ad caput ſequens.* (*i*) Hoſpites.] *Theodoretus ibidem:* ξένους Aquila vocavit τοὺς κεκλημένους, vocatos, invitatos. (*k*) Sicut tempus.] *Sic fere hebræus, & ſubintelligitur, quod exprimitur in aliis codicibus,* ὡς ὁ καιρὸς οὗτος, ſicut tempus hoc, *id eſt, hac hora.* (*l*) Eis.] *Compl.* ἐν αὐταῖς, in eis. *Sed etiam ab hebræo abeſt præpoſitio.* (*m*) Puſilli ſceptri tribus Iſrael, & tribus minimæ ex toto ſceptro Benjamin.] *Theodoretus q* 22. *& Compl.* τοῦ σμικροτέρου σκήπτρου ἐκ τῶν φυλῶν τοῦ ἰσραὴλ, καὶ ἡ πατριά μου ὀλιγοστὴ παρὰ πάσας τὰς πατριὰς τοῦ βενιαμὶν, minoris ſceptri ex tribubus Iſrael, & familia mea minima præter omnes familias Benjamin. *In Scholiis reliqua referuntur eodem modo; ſed partim habent,* τοῦ μικροτέρου σκήπτρου τῶν υἱῶν ἰσραὴλ, minoris ſceptri filiorum Iſrael, *partim,* ἐκ τῆς ἐλαχίστης φυλῆς ἰσραὴλ, ex minima tribu Iſrael. (*n*) Coxerat. [ἥψησεν, *ita duo libri veteres. Alii,* ἦρεν, levavit; *quod habet vulgata.* (*o*) Armum] *Theodoretus ibid.* τὴν κωλέαν. *Aquila dixit,* κνήμην, tibiam, *ſive,* crus. (*p*) Quod remanſit.] τὸ ὑπόλειμμα *Aliqui codices,* τὸ καταλειφθὲν, *eodem ſenſu. Aquila,* ἰδοὺ τὸ ὑπολελειμμένον, θὲς ἐνώπιόν σου, φάγε ὅτι εἰς καιρὸν πεφυλαγμένον σοι, λέγων, τὸν λαὸν κέκληκα. Ecce reſiduum: pone ante te, comede: quoniam ad hoc tempus eſt ſervatum tibi, dicens, populum vocavi. (*q*) In teſtimonium.] *Scholion inſertum quæſtionibus Theodoreti,* hoc eſt, in ſignum honoris (ut qui ſis aliis præpoſitus) & indicium regni. *Verum de hac locutione alibi dicetur. Aquila, ut in proxima notatione diximus,* εἰς καιρὸν. *Dictio hebræa utrumque poteſt ſignificare; quemadmodum dicetur etiam cap.* 13. (*r*) Præter alios.] παρὰ τοὺς ἄλλους. *Ita libri duo veteres. Alii, & Theodoretus q.* 19. παρὰ τοῦ λαοῦ, a populo: *quamvis hoc etiam videatur valere,* ſeorſum a populo. *Paulo ante allata Aquilæ interpretatio ſatis reſpondet hebræo.* (*ſ*) Audi] ἄκουσον, *Alii,* ἀκουστόν σοι: auditum tibi, *ut ſubintelligatur,* ποιήσω, faciam.

CAP. X.

(*a*) UNxit.] *Hinc uſque ad illud,* quia unxit te Dominus, *abſunt a Complut. ſicut etiam ab hebræo.* (*b*) In monte Benjamin ſalientes granditer.] ἐν τῷ ὄρει βενιαμὶν ἀλλομένους μεγάλα. *Alii libri addunt poſt,* βενιαμὶν, *hæc,* ἐν σηλὼ ἐν βακαλὰθ, in Selo, in Bacalath. *Compl.* ἐν τοῖς ὁρίοις βενιαμὶν μεσημβρίας ἀλλομένους μεγάλα, in finibus Benjamin, in meridie ſalientes granditer. *Et ita vulgata; niſi quod non habet hæc poſtrema,* ſalientes granditer. *Dictionem hebræam, quam vulgata vertit,* in meridie, *alii vertunt,* in Selſach. (*c*) Verbum.] *Hebræus habet,* verba. *Compl.* τὴν φροντίδα, curam. (*d*) Profundebat.] ἐδαψιλεύσατο. *Videtur hoc ſignificare,* pro nihilo habebat aſinas, & cetera omnia bona præ ſolicitudine, quæ nunc illum angit propter vos. *In uno codice inventum eſt,* φροντίζει, ſolicitus eſt. *Compl.* μεριμνᾷ περὶ ὑμῶν, ſolicitus, & anxius eſt de vobis. (*e*) Ibi Naſib alienigena.] *Hæc abſunt a Compl. & videtur alia interpretatio proxime præcedentis ſententiæ. Nam Naſib ſignificat ſtationem.* (*f*) Ante Galgal.] ἔμπροσθεν τῆς γαλγάλ. *Compl.* ἔμπροσθέν μου εἰς γάλγαλα, *quod vulgata,* ante me in Galgala. (*g*) Et ſacrificia.] *Alii,* καὶ θῦσαι θυσίας, & ſacrificandum ſacrificia. (*h*) Prophetarum.] *In aliis additur,* προφητεύων. prophetans. (*i*) Nunquid & Saul in prophetis?] *Eodem fere modo Symm.* μὴ ἔτι καὶ σαοὺλ ἐν προφήταις; (*k*) Propinquus.] οἰκεῖος. *Aquila.* πατράδελφος, patruus: *& ita Compl.* (*l*) Ei.] *In aliis additur,* ὃ εἶπε σαμουήλ, quod dixerat Samuel. (*m*) Condixit.] *Hoc viſum eſt valere,* παρήγγειλε. *Compl. autem,* καὶ συνήγαγε σαμουὴλ πάντα τὸν λαὸν, & congregavit Samuel univerſum populum (*n*) Sed quia.] ἀλλ' ἢ ὅτι. *Compl. habet tantum* ἀλλ' ἤ. *Hebræo autem magis reſpondet* ὅτι. (*o*) Sceptra veſtra, & ſecundum tribus veſtras] *Compl.* κατὰ φυλὰς ὑμῶν καὶ κατὰ χιλιάδας ὑμῶν, per tribus veſtras, & per millia veſtra: *quod habet hebræus: itemque in ſequentibus, ubi in noſtra eſt* σκῆπτρον, *in Compl. eſt* φυλή. (*p*) In tribus.] *Compl.* κατὰ πατριὰν, καὶ κατακληροῦται πατριὰ ἀματταρὶ, εἰς ἄνδρας, καὶ κατακληροῦται σαοὺλ. Per familiam, & ſorte capitur familia Amattari: in viros, & ſorte capitur Saul. *Theodoretus q.* 25. *hunc locum tractans hæc ſcribit:* εἶτα τῆς βενιαμίτιδος κατακληρωθείσης φυλῆς καὶ πάλιν εἰς πατριὰς καὶ οἴκους, καὶ ἄνδρας διαιρεθείσης τῷ σαοὺλ ψῆφος ἀπεκληρώθη. Deinde, cum tribûs Benjamiticæ ſors obtigiſſet, & rurſus in familias, & domos & viros diviſa eſſet; Sauli calculus ſortito obtigit.

(q) Quis.] *Videtur hebraiſmus; ut valeat, Quid?* (r) Munera.] *In Compl. additur:* καὶ ἐγενήθη κωφεύων: *quod vulgata,* diſſimulabat ſe audire. *Pro quibus in noſtra & aliis græcis leguntur ad initium ſequentis capitis,* καὶ ἐγενήθη ὡς μετὰ μῆνα, & factum eſt quaſi poſt menſem, *quæ viciſſim abſunt a Compl.*

CAP. XI.

(a) HÆc.] *Rurſus hebraiſmus: pro quo in Compl.* ἐν τούτῳ, in hoc. (b) Gabaa.] *Compl.* βουνὸν, collem: *quod ut diximus cap. 9. ex Theodoreto, eſt Aquilæ.* (c) Poſt mane.] *Compl.* κατόπισθεν τῶν βοῶν, *quod vulgata,* ſequens boves: *dictiones hebrææ, quæ ſignificant,* mane, & boves, *iiſdem conſtant litteris* (d) In Bama.] *Hæc abſunt a Compl. ut a vulgata.* (e) Sexcenta.] *Compl.* τριακοσίας, trecenta, *ut vulgata: & paulo poſt,* τριάκοντα, triginta, *ubi noſtra, & cæteri codices græci,* ἑβδομήκοντα, ſeptuaginta. (f) Sacrificia, & pacificas.] *Compl.* θυσίας εἰρηνικάς, ſacrificia pacifica. (g) Samuel.] *Ita libri veteres qui collati ſunt. Compl.* σαοὺλ, Saul: *ut vulgata.* (h) Quam plurimum.] ὥστε λίαν, *hebræus,* uſque valde. *Compl.* σφόδρα, valde.

CAP. XII.

(a) ET ſedebo.] *Quaſi dicat, ceſſabo à functione muneris mei: Compl.* καὶ πεπολίωμαι, & incanui. (b) Ambulavi.] διελήλυθα. *Sic hebræus. Compl.* ἀνέστραμμαι, converſatus ſum. (c) Hodie.] *Abeſt illud,* σήμερον, *à Compl. ut a vulgata.* (d) Et nunc ſtate.] *Symm.* καὶ νῦν παράστητε, ἵνα διακριθῶ πρὸς ὑμᾶς ἔμπροσθεν κυρίου περὶ πασῶν ἐλεημοσυνῶν κυρίου, ὧν ἐποίησε. *Quæ in vulgata* Nunc ergo ſtate, ut judicio contendam adverſus vos coram Domino de omnibus miſericordiis Domini, quas fecit. (e) Eduxerunt.] *Sic etiam hebræus, & Chaldæus. Compl.* ἐξήγαγε, eduxit, *ut vulgata.* (f) Pugnavit.] *Alii,* ἐπολέμησαν, pugnaverunt, *ut vulgata.* (g) Nos de manu inimicorum noſtrorum.] *Compl.* vos, &, veſtrorum. (h) Sed quia.] *Rurſus a Compl. abeſt,* ἀλλ' ἢ, *ab aliis,* ὅτι, *ſicut a vulgata.* (i) Elegiſtis.] *In aliis additur,* καὶ ὃν ᾐτήσασθε, & quem petiiſtis. (k) Si timueritis.] *Ita etiam hebræus, & chaldæus, & vulgata. Compl.* ὅπως ἂν φοβῆσθε, ut timeatis. *Et poſt illa,* poſt Dominum ambulantes, *addit,* καὶ ἐξελεῖται ὑμᾶς, & eruet vos. *Pro quibus eſt in aliis,* οὐκ ἔσται χεὶρ κυρίου ἐφ' ὑμᾶς, non erit manus Domini ſuper vos. (l) Maleficium.] *Aut,* malum, *ut vulgata. Græce eſt* κακίαν, *& melius quam quod in Compl.* καὶ κακίας. (m) Admodum.] ἐπιεικῶς, *quod Compl. non habet, ſed viciſſim addit,* ὑμᾶς ποιῆσαι, vos facere. (n) Et mihi nequaquam, ut peccem.] καὶ ἐμοὶ μηδαμῶς τοῦ ἁμαρτεῖν. *Compl.* ἐμοὶ δὲ μὴ γένοιτο ἁμαρτεῖν, mihi autem abſit peccare. (o) Apponemini.] προστεθήσεσθε. *Videtur ſubintelligi poſſe,* ad patres veſtros: *id eſt, eandem viam inſiſtetis, quam patres veſtri, & eaſdem pœnas ſubibitis, aut potius, involvemini eadem ruina. Sic cap. 15. Saul ad Cinæum,* προσθῶ σε, *ubi vulgata,* involvam te, *& alii ex hebræo,* deleam te. *Sic etiam cap. 26.* καὶ προστεθῇ, *pro,* & pereat. *Compl.* ἀπολεῖσθε, peribitis, *ut vulgata.*

CAP. XIII.

(a) ET eligit.] *Ante hæc in Scholio (quod videtur ſumptum ex Theodoreto q. 28.) hæc leguntur,* υἱὸς ἐνιαυτοῦ ἦν σαοὺλ, ἐν τῷ βασιλεύειν αὐτόν. Filius anni erat Saul, cum ipſe regnavit. *Symm.* υἱὸς ὢν, *(abeſt iſtud,* ὢν, *a codicibus Theodoreti)* ἐνιαύσιος σαοὺλ, filius unius anni Saul, *& addit Theod. etiam ex Symm. illa,* ἐν τῷ βασιλεύειν αὐτόν. *Aliud Schol.* υἱὸς τριάκοντα ἐτῶν σαοὺλ ἐν τῷ βασιλεύειν αὐτόν. καὶ δύο ἔτη ἐβασίλευσεν ἐν ἰσραήλ, filius triginta annorum Saul, cum ipſe regnavit: & duos annos regnavit in Iſrael: *quæ poſtrema verba manifeſto agnoſcuntur a Theodoreto. Compl. habet, ut in priore Scholio, ſed additis etiam his, quæ in poſteriore adduntur.* (b) Naſib alienigenam.] *Schol. ex Aquila,* τὸ ὑπόστημα. *Theodoretus q. 29. habet,* τὸ ὑπόστημα τῶν ἀλλοφύλων. *& addit:* Alienigenæ, cum viciſſent Hebræos, in munitioribus locis collocarunt præſidia. ὑπόστημα igitur vocavit præſidium hujuſmodi. *Similis varietas notata eſt cap. 10. Vulgata habet* ſtationem. *Chaldæus tamen, & alii ex hebræo interpretantur* præſidem, & ducem. (c) Spreverunt ſervi] *Theodoretus.* Illud, ἠθετήκασιν οἱ δοῦλοι, Aquila explanavit, ἀκουσάτωσαν οἱ ἑβραῖοι, audiant Hebræi, *quod eſt in vulgata: & dictiones hebrææ, quæ hoc ſignificant, parum differunt ab iis quæ illud. Vide cap. ſequenti. Capite autem 17. in verbis Goliath,* hebræi Saulis, *videtur dictum pro,* ſervi Saulis. *Schol. ex Symm.* ἀκουσάτωσαν οἱ ἐν τῷ πέραν, audiant qui trans fluvium. *Notatum eſt enim in Gen. hebræum dici tranſitorem, & transfluvialem. Chaldæus tamen habet,* Judæi. (d) Et puduit.] καὶ ᾐσχύνθησαν. *Dictionem hebræam quidam vertunt,* fœtuit, *quidam,* abominatus eſt. *Chaldæus,* concitatus eſt. *Vulgata,* erexit ſe. *Alii codices græci,* καὶ ἐξουδένωσαν *(al.* ἐξουδένωσεν*)* ἰσραὴλ τοὺς ἀλλοφύλους, & contempſerunt *(al.* contempſit*)* Iſrael alienigenas. (e) Et aſcenderunt filii Iſrael,] *Compl.* καὶ ἀνέβη ὁ λαός, & aſcendit populus. *Alii libri,* καὶ ἀνεβόησεν ὁ λαός, & clamavit populus, *quod eſt in vulgata* (f) Quæ juxta mare.] *Alii,* ἡ παρὰ τὸ χεῖλος τῆς θαλάσσης, quæ ad labium maris (g) Ex adverſo Bæthoron contra auſtrum.] *Compl.* ἐξ ἐναντίας κατὰ νότου βαιθαβέν, Et adverſo per dorſum Bæthaben. *Vulgata habet tantum,* ad orientem Bethaven. (h) Quia anguſte ſibi, ne ipſe accedat; & occultavit ſe.] *Id eſt, ita ſibi rem in arcto eſſe, atque ita ſe laborare, ut minime poſſit congredi cum adverſariis: & idcirco occultavit ſe. Compl. planius, ſed longius ab hebræo,* ὅτι ἐκθλίβονται, καὶ ἀνεχώρησεν ὁ λαός, καὶ ἐκρύβη, quia premuntur, & receſſit populus, & occultavit ſe. (i) Tranſitores.] οἱ διαβαίνοντες. *Articulus oſtendit non eſſe iterationem verbi propter ornatum, ſed ſignificari illos quos ab Aquila paulo ante notavimus vocatos eſſe hebræos, a Symm. transfluviales.* (k) Et diſtulit ſeptem dies teſtimonio, ſicut dixerat Samuel.] *Aquila,* καὶ περιέμεινεν ἑπτὰ ἡμέρας εἰς συνταγὴν τοῦ σαμουήλ, & exſpectavit ſeptem dies ad conſtitutionem Samuel. *Symm.* ἀνέμεινεν δὲ ἑπτὰ, exſpectavit autem ſeptem, *&c. ut Aquila. Ac nomine teſtimonii ſignificari ſtatutum tempus, & conſtitutionem quandam, innuimus etiam cap. 9. & in hoc paulo poſt dicitur,* in teſtimonio dierum. (l) Galgala.] *In Compl. additur,* καὶ εἶπε σαοὺλ, οὐκ ἦλθεν σαμουὴλ εἰς γάλγαλα, & dixit Saul, non venit Samuel in Galgala: *quæ manifeſto redundant, & perturbant ſententiam.* (m) Quia nunc præparaverat.] ὡς νῦν ἡτοίμασε. *Et optime reſpondet hebræo. Compl.* ὡς ἡτοίμασεν ἂν, ut præparaſſet. (n) Galgalis.] *In aliis additur,* εἰς ὁδὸν αὐτοῦ, in viã ſuam: *in Compl. continuo ſequitur,* εἰς βουνὸν βενιαμίν, in collem Benjamin: *quod fortaſſe eſt Aquilæ, qui* γαβαὰ *ſolet vocare,* βουνόν. *Nam noſtra (interjectis tamen iſtis,* Et reſiduum populi aſcendit poſt Saul in occurſum poſt populum bellatorem: ipſis advenientibus e Galgalis, *quæ abſunt a Compl. ut a vulgata) habet* εἰς γαβαὰ βενιαμίν, *quod vulgata,* in Gabaa Benjamin. (o) Et plorabant.] *Hæc abſunt a Compl. ut a vulgata.* (p) Viam Gabae vergentem ad Ge Sabim.] *In aliis additur,* τὴν ἔρημον, deſertum. *Symm.* κατὰ τὴν ὁδὸν τοῦ ὁρίου τοῦ ὑπερκειμένου κατὰ τὴν φάραγγα τὴν σεβωΐμ εἰς τὴν ἔρημον, ad iter termini imminentis valli Seboim contra deſertum: *(Sic enim vulgata:) Theodotio,* ὁδὸν τοῦ ὁρίου τοῦ ἐπιβλέποντος ἐν τῇ κοιλάδι τῶν δορκάδων, viam termini proſpicientis in vallem caprearum. *Alius interpres,* καὶ ἡ κεφαλὴ ἡ μία ἔνθεν ὁδὸν τοῦ ἐκκύπτοντος ἐπὶ φάραγγα τῶν ὑαίνων, & caput unum declinabat in viam proſpicientis in convallem Hyænarum. *Theodoretus q. 29. ſcribit Aquilam, pro,* γαβαὰ τὴν ἐν σεβωΐμ, *dixiſſe,* γῆν τὴν ἐν τῇ κοιλάδι τῶν δορκάδων, terram, quæ in valle caprearum. (q) Meſſorium.] θέριστρον, *quod alii,* θερίστριον, *& interpretantur falcem. Quid aliis locis ſit Theriſtrum, dictum eſt in Geneſi.* (r) Vindemia.] *Sic etiam Compl.* τρυγητός. *Sed fortaſſe hoc loco ſignificat inſtrumentum aliquod cæteris inſtrumentis agricolarum acuendis idoneum. Schol.* ἐγενήθη ἡ προσβόλωσις στόματα τοῖς ἀρότροις, καὶ τοῖς ῥιξὶν καὶ τῇ τρισκελῆσιν, καὶ τῇ ἀξίναις, καὶ τοῦ στερεώσαντος, *ex hebræo conjici poteſt legendum,* στερεῶσαι τὸ βούκεντρον.. Et erat lima, ora *(ſupplendum,* habens, *ut etiam in hebræo)* aratris, & ligonibus, & tridentibus, & ſecuribus, & ad firmandum ſtimulum. *Quæ valde reſpondent hebræo, & chaldæo.* τοῖς ῥιξὶν, Nec hoc vocabulum potui in Lexicis invenire ne quidem in Theſauro H. Steph. אתים interpres noſter alibi ligones & alibi vomeres reddit. Forte in lingua Helleniſtarum ῥὶξ idem quod ῥίνη, lima, quæ & ῥινίον, & ῥινητήριον. Lex. vet. ῥίνημα, ſcobs. *Druſ.* (ſ) Vaſa autem erant tres ſicli in dentem.] *Compl.* εἰς δὲ τὰ σκεύη ἦσαν τρεῖς σίκλοι εἰς τὸν ὀδόντα, καὶ τῇ ἀξίνῃ, καὶ τῷ δρεπάνῳ, καὶ τοῦ καταρθῶσαι τὸ βούκεντρον ὑπόστασις ἦν ἡ αὐτή. In vaſa autem erant tres ſicli in dentem, & ſecuri, & falci, & ad corrigendum ſtimulum eadem facultas erat. *Theodoretus (quantum refert Scholiaſtes: nam apud ipſum q. 30. etiam in codicibus manuſcriptis aliqua deſunt.)* ὀδόντα, Symm. quidem interpretatus eſt, τὴν ὕνιν, vomerem: Aquila autem, τὸ ἄροτρον, aratrum. Siclum autem vocarunt, στατῆρα, ſtaterem. Siclus autem, qui accipitur in pondere, trahebat ſemipondus, in argento autem viginti obolos. (t) Machmas.] *Abeſt a Compl. ut a vulgata.* (u) De ſtatione.] *Ita etiam Compl. & videtur ſubintelligi e loco ſuperiore,* διαφθείρων, vaſtator. *Vulgata,* ſtatio.

CAP. XIV.

(a) MEſſab.] *Compl.* εἰς τὴν ὑπόστασιν, ad ſtationem, *quod habet vulgata, & eſt interpretatio illius dictionis hebraicæ. Eadem varietas eſt paulo poſt, ubi etiam Theodoretus habet,* ὑπόστασιν. (b) Jochabed.] *Hoc nomen aliter habet ſupra cap 4.* (c) Dens.] *Ita hebræus, & chaldæus. Compl.* ἀκρωτήριον, eminentia, cacumen. *Item Schol. cum haberet,* ἀκρωτήριον, καὶ ἀκρωτήριον, *hæc addit,* μᾶλλον ταῦτα ἐν τῷ ἑξαπλῷ ἠστέρισται ὡς ἐκ θεοδ. προστεθέντα. Quinimo hæc in hexaplo ſunt notata aſteriſco, quippe quæ ex Theodotione ſint appoſita. (d) Si quid faciat.] εἴ τι ποιήσαι. *Compl. & Theodoretus,* εἴπως ποιήσει τι, ſi forte faciet quid. (e) Inclinaverit.] ὃ ἐὰν ἡ καρδία σου ἐκκλίνῃ. *Compl.* ὃ ἂν ἡ καρδία σου θελήσει, ἔκκλινον σεαυτόν, quodcunque cor tuum voluerit, inclina te ipſum. (f) Recedite illuc.] ἀπόστητε ἐκεῖ. *Ita etiam Theodoretus. Compl.* στῆτε ἐκεῖ, ſtate ibi. *Vulgata,* manete. (g) Donec annunciemus vobis.] *Compl.* ἕως ἂν ἐγγίσωμεν ὑμῖν. Donec appropinquemus vobis. (h) In jaculis.] *Ita etiam Theodoretus: licet vulgata ex hebræo habeat,* in media parte jugeris, *&c.* (i) Obſtuperunt, & ipſi nolebant facere.] *Complut. habet tantum,* obſtuperunt & ipſi: *quod reſpondet hebræo. Alii codices,* ἐξέστησαν καὶ αὐτοί, *(in quo ipſis convenit cum Compl.)* καὶ οὐκ ἤθελον πονεῖν, *aut,* πολεμεῖν, obſtuperunt & ipſi; & nolebant laborem ſubire, *aut,* pugnare. (k) Ephud, quoniam ipſe tulit Ephud.] *Theodoretus etiam ibidem ſolius veſtis ſacerdotalis mentionem facit. In aliis codicibus eſt,* τὸ ἐφοὺδ, ὅτι ἦν ἡ κιβωτὸς τοῦ θεοῦ, Ephud: quoniam erat arca Dei. *Vulgata etiam priore loco habet,* arcam Dei, *ſine mentione Ephod.* (l) Servi.] *Rurſus hic in vulgata eſt* hebræi: *de qua varietate dictum eſt cap. ſuperiore.* (m) Omnis Iſrael.] *Alij,* πᾶς ἀνὴρ ἰσραήλ, omnis vir Iſrael. (n) Et audierunt.] *Illud,* καὶ, *abeſt ab aliis.* (o) Bamoth.] *Compl.* βηθαῦν, *vulgata,* Bethaven (p) Et univerſa terra prandebat.] *Hæc abſunt a Compl. ut a vulgata.* (q) Et Jaal ſylva erat.] *Alii,* καὶ ἰδοὺ δρυμὸς ἦν. Et ecce ſylva erat. *Compl.* καὶ πᾶσα ἡ γῆ ἦλθεν εἰς δρυμὸν, καὶ ὁ δρυμὸς ἦν. Et omnis terra venit in ſaltum: & ſaltus erat. (r) Et ecce ibat dicens] *Compl.* καὶ ἰδοὺ διεπορεύετο μέλι, & ecce fluebat mel. (ſ) In Machmas.] *Alii,* πλείους ἢ ἐν μαχμὰς, plures quam in Machmas. *Vulgata,* a Machmis uſque in Hailon. (t) Divertit.] *Non abhorret ab hebræo. Alii,* ὥρμησεν, irruit. (u) De Getthæm.] *Dictio hebræa accepta eſt pro loci nomine, quæ poteſt etiam ſignificare,* ἡμάρτετε, peccaſtis, *quod habet Compl* (x) Sua.] *In aliis additur,* τὴν νύκτα, noctu. (y) Servitutem.] *Aliquis liber habet,* δούλους, ſervos. *Compl. habet,* εἰς ἓν μέρος, in partem unam, *quod habet vulgata: itemque paulo poſt. Dictiones hebraicæ, quæ ſignificant ſervitutem, & partem, ſive tranſitum, valde ſimiles ſunt.* (z) Quid, quod.] *Ex his, quæ ſequuntur uſque ad illud,* Et ſorte capitur Jonathan, & Saul, *in Compl. ſunt tantum iſta,* Da manifeſtationes, *ut etiam in vulgata: ac certe in codicibus græcis apparet coagmentatio quædam variarum interpretationum. Pro eo autem, quod in noſtra eſt,* τάδε εἴπῃ, hæc dixerit, *in aliis eſt,* τάδε εἴπῃς, hæc dixeris. (aa) Jacite.] *Sic hebræus: alii addunt,* κλῆρον, ſortem. (bb) Quemcunque.] *Scholion,* ταῦτα μέχρι τοῦ, καὶ κατακληροῦται, ἐν μόνῃ κεῖται τῇ ἐκδόσει θεοδοτίωνος. διὸ ἠστέρισται αὐτὰ ὡς ὂν μιᾷ ἢ δευτέρᾳ ζυγῇ τῶν ἑβδομήκοντα κείμενα, οὐ μὴν ἐν τῷ ἑβραϊκῷ. Hæc uſque ad illud, (& ſorte capitur) in ſola editione Theodotionis ſunt poſita; quamobrem ſunt ea aſteriſco notata, tanquam poſita in una aut ſecunda conjugatione ipſorum LXX, non tamen in hebræo. *Ex quibus Scholiaſtis verbis, & aliis hujuſmodi, quæ alibi afferuntur, colligi poteſt plures fuiſſe editiones, quæ nomen LXX retinerent,*

&

& interdum quidem in eodem codice poſitas, & quaſi conjugatas, unam tamen altera puriorem. In Complut. aliqua ex his habentur, aliqua abſunt. (cc) Vivit.] *Alii* ἵλεως, ζῇ. Propitius. (dd) Populus Dei fecit diem hanc.] *Alii*, ἔλεως τοῦ θεοῦ ἐποίησεν ἐν τῇ ἡμέρᾳ ταύτῃ, miſericordia (*aut* miſericordiam) Dei fecit in die hac. (ee) Et Saul.] καὶ σαοὺλ ἔλαχε τοῦ βασιλεύειν, κατακληροῦται ἔργον ἐπὶ ἰσραήλ. *Alii*, καὶ σαοὺλ ἔλαχε τοῦ βασιλεύειν ἐπὶ ἰσραήλ, Et Saul ſorte cepit regnare ſuper Iſrael. *Compl.* καὶ σαοὺλ κατακληροῦται βασιλεύειν ἐπὶ ἰσραήλ. Et Saul ſorte cepit regnare ſuper Iſrael. *Quare apparet in noſtra duas eſſe admiſtas interpretationes. Et quod una inquit*, regnare, *altera*, opus, *non valde diſcrepant. Et in hebræo dictiones iſta ſignificantes ſunt valde ſimiles. Et S. Paulus 1. Timoth. 3. epiſcopatum* opus *appellat.* (ff) Ner filii propinqui Saul.] *A Compl. abeſt illud*, υἱοῦ, filii. *Vulgata*, Ner patruelis Saul. *Et alii pro*, patruelis, *vertunt*, patrui. (gg) Filius Jamin filii Abiel.] *Compl. habet tantum*, υἱοῦ ἀβιήλ, filii Abiel. *Vulgata*, filius Abiel.

CAP. XV.

(a) ET Hierim.] *Sive*, Hiarim, *ut alii hic, & paulo poſt. Eſt autem veſtigium dictionis hebrææ, quæ ſignificat perdere, & demoliri. Quare vulgata*, demolire univerſa ejus. *Complutenſis autem*, καὶ ἐξολοθρεύσεις αὐτὸν, καὶ πάντα τὰ αὐτοῦ, καὶ ἀναθεματιεῖς, *&c.* & diſperdes eum, & omnia quæ ejus, & anathemabis, *&c. Reliqua quæ in noſtra, & aliis græcis codicibus ſunt interjecta, abſunt ab ea. A vulgata autem abſunt præterea iſta*, & anathemabis eum, & omnia quæ ejus. (b) Ab eo.] ἀπ' αὐτοῦ. *hebræus*, ſuper eo. *Complutenſis*, αὐτῷ, ei. (c) Uſque.] *Complutenſis*, καὶ ἕως, Et uſque : *& ſic deinceps.* (d) In Galgalis quadringinta millia ordinum, & Judam triginta millia ordinum.] *Complutenſis*, ἐν γαλγάλοις διακοσίας χιλιάδας ταγμάτων, καὶ δέκα χιλιάδας τῶν ἀνδρῶν τοῦ ἰούδα. In Galgalis ducenta millia ordinum, & decem millia virorum Juda. *Quæ reſpondent hebræo, niſi quod hebræus pro* in Galgalis, *habet*, in Thelaim : *quod vulgata interpretatur*, quaſi agnos, *Chaldæus*, in agnis paſchalibus. (e) Et Hierim interfecit.] *Rurſus in Complutenſi tantum eſt*, αὐτοῦ ἐξωλόθρευσεν, ejus exterminavit. *In aliquo autem libro & hæc ſunt, & præterea adduntur illa*, καὶ ἱερὶμ ἀπέκτεινεν ; *ut appareat miſtio interpretationum : Ab hebræo abeſt etiam illud*, αὐτοῦ. *Quare vulgata*, omne autem vulgus interfecit. (f) Revocavi me.] παρακέκλημαι. *In aliis eſt partim*, μεταμέλομαι, pænitet, *partim*, μεταμεμέλημαι ὅτι ἔχρισα, pænituit me, quia unxi : *& ſic Theodoretus q. 33. de loco iſto diſputans.* (g) Ipſi Saul, dicentes ; venit Samuel.] *Plerique libri habent*, ipſi Samuel, dicentes : venit Saul. (h) Ad Saul.] *In aliquo libro eſt*, καὶ ἦλθε σαμουὴλ πρὸς σαοὺλ. Et venit Samuel ad Saul. *A Complutenſi autem abſunt iſta, & quæ ſequuntur uſque ad*, Et advenit, *ſicut etiam a vulgata.* (i) Coram te ipſo.] *Id viſum eſt hoc loco ſignificare*, ἐνώπιον αὐτοῦ, *quod in Complutenſi, & apud Theodoretum eſt*, σεαυτοῦ. (k) Tribus.] *Complutenſis*, φυλῶν, tribuum. *Apud Theodoretum quæſt. 34. totus hic locus ſic habet*, οὐχὶ μικρὸς σὺ ἐνώπιον σεαυτοῦ εἰς ἡγούμενον, ἐκ σκήπτρου βενιαμὶν, ἐλαχιστοτέρας φυλῆς τοῦ ἰσραήλ ; nonne parvus tu coram te, ut eſſes in ducem, ex ſceptro Benjamin, minore tribu Iſrael? *Putat autem exprobrari Sauli a Samuele verba, quæ ipſemet Saul dixerat.* (l) Ad ponendum.] τοῦ θέσθαι, *quod abeſt a Complutenſi.* (m) Prima exterminationis] *Complutenſis*, τὰς ἀπαρχὰς τοῦ ἀναθέματος, primitias anathematis. (n) Si volitum Domino.] εἰ θελητὸν τῷ κυρίῳ. *Theodoretus*, ἰδοὺ οὐ θέλει κύριος, ecce non vult Dominus. (o) Bonum.] θυσίαν ἀγαθήν. *Alii codices*, ἀγαθή. *Complutenſis, & Theodoretus*, ἰδοὺ γὰρ ἀκοὴ ἀγαθὴ ὑπὲρ θυσίαν, καὶ ἀκρόασις ὑπὲρ στέαρ κριῶν. Ecce enim auditio bona ſuper ſacrificium, & auſcultatio ſuper adipem arietum. (p) Peccatum augurium eſt.] *Symmachus*, ἁμαρτία τῆς μαντείας τὸ προσερίζειν, ἡ δὲ ἀνομία τῶν εἰδώλων τὸ ἀπειθεῖν *quod vulgata*, Quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere. *Aquila*, ἁμαρτία μαντείας παραπικρασμὸς, peccatum divinationis, exacerbatio. (q) Theraphim,] *Theodoretus.* Illud autem, θεραφὶν, Aquila eſt interpretatus, θεραπεία καὶ ἀνθυφαίρεσις, cultus & ſubductio. *Explanat autem hanc Aquilæ ſententiam ita, ut putet ſignificari cultum, in quo quis ſe ſubducat a mandatorum obſervatione. Lucifer. de reg. Apoſt.* Ecce dicto audientia melior eſt quam ſacrificium, & obedientia quam adipes arietum ; quoniam peccatum abominatio eſt : dolores & gemitus ad te adduxiſti. (r) Tuum ab Iſrael.] *S. Auguſt. 17. de civit. cap. 7. teſtatur ita ſe inveniſſe in græcis*, regnum ab Iſrael de manu tua, *licet in plerisque codicibus latinis legeretur*, regnum Iſrael de manu tua : *quod tamen propius accedit ad hebræum.* (ſ) Non avertet.] οὐκ ἀποστρέψει, *id eſt, non mutabit ſe. Compl.* οὐκ ἐπιστρέψει, *& S. Auguſtinus ibidem*, non convertetur. *Scholiaſtes videtur legiſſe*, οὐκ ἐπιδείξει, *id eſt, non oſtentabit tantum, ſed faciet. Verba Scholiaſtis hæc ſunt*, διδάσκων ἄλυτον τοῦ θεοῦ τὴν ἀπόφασιν, ὁ προφήτης ἐπήγαγεν, οὐκ ἐπιδείξει, *&c.* Docens indiſſolubilem eſſe Dei enunciationem propheta ſubjunxit, οὐκ ἐπιδείξει. οὐδὲ μετανοήσει ὁ ἅγιος τοῦ ἰσραήλ. ὅτι οὐχ ὡς ἄνθρωπός ἐστι τοῦ μετανοῆσαι. Hinc etiam conſiderandum illud, μεταμεμέλημαι. (t) Pænitebit eum.] *Ita etiam S. Auguſt. Apud Scholiaſtem, ut ex verbis proxime allatis conſtat, & in Compl. additur*, ὁ ἅγιος τοῦ ἰσραήλ., Sanctus ipſius Iſrael : *pro quo in vulgata*, triumphator in Iſrael.. (u) Pæniteat eum] *In quibuſdam codicibus ſequitur*, ἀπειλήσει, καὶ οὐκ ἐμμενεῖ. *Et S. Auguſt. ibidem* : ipſe minatur, & non permanet. *Refert autem non ad Deum, ſed ad hominem. Videantur quæ notata ſunt 23. Num.*

CAP. XVI.

(a) O Videns.] *Abeſt a Complutenſi, ut a vulgata.* (b) Lætamini.] *Complutenſis*, ἀνακλίθητε, diſcumbite. (c) Supra.] ἐπάνω. *Sic hebræus. Complutenſis*, ἐπέκεινα, deinceps, *ut vulgata.* (d) Malignum.] *Complutenſis addit*, παρὰ θεοῦ, a Deo. *Vulgata, ut hebræus*, Dei. (e) Et requieſcere te faciet.] *Abſunt a Complutenſi, & ab hebræo.* (f) Et ipſum ſcientem.] *Complutenſis habet tantum*, ἐπιστάμενον, ſcientem. (g) Gomor.] *Complutenſis*, ὄνον, καὶ ἐπέθηκεν αὐτῷ γόμορ, aſinum : & impoſuit ei Gomor. *Hebræus habet tantum*, Aſinum panis. (h) Eum.] *In Complutenſi additur*, Saul, *ſed non in hebræo.*

CAP. XVII.

(a) JUdææ.] τῆς ἰουδαίας, *pro eo quod in vulgata eſt*, Judæ. (b) Ephermen.] *Alii*, ἐν ἀφεσδομμὶν. *Quod in vulgata*, in finibus Dommim (c) Ipſi.] *Alii*, τῆς τερεβίνθου (*Complutenſis*, τῆς δρυὸς) οὗτοι, καὶ οὗτοι, Terebinthi (*Complutenſis*, quercus) hi, & hi. *S. Auguſtinus ſerm. 197. de tempore habet*, Terebinthi, *quemadmodum etiam vulgata.* (d) Quatuor.] *Ita etiam Complutenſis. Alii*, ἓξ πηχῶν, ſex cubitorum, *ut vulgata.* (e) Caſſis] *Complutenſis addit*, χαλκῆ, ænea. *ut vulgata.* (f) Liciatorium.] μέσακλον. *Alii*, μέσαυλον, *aut*, μέσακνον, *eodem ſenſu.* (g) Hebræi.] *Ita & Complutenſis : quod vulgata* ſervi : *ac de iſta nominum in hebræo ſimilitudine notatum eſt capite 13.* (h) Potuero.] δυνηθῶ. *Ita hebræus, niſi quod addit*, in eum. *Complutenſis*, καταδυναστεύσω αὐτοῦ, oppreſſero eum. (i) Hodie] *Abeſt a Complutenſi. In vulgata eſt*, hodie, *ſed non*, in die hac. (k) Valde.] *Ita in libris qui ſolent eſſe emendatiſſimi. In aliis hæc ſequuntur, quæ videntur agnoſci a S. Auguſtino, ſermone 197. & in lib. 50. homiliarum, homil. 31. & a S. Joan. Chryſoſtomo, homil. 1. de David & Saul.* καὶ δαυὶδ υἱὸς ἀνθρώπου ἐφραθαίου. οὗτος ἐκ βηθλεὲμ ἰούδα, καὶ ὄνομα αὐτῷ ἰεσσαί. καὶ αὐτῷ ὀκτὼ υἱοί. καὶ ὁ ἀνὴρ ἐν ταῖς ἡμέραις σαοὺλ πρεσβύτερος ἐληλυθὼς ἐν ἀνδράσι. καὶ ἐπορεύθησαν οἱ τρεῖς υἱοὶ ἰεσσαὶ οἱ μείζονες ὀπίσω σαοὺλ εἰς πόλεμον, καὶ ὄνομα τῶν υἱῶν αὐτοῦ τῶν πορευθέντων εἰς τὸν πόλεμον, ἐλιὰβ ὁ πρωτότοκος αὐτοῦ, καὶ ὁ δεύτερος ἀμιναδὰβ, καὶ ὁ τρίτος σαμὰ, δαυὶδ δὲ ὁ μικρότερος, καὶ οἱ τρεῖς οἱ μείζονες ἐπορεύθησαν ὀπίσω σαοὺλ. καὶ δαυὶδ ἀπῆλθε, καὶ ἀνέστρεψεν ἀπὸ τοῦ σαοὺλ ποιμαίνων τὰ πρόβατα τοῦ πατρὸς αὐτοῦ ἐν βηθλεὲμ. καὶ προσήει ὁ ἀλλόφυλος ὀρθρίζων καὶ ὀψίζων, καὶ ἐστηλώθη ἐνώπιον ἰσραὴλ τεσσαράκοντα ἡμέρας καὶ εἶπεν ἰεσσαὶ δαυὶδ τῷ υἱῷ αὐτοῦ. λάβε δὴ τοῖς ἀδελφοῖς σου οἰφὶ τοῦ ἀλφίτου καὶ δέκα ἄρτους τούτους, καὶ διάδραμε εἰς τὴν παρεμβολὴν, καὶ δὸς τοῖς ἀδελφοῖς σου. καὶ τὰς δέκα τρυφαλίδας τοῦ γάλακτος τούτου εἰσοίσεις τῷ χιλιάρχῳ, καὶ τοὺς ἀδελφούς σου ἐπισκέψαι εἰς εἰρήνην, καὶ ὅσα ἂν χρήζωσι, γνώσῃ, καὶ τὸ σάββατον ποιήσεις μετ' ἐμοῦ. σαοὺλ δὲ αὐτὸς καὶ πᾶς ὁ λαὸς ἐν τῇ κοιλάδι τῆς δρυὸς πολεμοῦντες μετὰ τῶν ἀλλοφύλων. καὶ ὤρθρισε δαυὶδ τὸ πρωῒ, καὶ ἀφῆκε τὰ πρόβατα φύλακι, καὶ ἔλαβε καὶ ἀπῆλθε καθὰ ἐνετείλατο αὐτῷ ἰεσσαὶ, καὶ ἦλθεν εἰς τὴν στρογγύλωσιν καὶ τὴν δύναμιν τὴν ἐκπορευομένην εἰς τὴν παράταξιν, καὶ ἠλάλαξαν ἐν τῷ πολέμῳ· καὶ παρετάξαντο ἰσραὴλ καὶ οἱ ἀλλόφυλοι παράταξιν ἐξεναντίας παρατάξεως. ἀποθέμενος δὲ δαυὶδ τὰ σκεύη αὐτοῦ ἀφ' ἑαυτοῦ ἐπὶ χεῖρα τοῦ φύλακος ἔδραμεν εἰς τὴν παράταξιν, καὶ ἦλθε καὶ ἠρώτησε τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ εἰς εἰρήνην. καὶ αὐτοῦ λαλοῦντος μετ' αὐτῶν, ἰδοὺ ὁ ἀνὴρ ὁ ἀμεσσαῖος ἀνέβαινε, γολιὰθ ὁ φυλισταῖος *&c.* Et erat David filius hominis Ephrathæi : hic ex Bethleem Juda : & nomen ei Jeſſæ : & ei octo filii : & vir in diebus Saul ſenior, veniens inter homines: (*Complutenſis*, ἐν ἔτεσιν, in annos : *ſed illud propius hebræo.*) Et iverunt tres filii Jeſſæ majores poſt Saul ad bellum, Heliab primogenitus ejus. & ſecundus Aminadab, & tertius Sama. David autem ipſe, minor. Et tres ipſi majores iverunt poſt Saul. Et David abiit : & revertit a Saul, paſcens oves patris ſui in Bethleem. Et adveniebat alienigena ſurgens mane, & veſpere: & ſtetit coram Iſrael quadraginta dies. Et dixit Jeſſæ ad David filium ſuum: Sume nunc fratribus tuis Oephi farinæ, & decem panes hos, & percurre in caſtra, & da fratribus tuis : & decem formellas lactis hujus (*Complutenſis*, ταύτας, has) afferes Chiliarcho : & fratres tuos viſita in pace, & omnia, quibuſcunque opus habuerint, cognoſces : & ſabbatum facies mecum : (*Hæc poſtrema particula abeſt a Complutenſi.*) Saul autem ipſe (*Complutenſis* καὶ αὐτοὶ & ipſi) & univerſus populus in valle quercus bellantes cum alienigenis. Et diluculo ſurrexit David mane, & dimiſit oves cuſtodi : & ſumpſit, & abiit, ſicut mandaverat ei Jeſſæ Et venit ad rotunditatem (*id eſt vallum*) & virtutem exeuntem in aciem : & vociferati ſunt in prælio. Et inſtruxerunt Iſrael, & alienigenæ aciem ex adverſo aciei. Deponens autem David vaſa ſua a ſe ſuper manum cuſtodis, cucurrit ad aciem : & venit, & interrogavit fratres ſuos in pace Et ipſo loquente cum eis, ecce vir Ameſſæus (*Complutenſis*, ὁ μεσσαῖος, *quaſi medius ſtans inter acies. Vulgata habet*, ſpurius) aſcendebat, Goliath Philiſtæus nomen ei e Geth ex aciebus alienigenarum : & locutus eſt ſecundum verba iſta. Et audivit David. Et omnis vir Iſrael dum ipſi viderent virum, & fugerunt a facie ejus, & timuerunt valde. Et dixit vir Iſrael : Si vidiſtis virum aſcendentem hunc, quia ad exprobrandum Iſrael aſcendit ? Et erit, vir quicunque percuſſerit eum, ditabit eum rex divitiis magnis, & filiam ſuam dabit ei, & domum patris ejus faciet liberam in Iſrael. Et dixit David ad viros, qui ſtabant ſimul cum eo, dicens : Quid fiet viro, qui percuſſerit alienigenam illum, & abſtulerit opprobrium ab Iſrael ? Quoniam quis eſt alienigena incircunciſus iſte ; quia exprobravit aciem Dei viventis ? Et dixit ei populus juxta verbum hoc, dicens : Sic fiet viro, qui percuſſerit eum. Et audivit Heliab frater ejus major, cum ipſe loqueretur ad viros : & iratus eſt indignatione Heliab in David, & dixit : Ut quid huc aſcendiſti ? & ſuper quem dimiſiſti puſillas oves illas in deſerto? Ego novi ſuperbiam tuam, & improbitatem cordis tui, quoniam cauſa videndi prælium deſcendiſti. Et dixit David : Quid feci ? (*alii addunt*, νῦν, nunc:) Nonne verbum eſt ? Et avertit ſe ad eo ad contra alterum: (*Ita hebræus, Compl.* εἰς μέρος ἕτερον, *ad partem aliam.*) & dixit juxta verbum iſtud. Et reſpondit ei populus juxta verbum primi. Et audita ſunt verba, quæ locutus eſt David, & annunciata ſunt coram Saul. Et aſſumpſerunt eum, & introduxerunt eum ad Saul. (l) Nonne ibo.] *Ita etiam Theodoretus, quæſt. 40. A Complutenſi abſunt iſta uſque ad illud*, qui exprobravit : *ſicut etiam a vulgata.* (m) Veſtimentum.] *Complut. addit*, αὐτοῦ, ſuum. (n) Gladio ſuo.] *Alii* θώρακα, καὶ περιεζώσατο δαβὶδ τὴν ῥομφαίαν αὐτοῦ, thorace, & accinctus eſt David gladio ejus : *nec multo aliter Complutenſis.* (o) Veſtimentum] *Ita etiam vulgata. Complut.* ἐπάνω τοῦ θώρακος αὐτοῦ, ſuper thoracem ejus. (p) Semel. & bis.] *In aliis additur*, ὅτι ἄπειρος ἦν, quoniam non habebat uſum. *Et Compl pro*, ſemel, & bis, *habet*, ἐν τῷ βαδίζειν ἐν αὐτοῖς, in ambulando in eis. (q) Auferunt.] *Complutenſis*, καὶ περιείλετο αὐτὰ ἀπ' αὐτοῦ, & circumabſtulit ea a ſe. (r) Pera paſtorali.] *Sic vulgata. S. Auguſtinus lib 50. homiliarum, homil. 3.* in vaſe paſtoris, quo lac mulgeri ſolet. *Apud chaldæum, & alios ex hebræo, fit mentio & vaſis paſtorum, & peræ.* (ſ) Et vidit Goliath, David.] *Ita emendatiſſimi quique libri. Alii autem*, καὶ ἐπορεύθη ὁ ἀλλόφυλος πορευόμενος καὶ ἐγγίζων πρὸς δαυὶδ, καὶ ἀνὴρ αἴρων τὸν θυρεὸν ἔμπροσθεν αὐτοῦ, καὶ ἐπέβλεψε γολιὰθ ὁ ἀλλόφυλος. Sed emendatiſſimi quique libri hæc non habent. Et perexit alienigena pergens, & appropinquans adverſus David : & vir portans ſcutum ante eum. Et inſpexit Goliath alienigena, & vidit David. *Viciſſim autem abſunt a Compl. quæ hic paulo poſt ſequuntur.* Et dixit David, nequaquam, ſed pejor cane. (t) Domini Dei Sabaoth aciei Iſrael] *Compl. & Theodor.* κυρίου σαβαὼθ, θεοῦ παρατάξεως ἰσραὴλ, *& vulgata*, Domini exercituum, Dei agminum Iſrael. (u) David.] *In aliquot libris ſequitur*, καὶ ἐτάχυνε δαυὶδ, καὶ ἔδραμεν (*Compl.* καὶ ἐξῆλθε καὶ αὐτὸς) εἰς παράταξιν εἰς συνάντησιν τοῦ ἀλλοφύλου, Et feſtinavit David, & cucurrit (*Complutenſis*,

plutenſis, & exiit etiam ipſe) in aciem in occurſum alienigenæ. (*x*) Terram.] *In aliis ſequitur,* ϗ ἐκεφαλαίωσε (*Complut.* ἐκεφαλαιώθη) δαυὶδ ἐπὶ τὸν ἀλλόφυλον ἐν τῇ σφενδόνῃ, ϗ ἐν τῷ λίθῳ, ϗ ἐπάταξε τὸν ἀλλόφυλον, ϗ ἐθανάτωσεν αὐτόν. ϗ ῥομφαία οὐκ ἦν ἐν χειρὶ δαυίδ. Et invaluit David ſuper alienigenam in funda, & in lapide: & percuſſit alienigenam, & morti tradidit eum: & non erat gladius in manu ejus. (*y*) Aſcalonis.] *Complutenſis,* Accaron, *ut vulgata.* (*z*) Conculcarunt.] *Complutenſis,* προενόμευσαν, prædati ſunt. (*aa*) Tabernaculo ſuo.] *In aliquot libris ſequuntur hæc, quæ reſpondent vulgatæ, & agnoſcuntur etiam a Theodoreto, quæſt. 42. & ſequentibus.* ὡς εἶδε Σαοὺλ τὸν δαυὶδ ἐκπορευόμενον εἰς συνάντησιν τοῦ ἀλλοφύλου εἶπε πρὸς τὸν Ἀβεννὴρ τὸν ἄρχοντα τῆς δυνάμεως. υἱὸς τίνος ὁ νεανίσκος οὗτος, ἀβεννήρ; ϗ εἶπεν ἀβεννήρ, ζῇ ἡ ψυχή σου βασιλεῦ εἰ οἶδα. ϗ εἶπεν ὁ βασιλεύς. ἐπερώτησον σὺ, υἱὸς τίνος ὁ νεανίσκος οὗτος. ϗ ὡς ἐπέστρεψε δαυὶδ τοῦ πατάξαι τὸν ἀλλόφυλον, ϗ παρέλαβεν αὐτὸν ἀβεννήρ, ϗ εἰσήγαγεν αὐτὸν ἐνώπιον σαούλ. ϗ ἡ κεφαλὴ τοῦ ἀλλοφύλου ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ. ϗ εἶπε πρὸς αὐτὸν σαούλ. υἱὸς τίνος εἶ παιδάριον; ϗ εἶπε δαυὶδ. υἱὸς τοῦ δούλου σου ἰεσσαὶ τοῦ βηθλεεμίτου. ϗ ἐγένετο ὡς συνετέλεσε λαλῶν πρὸς σαοὺλ, ϗ ἡ ψυχὴ ἰωνάθαν συνεδέθη τῇ ψυχῇ δαυὶδ, ϗ ἠγάπησεν αὐτὸν ἰωνάθαν κατὰ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ. ϗ ἔλαβεν αὐτὸν σαοὺλ ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ. ϗ οὐκ ἔδωκεν αὐτὸν ἐπιστρέψαι ἐν τῷ οἴκῳ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ ϗ διέθετο ἰωνάθαν ϗ δαυὶδ διαθήκην ἐν τῷ ἀγαπᾶν αὐτὸν κατὰ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ. ϗ ἐξεδύσατο ἰωνάθαν τὸν ἐπενδύτην τὸν ἐπ᾽ αὐτῷ, ϗ ἔδωκεν αὐτὸν τῷ δαυὶδ, ϗ τὸν μανδύαν αὐτοῦ, ϗ ἕως τῆς ῥομφαίας αὐτοῦ, ϗ ἕως τοῦ τόξου αὐτοῦ, ϗ ἕως τῆς ζώνης αὐτοῦ, ἐξεπορεύετο δαυὶδ ἐν πᾶσιν οἷς ἀπέστελεν αὐτὸν σαοὺλ συνιῶν. ϗ κατέστησεν αὐτὸν σαοὺλ ἐπὶ τοὺς ἄνδρας τοῦ πολέμου. ϗ ἤρεσεν ἐν ὀφθαλμοῖς παντὸς τοῦ λαοῦ, καί γε ἐν ὀφθαλμοῖς δούλων σαούλ. ϗ ἐγενήθη ἐν τῷ εἰσπορεύεσθαι αὐτοὺς ἐν τῷ ἐπιστρέφειν δαυὶδ ἀπὸ τοῦ πατάξαι τὸν ἀλλόφυλον. Et ut vidit Saul David egredientē in occurſum alienigenæ; dixit ad Abenner principem virtutis: Filius cujus adoleſcens iſte, Abenner? Et dixit Abenner: Vivit anima tua, rex, ſi novi: (*Sic hebræus: Complut. paulo aliter.*) Et dixit rex: Interroga tu, filius cujus adoleſcens iſte. Et, ut revertit David a percutiendo alienigenam (*rurſus propius ad hebræum,* τοῦ πατάξαι, *quam,* πατάξας, *quod in Complutenſi;*) & aſſumpſit eum Abenner, & introduxit eum coram Saul. Et caput alienigenæ in manu ejus. Et dixit ad eum Saul: Filius cujus es puer? Et dixit David: Filius ſervi tui Jeſſæ Bethleemitæ. Et factum eſt (*hoc eſt initium capitis* 18.) ut conſummavit loquens ad Saul; & anima Jonathan conglutinata eſt animæ David: & dilexit eum Jonathan juxta animam ſuam. Et aſſumpſit eum Saul in die illa: & non dedit eum reverti in domum patris ſui. Et diſpoſuit Jonathan, & David teſtamentum in diligendo illum juxta animam ſuam. Et exuit Jonathan pallium, quod ſuper ſe, & dedit illud David, & mantellum ſuum, & uſque ad gladium ſuum, & uſque ad arcum ſuum, & uſque ad balteum ſuum. Et egrediebatur David in omnibus, ad quæ mittebat eum Saul, intelligens. Et conſtituit eum Saul ſuper viros belli. Et placuit in oculis univerſi populi, & etiam in oculis ſervorum Saul. Et factum eſt in egrediendo eos, in revertendo David a percutiendo alienigenam. *Theodoretus, cum diſputaſſet, quomodo Saul ignorare potuerit David, quem cithara pſallentem audire ſolitus erat, itemque quod veſtimenti genus ſit,* μανδύας, *quod nos mantellum diximus: notat deinde, quæſt. 44. quod LXX dixerunt, Jonathan dilexiſſe David,* ψυχὴν ἀγαπῶντος αὐτὸν, animo amantis ſeipſum, *Aquilam dixiſſe,* κατὰ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ, juxta animam ſuam: *quod tamen hoc loco eſt in omnibus collatis codicibus, qui habent iſta verba, ſicut illud legitur infra cap.* 20.

CAP. XVIII.

(*a*) IN occurſum David.] *In Complut. eſt,* καὶ ᾄδουσαι εἰς ἀπάντησιν σαοὺλ τοῦ βασιλέως, & canentes in occurſum Saul regis. *In aliquo libro ambæ iſtæ lectiones ſunt admiſtæ.* (*b*) Mulieres.] *In aliis additur,* αἱ παίζουσαι ludentes. (*c*) Et malum.] *Complutenſis,* καὶ ὠργίσθη σαοὺλ, καὶ ἐφάνη πονηρὸν, & iratus eſt Saul: & viſum eſt malum. (*d*) Millia.] *Ita in iis qui ſolent eſſe emendatiſſimi. In aliis hæc ſequuntur:* Et quid ei, niſi regnum? Et fuit Saul invidens David a die illa, & deinceps. Et factum eſt a craſtina, & cecidit ſpiritus Dei malus ſuper Saul: & prophetavit in medio domus ſuæ. Et David pſallebat manu ſua, ſicut per unamquamque diem. Et haſta in manu Saul. Et elevavit Saul haſtam, & dixit: Percutiam in David, & in parietem. Et declinavit David a facie ejus bis. *Agnoſcit nonnulla ex his Theodoretus, quæſt.* 45. (*e*) David.] *In iiſdem additur,* ὅτι ἦν κύριος μετ᾽ αὐτοῦ, καὶ ἀπὸ σαοὺλ ἀπέστη, quoniam erat Dominus cum eo, & a Saul diſceſſerat. (*f*) Populi.] *In iiſdem ſequitur.* Et dixit Saul ad David: Ecce filia mea major Merob: eam tibi dabo in uxorem. Tantummodo eſto mihi in filium virtutis: & præliare prælia Domini. Et Saul dixit: Non ſit manus mea ſuper eum: & erit (*Complutenſis,* ἀλλ᾽ ἔστω, ſed ſit. *Theodoretus, quæſt.* 46. ἀλλ᾽ ἔσται, ſed erit) ſuper eum manus alienigenarum. Et dixit David ad Saul: Quis ego ſum, & vita (*Compl.* & quæ vita) cognationis patris mei in Iſrael; quia ero gener regis? Et factum eſt in tempore dandi Merob filiam Saul ipſi David, & hæc data eſt ipſi Edriel Molathitæ in uxorem. (*g*) Et fuit ſuper Saul manus alienigenarum.] *Complutenſ. & Theodoretus ibidem,* καὶ ἔσται ἐπ᾽ αὐτῷ (*Theodoretus,* ἐπ᾽ αὐτὸν) ἡ χεὶρ τῶν ἀλλοφύλων, & erit ſuper eum manus alienigenarum. *Poſt hæc autem in aliis codicibus ſequuntur iſta:* Et dixit Saul ad David: In duabus fies gener mihi hodie. Et mandavit, *&c.* (*h*) In dono.] ἐν δόματι, *quod multi vertunt ex hebræo,* in dote, *& Chaldæus,* in dotibus. *Compl.* ἕδνα, *quod vulgata,* ſponſalia. (*i*) Regi.] *In aliis additur,* καὶ οὐκ ἐπληρώθησαν αἱ ἡμέραι, & non ſunt completi dies (*k*) Centum.] *Complutenſ.* διακοσίους, ducentos, *ut vulgata.* (*l*) Eorum.] *In aliis additur,* ϗ ἐπλήρωσεν αὐτὰς τῷ βασιλεῖ, *quod vulgata,* & numeravit ea regi. (*m*) Amplius.] *In aliis hæc ſequuntur:* Et fuit Saul inimicitias exercens in David omnibus diebus. Et exiverunt principes alienigenarum. Et factum eſt in opportunitate egreſſionis eorum, & intelligens erat David. (*Complutenſ.* & David intellexit) præter omnes ſervos Saul: & honoratum fuit nomen ejus valde.

CAP. XIX.

(*a*) ADverſus Saul.] *Abeſt hoc a Compl. ut a vulgata.* (*b*) Cenotaphia.] *Theodoretus, quæſt.* 48 κενοτάφια. Aquila interpretatus eſt, μορφώματα, formas, & effigies, jecur autem caprarum, ἱματίων πλῆθος, καὶ στρογγύλωμα τριχῶν, veſtium multitudinem, & ſtragulum capillorum. *Quod poſtremum habet etiam Complut. In Scholio inſerto quæſtionibus Theodoreti ſcribitur, Cenotaphia ſignificare veſtes imitantes hominem decumbentem.* (*c*) Prophetarum.] *In aliis additur,* τῶν προφητευόντων, *quod vulgata,* Vaticinantium. (*d*) Et ibat prophetans.] *Alij,* καὶ ἐπορεύετο πορευόμενος προφητεύων, (*Compl.* καὶ προφήτευσεν,) & ambulabat ambulans, prophetans, *aut,* & prophetavit. (*e*) Eis.] *Compl.* σαμουήλ. *& vulgata,* coram Samuel.

CAP. XXI.

(*a*) IN Rhama] *Ita etiam hebræus: nam eſt ſubintelligendum,* quæ eſt in Rhama: *& ita vulgata, niſi quod habet* Ramatha, *ut Chaldæus. Complut. longius ab hebræo,* ἐκ ῥαμὰ, de Rhama. (*b*) Et non revelabit auriculam meam] *Reſpondet hebræo. Complutenſ. planius,* ὃ οὐκ ἀποκαλύψει, quod non revelet. *Symm.* ἐὰν μὴ δηλώσῃ εἰς ἀκοήν μου, niſi indicarit in auditu meo. (*c*) Non cognoſcat hoc.] *Viſum eſt hoc loco idem valere,* μὴ γνῶναι, *quod in aliis eſt,* μὴ γνῷ, *aut,* γνώτω, *ut Complut.* (*d*) Ne minime velit.] *Propius ad vulgatam, quæ habet,* ne triſtetur, *quam quod eſt in Complutenſi,* ὅπως μὴ ἀναγγέλῃ τῷ δαυίδ, ut non annunciet ipſi David. (*e*) Impletum eſt.] ἐμπέπλησαι, *Complut.* πεπλήρωται, *eodem ſenſu. Aquila, & Symm.* ὅσον βῆμα, ἀναμεταξὺ ἐμοῦ καὶ θανάτου, quantum gradus (*aut paſſus,*) inter me, & mortem. (*f*) Et quid faciam.] *Complut.* καὶ ποιήσω, & faciam. (*g*) Sedens non ſedebo manducare.] *Ita vetuſtiores libri. In aliis poſt* ſedebo *additur* μετὰ τοῦ βασιλέως, cum rege, *Complut.* καὶ ἐγὼ καθίσας καθίσομαι μετὰ τοῦ βασιλέως φαγεῖν, & ego ſedens ſedebo cum rege manducare, *quod vulg. interpretatur,* ex more ſedere ſoleo juxta regem ad veſcendum. (*h*) Veſperam.] *Vulgata ex hebræo addit,* diei tertiæ (*i*) Si hæc dixerit.] *Ita fere hebræus. Complut. autem,* καὶ ἐὰν εἴπῃ ὁ πατήρ σου, & ſi dixerit pater tuus. (*k*) Et ſi non fuerit.] καὶ ἐὰν μὴ ᾖ, εἰς τὰς πόλεις σου ἐγὼ ἀπαγγελῶ σοι. *Ab aliquibus abeſt illud,* ᾖ, fuerit. *Compl. habet tantum,* καὶ μὴ ἀπαγγελῶ σοι; & non annunciabo tibi. *In hebræo, ut in vulgata, eſt ſine interrogatione: pendet enim ab illo,* Nequaquam tibi, *id eſt, abſit a te, ut ſi ego cognovero, non annuntiem.* (*l*) Maneto.] μένε. *Complut.* ἐξέλθωμεν, exeamus. (*m*) Quia.] ὅτι ἀνακρινῶ. *Videtur hebraiſmus, ut* quia *ſit dictum pro,* ſi, *aut,* cum. *Complut.* ὅτι ἐὰν, quoniam ſi, *& concludit per interrogationem,* & non mittam ad te in campum? *ſed in hebræo additur,* & revelavero aurem tuam, *& periodus concluditur in verbis ſequentibus,* hæc faciat Deus ipſi Jonathan, & hæc adjiciat, (*n*) Quoniam deferam mala ſuper te.] *In Complut. quoniam proxime allata verba,* hæc faciat Deus ipſi Jonathan, & hæc adjiciat, *ſunt initium periodi, idcirco nunc legitur,* ἐὰν μὴ ἀνοίσω τὰ κακὰ ἐπὶ σὲ, ſi non detulero mala ſuper te. *ſed rurſus in noſtra poteſt illud,* quoniam, *accipi pro,* ſi, *ut ita dicamus: Si detulero, id eſt, reſciero mala ſuper te, revelabo, &c. Et non eſt diſſimilis ſententia ab ea quam habet vulgata* (*o*) Et ſi non.] *Compl. & ex parte etiam aliquot manuſcripti codices,* ϗ μὴ, ἐν τῷ ἐξαίρειν κύριον τοὺς ἐχθροὺς δαυὶδ, ἕκαστον ἀπὸ προσώπου τῆς γῆς, ἐξαρθήσεται (*al.* ἐξαρθῶσι) τῷ ἰωνάθαν ἀπὸ τοῦ οἴκου δαυὶδ, Et non, in auferendo Dominum inimicos David, auferetur (*ex ſuperiore ſupplendum,* miſericordia) ipſi Jonathan a domo David. *Hebraica aliam ſententiam præ ſe ferunt.* (*p*) Animo amantis ſe.] *Aquila,* κατὰ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ, juxta animam ſuam. *De hoc dictum eſt ad cap.* 17. (*q*) Viſitabitur.] *Sic hebræus. Symm,* ζητηθήσεται, requiretur. *Hoc enim ſignificatur, fore ut in recenſendo eos qui ſedent, appareat deeſſe David. Complut. longius ab hebræo,* ϗ ἐπισκοπῇ ἐπισκεφθήσεται, & viſitatione viſitabitur. (*r*) Tertiabis.] *Theodoretus quæſt* 49. Illud autem, τρισσεύσεις, pro, τρεῖς ἡμέρας ἀναμενεῖς, tres dies expectabis. (*ſ*) Operaria.] τῇ ἐργασίμῃ. *Compl.* τῆς ἐργασίας, operationis (*t*) Ergab.] *Schol.* Illud, ἐργὰβ, Aquila interpretatus eſt, ἐχόμενα τοῦ νότου, juxta Auſtralem plagam: cæteri autem ediderunt, λίθον, lapidem: *quod habet Complut. & vulgata, ſed hæc addit,* cui nomen *eſt* Ezel. *Theodoretus pro,* ἐργὰβ, *habet,* ἀργὸβ. *& poſtquam ipſe etiam attulit interpretationem Aquilæ, adjungit putare ſe fuiſſe locum aliquem concavum eo nomine appellatum, & propterea paulo poſt hiſtoriam dicere, David ſurrexiſſe* ἀπὸ τοῦ ἐργὸμ: *quaſi idem ſit hic, atque ille locus. Et interpres quidem Theodoreti utrobique habet* Agaf. (*u*) Tertiabo ſagittis.] *Theodoretus,* Illud autem, τρισσεύσω, pro, tres emittam ſagittas. σχίζας autem Aquila interpretatus eſt, βέλη jacula. (*x*) Amattari.] *Complut.* Amattara. *Theodoretus.* ἀματτάρειν. *Atque addit inveniſſe ſe in hebraicorum nominum interpretatione, idem valere ac* τάφρον, *apud græcos, Foſſatum apud Romanos, apud Syros autem Scopum, ad quem qui ſe exercent jacula emittere conſueverunt. Scholiaſtes hoc, quod Theodoretus attribuit Syris, videtur attribuere Symmacho, & fortaſſe Aquilæ. Ita enim ſcribit:* Aquila autem, εἰς τὸν σκοπὸν, vel, φυλακὴν, cuſtodiam: (duplex enim ſcriptura:) Symmachus, εἰς τὸν τεταγμένον σκοπὸν, ad conſtitutum ſignum, εἰς ὃν γυμναζόμενοι τὰ βέλη πέμπειν εἰώθεσαν. τινὲς δὲ κοῖλον τόπον, ὅθεν δαυὶδ καθεζόμενος ἀνέστη. Ad quod qui ſe exercent, jacula mittere conſueverunt. Nonnulli locum cavum, unde David ſedens ſurrexit. (*y*) Et hic.] *pro eo quod in hebræo,* & infra. (*z*) Verbum.] *Sic hebræus: & ſubintelligitur illud, quod exprimitur in Compl.* πονηρὸς, verbum malum. *Ita etiam cap.* 22. (*aa*) Menſis.] *Sic hebræus Compl.* νουμηνία. Neomenia, Kalendæ. (*bb*) Et prævenit ipſum Jonathan.] ϗ προέφθασε τὸν ἰωνάθαν, *ut intelligatur poſt Saul ſequutum eſſe Jonathan. In Compl. eſt,* ϗ προέφθασεν αὐτὸν ἰωνάθαν, & prævenit eum Jonathan. (*cc*) Accidens.] *Schol.* συνάντησις. *Symm.* συγκύρημα, incurſus & eventus. (*dd*) Non parabitur.] *Compl.* οὐχ ἑτοιμασθήσῃ σὺ οὐδὲ ἡ βασιλεία σου: *quod in vulgata,* non ſtabilieris tu, neque regnum tuum. (*ee*) Sauciatus eſt.] *Aquila,* ἐπονήθη. *Symm.* ὠδυνήθη. *Theodotio,* ἐλυπήθη, doluit, contriſtatus eſt, ægre tulit. (*ff*) Quoniam conſummaverat.] *Compl.* ὅτι ἐβουλεύσατο ὁ πατὴρ αὐτοῦ συντελέσαι αὐτὸν, quoniam deliberaverat pater ipſius conſummare eum. (*gg*) Tranſire fecit.] *Theodotio,* ὑπερέβη, *eodem ſenſu.* (*hh*) Tantum Jonathan, & David.] *In aliis ſequitur,* ἔγνωσαν (*Complut.* ᾔδεισαν) τὸ ῥῆμα, cognoverunt verbum. (*ii*) Argab.] *Diximus paulo ante ad illud,* Ergab, *de hoc loco ex Theodoreto. Compl. hic habet,* ἀπὸ τοῦ νεγὲβ, de Negeb. *Quæ dictio hic eſt in hebræo, & ſignificat auſtrum, & meridiem.* (*kk*) Uſque ad conſummationem magnam.] *In Compl. additur,* δαυὶδ ὑπερέβαλεν, David ſuperavit. *Hebræus habet,* adeo ut David adaugeret.

CAP. XXI.

(*a*) IN loco dicto, Dei fides, Phelani Maemoni] *In aliquo libro tantum eſt,* ἐν τῷ τόπῳ τῷ λεγομένῳ ἐμμανεῖν, in loco dicto Emmonin *Complutenſ.* ἐν τόπῳ λεγομένῳ φελανεὶ ἀλμωνὶ, in loco dicto Phelanni almoni.

hebræus habet, in locum Pheloni, almoni: *quod vulgata interpretatur* in illum, & illum locum: *Chaldæus*, ad locum abſconditum, & cuſtoditum. *De his dictionibus dicetur etiam alibi.* (*b*) Quod inventum.] *Complut.* ἢ ὃ ἂν εὕρῃς, *& vulgata*, aut quicquid inveneris. (*c*) Prophani.] *Theodoretus, q.* 52. Aquila non dixit, βέβηλον, ſed, λαϊκὸν, laicum: *quomodo etiam vulgata.* (*d*) Et hæc via prophana: quoniam ſanctificabitur.] *Ita fere hebræus. Theodoretus*, εἰ βέβηλος ἡ ὁδὸς αὕτη, σήμερον ἁγιασθήσεται, ſi prophana via hæc; hodie ſanctificabitur. (*e*) Detentus Neeſſeran.] *Compl. habet tantum* συνεχόμενος, detentus. *Theodoretus q.* 53. συνεχόμενος νεεσάρ: *Hæc autem dictio hebræa ſignificat idem ac* συνεχόμενος. *Theodoretus tamen inquit inveniſſe ſe in dictionum hebraicarum interpretatione, valere coarctationem, & preſſuram tentationis & minarum. Quare putat Doec fuiſſe ab aliquo dæmone vexatum, aut aliquo correptum morbo, idcircoque aſſediſſe divino tabernaculo.* (*g*) Syrus.] *Compl.* ὁ ἰδουμαῖος, *& vulgata*, Idumæus. (*h*) In veſtimento.] *Compl. addit*, ὀπίσω τοῦ ἐπωμίδος, poſt ſuperhumerale, *& vulgata*, poſt Ephod. (*i*) Et affectabat in die illa, & tympanizabat ſuper portas civitatis.] *Retinuimus verbum græcum*, τυμπανίζειν, *ut liberam interpretationem lectori relinqueremus: & ita etiam S. Auguſt. in Pſal.* 33. *Abſunt autem iſta à Compl. & videntur admiſtæ diverſæ interpretationes.* (*k*) Collabebatnr.] κατεφέρετο. *S. Auguſt. ibidem*, ferebatur: *& accommodat ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, in qua Dominus ſeipſum ſuis manibus tulit.* (*l*) Hic non.] *Alii per interrogationem*, εἰ οὗτος, nunquid iſte, *&c.*

CAP. XXII.

(*a*) IN neceſſitate.] *Compl. addit.* ὢν, qui in neceſſitate & anguſtia eſſet. (*b*) Saric.] *Alii*, σαρήχ. Sarech. *Complut.* χαρὴθ, Chareth. *vulgata*, in ſaltum Areth. (*c*) Sub arboreto.] ὑπὸ τὴν ἄρουραν: *dictio illa* ὑπὸ *ſatis indicat, dictione*, ἄρουραν, *locum arboribus conſitum ſignificari. Hebræus & Chaldæus*, ſub arbore: *Vulgata*, in nemore. (*d*) Abimelech.] *Ita collati codices & Theodoretus: Sed Complut.* Achimelech: *ut vulgata, & etiam noſtra, cap. ſequenti.* (*e*) Princeps omnis præcepti tui] ἄρχων παντὸς παραγγέλματός σου, *& poſt intelligi, aut quod ſit princeps omnium qui obediunt præcepto regis, ut videtur interpretari chaldæus, aut quod primus ipſe ſit in obediendo præceptis regis. Vulgata*, pergens ad imperium tuum. (*f*) Trecentos & quinque.] *Ita etiam Lucifer pro S. Athanaſio. Theodoretus*, quinquaginta, & trecentos. *Compl.* ὀγδοήκοντα πέντε, octuaginta quinque, *ut vulgata.* (*g*) Novi quia in die illa, quia.] *Alii*, ᾔδειν ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ὅτι ἐκεῖ ἦν δωήκ. Novi in die illa quia ibi erat Doec. *Nec multo aliter Compl.* ᾔδειν ὅτι ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ἐκεῖ ἦν. (*h*) Domus.] *Compl.* ὅλου τοῦ οἴκου, totius Domus.

CAP. XXIII.

(*a*) COnculcant.] *Alii*, ϗ καταπατοῦσι, & conculcant. *Abeſt autem a Compl. quemadmodum a vulgata. Et hæc dictio, & præcedens*, διαρπάζουσι, *videntur duæ interpretationes ejuſdem verbi hebraici.* (*b*) In ſpolia alienigenarum ingrediemur.] εἰς τὰ σκῦλα τῶν ἀλλοφύλων εἰσπορευσόμεθα. *Iſtud*, εἰσπορευσόμεθα, *abeſt a Compl. ut a vulgata. Quod autem pertinet ad illud*, εἰς τὰ σκῦλα, *in aliis libris eſt*, εἰς τὰς κοιλάδας, in cavitates *In aliquo impreſſo*, εἰς τὰς κοιλίας: *quæ lectio confirmatur hoc Scholio*, εἰς τὰς κοιλίας, εἰς τὰ στρατόπεδα, adverſus agmina (*quod habet vulgata*) Hebræi, εἰς τὰ σκῦλα. (*c*) Quia non tacet Saul.] *Compl.* ὅτι σαοὺλ παρεσιώπα, quia Saul tacebat, *id eſt, in corde ſuo tacitus verſabat: quod vulgata*, quia præpararet ei Saul clam malum. (*d*) Concludetur.] *Id eſt, ipſe David. Complut. pro iſta dictione*, ἀποκλεισθήσεται, *habet hæc*, καταβήσεται. ϗ εἶπε δαυὶδ, εἰ παραδώσουσιν οἱ ἀπὸ τῆς κεΐλα, ἐμὲ, ϗ τοὺς ἄνδρας μου εἰς χεῖρας σαοὺλ; ϗ εἶπε κύριος, παραδώσουσιν. Deſcendet. Et dixit David. Numquid tradent ij, qui de Ceila, me, & viros meos in manus Saul? Et dixit Dominus: tradent. *Quæ videntur agnoſci a Theodoreto, q.* 54. *& reſpondent vulgatæ. Quod etiam ſequitur in noſtra, & cæteris fere libris collatis*, quadringenti, *in Compl. & vulgata eſt*, ſexcenti, *quod reſpondet iis quæ narrantur c.* 25. (*e*) Ibant quo ibant.] *Theodoretus. Illud autem*, ἐπορεύοντο, errationem demonſtrat. Interdum enim in Judæa, interdum in ſolitudine degebant. (*f*) In Maſerem in deſerto in anguſtiis.] *Paulo poſt dicitur*, Meſſara. *Compl. habet tantum*, ἐν τῇ ἐρήμῳ ἐν τοῖς στενοῖς. *Theodoretus*, ἐν τῇ ἐρήμῳ ἐν μεσερὼμ, in deſerto, in Meſerom: *quæ vox propius accedit ad hebræam, ſignificantem loca munita. Quare videri poteſt illud*, ἐν τοῖς στενοῖς, *eſſe hujus interpretationem. Theodoretus quidem teſtatur, pro*, ἐν μεσερὼμ, *cæteros interpretes edidiſſe*, ἐν τοῖς σπηλαίοις τοῖς ὀχυροῖς, in ſpeluncis munitis. (*g*) In deſerto in monte Ziph in terra æſtuoſa.] *Compl. habet tantum*, ἐν τῷ ὄρει ἐν τῇ ἐρήμῳ ζίφ, in monte in ſolitudine Ziph: *quod reſpondet vulgatæ* (*h*) In monte æſtuoſo in Cæne Ziph.] *Rurſus Compl.* ἐν τῇ ἐρήμῳ ζὶφ ἐν τῇ καινῇ, in ſolitudine Ziph in Cæne. *Quod autem pertinet ad iſtud*, ἐν τῇ καινῇ, *& nonnulli interpretantur*, in nova; *aliqui libri, & Theodoretus, habent* καινί, *& addit Theodoretus. Aquilam dixiſſe*, δρυμὸν, ſylvam: *quod habet vulgata. cap. autem* 27. *etiam in vulgata fit mentio* Ceni, *tanquam loci cujuſdam. Dictio hebraica, quæ hoc loco eſt, valde ſimilis eſt ei quæ ſignificat*, novam. (*i*) Collem.] *Videntur hoc loco ut etiam alibi LXX habuiſſe*, γαβαὰ (*al.* γαβαάθ.) *Nam pro hoc teſtatur Theodor. Aquilam dixiſſe*, βουνὸν, collem. (*k*) In Meſſera.] *Rurſus hoc abeſt a Compl.* (*l*) Et nunc omne quod eſt.] *Hæc locutio videtur hoc ſignificare*, quando rex quod cupiebat, eſt aſſequutus; deſcendendo deſcendat ad nos. (*m*) Concluſerunt eum.] *Alii*, ἀποκεκλεισμένοι (*Compl. addit* γὰρ) εἰσὶν εἰς τὰς χεῖρας (*Compl.* ἐν ταῖς χερσὶν) τοῦ βασιλέως. Concluſi ſunt in manus regis. (*n*) Ne forte verſute agat.] *Compl.* ὅτι εἶπεν ὁ σαοὺλ, μήποτε πανουργευσάμενος οὗτος πανουργεύσηται, quoniam dixit Saul: ne forte hic callens callide agat: *quæ verbi geminatio eſt etiam in aliis libris, ſed non cætera.* (*o*) Noſcite.] *In Compl. additur*, ἐκ πάντων τῶν τόπων, ὅπου αὐτὸς κρύπτεται ἐκεῖ, ϗ ἐπιστρέψατε πρός με εἰς ἕτοιμον, ex omnibus locis, ubi ipſe ſe abſcondit illic: & revertimini ad me ad paratum. (*p*) Ad occidentem.] καθ' ἑσπέραν, *Theodoretus videtur habuiſſe*, ἐν τῇ ἐρήμῳ ἐπηκόῳ, in deſerto ſubjecto, & plano: *pro quo inquit Aquilam dixiſſe*, ἐν τοῖς ὁμαλέσιν, in planis & campeſtribus: *quod habet vulgata. Dictio hebræa & deſertum & campeſtria ſignificat.* (*q*) Ab hac.] *Propius ad hebræum, quam quod in Compl.* ἀπὸ τοῦ ἑτέρου, altera. (*r*) Caſtrametati.] *Compl.* παρεπλαγίαζον, altare cingebant (*ſ*) Incurſionem fecerunt] *Compl.* ἐχύθησαν, effuderunt ſe.

CAP. XXIV.

(*a*) SAddæem.] *Eſt veſtigium dictionum hebraicarum, quas chaldæus interpretatur*, foraminum rupium, *alii*, petrarum hircorum ſylveſtrium. *vulgata*, ſuper abruptiſſimas petras, quæ ſolis ibicibus perviæ ſunt. *Complut.* κατὰ πρόσωπον τῆς θήρας τῶν ἐλάφων, *& Lucifer*, ante faciem venationis cervorum. (*b*) Ad provocandum.] *Id eſt, ciendum ventrem. Lucifer*, ad ſellam. *Theodor. q.* 55. *non habet*, παρασκευάσασθαι, *ſed*, ἀποσκευάσασθαι, ad deponendum: *& hæc ſcribit*, Honeſte LXX. ſunt interpretati: Aquila autem id manifeſtius dixit: inquit enim, εἰσῆλθεν ἀποκενῶσαι, introivit ad exinaniendum. Joſephus autem, τὰς φυσικὰς ἐκκρίσεις ποιήσασθαι, ad faciendum naturales excretiones. (*c*) Tradere.] *Compl.* ἰδοὺ ἐγὼ δίδωμι. ecce ego do. *Lucifer*, tibi dabo. (*d*) Bonum.] *Ita hebræus, Compl.* τὸ ἀρεστὸν, *& Lucifer*, quæ placita ſunt. (*e*) Immolarent] θῦσαι. *Ita lib. vetuſt. In aliis, & Compl. eſt*, θανατῶσαι, *& Lucifer*, occiderent. *Quod tamen valere etiam*, θῦσαι, *patet ex verbis Nabal. ſeq. cap. & aliis locis. Vulg. ex hebræo habet tantum*, & non permiſit eos, ut conſurgerent in Saul. (*f*) Viam.] *Alii*, εἰς τὴν ὁδὸν αὐτοῦ, ad viam ſuam. *Compl.* ϗ ἐξῆλθεν εἰς τὴν ὁδὸν ἐκ τοῦ σπηλαίου, & exiit in viam de ſpelunca. *Lucifer habet tantum*, deſcendit in viam. *Similis quædam varietas eſt in verbis proxime ſequentibus.* (*g*) Tuam.] *Theodor. addit*, εἰς κακὰ, in mala. (*h*) Hic eſt.] *Apud Theodor. & in Compl. ſequitur*, ϗ πατήρ μου, & pater meus: *quæ ſunt in hebræo: ſed videntur conjungi cum ſequentibus, ut in vulgata.* (*i*) Pinnam.] *In aliis ſequitur*, τῆς διπλοΐδος σου, *& Lucifer*, laciniam chlamydis tuæ. (*k*) Neque impietas, & contemptus.] *Lucifer habet tantum*, neque injuſtitia: *& reſpondet hebræo.* (*l*) Ligas.] δεσμεύεις, cingis inſidiis, *Lucifer*, quæris animam meam accipere. (*m*) Vindicet tibi.] ἐκδικήσαι σοι, *id eſt, vindictam ſumat de te ex teipſo. Alii habent* μοι, *quemadmodum etiam noſtra paulo poſt. Lucifer*, judicabit me de te. (*n*) Et ſicut, ſi inveniat] *Sunt in codd. quædam varietates non magni ponderis. Lucifer ſic habet*, & ſicut inveniat quis amicum ſuum, & præmittat eum in viam bonam, & Dominus retribuat tibi bona, pro quibus feciſti mihi hodie. *Et quod quidem pertinet ad iſtud*, retribuat tibi, *magis reſpondet hebræo, & vulgatæ, quam quod eſt in collatis græcis codd.* ἀνταποδώσει αὐτῷ, retribuet ei. (*o*) Non delebis.] οὐκ ἀφανιεῖς. *Compl. & Theodor. q.* 56. ϗ μὴ ἀφανίσῃς, & non delebis. *Lucifer valde congruenter hebræo*, & nunc jura tu mihi in Domino, ſi non eradicabis ſemen meum poſt me, & ſi non exterminabis nomen de domo patris mei.

CAP. XXV.

(*a*) MAon.] *Alii*, μαὰν, Maan. *Complut.* φαράν, Pharan, *ut vulgata.* (*b*) Maon.] *Ita etiam hebræus hoc loco, & Chaldæus. Complut.* ἐν τῇ ἐρήμῳ. *Vulgata utrumque conjungit*, in ſolitudine Maon. (*c*) Greges.] ποίμνια. *Complut.* ἡ ἐργασία, cultura, poſſeſſio, *ut vulgata. Dictio hebræa proprie ſignificat culturam: ſed transfertur etiam ad ſignificandas pecudes, quoniam in pecudibus, tanquam in præcipua poſſeſſione inſumebantur operæ veterum.* (*d*) Greges.] *Rurſus*, ποίμνια: *quod in aliis*, πρόβατα, oves. (*e*) In tondendo gregem ſuum.] *Ad verbum ex hebræo. Complut. autem*, ἐν τῷ κείρειν αὐτοὺς τὰ ποίμνια αὐτοῦ, dum illi tonderent greges ejus. (*f*) Abigæa.] *Ita etiam Theodoretus. Complut.* ἀβιγαίλ. Abygail. (*g*) Bona.] ἀγαθή. *Alii*, καλὴ, pulchra. (*h*) Abite ad Nabal, & interrogate.] *Complut.* ἥκετε πρὸς τὸν ναβὰλ, ϗ ἀσπάσασθε, Venite ad Nabal, & ſalutate. (*i*) In horas.] εἰς ὥρας. *Et fortaſſe ſignificat*, omni tempore: *quemadmodum interdum apud alios auctores: aut*, ad vigorem, ad proſperitatem, *ut ſit modus quidam ſalutandi. Nam hebræus habet, ut multi interpretantur* (*nam aliter vulgata, & non inepte*) ad vitam, *Chaldæus*, per vitam tuam. (*k*) Filio tuo David.] *Theodoretus, quæſt.* 57. τοῖς παισὶ τοῦ υἱοῦ σου δαυὶδ, pueris filii tui David. *Complutenſ.* τοῖς παισί σου, καὶ τῷ υἱῷ σου δαυίδ. *Et vulgata*, ſervis tuis, & filio tuo David. (*l*) Pueri.] *In aliis additur*, δαυὶδ, Davidis. (*m*) Recedentes.] ἀναχωροῦντες. *Complutenſis, & Theodoretus*, ἀποδιδράσκοντες, fugientes. (*n*) Suum] *In Complutenſi ſequitur*, καὶ περιεζώσαντο τὰς μαχαίρας αὐτοῦ, καὶ δαυὶδ καὶ αὐτὸς ἐζώσατο τὴν μάχαιραν αὐτοῦ, καὶ ἀνέβησαν. *Quod in vulgata*, Et accincti ſunt ſinguli gladiis ſuis, accinctuſque eſt & David enſe ſuo. Et aſcenderunt, *&c*, (*o*) Et dum eſſemus.] *Illud* καὶ, *eſt etiam apud Theodoretum: abeſt autem a Complutenſi, & ab hebræo.* (*p*) Conſummata eſt malitia] *Significare videtur hæc locutio certum malum, ac perniciem impendere ipſi Nabal. Sic ſupra cap.* 20. conſummata eſt malitia hæc a patre ſuo, *id eſt, deliberatum, & certum* eſt patri ſuo malum hoc inferre Davidi. (*q*) Oephi farinæ, & gomor.] *Theodoretus, quæſt.* 58. *ſcribit, Aquilam pro*, οἰφὶ, *dixiſſe* σάτον, ſatum: *Gomor autem eſſe æqualis menſuræ cum Oephi; idque ex prophetia Ezechielis dici.* (*r*) Palathas.] *Alii dicunt*, maſſas caricarum, *ut vulgata.* (*ſ*) Utique immerito.] *Sic viſum eſt hoc loco eſſe vertendum, poſtulante ſententia, & non repugnantibus verbis, illud* ἴσως εἰς ἄδικον, *& reſpondet vulgatæ*, vere fruſtra. *Alii vertunt*, forte ad malum. (*t*) Et non imperavimus.] *Alii*, καὶ οὐκ ἐνετειλάμην, & non imperavi. *Compl.* καὶ οὐκ ᾐτησάμην λαβεῖν, & non petii capere. *Vulgata ex hebræo*, & non petiit quicquam. (*u*) Ipſi David.] *Compl.* τοῖς ἐχθροῖς δαυὶδ, inimicis David, *ut vulgata.* (*x*) Ad pedes ejus,] *Compl.* καὶ ἐπὶ τοὺς πόδας αὐτοῦ ἔπεσε, & cecidit ad pedes ejus, *ut vulgata.* (*y*) Mea.] *Iſtud*, μου, *abeſt ab aliis, & ab hebræo. Vulgata*, iniquitas hæc: *hoc enim ſignificat, adſcribatur, mihi culpa, quam admiſit Nabal.* (*z*) Hunc.] *Compl. addit*: ἐπὶ ναβὰλ ſuper Nabal. (*aa*) Hic eſt.] *Alii*, οὕτως ἐστὶ, *Compl.* οὕτως ἐστὶν αὐτός, ſic eſt ipſe. (*bb*) Inſipientia.] ἀφροσύνη. *Theodoretus*, Nomen Nabal in Græcam vocem tranſlatum ſignificat, τὴν ἀφροσύνην. Hoc enim Abigæa oſtendit, & liber nominum: Hebraicorum. Aquila autem ſic dixit, ναβὰλ ὄνομα αὐτῷ, καὶ ἀπόρρευσις μετ' αὐτοῦ. Nabal nomen ei, & defluxus cum eo. τοῦ γὰρ λογισμοῦ ὑπορρέοντός τε ϗ σβεννυμένου, τὸ τῆς ἀφροσύνης γίνεται πάθος.

Diffluente enim & extincta ratione, exoritur morbus inſipientiæ. (*cc*) Servares manum tuam tibi.] *Theodoretus*, Pro eo quod eſt, ne odio replearis ex cæde. (*dd*) Abominatio.] *Theodoretus*, Aquila dixit, νιμὸς, ſuffocatio. (*ſed hoc ita ſcriptum eſt in codice, qui ſolus nunc erat ad manum, ut facile appareat ſubeſſe mendum, ac fortaſſe legendum*, πνιγμὸς *aut*, νυγμὸς. *Interpres quidem habet*, compunctio.) αἰνίττεται δὲ τὰς τοῦ συνειδότος ἀκίδας, Significat autem conſcientiæ aculeos. *Scholiaſtes hæc referens, habet* λυγμὸς, convulſio ex eroſione, ſingultus, *ut vulgata.* (*ee*) Scandalum.] *Ita libri vetuſtiores. In aliis additur*, καρδίας : *& vulgata*, ſcrupulum cordis. (*ff*) Benedictus.] *Theodoretus videtur hoc loco agnoſcere ex lxx vocem hebræam Baruc, pro qua Aquila dixerit*, εὐλογητὸς, benedictus. (*gg*) In hac.] *Theodoretus addit*, ἡμέρᾳ, in hac die : *& hoc eſt in hebræo; ſed non illud*, hodie. (*hh*) Et ſervando.] *Sic hebræus, & ſignificat, ita prohibuiſti, ut ego ſervarem manum meam puram a ſanguine. Sed Theodoreto viſa eſt abſurda locutio. Ita enim ſcribit* : Iſtud, ϗ σῶσαι τὴν χεῖρά μου ἐμοὶ, peccatum ſcriptoris eſſe ſuſpicor. Cæteri enim interpretes dixerunt, μὴ μυσῶσαι, pro eo quod eſt, μὴ μύσους μεταλαχεῖν, ne abominationis & ſceleris fiam particeps. (*ii*) Suſcepi.] ἠρέτισα : *& reſpondet hebræo. Symm.* ἐνετράπην, reveritus ſum, *ut Compl. nec multo aliter vulgata*, honoravi. (*kk*) David.] *In Compl. additur*, ὅτι ἀπέθανε ναβὰλ, quia mortuus eſt Nabal. (*ll*) Puerorum tuorum. Et ſurrexit.] *Compl.* τῶν παίδων τοῦ κυρίου μου, ϗ ἐτάχυνε, ϗ ἀνέστη : *quod in vulgata*, ſervorum domini mei. Et feſtinavit, & ſurrexit. (*mm*) Sumpſit.] *Compl. addit*, ἑαυτῷ, ſibi : *quod tamen abeſt ab hebræo*, (*nn*) Amis, qui de Rhomma.] *Complut.* λάϊς, τῷ ἐκ γαλὶμ. *& vulgata*, Lais, qui erat de Gallim.

CAP. XXVI.

(*a*) AB æſtuoſa.] *Abeſt a Complut. ut a vulgata.* (*b*) Ziph.] *Lucifer pro S. Athanaſio*, opacum. (*c*) Paratus de Ceila] *Lucifer habet tantum*, in Sicelet. Alii, ἐτύμως ἐκεῖ, vere illuc, *quod non abhorret a vulgata*, certiſſime. *Compl.* ἕτοιμος ἐκεῖ, paratus illuc. (*d*) Lampene.] *Theodoretus, quæſt.* 59. λαμπήνη quidem eſt genus currus, *ſicut etiam*, ἀπήνη. Aquila dixit, ἐν στρογγυλώσει, in cavitate, & rotunditate. Ratio autem indicat in medio exercitus cubuiſſe regem, *&c. Lucifer*, in ſtragulis præclaris, *& paulo poſt*, in ſtragulis pretioſis. *vulgata*, in tentorio. *Chaldæus*, in vallo. Vox Ebræa ſignificat vallum ex curribus ſive propugnaculum conſertis curribus extructum, quæ eſt tumultuaria caſtrorum munitio, cum pro vallo diſpoſitos currus mutuo nexu jungunt. Hujuſmodi munitionem Aquila στρόγγλωσιν appellat a rotunditate *Druſ.* (*e*) Dormiens ſomno.] *A quibuſdam codd. & Lucifero abeſt illud*, ſomno. *In Complut. eſt*, καθεύδων ὕπνωσεν, dormiens ſomnum capiebat. (*f*) Repetam ei.] *Id eſt, non opus erit iterare iſtum in eum Lucifer*, & non repetam, illam. (*g*) Ne humilies.] *Alii, & Theodoretus*, μὴ διαφθείρῃς, ne corrumpas, ne diſperdas. *Lucifer*, non continges. (*h*) Purus erit.] *Sic Lucifer, quod græce eſt*, ἀθωωθήσεται, *& poſſet etiam verti*, innocens erit, *ut in vulgata.* (*i*) Nequaquam mihi a Domino.] *Satis apte reſpondet hebræo. Compl. autem quaſi ex alio initio*, ἐμοὶ δὲ μὴ γένοιτο παρὰ κυρίου, *& Lucifer*, Mihi autem non ſit a Domino. (*k*) A cervicali.] ἀπὸ προσκεφαλῆς αὐτοῦ. *Compl.* τὸ πρὸς κεφαλῆς, *Lucifer*, quæ eſt ad caput illius. *Et paulo poſt*, & lentem aquæ a capite ejus. *Libuit autem hoc loco iſtud lentis nomen ab antiquo patre uſurpatum retinere; licet hoc vaſis genus uſitatius lenticula dicatur : Vulgata hic habet* ſcyphum. (*l*) Per nos ipſi.] καθ' ἑαυτοὺς, *itemque paulo poſt*, ἀπῆλθον καθ' ἑαυτοὺς, *videtur eſſe imitatio hebraiſmi, qui habet*, eamus nobis *&* abierunt ſibi. *Utroque tamen loco abeſt a Compl. & a Lucifero.* (*m*) Stupor.] θάμβος. *Lucifer*, timor. *Aquila*, καταφορά. *Symm.* κάρος. *Theodotio*, ἔκστασις. *quæ omnia, ut in Gen. dictum eſt, gravem quendam ſoporem ſignificant.* (*n*) Tranſivit David ultra.] διέβη δαυὶδ εἰς τὸ πέραν, *hebræus, & chaldæus*, tranſivit David tranſitum : *quod vulgata reddidit*, ex adverſo, *& Lucifer* contra. (*o*) Qui vocas.] *Compl.* καλῶν με, (*quod* με, *eſt etiam in aliis*) τίς εἶ σύ; qui vocas me, quis es tu? *Lucifer*, qui vocas me? Quid eſt? *Hebræus*, qui clamas ad regem? *quod vulgata*, qui clamas, & inquietas regem? (*p*) Mortificationis.] *Ita enim Lucifer: quod græce eſt*, θανατώσεως. *Alii, & Theodoretus, q.* 60. θανάτου, mortis. (*q*) David.] *In Complut. ſequitur*, φωνή μου κύριέ μου, δοῦλος σὸς κύριε βασιλεῦ, vox mea domine mi, ſervus tuus domine rex. *Theodoretus habet tantum*, φωνή μου κύριέ μου βασιλεῦ, vox mea domine mi rex, *quemadmodum vulgata. Lucifer habet, ut noſtra*, ſervus tuus domine rex. (*r*) Injuſtitia.] ἀδίκημα. *Alii, & Theodoretus*, κακία. *Lucifer*, quæ eſt a me malitia? (*ſ*) Non confirmatum eſſe.] μὴ ἐστερίχθαι, *quod in Compl. eſt*, μὴ στηριχθῆναι. *Et in hac quidem parte retinuimus verſionem Luciferi (non autem in verbis proxime ſequentibus. Ipſe enim habet*, confirmatum eſſe in teſtamentum Domini.) *ut intelligatur, quam veteres curarint verbum verbo reddere. Poterat tamen ita verti*, a non inhærendo firmiter, *ideſt, ut non commorarer, ac ſtabilem ſedem haberem in hæreditate Domini.* (*t*) Animam meam.] ψυχήν μου. *Compl.* ψύλλον ἕνα, *& Lucifer*, pulicem unum. (*u*) Et in hodierna.] *Aliqui addunt*, ἡμέρᾳ, die, *Lucifer*, in diem hunc. *Compl.* ἐν τῇ ἡμέρᾳ ταύτῃ, in die hac. (*x*) Secundum juſtitias.] *Compl. non habet illud*, κατά. *& Lucifer*, reſtituat unicuique juſtitias, & fidem ſuam. (*y*) Et tegat me.] σκεπάσαι με. *Compl.* ϗ ἐκσπάσαι με. *Et Lucifer*, & abripiat me. *Verum hoc, & quod ſequitur*, & eruat me, *duæ videntur interpretationes.*

CAP. XXVII.

(*a*) APponat.] προστεθήσομαι. *Alibi de iſta locutione dictum eſt. Significat enim ita incidere, ut pereat. Nam & apud hebræos eadem dictio ſignificat tradi, incidere, conſumi. Symm.* παραπεσοῦμαι ποτὲ, *quod vulgata*, aliquando incidam. (*b*) Ceſſet.] ἀνῇ : *& ſic etiam Chaldæus. Aquila*, ἀπογνώσεται, deſperabit. *Symm.* ἀπόσχηται, recedat, abſtineat. *Vulgata duo illa prima conjunxit*, ut deſperet, ceſſetque. (*c*) David.] *In Complut. additur*, καὶ διέβη αὐτὸς, & tranſiit ipſe. (*d*) Quatuor menſes,.] *Ita etiam vulgata : licet Hebræus & Chaldæus habeant*, dies & quatuor menſes : *& multi interpretentur, annus, & quatuor menſes.* (*e*) Geſiri.] *In uno vetuſto additur*, τὸν ζεγρὶ, Zegri : *pro quo in Compl. eſt*, ϗ τὸν ἰεζραῖον, & Iezræum. (*f*) Ab advenientibus, quæ a Gelampſur muratorum.] ἀπὸ ἀνηκόντων ἢ ἀπὸ γελαμψοὺρ τετειχισμένων. *Ab eodem libro abeſt illud*, ἀπὸ γελαμψοὺρ, *ab aliis illa*, ἀπὸ ἀνηκόντων, *&* τετειχισμένων. *Si illud*, γελαμψοὺρ, *dividatur in duas dictiones*, γελὰμ, *videtur dictio hebræa (quamvis paululum immutata) quæ ſignificat ſeculum, &* ψοὺρ *nomen loci proprii. Quamobrem ſi legeretur*, ἢ ἀπὸ γελὰμ ἀπὸ ἀνηκόντων ψοὺρ, *reſponderet hebræo, qui habet*, quæ a ſeculo, adveniente te Sur, *& vulgata*, antiquitus euntibus Sur. *Quod tamen hic eſt*, Sur; *in hebræo ita ponitur, ut ſignificare etiam poſſit*, murata, *unde fluere potuit illud*, τετειχισμένων. *Ita apparet quædam variarum interpretationum coagmentatio. In Compl. hic locus ſic habet*, ὅτι κατῳκεῖτο ἡ γῆ ἡ ἀπὸ γεσοὺρ, quoniam habitabatur terra, quæ a Geſſur. (*g*) Non vivificavi.] οὐκ ἐζωογόνησα. *Sententia tamen poſtulat, ut legatur*, ἐζωογόνησε, *aut* ἐζωογόνει δαυίδ. *Nam & vulgata*, Non vivificabat David. (*h*) Juſtificatio.] *Ita hebræus. Sed quemadmodum apud illum, ita etiam apud lxx interdum ſignificat ritum, conſuetudinem, modum: ut etiam cap.* 30. *idque alibi notatum eſt.* (*i*) Et fidem ſibi conciliavit David in Anchus.] ϗ ἐπιστώθη δαυὶδ ἐν τῷ ἀγχοῦς. *ſimilis locutio eſt bis in pſalm.* 77. *Compl.* ϗ ἐπιστώθη ἀγχὶς ἐν δαυίδ. *quod vulgata*, credidit ergo Anchis David.

CAP. XXVIII.

(*a*) COoperuit ſe.] *Symmachus*, μετεσχημάτισεν ἑαυτὸν, *transfiguravit ſeipſum. Complutenſis*, ἠλλοιώθη, mutavit ſe. (*b*) Et vidit.] *Sic etiam hebræus, & chaldæus. Complutenſis autem*, ϗ εἶπεν ἡ γυνὴ, τὸν σαμουήλ; & dixit mulier : ipſum Samuel. (*c*) Virum erectum.] ὄρθιον. *atque ita etiam Theodoretus, q.* 62. *Complutenſis*, γέροντα, ſenem, *quod reſpondet vulgatæ.* (*d*) Etiam in manu.] *Sic etiam hebræus & chaldæus. Complut. autem*, οὔτε ἐν χειρὶ προφητῶν, οὔτε ἐν τοῖς ἐνυπνίοις, neque in manu prophetarum, neque in ſomniis. (*e*) Tibi.] *Ita & vulgata. Complut. autem*, αὐτῷ ei : *quomodo alii vertunt ex hebræo.* (*f*) Feciſti.] *Ita etiam vulgata. Alij* ἔπλησας, impleſti. (*g*) Tecum.] *Neque Theodoretus aliter. Complut. vero* μετ' ἐμοῦ, mecum, *ut vulgata.* (*h*) Feſtinavit.] ἔσπευσε. *Hoc verbum reſpondet hebræo, quod ſignificat feſtinare, & vulgata illud ita exprimit*, ſtatimque : *verum ſignificat etiam trepidationem, & turbationem, ut ex loco proxime ſequenti & multis aliis conſtare poteſt.* (*i*) Porrectus.] *Ita vulgata, quod græce eſt* ἐστηκὼς, *atque hebraice dicitur*, & cecidit plenitudo ſtaturæ ejus. *Compl. autem*, ἀπὸ στάσεως αὐτοῦ, de ſtatione ſua. (*k*) Et noluit.] *Compl.* ϗ ἠπείθησε, ϗ οὐκ ἐβούλετο, & renuit, & noluit. (*l*) Vitula paſcualis.] *Vulgata*, habebat vitulum paſcualem : *Complut.* μοσχάριον γαλαθηνὸν, vitulus lactans.

CAP. XXIX.

(*a*) AEndor, quæ.] *Compl.* ἐν ναὶν τῇ, *aliquanto propius ad hebræam dictionem, quæ ſignificat fontem, quod habet vulgata.* (*b*) Pertranſeuntes] οἱ διαπορευόμενοι, *in Compl.* οἱ παραπορευόμενοι. *Vulgata*, Hebræi : *& optime poteſt convenire cum illo*, οἱ διαπορευόμενοι, *ut ſupra dictum eſt.* (*c*) Fuit nobiſcum dies hunc ſecundum annum.] *Compl.* ὃς γέγονε μετ' ἐμοῦ ἤδη δεύτερον ἔτος σήμερον; qui fuit mecum jam ſecundum annum hodie : *hebræus*, qui fuit mecum jam diebus, vel jam annis: *quod optime redditur in vulgata*, multis diebus, & annis. (*d*) Incidit ad me] ἐνέπεσε, *& reſpondit dictioni hebraicæ. Symm.* προσέφυγέ μοι, confugit ad me, *aut*, transfugit, *ut vulgata.* (*e*) Contriſtati.] *Aquila*, παρωξύνθησαν, irritati ſunt. *Symm.* ὠργίσθησαν, irati ſunt, *ut vulgata : Theodotio*, ἐθυμώθησαν, indignati ſunt : *quam Theodotionis dictionem habet Compl.* (*f*) Meis.] *In Complutenſi additur*, καθὼς ἄγγελος θεοῦ, *quod vulgata*, ſicut angelus Dei. (*g*) Abeundum.] *Compl. addit* τὸ πρωΐ, *& vulgata*, ut proficiſcerentur mane.

CAP. XXX.

(*a*) ET omnia quæ in ea.] *Alii*, ϗ πάντας τοὺς ἐν αὐτῇ, & omnes qui in ea. *Hebræus habet tantum*, quæ in ea, *a quo abeſt etiam illud quod ſequitur paulo poſt*, & mulierem. (*b*) Et interrogavit.] *Complut.* ϗ προσήγαγεν ἀβιάθαρ τὸ ἐφοὺδ πρὸς δαυὶδ ϗ ἐπηρώτησε. *quod vulgata*: Et applicavit Abiathar Ephod ad David. Et conſuluit. (*c*) Geddur.] *Complut.* ὀπίσω τοῦ στρατεύματος τούτου, poſt exercitum hunc, poſt agmen hoc : *itemque paulo inferius, ſed tertio loco, ubi idem in noſtra repetitur, Complut. habet*, σύστρεμμα, globum. *Theodoretus, quæſt.* 65. Ipſum autem σύστρεμμα, hebræus vocat, γεδοὺρ, quod alibi exponitur, πειρατήριον καλεῖται δὲ οὕτω τὸ λῃστρικὸν σύστημα. Vocatur autem ſic globus & agmen latronum. *Legantur notationes, cap.* 3. *in lib.* 2. (*d*) Et reſidui ſubſtiterunt.] *Sic etiam hebræus. Compl. autem*, ϗ καταλείπει ἐκεῖ διακοσίους ἄνδρας, & relinquit ibi ducentos viros. *Theodoretus videtur habuiſſe*, διακόνους ἄνδρας, miniſtros viros, *quos exhauſtos labore ex curſu, inquit Aquilam dixiſſe* μεμενηκέναι, manſiſſe. (*t*) Palathæ.] *aut* maſſæ caricarum, *ut vulgata. Addit Compl.* ϗ δύο σταφίδας, *quod eadem vulgata*, & duas ligaturas uvæ paſſæ. (*f*) Turbatus ſum.] *Aquila*, ἠῤῥώστησα, ægrotavi, *quod autem ſequitur*, hodie tertianus, σήμερον τριταῖος, *valet*, hodie ſunt tres dies. (*g*) Hoc.] *In Compl. additur*, ϗ ὤμοσεν αὐτῷ. & juravit ei. (*h*) A Lucifero.] *id eſt a crepuſculo matutino, aut veſpertino. Aquila*, σκοτομήνης, obſcura luna. *Symmachus*, ἀφ' οὗ συνεσκότασε, ex quo cœpit obtenebreſcere. (*i*) Et in craſtina.] ϗ τῇ ἐπαύριον. *Compl.* ϗ τῆς, etiam craſtinæ, *eadem ſententia : ſed prius magis quodammodo reſpondet hebræo.* (*k*) Diſſonuit.] διεφώνησεν, *ideſt*, deſideratus eſt. *De hoc verbo dictum eſt etiam, Exod.* 24. (*l*) Et interrogaverunt eum.] *Compl.* ϗ ἠρώτησεν αὐτοὺς, *quod vulgata*, ſalutavit eos. (*m*) Sic.] *In Compl.* ἀδελφοί μου οὕτως, fratres mei ſic : *& reſpondet vulgatæ.* (*n*) Poſtquam tradidit Dominus nobis.] *Hebræus*, quæ tradidit Dominus nobis, *& ſubintelligitur*, de his, *quod exprimit vulgata. Compl. addit.* τοὺς ὑπεναντίους, poſtquam tradidit Dominus nobis adverſarios. (*o*) Non minoris.] οὐχ ἧττον. *Compl.* οὐχ ἧττους, non minores : *tota hæc particula abeſt ab hebræo.* (*p*) Ecce de ſpoliis.] *Ita libri duo veteres. In aliis eſt*, ἰδοὺ εὐλογία ὑμῖν ἀπὸ τῶν σκύλων. Ecce benedictio vobis de ſpoliis. (*q*) Bæthſur.] *Compl.* βαιθὴλ, Bæthel : *multaque alia, ut ſemper, ſunt in hujuſmodi nominibus propriis varietates, quas prudens lector, per ſe expendet.* (*r*) Et omnia loca.] *Alij*, ϗ εἰς πάντας τοὺς τόπους, & ad omnia loca.]

CAP. XXXI.

(a) IN hypochondria.] *Theodotio,* μέρος τὸ ἐγγὺς τοῦ ἥπατος, partem quæ prope jecur. (b) Ejus.] *In Complut. additur,* καὶ πάντες οἱ ἄνδρες αὐτοῦ, *quod vulgata,* & univerſi viri ejus. (c) In montibus.] *Complut.* ἐν τῷ ὄρει, in monte. (d) Convertunt.] ἀποστρέφουσιν, *quaſi reſupinant. Complut.* ἀποκεφαλίζουσιν, decapitant. *Alij habent,* καὶ ἀποστρέφουσιν αὐτὸν, καὶ ἐξέδυσαν τὰ σκεύη αὐτοῦ, καὶ ἀποκόπτουσι τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ, & convertunt eum, & ſpoliaverunt vaſa ejus, & præcidunt caput ejus. *Quod autem pertinet ad illud,* & ſpoliaverunt vaſa ejus, *optime reſpondet hebræo. Complut. autem* καὶ ἐκδιδύσκουσιν αὐτὸν τὰ σκεύη αὐτοῦ, & exuunt eum vaſis ejus. (e) Aſtartio.] *Schol.* εἰς τὸ ἱερὸν τῆς ἀστάρτης, In templo Aſtartes. λέγουσι δὲ εἶναι ταύτην τὴν ἀφροδίτην, Dicunt autem hanc eſſe Venerem. (f) Audiunt.] *Compl. addit,* περὶ αὐτοῦ, de eo. (g) Dies.] *Theodoretus.* Sciendum quidem eſt, quod Aquila ſecutus hebræum non diviſit primam a ſecunda regnorum hiſtoria, ſed ex duabus unam fecit.

REGNORUM. LIB. II.

CAP. I.

(a) DE populo Saul.] ἐκ τοῦ λαοῦ σαούλ. *Ab aliis abeſt illud* ἐκ, populi Saul. *Compl.* τοῦ λαοῦ τοῦ μετὰ σαούλ, populi qui cum Saul. (b) Attingebant.] συνῆψαν. *Aquila,* κατέλαβον, aſſequebantur. (c) Omnis.] *Abeſt a Complut. quod tamen eſt in hebræo, & vulgata.* (d) Regale.] *Complut.* τὸ διάδημα, diadema, *ut vulgata.* (e) Armillam.] χλιδῶνα. *Theodoretus, quæſt. 2. refert, Aquilam dixiſſe,* βραχιάλιον, brachiale. (f) In libro recti.] *Ita fere ſolet, &, ut putamus, debet verti illud,* ἐπὶ βιβλίου τοῦ εὐθοῦς. *Theodoretus tamen, quæſt. 4. habet,* τὸ βιβλίον τὸ εὐθὲς, liber rectus. (g) Sta.] στήλωσον, *quaſi fixe incumbe in hanc conſiderationem. Scholion ex Aquila,* ἀκρίβασον. *Theodoretus, quæſt. 5. & Complutenſis habent,* ἀκρίβασαι. diligenter conſidera. (h) In excelſis.] *Abeſt a Complut. & a Theodoreto, non autem ab hebræo, & vulgata.* (i) Exultent.] ἀγαλλιάσωνται. *Complutenſis, & Theodoretus,* γαυριάσωσι, *eodem ſenſu.* (k) Et agri primitiarum.] *ac ſubintelligendum eſt, ut etiam in hebræo, quod vulgata expreſſit,* neque ſint agri primitiarum. *Aquila pro* ἀπαρχῶν, *dixit,* ἀφαιρεμάτων, demptionum: *de quo vocabulo alibi dictum eſt.* ἀφαίρεμα dicitur quicquid pro donario ſegregatur, quod & ἀφόρισμα: uſique ſunt hac voce interdum οἱ ό. vide ſis edit. Rom. *Levit.* 7 4. Chaldæus. אפרשותא quod ſit Deo ſeparatum & conſecrat. Lexicon Heſychii ἀφαίρεμα, ἀνάθημα, δῶρον. *Deut.* 12. 11. תרומת ידכם Lxx. τὰς ἀπαρχὰς, cæteri, ἑκούσια, voluntarias oblationes. Druſ. (l) Projectus eſt.] προσωχθίσθη. *Aquila,* ἀπεβλήθη, *eodem ſenſu.* (m) Decori.] *Abeſt a Complut. & a S. Chryſoſt. in Maximum, & Juventium. Ac videtur alia interpretatio pro illo, quod proxime dictum eſt,* ſpecioſi, ὡραῖοι, εὐπρεπεῖς. (n) Occiſi.] *Complut.* ἐτραυματίσθης, Occiſus es. *Reſponderet prorſus hebræo, & vulgata, ſi abeſſet* σ. *Ita enim valeret,* occiſus eſt. (o) Mirificata eſt dilectio tua mihi ſuper dilectionem mulierum.] *Reſpondet optime hebræo. Theodoret. q. 7. habet,* ἐπέπεσεν ἡ ἀγάπη σου ἐπ' ἐμὲ, ὡς ἡ ἀγάπησις τῶν γυναικῶν, incidit amor tuus in me, ſicut dilectio mulierum: *atque eodem modo S. Chryſoſt. lib. 3. de providentia Dei.*

CAP. II.

(a) E Caſtris in Manaem.] ἐκ τῆς παρεμβολῆς εἰς μαναέμ. *Complut. habet tantum,* ἐκ τῆς παρεμβολῆς. *Sed. lxx. potius videntur habuiſſe tantum,* εἰς μαναὲμ, in caſtra, *quod vulgata dixit,* & circumduxit eum per caſtra: *illud autem,* ἐκ τῆς παρεμβολῆς, *ex alia eſſe interpretatione. Nam & paulo poſt ubi in noſtra, & in aliis græcis eſt,* ἐκ μαναὲμ, *notat ſcholiaſtes Theodotionem dixiſſe,* παρεμβολῶν, caſtris: *quo etiam loco Complut. habet,* ἐκ παρεμβολῆς. *Non tamen abſurda ſententia eſt, ſi dicamus Abenner deduxiſſe Iebosthe e caſtris in caſtra, id eſt, per univerſum exercitum. Quod autem pertinet ad nomen filii Saul, quem Abner fecit regem, Complut. habet,* ἰσβοσὲθ, Isboſeth, *ut vulgata: S. Chryſoſt. ſerm. 5. in epiſt. ad Philipp. & Theodoretus,* μεμφιβοσθὲ, *quem hic inquit alios interpretes nominaſſe* ἰεβάαλ, Jebaal. *In noſtra, ut aliis, hoc nomen tribuitur, cap. 4. filio Jonathan.* (b) De Manaem in Gabaon.] *Hic, ut diximus, Theodotio habuit,* παρεμβολῶν, *vulgata,* de caſtris in Gabaon. *Complut. non ſine mendo,* ἐκ παρεμβολῆς βουνοῦ. de caſtris collis. (c) Eis.] *Sic etiam habet vulgata. Compl.* ἀλλήλοις, ſibi invicem. (d) Irruentium.] *Sententia poſtulare videtur, ut hoc nunc ſignificet dictio græca,* τῶν ἐπιβούλων. (e) Et ubi ſunt hæc? reverte ad Joab] *Hæc abſunt a Compl. & a Theodoreto, quæſt. 9. quemadmodum etiam ab hebræo.* (f) Sub ſe.] ὑποκάτω αὐτοῦ, *Et eſt phraſis hebræa, quæ ſignificat,* in loco ſuo, in eodem loco, *ut habet vulgata.* (g) Concurſum.] συνάντησιν. *Compl.* συναγωγὴν, congregationem, globum. (h) Ad victoriam.] *Sic hebræus, & nonnulli putant ſignificari,* in ſeculum. *Vulgata autem,* uſque ad internecionem: *quæ etiam eſt Theodoreti explanatio.* (i) Amara erunt in noviſſimis.] πικρὰ ἔσαι εἰς τὰ ἔσχατα. *Theodor.* πικρὰ τὰ ἔσχατα, amara ultima. (k) Noſtros.] *Compl. & Theodoretus,* αὐτῶν, ſuos, *ut vulgata.* (l) Porrectam] *id eſt, planiciem,* παρατείνουσαν. *Vulgata,* Luſtrata omni Bethoron. (m) Et viſitati ſunt de pueris David.] *Complut. addit,* οἱ πεπτωκότες, qui ceciderant. *Quod tamen abeſt ab hebræo. Nam dictio hebræa, quam vertimus,* viſitati, *ſignificat, ut alibi ſæpe,* deſiderati ſunt, defuerunt, *ut nunc vulgata.* (n) Ab eo.] παρ' αὐτοῦ. *Abeſt a Compl. In hebræo eſt,* mortui ſunt.

CAP. III.

(a) AD multum.] ἐπὶ πολὺ, *id eſt,* ad multum tempus. (b) Filia Iol.] *In aliis ſequitur,* καὶ εἰσῆλθε πρὸς αὐτὴν ἀβεννὴρ, & intravit ad eam Abenner. *Non tamen in Complut. quemadmodum neque in vulgata.* (c) Feci hodie miſericordiam.] *Complut.* καὶ ἐποίησα ἔλεος, & feci miſericordiam. *hebræus habet illud,* hodie. *hoc modo.* Nunquid caput canis ego ſum, ut adverſus Judam hodie faciam miſericordiam cum domo Saul? (d) Notis.] *Complut. addit,* αὐτοῦ, ejus, *ut vulgata.* (e) Quia ſic.] *Alij non habent illud,* quia: *quod tamen eſt in hebræo: & uſitatæ ſunt iſtæ repetitiones, licet non faciant ad ſententiam.* (f) In Thælam, ubi erat, ſubito.] *Pro his in Complut. tantum eſt.* εἰς χεβρὼν, in Chebron. *In vulgata autem,* pro ſe, dicentes, cujus eſt terra? (g) Univerſam domum Iſrael.] *Complut.* πάντα τὸν ἰσραὴλ, omnem Iſrael. (h) Selles.] *Complut.* λαΐς, Lais, *ut vulgata.* (i) Et locutus eſt Abenner.] *In Compl.* καὶ λόγος ἀβεννὴρ ἐγένετο, & verbum Abener fuit: *quod reſpondet hebræo.* (k) Ab excurſione.] ἐκ τῆς ἐξοδίας. *In hebræo eſt eadem dictio, quæ lib. 1. cap. 30. dicta eſt Geddur. Videantur quæ ibi ſunt notata. In vulgata nunc eſt,* cæſis latronibus. (l) Venerunt.] *Sic etiam hebræus. Compl.* ἤκουσαν, audierunt. (m) Ad Abenner retro.] πρὸς ἀβεννὴρ ὀπίσω. *In aliis additur,* αὐτοῦ post eum. *In Compl. tantum eſt,* ὀπίσω ἀβεννὴρ, poſt Abener; *quod reſpondet hebræo.* (n) Redire fecit ipſum Abenner.] *Compl.* καὶ ἐπέστρεψεν ἀβεννὴρ, *quod vulgata,* cumque rediiſſet Abener. (o) Inſidians.] *Compl.* ἐν παραλογισμῷ, in dolo, *ut vulgata.* (p) A Domino.] *In aliis quibuſdam, & apud Theodoretum, q. 12. ſequitur,* ἀπὸ τοῦ νῦν καὶ ἕως τοῦ αἰῶνος, ex nunc, & uſque in ſeculum. *Sed hebræus habet tantum ut vulgata,* uſque in ſempiternum. (q) Scytalam.] *Theodoretus.* σκυτάλῃ χρῶνται οἱ τὸ σῶμα πεπηρωμένοι, ὅθεν ὁ Ἀκύλας τυφλὸν τοῖς τον ὠνόμασεν. Scytala utuntur, qui mutilato ſunt corpore. Quare Aquila hunc nominavit, τυφλὸν, cæcum. (r) Captabant.] διαπαρετηροῦντο. *& videtur ſignificantius, quam quod in Compl.* διατηροῦντο. *Vulgata,* interfecerunt. (ſ) Poſt lectum.] *Sic etiam hebræus: & vulgata.* ſequebatur feretrum. *Compl. autem* ἔμπροσθεν τῆς κλίνης, ante lectum. (t) Non acceſſit, ut Nabal.] *Compl.* οὐ προσήγαγες, non acceſſiſti. *Hebræus habet,* admoti erant: *ſed conjungit cum antecedentibus hoc modo,* pedes tui compedibus non erant admoti. *ac deinde ſequitur, ut in vulgata,* ſicut ſolent cadere coram filiis iniquitatis, ſic corruiſti. *Theodoretus, q. 13. habet tantum,* οὐδὲ οἱ πόδες ἐν πέδαις, ἐνώπιον υἱοῦ ἀδικίας ἔπεσας, neque pedes in compedibus: coram filio iniquitatis cecidiſti. (u) A rege.] ὑπὸ βασιλέως. *Compl.* εἰς βασιλέα, in regem. *Vulgata,* unctus rex.

CAP. IIII.

(a) REmiſerunt ſe.] παρείθησαν. *Compl.* ἐταράχθησαν, turbati ſunt; *quod reſpondet vulgatæ.* (b) Evangelia.] *Notum eſt, hoc nomen interdum ſignificare præmia, & mercedem pro bono nuncio, ut hic.*

CAP. V.

(a) MUnitionem.] *Theodoretus. quæſt. 16.* περιοχὴν *dicit,* τὴν ἀκρόπολιν arcem civitatis. (b) In pugione.] *Theodoretus ibidem.* Quidam hebræus dixit iſtud, πᾶς τύπτων ἰεβουσαῖον, ἁπτέσθω ἐν παραξιφίδι, Aquilam edidiſſe, ἁπτόμενος ἐν κρουνῷ, tangens in fiſtula, *aut,* aquæ ductu: *eamque verſionem explanat Theodoretus. Verum idem quæſt. 17. (niſi ſi eſt ſcholion ex alio auctore inſertum) hunc locum ſic refert,* πᾶς τύπτων ἰεβουσαῖον χωλὸν, τυφλὸν, ἁπτέσθω παραξιφίδι, omnis percutiens Jebuſæum claudum vel cæcum, tangatur pugione. *Inquit enim* illud, ἁπτέσθω παραξιφίδι, dictum eſt pro ἀναιρείσθω ξίφει, interficiatur gladio: *multaque de hac ſententia diſputat.* (c) Tranſibat.] διεπορεύετο, *Compl. & Theodoretus* πορεύετο. (d) Sammus.] *Apparet coagmentatio & repetitio in iſtis nominibus. In aliis libris eſt,* Sammus, & Sobab, & Nathan, & Salomon, & Jebaar, & Eliſus, & Elphalath, & Nagæb, & Jephie, & Eliſamas, & Elidae, & Eliphalath: *atque idem numerus eſt in Compl.* (e) Titanum.] *Theodoretus, q. 17.* Gigantes vocabant etiam τιτάνας: hebræus autem, ῥαφαῒμ, Raphaim ipſos vocavit (f) Conſtrictionis.] τοῦ συγκλεισμοῦ. *Alij* συσσεισμοῦ τοῦ ἄλσους, *aut,* τῶν ἀλσῶν, concuſſionis nemoris, *aut,* nemorum *Theodoretus, q. 18. hunc locum explicans,* cum audieris nemora commota ſponte ſua ſine vento. (g) Cædendum.] κόπτειν. *Theodoretus, & Compl.* τύπτειν. percutere.

CAP. VI.

(a) CIrciter ſeptuaginta.] *Compl.* τριάκοντα, triginta, *ut vulgata.* (b) In aſcenſione.] *Abeſt a Compl. & poteſt ex alia eſſe interpretatione.* (c) Et fratres ejus ibant ante arcam.] *Theodoretus, q. 20. ſic refert hunc locum,* καὶ ὀζὰν, καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ ἐπορεύοντο ἐκ πλαγίων τῆς κιβωτοῦ, & Ozan, & fratres ejus ibant a latere arcæ. (d) In fortitudine.] *Abeſt a Compl. Et videri poteſt collocandum in loco inferiore, ubi repetitur,* in organis modulatis. *Nam ibi vulgata ex hebræo habet,* totis viribus: *Licet & ibi & hic in ea nihil dicatur David pulſaſſe in organis modulatis, ſed hic,* in omnibus lignis fabrefactis, *ibi autem ſaltaſſe David totis viribus.* (e) Ipſi Ozæ.] *Compl.* ἐν τῷ ὀζᾷ, in Oza. (f) Deus.] *Alii addunt,* ἐπὶ τῇ προπετείᾳ, *& vulgata,* ſuper temeritate. *Theodoretus proponens queſtionem, cur Oza ſit a Deo percuſſus, ac narrans quoſdam putaſſe eum dediſſe pœnas* τῆς προπετείας, *videtur indicare hanc dictionem non ſe habuiſſe in ſcriptura.* (g) Abeddara.] *Ita etiam Theodoretus in manuſcriptis. Compl.* ὀβὴδ ἐδόμ, Obed Edom, *ut vulgata.* (h) Vitulus & agni.] μόσχος, καὶ ἄρνες. *In aliis,* μόσχοι καὶ ἄρνες, *aut,* ἀρνὸς, *ut Compl. & Theodoretus,* vituli, & agni. (i) Eximiam.] ἔξαλλον. *Theodoretus interpretatur,* ποικίλην, variam. (k) Pacificas.] *Compl.* καὶ εἰρηνικὰς, & pacificas, *ut paulo poſt etiam noſtra.* (l) Benedictus Dominus.] *Abeſt a Compl. ut a vulgata.* (m) Me non eſſe glorificatum.] *Nonnulli libri* με δοξασθῆναι, me glorificari, *hebræus autem habet* ero humilis in oculis meis, & cum ancillis, quas dixiſti, gloriabor.

CAP. VII.

(a) HÆreditare fecit.] *Compl.* κατέπαυσεν, requieſcere fecit : *quod reſpondet vulgatæ.* (b) In circuitu.] κύκλῳ. *Alii,* κυκλόθεν undique : *& a Compl. abeſt illud,* τῶν κύκλῳ, *quod paulo poſt ſequitur,* qui in circuitu. (c) Te nominatum juxta nomen.] *Compl. & Theodoretus,* σοι ὄνομα μέγα κατὰ τὸ ὄνομα, *quod vulgata,* tibi nomen grande juxta nomen. (d) Per ſe.] καθ' ἑαυτόν. *Interpretatur Theodoretus,* diſtinctus ab aliis gentibus, *utpote colens legem Dei. Hebræus,* ſub ſe, *& interpretantur multi* in loco ſuo. *Vulgata tamen,* ſub eo. (e) A diebus. *Ita etiam Theodoretus. Alii,* καὶ ἀπὸ τῶν ἡμερῶν, & a diebus. (f) Ædificabis ei.) *In uno exemplari, & apud Theodoretum eſt* οἰκοδομήσεις ἑαυτῷ, ædificabit ſibi. *Compl.* οἰκοδομήσεις σοι, ædificabit tibi, *quod reſpondet vulgatæ.* (g) Eum.] *Theodoretus,* αὐτοὺς, eos. (h) Tactibus.] *Id eſt, verberibus, & plagis. Theodoretus. Illud,* ἐν ἁφαῖς υἱῶν ἀνθρώπων, *dictum eſt, pro,* τῆς διὰ τῶν ἀνθρώπων παιδείας, diſciplina, & caſtigatione, quæ per homines: quoniam per manus fit & tactus cædes humana. (i) Ab iis quos removi.] *Ita etiam Theodoretus. In Compl. autem eſt,* ἀπὸ σαοὺλ, ὃν ἀπέστησα, *& vulgata,* a Saul, quem amovi. (k) Fidelis erit domus ejus.] *Id eſt ſtabilis, ut alibi notatum eſt : & ſic etiam habet Theodoretus. Compl. autem* ὁ οἶκός σου, domus tua, *ut vulgata.* (l) Hæc.] *Theodoretus,* ἕως τούτου, uſque huc. (m) Et factus ſum parvus parum.] *Phraſis hæc ſignificat, valde parvus adhuc tibi viſus ſum, non ſatis tibi viſus ſum abs te ornatus. In uno exemplari, & apud Theodoretum in manuſcriptis codicibus,* κατεσμικρύνθαι τὰ μικρὰ ταῦτα, parva facta ſunt parva hæc, *itemque in Compl. niſi quod habet,* κατεσμικρύνθη. (n) Et propter ſervum tuum.] *In eodem libro eſt,* κατὰ τὸν λόγον, juxta verbum. *Compl.* διὰ τὸν λόγον σου, καὶ διὰ τὸν δοῦλόν σου, propter verbum tuum & propter ſervum tuum. *& videntur duæ interpretationes : vulgata ex hebræo habet,* propter verbum tuum. (o) Duxit ſe Dominus.] ὡς ὡδήγησεν αὐτὸν ὁ θεός. *Poſſet etiam verti,* quomodo duxit eum Deus : *Sed illud videtur magis reſpondere hebræo, & vulgatæ,* propter quam ivit Deus. (p) Fidele fac.] *Compl. & Theodoretus,* πιστωθήτω ἕως αἰῶνος, fidele fiat uſque in ſeculum. *Et in Compl. ſequitur,* καὶ καθὼς ἐλάλησας, ποίησον, καὶ νῦν μεγαλυνθείη τὸ ὄνομά σου ἕως αἰῶνος, λέγων, κύριος παντοκράτωρ ὁ θεὸς ἐπὶ τὸν ἰσραὴλ, καὶ ὁ οἶκος τοῦ δούλου σου δαυὶδ ἔσται ἀνορθωμένος ἐνώπιόν σου, ὅτι σὺ κύριος παντοκράτωρ ὁ θεὸς τοῦ ἰσραὴλ ἀπεκάλυψας. & ſicut locutus es, fac. Et nunc magnificetur nomen tuum uſque in ſeculum, dicens : Dominus omnipotens Deus ſuper Iſrael : & domus ſervi tui David erit erecta coram te : quoniam tu Dominus omnipotens Deus Iſrael revelaſti, *&c. Atque ab his alij codices non valde diſcrepant ; ac nonnulla etiam habentur apud Theodoretum.*

CAP. VIII.

(a) SEgregatam.] τὴν ἀφωρισμένην : *vulgata* frænum tributi. *Alij putant in hebræo ſignificari certum locum, alii frænum aquæductus : Chaldæus,* commoditatem rivi, (b) Et duos funiculos vivificavit.] *Compl.* καὶ τὸ πλήρωμα τοῦ τρίτου σχοινίσματος ἐζώγρησεν. & plenitudinem tertii funiculi vivificavit. *Cui lectioni convenit cum Theodoreto, quæſt.* 23. (c) Xenia.] *Hoc alii interpretantur tributa, alii munera.* (d) Mille currus.] *Ita etiam Complut. licet aliter habeat vulgata ex hebræo.* (e) Armillas.] *Theodoretus ibidem.* χλιδῶνας *autem Syrorum, Aquila interpretatus eſt,* τοὺς χρυσοῦς κλοιοὺς, aureos torques. (f) Et cepit.] *Hæc uſque ad illud,* Et de Meſebac, *abſunt a Complutenſi, ut a vulgata.* (g) In eo.] *Hæc uſque ad illud,* Et audivi, *abſunt a Compl. & vulgata.* (h) Hemath.] *Hoc Theodoretus ibidem teſtatur (quamvis in Latino ſit mendum) Aquilam dixiſſe,* τὴν ἐπιφάνειαν τῆς συρίας, claritatem Syriæ. (i) Gebelem.] *Compl.* γεμελέχ, Gemelech, *quam dictionem vulgata interpretatur,* vallem Salinarum. (k) Idumæa.] *Compl. & Theodoretus, q.* 24. *addunt* ἔθηκεν ἐστηλωμένους, *& Theodoretus interpretatur, in unaquaque civitate poſuit cuſtodes, & præſidarios, quos inquit ab aliis vocari,* ἐγκαθέτους, (l) Et Achimelech filius.] *Theodoretus ibidem.* ἐνταῦθα οἶμαι γραφικὸν εἶναι ἁμάρτημα. οὐ γὰρ ἀχιμέλεχ υἱὸς ἀβιάθαρ, ἀλλ' ἀβιάθαρ υἱὸς ἀχιμέλεχ. Hic arbitror erratum eſſe librarij. Non enim Achimelech fuit filius Abiathar, ſed Abiathar filius Achimelech. *Sed fieri poteſt, ut ſit accipiendum illud* Achimelech, *in caſu generandi, id eſt,* ipſius Achimelech filius ipſe Abiathar. (m) Chelethi, & ipſe Pheleti.] *Theodoretus inquit iſtis dictionibus ſignificari funditores & ſagittarios : quod habet Chaldæus, & interpretatur his præfuiſſe Banæam, ut etiam vulgata. Neque ullam mentionem faciunt, Banæam fuiſſe conſiliarium.*

CAP. IX.

(a) ADhuc ſuperſtes in domo Saul.] *Complut. & Theodoretus,* εἰ ἔστι τις ἔτι ὑπολελειμμένος τῷ οἴκῳ σαοὺλ; nunquid eſt aliquis adhuc reſiduus domui Saul? (b) Univerſæ domui ejus.] *Sic multi vertunt ex hebræo, & Chaldæus. Compl.* καὶ πάντα τὸν οἶκον αὐτοῦ, *ac vulgata,* & univerſam domum ejus. (c) Comedet.] *Reſpondet etiam vulgatæ Compl.* φάγονται, comedent.

CAP. X.

(a) NUmquid eo, quod David glorificet.] *Compl.* οὐχὶ δοξάζων, nunquid honorans, *& eſt hebraiſmus, pro,* nunquid honorat. (b) Quia.] *Abeſt iſtud,* ὅτι, *a Compl. ſed reſpondet hebræo.* (c) Sed nonne, ut.] ἀλλ' οὐχὶ ὅπως, *Compl. non habet* οὐχὶ. *Alij,* οὐχὶ ἀλλ' ὅπως. Nequaquam, ſed ut. (d) Et ad conſiderandum.] καὶ τοῦ κατασκέψασθαι. *Compl.* ὅτι κατασκέψασθαι, quoniam ad conſiderandum. *In uno libro manuſcripto eſt,* καταστρέψαι, ad evertendum: *quod reſpondet hebræo.* (e) Eorum.] *Complutenſ. addit,* τὸ ἥμισυ, dimidium, per medium. (f) Syriam Bæthraam, & Syriam Saba, & Rhoob.] *Compl.* τὸν σύρον βαιθρααὰβ, καὶ τὸν σύρον συβὰ, Syrum Bæthraab, & Syrum Suba. *Bethroob reſpondet hebræo. varietas,* Syrus, *&* Syria, *eſt in toto hoc capite.* (g) Amelec.] *Compl.* μααχὰ, *& vulgata,* Maacha. *In aliquo libro utrumque conjungitur.* (h) Ipſos potentes.] *Compl.* δυνατῶν, potentum, *quod vulgata,* bellatorum. (i) Apud oſtium portæ.] *Sic hebræus, & vulgata,* ante ipſum introitum portæ. *Compl.* παρὰ τὸν πυλῶνα τῆς πόλεως, juxta portam civitatis. (k) Syria.] *Græce eſt,* συρίας. *ſed videtur illud ultimum* σ, *additum, eo quod ſequatur initio ſequentis dictionis* σουβὰ : *nam hujuſmodi geminationes ſunt familiares librario Vaticano. Alii quidem libri habent,* καὶ συρία, & Syria, *aut* καὶ ὁ σύρος, & Syrus. (l) Et Amalec ſoli in agro.] *Compl.* καὶ μααχὰ καθ' ἑαυτοὺς ἐν τῷ πεδίῳ, & Maacha ſeorſum erant in campo, *ut vulgata.* (m) E loco ad faciem, ex adverſo.] *videntur duæ interpretationes. In Compl. hic locus ſic habet.* καὶ εἶδεν ἰωὰβ, ὅτι γεγόνασιν ἀντιπρόσωποι τοῦ πολέμου πρὸς αὐτὸν ἐξ ἐναντίας καὶ ὄπισθεν, & vidit Joab, quia factæ ſunt contrariæ facies belli ad ſe ex adverſo, & a tergo. (n) Et dixit.] *Sic etiam hebræus. Compl. addit,* πρὸς ἀβεσσᾶ, ad Abeſſa. (o) Chalamac.] *Abeſt a Compl. ut a vulgata. Theodoretus, q.* 25. χαλὰκ, Chalac. *Fieri poteſt, ut huc venerit e loco inferiore, quem notabimus.* (p) Ælam.] *Hic habet Compl.* χαλααμὰ, Chalaama, *ſed videtur eadem dictio, quæ paulo ante etiam in Compl. eſt,* ἐλάμ. *Vulgata ibi ;* eorum exercitum, *hic,* Helam. *Multi putant utrobique eundem certum locum ſignificari, multi utrobique ,* exercitum eorum. (q) Et confugerunt.] *Compl.* καὶ διέθεντο διαθήκην μετὰ ἰσραὴλ, καὶ ἐδούλευον τῷ ἰσραὴλ, & diſpoſuerunt teſtamentum cum Iſrael, & ſervierunt Iſrael. *Prior pars reſpondet magis hebræo, in hac : poſterior, in noſtra editione.*

CAP. XI.

(a) DIxit.] *Ita etiam Hebræus, & Chaldæus : ſubintelligendum enim eſt,* quidam. *Compl.* εἶπον, dixerunt. (b) In utero cepit.] ἐν γαστρὶ ἔλαβεν, *Complutenſis,* συνέλαβεν, concepit. (c) Ad pacem.] *Ad verbum ex hebræo : cui valde familiaris eſt hujuſmodi locutio. Complutenſis autem,* εἰ ὑγιαίνει ἰωὰβ, καὶ ὑγιαίνει ὁ λαὸς, καὶ εἰ ὑγιαίνει ὁ πόλεμος, Si valet Joab, & ſi valet populus, & ſi valet bellum. (d) Demenſum.] *Ita viſum eſt non inepte verti poſſe illud,* ἄρσις. *Significat enim cibum, & munera quæ efferebantur e domo regis, & alicui pro ſuo demenſo aſſignabantur.* (e) Cum ſervis.] *Compl.* μετὰ πάντων τῶν παίδων, cum omnibus pueris : *quod vulgata dixit ,* cnm aliis ſervis. (f) Quomodo?] *Ab aliis abeſt iſtud,* πῶς. *Compl. autem,* μὰ τὴν ζωήν σου, καὶ μὰ τὴν ζωὴν τῆς ψυχῆς σου οὐ μὴ ποιήσω, per vitam tuam, & per vitam animæ tuæ non faciam. *quod in vulgata eſt,* per ſalutem tuam, & per ſalutem animæ tuæ non faciam. (g) Inebriavit eum.] *Compl.* καὶ ἐμεθύσθη, & inebriatus eſt: *Sed illud magis reſpondet hebræo : ex quo etiam ſuſpicari licet quæ proxime antecedunt,* & manducavit coram eo, & bibit, *ita eſſe interpretanda,* & manducare eum fecit coram ſe, & bibere. (h) In obſervando.] *Sic hebræus. Compl.* ἐν τῷ περικαθῆσθαι, in obſidendo. (i) Ad loquendum ad regem.] *Abſunt a Compl. ut a vulgata.* (k) Filii Ner.] *Alii libri partim non habent, ſicut etiam vulgata, partim vero habent,* υἱοῦ ἰωὰς, filii Joas. (l) Thamaſi.] *Compl.* θαβὴς. *Vulgata* Thebes. (m) Omnia verba prælii.] *Abſunt a Compl. & vulgata hinc uſque ad illud,* Et dixit nuncius. (n) Conforta eam.] κραταίωσον αὐτήν. *Quidam putant ſignificari,* muni eam. *Hebræus & Chaldæus habent,* & conforta eum, *ideſt, populum Iſrael : quod vulgata,* & exhortare eos.

CAP. XII.

(a) DUo erant.] *Sic etiam hebræus, & vulgata. In aliis, & Complutenſ. additur* ἀνάγγειλον (*al.* ἀπάγγειλον) δή μοι τὴν κρίσιν ταύτην. Δύο, annuncia quæſo mihi judicium hoc. Duo, *&c.* (b) Creverat.] *Ita etiam vulgata ex hebræo. Complut. & Theodoretus,* συνετράφη, ſimul nutrita fuit. (c) Viator.] πάροδος, *quaſi prætergrediens per viam. Compl. & Theodoretus* ὁδοιπόρος, eodem ſenſu. (d) Hoſpiti viatori.] τῷ ξένῳ ὁδοιπόρῳ. *In aliis eſt tantum,* τῷ ξένῳ, *ut etiam in vulgata : quare in noſtra videntur conjunctæ duæ interpretationes.* (e) Et fecit eam.] *Sic hebræus : & ſignificat, ut alibi, paravit in cibum. Complut. addit,* καὶ ἔθυσεν αὐτὴν, καὶ ἐποίησεν, & mactavit eam, & fecit.] (f) Septuplum.] *Compl. & Theodoretus,* τετραπλάσιον, in quadruplum. *ut vulgata.* (g) Erui.] ἐρρυσάμην. *Theodoretus,* ἐξειλάμην, *eodem ſenſu. Alij libri,* ὁ ῥυσάμενός σε, qui erui te. *Complut.* ἐξελεξάμην, elegi, *longius ab hebræo.* (h) Si parum eſt]. εἰ μικρόν ἐστι. *Ita fere hebræus, Complut. & Theodoretus,* εἰ ὀλίγα σοι ἐστὶ, προσθήσω σοι καθὼς ταῦτα, ſi parva tibi ſunt, adjiciam tibi, ſicut hæc. (i) Vilipendiſti.] ἐφαύλισας. *Iidem vero* ἐξουδένωσας, (k) Tranſire fecit.] παρεβίβασε, *optime ad hebræum, & vulgata,* tranſtulit. *Complut. autem, & Theodoretus,* ἀφείλετο, abſtulit. (l) Inimicos Domini.] *Complut.* ἐν τοῖς ὑπεναντίοις τὸν κύριον, in adverſariis Dominum. *Quam lectionem Theodoretus agnoſcit ex lxx. & addit, Hoc autem Aquila manifeſtius eſt interpretatus,* παροξύνων παρώξυνας τοὺς ἐχθροὺς κυρίου, irritans irritaſti inimicos domini. *Quare noſtra videtur facta ex iſtis duabus.* (m) Et manſit.] *In aliquot codicibus eſt,* ηὐλίσθη, καὶ ἐκοιμήθη ἐν σάκκῳ ἐπὶ τῆς γῆς, manſit, & cubuit in ſacco ſuper terram. *Illud,* in ſacco, *abeſt ab hebræo.* (n) Feciſti propter parvulum.] *Si ita interpungatur* feciſti? propter parvulum, cum adhuc viveret, jejunabas, *&c optime reſpondebit hebræo, & vulgatæ, Compl. habet* ὃν πεποίηκας ; ἔτι γὰρ τοῦ παιδίου ζῶντος ἐνήστευες, καὶ ἔκλαιες, quod feciſti? adhuc enim parvulo vivente jejunabas, & plorabas. *Non habet autem illud,* καὶ ἠγρύπνεις, & vigilabas, *quod ſequitur in noſtra, & in aliis Græcis, ſed non in vulgata.* (o) Et bibiſti.] *Hoc abeſt ab hebræo, & vulgata. Compl. autem* καὶ πέπωκας οἶνον ; & bibiſti vinum? (p) Jedidi.] *Ita etiam Theodoretus, q.* 27. *licet interpres dicat,* Jeddidia, *ut Compl. Addit Theodoretus hoc Aquilam eſſe interpretatum* ἐν κυρίῳ, in Domino, *Symmachum autem* εἰς βασιλείαν ἀφωρισμένον, ſelectum ad regnum. *Vulgata,* amabilis Domino. (q) Propter dominum.] *Ad verbum ex hebræo. Compl. & alii* ἐν λόγῳ κυρίου, in verbo Domini. (r) Molchom regis.] *Abeſt a Compl. illud* Molchom: *ac videtur eſſe ipſa dictio hebraica (licet paululum immutata) quæ ſignificat,* regis. (ſ) Et tranſire fecit eos per fornacem.] καὶ διήγαγεν αὐτοὺς διὰ τοῦ πλινθίου, *atque optime reſpondet hebræo, nec diſcrepat a vulgata, quæ habet,* & traduxit in typo laterum. *Nam in fornace formantur lateres. Compl.* καὶ περιήγαγεν αὐτοὺς διὰ τοῦ πλινθίου. & circunduxit eos per aciem. *Chaldæus autem,* & laceravit illos in plateis. *Theodoretus in cap.* 21. *hujus libri ; docet etiam* πλινθίον *interdum nominari aciem quadratam, ut ibi dicetur.*

CAP.

CAP. XIII.

(a) ITa ut ægrotaret.] ὥστε ἀῤῥωστεῖν, *propius ad hebræum, quam quod in Compl.* ἀῤῥωστίᾳ, ægritudine. (b) Difficile.] ὑπέρογκον. *Item iſtud: Nam Compl. habet,* ϗ ἠδυνάτει, & non poterat. (c) Sapiens.] σοφὸς, *Compl.* φρόνιμος, prudens. *Itemque Theodoretus, quæſt. 29. qui de iſta falſa ſapientia, & prudentia diſputat accurate.* (d) Mane, mane.] *Eſt locutio hebraica, quæ ſignificat, per ſingulos dies, ut habet vulgata,* ſis infirmior, & tabeſcis magis. (e) Langueſce.] μαλακίσθητι. *Complut.* προσποιοῦ ἐνοχλεῖσθαι, ſimula te ægrotare. *Sed idem ſenſus eſt etiam in noſtra, licet obſcurius, atque ideo ſimilius hebræo. Ac multæ aliæ ſunt varietates ejuſmodi.* (f) Cibum.] *Aliqui codices habent,* δύο κολλυρίδας, duas collyridas, & placentas. (g) Sartaginem.] *Optime ad hebræum. Hoc enim ſibi vult, attuliſſe ſartaginem in conſpectum ipſius Amnon, & coram eo effudiſſe placentam coctam in ſartagine. Complut.* εἰς ὃ ἀποχέουσιν, vas, in quod effundunt. (h) Quoniam majus malum ultimum quam primum.] *Abſunt ab aliis codicibus hoc loco: ſed paulo poſt, ubi in noſtra legitur,* pro malo magno hoc ſuper alterum, quod feciſti mecum, *in aliis eſt,* μὴ ἀδελφὲ, ὅτι μεγάλη ἡ κακία ἡ ἐσχάτη ὑπὲρ τὴν πρώτην, ἣν πεποίηκας μετ' ἐμοῦ. Nequaquam frater: quoniam magnum eſt malum ultimum ſuper primum, quod feciſti mecum. *Atque ita etiam Compl. niſi quod non habet,* μὴ ἀδελφέ. *Quare videri poteſt duas eſſe interpretationes, & unam, quæ fortaſſe hebræo propior, in noſtra ſuo manſiſſe loco, alteram vero in hunc locum, qui nunc præ manibus eſt, irrepſiſſe.* (i) Intexta fructibus.] καρπωτός. *Compl.* ἀστραγαλωτὸς, talaris: *Quod ex antiquiore verſione, nimirum lxx. videtur agnoſcere Theodoretus, illud autem ex Aquila. Ita enim inquit:* Tunicam autem ἀστραγαλωτὸν, Aquila quidem, καρπωτὸν, nominavit, perinde ac ſi diceret habentem intextos fructus: hodie autem vocant, πλουμαρικὸν, plumarem: Joſephus autem, τὸν μέχρι ἀστραγάλων διήκοντα, pertingentem uſque ad talos. *Addit Scholiaſtes, Symm. dixiſſe,* χειριδωτὸν, manicatam. (k) Et non contriſtavit.] *Hæc uſque ad illud,* Et non eſt locutus, *videntur agnoſci etiam a Theodoreto eadem q. 29. Sed abſunt a Compl. ut a vulgata.* (l) Et fecit Abeſſalon convivium juxta convivium regis.] *Abſunt hæc a Complut. & a vulgata.* (m) Super os.] *Ita hebræus; & vulgata,* in ore; *Chaldæus,* in corde. *Compl. autem* ἐν ὀργῇ ἦν αὐτῷ, in ira erat ei. (n) In via poſt eum.] *In aliquo libro eſt* ἐν τῇ ὁδῷ τῇ ὠρὰν: *Verum illud,* τῇ ὠρὰν, *videtur veſtigium dictionis hebraicæ, quæ a nonnullis vertitur,* poſt eum, *ab aliis,* poſt montem, *vulgata,* inter devium. (o) In deſcenſu.] *Hinc uſque ad illud,* Et dixit Jonadab, *abſunt a Compl. & a vulgata. In aliis autem quibuſdam pro* τοῦ ὠρωνῆν, *eſt,* τὸ ὠράν, *ut paulo ſuperius.* (p) In terram Chamaachad] *Neque in Compl. neque in vulgata hæc ſunt.* (q) Omnibus.] *Sic hebræus, quod vulgata & Chaldæus interpretantur,* multis. (r) Et ceſſavit rex David.] *Reſpondet vulgatæ. In hebræo eſt,* & ceſſavit David regis: *Et multi ſubintelligunt,* & ceſſavit ira. *Quare in Compl. eſt,* ϗ ἐκόπασε τὸ πνεῦμα, ceſſavit ſpiritus, & furor.

CAP. XIV.

(a) SUper Abeſſalom.] *Ita hebræus, ſubintelligendum enim eſt, quod exprimit Complut.* παρεκλήθη, *& vulgata,* verſum eſſet. (b) Jam.] τοῦτο. *Eſt locutio reſpondens hebræo. Abeſt autem a Complut.* (c) Et valde.] *Complut.* ὄντως, vere. (d) Unum.] *Sic hebræus; licet abſit a Complut.* (e) Cognatio.] πατριά, *Complut.* φυλή, tribus. (f) Veſtrum.] *Abeſt a Complut. & a vulgata.* (g) Extinguent.] *Satis prope ad hebræum. Complut.* ϗ σβεσθήσεται ὁ σπινθὴρ ὁ ὑπολελειμμένος μοι τοῦ μὴ ὑπάρξαι τῷ ἀνδρί μου ὄνομα ϗ λεῖμμα ἐπὶ προσώπου τῆς γῆς. Et extinguetur ſcintilla reſidua mihi; ut non ſubſiſtat viro meo nomen, & reſiduum ſuper faciem terræ. *Dictionem quidem,* σπινθὴρ, *videtur etiam Theodoretus agnoſcere.* (h) Multiplicando.] *Multa ſunt obſcura in hoc mulieris ſermone: ſed plerumque, quæ obſcuriora ſunt, propius accedunt ad hebræum, ſicut hoc. Ita enim fere habet hebræus; quod facilius videtur in Complutenſ.* ὅτι ἐὰν πληθύνωσιν οἱ ἀγχιστεύοντες τὸ αἷμα τοῦ διαφθεῖραι, ϗ οὐκ ἐξάρωσι τὸν υἱόν μου, ut, ſi multiplicentur vindicantes ſanguinem ad diſperdendum, & non tollant filium meum. (i) Ut quid cogitaſti.] *Theodoretus,* ἵνα τί ἐλογίσθη οὕτως ἐπὶ λαὸν κυρίου, καὶ ἐκ τοῦ παρελθεῖν τὸν βασιλέα τὸν λόγον τοῦτον, τοῦ ἐγκρατεύσασθαι τοῦ μὴ ἐπιστρέψαι τὸν βασιλέα τὸν ἀπωσμένον ἀπ' αὐτοῦ; Ut quid cogitatum eſt ſic in populo Domini, & ex eo, quod rex tranſgrediatur verbum hoc, cum ſe obfirmaverit rex non reducere ejectum a ſe? *Compl. eſt miſta ex utraque.* (k) Morte moriemur.] *Theodoretus.* ὅτι τέθνηκεν ὁ υἱός σου, ϗ ὥσπερ τὸ ὕδωρ τὸ ἐκχεόμενον ἐπὶ τὴν γῆν, οὐ συναχθήσεται, ϗ οὐκ ἐλπιεῖ ἐπ' αὐτῷ ψυχή. Quoniam mortuus eſt filius tuus, & tanquam aqua, quæ effunditur ſuper terram, non colligetur, & non ſperabit in eo anima. *Compl. autem* οὐ συναχθήσεται, ϗ οὐ λήψεται ὁ θεὸς ψυχήν, ϗ ἐλογίσατο λογισμὸν τοῦ μὴ ἀπώσασθαι ἀπ' αὐτοῦ ἀπωσμένον, non colligetur: & non tollet Deus animam: & cogitavit cogitationem non ejiciendi a ſe ejectum. (l) Ancilla tua.] *Hæc apud Theodoretum conjunguntur cum ſequentibus,* Ancilla tua loquatur nunc: *quaſi illud,* & dicat, *quod proxime præceſſit, referendum ſit ad populum.* (m) Eruat.] *Compl. & Theodoretus,* ϗ ἐξελεῖται, & eruet. (n) Si jam. *Idem,* γενηθήτω δὴ ὁ λόγος τοῦ κυρίου μου τοῦ βασιλέως εἰς θυσίαν, fiat nunc ſermo Domini mei regis in ſacrificium. (o) Ut verterem.] *Sic etiam vulgata. Theodoretus, & Compl.* ὅπως κυκλώσῃ, ut circunduceret. (p) Quod.] *Iſtud,* ὃ, *abeſt a Complut. ſed non a Theodoreto in manuſcriptis.* (q) A principio.] *Complut. ut hebræus,* ἀπὸ τέλους, a fine. *Utraque locutione idem ſignificatur, nimirum ſemel in anno, ut habet vulgata.* (r) Et fit uxor Roboam filio Salomon, & parit ei Abia.] *Hæc abſunt a Complut. & vulgata.* (ſ) Dicens.] *Complut.* λέγοντα, dicentem. (t) Non vidi.] *Complut.* ϗ νῦν ὄψομαι δὴ πρόσωπον τοῦ βασιλέως, & nunc aſpiciam quæſo faciem regis.

CAP. XV.

(a) EQuos.] *Sic etiam hebræus. Alij,* ἱππεῖς, equites, *ut vulgata.* (b) Super manum viæ portæ.] *Ad verbum ex hebræo. Complut.* ἐπὶ τῆς ὁδοῦ τῆς πύλης, ſuper viam portæ. (c) Facilia.] εὔκολοι. *Compl.* κατευθύνοντες, directi. (d) In terra.] *Complut. addit,* ἐπὶ τὸν ἰσραὴλ, ſuper Iſrael: *quæ abſunt ab hebræo, & vulgata.* (e) A fine quadraginta annorum.] *Sic etiam hebræus, Compl.* μετὰ τεσσαράκοντα ἔτη. poſt quadraginta annos. *Theodoretus hanc rem narrans, ita inquit,* τεσσάρων διεληλυθότων ἐτῶν, quatuor tranſactis annis. *Et ita etiam Joſephus 7. de. Antiq cap. 9.* (f) Et miſit Abeſſalom ad Achitophel.] *Sic etiam hebræus. Alij,* ϗ ἀπέστειλεν ἀβεσσαλὼμ, καὶ ἐκάλεσε τὸν ἀχιτόφελ τὸν γαλαμωναῖον, *aut,* γελωναῖον *ut Compl.* Et miſit Abeſſalom, & vocavit Achitophel Galamonæum, *aut,* Gelonæum. (g) Pedibus ſuis.] *Compl. addit,* πεζοὶ, pedites: *& ſunt duæ interpretationes: paulo etiam poſt, ubi in noſtra eſt* pedibus, πεζῇ, *in aliis eſt,* πεζοί. (h) Et univerſus.] *Hinc uſque ad alterum,* Et univerſus, *abſunt ab aliis: & apparet repetitio, & coagmentatio aliarum interpretationum.* (i) Et hodie.] *Item & hæc uſque ad alterum,* & hodie. *Theodoretus quidem hunc locum ſic refert:* τί πορεύῃ σὺ μεθ' ἡμῶν; ἀνάστρεφε, καὶ κάθισον μετὰ τοῦ βασιλέως, ὅτι ἀλλότριος σὺ, καὶ ὅτι μετῴκησας σὺ ἐκ τοῦ οἴκου σου. εἰ ἐχθὲς παραγέγονας σὺ, καὶ σήμερον κινήσω σε τοῦ πορεύεσθαι μεθ' ἡμῶν; ἐγὼ δὲ πορεύσομαι, οὗ ἐὰν πορεύσωμαι. Quid vadis tu nobiſcum? redi, & ſede cum rege: quoniam alienus es tu, & quia tranſmigraſti tu de loco tuo. Si heri adveniſti tu; & hodie movebo te ad eundum mecum; Ego autem ibo, quo iturus ſum. (k) Et vivit dominus meus rex.] *Sic etiam vulgata. Compl. & Theodoretus,* καὶ ζῇ ἡ ψυχή σου, κύριέ μου βασιλεῦ, & vivit anima tua domine mi rex. (l) Et univerſus populus præteribant in torrentem Cedron.] τῶν κέδρων. *Ab aliquo libro hæc abſunt. Ab hebræo & vulgata abſunt tantum illa,* in torrente Cedron. *In Compl. omnia iſta ſunt, ſed habet,* τοῦ κεδρὼν, ipſius Cedron. (m) Ad faciem viæ, quæ deſertum.] *Id eſt quæ ſpectat deſertum: & reſpondet hebræo & vulgatæ. Compl.* ἐπὶ πρόσωπον αὐτοῦ τὴν ἔρημον, ad faciem ejus in deſertum. (n) De Bæthar.] *Alij,* ἀπὸ θαιβὰρ, de Thæbar. *A Compl. autem abeſt, ut a vulgata.* (o) Videte.] *Complut.* βλέπε vide. (p) Caſtra facio.] *Propius ad hebræum quam quod in Compl.* προσδέχομαι ὑμᾶς, expecto vos. (q) Sedit.] *Compl.* ἐκάθισαν, ſederunt. (r) Diſſipa.] διασκέδασον, *Theodoretus habet,* ματαίωσον, (*quemadmodum etiam Compl.*) redde vanum, *atque addit Aquilam dixiſſe,* ἀφρόνισον, redde ſtultum. (ſ) Rhos.] *Idem refert Aquilam dixiſſe* τὴν ἄκραν, ſummitatem, *ut vulgata. Putat autem hanc aſcenſionem, ideſt, clivum olivarum, fuiſſe montem illum oliveti, ex quo Dominus aſcendit in cælum.* (t) Princeps amicus David.] ἀρχεταῖρος δαυίδ. *Fortaſſe ſunt duæ voces,* ἀρχὶ ἑταῖρος, Archita, amicus, *ut habet Compl. Quinimo ſuſpicari licet illa,* ἑταῖρος δαυίδ, *huc irrepſiſſe ex fine capitis. Abſunt enim hoc loco a vulgata, & hebræo.* (u) Tranſierunt.] *Hinc uſque ad illud,* puer tuus ſum, *abſunt a Complut. ut a vulgata.* (x) Diſſipabis.] *Sic vulgata, & melius quam quod in Complut.* διασκέδασον, diſſipa. (y) E domo regis.] *Item iſtud. Nam Compl. habet* tantum, παρὰ τοῦ βασιλέως, a rege.

CAP. XVI.

(a) CEntum botri paſſi.] *Ita hebræus, & reſpondet vulgatæ, Alii,* οἰφὶ σταφίδων, Oephi uvarum paſſarum. (b) Palmæ.] *Complut.* καὶ ἑκατὸν παλάθαι, & centum palathæ. *Alii,* καὶ οἰφὶ παλάθων, & Oephi palatharum. *Vulgata,* centum maſſis palatharum. (c) Adorans. *Complut.* προσκυνῶ, adoro. *Vulgata,* oro ut inveniam. (d) Et ecce tu in malo tuo.] *Valde appoſite ad hebræum. Compl. autem,* καὶ ἔδειξέ σοι τὴν κακίαν σου, & oſtendit tibi malitiam tuam. (e) Ex obliquo ejus.] *Compl.* ἐπ' αὐτὸν, in eum (f) Vivat rex.] *In Compl. iteratur, ut in hebræo.* (g) Secundo.] *Reſpondet hebræo. Latine diceremus,* præterea. (h) Ferte vobis] *Compl.* δότε ἑαυτοῖς, date vobis. *Illud autem,* vobis, *redundat: ſed eſt hebraiſmus.*

CAP. XVII.

(a) REdit.] *Complutenſ.* ἐπιστρέψει, redibit. *Hæc autem comparatio non eſt in hebræo, neque in vulgata* (b) Quæris.] *Ita etiam vulgata. Complutenſ.* ἐκζητήσεις, exquires. (c) Vice hac.] τὸ ἅπαξ τοῦτο. *& ſic vulgata. Complutenſ.* νυνὶ ταύτην, nunc iſtud. (d) Et tanquam ſus aſpera.] *Abeſt hoc & a Complutenſ. ut a vulgata* (e) Non diſſolvet populum.] οὐ μὴ καταλύσῃ. *Complutenſ.* οὐ καταπαύσει, non ſinet quieſcere. *Sed vulgata,* nec morabitur cum populo. (f) Collium.] *Complutenſ.* αὐλώνων, vallium. *Vulgata,* in foveis. (g) In incidendo eis.] ἐν τῷ ἐπιπεσεῖν αὐτοῖς, *& videtur hoc ſignificare, cum tui inciderint in ea loca occupata a David, aut in ipſum David, & ejus milites. Ex hebræo aliqui vertunt,* ſecundum cadere in eis. *quod poteſt idem valere, aut,* prout ex eis quiſpiam ceciderit: *quod reſpondet vulgatæ. Et Complutenſ.* ἐν τῷ ἐπιπεσεῖν αὐτοὺς, in cadendo eos. (h) Quoniam novit.] *Totus hic locus propius accedit ad hebræum in noſtra, & in aliis, quam in Complutenſ. licet in illa videatur oratio magis fluere, ut hic. Nam habet,* ὅτι γνώσεται, quoniam cognoſcet. (i) Quoniam] *Item hoc. Significat autem, ut etiam in hebræo,* Sed hoc ego conſilii dederim. *Alii non habent iſtud,* Quoniam, *& Complutenſ. habet tantum,* οὕτως συμβουλεύω ἐγὼ, Sic conſulo ego. (k) Et congregatus.] *Iſtud,* & *abeſt a Compl.* (l) Qui Arachi.] ὁ τοῦ ἀρχί. *Abeſt a Compl. & a vulgata.* (m) In Araboth.] *Id eſt,* in campeſtribus, *ut vulgata. Compl.* κατὰ δυσμὰς in occidente, *aut,* in locis demiſſis. (n) Abſorbeat.] καταπείσῃ, *aut,* καταπίῃ, *ut in aliis, quod eſt uſitatius. Compl.* ὅπως μὴ καταποθῇ ὁ βασιλεὺς καὶ πᾶς ὁ λαὸς ὁ μετ' αὐτοῦ, ut non abſorbeatur rex, & omnis populus qui cum eo. (o) Faciem.] *Sic hebræus. Compl.* ἐπὶ τοῦ στόματος, ſuper os, *ut vulgata* (p) Araphoth.] *Eſt ipſa dictio hebræa, quam Chaldæus vertit,* frumenta contuſa. *Vulgata,* ptiſanas. *Compl. habet,* palathas. (q) Præterierunt puſillum aquæ.] *Sic fere hebræus: & multi putant ſignificari vadum aquæ. Compl.* παρῆλθον γευσάμενοι μικρὸν τοῦ ὕδατος, tranſierunt guſtata paululum aqua, *ut vulgata.* (r) Manaim.] *Theodotio* παρεμβολὰς, caſtra: *& ſic Compl. Quæ varietas ſuperius etiam notata eſt. Sed non deſunt, qui hic putent ſignificari certum locum: quod videtur colligi ex cap. ſequenti. Sed. 3. reg. 3. ubi narratur cædes Semei, eſt,* εἰς παρεμβολάς. (ſ) Naas. *Ita hebræus, & vulgata. Compl. autem,* ἰεσσαὶ, Jeſſæ. (t) Decem.] *Abeſt a Compl. & hebræo.* (u) Polentam.] *Retinuimus vocabulum vulgatæ, Græce eſt,* ἄλφιτον. *Compl. non habet hic, ſed poſt fabam & lentem, habet,* ἄλφιτα. *Hebræus utroque loco.* (*x*) Saphoth.] *Hanc hebraicam dictionem multi vertunt* coagulationes, *id eſt*, caſeos, *ut Chaldæus. Compl.* γαλαθηνὰ μοσχάρια, lactentes vitulos, *& vulgata*, pingues vitulos. (*y*) Quoniam dixit: Populus.] *Alii*, ὅτι ἦν ὁ λαὸς, quoniam erat populus. *Compl.* ὅτι ἔλεγον τὸν λαὸν πεινᾶν, quoniam dicebant populum eſurire. *Illud*, dicebant, *ſatis convenit. Cætera habent in hebræo, ut in noſtra.*

CAP. XVIII.

(*a*) QUia tu, ſicut nos decem millia.] σὺ, ὡς ἡμεῖς δέκα χιλιάδες, *ſic videtur legiſſe Interpr. Theodoreti, quæſt.* 34. *Sed in græcis ejus codicibus ſic proponitur quæſtio: quid eſt*, καὶ νῦν ἀφαιρεθήσεται ἐξ ἡμῶν ἡ γῆ δέκα χιλιάσι, & nunc auferetur e nobis terra decem millibus, *perinde ac dicat, non tantum calamitatis eſſet, ſi terra privaretur decem millibus hominum, quales nos ſumus; quantum ſi te uno. Putat enim Theodoretus idem iſtis verbis ſignificari atque illis Symmachi*, καὶ σὺ ὡς ἡμεῖς δέκα χιλιάσι, & tu, ſicut nos decem millibus. *Tantundem vales tu unus, ac decem millia noſtrum.* (*b*) Manum.] *Sic hebræus. Compl.* παρὰ τὸ κλίτος, juxta latus. (*c*) Sylvam.] *Complut.* πεδίον, campum, *ut vulgata.* (*d*) Viginti millia.] *Reſpondet hebræo. Compl.* καὶ πίπτουσιν εἴκοσι χιλιάδες, & cadunt viginti millia. (*e*) Terræ.] *Sic vulgata ex hebræo. Compl.* τοῦ δρυμοῦ, ſylvæ. (*f*) Subter denſitatem quercus magnæ.] *Ad verbum ex hebræo. Compl.* ὑπὸ φυτὸν δένδρου μέγα, ſub plantam arboris magnam. (*g*) Decem] *Compl. addit*, σίκλοις, ſiclos. *quemadmodum & vulgata.* (*h*) Et ego quidem appendo.] καὶ ἐγώ εἰμι ἵστημι. *Alius liber*, ἐὰν ἐγώ εἰμι ἵστημι, ſi ego ipſe appenderem: *& ſi conjungatur*, καὶ ἐὰν, *videri poteſt reſpondere omnino Hebræo, & Chaldæo. In aliis eſt*, καὶ ἐὰν σὺ παρειςᾷς, *aut*, παρασῇς σύ. Et ſi tu exhiberes, *aut*, appenderes, *ut vulgata.* (*i*) Non faciendo in animam ejus injuriam.] μὴ ποιῆσαι ἐν τῇ ψυχῇ αὐτοῦ ἄδικον. *Compl.* καὶ πῶς ποιήσω ἐν τῇ ψυχῇ μου ἄδικον; Et quomodo faciam in animam meam injuſtum? *quod propius accedit ad vulgatam.* (*k*) Hoc ego aggrediar: non ſic manebo coram te.] *Complutenſis*, διὰ τοῦτο ἐγὼ ἄρξομαι ἐνώπιόν σου. Propter hoc ego aggrediar coram te. *Ab hebræo potius abeſt illud*, hoc ego aggrediar. (*l*) Et ſumpſit Abeſſalom.] *Alii*, καὶ ἔλαβεν ἰωὰβ τὸν ἀβεσσαλώμ, & tulit Joab Abeſſalom. *Sed vulgata ex hebræo*, Et tulerunt Abeſſalom. (*m*) In foveam magnam.] *Abſunt hæc ab aliquot libris, licet non a Compl. Et* εἰς μέγα χάσμα, *&* εἰς βόθυνον τὸν μέγαν, *videri poſſunt duæ interpretationes.* (*n*) Et ſtatuerat illum capere titulum.] *Abſunt iſta ab aliquot libris. A Compl. autem illud præterea, quod proxime antecedit*, in quo aſſumptus eſt. *Et certe nihil eſt in hebræo, aut vulgata, quod illis reſpondeat.* (*o*) Ei filius ut memoretur nomen ejus.] *Compl.* μοι υἱὸς ἵνα ἀναμιμνήσκηται τὸ ὄνομά μου, mihi filius, ut memoretur nomen meum: *quod reſpondet vulgatæ.* (*p*) Titulum.] *In aliis hæc ſequuntur*, ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ, καὶ ἐκάλεσεν. (*Compl.* ἐπεκάλεσαν) αὐτὴν, in nomine ſuo. Et vocavit (*Compl.* cognominaverunt) illum. (*q*) Et eſto quia.] *Propius ad hebræum, quam quod in Compl.* καὶ τί ἔσται, ἐὰν δράμω, & quid erit, ſi cucurrero. (*r*) Magnam.] *Compl. addit*, εὐφραινόμενον, lætantem: *quod tamen abeſt a vulgata, & hebræo.* (*ſ*) Et ſervum tuum.] *Compl.* καί με τὸν δοῦλόν σου, & me ſervum tuum: *quod quidem*, me, *exprimit etiam vulgata: licet in hebræo non ſit, ſed cogitatione ſupplendum.* (*t*) Converte.] *Non diſcrepat ab Hebræo, & Chaldæo. Jubet enim rex, ut ſe erigat, conferatque ſe ad certum locum. Compl.* πάρελθε, tranſi, *ut vulgata, & paulo poſt*, καὶ παρῆλθε, & tranſiit. (*u*) Dum ipſe iret.] *Sic etiam hebræus & vulgata. Compl.* ἐν τῷ κλαίειν αὐτὸν, dum ipſe ploraret. (*x*) Mortem meam pro tua? Ego pro te.] *Complut. habet tantum*, μοι θάνατον ἀντί σου; mihi mortem pro te?

CAP. XIX.

(*a*) FIli mi.] *In Compl. repetitur adhuc, ut in hebræo, ſed non in vulgata*, τέκνον ἐμὸν, fili mi. (*b*) Quia non ſunt principes tui.] ὅτι οὐκ εἰσὶν οἱ ἄρχοντές σου. *Atque idem putandum eſt ſignificare, quod eſt in aliis*, ὅτι οὐκ εἰσίν σου οἱ ἄρχοντες, *aut*, σοι ἄρχοντες, *id eſt, principes non eſſe tuos, non tibi eſſe curæ.* (*c*) Omnes nos.] *In aliis*, καὶ πάντες ἡμεῖς σήμερον νεκροὶ, & omnes nos hodie mortui, *ad verbum ex hebræo. Compl. autem*, καὶ πάντες ἂν ἡμεῖς ἀπεθάνομεν, & omnes nos mortui eſſemus. (*d*) Juravi.] *Sic hebræus & vulgata*, juro. *Compl. autem* ὀμωμόκασιν, jurarunt. (*e*) Et malum.] *Ita etiam hebræus: ſed ab ipſo abſunt verba proxime præcedentia.* Et ſcito tibi: *quæ tamen habentur in omnibus collatis codicibus: ſed in quibuſdam eſt*, ὅτι κακὸν, quia malum. *In quibuſdam*, ὅτι χεῖρόν σοι ἔσται τοῦτο ἐκ πάντων τῶν κακῶν τῶν ἐπεληλυθότων ἐπὶ σὲ, quoniam pejus erit tibi hoc ex omnibus malis, quæ ingruerunt ſuper te. (*f*) Univerſus populus.] *Compl.* ἀπηγγέλη παντὶ τῷ λαῷ, λεγόντων, & nunciatum eſt omni populo dicentibus. (*g*) Et de regno ſuo, & ab Abeſſalom.] *Hoc totum abeſt a Compl. Vulgata autem habet ex hebræo*, propter Abſalom. (*h*) Direxerunt Jordanem. *Eſt locutio reſpondens hebræo, & hoc ſibi vult*, proſpere trajecerunt Jordanem. *Compl. habet*, ἐπὶ τὸν ἰορδάνην, in Jordanem. (*i*) Tranſitus.] ἡ διάβασις: *& fortaſſe hoc loco ſignificat* ſcapha, *aut ſimile quoddam navigium aptum ad tranſmittendum: quod reſpondet hebræo. Alii interpretantur*, & trajectum eſt vadum. (*k*) Cognovit ſervus tuus.] *Sic hebræus. Compl. autem* ἔγνων ἐγὼ ὁ δοῦλός σου, cognovi ego ſervus tuus. (*l*) Univerſo Iſrael, & domo Joſeph.] *Compl. habet tantum*, παντὸς τοῦ οἴκου ἰωσὴφ, *& vulgata*, de omni domo Joſeph. (*m*) Neque fecerat ungues.] οὐδὲ ὠνυχίσατο. *Abeſt a Compl. ut a vulgata. Uſi autem ſumus verbo faciendi, ut reſponderet ſequenti*, neque fecerat labium: *& ſignificat aptare, & concinnare.* (*n*) Fallaciter egit in ſervo tuo.] μεθώδευσεν ἐν τῷ δούλῳ σου. *Compl.* κατηγόρηκε τοῦ δούλου σου, accuſavit ſervum tuum: *quod reſpondet vulgatæ.* (*o*) Et fac, quod bonum in oculis tuis.] *Optime ad hebræum Compl. autem*, ἐποίησεν καλὸν ἐνώπιον θεοῦ, fecit bonum in conſpectu Dei. (*p*) Chamaam.] *Complut. addit*, ὁ υἱός μου, filius meus: *quod tamen abeſt ab hebræo & vulgata.* (*q*) Meis.] *Locutiones ipſæ aptiſſime reſpondent hebræo. Sed in illo eſt*, oculis tuis, & omne, quod elegeris ſuper me, faciam tibi. *Compl.* ἐνώπιόν σου, καὶ ὃ ἂν ἐπιτάξῃς μοι, ποιήσω σοι. coram te: & quodcunque conſtitueris mihi, faciam tibi. (*r*) Tranſivit.] *Et hoc ex hebræo. Compl. autem*, εἱστήκει reſtitit. (*ſ*) Tranſeuntes cum rege] *Compl.* διεβίβασαν αὐτὸν, traduxerunt eum. (*t*) Aut tributum ſuſtulit nobis.] *Hæc abſunt a Compl. & vulgata.* (*u*) Et primogenitus ego, quam tu.] *Abſunt a Compl. & vulgata, Sed agnoſcuntur a Theodoreto, q.* 38. (*x*) A Juda.] *Non eſt in Compl. neque in vulgata.*

CAP. XX.

(*a*) ADvocatus.] *Complutenſ.* ἀπήντα ἀνὴρ, υἱὸς λοιμὸς, occurrit vir, filius peſtilens. (*b*) Vir ad tabernacula tua Iſrael.] *Ita hebræus, niſi quod habet*, ſua: *ac tamen vulgata*, revertere in tabernacula tua Iſrael. *Compl. autem*, πορευσώμεθα ἕκαστος εἰς τὰ σκηνώματα αὐτοῦ ἰσραὴλ, eamus unuſquiſque in tabernacula ſua Iſrael. (*c*) Bochori.] *In aliis additur*, ὑπὲρ ἀβεσσαλώμ, *quod in vulgata*, magis quam Abſalom. (*d*) Abeſſai, &] *Abeſt a Compl. & vulgata.* (*e*) Conjuncto.] *Sic hebræus, & vulg.* dependente. *Compl.* ἀμφήκη, *ancipiti.* (*f*) Et ipſe exivit.] *Hæc abſunt a multis, ab hebræo autem potius illud, quod anteceſſit.* Et gladius exivit. *Videtur autem horum verborum eadem eſſe ſententia, atque ea quam præ ſe fert vulgata, nimirum tantum fuiſſe gladij agilitatem, ut ſimul egrederetur, & feriret.* (*g*) Quis volens Joab, & quis ipſius David.] *Hujus item loci ſententia, quæ eodem fere modo exponitur in hebræo, in vulgata ſic explanatur*: Ecce qui voluit eſſe pro Joab comes David. *Complutenſis autem ita interpungit, ut aliam ſententiam præ ſe ferat. Sed tamen quod pro*, τοῦ δαυὶδ, *habet*, τῷ δαυὶδ, ipſi David, *reſpondet hebræo.* (*h*) Conſperſus.] *Alii*, τεθνηκὼς πεφυρμένος, mortuus conſperſus. *Sed illud*, mortuus, *non eſt in hebræo.* (*i*) Et omnes in Charri, & congregati ſunt.] καὶ πάντες ἐν χαῤῥί. *Alii*, καὶ πάντας. *Pro his in Complut. eſt*, καὶ πᾶσαι αἱ πόλεις ἐξεκκλησιάσθησαν, & omnes civitates congregatæ ſunt. *Et in aliquo libro utrumque conjungitur. Hebræus habet*, & omnia Berim: & congregati ſunt. *Et multi ſupplent*, omnia loca Berim. *Vulgata autem*, omneſque viri electi congregati fuerant ad eum. (*k*) Phermacha.] *Complut.* Bæthmaaca, *ut paulo ſuperius etiam noſtra.* (*l*) Interrogando interrogatus eſt.] *Pro his uſque ad illud*, Ego ſum pacifica, *quæ certe videntur ex pluribus interpretationibus coagmentata, neque eodem prorſus modo in codicibus leguntur, Compl. habet hæc tantum*, ἐρωτῶντες ἐρωτήσουσι ἐν ἀβὲλ, καὶ οὕτως ἐξέλιπον, interrogantes interrogabunt in Abel, & ſic deficient. *In codice Theodoreti uno proponitur quæſtio his verbis*, Quomodo intelligendum, εἰ ἐξέλιπον, ἃ διέθεντο οἱ πιστοὶ τοῦ ἰσραὴλ, ſi defecerunt, quæ diſpoſuerunt fideles ipſi Iſrael, *id eſt, nunquid abrogatæ ſunt leges a legiſlatoribus impoſitæ ipſi Iſraeli de jure pacis & belli; de mittenda legatione ad res repetendas, antequam inferatur bellum? Ita enim explanat Theodoretus, ac ſtatim ſubjungit, ita ut nihil videatur interjectum intermedium*, ἐγὼ δέ εἰμι εἰρηνική, ego autem ſum pacifica. *Id eſt, colo pacem, & ſum una ex præcipuis civitatibus. Quare nihil cauſæ eſt, cur mihi bellum inferas. In codice autem alio, ſicut etiam apud interpretem, ſequitur alia quæſtio, ad hæc verba*, καὶ ἐρωτώμενος ἠρωτήθη ἐν ἀβὲλ, καὶ ἐν δὰν, εἰ ἐξέλιπεν ἃ ἐξέθεντο οἱ πιστοὶ τοῦ ἰσραὴλ, *atque eadem fere affertur explanatio: atque ibi etiam ſtatim adjungitur*, ἐγὼ δέ εἰμι εἰρηνική. (*m*) Et abſtulit.] *Alij*, καὶ ἀφαιροῦσι τὴν κεφαλὴν σαβεαὶ υἱοῦ βοχορὶ, καὶ ῥίπτουσιν, & auferunt caput Sabeæ filii Bochori, & jaciunt. (*n*) Ab eo.] *Iſtud*, ἀπ᾽ αὐτοῦ, *abeſt a Compl.* (*o*) Ad omnem virtutem.] *Eſt hebraiſmus & ſignificat id quod in Compl. exprimitur*, ἐπὶ πάσης τῆς στρατιᾶς ſuper omnem exercitum. (*p*) Super Cherethi, & ſuper Phelethi.] *Theodoretus, q.* 42. *videtur habuiſſe*, ἐπὶ τοῦ πλινθίου, καὶ ἐπὶ τοὺς δυνατούς. *Et putat*, πλινθίον, *eſſe aciem quadratam, & Banæam fuiſſe præfectum militum prætorianorum, ſicut apud Romanos magiſtrum & præfectum prætorio. Vide lib.* 3. *cap.* 3. (*q*) Commonefaciens.] *Sic hebræus, & ſignificat*, a commentariis, *ut vulgata.* (*r*) Iras, qui Iarim;] *quod in vulgata eſt*, Hyram Hyarites. *Theodoretus autem q.* 43. ἰωδαὲ ὁ ἰεθὲρ, Jodae qui Jether.

CAP. XXI.

(*a*) DOmini.] *Melius, quam in Compl.* παρὰ κυρίου, a Domino. (*b*) In morte ſanguinum ejus.] *Hæc abſunt a Compl. Dictio tamen*, ſanguinum, *eſt in hebræo, & vulgata, ſed hoc modo*, Propter Saul & domum ejus ſanguinum, quia occidit Gabaonitas. *Et hoc ſignificat* ſanguinariam, *aut*, ream mortis. (*c*) Reliquiis] ἐκ τοῦ ἐλλείμματος. *In aliquot codicibus eſt*, ἐκ τοῦ αἵματος, ex ſanguine. *Apud Theodoretum, q.* 44. (*quemadmodum etiam fere in Compl.*) ὅτι ἀπὸ τῶν καταλοίπων τῶν ἀμοῤῥαίων ἦσαν, quia de reſiduis Amorræorum erant. (*d*) Et non eſt nobis vir ad interficiendum in Iſrael.] *Sapit locutio veterem illam horriditatem. Alii*, καὶ οὐκ ἔστιν ἡμῖν ἀνὴρ θανατώσεως ἐκ παντὸς ἰσραὴλ, & non eſt nobis vir mortificationis de omni Iſrael. *Compl.* καὶ οὐκ ἔστιν ἡμῖν ἄνδρα θανατῶσαι ἐκ παντὸς ἰσραὴλ, & non eſt nobis interficere virum de omni Iſrael. (*e*) Conſummavit ſuper nos.] *Alij, & Theodor.* συνετέλεσεν ἡμᾶς, conſummavit, & conſumpſit nos. (*f*) Ut non ſtet ipſe.] τοῦ μὴ ἑστάναι αὐτόν. *Ita etiam in codice Theodoreti uno, & apte reſpondet hebræo. In alio autem, quemadmodum & in Compl.* τοῦ μὴ ἀντικαθίστασθαι, *quod vulgata*, ut nec unus quidem reſiduus ſit de ſtirpe ejus. (*g*) Det nobis ſeptem viros.] δότω, *nec multo aliter codex Theodoreti unus*, δοθήτω ἡμῖν ἑπτὰ ἄνδρας. *Alii*, δότε ἡμῖν, date nobis. *Codex alius, & Complut.* καὶ δοθήτωσαν ἡμᾶν ἑπτὰ ἄνδρες, & dentur nobis ſeptem viri. *Interpres tamen Theodoreti non habet illud*, &, *quemadmodum neque vulgata.* (*h*) Soli exponamus.] ἐξηλιάσωμεν. *In codice Theodoreti uno, & in Complutenſi eſt*, καὶ ἐξιλασόμεθα ἐν αὐτοῖς, & propitiabimur in eis. *Sed in alio, & ad marginem primi eſt, ut in noſtra. De hac re notabitur paulo poſt.* (*i*) Gabaon.] *Apud Theodoretum, & in Complut. eſt*, ἐν τῷ βουνῷ, in colle. *Atque addit Theodoretus*, Metropolis Gabaonitarum vocabatur Gabaon: ſed hoc nomen tranſlatum in Græcam linguam, nominatur βουνός. *Alibi idem notatum eſt de* Gabaa (*quomodo quidem habet hic vulg. ex hebræo*) *quæ erat ſedes propria Saul.* (*k*) Electos Domini.] *Theodoretus*, ἐκλεκτοὺς τῷ κυρίῳ, electos domino. *Compl.* ἐκλεκτοῦ τῷ κυρίῳ, *& vulg.* electi Domino. (*l*) Et inter.] *Illud*, &, *abeſt a Compl. & ab hebræo.* (*m*) Soli expoſuerunt.] ἐξηλίασαν. *Rurſus hoc loco Compl.* ἐξιλέωσαν, propitiationem fecerunt. *Sed ſcholion Diodori inſertum codici uni Theodoreti, ſic habet*; Illud autem, ἐξηλίασαν αὐτοὺς οἱ γαβαωνῖται ἐναντίον κυρίου ἐν τῷ ὄρει, perinde eſt, ac ſi diceretur, occiſos non ſepelierunt, ſed reliquerunt Soli expoſitos. *Theodoretus eandem dictionem habet, putatque idem ſignificare ac verbum ab Aquila* poſitum, ἀνέπηξαν ſuffixerunt. (n) Defixit ſibi ad petram.] ἔπηξεν. *Alii*, καὶ ἔστρωσεν (*aut* διέστρωσεν) αὐτὸν ἑαυτῷ ἐπὶ τὴν πέτραν, & ſubſtravit illum ſibi ſupra petram, *quomodo fere vulgata.* (o) Et reſoluti ſunt : & cepit eos Dan filius Joa ex pronepotibus gigantum.] *Hæc abſunt a Complut. & ab aliis quibuſdam. Referuntur autem in eodem Diodori ſcholio cum hac explanatione.* Omnino hoc ſibi vult, eos, qui Soli erant expoſiti, ſublatos eſſe a gigante, cum jam ſub radio ſolari reſoluti ac dilapſi eſſent. (p) E platea Bæthſan, quia ſtatuerant.] *Compl.* ἀπὸ τοῦ τείχους βαιθσὰν, κρεμασάντων αὐτοὺς ἐκεῖ τῶν ἀλλοφύλων, de muro Bæthſan, cum ſuſpendiſſent eos ibi alienigenæ. *Vulgata*, de platea Bæthſan, in qua ſuſpenderant. (q) In latere, in ſepulchro] *Sic etiam vulgata. Complut.* ἐν τῇ πλευρᾷ τοῦ τάφου, in latere ſepulchri. (r) Ivit.] *In aliis, & apud Theodor. q* 45. ἐξελύθη, dilapſus eſt, defecit : *quod reſpondet vulgatæ.* (ſ) Jesbi.] *Complutenſis addit*, ἀπὸ νὼβ *& vulg.* de Naba. (t) Rhaphe.] *Vulgata*, Arapha : *& multi putant idem valere, ac* gigantis. *Complut.* τῶν γιγάντων, *eodemque modo videtur habuiſſe Theodoretus & hic, & paulo inferius : admonetque gigantes ſolitos olim appellari, qui maxima haberent corpora.* (u) Clava.] κορύνην, *& fortaſſe ſignificat enſem novum, ut habet vulgata. Compl. autem*, παραζώνην, baltheo. (x) Ipſum Seph.] *Vulgata ex hebræo* Saph. de ſtirpe Arapha. *Alii autem, & Complutenſis* τοὺς ἐπισυνηγμένους τῶν ἀπὸ γόνων τῶν γιγάντων, collectos de ſtirpe gigantum. (y) Fuit.] *Alii addunt*, ἔτι, adhuc. (z) Filius Ariorgim.] *Videtur iſta dictio coagmentata ex duabus hebraicis*, Jahare Oregim. *Et alii qui vertunt*, filius Johare, texentium, *& ſic Complut.* υἱὸς ἰαρὲ τῶν ὑφαινόντων, *Vulgata autem*, filius Saltus, polymitarius : *in qua etiam pro*, Eleanan, *eſt illius interpretatio*, Adeodatus. (aa) Madon.] *Eſt vox hebræa, quæ ſignificat* menſuræ, *& ſubintelligendum*, magnæ. *Quare vulgata*, excelſus. *Alii & Complut. tanquam de patria*, ἐκ μαδὼν, de Madon. (bb) Ipſi Rhapha domus.] *Abſunt a Complut. ab aliis quibuſdam ſolum abeſt illud*, domus. *Videri poſſunt alia interpretatio ejus quod præceſſit*, pronepotes Gigantum. *Nam vulgata habet tantum*, Hi quatuor nati ſunt de Arapha in Geth.

CAP. XXII.

(a) CAnticum.] *Abeſt a multis, ſicut etiam a vulgata : & videri poteſt appoſitum, tanquam rubrica quædam.* (b Dolores mortis circundederunt me : prævenerunt me aſperitates mortis.] *Complut.* χοινία ᾅδου ἐκύκλωσάν με, καὶ προέφθασάν με πέδαι θανάτου : *quod vulgata*, funes inferni circundederunt me : prævenerunt me laquei mortis. *Ac multæ hujuſmodi varietates ſunt in hoc cantico, quod inquit Theodoretus idem eſſe cum pſal. 17. mutatis tantum quibuſdam verbis. Quare nonnulla ad eum locum notanda reſervabuntur.* (c) Et quaſſata ſunt] *Abeſt a Complut. ſed non a vulgata, neque ab hebræo.* (d) De inimicis meis fortitudinis] *Id eſt* fortibus : *eſt enim hebraiſmus. Complut. autem* ἐξ ἰσχύος ἐχθρῶν μου, ex fortitudine inimicorum meorum. (e) Dies tribulationis meæ.] *Alij*, ἐν ἡμέρᾳ θλίψεώς μου, *aut*, ἀπωλείας μου, in die afflictionis meæ, (*quod habet vulgata*) *aut*, perditionis meæ. (f) Bene ſenſit in me.] *Sic ſolet dicere S. Aug. quod græce eſt*, εὐδόκησεν ἐν ἐμοὶ, Complacuit in me : *& optime reſpondet hebræo. Complut.* ὅτι ἠθέλησέ με, quoniam voluit me. (g) Impie egi a Deo meo.] *Sic etiam vulgata. & ſic in pſal. 17. & optime reſpondet hebræo. Complut. autem*, ἠνόμησα ἐνώπιον τοῦ θεοῦ μου, inique egi coram Deo meo. (h) Non diſceſſi ab eis] *Eadem conſtructio eſt in hebræo : & hoc eodem prorſus modo habet Chaldæus. Alii autem*, οὐκ ἀπέστησαν ἀπ' ἐμοῦ, non diſceſſerunt a me, *& ſic pſal. 17. Compl. autem*, καὶ τὰ προστάγματα αὐτοῦ οὐκ ἀποστήσεται ἀπ' ἐμοῦ, & præcepta ejus non diſcedent a me. (i) Perfecto perfectus eris.] *Complut.* μετὰ ἀθώου ἀθῷος ἔσῃ, cum innocente innocens eris, *ut pſal. 17.* (k) Inopem.] τὸν πτωχόν. *Et pſal. 17.* ταπεινὸν, humilem, afflictum. *Complut.* τὸν πρᾶον, manſuetum : *quod in pſal. illo notabitur eſſe Symm.* (l) Et oculos ſuper excelſos, humiliabis] *Ita ad verbum hebræus, niſi quod habet* oculos tuos. *Eſt autem ſupplendum*, & ponens oculos tuos ſuper excelſos, humiliabis eos : *quod in vulgata dicitur*, oculiſque tuis excelſos humiliabis. *Alii*, καὶ ὀφθαλμοὺς ὑπερηφάνων (*Complut.* ὑψηλῶν) ταπεινώσεις, & oculos ſuperborum (*Complut.* excelſorum) humiliabis. (m) Lucerna mea] *Sic hebræus, & vulgata. Aliis* φωτιεῖς λύχνον μου, illuminabis lucernam meam, *ut pſal. 17.* (n) Fortis.] ὁ ἰσχυρός. *Complut.* ὁ θεός, *& vulgata*, Deus, *pſal. 17.* ὁ θεός μου, Deus meus. *Notavit autem S. Hieronim. ut alibi dictum eſt, dictionem hebraicam, quæ hic ponitur a lxx. ſolere verti*, θεὸς, *ab Aquila*, ἰσχυρός. (o) Potens] *Abeſt ab aliis, & a vulgata.* (p) Quis fortis.] *Alii*, ὅτι τίς ἰσχυρὸς, quoniam quis fortis. *Complut.* διότι τίς θεὸς, quoniam quis Deus, *ut etiam pſal. 17. de qua varietate paulo ante dictum eſt : atque eadem poteſt notari in eo quod ſequitur*, fortis confortans me virtute. (q) Excuſſit.] ἐξετίναξεν. *Videtur dictum pro* mundavit, *aut excutiendo* complanavit, *ut habet vulgata, aut*, ſolvit, *ut alii vertunt ex hebræo. In aliis codicibus, & pſal. 17. eſt.* ἔθετο, poſuit. (r) Placabilitas.] *Hoc viſum eſt hoc loco ſignificare* ὑπακοή σου, *quaſi facilitas ad exaudiendum, manſuetudo, ut vertunt ex hebræo : licet in codicibus vulgatæ ſit varietas : nam alii habent*, manſuetudo tua, *alii*, mea. (ſ) In altitudinem in greſſibus meis.] *Alii*, πλατυνεῖς τὰ διαβήματά μου, dilatabis greſſus meos, *ut vulgata. Complut.* καὶ ἐπλάτυνας, & dilataſti, *& pſal. 17. Sed ſine, &c.* (t) Crura mea.] *Longe propius ab hebræum, quam quod in Compl.* καὶ οὐκ ἠσθένησαν τοῖς τρίβοις μου, & non defeci in viis meis : *Item in iis quæ ſequuntur. Tantummodo illud*, morti tradidiſti, *magis reſponderet hebræo, ſi pro*, ἐθανάτωσας, *eſſet*, ἐθανάτωσα. morti tradidi. *Attamen etiam pſal. 17 eſt*, ἐξωλόθρευσας exterminaſti. (u) Pugna.] μάχης. *Alii partim*, μαχαίρας, gladio, *partim*, ἐξ ἀντιλογιῶν λαοῦ μου, a contradictionibus populi mei, *ut vulgata (itemque pſal. 17. niſi quod ibi non eſt*, mei) *partim*, ἐξ ἀντιλογίας ex contradictione. *Theodoretus vero*, ἐξείλω με ἐκ λαοῦ, ἔθου εἰς φῶς ἐθνῶν, eripuiſti me a populo, poſuiſti me in lucem gentium. (x) Non novit.] *Codex etiam Theodoreti unus habet*, οὐκ ἔγνω. *Sed alii codices ejuſdem, & Complutenſ.* οὐκ ἔγνων, non novi : *atque ita pſal. 17.* (y) Viro iniquitatum.] *Apte ad hebræum, & vulgatæ*, viro iniquo. *Complutenſ.* ἐξ ἀνδρῶν ἀσεβῶν, *a viris impiis.*

CAP. XXIII.

(a) QUem ſuſcitavit.] *Plurimæ & inſignes varietates in hoc capite. Quare operæ precium fuerit adire, & conferre codices. Quædam tamen a nobis notabuntur. Theodoretus hunc locum ſic refert*, πιστὸς δαυὶδ ὁ υἱὸς ἰεσσαὶ πιστὸς ἀνὴρ, ὃν ἀνέστησεν ὁ θεὸς χριστὸν, ὁ θεὸς ἰακὼβ, καὶ ὡραῖος ὁ ψαλμὸς ἰσραήλ. πνεῦμα κυρίου ἐλάλησεν ἐν ἐμοὶ, καὶ λόγος αὐτοῦ ἐπὶ γλώσσης μου, εἶπεν ὁ θεὸς ἰακὼβ ἐν ἐμοὶ λαλῆσαι, Fidelis David filius Jeſſæ, fidelis vir, quem ſuſcitavit Deus chriſtum, Deus Jacob : & pulcher pſalmus Iſrael. Spiritus Domini locutus in me, & verbum ejus ſuper linguam meam. Dixit Deus Jacob in me loqui. *Et hoc* εἶπεν, *interpretatur*, εὐδόκησε, bene ſenſit, complacuit Deo Jacob. (b) Cuſtos ex Iſrael parabolam. Dixi in homine : Quomodo tenebitis timorem Chriſti ?] *Complut.* πλάστης ἰσραὴλ, ἄρχων ἐν ἀνθρώποις δίκαιος, ἄρχων φόβῳ θεοῦ, formator Iſrael, princeps in hominibus juſtus, dominator timore Dei : *quæ ſatis reſpondent vulgatæ.* (c) Non Dominus tranſiit.] *Alii*, οὐκ ἐσκότασεν, non obtenebravit. *Alii*, οὐ σκοτάσει, *aut*, καὶ οὐ σκοτάσει, & non obtenebrabit, *ut Complut. In qua deinde ſequitur, quaſi ab alio initio*, ἀπὸ φέγγους καὶ ἐξ ὑετοῦ ὡς βοτάνη ἐκ γῆς, a ſplendore, & ex pluvia, tanquam herba ex terra. (d) Voluntas.] *In aliis & in Complut. additur*, ἐν κυρίῳ, in Domino, *ſed non hebræo, aut vulgata.* (e) Et vir non laborabit.] *Complut.* καὶ ἀνὴρ ὃς κοπιάσει ἐν αὐτοῖς, πλήρης σιδήρου, καὶ ξύλον δόρατος, καὶ ἐν πυρὶ καύσει καυθήσονται εἰς αἰσχύνην αὐτῶν. Et vir qui laboravit in eis, plenus ferro, & lignis lanceæ, & in igni combuſtione comburentur ad confuſionem ſuam: *Iſtud quidem*, εἰς αἰσχύνην, *eſt etiam in aliis.* (f) Jeboſthe Chananæus princeps tertii eſt.] *Complut.* ἰεσβαὰβ υἱὸς θεκεμανὶ, πρῶτος τῶν τριῶν ἐστὶ, Jeſbaab filius Thecemani, princips trium hic. *Et nomina quidem iſta propius accedunt ad hebræa, quibus putant ſignificari*, ſedens in cathedra ſapientiſſimus princeps inter tres : *ut vulgata : ita ut nomen proprium, quod ſubjicitur his attributis, ſit quod ſequitur.* Adinon Aſonæus. *Sed & horum loco in vulgata eſt*, quaſi tenerrimus ligni vermiculus : *& ipſius Jeſbaan fit mentio. 1. Paral. xi. Legendi ſunt explanatores.* (g) Filius Dudi.] *Abeſt ab aliquo libro & videri poteſt ex alia interpretatione. Nam* Dodo *valet*, patrui ejus. *Nonnulli tamen putant iſtud eſſe nomen proprium, & ſic habent*, Eleazar filius Dodo filii Achochi. (h) Aſcendit.] *Complutenſis* ἀνέβησαν ἄνδρες aſcenderunt viri : *quod reſpondet vulgatæ. Alii*, ἀνεβόησεν ἀνὴρ, exclamavit vir. (i) Sedit.] *In aliis* ἐπέστρεψεν, reverſus eſt, *ut vulgata.* (k) In Theria.] εἰς θηρία, *quaſi* ad beſtias, *Complutenſ.* ἐπὶ σιαγόνα, ad maxillam, *nimirum ad locum, quem ita nominatum eſſe ex facto Sampſonis narrat liber Judicum. Dictionem hebræam vulgata interpretatur, ſtationem, alii villam, alii, certum locum.* (l) Triginta.] *Alii addunt*, ἄρχοντες, principes, *aut*, ἀρχόντων, principibus : *quod reſpondet vulgatæ.* (m) Caſon.] *Abeſt a Complut. Sed eſt veſtigium dictionis hebraicæ, quæ ſignificat meſſem. Quare vulgata*, tempore meſſis. (n) Ordo alienigenarum, & caſtrametati ſunt.] *Abeſt ab aliis illud*, & *atque etiam ab hebræo.* (o) Rhaphaim.] *Compl.* τιτάνων, Titanum : *& ſic videtur habuiſſe S. Ambroſ. in Apolog. David, cap. 7. ubi etiam ita refert verba David cum noluit bibere.* Non contingat mihi hoc facere, ne ſanguinem virorum qui abjerunt, ex animis illorum bibam. (p) Statio autem alienigenarum tunc in Bethleem.] *Abſunt a Compl. & vulgata : ac videri poſſunt ex loco paulo ſuperiore huc irrepſiſſe, & fortaſſe ex alia interpretatione : nam ibi eſt*, ὑπόστημα, *hic*, σύστημα (q) Vir ipſe multus operibus.] *Compl.* υἱοῦ ἀνδρὸς δυνατοῦ. πολλὰ ἔργα τῷ αὐτῷ. Filii viri potentis : multa opera fuerunt ei.] *Locus anceps. Illud quidem*, multus operibus, *optime reſpondet hebræo.* (r) Tanquam lignum ſcalæ nauticæ.] *Abſunt a Compl. & a vulgata.* (ſ) Ex tribus.] *Ita etiam Theodoretus q.46. idque explicat. Compl.* ὑπὲρ τοὺς τριάκοντα, ſuper triginta. *Vulgata*, inter triginta (t) Ad auditiones ſuas.] *Videtur idem valere, quod* a ſecretis : *vulgata*, auricularium a ſecreto. *Theodoretus videtur habuiſſe*, ἐπὶ τὴν φυλακὴν αὐτοῦ, ſuper cuſtodiam ſuam. (u) Polydynameus.] πολυδυνάμεως. *Poteſt ſignificare*, multæ virtutis, *ſed abeſt ab aliis, & in his nominibus propriis multæ ſemper varietates, & errata, ut alibi admonuimus.*

CAP. XXIV.

(a) ET addit iram.] *Theodoret. nec multo aliter Complutenſ.* καὶ προσέθετο ὀργὴ θεοῦ τοῦ θυμωθῆναι ἐν ἰσραήλ. Et adjecit ira Dei indignari in Iſrael : *quod reſpondet vulgatæ.* (b) In eis.] *Sic etiam vulgata. Valet tamen idem atque illud quod eſt apud Theodoretum, & in Complutenſi*, εἰς αὐτοὺς, in eos. (c) Sicut eos, & ſicut eos.] *Ad verbum ex hebræo. Alii ſemel tantum habent.* (d) In conſpectu regis.] *Reſpondet hebræo. Significat tamen*, ἐκ προσώπου τοῦ βασιλέως, a facie regis; *quod habet Complutenſis, & vulgata* (e) Et in terram Thabaſom, quæ eſt Adaſæ : & advenerunt in Dani Dan, & Udan.] *Valde variant hoc loco exemplaria. Complutenſ.* καὶ εἰς γῆν χεττιεὶμ κάδης, καὶ παρεγένοντο ἕως δάν. Et in terram Chettim, Chades, & advenerunt uſque Dan. *Verum neque ipſa reſpondet prorſus hebræo, & aliqua omittit, quorum veſtigia ſunt in noſtra, & in aliis.* (f) Eum poſtquam numeraverat.] *Theodoretus, nec multo aliter Complutenſ.* αὐτὸν μετὰ ταῦτα, ὅτι ἠρίθμησε τὸν λαόν. καὶ εἶπε δαυίδ. ἡμάρτηκα τῷ κυρίῳ τοῦ ποιῆσαι τὸ ῥῆμα τοῦτο. καὶ νῦν κύριε περίελε τὴν ἀδικίαν τοῦ δούλου σου, ὅτι ἐματαιώθην σφόδρα. Eum poſt hæc, quoniam numeraverat populum. Et dixit David : Peccavi Domino, faciendo verbum hoc. Et nunc Domine circumaufer injuſtitiam ſervi tui; quoniam ſtulte egi valde. *Sed noſtra propius quodammodo ad phraſim hebræam. S. Ambroſ. hæc refert*, Peccavi Domino, quod fecerim verbum hoc. *Et in quibuſdam exemplaribus eſt*, ἥμαρτον σφόδρα ποιήσας τὸ ῥῆμα τοῦτο. (g) Videntem.] *Complutenſ. addit*, David. *ut vulgata.* (h) Elige tibi fieri, ſi veniat.] *Sic demantur illa*, elige tibi fieri; *quæ abſunt ab hebræo, reliqua conſtructio optime reſpondet hebræo. Complut.* ἔκλεξαι σεαυτῷ γενέσθαι ἢ τρία ἔτη λιμοῦ ἐπὶ τὴν γῆν, elige tibi fieri vel tres annos famis ſuper terram, *&c.* (i) Mortem.] *Interpretatur*, peſtilentiam. (k) Verbum.] *Abeſt a Compl. ſed non ab hebræo, neq; a Theodor.* (l) Et erant dies meſſis frumentorum.] *Abſunt a Compl. & vulg.* (m) Et cepit quaſſatio in populo.] *Etiam iſta.* (n) Revocavit ſe.] παρεκλήθη. *Theodor.*

videtur habuiſſe, μετεμελήθη, pænituit. (*o*) Injuſte egi.] *In aliis ſequitur*, καί γε ἐγώ εἰμι ὁ ποιμὴν ἐκακοποίησα, & ego ipſe paſtor male feci. *Theodoretus vero ſic refert hunc locum*, ἰδοὺ ἐγὼ ἥμαρτον, ϗ ἐγὼ ὁ ποιμὴν ἐκακοποίησα, ϗ οὗτοι τὸ ποίμνιον τί ἐποίησαν; *Et S. Ambroſ. in Apol. David. cap. 7. & 2. Off. c.* 2. Ecce ſum ego, qui peccavi, & ego paſtor malum feci: & ipſe grex quid fecit? *Dictio* paſtor, *abeſt ab hebræo: quam tamen agnoſcunt etiam Cyrillus in collect. & S. Chryſoſt. in pſal.* 140. *& hom.* 20. *ad Rom. qui etiam utroque loco habet*, τὸ ποίμνιον, *non* τὰ πρόβατα. (*p*) Et addidit Salomon ad altare in noviſſimo, quoniam parvum erat in primis.] *Hæc abſunt a Complut. & a vulgata. Referuntur tamen a Theodoreto, qui hinc colligit, ibi fuiſſe templum a Salomone ædificatum. Libet adſcribere Scholium inſertum uni codici Theodoreti manuſcripto pertinens ad librorum diſtinctionem.* Poſt hæc hiſtoriographus ea quæ ad Orniam, vel etiam Adoniam (duo enim habuit nomina) pertinent, conſcripſit: quomodo quidem meditatus ſit tyrannidem: quomodo autem ſplendidum convivium fecerit, primos convivas habens Joab ducem exercitus, & Abiathar ſacerdotem. Fecit autem convivium apud quendam fontem, qui ſcaturiebat ante civitatem, apud quem hortus regius efflorebat. Ita enim & Joſephus dixit. Et Symm. vero ipſum Ain interpretatus eſt, πηγὴν, fontem: atque etiam Syrus ipſam vocat, ἀϊνὰ, Aina. In Hexaplo, & accuratoribus exemplaribus ſecundus quidem liber Regnornm abſolvitur in narratione plagæ populi, & in emptione areæ Orna. Tertius autem Regnorum incipit ab hiſtoria Abiſag Sunamitidis, & ab iis, quæ ad Adoniam, ejuſque tyrannidem ſpectant. Diodorus autem ſecundo Regnorum conjungit & hæc uſque ad mortem David.

REGNORUM. LIB. III.

CAP. I.

(*a*) FOvens regem.] *In commentariis Græcis legitur*, ϗ ἦν τῷ βασιλεῖ σύγκοιτος, & erat cubans ſimul cum rege. (*b*) Prohibuit.] ἀπεκώλευσεν. *Complutenſ.* ἐπετίμησεν, corripuit, *ut vulgata.* (*c*) Pepererat.] *Complut.* ἐγέννησε, genuit: *Sed illud reſpondet hebræo: ac ſubintelligendum eſt*, Aggith. *Multæ aliæ ſunt varietates hujuſmodi, quas per ſe prudens lector expendet.* (*d*) Rheſi, & filij potentes.] *Vulgata.* Rei, & omne robur exercitus: *ac videtur dictum*, filij potentes, *quemadmodum dicitur*, filij virtutis. *Compl. autem longius ab hebræo*, καὶ οἱ ἑταῖροι αὐτοῦ, οἱ ὄντες δυνατοὶ, & amici ejus, ij qui erant potentes. (*e*) Cum Æthe.] μετὰ αἰθὴ τοῦ ζωελεθί. *Sic etiam habet alius liber. Hebræus*, cum lapide Zoeleth, *licet valeat*, juxta lapidem, *ut vulgata, & ſic alij græci*, παρὰ τὸν λίθον τὸν ζωελεθ. (*f*) Qui erat juxta Rhogel.] *Alij*, ὃς ἦν ἐχόμενος, (*aut*, τὸν ἐχόμενον, *ut Compl.*) τῆς πηγῆς ῥωγὴλ, qui erat vicinus fonti Rhogel, *ut vulgata. In comment. Græcis legitur*, ἐχόμενα ναὶν ῥωγὴλ, *& ad hunc locum apponuntur ea quæ attulimus ad finem præcedentis libri. In quibus cum ita dicatur, quod erat*, τὴν ἀὶν, *Symmachum interpretatum eſſe*, πηγὴν, fontem, *& Syrum*, ἀϊνὰ, *ſatis apparet pro* ναὶν, *legendum* ἀὶν, *& hanc eſſe lectionem lxx.* (*g*) Et omnes robuſtos.] *Sic vulgata quod græce eſt*, ἁδρὸς, *Complut.* τοὺς υἱοὺς τοῦ βασιλέως ϗ πάντας τοὺς ἄνδρας filios regis, & omnes viros. (*h*) Super.] *Non eſt inuſitatum hac notione ſumi*, κατὰ, *pro quo Compl.* ἐπὶ. (*i*) Principes virtutis.] *Id eſt exercitus, & ſic hebræus. Compl. autem*, τὸν ἀρχιστρατηγὸν, principem militiæ. (*k*) Gion.] *Theodoretus. q* 2. *inquit, hunc proprie eſſe Nilum: ſed Siloem quoque ſic ſolitum appellari, aut ironice, quod valde parvus eſſet, aut, quod ipſe etiam ex occultis fontibus, ut Nilus, ſcaturiret.* (*l*) Salomon: & ſedebit.] *Sic plerique vetuſti. In quibuſdam tamen eſt*, καὶ ἀναβήσεσθε ὀπίσω αὐτοῦ, καὶ εἰσελεύσεται, καὶ καθήσεται, *quod vulgata*, Et aſcendetis poſt eum: & veniet, & ſedebit. (*m*) Fiat. Sic] *Aptiſſime ad hebræum, & vulgatam. Complut. autem jungens, ut videtur duas interpretationes*, γένοιτο οὕτως. πιστώσαι ὁ θεὸς τοὺς λόγους τοῦ κυρίου μου τοῦ βασιλέως. οὕτως εἶπε κύριος ὁ θεός σου κύριέ μου βασιλεῦ. καὶ καθὼς ἦν. Fiat ſic. Confirmet Deus verba domini mei regis. Sic dicit Dominus Deus tuus domine mi rex. Et ſicut fuit, *&c.* (*n*) Si non interficiet.] εἰ οὐ θανατώσει. *Complut.* τοῦ μὴ θανατῶσαι, *& vulgata*, quod non interficiat, *hebræus*, ſi interficiet. *Nam ſæpe in illa particula*, ſi, *incluſa eſt vis negandi. Quare paulo poſt in noſtra, & in pleriſque codicibus græcis*, εἰ πεσεῖται, ſi cadet. *Quod in Complut. eſt*, οὐ μὴ πέσῃ, non cadet.

CAP. II.

(*a*) REſpondit.] *Alii*, ἐνετείλατο, præcepit, *ut vulgata.* (*b*) Juſtificationes] δικαιώματα, *videtur eſſe illud, quod in vulgata dicitur*, ceremonias. *Nam & alibi notatum eſt, vocabulo iſto ritus & ceremonias ſignificari. Pro iſto nunc Theodoretus, q.* 3. *habet*, ἀκειβάσματα, *apud quem totus hic locus ſic habet.* ϗ φυλάξεις τὴν φυλακὴν τοῦ θεοῦ ἰσραὴλ, τοῦ πορεύεσθαι ἐνώπιον αὐτοῦ, φυλάσσειν τὴν ὁδὸν αὐτοῦ ϗ τὰ προστάγματα αὐτοῦ, ἀκριβάσματα αὐτοῦ, ϗ τὰ κρίματα αὐτοῦ, ἐντολὰς αὐτοῦ, ϗ τὰ μαρτύρια αὐτοῦ, καθὼς γέγραπται ἐν τῷ νόμῳ μωυσῆ, ὅπως εὐοδωθῇ πάντα ἃ ποιήσεις, ϗ πανταχῇ οὗ ἐὰν ἐπιβλέψῃς ἐκεῖ. Et cuſtodies cuſtodiam Dei Iſrael, ambulando coram eo, cuſtodiendo viam ejus, & conſtitutiones ejus, exquiſita præcepta ejus, & judicia ejus, mandata ejus, & teſtimonia ejus ſicuti ſcriptum eſt in lege Moyſi, ut bene procedant omnia, quæ facies, & quocunque inſpexeris. (*c*) Locutus eſt] *In aliis additur*, περὶ ἐμοῦ, de me, *ut vulgata.* (*d*) Suo dicens] *Alii* αὐτῶν, ϗ ἐν ὅλῃ ψυχῇ αὐτῶν, λέγων, ſuo, & in tota anima ſua dicens. *Iſtud autem*, dicens, *eſt etiam in hebræo, & chaldæo: & nihil facit ad ſententiam, ſed addit tantum aſſeverationem quandam: quare in vulgata omittitur.* (*e*) Et poſuit ſanguines] *Ad verbum ex hebræo, & valet perinde ſe geſſit in pace, atque ita ſanguinem effudit, acſi eſſet bellum. Compl. autem* ἐξεδίκησεν αἷμα, & ultus eſt ſanguinem, *quod referri poſſet ad vindictam ſumptam, dum erat pax, de Aſael, qui occiſus fuerat in bello.* (*f*) Salomon.] *In hebræo, & chaldæo eſt* Abſalom, *ſed in vulgata*, Salomonem. (*g*) Banæu.] τοῦ βαναίου, *ita etiam extremo fere capite & in ſequenti*, ἀζαρίου, & ὀρνίου, *ſervata nimirum terminatione hebræa quæ in omnibus caſibus eadem eſt. In aliis libris, & ſæpe etiam in ipſo Vaticano, legitur inflexum ad normam linguæ græcæ*, τοῦ βαναίαν. (*h*) Sanguinem eorum.] *Abſunt a Compl. & a vulgata.* (*i*) In deſerto.] *Abeſt a Compl. ſed non a vulgata, & hebræo.* (*k*) Et regnum dirigebatur in Hieruſalem.] *Item iſta a Complutenſi & vulgata, & videri poſſunt reſpondere iis quæ initio capitis.* 3. *in vulgata*, confirmatum eſt igitur regnum in manu Salomonis. (*l*) Et Salomon.] *Pro his uſque in finem in Compl. ut in vulgata, ſequitur narratio de cæde Semei, quæ in cæteris græcis codicibus habetur cap. ſequenti. Theodoretus autem quo loco habuerit, dubium eſſe poteſt. Et in his, quæ ſequuntur, multis modis ordo diſcrepat.*

CAP. III.

(*a*) ET multiplicata eſt.] *Hæc agnoſcuntur hoc loco etiam a Theodoreto, quæſt.* 10. *In Complutenſi longe aliter habent. Itemque multa alia in his capitibus: atque ita, ut reſpondeant hebræo. in cæteris etiam libris neque eadem prorſus verba, neque idem ſemper ordo. Sed infinitum eſſet omnes varietates indicare. Lector ſuam diligentiam præſtet neceſſe eſt. Principium quidem capitis in Complutenſi & vulgata habetur in extremo quarto capite.* (*b*) Et fuerant Salomon.] *Hinc uſque ad illud*, verumtamen populus erant adolentes. *abſunt hoc loco, ut a vulgata, ita etiam a Complut. in qua etiam non eſt*, πλὴν ὁ λαὸς, *ſed*, ϗ ὁ λαὸς, & populus. *Cæterum multa ex his partim in præcedente cap. apud illas habentur, partim in ſequentibus.* (*c*) Arcem propugnaculum.] *In aliis* τὴν ἄκραν, ϗ τὰς ἐπάλξεις αὐτῆς, ϗ διέκοψε τὴν πόλιν δαυὶδ, arcem, & propugnacula ejus, & abſcidit civitatem David. (*d*) Morieris.] *In aliis adduntur hæc, quæ ſunt etiam in Complut. & vulgata. cap. ſecundo*, ϗ εἶπάς μοι, ἀγαθὸν τὸ ῥῆμα, ὃ ἤκουσα, & dixiſti mihi, bonum eſt verbum quod audivi. (*e*) Gaudentes.] χαίροντες. *Et ſic etiam Complut. cap.* 4 *ubi hæc habet una cum vulgata. Nonnulli libri*, ἑορτάζοντες, feſtivitatem celebrantes, *ut paulo poſt in hoc eodem cap.* (*f*) Regnis.] *Sic etiam alius liber. In aliis ſequitur*, ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ γῆς φυλιστιαίων, ϗ ἕως ὁρίου αἰγύπτου, *& ſic Complut. cap.* 4. *quod in vulgata eſt*, a flumine terræ Philiſtiim uſque ad terminum Ægypti. *Similia habentur paulo poſt etiam in noſtra.* (*g*) Prandium.] *In aliis additur*, ϗ ταῦτα τὰ δέοντα τῷ σολομῶντι ἐν ἡμέρᾳ μιᾷ. Et hæc neceſſaria Salomoni in die una. *Iſtud quidem.* in die una, *eſt etiam in Complut. & vulgata cap.* 4. (*h*) Et hi erant principes.] *Hæc uſque ad illud.* Et erant Salomon quadraginta mille, *abſunt a nonnullis: neque mendis carent, & de hac re agitur cap.* 4. *Omnino multis modis conſtat aliqua eſſe admiſta ex aliis interpretationibus, & nonnunquam ex margine in textum irrepſiſſe, & alieno etiam loco eſſe collocata. Hanc tamen narrationem de præfectis Salomonis Theodoretus, quæſt.* 11. *videtur hoc loco habuiſſe: ſed hujus tantum partis mentionem facit.* ἀχικὰμ υἱὸς θαραῦ ἐπὶ τὰς ἄρσεις. Achicam filius Tharai ſuper onera: *ac docet fuiſſe præfectum eorum, qui lapides & ligna aſportabant: quos liber Paralipomenon vocavit*, νωτοφόρους, *homines autem ſui temporis vocarent*, ὠμοφόρους, *quaſi*, humero portantes. (*i*) Magnam Millenariam holocauſtoſim obtulit Salomon.] *Melius, quam quod apud Theodoretum, q.* 12. ϗ μεγάλη χιλίαν ὁλοκαύτωσιν δεχομένη, ϗ ἀνήνεγκε σολομῶν & magnum mille holocauſtorum capax. Et obtulit Salomon, &c. (*k*) Tibi.] *Nec plura refert Theodoretus. In Compl. additur* ϗ δώσω σοι, & dabo tibi. *Vulgata*, poſtula quod vis ut dem tibi. (*l*) Dediſti.] *Sic etiam Theodoretus. Compl. autem*, ἐβασίλευσας, *quod vulgata*, regnare feciſti. (*m*) Numerabitur.] *Apud Theodoretum, & in Complut. additur*, ἀπὸ τοῦ πλήθους, ϗ οὐ διηγηθήσεται, præ multitudine, & non ſupputabitur. (*n*) Multiplicabo.] *Idem*, μακρυνῶ, longos faciam, *ut vulgata.* (*o*) Magnum ſibi, &c.] *Abſunt a Complut, & hebræo. Vulgata tamen*, grande convivium. (*p*) Peperimus.] *Complut.* ἔτεκον, peperi. (*q*) Meis.] *In eadem additur*, ϗ ἡ δούλη σου ἐκοιμᾶτο, & ancilla tua dormiebat. (*r*) Mortuus.] *Item hæc*, καὶ αὐτὴ εἶπεν. οὐχὶ, ὁ υἱός σου ὁ τεθνηκὼς, καὶ ὁ υἱός μου ζῶν. Et illa dixit: nequaquam: filius tuus eſt, qui mortuus; & filius meus, qui vivit.

CAP. IV.

(*a*) SAdoc.] *Complut. & alii addunt*, ὁ ἱερεὺς, Sacerdos. *Sed melius vulgata.* Sacerdotis. (*b*) Filius Seba.] *In aliis* υἱοὶ σεισὰ, filii Siſa: *quod reſpondet vulgatæ.* (*c*) Ornia.] *Alii*, Azarias, *ut vulgata.* (*d*) Et Eliac œconomus.] *Abſunt iſta a multis: a Complutenſi autem etiam illa, quæ ſequuntur*, & Eliab filius Saph ſuper familiam, *quemadmodum & a vulgata.* (*i*) Been filius Or.] *Complutenſ. habet tantum*, Benor: *vulgata tantum* Benhur. *Nam* Ben, & filius, *idem videntur valere. Multa ſemper hujuſmodi in his propriis nominibus eveniunt.* (*f*) Unus.] εἷς. *In aliquibus*, ἱς.

A Complut. abeſt & hic, & in ſequentibus (quemadmodum etiam in vulgata) præterquam uno loco, qui indicabitur. (*g*) Galaad.] *In Complut. ſequitur,* τοῦτο ἦσαν πόλεις ἰαὴρ υἱοῦ μανασσῆ ἐν γαλαάδ, τούτῳ σχοίνισμα ἀργὼβ, hujus erant civitates Jair filii Manaſſe, huic funiculus Argob, &c. *quod fere reſpondet vulgatæ.* (*h*) Unus.] *Hic in aliis collocatur Joſaphat ante Semei.* (*i*) Et Naſeph unus.] *Alii,* νασὴβ, *vel* νασὶβ, *& ſignificat præfectum: quare hic etiam in Complut. additur,* εἷς. *Eſt enim ſenſus:* & præfectus in terra Juda unus. (*k*) Et præbebant.] *Hic locus in Complut multis interjectis, quæ in noſtra habentur cap. præcedenti, ſic habet,* καὶ ἐχορήγουν οἱ καθεσταμένοι οὗτοι τῷ βασιλεῖ σολομῶντι κατὰ πάντα τὰ διηγγελμένα, & præbebant præfecti hi regi Salomoni juxta omnia quæ mandata erant. (*l*) Et hæc erant neceſſaria.] *uſque ad illud:* Et dedit Dominus, *quæ habita ſunt etiam capite ſuperiore, hoc loco abſunt ab aliis. Habentur tamen ſed cum aliqua varietate in Complut. ut in vulgata.* (*m*) Electas, ſaginata.] *Supra dictum eſt,* καὶ ὀρνίθων ἐκλεκτῶν νομάδων, & aves electas paſcuales. *Quomodo fere nunc Complut. Vulgata autem,* atque bubalorum, & avium altilium. (*n*) Antiquorum.] *Vulgata,* Orientalium. (*o*) Abundavit Salomon.] ἐπληθύνθη σαλωμών. *Alii addunt,* σοφία σαλωμὼν, multiplicata eſt ſapientia Salomon. (*p*) Gæthan.] *Theodoretus q. 16. mentionem facit,* ἐχὰμ, *&* αἰμὰν, *quæ nomina eodem modo habentur in Compl.* (*q*) Et ab omnibus regibus. *In aliis,* καὶ ἐλάμβανε δῶρα παρὰ πάντων (*abeſt,* πάντων *a compl.*) τῶν βασιλέων & accipiebat dona ab omnibus regibus. (*r*) Eas Pharao, meſſiones.] *Sic etiam Theodor. q. 18. Compl. cap. 9. habet,* αὐτὴν, eam. *Theodor. ita explicat,* ἃς εἷλε πόλεις, προῖκα αὐτῇ δέδωκε τῷ σαλωμῶντι κατεγγυήσας, quas cepit urbes, dotem ei dedit, cum Salomoni eam deſpondiſſet. *Verum de toto hoc Pharaonis loco ſic ſcribitur in ſcholio.* τοῦτο ἐν τῷ ἑξαπλῷ μετὰ πᾶσαν τοῦ ναοῦ τὴν οἰκοδομὴν κεῖται, καὶ μετὰ τὴν προσευχὴν τοῦ σαλωμὼν, καὶ τὴν τοῦ θεοῦ πρὸς αὐτὸν ἐπιφάνειαν. Hoc in hexaplo ponitur poſt univerſam templi ædificationem, & poſt orationem Salomonis, & Dei ad ipſum apparitionem: quemadmodum & eo loco notatum invenies.

CAP. V.

(*a*) AD ungendum.] *Ita etiam Theodoretus 19. ubi hunc locum diligenter explicat. In ſcholio autem hæc notantur.* In quibuſdam exemplaribus habetur, καὶ ἀπέστειλε χειρὰμ βασιλεὺς τύρου τοὺς παῖδας αὐτοῦ πρὸς σαλωμών. (*al.* σολομῶντα) ἤκουσε γὰρ ὅτι αὐτὸν ἔχρισαν εἰς βασιλέα ἀντὶ δαυὶδ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ. φίλος γὰρ ἦν χειρὰμ τῷ δαυὶδ πάσας τὰς ἡμέρας. ἀπέστειλεν οὖν σαλωμὼν πρὸς χειράμ. καὶ τὰ ἑξῆς. *Quæ in vulgata.* Miſit quoque Hiram rex Tyri ſervos ſuos ad Salomonem: audivit enim quod ipſum unxiſſent regem pro patre ejus: quia amicus fuerat Hiram David omni tempore. Miſit autem Salomon ad Hiram, &c. (*b*) Peccatum malum. *In aliis eſt,* ἀπάντημα πονηρὸν, *quod in vulgata,* occurſus malus. (*c*) Servitii tui.] *Complutenſis,* τῶν δούλων σου, ſervorum tuorum.. (*d*) Rates.] σχεδίας: *& ſubintelligitur, ut etiam in hebræo,* εἰς, in ratibus: *quod exprimit Complut. ſic Geneſ. 6.* nidos facies arcam, *pro,* in arca. (*f*) Et Machir.] *Etiam Theodoretus quæſt. 20. in codicibus collatis habet,* μαχεὶρ, *ſed ſine copula, &. ac putat ſignificare menſuram. Interpres habet* Maclet: *quod ſatis convenit cum dictione hebræa: quam tamen volunt ſignificare non menſuram, ſed cibum. In aliis autem codicibus eſt* μαχὴλ, *in Complut.* μαχάλ. (*g*) Bæth.] *Theodoretus.* Iſtud autem, βὲθ, alii interpretati ſunt βάτον (al. βάδον.) Batus autem menſura eſt Palæſtina continens ſeptuaginta ſextarios, & quatuor congios ſicut dixit Joſephus. (*h*) Præfecti, facientes opera.] ἐπιστάται οἱ ποιοῦντες τὰ ἔργα, *ut verbum,* ποιεῖν, *videatur dictum de iis qui opus faciendum curant. Complut.* ἐπιστάται τοῦ λαοῦ τῶν ποιούντων τὰ ἔργα, *quod vulgata,* præcipientium populo, & eis qui faciebant opus. *Atque ita etiam in noſtra cap. 3. ubi hoc idem repetitur. Quod vero ad numerum pertinet, etiam ibi eſt,* ter mille, & ſexcenti. *Sed in Complutenſi & vulgata hic,* ter mille, & trecenti. *In quibus etiam ſequuntur nonnulla, quæ in noſtra, & in aliis ponuntur non longe ab initio ſequentis capitis: ubi etiam videtur habuiſſe Theodoretus.* (*i*) Tribus annis.] τρία ἔτη. *Theodoretus quæſt. 21.* τρισὶν ἔτεσιν εἰς τὴν οἰκοδομὴν τοῦ οἴκου, tribus annis ad ædificationem domus. *Complutenſ. habet tantum,* τοῦ οἰκοδομῆσαι τὸν οἶκον, ad ædificandam domum, *ut vulgata.*

CAP. VI.

(*a*) QUadrageſimo.] *Complutenſ.* ὀγδοηκοστῷ, octogeſimo, *ut vulgata.* (*b*) Non dolatos.] ἀπελεκήτοις. *ſic etiam Theodoretus quæſt. 22. ubi hunc locum tractat. In Complut. in extremo ſuperiore capite, ubi hæc habet, ſic legitur,* καὶ λίθοις πελεκητοὺς, καὶ ἐπελέκησαν οἱ δοῦλοι σαλομῶντος, καὶ οἱ δοῦλοι χειρὰμ, καὶ οἱ γίβλιοι, καὶ ἡτοίμασαν, & lapides dolatos: & dolaverunt ſervi Solomonis, & ſervi Chiram, & Giblii, &c. (*c*) In anno quarto.] *Hæc uſque ad illud,* & domus, *in Complut. leguntur in extremo hoc capite, ut in vulgata.* (*d*) Et ſecundo menſe.] *Ab aliquo libro abeſt illud* &, καὶ. *A Complut. autem totum iſtud, ut etiam a vulgata.* (*e*) In omni ratione ejus, & in omni conſtitutione ejus.] *Complut.* κατὰ πάντας τοὺς λόγους αὐτοῦ, καὶ κατὰ πάντα τὰ κρίματα αὐτοῦ, ſecundum omnia verba ejus (*id eſt, res ad illam pertinentes: eſt enim hebraiſmus*) & ſecundum omnia judicia ejus. (*f*) Quadraginta.] *Sic etiam Theodoretus, & de hac re accurate diſputat. Verum in Scholio hæc leguntur.* ἐν τισι μὲν τῶν ἀντιγράφων τεσσαράκοντα κεῖται. ἐν δὲ τῷ ἑξαπλῷ καὶ τοῖς ἀκριβεστέροις ἑξήκοντα. τοῦ δὲ ὕψους ἔνια μὲν εἰκοσιπέντε πήχεις ἔχει· τὸ δὲ ἑξαπλοῦν τριάκοντα. In quibuſdam quidem exemplaribus poſitum eſt, τεσσαράκοντα, quadraginta: ſed in Hexaplo, et accuratioribus, ἑξήκοντα, ſexaginta. Altitudinis autem quædam quidem habent vigintiquinque cubitos, Hexaplum autem triginta. *Compl. convenit cum Hexaplo.* (*g*) Ælam.] *Theodoretus,* ἐλὰμ, *& inquit ſignificare,* προπύλαιον, veſtibulum. (*h*) Domus.] *In Complut. adduntur verba iſta, quæ ſunt in aliis etiam libris, & a Theodoreto agnoſcuntur, & reſpondent vulgatæ.* καὶ δέκα ἐν πήχει (*al.* πήχεις) τὸ πλάτος αὐτοῦ κατὰ πρόσωπον, et decem in cubito latitudo ejus ſecundum faciem, &c. (*i*) Oblique proſpicientes.] *Vulgata etiam,* obliquas. *Alii ex hebræo,* proſpectivas. *Theodoretus,* δικτυωτάς. *Complut.* δεδικτυωμένας, reticulatas, cancellatas. *Interpretatur, Theodoretus, latas intrinſecus, extrinſecus anguſtas, perforatis lapidibus ornatas. Aliqui tamen ex hebræo vertunt, latas extrinſecus, intrinſecus anguſtas.* (*k*) Melathra.] *Theodoretus docet ſic eſſe appellatas domunculas ædificatas in circuitu templi. Alii interpretantur* trabes: *vulgata,* tabulata. *Omnino eſt communius quiddam ſignificans* appendicem: *quare in ſequenti capite ſignificat* epiſtylium. (*l*) Dabir.] *Theodoretus interpretatur Sancta Sanctorum. Alii* oraculum, *ut vulgata.* (*m*) Latus, quod ſubter.] *In aliis eſt,* καὶ ἐποίησε πλευρὰς κυκλόθεν (*aut,* κύκλῳ, *ut Complut.*) ἡ πλευρὰ ἡ ὑποκάτω, & fecit latera, ac tabulata in circuitu. Latus, quod ſubter, &c. *De quo loco diſputans Theodoretus hæc ſcribit, quæ viſum eſt apponere, quando interpres mutilato codice uſus eſt.* Admiretur autem nemo, ſi Epipeda quidem (*id eſt, domunculæ unicam contignationem habentes*) erant quinque cubitorum; quæ autem duas contignationes, ſex cubitorum; quæ autem tres, ſeptem cubitorum. Parietes enim inferne latiores erant, ut ferrent pondus ædificii. Dempta autem ſecundum partem parietibus latitudine, additus eſt iis quidem, quæ duas contignationes haberent, unus cubitus, iis autem, quæ tres, duo cubiti, (*n*) Domui in circuitu.] *Theodoretus,* τῷ τοίχῳ κυκλόθεν τοῦ οἴκου, parieti in circuitu domus. *Hic autem locus varie vertitur ex hebræo.* (*o*) Ex rupe exciſis, illaboratis.] ἀκροτόμοις, ἀργοῖς. *S. Hieronymus, in cap. 3. Amos,* ἀκρότομον, *interpretatur petram duriſſimam, quam nos latine dicere ſilicem poſſumus: & in Pſal. 113.* rupem in fontes, *ubi græce,* ἀκρότομον εἰς τὰς πηγάς. *Et hic etiam repetit Theodoretus templum fuiſſe conſtructum ex lapidibus ſponte natis: eos autem, qui ſecandi & dolandi erant ad appendices templi conſtruendos, in monte ipſo aptatos fuiſſe. Quare nonnulli dictiones hebræas interpretantur,* ex integris lapidibus, ut allati erant. *Complutenſ. habet,* λίθοις ὁλοκλήροις ἀκροτόμοις, *& interpretatur,* Lapidibus integris dolatis. (*p*) Sub humero] *Complutenſ.* ἐπὶ τὴν ὠμίαν, ad humerum. (*q*) Ligamenta.] ἐνδέσμοις. *Theodoretus interpretatur,* ἱμαντηρίας, contignationes, *Vulgata hoc loco,* tabulatum (*r*) Concluſit colligaturam.] συνέχε τὸν σύνδεσμον. *Complutenſ. retinet idem nomen quod ſupra,* τοὺς ἐνδέσμους, *ſed pro,* συνέχε, *habet,* συνέχεεν, confundebat: *quod non convenit.* (*ſ*) Et ædificavit.] *In ſcholio inſerto uni codici quæſtionum Theodoreti hæc leguntur:* Sciendum eſt ante hæc verba legi in Hexaplo & accuratis exemplaribus etiam hæc, καὶ ἐγένετο λόγος κυρίου πρὸς σολομὼν (*Complut.* σολομῶντα) λέγων. ὁ οἶκος οὗτος ὃν σὺ οἰκοδομεῖς, ἐὰν ὁδεύῃς τοῖς (*Complut.* ὁδεύσῃς ἐν τοῖς) προστάγμασί μου, καὶ τὰ κρίματά μου ποιῇς, καὶ φυλάσσῃς πάσας τὰς ἐντολάς μου, ἀναστρέφεσθαι ἐν αὐταῖς, στήσω τὸν λόγον μου σὺν σοὶ (*Complut.* μετὰ σοῦ. *ab aliis abeſt*) ὃν ἐλάλησα πρὸς δαυὶδ τὸν πατέρα σου, καὶ κατασκηνώσω ἐν μέσῳ υἱῶν ἰσραὴλ, καὶ οὐκ ἐγκαταλείψω (*Complut.* οὐ καταλείψω) τὸν λαόν μου ἰσραήλ, Et factum eſt verbum Domini ad Salomon, dicens; Domus hæc, quam tu ædificas, ſi ambulaveris in decretis meis, & judicia mea feceris, & cuſtodieris omnia mandata mea, converſando in eis, firmabo verbum meum tecum, quod loquutus ſum ad David patrem tuum: & inhabitabo in medio filiorum Iſrael: & non derelinquam populum meum Iſrael.] ἔν τισι μέντοι τῶν ἀντιγράφων ταῦτα οὐ κεῖται. καὶ ἐγένετο λόγος. καὶ τὰ ἑξῆς. οἷς οἶμαι καὶ Θεοδώρητον ἀκολουθοῦντα, ταῦτα μὴ τεθεικέναι. In quibuſdam vero exemplaribus hæc non habentur: quæ quidem exemplaria ſecutum Theodoretum puto hæc non poſuiſſe. *Habentur tamen in pleriſque libris, & reſpondent vulgatæ.* (*t*) A ſummo muri latus unum.] *Ita etiam Theodoretus. Complut.* ἀπ' ἄκρου τοῦ οἴκου τῶν πλευρῶν τῶν κεδρίνων, ab extremo domus laterum cedrinorum. *Vulgata,* tabulata cedrina. (*u*) Et fecit e Dabir in Sanctum Sanctorum.] *Hoc videtur ſignificare, fecit, ut locus ille, conſtans viginti cubitis, qui vocatur Dabir, eſſet Sanctum Sanctorum. Complut.* καὶ ἐποίησεν αὐτὸν ἔσωθεν ἐκ τοῦ δαβὶρ εἰς τὸ ἅγιον τῶν ἁγίων, & fecit eum intrinſecus e Dabir in Sanctum Sanctorum. *Alii,* καὶ ἐποίησεν αὐτῷ ἔσωθεν, Et fecit ſibi intus: *quod valde reſpondet hebræo. Theodoretus,* καὶ ἐποίησεν ἕως τοῦ δαβεὶρ τὸν τοῖχον, εἰς τὰ ἅγια τῶν ἁγίων, & fecit uſque ad Dabir parietem, ad Sancta Sanctorum. (*x*) Et quadraginta cubitorum. *Eodem fere modo habet hic locus apud Theodoretum. Sed in ſcholio inſerto hæc adnotantur. LXX.* καὶ τεσσαράκοντα πηχῶν ἦν ὁ οἶκος, αὐτὸς ὁ ναὸς ὁ ἐσώτατος, καὶ διὰ κέδρου πρὸς τὸν οἶκον ἔσω πλοκῆς ἐπαναστάσης καὶ πέταλα, καὶ ἀνάγλυφα πάντα κέδρινα, οὐκ ἐφαίνετο λίθος κατὰ πρόσωπον τοῦ δαβὶρ, ἐν μέσῳ τοῦ οἴκου ἔσωθεν ἡτοίμασε δοῦναι ἐκεῖ τὴν κιβωτὸν τῆς διαθήκης κυρίου, καὶ εἰς πρόσωπον τοῦ δαβὶρ εἴκοσι πήχεις μῆκος. καὶ τὰ ἑξῆς. Et quadraginta cubitorum erat domus (ipſa eſt templum intimum) & per cedrum ad domum intrinſecus textura inſurgente, & laminæ, & cælaturæ prominentes, omnia cedrina, non apparebat lapis: ad faciem ipſius Dabir in medio domus intrinſecus paravit ad dandum ibi arcam teſtamenti domini: & ad faciem Dabir viginti cubiti longitudo, &c. Aquila, & Theodotio, καὶ τεσσαράκοντα πηχῶν ἦν ὁ οἶκος, αὐτὸς ὁ ναὸς τῇ εὐχολίᾳ, καὶ κέδρου πρὸς τὸν οἶκον ἔνδον διατετορευμένα ξυστωτὰ, καὶ περίγλυφα ἐκπέπτοντα, τὰ πάντα κέδρου, οὐκ ἦν λίθος βλεπόμενος. καὶ χρηματιστήριον ἐν μέσῳ τοῦ οἴκου ἔνδοθεν ἡτοίμασε τοῦ δοθῆναι ἐκεῖ γλωσσόκομον συνθήκης κυρίου. καὶ εἰς πρόσωπον τοῦ χρηματιστηρίου εἴκοσι πηχῶν μῆκος, καὶ εἴκοσι πηχῶν πλάτος, καὶ εἴκοσι πηχῶν ἀνάστημα αὐτοῦ. καὶ περιέπλισεν αὐτὸ χρυσίῳ ἀποκλειστῷ Et quadraginta cubitorum erat domus (ipſa eſt templum bonæ vacationi) & ex credo ad domum intrinſecus ſculpturæ torno factæ, & cælaturæ prominentes, omnia ex cedro: non cernebatur lapis. Et oraculum in medio domus intus paravit ad dandum ibi arcam fœderis Domini. Et ad faciem oraculi viginti cubitorum longitudo, & viginti cubitorum latitudo, & viginti cubitorum ſtatura ipſius: & circumplaſmavit illud auro concluſo. *Quod autem pertinet ad lectionem LXX. in illis,* ipſa eſt templum intimum, *valde ſuſpicamur de mendo: niſi intelligatur intimum præ atrio ipſo. Compl (in qua hæc habentur, licet non iiſdem omnino verbis) hoc loco habet,* καὶ τεσσαράκοντα πηχέων ἦν αὐτὸς ὁ ναὸς κατὰ πρόσωπον τοῦ δαβὴρ, & quadraginta cubitorum erat ipſum templum ad faciem Dabir, *quod in vulgata eſt,* præ foribus oraculi: *& ita fere chaldæus: hebræus autem,* ad facies meas, *& nonnulli interpretantur,* exterius, quod eſt ante oraculum. *Item illud,* ad faciem ipſius Dabir in medio domus, *videtur idem valere, ac ſi diceretur,* faciem ipſius Dabir: *itemq; illud quod paulo poſt,* & ad faciem oraculi viginti cubitorũ. *Compl quidẽ hoc ſecundũ non habet, quod tamen eſt in hebræo, habet vero illud prius,* καὶ τὸ δαβὶρ ἐν μέσῳ & ipſũ Dabir in medio, &c. (*y*) Duo Cherubim.] *Alii codd. addunt,* ξύλων κυπαρισσίνων, ex lignis cupreſſinis.

Vulgata, olivarum. (z) Palmas.] *In Compl. additur*, καὶ διαπεπταμένα πέταλα, & expanſas laminas. (aa) Ex lignis juniperinis, porticus quadrupliciter.] *In aliis*, καὶ φλιὰς πενταπλᾶς, καὶ δύο θύρας ξύλων πευκίνων, καὶ ἐγκόλαπτα ἐπ᾽ αὐτῶν ἐγκεκολαμμένα χερουβεὶν, καὶ φοίνικας, καὶ πέταλα διαπεπτασμένα, καὶ περιέχε χρυσίῳ, καὶ κατέβαινεν ἐπὶ τὰ χερουβεὶν, καὶ ἐπὶ τοὺς φοίνικας τὸ χρυσίον. καὶ οὕτως ἐποίησε τῷ πυλῶνι τοῦ ναοῦ. φλιαὶ ξύλων ἀρκεύθου (*Compl.* ἐκ ξύλων ἀρκεύθου) στοαὶ τετραπλῶς. Et limina quintuplicia, & duas portas ex lignis abiegnis, & ſculpturas inſculptas ſuper eas, & palmas, & laminas expanſas. Et circundedit auro: & deſcendebat ſuper Cherubim & ſuper palmas aurum. Et ſic fecit veſtibulo templi: limina de lignis juniperi, porticus quadrupliciter. *Quæ ſatis reſpondent vulgatæ: ſed ea habet*, lignis olivarum. (bb) Non dolatorum] *Rurſus Compl.* διὰ πελεκητῶν, *quod vulgata*, politorum. (cc) Et ædificavit velamen atrii ipſius Ælam domus, quæ ad faciem templi.] *Hæc in aliis codicibus leguntur cum aliqua varietate. Abſunt autem a Compl. ut a vulgata: & pro his habentur ea quæ ad annum ædificationis pertinent, & in noſtra ſunt ad initium hujus capitis.*

CAP. VII.

(a) ET miſit.] *Ante hæc in Complut. & vulgata ponuntur, quæ ad ædificationem domus Salomonis, & uxoris, pertinent. In noſtra autem & cæteris græcis habentur in extremo capite: quo etiam loco agnoſcuntur a Theodoreto.* (b) Et perimetrum quatuordecim cubiti circundabant eam, craſſitiem columnæ, quatuor digitorum cavitates] *In Complut. tantum eſt*, ϗ τὸ περίμετρον δύο, ϗ δέκα πηχέων σπαρτίον ἐκύκλου αὐτὸν, & perimetrum duodecim cubitorum filum ambiebat eam. *Et ſatis reſpondet vulgatæ, niſi quod*, περίμετρον, *&*, σπαρτίον *duæ videntur interpretationes & alterutrum ſatis eſt. Theodoretus & ipſe habet circuitum quatuordecim cubitorum.* (c) Additamenta.] ἐπιθέματα, *quæ in vulgata ſunt* capitella: *alii dicunt* coronamenta. (d) Fuſilia.] *Complutenſis addit*, χαλκᾶ, *& vulgata*, fuſilia ex ære. (e) Duo.] *Abeſt a Complutenſ. & vulgata.* (f) Et rete additamento uni, & rete additamento ſecundo, & opus penſile.] *Complutenſ.* ἑπτὰ τῷ ἐπιθέματι τῷ ἑνὶ, ϗ ἑπτὰ τῷ ἐπιθέματι τῷ δευτέρῳ, ἔργον κρεμαστὸν, ſeptem capitello uni, & ſeptem capitello ſecundo, opus penſile (g) Et ſuper capita.] *In aliis*, ϗ ἐπιθέματα ἐπὶ τῶν κεφαλῶν, & capitella ſuper capita. *Verum hæc omnia in codicibus varie ſunt poſita, coagmentata, repetita, mutilata. In Complutenſ. quidem ita ſunt aptata, ut ſatis reſpondeant vulgatæ.* (h) Additamentum melathron craſſitiei.] *Theodoretus*: Melathron vocavit, quod nunc aliqui vocant epiſtylion. Hoc autem oſtendit etiam hiſtoria, dicens, ἐπίθεμα τὸ μέλαθρον ἐπ᾽ ἀμφοτέρων τῶν στύλων, additamentum Melathron ſuper utraſque columnas: *& in uno codice additur*, πάχει, craſſitiei. *Complutenſ. autem pro his*, Melathrum craſſitiei, *habet iſta*, ϗ τῶν ῥοῶν διακόσιοι στίχοι, ἐπὶ τοῦ κεφαλίδος τοῦ δευτέρας & malogranatorum ducenti ordines ſuper capitellum ſecundum. (i) Mare.] *Alii addunt*, χυτὴν, fuſile. (k) Et reſticula tres, & triginta in cubito.] ϗ συνηγμένη τρεῖς, ϗ τριάκοντα ἐν πήχει. *Alii habent tantum*, τριάκοντα, triginta, *& addunt*, ἐκύκλουν αὐτὴν: *quod vulgata*, triginta cubitorum cingebant illud per circuitum. *Ita etiam Complutenſ. niſi quod habet*, συνηγμένα. *Interpres. Theodoreti habuit & ipſe* triginta. *Sed in codicibus emendatioribus legitur, ut in noſtra: atque ita apud eum eſſe legendum, explanatio oſtendit.* Et enim habebat quidem (*inquit*) ſpeciem hemiſphærii, decem cubitos diametrum, tres autem & triginta cubitos habebat ambitus. Quoniam palmi menſuram habebat craſſities, duobus autem palmis, eo inquam, qui hinc, & illo, qui inde, conjunctis cum diametri menſura, inveniuntur undecim cubiti: hi autem triplicati faciunt triginta tres. (l) Et labium ejus.] *In aliis hæc habentur paulo poſt: hoc autem loco alia in aliis: in Complutenſ. quidem quod ex parte reſpondet hebræo*, δύο στίχοι ὑποστηριγμάτων χυτῶν ἐν τῷ χωνευτηρίῳ αὐτῶν, duo ordines fulcimentorum fuſilium in fuſorio eorum. (m) Germen lilii.] *Complutenſ.* βλαστῶν κρίνον, δύο χιλιάδας χοεῖς ἐχώρει, germinans lilium, bis mille batos capiebat. (n) Ad domum.] *Alii*, εἰς τὸν τοῖχον, ad murum: *Complutenſ.* εἰς τὸ ἔνδον, ad intus: *quod reſpondet vulgatæ.* (o) Mechonoth.] *Theodoretus.* Ipſas Mechonoth Paralipomenon liber dixit, λουτῆρα, luterem, & lavacrum, Joſephus autem baſes dixit eſſe Mechonoth, τοὺς ὑ τροσαύλους, luteres impoſitos baſibus. *Alius autem Theodoreti codex habet*, χυτροσαύλους, *ſicut & nonnulli codices. Interpres*: Trochaulos. (p) Mechonoth.] *Hic Complutenſ.* μεχωνὰ, *propius ad hebræum, qui hoc modo diſtinguit inter ſingularem, & multitudinis numerum. Quod etiam interdum ſervatur in Cherub, & Cherubim, Ælam, & Ælamim. Sed id perpetuum non eſt.* (q) Luteres.] *In aliis additur*, ϗ ὠμίαι κεχυμέναι ἀπὸ πέραν ἀνδρὸς προσκείμεναι. ϗ τὰ ἑξῆς. & humeruli fuſi a tranſitu viri, (*id eſt*, ex latere uniuſcujuſque, *quæ eſt phraſis notanda*) appoſiti. Et os ejus ab intus capitelli, & ſupra in cubito; & os ejus rotundum, factura ſic cubiti, & dimidii cubiti: & ſuper os ejus tornaturæ, & interraſilia earum quadrangula non rotunda. Et quatuor rotæ ſubter interraſilia. (r) Et tractatio.] ϗ ἡ πραγματεία. *Complutenſ.* πραγματεῖαι. *Videtur eſſe id quod vulgata vertit*, canthi, & modioli, *alii autem*, ſubjugalia, & ligamina. (ſ) Ejus.] *In Complutenſ.* ἀπ᾽ αὐτῆς, *quod in vulgata*, ex ſemetipſa. (t) Chytrocaulos.] *De varietate, quæ in hoc nomine, paulo ante dictum eſt. Vertunt autem*, luteres, *aut*, conchas. (u) Calfactoria.] *Theodoretus*: Appellavit autem, τοὺς θερμαστρεῖς, ipſos θερμαντῆρας, in quibus aquam ſolemus calfacere. (x) Columnarum.] *Complutenſ.* τῶν γλυφῶν, ſculpturarum, *ut paulo poſt etiam in noſtra.* (y) Ipſius Mechonoth] *Abeſt a cæteris.* (z) Domo.] *Sic hebræus, nam ſubintelligendum eſt*, in, *quod in Complutenſ. exprimitur*, ἐν τῷ οἴκῳ. *quæ autem ſequuntur in noſtra, & aliis græcis*, Et columnæ quadraginta & octo domus regis, & domus Domini. Omnia opera regis, quæ fecit Chiram. *Abſunt a Complutenſ. & vulgata* (aa) Accepit.] *Alii*, ἔδωκεν, dedit. *Similis prope varietas & in Pſal.* 67. *Nam quod ibi legitur*, accepiſti dona in hominibus, *B. Paulus Epheſ.* 4. dedit dona hominibus. *Vulgata*, poſuit. (bb) Eparyſtres.] ἐπαρύστρις, *al.* τὰς ἐπαρυστρίδας, *interdum vertunt* hydrias, *interdum* forcipes, *interdum* emunctoria, *interdum* infuſoria. (cc) Sylvæ Libani.] δρυμῷ: *In aliis eſt in generandi caſu*, δρυμοῦ, *itemque apud Theodoretum, apud quem, ut diximus, hujus domus ædificatio hoc loco ponitur, non autem initio capitis, ut in Complutenſ.* (dd) Texuit] *Complutenſ. addit*, κέδρῳ, cedro: *itemque paulo poſt, ad illud*, ordo, *addit, ut etiam fere alii libri*, ὁ στίχος ὁ εἷς, δέκα ϗ πέντε, ordo unus, decem & quinque. *Sed in ſcholio hæc leguntur*: In Hexaplo inquit domum habere quadraginta quinque columnas. *Scriptum eſt enim ſic*, ϗ τριῶν στίχων ξύλων κεδρίνων, ϗ ὠμίαι κέδριναι τοῖς στύλοις, ϗ ἐφάτνωσε τὸν οἶκον ἄνωθεν ἐπὶ τῶν πλευρῶν τῶν στύλων. πέντε ϗ τεσσαράκοντα ὁ στίχος ὁ εἷς. Et trium ordinum lignorum cedrinorum: & humeri cedrini columnis. Et texuit domum deſuper ſuper coſtas columnarum: quinque & quadraginta ordo unus. *Ac ſane Theodoretus, quæſt.* 24. *narrat (ut eſt in manuſcriptis: nam mendoſe apud interpretem) domum habuiſſe centum triginta quinque columnas.* (ee) Capacitas] χώρα. *Solent vertere*, regionem, *& fortaſſe non diſcrepat a vulgata, ut intelligatur iſta ſibi e regione reſpondiſſe. Sunt tamen qui putent feneſtram ſignificari.* (ff) Et quinquaginta.] *In Complutenſ. & apud Theodoretum eſt*, ϗ τριάκοντα πηχέων, & triginta cubitorum, *ut vulgata.* (gg) Ejus, ipſis Ælamin.] *Compl. habet tantum*, αὐτοῖς, eis. (hh) Thronorum.] *Ita etiam Theodoretus: licet aliter interpres. Complutenſ. autem*, τοῦ θρόνου, throni. (ii) Eorum.] *Ita apud eundem. Complutenſ.* ϗ ὁ οἶκος αὐτοῦ, ἐν ᾧ καθήσεται ἐκεῖ, ϗ αὐλὴ μία, & domus ejus, in qua ſedebit illic; & atrium unum. (kk) Intus.] *In Complutenſ. & in melioribus codicibus Theodoreti additur*, ϗ ἔξωθεν, & ab extra. (ll) Non dolatorum.] *Complutenſ.* ϗ ἐπάνωθεν λίθοις τιμίοις κατὰ τὸ αὐτὸ μέτρον πελεκητοῖς, & deſuper lapidibus precioſis ſecundum eandem menſuram dolatis: *itemque paulo poſt*, τρεῖς στίχοι πελεκητῶν, tres ordines dolatorum. *Ac certe ad hujuſmodi ædificia uſum eſſe lapidibus ſectis notat etiam Theodoretus:* (mm) Et conſummavit Salomon totam domum ſuam.] *Pro his in Complutenſ. legitur*, ϗ τῇ αὐλῇ οἴκου κυρίου τὸ ἔσωθεν, ϗ τῷ ἐλὰμ τοῦ οἴκου, Et atrio domus Domini ab intra, & porticui domus.

CAP. VIII.

(a) ET factum eſt, poſtquam conſummavit Salomon ædificare domum Domini, & domum ſuam poſt viginti annos.] *Hæc abſunt a Complutenſ. & vulgata.* (b) Sancta.] *Vulgata*, vectes: *& dictiones hebraicæ, quarum una ſignificat* Sancta, *altera* vectes, *valde ſimiles ſunt.* (c) Extra.] *In Complutenſ. additur*, ϗ ἦσαν ἐκεῖ ἕως τῆς ἡμέρας ταύτης, *quod in vulgata*, & fuerunt ibi uſque in præſentem diem. (d) Poſuit.] *Alii*, ἔθηκεν ἐκεῖ, poſuit ibi. (e) Domum.] *In Complut. hæc adduntur*, κυρίου. τότε εἶπε σολομών· κύριος εἶπεν τοῦ κατασκηνῶσαι ἐν γνόφῳ. ϗ ἐγὼ ᾠκοδόμησα οἶκον τῷ ὀνόματί σου ἅγιόν σοι, ϗ ἕτοιμον, ϗ τῇ καθέδρᾳ σου τοῦ κατασκηνῶσαί σε ἐν αὐτῷ εἰς τοὺς αἰῶνας. Domini. Tunc dixit Salomon: Dominus dixit habitare in caligine. Et ego ædificavi domum nomini tuo ſanctam tibi, & ſtabilem, & ſedi tuæ, ad habitandum te in ea in ſecula. *Quæ ſatis reſpondent vulgatæ. Sed eadem fere ſententia apud LXX inferius ponitur, ut ibi notabitur.* (f) Surrexit.] *Alii*, ἔστη, ſtetit. (g) Ambulanti.] *Complutenſ.* πεπορευμένῳ, qui ambulavit. *Sed vulgata*, ſervis tuis, qui ambulant. (h) A te.] σου. *Et vulgata* de te. *Alii*, σοι, tibi. *Ut etiam cap. ſequenti in noſtra.* (i) Tantum etiam.] πλὴν ϗ, *ſatis prope ad phraſim hebræam, & valet*, quanto magis, *ut vulgata. Complutenſ. autem*, πῶς, quomodo. (k) Deprecationem.] *Alii*, τῆς τέρψεως, ϗ τῆς προσευχῆς, voluptatem, & deprecationem *Complutenſ.* τῆς δεήσεως, ϗ τῆς προσευχῆς, orationem, & deprecationem. (l) Quia.] ὅτι, *Complutenſ.* ὅτε, quando. *Ab hebræo abeſt utrumque. Uſitatum autem eſt iſtud*, ὅτι, *valere*, ſi, *ut paulo poſt*, Quia egredietur, Quia peccabunt: *quo poſteriore loco etiam Complutenſ. habet*, ὅτι, *licet in priore*, ἐὰν δέ. (m) Omnem laborem.] *In aliis eſt*, πάντα πόνον, *quod in noſtra eſt*, πᾶν: *idque ſæpe in codice Vaticano notari poteſt.* (n) Et venient, & deprecabuntur in loco hoc.] *Pro his in Compl. eſt*, ϗ ἥξει ἐκ γῆς μακρόθεν διὰ τὸ ὄνομά σου, διότι ἀκούσονται τὸ ὄνομά σου τὸ μέγα, ϗ τὴν χεῖρά σου τὴν κραταιὰν, ϗ τὸν βραχίονά σου τὸν ὑψηλὸν, ϗ ἥξει, ϗ προσεύξεται εἰς τὸν τόπον τοῦτον: & veniet e terra longinqua propter nomen tuum (quoniam audient nomen tuum magnum, & manum tuam validam, & brachium tuum excelſum) & veniet, & deprecabitur in loco hoc: *quæ reſpondent vulgatæ.* (o) Viam civitatis.] *Valet*, reſpiciens ad civitatem, & ad templum hoc. *Ita enim Theodoretus*, εἰς τοῦτον τὸν ναὸν ἐπιβλέπων. *Item quæ paulo infra*, viam terræ ſuæ. (p) Tuo.] *Complutenſ. addit*, τῆς προσευχῆς αὐτῶν, ϗ δεήσεως αὐτῶν, καὶ ποιήσεις τὸ δικαίωμα αὐτῶν: *quod vulgata*, orationes eorum, & preces eorum, & facies judicium eorum. (q) Tunc loquutus.] *In Scholio notantur hæc uſque ad illud*: Et factum eſt, poſtquam conſummavit, *in Hexaplo apud ſolos LXX haberi. Diximus ſimilem ſententiam non longe ab initio hujus capitis in Complut. & vulgata eſſe. A Theodoreto, quæſt.* 27. *videntur hoc eodem loco, quo in cæteris græcis, agnoſci. Sed pro*, ἐγνώρισεν, *habet*, ἔστησεν, collocavit, *& in aliquo codice pro*, οἰκοδόμησον, *habet*, οἰκοδόμησεν, ædificavit. (r) Hæc ſcripta eſt in libro.] *In Scholio refertur ex LXX* ταῦτα γέγραπται ἐν βιβλίῳ, hæc ſcripta ſunt in libro. *Noſtra lectio eſt etiam Theodoreti, & ſapit hebraiſmum.* (ſ) Neque avertat, inclinando.] *Eſt vis quædam affirmationis in hac phraſi, quæ imitatur hebræum, id eſt*, complectatur nos, inclinando, &c. *Complutenſ.* μηδὲ ἀποστρέψη ἡμᾶς, ἀλλ᾽ ἐπικλῖναι, neque avertat nos, ſed inclinet. (t) Anni.] *Alii*, αὐτοῦ, ejus, *id eſt*, per ſingulos dies, *ut eſt in vulgata.* (u) Et ſancte.] *In aliis eſt*, τὸ ὁσίως, ſancte. (x) Holocauſtoſim.] *Id aliis codicibus additur*, καὶ τὸ δῶρον, *quod vulgata*, & ſacrificium. (y) In domo, quam ædificavit, comedens, & bibens, & lætans coram Domino Deo noſtro ſeptem dies.] *Ita in pleriſque. Compl. habet tantum* ἑπτὰ ἡμέρας, καὶ ἑπτὰ ἡμέρας, τεσσαρεσκαίδεκα ἡμέρας, ſeptem dies, & ſeptem dies, quatuordecim dies: *quod reſpondet vulgatæ, & inventum eſt etiam in uno libro manuſcripto, ſed poſt illa*, in domo, quam ædificavit, comedens, & bibens, & lætans coram Domino Deo noſtro: *quæ etiam manifeſto agnoſcuntur a Theodoreto, quæſt.* 27.

CAP. IX.

(a) APparuerat.] *Compl. addit*, αὐτῷ, ei. (b) Quæ dedit Moyſes.] *Compl.* ἃ ἔδωκα, quæ dedi: *quod reſpondet vulgatæ. Sed Theodoretus quæſt.* 29. *ut hic.* (c) Et domus iſta erit excelſa.] *Ad verbum ex hebræo: ſed valet*

let idem, ac ſi exprimeretur, & domus iſta, quæ eſt excelſa. *Ab aliis, & a Theodoreto abeſt illud*, erit, ἔϛαι, *Compl. autem*, ϗ ὁ οἶκος οὗτος ὁ ὑψηλὸς ἔϛαι εἰς παράδειγμα, & domus hæc excelſa erit in exemplum : *quomodo eſt in vulgata, niſi quod non habet*, excelſa. (*d*) Malum] *Compl.* πᾶσαν τὴν κακίαν ταύτην, omne malum hoc. (*e*) Tunc adduxit.] *Hæc uſque ad illud*, viginti, *abſunt hoc loco a Compl, & vulgata : ſed habentur paulo inferius. Hic autem Compl.* ϗ ἐγένετο μετὰ εἴκοσι, *& vulgata*, expletis autem annis viginti. (*f*) Pro ea re.] *Ita viſum eſt poſſe reddi illud*, ὑπὲρ οὗ : *niſi legendum ſit.* ὑπερῴου, tabulati, *aut alio ſimili modo. In hebræo nihil eſt, quod illi reſpondeat. A Compl. quidem abeſt, & a ſcholio, quod ita habet* : lxx. ϗ ναῦν ἐποίησεν ὁ βασιλεὺς σαλωμὼν ἐν γασιὼν γαβὲρ, τὴν οὖσαν ἐχομένην αἰλὼθ, ἐπὶ τοῦ χείλους τῆς ἐσχάτης θαλάσσης ἐν γῇ ἐδώμ, & quæ ſequuntur. Schol. πρὸ τούτων κεῖται ἐν τῷ ἑξαπλῷ σὺν ἄλλοις τισὶ, ϗ τὰ κατὰ τὸν φαραὼ βασιλέα αἰγύπτου, ὅτι κατελάβετο τὴν γαζὲρ, ϗ ἐνεπύρησεν αὐτὴν, ϗ τὸν χαναναῖον τὸν καθήμενον ἐν τῇ πόλει ἀπέκτεινε, ϗ ἔδωκεν αὐτὴν ἀποστολὰς τῇ θυγατρὶ αὐτοῦ γυναικὶ σαλωμών. ταῦτα δὲ παρὰ Θεοδωρήτῳ καί τισιν ἀντιγράφοις, πρὸ τῆς οἰκοδομῆς τοῦ ναοῦ κεῖται, ὡς ϗ ἐκεῖ σεσημείωται. Ante hæc ponuntur in Hexaplo cum aliis quibuſdam etiam ea quæ ad Pharaonem regem Ægypti pertinent, quia cepit Gazer, & incendit eam, & Chanaæum habitantem in civitate interfecit, & dedit eam miſſiones filiæ ſuæ uxori Salomon. Hæc autem apud Theodoretum, & aliqua exemplaria ponuntur ante ædificationem templi : quemadmodum & ibi notatum eſt, *nimirum cap.* 4. *In Compl. ſunt omnia quæ in vulgata : quare inde peti poterunt. In noſtra quidem & aliis græcis habentur fere omnia, ſed variis locis, præcipue cap ſequenti.* (*g*) Centum viginti.] *In aliis eſt partim*, τετρακόσια, quadringenta, *partim*, τετρακόσια, ϗ εἴκοσι, quadringenta, & viginti, *quod reſpondet vulgatæ.*

CAP. X.

(*a*) ÆNigmatibus.] *Ita etiam vulgata. S. Amb.* 2. *Off. cap.* 10. quæſtionibus. (*b*) Suavitates.] ἡδύσματα, *ac videtur & hic, & alibi ſæpe ſignificare idem atque* ἀρώματα, *quod eſt in Compl.* (*c*) Non fuit verbum deſpectum a rege.] *Id eſt, non fuit res, quæ fugeret viſum, atque intelligentiam regis. Apud S. Amb. ibidem totus hic locus ſic refertur.* Et venit, & omnia loquuta eſt, quæ habebat in corde ſuo : & audivit omnem ſapientiam Salomonis : nec ullum verbum præterivit eam. (*d*) Dimidium, ſicut annunciarant mihi.] *Id eſt, quæ annunciarant mihi, non ſunt dimidium eorum quæ vidi & comperi. Compl.* κατὰ τὸ ἥμισυ, ſecundum medietatem, *eodem ſenſu. S. Amb.* & nunc non eſt nec dimidia quidem pars ſecundum ea quæ annunciabantur mihi. (*e*) Bona ad ea ſuper.] *Compl.* σοφίαν ϗ ἀγαθὰ, ſapientiam, & bona ſuper. *S. Ambr.* Appoſuiſti bona ſuper omnia quæ audivi in terra mea. (*f*) Statuendum.] *Compl. & Theodoretus. q.* 32. τοῦ ϛῆσαι αὐτὸν, ad ſtatuendum eum. (*g*) Eorum.] *Iidem*, αὐτοῦ ejus. *Vulgata ex hebræo*, ut faceres judicium & juſtitiam. (*h*) Dolata.] πελέκητα. *Ita etiam in alio exemplari, & in Complutenſi. In cæteris* ἀπελέκητα, non dolata, *ſicut etiam paulo poſt in noſtra. Theodoretus quæſtione* 34. Quædam ligna vocat ἀπελέκητα, Levia opinor, ϗ ὄζων ἀπηλλαγμένα, & acuminibus libera : Joſephus autem ea dixit, πεύκινα, pinea, minime pineis quæ apud nos ſimilia : ligno enim ficulneo, (συκίνου, quamvis interpres *piceis*) eſſe & albiora, & leviora, & ϛρυφότερα. dixit. *Fortaſſe legendum* ϛρυφνότερα, denſiora, *aut*, acidiora. *Vulgata* thyina. *Alij ex hebræo & Chaldæo vertunt* coralia. (*i*) Uſquam.] *Ita etiam hebræus. Compl. addit* ἔτι, ult a. (*k*) Per manum.] *Id eſt*, ultro, *ut vulgata*, & pro munificentia regia. (*l*) Et mercatorum] *In uno libro ſequitur* τῶν ῥωποπωλῶν, eorum qui res minutas vendunt. (*m*) Trecentas.] *Complut.* διακόσια δόρατα χρυσᾶ ἐλατὰ, ἑξακόσιοι χρυσοῖ, ducentas lanceas aureas ductiles, ſexcenti aurei, *vulgata*, ducenta ſcuta. (*n*) Scuta.] ὅπλα, *quod in Complut.* θυρεοὺς. *Vulgata habet* peltas. *Alii ex hebræo*, clypeos. (*o*) Quæ a Salomon.] τὰ ὑπὲρ τοῦ σαλωμών. *Ita omnes collati codices : magis reſponderet hebræo, & vulgatæ, ſi eſſet*, τὰ ποτοῦ, pertinentia ad potum Salomonis. (*p*) Navibus.] *Etiam vulgata*, claſſibus. *Alii* υἱῶν, filiis, *aut* παίδων, pueris, *ut Compl. quæ etiam omiſit illud quod ſequitur* μία, una : *cum tamen etiam in vulgata ſit*, ſemel. (*q*) Argenti.] *Sic vetuſti codices, & Compl. In aliis impreſſis additur*, καὶ ὀδόντων ἐλεφαντίνων, ϗ πιθήκων, & dentium elephantinorum & ſimiarum. *Vulgata addit præterea*, pavos. (*r*) Hæc fuit ſumma.] *Hinc uſque ad* Et magnificatus eſt, *abſunt hoc loco a* Compl. *& vulgata : habuerant enim cap. nono, additis etiam nonnullis.* (*ſ*) Ut non opprimeret eum] τοῦ μὴ κατάρξαι αὐτοῦ. *Hæc videtur elici poſſe ſententia, ut non tyrannice ageret erga populum Iſraeliticum, non ab illo, ſed ab alienigenis tributum exegit, iiſque pro ſervis uſus eſt. In Compl. cap.* 9. *hic locus reſpondet vulgatæ*, οἰκοδομῆσαι ἐν ἱερουσαλὴμ, ϗ ἐν τῷ λιβάνῳ, ϗ ἐν πάσῃ τῇ γῇ τῆς δυναϛείας αὐτοῦ, πάντα τὸν ὑπολελειμμένον λαὸν, *quod in vulgata*, ut ædificaret in Hieruſalem, & in Libano, & in omni terra poteſtatis ſuæ univerſum populum qui remanſerat, &c. (*t*) Cum eo.] μετ' αὐτοῦ. *Compl.* μετ' αὐτοὺς, poſt eos, *quod reſpondet hebræo.* (*u*) Moleſtiam.] πρᾶγμα. *& aliqui*, εἰς πρᾶγμα. *Compl.* εἰς δουλείαν, in ſervitutem (*x*) Tertiarii.] τριϛοί. *Videtur idem ac* τριϛάται. *De qua dictione dictum eſt, Exod.* 15. *nam & dictio hebræa eſt eadem hic, atque illic.* (*y*) Aurea.] *Sic plerique vetuſti. Alii addunt*, ϗ ἀργυρᾶ, & argentea. (*z*) Quod per annum anno.] *Optime reſpondet hebræo. Compl.* τὸ κατ' ἐνιαυτὸν εἰς ἐνιαυτὸν, quod per annum in annum : *atque idem valet, quod in vulgata*, per ſingulos annos. (*aa*) Quatuor.] *Alii*, τεσσαράκοντα, quadraginta. *Complut.* ϗ συνήγαγε σαλωμὼν ἅρματα ϗ ἱππεῖς, ϗ ἦσαν αὐτῷ χίλια ϗ τετρακόσια ἅρματα. Et congregavit Salomon currus, & equites : & fuerunt ei mille & quadringenti currus : *quod reſpondet vulgatæ.* (*bb*) Equitum.] *Compl* τῶν ἵππων σαλωμῶντος ἐξ αἰγύπτου ϗ ἐξ ἐκουέ. οἱ ἔμποροι τοῦ βασιλέως ἐλάμβανον ἐξ ἐκουέ, equorum Salomonis ex Ægypto, & ex Ecue. mercatores regis accipiebant ex Egypto, &c. (*cc*) Pro centum.] *In eadem*, ἀνθ' ἑξακοσίων ἀργυρίου, ϗ ἵππος ἀντὶ ἑκατὸν, ϗ πεντήκοντα, *quod in vulgata*, pro ſexcentis ſiclis argenti, & equus centum quinquaginta. (*dd*) Per mare.] *Eadem*, διὰ χειρὸς αὐτῶν, per manum eorum, *ut hebræus.*

CAP. XI.

(*a*) ET fuerunt ei uxores principes ſeptingentæ, & concubinæ trecentæ.] *Hæc non ſunt hoc loco in* Compl. *& vulgata, ſed paulo poſt, additis etiam iſtis*, ϗ ἔκλινον αἱ γυναῖκες αὐτοῦ τὴν καρδίαν αὐτοῦ, & declinare fecerunt mulieres ejus cor ejus. (*b*) Ejus.] *In aliis ſequitur*, ϗ ἐπορεύθη σαλωμὼν ὀπίσω τῆς ἀϛάρτης βδελύγματος (θεοῦ. Complut.) σιδωνίων, ϗ ὀπίσω τοῦ βασιλέως αὐτῶν εἰδώλου υἱῶν ἀμμὼν, *aut ut in* Complut. ϗ ὀπίσω μελχὼμ (*de qua varietate paulo poſt dicemus*) βδελύγματος ἀμμών. Et ivit Salomon poſt Aſtartem abominationem (*al.* Deum) Sidoniorum, & poſt regem eorum Idolum filiorum Ammon *aut*, & poſt Melchom abominationem Ammon : *quæ reſpondent vulgatæ : a Theodoreto tamen non referuntur.* (*c*) Moab.] *In Compl. additur*, ἐν τῷ ὄρει τῷ κατὰ πρόσωπον ἱερουσαλὴμ, *quod vulgata*, in monte qui contra Hieruſalem. (*d*) Regi earum.] *Sæpe in hoc capite & in noſtra, & in aliis* (*pro*, μελχὼμ, *quod habet* Complut. *aut*, μελχὼλ, *ut Theodoretus, vulgata autem* Moloch) *legitur*, βασιλέως αὐτῶν, *aut*, βασιλεῖ αὐτῶν, *quod eſt quaſi interpretatio illius. Quod alibi etiam notabitur uſu venire, ut interpretatio nominis pro ipſo nomine ponatur.* (*e*) Quæ adolebant.] *A Complut. abeſt illud*, quæ, *ac tamen eſt in vulgata. Theodoretus videtur habuiſſe*, ἐθυμία, adolebat, *pro quo cæteri interpretes dixerint*, ἐθυμίων, ϗ ἔθυον. (*f*) Et cuſtodiret facere.] ϗ φυλάξαςθαι ποιῆσαι. *Alii, & Theodoretus* : καὶ ποιῆσαι, & faceret. *Compl.* καὶ οὐκ ἐφύλαξεν, ἃ ἐνετείλατο αὐτῷ κύριος, *quod vulgata*, & non cuſtodivit quæ mandavit ei Dominus. *Neque in ea, neque in aliis quibuſdam libris, neque in vulgata ſequuntur illa*, neque erat cor ejus perfectum cum Domino, juxta cor David patris ejus. *Ponuntur tamen hoc eodem loco apud Theodoretum.* (*g*) Et Eſrom.] *Hæc uſque ad illud*, de ſemine regni, *non ſunt in Compl. & vulgata hoc loco, ſed paulo inferius, ubi quaſi ex alio principio dicitur*, καὶ ἤγειρε θεὸς σατὰν αὐτῷ τὸν ῥεζὼν υἱὸν ἐλιαδὰ, *quod in vulgata*, ſuſcitavit quoque ei Deus adverſarium Rhazon filium Eliadam. (*h*) Qui in Raemma.] *In aliis libris eſt*, τὸν βαεμμὲθ, *quod vocabulum videtur factum ex duobus hebraicis, quorum interpretatio eſt quod habetur in Compl.* ὃς ἔφυγεν ἀπὸ. [ἀδαρεζὲρ βασιλέως, qui fugerat ab.] Adarezer rege. *Lucifer de regibus Apoſtaticis.* Et ſuſcitavit Dominus Satan Salomoni Ader Idumæum, & Eſron filium Anadeth in Remathad Adragas regem Saba. (*i*) Fuerunt Satan.] *Lucifer*, erant Satanæ. *Alii*, ἦν, fuit. *Theodoretus.* Quemnam dicit Satan ? τὸν ἀποϛάτην, τὸν ἀνθιϛάμενον, τὸν ἐναντιούμενον, apoſtatam, repugnantem, adverſarium. (*k*) De ſervis patris ejus.] *Sic etiam vulgata, & hebræus. Compl.* δοῦλοι τῶν παίδων τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, ſervi ſervorum patris ejus. (*l*) Et exſurgunt viri de civitate Madiam.] *In Compl. eſt* & exſurgunt de Madiam (*m*) Conſtituit ei.] *In aliis additur*, καὶ γῆν ἔδωκεν αὐτῷ, *quod vulgata*, & terram delegavit. (*n*) Quia dimittens.] *Compl.* μηδαμῶς, ὅτι ἐξαποϛέλλων. Nequaquam, quia dimittens. (*o*) Et graviter affecit Iſrael. *Alij* ϗ ἐβαρύνθη ἐπὶ ἰσραὴλ, & aggravatus eſt ſuper Iſrael. (*p*) Et hæc res.] καὶ τοῦτο τὸ πρᾶγμα. *Alii addunt*, ἐποίησε, *aut*, ὃ ἐποίησε, quam fecit. *In hebræo eſt, ut in noſtro. Valet autem*, & hæc eſt cauſa, *Sed in hebræo ante hæc habetur ut in vulgata*, levavit manum contra regem. (*q*) Fecit.] *Sic Lucifer : Compl. & Theodoretus*, ἐδούλευσε, ſervivit. (*r*) Chamos & idolis Moab & regi eorum.] *Compl. & Theodoretus*, τῷ χαμὼς εἰδώλῳ μωὰβ, ϗ τῷ μελχώμ, Idolo Moab, & Melchom. *Lucifer*, & fecit Aſtarte idolo immundo Sidoniorum, & Cama idolo Moab, & regi eorum, religioni filiorum Ammon. *Videantur quæ paulo ſuperius ſunt notata.* (*ſ*) Sedes.] θέσις. *Sic Lucifer : Chaldæus*, ut infirmetur regnum : *vulgata*, ut remaneat lucerna. *Sed Theodoretus, q.* 37. *habet*, ὅπως ἡ θέλησις δαυὶδ τοῦ δούλου μου διαμείνῃ πάσας, ut voluntas David ſervi mei permaneat omnibus, &c. (*t*) David.] *In Compl. additur*, καὶ δώσω σοι τὸν ἰσραὴλ, καὶ κακουχήσω τὸ σπέρμα δαυὶδ διὰ ταῦτα, πλὴν οὐ πάσας τὰς ἡμέρας, *quod in vulgata*, & tradam tibi Iſrael, & affligam ſemen David ſuper hoc, veruntamen non cunctis diebus: *quæ Lucifero non referuntur.* (*u*) Omnem prudentiam.] *Comp.* πᾶσα ἡ φρόνησις, omnis ſapientia, *itemq; Theod.* (*x*) Quadraginta.] *Notat Theod Joſephum dixiſſe*, ſexaginta quatuor, *ac docet quæ hujus varietatis potuerit eſſe cauſa.* (*y*) Et factum.] *Hinc uſque ad illud.* & regnavit Roboam, *abſunt hoc loco a Compl. ut a vulgata : reponuntur autem non longe ab initio ſequentis capitis. Sed pro illis*, dirigit ſe, & venit in civitatem ſuam Sarira, quæ in monte Ephræm : Et rex Salomon dormivit cum patribus ſuis, *habet hæc*, καὶ ἀπέϛειλαν, καὶ ἐκάλεσαν αὐτὸν, καὶ ἦλθεν ἱεροβοὰμ, καὶ πᾶς ὁ λαὸς ἰσραὴλ, & miſerunt, & vocaverunt eum. Et venit Hieroboam, & omnis populus Iſrael.

CAP. XII.

(*a*) EA, quæ.] *Complut.* ἣν, quod : *itemque paulo inferius.* (*b*) Parvitas mea.] *Schol.* τοῦτο ὁ Σύμμαχος οὕτως ἡρμήνευσε. τὸ σμικρότατόν μου μέλος. Hoc Symmachus ita eſt interpretatus, τὸ σμικρότατόν μου μέλος, minimum membrum meum. *Theodoretus quæſt.* 38. τῶν δὲ παραλειπομένων ἡ βίβλος σαφέϛερον τοῦτο δεδήλωκεν. Liber Paralipom. manifeſtius hoc declaravit. Inquit enim, ὁ βραχύτατός μου δάκτυλος παχύτερος τῆς ὀσφύος τοῦ πατρός μου, breviſſimus digitus meus craſſior eſt lumbo patris mei. οὕτω δὲ καὶ ὁ Σύρος ἡρμήνευσε καὶ ἰώσηπος ὡσαύτως. Ita autem & Syrus interpretatus eſt, itemque Joſephus. (*c*) Sua.] *In Complut. additur*, καὶ υἱοὶ ἰσραὴλ οἱ κατοικοῦντες ἐν ταῖς πόλεσιν ἰούδα, ἐβασίλευσαν ἐφ' ἑαυτοῖς τὸν ῥοβοὰμ, & filij Iſrael habitantes in civitatibus Juda fecerunt regem ſuper ſe Roboam: *quæ reſpondent vulgatæ : & ſententia agnoſcitur a Theodoreto, quæſt.* 38. (*d*) Lapidibus.] *Alii addunt*, πᾶς ἰσραὴλ, omnis Iſrael. (*e*) Aſcendere.] *In aliis additur*, ἐπὶ τὸ ἅρμα, in currum. (*f*) Et rex Salomon dormit.] *Hæc uſque ad illa non longe ab extremo capite*, Et ædificavit Hieroboam Sicima, *abſunt ab aliquot exemplaribus, & Complut. ut a vulgata. In aliquo libro ſignis quibuſdam ſunt notata, quibus indicetur ea multis modis eſſe repetita, tranſpoſita, confuſa, male cohærentia. Nonnulla tamen ex his & apud Luciferum de regibus Apoſtaticis, & apud Theodoretum agnoſcuntur, ut quibuſdam locis indicabitur.* (*g*) Duodecim.] *Lucifer*, viginti, *ſed videatur, quod notatum eſt cap.* 14. (*h*) Fornicaria.] *Ita etiam Lucifer : nam in ſuperiore cap. dicitur mulieris viduæ filius.* (*i*) Et ægrotavit.] *Theodoretus, quæſt.* 40. *hanc pueri hiſtoriam videtur hoc loco habuiſſe : & conatur rationem reddere, cur ponatur ſententia adverſus filium Hieroboam ante regnum illius*, (*k*) Civitatem.] *Alii*, εἰς πόλιν, in civitatem, *Lucifer*, portam civitatis. (*l*) Et erunt mortui Hieroboam, in civitate.] *Lucifer*, & erunt mortui ejus Hieroboam, in civitatem, & comedent eos canes. *Alii*, καὶ ἔϛαι, τὸν τεθνηκότα

τῷ

τοῦ ἱεροβοὰμ ἐν τῇ πόλει καταφάγονται οἱ κύνες. Et erit, mortuum de Hieroboam in civitate comedent canes. (m) Plangetur.] *Alii*, τὸ παιδάριον κόψονται, puerum plangent. *Sed apud Theodoretum hæc referuntur tanquam proxime ſequentia poſt ſententiam latam de mortuis inſepultis*, ὅτι οὐχ εὑρέθη ἐν αὐτῷ ῥῆμα κυρίου, quoniam non eſt inventum in eo verbum Domini. *In Compl. tamen & in vulgata, cap. 14. habentur fere ut hic.* (n) Et verbum Domini.] *Schol.* ἰστέον ὅτι τὰ περὶ σημαίου τοῦ ἐλαμίτου ἔν τισι μὲν τῶν ἁπλῶν ἀντιγράφων κεῖται, ἐν τῷ ἑξαπλῷ δὲ οὐ φέρεται. Sciendum eſt, hæc, quæ de Samæa Elamita, in quibuſdam quidem ex ſimplicibus exemplaribus poni, in Hexaplo autem minime. *Theodoretus, q. 41. videtur habuiſſe : ac diſputat, quomodo id bis, & a diverſis prophetis factum ſit.* Quæ hic ſequuntur verſum 24. uſque ad, καὶ ᾠκοδόμησεν ἱεροβοὰμ τὴν σίκιμα, deſiderantur in aliquot libris. Lucifer quidem Calaritanus ea poſuit in libro de Regibus apoſtaticis. (o) Super decem tribus.] *Hic in aliis aliqua interjiciuntur, unde oratio melius cohæreat, ac nonnullis etiam aliis locis. Sed quoniam ea alibi habentur, neceſſe non fuit adſcribere.* (p) Ad Dominum, &c.] *Abſunt a Compl. & Lucifero.* (q) Sufficiat] *Sic Lucifer. Valet tamen hoc loco, ut alibi*, multum ſit : *id eſt, nimium vobis videatur, nimis grave, & moleſtum ſit.* (r) Et aſcendit ſuper altare] *Lucifer*, & aſcendit in ſacrario: *& Vulgata*, & aſcendens altare. *Sed eſt accipiendum tranſitive, ut inquiunt, id eſt*, fecit aſcendere, obtulit : *ſicut etiam paulo poſt.* (ſ) Quæ fecerat.] *Ita etiam Vulgata. Sed Lucifer*, quos fecit.

CAP. XIII.

(a) ADverſus.] πρὸς, *& vulgata*, contra. *Alij*, ἐπὶ, ſuper. (b) Adolentium.] τῶν ἐπιθυόντων. *Lucifer*, qui ſacrificant. *Theodoretus*, καὶ τοὺς θύοντας, *Compl.* καὶ τοὺς ἐπιθύοντας & eos, qui ſacrificant, & eos, qui adolent. (c) Dabit] *Sic etiam Lucifer. Alii*, ἔδωκεν, dedit. (d) Et averterunt faciem patris ſui.] *Sic etiam Lucifer in libro de non conveniendo cum hæreticis. A Compl. & vulgata abſunt.* (e) Quercu.] *Lucifer*, ſub arbore ilicis. *Vulgata*, ſubtus terebinthum. (f) Illic.] *Iſtud* ἐκεῖ, *abeſt ab aliis. Lucifer*, & non reverteris inde. (g) Domini.] *Sed aliquot codices, nec Lucifer & Theodoretus plura referunt. In aliis additur*, καὶ ἔδωκεν αὐτὸν ὁ κύριος τῷ λέοντι. καὶ συνέτριψεν αὐτὸν καὶ ἐθανάτωσεν αὐτὸν κατὰ τὸ ῥῆμα κυρίου, ὃ ἐλάλησεν αὐτῷ. καὶ ἐλάλησε πρὸς υἱοὺς αὐτοῦ, ἐπισάξατέ μοι τὸν ὄνον καὶ ἐπέσαξαν : *quod vulgata* : & tradidit eum Dominus leoni : & confregit eum, & occidit, juxta verbum Domini, quod locutus eſt ei : Dixitque ad filios ſuos : Sternite mihi aſinum. Qui cum ſtraviſſent. *Quæ verba nec a Lucifero referuntur, hunc locum citante in libro de non conveniendo cum hæreticis* (h) Hominis Dei.] *Compl.* ἢ τὸν ὄνον, vel aſinum. *Vtrumque abeſt ab hebræo.* (i) Implebat.] *Nota eſt locutio, pro*, offerebat, conſecrabat. *Lucifer de reg. Apoſt.* allevabat.

CAP. XIV.

(a) ET Roboam] *In Scholio ad finem præcedentis capitis hæc ſcribuntur*: Poſt hoc in Hexaplo ponuntur ea quæ ad morbum & mortem Abia filii Hieroboam pertinent cum aſteriſcis. *Ea vero in nonnullis codicibus, & in Complut. ponuntur ad initium hujus capitis : & reſpondent vulgatæ. Sunt autem hæc* :

In tempore illo ægrotavit Abia filius Hieroboam. Et uxori ſuæ dixit Hieroboam : Surge, & mutaberis, & non cognoſcent, quia tu uxor Hieroboam, & ibis in Selo : ecce ibi Achia propheta : ipſe loquutus eſt ad me de regnando ſuper populum hunc. Et ſume in manu tua [homini Dei] (*Complutenſis, pro*, τῷ ἀνθρώπῳ τοῦ θεοῦ, *habet*, δέκα, decem, *ut vulgata*) panes, & collyria [filiis ejus, & uvas] (*iſta quæ incluſimus virgulis, abſunt a Complutenſi & vulgata*) & vas mellis : & venies ad eum. Ipſe annunciabit tibi, quid erit puero. Et fecit ſic uxor Hieroboam : & ſurrexit : & ivit in Selo, & intravit in domum Achia. Et homo ſenior ad videndum : & caligabant oculi ejus præ ſenectute ejus. Et dixit Dominus ad Achia : ecce uxor Hieroboam ingreditur ad exquirendum verbum a te ſuper filio ſuo: quoniam infirmus eſt. Juxta hoc, & juxta hoc loqueris ad eam. Et factum eſt, in ingrediendo eam, & ipſa aliam ſe faciebat. Et factum eſt ut audivit Achia vocem pedum ejus, egrediente ea in oſtium, & dixit : ingredere uxor Hieroboam. Ut quid hoc tu te aliam facis? Et ego ſum legatus ad te durus : Vadens dicito ad Hieroboam: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Pro eo, quantum exaltavi de medio populi, & dedi te Ducem ſuper populum Iſrael, & ſcidi regnum a domo David, & dedi illud tibi, & non fuiſti ut ſervus meus David, qui cuſtodivit mandata mea, & qui ambulavit poſt me in omni corde ſuo, ad faciendum rectum in oculis meis, & malefeciſti faciendo ultra omnes quicumque fuerant ad faciem tuam, (*Complutenſis habet* μου meam, *ſed non recte*) & iviſti, & feciſti tibi Deos alios, & fuſilia, ad irritandum me : & me projeciſti poſt te : Propter hoc ecce ego adduco malum ad domum Hieroboam : & exterminabo Hieroboam (*eſt dandi caſus in hebræo, aut generandi*) mingentem ad parietem, detentum, & derelictum in Iſrael : & colligam ſuper domum Hieroboam, ſicut colligitur fimus : donec ipſe conſummatus fuerit. Mortuum ipſius Hieroboam in civitate comedent canes : & mortuum in agro comedent volatilia cœli : Quoniam Dominus loquutus eſt. Et tu ſurge, vade in domum tuam : & ingrediendo pedes tuos civitatem, morietur puer. Et plangent eum omnis Iſrael, & ſepelient eum : quoniam hic ſolus ingredietur ipſi Hieroboam in ſepulchrum: quoniam inventum eſt in eo verbum bonum de Domino Deo Iſrael in domo Hieroboam. Et ſuſcitabit Dominus ſibi regem ſuper Iſrael, qui percutiet domum Hieroboam hac die, & ultra etiam nunc. Et percutiet Dominus Iſrael, ſicut movetur calamus in aqua : & evellet Iſrael deſuper terram bonam hanc, quam dedit patribus eorum, & ventilabit eos a tranſitu fluminis, pro eo quantum fecerunt lucos ſuos, irritantes Dominum. Et dabit Dominus Iſrael gratia peccatorum Hieroboam, qui peccavit, & qui peccare fecit Iſrael. Et ſurrexit uxor Hieroboam, & ivit in Sarira : (*Compl.* Therſa :) Et factum eſt, ut intravit in veſtibulum domus, & puer mortuus eſt : & ſepelierunt eum : & planxerunt eum omnis Iſrael juxta verbum Domini, quod locutus eſt in manu ſervi ſui Achaia prophetæ. Et reſiduum verborum Hieroboam, quæcunque bellavit, & quæcunque regnavit, ecce hæc ſcripta ſunt ſuper librum verborum dierum regum Iſrael. Et dies quibus regnavit Hieroboam, viginti, & duo anni. Et dormivit cum patribus ſuis. Et regnavit Adab (*Compl.* Nadab, *ut vulgata*) filius ejus pro eo. Schol. ad illa in fine præcedentis cap. ἀπὸ προσώπου τῆς γῆς, hæc affert : μετὰ τοῦτο ἐν τῷ ἑξαπλῷ κεῖται τὰ κατὰ τὴν νόσον καὶ τὴν τελευτὴν ἀβιὰ τοῦ υἱοῦ ἱεροβοὰμ μετὰ ἀστερίσκων. *P*oſt hoc ponuntur quæ pertinent ad morbum & exitum Abiæ filii Jeroboam cum aſteriſcis. (b) Quadraginta, & unius.] *In hoc numero annorum ætatis & regni, conveniunt hoc loco omnes libri. Aliter autem ſupra cap.* 12. *ut ibi notatum eſt.* (c) Roboam] *Compl.* ἰούδας, Judas, *ut vulgata.* (d) Colligatio.] *Theodoretus, quæſt.* 43. τὸν δὲ συνδεσμὸν, poſuit pro, ἀποστάσεως, rebellione. (e) Et lanceas aureas.] *Pro his uſque ad illud*, Et fecit Roboam, *hæc tantum habentur in Compl.* καὶ τὰ πάντα ἔλαβε, καὶ τὰ ὅπλα τὰ χρυσᾶ, ἃ ἐποίησε σολομὼν, & omnia cepit, & ſcuta aurea, quæ fecerat Salomon. *Theodoretus tamen rem hanc ita narrat* : Cepit autem & ὅπλα, arma aurea quæ David rex a Syris ceperat, & ea, quæ Salomon fecerat. (f) Thee.] *Theodoretus, q.* 44. *inquit inveniſſe ſe in nominum hebraicorum interpretatione hoc ſignificare pulſationem, & tubarum clangorem. Sed recte ipſe ex libro Paralipomenon, colligit fuiſſe locum, & quaſi armamentarium, (ut habet vulgata) in quo arma deponerentur.* (g) Regibus.] *Articulus huic dictioni in hebræo adjunctus convenit etiam caſui generandi, ſed magis propius eſt caſui dandi. Quare ſæpe in his libris legitur*, τῶν ἡμερῶν τοῖς βασιλεῦσιν, dierum regibus, *pro* τῶν βασιλέων, regum. *Libuit hoc loco ſimplicitatem illam imitari. Sed interdum dicemus*, regum.

CAP. XV.

(a) IN conſpectu ejus.] *Sic Lucifer de reg. Apoſt. Compl.* ἔμπροσθεν αὐτοῦ, ante eum, *ut vulgata.* (b) Cor.] *In aliis additur David.* (c) Dominus.] *Theodoretus, quæſt.* 45. θεὸς, Deus. *Complut.* κύριος ὁ θεὸς αὐτοῦ, Dominus Deus ejus, *aut*, ſuus, *ut vulgata. Et hic autem quod in græcis eſt* κατάλειμμα, *in vulgata eſt*, lucernam : *quod item primo horum librorum notatum eſt. In aliis autem græcis, ut in vulgata ſequitur*, in Hieruſalem : *quod abeſt tamen a Theodoreto.* (d) Vitæ ſuæ.] *In aliis, & apud Theodoretum hæc adduntur*, ἐκτὸς ἐν ῥήματι οὐρίου τοῦ χετταίου, *in aliis iſta præterea*, καὶ πόλεμος ἦν μεταξὺ ῥοβοὰμ, καὶ μεταξὺ ἱεροβοὰμ πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς αὐτοῦ, præterquam in verbo Uriæ Chettæi. Et bellum fuit inter Roboam, & inter Hieroboam omnibus diebus vitæ ejus. (e) In vigeſimo & quarto anno Hieroboam.] *In aliis eſt tantum*, vigeſimo, *ut etiam paulo poſt. A Complut. abſunt omnia iſta hoc loco : in ſequenti autem eſt ſolum*, vigeſimo. (f) Ana.] *Complut. & vulgata* Maacha, *& Theodoretus* μαχά. (g) Teletas.] *De his in Deuter. dictum eſt. Complut. habet*, τοὺς τετελεσμένους, initiatos : *quod vulgata*, effæminatos. *Theodoretus*, τὰς στήλας, titulos, ſtatuas. (h) Et demiſit omnes adinventiones. καὶ ἐξαπέστειλε πάντα τὰ ἐπιτηδεύματα. *Theodoretus*, καὶ ἐξῆρε, & ſuſtulit. *Complut.* καὶ ἐξῆρε πάντα τὰ βδελύγματα, & ſuſtulit omnes abominationes. (i) Fuit perfectum] *Theodoretus habuit*, οὐκ ἦν, non fuit : *idque explicat ex lib. Paralip.* (k) Filium Taberema.] *In aliis eſt*, υἱὸν τὰβ (*aut*, ταβὲ) ἐν ῥαμὰν υἱοῦ ἀζαὴλ, filium Tac (*aut*, Tabe) in Raman filii Azael. *Sed Compl.* υἱοῦ ταβερμὼν υἱοῦ ἀζιὼν, filii Tabermon filii Azion. *Et rectius dicitur priore loco* filium, *quam* filii. *Nam illud* filium Ader, *quod hæc præcedit, eſt accipiendum pro unico nomine proprio, quod in vulgata eſt* Benadad. (l) In Enacim.] *Complut.* ἐν ἀκί. *Sunt voces hebrææ, ſignificantes*, nemo excuſatus, *ut vulgata.* (m) Quem fecit.] *Alij*, καὶ πάντα ἃ ἐποίησεν, *quod in vulgata*, & cuncta, quæ fecit. (n) Laboravit.] *Theodoretus*, ἐποίησε πονηρὸν, καὶ ἐπόνησε, fecit malum, & laboravit. (o) Belaan.] *Aut*, Beelan, *ut alij. Complut.* ἐπὶ τὸν οἶκον τοῦ ἰσάχαρ, ſuper domum Iſſachar : *Vulgata*, de domo Iſſachar : *a qua, & a Complut. abeſt, quod in noſtra ſequitur*, filii Achaia. (p) Secavit.] ἐχάραξεν. *Ita quoque eſt in alio codice : in quibuſdam*, ἐπεχαράκωσεν, circumvallavit : *in cæteris*, ἐπάταξεν, percuſſit, *ut vulgata.* (q) Filii Aſa.] *Alij*, υἱοῦ ἀβιὰ, filii Abia. *Utrumque abeſt a Compl. & vulgata.* (r) Iſrael.] *In Complut. additur*, καὶ πόλεμος ἦν ἀναμέσον ἀσὰ καὶ ἀναμέσον βαασὰ βασιλέως ἰσραὴλ πάσας τὰς ἡμέρας αὐτῶν. *quod in vulgata* : fuitque bellum inter Aſa, & Baaſa regem Iſrael, cunctis diebus eorum. (ſ) Quomodo peccare.] ὡς ἐξήμαρτε. *Similis loquutio eſt etiam paulo ante in Compl. & alibi. Sed hic habet* ἐν αἷς, in quibus. *Alij*, αἷς, quibus, *ut vulgata.*

CAP. XVI.

(a) EJus & dabo domum tuam.] *Compl.* αὐτοῦ κακὰ, καὶ δώσω τὸν οἶκον αὐτοῦ, ejus mala, & dabo domum ejus. *Si pro* ἐξεγείρω, Suſcito, *quod proxime præcedit, legeretur*, ἐξείργω, excludo, expello, *noſtra optime reſponderet hebræo. Vulgata*, demetam poſteriora Baaſa, & poſteriora domus ejus, & faciam domum tuam. *Infra cap.* 20. *eſt* ἐκκαύσω, ſuccendam. (b) Omne malum.] *Compl.* καὶ ἐπὶ πᾶσαν τὴν κακίαν, *quod vulgata*, & contra omne malum (c) Et Ela.] *In Complut.* ἐν τῷ ἕκτῳ καὶ εἰκοστῷ ἔτει ἀσὰ βασιλέως ἰούδα, ἠλὰ υἱὸς, in ſexto, & vigeſimo anno Aſa regis Juda, Ela filius, &c. (d) Et convertit ſe.] *Alij*, καὶ συνέστρεψεν ἐφ᾽ ἑαυτὸν τοὺς παῖδας αὐτοῦ, καὶ ζαμβρὶ ὁ ἄρχων, & convertit in ſe pueros ſuos, & Zambri princeps, &c. *Sed Compl.* καὶ συνεστράφη ἐπ᾽ αὐτὸν ὁ παῖς αὐτοῦ ζαμβρὶ ὁ ἄρχων τοῦ ἡμίσους τῶν ἁρμάτων. Et rebellavit in eum ſervus ejus Zambri princeps dimidii curruum. *Vulgata tamen habet*, mediæ partis equitum (e) Eum.] *In Compl. additur*, ἐν ἔτει ἑβδόμῳ, καὶ εἰκοστῷ: *Vulgata autem*, anno vigeſimo ſeptimo Aſa regis Juda. (f) Baaſa.] *In eadem additur*, καὶ οὐ κατέλιπεν αὐτῷ οὐροῦντα πρὸς τὸν τοῖχον, καὶ τοὺς συγγενεῖς, καὶ ἑταίρους αὐτοῦ. *Quod vulgata* : Et non dereliquit ex ea mingentem ad parietem, & propinquos, & amicos ejus. (g) Et ad Ihu prophetam.] *Compl.* ἐν χειρὶ ἰοῦ υἱοῦ ἀνανίου τοῦ προφήτου, in manu Ihu filii Ananiæ prophetæ. (h) Quæ fecit.] *Alij*, καὶ πάντα ἃ ἐποίησεν, & omnia quæ fecit. (i) Et Zambri.] *Rurſus in Complut.* ἐν τῷ εἰκοστῷ καὶ ἑβδόμῳ ἔτει ἀσὰ βασιλέως ἰούδα ἐβασίλευσε ζαμβρὶ, *quod vulgata*, anno vigeſimo ſeptimo Aſa regis Juda regnavit Zambri. (k) Antrum] *Videtur dictum pro eo, quod in hebræo eſt*, palatium, *aut*, conclave. *Compl. autem habet tantum*, καὶ εἰσπορεύεται εἰς τὸν οἶκον βασιλέως, & ingreditur in domum regis. (l) Et Joram frater ejus in tempore illo : & regnavit Amri poſt Thamni.] *Pro his in Compl. tantum eſt*, καὶ ἐβασίλευσεν ἀμβρὶ, *quod vulgata*, & regnavit Amri. (m) Invocaverunt.] *Alii, & Theodoretus, quæſt.* 46. ἐπεκάλεσε, vocavit, *ut vulgata.*

vulgata. (*n*) Anno undecimo anno.] τῷ ἐνιαυτῷ τῷ ἑνδεκάτῳ ἔτει, *iſtud,* ἔτει, *abeſt ab aliis* *Schol.* Poſt ea quæ ad Ambri pertinent, non ponuntur in Hexaplo ea quæ de Joſaphat, ſed continuo quæ de Achab, *atque ita etiam in Compl. & vulgata. Theodoretus autem perſpicue narrationem de Joſaphat hoc loco agnoſcit. Inquit enim.* Hæc cum de Zambri dixiſſet, ad Judam tranſiit: & ſuſpexit quidem Joſaphat, &c. (*o*) Et puerulos meos.] *Alii,* μετὰ τῶν παίδων, cum pueris, *& fortaſſe deeſt,* σου, tuis. (*p*) In anno ſecundo.] *Compl. ſtatim poſt illa*: Et regnavit Achaab filius ejus pro eo, *habet,* ὁ δὲ ἀχαὰβ, υἱὸς ἀμβρὶ ἐβασίλευσεν ἐπὶ ἰσραὴλ ἐν ἔτει τριακοστῷ καὶ ὀγδόῳ τοῦ ἀσὰ βασιλέως ἰούδα. βασιλεύει δὲ ἀχαὰβ υἱὸς ἀμβρὶ ἐπὶ ἰσραὴλ ἐν σαμαρείᾳ, *quod in vulgata*: Achaab vero filius Amri regnavit ſuper Iſrael anno triceſimo octavo Aſa regis Juda. Et regnavit Achaab filius Amri ſuper Iſrael in Samaria. *Sed multa ſemper in hujuſmodi numeris varietates.* Schol. ἀπὸ τῶν κατὰ τὸν ἀμβρὶ τὰ περὶ ἰωσαφὰτ οὐ κεῖται ἐν τῷ ἑξαπλῷ ἀλλ' εὐθὺς τὰ περὶ ἀχαάβ. Non ſtatim ad ea quæ ſpectant ad Ambri annectuntur illa quæ pertinent ad Jehoſhaphat, in Hexaplo, ſed illa quæ referuntur ad Achaab. (*q*) In domo offendiculorum ejus.] *Compl.* ἐν οἴκῳ τοῦ βαάλ, *quod vulgata,* in templo Baal. (*r*) Et ad perdendum animam ſuam: malefecit.] *Hæc abſunt a Compl. & vulgata.* (*ſ*) Segub.] *Compl.* ἐν τῷ σεγοὺβ, in Segub. *Vide cap. 6. Joſue.*

CAP. XVII.

(*a*) QUi de Theſbon Galaad.] *Compl.* ὁ ἐκ θεσεβῶν τῆς γαλαάδ, qui de habitatoribus Galaad. *Notandum autem eſt in noſtra & aliis eſſe,* ἠλιού, *proprius ad hebræum, quod in Compl.* ἠλίας, Elias, *formatum ad inflexionem græcam.* (*b*) Niſi per os verbi mei.] ὅτι εἰ μὴ διὰ στόματος λόγου μου. *Ita fere hebræus. Theodoretus, q. 49.* εἰ μὴ διὰ στόματός μου, niſi per os meum. *Compl.* ὅτι ἐὰν διὰ λόγου στόματός μου, *& Lucifer pro S. Ath.* niſi per verbum oris mei. (*c*) Chorrath.] *Compl.* χεῤῥὶθ, Cherith. *Et ita S. Ambroſius, epiſt. 82. & vulgata.* (*d*) Panes mane, & carnes veſperi.] *Hic in codicibus ſunt aliquæ varietates. Theodoretus q. 50. videtur habuiſſe, ut noſtra: Compl.* ἄρτους καὶ κρέας τὸ πρωῒ, καὶ ἄρτους καὶ κρέας τὸ δείλης, panes & carnem mane, & panes & carnem veſperi: *quod reſpondet vulgatæ.* (*e*) Qui.] *Iſtud,* qui, τῆς, *abeſt ab aliis.* (*f*) Hydria.] *S. Cyprianus lib. de opere, & eleemoſ.* fidelia farris non deficiet, & capſaces olei non minuetur. (*g*) Ipſa, & ipſe.] *Sic hebræus, & chaldæus. Compl. autem,* αὐτὸς καὶ αὐτή. *quod vulgata,* ipſe & illa. (*h*) Spiritus.] *In Compl. additur,* ζωῆς, vitæ: *quod tamen abeſt ab hebræo, & vulgata.* (*i*) Lectum.] *Alii addunt,* αὐτοῦ, ſuum, *ut vulgata.* (*k*) Hei mihi Domine, teſtis viduæ.] *Ita etiam Theodoretus q. 52. Compl. autem,* κύριε ὁ θεός μου καί γε τὴν χήραν, μεθ' ἧς ἐγὼ οἰκῶ μετ' αὐτῆς, σὺ ἐκάκωσας, Domine Deus meus etiam viduam, quacum ego habito cum ea, afflixiſti: *quomodo fere vulgata.*

CAP. XVIII.

(*a*) AD quinquaginta in ſpelunca.] κατὰ πεντήκοντα ἐν σπηλαίῳ. *Ita fere hebræus: & ſignificat ſingulos quinquagenos in una ſpelunca, & ſingulos quinquagenos in altera. Quod in aliis codicibus ſic exprimitur,* ἀνὰ πεντήκοντα ἐν δυσὶ σπηλαίοις, per quinquagenos in duabus ſpeluncis: *vulgata autem,* quinquagenos, & quinquagenos in ſpeluncis. (*b*) De tabernaculis.] σκηνῶν. *Alii,* κτηνῶν, jumentis. *Compl.* καὶ οὐκ ἐξολοθρευθήσεται ἀφ' ἡμῶν κτήνη, & non exterminabuntur a nobis jumenta. *Etiam Geneſ. 13. ubi in aliis libris eſt,* κτήνη, *in codicibus, quos ſequuti ſumus, legitur,* σκηναί. (*c*) Miſit.] *Complut. addit,* me: *ſed non hebræus, neque cæteri.* (*d*) Et, ſi dixerunt, Non eſt, & incendit.] καὶ εἰ εἶπον, οὐκ ἔστι, καὶ ἐνέπρησε. *Alii,* καὶ εἶπεν, οὐκ ἔστι, καὶ ἐνέπρησε. Et dixit, Non eſt: & incendit. *Complut.* καὶ εἶπον, οὐκ ἔστιν (*& hucuſque etiam Theodoretus q. 53.*) καὶ ὥρκισεν τὴν βασιλείαν, καὶ τὰς χώρας αὐτῆς, καὶ οὐχ εὕρισκέ σε. Et dixerunt: (*Ita enim hebræus. Sed Theodoretus videtur accepiſſe pro,* dixi, *& aptare ipſi Abdiæ.*) Non eſt; & adjuravit regnum, & regiones ejus: & non invenit te. (*e*) Et iviſti.] *Complut.* καὶ πορευθῆναι, *& Lucifer pro S. Athan.* & itis. (*f*) Confuſionis.] *Ita etiam Lucifer. Alii,* τῆς βαάλ, Baal, *ut vulgata, quæ varietas etiam paulo poſt notari poteſt. Et in aliquo libro utraque conjunguntur, ut colligi poſſit duas eſſe interpretationes.* (*g*) Manducantes menſam.] *Eſt hebraiſmus, ac valet, quod in vulgata,* comedunt de menſa. *Lucifer,* manducantes & bibentes in menſa Jezabel. (*h*) Ad omnes.] *Ita etiam Lucifor. Complut.* πρὸς πάντα τὸν λαὸν ad omnem populum, *ut vulgata.* (*i*) Ambobus poplitibus.] *Ita etiam Theodoretus, quæſt. 55. Complut. addit,* ὑμῶν, veſtris. *Lucifer,* ſenſu noſtro, *quaſi pro,* ἰγνύαις, *habuerit,* ἐννοίαις: *hebræus quidem habet,* ſuper duas cogitationes. (*k*) Et prophetæ lucus quadringenti.] *Abſunt a Complut. & vulgata. Sed Lucifer,* & prophetæ lucorum quadringenti. Dentur ergo nobis duo boves: *quo quidem loco etiam Compl. habet,* ἕν. (*l*) Apponant.] ἐπιθέτωσαν. *Lucifer & hic & in ſequentibus interpretatur* ſupponant. (*m*) Dei veſtri.] *Complut.* τῶν θεῶν ὑμῶν: *& Lucifer,* Deorum veſtrorum. (*n*) Quia Deus eſt.] *Reſpondet hebræo, & vulgatæ: & chaldæus explanat,* quia vos dicitis, quod Deus eſt. *A multis vero libris, & a Complut. iſta abſunt, neque referuntur a Lucifero, neque a Theodoreto, qui ſic habet,* ἐπικαλεῖσθε ἐν φωνῇ μεγάλῃ ἅμα, μήποτε ἀδολεσχία τίς αὐτῷ ἐστί. *Et Lucifer,* invocate in voce magna pariter, ne forte occupatus ſit, *& certe iſtud,* ἅμα, *videtur huic loco magis convenire, quam ſequenti, ubi habetur in noſtra, & in Compl. & in aliis, præterquam apud Theodoretum. Is enim habet,* μήποτε χρηματίζει αὐτός. *Utroque tamen loco abeſt ab hebræo. Iſtam autem dictionem* χρηματίζειν, *quam nos vertimus,* reſponſa dare, *alii vertunt, operam dare negocio pecuniario. Quod quidem eſt apud Luciferum,* ne forte occupatus ſit, *haud ſatis liquet, referaturne ad illud,* ἀδολεσχία, *an ad hoc,* χρηματίζειν. (*o*) Syromaſtibus.] *De ſyromaſte alibi dictum eſt. Lucifer habet,* novaculis: *vulgata,* lanceolis. (*p*) Veſpera.] *Compl.* τὸ μεσημβρινὸν, *& Lucifer* meridies. (*q*) Sacrificium.] *Ita etiam alius codex. In aliis hæc ſequuntur,* καὶ οὐκ ἦν φωνὴ, καὶ οὐκ ἦν ἀκρόασις, & non erat vox, & non erat auditio: *quæ neque a Lucifero hoc loco referuntur. Quæ autem in noſtra, & in aliis ſequuntur uſque ad illud,* Et dixit Eliu ad populum, *referuntur etiam a Lucifero, niſi quod non habet,* offendiculorum. *Abſunt autem a Compl. & vulgata.* (*r*) Mare.] θάλασσαν. *Compl. retinet vocem hebræam,* θααλὰ, *unde fortaſſe factum eſt,* θάλασσαν. *Theodoretus hanc rem narrans inquit Eliam feciſſe,* δοχεῖον, receptaculum aquæ, *quod hebræus vocet,* θααλὰ, *Joſephus autem,* δεξαμενὴν, conceptaculum aquarum. *Non tamen novum eſt in ſcriptura, receptaculum aquæ vocari mare. Lucifer habet,* foveam: *vulgata,* aquæductum. (*ſ*) Schizas.] *Lucifer,* ſcizas. *quod græce eſt,* σχίδακας, *quaſi ligna ſciſſa. Ejuſdem eſt,* demembrare, *id eſt, membratim dividere.* (*t*) Et clamavit Eliu in cœlum: & dixit.] *Ita etiam Lucifer. Compl. autem pro his habet,* καὶ ὡς ἦν καιρὸς τοῦ προσφέρεσθαι τὴν θυσίαν καὶ παρεγένετο ἠλίας ὁ προφήτης, καὶ εἶπεν, *quod vulgata,* cumque jam tempus eſſet, ut offerretur holocauſtum, accedens Elias propheta, ait. (*u*) Retro.] *Sic hebræus, & idem Lucifer: id eſt, ne jam abeat ad idola, aut* iterum, *ut vulgata. Compl.* ὀπίσω σου, poſt te. (*x*) Et cecidit.] *Nec plura Lucifer. Compl.* καὶ εἶδε πᾶς ὁ λαὸς, καὶ ἔπεσεν ἐπὶ πρόσωπον αὐτῶν. Et vidit omnis populus, & cecidit in faciem ſuam. (*y*) Pedum.] *Eodem modo Lucifer. Complut.* τοῦ ἤχους, ſoni. *Dictio hebræa tumultum & fragorem ſignificat.* (*z*) Et tu reverte.] *Nec plura hebræus: apud Luciferum legitur hic locus mutilate.* Non eſt nihil: circumage te ſepties. *Compl. autem,* ἐπίστρεψον καὶ ἐπίβλεψον ἑπτάκις, reverte, & inſpice ſepties. (*aa*) Aquam.] *Alii addunt,* ἀπὸ θαλάσσης, *& Lucifer,* de mare. (*bb*) Plorabat.] *Sic etiam Lucifer, quod græce eſt,* ἔκλαιεν. *Compl.* ἵππευσεν, equitavit: *quod reſpondet hebræo.*

CAP. XIX.

(*a*) SI tu es Eliu, & ego Jezabel.] *Hæc abſunt a Complutenſi, & vulgata, neque referuntur a Lucifero.* (*b*) Rathmon.] *Alii,* Rathmen. *Complut.* Ratham. *Eſt dictio hebræa, quam vulgata interpretatur* juniperum, *alii,* geniſtam. (*c*) Quidam.] *Complut. addit,* ἄγγελος, angelus. (*d*) Domino.] *Eſt hebraiſmus. Et eſt ſubintelligendum,* pro, *quod exprimit vulgata.* (*e*) Cras.] *Abeſt a Complut. & vulgata* (*f*) Tenuis.] *In nonnullis aliis, & in Complut. ſequitur,* κἀκεῖ κύριος, & ibi Dominus: *quæ tamen abſunt ab hebræo, & vulgata, neque referuntur a Theodoreto quæſt. 57.* (*g*) Saphat.] *In aliis additur,* ἐξ (*aut,* ἀπὸ) ἀβελμεελά. *quod vulgata,* qui eſt de Abelmeula. (*h*) Relinques.] *Complut.* καταλείψω, derelinquam, *ut vulgata: & propius accedit ad lectionem S. Pauli Rom. 11.* κατέλιπον ἐμαυτῷ, reliqui mihi (*i*) Quoniam feci tibi.] *Complut.* τί πεποίηκά σοι, quid feci tibi? *hebræus utrumque habet, &* quoniam, *&* quid.

CAP. XX.

(*a*) ET vinea una.] *Cæteri fere libri,* καὶ ἐγένετο μετὰ τὰ ῥήματα ταῦτα, καὶ ἀμπελὼν εἷς. *S. Ambroſius de Nabutha, cap. 2.* Et factum eſt poſt verba hæc, Erat vinea. *Cæterum totum hoc caput in Complut. & aliis quibuſdam libris eſt vigeſimum primum: vigeſimum autem eſt, quod in noſtra, & multis aliis & apud Theodoretum eſt vigeſimum primum. De hac re ita* Schol. ἰστέον ὅτι ἐν τῷ ἑξαπλῷ ἔμπαλιν κεῖται πρῶτον μὲν τὰ κατὰ τὸν υἱὸν ἄδερ βασιλέα συρίας, ἔπειτα δὲ τὰ κατὰ τὸν ναβουθαί. Sciendum eſt in Hexaplo contra poni, primum quidem quæ ad filium Ader regem Syriæ, deinde autem quæ ad Nabuthæ pertinent. (*b*) Aream.] *Complutenſ.* παρὰ τῷ οἴκῳ, *& S. Ambroſius,* juxta domum. (*c*) Et erit mihi in hortum olerum.] *Abſunt hoc loco a Complutenſi & vulgata: habentur tamen apud S. Ambroſium.* (*d*) Et turbatus eſt.] *Sic & alius codex, & S. Ambroſius. At in aliis libris, & Complutenſi, hæc antecedunt.* καὶ ἦλθεν ἀχαὰβ εἰς οἶκον αὐτοῦ συγκεχυμένος, καὶ ἐκλελυμένος ἐπὶ τῷ λόγῳ ᾧ ἐλάλησε πρὸς αὐτὸν ναβουθαὶ (*Complutenſ.* ναβουθ) ὁ ἰεζραηλίτης, καὶ εἶπεν, οὐ δώσω σοι τὴν κληρονομίαν τῶν πατέρων μου. Et venit Achaab in domum ſuam confuſus, & triſtis, ſuper verbo quod locutus erat ad eum Nabbuthæ, & dixerat. Non dabo tibi hæreditatem patrum meorum (*e*) Regem.] *Sic & alius liber: cæteri,* βασιλεὺς rex. *Complut.* βασιλείαν ἐπὶ ἰσραὴλ regnum ſuper Iſrael. (*f*) Eſto tui ipſius.] σεαυτοῦ γενοῦ. *S. Ambroſius, cap. 9.* redi ad te. *Vulgata,* æquo animo eſto. (*g*) Liberos.] *Compl. & S. Ambroſius,* ad liberos. *In vulgata eſt,* optimates. (*h*) In principio populi.] ἐν ἀρχῇ τοῦ λαοῦ. *S. Ambroſius.* in principem populi. *Lucifer,* in primo populo. *Vulgata,* inter primos populi. (*i*) Benedixit.] *Sic & S. Ambroſius. Theodoretus q. 59.* Bonis verbis uſa, εὐλόγησε, poſuit, pro, ἐβλασφήμησε, blaſphemavit. *Lucifer,* maledixit. (*k*) Et producant eum, & lapident eum.] *Lucifer,* & deducite eum, & lapidetur. *Compl.* καὶ ἐξαγάγετε αὐτὸν ἔξω, καὶ λιθοβολήσατε αὐτόν. *S. Ambroſius,* & producite illum, & lapidate. (*l*) Vocaverunt.] *Vulgata,* prædicaverunt, *Compl* ἐνετείλαντο, præceperunt. (*m*) Dicentes.] *In aliis quibuſdam,* ἄνδρες ἀποστασίας ναβουθαὶ κατέναντι τοῦ λαοῦ λέγοντες, εὐλόγησε, viri rebellionis Nabuthæ in conſpectu populi, dicentes, benedixit, &c. *quod ſatis reſpondet hebræo. Compl. habet,* εὐλόγηκας, benedixiſti. (*n*) Jezabel, & dixit.] *Alii,* ἰεζάβελ τῶν λεγόντων κέχωσαι (*aut* λελιθοβόληται) ναβουθαὶ, καὶ ἀπέθανε, εἶπεν (*aut,* καὶ εἶπεν) Jezabel dicentes, obrutus (*al.* lapidatus) eſt Nabuthæ, & mortuus eſt: dixit, *al.* & dixit. (*o*) Iezraelita.] *Hæc uſque ad* ſurrexit, *abſunt a Compl. & vulgata: Habentur tamen apud S. Ambroſium.* (*o*) Quomodo tu occidiſti.] *Ita fere Lucifer. At Compl. & S. Ambroſius habet tantum,* occidiſti (*q*) Omni.] *Iſtud,* πάντι, *abeſt fere ab omnibus.* (*o*) Sues, & canes.] *Lucifer.* canes & ſues. *Sed multi, & S. Ambroſius tantum,* canes. (*ſ*) Et meretrices lavabunt in ſanguine tuo.] *Hæc abſunt a Compl. & vulgata: ſed habentur apud Luciferum, & S. Ambroſium.* (*t*) Ecce ego.] *In aliquot libris,* τάδε λέγει κύριος, ἰδοὺ ἐγὼ, *& Lucifer.* Hæc dicit Dominus, Ecce ego. *S. Ambroſius nonnulla verba omittit.* (*u*) Veruntamen fruſtra.] *Compl.* πλὴν οὐκ ἦν ὡς ἀχαάβ, *Quod vulgata.* Igitur non fuit alter talis, ſicut Achab. *Theodoretus q. 60. hunc locum ita refert,* δωρεὰν ὁ ἀχαὰβ ἐπράθη τοῦ ποιῆσαι τὸ πονηρὸν ἐνώπιον κυρίου, ὡς μετέστησεν αὐτὸν ἡ ἰεζάβελ ἡ γυνὴ αὐτοῦ, καὶ βδελυχθῆναι ὀπίσω, Gratis Achaab venundatus eſt, ut faceret malum in conſpectu Domini (ſicut evertit eum Jezabel uxor ejus.) & abominabilis fieret poſt, &c. (*x*) Et pro verbo.] *Complutenſ.* καὶ ἐγένετο. ὡς ἤκουσεν ἀχαὰβ τὰ ῥήματα ταῦτα διέῤῥηξε. Et factum eſt: ut audivit Achaab verba hæc, conſcidit, &c. (*y*) Ivit.] *In quibuſdam additur,* κεκλιμένος, demiſſus. *Complutenſ.* καὶ ἐπορεύετο κεκυφὼς, *quod vulgata,* & ambulabat demiſſo capite. (*z*) Non inducam] *Ita fere S. Ambroſius. Alii,* ἀνθ' οὗ ὅτι ἐκωλύθη ἀπὸ προσώπου μου, οὐκ ἐπάξω, pro eo quod interdixit ſibi a facie mea, non inducam. *Complutenſ.* non ἐκωλύθη, *ſed* κατενύχθη, compunctus eſt. (aa) Inducam malum.] *S. Ambroſius*, inducam mala, *nec plura recitat. In aliis additur.* ἐπὶ τὸν οἶκον αὐτοῦ, ſuper domum ejus.

CAP. XXI.

(a) ET omnis equus.] *Hebræus*, & equus. *Complutenſ.* καὶ ἵπποι, & equi. (b) Filii tui.] *Nonnulli addunt*, τὰ καλὰ, boni. *Complutenſ.* τὰ κάλλιστα, *quod vulgata*, optimi. (c) Et tollent.] *Abeſt iſtud*, καὶ, *a Complutenſi. Hebræus habet*, Et erit: omne concupiſcibile oculorum tuorum ponent in manibus ſuis, & tollent. (d) Argentum.] *Complutenſ. addit*, καὶ, & argentum. *Sed hebræus*, & argento meo, & auro meo: & non prohibui ab eo. (e) Vulpibus.] ταῖς ἀλώπεξι. *Alii*, ταῖς δραξὶ, pugillis, *ut vulgata. Eodem modo Theodoretus, atque addit*: hæc autem dicebant minantes oppugnationis aggeres. (f) Turbam.] *Sic aliquot codices. Nonnulli addunt*, πάντα τὸν ὄχλον, *quod vulgata*, omnem multitudinem. *Alii*, πάντα τὸν ἦχον, omnem ſonitum. *Theodoretus*, ἑώρακας πάντως τὸν ἦχον μέγαν τοῦτον, vidiſti omnino ſonitum magnum iſtum. *Lucifer de reg. Apoſt.* ſi audiſti ſonum magnum iſtum. (g) Regionum.] τῶν χωρῶν, *quod vulgata*, per pediſſequos principum provinciarum. *Theodoretus quæſt. 61. habet*, τὸν χορὸν, in pueris ex iis qui incipiunt chorum, *& interpretatur*, ἐν ὀλίγοις μειρακίοις, in paucis puerulis. (h) Principes, pueros regionum.] *Atque item paulo poſt*, principes, pueri regionum. *Sed in aliis hic*, τοὺς παῖδας τῶν ἀρχόντων τῶν χωρῶν, *quod vulgata*, pueros principum provinciarum) *& ibi*, τὰ παιδάρια τῶν ἀρχόντων τῶν χωρῶν, *& vulgata*, pueri principum provinciarum. (i) Ducenti triginta.] *Ita etiam Theodoretus. Alii*, τριακόσιοι τριάκοντα, trecenti triginta: *nonnulli, & Complutenſ.* διακόσιοι τριάκοντα, καὶ δύο, ducenti triginta, & dno, *quod reſpondet vulgatæ.* (k) Et mittunt.] *Alii*, καὶ ἀπέστειλεν υἱὸς ἄδερ, *quod vulgata*: Miſit itaque Benadab. (l) Comprehendere.] *Non eſt locutio inuſitata*, dixit eis comprehendere, *id eſt, juſſit ut illos capiant. Sed alii libri*, συλλάβετε, comprehendite. (m) Principes pueri regionum.] *In aliis*, καὶ οὗτοι ἐξῆλθον ἐκ τῆς πόλεως, τὰ παιδάρια ἀρχόντων τῶν χωρῶν. Et ii egreſſi ſunt e civitate, pueri principum regionum: *quod valde reſpondet hebræo: a quo abſunt, quæ præcedunt*, & non exeant e civitate, *ſicut etiam a Complutenſi.* (n) Percuſſit.] *Complutenſ.* & percuſſit. *Lucifer ad reg. Apoſt. hunc locum ſic refert.* Et exierunt pueri de civitate, principum regionum, & exercitus qui poſt illos: & percuſſit unuſquiſque quem invenit ſecus ſe. (o) Et dixerunt.] *In aliis*, εἶπον πρὸς αὐτὸν, dixerunt ad eum. *Theodoretus autem ita hunc locum refert*, ἐροῦσιν οἱ σύροι, θεὸς ὀρέων, dicent Syri, Deus montium, &c. *quaſi hæc a Deo per eundem prophetam prædicantur.* (p) Et inſtaurabimus tibi virtutem.] *Eſt aliqua varietas etiam in aliis. Complutenſ. autem habet tantum*, καὶ ἄλλαξον σὺ, & inſtaura tu, *quod reſpondet vulgatæ.* (q) Ejus.] *Alii*, αὐτῶν, eorum. (r) Cubiculo.] *Ita vertimus illud*, τοῦ κοιτῶνος, *quoniam eſt hebraiſmus: & ſupplenda eſt præpoſitio hoc modo*, e cubiculo in thalamum. *Ita & capite ſequenti.* (ſ) Et dixit pueris ſuis: Novi, quia.] *Ita & alius codex: nec multo aliter in quibuſdam*, καὶ εἶπε τοῖς παισὶν αὐτοῦ, ἰδοὺ δὴ οἴδαμεν, ὅτι. Et dixit pueris ſuis: Ecce jam novimus, quia. *Sed in aliis*, καὶ εἶπον πρὸς αὐτὸν οἱ παῖδες αὐτοῦ, ἰδοὺ δὴ οἴδαμεν ὅτι. *In Complutenſi autem*, ἰδοὺ δὴ ἠκούσαμεν, ὅτι βασιλεῖς οἴκου ἰσραὴλ, *quod vulgata*, Dixeruntque ei ſervi ſui: Ecce audivimus, quod reges domus Iſrael. (t) Noſtra.] *Alii*, μου, mea. (u) Et pro fœdere.] ἐσπείσαντο. *Nonnulli*, ἐπίστευντο, crediderunt. *Complutenſ. & aliquot codices*, ἔσπευσαν. *& vulgata*, & feſtinantes rapuerunt. Vox quidem Hebraica videtur ſignificare, ἔσπευσαν. (x) Percutiens, & contrivit.] *Magis ad hebræum, quam*, καὶ πατάξας συνέτριψε, & percutiens contrivit, *quod eſt in aliis, & in ſcholio inſerto codici Theodoreti: ubi etiam*, συνέτριψε, *exponitur*, ἐτραυμάτισε, vulneravit, *ut vulgata.* (y) Ecce & inſidiæ apud me: occidiſti.] *In aliquot codicibus*, ἰδοὺ τὰ ἔνεδρα, ecce inſidiæ. *In uno codice, & in comm. græcis, & in Compl.* ἰδοὺ σὺ δικαστὴς παρ' ἐμοὶ ἐφόνευσας, ecce tu judex apud me: occidiſti. *Theodoretus quæſt. 62.* ἰδοὺ σὺ δίκῃ τῇ παρ' ἐμοὶ ἐφόνευσας, Ecce tu mea quidem ſententia cædem feciſti. *Et explicans addit*, Hoſtem enim ſolviſti, ut multas ille perpetret cædes. (z) Confuſus & triſtis.] συγκεχυμένος καὶ ἐκλελυμένος. *Compl.* κλαίων. *Theodoretus* συνεχόμενος, καὶ κλαίων, compreſſus & plorans. *Vulgata*, contemnens & furibundus.

CAP. XXII.

(a) QUia nobis.] *Sic hebræus. Complutenſ.* ἡμῶν ἐστὶ, noſtra eſt. (b) Sicut ego.] *Optime reſpondet hebræo. Theodoretus autem, quæſt. 64.* καθὼς σὺ, οὕτω κἀγὼ, καθὼς ὁ λαός σου, οὕτω ὁ λαός μου, ſicut tu, ita & ego: ſicut populus tuus, ita populus meus: *nec multo aliter Complutenſ. videatur lib. 4. cap. 3.* (c) Non eſt hic.] *Theodoretus*, οὐκ ἔτι ὧδε, non eſt amplius hic. (d) Unus.] *Alii*, ἔτι εἷς, adhuc unus. (e) Et proſperabit.] *Complutenſ. addit*, σε, te. *itemque paulo poſt.* (f) Toties.] *Theodoretus quæſt. 65.* Iſtud, ποσάκις, *dictum eſt, pro*, πολλάκις, ſæpe. *Sed poſſet verti*, quoties, *& apponi nota interrogationis. In aliquo libro eſt*, ἔτι δὶς, adhuc bis. *Vulgata*, iterum, atque iterum. (g) Non ſic.] *Complutenſis habet tantum*, οὕτως, ſic: *hebræus neque hoc habet. Theodoretus tamen habet, & explanat*, non vere illud dixi. Vidi enim, &c. (h) Non Dominus his Deus.] *Aliqui libri*, εἰς θεὸν, in Deum.] *Complutenſ.* οὐ κύριος τούτοις; nonne Dominus his? *Sed magis reſpondet hebræo, & vulgatæ, ſi dicatur ſine interrogatione*, non eſt Dominus iſtis. *Apud Theodoretum*, εἰ κυρίως αὐτοῖς πρὸς θεὸν ἀποστραφήτω, ſi proprie & ſtabiliter ipſi erga Deum, revertatur, *quomodo ipſemet paulo poſt explanat. Interpres videtur habuiſſe*, εἰ κύριος αὐτοῖς εἰς θεόν. *Ita enim vertit*, ſi Dominus eſt eis in Deum. (i) Non ſic, non ego: audi verbum Domini: non ſic. Vidi.] *Complutenſ. habet tantum*, διὰ τοῦτο ἄκουσον τὸν λόγον κυρίου εἶδον. Propter hoc audi verbum Domini. Vidi *quomodo etiam vulgata. Theodoretus hoc modo refert*: οὐκ ἐγὼ, ἄκουσον τὸν λόγον κυρίου. εἶδον. Non ego: audi verbum Domini. Vidi, &c. (k) Qui loquutus eſt in te.] *Complutenſ.* ἀπέστη ἀπ' ἐμοῦ τοῦ λαλῆσαι ἐν σοί; receſſit a me ad loquendum in te? (l) Cubiculo.] *Diximus præcedente capite de hoc hebraiſmo: ſignificat enim quod exprimitur in Complutenſi* ἐκ ταμείου, e cubiculo. (m) Semer regem.] *Alii*, πρὸς ἀμμὼν τὸν ἄρχοντα τῆς πόλεως, *quod vulgata*, apud Ammon principem civitatis. *Sed etiam in Complutenſi ſequitur*, καὶ πρὸς ἰωὰς υἱὸν τοῦ βασιλέως, & ad Joas filium regis: *ubi vulgata*, filium Amalec: *quamvis multi ex hebræo vertant* filium regis. (n) In me.] *Nec plura refert Theodoretus. Compl. addit.* καὶ εἶπεν ἀκουσάτω πᾶς ὁ λαὸς, *quod vulgata.* Et ait, audite populi omnes. (o) Meum.] *Sic etiam Complutenſ. vulgata ex hebræo habet*, veſtibus tuis. *Theodoretus hanc rem narrans inquit, Syros conjeciſſe ex paludamento regio Joſaphat eſſe regem Iſrael.* (g) Bene collimans.] εὐστόχως. *Complutenſ.* ἁπλῶς, ſimpliciter, *quod vulgata*, in incertum. (q) Et effundebat ſanguinem e plaga in ſinum currus.] *Hæc abſunt a Complutenſi & vulgata: ſed pro his habentur illa, quæ in noſtra, & in aliis & vulgata ſequuntur poſt ea*, & mortuus eſt veſperi. *(licet in Complut. antecedant) quare videri poſſunt duæ ejuſdem ſententiæ interpretationes.* (r) Stragis.] τῆς τροπῆς. *Ita plerique vetuſti. In uno tamen inventum eſt*, ἐκ τῆς τρυπῆς, ex foramine, ex plaga. *Complutenſ.* τῆς πληγῆς, τῆς τροπώσεως, plagæ, ſtragis: *quæ duæ videntur interpretationes.* (ſ) Sanguinem.] *In Compl. additur*, ἀπὸ τοῦ ἅρματος, de curru. (t) Sues, &.] *Abeſt a Complutenſi & vulgata: nec Theodoretus ſuum mentionem facit, ſed canum, & meretricum: de quibus tamen meretricibus nihil in vulgata, licet in Complut. Videatur cap. 20.* (u) Triginta.] *Ita etiam ſupra cap. 16. & hic vulgata. Compl. autem*, τεσσαράκοντα, quadraginta. (x) Quæcunque.] *In aliis*, καὶ αἱ δυναστείας αὐτοῦ, ἃς ἐποίησεν, & potentatus ejus, quos fecit, *id eſt fortia, & præclara ejus facta.* (y) Juda.] *Hic in Compl. ut in vulgata, adduntur ea quæ in noſtra, & aliis græcis ſunt, cap. 16 ut ibi notatum eſt ex ſcholio. Sunt tamen multæ in verbis varietates. Satis erit eas, quæ primo ſe offerunt, notare. Nam quod ibi eſt*, καὶ τὰ λοιπὰ τῶν συμπλοκῶν, ἃς ἐπέθεντο ἐν ταῖς ἡμέραις ἀσὰ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, ἐξῆρεν ἀπὸ τῆς γῆς. καὶ βασιλεὺς οὐκ ἐν συρίᾳ νασίβ. Et reliqua complicationum, quas impoſuerant in diebus Aſa patris ſui ſuſtulit de terra. Et rex non erat in Syria Naſib: *in Complut. hoc loco ſic habet*, καὶ τοὺς λοιποὺς τῶν τετελεσμένων τῶν καταλελειμμένων ἐν ταῖς ἡμέραις ἀσὰ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, ἀφεῖλεν ἀπὸ τῆς γῆς, καὶ βασιλεὺς οὐκ ἦν ἑστηκὼς ἐν ἰδουμαίᾳ, *& in vulgata*, ſed & reliquias effæminatorum, qui remanſerant in diebus Aſa patris ejus, abſtulit de terra. Nec erat tunc rex conſtitutus in Edom. (z) Quæ facta fuerant.] *Compl.* ὅσα ἐποίησεν ὁ πατὴρ αὐτοῦ, *quod vulgata*, quæ fecerat pater ejus.

REGNORUM. LIB. IV.

CAP. I.

(a) DEum.] *Theodoretus quæſt. 3. videtur habuiſſe*, προσόχθισμα, offendiculum, abominationem. *Propius autem hebræo eſt*, in Baal, *quam*, διὰ τοῦ βαὰλ, per Baal, *quod eſt in Complutenſi.* (b) Et non ita: quoniam.] *Rurſus, ut ſuperiore capite, habet hic Complutenſ. tantum*, διὰ τοῦτο, quamobrem, *ut vulgata. Eadem varietas eſt paulo poſt in verbis nunciorum ad regem, & Eliæ ad regem.* (c) Et reverſi annunciaverunt regi, ſecundum quæ locutus fuerat Eliu.] *Hæc abſunt a Compl. & a vulgata.* (d) Aſcendit.] *Sic etiam vulgata. Complutenſ.* ἐπορεύθησαν, iverunt. (e) Ducem.] ἡγούμενον. *Complut. etiam hic*, πεντηκόνταρχον τρίτον, *& vulgata*, principem quinquagenarium tertium. *In aliquo libro utrumque ponitur, hoc poſt illud: & fortaſſe duæ ſunt interpretationes.* (f) Primos.] *In aliis additur*, καὶ τοὺς πεντήκοντα αὐτῶν, *quod in vulgata*, & quinquagenos, qui cum eis erant: *nec multo aliter Compl.* καὶ ἑκάστου τοὺς πεντήκοντα. (g) Et dixit Eliu.] *Dictio*, Eliu, *abeſt a nonnullis: totum autem iſtud a Compl. & vulgata.* (h) Quid, quod miſiſti.] *Compl.* ἀνθ' ὧν ἀπέστειλας ἐπερωτῆσαι, pro eo quod miſiſti interrogare, &c. διὰ τοῦτο ἡ κλίνη, propterea lectus, &c. (i) Eliu.] *In aliis libris ſequitur*, καὶ ἐβασίλευσεν ἰωρὰμ ὁ ἀδελφὸς ὀχοζίου ἀντ' αὐτοῦ, ὅτι οὐκ ἦν αὐτοῦ (*aut* αὐτῷ) υἱὸς, *in Compl. autem propterea*, ἐν τῷ ἔτει τῷ δευτέρῳ ἰωρὰμ υἱοῦ ἰωσαφὰτ βασιλέως ἰούδα. Et regnavit Joram frater Ochoziæ pro eo, quoniam non fuit ei filius, in anno ſecundo Joram filii Joſaphat regis Juda. *Theodoretus locum iſtum de ſucceſſione explicat, q. 5. Cujus verba afferemus quoniam interpres mutilato codice eſt uſus.* νόμου ὄντος τῶν βασιλέων τοὺς παῖδας τὴν βασιλείαν κληρονομεῖν, παίδων δὲ οὐκ ὄντων, τὸν πρεσβύτατον ἀδελφὸν ἢ τὸν ἐπιτηδειότατον. αὐτίκα γοῦν τὴν δαυιδικὴν βασιλείαν μέχρι τῆς αἰχμαλωσίας παῖς παρὰ πατρὸς παραλαμβάνοντες ᾠκονόμησαν. τοῦ δὲ ἰεχονίου πρὸ τῆς παιδοποιΐας δορυαλώτου ληφθέντος, ματθανίας ὁ καὶ σεδεκίας κατέσχε τὴν βασιλείαν, θεῖος ὢν αὐτοῦ πρὸς πατρός. Lex erat, regum filios hæreditatem regni adire: quod ſi non eſſent filii, fratrem natu maximum, vel eum, qui maxime propinquus eſſet. Statim quidem Davidicum regnum uſque ad captivitatem, filius a patre, accipientes adminiſtrarunt. Sed cum Jeconias ante liberorum procreationem, bello captus eſſet, Matthanias, qui & Sedecias, obtinuit regnum, cum eſſet illius patruus. (k) Octavo & decimo.] *Ita in duobus vetuſtis, & ita inferius cap. 3. In aliis*, ἐν ἔτει εἰκοστῷ καὶ πρώτῳ, in anno vigeſimo & primo. *Verum omnia iſta quæ ſequuntur poſt illa*, regibus Iſrael, *uſque ad finem capitis, abſunt a Compl. & vulgata: & ponuntur cap. 3. ubi etiam in noſtra repetuntur.*

CAP. II.

(a) IN deſerto.] ἐν ἐρήμῳ. *Complut.* διὰ ξηρᾶς, *quod vulgata*, per ſiccum. (b) Fiant, quæſo, duplicia.] *Complut.* γενηθήτω δὴ τὸ πνεῦμα τὸ ἐπὶ σοὶ διπλῶς ἐπ' ἐμέ. Fiat quæſo ſpiritus qui ſuper te, dupliciter ſuper me. *Quod quidem planius eſt, & reſpondet vulgatæ. Sed illud propius phraſi hebraicæ. Theodor. non refert ipſa verba, ſed ita proponit quæſtionem 7.* τί δή ποτε, τοῦ ἐλισαίε διπλῆν τὴν χάριν αἰτήσαντος, ὁ μέγας εἶπεν ἠλίας, ἐσκλήρυνας τοῦ αἰτήσασθαι; Quid ita, cum Elisæus petiisset duplicem gratiam, magnus Elias dixit, Dure egisti in petendo. (*c*) Tanquam in cœlum.] ὡς εἰς τὸν οὐρανόν. *Ita etiam initio capitis in omnibus codicibus collatis: ſed hic in Complut.* ἕως εἰς τὸν οὐρανὸν, uſque in cœlum. *In vulgata utrobique abſolute*, in cœlum. (*d*) Currus.] *Ita etiam Theodoretus quæſt.* 8. *S. Ambroſius de Nabuthæ, c.* 15. agitator. (*e*) Eliſæ.] *Compl.* αὐτοῦ, eo, *& poteſt intelligi, decidiſſe ab Elia: quem ſenſum præ ſe fert vulgata.* (*f*) Aquam.] *In aliis libris additur*, καὶ οὐ διῄρεθη, & non diſceſſit. *In Complut.* τὰ ὕδατα, καὶ οὐ διῃρέθη, aquas, & non ſe diviſerunt: *quæ agnoſcuntur etiam a Theodoreto q.* 8. *Sed abſunt ab hebræo, & vulgata. Sunt enim ſupplenda cogitatione.* (*g*) Appho] *Theodoretus ibidem*, ἀφφὼ, exponitur, ὁ κρύφιος, occultus, κατὰ τὴν ἔκδοσιν τῶν ἄλλων ἑρμηνευτῶν. ſecundum editionem aliorum interpretum. *Sed vulgata*, etiam nunc (*h*) Eliſæ.] *In aliquot libris ſequitur, ut etiam ſupra*, διὰ ξηρᾶς, per ſiccum, *Sed hic non eſt in vulgata.* (*i*) Filii virtutis.] *Theodoretus q.* 6. *inquit*, υἱοὺς δυνάμεως, *eſſe vocatos*, εὐζώνους, *milites ſuccinctos, & ſtrenuos.* (*k*) Sterilis.] ἀτεκνουμένη, *quod poteſt etiam ſignificare*, orbans. *S. Ambroſius ſerm.* 87. ſed aquæ malæ, & ſteriles ſunt. (*l*) Mors, & ſterilis.] *Reſpondet hebræo. Compl.* ἀποθνήσκων, οὐδὲ ἀτεκνουμένη, *& S. Ambroſius ibidem*, non erit ex eis moriens, neque ſterilis. (*m*) Eos] *Compl.* αὐτοῦ, poſt ſe.

CAP. II.

(*a*) Peccato.] *Compl.* ἁμαρτίαις, peccatis: *& ſic ſuperius cap.* 1. *in noſtra.* (*b*) Noced.] *Theodoretus q.* 10. Iſtud, νωκὴδ, alii interpretes dixerunt, ἀρχιποιμένα, principem paſtorum. (*c*) In rebellione.] ἐν τῇ ἐπαναστάσει, *id eſt, quo tempore rebellavit, ſolitus erat pendere. Theodoretus hunc locum ſic refert*, καὶ ἦν φέρων φόρον τῷ βασιλεῖ ἰσραὴλ ἑκατὸν, & erat ferens tributum regi Iſrael centum, &c. *Compl. autem quaſi duas miſcens interpretationes*, καὶ ἦν φέρων φόρον, καὶ ἐπιστρέφων τῷ βασιλεῖ ἰσραὴλ ἑκατὸν, & erat ferens tributum, & reddens regi Iſrael centum &c. *Noſtra, ſi abſit iſtud*, ἐν τῇ ἐπαναστάσει, *optime reſpondet hebræo, & vulgata.* (*d*) Similis mihi.] *Compl.* ὅμοιός σοι, ὅμοιος ἐμοὶ, καὶ ὡς ὁ λαός σου, ὁ λαός μου, καὶ ὡς ἵπποι σου, καὶ ἵπποι μου, ſimilis tibi, ſimilis mihi, & ſicut populus tuus, populus meus, & ſicut equi tui, & equi mei. *Sed noſtra proprior hebræo. Ac de ſimili varietate dictum eſt etiam ſupra, lib.* 3. *cap. ultimo.* (*e*) Advenientes.] παρερχόμενους. *Compl.* τούτους, iſtos. (*f*) Et inquiramus Dominum ab eo.] *Reſpondet ad verbum hebræo Compl.* καὶ ἐπερωτήσομεν τὸν κύριον δι' αὐτοῦ, & interrogabimus Dominum per eum. (*g*) Et poſſeſſiones.] *Sic hebræus & ſignificantur pecudes, aut, ut inquit vulgata*, familiæ. *Complutenſ. habet*, καὶ αἱ παρεμβολαὶ ὑμῶν, καὶ αἱ κτήσεις ὑμῶν, & caſtra veſtra, & poſſeſſiones veſtræ. (*h*) Levis hæc.] *Uſitatus hebraiſmus: pro quo in Compl. eſt*, καὶ κοῦφον τοῦτο, & leve hoc. (*i*) Tradam.] *Alii*, παραδώσει, *& vulgata*, tradet. (*k*) Munitam.] *In Compl. additur*, καὶ πᾶσαν πόλιν ἐκλεκτὴν, *quod in vulgata*, & omnem urbem electam. (*l*) Ex omni, accincti zona. Et dixerunt, Hem.] ἐκ παντὸς, περιεζωσμένοι ζώνην, καὶ εἶπον, ὦ. *Ita duo libri vetuſti: ut videatur hoc ſibi velle, ex omni regione Moabitica clamaverunt ii, qui bello erant idonei, & quaſi ſe mutuo cohortantes dixerunt, Hem: aut, præcones per omnem regionem clamaverunt, o vos, qui accincti eſtis balteo militari, venite ad bellum: & dixerunt, Ecce nos. In aliis libris, pro*, εἶπον ὦ, *eſt* ἐπάνω, ſupra, *id eſt, ii, qui ad militarem ætatem pervenerunt, & illi, qui in ea jam ſunt progreſſi. Compl. autem*, καὶ ἐβόησαν ἐκ παντὸς περιζωννυμένου παραζώνην, καὶ ἐπάνω, & clamando vocaverunt de omni accincto balteum, & ſupra: *quod ſatis reſpondet hebræo.* (*m*) Deſtructos] *Compl.* τεκτονικῆς, opere ædificationis.

CAP. IV.

(*a*) In domo niſi, quo ungar, oleum.] *Complut.* ἀλλ' ἢ ἀγγεῖον ἐλαίου ἐν τῷ οἴκῳ ᾧ ἀλείψομαι, niſi vas olei in domo, quo ungar. *S. Auguſtinus, ſermone* 2. *Dom.* 5. *poſt Trin.* Vivit dominus, quia non habeo niſi modicum olei, quo ungar. *Verum in illa homilia potius videntur referri ſententiæ, quam ipſa verba ſcripturæ.* (*b*) Non parcas.] *Ita viſum eſt ſatis apte poſſe verti illud*, μὴ ὀλιγώσῃς, *quod S. Auguſtinus per compendium dixit*, Pete vaſa multa. (*c*) Ab eo.] *Additur in aliis, & Compl.* καὶ ἐποίησεν οὕτως, & fecit ſic, *quæ tamen abſunt a vulgata.* (*d*) Fœnora tua] τοὺς τόκους σου. *Complut.* τὸ δάνειον, mutuum. *S. Auguſtinus*, redde creditoribus tuis: *quod parum abeſt a vulgata.* (*e*) Divertebat ad manducandum illic.] ἐξέκλινε τοῦ ἐκεῖ φαγεῖν. *In aliis additur*, ἄρτον, panem, *ut in vulgata. Compl. autem*, ἐξέκλινεν αὐτὸν φαγεῖν ἄρτον, inclinabat eum ad comedendum panem: *ſi ex hebræo conjectura facienda eſſet, legendum potius eſſet*, αὐτοῦ illuc. (*f*) Locum parvum.] *Abſunt a S. Auguſtino. Compl. non habet* locum, *hebræus* cœnaculum parietis parvum. (*g*) Trepidaſti.] ἐξέστησας ἡμῖν πᾶσαν τὴν ἔκστασιν ταύτην, *& verbum iſtud trepidandi optime reſpondet hebræo, & ſignificat immenſam quandam ſolicitudinem. Compl.* ἐξέταξας τὴν ἔκταξιν, apparaſti apparatum. (*h*) Ego quidem habito.] ἐγώ εἰμι οἰκῶ. *Compl. & Theodoretus*, ἐγὼ κατοικῶ, ego inhabito. *Et explanat Theodoretus*, vacuitate negotiorum delector, in pace dego, litem cum aliquo habere non fero. (*i*) Sicut hora.] ὡς ἡ ὥρα, ζῶσα σὺ περιειληφυῖα υἱόν. *Theodoretus q.* 16. κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον ὡσεὶ ὥρα, ζῶσα σὺ περιειληφυῖα υἱόν. Ad tempus hoc, ſicut hora, vivens tu conceperis filium. *Et illud*, ſicut hora, *eſt loquutio uſitata, pro*, in hac hora. *In Compl. autem hic exprimitur*, ὡς ἡ ὥρα αὕτη, *non autem paulo poſt.* (*k*) Domine.] *In Compl. additur*, ἄνθρωπε τοῦ θεοῦ, *quod in vulgata*, vir Dei. (*l*) Et factum eſt, quando egreſſus eſt.] *Compl.* καὶ ἐγένετο ἡμέρα θερισμοῦ, καὶ ἐξῆλθε τὸ παιδάριον, Et facta eſt dies meſſis, & exiit puer. (*m*) Puerulo] *Ita etiam hebræus: nec plura refert Theodoretus. Compl. autem, & ex parte quadam alii addunt*, καὶ ἔδραμεν εἰς ἀπάντησιν αὐτῆς, καὶ εἶπεν εἰρήνη σοι; εἰρήνη τῷ ἀνδρί σου; εἰρήνη τῷ παιδαρίῳ σου; tuo? Et cucurrit in occurſum ejus, & dixit: Pax tibi? Pax viro tuo? pax puero tuo? (*n*) In occurſum ejus.] *Sic etiam hebræus: quod in Compl. clarius*, γιεζὶ εἰς ἀπάντησιν τῷ ἐλισαιὲ, Giezi in obviam Eliſæe. (*o*) Manus ejus.] *Nec plura in vulgata. In nonnullis codicibus additur*, καὶ τὰ ἴχνη αὐτοῦ ἐπὶ τὰ ἴχνη αὐτοῦ, & veſtigia ſua ſuper veſtigia ejus. (*p*) Inflexit.] ἔκαμψεν. *Aliquot codices habent* ἐνεφύσησε, inſufflavit. *Et de hac ipſa, ſufflandi, voce tanquam hoc loco poſita, diſputat accurate S. Aug. lib.* 3. *de anima, & ejus origine, cap.* 15. *Theodoretus q.* 18. *verbum*, ἐνεφύσησεν, *dixit eſſe aliorum interpretum. Sed quodnam ipſe tanquam ex LXX habuerit, ex collatis illius codicibus non conſtat: qui hoc loco videntur mendoſi, & partim habent*, ἔσχλαζε, *partim* ἔσλαδε, *partim* ἐλαάδε, *partim* ἐλαδέ. *Compl. autem duas videtur conjungere interpretationes*, καὶ συνέκαμψεν ἐπ' αὐτὸν, καὶ ἐνεφύσησεν ἐπ' αὐτόν. (*q*) Curvavit.] συνέκαμψεν. *Theodoretus hoc loco videtur habuiſſe*, ἐνέπνευσεν, inſpiravit. *Hæc enim affert:* Illud autem, ἐνέπνευσεν ἐπ' αὐτὸν, cæteri dixerunt, συνεκάλυψεν, cooperuit: *quod quidem*, συνεκάλυψεν, *reperitur etiam in aliquot codicibus. In ſcholio tamen quodam legitur*, Illud autem, ἐνεγύωσεν ἐπ' αὐτὸν, cæteri dixerunt, συνέκαμψεν. *Compl. iterum duas coagmentat interpretationes*, καὶ συνεκάλυψεν ἐπὶ τὸ παιδάριον καὶ ἔπνευσεν ἐπ' αὐτό. *Et addit iſta*, καὶ ἠνδρίσατο τὸ παιδάριον ἑπτάκις, καὶ διεκινήθη τὸ παιδάριον, & confortavit ſe puer, & movit ſe puer. *S. Auguſtinus in eodem ſerm. memorat puerum oſcitaſſe ſepties. Sed ex qua interpretatione iſtud acceperit, incertum. Vulgata enim*, & incubuit ſuper eum, & oſcitavit puer ſepties. (*r*) Arioth.] *Theodoretus q.* 19. Cæteri ſunt interpretati, ἀγριολάχανα, olera agreſtia. (*ſ*) Viginti.] *Ita etiam Theodoretus, & vulgata. Sed S. Ambroſius lib.* 6. *Hexam. cap.* 2. decem. (*t*) Palathas.] *De qua dictione alibi dictum eſt. Compl. addit*, ἐν τῇ πήρᾳ αὐτοῦ, *quod vulgata*, in pera ſua.

CAP. V.

(*a*) Princeps virtutis.] *Compl.* ὁ ἀρχιστράτηγος βασιλέως συρίας, princeps militiæ regis Syriæ, *ut vulgata.* (*b*) Acceptus facie.] τεθαυμασμένος προσώπῳ, *id eſt, cujus faciem admirabantur; quem honorabant: quare Vulgata*, honoratus. (*c*) Syria.] *Sic etiam alius codex: & reſpondet hebræo: & volunt ſubintelligi præpoſitionem*, de Syria, *ut vulgata, & alii codices græci* ἐκ συρίας, de Syria. *In aliquibus vero eſt*, καὶ συρία ἐξῆλθε μονόζωνοι πειρατήριον, & Syria exivit, accincti, globus piratarum: *ut appareat duas eſſe interpretationes*, ἐξῆλθε πειρατήριον, ἐξῆλθον μονόζωνοι. *Nam &*, πειρατήριον, *&* μονόζωνοι, *reſpondent eidem dictioni hebraicæ, quæ alibi dicta eſt Geddur, ut ſuis locis notatum eſt. Hic quidem in hebræo eſt in numero multitudinis, quaſi dicas* agmina. (*d*) Samaria.] *Sic etiam hebræus, & vulgata. Complut. autem addit*, καὶ δεηθείη τοῦ προσώπου αὐτοῦ, & oraret faciem ejus. (*e*) Curabit.] *Idcirco videtur verbum iſtud*, ἀποσυνάξει, *uſurpatum eſſe hic, & paulo poſt, pro* curabit, *quoniam verbum hebræum valet*, colligere, *&* recolligere. (*f*) Deus.] *Sic & alius codex. Cæteri*, μὴ θεὸς, Nunquid Deus. (*g*) Mihi.] *Locutio hebræa, & ſignificat idem ac*, πρὸς μὲ, adverſum me, *quod eſt in Compl.* (*h*) Eliſæe.] *Compl. addit*, ἄνθρωπος τοῦ θεοῦ, *quod in vulgata*, vir Dei. (*i*) Super omnes aquas.] *Convenit cum græco, & vulgata In aliquot vero codicibus eſt, & in Compl.* ὑπὲρ τὸν ἰορδάνην, καὶ πάντα (*aut*, ὑπὲρ πάντα) τὰ ὕδατα ἰσραὴλ *S. Ambroſius, in cap.* 4. *Luc.* Nonne boni Abana, & Farfar fluvii Damaſci, præ Jordane? (*k*) Magnum verbum.] *Compl.* πάτερ, εἰ μέγαν λελάληκε λόγον πρὸς σὲ ὁ προφήτης, οὐκ ἂν ἐποίησας, καθότι εἶπε πρὸς σέ; λοῦσαι, Pater, ſi magnum locutus eſſet verbum ad te propheta; nonne feciſſes, ſicut dixit ad te? lavare, &c. *Et in hebræo quidem eſt*, Pater mi: *ſed cætera verborum conſtructio valde ſimilis eſt noſtræ, licet eundem ſenſum habeat, ac Compl. & vulgata.* (*l*) Eliſæe.] *Compl.* τοῦ ἀνθρώπου τοῦ θεοῦ, hominis Dei: *itemque paulo poſt.* (*m*) Onus par mulorum.] γόμος, ζεῦγος. *In aliis partim*, γόμος, ζεῦγος, Gomor, par, *partim*, γόμος ζεύγους, Gomor paris. *Compl.* γόμος ζεύγους ἡμιόνων γῆς, onus paris mulorum de terra, *quod reſpondet vulgatæ. Theodoretus, q.* 19. *in hunc locum hæc ſcribit*, ὁ δὲ θαυμάσιος ἐκεῖνος ἀνὴρ καὶ αὐτὴν τοῦ ἰσραὴλ τὴν γῆν ἡγιάσθαι πιστεύων, ἠξίωσεν δύο γόμους ἡμιονικοὺς ἐκ ταύτης λαβεῖν, ὥστε ἐπὶ ταύτης μόνον προσφέρειν τῷ δεσπότῃ θεῷ τὰς θυσίας. Admirabilis ille vir ipſam quoque terram Iſrael ſanctificatam eſſe credens, poſtulavit accipere de ea, δύο γόμους ἡμιονικοὺς, duo mulorum onera ut ſuper eam tantummodo offerret Domino Deo ſacrificia. *Quod autem ſequitur in nonnullis*, καὶ σύ μοι δώσεις ἐκ τῆς γῆς τῆς πυῤῥᾶς, & tu mihi dabis de terra rubra, *abeſt etiam a Compl. & vulgata.* (*o*) Domino] *Cæteri fere addunt*, μόνῳ, ſoli: *ſicut etiam Theodoretus: quod tamen abeſt ab hebræo, & vulgata. In verbis, quæ ſequuntur, magna eſt codicum varietas: & in multis apparet coagmentatio diverſarum interpretationum. Theodoretus ſic recitat*, καὶ περὶ λόγου τούτου ἱλάσεταί μοι κύριος τῷ δούλῳ σου, ἐν τῷ εἰσπορεύεσθαι τὸν κύριόν μου εἰς οἶκον ῥεμμὼν προσκυνῆσαι ἐκεῖ, ὅτι αὐτὸς ἐπαναπέπαυται ἐπὶ τῆς χειρός μου. Et de verbo hoc propitiabitur mihi Dominus ſervo tuo, in ingrediendo dominum meum in domum Rhemmon ad adorandum illic: quoniam ipſe inniti ſolitus eſt ſuper manum meam. *Et ita fere Complutenſis, niſi quod habet*, ἐπαναπαύσεται, *ut noſtra.* (*p*) In Debratha.] *Aliquot libri, & in Compl.* ἐν χαβραθὰ, *quod in vulgata*, electo tempore. *Alii ea dictione ſignificari putant*, quaſi milliare (*q*) Pax.] *Compl.* εἰρήνη; καὶ εἶπε γιεζὶ, εἰρήνη. Pax? Et dixit Giezi: Pax: *& ita hebræus.* (*r*) Converſus eſt.] ἐπέστρεψεν. *Theodoretus, & Compl.* κατεπήδησεν, deſiliit. *Sed S. Auguſtinus* 22. *de civit. cap.* 29. *hæc ſcribit.* Nam ſecundum interpretes LXX. iſta ſunt a Giezi verba prophetæ: Nonne cor meum tecum ibat, & novi, quod converſus eſt vir de curru ſuo in obviam tibi? (*ſ*) Veſtimenta, & oliveta.] *Ita in alio etiam codice. Alius*, τὰ ἱμάτια, ἵνα κτήσῃ ἐλαιῶνας, veſtimenta, ut acquiras oliveta. *Cæteri*, καὶ λήψῃ ἐν αὐτῷ κήπους, καὶ ἐλαιῶνας, & accipies in eo hortos, & oliveta: *itemque Theodoretus, niſi quod pro*, ἐν αὐτῷ, *habet*, σεαυτῷ, tibi. *Apud quem etiam ſequitur*, καὶ ἀμπελῶνας, καὶ ποίμνια, καὶ βουκόλια, καὶ δούλους, καὶ δούλας, & vineas, & greges, & armenta boum, & ſervos, & ſervas: *quemadmodum & in Compl. & reſpondent vulgatæ. S. Ambroſ. in cap.* 4 *Luc.* Accepiſti pecuniam, & poſſidebis ex ea agrum, & vineas, & oliveta, & greges: & lepra Naaman adhærebit tibi, & ſemini tuo uſque in æternum.

CAP. VI.

(*a*) Ibi.] *Compl.* σκέπην, tegmen. *Vulgata*, locum. (*b*) Leniter. Veni] *Aliquot libri*; δεῦρο, ἐπιεικῶς, δεῦρο, veni, leniter, veni. *Significat autem iſtud*, leniter, *ipſius obſervantis pudorem; quaſi dicat, ut eſt in hebræo*, complaceat tibi venire. (*c*) Cecidit] *Complut. addit*, ἐκ τοῦ στελέχους, ex manubrio: *quod abeſt ab hebræo.* (*d*) Abſconditum.] κεκρυμμένον, *& ita duo libri veteres, & aliquot ex impreſſis. In alio, & in commentariis græcis, & apud Theodoretum*, κεχρημένον, *in alio, & in Complut.* κεχρησμένον, commodatum, mutuo acceptum *S Auguſtinus, ſerm.* 1. *Dom.* 7. *poſt Trinit.* Heu domine mi, & ipſam mutuo ſuſceperam (*e*) Eleva tibi.] *Sic hebræus Compl. vero*, μετεώρισον, καὶ λάβε σεαυτῷ, attolle, & cape tibi. (*f*) Elmoni.] εἰς τὸν τόπον τὸν τινὰ ἐλμωνί. *Ita libri veteres, qui collati ſunt. Theodoretus q.* 20. Quid eſt, εἰς τὸν τόπον τὸν ἐλμωνί; perinde, ac ſi quis dicat, εἰς τὸν τινὰ τόπον, in hunc locum. Hoc enim ſignificat illud, ἐλμωνί. *In alio Theodoreti codice eſt*, φελβουνί: *in alio*, φελμουνί. *Interpres*, Phelboni alemoni. *Compl.* εἰς τὸν τόπον φελωνὶ ἐλμωνὶ ποιήσωμεν ἔνεδρον, in loco Pheloni Elmoni faciemus inſidias. *Quæ dictiones hebraicæ ſunt etiam Ruth.* 4. *ubi Græcus*, ὧδε κρύφιε, hic abſcondite, *Vulgata*, vocans eum nomine ſuo, *chaldæus*, vir cujus humiles viæ ejus. *Alii*, o quidam ſingularis: *alii*, tu talis, & talis. *Et* 1. *Reg.* 21. *ubi græce* φελανὶ μαεμωνὶ, *aut, ut Compl.* φελαννὶ ἀλμωνὶ, *& vulgata*, in illum, & illum locum; *chaldæus*, abſconditum, & cuſtoditum, *alii*, obſcuri talis. Sic loquuntur cum certum aliquem hominem ſignificant, quem tamen nominare nolunt, ut Ruth. 4. 1. Sede hic Pheloni Almoni: quod Græce reddes eleganter κάθισον ὧδε ὦ δεῖνα. Sic quod Matth. 26. 18. πρὸς τὸν δεῖνα, Ebraice convertes אל פלני אלמני πρὸς φελωνὶ ἀλμωνί. *Druſ.* (*g*) Nunquid, quos captivaſti.] *Optime reſpondet hebræo, ſi iſto modo interpretemur. Theodoretus non refert illa*, tu percutis, σὺ τύπτεις, *ideo non apponit interrogationem: quare ita verteretur hic locus.* Non percuties, niſi quos captivaſti in gladio tuo, & arcu tuo. Appone, &c. *Compl. autem*, οὓς ᾐχμαλώτευσας ἐν ῥομφαίᾳ σου, καὶ τόξῳ σου, σὺ πατάξεις, quos captivaſti in gladio tuo, & arcu tuo, tu percuties. (*h*) Quinquaginta.] *S. Auguſtinus ſerm.* 3. *Dom.* 7. *poſt Trin.* quinquaginta ſiclis argenti. *Compl.* ὀγδοήκοντα, octoginta, *ut vulgata.* (*i*) Salva.] *Compl. addit*, με, me, *ut vulgata.* (*g*) Non te ſalvet Dominus.] *Eſt locutio hebræa, quæ ſignificat*, niſi te ſalvet Dominus. (*l*) Et dixit: Mulier hæc.] *Sic hebræus, & vulgata. quamvis alii aliter interpungant. Compl. autem*, καὶ εἶπεν αὐτῷ ἡ γυνὴ, ἡ γυνὴ αὕτη Et dixit ei mulier: Mulier hæc.] (*m*) Ante faciem ſuam. Antequam veniret.] *Non habet plura hebræus. Compl. autem*, ἐκ προσώπου αὐτοῦ, πρὸς αὐτὸν, καὶ πρὶν ἐλθεῖν, a facie ſua ad eum: Et antequam veniret. *Et illud quidem*, καὶ, *eſt etiam in aliis* (*n*) Si vidiſtis.] *Sic Lucifer in lib. de non parcendo in Deum delinquentibus, quod græce in duobus manuſcriptis eſt*, εἰ εἴδετε *Theodoretus*, εἰ οἴδατε, ſi noſtis, *Alii*, μὴ οἴδατε, nunquid ſcitis, *ut vulgata, Compl.* ἑωράκατε, vidiſtis. (*o*) Domino.] *Eſt phraſis hebræa, quam ſupplet vulgata*, a Domino. *Compl. autem*, τί δεηθῶ τοῦ κυρίου ἔτι; quid orabo Dominum amplius.

CAP. VII.

(*a*) SIcut hora hæc.] *Sæpe obſervata eſt hujuſmodi locutio. S. Auguſtinus, eodem ſermone* 3. hac hora. (*b*) Ecce faciet.] *Etiam hic hebraiſmus eſt. Et valet idem, atque illud, quod eſt in Compl.* καὶ ἐὰν κύριος ποιήσῃ, Etiam ſi Dominus faceret. *Eadem varietas eſt in extremo cap.* (*c*) Incidamus.] *Eadem eſt propria notio verbi hebraici: ſed ſignificat etiam* confugiamus (*d*) Audientia fecerat.] *Sic viſum eſt hoc loco reddendum illud.* ἀκουστὴν ἐποίησε τὴν παρεμβολὴν τῆς συρίας φωνὴν ἅρματος, fecerat, ut caſtra Syriæ audirent vocem currus. *Complut. habet* φωνὴ ἁρμάτων, *quare verti poſſet*, reſonantia fecerat voce curruum. (*e*) Sunt.] *Alii*, ἦσαν, erant, *hebræus more ſuo*, ipſa. (*f*) Ad animam ſuam.] πρὸς τὴν ψυχὴν ἑαυτῶν. *Reſpondet optime hebræo: & ſignificat, ut apparet ex vulgata*, ad ſalvandam tantum animam. *Compl.* κατὰ τὰς ψυχὰς αὐτῶν, ſecundum animas ſuas. (*g*) Iverunt,] *In Compl. additur*, καὶ κατέκρυψαν, & abſconderunt, *ut vulgata.* (*h*) Non ſic.] *Id eſt*, non recte, *ut hebræus. Complut. autem per interrogationem.* τί οὕτως ἡμεῖς ποιοῦμεν σήμερον; Quid ita nos facimus hodie? (*i*) Remanſerunt hic.] *Sunt plura verba in Compl. ac certe etiam in hebræo eſt quædam geminatio, & repititio: quæ tamen non multum ad ſententiam facit*, (*k*) Regem.] *Compl.* ὀπίσω συρίας, poſt Syriam. *Vulgata*, in caſtra Syriæ, (*l*) Manu ſua.] *Alii addunt.* ἐπὶ, *& vertendum*, ſuper manum ejus, *ut ſupra hoc eodem capite.*

CAP. VIII.

(*a*) ET etiam venit.] *Propius ad phraſim hebræam, quam quod eſt in Complut. & apud Theodoretum*, καὶ παρέσται, & aderit. (*b*) Manaa.] *Complut.* δῶρα, dona: *qua dictione utitur etiam Theodoretus, ſed tanquam de ſuo. Inquit enim regem miſiſſe Azael, &*, δῶρα πολυτελῆ, munera precioſa. *Videatur infra cap.* 16. (*c*) Et oſtendit mihi.] *Idem ordo verborum eſt in hebræo: alius autem in Complut.* (*d*) Et ſtetit facie ſua, & poſuit uſque ad confuſionem.] *Eodem modo hebræus, & habet fortaſſe alium ſenſum, quam qui in Compl. exprimitur*, καὶ ἔστη ἀζαὴλ κατὰ πρόσωπον αὐτοῦ, καὶ παρέθηκεν ἐνώπιον αὐτοῦ τὰ δῶρα ἕως ᾐσχύνετο. Et ſtetit Azael ad faciem ejus, & appoſuit coram eo dona, donec confuſus eſt. *Non enim de Azael loquitur, ſed de Eliſæo, qui quaſi obriguerit facie, atque eam firmaverit ita, ut ſuffunderetur, & conturbaretur. Quamquam illa*, καὶ παρέστη τῷ προσώπῳ αὐτοῦ, *quæ nos vertimus*, ſtetit facie ſua, *poſſunt etiam verti*, & aſtitit faciei ejus, *id eſt, Eliſæus faciei Azael. Sic enim vulgata*, ſtetitque cum eo. (*e*) Concuties.] ἐνσείσεις. *Complut.* ἐδαφιεῖς, elides, *ut vulgata.* (*f*) Machbar.] *In uno codice vetuſto, & in Compl & apud Theodoretum q.* 25. *legitur*, στρῶμα, ſtragulum: *quod eſt interpretatio illius.* (*g*) Regi Iſrael.] *Rurſus dandi caſus pro caſu generandi ob eundem hebraiſmum. Quæ autem ſequuntur*, & Joſophat regi Juda, *abſunt a multis: & videntur redundare.* (*h*) Surrexiſſet.] *Compl.* ὡς ἀνέστη νυκτὸς, ut ſurrexit nocte. (*i*) Sub manu Juda.] ὑποκάτω τῆς χειρὸς ἰούδα. *Alii*, ὑποκάτωθεν, de ſub manu, *ut paulo ſuperius* (*k*) Joram.] *Compl. addit*, βασιλέως ἰούδα, regis Juda, *ut vulgata.* (*l*) Achaab] *In aliis additur*, ὅτι γαμβρὸς (*al.* γαμβρὸς γὰρ) οἴκου ἀχαὰβ ἐστὶν, *quod vulgata*, gener enim domus Achaab fuit. (*m*) Alienigenarum.] *Compl* συρίας, Syriæ, *ut vulgata.*

CAP. IX.

(*a*) IN cubiculo.] *Aut*, in cubiculum: *quomodo non raro ſolet uſurpari illud*, ἐν. *Et propius quodammodo accedit ad phraſim hebræam, quam quod eſt in Complutenſi*, ἐκ ταμείου, e cubiculo. *A quibuſdam abeſt hæc pars.* (*b*) Pax?] *Complutenſ. addit*, καὶ εἶπεν αὐτοῖς, εἰρήνη. Et dixit eis: Pax. *quæ tamen abſunt ab hebræo.* (*c*) Injuſtum.] *Idem valet hoc loco*, ἄδικον, *ac* falſum *quod eſt in vulgata.* (*d*) Garem.] *Interpretantur*, os, *id eſt*, faſtigium. (*e*) Ipſe cuſtodiebat] ἐφύλασσεν, *id eſt*, obſidebat, *ſicut* 2. *Reg.* 11. *Sed illud* ipſe, αὐτὸς, *in aliis poſtponitur, ut in vulgata*, ipſe & omnis Iſrael. (*f*) A vulneribus.] *Hinc uſque ad illud*, Et Ochozias, *abſunt a Compl. & vulgata. Theodoretus quæſt.* 30. *videtur in hoc capite agnoſcere dictionem* Aramim, *quos inquit a cæteris interpretibus dictos eſſe Syros.* (*g*) Pulverem.] *Complutenſ. addit*, τοῦ ὄχλου, turbæ: *hebræus habet tantum. ut vulgata*, vidit globum. *Item paulo poſt, pro* pulverem, *Compl.* ὄχλον. (*h*) Pax?] *Sic & alius codex: cæteri*, εἰ εἰρήνη; ſi pax? *itemque in ſequentibus* (*i*) Et agens agit.] *Compl.* καὶ ἡ ἀγωγὴ, ὡς ἀγωγὴ ἰοὺ ναμεσσὶ, διότι ἐν παραλλαγῇ ἦγεν. *Quod vulgata*, Eſt autem inceſſus, quaſi inceſſus Jehu filii Namſi: præceps enim graditur. *In uno vetuſto codice inventum eſt*, καὶ ἀγωγὴ ἰού. *Theodoretus autem ita proponit quæſtionem* 31. Quomodo iutelligendum, καὶ ἡ ἀγωγὴ ἰηοῦ υἱοῦ ναμεσσῆ, & ductus Jehu filii Nameſe. *Ac paucis interiectis inquit*, Nonnulla quidem exemplaria habent, καὶ ὁ ἄγων ἦγεν (al. ἤγαγεν) τὸν ἰηοῦ, & agens agebat ipſum Jehu, *id eſt*, Deus. (*k*) Sumpſit ſuper eum aſſumptionem.] ἔλαβεν ἐπ᾽ αὐτὸν τὸ λῆμμα. *Theodoretus quæſt.* 32. *pro*, ἔλαβεν, *quod optime reſpondet hebræo, habuit*, ἐλάλησε, loquutus eſt. *Docet autem, cur viſiones propheticæ ſolitæ eſſent appellari*, λήμματα. (*l*) Etiam ipſum. Et percuſſit.] *Compl.* καί γε αὐτὸν πατάξατε, Etiam hunc percutite, *ut vulgata.* (*m*) In ſepulchro ejus.] *Pro his in Compl. eſt*, μετὰ τῶν πατέρων αὐτοῦ, cum patribus ſuis. *In hebræo, & vulgata eſt utrumque*, in ſepulchro cum patribus ſuis. (*n*) Et bonum.] *Sic hebræus. Alii*, ἐκόσμησεν, ornavit. (*o*) Ipſi Jezabel.] *Complut.* αὕτη ἰεζάβελ, Hæc Jezabel.

CAP. X.

(*a*) SAmariæ.] *Complut.* τῆς πόλεως, civitatis, *ut vulgata; hebræus*, Iſrehel. (*b*) Achaab.] *Ita etiam vulgata ex hebræo. Complut. autem*, τῶν υἱῶν ἀχαὰβ, filiorum Achaab. (*c*) In mane.] *Valet idem, atque* ἕως πρωῒ, uſque mane: *quod eſt in Compl. & vulgata.* (*d*) Et egreſſus eſt, & ſtetit.] *Ad verbum ex hebræo. Complut autem, & alii nonnulli*, καὶ ἐξελθὼν κατέστη ἐν τῇ πύλῃ τῆς πόλεως, & egreſſus ſtetit in porta civitatis. (*e*) Appho.] *Abeſt a Complut. & Theodoreto quæſt.* 32. *Eſt tamen in hebræo: & in vulgata*, nunc. *De ſimili quadam dictione notatum eſt ſupra, cap.* 2. (*f*) Notos.] γνωστούς. *In uno libro eſt*, τοὺς γνώστας, Gnoſtas: *itemque apud Theodoretum, qui quæſt.* 33. *hæc ſcribit*: γνώστας τίνας καλεῖ; τοὺς μάντεις τοὺς οἰομένους τὰ μέλλοντα εἰδέναι. ὥσπερ γὰρ, ὁρῶντας καὶ βλέποντας, τοὺς προφήτας ἐκάλουν, ὡς τὰ μέλλοντα προορῶντας, οὕτω καὶ τοὺς μάντεις γνώστας ἐκάλουν, ὡς καὶ γινώσκειν τὰ κεκρυμμένα οἰομένους, καὶ προγινώσκειν τὰ μηδέπω γεγενημένα. Quos vocat, γνώστας? Vates, qui putabantur futura ſcire. Nam ſicut prophetas vocabant, ὁρῶντας, καὶ βλέποντας, videntes, & aſpicientes, tanquam, qui præviderent futura; ita etiam vates ipſos vocabant Gnoſtas, tanquam qui & noſcere occulta putarentur, & prænoſcere, quæ nondum facta. *Interpres mutilato codice eſt uſus*, (*g*) Bæthacath.] *Aut Bethacad, ut Complut. Alii vertunt*, domum tonſtrinæ, *alii*, ligationis, *aut*, congregationis. *Vulgata*, cameram. (*h*) Domino.] *Uſitatus hebraiſmus ſignificans*, pro Domino, *ut vulgata. Nonnulli vero codices addunt*, Sabaoth. (*i*) Viſitetur.] *Et hic. Valet autem, ut alibi diximus*, deſideretur, deſit. (*k*) Solennitatem.] *Hoc viſum eſt poſſe valere hoc loco*, ἱερείαν, *aut*, ſacrum. *Solet tamen ſignificare ſacerdotem fœminam. Complut.* θεραπείαν τοῦ βαὰλ, cultum Baal. *Vulgata*, diem ſolennem, *& in aliquo libro utrumque conjungitur.* (*l*) Dicens.] *Hinc uſque ad illud*, Et venerunt, *abeſt a Complut. & vulgata: itemque illa, quæ paulo poſt ſequuntur*, & omnes ſacerdotes ejus, & omnes prophetæ ejus. (*m*) Meſthaal.] *Abeſt a Complut. Eſt tamen veſtigium dictionis hebraicæ, quæ ſignificat veſtiarium. & ab hebræo abeſt illud*, domum. *Vulgata*; ſuper veſtes (*n*) Domini] *Non habet plura hebræus, nec vulgata. In nonnullis autem codicibus additur*, καὶ ἐξαποστείλατε πάντας τοὺς δούλους κυρίου τοὺς εὑρισκομένους ἐκεῖ. καὶ ἐγένετο, καὶ ὡς ἐλάλησεν ἰοὺ, ὅτι οὐκ ἐστὶ τῶν δούλων κυρίου, & emittite omnes ſervos Domini, qui inveniuntur ibi. Et factum eſt, & ut locutus eſt Ihu, quia non eſt de ſervis Domini. *In Compl. autem*, καὶ εἶπον, οὐκ εἰσὶν, ἀλλ᾽ ἢ δοῦλοι. Et dixerunt: Non ſunt, niſi ſervi, &c. (*o*) Intravit.] *Compl.* εἰσῆλθον, *& vulgata*, ingreſſi ſunt. (*p*) Conſummavit faciens.] *Complut. hoc etiam loco*, συνετέλεσαν ποιοῦντες, conſummaverunt facientes. *Sed hebræus, & chaldæus, ut noſtra.* (*q*) Uſque ad civitatem domus Baal.] *Ad verbum ex hebræo. Complut. autem*, ἕως τοῦ ναοῦ τοῦ βαὰλ, uſque ad templum Baal. (*r*) Baal, & poſuerunt.] *Compl.* τοῦ βαὰλ, καὶ καθεῖλον τὸν οἶκον αὐτοῦ, καὶ τὸν οἶκον τοῦ βαὰλ ἔθετο εἰς κοπρῶνα, Baal, & diruerunt domum ejus, & domum Baal poſuit in latrinam: *quod reſpondet hebræo. Theodoretus, quantum conjici poteſt ex quæſt.* 35. *hoc loco videtur alicubi habuiſſe*, βααλὶμ, Baalim: *& interpretatur*, domum Baal. *Quod autem pertinet ad illud*, latrinam, *in noſtra, & in multis eſt*, λυτρῶνα, *& in Compl.* κοπρῶνα, *eodem ſenſu. Aliquot alii*, λουτρῶνα, lavatorium. (*s*) Vitulæ aureæ.] *Sic fere hebræus. Compl. autem*, ἐπορεύετο ὀπίσω τῶν δαμάλεων τῆς ἁμαρτίας τῶν χρυσῶν τῶν ἐν βαιθὴλ, καὶ ἐν δὰν, ibat poſt vitulas peccati aureas, quæ in Bæthel, & in Dan. (*t*) Juxta omnia.] *Ad verbum ex hebræo. Alii*, καὶ πάντα, & omnia. *Compl.* καὶ ἐποίησας κατὰ πάντα τὰ ἐν τῇ καρδίᾳ μου τῷ οἴκῳ ἀχαὰβ, & feciſti juxta omnia, quæ in corde meo, domui Achaab.

CAP. XI.

(*a*) ET diſperdidit.] *Complut.* καὶ ἀνέστη, καὶ ἀπώλεσεν, & ſurrexit, & diſperdidit. (*b*) Filium.] *Complut. addit* ὀχοζίου, Ochoziæ: *quod quidem eſt in hebræo, non autem quod ſequitur*, fratris ſui. (*c*) In cubiculo lectorum.] *Sic hebræus: quod vulgata*, de triclinio. *Complut. autem*, καὶ ἔκρυψεν αὐτὸν ἐν τῷ ταμείῳ τῶν κλινῶν ἐκ προσώπου, & occultavit eum in cubiculo lectorum a facie. (*d*) Centuriones ipſorum Chorri, & ipſorum Rhaſim.] *Theodoretus*, Quos vocat ἑκατοντάρχους, Præfectos eorum qui currunt circa regem. Nam χορροὶ, (*al.* χορρὶ,) quidem ſunt ij qui currunt, ῥασὶμ autem, ſcutiferi. *Vulgata habet tantum*, milites. (*e*) Domini.] *Abeſt dictio iſta a Complut. ut a vulgata.* (*f*) Fecit jurare.] ὥρκωσε. *Alii*, καὶ ὥρκισεν αὐτοὺς ἐνώπιον κυρίου, & adiuravit eos coram Domino. *Vulgata*, in domo Domini, (*g*) Introeat ſabbato.] *Sic vulgata. Complut.* οἱ εἰσπορευόμενοι τὸ σάββατον φυλασσέτωσαν τὴν φυλακὴν οἴκου τοῦ βασιλέως, qui ingrediuntur ſabbato, cuſtodiant cuſtodiam domus regis: *non enim addit illud*, ἐν τῷ πυλῶνι, *quod eſt in noſtra, & in aliis, non autem in vulgata. Quidam vero interpretantur*, ingredientes ſabbatum, *eos, ad quos ea vice* (*nam vices per ſabbata mutabantur*) *pertinebat cuſtodia.* (*h*) Portæ.] *Videtur ſubintelligi poſſe*, cuſtodite cuſtodiã portæ. *Sed Compl.* ἐν τῇ πύλῃ, in porta. *Theod.*

Hos trifariam dividens, hos quidem juſſit cuſtodire regalem domum, hos autem introitum divini templi, hos autem portam aliam. (*i*) Domus] *Apud Theodor. & in Compl. additur* μεσαὲ, *aut*, μεσσαέ. *Vulgata*, Meſſa. *Theodor.* τὸ μεσαὲ οἱ λοιποὶ ἑρμηνευταὶ, ἀπὸ διαφθορᾶς εἰρήκασι, τοῦτ᾽ ἔστι μετὰ πάσης φυλακῆς, ὥστε μηδεμίαν γίνεσθαι βλάβην ἐν τῷ οἴκῳ τῷ θείῳ. Illud, μεσαὲ, cæteri interpretes dixerunt, ἀπὸ διαφορᾶς (*al.* διαφθορᾶς) a diſcrimine (*al.* a demolitione) id eſt, cum omni cautione: ut nullum fiat detrimentum in domo divina. (*k*) In vobis.] *Theodor. non habuit illud* in, *& non malam elicit ſententiam. Sed expeditior ſenſus videtur, ex tribus partibus duas poſteriores eſſe ex iis qui egrediebantur ſabbato, id eſt, qui ſabbato illo vacaturi a munere excubiarum fuiſſent.* (*l*) Et circuite.] *Hæc tanquam Levitis dicta interpretatur Theodor.* (*m*) Saderoth.] *Notat Theodor. in libro Paralip. (nimirum 2. lib. cap. 9.) pro,* εἰς σαδηρὼθ, *dictum eſſe,* εἰς τὸν οἶκον, in domum, *itemque a Joſepho. Vulg.* ſeptum, *alii*, ordines. (*n*) Intelligens.] συνετός. *Compl.* ὁ ἱερεὺς, ſacerdos, *ut vulg.* (*o*) Syromaſtas, & Triſſos.] *De Syromaſte alibi dictum;* τοὺς τρισσοὺς, *quid ſignificet, incertum: niſi ſi erant arma quaſi tridentia, aut peculiaria triſtatarum. Compl.* τὰς φαρέτρας, καὶ τὰ δόρατα, pharetras, & lanceas *Vulg.* haſtas, & arma. (*p*) Nezer.] *In Compl. & apud Theod.* ἁγίασμα, ſanctificationem, *quod eſt interpretatio illius. Docet autem Theod. ex eodem 2. Paralip. ſanctificationem eſſe ipſum chriſma, teſtimonium vero diadema.* (*q*) Judiciũ.] *Quod vulg.* morem: *idque alibi notatum eſt.* (*r*) Colligatio.] *Theodor.* σύνδεσμον ſolent vocare tyrannidem. *Sed de iſta etiam dictione alibi notatum.* (*ſ*) Ab intra Saderoth.] *Quod valet,* e ſeptis, ex ordinibus. *Compl.* ἔξωθεν, extra. (*t*) Teſtamentum] διαθήκην. *Theodoretus*, Alii interpretes alibi, τὴν διαθήκην dixerunt συνθήκην, pactum, conventum, fœdus. (*u*) Bene.] *Sic hebræus. Compl.* ἐπιμελῶς, diligenter. *Vulgata*, valide. (*x*) Et Chorri.] καὶ τὸν χορρὶ, καὶ τὸν ρασίμ. *Et ita fere hebræus. Compl. autem* τῶν χορρὶ καὶ τῶν ῥασείμ, *ut initio capitis etiam in noſtra. Vulgata* & Cerethi, & Phelethi legiones.

CAP. XII.

(*a*) ARgentum accipiens æſtimationis.] *Ab uno codice abſunt. In compl. & apud Theod. hic locus ſic habet,* ἀργύριον συντιμήσεως ἀνδρὸς, ἀργύριον συντιμήσεως ψυχῶν, argentum æſtimationis viri, argentum æſtimationis animarum. *Hebræus pro,* æſtimationis viri, *habet*, tranſeuntis viri. *Quare in vulgata eſt*, a prætereuntibus, quæ offertur pro precio animæ. (*b*) A venditione ſua.] ἀπὸ τῆς πράσεως αὐτοῦ. *Compl*, αὐτῶν. *Vulgata*, juxta ordinem ſuum. *Alii vertunt ex hebræo*, a noto ſuo. (*c*) Stabilient Bedec.] κρατήσουσι βεδέκ. *In Complut. & apud Theodoretum eſt*, κραταιώσουσι, *quomodo habet etiam noſtra in ſequentibus. De* Bedec *autem ita ſcribit Theodoretus.* βεδὲκ καλεῖται ἡ τῶν ἐφθαρμένων ξύλων ἢ λίθων ἡ θεραπεία: ἡ δὲ τῶν παραλειπομένων βίβλος ἀντὶ τοῦ ποιῆσαι τὸ βεδὲκ ἐπισκευάσαι τὸν οἶκον κυρίου λέγει. βεδὲκ vocatur corruptorum locorum, vel lignorum, vel lapidum curatio. Liber autem Paralip. pro ποιῆσαι βεδὲκ, inquit, ἐπισκευάσαι τὸν οἶκον, reparare, & inſtaurare domum, & rurſus, θεραπεῦσαι τὸν οἶκον κυρίου, curare, & ſarcire ædem domini. בדק exponitur, inſtauro, reſtauro, inde appellatio. Nam בדק proprie locus ruptus, ac dirutus, ac proinde inſtaurandus, ſed R. David aliter opinatur, quem vide, ſi placet, in libro ubi vocum ſenſa collegit, qui vulgo Liber radicum vocatur. Radices enim Hebræi appellant, quas Græci themata dicunt. Sane בדק ſcrutor, inquiro, inveſtigo. Dictus ergo inquit Bedec hujuſmodi locus, quod inquiſitionis ac viſitationis indigeat. *Druſ.* (*d*) Ammazibi.] *Eſt veſtigium dictionis hebraicæ, quæ ſignificat altare, in caſu accuſandi. Quæ autem ſequuntur*, in domo viri domus Domini, *videntur non carere mendo. Compl. habet,* παρὰ τὸ θυσιαστήριον ἐν δεξιᾷ εἰσπορευομένων ἀνδρῶν εἰς οἶκον κυρίου, *quod vulgata*, juxta altare ad dexteram ingredientium domum Domini. (*e*) Ipſorum.] αὐτῶν, *& poteſt etiam verti*, ſua. *Compl.* αὐτοὶ, ipſi. (*f*) Quicquid illatum fuit.] *Compl.* οὐκ εἰσηνέχθη, *quod vulgata*, non inferebant. (*g*) Ligaverunt omnem colligationem.] *Si abeſſet illud*, omnem, *reſponderet locutioni hebraicæ, & valeret*, conjurarunt conjurationem. *Compl.* ἐποίησαν σύνδεσμον, fecerunt colligationem. (*h*) Quæ in Sela.] *Compl.* τῷ ἐν τῇ καταβάσει σελλὰ, *& vulgata*, in deſcenſu Sella. (*i*) Ipſius.] *Abeſt iſtud,* αὐτοῦ, *a Compl.*

CAP. XIII.

(*a*) ANno.] *Ita etiam repetitur in hebræo, ut infra in hoc eodem cap. & alibi. Abeſt autem a Complut.* (*b*) Ab eo] *Sic in hebræo: videtur enim ſignificari præcipuum illud peccatum de vitulabus aureis. Complut. autem,* ἀπ᾽ αὐτῶν, ab eis. *Atque hæc varietas in ſequentibus etiam notari poteſt.* (*c*) Filii Ader.] *Notavit Theodoretus q. 24. totum hoc,* υἱὸν ἄδερ, *eſſe unicum nomen, id eſt*, Benader. *Vulgata*, Benadab. (*d*) Sepultus eſt.] *Compl. addit,* ἰωὰς, Joas, *ut vulgata.* (*e*) In Syria.] *Valet, ut ſæpe*, in Syriam, *id eſt*, contra Syriam. *Theodoretus habet,* ἐν ἰσραὴλ, in Iſrael. (*f*) Ipſis ſepelientibus virum.] *Compl. addit,* ἕνα, unum, *ſed non hebræus. Et illud*, ipſis, *valet*, quibuſdam. (*g*) Sua.] *In Compl. additur,* ἕως νῦν, *& vulgata*, uſque in præſens tempus.

CAP. XIV.

(*a*) GEmeled.] *Compl.* γέμελα, *& ſignificat*, vallem ſalis. (*b*) Faciebus.] *Sic hebræus, id eſt, facie ad faciem. Compl.* ἐν προσώποις, in faciebus. (*c*) Tuum.] *In aliquo codice Theodoreti additur,* ἡ βαρεῖα, grave. (*d*) Venit.] *Ad verbum ex hebræo. Complut.* καὶ ἤγαγεν αὐτὸν, & adduxit eum, *ut vulgata.* (*e*) Filios commiſtionum.] *Theodoretus addit,* τῶν βδελυγμάτων, abominationum: *& interpretatur*, ſacerdotes falſorum Deorum. *Sed hebræus*, filios arrabonum: *& vulgata*, obſides. *Chaldæus*, filios magnatum. (*f*) Amovit.] ἀπέστησε, *id eſt*, provexit, & auxit. *Compl.* ἀποκατέστησεν, reſtituit; *quod habet vulgata.* (*g*) Et rarefactos.] *Abeſt a Compl. iſtud,* ἐσπανισμένους, *& fortaſſe eſt ex alia interpretatione.*

CAP. XV.

(*a*) AZarias.] *Theodoretus quæſt. 24 habet* ὀζίας. *Et S. Hieronymus, in cap. 1. Matth. notat utroque nomine eſſe appellatum.* (*b*) Apphuſoth.] *Theodoretus:* κρυφαῖος οἱ λοιποὶ ἐκδεδώκασι, τοῦτ᾽ ἔστιν, ἔνδον ἐν θαλάμῳ ὑπὸ μηδενὸς ὁρώμενος. Hinc erues בבית החפשית cæteri, ἐν οἴκῳ κρυφαίῳ: in domo occulta. R. David in libro Radicum, vocatur ita domus החפשית propterea quod ſolus in ea lateret ab hominibus ſecluſus, perinde acſi liber eſſet ab omni ſocietate humana. Sed R Jonas exponit aliter. Dicit enim חפשי in lingua Arabica ſignificare domum parvam ſive domunculam. *Druſ.* Cæteri reddiderunt κρυφαίως, occulte (*al.* κρυφαῖος, occultus) hoc eſt, intus in thalamo, a nemine conſpectus. *Vulg.* liber a ſeorſum. (*c*) Et conjuraverunt.] *In aliquo libro eſt,* καὶ συνεστράφησαν ἐπ᾽ αὐτὸν σελλοὺμ υἱὸς ἰάβεις, καὶ κεβδαάμ, καὶ σελλοὺμ ὁ πατὴρ αὐτοῦ, καὶ ἐπάταξαν αὐτὸν, καὶ ἐθανάτωσαν αὐτὸν, καὶ σελλοὺμ ἐβασίλευσεν ἀντὶ αὐτοῦ. Et conjurarunt ſuper eum Sellum filius Jabis, & Cebdaam, & Sellum pater ejus: & percuſſerunt eum, & occiderunt eum: & Sellum regnavit pro eo. *Compl.* καὶ συνεστράφη ἐπ᾽ αὐτὸν σαλοὺμ υἱὸς ἰαβὴς καὶ ἐπάταξεν αὐτὸν ἐν κεβλαὰμ, καὶ ἐβασίλευσεν ἀντ᾽ αὐτοῦ, & conjuravit ſuper eum Salum filius Jabes, & percuſſit eum in Ceblaam, & regnavit pro eo. *Sed primum illud* ἐν *redundat, & perturbat ſententiam. Nam* Ceblaam *ſunt duæ dictiones hebraicæ, quæ ſignificant*, e regione populi, coram populo: *quod vulgata dixit* palam: *Deinde deſideratur illud quod eſt in hebræo,* καὶ ἐθανάτωσεν αὐτὸν, & occidit eum. *Reliqua conveniunt.* (*d*) Verbum.] *Compl.* οὗτος ὁ λόγος, *& vulgata*, iſte eſt ſermo. (*e*) Regnavit. Et in anno.] *In aliis ſine* & *legitur*, regnavit in anno trigeſimo & nono Azariæ regis Juda: *& in Complut. ſequitur,* καὶ ἐβασίλευσε μῆνα, & regnavit menſem, &c. (*f*) Tharſila.] *Compl.* θερσὰ, Therſa. (*g*) Eum.] *In Compl. additur,* καὶ ἐβασίλευσεν ἀντ᾽ αὐτοῦ, *quod vulgata*, regnavitque pro eo. (*h*) Manaem, & ipſam Therſa.] *Illud*, &, *abeſt a multis. Compl.* μαναὴμ τὴν θεφσὰ, *quod vulgata*, Manaem Tapſam. (*i*) Aperuerant.] *Compl.* ἤνοιξεν, aperuerat. (*k*) Secum.] *In Compl. additur* τοῦ κραταιῶσαι τὴν βασιλείαν αὐτοῦ ἐν χειρὶ αὐτοῦ, ad firmandum regnum ſuum in manu ejus: *quod reſpondet vulgatæ.* (*l*) Quadringentis.] ἀπὸ τῶν τετρακοσίων. *Ita plerique libri veteres: In nonnullis tamen,* ἀπὸ τῶν γαλααδιτῶν, de Galaaditis. *Compl.* ἀπὸ τῶν υἱῶν τῶν γαλααδιτῶν; *quod vulgata*, de filiis Galaaditarum. (*m*) Galaam.] *Compl.* Galaad, *ut vulgata: ſed ut prædiximus, nomina propria ſæpe diſcrepant.* (*n*) Quæ ſupra.] τὴν ἐπάνω, *& reſpondet hebræo. Compl. & Theodoretus,* τὴν ὑψηλὴν, *quod vulgata*, ſublimiſſimam.

CAP. XVI.

(*a*) FIlium ſuum.] *Theodoretus habet,* υἱοὺς αὐτοῦ, filios ſuos. *Teſtatur autem Joſephum dixiſſe,* καὶ τὸν ἕνα αὐτοῦ υἱὸν ὡλοκαύτωσε τῷ βαὰλ, & unicum ſuum filium fecit holocauſtum ipſi Baal: *quamvis ipſe aliam huic loco afferat explanationem.* (*b*) Et omnem.] *Compl.* κατὰ πᾶσαν, *quod in vulgata*, juxta omne opus ejus *Theodor. hunc locum ſic refert,* τὸ μέτρον, καὶ τὴν ὁμοίωσιν, καὶ τὸν ἀριθμὸν αὐτοῦ, καὶ κατὰ πᾶσαν ποίησιν αὐτοῦ, menſuram, & ſimilitudinem, & numerum, & juxta omnem factionem ejus. (*c*) Damaſco.] *In Comp. additur,* οὕτως ἐποίησεν οὐρίας ὁ ἱερεὺς ἕως τοῦ ἐλθεῖν τὸν βασιλέα ἐκ δαμασκοῦ, καὶ ἦλθεν ὁ βασιλεὺς ἐκ δαμασκοῦ, *quod vulg.* ita fecit ſacerdos Urias, donec veniret rex Achaz de Damaſco. Cumq; veniſſet rex de Damaſco. (*d*) Aſcendit.] *Id eſt, aſcendere fecit, & obtulit, ut alibi. Compl. autem,* καὶ προσῆλθε πρὸς τὸ θυσιαστήριον ὁ βασιλεὺς, καὶ ἀνέβη, & acceſſit ad altare rex, & aſcendit. (*e*) Suam.] *Complutenſis addit,* ἔσπεισεν αὐτῷ, libavit ei, *quamvis illud,* αὐτῷ, *videatur redundare.* (*f*) Altare] *In Compl. ſequitur,* τὸ δὲ χαλκοῦν θυσιαστήριον ὃ ἦν ἐναντίον κυρίου, προσήγαγεν αὐτὸ ἀπὸ προσώπου τοῦ οἴκου ἐκ μέσου τοῦ θυσιαστηρίου, καὶ ἐκ μέσου τοῦ οἴκου κυρίου καὶ ἔδωκεν αὐτὸ ἐπὶ μηρόν: *quod vulgata.* Porro altare æneum, quod erat coram Domino, tranſtulit de facie templi, & de loco altaris, & de loco templi Domini, poſuitque illud ex latere, &c. *Illud quidem,* ἀπὸ προσώπου, *eſt in aliis etiam libris. Theodoretus de hoc loco ita ſcribit:* Statim igitur, & æneum altare, quod Salomon conſtruxerat, tranſpoſuit. (*g*) In mane.] *Ita etiam Compl. licet vulgata habeat*, ad voluntatem meam: *alii*, ad quærendum. *Ambiguitas dictionis hebraicæ hanc varietatem parere potuit.* (*h*) Cathedræ.] *Compl. addit,* τῶν σαββάτων, ſabbatorum. *Vulgata.* Muſach quoque ſabbati. *Sunt qui exiſtiment locum hunc fuiſſe, in quo cuſtodes per ſabbata mutarent vices ſuas.* (*i*) Exteriorem.] *Vulgata*, exterius, *quaſi qui erat extra templum, aut circumeundo ab exteriore parte templi. Theodoretus de hoc loco ita ſcribit*, Regum enim portam, intus in divinum templum tranſtulit, tranſitum per ſacros ambitus faciens.

CAP. XVII.

(*a*) MAnaa.] *Complut.* δῶρα, munera. *Theodoretus*, μαναὰ, cæteri interpretati ſunt, δῶρα. *Ita etiam ſupra cap. octavo.* Hanc vocem multi cum Manna confundunt, ſed inſcite imperiteque. Exponitur etiam ſacrificium. Suidas μαναὰ θυσία, σπονδή; *ſacrificium, libamen*, ita leg. vulgo male μαννά. Nam manna, id eſt, מן. Conſule libellos meos. *Druſ.* (*b*) Injuſtitiam.] *Complut.* ἐπιβουλὴν, fraudem, inſidias. (*c*) In anno illo.] *Complut.* ἐνιαυτὸν κατ᾽ ἐνιαυτὸν, annum per annum. (*d*) Ore.] *Iſtud,* ὄρε, *putamus hoc loco eſſe ipſam dictionem hebraicam, quæ ſignificat*, civitatibus, *ut vulgata. Compl. autem* ἐν ὁρίοις, finibus. (*e*) Quia.] ὅτι. *Compl.* ὅτε, quando. (*f*) Quicunque fecerunt.] *Complut.* ὅσα ἐποίησαν, καὶ ἠμφιέσαντο οἱ υἱοὶ ἰσραὴλ λόγους ἀδίκους κατὰ κυρίου θεοῦ αὐτῶν. καὶ ᾠκοδόμησαν, quæcunque fecerunt. Et induerunt (*id eſt, alte atque intimo corde conceperunt, ut Pſalm.* 108.) filii Iſrael verba injuſta contra Dominum Deum ſuum. Et ædificaverunt, &c. *Quæ ſatis reſpondent hebræo.* (*g*) Participes.] κοινωνοὺς, *interpretatur Theodoretus eos quibus conveniebat cum gentibus, atque earum impietatem imitabantur, & alios docebant.* (*h*) Sculpſerunt.] *Theodoretus,* καὶ ἤρξαντο παροργίσαι, & cæperunt irritare. (*i*) Domino.] *Abeſt a Complutenſi, & Theodoreto.* (*k*) Suorum.] *In Complutenſi additur,* οἳ οὐκ ἐπίστευσαν κυρίῳ τῷ θεῷ αὐτῶν, καὶ ἀπώσαντο τὴν διαθήκην αὐτοῦ, καὶ τὰ δικαιώματα, ἃ διέθετο τοῖς πατράσιν αὐτῶν, καὶ τὰ μαρτύρια, qui non crediderunt Domino Deo ſuo. Et abjecerunt teſtamentum ejus, & juſtificationes, quas diſpoſuit patribus eorum, & teſtimonia, &c. *Nec multo aliter vulgata.* (*l*) Lucos.] *Complut.* ἄλσος, lucum. *Theodoretus*, Ubique cæteri, τὸ ἄλσος, interpretantur, ἀσαρώθ. Hoc autem ſignificat ipſam Aſtartem, vel, ut græci dicunt, τὴν ἀφροδίτην, Venerẽ. (*m*) Augurati ſunt.] *Compl. addit,* οἰωνισμοῖς, auguriis: *quod tamen abeſt ab hebræo.* (*n*) Et abjecerunt Dominũ.] *Theod. addit,* ἐξ αὐτῶν, ex ſe. *Compl. autẽ,* καὶ ἀπώσατο κύριος ἅπαν τὸ σπέρμα ἰσραὴλ καὶ ἐθυμώθη κύριος ἐπ᾽ αὐτοῖς, καὶ ἐσάλευσεν.

Et abjecit Dominus omne ſemen Iſrael: & indignatus eſt Dominus in eos, & commovit, &c. *Verum iſta*, & indignatus eſt Dominus in eos, *non ſunt in hebræo* (o) Quia maxime.] ὅτι πλὴν. *Compl.* πλὴν ὅτι ἐρράγη ὁ ἰσραὴλ, potiſſimum, quia ſcidit ſe Iſrael. (p) Qui de Chutha.] τοῦ ἐκ χουθὰ *Complut.* ϗ ἐκ χωθὰ, & de Chotha. (q) Seſſionis.] *Appoſite ad hebræum. Compl. autem*, ϗ ἐγένετο μετὰ τὸ κατοικισθῆναι τὰ ἔθνη ταῦτα ἐκεῖ ἐν ἀρχῇ, Et factum eſt, poſtquam habitarunt gentes hæ ibi in principio. (r) Hinc, & eant.] *Complut* ἐκεῖ ἕνα τῶν ἱερέων ὧν ἀπῴκισα ἐκ σαμαρείας, ϗ πορευθήτω, ϗ κατοικήτω ἐκεῖ, ϗ φωτιεῖ αὐτοὺς, illuc unum ex ſacerdotibus, quos tranſtuli de Samaria: & eat, & habitet ibi, & illuminabit eos, &c. (ſ) Tunc.] ἡνίκα. *Abeſt a Complut. & a vulgata.* (t) Adramelech, & Anemelech Diis.] *Sic etiam vulgata. Complut. autem*, τῷ ἀδραμέλεχ θεῷ, ipſi Adramelech Deo. (u) Et erant timentes.] *Hinc uſque ad alterum*, Et erant timentes, *abſunt a Complut. & a vulgata.* (x) Sibi.] *Compl.* ϗ ἐποίησαν ἐξ αὐτῶν ἱερεῖς τῶν ὑψηλῶν ἀπὸ μέρους, & fecerunt ex ſe ſacerdotes excelſorum ex parte. *Hebræus*, & fecerunt ſibi partes eorum ſacerdotes excelſorum. (y) Eis.] *Id eſt*, ſacrificarunt eis. *Ita enim interpretatur chaldæus: neque eſt inuſitatum*, ἑαυτοῖς, *non eſſe reciprocum: atque eadem eſt ambiguitas in dictione hebraica huic reſpondente.* (z) Ipſi] *Complut. & Theodoretus*, οὕτως ἐποίουν κατὰ τὸ κρίμα αὐτῶν τὸ ἀπ' ἀρχῆς, ſic faciebant ſecundum conſuetudinem earum, quæ a principio. (aa) Ipſi timent.] *Complut.* οὐκ ἦσαν φοβούμενοι τὸν κύριον, καὶ οὐκ ἐποίησαν κατὰ τὰ δικαιώματα, καὶ τὰ κρίματα, καὶ τὰς ἐντολὰς, καὶ κατὰ τὸν νόμον, ὃν ἐνετείλατο κύριος. Non erant timentes Dominum, & non faciebant ſecundum juſtificationes, & judicia, & mandata, & ſecundum legem, quam mandavit Dominus, &c. *Quæ reſpondent vulgatæ.* (bb) Et non audietis in judicio eorum, quod ipſi faciunt.] *Pro his in Compl. eſt*, καὶ οὐκ ἤκουσαν, ἀλλ' ἢ ἐν τοῖς δικαιώμασιν αὐτῶν τοῖς πρώτοις αὐτοὶ ἐποίουν, & non audierunt, ſed in juſtificationibus ſuis priſtinis ipſi perpetrabant: *quomodo fere vulgata.*

CAP. XVIII.

( )ET vocabat eum Neſthan.] *Compl.* καὶ ἐκάλεσαν, & vocaverunt, *Theodoretus*: τούτῳ, φησὶ, ὁ λαὸς θυμιῶν διετέλεσε, καὶ ἐκάλεσεν αὐτὸν ἐλθὰν, huic, inquit, populus adolere perſeveravit: & vocavit eum Elthan. Hoc autem in hebraicorum nominum interpretatione poſitum inveni, æneum atrium. Cæteri autem interpretati ſunt ἐσσὰν, Eſſan. Propterea exiſtimo etiam Ophitas (hæreſis autem hæc eſt maxime impia) vocari, ἐσσενοὺς, Eſſenos (b) A fine.] *Comp.* εἰς τέλος *Theod.* εἰς τὸ τέλος, in fine. *Hebraica dictio utramque ſignificat, & potius*, a. (c) Firmata.] *Theodor.* Limina januarum puto vocata eſſe, τὰ ἐστηριγμένα. *Vulgata*, laminas, *alii*, firmamenta, *vel*, columnas (d) Tantum verba.] *Sic hebræus. Compl. autem*, πλὴν λόγοις χειλέων, καὶ βουλὴ παράταξις γίνεται εἰς πόλεμον, veruntamen verbis labiorum, & conſilio acies fit ad bellum. (e) Et quoniam dixiſti.] *Compl.* καὶ ἐὰν εἴπῃς. Et, ſi dixeris. *Theodoretus*, ἐὰν εἴπητε, ſi dixeritis, *ut vulgata.* (f) Miſcete vos.] *Vulgata*, tranſite. *Compl.* μίχθητι, miſce te. *Alii ex hebræo vertunt*, fidejube. (g) Bibet.] *Compl.* φάγεται, comedet, *ut vulgata.* (h) Olivæ olei.] *Eſt hebraiſmus. Compl. habet tantum*, ἐλαίου, olei.

CAP. XIX.

(a) BLaſphemandum] *Compl* καὶ ἐλέγχειν, & argueret, *ut vulgata.* (b) Dicens] *In aliis additur*, τάδε ἐρεῖτε πρὸς ἐζεκίαν βασιλέα ἰούδα. Hæc dicetis ad Ezeciam regem Juda. (c) Et dixit.] *Compl.* καὶ προσηύξατο ὁ ἐζεκίας πρὸς κύριον λέγων, & deprecatus eſt Eſaias ad Dominum, dicens (d) Veritate] *Compl. & Theodoretus*, ἐπ' ἀληθείᾳ, in veritate. (e) Aſcendam.] *Compl.* ἀνέβην, aſcendi, *ut vulgata.* (f) Fœmora.] *Propius ad hebræum, quam quod in aliis*, μέρος, partem, *aut*, μέρους, partis, *ut in Compl.* (g) In medium ſylvæ.] *Sic quoque in alio codice. Alius*, εἰς μέλον, in Melon: *quæ hebraica dictio ſignificat*, diverſorium. *Alii*, εἰς μέρος, in partem, *alius*, εἰς τέλος δρυμοῦ, in finem ſylvæ. *Et quod ſequitur*, & Carmeli, *a nonnullis abeſt iſtud*, &c. (h) Siccavi.] ἔψυξα, *& fortaſſe ſignificat*, irrigavi, & refrigeravi, *id eſt, rivos duxi, & fodi venas, ut eſt in hebræo. Alii autem, & Compl.* ἐφύλαξα, cuſtodivi (i) Clauſuræ.] περιοχῆς, *aut*, συνοχῆς, *ut Compl. quod vulgata*, aquas clauſas. (k) Finxi eam, duxi, collegi eam.] *Ita fere libri vetuſtiores. In aliis quibuſdam*, μὴ οὐκ ἤκουσας, εἰς ἀπομακρόθεν αὐτὴν ἐποίησα, εἰς ἀπὸ ἡμερῶν ἀρχῆθεν ἔπλασα αὐτὴν, καὶ ἤγαγον αὐτήν; Nunquid non audiſtis, a longe eam feci, a diebus antiquitus finxi eam, & adduxi eam? *Nec multo aliter Compl. ſed in hac poſtrema parte habet*, & nunc adduxi eam: *quod quidem*, nunc, *eſt etiam in vulgata. Videntur autem fœminina poſita pro neutris, uſitato hebraiſmo.* (l) Civitates munitas.] *In aliquo libro eſt*, ὀχυρὰ, *ut ita ſit vertendum*, Et factæ ſunt in tumulos demigrationum pugnantium, civitates munitæ, *ac videtur reſpondere vulgatæ. Sed multi putant etiam in hebræo eſſe caſum accuſandi.* (m) Sponte nata.] *Compl.* τὰ συνηγμένα, καὶ ἐν τῷ ἔτει τῷ δευτέρῳ τὰ αὐτόματα, καὶ τῷ ἔτει τῷ τρίτῳ σπείρετε, καὶ ἀμήσετε, καὶ φυτεύσατε ἀμπελῶνας, collecta, & in anno ſecundo ſponte nata, & anno tertio ſeminabitis, & metetis, & plantabitis vineas. (n) Nonne ſic? Hæc dicit.] *Compl.* διὰ τοῦτο τάδε λέγει, *& vulgata*, Quamobrem hæc dicit. (o) Arath.] *Theodoretus*, Sic vocavit Armeniam.

CAP. XX.

(a) AD mortem.] *Propius locutioni hebraicæ, quam quod in Compl.* ἕως θανάτου, *& in vulg.* uſque ad mortem. (b) Domui tuæ.] *Item hoc: & ſic vulgata. Nam Compl.* περὶ τοῦ οἴκου σου, de domo tua. (c) Moreris] *Alii*, ὅτι ἀποθνήσκεις, quoniam moreris. (d) Convertit.] *Poteſt uſitata locutione ſubintelligi*, ſe. *In aliis autem additur*, τὸ πρόσωπον αὐτοῦ, faciem ſuam. (e) Quæcunque.] *Compl.* ὡς, quomodo, *ut vulgata.* (f) Pleno] *Compl.* τελείᾳ, perfecto, *& ſic vulgata.* (g) Dixit.] *Compl. addit*, ἠσαΐας, Eſaias. (h) Si.] *Ita hebræus. Valet autem*, an, *id eſt, tua ſit optio, utrum velis ire umbram, an reverti. Fiet enim quod malueris. Compl. planius*, ἢ, aut. (i) In aſcentionibus.] *Abeſt hoc ab aliis (ſicut etiam a vulgata:) qui tamen, ubi in noſtra eſt*, βαθμοὺς, *ipſi habent*, ἀναβαθμούς. (k) In aſcenſionibus] *Nonnulli habent*, ἐν τοῖς ἀριθμοῖς, in numeris. *Compl. autem*, ἐν τοῖς ἀναβαθμοῖς ἀχὰζ, οἷς κατέβη, in gradibus Achaz, quibus deſcenderat: *quod ſatis reſpondet hebræo, & vulgatæ.* (l) Baladan.] *Abeſt a Compl. ſed non ab hebræo, neque a vulgata*, (m) Manaa.] *Rurſus Compl.* δῶρα, munera. (n) Nechotha.] *Vulgata*, aromatum, *alii*, deſiderabilem. (o) Poteſtate.] *Sic etiam vulgata: Compl. autem*, θησαυρῷ αὐτοῦ, theſauro ſuo. (p) Quod.] *Abeſt iſtud*, ὁ, *a Compl. ut a vulgata.* (q) Capientur.] λήψεται, *ſic enim & alii nonnulli: aut*, ληφθήσονται, *quod eſt in multis. Compl.* ϗ ἀπὸ τῶν υἱῶν σου τῶν ἐξεληλυθότων ἐκ σοῦ ὧν ἐγέννησας, λήψονται, & de filiis tuis, qui exierint ex te, quos generaveris, tollent. (r) Eunuchi.] *Theodor. videtur quaſi ex alia interpretatione habuiſſe*, ϗ ἀπὸ τοῦ γένους σου ποιήσουσι σπεύδοντας, & de genere tuo facient celeres, & ſedulos: *ut intelligatur eunuchi nomen, quod habent LXX, non eſſe ſemper vitii nomen, ſed officii, & ſedulitatis.* (ſ) Pax.] *Compl. addit*, καὶ δικαιοσύνη, *quod in vulgata*, & veritas. (t) Suis.] *In aliis additur*, ϗ ἐτάφη ἐν πόλει δαυὶδ, & ſepultus eſt in civitate David, *quæ tamen abſunt ab hebræo, & vulgata.*

CAP. XXI.

(a) OMnem virtutem cœli.] *Complut.* πάσῃ τῇ στρατιᾷ τοῦ οὐρανοῦ, omnem militiam cœli *itemque Theodoretus, qui docet hoc modo appellari Solem, & Lunam, & Stellas.* (b) Quomodo dixit.] ὡς εἶπε. *In aliquo libro additur*, κύριος, Dominus. *Compl. & Theodoretus*, ἐν ᾧ εἶπεν, in qua dixit. *Vulgata ſupplens præpoſitionem, quæ in hebræo ſubintelligitur*, de qua dixit Dominus. (c) Altare.] *Compl. & Theodoretus*, θυσιαστήρια, altaria. (d) Et ariolabatur, & augurabatur.] ϗ ἐκληδονίζετο. ϗ οἰωνίζετο *Theodor.* κληδὼν, ἡ διὰ λόγων παρατήρησις, eſt obſervatio, quæ per verba, οἰωνισμὸς δὲ ἡ διὰ πτηνῶν, autẽ, quæ per aves. γνώστας δὲ οἶμαι τοὺς δι' ἥπατος μαντευομένους κληθῆναι. Scientes autem exiſtimo vaticinantes per jecur vocari. (e) Delubra.] τεμένη. *Alii libri habent partim*, θελητὴν, *quod fortaſſe valet*, Pythonem, *quemadmodum eſt in vulg. partim*, στήλην, titulum, *aut*, ſtatuam: *Theodoretus & Compl.* ἐγγαστριμύθους, ventriloquos. (f) Gnoſtas.] *De hoc nomine alibi notatum eſt. Lucum autem, id eſt*, ἄλσος, *Theodoretus putavit eſſe Venerem.* (g) Et ponam.] *Illud*, &, *abeſt a Compl. ut a vulgata.* (h) Qui modo cuſtodient.] οἵτινες φυλάξουσι. *Compl.* πλὴν ἐὰν φυλάξωνται, tantum ſi cuſtodierint: *quomodo habet hebræus.* (i) Ante.] *Compl. addit*, αὐτοῦ, ante eum, *ut vulgata* (k) Non ſic] *Quaſi dicat, non ſic abibit, non impune feret: ſed Compl. legit per interrogationem*, nonne ſic hæc dicit Dominus? *Alibi ſimilibus in locis ſolet habere*, διὰ τοῦτο, propterea, *ut hic vulgata.* (l) Alabaſtrum.] *Compl.* τὸ πυξίον, pyxis (m) Præter peccata.] πλὴν ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν. *Ab aliquo libro abeſt illud*, ἀπὸ, *& eſt locutio uſitatior. Compl.* ἐκτὸς τῶν ἁμαρτιῶν, *eodem ſenſu.*

CAP. XXII.

(a) SIgna] *Compl.* χωνεύσατε, conflate. (b) Et intravit in domo Domini ad regem] *Alii*, ϗ εἰσήνεγκε πρὸς τὸν βασιλέα ἰωσίαν, & attulit ad regem Joſiam. *In Compl. additur*, Saphan, *ſed mendoſe habet*, τῷ βασιλεῖ ἰωσίας. *Illud*, εἰσῆλθεν, *quod in noſtra, reſpondet hebræo. Illa autem*, in domo Domini, *videri poſſunt aliunde huc irrepſiſſe.* (c) Super nos.] καθ' ἡμῶν. *Appoſite ad hebræum. Vulgata*, nobis. *Compl.* ἐν αὐτῷ, in eo. (d) Matrem.] *Nonnulli*, γυναῖκα, uxorem, *ut vulgata.* (e) Verba, quæ audiſti, propterea quod perterritum.] *Sic fere hebræus. Lucifer, de non parcendo, &c.* Verba mea, quæ audiſti, & reveritus es a facie mea. *Compl. autem & Theodoretus planius*, ἀνθ' ὧν ἤκουσας τῶν λόγων μου, ϗ ἠπαλύνθη. Propterea quod audiſti verba mea, & perterritum eſt. (f) A facie.] *Iidem addunt*, μου, mea: *hebræus*, Domini. (g) Non ſic.] *Abeſt iſtud a Theodoreto. Notatum eſt ſuperiore capite de locutione hac.* (h) Et non aſpicietur in oculis tuis, in omnibus malis.] *Theodoretus, & Compl.* ϗ οὐκ ὄψονται οἱ ὀφθαλμοί σου πάντα τὰ κακὰ, & non videbunt oculi tui omnia mala. *Lucifer*, & videbunt oculi tui, *ſed manifeſto mendo.*

CAP. XXIII.

(*) SEecundi ordinis.] τῆς δευτερώσεως, *Compl.* τοῖς δευτερεύουσι, *& Lucifer*, ſecundariis, & cuſtodientibus Ephod. (a) Luci] *Rurſus notat Theodoretus*, τὸ ἄλσος, *eſſe Aſtartem, & Venerem, & ab aliis interpretibus dictum*, Aſtaroth. (b) Sademoth.] *Significat*, campeſtribus, *aut*, convalle, *ut vulgata.* (c) Chomarim.] *Compl.* τοὺς ἱερεῖς, ſacerdotes, *quod eſt interpretatio illius: quamvis proprie ſignificet ſacrificulos. Vulgata* aruſpices. (d) Mazuroth.] *Compl. propius ad hebræum.* τοῖς μαζαλὼθ, Mazaloth. *Interpretantur*, influentiis, *aut*, ſyderibus. *Vulgata*, duodecim ſignis. *Theodoretus habuit*, τῷ μαζουρὼθ, ipſi Mazuroth, *& ita ſcribit*: Illud autem, μαζουρὼθ ἀστέρος οἶμαι ὄνομα εἶναι, ϗ τοπάζω τὸν ἑωσφόρον οὕτως ὠνομάσθαι, puto eſſe nomen ſyderis, & conjicio Luciferum ita nominari. *Sed in hebræo eſt numerus multitudinis.* (e) Cadeſim.] *Theodoretus*: ὁμωνύμως ἐκάλεσαν ἁγίους τοὺς δαίμονας. τὸ γὰρ κάδες ἅγιον ἑρμηνεύεται. οἱ δὲ περὶ τὸν ἀκύλαν τὸ καδησὶμ οὕτως ἡρμήνευται. Per homonymiam ipſos dæmones vocabant ſanctos. Cades enim exponitur ſanctum. Aquila autem illud Cadeſim ita eſt interpretatus, οὗ ἐποίουν ἐνδύματα τοῖς ἐκπορνεύουσιν ἀπὸ κυρίου, ubi faciebant indumenta iis qui exfornicabantur a Domino. *Vulgata*, effæminatorum. *De hac dictione alibi dictum eſt. Videatur 2. Paralip. c. 35.* (f) Chettiim.] *Eſt veſtigium dictionis hebraicæ, in qua ſimilitudo literarum aliquam mutationem fecit. Significat autem*, domunculas, *ut vulgata. Compl. autem, & Theodoretus habent*, στολὰς, ſtolas. *Lucifer*, quorum mulieres officiabantur ibi ad ſtolas. (g) Civitatis ex iis, quæ a ſiniſtris.] *Alii*, τῆς πύλης τῶν ἐξ ἀριστερῶν, portæ ex iis quæ a ſiniſtris. *Sed Complut.* τῆς πόλεως τὸν ὄντα ἐξ ἀριστερῶν, civitatis, quæ domus erat a ſiniſtris, *& reſpondet hebræo.* (h) In porta.] *Sic hebræus. In Complut. autem planius*, ἀνδρὸς εἰσπορευομένου τὴν πύλην τῆς πόλεως, viri ingredientis portam civitatis. (i) Quoniam tantum.] *Hoc viſum eſt hoc loco ſignificare*, ὅτι εἰ μὴ, *& vulgata*, ſed tantum. *A complut. autem, & Theodoreto abeſt illud*, ὅτι, *& interpretantur*, niſi comederent, *aut*, niſi, ut comederent. (k) Tapheth.] *Theodoretus.* In hebraicorum nominum interpretatione inveni ſignificare nomen hoc, πτῶσιν, caſum, & ruinam.

τόπος ἦν ἐστὶ, ἐν ᾧ διῆγον ἐν πυρὶ τὰ παιδία τῷ μολὼχ, ἀμμανιτῶν δὲ ἦν τοῦτο εἴδωλον. Locus autem erat hic, in quo traducebant in igni pueros ipſi Moloch. Ammanitarum autem erat hoc idolum. (*l*) Ad traducendum.] τοῦ διαγαγεῖν. *In uno exemplari Theodoreti videtur poni tanquam ex lxx.* τοῦ μὴ διάγειν ἄνδρα τὸν υἱὸν αὐτοῦ. ϗ τὴν θυγατέρα αὐτοῦ ἐν πυρὶ τῷ μολὼχ. ut non traduceret vir filium ſuum, & filiam ſuam in igne ipſi Moloch: *quomodo habet Complut. & ſatis reſpondet hebræo. Sed in Scholio.* Septuaginta, ϗ ἐμίανε τὸ θαφὸθ τὸ ἐν φάραγγι υἱοῦ ἐννὸμ, τοῦ διάγειν ἄνδρα τὸν υἱὸν αὐτοῦ, ϗ τὴν θυγατέρα αὐτοῦ διὰ πυρὸς τῷ μολώχ. Symmachus, ϗ ἐμόλυναν τὸ ταφὲθ τὸ ἐν τῇ φάραγγι υἱοῦ ἐννὸμ, ὥστε μὴ παραφέρειν, ϗ τὰ ἑξῆς ὁμοίως. Et quæ ſequuntur ſimiliter. *Interpretationes re ipſa parum diſcrepant. Nam illi utebantur Tapheth, ad traducendum. Ezecias inquinavit, ut non taducerent.* (*m*) Regis Eunuchi.] *Hoc eodem loco eſt in hebræo vocabulum Melech, quod huic reſpondet: & in vulgata,* Nathammelech eunuchi. *Complut. autem tranſponit,* νάθαν εὐνούχου βασιλέως, Nathan eunuchi regis. (*n*) Pharurim.] *Theodoretus*: Illud, φαρουρὶ, Symmachus eſt interpretatus, τοῦ φρουρίου, (*al.* φρουροῦ,) præſidio, munitione. (*o*) In civitate.] *Complut.* ἐν τῷ ὄρει, in monte, *ut vulgata, & Lucifer.* (*p*) Scopulus.] *Hinc uſque ad illud*, Etiam omnes, *eodem modo recitantur in Scholio, & quantum conjici poteſt ex lxx. tantummodo pro,* ἄφετε αὐτὸν, *habet,* ἄφες αὐτῷ dimitte ei; *pro,* κινησάτωσαν, κινησάτω, moveat, *& pro,* ἐρρύσθησαν, εὑρέθησαν, inventa ſunt. *Compl. autem hanc inſignem varietatem habet. pro,* ὁ ἄνθρωπος τοῦ θεοῦ, &c. ἐστὶ ὁ τάφος τοῦ ἀνθρώπου τοῦ θεοῦ ἐληλυθότος ἐκ τοῦ ἰούδα, ϗ λελαληκότος πάντας τοὺς λόγους, οὓς ἐποίησας νῦν ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον τὸ ἐν βαιθὴλ, *quæ in vulgata,* Sepulchrum eſt hominis Dei, qui venit de Juda, & prædixit verba hæc, quæ feciſti ſuper altare Bæthel. *Videntur etiam agnoſci a Theodoreto.* (*q*) Paſcha.] *Complut.* κατὰ τὸ πάσχα τοῦτο, juxta Paſcha hoc. *Vulgata*, Phaſe tale. (*r*) Theletas, & cognitores.] τοὺς θελητὰς, ϗ τοὺς γνωριστάς. *Sed alii habent,* γνώστας, *itemque 2. Paralip. 35. de qua dictione dictum eſt ſupra. Rurſus autem Complut, pro,* θελητὰς, *habet,* τοὺς ἐγγαστριμύθους, ventriloquos. (*ſ*) Qua.] *Viſitatus hebraiſmus, pro,* de qua, *ut vulgata. Complut.* εἰς ὃν, in qua. (*t*) Ejus.] *Complut. & alij addunt,* ἐν πόλει δαυὶδ, in civitate David, *quæ abſunt ab hebræo, & vulgata.* (*u*) Centum.] *In uno exemplari, & in Complut. eſt.* δέκα, decem. (*x*) Super os.] *Sic hebræus, quod vulgata,* juxta præceptum.

CAP. XXIV.

(*a*) AD prævalendum.] τοῦ κατισχῦσαι. *Complut.* τοῦ ἀπολύειν αὐτὸν, *quod vulgata,* ut diſperderent eum. *Conferantur cum his ea quæ habentur in extremo cap. 2. Paral.* (*b*) Super indignationem.] *Locutio reſpondet hebræo: ſed in illo eſt,* ſuper os. *Utroque autem modo idem ſignificatur, nimirum eveniſſe hoc per verbum, & per indignationem Domini adverſus Judam, ut amoveret eum, &c. Complutenſ. autem,* πλὴν θυμὸς κυρίου ἦν ἐπὶ τὸν ἰούδαν τοῦ ἀποστῆναι αὐτὸν, verum furor Domini fuit ſuper Judam ad removendum eum. *In extremo tamen capite habet eodem modo ac noſtra.* (*c*) In peccatis.] *Hoc etiam ex hebræo. Complut. autem planius,* διὰ πάσας τὰς ἁμαρτίας, propter omnia peccata. *Sed illud,* omnia, *abeſt etiam a vulgata.* (*d*) Etiam ſanguinem innocentem effuderat.] *Complut.* ϗ ἐν τῷ αἵματι τῷ ἀθῴῳ, ᾧ ἐξέχεεν. & in ſanguine innocente, quem effudit. (*e*) Intravit] εἰσῆλθεν, *Complut.* ἦλθεν, venit, *ut vulgata.* (*f*) captivitatis decem millia captivans.] *Id eſt, abducens captivos decem mille. Sed in aliquo libro eſt,* αἰχμαλωσίαν δέκα χιλιάδας, *quod in vulgata eſt,* decem millia in captivitatem. *In Compl. autem,* δέκα χιλιάδας αἰχμαλωσίας, decem millia captivitatis. (*g*) Batthaniam filium ejus.] *Compl.* τὸν ματθανίαν ἀδελφὸν τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, *quod in vulgata,* Mathathiam patruum ejus: *quæ lectio videtur agnoſci a Theodoreto in cap. 1. hujus quarti, ut ibi notatum eſt.*

CAP. XXV.

(*a*) DEcimo.] *In Compl. additur,* ἑνδεκάτη τοῦ μηνὸς, undecima menſis. *Sed in aliis,* ἐν δεκάτῃ, in decima: *& ſic vulgata.* (*b*) Arab.] *Compl.* τὴν ἐπὶ δυσμὰς, quæ ad occaſum, *aut,* quæ ad campeſtrem: *de qua re alibi dictum eſt. Eadem varietas eſt paulo poſt in dictione Araboth.* (*c*) Reblatha.] *Sic fere vulgata. Alii* εἰς δεβλαθὰ, in Deblatha, *& ita in ſequentibus, & 2. Par. 36.* (*d*) Princeps coquorum.] ὁ ἀρχιμάγειρος. *De qua dictione alibi eſt notatum. Vocabulum hebræum vulgata interpretatur,* princeps exercitus, *alii* magiſter laniorum, *alij,* magiſter homicidarum. (*e*) Domum.] *In aliis additur* μέγαν, magnam: *quod eſt in hebræo, ſed non in vulgata.* (*f*) Et eos qui procubuerant, qui delapſi erant.] *Sic hebræus: & vulgata interpretatur,* profugos qui transfugerant. *Complut.* τοὺς προσκεχωρηκότας τῷ βασιλεῖ, qui ceſſerant regi. (*g*) Firmamenti.] *Compl.* τοῦ λαοῦ, populi, (*h*) Gabin.] *Compl.* γεωργοὺς, agricolas, *ut vulgata: & eſt interpretatio illius.* (*i*) Mechonoth.] *Compl.* τὰς βάσεις, baſes, *ut vulgata. De hoc vocabulo alibi dictum.* (*k*) Jamin.] *Compl.* τὰς κρεάγρας, fuſcinulas. *Dictionem hebræam, cujus noſtra veſtigium eſt, alii vertunt,* ſcopas, *vulgata,* trullas. (*l*) Chothar.] *Compl.* τὰ ἐπιθέματα, additamenta, ornamenta. *Vulgata,* capitellum. (*m*) Sabacha.] *Compl.* ϗ δίκτυον, & retiaculum, *ut vulgata.* (*n*) Filium ſecundi ordinis.] *Compl.* τὸν ἱερέα τὸν δεύτερον, ſacerdotum ſecundum, *ut vulgata.* (*o*) Et populus relictus.] *Complutenſis* ϗ ἐπὶ τὸν λαὸν τὸν καταλειφθέντα, & ſuper populum, qui remanſerat. (*p*) Filium.] *Complutenſis* υἱοῦ, filii: *quæ varietas alibi notata eſt.* (*q*) Tranſitum Chaldæorum.] πάροδον. *Complutenſis* ἀπὸ τῶν χαλδαίων, a Chaldæis. *Sed hebræus,* a ſervis Chaldæorum, *& vulgata,* ſervire Chaldæis. (*r*) Verbum diei in die ſuo.] *Sic hebræus, id eſt, portionem quotidianam ſingulo quoque die. Complut. autem,* ἐν ἡμέραις αὐτοῦ, in diebus ejus.

CHRONICORUM. LIB. I.

CAP. I.

(*a*) FIlii Noe.] *Abeſt hoc ab aliis, & vulgata.* (*b*) Eliſa.] *Abeſt a Complut. & vulgata.* (*c*) Eliſa.] *Sic etiam vulgata. In aliquo impreſſo,* ἑλιδὰ, Helida. (*d*) Rhodij.] *In aliis* δωδανεὶμ, Dodanim, *ut vulgata. Verum tot ſunt in hujuſmodi nominibus varietates, ut lectori ſua ſit præſtanda diligentia in conferendis codicibus, non omnia a nobis expectanda. Quam autem codices tempore etiam S. Hieronymi, vitioſi fuerint, ſatis ipſe locuples teſtis eſt in epiſt. ad Domnonem, & Rogationem. In commentariis græcis nomina aliquanto propius accedunt ad hebræum: eoſque videntur ſequuti Complutenſes.* (*e*) Venator.] *Abeſt a Complut. ac fortaſſe,* gigas, & venator, *ſunt duæ interpretationes ejuſdem dictionis. Vulgata,* cœpit eſſe potens in terra. *Poſt quæ in aliis libris hæc ſequuntur.* Καὶ μεσραὶμ ἐγέννησε τοὺς λουδιεὶμ, ϗ τοὺς αἰνομιεὶμ, ϗ τοὺς λαβιεὶμ, ϗ τοὺς νεφθωσιεὶμ, ϗ τοὺς φαθερωεὶμ, ϗ τοὺς πετροσωνιεὶμ, ϗ τοὺς χασλωεὶμ, ὅθεν ἐξῆλθον ἐκεῖθεν φυλιστιεὶμ, ϗ τοὺς καφθοριεὶμ. Καὶ χαναὰν ἐγέννησεν τὸν σιδῶνα τὸν πρωτότοκον αὐτοῦ. Καὶ τὸν χετταῖον, ϗ τὸν ἰεβουσαῖον, ϗ τὸν ἀμορραῖον, ϗ τὸν γεργεσαῖον, καὶ τὸν εὐαῖον, ϗ τὸν ἀροκαῖον, ϗ τὸν ἐσενναῖον, ϗ τὸν ἀμαθί. καὶ υἱοὶ σὴμ, αἰλλὰμ, καὶ ἀσσοὺρ, καὶ ἀρφαξὰδ, καὶ λοὺδ, καὶ ἀράμ. καὶ υἱοὶ ἀρὰμ, οὒζ, καὶ οὒλ, καὶ γαθὲρ, καὶ μοσὸχ, καὶ ἀρφαξὰδ, καὶ λοὺδ, καὶ ἀράμ. καϊνὰ ἐγέννησε τὸν καϊνάν. καὶ ἐγέννησε τὸν σαλά. καὶ σαλὰ ἐγέννησε τὸν ἔβερ. καὶ τῷ ἔβερ ἐγεννήθησαν δύο υἱοί. ὄνομα τῷ ἑνὶ φαλέγ. ὅτι ἐν ταῖς ἡμέραις αὐτοῦ διεμερίσθη ἡ γῆ. ϗ ὄνομα ἀδελφῷ αὐτοῦ, ἰεκτὰν, ἐγέννησε τὸν ἐλμωδὰδ, καὶ τὸν σαλὲφ, καὶ τὸν ἀτερμὼθ, καὶ τὸν ἰαδὲρ, καὶ τὸν ἰδωρὰμ, καὶ τὸν οὐζὰλ. καὶ τὸν δεκλὰ, καὶ τὸν γαμαὰλ, καὶ τὸν ἀβιμεὴλ, καὶ τὸν σαβὰ, καὶ τὸν οὐφὶρ, καὶ τὸν εὐιλὰτ, καὶ τὸν ἰωάβ. πάντες οὗτοι υἱοὶ ἰεκτάν. Et Meſraim genuit ipſos Ludiim, & Ænomiim & Labiim, & Nepthoſeim, & Phatheroim, & Petroſoniim. (*pro his duobus in Complut. eſt tantum,* τοὺς φετρουσὶμ, *& vulgata,* Phetruſim.) & Chaſloim, unde exierunt inde Phyliſtiim, & Capthoriim. Et Chanaan genuit Sidona primogenitum ſuum, & Chettæum, & Jebuſæum, & Amorræum, & Gergeſæum, & Euæum, & Arocæum, & Eſennæum, (*Complut. adit,* & Amadi, & Samaræum) & Amathi. Et filii Sem, Ællam, & Aſſur, & Arphaxad, & Lud, & Aram, (*in aliquo libro additur,* & filii Aram. *Quod tamen abeſt ab aliis, & a vulgata*) Uz, & Ul, & Gether, & Moſoch. Et Arphaxad, & Lud, & Aram, Caina genuit ipſum Cainan. Et genuit Sala. (*pro iſtis,* & Lud. & Aram, Caina, &c. *in uno vetuſto, & in Complut. eſt,* genuit ipſum Cainan. Et Chainan genuit Sala. *Vulgata autem habet tantum,* Arphaxad autem genuit Sale.) Et Sala genuit Eber, & ipſi Eber fuerunt duo filii, nomen uni Phaleg, quoniam in diebus ejus diviſa eſt terra: & nomen fratri ejus Jectam. Genuit (*Compl.* Jectam autem genuit, *ut vulgata*) Elmodad, & Saleph, & Atermoth, & Jader, & Idram, & Uzal, & Decla, & Gamaal, & Abimeel, & Saba, & Uphir, & Euilat, & Joab. Omnes iſti filii Jectam. (*f*) Filii Sem, Ælam, & Aſſur, & Arphaxad.] *In Compl. & vulgata tantum eſt,* Sem, Arphaxad. (*g*) Abraam.] *Alij,* Abram. Ipſe Abraam. (*h*) Dædam, & Sabai.] *Complut. & vulgata,* Saba, & Dadan. *In multis autem libris hæc ſubjunguntur,* Et filii Dædan Raguel, & Nabdeel, & Aſſuelim, & Latæſiil, & Loomiin, quinque. (*i*) Reges eorum.] *Alii,* οἱ βασιλεύσαντες ἐν ἐδὼμ, πρὸ τοῦ βασιλεῦσαι βασιλέα ἐν τοῖς υἱοῖς ἰσραήλ. Reges, qui regnaverunt in Edom (*aut,* in terra Edom) antequam regnavit rex in filiis Iſrael: *quomodo fere vulgata.* (*k*) Adad filius Barad.] *Alii partim habent,* Adad Barad, *partim ſolum,* Adad, *& ſic vulgata.* (*l*) Phogor, Duces.] *Alii,* Phogor: καὶ ὄνομα τῇ γυναικὶ αὐτοῦ μεταβεὴλ, θυγάτηρ μεζαάβ. Et nomen uxori ejus Metabel filia Mezaab, (*Compl. autem,* filia Mathreth filia Mezaab: *ubi,* filia, *ſecundo loco valet,* filiæ, *ut in vulgata idque alibi notatum.*) ϗ ἀπέθανεν ἀδάδ. Et mortuus eſt Adad. Et facti ſunt Duces, &c. (*m*) Zaphoin.] *In nonnullis libris eſt,* Heram, *aut,* Eram, *ut Compl. vulg.* Hyram.

CAP. II.

(*a*) HÆc nomina filiorum] *Alii,* οὗτοι δὲ (*iſtud* δὲ, *abeſt a Compl.*) υἱοί. Iſti autem filii. (*b*) Impeditor.] ὁ ἐμποδοστάτης. *Alii.* ὁ ταράξας, qui turbavit, *ut vulgata.* (*c*) Et Aram, & Chaleb.] *Alij,* χαλωβὶ, Chalobi. *Alij,* ϗ ῥὰκ. ϗ χαλὲβ, ϗ ἀρὰν, & Rac, & Chaleb, & Aram. *Verum,* Rac, & Aran, *videntur ducta ex eadem dictione hebræa, quæ in vulg. vertitur,* Ram. (*d*) Zabdai.] *Alii,* ῥηδὶ, Rhedi. *Compl.* ῥεδαῒ, Redai. *Vulg.* Raddai. (*e*) Quinque.] *Compl.* υἱὸς ἑξήκοντα ἐτῶν, filius ſexaginta annorum, *ut hebræus.* (*f*) Pagos Jair.] *Vulg.* oppida Jair. *Compl.* ϗ τὴν ἀνώθ. *Et illud quidem,* ἀνὼθ, *eſt dictio hebraica, quæ ſignificat villas, pagos, oppida. Sed illud,* ϗ τὴν, *mendoſum omnino eſt.* (*g*) Pagos.] *Compl.* θυγατέρας, filias, *ut hebræus.* (*h*) Et Aſan fratres ejus.] *Alii,* Aſom. *Alij,* ἀχιὰν, ϗ ἀσὸμ, *aut,* ϗ ἀσὼμ, καὶ ἀχιάν. *Vulg.* & Aſom, & Achia: *Et illud,* frater ejus, *videtur interpretatio illius,* Achia. (*i*) Iſemiel.] *Alii,* ἰεσσὶ, Jeſſi. *Compl* ἰσσουὶ, Jeſſui. *Vulg.* Jeſi, (*k*) Jochel.] *In aliis,* ἰεραὰ, *aut,* ἱερεε. *Vulg.* Jeraa. (*l*) Aphamel] *Alii,* ἰηοῦ, Jeu. *Compl.* τὸν ἐφαὲλ, *vulg.* Ophal. (*m*) Meriſa.] *In aliis,* μασὰ, *aut,* μουσά. *Vulg.* Meſa. *Sed infinitæ ſunt hujuſmodi varietates* (*n*) Sagae.] *Alii,* σὲφ, *aut,* σαὰφ, *& vulg.* Saaph. (*o*) Araa, & Æſi, & Ammanith.] *Sunt veſtigia dictionum hebraicarum: pro quibus in vulg. ponuntur interpretationes,* qui videbat dimidium requietionum. (*p*) Et Umoſphae civitates Jair.] *In quibuſdam eſt pro,* civitates Jair, καριαθιαρὶμ, *& in Compl.* καὶ καριαθαρεὶς, *ſed iſtud,* καὶ, *redundat. Nam illud,* Umoſphae, *eſt veſtigium dictionis ſignificantis cognationes. Quare vulg.* & de cognatione Cariathiarim. (*q*) Et filii Eſthaam.] *Alii,* καὶ οἱ ἐσθαωλαῖοι, *aut,* ὁ ἐσθαολί. *Vulg.* & Eſthaolitæ. (*r*) Netophathi.] *Aliqui habent,* καὶ νετωφαθεὶ, *ut hic etiam intelligatur eſſe filius Salomon (aut Salma, ut alii) & utrique fuiſſe,* Ataroth,

roth, *id eſt, corona domus Joab.* (*ſ*) Et dimidium Malathi, Eſari.] *Compl.* καὶ ὁ μαναθὶ, καὶ ὁ σαρεΐ. *Vulg.* & dimidium requietionis Sarai. (*t*) Cognationes ſcribarum.] πατριαί. *Compl.* καὶ δῆμοι σωφηρεὶμ, & populi Sopherim, *quod tamen ſignificat*, ſcribarum. (*u*) Thargathiim, & Samathiim, & Sochathiim.] *Pro his in vulgata ponuntur interpretationes*, Canentes, atque reſonantes, & in tabernaculis commorantes : *ſicut etiam paulo poſt pro*, Hæmath, calore.

CAP. III.

(*a*) ROboam.] *Sic etiam hebræus. Complut. addit*, υἱὸς αὐτοῦ, filius ejus. (*b*) Saphat.] *In vulgata additur*, & Seſa : *quod in græcis codicibus etiam in Compl. videtur deſiderari, ad explendum numerum ſenarium.* (*c*) Elithenan] *Alii*, ἐλιωναῒ, *& vulgata*, Elioenai.

CAP. IV.

(*a*) ET Rada filius ejus. Et Subal.] *Diſcrepant codices. Complutenſis* καὶ ῥεϊὰ υἱὸς σωβὰλ, *quod vulgata*, Rhaia vero filius Subal. (*b*) Generationes ipſius Arathi] *Complutenſis*, οὗτοι δῆμοι τοῦ σαραθὶ. *Vulgata.* Hæ generationes Sarathi. (*c*) Filii Ætham.] *Complut.* πατέρες ἠτὰμ, patres Etam. *Hebræus*, patris, *quaſi dicas*, paterna ſucceſſio : *quomodo ſæpe in ſequentibus uſurpatur. Quare vulgata*, ſtirps. (*d*) Eſelebbon.] *Nonnulli* ἐσκαδεσφὼν, Eſcadeſphon. *Complut.* ἀσελαφωνὶ, *vulgata*, Aſelaphum. (*e*) Aoda, & Theoda.] *Alii*, χαλλὰ, καὶ μααρὰ, Challa, & Maara. *Complutenſis*, ἔλαα, καὶ νωερὰ. *Vulgata*, Alaa, & Naara. *Et incipiunt a commemoratione filiorum Noera.* (*f*) Et generationes.] καὶ γεννήσεις, *& videtur accuſandi caſus. Nam ſic vulgata*, & cognationem Aharel filii Amor. *Complutenſis*, αὗται αἱ πατριαὶ ἀδελφοῦ ῥηχὰλ υἱοῦ ἁρίμ. Hæ ſunt familiæ fratris Rechal filii Harim. (*g*) Igabes.] *Alii*, ἰαβὴς, Jabes, *ut vulgata.* (*h*) Sicut Gabes.] *Eſt aliquod veſtigium dictionis Hebraicæ, quæ ſignificat*, in dolore, *ut habet vulgata. Quare alii libri*, ἐν διαπτώσει. (*i*) Genuit Bathræam.] *In aliis*, Et Aſathon (*aut* Eſſathon) genuit Satrepha, & Pheſſe, & Thana patrem civitatis Naas. *Et in Complut. quæ habet*, Ernaas, *continuo ſequitur* : Hi viri Recha. (*k*) Athath. Et Manathi genuit.] *Non habet plura hebræus : quamvis fortaſſe ſubintelligenda ſint, quæ ſupplet Complutenſis, quæ habet*, Atheth, & Maonathi. Et Maonathi genuit, *& ſic vulgata.* (*l*) Jobab, patrem Ageaddair.] *Alii*, Joram patrem Geſaſarim. *Complut.* Joab patrem Gecharaſim, *quod ſignificat*, vallis artificum. *ut vulgata.* (*m*) Chetiel.] *Alij*, Jechetiel patrem Zanoi *nec multo aliter Complut. aut vulgata.* (*n*) Et generationes domeſticorum Ephrathabat.] *Diſcrepant codices mirabiliter. Quidam*, Ebdamatharbus. *Complut.* καὶ δῆμοι οἴκου ὠβὴθ ἀβοῦς, & populi domus Obeth Abus. *Vulgata*, & cognationes domus operantium byſſum : *& ita in ſequentibus pro nominibus hebraicis ponit interpretationes nominum.* (*o*) Abederim, Athuciim.] *Sunt veſtigia dictionum hebraicarum ſignificantium*, verba antiqua. *Quare Complut.* καὶ ἀπέστρεψαν εἰς λεέμ. οἱ δὲ λόγοι παλαιοί εἰσιν, & reverterunt in Leem. Verba autem vetera ſunt : *& ſic fere vulgata.* (*p*) In regno ejus.] *Complut.* ἐν τοῖς ἔργοις αὐτοῦ, in operibus ejus, *ut vulgata. In hebræo valde affines ſunt voces quæ ſignificant*, regnum & opus : *ut alibi dictum eſt.* (*q*) Et ex eis de filiis.] ἀπὸ τῶν υἱῶν. *Iſtud*, ἀπὸ, *abeſt a Complut.* Et ex ipſis filiis Symeon : *quod reſpondet vulgatæ: ſed noſtra locutioni hebraicæ ; licet idem ſit ſenſus.* (*r*) Uſque in diem hanc.] *Alii* καὶ κατῴκησαν ἐκεῖ ἕως τῆς ἡμέρας ταύτης, & habitaverunt ibi uſque in diem hanc. *Vulgata addit*, pro eis.

CAP. V.

(*a*) FIlio ſuo Joſeph] *In aliquot codicibus eſt*, τῷ υἱῷ ἰωσὴφ, filio Joſeph. *Verum totus hic locus ita apud Theodoretum habet.* υἱοὶ ῥουβὴν πρωτοτόκου ἰσραὴλ, ὅτι αὐτὸς ὁ πρωτότοκος, ἐν δὲ τῷ βεβηλῶσαι τὴν στρωμνὴν τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, ἔδωκε τὰ πρωτοτόκια αὐτοῦ τοῖς υἱοῖς ἰωσήφ. καὶ οὐκ ἐγενεαλογήθη εἰς πρωτοτόκια ῥουβὴν, ὅτι ἰούδας δυνατὸς ἐν ἰσχύϊ ἐν τοῖς ἀδελφοῖς αὐτοῦ, καὶ εἰς ἡγούμενον ἐξ αὐτοῦ καὶ τὰ πρωτοτόκια τῷ ἰωσήφ. Filii Reuben primogeniti Iſrael. Nam ipſe primogenitus : ſed in polluendo lectum patris ſui, dedit primogenita ejus filiis Joſeph. Et non eſt in genealogia computatus in primogenita Reuben : quoniam Judas potens in fortitudine in fratribus ſuis, & in ducem ex ipſo : & primogenita ipſi Ioſeph. *Eodem fere modo Compl. niſi quod pro*, ἔδωκεν, *habet*, ἐδόθη, data ſunt. *Addit Theodoretus (quamvis interpres mutilato codice ſit uſus) ex hac narratione conſtare Joſeph quidem reportaſſe jura primogenituræ, ſed principatum ad Judam deveniſſe ob Dominum, qui ex eo natus eſt ſecundum carnem.* Nam hoc, *inquit*, ſignificat illud, in Ducem ex ipſo. Non enim ſolos reges qui ex eo, ſignificat oratio, ſed & regem æternum, &c. *Illud autem*, in Ducem, *eſt hebraiſmus, & valet* Dux, *aut*, ii, qui futuri erant in Ducem. (*b*) Semei & Banæa filius ejus. Et filii Gug] *Variant nonnihil codices.* AA. LL. habent. καὶ υἱοὶ γὼγ υἱοῦ σεμεῒ υἱὸς αὐτοῦ, μιχὰ υἱὸς αὐτοῦ, ῥησὶν υἱὸς αὐτοῦ, καὶ βεηρὰ υἱὸς αὐτοῦ, ὃν, &c. *Sed Complutenſis, ſatis prope ad vulgatam*, Semei filius ejus, Gog filius ejus, Samec filius ejus, Micha filius ejus, Rhaia filius ejus, Baal filius ejus, Bara filius ejus, quem tranſtulit, &c. (*c*) Adverſus incolas : & ceciderunt.] *Complut.* cum Agarenis, & ceciderunt in manu eorum. Et habitaverunt in tabernaculis eorum ſuper omnem faciem Orientis Galaad. (*d*) Et omnia adjacentia Saron uſque ad exitum.] *Complut.* καὶ ἐν πᾶσι τοῖς ἀφωρισμένοις σαρὼν ἐπὶ τῶν διεξόδων αὐτῶν, & in omnibus ſegregatis (*id eſt*, ſuburbanis, *ut vulgata*, Saron ſuper exitus eorum : *quamvis illud*, ſuper, *more hebraico valeat*, uſque ad exitus, & terminos, *ut vulgata.* (*e*) Omnium computatio.] *Complut.* πάντες ἐγενεαλογήθησαν, omnes genealogizati ſunt. (*f*) Apparatum.] *Compl.* τὰς κλήσεις, poſſeſſiones. (*g*) Centum.] *Theod.* ſeptuaginta. (*h*) Et habitarunt.] *In aliis & apud Theodoretum*, τραυματίαι γὰρ πολλοὶ ἔπεσον (*Theodoretus* ἦσαν) ὅτι παρὰ τοῦ θεοῦ ὁ πόλεμος, καὶ κατῴκησαν. Cæſi enim multi ceciderunt (*al.* fuerunt) quoniam a Deo bellum : & habitarunt : *nec multo aliter vulgata.* (*i*) Et in Libano ipſi abundarunt.] *Compl. habet tantum*, αὐτοὶ ἐπληθύνθησαν, ipſi multiplicati fuerunt : *quod reſpondet hebræo : & vulgata*, ingens quippe numerus erat.

CAP. VI.

(*a*) MAriel.] *In nonnullis eſt*, μααριὼθ, *vulgata*, Meraioth. (*b*) Et Ioſadac ivit in tranſmigratione cum Iuda] *Aliquot codices*, ἐν τῇ μετοικίᾳ κυρίου, in tranſmigratione Domini. *Alii*, καὶ ἰωσεδὲκ ἐπορεύθη ἐν τῷ ἀποικίζειν κύριον τὸν ἰούδαν, καὶ τὴν ἱερουσαλήμ. Et Joſedec ivit, quando tranſtulit Dominus Iudam & Hieruſalem: *quomodo fere vulg.* (*c*) Patriæ] *In aliis* αἱ συγγένειαι, cognationes. (*d*) Ipſi Lobeni.] *Alij*, Lobeni filii ejus. (*e*) Aminadab.] *Ita etiam vulgata. In aliis & Complut.* Iſaar filius ejus Aminadab, &c (*f*) Achimoth. Helcana filius ejus.] *Complut.* Achimoth, Elcana. Elcana filius ejus : *ſed vulgata*, Achimoth, & Helcana. Filii Helcana Sophai, &c. (*g*) Filii Samuel.] *Ita etiam vulgata. Sunt enim cogitatione ſupplenda, quæ in aliis libris & Complut. adjiciuntur*, Samuel filius ejus : & filii Samuel. (*h*) In omnem operationem miniſterii.] *In aliis, & apud Theodoretum*, εἰς πᾶσαν δουλείαν τῆς σκηνῆς, *quod vulgata*, in cunctum miniſterium tabernaculi, *Aliqui addunt*, δουλείαν λειτουργίας, ſervitutem miniſterii. (*i*) Sancta.] *Alii*, ἁγίαν, ſanctam. *Theodoretus*, καὶ εἰς πάντα τὰ ἔργα τῶν ἁγίων, & ad omnia opera ſanctorum. *Complut.* εἰς πάντα τὰ ἔργα τοῦ ἁγίου τῶν ἁγίων. *quod vulgata*, in omne opus ſancti ſanctorum. (*k*) Adiacentia.] περισπόρεια. *Alii*, περιπόλια, ſuburbana : *quam dictionem etiam noſtra habet interdum.* (*l*) Et Selna, & adiacentia ejus.] *Alii*, & Alom, & ſuburbana ejus. *Complutenſis habet tantum*, & Jather, *quomodo fere vulgata : & paulo poſt pro*, Jethar, Chelon : *quo loco in multis etiam eſt*, ἡλὼν, *& vulgata*, Helon. (*m*) Ex patriis, ex tribu.] *Alii*, ἀπὸ τῆς συγγενείας τῆς φυλῆς, de cognatione tribus. (*n*) Ad Occidentem.] *Plerique*, κατὰ ἀνατολὰς, *& vulgata*, contra Orientem.

CAP. VII.

(*a*) IPſi Thola.] *Sic vulgata. Complut. initio habuit*, Thala, *& hic*, Tholam. *Iſte autem dandi caſus*, τῷ θωλὰ, *valet*, de ſtirpe Thola, *ut habet vulgata.* (*b*) Patrias.] *Alii*, συγγενείας, cognationes. (*c*) Numerus.] *Alii*, ἡ γενεαλογία, genealogia, *& ſic ſæpe.* (*d*) Aſam filius ipſius Aor.] *Magna hic in codicibus varietas. Compl. prope ad vulgatam* καὶ ἀσὶμ υἱοὶ ἀχὲρ, & Aſim filii Acher (*e*) Filii ejus Balaam filius ejus.] *Etiam hic Complut.* υἱοὶ βαλαὰ, *& vulgata*, filii Bala. (*f*) Peperit autem ei & Machir.] *Complut. habet tantum*, τὸν μαχείρ, ipſum Machir. *Verbum*, Peperit, *repetitur etiam hic in hebræo : in quo etiam locus hic anceps eſt.* (*g*) Ejus.] *Sic etiam hebræus. Alii autem*, αὐτῶν, eorum. (*h*) Mea.] *Alii*, αὐτοῦ, ejus. (*i*) Et filii Ozan, Seera.] *Alii*, καὶ τὴν σαδρὰ, & ipſum Sadra : *pendet enim ab illo*, ædificavit. *Complut. propius ad vulgatam.* καὶ τὴν ἐζενσααρὰ, & Ezenſaara : Et in ipſa, *ac magna ex parte in aliis ſequitur*, Et Rapha filius ejus, & Raſeph filius ejus, & Thabi filius ejus, & Thaan filius ejus, & Ladan filius ejus, Amiud filius ejus, Eliſama filius ejus, Num filius ejus, Joſee filius ejus. Et poſſeſſio, &c. (*k*) Uſque Gazam & pagi.] *Compl.* καὶ ἀδία, καὶ αἱ κῶμαι αὐτῆς, καὶ ἐχόμενα υἱῶν μανασσῆ βαιθσὰν, καὶ αἱ θυγατέρες αὐτῆς & Adia, & pagi ejus, & juxta filios Manaſſe, Bæthſan, & filiæ ejus. *Atque illud*, θυγατέρες, *eſt etiam in aliis.* (*l*) Hac.] *Alii*, ταύταις, his. (*m*) Et Bane Elam.] *Illud*, Bane, *videtur ductum ex dictione hebræa, quæ ſignificat*, filii : *quare alii habent*, καὶ υἱοὶ ἀσοὺδ ἀδελφοῦ αὐτοῦ, & filii Aſud fratris ejus. *Complut. autem, propius ad vulgatam*, καὶ υἱοὶ ἐλὲμ, & filii Helem. (*n*) Principes duces, numerus eorum in aciem ad pugnandum.] *Alii*, ἡγούμενοι (*aut*, ἀρχηγοὶ) τῶν ἀρχόντων, τῶν γενεαλογηθέντων ἐν τῇ στάσει τοῦ πολέμου, *aut*, ἐν τῷ πολέμῳ, duces principum eorum, qui in genealogia computati ſunt in ſtatione belli, *aut*, ad bellum.

CAP. VIII.

(*a*) ET Achia, & Gera.] *Eodem ordine in hebræo, & in vulgata. Compl. autem*, & Aod. Et hi filii Aod, Gera, &c. (*b*) Jeglaam.] *Dicti hebræa ſignificat*, tranſtulit eos : *quare Compl.* αὐτὸς ἀπῴκισεν αὐτοὺς, *& vulgata*, ipſe tranſtulit eos. (*c*) Uxorem ſuam.] *Hebræus, & vulgata*, uxores ſuas : *reliqua optime conveniunt. In Complut. autem hic locus mendoſus eſt.* (*d*) De Oſin.] *Complut* μεωσείμ. *Sed illud*, με, *eſt particula, quæ in hebræo ſignificat*, de. (*e*) Et Frater ejus.] *Pro quo in vulgata*, Ahio. *Alii autem*, καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτῶν, & fratres eorum. (*f*) Filius Joram.] *In aliis*, υἱοὶ ἱερεὰμ, filii Hieream. (*g*) Pater Gabaon.] *In aliquo libro eſt*, ἰεϊὴλ πατὴρ γαβαὼν, Jiel pater Gabaon, *ut cap. ſequente. Sed vulgata facit unicum nomen proprium*, Abigabaon. (*h*) Frater ejus.] *Rurſus in vulgata*, Ahio, *& in aliis*, οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ, fratres ejus.

CAP. IX.

(*a*) COmputatio.] *Apud Theodoretum, & in Complut. & magna ex parte in aliis libris hic locus ſic habet*, καὶ πᾶς ἰσραὴλ ἐγενεαλογήθησαν, καὶ ἰδοὺ εἰσὶ γεγραμμένοι ἐπὶ βιβλίου βασιλέων ἰσραὴλ, καὶ ἰούδα. καὶ ἀπῳκίσθησαν εἰς βαβυλῶνα διὰ τὴν ἀσυνθεσίαν αὐτῶν, ἣν ἠδίκησαν. Omnis Iſrael relati ſunt in genealogiam : & ecce ſunt ſcripti ſuper librum regum Iſrael, & Juda. Et tranſlati ſunt in Babylonem propter prævaricationem ſuam, quam injuſte commiſerunt. : *quomodo fere hebræus ; niſi quod non habet hæc poſtrema*, quam injuſte commiſerunt (*b*) In civitatibus Iſrael ſacerdotes, & Levitæ, & dediti.] οἱ δεδομένοι, *quaſi dicati, & addicti certo cuidam miniſterio. Sed Theodoretus, & Complut. & magna ex parte alii*, ἐν ταῖς πόλεσιν αὐτῶν, ἰσραὴλ, καὶ οἱ ἱερεῖς, καὶ οἱ λευῖται, καὶ οἱ ναθίνεοι, *aut*, ναθιναῖοι, in civitatibus eorum, Iſrael, & ſacerdotes, & Levitæ, & Nathinæi. *Ac Theodoretus quidem eos qui habitabant in poſſeſſionib. & civitatibus eorum, intelligit Chananæos, & Chettæos, & Jebuſæos, quorum multi adhuc habitabant cum Iſraelitis, & participes fuerunt calamitatis. Nathinæos autem putat appellari*, τοὺς ἱεροδούλους, *quaſi ſervos ſacro miniſterio addictos : multos enim dicaſſe ſe ad Sacerdotum & Levitarum miniſteria.* (*c*) Et Gnothi, & filius Samiud.] *Alii*, οὐθὶ υἱὸς ἀμιοὺδ, *quod vulgata*, Othei filius Amiud. *Sed etiam Complut. habet*, Samiud. (*d*) Filii filiorum] *Complut.* ἀπὸ τῶν υἱῶν, de filiis, *ut vulgata.* (*e*) Eorum.] *Sic etiam vulgata. Complut.* αὐτοῦ, ejus. (*f*) Omnes viri principes patriarum ſecundum domos patriarum ſuarum.] *Complut.* πάντες οὗτοι πατριάρχαι κατ' οἶκον πατριῶν αὐτῶν, omnes hi patriarchæ per domum patriarum ſuarum : *Et in aliquo libro utraque lectio miſcetur.* (*g*) Ducis] *Melius quam* quod in Complut. ἡγούμενοι, duces. (*h*) Pagis.] *Alii*, ταῖς αὐλαῖς, *eodem tamen ſenſu, ut etiam paulo poſt in noſtra, quamvis Complut. vertant*, atriis, *ut vulgata.* (*i*) Hæ portæ caſtrorum.] *Alij*, αὐτοὶ οἱ πυλωροὶ εἰς τὰς παρεμβολὰς, ipſi janitores in caſtris. (*k*) Ad domum patris ejus.] *Ita fere hebræus, & vulgata*, & domo patris ſui. *Alii*, κατ' οἴκου πατριῶν αὐτῶν, per domum patriarum ſuarum: *quod tamen idem videtur valere.* (*l*) Coritæ.] *Sic etiam vulgata. Complut.* κορειτοὶ. *Theodoretus*, κορηνοὶ, Coreni. *Et addit hos eſſe oriundos e Core.* (*m*) Cuſtodias] *In aliquot libris eſt*, τὰς πύλας, portas: *Complut.* τὰ πρόθυρα, veſtibula, *& vulgata.* (*n*) Patres.] *Idem ſignificat*, ac patriæ, & familiæ (*quod habet vulgata*) *ut alibi ſæpe.* (*o*) Super portam in portis.] *Alii*, εἰς πυλωροὺς ἐν τοῖς σταθμοῖς, in oſtiarios in liminibus. (*p*) Computatio eorum. Hos ſtatuit.] *Alij*, ἡ γενεαλογία, (*Complut.* γένεα) αὐτῶν, ϗ ὁ καταλογισμὸς αὐτῶν. τούτους ἐρίθμησε, ϗ ἔστησεν. Genealogia, & computatio eorum: hos numeravit, & ſtatuit. *Atque iſtud quidem*, numeravit, & ſtatuit, *eſt etiam apud Theodoretum.* (*q*) Cuſtodiendum.] *Alii addunt*, εἰς ἐφημερίας, *quod vulgata*, vicibus ſuis. (*r*) Portarum. Et Levitæ erant.] *In aliis*, portarum ipſi Levitæ. Et erant, &c. (*ſ*) Caſtrametantur.] *Alij*, ϗ περικύκλῳ τοῦ οἴκου τοῦ θεοῦ αὐλισθήσονται, & in circuitu domus Dei morabuntur: *quod reſpondet vulgatæ.* (*t*) Et in aromata.] *Alij & Theodoretus*, ἐν τοῖς ἀρώμασι, in aromatibus. (*u*) Magni ſacerdotis.] *Complut.* τῶν τηγανιστῶν, eorum quæ frigebantur ſartagine. *In aliquo libro miſcetur utrumque.* (*x*) Ordinatæ vices.] *Alii*, ἐν τῷ παστοφορίῳ διατεταγμένοι εἰς ἐφημερίας, in paſtophorio ordinati in vices. (*y*) Frater.] *Alii*, οἱ ἀδελφοὶ αὐτῶν, *aut*, αὐτοῦ, fratres eorum, *aut*, ejus. *Vulgata rurſus*, Achio, *quod poteſt valere*, frater ejus. (*z*) In medio.] *In aliis*, μετὰ, cum fratribus ſuis. (*aa*) Et Achaz.] *Ita hebræus. Eſt enim ſubintelligendum, ut alibi ſæpe, quod exponitur in Compl.* & Achaz. Et Achaz genuit: *itemque in vulgata.*

CAP. X.

(*a*) ET fugerunt.] *Alii*, ϗ ἔφυγεν ἀνὴρ ἰσραὴλ, & fugit vir Iſrael. (*b*) Laboraverunt.] *Alii*, ἐπόνεσεν, laboravit, fractus eſt. *Complut.* ἐτροπώθη, vulneratus eſt. (*c*) Idolis ſuis.] *Eadem locutio in hebræo. Alii autem*, ἐν τοῖς οἴκοις τῶν εἰδώλων αὐτῶν, in domibus idolorum ſuorum. (*d*) Galaad.] *In aliis*, ἰαβὴς τῆς γαλαάδ, *& vulgata*, Jabes Galaad. (*e*) Super verbum Domini, quoniam non obſervavit.] κατὰ τὸν λόγον κυρίου, διότι οὐκ ἐφύλαξεν, *& alii codices, ac Theodoretus addunt*, αὐτὸν, illud. *Viſum eſt autem hoc loco illud*, κατὰ, *valere*, ſuper, *ut etiam alibi: quoniam ſic hebræus habet, & ſignificat*, contra.

CAP. XI.

(*a*) ISrael Dominus tibi.] *Alii*, σοὶ κύριος ὁ θεός σου, tibi Dominus Deus tuus, *ut vulgata.* (*b*) Et viri ejus.] *In aliis*, ϗ πᾶς ἰσραὴλ, *quod vulgata*, & omnis Iſrael. (*c*) Dixerunt David.] *In pleriſque libris eſt*, εἶπον δὲ οἱ κατοικοῦντες τὴν ἰεβοὺς τῷ δαυίδ. Dixerunt autem inhabitantes Jebus ad David. (*d*) Circuitu.] *In cæteris hæc adduntur*, ἀπὸ τῆς μααλὼ (*al.* ἄκρας) ϗ ἕως τοῦ κύκλου. ϗ ἰωὰβ περιεποιήσατο τὸ λοιπὸν τῆς πόλεως, a Maalo, (*al.* arce) & uſque ad gyrum. Et Joab reparavit reliquum civitatis. *In multis adduntur præterea hæc*, ϗ ἐπολέμησε, ϗ ἔλαβε τὴν πόλιν, & oppugnavit, & cepit civitatem: *quæ tamen abſunt a Complut. & vulgata.* (*e*) Jeſebada.] *Alii*, Jeſabaal, *Complut.* Jeſbaan, *ut vulgata.* (*f*) Semel.] *Abeſt hoc loco a Complut. ſed paulo poſt pro*, in tempore uno, *habet*, εἰσάπαξ. (*g*) Dodai Achochi.] *Complut.* δωδαὶ πατραδέλφου αὐτοῦ, Dodai patrui ejus. *Sed*, Dodai, *factum eſt ex dictione hebræa, quæ ſignificat*, patrui ejus. *Quare alterutrum eſt ex alia interpretatione: & illud*, Achochi, *in vulg. eſt*, Achites. (*h*) Conſpicuum.] *Complut.* εὐμήκη, grandem. (*i*) Colle.] *Complutenſ.* Gabaath, *ut vulgata.* (*k*) Filio Saruiæ.] *Alii*, ἰωὰβ υἱοῦ σαρουία, Joab filii Saruiæ. (*l*) Ipſius Reuben princeps.] ὁ ῥουβηνὶ, ἄρχων τῷ ῥουβὴν, Rubenites princeps ipſi Ruben.

CAP. XII.

(*a*) ET arcu] *Complut.* ἐκτείνοντες τόξον δεξιάζοντες, καὶ ἀριστερεύοντες, ϗ σφενδονῆται ἐν λίθοις, ϗ ἐν βέλεσι, ϗ τόξῳ, tendentes arcum, utentes dextra, & ſiniſtra, & funditores in lapidibus, & in jaculis, & arcu. (*b*) Et coritæ.] *Ab aliis abeſt illud*, &: *& vulgata*, Jeſbaan de Careim. (*c*) Et qui ipſius Gedor.] *In aliis*, υἱοὶ τοῦ γεδδώρ. filii Geddor. (*d*) A deſerto.] *Alii*, ἐπὶ τῆς ἐρήμου, ſuper deſertum: *quod vulgata*, cum lateret in deſerto. (*e*) Sit mihi cor per ſe.] *Complut.* βοηθῆσαί μοι, εἴη μοι καρδία ἐφ' ὑμᾶς εἰς ἕνωσιν, ad auxiliandum mihi, ſit mihi cor ſuper vos in unionem. (*f*) Veſtrorum.] *Alii*, noſtrorum. (*g*) Vade & populus tuus David filius Jeſſæ pax, pax tibi.] *Complut. & magna ex parte alii*: Vade David filius Jeſſæ, tu, & populus tuus in pace: pax tibi, &c. (*h*) In veniendo alienigenas] *Complut.* ἐρχομένου αὐτοῦ μετὰ ἀλλοφύλων τῶν ἐλθόντων, veniente eo cum alienigenis venientibus, *&c.* (*i*) Factum eſt.] *Complut.* ὅτι ἐν βουλῇ ἐγένοντο οἱ σατράπαι τῶν ἀλλοφύλων, λέγοντες, ἐν ταῖς κεφαλαῖς ἡμῶν, quoniam in conſilio fuerunt ſatrapæ alienigenarum, dicentes: In capitibus noſtris, &c. (*k*) Saul.] *In aliis additur*, ϗ ἐξαπέστειλαν αὐτὸν, & dimiſerunt eum: *quæ tamen non ſunt hoc loco in hebræo.* (*l*) Geddur.] *Theodoretus*, γεδοὺρ, autem vocavit catervam Amalecitarum: *de hoc nomine alibi notatum eſt.* (*m*) In exercitu, in virtute.] *Prius*, in, *abeſt a Compl. ſed videri poſſunt duæ interpretationes.* (*n*) Diem ex die] *Complut.* κατὰ καιρὸν ἡμέρας εἰς ἡμέραν ἤρχοντο πρὸς δαυὶδ τοῦ βοηθῆσαι αὐτῷ ὡς εἰς παρεμβολὴν μεγάλην, ὡς παρεμβολὴν θεοῦ, ſecundum tempus diei in diem veniebant ad David ad auxiliandum ei tanquam ad caſtrametationem magnam, tanquam caſtrametationem Dei. (*o*) Plurima pars eorum intendebat in cuſtodiam.] *Complut.* οἱ πλεῖστοι αὐτῶν ἐφύλασσον τὴν φυλακὴν, plerique eorum cuſtodiebant cuſtodiam. (*p*) In tempora.] *Theodoretus*, εἰς τοὺς καιροὺς αὐτῶν, in temporibus ſuis. (*q*) Ducenti.] *Nonnulli*, εἰς ἀρχὰς διακόσιοι, in principes ducenti, *quod vulgata*, principes ducenti. *Complut.* εἰς τὰς ἀρχὰς αὐτῶν διακόσιοι, in principatibus ſuis ducenti. *Alii*, ὀκτακόσιοι, octingenti. *Theodoretus*, εἰς τὰς ἀρχὰς αὐτοῦ, διακόσιοι, in principatu ſuo, ducenti. (*r*) Non manibus vacuis.] *Id viſum eſt poſſe valere*, οὐ χειροκένως. *In aliquot libris ſequitur*, οὔτε μετὰ καρδίας, neque cum corde, & corde. *In Compl. hoc tantum eſt, non illud.*

CAP. XIII.

(*a*) QUæſierant.] *Complut.* ἐξητήσαμεν, *& vulgata*, requiſivimus. (*b*) Et adduxit eam David: & omnis Iſrael aſcendit in civitatem David.] *Complut.* ϗ ἀνέβη δαυὶδ, ϗ πᾶς ἀνὴρ ἰσραὴλ εἰς καριαθιαρείμ. *quod in vulgata*: Et aſcendit David, & omnis vir Iſrael, ad collem Cariatharim. (*c*) Cantoribus.] *Complut.* ᾠδαῖς, canticis. (*d*) Aream.] *Complut. addit.* χαιδὼν, *& vulgata*, Chidon. (*e*) Abeddara.] *Theodoretus per ſimplex* δ. *licet aliter interpres. Compl.* ὀβὴδ ἐδώμ. *& vulgata*, Obed Edom. *In cap.* 15. *appellatur*, ἀβδεδὸμ, Abdedom.

CAP. XIV.

(*a*) QUi fuerunt.] *Abeſt a Complutenſi ſed non ab hebræo.* (*b*) Conſederunt.] *Hoc viſum eſt hoc loco ſignificare*, συνέπεσον, *itemque paulo inferius. Complutenſis utroque loco*, ἐξεχύθησαν, *& vulgata*, diffuſi ſunt.

CAP. XV.

(*a*) LEvitas.] *Complut. ac vulgata*, & Levitas. (*b*) Viginti.] *Nonnulli alii*, πεντήκοντα, quinquaginta. (*c*) Non fuiſtis.] *Sic hebræus, id eſt, qui ferretis arcam, ſed ſuper plauſtrum impoſueramus. Alii, & Complut. addunt*, ἑτοίμους, parati. (*d*) Super ſe.] *Complut.* ἐν ὤμοις αὐτῶν, in humeris ſuis. *Hebræus hoc loco habet, ut noſtra. Sed paulo ante, pro*, ſecundum ſcripturam, *habet*, in humero ſuo. (*e*) Filium.] *Sic etiam vulgata, ſed habet*, Levitas: *atque etiam in ſequentibus*, Aſaph filium, Ethan filium. *Complut. hic etiam*, filius: *ut ita vertendum ſit*, Et ſteterunt Levitæ, Hæman filius Joel, &c. (*f*) Secundi.] *Complut.* οἱ δευτερεύοντες, *quaſi* agentes ſecundas partes. *Quidam vero hoc conjungunt cum antecedentibus. vulgata autem cum ſequentibus*: in ſecundo ordine Zachariam, &c. (*g*) Super Alemoth.] *Complut.* περὶ τῶν κρυφίων, pro occultis, *quod eſt interpretatio illius: & vulgata*, arcana cantabant. (*h*) Amaſenith.] *Videtur & hic ſupplendum*, ſuper, *quod eſt in hebræo. Complut.* περὶ τῆς ὀγδόης, pro octava: *quod item eſt interpretatio illius. Vulgata*, pro octava canebant Epinicion. (*i*) Princeps cantorum.] *Aut*, canticorum. *Complut. addit*, ἐν τῇ ἄρσει, in elevatione: *dictionem hebræam, quæ bis etiam ponitur, alii iſto modo interpretantur, alii prophetiam. Vulgata primo loco*, prophetiæ præerat, *ſecundo*, & ad præcinendam melodiam. (*k*) Stola.] *Complut.* ἐφοὺδ βύσσινον, Ephud byſſinum: *quomodo habuit Theodoretus, qui hæc addit*, Sæpe diximus, τὸ ἐφοὺδ, Aquilam dixiſſe, ἐπένδυμα, ſuperindumentum: Symmachum vero, ἐπωμίδα, ſuperhumerale. Sed erant ſuperindumenta ſacerdotalia, erant autem & communia. Manifeſtum eſt autem magnum David, & pium & Dei amicum non violaſſe legem, neque auſum eſſe ſacerdotalem ſtolam induere: ſed docet ratio eam fuiſſe, quam nunc vocant ἀρχάδιν. *Vulgata*, Ephod lineo. (*l*) Sopher.] *Complut.* Sophar. *Vulgata*, buccinæ. (*m*) Et factum eſt, arca teſtamenti Domini & venit.] *Alii*, Et venit arca teſtamenti Domini. *Complut.* Et factum eſt, & venit arca teſtamenti Domini.

CAP. XVI.

(*a*) SAlutaris.] *Alii*, σωτήρια, ſalutaria. *Complut.* εἰρηνικὰς, pacificas. *Vulgata*, pacifica. (*b*) Et ſalutaris.] ϗ σωτηρίου. *Alii.* ϗ τὰ τοῦ σωτηρίου, *& Complut.* ϗ τὰς εἰρηνικὰς, *ut proxime dictum eſt.* (*c*) Panem unum piſtum.] ἀρτοκοπικὸν, *aut* ἀρτοκοπανικὸν, *ut alii. Sed Compl.* χέχαρ ἄρτου. *Theodoretus in manuſcriptis* (*nam ab Interprete omittitur*) Illud autem, χέχαρ ἄρτου, in Regnis dixit Collyridam. *Vulgata*, tortam panis. (*d*) Et amoritem.] τὴν ἀμορίτην. *interpretantur ſimilam coctam cum melle, aut oleo. Complut.* ϗ λάγανον τηγάνου, ϗ κολλυρίτην, & laganum ſartaginis, & Collyridam. *Vulgata.* & partem aſſæ carnis bubalæ, & frixam oleo ſimilam. (*e*) Memores ſimus.] *Complut.* μνημονεύετε, memores ſitis, *in pſalmo* 104. (*in quo, & in* 95. *continetur fere hoc canticum: quare nonnulla eo reſervabuntur notanda*) ἐμνήσθη, memor fuit. (*f*) Teſtamentum.] *Alii*, εἰς διαθήκην, in teſtamentum. (*g*) Quaſi parvi facti ſunt, & incoluerunt in ea.] *Complut.* ὡς μικροὺς, ϗ παροίκους ἐν αὐτῇ, quaſi parvi, & incolæ in ea. *Pſalm.* 104. ἀριθμῷ βραχεῖς, ὀλιγοστοὺς, ϗ παροίκους ἐν αὐτῇ, numero breves, pauciſſimi, & incolæ in ea. (*h*) Salutem.] *Alii*, τὸ σωτήριον, ſalutare. (*i*) Loco.] *Sic etiam hebræus, & vulgata. Alii addunt*, ἁγίῳ, ſancto. (*k*) Sumite dono, & afferte ad faciem ejus.] *Complut.* ἄρατε θυσίας, ϗ εἰσπορεύεσθε ἐνώπιον αὐτοῦ, Tollite hoſtias. & introite in conſpectu ejus. *Pſal.* 95. in atria ejus. (*l*) Atriis ſanctis.] *Pſal. eod.* atrio ſancto. *Compl.* κατοικητηρίῳ ἁγίῳ, habitaculo ſancto. *Vulgata*, decore ſancto, (*m*) Dirigatur terra, & non commoveatur,] *Complut.* καὶ γὰρ κατώρθωσε τὴν οἰκουμένην, ἥτις οὐ σαλευθήσεται, etenim correxit orbem terræ, qui non commovebitur. (*n*) Cum plenitudine, & lignum agri.] *Complut.* συμπληρώματι, (*ſed videtur legendum*, σὺν τῷ πληρώματι) αὐτῆς, ἀγαλλιάσθω ὁ ἀγρὸς, cum plenitudine ſua, exultet ager. (*o*) Reliquerunt.] *Complut.* κατέλιπεν, *& vulgata*, dereliquit.

CAP. XVII.

(*a*) TAbernaculo, & in tegmine.] *Plerique libri*, ἐν σκηνῇ εἰς σκέπην, ϗ ἐν καταλύματι, in tabernaculo, in tegmen, & in diverſorio. *Elocutionem hebræam ſic explanavit vulgata*, ſemper mutans loca tabernaculi, & in tentorio. (*q*) Solicitabitur.] μεριμνήσει. *Compl.* ταραχθήσεται, turbabitur. (*c*) Principio.] ἀρχῆς. *Alii*, ἀπ' ἀρχῆς, a principio. (*d*) Fideliter ſtatuam.] πιστώσω, *Alibi notatum eſt*, Fidele, *ſignificare firmum, & ſtabile: qua notione in hoc præcipue capite accipiendum eſt. Complut.* στήσω, ſtatuam. (*e*) A longinquis.] ἐκ μακρῶν. *& ſignificat*, in futurum, *quod habet vulgata: & boni auctores latinæ linguæ dixerunt*, in longitudinem. (*f*) Ad glorificandum.] *Complut addit*, σε τὸν δοῦλόν σου, te ſervum tuum. *Hebræus non habet illud*, te. (*g*) Et juxta cor tuum feciſti omnem magnificentiam.] *In Complutenſi, & magna ex parte in aliis hic* *locus ſic habet,* κύριε διὰ τὸν δοῦλόν σου, ϗ κατὰ τὴν καρδίαν σου ἐποίησας τὴν πᾶσαν μεγαλοσύνην ταύτην, τοῦ γνωρίσαι πάντα τὰ μεγάλα (*al.* μεγαλεῖά) σου, *qua in vulgata.* Domine propter famulum tuum juxta cor tuum feciſti omnem magnificentiam hanc, & nota eſſe voluiſti omnia magnalia. (*h*) Deduxit ſe Deus.] *Hæc locutio alibi etiam notata eſt. Complut.* ὡς ἐπορεύθη θεὸς, quomodo perrexit Deus: *nec multo aliter vulgata.* (*i*) Aperuiſti.] *Complut.* ἀπεκάλυψας, revelaſti. (*g*) Benedic.] *Eadem,* εὐλόγηται, benedicta eſt.

CAP. XVIII.

(*a*) MOab.] *Sic hebræus. Alii,* μωαβῖται, Moabitæ. *Complut.* καὶ ἐγενήθη μωὰβ δοῦλος, & factus eſt Moab ſervus. (*b*) Emath.] *Ita hebræus: multi autem ſupplent,* in, *quemadmodum Complut.* ἐν αἱμάθ. *Vulgata interpretatur,* regionis Emath. (*c*) Hoſtilis.] πολέμιος. *Complut.* πολεμιστὴς, bellator. *Vulgata,* adverſarius. (*d*) Vicarii.] διάδοχοι. *Vulgata,* ad manum, *lib.* 2. *Paralip. cap.* 28. τὸν διάδοχον τοῦ βασιλέως, *in vulgata eſt,* ſecundus a rege.

CAP. XIX.

(*a*) USque ad tunicam.] *Ita vertunt Complut. iſtud,* ἕως τῆς ἀναβολῆς. *Sed fortaſſe ſignificat,* donec ſeminudi eſſent, *quaſi vſque ad exſpoliationem.* (*b*) Aciem ſtruxerunt.] *Alii,* παρετάξατο ſtruxit, (*c*) Struxerunt.] *Etiam hic Complut.* παρετάξατο. *Sed hebræus, vt noſtra.* (*d*) Et a facie Ioab.] *Abſunt a Complut. & vulgata.* (*e*) Et impugnaverunt eum.] *Alij,* ἐπολέμησεν impugnavit. *Sed hebræus, vt noſtra. vulg.* illis contra pugnantibus.

CAP. XX.

(*a*) MOlchom.] *Abeſt a Compl. Eſt enim factum ex dictione hebraica: cujus interpretatio eſt quod ſequitur,* regis eorum. *Id hac eadem in re notatum eſt eveniſſe* 2. *Reg.* 12. (*b*) Tribulis.] διαχίζουσι, *quod valde commune eſt: ſed ita vertimus, quoniam Compl. habet,* ἐν τοῖς τριβόλοις, *& etiam noſtra* 2. *Reg, cap.* 12. *niſi fortaſſe hoc illud eſt quod ibi dicitur,* ὑποτομεῦσι.

CAP. XXI.

(*a*) STetit.] *Sic fere hebræus. Alii,* ἀνέστη, inſurrexit. (*b*) Omnes domino meo pueri.] *Complut.* οὐχὶ κύριέ μου βασιλεῦ, πάντες τῷ κυρίῳ μου εἰς δούλους, nonne domine mi rex omnes domino meo in ſervos? *quomodo etiam hebræus: a quo tamen abſunt proxime antecedentia,* & oculi domini mei regis videntes. (*c*) Oppreſſerat.] κατίσχυσε. *Plerique libri habent,* προσώχθισεν, *&* τὸν ἰωὰβ, offenderat ſermo regis ipſum Ioab. *Complut.* κατήσχυνεν πρὸς ἰωὰβ, turpis viſus erat coram Joab. (*d*) Coram Deo] *In aliis,* ἔφάνη ἐναντίον τοῦ θεοῦ, viſum eſt coram Deo. *Complut.* ἐνώπιον τοῦ θεοῦ περὶ τοῦ λόγου τούτου, in conſpectu Dei de verbo hoc. (*e*) Et gladius inimicorum tuorum ad exterminandum.] *Alii,* καὶ μάχαιραν ἐχθρῶν σου καταλαμβάνειν σε, & gladium inimicorum tuorum apprehendere te: *quod reſpondet hebræo. Complut.* καταδιώκειν, perſequi. (*f*) Etiam tria iſta.] *Abſunt a Complut. & hebræo.* (*g*) Domine.] *Etiam iſtud.* (*h*) Cum Hachabin.] *Alii,* κρυβόμενοι, occultantes ſe: *quod eſt interpretatio illius dictionis hebraicæ. Sed hebræus habet, Ornam vidiſſe angelum, ideoque abſcondiſſe ſe vna cum filiis ſuis.* (*i*) Et Orna exiit.] *Alii,* καὶ ἀπέστρεψε (*Complut.* ἐπέβλεψεν) ὀρνὰ, ϗ εἶδε τὸν δαυὶδ, καὶ ἐξῆλθεν, & convertit ſe (*al.* reſpexit) Orna, & videt David, & exiit: *quomodo fere hebræus.* (*k*) Aratrum.] *Complut.* τὰς ἁμάξας, plauſtra. *Vulgata,* tribulas. (*l*) In loco eius.] *Sic hebræus: ſed valet,* pro loco, *quod eſt in aliis* περὶ τοῦ τόπου. (*m*) Et conſumpſit holocauſtoſim.] *Abſunt a Complut. & a vulgata.* (*n*) Non feſtinaſſet.] *Hoc videtur poſſe valere* οὐ κατέσπευσεν. *Sicut initio capitis, in verbis Joab ad David,* vt non fiat in peccatum (*cum tamen in hebræo, & vulgata ſit ſine nota negationis*) *videtur ſubintelligendum,* vide, ne forte fiat in peccatum: *ita nunc,* quoniam ſi iviſſet illuc, non feſtinaſſet, quemadmodum feſtinandum ei erat. *Complutenſis tamen habet* ὅτι κατέσπευσεν, quoniam trepidarat timore, perterritus fuerat, *vt vulgata. Alii codices, & Theodoretus* (*licet aliter interpres,*) οὐ κατέπαυσεν, non habuit ſpatium requieſcendi.

CAP. XXII.

(*a*) ET iuncturas.] *Complut.* καὶ εἰς τὰς συμβολὰς, καὶ εἰς τοὺς στροφεῖς, *& vulgata,* & ad commiſſuras, atque juncturas. *Sed in hebræo unum eſt vocabulum, quod alii,* juncturas, *alii,* commiſſuras, *interpretantur.* (*b*) Erit.] *Sic hebræus, quamvis valeat,* ſit, *ut habet vulgata, & Compl.* εἴη. (*c*) Proſperabit.] *Complut.* κατευθυνεῖς, *vulgata,* proſperare. (*d*) Proſperabit.] *Alii,* εὐωδωθήσῃ, *& vulgata,* proficere poteris. (*e*) Et ad hæc adde, & tecum adde in multitudine de facientibus opera.] *Alii,* καὶ πρὸς ταῦτα πρόσθες, καὶ μετὰ σοῦ κύριος, πρόσθες εἰς πλῆθος ποιούντων, & ad hæc adde: & tecum Dominus: adde ad multitudinem facientium, &c. *Complut. habet tantum,* καὶ πρόσθες ἐπ' αὐτοῖς. καὶ μετὰ σοῦ εἰς πλῆθος ποιούντων, & adde ſupra ea: & tecum in multitudine de facientibus, &c. *quod reſpondet hebræo.* (*f*) Non eſt numerus.] *Propius ad hebræum, quam quod in Complutenſi,* οἷς οὐκ ἔστιν ἀριθμὸς, quibus non eſt numerus. (*g*) Suum: Nonne] *Sic etiam hebræus. In aliis additur,* αὐτοῦ λέγων, ſuum dicens: *Complut. autem,* καὶ εἶπεν, & dixit. (*h*) Veſtras.] *Sic vulgata. Compl.* ἐν χειρί μου, in manu mea: *quod videtur reſpondere hebræo.*

CAP. XXIII.

(*a*) NUmerarunt.] *Ac videtur tamen accipiendum pro eo quod eſt in Complut.* ἠριθμήθησαν, numerati ſunt. *Ita enim interdum ſolet.* (*b*) De iis, qui urgerent opera.] ἀπὸ τῶν ἐργοδιωκτῶν. *Alii,* ἀπὸ τούτων ἐργοδιῶκται, de his, vrgentes opera: *quod vulgata:* Ex his electi ſunt & diſtributi in miniſterium domus Domini, &c. (*c*) Diurnas, vices.] ἐφημερίας, *ac videtur propius hebræo, quam quod in Complut.* ἐφ' ἡμέρας, per dies. (*d*) Filiis.] *Compl.* υἱοὶ, filii. (*e*) Et in omni menſura.] *Complut.* ϗ εἰς πᾶν ὑποστρωτὸν, ϗ μέτρον, *quod vulgata,* & ſuper omne pondus atque menſuram.

CAP. XXIV.

(*a*) ET filios Aaron.] *Aliqui libri habent,* ϗ τοῖς υἱοῖς ἀαρὼν, ϗ αἱ διαιρέσεις υἱῶν ἀαρών. Et filiis (*ſubintelligendum autem,* de, *more hebraico*) Aaron, & diviſiones filiorum Aaron. *Nonnulli,* ϗ τοῖς υἱοῖς ἀαρὼν, ναδὰβ, Et filiis Aaron, Nadab, &c. *Sed Complut.* ϗ τῶν υἱῶν ἀαρὼν διαιρέσεις, υἱοὶ ἀαρὼν, ναδὰβ, Et filiorum Aaron diſtributiones Filij Aaron Nadab, &c. (*b*) Sacerdos.] *Complut.* τοῦ ἱερέως, ſacerdote, *& ſic deinceps,* υἱοῦ, τῶν ἀρχόντων, filio, principibus. (*c*) De domo.] οἴκου. *Complut.* οἶκος, domus. (*d*) Ipſi Raabia princeps.] *Complutenſis,* τῷ ῥαβιὰ, τοῖς υἱοῖς ῥαβιὰ, ὁ ἄρχων ἰσσία. Ipſi Rabia, filiis Rabia, princeps Joſia. *Et illa quidem repetitio,* Rabia, filiis Rabia, *eſt etiam in hebræo: quamvis vulgata omittendam judicaverit, quaſi idem ſignificetur, ut etiam in cap. ſequenti & alibi.* (*e*) Filij Ozia ipſius Merari ipſi Ozia, filii ejus Iſoam.] *Alii,* υἱοὶ ὀζία, υἱοὶ βουνὶ, υἱοὶ μεραρὶ, τῷ ὀζία, filii Ozia, filii Buni, filii Merari ipſi Oziæ. *Complut.* ἰοζίας υἱὸς αὐτοῦ, υἱοὶ μεραρὶ ἰοζίας υἱὸς αὐτοῦ, σοάμ. Jozias filius ejus, filii Merari Jozias filius ejus, Soam, &c. *Difficultatem facit ac varietatem dictio,* Beno (*cujus veſtigium eſt illud,* Buni) *in hebræo, quæ poteſt & nomen eſſe proprium, & ſignificare,* filius ejus. (*f*) Patriarchæ Araab: ſicut fratres ejus juniores.] *Plerique,* πατριάρχαι ἀαρών, patriarchæ Aaron. *Sed Complutenſis,* παρεστῶτες. πατριὰ τοῦ πρώτου κατέναντι τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ τοῦ νεωτέρου, aſtantes: patria primi e regione fratris ſui junioris. *hebræus non habet illud,* aſtantes: *nam in præcedentibus, pro,* principes patriarum, *habet,* principibus patriarum.

CAP. XXV.

(*a*) PRophetantes.] *Sic vertimus illud,* τοὺς ἀποφθεγγομένους, *quamvis hoc communius quiddam videatur: quoniam Theodoretus habet,* τοὺς προφητεύοντας, *& vulgata,* qui prophetarent. (*b*) Adhærentes regi.] *Alii,* ἐχόμενοι ἀσὰφ τοῦ προφήτου ἐχόμενα τοῦ βασιλέως, adhærentes Aſaph prophetæ juxta regem. *Et ita Theodoretus, & Complutenſis, niſi quod, pro,* ἐχόμενα, (*quod magis videtur reſpondere vulgatæ*) *habent,* ἐχόμενοι. (*c*) Poſt patrem ſuum Idithum in cithara pulſantes.] *Theodoretus & Complutenſis,* ἐχόμενοι τοῦ πατρὸς αὐτῶν, (*Complutenſis mendoſe* αὐτοῦ) ἰδιθοὺν ἐν κινύραις τοῦ προφητεύοντος ἐξομολόγησιν, adhærentes patri ſuo Idithum in citharis prophetanti confeſſionem, &c. (*d*) Pulſanti ad regem.] τῷ ἀνακρουομένῳ τῷ βασιλεῖ. *Alij,* τοῦ ἀνακρουομένου, pulſantis. *Sed Complutenſis & Theodoretus,* αἱμὰν τοῦ ὁρῶντος τῷ βασιλεῖ, Æman videntis regi. (*i*) Poſt fratres ſuos.] *Alij,* μετὰ τῶν ἀδελφῶν αὐτῶν, cum fratribus ſuis.

CAP. XXVI.

(*a*) FIlii Coreim Moſellamia de filiis Aſaph.] *Complut. & magna ex parte alii,* τοῖς κορίοις (*ſed hoc loco noſtra proprior hebræo*) μεσελεμίας υἱὸς κορὲ ἐκ τῶν υἱῶν ἀσάφ. Coritis (*id eſt,* De Coritis, *ut vulgata*) Meſelemias filius Core de filiis Aſaph. (*b*) Ipſius primogeniti Rhoſæ.] *Compl.* καθεστάμενοι, præfecti: *& vulgata,* præfecti familiarum ſuarum. (*c*) Principem diſtributionis ſecundæ.] *Compl. habet tantum,* εἰς ἄρχοντα, in principem, *ut vulgata* (*d*) Diurnæ vices, ſicut fratres eorum.] *Eadem,* ἐφημερίαις κατέναντι τῶν ἀδελφῶν αὐτῶν, in diurnis vicibus e regione fratrum ſuorum. (*e*) Et Zachariæ, Filii Joas ipſi Melchiæ.] *Eadem,* ϗ ζαχαρίᾳ υἱῷ αὐτοῦ, βουλευτὴς ἐν συνέσει, & Zachariæ filio ejus, conſiliarius (*magis reſponderet hebræo,* conſiliario) in intellectu. (*f*) Eſephim.] *Aut,* Aſaphim, *ut alii: ſignificat autem,* collectionum, *&,* conciliorum: *vulgata,* in qua parte domus erat ſeniorum concilium. *Quod autem ſequitur,* in ſecundo, *Compl. habet,* εἰς δεύτερον τοῖς προθύροις, in ſecundis veſtibulis. *Sed vulgata,* Sepphima, *& videtur nomen proprium in dandi caſu.* (*g*) Poſt portam.] *Eadem,* μετὰ τῆς πύλης, cum porta. (*h*) Aſcenſionis.] *Eadem,* ἐν τῇ τρίβῳ τῆς ἀναβάσεως, in ſemita aſcentionis. (*i*) Sex.] *Eadem,* οἱ λευῖται ἕξ, Levitæ ſex. (*k*) Duo.] *Compl.* δύο, δύο, *& vulgata,* bini, bini, *itemque paulo poſt. Quæ autem ſequuntur,* In excipientibus, *uſque ad alterum,* In excipientibus, *abſunt a Compl. & vulgata.* (*l*) In accipientibus, & ad occidentem.] *Scimus,* εἰς διαδεχομένους, *ſolere verti,* in ſuccedentes, *aut,* per ſucceſſionem. *Sed hebræus & vulgata habet,* in cellulis: *idque putamus iſta dictione nunc ſignificari.* (*m*) Cepit ex civitatibus.] *Alii & Theodoretus,* ἔλαβον ἐκ τῶν πολέμων, ceperunt ex bellis. (*n*) Samuel.] *Compl. & Theodoretus,* ὅσα (*al.* ὃ) ἡγίασεν σαμουὴλ ὁ ὁρῶν, ϗ σαοὺλ ὁ τοῦ κὶς, ϗ ἀβεννὴρ ὁ τοῦ νὴρ, ϗ ἰωὰβ ὁ τοῦ σαρουΐα, ϗ πᾶς ὁ ἁγιάζων διὰ χειρὸς, quæcunque (*al.* quod) ſanctificavit Samuel videns, & Saul filius Cis, & Abenner filius Ner, & Joab filius Serviæ, & omnis ſanctificans, per manum, &c. (*o*) Ejus.] *Ita etiam Theodoretus, & vulgata. Compl. autem,* αὐτῶν, eorum. *Item in eo quod ſequitur in ipſa,* ἰσααρεὶ, ϗ χονονίᾳ, *illud,* ϗ, *officit ſententiæ.* (*o*) Filii.] *In aliis additur,* αὐτοῦ, ejus, *& in Compl. præterea,* εἰς τὸ ἔργον τῆς ἐργασίας, ad opus operationis. (*q*) Ejus.] *Complutenſis,* David.

CAP. XXVII.

(*a*) OMne verbum.] *Alij,* ϗ εἰς πάντα λόγον, & ad omne verbum: *a Compl. abeſt illud.* ϗ. *Ad verbum fere reſpondebit hebræo, ſi hoc modo conjungamus cum præcedentibus,* ſecundum diſtributionem omne verbum, *id eſt,* ſecundum omnem rationem diſtributionum ingredientis, &c. (*b*) Et ſuper diſtributionem ejus.] *Compl.* ϗ ἡ διαίρεσις αὐτοῦ, & diſtributio ejus. (*c*) Sacerdos.] *Sic etiam Compl. & Theodoretus, qui putat non eundum eſſe atque eum qui in libris regum dictus ſit,* αὐλάρχης, præfectus aulæ. *Sed vulgata habet,* ſacerdotis: *neque inuſitatum eſt apud LXX, rectum pro caſibus obliquis accipi, ut in dictione,* filius, *notatum eſt.* (*d*) Cellas.] *In uno codice antiquo, & in Compl. eſt,* ϗ ἐπὶ τῶν ἀμπελώνων, & ſuper vineas. (*e*) Primus amicus.] πρῶτος φίλος, *Compl.* ὁ ἀρχιεταῖρος, *reſponderet hebræo, ſi eſſet,* ὁ ἀρχὶ, ἑταῖρος. *Nam vulgata,* Arachites, amicus. (*f*) Poſt hunc.] μετὰ τοῦτον, *alii,* μετ' αὐτὸν ἀχιτόφελ, poſt ipſum Achitophel. *Compl.* μετὰ ἀχιτόφελ, *& intelligamus, non Achitophel fuiſſe poſt Chuſi, ſed poſt ipſum Achitophel fuiſſe proximum ipſum Jodaæ filium Banaa, quod exprimit vulgata.*

CAP.

CAP. XXVIII.

(a) Judicum.] *In aliquo libro additur*, καὶ φυλῶν, & tribuum. *In Complut. hoc tantum est, & sequitur*, καὶ τοὺς ἄρχοντας τῶν διαιρέσεων τῶν ἐφημεριῶν, & principes diſtributionum diurnarum vicium. (b) Cuſtodes theſauri.] γαζοφύλακας. *Complut.* ἄρχοντας τῶν θησαυρῶν, principes theſaurorum. (c) Stationem pedum.] *Complut.* στάσιν τοῦ ὑποποδίῳ τῶν ποδῶν, ſtationem ſcabello pedum: *vulgata ex hebræo habet tantum*, ſcabellum pedum. (d) Regnum.] τὸ βασίλειον, faſtigium regium. *Complut.* ἡγούμενον, Ducem. (e) Ad faciem univerſæ eccleſiæ Domini.] *Complut.* κατ' ὀφθαλμοὺς παντὸς Ἰσραὴλ, πάσης ἐκκλησίας κυρίου, ad oculos omnis Iſrael, univerſæ eccleſiæ Domini. (f) Cogitationum.] *Complut. & Theodoretus addunt*, διανοιῶν, mentium, *vt vulgata.* (g) Templi.] *Ita etiam Complut. & Theodoretus. In aliquo libro eſt*, τοῦ αἰλὰμ, *quod vulgata*, porticus. (h) Et Zacchon ejus, & cænaculorum, & apothecarum.] *Complut.* καὶ τῶν ἀποθηκῶν αὐτοῦ, καὶ τῶν ὑπερῴων, καὶ τῶν ταμείων αὐτοῦ, & apothecarum ejus, & cænaculorum, & cubiculorum ejus: *quomodo fere vulgata. A Theodoreto abſunt illa*, καὶ τῶν ἀποθηκῶν αὐτοῦ. *Illud*, ζακχῶν, *& paulo poſt*, ζακχῶ, *videtur factum ex dictione hebræa, quæ ſignificat*, apothecarum, & cellariorum ejus. (i) Propitiationis.] ἐξιλασμοῦ. *Complut. & Theodoretus*, τοῦ ἱλαστηρίου, propitiatorii. (k) Et diverſoriorum, & vicium.] *Ab aliquo libro abeſt ſecundum &. Complut autem*, καὶ εἰς τὰς διαιρέσεις τῶν ἐφημεριῶν, & ad diviſiones vicium. (l) Et menſuram.] *Pro his vſque ad*, ſimiliter pondus menſarum, *habentur iſta in Complut.* In auro, & pondus menſuræ eius omnibus vaſis ſervitutis, & ſervitutis, & omnibus vaſis argenti in pondere omni vaſi ſervitutis, & ſervitutis, & pondus candelabris aureis, & lucernis eorum, aurum in pondere candelabri, & candelabri. Et lucernis ejus & candelabris, & aureorum, & argenteorum candelabrorum pondus dedit ei: & candelabrorum dedit ei pondus: *quæ tamen neque ipſa uſquequaque reſpondent hebræo*, (m) Et pondus aureorum, & argenteorum, & thuribulorum Cephure, cujuſque ponderis.] *Pro his in Complut.* καὶ τὰ κεφφουρὲ τὰ χρυσᾶ ἐν σταθμῷ εἰς κεφφὼρ, καὶ κεφφὼρ, καὶ τὸν σταθμὸν τῶν χρυσῶν, καὶ τῶν ἀργυρῶν ἑκάστου σταθμοῦ, & ipſa Cepphure aurea in pondere in Cepphor, & Cepphor, & pondus aureorum & argenteorum cujuſque ponderis. *Theodor.* κεφφουρὲ καλεῖ σκεύη τινὰ χρυσᾶ ἐν οἷς ἔφυρον τὴν σεμίδαλιν τῷ ἐλαίῳ. Cepphure autem vocat vaſa quædam aurea & argentea, in quibus conſpergebant ſimilam oleo. *De his dicetur in libris Eſdræ.* (n) Et altaris.] *Complut.* καὶ τὸ τοῦ θυσιαστηρίου τῶν θυμιαμάτων σταθμὸν ἐκ χρυσίου δοκίμου, καὶ ἐπέδειξεν αὐτῷ τὸ παράδειγμα, & altaris thymiamatum pondus ex auro probato. Et oſtendit ei exemplar, &c (o) Manus] *Compl. & Theodoretus*, ἐκ χειρὸς, de manu. (p) Confectionis exemplaris.] *Iidem*, τοῦ συνιέναι τὴν κατεργασίαν τοῦ παραδείγματος, ad intelligendam confectionem exemplaris. (q) Et ecce. *Hinc uſque ad ſequens*, Et ecce, *abſunt a Complut. & vulgata.* (r) In omni tractatione, & omnis promptus in ſapientia.] *Complut.* ἐν παντὶ ἔργῳ, πᾶς πρόθυμος ἐν παντὶ ἑκουσίῳ, ἐν σοφίᾳ, in omni opere, omnis paratus in omni voluntario, in ſapientia, &c.

CAP. XXIX.

(a) Homini.] *In aliquot libris additur*, ἡ οἰκοδομὴ, *in aliis*, ἡ οἴκησις, ædificatio: *in nonnullis etiam*, ἀλλ' ἢ κυρίῳ τῷ θεῷ οἰκοδομεῖς, καὶ ἐγὼ κατὰ πᾶσαν, ſed Domino Deo ædificas: & ego ſecundum omnem, &c. (b) Aurum.] *Complut.* aurum ad aurum, & argentum ad argentum, & æs ad æs, & ferrum ad ferrum, & ligna ad ligna; *quæ reſpondent hebræo, & vulgatæ.* (c) Soam.] *Compl. & Theodoretus*, ὄνυχος, onychis: *quod eſt interpretatio illius.* (d) Et Parium multum.] *Iidem*, καὶ λίθους παρίους εἰς πλῆθος, & lapides Parios in multitudine. (e) Promptus.] ὁ προθυμούμενος. *Ita etiam Compl. Theodoretus autem*, τίς ἑκουσιάζεται, quis ſponte veniat: *quod verbum habuit etiam in ſequentibus, itemque ſæpe Compl.* (f) Ædificatores.] *Plerique*, οἰκονόμοι, œconomi. (g) Victoria.] *In nonnullis additur*, καὶ ἡ ἐξομολόγησις, & confeſſio. *In Compl. præterea, pro*, καὶ τὸ καύχημα, *eſt*, ἡ μεγαλοπρέπεια, decor. (h) A facie tua turbatur omnis rex & gens.] *Pro his in Compl. eſt*, σοὶ κύριε ἡ βασιλεία, καὶ ἡ ἔπαρσις εἰς πάντα, καὶ εἰς πᾶσαν ἀρχὴν, tibi Domine regnum, & exaltatio in omnia, & in omnem principatum. *In nonnullis autem libris utrumque conjungitur.* (i) Gloria.] *In Compl. additur*, ἐκ προσώπου σου, a facie tua, *quomodo etiam hebræus, ſed ipſe non habet illud, quod etiam in Compl. præcedit*, a te. (k) Omnipotens.] *Abeſt a Compl. & hebræo.* (l) Peregrinantes.] παροικοῦντες. *Compl. repetit*, πάροικοι. *Theodoretus*, ἐπίδημοι, advenæ. (m) Ad omnem multitudinem hanc.] πρὸς πᾶν τὸ πλῆθος τοῦτο. *Videtur dictum, pro*, omnis copia hæc. (n) Hæc in cogitatione cordis populi tui.] *Compl.* αὐτῶν τὸ πλάσμα διανοιῶν καρδίας λαοῦ σου, eorum plaſma cogitationum cordis populi tui. (o) Apparatum.] *Eadem*, πάντα καὶ τοῦ οἰκοδομῆσαι τὴν κατασκευὴν, omnia, & ad ædificandum apparatum, &c. (p) Et ſedit.] *Alii, & Theodoretus*, καὶ ἐκάθισεν σολομὼν ἐπὶ θρόνου κυρίου εἰς βασιλέα ἀντὶ δαυὶδ πατρὸς αὐτοῦ, Et ſedit Salomon ſuper thronum Domini in regem pro David patre ſuo. (q) Beneplacuit.] εὐδοκήθη. *Compl.* εὐοδώθη, proſpere egit. (r) De ſuper.] *Alii*, ἐναντίον, coram. (ſ) Regis, quod.] *Compl.* βασιλείας, ὡς, regni, ſicut. (t) Tempora, quæ fuerunt.] *Eadem.* τῶν καιρῶν τῶν διελθόντων, temporibus, quæ tranſierunt.

CHRONICORUM. LIB. II.

CAP. I.

(a) Dixit.] *Pro*, indixit, & præcepit. (b) Excelſam] *More hebraico, pro excelſum: ac præterea ſolet etiam dici.* τὴν βαμὰ, *ut paulo poſt.* (c) Nomen tuum.] *Compl.* τὸ ῥῆμά σου μετὰ δαυὶδ τοῦ πατρός μου, verbum tuum cum David patre meo. (d) Pecuniarum.] *Compl.* ὑπαρχόντων, ſubſtantiarum, *& paulo poſt, pro*, pecunias, ὕπαρξιν, ſubſtantiam. (e) Ante faciem.] *Eadem*, ἀπὸ προσώπου, a facie: *quod reſpondet quidem hebræo: ſed nihilominus ſignificare putant*, ante faciem, *& coram, ut vulgata.* (f) Populus.] *Abeſt dictio iſta a Compl. & vulgata.* (g) Ad eundum, & emebant.] *Nonnulli*, τοῦ ἐκπορεύεσθαι, ad egrediendum. *Sed Compl. pro iſtis habet*, τιμὴν ἣν ἐλάμβανον, καὶ ἠγόραζον ἐν ἀλλάγματι, precium, quod accipiebant & emebant in permutatione. *Locus anceps etiam in hebræo.*

CAP. II.

(a) Thymiama, & propoſitionem.] *Complut.* θυμίαμα ἀρωμάτων, καὶ ποιεῖν πρόθεσιν, thymiama aromatum, & faciendum propoſitionem, *ſed illud*, faciendum, *non eſt in hebræo.* (b) Quæ.] *Alij*, ὧν, *& poteſt verti*, quos *ut vulgata.* (c) Scientem ſcientiam, & intellectum.] *Compl. & Theodoretus*, εἰδότα φρόνησιν, καὶ ἐπιστήμην, ſcientem prudentiam, & ſcientiam. (d) Patrem.] *Sic etiam vulgata. Et videtur poſitus caſus pro caſu, ut alibi, ideſt, pro*, patris mei: *quomodo multi vertunt ex hebræo: In cæteris libris, & ad marginem Vaticani, & in Compl.* παῖδα, puerum.

CAP. III.

(a) Ipſius Amoria.] τοῦ ἀμωρία. *Videtur de induſtria retentus etiam articulus hebraicus. Complut.* ἐν ὄρει τοῦ ἀμορία, in monte Amoria, *quod vulgata*, in monte Moria. (b) Longitudo cubitorum.] *Sic etiam hebræus. In aliis omittitur vox*, cubitorum: *& Complut.* μῆκος τῆς διαμετρήσεως τῆς πρώτης πηχῶν ἑξήκοντα, longitudo menſurationis primæ, cubitorum ſexaginta. (c) Catenas dependentes.] *Hoc videtur ſignificare*, χαλασά. *Compl.* ἁλύσεις, catenas. (d) Latitudinem domus cubitorum viginti, & longitudo.] *Compl.* τοῦ πλάτους τοῦ οἴκου πηχῶν εἴκοσι, καὶ τὸ εὖρος. latitudinis domus cubitorum viginti, & latitudo, &c. *quod reſpondet vulgatæ.* (e) Cænaculum.] *Eadem*, τὰ ὑπερῷα, cænacula, & tabulata: *magnamque hac in re vim facit Theodoretus ad conciliandam diſcordiam, quæ videtur eſſe inter hunc locum, & libros Regnorum, de altitudine templi.* (f) Serſeroth.] *Compl.* ἁλυσιδωτά, catenulas: *quod eſt interpretatio illius.*

CAP. IV.

(a) Diametrum.] *In Compl. additur*, ἀπὸ τοῦ χείλους αὐτῆς εἰς τὸ χεῖλος αὐτῆς, a labio ejus uſque ad labium ejus. (b) Cubitorum.] *In aliis adnectitur*, ἐκύκλουν αὐτὴν κύκλῳ, circundabant illud in circuitu. *Complut. autem*, ἐκύκλου, ambiebat: *ut vulgata.* (c) Duo genera.] *Compl.* δύο στίχοι, βόες χωνευτοὶ, ἐν τῇ χωνεύσει αὐτῶν ἐποίησαν αὐτοὺς, ἑστῶτα ἐπὶ δώδεκα μόσχους ἡ θάλασσα, καὶ τρεῖς βλέποντες, duo ordines, boves fuſiles, in fuſura eorum fecerunt eos, ſtans ſuper duodecim vitulos mare, & tres ſpectantes, &c. (d) Sculpta.] διαγεγλυμμένα. *Compl.* διαγεγλυμμένους, ſculpti. (e) Conſummavit.] *Complut. addit*, αὐτὴν, illud. *Noſtra propius ad hebræum, in quo conjungitur cum antecedentibus, id eſt*, ter mille metretas complebat. (f) Tanquam ad Orientem e regione.] *Compl.* πρὸς ἀνατολὰς τοῦ μέρους τοῦ πρὸς νότον, *quod vulgata*, contra Orientem ad meridiem. (g) Fuſcinulas, & thuribula & focum altaris.] *Eadem*, τοὺς λέβητας, καὶ τὰς κρεάγρας, καὶ τὰ πυρεῖα, lebetes, & fuſcinulas, & thuribula. (h) Regis.] *Sic hebræus. Complut.* ὁ βασιλεὺς, rex. (i) Et ſuper eas Golath ipſi Chothareth.] *Pro* Golath, *dictione hebraica, ſed paululum immutata, quæ ſignificat*, orbes, *aut*, funiculos, *Compl. habet*, τὰς βάσεις, baſes. *quod non ſatis convenit. Et pro*, τῇ χωθαρὲθ, *habet*, καὶ τὰς χωθαρὼθ, *quod ſignificat*, & coronas. *Vulgata nomine epiſtyliorum videtur utrumque comprehendiſſe.* (k) Capita ipſarum Chotareth] *Rurſus pro*, capita, *in hebræo eſt eadem dictio, quæ paulo ante dicta eſt*, Golath, *& rurſus in Compl.* τὰς δύο βάσεις τοῦ χωθαρὼθ, *itemque paulo poſt.* (l) Tintinnabula.] *Compl.* ῥοὰς, mala granata, *ut vulgata.* (m) Et podiſteras, & analempteras.] *Hæc abſunt a Compl & vulgata, & videntur idem poſſe ſignificare atque illud, quod ſequitur, ut ſint duæ interpretationes*, & lebetes, & fuſcinulas. (n) Non defecit.] *Compl.* οὐκ ἠκριβάσθη, non examinabatur.

CAP. V.

(a) Quæ dederat.] *Alii*, καὶ ἔδωκεν, & dedit, *id eſt*, poſuit, *ut vulgata.* (b) Omnes] *Abeſt a Compl, & vulgata.* (c) Et tabernaculum.] *Alij*, καὶ ἀνήνεγκαν τὴν κιβωτὸν, καὶ τὴν σκηνὴν, & eduxerunt arcam & tabernaculum. (d) Et qui timebant.] *Abeſt a Compl. & vulgata.* (e) Qui.] *Imitatio hebraiſmi. Compl.* ἃ, quæ. (f) Arcam.] *Compl. addit*, καὶ προσήγγιζε τὰ χερουβὶμ ἐπὶ τὴν κιβωτὸν, & appropinquabant Cherubim ſuper arcam: *quæ redundant: ac fortaſſe ſunt altera interpretatio præcedentis ſententiæ.* (g) Filiis] *Iſte dandi caſus more hebraico valet*, de filiis, &c. *Compl. autem minus proprie*, σὺν τοῖς υἱοῖς τοῦ ἀσάφ, cum filiis Aſaph. *Illud autem in ea recte habet quod ſequitur*, & filiis eorum, & fratribus eorum. (h) Gloriæ.] *Abeſt ab aliquo libro. In hebræo repetitur*, domus. *Compl.* καὶ δόξης, & gloriæ.

CAP. VI.

(a) Trium.] *Ita etiam vulgata. Compl.* πέντε, quinque. (b) In loco] *Alii* ἐκ τοῦ τόπου, de loco. (c) Puerorum.] *Compl.* τῶν δούλων σου, ſervorum tuorum. (d) Et omnis deprecatio, & omnis oratio.] *Compl.* καὶ κατὰ πᾶσαν ἀφὴν (*quod non eſt in hebræo*) καὶ πᾶσαν προσευχὴν, καὶ πᾶσαν δέησιν, & juxta omnem tactum & omnem deprecationem, & omnem orationem. *Notatum autem eſt alibi*, omnem deprecationem, & orationem. *hoc locis ſimilibus valere*, omnem occaſionem deprecandi, & orandi. (e) Timeant omnes vias tuas.] *Compl.* ὅπως φοβῶνταί σε τοῦ πορεύεσθαι ἐν πάσαις ταῖς ὁδοῖς σου, ut timeant te, eundo id omnibus viis tuis. (f) Et ad timendum te.] *Sic etiam hebræus. Compl.* καὶ ἵνα φοβῶνταί σε, & ut timeant te. (g) Et percuties eos.] *Eadem* καὶ ἐὰν θυμωθῇς ἐπ' αὐτοὺς, & ſi indignatus fueris ſuper eos. (h) Filii.] *Plerique habent*, οἱ ὅσιοί σου, ſancti tui.

CAP. VII.

(*a*) IPſius David.] *Complut. & Theodoretus*, ὧν ἐποίησεν δαυὶδ, quæ fecit David. *Ex quo colligit Theodoretus pſalmum eſſe ipſius David.* (*b*) Manaa.] *Complut.* τὰς θυσίας, ſacrificia : *quod eſt interpretatio illius.* (*c*) Feſtivitatem.] *Eadem*, καὶ τὴν ἑορτὴν ἑπτὰ ἡμέρας, & feſtivitatem ſeptem diebus. (*d*) Si confuſus fuerit.] *Humiliaverit ſe præ verecundia : quod ſatis reſpondet hebræo. Compl.* ἐντραπῇ με, reveritus fuerit me, *aut, ut ipſi interpretantur*, convertatur ad me. (*e*) Eis.] *Ita hebræus. Compl.* ὑμῖν, vobis, *ut vulgata.*

CAP. VIII.

(*a*) IN Bæſoba.] *Alii*, εἰς αἰμὰθ σωβὰ, *al.* σουβὰ, *quod vulgata*, in Emath Suba : *& in Complut. ſequitur*, καὶ κατίσχυσεν ἐπ' αὐτὴν, & prævaluit ſuper eam. (*b*) Mœnia, portæ, & vectes.] *Eadem*, τείχεσι, πύλαις, καὶ μοχλοῖς, mœnibus, portis & vectibus. (*c*) Deſiderium.] *Eadem addit*, αὐτοῦ, ſuum : *quod non eſt in hebræo : ſed in eo alius verborum ordo.* (*d*) Regno ſuo.] *Eadem*, εἰς πάντα τὰ ἔργα αὐτοῦ ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ, ad omnia opera ſua in regno ſuo : *ac fortaſſe ſunt duæ interpretationes ortæ ex ambiguitate vocis hebraicæ, quæ parvo diſcrimine poteſt ſignificare opus, & regnum.* (*e*) Et principes, & potentes.] *Alii*, καὶ ἄρχοντες δυνατοὶ ἁρμάτων, & principes potentes curruum. *Compl.* καὶ ἄρχοντες τρισσατῶν αὐτοῦ δυνατοὶ, καὶ ἄρχοντες ἁρμάτων αὐτοῦ, καὶ ἱππέων αὐτοῦ, & principes triſtatarum ejus potentes, & principes curruum ejus, & equitum ejus. (*f*) Sancta eſt.] *Græce eſt*, ἅγιος, *& ita apud Theodoretum : ſed apud illum in proxime præcedentibus, pro*, civitate, *eſt*, οἴκῳ, domo, *ut vulgata : & cum ea dictione optime convenit* ἅγιος, *quare in noſtra erit ſubintelligenda. Compl. habet*, πόλει, *&* ἁγία. (*g*) Et ſecundum miniſteria.] *Hebræus non habet illud &. Compl. autem*, καὶ τὰς λειτουργίας αὐτῶν, καὶ τοὺς λευίτας, & miniſteria eorum, & Levitas. (*h*) Quoadusque perfecit.] *Compl.* καὶ ἕως οὗ ἐτελειώθη, ἕως οὗ ἐτελείωσε, & quoadusque perfecta eſt, quoadusque perfecit. (*i*) Venerunt.] *Eadem*, ἤνεγκαν, attulerunt.

CAP. IX.

(*a*) ET extra ſe facta eſt.] *Compl.* καὶ οὐκ ἦν ἐν αὐτῇ ἔτι πνεῦμα, & non fuit in ea ultra ſpiritus. (*b*) Mea.] *In Compl. additur*, περὶ σοῦ καὶ, de te, &, *ſed non in hebræo.* (*c*) Beati viri tui.] *Sic etiam vulgata. Compl. autem*, μακάριαι αἱ γυναῖκές σου beatæ uxores tuæ. (*d*) Pinea.] πεύκινα, *quod ex Joſepho videtur agnoſcere Theodoretus. Inquit enim, ligna*, ἀλγώμμα, *ipſum dixiſſe*, πεύκινα. *Vulg.* thyina. *Alii ex hebræo*, coralliorum. (*e*) Quæ afferebant. Et de omnibus regibus.] *Compl.* οἳ ἔφερον, καὶ πάντες οἱ βασιλεῖς τῆς ἀραβίας καὶ σατράπαι τῆς γῆς ἔφερον. Qui afferebant. Et omnes reges Arabiæ, & ſatrapæ terræ afferebant, &c. (*f*) Trecentorum aureorum aſcendebat.] *Videtur ſubintelligendum*, pondus, *aut quiddam ejuſmodi. Compl.* τριακόσιοι χρυσοὶ ἀναφέροντες, trecenti aurei aſcendentes. (*g*) Illigati.] ἐνδεδεμένοι. *In aliis*, ἐνδεδυμένοι χρυσίῳ, induti auro, *hebræus non habet : ſed in ipſo ſequitur, quod eſt in Compl.* καὶ ὑποπόδιον ὑπέθηκεν ἐν χρυσῷ τῷ θρόνῳ, & ſcabellum ſuppoſuit in aureo throno. (*h*) Simiis.] *In Compl. additur*, καὶ θεχείμ. *quod in vulgata*, & pavos. (*i*) Aurea. *Compl. addit* ὅπλα, arma, *ut vulgata.* (*k*) Aurum, &.] *Abeſt a Compl. & vulgata.* (*l*) Salomon.] *Eadem addunt*, μετὰ τῶν πατέρων αὐτοῦ, cum patribus ſuis

CAP. X.

(*a*) DIcens ſuſcitavit.] *Compl* ἵνα ἀναστήσῃ. *Theod.* ἵνα στήσῃ, ut ſuſcitaret, *vel*, firmaret. (*b*) Et omni Iſrael : quoniam.] *Compl* καὶ πᾶς ἰσραὴλ εἶδεν, ὅτι, Et omnis Iſrael vidit, quoniam. (*c*) Et habitantes.] *Iſtud*, &, *abeſt a Compl. & vulgata.* (*d*) Et regem.] *Item iſtud*, & : *ſed hoc loco hebræus habet, licet paululum diverſa conſtructione. In aliis autem libris eſt*, ἐβασίλευσαν ἐφ' ἑαυτῶν τὸν ἱεροβοάμ, regem fecerunt ſuper ſe Hieroboam.

CAP. XI.

(*a*) ET bellabat.] *Compl.* τοῦ πολεμῆσαι, ad bellandum. (*b*) Vitulis, quæ fecit.] *Theod* καὶ ταῖς δαμάλεσιν αἷς (*Compl.* ἃς) ἐποίησεν ἱεροβοάμ, Et juvencis quas fecerat Hieroboam. (*c*) Et ejecit eos.] *Compl.* & ejecit Levitas. *Sed hæc abſunt ab hebræo : & Theodor. ita ſcribit* : Secuti autem ſunt Sacerdotes ipſos, & Levitas etiam ex aliis tribubus. Inquit enim, ἀπῆλθον ὀπίσω αὐτῶν ζητῆσαι κύριον τὸν θεὸν ἰσραὴλ, καὶ ἦλθον εἰς ἱεροσόλυμα θῦσαι τῷ κυρίῳ τῷ θεῷ τῶν πατέρων αὐτῶν, καὶ κατισχῦσαι τὴν βασιλείαν ἰούδα. Abierunt poſt eos ad quærendum Dominum Deum Iſrael : & venerunt in Hieroſolyma ſacrificare Domino Deo patrum ſuorum, & confortare regnum Juda. *Lucifer, lib. 1. pro S. Athanaſio*, & projecit eos a filiis Iſrael, & a tribubus Iſrael, qui dederunt cor ſuum quærere Dominum Deum Iſrael. (*d*) Et confortavit Roboam filium.] *Vulgata ex hebræo*, & confirmaverunt. *Alii autem*, ὁ τοῦ σαλομὼν, *aut*, υἱὸς σολομῶντος, & invaluit filius Salomonis. (*e*) In omnibus.] *Fortaſſe ſubintelligendum eſt*, qui filii diſperſi erant in omnibus, &c. *Compl.* καὶ ἐν πᾶσι Et in omnibus, &c. (*f*) Eis.] αὐταῖς, *quaſi referatur ad civitates. Alii*, ἐν αὐταῖς, in eis. *Compl.* ἐν αὐτοῖς, *ac fortaſſe vera lectio eſt*, αὐτοῖς, *id eſt*, filiis.

CAP. XII.

(*a*) TRoglodytæ.] *Plerique alii*, τρωγλοδύται, *& vulgata*, Troglodytæ. [Οἱ ἄρχοντες ἰσραὴλ] In nonnullis libris eſt, οἱ ἄρχοντες ἰούδα. (*b*) Eos quaſi paululum.] *Complut.* αὐτοῖς ὡσεὶ σμικρὸν, eis quaſi paululum. *Theodoretus* : αὐτοὺς ὡς εἰς μικρὸν, eos quaſi ad puſillum quid. *Et addit, pro eo quod eſt*, ſcintillam benedictionis orbis in eis conſervabo. (*c*) Hieruſalem.] *Theodoretus & Compl. addunt*, ἐν χειρὶ σουσακείμ, *aut*, σουσὰκ, *quod vulg.* per manum Seſac. (*d*) Pueros.] *Iidem*, δούλοις, ſervos. (*e*) Et conſtituit ſuper eum Suſacim.] *In quibuſdam additur*, rex Ægypti. *Sed compl. reſpondens hebræo & vulg. longe aliter habet*, καὶ κατέστησεν ἐπὶ χεῖρας ἀρχόντων τῶν παρατρεχόντων τῶν φυλασσόντων τὰς θύρας οἴκου τοῦ βασιλέως. καὶ ἐγένετο ἀπὸ ἱκανοῦ ἐν τῷ εἰσπορεύεσθαι τὸν βασιλέα εἰς οἶκον κυρίου, εἰσεπορεύοντο καὶ οἱ παρατρέχοντες. καὶ ἐλάμβανον τοὺς θυρεοὺς, καὶ ἀποκαθίστων εἰς τὴν τάξιν τῶν παρατρεχόντων, καὶ ἐν τῷ ἐντραπῆναι τὸν βασιλέα. Et conſtituit ad manus principum curſorum cuſtodientium portas domus regis. Et fiebat ex multo tempore (*aut*, uſu, *hebræus habet*, a tempore) in ingrediendo regem in domum Domini, ingrediebantur & curſores, & ſumebant clypeos, & referrebant ad locum curſorum. Et cum rex eſſet confuſus, &c. (*f*) Videntis.] *Theodoretus & Compl. addunt*, τοῦ γενεαλογῆσαι, in genealogia deſcribenda, *quod in vulgata videtur eſſe*, & diligenter expoſita.

CAP. XIII.

(*a*) ABia.] *In aliis additur*, τὸν πόλεμον, prælium. (*b*) Teſtamento Salis.] *Sic hebræus. Compl.* εἰς διαθήκην ἁλὸς, *quod vulgata*, in pactum Salis. *Theod.* διαθήκην ἁλὸς αἰωνίαν, teſtamentum ſalis ſempiternum : *& explanat quid iſtud ſit.* (*c*) Surrexit.] *Alii*, ἀντέστη, ex adverſo ſtetit. *Alii*, καὶ ἐνίσχυσεν ἐπὶ ῥοβοάμ, & invaluit ſuper Roboam. *Compl.* καὶ ἐνίσχυσαν, *quod vulg.* & prævaluerunt. (*d*) Vituli.] *Ita etiam vulgata ex hebræo. Compl. autem* δαμάλεις, juvencæ (*e*) Univerſæ. Qui accedit.] *Compl.* πᾶς ὁ παραπορευόμενος, omnis qui accedit. (*f*) Mane, & veſperi.] *Eadem*, mane mane, & veſperi veſperi : *quemadmodum etiam interdum in ſequentibus.* (*g*) Accenſionis.] *Eadem* αὐτῆς, ejus, *ut vulgata* (*h*) Nos.] *Eadem*, ὑμᾶς, vos. (*i*) Convertit.] *Compl.* περιεκύκλωσε τὸ ἔνεδρον ἐλθεῖν κατόπισθεν αὐτῶν, καὶ ἦσαν ἔμπροσθεν ἰούδα, circumdedit inſidias ad veniendum a tergo eorum. Et fuerunt ante Judam, &c. (*k*) Clamaverunt.] *Etiam hebræus habet in numero multitudinis. Complut.* ἠλάλαξεν ἀνὴρ ἰούδας, vociferatus eſt vir Judas. *Verbum quidem iſtud videtur agnoſcere etiam Theodoretus.* (*l*) In libro.] *Compl.* ἐπὶ βιβλίου ἐν τῇ ἐκζητήσει, ſuper librum in exquiſitione, *quod vulgata*, diligentiſſime.

CAP. XIV.

(*a*) MOrtuus eſt.] *Compl.* ἐκοιμήθη, dormivit, *ut vulgata.* (*b*) Pacem habuit. Civitates munitas.] *Locus mutilatus in collatis manuſcriptis codicibus, in Compl. ſic expletur*, καὶ εἰρήνευσεν ἡ βασιλεία ἐνώπιον αὐτοῦ, καὶ ᾠκοδόμησεν πόλεις τειχήρεις, & pacem habuit regnum coram eo. Et ædificavit civitates munitas : *quæ optime reſpondent hebræo.* (*c*) Quoniam pacem habuit terra.] *Hoc abeſt a Compl. ſed non ab hebræo.* (*d*) Coram terra dominabimur.] ἐνώπιον τῆς γῆς κυριεύσομεν. *Alii*, ἐν ᾧ κυριεύομεν τῆς γῆς, dum dominamur terræ. *Ad verbum reſponderet hebræo, ſi eſſet*, ἐν ᾧ ἡ γῆ ἐνώπιον ἡμῶν, dum terra eſt coram nobis. (*e*) Et proſpere fecit nobis.] *Pro his in Complut. eſt*, καὶ ᾠκοδόμησαν, καὶ κατηύθυναν, & ædificaverunt, & proſperati ſunt. (*f*) Conforta nos.] *Eadem*, οἷς οὐκ ἔστιν ἰσχύς. βοήθησον ἡμῖν. quibus non eſt fortitudo. Adjuva nos. (*g*) Domine Deus noſter.] *Eadem addit*, σὺ εἶ ὁ θεὸς, tu es Deus. *Alii*, κύριος ὁ θεὸς ἡμῶν σὺ εἶ, Dominus Deus noſter tu es. *quod optime reſpondet hebræo.* (*h*) Gedor.] *Theodoretus & Compl.* γέραρα, *& vulgata*, Gerara. (*i*) Poſſeſſionum.] κτήσεων. *Aliqui*, κτηνῶν, pecorum. *A Theodoreto abeſt utrumque : qui etiam pro eo, quod ſequitur*, ἀλιμαζονεῖς, *aut*, ἀμαζονεῖς, *ut in aliis, ipſe habet*, ἀμαζονείμ. *& ſuſpicatur fuiſſe populos quoſdam, nimirum Lybes. Sed fortaſſe eſt veſtigium duarum dictionum hebraicarum, quæ ſiginficant* tabernacula pecorum. *Quare in Compl. eſt tantum*, καί γε σκηνὰς κτηνῶν ἐξέκοψαν, etiam tabernacula pecorum exſciderunt.

CAP. XV.

(*a*) ODed.] *Sic etiam Theodoretus. Alii libri*, Adad. *Vulgata*, Obed. (*b*) In non Deo.] ἐν οὐ θεῷ. *Ita etiam Theodor. Compl.* ἄνευ θεοῦ, abſque Deo. (*c*) Convertit eos.] *Compl. addit.* ἐν θλίψει, in tribulatione. *Sed Theodoretus hunc locum ſic refert*, καὶ ἐκάθισαν ἐν στενότητι, καὶ ἐπιστρέψουσιν ἐν θλίψει ἐπὶ κύριον. Et ſederunt in anguſtia, & convertentur in tribulatione ad Dominum. (*d*) Illo tempore.] *Theodoretus, & Compl.* ἐν τοῖς καιροῖς ἐκείνοις. in temporibus illis. (*e*) Domini.] *Apud eoſdem additur*, πολλὴ, multus. (*f*) Manus.] *Sic etiam in aliquo codice Theodoreti. In alio eſt*, αἱ ὀσφύες ὑμῶν, lumbi veſtri. (*g*) Adad.] *In uno codice eſt*, Addo. *In pleriſque*, ἀζαρίου, Azariæ. *Compl.* ὠδὴδ, Oded. *Initio capitis eſt*, Azarias filius Oded, *& nunc in vulgata*, Azariæ filii Oded. (*h*) Tenuerat Hieroboam in monte.] *Compl.* ὧν κατέσχεν ἀπὸ ἱεροβοὰμ ἐξ ὄρους, quas ceperat a Hieroboam de monte : *hebræus, & vulgata non habent*, a Hieroboam. (*i*) Tranſivit.] *Alii*, διῆλθον, tranſierunt, venerunt. *Vulgata tamen.* Et intravit. (*k*) Magna.] *In Compl. additur*, καὶ ἐν ἀλαλαγμῷ, *& vulgata*, in jubilo. (*l*) Plenum.] *Eadem*, τελεία, perfectum, *ut vulgata.* (*m*) David patris ſui, & ſancta domus Dei.] *Eadem*, τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, καὶ τὰ ἅγια αὐτοῦ, patris ſui, & ſancta ſua, *Vulgata*, quæ voverat pater ſuus, & ipſe.

CAP. XVI.

(*a*) REgis.] *Theodoretus videtur habuiſſe*, βασιλέα, regem. (*b*) Diſſipa a me Baaſa regem.] *Compl.* διασκέδασον τὴν διαθήκην σου τὴν μετὰ βαασὰ βασιλέως, diſſipa teſtamentum tuum, quod cum Baaſa rege, *quomodo fere, 3. Reg. 15.* (*c*) In confidentia, in equitibus.] *Eadem*, καὶ θάρσος εἰς ἅρματα, καὶ ἱππεῖς, Et confidentia in curribus & equitibus. (*d*) In omni corde pleno.] *Ita etiam Theodoretus. Compl.* μετὰ πάσης καρδίας τελείας, cum omni corde perfecto. (*e*) Uſque valde languit.] *Eadem*, ἕως ἄνω ἡ ἀῤῥωστία αὐτοῦ. Uſque ſupra infirmitas ejus. (*f*) Uſque valde.] *Eadem*, καὶ ἔκαυσαν αὐτὸν καῦσιν μεγάλην ἕως σφόδρα, & combuſſerunt eum combuſtione magna uſque valde.

CAP. XVII.

(*a*) VIis patris ſui primis.] *Ita etiam Lucifer lib. 1. pro S. Athan. Alii addunt*, ὁδοῖς δαυὶδ, viis David. *Ac Theodoretus quidem videtur legiſſe*, ἐν ταῖς πρώταις, *& interpretatur*, κατ' ἀρχὰς, ab ipſo initio. (*b*) Sicut opera Iſrael.] *Lucifer*, & non ſic opera Iſrael. *Complut. & Theodoretus*, καὶ οὐ κατὰ τὰ ἔργα ἰσραὴλ, & non ſecundum opera Iſrael. (*c*) Qui.] *Iſtud.* οἱ, *abeſt a Compl. & Lucifer*, & cum illis. (*d*) Argentum, & dona.] *Ita etiam Lucifer. A Complut. abeſt iſtud*, καὶ δόματα. *Vulgata ex hebræo*, argenti vectigal. (*e*) Septingentos.] *Nec plura Lucifer. In aliis codicibus ſequitur*, τράγους (*al.* καὶ τράγους) ἑπτακισχιλίους ἑπτακοσίους, *al.* πεντακοσίους, hircos ſeptem mille ſeptingentos, *alii*, quingentos. (*f*) Major.] *Lucifer*, ambulans magnificatus. *Complutenſis*, πορευόμενος καὶ μεγαλυνόμενος, procedens, & magnificatus. (*g*) Poſt eum.] *Ita etiam fere vulgata.*

Complutenſ. ἐχόμενοι αὐτῶν, adhærentes eis: *& ſic deinceps.* (*b*) Prompte ſe offerens.] ὁ προθυμούμενος. *Theodoretus videtur habuiſſe*, ὁ ἑκουσιαζόμενος, *& interpretatur pro eo qui non pro peccato offert, ſed affert munera Deo: de qua varietate alibi dictum eſt.* (*i*) Potens virtutis, & Eliada.] *Ab hebræo abeſt illud, &: nam etiam vulgata*, robuſtus ad prælia Eliada. *Alij codices*, δυνατοὶ δυνάμει, ἐλιαδά, potentes virtute: Eliada, &c.

CAP. XVIII.

(*a*) Diligebat eum.] *Id eſt, omnibus eum officiis proſequebatur, magnaque benevolentiæ ſigna præbebat. Complut.* ἔπεισε τὸν ἰωσαφὰτ, perſuaſit Joſaphat. (*b*) Sicut ego.] *Complut.* ὡς σὺ οὕτω καὶ ἐγὼ, ſicut tu, ita & ego. *Similis varietas notata eſt*, 3. *Reg.* 22. (*c*) Cito Michæam.] *Aptius hebraicæ locutioni, & imperiis regis, quam quod in Complut.* ταχέως κάλεσον, cito voca. (*d*) Cooperi me.] κατακάλυψόν με. *Compl.* κατακαλύψομαι, cooperiar, *& noſtra etiam*, 3. *Reg.* συγκαλύψομαι. (*e*) Meum.] *Complut.* tuum, *quæ varietas etiam*, 3. *Reg. notata eſt* (*f*) Cooperuit.] *Eadem*, ἠλλοιώθη, mutatus eſt, mutavit habitum, *ut vulgata.* (*g*) Laboravi.] *Eadem*, τετραυμάτισμαι, vulneratus ſum.

CAP. XIX.

(*a*) Rex Joſaphat.] *Sic etiam Theodoretus. Compl.* καὶ εἶπεν πρὸς τὸν βασιλέα ἰωσαφὰτ, & dixit ad regem Joſaphat. (*b*) Sanguinem ſanguinis.] *Aut contra*, αἵματος αἷμα, ſanguinis ſanguinem, *ut nonnulli. Sed Complutenſis*, αἵματος, καὶ αἵματος, ſanguinem, & ſanguinem. *Lucifer*, inter medium ſanguinis, & ſanguinis. (*c*) Scribæ.] *Theodoretus*, γραμματεῖς, vocavit, τοὺς διδασκάλους, doctores. (*d*) Confortamini] *Theod. & Compl.* ἀνδρίζεσθε, viriliter, agite.

CAP. XX.

(*a*) Minæis.] *Alij*, ἐκ τῶν ἀμμανιτῶν, de Ammanitis. (*b*) Dilecto tuo.] *Complut.* τῷ φίλῳ σου, amico tuo. *Theodoretus*, τοῦ φίλου σου, amici tui, *ut vulgata.* (*c*) Eorum.] *In Complut. ſequitur*, καὶ οἱ υἱοὶ αὐτῶν, & filii eorum. (*d*) Ipſi Oziel.] *Theodoretus*, ἰεζοὴλ, Jezoel *Complut.* καὶ ἰεζιὴλ ὁ τοῦ ζαχαρίου υἱοῦ βαναίου υἱοῦ ἰειὴλ υἱοῦ μαθθανίου ὁ λευίτης ἀπὸ τῶν υἱῶν ἀσὰφ, & Jeziel filius Zachariæ filij Banææ filii Jeiel filij Matthaniæ Levita de filiis Aſaph. (*e*) Bellare. Hæc intelligite.] *Complut.* πολεμῆσαι ἐν ταύτῃ. στῆτε, καὶ σύνετε. pugnare in hac. State, & intelligite. *Et ita etiam Theodoretus, niſi quod habet*, οὐχ ὑμεῖς πολεμήσετε, non vos pugnabitis, &c. (*f*) Paveatis] *Complut* δειλιᾶτε. *Theodoretus*, δειλιάσητε *eodem ſenſu.* (*g*) Propheta.] *Compl. & Theodoretus*, προφήταις, prophetis. (*h*) Pugnare filios Ammon ſuper Moab.] *Complut.* ἔνεδρον τοῦ πολεμεῖν τοὺς υἱοὺς ἀμμὼν καὶ μωὰβ, inſidias impugnare filios Ammon, & Moab, &c. (*i*) Ad exterminandum.] *Eadem*, καὶ ἐλάβετο ἀνὴρ τοῦ πλησίου αὐτοῦ εἰς διαφθορὰν, & aggreſſus eſt vir proximum ſuum ad perditionem. (*k*) Qui conſcripſit librum.] *Theodoretus*, οὓς κατέγραψαν, (*Complut.* κατέγραψεν) ἐπὶ βιβλίου, quos conſcripſerunt ſuper librum. (*l*) Hic] *Iidem*, αὐτὸς, ipſe. (*m*) Et eundo ad eum.] *Hæc a Theodoreto non referuntur. Complut.* καὶ ἐκοινώνησε μετ' αὐτοῦ τοῦ ποιῆσαι πλοῖα, & communicavit cum eo ad faciendum navigia, &c. (*n*) Quaſſavit Dominus opus tuum.] *Complut.* διέκοψε κύριος τὰ ἔργα σου, καὶ συνετρίβησαν αἱ νῆες, καὶ οὐκ ἠδυνήθησαν τοῦ πορευθῆναι εἰς θαρσεῖς, diſcidit Dominus opera tua: & contritæ ſunt naves, & non habuerunt vires ad eundum in Tharſis. *Atque ita etiam Theodoretus niſi quod habet*, αἱ νῆές σου, naves tuæ.

CAP. XXI.

(*a*) Sex.] *Abeſt a Complut. & vulgata.* (*b*) Et Azarias.] *Etiam hoc a Complut. ſed non a vulgata, & hebræo.* (*c*) Suum.] *Complut.* τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, patris ſui, *ut vulgata.* (*d*) Sicut dixerat ei, dare ei.] *Complut.* ὃν τρόπον εἶπεν αὐτῷ δοῦναι αὐτὸν. quemadmodum dixit ei dare eum. *Melius Theodor.* ὃν τρόπον εἶπε δοῦναι αὐτῷ, quemadmodum dixit dare ei. (*e*) Principibus.] *In Complut. additur*, καὶ πάντα τὰ ἅρματα αὐτοῦ, & omnes currus ejus. *Sed hoc, & illud, quod ſequitur*, & omnis equitatus cum eo, *videri poſſunt duæ interpretationes ejuſdem ſententiæ in hebraico. Vulgata quidem tantum equitatus mentionem facit.* (*f*) In ſcriptura.] ἐν γραφῇ. *Sic etiam Theodoretus, & putat ſubintelligendum*, ἄνθρωπος, homo. *Complut. autem*, ἐγγεγραφὴ, ſcriptura, literæ, *ut vulgata.* (*g*) Et tu in languore malo.] *Complut.* καὶ σὺ ἔσῃ ἐν ἀῤῥωστίαις πονηραῖς, ἐν ἀῤῥωστίαις κοιλίας σου, ἕως οὗ ἐξέλθῃ τὰ ἔντερά σου ἀπὸ τῆς ἀῤῥωστίας ἐξ ἡμερῶν εἰς ἡμέρας, & tu eris in infirmitatibus malis, in infirmitatibus ventris tui, quoadusque exeant inteſtina tua præ infirmitate ex diebus in dies: *eodem modo Theodoretus, niſi quod in principio habet tantum*, καὶ σὺ ἔσῃ ἐν ἀῤῥωστίᾳ κοιλίας σου. (*h*) Oppreſſerunt, & averterunt omnem apparatum, quem.] *Complut.* κατεδυνάστευσαν αὐτὸν, καὶ ᾐχμαλώτευσαν πᾶσαν τὴν ὕπαρξιν, ἣν, oppreſſerunt eum, & captivarunt omnem ſubſtantiam, quam. (*i*) Ochozias. *Ita etiam Theodoretus, & videtur idem, qui cap. ſequenti, rex conſtituitur. Sed plerique tamen libri habent*, ἰωαχὰζ, *& vulgata*, Joachaz. (*k*) Dierum duos dies.] *Complut.* τῶν ἡμερῶν αὐτοῦ εἰς ἡμέρας δύο, dierum ejus ad dies duos. *Verum illud*, αὐτοῦ, *redundat: & præpoſitio*, εἰς, *poteſt ſubintelligi: hoc enim ſignificatur*, cum tempus dierum, *id eſt*, ſpatium temporum pervenit ad duos annos. (*l*) Venter ejus cum morbo.] *Ita fere hebræus, Complut.* ἐξῆλθε τὰ ἔντερα αὐτοῦ μετὰ τῆς κοιλίας αὐτοῦ ἐν ἀῤῥωστίᾳ αὐτοῦ, exierunt inteſtina ejus cum ventre ejus in infirmitate ejus. (*m*) Funus.] *Complut. & Theodoretus*, ἐκφορὰν, καὶ καῦσιν κατὰ τὴν καῦσιν τῶν πατέρων αὐτοῦ, funus, & combuſtionem ſecundum combuſtionem patrum ejus. (*n*) Sepultus eſt.] *Theodoretus videtur legiſſe*, ἔθαψαν αὐτὸν, ſepelierunt eum, *ut vulgata.*

CAP. XXII.

(*a*) Et Alimazones.] *Nonnulli*, ἀμαζονεῖς. *Videtur præſertim in noſtra eſſe veſtigium quoddam dictionis hebraicæ, quæ ſignificat*, ad caſtra: *quare Complut. pro iſta habet*, καὶ ἐν τῇ παρεμβολῇ, & in caſtris: *quamvis illud* καὶ *redundet. Simile quiddam de iſta eadem dictione notatum eſt cap.* 14. *Theodoretus utrumque conjungit, hunc locum hoc modo referens*, ὅτι πάντας τοὺς πρεσβυτέρους ἀπέκτεινε τὸ λῃστήριον τὸ ἐπελθὸν ἐπ' αὐτοὺς ἀπὸ τῶν ἀράβων, καὶ ἀπὸ τῶν ἀμαζονεὶμ ἐν τῇ παρεμβολῇ, quoniam omnes ſeniores interfecerat agmen latronum ſuperveniens ſuper eos ab Arabibus, & ab Amazonim in caſtra. *Repetit autem & hic ipſos Amazonim fuiſſe accolas Æthiopum.* (*b*) Viginti.] *Alii libri addunt* καὶ δύο, & duorum, *quemadmodum etiam in noſtra*, 4. *Reg.* 8. *& ibi etiam vulgata. Alii, & Complut.* υἱὸς ὢν τεσσαράκοντα καὶ δύο ἐτῶν, filius cum eſſet quadraginta, & duorum annorum: *quod reſpondet hebræo, & vulgatæ hic.* (*c*) Unctum Domini.] *In Compl. ſequitur*, ὃν ἔχρισεν αὐτὸν κύριος τοῦ ἐξολοθρεῦσαι τὸν οἶκον ἀχαὰβ, quem unxit eum Dominus ad exterminandum domum Achaab. *Verum illa*, chriſtum Domini, *&* quem unxit eum Dominus, *videri poſſunt duæ interpretationes ejuſdem ſententiæ: nam in hebræo non eſt hujuſmodi repetitio, quemadmodum neque in vulgata.* (*d*) Dixerunt.] *Sic hebræus. Complut. & Theodoretus*, εἶπεν, dixit. (*e*) Cum eo.] *Aliqui libri*, μετ' αὐτῆς, cum ea. *Vulgata ex hebræo*, cum eis.

CAP. XXIII.

(*a*) Octavo] *Plerique libri* ἑβδόμῳ, ſeptimo, *ut vulgata.* (*b*) Domini.] *Complut. addit*, ἐν διαθήκῃ, in teſtamento, & fœdere. (*c*) Et oſtendit ei filium regis.] *Hæc abſunt a Compl. & vulgata.* (*d*) Et ad portas introituum.] *Eadem*, καὶ τῶν πυλωρῶν ἐν ταῖς πύλαις τῶν εἰσόδων, & janitorum in portis introituum. *Phraſis hebraica hoc ſignificat, parti iſti tertiæ venienti ad ſabbatum ſtandum eſſe una cum ſacerdotibus, & Levitis, & janitoribus liminum, aut in liminibus.* (*e*) Levitarum.] *Id eſt*, de Levitis, *ut vulgata. Alij*, υἱοὶ τῶν λευιτῶν, filij Levitarum. *Complut.* τοῖς λευίταις, Levitis. (*f*) Viri vas, vas in manu ejus.] *Alii*, ἄνδρες, καὶ σκεῦος αὐτῶν ἐν χειρὶ αὐτῶν, viri & vas eorum in manu eorum. *Complut. ſatis prope ad hebræum*, ἀνὴρ, καὶ τὸ σκεῦος αὐτοῦ ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ, vir, & vas ejus in manu ejus. (*g*) Gladios.] *Compl. & magna ex parte etiam alii*, ὁ ἱερεὺς τοὺς ἑκατοντάρχους τεταγμένους, καὶ τὰς μαχαίρας, καὶ τοὺς θυρεοὺς [καὶ τὰ δόρατα καὶ τὰς ἀσπίδας] (*iſta abſunt ab aliis*) καὶ τὰ ὅπλα. *Vulgata ex hebræo habet*, ſacerdos centurionibus lanceas, clypeoſque & peltas. (*h*) Dei.] *Complut. repetit*, ἔδωκεν αὐτοῖς, dedit eis: *quæ abſunt etiam ab hebræo, & vulgata,* (*i*) Siniſtram altaris.] *Alii*, τοῦ οἴκου τῆς ἀριστερᾶς, τοῦ θυσιαστηρίου. *Compl. autem* ἐπὶ τοῦ θυσιαστηρίου. *Vulg.* ad partem templi ſiniſtram coram altari, &c. (*k*) Teſtimonia.] *Compl.* teſtimonium. *Videantur, quæ notata ſunt.* 4. *Reg.* 11. (*l*) Conjurantes conjuratis.] *Complut.* σύνδεσμος, σύνδεσμος, conjuratio, conjuratio, *Eadem*, 4. *Reg.* 11. (*m*) Dederunt ei ſpacium.] *Complut.* ἐπέθηκαν αὐτῇ χεῖρας, injecerunt ei manus. (*n*) Idola.] *Eadem*, τὰς εἰκόνας, ſimulachra, *ut vulgata, quam dictionem videtur etiam habuiſſe Theodoretus.* (*o*) Opera.] *Eadem*, τὴν ἐπισκοπὴν, viſitationem. (*p*) Et ad offerendum.] καὶ ἀνενέγκαι, *& Compl.* τοῦ ἀναφέρειν, *quod vulgata*, ut offerrent. *Alii*, καὶ αὐτὸς ἀνήνεγκεν, & ipſe obtulit. (*q*) Interfecerunt.] *In aliis additur*, μαχαίρᾳ, gladio, *ut vulgata.*

CAP. XXIV.

(*a*) Erat.] ὤν. *Videtur poſitum more hebraico participium pro verbo, ut alibi ſæpe. Compl.* υἱὸς ὢν, filius erat. *Atque ita etiam in ſequentibus.* (*b*) Annum.] ἀπὸ ἱκανοῦ ἐνιαυτόν. *Hebræus*, a tempore anni. (*c*) Quod decretum fuit.] *Compl.* τὸ κεκριμένον λῆμμα. *Vulgata*, pecuniam, quæ conſtituta eſt. *Hebræus*, munus, *aut*, onus. (*d*) Quia.] ὅτι. *Compl.* ὅτε, quando. *Verum vulgata, & hebræus paulo diverſum ſenſum videntur præ ſe ferre. Et quod in Compl. in fine hujus periodi additur*, ἐν τῇ ἐρήμῳ, in deſerto, *omnino redundat.* (*e*) Dederunt.] *Eadem*, καὶ εὐφράνθησαν, *quod vulgata*, lætatique ſunt. (*f*) Ut inferebant.] *Eadem*, ἐν τῷ καιρῷ τοῦ ἐνεγκεῖν, in tempore afferendi. (*g*) Capſulam.] *Eadem addit*, καὶ ἦραν, & tulerunt. (*h*) Die iſta.] *Eadem*, ἐν τῇ πλημμελείᾳ αὐτῶν, in delicto eorum. (*i*) Azariam.] *Alij nonnulli, & Theodor.* ζαχαρίαν, Zachariam, *ut vulgata & hic, & Matth.* 23. *quemadmodum putat S. Hieronymus. Solent autem interdum hæc nomina Azariæ & Zachariæ inter ſe viciſſim commutari, ut infra cap.* 26. (*k*) Fecit.] *Sic etiam Theodor. Compl.* ἐποίησαν, fecerunt. (*l*) Ipſius Samaath Ammanites.] *Compl.* υἱὸς σαμαὰθ τῆς ἀμμανίτιδος, καὶ ἰωζαβὲλ υἱὸς σαμαρὶθ τῆς μωαβίτιδος. *Quod vulgata*, filius Semath Ammanitides, & Joſabath filius Samarith Moabitidis. (*m*) Quinque. *In aliquo libro ſequitur*, καὶ ἐθανάτωσαν αὐτὸν, & interfecerunt eum. *Verum in Compl. longe aliter habet hic locus*, καὶ οἱ υἱοὶ αὐτοῦ, καὶ πλεῖστα λήμματα κατ' αὐτοῦ, καὶ ἡ θεμελίωσις οἴκου τοῦ θεοῦ. καὶ τὰ λοιπὰ, & filii ejus, & plurimæ aſſumptiones ſuper eum, & fundatio domus Dei, & reliquà. *Atque iſtud quidem*, λῆμμα, *rurſus poteſt ſignificare*, onus, *aut*, munus. *Vulgata*, ſumma pecuniæ, quæ adunata fuerat ſub eo.

CAP. XXV.

(*a*) Scriptum.] *In Compl. additur*, ἐν νόμῳ μωυσῆ, *& vulgata*, in libro legis Moyſi. (*b*) Hieruſalem.] *Eadem*, Benjamin. (*c*) In his.] *Theodoretus*, ἐν τῷ πολέμῳ, in bello. *Compl. utrumque conjungit.* (*d*) A Domino prævalere, & in fugam verti.] *Theodoretus & Compl.* ἰσχὺς τῷ κυρίῳ τοῦ βοηθῆσαι, καὶ τροπώσασθαι, fortitudo Domino ad auxiliandum, & faciendum corruere. (*e*) Talenta.] *Theodor. & Compl.* τοῖς ἑκατὸν ταλάντοις, centum talentis. *Similis locutionis varietas alibi eſt obſervata.* (*f*) Virtuti.] *Item hic Compl.* τὴν δύναμιν τὴν ἐλθοῦσαν, virtutem, quæ venerat. (*g*) Attende, ne flagelleris.] *Theodoretus*, πρόσεχε αὐτῷ, ἵνα μὴ πατάξω σε, attende tibi, ne percutiam te. *Compl.* πατάξωσι, percutiant. (*h*) Quoniam cognoſco.] *Iſtud* ὅτι *abeſt ab aliis, & quæ ſequuntur, in Compl. & apud Theodoretum, ſic habent*, ὅτι ἐβουλεύσατο κύριος τοῦ διαφθεῖραί σε, quia deliberavit Dominus corrumpere te. (*i*) Anchuch.] *Dictionem hebræam vulgata interpretatur:* carduus, *alii*, paliurus. (*k*) Manus.] *In aliis, & Compl. additur*, Joas, *quod tamen abeſt ab hebræo.* (*l*) Commiſtionum.] *Sic videntur appellari*, obſides, *ut alibi notatum eſt. Quod autem additur in Compl.* ἔλαβεν, cepit, *abeſt etiam ab hebræo, & ſupplendum e ſuperioribus.* (*m*) Conjurarunt in eum conjurationem, & fugit e Hieruſalem.] *Compl.* συνεστράφη ἐπ' αὐτὸν σύνδεσμος ἐν ἱερουσαλὴμ, καὶ ἔφυγεν εἰς λαχεῖς, conglobavit ſe ſuper eum colligatio in Hieruſalem, & fugit in Lachis.

XXVI.

(*a*) Intelligentis in timore Domini.] τοῦ συνιόντος ἐν φόβῳ κυρίου, *quod idem valere atque illud quod eſt in multis*, συνιέντος, *patet hoc* *eodem lib. cap.* 30. *& 34. Theodoretus autem & Complut* συνιέντος ἐν ὁράσει θεοῦ, intelligentis in viſione Dei. (*b*) Confirmavit.] *Complut. addit,* αὐτὰς, eas. (*c*) Et vinitores.] *Eadem,* γεωργοὶ, ϗ ἀμπελουργοὶ, agricultores, & vinitores. (*d*) Agricultor.] γεωργός. *Ita in aliquot libris. In aliis,* φιλογεωργὸς, *aut,* ἀνὴρ φιλογεωργὸς, homo agriculturæ deditus. (*e*) Et ingrediens in aciem ad numerum: & fuit numerus eorum.] *Complut. habet tantum,* ϗ ὁ ἀριθμὸς τῆς ἐπισκέψεως αὐτῶν, & numerus recognitionis eorum. (*f*) Excogitantis.] λογιστοῦ. *Sic fere hebræus. Complut.* λογισμοῖς, excogitationibus. (*g*) Steterunt.] *Complutenſis, & Theodoretus,* ἐπέστησαν, inſurrexerunt. (*h*) Feſtinare fecerunt.] *Propius ad hebræum, quam quod in aliis,* κατεδίωξαν, perſecuti ſunt, *aut quod in Complut.* κατέσπασεν, expulit. (*i*) Apphuſoth.] *Et hoc propius, quam quod in Complut* ἀχχεσίθ. *De dictione iſta notatum, 4. Reg. 15.* (*k*) Jeſſia.] ἰεσσίου. *Sic etiam alius codex. Et S. Hilarius cum citat Eſaiam, non aliter eum nominat, quam Jeſſe. Alii codices,* ὑπὸ ἡσαΐου υἱοῦ ἀμὼς τοῦ προφήτου, ab Eſaia filio Amos propheta.

CAP. XXVII.

(*a*) OPel.] *Complut.* τοῦ ὠφὲλ ᾠκοδόμησεν εἰς πλῆθος, καὶ πόλεις ᾠκοδόμησεν ἐν τοῖς ὄρεσιν ἰούδα, ipſius Ophel ædificavit in multitudine: & civitates ædificavit in montibus Juda. *Ophel autem multi interpretantur, alti loci, id eſt, arcis. Plerique vero codices habent,* καὶ ἐν τῷ τείχει αὐτῆς ἀπέθετο (*al.* ἀπέθεντο) ὅπλα καὶ ᾠκοδόμησεν πόλεις ἐν ὄρει ἰούδα, & in muro ejus repoſuit arma, & ædificavit civitates in monte Juda. (*b*) Et habitationes.] *Iſtud, &, abeſt a multis. Complut. vero,* ᾠκοδόμησεν βάρεις, καὶ πύργους, ædificavit palatia, & turres. (*c*) Et per annum.] *Compl non habet,* &. (*d*) Iſrael] *Hic in aliis repetuntur, quæ dicta ſunt initio capitis, quemadmodum & in vulgata.* Filius viginti & quinque annorum erat Joatham in regnando ipſum: & ſexdecim annos regnavit in Hieruſalem.

CAP. XXVIII.

(*a*) ET quinque.] *Abeſt hoc a Compl. & vulgata, & 4. Reg. 16. etiam in noſtra dicitur fuiſſe viginti annorum.* (*b*) Ge.] *Compl.* φάραγγι, valle; *quod eſt interpretatio illius. Alii codices,* ἐν γῇ ἐννόμ, in terra Ennom. (*c*) Per manum.] *Compl.* ἐν χειρὶ, in manu. (*d*) Vicarium.] τὸν διάδοχον *Compl.* τὸν δεύτερον. *quod vulg.* ſecundum a rege. *de hoc alibi.* (*e*) Trecenta]. *Ita & alii nonnulli libri. Aliquot alii* ὀκτακοσίας, octingenta. *In aliis eſt,* διακοσίας ducenta, *ut vulgata.* (*f*) Veſtro?] *Sic in collatis codicibus. In Compl. ſequitur,* πλημμελῆσαι μεθ' ὑμῶν κυρίῳ τῷ θεῷ ὑμῶν, delicta vobiſcum Domino Deo veſtro: *quæ quidem ſunt in hebræo. Apud Theodoretum hic locus ita legitur,* ἰδοὺ οὐκ εἰμὶ μεθ' ὑμῶν, μαρτύρεται κύριος ὁ θεὸς ἡμῶν, πλημμελῆσαι μεθ' ὑμῶν τῷ θεῷ ἡμῶν. Ecce non ſum vobiſcum, teſtatur Dominus Deus noſter, delicta vobiſcum Deo noſtro. (*g*) Vdias.] *Alii* ἀζαρίας ὁ τοῦ ἰωανὰν, *& vulgata,* Azarias filius Johannan. (*h*) Comedere.] *In Compl.* καὶ ἔδωκαν αὐτοῖς τοῦ φαγεῖν, καὶ πιεῖν, καὶ ἀλείψασθαι, & dederunt eis ad comedendum, & bibendum & ungendum. (*i*) Et in hoc: quoniam.] ϗ ἐν τούτῳ, ὅτι *Complut.* ϗ ἐν τούτῳ τῷ ἔτει, & in hoc anno. *Hebræus habet,* Et adhuc. (*k*) Quæ in domo Domini, & quæ in domo regis, & principum; & dederunt regi.] *Hæc habentur in libris vetuſtis, qui collati ſunt. Abſunt tamen a Complut. & vulgata: & videri poſſunt ex loco inferiore, ubi ponuntur, huc etiam irrepſiſſe.* (*l*) Galero.] *Alii,* τὴν γαδηρῶν. *Complut.* γαδηρώθ. Gaderoth. (*m*) Quoniam diſceſſit.] *Complut. & Theodoretus,* ἀνθ' ὧν ἀπεκάλυψεν ἐν τῷ ἰούδα, ϗ ἀπέστη ἀποστασίᾳ ἀπὸ κυρίου, pro eo quod revelavit in Juda, & rebellavit rebellione a Domino. *Et addit Theodoretus explanationem.* Illud ἀπεκάλυψεν, ſignificat, docuit eum quæ minime oportebat: externos enim induxit mores, *&c. Vulgata,* eo quod nudaſſet eum auxilio. (*n*) Confortant eos.] *Theodoretus,* κατισχύουσιν αὐτῷ, prevalent ei.

CAP. XXIX.

(*a*) AUdite.] *Complutenſis addit,* me. (*b*) Percuſſi ſunt.] *Eadem,* ἔπεσον, corruerunt. (*c*) Quod & nunc eſt. Pro his nunc.] *In aliquot libris eſt,* ϗ νῦν εἰσὶν ἐπὶ τούτοις. νῦν οὖν θέσθε ἐπὶ καρδίας ὑμῶν, τοῦ διαθέσθαι διαθήκην μετὰ κυρίου θεοῦ ἰσραὴλ, & nunc ſunt pro his: Nunc igitur ponite ſuper corda veſtra, diſponere teſtamentum cum Domino Deo Iſrael. *Complutenſis habet tantum,* ἕνεκεν τούτου ἐγένετο ἐπὶ καρδίας μου, τοῦ διαθέσθαι διαθήκην τῷ κυρίῳ θεῷ ἰσραήλ. Propter hoc factum eſt ſuper cor meum diſponere teſtamentum Domino Deo Iſrael. (*d*) Et Joadam, hi filii Joacha.] *Complut.* καὶ ὠδαὰν ὁ τοῦ ἰωάχ, & Odaam filius Joach. (*e*) Et in atrium domus Domini.] *Hæc a Theodoreto non referuntur. A Complut. abeſt illud,* &. (*f*) Tertia decima.] *In nonnullis eſt,* ἑκκαιδεκάτῃ, ſextadecima, *& ſic vulgata.* (*g*) Holocauſtoſis, & pro peccato.] *Propius quodammodo ad phraſim hebræam, quam quod eſt in Complutenſ. & apud Theodoretum,* προσενεχθῆναι τὰ ὁλοκαυτώματα, ϗ τὰ περὶ ἁμαρτίας, ut offerrentur holocauſta, & quæ pro peccato. (*h*) Præceptum in manu prophetarum.] *Theodoretus,* τὸ πρόσταγμα ἦν ἐν χειρὶ τῶν προφητῶν αὐτοῦ, præceptum erat in manu prophetarum ejus. (*i*) Inventi.] *Complutenſis addit,* σὺν αὐτῷ, cum eo. (*k*) Laudationis.] *Sic pſal.* 55. ἃς ἀποδώσω αἰνέσεως, *in aliquot latinæ editionis libris*: Quæ reddam laudationis. *In margine libri Vaticani ſcriptum eſt,* καὶ αἰνέσεις, & laudationes, *atque ita paulo poſt eſt in Vaticano ipſo, ubi vulgata,* καὶ αἰνέσεως, *præter Complut. a qua eo loco abeſt utrumque.* (*l*) Purificabant præ ſacerdotibus.] παρὰ τοὺς ἱερεῖς. *Theodoretus,* ἡγιάσθησαν περὶ ſanctificati ſunt circa ſacerdotes. *Compl.* ἡγιάσθησαν παρὰ, ſanctificati ſunt præ ſacerdotibus.

CAP. XXX.

(*a*) REdire facite.] *Plerique,* καὶ ἐπιστρέψει, & convertet. (*b*) Corda] *In plerique,* τοὺς τραχήλους ὑμῶν, cervices veſtras. (*c*) Vobis.] *Alii,* ἡμῶν, nobis: *hebræus habet,* vobis, *ſed ſequitur,* ſi reverſi fueritis. (*d*) Purificaverunt.] *Alii* ἡγνίσθησαν, purificati ſunt, *aut,* ἡγιάσθησαν, ſanctificati ſunt. (*e*) Præter ſcripturam.] *Complutenſis non ſine mendo,* οὐ παρὰ, non præter. (*f*) Hoc & deprecatus eſt.] τοῦτο καὶ προσηύξατο. *Nonnulli,* ὃ ϗ προσηύξατο, quod & deprecatus eſt. *In aliis eſt tantum,* καὶ προσηύξατο. Et deprecatus eſt. (*g*) Organis] *Complut. addit,* ἰσχύος, fortitudinis. (*h*) Et ſancta ſacerdotum.] *Eadem,* καὶ ἡγιάσθησαν τῶν ἱερέων, *quod vulgata,* ſanctificata eſt ergo ſacerdotum plurima multitudo. (*i*) Hieruſalem.] *Alii,* ἰσραὴλ, Iſrael, *& Complut.* οἱ ἐλθόντες ἐξ ἰσραὴλ, qui venerant ex Iſrael.

CAP. XXXI.

(*a*) IN atriis.] *Alii,* αὐλῆς, atrii, *quod videtur in vulg. eſſe* in portis caſtrorum. *Complut. autem,* ϗ ἐν ταῖς αὐλαῖς, & in atriis. (*b*) Dixerunt] *Complutenſis,* ϗ εἶπεν ἐζεκίας, & dixit Ezecias. *Ab hebræo abeſt dictio,* Ezecias. (*c*) Verbum] *Complutenſis hic etiam addit,* Ezecias. *In hebræo eſt,* cum multiplicatum eſſet verbum: *quod vulgata explanavit,* Quod cum percrebuiſſet in auribus multitudinis. (*d*) Caprarum, & ſanctificaverunt.] αἰγῶν καὶ ἡγίασαν. *Ita collati codices, & etiam Complut. quamvis hebræo magis reſponderet,* ἁγίων, ἃ ἡγίασαν, ſanctorum, quæ ſanctificaverunt. (*e*) Ad multitudinem hanc.] ἐπὶ τὸ πλῆθος τοῦτο, *propius quodammodo ad phraſim hebræam quam quod eſt in aliis,* ἔτι τὸ πλῆθος τοῦτο, adhuc multitudinem hanc. (*f*) Per manum Odom.] *Eſt aliqua varietas in codicibus. Complut.* ἀδὰν, Adan. *In hebræo eſt,* & ad manum ejus Eden: *quod in vulgata,* Et ſub cura ejus Eden. (*g*) Per manum ſacerdotum.] *Compl.* ἐν ταῖς πόλεσι διὰ χειρὸς τῶν ἱερέων, in civitatibus per manum ſacerdotum. *In hebræo, & vulg. eſt tantum,* in civitatibus ſacerdotum. (*h*) Ad diſtribuendum.] *In aliis,* ἐν καταλοχίαις, *in Complut.* ἐν τοῖς καταλοχισμοῖς, in diſtributionibus. (*i*) Filiis Aaron.] *Complut.* ϗ τοῖς υἱοῖς ἀαρὼν τοῖς ἱερατεύουσιν ἐν τοῖς ἀγροῖς, ϗ ἐν ταῖς πόλεσιν αὐτῶν, ἐν πάσῃ πόλει, ϗ πόλει. Et filiis Aaron fungentibus ſacerdotio in agris, & in civitatibus ſuis, in omni civitate, & civitate, &c. *Vulgata,* ſed & filiorum Aaron per agros & ſuburbana urbium ſingularum diſpoſiti erant, &c. (*k*) Rectum.] *In Complut. additur,* καὶ τὸ ἀληθὲς, & verum, *ut vulgata.*

CAP. XXXII.

(*a*) ET confortetur.] *Hæc abſunt ab hebræo.* (*b*) Nunquid potuerunt.] *Complut.* ὃς ἠδυνήθη, qui potuerit. (*c*) Secundum hæc.] *Eadem,* μηδὲ ἐπισειέτω ὑμᾶς ἐπὶ τούτῳ, neque incitet vos in hoc. (*d*) Quia non poterit.] *Eſt hebraiſmus, ac ſignificat tamen,* ſi nullus Deus potuit, neque veſter poterit. *Compl.* ὅτι οὐ μὴ ἐδυνήθη, quia non potuit. *Sed ſequentia non videntur carere mendo,* ϗ πῶς ὅτι ὁ θεὸς ὑμῶν οὐ μὴ ῥύσεται, *&c.* (*i*) Ad auxiliandum ipſis] τοῦ βοηθῆσαι αὐτοῖς. *Ita in vetuſtis codicibus, qui collati ſunt. Sed in Complut.* τοῦ φοβῆσαι αὐτοὺς, ad terrendos eos. (*f*) Armamentaria.] *In Complut. ſequitur,* ἐποίησεν, ϗ πᾶσι τοῖς σκεύεσι τῆς ἐπιθυμίας ἀποθήκας, fecit, & omnibus vaſis deſiderii apothecas. *In hebræo omnia pendent ab illo,* fecit theſauros. (*g*) Quas.] *Iſtud,* ἃς, *abeſt a Complut.* (*h*) Et ſic legatis.] *Ita fere hebræus. In Complut. eodem ſenſu,* ϗ οὕτως ἐν ταῖς πρεσβείαις, & ſic in legationibus.

CAP. XXXIII.

(*a*) AD Auſtrum.] *Complut.* τοῦ γιών, *ut vulgata,* Gion. (*b*) Egredientibus portam in circuitu, & in Opel, & exaltavit valde.] *Alii quidam,* ϗ περιεκύκλωσε τὸ ἄδυτον ἐκπορευομένων τὴν πύλην τὴν κυκλόθεν, ϗ ἔθετο εἰς αὐτὴν ὅπλα, ϗ ὕψωσεν αὐτὴν σφόδρα, & circundedit adytum egredientium portam in circuitu, & poſuit in ea arma, & exaltavit eam valde: *quæ ut nonnihil perturbata fortaſſe ſint, habent tamen aliquid quod reſpondeat hebræo: in quo illud ſignificatur, Manaſſem muro circundediſſe Ophel, id eſt locum altum, & arcem, eamque valde in altum extuliſſe.* (*c*) Et extra.] *Complut.* ϗ ἐξέβαλεν ἔξω, & projecit extra, *ut vulgata.* (*d*) Deprecationis ejus, & exaudivit eum.] *Alii,* καὶ ὡς ἐπήκουσεν, & quomodo exaudivit. *Sed Complut. integrius,* βασιλέων ἰσραὴλ, καὶ ἡ προσευχὴ αὐτοῦ, καὶ ὡς ἐπήκουσεν αὐτοῦ, regum Iſrael, & deprecatio ejus, & quomodo exaudivit eum.

CAP. XXXIV.

(*a*) ARis.] *Hæc viſum eſt poſſe ſignificare,* τῶν περιβωμίων, *quod in Compl. eſt,* τῶν βωμῶν. *Quamvis vulgata hoc loco videatur habere,* ſimulachris. *Sed in Complut. ſequitur,* καὶ τῶν γλυπτῶν. καὶ τῶν χωνευτῶν, & ſculptilibus, & fuſilibus: *& redundat aliquid.* (*b*) Mundabo terram] *Sic hebræus: ac videtur tamen idem ſignificari, atque in vulg.* mundata jam terra, & templo Domini. *Sed in aliis eſt,* ὅτε ἐκέλευσε τοῦ καθαρίσαι, quando juſſerat mundari. *Compl. autem longius a ſententia,* ἐκέλευσε τοῦ καθαρίσαι τὸν οἶκον καὶ τὴν γῆν, καὶ ἀπέστειλεν, juſſit mundari domum, & terram: & miſit. (*c*) In fide ſuper opera.] *Compl.* ἐποίουν ἐν πίστει οἱ ἐπὶ τῶν ἔργων, faciebant in fide, qui ſuper opera. (*d*) Ad viſitandum.] *Eadem,* ἐπισπουδάζειν, ad urgendum. (*e*) Opificio, & opificio.] *Reſpondet hebræo, ac ſignificat,* in ſingulo quoque opere. *Complut.* εἰς ἐργασίαν, ad opificium. (*f*) Omne quod datum eſt argentum.] *Alii,* λέγων, πᾶν ἀργύριον ἀπεδόθη ἐν χειρὶ τῶν παίδων σου τῶν ποιούντων τὸ ἔργον, omne argentum datum eſt in manu puerorum tuorum facientium opus: *hebræus habet,* omne quod datum eſt in manu puerorum tuorum, ipſi faciunt. (*g*) Cuſtodientem mandata.] *Compl.* τοῦ ἱματιοφύλακος, cuſtodis veſtium, *ut etiam noſtra, 4. Reg. 22. In aliquot autem libris hic utrumque conjungitur,* τοῦ ἱματιοφύλακος φυλάσσουσαν τὰς ἐντολάς. (*h*) Inventa.] *Compl.* τοῦ εὑρεθέντος, inventi.

CAP. XXXV.

(*a*) PHaſec.] *Compl. addit,* in Hieruſalem, *ut vulg.* (*b*) Domino] *In aliquot libris additur,* ϗ δοῦναι (*aut,* ϗ τοῦ δοῦναι) τὴν κιβωτὸν τὴν ἁγίαν ἐν οἴκῳ κυρίου, & darent arcam ſanctam in domo Domini. (*c*) Et præparate.] *Alii,* καὶ τὰ ἅγια ἑτοιμάσατε, & ſancta parate. *Vulgata ex hebræo,* præparate fratres veſtros. (*d*) Et omnes inventos.] *Complutenſis,* παντὶ τῷ εὑρισκομένῳ, omni qui inveniebatur. (*e*) Principes ſacerdotibus domus Dei, & dederunt.] *Eadem,* οἱ ἄρχοντες οἴκου τοῦ θεοῦ ἔδωκαν τοῖς ἱερεῦσιν, principes domus Dei dederunt ſacerdotibus. (*f*) Et poſtquam paraverunt.] *Eadem,* καὶ μετὰ τοῦτο ἡτοίμασαν, & poſt hæc paraverunt:

quod reſpondet vulgatæ. (*g*) Prophetæ.] οἱ προφῆται. *Complut.* τῶν προφητῶν, prophetarum. *Vulgata ex hebræo habet*, prophetæ, *in caſu generandi.* (*h*) Et paratum eſt.] *Abeſt a Compl.. & videntur duæ interpretationes*, κατωρθώθη, *&* ἡτοιμάσθη. (*i*) Et omnis regis.] *Alii*, ϗ πάντες βασιλεῖς, & omnes reges. (*k*) Poſt hæc omnia.] *Pro his uſque ad illud*, Et aſcendit Pharao. *Compl. habet tantum hæc*, καὶ μετὰ ταῦτα πάντα, ἃ ἡτοίμασεν ἰωσίας τὸν οἶκον ἀνέβη φαραώ. Et poſt hæc omnia, quæ præparavit Joſias domum (*id eſt, ad inſtaurandam domum*) aſcendit Pharao, &c. *Quæ autem adduntur in noſtra, & in aliis hoc loco, habita jam ſunt* 4. *Reg. cap.* 23. *quæ loca conferre operæpretium fuerit: nam ex collatione deprehendetur, ſiquid errati in alterutro fuerit.* (*l*) Euphratem.] *In Compl. additur*, τοῦ πολεμῆσαι αὐτὸν ἐν χαρχαμεῖς, *quæ in vulgata antecedunt*, ad pugnandum in Charchamis juxta Euphratem. (*m*) Ad bellandum bellum.] *In aliquot codicibus eſt*, πόλεμον ποιῆσαι, ἀλλ' ἐπὶ τὸν τόπον τοῦ πολέμου, *& Compl addit*, μου. ad faciendum bellum, ſed ſuper locum belli mei. (*n*) Attende.] *Eadem addit*, σὺ, tu, *hebræus potius*, tibi. (*o*) Et ſpes ejus ſcripta.] *Eadem*, ϗ ἡ ἐλπὶς αὐτοῦ, ϗ τὰ ἐλέη αὐτοῦ, καθὼς γέγραπται, & ſpes ejus, & miſericordia ejus, ſicut ſcriptum eſt. *Hebræus non habet*, & ſpes ejus.

CAP. XXXVI.

(*a*) ET fecit malum.] *Pro his uſque ad illud*, & impoſuit tributum, *in Compl. habentur tantum hæc*, Et tranſtulit eum rex Ægypti, ut non regnaret ille in Hieruſalem. (*b*) Et mortuus.] *Et hæc uſque ad illud*, Erat (*aut, ut ipſa*, filius) viginti et quinque, *abſunt ab eadem, ſicut etiam paulo poſt illa*, & nomen matris, *uſque ad illud*, Et aſcendit: *ſicut etiam a vulgata. Habentur autem in* 23. *&* 24. *cap. libri* 4. *Reg. licet non iiſdem omnino verbis: quare conferenda ſunt loca* (*c*) Et dormivit Joacim cum patribus ſuis, & ſepultus eſt in Ganozae cum patribus ſuis.] *Alij*, Ganozani. *Verum a Compl. & vulgata abſunt omnia iſta.* (*d*) Sedeciæ.] *Eadem*, τῶν νεανίσκων, juvenibus. (*e*) Sabbatizare.] *Alii*, ἐσαββάτισεν, ſabbatizavit.

ESDRAS. LIB. I.

CAP. I.

(*a*) ET Syelus.] *Alius liber*, ϗ ἡ σύνοδος, & ſynodus. *Alius*, ϗ ἰωὴλ, & Joel. *lib.* 2. *Paral. c.* 35. *eſt*, ἰεήλ, Jeiel. *Hic in vulgata deſunt multa. Illud autem præfari volumus, hunc librum abeſſe a multis Bibliorum exemplaribus: & in quibus inventus eſt, non ſunt magnæ varietates. Ex vulgata multa & magni ponderis obſervari poſſent, ſed accuratus lector eas per ſe facile poterit animadvertere: neque vero operam perdiderit, ſi hæc cum quarto Regnorum & ſecundo Paral. ubi eadem tractantur, contulerit. In vertendo quidem, quantum maxime licuit, vulgatam retinuimus.* (*b*) Eddimus.] *Nonnulli*, ἐδδιδοῦς. Eddidus. *Vulgata*, Ieddimus. 2. *Paral.* 35. *videtur eſſe*, Idithun. (*c*) Jeconiam.] *Sic. B Matthæus, cap.* 1. Joſias autem genuit Jechoniam, & fratres ejus. *Alii libri habent*, ἰωάχαζ, *ſicut etiam* 2. *Paralip.*35. *Sed primo Paralip.* 3. *eſt* ἰωχανὰν, Jochanan. (*d*) Octo] *Alii*, δεκαοκτὼ, *& vulgata*, decem & octo. (*e*) Tradiderunt] *Alii*, παρέδωκεν, tradidit. *Vulgata*, traditi ſunt.

CAP. III.

(*a*) FOrte eſt vinum.] *S. Auguſt.* 18. *de civit. cap.* 36. Inter juvenes quoſdam orta quæſtione, quid amplius valeret in rebus, &c. *Etiam S. Athanaſius in Synopſi, & Sanctus Cyprianus epiſtola ad Pompeium hujus hiſtoriæ mentionem faciunt, itemque S. Ambr. epiſt.* 7.

CAP. IV.

(*a*) SEculum ſeculi] *Alius liber*, εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, *& vulgata*, in ſecula ſeculorum: *itemque S. Cyprianus ad Pomp. contra epiſt. Steph. quo loco tota hæc clauſula eſt, ut in vulgata.* (*b*) Malignis.] *In aliquo libro additur*, ἀπέχεται, abſtinet. *Vulgata*, ſed quæ juſta ſunt, facit omnibus, injuſtis, ac malignis. (*c*) Et remittere.] *Illud*, &, *abeſt a nonnullis, itemque a vulgata.* (*d*) Idumæi.] *Sic etiam vulgata. Nonnulli autem codices*, ἐνεπύρισε ναβουχοδονόσορ, incendit Nabuchodonoſor. (*e*) Idumæi.] *Sic eadem quoque vulgata. In pleriſque codicibus eſt*, οἱ χαλδαῖοι, Chaldæi. (*f*) Septem & decem.] *Abeſt a vulgata. In aliquot codicibus conjungitur cum præcedentibus; ac deinde ſequitur*, προσφέρειν δὲ καὶ ἄλλα δέκα τάλαντα κατ' ἐνιαυτὸν, offerre autem & alia decem talenta quolibet anno (*g*) Qui accedunt.] *Aliqui*, προβαίνουσιν, *& vulgata*, qui procedunt: *itemque paulo poſt, ubi vulgata*, qui præcedunt. *Sed multa hujuſmodi notari poſſent.*

CAP. V.

(*a*) ET reverſi ſunt.] *In nonnullis libris eſt*, ϗ ἐπέστρεψεν εἰς ἱερουσαλὴμ, καὶ τὴν λοιπὴν ἰουδαίαν, ἕκαστον εἰς τὴν πόλιν αὐτοῦ, καὶ οὗτοι οἱ ἐλθόντες, & redire fecit in Hieruſalem, & cæteram Judæam, unumquenque in civitatem ſuam. Et hi ſunt, qui venerunt. *Vulgata ab utraque diſcrepat.* (*b*) Ipſorum] *In multis libris eſt*, αὐτοῦ, ſuo. *In aliquo autem ſequitur*, ὅτι ἐν χαρᾷ ἦν αὐτοῖς, quoniam in gaudio erat eis. *Vulgata habet tantum*, in loco ſuo omnes gentes terræ, & offerebant. (*c*) Et inſidias, & populos adducentes] *Sic vulgata. Et quamvis in noſtra ſit*, βουλὰς, *viſum tamen eſt idem ſignificare atque*, ἐπιβουλὰς, *quod eſt in aliis, in quibus etiam pleriſque ſequitur*, καὶ δημαγωγίας, καὶ ἐπισυστάσεις ποιούμενοι, & populorum coitiones, & conjurationes facientes. *Varietates autem, quæ potiſſimum in nominibus propriis, & in numeris, infinitum eſſet indicare.*

CAP. VI.

(*a*) SAbanaſſaro.] *Alii*, ζοροβάβελ, καὶ σαναβασσάρῳ τῷ ἐπάρχῳ. *Vulgata*, Zorobabel, & Salmanaſſaro ſubregulo. (*b*) Ei. Et extulit.] *Aliqui*, αὐτῷ ἀπενέγκαντι ταῦτα τὰ σκεύη, ἀποθεῖναι, ei, ut cum extuliſſet hæc vaſa, reponeret, &c. *Vulgata*, eis, ut offerrent hæc vaſa, & reponerent. (*c*) Locus unus.] *Sic etiam vulgata. Alii*, τόμος εἷς, tomus unus. (*d*) Domum.] *In aliquo libro eſt*, δόμου, *quod in vulgata videtur eſſe*, mæniano, *quamvis multis modis diſcrepet poſtea a noſtra, & ab aliis.*

CAP. VII.

(*a*) COnſummata eſt.] *In aliquo codice additur*, καὶ, & conſummata eſt: *ut hic ſit initium periodi: quemadmodum etiam in vulgata.* (*b*) De principibus tribuum.] φυλάρχων. *Nonnulli habent* φυλῶν, de tribubus: *Vulgata*, ſecundum numerum tribuum Iſraël. (*c*) Quoniam purificati ſunt.] *In codicibus apparet multis modis repetitio, & coagmentatio quædam. Particula autem negans, quam habet vulgata*, non ſunt ſimul ſanctificati, *in nullo codice eſt inventa.*

CAP. VIII.

(*a*) ET poſterior his eſt.] *Alia varietas in codicibus non eſt inventa, niſi quod in quibuſdam, pro*, καὶ μεταγενέστερος, *eſt*, μεταγενέστερος δέ. *Vulgata autem*: Et poſt hunc regnante Artaxerſe. (*b*) Simul.] *In aliquo codice additur*, μετ' αὐτοῦ, *& vulgata*, cum ipſo (*c*) Cum obveniſſet autem.] *Ab aliquo abeſt illud*, autem: *ut hæc videantur conjungi poſſe cum præcedentibus. Sed auctor vulgatæ videtur plura habuiſſe in ſuo codice. Inquit enim*, Antecedentes autem, qui ſcribebant ſcripta Artaxerſis regis, tradiderunt ſcriptum, quod obvenerat. (*d*) Et qui ſunt.] *In aliquo*, ὄντων δὲ αὐτῶν, qui quidem ſint. (*e*) Pragmaticis.] *quaſi negociatoribus. In nonnullis eſt*, γραμματικοῖς. *Vulgata*, Scribis. *Sed Pſal.* 70 *gemina lectio eſt*, πραγματείας, & γραμματείας. (*f*) Ex Phylarchis ſacerdotum.] *In aliquo eſt*, τῶν φυλάρχων, καὶ τῶν ἱερέων. *Vulgata*, ex plebis præpoſitis & ſacerdotibus. *Sed paulo poſt in omnibus codicibus eſt*, φυλάρχοις τῶν ἱερέων. *Et in extremo capite*, φυλάρχους τῶν ἱερέων. *Et quamvis vulgata in loco prius indicato habeat rurſus*, ex plebis præpoſitis, & ſacerdotibus, *tamen in hoc ultimo ipſa etiam habet*, principes ſacerdotum. *Quare vocabulum illud*, φυλάρχου, *communius quiddam eſt, quam præpoſiti plebis, aut tribuum.* (*g*) Promoventes] *Vulgata videtur accepiſſe participium pro verbo*, promovimus: *quod ſæpe ſolet. Sed ab aliquo libro abeſt illud*, uſquequo, *quod paulo poſt ſequitur.* (*h*) Marmothi Uriæ.] *In impreſſis eſt*, μαρμωθιουεὶ, *& poteſt fortaſſe ſuppleri*, filio Uriæ, *aut*, filio Uri. *Vulgata quidem*, Marimoth filio Jori. *In aliquo tamen manuſcripto eſt tantum*, Marmothi ſacerdoti. (*i*) Hircos pro ſalutari.] *Ita collati codices: quamvis vulgata*, hircos pro peccato duodecim, & pro ſalute vaccas duodecim. (*k*) A Domino Domino.] *In aliis*, παρὰ σοῦ κύριε, *& vulgata*, abs te Domine Deus: *quam dictionem*, Deus, *ſæpe videtur adjungere.*

CAP. IX.

(*a*) CLauſi ſunt.] *Alii libri*, συνεκάθισαν, *& vulgata*, conſederunt. (*b*) Legem.] *Ita collati codices Vulgata addit*, Et dixit Eſdras. (*c*) Quoniam quidem] ὅτι γάρ. *Aliqui*, ἔτι γάρ. Adhuc enim. *Vulgata alio modo, & plenius videtur hunc locum legiſſe*, his, qui non habebant, ut epularentur. Magnifice enim ſunt exaltati verbis, quibus edocti ſunt. Et congregati ſunt univerſi in Hieruſalem celebrare lætitiam ſecundum teſtamentum Domini Dei Iſrael.

ESDRAS. LIB. II.

CAP. I.

(*a*) APparatu.] ἀποσκευῇ. *Compl.* ὑπάρξει, ſubſtantia, *ut vulgata.* (*b*) Circuitu.] *Compl. addit*, αὐτῶν, eorum. *Quod autem ſequitur*, confortaverunt in manibus, *eſt hebraiſmus, & ſignificat*, confortaverunt manus. (*c*) Cephures.] *Libri veteres partim hoc modo habent, partim*, χεφουρὲ, *partim*, χαφουρῆ, *partim*, κεφουρέ. *Compl.* χεφορί. *Eſt autem vocabulum hebraicum ſignificans cochlearia, aut ſcyphos, ut alibi dictum.* (*d*) Aſcendentia.] *Pro*, aſcenderunt. *Compl.* ἀνήγαγε σασαβασὰρ μετὰ τῆς ἀναβάσεως τῆς ἀποικίας, reduxit Saſabaſar cum aſcenſione tranſmigrationis, *id eſt, quando aſcenderunt iy qui captivi fuerant, & tranſmigraverant.*

CAP. II.

(*a*) ELamar.] *Hoc potuit eſſe factum ex duabus dictionibus, quæ ſignificant*, ἠλὰμ ἑτέρου, *quod habet Complut. & vulgata*, Helam alterius. (*b*) Mille ſeptem] *Abſunt a multis. Compl.* χίλιοι, ϗ δεκαεπτὰ, *& vulgata*, mille, decem & ſeptem. *Sed ſæpe admonuimus de magna in numeris varietate* (*c*) Abdeſelma.] *Compl.* δούλων σολομῶντος, ſervorum Salomonis, *quod eſt interpretatio*

terpretatio illius. (*d*) Labia.] *Aliqui*, ὀβδία, Obdia. *Alii*, ὀβαΐα, Obaia. *Vulgata*, Jobia. (*e*) Metoeſim.] *Eſt dictio hebraica, ſignificans*, eorum qui in genealogia connumerati ſunt. *Compl.* ἔτι ὧν (*atque ita etiam nonnulli alii*) ἐζήτησαν τὴν γραφὴν αὐτῶν οἱ γενεαλογοῦντες, hi, quorum quæſierunt ſcripturam ipſorum illi qui genealogias faciunt. *Sed prior conſtructio magis ad hebræum.* (*f*) Abdicati ſunt.] ἠγχιστεύθησαν. *Compl.* ἐξώσθησαν, ejecti ſunt. *ut vulgata.* (*g*) Surgeret.] ἀναστῇ. *Aliqui*, ἂν στῇ, ſteterit. *Quod autem ſequitur*, illuminantibus, *eſt dandi caſus, pro*, de illuminantibus, *ut ſæpe in hoc capite, & alibi.* (*h*) Et hi cantores.] *Compl.* καὶ αὐλοῖς ᾄδοντες, & his cantores: *eodem hebraiſmo, de quo proxime dictum eſt. Quare vulgata*, & in ipſis. (*i*) Aurum purum minæ.] *Alius codex, & Compl.* χρυσίου δραχμῶν, auri drachmarum] *Aliqui*, χρυσίου δραχμὰς, auri drachmas. (*k*) Cothoni.] *Hac eadem dictio hebraica ponitur, Neemiæ 7. propius hebræo ſermoni* χοθωνώθ. *Hic alij libri habent*, χιτῶνας, veſtes, *quod eſt interpretatio illius.*

CAP. III.

(*a*) ET aſcendit.] *Compl.* καὶ ἀνεβίβασαν ἐπ' αὐτῷ ὁλοκαυτώσεις, & aſcendere fecerunt ſuper illud holocauſtoſes. (*b*) Permiſſionem.] *Reſpondet hebræo. Compl* διὰ γνώμης, per ſententiam. (*c*) Supra.] *In pleriſq; additur*, τοῦ νικοποιεῖν, *aut*, τοῦ ἐπινικᾷν, *quod vulgata*, ut urgerent. (*d*) Juda. *In Compl. additur*, ὁμοθυμαδὸν, *& vulgata*, quaſi vir unus. (*e*) Significabat.] *Eadem*, ἠλάλασαν, vociferabantur, *itemque paulo poſt pro*, ἐν σημασίᾳ, *habet*, ἐν ἀλαλασμῷ. *Sed tamen & ipſa in extremo habet*, τὴν φωνὴν σημασίας, *Et vocabulum*, σημασίας, *ſolere ſignificare vociferationem, & inſignem quendam clamorem, ac ſonum, alibi notatum eſt.* (*f*) Canticum.] *Eadem*, φωνὴν, vocem.

CAP. IV.

(*a*) NOſtrum] *Compl.* ὑμῶν, veſtrum, *ut vulg.* (*b*) Conſultantes ad diſſipandum.] βουλευόμενοι τοῦ διασκεδάσαι. *Eadem*, συμβούλοις. Conſiliatores, *ut vulgata.* (*c*) Scripſit in pace.] *Vulgata*, ſcripſit Beſellam: *quod poteſt optime ſignificare*, in pace. *In uno codice eſt*, ἔγραψαν, ſcripſerunt. *In quo etiam* (*ſicut fere in Compl. ſequitur*, ἐν εἰρήνῃ μιθραδάτης, ὁ ταβεὴλ (*Complut.* καὶ ταβεὴλ) σὺν τοῖς λοιποῖς συνδούλοις αὐτοῦ, πρὸς ἀρθασθὰ βασιλέα περσῶν ἔγραψεν, in pace Mithradates, qui Tabeel (*al.* & Tabeel, *quemadmodum vulgata*) cum cæteris conſervis ſuis ad Arthaſthà regem Perſarum, ſcripſit, &c. (*d*) Baltam.] *Varie ſcribitur hac dictio. Compl.* βεελτεέμ. *Vulgata*, Beeltheem. *Et poteſt ſignificare præfectum rationum, hominem a commentariis.* (*e*) Somoron.] *Compl. inflexit ad normam græcam*, τῆς σαμαρείας, Samariæ. (*f*) Tributa non erunt tibi, neque dabunt.] *Eadem*, φόρων πρᾶξιν, καὶ συντέλεσμα οὐ δώσουσι, tributorum exactionem, & vectigal non dabunt. (*g*) Nocet.] *In Compl. additur*, καὶ νῦν οὖν, καθὼς ἅλας τοῦ ναοῦ ἠλισάμεθα. Et nunc igitur, ſicut ſalibus palatii ſaliti ſumus, *quod reſpondet vulgatæ*: Nos ergo memores ſalis, quod in palatio comedimus. (*h*) Admonitionis.] *Eadem*, ὑπομνηματισμάτων, monumentorum. (*i*) Et tributa plena, & pars.] *Eadem*, καὶ φόροι, πράξεις τε, καὶ συντελέσματα, & tributa, exactioneſque, & vectigalia. (*k*) Ut ex edicto cauti ſitis remiſſe agere de hoc.] *In eadem*, δι' ἐμοῦ ἐξετέθη τὸ δόγμα, καὶ προσέχετε τοῦ μὴ ποιῆσαι παράλογον περὶ τούτου. Per me poſitum eſt edictum. Et attendite, ne faciatis abſurdum de hoc.

CAP. V.

(*a*) DAta eſt.] ἀπεστάλη *Compl* δίδωσι, dat. *Ac deinde initium periodi facit*, διασάφησις ἐπιστολῆς, explicatio, *vel*, exemplar epiſtolæ: *quod etiam nihilo incommodius in noſtra fieri poteſt.* (*b*) Verbis.] *Unus vetuſtus codex habet*, ῥῆσιν, verbum, ſermonem: *quod reſpondet hebræo. Compl.* ῥήματα, verba. (*c*) Eo.] *Eadem*, ἐν αὐτῇ, *ut referatur ad illud*, διασάφησις ἐπιστολῆς.

VI.

(*a*) IN civitate in palatio.] *In aliquibus eſt*, ἐν ἀμαθὰ πόλει ἐν τῇ βάρει τῶν μήδων πόλεως, in Amathà civitate in palatio Medorum civitatis. *A nonnullis abſunt illa*, ἐν ἀμαθὰ πόλει. *In uno autem eſt*, ἐν ἐκβατάνοις τῇ πόλει ἐν τῇ βάρει τῆς μήδων χώρας, in Ecbatanis civitate in caſtro provinciæ Medorum. *Et fortaſſe illa*, τῇ πόλει, *&* ἐν τῇ βάρει, *ſunt duæ interpretationes. Vulgata habet*, Ecbatanis. *Sed illud*, Amathà, *videtur veſtigium dictionis hebraicæ, quæ ſignificat*, ſcrinio ſcripturarum. (*b*) Sacra Dei.] ἱεροῦ θεοῦ. *Alii*, τοῦ θεοῦ, ipſius Dei. *Et fortaſſe*, οἴκου, *&* ἱεροῦ, *rurſus ſunt duæ interpretationes.* (*e*) Et poſuit elevationem.] *Compl.* καὶ τὰ θεμέλια τεθήτω παχέα, & fundamenta ponantur craſſa. (*d*) Nunc dabitis ſubreguli.] *Eadem*, νῦν οὖν θαθαναΐε στρατηγὲ τοῦ πέραν τοῦ ποταμοῦ, *quod Vulgata*, Nunc ergo Tanthannai Dux regionis, quæ eſt trans flumen, &c. (*e*) Longe exiſtentes.] *Poteſt poſitum eſſe participium pro verbo*, ſitis. *Nam vulgata*, procul recedite ab illis. (*f*) Nequando quid faciatis] *Eadem*, τοῦ ποιῆσαι διὰ τῶν πρεσβυτέρων, faciendi per ſeniores, &c. (*g*) Percutietur.] πληγήσεται. *Alii*, παγήσεται, configetur. (*h*) Fiet id, quod ad me.] τὸ κατ' ἐμὲ ποιηθήσεται. *Videtur valere*, publicetur, *ut vulgata Compl.* ἔσται εἰς διαρπαγὴν, erit in direptionem. (*i*) Erit.] *Eadem*, γινέσθω, fiat.

CAP. VII.

(*a*) HÆc explicatio.] *Complut.* τοῦτο τὸ ἀντίγραφον, hoc eſt exemplum. (*b*) Perficiatur.] *Alii*, τετέλεσται, perfectus eſt. (*c*) A facie regis.] *Complut. & ex parte etiam alii*, καθ' ὅτι ἀπὸ προσώπου τοῦ βασιλέως, καὶ τῶν ἑπτὰ συμβούλων αὐτοῦ ἀπεστάλης, ſecundum quod a facie regis, & ſeptem conſiliariorū ejus miſſus es. (*d*) Et ad domum.] *Nonnulli*, καὶ ἀπενέγκειν εἰς οἶκον, & ut feras in domum. *In Compl. tranſpoſitum eſt*, ἀπενέγκειν καὶ εἰς τὸν οἶκον. (*e*) Tributum non erit tibi, non habebis poteſtatem ſervitute opprimendi eos.] *Diſcrepant nonnihil codices. Complut.* τὸν φόρον, καὶ πρᾶξιν, καὶ ἀποφορὰν οὐκ ἔχειν ὑμᾶς ἐξουσίαν ἐπιβαλεῖν ἐπ' αὐτοὺς, Tributum & exactionem, & vectigal non habere vos poteſtatem imponere ſuper eos. (*f*) Sive ad caſtigationem, ſive ad damnum vitæ, ſive ad traditionem.] *In aliquibus, pro*, εἰς παράδοσιν, *eſt*, εἰς δεσμὰ, in vincula. *Compl. autem totum hunc locum ſic affert*, ἐάν τε ἢ ἐκριζῶσαι αὐτὸν, ἢ παιδεῦσαι, ἢ ζημιῶσαι τὰ ὑπάρχοντα, ἢ εἰς φυλακὴν ἐγκλεῖσαι, ſive ſit eradicare eum, aut caſtigare, aut mulctare ſubſtantiam, aut in cuſtodiam includere. (*g*) Elevatorum.] *Eadem*, τῶν δυνατῶν, potentum.

CAP. VIII.

(*a*) DUces aſcendentes.] *Compl.* καὶ ἡ γενεαλογία τῶν ἀναβάντων, *quod vulgata*, & genealogia eorum qui aſcenderunt. (*b*) Globus.] *Eadem*, ἐγενεαλογίσθησαν οἱ ἄρσενες, numerati ſunt maſculi. (*c*) Et emiſi eos ad principes in argento loci.] *Compl.* καὶ ἐνετειλάμην αὐτοῖς πρὸς ἀδδὶ τὸν ἄρχοντα ἐν κασφιὲ τοῦ τόπου, καὶ ἔθηκα ἐν στόματι αὐτῶν λόγους λαλῆσαι πρὸς ἀδδαεὶ, καὶ πρὸς τοὺς ἀδελφοὺς αὐτῶν τοὺς ναθιναίους τοὺς ἐν ἀργυρίῳ τοῦ τόπου κασφιέ. Et mandavi eis ad Adai principem de Caſphie loco, & poſui in ore eorum verba ad loquendum ad Adai, & ad fratres eorum Nathinæos, qui in argento loci Caſphie. *Quæ ſatis reſpondent hebræo, & vulgatæ. Sed, quod in poſtrema parte ponitur, &*, argento, *&*, Caſphie, *ſatis indicatur illud eſſe interpretationem hujus dictionis hebraicæ paululum immutatæ. In lib.* 1. *cap.* 8. *eſt*, πρὸς λοδδαῖον τὸν ἡγούμενον τὸν ἐν τῷ τόπῳ τοῦ γαζοφυλακίου, *& rurſus*, καὶ τοῖς ἀδελφοῖς αὐτοῦ, καὶ τοῖς ἐν τῷ τόπῳ γαζοφύλαξιν, in loco gazophylacii, & iis qui in loco cuſtodes gazæ. (*d*) Sachon.] *Eſt veſtigium dictionis, quæ ſignificare poteſt*, συνετὸς, intelligens: *quod eſt in Compl.* (*e*) Et principio venerunt filii ejus.] *Eadem*, καὶ σαρουία, καὶ οἱ υἱοὶ αὐτοῦ, & Servia, & filii ejus. (*f*) Exaltavit] *Id eſt*, conſecravit, obtulit, *atque eodem ſenſu Compl.* ἀφώρισεν, ſegregavit. (*g*) Et caphure aurei viginti ad viam mille.] *Alii*, χαφουρὶ χρυσοῖ εἴκοσιν εἰς τὴν ὁδὸν δραχμῶν χιλίων, caphuri aurei viginti ad viam drachmarum mille: *nec multo aliter Compl. niſi quod non habet*, εἰς τὴν ὁδὸν. *De iſta dictione hebraica dictum eſt primo libro. Vulgata hoc loco*, & crateras aureas viginti, quæ habebant ſolidos millenos. (*h*) Tabernaculis.] *Compl.* εἰς παστοφόρεια, in Paſtophoriis.

CAP. IX.

(*a*) ELongationibus.] *Compl.* βδελύγμασιν, abominationibus, *ut vulgata: eadem varietas eſt non longe a fine capitis.* (*b*) De ſtirpe Chanani.] *Hoc viſum eſt valere*, τῷ χανανὶ, *& alibi de iſto dandi caſu notatum eſt, pro quo Complut.* τοῦ χανανίου, *eodem ſenſu.* (*c*) Tranſmiſſum.] *Eadem*, συνεμίγη, commiſſum eſt. (*d*) Principum.] *Eadem addit*, καὶ τῶν στρατηγῶν, *quod in vulgata*, & magiſtratuum. (*e*) Pavebam.] ἐπαλλόμην. *Fieri autem fortaſſe poteſt, ut ſit nomen, & ſignificet genus veſtis & hic & paulo poſt. Compl. quidem utrobique habet*, τὸν ὑποδύτην, tunicam. *Primo quidem libro in utroque loco eſt*, τὴν ἱερὰν ἐσθῆτα, ſacram veſtem. *Quare verti fortaſſe poſſet*, mutatoriam. (*f*) Sequens.] *Compl.* ὁ ἔντρομος, qui tremit. (*g*) Nunc.] *Compl. addit*, ὡς βραχὺ, *quod vulgata*, ad parum & momentum. (*h*) Quoniam non eſt, ſicut Deus noſter, quoniam allevaſti.] *Compl.* ὅτι σὺ ὁ θεὸς ἡμῶν ἐκούφισας, quoniam tu Deus noſter allevaſti.

CAP. X.

(*a*) ORans.] *Complut.* προσπίπτων, procidens. (*b*) Quoniam ploraverunt populus, & elevavit plorans.] *Eadem*, ὅτι κλαυθμῷ μεγάλῳ ἔκλαυσεν ὁ λαὸς, quia fletu magno flevit populus. (*c*) Expectatio.] *Eadem*, ἐλπὶς, ſpes. (*d*) Genita.] τὰ γενόμενα. *Alii*, τὰ γεννώμενα, *quod eſt expreſſius.* (*e*) Prout voluerit.] *Eadem*, ἐν βουλῇ κυρίου, in conſilio Domini. (*f*) Surge, & fac eos timere.] *Eadem adnectens præcedentibus*, καὶ τῶν τρεμόντων, & eorum qui tremunt. (*g*) Sacerdotes] *Eadem*, τῶν ἱερέων, ſacerdotum, *ut vulgata.* (*h*) Præ turbatione ſua.] *Eadem*, ἐν τρόμῳ, in tremore. (*i*) Magnum hoc verbum tuum ſuper nos ad faciendum.] *Non deeſt aliqua imitatio hebraiſmi*, & magnum, *valet*, magnæ auctoritatis. *Complut. planius*, κατὰ τοὺς λόγους σου, οὓς ἔφης, οὕτως ποιήσομεν, ſecundum verba tua, quæ dixiſti, ſic faciemus. *Nec multo aliter in extremo primi libri.* (*k*) Noſtri.] *Complut. addit*, τῇ πάσῃ ἐκκλησίᾳ, *quod vulgata*, in univerſa multitudine. (*l*) Habitare fecit.] *Id eſt*, duxit: *reſpondet enim hebræo. Alij nonnulli*, οἱ ἐκάθισαν, qui duxerunt. (*m*) Mecum de hoc.] *Iſtud*, de hoc, *abeſt a Compl. ſed non ab hebræo, in quo pro*, mecum, *eſt*, ſteterunt, *ut vulgata.* (*n*) Domui.] *Sic hebræus, & ſignificat*, per domum. *Alii*, τῶν οἴκων, domorum. (*o*) Delicti.] *Unus codex*, ἐξήνεγκαν, attulerunt. *hebræus*, delinquentes: *ac ſubintelligitur*, dederunt, obtulerunt. (*p*) Et fecerunt filii Banui.] *Pro his in vulgata eſt*, & Jaſi, & Bani.

NEEMIAS.

CAP. I.

(*a*) ABira.] *Vulgata interpretatur*, caſtro: *alii*, Metropoli. (*b*) De ſuperſtitibus.] *Compl.* περὶ τῶν ἰουδαίων τῶν διασωθέντων, de Judæis ſalvatis. (*c*) Ne, quæſo, Domine.] μὴ δὴ κύριε. *Iſtud*, μὴ, *hoc loco non tam videtur negationem ſignificare, quam affectum quendam orantis, ſicut etiam paulo inferius in hoc eodem capite. Quare Complut. hic habet* ὦ δὴ, Hem, quæſo. (*d*) Ipſum.] *Eodem modo hebræus: ſed ſignificat*, teipſum, *ut alibi etiam notatum eſt. Sic paulo inferius*, congregabo ipſos. *Quare vulgata*, te, tua, vos. (*e*) Ne quæſo, Domine: ſed ſit.] *Illud*, Domine, *abeſt a nonnullis: Compl. autem habet*, δὴ κύριε ἔστω, Obſecro Domine ſit, *ut vulgata. Sed paulo ſuperius diximus de iſto*, μή.

CAP. II.

(a) ME.] *Compl.* αὐτοῦ *& vulgata*, ante eum. (b) Es infirmus.] *Hac notione interdum apud alios etiam auctores accipitur verbum*, πονηρεύεσθαι. *Complut.* ἀῤῥωστῶν, *quod eſt uſitatius.* (c) Portas.] *In eadem additur*, τῆς βάρεως τοῦ οἴκου, palatii domus. (d) Factum eſt.] *Nec plura hebraus. In Compl. additur*, ϗ ἐλυπήθησαν, & triſtati ſunt: *quæ videtur altera interpretatio præcedentis ſententiæ.* (e) In porta Goſila, & ad os fontis ficuum.] *Eadem*, διὰ τῆς πύλης γαὶ, νυκτὸς πρὸς στόμα πηγῆς τοῦ δράκοντος, per portam vallis nocte ad os fontis Draconis. *Vulgata tamen habet*, & ante fontem. (f) Converſans.] συντρίβων. *Compl.* κατανοῶν τοῖς τείχεσιν ἱερουσαλὴμ τοῖς κατεσπασμένοις, ϗ τὰς πύλας αὐτῆς τὰς ἀνηλωμένας πυρὶ, conſiderans muros Hieruſalem dirutos, & portas ejus abſumptas igni. (g) Ain.] *Eadem*, τῆς πηγῆς, fontis, *quod eſt interpretatio illius.* (h) In muro torrentis.] *Eadem*, διὰ τοῦ χειμάῤῥου, per torrentem, *ut vulgata.* (i) Præterea.] πρὸς, *& reſpondet hebræo. Ab aliis abeſt.*

CAP. III.

(a) CEntum.] τῶν ἑκατόν. *Vulgata ſupplet*, cubitorum. (b) Et ad manus virorum filiorum.] *Dictio*, υἱῶν. *abeſt a multis. Compl. autem*, ϗ ἐπὶ χεῖρας αὐτοῦ ᾠκοδόμησαν ἄνδρες ἱεριχὼ, ϗ ἐπὶ χεῖρας αὐτοῦ ᾠκοδόμησεν ζακχοὺρ υἱὸς ἀμαρί. *quod vulgata*, & juxta eum ædificaverunt viri Hierico, & juxta eos (*hebræus tamen habet*, eum, *ut Compl.*) ædificavit Zacchur filius Amri. (c) Tenuit ſuper Ramoth filium.] *Eſt aliqua varietas in codicibus. Complut.* κατέσχεν μαριμὼθ υἱὸς οὐρία, *quod in vulgata*, ædificavit Marimuth filius Uriæ. *Et ſæpe in hoc ipſo nomine occurrit varietas: & hujus ipſius viri fit iterum mentio paulo inferius, & vocatur Meramoth etiam in Compl.* (d) Adorim.] *Complut.* ἰσχυροὶ αὐτῶν, fortes eorum. *Vulgata*, optimates, *quod eſt interpretatio illius dictionis hebraicæ.* (e) Ipſorum.] *Eadem*, τοῦ κυρίου αὐτῶν, Domini ſui, *ut vulgata.* (f) Iſanai.] *Interpretantur*, veterem. (g) Roceim.] τῶν ῥωκείμ. *Vulgata*, pigmentarii, *alii*, pigmentariorum. *Complut.* τῶν μυρεψῶν, unguentariorum. (h) Reliquerunt. *Eadem eſt propria notio verbi hebraici: quare vulg.* dimiſerunt. *Putant tamen quidam hoc loco ſignificare*, inſtaurarunt. *Compl.* ἔθηκαν, ſtatuerunt. (i) Et ſecundus.] *Eadem*, ϗ μέτρον δεύτερον, & menſuram ſecundam: *pro quo in vulg. eſt*, mediam partem vici. (k) Thanurim.] *Vulgata interpretatur*, furnorum. (l) Codiorum cæſariei regis.] τῶν κωδίων τῇ κουρᾷ τοῦ βασιλέως. *Solet ſignificare capita papaverum, bulborum, ſtragula e lana, vellera vervecum. Compl.* τοῦ σιλωὰ εἰς τὸν κῆπον τοῦ βασιλέως, *quod vulgata*, Siloe in hortum regis. *Et pro*, Siloe, *multi interpretantur*, pomarii. (m) Beth Angarim.] *Alii*, ἀγαβαρὶμ *quod propius ad hebræum. Significant autem iſtæ duæ dictiones*, domum fortium, *ut vulgata, & Compl.* οἴκου τῶν δυνατῶν. (n) Beth.] *Rurſus Compl.* οἴκου, domus, *quod eſt interpretatio illius: itemque in ſequentibus.* (o) Finem.] *Hoc viſum eſt ſignificare*, ἐκλείψεως. *Complut.* συντελείας, conſummationem. *Vulgata*, donec extenderetur. (p) Et turris eminens.] *Compl.* ϗ τοῦ πύργου τοῦ ἐξέχοντος, & turris eminentis. *Sed caſum poni pro caſu non eſt inuſitatum: quare etiam Compl. habet*, ἀνώτερος, ſuperior, *quod non videtur ſatis apte conſtrui cum*, τοῦ πύργου, *& paulo poſt etiam ipſa habet*, & turris eminens, *ubi vulgata*, & turrim quæ prominebat. (q) Bethan Nathinim.] *In aliquo eſt*, Betha, *& ſignificat*, domum Nathinæorum, *quod habet Compl.* οἴκου τῶν ναθιναίων. (r) Et ſcruta vendentes.] *Vulgata*, & ſcruta vendentium, *ut conjungatur cum ſuperioribus. Complut*, ϗ τῶν μεταβόλων & negotiatorum. (ſ) Inter medium portæ.] *Eadem* ἀναμέσον τῆς ἀναβάσεως τῆς πύλης. & inter aſcenſum portæ. (t) Scruta vendentes.] *Eadem*, οἱ μετάβολοι, negotiatores, *quomodo etiam hic vulgata: licet idem ſit vocabulum hebræum, quod paulo ante dixit*, ſcruta vendentium.

CAP. IV.

(a) HÆc eſt virtus Samariæ.] *In aliquo additur*, ϗ εἶπεν, & dixit. *Complut.* ϗ τῆς δυνάμεως σαμαρείας, ϗ εἶπεν, & exercitus Samariæ, & dixit. *In qua etiam ſequitur*, τί οἱ ἀδύναμοι οὗτοι ποιοῦσιν οἱ ἰουδαῖοι, μὴ καταλείψομεν αὐτούς; Quid imbecilles iſti faciunt Judæi? nunquid dimittemus eos? *Vulgata hanc poſteriorem partem*, num dimittent eos gentes? (b) Nunquid ſacrificant, aut comedent ſuper locum ſuum?] *Eadem*, καί γε αὐτοὶ οἰκοδομοῦσιν, etiam iſti ædificant. (c) Iniquitatem.] *Eadem addit*, αὐτῶν, ϗ ἡ ἁμαρτία αὐτῶν ἐκ προσώπου σου μὴ ἐξαλειφθείη, ὅτι παρώργισαν ἐναντίον τῶν οἰκοδομούντων. ϗ ᾠκοδομήσαμεν τὸ τεῖχος ϗ συνήφθη πᾶν τὸ τεῖχος, ἕως τοῦ ἡμίσους αὐτοῦ, ϗ ἐγένετο ἡ καρδία τοῦ λαοῦ ὥστε οἰκοδομῆσαι, *quod vulg.* eorũ, & peccatũ eorũ corã facie tua non deleatur, quia irriſerunt ædificantes. Itaque ædificavimus murum, & conjunximus totum uſque ad partem dimidiam: & provocatum eſt cor populi ad operandum. (d) Ad præliandum.] *Alii addunt*, ϗ, &: *Complut.* ϗ πατάξασθαι: & percutere. (e) Exterminantem.] ἀφανῆ. *Hæc pars abeſt a nonnullis: Complut. autem habet: ſed pro*, ἀφανῆ, *habet*, πλάνησιν, errorem. (f) Inimicorum.] *Ita etiam compl. licet vulgata ex hebræo*, portantis. (g) Locis ſuper nos.] *Nonnulli pro*, τῶν τόπων, *habent*, τῶν ἐθνῶν, gentium. *Sed compl.* τῶν τόπων, ὅτι ἐπιστρέψατε ἐφ' ἡμᾶς, locis quoniam convertiſtis ſuper nos. (h) Lanceas ſuas, & arcus ſuos.] *Multi habent*, λόγχαι, lanceæ. *Sed compl.* ϗ τῶν δοράτων αὐτῶν. ϗ τῶν τόξων αὐτῶν, & lanceis ſuis, & arcubus ſuis. (i) Excuſſorum.] ἐκτετιναγμένων, *ut pſ.* 126. *& cap. ſequenti: & ſignificat*, juvenum, *ut vulgata. Complut. autem*, ἐκτεταγμένων, ordinatorum. (k) In armis.] *Alii*, ἔνοπλοι, armati. (l) Et nos facientes.] *Sic hebræus. Complutenſis*, ἐποιοῦμεν, faciebamus. *Alii*, ϗ ἥμισυ ποιοῦντες, *aut*, ϗ ἥμισυ αὐτῶν ποιοῦντες, & dimidium ipſorum facientes. (m) Ego.] *Complut. addit*, ϗ τὰ παιδάρια, *vulgata*, & pueri mei. (n) Sua.] *In eadem ſequitur*, ἀνὴρ, ϗ ὅπλον αὐτοῦ εἰς τὸ ὕδωρ, vir, & arma ejus ad aquam, *quod vulgata*, unuſquiſque nudabatur tantum ad baptiſmum.

CAP. V.

(a) ET clamor.] ϗ ἡ κραυγή. *Nonnulli*, ϗ ἦν κραυγὴ, & fuit clamor. *Complut.* ϗ ἐγένετο. (b) Exigit vir fratrem ſuum, quæ vos exigitis.] *In aliquo eſt*, ἀπαιτήσει ἀνὴρ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ ὑμεῖς ἀπαιτεῖτε; exactione vir fratrem ſuum vos exigitis? *quod reſpondet hebræo. Eodem fere modo Complut. Sed addit*, ἃ ὑμεῖς ποιεῖτε, quæ vos facitis, *quæ etiam ſunt in aliis quibuſdam, ſed abſunt ab hebræo.* (c) Tradentur.] *Complut.* πραθήσονται, vendentur: *hebræus habet interrogationem*, vos venditis? *&*, ſunt venditi nobis? (d) A die.] *Complut.* καί γε ἀπὸ τῆς ἡμέρας, etiam a die, *ut hebræus.* (e) Arthaſaſtha.] *Eadem addit*, τῷ βασιλεῖ, regi, *de quo dandi caſu alibi notatum eſt.* (f) Extorſionem.] βίαν. *Sed Complut.* ἄρτον τῆς ἡγεμονίας μου οὐκ ἐφάγομεν, οἱ δὲ ἄρχοντες οἱ ἔμπροσθέν μου, *quod vulgata*, annonas, quæ ducibus debebantur, non comedimus. Duces autem primi, qui fuerunt ante me. (g) Didrachma.] *Eadem*, σίκλους, *& vulgata*, ſiclos. (h) Et excuſſi.] *Eadem*, καί γε τὰ παιδάρια αὐτῶν ἐκυρίευσαν, etiam pueri eorum dominati ſunt. (i) Hæc non tenui.] *A Compl. abeſt negatio, & ſignificat* ædificavi, *ut vulgata.* (k) Acquiſivi.] *Eadem addit*, ϗ τὰ παιδάριά μου, & pueri mei. (l) Decem.] *Ita etiam hebræus, & vulgata. Compl. autem & alii*, δώδεκα, duodecim. (m) Extorſionis.] *Rurſus Compl.* τῆς ἡγεμονίας μου, ducatus mei, *ut vulgata.*

CAP. VI.

(a) IN eis ſpiratio.] *Compl.* ἐν αὐτῷ διακοπὴ, *quod vulgata*, & non eſſet in ipſo reſidua interruptio. (b) Hoc.] *In multis additur* τέταρτον, *aut* τέσσαρσι καθόδοις, *& vulgata*, per quatuor vices. (c) Puerum.] *Alii* τὸν πέμπτον παῖδα, quintum puerum. (d) Eſt.] *Alii addunt*, ϗ γησὰμ εἶπεν, *quod vulgata*, & Goſem dixit. (e) Ut ſedeas in Hieruſalem in regem ſuper Juda.] *Compl.* κηρύσσειν περὶ σοῦ ἐν ἱερουσαλὴμ, λέγοντας, ὅτι ἐβασίλευσας ἐν τῇ ἰουδαίᾳ, *quod vulgata*, qui prædicent de te in Hieruſalem, dicentes: rex in Judæa eſt. (f) Quoniam veniunt nocte.] *Eadem*, ὅτι ἔρχονται φονεῦσαί σε, ἔρχονται νυκτὸς, quoniam veniunt ad occidendum te, veniunt nocte, &c. *quæ repetitio eſt etiam in vulgata.* (g) Quis eſt vir, qui ingredietur in domum.] *Alii*, τίς ἐστιν ἀνὴρ οἷος ἐγὼ, ὃς φεύξεται, ἢ τίς οἷος ἐγὼ, εἰσελεύσεται (*aut*, ὃς εἰσελεύσεται) εἰς τὸν οἶκον; *quod vulgata*, Num quiſquam ſimilis mei fugiet? & quis, ut ego, ingredietur templum? (h) Vivet.] *In Compl. additur*, οὐκ εἰσελεύσομαι, non ingrediar, *ut vulgata.* (i) Turbam.] *Eadem*, αὐτὸν, eum. (k) Deus Tobia.] *Eadem*, ὁ θεός μου τωβία, *quod vulgata*, mei Deus pro Tobia. *Alii tamen vertunt*, Deus meus Tobiæ, *ut ſit caſus pro caſu.* (l) Valde.] *Alii*, μέγας σφόδρα, magnus valde: *hebræus ſic habet*, & conciderunt valde in oculis ſuis. (m) Et ſermones ejus.] *Si*, ſermones, *ideſt*, λόγους, *accipiamus, ac ſi diceretur*, laudes; *reſpondet hebræo, & vulgatæ. Compl.* καί γε τὰ συμφέροντα αὐτῷ ἔλεγεν ἐνώπιόν μου. Etiam, quæ erant ei utilia, dicebat coram me.

CAP. VII.

(a) BIrà.] βιρά. *Alii*, βειρά, *aut*, βηρά. *Significat autem*, palatij, *aut*, domus, *ut vulgata.* (b) Conventus.] συνοδίας. *Alii*, συνωδίας. *Complut.* συνοδίαν. *Significat autem cenſum, id eſt, recognitionem genealogiæ. Quare vulgata*, ut recenſerẽ eos. Et inveni librum cenſus. In A.L. ſequitur, υἱοὶ ἀκοὺδ υἱοὶ οὐτὰ, υἱοὶ κιτὰρ, υἱοὶ ἀγὰβ, υἱοὶ σελμεί. &c. (c) Acceperunt.] *Compl.* ὃς ἔλαβεν, &, ἐκλήθη, qui accepit, *&*, vocatus eſt: *& ſic ſupra Eſdræ 2. cap. 2.* (d) Abdicati ſunt.] *Ita eodem loco Eſdræ. Sed Compl. rurſus*, ἀπώσθησαν, ejecti ſunt. (e) Atherſaſthà.] *Alii addunt*, αὐτοῖς, eis, *ut eodem loco Eſdræ.* (f) Illuminans.] *Compl.* τοῖς φωτισμοῖς, ϗ τοῖς τελειώσεσι, illuſtrationibus, & perfectionibus: *quod ſatis reſpondet hebræo. Conferatur cum eodem loco Eſdræ.* (g) Quaſi.] ὡς. *Compl.* ὁμοθυμαδὸν ὡς, unanimiter quaſi, *nec multo aliter apud Eſdram*, ὁμοῦ ὡσεί. *Vulgata ex hebræo*, quaſi vir unus. (h) Trecenti.] *Ita hebræus, & apud Eſdram etiam vulgata; quamvis ea hic habet*, ſexcenti. (i) Quinque.] *In Complutenſi, & ex parte in aliis ſequitur*, ἵπποι ἑπτακόσιοι τριακονταέξ, ἡμίονοι διακόσιοι τεσσαρακονταπέντε, κάμηλοι τετρακόσιοι τριακονταπέντε, ὄνοι ἑξακισχίλιοι ἑπτακόσιοι εἴκοσι, equi ſeptingenti triginta ſex, muli ducenti quadraginta quinque, cameli quadringenti triginta quinque, aſini ſex mille ſeptingenti viginti: *ut eodem loco Eſdræ.* (k) Neemie.] *In aliis*, ἀρταρσαθά. *Et videtur idem, qui paulo ante dictus eſt*, Atherſaſtha. *& in vulgata*, Atherſatha: *& in capite ſequenti dicitur eſſe idem, ac Neemias.* (l) Aureos mille.] *Complut.* χρυσοῦ δραχμὰς χιλίας, auri drachmas mille, *ut vulgata.* (m) Chothonoth.] *De hoc notatum eſt in Eſdra. Compl.* στολὰς, ſtolas. (n) Auri.] *Eadem*, χρυσοῦ δραχμὰς, auri drachmas.

CAP. VIII.

(a) IN eo.] *Compl. addit*, ἀπέναντι τῆς πλατείας τῆς ἔμπροσθεν τῆς πύλης τῶν ὑδάτων. *Vulgata*, in platæa, quæ erat ante portam aquarum. (b) Ligneum.] *In eadem additur*, ὃ ἐποίησεν εἰς τὸ δημηγορῆσαι, quem fecerat ad concionandum. (c) Amen.] *In eadem repetitur, ut in vulgata.* (d) Sarabias.] *In Compl. & magna ex parte in aliis hæc adduntur*, Tamin, & Acub, & Sabathæus, & Oduias, & Maaſias, & Callitas, & Aſarias, & Joſabed, & Anan, & Phalaias, & Levitæ. (e) Erant inſtruentes.] *In multis eſt*, ὑπεδίδασκον, ſubdocebant. (f) Neemias.] *In Compl. additur* (ὅς ἐστιν ἀτερσαθά) *& vulgata ex hebræo* (ipſe eſt Atherſatha.) (g) Et qui.] *Illud*, &, *abeſt a Compl. & vulgata.* (h) Quoniam eſt Dominus.] *Alii*, ὅτι ἡ χαρὰ κυρίου αὕτη ἐστὶν ἰσχὺς ἡμῶν, quoniam lætitia Domini hæc eſt fortitudo noſtra. *Vulgata habet*, veſtra. (i) Civitatis. & uſque ad portam Ephræm] *Compl.* τῆς πύλης τῶν ὑδάτων, ϗ ἐν ταῖς πλατείαις τῆς πύλης ἐφραίμ, portæ aquarum, & in plateis portæ Ephraim: *quomodo fere vulgata.* (k) Magna. *Eadem addit*, σφόδρα, *& vulgata*, nimis.

CAP. IX.

(a) SUi.] *In Compl. additur*, τὸ τέταρτον τῆς ἡμέρας (*quod vulgata*, quater in die) *& ſimiliter in eo quod ſequitur*, & erant confitentes Domino quater in die. (b) Omnem ſtationem.] *Eadem*, πάντας (*in quo videtur mendum*) τὰς δυνάμεις, omnes virtutes. *Vulgata*, omnem exercitum. (c) Feciſti.] *Sic etiam vulgata. Complutenſis autem*, ἐποίησαν, fecerunt. (d) Cibum.] σιτοδοτίαν, *& alii*, σιτοδοσίαν. *Nonnulli tamen habent* σιτοδείαν, *& vulgata*, in fame. (e) Deus.] *In aliis additur* ἀφίων ἁμαρτίας, dimittens peccata, *quod vulgata*, propitius. (f) Feciſti eis deeſſe.] ὑστέρησας. *Sic Pſal.* 83 *in bonis codicibus*, οὐχ ὑστερήσει τὰ ἀγαθὰ, non faciet deeſſe bona. *Alii vero libri hic habent*, ὑστέρησεν, non defuit eis quicquam. (g) Pedes.]

Sic etiam vulgata. Alii, ὑποδήματα, calceamenta. *Similis varietas alibi eſt obſervata.* (*h*) Eorum.] *In Compl. additur,* τοῦ εἰσελθεῖν, ϗ κληρονομῆσαι, ϗ εἰσῆλθον υἱοὶ αὐτῶν, *quod vulgata,* ut ingrederentur, & poſſiderent eam. Et venerunt filii. (*i*) Excelſas.] *In eiſdem additur,* ϗ γῆν πίονα, & humum pinguem. (*k*) Multis, & conteſtatus es.] *Complutenſis,* πολλοῖς, ϗ ἐν καιροῖς ἐπεμαρτύρω, & multis, & in temporibus conteſtatus es: *ſed vulgata,* multis temporibus, & conteſtatus es. (*l*) Et non audierunt.] *In Compl. antecedit,* αὐτοὶ δὲ ὑπερηφανεύσαντο, ipſi vero ſuperbe egerunt, *ut vulgata.* (*m*) Protraxiſti.] *Sic etiam vulgata. Compl. autem,* ἐμακροθύμησας, longanimis fuiſti. (*n*) Mandata tua.] τῶν ἐντολῶν, *& ſic eſt etiam in nonnullis aliis libris, in pleriſque tamen,* τὰς ἐντολάς.

CAP. X.

(*a*) FIlii Banue.] *Alii* Banune. *Ex quadam autem vocum hebraicarum ſimilitudine videri poteſt poſitum pro eo quod eſt in vulgata,* Bani Baninu: *itemque paulo poſt,* filii Bani *pro,* Bani Bonni. (*b*) Omnis accedens.] *Compl.* πάντες διαχωρισθέντες, *& vulgata,* omnes qui ſe ſeparaverunt. (*c*) Invaleſcebant.] ἐνίσχυον, *propria notio verbi hebraici eſt,* apprehendebant, *quamvis ſignificare poſſet,* reſpondebat pro fratribus ſuis, *ſicut habet vulgata.* (*d*) Et dimittemus.] *Sic etiam vulgata: Compl. autem & alij,* ϗ ἀναβήσομεν τὸ ἔτος τὸ ἕβδομον, ϗ ἀπαίτησις, & aſcendere faciemus annum ſeptimum, & exactio. (*e*) De ſorte] *Compl.* περὶ τῶν δώρων, *quod vulgata,* ſuper oblationem.

CAP. XI.

(*a*) FIlius.] *Rectus pro caſu generandi, id eſt,* filii, *ut alibi ſæpe, & in hoc potiſſimum capite.* (*b*) Et de filiis Phares, & Maaſia.] *Complut.* & de filiis Phares Maſia. *Vulgata,* De filiis Phares Hiſmaſia: *hebræus videtur conjungere illa,* de filiis Phares, *cum præcedentibus, & poſtea ſubnectere,* & Maaſia. (*c*) De civitate ſecundus de ſacerdotibus: & Iadia.] *Complut.* ἐπὶ τῆς πόλεως δεύτερος. ἀπὸ τῶν ἱερέων, ϗ ἰαδεία, ſuper civitatem ſecundus. De ſacerdotibus, & Iadia. *Vulgata autem,* ſuper civitatem ſecundus. Et de ſacerdotibus Idaia. (*d*) Æthoth e regione.] *Alij,* Ætob. *Complut.* ἀχιτὼβ ἡγούμενος, Achitob princeps, *quod reſpondet hebræo.* (*e*) Badiel.] *Nonnulli,* ζεχριήλ, Zechriel. *Vulgata,* Zabdiel. (*f*) Samaia filius.] *In Complut. ſequitur,* ἀσοὺβ υἱοῦ ἐσρικὰμ υἱοῦ ἀσαβία υἱοῦ βοννᾶ, ϗ σαββαθαῖος, ϗ ἰωσαβὰδ ἐπὶ τὰ ἔργα τοῦ οἴκου τοῦ θεοῦ τοῦ ἐξωτάτου, ϗ ἀπὸ τῶν ἀρχόντων τῶν λευιτῶν, ϗ ματθανίας υἱὸς μιχὰ υἱὸς ζεχρὶ υἱοῦ ἀσὰβ ἄρχων τοῦ αἴνου, ϗ ἰούδα τῆς προσευχῆς, ϗ βοκχείας δεύτερος ἐκ τῶν ἀδελφῶν αὐτοῦ. ϗ ἀβδίας υἱὸς σαμαίου υἱοῦ γαλὲλ υἱοῦ ἰδιθοῦν, πάντες οἱ λευῖται ἐν τῇ πόλει τῇ ἁγίᾳ διακόσιοι. Aſub filii Ezricam, filii Aſabia, filii Bonna, & Sabbathæus, & Joſabad ſuper opera domus Dei extimæ, & de principibus (*illud* &, *abeſt a vulgata & hebræo: conjungitur enim cum præcedentibus*) Levitarum, & Matthanias filius Micha filius Zechri filii Aſab, princeps laudationis, & Judas orationis, & Bocchias ſecundus ex fratribus ſuis, & Abdias filius Samææ filii Galel filii Idithum, omnes Levitæ in civitate ſancta ducenti, &c. (*g*) Eorum] *In eadem additur,* οἱ φυλάσσοντες ἐν ταῖς πυλαῖς, cuſtodientes in portis. (*h*) Et viſitator Levitarum filius Bani.] *Eadem,* τὸ δὲ λοιπὸν τοῦ ἰσραὴλ, ϗ οἱ ἱερεῖς, ϗ οἱ λευῖται ἐν πάσαις ταῖς πόλεσι τῆς ἰουδαίας, ἀνὴρ ἐν τῇ κληρονομίᾳ αὐτοῦ, ϗ οἱ ναθιναῖοι, οἱ κατῴκησαν ἐν ὀφλᾶ, ϗ σιαὰ, ϗ γισφὰς ἀπὸ τῶν ναθιναίων, ϗ ἐπίσκοπος λευιτῶν ἐν ἱερουσαλὴμ ὀζεὶ υἱὸς βανί. *Quæ in vulgata.* Et reliqui ex Iſrael, ſacerdotes, & Levitæ in univerſis civitatibus Juda, unuſquiſque in poſſeſſione ſua. Et Nathinæi, qui habitabant in Ophel (*id eſt,* alto loco) & Syaha, & Gaſpha de Nathinæis (*Alii autem interpretantur,* ſuper Nathinæos.) Et epiſcopus Levitarum in Hieruſalem, Ozi filius Baani. (*i*) Ad eos.] *Alii,* ἐπ᾽ αὐτοὺς, ſuper eos. *Et in Complut. ſequitur,* ϗ διέμενεν ἐν πίστει ἐπὶ τοῖς ᾠδοῖς, λόγος ἑκάστης ἡμέρας ἐν τῇ ἡμέρᾳ αὐτοῦ, & permanebat in fide ſuper cantores, verbum cujuſque diei in die ejus. (*k*) Uſum.] χρῆμα. *Compl.* εἰς πάντα λόγον, ad omne verbum. (*l*) Cariatharboc.] *In Compl. ſequuntur uſque in finem capitis ea quæ habentur in Vulgata, atque iiſdem pene verbis. Quare accuratus lector inde poterit petere: nec ſunt magni ponderis.*

CAP. XII.

(*a*) SEchenia.] *In Compl. adduntur,* Reum, Marimoth, Adajas, Genathon, Abias, Miamin, Maadias, Belgas, Semejas, Jojarib, Ideias, Salu, Amuc, Chelcias, Odujas: *quæ ſatis reſpondent vulgatæ.* (*b*) Super manus ipſe, & fratres eorum in vices.] *Compl.* ἐπὶ τῶν ἐξομολογήσεων αὐτὸς, ϗ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ, ϗ βακβακίας, ϗ ἀναὶ, οἱ ἀδελφοὶ αὐτῶν ἀπέναντι αὐτῶν εἰς τὰς ἐφημερίας, ſuper confeſſiones (*vulgata,* hymnos) ipſe, & fratres ejus, & Bacbacias, & Anai, fratres eorum ante eos ad vices. (*c*) Fratres ejus.] *Pro his Compl. habet tantum,* ἦσαν, erant, *ut vulgata.* (*d*) Maadai, ipſi Pheleti.] μααδαῒ, τῷ φελετί. *Ita etiam Compl. Sed magis reſponderet hebræo ſi eſſet,* τῷ μααδαῒ, φελετί, *ut intelligatur Pheleti fuiſſe principem ſtirpi Miamin, & ſtirpi Maadai. Hoc enim valere hunc dandi caſum alibi notatum eſt.* (*e*) Ad hymnum, ad laudandum.] *Alii,* εἰς αἰνεῖν, ϗ ὑμνεῖν, *aut* ἐξομολογεῖσθαι, ad laudandum, & hymnum dicendum, *aut,* confitendum. (*f*) In congregando.] *Compl.* ματθανίας, ϗ βακβακίας, ἀβδίας, μοσολὰμ, τελμὼν, ἀκκοὺβ, φυλάσσοντες, πυλωροὶ φυλακῆς ἐν τῷ συναγαγεῖν με τοὺς πυλωροὺς, Matthanias, & Bacbacias, Abdias, Moſolam, Telmon, Accub, cuſtodientes, janitores cuſtodiæ, in congregando me janitores. *Pro his poſtremis verbis,* in congregando me janitores *in hebræo eſt,* in liminibus portarum, *in vulgata,* & veſtibulorum ante portas. (*g*) Sacerdos, & Scriba.] *Rurſus rectus pro generandi caſu. Alii,* ϗ ἔσδρα (*melius quam,* ἔσδρας, *quod in Complut.*) ἱερέως, ϗ γραμματέως, & Eſdræ ſacerdotis, & ſcribæ. (*h*) Thodatha] *Compl.* ϗ ἐν αἰνέσει, & in laude, *quod eſt interpretatio illius.* (*i*) Et citharæ.] *Eadem,* ϗ ἐν κινύραις, & in citharis, *in quo caſu vulgata habet etiam præcedentia,* & in cymbalis, pſalteriis, & citharis. (*k*) Et de villis, & de agris.] *Compl.* ϗ ἀπὸ ἐπαύλεων τοῦ νετωφατὶ, ϗ ἐν βαιθγαλγὰλ, ϗ ἀπὸ ἀγρῶν γαβέαι, ϗ ἀσμώθ, *quod in vulgata,* & de villis Netuphati, & de domo Galgal, & de regionibus Geba, & Aſmaveth. (*l*) Janitores.] *Eadem,* τὰς πύλας, portas. (*m*) Aſcendere fecerunt.] *Vulgata,* feci, *& paulo poſt,* ſtatui, *pro,* ſtatuerunt. (*n*) Stercoris.] *Eadem,* τῆς πύλης τῆς κοπρίας, portæ ſterquilinii. (*o*) Canticis.] *Eadem,* ἐν σκεύεσιν ᾠδῆς, in vaſis cantici. (*p*) Super portam ad laudandum ante eos: & aſcenderunt.] *Compl.* ἐπὶ πύλης τῆς πηγῆς κατέναντι αὐτῶν, ἀνέβησαν, ſuper portam fontis ante eos, aſcenderunt. *Vulgata,* in porta fontis, & contra eos aſcenderunt. (*q*) Ephræm.] *In aliis, cum aliqua tamen varietate,* κατ᾽ ἀνατολὰς. ϗ περὶ αἰνέσεως ἡ δευτέρα ἐξεπορεύετο συναντῶσα αὐτοῖς, ϗ ἐγὼ ὀπίσω αὐτῆς, ϗ τὸ ἥμισυ τοῦ λαοῦ ἐπάνω τοῦ τείχους ὑπεράνω τοῦ πύργου τῶν θανουρὶμ ϗ ἕως τοῦ τείχους τοῦ πλατέος, ϗ ὑπεράνω τῆς πύλης ἐφραίμ, ϗ ἐπὶ τὴν πύλην εἰσιανὰ, ϗ ἐπὶ τὴν πύλην τὴν ἰχθυηρὰν, ϗ πύργον ἀναμεὴλ, ϗ ἀπὸ τοῦ πύργου τοῦ μεὰ, ϗ ἕως τῆς πύλης τῆς προβατικῆς, ϗ ἔστησαν ἐπὶ πύλην τῆς φυλακῆς, ϗ ἔστησαν αἱ δύο τῆς αἰνέσεως ἐν οἴκῳ τοῦ θεοῦ, ϗ ἐγὼ, ϗ τὸ ἥμισυ τῶν στρατηγῶν μετ᾽ ἐμοῦ, ϗ οἱ ἱερεῖς ἐλιακὶμ, μαασίας, μιαμὶν, μιχαίας, ἐλιωνὶ, ζαχαρίας, ἀνανίας, ἐν σάλπιγξιν, ϗ μαασίας, ϗ σεμείας, ἐλεάζαρ, ὀζὶ, ἰωανὰν, μελχίας, ϗ ἐλὰμ, ϗ ἰεζοὺρ, ϗ ἠκούσθησαν οἱ ᾄδοντες. Ad Orientem. Et pro laudatione chorus ſecundus procedebat occurrens eis, & ego poſt illum, & dimidiũ populi ſuper murum, ſuper turrim furnorum, & uſque ad murum latum: Et ſuper portam Ephræm: & ſuper portam antiquam, & ſuper portam piſcium, et turrim Anameel, & a turri Mea & uſque ad portam gregis. Et ſteterunt ſuper portam cuſtodiæ, & ſteterunt duo chori laudationis in domo Dei. & ego, & dimidium magiſtratuum mecum. Et ſacerdotes Eliacim, Maaſias, Miamin, Michæas, Elionai, Zacharias, Ananias, in tubis, & Maaſias, & Semeias, Eleazar, Ozi, Joanan, Melchias, & Elam, & Jezur: & auditi ſunt cantores. *Pro eo autem, quod ſequitur,* & viſitati ſunt, *in Compl. eſt,* ἰεσρίας ἐπίσκοπος, *& vulgata,* & Jezraia præpoſitus. *In aliis eſt coagmentatio quædam,* ϗ ἰεσρίας, ϗ ἐπισκέφθησαν, ϗ ἐπαφήμησαν. (*r*) Magnifice.] *Compl.* εὐφροσύνη μεγάλη, lætitia magna, *ut vulgata.* (*ſ*) Et congregatis in ipſis principibus civitatum.] *Compl.* τοῦ συναγαγεῖν ἐν αὐτοῖς, ἀπὸ τῶν ἀγρῶν τῶν πόλεων, ad congregandum in eis ex agris civitatum. *In vulgata videtur utrumque eſſe conjunctum.* (*t*) Et hymnum.] *Compl.* εἰς ὕμνον, ad hymnum.

CAP. XIII.

(*a*) MAledicendum.] *Complut. addit,* αὐτοὺς, eis, *ut vulgata.* (*b*) Sibi.] ἑαυτῷ. *In aliquibus,* αὐτῷ, *& fortaſſe ſignificatur,* ipſi Tobiæ. (*c*) Manaa.] *Complut.* τὴν θυσίαν, ſacrificium: *quod eſt interpretatio illius, ut alibi notatum eſt. Eadem varietas eſt paulo poſt, licet in noſtra ſit,* μάννα, *quod in aliis eſt,* μαναά. (*d*) Super manum.] *Complut.* ϗ ἐνετειλάμην ἐπὶ χεῖρα, & mandavi ad manum: *hebræus habet,* & ſtatui theſaurarios ſuper theſauros Selemiah ſacerdotem. (*e*) Dei.] *In Compl. additur,* μου, ϗ ἐν ταῖς φυλακαῖς αὐτοῦ, mei, & in obſervationibus ejus. (*f*) Eorum. Et ſederunt.] *Alij,* αὐτῶν, ὅτε ἐπώλουν ἐπὶ σιτισμόν. ϗ οἱ τύριοι ϗ ἐκάθισαν, eorum, quia vendebant cibaria. Et Tyrii etiam ſedebant, &c. *Et fortaſſe ſuperiora ita eſſent interpungenda, & conſtruenda,* & conteſtatus ſum, ut in die venditionis ipſorum venderent cibos, *id eſt, die qua vendere licet, venderent: ut vulgata.* (*g*) Omnes.] *Complut. addit,* οἱ μετάβολοι. *Vulgata,* negotiatores, *ſed non habet,* omnes. (*h*) Judaice.] *In Compl. additur,* ἀλλὰ κατὰ γλῶσσαν λαοῦ, ϗ λαοῦ, ſed juxta linguam populi, & populi, *ut vulgata.* (*i*) Veſtris.] *In eadem adjungitur,* ϗ ἑαυτοῖς, & vobis ipſis. (*k*) Generi.] *Eadem,* γαμβρὸς, *& vulgata,* gener erat. (*l*) Abdicatione.] ἐπὶ ἀγχιστείᾳ. *Supra cap. 7. & alibi,* ἠγχιστεύθησαν, *dictum eſt, pro,* abdicati ſunt, ejecti ſunt. *Quare poteſt etiam hoc loco ſignificare ſimile quiddam, id eſt pollutionem, & violationem ſacerdotis, & juris ſacerdotalis, ac Levitici: & aliquot libri, pro,* Levitas, *habent,* λευιτῶν, Levitarum. (*m*) Donum portantium ligna.] *Complut.* εἰς τὸ δῶρον τῶν ξύλων, ad oblationem lignorum. (*n*) Bacchuriis.] *Eſt dictio hebraica inflexa ad formam græcam, ſignificans,* primitivis. *Quare Compl. habet,* ἐν τοῖς πρωτογεννήμασι.

TOBIT.

CAP. I.

(*a*) CYdios.] *Non ſatis liquet, quid ſignificet. Complut. habet* κυρίως, proprie. (*b*) Ipſi Baal, ipſi vitulæ.] τῇ βάαλ τῇ δαμάλει. *Complut.* τῇ βάαλ τῇ δυνάμει, virtuti Baal. (*c*) Decimam.] *Alii,* τὴν πρώτην δεκάτην, primam decimam. (*d*) Captivi.] *In aliis,* ᾐχμαλωτίσθην, captivus ductus ſum. (*e*) Enemeſſari.] *Ita collati codices, & etiam Complut. quamvis vulgata omnia hæc accommodare videatur diebus Sennacherim.* (*f*) Poſt murum.] *Alii,* ἐπὶ τοῦ τείχους, ſuper murum. (*g*) Dies quinquaginta.] *Plerique,* ἡμέραι πεντηκονταπέντε, dies quinquaginta quinque. *Vulgata,* poſt dies vero quadraginta quinque. (*h*) Sacherdonus.] *Alii,* σαρχεδόνος, Sarchedonus. *Compl.* ἀχερδόνος, Achirdonos. (*i*) Regni.] *In aliis,* τοῦ πατρὸς, patris. (*k*) Et ſuper annulum.] *Compl.* ϗ ἀπὸ τοῦ δακτυλίου, & ab annulo.

II.

(*a*) TImet.] *Alii addunt,* ὧδε, hic. (*b*) Redii cum ſepeliiſſem, &.] *Abſunt a Complut.* (*c*) Paſſeres.] *Ita etiam S. Ambroſius de Tobia, cap. 2. Vulgata id tribuit hirundinibus.*

CAP. III.

(a) MIsericordiæ.] *Alii*, ἐλεημοσύνη, misericordia. (b) Ex me ad faciendum pro peccatis meis] ἐξ ἐμοῦ, ποιῆσαι περὶ (*aut*, ὑπὲρ *ut alii*) τῶν ἁμαρτιῶν μου. *Et visum est illud*, ex me, *positum esse, quemadmodum, Psal.* 138. mirabilis facta est scientia tua ex me. *Compl. habet*, ἐξ ἐμοῦ ποίησον ὑπὲρ τῶν de me fac pro peccatis, &c. (c) Ancilla.] *Alii*, ὑπὸ παιδισκῶν, ab ancillis: *vulg.* ab una ex ancillis. (d) Dixerunt.] *Alii*, εἶπεν, dixit. (e) Et non ultra miserabilem me facere; & audire improperium.] *Hoc visum est hoc loco posse significare*, καὶ μηκέτι ἐλεῆσαί με, καὶ ἀκοῦσαί με, ὀνειδισμὸν, *ut sint verba accepta transitive, ut inquiunt. Sed in aliis est*, καὶ ἐλεῆσαί με, καὶ μὴ ἀκοῦσαί με μηκέτι ὀνειδισμὸν, & misereri mei, & non ultra audire me improperium. (f) Raphael.] *Alii*, θεοῦ, *& vulgata*, summi Dei.

CAP. IV.

(a) FAciente te veritatem] *S. Cyprianus, in lib. de opere, & eleemos.* quoniam agente te ex (*al.* in) veritate, erit respectus operum tuorum: *ac totus iste locus diligenter cum eo conferendus est* (b) Super omni.] *Compl.* ἐπίπαντος, omnino.

CAP. V.

(a) ET viæ peritus sum.] *Hæc absunt ab aliis.* (b) Ego Azarias Ananiæ] *Ita fere vulgata. Alii autem*, ἐγὼ τὸ γένος ἀζαρίου, καὶ ἀνανίου τοῦ μεγάλου, καὶ ἀδελφοῦ σου, Ego genus Azariæ, & Ananiæ magni, & fratris tui.

CAP. VI.

(a) HÆc oportet suffire.] *Alii*, ταῦτα δὴ κάπνισαι, hæc utique fac fumigare. *A Compl. abest illud*, δὴ (b) Fel autem, unge.] ἡ δὲ χολὴ, ἔγχρισαι. *Alii*, ἐγχρῖσαι, ad ungendum. *Compl.* τὴν χολὴν ἔγχρισαι, felle unge. (c) Et quoniam.] *Illud*, &, *abest ab aliis.* (d) Venit.] *Alii*, ἦλθον, venerunt: *itemque initio sequentibus capitis*, παρεγένοντο.

CAP. VII.

(a) EI.] *Alius liber manuscriptus, & impressi*, αὐτοῖς, καὶ ἐχαιρέτισεν αὐτοὺς, καὶ αὐτοὶ αὐτὴν, eis & salutavit eos, & ipsi ipsam, *quæ varietas pendet ex ea quæ notata est ad finem præcedentis capitis.* (b) Gratiam.] χάριν. *Alii*, χαρὰν, gaudium, *ut vulgata.*

CAP. XI.

(a) NOn cognoscis.] *Ab aliis abest illud*, non, *& nota interrogationis sequens.* (b) Coram eo, quia misertus est ipsorum Deus.] *Alii*, ἐνώπιον αὐτῶν, ὅτι ἠλέησεν αὐτὸν ὁ θεός, coram eis, quia misertus est ipsius Deus.

CAP. XII.

(a) EJus, quomodo.] *In aliis*, θεοῦ, καὶ ὡς, Dei, & quomodo.

CAP. XIII.

(a) VIdete.] *Compl.* θεάσεσθε, videbitis. (b) Peccatorum.] *Eadem*, ἁμαρτωλῷ, peccatrici. (c) Regi] *Alii*, τὸν βασιλέα, regem. (d) Hierosolymis. Hierosolyma.] *Plerique*, ἐν δικαιοσύνῃ. ἱερουσαλὴμ, in justitia. Hierusalem. (e) Flagellabit.] *Compl. addit*, σε, te. (f) Bene.] *Eadem*, ὅτι ἀγαθὸς, quoniam bonus. (g) Et munera.] *Illud*, &, *abest a multis.* (h) Dabunt tibi.] *Alii*, αἰνέσουσί σε, καὶ δώσουσιν, laudabunt te, & dabunt. (i) Laudem.] *In aliis est*, αἰνέσουσιν, laudabunt.

CAP. XIV.

(a) ET Achiacharum quidem salvavit.] *Alii*, καὶ ἀχιάχαρος μὲν ἐσώθη, & Achiacharus quidem salvatus est. (b) Fixerat.] *In aliis*, ἔπηξαν, fixerant. (c) Et justitia.] *Alius liber*, καὶ τί δικαιοσύνη. *Compl.* καὶ πῶς, & quomodo justitia.

JUDITH.

CAP. I.

(a) SUper Assyrios.] *Abest a multis.* (b) Et in circuitu] *Item istud*, &. (c) Campo Irioch rex] *Plerique*, πεδίον ἀριὼχ βασιλέως, campum Arioch regis. (d) Supra Tanim.] *Complut.* ἐπὶ νῶτα, super tergora Taneos, & Mempheos. (e) Universam.] *Abest a multis.* (f) Æqualis.] *Alii.* εἷς, unus. (g) Ante faciem.] *Alii*, ἀπὸ προσώπου, a facie sua. (h) Ulturum.] *In multis additur*, αὐτὸν, se. (i) Interempturum gladio suo, & omnes.] *Compl.* & interempturum gladio suo omnes. (k) Et evertit omnem virtutem Arphaxad, & omnem equitatum ejus.] *Desunt in Compl.* (l) Cum eis.] *In Compl. est*, μετ᾽ αὐτὸν, post eum. *In ipsa autem, & in aliis additur*, εἰς νινευὴ, *aut*, νινευὶ, in Nineve.

CAP. II.

(a) COnsummavit.] *Quasi deliberatum ac certum habuit consummare. Alii*, συνεκάλεσε, convocavit. (b) Myriadum.] *In aliis*, χιλιάδας, millia; *& sic paulo post etiam in nostra*, μυρίους δισχιλίους, *ubi vulgata*, duodecim millia.

CAP. IV.

(a) ACcessus.] *Alii*, διαβάσεως, transitus. (b) Duos super omnes viros.] ἐπ᾽ ἄνδρας τοὺς πάντας δύο. *Hæc visa est esse sententia, ob angustiam loci facile fuisse, ut vel duo tantum viri prohiberent omnes viros ab ingressu. Compl. autem habet*, τοὺς πάντα, *& interpretatur*, ad viros ad summum duos.

CAP. V.

(a) AUcti sunt.] διετράφησαν. *Compl.* διεστράφησαν, *& interpretatur*, reversi sunt. (b) Et videbimus.] *Alii sine* &, ἐπισκεψώμεθα. *& sic deinceps*, ἀναβησώμεθα, καὶ πολεμήσωμεν, consideremus, ascendamus, & bello adoriamur.

CAP. VI.

(a) COmburemus.] *Nonnulli*, κατακλύσομεν, demergemus. *Plerique*, καὶ καταπατήσομεν, & conculcabimus. (b) Ejus.] *Multi*, μου, meorum.

CAP. VII.

EXsorbebunt.] ἐκλείξουσιν. *Compl.* ἐκλείσουσιν, occupabunt. (b) Sternentur.] καταστρωθήσονται, *quod verbum est etiam paulo inferius in omnibus libris. Hic autem in aliis est*, καταστραφήσονται, subvertentur. (c) Non occurrerunt.] *Alii*, οὐχ ὑπήκουσαν, non obedierunt.

CAP. VIII.

(a) LEctum.] *Alii, addunt*, αὐτοῦ, suum. (b) Extorqueatis.] ἐνεχυράζετε. *quasi qui pignus extorquent. Alii nonnulli*, ἐνεχυριάζετε, *quod idem significare potest. Complutenses vertunt*, alienetis. (c) Ut judicetur.] *Legantur quæ, Num.* 23. *notata sunt.* Ibi scriptum est διαρτηθῆναι. (d) A genere nostro: quoniam.] *Videtur supplendum, neque avertet oculos a genere nostro, quandoquidem ex ruina nostra pendet ruina totius gentis, aut hujusmodi quiddam. In aliis tamen, pro*, οὔτι, *est*, ὅτι, *& sequitur*, ἐν τῷ ληφθῆναι ἡμᾶς, οὕτως κληθήσεται (*aut*, καυθήσεται) ἡ ἰουδαία, neque dum capti fuerimus nos, sic vocabitur (*aut*, comburetur) Judæa. (e) Ore.] *Nonnulli*, αἵματος, sanguine.

CAP. IX.

(a) ET pro iis, quæ fecerunt.] *Hoc videtur significare*, καὶ ἐποίησαν, ἀνθ᾽ ὧν. *Sed Lucifer, lib. de non parcendo in Deum delinq.* & fecisti, propter (*fortasse legendum*, propterea) dedisti, &c. (b) Quod noverat.] ἣ ἠδέσατο τὴν ἀπάτην, *& optimam habet sententiam. Alii*, ἣ ἠρδεύσατο (*In Complut. deest illud*, ἣ) τὴν ἀπατηθεῖσαν, quod rigavit deceptam. *Lucifer ibid.* thorum eorum, qui accepit dilectam. (c) Gæso] *De hac dictione alibi dictum est: pro qua apud Luciferum corrupte videtur legi*, tenso. (d) Cogitasti.] *Hæc usque ad illud*, omnes enim, *non referuntur a Lucifero.* (e) Robur.] κράτος, *quod Lucifer dixit*, tenacitatem. (f) Deceptionis] *Idem*, persuasionis. (g) Verbum.] *Idem*, versutiam, & suasionem in vulnere, & in livorem eorum. *Alii autem*, λόγον μου, καὶ ἀπάτην, καὶ τραῦμα, καὶ μώλωπα αὐτοῖς, verbum meum, & deceptionem, & vulnus, & livorem eis. (h) Et omnem tribum, cognitionem ad sciendnm, quia tu es Deus.] *Hæc desunt in Compl. Apud Luciferum hic locus sic habet*, cogitaverunt dura facta super omnem gentem, & tribum omnem. Sciant, quia tu es Deus universæ potestatis, & virtutis, &c.

CAP. X.

(a) COrpus.] *Ita etiam vulgata. Compl. autem*, στόμα, os. (b) Exiverunt.] *In nonnullis additur*, ὁμοῦ, simul. (c) Perficere.] τελειῶσαι. *Quidam*, τελειώσαι, perficiat. (d) In textis.] *Alii*, καθυφασμένον, intextum.

CAP. XI.

(a) REgi Nabuchodonosor.] *Nonnulli*, Nabuchodonosor regi: *sed eadem constructio est etiam paulo post in verbis Olophernis.* (b) Expeditionibus, στρατεύμασι. *Aliqui*, στρατεύματι, Expeditione. (c) Cadet.] *Nonnulli*, ἐπέπεσεν, incidit. (d) Qui transportarent.] μετοικίσαντας. *Alii*, μετακομίσαντας, qui referant: *quod planius est. Compl. non sine mendo, ut videtur, habet*, τοῖς μετακομίσουσιν (e) Egredieris.] *Alii nonnulli*, & egredieris.

CAP. XII.

(a) PRoferemus tibi ad dandum.] *Alii*, ἕξομεν σοι δοῦναι, poterimus tibi dare. (b) Ministerium.] χρῆσιν. *Alii*, κλῆσιν, invitationem. (c) Hoc exultatio.] *In aliis*, εἰς ἀγαλλίαμα, in exultationem.

CAP. XIII.

(a) TAbernaculum deforis, & exclusit.] *Alii*, τὴν σκηνὴν αὐτοῦ, ἔξωθεν, καὶ ἀπέλυσε, tabernaculum ejus deforis, & dimisit. (b) Facie.] *In aliis additur*, αὐτῆς, ejus.

CAP. XV.

(a) COronatæ sunt.] *Est hoc loco aliqua varietas in exemplaribus. Compl. autem*, καὶ ἐστεφάνωσαν τὴν ἐλαίαν αὐτῇ, καὶ τῇ μετ᾽ αὐτῆς, & imposuerunt coronam olivæ ei, & illi quæ cum ea.

CAP. XVI.

(a) DIsrupti sunt.] *Alii*, ἐταράχθησαν, turbati sunt.

ESTHER.

CAP. I.

(a) OPulentiæ.] *Abeſt a multis.* (b) In circuitu roſæ ſparſæ.] *Et hæc a Complut. quemadmodum & nonnulla alia, licet ſint in plerisque: præcipue autem illa quæ paulo poſt ſequuntur,* & gemmatus calix propoſitus e talentis triginta millibus

CAP. II.

(a) NOn ultra.] *Abſunt iſta a Compl. Et vulgata,* recordatus eſt. (b) Oleo myrrhino.] *Idem ordo in vulgata, licet præpoſterus in aliis.* (c) Ingreditur.] *Plerique,* εἰσπορεύονται, ingrediuntur. (d) Tradet.] *Alij,* παραδῶσιν, ut tradat. (e) Verſus diem.] *Et vulgata,* mane. *Compl. autem,* πρὸς ἑσπέραν, ad veſperam. (f) Seponere.] *Compl.* καταγράψαι, deſcribere.

CAP. III.

(a) SUper iis quæ ſcripta.] κατὰ τῶν γεγραμμένων. *Nonnulli,* κατὰ τὸ γεγραμμένον, ſecundum quod ſcriptum erat. *Aliquot etiam,* πάντα τὰ γεγραμμένα, omnia quæ ſcripta. (b) Tabellarios.] βιβλιαφόρων, *aut,* βιβλιοφόρων, *& vulgata,* curſores. *Alii autem,* βιβλιογράφων, ſcriptores literarum. (c) Regnum placidum.] *Plerique,* βασιλείαν ἤρεμον, regnum quietum. (d) Præcellit.] διενήνοχας, *longe melius, quam quod in aliis,* διαπρέψας. (e) Secundo patre noſtro.] *Compl.* καὶ δεύτερος πρὸς ἡμῶν, & ſecundo a nobis. *In vulgata videtur utrumque conjungi,* & ſecundus a rege, & quem patris loco colimus. (f) Perdere.] *Alii,* ἀπολέσθαι, perdi.

CAP. IV.

(a) AChrathæum.] *Compl.* ἀθὰχ, *& vulgata,* Athach. (b) Ut mandaret illi.] *Hæc paululum immutata videtur S. Hieron. habuiſſe poſt ea quæ ſunt in extremo hujus capitis.* (c) Ornatus.] *Abeſt a multis.* (d) Poſuerunt.] *Huic lectioni videtur etiam convenire cum vulgata. Alii* ἔθηκας, poſuiſti. (e) Menſtruorum.] S. *Aug. epiſt.* 199. *ad Ediciam videtur habuiſſe,* menſtruatæ, *ut vulgata.*

CAP. V.

(a) SErvitutis.] *Compl.* τοῦ πένθους, luctus. *Vulgata,* ornatus. (b) Et erit.] *Illud, &, abeſt a Compl. ſed non ab hebræo, neque a collatis codicibus.* (c) Poſtulatum.] *In aliis additur,* μου, meum. (d) Lætus.] *Complut.* & lætus.

CAP. VI.

(a) BUgathan unus eunuchorum.] *Compl.* χάρβωνα, *& vulgata,* Arbona. *Verum poſt iſta verba in Compl. & multis aliis ſequuntur nonnulla: quæ quoniam a vetuſtioribus, & hebræo & vulgata abſunt; nihil cauſæ eſſe diximus, cur referrentur.*

CAP. VII.

(a) PRimo.] *Vulgata,* tertii menſis, qui appellatur Siban. *Sed multæ ſunt hujuſmodi varietates.* (b) Provinciis.] σατραπείαις. *Alii,* σατράπαις, Satrapis. (c) Blanditia.] *Sic viſum eſt vertendum,* παραμυθία, *licet alii,* ſolatium. (d) Non ſolum.] *Compl.* & non ſolum.

CAP. VIII.

(a) AMadathi.] *Compl. habet.* καὶ τοὺς δέκα υἱοὺς ἀμὰν, *quod quidem,* καὶ, *redundat.* (b) Diripuerunt.] *Compl,* οὐ διήρπασαν, non diripuerunt: *quod reſpondet vulgatæ, & ita etiam paulo poſt in ſimilibus locis eſt in noſtro, & aliis codicibus græcis.* (c) Quindecim millia.] *Eadem,* μυριάδας ἑπτὰ πεντακισχιλίους, ſeptuaginta quinque millia, *ut vulgata.* (d) Proximo.] *In plerisque hæc adduntur,* οἱ δὲ κατοικοῦντες ἐν ταῖς μητροπόλεσι, καὶ τὴν πεντεκαιδεκάτην ἡμέραν τοῦ ἀδὰρ εὐφροσύνην ἀγαθὴν (*iſtud,* ἀγαθὴν, *abeſt a nonnullis: Compl. autem,* ἐν εὐφροσύνῃ) ἄγουσιν ἐξαποστέλλοντες μερίδας τοῖς πλησίον, qui vero habitant in metropolibus, etiam quintamdecimam diem Adar lætitiam bonam agunt mittentes partes proximis: *quæ non ſunt in hebræo, neque in vulgata.* (e) Phruræ.] *Compl.* φουρὶν, *& vulgata,* Phurim. (f) Et ſtatuit.] *Hebræus habet,* & ſtatuerunt, *& conjungit cum ſequentibus.* (g) Dies autem.] *Hæc uſque ad alterum,* dies autem. *abſunt a Compl. In hebræo autem & vulgata multo plura interjiciuntur, & explicatiora.* (h) Sanitatem,] *Compl.* κατὰ τὴν νηστείαν αὐτῶν, ſecundum jejunium ipſorum.

CAP. IX.

(a) QUi.] *Abeſt iſtud,* οἱ, *a Complut. Auctor tamen vulgatæ videtur habuiſſe.*

JOB.

CAP. I.

(a) IN regione Auſitide.] ἐν τῇ χώρᾳ τῇ αὐσίτιδι. *Aquila,* ἐν γῇ οὖς, in terra Hus, *quam lectionem ſequitur S Joannes Chryſoſtomus in homiliis de patientia Job, & Complutenſis editio.* Scripſerim libentius οὖς cum ſpiritu leni. Nam οὖς, id eſt, חוץ Antiquitas Ain non aſpirabat. Teſtimonio ſunt Arabia, Elamitæ, Eden, & ſimiles voces. Quod autem aſpiratio in libris, id factum eſt culpa exſcriptorum; qui etiam ἀβραὰμ ſcripſerunt & ἱερουσαλὴμ & ἡλίας, aliaque ſexcenta. Nec te moveat Hus, quod in Latina vetere. Nam error eſt qui a Græcis manavit. *Druſ.* (b) Sine crimine.] ἄμεμπτος, S. *Cyprianus, de mortalitate, habet,* homo ſine querela, verus Dei cultor. *Symm* ἄμωμος, immaculatus, *quemadmodum & Compl. Aquila, & Theodotio,* ἁπλοῦς, ſimplex. *Apud Chryſ. habentur eadem atque hæc, ſed non eodem omnino ordine.* (c) Miniſterium.] ὑπηρεσία, *Aquila,* δουλεία, ſervitium, *Symm.* οἰκετία, famulitium, familia. (d) Nobilis.] εὐγενής. *Schol.* μέγας, magnus, *quod habet Compl. Symm.* μέγιστος πάντων ἀνατολικῶν, maximus omnium Orientalium. (e) Singulo quoque die.] καθ' ἑκάστην ἡμέραν. *Schol.* ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ ἡμέραν, unuſquiſque ſuo die, *quod eſt in Compl. S. Aug. in annot. in hunc librum hæc de iſto loco refert,* faciebant convivium quotidie, donec eorum numerus impleretur. (f) Conſummati eſſent.] συνετελέσθησαν. *Schol.* ἤρξαντο, *cœpiſſent.* * Et vitulum unum pro peccato, pro animabus eorum.] *Hæc abſunt a Compl. ſed referuntur a Chryſoſt. & Olymp. & interpres Origenis,* pro peccatis animarum eorum. (g) Ne forte filii mei.] *Sic etiam Chryſoſt. Aquila,* εἴπως ἥμαρτον οἱ υἱοί μου, καὶ ηὐλόγησαν θεὸν ἐπὶ καρδίας αὐτῶν, ſi quo modo peccaverunt filii mei & benedixerunt Deum in cordibus ſuis, *nec multo aliter Compl. S. Aug. ſic habet,* ne forte peccaverint filii mei, & maledixerint Deo in cordibus ſuis. (h) Angeli Dei.] *Sic etiam Chryſoſt. & Aug. Schol.* υἱοὶ θεοῦ, filii Dei, *quod etiam in Compl.* (i) Cum eis.] *Ita etiam S. Auguſt. Schol.* ἐν μέσῳ αὐτῶν, in medio eorum, *prout etiam Chryſoſt. & Compl. Aquila,* καί γε σατὰν ἐν μέσῳ αὐτῶν, atque etiam Satan in medio eorum. *Theodotio,* ἀντικείμενος, adverſarius. (k) Homo ſine crimine.] *Schol.* ἀνὴρ ἁπλοῦς, καὶ εὐθὺς, καὶ φοβούμενος τὸν θεὸν, vir ſimplex & rectus, & metuens Deum, *Compl. utrumque miſcuit.* (l) Colit Dominum] σέβεται τὸν κύριον. *Schol.* φοβεῖται τὸν θεὸν, timet Deum. *Nam LXX timorem Domini ſolent vertere,* θεοσέβειαν, caſtam, & ſancti timoris plenam venerationem Dei. (m) Certe in faciem.] ἦ μὴν εἰς πρόσωπόν σε. *Aquila.* οὐκ εἰς πρόσωπόν σου εὐλογήσει σε, non in faciem tuam benedicet te. *Compl. cætera eodem modo, ſed habet,* εἰ μὴ, niſi. *Dydimus videtur legiſſe apud LXX,* εἰ οὐκ, *atque ita interpretatur,* ἐὰν μὴ τότε φανερῶς βλασφημήσῃ, ſi non tunc manifeſte ac palam blaſphemaverit, *& aliud Schol.* φανερῶς, ἀναισχύντως, manifeſte, impudenter. *B. Aug.* niſi in faciem tuam benedixerit tibi. (n) Et venientes] *Sic etiam Chryſ. Aug.* & venerunt hoſtes, & ceperunt eos. *Schol.* ἐπέπεσε σαβὰ, irruit Saba, *quod habet Compl.* (o) Adhuc iſto.] ἔτι τούτου λαλοῦντος, *Schol.* ἔτι οὗτος ἐλάλει, καὶ οὗτος ἦλθε, adhuc iſte loquebatur, & venit iſte. (p) Cecidit de cœlo.] ἔπεσεν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ. *ſic etiam Chryſ. Schol.* πῦρ παρὰ τοῦ θεοῦ κατηνέχθη, ignis a Deo immiſſus eſt. *Compl. utrumque miſcuit.* (q) Equites fecerunt.] *Schol.* χαλδαῖοι ἐπέθηκαν τρεῖς ἀρχὰς, Chaldæi immiſerunt tria principia, *quod etiam habet Compl. Aquila,* τάγματα τρία, ordines tres (r) Spiritus.] *Aquila.* ἄνεμος μέγας, ventus magnus, *quos habet Compl.* (ſ) Veſtimenta.] τὰ ἱμάτια. *Schol.* ἔνδυμα, indumentum. *Theodor.* τὴν ἐπενδύτην, pallium, veſtem ſuperiorem. *Aquila,* ἐφεστρίδα, *quod idem valet* (t) Capitis.] *In aliis codicibus hæc ſequuntur,* αὐτοῦ, καὶ κατεπάσατο γῆν ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ, ſui, & ſparſit terram ſuper caput ſuum. *Quæ a Chryſ. non referuntur.* (u) Sicut Domino placuit ita factum eſt.] *Hæc videntur remanſiſſe ex vetuſtiore verſione etiam in vulgata, eaque habet B. Greg.* (x) Benedictum.] *In aliquibus codicibus ſequitur,* εἰς τοὺς αἰῶνας, *quod etiam habet Chryſ. ſed non S. Cypr. in lib. de mortalitate.* (y) Non dedit.] *Olympiodorus,* σαφέστερον ὁ ἑβραῖος, Manifeſtius, inquit, hebræus. οὐκ ἐμέμψατο τῷ θεῷ, non incuſavit Deum. *Sym.* οὐδὲ ἠφρόνευσατο πρὸς τὸν θεὸν, neque inſipienter ſe geſſit erga Deum.

CAP. II.

(a) ANgeli Dei.] *Schol.* οἱ υἱοὶ τοῦ θεοῦ, filii Dei, *ut Compl.* (b) Retinet innocentiam.] *Polychronius,* Hebræus, ἔχεται τῆς ἑαυτοῦ τελειότητος, retinet ſuam ipſius perfectionem. (c) Tu vero dixiſti.] *Dydimus:* τοῦτο ἀκύλας σαφέστερον ἐξέδωκεν: Hoc Aquila manifeſtius edidit, ἀνέσεισάς με ἐπὶ αὐτῷ τοῦ καταποντίσαι αὐτὸν δωρεὰν, commoviſti me in eum, ut deglutirem eum gratis. * Ad præcipitandum eum] in mare videlicet calamitatum, ad demergendum eum: aut potius, *ut præcipitarem, ut demergerem.* Pſal. 55. 10. בַּלַּע. LXX. καταπόντισον. Hieron. præcipita. Thren. 2. 5. בלע. LXX καταπόντισεν. Hieron. præcipitavit. Cohel. 10. 12. תבלענו καταποντιοῦσιν αὐτὸν, præcipitabunt ipſum. Hæc loca faciunt ut ſuſpicer Aquilam ediſſe, ἀπολέσαι, *ad perdendum,* quod nunc in editione vulgata, & LXX καταποντίσαι, *ut præcipitarem:* tamen non adſevero. Volo ut ſit arbitrarium, non certum. *Druſ.* (d) Quæcunque.] *In multis codicibus antecedit,* πάντα, omnia. *Compl. pro,* ἐκτίσει (*id eſt*) pendet, *habet,* δώσει, dabit. *Sym.* χρῶτα ὑπὲρ χρωτὸς, καὶ πάντα ὅσα ἔχει, προήσεται ὑπὲρ τῆς ψυχῆς αὐτοῦ, cutem pro cute, & omnia quæcunque habet, projiciet pro anima ſua. (e) Animam ejus.] *Sic etiam B. Ambroſius. Theodoretus autem,* τῆς ψυχῆς αὐτοῦ οὐχ ἅψῃ, animam ejus ne tetigeris: *& eodem fere modo Chryſ. homilia* 15. *in primam ad Corinthios,* πλὴν τῆς ψυχῆς αὐτοῦ μὴ ἅψῃ. (f) Ut ſaniem raderet] ἵνα τὸν ἰχῶρα ξύῃ. *Apollinarius,* Hebræus habet, τοῦ κνᾶσθαι ἐν αὐτῷ, ut ſcalperet ſe in ea. (g) Sterquilinio.] ἐπὶ τῆς κοπρίας. *Aquila,* ἐντὸς τῆς σποδοῦ, intra cinerem, *quod habet Compl. Symm.* ἐπὶ τῆς σποδοῦ, in cinere. (h) Tempore.] *Longa hæc mulieris oratio in Compl. reſecata eſt, ut reſpondeat vulgari, ſed eſt in omnibus græcis exempp. & a Chryſ. hom. 28. in primam ad Cor. & Olymp. exponitur.* (i) Locum ex loco.] *In aliis codicibus ſequitur,* περιερχομένη, circumerrans. (k) Dicito aliquod.] *Schol.* κατάρασαι τὸν θεὸν, maledicito Deum. (l) Inſipientum.] τῶν ἀφρόνων. *Aquila,* ἀπορευσῶν, defluentium, delirantium. (m) Unanimiter] ὁμοθυμαδὸν. *Sym.* συνετάξαντο γὰρ ὁμοῦ ἐλθόντες, συμπαθῆσαι αὐτῷ, καὶ παραμυθήσασθαι αὐτὸν, conſtituerant enim ſimul venientes compati ei & conſolari eum. (n) Magna] *Polychronius:* τινὰ δὲ βιβλία ἔχουσι. quidam autem libri habent, καὶ ἀναβλέψαντες εἰς τὸν οὐρανὸν, & aſpicientes in cœlum. (o) Aſſederunt.] *Polychr.* τοῦτο ἐμφατικώτερον ἔχει ὁ ἑβραῖος, hæc ſignificantius habet hebræus: inquit enim, καὶ ἐκάθισαν παρ' αὐτὸν ἐπὶ τῆς γῆς, & ſederunt juxta eum ſuper terram.

CAP. III.

(a) QUa dixerunt, ecce maſculus.] *Symmachus,* ἐν ᾗ ἐκυήθη ἄνθρωπος, in qua conceptus eſt homo. *B. Auguſt.* nox in qua dixerunt, conceptus eſt homo. (b) Nox illa.] *B. Aug.* dies illa ſint tenebræ, *& ſic videtur legiſſe Olympiodorus.* (c) Excipiant illam.] ἐκλάβοι δὲ αὐτήν. *Sym.* ἀντιποιήσαιτο αὐτῆς, occupet eam. *Theodotio,* ἀγχιστευσάτω αὐτὴν, perſequatur eam, & ſibi afferat. *Aquila,* μολύναι, inquinet. (d) Caligo.] γνόφος. *Aquila,* νέφωσις, nubilum. *Symmachus,* ἀχλὺς, obſcuritas. *Theodoretus,* συννεφία, denſitas nubium. (e) Maledicta ſit] καταραθείη. *Aquila,* καὶ ἐκθαμβήσαισαν αὐτὴν, ὡς πικραμμοὶ, & exterreant eam, quaſi amaritudines: *apud B. Auguſt.*

hæc referuntur, & conturbent eam, quaſi amaritudines, dies, & noctem illam accipiant tenebræ perpetuæ: non ſit in diebus, &c. *in Compl. autem*, καὶ ταραχθείη ἡ ἡμέρα ἐκείνη, καὶ ἡ νὺξ ἐκείνη, ἀπενέγκαιτο αὐτὴν σκότος, & conturbetur dies illa, & nox illa: auferant eam tenebræ *Aquil.* Σκοτομήνια. Nox illunis. (*f*) Non ſit in diebus] *Sym.* μηδὲ συναφθείη, neque cohæreat. (*g*) Dolor.] *Severianus.* Symmachus dixit, ἔκβλητος, id eſt, ejecta. Hebræus autem, μεμονωμένη, ſolitaria, (*h*) Gaudium.] *Schol.* ἀγαλλίαμα, exultatio. (*i*) Qui habet.] *Sic S. Ambr. in Luc. tom. 4. c. 4. Aquila*, οἱ παρεσκευασμένοι ἐξεγεῖραι λευιαθάν, qui parati ſunt excitare Leviathan. *Sym.* οἱ μέλλοντες διεγείρειν τὸν λευιαθὰν, qui habent ſuſcitare Leviathan, *& ita Complut. niſi quod habet*, λεβιαθὰν. *Theodotio*, οἱ ἕτοιμοι ἐξυπνίσαι δράκοντα, qui prompti ſunt expergefacere draconem. (*k*) Permaneat:] *Ita S. Auguſt. quamvis poſſit verti*, ſubſtineat, *id eſt*, expectet. *Symmachus*, προσδοκηθείη φῶς, καὶ μὴ εἴη, expectetur lux, & non ſit. (*l*) Accenderunt.] ἐξέκαυσαν. *Atque hoc modo notat Olympiodorus in aliis libris legi: ipſe tamen habet*, ἔπαυσαν, *itemque aliud ſcholium, & S. Aug.* depoſuerunt furorem ſuum: *in quibuſdam codicibus eſt*, ἐξέπαυσαν, *quod idem valet. Theodotio*, ἐκόπασαν, *& Symmachus*, ἐκόπασαν ὀργῆς θυμὸν, ceſſarunt, ſedarunt iræ furorem. *Aquila*, ἐπαύσαντο κλονῆσαι, ceſſarunt turbare, ac tumultum ciere. (*m*) Pariter autem ſeculares.] ὁμοθυμαδὸν δὲ οἱ αἰώνιοι. *Sic, quod apud S. Paulum, Tit. c.* 1. *græce eſt*, πρὸ χρόνων αἰωνίων, *in vulg. eſt*, ante tempora ſecularia. *Scholium*, ἐκεῖ γάρ εἰσιν οἱ ἐξ αἰῶνος τελευτήσαντες τῆς τῶν πρακτόρων ἀπαχθείας ἀπαλλαγέντες, illic enim ſunt, qui a ſeculo obierunt, ab exactoris moleſtia liberati. *Apud LXX. videtur vox* αἰώνιος, *ſæpe ſignificare, quod in hoc ſeculo tranſit. Aquila*, ἅμα δέσμιοι εὐθύνησαν, ſimul vincti ſine moleſtia fuerunt, ac proſperati ſunt. *Symm.* ὁμοῦ δεσμῶται ἀόχλητοι, ſimul in vinculis habiti, a turbatione liberi. *Compl. habet*, οἱ δεδεμένοι. (*n*) Exactoris.] *Sic S. Aug. quod græce eſt*, φορολόγου. *Aquila*, εἰσπράσσοντος, *quod idem valet, aut etiam communius quiddam: nam*, φορολόγος, *proprie eſt tributi ac vectigalium exactor. Symmachus*, ἐπαναγκαστοῦ, cogentis, & extorquentis. (*o*) Timens.] *Plerique libri habent*, οὐ δεδοικὼς, non timens: *ſic S. Aug. & Origenes, & S. Hier. in Eſa. c.* 24. (*p*) Requies.] *In pleriſque codicibus ſequitur*, οὗ ἡ ὁδὸς ἀπεκρύβη, *atque ita etiam teſtatur Olymp. in aliquibus legi cum iſta adjunctione*, ἀπ᾽ αὐτοῦ, cujus via abſcondita eſt ab eo. S. *Aug.* cujus vita abſcondita eſt, *ſed facile potuit mendum obrepere.* (*q*) Concluſit.] συνέκλεισε. *Olymp.* Symmachus autem reddidit, ἀπέφραξεν ὁ θεὸς κατ᾽ αὐτοῦ, obſtruxit Deus ſupra eum, τινὰ δὲ τῶν βιβλίων ἐν τῷ μεταξὺ, τοῦ τε, θάνατος ἀνδρὶ ἀνάπαυσις καὶ τοῦ συνέκλεισε γὰρ ὁ θεὸς κατ᾽ αὐτοῦ, ἔχουσι καὶ τοῦτον τὸν στίχον, οὗ ἡ ὁδὸς ἀπεκρύβη ἀπ᾽ αὐτοῦ. (*r*) Gemitus adeſt.] *Sic S. Aug. in Compl. additur*, μοι, adeſt mihi. *Aquila*, ὅτι εἰς πρόσωπον ἄρτου μου στεναγμὸς ἐλεύσεται, quia ad faciem panis mei gemitus veniet. (*ſ*) Fleo ego.] *Ita S. Aug. niſi quod non habet*, ego. *Schol.* καὶ χυθήσεται, ὡς ὕδατα, βρυχήματά μου, & fundentur ſicut aquæ, rugitus mei: *quam lectionem habet Complut. ſed omittit illud*, μου, *quod tamen neceſſarium eſt.* (*t*) Neque in pace fui.] *Aquila*, οὐκ εὐπάθησα, non me oblectavi, non indulſi genio. (*u*) Ira.] *Schol.* κλόνος, tumultus, turba, tremor, *vel* commotio qualis eſt tumultuantium. Scholion hoc deſcriptum eſt ex editione Aquilæ. Quod ex eis quæ nunc dicam clarum fiet. *Pſal.* 4. 5. רגזו. A. κλονεῖσθε. *Job* 3. 17. רגז idem κλονῆσαι: ubi Hieron. *à tumultu.* Hic vertit, *indignatio*, & LXX ὀργή. Sed רגז commotionem notat ex affectu quem exprimit vel dolor vel triſtitia. *Druſ.*

CAP. IV.

(*a*) NUm ſæpe tibi ſermo.] μὴ πολλάκις σοι λελάληται ἐν κόπῳ, *id ita exponit Olympiodorus*, ſcis minime ſolitos eſſe nos moleſta tibi loqui, teque ad iram provocare. *Addit autem hæc*, ὁ θεοδοτίων καὶ ὁ σύμμαχος ἐξέδωκαν, ὁ μὲν. Theodotio & Symmachus reddiderunt, ille quidem, εἰ ληψόμεθα λαλῆσαι πρός σε, κοπάσεις, ſi aggrediemur loqui tecum, defatigaberis; ὁ δὲ, hic autem, ἐὰν ἀναλάβωμεν λόγον, μοχθήσεις, ſi aſſumpſerimus ſermonem, ægre feres. *Lectionem Theodotionis habet Complut.* (*b*) Tu turbatus es.] σὺ ἐσπούδασας. *Complut. habet*, σὺ δὲ, tu autem. *Schol.* ἐθορυβήθης, conturbatus es. (*c*) In ſtultitia, & ſpes tua, & iniquitas tua.] ἐν ἀφροσύνῃ, καὶ ἡ ἐλπίς σου, καὶ ἡ κακία τῆς ὁδοῦ σου. *Unus codex, pro*, κακία, *habet*, ἀκακία, innocentia. *Aquila*, ἡ ὑπομονή σου καὶ ἡ ἁπλότης τῶν ὁδῶν σου, patientia tua, & ſimplicitas viarum tuarum. S. *Aug.* nonne timor tuus ſtultus eſt, & ſpes tua, & ſimplicitas vitæ tuæ quaſi ſtultitia? (*d*) Robur.] σθένος, *in Compl. eſt*, στένος, *& S. Aug.* fremitus. *Schol.* ἀπόλλυται ἀνυπόστατος λέων leo invictus atque intolerabilis perditur. (*e*) Myrmicoleon periit.] *Sic S. Aug. Aquila*, λὶς ὤλετο, παρὰ τὸ μὴ ἔχειν θήραν, leo periit, eo quod non habebat venationem. *Complut. retinuit.* μυρμηκολέων, *ſed ab Aquila ſumpſit*, θήραν. (*f*) Si quod autem verbum verax] *Symmachus*, πρὸς ἐμὲ δὲ ἐλαλήθη λαθραίως, ἐν κλοπῇ, ad me autem dictum eſt clanculum, in furto, *& ita Compl.* (*g*) Magnifica.] ἐξαίσια. *Ita eſt apud B. Aug. niſi quod pro*, capiet, *habet*, capit, *& eadem notione ſæpe accipitur in hoc libro. Symmachus*, καὶ ἐδέξατο τὸ οὖς μου ψιθυρισμὸν, & ſuſcepit auris mea ſuſurrum, *a quo non longe abeſt vulgata.* (*h*) Timore autem.] *Polychronius legit*, φόβος δὲ καὶ ἠχὼ νυκτερινὴ, timor autem, & ſonitus nocturnus. *Aquila*, ἐν παραλλαγαῖς ἀπὸ ὁραματισμῶν νυκτὸς, in alienationibus a viſionibus noctis. *Symm.* ἐν ἐκπλήξει ἀπὸ ὁράματός μου νυκτερινοῦ, in pavore a viſione mea nocturna: *quam lectionem Compl. probavit.* (*i*) In faciem meam.] *Schol.* διὰ τὸ πρόσωπόν μου, per faciem meam. S. *Aug.* in faciem mihi. (*k*) Surrexi.] ἀνέστην. *Symm.* ἔστην, καὶ οὐκ ἐπιγνώσομαι, ſteti, & non agnoſcam, *quamvis ſuſpicari liceat legendum eſſe*, ἔστη, ſtetit: *ita enim hebræus.* (*l*) Auram & vocem.] *Symmachus*, ἠρεμίας φωνῆς ἤκουον, ſilentium vocis audiebam. (*m*) Si contra ſervos ſuos.] *Symmachus*, ἐν δούλοις αὐτοῦ ἀβεβαιότης, καὶ ἐν ἀγγέλοις αὐτοῦ εὑρήσει ματαιότητα, in ſervis ſuis inſtabilitas, & in angelis ſuis reperiet vanitatem. (*n*) Luteas.] *Symmachus*, πόσῳ μᾶλλον τοῖς κατασκηνοῦσιν οἰκίας πηλίνας, ὧν γήινος ὁ θεμέλιος; quanto magis habitantibus domos luteas, quarum terrenum eſt fundamentum? (*o*) Inſufflavit enim eis, & exaruerunt.] *Schol.* συνεξήρεν τὸ ὑπόλειμμα αὐτῶν ἐν αὐτοῖς, ἐξέλιπον, abſtulit reliquias eorum in eis, defecerunt, *quam lectionem ſequitur Compl. niſi quod non habet*, ἐξέλιπον, *vulgata etiam videtur inde fluxiſſe.*

CAP. V.

(*a*) ERrantem.] πεπλανημένον, *Aquila*, θελγόμενον, *quaſi*, illecebris deceptum,] *Sym.* νήπιον, imprudentem, parvulum, *ut habet vulgata.* (*b*) Sed ſtatim.] *Aquila*, καὶ κατηρασάμην τὴν εὐπρέπειαν αὐτῶν παραχρῆμα, & maledixi decorem eorum ſtatim: *quam lectionem habet Compl.* (*c*) Et conterantur.] κολαβρισθείησαν. *Notat enim Olympiodorus hoc idem valere atque* ἐπιτριβείησαν, *itemque quod*, ἐξολοθρευθείησαν, attenuentur: κολαβρὸν *enim eſſe parvulum ſuem: quare pro ea dictione Aquilam quidem dixiſſe*, ἐπιτριβήσονται, conterentur: *quam lectionem habet Compl. Theod. vero*, κατεκλάσθησαν, confracti ſunt. *Symm. vero*, ταπεινωθήτωσαν, humilientur. *In alio tamen ſcholio Theodotioni tribuitur*, ταπεινωθήσονται, humiliabuntur. *Sym. autem*, κατεκλάσθησαν. (*d*) Congregaverunt.] συνήγαγον. *Schol.* ἐθέρισαν, meſſuerunt. (*e*) Juſti comedent.] *Sym.* πεινῶντες φάγονται, eſurientes manducabunt. *Aliud ſchol.* Aquila, πεινῶν φάγεται, fameſcens manducabit, *quod eſt in Compl.* (*f*) Ipſi vero de malis.] *Sym.* αὐτοὶ δὲ πρὸς ἐνόπλων ἀρθήσονται, ipſi autem ab armatis tollentur, *quod item eſt in Compl.* (*g*) Exhauriatur.] *Sic S. Aug. quod græce eſt*, εἰσφωνισθείη, *& interpretatur Polychronius*, ἐκροφηθήσεται, δαπανηθήσεται, παντελῶς κενωθήσεται, exſorbebitur, abſumetur, penitus vacuabitur. ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν σιφωνιζομένων πρὸς τὸ μηδὲν ἔτι ὑγρὸν ὑπολείπεσθαι, *nimirum ducta tralatione ab iis qui per ſiphonem hauriunt, donec nihil amplius humoris relinquatur. Atque addit Sym. quidem reddidiſſe*, ἀναῤῥοφήσαι διψῶν τὴν δύναμιν αὐτῶν, abſorbeat ſitiens potentiam, & facultatem eorum. *Aquilam autem*, ἀφειλκύσαντο, διψῶντες εὐπορίαν αὐτῶν, attraxerunt, & hauſerunt ſitientes opulentiam eorum. (*h*) Non enim prodiet de terra labor.] *Sym.* οὐ γὰρ ἐξελεύσεται ἀπὸ κόνεως ὀδύνη, non enim egredietur de pulvere dolor. (*i*) Pulli autem.] *Sym.* τὰ τέκνα τῶν πετεινῶν ὑψοῦσι πτερὰ, filii volatilium attollunt pennas. *Aquila*, καὶ υἱοὶ πτήνους, & filii volucris. *Compl. habet*, νεοσσοὶ δὲ ἀετοῦ, pulli autem Aquilarum. (*k*) Super eam, quæ ſub cœlo.] ἐπὶ τὴν ὑπ᾽ οὐρανόν. *Schol.* ἐπὶ πρόσωπον ἐξωτάτων, ſuper faciem extimorum. (*l*) Evertit.] διαλλάσσοντα. *Aquila*, ἀκυροῦντα, facientem irrita. *Sym.* διαλύοντα, diſſolventem. *Theodotio*, διασκεδάζοντα, diſſipantem, *quod eſt in Compl.* (*m*) Capit ſapientes.] ὁ καταλαμβάνων σοφοὺς ἐν τῇ φρονήσει. *Olympidorus*, id eſt, ὁ ἐλέγχων, qui arguit, & reprehendit. S *Cypr. in libro de bono patientiæ*, reprehendam ſapientes in aſtutia ipſorum, *libro autem* 5. *ad Quirinum*, reprehendet. (*n*) Aſtutorum disjecit.] πολυπλόκων ἐξέστησε. *Olymp.* πολυπλόκους καλεῖ τοὺς ἄγαν συνετοὺς οὓς ἀγκυλογνώμονας διὰ τὸ σκολιὸν τῆς γνώμης εἰώθασι προσαγορεύειν οἱ τὰς κυρίας τῶν λέξεων ἐκλέγοντες, vocat eos qui nimium ſunt intelligentes; quos ii qui proprias dictiones ſeligunt, ſoliti ſunt appellare, ἀγκυλογνώμονας, propter obliquitatem, & perverſitatem ſententiæ, ac mentis. *Interpretatur etiam illud*, ἐξέστησεν, *pro*, ἀχρήστους πεποίηκεν, ἠκύρωσεν ἔξω τοῦ σκοποῦ στῆναι παρεσκεύασεν, inutiles reddidit, irritas fecit, eo redegit, ut ſcopum non attingerent. *Quod quidem inquit Sym. ita eſſe interpretatum*, βουλὴ δὲ σκολιὰ ταραχθήσεται, conſilium autem pravum diſturbabitur. (*o*) In die occurrent.] S. *Aug. videtur habuiſſe*, inhiantes dominari infirmis, in die occurrent illis tenebræ (*q*) Infirmo.] ἀδυνάτῳ. *Aquila*, ἀτόνῳ, languido. *Sym.* πτωχῷ, mendico. (*r*) Rurſus reſtituit.] *Aquila*, μοτώσει, curabit, immiſſo linamento ſanabit. *Sym.* ἐπιδήσει, colligabit. *Proprie autem* μότα, inquit Hieron. *vocantur linteola quæ inſeruntur vulneribus ut putridas carnes comedant & extrahant purulentas.* Druſ. (*ſ*) Sexies de neceſſitatibus.] *Aquila*, ἐν ἓξ θλίψεσι ῥύσεταί σε, in ſex tribulationibus liberabit te. (*t*) In ſeptimo.] ἐν δὲ τῷ ἑβδόμῳ. *Aquila, & Theodotio*, καὶ ἐν ἑπτὰ, & in ſeptem. (*u*) A malis venientibus.] *Aquila*, ἀπὸ προνομῆς ἐπερχομένων, a direptione ingruentium. (*x*) Injuſtos & iniquos deridebis.] *Apud S. Aug. legitur*, nonne patieris injuſtos, & iniquos deridebis.] *Apud S. Auguſt. legitur.* nonne patieris injuſtos, & iniquos deridebis? *in aliqua editione eſt*, ἀπὸ ἀνδρὸς λαλοῦντος μηδὲν ἀγαθὸν, ἀδίκων, a viro qui nihil boni loquitur, injuſtos, &c.. (*y*) Timebis.] *In aliqua editione ſequitur*, ὅτι μετὰ τῶν λίθων τοῦ ἀγροῦ, ἡ διαθήκη σου, *quæ in nullo collatorum codicum ſunt inventa: habet tamen S. Aug.* quia cum lapidibus agri habebis fœdus. (*z*) Habitatio.] *Aquila*, καὶ ἐπισκέψῃ ὡραιότητά σου καὶ οὐ μὴ ἁμαρτήσεις, & viſitabis ſpeciem, ac decorem tuum, & non peccabis. (*aa*) Non peccabit.] *Schol.* οὐ δυσπραγήσῃ, non infeliciter aget. *Chryſ.* domus fruetur multa pace; & qui in ea, ſine ulla aut inter ſe aut erga te ſeditione degent.

CAP. VI.

(*a*) SI vero quis appendens.] εἰ γὰρ τις ἱστῶν στήσαι μου τὴν ὀργήν. *Chryſoſt.* εἰ γάρ τις, dictum eſt, pro, εἴθε γὰρ, utinam vero. *Sym.* ὡς εἴθε ἐσταθμίζετο μου ἡ ὀργὴ, quin utinam ponderaretur ira mea. *Iram autem exponunt hoc loco Chryſoſt. & Polychronius*, ἀθυμίαν, dejectionem atque ægritudinem animi: *Olympiodorus*, iram Dei. (*) Gravior.] βαρυτέρα, *& non diſcedit ab hebræo: nam quod hic dictum eſt*, τὰς ὀδύνας, dolores, *apud hebræum eſt ſingulare fœminini generis, ac ſi diceremus*, calamitas erit gravior. *In comm. tamen græcis eſt*, βαρύτερα, graviora, *& ſupplet Olymp.* τὰ συνενεχθέντα μοι, καὶ ἀθυμεῖν παρασκευάζοντα, quæ ſimul irruerunt in me ad mœrorem adducunt. (*b*) Verba mea ſunt mala.] *Ita S. Aug. Aquila*, ἐπὶ τοῦτο ῥήματά μου κατεπατήθησαν, propter hoc verba mea conculcata ſunt: *quam lectionem ſequitur Compl. niſi quod habet*, ἐπὶ τούτῳ. *Sym.* οἱ λόγοι μου κατάπικροι, ſermones mei peramari. *Theodotio*, ἔγκοποι, interciſi, *aut*, moleſti. (*c*) Domini.] *Sym.* Saddai. *Schol. pro*, ἱκανοῦ, potentis, qui ſibi ſatis eſt, nullius egens. (*d*) Nunquid fruſtra.] *Sym.* μὴ στένει λιμῷ ὄναγρος παρούσης χλόης; num ingemiſcit fame onager, ſi adſit gramen? (*e*) Nunquid poteſt ſine ſale edi panis?] *Sym.* μή τι βρωθήσεται ἀνάρτυτον τῷ μὴ ἔχειν ἅλα; nunquid manducabitur non conditum, eo quod non habet ſal? (*f*) Ira mea.] *Plerique libri habent*, ψυχή, *& S. Aug.* ſic nec anima mea poteſt ceſſare. (*g*) In finem autem.] *Aquila, & Sym.* ἐπιβαλὼν τὴν χεῖρα, injiciens manum, *ſed fortaſſe apud illos non ſequebatur negatio.* (*h*) Sit autem mea civitas.] *B. Aug.* ſit mihi civitas. *Aquila, & Theodotio*, καὶ ἔσται ἔτι παράκλησίς μου, & erit adhuc conſolatio mea. (*i*) Aut quod tempus meum.] *Aquila*, τί τὸ τέλος, ὅτι μακροθυμήσω; quis finis meus, ut longanimiter agam? (*k*) Vias Themanorum videte.] S. *Auguſt. hæc refert*, vias Themanorum videte, ſemitas Sabæorum intuemini. *Olympiodorus, narrat alium ex interpretibus ita reddidiſſe*, ἀποβλέπουσιν εἰς ὁδοὺς θαιμὰν, ὁδοιπορίας σαβὰ προσδοκῶσιν ἑαυτοῖς, reſpiciunt in vias Themanitarum, itinera Sabæorum expectant ſibi. (*l*) Sed ut videtur, vilia.] ἀλλ᾽ ὡς ἔοικε, φαῦλα ἀληθινοῦ ῥήματα. S. *Auguſt.* ſed, ut video, prava veri hominis verba dicitis. *Aquila*, τί ἐμοχθηρώθησαν λόγοι εὐθεῖς; quid moleſta fuerunt verba recti? (*m*) Nunc autem inſpiciens.] *S. Aug.* nunc autem aſpicientes vacate mihi. (*n*) Sedete obſecro, & non ſit injuſtum.] *Aquila*, μὴ γίνηϑε παρανομία, nolite eſſe iniquitas.

CAP. VII.

(*a*) QUando dies?] *Aquila, & Theodotio*, πότε ἀναςήσομαι; quando ſurgam? (*b*) Exilior eſt quam loquela.] *Sic S. Aug. quod græce eſt*, ἐλαφρότερος λαλιᾶς. *Olymp.* cæteri reddiderunt, δρομέως, curſoris, *ut videatur illud*, ἐλαφρότερος, *poſſe verti*, levior & velocior. (*c*) Periit autem in vana ſpe.] *Symm.* αἱ ἡμέραι μου ἀνηλώθησαν μὴ οὔσης ἐλπίδος, dies mei conſumpti ſunt, quippe cum non ſit ſpes. (*d*) Tanquam nubes expurgata de cœlo.] *Symm.* καθάπερ ἀναλωθεῖσα νεφέλη ἀπαλλαγήσεται, tanquam abſumpta nubes abſolvetur. (*e*) Cum in neceſſitate ſim.] *In pleriſque libris ſequitur*, πνεύματός μου, ſpiritus mei. (*f*) Amaritudinem.] *In Compl. eſt*, πικρίᾳ, amaritudine. *Symm.* διαλεχθήσομαι παραπικρασμῷ τῆς ψυχῆς μου, confabulabor in amaritudine animæ meæ. (*g*) Cuſtodiam.] *Ita S. Aug. Olymp. inquit, hebræum dicere* πόνους, labores. (*h*) Conſolabitur.] *Symm.* κατηγορήσει accuſabit. (*i*) Referam.] *S. Aug* & referam ad me ipſum conſolationem in thoro meo. *Theodotio*, συμβαςάσει με ἐν τῇ ἀδολεσχίᾳ μου ἡ κοίτη μου, comportabit me in confabulatione mea ſtratum meum. *Schol.* ἐπ' ἐμαυτὸν εἰς διαλογισμὸν, ſuper meipſum in diſputatione. (*k*) Abſolves. *Ita S. Aug. Aquila.* καὶ αἱρεῖται ἀγχόνην ἡ ψυχή μου, & eliget ſuſpendium anima mea (*l*) Oſſa mea.] *S. Aug. videtur addere*, repuli. *Symmachus*, καὶ θάνατον διὰ τῶν ὀςέων μου, & mortem per oſſa mea. (*m*) Ut longanimiter agam.] ἵνα μακροθυμήσω, ut ſim longanimis. (*n*) Vita mea.] *Symm.* ὅτι ματαιότης αἱ ἡμέραι μου, quoniam vanitas ſunt dies mei. *Alius interpres*, ἀτμὸς γὰρ αἱ ἡμέραι μου, vapor enim ſunt dies mei. (*o*) Viſitationem.] *Schol.* καὶ ἐπισκέπτῃ αὐτὸν πρωΐας, & viſitet eum mane. (*p*) Et in requie.] *Symm.* αἰφνιδίως ἐκδοκιμάσεις αὐτὸν, repente probabis eum. (*q*) Salivam meam.] *S. Aug. addit, quod eſt in aliquot codd. & Compl.* ἐν ὀδύνῃ, in dolore. (*r*) Quid potero facere?] *S. Aug* quid poſſum tibi facere? *& ita Compl.* τί δύναμαί σοι πρᾶξαι; *Olymp.* hebræus, τί σε ἔβλαψα; quid tibi nocui? (*ſ*) Ut loquerer adverſus te.] κατεναντίον σου. *Schol.* ἐναντιοῦσθαι, ut ſim contrarius. (*t*) Onus.] φορτίον. *Schol.* φορτικὸς, oneroſus, moleſtus. *S. Aug. ſic habet*, quare conſtituiſti hominem, ut loqueretur adverſus te, ut eſſet tibi oneri?

CAP. VIII.

(*a*) SPiritus multiloquus.] *Theodotio*, βαρύτατον, graviſſimus, validiſſimus. (*b*) Turbabit juſtitiam] *Symmachus*, εἰς ἄδικον μεταςρέψει τὸ δίκαιον, in injuſtitiam transferet juſtitiam. (*c*) Aut exaltabitur pratum.] βούτομον, *herba grata bubus. Symmachus*, ἢ πληθυνθήσεται ἕλος, aut multiplicabitur charectum? (*d*) Aranea autem evadet.] *Schol.* ἡ γὰρ πεποίθησις αὐτοῦ ἀράχνη ἀποβήσεται, fiducia autem ejus aranea exibit. *S. Auguſt.* atque araneis implebitur tabernaculum ejus. (*e*) Si ſuffulſerit domum ſuam.] *Symm.* ἐρεισθήσεται ἐπ' οἶκον, καὶ οὐ ςήσεται, innitetur ſuper domum, & non ſtabit. (*f*) Humidus enim eſt ſub ſole.] *S. Auguſtinus habet*, ante ſolem, *ſed interpretatur*, ſub ſole. *Aquila*, ἔνικμός ἐςιν εἰς πρόσωπον ἡλίου, humectus eſt in faciem ſolis. (*g*) Germen.] ὁ ῥάδαμνος. *Symm.* ὁ κλάδος, ramus. *Theodotio*, παραφυὰς, propago. (*h*) In congregatione.] *S. Auguſt.* in congregationibus.] *Schol.* ἐπὶ βουνὸν ῥίζαι αὐτοῦ, ſuper collem radices ejus. (*i*) Si abſorbuerit] ἐὰν καταπίῃ. *S. Aug.* ſi diglutietur, locus mentietur eum. (*k*) Non reprobabit.] *S. Auguſt. videtur legiſſe*, non probavit: *quamvis dubitet de veritate lectionis, interpretatur tamen*, impium non probavit innocentem. (*l*) Confeſſione.] *Olymp.* cæteri dixerunt, ἀλαλαγμοῦ, exultatione, & jubilatione.

CAP. IX.

(*a*) NOn contradicat.] *S. Aug.* non reſpondebunt ei unus de mille. (*b*) Ante eum permanſit.] *Aquila*, εἰρήνευσεν, pacem habuit: *Compl. habet*, καὶ εἰρήνευσεν. *Symm* διετέλεσεν, perſtitit. (*c*) Qui in vetuſtatem perducit.] *Symm.* ἐξαίρων ὄρη καὶ ἀδηλοποιῶν αὐτὰ, qui aufert montes, & è conſpectu removet eos (*d*) Eam quæ ſub cœlo.] *S. Aug.* orbem. (*e*) Quatiuntur.] σαλεύονται. *Schol.* cæteri, περιτραπήσονται, ſubvertentur. *S. Aug.* movebuntur. (*f*) Et Arcturum.] *Olympiodorus*, hebræus, καὶ πάντα τὰ ἄςρα τὰ κυκλοῦντα νότον, & omnia ſydera, quæ circundant auſtrum. (*g*) Ipſe enim avertit a ſe iram.] αὐτὸς γὰρ ἀπέςραπται ὀργήν. *Sym.* ὁ θεὸς οὗ ἀπόςρεπτος ἡ ὀργὴ, Deus, cujus inflexibilis ira, *& ita Compl. Apud* S. *Aug. hæc leguntur*: Si enim morti tradiderit, quis avertet? ipſius enim inavertibilis ira. *Olymp. interpretatur lectionem LXX.* ἀοργήτως τιμωρεῖται, ſine ira punit, *putatque per Synechdochen ſignificari abſentiam omnium perturbationum.* (*h*) Ab ipſo incurvati ſunt.] *Sym.* ὑποκάτω γὰρ αὐτοῦ καμφθήσονται οἱ ἐπερειδόμενοι ἀλαζονείᾳ, ſub ipſo incurvabuntur, qui nituntur arrogantia. *S. Aug.* a potentiore ab ipſo ſubdita ſunt cætera ſub cœlo, *ſed videtur ſubeſſe mendum.* (*i*) Si vero invocavero, & non exaudierit.] *Sic etiam B. Aug. ac multis modis id explicat. In aliquot codd. & in Compl. eſt*, καὶ ὑπακούσῃ, & exaudierit, *atque ita aliqui interpretes græci legunt. Ac potuit illud*, μου, *factum eſſe ex*, μοι, *in hebræo enim eſt*, & reſponderit mihi. (*k*) Ne caligine me conterat.] *S. Aug.* ne forte in turbine me conterat. (*l*) In vanum.] διακενῆς.] *Olymp.* cæteri, *pro*, διακενῆς, reddiderunt, ἀναιτίως, &, δωρεὰν, ſine cauſa & gratis. *S. etiam Aug. habet*, ſine cauſa. (*m*) Quoniam ſcilicet.] ὅτι μὲν γὰρ ἰσχύει κράτει. *In Compl. eſt*, ἰσχύϊ κρατεῖ, fortitudine præſtat. *S. Aug. habet*, etenim quia poteſt, obtinet, & vincit, *ut in græco exemplari, unde illa verſio fluxit, videatur fuiſſe*, ἰσχύει, *ut in noſtra, &*, κρατεῖ, *ut in Compl. Sym.* ἐν τῇ ἰσχύϊ κραταιός ἐςιν, in robore potens eſt. (*n*) Et ſi fuero juſtus.] *Sym.* ἐὰν δικαιότερος ἀναφανῶ, ςόμα μου καταδικάσει με, ſi juſtior apparuero, os meum condemnabit me. (*o*) Fuero irreprehenſibilis.] *Schol.* ἁπλοῦς ἐγὼ, καὶ ἐςρέβλωσέν με, ſimplex ego, & pervertit me. (*p*) Quapropter dixi.] *S. Aug. propius ad hebræum*, unum eſt, quod dixi. (*q*) Traditi enim ſunt] *S. Aug. rurſus propius ad hebræum*, terra tradita eſt in manus impii. (*r*) Facies judicum] πρόσωπα κριτῶν. *S. Aug.* facies judicium ejus operit, *vel*, judicium ſuum. (*ſ*) Quis eſt?] *Sym.* καὶ νῦν τίς ἐςι; & nunc quis eſt? *S. Aug.* quis ergo eſt? (*t*) Vita autem mea.] *Sym.* αἱ ἡμέραι μου, dies mei. (*u*) Navibus veſtigium.] *Sym.* ἀπῆλθον ὁμοίως ναυσὶ σπευσούσαις, ὡς ἀετὸς ἱπτάμενος ἐπὶ βορὰν, abierunt ſimiliter ac naves feſtinantes, tanquam aquila volans ad eſcam. (*x*) Quare non ſum mortuus.] *Aquil.* εἰς τί τοῦτο μάτην κοπιῶ; ad quid hoc fruſtra laboro? *& ita Compl. S. Aug. videtur prope habuiſſe utrumque*, quare non ſum mortuus, & laboro? (*y*) Sed loquar.] *In comm. græcis eſt*, ἐὰν λαλήσω, ſi loquar. (*z*) Sic conſcius ſum.] οὕτω συνεπίςαμαι, *S. Aug.* non enim ſum mecum. *Olymp. & Evagrius partim interpretantur*, non ſic, ut amici mei exiſtimant, *partim conjungunt cum initio ſequentis capitis, quaſi dicat, non ſentire ſe deficientem animam ita, ut corpus: & ita etiam conjungitur in aliqua editione.*

CAP. X.

(*a*) DImittam ſuper me.] ἐπ' αὐτόν. *Comm. græca, & Compl. habent*, ἐπ' ἐμαυτὸν, *quod etiam eſt expreſſius. S. Aug.* Proferam contra me ſermones. (*b*) Noli me docere.] *Aquila*, μὴ καταδικάσεις με, non condemnabis me. (*c*) Aut bonum eſt tibi.] *Schol.* μή τι ἀγαθόν σοι, ὅταν συκοφαντήσῃς; nunquid bonum tibi, cum calumniatus fueris? *Complutenſis*, ἦ καλόν σοι ἐὰν συκοφαντήσω, nunquid bonum tibi, ſi calumniatus fuero? (*d*) Plaſmaverunt me.] *Schol.* ἡτοίμασαν, apparaverunt. (*e*) Poſtea mutans.] *Aquila, & Theodotio*, ἅμα κύκλῳ κατεπόντισάς με, ſimul in circuitu abſorbuiſti me. (*f*) Conſeruiſti.] ἐνεῖρας. *Schol.* ἤτοι συνέρραψας, ſcilicet conſuiſti, *quod etiam eſt in Complutenſi.* (*g*) Non inſontem me feciſti.] *Didymus*, cæteri dixerunt, οὐκ ἀθωώσεις με, οὐ καθαρίσεις με, non inſontem facies me, non mundabis me. (*h*) Et ſi juſtus fuero, non poſſum ſuſpicere.] *S. Aug habet*, reſpirare. *Aquila*, καὶ δικαιωθεὶς οὐκ ἀρῶ κεφαλήν, & juſtificatus non tollam caput. *Complutenſis priorem partem habet, ut noſtra: ſecundam vero hoc modo*, οὐ δύναμαι ἆραι κεφαλήν, non poſſum caput tollere. (*i*) Et capior.] *Polychronius*, manifeſtius autem eſt in hebræo, ἐάν τε γάρ, φησὶν, εὐσθενὴς ὦ, ὡς λέων, πάσεις με, ſive enim, inquit, validus fuero, ut leo, capies, & opprimes me. (*k*) Iterum enim commutans.] *S. Aug.* iterum autem commutatus ſæviſſime crucias me. *Aquila, & Theodotio*, καὶ ἐπιςρέψας ἐθαυμάςωσας ἐν ἐμοὶ, & reverſus mirificaſti in me. (*l*) Inſtaurans in me examen meum.] *S. Aug. videtur habere*, inſtaurans in me tormenta mea. *Symmachus*, μάρτυράς σου κατέναντί μου αὐξάνων, teſtes tuos contra me augens. (*m*) Parva vita temporis mei.] *Plerique libri habent*, ὀλίγος ἐςὶν ὁ χρόνος τοῦ βίου μου, parvum eſt tempus vitæ meæ, *& ſic Beatus Auguſtinus.* (*n*) Requieſcere.] *S. Aug.* patere me, donec requieſcam puſillum, antequam eam in pœnas, unde reverti non licet. (*o*) Caliginoſam.] καὶ γνοφεράν. *Symmachus*, σκεπομένην θανάτῳ, opertam morte. (*p*) Ad terram tenebrarum.] *Polychronius*, hebræus, εἰς γῆν σκοτεινὴν, ὑπὲρ τὸ σκότος, ad terram tenebroſam ſuper ipſas tenebras. *Olympiodorus autem in hunc locum*, ὅπου τάξις ἡλίου καὶ ἄςρων οὐκ ἔςι, οὔτε τῶν ἀνθρωπίνων πραγμάτων, ubi neque ſunt ordines ſolis, & ſyderum, neque rerum humanarum.

CAP. XI,

(*a*) QUi multa dicit.] *Symmachus*, μὴ ὁ πολυλάλος ἀναντίρρητος ἔςαι; nunquid multiloquus & verboſus erit hujuſmodi, cui non reſpondeatur? (*b*) Sed quomodo.] *Ita S. Aug. Schol.* ἀλλ' εἴθε δή, ὅπως ἄν, ſed utinam detur aliquo utique modo. (*c*) Virtutem ſapientiæ.] δύναμιν σοφίας. *Aquila*, ἀπόρρητα σοφίας, *ſed fortaſſe Compl. codicem habuerunt in quo Aquilæ verba integriora eſſent: ita enim illi*, ἀπόρρητα σοφίας, ſecreta ſapientiæ. (*d*) Quæ peccaſti.] *Schol.* παρεωραμένα, quæ deſpexiſti, ac per imprudentiam admiſiſti. (*e*) Sublime eſt cœlum.] *Schol.* μετεωρότητας οὐρανῶν τίς κατεργάσῃ; ſublimitates cœlorum quis operabitur? *Symmachus*, ἀπορήσεις, πῶς ἂν ἐφίκοιο, dubitabis, quomodo utique pervenias. (*f*) Natat ſermonibus.] νήχεται λόγοις. *S. Aug.* mutat ſermonibus. *Schol.* θρασύνεται, confidit. (*g*) Et extendis?] *Symm.* ἁπλώσεις πρὸς αὐτὸν τὰς παλάμας σου, expandes ad eum palmas tuas. *Theodotio*, ἐπέτασας, expandiſti. (*h*) Et iniquitas.] ἀδικία γὰρ ἐν διαίτῃ σου μὴ αὐλισθήτω. *Schol.* μὴ σκηνωσάτω ἐν σκέπῃ σου παρανομία, *quod idem fere eſt.* (*i*) De meridie autem.] *S. Aug. videtur hoc loco habuiſſe*, ante illuminationem præibit. (*k*) Apparebit tibi pax.] *Aquila*, ἐν ἐλπίδι κοιμηθήσῃ, in ſpe dormies. (*l*) Transmutati autem multi.] *S Aug.* & rogabunt faciem tuam multi, *quod proprius ad hebræum.* (*m*) Oculi.] *Theod.* οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτῶν ἐκλείψουσιν, oculi eorum deficient.

CAP. XII.

(*a*) MOrietur ſapientia.] τελευτήσει σοφία. *Aquila*, τελειώματα σοφίας, perfectiones ſapientiæ. (*b*) Ab aliis] *In aliis libris eſt*, ὑπ' ἄλλους, ſub aliis. (*c*) Auris quidem.] *Teſtatur Chryſoſtomus in quibuſdam exemplaribus, pro*, οὖς, *eſſe*, νοῦς, mens. (*d*) In multo tempore.] *Aquila*, ἐν παλαιοῖς, in antiquis. *Symmachus*, ἐν μακροχρονίοις, in longævis. (*e*) Qui ducit] *Ita S. Aug. Aquila*, ἀπάγων συμβούλους λάφυρα, qui abducit conſiliarios ſpolia. *Symmachus*, διάγων βουλευτικοὺς εἰς ἀβουλίαν, adducens eos qui prudenter deliberant, in conſilii inopiam. (*f*) Baltheo.] *Sic S. Auguſtinus, quod græce eſt*, ζώνην. *Symmachus*, καὶ περιζωννύων αὐτοὺς σχοινίῳ κατὰ λαγόνων, & circumcingens eos fune ſuper lumbos, *quod Scholiaſtes inquit, dictum eſſe, pro*, μεταβάλλων αὐτοὺς εἰς οἰκέτας, commutans eos in famulos. (*g*) Qui permutat.] *Ita S. Aug. Symm.* περιτρέπων χείλη ἀπλανήτων, evertens labia non errantium, *id eſt, inquit Scholiaſt.* καὶ τῶν δοκούντων εἶναι ἀπλανεςάτων τὰς βουλὰς εἰς τοὐναντίον μεθίςησιν, ὡς ἐπὶ τοῦ βαλαὰμ πεποίηκε, & eorum qui minime omnium videntur errare, conſilia in contrarium convertit, ſicut fecit in Balaam. (*h*) Senum cognovit.] *Quare cum a principio, inquit Scholiaſtes, eorum machinationes cognoverit*, δύναται ἀνατρέπειν ταύτας, poteſt illas ſubvertere. *Symmachus autem*, καὶ ἐπιςήμην γερόντων ἀφαιρῶν, & ſcientiam ſenum auferens. (*i*) Permutans corda.] διαλλάσσων καρδίας. *Aquila*, ἀφιςῶν, removens, *& Theodotio*, μεθιςῶν, transferens: *Symmachus*, περιτρέπων, evertens. *Apud S. Aug. legitur*, reconcilians corda principum populi terræ: eduxit autem eos in viam, quam non noverant. (*k*) Palpent.] *Schol.* ψηλαφῶντας, palpantes. (*l*) Errent.] *Schol.* πλανωμένους, errantes. *In alio Scholio declaratur id non eſſe dictum optando, ſed demonſtrando id quid ſit*, τουτέςι ψηλαφῶσι, καὶ πλανῶνται, *id eſt*, palpant, & errant.

CAP.

CAP. XIII.

(a) VIdit.] ἑώρακε, *in aliquo codice, & vulgatis editionibus eſt*, τεθεώρηκε, contemplatus eſt. (b) Vos autem eſtis medici.] *Symmachus* προστίθεσθε ψεύσματι, ϗ ἰατροὶ ἐπίπλαστοί μου κατασκευάζοντες ἄλογα, addicti eſtis mendacio, & medici concinnatores mei, apparantes abſurda. (c) Subtrahetis vos.] ὑποστελεῖσθε. *S. Auguſt. habet*, an ſubtrahitis vos judices fieri? *Olympiodor.* Theodotio reddidit, ἢ πρόσωπον αὐτοῦ λαμβάνετε, an perſonam ejus accipitis: hebræus autem, δυσωπεῖσθε, veremini, confundimini. (d) Quod & ſi occultas] *Symmachus*, μὴ κρύφα πρόσωπον αὐτοῦ δυσωπηθήσεσθαι; μὴ οὐχὶ ἡ κίνησις αὐτοῦ πτοήσει ἡμᾶς; an occulte perſonam ejus verebimini? Nunquid non motio ejus exterrebit vos? *Polychronius*, hebræus autem, ἐὰν ἀποστρέψῃ πρόσωπον αὐτοῦ, ταραχθήσεσθε, ſi averterit faciem ſuam, turbabimini. (e) Quia nunc obmuteſcam, & deficiam.] *Olympiodorus*, Hebræus habet, ἵνα μὴ λαλήσω, ut ne loquar. (f) Duo autem mihi præbeas.] *Olympiodorus*, Aquila, & Theodotio, pro, δυεῖν δέ μοι χρήσῃ, reddiderunt, πλὴν δύο μὴ ποιήσῃς μετ᾽ ἐμοῦ, tantummodo duo ne facias mecum, *quod tamen idem valet: duo enim poſtulat ſibi concedi, ut duo illa ne faciat ſecum, quæ paulo poſt ſubjungit.* (g) Tunc a facie.] *Olympiodorus*, Hebræus, pro, οὐ κρυβήσομαι ἀπὸ τοῦ προσώπου σου, habet, οὐκ ἐκκλινῶ, non declinabo, id eſt, ἐξεναντίας σοι εἰς κρίσιν ἐλεύσομαι, ἐὰν τὰ δύο ταυτὶ παράσχοις, ex adverſo veniam tibi ad judicium, ſi duo hæc præbueris. (h) Aut loqueris.] *Olympiodorus*, cæteri manifeſtius reddiderunt, λαλήσω ϗ ἀποκρίνῃ μοι, loquar, & reſpondebis mihi. (i) Impedimento.] ἐν κωλύματι. *Symmachus*, ἐν ταλαιπωρίᾳ, in anguſtia & miſeria. *Aquila*, ὡς ἀπὸ ξύλου εἱρκτῆς, ſicut de ligno carceris. *Schol.* Aquila ſic reddidit, ϗ ἔθηκας ἐν ξυλοπέδῃ τὸν πόδα μου, & poſuiſti in cippo pedem meum. *Aliud Scholium*, ἐν ποδοκάκῃ, in compede, *& ſic S. Auguſtinus.* (k) Et ad radices.] *Didymus*, hebræus autem, τὰ δὲ ἴχνη τῶν ποδῶν μου περιχαράττεις, & veſtigia pedum meorum circum imprimis. *S. Auguſt. habet*, & radices pedum meorum contemplatus es. (l) Sicut uter.] *Symmachus*, ὁμοίως σηπεδόνι, ſicut putredo. *S. Auguſt.* qui veteraſco, ſicut uter.

CAP. XIV.

(a) PLenus iracundiæ.] *Aquila*, πλήρης κλονήσεως, plenus commotionis, & turbationis. (b) Ab eo.] *In commentariis græcis, & in Complut. eſt*, παρὰ σοὶ, *& ita S. Aug.* apud te. (c) Ab eo.] *Sic etiam S. Aug. Chryſoſt. autem cum hanc eandem lectionem agnoviſſet, addit, in quibuſdam exemplaribus legi*, ἀπόστα ἀπ᾽ ἐμοῦ, ἵνα ἡσυχάσω, ϗ εὐδοκήσω τὸν βίον μου, ὥσπερ μισθωτός, recede a me ut requieſcam, & placem vitam meam, ſicut mercenarius: *& ſic videtur legiſſe Polychr.* (d) Germen.] ὁ ῥάδαμνος. *Polychr.* ῥάδαμνον, vocat, κλάδον, τὸν μετὰ τὴν ἐκτομὴν φυόμενόν τε ϗ αὐξανόμενον, id eſt, ramum, qui poſt exciſionem & pullulat, & creſcit. (e) In petra autem.] *Polychr.* hebræus habet, ἐν σποδιᾷ, in cinere. Aquila autem & Theodotio dixerunt, alter quidem, ἐν χοΐ, alter autem, ἐν τῷ χώματι, id eſt, in pulvere, aut humo egeſta, concinentes & ipſi hebræo: qui etiam, pro, ῥάδαμνος, reddiderunt, ὁ κορμὸς, truncus, ſtipes. Rurſus autem græcus quidem dixit, ποιήσει θερισμὸν, faciet meſſem, nimirum a fine ipſo, hebræus autem a re ipſa, ποιήσει καρπὸν, faciet fructum, ſervatur autem in utroque eadem ſententia. (f) Rarefit mare.] *S. Auguſt. habere videtur*, tempore enim minuetur mare: nam poſt impletur: *niſi hæc poſterior ſententia, ad explanationem ab ipſo adjungitur: nam & Chryſoſt.* θάλαττα μὲν γὰρ σπανίζεται, ϗ πάλιν πληροῦται, nam mare quidem minuitur, & rurſus impletur, *idemque de fluviis affert. Symm. autem*, ὡς ἐκρεῖ ὕδατα ἀπὸ θαλάσσης, ſicut effluunt aquæ de mari, *ſicut inquit Polychronins, fluxus deſcendens e ponto.* (g) Fluvius deſolatus.] *Schol.* χειμάῤῥους, torrens: *& ita notat Polychr. eſſe in hebræo.* (h) Cœlum non ſit conſutum.] ἕως ἂν οὐρανὸς οὐ μὴ συῤῥαφῇ. *Apud S. Auguſt. legitur*: Uſquequo cœlum eſt, non conſuetur ad novum. *Ac certe Polychr. videtur aliquid aliud in ſuo codice habuiſſe. Ita enim inquit*, ϗ ἕως ἂν ὁ οὐρανὸς παλαιωθῇ, ϗ ὁ κόσμος συνέστηκε. τουτέστιν, ἕως συντελείας. οὐ μὴ συῤῥαφῇ, ἀντὶ τοῦ, οὐ μὴ συναρμοσθῇ. συῤῥαφὴν γὰρ εἶπε τὸν εἱρμὸν τῶν ζεύξεων τῶν μελῶν, quoaduſque cœlum inveteraverit, & mundus conſtiterit, id eſt, uſque ad conſummationem, non conſuetur, pro, non redibit ad harmoniam ſuam: futuram enim dixit ſeriem jugationum, & commiſſurarum ipſorum membrorum. (i) Suſtinebo donec.] *Chryſoſt.* Aquila, & Theodotio, & Symm. illi quidem dixerunt, ἐλπιῶ ἕως ἂν ἔλθῃ τὸ ἄλλαγμά μου, ſperabo quoaduſque venerit mutatio mea: hic vero, ἕως ἂν ἔλθῃ ἡ ἁγία φύσις μου, donec veniat ſancta nativitas mea. (k) Et patientiam.] *Symm.* προσδοκίαν ἑκάστου ἀνδρὸς ἀπολέσεις, expectationem cujuſque viri perdideris. *S. Aug.* ſpem hominis perdidiſti. *Docet autem Olymp. ex his ſignificari ſine auxilio divino hominem nihil eſſe neque poſſe ſuſtinere tentationem tempeſtatis. Polychronius autem, montes, etiam ſi cadant, & petram, etiam ſi veteraſcat, non omnino deleri, hominem autem penitus aboleri, & nullas illius eſſe reliquias, nimirum quoad corpus.* (l) Adjeciſti ei faciem.] *Olymp* minaciter, & auſtere eum inſpexeris. *S. Aug. habet*, mutaſti faciem ejus. (m) Ploravit.] *In aliquibus libris eſt*, ἐπ᾽ αὐτοῦ ἐπένθησεν, ſuper ſe ploravit. *S. Auguſt. videtur in verbis proxime præced. habuiſſe illud*, ἐπ᾽ αὐτῷ, *nam ſic refert*, ſed carnes ejus ſuper eum doluerunt.

CAP. XV.

(a) SPiritus] πνεῦμα. *Complutenſis habet*, πνεύματος. *Interpretatur S. Auguſt. Job, quia implet ventrem dolore, non reſpondere ſpiritu ſcientiæ. Chryſoſt. autem videtur interpretari ſcientiam ſpiritus, vanum quiddam, & ventoſum.* (b) Et implevit.] *S. Auguſt. habet*, & implevit dolore ventrem. *In comm. græcis in textu eſt*, πόνων, *ſed ad eum locum Chryſoſt. manifeſto habet*, πόνον, *& interpretatur hoc eſſe, amare loqui*, ὥστε ἐκπλῆσαι τὸν πόνον, ϗ τὸν καύσωνα τῆς ἑαυτοῦ διανοίας, ut expleat dolorem, & æſtum mentis, ſuæ atque ægritudini ſuæ morem gerat. (c) Repuliſti] οὐ ϗ σὺ ἀπεποιήσω. *Theod.* οὐ γὰρ σὺ παρῃτήσω φόβον, non enim tu rejeciſti timorē. (d) Conſummaſti autem.] συντετελέσω. *Symm.* ϗ ἀναίδην ὡμίλησας ἐναντία τῷ θεῷ & impudenter locutus es contra Deum. *S. Auguſt* & elegiſti linguam malorum. (e) Concretus es?] *Sic S. Auguſt. quod græce eſt*, ἐπάγης, *pro quo notat Polychronius hebræum habere*, συνελήφθης, conceptus, & formatus es. (f) Conſtitutionem.] σύνταγμα. *Aquila*, ἀπόῤῥητα, arcana, ineffabilia: *Theodotio*, μυστήριον, myſterium. *Symm.* ὁμιλίαν, colloquium. (g) Gravior.] βαρύτερος. *Symmach.* πολυχρονιώτερος, longævior. (h) Quid auſum fuit.] *Symm.* τί ὅτι ἐπῆρέ σε ἡ καρδία σου; quid, quod extulit te cor tuum? (i) Tulerunt.] ἐπήνεγκαν. *In comm. græcis eſt*, ὑπήνεγκαν, *& ita S. Auguſt.* ſuſtinuerunt. (k) Quis enim cum homo ſit.] τίς γὰρ ὢν βροτὸς, ὅτι ἔσται ἄμεμπτος; *Apud S Aug. legitur non ſine mendo, ut videtur*, quid eſt cur homo, ut ſit ſine crimine? *in Commentariis non eſt particula illa*, ὅτι, quia. *Didymus*, τίς γὰρ, φησὶν, ἄνθρωπος ὢν δύναται ἄμεμπτος εἶναι, ἢ ἐπαγγέλλεσθαι, ὅτι δίκαιος ἔσομαι, ὡς σὺ σαυτὸν νομίζεις; Quis enim, inquit, cum homo ſit, poteſt ſine crimine eſſe, aut polliceri ſe fore juſtum, prout tu teipſum putas? (l) Si in ſanctis non credit.] κατὰ ἁγίων οὐ πιστεύει, *ſimili locutione uſus eſt ſupra cap. 4. S. Auguſt. habet*, ſi in ſanctis ejus non eſt fides, *Symm.* ἰδοὺ ἐν ἁγίοις αὐτοῦ οὐδεὶς ἄτρεπτος, οὐδὲ οὐρανὸς ἄσπιλος, πόσῳ μᾶλλον ἄνθρωπος; ecce in ſanctis ejus nullus eſt immutabilis, neque cœlum ſine macula: quanto magis homo? (m) Sine vero.] ἔα δέ. *Polychronins*, iſtud ſane, ἔα, uſus ſermonis & conſequutio poſtulat, ut valeat idem, atque, πόσῳ μᾶλλον, & μήτιγε, quanto magis, & nedum; ſed communis conſuetudo, ἄφες, ſine, dimitte. (n) In ſolitudine.] ἐν φροντίδι. *Aquila*, ἐν ὀδύνῃ, in dolore. *Theodotio.* ματαιοῦται, fruſtratur, evaneſcit. *Symm.* ἀλαζονεύεται, effertur arrogantia. (o) Numerabiles.] ἀριθμητὰ, numerati. *Symm.* ϗ ἀριθμὸς ἐτῶν κεκρυμμένος ἰσχυρῷ, & numerus annorum occultatus eſt forti. (p) Subverſio [καταστροφή. *Didymus*, hebræus, ἡ σκύλευσις, vaſtatio. (q) Decretus.] *Symmachus*, προεσκοπεύθη γὰρ εἰς μάχαιραν, *præviſus enim eſt ad gladium.* (r) Quia operuit faciem ejus.] *Ita S. Auguſt. quod græce eſt*, τὸ πρόσωπον αὐτοῦ, *& interpretatur*, abſcondit a ſe Deum, *ſed illud*, αὐτοῦ, *poteſt etiam ſignificare*, ſuam. *Notat Olympiodor. pro hoc in hebræo eſſe*, τὴν καρδίαν, cor: *ut intelligatur facultatem animæ videntem, & conſiderantem, cæcatam eſſe a deliciis, & ſaturitate.* Prodit (Olympiod.) iterum inſcitiam ſuam cæcus de coloribus, ut aiunt, & iſte & alii loci declarant rerum Hebraicarum imperitum fuiſſe. *Druſ. Symm.* ἐπεκαλύφθη γὰρ, coopertus eſt enim. (s) Periſtomium.] *S. Aug. habet.* capiſtrum, *Olymp.* in hebræo eſt, πιμελὴν, ϗ διπλοΐδα, pinguedinem, & craſſum pannum, *id eſt, edacitati & carni ſe totum dedidit, ut vel deploidas haberet ſuper femora ex carnis copia. Symm.* ϗ ἐπάχυνε πιμελὴν κατὰ τὰς ψόας, & incraſſavit adipem ſupra lumbos: *in aliquibus autem codicibus ſequitur*, αἶνος δὲ αὐτοῦ ὕβρις, laus autem ejus contumelia. *Et exponitur a Polychronio*: qui enim cum injuſtitia vivit & pietatem ſimulat, contumelia, non honore, afficit Deum. (t) Condenſabitur.] πυκάσῃ. *Symm.* οὐκ εὐθαλήσει, non virebit, non floreſcet. (u) Teſtimonium.] *Chryſoſt.* id eſt, indicium impietatis hominum eſt mors eorum, & turpis exitus. (x) Concipiet.] *Aquila*, συνέλαβε, ϗ ἔτεκε ἀνωφελὲς, concepit, & peperit rem inutilem. *Schol.* ϗ δόλον ἔχων ἐν ἑαυτῷ βουλεύεται πῶς τινας ὀδυνήσῃ, & dolum habens in ſeipſo, deliberat quo pacto alium lædat: κοιλίαν autem vocat totum illud quod intus eſt, & animam ipſam: δόλον autem omnem iniquitatem: atque illud, ὑποίσει δόλον, dictum eſt, διὰ τὸ ἐκ προαιρέσεως ὑποδέχεσθαι τὰ κακά, eo quod conſulto ſuſcipiat mala.

CAP. XVI.

(a) COnſolatores malorum] *Aquila*, παράκλητοι πόνων, conſolatores laborum. *Theodotio*, παράκλητοι κόπων, conſolatores moleſtiarum, *& eſt hebraiſmus, id eſt, conſolatores mali, laborioſi, moleſti: ſic Olymp.* κακοὶ παρακλήτορες, *quamvis Greg. interpretetur*, παρακλήτορας οὐ θεραπευτάς. *Symm.* παρηγοροῦντες πάντες ἐπαχθεῖς ἐστε, conſolatores omnes odioſi eſtis. (b) Si ſubjecta eſſet.] *Ita S. Auguſt. græce eſt*, εἰ ἐπέκειτο. *Olympiod.* illud, εἰ, poſitum eſt pro, εἴθε, utinam: ita enim reddidit Symmachus. Aquila autem ὄφελον, quod item valet, utinam. *Chryſ.* Alius autem ex interpretibus ſic reddidit, εἰ ὑμεῖς τοῖς ἐμοῖς ὑπέκεισθε πάθεσιν, ἑτέροις προσεφθεγγόμην ἂν ὑμῖν λόγοις, ϗ ἐκίνησα ἂν ἐφ᾽ ὑμῖν τὴν κεφαλὴν (συμπαθῶς δηλονότι) ϗ ἐπέῤῥωσα ἂν ὑμᾶς ἐν τῷ στόματί μου ἀνθ᾽ οὗ οἱ ἑβδομήκοντα, εἴη δὲ ἰσχὺς ἐν τῷ στόματί μου, ſi vos meis ſubjecti eſſetis paſſionibus; aliis profecto ſermonibus ad vos acceſſiſſem, & moviſſem ſuper vos caput (videlicet condolenter) & roboraſſem vos in ore meo: pro quo lxx. dixerunt, ſit autem fortitudo in ore meo. (c) Non dolebo vulnus.] *Scholiaſtes inquit, legendum eſſe per interrogationem, quaſi ſignificet*, omnino dolebo. *Symm.* οὐκ ἐνδώσει ὁ πόνος μου, non cedet, neque miteſcet labor meus. (d) Stultum, putrem.] *S. Auguſtinus*, nunc autem laſſavit me: & fecit ſtultum, & putrem. *Olympiodorus & Chryſoſt.* μωρὸν γὰρ ἐνταῦθα ἀντὶ τοῦ ἀναίσθητον εἶπε. διὸ συνῆψε τούτῳ τὸ, σεσηπότα, διὰ τὸ τὰ σεσημμένα τῶν μελῶν ἀφῃρῆσθαι τὴν αἴσθησιν, fatuum enim hic dixit pro ſtupidum, & ſenſus expertem: quamobrem huic conjunxit putrem: propterea quod membra putrefacta amiſerunt ſenſum? (e) Et apprehendiſti me.] *Ita S. Auguſt. Chryſoſt. autem.* Quædam exemplaria, pro ἐπελάβου, (quod quidem Symm. reddidit, κατέδησάς με ἀδιαλείπτως ἐν ζυγῷ, colligaſti me aſſidue in jugo) habent, ἐπελάβετό μου, apprehendit me, ἀληθεστέρα δὲ ἡ προτέρα ἐκδοχή. (f) In teſtimonium fuit.] *Multi codices habent*, ἐγενήθην, *& S. Auguſtinus*, in teſtimonium factus ſum. (g) Et ſurrexit ſuper me.] *Polychr.* βούλεται δὲ εἰπεῖν, ὅτι ὑμεῖς ἀντέστητε ψευδόμενοι κατ᾽ ἐμοῦ, ἥκιστα μὲν τὴν ἀλήθειαν αἰδούμενοι, σὺν πολλῷ δὲ θράσει τὴν πρὸς ἐμὲ ἀντιλογίαν ποιούμενοι. Hoc autem ſibi vult; vos inſurrexiſtis mentientes adverſum me, minime quidem veritatem reveriti, ſed multa cum audacia mihi contradicentes. *Symmachus*, ϗ ἀνέστη μοι καταψευδόμενος, κατὰ πρόσωπόν μου ἀντιλέγων μοι, & ſurrexit in me mentiens, in faciem meam contradicens mihi. (h) Acie oculorum irruit.] *Sic S. Aug. quod græce eſt*, ἀκίσιν ὀφθαλμῶν ἐνήλατο, ſpiculis oculorum irruit. *Symm.* οἱ ἐναντίον μου ὤξυναν τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῶν, ἕκαστος εἰς ἐμὲ, adverſarii mei acuerunt oculos ſuos, unuſquiſque in me. (i) Mucrone.] ὀξεῖ. *S. Auguſt.* acriter, *& apud ipſum hæc videntur antecedere*, ruina mihi fuit aſpectio ejus, *& in hebræo eſt aliquid, cui nonnihil videntur reſpondere. Schol. ad illud*, ὀξεῖ, σφοδρῶς, φησὶν, ἔπληξέ με, ὡς ἐκλελύσθαι μου τὰ γόνατα, ϗ καταπεσεῖν, valide, inquit, percuſſit me, ita ut diſſolverentur genua mea, & corruerent. (k) Et ſuper impios.] *Symm.* εἰς χεῖρα ἀσεβῶν ἔβαλέ με, in manus impiorum jecit me. (l) Tenens me coma.] λαβών με τῆς κόμης διέτιλε. *S. Aug.* & tenens comam, eam divellit. *Olymp.* Hebræus, λαβών με τοῦ τένοντος διετίναξεν, tenens me cervice concuſſit, & quaſi vibravit. (m) Umbra.] *Olymp.* alia exempl. habent,

bent, σκιὰ θανάτου, *& ſic S. Auguſt.* & ſuper palpebram meam umbra mortis, *habet etiam Compl. illud.* θανάτου. (*n*) Terra ne operias.] *S. Auguſt. habet*, operiar. *Compl.* ἐπικαλύψαι, operiat. (*o*) Filii hominis.] *In comm. legitur*, υἱὸς, filius. *S. Auguſt. videtur habere*, dijudicetur vir cum Domino, ſicut filius hominis ad proximum ſuum, *quæ reſpondent vulgatæ, & hebræo.*

CAP. XVII.

(*a*) PReces adhibeo cum labore.] *Sic S. Auguſt. quod græce eſt*, λίσσομαι κάμνων. *Schol.* τὸ λίσσομαι, dixit, *pro*, διαποροῦμαι, hæſito, aporior, aut certe, *pro*, ἀντιβολῶ ταφῇ παραδοθῆναι, ſupplico tradi ſepulchro. (*b*) Et quid feci?] *Sic S. Auguſt. (quamvis in ejus verbis ſubeſſe videatur mendum) quod græce eſt*, καὶ τί ποιήσας. *In pleriſque autem aliis codicibus eſt*, καὶ τί ποιήσω; & quid faciam? (*c*) Abſcondiſti.] *Sic S. Auguſt. quod græce eſt*, ἔκρυψας, *& ſic vulgata, & hebr. In comm. græcis eſt*, ἔκρυψαν, abſconderunt cor ſuum, *idque duobus modis Polychronius interpretatur.* (*d*) Parti annunciabit mala.] τῇ μερίδι ἀναγγελεῖ κακίας. *S. Auguſt* partim annuncientur mala, *quamvis ex interpretatione intelligatur legendum*, parti. *Sed Polychronius ita interpretatur de impio*, τὸ αὐτοῦ πάθος ἀναγγελεῖτο τῇ μερίδι τῆς κακίας, τουτέστι τοῖς ὁμοτρόποις αὐτοῦ, ſuam ipſius pœnam annunciet parti improbitatis, id eſt, iis qui ſimilibus morati ſunt moribus. (*e*) Et oculi ſuper filios.] *S. Auguſt habet*, & oculi ſuper filios eorum tabuerunt, *ubi vulgata*, & oculi filiorum ejus deficient. *In comm. græcis, & Complut. eſt*, ὀφθαλμοὶ δέ μου ἐφ' υἱοῖς ἐτάκησαν, oculi autem mei ſuper filios tabuernnt: *& Schol. interpretatur*, ἐπὶ τῇ τῶν τέκνων ἀθρόᾳ τελευτῇ, ſuper repentino omnium ſimul filiorum obitu. (*f*) Fabulam.] θρύλλημα. *S. Auguſt. habet*, in loquelam. *Polychronius*, cæteri παραβολήν, parabolam. (*g*) Teneat autem fidelis.] *Theodotio*, καὶ ἀνθέξεται δίκαιος τῆς ἑαυτοῦ ὁδοῦ, & inhærebit juſtus viæ ſuæ. (*h*) Et rupti ſunt articuli.] ἐρράγη δὲ τὰ ἄρθρα. *S. Auguſt.* & convulſæ ſunt compages cordis mei. *Polychronius*, hoc dictum putabimus pro ὑπὸ τῆς ἀθυμίας, μικροῦ, καὶ εἰς παραφρόνησιν ἐχώρησα. præ mœrore parum abfuit quin in dementiam abierim. (*i*) In diem poſui.] *Apud S. Auguſt. legitur*, noctem in diem verterunt, *prout eſt in vulgata: ſed omnes collati codices græci conſentiunt, & Olymp. interpretatur, Job ex nocte facere diem: quoniam per noctem non minus, quam interdiu, vigilat, ac præ mœrore lux ei parum videtur abeſſe a tenebris.*

CAP. XVIII.

(*a*) USa eſt te ira.] κέχρηταί σοι ὀργή. *Notat Olymp. & per interrogationem poſſe legi, quaſi dicat, nunquid Deus te in ira uſus eſt, ſicut dixiſti? & per affirmationem, ut intelligatur iram uſam eſſe ipſomet Job, tanquam organo ad ipſius animam afflictandam: quam ſententiam inquit reſpondere editioni Theodotionis qui ita eſt interpretatus*, διαρπάζων ψυχὴν αὐτοῦ ἐν θυμῷ αὐτοῦ, rapiens animam ſuam in furore ſuo. (*b*) Non procedet.] οὐκ ἀποβήσεται. *Theodotio*, οὐ λάμψει, non lucebit. (*c*) Erret autem.] σφάλαι δέ. *Theodotio*, καταρράξει αὐτὸν, præcipitabit eum conſilium ejus. (*d*) Immiſſus eſt.] *Ita S. Auguſt. quod græce*, ἐμβέβληται, *in comm. græcis, & in Complut. eſt*, ἐμβληθείη, immittatur. (*e*) Sitientes.] *S. Auguſt. habet*, ſitiens, *ſed videtur mendum librarij: ita enim legunt interpretes græci & explicant, fore ut Deus roboret eos qui cupiunt expleri bonis impii, atque ei nocere.* (*f*) Semita.] ἐπὶ τρίβον, *in comm. græcis, & Complut. eſt*, ἐπὶ τρίβων, *& ſic S. Auguſt.* in ſemitis. (*g*) Et multi circa pedes ejus.] *Ita S. Aug. Chryſoſt.* alia autem exemplaria ſic habent, πολλῶν δὲ περὶ πόδας ἔλθοι ἐν λιμῷ στενῷ, & ad pedes multorum veniat in anguſtia famis: *neque tamen alteram editionem damnat; ut intelligatur multos ad ejus pedes venire*, ὑποσκελίζοντας αὐτὸν ἐν τῇ καταλαμβανούσῃ αὐτὸν συμφορᾷ, ſubvertentes eum in ea quæ ipſum comprehendit, calamitate. (*h*) Et teneat eum neceſſitas cauſa regali.] αἰτίᾳ βασιλικῇ. *S. Auguſt. habet*, cauſæ regalis, *in comm. græcis eſt*, αἰτία βασιλική, cauſa regalis, *id eſt, inquit Schol. non ſolum ab inferioribus iniquus patietur gravia, ſed etiam ab iis qui rerum potiuntur, in calamitates devolvetur. Aquila*, καὶ ἐπιβήσεται αὐτῷ τοῦ βασιλέως ἀνυπαρξία, *id eſt, inquit Scholiaſtes*, a Rege ſuperveniat ei bonorum ſpoliatio, *quamvis & aliis modis exponi poſſit.* (*i*) In nocte ejus.] *Sic etiam S. Auguſt. Chryſoſt.* Alia exemplaria habent, ἐν σώματι αὐτοῦ, in corpore ejus, quaſi nihil reliqui haberet præter corpus: & cum hac ſententia conſentit Theodotio, ita dicens, κατασκηνώσει ἐν τῇ σκηνῇ αὐτοῦ ἀνυπαρξία, habitabit in tabernaculo ejus inopia. Hebræus autem habet, κατασκηνώσει ἐν σκηναῖς οὐκ αὐτοῦ, habitabit in tabernaculis non ſuis. (*k*) Aſpergentur ſpecioſa ejus ſulphure] *Sic* S. *Auguſt. In comm. græcis, & Compl. eſt*, ἐν θείῳ, in ſulphure. *Theodotio*, λικμηθήσεται ἐπὶ ὡραιότητι αὐτοῦ, cribrabitur, & ſpargetur in ſpecie ejus. (*l*) Super faciem extra.] καὶ ὑπάρξει ὄνομα αὐτῷ ἐπὶ πρόσωπον ἐξωτέρω, *quod poſſet etiam verti*, extraneo, *ſed Olymp. ita interp.* τὸ ὄνομα αὐτοῦ οὕτως ἔσται σκαιὸν, καὶ ἀποτρόπαιον, ὡς ἕκαστον ἀκούοντα τῆς προσηγορίας στρέφειν ἐξωτέρω τοῦ λέγοντος τὸ ἑαυτοῦ πρόσωπον, μυσαττόμενον καὶ αὐτὴν τὴν ὀνομασίαν αὐτοῦ, nomen ejus ita erit ſiniſtrum, & averſandum, ut quiſquis audiat ipſam appellationem, avertat ſuam ipſius faciem extra a dicente, deteſtatus vel ipſam ejus mentionem. *Symm.* καὶ οὐκ ἔσται ὄνομα αὐτοῦ ἐπὶ πρόσωπον ἀγορᾶς, & non erit nomen ejus ſuper faciem fori, *nec multo aliter S. Auguſt.* & non ſit nomen ejus in facie platearum. (*m*) Expellat eum.] *In comm. græcis eſt*, ἀπώσειαν αὐτὸν, expellant eum. *In Complut. autem poſt iſtum verſiculum hæc ſequuntur*, καὶ ἀπὸ τῆς οἰκουμένης μετῴκισαν αὐτὸν, & ex orbe tranſtulerunt eum. *Quæ reſpondent hebræo.* (*n*) Non erit cognominatus in populo ſuo, neque domus ejus ſalvata in ea quæ ſub cœlo.] *S. Auguſt. videtur habuiſſe* & non ſit cognominatio in populo ſuo, neque reſalvetur ſub cœlo domus ejus. *Aquila*, οὐ γονεῖς αὐτῷ, καὶ οὐκ ἔγγονον ἐν τῷ λαῷ αὐτοῦ, non filii, (*ſic enim interpretatur Polychronius*) erunt ei, neque nepos in populo ejus. (*o*) Gemuerunt ultimi.] *Aquila*: ἐν τῇ ἡμέρᾳ αὐτοῦ ἀδημονήσουσιν ὕστερον, in die eorum angentur ac diſcrutiabuntur, qui poſt eos nati ſunt.

CAP. XIX.

(*a*) FEcit me.] *In comm. græcis eſt*, ἐποίησέ μοι, *& S. Auguſt.* fecit mihi. (*b*) Loquimini contra me.] *Theod. & Symm.* τοῦτο δέκατον καταισχύνατέ με, jam decies confudiſtis & pudore affeciſtis me? (*c*) Eſto utique καθ' ὑπόθεσιν, *inquit Chryſoſt.* δεδόσθω καθ' ὑμᾶς, ex conceſſione detur ita eſſe, ſicut vos vultis. (*d*) Error.] πλάνος. *Schol.* aut ſecundum cæteros, ἀγνόημα, ignorantia. (*e*) Et inſultatis mihi opprobrio.] *Aquila, & Theodotio*, ἐλέγχετε ἐπ' ἐμὲ ὀνειδισμόν μου, arguitis ſuper me opprobrium meum. (*f*) Qui turbavit.] ὁ ταράξας. *Origines*, hebræus habet, ἔπληξεν, percuſſit, & perdidit. *Addit Scholiaſtes repeti hanc ſententiam, cum in proœmio etiam ſit poſita, ut magis terreat amicos. In hebræo tamen hic tantum eſt.* * Opprobrio.] *S. Auguſt.* opprobria. (*g*) Clamabo, & nuſquam judicium.] *Symm.* ἐὰν κραυγάσω ἀδικούμενος, οὐκ εἰσακουσθήσομαι, ſi clamavero injuria affectus, non exaudiar. (*h*) In vultu meo.] *Sic. S. Auguſt. quod græce eſt*, ἐπὶ πρόσωπόν μου. *Origines*, alii reddiderunt, ἐπὶ ἀτραποὺς, ſuper ſemitas. (*i*) Tentationes.] τὰ πειρατήρια, *quod poſſet etiam verti*, agmina piratarum, *ut alibi notavimus ex Theodoreto in 1. reg. q. ultima. Theodotio*, μονόζωνοι, latrones, milites. *Symm.* λόχοι, inſidiatores, prædones. (*k*) Concubinarum.] *S. Auguſt.* uteri mei, *ut vulgata. Symm.* παίδων μου, puerorum meorum. (*l*) In ſeculum me adverſati ſunt.] *Theod.* καί γε ἄφρονες ἀπώσαντό με, atque etiam inſipientes abjecerunt me. (*m*) In cute mea.] *Aquila*, ἐν δέρματί μου, καὶ ἐν κρέει μου ἐκολλήθη τὸ ὀστοῦν μου, in pelle mea, & in carne mea adhæſit os meum. (*n*) In dentibus hærent.] *S. Auguſt.* in dentibus meis ſunt. *Symm.* καὶ ἐξέτιλλον τὸ δέρμα μου ὀδοῦσιν ἐμοῖς, & evellebam cutem meam dentibus meis. *Schol. inquit, lxx. hoc ſibi voluiſſe, adeo inſanabile eſſe malum, ut neque doloris expertia, cujuſmodi ſunt oſſa, libera ſint a dolore*, ἀλλ' ὡς ὑπ' ὀδόντων τινῶν κατεσθίεται, ſed quaſi a dentibus quibuſdam comeduntur. (*o*) Ad ſuſcitandum.] ἀναστῆσαι τὸ δέρμα μου. *Chryſoſt.* Theodotio quidem ita reddens. ὁ ἀγχιστεύς μου ζῇ, καὶ ἔσχατον ἐπὶ χώματος ἀναστήσει, redemptor meus vivit, & noviſſime ſuper pulverem ſuſcitabit, perſuadet duos verſiculos eſſe conjungendos, atque ita legendum, οἶδα γὰρ ὅτι ἀέναός ἐστιν ὁ ἐκλύειν με μέλλων ἐπὶ γῆς, ἀναστῆσαι τὸ δέρμα μου τὸ ἀνατλοῦν ταῦτα, *quomodo & nos vertimus, ut ſignificetur immortalem Deum, cum Job per mortem reſolverit in terram, rurſus ſuſcitaturum e terra per reſurrectionem, aut a morbo liberatum reparaturum ad priſtinam valetudinem. Scholiaſtes tamen ita interpretatur*, εἴθε ἀναστήσαι θεὸς τὸ δέρμα μου, τὸ ὑπομεῖναν ταῦτα, utinam ſuſcitet Deus cutem meam, quæ ſuſtinuit hæc. (*p*) Et omnia mihi conſumpta ſunt.] *Theodotio*, ἐξέλιπον οἱ νεφροί μου ἐν τῷ κόλπῳ μου, defecerunt renes mei in ſinu meo. (*q*) Quod ſi & dixeritis.] *Symm.* λέγετε δὲ, τί ἐστιν, ᾧ διώξομεν αὐτὸν, dicitis autem, quid eſt, quo perſequemur eum? (*r*) Radicem ſermonis.] *Chryſoſt.* hebræus autem habet, καὶ ἁμάρτημα λόγου, peccatum verbi: *interpretatur autem, quod excutiant ſermonem ejus, & ſcrutentur, quaſi qui radices fodiunt, aut quod indagent, num ſit in eo aliquod peccatum occultum, quaſi radix in terra.* (*ſ*) Cavete & vos a tegmine.] ἀπὸ ἐπικαλύμματος. *Symm.* εὐλαβεῖσθε ὑπὲρ ἑαυτῶν τὴν μάχαιραν, timete pro vobis ipſis gladium. *Putat autem Chryſoſt. dici*, ἐπικάλυμμα, *aut ſimulationem illorum, quod dum Dei cauſam agere videri cupiunt, tam dure ipſum condemnent, vel juſtum Dei judicium*: quoniam, *inquit*, cognoſcemus unuſquiſque eſſe judicium, & punitionem quæ devoret, & conſumat materiam. *Et rurſus inquit*, ὕλην, *videri dici, vel turbam verborum, vel abundantiam divitiarum.* (*t*) Et tunc cognoſcent.] *Chryſoſt.* ſecundum cæteros, ὅπως γνῶτε. ὅτι ἔστι κρίσις, ut ſciatis, quod eſt judicium.

CAP. XX.

(*a*) AB eo quod olim.] ἀπὸ τοῦ ἔτι. *Symmach.* ἀπ' αἰῶνος, a ſæculo. (*b*) Lætitia autem.] *In comm. græcis, & Complut. eſt*, εὐφροσύνη γὰρ, lætitia enim. *Chryſoſt.* manifeſtius hebræus dicit, ἡ γὰρ ἀγαλλίασις, φησὶ, τῶν ἀσεβῶν πρὸς βραχὺ καὶ ἡ χαρμονὴ αὐτῶν πρὸς ῥοπήν, exultatio, inquit, impiorum ad breve, & gaudium eorum ad momentum. συνᾴδει δὲ τούτῳ καὶ ὁ σύμμαχος, καὶ ἀκύλας ὁ μὲν λέγων, Concinunt autem huic & Symmachus, & Aquila, ille quidem dicens, ὅτι εὐθηνία ἀσεβῶν ἐπ' ὀλίγον, quod proſperitas impiornm ad puſillum; ὁ δὲ, hic vero, καὶ εὐφροσύνη ὑποκριτοῦ ἕως ἀθρόου, & lætitia hypocritæ uſque ad momentum. (*c*) Succendant dolores.] πυρσεύσαισαν ὀδύνας, *ipſe enim, inquit Schol. per ſuas ſibi actiones ſuccendit ignem. S. Auguſt. habet.* ſuccendantur doloribus, *Aquila*, ἐπιστρέψουσιν, attrahent. *Symm.* ἐποίσουσιν, inferent. (*d*) Non parcet.] *Ita omnes collati codices: valet enim, ut ait Scholiaſtes*, ἀφειδῶς, καὶ ἀπλήστως, prodige, & inſatiabiliter adhærere improbitati. *S. tamen Auguſt. habet*, parcet ei, *quomodo etiam eſt in vulgata.* (*e*) Colliget.] συνάξει. *in comm. græcis eſt*, συνέξει, *& hanc lectionem ſequitur Polychronius, & S. Auguſt.* & tenebit eam. (*f*) Fel aſpidis.] *Chryſoſt.* hebræus autem ſic habet, καὶ ἐγένετο ἰὸς ἀσπίδων ἐν ἐγκάτοις αὐτοῦ, & fuit fel aſpidum in interioribus ejus. (*g*) De domo ejus.] *Olympiod.* cæteri reddiderunt, ἐκ γαστρὸς, e ventre: *conjungit autem hæc cum ſequentibus, ut etiam S. Aug.* * Extrahet eum.] *S. Auguſt.* protrahit eum. *In aliquot codicibus legitur*, ἐξελκύσαι αὐτὸν, extrahat eum. *Et ipſe etiam Olymp. refert illud*, αὐτὸν, *ad injuſtum, ſed poſſet etiam referri ad*, πλοῦτον, *& eſſet dicendum*, extrahet eas. (*h*) Et furorem draconum ſugat.] *Olymp.* cæteri, χολὴν ἀσπίδων μυζήσει, fel aſpidum ſuget. *S. Auguſt.* & furore draconum fulgebit, *ut pro*, θηλάσειεν, *videatur legiſſe*, τηλαυγήσει. (i) Pabula mellis.] νομὰς μέλιτος. *Sym.* ῥεῖθρα, fluenta. (*k*) Tanquam durum quid.] ὥσπερ στρῖφνος. *Origenes*, στρῖφνος δέ ἐστι τὸ νευρῶδες κρέας τῶν βοῶν. ἔτι δὲ καὶ βοτάνη τις οὕτω καλουμένη, ἐκτραχύναι δυναμένη τὴν γλῶσσαν τοῦ διαμασωμένου, ἄβρωτος, ἀκατάποτος διὰ τοῦτο, ἐπειδὴ ἀμάσητος. στρῖφνος autem eſt caro nervoſa boum: præterea vero & herba quædam ſic vocata, quæ exaſperandæ linguæ vim habet ejus qui manducat, inepta quæ comedatur, & glutiatur, quoniam mandi non poteſt. *Apud.* S. *Auguſt. legitur*, quæ egerunt, ut durum quid.. (*l*) Potentum.] δυνατῶν, *ita & alij etiam codd. ut intelligatur quod videtur ſignificare hebræus, multos illum ex divitibus feciſſe pauperes. In nonnullis autem, & in comm. græcis, & in Compl. eſt*, ἀδυνάτων, impotentum. (*m*) Habitaculum diripuit, & non ſtatuit.] δίαιταν δὲ ἥρπασε, καὶ οὐκ ἔστησεν. *Sym.* οἰκίαν ἥρπασε, καὶ οὐκ ἀνοικοδομήσει αὐτήν, domum rapuit, & non ædificavit eam. *Schol.* illud, οὐκ ἔστησεν, dictum eſt pro, οὐκ ἀποκατέστησεν, non reſtituit. (*n*) In deſiderio ſuo.] *Symm.* σχὼν ἃ ἐπεθύμει, οὐ διασώσει, οὐκ ἀπολείψει ἀπὸ τῆς τροφῆς αὐτοῦ, cum obtinuerit, quæ cupiebat, non ſervabit: non relinquet de cibo ſuo. S. *Auguſt.* non erunt reliquiæ de cibis ejus. (*o*) Si quo modo ſit implere.] εἴπως εἰ (*ſuſpicer legendum* ἢ) πληρῶσαι, *in aliquot codd. & comm. græcis, & in Compl. eſt*, εἴπως πληρῶσαι, & S. *Aug*. ſi quomodo impleat. (*p*) Lavet ſuper eum] *Id eſt, effundat, quaſi qui lavat, & poſſet etiam verti*, ningat. *Symm*. βρέξει, *vel*, ἐπιβρέξει, pluet. & effundet. (*q*) Sydera autem in tabernaculis ejus obambulent.] ἄστρα δὲ ἐν διαίταις αὐτοῦ περιπατήσαισαν, aut (inquit Schol.) viſa terribilia perterrefaciant eum, aut dirutis domibus, & ſublato tecto ſtellæ coruſcabunt, vel etiam ita vocat fulmina. Nam & Aquila ita reddidit, καὶ ἀστραπὴ ἀπὸ προσώπου αὐτοῦ πορεύσεται ἐπ᾽ αὐτὸν, & fulgur a facie ejus ibit in eum. Aut ſtellas intelligit juſtos, qui habitabunt in domibus impiorum. *S. Auguſt. habet*, fulgura. (*r*) Obambulent.] *Origenes*. Alia exemplaria habent, μὴ περιπατήσαισαν, non ambulent quod nulla ei claritas relinquetur. (*ſ*) Ei permaneant.] αὐτῷ ὑπομεῖναι, *aut, ut in Schol*. ὑπομεῖνοι. *Aquila*, ἀποκέκρυπται τοῖς ἐγκειμένοις αὐτοῦ, abſconditæ ſunt in occultis ejus, *aut, ut putat* Schol. *metu occupatus impius, occultat ſe in ſemotis, atque obſcuris locis, idemque putat ſenſiſſe lxx*. (*t*) Qui non accenditur.] ἄκαυστον, qui (*inquit Scholiaſtes*) non de induſtria accenditur, ſed aliunde immittitur. Aquila & Theodotio reddiderunt μὴ φυσηθὲν, non ex ſufflatione ortum. *Symmachus*, ἄνευ φυσήματος, ſine ſufflatione. (*u*) Advena.] ἐπήλυτος. *Sch*. id eſt, ξένος τις καὶ ἀλλογενὴς, peregrinus quidam & alienigena. (*x*) A ſuperintendente.] *Sic ſolet interdum vertere S. Aug. vocabulum*, ἐπισκόπου, *ſed hoc loco habet*, ab ipſo: *poſſet etiam verti*, viſitatore, *ut alibi*.

CAP. XXI.

(*a*) UT non ſit mihi.] S. *Auguſt*. & non ſit mihi. *In comment. græcis, & Complut. eſt*, ἵνα ᾖ μοι, ut ſit mihi. *Symm*. καὶ γενέσθω τοῦτο μεταβούλευμα ὑμῶν, & ſit hoc mutatio conſilii, & ſermonis veſtri. (*b*) Deinde non videbitis me.] *Symm*. καὶ μετὰ τοὺς λόγους μου στήσετε, *aut*, στήσετε, & poſt ſermones meos quieſcetis. *Schol*. στήσετε, *id eſt*, ἐπὶ τῆς προτέρας με καταστήσετε κατακλίσεως, ſuper priorem me accubitum & ſedem collocabitis. Scribitur &, στήσεσθε, id eſt, παυθήσεσθε ceſſabitis. (*c*) Inſpicientes in me admirabimini.] S. *Aug*. reſpicite ad me, & admiramini : *in comment. græcis & Complut. eſt*, θαῦμα ἔχετε, ſtuporem habete. *Aquila*, ἐξαπορήθητε, animo concidite, aporiamini. *Symmachus*, ἄφθογγοι γίνεσθε, obmuteſcite, muti reddamini. (*d*) Super maxillam.] ἐπὶ σιαγόνι. *Olymp*. cæteri, ἐπὶ στόματι, ſuper os. (*e*) Solicitus fui.] ἐσπούδακα, *interpretatur Schol*. μετὰ σπουδῆς ἐρῶ, καὶ συντόμως ἐπιμνησθήσομαι τῶν μελλόντων ῥηθήσεσθαι, cum ſtudio & feſtinatione dicam, & conciſe memorabo, quæ dicenda ſunt, *nimirum, quod dolores exedentes carnem non ſinerent ambitioſe inſiſtere ſermoni, & oſtentare eloquentiam. Symmach. pro*, ἐσπούδακα, *vertit*, θορυβοῦμαι. S *Auguſt*. ſi enim recordor, perturbor. (*f*) In oculis.] *Symm*. διαμένει ἔμπροσθεν αὐτῶν, permanent ante eos. (*g*) Non fœtum immaturum peperit.] οὐκ ὠμοτόκησεν, *Symm*. οὐκ ἐξέτρωσε, non fecit abortum. (*h*) Eorum prægnans.] ἐν γαστρὶ ἔχουσα. *Aquila*, δάμαλις αὐτῶν, juvenca eorum. (*i*) Sicut oves æternæ.] *Aut inquit* Schol. *permanent eis oves, ac ſi æternæ eſſent, nullum morbi, aut peſtilentiæ detrimentum ſentientes, aut ipſi impii permanent in multitudinem excreſcentes, ſicut oves & fœturis immortalitatem imitantes*. S. *Auguſt. habet*, & permanent ſicut vetuſtate oves eorum. (*k*) Deficient filios] *Apud.* S *Auguſt. legitur fortaſſe non ſine mendo*, deficient filii ejus bona ejus. *Theodotio*. ὁ θεὸς κατακρύψει τοῖς υἱοῖς αὐτοῦ ἀδικίας αὐτοῦ, Deus recondet filiis ejus injuſtitias ejus, κατακρύψει, *inquit Schol. id eſt*, ταμιεύσηται, reponat & reſervet. (*l*) Necem.] *Sic* S. *Auguſt*. σφαγὴν. *Symmach*. πτῶσιν, ruinam. (*m*) Quia voluntas ejus] *Quia inquit Schol*. voluntatem ſuam malam, non bonam Dei, ſequutus eſt. *Sed apud* S. *Auguſt. legitur*, quia nulla voluntas ejus in domo ſua poſt eum. (*n*) Diviſi ſunt.] διῃρέθησαν. *Theodotio & Aquila*, ἡμισευθήσεται, dimidiabuntur. S. *Auguſt*. licet numerus menſium ejus dimidiatus ſit. (*o*) Nunquid non Dominus eſt.] *Symm*. μὴ τὸν θεὸν διδάξει τις ἐπιστήμην; nunquid Deum docebit quiſpiam ſcientiam? (*p*) Ipſe autem homicidia.] S. *Auguſt*. Ipſe enim homicidia : *quod græce eſt*, φόνους. *In aliis codd. eſt*, σοφοὺς, ſapientes. (*q*) Simplicitatis.] *Sic* S. *Auguſt. quod græce eſt*, ἁπλοσύνης, *& reperitur in aliquot codd. Cæteri*, ἀφροσύνης, *eamque lectionem ſequitur Scholiaſtes*. (*r*) Et medulla ejus.] *In comment. græcis eſt*, αὐτῶν, *&* S. *Auguſt*. medulla eorum, inteſtinorum. *Symm*. τῷ μυελῷ τῶν ὀστέων ἀρδόμενος, medulla oſſium irrigatus. (*ſ*) Itaque ſcio vos.] *Symm*. οἶδα τὰς ἐνθυμήσεις ὑμῶν, καὶ τὰς ἐννοίας ὑμῶν τὰς ἀδίκους κατ᾽ ἐμοῦ, novi ſententias veſtras & cogitationes veſtras injuſtas adverſum me. (*t*) Non alienabitis.] οὐκ ἀπαλλοτριώσετε. Ita inquit Schol. erunt clara ſigna mortis impiorum, ſicut viatoribus ſigna diverſorii. S. *Auguſt. habet*, non ignorabatis. (*u*) Sublevatur.] κουφίζεται. *Symm*. συντηρεῖται, conſervatur. *Aquila*, ὑπεξαιρεθήσεται, ſubducetur. (*x*) Abducentur.] *Polychr. & Anaſtaſius*, ἀπαχθήσεται, abducetur.

CAP. XXII.

(*a*) QUid enim curæ eſt.] *Symmach*. μὴ χρήζει ἱκανὸς ἵνα δικαιωθῇς; ἢ κερδανεῖ, ἐὰν ἄμωμος ἡ ὁδός σου, nunquid opus habet omnipotens, ut juſtificeris; aut lucratur, ſi immaculata ſit via tua? (*b*) Argues.] ἐλέγξεις, *ſed in comm. græcis, & in aliis editionibus eſt*, ἐλέγξει σε, arguet te: *quod omnino videtur magis convenire*. (*c*) In vanum.] *Symmachus*, ἀναιτίως, *ſine cauſa, cum nihil deberent, tanquam a debitoribus pignora abſtuliſti : eſt enim hebraiſmus*. (*d*) Eos qui ſuper terram.] ᾤκισας δὲ τοὺς ἐπὶ τῆς γῆς, *plerique codd. pro*, τοὺς, *habent*, πτωχοὺς, habitare autem feciſti pauperes ſuper terram. *Notat autem Scholiaſt. in quibuſdam exemplaribus, pro*, ᾤκισας, *legi*, ἐκοίμισας, dormire & cubare feciſti ſuper terram, erepto nimirum lecto. (*e*) Solicitavit te] ἐσπούδασέ σε, *Symmachus*, καὶ ταράσσει σε φόβος ἐξαίσιος, & perturbat te pavor repentinus. (*f*) Dormientem te] *Origenes*, cæteri, καὶ πλῆθος ὑδάτων καλύψαι σε, & multitudo aquarum operiat te. (*g*) Qui injuria efferuntur.] τοὺς δὲ ὕβρει φερομένους. *Schol*. τοὺς ὑπὸ τῆς ὑβριστικῆς ἕξεως ἐπηρμένους τὸ φρόνημα, καταφέρει, καὶ ταπεινοῖ, eos qui ex habitu contumelioſo extulerunt ſpiritus, & ſuperbiam, dejiciet, & humiliat. (*h*) Caliginem.] S. *Auguſt*. nebulam. *Schol. putat hæc objici ipſi Job, quaſi ille iſta ſecum dixerit, quid novit fortis? num poteſt dijudicare ea etiam quæ fiunt in caligine & clanculum?* (*i*) Numquid ſemitam ſeculi obſervabis.] μὴ τρίβον αἰώνιον φυλάξεις. *S. Auguſt*. ergo ne ſemitam ſeculi cuſtodis? *Schol. fatetur locum eſſe obſcuriſſimum. dupliciter autem interpretatur, aut quod Eliphaz interroget Job, utrum ipſe idoneus ſit, qui obſervet vias & rationes divinæ providentiæ, ex quibus interdum juſti infeliciter degunt, & ante tempus auferuntur, fortaſſe, quod ſua bona Deo accepta non referrent : aut num ipſe eodem modo cuſtodiat viam antiquam virtutis; ſicut hypocritæ quidam, qui intus impii, ſed juſtitiæ perſonam prætendentes, ob hanc ipſam ſimulationem ante tempus ſucciſi ſunt, & fœturæ eorum, quæ ſtabilitæ, & firmiſſimis fundamentis niti videbantur, quaſi a torrente quodam abreptæ ſunt. Apud lxx. vox*, αἰώνιον, *ſæpe ſignificat quod in hoc ſeculo peragitur : quaſi nunc dicat; an obſervabis modum, quo res ipſæ fluunt? Liquet autem* Scholiaſtem *legiſſe*, δίκαιοι, juſti, *non*, ἄδικοι, *ut Complut. licet hoc propius ad hebræum*. (*k*) Capti ſunt immaturi.] *Symm*. ἁλώσονται πρὸ καιροῦ, capientur ante tempus. (*l*) Inducet.] ἐπάξεται. *Theodotio*, τί ἐργάσεται; quid operabitur? (*m*) Ille vero.] ὃς δὲ, *quod Theodotio expreſſius*, αὐτὸς δέ. *Apud S. Auguſtinum hæc alio ordine leguntur*, & cogitatio impii longe eſt a me, & implet domos eorum bonis. (*n*) Juſti riſerunt.] *Apud S. Auguſtinum legitur*, juſtiores erunt. (*o*) Subſannavit.] *In com. græcis & Compl. additur*, αὐτοὺς, *& S. Aug*. ſubſannabit eos. (*p*) Si non] εἰ μή. *In comm. græcis. legitur*, εἰ μὴν, *quod emphaſim quandam habet*. (*q*) Enunciationem] ἐξηγορίαν, *quod Scholiaſtes putat ſignificare, aut*, ἐξομολόγησιν, *ut Symmachus reddidit, id eſt*, confeſſionem, *aut*, νόμον, legem, *ut Aquila*. (*r*) Poneris.] θήσῃ, *pro quo Schol*. τεθήσῃ ἐπὶ τῆς γῆς ἐν πέτρᾳ. *In Complut*. καθήσῃ, ſedebis. *S. Auguſt*. & ponens illud ſuper aggerem in petram. (*ſ*) Et tanquam petra torrentis.] *Symmach*. ἐν τῷ ἀκροτόμῳ, ὡς ὀχετοὺς χρυσίου πρωτίου, in ſilice quaſi rivos auri primi.] *Schol. ita hunc locum reddit*, & ex Sophir, ubi naſcitur aurum optimum, & lapides precioſi, inſtar torrentis fluens aurum adveniet tibi. *Origenes* : φασὶ δέ τινες τῶν ἑρμηνευτῶν, τὴν σωφὶρ ἑρμηνευομένην κάλλιστον, τὴν ἀφρικὴν εἶναι. κέχρηται δὲ ἡ γραφὴ τῇ λέξει ταύτῃ, ὅταν περὶ πλούτου διαλέγηται. Dicunt autem quidam ex interpretibus ipſam Sophir (quæ vox valet, κάλλιστον, optimum) eſſe Africam : utitur autem ſcriptura dictione hac, ubi de divitiis diſſerit. *De hoc alibi dictum eſt*. (*t*) Et reſtituet] *Theodotio*, καὶ ὁριεῖς ῥῆμα, καὶ στήσεταί σοι, & decernes ſermonem, & firmus erit tibi. (*u*) Humiliaſti teipſum.] *Plerique codd. habent*, ὅτι ἐταπείνωσεν ἑαυτὸν. καὶ ἐρεῖ, quoniam humiliavit ſeipſum, & dicet. *In Complut*. ὅτι ἐταπείνωσεν ἑαυτὸν, καὶ ἐρεῖς, quoniam humiliavit ſeipſum, & dices. *S. Auguſt*. & dices, elatus es in ſuperbiam (*x*) Et ſalvaberis munditia.] *Symm*. καὶ διαφεύξεται καθαρότητι χειρῶν ἕκαστος, & evadet unuſquiſque puritate manuum.

CAP. XXIII.

(*a*) MAnus ejus.] *S. Auguſt*. manus mea, *quod convenit cum hebræo*. (*b*) Quis igitur noverit?] *Hæc ita reddit Chryſoſt*. εἴθε ἦν εὑρεῖν τὸν θεὸν, utinam liceret invenire Deum : *itemque ſequentia : quod etiam non videtur abhorrere a lectione S. Auguſtini, quæ proxime recitabitur*. (*c*) Et veniam in finem. *Symm*. ἕως τῆς ἕδρας αὐτοῦ. *S. Auguſt*. & venire uſque ad ſolium ejus. (*d*) Et dicam meum ipſius judicium.] *Symm*. παραθήσω ἔμπροσθεν αὐτοῦ κρίσιν, apponam ante eum judicium. (*e*) Replere.] ἐμπλῆσαι, *pleriquæ codd. habent*, ἐμπλήσω, replebo. (*f*) Sanationes.] ἰάματα. *Symmach*. ῥήματα, verba : *atque ita Polychronius. In Complut. eſt*, ἴαμα, *& ſic videtur habuiſſe Chryſoſt. ita enim inquit, utinam liceret adſtare coram Deo, eique narrare quæ egi, & quæ paſſus ſum; ut experientia ipſa diſcam, quale judicium profert*, καὶ τί πρὸς ταῦτα λέγει, ἴαμα τῆς ἐμῆς ἀπορίας, & quid ad hæc affert, quod ſanat dubitationem meam. *S Aug*. & cognoſcam cauſationes. (*g*) Et in multa.] *In aliquot codd. manuſcriptis, & editionibus. & comm. græcis eſt*, καὶ εἰ ἐν πολλῇ, & ſi in multa. *S. Aug*. an in multa. (*h*) Superveniet.] ἐπελεύσεταί μοι. *Symm*. διαδικάζεταί μοι, *quem videtur ſequutus S. Aug*. an in multa virtute dijudicabitur mecum. (*i*) Deinde in minis me non utetur.] εἶτα ἐν ἀπειλῇ μοι οὐ χρήσηται, *in Complut. eſt*, μοι χρήσεται, me utetur, *in comm. græcis*, εἴτε ἐν ἀπειλῇ μοι οὐ χρήσηται, ſive in minis me non utatur. *Diſcam, inquit, Chryſ. poſtquam cauſam dixero, an ſeverius me puniendum judicet, an remittat minas. S. Aug*. nequaquam tamen in terrore abutatur me. *Videtur præterea quædam alia verba hoc loco referre, quorum veſtigium in græcis non eſt repertum. Symm*. μόνον αὐτὸς μὴ ἐπιτιθέσθω μοι, tantum ipſe non incumbat in me. (*k*) In finem.] εἰς τέλος. *Chryſ. interp*. νικῶσαν καθ᾽ ὑμῶν ψῆφον, καὶ τετελειωμένην, ſententiam plenam victoriæ contra vos, & perfectam atque integram, παρ᾽ ἑβραίοις γὰρ τὸ τέλος, καὶ ἡ νίκη διὰ μιᾶς σημαίνεται λέξεως, διὸ ἔν τισι τῶν ψαλμῶν ἀντὶ τοῦ εἰς τέλος, τῷ νικοποιῷ ἐπιγράφεται. Apud hebræos enim finis & victoria ſignificantur eadem dictione : quare in nonnullis pſalmis pro, εἰς τέλος, id eſt, in finem, inſcribitur, νικοποιῷ, vincenti, *aut*, victoriam efficienti. (*l*) Nam ſi primus ambulavero.] *Ita S. Auguſt. In aliis editionibus, & in comm. græcis eſt*, εἰς γὰρ πρῶτα πορεύσομαι. Nam in priora & anteriora ibo. *Conſentiunt enim fere omnes, aut caducum temporis, & eorum quæ ſub tempore ſunt, fluxum, aut præſentiam Dei, quam nuſquam quiſquam poſſit effugere, ſignificari. Symm*. ἰδοὺ, ἐὰν προέρχωμαι αὐτὸν, ἀφανής ἐστι, κἂν ἀκολουθῶ, οὐκ αἰσθήσομαι, ecce, ſi præcedam ipſum, occultus eſt, & ſi ſubſequutus fuero, non ſentiam. (*m*) Et non ultra ſum.] καὶ οὐκ ἔτι εἰμί. *S. Auguſt*. poſtea non ero. *Olymp. cum aliam explanationem affert, tum hanc*, quod ſi prima, & principium Dei curioſa quadam inveſtigatione exquiſiero; extra meipſum fit, & in tenebris cogitationum collocor. (*n*) A læva, ſi ipſe aget.] *S. Aug*. a læva quid aget? non apprehendam : convertetur ad dexteram, & non videbo. *Olymp*. ſi ad ſiniſtram ſe converterit; quomodo comprehendam, non habeo : ſi a dextris ſeſe fecerit; prorſus non video. (*o*) Egrediar.] *S. Aug*. ingrediar. *videtur conjungi cum ſuperioribus*, probavit me, & quaſi aurum egrediar. *Quod autem apud Pol. poſt verba illa*, ἐντάλμασιν αὐτοῦ, *ſequitur*, ἐκράτησεν ὁ ποῦς μου, tenuit pes meus, *videtur prope accedere ad hebræum, & favere dictæ diſtinctioni*. (*p*) Super ipſo trepidavi.] *Aut*, ſolicitus fui, ἐπ᾽ αὐτῷ ἐσπούδακα, *Schol*. conſiderans quomodo ſe habeant res meæ, ἐσπούδακα, id eſt, ἐθροήθην, καὶ ἐταράχθην, exterritus, & turbatus ſum neſciens cauſam plagæ. *S. Aug*. ad eum feſtinavi. (*q*) Turbabor.] *Sic S. Aug. quod græce eſt*, κατασπουδασθῶ, *& Sch*. ἀμηχανῶ, hæreo, & vix compos mentis ſum. (*r*) Conſiderabo.] κατανοήσω. *Sch*. καὶ μόνον αὐτὸν κατανοήσω, πτοοῦμαι, καὶ ὀκνῶ ἐρευνᾶν, ῥαδινᾶν, διότι μεμαςίγωμαι, & ſi vel mentem ad ipſum convertero; ſtupeo, & torpeo inveſtigare, cur flagellatus ſim. (*l*) Solicitavit me.] *Schol.* illud, ἐσπούδασέ με, dictum eſt, pro, ἐθορύβησε, turbavit, & terruit.

CAP. XXIV.

(*a*) LAtuerunt.] *Nonnulli codd. & Complut. habent*, οὐκ ἔλαθον, *quod videtur reſpondere hebræo, & apud S. Auguſtinum, ſed ſine interrogatione legitur*, quare Dominum non latuerunt horæ, quamobrem finem tranſgreſſi ſunt. *Schol.* illud, διατί, id eſt, quare, dictum eſt non reddendo cauſam, ſed problematice, tanquam ad amicos illos. (*b*) Et impii.] *Apud Polychronium, ſicut etiam in hebræo, ſequitur*, οὐκ εἶδον ἡμέρας αὐτοῦ, non viderunt dies ejus. (*c*) Tranſgreſſi ſunt.] *Aquila*, προσλαμβάνουσιν, occupant. (*d*) Divertere fecerunt.] ἐξέκλιναν ἀδυνάτους. *Symm.* παρέτρεψαν γὰρ πενήτων ὁδὸν, perverterunt enim pauperum viam. *S. Auguſt.* & inclinaverunt pauperes a via juſta. (*e*) Et ſimul.] *Symmach.* ὁμοῦ ἀφανεῖς ἐποίησαν πρᾳεῖς γῆς, ſimul e conſpectu removerunt manſuetos terræ. (*f*) Super me.] *Schol.* hebræus, ἐπ' ἐρήμου, in deſerto. *S. Auguſt.* & irruerunt aſini feri in agro ſuper me, & exeuntes ad opus ſuum. *In comm. græcis illud*, ὑπὲρ ἐμοῦ, *conjungitur cum ſequentibus*, ὑπὲρ ἐμοῦ ἐξελθόντες, ſuper me ingreſſi, id eſt, *inquit*, *Schol.* ὑπὲρ τοῦ τὰ ἐμὰ λαβεῖν, καὶ ἰδιώσασθαι, pro rebus meis capiendis, & ſibi vendicandis. *Aquila*, ἐξέρχονται ἐν κατέργῳ αὐτῶν ὀρθρίζοντες εἰς ἅλωσιν, exeunt in opus ſuum ſurgentes mane ad rapinam. (*g*) Ordinem.] *In pleriſque libris eſt*, τὴν ἑαυτῶν πρᾶξιν, *& Schol. interpretatur*, τοῦτο δὴ ὃ πράττειν εἰώθασιν, quæ familiaris eſt eorum actio, atque inſtitutum. *S. Auguſt. ut dictum eſt*, & exeuntes ad opus ſuum. (*h*) Suavis factus eſt ei] *Sic S. Auguſt. In comm. græcis & Complut. eſt*, αὐτῶν, eorum, id eſt, *inquit Schol.* libenter impii nutriunt adoleſcentes, quorum opera infirmiores vexent. *Symm.* ἡδὺς ἑκάστῳ αὐτῶν ἄρτος εἰς νεανίσκοις, ſuavis cuique eorum panis in adoleſcentes. (*i*) Eo quod ipſi non habeant.] παρὰ τὸ μὴ ἔχειν ἑαυτούς. *In comm. græcis eſt*, αὐτούς, *in Complut.* αὐτοῖς, ſibi. (*k*) Et eum qui ceciderat.] ἐκπεπτωκότα. *Symm.* καὶ πτωχὸν ἠνεχύραζον, & a paupere pignus abſtulerunt. (*l*) Ipſe autem cur.] *S. Auguſt.* ipſe autem Deus eorum curam non habuit. Rurſus, *inquit Schol.* ergo amicos dubitans dicit, ſi ex peccatis ſupplicia proficiſcuntur, cur ſæpe Deus impios hic dimiſit, ἀνεπισκοπήτους, non viſitatos; ita ut impii ne illum quidem eſſe viſitatorem cognoſcant? (*m*) Eorum.] *Plerique libri habent*, αὐτῆς ipſius juſtitiæ. (*n*) Et noctu eris ut fur.] *Apud S. Auguſt. legitur*, & repente eos, ut fur occupabit dies ille. (*o*) Et operimentum.] ἀποκρυβήν. *Symm.* σκέπαστρον, tegmen. (*p*) Obſignaverunt.] *Symmach.* ὡς ἐσφραγῖδι κρύψουσιν ἑαυτούς, quaſi in ſignaculo abſcondent ſeipſos. (*q*) Mane.] τὸ πρωῒ, *nam crepuſculum auroræ oderunt, ne deprehenſi pœnas luant.* Nam in ſcriptura; *inquit Schol.* ſæpe umbra mortis appellantur pericula, quæ prope mortem ducunt. *Apud S. Auguſt. legitur*, quia ſimul eis manet umbra mortis. (*r*) Tumultum] τάραχος. *In comm. græcis & Complut. eſt*, ταραχάς, tumultus, & turbationes. (*ſ*) Super faciem aquæ.] *Symmachus*, ἐπιπλέων ὕδατι, ſupernatans aquæ. (*t*) Et appareant.] *Apud S. Auguſt. videtur legi*, ſterile ſit quod delegerunt: de ſinu enim pupillorum rapuerunt. (*u*) Non credat.] οὐ μὴ πιστεύσῃ. *S. Auguſt.* non credit contra vitam ſuam, *& poſſet etiam verti*, de vita ſua. *Schol.* ita illum condemnat conſcientia, ut ſingulo quoque die conſurgens perinde ſit affectus animo, ac ſi paulo poſt ei moriendum ſit. (*x*) Malva.] *Olympiodorus*, alia exemplaria habent, ὥσπερ χλόη, ſicut herba, juxta illud, tanquam olera herbarum cito decident.

CAP. XXV.

(*a*) ESſe moram piratis.] *Sic S. Auguſt. quod græce eſt*, ὅτι ἔστι παρέλκυσις πειραταῖς. Quoniam, *inquit Scholiaſtes*, licet Deus differat animadverſionem; tamen advenit tanquam pirata ut nemo impius poſſit effugere. *Symmachus*, μὴ ἔστιν ἀριθμὸς τῶν στρατιῶν αὐτοῦ; nunquid eſt numerus agminum ejus? (*b*) Inſidiæ] ἔνεδρα παρ' αὐτοῦ. *Symm.* ἐπιτάγματα, conſtitutiones, agmina. (*c*) Mundet.] ἀποκαθαρίσαι. *S. Auguſt.* mundavit. *In comm. græcis*, ἀποκαθαρίσει, mundabit. *Symm.* διὰ τίνος ἄρρυπος ἔσται τεχθεὶς ὑπὸ γυναικός; per quem (*aut*, quid) erit ſine ſordibus natus ex muliere?

XXVI.

(*a*) NUnquid gigantes.] *Symmach.* θεομάχοι, καὶ οἱ γείτονες αὐτοῖς, qui cum Deo pugnant, ac vicini, & ſimiles, eis. *Apud S. Auguſtinum legitur*, Nunquid gigantes redigentur in nihilum ſubter aquam, & proximi eorum? (*b*) Super nihilum.] *Aquila*, ἐπὶ κενώματι, ſuper inanitate. (*c*) Throni.] *Quem Scholiaſt. interpretatur cœlum.* S. *Auguſt.* qui tenet faciem Solis: *ſed veriſimile eſt depravato illum codice uſum eſſe, & legendum fuiſſe*, ſolij. (*d*) Præceptum circumdedit.] *Symmach.* ὅρον περιέγραψεν, terminum circumſcripſit. (*e*) Expanſæ ſunt.] ἐπετάσθησαν, id eſt (*inquit Schol.*) quoniam ab illo expanſæ ſunt; ideo ab illius increpatione contremiſcunt. Aquila, διεκινήθησαν, dimotæ ſunt, & fluctuarunt. S. *Auguſt.* contremuerunt. (*f*) Et obſtupuerunt.] *Sic* S. *Auguſt. quod græce eſt*, ἐξέστησαν. *Symm.* θαμβοῦνται, *quod idem valet, aut*, pavent. (*g*) Stratus eſt.] ἔστρωται, *in commentariis græcis, & Complut. eſt*, ἔστρωσε, ſtravit. *Apud* S. *Auguſt.* prudentia ejus vulneratus eſt cetus. *Sym.* συγκλᾷ ἀλαζονείαν, confringit arrogantiam. (*h*) Draconem deſertorem.] *Symm.* τὸν ὄφιν τὸν συγκλείοντα, ſerpentem qui concludit. *Addit Schol.* εἰς ἀπώλειαν, in interitum, & perditionem. (*i*) Et ſuper ſtillam verbi.] ἐπὶ ἰκμάδα, quaſi (*inquit Schol.*) ἐξεπλάγημεν ἐπὶ τοῖς εἰρημένοις, obſtupuimus ſuper iis quæ dicta ſunt, quæ tamen tanquam ſtilla ſunt immenſi illius abyſſi. *In aliquot codicibus eſt*, καὶ ἔτι, & adhuc, *Symm.* τὸ δὲ ψιθύρισμα τῶν λόγων αὐτοῦ ἀκούσομεν, ὅταν βροντὴν δυναστείας αὐτοῦ οὐδεὶς ἐννοήσει; Quomodo autem ſuſurrum verborum ejus audiemus: quando tonitruum potentiæ ejus nemo percipiet? Suſurrum] *Hieron.* parvam ſtillam ſupra in hoc libro. 4. 12. שמץ.

CAP. XXVII.

(*a*) ADjiciens Job.] *Aquila*, καὶ προσέθηκεν ἰὼβ ἆραι τὴν παραβολὴν αὐτοῦ, & addidit Job aſſumere parabolam ſuam. *Olymp.* Parabola autem dicitur in ſcriptura non ſolum oratio, quæ eſt ſecundum ſimilitudinem, ſed etiam omnis ſermo ſapiens. (*b*) Sic me judicavit.] *Symm.* ὃς παρεῖδε τὴν κρίσιν μου, qui deſpexit judicium meum. (*c*) Qui circa me eſt.] *Apud* S. *Auguſtinum legitur propius ad hebr.* in naribus meis. (*d*) Non enim ſeparabo.] S. *Auguſtinus fortaſſe non ſine mendo*, non enim ſeparabo innocentem. *In comm. græcis, & Compl. non eſt*, ἀπαλλάξω μου, *ſed tantum* ἀπαλλάξω. *Symm.* οὐκ ἐκστήσομαι τῆς ἁπλότητός μου, non recedam a ſimplicitate mea. (*) Inimici mei.] *In comm græcis, & in aliis editionibus ſequitur*, ὥσπερ ἡ καταστροφὴ τῶν ἀσεβῶν, ſicut ſubverſio impiorum. (*e*) Quia expectat.] *Sic* S. *Aug. quod græce eſt*, ὅτι ἐπέχει, *& poſſet etiam verti*, quia tenax eſt, aut quia in habitando exuperat. *Olymp.* cæteri, ὅτι πλεονεκτεῖ, quoniam plus capit, & aliena ad ſe rapit. (*f*) Confidens ne.] *Apud.* S. *Auguſt. legitur*, quia expectat, & confidit in Domino, ſi forte ſalvatur, aut preces ejus exaudiat Dominus. (*g*) Aut ſi evenerit ei neceſſitas.] *Apud* S. *Auguſt. ſequitur*, nunquid enim in neceſſitate, id eſt, in tentatione, habuit fiduciam, aut ſi invocaverit, exaudiet eum? (*h*) Vana vanis.] S. *Auguſt.* quia vane vana loquimini. (*i*) Poſſeſſio vero potentum.] *Theodotio & Symm.* καὶ κληρονομίαν ἣν οἱ ἀκαμπεῖς παρὰ τοῦ ἱκανοῦ κομίσονται, & hæreditas, quam non flexibiles ab omnipotente capient. (*k*) Eorum.] A A. L L. αὐτοῦ, ejus, *& ſic* S. *Auguſt.* (*l*) Et viri facti fuerint, mendicabunt.] S. *Auguſt.* juvenes facti fuerint, indigebunt. (*m*) Et qui circa eum ſunt.] *Sic* S. *Auguſt. quod græce eſt*, οἱ δὲ περιόντες αὐτοῦ, *& poteſt ſignificare*, ſuperſtites ejus. (*n*) Vendicabunt.] *Schol.* Fortaſſe illud, περιποιήσονται, ſignificat, non, κτήσονται, id eſt, poſſidebunt, ſed χρήσονται εἰς δέον, utentur, quo opus eſt. (*o*) Sicut aranea.] *In aliis codicibus ſequitur*, ἃ συνετήρησεν, *&* S. *Auguſt.* quæ ſervabat: αἱ ὀδύναι.] S. ἀνυπαρξία. *Inexiſtentia.*

CAP. XXVIII.

(*a*) UNde percolatur.] ὅθεν διηθεῖται. S. *Auguſt.* ubi purgatur. *Olympiod.* cæteri, ὅθεν χωνεύεται, unde conflatur. (*b*) Cæditur.] λατομεῖται. *S. Auguſt.* ſimiliter ut lapides, excluditur. *Olymp.* hebræus autem, ἀπὸ λίθων χωνεύεται, e lapidibus funditur. (*c*) Ordinem poſuit.] τάξιν ἔθετο. *Olympiod.* pro quo Aquila, Theodotio, & Symmachus ediderunt, ille quidem, τέλος, finem, alter vero, πέρας, terminum, tertius vero, προθεσμίαν, præſcriptionem, præſcriptum tempus. (*d*) Perſcrutatur.] ἐξακριβάζεται, ſubtiliſſime perquirit. *S. Aug. habet*, invenit, *& interpretatur*, inſtituit quid quo perduceret, *nec multo aliter græci.* (*e*) Tenebræ.] *Sic S. Auguſt. quod græce eſt*, σκοτία, tenebroſitas: *putant autem græci hoc ſignificari lapides, ex quibus fiant metalla, eſſe in profundo, & ſub ipſa umbra mortis, id eſt*, ἐν τοῖς κατωτάτω, καὶ ἐν σκοτίᾳ βαθείᾳ, in infimis, atque in tenebroſitate profunda. *Poſt hæc autem apud S. Auguſtinum videntur iſta ſequi*, ubi ſuperbientes non deſcendebant torrentem, *quæ nuſquam ſunt inventa.* (*f*) Deciſio torrentis a pulvere] διακοπὴ χειμάρρου ἀπὸ κονίας, vel, inquiunt græci, quod materia metallica ſub torrente, & glarea ſita ſit, aut ſæpe inveniatur ſub aquis, & arena quædam deciſa a torrente ferrum nutriat: vel quod lapides, qui in profundo latent, & quaſi radicem miſerunt, impetus torrentis in apertum educat, ſubjectam terram decidens, & labilem illam glaream ſecum trahens: aut conjungenda cum ſequentibus ut intelligatur, quemadmodum a torrente pulvis deciditur, & trahitur, ita impios e felicitate detorqueri, & auferri ex hominibus. *S. Auguſt. habet*, & facta eſt diſciſſio torrentis a cinere. (*g*) Ex hominibus commoti ſunt.] ἐκ βροτῶν ἐσαλεύθησαν, *& quomodo græci exponant, proxime indicatum eſt. S. Auguſt.* & commoti ſunt ab hominibus. (*h*) Ex ea egredietur panis, de ſubtus ea verſatum eſt, ſicut ignis.] *Græci vel de inſito calore ad procreandas ſegetes apto accipiunt, vel priorem partem de terra frugifera, ſecundum de ſulphurea. S. Auguſt, propius ad hebræum*, terra, de qua egreſſus eſt panis, & eam incenſurus eſt. (*i*) Eam filii ſuperborum, αὐτὸν, *in cæteris codicibus eſt*, αὐτὴν, *id eſt*, ipſam viam, *filios autem ſuperborum intelligunt Græci magnas beſtias.* (*k*) Gurgites.] δίνας, *in pleriſque codd. eſt*, θῖνας, *cumulos. Ita autem Schol.* βάθη ποταμῶν ἐρευνᾷ, profunditates fluminum veſtigat. *S. Auguſt.* ripas fluminum diripuit, *& idem Schol. ita etiam explanat*, ποταμῶν ὄχθας ῥήγνυσιν, fluminum ripas præruptas rumpit. *Theodotio autem reddidit*, ὀχυρώματα, munimenta. *Symmach.* ῥεῖθρα, fluenta, *aut*, alveos fluentorum. (*l*) Revelavit.] ἀνεκάλυψεν. *Theodotio*, ἐξηρεύνησεν, inveſtigavit. (*m*) Inventa eſt.] εὑρέθη. *Olymp.* cæteri autem, εὑρεθήσεται. invenietur. (*n*) Viam ejus.] *Aquila*, τάξιν, ordinem. *Theodotio*, σύνεσιν, intelligentiam. *Symm.* τίμημα, precium. (*o*) Concluſuram.] συγκλεισμόν. συγκλεισμὸν ὀνομάζει τὰ χρήματα, διὰ τὸ ταῦτα ἀσφαλῶς ἡμᾶς συγκλείειν. *Gregorius Theologus inquit ita nominari pecunias, quoniam has diligenter, ut tuta ſint, concludimus. S. Aug.* non dabitur aurum pro ea incluſum. (*p*) Non conferetur.] οὐ συμβασταχθήσεται (*de qua voce paulo inferius dicetur.*) *Aquila*, οὐκ ἀναβληθήσεται, *quod videtur hoc loco idem valere, aut*, non rejicietur. *S. Auguſt.* non erit deterior. (*q*) Sophir.] *Symm.* πρωτείῳ, primo. *S. Aug.* ophir. *Notant græci hanc eſſe regionem Indiæ, feracem gemmarum, & auri optimi.* (*r*) In onyche pretioſo.] *Schol.* ſcilicet Sardonyche, aut Sardonychio. (*ſ*) Vitrum.] ὕαλος. *Notat Schol. ſic vocari cryſtallum.* (*t*) Et commutatio ejus.] *Sic S. Aug. & addit*, non ſunt, ſubaudi. *Symm.* οὐδὲ ἀντικαταλλαγήσεται σκεύεσι χρυσοῖς, neque commutabitur cum vaſis aureis. (*u*) Sublimia, & Gabis.] μετέωρα, καὶ γαβεὶς. *Symmach.* ὑψηλὰ καὶ ὑπερηρμένα, excelſa, & elevata, *& notat Schol.* γαβεὶς, *videri ſignificare* τὰ ὑπερηρμένα, *quando ſic etiam nominetur*, τὸ ὑπερέχον τοῦ χείλους τοῦ μεδίμνου, quod eminet e labio medimni. *Sed hebræi margaritas, uniones, aut hujuſmodi quædam eſſe putant. S. Auguſt. depravato codice uſus*, & excelſa, & gravis. (*x*) Attrahe ſapientiam.] *Aquila*, γλυκὺ δὲ σοφία παρὰ τὰ περίβλεπτα, dulce eſt ſapientia ultra ea quæ ſunt ſpectabilia, & illuſtria. (*y*) Conferetur.] *Schol.* dictum eſt, οὐ συμβασταχθήσεται, pro, οὐκ ἀντισταθμηθήσεται, non ex æquo pendetur: quæ enim ex æquo penduntur, in utramque lancem poſita ſimul portantur: vel quoniam qui hanc acquiſivit, non ſuſtineret una cum auro & ipſam ferre, atque adhibere, ſed hanc ſolam. (*z*) Latuit omnem.] *S. Auguſt. propius ad hebræum*, latet ab oculis omnis hominis. (*aa*) Bene cognovit.] εὖ συνέστησεν. *S. Aug.* Dominus commendavit. *Symm.* συνῆκεν, intellexit. (*bb*) Aquarum menſuras.]

ras.] *Symm.* ὕδωρ δὲ ἐξίσωσε μέτρῳ, aquam vero exæquavit menſura. *Aquila,* ϗ ὕδωρ ἐσταθμήσατο ἐν καταμετρήσει, & aquam appendit in commenſuratione. (*cc*) Quando fecit, ſic videns.] *Ita interpungunt græci. S. Auguſt.* quando fecit, ſicut vidit, numeravit. *In comm. græcis, & Complut. eſt,* οὕτως, *& ita conſtruitur locus,* hic videns voces, quæ in concuſſione, numeravit & viam earum. *Volunt autem intelligi tonitrua. Sed poſſet fortaſſe,* ἐν πνάγματι, *pro una voce accipi, ut ſignificaretur Deum dediſſe viam concuſſioni, & voces. Complut. habet,* ἐν πνάγματι φωνῆς, in concuſſione vocis. *S. Aug.* & vim tempeſtatum vocibus. *Symm.* εἰς κτύπον φωνῶν, ad ſtrepitum vocum. (*dd*) Cum paraſſet, inveſtigavit.] ἑτοιμάσας ἐξιχνίασε. *S. Auguſtinus,* paravit, & inveſtigavit. *Theodotio,* διέταξεν αὐτὴν ϗ ἐξηρεύνησεν αὐτήν, ordinavit eam, & inveſtigavit eam.

CAP. XXIX.

(*a*) QUis utique me ponat?] *Symmach. & Aquila,* τίς δῴη με κατὰ τοὺς μῆνας τοὺς πρώτους, κατὰ τὰς ἡμέρας, ἃς ὁ θεὸς ἐφύλαξέ με; Quis det me eſſe ſecundum menſes primos, ſecundum dies, quibus Deus cuſtodivit me? *S. Auguſt.* quiſnam me reſtituet in menſes priorum dierum? (*b*) Graveſcens viis.] ἐπιβρίθων ὁδοὺς, *ſed in comm. & in aliis editionibus eſt,* ὁδοῖς, ſicut fructuoſæ arbores, (*inquit Schol.*) onuſtus eram bonis per omnem viam, non levis ac qui facile impelli poſſet, ſed, ἐμβριθὴς ϗ στερεὸς τὸ ἦθος, gravis, ſtabilis, ac ſolidus moribus. *Symmach.* ὥσπερ ἤμην ἐν ἡμέραις νεότητός μου, ſicut eram in diebus juventutis meæ: *quam lectionem habet Complut.* (*c*) Cum Deus viſitationem.] ἐπισκοπὴν, *& in comm. & Complut. eſt,* κύριος, Dominus. *Symmachus,* ὁπότε περιέφραξεν ὁ κύριος τὴν σκηνήν μου, quando circumſepiebat Dominus tabernaculum meum. *S. Auguſt.* cum verbum Domini inſpiceret domum meam. (*d*) Materiatus] ὑλώδης, quando (*inquit Schol.*) habebam multam materiam opulentiæ; ac divitias, & bonitatem prolis faciebam materiem virtutis. (*e*) Et potentes.] ἁδροί. *Sic S. Aug. Origenes,* ἁδροὶ, ſunt, οἱ πλούσιοι, divites, aut juxta cæterorum interpretationem, οἱ ἄρχοντες, principes. (*f*) Declinavit.] ἐξέκλινε. *Sic S. Auguſt. Aquila vero, & Symm.* ἐμαρτύρησε περὶ ἐμοῦ, teſtimonium perhibebat de me. (*g*) Super me veniat.] ἔλθοι *& videtur poſitum pro,* ἦλθε, veniebat. *Symm.* κατῄει, deſcendebat. (*h*) Et os viduæ.] ϗ καρδίαν χήρας εὔφρανα, & cor viduæ lætificavi. (*i*) Rapinam eripui.] ἅρπαγμα ἐξήρπασα, *in comm. græcis & aliis editionibus eſt,* ἐξέσπασα, evulſi. (*k*) Dixi autem.] *Sym.* ἔλεγον δὲ μετὰ τῆς νοσσιᾶς μου γηράσειν, dicebam autem fore, ut cum nido meo ſeneſcerem. (*l*) Vana.] κενὴ, *ſic etiam eſt in comm. & exponitur,* gloria, id eſt, ſpes, & exultatio mea vana facta eſt: *in nonnullis tamen codicibus eſt,* καινὴ, *& S. Auguſt.* nova. *Symm.* ἡ δόξα μου ἀνανεώσει παροῦσά μοι, gloria mea innovabitur præſens mihi. (*m*) Ejus graditur.] αὐτοῦ πορεύεται, *ſic etiam in comm. græcis. In Complut. eſt,* πορεύσεται. *S. Auguſt.* in manu mea gradietur: *quod eſt propius hebræo.* (*n*) Si riderem.] *Symm.* προσεγέλων αὐτοῖς, οἱ δὲ οὐκ ἐπίστευον, arridebam eis: illi vero non credebant. (*o*) Elegi viam eorum.] *Symm.* εἰ προειλόμην ὁδεῦσαι πρὸς αὐτοὺς, ſi ſtatueram ire ad eos. (*p*) In accinctis.] ἐν μονοζώνοις. *Symm.* ἐν στρατοπέδῳ, in exercitu. *Olymp.* μονόζωνοι δέ εἰσιν οἱ τίμιοι τῶν στρατιωτῶν, οἱ μὴ τὸν αὐτὸν τοῖς ἄλλοις ζωστῆρα φοροῦντες. ἢ οἱ ἀσύντακτοι, ϗ ὡσανεὶ λῃσταί. ſunt milites honoratiores, qui non idem ac cæteri cingulum ferunt, vel qui non ſunt in ordinibus, & quaſi latrones. *Iſidorus,* οἱ μονόζωνοι στρατιωτικὰ τάγματα μηνύουσιν. ἢ βαρβαρικὰ στίφη. λῃστρικὰ συγκροτήματα. ſignificat ordines militares, vel catervas barbaricas, vel prædatorias coitiones. *De iſta dictione alibi dictum eſt. S. Auguſt.* Rex cinctus fortibus. (*q*) Quaſi conſolans triſte] *Sic S. Auguſt. quod græce eſt.* ὃν τρόπον παθεινοὺς παρακαλῶν, *in commentariis græcis, & Complutenſ. eſt.* παρεκάλουν, quemadmodum perturbatos conſolabar. *Symmachus,* καθὼς ἀπάγει αὐτοὺς ὁδηγῶν, ſicut deducit eos dux viæ.

CAP. XXX.

(*a*) MInimi.] ἐλάχιστοι. *S. Auguſt.* nunc autem derident me infimi: nunc monent me minores tempore, *& videntur duæ verſiones ejuſdem ſententiæ. Theodotio,* νεώτεροί μου ἡμέραις, juniores me diebus. *Aq.* βραχεῖς παρ' ἐμὲ τῆς ἡμέραις, breves præ me diebus, *illud autem,* in parte, *explanant græci, quaſi nunc ipſis viciſſim illæ partes monendi ſint agendæ, quas ego agebam.* (*b*) Dignos canibus.] *Olympiodorus,* cæteri autem, μετὰ τῶν κυνῶν τῶν προβάτων μου, cum canibus pecorum meorum. (*c*) Ut quid mihi?] S. *Auguſt. ſequutus ſententiam,* quaſi nihilum mihi erat. (*d*) Conſummatio.] συντέλεια. *Schol.* id eſt, τῶν συντελούντων πρὸς τὴν ζωὴν εὐπορία, eorum quæ ad vitam conferunt, bona copia. *Symmach.* ἀπώλετο αὐτοῖς πᾶν τὸ πρὸς ζωὴν, perierat illis quicquid ad vitam facit. *S. Auguſt.* in eis peribat omnis vita. (*e*) Sterilis.] ἄγονος. *Schol.* id eſt, ἄπορος, ϗ οὐδεμίαν γονὴν ἔχων καρπῶν, inops & nullum ſemen ac fœturam habens fructuum. S. *Aug.* egeſtate & fame inſtabiles. (*f*) Inaquoſam.] ἄνυδρον. *Schol.* qui patriam derelinquebant, tanquam λυπρὰν, ϗ χέρσον, ϗ ἔρημον, ſterilem, & vaſtam, & deſertam, ac ſolam. S. *Auguſt.* qui fugiebant in deſertum heri. (*g*) Circuibant] περικυκλοῦντες, quod propter egeſtatem (*inquit Schol.*) neceſſe haberent circuire ad quærendas herbas. *Nonnulli codd. & Compl. habent,* περικλῶντες, qui confringebant. *Symm.* ἀποκνίζοντες φλοιοὺς φυτῶν, qui vellicabant (*aut, ut ait* S. *Aug.*) qui radebant cortices arborum. (*h*) Alima.] ἄλιμα. *Chryſoſt.* ἄλιμα δὲ βοτάνη τίς ἐστιν, ὥς φασι, ταχὺ πληροῦσα τὸν ἐσθίοντα, ϗ κόρον ἐμποιοῦσα. Herba quædam eſt, ut aiunt, quæ cito implet comedentem, & ſatietatem affert. (*i*) In reſonante.] *Chryſoſt.* ἐπὶ ἠχοῦντι δὲ, τουτέστιν ἐπὶ φάραγξι ϗ πετρώδεσιν. εὔηχοι γὰρ οἱ τοιοῦτοι τόποι, ϗ ἀντηχοῦσι τοῖς φθεγγομένοις. ϗ ἠχοῦντα λέγει τὸν ἀλσώδη τόπον, ἐν ᾧ περ ἡ πνοὴ τῶν ἀνέμων κινοῦσα τὴν ὕλην, ἦχον ἀποτελεῖ. Id eſt, in convallibus, & locis petroſis: loca enim hujuſmodi ſunt bene ſonantia, & reſpondent loquentibus. Aut etiam reſonantem dicit locum nemoroſum, in quo quidem ſpiratio ventorum movens ſylvam ſonum efficit. (*k*) Quorum quidem.] S. *Auguſt.* quorum erat cibus radix herbarum. (*l*) Et radices lignorum.] *Symmachus,* ϗ ῥίζα σίτων ἀγρίων ἡ σίτησις αὐτῶν, & radix frumentorum agreſtium erat alimentum eorum. (*m*) Inter medium bene ſonantium.] *Symmachus,* μεταξὺ φυτῶν ἀγρίων ἠχοῦντες λιμώδες, qui inter plantas egreſtes ſonabant famelicum quiddam. S. *Auguſt.* & inter arbores clamabant. (*n*) Et frænum faciei meæ emiſerunt.] S. *Auguſt.* & frænum in faciem meam miſerunt.] *In aliquibus codd. & comm. græcis, & Complut. eſt,* ἐξαπέστειλε, emiſit, *ut intelligatur, juxta interpretes græcos. Deum obſtruxiſſe os ejus, eique fidentiam loquendi abſtuliſſe.* (*o*) Super dextra germinis.] *Schol. interpretatur, quod ſibi quoniam rebus dexteris & ſecundis florenti, vel operibus ipſius bonis inſultarent, omnia deteriorem in partem interpretantes, quaſi non pure pietatem coleret. Sed alius fortaſſe, & propior hebræo poteſt eſſe ſenſus, ut intelligatur, eos qui in flore ætatis ſunt, in Job conſurrexiſſe.* S. *Auguſtinus,* & a dexteris germinantes conſurrexerunt. (*p*) Pedem ſuum extenderunt] S. *Auguſt.* pedes meos vinxerunt compedibus. *In comm. græcis, & aliis editionibus eſt,* πόδας αὐτοῦ ἐξέτεινε, ϗ ὡδοποίησεν ἐπ' ἐμὲ, *ut intelligatur Deum eſſe, qui commovens ſe adverſus Job, aditum aliis patefecerit inſultandi in ipſum: quæ quidem illis eſt occaſio perditionis. Sed noſtra propior hebræo.* (*p*) Perditionis.] *Aquila* (*al. Symmachus*) ἐπιβλυσμοῦ, inundationis. (*r*) Judicavit autem mihi.] κέκριται δέ μοι. *In comm. græcis & aliis editionibus eſt,* κέχρηται δέ μοι, *aut,* μου, *&* S. *Auguſt.* abuſus eſt me, ſicut voluit. (*ſ*) Sicut vult. *Schol.* quaſi dicat, ego autem ignoro. (*t*) Revertuntur mei dolores.] ἐπιστρέφονταί μου αἱ ὀδύναι. S. *Auguſt.* & iterantur dolores mei. *In comm. eſt.* μοι, *& exponitur,* renovantur & augeſcunt mihi dolores. (*u*) Spes mea.] *Symm.* τὰ καταθύμιά μου, deſideria, jucunditates meæ. (*x*) Effundetur.] *Sic etiam* S. *Auguſt. In comm. eſt,* ἐκλυθήσεται, diſſolvetur. *& notatur dictum eſſe pro,* συγχεῖται, confunditur, & ſuſpenſa hæret, quod neque Deo aſcribere injuſtitiam velit, neque ſibi quicquam abſurdi conſcius ſit. (*y*) Confuſa ſunt.] *Plerique codd. habent,* συγκέκαυται, combuſta ſunt. S. *Auguſt.* confracta ſunt. (*z*) Inſultarunt.] *In plerisque eſt,* ἐπέβης, inſultaſti. (*aa*) Inhærens bonis.] *Interpretatur Schol.* cum eſſem in magna felicitate, atque opulentia, *cujus interpretationis facit mentionem etiam Chryſoſt. quamvis hanc alteram magis probet,* ἐπέχων (*ita enim ipſe habet*) ἀγαθοῖς, id eſt, propter meam in alios miſericordiam, προσεδόκων ἀγαθὰ, expectabam bona: Nam & Symm. ita vertiſſe, ἀγαθὰ προσεδεχόμην, ἦλθε δὲ κακὰ, bona expectabam; venerunt autem mala. S. *Auguſt.* ego bona præſtolabar. (*bb*) Non tacebit.] *Symm.* οὐκ ἐπαύσατο, non ceſſavit, non quievit. (*cc*) Sine fræno.] Id eſt, impos ſum (*inquit Schol.*) cohibendi gemitum etiam in conventu hominum. *Compl. habet,* πορεύομαι ἄνευ θυμοῦ, ambulo ſine furore. (*dd*) Sirenum] *Chryſ.* σειρῆνας λέγει, ᾠδικούς τινας ὄρνιθας, ἀλκυόνας, ἢ γλαῦκας, ἄμφω γὰρ θρηνητικά. στρουθοὺς δὲ τοὺς στρουθοκαμήλους, ὡς ϗ σύμμαχος ἐξέδωκεν. φιλέρημα δὲ τὰ ζῶα. Sirenas vocat aves quaſdam cantatrices, alcyonas, aut noctuas: utræque enim ſunt querulæ: Struthiones autem ſtruthiocamelos, ſicut etiam Symm. reddidit: ſunt autem animalia ſolitudinis amica. (*ee*) Obtenebrata eſt.] *Chryſoſt.* cæteri, ἐμελάνθη εἰς βάθος, innigrata eſt in profundum. S. *Auguſt.* innigrata eſt valde. (*ff*) Oſſa mea.] *Cæteri libri habent,* ὀστᾶ συνεφρύγη, *& comm.* ὀστᾶ μου συνεφρύγη, oſſa mea ſunt confrixa.

CAP. XXXI.

(*a*) TEſtamentum poſui.] διαθήκην ἐθέμην. *S. Auguſt.* teſtamentum feci. *notatum autem eſt iſta voce, pactum & conſtitutionem ſignificari.* (*b*) Et non intelligam.] ϗ οὐ συνήσω. *Symm.* ϗ οὐδὲν ἐνόησα περὶ παρθένου, & nihil cogitavi de virgine. *S. Auguſt.* & non cogitabo de virgine. (*c*) Et quid partitus eſt.] S. *Auguſt.* & quæ eſt alia pars Dei ſuper? ſubauditur, non cogitabo: aut ita, & quæ eſt, niſi illa? *Græci autem ſic explanant,* cur poſt tam exquiſitam vitæ meæ rationem, talem mihi partem, & talem hæreditatem, potens & excelſus Deus deſuper partitus ſit, ignoro cauſas. (*d*) Cum irriſoribus.] *Ita* S. *Auguſt. quod græce eſt,* γελοιαστῶν. *Schol.* id eſt, γελωτοποιῶν, ſcurrarum, qui riſum movent. Non enim (inquit Julianus) interdictum eſt uti cithara, ſicut Job fatetur in cap. ſuperiore ſe uſum eſſe, modo cum pietate id fiat: nam organis etiam in templo utimur: ſed, γελοιαστὰς, vocat τοὺς κώμοις ϗ μέθαις προσέχοντας, eos qui commeſſationibus procacibus & ebrietatibus dant operam. *Symm.* μετὰ ματαιότητος, cum vanitate, & mendacio, (*e*) Steti enim in ſtatera.] *Inquit Schol.* ſteti in ipſo honeſto, & mediocritate illa quæ propria virtutis eſt. *Aquila,* σταθμήσει με ἐν ζυγῷ δικαίῳ. appendet me in ſtatera juſta. *Schol.* nimirum Deus: videtur enim juſtus hic ſuam virtutem Deo acceptam referre. (*f*) Innocentiam.] ἀκακίαν. *Complut.* ἀδικίαν, injuſtitiam: *cujus lectionis nullum uſquam veſtigium eſt inventum.* (*g*) Et ſine radice.] S. *Auguſt.* ſine ſtirpe. *Symmach.* ϗ τὰ ἔκγονά μου ἐκριζωθείη, & poſteri mei eradicentur. (*h*) Si obſedi januas.] *Sic* S. *Auguſt. quod græce eſt,* εἰ ϗ ἐγκάθετος ἐγενόμην, *Aquila, & Symmachus,* ἐνήδρευσα, ſum inſidiatus. (*i*) Placeat.] ἀρέσαι, *ſic etiam* S. *Auguſt. Schol.* hebræus, ἀλέσαι, molat. (*k*) Iræ indomitus.] ὀργῆς ἀκατάσχετος. S. *Auguſt.* furor enim animæ meæ eſt indomitus. (*l*) Partes.] μερῶν, *Polychronius legit,* μελῶν, membra, *& ita Complut.* (*m*) Deſpexi.] *Sic* S. *Auguſt.* ἐφαύλισα. *Aquila,* ἀπέρριψα, abjeci. (*n*) Inquiſitionem.] ἔτασιν, *Symmach.* ἐὰν ἐπιζητῇ, ſi inquirat. *Olympiod.* ἔτασιν, vocat, τὴν ἐξέτασιν, diligentem atque accuratam exquiſitionem, divinam autem ἐπισκοπὴν, & viſitationem vocat, τοὺς ἐλέγχους, redargutiones, & correptiones. (*o*) In eodem ventre.] *Symm.* ἐν ὁμοίῳ τρόπῳ, in ſimili modo. S. *Auguſt.* & fuimus ſimiliter in ventre (*p*) Impotentes.] S. *Auguſt.* ſi non benedixerunt mihi humeri; de tonſura ovium mearum calefacti ſunt: *quod non longe abeſt ab hebræo.* (*q*) Si levavi ſuper pupillum manum.] *Sic* S. *Auguſt. quod græce,* εἰ ἐπῆρα ὀρφανῷ χεῖρα, *ſed addit,* meam, *ut hebræus. Symmach.* κατὰ ὀρφανῶν, contra pupillos. (*r*) Diſcedat.] *Aquila,* πεσάτω, cadat. (*ſ*) A junctura, ἀπὸ τῆς κλειδὸς. *Olympiod.* κλεῖδα vocat juncturam humeri cum collo. Theodotio autem & Symmachus, pro, κλειδὸς, ille quidem reddidit, τοῦ αὐχένος, cervice & jugulo: hic autem, τοῦ ἀκρωμίου, ſummo humero. S. *Auguſt.* diſcedat humerus meus a jugulo meo. (*t*) A prehenſione.] ἀπὸ τοῦ λήμματος, cogitans (*inquit Scholiaſtes*) εἰ ἐπιλάβοιτό μου θεὸς ἢ ἀδικήσαντος ἢ μὴ εὐεργετήσαντος, ſi deprehenderit me Deus, aut injuſte agentem, aut non bene facientem, intolerabile ſupplicium mihi ſubeundum. *Symmachus,* βάρους, & S. *Auguſt.*

& a pondere ejus. (*u*) In congium meum.] εἰς χοῦν μου, *cæteri*, ἰσχύν μου, *& S. Auguſtinus*, poſui aurum robur meum. *Symmachus*, ἀφοβίαν μου, fiduciam meam. (*x*) In innumerabilibus manum meam. S. *Auguſt.* animam meam. *Explanat hunc locum Schol. ideo Job non poſuiſſe manum in innumerabilibus, quoniam terminum poſuiſſet incremento opum, & quicquid ex certo numero redundaret, ad uſum pauperum transferret. Propius eſſet hebræo, ſi repeteretur illud,* εἰ εὐφράνθην, ſi lætatus ſum, *quod in bonis innumerabilibus ponerem manum, atque ex infinito acervo ſumerem.* (*y*) Non enim in eis eſt.] *Olymp.* non in eis eſt, ſed in eo qui ordinavit, & conſtituit. (*z*) Deceptum eſt.] ἠπατήθη. *Symmachus*, ἐμπλατύνθη, dilatatum eſt, *quaſi tumens præ opum amplitudine.* (*aa*) Si & oſcultatus ſum.] *Symm.* καὶ προσεκύνησεν ἡ χείρ μου περὶ τὸ στόμα μου, & adoravit manus mea circa os meum, *nimirum Solem & Lunam illo amoris ardentis officio, quam interpretationem Olymp. & Chryſoſt. notant ab aliis accommodari lxx. verſioni, licet ipſi magis referant ad cultum quendam, & amorem ſuarum opum, aut actionum, de quibus ſibi valde placeret, quemadmodum etiam* S. *Auguſtin.* (*bb*) Euge.] *In comm. græcis, repetitur,* euge euge, *Symmach.* καὶ ἐπανέστην ὅτι κατέλαβεν αὐτὸν κάκωσις, & inſurrexi, quando apprehendit eum afflictio. (*b*) Sæpe dixerunt] *Olympiod.* cæteri autem ſic reddiderunt, εἰ μὴ πολλάκις εἶπον οἱ ἄνδρες τῆς σκηνῆς μου, τίς δῴη τῶν σαρκῶν αὐτοῦ, καὶ ἐμπλησθησόμεθα; ſi non ſæpe dixerunt viri tabernaculi mei, quis det de carnibus ejus, & ſaturabimur? ut alterum ſit crudelitatis deteſtatio, alterum impotentis cujuſdam & inſatiabilis amoris indicium. (*dd*) Non ſponte peccaſſem.] ἀκουσίως. nam voluntarii peccati (*inquit Olympiodorus*) non erat ſibi conſcius: involuntarium autem, id eſt, repentinas quaſdam perturbationes, a quibus homo cavere non poteſt, confeſſione purgabat. *S. Auguſt. habet*, quod ſi & ſponte peccavi, abſcondi peccatum meum. (*ee*) Syngrapham.] *Apud* S. *Auguſt. hæc ſatis mendoſe referuntur*, conſcriptionem, ſi quam habeo, & ſi non dirupi eam ſuper humeros meos, & coronatus publice legam. S. *Ambroſius de Tobia, cap.* 17. conſcriptionem, quam habui adverſus aliquem juramento conceptam, imponens coronam legebam, & ſi non ſcindens eam reddidi, nihil accipiens a debitore. *Olympiodorus*, Non enim quemadmodum quis glorioſe exultans in debitores, evolvens utriſque manibus ſyngraphas publice ſubinde legebam, ſed conſcindens eas, & remittens debita reddebam debitoribus. (*ff*) Virtutem. *Sic* S. *Auguſtinus, quod eſt*, ἰσχὺν, robur, vigorem. *Schol.* ἰσχὺς, terræ eſt, καρπογονία, καὶ ἡ φορὰ τῶν ὡρίων, fructuum procreatio, & proventus ſuo cujuſque tempore. (*gg*) Contriſtavi.] ἐλύπησα, *Symmachus*, ἐλπίδος ἐστέρησα, ſpe privavi. (*hh*) Urtica.] κνίδη. *Olympiodorus*, Theodotio autem, & Symmachus, ille quidem pro, κνίδη, reddit, ἄκανθα, hic vero pro, βάτος, ἀπελεσφόρητα, germina imperfecta, & inutilia: & cnide & batus ſunt plantæ ſpinoſæ. *Schol.* Symmachus quidem ſic reddidit, ἀντὶ σίτου βλαστησάτω ἄκανος, pro tritico germinet acanus. Legi autem in regnis (*id eſt, in libris regnorum*) plantam ſic dictam, acanum.

CAP. XXXII.

(*a*) CORam eis.] ἐναντίον αὐτῶν. *Sanctus Auguſtinus*, in conſpectu ſuo. *Symmachus*, διὰ τὸ αὐτὸν δίκαιον φαίνεσθαι ἐπ᾽ αὐτῶν, eo quod ipſe juſtus appareret ſuper eos. (*b*) Sed ſpiritus eſt.] *Symmachus*, ὄντως δὲ πνεῦμα θεοῦ ἐστιν ἐν ἀνθρώποις, vere autem ſpiritus Dei eſt in hominibus. (*c*) Scientiam.] ἐπιστήμην. *Chryſoſtomus*, cæteri, γνῶσιν, cognitionem. (*d*) Audientibus vobis] *Origenes*, ἕτερα ἀντίγραφα μετὰ τὸ, ἐρῶ γὰρ ὑμῶν ἀκουόντων, ἔχει καὶ τούτους τοὺς στίχους. Alia exemplaria poſt verba iſta, habent & hos verſiculos, ἰδοὺ ἤκουσα τοὺς λόγους ὑμῶν, ἠνωτισάμην ἄχρι συνέσεως ὑμῶν, ecce audivi ſermones veſtros, auſcultavi uſque ad intelligentiam veſtram. οἱ δὲ ἕτεροι ἑρμηνευταὶ οὕτως ἐκδεδώκασιν. Cæteri autem interpretes ſic reddiderunt, ἰδοὺ ἐξεδεξάμην τοὺς λόγους ὑμῶν, ἠκροασάμην ἐφ᾽ ὅσον ἐξητάσητε λόγους, καὶ μέχρι τοῦ ἐφικέσθαι ὑμῶν ἐνενόουν, ecce accepi veſtros ſermones, auſcultavi donec exquireretis ſermones, & quoaduſque vos perveniretis, conſiderabam. (*e*) Domino adjecti.] *Chryſoſtomus*, neque dicatis, hoc ipſum ſapienter fecimus, quod ad Dei partem nos applicavimus, ejuſque juſtitiam defendimus; nihilominus enim peccaſtis, quando Job redarguere non potuiſtis. S. *Auguſtinus hoc, aut propinquo huic loco, hæc videtur legiſſe quæ non longe abſunt ab hebræo,* Deus abjecit eum, & non vir: & ſermonibus veſtris non reſpondebo ei. (*f*) Veteres fecerunt.] ἐπαλαίωσαν. *Schol.* ſuos ipſorum ſermones veteres, & putridos, & inutiles ſuo ipſo ſilentio oſtenderunt. (*g*) Non enim loquutus ſum.] ἐλάλησα. S. *Auguſtinus videtur legiſſe propius ad hebræum*, ἐλάλησαν, *ut Complutenſ.* & non ſunt loquuti. (*h*) Suſcipiens autem Elius ait.] *Horum loco, quæ omnino videntur adjectitia in commentariis græcis legitur,* ὅτι ἀποκριθῶ κἀγὼ μέρος, quare reſpondebo & ego partim, *id eſt, pro mea virili parte. In aliqua editione ſunt utraque.* (*i*) Perdit.] ὀλέκει. *Symmachus*, συγκαίει, comburit. (*k*) Uter.] *Symmachus*, ὡς οἶνος νέος ἀδιάπνευστος, ſicut vinum novum, quod non habet perſpiratum. Vult dicere, quod per poros & ſpiritales meatus non exhalatur; vel, quod in vaſe undique occluſo adſervatur. Nam ſæpenumero vinum illud in cauſa eſt cur vaſa diſrumpantur. Hieron. *En venter meus quaſi muſtum abſque ſpiraculo.* Verbum e verbo, *ſicut vinum, quod non aperitur.* Sign. autem puto vas, in quo vinum. Quale illud, *& vina coronant.* Nam non vina coronabant, ſed pocula, in quibus vinum continebatur. *Druſ.*

CAP. XXXIII.

(*a*) TE turbabit.] σε στροβήσει. *Aquila*, ἐκθαμβήσει, terrebit, obſtupefaciet, *quam lectionem habet Complutenſ.* (*b*) Cur judicium meum non exaudivit.] διατί τῆς δίκης μου, οὐκ ἐπακήκοέ μου πᾶν ῥῆμα; *In comm. græcis, & in Complutenſi eſt*, διατί τῆς δικαιοσύνης μου οὐκ ἐπακήκοε πᾶν ῥῆμα; cur juſtitiæ meæ non audivit omne verbum? *dictio*, δικαιοσύνης, *eſt etiam in aliqua alia editione. Chryſoſt.* pro quibus Aquila, & Theodotio, ille quidem, τί οὖν πρὸς αὐτὸν ἐκδικάσω, ὅτι πάντα τὰ ῥήματα αὐτοῦ οὐκ ἀποκρινεῖται; quid igitur contra eum judicio contendiſti, omnia enim verba ejus non ferunt reſponſum? hic vero, τί οὖν αὐτῷ διαδικάζῃ; πάντες γὰρ οἱ λόγοι αὐτοῦ ἀναντίρρητοι, quid igitur ipſum vocas in judicium? omnes enim ſermones ejus ſunt ejuſmodi, quibus contradici non poſſit. (*c*) Loquatur.] *In noſtra erat*, λαλῆσαι, loqui, *ut etiam in Complutenſ. ſed in commentariis græcis*, λαλήσαι. S. *Auguſtinus habet*, loquitur. (*d*) Sicut quando incidat.] ὡς ὅταν. *In comm. & aliis editionibus eſt*, ἢ ὡς ὅταν, aut ſicut quando. S. *Auguſtinus*, aut ſicut incidit. (*e*) Suam ſtultitiam.] ἄνοιαν αὐτοῦ. *In comment. & aliis editionibus, eſt*, ἀνομίαν, iniquitatem. (*f*) Virum factum.] *Schol.* id eſt, corroborans, & vigorem virilem præbens, reſtituet eum hominum ſocietati, & conſuetudini (*g*) Deprecatus autem.] εὐξάμενος. *In comment. eſt*, εὐξαμένου, cum deprecatus fuerit. *Theodotio*, δεηθήσεται τοῦ θεοῦ, καὶ εὐλογήσει αὐτὸν, orabit Dominum, & benedicet eum. (*h*) Hilari.] ἱλαρῷ, *ſic etiam* S. *Auguſt. Olympiodorus, notat hoc eſſe cæterorum interpretum. lxx. autem habere*, καθαρῷ, pura: *quod etiam in aliquot codicibus, & Complut. eſt.* (*i*) Profeſſione.] *Sic* S. *Auguſt. quod græce eſt*, ἐξηγορίᾳ. *Olymp.* Pro. σὺν ἐξηγορίᾳ, Aquila & Theodotio reddiderunt, ἐν ἀλαλαγμῷ, in jubilatione. Symm. autem, ἐν ὑμνολογίᾳ, in hymnorum decantatione. Hieron. Etiam ululatum reddit, Amos 1. 1. & ululatum vincentis exercitus, Amos 2. 2. Sign. militum clamorem, quem edunt in congreſſu acierum, aut quando urbem aliquam oppugnant. Pſal. 89. 16. יודעי תרועה. Hieron. qui ſcit jubilum. LXX. ὁ γινώσκων ἀλαλαγμόν. 27. 6. זבחי תרועה. Hieron. *hoſtiam jubili.* LXX. θυσίαν αἰνέσεως. Alias, ἀλαλαγμοῦ. Pſalt. Rom. jubilationis; Gallicum, vociferationis. *Druſ.* (*k*) Vias tres] ὁδοὺς τρεῖς μετὰ ἀνδρός. *Schol.* διὰ τριῶν τούτων τρόπων, tribus his modis peccatores convertit, loquendo, terrendo per ſomnia, morbos inferendo. *Sanctus Auguſtinus habet*, vices tres. *Symmachus*, δὶς τρεῖς πρὸς ἕκαστον, ὥστε μετακαλέσαι τὴν ψυχήν μου, bis ter ad unumquemque, ut revocet animam meam.

CAP. XXXIV.

(*a*) REmovit.] ἀπήλλαξε. *Schol.* Scribitur παρήλλαξε, immutavit & alienavit. *Olympiodorus*, ὁ δὲ θεός μοι τὸ κριτικὸν οὐκ ἐφύλαξεν, ἀλλὰ κατὰ σύμμαχον καὶ ἀκύλαν, Deus autem mihi facultatem judicantem non cuſtodivit: verum juxta Symmachum, & Aquilam, παρέτρεψε, καὶ ἀπέστησεν ἀπ᾽ ἐμοῦ τὸ κρίμα, καὶ περὶ τὴν κρίσιν μου ψεῦσμα, pervertit, & amovit a me judicium; & circa judicium meum falſitas. (*b*) Aut neque communicavit.] ἢ οὐδ᾽ οὐ. *In commentariis græcis, & aliis editionibus eſt*, οὐδ᾽ ὅλως, neque omnino. (*c*) Ne enim dixeris.] *Olympiodorus*, Theodotio, & Aquila, alter quidem reddidit, ὅτι εἶπεν, οὐ κινδυνεύσει ἀνὴρ ἐν τῷ εὐδοκιμῆσαι αὐτὸν μετὰ θεοῦ, quoniam dixit, non periclitabitur vir, dum ipſe bene complacuerit cum Deo: alter vero, οὐχὶ σωθήσεται ἀνήρ, non ſalvabitur vir? Et verba quidem Theodotionis per enuntiationem legenda ſunt Symmachi autem morate & per interrogationem. S. *Auguſtinus.* Dixit, enim, non viſitabitur, qui ambulaverit cum Deo. (*d*) Abſit a me.] *Symmachus*, ἀπείη τοῦ θεοῦ ἀνομία, καὶ τοῦ ἱκανοῦ ἀδικία, abſit a Deo iniquitas, & a ſufficienti injuſtitia. *Sanctus Auguſtinus*, abſit a Deo impietas. (*e*) Sin autem non ſis monitus.] *In noſtra legitur*, ἴδε μὴ, *ſed poſitum eſt pro eo, quod in comment. & aliis editionibus*, εἰ δὲ μή. *Olympiodorus.* Cæteri autem, εἰ μὴ συνιεῖς, ἄκουε, ἆρα ὁ μισῶν κρίσιν, ἐπιδήσει; ſi non intelligis, audi: nunquid qui audit judicium, obligabit? *Schol.* ἐπιδήσει εἰς ἴασιν, obligabit ad ſanandum. Sunt qui ita referant, ἐπιδώσει εἰς ἴασιν, augebit, ac proficiet ad ſanationem. (*f*) Impiiſſime.] ἀσεβέστατε. *Ita Polychronius, & Sanctus Auguſtinus. In cæteris vero codicibus eſt*, ἀσεβέστατος, *& exponitur in Schol.* qui dicit regi, injuſte agis; ſicut impiiſſimus judicatur a principibus. (*g*) Honorati.] ἐντίμου. *Olympiodorus, cæteri vero*; ἀρχόντων, principum. (*h*) Exhonoratis.] ἐκκλειομένων. *In aliis libris partim eſt*, ἐγκλειομένων, incluſis, *partim*, ἐκκλειομένων, excluſis. *Schol.* male, inquit, ſunt uſi poteſtate; quoniam ad gratiam hominum ſpectantes deſpexerunt juſtitiam, & paupertes a jure ſibi debito excludendos curarunt. (*i*) Neque erit locus.] *Apud S. Auguſtinum ſequitur*, & non eſt umbra mortis, ut latitent. (*k*) Quoniam non ſuper virum] *Exponunt græci, quod poſt mortem non ſit amplius in hominis poteſtate electio agendorum. Symmachus*, οὐ γὰρ ἐπ᾽ ἀνθρώπῳ κεῖται ἔτι, non in homine ſitum eſt amplius. (*l*) Quietem dabit.] *Symmachus*, αὐτοῦ δὲ ἠρεμίαν διδόντος τίς καταχρινεῖ; ipſo autem quietem dante, quis contra judicabit? (*m*) Quoniam erga fortem, qui dicit.] *Eodem pene modo profertur in hebræo: & aliqui volunt hoc ſignificari, quia de Deo (aut de forti) conſentaneum eſt, ut dicatur; ſuſcepi, non deſtruam. In pleriſque certe codd. eſt*, εἴληφα, *in nonnullis tamen eſt*, εἴληφας, tuliſti: *& in Scholio hæc quorundam explanatio affertur*, ſi erga ſe potentiorem nemo dicit, tu abſtuliſti mea, quæ minime loco pignoris acceperas; quanto minus id erga Deum dicetur? *Symmachus*, ὅτι πρὸς θεὸν ῥῆσιν ἀνέλαβον, οὐχ ἕξω ἀκωλύτως, quoniam erga Deum dictionem aſſumpſi, non habebo ſine impedimento. (*n*) Expelles.] ἀπώσῃ. *Nonnulli codices & Polychronius, habent*, ὅτι ἀπώσω, & S. *Auguſt.* quia repuliſti. *Schol. videtur legiſſe*, ὅτι μὴ ἀπώσῃ, quare ne repellas. *Ita enim interpretatur*, nonne tu debes reddere vices ſermonum meorum? ne igitur repellas, ſed redargue, quæ dicta ſunt: tuum enim eſt eligere, & judicare utrum bene an ſecus dixerim, non autem meum, qui dixi.

CAP. XXXV.

(*a*) DOmini:] *In pleriſque codd. hæc ſequuntur*, ἢ ἐρεῖς, τί ποιήσω ἁμαρτών; aut dices, quid faciam cum peccavero? *Symm.* εἶπας γὰρ, ὅτι οὐδὲν συμβαλεῖταί σοι, dixiſti enim, quod nihil proderit tibi. *S. Aug.* aut dicis, quid prodeſt tibi, aut quid faciam, ſi peccavi? (*b*) Qui ſeparat me.] *Origenes*, juxta cæteros autem, διδάσκων ἡμᾶς ὑπὲρ τὰ κτήνη τῆς γῆς, καὶ σοφίζων ὑπὲρ τὰ κατὰ τὸν ἀέρα διιπτάμενα πετεινὰ, qui docet nos ſupra jumenta terræ, & facit ſapientes ſuper volatilia, quæ per aerem volitant. *Et S. Aug* & a volatilibus cœli ſapientiorem me fecit. (*c*) Perſpector eſt eorum.] S. *Aug.* perſpicit eos qui faciunt juſtitiam, & ſalvum me faciat (*) Ibi vociferabuntur.] *Schol.*

Schol. illud, ἐκεῖ, ibi, dictum eſt pro, τότε, tunc. Tunc, inquit, cum ij qui injuriis & calumniis ſunt vexati, clamabunt ad te; non exaudies, neque vindicabis eos a contumelia? nimirum omnino vindicabis. (*d*) Et nunc.] *Hoc ab Olympiodoro & Chryſoſtomo conjungitur cum ſuperioribus, ut ita intelligamus. Quid ita ô Job erga tantam majeſtatem vis judicio contendere; ſi neque ſatis pro dignitate illum laudare potes etiam in his ſuppliciis, quibus nunc te afficit?* S. *Auguſt. conjungit cum ſequentibus*, & nunc, quia non eſt viſitans. (*e*) Aggravat] *Symmach.* ὡς ἀνόητος λόγους βαρεῖς ἐποιήσατο, ſicut ſtultus ſermones graves fecit. *S. Auguſt.* ſua verba multiplicat.

CAP. XXXVI.

(*a*) AUtem meis.] *Ita S. Auguſt. quod græce eſt,* ἔργοι δέ μου δίκαια, *ſed græci accipiunt hoc modo*: operibus Dei mea juſta comprobabo. (*b*) Intelligis.] συνιεῖς, *ſicque S. Auguſt. In comm. græcis, & Complut. eſt,* συνιεὶς, intelligens. (*c*) Robore cordis.] *Ita fere S. Auguſt. In comm. græcis, & in aliqua editione eſt,* καρδίας ἀσεβῶν, *in Complut.* καρδίαν ἀσεβῶν, potens robore corda (*aut*, cor) non vivificabit? (*d*) Et ſedere.] *Ita etiam apud S. Auguſt. In comm. & Complut. non eſt illud,* καὶ, &, *ſed continuate legitur*, & cum regibus in ſolio ſedere eos faciet. (*e*) In victoria.] εἰς νῖκος, *& græci interpretantur,* εἰς τέλος, in finem, in perpetuum: *quemadmodum S. Auguſt.* & ſedere eos fecit in perpetuum. (*f*) Quoniam valebunt.] ὅτι ἰσχύσουσιν, *& apud græcos ſubintelligitur*, ipſa delicta. *Symm.* ὅτι κατεδυνάστευον, quoniam tyrannidem exercebant, violente dominabantur. *S. Aug.* & delicta, cum fuerint roborati. (*g*) In decoribus.] ἐν εὐπρεπείαις, *in comm. legitur,* εὐπραγίαις, in proſperitatibus, *apud S. Auguſt.* in gloria. (*h*) Ordinabunt.] τάξουσι, *& græci intelligunt hypocritas ipſos contra ſe ordinare divinum furorem. S. Auguſt. habet*, ponent furorem. (*i*) Exponet.] ἐκθήσει, *Schol.* ὁρίσει ὁ θεὸς, τοῦτο γὰρ τὸ ἐκθήσει, definiet Deus: hoc enim valet illud, ἐκθήσει. *S. Auguſt. habet*, ſtatuet. (*k*) Et ſuperdecepit te.] καὶ προσεπηπάτησέν σε. *Polychronius & Schol. legunt,* καὶ πρὸς ἐπεὶ ἠπάτησέν σε, & præterea, quoniam decepit te: *putant enim poſt brevem illam interjectionem de judicio manſuetorum redire ad cauſas memorandas, cur hypocritæ male pereant, & interpretantur,* πρὸς, *id eſt,* πρὸς τούτοις, ad hæc. *S. Auguſt.* & quia decepit te. *Schol.* hebræus habet, καὶ προσέτι ἠπάτησέν σε, & præterea decepit te. (*l*) Ab ore inimico.] *Ita S. Auguſt. quod græce,* ἐκ στόματος ἐχθροῦ. *Græci explanatores*, quoniam decepit manſuetum inimico ore ſuo. (*m*) Abyſſus, effuſio ſub ea.] *Sic interpungunt græci, & intelligunt cum aliis modis tum hoc potiſſimum, repoſitam eſſe hypocritæ abyſſum, & eam quæ ſub ea, effuſionem, id eſt,* τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον, tenebras exteriores. *Sed S. Auguſt. ita*, & quia decepit te ab ore inimici abyſſus, at effuſi ſub terra, ſubaudiendum, deceperunt te. (*n*) Voluntaria mens a prece.] *S. Auguſt.* non te avertat voluntas animi a precibus infirmorum: *poſſet etiam exponi*, non valebunt tunc preces etiam voluntariæ impiorum, cum infirmi fuerint in neceſſitate, *& ſic videntur accipi a græcis hæc verba.* (*o*) Et omnes qui tenent fortitudinem] *Schol. videtur conjungere cum ſequentibus*, noli extrahere per noctem, *ut ſit ſenſus*: neque potentibus robore injuriam inferes, ut nocte & clanculum hos de propriis deturbes, pro illis autem alios in locum eorum colloces. *S. Auguſt.* & omnes qui habent fortitudinem. Nolite extrahere per noctem. *Poſſent autem verba illa,* μὴ ἐξελκύσῃς τὴν νύκτα, *ita reddi*, ne protrahas noctem. *Sym.* μὴ προθυμηθῇς νυκτὸς λαοὺς ἐπαναβῆναι ἐπὶ τοῦ τόπου αὐτῶν, ne cupias noctu ſuperaſcendere populos in locum eorum. (*p*) Super his enim elegiſti.] ἐπὶ τούτων γὰρ ἐξείλου, *in comm. græcis, & aliis editionibus eſt,* ἀπὸ τούτων γὰρ ἐξείλω, *& interpretatur Schol* ab hoc ipſo facto, id eſt, ex eo, quod non facias indecentia, liberaberis a miſeria, quæ eſt in paupertate. *Sed S. Auguſt.* hoc enim elegiſti ſuper inopiam, *& fortaſſe propius ad hebræum.* (*q*) Roborabit.] κραταιώσει. *S. Auguſt.* ecce Deus conſolabitur, vel roborabitur: *& certe ſæpe, ubi in noſtra eſt,* ἰσχυρὸς, fortis; *apud S. Auguſt. eſt*, Deus: *quod magis conveniet lxx. nam illud potius Aquilæ eſt, ut notat* S. *Hier. ad Marcellam.* (*r*) Qui dicat.] ὁ εἰπών, *in comm.* ὁ εἴπας, *quod idem valet in Complut.* ὁ εἶπας, quod dixiſti. S. *Auguſt.* aut quis eſt qui dicat ei, inique? (*ſ*) Quorum dominati ſunt viri.] ὧν ἦρξαν ἄνδρες, quorum operum (*inquit Schol.*) imperium a principio homines acceperunt. S. *Aug.* quem laudaverunt viri. (*t*) Videt in ipſo.] εἶδεν ἐν ἑαυτῷ. *Schol.* id eſt, omnis homo habet cognitionem de Deo. S. *Auguſt.* omnis homo reſpicit ad eum, *ut videantur habuiſſe,* αὐτῷ, *quemadmodum Complut. aut pro eo accepiſſe.* (*u*) Quicunque vulnerati.] ὅσοι τιτρωσκόμενοι εἰσὶ βροτοὶ, *Schol.* illud, ὅσοι, dictum eſt pro πάντες, omnes: omnium enim eſt, vulnerari, eſſe obnoxios perpeſſioni, & interitui. *Symmach.* ἕκαστος ἀποβλέπων μακρόθεν, unuſquiſque aſpiciens a longe. *Ex quibus Symmachi, verbis ſuſpicatur Schol. vulnerationem eſſe accipiendam excitationem mentis: nam cum pungimur valde excitamur, atque attentiores reddimur.* (*x*) Multus.] πολύς. *Schol.* illud, πολὺ, ſcriptura ponit in eo, quod eſt interminatum, & numero comprehendi non poteſt. (*y*) Et infinitus, *illud*, &, *abeſt a* S. *Auguſt. Olymp.* quædam exemplaria habent, ἀριθμὸς ὁδῶν, numerus viarum. (*z*) Effundentur ad pluviam in nube.] *Non longe ab hebræo.* S. *Auguſtin.* effundetur imber per ſemitas ſuas. (*aa*) Antiquitates] παλαιώματα. *Schol. inquit ita vocari,* σταλαγμοὺς, guttas & ſtillas: *quod hoc ita fiat ab antiquo. Sic etiam capite ſequenti. Symmachus,* ἅ τινα ῥυήσονται ἐκ τοῦ αἰθέρος, quæ quidem fluent ex æthere. S. *Auguſt.* fluent nubes. (*bb*) Innumerabili homine.] *Sapit hebræum. In aliquot codd. & comm. græcis, eſt,* ἀμυθήτων βροτῶν, innumerabilibus, inenarrabilibus hominibus. S. *Aug.* & tenebreſcent ſuper homines plurimos. *Nonnulli codd. & Complut.* βροντῶν, tonitruis. (*cc*) Horam conſtituit.] *Hæc uſque ad illud*, & ſi conſtiterit, *abſunt a nonnullis codd. & a comm. & a Compl. ſed reponuntur in capite ſequenti: habet tamen hic* S. *Auguſtin.* (*dd*) Et ſi conſtiterit.] καὶ ἐὰν συνῇ ἀπέκτασις, *alij codd. habent,* ἐπεκτάσεις, extenſiones, *& reddendum eſſet*, & ſi intellexerit extenſiones. *Schol.* admirabitur ille, inquit, etiam ſi cogitaverit, quam parva exorta nebula circa totum cœlum condenſatio æqualis nubium extendatur: tabernaculum enim vocavit ipſum cœlum S. *Auguſtinus*, ſi cogitaverit extendere nebulam. (*ee*) Edo.] ἠδὼ, *aut, ut in comm. græcis,* ἠδὼ, *videtur eſſe vox hebræa; quamvis nunc, ut notat Schol. in hebræo legatur,* ὤρω, *facilis enim mutatio eſt ab una litera ad alteram in hebræo. Chryſoſt.* ὁ δὲ σύμμαχος, ἐκπετάζει ἐπ' αὐτὴν φῶς αὐτοῦ. Symmachus autem, expandit ſuper eam lumen ſuum. *Alia autem exemplaria, pro,* ἠδὼ, *habent,* τόξον, *arcum*: *& græci interpretantur de arcu cœleſti.* S. *Auguſt.* ecce fundit ſuper omnia lucem ſuam. (*ff*) In eis enim.] *Sym.* διὰ γὰρ αὐτῶν, per hæc enim. (*gg*) Valido.] *S. Auguſt.* plurimis. AA.LL. *habent,* ἀκούοντι, audienti. *Symm.* παρέξει τροφὴν παμπόλλην, præbebit eſcam copioſam. (*hh*) Mandavit de ea.] καὶ ἐνετείλατο περὶ αὐτῆς, ἐν ἀπαντῶντι. *Schol.* illud, περὶ αὐτῆς, de ea, accipiendum eſt, de die; illud autem, ἐν ἀπαντῶντι, in occurrenti, de ſole: ut intelligatur, Deum qui manibus potentiæ ſuæ obtexit lumen per noctem, mandare deinceps lumini, & ſoli, ut occurrat, ac diem faciat. *S. Auguſt.* & mandavit de eo in contrarium. *Symm.* καὶ ἐπιτάξει αὐτῷ, ὥστε ἀπαντῆσαι, & præcipiet ei, ut occurrat. (*ii*) Annunciabit.] ἀναγγελεῖ περὶ αὐτοῦ φίλον αὐτοῦ. *Schol. putat poſſe intelligi quod amicis ſuis Deus harum rerum cognitionem gratificetur, aut legendum per interrogationem, num forte Deus inops conſilii adhibet amicum, & conſiliarium? Symm.* ἀπαγγελεῖ περὶ τούτων ἑταίρῳ αὐτοῦ, annunciabit de his ſodali ſuo. S. *Auguſt.* ut nunciaret ſuper illo amico ſuo. (*kk*) Dominus.] *Hæc vox abeſt a comm. & aliis editionibus, & a S. Auguſt. Chryſoſt.* alia exemplaria habent, κυρίου κτῆσις, Domini poſſeſſio. Symmachus, ζῆλον περὶ ἀδικίας, zelum pro injuſtitia. *Senſum eſſe hunc idem Chryſoſt. putat non communicare Deum alteri cuiquam de ſua poſſeſſione, & quomodo ad zelum provocatus puniat injuſtos.* S. *Auguſt.* poſſeſſionem contra eos qui aſcendere nituntur. *Omnino inſignis in hoc capite vocum hebræarum amphibologia magnam interpretationum varietatem fecit.*

CAP. XXXVII.

(*a*) ET ab hac.] καὶ ἀπὸ ταύτης ἐταράχθη, *ab hac, inquiunt græci, conſideratione incomprehenſibilis ſapientiæ Dei. Sym.* καὶ περὶ τούτων πτήσσει ἡ καρδία μου. Etiam de his expaveſcit cor meum. S. *Auguſt.* ſed & in hoc obſtupuit cor meum. (*b*) Et effluxit.] καὶ ἀπερρύη. *Schol.* id eſt, parum abfuit, quin propriam ſedem derelinqueret. S. *Auguſt.* evulſum eſt. (*c*) Et meditatio.] καὶ μελέτη. *Aquila,* καὶ φθογγὴ, & locutio. Conſidera, *inquiunt græci*, attente quæ ex ira Dei evenerunt: ſunt enim quaſi voces, quibus meditari aſſueſcas, & parare te ad honorem Domini. *Apud S. Auguſtinum hæc leguntur*: Audite ſonitum terroris, & vocis ejus: & ſtrepitu oris illius exeunt: *quæ veriſimile eſt ex aliqua alia verſione fluxiſſe: ſicut etiam ſequentia*, ſubter univerſum cœlum circuit, & lumen ejus in finibus terræ. (*d*) Poſt eum clamabit voce.] *Schol.* illud, ὀπίσω αὐτοῦ, poſt eum, poſitum eſt, pro, θελήσαντος αὐτοῦ, volente, & jubente illo: nam ſimulac voluit, ſequitur opus, & per tonitruum erumpunt voces, quaſi minæ illius, *ut videatur legiſſe,* φωνὴ, *nominandi caſu, quemadmodum &* S. *Auguſt.* poſt eum fremet vox. (*e*) In voce contumeliæ ſuæ.] *Quaſi, ut dictum eſt*, in voce minarum plena. S. *Aug.* in ſonitu ſuperbiæ ſuæ, *& ita inquit*, ſuperbiam pro celſitudine poſuit. *Aquila,* ὑπερφερείας αὐτοῦ, ſuperlationis, & celſitudinis ſuæ. (*f*) Et non commutabit eos.] *Schol.* jubente Deo non licet tonitruo mutare ſonitus ſuos, quoniam obediunt ei. *Symm* ἐξιχνιασθήσεται ἀκουσθέντος τοῦ ψόφου αὐτῆς, *quod fere ſequitur* S. *Auguſt.* & non poterit inveſtigari, cum audita fuerit vox ejus. (*g*) Mirabiliter.] *Hic in comm. græcis, & aliis editionibus, ſequuntur ea quæ ſuperiore capite notatum eſt abeſſe eo loco a nonnullis codicibus.* (*h*) Quæ neſciebamus.] *Sic* S. *Auguſt. quod græce eſt,* ἃ οὐκ ᾔδειμεν, *& a græcis exponitur*, quorum rationes cognoſcere non poſſumus. (*i*) Et tempeſtas pluvia.] καὶ χειμὼν ὑετὸς, καὶ χειμὼν ὑετῶν, δυναστείας αὐτοῦ. *Eſt hujuſmodi quædam repetitio in hebræo: licet in noſtra fortaſſe aliquod mendum ſubſit. In comm. græcis eſt tantum,* καὶ χειμὼν ὑετοῦ, δυναστείας αὐτοῦ, *nec multo aliter in aliqua editione. In Compl. eodem modo, niſi quod habet,* ὑετῶν. *Exponunt græci, tempeſtatem, & effuſionem pluviarum eſſe opus potentiæ Dei: quamvis*, pluvia poteſtatis, *poſſet ſignificari pluviam vehementem. Symmach.* καὶ χειμὼν ὑετοῖς χειμάσει ὄμβροις (*al.* ὄμβρος) ἰσχύος αὐτοῦ, & hyems pluviis hyemabit imbres (*al.* imber) fortitudinis ſuæ *Apud S. Aug. hæc leguntur*, præcipiens nubi, ut ſit ſuper terram: & tempeſtas pluviæ, & tempeſtates imbrium poteſtates ejus. (*k*) In manu omnis hominis.] *A græcis hæc conjunguntur cum ſuperioribus, ut intelligatur, hyemem ac tempeſtatem obſignare & alligare manus hominum, ac quominus agant, prohibere.* (*l*) Dolores.] ὀδύναι S. *Aug.* ſupervenit tempeſtas. *Aquila,* συσσεισμοὶ, concuſſiones, terræ motus. *Suidas,* συσσεισμὸς exponit λαίλαψ καὶ συστροφὴ ἀνέμου. Vox Hebræa Sign. *turbinem.* quo ſignificatu *Budæus* adducit συσσεισμὸς Ex 4. Reg. 2. ubi agitur de raptu Eliæ. *Druſ.* (*m*) Et ab extremis partibus frigus] ἀπὸ δὲ ἀκρωτηρίων ψῦχος. S. *Aug.* & de promptuariis frigus. *Schol.* a finibus autem & extremis ſupervenit, ὁ συγκλεισμὸς, καὶ οὐ καταιγὶς, ſecundum cæteros, vortex quidam, & turbo. Aquila retinens fere vocem hebræam, καὶ ἀπὸ μαζοὺρ, & a Mazur. (*n*) Et a ſpiratione fortis.] *Symm.* ἀπὸ ἐμφυσήματος θεοῦ δοθήσεται πάγος, *quomodo eſt apud S. Auguſtinum*, & ab ſpiritu Dei dabitur glacies, *ubi rurſus*, Dei, *pro*, fortis. (*o*) Format nubes.] καταπλάσσει. *In aliis codicibus eſt,* καταπλήττει, *aut,* καταπλήσσει, *id eſt, obſtupefaciunt hæc miracula, ut græci interpretantur, electum & intelligentem hominem. Olymp.* Alia autem exemplaria, pro, καταπλήσσει, habent, καταπλάσσει. Symm. autem ſic reddidit, ἀλλὰ καὶ καρπῷ ἐπιβρίσει νεφέλη, ſed & fructui incumbet nubes. Quare illud, καταπλάσσει, dictum eſt, pro ἐπισκιάζει, obumbrat. Nomine autem, τοῦ ἐκλεκτοῦ, ſignificatur fructus. Nubes igitur fructui ἐπιβρίσει, id eſt, ἐπελεύσεται, ἐπιχυθήσεται, ſuperveniet, ſuperfundetur. S. *Aug. ita conjungit hæc cum ſequentibus*, & frumentum, ſi cupimus irrigari, diſſeminavit nubem lucem ſuam: *quæ quidem poſterior pars græce eſt,* διασκορπιεῖ νέφος φῶς αὐτοῦ, *& capax eſt interpretationis* S. *Aug.* (*p*) Circuitus tranſvertet.] καὶ αὐτὸς κυκλώματα διαστρέψει, id eſt, (*inquiunt græci*) agit per circuitum nubes; ut ſuo tempore exiſtant. *Symm.* αὐτὸς κυκλόθεν ἀναστρέφεται, *quod videtur ſequutus* S. *Aug.* & ipſa per circuitum vertitur: *ut adhuc intelligatur de nube. Græci tamen illud,* αὐτὸς, *de Deo accipiunt, qui ubique præſens omnia deducit, & gubernat.* (*q*) In Theebulathoth.] *Sym.* ἐν τῇ κυβερνήσει αὐτοῦ εἰς τὸ ἐργάζεσθαι αὐτά, in gubernatione ſua, ut ipſa operentur. S. *Aug.* in gubernaculis ad operandum omnia, quæ mandaverit eis. *Schol.* Alia autem exemplaria ſic habent, ἐν τοῖς κατωτάτω θεὶς ἔργα αὐτοῦ, in infimis ponens opera ſua, id eſt, propter nos, qui ſumus ſuper terram, hæc faciens. (r) Sive in diſciplinam.] Sive ad correctionem peccatoris (*inquiunt græci*) hæc fiant, ſive ad fertilitatem terræ. *Cæterum vox hebræa, quæ ſignificat correctionem, & flagellum, ſignificat etiam tribum. Quare S. Auguſt.* ſive in tribu, ſive in terra ſua. (ſ) Commonitus.] νουθετούμενος. *In comm. græcis, & aliis editionibus, eſt*, νουθέτει *& ſic fere S. Auguſt.* ſed & commonere. *Olymp.* id eſt repone in mente quæ dicta ſunt, & cogita potentiam Dei, quanta ſit. Sic Aquila, Theodotio, Symmach. κατανόησον, σύνες, ἐνθυμήθητι, excogita, intellige, in mente habe. (t) Scimus quia poſuit Deus, opera ſua.] *S. Auguſt. habet*, tua. *Symm.* ἆρα γνώσῃ, πότε ἔταξεν ὁ θεὸς περὶ αὐτῶν; numquid noſces, quando conſtituit Deus de ipſis? (u) Calida.] θερμή. *S. Auguſt. habet*, valida. *Aquila*, οὐχ' ἱμάτιά σου θερμά; nonne veſtimenta tua calida? *Symm.* ὁπότε ἱμάτιά σου θερμά, quando veſtimenta tua calida. (x) Super terram.] *In comm. & aliis editionibus, ſequitur*, ἀπὸ νότου, ab auſtro, *quæ verba videntur neceſſaria, & habentur etiam apud S. Auguſt.* (y) Firmationes.] στερεώσεις. *Schol.* Aquila pro his reddidit, αὐτὸς ἐστερέωσε τὸν οὐρανὸν εἰς προχὰς, ἐνισχύονται ὡς ὅρασις συγχύσεως, ipſe firmavit cœlum in verſionibus : validæ, velut aſpectus fuſionis : ut ſententia ſit hujuſmodi : ipſe ab antiquo firmamentum fecit validum, & firmum ex fluxili & fuſili natura aquarum : ſuntque cum eo congelationes, & quaſi κρυσταλλώσεις, mutationes in cryſtallum. Nam interdum quidem hoc facit, interdum illud : verumtamen etiamſi aqua compacta conglaciarit in cryſtallum ; attamen aſpectus ejus eſt, ſicut aſpectus fuſionis, id eſt, aqueæ, & fuſæ ſubſtantiæ. *S. Auguſt. vocem*, στερεώσεις, *accipit pro ſecunda perſona futuri, fortaſſe propius ad hebræum ; ſed ita hunc locum affert conjuncte cum ſuperioribus*, quieſcente terra ab Auſtro, firmabis cum eo cœlos, qui æqualiter ad videndum fuſi ſunt. (z) Aſtitit.] *In comm. græcis eſt*, παρέστηκας, *& S. Auguſt.* aſſiſtis mihi. (aa) In antiquitatibus] *Schol.* ἐξ ἀναριθμήτων χρόνων, ab annis innumerabilibus : *qua notione putant græci dictum eſſe & paulo ſuperius in hoc capite, & in capite ſuperiore. Symmachus*, συννεφήσει τὸν ἀέρα, in nubes coget aerem. *Apud S. Auguſtinum hæc leguntur*, ſed utique colloquimur : omnibus autem non eſt viſibile lumen, quod refulget in nubibus : & ſpiritus tranſiit, & mundabit eas, *quæ non procul abſunt a vulgata.* (bb) In his eſt magna.] *Sic S. Auguſtinus, Theodotio*, ἐπὶ τῷ θεῷ μεγάλη ἡ δόξα, in Deo magna eſt gloria. *Symmach.* περὶ δὲ θεοῦ φοβερὸς αἶνος. De Deo autem terribilis, & admirabilis eſt laudatio (cc) Et non invenimus alium.] *Symmachus*, τὸν ἱκανὸν οὐκ ἐξευρίσκομεν, ſufficientem non invenimus. (dd) Qui juſta judicas.] ὁ τὰ δίκαια κρίνων. *S. Auguſt.* qui juſte judicat. *Aquila*, καὶ κρίσιν, καὶ πλῆθος δικαιοσύνης οὐ κακουχήσει, & judicium & multitudinem juſtitiæ non affliget.

CAP. XXXVIII.

(a) PEr turbinem, & nubes.] καὶ νεφῶν. *Complut. habent*, καὶ νεφέλης, & nubem. *Auguſt.* per turbinem nubis. (b) Me conſilium.] με βουλῶ, *a Complut. abeſt illud*, με. S. *Auguſt. videtur legiſſe*, μου, *habet enim*, meum conſilium. *Symm.* σκοτεινὸς γνώμῃ, tenebricoſus ſententia, & mente. (c) Funiculum.] σπαρτίον. *Olymp.* Aquila, & Symm. ille quidem reddidit, κανόνα, canonem, & regulam ; hic vero, σχοινίον μέτρου, funiculum menſuræ. (d) Circuli.] *Sic S. Auguſtinus, quod græce eſt*, οἱ κρίκοι. *Olympiodorus* : alii autem, αἱ βάσεις, οἱ καταπῆγες, baſes, pali. κρίκους dicit, τοὺς ἀναβασταστῆρας, libramenta. (e) Angeli mei.] *Chryſ.* alii autem, ἅμα υἱοὶ θεοῦ. ſimul filii Dei. (f) Cum fremeret.] *Chryſoſt.* illud, ἐμαίμασσεν, dictum eſt, pro, habebat ſtimulos quoſdam, quibus incitaretur. Quædam autem exemplaria, pro, ὅτε ἐμαίμασσεν habent, ὅτε ἐμαιοῦτο, quando quaſi per manus obſtetricis pariebatur. *Aquila*, ἐν τῷ παλαίειν, cum luctaretur. (g) Poſui.] *Aquila*, περιείλησα, circumvolvi. (h) Et nebula.] *Symmach.* ὡς νεφέλῃ περιείλησα αὐτήν, quaſi nube circumvolvi illud (i) Sed in teipſo.] *Symm.* ἕως ὧδε πεπάχθω τὸ ἔπαρμα τῶν κυμάτων σου, hucuſque ſtatuta ſit elatio fluctuum tuorum. * Tecum.] *Ita S. Aug. quod græce*, ἐπὶ σου, *& poſſet etiam ſignificare*, ſub te, *id eſt, tuo tempore.* (k) Et cognovit Lucifer. *Chryſoſt.* cæteri autem, ἐγνώρισας τῷ ὄρθρῳ τόπον αὐτοῦ, notum feciſti diluculo locum ſuum. (l) Aut cognoviſti.] *Sic S. Aug. quod græce eſt*, νενουθέτησαι *Aquila*, μὴ συνῆκας, nunquid intellexiſti. (m) Habitet.] αὐλίζεται. *Chryſoſt.* alii, σκηνοῖ, ἠρεμεῖ, habitat, quieſcit. (n) Semitas eorum. *Symm* ἀτραποὺς οἰκήσεως, calles habitationis. (o) Novi igitur.] οἶδα ἄρα, *in aliis codicibus, & in comm. eſt*, οἶδας, *& ſic exponitur : Si iſta noſti ; ſcias neceſſe eſſe te eo tempore natum eſſe, quo hæc ſunt ordinata : aut, ſi hoc non eſt, certe neque illud.* S. *Auguſt.* nunquid ſcis, quia tunc natus es? (p) Si grandinis] χαλάζης. *Symm.* κρυστάλλου, glaciei. (q) Pruina.] *Aquila*, φῶς, lux. (r) Præparavit.] *Aquila*, διεῖλεν, diviſit. *Chryſoſt.* Alii τίς δὲ ἔστειλε τῷ κατακλυσμῷ ὑδραγωγόν; quis autem diviſit inundationi aquæductum? (ſ) Tempeſtatum.] κυδοιμῶν. *Compl. habet*, κυδοιμῷ, tempeſtati. *Chryſoſt.* Aquila, & Sym. ille quidem, εἰς κτύπον φωνῶν, in ſtrepitu vocum : hic autem ψόφον βροντῆς, ſonitum tonitrui. (t) Quis eſt pluviæ.] *Aquila*, μὴ τίς ἔνεστιν τῷ ὑετῷ πατήρ; nunquis adeſt pluviæ pater? (u) Faciem impii.] πρόσωπον δὲ ἀσεβοῦς τίς ἔπληξεν. *In aliis codicibus, & comm. legitur*, τίς ἔπηξεν; quis tabefecit? *Schol.* Hebræus, πρόσωπον δὲ ἀβύσσου πήγνυται, facies autem abyſſi concreſcit, & conſtringitur. *Complutenſis hanc cum illa miſcuit, accipit enim*, ἀβύσσου, *ſed retinet*, ἔπηξεν. (x) Nexum pleiadis] *Aquila (al. Symm.)* ἢ (*al.* εἰ) συνάψεις μόρια πλειάδος; an conjunges partes pleiadis? (y) Maſuroth.] *Similem quandam vocem S. Aug. etiam agnoſcit, licet habeat etiam.* arcturos. *Symm.* ἢ ἀναφύσεις τὰ σκορπισθέντα κατὰ καιρὸν αὐτοῦ ἕκαστον; nunquid produces, quæ ſparſa ſunt, unumquodque juxta tempus ſuum? *Chryſoſt.* μαζουρὼθ, τὰ συστήματα τῶν ἀστέρων ἃ ἐν τῇ συνηθείᾳ ζώδια καλοῦνται. ἄλλοι δὲ φασι. μαζουρὼθ, ἑβραϊκὴν εἶναι τὴν λέξιν, σημαίνειν δὲ ἄστρων κύνα, ſunt collectiones ſyderum, quæ uſus obtinuit, ut vocentur ζώδια, quaſi parva animalia. Alii vero inquiunt, dictionem quidem eſſe hebraicam, ſed ſignificare ſidereum canem. (z) Super comam ejus.] *Schol.* comam vocat præſtantiam fulgoris, & venuſtatem. S. *Auguſt. habet*, & veſperum ſuper ædificationem ejus induces. (aa) Commutationes cœli. *Sic S. Aug. quod eſt*, τροπάς. *Schol. interpretatur*, τὰς τοῦ ἀέρος τροπὰς, verſiones aeris. *Aquila*, ἀκριβείας, exquiſitas rationes, leges. (bb) Mittes autem fulmina.] S. *Aug mendoſo uſus codice habuit*, mittis vi flumina (cc) Quid eſt?] *Aquila*, ἰδοὺ ἐσμέν, ecce adſumus. (dd) Aut quis eſt, qui numeret.] *Symm.* τίς ἔδωκε μεμωραμένῳ ἔννοιαν; quis dedit inſipienti intelligentiam? (ee) Et cœlum in terram.] *Symm.* καὶ ὄργανα οὐρανοῦ τίς κοσμήσει; & organa cæli quis ornabit? S. *Aug.* & organa cœli in terram declinavit. *Nonnulli hæc tanquam ipſorum LXX afferunt*, τὰ νέφη συνίστασθαι παρασκευάζων, οὐρανὸν δὲ εἰς γῆν ἐκκλίνων, qui parat nubes concreſcere ; & cœlum in terram declinans. (ff) Diffuſus eſt autem] *Sic S. Aug. quod græce eſt*, κέχυται δὲ ὥσπερ γῆ, κονία, *ſed græci illud* γῆ, *in dandi caſu accipiunt : ut intelligatur, terra quæ nigra eſt, circumfuſum eſſe cœlum, quaſi calcem, atque opus tectorium, ob perſpicuitatem, & ſubtilitatem, quam tamen ſubtilitatem ſtabiliverit, perinde ac ſi quis lapidi cubicam figuram aptet. Nam & hoc loco* S. *Auguſt. depravato codice uſus eſt*, ſicut lapidibus cubum. (gg) In ſylvis] *Schol.* κοίταις, cubilibus. S. *Aug.* in inſidiis.

CAP. XXXIX.

(a) PEtræ.] S. *Auguſt. habet*, petras, *ſed ex hebræo, & ipſa ſermonis ſerie, videtur eſſe caſus generandi.* (b) Et numeraſti.] S. *Auguſt.* & numeraſti menſes partus earum. *Sym.* ἠρίθμησας δὲ σελήνας πληρῶσαι αὐτὰς, numeraſti autem lunas ad implendum eas. (c) Et nutriſti.] *Theodotio*, ἐὰν δώσωσι τὰ παιδία αὐτῶν, διασώσεις αὐτά; ſi dederint parvulos ſuos, ſalvabis eos? (d) Emittes.] ὠδῖνας δὲ αὐτῶν ἐξαποστελεῖς; *Chryſ.* ſi ὠδῖνας, ipſammet paſſionem intelligas ; illud, ἐξαποστελεῖς, ſumptum erit, pro, παύσεις : expedies enim, inquit, dolorem illum pariendi ut ne ſemper ſint in illis doloribus : ſin autem, ὠδῖνας, accipias, illa, quæ per partum nata ſunt, illud, ἐξαποστελεῖς ſignificat, ἐκπέμψεις αὐτά, emittes ea. Quod etiam Symmach. ſignificavit, ita reddens, ἃ ὠδίνησαν, ἀπολείπουσι, quæ pepererunt, derelinquunt. (e) Abrumpent filios ſuos.] ἀπορρήξουσι τὰ τέκνα αὐτῶν. S. *Auguſt. habet*, abrumpent filii earum, *ſed græci hoc volunt ſignificari, num ſciat Job, quomodo matres maternæ charitatis oblitæ adultos filios ſeparent, & abrumpant a ſe, ac tamen illi exeuntes ad paſcua multiplicentur, id eſt, convaleſcant.* (f) In genimine.] ἐν γεννήματι. S. *Auguſt.* in tritico. (g) Eis.] αὐτοῖς. *Olympiodorus videtur legiſſe*, αὐταῖς ; *ita enim interpretatur*, & non revertuntur amplius ad eas. *Et S. Auguſt.* & non revertuntur matribus ſuis. (h) Deſertum.] *Aquila*, ὁμαλήν, planitiem. *Symmachus*, ἀοίκητον, inhabitabilem. *Theodotio*, Araba. (i) Exactoris.] φορολόγου. *Aquila*, ἐκπράκτου, *quod videtur idem valere.* (k) Monoceros] *Aquila*, Rinoceros. Hæc duo nomina fere apud interpretes confunduntur, ſicut & apud medicos nonnullos. Hinc apud Tertullianum legimus, *Rinoceros unicornis* : cum duo gerat cornua, unum in nare, alterum ſuperne, in fronte. Vartomannus, qui ſe duos vidiſſe teſtatur, negat unicornem ferocem eſſe. *Druſ.* (l) Campo.] πεδίῳ. *& ſic Auguſt. Aliquot codd. habent*, ἐν ποδὶ, in pede. (l) Lætantium neelaſſa.] *Symmachus* πτερὸν ἀγλαϊσμοῦ περιφύεται, penna exultationis circumnectitur. *Aquila*, πτερύγιον αἰνούντων συναναπλέκει, ala canentium complicatur. *S. Auguſt conjungens cum ſequentibus, ut vulgata*, penna ſtruthionis miſta eſt alis herodionis, & accipitris. *Olymp. tamen illud*, neelaſſa, *pro avi accipit. Ita enim inquit*, τερπνὸν ἐστὶ τῇ θέᾳ ἡ νεέλασσα, jucundum quiddam aſpectu eſt Neelaſſa, *& Schol.* volucris eſt pennas habens varias, & pulchras, atque adeo magis pavone. (n) Aſida, & Neſſa.] *Symm.* εἰ ἐναγκαλίσεται, ὁ κύκνος πτίλοις αὐτοῦ, ſi amplexabitur cycnus plumis ſuis. *Olymp.* ἀσίδα ὁ ἐρωδιός ἐστι κατὰ ἀκύλαν, ἢ πελαργὸς ὥς τινες ἔφασαν, οὐ καλῶς νοήσαντες. Aſida eſt herodius ſecundum Aquilam, aut ciconia, ut nonnulli dixerunt, non bene conſiderantes. *Et paulo inferius.* Eſt autem & Aſida avis maxima, verumtamen ſtolida : quam Aquila reddidit, herodium, & ἱέρακα, accipitrem, ſive miluum. *Et paulo inferius*, quidam dixerunt eſſe avem, quæ in Meſopotamia reperitur. *Schol.* ἡ δὲ ἀσίδα καὶ ἡ νέσσα πτηνὰ καὶ αὐτὰ πλὴν ἀνόητα καὶ ἰσχυρὰ εἰς κενὸν ἐκοπίασε μὴ σωζομένων τῶν γεννημάτων αὐτῆς, ἀφεῖλε γὰρ ὁ θεὸς, τοῦτο γὰρ κατεσιώπησεν αὐτῆς τὸ σοφόν. Aſida & neeſſa ſunt & ipſæ aves, ſed ſtolidæ, & robuſtæ: laboraverunt, cum ſalvos non præſtiterint filios ſuos : abſtulit enim Deus illis ſapientiam : hoc enim ſignificatur verbis illis, quia tacere fecit ejus ſapientiam. *Habet enim* αὐτῆς τὸ σοφὸν, *non*, αὐτῇ σοφίαν, *ut eſt in cæteris libris.* (o) Obduravit.] ἀπεσκλήρυνε τὰ τέκνα αὐτῆς. *Verbum*, ἀποσκληρύνειν, *videtur hoc loco valere*, dure tractare. *Olymp.* hæc ipſa avis, quæ ovum deſeruit, permiſit filios ſuos laborare ; indurans naturalem illam erga filios propenſionem, ut ne ſeipſam labore conficiat in pullis nutriendis. *S. Auguſtin. habet*, obduravit contra filios ſuos, ne ſint ejus. (p) Et non partitus eſt ei.] *Symm.* καὶ οὐκ ἔνειμεν αὐτῇ σύνεσιν, & non diſtribuit ei intellectum. *S. Auguſt.* quia deſpexit eam Deus in ſapientia, & non diſtribuit intellectum. (q) Timore,] φόβον. *Chryſ.* ut elevatione cervicis timorem incutiat. *Olympiod.* Theodotio, & Symmachus, ille quidem, χρεμετισμὸν, hinnitum : hic vero κραυγὴν, fremitum. *S. Auguſt.* & inſeruiſti collo ejus hinnitum. (r) Et gloriam.] δόξαν δὲ στηθέων αὐτοῦ τόλμῃ. *In pleriſque codicibus eſt*, δόξα δὲ στηθέων, αὐτοῦ τόλμη, *& in comm.* τόλμα, gloria pectorum ejus audacia. *Sanctus Auguſtinus*, gloria peccatoris ejus audacia. (ſ) In campum in virtute.] *Chryſoſt.* vel ſecundum cæteros, εἰς ἀπάντησιν ὅπλου in occurſum cataphractorum, non metuens jaculum, neque aciem ferri. *S. Aug.* in prælium cum virtute. (t) Regi.] βασιλεῖ, *plerique libri habent*, βέλη, jacula, *aut*, βέλει, jaculo. *Et ita S. Auguſt. Chryſoſt. etiam habet*, βέλει, *& exponit, ut paulo ante retulimus. Addit autem hæc*, ſecundum alia vero exemplaria, συναντῶν βασιλεῖ καταγελᾷ, occurrens regi, deridet : non enim novit rationem habere dignitatis. (u) Et iracundia.] καὶ ὀργὴ ἀφανιεῖ, *ſed in aliis libris eſt in dandi caſu*, ὀργῇ. *Symm.* ἐν σάλῳ, καὶ ὀργῇ, ὡς καταπίνων, in commotione, & ira, quaſi abſorbens. *Apud S. Auguſt. plura leguntur*, lanceæ, haſtæque tremore, & iracundia evertit terram. (x) Cum ſaltu, & clamore. S. *Aug.* tonitrum ducum, & clamorem. (y) Ex tua vero ſcientia.] S. *Auguſt.* nunquid in ſapientia tua plumeſcit accipiter? (z) Et abſcondito.] καὶ ἀποκρύφῳ. *Aquila*, ὀχυρώματος, munitione. S. *Auguſt.* aut vultur ſuper nidum ſuum in petra ſedens morabitur, in ſummitate petræ, & caverna? (aa) Conſperguntur.] φύρονται. S. *Aug.* volutantur. *Aquila*, ἐστιγμωσμένοι, formati, & roborati. (*bb*) Declinat.] *In aliis omnibus codicibus legitur*, κρινεῖς, *aut*, κρίνῃς, judicabis. *Symm. autem*, ἆρα ὁ δικαζόμενος πρὸς τὸν ἱκανὸν περιγενήσεται; διελεγχόμενος θεῷ, ἀντιφθέγξεταί τι; nunquid contendens cum omnipotente ſuperior erit? arguens Deum contradicit aliquid? *In Complut. pro*, ὑποκριθήσεται αὐτῷ, *eſt*, ἀποκριθήσεται αὐτῷ, reſpondebit ei. S. *Aug.* nunquid, qui diſputat cum omnipotente, quieſcit? arguens Deum reſpondebit ita? (*cc*) Quid adhuc ego judicor?] *Aquila*, ἰδοὺ ἐλαφρύνθην, levis factus ſum. *Symm.* ἰδοὺ κούφως ἐποίησα, leviter feci. S. *Aug.* quid ego judicor commonitus, & increpatus a Domino.

CAP. XL.

(*a*) NE repellas.] μὴ ἀποποιοῦ *In Compl. græcis, & aliis editionibus eſt*, ἦ ἀποποιῇ, nunquid repelles. *Symmachus*, μήτι παρακυρώσῃς κρίσιν μου; nunquid irritum facies judicium meum? (*b*) Quam ut appareas juſtus.] *Symmachus*, ἄδικον ποιήσεις με, ἵνα δικαιωθῇς, injuſtum facies me, ut juſtificeris. (*c*) Contra meum.] *Plerique codices habent*, κατ᾽ αὐτὸν, ſicut ipſe. (*d*) Et corrumpe.] σῆψον. *Aquila*, ἐπίστρεψον: inverte: *in comment. autem, & aliqua editione*, κρύψον, *antecedit, & ſequitur*, σῆψον δὲ ὁμοθυμαδὸν εἰς γῆν ἔξω, putrefac autem ſimul in terra extra, *quæ ultima vox eſt etiam in Compl. Symm. autem pro hac ultima particula habet*, καταχώνευσον αὐτοὺς εἰς κενὸν, confla eos in vacuo. (*e*) Fortitudo.] *Olymp.* Siquidem de ſenſibili beſtia accipias, quæ dicuntur, potentiam illi adeſſe teſtificatur oratio, & locum oſtendit in quo ei ſit fortitudo: ὁ δὲ τόπος ἐστὶν ἡ ὀσφὺς, ἢ κατὰ τὸν ἀκύλαν ὁ νῶτος, ἢ ὡς ὁ σύμμαχος ἐκδέδωκεν, ἡ λαγών. locus autem eſt lumbus, vel ſecundum Aquilam, ὁ νῶτος, dorſum, aut ſicut Symmachus reddidit, ἡ λαγὼν, ilia. (*f*) Cupreſſum.] *Schol.* cæteri, ὡς κέδρος, ſicut cedrus. (*g*) Ferrum fuſile. *Symmach.* ὡς συμβλήματα σιδήρου, ut commiſſuræ ferri. *Notat autem Olympiod.* τὴν ῥάχιν, *quam ſpinam vertimus, eſſe*, συνδεσμὸν πάντων τῶν μελῶν, conjugationem omnium membrorum. (*h*) Hoc eſt principium.] *Olymp.* Alii autem, κεφάλαιον ὁδῶν ἰσχυροῦ, caput viarum ipſius fortis. (*i*) Ut illuderetur.] *Symm.* ποιηθὲν προσαχθῆναι τῇ μαχαίρᾳ αὐτοῦ, factum ut admoveatur gladio ejus. (*k*) Ramis] σὺν ῥαδάμνοις, *Symm.* σὺν τῶν παραφυάσιν, cum propaginibus. (*l*) Agri, κλῶνες ἀγροῦ, *in cæteris libris eſt*, ἄμνου, agni: *eſt autem planta ſimilis ſalici. Aquila*, ἰτέαι χειμάρρου, ſalices torrentis. (*m*) Non ſentiet. *Symm.* οὐ καταπλαγήσεται, non pavebit. (*n*) Intortus.] ἐνσκολιδόμενος. *Symm.* ἐν περόνῃ τρυπηθήσεται τὴν ῥῖνα, in fibula perforabitur naſum? (*o*) Draconem] *Symm.* ἑλκύσεις δὲ λευιαθὰν, trahes autem Leviathan. (*p*) Et armilla.] ψελλίῳ. *Theodotio*, καὶ χαλινῷ τρήσεις σιαγόνα αὐτοῦ, & fræno perforabis maxillam ejus. (*q*) Prece, ſupplicatione.] δεήσει, ἱκετηρίᾳ, *videntur duæ interpretationes ejuſdem vocis. Polychronius habet*, δεήσει ἱκετηρίας, prece ſupplicationis. *Compl.* δεήσεις ἱκετηρίας. *Schol.* hebræus autem habet, ἆρα πληθυνεῖ πρὸς σὲ δεήσεις (*al.* ἱκετηρίας) ἆρα λαλήσαι πρὸς σὲ μαλακά; nunquid multiplicabit ad te preces (*al.* ſupplicationes) nunquid loquetur ad te mollia? (*r*) Partiûntur.] *Olymp.* Aquila, ἡμισεύσουσιν αὐτὸν μεταξὺ χαναναίων; dimidiabunt eum inter Chananæos? *Schol.* Aquila, διαμερισθήσονται μεταξὺ μεταβόλων, divident cum permutatoribus. *Theodotio*, ἀγοράσουσιν αὐτὸν, mercabuntur eum. (*ſ*) Omne navigans. πᾶν δὲ πλωτόν. *Symm.* μὴ πληρώσεις σκηναῖς τὸ δέρμα αὐτοῦ; nunquid implebis tabernaculis pellem ejus? (*t*) In navigiis.] ἐν πλοίοις, *Symm.* καὶ ἐν ἰχθυοφόροις, naſſellis piſcium. (*u*) Recordatus belli.] *Aquila*, μνήσθητι πολέμου μὴ προσθῇς, memento belli, ne adjicias. (*x*) Et non ultra fiat.] *Theodotio*, ἰδοὺ ἡ ἀρχὴ αὐτοῦ διεψεύσατο, & principium ejus mentitum eſt.

CAP. XLI.

(*a*) NOnne vidiſti eum?] *Symmachus*, ἀλλὰ καὶ ὁ θεὸς τὴν ἰδέαν αὐτοῦ καταβαλεῖ, veruntamen & Deus ſpeciem illius dejiciet. (*b*) Quis reſiſtet.] ἀντιστήσεται. *Schol.* τίς ἀντέστη μοι; quis reſtitit mihi? (*c*) Et rationem virtutis.] *Sive*, potentiæ: *eſt enim in noſtra*, καὶ λόγος δυνάμεως, *ſed in comm. & cæteris editionibus eſt*, λόγῳ, *aut*, λόγοις. *Schol.* Quid mirum, ſi ego hominem, precioſiſſimam poſſeſſionem meam non derelinquam tyrannidi diabolicæ ſubjectum; ſi & homo æqualem ſuum non deſpicit pro menſura facultatis ſuæ? *Sed & alias interpretationes affert.* (*d*) In rugam.] εἰς δὲ πτύξιν. *Symmachus*, εἰς ὑποδίπλωσιν φολίδος αὐτοῦ τίς ὑποδύσει; in ſubduplicationem ſquammæ ejus quis ſubibit? (*e*) In circuitu dentium.] *Theodotio*, περὶ τοὺς ὀδόντας, circa dentes. (*f*) Interiora ejus] *Olympiodorus*. Aquila autem, & Symmachus; ille quidem, σῶμα αὐτοῦ ὑπέρχυσις θυρεῶν, corpus ejus ſupereffuſio ſcutorum: hic autem ὑπερηφανεῖ προερχόμενος ἐν θυρεοῖς, ſuperbit procedens in ſcutis. *Quare dictionem*, ἀσπίδες, *vertimus*, ſcuta: *ſed græci tamen de aſpidibus ſerpentibus accipere videntur.* (*g*) Et colligatio.] σύνδεσμος. *Schol.* ἀποκλείσου σφραγῖς στενὴ, intercluſi ſigillum anguſtum. *De ſmyrite autem lapide inquit Scholiaſtes eſſe durum prope atque adamantem, & rapere ferrum, & vitrum radere.* (*h*) Vir fratri.] *Aquila*, ἕκαστος τῷ πλησίον αὐτοῦ προσκολληθήσεται, unuſquiſque proximo ſuo agglutinabitur. (*i*) In ſternutamento.] *Aquila*, πταρμὸς αὐτοῦ φέγγος πυρὸς, ſternutamentum ejus lumen ignis. (*k*) Scintillæ ignis.] ἐσχάραι πυρός. *Aquila*, δαλοὶ, torres, trabes igneæ. (*l*) Perditio, ἀπώλεια. *Aquila*, ἐκλιμία, egeſtas, eſuries. (*m*) Effundit.] *Symm.* σάρκες αὐτοῦ περικεχυμέναι αὐτῷ ἀκλινεῖς, carnes ejus circumfuſæ ei ſolidæ, immotæ. (*n*) Cum ſe autem verterit.] *Symm.* ὑπὸ τῆς κινήσεως αὐτοῦ εὐλαβηθήσονται ἰσχυροί, a motione ejus timebunt fortes. *Aquila*, ὑποσταλήσονται ἰσχυροί, pavebunt fortes. (*o*) Si occurrerint ei lanceæ, nihil facient, haſtam, & thoracem.] οὐδὲν μὴ ποιήσωσι, δόρυ, καὶ θώρακα: *primum in aliis editionibus eſt*, μὴ πτοήσωσι, non exterrefacient: *deinde in iiſdem & in commentariis eſt*, δόρυ ἐπηρμένον, haſta elevata. *Symm. autem*, καταλαβοῦσα αὐτὸν μάχαιρα οὐχ ὑποστήσεται, οὐδὲ λόγχης ἄρσις, καὶ θώρακος, gladius, qui eum attigerit, non ſubſiſtet, neque lanceæ, aut thoracis elevatio. (*p*) Machinam] πετροβόλον, *Olympiodorus*, πετροβόλον, eſt, ἡ σφενδόνη, funda: quare cæteri, pro, πετροβόλον, ediderunt, λίθους σφενδόνης, lapides fundæ. (*q*) Concuſſionem igniferam.] *Symm.* σειομένου θυρεοῦ, concuſſum ſcutum. *Aquila*, ἀσπίδος, clypeum. (*r*) Obeliſci acuti.] *Theodotio*, σιδήρεια τέκτονος, ferramenta fabri. *Aquila*, ὀξυντῆρες ὀστράκων, acumina teſtarum. (*ſ*) Fervere facit.] *Aquila*, καγχλάσει, faciet ebullire. (*t*) Vas unguentarium.] ἐξάλειπτρον. *Olympiodorus*. Aquila autem & Symmachus, ille quidem reddit, μυρεψητήριον (*quod idem valet, & eſt clarius*) hic autem, ὡς ἀναβρασσομένην ἄρτυσιν, ut ebulliens condimentnm, ἐξάλειπτρον, autem ſignificat, τρυλλίον μύρου, trullam unguenti. (*u*) Nihil eſt ſuper terram ſimile ei.] *Symmachus*, οὐκ ἔστιν ἐπὶ χοὸς ἐξουσία αὐτοῦ, non eſt ſuper terram poteſtas ejus (*x*) Omne ſublime] *Theodotio*, πάντα ὑπερήφανον ἐμβλέψεται, omnem ſuperbum inſpiciet. (*y*) Omnium quæ in aquis. *Symmachus*, παντὸς βρομώδους, omnis naturæ reddentis virus, *Theodotio*, υἱῶν βαναυσίας, filiorum tumoris, & arrogantiæ.

CAP. XLII.

(*a*) NIhil tibi eſt impoſſibile.] *Olymp.* Alii autem, καὶ οὐκ ἀφαιρεθήσεται ἀπὸ σοῦ ἐνθύμημα, & non tolletur a te quod in mente habes. (*b*) Parcens autem verbis.] *Symmach.* ἔγνων, διὰ τοῦτο ἐλάλησα ἀνοήτως, novi, ideo loquutus ſum inſipienter (*c*) Audiebam te antea, nunc autem.] ἤκουόν σου τὸ πρότερον, νῦν δέ. *Olymp.* ἤκουόν σε, νυνὶ δὲ, audiebam te, nunc autem. (*d*) Putavi autem me.] *Aquila* καὶ παρεκλήθην ἐπὶ χοΐ, καὶ σποδῷ, & revocavi me, (*ſive*, conſolatus ſum) in pulvere, & cinere. (*e*) Peccaſti tu.] *Symm.* ὠργίσθη ὁ θυμός μου σοὶ καὶ τοῖς δυσὶν ἑταίροις σου, iratus eſt furor meus tibi, & duobus ſodalibus tuis. *Theodotio*, ἐθυμώθη ἡ ὀργή μου ἐν σοὶ, καὶ ἐν τοῖς δυσὶ φίλοις σου, οὐ γὰρ ἐλαλήσατε εὐθύτητα, ἢ γοῦν, ὀρθῶς, κατὰ συμμάχον, indignata eſt ira mea in te, & in duos amicos tuos: non enim loquuti eſtis rectitudinem; id eſt, recte, ſecundum Symmachum (*f*) Et faciet holocauſtum.] καὶ ποιήσει κάρπωσιν. *Aquila*, ἀναβιβάσετε ὁλοκαυτώματα, aſcendere facietis holocauſta. *Theodotio*, ὁλοκαύτωσιν, holocauſtoſim. *Symm.* ἀναφορὰν, oblationem. (*g*) Accipiam.] λήψομαι. *Chryſoſt.* Alii autem, παραδέξομαι, ſuſcipiam. (*h*) Contra famulum.] *Schol.* ὡς ὁ δοῦλός μου ἰὼβ, ſicut ſervus meus Job (*i*) Et ſolvit peccatum.] *Symm.* καὶ προσήκατο ὁ θεὸς τὸ πρόσωπον ἰὼβ, & ſuſcepit Deus faciem Job. (*k*) Dupla.] *Schol* προσθήκην, acceſſionem, additamentum. (*l*) Quæ induxit ſuper eum.] *Schol* Symm. autem, περὶ πάσης τῆς κακίας, de omni malo, κακίαν, & ipſe dicens ipſam, κάκωσιν, afflictionem. (*m*) Tetradrachmum auri.] *Polychr.* habet, τετράδραχμον χρυσοῦν ἄσημον ἓν, tetradrachmum aureum non ſignatum unum. *In comm. & aliis editionibus eodem modo, niſi quod non habet*, ἓν. *Olymp.* tetradrachmum eſt numiſma unum: nam ita & alius ex interpretibus reddidit. Aquila autem, & Theodotio, ἐνώπιον χρυσοῦν ἓν, inaurem auream unam. Symm. autem, ἐπίρρινον, ornatum naſi, ἄσημον autem dictum eſt, pro, ἀτύπωτον σταθμὸν, καὶ ἀχαρακτήριστον, pondus non formatum, & ſine charactere. (*n*) Diem.] ἡμέραν. *Aquila, & Symmachus*, ἰεμιμα. Jemima. (*o*) Caſram.] *Schol.* κασίαν, Ceſiam. (*p*) Amalthææ.] *Schol.* καρναφοὺκ Carnaphuc. (*q*) Ducentos quadraginta.] *In multis codd. & in comm. eſt*, διακόσια τεσσαράκοντα ὀκτὼ, ducentos quadraginta octo. *Sed magnæ ſemper in numeris varietates. Compl. hæc omittit, ut hebræus. Paulo etiam ſuperius, ubi in omnibus græcis collatis codicibus eſt, vixiſſe Job poſt plagam centum ſeptuaginta annos, atque ea de re pulchre in comm. diſputatur, Complut. habet*, centum quadraginta. (*r*) Plenus.] πλήρης. *Schol.* ἐμπεπλησμένος, impletus, & ſaturatus; at hoc loco nihil ponitur in hebraico, quemadmodum neque apud Aquilam, & Symmachum, ſed apud Theodotionem ponitur *Olymp.* ἰστέον ὅτι μέχρι τοῦ πρεσβύτερος καὶ πλήρης ἡμερῶν ἀκύλας καὶ σύμμαχος ἐλθόντες συνεπέραναν τὸ βιβλίον, ὡς δὴ τῷ ἑβραϊκῷ ἀκολουθοῦντες. ὁ δὲ θεοδοτίων συμπεραίνει τοῖς ἑβδομήκοντα. Sciendum eſt, Aquilam & Symmachum cum veniſſent ad illud, Senior, & plenus dierum, concluſiſſe librum, nimirum ſequentes hebraicum. Theodotio autem concludit, quemadmodnm LXX (*ſ*) Syriaco.] *Scholiaſt.* Syriacum nunc vocat dialectum hebraicum, quod hæc prope accedat ad illam Syrorum: *& multa in hanc ſententiam diſputat. Non deſunt tamen, qui potius Chaldæam ita dictam putent.* (*t*) Eliphaz de filiis Eſau.] *Chryſoſt.* Theodotio autem reddidit, υἱὸς ἰωσαφὰς, filius Joſaphas. (*u*) Baldad tyrannus.] *Chryſoſt.* rurſus Theodotio, υἱὸς ἀμμὼν τοῦ χωβὸρ, filius Ammon filii Chobor.

PSALMI.

PSAL. I.

(*a*) BEatus vir.] *Scholion*, ἄμεμπτος ὁ ἀνὴρ, ὃς οὐ περιεπάτησεν ἐν συνεδρίῳ παρανόμων, irreprehenſibilis ille vir, qui non ambulavit in conſeſſu iniquorum. *Theodotio, quinta, & ſexta editio*, τέλειος ὁ νεώτερος, ὃς οὐκ ἀπῆλθεν ἐν βουλῇ ἀλλοτρίων, perfectus ille junior, qui non abiit in conſilio alienorum. (*b*) Et in cathedra peſtilentiæ.] *Sic patres Latini, quod Græce eſt*, καὶ ἐπὶ καθέδρᾳ λοιμῶν, *& poſſet etiam verti*, peſtilentium, *aut*, peſtilentiarum. *Theodoretus Baſilium ſequutus*: λοιμοὺς autem vocat eos qui non ſolum ſeipſos perdunt, ſed etiam aliis labem impertiuntur, inſtar morbi, qui & homines & pecora invadit: cujus & ii participes fiunt, qui ægrotantibus appropinquant. *Aquila*, καὶ ἐν καθέδρᾳ χλευαστῶν, & in cathedra deriſorum: *quod etiam notavit* S. *Ambroſius in hunc pſalmum, &* S. *Hieronymus in ſua ex hebræo interpretatione utitur ea dictione. Symmachus*, καὶ ἐν καθέδρᾳ ἐπιθετῶν οὐ κεκοινώνηκεν, & in cathedra inſidiatorum non communicavit. *Quinta, & ſexta editio*, καὶ ἐπὶ καθέδρᾳ παρανόμων οὐχ εὑρέθη, & in cathedra iniquorum inventus non eſt. (*c*) Et nocte.] S. *Ambr.* Aquila tamen diem em tantummodo poſuit, non etiam noctem. (*d*) Plantatum.] S. *Ambr.* pulchre autem Aquila, τὸ μεταπεφυτευμένον, dixit, hoc eſt, tranſplantatum. (*e*) Proſperabuntur.] S *Ambroſius*, Aquila autem, dirigentur, ait, *&* S. *Hilarius habet*, bene dirigentur. (*f*) Non ſic.] *Schol.* τὸ δεύτερον, οὐχ οὕτως, παρ' οὐδενὶ κεῖται ἐν τῷ ἑξαπλῷ. repetitio illa, οὐχ οὕτως, apud neminem ponitur in Hexaplo. (*g*) In conſilio.] *Euſebius*, Pro, βουλῆς, Aquila quidem & Theodotio interpretati ſunt, συναγωγὴν, ſynagogam; Symmachus autem, συνέλευσιν, conventum. *Schol.* Aquila, ἐν συναγωγῇ, in congregatione. Theodotio, ἐν συλλόγῳ, in collectione. Symmachus, ἐν συνελεύσει, in conventu. (*h*) Et iter.] S. *Ambr.* Separavit latinus, ut iter diceret, & tanquam diſcrevit iter a via. Græcus autem in utroque viam dixit: non ocioſe tamen latinus; quia & Dominus, ego ſum via, dixit, non dixit, ego ſum iter. S. *Hilarius tamen etiam ſecundo loco habet*, viam.

PSAL. II.

(*a*) I.] *Schol.* ἀνεπίγραφος παρ' ἑβραίοις, ſine inſcriptione apud Hebræos. *Idemque teſtatur Theodoretus initio explanationis in primum pſalmum. Hic autem in Vaticano, ſicut in cæteris, numeratur ſecundus: & ita citatur in editione Latina, Act.* 13. *quo tamen loco in exemplaribus Græcis nuncupatur primus, itemque a Juſtino Martyre, & a Tertulliano contra Marcionem. Quare in alio Scholio legitur,* ἐν τῷ ἑβραϊκῷ συνημμένοι, in Hebraico conjuncti ſunt, & pro uno habentur. (*b*) Quare fremuerunt.] ἱνατί ἐφρύαξαν. S. *Auguſt.* Ut quid fremuerunt. S. *Cypr. lib. primo adverſus Judæos:* Ad quid tumultuatæ ſunt gentes. *Aquila* ἱνατί ἐθορυβήθησαν ἔθνη, καὶ φῦλα φθέγξεται κενῶς; Ut quid tumultuatæ ſunt gentes, & tribus loquentur inaniter? *Symm.* εἰς τί ἔθνη κυκᾷ; Ad quid gentes turbant? *Schol.* ὑπερηφανεύσαντο, ſuperbierunt. (*c*) Aſtiterunt.] *Eodem fere modo refert hos verſiculos Cyprianus lib. primo adverſus Judæos, & prorſus eodem modo in extremo* 3. *lib. ad Quirinum. Symm.* συνίσανται βασιλεῖς τῆς γῆς, καὶ ὕπαρχοι συσκέπτονται ὁμοθυμαδὸν, conſurgunt reges terræ, & principes conſiliantur ſimul. * Ejus. *Euſebius.* Apud LXX ponitur diapſalma, non autem apud Theodotionem & Symmachum, licet alioqui ſæpe conſueverint hac ipſa dictione uti itidem ac LXX. Quare veriſimile eſt tametſi perſona mutata ſit, muſicum numerum ſervatum eſſe, idcircoque Theodotionem & Symmachum non appoſuiſſe diapſalma. *Theodoretus:* προσήκει ἐνταῦθα στίξαι ἐν τῷ βασιλεὺς ὑπ' αὐτοῦ εἶτα ἐπαγαγεῖν, ἐπὶ σιὼν ὄρος. οὐ γὰρ τοῦ σιὼν ὄρους βασιλεύει μόνον, ἀλλ' ὁρατῶν καὶ ἀοράτων. ἐπὶ δὲ σιὼν ὄρους καὶ τῆς ἰουδαίας τὴν θείαν αὐτοῦ διδασκαλίαν τοῖς προσιοῦσι προσήνεγκεν. οἱ δέ γε ταύτην δεξάμενοι, μετωχέτευσαν εἰς πᾶσαν τὴν οἰκουμένην τὰ νάματα. Oportet hic interpungere, rex ab eo, poſtea, incipere, ſuper Sion montem; neque enim regnavit ſuper Sion montem ſolum, ſed etiam ſuper viſibilia & inviſibilia: in Sion autem & Judæa divinam ejus doctrinam adeuntibus obtulit. Sed qui hanc receperunt, fluenta tanquam per canales in orbem univerſum derivarunt. (*d*) Conturbabit.] *Aquila*, κατασπουδάσει, ſolicitos atque anxios habebit. (*e*) Ego autem conſtitutus ſum.] *Aquila & quinta editio*, καὶ ἐγὼ ἐδιασάμην βασιλέα μου, & ego incolumem præſtiti regem meum. *Symm.* κἀγὼ ἔχρισα τὸν βασιλέα μου, & ego unxi regem meum: *ſexta editio*, κἀγὼ διέσωσα τὸν βασιλέα μου, & ego ſalvavi regem meum. (*f*) Prædicans præceptum Domini.] S. *Aug.* prædicans præceptum ejus. S. *Cypr. l.* 2. *adverſus Jud.* adnuncians imperium ejus. *Hilarius*, annuncians præceptum ejus. *Schol.* ἀναγγέλλων ἰσχυροῦ ἀκρίβασμὸν, annuncians ipſius fortis mandatum. *Quinta editio*, καταγγέλλων εἰς θεὸν διαθήκην, pronuncians in Deum teſtamentum. *Theodotio.* ἰσχυροῦ πρόσταγμα, ipſius fortis præceptum, & conſtitutionem. (*g*) Vas ſiguli.] *In aliquot codicibus, & apud Theodoretum, & alios eſt*, σκεῦη vaſa. (*h*) Confringes.] *Aut*, conteres, S. *Aug. Aquila*, προσρήξεις, allides. (*i*) Intelligite.] σύνετε. *Aquila*, καὶ νῦν βασιλεῖς ἐπισημώθητε, & nunc reges ſcitote. (*k*) Apprehendite.] δράξασθε παιδείας. S. *Cyprianus, lib. primo epiſt.* 11. continete diſciplinam, ne forte iraſcatur Dominus: & pereatis a via recta, cum exarſerit cito ira ejus ſuper vos. *Aquila*, καταφιλήσατε ἐκλεκτῶς, μήποτε ὀργισθῇ, oſculamini electe, ne quando iraſcatur. *Symm.* προσκυνήσατε καθαρῶς, adorate pure. *Nunc reddunt* adorate filium; *utraque interpretatio extat apud Hieronymum in Apologia contra Ruffinum.* Druſ.

PSAL. III.

(*a*) Pſalmus] *Schol.* ᾠδὴ, oda, canticum, & per totum librum ſimiliter. (*b*) Diapſalma.] *Schol.* Theodotio & Symmachus, Diapſalma. ἡ δὲ πέμπτη ἔκδοσις, διαπαντός. καὶ δι' ὅλης δὲ τῆς βίβλου ἐπὶ τοῦ διαψάλματος ὁμοίως ἐκδεδώκασιν. Quinta autem editio, διαπαντὸς, ſemper: & per totum vero librum in diapſalmate ſic reddiderunt. *Verum de hoc diligenter a S. Hieron. diſputatum eſt in epiſt. ad Marcellam. Notat autem Didymus, hunc pſalmum in tres partes eſſe diviſum, duobus diapſalmatis interclusum.* (*c*) De monte ſancto ſuo.] *Aquila*, ἡγιασμένου, ſanctificato. *Symmachus*, ἁγίου ἑαυτοῦ, ſancto ſui ipſius. (*d*) Et ſomnum cepi.] *Sic S. Aug. quod græce eſt*, καὶ ὕπνωσα. *Notat autem, nonnullos codices habere*, dormivi, & ſoporatus ſum, *quemadmodum nunc Vulgata.* (*e*) Suſcipiet.] ἀντιλήψεταί μου. *& ſic Sanctus Auguſtinus. Juſtinus legit*, ἀντελάβετό μου, *& ita eſt in paraphraſi Chaldaica, pſalterio Æthiopico, & Arabico, & in editione vulgata*, ſuſcepit me. (*f*) Circumdantis me.] *Ita apud Latinos, quod græce pluribus verbis dicitur*, οὐ φοβηθήσομαι ἀπὸ μυριάδων λαοῦ τῶν κύκλῳ ἐπιτιθεμένων μοι, non timebo a decem millibus populis in circuitu imminentibus mihi. *In aliquot codicibus, & apud Theodoretum, & in comment. græcis eſt*, συνεπιτιθεμένων, *in quibus etiam ita exponitur*, συνεδρευόντων, ſimul inſidias ſtruentibus: *& in catena verſa a Daniele Barbaro legi videtur ex Chryſoſt.* συνεπιτιθεμένου, *atque exponitur*, pariter contra me inſidias ſtruentis.

PSAL. IV.

(*a*) In finem.] *Schol.* quomodo veteres accipiunt, ac definiunt illud, εἰς τὸ τέλος. *Aquila* τῷ νικοποιῷ ἐν ψαλμοῖς μελῴδημα τῷ δαυίδ, vincenti, ſive effectori victoriæ in pſalmis melodia ipſi David. Symmachus, ἐπινίκιος διὰ ψαλτηρίων ᾠδὴ τῷ δαυίδ, pro victoria per pſalteria canticum ipſi David. Theodotio, εἰς τὸ νῖκος ἐν ὕμνοις ψαλμὸς τῷ δαυίδ, ad victoriam in hymnis pſalmus ipſi David. *Unde etiam magna ex parte videtur manaſſe inſcriptio, quæ eſt in multis codicibus, & apud Theodoretum, & alios*, εἰς τὸ τέλος ἐν ὕμνοις ψαλμὸς τῷ δαυίδ, in finem in hymnis pſalmus ipſi David. *Sed Vaticana reſpondet Hebræo: eamque ſequitur Origenes; quantum ex catena a Daniele Barbaro verſa colligi poteſt: apud quem etiam multa leguntur de hujuſmodi loquutione*, εἰς τέλος. *Itemque apud Didymum, qui etiam diſputat, cur interdum in inſcriptione pſalmus dicatur Davidis, interdum Davidi.* S. *Auguſt. habet*, in finem pſalmus cantici David. *Theodoretus in octavum pſalmum, teſtatur, in quolibet pſalmo, in quo LXX poſuerunt*, εἰς τέλος, *Aquilam & Theodotionem poſuiſſe*, τῷ νικοποιῷ, hoc eſt, τὴν νίκην ποιοῦντι. Macarius Ægyptius neſcio ubi, τὴν νίκην σοι ποιεῖ dixit, pro facit te vincere, hoc eſt, ποιεῖ σε νικᾶν. *Druſ.* Ἐπινίκιος ᾠδὴ eſt oda quæ canitur ob partam victoriam. Hieron. proœmio in Danielem ait proprie triumphum ſive palmam ſignificare. *Druſ.* (*b*) Exaudivit.] *Schol.* omnes reddiderunt, ἐπάκουσον, exaudi. (*c*) Graves corde.] *Sic S. Aug. quod græce eſt*, βαρυκάρδιοι, *& in vulgata*, gravi corde. *Schol.* omnes ediderunt, ἔνδοξοί μου, *quod in verſione B. Hieron. eſt*, inclyti mei. (*d*) Iraſcimini.] *Aquila*, κλονεῖσθε, contremiſcite. *Symm.* ὀργίζεσθε, ἀλλὰ μὴ, iraſcimini, ſed nolite. (*e*) Compungimini.] κατανύγητε. *Aquila*, ἡσυχάσατε, quieſcite, tacete: *quam etiam notionem poteſt habere verbum, quo LXX ſunt uſi. S. Aug. narrat nonnullos ita dixiſſe, melius legi*, aperimini, *quam*, compungimini, *derivantes a verbo*, ἀνοίγειν, *quod eſt aperire. Apud S. Cyprianum de oratione Dominica, legitur*, dicite in cordibus, & in ſtratis veſtris, & tranſpungimini. (*f*) Sperate.] *Chryſ.* alius inquit, πεποίθατε, confidite. (*g*) Signatum eſt] ἐσημειώθη. *Aquila*, ἐπᾶρον, *quem ſequutus B. Hieron.* leva ſuper nos. *Symm.* ἐπίσημον ποίησον, inſigne fac. (*h*) A fructu.] ἀπὸ καρποῦ. S. *Aug.* a tempore, *quaſi legerit*, καιροῦ. *Itemque Caſſiodorus: & ſic videtur legiſſe Arnobius, ſi modo eſt Arnobius* S. *Hieron.* in tempore frumentum eorum. (*i*) Habitare feciſti me.] *Aut, ut vulgata*, conſtituiſti me. *Aquila*, κατ' ἰδίαν εἰς πεποίθησιν καθίσεις με, ſingulariter in fiducia ſedere facies me.

PSAL. V.

(*a*) Orabo] *Sic etiam S. Cyprianus de oratione Dominica, quod græce eſt*, προσεύξομαι. *Schol.* cæteri, εὔχομαι, precor. (*b*) Et videbo.] *Sic fere Latini. S. Cyprianus ibidem*, mane aſſiſtam tibi, & contemplabor te. *Græce eſt*, ἐπόψομαι, *& in pſalterio Æthiopico*, videbo te: *Origenes, Athanaſius, Euſebius, & Didymus, habent ut noſtra: & Didymus quidem docet, ea dictione ſignificari accuratam & aſſiduam cogitationem. In aliis græcis codicibus, & in pſalterio Arabico eſt*, ἐπόψει με, videbis me. *Chryſoſt. & Heſychius utramque agnoſcunt lectionem: & Chryſoſt. magnam vim facit in verbo illo*, ἐπόπτεσθαι. *Nam utraque lectione propoſita*, ſi legatur *(inquit)* ἐπόψει με, hoc ſignificabitur, εἶδες ποιμαίνοντα, ἐπόψει βασιλεύοντα. εἶδες ψάλλοντα, ἐπόψει προφητεύοντα, vidiſti paſcentem, reſpicies regnantem: vidiſti pſallentem, reſpicies prophetantem. Sin autem legatur, ἐπόψομαι, hoc ſibi volet: εἶδον, φησὶ, τὰ πρόσκαιρα, καὶ θλιβερά ὅσας ἔδειξάς μοι θλίψεις πολλὰς καὶ κακάς. ἀντὶ δὲ τῶν τοιούτων θλιβερῶν καὶ λυπηρῶν ἐπόψομαι τὰ αἰώνια ἀγαθά. εἶδον προφήτας, ἐπόψομαι εὐαγγελιστάς. εἶδον ἁγίους, ἐπόψομαι μάρτυρας: vidi caduca, & dolorum plena; quantas oſtendiſti mihi tribulationes multas, & malas: pro his vero triſtibus, & moleſtis, ἐπόψομαι, reſpiciam bona æterna: vidi prophetas, reſpiciam evangeliſtas: vidi ſanctos, reſpiciam martyres. ταῦτα γὰρ πάντα τὰ δύο ἁρμόζει λέγεσθαι. καὶ ἐπόψει με. ὅταν πᾶσαν σκοτίαν ἀπελάσω ἀπ' ἐμοῦ, παραστήσομαί σοι, καὶ τότε ἐπόψει με. Hæc enim omnia, duo illa dici convenit, & videbis me. quando omnes a me tenebras abegero, & ſiſtar coram te, & tunc videbis me: atque hæc quidem verba etiam apud Theodoretum leguntur. *Idem autem Chryſoſt. notat alium interpretem dixiſſe*, σκοπήσω, ſpeculabor: quod Heſychius tribuit Aquilæ. *In Scholio item quaſi ex alio interprete affertur*, ἀποσκοπεύσω, intuebor tanquam ſcopum. (*c*) Neque habitabit juxta te.] οὐδὲ παροικήσει σοι. *Aquila*, οὐ προσηλυτεύσει σοι, non habitabit tanquam proſelytus & advena apud te *Nec negat* S. *Hieronymus voce illa*, παροικῆσαι, *incolatum quaſi inquilini ſignificari.* (*d*) Domine.] *Vox iſta abeſt a pleriſque libris græcis, ſed habetur pſalterio Æthiopico, & apud Sanctum Auguſtinum, & in pſalterio quo Eccleſia Romana perquam diu uſa eſt, & hodie etiam Baſilica Sancti Petri Romæ utitur; ideoque Romanum a nobis poſthac appellabitur.* (*e*) In conſpectu tuo viam meam.] S. *Auguſtinus*, iter meum. *Hoc eodem modo legitur in Scholiis, quæ tribuuntur S. Baſilio. In aliis libris eſt*, ἐνώπιόν μου τὴν ὁδόν σου, in conſpectu meo viam tuam. *Theodoretus utramque lectionem agnoſcit, & explanat.* ἐνώπιόν μου τὴν ὁδόν σου ἐν ἑκατέρᾳ γραφῇ τῆς εὐσεβοῦς ἔχεται διανοίας. εἴτε γὰρ ἡμετέρα ὁδὸς κατευθυνθείη ἐνώπιον τοῦ θεοῦ πλάνης οὐ ληψόμεθα πεῖραν, εἴτε ἡ τοῦ θεοῦ ὁδὸς κατευθυνθείη ἐνώπιον ἡμῶν, αὐτὴν ὁδεύσομεν καὶ πρὸς αὐτὴν προθύμως δραμούμεθα. Coram me viam tuam. In utraque ſcriptura continetur pius ſenſus. Sive enim via noſtra dirigatur coram Deo, expertes erimus erroris; ſeu via Dei dirigatur coram nobis, in ea ambulabimus & ad eam libenter curremus. S. *Hier. ad Suniam, inquit, priorem illam neque LXX, neque Aquilæ, neque Symm. neque Theodotionis eſſe, ſed ſolius editionis communis. Aquila*, διὰ τοὺς ἐφοδεύοντας κατεύθυνον εἰς πρόσωπόν μου ὁδόν σου, propter eos qui inſidiantur, dirige ad faciem meam viam tuam. *Symmachus*, διὰ τοὺς ἀποθλίβοντάς με, ὁμάλισον ἔμπροσθέν μου τὴν ὁδόν σου, propter eos qui tribulant me, complana ante me viam tuam. (*f*) In te.] ἐπὶ σοί, *abſunt hæc ab aliis libris: ſed habentur in pſalterio Arabico, & Æthiopico.* (*g*) Gloriabuntur.] καυχήσονται. *Aquila*, γαυριάσουσιν, exultabunt, geſtient. (*h*) Bonæ voluntatis coronaſti nos. S. *Auguſtinus, ut etiam vulgata habet*, bonæ voluntatis tuæ. *Aquila autem*, στεφανώσεις αὐτὸν, coronabis eum.

PSAL. VI.

(*) Pro octava] *Ita in vulgata: & hanc tanquam uſitatam lectionem agnoſcit S. Ambroſ. lib.* 5. *in Lucam.* S. *Auguſt. hic habet*, de octavo. *Sunt qui putant interpretandum*, ſuper octava, *& ſignificari inſtrumentum muſicum* (*a*) Qui memor ſit tui.] *Aquila*, μνήμη σου, memoria tui. *Symm.* ἀνάμνησίς σου, reminiſcentia tui. (*b*) Turbatus eſt a furore.] S. *Aug.*

in ira. *Aquila*, αὐχμώθη, ſqualuit, æſtuavit. *Symm.* ἐφλέγμαινεν ἀπὸ πικρασμοῦ, languit præ amaritudine. (*c*) Inveteravi inter omnes.] S. *Aug.* in omnibus. *Aquila*, μετήρθην ἐν πᾶσιν ἐνδεσμοῦσίν με, tranſlatus ſum in omnibus illigantibus me. *Symm.* ἐτειβανώθην διὰ τοὺς θλίβοντάς με, conſumptus ſum propter eos qui tribulant me. (*d*) Iniquitatem. *Aquila*, ἀνωφελές, damnum, inutile. (*e*) Et conturbentur] *Aquila*, καταπουδασθείησαν σφόδρα, ſolliciti ſint vehementer. (*f*) Velociter.] *Aquila*, ἐξαίφνης, repente. *Schol.* ἀθρόως, confertim.

PSAL. VII.

(*a*) PSalmus ipſi David.] *Chryſoſt.* Alius, ψαλμὸς ὑπὲρ ἀγνοίας τοῦ Δαυίδ, Pſalmus pro ignoratione ipſi David: alius, ἀγνόημα τοῦ Δαυίδ, ignoratio ipſi David. (*b*) Chuſi.] *Schol.* αἰθίοπος, æthiopis. (*c*) Ergo.] *Sic S. Aug. quod græce eſt*, ἄρα, *in vulgata autem*, merito. *Aquila*, εἰ ἀνήρπασα τοὺς θλίβοντάς με ματαίως, ſi rapui eos qui tribulabant me vane. (*d*) Diapſalma.] *Schol.* Hebræus, ſel. Aquila, ἀεί, ſemper. (*e*) In ira tua exaltare.] *Chryſ.* Alius inquit, ἐν θυμῷ ἐπὶ τοὺς ἐχθρούς σου, in furore ſuper inimicos tuos. Alius, ἐν χόλῳ θλιβόντων με, in bili, & indignatione tribulantium me. Alius, ὁ ἐν ἀνυπερθεσίαις ἐνδεσμούντων, in celeritatibus illigantium: Hebræus autem, illud, ἐν τοῖς πέρασι, in finibus, inquit, Bebaroth. Hic obiter emendo Chryſoſtomum cujus verba citantur in editione Romana: ὁ δὲ ἑβραῖος τὸ ἐν τοῖς πέρασι, βεβαρὸθ, φησί. Nam legendum perſpicue βεαβρὼθ, tranſpoſitis litteris; emendatio certa & cui firmandæ verbum non eſt faciendum. *Druſ. Schol.* illud autem, ἐν τοῖς πέρασι, nonnulli quidem dicunt, ἐν ταῖς κεφαλαῖς, in capitibus, nonnulli vero, μηδεὶς διαφύγοι τῶν ἐχθρῶν, nemo effugiat inimicorum. *Theod. illud*, ἐν χόλῳ, *tribuit Symm. illud*, ἐν θυμῷ, *Theodotioni; illud vero*, ἐν ἀνυπερθεσίᾳ *(ita enim ipſe legit) Aquilæ.* (*f*) Meorum.] *Ita pſalterium Arabicum & Æthiopicum, & Didymus, & ſic legiſſe Theodoretum apparet ex ipſa explanatione. Item S. Auguſtinus. In aliis vero libris eſt*, ἐχθρῶν σου, inimicorum tuorum. *Chryſoſt. utramque videtur agnoſcere. Baſilius autem, & Arnobius videntur legiſſe tantum*, inimicorum. (*g*) In præcepto.] ἐν προστάγματι. *Chryſoſt.* alius inquit, ἐν κρίματι, in judicio. (*h*) Circundabit te.] *Chryſ.* alius inquit, κυκλωσάτω σε, circundet te. (*i*) Propter hanc.] ὑπὲρ ταύτης, *Chryſ.* alius inquit, ϗ ἐπάνω αὐτῆς εἰς τὸ ὕψος ἐπίστρεψον, & ſuper ea in altum revertere: alius, ϗ ἐπὶ ταύτῃ εἰς ὕψος ἐπίστρεψον, & in hac, *aut*, pro hac, in altum revertere: hebræus autem illud, ὑπὲρ ταύτης, dixit, οὐαλέα, valeha. (*k*) Dominus judicabit.] S. *Auguſtinus, & vulgata habent*, judicat. *Chryſoſt.* alius inquit, κύριος δικάσει, Dominus judicium faciet. (*l*) Innocentiam.] ἀκακίαν. *Sym.* ἀπλότητά μου, τὴν ἐπ' ἐμοί, ſimplicitatem meam, quæ eſt in me. (*m*) Conſummetur.] συντελεσθήτω. *Sym.* ἀπαρτισθήτω κάκωσις τῶν ἀσεβῶν, compleatur malum, & pœna impiorum. (*n*) Diriges juſtum.] *Chryſoſt.* alius, ϗ ἑδράσεις δίκαιον, & ſtabilies juſtum. Aquila, Symmachus, & Theodotio, ϗ κατευθύνει δίκαιος, & dirigit juſtus: ſimiliter autem & Origenes in explanatione. (*o*) Scrutans corda.] *Chryſoſt.* alius, ὁ ἐτασὴς καρδιῶν, ϗ νεφρῶν, ὁ θεὸς δίκαιος, ὁ ὑπερασπιστής μου, examinator cordium & renum Deus juſtus, protector meus: & alius, ὁ θεὸς δίκαιος, Deus juſtus. Septuaginta autem ita dixerunt, ἐτάζων καρδίας, &c. (*p*) Non iram adducens.] *Sic S. Aug. quod græce eſt*, μὴ ὀργὴν ἐπάγων, *& ita apud S. Baſilium. Theodoretus, & Nicephorus habent*, ϗ μή, & non. *Vulgata*, nunquid iraſcetur. *Chryſoſt.* Alius inquit, ἐμβριμώμενος καθ' ἑκάστην ἡμέραν, infremens, & acriter comminans per ſingulos dies: hebræus autem, ζωὴν, zoan (*al.* ζωὴμ.) Alius inquit, ἀπειλούμενος, ἐμβριμώμενος, οὐ κολάζων, minitabundus & fremens, non puniens. (*q*) Gladium ſuum vibrabit.] τὴν ῥομφαίαν αὐτοῦ στιλβώσει. *Chryſoſt.* alius inquit, τὴν μάχαιραν αὐτοῦ ἀκονήσει, enſem ſuum acuet: *quod quidem*, ἀκονήσει, *in alio Scholio tribuitur Sym.* (*r*) Tetendit.] ἐνέτεινε. *Chryſoſt.* Alius inquit, ἐντενεῖ, intendet. (*ſ*) Ardentibus.] τοῖς καιομένοις. *Sym.* εἰς τὸ καίειν, ad ardendum. (*t*) Parturivit.] *Chryſoſt.* hebræus autem pro, ὠδίνησεν, habet, zebal. (*u*) Concepit laborem.] *Sic S. Aug. quod in vulgata eſt*, dolorem, συνέλαβε πόνον. *Chryſoſt.* alius, ϗ κυήσας, & gravidatus. (*x*) Iniquitatem.] *Aquila*, ψεῦδος, mendacium. (*y*) Et incidet.] *Sic S. Aug. quod in vulgata eſt*, incidit, ϗ ἐμπεσεῖται εἰς βόθρον. *Aquila*, ἐν διαφθορᾷ, in corruptionem.

PSAL. VIII.

(*a*) QUam admirabile.] *Chryſ.* Alius, τί μέγα τὸ ὄνομά σου, quam magnum nomen tuum? (*b*) Quoniam elevata eſt *Schol.* Alius, ὃς ἔταξας τὸν ἔπαινόν σου, qui poſuiſti laudem tuam. (*c*) Ex ore infantium.] *Aquila*, ἐκ στόματος βρεφῶν ἐθεμελίωσας κράτος, ex ore parvulorum fundaſti potentiam. Fundaſti robur, *hoc eſt, veram ac ſolidam laudem.* Druſ. *Sexta editio*, συνεστήσω ἰσχύν, conſtituiſti fortitudinem. (*d*) Propter inimicos.] *Chryſ.* alius ſubtilius, διὰ ἐνδεσμοῦντάς σε, propter eos qui illigant & in anguſtias redigere volunt te. *Id vero in alio ſcholio tribuitur Aquilæ.* (*e*) Ut deſtruas.] *Sexta editio*, ὥστε παῦσαι ἐχθρὸν, ϗ τιμωροῦντα ἑαυτῷ, ut ceſſare facias inimicum, & eum qui ſeipſum ulciſcitur. (*f*) Cœlos.] *VI. editio*, ὁρῶ γὰρ τοὺς οὐρανούς, video enim cœlos. S. *Aug. & vulgata habent*, cœlos tuos. *Cæterum notat S. Hier. ad Suniam, illud*, tuos, *additum eſſe de editione Theodotionis, in LXX interpretibus, ſub aſteriſco.* (*g*) Quæ tu fundaſti.] ἐθεμελίωσας. *Aquila*, ἡτοίμασας, paraſti, *ſexta editio*, ἥδρασας, ſtabiliter collocaſti. (*h*) Quid eſt homo?] *Chryſ. Alius*, τί κατ' ἄνδρα, ὅτι μνημονεύεις αὐτοῦ; quid eſt pertinens ad hominem, quod recordaris ejus? (*i*) Paulo minus ab angelis.] βραχύ τι παρ' ἀγγέλους. *Theodotio, & quinta editio*, βραχύ τι παρὰ θεοῦ, breve quiddam, & paululum quiddam a Deo. *Chryſ. Alius*, ὀλίγον παρὰ θεοῦ. *Quare S. etiam Hieron. tranſtulit*, paulo minus a Deo *Idem Chryſ. refert, hebræum ita habere*, οὐθαρσηυμάτ μηελωήμ. (*k*) Conſtituiſti.] *Chryſ.* Alius ἐξουσιάζειν ἐποίησας αὐτὸν τῶν ἔργων τῶν χειρῶν σου, feciſti, ut haberet poteſtatem operum manuum tuarum. (*l*) Campi.] τοῦ πεδίου. *Chryſ.* Alius, ἄγρια, agreſtia.

PSAL. IX.

(*a*) IN finem pro occultis.] *Aquila*, τῷ νικοποιῷ νεανιότητος τοῦ υἱοῦ μελῴδημα τοῦ Δαυίδ, effectori victoriæ juventutis filii, melodia ipſius David. *Sym.* ἐπινίκιος (*aut, ut habet Theodoretus*) ἐπινίκιον περὶ θανάτου τοῦ υἱοῦ ᾆσμα τοῦ Δαυίδ, epinicium (*id eſt*, victoriale) pro morte filii canticum ipſius David. *Theodotio, & quinta editio*, τῷ νικοποιῷ ὑπὲρ ἀκμῆς τοῦ υἱοῦ, effectori victoriæ pro vigente ætate filii; *ſexta editio*, εἰς τὸ τέλος νεανιότης, in finem juventus. (*b*) Et exultabo.] ϗ ἀγαλλιάσομαι. *Aquila, & Sym.* ϗ γαυριάσω, *quod idem valet.* (*c*) Pſallam nomini. *Sym.* ᾄσω τῷ ὀνόματί σου, ἀνατραπέντων τῶν ἐχθρῶν μου εἰς τὰ ὀπίσω, προσκοψάντων ϗ ἀπολομένων ἐκ προσώπου σου, cantabo nomini tuo, cum ceciderint inimici mei retrorſum, corruerint & perierint a facie tua, *quomodo eſt apud* S. *Hier.* (*d*) Feciſti judicium meum, & cauſam meam.] *Chryſ.* Alius, ὑπερεδίκασάς μου, judicaſti pro me. (*e*) Periit.] *Chryſ.* Alius, ἀπώλεσας, perdidiſti. (*f*) Frameæ.] αἱ ῥομφαῖαι. *Aquila*, ἔρημα, ſolitudines, *quomodo etiam vertit S. Hier. Sym.* ἐρείπια, ruinæ. (*g*) Cum ſonitu.] μετ' ἤχου. S. *Aug.* cum ſtrepitu. *Chryſ.* Alius, σὺν αὐτοῖς, cum ipſis, hebræus autem ἔμ. (*h*) In æternum permanet.] *Chryſ.* Alius, καθεδεῖται, ſedebit: hebræus; Jeſeb. (*i*) Paravit.] ἡτοίμασεν. *Aquila, & Sym.* ἥδρασεν, firmavit. (*k*) Pauperi.] *Chryſ.* Alius, τῷ ἐπιτριπτῷ, attrito: alius, τεθλασμένῳ, fracto. (*l*) In opportunitatibus, in tribulatione.] *Clemens Alexandrinus, ſtromate 6. habet*, ἐν εὐκαιρίᾳ, ϗ θλίψει, in opportunitate, & tribulatione. *Theodoretus*, Illud, ἐν εὐκαιρίαις, Aquila quidem interpretatus eſt, εἰς καιρὸν in tempore: Symmachus autem, ἐπικαίρως, opportune. (*m*) Et ſperent in te.] S. *Aug.* & ſperent in te omnes. *Chryſ.* Alius, πεποιθήσουσι, pro, θαῤῥήσουσι, confident. *Theodoretus id tribuit Aquilæ, & Sym. qui modo indicante pro imperante uſi fuerint* (*n*) Qui habitat.] *Chryſ.* Alius, τῷ καθημένῳ, ſedenti. (*o*) Studia ejus.] S. *Aug.* mirabilia ejus. *Sym* μηχανάς, artificia. *Aquila*, ἐναλλαγάς, commutationes. *Chryſoſt.* Alius, ἐν τοῖς λαοῖς τὰ μηχανήματα αὐτοῦ, in populis machinamenta, & molitiones ejus. (*p*) Orationis.] *Sic pſalterium Romanum in aliquo codice* (*nam in aliis eſt*, orationes) *quod græce eſt*, δεήσεως. *In aliis libris græcis eſt*, κραυγῆς, *& in latinis*, clamorem. (*q*) Exultabo in ſalutari tuo.] *Ita in vulgata, & in pſalterio Romano.* S. *Aug.* exultabo ſuper ſalutare tuum, *in aliis libris græcis eſt*, ἀγαλλιασόμεθα, exultabimus. (*r*) Infixæ ſunt.] ἐνεπάγησαν. *Chryſ.* Alius, ἐβαπτίσθησαν, demerſæ ſunt: *quomodo habet S. Hier.* (*ſ*) Cognoſcitur.] γινώσκεται, *in libris latinis fere eſt*, cognoſcetur. *Chryſ.* Alius, ἐγνώσθη κρίμα ποιήσας, cognitus eſt feciſſe judicium. (*t*) Manuum ſuarum.] *Chryſ.* Alius, ταρσῶν αὐτοῦ, palmarum, articulorum ſuorum. (*u*) Oda diapſalmatis.] *Aquila*, ᾠδὴ ἀεί, oda ſemper, *& ſic fere ubique.* S *Hier.* meditatio ſemper. *Sym.* μέλος διαψάλματος, modulatio, melos diapſalmatis. *De hac re diſputat Didymus in catena Barbari.* (*x*) Non in finem oblivio erit pauperis.] *Chryſoſtomus*; Alius, οὐ γὰρ εἰς τέλος ἡ προσδοκία πραέων ἐπιλησθήσεται, non enim in finem expectatio mitium oblivioni tradetur. (*y*) Non confortetur.] μὴ κραταιούσθω. S. *Auguſtinus*, non prævaleat. *Chryſoſt.* Alius, μὴ θρασυνέσθω, non confidat audacter. (*z*) Conſtitue Domine.] *Aquila*, θὲς κύριε φόβημα αὐτοῖς, pone Domine terrorem eis, *quomodo habet* S. *Hier. nec multo aliter Theodotio*, κατάστησον κύριε φόβον αὐτοῖς. *Symmachus autem*, τάξον κύριε νόμον αὐτοῖς, pone Domine legem eis. *Aliud Schol.* Alius, ἐπίλαμψαι, illuceſce, effulge. (*ω*) Sciant.] S. *Aug. & vulg.* ut ſciant *Chryſ.* ϗ γνώτωσαν, & cognoſcant, *ac notat alium addidiſſe*, ἀεί, ſemper, *quod videri poteſt poſitum pro eo, quod apud nos eſt*, διάψαλμα: *dictum eſt enim Aquilam pro hoc dicere*, ἀεί, *& ſic S. Hier.* ſciant gentes homines eſſe, ſemper. (*aa*) In opportunitatibus, in tribulatione] S. *Aug.* in tribulationibus. *Aquila*, εἰς καιρὸν, in tempore. *Sym.* ἐν καιροῖς θλίψεως, in tempore anguſtiæ, *ut S. Hier.* (*bb*) Incenditur.] ἐμπυρίζεται, *Aquila*, ἐκκαίεται, *Sym.* φλέγεται, *quæ idem valent.* (*cc*) In conſiliis.] ἐν διαβουλίοις. S. *Aug.* cogitationibus ſuis. *Notat autem Theodorus Antiochenus hæc eſſe interjecta metri cauſa: conjungenda enim hæc*, incenditur pauper, quoniam laudatur peccator. (*dd*) Quoniam laudatur peccator.] *Chryſoſtomus*: Alius, ὅτι αἰνέσας παράνομος κατὰ τὴν ἐπιθυμίαν ϗ πλεονέκτης εὐλογήσας, παρώξυνε τὸν κύριον. ὅταν ὑψωθῇ ὁ θυμὸς αὐτοῦ, οὐκ ἐκζητεῖ, quoniam laudans iniquus juxta deſiderium, & avarus benedicens, irritavit Dominum: cum exaltatus fuerit furor ejus, non exquiret. Alius, ὅτι ὕμνησεν ἐπὶ πόθῳ ψυχῆς αὐτοῦ, ϗ πλεονέκτης εὐλογήσας δίεσυρε τὸν κύριον. ἀσεβὴς κατὰ μετεωρισμὸν αὐτοῦ οὐ μὴ ἐκζητήσῃ, οὐκ ἔστι θεὸς πάσαις ἐννοίαις αὐτοῦ, quoniam hymnum dixit ſuper cupiditate animæ ſuæ, & avarus benedicens infamavit Dominum: impius ſecundum elationem ſuam non exquiret: non eſt Deus in omnibus cogitationibus ejus. Alius, δι' ὅλων τῶν ἐνθυμημάτων αὐτοῦ, per univerſas cogitationes ejus. (*) Contaminantur.] *Sic S. Aug.* βεβηλοῦνται, *vulgata*, inquinatæ ſunt. *Notat Chryſoſtomus alium dixiſſe*, exaltatum eſt judicium tuum. (*ee*) Auferuntur.] ἀνταναιρεῖται. *Notat Heſychius ita dictum eſſe, ut intelligatur, viciſſim, & ex adverſo tolli. Nam cum Deus comminatione judicii peccatum auferre velit; diabolus ex adverſo aufert memoriam illius comminationis. Cyrillus etiam ejuſdem vocabuli vim conſiderat. Chryſoſtomus.* Alius, ἦρται ἡ κρίσις σου, πάντων τῶν ἐχθρῶν αὐτοῦ κατακυριεύσει, εἶπε γὰρ ἐν καρδίᾳ αὐτοῦ, ſublatum eſt judicium tuum; omnes inimicos ſuos dominatione premet: dixit enim in corde ſuo. *Theodorus Antiochenus notat, Symmachum, pro*, inimicorum ſuorum dominabitur, *dixiſſe*, omnes inimicos ſuos ventilat. *Heſychius autem illud*, αὐτοῦ, *intelligit*, ejus, *id eſt*, Dei: *Dominatur enim Diabolus inimicis Dei, non autem anima ſancta.* (*ff*) Non movebor.] *Sym.* οὐ περιτραπήσομαι εἰς γενεὰν, ϗ γενεὰν οὔτε ἔσομαι ἐν κακώσει, non circumvertar in generationem, & generationem, neque ero in afflictione. (*gg*) Labor, & dolor.] *Chryſoſt.* Alius, pro, πόνος, dicit, ἀνωφελές, damnum. S. *Hier.* dolor, & iniquitas. (*hh*) Sedet in inſidiis.] *Symm.* ἐγκάθηται ἐνεδρεύων περὶ τὰς αὐλὰς ἐν ἀποκρύφοις ἀποκτεῖναι ἀναίτιον, *quæ ita videtur vertiſſe S. Hier.* ſedet inſidians juxta veſtibula in abſconditis, ut interficiat innocentem. (*ii*) In ſpelunca ſua.] ἐν τῇ μάνδρᾳ αὐτοῦ. S. *Aug.* in cubili ſuo. *Chryſ.* Alius, ἐν τῷ περιφράγματι αὐτοῦ, in ſepto ſuo. (*kk*) Dum attrahit eum. *Chryſ.* Alius, ἐν ἑλκυσμῷ αὐτοῦ, in attractione ejus. (*ll*) Laqueo ſuo.] ἐν τῇ παγίδι αὐτοῦ, S. *Auguſt.* in muſcipula ſua. *Chryſoſt.* Alius, ἐν τῇ σαγήνῃ, in ſagena. *Et dubium eſt, an hæc conjungenda ſint cum præcedentibus*, dum attrahit eum in laqueo, *vel*, in laqueum. (*mm*) Inclinabit ſe.] S. *Auguſt.* inclinabitur, & cadet dum dominabitur. *Chryſoſt.* Alius, ὁ δὲ θλασθεὶς καμφθήσεται ἐπιπεσόντος αὐτοῦ μετὰ τῶν ἰσχυρῶν αὐτοῦ τοῖς ἀσθενέσιν; qui autem fractus eſt, curvabitur, irruente eo cum fortibus ſuis in infirmos, (*nn*) Exaltetur.] *Chryſ.* Alius, ἔπαρον τὴν χεῖρά σου, eleva manum tuam. (*oo*) Irritavit.] παρώξυνεν, *in aliquot codd. & apud Theod. eſt*, παρώργισεν, ad irã provocavit. (*pp*) Vides, quoniam tu laborem, & iram.] *Sic S. Aug.* πόνον, ϗ θυμὸν, *vulg.* laborem, & dolorem. *Sym.* ὁρᾷς ὅτι σὺ μόχθον ϗ παροργισμὸν ἐπιβλέπεις ἵνα δοθῶσιν εἰς χεῖράς σου, vides, quia tu laborem & furorem inſpicis, ut dentur in manus tuas. *Aquila*, εἶδες, ὅτι σὺ πόνον καὶ παροργισμὸν ἐπιβλέπεις, vidiſti, quia tu laborem & furorem inſpectas. (*qq*) Fuiſti adjutor.] ἦσθα βοηθός. *Chryſ.* Alius, σὺ ἐγένου, tu factus es: alius, σὺ ἔσῃ, tu eris, *ut* S. *Aug. & vulgata.* (*rr*) Quæretur.] *S. Aug.* requiretur delictum illius. *Symmachus*, ἐκζητηθήσεται ἡ ἀσέβεια αὐτοῦ, ἵνα μὴ εὑρεθῇ αὐτός, exquiretur impietas ejus, ut non inveniatur ipſe. (*ſſ*) Præparationem cordis eorum attendit.] προσέσχε S. *Aug. & vulgata*, exaudivit. *Chryſ.* Alius, τὴν πρόθεσιν τῆς καρδίας αὐτῶν προσέχει τὸ οὖς σου, propoſitum cordis eorum attendit auris tua. *Theodoretus illud*, πρόθεσιν, *tribuit Symmacho. In aliquot codicibus & Compl. eſt*, τῇ ἑτοιμασίᾳ, præparationi. *In eadem Complut. & apud Theodoretum in verbis proxime antecedentibus eſt*, εἰσήκουσας κύριε, exaudiſti Domine. (*tt*) Judicare pupillo, & humili. *Chryſoſt.* Alius, κρῖναι ὀρφανῷ, καὶ τεθλασμένῳ, judicare pupillo, & confracto, *aut ut* S. *Hier.* ut judices pupillum, & oppreſſum.

PSAL. X.

(*a*) TRranſmigra in montes.] μεταναστεύου ἐπὶ τὰ ὄρη, *vulgata habet*, in montem. *Chryſoſt.* Alius, ἀνάστατου εἰς ὄρη, exula in montes. Alius, μετακινοῦ, tranſmoveto. (*b*) Paraverunt ſagittas] S. *Aug. & vulgata*, ſagittas ſuas. *Aquila, & Symmach.* ἥδρασαν βέλος αὐτῶν ἐπὶ τὴν νευράν, firmaverunt ſagittam ſuam ſuper nervum, *& ſic* S. *Hieron.* (*c*) In obſcura luna.] *Sic* S. *Auguſt. quod Græce eſt*, ἐν σκοτομήνῃ, *& in vulgata*, in obſcuro. *Theodoretus*, τοῦτο δὲ τὸ ὄνομα τὴν ἀσέληνον νύκτα δηλοῖ, hoc autem nomen illunem noctem ſignificat. *Sexta editio*, εἰς τὸ ἐπιδεῖξαι τὸ σκότος εἰς φῶς, ad oſtendendas tenebras in luce. *Symmachus*, ὡς ἐν ζόφῳ, quaſi in caligine. (*d*) Quæ perfeciſti, deſtruxerunt.] *Sexta editio*, ὅτι αἱ διαδοχαί, quoniam traditiones. *Chryſoſt.* Alius, ὅτι αἱ διδασκαλίαι συντριβήσονται, quoniam doctrinæ conterentur: Aquila, ὅτι οἱ θεμέλιοι καθαιρεθήσονται, quoniam fundamenta deſtruentur. *Symmachus*, ὅτι οἱ θεσμοὶ κατελύθησαν, quia leges diſſipatæ ſunt, *ut* S. *Hieron.* (*e*) Quid fecit.] *Aquila*, δίκαιος τί κατηργάσατο; juſtus quid operatus eſt? *nec multo aliter Symm.* δίκαιος τί ἔδρασεν; (*f*) In pauperem.] εἰς τὸν πένητα, *apud Theodoretum legitur, & fortaſſe apud Chryſoſtomum & Euſebium*, ἐπιβλέπουσιν τὴν οἰκουμένην, inſpiciunt orbem terræ. *Schol.* Illud, εἰς τὸν πένητα ἐν τῇ σελίδι τῶν ο. ἔκειτο μόνον ἀμφιβόλως, in ſelide ipſorum ſeptuaginta poſitum eſt tantum ambigue. *Certe in hebræo hodie non eſt: habetur tamen apud Origenem, & Baſilium.* (*g*) Reſpiciunt] ἀποβλέπουσι. *Theodotio*, ἐπιβλέπουσι, *quod eſt in multis codicibus, & commentariis. Aquila*, ὀφθαλμίζονται, *quæ fere idem valent.* (*h*) Dominus interrogat.] *Chryſoſt.* Alius, κύριος δίκαιος ἐξεταστής, Dominns juſtus examinator. Alius, δίκαιον δοκιμάζει, καὶ ἀσεβῆ, καὶ ἀγαπῶντα ἄδικα ἐμίσησεν ἡ ψυχὴ αὐτοῦ (*quæ ita videtur vertiſſe* S. *Hieron.* Juſtum probat; iniquum autem, & diligentem iniquitatem odit anima ejus.) Alius, ὁ ἀγαπῶν ἀδικίαν, μισεῖ τὴν ἑαυτοῦ ψυχήν, qui diligit injuſtitiam, odit ſuam ipſius animam. (*i*) Pluet ſuperpeccatores.] ἐπιβρέξει, *& notat Didymus valere*, ſuper pluet. *Chryſoſt.* Alius, ὕσει ἐπὶ παρανόμους ἄνθρακας, pluet ſuper iniquos, carbones. (*k*) Æquitatem.] εὐθύτητα. *Chryſoſt.* Alius, εὐθύτητας ὄψεται τὸ πρόσωπον αὐτοῦ, æquitates videbit facies eorum: nimirum juſtorum, vel αὐτοῦ, ipſius Dei.

PSAL. XI.

(*a*) SAnctus.] ὅσιος. *Aquila*, ἁγνός, caſtus. (*b*) Diminutæ ſunt veritates.] ὠλιγώθησαν αἱ ἀλήθειαι. *Symmach.* αἱ πίστεις, fides. *Chryſ.* Alius, περάνθησαν πιστοί, deſierunt fideles. (*c*) Loquuti ſunt.] A.A. L.L. ἐλάλησαν κακά, loquuti ſunt mala. S. *Auguſt.* loquuti ſunt vana. *Symm.* χείλη δόλια ἐν καρδίᾳ ἄλλῃ καὶ ἄλλῃ λαλεῖ, labia doloſa in corde alio & alio loquuntur. (*d*) Magnificabimus] *Chryſoſt.* Alius, δυναστεύσομεν, dominabimur. (*e*) A nobis ſunt.] *Sic vulgata, & pſalterium Romanum. In aliis libris græcis eſt non*, παρ' ἡμῶν, *ſed*, παρ' ἡμῖν, *&* S. *Auguſt.* apud nos. *Aquila*, χείλη πάρεστιν ἡμῖν, τίς δεσπότης ἡμῶν; labia adſunt nobis: quis Dominus noſter? *Chryſoſt.* Alius, σὺν ἡμῖν πάρεστιν, τίς κυριεύσει ἡμῶν; nobiſcum adſunt, quis dominabitur nobis? (*f*) Propter miſeriam] *Aquila*, ἀπὸ προνομῆς πενήτων, ἀπὸ οἰμωγῆς πτωχῶν, a vaſtitate pauperum, a ploratu inopum. *Symm.* διὰ κακοπάθειαν πτωχῶν, διὰ οἰμωγὴν πενήτων, propter afflictionem inopum, propter ploratum pauperum. (*g*) Ponam in ſalutari, fiducialiter agam in eo.] *Symm.* τάξω σωτήριον ἐμφανές, ponam ſalutare evidens. *Chryſoſt.* id eſt, evidenter ſalvabo. Alius, ἐν σωτηρίᾳ σου, in ſalute tua. (*h*) Probatum terra.] τῇ γῇ. S. *Aug. & vulgata*, terræ, *niſi fortaſſe ſit mendum. Aquila*, χωροῦν, τῇ γῇ διυλισμένον, permeans, terra defæcatum. *Chryſoſt.* hebræus autem, τὸ χωνευόμενον, τὸ ῥέον ἐν τῇ γῇ, quod conflatur, quod fluit in terra. (*i*) Servabis nos.] *Chryſoſt.* Alius, φυλάξεις αὐτούς, ſervabis eos. Alius, φυλάξεις αὐτά, cuſtodies ea, *ut* S. *Hieron.* (*k*) A generatione hac & in æternum.] *Illud & abeſt a* S. *Auguſt. & vulgata. Chryſoſt.* Alius, ἅμα τῇ γενεᾷ τῇ εἰς τὸν αἰῶνα, ſimul cum generatione, quæ in æternum. (*l*) Ambulant. *Chryſoſt.* Alius, περιπατήσουσι, ambulabunt, (*m*) Secundum altitudinem tuam multiplicaſti.] κατὰ τὸ ὕψος σου ἐπολυώρησας. *Chryſoſt.* Alius, κατὰ τὸ ὕψος εὐωνισμένοι τοῖς υἱοῖς τῶν ἀνθρώπων, ſecundum altitudinem parvo empti filiis (*id eſt*, ex filiis, *ut alibi*) hominum. Alius, ὅταν ὑψωθῶσιν οἱ εὐτελεῖς τῶν υἱῶν τῶν ἀνθρώπων: *quod* S. *Hier.* cum exaltati fuerint viliſſimi filiorum hominum (hebræus, χὰρμ, ζολλὰθ, λεβνή, ἀδάμ, Charm, Zolloth, Lebne, Adam: ſexta editio, ἐξουθένησας, ſpreviſti, *Scholiaſtes ex Theod.* ὕψος μὲν τὴν δύναμιν λέγει, πολυωρίαν δὲ τὴν πολυχρονιότητα, ἵνα ᾖ τὸ λεγόμενον τοιοῦτο· διὰ τῆς σῆς ἰσχύος πολυχρονιότητα, καὶ αἰώνιον ζωὴν ἡμῖν δέδωκας. μετὰ γὰρ τὴν σωτήριον ἀνάστασιν, εἰς ἀπεράντους αἰῶνας τὰ τῆς ζωῆς ἡμῖν ἐκτείνεται. ἄλλος. ἐπολυώρησας, πολλῆς φροντίδος ἠξίωσας. ὕψος quidem potentiam dicit, πολυωρίαν autem, diuturnitatem; ut quod dicitur, hujuſmodi quiddam ſit: propter fortitudinem tuam nobis diuturnitatem & vitam æternam dediſti. Nam poſt ſalutarem reſurrectionem in ſecula infinita protenduntur nobis ea quæ ipſius vitæ ſunt. Alius autem, ἐπολυώρησας, multâ curâ dignatus es, diligenter curaſti: *quæ explicatio eſt etiam Didymi, & Nicephori, & Theodoreti in commentariis.*

PSAL. XII.

(*a*) DAvid] *Schol.* David ſignificat, ἱκανὸς χειρὶ καὶ μόνος, καὶ πεποθημένος καὶ οὗτος ἀγαπητός, potens manu, & ſolus, & deſideratus, & hic amabilis. (*b*) Obliviſceris.] ἐπιλήσῃ *Chryſoſt.* Alius, ἐκλανθάνῃ μου πλέον, obliviſceris mei omnino. Alius, εἰς νῖκος, in victoriam. (*c*) Avertes.] ἀποστρέψεις. S. *Aug. & vulgata*, avertis. *Aquila, Symmachus, Theodotio*, κρύψεις, abſcondes, *& ita* S *Hieronymus.* (*d*) Ponam conſilia.] S. *Auguſtinus*, conſilium. *Chryſoſtomus.* Alius, τάξω γνώμας, ordinabo ſententias. (*e*) Dolores.] ὀδύνας, S. *Aug. & vulgata*, dolorem *Aquila, & Theodotio, ut LXX. Symmachus*, μέριμναν ἐν τῇ διανοίᾳ μου καθημέραν, ſolicitudinem in mente mea per diem. *In aliis editionibus & apud Theodoretum eſt* ἡμέρας, καὶ νυκτός, die ac nocte (*f*) Cantabo Domino.] *Heſychius*, τοῦτον τὸν στίχον δύο ζυγὰς τῶν οβ'. ἑρμηνευτῶν εἶπον. διότι παράκειται τὸ σημεῖον τὸ διὰ τοῦ μέλανος ὃ λέγεται λημνίσκος. διὰ μὲν τῆς κεραίας τῆς μέσης σημαίνει τὸν στίχον, διὰ δὲ τῶν δύο στιγμῶν τῆς ἐπάνωθεν καὶ τῆς ὑποκάτω τὰς δύο ζυγὰς τῶν ἑρμηνευτῶν ἠνοίξατο. Hunc verſiculum duos ordines ipſorum LXXII. interpretum dixerunt: quare oppoſitum eſt ſignum illud, quod atramento fit, & vocatur lemniſcus: per mediam quidem virgulam ſignificat verſiculum: per duo autem puncta unum ſupra, alterum infra, indicavit duos ordines ipſorum interpretum. *Item de ſequenti verſiculo*, καὶ ψαλῶ τῷ ὀνόματι κυρίου τοῦ ὑψίστου. *ita legitur in Scholio:* οὐκ ἔκειτο παρ' οὐδενὶ ἐν τετρασελίδῳ, οὔτε ἐν τῷ Εὐσεβίου τοῦ Παμφίλου, οὔτε ἐν τῷ ἑβραϊκῷ, non eſt poſitus apud ullum in Tetraſelido, neque in exemplari Euſebii Pamphili, neque in hebraico.

PSAL. XIII.

(*a*) COrruperunt] διέφθειραν, *& ſic eſt in hebræo: eſt enim ſubintelligendum*, ſeipſos, *aut*, viam ſuam. *Alii libri habent*, διεφθάρησαν, corrupti ſunt, *quemadmodum eſt in latinis tranſlationibus.* (*b*) In ſtudiis.] ἐπιτηδεύμασιν, *vulgata*, ſtudiis ſuis. S. *Aug.* affectionibus ſuis. (*c*) Bonitatem.] *Bonitatem legiſſe* S. *Auguſtinus apparet ex ejus explanatione, quod græce eſt*, χρηστότητα, *ſed vulgata hic, & in epiſt. ad Rom. c.* 3. *habet*, bonum. (*d*) Sepulchrum patens.] *Hæc, & quæ ſequuntur uſque ad*, Nonne cognoſcent, *abſunt a pleriſque libris. Habent tamen Juſtinus, & pſalteria, Romanum, Arabicum, Æthiopicum, &* S. *Aug. In comm. græcis addita ſunt margini cum hoc Schol.* οὐδαμοῦ κεῖνται τῶν ψαλμῶν. πόθεν δὲ ὁ ἀπόστολος εἴληφεν αὐτούς, ζητητέον. Nullibi in pſalmis poſita ſunt: unde autem Apoſtolus ea ſumpſerit, quærendum. *In alio Scholio referuntur ex Diodoro, Theodoro, Cyrillo, Didymo: ſed additur, in Hexaplo non eſſe inventa.* S. *Cypr. in lib. de zelo & timore, ea citat ex Apoſtolo.* (*e*) Nonne cognoſcent?] *Aquila*, μὴ οὐκ ἐπέγνωσαν; nunquid non cognoverunt? *Symm.* μὴ γνώσονται; nonne cognoſcent? (*f*) Cibo panis.] βρώσει ἄρτου, *in aliis tamen codd. & comm. & editionibus eſt*, ἐν βρώσει, in cibum. *Symm.* ὡσεὶ ἄρτον, tanquam panem. S. *Aug.* ſicut cibum panis, *vulg.* ſicut eſcam panis. (*g*) Ubi non erat timor.] *Schol.* Illud, οὗ οὐκ ἦν φόβος, non eſt dictum ab aliis tribus (*h*) Convertit.] ἐν τῷ ἐπιστρέψαι, *& apertius* S. *Hier.* quando reduxerit. S. *Auguſt. & vulgata habent* cum averterit, *quaſi legerint*, ἐν τῷ ἀποστρέψαι. (*i*) Exultet.] ἀγαλλιάσθω. *Sic etiam in pſalterio Romano. In cæteris vero libris eſt*, ἀγαλλιάσεται Ἰακώβ, καὶ εὐφρανθήσεται Ἰσραήλ, exultabit Jacob, & lætabitur Iſrael, *quemadmodum eſt in vulgata, & apud* S. *Aug.*

PSAL. XIV.

(*a*) QUis habitabit.] παροικήσει. S. *Aug. habet*, peregrinabitur, *& ita exponunt Patres græci. Cæterum* S. *Hier. ad Suniam in quæſtione de quinto pſalmo, agnoſcit hoc loco, & non improbat vocabulum habitandi.* (*b*) Qui jurat proximo ſuo, & non decipit.] καὶ οὐκ ἀθετῶν, *non reddit juramentum factum proximo irritum, ut interpretatur Didymus. Symm.* ὀμόσας ἑταῖρος εἶναι, καὶ μὴ ἀλλαγείς, jurans amicus eſſe, & non mutatus. *Aquila & Theodotio*, τοῦ κακῶσαι, ut ſe affligat, *& ita* S. *Hier.* (*c*) Innocentes] ἐπ' ἀθῴοις. *Sic* S. *Aug. Vulgata autem*, innocentem. *Aquila*, ταπεινόφρων, καὶ ἁπλοῦς, humilem, & ſimplicem. *Symm.* ταπεινόφρων, καὶ ἀμώμου, humilem, & immaculatum.

PSAL. XV.

(*a*) TItuli inſcriptio.] στηλογραφία, *de qua Græci Patres multa, Euſebius, Didymus, Theodoretus, & alii.* (*b*) Ipſi David.] *Euſebius*, vel juxta cæteros interpretes, τοῦ Δαυίδ, ipſius David. (*c*) Domine.] *Aquila, Theodotio*, ἰσχυρέ, fortis, *eſt enim hebraice, el.* (*d*) Bonorum meorum.] *Aquila*, ἀγαθωσύνη μου οὐ μὴ ἐπὶ σέ, bonitas mea non ſuper te. *Symmach.* ἀγαθόν μοι οὐκ ἔστιν ἄνευ σοῦ, *quod* S. *Hier.* bene mihi non eſt ſine te. (*e*) Mirificavit.] *Vulgata*, mirificavit omnes voluntates meas in eis. S. *Aug.* mirificavi omnes voluntates meas in illis. *Theodoretus*, ἐθαυμάστωσεν ὁ κύριος, ὅτι πάντα τὰ θελήματα αὐτοῦ ἐν αὐτοῖς, mirificavit Dominus, quoniam omnes voluntates ſuæ in eis. *Et in aliis quoque codicibus invenitur vox*, κύριος, *& illud*, πάντα, *eſt initium ſequentis partis verſus. Euſebius tamen, & Theodoretus videntur legiſſe ut hic, itemque Athanaſius. Aquila*, ὑπερμεγέθεσί μου πᾶν θέλημα ἐν αὐτοῖς, ingentibus meis omnis voluntas mea in eis. (*f*) Multiplicatæ ſunt.] *Aquila*, πληθυνθήσονται διαπονήματα αὐτῶν, multiplicabuntur labores eorum. *Symmachus*, πολλαὶ αἱ κακοπάθειαι αὐτῶν ἀκολουθοῦσαι ταχέως, multæ calamitates eorum ſequentes cito. *Theodotio*, ἐπληθύνθησαν τὰ εἴδωλα αὐτῶν, εἰς τὰ ὀπίσω ἐτάχυναν, multiplicata ſunt idola eorum: retrorſum acceleraverunt. *Id tamen Theodorus Antiochenus tribuit Symm.* (*g*) Non congregabo] *Cyrillus putat per interrogationem eſſe proferenda, ſed non Euſebius, & Didymus. Aquila*, οὐ μὴ σπείσω σπονδὰς αὐτῶν ἐξ αἱμάτων, *quod* S. *Hier.* non libabo libamina eorum de ſanguine. (*h*) Adimplebis me] *Aquila, Theodotio*, πλησμονὴ εὐφροσυνῶν, ſatietas lætitiarum. *Theodotio*, ἑπτὰ εὐφροσύνας, ſeptem lætitias. (*i*) Cum vultu. *Symm.* παρὰ τῷ προσώπῳ σοῦ, *quod* S. *Hieronymus*, ante vultum tuum. (*k*) Delectationes.] *Apud Theodoretum, & in Compl. eſt*, τερπνότης. *&* S. *Auguſtinus*, delectatio.

PSAL. XVI.

(*a*) JUſtitiam meam.] Δικαιοσύνης μου, *quod poſſet etiam verti*, juſtitiæ meæ: *idque vidit Nicephorus. Theodoretus*: Alii pronomen μου, non addiderunt: ſed Symmachus quidem & Theodotio ipſum Deum nominaverunt Dominum juſtitiæ. Aquila autem, εἰσάκουσον δίκαιον, exaudi juſtum, pro, juſte. *Sed* S. *Hieronymus*, audi Domine, juſtitiam. (*b*) Deprecationi.] δεήσει; *Sic* S. *Auguſtinus. vulgata autem*, deprecationem meam. *Aquila*, αἰνέσει μου laudationi meæ. (c) Non in labiis doloſis.] *Theodoretus*: Illud autem, οὐκ ἐν χείλεσιν δολίοις, Symmachus ſic dixit, οὐ διὰ χειλέων δολίων, non per labia doloſa. (d) Prodeat.] ἐξέλθοι. *Symmachus*, ἐξελεύσεται, prodibit. (e) Oculi mei] *Sic plerique codices, & comment. & S. Auguſt. Aliquot tamen codd. habent* ὀφθαλμοί σου, oculi tui, *ut vulgata, & pſalterium Romanum. Et in ſcholio, quod tribuitur Aſterio, ſcribitur, oculos Dei, Apoſtolos eſſe intelligendos, pro quibus propheta oret, ut videant æquitatem.* S. *Hieronymus ad Suniam rectius eſſe putat*, oculi tui. (f) Æquitates.] εὐθύτητας. *In aliquot codd. & comment eſt*, εὐθύτητα, æquitatem, *& ſic* S. *Auguſtinus*, S. *autem Hieronymus*, æquitates. (g) Cuſtodivi vias duras.] *Symmachus*, ὁδοὺς ἐφυλαξάμην παραβάτου, *quod ita videtur vertiſſe* S. *Hieronymus*, ego obſervavi vias latronis. (h) Perfice.] κατάρτισαι. S. *Auguſtinus videtur legiſſe accentum in penultima: habet enim*, ad perficiendum. *Symmachus*, συγκράτησον, corrobora, *Theodotio*, τελείωσον, perfice. (i) In tegmine alarum tuarum protege me.] *Ita S. Auguſtinus: vulgata autem*, ſub umbra alarum tuarum. (k) Adipem ſuum.] *Symmachus*, τῷ στέατι αὐτῶν ἀπεφράγησαν, adipe ſuo concluſi ſunt, *aut*, concluſerunt, *ut S. Hieronymus, propius ad hebraiſmum.* (l) Projicientes me.] *Euſebius. Symmachus*, μακαρίζοντές με παραχρῆμα περιεκύκλουν, qui beatificabant me, repente circumdederunt. (m) Declinare in terram.] ἐκκλῖναι ἐν τῇ γῇ, *Aquila*, τοῦ ἐκκλῖναι ἐν τῇ γῇ, ad declinandum in terram. *Theodoretus.* Symmachus, τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῶν ἔταξαν ἐπεκκλίνειν ἐν τῇ γῇ, oculos ſuos ſtatuerunt detorquere, & quaſi altera ex parte declinare in terram. (n) Suſceperunt.] *Theodorus Antiochenus* Illud, ὑπέλαβον, dictum eſt pro περιμένουσιν, undique expectant, & inhiant mihi. (o) Præveni eos, & ſupplanta eos: erue animam meam ab impio.] *S. Auguſtinus*, præveni eos, & ſubverte eos: erue animam meam ab impiis. S *Hieron. omnia hæc melius legi putat in numero ſingulari. Aquila*, πρόφθασον τὸ πρόσωπον αὐτοῦ, ϗ ὄκλασον αὐτόν, *quæ S. Hieron. vertit*, præveni faciem ejus, incurva eum. (p) Frameam tuam.] *In aliquot vetuſtis codicibus, & apud Theodoretum legitur*, ῥομφαίᾳ μου, framea tua, *& addit Theodoretus ſic vertiſſe Symmachum*, εἰς μάχαιράν σου, in gladio tuo. *Theodorus autem Antiochenus agnoſcit hanc lectionem in dandi caſu; ſed magis probat alteram in generandi caſu*, ῥομφαίας, *quo etiam inquit Aquilam eſſe uſum: idque propius ad hebræa, quæ ſic vertit* S. *Hieronymus*, ab impio, qui eſt gladius tuus. (q) Perdens.] ἀπολύων, *quod etiam poſſet verti*, abſolvens. *Theodoretus ad hunc locum ita ſcribit*, τῷ ὅρῳ σου γάρ φησι τοὺς ἀνθρώπους παραπέμπεις εἰς θάνατον· σὺ γὰρ εἶπας, γῆ εἶ, ϗ εἰς γῆν ἀπελεύσῃ. Etenim tuo, inquit, decreto homines tranſmittis ad mortem: tu enim dixiſti, terra es, & in terram redibis. *Ad verba autem ſequentia*, διαμέρισον αὐτούς, (*quæ nos ex* S. *Auguſtino vertimus*, diſpertire eos, *vulgata autem habet*, divide eos) *idem Theodoretus ſubjungit hæc, quæ etiam leguntur apud Euſebium, fortaſſe ab alio inſerta*, ἐγὼ δὲ εἰ ϗ σοὶ θανάτῳ παραπέμψαι ῥᾴδιον, ἀλλ' οὖν ἱκετεύω ζῶντας αὐτοὺς σκεδασθῆναι, ϗ τὴν κακὴν αὐτῶν συμφωνίαν διαλυθῆναι. Ego vero, quamvis tibi facile ſit ad mortem tranſmittere; attamen obſecro ipſos, dum vivunt, diſſipari, & malam eorum conſpirationem diſſolvi. *Suidas*, ἀπολύων, valet, τῷ θανάτῳ παραπέμπων, tranſmittens ad mortem. David, κύριε ἀπολύων ἀπὸ γῆς διαμέρισον αὐτοὺς ἐν τῇ ζωῇ αὐτῶν. Alius autem interpres inquit, ἀπ' ὀλίγων, a paucis. *Pſalterium vetus habet*, perdens de terra: *& S. Auguſtinus in epiſt. lviij, ad Paulinum, teſtatur in uno græco codice ſe reperiſſe, quod latini ſui haberent*, perdens de terra. *Cæteri vero codices, & Euſebius & Cyrillus, & Didymus habent*, ἀπ' ὀλίγων ἀπὸ γῆς *&* S. *Auguſt. in eadem epiſtola fatetur, ita ſe in alio græco exemplari reperiſſe quemadmodum ipſe Paulinus poſuerat*, a paucis de terra. *Aquila*, κύριε ἀπὸ τεθνηκότων ἐκ καταδύσεως, μέρος αὐτῶν ἐν ζωῇ. Domine a mortuis de profunditate: pars eorum in vita. *Symmachus*, κύριε ἀπὸ τῶν νεκρῶν (*Euſebius addit*, ἀπὸ) ἐνδεδυκότων, ἡ μερὶς αὐτῶν ἐν ζωῇ, *al.* ἐν ζῶσιν. Domine a mortuis, a depreſſis: pars eorum in vita, *al.* inter viventes. *Apud* S. *Hieronymum totus hic verſus ſic habet*, a viris manus tuæ Domine, qui mortui ſunt in profundo, quorum pars in vita. (r) De abſconditis.] τῶν κεκρυμμένων σου. *Euſebius ex Symmacho*, τῶν ἀποθέτων, de reconditis. (ſ) Porcina.] ὑείων, *liber Vaticanus. Quod autem in antiquioribus libris ſcriptum eſſet ſine accentu, & librariis uſitatum eſſet ad*, ι, *literam adjungere*, ε, *viciſſimque ad* ε *adjungere*, ι, *inde videtur duplex ſcriptura fluxiſſe (quod etiam innuit* S. *Auguſtinus) ut in græcis codicibus partim ſit*, υἱῶν, *quod ſignificat*, filiis, *partim*, ὑείων, *&* ὑῶν, *quæ ſignificant*, porcinis *&* porcis. *In ſcholio quidem ad marginem Vaticani codicis appoſito, hæc ad verbum*, ὑῶν, *leguntur*, pro ἀκαθαρσίας, immunditia: non ſolum enim ipſi immundi fuerunt, ſed etiam filiis ſuis immunditiam communicaverunt. *In aliis etiam commentariis eſt*, ὑῶν, *atque ad eum locum ſic legitur*, ἐχορτάσθησαν τῶν παρανομούντων. impleti ſunt iniquis. Et aliter: Omni, inquit, tranſgreſſione repleti ſunt, & ad filios ſuos tranſmiſerunt. *Apollinarius in Metaphraſi*, impleti porcellis, reliquerunt filiis reliquias convivii. *In pſalteriis Romano & Arabico, & apud Arnobium eſt*, porcina. *Paulinus in epiſtola ultima ad* S. *Auguſtinum utramque lectionem agnoſcit*, ſaturati ſunt porcina: vel, ſicut in quibuſdam pſalteriis ſcriptum audio, ſaturati ſunt filiis. *Eandem varietatem notat* S. *Auguſtinus in epiſtola, qua reſpondet Paulino: & in hunc pſalmum affert hæc*: ſane illo verſu, ubi dictum eſt (ſaturati ſunt porcina) nonnulla exemplaria, ſaturati ſunt filiis, habent. Ex ambiguo enim græco interpretatio duplex venit. *Omnino in græcis codicibus lectio* υἱῶν *frequentior eſt. In codicibus Theodoreti partim eſt*, υἱῶν, *partim*, ὑῶν, *partim etiam*, υἱοὶ, filii: *quam etiam habet Theodorus Antiochenus. Ac Theodoretus quidem continuo ſubjungit huic lectioni valde ſimilem interpretationem Symmachi, quam etiam refert Euſebius*, χορτασθήσονται υἱοὶ, ϗ ἀφήσουσι τὰ λείψανα αὐτῶν τοῖς νηπίοις αὐτῶν, ſaturabuntur filii, & dimittent reliquias ſuas parvulis ſuis. (t) Cum apparuerit.] ἐν τῷ ὀφθῆναι. S. *Auguſtinus*, dum manifeſtabitur. *Theodotio*, ἐν τῷ ὀφθῆναι τὴν δεξιάν σου, cum apparuerit dextera tua. *Aquila*, ἐν τῷ ἐξυπνισθῆναι ὁμοιώσεώς σου. *Symm.* ἐξυπνισθεὶς τῆς ὁμοιώσεώς σου, *quæ* S. *Hieronymus vertit*, cum evigilavero ſimilitudine tua.

PSAL. XVII.

(a) COmmota eſt, & contremuit terra.] *Euſebius ex Aquila*, ϗ ἐκινήθη, ϗ ἐσείσθη ἡ γῆ, & mota eſt, & concuſſa eſt terra. (b) Et commota ſunt.] *Euſebius ex Symm.* περιετράπησαν, circumverſa ſunt. (c) A facie ejus exarſit] κατεφλόγησεν, *ſic vulgata. In aliquot codicibus, & apud Theodoretum eſt*, καταφλογήσεται, exardeſcet. *Apud S. Auguſtin.* exardeſcit. *Aquila*, ἀπὸ στόματος αὐτοῦ φάγεται. *Symmachus*, ἐκ στόματος αὐτοῦ ἀναλίσκων, *quæ* S. *Hieronymus reddit*, ex ore ejus devorans. (d) Vocem ſuam.] *Poſt hæc in vulgata repetuntur illa*, grando, & carbones ignis, *quæ neque Græci, neque S. Auguſtin. habent. Et notat S. Hieronymus ad Suniam, de hebraico, & de Theodotione in LXX interpretatione ſub aſteriſco eſſe addita.* (e) Afflictionis.] κακώσεως. *Symmachus*, ταλαιπωρίας, miſeriæ, calamitatis. (f) Eruet me.] ῥύσεταί με. *S. Auguſt.* eruit me, *vulgata*, ſalvum me fecit. (g) In conſpectu meo.] *Apud S. Auguſtinum adjungitur*, ſunt ſemper. *Quæ autem ſequuntur*, & juſtitiæ ejus non receſſerunt à me, *eodem modo habentur apud Theodoretum*, ϗ τὰ δικαιώματα αὐτοῦ οὐκ ἀπέστησαν ἀπ' ἐμοῦ: *ſed in aliis codicibus eſt*, οὐκ ἀπέστησα ἀπ' ἐμοῦ, *& in vulgata, & apud* S. *Auguſtinum*, & juſtitias ejus non repuli a me. (h) Sanctificaberis.] ὁσιωθήσῃ. *Sic etiam Theodoretus, & ita vertit Tertullianus.* S. *autem Cyprianus*, juſtificaberis, *alii vero libri habent*, ὅσιος ἔσῃ, *ut vulgata &* S. *Auguſtinus*, ſanctus eris. *Symmachus*, πρὸς ὅσιον ὁσίως πράξεις, erga ſanctum ſancte ages. *Aliud Schol.* μετὰ κεχαριτωμένου χαριτωθήσῃ, cum gratioſo gratioſum reddes. (i) Perverteris.] διαστρέψεις, *proprie valet*, pervertes, *ſed eſt hebraiſmus. nam ſubintelligendum* te (k) Humilem.] *Symmachus*, πρᾶον, mitem, & manſuetum. (l) Eloquia Domini examinata.] *Symmachus*, ῥῆσις τοῦ κυρίου δόκιμος, loquutio Domini probata. (m) Tanquam cervi.] *Sic libri græci, &* S. *Auguſt.* S. *tamen Hieronymus, aſſeverat omnes interpretes tranſtuliſſe pluralem numerum: & ſic vulg.* cervorum. (n) Statuit me.] S. *Auguſtinus*, ſtatuet: *Aquila*, ϗ ἐπὶ τὰ ὑψώματά μου στήσεις με, & ſuper excelſa mea ſtatues me. (o) Protectionem.] ὑπερασπισμόν, *ſexta editio*, ὑπερασπιστῆρα, τὸν σωτῆρά μου, protectorem, ſalvatorem meum. (p) Salutis meæ] *Sic Theodoretus, &* S. *Auguſtinus. Alii libri græci non habent*, μου. S. *Hieronymus ſcribit omnes interpretes tranſtuliſſe, ut habet vulgata*, tuæ. (q) Et diſciplina tua ipſa me docebit. *Schol.* hæc ſunt Theodotionis pro eo quod a LXX dictum eſt, ϗ ἡ παιδεία σου ἀνώρθωσέν με εἰς τέλος, & diſciplina tua correxit (*aut, ut* S. *Auguſtinus*, direxit) me in finem. *Euſebius autem ex Symmacho quidem refert*, ϗ τὸ ὑπακούειν με αὐξήσει με & obedientia mea augebit me, *ex Aquila autem*, ϗ πραότης μου ἐπλήθυνέν με, *quæ* S. *Hieronymus vertit*, & manſuetudo mea multiplicavit me. (p) Omnes inſurgentes.] S. *Hieronymus ad Suniam*, ſed, omnes, additum eſt. *Aquila*, κάμψεις ἐπανεστηκότα μοι, incurvabis eum qui inſurrexit in me. (ſ) Erue me a contradictionibus.] ῥῦσαί με ἐξ ἀντιλογιῶν. *Aliquot codices & Theodoretus habent*, ῥύσῃ με ἐξ ἀντιλογίας, erues me de contradictione. S. *Auguſtinus*, erues me de contradictionibus: *vulgata*, eripies. *Aquila*, διασώσεις με ἀπὸ δικασιῶν, ſalvabis me a contentionibus. *Symmachus*, ῥύσῃ με ἀπ' ἀντιλογιῶν, erues me a contradictionibus. (t) Inveterati ſunt.] ἐπαλαιώθησαν. *S. Auguſtinus*, inveteraverunt. *Schol. & Symmachus*, ἠτιμάσθησαν, dehoneſtati ſunt. *Sed Theodoretus.* Illud, ἐπαλαιώθησαν, ϗ ἐχώλαναν, Symmachus dixit, ἀτιμωθήσονται, ϗ ἐντραπήσονται, honeſtabuntur, & confundentur. (u) De inimicis iracundis.] *In aliquot codicibus, & apud Theodoretum eſt*, ἐξ ἐχθρῶν μου ὀργίλων, *& ſic* S. *Auguſtinus, & vulgata*, de inimicis meis iracundis. *Sunia, & Fretella in ſuo codice habuerunt*, μου δυνατῶν, meis fortibus, *ſive*, potentibus. *Sed S. Hieronymus.* In hebræo nihil aliud habetur niſi hoc, liberator meus ad inimicis meis: ſeptuaginta autem, iracundis, addiderunt.

PSAL. XVIII.

(a) NOn ſunt loquelæ.] *Theodoretus.* Hoc manifeſtius Symmachus eſt interpretatus. ϗ νὺξ νυκτὶ ἀναγγελεῖ γνῶσιν, οὐ ῥῆσιν, οὐδὲ λόγους, ὧν οὐκ ἀκούονται φωναί, ἀλλ' εἰς πᾶσαν τὴν γῆν ἐξῆλθεν ὁ ἦχος αὐτῶν, & nox nocti indicabit ſcientiam, non dictionem, neque ſermones, quorum non audiuntur voces; ſed in omnem terram exivit ſonus eorum. Aut ſecundum Aquilam, ὁ κανὼν αὐτῶν canon, & regula eorum. (b) In Sole poſuit.] ἐν τῷ ἡλίῳ ἔθετο. *Nicephor. inquit vacare illud*, ἐν. *Theodoretus*, Et hæc manifeſtius tres illi ſunt interpretati, τῷ ἡλίῳ ἔθετο σκήνωμα ἐν αὐτοῖς. *Ea autem* S. *Hieron. vertit*, Soli poſuit tabernaculum in eis. *Euſebius iſta tribuit Aquilæ & Theodotioni, & quintæ editioni. Symmacho autem hæc*, τῷ ἡλίῳ ἔταξε σκηνὴν ἐν αὐτοῖς, *quæ tamen idem valent.* (c) Suam.] αὐτοῦ. *Sic etiam in pſalterio Arabico, & Æthiopico. Sed abeſt ab aliis libris græcis; &* S. *Auguſtino, & vulgata.* S. *Hieron. teſtatur illud ſe ſub veru additum reperiſſe.* (d) Delicta] παραπτώματα. *Aquila*, ἀγνοίας, *quod* S. *Hieron. videtur vertiſſe*, errores. (e) Et ab alienis.] *Euſebius*, Aquila, (*al. Symm*) καί γε ἀπὸ ὑπερηφάνων συντήρησον τὸν δοῦλόν σου. S. *Hier.* a ſuperbis quoque libera (*quamvis proprius ad græcum eſſet*, conſerva) ſervum tuum. (f) In beneplacitum.] εἰς εὐδοκίαν. S. *Auguſt. & vulgata*, ut complaceant. *Sic etiam Eccleſiaſtici* 29. εὐδοκίαν ἔχει, *redditur*, placeat tibi.

PSAL. XIX.

(a) PInguefaciat.] πιανάτω. S. *Auguſt. & vulgata*, pinguefiat. *Origenes*, φαιδρυνάτω, στεατούτω, nitidum faciat, adipe farciat. *Theodoretus*: Illud, τὸ ὁλοκαύτωμά σου πιανάτω, Symmachus ita eſt interpretatus, ϗ τὴν ἀναφοράν σου πίονα ποιήσει, & oblationem tuam pinguem faciat. (b) Tribuat tibi.] *In aliis codicibus ſequitur*, κύριος, *& apud S. Aug.* Dominus, *ſed monet S. Hier. ex ſuperioribus*, ἀπὸ κοινοῦ, *ſubaudiri.* (c) Magnificabimur.] μεγαλυνθησόμεθα. *Sic pſalterium Arabicum, & Æthiopicum, & Metaphraſis Apollinaris. Sic S. Hier. in Oſee. c.* 10. *& in vita Hilarionis, & pſalterium Romanum, & alii patres.* S. *Aug. habet*, exultabimus. *In cæteris libris græcis eſt*, ἐπικαλεσόμεθα, invocabimus, *ut vulgata. Apud* S. *Cypr. de exhort. mart. in impreſſis eſt* magnificabimus *ſed in aliquot manuſſ.* invocabimus. Ipſis copulati ſunt pedes, & ceciderunt. (d) In quacunque die.] *Ita reddendum illud*, ἐν ἧ ἄν. *fatetur S. Hieron. ad Suniam: quamvis cum hebræo concordare dicat illud*, in die, qua, *quod eſt in vulgata, & apud* S. Auguſt.

PSAL. XX.

(*a*) ANimæ ejus] *Ita* S. *Auguſt. & Rom. In cæteris fere libris græcis eſt,* καρδίας αὐτοῦ, *& in vulg.* deſiderium cordis ejus tribuiſti ei. (*b*) Petitione labiorum.] δέησιν τῶν χειλέων, *& Chaldæus*, & prolationem labiorum ejus non prohibuiſti in æternum. *In aliis libris eſt,* θέλησιν, *&* S. *Aug. & vulgata*, voluntate labiorum ejus. (*c*) In ſeculum ſecul.] S. *Auguſtin. & vulgata*, in ſeculum, & in ſeculum ſeculi. *Aquila, & Theodotio, & quinta editio,* ϗ ἔτι, & ultra. *Symmach.* ϗ εἰς ἀπέραντον, & in infinitum. (*d*) Lætificabis eum] *Euſebius*, Symmachus ait, χαροποιήσεις αὐτὸν ἐν εὐφροσύνῃ παρὰ τῷ προσώπῳ σου, *quod* S. *Hier.* Exhilarabis eum in lætitia apud vultum tuum, *quæ poſtrema verba referuntur etiam a Theodoreto.* (*e*) Inveniatur manus tua.] *Theodoretus*, Hoc rurſus manifeſtius Symmachus dixit, καταλείψεται ἡ χείρ σου πάντας τοὺς ἐχθρούς σου, ἡ δεξιά σου εὑρήσει τοὺς μισοῦντάς σε, comprehendet (*aut ut* S. *Hieron.* inveniet) manus tua omnes inimicos tuos: dextera tua inveniet odientes te. (*f*) Declinaverunt.] *Euſebius.* Symmachus dixit, ὅτι συνέφραξαν κατὰ σοῦ εἰς κακὸν, quoniam obſtruxerunt contra te in malum. (*g*) Conſilium quod.] *Sic* S. *Auguſtinus,* διελογίσαντο βουλὴν ἣν οὐ μὴ δύνωνται στῆσαι. *In aliis codicibus partim eſt,* βουλὰς, ἃς, conſilia, quæ, *ut vulgata: partim,* βουλὰς αἷς, *& habent,* στῆναι, *quæ varietas videtur etiam agnoſci a Theodoreto: & fortaſſe hic ſenſus poſſet elici,* cogitaverunt conſilia, quibus non poterunt ſtare. *Idem Theodoretus refert Symm. hoc loco ita dixiſſe,* ἐλογίσαντο ἐννοίας ἀδυνάτους, cogitaverunt cogitationes infirmas, quæ ad exitum perduci non poſſunt. (*h*) Pones eos dorſum] *Theodoretus*, Symmachus autem ita, ὅτι θήσεις αὐτοὺς ἀποστράφους, quoniam pones eos averſos. *Schol. pro,* θήσεις, *habet,* τάξεις. (*i*) Reliquis tuis] *Aut, ut* S. *Aug. & vulg.* reliquiis: *græce eſt,* περιλοίποις. *Aquila,* ἐν τοῖς κάλοις σου ἑδράσεις ἐπὶ πρόσωπον αὐτῶν, in funibus tuis firmabis in faciem eorum; *nec multo aliter* S. *Hieron. Sym. autem,* τοῖς περιλειπομένοις σου ἑδράσεις κατὰ πρόσωπον αὐτῶν, ſuperſtitibus tuis firmabis ad faciem eorum. *Schol.* Oportebat pro illo quidem, σου, ponere, αὐτῶν, pro illo autem, αὐτῶν, ponere illud, σου, *ut eſſet,* ἐν τοῖς περιλοίποις αὐτῶν ἑτοιμάσεις τὸ πρόσωπόν σου, in reliquis eorum parabis faciem tuam: τοῦτο δὲ ἀπὸ τῆς ἐμμέτρου συνθέσεως πεπονθέναι δοκεῖ. καθὸ ϗ παρὰ τοῖς ἔξω ποιηταῖς συνεχέστερόν ἐστιν τὰ τοιαῦτα εὑρεῖν ϗ μάλιστα ἐν τοῖς λυρικοῖς. Hoc autem videtur accidiſſe ex compoſitione metrica: ſicut etiam apud poetas exteros frequentius talia licet invenire, & præſertim in lyricis. *Hoc hyperbaton agnoſcit etiam Nicephorus. Sed Theodoretus minime neceſſarium putat iſto modo exponere.*

PSAL. XXI.

(*a*) REſpice in me.] *Euſebius.* Illud, πρόσχες μοι, ὡς μὴ κείμενον ἐν τῷ ἑβραϊκῷ ϗ ὁ σωτὴρ παρελέλοιπεν, tanquam quod in hebraico non ſit, ſed apud ſolos LXX Salvator etiam omiſit. (*b*) Delictorum meorum] τῶν παραπτωμάτων μου. *Symm.* τῶν ὀδυρμῶν μου, querimoniarum mearum; *quinta editio,* τῆς βοήσεώς μου, clamoris mei, *ſexta,* τῆς δεήσεώς μου, deprecationis meæ. *Aquila,* τοῦ βρυχήματός μου, rugitus mei, *& ſic habet* S *Hieronymus. Euſebius etiam illud* (clamoris mei) *tribuit quintæ editioni: Theodoretus, Theodotioni.* (*c*) Et non ad inſipientiam mihi.] *Quinta editio,* σιωπὴ, *ſexta editio,* σιγή μοι. *Theodoretus*, aut ſecundum cæteros, ϗ νυκτὸς, ϗ οὐ σιγή S. *Hieron.* & nocte, nec eſt ſilentium mihi. (*d*) In ſancto.] *Symm.* ἐν ἁγίοις, in ſanctis *aut ut* S. *Hieron.* ſancte. (*e*) Laus.] *Theodoretus*, Cæteri interpretes, pro, ἔπαινος, poſuerunt, ὕμνος, hymnus. (*f*) Tauri pingues.] πίονες. *Aquila,* λιπαροὶ, opimi. *Symmach* σιτιστοὶ, altiles. *Alius,* δυνάσται βασὰν διεδειγματίσαντό με, potentes Baſan traduxerunt me. (*g*) Effuſus ſum.] ἐξεχύθην. *Ita in pſalterio Arabico, & apud Didymum: Ita vulgata, & apud* S. *Auguſtinum. Pſalterium autem Romanum*, effuſa ſunt: *quod convenit cum multis græcis codd. qui habent,* ἐξεχύθη. *Schol.* Illud autem, ἐξεχύθην, cum η, (fortaſſe legendum cum ν) ponitur in Hexaplo apud omnes. Ita autem & Apollinarius, & Euſebius ſcribit. (*h*) Pedes.] *Ita fere Juſtinus,* ὤρυξάν μου πόδας, ϗ χεῖρας, foderunt meos pedes, & manus. *Eodem autem prorſus modo videtur legiſſe Tertullianus*, foderunt manus meas, & pedes, *& rurſus*, exterminaverunt manus meas, & pedes. *In pleriſque tamen libris græcis eſt,* χεῖράς μου, ϗ πόδας μου, *&* S. *Aug. & vulgata*, manus meas, & pedes meos. *Aquila,* ᾔσχυναν, confuderunt. (*i*) Auxilium meum.] τὴν βοήθειάν μου, *& ita ſcribit ad Suniam* S. *Hier. legendum eſſe: apud* S. *Auguſtinum, & in vulgata legitur*, auxilium tuum a me. (*k*) Unicam meam.] μονογενῆ μου. *Aquila,* μοναχὴν, ſolitariam *&* S. *Hier. addit*, meam. *Symm.* μονότητα, ſolitudinem. (*l*) Magnificate eum.] *Ita* S. *Auguſt. quod græce eſt,* δοξάσατε, *& hanc verſionem probat* S. *Hier. ad Suniam: vulgata tamen habet*, glorificate. (*m*) A te laus mea.] παρὰ σοῦ. *Ita omnes codices collati, ſed* S *Aug. & vulgata habent*, apud te, *ut videantur legiſſe,* παρά σοι. (*n*) In eccleſia magna.] *In cæteris libris ſequitur,* ἐξομολογήσομαί σοι, *&* S. *Aug.* confitebor tibi, *quod non eſt apud Tertullianum, neque in metaphraſi Apollinaris, neque in vulgata.* (*o*) Familiæ] *Sic vulgata, quod græce eſt,* πατριαί. S. *Auguſt. &* S. *Cypr. lib.* 2, *adverſus Judæos*, patriæ. *Aquila, & Symmachus,* αἱ συγγένειαι, cognationes, *& ita* S. *Hier.* (*p*) Pingues.] πίονες. *Aquila & Symm.* λιπαροὶ, opimi. (*q*) Procident.] *Ita* S. *Aug. quod græce eſt,* προπεσοῦνται, *vulgata*, cadent. *Theodotio,* κάμψουσιν, flectent. *Euſebius ex Symm.* ἔμπροσθεν αὐτοῦ ὀκλάσουσιν ἅπαντες οἱ καταβαίνοντες εἰς κόνιν, οὗ ἡ ψυχὴ ζήσει, σπέρμα δὲ λατρεύσει αὐτῷ, ante faciem ejus curvabunt genu univerſi qui deſcendunt in pulverem: cujus anima vivet, ſemen autem ſerviet ei: *quæ fere ſunt* S. *Hieron. niſi quod habet*, & anima ejus non vivet. (*r*) Terram.] *Theodotio,* χοῦν, pulverem. (*ſ*) Et anima mea ipſi vivit.] S. *Aug. & vulgata*, vivet. *Theodotio,* ϗ ἡ ψυχὴ αὐτοῦ ζῇ, & anima ejus vivit. *Aquila,* αὐτῷ ζῇ, ipſi vivit. *Quinta, & Sexta editio, ut LXX.* ἡ ψυχή μου, anima mea. (*t*) Annunciabitur.] *Symmachus,* ἀναγραφήσεται ἐν βιβλίῳ τῷ κυρίῳ, in libro perſcribetur Domino. (*u*) Annunciabunt,] *Apud* S. *Auguſtinum, & in vulgata ſequitur*, cœli, *quod in græcis codicibus non eſt inventum.* (*x*) Quem fecit.] *Aquila & Theodotio,* ὅτι ἐποίησεν, quia fecit.

PSAL. XXII.

(*a*) IN loco paſcuæ.] *Aquila & Symmach.* ἐν ὡραιότητι πόας κατεσκήνωσέν με, in venuſtate herbæ collocavit me. (*b*) Animam meam convertit.] *Symm.* ἀνεκτήσατό με, refecit me. S. *Hier.* animam meam refecit. (*c*) Super ſemitas] S. *Auguſt.* in ſemitis. *Symm.* δι' ἀτραπῶν, per calles. (*d*) Calix tuus.] τὸ ποτήριόν σου. *Ita habent multi libri græci, & pſalterium Arabicum.* S. *Aug. & pſalterium Romanum*, & poculum tuum inebrians, quam præclarum eſt. S. *Cypr, lib.* 2. *ep.* 3. calix tuus inebrians perquam optimus. *At in vulgata*, calix meus, *cum qua facit pſalterium Æthiopicum. Didymus utramque lectionem agnoſcit.* S. *Hieron. aſſeverat illud,* σου, *eſſe in* κοινῇ, *ſeptuaginta vero, & hebræos, & omnes interpretes habere*, calix meus. *Schol.* Theodotio, ποτήριόν μου: Symm. ποτήριον μεθύσκον πλὴν ἀγαθὸν, poculum inebrians maxime bonum. *Item quinta editio, niſi quod habet,* ποτήριόν μου, *ſexta autem,* τὸ ποτήριόν μου μεθύσκον ὡς κράτιστον, calix meus inebrians perquam optimum. S. *Hieronymus habet tantum*, calix meus inebrians. (*e*) Et ut inhabitem.] ϗ τὸ κατοικεῖν με, *quod poſſet etiam verti*, habitatio mea, *& ita Symmachus,* ἡ κατοίκησίς μου.

PSAL. XXIII.

(*a*) UNa ſabbati.] τῆς μιᾶς σαββάτου, quod apud S. *Auguſtinum, & in vulgata redditur*, prima ſabbati. *Theodoretus inquit hoc ſe inveniſſe in nonnullis exemplaribus, ſed in Hexaplo minime eſſe appoſitum.* (*b*) Ipſe ſuper maria.] *Sic etiam apud* S. *Auguſtinum. Apud Theodoretum eſt,* αὐτὸς γὰρ, *& vulgata*, quia ipſe. *Symmachus,* οὗτος ἐπὶ θαλάσσας ἐθεμελίωσεν αὐτὴν, ϗ σὺν ποταμοῖς ἥδρασεν αὐτὴν, hic ſuper maria fundavit eum, & cum fluminibus ſtabilivit eum. *Theodotio, ut LXX.* (*c*) Sancto.] *Aquila, & Theodotio,* ἁγιάσματος, ſanctificationis. (*d*) Salvatore.] σωτῆρος, *apud* S. *Auguſtinum, & in vulgata eſt*, ſalutari, *ut videantur legiſſe,* σωτηρίου. (*e*) Quærentium eum.] *Sic in vulgata, & apud* S. *Cyprianum. In aliis libris græcis eſt,* τὸν κύριον. *&* S. *Auguſtinus*, Dominum. (*f*) Dei Jacob.] *Schol.* Aquila, Symm. LXX, quinta editio, & ſexta, πρόσωπόν σου ἰακὼβ, faciem tuam Jacob, *quod etiam habet* S. *Hieronymus: ſed in nullo ex collatis codicibus aut editionibus repertum eſt.* (*g*) Tollite.] S. *Cypr. lib.* 2. *adverſus Judæos ita reddit hunc locum*: Auferte portas principes veſtras, & extollimini portæ æternales: & introibit rex claritatis. *Aquila,* ἄρατε πύλαι κεφαλὰς ὑμῶν, ϗ ἐπάρθητε ἀνοίγματα αἰώνια, *quo modo fere* S. *Hieron.* levate portæ capita veſtra, & elevamini januæ ſempiternæ: *& ſcribens ad Damaſum, inquit, Aquilam eſſe interpretatum*, attollite portæ capita veſtra. *Theodotio & quinta editio, ut LXX. Sym.* μετάρατε πύλας οἱ ἄρχοντες ὑμῶν, ὑψωθήτωσαν δὲ αἱ πύλαι αἰώνιοι, transferte portas principes veſtras: & exaltentur portæ ſempiternæ. (*h*) Iſte rex.] αὐτός ἐστιν οὗτος, *ita fere Juſtinus,* αὐτὸς οὗτος ἐστιν ὁ βασιλεὺς τῆς δόξης; ipſe iſte eſt rex gloriæ: *ab aliis libris, abeſt illud,* οὗτος. *&* S. *Aug. & vulgata*, ipſe eſt rex gloriæ. *In hebræo autem poſt hæc verba ſequitur*, Selah, *& apud* S. *Hier.* ſemper.

PSAL. XXIV.

(*a*) PSalmus ipſi David] *Teſtatur Euſebius nihil fuiſſe inſcriptum, ſed tantum a cæteris interpretibus dictum eſſe,* τοῦ δαυίδ, ipſius David. *Apud Theodoretum,* εἰς τὸ τέλος ψαλμὸς τῷ δαυίδ. *&* S. *Auguſt.* in finem pſalmus David. *In vulgata*, in finem pſalmus. (*b*) Inique agentes ſupervacue.] οἱ ἀνομοῦντες διακενῆς. S *Auguſt.* inique facientes vana. *Schol.* cæteri, & quinta editio, οἱ ἀποστατοῦντες, qui rebellant. S. *Hieron. ad Suniam*, inique agentes. *Notat autem quod in quibuſdam codicibus legebatur*, omnes, *& nunc eſt in vulgata, additum eſſe in LXX ſub veru.* (*c*) Deduc me in veritatem tuam.] ὁδήγησόν με ἐπὶ τὴν ἀλήθειάν σου S. *Hieron.* deduc me in veritate tua. S. *Auguſt. & vulgata*, dirige me in veritate tua. (*d*) Et quia miſericordiæ.] *Ita* S. *Auguſt. quod græce eſt,* ϗ τὰ ἐλέη σου, ὅτι ἀπὸ τοῦ αἰῶνος εἰσίν. *Vulgata*, & miſericordiarum tuarum, quæ a ſeculo ſunt. (*e*) Et ignorantias meas.] S. *Auguſt.* & ignorantiæ meæ, *quod facile ferunt verba græca,* ϗ ἀγνοίας μου. *Aquila,* ϗ ἀθεσιῶν μου, & prævaricationum mearum. *Symm.* ϗ παραπτωμάτων μου, & prolapſionum mearum. (*f*) Memor eſto mei.] S. *Auguſt. addit*, Deus. *In vulgata eſt*, memento mei tu, *& ita eſt in aliquot codicibus græcis, & apud Theodoretum,* μνήσθητί μου σύ. (*g*) Dabit delinquentibus.] νομοθετήσει ἁμαρτάνοντας. S. *Auguſt.* legem ſtatuit. *Aquila,* φωτίσει ἁμαρτωλοὺς, illuminabit peccatores. *Symm.* ὑποδείξει ἁμαρτάνουσιν ὁδὸν, demonſtrabit peccantibus viam. (*) Vias ſuas.] *Euſebius ex Aquila & Symmacho,* ὁδὸν ἑαυτοῦ, viam ſuipſius. (*h*) Et propitiaberis.] ϗ ἱλάσῃ. *In aliquot codicibus & apud Theodoretum eſt,* ϗ ἱλάσθητι, & propitiare. *Apud* S. *Auguſtinum & in vulgata*, propter nomen tuum domine propitiaberis. (*i*) Legem ſtatuet ei in via.] *Rurſus* S. *Auguſtinus & vulgata*, ſtatuit. *Symm.* ᾧ ὑποδείξει ὁδὸν ἣν ἐπιλέγεται, cui demonſtrabit viam, quam elegit. *Aquila,* φωτίσει αὐτὸν ἐν ὁδῷ, ἣ ἐκλέξεται, illuminabit eum in via, quam eliget. (*k*) Firmamentum eſt Dominus timentium eum.] *Hoc videtur potius eſſe ſextæ editionis, ut ex ſcholio deprehendetur. Theodoretus quidem tanquam lectionem ſeptuaginta agnoſcit,* τοῖς φοβουμένοις αὐτὸν, *& ſic apud Sanctum Auguſtinum, & in vulgata*, timentibus eum. *Scholion ita habet, Aqu.* ἀπόρρητον κυρίου τοῖς φοβουμένοις αὐτὸν, Secretum Domini timentibus eum. *Symmac.* ὁμιλία κυρίου τοῖς φοβουμένοις αὐτὸν, colloquium Domini timentibus eum. *Sexta editio,* κραταίωμα κύριος τῶν φοβουμένων αὐτὸν, firmamentum dominus timentium eum. *Theod.* μυστήριον κυρίου, myſterium Domini. *Ita Scholiaſtes, & fere eodem modo Euſebius. Theodoretus tamen totum hoc & Theodotioni & Symmacho tribuit,* μυστήριον κυρίου τοῖς φοβουμένοις αὐτὸν, ϗ τὴν συνθήκην αὐτοῦ δηλώσει αὐτοῖς, myſterium (*ſive*, ſecretum, *ut* S. *Hieron.*) Domini timentibus eum: & pactum ſuum oſtendet eis. (*l*) Et teſtamentum ipſius ad manifeſtandum eis.] ϗ ἡ διαθήκη αὐτοῦ τοῦ δηλῶσαι αὐτοῖς, *videtur ad verbum eſſe expreſſum ex hebræo: vulg. tamen, &* S. *Auguſt. habent*, ut manifeſtetur illis. *In aliis libris græcis eſt,* ϗ ἡ διαθήκη αὐτοῦ δηλώσει αὐτοῖς, & teſtamentum ipſius manifeſtabit eis. *Quomodo ſint interpretati Symm. & Theodotio, proxime ex Theodoreto retulimus. In Schol. autem hoc ex Aquila refertur,* ϗ τὴν συνθήκην αὐτοῦ γνωρίσει αὐτοῖς, & pactum ſuum notum faciet eis. (*m*) Unicus.] μονογενής. *De hoc vocabulo diſputat Didymus. Aquila,* μοναχὸς, ſolitarius. *Symmachus,* μόνος, ſolus: *& ita* S. *Hier. Theodoretus autem hoc tribuit cæteris interpretibus præter LXX.* (*n*) Sum ego.] εἰμὶ ἐγώ. *Schol.* Aquila, & Theodotio dicunt, ἐγὼ, pro, εἰμὶ. *Sym. ut LXX.* (*o*) Multiplicatæ ſunt.] ἐπληθύνθησαν. *Schol.* Aquila, & quinta editio, ut LXX. At vj, & Theod. ἐπληθύνθησαν. Sym. πλατεῖαι, latæ. *Ita cum Schol. illud,* ἐπληθύνθησαν, *tribuat Theodotioni, dubium eſſe poteſt, id ne habuerint LXX, an aliquid aliud, & fortaſſe,* ἐπλατύνθησαν. *Nam in graduali Miſſæ Dominica ſecunda quadrageſimæ legitur,* tribulationes cordis mei dilatatæ ſunt. *(p)* De neceſſitatibus meis educ me.] *Vulgata,* erue me. *Aquila,* ἐκ τῶν συνοχῶν μου, de anguſtiis meis, *ut S. Hieronymus.*

PSAL. XXV.

(a) IPſius David.] *Apud S. Auguſtinum,* ipſi David: *in vulgata,* in finem pſalmus David: *In aliquot codicibus Græcis, & apud Theodoretum,* ψαλμὸς τῷ δαυὶδ, *aut,* τῷ δαυὶδ ψαλμός. *(b)* Judica me.] κρῖνόν με, *& ſic vulg. & S. Aug. In aliquot codicibus Græcis eſt,* κρῖνόν μοι, judica mihi. *Schol.* In Hexaplo apud LXX & cæteros omnes interpretes eſt κρῖνόν με. *Heſychius tamen videtur habuiſſe* μοι, *& cum docuiſſet verbum iſtud, cum ſignificat condemnare, caſum accuſandi poſtulare, cum vero jus dicere, & diſceptare, caſum dandi; hæc adjungit,* ἐνταῦθα οὖν, κρῖνόν μοι κύριε, ἀντὶ τοῦ δίκασον ἐμοὶ καὶ τοῖς βαβυλωνίοις. ὅτι ἐγὼ μὲν πάσῃ ἀκακίᾳ κέχρημαι εἰς αὐτοὺς, αὐτοὶ δὲ εἰς ἐμὲ πάσῃ πονηρίᾳ. Hoc igitur loco, κρῖνόν μοι κύριε, judica mihi domine, dictum eſt, pro, judica inter me & Babylonios: quoniam ego equidem omni innocentia uſus ſum erga illos, ipſi vero in me omni malignitate. *(c)* In innocentia mea ambulavi.] *Ita S. Auguſtinus, quod græce eſt,* ἐν ἀκακίᾳ μου ἐπορεύθην. *Vulgata, & hic, & inferius in hoc eodem pſalmo,* ingreſſus ſum. *Aquila,* ἐν ἁπλότητι, in ſimplicitate. *Symmachus,* ἐν ἀμωμότητι, in puritate a maculis. *(d)* Non movebor.] οὐ μὴ σαλευθῶ, *in alijs libris græcis eſt,* οὐ μὴ ἀσθενήσω, *& vulgata, & S. Aug. in prima enarratione,* non infirmabor. *Schol.* οὐκ ἀσθενήσω, *Aquila* οὐκ ἀτονήσω, non deficiam, *& ita S. Hier. Sym* οὐ περιτραπήσομαι, non circumvertar. *Sexta,* οὐ μὴ σαλευθῶ, non movebor, non vacillabo. *(e)* Inter innocentes.] ἐν ἀθώοις. *Aquila,* ἐν ἀθωότητι, in innocentia, *ut S. Hier.* *(f)* Laudis.] *In multis libris græcis eſt,* αἰνέσεώς σου. *Euſebius tamen in Pſal. 26. recitans hunc locum, non habet,* σου. *S. Auguſt. in prima enarratione habet,* laudis tuæ, *in ſecunda,* laudis. *In vulgata etiam codices variant.* *(g)* Decorem] εὐπρέπειαν. *Theodoretus.* Pro, εὐπρεπείας, Symmachus poſuit, ἀνάκτορον, aditum: & pro ἀνδρῶν αἱμάτων, viris ſanguinum, poſuit, ἀνδρῶν μιαιφόνων, viris homicidis. *(h)* In rectitudine.] *Ita S Aug.* ἐν εὐθύτητι, *vulgata,* in directo. *Symmachus,* ἐν ὁμαλῷ, in plano.

PSAL. XXVI.

(a) IPſius David, priuſquam liniretur.] *In multis codicibus eſt,* τῷ δαυὶδ, *ut S Auguſt.* ipſi David. *Didymus autem, & Theodoretus, hanc inſcriptionem teſtantur ſe in aliquot exemplaribus inveniſſe, ſed non in Hexaplo.* *(b)* David.] *Scholion.* Nomen David exponitur, ἐξουθένημα, abjectio. *Heſychius inquit multa ſignificare, fortem manu, dilectum, ſolum, ſed etiam abjectionem; atque hanc præcipue notionem huic pſalmo convenire; ut ad eos pertineat, qui ante baptiſmum abjecti, id eſt, catechumeni erant.* *(c)* In hac ego ſpero.] ἐν ταύτῃ ἐγὼ ἐλπίζω. *vulgata,* in hoc ego ſperabo: *in aliquibus S. Auguſt. codicibus eſt,* in hac; *eſt enim Hebraiſmus, femininum pro neutro, ut paulo poſt,* unam petii. *(d)* Ut contempler delectationem.] *Sic S. Aug. quod reſpondet Græco,* τοῦ θεωρεῖν με τὴν τερπνότητα. *In vulgata eſt,* ut videam voluntatem; *quamvis in aliquot ejus exemplaribus legatur,* voluptatem. *(e)* Et viſitem templum ejus.] καὶ ἐπισκέπτεσθαι τὸν ναὸν αὐτοῦ. *In nonnullis codicibus legitur,* τὸν ναὸν τὸν ἅγιον αὐτοῦ, templum ſanctum ejus. *S. Auguſtinus videtur habuiſſe,* ἐπισκέπεσθαι, *ita enim apud eum legitur,* & protegat a templo ejus. *Symmachus pro* τὴν τερπνότητα, τὸ κάλλος, pulchritudinem, decorem. *(f)* Et nunc ecce exaltavit.] καὶ νῦν ἰδοὺ ὕψωσε, *ita in pleriſque codicibus. S. Hier. ad Suniam notat, illud,* ecce, *eſſe ſuperfluum: & abeſt a vulg. Theod.* Aquila pro ὕψωσεν κεφαλήν μου, dixit, ὑψωθήσεται ἡ κεφαλή μου, exaltabitur caput meum. *(g)* Circuivi.] *Schol.* Cæteri, τοὺς κύκλῳ μου, eos qui circa me ſunt. *(h)* Vociferationis.] *Ita vulg. quod græce eſt,* ἀλαλαγμοῦ, *& a Theodoreto explicatur vox bellica edita ab audacioribus in eos qui timent. S. Auguſtinus habet,* jubilationis. *In pleriſque libris græcis eſt,* θυσίαν αἰνέσεως, καὶ ἀλαλαγμοῦ. *Theodoretus habet* αἰνέσεως, *ſed notat, in nonnullis exemplaribus addi etiam* καὶ ἀλαλαγμοῦ. *Idemque obſervavit Heſychius. In pſalterio Arabico & Æthiopico eſt ut in noſtra.* *(i)* Tibi dixit.] *Symmachus,* σοὶ προσελάλει, te alloquebatur cor meum.. *(k)* Quæſivi vultum.] *Ita apud S. Auguſtinum, & in pſalterio Romano, quod græce eſt,* ἐξεζήτησα τὸ πρόσωπόν σου, *& ita in pſalterio Arabico, & Æthiopico, & in metaphraſi Apollinaris. In aliis libris eſt,* κύριον ζητήσω, ἐξεζήτησέ σε τὸ πρόσωπόν μου, Dominum quæram, exquiſivit te facies mea. *A Theodoreto abeſt prius membrum, ut etiam a vulgata. S Hieronymus putat legendum,* exquiſivit facies mea. *Symm.* σὲ ἐζήτω τὸ πρόσωπόν μου, te quærebat facies mea. *Quinta, ſexta editio, Theodotio, ut LXX.* *(l)* Ne derelinquas.] *Sic apud S. Auguſtinum, & in editionibus latinis, quod græce eſt,* μὴ ἐγκαταλίπῃς με, καὶ μὴ ὑπερίδῃς με ὁ θεὸς ὁ σωτήρ μου. *In cæteris libris eſt,* μὴ ἀποσκορακίσῃς με, καὶ μὴ ἐγκαταλίπῃς με ὁ θεὸς ὁ σωτήρ μου, ne cum odio ejicias me, neque derelinquas me Deus, ſalvator meus. *Euſebius.* Pro quo, ἀποσκορακίσῃς, Symmachus quidem dixit, ἀποῤῥίψῃς με, abjicias me: Aquila autem, μὴ ἐάσῃς με, ne ſinas me. *Theodoretus.* Illud, ἀποσκορακίσῃς, alii interpretes dixerunt, μὴ ἀποῤῥίψῃς με, ne projicias me; LXX autem nomen iſtud fecerunt ex gentili eruditione. Nam illud, ἐσκορακίσαι (*aut. ut refertur in Scholio*) ἐς κόρακας, erat contumelia quædam apud veteres, orta ex quadam fabula. *Nicephorus autem tum hanc Etymologiam affert, tum iſtam alteram,* ἀπὸ τῆς σκορίας, *a ſcoria, quæ quidem tanquam inutile excrementum ferri rejicitur.* *(m)* Legem pone.] *S. Auguſtinus,* legem conſtitue, νομοθέτησόν με. *Aquila, & Theodotio,* φώτισόν με, illumina me. *Symmachus,* ὑπόδειξόν μοι, *& Sanctus Hieronymus,* oſtende mihi Domine viam tuam, *ſic etiam fere pſalmo 24.* *(n)* Teſtes iniqui, & mentita eſt.] *Theodoretus:* Aquila hoc manifeſtius dixit, ἀντέστησάν μοι μάρτυρες ψευδεῖς, καὶ ἐξεφάνη ἡ ἀδικία, ſteterunt contra me teſtes falſi, & apparuit injuſtitia. *(o)* Credo videre.] *Euſebius refert Aquilam dixiſſe,* ἐπίστευσα τοῦ ἰδεῖν ἐν ἀγαθῷ κυρίου, credidi videre in bono Domini: *Symmachum vero,* ἐπίστευον ἰδεῖν τὴν ἀγαθωσύνην κυρίου, credebam videre bonitatem Domini.

PSAL. XXVII.

(a) IPſius David.] *S. Auguſt.* pſalmus David. *In multis codicibus græcis,* τῷ δαυὶδ, *& vulgata,* huic David. *Notat autem Euſebius ex traditione Hebraica hujuſmodi pſalmis, qui abſque ulla additione, vel,* Davidis, *vel,* David, *inſcripti ſunt, convenire inſcriptionem illius pſalmi, qui proxime iſtos præceſſit, ut inſcriptionem vigeſimi ſecundi pſalmi iis qui poſt eum ſequuti ſunt.* *(b)* Clamavi.] ἐκέκραξα, *ſic eſt in veteri pſalterio Æthiopico, & Arabico, & apud S. Auguſtinum. In aliis eſt,* κεκράξομαι, *& vulgata,* clamabo. *(c)* Super me.] ἐπ' ἐμοί. *In aliis libris Græcis eſt,* ἀπ' ἐμοῦ, *& Sanctus Auguſtinus, & vulgata,* a me. *Aquila,* μὴ κωφεύσῃς, *& S. Hieronymus,* ne obſurdeſcas mihi. *Euſebius ex Symmacho,* μὴ σιγήσῃς ἐξ ἐμοῦ, μήποτε ἡσυχάσαντος σοῦ ἀπόθεν μου ὁμοιωθῶ τοῖς καταβαίνουσιν εἰς λάκκον, ne taceas a me, ne forte ſilente te procul a me, aſſimiler deſcendentibus in lacum. *(d)* Ne quando ſileas ſuper me.] *Hæc repetitio in multis græcis codicibus non eſt; habetur tamen in editione vulgata latina, & in veteri pſalterio, item in Æthiopico, & Arabico, & apud S. Auguſtinum, & Theodoretum.* *(e)* Exaudi vocem.] *In aliis libris, & græcis, & latinis eſt,* exaudi Domine: *ſed teſtatur Sanctus Hieronymus ad Suniam, & iſtud additum eſſe.* *(f)* Ad templum ſanctum tuum.] *Aquila, & Symmachus,* χρηματιστήριον, oraculum. *Theodotio,* Dabir. *(g)* Animam meam.] τὴν ψυχήν μου, *ita S. Auguſtinus, & vetus pſalterium. In aliis eſt,* μὴ συνελκύσῃς με. *S. Auguſtinus, & vulgata,* ne ſimul tradas me. *Sed in codicibus emendatioribus eſt,* ne ſimul trahas me. *(h)* Refloruit caro mea.] *Aquila,* καὶ ἐγαυριάσατο ἡ καρδία μου, & exultavit cor meum. *Symmachus,* καὶ ἱλαρύνθη ἡ καρδία μου, & gaviſum eſt cor meum, *ut S. Hieron. Euſebius eodem modo de Aquila: at de Symm* ἀνθήσει (*al.* ἀνθῆσαι) ἡ καρδία μου, florebit cor meum, *ex Theodotione,* καὶ ἀνέθαλεν ἡ καρδία μου, & floruit cor meum, *ex quinta editione,* ἐκρατύνθη ἡ καρδία μου, corroboratum eſt cor meum. *(i)* Ex voluntate mea.] ἐκ θελήματός μου. *Aquila,* καὶ ἀπὸ ᾄσματός μου ἐξομολογήσομαι αὐτῷ, & de cantico meo confitebor ei. *Symmachus,* καὶ ἐν ᾠδαῖς μου ὑμνήσω αὐτὸν, & in canticis meis collaudabo eum.

CAP. XXVIII.

(a) EXodii tabernaculi.] ἐξοδίου σκηνῆς, *de qua dictione alibi eſt notatum. In aliis libris eſt,* ἐξόδου, *quod etiam hoc loco videtur ſignificare pompam, & celebritatem. Sanctus tamen Baſilius interpretatur, exitum, itemque Nicephorus. S. Auguſt. habet,* conſummationis tabernaculi, *vulgata,* in conſummatione tabernaculi. *Theodoretus qui habet,* ἐξόδου, *teſtatur hanc inſcriptionem non ſe inveniſſe in Hexaplo, ſed in quibuſdam exemplaribus. In ſcholio etiam ita legitur,* ἐν τῷ ἑξαπλῷ οὐχ εὕρηται, ἐξοδίου σκηνῆς ἡ ἐπιγραφή. in Hexaplo non eſt inventa inſcriptio iſta, ἐξοδίου σκηνῆς. *Eam tamen ut ſignificavimus, habet Sanctus Baſilius, ſed legit* ἐξόδου. *Vide de hujuſmodi inſcriptionibus apud Heſychium in Pſal. 30.* *(b)* Afferte Domino filii Dei.] *Euſebius;* κατὰ τὴν ἑβραίων ἀνάμνησιν οὐκ ἐμφέρεται τὸ, ἐνέγκατε τῷ κυρίῳ υἱοὶ θεοῦ. διὸ καὶ ὠβέλισται παρὰ τοῖς ό. ὡς μὴ κείμενον μήτε ἐν τῷ ἑβραϊκῷ μήτε παρὰ τοῖς λοιποῖς ἑρμηνευταῖς. Juxta hebræorum traditionem non affertur illud, ἐνέγκατε τῷ κυρίῳ υἱοὶ θεοῦ. Quare & apud LXX obelo notatum eſt, tanquam quod neque in hebraico habeatur, neque apud cæteros interpretes. *S. Baſilius inquit, hoc ſe in multis exemplaribus additum reperiſſe. Sanctus tamen Hieronymus habet hunc verſiculum;* Afferte Domino filii Dei, *& non habet ſequentem,* afferte Domino filius arietum: *nam dictionum hebræarum, quarum una ſignificat arietes, altera Deum, magna inter ſe ſimilitudo eſt. Euſebius autem in hebræo putat legi,* filii arietum, *& exponit ex aliis interpretibus,* patriæ gentium, *aut,* cognationes populorum. *(c)* Gloriam:] *Aquila,* κράτος, imperium. *Symmachus,* δύναμιν, potentiam, virtutem. *Sanctus Hieronymus habet,* gloriam & imperium. (*) In aula ſancta ejus.] *Pro hoc refert Euſebius Aquilam eſſe interpretatum,* ἐν διαπρεπείᾳ ἡγιασμένῃ, in decore ſanctificato, *Symmachum vero,* ἐν διαπρεπείᾳ ἁγίᾳ, in decore ſancto, *& ita Sanctus Hieronymus.* *(d)* Gloriam nomini ejus.] *Schol.* Cæteri, εὐπρέπειαν ὀνόματος, decus nominis. *(e)* Et comminuet eas.] *Aquila,* καὶ σκιρτώσει, & exultabit, *id eſt,* exultare faciet. *Symmachus,* καὶ ὀρχεῖσθαι ἐποίησεν αὐτὰς, & ſaltare fecit eas. *Quinta editio,* καὶ σκιρτοποιήσει αὐτὰς ὡσεὶ μόσχον, & exultare faciet eas ſicut vitulum. *(f)* Tanquam vitulum, Libanum.] τὸν λίβανον. *Ita eſt in aliquot codicibus, & apud Sanctum Baſilium, qui interpretatur fore ut totus Libanus comminuatur, ſicut vitulus ille aureus. In multis autem codicibus eſt,* τοῦ λιβάνου, *& apud Chryſoſtomum, & Theodoretum, & Apollinarium, & in editionibus latinis,* vitulum Libani. *Sanctus Hieronymus,* quaſi vitulum Libani. *(g)* Intercidentis.] διακόπτοντος. *Sanctus Auguſtinus,* procidentis. *Symmachus,* καταδιαιροῦντος, dividentis. *S. Hieronymus, habet,* dividens, *& ſic deinceps.* *(h)* Concutientis deſertum.] *Sic vulgata S. Auguſt.* commoventis ſolitudinem. *Symmachus,* ἐκτοκίζοντος, parturire facientis. *Aquila,* ὠδίνοντος, *ac videtur idem ſignificare voluiſſe.* *(i)* Commovebit Dominus.] *Aquila,* ὠδινήσει, *Sym.* ἐκτοκίσει, parturire faciet. *(k)* Perficientis.] *Ita S. Auguſtinus; vulgata,* præparantis. *Aquila,* ὠδίνοντος ἐλάφους, parturire facientis cervas. *Symmachus,* πληθύνοντος πεδία, multiplicantis campos. *Quinta editio,* μαιουμένου ἐλάφους, obſtetricantis cervis: *ut S. Hieronymus: Theodotio, ut LXX.* *(l)* Unuſquiſque.] *Ita S. Auguſtinus,* πᾶς τις. *S. Hieronymus ad Suniam putat recte verti,* omnes dicent (*& ſic habet vulgata*) *aut,* omnis dicit. *(m)* Inhabitare faciet.] κατοικιεῖ, *& ita videntur legiſſe Athanaſius, & Nicephorus. In aliis libris eſt,* κατοικεῖ, *quod etiam agnoſcit S. Hieronymus, ſed putat duobus modis reddi poſſe,* inhabitat, *&* inhabitare facit: *atque hanc ſecundam interpretationem huic loco magis convenire putat. Atque ita eſt in vulg. Aquila,* κύριος εἰς κατακλυσμὸν ἐκάθισεν, Dominus in diluvio ſedit. *Symmachus,* κύριος ἐπὶ τοῦ κατακλυσμοῦ ἐκάθισεν, Dominus ſuper diluvium ſedit.

PSAL. XXIX.

(a) IN finem.] *Ita S. Auguſt. niſi quod habet,* ipſi David, *quemadmodum etiam plerique libri Græci,* τῷ δαυὶδ, *& Theodoretus hoc loco habet illud,* in finem, εἰς τὸ τέλος τῷ δαυὶδ, *vulgata neutro loco.* *(b)* Suſcepiſti.]

ὑπέλαβες. *Aquila*, ἀνεβίβασας, exaltaſti, aſcendere feciſti. (*c*) Salvum feciſti.] *Aut*, ſalvaſti, *ut vulgata. Symmachus*, ἀνεζώωσάς με, ad vitam reduxiſti. *Theodotio, ut LXX.* (*d*) Memoriæ.] τῇ μνήμῃ. *Aquila*, τῷ μνημοσύνῳ, memoriali. *Symmach.* ἀναμιμνήσκοντες τ̃ ἁγιασμὸν, rememorantes ſanctificationem. (*e*) Ira in indignatione.] ὀργὴ ἐν τῷ θυμῷ. *Quinta editio*, ὅτι συντέλεια ἐν τῷ θυμῷ αὐτοῦ, quoniam conſummatio in furore ejus. *Aquila*, ὁ ἀθροισμὸς, ſubitum & confertum quiddam. (*f*) In abundatia.] ἐν τῇ εὐθηνίᾳ μου. in proſperitate mea. *Symmachus*, ἐν τῇ ἠρεμίᾳ, in quiete. (*g*) Præſtitiſti.] παρέσχου. *In aliquot libris græcis, & in pſalterio Arabico, & apud Apollinarium legitur*, παράσχου, præbe. (*h*) Decori meo.] τῷ κάλλει μου, *Aquila, & quinta editio*, τῷ ὄρει monti. *Theodor.* Symmachus, κύριε ἐν τῇ εὐδοκίᾳ σου ἔστησας τῷ πατρί μου κράτος. Domine in beneplacito tuo ſtatuiſti propatri meo potentiam. *In quodam tamen ſcholio, pro*, ἐν τῇ εὐδοκίᾳ, *refertur ex Symmacho*, ἐν τῇ διαλλαγῇ, in reconciliatione. (*i*) Avertiſti autem.] *Aquila*, ἀπέκρυψας τὸ πρόσωπόν σου, abſcondiſti faciem tuam. (*) Ad te Domine] *Euſebius*: At ſecundum Symmachum, ἐν τοῖς κακοῖς γινόμενος ἔλεγον, πρὸς σὲ κύριε βοήσω καὶ σὲ τ̃ δεσπότην μου ἱκετεύσω, cum in mala incidiſſem, dicebam, ad te Domine clamabo, & te Dominum meum ſupplicabo. (*k*) Confitebitur tibi.] S. *Cyprianus in extremo* 3. *libro ad Quirinum*: Nunquid exomologeſin faciet tibi pulvis? *qua loquutione ſæpe utitur.* (*l*) Ut pſallat tibi.] *Aut*, cantet, *ut habet* S. *Aug. & vulgata. Theodoretus.* Symm. ἵνα ᾄδῃ σε δόξα, καὶ οὐ μὴ ἀποσιωπήσῃ, *aut, ut eſt in ſcholio*, παρασιωπήσῃ, *quæ ita videtur vertere* S. *Hieronymus*, ut laudet te gloria, & non taceat.

PSAL. XXX.

(*a*) Ecſtaſis.] *Sic S. Auguſtinus, quod græce*, ἐκστάσεως, *in vulgata eſt*, pro ecſtaſi. *Theodoretus teſtatur hunc titulum neque ſe inveniſſe in Hebræo, neque apud alios interpretes, ſed in aliquibus exemplaribus. Scholium ex verbis Euſebii concinnatum*, illud ἐκστάσεως, minime apud alios poſitum, addidit quis, ut videtur, propterea quod dicatur, ἐγὼ δὲ εἶπα ἐν τῇ ἐκστάσει μου, ego autem dixi in exceſſu meo. *In aliquo codice eſt*, ψαλμὸς τῷ δαυὶδ εἰς τέλος ἐκστάσεως, pſalmus ipſi David in finem ecſtaſeos. *Verum multa de inſcriptionibus hoc loco apud Heſychium.* (*) Juſtitia tua.] *Euſebius ex Symmacho*, ἐν τῇ ἐλεημοσύνῃ σου, in miſericordia tua. (*b*) Fortitudo mea] κραταίωμά μου, *Aquila, & Symmachus*, πέτρα μου, petra mea. (*c*) Enutries me.] *Theodoretus.* Iſtud autem, διαθρέψεις, Symmachus poſuit, τημελήσεις με, curabis me: τουτέστιν παντοδαπῆς με προνοίας ἀξιώσεις διὰ τὸ ὄνομά σου ἐν ᾧ πέποιθα, hoc autem ſibi vult, omni me providentiæ cura dignum facies propter nomen tuum, in quo confiſus ſum. (*d*) Domine.] *Ita eſt in multis exemplaribus Græcis*, κύριε. *In aliquot potuit eſſe* κύριος. *Sic enim legitur in ſcholio*, illud, κύριος, neque apud LXX, neque apud alios ponitur, *& S. Hieronymus ad Suniam notat, & hoc loco quemadmodum alibi ſæpe, additum eſſe nomen domini. In vulgata quidem, & apud* S. *Auguſtinum hic non habetur.* (*e*) Commendabo.] παραθήσομαι, S. *Auguſtinus & vulgata habent*, commendo. (*f*) Quoniam tribulor.] *Euſebius.* Aquila, ὅτι στενὸν ἐμοὶ, quoniam anguſtia mihi. (*g*) Conturbatus eſt in ira.] *Aquila*, ἠυχμώθη ἐν παροργισμῷ, ſqualuit in irritatione. *Theodoretus*: Symmachus, ἐθολώθη διὰ παροργισμὸν ὁ ὀφθαλμός μου, conturbatus eſt propter irritationem oculus meus. (*h*) Defecit.] *Symmachus*, ἀνηλώθη, conſumpta eſt. (*i*) In paupertate virtus mea.] S. *Auguſtinus*, infirmatus eſt in egeſtate vigor meus. *Euſebius*: Symmachus, διὰ τὴν κάκωσίν μου ἡ ἰσχύς μου καὶ τὰ ὀστᾶ μου εὐρώτιασαν, propter afflictionem meam fortitudo mea, & oſſa mea putruerunt. *Aquila*, καὶ τὰ ὀστᾶ μου ἠυχμώθη, & oſſa mea ſqualuerunt. (*k*) Super omnes.] παρὰ πάντας, *quod etiam poſſet verti*, apud omnes, *&*, ab omnibns. *Aquila*, παρὰ πάντων, ab omnibus (*l*) Accolentium.] *Sic* S. *Auguſtinus*, παροικούντων, *vulgata*, commorantium, *Aquila*, συστροφῆς, conjurationem. (*m*) Sortes meæ.] *Sic apud* S. *Auguſtinum, & in vulg. & hanc lectionem agnoſcit Euſebius, Didymus, & alij multi*, οἱ κλῆροί μου, *conſentientibus pſalterijs, Arabico, Æthiopico, Apollinarii. Ut autem hoc loco eſt*, οἱ κλῆροί μου; *ſic Jud.* 21. *in libro Vatic. eſt*, ὡς κλῆρος, πλημμελήσατε, *ubi in editione communi eſt*, ὅτι οὐκ ἐπλημμελήσατε, *& utroque loco idem eſt hebraicum vocabulum. Scholium*: hebræi, & cæteri dixerunt, οἱ καιροί μου *Et in pſalterio Romano*, tempora mea. *Theodoretus*, καιροὺς ἢ κλήρους καλεῖ τὰς τ̃ πραγμάτων μεταβολὰς, πλοῦτον καὶ πενίαν, δεσποτείαν καὶ δουλείαν, εἰρήνην καὶ πόλεμον. καιροὺς, vel, κλήρους, vocat ipſas rerum mutationes, divitias & paupertatem, ſervitutem & dominationem, pacem & bellum, & cætera hujuſmodi ſimiliter. (*n*) Deducantur in infernum.] *Euſebius*: Symm. & Aquila, σιωπησάτωσαν εἰς ᾅδου, taceant in inferno, *& ſic B. Hier.* (*o*) Contemptu.] *Sic* S. *Aug.* ἐξουδενώσει, *vulgata*, in abuſione. (*p*) Quam magna.] ὡς πολύ. *Theodoretus*, rurſus illud, ὡς, non comparationem, ſed intentionem, & amplificationem ſignificat. Quare Aquila, & Symm. ita ſunt interpretati, τί πολὺ τὸ ἀγαθόν σου, ὃ ἔκρυψας ἀπόθετον τοῖς φοβουμένοις σε, quam multa eſt bonitas tua, quam abſcondiſti repoſitam timentibus te: *in Scholio hæc tribuuntur Symm. & additur.* Theodotio, & ſexta editio, ut LXX. (*q*) Sperantibus.] *Sic* S. *Auguſtinus*, ἐξειργάσω τοῖς ἐλπίζουσιν, *&* S. *Hieronymus*, operatus es ſperantibus, *vulgata habet*, eos qui ſperant (*r*) Tabernaculo.] S. *Auguſtinus*, tabernaculo tuo. *Symm.* ἐν σκέπῃ in tegmine. *Euſebius & Theodoretus*, Symmachus hoc ita dixit, εὐλογητὸς κύριος ὁ παραδοξάσας τὸ ἔλεος αὐτοῦ ἐμοὶ, ὡς ἐν πόλει περιπεφραγμένῃ, Benedictus Dominus, qui mirabilem fecit miſericordiam ſuam mihi, tanquam in civitate circummunita. *Atque ita fere* S. *Hieronymus. Vulgata autem hanc poſtremam partem ſic habet*, quoniam mirificavit miſericordiam ſuam mihi in civitate munita. (*ſ*) In ecſtaſi mea.] *Ita* S. *Aug. quod in vulgata, & apud* S. *Hieronymum ad Suniam*, in exceſſu mentis meæ *Aquila*, εἶπον ἐν θαμβήσει μου. *Symm.* εἶπον ἐν τῇ ἐκπλήξει μου, *quæ* S. *Hieron. videtur ita vertiſſe*, ego dixi in ſtupore meo (*aut, ut ad Suniam*) in ſtupore, & admiratione. *Teſtatur autem, in Latinis codicibus, antea legi ſolitum*, in pavore meo. (*t*) Veritates.] ἀληθείας, *& in eo vim facit Didymus, & alii.* S. *Auguſt. & vulgata*, veritatem. (*u*) Iis qui abundanter.] *Ita* S. *Auguſt.* τοῖς περισσῶς ποιοῦσιν. *Nam vulgata habet ambiguitatem*, retribuet abundanter facientibus.

PSAL. XXXI.

(*a*) Intelligentiæ.] συνέσεως. S. *Auguſt. in prima enarratione habet*, ipſi David intelligentia, *in ſecunda*, huic David intellectus, *& vulg.* ipſi David intellectus. *In aliquot codd. Græcis, & apud Theodor. eſt*, ψαλμὸς τῷ δαυὶδ συνέσεως, pſalmus ipſi David intelligentiæ. (*b*) Cui non imputabit.] ᾧ οὐ μὴ λογίσηται, *& ita ut vertimus, habetur in aliquot exemplaribus vulgatæ, hic, & in epiſt. ad Rom. c.* 4. *In aliis tamen libris, & apud* S. *Auguſtinum eſt*, imputavit. (*c*) In ore.] ἐν τῷ στόματι. *Ita etiam* S. *Auguſt. & pſalterium vetus, & Romanum, & Arabicum. Æthiopicum vero*, in corde ejus. S. *Hier. teſtatur ſolum Symmachum poſuiſſe*, ἐν τῷ στόματι, *nam & LXX interpretes, & Theodotionem, & quintam, & ſextam editionem, & Aquilam, & ipſum Hebraicum habere*, in ſpiritu meo, *quemadmodum nunc, & vulgata habet. Euſebius*, aut, ἐν τῷ πνεύματι, utrumque enim legitur. (*d*) Quoniam tacui.] *Euſebius*, Theodotio, ὅτι ἐκοπίασα, quoniam laboravi. Aquila, ὅτι ἐκώφευσα, κατετρίβη τὰ ὀστᾶ μου ἐν βρυχήματί μου, quoniam obmutui, attrita ſunt oſſa mea in rugitu meo, *quomodo fere* S. *Hier. Symm. autem*, ὅτι ἀπεσιώπησα (*al.* ἀπηύγησα) ἐπαλαιώθη τὰ ὀστᾶ μου ἀπὸ τ̃ ὀδύρεσθαι πᾶσαν ἡμέραν, quoniam abſilui; inveterata ſunt oſſa mea, ex eo quod lugerem tota die. (*) A clamando.] ἀπὸ τ̃ κράζειν. S. *Aug.* acclamando. *Vulgata*, dum clamarem. (*e*) In ærumna.] *Apud* S. *Auguſtinum, & in vulgata, additur*, mea: *quod* S. *Hier. teſtatur ex hebraico, & tralatione Theodotionis, ſub aſteriſco additum eſſe. Symm.* μετεστράφη μοι εἰς διαφθορὰν, ὡς καῦσος θερινὸν, converſus eſt mihi in corruptionem, ſicut ſiccitatem æſtivam. *Aquila*, ἐστράφην εἰς προνομήν μου ἐν ἐρημώσει θερείᾳ, verſus ſum in vaſtitate mea in ſqualorem æſtivum. *Quinta editio*, ἐστράφη εἰς ταλαιπωρίαν ἐν τῷ ἐρημωθῆναι ὀπώραν, verſus eſt in miſeriam, cum fructuum ſolitudo fit. S. *Hier.* verſatus ſum in miſeria mea, cum exarſerit (*al.* exardeſcet) æſtus. (*f*) Cognovi.] τὴν ἁμαρτίαν μου ἐγνώρισα. *Sic* S. *Auguſt. quamvis poſſit etiam reddi*, notum feci. *Apud Theodoretum legitur*, ἐγνώρισά σοι, *& ſic vulgata*, cognitum tibi feci. (*g*) Cordis mei.] *Ita etiam* S. *Auguſtinus. Apud Theodoretum legitur*, καὶ σὺ ἀφεῖλες τὴν ἀσέβειαν τ̃ ἁμαρτίας μου, & tu abſtuliſti impietatem peccati mei: *quod quidem*, peccati mei, *habetur in vulgata. Aquila*, καὶ σὺ ἦρας ἀνομίαν ἁμαρτίας μου ἀεὶ, & tu tuliſti iniquitatem peccati mei ſemper, *quomodo fere* S. *Hieronymus. Theodotio*, καὶ σὺ ἀφῆκας ἁμαρτίαν τ̃ ἀσεβείας μου, & tu dimiſiſti peccatum impietatis meæ. *Euſebius*, Alii autem non, τὴν ἀσέβειαν τ̃ καρδίας, ſed, τὴν ἀσέβειαν τ̃ ἁμαρτίας μου. expoſuerunt. pro quo exquiſitius interpretatus eſt Symm. dicens, ἵνα σὺ ἀφέλῃς τὴν ἁμαρτίαν μου, ut tu auferas peccatum meum. *In ſcholio tamen refertur ex Symmacho*, τὴν ἄνομον ἁμαρτίαν, iniquum peccatum. (*h*) Pro hac orabit.] *Euſebius & Theodoretus.* Symmachus ita eſt interpretatus, περὶ (*al.* ὑπὲρ) τούτου προσεύξεται πᾶς ὅσιος καιρὸν εὑρὼν, ὥστε ἐπικλύζοντα ὕδατα πολλὰ πρὸς αὐτὸν μὴ ἐγγίσαι. Pro hac orabit omnis ſanctus, cum tempus invenerit; ut cum inundaverint aquæ multæ, ad illum non accedant: *nec multo aliter* S. *Hieronymus.* (*i*) Intellectum dabo tibi.] *Euſebius.* Aquila, ἐπιστημώσω σε, καὶ φωτίσω σε ἐν ὁδῷ ᾗ πορεύσῃ. ſcire te faciam, & illuminabo te in via, qua gradieris. *Symmachus*, συνετιῶ σε, καὶ ὑποδείξω σοι ὁδὸν ἣν ὁδεύσεις, βουλεύσομαι περὶ σοῦ τῷ ὀφθαλμῷ μου, *quæ ita videtur vertiſſe* S. *Hier.* Docebo te, & monſtrabo tibi viam, per quam ambules: cogitabo de te oculo meo. (*k*) Gloriamini.] *Aquila*, καὶ αἰνοποιήσατε. *Sym.* καὶ εὐφημεῖτε. S. *Hier.* & laudate eum.

PSAL. XXXII.

(*a*) Ipſi David.] *Ita etiam* S *Auguſt. in prima concione. Vulgata*: In finem pſalmus David. *Schol.* ἀνεπίγραφος παρ' ἑβραίοις καὶ παρὰ τοῖς τρισίν. Sine inſcriptione apud Hebræos, & apud tres. Quinta, & ſexta editio, τῷ δαυίδ. *Theodoretus autem hæc ipſa verba*, ἀνεπίγραφος παρ' ἑβραίοις, *putat appoſita eſſe ab ipſis LXX.* (*b*) Exultate.] *Theodoretus.* Multis locis illud ἀγαλλιᾶσθε. Aquila quidem αἰνεῖτε, laudate, & ſimiliter Symmachus ſunt interpretati. *In Scholio tamen ex Symmacho refertur*, εὐφημεῖτε, benedicite, & prædicate. (*c*) Rectos decet laudatio.] *Aut, ut eſt in multis codicibus vulgatæ*, collaudatio. *Aquila*, τοῖς εὐθέσιν ὡραιοῦται ἡ ὕμνησις, rectis ſpecioſa fit hymnorum decantatio. (*d*) Vociferatione.] ἀλαλαγμῷ, *quod* S. *Auguſt.* jubilatione: *quid autem propriè ſignificet vocabulum iſtud docent hoc etiam loco Baſilius, & Theodoretus. Symm.* μετὰ σημασίας, cum ſignificatione, & clangore. (*e*) Firmati ſunt.] *Aquila*, ἐποιήθησαν, *Symmachus*, ἐγένοντο, facti ſunt (*f*) Virtus.] ἡ δύναμις. *Aquila*, πᾶσα στρατιὰ αὐτῶν, omnis militia eorum. *Symmachus*, ἡ διακόσμησις αὐτῶν, ornatus eorum. *Theodotio, ut LXX* (*g*) Congregans, ſicut utrem.] συνάγων ὡσεὶ ἀσκόν. *Hanc lectionem agnoſcunt Baſilius, & Nicephorus. Teſtatur tamen* S. *Baſilius inveniſſe ſe in nonnullis exemplaribus*, ὡς ἐν ἀσκῷ, ſicut in utre, *ut vulgata, & Romanum pſalterium.* S. *Auguſtinus, & vetus pſalt.* in utrem, *& aliqua exemplaria vulgatæ. Symm.* συνήγαγεν ὡς ἐν ἀσκῷ ὕδατα, congregavit tanquam in utre aquas. (*h*) Commoveantur.] *Theodoretus*: Symmachus quidem illud, σαλευθήτωσαν, dixit, εὐλαβείσθωσαν, vereantur: Aquila autem, ὑποσταλήσονται, formidabunt. (*i*) A generationibus in generationes.] *In aliquot libris græcis eſt*, εἰς γενεὰν, καὶ γενεὰν, *vulgata*, in generatione, & generationem. S. *Auguſt.* in ſecula ſeculorum. (*k*) De præparato.] *Euſebius*: Aquila, ἀπὸ ἑδράσματος καθέδρας αὐτοῦ, a ſtabilitate, *aut* ſtabili collocatione cathedræ ſuæ. Symmachus, ἀπὸ ἕδρας κατοικίας αὐτοῦ, a ſede habitationis ſuæ. (*l*) Singillatim.] κατὰ μόνας. *Aquila, & quinta editio*, ἅμα, *Symmachus*, ὁμοῦ, ſimul, pariter, *ut* S. *Hieronymus. Euſebius illud*, κατὰ μόνας, *exponit*, ἀφωρισμένως, καὶ κεχωρισμένως παρὰ τὰ λοιπὰ ζῶα, proprie & ſeparatim præter cætera animalia. (*m*) Gigas non ſalvabitur in multitudine.] *In catena Barbari hæc referuntur ex Symmacho*, neque fortis effugiet per ingentem fortitudinem ſuam. *ſed in ſcholio hoc tantum*, διὰ γὰρ πλῆθος, nam per multitudinem. (*n*) Sperantes.] τοὺς ἐλπίζοντας, *& ſic* S. *Auguſt. In vulgata eſt*, & in eis qui ſperant. (*o*) Patiens eſt Domino.] ὑπομένει τῷ κυρίῳ. S. *Auguſt.* patiens erit Domino. *vulgata*, ſuſtinet Dominum.

PSAL.

PSAL. XXXIII.

(a) IPſi David.] *Vulgata*, Davidi. *Apud S. Auguſtinum*, pſalmus David, *& ita in aliquot codd. Græcis. Apud Theodoretum non leguntur ultima illa verba*, & dimiſit eum, & abiit. *Euſebius.* Aquila, & quinta editio, τοῦ Δαυὶδ ὅτε ἠλλοίωσε τὸ γεῦμα αὐτοῦ εἰς πρόσωπον Ἀβιμέλεχ, ϗ ἐξέβαλεν αὐτὸν, ϗ ἀπῆλθεν. Davidis, cum mutavit guſtum ſuum, ad faciem Abimelech: & ejecit eum, & abiit. *Symmachus*, τοῦ Δαυὶδ, ὅτε μεμόρφωκεν τὸν τρόπον ἑαυτοῦ ἔμπροσθεν Ἀβιμέλεχ, ipſius David, quando transformavit modum ſuum coram Abimelech. (*b*) In idipſum.] ἐπὶ τὸ αὐτό. *Aquila*, ὁμοθυμαδὸν, unanimiter, pariter, *ut S. Hieronymus.* (*c*) Paræciis.] παροικιῶν, *quaſi dicas*, peregrinationibus, & incolatibus. *In aliis libris eſt*, θλίψεων, *& ita S. Auguſtinus, & vulgata*, tribulationibus. *Symmachus*, ϗ ἐκ πασῶν τῶν περιστάσεών μου ἐξείλετό με, & ex omnibus anguſtiis (*aut* circumſtantiis) meis eripuet me (*d*) Accedite.] *Aquila*, ἀποβλέψατε, reſpicite. (*e*) Qui contrito.] τοῖς συντετριμμένοις τὴν καρδίαν. *Sanctus Auguſtinus*, his qui obtriverunt cor, *vulgata*, iis qui tribulato ſunt corde. (*f*) Sperant in eum.] ἐπ' αὐτόν. *Aquila*, ἐν αὐτῷ, *& ſic vulgata fere ſemper*, in eo. *Theodotio, & Symmachus*, ἐπ' αὐτῷ, *quod poteſt etiam verti*, ſuper eum.

PSAL. XXXIV.

(a) IPſi David.] *Ita etiam S. Auguſtinus, & vulgata*, huic David, *in aliquot codicibus Græcis & apud Theodoretum eſt*, ψαλμὸς τῷ Δαυὶδ, pſalmus ipſi David, *Aquila*, τοῦ Δαυὶδ, ipſius David. (*b*) Nocentes.] τοὺς ἀδικοῦντάς με, qui mihi injuriam faciunt: *ſed notat Didymus verbum iſtud hoc loco valere, damnum inferre.* (*c*) Impugna impugnantes me.] *Ita verbum e verbo*, πολέμησον τοὺς πολεμοῦντάς με, *quod apud S. Auguſtinum, & in vulgata eſt*, expugna impugnantes me. (*d*) Effunde frameam, & conclude.] *Aquila, Symmachus, Theodotio, quinta editio*, ϗ γύμνωσον λόγχην, ϗ περίφραξον, nuda lanceam, & circumſepi, hoc eſt, (*inquit Theodorus*) prohibe illis fugam, ne evadant. (*e*) Quoniam gratis abſconderunt mihi interitum laquei ſui.] *S. Auguſtinus*, muſcipulum corruptionis ſuæ. *Euſebius*: *Symmachus*, ὅτι ἀναιτίως κατέκρυψαν, (*ſed ex ſequentibus putat eſſe legendum*, κατέκρυψαί) μοι διαφθορὰν δικτύων αὐτῶν, quia ſine cauſa occultaverunt mihi corruptionem retium ſuorum. *In quodam tamen Scholio, pro*, κατέκρυψαν, *refertur ex Symmacho*, ὤρυξαν, foderunt. (*f*) Supervacue.] μάτην. *S. Auguſtinus*, vane. *Euſebius.* Symmachus, ἀναιτίως ὑπώρυξαν τὴν ψυχήν μου, ſine cauſa ſuffoderunt animam meam, *atque idem verbum refertur a Theodoreto. In quodam tamen Scholio eſt*, διέῤῥηξαν, diſciderunt. (*g*) Illis laqueus.] *Ita S. Auguſtinus, & pſalterium vetus, & Romanum*: *Itemque cætera, quæ ex hoc principio pendent, in numero multitudinis. Sed in cæteris libris Græcis, & apud Euſebium, & cæteros explanatores eſt*, ἐλθέτω αὐτῷ παγὶς, ἣν οὐ γινώσκει, *& vulgata*, veniat illi laqueus, quem ignorat, *& ſic ſequentia. Theodorus Antiochenus notat*, αὐτῷ, *dictum eſſe pro*, αὐτοῖς. *Sed non ita Euſebius, & alii. Aquila*, οὐ γινώσκοντι, non cognoſcenti. *Symm* ὃ μὴ οἶδεν, quod non novit. (*h*) Salutare ejus.] ἐπὶ τῷ σωτηρίῳ αὐτοῦ, *& ita S. Auguſt. In vulgata*, ſuper ſalutari ſuo, *ut videatur legiſſe interpres*, αὐτῆς. (*i*) Pro bonis.] ἀντὶ καλῶν: *Aquila*, ἀγαθωσύνης, bonitate. *Symmachus*, ἀγαθοῦ, bono, *& ita S. Hieron. Theodotio*, ἀγαθῶν, bonis. (*k*) Sterilitatem.] ἀτεκνίαν, *nec multo aliter Aquila*, ἀτέκνωσιν, orbitatem. *Symmachus autem, quantum refert Euſebius*, ἀνεστραμμένα κατὰ τῆς ψυχῆς μου. *In Scholiis partim eſt*, συνεστραμμένα, *partim*, ἀντεστραμμένα, *atque idem videtur ſenſus elici*, contraria, & quaſi conjurata adverſus animam meam. (*l*) Cum mihi moleſti eſſent, induebar.] *Aut ut S. Auguſt* induebam me. *Euſebius*: pro his, valde mirabiliter, Aquila quidem dixit, ϗ ἐγὼ ἐν ἀῤῥωστίᾳ αὐτῶν, ἔνδυσίς μου σάκκος, & ego in ægritudine eorum, indumentum meum cilicium. Symm. autem, ἐμοῦ ἐν τῇ ἀῤῥωστίαις αὐτῶν τὸ ἔνδυμα σάκκος, meum in illorum infirmitatibus indumentum erat cilicium. Theodotio autem, & quinta editio, ἐγὼ δὲ ἐν τῷ παρενοχλεῖσθαι αὐτοὺς, ego autem, cum illi perturbarentur. (*m*) Convertetur.] ἀποστραφήσεται. *Symmachus*, ὑπέστρεψεν. *S. Hieronymus*, convertebatur. (*n*) Quaſi proximum.] *Symm.* ὡς πρὸς ἑταῖρον ὡς πρὸς ἀδελφὸν ἀνεστράφην, quaſi ad amicum, quaſi ad fratrem converſus ſum, *aut ut S. Hier.* ita ambulabam. (*o*) Quaſi lugens.] *Schol.* ὡς πενθῶν ὁμομήτριον σκυθρωπῶς ἐκύφην, quaſi lugens, ex eadem matre natum, cum mœrore procubui. (*p*) Adverſus me lætati ſunt.] *Euſebius*: Aquila ſerviens hebraicæ dictioni inquit, ϗ ἐν σκασμῷ μου ηὐφράνθησαν, ϗ συνελέγησαν, & in claudicatione mea lætati ſunt, & coiverunt. Symm. autem, σκάζοντος δέ μου ηὐφραίνοντο, ἠθροίζοντο, claudicante autem me lætabantur, coibant: quinta autem editio ϗ ἐν τῇ ἀσθενείᾳ μου ηὐφράνθησαν, & in infirmitate mea lætati ſunt. (*q*) Super me flagella, & ignoravi.] *S. Auguſtinus*, & ignoraverunt. *Theodoretus*: Hoc ita Symm. eſt interpretatus, συνήγοντο κατ' ἐμοῦ πλῆκται, ϗ οὐκ ᾔδειν, congregati ſunt contra me percuſſores, & ignorabam. (*r*) Diſſipati ſunt nec compuncti.] *Euſebius.* Symmachus autem inquit, ϗ ἀποῤῥήσσοντες (*al.* ἀποῤῥήξαντες) οὐκ ἠρέμουν, & proſcindentes non quieverunt. Aquila, ἔῤῥηξα, ϗ οὐκ ἐσιώπησαν, ſciderunt, & non tacuerunt: *nec multo aliter S. Hieronymus.* (*ſ*) Tentaverunt me.] *Euſebius*: Pro ἐπείρασάν με μυκτηρισμῷ, Symm dixit, ἐν ὑποκρίσει, φθέγμασι (*al.* ῥήμασι) πεπλασμένοις, ἔβρυον (*al.* ἐπηχίουν) κατ' ἐμοῦ ὀδόντας αὐτῶν, *quæ ita videtur vertiſſe S. Hieronymus*, in ſimulatione verborum fictorum, frendebant contra me dentibus ſuis. (*t*) Malignitate.] ἀπὸ τῆς κακουργίας αὐτῶν. *S. Auguſtinus*, ab aſtutiis eorum. (*u*) Unicam meam.] *Euſebius*: Pro τὴν μονογενῆ μου, Aquila quidem interpretatus eſt, τὴν μοναχήν μου, ſolitariam meam, Symm. autem, τὴν μονότητά μου, ſolitudinem meam. (*x*) Tibi, &.] *Illud &, abeſt a cæteris libris græcis, & latinis*: *cujus loco S. Auguſt habet*, Domine. (*y*) Gravi.] *Euſebius*: Pro βαρεῖ, Aquila reddidit, ὀστείνῳ, oſſeo, ideſt, ἰσχυρῷ, robuſto, forti (*& ſic S. Hieronymus*) Symmachus autem, παμπληθεῖ, valde multo. (*z*) Vane.] ματαίως, *in hoc etiam verſiculo refert Euſebius ex Aquila*, ἀναιτίως, ſine cauſa. *Cæterum hoc loco in editionibus latinis eſt*, inique: *& in cæteris libris græcis*, ἀδίκως. (*ω*) Pacifice.] *Symmachus*, οὐ γὰρ εἰς εἰρήνην λαλοῦσιν, ἀλλὰ ἐπὶ συναρπαγῆς ἐν τῇ γῇ λόγους δολίους λογίζονται, non enim in pace loquuntur, ſed de rapina in terra ſermones doloſos cogitant: *quinta editio*, ὅτι οὐκ εἰρήνην λαλοῦσιν, ϗ ἐπὶ συντελείᾳ γῆς ῥήματα δόλια λογίζονται, *quæ S. Hieronymus ita videtur vertiſſe*: non enim pacem loquuntur, ſed in rapina terræ verba fraudulenta concinnant. (*aa*) Et in iracundia dolos.] *S. Auguſtinus*, & ſuper (*al.* inſuper) iram doloſe cogitabant. *Nam & in multis exemplaribus græcis, & apud Euſebium legitur*, ἐπ' ὀργήν, *in pſalterio Arabico additur*, terræ, *& vulgata*, in iracundia terræ. *Eam dictionem videtur agnoſcere Theodoretus, cum ita ſcribit*, amicis ſermonibus utentes, quaſi in terra quadam occultare iram conabantur, doli plenam mentem habentes. *Schol.* Illud, γῆς ἐλάλουν, ſcriptum quidem viſitur apud lxx. (*videtur deeſſe*, in Hexaplo, *aut hujuſmodi quiddam*) in ſimplicibus autem exemplaribus non ponitur. *Quare abeſt etiam a cæteris græcis libris, & latinis editionibus. Quomodo Symmachus, & quinta editio habuerint, in proxima ſuperiore notatione dictum eſt, Aquila autem*, ϗ ἐπ' ἀθρόα γῆς ῥήματα ἐπιθέσεων λογίζονται, & ſuper conferta terræ verba deceptionum concinnant. (*bb*) Ne ſileas.] μὴ παρασιωπήσῃς. *Symmachus*, μὴ ἡσυχάσῃς, ne quieſcas, ne taceas. (*cc*) Cauſam.] τὴν δίκην μου. *Symmachus*, τὴν δικαίωσίν μου, juſtificationem meam. (*dd*) Juſtitiam tuam.] *Sic omnes libri græci collati & latini. S. tamen Auguſt. habet*, juſtitiam meam. (*ee*) Qui magna] *Ita in aliquot vetuſtis exemplaribus vulgata. Sed in multis, & apud S. Auguſtinum*, maligna: *græce eſt.* μεγαλοῤῥημονοῦντες. (*ff*) Tota die.] *Theodoretus*; Symm. illud, ὅλην τὴν ἡμέραν, dixit, πᾶσαν ἡμέραν, omni die. (*gg*) Laudem.] τὸν ἔπαινόν σου, *Aquila*, ὑμνήσει σε, hymnos tibi dicet.

PSAL. XXXV.

(a) IN finem ſervo.] *Apud S. Auguſtinum non legitur inſcriptio: apud Theodoretum*, εἰς τὸ τέλος ψαλμὸς τῷ Δαυὶδ. *S. Ambroſius*, In finem ſervo Domini, pſalmus David. *Euſebius habet ut hic, & in vulgata; atque hæc ſcribit*, neque ψαλμὸς, neque ᾠδὴ, neque quicquam hujuſmodi inſcriptum eſt: ſed continet doctrinam, &c. (*b*) Dixit juſtus, ut delinquat in ſemetipſo.] τοῦ ἁμαρτάνειν ἐν ἑαυτῷ. *S. Ambroſius, non longe a fine enarrationis*, ut ſibi delinquat, vel in ſe delinquat. Habet enim Græcus codex, ἐν ἑαυτῷ, id eſt, in ſeipſo: ſed non omnes. *Nicephorus*, illud, τοῦ, aut ponitur, pro, ὥστε, ut, aut vacat; ſi vacat; ſenſus eſt, putat iniquus ſe clam poſſe delinquere; ſi non vacat, ſenſus eſt, iniquus cogitat intra ſe ut peccet. *Euſebius*: hæc manifeſtius interpretatus eſt Symmachus, hunc in modum reddens, φησὶ περὶ ἀσυνθεσίας τοῦ ἀσεβοῦς ἔνδοθεν ἡ καρδία μου, οὐ πρόκειται φόβος θεοῦ ἄντικρυς τῶν ὀφθαλμῶν αὐτοῦ, ὅτι ἐξολισθαίνειν τὰ περὶ αὐτοῦ δοκεῖ, τοῦ εὑρεθῆναι τὴν ἀδικίαν αὐτοῦ εἰς τὸ μισηθῆναι αὐτήν. Dicit de incompoſitione impii intus cor meum: non proponitur timor Dei ex adverſo oculorum ejus: ſua enim ipſius perdidiſſe videtur, ad inveniendam injuſtitiam ſuam, ad odio habendam eam. (*c*) Ut inveniret iniquitatem ſuam & odiſſet.] *Ita S. Auguſt. quod Græce eſt*, τοῦ εὑρεῖν τὴν ἀνομίαν αὐτοῦ ϗ μισῆσαι. *S. Ambroſius*, ut inveniret iniquitatem ſuam, & odium, *vulgata*, ut inveniatur iniquitas ejus ad odium. *Legenda ſunt quæ ab Euſebio, & aliis vetuſtis ſcriptoribus afferuntur in hunc locum.* (*d*) Malitiam autem non audivit.] *Aut*, non odio habuit, *ut S. Ambroſius, & S. Auguſtinus*, τῇ δὲ κακίᾳ οὐ προσώχθισε. *Theodoretus*, οὐ προσώχθισε, poſuit, pro, οὐκ ἐβδελύξατο, non eſt abominatus, *Symmach.* κακὸν οὐκ ἀποδοκιμάσει, malum non reprobabit. *Aquila*, οὐκ ἀπέῤῥιψε, non abjecit. *Ut S. Hieron. Theodotio*, οὐκ ἀπώσατο, non repulit. (*e*) Uſque ad nubes.] *Euſebius*, vel ſecundum Symm. μέχρι τῶν αἰθέρων, uſque ad ætheras, *ſi latini dici poteſt. In Scholio ita refertur*, ἡ βεβαιότης σου ἕως αἰθερίων, ſtabilitas tua uſque ad ætherea. (*f*) Sicut montes Dei.] *Euſebius*, Aquila, δικαιοσύνη σου, ὡς ὄρη ἰσχυρά. Juſtitia tua ſicut montes validi: *& ita refert ex eo S. Ambr. In Scholiis partim*, ἰσχυρὲ, ô fortis, *partim*, ἰσχυροῦ, fortis: *in hebræo enim eſt dictio illa, quam notavit, ut alibi diximus, S. Hieron. a lxx. ſolere verti, Deum, ab Aquila, fortem.* (*g*) Sicut abyſſus.] *Ita S. Auguſt. & S Ambr. A vulgata abeſt illud*, ſicut, *quemadmodum & a pleriſque libris græcis.* (*h*) Quemadmodum multiplicaſti.] *S. Ambr.* ſicut multiplicaſti. *S. Auguſt.* ſicut multiplicata eſt miſericordia: *græce eſt*, ὡς ἐπλήθυνας, *quod poterat etiam reddi*, quam multiplicaſti. *Symmachus*, ὡς τίμιον. *S. Hieronymus*, quam precioſa eſt miſericordia. (*i*) In tegmine] *S. Ambr.* in protectione. *S. Auguſt.* ſub tegmine. *Euſebius*, aut ſecundum Symmachum, ὑπὸ σκιὰν τῶν πτερύγων σου ἀμεριμνοῦσι, ſub umbra alarum tuarum, ſine ſolicitudine degunt. (*k*) Et torrentem.] *Sic S. Ambr. atque iſtam loquutionem perpendit*: *græce enim eſt*, ϗ τὸν χειμάῤῥουν, *atque ita Euſebius, & multi alii. In nonnullis tamen codicibus eſt*, ϗ χειμάῤῥους, *in nonnullis*, ϗ τῶν χειμάῤῥων. *quod non, multum refert. S. Auguſt. & vulgata*, & torrente. (*l*) Et injuſtitiam tuam his.] *Euſebius*, Symmachus, ϗ τὴν ἐλεημοσύνην σου τοῖς ἁπλοῖς τὴν καρδίαν, & miſericordiam tuam ſimplicibus corde. (*m*) Ceciderunt omnes.] *S. Ambroſius, & vulgata non habent*, omnes. *Theodoretus*: Hæc Symmachus ita eſt interpretatus, ὅπου πίπτουσιν οἱ ἐργαζόμενοι τὴν ἀνομίαν, ὠθοῦνται, ϗ οὐ δυνήσονται στῆναι, ubi cadunt operantes iniquitatem impelluntur, & non poterunt ſtare. *Atque etiam apud lxx. illud*, οὐ μὴ δύνωνται, *videtur pertinere ad futurum tempus*: *ſed collatæ editiones latinæ habent, potuerunt.*

PSAL. XXXVI.

(a) NOli æmulari in malignantibus, neque zelaveris.] μὴ παραζήλου ἐν πονηρευομένοις, μηδὲ ζήλου. *Euſebius*, Quoniam παραζηλοῦν, aliud eſt a ζηλοῦν, dices, παραζηλοῦν, eſſe, irritare, & excitare ad zelotypiam. Quare Aquila quidem interpretatus eſt, μὴ διαμάχου ἐν πονηρευομένοις, noli concertare in malignantibus. Symm. autem, μὴ φιλονείκει κακούργοις (*al.* ἐν κακούργοις) noli contendere cum malignis: *quomodo habet S. Hieron. & hæc referuntur fere omnia a S. etiam Ambroſio*: *apud quem initio explanationis legitur*: Noli malignari inter malignantes, neque æmulatus fueris: *& interpretatur fere quemadmodum Euſebius. Deinde in progreſſu utitur duabus iſtis dictionibus*, ſubæmulari, *&*, æmulari: *quod etiam* S. *Auguſt. facit. In ſcholio notatur, quintam & ſextam editionem habere, ut Symm. atque additur Theodotionem vertiſſe*, μὴ παρερεθίζου, ne irriteris: *quod etiam refert Theodoretus.*

Euſebius autem paulo inferius hoc ipſum refert ex quinta editione, μὴ ἐρεθίζεσθαι ἐν πονηρευομένοις. *In exemplari quo uſus eſt Barbarus, refertur etiam initio explanationis.* (*b*) Olera herbarum] ὡσεὶ λάχανα χλόης. S. *Auguſt*. ſicut olera prati cadent. *Symm.* χλωρά. S. *Hieron*. olus viride. (*c*) Et paſceris] *Euſebius*: Pro iſto, καὶ ποιμανθήσῃ ἐπὶ τῷ πλούτῳ αὐτῆς, Symm. quidem reddidit, καὶ ποίμαινε διηνεκῶς, & paſcere perpetuo: Aquila autem, καὶ νέμου πίστιν, & paſcere fide. *Atque ita* S. *Hieron.* (*d*) Revela ad Dominum.] *Vel, ut vulgata*, Domino. *Aquila*, κύλιε, volve, *ut habet* S *Hieron.* Symm. ἐπικύλισον, evolve. (*e*) Subditus eſto Domino.] *Euſebius*: Pro, ὑποτάγηθι κυρίῳ, καὶ ἱκέτευσον αὐτὸν, Aquila inquit, σίγησον τῷ κυρίῳ, καὶ ἀποκαραδόκει αὐτὸν, tace Domino, & expecta eum (*ſic & S. Hieron.*) Symm. autem, ἡσύχαζε τῷ κυρίῳ, καὶ ἱκέτευε αὐτῷ, quieſce Domino, & ſupplica ei. (*f*) Confirmet autem] *Symmachus*, ἀντιλαμβάνεται αὐτῶν, ſuſcipit eos (*g*) Arcus eorum conterantur.] S. *Auguſtinus*, conteratur, *vulgata*, confringatur. S. *Ambroſius*, arcus peccatorum Dominus confringat (*h*) Novit Dominus.] *Ita* S. *Ambr.* S. *Auguſtinus, & vulgata, quod græce eſt*, γινώσκει, cognoſcit. *Euſebius*, pro, γινώσκει, Symmachus reddidit, προοῖδεν (*al.* προεῖδεν) ὁ κύριος τὰς ἡμέρας τῶν ἀμώμων, prænovit (*aut* prævidit) Dominus dies immaculatorum. *Heſychius*, dies, poſuit pro, vias. (*i*) Inimici vero.] οἱ δὲ ἐχθροί. *Theodoretus*: ἀκύλας καὶ ὁ σύμμαχος ἀντὶ τοῦ δὲ, τὸν καὶ, σύνδεσμον τεθεικότες τοὺς αὐτοὺς ἔδειξαν ἁμαρτωλοὺς καὶ τοῦ κυρίου ἐχθρούς. Aquila, & Symmachus, pro, δὲ, ponentes conjunctionem. καὶ, eoſdem oſtenderunt eſſe peccatores, & inimicos Domini. (*k*) Defecerunt] *Notat* S. *Ambr. ita habere græcum. eſt enim*, ἐξέλιπον. *Ipſe tamen cum* S. *Auguſtino, & vulgata legit*, deficient. (*l*) Quia benedicentes] *Symmachus*, οἱ εὐλογημένοι ὑπ' αὐτοῦ. & S *Hieronymus*, qui benedicti fuerint ab eo. (*m*) Eum.] *Sic* S. *Ambr.* & S. *Aug. Vulg. autem*, ei. *Symm. rurſus*, ὑπ' αὐτοῦ, ab eo. (*n*) Et viam ejus volet] *Aut*, cupiet, *ut* S. *Ambr. In multis libris græcis additur*, σφόδρα, nimis: *ſed notat* S. *Hier. hoc additum eſſe, neque apud quemquam haberi interpretum. Symm.* καὶ ἡ ὁδὸς αὐτοῦ εὐδοκεῖται, & via ejus beneplacet: (*o*) Confirmat] *Sic* S. *Ambroſ. quod græce eſt*, ἀντιστηρίζει χεῖρα αὐτοῦ, *nec multo aliter* S. *Auguſt*. firmat manus ejus: *vulgata autem*, quia Dominus ſupponit manum ſuam. (*p*) Junior fui.] *Aut, ut* S. *Ambroſ.* & S. *Auguſt*. juvenis fui. *Euſebius*, aut ſecundum Symmachum νέος ἐγενόμην, ἀλλὰ καὶ ἐγήρασα, juvenis fui; ſed & ſenui. (*q*) Et commodat] καὶ δανείζει. *quod* S. *Ambr. habet*, & fœnerat. *Et* S. *Auguſt. probat iſtam interpretationem. Aquila*, ὅλην τὴν ἡμέραν δωρεῖται, καὶ δανείζει, & S. *Hieron*. tota die donat, & commodat. (*r*) Seculi.] *Aut ut* S. *Ambr.* & S. *Auguſt*. ſeculorum. *Euſebius*: Pro quo Symmachus, καὶ ἠρεμήσεις εἰς αἰῶνα, & quieſces in ſeculum. (*ſ*) Immaculati autem vindicabuntur.] ἄμωμοι ἐκδικηθήσονται. *Ita eſt in pſalterio Æthiopico, atque ita legitur, & exponitur a Cyrillo, quantum in catena Barbari refertur. In pleriſque græcis libris eſt*, οἱ δὲ ἄνομοι ἐκδιωχθήσονται, injuſti autem punientur, expellentur. *Euſebius tamen habet*, ἄνομοι ἐκδικηθήσονται, *eſt enim verbum iſtud ambiguum, quemadmodum apud latinos*, vindicare. *Omnino in hebræo iſta particula non eſt: & apud multos Patres, licet ſit in contextu cæterorum verborum, tamen non explanatur. In Scholio refertur ex Symmacho*, ἐξαρθήσονται, tollentur. (*t*) Conſiderat.] κατανοεῖ. *Schol.* περισκοπεῖ, undique ſpeculatur. (*u*) Cum judicabitur illi.] ὅταν κρίνηται αὐτῷ. *Aquila*, ἐν τῷ κρίνεσθαι αὐτὸν, dum judicatur, & *ita* S. *Auguſt. De hac autem phraſi, multa hoc loco Origenes, & Theodoretus in Hieremiam, & alii.* (*x*) Vidi impium.] *Schol* ſexta editio ſic habuit, εἶδον ἀσεβῆ, καὶ ἀναιδῆ ἀντιποιούμενον ἐν σκληρότητι, καὶ λέγοντα, εἰμὶ ὡς αὐτόχθων, περιπατῶν ἐν δικαιοσύνῃ vidi impium, & impudentem, jactantem ſe in duritia, & dicentem, ſum ſicut indigena, & ambulans in juſtitia. (*y*) Cuſtodi innocentiam, & vide æquitatem.] S. *Ambroſ. inquit, alios pro*, innocentiam, *poſuiſſe*, perfectionem. S. *Auguſt. pro*, æquitatem, *habet*, directionem: *græce illud eſt*, ἀκακίαν, *hic*, εὐθύτητα. *Euſebius & Theodoretus.* Symm. ita hoc expoſuit, φύλασσε ἁπλότητα, καὶ ὅρα εὐθὺ, ὅτι ἐστὶ μέλλοντα ἀνθρώπῳ εἰρηνικῷ, cuſtodi ſimplicitatem, & vide rectum; quoniam ſunt futura homini pacifico. *Addit Scholiaſtes. Aquilam dixiſſe*, ἔσχατον, ad extremum. S. *Hier. priora habet, ut Symmachus, poſteriora autem ita*, quia erit ad extremum viro pax. (*z*) In idipſum.] *Ita* S. *Auguſt. quod græce eſt*, ἐπὶ τὸ αὐτὸ, *vulgata*, ſimul. *Theodoretus*: Hoc rurſus Symmachus ſic expoſuit, οἱ δὲ ἀθετοῦντες ἐξαλειφθήσονται ὁμοῦ, τὰ ἔσχατα τῶν ἀνόμων ἐκκοπήσεται, prævaricatores autem delebuntur pariter, noviſſima iniquorum excidentur. *Addit Schol. Aquilam, pro*, τὰ ἔσχατα, *dixiſſe*, καὶ ἔσχατον, & noviſſimum, *quemadmodum vertit & S. Hieron.*

PSAL. XXXVII.

(*a*) IN rememorationem.] εἰς ἀνάμνησιν, S. *Auguſtinus*, in recordationem ſabbati. *Vulgata*, in rememorationem die ſabbati. *Euſebius, & Theodoretus, & aliquot exemplaria Græca habent tantum*, εἰς ἀνάμνησιν. (*b*) Ne in furore.] μὴ τῷ θυμῷ σου, ἐλέγξῃς με, μηδὲ τῇ ὀργῇ σου παιδεύσῃς με. S. *Auguſt*. ne in indignatione tua arguas me, neque in ira tua emendes me. S. *Ambroſ*. ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me: *ac de iſtis vocibus diligenter agit.* (*c*) Infixæ ſunt mihi.] *Baſil.* vel ſecundum Symmachi editionem, καθίκετό μου, attigerunt me. (*d*) A facie iræ tuæ.] *Sive, ut* S *Ambr.* & S. *Auguſtinus*, a vultu iræ tuæ. *Euſebius, & Baſilius*: Pro, τῆς ὀργῆς, Aquila & Symmachus concorditer interpretati ſunt, ἀπὸ προσώπου τῆς ἐμβριμήσεώς σου, a facie fremitus tui. (*e*) A facie peccatorum meorum.] *Euſebius, & Baſilius*: *Symm.* διὰ τὰς ἁμαρτίας μου, propter peccata mea. (*f*) Supergreſſæ ſunt.] ὑπερῆραν. S. *Auguſtinus*, ſuſtulerunt caput meum: ſicut faſcis gravis, gravatæ ſunt. S. *Ambroſius*, ſuperpoſuerunt, *& explicat*, ſupertranſierunt caput meum, & ſupereminent mihi, ut ſenſus meos deprimant. (*g*) Putruerunt, & corruptæ ſunt.] προσώζεσαν, καὶ ἐσάπησαν οἱ μώλωπές μου. S. *Auguſtinus*, computruerunt, & putruerunt livores mei. S. *Ambroſius videtur habuiſſe*, corruptæ ſunt, & computruerunt cicatrices. *Poterat etiam illud*, προσώζεσαν, *verti* fœtuerunt. S. *Hieronymus*, computruerunt & tabuerunt. (*h*) Uſque in finem.] *Quædam exemplaria* S. *Baſilij habent*, ἕως τέλους σφόδρα, uſque in finem valde, *& fortaſſe ſunt duæ interpretationes.* (*i*) Ingrediebar.] σκυθρωπάζων ἐπορευόμην. *Baſilius*, aut juxta Symmachum, σκυθρωπὸς περιεπάτουν. *Sanctus Auguſtinus*, contriſtatus ambulabam. (*k*) Anima mea.] *Sic* S. *Ambr.* & S. *Auguſt. & in pſalterio veteri, & Romano, & Ambroſiano eccleſiæ Mediolanenſis, & in reſponſorio lectionis ſeptimæ in Dominica de paſſione: quod græce eſt*, ἡ ψυχή μου ἐπλήσθη, *& ita pſalterium Arabicum, & Æthiopicum, & metaphraſis Apollinaris, & Euſebius, & Cyrillus. Ac* S. *Ambroſius teſtatur Symmachum dixiſſe lumbos. lxx. autem animam. In pleriſque tamen libris græcis eſt*, αἱ ψύαι (*al.* ψοίαι) μου ἐπλήσθησαν, *& ita vulgata*, lumbi mei impleti ſunt. S. *Baſilius hanc habet, & deinde addit, pro hac Aquilam reddidiſſe*, ὅτι ἐπληρώθησαν αἱ λαγόνες μου ἀτιμίας, quoniam impleta ſunt fœmora mea dedecore. *Scholiaſtes eodem modo refert ex Aquila, & ſubjungit Symmachum eſſe interpretatum*, ὅτι αἱ ψύαι μου ἐπλήσθησαν ἐμπαιγμάτων ἤτοι ἀτιμίας. *quare* S. *Hieronymus ita vertit*, quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus. *Ita Scholio convenit cum Sancto Ambroſio.* (*l*) Rugiebam.] ὠρυόμην. *Sanctus Baſilius*, aut ſecundum Aquilam, ἐβρυχώμην ἀπὸ βρυγμοῦ τῆς καρδίας μου, fremebam a fremitu cordis mei. (*m*) Amici mei & proximi mei.] *Theodoretus*, hoc Symmachus ita eſt interpretatus, οἱ φίλοι, καὶ οἱ ἑταῖροί μου ἐξ ἐναντίας τῇ (*al.* ἐν τῇ) πληγῇ μου ἀντέστησαν, *al.* ἔστησαν, amici mei, & ſodales mei ex adverſo in plaga mea reſtiterunt, *al.* ſteterunt. *Quare, quæ in noſtris exemplaribus conjuncte leguntur*, ἤγγισαν, καὶ ἔστησαν, *fortaſſe duæ interpretationes ſunt.* (*n*) Mala mihi.] *Aquila*, κακίαν μου, κακόν μου, malum meum. (*o*) Magna locuti ſunt.] ἐπ' ἐμὲ ἐμεγαλορρημόνησαν. *Symmachus*, καταμεγαλύνονταί μου, ſuper me magnificantur, *ut* S. *Hieronymus*. (*p*) In flagella.] *Symmachus*, εἰς τὸ σκάζειν παρεσκεύασμαι, ad claudicandum paratus ſum. (*q*) Vivunt & confortati ſunt.] *Symmachus*, ζῶντες ὑπερισχύουσιν, viventes prævalent, *aut, ut* S. *Hieronymus*, confortati ſunt. (*r*) Detrahebant mihi.] *Symmachus*, ἀντέκειντό μοι, adverſabantur mihi, *& ita* S. *Hieronymus.* (*ſ*) Perſequutus ſum juſtitiam.] *Ita* S. *Auguſtinus, quod græce eſt*, κατεδίωκον δικαιοσύνην. S. *Ambroſius*, ſubſequutus ſum juſtitiam. *Cum hac lectione convenit pſalterium Arabicum, Æthiopicum, Romanum & metaphraſis Apollinarii. In aliquot tamen codicibus eſt*, ἀγαθωσύνην, *& vulgata*, quoniam ſequebar bonitatem. *Poſt hunc autem verſum teſtatur* S. *Ambroſius, in aliquot codd. græcis & latinis fuiſſe hæc*, & projecerunt me, ſicut mortuum abominatum; ſed tu ne derelinquas me, &c. (*t*) Intende] πρόσχες. *Schol. cæteri*, σπεῦσον, & S. *Hieronymus*, feſtina.

PSAL. XXXVIII.

(*a*) IPſi Idithum.] *Schol.* τῷ ἑνὶ κριτῇ τῷ ἐρχομένῳ, uni judici, qui inſtabat. *Alius*: Idithum ſignificat, ἀπάτην, deceptionem, fallaciam. *Aliud Scholium*, cæteri, ὑπὲρ Ἰδιθοὺν, *& ita* S. *Ambroſ.* S. *Auguſt. & vulgata*, pro Idithum. (*b*) Dixi, cuſtodiam] *Euſebius*: Hæc autem Symmach. ita eſt interpretatus, εἶπον, φυλάξω τὰς ὁδούς μου, μὴ ἁμαρτεῖν διὰ τῆς γλώσσης μου. φυλάξω τὸ στόμα μου φιμῷ, ἔτι ὄντος ἀσεβοῦς ἐξ ἐναντίας μου, ἄλαλος ἐγενόμην, σιγῇ ἐσιωπήθην, μὴ ὢν ἐν ἀγαθῷ. Dixi cuſtodiam vias meas, ut non peccem per linguam meam : cuſtodiam os meum capiſtro, dum adhuc eſt impius adverſum me: mutus factus ſum, ſilentio ſilui, cum non ſum in bono. (*c*) Renovatus eſt.] *Symm.* ἀνεταράχθη, & S. *Hieron*. conturbatus eſt. (*d*) Concaluit.] *Theodor.* Hoc Symm. ita eſt interpretatus, ἐξεθερμάνθη ἡ καρδία μου ἐντός μου, ἐν τῷ ἀναπολεῖν με, ἀνεκαιόμην πυρὶ, excalefactum eſt cor meum intra me: & dum ego animadverterem, accenſus ſum igni. (*e*) Veteres.] *Ita pſalterium Romanum, & S. Auguſt. & S. Ambroſ. apud quem hæc leguntur*, ecce veteres poſuiſti dies meos: Alius habet, palæſtas poſuiſti dies meos. Si ſecundum LXX viros veteres accipimus, dies, &c. *Ita* S. *Ambroſ.* παλαιὰς *agnoſcit tanquam lectionem LXX & eandem habent pſalterium Arabicum, & Æthiopicum, & metaphraſis Apollinarii. In cæteris libris Græcis eſt*, παλαιστὰς, *Itemque apud S. Gregorium Nazianzenum in oratione in Cæſ. fratrem. Euſebius*: Pro quo Symm. reddidit, ἰδοὺ ὡς σπιθαμὰς ἔδωκας τὰς ἡμέρας μου, ecce tanquam palmas dediſti dies meos: ἄλλος δ' ἂν εἴποι παλαιστὰς εἰρῆσθαι τὰς τῶν ἀνθρώπων ἡμέρας διὰ τὸ πεπληρῶσθαι ἀγῶνος καὶ πάλης. Alius autem dixerit, παλαιστὰς, vocatos eſſe hominis dies, eo quod pleni ſunt certaminis, & luctæ, & tentationum. *Quæ Euſebij interpretatio placuit etiam* S. *Ambr. Quod ſi pro genere menſuræ accipiatur, de eo agit* S. *Hier. in Ezech. cap.* 40. *Ad hunc locum ponitur in uno libro veteri ſcholium hoc ex Chryſoſt.* παλαιστὴν δὲ λέγει τὴν τῆς παλάμης ἔκτασιν, palæſtam autem vocat extenſionem ipſius palmæ. *In lib. Vaticano eſt*, παλαιὰς, *poſtea alia manu additum fuit* ς. (*f*) Et ſubſtantia.] *Euſebius.* Pro quo Aquila interpretatus eſt, καὶ κατάδυσίς μου ὡς οὐκ ἔστιν ἐναντίον σου, & latibulum meum (*al.* occaſus, depreſſio mea) quaſi non eſt ante te: Symm autem, καὶ ἡ βίωσίς μου ὡς οὐδὲν ἀντικρύ σου, & vita mea, quaſi nihil in conſpectu tuo: *quomodo fere* S. *Hier.* (*g*) Univerſa vanitas.] σύμπαντα ματαιότης, & S. *Hieronymus clarius*, omnia enim vanitas. *Symm.* ἀτμὶς, vapor. (*h*) Vivens.] *Euſebius*, aut ſecundum Aquilam, πᾶς ἄνθρωπος ἐστηλωμένος, omnis homo erectus, vel ſecundum Symmachum, πᾶς ἄνθρωπος ἑστὼς, omnis homo ſtans: *quod eſt etiam* S. *Hieronymi.* (*i*) Veruntamen.] μέντοιγε, *quod notat Nicephorus hoc loco valere*, certe, & vere. S. *Auguſt*. quamquam in imagine ambulet homo. S. *Ambr*. quamquam in imagine Dei ambulet homo: *& diligenter iſta verba perpendit.* (*k*) Cui congregabit.] *Aquila & Theodotio*, τίς συλλέξει αὐτὰ, quis colliget ea. (*l*) Et nunc.] *Euſeb.* Propoſita verba Symm. ita reddidit, καὶ νῦν τί προσδοκῶ δέσποτα; ἡ ἀναμονή μου εἰς σέ ἐστιν, ἀπὸ πασῶν τῶν ἀθετησιῶν μου ἐξελοῦ με ἐπονείδιστον ἄφρονι μὴ τάξῃς με. ἄλαλος ἐγενόμην, οὐκ ἀνοίξω (*in aliquo exemplari legitur*, ἀνοίξεις, *ſed corrupte, ut videtur*) στόμα μου. σὺ γὰρ ἐποίησας. *quæ ita videtur fere vertiſſe* S. *Hieron.* Nunc ergo quid expecto Domine? præſtolatio mea tu es. Ab omnibus iniquitatibus meis libera me: opprobrium ſtulto ne ponas me: obmutui, non aperiam os meum, quia tu feciſti. *Idem vero Euſebius paulo poſt notat, quod Symmachus, dixit*, ἐπονείδιστον ἄφρονι μὴ τάξῃς με. *Aquilam quidem dixiſſe*, ὄνειδος ἀπορρέοντι μὴ θῇς με, opprobrium defluenti ne ponas me: *quintam vero editionem*, ὄνειδος ἄφρονι μὴ δῷς με, opprobrium inſipienti ne dederis me. (*m*) Apud te eſt.] *Ita vulgata*, παρά σοι. *In multis tamen codicibus eſt*, παρά σου, a te. *Ac notat Theodor. Aquilam, quod hic eſt*, ὑπόστασις, *dixiſſe*, καραδοκίαν, expectationem. (*n*) Qui feciſti me.] *Ita* S. *Auguſtinus, quod græce eſt.* ὅτι σὺ εἶ ὁ ποιήσας με. S. *Ambr.* quoniam tu feciſti me: *& cum hac lectione faciunt* *pſalterium Arabicum, & Æthiopicum, & metaphraſis Apollinarij, & Chryſoſtomus ſive Cyrillus, qui ita hunc locum explicat* : Ipſe igitur, inquit, feciſti me, & plaſmaſti, & tanquam opifex inſitam humanæ naturæ imbecillitatem perfectam habes. *In aliis libris græcis eſt*, ὅτι σὺ ἐποίησας *& vulgata*, quoniam tu feciſti. (*o*) Propter iniquitatem.] S. *Ambroſ. verbum e verbo ita reddidit*, in increpationibus pro iniquitate erudiſti hominem : *eodemque modo* S. *Auguſt. niſi quod habet*, in argutionibus. *Symmachus*, δι᾽ ἀδικίαν, propter injuſtitiam. (*p*) Et tabeſcere feciſti.] *Symm.* ϗ διαλύεις ὡς εὐρῶτα τὸ ἐπιθυμητὸν αὐτοῦ, & diſſolvis, tanquam cariem, deſiderabile illius. (*q*) Vane conturbatur omnis homo.] *Sic habent editiones latinæ, excepto Romano pſalt. Et* S. *Auguſt. addit*, vivens. *Vocem*, ταράσσεται, *habet etiam Theodor. abeſt tamen a multis libris : quanquam in aliquo eorum eſt appoſita ad marginem. Et fortaſſe hoc illud eſt quod* S. *Hier. ad Suniam dixit ſub veru additum eſſe in lxx. Pſalterium Romanum habet ut ſupra*, veruntamen univerſa vanitas, omnis homo vivens. (*r*) Auribus percipe.] *Sic interpungunt* S. *Ambroſius, &* S. *Auguſtinus, qui etiam habent*, ne ſileas a me, *quod etiam habuit & Nicephorus, & fortaſſe Euſebius : quinimo* S. *Auguſt. videtur addere*, ne obſurdeſcam in æternum. *Sed in aliis libris ita diſtinguitur* : exaudi Domine orationem meam & deprecationem meam auribus percipe : a lacrymis meis ne ſileas : *quod græce eſt*, μὴ παρασιωπήσῃς : *pro quo Symm. dixit*, μὴ παρακούσῃς, ne ſpernas audire. S. *Hier.* ad lacrymam meam ne obſurdeſcas. (*ſ*) In terra.] *Sic eſt in pſalterio Arabico, & Æthiopico, & metaphraſi Apollinaris. In aliis libris græcis eſt*, ὅτι πάροικος ἐγώ εἰμι παρὰ σοὶ, *& ita vulgata*, quoniam advena ego ſum apud te : *& Sanctus Auguſtinus*, quoniam inquilinus ego ſum apud te. *In pſalterio Romano, & apud* S. *Ambroſium conjungitur utrumque*, apud te in terra. *Theodoretus neutrum habet. Et de iſtis quidem nominibus*, incola, accola, advena, *videndus eſt* S. *Ambroſius.* (*t*) Remitte mihi.] *Ita vulgata, &* S. *Ambroſius.* S. *Auguſtinus*, dimitte me, ἄνες μοι. *Schol.* ἄφες, συγχώρησον, ἀνάπαυσον, dimitte, condona, da recreationem, & quietem. *Euſebius* : Pro quo Symmachus, ἀπόσχου μου ἵνα μειδιάσω, πρὶν ἀπελθεῖν με, ϗ μὴ ὑπάρχειν, recede a me, ut ſubrideam, antequam ego abeam, & non ſubſiſtam.

PSAL. XXXIX.

(*a*) VIdebunt multi.] S. *Auguſtinus habet*, videbunt juſti, *quod alibi non eſt inventum.* (*b*) Multa feciſti.] *Euſebius*, Symmachus autem inquit, πάμπολλα ἐποίησας σὺ κύριε ὁ θεός μου, τὰ τεράστιά σου, ϗ τοὺς διαλογισμούς σου, τοὺς ὑπὲρ ἡμῶν, οὐκ ἔστιν ἐκθέσθαι ἐπὶ σοῦ, *al.* ἐκθέσθαι σοι. Multa feciſti tu Domine Deus meus : prodigia tua, & cogitationes tuas pro nobis non eſt exponere ſuper te, (*al.* exponere tibi.) *Barbarus habet*, de te. *Sanctus Hieronymus* : non invenio ordinem coram te. (*c*) Annunciavi, & loquutus ſum.] *Euſebius* : Hæc Symmachus hunc in modum eſt interpretatus, ἐὰν ἐπαγγέλλων καταγγέλλω, πλείω ἐστὶν τοῦ διηγήσασθαι. *Quam ſententiam ita expreſſit Sanctus Hieronymus*, ſi narrare voluero, & numerare ; plura ſunt quam ut narrari queant. (*d*) Corpus autem perfeciſti.] *In uno codice, & commentariis Græcorum eſt*, ὠτία δέ μοι κατηρτίσω, *& apud Euſebium*, τὰ ὦτά μου, aures mihi, aut meas, perfeciſti. *Scholium*, τὰ ὠτία δὲ κατηρτίσω μοι. ὁ μακάριος Παῦλος εἰς τὸ σῶμα μεταβαλὼν εἴρηκεν, οὐκ ἀγνοῶν τὸ ἑβραϊκὸν, ἀλλὰ πρὸς τὸν οἰκεῖον σκοπὸν τούτῳ χρησάμενος. Beatus Paulus, in τὸ σῶμα (corpus) mutans dixit : non ignorans, quod erat in Hebraico, ſed ad ſuum ſcopum hoc uſus. *Aliud Scholium*, ὠτία δὲ ἔσκαψάς μοι, ὠτία δὲ κατεσκεύασάς μοι, aures autem fodiſti mihi, aures autem apparaſti mihi. *Sanctus Hieronymus habet*, aures fodiſti mihi. *Sanctus Auguſtinus habet, ut poſuimus in contextu. Sanctus Ambroſius*, corpus præparaſti mihi. *Vulgata*, aures autem perfeciſti mihi. (*e*) Tunc dixi.] τότε εἶπον. *Symmachus*, ὅτε εἶπον, quando dixi. (*f*) In capite libri.] *Euſebius*, aut juxta Symmachum, ἐν τῷ τεύχει τοῦ ὁρισμοῦ σου γέγραπται περὶ ἐμοῦ, in volumine definitionis tuæ ſcriptum eſt de me. *Theodoretus*, (*quod in quodam Scholio tribuitur Chryſoſtomo*) τὴν κεφαλίδα. Aquila & Symmachus dixerunt, εἴλημα, involucrum. οὕτω δὲ τὰς θείας γραφὰς μέχρι ϗ τήμερον ἰουδαῖοι κατασκευάζειν εἰώθασι. Hoc autem modo conſueverunt Hebræi, & ad hunc uſque diem ſacras ſcripturas concinnare, & munire. *De qua etiam re Nicephorus. In alio Scholio*, ἐν τῷ εἰλήματι, *tribuitur Aquilæ, Symmacho autem, ut etiam ex Euſebio attulimus*, ἐν τῷ τεύχει. *atque additur alium dixiſſe*, ἐν τόμῳ, in tomo. (*g*) Ut facerem.] *Sive, ut* S. *Ambroſius*, ut faciam, τοῦ ποιῆσαι. *Notat autem Nicephorus redundare articulum*, τοῦ, *ut ſæpe alias : quare ita verti poſſet*, facere voluntatem tuam Deus meus volui. (*h*) In medio cordis mei.] *Ita* S. *Auguſtinus, &* S. *Ambroſius, & vulgata : quibuſcum facit Apollinarius, & pſalterium Arabicum : & ita etiam legitur in quibuſdam commentariis græcis, ubi ſic explicatur*, ϗ ὥσπερ τινὰ νόμον ἔχω κεκρυμμένον ἐν ἐμαυτῷ, τοῦτο γάρ ἐστι τὸ, ἐν μέσῳ τῆς καρδίας μου. Et tanquam legem quandam habeo in memetipſo. Hoc enim ſignificat illud, in medio cordis mei. Et aliquanto poſt, τὸ δὲ ἐν μέσῳ τῆς κοιλίας μου, ἐκ μεταφορᾶς εἴρηκε τῶν δὴ περί τινα διακειμένων ϗ ἔνδον ἐφιεμένων ἐμβαλεῖν τὸν ποθούμενον. in medio cordis mei dixit per metaphoram ductam ab eis qui bene erga aliquem affecti ſunt, cupiuntque amatum intus recondere. *Sed in pleriſque libris eſt*, τῆς κοιλίας, ventris : *quod eſt in pſalterio Romano: & a patribus græcis multipliciter explanatur. Hanc lectionem inquit etiam* S. *Ambroſius alios habere : &* S. *Hieronymus fatetur propter euphoniam, illud*, ventris, *apud latinos, in* cordis, *tranſlatum eſſe. Euſebius*, aut juxta Symmachum, προεθυμήθην τὸν νόμον σου ἔνδοθεν ἐγκάτων μου, præelegi (*aut*, ſtudioſe ſuſcepi) legem tuam intra viſcera mea. (*i*) Bene nunciavi.] *Sic* S. *Ambroſius, &* S. *Auguſtinus quod græce eſt*, εὐηγγελισάμην, *& in vulgata*, annunciavi : *quod autem addunt*, juſtitiam tuam, *illud*, tuam, *in paucis græcis codicibus eſt inventum.* (*k*) Domine tu cognoviſti.] *Sententia quæ ex hac interpunctione, & lectione elicitur, eſt etiam in pſalterio Æthiopico, & ab Apollinario tribus verſibus exprimitur, qui hoc ſonant,*

Αὐτὸς ἐμὴν πραπίδεσσι δικαιοσύνην δεδάηκας.
Οὐ σεῦ ἀληθείην σκοτίῃ φρενὶ θῆκα καλύψας.
Ἀμφαδίην δ᾽ ἀγόρευσα ἀλεξίκακον σέο φέγγος.

Ipſe meam in præcordiis juſtitiam cognoviſti : Non veritatem tuam obſcuro cordi commiſi occultans, palam vero pronunciavi lumen tuum ſalutare. *In aliis autem libris græcis, & legitur, & interpungitur hoc modo*, κύριε σὺ ἔγνως, τὴν δικαιοσύνην σου οὐκ ἔκρυψα. *In pſalterio Arabico utrumque conjungitur*, Domine tu cognoviſti juſtitiam meam, non abſcondiſti juſtitiam tuam in corde meo. S. *Auguſtinus*, Domine tu cognoviſti, juſtitiam tuam non abſcondi in corde meo. Veritatem tuam, & ſalutare tuum dixi : *& item vulgata, niſi quod pro*, cognoviſti, *habet*, ſciſti. *Sanctus Ambroſius*, tu cognoviſti. Juſtitiam meam non abſcondi in corde meo, veritatem tuam, & ſalutare tuum dixi. (*l*) Miſericordiam tuam.] *Symmachus*, τὴν χάριν σου, gratiam tuam. (*m*) Congregatione.] *Sic Sanctus Auguſtinus*, ἀπὸ συναγωγῆς, *vulgata*, a conſilio multo. *Symmachus*, ἐν πλήθει, in multitudine. *Aquila & Theodotio*, ἐν ἐκκλησίᾳ μεγάλῃ, in eccleſia magna. (*n*) Suſceperunt me.] *Symmachus*, περιφρουρείτω με, circummuniat me. (*o*) Reſpice.] πρόσχες. *Cum Sunia & Fretela haberent græcum exemplar, in quo erat* σπεῦσον, feſtina, *teſtatur Sanctus Hieronymus apud lxx. ſcriptum eſſe*, πρόσχες. (*p*) Mihi mala.] *Aquila*, κακίαν μου, malum meum. *Symmachus*, κάκωσίν μου, afflictionem meam. (*q*) Confundantur, & revereantur.] καταισχυνθείησαν, ϗ ἐντραπείησαν. *Euſebius refert, Symmachum his verbis uſum eſſe*, ἐντρέπονται, ϗ ἀσχημονοῦσιν, confunduntur, & dedecorantur. (*r*) Euge, euge.] *Euſebius*, Pro quo Symmachus interpretatus eſt, ἀὰ, ἀὰ, ipſa, quæ ſic habet, Hebraica voce uſus. *Et* S. *Hieronymus ſatis prope ad hebræum*, vah, vah.

PSAL. XL.

(*a*) ET pauperem.] *Euſebius* : Illud autem, πένητα, neque in Hebræo, neque apud cæteros interpretes extat. *Idem notat Theodor. atque addit, neque in Syro haberi, ſe tamen inveniſſe in quibuſdam exemplaribus.* (*b*) In die mala] *Euſebius*, aut juxta Symm. ἐν ἡμέρᾳ κακώσεως, in die afflictionis. *Idem refertur a Didymo, & Theodor.* (*c*) Et vivificet, ϗ ζήσαι αὐτόν. *Aquila*, ϗ ζωῶσαι, *quod idem valet. Euſebius* : aut juxta Symm. φυλάξει αὐτὸν ϗ περισώσει αὐτὸν, ϗ μακαριστὸς ἔσται. *quomodo fere* S. *Hieron.* cuſtodiet eum, & vivificabit eum, & beatus erit in terra. S. *Ambroſius habet*, & vivificet eum, & beatum faciat eum, & emundet in terra vitam ejus : *nec multo aliter pſalterium Romanum.* (*d*) In manus inimici ejus.] *Ita* S. *Ambroſius, &* S. *Auguſtinus. In aliis libris græcis eſt*, εἰς χεῖρας ἐχθρῶν αὐτοῦ, in manus inimicorum ejus. *Euſebius* : Pro quo Symmachus ait, ϗ οὐκ ἐκδώσει αὐτὸν εἰς ψυχὰς ἐχθρῶν αὐτοῦ, & non exponet eum in animas inimicorum ejus. S. *Ambroſius*, Alii habent Græci, & non tradat eum in animas inimicorum ejus, *& ita vulg. niſi quod habet*, animam. *Scholium vero*, Aquila, ἐν ψυχῇ ἐχθροῦ, in anima inimici *Theodotio*, εἰς ψυχὴν, in animam. *Symmachus*, ψυχαῖς, animabus. (*e*) Super lectum doloris ejus. S. *Ambroſius*, Symmachus lectum miſeriæ dixit, Aquila grabatum miſeriæ : expreſſius lxx. viri lectum doloris putaverunt eſſe dicendum. (*f*) Ego dixi.] *Symmachus*, ἐμοῦ λέγοντος, me dicente. (*g*) Quia peccavi tibi.] *Theodoretus*: Animadvertendum eſt Symmachum non dixiſſe, ὅτι ἥμαρτόν σοι, ſed, ϗ εἰ ἥμαρτόν σοι, etiam ſi peccavi tibi : *quod etiam notavit Didymus.* (*h*) Dixerunt mala mihi.] *Symmachus*, ἔλεγον κακὰ περὶ ἐμοῦ, dicebant mala de me. (*i*) Et ſi ingrediebatur.] ϗ εἰ εἰσεπορεύετο. *A multis libris græcis abeſt illud*, εἰ, *neque agnoſcitur a* S. *Ambroſio, neque a* S. *Auguſtino, qui habet*, & ingrediebantur, ut viderent. S. *tamen Hieronymus ad Suniam teſtatur hoc manifeſtiſſime, & in hebræo, & apud lxx. & omnes interpretes eſſe ; & habetur in vulgata. Aquila*, ἐὰν ἔλθῃ τοῦ ἰδεῖν, εἰκῆ λαλήσει, *Symmachus*, ϗ εἰσερχόμενος ἐπισκοπῆσαι, μάταια λαλεῖ, *quæ ita fere reddidit* S. *Hieronymus*, & ſi venerit, ut viſitet ; vana loquetur. *Cæterum quod ſequitur*, cor ejus. *In multis codicibus græcis & latinis conjungitur cum præcedentibus : in multis aliis cum ſubſequentibus : & ita teſtatur Sanctus Ambroſius ſe inveniſſe diſtinctum græcis in codicibus.* (*k*) In idipſum.] *Idem de iſtis evenit. Nam apud multos conjunguntur cum proxime ſequentibus*, in idipſum adverſum me, &c. (*l*) Nunquid qui dormit.] *Aquila*, ὃς κοιμηθῇ, οὐ προσθήσει τοῦ ἀναστῆναι ; qui dormierit, non addet ut reſurgat ? *quomodo fere* S. *Hieronymus. Sym.* ϗ πεσὼν, οὐκ ἐπαναστήσεται, & cum ceciderit, non reſurget. (*m*) Etenim homo pacis meæ] *Euſebius*, at juxta Symmachum, ἀλλὰ ϗ ἄνθρωπος ὃς εἰρήνευέν μοι, ᾧ ἐπεποίθειν, συνεσθίων μοι ἄρτον ἐμὸν, κατεμεγαλύνθη μου, ἀκολουθῶν, ſed etiam homo qui mecum pacifice agebat, cui fidebam, comedens mecum panem meum, magnificatus eſt contra me, inſequens: aut juxta Aquilam, κατεμεγαλύνθη μου, πτέρνᾳ, *al* πτέρναν, magnificatus eſt contra me calcaneo. *Theodoretus autem hæc refert ex Aquila, & Theodotione*, καί γε ἀνὴρ εἰρήνης μου, ᾧ ἐπεποίθησα, & quidem vir pacis meæ, in quo confiſus ſum. (*n*) Magnificavit ſuper me ſupplantationem.] S. *Ambroſius*, ampliavit : *ſed notat græcum*, ἐμεγάλυνεν, *valere*, magnificavit. S. *Auguſtinus*, ampliavit ſuper me calcaneum. *Admonet autem Euſebius, Aquilam, cum pro*, πτερνισμὸν, *quod eſt apud lxx. dixit*, πτέρναν, *hebraicam lectionem eſſe ſequutum : quare & Joannem Evangeliſtam, ut hebræum ex hebræis, cap.* 13. *inducere Salvatorem dicentem*, πτέρναν, calcaneum. (*o*) Cognovi.] ἔγνων, *Symmachus*, γνώσομαι, cognoſcam. (*p*) Qnoniam non gaudebit] ὅτι οὐ μὴ ἐπιχαρῇ. *Symmachus*, ἐὰν μὴ, ſi non gaviſus fuerit. (*q*) Innocentiam.] ἀκακίαν, *Euſebius*, aut juxta Aquilam, & Symmachum, διὰ τὴν ἁπλότητα, propter ſimplicitatem. (*r*) Confirmaſti.] ἐβεβαίωσας. *Symmachus*, παραστήσεις με, ſtatues me, *& ita* S. *Hieronymus.* (*ſ*) A ſeculo, & in ſeculum fiat, fiat] S. *Ambroſius*, in æternum, a ſeculo, in ſeculum : fiat, fiat. S. *Auguſtinus*, a ſeculo, & in ſeculum, & dicet omnis populus, fiat, fiat. *Notat autem Euſebius, pro* γένοιτο, γένοιτο, *Aquilam quidem dixiſſe*, πεπιστωμένως, πεπιστωμένως, fideliter, fideliter : *Symmachum vero*, ἀμὴν, ἀμὴν, *qua dictione ſæpe etiam uſus fuerit Dominus : Eam nunc attulit etiam* S. *Hieronymus. Chryſoſtomus (aut, ut alij, Athanaſius,)* εἰδέναι δεῖ ὅτι τὴν ψαλμικὴν ταύτην προφητείαν εἰς πέντε τινὲς διελόντες βίβλους, μέχρι τοῦ ψαλμοῦ τούτου τὴν πρώτην νομίζουσι, ἐπειδὴ πρὸς τῷ τέλει στέφανον, ὥσπερ τὴν εὐλογίαν τὴν εἰς θεὸν κέκτηται, ὅθεν οὕτω διαιροῦσι ϗ τὰς ἑξῆς τέσσαρας. Scire licet, eos qui hanc pſalmorum prophetiam in quinque libros dividunt, primum protendere uſque ad hunc pſalmum : quod in extremo tanquam benedictionem in Deum continet. Quare hoc etiam modo diſtinguunt & ſequentes quatuor : *ſed de hac re multa* S. *Ambroſius, Euſebius, & alij.*

PSAL. XLI.

(*a*) IN intellectum.] εἰς σύνεσιν. *Ita etiam Euſebius. In aliis libris eſt,* συνέσεως, *& ita S. Auguſtinus, & vulgata,* intellectus. *Addit etiam Euſebius, pro,* τοῖς υἱοῖς κορὲ, *Aquilam & Symmachum concorditer dixiſſe* τῶν υἱῶν κορὲ, filiorum Core. (*b*) Deſiderat cervus.] *Notat Euſebius, Symmachum uſum eſſe verbo* ἱμείρεσθαι, *quod item ſignificat deſiderare, & cupidum eſſe: ſed in Scholio ita ſcribitur:* Symmachus, ὡς σπεύδει ἔλαφος, ſicut feſtinat cervus: ſexta editio, ὃν τρόπον πεδίον πρασιασθῇ, quemadmodum campus ſitiet imbrem. *Ita enim S. Hieron. Joel* 1. *Aquila* ὡς αὐλὼν πρασιᾶσαι, quemadmodum convallis ſitiet imbrem. *Joel* 1. 20. תערג. Aquila, ἐπρασιώθη, i. interprete Hieron. tanquam area, imbrem ſitiens clamat. Verbum ab area effectum, quæ Græcis πρασιά. Ebraice autem vocatur ערוגה a quo verbum ערג, ſi Aquilæ credendum, quo hic uſus eſt David propheta. *Druſ.* (*c*) Ad Deum vivum.] *Ita S. Auguſtinus, S. Ambroſius, de Iſaac cap.* 1. *& S. Hilarius in pſal.* 62. *Pſalterium Romanum, Æthiopicum, Arabicum & metaphraſis Apollinaris. In multis autem Græcis codicibus eſt,* τὸν θεὸν τὸν ἰσχυρὸν τὸν ζῶντα, Deum fortem, vivum: *unde poteſt in vulgatam irrepſiſſe illud,* fontem: *nam in aliquot vetuſtis codicibus eſt,* fortem. *Credibile autem eſt, illud,* ἰσχυρὸν, *eſſe Aquilæ. Nam in Hebræo eſt vox illa, quam, ut alibi diximus, obſervavit S. Hieronymus, ab Aquila verti,* fortem, *a lxx.* Deum. (*d*) Panis, die, ac nocte.] *S. Auguſtinus, & vulgata,* panes, *Symmachus,* ὡς ἄρτος συντάξεώς μου, *tanquam panis dimenſi mei.* (*e*) Recordatus.] *Sanctus Auguſtinus,* meditatus: *Symmachus,* ἀναπολῶν, animadvertens. (*f*) Tranſibo in locum.] S. *Auguſtinus,* ingrediar. *Euſebius:* Symm. ὅτι εἰσελεύσομαι εἰς τὴν σκηνὴν, διαβασταχθήσομαι ἕως τοῦ οἴκου μετὰ φωνῆς εὐφημίας, καὶ ἐξομολογήσεως πλήθους πανηγυριζόντων: quoniam introibo in tabernaculum, pervehar uſque ad domum (*catena Barbari addit,* Dei) cum voce laudationis, & confeſſionis, multitudinis celebrantium ſolennitatem. *Refer etiam nonnulla ex Aquila, ſed plenius Theodoretus,* εἰσελεύσομαι ἐν συσκίῳ, παραβιβάζων αὐτοὺς ἕως οἴκου τοῦ θεοῦ, ἐν φωνῇ αἰνέσεως, καὶ εὐχαριστίας ὄχλου ἑορτάζοντος, ingrediar in umbroſum adducens eos uſque ad domum Dei in voce laudationis, & gratiarum actionis turbæ feſtivitatem celebrantis. (*g*) Feſta celebrantium.] *Ita S. Hieronym. epiſt.* 140. *& pſalterium Arabicum, & Æthiopicum. Alij libri græci habent,* ἑορτάζοντος, *& ita* S. *Auguſtinus,* feſtivitatem celebrantis, *vulgata autem,* ſonus epulantis. (*h*) Quare triſtis es.] *Euſebius,* aut juxta Symmachum, τί κατακάμπτῃ ἡ ψυχή μου, καὶ τί θορυβῇ κατ' ἐμοῦ; ἀνάμεινον τὸν θεὸν, ὅτι διηνεκῶς ἐξομολογήσομαι αὐτῷ τὰς σωτηρίας τοῦ προσώπου αὐτοῦ. Quare incurvaris anima mea, & quare conturbaris ſuper me? expecta Deum; quia aſſidue confitebor ei ſalutes faciei ejus: aut, ſecundum Aquilam, ταῖς σωτηρίαις τοῦ προσώπου αὐτοῦ, ſalutaribus vultus ejus, *quod habet S. Hieronymus. In Scholio tamen ex Aquila refertur,* τί κατακύπτεις; quid inclinas te? *ex Symmacho,* τί κατατήκῃ; quid tabeſcis? (*i*) Quoniam confitebor.] *In vulgata eſt,* quoniam adhuc confitebor: *quod S. Hieronymus fatetur ſub aſteriſco additum eſſe.* (*k*) Ad meipſum anima mea.] *Euſebius & Theodoretus:* Ita autem & Symmachus eſt interpretatus, ἡ ψυχή μου κατατήκεται ὅτ' ἂν ἀναμιμνήσκωμαί σου ἀπὸ γῆς Ἰορδάνου καὶ ἀπὸ Ἑρμωνιεὶμ ὄρους μικροτάτου, anima mea liquefit, quotieſcunque recordor tui a terra Jordanis, & ab Hermoniim monte minimo. (*l*) Abyſſus.] *Euſebius, & Theodoretus:* Et hæc Symmachus ita eſt interpretatus, ἄβυσσος ἀβύσσῳ ἀπαντῶσα (*al.* ἀπαντᾷ) ἀπὸ ἤχου τῶν κρουνῶν σου, abyſſus abyſſo occurrit a ſono aquæductuum tuorum. (*m*) Suſpenſiones tuæ.] *Sic* S. *Auguſtinus, & in explanatione,* ſuſpenſuræ, *quod græce eſt,* οἱ μετεωρισμοί σου. *Vulgata,* omnia excelſa tua. *Aquila,* οἱ συντριμμοί σου, illuſiones tuæ. *Euſebius, & Theodoretus,* Symmachus, αἱ καταιγίδες σου, καὶ τὰ κύματά σου ἐπάνω μου παρῆλθον. *quod ita videtur vertiſſe* S. *Hieronymus,* gurgites tui, & fluctus tui ſuper me tranſierunt. (*n*) Et nocte declarabit.] δηλώσει, *quod etiam eſt in nonnullis commentariis græcis. In pſalterio veteri, & Romano, & apud* S. *Auguſtinum,* declaravit, *& convenit Apollinarii metaphraſis, & pſalterium Æthiopicum. Cæteri libri græci habent,* νυκτὸς ᾠδὴ αὐτῷ, *vulgata,* nocte canticum ejus. *Euſebius habet,* καὶ νυκτὸς ᾠδὴ αὐτοῦ παρ' ἐμοὶ, & nocte canticum ejus apud me: *& addit,* juxta Aquilam vero, καὶ ἐν νυκτὶ ᾆσμα αὐτοῦ μετ' ἐμοῦ, & in nocte canticum ejus mecum. *In Scholio autem refertur ex Symmacho,* καὶ κατὰ νύκτα ᾠδὴ παρ' αὐτοῦ, & per noctem canticum ab eo. (*o*) Suſceptor meus.] *Euſebius:* Aquila & Symmachus, πέτρα μου, petra mea. (*p*) Dum affligit inimicus meus.] *Sanctus Auguſtinus,* affligit me inimicus, *vulgata,* dum affligit me inimicus, dum confringuntur oſſa mea: *quem etiam ſenſum verba græca ferunt. Aquila,* ἐν τῷ φονεῦσαί με ἐν ὀστέοις μου, *quod* S. *Hieronymus,* dum me interficerent in oſſibus meis. *Euſebius:* Epilogum facit, juxta Symmach. ἵνα τί σκυθρωπὸς περιπατῶ θλίβοντος ἐχθροῦ, καὶ ὡς σφαγὴν διὰ τῶν ὀστῶν μου ὠνείδιζόν οἱ ἐναντίοι μου; ἢ, ἐν τῷ θλᾶσθαι τὰ ὀστᾶ μου, ὀνείδιζόν με οἱ θλίβοντές με; Quare triſtis ambulo, affligente inimico, & quaſi occiſionem per oſſa mea, exprobrabant adverſarii mei? Aut (*videtur hoc addi ex alia editione*) dum confringuntur oſſa mea, exprobrabant me, tribulantes me? (*q*) Qui tribulant me.] *Sic apud S. Aug. & in pſalterio Romano, & hanc tanquam lxx. lectionem agnoſcit S. Hier. ad Suniam. In cæteris libris græcis eſt,* οἱ ἐχθροί μου, *& vulgata utrumque conjunxit,* qui tribulant me, inimici mei. (*r*) Salus vultus mei.] *Ita S. Auguſt.* ἡ σωτηρία, *cæteri libri græci,* σωτήριον, *& vulgata,* ſalutare. (*ſ*) Et Deus.] *Conjunctio,* καὶ, *in loco ſuperiori, ubi hoc idem poſitum eſt, in multis libris græcis eſt, in multis non eſt, itemque in latinis: in hoc autem eſt fere in omnibus: ſed notat* S. *Hieronymus, ſub aſteriſco additam eſſe.*

PSAL. XLII.

(*a*) PSalmus.] *Notat Euſebius quemadmodum & multi, pſalmum hunc ſine inſcriptione eſſe apud Hebræos, & cæteros interpretes, viderique partem eſſe præcedentis pſalmi.* (*b*) Ipſi David.] *Schol.* Δαυὶδ, *exponitur,* ἐξουδενωμένος, καὶ ἠλεημένος, contemptus, & miſericordiam conſequutus. (*c*) Judica me.] κρῖνόν με. *In multis codicibus Græcis, & apud Theodoretum & Nicephorum eſt,* κρῖνόν μοι, judica mihi: *eamque lectionem videtur etiam Euſebius probare. Ex Symmacho autem hæc refert,* κρῖνόν μοι, καὶ ὑπερδίκησον τῆς δίκης μου, judica mihi, & defende in judicio cauſam meam. (*d*) Ab homine iniquo.] *Aquila,* ἀπὸ ἀνδρὸς ἐπιθέσεως, καὶ παρανομίας, a viro doli, & iniquitatis. (*e*) Dum affligit inimicus meus.] *A multis græcis codicibus, & Euſebio, & Theodotione, abeſt illud,* μου, *S. Auguſtinus & vulgata habent,* me. (*f*) Ipſa me deduxerunt.] *Theodoretus: (quod in commentariis græcis, etiam Origeni & Chryſoſtomo tribuitur)* ἐνταῦθα τὸν χρόνον ἤλλαξαν οἱ ἑβδομήκοντα, καὶ γεγενημένα εἰρήκασι τὰ ἐσόμενα. Hoc loco tempus mutarunt lxx, & quæ futura ſunt, dixerunt tanquam facta. Cæteri autem clariorem attulerunt interpretationem, ἀπόστειλον τὸ φῶς σου, καὶ τὴν ἀλήθειάν σου, ἅτινα ὁδηγήσει με καὶ ἄξει με εἰς τὸ ὄρος τὸ ἅγιόν σου, καὶ εἰς τὰς σκηνώσεις σου, *quæ ita fere vertit S. Hieronymus,* mitte lucem tuam, & veritatem tuam, ipſa ducent me, & introducent me ad montem ſanctum tuum & in tabernaculum tuum. (*g*) Et introibo.] *Theodor.* Hoc Symm. ita eſt interpretatus, ἵνα τί ἔλθω πρὸς τὸ θυσιαστήριον τοῦ θεοῦ, πρὸς τὸν θεὸν τὴν εὐφροσύνην τῆς εὐθυμίας μου· καὶ ἐξομολογήσομαί σοι ἐν ψαλτηρίῳ ὁ θεὸς, ὁ θεός μου, ut veniam ad altare Dei, ad Deum lætitiam jucunditatis meæ. Et confitebor tibi in pſalterio, Deus, Deus meus. (*h*) Triſtis es.] *Quinta editio,* ταπεινοῦσαι, humiliaris, & deprimeris. *Euſebius:* Symmachus autem, τί καταρρέεις (*al.* καταρρεῖς) ψυχή μου καὶ τί θορυβεῖς ἐπ' ἐμέ; ἀνάμεινον τὸν θεόν. εἰς ἀεὶ γὰρ ἐξομολογήσομαι αὐτῷ τῇ σωτηρίᾳ τοῦ προσώπου μου, καὶ θεῷ μου, quare defluis anima mea, & quid turbas ſuper me? Expecta Deum: nam in æternum confitebor illi, ſaluti vultus mei, & Deo meo. (*i*) Deus meus.] *Etiam hoc loco in multis libris græcis & latinis eſt,* & Deus meus.

PSAL. XLIII.

(*a*) AD intellectum pſalmus.] S. *Ambroſius, &* S. *Auguſtinus habet,* intellectus. *Addit autem* S. *Ambroſius, Aquilam poſuiſſe,* pſalmum diſciplinæ. *Euſebius notat, neque propoſitos ſermones præſcribi, pſalmum, aut odam, aut hymnum, aut quippiam ejuſmodi.* (*b*) In auribus noſtris.] *Notat* S. *Ambroſius, lxx, & Theodotionem dixiſſe,* in auribus: *Symmachum vero,* auribus: *quomodo fere habent editiones Latinæ.* (*c*) In diebus antiquis.] *Chryſoſtomus:* Alius, ἐν ἡμέραις ταῖς πρὶν, in diebus priſtinis: Alius, ταῖς ἀρχῆθεν, qui ab antiquo. (*d*) Et expuliſti eos.] ἐξέβαλες αὐτοὺς, *Aquila,* καὶ ἐξαπέστειλας αὐτοὺς, & emiſiſti eos, *quod habet* S. *Hieronymus. Symmachus,* καὶ ἐξήλασας αὐτοὺς, *quod idem valet,* expuliſti, & ejeciſti. (*e*) Illuminatio.] *Chryſoſtomus.* Alius, τὸ φῶς, ὅτι ηὐδόκησας ἐν αὐτοῖς, lux, quoniam complacuiſti in eis: *aut quemadmodum eſt apud* S. *Ambr.* complacuit tibi in illis. (*f*) Tu es ipſe.] *Euſebius:* Pro quo Symmachus, σὺ εἶ ὁ βασιλεύς μου ὁ θεὸς, ἔντειλαι περὶ τῆς σωτηρίας Ἰακὼβ, tu es rex meus, Deus: manda de ſalute Jacob. (*g*) Inimicos noſtros ventilabimus.] *Chryſoſtomus:* Alius, τοὺς θλίβοντας ἡμᾶς, eos qui tribulant nos. *Quod autem in vulgata eſt,* ventilabimus cornu, *Græce eſt,* κερατιοῦμεν, *quaſi cornupetemus: & in codicibus Sancti Auguſtini, &* S. *Ambroſii non eſt vox,* cornu: *ſed* S. *Ambr. in explanatione manifeſto eum agnoſcit.* (*h*) Spernemus.] ἐξουδενώσομεν, *Aquila, & Symmachus,* συμπατήσομεν, conculcabimus, *ut eſt apud* S. *Hieronymum.* (*i*) Laudabimur.] *Ita dicitur modo verbi deponentis; quod Græce eſt,* ἐπαινεθησόμεθα. *Euſebius,* aut juxta Aquilam, ἐν τῷ θεῷ καυχησόμεθα, vel juxta Symmachum, τὸν θεὸν ὑμνοῦμεν ὅλην τὴν ἡμέραν, *al.* κατὰ πᾶσαν ἡμέραν. S. *Ambroſius,* Aquila tamen poſuit, in Domino gloriabimur tota die. Symmachus ait, Deo hymnum dicemus per omnem diem. (*k*) Nunc autem repuliſti.] νυνὶ δὲ ἀπώσω. *Chryſoſtomus,* Alius, καίπερ ἀπώσω, atque etiam repuliſti: Alius, καί γε ἀπώσω, (*quod idem valet:*) *Alius,* ἀλλὰ πρὸς τούτοις ἀπέβαλες, ſed præterea abjeciſti. (*l*) Non egredieris in virtutibus.] S. *Ambroſ.* quia non progredieris Deus in virtutibus: *& vocem,* Deus, *habent etiam* S. *Auguſt. & vulg. ſed admonet* S. *Hieron. ſupervacuam eſſe. Symm.* καὶ οὐ προέρχῃ ἐν τοῖς στρατεύμασιν ἡμῶν, & non progredieris in exercitibus noſtris. (*m*) Avertiſti nos.] *Euſeb.* aut juxta Symm. ἔταξας ἡμᾶς ἐσχάτους παντὸς ἐναντίου, καὶ οἱ μισοῦντες ἡμᾶς διαρπάζουσιν ἑαυτοῖς, ἔδωκας ἡμᾶς, ὡς βοσκήματα βρώσεως, καὶ εἰς τὰ ἔθνη ἐλίκμησας ἡμᾶς· ἀπέδου τὸν λαόν σου οὐχ ὑπάρξεως, καὶ οὐ πολλὴν ἐποίησας τὴν τιμὴν αὐτῶν, προπηλακισμὸν μετὰ χλευασμοῦ τοῖς κύκλῳ ἡμῶν, ἐποίησας ἡμᾶς παραβολὴν ἐν τοῖς ἔθνεσιν, κίνησιν κεφαλῆς ἐν ταῖς φυλαῖς, δι' ὅλης ἡμέρας ἡ ἀσχημόνησίς μου ἀντικρύς μου, καὶ ὁ καταισχυμμὸς τοῦ προσώπου μου καλύπτει με, ἀπὸ φωνῆς ὀνειδίζοντος, καὶ βλασφημοῦντος, ἀπὸ προσώπου ἐχθροῦ, καὶ τιμωροῦντος ἑαυτῷ. Ordinaſti nos noviſſimos ab omni adverſario (*ita enim* S. *Ambr.*) & qui odio habent nos, diripiunt ſibi. Dediſti nos tanquam pecora eſcæ (paſcua edentium S. *Ambr.*) & in gentibus ventilaſti nos, vendidiſti (*tradidiſti* S. *Ambr.*) populum tuum ſine ſubſtantia; nec multo feciſti pretium eorum: illuſionem (*in catena Barbari additur,* poſuiſti nos) cum deriſu iis qui ſunt in circuitu noſtro, feciſti nos parabolam in gentibus, commotionem capitis in tribubus. Per totam diem confuſio mea contra me, & ignominia faciei meæ cooperuit me. A voce exprobrantis, & blaſphemantis, a facie inimici, & vindictam ſibi facientis. *Quorum multa ſunt in tralatione* S. *Hier.* S. *Ambr. autem multa etiam affert ex Aq. & Theodotione, quæ apud ipſum operæ pretium, fuerit legere.* (*n*) In jubilationibus.] *Ita* S. *Auguſt. & pſalterium vetus, quod græce eſt,* ἐν τοῖς ἀλαλάγμασιν, *quomodo plerique libri habent, & cum hac eadem lectione facit pſalterium Æthiopicum. Aliquot vero codd. habent,* ἀλλάγμασι, *cui lectioni concordat pſalterium Arabicum, & Apollinarius &* S. *Ambroſius, & vulgata,* commutationibus eorum. *In commentariis græcis leguntur hæc:* Heſychius, ἀλαλαγμὸς, eſt oda pro victoria parta, itemque ἀλάλαγμα. *Cyrillus:* Quidam ſcribunt, οὐκ ἦν πλῆθος ἐν τοῖς ἀλαλάγμασιν ἡμῶν ἀλαλαγμός. Igitur vox victorum pro victoria parta. *Diodorus:* πέπρακας ἡμᾶς φησι τοῖς ἔθνεσι τοῦ μηδενὸς, τοῦτο γὰρ λέγει ἄνευ τιμῆς, ὡς ἀχρήστοις δούλοις καὶ οὐδενὸς ἀξίοις· καὶ τὸ αὐτὸ ἑρμηνεύων, ἐπάγει, καὶ οὐκ ἦν πλῆθος ἐν τοῖς ἀλλάγμασιν, τουτέστιν, ταῖς πράσεσιν· ἄλλαγμα γὰρ τὴν πρᾶσιν καλεῖ, ἀντὶ τοῦ οὐδαμινῆς τιμῆς τὸ καθ' ἡμᾶς ἐποίησας ἄλλαγμα. Vendidiſti nos, inquit, gentibus pro nihilo: hoc enim ſignificat, ἄνευ τιμῆς, tanquam inutiles ſervos, & nullius precii. Atque idem explanans infert, καὶ οὐκ ἦν πλῆθος ἐν τοῖς ἀλλάγμασιν, id eſt, venditionibus: ἄλλαγμα enim vocat ipſam venditionem, ac ſi diceret nullius precii feciſti commutationem noſtram. *Et paulo poſt,* τουτέστιν ἐν τῇ ὠνῇ ἡμῶν· ἡ γὰρ τιμὴ ἄλλαγμά ἐστιν, id eſt, in emptione noſtra: ipſum enim precium eſt ἄλλαγμα. *Sed rurſus aliquanto poſt, quaſi ad alterius lectionis explicationem, inquit,* καὶ οὐκ ἔστιν ὁ βοῶν πρός σε μετὰ κραυγῆς ἰσχυρᾶς καὶ δεήσεως καὶ δακρύων σφοδρῶν, & non eſt qui clamat ad te cum clamore valido, & deprecatione,

precatione, & lacrymis vehementibus. *Et in alio commentariorum græcorum libro*, Quod ſi ſcribitur, ἐν ἀλαλάγμασιν, σημαίνει ὅτι εἰς τοῦτο κακοῦ ἥκομεν, ὡς ἁλῶναι κατὰ κράτος καὶ ὑπὸ ὀλίγων ἐχθρῶν κατακυριευθῆναι· ὀλίγοι γὰρ ἡμῖν ἐπηλάλαξον, ἔστι γὰρ ὁ ἀλαλαγμὸς ἡ φωνὴ ἐπινίκιος. Hoc ſignificat, eo calamitatis venimus, ut capti imperioſe, & a paucis hoſtibus ſubjugati ſimus. Pauci enim nobis ἐπηλάλαξον, ac voce victorum inſultarunt, eſt enim, ὁ ἀλαλαγμὸς, vox pro victoria parta. *Theodotio* καὶ οὐκ ἦν πλεόνασμα ἐν τῷ ἀλλάγματι ἡμῶν, & non fuit abundantia in commutatione noſtra. (*o*) Et deriſum.] καταγέλωτα. *Quinta editio, & Theodotio*, χλευασμὸν, *ſexta editio, ut ſeptuaginta*, καταγέλωτα. *Chryſoſtomus* : Alius, πομπὴν τοῖς κύκλῳ ἡμῶν. *S. Ambroſ.* Unde pulchre poſuit Aquila, ſpretionem, & pompam poſuiſti nos, iis qui in circuitu noſtro ſunt. (*) Gentibus.] *Fatetur S. Hieronymus ad Suniam verbum e verbo dicendum fuiſſe*, in gentibus : *ſed potuiſſe ſine damno ſenſus interpretationis elegantiam conſervari.* (*p*) Commotionem capitis.] *Chryſoſtomus* : Alius, μετακίνημα, tranſmutationem : hebræus autem, μάννουδ, mannud. *S. Ambroſius videtur referre ex Aquila*, ἀλάλαγμα, & *addit*, hoc eſt, tranſmutationem, quæ de loco ad locum, de Judæa ad populos nationum : *ſed etiam apud ipſum videtur legendum*, ἄλλαγμα, *aut putavit idem valere*, ἀλάλαγμα. (*q*) Verecundia.] ἐντροπή. *Chryſoſt.* Alius, ἀσχημοσύνη μου, dedecus meum. *S. Ambroſius declarat, quid ſit*, ἐντροπὴ, & *ſubdit, Symm. dixiſſe*, tota die confuſio mea contra me eſt. (*r*) Obloquentis.] παραλαλοῦντος, *ſed in pleriſque libris eſt*, καταλαλοῦντος, detrahentis. (*ſ*) Et inique non egimus.] *Euſebius*, aut juxta Symmachum, οὐδὲ παρελογισάμεθα τὴν συνθήκην σου, nec doloſe tractavimus teſtamentum tuum. (*t*) Non receſſit.] οὐκ ἀπέστη, *Chryſoſt.* alius, οὐκ ἀπεχώρησεν, alius, καὶ οὐκ ἀπεστράφη, *quæ idem fere valent.* (*u*) Et declinaſti.] *Euſebius & Theodoretus*; Hoc Symm. ita eſt interpretatus, οὐδὲ μετετέθη (*al.* μετεκλίθη) τὰ ὑπορθοῦντα ἡμᾶς, ἀπὸ τῆς ὁδοῦ σου, neque tranſpoſita ſunt (*al.* inclinata) quæ dirigebant nos, a via tua. *Chryſoſt. refert ex alio*, καὶ ἔκλινε βήματα ἡμῶν, & declinaverunt greſſus noſtri. (*x*) Humiliaſti nos in loco afflictionis.] *S. Ambroſius videtur legiſſe*, in loco afflictationis. *S. Auguſt. autem*, de loco infirmitatis. *Euſebius*, aut juxta Aquilam, συνέθλασας ἡμᾶς ἐν τόπῳ ἀοικήτῳ, καὶ ἐπεπώμασας ἡμῖν σκιὰν θανάτου, confregiſti nos in loco deſerto, & aperuiſti ſuper nos umbram mortis. *Chryſoſt.* Alius, ἐν τόπῳ σειρήνων. *S. Ambroſius, hæc ex Aquila refert*, quoniam humiliaſti nos in loco Sirenum. *Item in Scholio illud*, καὶ ἐπεπώμασας ἡμῖν, *tribuitur quintæ editioni* : *Aquila autem hæc*, καὶ ἐκάλυψας ἡμᾶς ἐν σκιᾷ θανάτου, & operuiſti nos in umbra mortis. (*y*) Requiret.] ἐκζητήσει. *Aquila*, ἐξιχνιάσει, *Symm.* ἐξερευνήσει. S. *Ambr.* Aquila inveſtigabit iſta, dixit : Symmachus, inveniet iſta. *Addit etiam Aquilam dixiſſe*, viſiones cordis, & *paulo poſt*, in te morte afficimur. (*z*) Exurge.] *Chryſoſt.* Alius, ἐξυπνίσθητι, alius, ἐξύπνισον, expergiſcere, evigila e ſomno. (*ω*) Quare obdormis.] *Euſebius* : *Symmachus*, ἱνατί ὡς ὑπνῶν εἶ δέσποτα; ἐξύπνισον, καὶ μὴ ἀποβάλῃ εἰς τέλος. Quare, ſicut obdormiens es Domine? evigila, & ne abijcias in finem. (*aa*) Avertis.] *Euſebius* : Symmachus, ἱνατί τὸ πρόσωπόν σου κρύπτεις, ἐπιλανθάνῃ τῆς κακώσεως ἡμῶν, καὶ θλίψεως; quare faciem tuam abſcondis? obliviſceris afflictionis noſtræ, & tribulationis noſtræ. *S. Ambroſius autem refert, Symmachum pro tribulatione, poſuiſſe afflictationem. Et in Scholio refertur ex Symmacho*, κακουχίας, & *ex alio*, τῆς κακίας ἡμῶν. (*bb*) Humiliata eſt.] ἐταπεινώθη. *Aquila*, κατέκυψεν, procubuit. *Symm.* κατεκάμφθη, incurvata eſt. (*cc*) Exurge Domine.] *Notat S. Hieronymus, more ſolito in græco additum eſſe*, Domine. *Chryſoſt.* Alius, στῆθι ἀντιλαμβανόμενος ἡμῶν, καὶ ῥῦσαι ἡμᾶς διὰ τὸ ἔλεός σου, ſta ſuſcipiens nos, & erue nos propter miſericordiam tuam. *In Scholio illud*, διὰ τὸ ἔλεός σου, *tribuitur Aquilæ, & Symmacho.*

PSAL. XLIV.

(*a*) IN finem.] S. *Hieron. inquit ſe reperiſſe in titulo*, In finem pro his qui commutabuntur filiorum Core intelligentiæ canticum pro dilecto. S. *Auguſt. habet*, filiis, & in intellectu. *Aquila*, τῷ νικοποιῷ ἐπὶ τοῖς κρίνοις τῶν υἱῶν Κορὲ ἐπιστήμονος ᾆσμα προσφιλίας, vincenti pro liliis filiorum Core, ſcientis canticum amoris. *Symm.* ἐπινίκιον ὑπὲρ τῶν ἀνθῶν τῶν υἱῶν Κορὲ συνέσεως, ᾆσμα εἰς τὸν ἀγαπητὸν, triumphus (*ita enim vertit S. Hier.*) pro floribus filiorum Core intelligentiæ canticum in dilectum. *In Scholio autem refertur ex Chryſoſtomo, pro*, ᾆσμα προσφιλίας, *alium dixiſſe*, τοῖς ἠγαπημένοις, dilectis, *quod Hebraice ſit Idithot.* (*b*) Eructavit.] *Euſebius* : Pro, ἐξηρεύξατο ἡ καρδία μου, Symmachus inquit, ἐκινήθη ἡ καρδία μου λόγῳ ἀγαθῷ, *quod interpretatur S. Hieronymus*, commotum eſt cor meum verbo bono. *Chryſoſtomus*: Alius, ἐξείρπυσεν, exprompſit. (*c*) Opera mea.] *Chryſoſtomus* : Alius, τὰ ποιήματά μου, opificia mea. *Euſebius* : aut juxta Aquilam, & Symmachum, τὰ δικαιώματά μου ἐξαγγελῶ, juſtificationes meas enunciabo. (*d*) Calamus ſcribæ.] *Euſebius*, pro hoc Aquila quidem, σχοῖνος γραμματέως ταχινοῦ, juncus ſcribæ velocis. Symmachus autem inquit, ἡ γλῶσσά μου γραφεῖον γραφέως ταχινοῦ, lingua mea ſtylus ſcriptoris velocis. (*e*) Specioſus forma.] ὡραῖος κάλλει, *quod poſſet etiam verti*, ſpecioſus decore, & pulchritudine, *aut*, decorus ſpecie, *ut S Cypr. 2. lib. adverſus Judæos, & de hac re hoc loco S. Baſil. Euſeb. & S. Baſilius* : Aquila iſtud hoc modo eſt interpretatus, κάλλει ἐκαλλιώθης (*al.* ἐκαλλωπίσθης) ἀπὸ υἱῶν ἀνθρώπων (*al.* παρὰ τοὺς υἱοὺς) pulchritudine pulchruiſti (*ſi ita fas eſt dicere*) a filiis hominum. Symmachus autem, κάλλει καλὸς εἶ παρὰ τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων, pulchritudine pulcher es præter filios hominum : quinta autem editio, κάλλει ὡραιώθης παρὰ τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων, pulchritudine floruiſti præ filiis hominum. *Addit etiam Euſebius hæc apud lxx conjungi cum præcedentibus, apud cæteros autem cum ſequentibus.* (*f*) Diffuſa eſt gratia.] Aut effuſa, *ut S. Cypr. & S. Hieron. Chryſoſt.* Alius, ἀνεχύθη χάρις τοῖς χείλεσί σου, refuſa eſt gratia labiis tuis. (*g*) Propterea.] διὰ τοῦτο. *Chryſoſt* : Alius, ἐπὶ τούτῳ, *itemque paulo inferius* : *quod idem videtur valere. Notat autem S. Hieronymus ad Principiam, in editione vulgata legi ſolitum, pro*, benedixit, unxit, & *depravate.* (*h*) Accingere gladio tuo.] *Aut*, gladium tuum, *quemadmodum habet S. Auguſt. Chryſoſt.* Alius, ζῶσαι μάχαιράν σου ἐπὶ μηρὸν, cingere gladium tuum ſuper femur : *Alius*, περίθου ὡς μάχαιράν σου ἐπὶ μηροῦ, circumpone quaſi gladium tuum ſuper femur. (*i*) Specie tua.] S. *Cypr. 2. lib. adverſus Judæos* : Decori, & ſpeciei tuæ *Chryſ.* Alius, τὸν ἔπαινόν σου, καὶ τὸ ἀξίωμά σου, laudem tuam, & dignitatem tuam : Alius, ἐπὶ δοξότητί σου, καὶ διαπρεπείᾳ σου, in gloria tua, & decore tuo. (*k*) Et intende.] *Conjunctio & abeſt a vulgata* : *ſed habent* S. *Cyprianus*, S. *Aug.* S. *Hieronymus, ad Principiam, & eſt in omnibus collatis exemplaribus Græcis. Chryſoſtomus* : per hoc demonſtravit arcum & ſagittam. (*l*) Et proſpere procede.] καὶ κατευόδου. S. *Cypr.* & dirige. *Chryſoſt.* Alius, προκόπτε, profice, (*m*) Propter veritatem.] *Apud Sanctum Cyprianum hæc ſine interpunctione leguntur*, & regna propter veritatem, &c. (*n*) Et deducet te.] *Chryſoſt.* Alius, καὶ φωτίσει σε ἐπὶ φοβερὰ ἡ δεξιά σου, & illuminabit te ſuper terribilia dextera tua : Alius, ὑποδείξει σοι, oſtendet tibi. (*o*) Potentiſſime.] δυνατέ. *Notat* S. *Hieronymus ad Suniam, hoc redundare, & additum eſſe de ſuperiore tertio verſiculo. Abeſt quidem ab Euſebio.* (*p*) In corde.] *Sic* S. *Hieronymus in ſua tralatione*, ἐν καρδίᾳ, & *poſſet etiam verti*, in cor. *Vulgata*, & S. *Auguſtinus*, in corda. *Chryſoſt.* Aquila, & Symmachus, κατὰ καρδίας οἱ ἐχθροὶ τοῦ βασιλέως, ſuper corda (*aut*, contra cor) hoſtes regis. (*q*) Sedes tua.] *Euſebius* : aut juxta Aquilam, ὁ θρόνος σου θεὲ, εἰς αἰῶνα, καὶ ἔτι, ſedes tua Dee, in ſeculum, & ultra : *de qua re diſputant Euſebius hoc loco, & Sanctus Hieronymus, ad Principiam. Chryſoſtomus*: Symmachus, ὁ θρόνος σου ὁ θεὸς αἰώνιος, καὶ ἔτι, thronus tuus Deus æternus, & ultra. (*r*) Iniquitatem.] *Teſtatur Euſebius Aquilam dixiſſe*, ἀσέβημα, impietatem. (*ſ*) Oleo exultationis.] *Sic S. Auguſtinus, & S. Hieron. quod græce eſt*, ἀγαλλιάσεως, *vulgata*, lætitiæ. *Euſebius* : vel juxta Aquilam, ἐλαίῳ χαρᾶς, oleo gaudii; vel juxta Symmachum, ἐλαίῳ ἀγλαϊσμοῦ, oleo nitoris, & ſplendoris. *Chryſoſtomus* : hebræus, ſaſon, id eſt, venuſtatis, gloriæ, ornamenti. (*t*) Præ principibus] *Theodoretus*, aut juxta Symmachum, παρὰ τοὺς ἑταίρους σου, præ ſociis, & ſodalibus tuis. (*u*) A veſtimentis tuis.] *Chryſoſtomus* : Alius, εἰς τὸν ἱματισμόν σου, in veſtimento tuo : Alius, πάντα τὰ ἱμάτιά σου, omnia veſtimenta tua. (*x*) A domibus eburneis] *De hac voce*, βάρεων, *S. Hieron. ad Principiam. Chryſoſt.* Alius, ἀπὸ ναῶν ἐλεφαντίνων, ὅθεν εὔφρανάν σε ἐν τῷ τιμᾶν σε, a templis eburneis, unde lætificarunt te, dum te honorant. Alius, ἐν τοῖς ἐνδόξοις σου, in ornamentis tuis. *Illud de templis eburneis, Theodoretus tribuit Aquilæ, & Symmacho, ſed Scholiaſtes hoc utrique*, ἀπὸ ναῶν ὀδόντος, a templis dentis : *Euſebius autem ſoli Aquilæ. Domorum Eburnearum fit mentio 4. Reg. de Achab.* (*y*) Aſtitit regina.] παρέστη. *Chryſoſtomus* : Alius, ἐστηλώθη, erecta ſtetit. *S. Hieronymus ad Principiam notat, lxx, Theodotionem, & ſextam editionem interpretatos eſſe* reginam. *Aquilam autem*, συγκοίτην, concubinam. *Symmachum & quintam*, παλλακὴν pellicem. (*z*) In veſtitu deaurato] *Aquila*, ἐν βάμματι ὠφείρ, in tinctura Ophir. *Theodotio*, ἐν διαδήματι χρυσῷ ἐκ σωφεὶρ, in diademate aureo de Supphir. *Symmachus*, ἐν χρυσῷ πρωτείῳ, in auro primo : *quod etiam refert* S. *Hieron. eodem loco.* (*ω*) Circumamicta.] *Græce eſt*, περιβεβλημένη, πεποικιλμένη, *aut*, καὶ πεποικιλμένη, *ut ſæpe apud Euſebium. Latini videntur legiſſe ſine conjunctione, & in caſu dandi. Ita enim veterunt*, circumamicta (*aut*, circundata varietate) *id eſt, varia veſte. Idem autem Euſebius notat iſta neque in hebraica lectione, neque apud cæteros interpretes haberi* : *quare obelo notata eſſe. Admonuit etiam* S. *Hieron. ibidem ea nullum interpretem excepta editione vulgata tranſtuliſſe. Et apud* S. *Cyprianum lib. 2. adverſus Judæos non referuntur* : *ita enim habet* : Aſſiſtit regina ad dexteram tuam in veſte inaurata. Audi filia, &c. (*aa*) Quoniam concupivit.] *Ita* S. *Auguſtinus, & pſalterium Romanum* ; & S. *Cyprianus ibid.* quoniam deſideravit rex, *quod græce eſt*, ἐπεθύμησεν, & *convenit pſalterium Æthiopicum, & Arabicum, & metaphraſis Apollinarii. In aliis libris græcis eſt*, καὶ ἐπιθυμήσει, & *vulgata*, & concupiſcet. *Chryſoſt.* Alius, ἵνα ἐπιθυμήσῃ, ut concupiſcat. (*bb*) Dominus tuus.] S. *Aug.* & S. *Cyprianus*, & *vulgata habent*, Dominus Deus tuus. S. *Hieron. ad Principiam videtur legiſſe*, ipſe eſt rex tuus, & Dominus tuus. (*cc*) Et adorabunt eum filiæ.] *Ita* S. *Auguſtinus, & pſalterium Romanum, nec multo aliter Apollinarius, & pſalterium Æthiopicum*, adorabit eum filia Tyri. *Vulgata autem*, & adorabunt eum, & filiæ Tyri. *Theodoretum item ac Baſilium videtur poſſe conjici ex explanatione habuiſſe*, προσκυνήσουσιν. *Et* S. *Hieron. ibidem teſtatur, lxx interpretes non dixiſſe*, & adorabis eum, *ſed*, adorabunt eum. *In aliis tamen libris græcis eſt*, καὶ προσκυνήσεις αὐτῷ, καὶ θυγάτηρ Τύρου ἐν δώροις, & adorabis eum, & filia Tyri cum muneribus. *Juſtinus autem Martyr, in dial. cum Tryphone, utroque modo legit. Theodoretus* : Aquila quidem, & Theodotio interpretati ſunt, καὶ προσκύνησον αὐτῷ, & adora eum. *Symmachus autem*, αὐτὸς γὰρ κύριός σου, καὶ προσκύνει αὐτῷ, ipſe enim eſt Dominus tuus, adora eum. (*dd*) Filia Tyri.] *Symmachus*, ἡ θυγάτηρ κραταιὰ δῶρα οἴσει, filia fortis dona afferet. *Aquila, Theodotio, & ſexta editio*, θυγάτηρ σὸρ, filia Sor. *Sed* S. *Hieron. ibidem teſtatur, lxx, Aquilam, Theodotionem, & quintam editionem, interpretatos eſſe Tyrum, ſextam poſuiſſe verbum hebraicum, Sor, Symmachum*, κράτιστον, id eſt, fortiſſimam. (*ee*) Plebis terræ.] τοῦ λαοῦ τῆς γῆς. *Ita quoque eſt in pſalterio Arabico, & Æthiopico. Apollinarius*, ἀφνειοὶ χθονὸς, locupletes terræ, *cæteri autem libri græci*, πλούσιοι τοῦ λαοῦ, divites plebis : *ſicut habent editiones latinæ* : *ita, ut hæc*, plebis terræ, *duplex interpretatio videri queat.* (*ff*) Ejus filia regis Eſebon.] *Illud*, ejus, *quod græce eſt*, αὐτῆς, *habet etiam* S. *Auguſt. In aliis libris eſt*, τῆς, & *in vulgata*, gloria filiæ regis. *Quod autem pertinet ad illud*, ἐσεβὼν, *eandem lectionem habuit Didymus, & ita explicat* : ἐσεβὼν, exponitur, λογισμὸς, cogitatio : rex enim cogitationum juſtarum eſt ipſe Dominus. *Eodem modo hunc locum recitat Cyrillus, lib. 2. de adoratione in ſpiritu, & veritate. Æthiopicum pſalterium habet*, heſbon : *teſtatur etiam* S. *Hieronymus ad Principiam, in quibuſdam exemplaribus inveniri*, ἐξ ἐννοιῶν, ex cogitationibus, *quam Didymus dixit eſſe interpretationem dictionis hebraicæ*, Eſebon. *Quanquam dictio illa ſignificat etiam opus textile, & variegatum* : *quod huic loco ſatis apte conveniret. In aliis vero libris eſt*, ἔσωθεν, *quod etiam in lib. Vat. ex emendatione aſcriptum eſt, & a Didymo etiam ponitur, & a* S. *Hieronymo, tanquam lxx, agnoſcitur* : & *ita omnes latinæ editiones habent*, intrinſecus. (*gg*) In fimbriis aureis.] *Chryſoſtomus* : Alius, διὰ σφιγκτήρων χρυσῶν ἠμφιεσμένη ποικίλα, per faſcias aureas amicta, diſtincta varietate. *Et in Scholio legitur*, ἔνδυσις αὐτῆς εἰς ποικιλτὰ, indumentum ejus in variegatis. (*hh*) Afferentur regi.] *Aut, ut vulgata*, adducentur. *Chryſoſtomus* : Alius, ἀκολουθήσουσι, ſequentur : alius, ἀνενεχθήσονται, quaſi dicas, ſurſum adducentur. (*ii*) Proximæ.] αἱ πλησίον αὐτῆς : *quinta editio*, αἱ φίλαι, amicæ: *& ita S. Hieronymus.* (*kk*) Pro patribus.] *Euſebius*: Hanc ſententiam clarius reddiderunt cæteri, Aquila quidem dicens, ἀντὶ τῶν πατέρων σου ἔσονταί σοι υἱοὶ, pro patribus tuis erunt tibi filii: Symmachus autem, ἀντὶ πατέρων ἐγένοντο υἱοί σου, pro patribus facti fuerunt filii tui. (*ll*) Memores erunt.] μνησθήσονται. *Ita vulgata in pleriſque libris, Romanum pſalterium, Æthiopicum, & Arabicum, & S. Auguſtinus. In aliis libris græcis eſt,* μνησθήσομαι, *& S. Hieronymus ad Principiam*, memor ero: *Didymus utramque lectionem explanat. Theodoretus*: Ita enim & tres ipſi reddiderunt, ἀνυμνήσω τὸ ὄνομά σου καθ' ἑκάστην γενεὰν, διὰ τοῦτο λαοὶ ὑμνήσουσί σε εἰς αἰῶνα διηνεκῶς. Hymnis efferam nomen tuum per ſingulam quamque generationem: propterea populi laudabunt (*ita refert etiam S. Hieronymus, ex Symmacho*) te in ſeculum perpetuo. *Schol.* Alius, ἐπὶ τούτῳ λαοὶ ἐξομολογήσονταί σοι, ſuper hoc populi confitebuntur tibi.

PSAL. XLV.

(*a*) PRo filiis.] *Ita S. Auguſt. S. Ambroſius*, In finem pro filiis Core, pro occultis pſalmus ipſi David. *Euſebius notat, pro,* ὑπὲρ τῶν υἱῶν, *aliam appoſitam eſſe ad marginem lectionem,* υἱοῖς, filiis: *& ita vulgata. Notat etiam, Symmachum & Aquilam dixiſſe,* υἱῶν, filiorum. (*b*) Pro arcanis.] *Sive, ut* S. *Ambroſius, &* S. *Auguſtinus*, occultis. *Aquila,* νεανιοτήτων, *quod* S. *Hieronymus*, pro juventutibus. *Symmachus,* τῶν αἰωνίων, æternis. (*c*) Quæ invenerunt.] *Schol.* cæteri, εὑρέθη εὑρισκόμενος, inventus eſt dum invenitur. (*d*) Dum turbatur.] S. *etiam Ambroſius habet*, turbatur, *&* transferuntur, *ut Græcus: vulgata, &* S *Auguſtinus*, turbabitur, transferentur. (*e*) Transferuntur] *Aquila,* σφάλλεσθαι, dum labitur. *Quinta editio,* σαλεύεσθαι, commovetur. (*e*) Corda marium] ἐν καρδίαις θαλασσῶν. *Euſebius habet,* καρδίᾳ, *editiones Latinæ*, in cor maris. (*g*) Sonuerunt.] *Euſebius*, Symmachus, ἠχούντων καὶ θολουμένων τῶν ὑδάτων, καὶ σειομένων ὀρέων ἐν τῷ ἐνδοξασμῷ αὐτοῦ, ſonantibus, & turbatis, (*aut*, intumeſcentibus, *ut S. Hieronymus*) aquis, & agitatis montibus, in glorificatione (S. *Hieronymus*, potentia) ejus: *Aquila, quinta & ſexta editio,* ὑπερηφανίᾳ, elatione. (*h*) Diapſalma.] *Chryſoſtomus*: Alius, ἀεὶ, ſemper: *& ita S, Hieronymus, ſed de hoc alibi dictum eſt.* (*i*) Lætificant.] *Hanc lectionem manifeſte agnoſcunt* S. *Ambroſius & S. Auguſt. licet in ipſis libris, ut in vulgata, ſit ſcriptum*, lætificat. *Græce enim eſt,* τοῦ ποταμοῦ τὰ ὁρμήματα εὐφραίνουσι. *Euſebius, & Theodoretus*: Aquila vero, & Symm. (*Theodoretus addit etiam Theodotionem*) inquiunt, τοῦ ποταμοῦ αἱ διαιρέσεις εὐφραίνουσι, fluminis diviſiones lætificant. *In Scholio, hoc tribuitur quintæ editioni. Chryſoſtomus*: Hebræus autem, φαλαγαῦ, Phalagau. (*k*) Sanctificavit.] *Euſebius*: at juxta Symmachum, τὸ ἅγιον τῆς σκηνώσεως (*al.* κατασκηνώσεως) τοῦ ὑψίστου, ſanctum habitaculi altiſſimi. (*l*) Non commovebitur.] *In aliquot codicibus, & apud Theodoretum eſt,* καὶ οὐ σαλευθήσεται, & non commovebitur, *atque hæc verba nonnulli ex Patribus referunt ad Deum ipſum, alii ad civitatem Dei.* (*m*) Vultu.] S. *Ambr. & Cyrillus teſtantur ita inveniri in aliquot exemplaribus. S. Auguſtinus, & pſalterium Romanum*, vultu ſuo. *In aliis libris græcis eſt,* τὸ πρὸς πρωῒ, πρωῒ, *eaque repetitione admonet Nicephorus ſummam judicari celeritatem. S. Ambroſius*, diluculo, *vulgata*, mane diluculo. *Apollinarius videtur utrumque conjunxiſſe, & in metaphraſi, ubi inquit*, ab aurora adjutorem habet oculum, omnia ſpeculantem, *& in explanatione (ſi tamen eſt idem Apollinarius) quæ refertur in catena Barbari: in qua docet, & quid ſit diluculum, & qui vultus Eccleſiæ. Chryſoſt.* Alius περὶ τὸν ὄρθρον, circa diluculum. Aquila, τῷ νεῦσαι πρωΐαν, cum hora matutina reſpicit. (*n*) Conturbatæ ſunt.] *Schol.* Alius, συνήχθησαν ἔθνη, congregatæ ſunt gentes: *& in alio libro*: Alius, συνήχθη ἔθνη, *quod idem valet.* (*o*) Inclinata ſunt.] *Aquila,* ἐσφάλησαν, prolapſa ſunt. *Symmachus,* περιετράπησαν, everſa ſunt. (*p*) Vocem ſuam.] *Ita in vulgata, & apud Apollinarium, & in pſalterio Arab. In cæteris libris græcis ſequitur,* ὁ ὕψιστος, *& ſic in pſalterio Æthiopico; & in Romano, & apud S. Ambroſium, & S. Auguſtinum*, altiſſimus. (*q*) Jacob] *Schol.* Jacob exponitur, κρατῶν ἔσχατα, obtinens extrema. (*r*) Et confringet.] *Chryſoſtomus*: alius, συνέκλασε, confregit. (*ſ*) Auferens.] ἀνταναιρῶν. *Notat Heſychius ita eſſe dictum, & non,* ἀναιρῶν, *ut oſtendatur oppoſitio contra improbitatem diaboli.* (*t*) Et ſcuta.] *Chryſoſtomus*: alius, καὶ ἁμάξας ἐμπρήσει ἐν πυρὶ, & plauſtra comburet igni: *quomodo habet S. Hieronymus.* (*u*) Vacate.] *Schol.* alius, ἱλάσθητε, propitiamini: alius, ἐάσατε, ἵνα γνῶτε, remititte, ut cognoſcatis. *Chryſoſtomus*: alius, ἰάθητε, curate, *aut*, curamini.

PSAL. XLVI.

(*a*) PRo filiis Core.] *Euſebius*: Videntur mihi, quæ in inſcriptione, non optime ſe habere: oportuit enim, non pro filiis Core, ſed filiis, aut filiorum Core inſcribi, juxta priores inſcriptiones. Cæteri quidem interpretes, & Hebraicum, eodem modo habent, ac ſuperiora. *Cyrillus admonet dici, fieri pro illis, quoniam per eos fiat, quibus cantandi munus injunctum eſt.* (*b*) Manibus.] *Schol.* alius, χειρὶ, manu. (*c*) Jubilate. *Schol.* alius, σημάνατε, ſignum date: alius, εὐφημήσατε, læte acclamate. (*d*) Populos.] *Aut*, plebes, *ut S. Auguſtinus,* λαούς. *Theodoretus*, pro populis, Symmachus dixit βασιλεῖς, reges. (*e*) Suam.] αὐτοῦ, *aut,* ἑαυτοῦ, *ut, aliquot codices, & Euſebius, & conveniunt Latinæ editiones. In pleriſque vero libris Græcis eſt,* ἑαυτῷ, ſibi. *Euſebius*: verum, pro κληρονομίαν ἑαυτοῦ, cæteri reddiderunt, τὴν κληρονομίαν ἡμῶν, hæreditatem noſtram, aut τὴν κληρουχίαν ἡμῶν, ſortitionem, & partem noſtram. *Nicephorus autem illud*, nobis, *interpretatur*, per nos. (*f*) Speciem.] τὴν καλλονήν. *Euſebius*, aut juxta Aquilam, τὸ ὑπερφερὲς Ἰακὼβ, (*Theodoretus habet,* ὑπερήφανον) excellentiam, & elationem Jacob: juxta Symmachum vero, τὸν ἐνδοξασμὸν Ἰακὼβ, glorificationem Jacob: juxta quintam vero editionem, τὸ καύχημα Ἰακὼβ, gloriationem Jacob. (*g*) Super gentes.] ἐπὶ τὰ ἔθνη. *Chryſoſtomus*: alius, ἐπάνω τῶν ἐθνῶν, *quod idem valet.* (*h*) Principes populorum.] *Euſebius*: Hoc ita mirifice reddidit Symmachus, dicens ἄρχοντες λαῶν ἠθροίσθησαν, λαὸς τοῦ θεοῦ Ἀβραάμ, principes populorum collecti ſunt, populus Dei Abraam: *eodemq; modo inquit reddidiſſe Theodot. niſi quod pro,* ἠθροίσθησαν, *dixit* συνήχθησαν, *ut lxx. Notat autem varietatem lectionis, ex ambiguitate vocis hebraicæ proficiſci, quæ iiſdem elementis ſcribat,* τὸ μετὰ, *&* τὸ λαός. (*i*) Dei fortes] θεοῦ, *licet editiones latinæ habeant*, Dii. *Et Cyrillus exponit, illos qui ſunt fortes divina gratia, valde elevatos eſſe a terra. Athanaſius valde eſſe elevatos in terra, quæ mitibus aſſignatur, ut iſta conjuncte ſint legenda,* τῆς γῆς σφόδρα ἐπήρθησαν. *In Scholio legitur, duplicem eſſe ſcripturam, unam,* οἱ τοῦ θεοῦ κραταιοὶ τῆς γῆς σφόδρα ἐπήρθησαν, ipſius Dei fortes a terra (aut ſuper terram) valde elevati ſunt; *alteram,* κραταιοὶ οἱ τῆς γῆς τοῦ θεοῦ Ἀβραὰμ σφόδρα ἐπήρθησαν, fortes, qui terræ Dei Abraam, valde elevati ſunt. *Theodoret. totum hoc, ut multi alii Patres, Apoſtolis accommodans, inquit hos a lxx eſſe vocatos,* κραταιοὺς, *ab Aquila,* θυρεοὺς, ſcuta, *a Theodotione, & Symmacho,* ὑπερασπισμοὺς, propugnacula.

PSAL. XLVII.

(*a*) PSalmus cantici.] *Sic S. Ambroſius, & vulgata & multi libri Græci. Euſebius autem,* ᾠδὴ ψαλμὸς, canticum pſalmus. *S. Auguſtinus*, laus cantici. (*b*) Et laudabilis nimis.] σφόδρα, *quod apud S. Auguſtinum eſt*, valde, *Euſebius*, aut ſecundum alios, ὑμνητὸς σφόδρα, hymnis celebrandus valde. (*b*) Bene radicans.] εὐρίζων. *Ita L. Vat. in quo tamen, ut etiam in alio, poſtrema littera ita expuncta eſt, ut nihilominus antiquæ lectionis veſtigium appareat. In commentariis autem aliquot Patrum Græcorum partim hoc modo legitur, partim,* εὐριζῶν, *atque exponitur a Chryſoſtomo,* καλῶς ῥιζῶν, καλῶς πηγνὺς, καλῶς βεβαιῶν αὐτὴν ἐν χαρᾷ, καὶ εὐφροσύνῃ πάσης τῆς οἰκουμένης, bene radices faciens, bene figens, bene firmans eam in gaudio, & lætitia univerſi orbis terrarum: *& paulo poſt*: διὸ καὶ τοῦτο δηλῶν οὐ ῥιζῶν εἶπεν, ἀλλ' εὖ ῥιζῶν, *& Theodoretus,* παγίως θεμελιῶν, ſolide fundans. *In aliquot libris eſt, (quod Scholiaſtes inquit eſſe in Hebraica lectione)* εὔριζον ἀγαλλίαμα, bene radicatam exultationem, *& S. Ambroſius teſtatur, in quibuſdam exemplaribus legi,* εὔριζον ἀγαλλίασιν. *Apollinarius in metaphraſi habet,* εὐρύνων χάρμα, παντόθεν εὐρύνων χάρμ' ἐν χθονὶ πουλυβοτείρῃ, *& in quibuſdam commentariis Græcis illud ipſum,* εὐρίζων, *ita explanatur, ac ſi eſſet,* εὐρύνων, vel *potius,* εὐρύζων. *Ita etiam habent*, pro, πλατύνων τὸ ἀγαλλίαμα, καὶ εὐφροσύνην αὐτῆς, dilatans exultationem, & lætitiam ejus: *& ita Sanctus Ambroſius*, dilatans exultationem. *S. Auguſt. autem & pſalterium Romanum*, dilatans exaltationes. *In multis autem libris græcis eſt,* εὐρίζῳ ἀγαλλιάματι, *& Euſebius conjungit illud,* εὐρίζῳ, *cum præcedentibus: ita enim inquit*; ἐν ὄρει ἁγίῳ αὐτοῦ εὐρίζῳ, *id eſt,* τῷ εὖ τεθεμελιωμένῳ καὶ ἐρριζωμένῳ, καὶ τῷ ἀγαλλιάματι πάσης τῆς γῆς, bene fundato, & radicibus nixo, & exultatione univerſæ terræ. *Didymus vero & alii conjungunt illud cum ſequentibus,* εὐρίζῳ ἀγαλλιάματι, *eadem vocabuli notione, id eſt, ut ſcribitur in quibuſdam commentariis græcis,* βεβαίῳ, ἑδραίῳ, ἀμετακινήτῳ, firmo, ſtabili, immobili: tale enim eſt, quod eſt, εὔριζον, quod bonas radices habet. *Quinta editio,* εὐκλάδῳ, bene ramis aut germinibus prædito. *Theodotio,* εὐρίζῳ, *de quo jam dictum eſt. Chryſoſtomus*: Aquila, καλῷ βλαστήματι, χάρματι πάσης τῆς γῆς, ſpecioſo germine (*ita enim vertit Sanctus Hieronymus,*) gaudio univerſæ terræ. *Symmachus,* ἀπ' ἀρχῆς ἀφωρισμένῳ ἀγλαΐσματι πάσης τῆς γῆς, ab initio, præfinito ſplendore univerſæ terræ. (*d*) Montes Sion.] *Schol.* exponitur, σκοπευτήρια, ſpeculæ. *Vidit autem S. Ambroſius græcum dixiſſe*, montes. *Sed in editionibus latinis eſt*, mons Sion. (*e*) Latera.] *Quinta editio,* οἱ μηροὶ, fœmora. (*f*) In domibus ejus.] βάρεσιν, *quod S. Ambroſius, & hic, & paulo inferius dicit*, gradibus; & gradus. *Quid autem ſignificet dictio græca; & ipſe, & omnes fere Patres græci hic, & S. Hieronymus in pſal.* 44. *explanavit. Chryſoſtomus*: quinta editio, ὁ θεὸς ἐν ταῖς βασιλείαις αὐτῆς γνωσθήσεται εἰς ὀχύρωμα, Deus in regiis & palatiis ejus cognoſcetur ad munimentum: alius, ὁ θεὸς ἐν ταῖς βάρεσιν αὐτῆς ἐγνώσθη εἰς τὸ ἐξελέσθαι αὐτήν, Deus in palatiis ejus cognitus eſt in eruendo eam. *Aquila,* εἰς ὑπερέπαρσιν, ad elevationem. *Euſebius tamen illa,* ἐν τοῖς βασιλείοις αὐτῆς γνωσθήσεται, tribuit Symmacho. *In editionibus latinis eſt*, cognoſcetur, *aut*, dignoſcetur. (*g*) Reges congregati ſunt.] *In pſalterio Arabico eſt*, regis ejus, *quod etiam Sunia, & Fretela, in ſuo codice habebant. In aliis libris eſt,* οἱ βασιλεῖς τῆς γῆς, reges terræ, *ut eſt in vulgata, in pſalterio Æthiopico, apud Sanctos Ambroſium, & Auguſtinum. Verum teſtatur Sanctus Hieronymus, neque* αὐτῆς, *neque* γῆς, *eſſe in hebræo, aut in lxx, idcirco a ſe ſublatum.* (*h*) Venerunt.] ἤλθοσαν. *In aliis libris eſt,* διήλθοσαν, *& Sanctus Ambroſius*, & tranſierunt in unum. *Sanctus Auguſtinus*, & convenerunt. *Vulgata*, convenerunt. *Euſebius*: aut juxta Symmachum, ἰδοὺ γὰρ οἱ βασιλεῖς συνετάξαντο, ἦλθον ὁμοῦ, ecce enim reges conjuncti ſunt, venerunt ſimul. (*i*) Admirati ſunt.] *Aquila,* ἐθαμβήθησαν, obſtupuerunt, *ut Sanctus Hieronymus. Euſebius*, quare ſecundum Symmachum dictum eſt, αὐτοὶ ἰδόντες οὕτως ἐθαύμασαν, ἐταράχθησαν, ἐξεπλάγησαν, φρίκη κατέσχεν αὐτοὺς, ipſi videntes, ſic admirati ſunt, turbati ſunt, obſtupefacti ſunt: horror occupavit eos. (*k*) Vehementi.] *Aut*, violento, *ut Sanctus Auguſtinus,* βιαίῳ. *Euſebius*: aut juxta Aquilam, ἐν πνεύματι καύσωνος συντρίβεις νῆας θαρσεῖς, in ſpiritu uredinis (*ita enim Sanctus Hieronymus*) conteris naves Tharſis: aut juxta Symmachum, διὰ ἀνέμου βιαίου κατεάξεις νῆας θαρσεῖς, per ventum violentum confringes naves Tharſis. *De qua quidem dictione Tharſis, ita in Scholio*: exponitur, κατασκοπὴ χαρᾶς, κατασκοπὴ εὐφροσύνης, ſpeculatio gaudii, ſpeculatio lætitiæ: *& videtur eſſe Didymi, quantum ex catena Barbari conjicitur. Sanctus autem Ambroſius videtur interpretari*, ſpeculatorium gratiæ. (*l*) Ita & vidimus.] *Sanctus Hieronymus inquit redundare illud*, &, *quare in vulgata non eſt: habetur tamen in libris græcis, & apud Sanctum Ambroſium, &* S. *Auguſtinum.* (*m*) Suſcepimus.] *Chryſoſtomus*: alius, εἰκάσαμεν, ὁ θεὸς, imaginati ſumus, æſtimavimus, (*ita Sanctus Hieronymus*) Deus: Hebræus: δημιμηνου, id eſt, ſperavimus, expectavimus, cognovimus humanitatem tuam. *Et vero dictio,* ὑπελάβομεν, *qua uſi ſunt lxx, poteſt idem ſignificare, eoque modo exponitur ab Athanaſio.* (*n*) Populi tui] τοῦ λαοῦ σου. *Ita legiſſe Sanctum Auguſtinum conſtat ex interpretatione, itemque Theodoretum, & Apollinarium; & ſic eſt, in pſalteriis Arabico, & Æthiopico. At* ναοῦ σου, *eſt apud Didymum, Theodoretum, Cyrillum, &* S. *Hieronymus teſtatur ita habuiſſe lxx, & Sanctus Ambroſius, & vulgata*, templi tui. *Schol.* Symmachus, Aquila, Theodotio, quinta, ſexta editio, ναοῦ σου. (*o*) Lætetur.] *Schol. LXX*, Symmachus, Theodotio, εὐφραίνεται τὸ ὄρος Σιὼν, καὶ ἀγαλλιῶσιν αἱ θυγατέρες τῆς Ἰουδαίας, Lætatur mons Sion, & exultant filiæ Judææ, *& Sanctus quidem Ambroſius habet*, Judææ, *vulgata autem, & Sanctus Auguſtinus*, Judæ. (*p*) Propter judicia tua.] ἕνεκεν τῶν κριμάτων σου. *Chryſoſtomus* : alius, διὰ κρίσεις σου, *quod idem valet.* (*q*) Complectimini.] περιλάβετε αὐτήν. *Chryſoſtomus* : alius, καὶ περιέλθετε, & circuite. *Euſebius*, nimirum juxta Symmachum, περιτειχίσατε, muro circundate. (*r*) Narrate.] *Euſebius* : Aquila quidem inquit, ψηφίσατε πύργους, computate turres ejus. *Symmachus autem*, ἀριθμήσατε, numerate. *Chryſoſtomus* : alius, ἐπαινέσατε, laudate. (*ſ*) Ponite corda veſtra.] *Euſebius*, at juxta Symmachum, τάξατε τὰς καρδίας ὑμῶν εἰς τὸ περίβολον αὐτῆς, διαμετρήσατε τὰ βασίλεια αὐτῆς, ponite corda veſtra in mœnibus ejus (*ita enim Sanctus Hieronymus* :) dimetimini regias ejus : *Chryſoſtomus* : Symmachus, εἰς τὸ περίβολον. Aquila, εἰς εὐπορίαν, ad opulentiam. (*t*) In progenie altera.] *Symmachus*, γενεᾷ μεταγενεστέρᾳ, in progenie poſt futura. (*u*) In ſecula.] *Symmachus*, τὸ διηνεκὲς, perpetuum.

PSAL. XLVIII.

(*a*) Audite hæc.] *Chryſoſtomus* : alius, ἀκούσατε τοῦτο, audite hoc. (*b*) Orbem.] S. *Ambr.* orbem terræ, τὴν οἰκουμένην. *Euſebius*, aut juxta Aquilam & Symmach. οἱ κατοικοῦντες τὴν κατάδυσιν. Ita autem vocat civitates, & pagos & domos, in quas καταδύνουσι, id eſt, ſubeunt, & ſe tegunt ij qui in ipſis habitant. *Chryſoſtomus* : alius, ἐγκατάδυσιν, alius, τὴν κατάδυτον, hebræus autem, ἀλδ, ald. *S. Hieronymus habet*, univerſi habitatores Occidentis. (*c*) Quique terrigenæ, & filii hominum.] *Euſebius, & Theodoretus* : pro his Symmachus dixit, ἥτε ἀνθρωπότης, καὶ προσέτι καὶ υἱοὶ ἑκάστου ἀνδρὸς, ipſa humana natura, & præterea etiam filii cujuſque viri. *S. Hieronymus*, tam filii Adam quam filii ſingulorum. (*d*) In unum.] ἐπὶ τὸ αὐτὸ, *quod etiam ſolet verti*, in idipſum. *Chryſoſtomus* : alius, ὁμοῦ, ſimul : *& in editionibus latinis videtur utrumque eſſe conjunctum*, ſimul in unum. (*e*) Intelligentiam. *Sic Sanctus Auguſtinus, quomodo ſolet verti illud*, σύνεσις. *Sanctus Ambroſius tamen, & vulgata*, prudentiam. *Scholiaſtes*, alius, καὶ μινυρίζει ἡ καρδία μου σύνεσιν, & ſuccinet cor meum intelligentiam. (*f*) Inclinabo in parabolam] *Sive*, ad parabolam, *ut S. Ambroſius. Chryſoſtomus* : alius, κλινῶ παραβολῇ τὸ οὖς μου, inclinabo parabolæ aurem meam. Hebræus autem inquit, λαμασάλ, lamaſal. (*g*) Propoſitionem meam.] τὸ πρόβλημά μου. *Chryſoſtomus* : alius, αἴνιγμά μου, Hebræus autem, ἰδάθει. *Ita S. Hieronymus*, ænigma meum. (*h*) Cur timebo.] *Aut ut SS. Ambroſius & Auguſtinus*, ut quid timebo : *Athanaſius autem hoc loco interpungit, & apponit interrogationis notam : deinde putat ſequi reſponſionem, hoc modo*, cur timebo ? in die mala iniquitas calcanei circundabit me. (*i*) Mala.] πονηρᾷ. *Chryſoſtomus* : alius, πονηροῦ, maligni : *alius*, κακοῦ, mali. *Syrus autem*, ῥᾶ, Rha. (*k*) Calcanei.] *Symmachus*, τῶν ἰχνέων μου, veſtigiorum meorum. (*l*) Gloriantur.] καυχώμενοι. *Chryſoſtomus* : alius, ἀλαζονευόμενοι, ſuperbiunt, *& ita S. Hier.* (*m*) Et laborabit.] καὶ ἐκοπίασεν, *editiones latinæ habent*, laborabit. *Aquila*, καὶ παύσατο εἰς αἰῶνα, καὶ ζήσεται εἰς νῖκος, & quievit in ſeculum, & vivet in finem. *Symmachus*, ἀλλὰ παυσάμενος τῷ αἰῶνι τούτῳ ζῶν ἀεὶ διατελέσει, ſed deſinens ſeculo huic vivens ſemper perſeverabit. *Euſeb. in catena Barbari refert hæc præterea ex quinta editione*, laboravit in ſeculum, & vivet in victoriam. (*) Simul inſipiens & ſtultus.] ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἄφρων, καὶ ἄνους. S. *Auguſtinus*, imprudens & inſipiens. *Theodoretus* : ſic Symmachus eſt interpretatus, ὁμοῦ ἀνόητος καὶ ἀμαθὴς ἀπολοῦνται, ſimul amens & indocilis peribunt. (*n*) Et ſepulchra.] *Chryſoſtomus* : alius, τὰ ἐντὸς τῶν οἰκιῶν αὐτῶν εἰς αἰῶνα, interiora domorum eorum in ſeculum. (*o*) Tabernacula.] *Chryſoſtomus* : alius, κατασκηνώσεις αὐτῶν εἰς γενεὰν, ὀνομάσαντες ἐπ' ὀνόμασιν αὐτῶν τὰς γαίας, tabernacula eorum in generationem, nominantes in nominibus ſuis terras. *Aquila*, ἐκάλεσαν ἐν ὀνόματι αὐτῶν ἐπὶ χθόνας, vocaverunt in nomine ſuo ſuper terras. *Theodotio*, ἐπεκαλέσαντο τὰ ὀνόματα αὐτῶν ἐπὶ γαιῶν αὐτῶν, invocaverunt nomina ſua ſuper terras ſuas. S. *Ambroſius habet*, invocaverunt nomina eorum, in terris ipſorum. S. *Auguſtinus*, invocabunt nomina eorum, in terris ipſorum : *& vox græca*, αὐτῶν, *poteſt utramque interpretationem ferre, & utroque modo a græcis exponitur : Plerique tamen videntur convenire cum vulgata*, nomina ſua in terris ſuis. (*p*) Scandalum.] S. *Ambroſius*, in offendiculum. *Symmachus*, ἄγνοια, ignoratio, inſipientia : *& ita* S. *Hieronymus.* (*q*) Benedicent.] *Ita* S. *Auguſt. & pſalterium Romanum ; quod græce eſt*, εὐλογήσουσιν, *cum qua lectione convenit pſalterium Arabicum, & Apollinarii metaphraſis. In aliis libris græcis, in pſalterio Æthiopico, & apud multos Patres græcos eſt*, εὐδοκήσουσιν, *atque ita* S. *Ambroſius & vulgata*, complacebunt. *Gregorius & Cyrillus utramque lectionem agnoſcunt. In catena Barbari Athanaſius hæc refert ex Symmacho*, hæc via illorum dementiæ ipſis ; poſteri vero illorum ſermonem probabunt. *Certe* S. *Hieronymus non multo aliter habet.* (*r*) Sicut oves in inferno poſiti ſunt.] *Sic vulgata, ſed in ea ſequitur*, mors depaſcet eos. S. *Auguſtinus*, ſicut oves in inferno poſitæ, mors paſtor eſt eis. S. *Ambroſius*, ſicut oves in infernum deducentur, mors depaſcet eos. *Euſebius, & Theodoretus.* Symmachus, ὡς πρόβατα, (*in Scholio*, βοσκήματα) ᾅδου ἔταξεν αὐτοὺς, θάνατος νεμήσει αὐτοὺς, ſicut oves inferni conſtituit eos : mors reget eos. (*ſ*) Et dominabuntur eis recti mane.] *Ita S. Auguſtinus. S. Ambroſius vero*, Et dominabuntur eorum juſti in matutinum, *vulgata*, in matutino. *S. Hieronymus ad Suniam probat, pro* εὐθεῖς, *verti*, juſti. *Scholiaſtes hoc loco refert ex Theodotione*, καταχθήσονται, deducentur. *In catena autem Barbari, Euſebius, ex Aquila quidem*, obtinebunt, *ex Symmacho autem*, ſubjicient eos, *quod etiam habet S. Hieronymus.* (*t*) Et auxilium eorum. *Aquila*, χαρακτὴρ αὐτῶν κατατρίψαι ᾅδην ἐκ κατοικητηρίου αὐτῶν, character eorum conterat infernum ex domicilio eorum. *Symm.* τὸ κραταιὸν αὐτῶν παλαιώσει ᾅδης, fortitudinem illorum antiquabit infernus. *In catena Barbari Euſeb. eadem refert ex Aquila, ſed ex Symmacho hoc modo*, fortitudo autem eorum olim, tanquam infernus ab honorata domo eorum, *ut videatur legiſſe*, πάλαι ὡσεί. *S. Hieronymus*, & figura eorum conteretur in inferno poſt habitaculum ſuum. (*u*) A gloria eorum.] *Ita Sanctus Ambroſius, & vulgata*, cum qua convenit pſalterium Æthiopicum. *Sanctus Auguſtinus*, & a gloria eorum. *In aliis libris græcis, & apud multos Patres*, ἐκ τῆς δόξης αὐτῶν ἐξώσθησαν, *itemque in pſalterio Arabico, & in Romano*, a gloria eorum expulſi ſunt. (*x*) Cum acceperit me.] S. *Ambr.* Veruntamen Deus liberabit animam meam de manu inferni, cum acceperit eam. (*y*) Et cum.] *In aliis libris græcis eſt*, ἢ ὅταν, aut cum. (*z*) Quoniam non cum.] *Non multo aliter vulgata. S. Aug.* quoniam non cum morietur, accipiet hæc omnia : neque ſimul deſcendet cum eo gloria domus ejus. *Itemque S. Ambr. niſi quod non habet illud*, hæc. (*ω*) Confiteantur tibi.] *Euſebius, & Theodoretus.* Symm. ἐπαινέσουσί σε, ἐὰν καλῶς ποιήσῃς ἑαυτῷ, (*al.* σεαυτῷ ποιῇς) laudabunt te, ſi bene feceris tibi, *& ita fere* S. *Hier.* (*aa*) Introibit.] *Theod.* Pro εἰσελεύσεται, *tres illi interpretes dixerunt*, εἰσελεύσῃ, introibis. (*bb*) Non videbit lumen] *Schol.* Quinta, οὐκ ὄψεται, non videbit. Aquila, Theodotio, ſexta, LXX, οὐκ ὄψονται, non videbunt. Symmachus, οὐ βλέποντες, non videntes.

PSAL. XLIX.

(*a*) Deus Deorum.] *Theodoretus* : Tres illi aliter ſunt interpretati, ἰσχυρὸς θεὸς λαλήσας, ἐκάλεσεν τὴν γῆν. Fortis Deus loquutus vocavit terram. (*b*) Tempeſtas.] καταιγὶς, *de qua dictione hoc loco Chryſoſt.* S. *Cypr. de bono patientiæ*, procella nimia. *Aquila*, ἐλαιλαπίσθη, excitatus eſt turbo. *Theodotio, & ſeptima*, καταιγίσθη, excitata eſt tempeſtas. (*c*) Sanctos ejus.] *Aut*, juſtos, *ut* S. *Cypr. &* S. *Aug. Schol.* Hebræus, & cæteri, συναγάγετέ μοι τοὺς ὁσίους μου, *& ſic* S. *Hier.* congregate mihi ſanctos meos. (*d*) Hircos.] χιμάρους. *Schol.* LXX dixerunt τράγους. Aquila, Symmachus, & quinta editio, κερεινοὺς (*fortaſſe*, κερατινοὺς) *quaſi*, cornutos. (*e*) Sylvæ.] *Ita* S. *Auguſt.* δρυμοῦ, *cum qua lectione convenit Apollin. Vulgata*, ſylvarum: *in aliis libris græcis eſt*, ἀγροῦ, agri. (*f*) Vota tua.] S. *Aug.* preces tuas. S. *Hier. ad Suniam, de pſal.* 131. *notat, vocem* εὐχὴν, *utrumque valere, & pro locorum qualitate varie eſſe interpretandum : Innuit autem hoc loco magis convenire*, vota. (*g*) Tribulationis] *Ita* S. *Cypr. & vulgata, & Juſtinus. In aliis libris græcis eſt*, τῆς θλίψεώς σου, *&* S. *Auguſt. & pſalterium Romanum*, tribulationes tuæ. (*h*) DIAPSALMA.] *Hoc non eſt in aliis libris, neque hodie in hebræo, ſed ita videtur poſſe convenire huic loco, ac cæteris, ubi paſſim invenitur : nimirum ad indicandam ſententiæ diverſitatem.* (*i*) Adulteris.] *Ita latinæ editiones, & multi patres etiam græci, & pſalteria Arabicum, & Æthiopicum. In aliis libris græcis eſt*, μοιχοῦ, adultero. (*k*) Concinnabat doloſitatem] S. *Aug.* amplexa eſt doloſitatem, περιέπλεκε δολιότητα. *In aliquot exemplaribus græcis, & apud Theodoretum eſt*, δολιότητας, dolos, *& ſic vulgata.* S. *Cypr. lib.* 2. *ep.* 10. complectebatur inſidias. (*l*) Loquebaris.] *Sequuti ſumus judicium* S. *Hieron. qui ita putat recte verti*, κατελάλεις, *nec tamen improbamus lectionem* S. *Auguſt.* detrahebas. (*m*) Suſpicatus es iniquitatem.] *Ita* S. *Auguſt. verbum de verbo*, ὑπέλαβες ἀνομίαν. *vulg.* exiſtimaſti inique. *Theodotio, ut LXX. Aquila*, ὑπέλαβες ἐσόμενος ἔσομαι ὅμοιός σοι, ſuſpicatus es, futurus ero ſimilis tibi. *Symm.* ἐνόμισας ἔσεσθαί με ὥς σε, exiſtimaſti me futurũ ſicut te. (*n*) Statuam.] *Aut, ut* S. *Aug.* conſtituam, παραστήσω. *Theod.* στοιβάσω, ſtruã. *In aliquot exempp. græcis, & apud Theod. eſt*, παραστήσω κατὰ πρόσωπόν σου τὰς ἁμαρτίας σου, ſtatuam contra faciem tuam peccata tua. (*o*) Ne quando rapiat.] S. *Aug. addit*, ſicut leo. (*p*) Sacrificium.] *Theod.* Hoc Sym. planius eſt interpretatus, θυσιάζων ὑπὲρ αἰνέσεως, δοξάσει με, καὶ τῷ εὐτάκτως ὁδεύοντι δείξω σωτήριον θεοῦ ; qui immolat pro laude, glorificabit me, & ordinate incedenti oſtendam ſalutare Dei. (*q*) Salutare Dei.] *Ita* S. *Cypr. &* S. *Aug. & vulgata, & pſalteria, Romanum, & Æthiopicum. In aliis libris græcis eſt*, σωτήριόν μου, ſalutare meum, *quod habet pſalterium Arabicum.*

PSAL. L.

(*a*) Berſabee.] *Symmachus, ut lxx. Aquila, Theodotio*, βεθσαβεὲθ, Bethſabeth. (*b*) Miſerere mei.] *Aquila*, δώρησαί μοι θεὲ κατὰ ἔλεόν σου, dona mihi Deus ſecundum miſericordiam tuam. *Symmachus*, οἰκτειρόν με ὁ θεὸς κατὰ τὸ ἔλεός σου, miſerere mei Deus ſecundum miſericordiam tuam. *Theodotio, ut lxx.* (*c*) Et vincas.] καὶ νικήσῃς, *qua dictione utitur etiam Theodotio. Aquila*, ὑπερκριθῇς, & ſuperjudices. *Symmachus*, νικᾷν κρίνοντα, vincere judicantem. (*d*) Concepit] *S. Auguſtinus*, in utero aluit. *Theodoretus* : Pro iſto, ἐκίσσησεν, Symmachus poſuit ἐκύησε, utero geſſit. *In catena Barbari, Theodoretus Symmacho & Aquilæ tribuit hoc*, cum dolore parturiit me mater. (*e*) Dilexiſti.] ἠγάπησας, *Aquila*, ἐβουλήθης, voluiſti. *Symmachus*, θέλεις, vis. (*f*) Audire me facies exultationem.] ἀκουτιεῖς με ἀγαλλίασιν. *S. Auguſtinus*, auditui meo dabis exultationem : *vulgata*, gaudium. (*g*) Ne auferas a me.] *Rurſus Heſychius notat dictum eſſe, non*, ἀνέλῃς, *ſed* ἀντανέλῃς, *quaſi*, ne iterum auferas. (*h*) Exultabit.] *S. Aug. & vulgata*, & exultabit. *Theodoretus* : Hoc Symmachus ita eſt interpretatus, διαλαλήσει ἡ γλῶσσά μου τὴν ἐλεημοσύνην σου, prædicabit lingua mea miſericordiam tuam. (*i*) Contritum.] συντετριμμένην, *Symmachus*, κατεαγυῖαν, confractum. (*k*) Benefac.] *Aquila*, ἀγάθυνον εὐδοκίᾳ σου τὴν σιών, benigne fac beneplacito tuo ipſi Sion. *Symmachus*, εὐεργέτησον, benefac.

PSAL. LI.

(*a*) Abimelech.] *Ita etiam S. Auguſtinus, & S. Hieronymus : quamvis in ejus commentariis, ſi illius ſunt, videatur ſubeſſe mendum.* S. *Hilarius, & vulgata*, Abimelech : *Theodoretus hoc eodem modo inquit legi hic, & in trigeſimo tertio pſalmo, & habuiſſe duo nomina. Sch.* Theodotio, & Symmachus, ἀχιμέλεχ, Achimelech. Aquila, ἀειμέλεχ, Aeimelech. (*b*) Quid gloriaris.] τί ἐγκαυχᾷ ἐν κακίᾳ ὁ δυνατὸς ἀνομίαν; ὅλην τὴν ἡμέραν ἀδικίαν ἐλογίσατο ἡ γλῶσσά σου. *S. Hilarius* : Quid gloriatur in malitia potens iniquitate ? tota die injuſtitiam, &c. S. *Auguſtinus*, quid gloriatur in malitia, qui potens eſt ? in iniquitate tota die injuſtitiam cogitavit. *Vulg.* quid gloriaris in malitia, qui potens es iniquitate? *Quod autem hic eſt*, ὅλην τὴν ἡμέραν, *refert Theodoretus Symm. dixiſſe* καθ' ἑκάστην ἡμέραν, per ſingulos dies. (*c*) Præcipitationis.] S. *Aug.* ſubmerſionis, *& notavit etiam* S. *Hil. hoc ſignificare vocabulo græco*, καταποντισμοῦ. (*d*) Deſtruat.] *Omnes editiones latinæ habent*, deſtruet, *& pleraque*, evellet, & emigrabit. *Sed* S. *Hilar.* evellat, & emigret. *Græce eſt*, καθέλοι, *in pleriſq; codd. ſed apud Theodo-*

retum, καθελεῖ, deſtruet: *ſequentia quidem apud ipſum etiam ita habent,* ἐκτίλαι, ϗ μεταναστεῦσαι, evellat, & emigret: *more ſcripturæ uſitato, ut imprecando videantur proferri quæ prædicuntur ventura.* (*e*) De tabernaculo.] *In pleriſque libris græcis eſt,* ἀπὸ σκηνώματός σου, *& ita fere editiones latinæ*, de tabernaculo tuo: *abeſt tamen illud*, tuo, *ab aliquot vetuſtis codicibus vulgatæ. Et Sanctus Hilarius, & Sanctus Hieronymus in explanatione non videntur agnoſcere.* (*f*) Prævaluit.] ἐνεδυναμώθη, *Aquila*, ἐκραταιώθη. *Symmachus* ἐνισχυρίσατο, *quæ idem valent.*

PSAL. LII.

(*a*) MAeleth.] *Theodoretus*: Iſtud, ὑπὲρ μαελέθ, Theodotio interpretatus eſt, ὑπὲρ τῆς χορείας, pro chorea. Symmachus autem, διὰ χοροῦ, per chorum (*& ſic S. Hieronymus.*) Aquila autem, ἐπὶ χορείᾳ. *al*, ἐπὶ χορείᾳ, tripudia, *al.* ſuper chorea. *Schol.* μαελέθ, exponitur, ἀπαρχὴ, primitiæ. *In editionibus latinis, & apud patres latinos partim eſt*, Ameleth, *partim*, Abimelech, *partim*, Amalech, *partim* Mahalath. Et S. *Hieronymus in comm. &* S. *Auguſtinus exponunt*, pro parturiente, *ſive*, dolente. (*b*) Corruperunt.] *Eſt uſitatus hebraiſmus: & ſubintelligitur*, viam ſuam, *aut hujuſmodi quiddam. Schol.* Quinta editio, & ſexta ut lxx. Symm. διεφθάρησαν, corrupt[illegible]t: *& ita fere in omnibus exemplaribus græcis & latinis* (*c*) Cibo p[illegible]] βρώσει ἄρτου. *In aliis codicibus, & apud Theodoretum eſt*, ἐν βρώσει ἄρτου, [illegible]. *Aug.* in cibo panis: *vulgata autem, & S. Hilarius*, ut cibum pani[illegible]*d*) Ibi timuerunt.] *Ita S. Aug. verbum fere e verbo. S. Hilarius*, illic timuerunt, ubi non fuit timor. *Vulgata*, illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor. *Aquila*, ἐκεῖ ἐπτοήθησαν, ibi exterriti ſunt. *Symmachus*, φοβηθήσονται, timebunt. *Theodotio*, ἐθαμβήθησαν θάμβῳ οὗ οὐκ ἦν θάμβος, ſtupuerunt ſtupore, ubi non erat ſtupor. (*e*) Eorum qui hominibus placent.] *Aut*, hominibus placentium, *ut Sanctus Hilarius, & Sanctus Auguſtinus*, ἀνθρωπαρέσκων. *Aquila*, ὁ θεὸς διεσκόρπισεν ὀστᾶ παρεμβαλόντων περὶ σε, Deus diſperſit oſſa eorum, qui caſtrametati ſunt circa te. (*f*) In avertendo.] *Sic.* S. *Auguſtinus, verbum e verbo*, ἐν τῷ ἀποστρέψαι. *Sanctus Hilarius*, dum avertit dominus. *Vulgata*, cum converterit Deus captivitatem plebis ſuæ.

PSAL. LIII.

(*a*) JUdica me.] κρῖνόν με, *Theodotio, ut lxx. Symmachus*, δικάσεις, judicio perſequeris, judicabis. *Aquila, & quinta editio*, κρινεῖς με, judicabis me: *quod eſt in multis codicibus, & apud Theodoretum. Schol.* Quidam, κρινεῖς με, per, μ, &, ε. Legendum vero, κρινεῖς μοι, per, μ, &, ο, &, ι. judicabis mihi: *de qua loquutionum diverſitate dictum eſt alibi* (*b*) Avertet.] ἀποστρέψει, *& ſic in hebræo: in omnibus autem editionibus latinis inventum eſt*, averte.

PSAL. LIV.

(*a*) IN hymnis.] *Vulgata*, carminibus. *S. Hilarius*, hymnos aliqui tranſlatores noſtri carmina nuncupaverunt: plerique autem hymnos ex ipſa græcitatis uſurpatione poſuerunt. (*b*) Exaudi.] ἐνώτισαι, *quod in ſcriptura ſolet verti*, auribus percipe. *S. Hilarius nunc habet*, inauri, *& explicat, quid iſto verbo ſignificetur.* (*c*) Exercitatione.] ἐν τῇ ἀδολεσχίᾳ μου. *Schol.* μετεωρισμὸς, μέριμνα, φλυαρία, ſuſpenſio, ſolicitudo, fabulatio. *Aquila*, ὁμιλίᾳ μου, collocutione mea. *Theodoretus*, ἀδολεσχίαν, divina ſcriptura vocat, τὴν συνεχῆ μελέτην, aſſiduam meditationem. Hoc autem Symmachus ita eſt interpretatus, κατηνέχθην περιλαλῶν ἐμαυτῷ, ϗ συνεχύθην ὑπὸ φωνῆς ἐχθροῦ, ὑπὸ ἐνοχλήσεως ἀσεβοῦς, collapſus ſum alloquens me ipſum, & confuſus ſum a voce inimici, a perturbatione impii. (*d*) Iniquitatem.] *Omnes fere Latinæ editiones habent*, iniquitates, *& apud Theodoretum eſt*, ἀνομίαν, *qui etiam hæc affert*, manifeſtius Symmachus dixit, ὅτι ἐπέρριψαν κατ' ἐμοῦ εἰς ἀσέβειαν, ϗ μετ' ὀργῆς ἠναντιώθησάν μοι, *quæ ita videtur fere vertiſſe* S. *Hieronymus*, quoniam projecerunt ſuper me iniquitatem, & in furore adverſabantur mihi. *Pro*, ἀνομίαν, *vero Schol. refert Theodotium eſſe interpretatum, ut lxx. Aquilam vero*, ἀνωφελὲς, rem inutilem. (*e*) Moleſti erant mihi.] S. *Auguſtinus*, adumbrabant me. *Græce eſt*, ἐνεκότουν μοι, *Schol.* ἐμνησικάκουν, ἐμήνιζον, malorum memoriam retinebant, alte iraſcebantur. (*f*) Puſillanimitate] *Sic Sanctus Hilarius*, ὀλιγοψυχίας. *Sanctus Auguſtinus*, puſillo animo. *In vulgata eſt*, puſillanimitate ſpiritus: *quod inde additum eſſe innuit Sanctus Hieronymus ad Suniam, quod pro*, ὀλιγοψυχίᾳ, *Aquila & Symmachus, & Theodotio, & quinta editio, interpretati ſunt*, ἀπὸ πνεύματος, a ſpiritu. (*g*) Præcipita.] καταπόντισον. *S. Auguſtinus*, ſubmerge, *& S. Hilarius admonet verbo græco ſignificari, in profundum demergi.* (*h*) Iniquitas.] *Symmachus*, ὀδύνη, ϗ ταλαιπωρία, dolor, & miſeria. (*i*) Inimicus exprobraſſet.] *Ita* S. *Auguſtinus, at* S. *Hilarius*, inimicus meus improperaſſet mihi. *Vulgata*, inimicus meus maledixiſſet mihi, *&* S. *Hieronymus, ad Suniam inquit inter maledicta & opprobria ſenſum non diſcrepare.* (*k*) Qui oderat.] *In aliis græcis codicibus eſt*, ὁ μισῶν με, *& ita* S. *Auguſtinus, & vulgata*, qui oderat me, *& S. Hilarius*, odiens me. (*l*) Homo unanimis.] *Symmachus*, ἀλλὰ σὺ ἄνθρωπος ὁμότροπος, ϗ συνήθης μου, ϗ γνώριμος, ſed tu homo eorundem morum, & familiaris meus, & notus. (*m*) Qui ſimul dulces.] ὃς ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἐγλύκανας ἐδέσματα, *& poſſet etiam reddi*, qui ſimul dulces faciebas cibos. *In aliquot codicibus, & apud Theodoretum eſt*, ἐγλύκανάς μοι, dulces faciebas mihi, *editiones latinæ*, qui ſimul mecum dulces capiebas cibos. *Aquila*, οἱ ὁμοῦ ἐγλυκάναμεν ἀπόρρητον, qui ſimul dulce faciebamus (*aut*, habuimus, *ut* S. *Hieronymus*) ſecretum, *Symmachus*, οἵτινες ἐκοινολογούμεθα γλυκεῖαν ὁμιλίαν, qui quidem communicando reddebamus dulcem conſuetudinem, & colloquutionem. (*n*) In hoſpitiis.] *Ita S. Hilarius, & S. Auguſtinus: quod græce eſt*, παροικίαις, *& in vulgata*, habitaculis. *Theodoretus*, παροικίαν, autem vocat præſentem vitam in qua παροικοῦμεν, οὐ κατοικοῦμεν, in qua diverſamur, non habitamus. (*o*) Quoniam in multis.] *Aut*, inter multos, *ut vulgata. Theodoretus*, Symmachus, πολλοστοὶ γὰρ ἐγένοντο πρός με, *quod S. Hieronymus*, multi enim fuerunt adverſum me. (*p*) Commutatio.] ἀντάλλαγμα. *Aquila*, οἷς οὐκ εἰσὶν ἀλλαγαὶ αὐτοῖς, quibus non ſunt mutationes eis. *Theodoretus*, hoc Symmachus ita eſt interpretatus, οὐ γὰρ ἀλλάσσονται, οὐδὲ φοβοῦνται τὸν θεὸν, *quod Sanctus Hieronymus*, non enim mutantur, neque timent Deum. (*q*) Extendit.] *Aquila*, ἀπέστειλε χεῖρα αὐτοῦ ἐν εἰρηνικοῖς αὐτοῦ, miſit manum ſuam in pacificos ſuos: *ſed Theodoretus tamen ita ſcribit*, hoc tres illi ſic ſunt interpretati, ἐξέτεινε τὴν χεῖρα αὐτοῦ εἰς τοὺς εἰρηνεύοντας ἐν αὐτῷ, πρὸς αὐτὸν, extendit manum ſuam in eos, qui pacem habebant in ipſum, erga ipſum. *Videtur enim ſignificare in hac tantum poſtrema particula aliquam fuiſſe varietatem. In Scolio ex Theodoreto refertur tantum*, πρὸς αὐτόν. (*r*) Contaminaverunt.] *Aut*, polluerunt, *ut S. Auguſtinus. Symmachus*, παρέβησαν συνθήκην, tranſgreſſi ſunt teſtamentum. (*ſ*) Diviſi ſunt ab ira.] *Aut*, præ ira, *ut S. Auguſtinus. Theodoretus*: Ita enim Symmachus eſt interpretatus, λειότερα βουτύρου τὰ στόματα αὐτῶν, πολεμεῖ δὲ ἡ καρδία ἑκάστου αὐτῶν, nitidiora (*aut*, leviora) butyro ora eorum: pugnat autem cor cujuſque eorum. *Scholiaſtes in hac poſtrema parte, hanc aliunde lectionem affert*, ϗ συνεκλείσθησαν αἱ καρδίαι αὐτῶν, & concluſa ſunt corda eorum. (*t*) Jacula.] βολίδες. *Schol.* ἀκόντια, λογχάρια, tela, lanceæ. *Theodoretus, ex Aquila*, λόχοις, inſidias.

PSAL. LV.

(*a*) IN finem pro populo.] *Schol.* Aquila, τῷ νικοποιῷ ὑπὲρ περιστερᾶς ἀλάλου μακρυσμῶν τοῦ Δαυὶδ ταπεινοῦ, τελείου, ἐν τῷ κρατῆσαι αὐτὸν φυλισταίους ἐν γὲθ, Vincenti pro columba muta elongationum Davidis humilis, perfecti, quando eum tenuerunt Phyliſtæi in Geth. Symmachus autem, ἐπινίκιος ὑπὲρ τῆς περιστερᾶς, ὑπὲρ τοῦ ἀλλοφύλου ὑπωσαμένου τὸν Δαυὶδ, τὸν ταπεινόφρονα, ϗ ἄμωμον, ὅτε κατέχον αὐτὸν οἱ φυλισταῖοι ἐν γὲθ, triumphus pro columba: pro allophylo, qui expulit Davidem, humilem animo, & immaculatum, (*in Græco tamen conſtructio non videtur cohærere, quemadmodum & alibi ſæpe*) cum detinuerunt eum Phyliſtæi in Geth: *quinta autem editio*, τῷ νικοποιῷ ὑπὲρ τῆς περιστερᾶς τῆς μογιλάλου κεκρυμμένῳ τῷ Δαυὶδ εἰς στηλογραφίαν, vincenti pro columba muſſitante abſcondito ipſi David in tituli inſcriptionem. (*b*) Tota die pugnans.] *Ita S. Hilarius, S. Auguſtinus*, bellans, *vulgata*, impugnans. *Theodoretus*: illud autem ὅλην ἡμέραν, Symmachus eſt interpretatus, πᾶσαν ἡμέραν, omni die, id eſt, ἐνδελεχῶς, ϗ διηνεκῶς, aſſidue, & perpetuo. (*c*) Ab altitudine diei.] *Ita legitur, & interpungitur apud S. Auguſtinum, & in pſalterio veteri, & in Romano. Apud S. Hilarium vero*, ab altitudine dierum non timebo, quia multi, qui debellant me, timebunt. *In cæteris græcis libris legitur*, ὅτι πολλοὶ οἱ πολεμοῦντές με, ἀπὸ ὕψους ἡμέρας οὐ φοβηθήσομαι· *quamvis S. Hieronymus ad Suniam dicat illud*, οὐ, *additum eſſe, & abſit a vulgata. Neque vero iſta verba eodem modo ab omnibus diſtinguuntur. Quidam enim illud*, ἀπὸ ὕψους, ab altitudine,, *conjungunt cum antecedentibus: ac deinde illud*, ἡμέρας, *conjungunt cum ſequentibus, dicendo*, die, (*aut*, dies,) non timebo: *Quidam vero* (*ut etiam notatur in Scholio, & patet apud Theodoretum, & alios*) *ſimul proferunt*, ἀπὸ ὕψους ἡμέρας, *ſed horum nonnulli omnia iſta connectunt ſuperioribus, ut Apollinarius in metaphraſi*,

> Ὑψόθεν ἐξ ἠοῦς πολέες τεύχουσι κυδοιμούς.
> Οὔτιν' ὑποδδείσαιμι, ἐπεὶ σύ μοι ἐλπὶς ἐτύχθης.

nonnulli ſequentibus, ut plerique. In pſalterio Æthiopico eſt, tota die ab altitudine diei, quoniam multi qui impugnant me; & timui. *Aquila*, ὅτι πολλοὶ πολεμοῦσίν με ὕψιστε, ἡμέρας φοβηθήσομαι ἐγὼ, πρὸς σὲ πεποιθήσω, quoniam multi impugnant me altiſſime; interdiu (*aut*, dies) timebo ego, in te confidam. *Symmachus*, ὅτι πολλοὶ οἱ πολεμοῦντές με ὑψηλότεροι, ᾗ ἂν ἡμέρᾳ φοβηθῶ, σοὶ πέποιθα, quoniam multi ſunt qui impugnant me altiores; quacunque die timuero, in te confidi. *Theodotio*, ἡμέρας φοβηθήσομαι, ἐγὼ δὲ ἐπὶ σε ἐλπιῶ, interdiu timebo: ego autem in te ſperabo. *Theodoretus tamen hæc refert ex Symmacho*, ἡμέρας οὐ φοβηθῶ, σοὶ γὰρ πέποιθα, die non timebo: tibi enim confidi. (*d*) Tota die verba mea execrabantur.] *Aut*, abominabantur, *ut S. Auguſtinus. Symmachus*, διὰ πάσης ἡμέρας λόγους περὶ ἐμοῦ ἐφρόντιζον, per omnem diem ſermones de me ſolicite tractabant. (*e*) Incolent.] *Sic S. Auguſtinus: quod græce eſt*, παροικήσουσι, *& admonet, ut alibi, eſſe habitare, in terra non ſua. S. Hilarius*, habitabunt, *vulgata*, inhabitabunt. *Theodoretus*: Hoc Symmachus manifeſtius eſt interpretatus, συνήγοντο λάθρα, ϗ τὰ ἴχνη μου παρετήρουν, προσδοκῶντες τὴν ψυχήν μου, congregabantur clanculum, & veſtigia mea obſervabant, expectantes animam meam: *nec multo aliter S. Hier. In quodam Scholio*: illud, παροικήσουσι, poſitum eſt pro, συναχθήσονται, congregabuntur. (*f*) Sicut ſuſtinui.] *S. Auguſt.* ſicut ſuſtinuit anima mea: *Pſalterium Romanum*, expectavit. *In aliis exemplaribus græcis eſt* καθάπερ ὑπέμειναν τὴν ψυχήν μου, *cum qua lectione conveniunt pſalteria, Arabicum, & Æthiopicum, & metaphraſis Apollinarii, & explanatores. Ita in vulgata eſt*, ſicut ſuſtinuerunt animam meam. (*g*) Pro nihilo ſalvos facies.] *Ita editiones latinæ, quod in græco eſt*, ὑπὲρ τοῦ μηδενὸς σώσεις, *in aliis libris græcis eſt*, ὤσεις, expelles, *& cum ea lectione conſentit Apollinarius. Schol.* ἐπὶ ἀνωφελὲς διέσωσεν αὐτοὺς, propter rem inutilem ſervavit eos *Symmachus*, διὰ τὴν ἀδικίαν ῥύσῃ ἀπ' αὐτῶν, propter injuſtitiam erues ab eis: *quinta editio*, ὑπὲρ τοῦ μὴ εἶναι διασεσωσμένον αὐτοῖς, *quod fere S. Hieronymus ita vertit*, quia nullus eſt ſalvus in eis. (*h*) Deduces.] *Sic S. Hilarius, &* S. *Auguſtinus, quod græce eſt*, κατάξεις, *& ſignificat etiam*, confringes, *quod eſt in vulgata. Sed admonet S. Hieronymus ad Suniam melius dici*, dejicies, *aut quiddam ejuſmodi: in hebræo autem eſſe modum imperandi, ac ſi diceretur*, depone, *& Symmachum reddidiſſe*, κατασεῖσαι, decute. (*i*) Deus vitam.] *Theodoretus*. ita enim & Symmachus eſt interpretatus, τὰ ἔνδον μου ἐξηρίθμηταί σοι, quæ intra me ſunt, annumerata ſunt tibi. (*k*) Poſuiſti lacrymas.] *Symmachus*, ἔθου τὰ δάκρυά μου ἔνδον σου, μὴ οὐχὶ ὅταν ἐξαριθμῇς; poſuiſti lacrymas meas intra te: nonne quando enumeraveris? (*l*) Convertentur.] ἐπιστρέψουσιν. *S. Hilarius, & S. Auguſt.* convertantur. *Aquila, Symmachus, Theodotio, quinta editio*, τότε ἐπιστρέψουσιν, tunc convertentur.

PSAL. LVI.

(*a*) INiquitas.] *Aquila*; ἡ ἐπιβουλὴ, inſidiæ, *ut S. Hieronymus. Symmachus*, ὁ ἐπηρεαστὴς, calumniator, oppugnator. (*b*) Dormivi.] *Theodor.* Hoc Theodotio ſic eſt interpretatus, ἐκοιμήθην μετὰ ἀναλισκόντων, dormivi cum abſumentibus: Aquila vero, μετὰ λάβρων (*alius*, λαύρων) cum vehementibus (*al.* abundantibus:) Symmachus vero, μετὰ φλεγόντων, cum ardentibus. *In ſcholio plenius hoc refertur ex Symmacho*,

ἐνθαρσῶν

εὐθαρσῶν ἐκοιμήθην μεταξὺ φλεγόντων, benefidens dormivi inter ardentes. (c) Arma.] *in L. V. eſt* ὅπλον, *in aliis autem*, ὅπλα. *Theodotio*, τόξον, arcus, telum. *Symmachus*, δόρατα, lanceæ (*& ita S. Hieronymus*) *Aquila*, δόρυ, lancea, *quinta, & ſexta editio perinde ac LXX.* ὅπλον. (d) Laqueos.] παγίδας. *& ita* S. *Hilarius. In aliis libris græcis eſt*, παγίδα, *& ita vulgata*, laqueum, *& S. Aug.* muſcipulam. (e) Paratum] *Theodoretus*: Hoc ita Symmachus, ἑδραία ἡ καρδία μου, ſtabile cor meum. (f) Et pſalmum dicam.] *Aut*, pſallam, *ut* S. *Auguſt. vulgata addit*, Domino. *S. Hilarius*, tibi. *In pleriſque autem libris græcis eſt*, καὶ ψαλῶ ἐν τῇ δόξῃ μου, & pſallam in gloria mea, *cum qua lectione conſentit metaphraſis Apollinaris, & pſalterium Arabicum. Æthiopicum vero cum editionibus latinis.*

PSAL. LVII.

(a) INjuſtitiam.] *Ita in codicibus Græcis collatis*, ἀδικίαν, *& in quibuſdam paulo ante*, ἀνομίαν, iniquitatem. *Latinæ editiones utroque loco habent numerum multitudinis, niſi* S. *Hilarius, qui primo loco habet*, iniquitates, *ſecundo*, iniquitatem. *Pro*, concinnant, *etiam* S. *Hilarius dixit*, complectuntur. S. *Auguſtinus*, connectunt, *ſatis prope ad Græcum*, συμπλέκουσιν. (c) Incantantium.] *Schol. Aquila, Theodotio, eodem modo ac LXX. Symmachus*, ψιθυριζόντων, murmurantium: *& ita* S. *Hieronymus*. (d) Et medicamenti.] *In L. V. eſt*, φαρμακοῦτε φαρμακευομένου, *ita ut illud*, φαρμακουτε, *non habeat accentum. Quod ſi ſcribatur*, φαρμακουτε, *ea verſio locum habet, quam nos ex S. Auguſtino poſuimus: nec multo aliter* S. *Hilarius*, medicamentis medicatis a ſapiente: *videturque etiam non diſcrepare metaphraſis Apollinarii; ſin autem ſcribatur*, φαρμακοῦτε φαρμακευομένου, *videri poſſet ea eſſe lectio, quam ſequuta eſt vulgata, niſi additio illa*, παρὰ σοφοῦ, *obſtaret, ea enim indicat illud*, φαρμακευομένου, *paſſive accipi, cum vulgata active habeat*, venefici incantantis. *Ac fortaſſe auctor vulgatæ habuit*, σοφῶς, *quod in nullo ex collatis codicibus eſt inventum. In aliis Græcis libris partim eſt*, φαρμακοῦτε φαρμακευομένη παρὰ σοφοῦ, *& ſic in pſalterio Romano*, & venefici quæ incantatur a ſapiente, *eamque lectionem ſequitur Lucifer: Poſſet autem & ita verti*, & a medico medicata ſapiente. *Partim vero*, φαρμακοῦται φαρμακευομένη, medicatur medicata, *quomodo etiam corrigere quiſpiam voluit exemplar Vaticanum. Schol.* legendum eſt, φαρμακοῦτε, ut illud, τε, interjectum ſit convenienter concentus gratia, & non verbaliter, φαρμακοῦται. *Aliud Scholium*, legendum eſt, φαρμακουτε (*etiam Scholiaſtes iſte non apponit accentum*) genitivum a recto nominis, φάρμακον, *&* φαρμακὸς, cum conjunctione, τε, & non, φαρμακοῦται, paſſivum verbum. *Aquila*, ἐπαείδειν ἐπαοιδὴν σεσοφισμένου, docti incantare incantationem. *Symm.* ἐπᾳδοῦ ἐπῳδὰς σεσοφισμένου, incantatoris docti incantationes. *Theodotio.* φαρμάκου φαρμακευομένου παρὰ σοφοῦ, medicamenti medicati a ſapiente. *Quinta editio*, φαρμακευούσα φαρμακοὺς, medicata (*videtur enim in ſignificatione paſſiva accepiſſe*) medicamentis, *aut*, accipiens medicamenta. *Theodoretus tamen ex Symmacho refert*, ἐπᾳδοῦται ἐπῳδαῖς σεσοφισμένου, incantatur incantationibus ſapientis. (e) Contrivit] *Sic* S. *Hilarius, &* S. *Auguſtinus, quod græce eſt*, συνέτριψεν. *In aliis græcis codicibus, & apud Theodoretum, eſt*, συντρίψει, *& ſic vulgata*, conteret. *Quod autem proxime ſequitur*, confregit, *ita inventum eſt in collatis græcis codicibus*, συνέθλασεν, *licet vulgata hoc etiam loco habeat*, confringet. (f) Ad nihilum devenient.] *Sic vulgata*, ἐξουδενωθήσονται. S. *Hilarius, & S. Auguſtinus habent*, ſpernentur: *quo modo ſolet ſæpe verti verbum illud.* (g) Sicut cera liquefacta] *Aut*, quæ fluit, *ut vulgata. Aquila*, ὁμοίως γῆς ἐντέρῳ, τακὲν πορεύεται ἔκτρωμα γυναικὸς, οὐ μὴ θερμανθῶσιν ἥλιον, ſimiliter ac vermis terræ, liquefactum vadit abortivum mulieris: non videbunt ſolem. *Theodotio*, ὡσεὶ κηρὸς τακεὶς ἀνταναιρεθήσεται, ὡς ἔκτρωμα γυναικὸς, οὐκ εἶδεν ἥλιον, ſicut cera liquefacta auferetur, tanquam abortivum mulieris, non videt ſolem. *Symmachus*, ὥσπερεὶ χόριον διαλυθὲν διαφωνεῖ, ἢ ἔκτρωμα γυναικὸς, ἵνα μὴ ἴδωσιν ἥλιον, ſicut ſecunda membrana diſſoluta diſſonat (*id eſt*, deficit, *ut alibi*) aut abortivum mulieris, ut non videant ſolem. (h) Cecidit.] ἔπεσεν, *editiones tamen latinæ habent*, ſupercecidit. *In aliquot codicibus græcis, & apud Theodoretum eſt*, ἔπεσεν πῦρ ἐπ' αὐτοὺς, cecidit ignis ſuper eos. (i) Priuſquam intelligant.] S. *Hilarius, & S. Hieronymus, & S. Auguſtinus*, priuſquam producat ſpinas veſtras rhamnus. *Arnobius*, priuſquam producant ſpinæ veſtræ rhamnos. *Theodoretus*: Symmachus hoc clarius dixit, πρὶν ἢ αὐξηθῶσιν αἱ ἄκανθαι ὑμῶν, ὥστε γενέσθαι ῥάμνον, ἔτι ζῶντες (*al.* ζῶντα) ὡς ὁλόξηρος λαίλαψ ἀρεῖ, priuſquam auctæ ſint ſpinæ veſtræ, ita ut fiant rhamnus; adhuc viventes (*al.* viventem) tanquam omnia ſiccans turbo tollet. *Schol.* Aquila, λαιλαπίσει, tempeſtate quatiet. *Theodotio*, καταπίεται, abſorbebit. (k) Sicut viventes, ſicut in ira abſorbebit vos.] *Ita S. Hilarius, niſi quod habet*, ſic in ira. S. *Auguſtinus*, tanquam viventes, tanquam in ira combibit eos. *Pſalterium Æthiopicum conſentit cum lectione Hilarii*, abſorbebit vos. *In Arabico, & aliis libris græcis eſt*, καταπίεται αὐτοὺς, abſorbebit eos, *vulgata*, abſorbet eos (l) Impiorum.] *Ita S. Ambroſius ſerm. 7. in pſal.* 118. *& S. Hieronymus in extrema tertia apologia contra Rufinum: ſic quoque eſt in Romano pſalterio. A cæteris pſalteriis, & libris græcis, & editionibus latinis abeſt dictio iſta.*

PSAL. LVIII.

(a) SIne iniquitate cucurri, & direxi.] *Aut*, dirigebar, *ut S. Auguſtinus*, κατηύθυνα. *Theodoretus*: Ita autem Symmachus eſt interpretatus, μὴ οὔσης ἁμαρτίας ἐπιτρέχουσιν (*al.* οὕτω τρέχουσιν) ἵνα πατάξωσί με, cum non ſit peccatum, accurrunt, ut percutiant me. *Schol.* ἀναιτίου, καὶ ἀναμαρτήτου, cum in culpa, & peccato non ſim: *quanquam hæc pro illis fortaſſe afferuntur proxime præcedentibus*, οὔτε μου, οὔτε ἡ ἁμαρτία μου κύριε (b) In occurſum meum.] S. *Auguſtinus*, mihi. *Symmachus*, ἐξ ἐναντίας ὑπὲρ ἐμοῦ, *quod S. Hieronymus*, ex adverſo pro me. (c) Ut canis.] ὡς κύων. *Latinæ editiones habent*, canes. *Totum autem locum ita refert Scholiaſtes ex Symmacho*, ἀνακάμψουσιν ἑσπέρας, καὶ συνηχήσουσιν, ὡς κύνες κυκλοῦντες πόλιν. αὐτοὶ μὲν ἀποβλύσουσιν τοῖς στόμασιν αὐτῶν, ὡς μαχαίρας τοῖς χείλεσιν αὐτῶν, ὡς οὐδενὸς ἀκούοντος, Reflectent ſe veſperi, & ſimul ſonum emittent, velut canes circumeuntes civitatem: ipſi autem ſingultiunt comedentes ore ſuo, tanquam gladios labris ſuis, quaſi nemo audiat. (d) Pro nihilo habebis.] *Ita S. Hilarius, & S. Auguſtinus, quod Græce eſt*, ἐξουδενώσεις. *Vulgata*, ad nihilum deduces. (e) Quia tu.] *Illud*, tu, *abeſt ab editionibus Latinis, Notat autem S. Hieronymus ad Suniam & iſtud*, tu, *& ſequens*, es, *apud LXX ſolos inveniri.* (f) Deus meus oſtendet mihi in inimicis meis.] *Ita vertit S. Hieronymus ad Suniam, aut* inter inimicos meos, *quod habet etiam S. Hilarius. Rurſus autem admonet S. Hieronymus, illud*, meus, *additum eſſe. Vulgata*, Deus oſtendet mihi ſuper inimicos meos. S. *Auguſt.* Deus meus demonſtravit mihi de inimicis meis. (g) Legis tuæ.] *Ita apud S. Hilarium, & S. Aug. & in pſalteriis Romano, & veteri: &* νόμου σου, *eſt in omnibus libris græcis, qui collati ſunt. S. Hieronymus tamen affirmat in LXX ut in hebræo, haberi*, populi mei, *& ita a ſe eſſe verſum: quod etiam eſt in vulgata. Aquila, & Theodotio*, λαοῦ μου, populi mei. *Symm.* ἐπιλάθωνται ὁ λαός σου τοῦ νόμου σου, obliviſcantur populus tuus legis tuæ. (h) Diſperge.] *Theodoretus*: Symmachus, ἀναστάτωσον αὐτοὺς ἐν τῇ δυνάμει σου, καὶ κάθελε αὐτοὺς, ὑπερασπιστὰ ἡμῶν κύριε τῇ ἁμαρτίᾳ τοῦ στόματος αὐτῶν, τῷ λόγῳ τῶν χειλέων αὐτῶν, *quæ ita fere vertit S Hieronymus*: Diſperge eos in fortitudine tua, & deſtrue eos protector noſter Domine in peccato oris ſui, in ſermone labiorum ſuorum. (i) Depone.] *Sic vulgata, quod græce eſt*, κατάγαγε. S. *Auguſt.* deduc. S. *Hilarius*, deſtrue. (k) Delictum.] *Ita vulgata*, ἁμαρτίαν. S. *Hilarius, & S. Auguſt.* delicta. *In aliquot exemplaribus græcis, & apud Theodoretum eſt*, ἁμαρτία, *&* λόγος *in recto. Sed in accuſandi caſu videtur magis redolere hebraiſmum, in quo ſubintelligitur*, propter, *aut hujuſmodi quiddam: idque S. Auguſtino aliquem laborem exhibuit.* (l) Et comprehendentur.] *Theodoretus*: Hoc Symmachus manifeſtius eſt interpretatus, συλληφθήτωσαν μετὰ τῆς ὑπερηφανίας αὐτῶν ἀρὰν, καὶ ψεῦδος λαλοῦντες (*al.* λαλοῦντας) συντέλεσον ἐν θυμῷ, ἀνάλωσον ἵνα μὴ ὦσιν, capiantur cum ſuperbia ſua, maledictionem & mendacium narrantes, conſumma in furore, conſume, ut non ſint: *nec multo aliter S. Hieronymus.* (m) Annunciabuntur conſummationes.] *Sic vetus pſalterium, & S. Auguſt. & cum hac lectione conſentit pſalterium Æthiopicum, & metaphraſis Apollinarii.* ὧν τέλος ἐξ ἀρῆς καὶ ψεύδεος ἀγγέλλοιτο. S. *Hilarius*, convellentur in conſummatione: conſummatio in ira conſummationis, & non erunt. *In aliis vero libris græcis*, διαγγελήσονται ἐν συντελείᾳ ἐν ὀργῇ συντελείας, *& ſic vulg.* annunciabuntur in conſummatione, in ira conſummationis. *Ad hebræum fortaſſe propius accederet, ſi verteretur*, annunciabunt. (n) Quia Deus Jacob.] *Ita etiam habet pſalterium Æthiopicum, & S. Hilarius, niſi quod habet*, dominabitur. *At in cæteris libris græcis eſt*, ὁ θεὸς δεσπόζει τοῦ Ἰακὼβ, καὶ τῶν περάτων τῆς γῆς, Deus dominatur Jacob, & finium terræ, *quomodo habent S. Aug. & vulgata, excepto quod habent*, dominabitur. *Ac ſane S. etiam Hier. ad Suniam habet*, δεσπόσει. *Qui quidem inquit conjunctionem & eſſe additam, ordinemque verborum eſſe*: Scient quia Deus Jacob dominabitur finium terræ. (o) Finium terræ.] Aquila, εἰς πέρατα τῆς γῆς ἀεὶ, Ad fines terræ, ſemper. *Theodotio*, τῶν περάτων τῆς γῆς, finium terræ. *Symm.* εἰς τὰ πέρατα τῆς γῆς, ad fines terræ. (p) Convertentur ad veſperam.] S. *Hilar.* in veſperum. *Theodoretus*, Symmachus ita inquit, ἀνακαμπτέτωσαν ἑσπέρας, θορυβείτωσαν ὡς κύνες περιερχόμενοι πόλιν, ῥεμβόμενοι, ἵνα μὴ ἀχόρταστοι αὐλισθῶσιν, reflectant ſe veſperi, tumultuentur tanquam canes, circumeuntes civitatem, vagantes, ne non ſaturati pernoctent. *Schol. addit hæc*: Theodotio ut LXX. Aquila, ἐὰν μὴ ἐμπλησθῶσιν, niſi fuerint ſatiati. (q) Virtuti tuæ.] *Ita S. Hilarius, quod græce eſt*, τῇ δυνάμει σου. *In aliis libris græcis eſt*, τὴν δύναμίν σου, *& S. Aug.* potentiam tuam, *vulgata*, fortitudinem tuam.

PSAL. LIX.

(a) IIs qui immutabuntur.] *Editiones Latinæ habent*, pro his. *Aquila*, ἐπὶ κρίνων, *& S. Hieronymus*, pro liliis. *Euſebius de hoc titulo.* Symmachus, ἐπινίκιον ὑπὲρ τῶν ἀνθῶν τοῦ ταπεινόφρονος, καὶ ἀμώμου Δαυὶδ εἰς διδαχήν. Epinicium pro floribus humilis & immaculati David, ad Doctrinam. (b) Et percuſſit vallem.] *Quidam codices Theodoreti habent*, φάλαγγα, Phalangem: *ſed videtur mendum. In aliis autem Græcis codicibus eſt*, καὶ ἐπάταξεν τὴν Ἐδὼμ ἐν τῇ φάραγγι τῶν ἁλῶν, *quod S. Auguſtinus*, & percuſſit Edom in valle Salinarum. *Itemque vulg.* & percuſſit Idumæam. S. *Hilarius tamen*, & percuſſit in valle Salinarum duodecim millia. (c) Iratus es.] *Aquila*, θυμωθεὶς μετέστρεψας ἡμᾶς, indignatus tranſvertiſti nos. *Symmachus*, ὠργίσθης, καὶ περιήγαγες ἡμᾶς, iratus es, & circumduxiſti nos. (d) Compunctionis.] S. *Aug.* ſtimulationis. *Theodoretus*: Aquila, ἐπότισας ἡμᾶς οἶνον καρώσεως, potaſti nos vino ſoporationis, *aut*, conſopiente, *ut S. Hieron. Schol. ex Symmacho*, σάλου conturbationis. (e) Fortitudo capitis mei.] *Theodoretus*, pro, τῆς κεφαλῆς μου, Symmachus poſuit, τῆς ἀρχῆς μου, principatus mei. (f) Judas rex meus.] *Aquila*, Ἰούδας ἀκριβαστής μου, Μωὰβ λέβης τοῦ λουτροῦ μου, Judas legifer (*hæc enim notione ſolent dictionem iſtam accipere*) meus, Moab olla lavacri mei, *& ita S. Hieron. Syrus autem*, κάδος τῆς πλύσεώς μου, ſitula lotionis meæ. *Aliud Scholium*: Syrus, λεκάνη, catinus: Theodotio, Ἰούδας ἀκριβαζόμενός μου, Judas præſcribens meus: cæteri ut LXX. *Symmachus*, Ἰούδας προστάσσων ὁ ἐμὸς, Μωὰβ λέβης ἀμεριμνίας μου, Judas præordinans meus, Moab olla tranquillitatis & ſecuritatis meæ. (g) Circumſtantiæ.] *Ita S. Hilarius, & S. Aug. quod græce eſt*, περιοχῆς. *Theodoretus ex Symm.* πεφραγμένην munitam; *& ſic vulgata.* Et vana.] *Theodoretus ex Symm.* ματαία γὰρ σωτηρία ἀνθρώπου, vana enim ſalus hominis.

PSAL. LX.

(a) QUoniam tu Deus.] *Apud S. Auguſtinum, & in vulgata ſequitur*, meus, *quod tamen S. Hieronymus notat non eſſe in hebræo, neque in LXX.* (b) Orationes.] τῶν προσευχῶν, *in aliquot libris græcis, & apud S. Hieronymum ad Suniam. eſt*, εὐχῶν, *& poſſet verti*, vota. *omnes tamen latinæ editiones habent*, orationem.

PSAL. LXI.

(a) IN finem.] *Theodoretus*: Symmachus autem ita eſt interpretatus, ἐπινίκιος διὰ Ἰδιθοὺν ᾠδὴ εἰς Δαυὶδ, triumphalis per Idithum oda in David. (b) Salvaor.] *Ita S. Hilarius, quod græce eſt*, σωτήρ. *In vulgata, & apud S. Auguſtinum eſt*, ſalutaris. (c) Apponitis.] *Dictio*, ἐπιτίθεσθαι, *multa ſignificat, imprimis autem inſidiari, & irruere: quam quidem irruendi vocem habent hic S. Hilarius, & S. Ambroſius, & vulgata. Nos S.*

Auguſtinum ſequuti ſumus, ut æque communem & ambiguam vocem, ac græca eſt, retinerimus. (*d*) Interficitis univerſi.] *Sic* S. *Hilarius.* S. *Auguſtinus*, interficite omnes, *quod facile fert græca vox*, φονεύετε. *In vulgata eſt*, interficitis univerſi vos, *& quidem in aliis codicibus græcis, & apud Theodoretum eſt*, φονεύετε πάντες ὑμεῖς, *qui Theodoretus putat hæc per parentheſim eſſe interjecta.* S. *Ambroſius habet*, interficientes univerſos. (*e*) Honorem.] *Ita* S. *Hilarius, &* S. *Auguſtinus, & ea notione accipit nunc Theodoretus*, τιμὴν, *quamvis ſignificet etiam*, precium, *ut habet vulgata, &* S. *Ambroſius, & ea notione accipit* S. *Baſilius.* (*f*) Cucurri.] *Ita editiones, & Patres latini: græce eſt*, ἔδραμον, *quod etiam ſignificare poteſt*, cucurrerunt, *& ita fere græci interpretantur.* S. *Ambroſius utroque modo exponit. Additque, Symmachum dixiſſe*, τῷ δόλῳ αὐτῶν εὐλόγουν, hoc eſt, placuit illis in mendacio: *ex qua explanatione fortaſſe colligi poteſt, pro*, εὐλόγουν, *legendum*, εὐδόκουν. *Sanctus Hieronymus*, placuerunt ſibi in mendacio. (*g*) Populi.] λαοῦ. S. *Hilarius*, omnis cœtus plebis. S. *Ambroſius*, omnes conventus plebis meæ. S. *Auguſt.* omne conſilium plebis. *In pleriſque tamen græcis libris eſt*, λαῶν, populorum. (*h*) Noſter.] *Ita* S. *Hilarius, &* S. *Auguſt. In vulgata ſequitur*, in æternum: *ſed* S. *Hieron. fatetur obelum eſſe; ac fortaſſe irrepſit in locum diapſalmatis, quod ab Aquila redditur*, ſemper. (*i*) Veruntamen vani.] *Theodoretus*, Hoc Theodotio manifeſtius eſt interpretatus πλὴν ἀτμὶς υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων, ψευδεῖς υἱοὶ ἀνδρὸς, ὡς ῥοπὴ ζυγοῦ. Veruntamen vapor filii hominum, mendaces filii viri, ut momentum ſtateræ. (*k*) Ut decipiant.] *Græci fere hæc conjungunt cum antecedentibus, ut* ἐν ζυγοῖς τοῦ ἀδικῆσαι. *valeat*, in ſtateris factis ad decipiendum, & fraudandum. (*l*) Ipſe de vanitate in idipſum.] *Aut*, in unum, *ut* S. *Aug. Theodoretus*: Ita Symmachus hoc eſt interpretatus, αὐτοὶ ματαιοῦνται ὁμοῦ, ipſi evaneſcunt ſimul. (*m*) Super rapinas.] ἐπὶ ἁρπάγματα, *latinæ tamen editiones non habent illud*, ſuper: *Aquila*, καὶ ἐν βίᾳ μὴ ματαιοῦσθε, & in violentia nolite evaneſcere. *Theodotio*, καὶ ἐπὶ ἁρπάγματι μὴ ματαιοῦσθε, & in rapina ne evaneſcatis *Symmachus*, καὶ ἐπὶ ἅρπαγμα μὴ γίνεσθε ἀτμὶς, & ſuper rapinam nolite fieri vapor. (*n*) Tua] σε, *tamen latinæ editiones habent*, tibi.

PSAL. LXII.

(*a*) SItivit tibi.] *Ita pſalterium vetus, &* S. *Hilarius, &* S. *Auguſtinus, & ita omnes interpretes vertiſſe affirmat* S. *Hieron. Aliæ editiones Latinæ habent*, in te. *Plerique autem libri Græci*, ἐδίψησέ σε. ſitivit te. (*b*) Quam multipliciter.] *Theodoretus*, Theodotio, ποσαχῶς, multipliciter: Aquila vero, ἐπετάθη, intendit ſe: Symmachus autem, ἱμείρεται, appetit. Omnes attuli interpretationes, docens illud, ποσαπλῶς, non eſſe duas particulas, dividendo, πῶς, ab ἁπλῶς, ſed eſſe unam orationis partem ſignificantem intentionem deſiderii. S. *Hilarius tamen habet*, quam ſimpliciter. S. *Hier. in Ezek. cap.* 16. *lib.* 5. *in extremo teſtatur quædam exemplaria habuiſſe*, quomodo conſumpta eſt caro mea, *itemque in cap.* 44. (*c*) Caro mea.] S. *Aug.* & caro mea in terra deſerta, & in invio, & inaquoſo. (*d*) Sicut adipe.] S. *Auguſtinus*, tanquam adipe. *In aliquot codicibus græcis, & apud Theodoretum eſt*, ὡς ἐκ στέατος, tanquam de adipe. (*e*) Et labia.] *Ita* S. *Hilarius, &* S. *Auguſt. & vetus pſalterium, & Romanum, & Æthiopicum. In cæteris græcis codicibus partim eſt*, καὶ χείλη ἀγαλλιάσεως αἰνέσει τὸ στόμα μου, & labia exultationis laudabit os meum, *partim, ac fortaſſe emendatius*, καὶ χείλει ἀγαλλιάσεως αἰνέσει τὸ στόμα μου, & labio exultationis laudabit os meum: *non longe ab vulgata, quæ habet*, & labiis: *& ab Arabico.* (*f*) Si memoratus ſum tui.] *Ita* S. *Hilarius, &* S. *Aug. Vulgata autem*, ſic (*aut*, ſi) memor fui tui. *Theodoretus*: Hoc Symmachus ita eſt interpretatus, ἀναμιμνήσκομαί σου ἐπὶ τῆς στρωμνῆς μου, καθ' ἑκάστην φυλακὴν ἐμελέτων σε, καὶ σκεπόμενος ἐν ταῖς πτέρυξί σου εὐφήμουν, reminiſcor tui ſuper ſtratum meum, per ſingulas vigilias (*Sic* S. *Hieron.*) meditabar te, & tectus in alis tuis benedicebam.

PSAL LXIII.

(*a*) ORationem meam.] *Ita editiones Latinæ: & SS. Hilarius, & Auguſtinus: quod græce eſt*, τῆς προσευχῆς μου. *In aliis exemplaribus Græcis eſt*, φωνῆς μου, vocem meam. *Schol.* LXX. προσευχῆς μου. (*b*) Cum deprecor ad te.] *Ita libri Græci*, ἐν τῷ δέεσθαί με πρὸς σέ. S. *Hilarius primum habet*, cum precor ad te, *deinde*, cum tribulor. S. *Auguſtinus & vulgata*, cum deprecor. (*c*) Protexiſti.] *Ita apud Latinos: quod Græce*, ἐσκέπασάς με, *ſed in cæteris libris Græcis eſt* (*pſalteriis, Æthiopico, & Arabico, conſentientibus*) σκέπασόν με, protege me. (*d*) Conventu.] *Theodoretus*, συστροφὴν. vocat concordiam, & conſenſum ad mala: *quare verti poſſet*, conjuratione. (*e*) Rem amaram.] πρᾶγμα πικρόν. *Theodoretus*: Aquila dixit, ῥῆμα πικρὸν, verbum amarum, *& Theodotio*, λόγον πικρὸν, ſermonem amarum, *& Symmachus*, ἐπλήρωσαν τὸ τόξον ἑαυτῶν λόγον πικρὸν (*al.* λόγῳ πικρῷ) impleverunt arcum ſuum ſermonem amarum, *al.* ſermone amaro. (*f*) In occultis.] ἐν ἀποκρύφοις. S. *Hilarius interdum hoc modo, interdum*, in obſcuro. S. *Auguſtinus*, in abſcondito. *Theodoretus*: Symmachus κρυφῇ, clanculum, id eſt, inſidiis & dolis uſi. (*g*) Sermonem malignum.] *Ita* S. *Auguſtinus, quod græce*, λόγον πονηρόν. *Vulgata*, ſermonem nequam, *eodemque interdum modo* S. *Hilarius, interdum vero*, verbum malum. *Theodoretus*, hoc manifeſtius Symmachus dixit, ἐκράτυναν λόγον πονηρὸν, ἐσυνηγήσαντο κρύψαι παγίδας, tenuerunt ſermonem malignum, deliberaverunt occultare laqueos. S. *Hilarius, pro*, narraverunt, *habet*, diſputaverunt. (*h*) Scrutantes ſcrutinio.] *Ita vulgata, &* S. *Hilarius, quod græce eſt*, ἐξερευνῶντες ἐξερευνήσει. *In aliis libris græcis eſt*, ἐξερευνήσεις, *&* S. *Auguſt. & vetus pſalterium*, ſcrutantes ſcrutationes. *Schol.* Aquila, σκαλεύσει σκαλευόμενοι, foſſione fodientes: Theodotio, ἐξερευνῶντες ἐξερευνήσει, perſcrutantes perſcrutatione. (*i*) Accedet homo, & cor altum.] *Apud latinos fere eſt*, ad cor: *apud Sanctum Auguſtinum utroque modo: Aquila*, ἔγκατον ἀνδρὸς, καὶ καρδία βαθεῖα, καὶ ῥοιζήσει αὐτοὺς ὁ θεός. βέλη παραχρῆμα ἐγενήθησαν αἱ πληγαὶ αὐτῶν, καὶ ἐσκανδάλισαν αὐτὴν ἐπ' αὐτοὺς αἱ γλῶσσαι αὐτῶν. Intimum viri, & cor profundum, & inſequetur eos Deus: ſagittæ ſubito fuerunt plagæ eorum, & impingere fecerunt eam in ſemetipſos linguæ ipſorum. *Symmachus*, ἐξ ἐγκάτων ἕκαστος καρδίας βαθείας· ἀκοντίσει οὖν αὐτοὺς ὁ θεὸς, βέλος αἰφνίδιον ἔσονται αἱ πληγαὶ αὐτῶν, καὶ πταίουσι καθ' ἑαυτῶν ταῖς γλώσσαις αὐτῶν, ex intimis unuſquiſque cordis profundi: ſagittabit igitur illos Deus, ſagitta repentina erunt plagæ eorum, & corruunt contra ſeipſos linguis ſuis. *Theodotio*, διάνοια ἀνδρὸς, καὶ καρδία βαθεῖα· κατατοξεύσει αὐτοὺς ὁ θεὸς, mens viri, & cor profundum: ſagittabit eos Deus: *Theodoretus ita refert hanc Theodotionis interpretationem*, καὶ διάνοιαν ἀνδρὸς, καὶ καρδίαν βαθεῖαν κατατοξεύσει ὁ θεὸς, & mentem viri, & cor profundum ſagittabit Deus. (*k*) Pro nihilo habuerunt eum.] καὶ ἐξουθένησαν αὐτόν. *Ita pſalterium Romanum*, S. *Hilarius*, & nihil habuerunt contra ipſos linguæ eorum: *ſed in cæteris libris græcis eſt*, ἐξηθένησαν ἐπ' αὐτοὺς, *cum qua lectione conſentiunt pſalteria, Æthiopicum, & Arabicum, & metaphraſis Apollinarii. Et vulgata latina, & pſalterium vetus, &* S. *Auguſt.* & infirmatæ ſunt contra eos.

PSAL. LXIV.

(*a*) CAnticum.] *Abeſt hoc a* S. *Hilario, & Theodoreto, qui quidem hæc ſcribit*, in nonnullis autem exemplaribus adjungitur, ᾠδὴ ἱερεμίου, καὶ ἰεζεκιὴλ, καὶ τοῦ λαοῦ τῆς παροικίας, ὅτε ἔμελλον ἐκπορεύεσθαι. *Apud Sanctum Auguſtinum*, canticum Hieremiæ, & Ezechielis, ex populo tranſmigrationis, cum inciperent exire. *In vulgata*, canticum Hieremiæ, & Ezechiæ, populo tranſmigrationis, quando incipiebant proficiſci. *Addit Theodoretus, iſta neque in hebraico, neque apud cæteros interpretes, neque apud LXX in Hexaplo haberi: dictio tamen illa*, ᾠδὴ, canticum, *reſpondet hebræo, &* S. *Hilarius, in pſal.* 65. *inquit*, in anteriore, id eſt, in hoc editum eſſe, pſalmus cantici. (*b*) Sion.] *Schol.* Sion exponitur, διψῶσα, ſitiens. (*c*) Votum.] *In pleriſque libris græcis & Latinis ſequitur*, in Hieruſalem, *non tamen in hebræo.* (*d*) Verba iniquorum.] *Theodoretus*: Symmachus autem ita: λόγοι ἀνόμων κατεδυνάστευσάν με, ſermones iniquorum ſubjecerunt & oppreſſerunt me. *Scholiaſtes autem hæc præterea refert, ex Aquila quidem*, ἐδυναμώθησαν παρ' ἐμὲ, roborati ſunt præ me, *ex quinta autem editione*, ἐκραταιώθησαν ὑπὲρ ἐμὲ, invaluerunt ſuper me. (*e*) Et impietates noſtras tu propitiabis.] *Ita* S. *Hilarius in explanatione; quod græce eſt*, καὶ τὰς ἀσεβείας ἡμῶν σὺ ἱλάσῃ, *ſed in multis libris græcis eſt*, ταῖς ἀσεβείαις, *& vulgata*, & impietatibus noſtris tu propitiaberis. *Sanctus Auguſt. partim hoc modo, partim*, & impietates noſtras tu propitiaberis. (*f*) Præparans.] *Theodoretus*, iſtud, ἑτοιμάζων, Symmachus dixit, ἑδράζων firmans. *Scholium autem ex Symmacho*, ὃς ἥδρασας ὄρη τῇ δυνάμει ἑαυτοῦ, qui firmaſti montes potentia tua ipſius. (*g*) Circumcinctus in potentatu] *Sic Sanctus Auguſtinus, quod græce*, περιεζωσμένος ἐν δυναστείᾳ. *Sanctus Hilarius, & vulgata*, accinctus potentia. (*h*) Qui conturbas.] *Theodoretus*, iſtud, συνταράσσων, Theodotio dixit, καταπραΰνων, mulcens, & ſedans. (*i*) Fundum.] *Aut*, profundum, *ut vulgata*, τὸ κῦτος. *Schol.* κοίλωμα, πλάτος, ἢ βάθος, cavitas, latitudo, aut profunditas. *Aliud Scholium*, quod alibi dixit, περιβόλαιον, amictum, & veſtimentum. (*k*) Sonos fluctuum ejus.] *Aut*, ſonum, *ut fere latini: græce tamen eſt*, ἤχους. *Poſt iſta verba in cæteris libris græcis ſequitur*, τίς ὑποστήσεται; *& Sanctus Auguſtinus*, quis ſufferet? *Itemque Romanum pſalterium, & Æthiopicum, & metaphraſis Apollinarii: abſunt tamen ab Arabico, a Sancto Hilario, & vulgata: ac* S. *Hieron. docet id ſuperfluum eſſe.* (*l*) Multiplicaſti locupletare.] *Aut*, ditare, *ut* S. *Auguſtinus. Theodoretus*: Symmachus autem tria iſta poſuit modo optantis, ἐπισκέψαι τὴν γῆν, καὶ ποτιεῖς αὐτὴν, πολυκαρπίᾳ πλουτίσεις αὐτὴν, ὀχετοῖς θεοῦ μεστοῖς ὑδάτων Viſita terram, & potabis eam, ubertate fructuum ditabis eam, rivulis Dei plenis aquarum. (*m*) Paraſti.] *Theodoretus*: Symmachus autem hoc modo, τελεσφορήσεις τὴν πανσπερμίαν αὐτῆς, οὕτως ἥδρασας αὐτὴν, ad maturitatem ac fructum perduces omne ſemen ejus: ita firmaſti eam. (*n*) Præparatio.] *Ita in multis codicibus græcis, & in eo quo uſi ſunt Sunia, & Fretela.* S. *Hieronymus tamen probat*, præparatio ejus: *quod eſt in vulgata, & in pſalteriis Arabico, & Æthiopico: &* S. *Hilarius interdum*, præparatio ſua. *Apollinarius*,

> Καὶ σφίσιν ὥστε θεὸς βρῶσιν προέηκας ἑτοίμην.
>
> Et ipſis tanquam Deus victum immiſiſti paratum.

Idem vero interdum habet, tua: *& ita* S. *Auguſtinus, & pſalterium vetus, & Romanum. Et in aliquot codicibus græcis eſt*, ἑτοιμασία σου, *& ita habet Theodoretus in explanatione, & in L. V. additum eſt illud*, σου, *minoribus litteris.* (*o*) Pingueſcent.] *Symmachus*, γνοφωθήσονται τὰ ὡραῖα τῆς ἐρήμου, caligine obtegentur ſpecioſa deſerti. *Aliud Scholium.* ὁμιχλωθήσονται αἱ νομαὶ τῆς ἐρήμου, nebula obtegentur paſcuæ deſerti. (*p*) Montes.] ὄρη. *Ita quoque eſt apud Apollinarium*, οὔρεα, *& in Æthiopico pſalterio. Sancti autem Hilarius & Auguſtinus*, fines, *ut videantur*, legiſſe. ὅροι. *In cæteris libris græcis eſt*, ὡραῖα, *& vulgata*, ſpecioſa. (*q*) Abundabunt frumento.] πληθυνοῦσι σῖτον, multiplicabunt frumentum. *Aquila*, ἐκλεκτὸν, electum. *Theodotio*, σῖτον, frumentum. *Symmachus*, τροφὴν, alimentum.

PSAL. LXV.

(*a*) REſurrectionis.] *Abeſt hoc a* S. *Hilario. Theodoretus*: οὐ γὰρ ταύτην τὴν προσθήκην τὸ ἑβραϊκὸν ἔχει, οὐδὲ οἱ ὁ ἐν τῷ ἑξαπλῷ, ἀλλ' καὶ ταύτην τινὲς ὡς ἔοικεν προστεθείκασιν. neque hanc additionem Hebraicum habet, neque alii interpretes, neque LXX, in Hexaplo: ſed & hanc, ut videtur, quidam appoſuerunt. (*b*) Omnis terra.] *Theodoretus*: Symmachus, πάντες οἱ ἐν τῇ γῇ (*al.* ἐπὶ γῆς) προσκυνήσουσί σοι, μελῳδοῦντές σοι ᾄσουσι τὸ ὄνομά σου, omnes, qui in terra, adorabunt te, melos dantes canent nomen tuum. (*c*) Nomini tuo.] *Sic in vulgata, & in pſalteriis, Arabico, & Æthiopico. In aliis libris Græcis ſequitur*, ὕψιστε, *& SS. Hilarius & Auguſtinus*, Altiſſime. *Itemque pſalterium vetus, & Romanum.* (*d*) Terribilis in conſiliis.] *Theodoretus*: Symmachus autem, φοβερὰ μηχανήματα ὑπὲρ υἱῶν ἀνθρώπων, *quæ* S. *Hieronymus videtur vertere*, terribilia conſilia ſuper filiis hominum. (*e*) Qui convertit.] ὁ μεταστρέφων. *Theodoretus*: Symmachus ſic dixit, μετέβαλε θάλασσαν εἰς ξηρὰν, ποταμὸν διέβησαν ποδὶ, tranſmutavit mare in aridam, fluvium tranſierunt pede. (*f*) Seculo.] τῷ δεσπόζοντι ἐν τῇ δυναστείᾳ αὐτοῦ τοῦ αἰῶνος, *& reſpondet hebræo: quare ita etiam habet in ſua tralatione* S. *Hieronymus, &* S. *Hilarius vidit, illud quod eſt in editionibus latinis*, in æternum, *non ſatis reſpondere græco: per id enim quod*, τοῦ αἰῶνος, *dicitur, ſignificari dominationem deſignati & tanquam demonſtrati ſeculi.* (*g*) Qui exaſperant.]

aſperant.] *S. Aug.* qui amaricant. S. *Hilarius*, qui in iram provocant, οἱ παραπικραίνοντες. *Theodoretus*: Hos Theodotio quidem vocavit, ἐκκλίνοντας, declinantes: Aquila autem, ἀφιστάμενους, deſciſcentes: manifeſtius autem Symmachus dixit; οἱ ἀπειθεῖς μὴ ὑψούσθωσαν ἐν ἑαυτοῖς, qui increduli ſunt, non exaltentur in ſemetipſis, *& ita S. Hieronymus.* (h) Auditam facite.] *Theodoretus*: Symmachus illud, ἀκουτίσατε, dixit, ἀκουστὴν ποιήσατε, *al.* ποιεῖτε, *quod idem valet, & eſt expreſſius. S. Aug. habet*, audite. *S. Hilarius*, obaudite. (i) Incenſo, & arietibus.] *Ita SS. Auguſt. & Hilarius, & omnes fere Græci*, μετὰ θυμιάματος καὶ κριῶν. *Attamen S. Hieronymus ad Suniam putat melius legi*, μετὰ θυμιάματος τῶν κριῶν, *& ſic vulgata*, cum incenſo arietum. (k) Faciam.] ποιήσω. *In pleriſque libris Græcis eſt*, ἀνοίσω, *& ita latini*, offeram. (l) Ad ipſum ore meo.] *Theodoretus*: Symmachus autem ita, αὐτὸν τῷ στόματί μου ἐπεκαλεσάμην, καὶ ὑψώθη παραχρῆμα ἡ γλῶσσά μου, ipſum ore meo invocavi, & elevata eſt ſubito lingua mea. (m) Non exaudiat.] μὴ εἰσακουσάτω. *Theodoretus*: Symmachus autem, ἀδικίαν εἰ προεῖδον ἐν τῇ καρδίᾳ μου, μὴ εἰσακούσῃ κύριος, injuſtitiam ſi prævidi in corde meo, non exaudiet Dominus. *Et fere latini omnes habent*, non exaudiet. (n) Exaudivit me.] *Ita SS. Hilarius & Auguſtinus, & Græci codices collati. Sed Sanctus Hieronymus putat id*, me, *eſſe ſuperfluum: & abeſt a vulgata.*

PSAL. LXVI.

(a) PSalmus.] *In multis libris Græcis eſt*, ψαλμὸς ᾠδῆς τοῦ Δαυίδ, *& ſic vulgata*, pſalmus cantici David: *quæ verba agnoſcit etiam S. Hilarius.* (b) Super nos.] *In cæteris libris græcis ſequitur*, καὶ ἐλεήσαι ἡμᾶς, *& in vulgata*, & miſereatur noſtri, *& S. Hilarius*, & miſereatur nobis, *quorum loco eſt in pſalterio Æthiopico*, & vivemus. *Abſunt tamen a metaphraſi Apollinarii, a S. Auguſt. & vetere pſalterio. Schol.* illud, καὶ ἐλεήσαι ἡμᾶς, non ſcribitur. (c) Ad cognoſcendum.] *Editiones latinæ habent*, ut cognoſcamus: *ſed notat S. Hilarius*, τοῦ γνῶναι, *eſſe ſine perſonæ definitione.* (d) Judicabis.] κρινεῖς, *& paulo poſt*, ὁδηγήσεις. *Apud latinos fere eſt*, judicas, *&* dirigis. *Sanctus Auguſtinus tamen habet* diriges.

PSAL. LXVII.

(a) EXurgat.] *Sch.* Numerorum 10. ἐξεγέρθητι κύριε, καὶ διασκορπισθήτωσαν οἱ ἐχθροί σου, expergiſcere Domine, & diſſipentur inimici tui. (b) Peccatores.] *Theodoretus*: Quos lxx dixerunt, ἁμαρτωλούς, cæteri omnes interpretes nominaverunt, ἀσεβεῖς, impios: ita autem eos & Hebræus & Syrus vocat. (c) Lætentur.] *Ita S. Hilarius, quod græce*, εὐφρανθήτωσαν, *vulgata*, epulentur; *S. Auguſtinus*, jocundentur. (d) Iter facite ei.] *Theodoretus*, hoc quidem Symmachus ita eſt interpretatus, μεταστρώσατε (*al.* καταστρώσατε) τῷ ἐποχουμένῳ ἐν τῇ ἀοικήτῳ, ſternite viam ei qui vehitur in deſerto: *quem ſenſum reddidit etiam S. Hieronymus. Scholiaſtes autem refert ex Aquila*, ἀποσκολοπίσατε, *quaſi*, purgate, & complanate. (e) Dominus nomen illi.] *Symmachus*, διὰ τοῦ Ἰὰ ὀνομασία αὐτοῦ, per Ia nominatio ejus. *Quinta editio*, ἐν Ἰὰ, in Ia. *Schol.* Dominus quidem apud hebræos ſolet dici Adonai, hic autem dicitur apud hebræos, Ἰὰ σεμῶ, Ia ſemo. *De iſto quod unum eſt ex decem Dei nominibus*, S. *etiam Hieronymus in epiſtola ad Marcellam.* (f) Deus in loco ſancto ſuo.] *Symmachus*, ἐν ἡγιασμένῳ κατοικητηρίῳ αὐτοῦ, in ſanctificato habitaculo ſuo. *Aq.* ἐν βασιλείοις ἁγίοις αὐτοῦ, in palatiis ſanctis ſuis. (g) Uuius moris.] *Aut*, uniuſmodi, *ut* S. *Auguſt.* μονοτρόπους. *Symmachus*, δίδωσι μοναχοῖς οἰκεῖν οἰκίαν, dat ſolitariis habitare domum. *Aquila*, καθίζει μονογενεῖς ἐν οἴκῳ, ſedere facit unigenitos in domo. *Quinta editio*, κατοικίζει μονοζώους (*al* μονοζώνους) ἐν οἴκῳ, habitare facit eos, qui ejuſdem vitæ *al.* ejuſdem ſtudii ac præſtantiæ) ſunt in domo. (h) Qui exaſperant.] S. *Aug.* ſimiliter amaricantes. S. *Hil.* ſimiliter eos qui exacerbabant. *Sym.* οἱ δὲ ἀπειθεῖς κατοικήσουσι καύσωνος ξηρότητα, increduli autem habitabunt æſtus ſiccitatem. *Aquila*, οἱ ἀφιστάμενοι ἐσκήνωσαν λεωπετρίαν, rebelles habitaverunt rupem. *Theodotio*, ἐκκλίνοντες, declinantes. (i) Deus cum egrederis.] *Theodoretus*: Hoc Symmachus ita eſt interpretatus, ὁ θεὸς προερχομένου σου πρὸ τοῦ λαοῦ σου βαίνοντος διὰ τῆς ἀοικήτου, γῆ ἐσείσθη, οὐρανὸς δὲ ἔσταξε. Deus cum tu præcederes ante populum tuum tranſeuntem per deſertum, terra concuſſa eſt, cœlum autem ſtillavit. (k) Cum pertranſires deſertum.] ἐν τῷ διαβαίνειν σε τὴν ἔρημον. *In aliis libris eſt*, ἐν τῇ ἐρήμῳ, *& ſic latini*, in deſerto, *aut*, in deſertum, *ut S. Hilarius.* (l) Dei Sinai.] *Sic vulgata, quod in cæteris Græcis eſt*, τοῦ θεοῦ τοῦ Σινά, SS. *Hilarius & Auguſtinus*, a facie Dei. Mons Sinai a facie Dei Iſrael. *Cæterum per Typographi incuriam iſthæc lectio in noſtram editionem irrepſit. In codice enim Vaticano eſt*, τοῦτο Σινά, *quemadmodum & Jud. 5. & reſpondet Hebræo, qui habet*, hic, *vel*, iſte Sinai. S. *autem Hieronymus*, hoc eſt in Sinai. (m) Et infirmata eſt: tu vero.] *Theodoretus*, Sic autem & Symmachus eſt interpretatus, ἣν ἐξεποίησας, καὶ ἥδρασας, quam adoptaſti, & ſtabiliſti: Aquila autem manifeſtius, καὶ μεμοχθηκυῖαν σὺ ἥδρασας, *quod ita videtur reddidiſſe S. Hieronymus*, & laborantem tu confortaſti. (n) Pauperi Deus Dominus.] *Sic habet S. Hilarius, & ſic interpungit: cæteri vero Græci & Latini illud*, Deus, *conjungunt cum antecedentibus. S. Auguſt.* Paraſti in tua ſuavitate egenti Deus. Dominus dabit. (o) Dominus dabit.] *Theod.* Sym. autem ita, κύριος ἔδωκε ῥήσεις τοῖς εὐαγγελιζομένοις στρατιᾷ πολλῇ. βασιλεῖς τῶν στρατιωτῶν ἠγαπήθησαν, ἀγαπητοὶ ἐγένοντο. καὶ ἡ δίαιτα τοῦ οἴκου διανεμεῖ λάφυρα, Dominus dedit ſermones evangelizantibus exercitu multo: reges militum amati fuerunt, amabiles facti ſunt, & habitatio domus diſtribuet ſpolia. (p) Dilecti, dilecti.] *In vulgata etiam repetitur. S. autem Hilarius*: Evangelizantibus, virtutibus multis: rex virtutum dilecti, & pulchritudini domus dividere ſpolia. S. *Auguſt. ut vulgata: admonet tamen in codicibus diligentioribus eam repetitionem aſteriſco eſſe prænotatam, quaſi habeatur in hebræo, ſed non in interpretatione lxx. Abeſt omnino a multis libris græcis.* (q) Et poſteriora dorſi.] καὶ τὰ μετάφρενα, *quod S. Hilarius inquit ſignificare*, inter ſcapilia, *& S. Auguſtinus habet*, & inter ſcapulas: *ſed interpretatur partem quæ eſt circa regionem cordis, a poſterioribus tamen, id eſt, a dorſo.* (r) In viriditate.] *Ita Sancti Hilarius & Auguſtinus, quod græce*, ἐν χλωρότητι, *& S. Hilarius inquit ſignificari vigorem quendam æternum. Vulgata*, in pallore. (ſ) Cœleſtis.] *Ita S. Hilarius, & vulgata.* S. *Auguſtinus*, ſupercœleſtis, *quod græce eſt*, ἐπουράνιος, *hebraice eſt* Saddai, *quod a lxx ſolet verti*, ἱκανός, potens, & ſibi ſufficiens. *S. Hieronymus hic habet*, robuſtiſſimus. (t) Selmon.] *Theodotio*, ἐν σκιᾷ, in umbra. (u) Mons coagulatus.] S. *Hilarius*, mons conſecratus. S. *Auguſtinus, & pſalterium vetus, in accuſandi caſu (quod verba græca ferunt)* montem Dei; montem uberem, montem incaſeatum, vel montem pinguem. *Et S. Hilarius in ſequentibus, ubi & ipſe habet*, montes caſeatos, *admonet vocem græcam, id eſt*, τετυρωμένον, *complecti, & coaguli, & caſei ſpeciem.* (x) Ut quid ſuſpicamini?] S. *Hilarius*, ut quid ſuſpicit? *Symmachus*, ἵνα τί περισπουδάζετε; ut quid affectatis? *Theodoretus*, Aquila autem hoc modo, εἰς τί ἐρίζετε ὄρη ὠφρυωμένα τὸ ὄρος ὃ ἐπεθύμησεν ὁ θεὸς τοῦ καθίσαι ἑαυτό; (*ſuſpicor autem legendum*, ἑαυτῷ, *aut*, ἑαυτόν, *ea enim ita videtur reddidiſſe* S. *Hieronymus*) quare contenditis montes excelſi, adverſus montem, quem dilexit Deus, ut habitaret in eo? (y) Aſcendens.] ἀναβάς. *In aliis libris græcis, atque etiam in L. Vaticano ex emendatione eſt*, ἀνέβης, *&* S. *Auguſt.* aſcendiſti. *Juſtinus in dialogo cum Tryphone ita citat hunc locum*, ἀνέβη εἰς ὕψος, καὶ ᾐχμαλώτευσεν αἰχμαλωσίαν, ἔδωκε δόματα τοῖς υἱοῖς τῶν ἀνθρώπων, aſcendit in altum, captivavit captivitatem, dedit dona filiis hominum, *eodemque modo habet Sanctus Paulus, ad Epheſios* 4. *niſi quod habet*, ἀναβάς, *&* τοῖς ἀνθρώποις. *Et ſane hoc loco in cæteris codicibus græcis eſt*, ἐν ἀνθρώποις, *atque in ipſo etiam Vaticano adſcriptum ex emendatione: ſed tamen illud*, ἐν ἀνθρώποις, *reſpondet hebræo. Iſtum vero S. Pauli locum recitans hic S. Auguſtinus dicit*, aſcendit, *& ipſemet Apoſtolus in explicatione inquit*, τὸ δὲ ἀνέβη, τί ἐστιν; *ut videri poſſit legiſſe*, ἀνέβη. *De hac autem inter Prophetam & Apoſtolum varietate, idem S. Auguſt. & cæteri Patres legendi ſunt. Eodem fere modo ac Juſtinus habet pſalterium Arabicum Romanum*, dedit dona hominibus. *S. Hilarius in textu*, dedit, *in explicatione*, accepit, *& Apollinarius*, εἶλε δωτίνας.

Ὑψοῦ ἀειράμενος ληΐσατο ληΐδα πολλήν.
Αὐτὰρ ὁ δωτίνας μεροπηΐδος εἶλε γενέθλης.

Verbum hebraicum quod hic tranſfertur, ἔλαβες, *proverb.* 7. *inflexum ad formam nominis, a LXX transfertur*, ὁμιλίᾳ, *quaſi captatione dulcis ſermonis, a Theodotione*, δομάτων, donorum. (z) Etenim non credentes inhabitare.] καὶ γὰρ ἀπειθοῦντες τοῦ κατασκηνῶσαι. *In multis codicibus græcis eſt*, ἀπειθοῦντας; *quomodo etiam videtur legiſſe S. Hieronymus ad Suniam, & pro* κύριος, *quod ſequitur, legiſſe*, κύριον, *& conjunxiſſe cum præcedentibus: ita enim ſcribit*, Nos enim tranſtulimus, etenim non credentes inhabitare Dominum: ut hic ſit ſenſus, & pendeat ex ſuperioribus, Aſcendiſti in altum, cepiſti captivitatem, accepiſti dona in hominibus, & eos qui non credebant Deum inhabitare poſſe mortalibus. *Vulgata habet*, inhabitare Dominum Deum: *certe lectionem quæ in L. V. eſt, non valde probat S. Hieronymus eadem epiſtola. Theodoretus*: Hoc manifeſtius Aquila eſt interpretatus, καίπερ ἀπειθεῖς τοῦ κατασκηνῶσαι, etiam rebelles ad inhabitandum. (aa) Verticem capilli.] *Symmachus*, κορυφὴν ἔντριχον ἀναστρεφομένην ἐν ταῖς πλημμελείαις αὐτῆς, verticem capillatum volutantem ſe in delictis ſuis. (bb) Convertam.] ἐπιστρέψω. *S. Hilarius*, convertar: *quam lectionem haberi in aliquot codicibus teſtatur etiam S. Auguſt.* (cc) In profundis maris.] ἐν βυθοῖς θαλάσσης, *quam lectionem agnoſcit etiam* S. *Aug. & interpretatur, quod etiam ibi Deus convertat ad ſe de profundis clamantes. In aliis editionibus latinis eſt*, in profundum. *Theodoretus*: Symmachus autem ſic, εἶπε κύριος, ἀπὸ Βασὰν ἐπιστρέψω, ἀπὸ βυθῶν θαλάσσης, dixit Dominus, e Baſan convertam, e profundis maris. (dd) Ut intingatur.] *Theodoretus.* Symmachus autem ita, ὅπως ἂν συγκατεάξῃ ὁ ποῦς σου μετὰ αἵματος, καὶ λάψῃ γλῶσσα τῶν κυνῶν σου ἀπὸ ἑκάστου τῶν ἐχθρῶν σου, ut confringatur pes tuus cum ſanguine; & lambat lingua canum tuorum ex unoquoque inimicorum tuorum. (ee) Viſi ſunt greſſus.] *Ita pſalterium vetus, & Romanum, & Sanctus Auguſtinus. Hilarius autem*, viſa ſunt itinera, *& ita fere exemplaria græca. S. Hieronymus ad Suniam ſcribit, in LXX, & in Hexaplis ſe reperiſſe*, ἐθεώρησαν τὰς πορείας σου, *& Aquilam, & Symmachum, & Theodotionem, & quintam ſextamque editionem interpretatos eſſe*; viderunt itinera tua Deus, itinera Dei mei regis, qui eſt in ſancto. *Vulgata*, viderunt ingreſſus tuos, *& cum hac lectione conſentit metaphraſis Apollinarii. Idem vero S. Hieronymus paulo poſt contendit legendum*, regis mei, *quod habet vetus pſalterium, & vulgata, & S. Auguſtinus, non autem Romanum, neque S. Hilarius.* (ff) Conjuncti pſallentibus.] *Symmachus*, ἀκόλουθα τῶν μελῳδοῖς, poſt modulatrices. (gg) Adoleſcentior in ecſtaſi.] *Ita S. Auguſtinus, & vetus pſalterium, quod græce*, νεώτερος ἐν ἐκστάσει. S. *Hilarius*, junior in pavore, *Romanum*, adoleſcentior in pavore, *vulgata*, adoleſcentulus in mentis exceſſu. *Aquila*, νεώτερος κρατῶν αὐτῶν, *quod* S. *Hieronymus*, parvulus continens eos. *Theodotio*, παιδευτὴς αὐτῶν, eruditor eorum. (hh) Virtuti tuæ.] *Ita etiam legiſſe S. Hilarium apparet ex explanatione. S. Auguſtinus, & pſalterium vetus, & Romanum*, virtutem tuam. *Theodoretus*: Symmachus autem ita, πρόσταξον ὁ θεὸς περὶ ἰσχύος σου, ἐνίσχυσον ὁ θεὸς τοῦτο, ὃ ἐποίησας ἡμῖν, διὰ τὸν ναόν σου, τὸν ἐπάνω τῆς Ἱερουσαλήμ. Præcipe Deus de fortitudine tua; corrobora Deus hoc quod feciſti nobis, per templum tuum, quod eſt ſuper Hieruſalem. (ii) Quod perfeciſti.] ὃ κατηρτίσω. *Sic eſt in pſalterio Æthiopico. In cæteris libris græcis eſt*, κατειργάσω. *& in metaphraſi Apollinarii*, τέκτηνας, *& in libris latinis*, quod operatus es. (kk) Calami.] *Ita vetus pſalterium, & S. Auguſtinus, quod græce*, τοῦ καλάμου, *vulgata*, arundinis. *Theodoretus*: Quædam vero exemplaria habent, δρυμοῦ, *& S. Hilarius*, feras ſylvæ, *& Romanum*, feras ſylvarum. (ll) Congregatio taurorum.] *S. Hilarius & Romanum*, concilium taurorum inter vaccas populorum. *Symmachus*, συνόδῳ παμμεγεθῶν μετὰ συστροφῶν λαῶν, τοῖς διαλακτίζουσι τοὺς εὐδοκίμους (*al.* εὐδοκητοὺς) ὡς ἀδόκιμον ἀργύριον, conventu prægrandium cum conſpirationibus populorum, ijs qui calcibus petunt probatos, tanquam improbatum argentum. (mm) Non excludantur.] *Ita S. Hilarius, & pſalterium Æthiopicum. In cæteris libris græcis eſt*, τοῦ ἐκκλεισθῆναι, *& ita S. Auguſtinus, & pſalterium vetus, & Romanum*, ut excludantur ij, *vulgata*, ut excludant eos. (nn) Præveniet manum ſuam Deo.] προφθάσει χεῖρα αὐτῆς τῷ θεῷ, *& videtur verbum iſtud habere vim activam quaſi dicat*, præmittet, & feſtinabit dare, *ut inquit S. Hieronymus, & S. Auguſtino placeret verti*, manus ſuas. *In omnibus tamen libris latinis inventum eſt*, præveniet manus ejus Deo: *tantum apud S. Hilarium illud*, Deo, *conjungitur cum ſequentibus, hoc modo*, Æthiopia præveniet manus ejus:

Deo regna terræ. (*oo*) Pſallite Deo.] *Hæc ſunt apud* S. *Hilarium, & S. Auguſtinum, & in pſalterio veteri, & Romano, & vulgata : ſed abſunt a cæteris libris græcis. Et Sanctus Hieronymus inquit non eſſe in libris authenticis, ſed obelo prænotari.* (*pp*) In voce ſua.] ἐν τῇ φωνῇ αὐτοῦ, *vulgata*, voci ſuæ, *in multis libris græcis eſt*, φωνὴν αὐτοῦ, *& ita Sancti Hilarius, & Auguſtinus, & pſalterium vetus, & Romanum*, vocem ſuam

PSAL. LXVIII.

(*a*) INfixus ſum in limo profundi.] *Theodoretus*, Symmachus autem, ἐβαπτίσθην εἰς ἀπεράντους καταδύσεις, καὶ οὐκ ἔστι στάσις, merſus ſum in voragines interminatas, & non eſt ſtatus. (*b*) Ab ſperando me in Deum meum.] *Sanctus Auguſtinus, & Pſalterium vetus*, ab ſperando in Deum meum; *& videtur ſignificantius quodammodo exprimi phraſis græca*, ἀπὸ τοῦ ἐλπίζειν με ἐπὶ τὸν θεόν μου, *quam quomodo habet* S. *Hilarius, & vulgata*, dum ſpero in Deum meum. (*c*) Confortati ſunt inimici.] *Sic S. Auguſtinus, & Pſalterium vetus, quod eſt græce*, ἐκραταιώθησαν οἱ ἐχθροί μου, οἱ ἐκδιώκοντές με ἀδίκως. S. *Hilarius*, convaluerunt, qui perſequuntur me, inimici mei injuſte. *vulgata*, confortati ſunt, qui perſequuti ſunt me, inimici mei injuſte. (*d*) Tunc exolvebam.] S. *Hilarius*, tunc exolvere repetebar. *Aquila*, ὅσα οὐκ ἐβιασάμην, τότε ἐπέστρεφον, quæ non extorſi, tunc reddebam. (*e*) Te Domine virtutum.] *Ita S. Hilarius. S. autem Auguſtinus, & vetus Pſalterium*, qui expectant te Domine, Deus virtutum. *vulgata*, Domine, Domine virtutum: *& in pleriſque exemplaribus Græcis eſt*, κύριε, κύριε δυνάμεων. *Aquila*, κύριος ὁ θεὸς στρατιῶν, Dominus Deus exercituum. *Theodotio*, κύριε ὁ θεὸς τῶν δυνάμεων, Domine Deus virtutum. *Symmachus*, κύριε θεὲ τῶν δυνάμεων, Domine Dee virtutum. (*f*) Exprobrationem.] *Ita S. Auguſt. & vetus pſalterium : quod græce eſt*, ὀνειδισμόν. *S. Hilarius*, improperium. *Vulgata*, opprobrium. (*g*) Operuit confuſio.] ἐντροπή. *S. Auguſtinus, & vetus pſalterium*, irreverentia. *S. Hilarius*, reverentia. *Symmachus*, ἀσχημοσύνη, dedecus, & turpitudo. (*h*) Alienatus factus ſum fratribus meis.] *Ita pſalterium vetus, verbum e verbo*, ἀπηλλοτριωμένος ἐγενήθην τοῖς ἀδελφοῖς μου. *S. Auguſtinus*, alienatus factus ſum a fratribus meis. *S. Hilarius*, alienus factus ſum fratribus meis. *Vulgata*, extraneus. *Quod autem ſequitur*, hoſpes, *ita fere eſt apud latinos alios, præter vulgatam, quæ habet*, peregrinus. (*i*) Comedit me.] *Theodoretus* Iſtud quidem, κατέφαγέ με, Symmachus dixit, κατανάλωσέ με, conſumpſit me. (*k*) Incurvavi in jejunio.] καὶ συνέκαμψα ἐν νηστείᾳ. *Ita quoque eſt in pſalterio Æthiopico. In Arabico*, humiliavi. *Apollinarius* κατέκλασα, confregi. *Theodoretus hunc locum explanans*, ἐπὶ τούτοις ἀνιῶμαι, καὶ νηστείᾳ κατατήκω τὸ σῶμα, propterea diſcrucior, & jejunio macero corpus. *In pleriſque autem exemplaribus græcis eſt*, συνεκάλυψα, *& apud latinos*, cooperui, *vel*, operui. (*l*) Loquebantur.] ἠδολέσχουν. *S. Auguſtinus, & vetus pſalterium*, inſultabant. *Sanctus Hilarius*, detrahebant. (*m*) Ego vero oratione mea.] ἐγὼ δὲ τῇ προσευχῇ μου, *& eſt hebraiſmus : ſubintelligitur enim*, converti me, *aut quiddam hujuſmodi. Sanctus Auguſtinus, & vetus pſalterium*, ego autem, oratio mea ad te Domine. *Sanctus Hilarius, & vulgata*, ego vero orationem meam : *Aquila*, καὶ ἐγὼ προσευχῇ μου σοὶ κύριε, & ego oratione mea tibi Domine. *Symmachus*, ἐμοῦ δὲ ἡ προσευχή σοι κύριε, mea autem oratio tibi Domine. *Theodotio*, ἐμοῦ δὲ ἡ προσευχὴ πρὸς σὲ κύριε, mea autem oratio ad te Domine. (*n*) Tempus beneplaciti.] *Theodoretus ex Symmacho*, καιρὸς διαλλαγῆς ὁ θεός, *quod S. Hieronymus*, tempus reconciliationis eſt Deus. (*o*) Anima mea.] *Ita omnes collati græci codices, latini autem*, cor meum. (*p*) In laqueum.] *S. Auguſt. & vetus pſalterium*, in muſcipulam. *S. Hilar.* in laqueum, & in captionem, & in retributionem, & in ſcandalum. *Theodoretus ex Symmacho*, γένοιτο ἡ τράπεζα αὐτῶν ἔμπροσθεν αὐτῶν εἰς παγίδα, καὶ εἰς τιμωρίαν, ὥστε συλληφθῆναι, fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, & in ſupplicium, ut comprehendantur. *Scholiaſtes autem notat Aquilam pro*, σκάνδαλον, *dixiſſe*, σκῶλον, *quod idem valet.* (*q*) Et ſalus vultus tui.] *Ita SS. Hilar. & Aug. & vetus pſalterium & Romanum : cum qua lectione convenit metaphraſis Apollinarii* :

Ἀλλ' ἴχω βασιλῆος ὑπέρμαχον ἄλκαρ ὀπωπῆς.

eamque habet etiam textus commmentariorum Theodoreti. In aliis libris græcis eſt, ἡ σωτηρία σου ὁ θεὸς ἀντελάβετό μου, *aut*, ἀντιλάβοιτό μου, ſalus tua Deus ſuſcepit me, (*quod habet vulgata, & pſalterium Arabicum*) *aut*, ſuſcipiat me. (*r*) Et vivetis.] καὶ ζήσεσθε. *In cæteris libris græcis eſt*, καὶ ζήσεται ἡ ψυχὴ ὑμῶν, & vivet anima veſtra, *quod eſt in libris latinis.*

PSAL. LXIX.

(*a*) EO quod ſalvum me.] *Ita S. Hilarius. Vulgata*, quod ſalvum fecerit eum Dominus. *Vetus pſalterium hoc tantum* : Pſalmus David : *quare nulla ejus apud S. Auguſt. mentio. De hac inſcriptione Theodoretus*: τοῦτο ἐν ἐνίοις μὲν ἀντιγράφοις εὗρον, ἐν ἐνίοις δὲ οὔ. πλὴν οὔτε παρὰ τῷ ἑβραίῳ, οὔτε παρὰ τοῖς ἄλλοις εὑρίσκεται. Hoc vero in quibuſdam quidem exemplaribus inveni : veruntamen neque apud hebræum, neque apud cæteros interpretes invenitur. (*b*) Intende.] *In vulgata ſequitur* : Domine ad adjuvandum me feſtina : *in veteri pſalterio*, Domine ut adjuves me, feſtina. *Itemque in cæteris libris græcis*, κύριε εἰς τὸ βοηθῆσαί μοι σπεῦσον, *quæ etiam in Vaticano ſunt poſtmodum addita. Eorum tamen neque S. Auguſt. inter latinos, neque Apollinarius in metaphraſi mentionem faciunt. S. etiam Hilarius hoc tantum habet* : Domine Deus in adjutorium meum intende.

PSAL. LXX.

(*a*) FIliorum Jonadab, & eorum, qui primi captivi ducti ſunt.] *Sic enim S. Auguſtinus. Vulgata autem*, filiorum Jonadab, & priorum captivorum. *In aliis libris Græcis additur*, ἀνεπίγραφος παρ' ἑβραίοις, ſine inſcriptione apud Hebræos. *Quare Theodoretus ita ſcribit*, ὡμολόγησε καὶ αὐτὸς ὁ τὴν ἐπιγραφὴν ποιησάμενος μὴ εὑρηκέναι παρὰ τῷ ἑβραίῳ, ἀλλ' αὐτὸς ταύτην τεθεικέναι, confeſſus eſt & ipſe qui iſtam inſcriptionem fecit, non eam ſe inveniſſe apud Hebræum, ſed a ſe poſitam eſſe. *Schol.* οὐκ ἔνεστι παρὰ τῷ ἑβραίῳ ἡ προσθήκη, hæc additio non eſt inventa apud Hebræum. (*b*) Cantem gloriam.] ὅπως ὑμνήσω τὴν δόξαν σου, *pro*, cantem. *S. Auguſt*, hymnodicam : *Vetus pſalterium*, hymnidicam, *& varietas videtur Librarii aut Typographi eſſe : nec tamen auſus ſum dictionem iſtam antiquam reſtituere.* (*c*) Magnificentiam.] *Sic vetus pſalterium, & S. Auguſtinus, quod græce*, μεγαλοπρέπειαν. *Vulgata*, magnitudinem. (*d*) Detrahentes animæ meæ, οἱ ἐνδιαβάλλοντες τὴν ψυχήν μου. *S. Auguſtinus, & vetus pſalterium*, committentes animam meam, *id eſt, ut S. Auguſtinus interpretatur*, provocantes ad rixandum. *Theodoretus ex Symmacho*, καταισχυνθήτωσαν ἀναλωθήτωσαν οἱ ἀντικείμενοι τῇ ψυχῇ μου, *quod S. Hieronymus ita videtur vertiſſe*, confundantur, & conſumantur adverſarii animæ mæ. (*e*) Negationes] *Ita pſalterium vetus, & Romanum, & S. Auguſt. quod græce eſt*, πραγματείας. *& cum hac lectione conſentit metaphraſis Apollinarii. In aliis libris græcis eſt*, γραμματείας, *& vulgata*, literaturam : *cujus etiam lectionis facit mentionem S. Auguſtinus. Theodoretus, ex Symmacho*, οὐ γὰρ οἶδα ἐξαριθμῆσαι, ἐλεύσομαι ἐν δυναστείᾳ κυρίου, non enim novi dinumerare : ingrediar in potentiam, *aut*, potentia domini. (*f*) Deus docuiſti me.] *Ita apud latinos : quod græce eſt*, ἐδίδαξάς με ὁ θεός, *in aliis libris græcis eſt*, ὁ θεός μου ἃ ἐδίδαξάς με, Deus meus, quæ docuiſti me. *Admonet autem S. Hieronymus ad Suniam, illud*, meus, *ſuperfluum eſſe. Aquila*, θεὲ ἐδίδαξάς με, Dee docuiſti me. *Theodotio, & Symmachus, ut lxx.* (*g*) Uſque in altiſſima.] *Theodoretus ex Aquila, & Symmacho*, ὁ θεὸς ἕως ὕψους ἃ ἐποίησας μεγαλεῖα, Deus uſque in excelſum, quæ feciſti magnalia, *& ita fere* S. *Hieronymus.* (*h*) Et malas.] *Sym.* καὶ κακώσεις, & afflictiones. (*i*) Juſtitiam.] *Ita etiam Sanctus Auguſtinus & vetus pſalterium, & Romanum. In Arabico eſt*, ſuper me juſtitiam tuam : *cum quo facit Apollinarius.*

Σεῖό μοι εὐδικίης προϊώσιον ἔβλυσας ἀλκήν.

At in cæteris libris græcis, ἐπλεόνασας ἐπ' ἐμὲ μεγαλωσύνην σου, multiplicaſti ſuper me magnificentiam tuam, *& ſic vulgata, niſi quod non habet illud*, ſuper me. *Theodoretus ex Symmacho*, αὐξήσεις τὴν μεγαλειότητά μου καὶ περικυκλώσεις (*al.* παρακυκλώσεις) με παραμυθίᾳ, augebis magnitudinem meam, & circundabis me conſolatione. *Scholiaſtes ex Aquila & Theodotione*, πληθυνεῖς, multiplicabis. (*k*) Et de abyſſis terræ iterum reduxiſti me.] *Hæc ſunt apud S. Auguſtinum, & in pleriſque exemplaribus græcis, & metaphraſi Apollinarii. Abſunt tamen a vulgata, & a pſalterio vetere : quod mirum eſt : nunquam enim non ſolet ei convenire cum S. Auguſt.* (*l*) Vaſe.] ἐν σκεύει, *& reſpondet hebræo. In aliis codicibus græcis eſt*, ἐν σκεύεσι, *& ſic apud latinos*, in vaſis.

PSAL. LXXI.

(*a*) IN juſtitia.] *Eodem fere modo pſalterium Æthiopicum*, ἀναλαβέτω τὰ ὄρη καὶ οἱ βουνοὶ εἰρήνην τῷ λαῷ σου, κρινεῖ ἐν δικαιοσύνῃ τοὺς πτωχοὺς τοῦ λαοῦ σου, ſuſcipiant montes, & colles pacem populo tuo : judicabit in juſtitia inopes populi tui : *& cum hac lectione facit metaphraſis Apollinarij.*

Οὔρεσιν εἰρήνην σθεναρὴ βουνοῖς τε μελέσθω.
Πτωχῶν δημοτέροισιν ὑπ' εὐδικίῃσι δικάζειν.

Etiam in Pſalterio Romano eſt, in ſua juſtitia judicabit : *& Tertull. lib.* 4. *adverſus Marcionem*, in juſtitia judicabit mendicos. *Quod ſi iſtud* in juſtitia, *conjungeretur membro ſuperiori, eſſet ad verbum ex hebræo. In aliis libris græcis legitur*, ἀναλαβέτω τὰ ὄρη εἰρήνην τῷ λαῷ, καὶ οἱ βουνοὶ δικαιοσύνην, κρινεῖ τοὺς πτωχοὺς τοῦ λαοῦ, *& ſic vulgata, & pſalterium vetus, & S. Auguſtinus*, ſuſcipiant montes pacem populo, & colles juſtitiam : judicabit pauperes populi : *quamvis S. Auguſtinus priorem lectionem in aliquibus inveniri codicibus teſtetur.* (*b*) Et permanebit cum ſole.] *Vetus pſalterium*, & permanebit ſoli : *ſed S. Aug. cum hanc lectionem haberet, addit*, vel permanebit cum ſole : ſic enim melius interpretandum quidam noſtri putaverunt : quod in græco eſt, συμπαραμενεῖ. Quod ſi latine uno verbo dici poſſet, compermanebit dicendum eſſet, &c. *Symm.* φοβηθήσονταί σε ἐφόσον ὁ ἥλιος, καὶ ἔμπροσθεν τῆς σελήνης, *quæ S. Hieronymus videtur vertiſſe*, & timebunt te quamdiu erit ſol, & ultra lunam : *quamvis hæc ſecunda pars verti poſſet*, & ante lunam. (*c*) Generationes generationum.] *S. Auguſt. & vetus pſalterium*, & generationes generationum, *vulgata*, in generationem & generationem. (*d*) A flumine.] *Ita apud latinos. In aliis libris græcis eſt*, ἀπὸ ποταμῶν, a fluminibus, *quemadmodum etiam Zach.* 9. *Theodor. vero legiſſe*, ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ, *apparet ex interpretatione. Schol.* Aquila, LXX ἀπὸ ποταμοῦ. (*e*) Omnes reges.] *Ita vulgata, & S. Hil. in. pſ.* 144. *& Tertullianus lib.* 5. *in Marcionem. At in cæteris libris græcis eſt*, πάντες οἱ βασιλεῖς τῆς γῆς, *& S. Auguſtinus, ac vetus pſalterium*, omnes reges terræ. *S. quidem Hieronymus ad Suniam notat illud*, terræ, *ſuperfluum eſſe.* (*f*) Et honorabile.] *Vetus pſalterium, & S. Auguſt.* & honorabile nomen ejus coram ipſis. *Teſtatur tamen S. Auguſt. aliquos codices habere*, & honorabile nomen eorum coram ipſo. *Aquila*, καὶ τιμιωθήσεται τὸ αἷμα αὐτῶν ἐν ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ, *quæ S. Hieronymus*, & precioſus erit ſanguis eorum coram oculis ejus. (*g*) Arabiæ.] *Theodoretus* : Pro, ἀρραβίας, cæteri interpretes poſuerunt, σαβὰ, Saba. (*h*) Et orabunt.] *Sic vetus pſalterium, & S. Auguſt. quod græce eſt*, καὶ προσεύξονται περὶ αὐτοῦ, *& S. Auguſt. admonet, illud*, περὶ αὐτοῦ, *aliquos etiam interpretatos eſſe*, pro ipſo, *vel*, pro eo : *In vulgata eſt*, & adorabunt de ipſo. (*i*) Sit nomen ejus benedictum.] *Ita fere latini : in aliis exemplaribus græcis, & apud Theodoretum legitur*, ἔσται, erit, *& Theodoretus addit, illud*, εὐλογημένον, benedictum, *apud nullum haberi neque in Hexaplo, neque apud hebræos.* (*k*) Permanebit.] διαμενεῖ. *In aliis exemplaribus eſt*, διαμένει, *& ſic latini*, permanet. (*l*) Deus Iſrael.] *Notat S. Hieronymus ad Suniam, & in hebraico, & apud LXX legi*, Dominus Deus, Deus Iſrael. (*m*) Gloria.] *Ita vetus pſalterium, & S. Auguſt. quod græce*, τῆς δόξης, *vulgata, & paulo ſuperius habet pro ea dictione*, majeſtatis, *& nunc*, majeſtate. *Itemque S. Ambroſius, in pſal. xl.* (*n*) Fiat, fiat.] *Schol.* Prioris quidem pſalmorum libri terminus fuit quadrageſimus dictus in Chriſtum; ſecundi autem lxxi; tertii vero octuageſimus octavus. Unicuique autem pro epilogo apponitur, Amen : Aquila, πεπιστωμένως πεπιστωμένως (*al.* πεπιστωμένως) fideliter, fideliter. *De hac re notatum eſt nonnihil ad Pſal.* 40.

CAP. LXXII.

(*a*) HYmni.] *Ita* S. *Auguſt. Vulgata*, laudes. *Scholium*, ἰστέον ὅτι οἱ ἄπειροι τῆς ἀκριβείας τοῦ ἀναγνώσματος, οὐχ ὡς μέρος τοῦ ὅλου ψαλμοῦ ἐξειλήφασι τὸ, ἐξέλιπον οἱ ὕμνοι Δαυίδ. Σαφῶς δὲ παρίστησι καὶ ἡ ἑβραϊκὴ φωνὴ, ὅτι καὶ αὐτὰ μέρος τυγχάνει τοῦ ὅλου ψαλμοῦ. Sciendum eſt, eos qui non intelligunt ſubtilem atque exquiſitam rationem lectionis, non accepiſſe illud, ἐξέλιπον οἱ ὕμνοι Δαυίδ, tanquam partem totius pſalmi. Manifeſte autem & vox ipſa hebraica demonſtrat, iſta etiam verba partem eſſe totius Pſalmi. *Sanctes Pagninus ea cum præcedenti Pſalmo conjungit.* (*b*) Quam bonus.] *Schol.* τρίτης βίβλου καθ' ἑβραίους ἡ ἀρχή. Principium tertii libri ſecundum hebræos. (*c*) Deus Iſrael.] τῷ Ἰσραὴλ, ipſi Iſrael. *Theodoretus habet*, τοῦ Ἰσραὴλ, ipſius Iſraelis, *itemque Apollinarius. Latini*, quam bonus Iſrael Deus rectis corde, *aut, ut vulgata*, his qui recto ſunt corde. (*d*) Paulominus.] *Sic S. Auguſtinus, & vetus pſalterium, quod græce eſt*, παρ' ὀλίγον. *Vulgata*, pene. *Theodoretus*, Symmachus autem ita, παρ' οὐδὲν ἐλύθη τὰ ὑπορθοῦντά με, propius nihil factum eſt quam ut ſolverentur ea quæ me ſuſtentabant. (*e*) Declinatio.] *S. Auguſt. & vetus pſalterium*, quia non eſt declinatio mortis eorum: *græce*, ὅτι οὐκ ἔστιν ἀνάνευσις τῷ θανάτῳ αὐτῶν. *Theodoretus inquit*, ἀνάνευσιν, *ſignificare*, ἀπαγόρευσιν, *repudiationem: ita ad verbum verteretur*, renuitio: nam cum quippiam (*inquit*) repudiare volumus; ſolemus renuere. *Verum interdum*, ἀνάνευσις, *ſignificat reſpectum. Quare vulgata*, non eſt reſpectus morti eorum. *Idem Theodoretus*: Aquila autem, οὐκ εἰσὶν δυσπάθειαι τῷ θανάτῳ αὐτῶν, non ſunt acerbitates, & dolores morti ipſorum. Symmachus autem, οὐκ ἀνεθυμοῦντο περὶ θανάτου αὐτῶν, *quod S. Hieronymus videtur vertiſſe*, quod non recogitaverint de morte ſua. (*f*) In flagello.] ἐν τῇ μάστιγι. *Ita S. Auguſtinus, & vetus pſalterium. Vulgata*, in plaga. *Symmachus*, στερεὰ γὰρ ἦν τὰ πρόπυλα αὐτῶν, *nec multo aliter S. Hieronymus*, & quod firma ſint veſtibula eorum. (*g*) In laboribus.] ἐν κόποις. *Vulgata*, in labore. *Theodotio*, ἐν μέσῳ ἀνθρώπων, in medio hominum. (*h*) Obtinuit eos ſuperbia.] *Aut*, tenuit, *ut vulgata. In aliquot codicibus græcis, & apud Theodoretum eſt*, ἐκράτησεν αὐτοὺς ἡ ὑπερηφανία εἰς τέλος, obtinuit eos ſuperbia in finem. (*i*) Prodibit.] ἐξελεύσεται, *apud latinos tamen*, prodiit, *& S. Hieronymus ad Suniam teſtatur apud LXX eſſe*, ἐξηλεύσατο. *Symmachus*, προέπιπτον ἀπὸ λιπαρότητος ὀφθαλμῶν (*niſi legendum*, ὀφθαλμοὶ) αὐτῶν, exciderunt præ pinguedine ab oculis ſuis. S. *Hieronymus*, proceſſerunt a pinguedine oculi eorum. (*k*) In diſpoſitionem.] *Sive*, affectum, *ut vulgata: græce*, εἰς διάθεσιν. *Symmachus*, παρέβαινον τὰ φαινόμενα τῇ καρδίᾳ, prætergreſſi ſunt apparentia cordi, *aut*, corde: *ſed puto, voluiſſe ſignificare, eos tranſilire cogitationes, quas naturaliter cor ſuggerit, neque uſitatis cogitationibus eſſe contentos.* (*l*) In malignitate.] S. *Auguſt. & vetus pſalterium*, malignitatem. *Vulgata*, nequitiam, *græce eſt*, ἐν πονηρίᾳ, *& poſſet etiam conjungi cum eo quod ſequitur, hoc modo*, loquuti ſunt in malignitate iniquitatem: in altum (*aut ut vulgata*, in excelſo) loquuti ſunt. (*m*) Ideo revertetur populus meus huc.] *Ita* S. *Auguſt. & vetus pſalterium: & ita fere hebræus, niſi quod habet*, populus ejus. *Theodoretus interpretatur de reditu poſt captivitatem in Hieruſalem. Alii de reditu ad hanc quæſtionem. vulgata habet*, ideo convertetur populus meus hic: *quod etiam fere verba græca.* (*n*) Et dies pleni.] S. *Auguſt. & vetus pſalterium*, cum dies pleni. (*o*) Et dixerunt] *Theodoretus*, Symmachus autem dilucidius, οἱ δὲ ἔλεγον, πῶς ἔγνω ὁ θεὸς, καὶ εἰ ἔστιν ἐπίγνωσις τῷ ὑψίστῳ; illi vero dicebant, quomodo novit Deus, & ſi eſt ſcientia ipſi altiſſimo? (*p*) Ergo.] ἄρα, *abeſt autem a* S. *Auguſtino, & vetere pſalterio. Symm.* ἴσως οὖν, fortaſſe igitur, *aut*, ergo ne. *Theodotio*, πλὴν, veruntamen. (*q*) Juſtificavi.] *Aquila*, ἐκαθάρισα, mundavi, *& ſic* S. *Hieronymus.* (*r*) Generationem.] *Aut*, nationem, *ut vulgata, græce eſt*, τῇ γενεᾷ τῶν υἱῶν σου ἠσυνθέτηκα. *Nam quod in aliquot codicibus legitur*, ἢ συντέθεικα, *videtur eſſe erratum; licet pſalterium Romanum habeat*, ecce natio filiorum tuorum, quibus diſpoſui. *In aliis vero eſt*, ἠσυνθέτηκας, *& Theodoretus ita interpretatur*, ἢ παρέβης τὰς συγκειμένας συνθήκας; nunquid tranſgreſſus es pacta conventa? (*ſ*) Suſcepi cognoſcere.] ὑπέλαβον τοῦ γνῶναι, *neque iſto modo videntur male interpretati* S. *Auguſt. & vetus pſalterium. Hoc enim ſibi volunt, aggreſſus ſum, conatus ſum cognoſcere, mentem adhibui ad cognoſcendum. Vulgata*, exiſtimabam, ut cognoſcerem hoc. *Symm.* εἰ ἐλογιζόμην ἐπιγνῶναι τοῦτο, μόχθος ἐφαίνετο ἐμοί, ſi cogitabam cognoſcere hoc, labor apparebat mihi. (*t*) Intelligam in noviſſima.] *S. Auguſt. & vetus pſalterium*, & intelligam in noviſſima. *In aliis codicibus græcis, & apud Theodoretum eſt*, καὶ συνῶ εἰς τὰ ἔσχατα αὐτῶν, *& Rom.* & intelligam in noviſſima eorum, *aut*, in noviſſimis eorum: *& vulg.* S. *Hier. ad Suniam retinet illud*, αὐτῶν, *ſed*, καὶ, *putat ſuperfluum.* (*u*) Propter doloſitates] *Aut*, dolos, *ut vulgata.* S. *Auguſt. & vetus pſalterium*, propter doloſitatem. *In aliis codicibus græcis eſt*, πλὴν διὰ τὰς δολιότητας αὐτῶν ἔθου αὐτοῖς κακά. *& Romanum*, veruntamen propter dolos diſpoſuiſti eis mala. (*u*) Dejeciſti eos.] κατέβαλες αὐτούς. *Scholium.* In Tetraſelido, pro, κατέβαλες, erat, κατέλαβες, apprehendiſti: ſed nunquid fortaſſe erratum eſt? cæteri enim inquiunt, κατέβαλες. (*y*) Exurgentis.] *Ita S. Auguſt. & vetus pſalterium, quæ deinde habent*, imagines. *Apud Theodoretum eſt*, ἐξεγειρομένων, *& ſic vulgata*, ſurgentium. (*z*) Delectatum eſt.] *Ita apud* S. *Auguſt. & in pſalterio veteri, & Romano, quod græce*, εὐφράνθη. *In cæteris libris græcis eſt* ἐξεκαύθη, *& vulgata*, inflammatum. (*aa*) Ad nihilum redactus.] *Theodoretus.* Hoc manifeſtius Symmachus dixit, ἤμην δὲ ἀνεπιστήμων, καὶ μὴ εἰδὼς, eram autem inſipiens, & neſcius: *& ita fere* S. *Hieronymus.* (*bb*) Ut jumentum.] S. *Auguſt. & vetus pſalterium*, quaſi pecus, *græce eſt*, κτηνώδης, *jumenti ac pecoris naturam referens.* (*cc*) In conſilio tuo.] ἐν τῇ βουλῇ σου, *& reſpondet hebræo: apud latinos tamen eſt*, in voluntate tua. (*dd*) Quid enim mihi eſt in cœlo?] *Theodoretus.* Aquila autem manifeſtius, τίς μοι ἐν τῷ οὐρανῷ; καὶ μετὰ σοῦ οὐκ ἐβουλήθην ἐν τῇ γῇ. Quis mihi in cœlo? & tecum nolui in terra, *alium tibi coordinans, addit Theodoretus.* (*ee*) Cor meum, & caro mea.] *Ita* S. *Auguſt. & vetus pſalterium, & libri græci. Vulgata autem*, caro mea, & cor meum: *quem ordinem probat* S. *Hieron. ad Suniam.* (*ff*) Laudes.] *Ita S. Auguſt. & vetus pſalt. & Romanum, quod græce eſt*, τὰς αἰνέσεις. S. *Hier. ibidem teſtatur LXX dixiſſe*, τὰ ἀπαγγέλματά σου, prædicationes tuas (*quod habet vulgata*) *aut*, promiſſa: *Aquilam vero*, ἀγγέλοις σου, angelos, & nuncios tuos. (*gg*) In portis filiæ Sion.] S. *Auguſt. & vetus pſalt.* in atriis. *græce*, ἐν ταῖς πύλαις, *in hebræo non ſunt iſta verba.*

PSAL. LXXIII.

(*a*) UT quid repuliſti Deus.] S. *Auguſt. vetus Pſalterium, & Romanum*, repuliſti nos Deus. *In aliis libris græcis eſt*, ἱνατί ὁ θεὸς ἀπώσω, *& vulgata*, ut quid Deus repuliſti: *hanc ordinis varietatem notavit etiam* S. *Hieron. Aquila*, τί θεὲ ἀπώσω εἰς νῖκος, cur Dee repuliſti ad victoriam, *id eſt*, in finem, *ut alibi dictum eſt.* (*b*) Virgam.] *Theodor. habet*, ῥάβδῳ, *ut intelligatur Deum redemiſſe hæreditatem ſuam virga, id eſt, ſceptro regio: ſed cæteri libri ut hic*, ῥάβδον κληρονομίας σου, *quod tamen Scholiaſtes refert ex Aquila, ex Symmacho autem*, ἐλυτρώσω σκῆπτρον κληρουχίας σου, redemiſti ſceptrum hæreditatis tuæ, *& ex quinta editione*, σαβὰτ φυλὴν, Sabat tribum. (*c*) Montem Sion hunc.] ὄρος σιὼν τοῦτο, ὃ κατεσκήνωσας ἐν αὐτῷ. S. *Auguſt. & vetus Pſalt.* montem Sion, in quem habitaſti in ipſo: *vulgata & Romanum*, mons Sion, in quo. *Symm.* καὶ ἤγαγες εἰς τὸ σιὼν ὄρος τὸ ἅγιόν σου τοῦτο, & duxiſti ad Sion montem ſanctum tuum iſtum. (*d*) In ſanctis tuis.] *Ita etiam in alio libro Græco: & in Pſalterio vetere, & Arabico, & apud S. Auguſt. In aliis libris Græcis eſt*, ἐν τῷ ἁγίῳ σου. *Theodor.* neque Hebræus, neque cæteri interpretes, neque ipſi LXX in Hexaplo poſuerunt numerum multitudinis, ἐν τοῖς ἁγίοις, ſed ſingulariter, ἐν τῷ ἁγίῳ σου. *Idemque de Græcis teſtatur* S. *Hieron. ad Suniam. Aquila*, ἐν ἡγιασμένῳ, in ſanctificato. (*e*) Solennitates tuæ.] *Romanum*, in medio atrio tuo: *quod fortaſſe non abhorret ab hebræo.* (*f*) In ingreſſu.] ὡς εἰς τὴν εἴσοδον ὑπεράνω. *Apollinarius*, εἰσιθμῆς, *quod idem valet. In cæteris libris Græcis eſt*, ἔξοδον, *vulgata*, ſicut in exitu ſuper ſummum. *Pſalt. Romanum*, ſicut in via ſupra ſummum. *Vetus, & S. Auguſt.* ſicut in egreſſu deſuper: *Aquila*, ἐγνώσθη ὡς εἴσοδος εἰς ἄνω, innotuit, ſicut introitus in ſublime. *Theodotio* καὶ γνωσθήτω ὡς εἴσοδος ὑπεράνω, & innoteſcat ſicut introitus ſuperne. *Sym.* ἔθηκαν τὰ σημεῖα αὐτῶν ἐπισήμως γνώρισμα κατὰ τὴν εἴσοδον ἐπάνω, ἐν ἁρμοῖς ξυλίνοις, poſuerunt ſigna ſua inſigniter indicium ad ingreſſum ſuperne in inſtrumentis ligneis. (*g*) Heus quieſcere faciamus.] *In aliis codicibus græcis, & apud Theodoretum additur*, καὶ δεῦτε, καὶ καταπαύσωμεν, *& S. Hieronymus ad Suniam teſtatur ſe tranſtuliſſe*, heus, & quieſcere faciamus. *Vulgata habet tantum*, quieſcere faciamus. S. *Auguſt. & pſalt. vetus, & Romanum*, venite, comprimamus. *Idem S. Hier. addit, LXX juxta Hexaplorum veritatem tranſtuliſſe*, καταπαύσωμεν, *itemque ſextam editionem, Theodotionem vero*, ἐμπυρίσωμεν, ſuccendamus, *quintam*, κατέκαυσαν, combuſſerunt: *Aquilam, & Sym.* ἐνεπύρησαν πάσας τὰς ἑορτὰς θεοῦ ἐπὶ τῆς γῆς, incenderunt omnes ſolennitates Dei in terra. *Verum Scholiaſtes de quinta quidem & ſexta editione habet, ut* S. *Hier. de Aquila autem, & Theodotione hoc modo*: Aquila, ἐνεπύρησαν πάσας συναγωγὰς ἰσχυροῦ ἐπὶ τῆς γῆς, incenderunt omnes conventus ipſius fortis ſuper terram: Theodot. ἐνεπύρισαν πάντας καιροὺς ἰσχυροῦ ἐν τῇ γῇ, incenderunt omnia tempora ipſius fortis in terra. *Atque, ut notat Didymus in Pſal. 20. dictionem iſtam* καιρὸς, *ibi ſignificare non tempus, ſed ſtatum quendam eorum qui vultum Dei poſſunt intueri; ita videtur hoc loco poſſe ſignificare dies ſolennes ad colendum Deum.* (*h*) Signa noſtra non vidimus.] *Sic vulgata & vetus pſalterium, & ut puto, S. Auguſt. licet in quibuſdam codicibus abſit negatio: ſed in explanatione apparet. Romanum*, ſigna noſtra non videmus, *etiam Theod. habet*, ἡμῶν, *in aliis libris græcis eſt*, σημεῖα αὐτῶν, ſigna ipſorum. *Schol.* lxx, Aquila, Theodotio, Sym. τὰ σημεῖα ὑμῶν. (*i*) Irritabit.] παροξυνεῖ, *apud latinos fere eſt*, irritat. *Sym.* προπηλακίσει, contumeliis afficiet. (*k*) Draconum.] *Sym.* κητῶν, cetorum. (*l*) Aqua]. *S. Hier. teſtatur Aquilam dixiſſe*, ὑδάτων, in aquis. (*m*) Contriviſti capita.] συνέτριψας τὰς κεφαλὰς, *& vulgata etiam habet*, capita. *In cæteris libris græcis eſt*, σὺ συνέθλασας τὴν κεφαλὴν, *& ita S. Aug pſalt. vetus, & Romanum*, tu confregiſti caput. (*n*) Draconis.] *Pſalt. Romanum*, draconis magni. *Schol.* leviathan. (*o*) Fontes.] *Schol.* lxx. & quinta editio, πηγὴν, fontem: *Theodor. autem*, hebræus, & cæteri interpretes dixerunt, πηγήν. (*p*) Etham.] *Aquila*, στερροὺς, fortes, (*quod habet S. Hier.*) *Sym.* ἀρχαίους, antiquos: *quod etiam refert, & explanat Theodor.* (*q*) Solem & lunam.] *Ita pſalt. vetus, & S. Aug. nec multo aliter Romanum*, tu feciſti Solem & Lunam. *Itemque apud Apoll. & in pſalt. Arab. & Æthiopico. In cæteris libris græcis eſt*, φαῦσιν καὶ ἥλιον, illuminationem, & ſolem, *ac vulg.* fabricatus es auroram & ſolem. *Schol.* ſexta editio, σελήνην, καὶ ἥλιον, lunam & ſolem: Aquila, φωστῆρα, καὶ ἥλιον, luminare & ſolem: Theodotio, φῶς, καὶ ἥλιον, lucem, & ſolem. (*r*) Feciſti.] *Theodor.* Aquila quidem, & Theodotio dixerunt, ἐστήλωσας, ſtabiliſti. Sym. vero ἔστησας, ſtatuiſti, *quod etiam habet S. Hier.* (*ſ*) Terminos.] ὅρια. *ita Theodor. & Apol.* πείρατα. Γαίης πείρατα πάντα τεὴ κάμεν ἀκάματος χείρ. *Et omnia pſalteria latina, & S. Aug. Multi autem libri græci habent*, ὡραῖα, ſpecioſa. (*t*) Creaturæ tuæ.] *Hæc verba ſunt in pſalt. Romano & veteri, & apud S. Aug. & in pſalt. Arabico et Æthiopico: eaque Apoll. metaphraſi expreſſit et Sch.* quare & inquit, μνήσθητι ταύτης τῆς κτίσεως. *Abſunt autem a cæteris libris græcis et a vulg. Ac Theod. illud* ταύτης, *abſolute dictum refert ad ſynagogam.* (*u*) Domibus iniquitatum.] *Ita vulg. vetus vero et S. Aug.* domorum iniquarum: *Romanum*, domorum iniquitatum. *Græce eſt*, ὅτι ἐπληρώθησαν οἱ ἐσκοτωμένοι τῆς γῆς οἴκων ἀνομιῶν *& videtur dictum eſſe*, οἱ ἐσκοτωμένοι τῆς γῆς, obſcurati terræ, *ſicut dicitur*, divites terræ, pauperes terræ. *Sym.* ὅτι ἐπλήσθησαν ἐσκοτισμένα γῆς ὡραιοτήτων ἀδικίας, quoniã impleta ſunt tenebroſa terræ, ſpeciebus iniquitatis. (*x*) Humilis factus & confuſus.] τεταπεινωμένος, καὶ κατῃσχυμμένος, *a multis autem libris græcis abeſt illud*, καὶ, *itemque a latinis*, &. *Vetus quidem pſalt. et S. Aug. habent*, ne revertatur humilis confuſus. (*y*) Tuam.] *Ita cæteri libri græci et latini, præter S Aug. qui habet*, meam: *et mirum eſt illum a vetere diſcrepare.* (*z*) Deprecantium te.] *Ita pſalt. vetus et Aug. Romanum vero* quærentium te, *græce eſt*, ἱκετῶν σε, *quomodo habet etiam alius codex manuſcriptus, et Theod. et pſalt. Arab. neque ſecus Apoll.* λισσομένων. *In aliis libris græcis eſt*, οἰκετῶν, famulorum. *Sanctus Hieronymus ad Suniam, et Fretelam, quæ et ipſa in ſuo codice habebant*, ἱκετῶν, *ſcribit Aquilam dixiſſe* hoſtium tuorum, *Sym.* bellantium contra te. *LXX & ſextam editionem*, inimicorum tuorum: *quomodo etiam habet vulgata.* (*a*) Aſcendat ſemper ad te.] ἀναβαίη διὰ παντὸς πρὸς σὲ, *& cum hac lectione facit metaphraſis Apollinarii, Pſalterium Arabicum, & Æthiopicum. Romanum & vetus, & S. Auguſt.* aſcendit ſemper ad te, *vulg.* aſcendit ſemper, *& ita in pleriſque græcis*, ἀνέβη διὰ παντὸς, *& S. Hieronymus interpretatur*, διὰ παντὸς, per omnia, *ſive*, omnino.

PSAL. LXXIV.

(*a*) NE corrumpas.] *Sic eſt in libris Latinis, quod Græce*, μὴ διαφθείρῃς. *Attamen S. Hieronymus ad Suniam in notationibus ad Pſ.* 77. *melius putat verti*, ne perdas. *Ipſe autem in ſua tralatione habet*, ut non diſperdas. (*b*) Pſalmus cantici.] *Ita in vulgata. Romanum vero, & S. Hieronymus*, pſalmus Aſaph cantici. *In aliis libris Græcis*, τῷ ἀσὰφ ψαλμὸς ᾠδῆς, ipſi Aſaph pſalmus cantici. *Theodoretus*: Symmachus autem, ἐπινίκιος περὶ ἀφθαρσίας ψαλμὸς τῷ ἀσάφ, triumphalis de incorruptibilitate, pſalmus ipſi Aſaph. (*c*) Confitebimur.] S. *Auguſtinus, & pſalterium vetus, & Romanum*, confitebimur tibi, *& in multis etiam libris Græcis additur*, σοί. (*d*) Enarrabo.] S. *Hieronymus ad Suniam putat rectius eſſe*, narrabimus mirabilia tua, *ut eſt in vulgata.* (*e*) Cum accepero tempus.] *Theodoretus*: Aquila autem, & Symmachus ita, ὅτ' ἀναλάβω τὴν συναγωγὴν, cum accepero Synagogam. *Scholiaſtes tamen ex Aquila refert*, συνταγὰς, mandata, & præcepta, *ex Symmacho*, συνταγήν. (*f*) Nolite extollere in altum.] *Sic in vulgata, & Romano.* S. *Auguſtinus, & vetus*, nolite ergo efferri, ne loquamini adverſus Deum iniquitatem. (*g*) In hunc.] *Ita S. Auguſt. ut reſpondeat calici. Græce eſt*, ποτήριον· *ideo in cæteris libris latinis legitur*, ex hoc in hoc. *Symmachus*, ὥστε ἕλκειν ἀπ' αὐτοῦ, ut trahant de eo. (*h*) Veruntamen fæx ejus.] *Symmachus*, πλὴν τὰς τρυγίας αὐτοῦ ἐκστραγγιοῦσι πίνοντες οἱ φαῦλοι τῆς γῆς, *quæ ita videtur vertiſſe S. Hieronymus*, veruntamen fæces ejus epotabunt bibentes omnes impii terræ. (*i*) Gaudebo.] *Ita S. Auguſt. & pſalterium vetus, & Romanum, quod græce eſt*, ἀγαλλιάσομαι. *Vulgata autem*, annunciabo in ſeculum, *quod Scholiaſtes quintæ editioni tribuit*, ἀπαγγελῶ. (*k*) Confringam.] *In L. V. eſt*, συγκλάσω, *alii*, συνθλάσω. *Schol.* LXX & Theod. συγκλάσω, *Aquila*, περικόψω, concidam. *Symmachus*, μετακλάσω, diffringam. (*l*) Juſti.] *Schol.* LXX. τὰ κέρατα τῶν δικαίων, cornua juſtorum. *Aquila, & Symmachus*, κέρατα δικαίου, cornua juſti. *Theodotio*, κέρας δικαίων, cornu juſtorum.

PSAL. LXXV.

(*a*) AD Aſſyrium.] *In vulgata*, ad Aſſyrios. *A pſalteriis latinis abſunt. Theodoretus*: Additionem illam, τοῦ ἀσυρίου, non inveni in Hexaplo, ſed in quibuſdam exemplaribus. *Schol.* τὸ πρὸς τὸν ἀσύριον, οὐκ ἔκειτο ἐν τῷ τετρασελίδῳ, οὔτε παρὰ τοῖς ό, οὔτε παρὰ τοῖς λοιποῖς οὔτε ἐν τῷ βιβλίῳ εὐσεβίου τοῦ παμφίλου, οὔτε ἐν τῷ ὀκτασελίδῳ. Illud, πρὸς τὸν ἀσύριον, non eſt in Tetraſelido, neque apud LXX, neque apud cæteros, neque in libro Euſebii Pamphili, neque in Octaſelido. Animadvertendum in Pſal. 75. in tertio verſu, duplicem eſſe interpretationem in vetuſtiſſimo hoc libro Vaticano: primam, ἐκεῖ συνέτριψεν τὰ κράτη τῶν τόξων: deinde poſt, ὅπλον καὶ ῥομφαίαν καὶ πόλεμον: alteram interpretationem, ἐκεῖ συνέκλασε τὰ κέρατα. Itidémque fermè in Pſalterio Æthiopico, ubi in poſteriori interpretatione eſt, ἐκεῖ συνέκλασε τὰ κέρατα. *Cornua* eſt in Pſalterio Romano: & apud S. Ambroſium in Epiſtolâ ad Marcellinam Sororem, *cornua arcuum.* In cæteris vero libris, cæteriſque interpretationibus eſt, τὰ κράτη, non τὰ κέρατα. Iſtam annotationem addi hic voluit Ant. Card. Caraffa teſte Poſſevino in Apparatu Sacr. Tom. 1. voc. David. (*b*) Illuminas.] φωτίζεις, *licet apud latinos ſit*, illuminans. *Theodor. ex Symmacho*, ἐπιφανὴς εἶ ὑπερμεγέθης ἀπὸ ὀρέων θήρας, illuſtris es immenſus à montibus venationis. *Scholiaſtes autem, ex eodem Sym.* φωτίζεις σὺ θαυμαστῶς ἀπὸ ὀρέων θήρας, illuminas tu mirabiliter à montibus prædæ, *ex Theodotione*, φοβερὸς εἶ θαυμαστὸς ἀπὸ ὀρέων καρπίμων, terribilis es admirabilis à montibus fructuoſis, *ex Aquila*, φωτισμὸς σὺ ὑπερμεγέθης ἀπὸ ὀρέων ἁλώσεως, *quæ videtur fere vertiſſe S. Hieron.* lumen tu es magnifice à montibus captivitatis. (*c*) Manibus ſuis.] τῶν χερσὶν αὐτῶν, *ſed apud latinos invaluit*, in manibus ſuis: *quamvis id depravatum eſſe admoneat S. Hier. ad Suniam. Theodor. ex Symmacho*, πάντες οἱ ἄνδρες οἱ ἰσχυροὶ τὰς χεῖρας αὐτῶν, omnes viri, qui robuſti manibus ſuis. (*d*) Ab increpatione.] *Sym.* ἀπὸ ἐμβριμήσεώς σου θεὲ ἰακὼβ ἐκαρώθη καὶ ἅρμα καὶ ἵππος, *nec multo aliter S. Hier.* ab increpatione tua Deus Jacob, conſopitus eſt & currus & equus. *Aquila*, κατεφέρετο, *quod idem fere ſignificat atque* ἐκαρώθη. (*e*) Et quis reſiſtet tibi ab ira tua.] *Sic quoque eſt in pſalt. Æthiopico.* S. *Aug.* quis reſiſtet tibi & tunc ab ira tua? *Vetus pſalterium*, nunc. *In aliis libris græcis eſt*, ἀπὸ τότε ἡ ὀργή σου, *cum qua lectione facit metaphraſis Apollinarii.*

Ἐκ παλαιῆς σέο μῆνις ἔχει περιώσιον ἀλκήν.

Et pſalterium Romanum, & vulgata, ex tunc ira tua. (*f*) Auditum feciſti judicium.] *Sic vulgata, quod græce eſt*, ἠκούτισας, *& Theodoretus inquit, Symmachum dixiſſe*, ἀκουστὴν ποιήσεις, *quod S. Hieronymus videtur vertiſſe*, annunciabis. *Verum in nonnullis græcis codicibus eſt*, ἠκόντισας, *& S. Auguſtinus, & vetus pſalterium*, jaculatus es judicium. *Romanum vero*, de cœlo judicium jaculatus es. (*g*) Mites corde.] *Ita S. Auguſtinus, & vetus pſalterium, quod græce eſt*, πραεῖς τῇ καρδίᾳ, *& ita etiam in pſalterio Æthiopico. Cæteri libri græci habent*, πραεῖς τῆς γῆς, *quæ lectio fuit etiam adſcripta codici Vaticano: & vulgata*, manſuetos terræ, *Romanum*, quietos terræ. (*h*) Cogitatio.] ἐνθύμιον, *quod Scholiaſtes idem inquit valere ac* λογισμόν. *Symmachus*, θυμὸς ἀνθρώπου ἐξομολογήσει λείψανον θυμοῦ περιζωσθὲν, ira hominis confitebitur reſiduum iræ accinctum. (*i*) Noſtro.] *Ita in græcis collatis, & in pſalterio veteri, & apud Sanctum Auguſtinum. Vulgata autem, & Romanum*, veſtro, *ac paulo poſt vulgata quidem*, affertis. *Romanum autem*, offertis. (*k*) Spiritus.] πνεύματα, *idque agnoſcit etiam S. Hieronymus ad Suniam: ſed tamen in libris latinis eſt*, ſpiritum.

PSAL. LXXVI.

(*a*) PRO Idithum.] *Alii legunt*, Idithum. *Theodoretus*: Symmachus autem, διὰ ἰδιθοὺμ, per Idithum. *Schol.* ἰδιθοὺμ exponitur, ἀπάτη, deceptio. (*b*) Ad Dominum.] *Schol.* Aquila & Theodotio, πρὸς κύριον. Symmachus, quinta, ſexta, LXX, πρὸς τὸν θεὸν, ad Deum. (*c*) Et vox mea.] *Ita S. Auguſt. & pſalterium vetus, & Romanum; quod Græce*, καὶ ἡ φωνή μου. *In aliis libris græcis eſt*, φωνῇ μου, *& ſic vulgata*, voce mea. (*d*) Coram eo.] *Sic in Pſalterio Romano & vet. & apud S. Auguſtinum, quod Græce*, ἐναντίον αὐτοῦ, *vulgata*, contra eum. *Theodoretus*: Symmachus autem, ἡ χείρ μου νυκτὸς ἐκτέταται (*al.* ἐκτεταμένη) διηνεκῶς, manus mea noctu extenſa eſt aſſidue. (*e*) Renuit.] *Sic vulgata: & codices Græci collati*, ἀπηνήνατο, *Vetus tamen pſalt. & Romanum, & S. Auguſtinus habent*, negavi conſolari animam meam. *Apollinarius*,

Ἠρνεόμην πραπίδεσσι παρηγορέοντος ἀκοῦσαι,

renuebam præcordiis audire conſolantem. (*f*) Garrivi.] *Ita S. Auguſtinus, & vetus pſalterium, quod Græce*, ἠδολέσχησα. S. *Hieronymus ad Suniam*, ἀδολεσχίαν *interpretatur decantationem quandam, & meditationem: & quod paulo poſt in hoc Pſalmo eſt*, ἠδολέσχουν, *vertit*, argutabar. *In Romano, & in vulgata eſt*, exercitatus ſum, *& in Romano ſequitur*, & defecit pauliſper ſpiritus meus. *Theodoretus ex Symmacho*, διελάλουν ἐμαυτῷ καὶ ἐλιποθύμουν, mecum ipſe colloquebar, & animo deficiebam. (*g*) Omnes inimici mei.] *Sic eſt apud S. Auguſtinum & in pſalterio veteri, Arabico, & Æthiopico. In cæteris libris græcis eſt*, οἱ ὀφθαλμοί μου, *& ſic vulgata, & Romanum*, oculi mei. *Aquila*, κατέσχες φυλακὰς ὀφθαλμῶν, cohibuiſti vigilias oculorum. *Theodotio*, ἐκράτησας φυλακὰς ὀφθαλμῶν μου, tenuiſti vigilias oculorum meorum. *Symmachus*, ἐκώλυον τὰς ἀναβλέψεις τῶν ὀφθαλμῶν μου, *quod fere S. Hieronymus*, prohibebam ſuſpectum oculorum meorum. (*h*) Sarriebam.] *Hoc putat S. Hieronymus ad Suniam ſignificari verbo*, ἔσκαλλον, *quod quidem LXX ſignificare voluerunt frequentem retractatum cogitationum. Addit autem, Symmachum & quintam editionem habuiſſe*, ἀνηρεύνουν, *ſive, ut eſt in ſcholio*, ἀνηρεύνων, perſcrutabar, *ſive*, quærebam. *Ita S. Auguſtinus, & vetus pſalterium habent*, ſcrutabar, *Romanum*, ventilabam, *vulgata*, ſcopebam, *in ſcholio iſtud* ἔσκαλλον τὸ πνεῦμά μου, *tribuitur Theodotioni. Et in aliis codicibus græcis hic legitur*, ἔσκαλλεν, ſarriebat ſpiritus meus. *Theodoretus*, iſtud autem, ἔσκαλλεν, Theodotio quidem dixit, ἐξηρεύνησεν, ſcrutatus eſt. Aquila autem, ἐσκάλευσεν, quaſi effodit, & ſcalpſit. *In ſch. refertur ex Aquila*, καὶ σκαλεύσει τὸ πνεῦμά μου, & effodiet ſpiritus meus. (*i*) Nunquid in ſecula.] μὴ εἰς τοὺς αἰῶνας, *pſalteria latina*, nunquid in æternum. S. *Auguſtinus*, non in æternum repellet Deus. (*k*) Et non apponet ut beneplaceat.] S. *Auguſtinus, & vetus pſalterium*, & non apponet ultra, ut beneplaceat ei adhuc? *Vulgata, & pſalterium Romanum*, aut non apponet, ut complacitior ſit adhuc? (*l*) Miſericordiam.] *In pleriſque libris græcis eſt*, τὸ ἔλεος αὐτοῦ, *& ſic apud latinos*, miſericordiam ſuam. (*m*) Et generatione.] καὶ γενεᾶς, *ſed in pleriſque græcis eſt*, εἰς γενεὰν, *& apud latinos*, in generationem. *Verum in multis codicibus græcis hic locus ita habet*, τὸ ἔλεος αὐτοῦ ἀποκόψει, συνετέλεσε ῥῆμα ἀπὸ γενεᾶς εἰς γενεάν, miſericordiam ſuam abſcidet; conſummavit verbum à generatione in generationem. *Ac Theodoretus*: Symmachus autem ſic, συνετέλεσε ῥῆσιν περὶ γενεᾶς ἑκάστης, conſummavit eloquium de generatione qualibet: *ſcribit tamen S. Hieronymus*, συνετέλεσε ῥῆμα, *recte non haberi in latino, quia & in nullo habetur interpretum. Certe præter editiones latinas neque metaphraſis Apollinarii, neque pſalterium Æthiopicum habent: eſt tamen in tralatione Arabica.* (*n*) Nunc cœpi.] *Aquila*, ἀρρωστία μοι αὕτη, imbecillitas mihi hæc. *Theodotio*, ὠδῖνές εἰσιν, dolores ſunt. (*o*) Immutatio.] *Aut, ut vulg.* mutatio, *Sym.* ἐπιδευτερώσεις ἀλλοίωσις, *iterationes, & quaſi ſecundi ordines.* (*p*) Memor fui operum.] *Symmachus*, ἀνεμιμνησκόμην τὰς προνοίας κυρίου, ἀναπολῶν τὰ ἀρχαῖα τεράστιά σου, καὶ διεμελέτων πάσας τὰς πράξεις σου, καὶ τὰ μηχανήματά σου διηγούμην, memoria repetebam providentias Domini, animadvertens antiqua prodigia tua, & meditabar omnes actiones tuas, & molimina tua narrabam. (*q*) Et in adinventionibus tuis garriam.] καὶ ἐν τοῖς ἐπιτηδεύμασί σου ἀδολεσχήσω. S. *Auguſtinus, & vetus pſalterium*, & in affectionibus tuis garriam. *Romanum*, & in obſervationibus tuis exercebor. *Vulgata*, & in adinventionibus tuis exercebor. (*r*) In ſancto via tua.] *Theodoretus*, Symmachus autem ita, ὁ θεὸς, ἐν ἁγιασμῷ ἡ ὁδός σου, Deus, in ſanctificato via tua. Aquila autem, ἐν ἡγιασμένῳ, in ſanctificato. (*ſ*) Mirabilia.] *Apud S. Auguſtinum, & in pſalterio veteri, & Romano additur*, ſolus. (*t*) Joſeph.] *Schol.* Joſeph exponitur, ὀνείδους ἀφαίρεσις, ablatio opprobrii. (*u*) Vocem dederunt nubes.] *Theodoretus*: Symmachus autem, ἦχον ἔδωκεν αἰθήρ, ſonitum dedit æther. (*x*) In rota.] ἐν τῷ τροχῷ. *Symmachus*, ἐν τοῖς τροχοῖς, in rotis. (*y*) Moyſi, & Aaron.] *Schol.* Moyſes exponitur, ἀναίρεσις ὕδατος, ſublatio aquæ: Aaron autem, ὄρος δυνάμεως, mons potentiæ. *Aliud ſcholium*: Moyſes exponitur ψηλάφημα, contrectatio, & palpatio: Aaron, πνεῦμα, ſpiritus.

PSAL. LXXVII.

(*a*) AB initio.] ἀπ' ἀρχῆς. *Pſalterium Romanum habet*, ab initio ſeculi. *Apollinarius*, ἐκ παλαιῆς προτέρης γενεῶν, ex priore antiquitate generationum: *Matth.* 13. ἐρεύξομαι ἀποκεκρυμμένα ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, eructabo abſcondita à conſtitutione mundi. (*b*) In generationem alteram.] *Apud Latinos legitur*, in generatione altera. *Græce eſt*, εἰς γενεὰν ἑτέραν, *et poſſet etiam conjungi cum ſequentibus*, εἰς γενεὰν ἑτέραν ἀπαγγέλλοντες, in generationem alteram annunciantes. (*c*) Suſcitavit teſtimonium.] *Symmachus*, ἀνέστησε διαμαρτυρίαν τῷ ἰακὼβ, *quod S. Hieronymus*, ſtatuit conteſtationem Jacob. (*d*) Quam mandavit patribus noſtris, ut notam facerent eam.] *Ita pſalterium Romanum. In aliis libris Græcis eſt*, ὅσα ἐνετείλατο τοῖς πατράσιν ἡμῶν τοῦ γνωρίσαι αὐτά *Ita in cæteris editionibus Latinis*, quanta mandavit patribus noſtris, nota facere ea. (*e*) Et annunciabunt ea.] *Ita fatetur S.*

Hieronymus ad Suniam, vertendum eſſe, quod Græce eſt, ϗ ἀπαγγελοῦσιν αὐτὰ, *ſed Aquilam & Symmachum dixiſſe,* narrabunt : *quod remanſit in editionibus Latinis.* (*f*) Generatio prava, & exaſperans, &c.] *S. Auguſtinus & vetus pſalterium,* generatio prava & amaricans : generatio, quæ non direxit cor ſuum : *Romanum* ; genus pravum, & peramarum : genus quod non direxit cor ſuum. *Et certe in multis codicibus græcis, pro,* ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῆς, *habetur,* τὴν καρδίαν ἑαυτῆς. *Sed noſtra ſapit Hebraiſmum.* (*g*) Arcum.] *Sic vulgata.* S. *Auguſtinus, & vetus Pſalterium,* arcus. *In aliis libris Græcis eſt,* τόξοις, arcubus : *cujus lectionis mentionem etiam facit* S. *Auguſtinus. In Romano legitur,* intendentes arcum, emittentes ſagittas ſuas. (*h*) Quæ fecit.] *Apud Latinos non eſt illud,* quæ. (*i*) Quaſi utrem.] ὡσεὶ ἀσκὸν, *apud Latinos* autem *partim,* quaſi in utre, *partim,* quaſi in utrem, *aut,* quaſi in utres. (*k*) Die.] *Hoc enim ſolet ſignificare,* ἡμέρας, *ſed apud Latinos eſt,* diei. (*l*) In inaquoſo.] S. *Auguſtinus hanc etiam lectionem agnoſcit. Sed ipſe habebat, ut pſalterium vetus, & Romanum,* in ſiccitate, ἐν ἀνύδρῳ. *Symmachus,* φιλονεικεῖν τῷ ὑψίστῳ ἐν δίψει, ad contendendum cum excelſo in ſiti. (*m*) Et diſtulit.] *Symmachus,* ἐχολώθη, ad iram commotus eſt. (*n*) Cibaria.] *Ita cæteri libri Latini. Romanum pſalterium,* frumentationem : *Græce eſt,* ἐπισιτισμὸν, *& multi intelligunt de eodem Manna, quod erat quaſi triticum cœleſte.* (*o*) Tranſtulit auſtrum.] *Sic cæteri Latini, Romanum vero,* & excitavit auſtrum, ἀπῆρεν νότον, *quaſi,* promovit auſtrum. *Schol.* ὥρμησεν καύσωνα, impulit æſtum. (*p*) In pinguibus.] ἐν πίοσιν, *ſic habet phraſis Hebraica. Sed S. Hieronymus ad Latinam formam transferens dixit,* pingues. *In aliis libris Græcis eſt,* πλείοσιν. S. *Auguſtinus,* in plurimis. *Romanum pſalterium,* plurimos. *Vetus utramque lectionem conjunxit,* in plurimis pingues eorum. S. *Hieronymus ad Suniam, inquit, vocem Hebraicam, Aquilam eſſe interpretatum,* εὐπόροις αὐτῶν. opulentis eorum ; *Symmachum,* τοῖς εὐπορωτέροις, opulentioribus, *lxx & Theodotionem, & quintam editionem,* ἐν τοῖς πίοσιν αὐτῶν. *Sed Scholiaſtes hoc modo,* lxx, Theodotio, ἐν τοῖς πίοσιν αὐτῶν. Aquila, ἐν λιπαροῖς αὐτῶν, in nitidis, & pinguibus : Symmachus, τοὺς λιπαρωτέρους αὐτῶν, nitidiores & pinguiores eorum. (*q*) Excelſus redemptor.] *Symmachus* ὕψιστος ὑπερεμάχησεν αὐτῶν, pugnaverat pro eis. (*r*) Nec fideles habiti ſunt.] *Ita* S. *Auguſtinus, & vetus pſalterium, & vulgata. Romanum autem* nec fides habita eſt illis : *græce,* οὐδὲ ἐπιστώθησαν, *quod poſſet etiam verti,* non fuerunt fideles. (*ſ*) Et non diſperdet.] *Latini,* & non diſperdet eos. *Sed fatetur* S. *Hieronymus ad Suniam, id additum eſſe, ne ſententia pendeat.* (*t*) Et multiplicabit ad avertendum.] ϗ πληθυνεῖ τοῦ ἀποστρέψαι, *& reſpondet hebræo.* S. *Auguſtinus, vetus pſalterium, & vulgata,* abundavit ut averteret, *Romanum.* multiplicavit, ut averteret. *Theodoretus ex Symmacho,* ϗ ἐπὶ πολὺ ἀπέστρεψε τὴν ὀργὴν αὐτοῦ. ϗ οὐ διήγειρεν ὅλον τὸν θυμὸν αὐτοῦ, & multum avertit iram ſuam & non excitavit totum furorem ſuum. (*u*) In terra ſine aqua.] *Sic pſalterium Romanum, quod græce,* ἐν γῇ ἀνύδρῳ. *Cæteri libri latini,* in inaquoſo. (*x*) Diei, qua.] S. *Auguſtinus,* in die, qua. *Vetus, & vulgata,* die qua. *Romanum,* qua die. *Et has etiam interpretationes ferunt verba græca, ſed noſtra videtur magis reſpondere hebræo.* (*y*) Et imbres.] S. *Auguſtinus,* vel potius emanationes aquarum : ſicut nonnulli melius intelligunt, quod græce ſcriptum eſt, τὰ ὀμβρήματα, quas latine ſcaturigines dicimus, ab imo aquas ebullientes. *Romanum pſalterium habet,* pluviales aquas eorum, *& ita etiam intrepretatur Theodoretus. S. autem Hieronymus reddidit,* & rivos, *Alii,* fluenta. (*z*) Cynomyam.] *Ita in collatis codicibus græcis, & latinis, & in Romano,* muſcam caninam. *Attamen* S. *Hieronymus ad Suniam in fine epiſtolæ inquit, juxta hebraicam intelligentiam ſcribendum eſſe, per æ, diphthongon, ut ſit* κοινομυῖα, *id eſt, omne genus muſcarum. Aquila autem* παμμυῖαν, *id eſt, omnimodam muſcam, interpretatus eſt.* (*aa*) Ærugini.] ἐρυσίβῃ. *Scholiaſtes,* ὡς κονιορτώδης φθορὰ τοῦ σίτου, quaſi pulverulenta corruptio frumenti. *Aliud Scholium,* ἐρυσίβη eſt ſecundum Herodianum, pruinoſum illud inſidens fructibus, & eos corrumpens. Prius erat τῇ ἐρυσίβῃ, i. ærugini. *Eſt autem ærugo,* ait Euthymius, *novum quoddam germen ſeu nova proles locuſtæ, quam illic etiam Moyſes deſcribit, & dicitur bruchus, atque ita eam Aquila appellavit.* Druſ. (*bb*) Locuſtæ.] *Symmachus,* τῷ σκώληκι, vermi. (*cc*) Vineam.] ἄμπελον, *quod etiam vitem ſignificare poteſt. Apud latinos eſt,* vineas. (*dd*) Moros.] *Theodoretus* : Quod hic eſt, τὰς συκαμίνους, cæteri interpretes interpretati ſunt, συκομόρους, Sycomoros. (*ee*) In pruina.] ἐν τῇ πάχνῃ. *Aquila,* ἐν κρύει, *& ita* S. *Hieronymus,* in frigore. (*ff*) Et tradidit in grandine.] ἐν χαλάζῃ. *Alii codices græci habent,* εἰς χάλαζαν, in grandinem, *latini,* grandini. *Theodoretus, ex Symmacho,* τοῦ ἐκδόντος λοιμῷ τὰ κτήνη αὐτῶν, ϗ τὰ κτήματα αὐτῶν οἰωνοῖς, qui tradidit peſtilentiæ jumenta eorum, & poſſeſſiones eorum volucribus. *Schol.* præſens ſermo ſcyniphum non meminit, neque tenebrarum : pro his autem poſuit æruginem, & pruinam. *Verum de hac re videndus* S. *Auguſtinus.* (*gg*) Angelos malos.] *Theodoretus* : Symmachus, pro, ἀγγέλων πονηρῶν, dixit, ἀγγέλων κακούντων, angelos affligentes. (*hh*) Laborum.] *In aliis libris græcis eſt.* παντὸς πόνου, *& ſic Romanum, & vulgata,* omnis laboris. S. *Auguſtinus, & vetus,* laborum ſuorum. (*ii*) Montem hunc.] *Ita Romanum, &* S. *Hieronymus ad Suniam agnoſcit tanquam ipſorum lxx,* ὄρος τοῦτο. *Sed inquit Symmachum eſſe interpretatum,* montem, quem acquiſivit dextra ejus, *& ita in cæteris editionibus latinis.* (*kk*) Et averterunt ſe.] *Illud,* ſe, *eſt additum a latinis ad linguæ latinæ euphoniam. Nam in græco eſt abſolute,* ἀπέστρεψαν. (*ll*) Non ſervaverunt pactum.] ἠσυνθέτησαν. S. *Hieronymus ad Suniam* : Scio quod pactum non habeatur in hebræo, ſed quoniam omnes voce ſimili tranſtulerunt, ἠσυνθέτησαν, & apud græcos pactum dicitur, συνθήκη, ex uno verbo ſignificatur, non ſervaverunt pactum : licet lxx ἠθέτησαν, poſuerunt. *Ac certe in pleriſque codicibus eſt,* ἠθέτησαν, prævaricati ſunt. *Pſalterium Romanum,* & non obſervaverunt. (*mm*) Non ſunt lamentatæ.] *In activa ſignificatione videtur accipere* S. *Hieronymus in tropologia. Et in L. V. eſt* ἐπένθησαν, *eodemque modo videtur expoſuiſſe Apollinarius : ut virgines ipſæ non ſint lamentatæ juvenes pereuntes. Cæteri tamen libri græci habent,* ἐπενθήθησαν, *id eſt, nemo eas luxit. Schol.* ſexta ſimiliter, ac lxx. Aquila, οὐχ ὑμνήθησαν, non ſunt hymnis celebratæ. Symmachus, Theodotio, quinta, οὐκ ἐπῃνέθησαν, non ſunt laudatæ. (*nn*) Non plorabuntur.] οὐ κλαυθήσονται. *Apud cæteros latinos,* non plorabantur. *Romanum pſalterium,* non ploraverunt. (*oo*) Sicut unicornium.] *Theodotio, ut lxx. Aquila,* ὑψηλῶς, excelſe. *Symmachus,* ὡς τὰ ὑψηλὰ, ſicut excelſa. (*pp*) Sanctificationem.] *Ita* S. *Auguſtinus, & vetus pſalterium, & Romanum, quod græce,* ἁγίασμα. S. *Auguſtinus,* vel ſicut quidam interpretes verbum novum fecerunt, ſanctificium ſuum : *& ita eſt in vulgata.* (*qq*) In terra fundavit.] *Ita fere Romanum : Theodoretus ex Symmacho,* ὡς τὴν γῆν, ἣν ἐθεμελίωσεν εἰς τὸν αἰῶνα, ſicut terram, quam fundavit in æternum, *aut,* in ſeculum, *aut,* in ſecula : *quod tamen* S. *Auguſtinus teſtatur a ſe in græcis codicibus non eſſe inventum.* S. *autem Hieronymus ad Suniam refert ex Symmacho,* εἰς τὴν γῆν, *& ſic latini præter Romanum,* in terra, quam fundavit. (*rr*) Poſt fœtantes.] *Symmachus,* ἀκολουθοῦντα ἐγκύμοσιν ἤγαγεν αὐτὸν, ſequentem fœtas adduxit eum. *Aquila,* τῶν ἐν γαστρὶ ἐχόντων, utero gerentes. (*ſſ*) In intellectu.] *Sic* S. *Auguſtinus, & vetus pſalter. nec multo aliter Romanum,* & in ſenſu manuum ſuarum. *In cæteris libris græcis eſt,* ἐν τῇ συνέσει, *quod etiam teſtatur* S. *Hieronymus, & vulgata in intellectibus : cujus lectionis facit etiam mentionem* S. *Auguſtinus. Aquila,* ϗ ἐν φρονήσει, & in prudentia : *Theodotio,* ϗ ἐν τῇ συνέσει τῶν χειρῶν ὡδήγησεν αὐτοὺς, & intellectu manuum deduxit eos.

PSAL. LXXVIII.

(*a*) POmorum cuſtodiam.] *Sic Latini, & ſcribit* S. *Hieronymus, ad Suniam, non poſſe aliter verti, quod in Græco,* ὀπωροφυλάκιον *dicitur (quamvis alibi ſit interpretatus,* pomarii cuſtodiam.) *Aquilam vero dixiſſe,* λιθόλογον, *id eſt, acervum & cumulum lapidum, quibus vineæ & agri purgari ſolent.* (*b*) In opprobrium.] *Sic in pſalterio Romano, quod Græce,* εἰς ὄνειδος. *Sed in multis libris Græcis abeſt illud,* εἰς, *& ita etiam a cæteris Latinis, illud,* in. (*c*) Subſannatio, & irriſio.] *Addit* S. *Auguſtinus,* vel ut quidam interpretati ſunt, illuſio, *& ſic vulgata. Romanum autem,* deriſui, & contemptui, *græce eſt,* μυκτηρισμὸς, ϗ χλευασμός. (*d*) Et locum ejus.] *Theodoretus,* Aquila quidem, ὡραῖον αὐτοῦ, ſpecioſum ejus : Symmachus autem, καλλονὴν αὐτοῦ, pulchritudinem ejus : Theodotio autem, εὐπρέπειαν αὐτοῦ, decorem ejus, *& ita* S. *Hieronymus.* (*e*) In gentibus.] *Sic vulg. Græce,* ἐν τοῖς ἔθνεσι. *Sed in multis codicibus græcis eſt,* τὰ ἔθνη, *& ſic* S. *Auguſtinus & Romanum,* ne quando dicant gentes. *Theodoretus* : Cæteri autem interpretes tanquam factum, hoc dixerunt, εἰς τί λέγει τὰ ἔθνη, ποῦ ἐστιν ὁ θεὸς αὐτῶν ; quare dicant gentes, ubi eſt Deus eorum? *& ita* S. *Hieronymus.* (*f*) Poſſide.] *Sic vulgata* : *Romanum,* poſſide filios morte punitorum : *cujus lectionis mentionem facit* S. *Auguſtinus. Sed ipſe habebat,* recipe in adoptionem filios mortificatorum. *A vetere abeſt, illud,* in adoptionem : *ſed potuit eſſe peccatum librarii : nam raro vetus a Sancto Auguſtino diſcrepat. Græce eſt,* περιποίησαι τοὺς υἱοὺς τῶν τεθανατωμένων, *& poſſet etiam verti illud,* περιποίησαι, *apte ad ſententiam,* ſuperſtites atque incolumes velis.

PSAL. LXXIX.

(*a*) IPſi Aſaph pro Aſſyrio.] *Sanctus Auguſtinus habet,* teſtimonium ipſius Aſaph pro Aſſyriis. *Romanum autem & vulgata, hoc tantum,* teſtimonium Aſaph. (*b*) Velut oves.] *Ita* S. *Auguſtinus, vetus Pſalterium. In aliis libris Græcis eſt,* ὡσεὶ πρόβατον, *& ita Romanum, & vulg.* velut ovem. *Id Scholiaſtes tribuit Theodotioni,* ὡσεὶ πρόβατον ἰωσήφ, *Aquila autem,* ὡς ποίμνια, τοῦ ἰωσήφ, ſicut gregem, Joſeph. *Symmachus,* ὡς ποίμνια τοῦ ἰωσήφ, ſicut greges Joſeph. (*c*) Joſeph.] *Schol.* ἰωσήφ, exponitur ὀνείδους ἀφαίρεσις, opprobrii ablatio. *Aliud Schol.* ἰωσήφ, exponitur, κυρίου πρόσθεσις Domini appoſitio. (*d*) Ephræm.] *Schol.* ἐφραίμ, exponitur, καρποφορῶν, fructum ferens, μανασσῆς autem, ἐπιλησμονή, oblivio. (*e*) Oſtende.] *Sanctus Auguſtinus, & vetus pſalterium,* illumina, *Græcis eſt,* ἐπίφανον. (*f*) Super orationem ſervi tui.] *Sanctus Auguſtinus videtur habuiſſe,* uſquequo iraſceris in orationem inimici tui, adhuc iraſceris in orationem ſervi tui. *Vetus tamen pſalterium habet tantum,* uſquequo iraſceris in orationem ſervi tui, *itemque Romanum, niſi quod habet,* quouſque. *In aliis libris Græcis eſt,* τῶν δούλων σου, ſervorum tuorum. *Theodoretum legiſſe in ſingulari explanatio oſtendit,* ſervum autem ſuum nominat populum. Nam & alii interpretes, ἐπὶ τὴν προσευχὴν τοῦ λαοῦ σου, ſuper orationem populi tui, *et ita* S. *Hier.* (*g*) Cibabis] *Theodoretus* : Tempus hoc loco mutatum eſt. Nam & cæteri hæc tanquam facta dixerunt, ἐψώμισας ἡμᾶς ἄρτον δακρύων, ϗ ἐπότισας ἡμᾶς μετὰ δακρύων μέτρῳ, cibaſti nos pane lacrymarum, & potaſti nos cum lacrymis menſura. (*h*) In menſura.] *Schol.* id eſt, πλῆρες, plenum *Theodoretus,* ἀντιμετρήσας ταῖς ἁμαρτίαις τὴν τιμωρίαν, viciſſim dimenſus peccatis ſupplicium. (*i*) In contradictionem.] *Symmachus,* διὰ μάχης, ad prælium & pugnam. (*k*) Ægypto.] *Schol.* αἴγυπτος, exponitur, ἐκθλίβουσα, affligens. (*l*) Viam feciſti.] *Ita* S. *Auguſtinus, et vetus pſalterium, et Romanum, quod græce,* ὡδοποίησας, *& videtur ſignificantius, quam quod in vulgata,* dux itineris fuiſti. (*m*) Repleta eſt.] *Sic eſt in pſalterio Romano, Cæteri libri græci habent,* ϗ ἐπλήρωσε τὴν γῆν, *& ita* S. *Auguſtinus, & vulgata,* & implevit terram. (*n*) Arbuſta.] *Sic latini* : *græce eſt,* αἱ ἀναδενδράδες, *& poſſet etiam verti,* rami. (*o*) Extendit.] *In aliis, præterquam in vulgata, eſt,* extendiſti. S. *Hieronymus, Abacuc* 3. extendiſti propagines ejus uſque ad mare, & uſque ad flumina flagella ejus. *Aquila,* ἀποστελεῖ θερισμὸν αὐτῆς, mittet meſſem ejus : *Theodotio, & quinta editio,* ἐξαπέστειλεν τὰ κλήματα αὐτῆς, emiſit palmites ejus. *Symmachus, & ſexta editio,* ἐξέτεινεν τὰς χαίτας αὐτῆς, *quod* S. *Hieronymus videtur vertiſſe,* expandit comas ſuas. (*p*) Devaſtavit] *Sic vetus pſalterium, &* S. *Auguſtinus ; licet alicubi,* devaſtabit : *græce eſt,* ἐλυμήνατο. *Vulgata, & Romanum,* exterminavit. (*q*) Aper de ſylva.] *Symmachus,* ζῶα ἐρημίας, animalia ſolitudinis. (*r*) Convertere vero.] *Ita vetus, et* S. *Auguſtinus. Romanum autem,* convertere nunc : *græce eſt,* ἐπίστρεψον δὴ, *et poſſet etiam verti,* revertere obſecro : *nam ſæpe talem vim habet illud,* δὴ, *ut alibi dictum eſt.* (*ſ*) Incenſa.] *Eſt nominativus ſingularis,* ἐμπεπυρισμένη πυρὶ, ϗ ἀνεσκαμμένη, *et eſt hebraiſmus, in quo ſubintelligendum,* vinea, *aut,* pars, *aut quiddam hujuſmodi : ac manca iſta oratio dolorem indicat. Vetus pſalterium habet,* ſuccenſam igni, & effoſſam.

PSAL. LXXX.

(a) PSalmus ipſi Aſaph.] *Apud* S. *Auguſtinum, & in Pſalterio Romano, & in vulgata additur præterea*, quinta ſabbati. (b) Exultate.] *Theodoretus*: Symmachus autem dixit, εὐφημεῖτε, benedicite: Aquila autem, αἰνοποιεῖτε, laudate. (c) Pſalterium.] *Theodoretus*: Symmachus pſalterium vocavit lyram. (d) Buccinate in Neomenia tuba.] *Sic in vulgata, quod græce eſt*, σαλπίσατε ἐν νεομηνίᾳ σάλπιγγι. S. *Auguſtinus, & vetus pſalt.* Tuba canite in initio menſis tubæ, *nimirum ut intelligeretur menſis ſeptimus. Non enim habent ſequentia verba, quibus hoc declaratur*, in inſigni die ſolennitatis veſtræ. *Romanum autem*, canite in initio menſis tuba, in die inſignis ſolennitatis veſtræ. *De Neomenia S. Hieronymus in fine epiſtolæ ad Suniam.* (e) Poſuit ipſum.] *Apud Latinos eſt*, illud: *ſed Græce eſt*, αὐτὸν, *& fortaſſe poteſt ſignificare*, αὐτὸν τὸν νόμον, ipſam legem. (f) Et loquar tibi] *S. Auguſtinus, & vetus*, & loquar & teſtificabor tibi: Iſrael, ſi me audieris: *Romanum*, & loquar: Iſrael, & teſtificabor tibi: Iſrael, ſi me audieris. *In multis Græcis codicibus, & apud Theodoretum hoc modo legitur*, ἄκουσον λαός μου, καὶ διαμαρτύρομαί σοι. ἰσραὴλ ἐὰν ἀκούσῃς μου. Audi popule meus, & conteſtor te. Iſrael, ſi audieris me. *Et ſic vulgata, niſi quod habet*, conteſtabor. (g) Affectiones.] *Ita S. Auguſtinus, & vetus (niſi quod habent*, cordis*) quod græce eſt*, κατὰ τὰ ἐπιτηδεύματα τῶν καρδιῶν αὐτῶν. *Romanum, & vulgata*, ſecundum deſideria cordis eorum. *Eadem autem vox*, ἐπιτηδεύμασι, *apud S. Auguſtinum eodem modo*, affectionibus: *Romanum* voluntatibus, *vulg.* adinventionibus: *quemadmodum ſæpe verti ſolet. Theodoretus*: Symmachus autem ſic, ἀφῆκα οὖν αὐτοὺς τῇ ἀρεσκίᾳ τῆς καρδίας αὐτῶν, ὁδεύειν ταῖς βουλαῖς αὐτῶν, dimiſi igitur eos voluntati eorum, ut eant conſiliis ſuis. *Sic autem & Aquila*, καὶ ἐξαπέστειλα αὐτὸν, (*licet in uno codice legatur*, ἐξαπέστειλεν αὐτοὺς) ἐν σκολιότητι καρδίας αὐτοῦ, (*in eodem* αὐτῶν) ἐκπορεύσονται ἐν βουλεύμασιν αὐτῶν. *Quæ ita videtur reddidiſſe S. Hieronymus*, & dimiſi eum in pravitate cordis ſui: ambulabunt in conſiliis ſuis. (h) In nihilo utique.] ἐν τῷ μηδενὶ ἄν. *Vulgata*, pro nihilo forſitan. *S. Auguſtinus, & vetus*, in nihilum omnes: *Romanum*, ad nihilum. *Theodoretus*: Nam illud, ἐν τῷ μηδενὶ, facilitatem indicat: ac ſi ἀπονητὶ, καὶ ἀπόνως, καὶ ἐν ἀκαρεῖ, facile, ſine labore, in momento temporis. (i) Inimici Domini.] *Theodoretus, & Schol. ex Aquila*, μισοποιοῦντες κύριον ἀρνήσονται αὐτὸν, *& S. Hieronymus*, qui oderunt Dominum; negabunt eum. *Ex Symmacho autem*, μισοποιοὶ κυρίου οἱ ψευσάμενοι αὐτῷ· ἀλλ' ἔσται ὁ καιρὸς αὐτῶν εἰς τὸν αἰῶνα. Oſores Domini, qui mentiti ſunt ei. Sed erit tempus eorum in æternum, καιρὸν, autem, id eſt, tempus, vocat calamitates. Ita enim & Syri & Hebræi nominare conſueverunt, & multi etiam apud nos.

PSAL. LXXXI.

(a) IN medio.] *Aquila*, ἐν ἐγκάτῳ, in intimo. (b) Pupillum, & egenum.] *In plerisque libris Græcis eſt*, ὀρφανῷ, καὶ πτωχῷ, *& ita apud latinos*, pupillo, & egeno, *vel*, egeno, & pupillo. *Aquila*, ἀραιῷ, καὶ ὀρφανῷ, imbecilli, & pupillo. *Theodotio*, πτωχὸν, καὶ ὀρφανὸν, egenum, & pupillum. *Symm.* ἀγόνῳ καὶ ὀρφανῷ, infœcundo (*aut fortaſſe*, parentibus deſtituto) & pupillo. (c) Vos autem.] *Theodoretus*: Symmachus autem, ὑμεῖς δὲ ὡς ἄνθρωποι ἀποθανεῖσθε, καὶ ὡς εἷς τῶν ἀρχόντων πεσεῖσθε, vos autem ſicut homines, moriemini, & ſicut unus de principibus, cadetis, *& ſic latini.* (d) Hæreditabis.] *Sic vulgata, & pſalterium Romanum, & omnes libri græci, qui collati ſunt*, κατακληρονομήσεις. *Vetus tamen, & Sanctus Auguſtinus habent*, diſperdes, *ac Sanctus Cyprianus.* 2. *teſtim.* exterminabis.

PSAL. LXXXII.

(a) NEque compeſcaris Deus.] μηδὲ καταπραΰνῃς, *quod S. Auguſt. teſtatur ab aliis eſſe verſum*, neque miteſcas Deus, *& ſatis quidem apte. Theodoretus, ex Symmacho*, μὴ ἠρεμήσῃς, *& S. Hieron.* non quieſcas. (b) Sonuerunt.] *Symm.* συνηχοῦσιν, *quod Scholiaſtes interpretatur*, συμφωνοῦσι, conſonant, & conſentiunt. (c) Aſtute cogitaverunt.] *Ita pſalterium Romanum: cujus lectionis facit etiam mentionem S. Auguſt. Ipſe autem primo habuit illam, quæ eſt in vetere, & vulgata*, malignaverunt: *Græce eſt*, κατεπανουργεύσαντο γνώμην, *aut*, γνώμῃ, *Symm.* κατὰ τοῦ λαοῦ σου πανούργως ὁμιλοῦσι, καὶ συμβουλεύονται κατὰ τοῦ ἀποκρύφου σου, contra populum tuum aſtute colloquuntur, & conſultant contra reconditum tuum. *Aquila*, κατὰ τοῦ συγκεκρυμμένου σου (*al.* σοι,) contra concluſum & abſconditum tuum, *eodemque modo Theodotionem dixiſſe teſtatur Theodoretus. S. Hier.* adverſus arcanum tuum. (d) Alienigenæ.] *Theodoretus*: ἀλλοφύλοις, cæteri interpretes dicunt, φυλιστιαίοις, quos nos dicimus Palæſtinos. *Idem ſæpe notavit S. Hier.* (e) Etenim & Aſſur.] καὶ γὰρ καὶ ἀσσούρ. *Latini*, etenim Aſſur. *Aquila, & Theodotio*, καί γε ἀσσούρ, atque etiam Aſſur. *Symm.* ἔτι καὶ ἀσσούρ præterea & Aſſur. (f) In ſuſceptionem.] *Sic Romanum pſalterium, quod græce*, εἰς ἀντίληψιν. *Cæteri*, in adjutorium. (g) Lot.] *Schol.* λὼτ *exponitur* παρακεκλημένος, advocatus. *Aliud Schol.* λὼτ exponitur ἐγκεκλεισμένος, incluſus. (h) Diſperierunt.] *Aquila*, ἐξετρίβησαν ἐν ἀενδώρ, ἐγενήθησαν κόπριον τῆς χθονός, contriti ſunt in Ændor: fuerunt ſtercus terræ. (i) Hæreditate poſſideamus nobis,] *Ita pſalt. Romanum. A vetere, & S. Auguſt. abeſt illud*, nobis, *quod facile ſubintelligi putat S. Hier.* (k) Altare] τὸ θυσιαστήριον. *Sic quoque habet Æthiopicum pſalterium, & Apollinarius*, θεοῦ περικαλλέα βωμὸν, Dei perpulchram aram. *In cæteris græcis libris eſt*, τὸ ἁγιαστήριον τοῦ θεοῦ, *& latini*, ſanctuarium Dei. *Theodoretus*: Symm. autem τὸ ἁγιαστήριον dixit δίαιταν, habitaculum. (l) Incendat montes.] *Ita Romanum, quod græce*, ὡσεὶ φλὸξ κατακαύσαι ὄρη. *In aliis græcis eſt*, ἣ κατακαύσει ὄρη, quæ comburet montes. *S. Auguſt. & vulgata*, ſicut flamma comburens montes. (m) Facies.] τὰ πρόσωπα. *Schol.* Aquila, & Symm. ut lxx. Theodotio, πρόσωπα, *ut tantum in eo differre videatur, quod omittit articulum; ſi Scholion, aut textus recte habet.* (n) Nomen tibi Dominus.] *Schol.* lxx ipſi & tres illi. σοὶ ὄνομα κύριε, tibi nomen Domine.

PSAL. LXXXIII.

(a) AMabilia.] *Sic S. Auguſt. & pſalt. vetus & Romanum, quod Græce*, ἀγαπητά. *Vulgata*, dilecta. *S. Cyprian.* 3. *teſtim. & alibi*, quam dilectiſſimæ habitationes tuæ Deus virtutum: deſiderat & properat anima mea ad atria Dei. (b) Ubi ponet] θήσει. *Latini autem*, ponat. *Theodoretus, ex Aquila*, καί γε ὄρνεον εὗρεν ἑαυτῷ οἶκον, καὶ στρουθὸς νεοσσιὰν αὐτῷ, οὗ ἔθετο νεοσσοὺς αὐτῆς. Et quidem avis invenit ſibi domum, & paſſer nidum ſibi, ubi poſuit pullos ſuos. (c) Suſceptio.] *Sequuti ſumus S. Auguſt. & vetus pſalt. quamvis S. Hier. ad Suniam, agnoſcat, tanquam ſuum*, cui eſt auxilium abs te. *Et certe in aliquot codicibus græcis eſt*, ᾧ ἐστιν ἀντίληψις αὐτῷ, *& in nonnullis*, οὗ ἐστιν ἀντίληψις αὐτῷ. *Vulgata*, cujus eſt auxilium abs te. (d) Corde ſuo.] *Sive*, ejus, *ut S. Auguſt. vetus pſalt. & Romanum. Notat autem Scholiaſtes hic nonnullos punctum figere: ut ſequatur deinde quaſi ex alio principio.* Diſpoſuit in convalle plorationis, &c. *atque ita etiam interpungit Theodor.* (e) In loco, quem poſuit.] *S. Auguſt. & vetus*, in locum quem diſpoſuit: *Romanum*, in locum, quem diſpoſuiſti eis. (f) Super millia.] ὑπὲρ χιλιάδας. *Schol.* vel, χιλιάδα, οὕτω γὰρ εὕρηται ἐν τῇ ἑβραϊκῇ γραφῇ. Ita enim inventum eſt in ſcriptura hebraica. (g) In domo Dei. *S. Auguſt. & Romanum*, Domini. *In multis græcis eſt*, θεοῦ μου, *& vulgata*, Dei mei. (h) Quia miſericordiam.] ὅτι ἔλεον καὶ ἀλήθειαν ἀγαπᾷ κύριος ὁ θεός, *in aliquot codicibus eſt*, ἔλεος. *Eadem vero in Scholio tribuuntur Theodotioni, niſi ſi in interpunctione aliquod diſcrimen eſt. Nam latini etiam variant. Ex Aquila vero hæc referunt*, ἥλιος, καὶ θυρεὸς, κύριος ὁ θεὸς, Sol, & clypeus, Dominus Deus. *Ex Symm.* ἥλιον γὰρ καὶ ὑπερασπισμὸν κύριος ὁ θεὸς, Solem enim & protectionem Dominus Deus. (i) Non prohibebit] οὐχ ὑστερήσει. *In cæteris græcis eſt*, οὐ στερήσει, *& in latinis*, non privabit bonis ambulantes, *aut*, eos, qui ambulant.

PSAL. LXXXIV.

(a) BEnedixiſti.] εὐδόκησας. *Notat S. Hieron. ad Suniam, ita verſum eſſe ad proprietatem linguæ Latinæ: alioqui dicendum fuiſſe*, beneplacuit Domine terra tua. *Theodor.* εὐδοκῆσαι, eſt, τὸ ἀγαθὸν τι θελῆσαι, bonum aliquid velle. (b) Plebi tuæ.] *Apud latinos eſt*, iniquitatem plebis tuæ. (c) Avertiſti.] *Eſt Hebraiſmus uſitatus: nam ſubintelligitur*, te: *quare in nonnullis exemplaribus antiquis legitur*, averſus es. (d) Sanitatum noſtrarum.] τῶν σωτηρίων ἡμῶν. *Ita S. Auguſt. & vetus pſalt. pro*, ſalutum: *Romanum, & vulgata*, ſalutaris noſter. (e) Nunquid in æternum.] *Romanum*, ut non in æternum iraſcaris nobis, neque extendas iram tuam a progenie in progenies. *S. Auguſt. & vetus*, non in æternum iraſcaris nobis, vel extendas, &c. (f) Convertens.] *Ita S. Auguſt. & vetus & Romanum: quamvis hic etiam ſubintelligatur*, te: *& ideo vulgata*, converſus. S. *Auguſt. autem ſubintelligit*, nos. (g) Audiam quid loquetur.] *Latini*, loquatur: *Aquila*, ἀκούσομαι τί λαλήσει ὁ ἰσχυρὸς κύριος, audiam quid loquetur fortis Dominus. *Symm.* ἀκούσω τί λαλήσει ὁ θεὸς κύριος, audiam quid loquetur Deus Dominus. (h) Convertunt cor.] *Ita S. Auguſt. & vetus pſalt. nec multo aliter* S. *Ambr. ſerm.* 45. *in pſal.* 118. & in eos, qui convertunt ad ipſum cor ſuum. *Romanum autem*, qui convertuntur ad ipſum, *& vulg.* qui convertuntur ad cor. (i) Occurrerunt.] *Admonet S. Hier. illud*, ſibi, *quod apud latinos additur, obelo prænotatum fuiſſe: nec tamen fruſtra addi: quare paulo poſt apud S. Auguſtinum additur*, ſe; oſculatæ ſunt ſe, *& in Romano*, complexæ ſunt ſe (k) Ejus.] *Apud latinos legitur*, ſuos, *ſed apud græcos eſt, non*, αὐτῆς, *ſed*, αὐτοῦ.

PSAL. LXXXV.

(a) CLamabo.] κεκράξομαι. *Latini tamen habent*, clamavi. (b) Tota die.] *Theodoretus, ex Symmacho*, καθ' ἑκάστην ἡμέραν, per ſingulos dies. (c) Mitis.] ἐπιεικὴς, *quam virtutem interpretes Ariſtotelis ſolent æquitatem nominare. Aquila, & Theodotio*, ἱλαστὴς, propitiabilis. *Symm.* ἀφιεὶς, dimittens, & parcens. (d) Multæ miſericordiæ.] *Sic vulgata, quod græce eſt*, πολυέλεος. S. *Auguſt. & vetus pſalterium*, multum miſericors. *Romanum*, copioſus in miſericordia. (e) Clamavi ad te.] *Symm.* ἐπικαλέσομαί σε, ὅτι εἰσακούσῃ μου, *quod* S. *Hieronymus*, invocabo te, quia exaudies me. (f) Magnus.] *Ita* S. *Auguſtinus, & vetus pſalterium itemque Æthiopicum, & Arabicum. A cæteris libris græcis abeſt dictio*, μέγας, *& a latinis*, magnus. (g) Lætetur.] *Aut*, jocundetur, *ut* S. *Auguſtinus: Aquila*, μοναχῶς, unice. *Sym.* ἕνωσον, uni, *aut*, unicum fac, *ut* S. *Hier.* (h) Iniqui.] *Sic vulgata & nunc & plerumque, quod græce eſt*, παράνομοι. S. *Auguſt. & vetus pſalt.* prætereuntes legem: *Romanum*, injuſti. (i) Poteſtatem tuam puero tuo.] κράτος σου τῷ παιδί σου. *Sanctus Auguſtinus, pſalterium vetus, & Romanum*, poteſtatem puero tuo: *vulgata*, imperium tuum puero tuo. *Symmachus*, δὸς ἰσχὺν παρὰ σοῦ τῷ δούλῳ σου, da fortitudinem a te ſervo tuo.

PSAL. LXXXVI.

(a) FIliis Core.] *Aquila & Symmachus*, τῶν υἱῶν κορὲ, Filiorum Core. (b) Fundamenta ejus.] οἱ θεμέλιοι αὐτοῦ. *Sic eſt in omnibus Græcis collatis codicibus, & Apollinarius*, θεοῖο. *In comm. qui inſcribuntur* S. *Hieronymo*, ſive Dei, ſive certe Eccleſiæ. *Aquila*, θεμελίωσις αὐτοῦ ἐν ὄρεσιν ἡγιασμένου, fundatio ejus in montibus ſanctificati. (c) Scientibus me.] *Ita Sanctus Auguſtinus, & vetus pſalterium & græce*, τοῖς γινώσκουσί με, *vulgata, & Romanum*, ſcientium me. (d) Mater Sion.] *Ita habent Tertullianus*, S. *Ambroſius*, S. *Auguſtinus, pſalterium vetus, & Romanum, & libri græci*, μήτηρ σιὼν, *itemque pſalterium Arabicum, & Æthiopicum, & Apollinarius.*

Μητέρα τιμήεσσαν ἀνὴρ Σιῶνα καλέσσει.

In commentariis S. *Hier. legitur, lxx. ita ſcripſiſſe*, μήτι Σιὼν, nunquid Sion: *ſed multos cum id minime intelligerent, addidiſſe*, ρ, *& feciſſe*, μήτηρ. *Item in Schol. quodam*: τὸ (ρῶ) κατὰ προσθήκην ἔκειτο εἰς τὴν τῶν ο΄. ἐν τῷ τετρασελίδῳ· ἐν δὲ τῷ ὀκτασελίδῳ, μήτηρ Σιών. Illud, ρ, per additionem poſitum eſt in interpretatione lxx. in Tetraſelido. In Octaſelido autem eſt, μήτηρ Σιών. *Aquila.* καὶ τῇ Σιὼν, & ipſi Sion. *Symmachus*, περὶ δὲ Σιὼν λεχθήσεται, ἀνὴρ, καὶ ἀνὴρ ἐτέχθη ἐκεῖ, αὐτὸς δὲ ἥδρασεν αὐτὴν ὁ ὕψιστος, κύριος ἀριθμήσει γράφων λαοὺς, οὗτος ἐτέχθη ἐκεῖ. De Sion autem dicetur, vir, & vir natus eſt ibi, & ipſe ſtabilivit eam excelſus: Dominus numerabit ſcribens populos: hic natus eſt ibi. *Nec multo aliter* S. *Hieron. Aquila*, οὗτος ἐτέχθη ἐκεῖ ἀεί. Ipſe natus eſt in ea ſemper.

Schol. περὶ δὲ Σιὼν φὼς λεχθήσεται; de Sion autem homo dicetur? (Ita enim Symmachus) ἀνὴρ καθ' ἕκαστον, ἄνθρωπος ἐτέχθη ἐκεῖ, vir quiſque, homo natus eſt ibi. (*e*) Factus eſt.] *Sic S. Ambroſius, & S. Auguſtinus, & pſalterium vetus & Romanum: quod græce,* ἐγενήθη, *& in aliquo codice ſequitur,* ἐν αὐτοῖς, in eis. *Plerique tamen habent,* ἐγενήθη ἐν αὐτῇ *quibuſcum facit pſalt. Arabicum, & Æthiopicum. Et Tertullianus, & vulgata,* natus eſt in ea. *Schol.* Theodotio, Quinta, & Sexta, ἐγενήθη. (*f*) In ſcriptura.] *Sic in commentariis Sancti Hieronymi, & græce eſt,* ἐν γραφῇ. *Cæteri latini habent fere,* in ſcripturis, *& multi,* narravit. (*g*) Omnium.] *Romanum,* omnium noſtrum. *Vide notas ſequentis pſalmi.*

PSAL. LXXXVII.

(*a*) CAnticum pſalmi.] *Schol.* ὁ μὲν πρὸ τούτου ψαλμὸς τὴν γένεσιν αἰνίττεται τοῦ χριστοῦ, ἧς τὸν καιρὸν ἡ ε' δεδήλωκεν ἔκδοσις, ἐν ἀπογραφῇ τεχθήσεσθαι λέγουσα, ὁ δὲ μετὰ χεῖρας, τὸν θάνατον. Præcedens quidem hunc pſalmus generationem ſignificat Chriſti, cujus generationis tempus quinta editio demonſtravit, dicens, ἐν ἀπογραφῇ τεχθήσεσθαι, fore, ut in deſcriptione naſceretur. Hic autem, qui in manibus eſt, mortem. *Aliud. Schol.* ἡ γένεσις τοῦ σωτῆρος διὰ τοῦ προλαβόντος ἐδηλοῦτο ψαλμοῦ, ἐν τῷ, καὶ ᾄδοντες χοροὶ, πᾶσαι πηγαὶ ἐν σοί. Generatio Salvatoris per præcedentem oſtenſa eſt pſalmum eo loco, καὶ ᾄδοντες χοροὶ, πᾶσαι πηγαὶ ἐν σοί. *Eſt autem hic præcedentis pſalmi ultimus verſiculus ex aliqua alia editione. Nam & S. Hieron. ita illum tranſtulit:* Et cantabunt quaſi in choris, omnes fontes mei in te. (*b*) Maeleth.] *Theodor.* Symmachus autem pro illo, ὑπὲρ μαελὼθ, dixit, διὰ χοροῦ, per chorum, *al.* διχόρου, duplicis chori: Aquila autem, ἐπὶ χορείας, ſuper choream. S. *Aug. habet,* Melech, *& interpretatur,* chorum. (*c*) Iſraelitæ.] *Sic græci, & cæteri latini præter vulgatam, quæ habet,* Ezrahitæ. (*d*) Domino.] *Sic Pſalt. Romanum: à cæteris libris græcis & latinis abeſt* (*e*) Projecti.] *Abeſt hoc à cæteris libris græcis, & latinis præterquam a pſalt. Romano, &* S. *Ambroſio. Apollinarius,* Οἷά περ οὐτηθέντες ἀκήδεστοι περὶ τύμβους εὕδουσι, quemadmodum vulnerati temere projecti, & incurati circa ſepulchra dormiunt. *Theodoretus, ex Symmacho,* ὡς οἱ τετρωμένοι οἱ κείμενοι ἐν τάφῳ ὧν οὐ μνημονεύεις (*al.* μνημονεύσεις) οὐκέτι, οἵτινες ἀπὸ τῆς χειρός σου ἐξεκόπησαν, ſicut vulnerati qui jacent in ſepulchro, quorum non recordaris (*al.* recordaberis) amplius: qui quidem à manu tua exciſi ſunt. *Schol. ex Aquila,* ὁμοίως ἀνῃρημένοις, ſimiliter atque illi, qui ſublati ſunt. (*f*) Infimo.] *Vidit S. Auguſt. ita vertendum eſſe, quod græce eſt,* κατωτάτῳ, *tamen & hic, & alibi apud latinos eſt,* inferiori. (*g*) Furor tuus.] ὁ θυμός σου. *Putat* S. *Aug.* θυμὸν, *melius verti indignationem, quam furorem, quod furor apud latinos non ſoleat eſſe ſanorum. Sed uſus obtinuit, ut Deo etiam tribueretur.* S. *Cyprianus, ut alibi notavimus, animationem ſolet dicere. Theodoretus, ex Symmacho,* ἐμοὶ ἐπέβεισεν, (*al.* ἐπείσφρησεν) ὁ θυμός σου, καὶ τοῖς καταιγίσιν σου ἐκάκωσάς με, in me irrupit, atque incubuit furor tuus, & procellis tuis afflixiſti me. (*h*) Elationes.] *Vocem græcam,* μετεωρισμοὺς, *notat* S. *Auguſtinus, ab aliis redditam hoc modo eſſe, ab aliis,* fluctus, *ab aliis,* ſuſpenſiones. (*i*) A me.] ἀπ' ἐμοῦ. *Schol.* apud LXX in Tetraſelido poſitum eſt, ἐπ' ἐμοῦ, ſuper me, ne forte erratum ſit in Octaſelido, ἀπ' ἐμοῦ. (*k*) Oculi mei.] *Theodor. ex Symmacho,* ὁ ὀφθαλμός μου ἐξέρρευσεν ἀπὸ τῆς κακώσεως, oculus meus effluxit præ afflictione. (*l*) Et clamavi.] *Symm.* ἐμοῦ δὲ πρὸς σὲ κύριε ἡ οἰμωγὴ, meus autem ad te Domine ploratus. (*m*) Oblita.] *Sic S. Auguſt. & vetus pſalt. id eſt,* oblivioni tradita, *græce enim eſt,* ἐπιλελησμένη. *Vulgata, & Romanum,* oblivionis. (*n*) Orationem.] *Sic eſt apud latinos, & in pſalt. Arabico, & Æthiopico, & Apollinarius habet,* εὐχήν. *Plerique autem libri græci habent,* ψυχήν μου, animam meam. *Aquila,* εἰς τί κύριε ἀπώσῃ ψυχήν μου; ad quid Domine expelles animam meam? *Theodotio,* ἵνα τί κύριε ἀπωθεῖς τὴν προσευχήν μου; ut quid Domine repellis orationem meam? *Symm.* ἵνα τί κύριε ἀποβάλλῃ τὴν ψυχήν μου; quare Domine abjicis animam meam? *& ita S. Hier.* (*o*) Amicum.] *In cæteris libris latinis additur,* & proximum, *& in græcis,* καὶ πλησίον. *Schol.* illud, πλησίον, non eſt in Tetraſelido apud LXX, neque apud Theodotionem.

PSAL. LXXXVIII.

(*a*) ÆTham Iſraelitæ.] *Schol.* αἰθὰμ τῷ ζαραΐτῃ, Ætham Zaraitæ, *vulgata,* Ezrahitæ, *ut etiam notatum eſt in titulo præcedentis pſalmi.* (*b*) Miſericordias tuas Domine.] *Ita etiam S. Auguſtinus, & vetus pſalterium, & Romanum. Vulgata autem:* Miſericordias Domini: *Aquila:* ἔλεος κυρίου αἰῶνα ᾄσομαι, miſericordiam Domini æternum cantabo. *Symmachus,* τὰ ἐλέη κυρίου εἰς τὸν αἰῶνα ᾄσω, *quod reſpondet vulgatæ Theodotio, ut LXX.* (*c*) Ædificabitur.] *Theodoretus:* Illud enim, οἰκοδομηθήσεται, dictum eſt, pro, αὐξηθήσεται, creſcet: Symmachus autem dixit, ἑδρασθήσεται, ſtabilietur. (*d*) Veritas tua] *Sic Græci & Latini, præter vulgatam, in qua additur,* in eis, *ut in Hebræo.* (*e*) Et veritatem tuam.] *Ita etiam S. Auguſtinus, & pſalterium vetus, & Romanum. In aliquot codicibus Græcis eſt,* καὶ γὰρ τὴν ἀλήθειάν σου, *& ſic vulgata,* etenim veritatem tuam. *Theodoretus ex Theodotione.* καί γε τὴν πίστιν σου ἐν ἐκκλησίᾳ ἁγίων, atque etiam fidem tuam in eccleſia ſanctorum. (*f*) Quis in nubibus.] *Theodor. ex Sym.* τίς γὰρ ἐν αἰθέρι ἀντιπαραθήσεται τῷ κυρίῳ, ἐξισώσει τῷ κυρίῳ ἐν υἱοῖς θεῶν; Quis enim in æthere opponet ſe Domino, æquabit ſe Domino in filiis Deorum? (*g*) Conſilio.] S. *Auguſtinus:* Deus glorificandus in conſilio juſtorum, *Græce eſt,* ἐνδοξαζόμενος ἐν βουλῇ ἁγίων. *In latinis editionibus eſt,* concilio. *Theodoretus:* βουλὴν ἁγίων, nominat hoc loco, τῶν ἁγίων τὸν σύλλογον, ſanctorum conventum, & cœtum. (*h*) Terribilis ſuper omnes.] *Aut,* in omnes, *ut* S. *Auguſtinus, & vetus. Romanum vero,* metuendus ſuper omnes. S. *Hieronymus, ad Suniam, videtur habuiſſe,* horrendus. (*i*) Aquilonem, & mare.] *Aquila,* βορρᾶν, καὶ δεξιάν, Aquilonem, & dexteram, *& ita* S. *Hieronymus: Theodotio,* τὸν βορρᾶν, καὶ νότον, Aquilonem, & Auſtrum. *Symmachus,* εἰς βορρᾶν, καὶ εἰς δεξιὰν, ad Aquilonem, & ad dexteram. (*k*) Exultabunt.] *Theodoretus:* Illud, ἀγαλλιάσονται, Aquila quidem dixit, αἰνέσουσιν, laudabunt: Symmachus autem, εὐφημήσουσιν, benedicent. (*l*) Potentia.] *Theodoretus:* Aquila, pro, δυναστείας, poſuit, δύναμιν, *quod clarius ſignificat potentiam, & efficaciam.* (*m*) Firmetur.] *Aut,* confirmetur, *ut* S. *Auguſtinus, & vetus. Theodoretus, ex Symmacho,* ἀήττητος ἡ χείρ σου, ὑψηλὴ ἡ δεξιά σου, inexpugnabilis manus tua, excelſa eſt dextera tua. (*n*) Suſceptio.] *Ita* S. *Auguſtinus, & vetus, quod Græce,* ἀντίληψις. *Romanum,* aſſumptio. *Vulgata,* aſſumptio noſtra, *& alicui codici Græco ad marginem eſt aſcriptum,* ἡμῶν. (*o*) In viſione.] S. *Auguſtinus, & vetus, & Romanum,* in aſpectu, *vulgata,* in viſione ſanctis tuis. *Græci collati codices,* τοῖς υἱοῖς σου. *Sed* S. *Hieronymus, ad Suniam, teſtatur omnes hebraicam dictionem tranſtuliſſe,* τοῖς ἁγίοις σου, *id eſt,* ſanctis tuis, *& ſolam ſextam editionem interpretatam eſſe,* prophetis tuis, *ſenſum magis quam verba exprimentem, & in,* κοινῇ, *tantum pro ſanctis filios ſe reperiſſe. Ad marginem comm. Theodoreti adſcriptum eſt hoc ſcholium,* τότε ἐλάλησας διὰ τῶν ἁγίων σου προφητῶν περὶ τοῦ χριστοῦ σου, tunc loquutus es per ſanctos tuos prophetas de Chriſto tuo. *Ipſe autem Theodoretus, ex Symmacho,* τότε ἐλάλησας δι' ὁράσεως τοῖς υἱοῖς σου, tunc loquutus es per viſionem filiis tuis. (*p*) In miſericordia ſancta.] ἐν ἐλέει ἁγίῳ. *Ita legit* S. *Hieronymus in* 55. *cap. Eſaiæ. In cæteris libris græcis eſt,* ἐν ἐλαίῳ ἁγίῳ μου. *Sic* S. *Auguſtinus, & vetus,* in oleo ſancto meo. *Romanum,* oleo ſancto meo, *vulgata,* oleo ſancto unxi eum. (*q*) Non apponet.] *Romanum,* non nocebit ei. *Schol.* LXX, & Symmachus, οὐ κακώσει αὐτὸν, *quod* S. *Hieronymus,* non affliget eum. *Theodotio,* οὐ κακουχήσει, *quod idem valet.* (*r*) Apud reges terræ.] *Ita* S. *Auguſtinus, & vetus. Romanum autem, & vulgata,* præ regibus terræ, παρὰ τοῖς βασιλεῦσι. *Theodoretus:* Aquila, ὕψιστον τοῖς βασιλεῦσι τῆς γῆς altiſſimum regibus terræ: Symmachus, ἀνώτατον τῶν βασιλέων τῆς γῆς, ſupremum regum terræ. (*ſ*) Non nocebo.] *Sic Romanum, & vulgata.* S. *Auguſtinus, & vetus,* non nocebo eos. *Sed græce eſt,* οὐδὲ μὴ ἀδικήσω, *quod ſæpe valet,* neque injuſte agam, neque decipiam. *Theodoretus, & Schol.* Symmachus, οὐ παραβήσομαι, non tranſgrediar: Aquila, οὐ ψεύσομαι, non mentiar. (*t*) Teſtis] *Theodoretus, ex Symmacho,* ὁ διαμαρτυρόμενος, *alius,* διαμαρτυράμενος, qui teſtificatus, *alius,* qui teſtificatur. (*u*) Spreviſti.] *Sic Romanum, quod græce eſt,* ἐξουδένωσας. S. *Hieronymus ad Suniam,* deſpexiſti, & pro nihilo duxiſti: *vulgata habet,* deſpexiſti. S. *Auguſtinus, & vetus,* ad nihilum deduxiſti. (*x*) Evertiſti.] *Latini codices,* avertiſti: *ſed potuit primorum librariorum error eſſe, quem cæteri ſint ſequuti. Græce eſt,* κατέστρεψας. *Theodoretus, ex Symmacho,* σὺ δὲ αὐτὸς ἀπέβαλες, καὶ ἀπεδοκίμασας· ἐχολώθης πρὸς τὸν χριστόν σου. εἰς κατάραν ἔδωκας τὴν συνθήκην τοῦ δούλου σου. Tu vero ipſe abjeciſti, & reprobaſti: iratus es adverſus chriſtum tuum: in maledictionem dediſti pactum ſervi tui. (*y*) Sanctitatem.] *Ita S. Auguſtinus, pſalterium vetus, & Romanum: vulgata vero,* ſanctuarium. *Theodoretus,* ἁγίασμα vocat ipſum templum: *poſſet autem & alia ſignificare.* (*z*) Inimicorum ejus.] *Ita* S. *Auguſtinus, pſalterium vetus, & Romanum: vulg. autem,* deprimentium eum, *& in aliquot græcis codicibus eſt,* τῶν θλιβόντων αὐτόν. (*ω*) Diſſolviſti.] *Ita S. Auguſtinus, pſalterium vetus, & Romanum, quod græce eſt,* κατέλυσας ἀπὸ καθαρισμοῦ, *vulgata,* deſtruxiſti. *Theodoretus, ex Symmacho,* ἀπέπαυσας τὴν καθαριότητα, (*al.* καθαρότητα) αὐτοῦ, ceſſare feciſti puritatem ejus. (*aa*) Sedis ejus.] *Ita* S. *Auguſtinus, & vetus pſalterium, itemque Æthiopicum. In aliis libris græcis eſt,* χρόνου, *ſic vulgata,* temporis ejus: *Romanum vero,* temporum ejus. *Aquila,* νεοτήτων αὐτοῦ, juventutum ejus. *Symmachus,* νεότητος αὐτοῦ, adoleſcentiæ ejus, *& ſic* S. *Hieronymus.* (*bb*) Averteris.] ἀποστρέφῃ. *Ita* S. *Auguſtinus, & vetus. Vulgata autem,* avertis: *Romanum,* iraſceris. *Theodoretus, ex Symmacho,* ἕως τίνος κύριε ἀποκρυβήσῃ εἰς τέλος; φλεγήσεται, ὡς πῦρ, ὁ θυμός σου; S. *Hieronymus,* uſquequò Domine abſconderis in finem? ſuccendetur, quaſi ignis, indignatio tua? (*cc*) Conſtituiſti.] *Sic latini: græce eſt,* ἔκτισας, *& poſſet verti,* creaſti, *quod habet* S. *Hieronymus in tralatione ſua.* (*dd*) Quod continui] *Theodoretus, ex Symmacho,* καὶ ἐβάστασα ἐν τῷ κόλπῳ μου παμπόλλων ἐθνῶν, & portavi in ſinu meo plurimarum gentium. *Et fortaſſe illud* παμπόλλων, *in duas dictiones dividendum. Nam hebræus videtur habere,* omne multorum populorum, *ut intelligatur,* omne opprobrium, *vel,* omnem injuriam. (*ee*) Commutatio.] ἀντάλλαγμα. *Theodoretus:* Symmachus autem & Theodotio ſic, ὠνείδισαν τὰ ἴχνη τοῦ χριστοῦ σου, *&* S. *Hieronymus,* exprobraverunt veſtigia Chriſti tui: *idem autem fere ſignificare LXX, oſtendit idem Theodoretus: Apollinarius dixit,* εἰκόνα, imaginem. (*ff*) Fiat, fiat.] *Theodoretus, ex Aquila,* πεπιστωμένος, καὶ πεπιστωμένος, id eſt, verax es, & valde verax. *Schol.* πεπλήρωται καθ' ἑβραίους καὶ ἡ τρίτη βίβλος τῶν ψαλμῶν, ἀρξαμένη ἀπὸ τοῦ οβ'. ψαλμοῦ, completus eſt ſecundum hebræos tertius etiam liber pſalmorum, qui cœpit à lxxij pſalmo.

PSAL. LXXXIX.

(*a*) MOyſi.] τῷ μωυσῇ, *vel,* μωυσεῖ ἀνθρώπῳ τοῦ θεοῦ. In aliquo græco codice eſt, μωύσεως ἀνθρώπου τοῦ θεοῦ, *& latini,* Moyſi hominis Dei: *idque agnoſcit* S. *Hieronymus ad Cyprianum. Schol.* Moyſes exponitur, ἀνάληψις, aſſumptio, recreatio. (*b*) Generatione. *Sic videtur habuiſſe* S. *Auguſtinus, quamvis apud ipſum, & in vetere legatur,* generationem: *Romanum,* a generatione, & progenie: *vulgata,* a generatione in generationem. *Symmachus,* ἐν ἑκάστῃ γενεᾷ, in unaquaque generatione. S. *Hieronymus ad Cyprianum hæc tribuit ipſis lxx.* in omni generatione & generatione. (*c*) Priuſquam montes.] *Hanc etiam locum ita ex lxx refert* S. *Hieronymus,* antequam montes firmarentur, & fingeretur terra, & orbis; a ſeculo, & uſque in ſeculum, tu es Deus, *& ad Suniam, teſtatur apud lxx. & omnes alios interpretes legi,* σὺ εἶ θεὸς, *& vulgata,* tu es Deus. *Abeſt tamen illud,* θεὸς, *a collatis græcis codicibus, & cum iis convenit* S. *Auguſtino, & pſalterio veteri, & Romano.* (*d*) Convertimini.] ἐπιστρέψατε S. *Hieronymus ad Cyprianum,* convertimini, ſive revertimini, *& in græco eſſe hebraiſmum alibi notatum eſt. Theodoretus, ex Aquila,* καὶ ἐρεῖς, ἐπιστράφητε υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων, & dices, revertimini, filii hominum. (*e*) In oculis tuis.] *Ita* S. *Hier. ad Cyprianum: Cæteri,* ante oculos tuos. (*f*) Et cuſtodia in nocte.] *Sic etiam interpungunt* S. *Hieronymus, & S. Auguſtinus, licet vulgata & Romanum hæc conjungant cum ſequentibus: iidem vero Patres, & vetus pſalterium habent,* ſicut vigilia in nocte: *& utroque modo quarta noctis pars ſignificatur.* (*g*) Turbati ſumus.] S. *Hieronymus ad Cyprianum teſtatur, Aquilam & Symmachum tranſtuliſſe,* acceleravimus. (*h*) Poſuiſti.]

Theodoretus, ex Symm. προσέθηκας τὰς ἀνομίας ἡμῶν ἀντικρύς σου, τὰς ἀμελείας ἡμῶν, φαίνεσθαι τῷ προσώπῳ σου. Appoſuiſti iniquitates noſtras coram te, negligentias noſtras, ut apparerent faciei tuæ. (*i*) Seculum.] ὁ αἰών. *Teſtatur S. Hier. ad Cypr. dictionem Hebræam, quam ipſe ex Sym. reddiderit*, negligentias, *quintam editionem reddidiſſe*, adoleſcentiam, *Aquilam*, παροράσεις, *quod valeat*, errores, *ſive*, ignorantias. *Alii tamen ex hebræo verterunt*, ſecretum, & abſconſionem. (*k*) Meditati ſunt.] *Sic* S. *Hieronymus ad Cyprianum, quod græce*, ἐμελέτων, *cæteri* meditabuntur. *Schol.* οὕτω φησὶν ἡ ζωὴ ἡμῶν πᾶσα ἀσθενὴς ὡς τὰ ὑφάσματα τὰ ἀράχνια. Ita, inquit, vita noſtra omnis eſt imbecilla, ſicut telæ aranearum : vocat autem, μελέτην, id eſt, meditationem, τὴν συνεχῆ ταλαιπωρίαν, aſſiduam ipſam afflictationem, & miſeriam. *Sed S. Hieronymus ibidem putat dictam meditationem araneæ, infirmitatem operis illius.* (*l*) In ipſis.] *Teſtatur ibidem S. Hieronymus, pro hoc Symmachum ſignificantius tranſtuliſſe*, ὁλόκληροι, *id eſt*, univerſi. (*m*) In potentatibus.] ἐν δυναστείαις, *quod alius vertit ex hebræo*, in fortitudinibus. *S. Hieronymus*, multum. *Scribit autem ibidem S. Hieronymus, Symmachum dixiſſe*, contra opinionem. (*n*) Super nos.] *Ita Romanum, & S. Hieronymus ad Cyprianum, ex ipſis lxx. licet ad Suniam dicat id eſſe ſuperfluum. Notat autem in eadem epiſtola ad Cyprianum, verbum ſequens*, παιδευθησόμεθα, *eſſe ambiguum, & tam correptionem, quam eruditionem doctrinamque ſignificare. Aquila*, ὅτι διεπέλασεν ἀνήρ, καὶ ἐπετάσθη, quoniam præterivit vir, & avolavit. *Symmachus*, τμηθέντες γὰρ ἄφνω ἐκπεταννύμεθα, *quæ ita reddit S. Hieronymus*, ſuccindimur enim repente, & avolamus. *Theodotio*, ὅτι ἐπῆλθε πραΰτης, καὶ παιδευθησόμεθα, quoniam ſupervenit manſuetudo, & corripiemur, *& ſic vulgata, & S. Auguſtinus. Addit autem S. Hieronymus, ſextam etiam editionem tranſtuliſſe*, manſuetudinem : *quintam vero*, quoniam tranſivimus celeriter, & diſſolvimur. (*o*) Quis noſcit.] *Latini*, novit. *Theodoretus, ex Symmacho*, τίς οἶδεν τὴν ἰσχὺν τοῦ θυμοῦ σου, καὶ κατὰ τὸν φόβον σου τὴν ὀργήν σου; *quæ ita reddit S. Hieronymus :* Quis novit fortitudinem iræ tuæ, & ſecundum timorem tuum indignationem tuam? (*p*) Iræ tuæ.] *Ita etiam pſalterium Arabicum, & Æthiopicum, & fortaſſe Apollinarius.*

Τίς σοῦ ἀριθμήσειεν ἀμειδέα δείματα θυμοῦ;

Cæteri libri græci habent, τὸν θυμόν σου, *& ſic latini*, iram tuam. *Notat S. Hieronymus, inter hebraicum, & lxx, diverſam diſtinctionem eſſe, lxx. enim dinumerationem timori, & furori Domini copulare : hebraicum vero ſequenti aptare verſiculo, ut ſequatur*, ut numerentur dies noſtri : ſic oſtende, & veniemus corde ſapienti. *Theodoretus tamen & ipſe illud*, ἐξαριθμήσασθαι, *conjungit cum ſequenti, ut ita conſtruamus : Dinumerare dextera tua dona ut poſſim, oſtende mihi, & da imitari eos qui a gratia tua eruditi alios etiam ad tui cognitionem deducunt.* (*q*) Eruditos.] *Hanc lectionem habet vulgata, & Romanum, & agnoſcit etiam S. Auguſtinus, licet ipſe primum haberet ut vetus*, compeditos : *nam & in aliquot græcis codicibus eſt*, πεπεδημένους, *de qua re S. Hieronymus in eadem epiſt. ad Cyprianum.* (*r*) Uſque quo.] *S. Auguſtinus, & vetus*, quouſque : *Romanum*, aliquantulum, *& mox*, & deprecare : *cujus lectionis etiam S. Auguſtinus mentionem facit.* (*ſ*) Repleti ſumus.] *Theodoretus :* Tempus mutatum eſt apud lxx. Aquila enim & cæteri ſic dixerunt, ἔμπλησον ἡμᾶς ἐν τῇ πρωΐᾳ ἐλέους σου, καὶ αἰνέσομεν, καὶ εὐφρανθησόμεθα ἐν πάσαις ταῖς ἡμέραις ἡμῶν *Et S. Hieronymus :* Imple nos matutina miſericordia tua, & laudabimus, & lætabimur in cunctis diebus noſtris. (*t*) Diebus noſtris.] *Apud latinos ſequitur*, delectati ſumus, *& in cæteris libris græcis, præterquam in metaphraſi Apollinarii*, εὐφρανθείημεν, *aut*, εὐφράνθημεν· *ac Theodoretus :* & hic ſimiliter tempus mutatum eſt. Symmachus enim, & cæteri dixerunt, εὔφρανον ἡμᾶς, lætifica nos, *quemadmodum etiam S. Hier.* (*u*) Super nos.] *Sic eſt in pſalterio Romano, atque Æthiopico, & metaphraſi Apollinarii. In cæteris libris græcis ſequitur*, καὶ τὸ ἔργον τῶν χειρῶν ἡμῶν κατεύθυνον, & opus manuum noſtrarum dirige : *quæ S. Hieronymus in epiſt. ad Cypr. refert ex lxx. Sed S. Aug. inquit a diligentibus & doctis prænotari aſteriſco.*

PSAL. XC.

(*a*) LAus cantici] *Theodoretus :* ſine inſcriptione apud Hebræos. (*b*) Liberabit te.] *Ita S. Hieronymus, in Eſa. cap. 23. & eſt in aliquot Græcis codicibus*, ῥύσεταί σε. *Sed plerique, & metaphraſis Apollinarii, & Euſebius, & pſalterium Arabicum, & Æthiopicum habent*, με, *itemque Latini. Ac S. Auguſtinus quidem, & vetus*, eruet me. *Romanum autem, & vulgata*, liberavit me. (*c*) A verbo aſpero.] *Theodoretus*, τὸν λόγον ταραχώδη. Symmachus dixit, λόγον ἐπηρείας, ſermonem violenti inſultus, contumeliæ, injuriæ. (*d*) Inter ſcapulas.] *Ita S. Auguſtinus, & vetus pſalterium : græce*, ἐν τοῖς μεταφρένοις αὐτοῦ, *Romanum & vulgata*, ſcapulis ſuis. (*e*) A ruina.] *Sic S. Auguſtinus, & vetus & Romanum, vulgata autem*, ab incurſu, *græce eſt*, συμπτώματος. *Aquila*, ἀπὸ δηγμοῦ δαιμονίζοντος μεσημβρίας, *quæ S. Hieronymus videtur vertiſſe*, a morſu inſidiantis meridie. *Symmachus*, συγκύρημα δαιμονιῶδες μεσημβρίας, incurſum dæmoniacum in meridie. (*f*) A latere.] *Theodoretus* : Pro, τοῦ κλίτους σου, Symmachus & Aquila poſuerunt, ἐκ πλαγίου, *quod idem videtur valere.* (*g*) Tu Domine.] *Latini fere*, tu es Domine. *Sed Theodoretus, ita potius putat ſupplendum :* Dixiſti enim tu Domine ſpes mea, *ut quæ ſequuntur, ſint verba Dei ad prophetam*, τὸ ὕψιστον, *&c.* (*h*) Ne quando.] *Ita S. Auguſtinus, & vetus : Romanum autem*, ne unquam, *vulgata*, ne forte, *græce*, μήποτε. (*i*) Ambulabis.] *Sic latini, quod græce eſt*, ἐπιβήσῃ, *& ſignificat inſcendere, & calcare.* (*k*) Invocabit me.] *Latini*, invocavit, *græce eſt*, ἐπικαλέσεται πρὸς μὲ, *& in multis codicibus*, κεκράξεται πρός με, clamabit ad me.

PSAL. XCI.

(*a*) PSalmus cantici.] *Schol.* ἐν ἄλλῳ, ἀνεπίγραφος παρ' ἑβραίοις. In alio L. ſine titulo eſt apud Hebræos. Pſallere nomini tuo.] *S. Auguſt. & vetus*, tunc pſalles nomini Domini altiſſimi. (*b*) Profundæ factæ ſunt.] σφόδρα ἐβαθύνθησαν. *Schol.* Symmachus : σφόδρα βαθεῖς, Aquila, & Theodotio, ἐβαθύνθησαν. (*c*) Et apparuerint.] *Sic Romanum & vulgata, quod Græce*, καὶ διέκυψαν. *Vetus, & S. Auguſtinus*, & proſpexerint, *putavitque, ſequens*, omnes, *eſſe accuſandi caſum, cum tamen ſit*, πάντες. *Theodoretus ex Aquila & Symmacho*, ἤνθησαν, floruerunt. (*d*) Quoniam ecce inimici tui peribunt.] *Ita Sanctus Auguſtinus, & pſalterium Romanum, & Æthiopicum, & aliquot Græci codices. In aliis libris Græcis eſt*, ὅτι ἰδοὺ οἱ ἐχθροί σου κύριε, ὅτι ἰδοὺ οἱ ἐχθροί σου ἀπολοῦνται, *& vulgata*, quoniam ecce inimici tui Domine; quoniam ecce inimici tui peribunt, *nec multo aliter vetus.* (*e*) Miſericordia pingui.] *Ut Sanctus Auguſtinus, & vetus, aut*, uberi, *ut Romanum, & vulgata. In aliis libris græcis eſt*, ἐν ἐλαίῳ, in oleo. *Theodoretus, ex Symmacho*, ἡ παλαίωσίς μου, ὡς ἐλαία εὐθαλής, vetuſtas mea, ſicut oliva vigens & bene germinans. *Schol.* Et juxta lxx. οἷόν τινι ἐλαίῳ πιανθήσομαι τῇ θυμηδίᾳ, quaſi oleo quodam impinguabor voluptate. (*f*) Et reſpexit.] καὶ ἐπεῖδεν ὁ ὀφθαλμός μου ἐν τοῖς ἐχθροῖς μου. *S. Auguſtinus, & vetus, & Romanum :* & reſpexit oculus meus inimicos meos. *Vulgata*, & deſpexit. *Theodoretus :* Illud, ἐπεῖδεν, & Symmachus, & Theodotio, & ipſe hebræus dixit, ἐπόψεται, reſpiciet. (*g*) Plantati.] *Schol.* cæteri, μεταφυτευθέντες, *& ſic S. Hieronymus*, tranſplantati. (*h*) Tunc.] πότε. *In multis codicibus græcis eſt*, ἔτι, *& apud latinos*, adhuc, *Schol.* Aquila, ἔτι γεννηματίζοντες ἐν πολιᾷ πίονες, adhuc germinantes in canicie pingues. *Symmachus*, ἔτι πληθυνθήσονται ἐν γήρει πίονες, adhuc multiplicabuntur in ſenectute pingues. *Theodotio*, ἔτι καρποφορήσουσι γηρῶντες πίονες, (*quod* S. *Hieronymus*, adhuc fructificabunt in ſenectute pingues :) *Quinta editio*, ἔτι γεννηματίσουσι, adhuc germinabunt : *ſexta editio*, ἔτι πληθυνθήσονται, adhuc multiplicabuntur : *Theodoretus, ex Symmacho*, ἔτι καρποφορήσουσι γηρῶντες πίονες καὶ εὐθαλεῖς ἔσονται, ἀπαγγέλλοντες, ὅτι ὀρθὸς κύριος, ὁ περιφράσσων με, καὶ οὐκ ἔστιν ἀδικία ἐν αὐτῷ, adhuc fructum ferent ſeneſcentes pingues : & vigentes, ac bene germinantes erunt, annunciantes, quod rectus Dominus, qui circumſepit me, & non eſt iniquitas in eo. (*i*) Tranquilli.] *Sic Sanctus Auguſtinus, & vetus, quod græce*, εὐπαθοῦντες, *& in vulgata, & Romano*, benepatientes. *Schol.* εὐπαθεῖν, id eſt, σφριγᾶν, καὶ ἀκμάζειν, juveneſcere, & vigere. (*k*) Deus meus.] *Abſunt a* S. *Auguſtino, & vet. Romanum autem, & vulgata :* Deus noſter, *& eſt in multis codicibus græcis*, κύριος ὁ θεὸς ὑμῶν.

PSAL. XCII.

(*a*) IN die, &c.] *Apud Theodoretum hæc pro titulo leguntur*, αἶνος ᾠδῆς τῷ Δαυίδ, ἀνεπίγραφος παρ' ἑβραίοις, laus cantici ipſi David, ſine inſcriptione apud Hebræos. *Deinde ipſe hæc affert :* Illud, ἀνεπίγραφος παρ' ἑβραίοις, non eſt in Hexaplo, neque apud Euſebium. *Contra vero apud Euſebium leguntur pro titulo tantum iſta*, εἰς τὴν ἡμέραν τοῦ προσαββάτου, ὅτε κατῴκιστο ἡ γῆ. (*b*) Voces ſuas.] *Ita pſalterium Romanum, & Æthiopicum. In aliis libris græcis ſequitur*, ἀροῦσιν οἱ ποταμοὶ ἐπιτρίψεις αὐτῶν, elevabunt flumina illiſiones ſuas. S. *Auguſtinus, & vetus*, elevaverunt flumina vocem ſuam : elevaverunt flumina voces ſuas : *vulgata autem, pro*, voces ſuas, *habet*, fluctus ſuos. *Theodoretus autem illa quæ ſequuntur*, a vocibus aquarum multarum, *conjungit cum ſubſequentibus. Schol.* Aquila, ἐπήρθη ποταμῶν βάθη αὐτῶν, elevatæ ſunt fluminum profunditates ipſorum. lxx & Aquila, φωνήν, vocem : Theodotio, & cæteri, φωνάς, voces. (*c*) Mirabilis.] *Theodoretus ex Aquila*, ὑπερμεγέθης ἐν ὕψει κύριος, immenſus in altitudine Dominus. (*d*) Credita.] *Sic S. Auguſt. & vetus, quod græce eſt*, ἐπιστώθησαν, *vulgata autem & Romanum*, credibilia.

PSAL. XCIII.

(*a*) PSalmus ipſi.] *Apud Theodoretum additur*, ἀνεπίγραφος παρ' ἑβραίοις. *Et ipſe ita de iſta inſcriptione ſcribit*, manifeſtum eſt alios quoſdam inſcriptionem appoſuiſſe, minime vero prophetam, aut eos qui ab initio ſunt interpretati. *Schol.* ἀνεπίγραφος παρὰ τοῖς γ', καὶ ε', καὶ ϛ'. Sine inſcriptione eſt apud tres illos, & in quinta, & ſexta. *Euſebius & ipſe notat eſſe ſine inſcriptione apud Hebræos. Docet autem, propterea dici*, quarta ſabbati, *vel quod ea die canerentur, vel quod quartus menſis ſignificetur, in quo cœpit calamitas ſanctæ civitatis bello petitæ a Babyloniis, ut narrat Hieremias.* (*b*) Fidenter egit.] *Aut*, libere, *ut vulgata, & Romanum. Theodoretus* pro, ἐπαρρησιάσατο, Aquila dixit, ἐπιφάνηθι, oſtende te, ſic autem & cæteri interpretes. (*c*) Effabuntur.] *Sic vulgata, quod Græce eſt* φθέγξονται. *S. Auguſtinus, & vetus*, reſpondent : *Romanum*, pronunciabunt. (*d*) Viduam, & pupillum.] *Latini*, pupillos, *& in vulgata, & Romano alius eſt ordo*, viduam, & advenam interfecerunt : & pupillos occiderunt. *Theodotio*, χήραν καὶ ὀρφανοὺς ἐφόνευσαν, καὶ προσήλυτον ἐκάκωσαν, viduam, & pupillos occiderunt, & advenam afflixerunt. (*e*) Quoadusque.] S. *Auguſtinus, & vetus*, quouſque juſtitia tua convertatur in judicium; & qui habent eam; omnes recti ſunt corde : *Romanum*, quoaduſque juſtitia convertatur in judicium : & qui tenent eum? omnes qui recto ſunt corde. *Vulgata, ut noſtra, niſi quod habet*, & qui juxta illam. *Græce eſt, ſine articulo*, ἐχόμενοι, *& videtur ſignificari, omnes, qui recto ſunt corde, libenter ſequi juſtitiam illam, aut judicium : nam & judicium græce eſt generis feminini*, κρίσις. *Theodoretus, ex Aquila & Theodotione*, καὶ ὀπίσω αὐτῆς (*al.* αὐτῶν) πάντες οἱ εὐθεῖς τῇ καρδίᾳ, & poſt illam (*al.* poſt illa) omnes recti corde. (*f*) Quis exurget mihi.] τίς ἀναστήσεταί μοι, *quæ Scholiaſtes refert etiam ex Aquila & Theodotione. Theodoretus, ex Symmacho*, τίς ἀναστήσεται ὑπὲρ ἐμοῦ πρὸς κακούργους; τίς συστήσεται ὑπὲρ ἐμοῦ πρὸς ἐργάτας ἀδικίας; *Quæ* S. *Hieronymus ita videtur vertiſſe*, Quis ſtabit pro me adverſus malos? quis ſtabit pro me adverſus operarios iniquitatis? (*g*) Dilexerunt.] ἠγάπησαν. *In aliis libris græcis eſt*, εὔφραναν, *& Latini*, conſolationes tuæ lætificaverunt, *aut, ut* S. *Auguſtinus, & vetus*, exhortationes tuæ jocundaverunt. *Didymus in lib. de ſpiritu ſancto, interprete* S. *Hieronymo, utramque lectionem agnoſcit.* (*h*) Formans laborem.] ὁ πλάσσων κόπον, *Latini*, qui fingis : *ſed tutius videtur hoc modo reddi : ut poſſit etiam ita conſtrui*, ſedes formans laborem : *Aquila*, μὴ μεθέξει σου θρόνος ἐπιβουλῆς, ὁ πλάσσων κόπον ἐπὶ ἀκριβασμόν; Numquid particeps erit tui thronus inſidiarum formans laborem ſuper præceptum? *Symmachus*, μὴ συναφθήσεταί σοι θρόνος ἐπηρείας, ὁ πλάσσων ταλαιπωρίαν κατὰ προστάγματος, numquid conjungetur tibi thronus injuriæ, formans miſeriam ſuper præceptum? *Theodotio, ut lxx.* (*i*) Et malitiam eorum.] *In aliis codicibus græcis eſt*, καὶ κατὰ τὴν πονηρίαν αὐτῶν, *& ſic*

Sanctus Auguſtinus, *& vetus*, ſecundum malitiam eorum, *vulgata autem & Romanum*, in malitia eorum. *De hoc loco diſputat etiam Sanctus Hieronymus, ad Suniam.*

PSAL. XCIV.

(*a*) DAvid.] *In aliis codicibus additur*, ἀνεπίγραφος παρ' ἑβραίοις, ſine inſcriptione apud hebræos. (*b*) Super omnes Deos.] *In aliis libris Græcis eſt*, ὅτι πᾶσαν τὴν γῆν, ſuper omnem terram, *& non ſequuntur illa*, ὅτι οὐκ ἀπώσεται κύριος τὸν λαὸν αὐτοῦ, quoniam non repellet Dominus plebem ſuam, *quæ abſunt etiam a vulgata, ſed non a* S. *Auguſtino, neque a vetere pſalt. neque a Romano, & canuntur in Invitatorio, præterquam in Epiphania. Schol.* ϗ βασιλεὺς μέγας ἐπὶ πάντας τοὺς θεούς, οὗ ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ ἐξιχνιασμοὶ γῆς, & rex ſuper omnes Deos: cujus in manu ejus inveſtigationes terræ. *Symmachus*, ϗ βασιλεὺς μέγας ἐπάνω πάντων τῶν θεῶν, οὗ ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ κατώτατα γῆς. Et rex magnus ſuper omnes Deos: cujus in manu ejus infima terræ. *Theodotio, & lxx.* ϗ βασιλεὺς μέγας ἐπὶ πάντας τοὺς θεούς, *quemadmodum eſt in noſtra editione.* (*c*) Populus paſcuæ.] *Solum fere Romanum habet*, nos autem populus ejus & oves paſcuæ ejus. (*d*) Probaverunt.] *Sic vulgata & Romanum.* S. *Auguſtinus vero & vetus*, probaverunt me, *& multi codices græci*, ἐδοκίμασάν με. (*e*) Quadraginta annis.] *Apud Theodoretum, hæc conjunguntur cum antecedentibus: deinde ſequitur*, διὸ προσώχθισα, *idque ita debere fieri putavit Scholiaſtes.* (*f*) Offenſus fui.] *Sic vulgata: cæteri vero libri latini*, proximus fui: *Aquila, & Symmachus*, τεσσαράκοντα ἔτη δυσηρεστήθην, *quod item valet*, offenſus fui, faſtidivi. (*g*) Sicut.] ὡς, *& poſſet etiam verti*, propterea, *apud latinos eſt*, quibus. (*h*) Requiem.] κατάπαυσιν. *Schol.* alii, ἀνάπαυσιν, *quod parum differt ab illo.*

PSAL. XCV.

(*a*) QUando domus.] *Schol.* ἀνεπίγραφος παρὰ τοῖς γ', ϗ ε', ϗ ς'. Sine inſcriptione apud tres illos, & in quinta, & in ſexta: *qua de re etiam Theodoretus.* (*b*) Canticum ipſi David] *In aliquibus libris hæc præponuntur: in aliquibus Græcis eſt*, τοῦ δαυὶδ, ipſius David, *& in aliquo* αἶνος ᾠδῆς τῷ δαυὶδ, laus cantici ipſi David. (*c*) Dæmonia.] *Symmachus*, ἀνύπαρκτοι, non ſubſiſtentes: *Aquila*, ἐπίπλαστοι, ficti. (*d* Commoveatur. *Theodor. ex Aquila & Symmacho*, ὠδινήσατε ἀπὸ προσώπου αὐτοῦ πᾶσα ἡ γῆ, parturite a facie ejus univerſa terra. (*e*) Regnavit.] *Apud S. Auguſtinum, & in pſalterio veteri, & Romano, ſequitur*, a ligno, *eoque modo affertur a S. Cypriano, Juſtino Martyre, Tertulliano,* S. *Leone Papa: & in hymno Eccleſiaſtico*, regnavit a ligno Deus: *Theodoretus ex Symmacho*, κύριος ἐβασίλευσεν, ϗ ἥδρασεν τὴν οἰκουμένην ἀπερίτρεπτον, Dominus regnavit, & ſtabilivit orbem terræ immobilem. (*f*) Commoveatur mare. *Idem ex Theodotione, & Symmacho*, ἠχήσει ἡ θάλασσα σὺν πληρώματι αὐτῆς, ſonabit mare cum plenitudine ejus. (*g*) Gaudebunt.] *Idem ex Symm.* γαυριάσει ἀγρὸς, ϗ πάντα τὰ ἐν αὐτῷ, geſtiet ager, & omnia quæ in eo ſunt. (*h*) Tunc exultabunt.] *Idem ex Aquila*, τότε αἰνέσουσι πάντα τὰ ξύλα τοῦ δρυμοῦ, tunc laudabunt omnia ligna ſylvæ.

PSAL. XCVI.

(*a*) OMnis terræ.] πάσης τῆς γῆς. *Latini fere*, omnis terra: *& Romanum*, tremuit omnis terra: *Attamen S. Aug. legiſſe*, terræ, *videtur colligi ex explanatione.* (*b*) Malignum.] *Ita S. Auguſt. & vetus quod græce eſt*, πονηρόν. *In aliquot codicibus eſt*, πονηρὰ, maligna: *Theodoretus*, vocabulo hoc, τῆς πονηρίας, deteſtatus eſt omnes ſpecies, τῆς κακίας, improbitatis, & malitiæ. *Schol.* Quinta, Sexta, Aquila, Theodotio, eodem modo, ac lxx. Symmachus, κακὸν, malum: *quod habet vulgata, & Romanum: licet hoc etiam modo ſæpe vertatur*, πονηρόν. (*c*) Sanctorum.] ὁσίων. *Sanctus Auguſtinus, vetus, Romanum*, ſervorum. (*d*) Peccatorum.] *Ita Romanum: Aquila*, ἀσεβῶν, impiorum. *Symmachus*, παρανόμων, tranſgredientium legem: *Theodotio*, ἁμαρτωλοῦ, *quod eſt in multis codicibus græcis & latinis*, peccatoris.

PSAL. XCVII.

(*a*) SAlvavit ſibi.] *Sic vulgata. Sanctus Auguſtinus, & vetus*, ſanavit ei. *Cæteri libri Græci* ἔσωσεν αὐτὸν, *& Romanum*, ſalvavit eum: *ſed Theodoretum legiſſe*, αὐτῷ, *conſtat ex explanatione.* (*b*) Jacob.] τοῦ ἰακώβ. *Sic Latini præter vulgatam, a qua abeſt: & inquit Sanctus Hieronymus ad Suniam, eſſe ſuperfluum.* (*c*) Domino. *Sic pſalterium Romanum. In cæteris libris græcis eſt*, κυρίου, *& latinis*, Domini. (*d*) Commoveatur.] *Theodoretus ex Symmacho*, ἠχείτω ἡ θάλασσα σὺν πληρώματι αὐτῆς, ἡ οἰκουμένη, ϗ οἱ κατοικοῦντες αὐτήν, reſonet mare cum plenitudine ſua, orbis terrarum, & habitantes eum. (*e*) Exultabunt.] *Ita etiam pſalterium Æthiopicum. In cæteris libris græcis ſequitur*, ἀπὸ προσώπου κυρίου, ὅτι ἔρχεται, ὅτι ἥκει, *&c. Romanum*, exultaverunt ante faciem Domini, quoniam venit, quoniam venit, &c. *S. Auguſt.* exultabunt a facie Domini, quoniam venit, quoniam veniet, &c. *Vetus non habet illa*, quoniam venit. *Vulgata*, a conſpectu Domini, quoniam venit judicare terram. *In fine quidem pſalmi 95. omnes græci & latini libri habent illam repetitionnem.*

PSAL. XCVIII.

(*a*) MAgno.] *Romanum*, magno, & terribili, quoniam ſanctum eſt. (*b*) Et honor regis.] *Symmachus*, ἰσχὺς βασιλέως τοῦ κρίμα ἀγαπᾷ, fortitudinem rex judicii diligit. *Aquila*, ϗ κράτος βασιλέως κρίσιν ἠγάπησεν, & imperium regis judicium dilexit. (*c*) Directiones.] *Sic vulgata, quod Græce eſt*, εὐθύτητας rectitudines. *Cæteri fere Latini*, æquitatem. (*d*) Sanctus.] ἅγιός ἐστιν, *& ita S. Hieronymus. In comment. Theod. eſt*, ἅγιον, *& ita apud latinos*, quoniam ſanctum eſt. (*e*) Aaron.] *Schol.* ἀαρὼν, exponitur, ὄρος δυνάμεως, mons virtutis. (*f*) Exaudiebat.] *In multis codicibus græcis ſequitur*, αὐτῶν, *& ita latini*, exaudiebat eos. *Schol.* quinta, Symmachus, Theodotio, ſicut lxx. Aquila, ἐπακούσεται αὐτῶν, exaudiet eos: *ſexta*, ἐπήκουσεν, exaudivit. (*g*) Cuſtodiebant.] *In aliis libris græcis eſt*, ὅτι ἐφύλασσον, quoniam cuſtodiebant. (*h*) Præcepta.] *Multi codices græci*, προστάγματα αὐτοῦ, *& ſic latini*, præcepta ejus, *præter vulgatam, quæ habet*, præceptum quod dedit eis. (*i*) Ulciſcens.] *Sic vulgata. Romanum*, & vindicans in omnia ſtudia eorum. *Sanctus Auguſtinus, & vetus*, & vindicans in omnes affectiones eorum. *Theodoretus ex Symmacho*, ϗ ἔκδικος ἐπὶ ταῖς ἐπηρείαις αὐτῶν, & ultor ſuper injurias eorum.

PSAL. CXIX.

(*a*) IN exultatione.] *Theodoretus*: Symmachus, μετ' εὐφημίας, cum benedictione: Aquila autem dixit, ἐν αἰνέσει, in laudatione. (*b*) Et nos.] ϗ οὐχ ἡμεῖς. *Latini*, & non ipſi nos. *Euſebius & Theodoretus ex Symmacho*, αὐτὸς ἐποίησεν ἡμᾶς οὐκ ὄντας, ipſe fecit nos, cum non eſſemus. (*c*) Populus ejus.] *Sic vulgata. Cæteri autem fere latini*: Nos autem populus ejus. *Atque in multis græcis codicibus eſt*, ἡμεῖς δὲ λαὸς αὐτοῦ, *apud Euſebium vero*, ἡμεῖς δὲ λαὸς νομῆς αὐτοῦ, ϗ πρόβατα χειρὸς αὐτοῦ, nos autem populus paſcuæ ejus, & oves manus ejus. (*d*) In hymnis.] *Ita etiam vulgata. Romanum vero*, in hymnis confeſſionum. Laudate, &c. *Sanctus Auguſtinus, & vetus*, in hymnis confeſſionem confitemini ei. Laudate, &c.

PSAL. C.

(*a*) PSalmus ipſi David.] *Theodoretus*, ἔνια τῶν ἀντιγράφων ἔχει, τετράδι σαββάτου. πλὴν οὔτε παρὰ τῷ ἑβραίῳ, οὔτε παρὰ τοῖς ἄλλοις ἑρμηνευταῖς, οὔτε παρὰ τοῖς ο. εὕρηται. Quædam exemplaria habent, τετράδι σαββάτου, quarta ſabbati: verum neque apud hebræum, neque apud alios interpretes, neque apud ipſos lxx hanc invenimus additionem. (*b*) Pſallam.] *Idem ex Symmacho*, μελῳδήσω: ἐννοήσω ὁδὸν ἄμωμον, canam: conſiderabo viam immaculatam. (*c*) Quando venies ad me.] *Per interrogationem legunt Theodoretus, & alii. Non deſunt tamen, qui & ſine interrogatione.* (*d*) Cum declinaret.] *Ita S. Auguſtinus & vetus, & Græco reſpondet. Hoc enim ſignificat*, (*inquiunt Euſebius*, & *Theodoretus*:) *deſcedente illo, ſe ne ſentire quidem illius diſceſſum: quippe qui illum ne præſentem quidem ſibi habuiſſet. Vulgata*, declinantem a me malignum, *Romanum*, declinantes.

PSAL. CI.

(*a*) PAuperi.] *Sic Græci libri, in quorum aliquo adduntur in fine tituli hæc verba*, ϗ κατὰ πόνου προσδέχεται, & cum labore orat. *Apud Latinos eſt*, oratio pauperis. (*b*) Clamor.] *Theodoretus*, τὴν γὰρ κραυγὴν, Symmachus dixit, οἰμωγὴν, fletum. (*c*) Sicut cremium.] *Partim in hujus interpretatione verſiculi vulgatam, partim S. Auguſtinum, & vetus, ac Romanum ſequuti ſumus: nam illa quidem*, ſicut cremium aruerunt: *hi vero*, ſicut in frixorio confrixa ſunt, *Græce eſt*, ὡσεὶ φρύγιον συνεφρύγησαν, *& poterat fortaſſe apte verti*, ſicut cremium concremata ſunt. *Nomine autem cremii voluit qui hoc vocabulum formavit, ſignificare illud quod ex concrematione torridum remanſit. Nam & Theodoretus interpretatur*, δαλὸν ξηρὸν, torrem aridum, *& ita inquit Aquilam eſſe interpretatum*, ϗ τὰ ὀστᾶ μου ὡς καῦσις ἐψαθυρώθη, & oſſa mea ſicut cinis, obriguerunt. *Scholiaſtes autem hæc addit*: Symmachus, ϗ τὰ ὀστᾶ μου ὡς ὑπόκαυμα αὖα γέγονεν, & oſſa mea, ſicut incendium, torrens facta ſunt: Theodotio, & lxx. ὡς φρύγιον. (*d*) Percuſſus ſum.] *Sic Græci libri, & Latini, præter S. Auguſtinum, & vetus pſalterium, ubi legitur*, percuſſum eſt, *quemadmodum habet etiam Sanctus Hieronymus ex Hebræo.* (*e*) Adhæſit.] *Sanctus Auguſtinus vetus pſalterium*, *& Romanum*, adhæſerunt oſſa mea. (*f*) Qui habitat in ſolitudine.] *Ita S. Auguſtinus, & vetus, quod græce eſt*, ἐρημικῷ. *Vulgata*, pelicano ſolitudinis. *Romanum*: pelicano in ſolitudine. (*g*) Parietinis.] *Ita S. Auguſtinus, & vetus, & proprius id accedit ad græcam dictionem*, οἰκόπεδον, *quod fere ſignificat aream, & ſolum ædificii collapſi, & locum ruderatum. Vulgata, & Romanum*, in domicilio. *Theodoretus*: Etenim τὰ οἰκόπεδα. Symmachus dixit, ἐρείπια, rudera, & parietinas. (*h*) Solitarius.] *Romanum*, unicus. S. *Auguſtinus, & vetus*, ſingularis (*i*) Et qui laudabant me.] *Schol.* ϗ οἱ καταστασιάζοντές μου, ἐμὲ ὅρκον ἐποίουν, & qui ſeditionem concitabant adverſus me, me execrationem faciebant. (*k*) Sion] *Schol.* σιὼν, utroque modo exponitur, & ἄβατος, impervia, & διψῶσα, ſitiens. (*l*) Beneplacitum.] *Ita S. Auguſtinus, & vetus, quod græce eſt.* ὅτι εὐδόκησαν οἱ δοῦλοί σου τοὺς λίθους αὐτῆς. *Romanum*, quia beneplacitum habuerunt ſervi tui lapides ejus. *Vulgata*, quoniam placuerunt ſervis tuis lapides ejus (*m*) Scribatur hæc.] *Eſt hebraiſmus, pro*, ſcribatur hoc: *latini autem habent*, ſcribantur hæc, *& plerique*, in generatione altera. *Sanctus Auguſtinus tamen & vetus*, in generationem alteram. (*n*) Reges.] *Sic vulgata, & græci codices*, S. *Auguſtinus, vetus, Romanum*, regna, *quemadmodum &* S. *Hieronymus, ex hebræo.* (*o*) Fortitudinis.] *Aut*, virtutis, *ut vulgata & Romanum. Symmachus*, ἐκάκωσεν ἐν ὁδῷ τὴν ἰσχύν μου, *quæ* S. *Hieronymus vertit*, afflixit in via fortitudinem meam. (*p*) In generatione generationum.] *Sic ad verbum e græco* S. *Auguſtinus, & vetus. Vulgata*, in generatione, & generationem. *Romanum*, in ſeculum ſeculi. (*q*) Volves.] ἑλίξεις, *pro quo notat Theodoretus Symmachum dixiſſe*, ἀλλάξεις, *& ſic latini*, mutabis. (*r*) Dirigetur.] *Theodoretus ex Symmacho* διαμενεῖ, permanebit.

PSAL. CII.

(*a*) IPſi David.] *Apud Theodoretum inſcribitur*, Alleluia. (*b*) Laudationes.] αἰνέσεις, *quod etiam habetur in pſalt. Æthiopico. In cæteris libris græcis eſt*, ἀνταποδόσεις, *et latinis* retributiones. *Theodoretus, ex Symmacho*, εὐεργεσίας, beneficia. (*c*) Miſerationibus.] *Schol.* Aquila, & Symmachus, οἰκτιρμοῖς, miſerationibus; LXX. & Theodotio, οἰκτιρμῷ, miſeratione. (*d*) Indignabitur.] *Sic* S. *Auguſt. et vetus Romanum, quod græce eſt*, μηνιεῖ. *Vulgata*, comminabitur. (*e*) Memento.] *Sic* S. *Aug. et vetus, pſalt. & Romanum: itemque Arabicum, & Æthiopicum, et metaphraſis Apollinarii.*

Μνῆσαι παμβασιλεῦ ὅτι τὶ κόνις εἰμὶ ἀφαυρή.

In cæteris libris græcis eſt, ἐμνήσθη, *et vulgata*, recordatus eſt. *Schol.* LXX. & Theodotio, μνήσθητι, memento: Symmachus, μνημονεύων, in memoria habens (*f*) Quoniam ſpiritus.] *Theodoretus ex Symm.* ὅτι πνεῦμα διέρχεται αὐτὸν, εἶτα οὐχ ὑπάρχει πνεῦμα, quoniam ſpiritus pertranſit ipſum: deinde non ſubſiſtet ſpiritus. (*g*) Dominatur.] δεσπόζει, *Latini tamen*, dominabitur.

PSAL. CIII.

(*a*) MAgnificatus es.] *Theodoretus habet*, ὡς ἐμεγαλύνθης, quam magnificatus es, *& notat illud*, ὡς. *hoc etiam loco eſſe amplificationis. Refert autem Symmachum ita dixiſſe*, καὶ ὁ θεός μου μέγας (*al* μέγας εἶ) σφόδρα, & Deus meus magnus (*al.* magnus es) valde. (*b*) Decorem.] εὐπρέπειαν. *Alii libri Graci*, μεγαλοπρέπειαν, *quaſi magnificentiam, aut magnidecentiam. Schol.* Aquila, ἐπιδοξότητα καὶ διαπρέπειαν, claritatem, & decorem. Symmachus, ὕμνον καὶ δόξαν ἠμφιάσω, hymnum & gloriam induiſti: Theodotio, μεγαλοπρέπειαν. (*c*) Qui tegit in aquis.] *Sic Romanum.* S. *Auguſtinus vero, & vetus*, qui protegit. *Vulgata*, qui tegis: *poteſt enim in ſecunda item ut in tertia perſona accipi illud*, ὁ στεγάζων. *Videtur tamen potius accipiendum in tertia, ut etiam in ſequentibus: et non deſunt, qui hoc etiam loco*, ſuperiora ejus, *non ſuperiora cœli, ſed ipſius Dei intelligant. Attamen S. Hieronymus ad Suniam videtur ita correxiſſe, ut nunc eſt in vulgata. Quod autem pertinet ad verbum*, στεγάζειν, *valde illud ſignificans eſt: ſignificat enim fulcimentum, & quaſi contignationem.* (*d*) Suum.] *Sic Romanum* S. *Auguſtinus autem, & vetus*, ejus, *ambiguum enim eſt illud*, αὐτοῦ. *Vulgata autem rurſus* tuum. (*e*) Flagrantem.] *Ut* S. *Aug. & vetus: aut*, lucentem, *ut vulg. & Romanum. Græce eſt*, πῦρ φλέγον. *Aquila*, πῦρ λάβρον, ignem vehementem. *Symmachus*, πυρίνην φλόγα, igneam flammam. (*f*) Stabilitatem ejus.] *Ut Romanum, aut*, firmitatem ejus, *ut* S. *Auguſtinus, & vetus. Eſt autem Græce*, ἐπὶ τὴν ἀσφάλειαν αὐτῆς, *id eſt, ipſiuſmet terræ. Theodoretus*: Aquila autem, & Symmachus ἐπὶ τῆς ἕδρας αὐτῆς, ſuper ſede & baſe ipſius. (*g*) Amictus ejus.] τὸ περιβόλαιον αὐτοῦ. *Theodoretus*: Illud, αὐτοῦ, pro, αὐτῆς, poſuit. Ita enim & Aquila, & Theodotio eſt interpretatus, ἄβυσσον ὡσεὶ ἔνδυμα περιέβαλες αὐτήν. *Et ita* S. *Hieronymus*, abyſſo, quaſi veſtimento, operuiſti eam. (*h*) Suſcipient.] *Sic* S. *Auguſtinus, & vetus, quod Græce*, προσδέξονται ὄναγροι εἰς δίψαν αὐτῶν. *Vulgata, & Romanum*, expectabunt onagri in ſiti ſua. *Theodoretus ex Symmacho*, ἀνακτήσεται ὄναγρος δίψαν ἑαυτοῦ, recreabit onager ſitim ſuam. (*i*) Super ea.] ἐπ' αὐτά. *Ita vulgata, & Romanum: & videtur intelligendum ſuper aquas, aut ſuper montes. Nam & aqua, & mons apud græcos neutri generis eſt. Sanctus Auguſtinus habuit, ut vetus*, ſuper illos, *& interpretatur*, ſuper montes. (*k*) Lætificat.] εὐφραίνει, *& eſt hebraiſmus: ſicut etiam paulo poſt*, cor hominis confirmat, στηρίζει *Latini tamen habent*, lætificet, confirmet. *Theodoretus ex Symmacho* ἐκβλαστῶν χόρτον τοῖς κτήνεσιν, καὶ χλόην τῇ δουλείᾳ τῶν ἀνθρώπων, εἰς τὸ ἐκφῦσαι ἄρτον ἀπὸ γῆς, καὶ οἶνον εὐφραίνειν καρδίαν ἀνθρώπου, στίλβειν πρόσωπον ἐν ἐλαίῳ, καὶ ἄρτον καρδίαν ἀνθρώπου στηρίζειν, germinare faciens fœnum jumentis, & herbam ſervituti hominum, ut enaſcatur alimentum de terra, & vinum lætificet cor hominis, niteat facies in oleo, & panis cor hominis confirmet. (*l*) Ligna campi.] *Quinta & ſexta editio, & Symmachus*, τοῦ κυρίου, Domini. *Aquila & Theodotio*, τοῦ πεδίου κυρίου, campi Domini. *Theodoretus*, hæbræus autem, & cæteri poſuerunt, κυρίου. (*m*) Paſſeres.] *Theodoretus ex Aquila*, ἐκεῖ ὄρνεα νοσσεύσουσιν, ἐρωδιῷ ἐλάται οἶκος αὐτῷ Ibi aves nidificabunt: herodio abietes domus ei. *Schol. addit ex Symmacho*, ὅπου στρουθία ἐννοσσεύσει τῷ ἰκτῖνι βορὰτ οἴκησις, ubi paſſeres nidificabunt milvo (*ita enim interpretatur Sanctus Hieronymus ad Suniam*,) Borat habitatio. (*n*) Erodii] S. *Auguſtinus, vetus, & Romanum*, fulicæ. *Græce eſt*, τοῦ ἐρωδιοῦ ἡ οἰκία ἡγεῖται, *& poſſet intelligi domum hujus avis, id eſt, abietem, aut quiddam ejuſmodi, altiorem eſſe nidis paſſerum.* (*o*) Herinaciis.] τοῖς χοιρογρυλλίοις, *quomodo omnes interpretes tranſtuliſſe teſtatur ad Suniam Sanctus Hieronymus, præter lxx. qui dixerunt*, λαγωοῖς, leporibus: *quod etiam reperitur in multis codicibus. Sanctus Auguſtinus, & vetus habent utrumque*, petra refugium hericiis, & leporibus. (*p*) Congregabuntur.] *Symmachus*, ὑποχωρήσουσι, recedent, *quomodo* S. *Hieronymus.* (*q*) Creatura tua.] τῆς κτίσεώς σου. *Sic* S. *Auguſtinus, & vetus, & Romanum. Apud Theodoretum in textu eodem modo legitur: ſed cum in explanatione dicatur*, κτίσεως, cæteri reddiderunt, *videtur alterutro loco habuiſſe*, κτήσεως, poſſeſſione, *& ſic vulgata.* (*r*) Spacioſum.] *Sic* S. *Auguſtinus, & vetus, & Romanum, ac* S. *Hieronymus, Naum* 1. *Qui ſcribens ad Suniam, fatetur illud*, manibus, *quod additur in vulgata, ex hebraico, & Theodotionis editione in lxx. ſub aſteriſco additum eſſe. & Aquilam ſic eſſe interpretatum*, εὐρύχωρος χερσὶν *& omnes interpretes.* (*ſ*) Pertranſeunt.] διαπορεύονται, *latini tamen*, pertranſibunt, *aut*, commeabunt. *Aquila*, περιπατεῖ ambulant. (*t*) Ad illudendum ei] *Theodoretus*: Draconis nomine ſignificat magnos cetos, qui in magnis pelagis libenter degunt. Illud vero, ἐμπαίζειν αὐτῷ, poſuit pro, αὐτῇ, id eſt, τῇ θαλάσσῃ, maris. Nam hebræus, & Syrus ipſum maſculine nominant (*u*) Ad te expectant.] πρὸς σὲ, *& hic eſt hebraiſmus: latini autem*, a te expectant. (*x*) Univerſa.] τὰ σύμπαντα. *Aquila*, ἀνοίξεις χεῖρά σου, ἐμπλησθήσονται ἀγαθοῦ, aperies manum tuam, implebuntur bono. *Theodotio*, ἀνοίξαντός σου τὴν χεῖρα πλησθήσονται ἀγαθωσύνης, aperiente te manum, implebuntur bonitate. *Symmachus*, ἀνοίξαντός σου τὴν χεῖρά σου χορτασθήσονται ἀγαθῶν, aperiente te manum tuam, ſatiabuntur bonis. *Sexta ſola, & lxx. habent illud*, τὰ σύμπαντα. (*y*) Jocundum ſit ei eloquium meum.] *Theodoretus*, τὴν διαλογήν, Symmachus quidem dixit, διάλεξιν, Aquila autem, ὁμιλίαν, S. *Auguſtinus & vetus*, ſuavis ſit ei diſputatio mea: *Romanum*, ſuavis ſit ei laudatio mea.

PSAL. CIV.

(*a*) ALleluia.] *Sic etiam Euſebius, & Theodoretus, ac* S. *Hieronymus, in ſua ex Hebræo interpretatione. Alii tamen in Hebraico conjungunt cum extremis verbis præcedentis pſalmi.* (*b*) Invocate.] *Euſebius, & Theodoretus*: Iſtud, ἐπικαλεῖσθε, Symmachus dixit, κηρύσσετε, prædicate. *Idem Euſebius teſtatur alium interpretem dixiſſe*, καὶ ἐπικαλεῖσθε ἐν ὀνόματι αὐτοῦ, & invocate in nomine ejus. (*c*) Laudamini.] *Euſebius & Theodoretus*, Pro, ἐπαινεῖσθε, Aquila poſuit, καυχᾶσθε, gloriamini. (*d*) Confortamini.] S. *Auguſtinus*: Hoc enim de Græco expreſſius interpretatum eſt: quamvis verbum minus Latinum videatur: Unde & alii codices habent, confirmamini, alii, corroboramini. (*e*) Anima ejus.] ἡ ψυχὴ αὐτοῦ. *Latini tamen*, animam. *Theodoretus*: Hoc quidem Symmachus ita dixit, εἰς σίδηρον ἦλθεν (*al.* διῆλθεν) ἡ ψυχὴ αὐτοῦ, in ferrum venit anima ejus, id eſt, μέχρι σφαγῆς ἐκινδύνευσεν, uſque ad cædem eſt periclitatus. (*f*) Populorum] *In aliis libris græcis eſt*, λαοῦ, populi. *Schol.* Aquila, & Symmachus, ut lxx. Theodotio autem, λαοῦ. (*g*) Et exacerbaverunt.] S. *Auguſtinus, & vetus, non habent*, &. *In aliis codicibus græcis, & apud Theodoretum legitur*, ὅτι παρεπίκραναν, quia exacerbaverunt, *& ita Romanum.* S. *Auguſtinus teſtatur, in duobus codicibus ſe legiſſe*, non exacerbaverunt. *Vulgata*, & non exacerbavit ſermones ſuos. Aquila, καὶ οὐ προσήρισαν, & non contenderunt. Symmachus, καὶ οὐκ ἠπείθησαν, & non fuerunt increduli (*ſic enim* S. *Hieronymus*:) Theodotio, & quinta editio, καὶ οὐ παρεπίκραναν, & non exacerbaverunt. Sexta editio, ut lxx. (*h*) Et occidit.] *Aquila & Symmachus*, καὶ ἐθανάτωσεν, & morti tradidit. *Theodotio, & ſexta editio, ut lxx.* (*i*) Edidit.] ἐξῆρψεν. *Apud* S. *Hieronymum ad Suniam legitur*, ἐξέρριψεν, *& ipſe interpretatur*, ebullivit. S. *Auguſtinus, & vetus*, & dedit terra eorum ranas: *Romanum*, miſit in terra eorum ranas. (*k*) Et comedit fructum terræ eorum.] *Hæc abſunt a Romano, nec leguntur apud Theodoretum. Aquila*, καὶ ἔφαγον τοὺς καρποὺς χθονὸς αὐτῶν, & comederunt fructus terræ eorum. *Symmachus*, καὶ ἐξέφαγον πᾶν γέννημα τῆς χώρας αὐτῶν, & exederunt omne genimen regionis eorum: *Theodotio*, καὶ κατέφαγον τὸν καρπὸν τῆς γῆς αὐτῶν, & devoraverunt fructum terræ eorum. (*l*) De terra eorum.] ἐκ τῆς γῆς αὐτῶν. *In aliis codicibus eſt*, ἐν τῇ γῇ αὐτῶν, *& ſic vulgata. Et* S. *Auguſtinus*, in terra eorum. *Apud Theodoretum legitur*, ἐν γῇ Αἰγύπτῳ, *& in Romano*, in terra Ægypti. (*m*) Petierunt.] *Sic vulgata, & græci codices. Pſalterium Romanum, & vetus, &* S. *Auguſtinus*, petierunt carnes. (*n*) Et iverunt in ſiccis.] ἐπορεύθησαν ἐν ἀνύδροις. *Latini*, abierunt in ſicco.

PSAL. CV.

(*a*) BOnus.] χρηστός, *quod vocabulum notat* S. *Hieronymus ad Suniam, utile, & bonum, & ſuave verti poſſe, quod etiam paulo inferius in hoc eodem pſalmo notat* S. *Auguſtinus.* (*b*) Memento noſtri.] *Schol.* Aquila, Symmachus, Theodotio, quinta, ſexta, ut lxx. S. *Hieronymus, ex Hebræo*, recordare mei. (*c*) Ad laudandum.] *Latini*, ut lauderis. *Sed vidit* S. *Auguſtinus, unam eandemque eſſe in his tribus verſibus Græcam eloquutionem, ad videndum, ad lætandum, ad laudandum.* (*d*) In rubrum, mare] *Sic Romanum: quod Græce eſt*, ἐν τῇ ἐρυθρᾷ θαλάσσῃ. *Et ſic plures codices Græcos & Latinos, quos inſpicere potuit, habuiſſe teſtatur* S. *Auguſtinus*, in mare rubro: *quamvis codex, quem tunc intuebatur, haberet, ut etiam vetus, & vulgata, &* S. *Hieronymus ad Suniam*, in mari, mare rubrum *quamvis ſub aſteriſco.* (*e*) Verbis.] *Sic vulgata, & Græci. In Romano, & vetere pſalterio eſt*, in verbis: *itemque apud* S. *Auguſtinum, qui & iſtam loquutionem notat.* (*f*) Et laudaverunt.] *Sic* S. *Auguſtinus, & vetus, & vulgata, quod Græce eſt*, ᾔνεσαν. *In aliis tamen codicibus Græcis eſt*, ᾖσαν, *& in Romano*, & cantaverunt. (*g*) Feſtinaverunt.] *Sic clarius verti illud*, ἐτάχυναν, *judicavit* S. *Auguſtinus, quam quomodo eſt apud cæteros latinos*, cito fecerunt. (*h*) In animam.] *Sic* S. *Hieronymus ex hebræo. In aliis codicibus græcis eſt*, εἰς τὰς ψυχάς, *& ſic latini*, in animas. (*i*) In ſimilitudine.] *Et hanc locutionem notat* S. *Auguſtinus, cum tamen idem valeat atque*, in ſimilitudinem, *quod eſt in vulgata, & Romano.* (*k*) Et terribilia.] *A multis græcis, & latinis abeſt illud*, &. (*l*) Confractione.] S. *Auguſtinus*, in confractione, id eſt, in plaga: *græce eſt*, ἐν τῇ θραύσει. (*m*) Ab indignatione iræ ejus.] ἀπὸ θυμοῦ ὀργῆς αὐτοῦ. *In aliis codicibus græcis eſt*, τὸν θυμὸν αὐτοῦ, *& in latinis*, iram ejus. (*n*) Quaſſatio.] S. *Auguſtinus*: quæ autem hic poſita eſt quaſſatio, hæc ſuperius confractio: nam in græco unum verbum eſt. *Theodoretus*, τὴν θραῦσιν, Symmachus dixit, πληγήν, *quomodo diximus* S. *Auguſtinum eſſe interpretatum confractionem.* (*o*) Et diſtinxit.] καὶ διέστειλεν. *Aquila*, διέκρινεν, dijudicavit. (*p*) Interfecta.] *Sic vulgata, & vetus, &* S. *Auguſtinus, qui etiam notat ſic habere græcos codices: Romanum*, infecta eſt. (*q*) Adinventionibus] ἐπιτηδεύμασιν. *Diſputat* S. *Auguſtinus de notione iſtius dictionis & inquit alios ex latinis non adinventiones, ſed ſtudia, alios affectiones, vel affectationes, alios voluptates dicere maluiſſe. Romanum plerumque habet*, ſtudia, *hoc autem loco* obſervationibus. (*r*) Furore.] *Notat* S. *Auguſtinus, vocabulum*, θυμός, *alios reddere iram, alios indignationem, alios animum, quemadmodum hic Romanum.* (*ſ*) Cum exaudiret.] *Sic Romanum. Vetus vero, & Sanctus Auguſtinus*, cum audiret. *Vulgata*, & audivit, *græce eſt*, ἐν τῷ αὐτὸν εἰσακοῦσαι.

PSAL. CVI.

(*a*) ALleluia.] S. *Auguſtinus inquit, huic pſalmo, ſicut etiam præcedenti, præponi pro titulo duplex alleluia, quod tamen in collatis libris non eſt inventum. Quinimo Hebræi & hoc ſimplex Alleluia ponunt pro fine præcedentis pſalmi.* (*b*) Et mirabilia] *Theodoretus, ex Symmacho*, καὶ τὰ τεράστια αὐτοῦ, τὰ εἰς τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων & prodigia ejus, quæ in filios hominum. (*c*) Et eſurientem] *Plerique græci codices habent*, καὶ ψυχὴν πεινῶσαν, *& Latini*, & animam eſurientem. (*d*) De corruptelis] ἐκ τῶν διαφθορῶν. S. *Auguſtinus, & vetus*, de corruptela: *Romanum*, de interitu, *vulgata*, de interitionibus. (*e*) Sacrificium laudis.] *Theodoretus, ex Aquila*, θυσίαν εὐχαριστίας, ſacrificium Euchariſtiæ, id eſt, gratiarum actionis. (*f*) Et imperavit.] *Ita* S. *Auguſtinus, & vetus pſalterium & Græci codices, quamvis* S. *Hieronymus ad Suniam aliquid in iis verbis ſuperflui agnoſcat: Aquila*, ἀναστήσει λαίλαπα εἰς αὔραν, reſtituet turbinem in auram. *Symmachus*, στήσαντος αὐτοῦ τὴν καταιγίδα εἰς γαλήνην, ſtatuente eo tempeſtatem in tranquillitatem. *Theodotio*, καὶ ἔστησεν τὴν καταιγίδα αὐτῶν εἰς αὔραν, & ſtatuit procellam eorum in auram, *& vulgata, & Romanum eodem modo, niſi quod vulgata* (*ut etiam* S. *Hieronymus ad Suniam*) *pro*, eorum, *habet*, ejus: *Romanum vero, neutrum, & reſpondet hebræo. Schol.* καὶ παραχρῆμα ἡ καταιγὶς τῇ αὔρᾳ ὑποχωρεῖ, & ſtatim tempeſtas auræ cedit. (*g*) Eorum.] *Sic latini, & hanc lectionem probat* S. *Hieronymus ad Suniam. In multis autem codicibus græcis* (*quemadmodum & in codice Suniæ*) *& apud Theodoretum eſt*, θελήματος αὐτοῦ, voluntatis ſuæ. (*h*) Civitates.] *Schol.* Aquila, Symmachus, lxx. πόλιν, civitatem:

tatem: *& ſic latini.* (*i*) Geniminis.] καρπὸν γεννήματος. *S. Aug. & vetus*, fructum frumenti. *Vulg. & Rom.* fructū nativitatis. *Hac notione ſumitur ſæpe nativitas in Eccleſiaſtico.* (*k*) Non minoravit.] οὐκ ἐσμίκρυνε. *Romanum*, non ſunt minorata. S. *Auguſtinus, & vetus*, non ſunt diminuta. *Aquila*, οὐκ ὀλιγώσει, non minuet, *Symmachus*, οὐκ ὀλίγα ἐποίησεν, non pauca reddidit. *Theodotio, ut lxx.* (*l*) Et pauci.] *Symmachus*, ὠλιγώθησαν, καὶ κατεφθάρησαν ἀπὸ στενοχῆς κακῆς, καὶ ταλαιπωρίας. Imminuti, & corrupti ſunt a preſſura mala, & calamitate. (*m*) Contemptus.] *Sic S. Auguſtinus, & vetus, quod græce eſt*, ἐξουδένωσις. *Romanum & vulgata*, contentio: *ſed videtur legendum* contemptio. (*n*) Errare fecit.] *Aut*, ſeduxit, *ut* S. *Auguſtinus, & vetus. Romanum vero*, ſeduxerunt. *Theodoretus ex Symmacho*, καὶ πλανήσει αὐτοὺς, (*hucuſque Schol. tribuit etiam Aquilæ*) ἐν ματαιότητι διανοίας, & errare faciet eos in vanitate mentis. (*o*) A mendicitate] *Aut*, de inopia, *ut Romanum, & vulgata. Symmachus*, καὶ ὀχυρώσει πένητα ἀπὸ κακώσεως, καὶ τάξει ὡς ποίμνια τὰς συγγενείας, & muniet pauperem ab afflictione, & ſtatuet tanquam greges, cognationes. *Theodoretus ex Aquila*, καὶ ὑπερεπαρεῖ πτωχὸν ἐκ πενίας, καὶ θήσει ὡς ποίμνιον συγγενείας, *quæ ſic videtur vertiſſe* S. *Hieronymus*, & ſublevabit pauperem de inopia, & ponet quaſi gregem familias.

PSAL. CVII.

(*a*) GLoria mea.] *In aliis libris græcis hæc ſequuntur*, ἐγέρθητι ἡ δόξα μου. *& pſalt. vetus, & Romanum*, exurge gloria mea. *Abſunt tamen a vulgata, & S. Hieronymus, ad Suniam, inquit apud nullum interpretum reperiri: ſed ex pſalmo 56. huc eſſe ab aliquo tranſlata.* (*b*) Dextera.] *In aliis græcis codicibus eſt*, τῇ δεξιᾷ σου, *& in Latinis*, dextera tua. (*c*) Exaltabor.] ὑψωθήσομαι, S. *Auguſtinus*, exaltabo. *Vulgata*, exultabo. *Romanum, & vetus*, lætabor, *ut in pſalmo* 59. (*d*) Spei meæ.] *Aquila*, λουτῆρός μου, *quod Sanctus Hieronymus*, pelvis meæ. *Symmachus*, ἀμεριμνησίας μου, tranquillitatis meæ. *Theodotio, ut lxx* (*e*) Subditi ſunt.] ὑπετάγησαν. *Sic habent libri græci, quibuſcum facit metaphraſis Apollinarii.*

Ποσὶν ὑφ' ἡμετέροις ἀλλότρια φῦλα δαμάσθω.

In libro quodam manuſcripto ad marginem eſt appoſitum, ἐφιλίασαν. *Sanctus Hieronymus ad Suniam, ſcribit illud quidem eſſe in pſal. 59. ſed in hoc apud omnes tranſlatores inveniri*, ἐφιλιώθησαν. *al.* ἐφιλίασαν, *& vulgata*, amici facti ſunt. (*f*) Circumſtantiæ.] περιοχῆς. *Ita vetus pſalt. &* S. *Hieronymus, ex hebræo. Vulgata & Romanum*, munitam: *Symmachus*, περιπεφραγμένην, circumſeptam, circummunitam. (*g*) Nonne tu Deus.] οὐχὶ σὺ ὁ θεὸς, *Symmachus*, εἰ μὴ σὺ ὁ θεὸς, niſi tu Deus. (*h*) Et non exibis.] *Theodoretus ex Symmacho*, καὶ μὴ προελθὼν θεὲ ἐν τοῖς στρατεύμασιν (*al.* ταῖς στρατεύσεσιν) ἡμῶν; & qui non præiviſti Dee in exercitibus noſtris? (*i*) Et vana.] *Ita vetus pſalt. & Romanum: vulgata autem*, quia vana.

PSAL. CVIII.

(*a*) DEus laudem meam.] *Aquila*, θεὲ ὑμνήσεώς μου, Dee laudationis meæ. *Symmachus*, ὁ θεὸς ὑμνήσεώς μου. *Theodotio, ut lxx.* (*b*) Parietinis.] ἐκ τῶν οἰκοπέδων αὐτῶν. *Ita eſt apud* S. *Auguſtinum, & in vetere, in pſalmo* 110. *quare & hoc loco ita vertendum judicavimus, licet hic apud Latinos ſit*, habitationibus. *Theodoretus*, ſecundum alios autem, ἐκ τῶν ἐρειπίων, ex ruderibus, & ruinis. (*c*) Scrutetur fœnerator.] *Theodoretus, ex Symmacho*, συγκρούσαι πράκτωρ πάντα τὰ ὑπάρχοντα αὐτοῦ, concutiat exactor omnem ſubſtantiam ipſius. (*d*) Qui detrahunt mihi.] *Theodoretus*, alii autem dixerunt, τῶν ἀντικειμένων, qui adverſantur, *& ſic* S. *Hieronymus. Eandem varietatem notat & paulo poſt idem Theodoretus.* (*e*) Et caro mea.] *Theodoretus ex Symmacho*, καὶ ἡ σάρξ μου ἠλλοιώθη ἀπὸ ἀναλειψίας (*al.* ἀνηλειψίας) caro mea immutata eſt ab omiſſione unctionis. (*f*) Nimis.] *Notat Sanctus Auguſtinus, quod græce eſt* σφόδρα, *latinos interdum interpretari*, nimis, *interdum* valde: *& cum ita ponitur*, nimis, *poſſe & in laude poni.* (*g*) A perſequentibus.] *Aquila*, ἀπὸ κρινόντων, *Symmachus*, ἀπὸ τῶν κρινόντων, a judicantibus: *Theodotio*, ἐκ διωκόντων, *ſexta editio*, ἐκ τῶν διωκόντων, ab inſequentibus, *quinta editio*, ἐκ τῶν δικαζομένων, à judicium exercentibus.

PSAL. CIX.

(*a*) VIrtutis emittet tibi.] *Græci collati codices*, ῥάβδον δυνάμεως ἐξαποστελεῖ σοι. *Sed* S. *Hieronymus ad Suniam teſtatur manifeſte, & in Hebræo, & in lxx. interpretibus haberi*, virtutis tuæ: *ſicut & Latini habent.* (*b*) Dominare.] κατακυρίευε. *In multis codicibus additur*, καὶ, *quod idem* S. *Hieronymus negat apud lxx. haberi. Apud Tertullianum eſt*, & dominabitur, *apud Sanctum Cyprianum*, Sanctum *Auguſtinum, & in pſalterio veteri*, & dominaberis. *Aquila*, ἐπικράτει ἕνεκα τῶν ἐχθρῶν σου, invaleſce propter inimicos tuos. *Symmachus*, σὺ δὲ παίδευε ἔνδον τοὺς ἐχθρούς σου, tu autem corripe intus inimicos tuos: *quinta editio*, κατακυρίευσον, dominare, *ſexta*, κατακυριεύσεις, dominaberis. (*c*) In ſplendoribus ſanctorum tuorum.] *Vulgata*, in ſplendoribus ſanctorum. *Sanctus Auguſtinus & vetus*, in ſplendore ſanctorum. *Chryſoſtomus*: alius, ἐν δόξῃ ἁγίων, in gloria ſanctorum. (*d*) Ex utero.] *Aquila*, ἀπὸ μήτρας ἐξ ὠρθρισμένου σοι δρόσος παιδιότητός σου, de vulva e diluculo tibi ros pueritiæ tuæ. *Symmachus*, ὡς κατ' ὄρθρον σοι δρόσος ἡ νεότης σου, ſicut juxta diluculum tibi ros adoleſcentia tua. *Quinta editio*, ἐκ μήτρας ἐπὶ ὄρθρου σοι δρόσος ἡ νεότης σου, de vulva ſuper auroram tibi ros adoleſcentia tua. (*e*) Super terram multorum, ἐπὶ γῆς πολλῶν. *Vulgata*, in terra multorum. *Vetus*, ſuper terram multam. *Sanctus Auguſtinus*, ſuper terram multa. *Sanctus Hieronymus ex hebræo*, percuſſit caput in terra multa.

PSAL. CX.

(*a*) COrde meo.] *Illud*, meo, *ſuperfluum eſſe dicit Sanctus Hieronymus, & Apollinarius non habet.* (*b*) Exquiſita.] ἐξεζητημένα. *Chryſoſtomus*: alius, ἠκριβωμένα, accutata: alius, παρεσκευασμένα, parata, inſtructa. (*c*) Confeſſio.] *Chryſoſtomus*: alius, ἔπαινος, καὶ ἀξίωμα ἡ ἐργασία αὐτοῦ, laus, & dignitas, operatio ejus. (*d*) Eſcam dedit.] *Theodoretus, ex Symmacho*, θήραν ἔδωκεν τοῖς φοβουμένοις αὐτοῦ (*fortaſſe*, αὐτὸν) μνημονεύων αἰωνίου συνθήκης αὐτοῦ, venationem (*aut*, prædam) dedit timentibus ſe, recordatus ſempiterni teſtamenti ſui. S. *Hieronymus, in tradit. inquit*, θήραν, *apud Ægyptios, ſignificare far.* (*e*) Veritas.] *Chryſoſtomus*, ἔθος πολλάκις τῇ γραφῇ ἀλήθειαν καὶ τὴν φιλανθρωπίαν λέγειν· εἰ γὰρ δὴ μόνῳ τῷ τοῦ δικαίου ἐκέχρητο λόγῳ, πάντα ἂν ἀπωλώλει. Uſitatum ſæpe ſcripturæ ipſam etiam clementiam dicere veritatem, &c. (*f*) Facientibus eum.] *Sanctus Auguſtinus, & vetus, non habent*, eum.

PSAL. CXI.

(*a*) JUſtitia.] *Chryſoſtomus*: alius, ἡ ἐλεημοσύνη, miſericordia: alius, ἡ φιλανθρωπία, humanitas, & clementia. (*b*) Rectis.] *Sanctus Auguſtinus, & vetus*, rectis corde: *Theodoretus*: ἔθνεσιν gentibus. *Sed facilis lapſus ab* εὐθέσιν, *ad* ἔθνεσιν. (*c*) Suavis.] *Ut Sanctus Auguſtinus, & vetus, aut*, jocundus, *ut vulgata*, χρηστὸς ἀνήρ. *Theodoretus, ex Symmacho*, ἀγαθὸς ἀνὴρ χαριστικὸς, καὶ κιχρῶν, οἰκονομῶν τὰ πράγματα αὐτοῦ μετὰ κρίσεως, bonus vir beneficus, & commodans, diſponens res ſuas cum judicio. (*d*) Ab auditione mala] *Chryſoſtomus*: alius, ἀγγελίαν κακὴν οὐ φοβηθήσεται, nuncium malum non timebit. (*e*) Paratum.] *Symmachus*, ἑδραία ἡ καρδία αὐτοῦ ἀμέριμνος ἐν κυρίῳ, Firmum cor ejus, expers ſolicitudinis in Domino. (*f*) Non timebit.] οὐ φοβηθῇ, *Latini*, non commovebitur. (*g*) Donec videat ſuper.] *Sic Sanctus Auguſtinus, & vetus: nec multo aliter Sanctus Hieronymus ex hebræo*, donec aſpiciat in hoſtibus ſuis. *Vulgata*, donec deſpiciat inimicos ſuos: *Græce eſt*, ἕως οὗ ἐπίδῃ ἐπὶ τοὺς ἐχθροὺς αὐτοῦ.

PSAL. CXII.

(*a*) PUeri.] *Theodoretus*, παῖδας, hoc loco non juvenes, ut quidam exiſtimant, *ſed*, τοὺς δούλους, ſervos ipſos vocat. Ita enim & Aquila, & Symmachus, & Theodotio ſunt interpretati, & hebræus inquit: ἀβδῆ, Abde: ſic autem & Syrus. (*b*) Super filiis.] ἐπὶ τέκνοις, *latini tamen*, filiorum.

PSAL. CXIII.

(*a*) ÆGyptus.] *Schol.* Ægyptus interpretatur, σκότος, tenebræ. (*b*) Geſtierunt.] *Ita* S. *Auguſtinus, & vetus: vulgata*, exultaverunt, *Græce*, ἐσκίρτησαν. (*c*) Quia geſtiiſtis.] τὰ ὄρη, ὅτι ἐσκιρτήσατε, *S. Auguſtinus, & vetus*, quare geſtiiſtis. *Vulgata*, montes exultaſtis. (*d*) Commota.] *Vel*, mota, *ut vulgata. Aquila*, ὠδινήσατο, parturivit. (*e*) Qui convertit.] *Symmachus*, τοῦ μεταβάλλοντος, qui tranſmutat. (*f*) Rupem. *S. Auguſt. & vetus*, rupes, *Chryſoſtomus*, ἀκρότομον λέγει τὴν σιδήρῳ οὐ ῥᾳδίως εἴκουσαν, ἀλλ' ἐκ τῶν ἄκρων μόλις ἀποθραυομένην· ἀκρότομον, dicit, eam quæ ferro non facile cedit, ſed a ſummo vix frangitur. (*g*) Super miſericordiam tuam.] *Chryſoſtomus*: alius διὰ τὸ ἔλεός σου, propter miſericordiam tuam, *quemadmodum & Sanctus Hieronymus.* (*h*) Et in terra.] *Sic plerique libri græci*, καὶ ἐν τῇ γῇ. *quod Sanctus Hieronymus ad Suniam ſuperfluum eſſe dicit: & abeſt a vulgata, & veteri. Romanum vero*, Deus autem noſter in cœlo ſurſum: in cœlo, & in terra omnia, &c. *cum quo faciunt pſalterium Æthiopicum, & Apollinarius: nec multo aliter videtur habuiſſe Sanctus Auguſtinus.* (*i*) Simulachra.] *Schol.* ἀρχὴ τοῦ β'. μέρους τοῦ ψαλμοῦ. παρ' ἑβραίοις γὰρ εἰς δύο διῄρηται ὁ ψαλμός. οὕτω ἔν τισιν ἀντιγράφοις εὑρέθη, ὡς εὐσέβιος φησίν. Principium ſecundæ partis pſalmi. Nam apud hebræos in duos diviſus eſt hic pſalmus. Ita in quibuſdam exemplaribus, inventus eſt, ut inquit Euſebius. *Sed fortaſſe potuit hoc Scholion pertinere ad illa verba*, non nobis Domine, &c. (*k*) Recordatus noſtri.] μνησθεὶς ἡμῶν εὐλόγησεν ἡμᾶς, *latini*, memor fuit noſtri, & benedixit nos, *vel*, nobis. (*l*) Domino.] κυρίῳ, & eſt hebraiſmus: *latini*, a Domino. (*m*) Benedicemus.] εὐλογήσομεν τὸν κύριον, *& reſpondet hebræo: latini*, benedicemus. *In aliis codicibus græcis eſt*, εὐλογήσωμεν, benedicamus. *Theodoretus*, εὐλογήσομέν σε κύριε, benedicemus te Domine.

PSAL. CXIV.

(*a*) O Domine.] *Chryſoſtomus*: alius, ἀξιῶ κύριε, ἐξελοῦ τὴν ψυχήν μου, quæſo Domine, exime animam meam: alius, ὦ δὴ κύριε διάσωσον τὴν ψυχήν μου, Hem Domine ſalva animam meam. (*b*) Humilitatus ſum.] *Theodoretus, ex Symmacho*, ἐτόνησα, καὶ ἔσωσέν με, langui, & ſalvavit me. (*c*) In conſpectu. *Ita Sanctus Auguſtinus, & vetus, & omnes græci*, ἐνώπιον κυρίου, *quamvis Sanctus Hieronymus ad Suniam id dicat eſſe ſuperfluum, & probet, quod eſt in vulgata*, placebo Domino. *Chryſoſtomus*: alius, ἔμπροσθεν κυρίου, ante Dominum: alius, ἐμπεριπατήσω. *Et ſic Sanctus Hieronymus*, deambulabo.

PSAL. CXV.

(*a*) CRedidi.] *Theodoretus*: ὁ ἑβραῖος καὶ οἱ λοιποὶ ἑρμηνευταὶ τοῦτον τῷ προτεταγμένῳ συνάπτουσιν· τῆς γὰρ αὐτῆς ἔχεται διανοίας, καὶ τὸν ἔνατον διχῇ διελόντες, τῇ τῶνδε τῶν ψαλμῶν συναφῇ τὸν ἴσον τῶν ψαλμῶν φυλάττουσιν ἀριθμόν. Hebræus, & cæteri interpretes, & ipſe etiam Syrus, hunc pſalmum præcedenti conjungunt, eidem enim inhæret ſententiæ. Nonum autem in duos dividentes, hac horum pſalmorum conjunctione æqualem pſalmorum ſervant numerum. (*b*) Humiliatus ſum.] ἐταπεινώθην. *Symm.* ἐκακώθην, afflictus ſum, *& ſic S. Hier. Aliud ſchol.* Symm. ἠτόνησα, langui. (*c*) Ego autem dixi in ecſtaſi mea.] *Ita S. Aug. & vetus. Vulg. vero*, ego dixi in exceſſu meo. *Theodor.* Aquila autem ſic, ἐγὼ εἶπα ἐν τῷ θαμβεῖσθαί με, πᾶς ἄνθρωπος διάψευσμα, ego dixi in pavore meo, omnis homo mendacium (*& ſic S. Hier.*) Theodotio autem, πᾶς ἄνθρωπος ἐκλείπει, omnis homo deficit: Symmachus autem, καὶ εἶπον ἀδημονῶν, πᾶς ἄνθρωπος διαψεύδεται, & dixi, cum anxius ac mœrens eſſem, omnis homo mentitur. (*d*) Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus] *Hæc deſunt apud S. Auguſtinum, & in veteri: itemque paulo poſt*, & in nomine Domini (*vel*, & nomen Domini) invocabo.

PSAL. CXVII.

(*a*) QUoniam bonus] *In Græcis codicibus & hic & in duobus ſequentibus verſiculis hæc repetuntur : in veteri pſalt. & apud S. Auguſtinum hic, & in ſequenti : in vulgata hic tantum.* Quoniam in ſeculum miſericordia.] *Chryſoſtomus*, τȣτέστιν, διηνεκὴς ȣ̓ διακοπτόμενον. Hoc eſt, perpetua, & non interrupta. (*b*) Nomine Domini.] *Eſt hebraiſmus, ut ſubintelligatur præpoſitio. Quare S. Auguſtinus, & vetus*, & in nomine Domini ultus ſum eos. *Vulgata*, & in nomine Domini, quia ultus ſum in eos : *itemque S. Hieronymus ad Suniam, qui etiam inquit requiri illud*, quia. *Symmachus*, διέθρυψα, fregi. (*c*) Circundantes.] *Theodoretus* : Symmachus, ἐκύκλωσάν με, κ̀ πάλιν περιεκύκλωσάν με, circundederunt me, & rurſus undique circundederunt me : id eſt, ut notat *Schol.* ἐπαλλήλοις ἐχρήσαντο προσβολαῖς κ̀ πολιορκίαις παντοδαπαῖς, ſibi invicem perpetuo ſuccedentibus incurſionibus uſi ſunt, atque omni genere oppugnationum. (*d*) Favum.] κηρίον, *& ita S. Auguſtinus, & vetus. A vulgata, quemadmodum & ab hebræo, abeſt.* (*e*) Exarſerunt.] ἐξεκαύθησαν, *Aquila & Symmachus*, κ̀ ἀπεσβέσθησαν ὡς πῦρ ἀκανθῶν, & extinctæ ſunt, quaſi ignis ſpinarum, *& ita etiam S. Hieronymus, ſed ſine conjunctione*, &. (*f*) Impulſus] *S. Auguſtinus, & fortaſſe etiam vetus habuit*, tanquam cumulus arenæ impulſus ſum, ut caderem. (*g*) Caſtigans.] *S. Auguſtinus, & vetus*, emendans emendavit, παιδεύων ἐπαίδευσε. (*h*) Hæc porta.] *Ita græci collati codices. S. Auguſtinus, & vetus*, hæ portæ Domini : juſti intrabunt in eas. (*i*) In caput anguli.] *Theodoretus ex Symmacho*, ἀκρογωνιαῖος, in ſummo angulo poſitus. (*k*) Facta eſt hæc.] *Ita græci ; & eſt hebraiſmus, ponere fœmininum pro neutro : vulgata autem poſuit neutrum, ut ſæpe ſolet. S. Hieronymus, Sanctus Auguſtinus, & vetus*, a Domino factum eſt ei : & eſt mirabilis in oculis noſtris : *Aquila*, παρὰ κυρίȣ ἐγένετο, τȣ̃το αὐτὸ παράδοξον ἐφάνη ἡμῖν, a Domino factum eſt hoc : id incredibile viſum eſt nobis. *Symmachus*, αὕτη ἐστὶ θαυμαστὴ ἐν ὀφθαλμοῖς ἡμῶν, hæc eſt mirabilis in oculis noſtris. (*l*) Nunc] *Ita & alibi, & initio hujus pſalmi redditur particula* δὴ, *cujus loco nihil hic apud latinos ponitur. Habet autem ſæpe vim quandam deprecandi, ut apud latinos*, hem, amabo, obſecro : *quod & hoc loco in dictione hebræa agnoſcit S. Hieronymus in epiſtola ad Damaſum de Oſianna : ubi etiam illud* δὴ, *videtur potius ex aliis interpretibus agnoſcere, quam ex lxx, quamvis ita conjungat*, ὦ δὴ. (*m*) Bene proſperare.] εὐόδωσον, *& poſſet etiam verti*, bene proſpera, (*ita enim S. Auguſtinus, in explanatione*) proſpere deduc. (*n*) Conſtituite.] *S. Auguſtinus, & vetus*, conſtituite diem feſtum in confrequentationibus, *quaſi pro*, πυκάζȣσιν, *quod habent collata exemplaria, legerint*, πυκάσμασιν. *Chryſoſtomus* : Alius, δήσατε ἑορτὴν ἐν πιμελέσι, ligate ſolennitatem in pinguibus : alius, συνδήσατε ἐν πανηγύρει πυκάσματα, colligate in celebri conventu denſitates : *atque hunc locum juxta utrumque interpretem diligenter explanat. Scholiaſtes primam interpretationem tribuit Aquilæ, ſecundam Symmacho : & ad verbum*, πυκάζȣσιν, *hæc adnotat*, σκιάζȣσιν, καλύπτȣσιν, κοσμȣ̃σιν, obumbrantibus, tegentibus, ornantibus. τί δέ ἐστιν, συστήσατε ἑορτὴν ἐν τοῖς πυκάζȣσιν ; κατὰ μὲν τὸ ἕνα ἑρμηνευτὴν, θύσατε θυσίας λιπαράς. κατὰ δὲ τὸ ἕτερον, στεφανώματα κ̀ κλάδȣς, ἀνάψατε τῷ λαῷ. (*o*) Confitebor tibi.] *Schol.* ȣ̓͂τοι οἱ β'. στίχοι ȣ̓κ ἔκειντο ἐν τῷ τετρασελίδῳ παρ' ȣ̓δενὶ, ȣ̓͂τε παρὰ τοῖς ο'. ȣ̓͂τε εἰς τὸ εὐσεβίȣ. Hi duo verſiculi non ponuntur in Tetraſelido apud ullum, neque apud lxx, neque in libro Euſebii. *Aliud Scholion*, ὅλος ὁ στίχος παρ' ȣ̓δενὶ εὕρηται, totus ipſe verſiculus apud neminem eſt inventus. *Nam ultimus quidem*, confitemini, &c. *eſt etiam in hebræo, & magnam vim habet, ut Patres oſtendunt.* ȣ̓ μάτην ἐν δευτέρῳ κατὰ τὸ παρόντα ψαλμὸν τὸ στίχον ὁ ψαλμῳδὸς ἐνέταξεν. Non fruſtra in hoc Pſalmo verſum hunc Pſalmiſta repetit.

PSAL. CXVIII.

(*a*) BEati immaculati in via.] *Schol.* ȣ̓͂πω στίχος ἐστίν. ἔλεγε γὰρ τὶς τȣ̀ς στίχȣς ἐμμέτρȣς εἶναι τȣ̀ς παρ' ἑβραίοις, ἑξαμέτρȣς μὲν τȣ̀ς ἐν τῇ τȣ̃ δευτερονομίȣ ᾠδῇ. τȣ̀ς δὲ ψαλμȣ̀ς τριμέτρȣς εἶναι κ̀ τετραμέτρȣς. ἔστιν ȣ̓͂ν ὁ πρῶτος στίχος μέχρι τȣ̃, ἐν νόμῳ κυρίȣ. Nondum verſus eſt. Dicebat enim quidam verſus eſſe metricos apud Hebræos, hexametros quidem, qui in cantico Deuteronomii, pſalmos autem eſſe trimetros, & tetrametros. Eſt igitur primus verſus uſque ad illud, in lege Domini. (*b*) Dum inſpicio.] *Ita S. Auguſtinus, & vetus, quod Græce*, ἐν τῷ με ἐπιβλέπειν. *Sanctus Hilarius*, cum reſpicio. *S. Ambroſius*, cum perſpiciam, *vulgata*, cum perſpexero in omnibus mandatis tuis. (*c*) Uſque valde.] *Sic rurſus S. Auguſtinus, & vetus quod Græce*, ἕως σφόδρα. *S. Hilarius*, uſque nimis : *cujus etiam lectionis facit mentionem S. Auguſtinus. S. vero Ambroſius, & vulgata*, uſquequaque, *& hujuſmodi varietas in dictione iſta ſæpe uſu venit in hoc Pſalmo.* (*d*) Corriget] κατορθώσει, *ubi fere Latini*, corrigit. *Symmachus*, ἐν τίνι λαμπρυνεῖ νεώτερος τὴν ὁδὸν αὐτȣ̃, in quo illuſtrabit junior viam ſuam ? (*e*) Exercebor.] *Ita S. Hilarius, & S. Ambroſius, & vulgata* : *Vetus*, garriam : *cujus utriuſque lectionis mentionem facit S. Auguſtinus* : *Græce enim eſt*, ἀδολεσχήσω, *quod Apollinarius reddidit*, κελαδήσω, *& videtur accedere ad illud*, garriam. (*f*) Vivam.] ζήσομαι, *& ſic etiam Apollinarius, & SS. Hilarius, Auguſtinus, & vetus, & Romanum, & S. Hieronymus in ſua tralatione ex Hebr. S. Ambr.* ut vivam. *In aliis libris Græcis eſt*, ζῆσόν με, *& vulgata*, vivifica me. (*g*) Mirabilia.] *Symmachus*, τεράστια, prodigioſa. (*h*) Incola.] πάροικος. *Notat S. Auguſtinus aliquos ex noſtris*, iniquilinus, *aliquos*, incola, *nonnullos etiam*, advena, *eſſe interpretatos. S. Hilarius*, accola. (*i*) Concupivit.] ἐπεπόθησεν. *Theodotio, quinta, & ſexta editio*, ἐπεποίθησεν, confidit. *Symmachus*, τελεία ἦν, perfecta fuit, *Aquila, ut LXX.* (*k*) Conſilia mea.] *Ita S. Hilarius, & S. Ambroſius : cæteri Latini*, conſilium meum. (*l*) Fac me intelligere.] *Sic putat S. Auguſtinus expreſſius de Græco dici, quam*, inſinua mihi, *aut*, inſtrue me. (*m*) Dormitavit] *Sic Latinæ editiones, & Æthiopica* : ἐνύσταξεν, *Græci libri, & Apollinarius*, ἤμυσε, inclinabatur, & cadebat. *S. Ambroſius, licet teſtetur quoſdam codices habere*, dormitavit ; *ipſe tamen habuit*, ſtillavit, *& inquit Origenem hanc interpretationem eſſe ſequutum*, ἔσταξεν *Sanctus Hilarius hoc aliis interpretibus tribuit*, ἐνύσταξεν *vero lxx.* (*n*) Legem pone mihi.] νομοθέτησον, *quod poſſet etiam verti*, doce, oſtende. *Sanctus Hilarius*, legem itaque : *& inquit Latinum non potuiſſe ſatis explicare virtutem verbi Græci & Hebraici. S. Ambroſius*, legem mihi conſtitue. *Theodoretus*: Illud, νομοθέτησον, Symmachus dixit, ὑπόδειξον, oſtende : Aquila & Theodotio, φώτισον, illumina. (*o*) Quia ipſam volui] ὅτι αὐτὴν ἠθέλησα. *Aq.* ὅτι ἐν αὐτῇ ἐβουλήθην, quia in ipſa volui. *Theodotio, & ſexta editio*, ὅτι αὐτὴν ἠθέλησα, *quinta editio* ὅτι ἐν αὐτῇ, *Symmachus ut lxx. Ex quo ſcholio videtur colligi aliquid diſcriminis interfuiſſe inter lectionem lxx, & Theodotionis : & conſideranda ſunt quæ hoc loco dicuntur a S. Hilario.* (*p*) In timorem tuum.] εἰς τὸν φόβον σου, *& ſic vertit S. Hieronymus ex Hebræo. Latini tamen libri habent*, in timore tuo. (*q*) Quod ſuſpicatus ſum.] *Theodoretus* : Aquila autem pro ὑπώπτευσα, dixit, ὑπεστάλην. timui. Et ſic etiam Theodotio. Symmachus autem, ὃν εὐλαβȣ̃μαι, quod revereor. S. *Hieronymus*, quod reveritus ſum. (*r*) Secundum verbum tuum.] κατὰ τὸ λόγον σου. *Symmachus ut lxx. Aquila & Theodotio*, κατὰ τὸ λόγιόν σου, *& ſic Latini*, ſecundum eloquium tuum. (*ſ*) Nimis.] *Ita Romanum, & S. Ambroſius. S. Hilarius*, vehementer, *&* valde. *A vetere abeſt* : *Græci fere omnes hoc loco habent*, σφόδρα, *pauci autem in ſequenti verſiculo. S. Auguſtinus*, quæ dilexi : ſive, quod nonnulli codices habent in utroque verſu, dilexi valde, aut nimis, aut vehementer, ſicut interpretari placuit, quod græce, σφόδρα dicitur. *S. Hieronymus ad Suniam inquit eſſe ſuperfluum.* (*t*) Tua.] *Mirum eſt, quomodo & hoc S. Hieronymus dicat eſſe ſuperfluum ; cum non modo cæteri codices habeant græci, & latini, ſed ipſe etiam in ſua verſione.* (*u*) Et exercebor.] *S. Auguſtinus*, quod plures interpretes dicere maluerunt, quam lætabar, aut garriebam, quod aliqui interpretati ſunt ex eo quod græcus, ἠδολέσχȣν. (*x*) Verborum.] *Sic græci*, τῶν λόγων. *Sed latini*, verbi tui in quo. (*y*) Conſolatus ſum.] *S. Auguſtinus*, vel ſicut alii codices habent, & exhortatus ſum, id eſt, exhortationem accepi : Utrumque enim potuit interpretari de verbo græco, παρεκλήθην. *Id habet S. Hilarius. Sed S. Ambroſius*, & me conſolatus ſum. (*z*) Tædium.] *Sic S. Auguſtinus, & vetus, quod græce*, ἀθυμία. *Romanum*, defectio animi. *S. Hilarius, & vulgata*, defectio. *S. Ambroſius*, puſillanimitas. (*ω*) Incolatus mei.] *S. Auguſtinus*, vel ſicut alii codices habent, in loco peregrinationis meæ. *Theodoretus.* Ita etiam interpretati ſunt, & cæteri interpretes, ᾄσματα ἦν μοι πάντα τὰ προστάγματά σȣ ἐν τόπῳ τῆς παροικίας μȣ. cantica erant mihi omnia præcepta tua in loco peregrinationis meæ. (*aa*) Hæc facta eſt mihi.] *Laborat S. Auguſtinus, in iſta eloquutione explicanda : ſed eſt hebraiſmus : quare S. Hieronymus ita vertit*, hoc factum eſt mihi, *id eſt, hoc mihi boni contigit.* (*b*) Vias tuas.] *Ita græci codices & metaphraſis Apollinarii, & Ambroſiana editio Mediolanenſis Eccleſiæ, & Romana, & Æthiopica, & Arabica, cæteræ vero editiones latinæ, & SS. Hilarius, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, habent*, vias meas. *Theodoretus* : ὁ ἑβραῖος τὰς ὁδȣ́ς μȣ ἔχει. ὡσαύτως δὲ κ̀ οἱ ἄλλοι ἡρμήνευσαν ἑρμηνευταὶ, κ̀ οἱ ο'. ἐν τῷ ἑξαπλῷ. hebræus autem habet, τὰς ὁδȣ́ς μȣ, vias meas. Ita autem & cæteri interpretes ſunt interpretati, & ipſi lxx. in Hexaplo : *Addit autem Schol. pro eo quod ſequitur*, converti, *id eſt*, ἐπέστρεψα, *Symmachum dixiſſe*, ἐπέστρεφον, convertebam. *Nonnulli ex noſtris habent*, averti, *quod non placuit S. Hieronymo.* (*c*) Ad cuſtodiendum.] *S. Auguſtinus, ut cæteri fere latini, habet*, ut cuſtodiam, *ſed hæc addit*, quod aliqui interpretati ſunt ad cuſtodiendum mandata tua, *aliqui*, ut cuſtodirem, *aliqui*, cuſtodire : quod græcus poſuit, τȣ̃ φυλάξασθαι. (*d*) Peccatorum.] *Recte admonet S. Auguſtinus hoc non eſſe declinatum ab eo, quod ſunt peccata, ſed ab eo quod ſunt peccatores : eſt enim*, ἁμαρτωλῶν. (*e*) Particeps.] *Theodoretus*, Symmachus autem, pro, μέτοχος, dixit, συνημμένος, conjunctus. Syrus autem, φίλος, amicus. *Addit Schol. Aquilam & Theodotionem dixiſſe, ut lxx.* (*f*) Bonitatem.] *S. Auguſtinus* : Quod ait græcus, χρηστότητα, aliquando ſuavitatem, aliquando bonitatem noſtri interpretes tranſtulerunt. *S. Ambroſius*, jocunditatem, *eamque dictionem perpendit. Symmachus*, εὐηργέτησας τὸ δȣ̃λόν σȣ, *quod S. Hieronymus*, benefeciſti ſervo tuo. (*g*) Coagulatum.] *Schol.* ἐσκληρώθη, ἀπελιθώθη, induratum eſt, in lapidem degeneravit. (*h*) Bonum mihi.] *Theodotio, ut lxx, Symmachus*, συνήνεγκέ μοι, ὅτι ἐκακώθην ὑπὲρ τȣ̃ μαθεῖν τὰ προστάγματά σȣ, contulit mihi, quod afflictus ſum, ut diſcerem præcepta tua. (*i*) Plaſmaverunt.] *Aut*, finxerunt, *ut Sanctus Auguſtinus, & alii. Sanctus Ambroſius*, paraverunt. *Symmachus*, ἀπήρτισάν με, perfecerunt me. (*k*) Veritate.] *Ita græci, quod noſtræ editiones*, in veritate. *Sanctus Hilarius tamen habet*, vere, *quemadmodum etiam vertit Sanctus Hieronymus.* (*l*) Nunc.] *Sic Romanum, & Sanctus Ambroſius, quod græce*, δὴ, *& diximus ſæpe habere vim quandam obſecrationis.* (*m*) Convertantur ad me.] *S. Auguſtinus* : In nonnullis codicibus invenimus, & græcis, & latinis, convertantur mihi : quod tantundem valere exiſtimo, quantum ſi dicatur, ad me. *In græcis collatis codicibus eſt*, ἐπιστρεψάτωσάν με, *quod Theodoretus inquit Symmachum clarius dixiſſe*, ἀναστρεψάτωσάν με οἱ φοβȣ́μενοί σε, revocent me (*aut*, revertantur ad me) qui timent te. (*n* Fabulationes.] ἀδολεσχίας. *S. Auguſtinus*, quod uſque adeo uno verbo nequaquam dici latine poteſt, ut aliqui delectationes, aliqui fabulationes, eas dicerent, ut non immerito accipiatur eſſe quidem illas exercitationes, ſed in ſermone cum quadam delectatione. *SS. Hilarius, & Ambroſius habent*, exercitationes : *Aquila*, ἔσκαλλόν μοι ὑπερήφανοι βρόχȣς, ſarriebant mihi ſuperbi laqueos. *Symmachus*, ὑπώρυξάν μοι ὑπερήφανοι ὑπόγεια, ſuffoderunt mihi ſuperbi ſubterranea. *Quinta editio*, ὤρυξάν μοι ὑπερήφανοι βοθύνȣς, foderunt mihi ſuperbi foveas, *& ita S. Hieron.* (*o*) Injuſte.] *Sic S. Ambroſius* (*quod indicat explanatio*) *& fortaſſe S. Auguſtinus*, inique. S. *Hilarius, & pſalterium Æthiopicum* : *editiones latinæ*, iniqui, *aut*, injuſt. *In Arabico utrumque conjungitur*, iniqui inique. (*p*) Omnia ſerviunt tibi] *Sic latini, græce eſt*, τὰ σύμπαντα δȣ̃λα σά, omnia (*ſi latine dici poſſet*) ſunt ſerva tua. *An autem ita prorſus dixerunt lxx. dubitari poteſt ex iſto Scholio* : Theodotio, & Symmachus, ut lxx. Aquila, δȣ̃λα σά. (*q*) Tunc utique] *Sic ſolet ſæpe verti illud*, ἄν. S. *Ambroſius in explanatione*, alioqui periiſſem. *Plerique tamen hic habent*, forte, *aut*, forſitan. (*r*) Suſtinuerunt] *Theodoretus* : Illud, ὑπέμειναν, Symmachus, & Theodotio dixerunt, προσεδόκησαν, expectaverunt, *& ita latini.* (*ſ*) Omnis conſummationis] *Romanum*, omni conſummationi, *quod videtur reſpondere interpretationi Aquilæ, quæ refertur in Scholio*, τῇ πάσῃ τελέσει. *Theodoretus ex Sym.* πάσης κατασκευῆς εἶδον πέρας : εὐρύχωρος ἡ ἐντολή σȣ, omnis apparationis vidi terminum : ſpacioſum eſt mandatum tuum.

De iſta voce, πῶς, *diſputant SS. Hilarius, & Ambroſius, nec putant vocabulo latino ſatis exprimi ejus vim.* (*t*) Quomodo.] ὡς, *& poſſet verti*, Quam, *& ſic S. Hieronymus ex hebræo.* (*u*) Sapere me feciſti.] *Ita* S. *Auguſtinus, & vetus, quod græce,* ἐσόφισάς με, *Romanum, & vulgata, & S. Hilarius*, prudentem me feciſti. (*x*) Meum eſt.] ἐμή ἐστιν. *Latini*, mihi eſt. *Aquila*, ὅτι εἰς τὸν αἰῶνα αὕτη μοι, quia in ſempiternum hoc eſt mihi (*& ita S. Hieronymus:*) *Theodotio*, ὅτι εἰς τὸν αἰῶνά μοι, *Symmachus*, διὸ εἰς αἰῶνα αὕτη μοι, *quæ idem ſibi volunt.* (*y*) Prohibui pedes meos.] ἐκώλυσα τοὺς πόδας μου. *Aq.* εἶρξα πόδας μου, coercui pedes meos. *Theodotio, quinta, & ſexta editio*, ἐκώλυσα, *Symmachus, ut lxx.* (*z*) Lex tua.] *Ita S. Hieronymus, in cap.* I. *Aggæi, & pſalterium Æthiopicum, & ita codices græci, & Theodor.* ὁ νόμος σου, *& metaphraſis Apollinarii*, σεῖο θεσμός: *Editiones vero latinæ, SS. Hilar. Ambroſius, Auguſtinus*, verbum tuum. (*ω*) Tuis ſemper. *Sic Romanum pſalterium, & Æthiopicum & Arabicum, & iidem ſancti Patres, & codices græci, & Theodoretus*, χερσί σου, *& metaphraſis Apollinarii*, παλάμῃσι σέθεν.

Ἦτορ ἐμὸν παλάμῃσι διηνεκέως σέθεν ἴσχω.

Cæteræ vero editiones latinæ habent, in manibus meis, *quam SS. Auguſtinus, & Ambroſius, fatentur nonnullos codices habere, licet plures illam. S. Hieronymus ad Suniam teſtatur, & lxx. & omnes alios interpretes habuiſſe*, in manibus meis, *& Schol.* Aquila, ἡ ψυχή μου ἐν ταρσῷ μου, anima mea in vola mea. Symmachus, ἡ ψυχή μου μετὰ χεῖρά μου, anima mea ad manum meam: Theodotio, ut lxx. Quinta editio, ἐν χειρί μου, in manu mea, *& ita S. Hieronymus.* (*aaa*) Eloquium.] λόγιον. *Schol.* lxx, Theodotio, & Symmachus, τὸν λόγον σου, ſermonem tuum: Aquila, τὸ ῥήματί σου, verbo tuo. *Theodoretus habet*, κατὰ τὸ ἔλεός σου, ſecundum miſericordiam tuam. (*b*) Vivifica me.] καὶ ζῆσόν με. *Latini, & pſalterium Arabicum & Æthiopicum*, & vivam: *neutrum, videtur Apollinarius habuiſſe, qui ſic vertit,*

Ἀμφὶ τεοῖς ἐπέεσσιν ἀρηγόνα χεῖρα πταίνεις,
Μηδὲ καταισχύνῃς με τεὴν δεδοκημένον ἀλκήν.

(*c*) Ad nihilum deduxiſti.] *Aut*, ſpreviſti, *ut Romanum, & vulgata, &* SS. *Hilarius, & Ambroſius: Aquila*, ἀπεσκολόπισας πάντας τοὺς ἀποστρεφομένους ἀπὸ ἀκριβασμοῦ, ὅτι ψευδεῖς συνεπιθέσεις αὐτῶν, confixiſti omnes avertentes ſe a lege, quoniam mendaces ſunt doloſæ coitiones eorum. *Symmachus.* ἀπήλεγξας πάντας τοὺς ῥεμβομένους ἀπὸ τῶν προσταγμάτων σου· ματαία γὰρ πᾶσα ἡ δολιότης αὐτῶν, reprobaſti omnes vagantes à præceptis tuis: vana enim omnis doloſitas eorum. *Theodotio, & quinta editio*, ἐξουδένωσας πάντας τοὺς πλανωμένους ἀπὸ τῶν ἀκριβασμάτων σου, ὅτι ἄδικον τὸ ἐπιθύμημα αὐτῶν, ad nihilum deduxiſti omnes errantes à præceptis tuis, quoniam injuſta cupiditas eorum. (*d*) Prævaricantes.] *Aut*, prævaricatores, *ut* S. *Ambroſius: Aquila*, στέμφυλα διελογίσω πάντας ἀσεβεῖς τῆς γῆς, vinacea deputaſti omnes impios terræ. *Symmachus*, σκωρίαν (*al.* σκαιωρίαν, *ſed Theodoretus habet*, σκωρίαν) ἐλογίσω πάντας παρανόμους, Scoriam, (*al.* dolum) putaſti omnes, tranſgreſſores legis: *Theodotio & quinta editio*, εἰς οὐδὲν διέκοψας τοὺς ἀσεβεῖς τῆς γῆς, ad nihilum concidiſti impios terræ. (*e*) Confige clavis.] *Ita putat S. Auguſtinus recte verti illud*, καθήλωσον, *eodem modo* S. *Ambroſius: Theodotio, ut lxx. Symmachus*, ὀρθοτριχεῖ ἀπὸ φόβου σου ἡ σάρξ μου, *quod Sanctus Hieronymus videtur vertiſſe*, horripilavit à timore tuo caro mea.] *Aquila*, ἡλώθη ἀπὸ πτοήσεώς σου ἡ σάρξ μου, clavis fixa eſt, a pavore tui caro mea. (*f*) Feci judicium.] ἐποίησα κρίμα. *Aquila, quinta & ſexta editio*, ἐποίησα κρίσιν, *quod idem valet. Symmachus*, ἐποίησα τὰ κρίματά σου, feci judicia tua. (*g*) Iis qui mihi injuriam faciunt.] τοῖς ἀδικοῦσί με. SS. *Hilarius, Ambroſius & Auguſtinus, & vetus pſalterium*, nocentibus me, *vulgata*, calumniantibus me. *Romanum*, perſequentibus me: *quarum lectionum mentionem facit etiam* S. *Auguſtinus, ac miratur in nullo ſe codice legiſſe*, adverſantibus, *cum in ſuo græco haberet*, τοῖς ἀντιδίκοις, *quod tamen in nullo ex collatis exemplaribus eſt inventum.* (*h*) Excipe.] *Ita* SS. *Hilarius, & Auguſtinus, & vetus, quod græce eſt*, ἔκδεξαι. *Romanum*, elige, *vulgata, & S. Ambroſius*, ſuſcipe. *Symmachus*, ἀνάδεξαι, recipe, *Aquila, & Theodotio*, ἐγγύησαι, ſponde, *quod etiam eſt* S. *Hieronymi.* (*i*) Domino.] *Ita* S. *Hilarius, & vetus.* S. *Auguſtinus, licet teſtetur in quibuſdam etiam haberi codicibus, quod eſt in vulgata, & Romano, & apud* S. *Ambr.* Domine. *Symmachus*, καιρὸς κράξαι τῷ κυρίῳ, ὅταν διασκεδαννύουσι τὸν νόμον σου, tempus clamandi Domino, quando diſſipant legem tuam. (*k*) Diſſipaverunt.] διεσκέδασαν. *Schol.* Aquila, ἠκύρωσαν, irritam fecerunt, cætera autem, ut lxx. Quinta, & ſexta, διεσκέδασαν. (*l*) Illuminabit.] *Latini habent in præſenti tempore*, illuminat, intelligere facit, *aut*, intellectum dat, *ſed græci codices*, φωτιεῖ, καὶ συνετιεῖ. (*m*) Deſcenderunt.] *Ita vetus, &* S. *Ambroſius: &* S. *Auguſtinus, quod græce eſt*, κατέβησαν, *& ſignificat*, deſcendere fecerunt. *In nonnullis autem codicibus*, κατέδυσαν, *quod hoc loco idem videtur valere.* S *Auguſtinus mentionem etiam facit lectionis, quam habent* S. *Hilarius, & Romanum*, tranſierunt. S. *Ambroſius teſtatur fuiſſe aliquos codices, qui haberent*, κατεβίβασαν *unde vulgata*, deduxerunt. *Idem* S. *Ambroſius, lib.* 2. *de pœnit. cap.* 10. *& alibi habet*, per exitus aquarum deſcenderunt oculi mei, *ut videatur aut putaſſe legendum*, δι' ἐξόδοις, *aut præpoſitionem addidiſſe ad locum explicandum: nam & hoc loco dicit in explanatione*, oculi tanquam in decurſus deſcendunt aquarum: *qua de re diſputat etiam* S. *Auguſtinus hic.* (*n*) Cuſtodivi.] *Ita* S. *Ambroſius, & Arabicum & Æthiopicum: cujus lectionis mentionem etiam facit* S. *Auguſtinus, licet ipſe habeat illam, quam cæteri latini, & quam probat* S. *Hieronymus*, cuſtodierunt. *Apollinarius,*

Δακρυόεντα κέλευθα φίλης προχέεσκον ὀπωπῆς,
Οὕνεκα θεσπεσίων ὑπέδραμον ἤθεα θεσμῶν.

(*o*) Zelus tuus.] *Sic* S. *Hilarius, Romanum, &* S. *Ambroſius*, zelus domus tuæ: *quarum lectionum mentionem facit* S. *Aug. licet ipſe habeat, ut vetus, & vulgata*, zelus meus: *Aquila*, ἐξώλεσέν με ὁ ζῆλός σου, conſumpſit me zelus tuus. *Sym.* ἀπεσιώπησέν με ἡ ζήλωσίς μου, tacere me fecit zelus meus. (*p*) Ignitum.] S. *Hilarius.* Non explicat proprietatem verbi hujus, latinitatis tranſlatio. Quod enim nobiſcum ignitum; id græce, πεπυρωμένον, ſcribit: πεπυρωμένον, autem id ſignificat quod tanquam conflatum, igne purgatum ſit. (*q*) Et viam.] *In multis græcis codicibus eſt*, καὶ ζῆσόν με, & vivifica me. S. *Hilar.* intellectum da mihi eorum & vivificet. (*r*) Tibi.] *Romanum, & vulg.* ad te, *a vetere utrumque abeſt, itemque à* S. *Auguſtino, qui tamen hæc addit*, vel ſicut nonnulli codices habent & græci, & latini; clamavi te, & ſalvum me fac. Quid eſt, clamavi te, niſi clamando invocavi te? (*ſ*) In immaturitate.] ἐν ἀωρίᾳ, *quam dictionem explicat recte* S. *Ambroſius;* S. *Hilarius, & Romanum, & vulgata*, in maturitate. *Vetus*, intempeſta nocte. S. *Auguſtinus*: plures codices non habent intempeſta nocte, ſed immaturitate. Vix autem unus inventus eſt, qui haberet geminatam præpoſitionem, id eſt, in immaturitate, &c. (*t*) Vivifica me.] ζῆσόν με. *Schol.* Theodotio, ζῆσόν με. Aquila, ζώωσόν με, *quod idem valet. Symmachus*, ἀναζώωσόν με, revivifica me. (*u*) Iniquitate.] *Ita vetus, &* S. *Aug. quod græce eſt*, ἀνομίᾳ, *& poſſet etiam verti*, iniquitati, *quod habet* S. *Hilarius, & vulgata. Romanum*, iniqui. S. *Aug. teſtatur quoſdam codices habere*, inique, *& ita* S. *Ambr. Sym.* ἔσπευσαν οἱ διώκοντές με, feſtinaverunt perſequentes me. (*x*) Propter verbum tuum.] *Ita* S. *Ambr. quod græce*, διὰ λόγον σου. *Theodoretus*, διὰ τῶν λόγων σου, per verba tua. *latini*, propter eloquium tuum, *quomodo ſolent vertere*, λόγιον. (*y*) Secundum judicium tuum vivifica me.] *Aquila* κατὰ κρίσεις σου ζώωσόν με, ſecundum judicia tua vivifica me, *quod habet* S. *Ambroſius.* (*z*) Inſenſatos.] *Sic vetus &* S. *Aug. quod græce*, ἀσυνετοῦντας, *Romanum*, SS. *Hilarius, & Ambr.* non ſervantes pactum, *vulgata*, prævaricantes, *quæ videntur ex aliis eſſe interpretationibus. Nam ita Scholiaſtes*: Aquila, Theodotio, Sexta, ἀσυνθετοῦντας, Symmachus, & Quinta, ἀθετοῦντας. (*ω*) Septies.] *Theodoretus*: Quidam illud, ἑπτάκις, interpretati ſunt, πλειστάκις, ſæpenumero. (*aaaa*) Laudavi.] *Sic vetus, &* S. *Auguſtinus: Alii*, laudem dixi tibi: *Aquila & Symmachus*, ὕμνησά σε, hymnis celebravi te. (*b*) Eructent.] ἐξερεύξαιντο, *& ſic in ſequentibus, Latini tamen* eructabunt, pronunciabunt. (*c*) Elegi.] ᾑρετισάμην. *Theodoretus*: Symmachus, quidem, εἱλόμην, Aquila autem, & Theodotio, ἐξελεξάμην, dixerunt, *quæ idem fere valent.* (*d*) Concupivi.] ἐπεπόθησα. *Theodotio, quinta, & ſexta editio*, ἐπεποίθησα, *quod valet*, ſperavi, & confidi: *Aquila*, ἐξεχόμην, avide pendebam. *Symmachus*, ὑπερεπεθύμησα, ſuperconcupivi, *ſi ſatis latini dici poteſt.*

PSAL. CXIX.

(*a*) Canticum graduum.] ᾠδὴ τῶν ἀναβαθμῶν. *Notat S. Auguſtinus hic gradus aſcendentes ſignificari. Theodoretus*: Theodotio, ᾆσμα τῶν ἀναβάσεων, canticum aſcenſionum: Symmachus autem, & Aquila, εἰς τὰς ἀναβάσεις, ad aſcenſiones. (*b*) A labiis injuſtis.] *Sic S. Auguſtinus, & vetus*, ἀπὸ χειλέων ἀδίκων, *alii autem Latini*, iniquis. *Chryſoſtomus*: alius, ἀπὸ χείλους ψευδοῦς, a labio mendaci. (*c*) Quid detur tibi. *Chryſoſtomus*: alius, τί παρέξει σοι, ἢ τί προσθήσει σοι γλῶσσα δολία; quid præbebit tibi, aut quid apponet tibi lingua doloſa? Alius autem, τί δώῃ σοι, καὶ τί προσθείη σοι γλῶσσα κατεπιθέσεως; quid dederit tibi, & quid adjecerit tibi lingua inſidioſæ invaſionis? quodnam, inquit, inventum fuerit hac improbitate dignum ſupplicium? (*d*) Deſolatoriis.] *S. Auguſtinus*, vel vaſtatoribus: τοῖς ἐρημικοῖς. *Chryſoſtomus*: alius, βέλη τοῦ δυνάστου ἠκόνηται μετὰ ἀνθράκων ἐστοιβασμένων, ſagittæ potentis acutæ cum carbonibus conſtipatis: & alius, σὺν ἀνθρακιαῖς ἀρκευθίναις cum carbonibus juniperinis. *Hoc Scholiaſtes tribuit Aquilæ.* (*e*) Prolongatus eſt.] *Aut*, longinquus factus eſt, *ut S. Auguſtinus, & vetus. Chryſoſtomus*: Alius ὤ μοι, ὅτι παροικῶν παρείλκυσα, hei mihi, quia protraxi incolatum: alius, ὅτι προσηλύτευσα ἐν μακρισμῷ, quia proſelytus fui in longitudinem. (*f*) Cum tabernaculis.] *Ita etiam S. Auguſtinus, & vetus: cæteri fere latini*, cum habitantibus. (*g*) Cum loquebar illis.] *Aquila*, ὅταν ἐλάλουν αὐτοῖς, εἰς πόλεμον, cum loquebar illis, ad bellum: *Theodotio fere, ut lxx.* ὅταν ἐλάλουν αὐτοῖς, ἐπολεμοῦσάν με. *Symmachus*, ἐλάλουν αὐτοῖς, πολεμικῶς, loquebar illis, bellantium & oppugnantium more.

PSAL. CXX.

(*a*) Levavi.] *Vetus, & S. Auguſtinus*, levent oculos ſuos in montes, unde veniet auxilium illis: *quod in nullo ex collatis græcis codicibus eſt inventum.* (*b*) Non des.] *Ita codices græci, & Chryſoſtomus, & Theodoretus & Apollinarius:*

Ἀλλὰ φίλος μὴ σεῖο πόδα κλονέεσθαι ἐάσῃς.

at pſalterium vetus, & S. Auguſtinus, ne des ad movendum pedem meum. *Cæteræ editiones latinæ, &* S. *Hilarius*, non det in commotionem pedem tuum. *Pſalterium Æthiopicum*, non det pedem meum. *Chryſoſtomus autem, & Theodoretus quod ſequitur*, μὴ γὰρ νυστάξῃ, *ipſi videntur legiſſe*, μὴ γὰρ νυστάξει, non dormitabit, *Aquila*, μὴ δώῃς εἰς σφαλμὸν πόδας σου, ne des in prolapſionem pedes tuos. *Theodotio*, μὴ δώῃς εἰς σάλον (*quod item eſt in noſtris græcis.*) *Symmachus.* μὴ δώῃς περιτραπῆναι, ne des circumverti. (*c*) Manum dextram tuam.] *S. Auguſtinus, & vetus*, protegat te Dominus, ſuper manum dexteræ tuæ. *Chryſoſtomus*: alius, παρὰ τὴν χεῖρα τὴν δεξιάν σου, juxta manum dexteram tuam. (*d*) Cuſtodiat.] φυλάξαι, *multi codices græci habent*, φυλάξει, cuſtodiet, *latini* cuſtodit, *multaque aliæ ſimiles varietates & in hoc, & in aliis pſalmis ſunt.* (*e*) Introitum.] *Chryſoſtomus*: alius, τὴν προσέλευσίν σου, acceſſum tuum.

PSAL. CXXI.

(*a*) In iis qui dixerunt mihi.] *Ita videtur legiſſe Sanctus Auguſtinus, licet habeat, ut vetus*, in his quæ. *Nam ſic inquit in explanatione:* Jocundatus ſum in prophetis, jocundatus ſum in Apoſtolis. Omnes enim iſti dixerunt nobis, in domum Domini ibimus. *Cæteri Latini*, in his quæ dicta ſunt mihi. *Chryſoſtomus*: alius, εὐφράνθην εἰπόντων μοι, εἰς τὸν οἶκον κυρίου ἤλθομεν, lætatus ſum, cum dicerent mihi, in domum Domini venimus. (*b*) Quæ ædificatur.] *Symmachus*, ἱερουσαλὴμ τὴν ᾠκοδομημένην ὡς πόλιν, συνάφειαν ἔχουσαν ὁμοῦ, Hieruſalem ædificatam, ut civitatem, habentem connexionem ſimul: *quam etiam interpretationem expendit Chryſoſtomus.* (*c*) Tribus.] *Chryſoſtomus*: alius, σκῆπτρα, ſceptra. (*d*) Interrogate.] *Ita S. Auguſtinus, quod græce*, ἐρωτήσατε. *Notat Chryſoſtomus idem valere, ac petite, & rogate: quam dictionem cæteri fere latini habent. Idem teſtatur alium interpretem dixiſſe*, ἀσπάσασθε τὴν ἱερουσαλήμ, ſalutate, amplectimini Hieruſalem. (*e*) Et abundantia.] εὐθηνία. *Chryſoſtomus*: alius, ἠρεμήσουσι, quieſcent : alius, εὐπαθήσαισαν ἀγαπῶντές σε, bonis afficiantur diligentes te. *Theodoretus hoc totum ex Symmacho*, ἀσπάσασθε τὴν ἱερουσαλὴμ, ἠρεμήσουσιν οἱ ἀγαπῶντές σε. (*f*) Virtute tua.] *Chryſoſtomus* : alius, ἐν τῷ περιτειχίσματί σου, in antemurali tuo : alius, ἐν τῷ περιβόλῳ σου, in ambitu tuo. (*g*) Et abundantia in turribus tuis.] καὶ εὐθηνία ἐν τοῖς πυργοβάρεσί σου, *& poterat etiam verti*, & proſperitas in turritis palatiis tuis. *Schol.* βάρεις, apud Syros vernacula lingua dicuntur domus magnæ : *de qua re S. Hieronymus in pſal.* 44. *ad Principiam. Chryſoſtomus*: alius, εὐπάθεια, proſperitas : alius, ἠρεμία, quies : alius, ἡσυχία ἐν τοῖς βασιλείοις σου, tranquillitas in regiis tuis. *Theodoretus hoc totum ex Symmacho*, εἴη εἰρήνη ἐν τῷ περιβόλῳ, ἡσυχία ἐν τοῖς βασιλείοις σου. (*h*) Loquebar.] ἐλάλουν δή. *Sed noſtri omittunt illud* δή. *Chryſoſtomus* : alius, λαλήσω εἰρήνην ἐν σοὶ, loquar pacem in te.

PSAL. CXXII.

(*a*) IN plurimum.] *Ita S. Auguſtinus, & vetus, quod Græce*, ἐπὶ πλεῖον. *Romanum*, & multum. *S. Hilarius, & vulgata*, quia multum. *Theodoretus* : Symmachus autem ſic, πολλὰ ἐχορτάσθη ἡ ψυχὴ ἡμῶν ἐπιλαλούντων τῶν εὐθηνούντων, ἐξουδενιζόντων τῶν ὑπερηφάνων, multum ſatiata eſt anima noſtra, obloquentibus abundantibus, & ſpernentibus ſuperbis. *Chryſoſtomus hæc eadem refert, & addit* : alius, τοῦ μυχθισμοῦ (*fortaſſe*, μυκτηρισμοῦ) τῶν ὑπερφερῶν, ſubſannatione elatorum : alius, ἐξουδενώσεως αὐτῶν εὐθηνούντων, deſpectione eorum qui bonis affluunt. *Schol. ex Aquila*, πολλὰ ἐνεπλήσθη, multum impleta eſt.

PSAL. CXXIII.

(*a*) NIſi quia Dominus.] *Symmachus*, εἰ μὴ κύριος, ὃς ἐγένετο ἡμῖν, niſi Dominus, qui factus eſt nobis. (*b*) Forſitan aqua abſorbuiſſet.] *Aut*, demerſiſſet, *ut S. Auguſtinus, & vetus. Chryſoſtom* : alius, τότε ἂν τὰ ὕδατα παρέκλυσεν ἡμᾶς, ὡς φάραγξ, παρελθόντα κατὰ τῆς ψυχῆς ἡμῶν, tunc utique aquæ inundaſſent nos, tanquam gurges, tranſeuntes ſuper animam noſtram. (*c*) Fortaſſe pertranſivit.] *Ita S. Auguſtinus, & vetus, quod Græce*, ἄρα διῆλθεν, *ac poſſet tamen verti, ut alii latini*, forſitan pertranſiſſet. *Notat autem S. Auguſtinus illud*, ἄρα, *non eſſe proprie*, forſitan : *ſed hoc valere*, putas pertranſiit anima noſtra aquam ſine ſubſtantia ? *additque*, Et quare dicunt, putas ? quia magnitudo periculi vix facit credibile, quod evaſit. *Poterat tamen in hoc pſalmo verti* utique profecto. *Chryſoſtomus* : alius, τότε παρῆλθον ὑπὲρ τὴν ψυχὴν ἡμῶν, ὡς τὰ ὕδατα, οἱ ὑπερήφανοι, tunc tranſierunt ſuper animam noſtram ſuperbi, velut aqua. (*d*) Intolerabilem] S. *Auguſtinus, & vetus*, ſine ſubſtantia. S. *Hieronymus in commentariis* : Verbum, ἀνυπόστατον, apud græcos ambiguum eſt : & poteſt ſonare, quod non ſubſiſtat (*ita enim legendum*) & quod intolerabile ſit, hoc eſt, quod nemo ferre queat. Pro quo & Aquila, & Symmachus, & Theodotio, & omnes interpretes pari voce conſentiunt, ſuperbas aquas, & arrogantes, pro, ἀνυπόστατον, transferentes.

PSAL. CXXIV.

(*a*) NOn commovebitur.] *Chryſ.* alius, ἀπερίτρεπτον εἰς τὸν αἰῶνα οἰκούμενον περὶ ἱερουσαλὴμ, immutabilem in æternum, qui habitat circa Hieruſalem. (*b*) Ut non extendant.] *Chryſoſtomus* : alius, διὰ τοῦτο οὐκ ἐκτείνουσιν οἱ δίκαιοι εἰς ἀνομίαν χεῖρας αὐτῶν, propterea non extendunt juſti ad iniquitatem manus ſuas. (*c*) Strangulationes.] στραγγαλιάς. *Sanctus Auguſtinus, & vetus*, ſtrangulationem. S. *Hilarius*, ad obligationes : *Romanum*, ad obligationem. *Vulgata*, in obligationes. *Theodoretus* : Aquila quidem interpretatus eſt, διαπλοκάς, implicationes, ſimultates : Symmachus veró, σκολιότητας, obliquitates, & tortuoſitates. *Theodotio autem*, διεστραμμένα, perverſa.

PSAL. CXXV.

(*a*) CUm converteret.] *Sic videtur legiſſe S. Auguſtinus in progreſſu explanationis, licet initio habeat, ut vetus*, cum converterit. *S. etiam Hilarius in progreſſu*, dum avertit. *Vulgata autem, & Romanum*, in convertendo Dominus : *& ſi diceretur*, Dominum, *reſponderet Hebræo, & Græco. Chryſoſtomus* : alius, ὅταν ἐπιστρέψει κύριος τὴν αἰχμαλωσίαν σιὼν, ἐσόμεθα παρακεκλημένοι, cum redire faciet Dominus captivitatem Sion, erimus conſolati : alius interpres, ὡσεὶ ἐνυπνιαζόμενοι, ſicut ſomniantes. *De iſta voce*, ſicut, *diſputat S. Auguſtinus, & Theodoretus ita inquit* : Illud, ὡσεὶ, hoc loco ſignificat ἐπίτασιν, intentionem, & amplificationem. (*b*) Exaltatione.] *Theodoretus*, τὴν ἀγαλλίασιν, Aquila quidem, αἴνεσιν, laudationem, Symmachus autem, εὐφημίαν, benedictionem, ſunt interpretati. (*c*) Torrentes.] χειμάῤῥοις, *quod latini*, torrens : *ſed illud magis reſpondet hebræo, & cæteris interpretibus. Chryſoſtomus* : alius interpres, ὡς καταῤῥοίας, ſicut fluenta : alius, ὡς ὀχετοὺς, ſicut rivos (*& ita* S. *Hier.*) alius, ὡς ἀφέσεις, ut emiſſiones. *Scholiaſtes primum tribuit Aquilæ, ſecundum Symmacho, tertium quintæ editioni.*

PSAL. CXXVI.

(*a*) ÆDificantes.] *Latini addunt*, eam, *& paulo poſt*, cuſtodit eam. (*b*) In vanum] εἰς μάτην. *Vulgata*, vanum. *Aquila*, εἰκῆ ὑμῖν ὀρθρίζουσι ἀνίστασθαι, βραδύνουσιν καθῆσθαι, fruſtra vobis ante lucem evigilantibus ſurgere tardantibus ſedere. *Symmachus*, μάταιον ὑμῖν ἐξ ὄρθρου ἀνίστασθαι εἰς τὸ οἰκῆσαι, vanum vobis a diluculo ſurgere ad habitandum. *Chryſoſtomus* : alius, χρονίζουσιν τοῦ καθῆσθαι, differentibus ſedere. (*c*) Surgite.] *Theodoretus inquit eſſe*, ἐγείρεσθαι, *modo infinito, & non imperandi, & editio Gallicana habet*, ſurgere. (*d*) Panem doloris.] *Scholiaſtes ex Theodotione & Symmacho affert*, εἰδώλων, idolorum, *ex ſexta editione*, πλάνης, erroris. S. *Hieronymus ad Marcellam de ſexta eodem modo, itemque de Theodotione, cui conjungit quintum, Symmacho autem tribuit*, ἄρτον κακοπαθούμενον, quod exponitur, *inquit*, panem ærumnoſum, *& Aquilæ*, ἄρτον διαπονημάτων, *qua de re diligenter diſputat.* (*e*) Merces fructus.] ὁ μισθὸς τοῦ καρποῦ. *Schol. ex Chryſoſtomo* : alius, μισθὸς ὁ καρπὸς τῆς γαστρὸς, merces ipſe fructus ventris. (*f*) Ita filii excuſſorum.] *Theodoretus* : Theodotio autem, ὡς βέλη ἐν χειρὶ δυνατοῦ, οὕτως υἱοὶ νεότητος, ſicut ſagittæ in manu potentis ; ita filii juventutis: Secundum hanc autem & Aquila, & Symmachus ſunt interpretati. S. *Hieronymus ad Marcellam*, quod Aquila interpretatus eſt, ſicut filii pubertatum : Symmachus, & Theodotio, ſicut filii juventutis : Sexta, ἠκονηθέντος νοῦ, quod nos dicere poſſumus, exacuti ſenſus. *Chryſoſtomus* : alius, πεδητῶν, alligatornm. (*g*) Beatus qui.] *Schol. ex Aquila, & Symmacho*, ἀνὴρ, vir. *Sed Sanctus Hieronymus ad Suniam, teſtatur hoc etiam in lxx haberi.* (*h*) Implebit deſiderium.] *Sic Sanctus Hieronymus ad Suniam ; quamvis in libris latinis fere omnibus ſit*, implevit. *Chryſoſtomus* : alius, τὴν φαρέτραν αὐτοῦ, pharetram ſuam. (*i*) Confundentur.] *Ita Romanum, & S. Hilarius* : *quamvis cæteri latini habeant*, confundetur, loquetur.

PSAL. CXXVII.

(*a*) PAlmarum tuarum.] τῶν καρπῶν σου. *Theodoretus* : Symmachus autem, κόπον χειρῶν σου ἐσθίων, laborem manuum tuarum comedens : ut perſpicuum ſit, etiam lxx, καρποὺς, non vocaſſe fructuum perceptionem, ſed particulam manus. *Quod etiam notavit* S. *Hier. ad Marcellam, cum libri latini haberent*, fructuum tuorum. *Etiam primo Reg. cap.* 5. καρποὶ, *eadem notione accipiuntur pro particula manus. Schol. refert ex Aquila*, κόπον ταρσῶν σου, laborem volarum tuarum. (*b*) Sicut vitis abundans.] S. *Auguſtinus, & vetus*, ſicut vinea fertilis. (*c*) In lateribus.] *Chryſoſtomus* : alius, ἐν τοῖς ἐσωτάτοις, in penetralibus : (*nam ſic* S. *Hieronymus* :) alius, ἐν τοῖς μηροῖς, in fœmoribus. (*d*) Novellæ.] νεόφυτα. S. *Auguſtinus & vetus*, novellatio. (*e*) Et videas bona.] *Chryſoſtomus* : alius, καὶ ὅρα ἐν ἀγαθοῖς ἱερουσαλὴμ, & vide in bonis Hieruſalem. (*f*) Pax.] *Sic græci, & cæteri latini, præter Sanctum Hilarium, & vulgatam, ubi eſt*, pacem. *Apollinarius*,

Εἰρήνη χαιρέτω μετὰ κλυτὸν ἰσραήλον.

PSAL. CXXVIII.

(*a*) IMpugnaverunt.] *Sic S. Hilarius, & melius hoc modo videtur verti*, ἐπολέμησαν, *quam quomodo cæteri*, expugnaverunt. (*b*) Etenim non potuerunt mihi.] *Chryſoſtomus*, alius, ἀλλ' οὐκ ἠδυνήθησάν μοι, non potuerunt mihi : alius, ἀλλ' οὐχ ὑπερίσχυσάν μου, ſed non prævaluerunt mihi. (*c*) Fabricaverunt.] *Theodoretus, ex Aquila, & Theodotione*, ἠροτρίασαν, araverunt. (*d*) Prolongaverunt.] ἐμάκρυναν, *quod S. Auguſtinus, & vetus*, longe fecerunt injuſtitiam ſuam. *Theodoretus* : Aquila autem, ἐμήκυναν, in longum protraxerunt. Symmachus autem, παρέτεινον κακοῦντες, protenderunt affligentes. (*e*) Concidit cervices.] συνέκοψεν, *latini fere*, concidet. *Theodoretus*, τοὺς αὐχένας. Aquila quidem, & Symmachus ſunt interpretati, βρόχους, laqueos : Theodotio autem, κλοιοὺς, numellas : *quod in quodam Scholio tribuitur quintæ editioni.* (*f*) Et avertantur.] *Ita S. Auguſtinus, & vetus* : *vulgata*, & convertantur. S. *Hilarius*, & revertantur. *Romanum*, & revertantur omnes. *Chryſoſt.* alius, ἀνατραπήτωσαν εἰς τὰ ὀπίσω, evertantur retrorſum. (*g*) Evellatur.] πρὸ τοῦ ἐκσπασθῆναι, *Theodoretus videtur habuiſſe*, πρὸ τοῦ ἐξανθῆσαι, priuſquam floruerit. *Ita enim ſcribit*, Quædam exemplaria non habent, ἐξανθῆσαι ſed ἐκσπασθῆναι. *Quod habetur etiam in Scholio, & additur* : Aquila, ὃ ἀρχῆθεν ἀνέθαλεν, ἐξηράνθη, quod olim germinabat, exaruit : Theodotio, & Quinta editio, ἐκσπασθῆναι, Symmachus, ἐκκαυλῆσαι, caulem emitteret. Sexta editio, ἐκστερεῶσαι, firmaret. (*h*) Implevit manum.] ἐπλήρωσε τὴν χεῖρα, *licet multi latini*, implebit. *Chryſoſtomus teſtatur, pro*, χεῖρα, *alium dixiſſe*, δράκα, pugnum. (*i*) Benediximus.] *Schol.* lxx dixerunt, εὐλογήκαμεν, Symmachus, εὐλογοῦμεν, benedicimus.

PSAL. CXXIX.

(*a*) CLamavi tibi.] *Cæt. Latini*, ad te. *Theodor.* ἐκέκραξά σε, clamavi te : *de qua loqutione diximus etiam ſupra ex* S. *Auguſtino. Et Schol.* Theodotio, ut lxx. ἐκέκραξά σε κύριε. Aquila, ἐκ βαθέων ἐπικαλεσάμην σε κύριε, de profundis invocavi te Domine : Symmachus, ἐκ βαθυτάτων ἐκάλεσά σε κύριε, de profundiſſimis vocavi te Domine : quinta, & ſexta editio, ἐκέκραξά σε κύριε, Clamavi te Domine. (*b*) Nomen tuum.] *Sic eſt in editione Ambroſiana Eccleſiæ Mediol. & in pſalterio Arabico, & Æthiopico, & in pleriſque libris græcis, & apud Theodoretum, qui hæc refert* : Pro τοῦ ὀνόματος, Aquila quidem & Theodotio interpretati ſunt φόβον, timorem, Symmachus aûtem, νόμον, legem, *quod habent cæteræ editiones latinæ, & SS. Hilarius, & Auguſt. Scholiaſtes addit quintam dixiſſe*, ὅπως ἐπίφοβος ἔσῃ, ut terribilis ſis. *Chryſoſt. habet*, νόμον, *& hæc affert* : alius, ἕνεκεν τοῦ ὀνόματός σου, propter nomen tuum : alius, ἕνεκεν τοῦ γνωσθῆναι τὸν λόγον σου, ut cognoſcatur verbum tuum : alius, ἕνεκεν φόβου ὑπέμεινα κύριον, propter timorem ſuſtinui Dominum : alius, ἕνεκεν νόμου διέμεινα κύριον, propter legem expectavi Dominum. S. *Hieronymus ad Suniam*, Pro nomine enim ſive lege apud hebræos legitur thira, quod Aquila interpretatus eſt, φόβον, hoc eſt, timorem, Symmachus, & Theodot. νόμον, id eſt, legem, putantes thora propter literarum jod & vau ſimilitudinem, & formam, quæ tantum magnitudine diſtinguuntur. Quinta editio terrorem interpretata eſt : ſexta, verbum. *Apollinarius ita reddit*,

Εἵνεκα σῆς σοφίης ἀρετὴν βασιλήϊον ἔτλην.

propter tuam ſapientiam virtutem regalem ſuſtinui. (*c*) In verbum tuum.] *Sic vetus & SS. Auguſt. & Hilarius. Vulgata autem, & Romanum*, in verbo ejus. *Chryſoſtomus* : alius, προσεδόκησεν ἡ ψυχή μου τῷ ῥήματι αὐτοῦ, expectavit anima mea verbum ejus : alius, ὑπέμεινεν ἡ ψυχή μου, καὶ τὸ ῥῆμα αὐτοῦ ἐκαραδόκησα, ſuſtinuit anima mea & verbum ejus expectavi. *Scholiaſtes hoc tribuit Aquilæ, & hæc addit*, ψυχή μου εἰς κύριον ἀπὸ φυλασσόντων τὴν πρωΐαν, anima mea ad Dominum præ cuſtodientibus matutinam vigiliam.

PSAL. CXXX.

(*a*) NEque in altum elati.] *Sic vetus & S. Auguſtinus, quod Græce*, ἐμετεωρίσθησαν, *cæteri Latini tantum*, elati ſunt. *Chryſoſtomus* : alius, οὐδὲ ὑψώθησαν, neque exaltati ſunt. (*b*) In magnis.] *Theodoretus* :

Symmachus, autem ἐν μεγαλειότησιν. Aquila autem, ἐν μεγαλωσύναις, in magnificentiis : *Hoc ſecundum in Scholio tribuitur Theodotioni.* (*c*) Neque in mirabilibus.] *Theodoretus, ex Symmacho,* οὐδὲ ὑπερβάλλουσιν ὑπὲρ με, neque tranſcendentibus ſuper me : *quod item in Schol. tribuitur Theodotioni.* (*d*) Si non humiliter.] *Theodoretus, ex Symmacho,* εἰ μὴ ἠξίωσα, καὶ ὡμοίωσα τὴν ψυχήν μου ἀπογαλακτισθέντι πρὸς μητέρα αὐτοῦ, οὕτως ἀνταποδοθείη τῇ ψυχῇ μου, ſi non dignatus ſum & ſimilem reddidi animam meam ablactato erga matrem ſuam, ſic retribuatur animæ meæ. *Putat autem S. Ioannes Chryſoſtomus eſſe hyperbaton : ut ita ſit intelligendum,* ſi non humiliter ſentiebam, ſicut ablactatus ſuper matrem ſuam, ſed exaltavi animam meam ; ita retribuatur animæ meæ. (*e*) Sic retribues.] *Ita Romanum, nec multo aliter Ambr. S. Hilarius,* ſicut ablactato ſuper matre ſua, ſic retribues in animam meam. *Græce eſt,* ἀνταποδώσεις, *in commentariis quibuſdam eſt inventum,* ἀνταπόδοσις, *& ſic cæteri latini,* retributio.

PSAL. CXXXI.

(*a*) MAnſuetudinis.] *Aquila,* κακουχίας. *Symmachus,* κακώσεως, *quæ vexationem & afflictionem ſignificant. Quinta editio,* ταπεινώσεως, humiliationis. (*b*) Sicut.] ὡς. *Romanum habet,* quis, *ut videatur legi potuiſſe in Græco,* ὅς. *Notat S. Hieronymus, in comment. hoc reſpondere Hebræo.* (*c*) Et requiem.] *Schol.* οὗτος ὁ στίχος οὐκ ἔκειτο ἐν τῷ τετρασελίδῳ. παρὰ τῷ Θεοδοτίονι μόνῳ, ἀντὶ τοῦ, τοῖς βλεφάροις μου, ἔκειτο, τοῖς κροτάφοις μου νυσταγμόν. ἐν δὲ τῷ ὀκτασελίδῳ, παρὰ μόνοις τοῖς ό. ἔκειτο ὠβελισμένον. Hic verſus non eſt poſitus in Tetraſelido. Apud ſolum Theodotionem, pro, τοῖς βλεφάροις μου, Palpebris meis, poſitum eſt, τοῖς κροτάφοις μου νυσταγμόν, temporibus meis dormitationem. In octaſelido autem apud ſolos lxx. poſitus eſt obelo notatus. (*d*) Campis ſylvæ.] S. *Auguſtinus & vetus,* in campis ſaltuum : *Aquila, & Symmachus,* ἐν χώρᾳ, in regione. *Quinta editio,* ἐν ἀγρῷ, in agro. (*e*) Intremus.] εἰσελευσόμεθα, *& paulo poſt,* προσκυνήσωμεν. *Romanum,* introivimus, adoravimus : *Sanctus Auguſtinus, & vetus,* intravimus, adorabimus, *S. Hilarius,* intrabimus, adorabimus. *vulgata,* introibimus, adorabimus. *Et in multis codicibus græcis legitur,* εἰσελευσόμεθα. (*f*) Sanctificationis tuæ.] *Chryſoſtomus :* alius, τῆς ἰσχύος σου, fortitudinis tuæ, (*quod etiam eſt S. Hieronymi :*) alius, τοῦ κράτους σου, potentiæ tuæ. (*g*) Induentur.] ἐνδύσονται, *Latini fere omnes habent,* induantur juſtitia, *aut,* induent juſtitiam. *Chryſoſtomus :* alius, ἀμφιεσθήτωσαν, veſtiantur : alius, ἐνδυσάσθωσαν δικαιοσύνην, induantur juſtitiam, id eſt, ſanctitatem, ſacerdotium, latriam. (*h*) Non avertas faciem.] *Aquila,* μὴ ἐπιστρέψῃς τὸ πρόσωπον τοῦ χριστοῦ σου, ne convertas faciem Chriſti tui : *Theodotio,* μὴ ἀποστρέψῃς. *Symmachus,* μὴ ἀποστραφῇς. non avertas. (*i*) Non fruſtrabitur eam.] μὴ ἀθετήσει αὐτήν, non irritam faciet eam, non recedet ab ea : *latini habent,* non fruſtrabitur eum, *aut,* non pœnitebit eum, *ut S. Auguſtinus, & vetus.* (*k*) Sedem tuam.] *Sanctus Cyprianus 2. teſtim.* ſuper thronum meum. *Sanctus Ambroſius* ſuper ſedem meam, *eodemque modo habuiſſe Sanctum Hilarium videtur explanatio indicare.* (*l*) Præelegit.] *Ita fere latini omnes præter vulgatam : quæ habet,* elegit. *Græce priore loco eſt,* ἐξελέξατο, *poſteriore,* ᾑρετίσατο, *quod videtur majorem quandam vim habere.* (*m*) Venationem.] θήραν. *Scribit Sanctus Hieronymus, in comm. ita habere ipſos lxx. Sed propter novitatem verbi, & unius litteræ demutationem, paulatim obtinuiſſe ut pro,* θήραν, *legeretur,* χήραν, viduam : *quod eſt in latinis editionibus, in pſalt. Arabico, & Æthiopico, & in aliquot libris græcis, & metaphraſi Apollinarii. S. Hilarius refert quendam ita eſſe interpretatum,* captionem ejus : *Sed putavit apud lxx eſſe,* viduam, *eamque tranſlationem ſequendam tanquam conſignatam ad Eccleſiæ doctrinam. Utriuſque lectionis fit mentio in Scholiis. Quinimo ex ſimili fortaſſe litteræ mutatione factum eſt, ut in quibuſdam codicibus, & apud Cyrillum in cap. 60. Eſaiæ, ſit,* θύραν, portam. *Theodoretus, ex Symmacho,* τὴν σίτησιν αὐτῆς εὐλογῶν εὐλογήσω, annonam ejus benedicens benedicam. *Scholiaſtes adjungit,* Aquila, ἐπισιτισμὸν αὐτῆς εὐλογῶν εὐλογήσω, (*quod idem valet.*) Theodotio, & quinta editio, ut lxx. *De hac re S. Hieronymus ſcribit etiam in tradit. in Gen. cap. 25.* (*n*) Exultatione exultabunt.] *Aquila,* αἰνέσει αἰνέσουσιν, laudatione laudabunt. *Symmachus,* εὐφημοῦντες εὐφημήσουσιν, benedicentes benedicent. (*o*) Ibi ſuſcitabo.] *Ita Sanctus Auguſtinus, & vetus : quod græce eſt,* ἐκεῖ ἐξανατελῶ, *& poterat etiam verti, ut vertit S. Hieronymus ex hebræo,* ibi oriri faciam : *cæteri autem latini,* illuc producam. (*p*) Sanctificatio mea.] τὸ ἁγίασμά μου. *Symm.* ὁ ἁγιασμός μου, *quod idem valet Chryſ.* alius, τὸ κέρας, cornu : alius, ἀφόρισμα αὐτοῦ, ſegregatio ejus : alius, ἀφωρισμένον αὐτοῦ, ſegregatum ejus.

PSAL. CXXXII.

(*a*) ECce nunc.] *Sic Græci: Latini autem non diſcedentes a ſententia,* Ecce quam bonum, & quam jucundum habitare fratres in unum. *Chryſoſt.* alius, ἰδοὺ δὴ τί ἀγαθὸν, καὶ τί καλὸν, ἀλλ' ἢ τὸ κατοικεῖν ἀδελφοὺς ἐπὶ τὸ αὐτό ; Ecce nunc quid bonum, & quid pulchrum, niſi habitare fratres in unum ? (*b*) Sicut unguentum.] *Aquila,* ὡς ἔλαιον ἀγαθὸν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς καταβαῖνον ἐπὶ τὸν πώγωνα, τὸν πώγωνα Ἀαρὼν, τὸ καταβαῖνον ἐπὶ στόμα ἐνδυμάτων αὐτοῦ, ſicut oleum bonum ſuper caput, deſcendens in barbam, barbam Aaron, deſcendens in os indumentorum ejus. *Symm.* ὡς τὸ μύρον τὸ κάλλιστον ἐπὶ κεφαλὴν καταῤῥέον ἐπὶ πώγωνα τοῦ Ἀαρὼν, τὸ καταῤῥεῦσαν ἐπὶ τὴν ᾤαν τῶν περιμέτρων αὐτοῦ, ſicut unguentum optimum ſuper caput, defluens in barbam Aaron, quod defluxit ad oram veſtimentorum circummetientium illum. *Alius,* ἐνδυμάτων αὐτοῦ, indumentorum ejus. Theodotio, ut lxx. (*c*) Montes.] τὰ ὄρη, *nam & ſupra,* montes in circuitu ejus : *latini tamen,* montem.

PSAL. CXXXIII.

(*a*) IN atriis.] S. *Hilarius* : Reperi autem quoſdam ambiguos circa hoc, in atriis domus Domini, fuiſſe, dicentes, idcirco hoc a tranſlatoribus primis adjectum eſſe, quia ſub hiſdem verſibus ſequenti pſalmo continetur, opinantibus ipſis, ſcriptorum vitio in libris hebraicis fuiſſe præteritum. Sed novi interpretes, quæ volunt, tractent : nobis vero obſequendum eſt, & auctoritati tralationum, & vetuſtati. *Ejuſmodi quiddam ſcribitur in comm. S. Hieronymi. In omnibus quidem collatis libris græcis, & latinis verba illa habentur.* (*b*) In noctibus.] *Qui vertunt ex hebræo, hæc cum antecedentibus conjungunt.* (*c*) In ſancta.] *Chryſoſtomus* : alius, ἁγίως, ſancte : alius, ἡγιασμένως, ſanctificate.

PSAL. CXXXIV.

(*a*) BOnus.] ἀγαθός. *Chryſoſtomus,* alius, ὅτι χρηστὸς, *quod interdum diximus verti,* bonum, *interdum,* ſuave. *Pſalterium Romanum, & S. Hilarius habet,* quoniam benignus. (*b*) Quoniam dicens.] *Ita vertit S. Hieronymus, ex Hebræo, & optime convenit dictioni Græcæ,* ὅτι καλόν. *S. Hilarius, & vulgata,* quoniam ſuave *S. Auguſtinus, & vetus, & Romanum,* quoniam ſuavis. *Aquila,* ὅτι εὐπρεπὲς, quoniam decorum. *Theodotio,* ὅτι ἡδὺ, quoniam dulce, *Symmachus ut lxx.* (*c*) In poſſeſſionem ſibi.] εἰς περιουσιασμὸν ἑαυτῷ. *Theodoretus ex Symmacho,* εἰς ἐξαίρετον ἑαυτῷ, in ſelectum quiddam ſibi. (*d*) Educens nubes ab extremo terræ.] *Chryſoſtomus* : alius, ἀναβιβάζων, faciens aſcendere : alius, ἀνασπᾷ ἀπ' ἄκρων, attrahit ab extremis : alius, ἐκ τελέσματος, de fini, & ſummitate. (*e*) Qui educit.] ὁ ἐξάγων, *Scholiaſtes videtur alio quodam modo legiſſe apud lxx. & fortaſſe,* ἀνάγων, *ut paulo ſuperius : aut hæc, quæ affert ad locum illum pertinent* : Aquila, quinta, & ſexta editio, ἐξαγών. Symmachus, προφέρων, proferens : Theodotio, ut lxx. (*f*) Suis.] αὐτοῦ. *Schol.* Tres illi, quinta, & ſexta, αὐτῶν eorum. (*g*) Iſrael.] *Schol.* lxx, & tres illi, τῷ Ἰσραὴλ, ipſi Iſrael, *quod eſt expreſſius.* (*h*) Memoriale tuum.] *Chryſoſtomus* : alius, ἡ ἀνάμνησίς σου, recordatio tui. (*i*) Deprecabitur.] *Ita vulgata, quaſi,* exorabitur, *quod græce eſt,* παρακληθήσεται. *& poterat etiam verti, ut vertit S. Hieronymus ex hebræo,* erit placabilis, S. *Auguſtinus, & vetus,* advocabitur : *Romanum, & S. Hilarius,* conſolabitur. (*k*) Non audient.] *Hic in cæteris libris latinis, præterquam in vulgata interjiciuntur multa ex iis quæ habentur pſal.* 113. (*l*) Omnes qui confidunt.] *Aquila,* πᾶς ὃς πέποιθεν ἐπ' αὐτοῖς, omnis qui confidit in eis. *Theodotio,* καὶ πάντες οἱ ἐλπίζοντες ἐπ' αὐτὰ, & omnes qui ſperant ſuper ea. *Symmachus,* πᾶς ὁ πεποιθὼς αὐτοῖς, omnis fretus eis. *Quinta editio,* πᾶς ὃς ἐλπίζει ἐπ' αὐτοῖς, omnis qui ſperat in eis. *Sexta,* πᾶς ὁ ἐλπίζων ἐπ' αὐτὰ, omnis ſperans ſuper ea. (*m*) In Sion.] ἐν σιών. *Sic S. Hilarius, cæteri fere,* ex Sion : *& in aliquot libris græcis eſt,* ἐκ σιών.

PSAL. CXXXV.

(*a*) ALleluia.] *Schol.* ἡ προκειμένη ἐπιγραφὴ περιέχει ἀλληλούϊα. ἔν τισι δὲ τοῖς ἀντιγράφοις εὕρομεν μετὰ τὸ ἀλληλούϊα, καὶ τῆς διπλῆς, ἐπιγεγραμμένον. Propoſita inſcriptio habet alleluia. In quibuſdam vero exemplaribus invenimus poſt alleluia inſcriptum, τῆς διπλῆς, duplicis, *aut,* duplæ. (*b*) Qui firmavit.] *Chryſoſt.* alius, τῷ πλήσαντι, qui conſtrinxit. (*c*) Luminaria.] *Aut,* lumina : *Nam græce eſt* φῶτα, *in Geneſi autem,* φωστῆρας. *Schol.* Theodotio, τὰ ἄστρα, ſydera : Aquila & Symmachus, ut LXX. (*d*) In poteſtatem.] *Chryſoſtomus* : alius, ἐπικρατεῖν τῆς ἡμέρας, ad dominandum diei. (*c*) Diviſiones.] *Aquila,* εἰς ἀποτμήματα, in ſegmata. *Symmachus,* εἰς τομὰς, in ſectiones. (*f*) Eſcam.] *Chryſoſt.* alius, διδοὺς ἄρτον πάσῃ σαρκὶ, dans panem omni carni : alius, ὃς δίδωσιν, qui dat.

PSAL. CXXXVI.

(*a*) HIeremiæ.] S. *Hilarius,* maxime, cum quibuſdam placuerit, cum tanquam Hieremiæ titulo inſcribi, quia ab ipſo ſit, antequam accidit denunciata captivitas. *Romanum habet tantum,* Pſalmus David, *quod & alii Græci. Vulgata autem,* pſalmus David propter Jeremiam. *Theodoretus,* οὗτος ψαλμὸς ἀνεπίγραφος παρ' ἑβραίοις. θρασὺ δέ τινες πρᾶγμα τετολμήκασιν ἐπιγράψαντες, τῷ δαυὶδ διὰ ἱερεμίου. Pſalmus hic ſine inſcriptione eſt apud Hebræos. Quidam vero impudens facinus auſi ſunt, inſcribentes, τῷ δαυὶδ διὰ ἱερεμίου, &c. *Schol.* ἀνεπίγραφος παρ' ἑβραίοις. εἰς τὸ εὐσεβίου, τῷ δαυὶδ, μόνον ἐπεγέγραπτο. καὶ ἔξω, ἀνεπίγραφος παρὰ τοῖς γ. ἐν τῷ ὀκτασελίδῳ ὁμοίως, τῷ δαυὶδ, ἐπεγέγραπτο παρὰ μόνοις τοῖς ό. Sine titulo apud Hebræos. In libro Euſebii tantummodo inſcriptum eſt, τῷ δαυὶδ, & extra (*ſignificat fortaſſe,* ad marginem) ἀνεπίγραφος παρὰ τοῖς γ', ſine titulo apud tres illos. In octaſelido item apud ſolos lxx. inſcriptum eſt illud, τῷ δαυὶδ. (*b*) Recordaremur Sion.] *Sic SS. Auguſtinus, & Hilarius, & vetus, & græce,* τῆς σιών. *Vulgata, & Romanum,* dum recordaremur tui Sion. (*c*) Organa.] *Chryſoſt.* alius, citharas : *alius,* lyras. (*d*) Et qui abduxerunt.] *Chryſoſtomus* : alius, οἱ καταλαζονευόμενοι ἡμῶν, ſuperbe ſe jactantes in nos. (*e*) Obliviſcatur, ἐπιλησθείη ἡ δεξιά μου, *& ab aliquibus, ſubintelligitur,* me, *quod expreſſerunt SS. Auguſtinus, & Hilarius, & pſalterium vetus, & Romanum,* obliviſcatur me : *ab aliis accipitur paſſive, ut in vulgata,* oblivioni detur : *& ita enim putat accipiendum S. Hilarius : Chryſoſtomus, & Theodoretus videtur ita accipiſſe,* obliviſcatur mei dextra. (*f*) Sicut in principio.] *A latinis fere omnibus abeſt illud,* ſicut : *& S. Hilarius habet,* principium. *Aquila,* ἐπὶ κεφαλὴν εὐφροσύνης μου, ſuper caput lætitiæ meæ. *Symmachus,* ἐν ἀρχῇ εὐφροσύνης, in principio lætitiæ. *Theodotio, quinta & ſexta editio, ut lxx.* (*g*) Filiorum Edom.] *Chryſoſtomus* : alius, τοῖς υἱοῖς ἐδώμ. filiis Edom : *& iſte fortaſſe, ſi poſtea dixit,* τὴν ἡμέραν ἱερουσαλήμ, *ut habet noſtra, noluit accipi* in die, *ut noſtra acceperunt, ſed hoc ſibi voluit,* in memoriam redigito filiis Edom diem Hieruſalem. (*h*) Ad fundamenta ejus.] *Sic græci, latini autem,* ad fundamentum in ea. (*i*) Miſera.] *Aut,* infelix, *ut S. Auguſtinus, & vetus. Symmachus,* ἡ λῃστεὶς, prædatrix. *Aquila,* ἡ προνενομευμένη, vaſtata (*ut S. Hieronymus :*) *Theodotio,* διαρπασθησομένη. diripienda. (*k*) Quam retribuiſti.] *Chryſoſtomus* : alius, ὃ προεποίησας ἡμῖν, quam antea feciſti nobis.

PSAL. CXXXVII.

(*a*) AGgæi, & Zachariæ.] *Iſta a pleriſque libris abſunt : a multis etiam illud,* Pſalmus. *Schol.* Theodotio, Ipſi David : apud Aquilam, & ſextam, ſine titulo. (*b*) Et coram angelis.] *Schol.* alius, ἐναντίον θεῶν ᾄσω σοι, coram Diis canam tibi. *Chryſoſtomus* : alius, παῤῥησιάσω σε, *al.* παῤῥησίᾳ θεάσω σε, libere & fidenter prædicabo te, *al.* cum fiducia intuebor te : alius, ἔναντι θεῶν μελῳδήσω σοι, coram Diis modulabor tibi. *Explanat autem diligenter locum & de angelis, & de diis.* (*c*) Quoniam audiſti omnia verba oris mei.] *Notat S. Hieronymus, in comment. hunc verſiculum abeſſe ab hebræo. Abeſt etiam a textu Theodoreti; attamen in explanatione videtur eum indicare. Apud latinos alio ordine legitur*, confitebor tibi Domine in toto corde meo: quoniam audiſti (*al.* exaudiſti) verba (*al.* omnia verba) oris mei. (*d*) Super omne.] *Ita etiam S. Auguſtinus, & vetus, & vulgata. S. Hilarius*, ſuper omnia. *Romanum*, ſuper nos: *Sunia & Fretela ad S. Hieronymum ſcripſerant in ſuis ſe codicibus reperiſſe*, ἐπὶ πάντας, ſuper omnes. *Sed teſtatur S. Hieronymus in LXX legi*, ἐπὶ πᾶν, *quod S. Hieronymus videtur accipere*, in omni re. *Idem vero hæc addit:* alius, ἐμεγάλυνας γὰρ ὑπὲρ πάντα τὰ ὀνόματά σου τὴν ῥῆσίν σου, magnificaſti enim ſuper omnia nomina tua verbum tuum: alius, τὸ λόγιόν σου, eloquium tuum: *atque ita fere interpretatur ex hebræo S. Hieronymus in epiſt. ad Suniam, & in ſuo pſalterio.* (*e*) In quacunque die.] *Chryſoſtomus*: alius, ἐν ᾗ ἂν ἡμέρᾳ ἐπικαλεσάμην σε, ἐπήκουσάς μου, in quacunque die invocavi te, exaudiſti me. (*f*) Multiplicabis me.] *Ita fere S. Hilarius*, multiplicabis me in anima virtute tua. *S. Auguſt.* multiplicabis me in anima mea, virtutem. *A vetere, & vulgata abeſt illud*, me. *Romanum*, multiplicabis in anima mea virtutem tuam. *Græce autem eſt*, πολυωρήσεις, *quod, ut Chryſoſtomus, & Theodoretus explanat, poterat verti*, evehes, exaltabis, confirmabis. *Sed non ſumus auſi mutare contra conſenſum communem: præſertim cum eodem modo verſa ſit iſta dictio in pſal.* 11. multiplicaſti filios hominum. *De iſto verbo accurate S. Hieronymus diſputat in Eſa. c. 52. Idem Chryſoſtomus*: alius, συνέστησας, (*al.* συνέστης) τῇ ψυχῇ μου δυνάμεις, conſtituiſti, & collegiſti animæ meæ (*aut* in anima mea) virtutes. *Theodoretus, ex Symmacho*, συνέστης τῆς ψυχῆς μου δυνάμει, affuiſti virtuti animæ meæ. (*g*) In viis Domini.] *Ita latini præter Romanum, in quo eſt*, in canticis Domino, *& in aliquot codicibus græcis eſt*, ταῖς ᾠδαῖς, *& in metaphraſi Apollinarii*, θεσπεσίοις μελέεσσιν. *Schol.* cantica Dei monumentis mandavit, quæ prænunciat fore ut omnes qui ex gentibus, canant. *Multi tamen habent*, ὁδοῖς, *& nonnulli*, ἐν ταῖς ὁδοῖς σου κύριε, in viis tuis Domine: *quam lectionis varietatem videtur agnoſcere etiam Chryſoſtomus. Idem*: alius, καὶ ᾀσάτωσαν τὰς ὁδοὺς κυρίου, & cantent vias Domini: *Vias Domini Theodoretus interpretatur*, οἰκονομίας, rationes adminiſtrandi. *Scholiaſtes*, virtutes, quæ ducunt ad cognitionem Dei. (*h*) Et excelſa.] *Chryſoſtomus*: alius, καὶ ἐπηρμένον μακρόθεν γινώσκει, & elatum de longinquo cognoſcit. (*i*) Si ambulavero.] *Symmachus*, ἐὰν πορευθῶ διὰ μέσου θλίψεως περισώσεις με. κατὰ τῆς ἀναπνοῆς ἐχθρῶν μου ἐκτενεῖς χεῖρά σου, καὶ σώσει με ἡ δεξιά σου, κύριος ἐπιτελέσει ὑπὲρ ἐμοῦ. Si ambulavero per mediam tribulationem, ſalvum præſtabis me: contra ſpiritus inimicorum meorum extendes manum tuam: & ſalvum me faciet dextera tua: Dominus perficiet pro me. *Chryſoſtomus*: alius, κύριος συντελέσει, Dominus conſummabit. (*k*) Retribues.] *Ita etiam SS. Ambroſius, in Pſal.* 118. 10 *& Auguſtinus, & vetus. Romanum*, retribue. *S. Hilarius*, Dominus retribuit. *Vulgata*, Dominus retribuet: *& ita plerique codices græci, & Chryſoſtomus, & Theodoretus*, κύριος ἀνταποδώσει.

PSAL. CXXXVIII.

(*a*) David.] *In Complut. & in aliis quibuſdam editionibus legitur*, εἰς τὸ τέλος τῷ δαυὶδ ψαλμὸς ζαχαρίου ἐν τῇ διασπορᾷ, in finem ipſi David pſalmus Zachariæ in diſperſione. *Theodoretus*: In quibuſdam exemplaribus adjunctum eſt, ζαχαρίου εἰς τὴν διασποράν. Id neque apud Hebræum, neque apud lxx, neque apud alios interpretes inveni, ſed quiſpiam arbitratu ſuo pſalmum intelligens, tituli additionem fecit. (*b*) Semitam.] τὴν τρίβον μου. *S. Hilarius*, tritam nuncupant, id eſt, frequenti greſſu diſcurſuque contritam. *Scholiaſtes ex Symmacho*, τὴν ὁδόν μου. *Theodoretus ex Theodotione*, τὴν τρίβον μου, καὶ τὴν ὁδόν μου ἐξιχνίασας, ſemitam meam, & viam meam inveſtigaſti. (*c*) Funiculum.] *Sic vulgata, quod Græce*, σχοῖνον. *S. Auguſtinus & vetus*, limitem. *S. Hilarius, & Romanum*, directionem, *putatque S. Hilarius, ea dictione ſignificari certum & conſtitutum modum itineris, ut apud nos milliarium. Aliam vero ejus notionem aperiunt Theodoretus, & alii.* (*d*) Injuſtus.] *Ita etiam in pſalterio Æthiopico, quo cum facit metaphraſis Apollinarii*, ἀθεμίστιον. *A vulgata abeſt: eamque lectionem probat S. Hieronymus ad Suniam. In aliis codicibus Græcis eſt*, οὐκ ἔστι δόλος, *& in Romano, & vetere, & apud SS. Hilarium & Auguſtinum*, non eſt dolus: *quomodo teſtatur S. Hieronymus ſolam ſextam editionem eſſe interpretatam. Schol.* Aquila, λαλιά, (*quod ibidem S. Hieronymus interpretatur*, eloquium) Theodotio, δόλος, Symmachus, ἑτερολογία, contradictio: Quinta editio, ut lxx. (*e*) Mirificata eſt.] *Sic habet hic verſiculus in vetere, & apud S. Aug. cæteri vero*, mirabilis facta eſt ſcientia, (*aut*, cognitio, *ut S. Ambr. in examer. lib. 6. cap. 8.*) tua ex me: confortata eſt, &c. *Symm.* ὑπερβάλλει με ἡ γνῶσίς σου, ſuperat me cognitio tua. (*f*) Invaluit.] *Chryſoſtomus*: alius, ὑπερεπήρθη, ſuperlata eſt. (*g*) Non potero ad illam.] *Aquila*, οὐ δυνήσομαι αὐτήν, non potero eam. *Theodotio, quinta, & ſexta editio*, πρὸς αὐτήν, ad eam. *Symmachus*, πρὸς ἣν οὐ δυνῶμαι, ad quam neutiquam potero. (*h*) Meas in directum.] *Ita Sanctus Auguſtinus, & vetus: eandemque lectionem videtur ſequutus Apollinarius, qui ita ſcribit*,

Ἢν δὲ καὶ ἰθυπόροις πτέρυγας ἀνέμοισι πετάσσω,

ſin autem & pennas explicaro ventis recta procedentibus. *Cæteri libri græci*, κατ' ὄρθρον. *Theodoretus interpretatur*, ad orientem, *Vulgata*, diluculo, *S. Hilarius, & Romanum*, ante lucem, *& S. Ambroſius in pſ.* 118. *ſerm.* 19. (*i*) Habitavero.] κατασκηνώσω. *Aquila*, σκηνώσω, *Symmachus*, καταμενῶ, *Theodotio, ut lxx. ita parum diſcrepant.* (*k*) Et dixi.] *Theodoretus ex Symmacho*, ἐὰν εἴπω. ἴσως σκότος περισκεπάσει με, ἀλλὰ καὶ νὺξ φωτεινὴ περὶ ἐμέ, ſi dixero forſitan tenebræ circumtegent me; at nox etiam lucida circa me. *Aquila.* καὶ νὺξ φῶς περὶ ἐμέ, & nox lux circa me. *S. Hieronymus in comment. ex Symmacho refert*, & nox lux circum me ſedet. (*l*) Conculcabunt.] *Chryſoſtomus*: alius, καλύψει με, operient me. (*m*) Illuminatio.] *Sic S. Hilarius. Apud cæteros latinos fere eſt*, illuminatio mea. (*n*) Non obſcurabuntur a te.] *Chryſoſtomus*: alius, παρά σοι, apud te: *Theodoretus, ex Symmacho*, οὔτε σκότος σκοτεινὸν ἔσται ὑπὲρ σέ, ἀλλὰ καὶ νὺξ, ὡς ἡμέρα, φαίνεται, (*al.* φανεῖ) neque tenebræ erunt tenebricoſæ ſuper te: ſed & nox, ſicut dies, lucet, *al.* lucebit. (*o*) Sicut tenebræ.] *Chryſoſtomus*: alius, ὅμοιον τὸ σκότος καὶ τὸ φῶς αὐτῆς, ſimiles ſunt tenebræ, & lux ejus. (*p*) Suſcepiſti.] *S. Hieronymus in comm.* Quinta editio ita tranſtulit, conflaſti me de ventre matris meæ. (*q*) Mirabilia.] *Symmachus*, παράδοξα, opinionem ſuperantia. (*r*) Cognoſcit.] γινώσκει. *Ita videtur ex explanatione habuiſſe S. Auguſtinus: Romanum*, novit nimis. *S. Hilarius*, novit valde. (*ſ*) Os meum.] *Theodoretus ex Aquila*, οὐκ ἐπεκαλύφθη ὀστοῦν μου ἀπὸ σοῦ, οἷς ἐποιήθην ἐν ἀποκρύφῳ, non cooperta ſunt oſſa mea a te, quibus factus ſum in abſcondito. *Addit Schol.* Theodotio, ut lxx. Symmachus, οὐκ ἔλαθέν σε ἡ κραταίωσίς μου, ἣν ἐποιήθην ἐν τῷ κρυπτῷ, ἐποικίλθην ἐν τοῖς κατωτάτοις τῆς γῆς, non latuit te potentia mea, (aut conſtitutio, conſolidatio) qua factus ſum in occulto: varie formatus ſum in infimis terræ. (*t*) Inoperatum.] *S. Hilarius habet*, imperfectum tuum viderunt oculi mei. *Sed putat, quod græce eſt*, τὸ ἀκατέργαστον, *melius reddi*, inoperatum: *quomodo etiam eſt in editione Ambroſiana. Cæteri libri latini*, imperfectum meum viderunt oculi tui, *& græci*, τὸ ἀκατέργαστόν μου εἶδον οἱ ὀφθαλμοί σου. *Schol. refert idem ex Aquila, niſi quod non habet*, τό. *Theodoretus, ex Symmacho cujus lectionis facit etiam mentionem Chryſoſtomus*: ἀμόρφωτόν με, (*al.* μου) προεῖδον (*al.* εἶδον) οἱ ὀφθαλμοί σου σὺν τοῖς ἐν τῇ βίβλῳ σου πᾶσι γεγραμμένοις, ἡμέρας πλασσομένοις οὐκ ἐνδεούσης οὐδεμιᾶς, informem me (*al.* informe meum) præviderunt (*al.* viderunt.) oculi tui cum iis qui in libro tuo omnes ſcripti ſunt, die iis qui formantur nulla deficiente. *In comm. Sancti Hieronymi hæc ultima pars ita redditur*, dies, quibus formati ſunt, ne una quidem ex eis deeſt. (*u*) Dies formabuntur.] ἡμέρας, *aut eſt caſus generandi, & poſſet reddi*, per diem, *ſicut habet S. Auguſtinus, & vetus: aut eſt caſus accuſandi: & ſicut in græco ſubintelligitur*, κατά, *ſic poterit in latino*, per, *aut*, in, *id eſt*, in dies formabuntur. *In eodem vetere, & apud S. Auguſtinum ſequitur*, errabunt, *quaſi*, πλαθήσονται *ſit a* πλάζομαι, *quod ſignificat*, erro, *non a* πλάττομαι, *quod*, formor, *& fingor. Quomodo hanc particulam ſit interpretatus Symm. paulo ante ex Theodoreto dictum eſt: atque eadem referuntur a Chryſoſtomo. Schol. addit, Theodotionem dixiſſe fere, ut lxx.* ἡμέρας πλασθήσονται καὶ οὐδεὶς ἐν αὐτοῖς. *Aquilam vero*, καὶ οὐ μία ἐν αὐταῖς, & nemo in eis, *genere fœminino, ut poſſit referri ad dies.* (*x*) Mihi autem.] *Schol. ex Chryſoſtomo*: alius, τίμιοι ἐγένοντο οἱ ἑταῖροί σου, precioſi fuerunt familiares tui: alius, τί ἐτιμήθησαν; quam honorati ſunt? (*y*) Valde confortati ſunt.] *Sic S. Auguſtinus, & vetus: & reſpondet græco. Sed S. Hilarius, & Romanum, & vulgata*, nimis confortatus eſt. *Theodoretus, ex Theodotione*: ἐκραταιώθησαν οἱ πένητες αὐτῶν, corroborati ſunt pauperes eorum. *Chryſoſt.* alius, τί παμπληθεῖς αἱ κεφαλαὶ αὐτῶν, quam copioſa capita eorum. (*z*) Exurrexi.] *Theodoretus ex Symmacho*, ἐξυπνώσω, (*al.* ἐξυπνίσω, *al.* ἐξυπνήσω) καὶ ἀεί, (*al.* εἰς ἀεὶ) ἔσομαι παρά σοι, *al.* μετὰ σοῦ, exurgam e ſomno, & ſemper ero apud te (*al.* tecum.) (*ω*) Peccatores.] *S. Hilarius*, peccatorem: *Chryſoſtomus*: alius, παραβάτην, tranſgreſſorem. (*aa*) Viri ſanguinum.] *Symmachus*, ἄνδρες μιαιφόνοι ἀπονεύσατε ἀπ' ἐμοῦ, viri homicidæ recedite a me. (*bb*) Dices.] *Ita S. Auguſtinus, & vetus, & metaphraſis Apollinarii*, ἐρέεις. *In codice Vaticano erat*, ερεις, *ſine accentu, & poſtea mutata fuit in*, ἔρεις, contentio, *cujus lectionis ſit etiam mentio in commentariis græcis, eamque probat S. Hilarius. In aliis libris græcis eſt*, ὅτι ἐρισταί ἐστε, quia litigioſi eſtis. *Vulgata & Romanum*, quia dicitis: *ut videantur legiſſe*, ἐρεῖτε. *Aquila*, ὅτι ἀντιλέξουσίν σοι εἰς ἀπέννοιαν, ἦραν εἰς εἰκῆ ἀντίζηλοί σου, quia contradicent tibi in prava cogitatione; elevaverunt fruſtra æmulatores tui. *Theodotio*, ὅτι ἐρίσουσί σοι εἰς διαλογισμόν, quoniam concertabunt tecum in cogitatione. *Symmachus*, οἵτινες ἀντελάλησάν σοι διαλογισμῷ, ἐπήρθησαν ματαίως οἱ ἐναντίοι σου, qui quidem loquuti ſunt contra te cogitatione, elevati ſunt fruſtra adverſarii tui. *Quinta editio*, ὅτι παρεπίκρανάν σε ἐν κακοβουλίᾳ, quoniam exacerbaverunt te in malo conſilio.

PSAL. CXXXIX.

(*a*) Linguam ſuam ſicut ſerpentis.] *Latini fere habent*, linguas ſuas ſicut ſerpentes. (*b*) Virtus.] δύναμις. *Chryſoſtomus*: alius, κράτος, robur, poteſtas. (*c*) Ne tradas.] *Theodoretus*, Symmachus autem ſic, μὴ δῷς κύριε τὰς ἐπιθυμίας τοῦ παρανόμου, ne Des Domine deſideria iniqui: ſimiliter autem & Aquila, & Theodotio. *Scholiaſtes ex Aquila*, ἐπιποθήματα ἀσεβοῦς, cupiditates impii. (*d*) Ne derelinquas.] *Chryſoſt.* alius, μὴ ἀποβαίη, μήποτε ὑψωθῶσι, ne ſuccedat, nequando exaltentur. (*e*) Caput circuitus eorum.] *Theodoretus, ex Symmacho*, ὁ πικρασμὸς τῶν κυκλούντων με, ὁ μόχθος τῶν χειλέων αὐτῶν πωμασάτω (*al.* ἀλωσάτωσαν) αὐτούς, acerbitas circundantium me, labor labiorum eorum operiat (*al* comprehendant) eos. *Schol.* Aquila, κεφαλὴν καταστρεφόντων με, caput evertentium me. *Theodotio, ut lxx.* (*f*) In terram.] ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ καταβαλεῖς αὐτούς, *& ſic S. Auguſt. Fieri autem poteſt ut ita ſit conſtruendum, conjungendo iſtud*, in terram, *cum ſequentibus*. In terram, & dejicies eos: *id eſt*, & in terram. *Nam ſic habet pſalterium Æthiopicum, & Apollinarius*, καθέλοις εἰς χθόνα, *& S. Hilarius in explanatione*, ſuper terram dejicies eos. *In aliis libris græcis eſt*, πεσοῦνται ἐπ' αὐτοὺς ἄνθρακες, ἐν πυρὶ καταβαλεῖς αὐτούς, *& ſic vulgata*, cadent ſuper eos carbones, in ignem dejicies eos. *Editio Ambroſiana*: cadent ſuper eos carbones ignis: in ignem dejicies eos, *& ſic fere Romanum. Vetus autem*, decident ſuper eos carbones ignis, & dejicies eos. *Apollinarius*,

Ἄνθρακες ἀκαμάτοιο πυρὸς μετὰ τοῖσι πέσοιεν.
Ὑψόθεν ἐσσυμένῳ καθέλοις σφέας εἰς χθόνα πυρσῷ.

Carbones indomiti ignis in eos cadant; Ex alto irruente dejicias in terram flamma. (*g*) Dejicies eos.] *Aquila*, πτωματίσῃς αὐτούς, cadere facias eos. *Theodotio, quinta, & ſexta editio*, καταβαλεῖς αὐτούς, dejicies eos, *Symmachus*, καταβληθήτωσαν, dejiciantur. (*h*) In miſeriis non ſubſiſtent.] *In multis codicibus græcis eſt*, καὶ οὐ μὴ ὑποστῶσιν, & non ſubſiſtent: *quare illud*, ἐν ταλαιπωρίαις, *poſſet verti ut alibi*, in miſerias. *Latini autem conjungunt fere cum ſequentibus*, in miſeriis non ſubſiſtent: *Chryſoſtomus*: alius, πεσούντων εἰς βοθύνους, μήποτε ἀναστῶσιν, cadentibus in foveas, ne quando reſurgant: alius, ἐσπευσμένως, καὶ οὐ μὴ ἀνασταῖεν, propere & non reſurgant. *Schol. ex Sym.* εἰς βοθύνους, ὧν μήποτε ἀναστῶσιν, in foveas e quibus nunquam reſurgant. (*i*) Non dirigetur.] *Chryſoſtomus*: alius, οὐχ ἑδρασθήσεται, non ſtabilietur. (*k*) Venabuntur.] *Aut*, capient, *ut alii præter Sanctum Auguſtinum*

&

& *vetus. Symmachus*, παρανομίαι ἄνδρα ἀγρεύουσιν, iniquitates virum venabuntur. (*l*) Cauſam.] *Ita Sanctus Auguſtinus & vetus: quod græce*, τὴν δίκην. *Cæteri latini*, vindictam. (*m*) Inhabitabunt.] *Aquila*, καὶ καθεδοῦνται, ſedebunt. *Symmachus*, διαμενοῦσιν, permanebunt: *Theodotio, ut lxx.* (*n*) Cum vultu tuo.] *Symmachus*, παρὰ τῷ προσώπῳ σου, apud vultum tuum.

PSAL. CXL.

(*a*) DEprecationis.] *Aut*, orationis, *ut S. Hilarius, & Romanum. Vulgata vero*, voci meæ. (*b*) Dirigatur.] *Chryſoſtomus*: alius, ταχθήτω ἡ προσευχή μου, ὡς θυμίαμα ἔμπροσθέν σου, ſtatuatur oratio mea, ſicut thymiama coram te: alius, ἑτοιμασθήτω, paretur. (*c*) Sacrificium.] *Chryſoſtomus*: alius, δῶρον ἑσπέρας, donum veſperæ: alius, προσφορὰ ἑσπερινή, oblatio veſpertina. (*d*) Circa labia mea.] S. *Auguſtinus, & vetus*, & oſtium continentiæ circa labia mea: *alii vero*, circumſtantiæ labiis meis. *Schol.* lxx. Aquila & Theodotio: ἐπὶ τὰ χείλη μου, ſuper labia mea. Symmachus, ἐπὶ τοῖς χείλεσίν μου, in labiis meis. (*e*) Ne declines.] S. *Auguſtinus, & vetus, & Romanum*, ut non declines. *Chryſoſtomus*: alius, μὴ παρατρέψῃς τὴν καρδίαν μου εἰς λόγους πονηρούς, ἐννοεῖν ἐννοίας παρανόμους, ne pervertas cor meum in verba maligna, ad cogitandum cogitationes iniquas: *quæ poſtrema verba Theodoretus refert ex Symmacho. Ac* S. *etiam Auguſtinus, ut vetus pſalterium, habet*, in verba maligna, (*licet paulo inferius dicat*, in verba malitiæ) *& Romanum*, in verbum malum. (*f*) Communicabo.] συνδιάσω. *In pleriſque autem aliis eſt*, συνδυάσω, *& ita* S. *Auguſtinus, & vetus*, combinabo. S. *Hilarius, & Caſſiodorus*, combinabor. *Exemplaria pſalterii Romani, partim*, combinabor, *partim*, commicabor, *partim*, comminabor, *partim*, communicabo. *Arnobius videtur habuiſſe* communicabor. *Symmachus*, μὴ συμφάγοιμι τὰ ἡδέα αὐτῶν, ne ſimul comedam jucunda eorum: *quod etiam Chryſoſtomus refert, & addit*: alius vero, μὴ συναλισθῶ ἐν ταῖς τερπνότησιν αὐτῶν, ne conveniam in delectationibus eorum. (*g*) Corripiet.] *Aut*, emendabit, *ut S. Auguſt. & vetus. In aliquo codice eſt*, παιδεύσει, corripiat. *Chryſoſtomus*: alius, κατελεησάτω με δίκαιος ἐλέους, καὶ ἐλεγξάτω, miſereatur mei juſtus miſericordiæ, & arguat. (*h*) Quoniam adhuc.] Aquila, ὅτι ἔτι καὶ προσευχή μου ἐν κακίαις αὐτῶν, quoniam adhuc & oratio mea in malitiis eorum. *Theodotio*, ἐν ταῖς εὐδοκίαις αὐτῶν, in beneplacitis eorum. *Symmachus*, ἔτι γὰρ καὶ ἡ προσευχή μου ἐντὸς τῶν κακιῶν αὐτῶν, adhuc enim & oratio mea intra malitias eorum. (*i*) Juxta petram potentes eorum.] ἐχόμενα πέτρας οἱ κραταιοὶ αὐτῶν, *& convenit cum pſalterio Æthiopico. Vetus autem, &* S. *Auguſtinus*, juxta petram judices eorum. S. *Hilarius & Romanum*, continuati petræ judices eorum. *Vulgata*, juncti. *Et in cæteris quidem libris græcis eſt*, κριταί. *Schol.* Symmachus, ἐκπλήσονται ἐν χερσὶ πέτρας οἱ κριταὶ αὐτῶν, evellentur in manu petræ judices eorum: alius autem, ἀπεσπάσθησαν, ſublati ſunt, & *ſic S. Hieronymus.* (*k*) Dulcuerunt.] ἡδύνθησαν. *Sic plerique codices græci, & Chryſoſtomus, & Theodoretus. Aliqui tamen*, ἠδυνήθησαν, *& latini*, potuerunt, *aut*, prævaluerunt. *Schol.* Lxx, & Theodotio, ἠδυνάσθησαν, potuerunt. Aquila, εὐπρεπίσθησαν, bene culta & parata ſunt. Symmachus, ἀκούσονται ῥήσεις μου ἡδίστας, audient verba mea jucundiſſima. *Aliud Schol.* Symmachus, ὅτι εὐπροσώπησαν, quoniam ſpecioſa fuerunt: *cujus lectionis facere etiam videtur mentionem Chryſoſtomus, licet in codice, quem habuimus, apud eum legatur*, ὅτι εὐπροσωπίσθησαν. *Idem vero & hoc affert*: alius, ὅτι ἐδορυφορήθησαν, quoniam ſatellitibus muniebantur. (*l*) Sicut craſſitudo.] *Symmachus*, ὥσπερ γεωργὸς ὅταν ῥήσσῃ τὴν γῆν, οὕτως ἐσκορπίσθη τὰ ὀστᾶ ἡμῶν εἰς στόμα ᾅδου, ſicut agricola, cum rumpit terram, ſic diſſipata ſunt oſſa noſtra in ore inferni. *Aquila*, ὁμοίως ἀποκλῶντι, καὶ διαχίζοντι ἐν τῇ γῇ (*apud Chryſoſtomum*, τὴν γῆν) ἐσκορπίσθη τὰ ὀστᾶ ἡμῶν εἰς τὸν ᾅδην, ſimiliter frangenti & diſcindenti terram diſſipata ſunt oſſa noſtra in inferno. *Quinta editio*, ὡς καλλιεργῶν καὶ σκάπτων ἐν τῇ γῇ, διεσκορπίσθη τὰ ὀστᾶ ἡμῶν παρὰ τὸν ᾅδην, ut qui bene colit, & fodit in terram, diſſipata ſunt oſſa noſtra juxta infernum. (*m*) Noſtra.] *Sic latini, & plerique græci. In quibuſdam tamen eſt*, αὐτῶν, eorum, *quibuſcum facit metaphraſis Apollinarii, & pſalterium Arabicum, & Æthiopicum.* (*n*) Ne auferas.] *Aquila*, μὴ ἐκκενώσῃς, *Theodotio*, μὴ ἀποκενώσῃς, ne evacues, *& ita S. Hieronymus.* (*o*) Ejus.] *Sic latini, & græci. Symmachus autem*, ἐμπέσοιεν εἰς τὰ δίκτυα ἑαυτῶν οἱ παράνομοι, incidant in retia ſua iniqui. (*p*) Singulariter.] καταμόνας. *Sanctus Auguſtinus, & vetus*, ſingularis.

PSAL. CXLI.

(*a*) ORatio.] *Apud Theodoretum, & in quibuſdam codicibus eſt*, προσευχόμενον, orans. (*b*) Et tu cognoviſti.] *Chryſoſtomus*: alius, σὺ γὰρ οἶδας, tu enim noſti. (*c*) Quia non erat.] S. *Hilarius*, quia non eſt: *In aliis codicibus Græcis eſt*, καὶ οὐκ ἦν, *& Latinis*, & non erat. (*d*) Ad te Domine.] *In aliis codicibus eſt*, ἐκέκραξα πρὸς σὲ κύριε, εἶπα, *& ita latini*, clamavi ad te Domine, dixi. (*e*) Intende.] *Theodoretus, ex Symmacho*, ἀκρόασαι τῆς λαλιᾶς μου (*al.* τὰς λαλιάς μου) ὅτι ἠτόνησα σφόδρα, auſculta loquelam meam (*al.* loquelas meas) quoniam langui valde. (*f*) De cuſtodia.] *Aut*, de carcere, *ut SS. Hilarius, & Auguſtinus, & vetus, & Romanum: Græce eſt*, φυλακῆς. *Theodoretus, ex Aquila*, ἐξάγαγε ἐξ ἀποκλεισμοῦ τὴν ψυχήν μου, educ de clauſura animam meam. *Scholiaſtes ex Symm.* ἔξω ποίησον ἀπὸ συγκλεισμοῦ τὴν ψυχήν μου, *quæ idem valent.* (*g*) Subſtinebunt.] *Ita S. Auguſtinus, & vetus, quod græce*, ὑπομενοῦσι, *cæteri*, expectant: *Theodoretus, ex Symmacho*, τὸ ὄνομά σου στεφανώσονται δίκαιοι, ὅτ᾽ ἂν εὐεργετήσῃς με, nomen tuum coronabunt juſti, cum benefeceris mihi. *Schol.* Alius, ὅτι εὐεργέτησάς με, quoniam benefeciſti mihi.

PSAL. CXLII.

(*a*) IPſi David.] *Schol.* ἄλλος φησὶν ἐπιγεγράφθαι, ψαλμὸς τῷ δαυὶδ, ὅτε αὐτὸν ὁ υἱὸς κατεδίωκεν. οὐ διὰ πασῶν μέντοι τῶν ἑρμηνειῶν πρόσκειται τοῦτο. Alius inquit inſcriptum eſſe, Pſalmus ipſi David, quando eum filius perſequebatur. Veruntamen non per omnes interpretationes hoc appoſitum eſt *Theodoretus*, ἐν ἐνίοις ἀντιγράφοις εὗρον, ὅτε αὐτὸν ἐδίωκεν ἀβεσσαλὼμ ὁ υἱὸς αὐτοῦ· οὔτε δὲ παρὰ τῷ ἑβραίῳ, οὔτε παρὰ τοῖς ἄλλοις ἑρμηνευταῖς ταύτην εὕρηκα τὴν προσθήκην. ἔχεται δὲ ὅμως τῆς ἀληθείας. αὐτὴν γὰρ ἔχει τὴν ὑπόθεσιν ὁ ψαλμός. In quibuſdam exemplaribus inveni, ὅτε αὐτὸν ἐδίωκεν ἀβεσσαλὼμ ὁ υἱὸς αὐτοῦ, quando eum perſequebatur Abſalom filius ejus. Sed neque apud hebræum, neque apud alios interpretes, hanc inveni additionem. Attamen inhæret veritati: nam hoc habet argumentum pſalmus. *Talis quædam varietas eſt etiam in latinis codicibus.* (*b*) In veritate.] *Chryſoſtomus*: alius, ἐν τῇ πίστει σου, in fide tua: alius, ἐν τῇ βεβαιότητί σου, in tua ſtabilitate. (*c*) In terram.] εἰς τὴν γῆν, *& videtur ſignificantius, quam quomodo habent fere latini*, in terra. (*d*) Anxiatus eſt.] *Aut*, tædium paſſus eſt, *ut* S. *Auguſtinus, & vetus: Chryſoſtomus*: alius, καὶ περιειλεῖτο ἐπ᾽ ἐμὲ ἡ ψυχή μου, & circumvolvit ſe ſuper me anima mea. (*e*) Facturis.] *Aut*, factis, *ut vulgata, & Romanum, &* S. *Hilarius. Chryſoſtomus*: alius, τὰ ἔργα τῶν χειρῶν σου, opera manuum tuarum. (*f*) Ne avertas.] *Chryſoſtomus*: alius, μὴ κρύψῃς τὸ πρόσωπόν σου, ne abſcondas faciem tuam. (*g*) Mane.] *Chryſoſtomus*: alius, ἐξ ὄρθρου, ex diluculo: id eſt, ταχέως, cito, velociter. (*h*) In rectam.] S. *Ambroſius lib. 3. de ſpiritu ſancto, cap. 16.* in viam rectam: *& ita eſt in pſalt. Romano, & Arabico. In cæteris libris græcis eſt*, ἐν γῇ εὐθείᾳ. *Et in latinis*, in terram rectam. *Chryſoſtomus*: alius, διὰ γῆς ὁμαλῆς, per terram planam. (*i*) In tua juſtitia.] *Chryſoſtomus*: alius, ἐν τῇ ἐλεημοσύνῃ σου, in miſericordia tua.

PSAL. CXLIII.

(*a*) AD Goliam.] *Ut S. Auguſtinus, & Romanum, aut*, adverſus Goliath; *ut vulgata. Theodoretus*: ἐν ἐνίοις τῶν ἀντιγράφων, τῇ ἐπιγραφῇ προκείμενον εὗρον, πρὸς τὸν γολιάθ. οὔτε δὲ παρὰ τῷ ἑβραίῳ, οὔτε παρὰ τοῖς ἄλλοις ἑρμηνευταῖς, οὔτε μὴν παρὰ τοῖς ο΄. εὗρον ἐν τῷ ἑξαπλῷ. In nonnullis exemplaribus inſcriptioni additum inveni, πρὸς τὸν γολιάθ. Verum neque apud Hebræum, neq; apud alios interpretes, neque apud ipſos lxx. inveni in hexaplo. (*b* Quia innotuiſti ei.] ὅτι ἐγνώσθης αὐτῷ. *Theodoretus refert, Symmachum, pro*, ἐγνώσθης, *eſſe interpretatum*, γνωρίζῃ, cognoſceris. *Sed Scholiaſtes*, γνωρίζεις αὐτὸν, agnoſcis eum, *& ſic S. Hieronymus. Schol. ex Chryſoſtomo*: alius, τί ἄνθρωπος, καὶ γνώσῃ αὐτόν; quid homo, & cognoſces eum? (*c*) Vanitati.] *Theodoretus:* Theodotio autem dixit, ἄνθρωπος ἀτμίδι ὡμοιώθη, homo vapori ſimilis factus eſt: Symmachus autem, ἀτμῷ, *quod idem valet.* (*d*) Inclina.] *Chryſoſtomus*: alius, κλίναντός σου οὐρανοὺς καὶ καταβάντος, καὶ ἁψαμένου τῶν ὀρέων, ἐκαπνίσθησαν, cum inclinaſſes tu cœlos, & deſcendiſſes, & tetigiſſes montes, fumaverunt. (*e*) Conſtabilitæ.] *Ita cæteri libri latini, aut quiddam ſimile, præter vulgatam, a qua abeſt: græce eſt*, ἱδρυμένα, *aut*, ἡδρυμένα, *& vocabulo hebraico optime conveniret*, ἡδρυμμένα, adultæ, & auctæ. *Nam & 2. Reg. c. 12. ſub principium, idem verbum hebræum hoc græco verbo exponitur*, καὶ ἡδρυώθη μετ᾽ αὐτοῦ. *Schol. hoc loco*, filios habere florentes, & vigentes, tanquam novellas plantas robuſtas, & bene pullulantes. *Aquila*, μεμεγαλυμμένα, grandes factæ. *Symmachus*, ηὐξημένα, auctæ. (*f*) Compoſitæ.] *Aquila*, ὡς ἐπιγώνια διεσκεδασμένα, quaſi anguli diffuſi. *Symmachus*, κεκοσμημένα, ornati: & *ſic S. Hieronymus.* (*g*) Suis.] αὐτῶν. *Et poſſet etiam verti*, eorum. (*h*) In villis.] ἐν ταῖς ἐπαύλεσιν, *& ſic etiam in pſalterio Æthiopico: eſt autem vocabulum, quod multa ſignificat. In aliis libris græcis eſt*, ἐν ταῖς πλατείαις αὐτῶν, *& in latinis*, in platæis eorum. *Chryſoſtomus*, alius, ἐν ταῖς ἐπαύλεσιν αὐτῶν. *Theodoretus*: Symmachus autem ſic, οὐκ ἔστι διακοπὴ, οὔτε ἐκφορὰ, οὔτε κωκυτὸς ἐν ταῖς πλατείαις αὐτῶν, non eſt fractura, neque elatio funeris (*aut fortaſſe*, evagatio, *aut*, egreſſus, *ut S. Hieron.* neque ululatus) in platæis eorum. Ita autem & alii interpretes.

PSAL. CXLIV.

(*a*) LAudatio.] *Sic fere Latini. In aliquot autem codicibus Græcis eſt*, αἰνέσεως, laudationis. *Schol.* Aquila ὕμνησις τοῦ δαυὶδ, hymnus ipſius David. (*b*) Exaltabo te.] *Schol.* τῷ διὰ τοῦ μέλανος παρακειμένῳ τῷ στίχῳ ὄνομα τὸ ἄλεφ, ἑρμηνεύεται διδασκαλία, verſui per nigrum adjacenti, nomen Aleph exponitur doctrina. *Theodoretus*: Per elementa autem & hic hymnus componitur. *Ita & pſalmus, cxi, & cxviii. licet diſparibus modis.* (*c*) Rex meus.] *Ita etiam S Auguſtinus, & vetus.* S. *Hilarius*, rex meus, & Deus meus. *Romanum*, Deus rex meus. *Vulgata, &* S. *Hieronymus*: Deus meus rex. (*d*) In ſeculum.] *Chryſoſtomus*: alius, εἰς τὸν αἰῶνα διηνεκῶς, in ſeculum perpetuo. (*e*) Finis.] *Chryſoſtomus*: alius, ἐξεύρεσις, inventio, *aut*, inveſtigatio. *Ita enim* S. *Hieronymus.* (*f*) Et magnificentiam.] S. *Hilarius, & Romanum*, magnificentiam majeſtatis tuæ, & ſanctitatem tuam loquentur. *Chryſoſtomus*: alius, ὡραιότητα τοῦ ἐπαίνου σου, καὶ τοὺς λόγους τῶν παραδόξων σου διηγήσονται, decorem laudis tuæ, & verba mirabilium tuorum narrabunt. *Schol.* alius inquit, τὴν μεγαλοπρέπειαν τῆς δόξης τοῦ ἐπαίνου σου, magnificentiam gloriæ laudis tuæ. (*g*) Et magnitudinem.] *Aquila*, καὶ μεγαλωσύνας σου διηγήσομαι αὐτὰς, & magnitudines tuas narrabo eas. *Theod.* καὶ τὴν μεγαλωσύνην σου διηγήσομαι αὐτὴν, & magnitudinem tuam narrabo eam. *Sym.* καταλέξω αὐτὴν, recenſebo eam. *Quinta editio*, διηγησόμεθα, narrabimus: *ſexta*, ἀριθμήσομεν, numerabimus. (*h*) Suavitatis.] *Chryſoſtomus*: alius, τῆς ἀγαθωσύνης σου, bonitatis tuæ, *& ita* S. *Hieronymus.* (*i*) Et juſtitia.] S. *Hilarius*, & juſtitiam tuam. *Chryſoſtomus*: alius, καὶ τὰς ἐλεημοσύνας σου εὐφημήσουσιν, & miſericordias tuas benedicent. (*k*) Subſtinentibus.] τοῖς ὑπομένουσιν. *Sic etiam pſalterium Æthiopicum. Cæteri libri græci*, τοῖς σύμπασιν, *& latini*, univerſis. (*l*) Super.] S. *Auguſtinus, & vetus*, in omnia. S. *Hieronymus*, in univerſa: *græce eſt*, ἐπὶ πάντα. (*m*) Fidelis.] *Schol.* ὠβέλισται δὲ τὸ, πιστὸς κύριος, δι᾽ ὅλου τοῦ στίχου μήτε παρ᾽ ἑβραίοις φερομένου, μήτε παρὰ τοῖς ἄλλοις ἑρμηνευταῖς. Illud, πιστὸς κύριος, per totum verſum notatur obelo, cum neque apud hebræos feratur, neque apud alios interpretes. *Quare neque* S. *Hieronymus habet: habent tamen cæteri libri latini. Et veriſimile eſt hebræum habuiſſe, cum alioqui diſideretur verſus incipiens a litera Nun, quæ quidem litera prima eſt dictionis hebraicæ reſpondentis dictioni*, πιστὸς, *&*, fidelis: *quod apparet in verſu illo pſalmi, cx.* fidelia omnia mandata ejus. (*n*) Suffulcit.] *Sic S. Hilarius exprimens græcum*, ὑποστηρίζει. *Sanctus Auguſtinus, & vetus*, confirmat Dominus omnes decidentes. *Vulgata, & Romanum*, allevat Dominus omnes qui corruunt.

PSAL.

PSAL. CXLV.

(a) AGgæi, & Zachariæ.] *Ita* S. *Hilarius, & vulgata. Theodoretus*: ἐν ἐνίοις ἀντιγράφοις πρόσκειται ἀγγαίου ϗ ζαχαρίου, τοῦτο δὲ οὔτε παρὰ τῷ ἑβραίῳ, οὔτε παρὰ τοῖς ἄλλοις ἑρμηνευταῖς, οὔτε παρὰ τοῖς ό. εὗρον ἐν τῷ ἑξαπλῷ. In quibuſdam exemplaribus, additum eſt, ἀγγαίου, ϗ ζαχαρίου. Id vero neque apud Hebræum, neque apud alios interpretes inveni, neque apud lxx. in Hexaplo. Id etiam de ſequentibus titulis intelligendum. (b) Quamdiu ſum.] *Ita* S. *Auguſtinus, & vetus. Poteſt tamen illud*, ἕως ὑπάρχω, *verti*, quamdiu ero, *aut*, quamdiu fuero, *quemadmodum habent alii Latini.* (c) Et in filiis.] S. *Auguſtinus, & vetus*, & in filios, *vulgata*, neque in filiis, *cæteri vero latini*, in filiis, *& multi græci non habent* καί. (d) Quibus non eſt ſalus.] *Latini*, in quibus. *Chryſoſtomus*: alius, τῷ οὐκ ἔχοντι σῶσαι, ei qui non poteſt ſalvare, *&* S. *Hieronymus*, in filio hominis, cui non eſt ſalus. (e) Revertetur.] ἐπιστρέψει. *Aquila & Theodotio*, ἀποστρέψει, *quod tamen idem videtur valere.* S. *Hilarius*, exibit ſpiritus eorum, & revertentur. (f) Peribunt] ἀπολοῦνται. *Schol.* Aquila, Symmachus, Quinta & ſexta, & lxx. ἀπώλοντο, perierunt. (g) Cogitationes eorum.] *Sic etiam* S. *Hilarius & Romanum, & vulgata*: *at* S. *Auguſtinus, & vetus*, cogitationes ejus, *& multi græci*, αὐτοῦ, *quemadmodum & Theodoretus, & Chryſoſtomus, qui addit alium dixiſſe*, αἱ προθέσεις αὐτοῦ, conſilia, & propoſita ipſius. (h) Sapientes facit.] *Ita* S. *Auguſtinus, & vetus.* S. *Hilarius*, ſapientificat, *quod græce eſt*, σοφοῖ. *Chryſoſtomus*, alius, φωτίζει, illuminat: *& ita Romanum, & vulgata.* (i) Proſelytos.] *Sic* S. *Auguſtinus & vetus.* S. *Hilarius*, proſelytum, *Romanum*, advenam, *vulgata*, advenas, *quomodo etiam interpretatur* S. *Aug.* proſelytos.

PSAL. CXLVI.

(a) BOnum.] ὅτι ἀγαθὸν ψαλμός, *& videtur quodammodo ſignificantius, quam quomodo eſt apud Latinos*, bonus eſt pſalmus. *Theodoretus*: Symmachus quidem ſic dicit, ἀλληλούϊα ὅτι ἀγαθὸν ψαλμός, alleluia quoniam bonum eſt pſalmus: Theodotio autem, αἰνεῖτε τὸν Ἰα, laudate ipſum Ja, *quod eſt unum ex nominibus Dei.* (b) Jucunda ſit.] *Ita* SS. *Hilarius & Auguſtinus, & vetus, & Romanum, & Græci codices*: *vulgata autem habet*, ſit jocunda decoraque laudatio. (c) Ædificans.] *Symmachus*, οἰκοδομήσει, ædificabit. (d) Et diſperſiones.] S. *Auguſtinus, & vetus*, & diſperſiones Iſraelis colligens. *S. Hilarius, & Romanum*, & diſperſiones Iſrael congregans. *Vulgata*, diſperſiones Iſraelis congregabit. *Et certe illud*, ϗ, *abeſt etiam a multis codicibus Græcis. Symmachus*, τοὺς ἐξωσμένους, expulſos. (e) Contritos.] *Symmachus*, τοὺς κεκλασμένους, fractos. (f) Contritiones.] *Chryſoſtomus*, alius, τὰ κατεαγμένα, confracta (g) Multitudines.] πλήθη. *Latini tamen*, multitudinem. (h) Et omnibus eis.] *Chryſoſtomus*, alius, τοῖς πᾶσιν ὀνόματα καλῶν, omnibus nomina vocans: alius, πάντας αὐτοὺς ὀνόμασι καλέσει, omnes eos nominatim vocabit. (i) Intelligentiæ.] *Sic Sanctus Auguſtinus, & vetus*: *quod græce eſt*, συνέσεως, *cæteri fere*, ſapientiæ. (k) Suſcipiens.] *Theodoretus ex Symmacho*, ἀνακτώμενος, reficiens, recuperans. (l) Incipite.] *Ita S. Auguſt. & vetus, quod græce eſt*, ἐξάρξατε. *S. Hilarius*, inchoate. *Romanum, & vulgata*, præcinite: *quæ alibi etiam eſt verbi iſtius notio. Chryſoſtomus*: alius, καταλέξατε, enumerate, recenſete. (m) In cithara.] *Chryſoſtomus*: alius, διὰ λύρας, per lyram. (n) Et herbam.] *S. Hilarius.* In pluribus autem codicibus, inſertum hunc verſum deprehendimus: & herbam ſervituti hominum: ut ea, quæ ſuperius dicta ſunt, de homine dicta eſſe per nuncupationem ipſius hominis intelligerentur. Sed nos non egemus hoc ſenſu, &c. *In cæteris quidem libris latinis, & græcis collatis habetur, licet non in hebræo.* (o) Potentatu.] *Ita S. Auguſtinus, & vetus*: *quod græce*, ἐν τῇ δυναστείᾳ. *S. Hilarius, & Romanum*, in viribus. *Vulgata*, in fortitudine. (p) Voluntatem habebit.] θελήσει. *Schol.* Aquila, βούλεται, vult: Theodotio, Quinta, & ſexta editio, θελήσει, Symmachus, εὐδοκεῖται, bene ſentit. (q) Filiis.] *Ita etiam vulg. SS. autem Hilar. & Aug. & pſalt. vetus, & Romanum*, tabernaculis. (r) Bene ſentit.] *Viſum eſt bene exprimi hoc verbo (quo S. Auguſt. & vetus utuntur, licet in tempore futuro) græcum illud*, εὐδοκεῖ, *cæteri vero*, beneplacitum eſt ei, *aut*, erit, *ut vulgata.* (ſ) Et in iis qui ſperant.] *Chryſoſt.* alius, τοῖς ἀναμένουσι τὸ ἔλεος αὐτοῦ, expectantibus miſericordiam ejus.

PSAL. CXLVII.

(a) AGgei, & Zachariæ.] *Hoc primum loco videtur S. Auguſtinus iſta verba habuiſſe. Apud Theodoretum neque hic, neque in aliis Pſalmis ſunt. Atque in Hebræo quidem hic Pſalmus cum ſuperiore conjungitur.* (b) Lauda.] *Sequuti ſumus S. Auguſtinum, & vetus pſalt. ut in priore parte hujus verſiculi diceremus*, collauda, *in hac autem poſteriore*, lauda *Nam & in hebræo, & in græco eſt aliqua diverſitas*: *& Sanctus Auguſtinus aliqua affert ad hanc diſtinctionem pertinentia. Schol.* Aquila, ὕμνει θεόν σου Symmachus, αἴνει τὸν θεόν σου, *Theodotio*, ὕμνει τὸν θεόν σου. (c) Uſque in velocitatem.] *Ita vetus*: *& S. Auguſtinus, qui etiam locutionem iſtam conſiderat*: *cæteri latini*, velociter, *græce eſt*, ἕως τάχους. (d) Nebulam.] *Chryſoſtomus*, alius, δρόσον πεπηγμένην, rorem concretum: hebræus autem, χαφφέρ. (e) Buccellas.] ψωμούς. *Sanctus Auguſtinus & vetus Romanum*, fruſta panis. (f) Quis ſubſiſtet.] *Aut*, ſubſtinebit, *ut Romanum, & vulgata, & S. Hilarius. Chryſoſtomus*: alius, εἰς πρόσωπον ψύχους τίς στήσεται; in faciem frigoris quis ſtabit? (g) Verbum.] τὸν λόγον. *In quibuſdam codicibus eſt*, τὸ λόγιον, eloquium. *Schol.* Aquila, ῥῆμα, Theodotio, & ſexta: τὸν λόγον, quinta, λόγον. (h) Juſtificationes.] *Aut*, juſtitias, *ut alii*: *græce eſt*, δικαιώματα. *Chryſoſtomus*: alius, ἀκριβασμούς, præcepta: alius, προστάγματα, conſtitutiones. (i) Sic.] *Aut*, taliter, *ut vulg. & Romanum. Chryſoſt.* alius, ὅμοια, ſimilia.

PSAL. CXLVIII.

(a) ET omnes virtutes ejus.] *Symmachus*, πᾶσαι αἱ στρατιαὶ αὐτοῦ, omnes exercitus ejus: *& ſic* S. *Hieronymus.* (b) Omnes ſtellæ, & lumen.] *Theodoretus, ex Symmacho*, ὑμνεῖτε αὐτὸν πάντες ἀστέρες φωτός, hymnis celebrate eum omnes ſtellæ luminis. *Etiam* S. *Hieronymus*, ſtellæ luminis. (c) Et aqua.] *Sic habent græci*, τὸ ὕδωρ, *& ita fere diſtinguunt. Latini autem*, & aquæ, quæ ſuper cœlos ſunt, laudent, &c. (d) Statuit ea.] *Chryſoſtomus*: alius, ἔστησεν αὐτὰ διαμένειν αἰωνίως, ſtatuit ea ad permanendum perpetuo. (e) Tempeſtatis] *Aut*, procellarum, ut *Romanum, & vulgata, aut*, procellæ, *ut fortaſſe S. Hilarius. Scholiaſtes ex Chryſoſtomo*: alius, ἄνεμος, ventus: alius, τυφῶνες, Typhones. (f) Omnes populi.] *Chryſoſtomus*: alius, πάντα φῦλα, omnes tribus. (g) Juvenes.] *Chryſoſtomus*: alius, ἐκλεκτοί, electi. (h) Quia exaltatum eſt.] *Chryſoſtomus*: alius, ὅτι ὑπερέχον, quoniam ſuperexcedens. (i) Confeſſio ejus] *Chryſoſtomus*: alius, ϗ ὁ ὕμνος αὐτοῦ, & hymnus ejus. (k) Exaltabit.] ὑψώσει. *Latini tamen*, exaltavit. (l) Hymnus.] *Chryſoſtomus*: alius, ἔπαινος, laus. (m) Sibi.] *Ita vulgata, itemque Romanum, & S. Hilarius*: *at S. Auguſtinus, & vetus*, filii Iſrael, populi appropinquantes ſibi. *Poſſet tamen illud*, αὐτῷ, *verti* ei.

PSAL. CXLIX.

(a) FIlii.] *Sola fere vulgata habet*, filiæ. (b) Beneplacitum.] S. *Auguſtinus, & vetus*, quoniam bene facit Dominus. (c) Et exaltabit.] *Ita* S. *Auguſtinus, & vetus. Vulgata*, exaltavit. *Romanum*, & exultabunt manſueti. (d) Exultabunt.] *Noluimus diſcedere a recepta ab omnibus lectione*: *ſed magis proprie verteretur*, gloriabuntur ſancti in gloria, & exultabunt ſuper cubilibus ſuis. (e) Exaltationes.] αἱ ὑψώσεις *quamvis latini*, exultationes. *Chryſoſtomus*: alius, ὑμνολογίαι, celebrationes cum hymnis. (f) Et gladii ancipites.] *Recte etiam* S. *Auguſtinus, & vetus*, & frameæ bis acutæ. (g) Conſcriptum.] κρίμα ἔγγραπτον. *Schol.* Aquila, κρίμα γεγραμμένον, judicium ſcriptum. *Symm.* κρίσιν γεγραμμένην, judicationem ſcriptam, ut lxx. *Et fortaſſe legendum*, Theodotio, ut lxx. *aut quiddam ejuſmodi.*

PSAL. CL.

(a) IN ſanctis.] *Aquila*, ἐν ἡγιασμένῳ αὐτοῦ, in ſanctificato ejus. *Symmachus*, ἐν τῷ ἁγίῳ αὐτοῦ, in ſancto ejus. (b) Virtutis.] δυνάμεως. *Theodoretus, ex Symmacho*, ὑμνεῖτε αὐτὸν ἐν στερεώματι τῷ ἀκαθαιρέτῳ αὐτοῦ, hymnis celebrate eum in firmamento inexpugnabili ejus. *Addit Schol. ex Aquila*, κράτους αὐτοῦ, potentiæ ejus. (c) In potentatibus.] *Ita Romanum, nec S. Auguſtinus eam lectionem reprobat, & ita ſolet verti*, δυναστεία. *Chryſoſtomus*: alius, διὰ τῶν δυναστειῶν αὐτοῦ, per potentatus ejus. (d) In ſono tubæ.] *Symmachus*, δι' ἤχου κερατίνης, per ſonum corneæ. (e) Pſalterio.] *Chryſoſtomus*: alius, διὰ ναύλας, καὶ λύρας, per naulam, & lyram. *Schol.* Aquila, ἐν ναυλῷ καὶ λύρᾳ, in naulo, & lyra. (f) In chordis, & organo.] *Chryſoſtomus*: alius, διὰ χορδῶν, καὶ κιθάρας, per chordas, & citharam. (g) Jubilationis.] *Symmachus*, σημασίας, ſignificationis. (h) Spiritus.] πνοή, *& melius fortaſſe redderetur*, ſpiratio. *Chryſoſtomus*: alius, ἀναπνοή, reſpiratio.

(a) IN David.] Εἰς δαυίδ. *Alii codices*, τοῦ δαυίδ, ipſius David. (b) Extra numerum.] *In aliis additur*, τῶν ρν' ψαλμῶν, centum quinquaginta pſalmorum.

PROVERBIA SALOMONIS.

(a) PRoverbia.] *Aquila*, παραβολαί, parabolæ, *ut in vulgata hoc loco, licet titulus ſit*, liber proverbiorum. *De hac dictione S. Baſilius in principium proverb.* (b) Intelligendum verba prudentiæ.] *Symmachus*, ἐννοεῖν ῥήσεις συνετάς, percipiendum eloquia intelligentiæ plena. (c) Suſcipiendum verſutias ſermonum.] *Aquila*, τοῦ λαβεῖν παιδείαν ἐπιστήμης, ad accipiendum eruditionem ſcientiæ. *Symmachus*, παιδείαν φρονήσεως, eruditionem prudentiæ. *Poſt hæc autem ſequuntur in multis*, ϗ λύσεις αἰνιγμάτων, & ſolutiones ænigmatum: *quæ non ſunt in Hebræo, neque referuntur ab Euſebio de præpar. Evang. ac videri poſſunt tranſlata ex cap* 8. *Sap. Sanctus Hieronymus in Ezech. cap.* 18. *hunc locum ſic refert*: Scire ſapientiam, & diſciplinam, & intelligere verba prudentiæ, ſuſcipere verſutias ſermonum, & noſce juſtitiam veram, & poſt omnia, corrigere judicium. (d) Simplicibus.] ἀκάκοις, *quod etiam ſæpe ſolet verti* innocentibus: *legendus ibidem Sanctus Baſilius. Aquila*, θελγομένοις, iis qui ſe facile palpari, & lactari ſinunt. *Symmachus*, νηπίοις, parvulis: *ut vulgata. Theodotio*, ἠπατημένοις, deceptis. (e) Cogitationem.] *Theodotio*, συλλογισμόν, ratiocinationem. *Symmachus*, αἴσθησιν, ſenſum: *quare pro illo*, αἴσθησιν, *quod proxime præceſſit, ipſe aliud quiddam potuit habere*: *vulgata habet*, ſcientia, & intellectus. *Et nomine quidem ſenſus internam ipſam intelligendi vim ſæpe ſignificari multi obſervarunt*: *quamvis Sanctus Baſilius proprie tribuat cognitioni præſentium.* (f) Parabolam.] *Aquila*, ἑρμηνείαν, interpretationem. *Sym.* πρόβλημα, problema. *Vulg. conjungit illa duo*, parabolam & interpretationem. (g) Domini.] *Schol.* θεοῦ, Dei. (h) Impii.] *Aquila, Symm. Theod.* ἄφρονες, imprudentes. *Lucifer, pro S. Athanaſio*, Timor Domini, initium ſenſus: ſapientiam autem & diſciplinam impii ſpernunt.

(*i*) Diſciplinam.] *Sic etiam vulgata. Alii autem codices*, νόμοις, leges. (*k*) Coronam.] *Aquila*, ὅτι προσθήκη χάριτος εἰσὶ τῇ κεφαλῇ σου, quoniam acceſſio gratiæ ſunt capiti tuo. (*l*) Torquem.] *Aquila*, περιτραχήλια, ornamenta colli. *Schol.* περίθεμα, *eodem ſenſu.* (*) Neque velis.] *Lucifer*, neque acquieſcas. *Et totus hic locus apud illum legi poteſt.* (*m*) Particeps eſto ſanguinis.] *Aquila, Symmach. Theod.* ἐνεδρεύσωμεν εἰς αἷμα, *quod vulgata*, inſidiemur ſanguini. (*n*) Juſtum.] *Aquila*, ἀθῷον, inſontem, *ut vulgata.* (*o*) Poſſeſſionem.] *Aquila, & Theodotio*, ὕπαρξιν, ſubſtantiam, *ut vulgata, Symm.* πλοῦτον, divitias. (*p*) Precioſam] *A. S. Th.* τιμίαν, *eodem ſenſu.* (*q*) Spoliis.] *Aquila*, λαφύρων, *ſed ſæpe iſta nomina confunduntur.* (*r*) Tuam autem ſortem mitte.] *Schol.* κλῆρός σου πεσέτω, ſors tua cadat. (*ſ*) Communem autem crumenam poſſideamus omnes.] *Abſunt hæc a Compl. & videri poſſunt altera interpretatio ſequentis ſententiæ.* (*t*) Nobis.] *Schol.* μέσω ἡμῶν, medio noſtri: *quamvis ſuſpicemur hanc varietatem pertinere ad illud paulo ante poſitum*, tuam autem ſortem mitte in nobis. *Nam ibi in aliquo exemplari eſt*, ἐν μέσῳ ἡμῶν, *& hebræus habet*, ſortem tuam fac cadere in medio noſtrum. (*u*) Ne ambules in via.] *Alii*, ὁδοὺς, vias, *itemque Schol. qui affert hanc aliam lectionem*, υἱὲ μὴ πορευθῇς ἐν ὁδῷ, Fili ne ambules in via. (*x*) Declina.] *Aquila, & Th.* κώλυσον, prohibe, *ut vulgata. Symmachus*, ἀπόστρεψον, averte. *Lucifer*, nec abieris vias cum illis, ne declinaveris pedem tuum ad ſemitas eorum. (*y*) Eorum.] *Sic quoque eſt in alio libro, & apud Luciferum. In cæteris vero hæc adduntur*, οἱ γὰρ πόδες αὐτῶν εἰς κακίαν τρέχουσι, ταχινοὶ (*al.* καὶ ταχινοί εἰσι) τοῦ ἐκχέαι αἷμα, pedes enim illorum ad malum currunt, veloces (*al.* & veloces ſunt) ad effundendum ſanguinem. *Int. Orig. in epiſt. ad Rom. c.* 3. Veloces (inquit) pedes eorum ad effundendum ſanguinem, vel in Eſaia invenies, vel in Proverbiis. (*z*) Non enim inique.] *Sic Lucifer ibidem: & ſic ſolet hic locus afferri a Patribus græcis, ut a B. Cyrillo in Jo. lib. 2. cap. 54. & aliis.* (*ω*) Everſio autem virorum iniquorum mala.] *Ita collati codices. Abſunt autem a Compl. & a Lucifero non referuntur.* (*aa*) Omnium conſummantium iniqua.] *Sic idem Lucifer. Aquila, Symmachus, Theod.* παντὸς πλεονεκτοῦντος πλεονεξίαν, Omnis avare ſequentis avaritiam. (*bb*) Impietate enim.] *Lucifer*, ſua enim impietate ſuam animam auferunt. *Symm.* τὴν ψυχὴν αὐτῶν παρ᾽ αὐτῶν λήψεται, animam eorum ab eis tollet. (*cc*) Canitur.] *Ita S. Hilarius, ſed videtur paſſivum accipiendum pro deponente, id eſt, cantat, & prædicat ut vulg. Legenda ſunt quæ de hoc loco ſcribit S. Hilarius. Eodem modo infra c.* 8. (*dd*) Clamat.] *Aquila, S. Th.* δώσει φωνὴν αὐτῆς, dabit vocem ſuam: *quomodo fere vulgata.* (*ee*) Et in portis dynaſtarum aſſidet.] *Hæc abſunt a Compl. & vulg.* (*ff*) Inhærent juſtitiæ.] *Compl.* ἕχωνται. *Lucifer*, quanto tempore innocentes tenuerint juſtitiam. *Aquila*, ἕως πότε νήπιοι ἀγαπᾶτε νηπιότητα; *quod vulgata*, uſquequo parvuli diligitis infantiam? (*gg*) Impii facti oderunt ſenſum.] *Lucifer*, intellectum. *Symmachus*, καὶ ἀνόητοι μισήσουσι γνῶσιν; *& vulgata*, & imprudentes odibunt ſcientiam? (*hh*) Et ſubjecti.] *Sic idem Lucifer. Symmachus*, ἐπιστρέψατε ἐπὶ τὸν ἔλεγχόν μου, *quod vulgata*, convertimini ad correptionem meam. (*ii*) Proferam vobis.] *Aquila, & Theod.* ἀναβλύσω ὑμῖν πνεῦμά μου, effundam vobis ſpiritum meum, *quomodo fere vulgata.* (*kk*) Verba.] *Aq. S. Th.* τὴν χεῖρά μου, *& vulgata*, manum meam. (*ll*) Sed irrita faciebatis.] *Sic Lucifer. Schol.* ἐποιήσατε, feciſtis. *Sym. & Theod.* καὶ διεσκεδάσατε, & diſſipaſtis. (*mm*) Rebelles fuiſtis.] *In aliis libris eſt*, οὐ προσείχετε, *& Lucifer*, non intendebatis. (*nn*) Perditione.] *Sic idem Lucifer. S. Auguſt. in Io. tract.* 33. & ego veſtræ præditioni ſuperridebo. *Aquila*, ἐπιβλυσμῷ, inundatione, *Sym.* συνταγῇ, collocatione. (*oo*) Gaudebo.] *Lucifer*, gratulabor autem adverſus vos. *Aq. S. Th.* μυκτηριῶ, ſubſannabo, *ut vulgata.* (*pp*) Procellæ.] *Aquila*, συσσεισμῷ, concuſſioni, terræmotui. (*qq*) Oppreſſio.] *Aquila*, ἐπίχυσις, ſuperfuſio. *Th.* κατάσπευσις, conturbatio, præcipitatio. (*rr*) Erit enim cum.] *Schol.* τότε ἐπικαλέσονταί με, *& vulgata*, tunc invocabunt me. (*ff*) Oderunt enim.] *Symm. & Th.* ἀνθ᾽ ὧν ἐμίσησαν, pro eo, quod oderunt. (*tt*) Verbum autem Domini non aſſumpſerunt.] *Sic Lucifer & S. Cyprianus lib.* 1. *adver. Judæos*, ſermonem autem Domini non receperunt. *Et præter Vaticanum in alio etiam codice margini adſcriptum eſt*, λόγον. *In cæteris autem libris eſt*, τὸν δὲ φόβον κυρίου, *quod vulgata*, & timorem Domini. *Schol.* τὴν δὲ θεοσέβειαν, pietatem. *Sic enim vertit Sanctus Auguſtinus, de ſpiritu & litera. Ac ſæpe pro ea dictione hebraica, quæ timorem ſignificat, ipſos etiam lxx ponere*, θεοσέβειαν, *vel*, εὐσέβειαν, *ab aliis notatum eſt.* (*uu*) Neque volebant meis attendere conſiliis.] *Aquila, Symmachus, Theodot.* οὐκ ἐξεδέξαντο, non receperunt. (*xx*) Subſannabant.] *Aquila*, διέσυρον, detrahebant, *ſic enim videtur accepiſſe vulgata. Symmachus & Theodot.* παρώξυναν, irritavernut. (*yy*) Impietate.] *Lucifer*, & ſua impietate ſaturabunt animas. *Symmachus & Theodot.* διαβουλιῶν. *Aquila*, βουλευμάτων, *quod vulgata*, conſiliis. (*zz*) Pro eo enim quod injuriam inferebant parvulis.] *Lucifer*, Nam quia decipiebant parvulos. *Symmachus*, ὅτι ἀποστροφὴ νηπίων ἀνελεῖ αὐτοὺς, quoniam averſio parvulorum incerficiet eos: *quomodo fere vulgata.* (*ωω*) Examinatio.] *Aquila, & Symmachus*, καὶ εὐθηνία ἀφρόνων ἀνελεῖ αὐτοὺς, *quod eadem vulgata*, proſperitas ſtultorum perdet eos. (*) Habitabit in ſpe.] *Schol.* ἀναπαύσεται ἐν εἰρήνῃ πεποιθὼς, requieſcet in pace ſecurus.

CAP. III.

(*a*) OBediet ſapientiæ.] *Proprius quidem ad Hebræum, quam quod in aliis*, ὑπακούσεται σοφία τὸ οὖς σου, obediet ſapientia auri tuæ. *Sed Symmachus, Aquila, Theodot.* τοῦ προσέχειν τῇ σοφίᾳ, ad attendendum ſapientiæ. (*b*) Adjicies.] *Aquila*, ἀνακλινεῖς, inclinabis. (*c*) Sapientiam.] *Schol.* σύνεσιν, φρόνησιν, intellectum, prudentiam. (*d*) Tuam.] *Plura non referuntur neque a Sancto Hilario in Pſal.* 127. *cujus verba poſuimus. Sic autem citat hunc locum*: In Proverbiis dictum eſt: Si enim ſapientiam invoces, & intellectui des vocem tuam, & exquiras eam, tanquam argentum, & tanquam theſauros inveſtiges eam, tunc intelliges timorem Domini. *Neque a Sancto Hieronymo in cap.* 50. *Eſa. neque a Sancto Ambroſio ſerm.* 5. *in pſalmum*, 118. *qui eodem fere modo habent. Et cum Vaticano alius etiam liber convenit. At in cæteris hæc adduntur*, τὴν δὲ αἴσθησιν ζητήσῃς μεγάλῃ τῇ φωνῇ, ſenſum autem quæſieris magna voce: *quæ etiam in hoc Vaticano ad marginem ſunt adſcripta: in alio autem notata ſunt aſteriſco.* (*e*) Theſauros.] S. *& Th.* τὰ ἀπόκρυφα, abſcondita. (*f*) Facie.] *A.* S. *Th.* στόματος, *& vulgata*, ex ore. (*g*) Recte, agentibus.] τοῖς κατορθοῦσι, *& vulgata*, rectorem. *Sed S. Auguſtinus lib.* 1. *contra adverſ. leg. & proph. cap.* 17. Et in proverbiis legitur, quia Deus theſaurizat diligentibus ſe ſalutem. (*h*) Vias.] *In aliis libris eſt* ὁδὸν, viam: *& Schol. notat tanquam alteram lectionem*, ὁδοὺς. (*i*) Semitas.] ἄξονας. *A.* καμπὰς, flexus. *Symmachus*, ἐπικυλισμοὺς, involutiones. (*k*) Mentem.] *A.* S. *Th.* καρδίαν, cor, *ut vulgata.* (*l*) Pulcher videbitur.] *Id eſt, jucundus, & ſuavis.* A. εὐπρεπώσει, decorus & venuſtus erit. (*m*) Cogitatio.] *A.* S. *Th.* φρόνησις, prudentia, *ut vulgata.* (*n*) Pravæ.] S. σκαμβαὶ. *Th.* στρεβλαὶ, *eodem ſenſu.* (*o*) Et flexuoſi curſus eorum.] *Ita* S. *Ambroſius in pſal.* 36. *a quo totum hunc locum ſumpſimus: etſi aliter etiam verti potuiſſet. Aquila*, καὶ θρυλλοῦσιν ἐν καμπαῖς αὐτῶν, & jactant ſe in flexuris ſuis. *Th.* καὶ μυκτηρίζουσιν ἐν τοῖς ἐπικυλισμοῖς αὐτῶν, & ſubſannant in involutionibus ſuis. (*p*) A via recta, & alienum a juſta ſententia.] *Symmachus*, ἀπὸ γυναικὸς ἀλλοτρίας, ἀπὸ ξένης, ἧς οἱ λόγοι ὀλισθηροὶ, a muliere aliena, ab extranea, cujus verba lubrica: *qui ſenſus exprimitur in vulgata.* (*q*) Quæ dereliquit.] *Quod præceſſit*, malum conſilium, *græce eſt*, κακὴ βουλή. *Quare videbatur nunc vertendum*, quod dereliquit: *Sed hæc viſa eſt eſſe hujus loci ſententia*, malum conſilium illius mulieris, quæ dereliquit. (*r*) Doctrinam juventutis.] S. μάθησιν, diſciplinam. *Th.* ἡγούμενον, ducem, *ut vulgata.* (*ſ*) Divini.] A. S. *Th.* θεοῦ, Dei. (*t*) Poſuit.] S. ὥρισεν, terminavit. *Schol.* Alius, ἔκυψε γὰρ εἰς θάνατον ὁ οἶκος αὐτῆς, inclinata eſt enim ad mortem domus ejus, *ut vulg. S. Ambroſ. de Cain, lib.* 1. *cap.* 5. *huc videtur ſpectare, cum inquit*, Viæ inferorum domus ejus, deducentes in ſeceſſum mortis. (*u*) Orbitas.] *Aquila*, καμπάς. *Symm.* ὁδοὺς, *Theod.* κυλισμοὺς. *Schol.* αἱ τροχιαὶ αὐτῆς, *eodem ſenſu.* (*x*) Revertent.] *A.* S. *Th.* ἐπιστρέψουσι, *quod idem valet.* (*y*) Semitas juſtitiæ.] *Affertur hic locus a S. Auguſtino in libro de natura, & gratia, cap.* 69. *Schol.* ὁδοὺς δικαίων, vias juſtorum. (*z*) Quoniam recti.] *Optime hæc reſpondent hebræo, & vulgatæ. In aliis libris hæc antecedunt*, χρηστοὶ ἔσονται οἰκήτορες γῆς, ἄκακοι δὲ ὑπολειφθήσονται ἐν αὐτῇ, boni erunt habitatores terræ, & innocentes remanebunt in ea. *In uno codice ſunt hæc, & non noſtra: ſed ſtatim ſequitur*, ὁδοὶ δὲ ἀσεβῶν: *quare videri poſſunt duæ interpretationes ejuſdem ſententiæ. Scholiaſtes quidem de iſtis, quæ in aliis eſſe diximus, loquens hæc affert*: ὅτι οἱ δύο στίχοι οὔτε ἐν τοῖς λοιποῖς κεῖνται, οὔτε ἐν τοῖς πᾶσι τῆς κοινῆς ἀντιγράφοις, hi duo verſus neque in cæteris ſunt, neque in omnibus communis editionis exemplaribus. (*ω*) Inhabitabunt.] S. κατακληρονομήσουσιν, hæreditabunt, *& ſic iſtum locum affert* S. *Baſilius.* (*) Iniqui.] *A.* S. *Th.* ἀσεβεῖς, impii.

CAP. IV.

(*a*) ELeemoſynæ, & fides.] *Aquila*, ἔλεος καὶ ἀλήθεια, miſericordia, & veritas, *ut vulgata. S. Joann. Chryſoſtomus in epiſt. ad Phil. hom.* 1. *una cum hac ſententia, quam habet noſtra, conjungit & iſtam*, ἐλεημοσύνη, καὶ πίστις ἔστω σοι ἀληθὴς, miſericordia, & fides ſit tibi vera. (*b*) Alliga.] *Aquila*, σύνδησον, *eodem ſenſu.* (*c*) Tuum.] *In cæteris libris hæc ſubnectuntur*, γράψον αὐτὰς ἐπὶ πλακὸς καρδίας σου, ſcribe eas ſuper tabulam cordis tui, *in uno autem libro, pro*, πλακὸς, *eſt*, πλάτος, latitudinem: *quomodo eſt infra cap.* 7. *Alterutrum quidem locum innuens S. Hieronymus in Abacuc, cap.* 2. *dicebat*: Sed & Salomon tale quid ſignificat in Proverbiis dicens: Deſcribe eam ſuper latitudinem cordis tui. *Symmachus*, ἐπὶ τοῖς στήθοις, ſuper pectus. (*d*) Et provide.] *Indicatur hic locus* 2. *Cor.* 8. S. *Ambroſius in Lu. lib.* 1. *habet*, provide bona ſemper coram Deo, & coram hominibus. *A.* S. *Th.* περινόησαι, circumſpice. (*e*) Coram Domino.] *Iidem*, ἐν ὀφθαλμοῖς κυρίου, in oculis Domini. (*f*) Eſto fidens.] S. ἔλπισον κυρίῳ. ſpera in Domino. (*g*) Ne exalteris.] *Th.* μὴ ἐπερείδου, ne innitaris, *ut vulgata. Symm.* μὴ ἴσθι πεποιθὼς, ne ſis confidens. (*h*) Omnibus.] *Multi codices habent*, ἐν πάσαις, in omnibus. S. *Heironymus lib.* 3. *adverſ. Pelag. ubi multa ex hoc loco affert, habet*, in omnibus viis tuis cognoſce eum: *& in vulgata*, cogita illum. (*i*) Rectas faciat.] *Sic ibidem* S. *Heironymus, quod græce eſt*, ὀρθοτομῇ, *& Symmachus planius expreſſit*, εὐθεῖς ποιήσῃ, (*k*) Prudens.] *A.* S. *Th.* σοφὸς, ſapiens. (*l*) Curatio.] *A.* ποτισμὸς, irrigatio, *ut vulgata. Symm.* πιότης, pinguedo, medulla. *Th.* καταβροχὴ, *quod idem valet*, irrigatio, perfuſio. (*m*) De tuis fructibus juſtitiæ.] *A.* S. *Th.* παντὸς γεννήματός σου, de omni genimine tuo. *Sanctus Hieronymus in Ezech. cap.* 45. *hanc partem ſic refert*, & da ei de fructibus juſtitiæ tuæ. (*n*) Cellaria.] *Aquila*, αἱ ἀποθῆκαι, apothecæ, horrea, *ut vulgata. Symmachus*, θησαυροὶ, theſauri. (*o*) Saturitate frumento.] *In aliis eſt*, πλησμονῆς, *aut*, πλησμονῇ σίτου, ſaturitate frumenti. *Sanctus Hieronymus ibidem habet tantum* ut impleantur cellaria tua frumento: *Vulgata tantum*, ſaturitate: *quare videri poſſunt junctæ duæ interpretationes.* (*p*) Redundent.] *Schol.* ὑπερεκβλύζωσιν, *quod etiam eſt ſignificantius.* (*q*) Noli negligere.] *Sic Sanctus Paulus ad Hebræos cap.* 12. *Sed habet*, υἱέ μου, fili mi. *Aquila*, μὴ ἀποδοκίμασον, ne reprobes. *Symmachus*, μὴ ἀπωθῇς; ne abjicias, *ut vulgata. Sanctus Hieronymus in Ezech. cap.* 20. Fili ne contriſteris ad diſciplinam Domini, neque deficias quando ab eo argueris. Quem enim diligit, &c. *Sanctus Cyprianus de habitu virg.* File ne neglexeris diſciplinam Domini, nec defeceris ab eo correptus: *itemque* 3. *lib. ad Quirinum.* (*r*) Fatigeris.] *Theodot.* μηδὲ ἐγκακήσῃς, neque reprehendas, neque faſtidias. (*ſ*) Arguit.] *Nonnulli codices habent*, παιδεύει, *& S. Paulus ibidem, uti vulgata*, corripit, *itemque Sanctus Hieronymus, & Sanctus Cyprianus, locis allatis.* (*t*) Homo.] *Aliqui*, ἀνὴρ, *& Sanctus Auguſtinus contra Adamantium cap.* 19. Beatus vir, &c. (*u*) Mortalis qui videt.] *Sanctus Auguſtinus ibidem*, & immortalis qui videt. *Schol.* ἔσχεν, tenuit. (*x*) Appropinquantibus.] *Idem Sanctus Auguſtinus*, appropinquantibus ei, & eis qui conſiderant eam diligenter, omne autem precioſum non eſt illi dignum. (*) Longitudo.] *S. Ambroſius in pſal.* 118. *ſerm.* 5. Longitudo enim vitæ in dextera ejus. (*y*) In lingua.] *Sic S. Auguſtinus contra adverſ. legis lib.* 2. *cap.* 11. *& de gratia, & lib. arb. cap.*18. (*z*) Semitæ.] Sic S. *Ambroſius ibidem. Schol.* οἱ ἄξονες, *& in uno libro eſt inventum,* καὶ πάντες οἱ ἄξονες αὐτῆς μετ' εἰρήνης, *Et* omnes orbitæ ejus cum pace. (*ω*) Secura.] *Iſta dictio non habetur apud* S. *Hilarium in pſal.* 1. *neque apud Int. Origenis in epiſt. ad Rom. cap.* 6 (*aa*) In ſenſu.] *In aliquot codicibus additur,* αὐτοῦ, *& Irenæus,* ſenſu ejus abyſſi eruperunt. *Sch.* ἐν γνώσει, in cognitione, in ſcientia. (*bb*) Rores.] *Schol.* δρόσῳ, *& Irenæus,* manaverunt ros. (*cc*) Et non timebis pavorem ſupervenientem.] S. *Hieronymus in Ezech. cap.* 44. *addit,* tibi, *& in Zach. cap.* 4. terrorem ſupervenientem tibi. *Schol. Cæteri,* ἐὰν πτοηθῇς, οὐ φοβηθήσῃ, ſi animo percellaris, ne timueris, *id eſt, ſi ingruat tibi res aliqua, quæ ſuapte natura ſit terroris plena; tu ne timueris, quoniam Dominus cuſtodit te.* (*dd*) Firmabit.] *Schol.* τηρήσει, ſervabit. (*ee*) Commovearis.] *Schol.* ἀγρευθῇς, capiaris. (*) Ne dixeris.] *S. Cyprianus lib.* 3. *ad Quir.* Nec dixeris; abi, & revertere, cras ego dabo; cum poſſis continuo benefacere: non enim ſcis quid contingat ſequenti die. (*ff*) Inimicitias exercere.] *Sic Lucifer pro S. Athan. S. Hieronymus adverſ. Rufin.* ne inimiceris. *Aquila,* μὴ δικάζου, *quod vulgata,* non contendas. (*gg*) Neque zelaveris.] *Schol.* μηδὲ ζήλου, *eodem ſenſu.* (*hh*) In juſtis autem non facit concilium.] *Abſunt ab uno codice. Videntur autem hoc ſignificare, cum juſtis non agere Deum quaſi pro tribunali, & longo ſubſellio, ſed amice, ac familiariter: hebræus enim hanc habet ſententiam, cum rectis eſſe ſecretum colloquium, familiarem ſermocinationem Dei.* (*ii*) Dominus.] 1. *Pet.* 5. *eſt,* θεὸς, Deus, *itemque Jac.* 4. *in vulgata.* (*kk*) Impii autem.] *S. Hieronymus in Apol. contra Rufinum,* Impii exaltant contumeliam.

CAP. IV.

(*a*) COgitationem.] *Aq.* σύνεσιν, intellectum. *Symmachus,* φρόνησιν, prudentiam. (*b*) Legem.] *Sic etiam vulgata. In aliis pleriſque,* λόγον, orationem. (*c*) Dilectus.] *A. S. Th.* μονογενής, unigenitus. Alii, *unicus.* Sed unicus eſſe poteſt qui tamen non ſit unigenitus. Prius erat in Lxx. ἀγαπώμενος. Cave rejicias. Salomo enim plures fratres habuit; non ergo unigenitus proprie. Vide 1. Paralip. 3.5. Videndus & Lyra. *Druſ.* (*d*) Docebant.] *A.* ἐφώτιζόν με, illuminabant me. (*e*) Firmetur.] S. κατεχέτω λόγους μου, teneat verba mea. (*f*) Præcepta.] *A. S. Th. addunt,* καὶ ζῆθι, *quod vulgata,* & vives. (*g*) Non obliviſcaris.] *Hæc ſunt etiam in Complut. licet non in vulgata. In Complut. autem ſequitur,* κτῆσαι σοφίαν, κτῆσαι σύνεσιν, μὴ ἐπιλάθῃ, μηδὲ παρίδῃς. Poſſide ſapientiam, poſſide intelligentiam: ne obliviſcaris, & ne deſpexeris, &c. *S. Hieronymus ep.* 2. *habet iſta, ſed hanc ultimam partem ſic affert,* & ne declinaveris a verbis oris mei, &c. *Verum cum iſtud,* declinaveris, *fuerit Aquilæ,* S. *& Th.* (*ita enim illi,* ἐκκλίνῃς) *& cætera etiam, quæ eo loco apud S. Hieronymum ſequuntur, ſint valde ſimilia vulgatæ; facile fieri potuit, ut etiam omnia iſta ab aliis potius interpretibus, quam a lxx. acceperit antiqua illa vulgata. In aliquo quidem codice utraque iſta lectio conjungitur,* μηδὲ παρίδῃς ῥῆσιν ἐμοῦ στόματος. μηδὲ ἐκκλίνῃς ἀπὸ ῥημάτων στόματός μου. (*h*) Et adhærebit tibi.] *A. S. Th.* καὶ φυλάξει σε & cuſtodiet te, *quomodo vulgata. S. Hier. epiſtola illa* 2. & apprehendet te. *In Ezech. cap.* 18. Ama illam, & amplexabitur te: dilige illam, & cuſtodiet te. (*i*) Et ſervabit te: circunda.] *Sic S. Hieronymus in cap.* 44. *Ezech. quo loco videtur referre lectionem lxx,* & circunda, *dictum eſt, quod græce,* περιχαράκωσον, *quaſi,* circumvalla, *& firmiſſime retine. Aquila dixit,* ἀνάλαβε αὐτήν, ſuſcipe, retine eam, *aut,* arripe, *ut vulgata: Symmachus,* βάσταζε αὐτήν, porta eam. *In aliis autem libris ante hoc verbum,* περιχαράκωσον, *ponuntur hæc* ἀρχὴ σοφίας, κτῆσαι σοφίαν, καὶ ἐν πάσῃ κτήσει σου κτῆσαι σύνεσιν, *& apud S. Hieronymum in epiſtola, ubi, ut diximus, non videtur referre lectionem puram lxx.* Principium ſapientiæ: poſſide ſapientiam; & in omni poſſeſſione tua poſſide intelligentiam. *In uno libro ponuntur cum aſteriſco. Quod autem ſequitur,* ut te amplexetur, *S. Hieronymus in Eccl.* 3. *habet,* & amplexabitur te. (*k*) Deliciarum.] *A.* αὐχήσεως, gloriationis. *Symm.* δόξης, gloriæ. *Th.* ὡραιότητος, decoris. (*l*) Doceo te.] *A.* ὡδήγησά σε, deduxi te. (*m*) Orbitis.] *A.* ἐν καμπαῖς εὐθύτητος, in tramitibus rectitudinis. *Symm.* ἐν τρίβῳ εὐθείᾳ, in ſemita recta. (*n*) Concludentur.] *Schol.* στενωθήσεται, arctabuntur. *Symm.* μὴ θλιβήσεται, non tribulabuntur. (*o*) Laborabis.] *Aq.* σκανδαλισθήσῃ, in ſcandalum impinges, corrues. (*p*) Zelaveris vias iniquorum.] *A. & Th.* μακαρίσῃς ὁδοὺς πονηρῶν, beatas putes vias malorum. (*q*) Abſcede.] *Aut,* devita, *ut Lucifer de non conv. cum hær. A. S. Th.* πάρελθε, tranſi. (*r*) Eorum.] *In multis eſt,* ἀπ' αὐτῶν, *& Lucifer,* ab eis. (*ſ*) Eſcas.] *A* ἄρτον, panem, *ut vulgata. Lucifer,* cibantur cibis impietatis. (*t*) Vino autem.] *A. & S.* καὶ οἶνον ἀδικιῶν πίονται, & vinum injuſtitiarum bibent. (*u*) Procedunt.] *Ita etiam Lucifer, quod græce eſt,* προπορεύονται. *In aliis pleriſque,* πορεύονται, vadunt. (*x*) Dirigat ſe.] καταρθώσῃ, *id eſt, bene proceſſerit, & aſſequutus ſuum vigorem fuerit. Lucifer,* donec corrigat dies. *Th.* ὡς φῶς φέγγους πορευόμενον, καὶ φωτίζον ἕως ἑτοιμασίας ἡμέρας, tanquam lux ſplendoris vadens, & illuminans uſque ad ſtabilitatem diei, *Aquila* ἑτοίμης ἡμέρας, paratum diem. S. ἑδραίας ἡμέρας, ſtabilem diem. (*y*) Quomodo offendunt.] *Sic idem Lucifer. Symmachus,* ἐν τίνι ἀσθενήσουσιν, in quo infirmabuntur. *Complut. utrumque videtur conjunxiſſe,* ἐν τίνι πῶς. (*z*) Appone.] *Aut,* adjice. *A. S. Th.* κλῖνον, inclina. (*ω*) Non derelinquant.] *Symm.* μὴ παραρρυησάτωσαν ἐξ ὀφθαλμῶν σου, *quod vulgata,* ne recedant ab oculis tuis. *Th.* μὴ χλευασθήτωσαν ἀπὸ ὀφθαλμῶν σου, ne ſubſannentur ab oculis tuis. (*aa*) Omni cuſtodia.] *A. & Th.* ἀπὸ παντὸς φυλάγματος, ex omni cuſtodia. (*bb*) Exitus.] ἔξοδοι, *quaſi,* proceſſiones, *& ideo Symmachus,* προσέλευσις. (*cc*) Aufer a te.] S. *Ambroſius de Cain. lib.* 1. *cap.* 5. *non habet iſtud,* a te. *Aquila,* ἀπόστησον, remove. (*dd*) Pravum os.] *A. & Th.* στρεβλότητα στόματος, perverſitatem oris. (*ee*) Propelle.] *A. S. Th.* μάκρυνον, elonga. (*ff*) Recta.] *Symm.* εἰς τὸ εὐθύ, in rectum. *A. & Th.* εὐθυνέτωσαν κατέναντι, *quod putamus pertinere ad id quod ſequitur,* palpebræ tuæ annuant juſta. *Nam ita hebræus,* palpebræ tuæ dirigant coram te. (*gg*) Rectas orbitas.] *Aquila,* ὁδοποίει καμπὴν ποδῶν σου, cura, muni viam pedum tuorum. *Symm.* διατήρησον τοῖς ποσί σου, obſerva pedibus tuis. (*hh*) Dirige] *Aqu. S. Th.* ἑτοίμαζε, para, firma.

CAP. V.

(*a*) ET meis ſermonibus appone.] *Th.* τῇ φρονήσει μου κλῖνον τὸ οὖς σου, *quod vulgata,* prudentiæ meæ inclina aurem tuam. (*b*) Cogitationem.] *A. S. Th.* γνῶσιν, ſcientiam. (*) Senſus autem meorum labiorum mandat tibi.] *Alii,* αἴσθησιν ἐντέλλομαι, ſenſum mando; *ubi vulg.* & diſciplinam labia tua conſervent. (*c*) Fornicariæ.] *Iidem,* ἀλλοτρίας, alienæ. *Vulg. tamen,* meretricis, *& S. Hier. in Ezech. c.* 3. *& cap.* 6. *S. Amb. De Cain cap.* 5. mella enim deſtillabunt a labiis mulieris fornicariæ. (*d*) Quæ ad tempus.] *S. & Th.* καὶ λεῖος ὑπὲρ ἔλαιον φάρυγξ αὐτῆς, *quod vulg.* & nitidius oleo guttur ejus. (*e*) Amariorem felle.] *A.* ὡς ἀψίνθιον, *& vulg.* quaſi abſynthium. *Sequuti autem ſumus interpretationem S. Ambroſii: nam licebat etiam vertere propius ad Hebræum,* noviſſimum autem amarius felle invenies, & acutum, *nec multo aliter Lucifer de non converſ. cum hær.* (*f*) Cum morte.] *Schol.* μετ' ὀδύνης, cum dolore. (*g*) Orbitæ.] *A.* καμπαί. S. ἐπικυλισμοί, *eodem ſenſu.* (*h*) Ne irritos facias.] *A.* μὴ ἀποστῆτε, ne recedatis. (*i*) Non prodat aliis.] *Sym.* μήποτε δῷ ἑτέρῳ τὴν δόξαν σου, ne forte det alteri gloriam tuam. (*k*) Ætatem.] *A. S. Th.* τὰ ἔτη σου, annos tuos. (*l*) Alienorum.] *Alii,* ἀλλοτρίοις, alienas. *Sch.* ἀλλοτρίων. (*m*) Pœnitebit.] *Alii,* μεταμεληθῇς, pœniteat. *A. S. Th.* στενάξεις, gemes. (*n*) In noviſſimis.] *S.* ἐν τῷ ἐκλείπειν, in deficiendo. (*o*) Devitavit.] *Th.* παρώξυνεν, exacerbavit. (*p*) Corripientis.] *A. S. Th.* φωτιζόντων, illuminantium. (*q*) Adhibebam.] παρέβαλλον, *aut,* παρέβαλον. *A. S. Th.* ἔκλινα, inclinavi. (*r*) Pene fui.] *Sic vulg. quod græce eſt,* παρ' ὀλίγον ἐγενόμην, *poſſet tamen verti,* parum abfuit, quin fuerim. *A.* ὡς ὀλίγον ἐγενόμην. *Sch.* ἐν βραχυτάτῳ, *eodem ſenſu.* (*ſ*) De tuis vaſis.] *A. S. Th.* ἐκ λάκκου σου, de ciſterna tua, *ut vulg.* (*t*) Puteorum.] *Sch.* ὑδάτων, aquarum. *S. Hier. in Ezech. cap.* 32. Bibe aquam de tuis aquis, & de puteorum tuorum fontibus. (*u*) Non ſupereffundantur.] *A.* μὴ διασκορπιζέσθωσαν αἱ πηγαί σου ἔξω, ne diſpergantur fontes tui extra. *In multis codicibus non eſt illud* μὴ, *ſed tantum,* ὑπερεκχείσθω, ſupereffundantur. *Origenis Int. ho.* 12. *in Num.* Bibe aquas de tuis vaſis, & de puteorum tuorum fonte, & non ſupereffundantur tibi aquæ extra tuum fontem. Quamvis in aliis exemplaribus legerimus, & effundantur tibi aquæ extra tuum fontem. *Clemens Alex. ſtrom. l.* 2. μὴ δὴ ὑπερεκχείσθω σοι ὕδατα ἔξω πηγῆς σου. (*x*) Propius.] *A. S. Th.* εὐλογημένη, *& vulg.* ſit vena tua benedicta. (*y*) Pullus gratiarum.] *Sic S. Ambr. l.* 3. *off. c.* 1. *S. Hier.* & pullus gratiarum loquantur tibi. *Sym. & Th.* καὶ ἔλαφος χάριτος, & cervus gratiæ. (*z*) Propria.] *Sch.* φιλία, dilectio, amicitia. *Aq.* τίτθοι αὐτῆς μεθυσκέτωσαν, *quod vulg.* ubera ejus inebrient. (*ω*) Coram.] *S. & Th.* κατέναντι, *eodem ſenſu.* (*aa*) Orbitas.] *A.* καμπὰς, S. ἐπικυλισμοὺς, *ut ſuperius.* (*bb*) Iniquitates.] *A. S. Th.* ἀνομίαι, *eodem ſenſu.* (*cc*) Catenis.] *Aq.* καὶ ἐν σχοινίοις ἁμαρτίας αὐτοῦ, & in funibus peccati ſui. (*dd*) Conſtringitur.] *Symm.* συλληφθήσεται, comprehendetur. (*ee*) Cum iis qui non habent diſciplinam.] *Symm.* διὰ ἀπαιδευσίαν, propter inopiam diſciplinæ. (*ff*) Vitæ ſuæ dejectus eſt, & periit propter imprudentiam.] *Illud* βιότητος, *in Compl. transfertur,* violentiæ. *Symm.* ἀφροσύνης αὐτοῦ πλανηθήσεται, *quod vulg.* ſtultitiæ ſuæ decipietur, *neque aliud eſt in hebræo, aut vulg. In Schol. tamen ad illa verba ultima,* δι' ἀφροσύνην, *adſcribitur hæc varietas.* Symm. & Theod. ἐν τῷ μὴ εἰδέναι παιδείαν, in non cognoſcendo diſciplinam.

CAP. VI.

(*a*) AMicum tuum.] *Simili loquutione affert locum, qui paulo poſt ſequitur. S. Ambr. de Tobia cap.* 23. ſtimula civem tuum, quem ſpopondiſti, *id eſt,* quem ſponſione facta præſtare debes. *Aq.* ἑταῖρον, ſodalem. *Symm. & Th.* πλησίον, proximum. (*b*) Trades.] *Sch.* ἐνέπηξας εἰς ἅλυσιν χεῖρά σου, infixiſti in catenam manum tuam. (*c*) Laqueus.] *Symm.* ἐπαγιδεύθης ἐν ῥήμασι στόματός σου, *quod vulgata,* illaqueatus es verbis oris tui. (*d*) Et capitur.] *Symm.* καὶ ἑάλως ἐν ῥήμασιν, & captus es in verbis, *nec multo aliter vulgata.* (*e*) Eſto non remiſſus.] *A. S. Th.* πορεύου, vade. (*f*) Stimula.] *S. & Th.* παρόξυνον, incita. (*g*) Et amicum.] *Schol.* πολίτην, civem, *quemadmodum & S. Ambr. loco allato.* (*h*) Somnum.] *A. S. Th.* νυσταγμὸν, dormitationem. (*i*) Neque indormites.] *Sch.* καὶ ἐξεγέρθητι, & expergiſcere. (*k*) Reti.] *Sym.* ἐκ χειρὸς ἰξευτοῦ, de manu aucupis. (*l*) Vade.] *A. S. Th.* πορεύου, *eodem ſenſu.* (*m*) Qui cogat.] *A. & Th.* ἐκβιαστὴν, qui extorqueat. *Sym.* γραμματέα, ſcribam. (*n*) Et multam.] *Sch.* συστρέφει ἐν θερισμῷ βρώματα αὐτοῦ, coacervat in meſſe eſcas ſuas. *Sym.* συνάγει ἐν ἀμητῷ τὰ δέοντα αὐτοῦ, congregat in meſſe neceſſaria ſua. (*o*) Facit.] *Sch.* ἐμπορεύεται, mercatur, *ut habet S. Amb. Hex. l.* 5. *c.* 21. *quo ex loco totũ fere hunc locũ de ape ſumpſimus; qui a Compl. & vulg. abeſt.* S. *Hier. in Ezech. c.* 3. Et in proverbiis de ape dicitur, quanquã hoc hebræa non habeant exemplaria: Vade ad apem, & diſce, quomodo operatrix ſit, & opus ſuum caſtum faciat: cujus laboribus reges & imperiti pro ſanitate abutuntur, *quã ultimã ſententiã ita refert* S. *Amb.* cujus laborẽ reges & mediocres ad ſalutẽ ſumunt. (*p*) Uſque quo.] *Sch.* πότε, *eodem ſenſu.* (*q*) Jaces.] *A. S. Th.* κοιμηθήσῃ, dormies, *ut vulg.* (*r*) Excitaberis.] *A. S. Th.* ἀναστήσῃ, ſurges. (*ſ*) Amplecteris.] *Aq.* περιλαμβάνεις, *eodem ſenſu.* (*t*) Deinde ſupervenit.] *Aq.* καὶ ἐλεύσεται *Sym. & Th.* καὶ ἥξει, & veniet. (*u*) Tanquam bonus curſor.] *Sym.* ὡς ἀνὴρ ἀσπίδος, tanquam vir clypei. *Th.* ὡς ἀνὴρ δορυφόρος, tanquã vir haſtifer. (*x*) Si autẽ.] *Hæc uſque ad,* vir inſipiens, *abſunt a Compl. & vulg.* (*y*) Vias non bonas.] *Sym.* στρεβλώμασι στόματος, perverſitatibus oris. (*z*) Innuit.] *Aq. & Th.* κνίζει, carpit. Κνίζω, vellico: item uro, pungo, mordeo: item ſcrupulum injicio, ſolicitudinem affero, κνίζειν τὸν ἐραστὴν, dicitur amica cum fingit ſe eum averſari. *Druſ.* (*ω*) Significat.] *A.* τρίβων, *Sym.* περιτρίβων, *vulg.* terit pede. (*aa*) Docet autem nutibus digitorum.] *Compl.* digito. *Sym.* δακτυλοδεικτῶν, digitis monſtrans. *Sch.* συμβιβάζει δὲ τοῖς δακτύλοις αὐτοῦ, docet autẽ digitis ſuis. (*bb*) Perverſum.] *Sch.* στρεβλότητος, perverſitatis. (*cc*) Turbatione.] *Sch.* ἀντιδικίας, contentiones, jurgia. (*dd*) Extemplo.] *A.* παραχρῆμα. S. ἄφνω, *eodem ſenſu.* (*ee*) Deus.] *In aliis libris eſt,* ὁ κύριος, Dominus, *& Sch.* ὁ θεός. *Verum pro hac ſententia in vulg. ex hebr. eſt,* ſex ſunt, quæ odit Dominus. (*ff*) Conteritur autem propter immunditiã animæ] *A. S. Th.* καὶ ἑπτὰ βδελύγματα ψυχῆς αὐτοῦ, & ſeptẽ abominationes animæ ejus, *quod vulg. planius dixit,* & ſeptimum deteſtatur anima ejus. (*gg*) Contumelioſi.] *Sic S. Hier. in*

Naum cap. 2. *in extrema autem apologia adv. Rufinum*, oculos contumelioſi, linguam iniqui, &c. *Lucifer pro* S. *Athan.* oculus contumelioſus, lingua iniqua, &c. *Aq. & Symm.* ὑψηλὸς, ſublimis. (*hh*) Juſti.] *Sic Lucifer, & S. Hier. adv. Ruf. Alii*, δίκαιον, juſtum. *Aq.* ἀθῷον, *Symm.* ἀναίτιον, innoxium. (*ii*) Feſtinantes.] *A.* S. *Th.* ταχύνοντες δραμεῖν εἰς κακίαν, *quod vulgata*, veloces ad currendum in malum. (*kk*) Accendit falſa.] *Sic putamus melius ad ſententiam reddi, quam quomodo in Complut.* exurit mendacem. *Hoc enim ſibi vult*, excitat mendacia, *aut*, mendaciis accendit homines. *Symm. & Th.* ἐκφαίνει, profert, *& vulgata*, proferentem mendacia. (*ll*) Judicia.] *Schol.* ἀντιδικίας, lites, jurgia, diſcordias, *ut vulgata.* (*mm*) Liga.] *Aq. & Th.* σύνδησον, colliga. (*nn*) Animam.] *Schol.* καρδίᾳ, *& vulgata*, in corde tuo. (*oo*) Et quaſi torquem circunda.] S. σφίγξον, conſtringe. (*pp*) Adducito eam.] *A.* S. *Th.* ὁδηγείτω σε, deducat te. (*qq*) Ut expergefacto.] *Schol.* ὡς δ᾽ ἂν διεγερθῇς, & cum expergefactus fueris. (*rr*) Legis & lumen.] *A.* S. *Th.* ϗ νόμος φῶς, *quod vulgata*, & lex lux. (*ſſ*) Et correptio, & diſciplina.] *Iidem*, ἔλεγχοι παιδείας, increpationes diſciplinæ, *ut fere vulgata.* (*tt*) Nupta] *Schol.* τοῦ φίλου σου, amici tui. *Aq.* ἑταίρου σου, ſodalis tui. *Th.* πόρνης, meretrice. (*uu*) Et à calumnia linguæ alienæ.] *Symm. & Th.* ἀπὸ λειογλώσσου ξένης, *quod vulgata*, à blanda lingua extraneæ. (*xx*) Non te vincat formæ.] *Sic* S. *Ambroſius de Cain, cap.* 5. *&* S. *Hieron. in Ezech. cap.* 27. Non te decipiat pulchritudinis deſiderium, ne capiaris oculis tuis. *In aliquibus codicibus additur*, υἱὲ, fili, *quod tamen neque in vulgata eſt. Aq. Symm. Th.* μὴ ἐπιθυμήσῃς κάλλους αὐτῆς ἐν καρδίᾳ σου, ne concupieris pulchritudinem ejus in corde tuo. (*yy*) Capiaris.] *Schol.* μὴ δ᾽ ἕλῃ σε, neque capiat te. (*zz*) Alligabit.] *A. S. Th.* μὴ ὑποτύψει, nunquid ſubagitabit. (*ωω*) Nuptam.] *A. & Th.* ἑταίρου αὐτοῦ, ſodalis ſui. *Symm.* τοῦ πλησίον, proximi, *ut vulgata.* (*aaa*) Non mirum, ſi deprehendatur.] *Symm.* οὐκ ἐξατελίσουσιν. *Aq.* οὐκ ἐξουδενώσουσι τὸν κλέπτην, non ſpernent furem. (*b*) Eſuriens.] *Alii*, πεινῶσαν, eſurientem. *Schol.* ψυχὴν αὐτοῦ, ὅταν πεινάσῃ, animam ſuam, cum eſurierit. (*c*) Autem propter inopiam cordis.] *Aq.* γυναῖκα, στερεῖται καρδίας, nuptam, deficit corde. (*d*) Ac dolores, & ignominias.] *Symm.* μάστιγα, ϗ ὕβριν εὑρήσει, plagam, & contumeliam inveniet. (*e*) Judicii.] *Aq. & Th.* ἐκδικήσεως, vindictæ. (*f*) Non commutabit.] *Th.* οὐ λήψεται πρόσωπον πάσης λυτρώσεως, non accipiet perſonam ullius ſatisfactionis. (*g*) Multis donis.] *Aquila*, δωροκοπίᾳ, munerum oblatione.

CAP. VII.

(*a*) FIli, honora.] *Hæc uſque ad*, cuſtodi, *ſunt etiam apud Luciferum pro* S. *Athan. & in Complut. licet non in vulgata.* (*b*) Et vives.] *A.* S. *Th.* ϗ ζῆθι, & vive. (*c*) Circumpone.] *A.* σύνδησον. S. *& Th.* ἄφαψαι, liga, *ut vulgata.* (*d*) Cordis.] *S.* τοῦ στήθους, pectoris. Lxx. hic habent, ἐπὶ τὸ πλάτος τῆς καρδίας σου: ſed legendum eſſe divino, ἐπὶ πλακὸς καρδίας σου: in tabula cordis tui. Quanquam apud Hieron. Hab. 2. *deſcribe ea ſuper latitudinem cordis tui.* Sic variant codices cap. 3. Nam pro eo quod in cæteris, ἐπὶ πλακὸς, in uno legitur, ἐπὶ τὸ πλάτος. Conſule ſodes editionem Romanam ad hunc poſtremum locum. *Druſ.* (*e*) Tuam ſororem eſſe.] *A.* S. *Th.* ἀδελφή μου εἶ σὺ, *quod vulgata*, ſoror mea es tu: *quare credibile eſt apud illos etiam præceſſiſſe*, dic ſapientiæ. (*f*) Et prudentiam notam redde tibi.] *A. & Th.* ϗ γνωστὴν τὴν σύνεσιν καλέσεις, & notam (*id eſt, propinquam*) intelligentiam vocabis. (*g*) Si te ſermonibus.] *Huc ſpectans* S. *Ambr. de Cain. lib.* 1. *cap.* 4. *ubi totum hunc locum optime tractat, dicebat*, ſermonibus adoritur gratioſis. *Th.* ἧς ῥήματα αὐτῆς ὀλισθηρά, cujus verba ejus lubrica, mollia. (*h*) Juxta angulum.] *In aliis libris* ἐν γωνίᾳ, *& Schol.* παρὰ γωνίαν. S. *Ambr. eod. cap.* 4. *ſic hunc locum reddit*, quemcunque viderit ſenſu dubio prætereuntem in angulo tranſitus domus ſuæ. (*i*) Speciem habens meretriciam.] *Aq.* θέσιν πόρνης, S. τάξιν πόρνης, *quod vulg.* ornatu meretricio. (*k*) Vaga.] *Sic videtur reddidiſſe* S. *Ambr. quod græce eſt*, ἀνεπτερωμένη, *quaſi volatica. Aq.* σχολάζουσα, vacans, ocio diffluens. (*l*) Luxurioſa.] *Aq.* ἀφισταμένη, *Symm.* ἀφεστηκυῖα, declinans perverſa, *aut*, faciens declinare, ac pervertens. (*m*) Impudenti.] *Symmachus*, ἐτόλμησε πρόσωπον αὐτῆς, ϗ εἶπεν, audacia induravit faciem ſuam: & dixit. *Th.* ἠναιδεύσατο ἐν προσώπῳ αὐτῆς, impudenter egit in vultu ſuo. (*n*) Inſtitis texui.] *Sic* S. *Ambr. quod poterat etiam verti*, funibus tetendi. *Aq. & Th.* περιστρώμασιν περιέστρωσα, periſtromatis circumſtravi. (*o*) Tapetis ab Ægypto.] *Ex eodem* S. *Ambr. Compl.* τοῖς Αἰγύπτου. *Th.* διαγέγραμμαι ζωγραφίαν Αἰγύπτου, deſcripſi picturam Ægypti. (*p*) Aſperſi.] *Th.* ἐκαλλώπισα, ornavi, compſi. (*q*) Fruamur amicitia.] *A.* S. *Th.* μεθυσθῶμεν τιτθῶν, *quod vulgata*, inebriemur uberibus. (*r*) Colluctemur.] *Idem* S. *Ambr. Aq. & Th.* συμπεριπλακῶμεν ἐν ἀγάπαις, circumplicemur in amoribus. (*ſ*) Involucro.] *Ex eodem* S. *Ambr. quod græce eſt*, ἔνδεσμον ἀργυρίου λαβὼν, ligamen argenti accipiens. *Schol.* βαλάντιον, ſacculum. (*t*) Per dies multos.] *Aq.* εἰς ἡμέραν πανσελήνου, *quod vulgata*, in die plenæ lunæ. *Alius*, ἐν ἡμέρᾳ εὐσήμου, in die ſolennitatis. (*u*) Seduxit.] S. ἐξέκλινεν, declinare fecit. *Aq.* ἦγξεν, *quaſi*, obtorto collo duxit. (*x*) Colloquutione.] S. *Ambr.* multo blandimento ſermonum, *Th.* ἐν πλήθει δομάτων, in multitudine donorum. (*y*) Attraxit.] *Sic videtur vertiſſe* S. *Ambr. quod græce eſt*, ἐξώκειλεν. *A.* S. *T.* ἔξωσεν, pepulit. (*z*) Infatuatus.] κεπφωθεὶς. S. *Ambr.* At ille ſequutus eam circumvenitur. *Aq.* παραχρῆμα. *Symm.* ἐξαίφνης, *& vulgata*, ſtatim. (*ω*) Ad vincula.] *Symm.*] σκιρτῶν ἐπὶ δεσμῶν ἄφρων, exultans ſuper vinculis ſtultus. (*aa*) Vulneratus.] *Th.* ἕως διαπαρῇ βέλος ἧπαρ αὐτοῦ, donec transfigat ſagitta jecur ejus, *ut vulgata.* (*bb*) Tuum.] *Sic etiam* S. *Ambr. cap.* 5. *In cæteris libris ſubjungitur*, ϗ μὴ πλανηθῇς ἐν ἀτραποῖς αὐτῆς, *quæ in vulgata*, nec decipiaris ſemitis ejus. (*cc*) Innumerabiles.] *Sic idem Sanctus Ambroſius. Symmachus vero & Theod.* ἰσχυροὶ πάντες, *quod vulgata*, fortiſſimi quique.

CAP. VIII.

(*a*) IN ſapientiam.] *Th.* ἰδοὺ ἡ σοφία κεκράξεται, ϗ ἡ σύνεσις δώσει φωνὴν αὐτῆς. Ecce ſapientia clamabit, & intelligentia dabit vocem ſuam. (*b*) In introitibus.] *Th.* εἴσοδον θυρῶν, ingreſſum oſtiorum. *Nam in Hebræo antecedit*, ad os civitatis. *Quod autem ſequitur*, canitur, *videantur quæ notata ſunt, cap.* 1. (*c*) Apponite cor.] *Symmachus*, νοήσατε τῇ καρδίᾳ, intelligite corde. (*d*) Præclara.] *Symmachus, & Th.* ἡγεμονικά, principalia. (*e*) Ipſis.] *Aliqui*, ἐν αὐτοῖς in eis, *ut vulgata.* (*f*) Tortuoſum.] *Aqu.* διεστραμμένον, perverſum. *Th.* περιπεπλεγμένον, ϗ διεστραμμένον, circumplicatum, & perverſum. (*g*) Præſentia.] *Th.* εὐθεία, recta. *Schol.* εὔκοπα, al. εὔσκοπα, facilia, al. evidentia. (*h*) Precioſis.] *Symmachus*, τῶν ἐσωτάτων, intimis. (*i*) Inhabitavi conſilium.] *Symmachus*, πανουργίαν, aſtutiam. (*k*) Ego invocavi.] *Th.* διαβουλιῶν εὑρήσω, cogitationum inveniam. (*l*) Injuſtitiam.] *Schol.* κακίαν, *quod vulgata*, malum. (*m*) Odi autem ego perverſas vias malorum.] S. *& Th.* ϗ στόμα στρεβλὸν ἐμίσησα, & os perverſum odi. (*n*) Securitas.] *Aq.* εὐνομία, bona legum conſtitutio. (*o*) Fortitudo.] *Symmachus*, κράτος, *eodem ſenſu.* (*p*) Scribunt juſtitiam.] *A.* S. *Th.* ἀκριβάσονται δίκαιον, decernent juſtum. (*q*) Magnates magnificantur.] *A. &* S. ἄρχοντες ἄρξουσιν, principes imperabunt. (*r*) Tyranni.] *Aq. & Th.* ἑκουσιαζόμενοι, magnifici, qui ultro dant: *ac ſignificantur tamen iſto nomine ii qui ſedent ad gubernacula, ut alibi nomine beneficorum.* (*ſ*) Invenient.] *Sic & in alio codice. In cæteris additur*, χάριν, gratiam. (*t*) Mihi eſt.] *Aq.* σὺν ἐμοὶ, *Th.* μετ᾽ ἐμοῦ, mecum. *Symmachus*, παρ᾽ ἐμοῦ, a me. (*u*) Poſſeſſio multorum.] *Symmachus*, βίος παλαιὸς, vita antiqua. *Th.* ὕπαρξις παλαιά, ſubſtantia antiqua. *Aq.* ὕπαρξις μετ᾽ εἰρήνης, ſubſtantia cum pace. (*x*) Melius.] *Symmachus*, κρείσσων καρπός μου χρυσίου ὠφάζ, melior fructus meus auro Ophaz. *A.* ἀγαθὸς καρπός μου παρὰ χρυσίον, ϗ παρὰ κιρρὸν, bonus fructus meus præ auro, & præ obrizo, *aut*, obruſſo. (*y*) Juſtitiæ.] *Schol.* δικαιώματος, juſtificationis. (*z*) Ut diſtribuam.] *A. S. Th.* τοῦ κληροδοτῆσαι, ad faciendum hæreditare. (*ω*) Si annunciavero.] *Hæc uſque ad*, Dominus condidit, *ſunt etiam in Complut. ſed non in vulgata.* (*aa*) Dominus condidit.] S. *Ambroſius*, 3. *de fide cap.* 4. Dominus creavit me: *ſed in hoc loco ſequuti ſumus præcipue* S. *Cyprianum, lib.* 2. *adv. Jud. videnda tamen ſunt quæ a* S. *Hieronymo hic, & in* 26. *Eſa. in* 4. *Mich. in* 2. *Eph. & in ep.* 139. *præter ea quæ a* S. *Hilario, a Tertulliano, a Lactantio, a cæteris Patribus latinis & græcis afferuntur. Aq.* κύριος ἐκτήσατό με ἀρχῆθεν κατεργασμάτων αὐτοῦ, Dominus poſſedit me ab initio opificiorum ſuorum. *Sym.* ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ πρὸ τῆς ἐργασίας αὐτοῦ, principium viarum ſuarum ante opificium ſuum. *Th.* πρὸ τῆς ἐργασίας αὐτοῦ ἀπὸ τότε, ϗ ἐκ τότε πρὸ αἰῶνος προκεχείρισμαι, ante opificiũ ejus a tunc & ex tunc ante ſeculum præparata ſum. (*bb*) Generat me] S. *Cyprianus*, genuit me Dominus. Fecit, &c. *In hebræo non eſt hoc loco*, Dominus. *Aq. & Th.* ὠδινήθην, per partum erupi. *Symmachus.* ἐμαιώθην, quaſi obſtetricis opera conformata ſum. (*cc*) Fecit regiones, & inhabitablies, & ſummitates habitatas ejus, quæ ſub cœlo.] *S. Cyprianus*: Fecit regiones, & inhabitabilia (*aliquis codex habet*, habitabilia) & fines inhabitabiles ſub cœlo. *S. Hilarius*, & cacumina, quæ habitantur ſub cœlo. *Aq. & Symmachus*, πρὶν ἢ ἐποίησε γῆν ϗ ἐφόδους, priuſquam faceret terram, & exitus, *aut*, plateas. (*dd*) Sedem.] *Aq. & Symmachus*, πύργον, turrim. *Tertullianus videtur hanc particulam non habuiſſe. Ita enim refert*, Cum pararet cœlum, aderam illi, & cum fortia faciebat ſuper ventos, quæ ſurſum nubila, & cum firmos ponebat fontes ejus quæ ſub cœlo, ego eram compingens cum ipſo. *Sed S. Hilarius*, Cum pararet cœlum, eram cum illo, & cum ſecerneret ſuam ſedem, quando ſuper ventos validas faciebat in ſummo nubes. *Quo etiam loco notandum eſt illud*, ſuper ventos, *conjungi cum nubibus, non cum ſede: & ita etiam S. Cyprianus*, cum ſuper ventos validas faceret deſuper nubes (*ee*) Nubes.] *Aq.* ῥοπὰς, momenta, *Symmachus*, αἰθέρα, æthera, *ut vulgata.* (*ff*) Et cum confirmato] *Aq. & Th.* ἐν τῷ ἀκριβάζειν γῦρον ἐπὶ πρόσωπον ἀβύσσου, in ſtatuendo gyrum ſuper faciem abyſſi. (*gg*) Et quando.] *Aliqui* ἡνίκα, *& S. Cyprianus*, quando. *Tertullianus hanc partem non refert. In aliis autem codicibus non modo iſta pars ponitur, ſed hæc etiam antecedunt*, ἐν τῷ τιθέναι τῇ θαλάσσῃ ἀκριβασμὸν αὐτοῦ, ϗ ὕδατα οὐ (*abeſt iſtud* οὐ, *ab uno libro*) παρελεύσεται στόματος (*in eodem ad marginem eſt adſcriptum*, στόμα) αὐτοῦ, ϗ ἰσχυρά, in ponendo mari præſcriptionem ſuam, & aquæ non tranſibunt os ſuum, (*id eſt*, littus,) & fortes, &c. *Quæ ut diximus, a S. Cypriano & Tertulliano non referuntur. Procopius priorem partem habet, non poſteriorem.* (*hh*) Diſponens.] *Aut*, compingens, *aut*, modulans, *ut Tertullianus, aut*, componens, *ut* S. *Hilarius, & vulgata. Aq.* τιθηνουμένη, nutrita (*quamvis dictionem hebræam nonnulli interpretentur*, nutricius.) *Symmachus, & Th.* ἐστηριγμένη, firmata. (*ii*) Jocundabar.] *A. S. Th.* παίζουσα, ludens. (*kk*) Audi me.] *In aliis libris hæc ſubjunguntur*, ϗ μακάριοι οἱ ὁδούς μου φυλάξουσιν (*Complut.* φυλάσσοντες) ἀκούσατε σοφίαν, ϗ σοφίσθητε, ϗ μὴ ἀποφραγῆτε, & beati qui vias meas cuſtodient. Audite ſapientiam, & ſapite, & ne obſtruamini. *Quæ in uno libro notata ſunt aſteriſco.* (*ll*) Servans limina] *Th.* φλιὰς θυρῶν μου, poſtes oſtiorum meorum. (*mm*) Egreſſiones enim meæ, egreſſiones vitæ] *A.* S. *Th.* ὁ γὰρ εὑρών με, εὑρήσει ζωὴν, qui enim invenerit me, inveniet vitam. (*nn*) Paratur voluntas.] *De hac ſententia* S. *Auguſtinus, epiſt.* 107. *& alibi ſæpe. Symmachus*, ϗ ἀρύεται εὐδοκίαν παρὰ κυρίου, *quod vulgata*, & hauriet ſalutem a Domino. (*oo*) Impie agunt.] *A. & Symmachus*, ἀδικεῖ ψυχὴν αὐτοῦ, *quod eadem vulgata*, lædet animam ſuam.

CAP. IX.

(*a*) SUbdidit.] *Imitati, magna ex parte ſumus S. Cyprianum, in epiſt. ad Cæcilium de ſacramento Dominici calicis, & lib.* 2. *adv. Jud. quamvis eadem fere habeantur apud S. Ambroſium lib.* 1. *de fide cap.* 7. *& alibi, & apud alios. Aquila, & Symmachus*, ἐλατόμησε, excidit, *ut vulgata.* (*b*) Mactavit.] *Sic S. Cyprianus.* S. *Ambroſius, in pſal.* 118. *in prol.* (*nam in loco ante indicato eſt mendum in multis codicibus*) interfecit ſuas hoſtias. *Tertul. adv. Gnoſt.* pronunciatur voce Salomonis, Sophia jugulavit filios ſuos. (*c*) Paravit.] *Aq.* παρέταξεν, diſpoſuit. *Symmachus*, προσέθηκεν, appoſuit. *Theod.* ἐστοίβασεν, ſtipavit. (*d*) Servos.] *Aq.* παιδίσκας, ancillas. *Sym.* κοράσια, puellas. *Th.* νεάνιδας, adoleſcentulas. (*e*) Cum excelſa prædicatione ad craterem, dicens.] S. *Ambr. in eodem primo de fide*, cum altiſſima prædicatione dicens. *Aq.* ἐπὶ ὑψέων, ſuper excelſa. *Sym. & Th.* πόλεως, civitatis : *quod fortaſſe ſequitur ad illud. Nam Hebræus habet*, ſuper alas excelſorum civitatis. (*f*) Inſipiens.] *Symmachus*, νήπιος, parvulus. (*g*) Derelinquite ſtultitiam.] *A. S. Th.* καταλίπετε, *eodem ſenſu. Quod autem in plerìſque ſequitur*, ϗ ζήσεσθε, & vivetis, *non eſt apud S. Cyprianum, lib. 2. adv. Jud. neque etiam illa, quæ & in noſtra, & in aliis præter Compl. ſubjunguntur*, ut in ſeculum regnetis, *neque illa, quæ adhuc in aliis, ſed non in noſtra*, ἵνα βιώσητε, ut vivatis. (*h*) Et corrigite in ſcientia intelligentiam.] *S. Cyprianus ibid.* & corrigite ſcientiam, & intelligentiam, *al.* ſcientiæ intelligentiam. *Aq. & Symm.* ϗ κατευθύνθητε ἐν ὁδῷ συνέσεως, & recta ite in via intelligentiæ. (*i*) Seipſum.] *In plerìſque hæc adduntur*, οἱ γὰρ ἔλεγχοι τῷ ἀσεβεῖ, μώλωπες αὐτῷ, correptiones enim impio, livores ſibi. *Schol.* hic verſiculus non ponitur neque in cæteris, neque apud lxx. (*) Non arguas.] *S. Cyprianus*, 3. *teſtim.* qui corripit impium ; odietur ab eo. (*k*) Si autem malus evaſeris.] *Symmachus*, κἂν λοιμὸς γένῃ, & ſi peſtilens fueris. (*l*) Solus utique hauries mala.] *Symmachus & Th.* μόνος βαστάξεις, ſolus portabis. *In quibuſdam vero codicibus hæc adduntur*, υἱὸς πεπαιδευμένος σοφὸς ἔσται, τῷ δὲ ἄφρονι διακόνῳ χρήσεται, filius, diſciplinam nactus, ſapiens erit, imprudente autem miniſtro utetur, *quæ ſunt in cap. ſequenti. Ab Compl. autem non modo iſta abſunt, ſed etiam quæ ſequuntur*, qui fidens eſt, *uſque ad* Mulier, *quemadmodum & a vulgata. Referuntur tamen iſta apud S. Cyprianum in Concilio Carthaginenſi.* (*m*) Mulier.] *Totus fere hic locus optime tractatur a* S. *Ambroſio, de Cain lib.* 1. *cap.* 4. *&* 5. (*n*) Dulcem.] *In aliquot codicibus additur*, πίετε, bibite. *S. Ambroſius, cap. illo* 4. Panibus abſconditis ſuaviter utimini, & aquam furtim dulciorem bibite. *S. Hieronymus in Oſee, cap.* 13. Panes occultos libenter attingite, & aquæ furtivam dulcedinem. (*o*) Terrigenæ.] *Aq. & Symmachus*, ῥαφαείμ, Raphaim. *Schol.* θεομάχοι, pugnantes cum Deo. *Th.* γίγαντες, gigantes, *ut vulgata, licet alii interpretentur dictionem hebræam*, manes, *aut*, inferos. (*p*) Et in profundum inferni occurrit.] S. *Hieronymus in Oſee, cap.* 13. & neſcit inſipiens, quoniam terrigenæ apud eam pereunt, & in profundum inferni incurrunt. *Aquila, Symmachus, Th.* ϗ ἐπὶ τοῖς βάθεσι τοῦ ᾅδου οἱ κλητοὶ αὐτῆς, & in profundis inferni invitati ejus : *quomodo fere vulgata.* (*q*) Alienam.] *In aliquot codicibus hæc ſequuntur*, ϗ ὑπερβήσῃ ποταμὸν ἀλλότριον, & tranſcendes fluvium alienum : *& in uno ſunt ſub aſteriſco. Verum a Complutenſi, & vulgata abſunt omnia ab illo*, ſed reſili, *uſque in finem. Poſtremam tamen ſententiam*, ab aqua autem aliena, &c. *refert apud Sanctum Cyprianum idem Concilium Carthag. & ipſe S. Cyprianus in epiſt. 12. primi libri ad Januarium, & cæteros.*

CAP. X.

(*a*) Filius.] *In Hebræo & in vulgata antecedit*, Parabolæ Salomonis. (*b*) Non occidet Dominus fame.] *Sic S. Cyprianus de opere, & eleem. & de orat. Dom. S. Hieronymus in Eſa. cap.* 65. non interficiet fame Dominus. *Sym. & Th.* οὐ λιμαγχονήσει, non ſuffocabit fame, quaſi angina. (*c*) Filius eruditus.] *Refert hanc ſententiam S. Auguſtinus*, 16. *de civit. cap. 2 & alibi. In quibuſdam codicibus diximus etiam eſſe in capite proxime præcedente. A vulgata autem abeſt utroque loco.* (*d*) Incolumis evaſit ab æſtu.] *Symmachus* συνάξας ἐν ἀμητῷ υἱὸς φρόνιμος, *& vulgata*, qui congregat in meſſe, filius ſapiens eſt. (*e*) Iniquus.] *Aq.* αἰσχύνης, confuſionis, *ut vulgata.* (*f*) Luctum intempeſtivum.] *Aq. & Symm.* ἀδικίαν, *& vulgata*, iniquitatem. *Th.* ἁρπαγὴν, rapinam. (*g*) Cum encomiis.] *Aq.* εἰς εὐλογίαν, in benedictionem. (*h*) Extinguitur.] *Aq. & Symm.* σαπήσεται, putreſcet. (*i*) Perverſe agens ſupplantabitur.] *Aq.* δαρήσεται, cædetur, vapulabit. *Symm.* βασανισθήσεται, torquebitur. *Th.* φυρήσεται, macerabitur. (*k*) Simpliciter.] *Aq. & Symmachus*, ἁπλότητι, ſimplicitate. *Quod autem ſequitur*, ambulat fidens, *ſic eſt in aliquo codice S. Cypriani lib.* 3. *ad Quir. quamvis in aliis ſit*, fidenter. (*l*) Diſtorquet.] *Symm.* στρεβλῶν, *eodem ſenſu.* (*m*) In manu.] *Aq. & Symm.* στόματος, *ut vulgata.* (*n*) Contentionem.] *Symm. & Th.* μάχας, pugnas. (*o*) Non contentioſos.] *Schol.* ἀδικοῦντας, prævaricantes, injuriam facientes : *quare vulgata*, univerſa delicta operit charitas, *&* 1 *Petri* 4. quia charitas operit multitudinem peccatorum. (*p*) Qui e labiis profert ſapientiam.] *A. S. Th.* ἐν χείλεσι συνετοῦ εὑρεθήσεται σοφία, *quod vulgata*, in labiis ſapientis invenitur ſapientia. (*q*) Virga percutit virum excordem.] *Th.* ϗ ῥάβδος ἐν νώτῳ ὑστερημένῳ καρδίας, *quod eadem*, & virga in dorſo ejus qui indiget corde. (*r*) Occultabunt ſenſum.] *Aq.* συγκρύψουσιν γνῶσιν, cooperient ſcientiam. (*ſ*) Munita.] *Th.* κράτους αὐτοῦ, *quod in vulgata*, fortitudinis ejus. (*t*) Contritio autem impiorum.] *Schol.* δειλία ἀσεβῶν, pavor impiorum : *vulgata*, pavor pauperum. (*u*) Fructus.] *A. S. Th.* γεννήματα, genimina. (*x*) Peccata.] ἁμαρτίας, *& videtur ſubintelligenda præpoſitio*, εἰς, ad : *nam vulgata*, ad peccatum. *In multis tamen codicibus eſt*, ἁμαρτίαι, peccata, *in recto, & in Compl.* ἁμαρτίαις, peccatis. (*y*) Vias juſtas vitæ cuſtodit diſciplina.] *Illud*, juſtas, δικαίας, *abeſt a multis. Schol.* ὁδὸς ζωῆς φυλάσσει ἀκάκους, via vitæ cuſtodit innocentes. *Symm.* τρίβος εἰς ζωὴν φυλασσόντων παιδείαν, ſemita ad vitam cuſtodientium diſciplinam. (*z*) Diſciplina autem carens increpatione.] *A. S. Th.* ὁ δὲ ἐγκαταλιμπάνων ἐλέγχους, qui autem increpationes relinquit, *ut vulgata.* (*ω*) Juſta.] *Aq. & Th.* ψεύδους, falſitatis, *aut*, mendacis. *Vulgata*, labia mendacia. *Symm.* ἄδικα, injuſta. (*aa*) Contumelias.] *Aq. & Th.* ψόγον, vituperationem. (*bb*) Non effugies peccatum.] *Sic S. Cyprianus, eodem* 3. *lib. Symm.* παράπτωμα, delictum, vitium. (*cc*) Igne examinatum.] *Aq. & Symm.* ἐκλεκτὸς, electum. (*dd*) Deficiet.] *Aq.* ὡς ὀλίγον. *Th.* ὡς μικρὸν, ut parum. *Symm.* εὐτελὴς, vilis. *Vulgata*, pro nihilo. (*ee*) Sciunt excelſa.] *Aq.* ποιμαίνει πολλοὺς, *quod vulgata*, erudiunt plurimos. (*ff*) In egeſtate moriuntur.] *Aq.* ἐν ἐνδείᾳ καρδίας ἀποθανοῦνται, *quod eadem*, in cordis egeſtate morientur. (*gg*) In riſu.] *Aq.* ὡς γέλως τῷ ἀνοήτῳ ποιῆσαι ἀνομίαν, *quod vulgata expoſuit*, quaſi per riſum ſtultus operatur ſcelus. (*hh*) Juſtus autem declinans.] *A. S. Th.* ὁ δὲ δίκαιος θεμέλιος αἰώνιος, juſtus autem fundamentum ſempiternum, *quomodo fere vulgata.* (*ii*) Immoratur juſtis.] *Aq.* καραδοκία. *Symm.* ὑπομονὴ, *Th.* προσδοκία δικαίων, *& vulgata*, expectatio juſtorum. (*kk*) Munitio ſancti.] *Symm. & Th.* κραταίωμα τῷ τελείῳ, fortitudo perfecto. *Aq.* τῷ ἁπλῷ, *alius Int.* τῷ ἀκάκῳ, *vulgata*, fortitudo ſimplicis. (*ll*) Contritio.] *Symm.* δειλία, pavor. (*mm*) Non nutabit.] *Aq.* οὐ μὴ σφάλῃ, non offendet, non ſuccumbet. *Sym. & Th.* οὐ σαλευθήσεται, non commovebitur, *ut vulgata.* (*nn*) Deſtillant gratias.] *Schol.* ἐπίστανται, ſciunt. *Aq. & Th.* γνώσονται, cognoſcent. *Vulgata*, conſiderant placita. (*oo*) Pervertit.] *Schol.* καταστρέφεται, ſubvertit. *Videtur enim hoc potius modo vertendum, quam*, pervertitur, ſubvertitur, *quamvis neque iſtum reprehendamus.*

CAP. XI.

(*a*) Stateræ doloſæ.] *Aquila & Symmachus*, ζύγα ἐπιθέσεως, bilances fraudis. *Lucifer pro Sancto Athanaſio*, ſtatera doli. (*b*) Juſtum.] *Symmachus*, πλῆρες, plenum. *Aquila.* τέλειον, perfectum. (*c*) Os autem humilium meditatur ſapientiam.] *Symmachus*, παρὰ δὲ τοῖς ἐπιμελέσι σοφία, apud accuratos ſapientia, *Th.* ϗ μετὰ ἐπιεικῶν σοφία, & cum modeſtis (*aut*, æquis) ſapientia. *In Complut. ſubnectuntur hic ea, quæ in plerìſque libris afferuntur poſt illa*, & jucundus impiorum interitus. *Sunt autem hæc*, τελειότης εὐθείων ὁδηγήσει αὐτοὺς, ϗ ὑποσκελισμὸς ἀθετούντων προνομεύσει αὐτούς. οὐκ ὠφελήσει ὑπάρχοντα ἐν ἡμέρᾳ θυμοῦ, δικαιοσύνη δὲ ῥύσεται ἀπὸ θανάτου. Perfectio rectorum diriget eos : & ſupplantatio prævaricantium pervaſtabit illos. Non proderunt ſubſtantiæ in die furoris : juſtitia autem liberabit a morte : *quæ in uno libro ſub aſteriſco habentur.* (*d*) Immaculatas.] *Alii*, ἀμώμου, immaculati. (*e*) Incidit in injuſtitiam.] *A. S. Th.* ϗ ἐν ἀσεβείᾳ αὐτοῦ πεσεῖται ὁ ἀσεβὴς, *quod vulgata*, & in impietate ſua corruet impius. (*f*) Rectorum.] *A. S. Th.* εὐθείων, *eodem ſenſu. Quod autem ſequitur*, liberat, *in multis eſt*, ῥύσεται, liberabit. (*g*) Sua autem perditione.] *In aliis libris eſt*, ἀβουλίᾳ, inopia conſilii. *Procopius*, ἀσεβείᾳ. *& Schol.* ἀσεβείᾳ αὐτῶν, impietate ſua. *A. S. Th.* ἐν δὲ τῇ ἀδικίᾳ οἱ ἀδικοῦντες συλληφθήσονται, & in injuſtitia injuſte agentes capientur. (*h*) Gloriatio.] *Th.* προσδοκία, expectatio, *ut vulgata.* (*i*) E captura erit.] *Symm. & Th.* ἐκ θλίψεως ἐρρύσθη, *quod eadem*, de anguſtia liberatus eſt. (*k*) In ore impiorum.] *A. S. Th.* ἐν στόματι ὑποκριτῶν διαφθείρει τὸν πλησίον αὐτοῦ, in ore hypocritarum corrumpit proximum ſuum. (*l*) Senſus autem.] ϗ ἐν γνώσει δίκαιοι ῥυσθήσονται, *quod vulgata*, juſti autem liberabuntur ſcientia. (*m*) Bene ſe geſſit civitas.] *Symm.* ἀγαλλιάσονται πόλεις, exultabunt civitates. *Th.* εὐφρανθήσονται, lætabuntur. *In plerìſque autem libris hæc ſequuntur*, ϗ ἐν ἀπωλείᾳ ἀσεβῶν ἀγαλλίαμα. ἐν εὐλογίᾳ εὐθέων ὑψωθήσεται πόλις, & in perditione impiorum exultatio. In benedictione rectorum exaltabitur civitas : *quæ in uno ſunt notata aſteriſco.* (*n*) Diruta eſt.] *In nonnullis eſt*, κατασκαφήσεται, diruetur. *A. S. Th.* καθαιρεθήσεται, dejicietur. (*o*) Subſannat.] *A. S. Th.* ἐξουδενοῖ, ſpernit. (*p*) Bilinguis.] *Aq.* διάβολος, delator. *Symm.* δόλιος, fraudulentus. (*q*) Conſilia.] *Aq.* ἀπόρρητον, arcanum. *Symm.* μυστήριον, myſterium. (*r*) Spiritu.] *Aq. & Symmachus*, πνεύματι, *eodem ſenſu.* (*ſ*) Abſcondit res.] *Symm.* σκοπεῖ λόγους, cuſtodit verba. (*t*) Quibus.] *Th.* ἐν ἀνοησίᾳ πεσεῖται λαὸς, in incogitantia corruet populus. (*u*) In multo conſilio.] *Symm. & Th.* πολυβούλῳ, *eodem ſenſu, aut*, homine multi conſilii. (*x*) Commiſtus.] *Fieri poteſt, ut ſignificet quaſi*, obſes, *ut alibi*, & fidejuſſor : *vulgata enim*, qui fidem facit pro extraneo. (*y*) Odit autem ſonum ſecuritatis.] *Symm.* ὁ δὲ μισῶν ἐμπαγὰς, πέποιθεν, qui autem odit captiones (*& videtur ſignificare laqueos ſtipulationum*) confidit. *Th.* ϗ μισῶν παγιδευθῆναι, πεποιθήσει, & odio habens laqueis implicari, confidet. (*) Gratioſa ſuſcitat viro gloriam.] *Symm.* ἀγαθὴ ἀνθέξεται δόξης, bona aſſequetur gloriam. *Quæ autem ſequuntur uſque ad*, fortes, *abſunt a vulgata, ſed non a Compl.* (*z*) Fortes autem.] *Th.* διακόπτοντες ἐπιλήψονται πλούτου, irrumpentes apprehendent divitias. (*ω*) Bonum facit.] *Aq. & Th.* ἀμείβεται, retribuit. *Symmachus*, εὐεργετεῖ ψυχὴν αὐτοῦ, benefacit animæ ſuæ, *ut vulgata.* (*aa*) Perdit autem.] *Symm.* ταράσσει δὲ οἴκους ἑαυτοῦ, turbat ſuas ipſius domos. (*bb*) Perſequutio autem.] *A. S. Th.* ϗ καταδιώκων κακίαν εἰς θάνατον αὐτοῦ, & ſequens malum ad mortem ſuam. (*cc*) Perverſæ viæ.] *A. S. Th.* στρεβλοκάρδιοι, perverſi corde. (*dd*) Accepti autem.] *Aq. & Th.* εὐδοκία, beneplacitum. *Symm.* θέλημα δὲ αὐτοῦ, voluntas ejus, *ut vulgata.* (*ee*) Injiciens.] *Schol.* συμβάλλων, conferens. (*ff*) Erit.] *In multis adjungitur*, κακῶν, malorum. *Vulgata*, manus in manu non erit innocens malus : *& ſunt qui putent illud*, manus in manu, *aut* manus ad manum, *ſignificare*, mox mox ; *quamvis aliter Chaldæus.* S. *Hieronymus adv. Ruf.* manus inferens injuſte non erit impunitus. (*gg*) Qui autem ſeminat juſtitiam.] *Aq.* ϗ σπέρμα δικαίων διασωθήσεται, ſemen autem juſtorum ſalvabitur, *ut vulgata.* (*hh*) Inauris.] *Sic* S. *Hieronymus in Ezech.* 28. *& Clemens Alex. lib.* 3 *Pædag. Sed in cæteris libris eſt*, ἐνώπιον χρυσοῦν, *& idem* S. *Hieron. in Ezech. cap.* 16. ſicut inauris aurea in naribus porcæ ; ſic mulieri male moratæ pulchritudo, *& in opere imp. in Mat. hom.* 45. *Quomodo autem inauris dicatur ornamentum narium, vide ibid.* S. *Hieronymum. Non quod inauris ponatur in naribus* (verba ſunt Hieron. ad illum locum) *quæ ex eo quod de auribus pendeant, inaures vocantur : ſed quod circulus in ſimilitudinem factus inaurium eodem vocabulo nuncupetur : & uſque hodie inter ornamenta mulierum ſolent aurei circuli in os ex fronte pendere & imminere auribus.* Druſ. *Pro hac autem ſecunda parte Symmachus, & Th. dixerunt*, γυνὴ καλὴ ϗ κακόφρων, *quod in vulgata*, mulier pulchra, & fatua. (*ii*) Peribit.] *Schol.* ἀπόλλυται, ἀπέρχεται, perit, abſcedit (*kk*) Seminantes.] *A. S. Th.* σκορπίζοντες, diſpergentes. (*ll*) Congregantes.] *In multis libris additur*, ἀλλότρια, aliena. *Aq. & Symm.* ὁ δὲ φειδόμενος. Parcens autem. *Th.* ἀπὸ εὐθύτητος εἰς ὑστέρημα, a rectitudine in defectum. (*mm*) Omnis ſimplex.] *A.* S. *Th.* πιανθήσεται, impinguabitur. S. *Hier. adv. Ruf.* anima benedicta omnis ſimplex vir : animoſus inhoneſtus eſt. (*nn*) Vir autem animoſus inhoneſtus eſt.] *Symm.* ὁ δὲ μέθυσος καί γε αὐτὸς πρώϊμος, ebrius autem, *aut*, qui inebriat, *ut vulgata*, & ipſe etiam præcox, *quod eadem*, ipſe quoque inebriabitur. (*oo*) Qui continet.] *Symmachus, & Theodor.* ὁ κωλύων, qui prohibet. (*pp*) Nationibus.] *In nonnullis libris hæc adduntur*, ὁ τιμωλκῶν σῖτον, δημοκατάρατος, *ut S. Chryſoſtomus in* 1. *Cor. hom.* 39. *aut*, ἐπικατάρατος. S. *Cyprianus, lib.* 3. *teſtim. hæc refert, non autem præcedentia*, captans annonam maledictus in plebe eſt :

& S. Ambroſius, 3. offic. 6. in principio, captans precia frumenti, maledictus in plebe eſt. *Idem vero in extremo eodem cap.* Qui continet frumentum, relinquet illud nationibus. Et addidit, Captans annonam maledictus in plebe eſt, &c. *Videri poſſunt duæ interpretationes ejuſdem ſententiæ. Nam Aq.* καταράσονται αὐτὸν, maledicent eum. *Symmachus*, λαοκατάρατος, maledictus a populo. *Th.* δημοκατάρατος, maledictus a plebe. (*qq*) Qui communicat.] *Sic S. Cypr. ibid.* S. *Ambr.* qui participat. *Aq. & Th.* πιπράσκοντος, qui venale exponit *Symmachus*, πωλοῦντος, qui vendit. (*rr*) Fabricans.] *Aq.* ὀρθρισμὸς ἀγαθοῦ ζητεῖ εὐδοκίαν, matutina conſurrectio boni quærit beneplacitum. (*ſſ*) Germinabit.] *Symmachus*, ὡς θαλλὸς δίκαιοι βλαστήσουσιν, *quod vulgata*, juſti autem, quaſi virens folium, germinabunt. (*tt*) Qui non converſatur domi ſuæ.] *A.* S. *Th.* ταράσσων οἶκον. qui conturbat domum: *vulgata addit*, ſuam. (*uu*) De fructu.] *A. S. Th.* καρποὶ δικαίου ξύλον ζωῆς, *quod eadem*, fructus juſti lignum vitæ.

CAP. XII.

(*a*) Diligit ſenſum.] *Schol.* ἀγαπηθήσεται, diligetur. *A. S. Th.* γνῶσιν, ſcientiam, ut vulgata. (*b*) Melior.] *Complut.* κρεῖσσον, melius. *Aq.* ἀγαθὸς ὑπερεκχέει εὐδοκίαν παρὰ κυρίου, bonus ſupereffundit (*aut fortaſſe, affluenter haurit*) beneplacitum & gratiam a Domino. (*c*) Proſperabitur homo ex iniquo.] *Aq. & Symmachus*, ἑτοιμασθήσεται ἄνθρωπος ἐν ἀσεβείᾳ, ſtabilietur homo in impietate. (*d*) Juſtorum.] *Schol.* εὐσεβῶν, piorum. (*e*) Fortis.] *Symm.* εὐπορίας, abundantiæ. *Th.* ἰσχύος, fortitudinis. (*f*) In ligno.] *Schol.* ἐν ὀχυρώμασι, in firmamentis: *& videtur ſignificare*, in oſſibus, *ut vulgata.* (*g*) Gubernant autem impii.] *Schol.* καὶ ἐννοήματα ἀσεβῶν, & cogitationes impiorum. (*h*) Doloſa.] *In pleriſque additur*, εἰς αἷμα, ad ſanguinem. *Aq. & Th.* ἐνεδρεύσουσιν εἰς αἷμα, inſidiabuntur in ſanguinem. (*i*) Rectorum.] *A.* S. *Th.* εὐθέων, *eodem ſenſu.* (*k*) Os intelligens laudatur a viro.] *Symmachus*, κατὰ τὴν φρόνησιν αὐτοῦ ἐπαινεθήσεται ἀνήρ, ſecundum prudentiam ipſius laudabitur vir. (*l*) Subſannantur.] *Aq.* ἔσται εἰς ἐξουδένωσιν, erit in contemptum. *Symmachus*, εἰς καταφρόνησιν, *eodem ſenſu.* (*m*) In vilitate ſerviens.] *Symmachus*, ἄτιμος, καὶ δουλεύων ἑαυτῷ, vilis, & ſerviens ſibi. (*n*) Quam honorem ſibi circumponens.] *Symmachus*, ἢ δοξαζόμενος, quam glorioſus, *ut vulgata.* (*o*) Miſeratur.] *Sic Sanctus Chryſoſtomus in ep. ad Rom. hom. 29. A. S. Th.* γινώσκει, cognoſcit. (*p*) Viſcera.] *Aq.* καὶ οἱ οἰκτιρμοὶ, & miſerationes. (*q*) Qui autem ſequuntur vana.] *Symm.* ὁ δὲ ἐπισπεύδων εἰς ἀπραγίαν, *quod in vulgata dictum eſt*, qui autem ſectatur otium. *Aq. & Th.* κενὰ, vacua. (*r*) Piorum.] *In aliquot libris, & in Schol.* τῶν δικαίων, juſtorum. (*ſ*) Qui videt levia; miſericordia dignus habebitur: qui autem occurrit in portis; vexabit animas] *Hæc abſunt a Compl. & vulgata. Sch. ad illud* qui videt levia; *affert pro explanatione*, ἐπιεικὴς, καὶ ἀπερίεργος, probus, modeſtus, & non curioſus: *ad illud autem*, qui occurrit in portis, ὁ δὲ περίεργος, καὶ πολυπράγμων, curioſus autem, & qui ſe intrudit in negocia. (*t*) Et retributio labiorum] *Aq. & Symmachus*, καὶ ἀμοιβὴ χειρῶν αὐτοῦ, & retributio manuum ejus. (*u*) Exaudit autem conſilia.] *Sic Lucifer pro S. Athan. Symmachus*, ὁ δὲ ἀκούων βουλῆς, qui vero audit conſilium. (*x*) Enunciat iram ſuam.] *Sic S. Cyprian. lib. 3. teſtim. Schol.* δηλώσει θυμὸν αὐτοῦ, patefaciet furorem ſuum. *Th.* γνωρίσει, notum faciet. (*y*) Abſcondit autem inhonorationem ſuam. *Symm.* ὁ δὲ σκέπων ἀτιμίαν αὐτοῦ, qui autem tegit ignominiam ſuam. *Th.* καὶ καλύπτων ὕβριν, & operiens injuriam. (*z*) Planam fidem annunciat juſtus.] *Symm.* ἐκφαίνων πίστιν, ἀπαγγέλλει δικαιοσύνην, qui patefacit fidem, *id eſt, rem veram, & certam*; annunciat juſtitiam. (*ω*) Teſtis autem injuſtorum doloſus.] *Symm.* μάρτυς ψευδὴς, δόλος, teſtis falſus, dolus. *Aquila*, ἐπίθεσις, fraus. (*aa*) Sunt, qui dicentes vulnerant, enſes.] *In multis eſt*, ὡς μάχαιρα, ut enſis. *Th.* ἐστὶ πεποιθὼς ἐν κεντήματι μαχαίρας, eſt fidens in punctione gladii. *Symm.* ὥσπερ κέντημα, tanquam punctio. (*bb*) Dirigunt teſtimonium.] *A. S. Th* ἑτοιμασθήσεται εἰς ἔτι, *quod vulgata*, labium veritatis firmum erit in perpetuum. (*cc*) Citus.] *Schol.* θυμώδης, iracundus. (*dd*) Fabricantis.] *A. S. Th.* τεκταινόντων, fabricantium (*ee*) Volunt] *Aq. & Th.* συμβουλεύσουσιν, inibunt conſilia. (*ff*) Lætabuntur] *Symm.* εὐφραίνονται, lætantur. (*gg*) Acceptus apud eum.] *A. S. Th.* εὐδοκία, beneplacitum. (*hh*) Intelligens.] *Schol.* πανοῦργος, callidus (*ii*) Thronus ſenſus.] *Symmachus*, καλύψει γνῶσιν, *quod vulgata*, celat ſcientiam. (*kk*) Occurret execrationibus] *Aq. & Th.* καλέσει ἀφροσύνην, *quod eadem*, provocat ſtultitiam. (*ll*) Electorum dominabitur.] *Aq.* συντεμνόντων, abbreviantium, ſolicitorum. *Th.* ἀνδρείων κυριεύσει, fortium dominabitur, *ut vulgata.* (*mm*) In direptionem.] *Aq. & Symm.* εἰς φόρον, in tributum: *quod vulgata*, tributis ſerviet. (*nn*) Terribilis ſermo cor turbat viri juſti.] *Iſtud* juſti, δικαίου, *abeſt a nonnullis. Th.* μέριμνα ἐν καρδίᾳ ἀνδρὸς κατοχεῖ αὐτὸν, *quod vulgata*, mœror in corde viri humiliabit illum. (*oo*) Cognitor juſtus.] *Aquila*, περισσεύων τὸν πλησίον αὐτοῦ δίκαιος, abundans præ proximo ſuo juſtus. (*pp*) Amicus erit.] *In multis libris additur*, αἱ δὲ γνῶμαι τῶν ἀσεβῶν ἀνεπιεικεῖς, ſententiæ autem impiorum immites. *A Compl. ut etiam a vulgata non modo abſunt iſta, ſed etiam quæ ſequuntur*, eos autem, qui peccant, perſequentur mala, *quæ quidem habentur cap. ſequenti: & de quibus ſcribit Schol.* τοῦτον τὸν στίχον ὅλως οὐ μέμνηται Ὠρ. εὑρέθη δὲ ἔν τισιν ἀντιγράφοις. οὔτε γὰρ παρὰ τοῖς ο′. οὔτε παρὰ τοῖς λοιποῖς κεῖται. Hujus verſiculi omnino non meminit Origenes: inventus eſt autem in quibuſdam exemplaribus. Neque enim apud lxx. neque apud cæteros ponitur.

CAP. XIII.

(*a*) Aſtutus.] *Aq. S. Th.* σοφὸς, ſapiens. (*b*) Peribunt immaturæ.] *Schol.* ἁρπαγήσονται, abripientur. (*c*) Terrebit ſeipſum.] *Sic S. Hieron. adv. Ruf. Th.* αἰσχύνη αὐτοῦ, confuſio ipſius. (*d*) Omnis ocioſus.] *Sic etiam Caſſianus collat. 24. cap. 2. Sed S. Hieron. epiſt. 8. & alibi*, in deſideriis eſt omnis anima otioſi. *Symm.* ἐπιθυμεῖ, καὶ οὐ θέλει ὀκνηρὸς, *quod vulgata*, vult & non vult piger. (*e*) In ſedulitate.] *Symmachus*, πιανθήσονται, impinguabuntur. (*f*) Et non habebit libertatem loquendi.] *Schol.* καὶ ἀτιμασθήσεται, & ignominia afficietur. *In pleriſque vero libris adjunguntur hæc*, δικαιοσύνη φυλάσσει ἀκάκους, (*& Compl. addit*, ὁδῷ) τοὺς δὲ ἀσεβεῖς φαύλους ποιεῖ ἁμαρτία, juſtitia cuſtodit innocentes, (*al.* innocentes via;) impios autem nequam facit peccatum: *quæ in uno libro habentur ſub aſteriſco; in alio ad ſecundam partem hoc Schol. eſt appoſitum.* Symm. ἀδικία δὲ ἐπισπάσεται ἁμαρτίαν, injuſtitia autem attrahet peccatum. (*g*) Qui humiliant ſe.] *Symm.* πτωχευόμενοι, mendicantes. *Th.* πτωχοφανὴς, qui apparet mendicus, qui mendici ſpeciem præbet. (*h*) Redemptio.] *Celebris apud patres ſententia A. S. Th.* ἐξίλασμα, propitiatio. (*i*) Non ſubſtinet comminationem.] *Schol.* οὐ φέρει, non fert. *A. S. Th.* ἐπιτίμησιν, increpationem. (*k*) Malus cum contumelia agit mala.] *Sic S. Hieronymus ibid. & Lucifer pro* S. *Athan. A.* S. *Th.* ἐν ὑπερηφανίᾳ δώσει μάχην, in ſuperbia dabit pugnam. (*l*) Sui ipſorum cognitores.] *Th.* καὶ ἐν συμβουλευομένοις σοφία, & in iis qui conſilium adhibent, ſapientia. (*m*) Feſtinata.] *Aq.* ἀπὸ ματαιότητος, ex vanitate. (*n*) Juſtus miſeretur, & commodat.] *Hæc abſunt ab aliquot codicibus: a Complutenſi autem ea, quæ ſequuntur uſque ad*, arbor: *& videtur ſubeſſe aliqua miſtio interpretationum.* (*o*) Contemnetur.] *Schol.* καταφθαρήσεται, corrumpetur. (*p*) Sanus eſt.] *Aq. & Symm.* εἰρηνεύει, in pace degit. (*q*) Demens autem ſub laqueo morietur.] *Lucifer pro S. Athan. non habet illud*, ſub. *Compl. autem*, ἁλοὺς ὑπὸ παγίδος, captus a laqueo. *Symm. & Th.* τοῦ ἐκκλῖναι ἀπὸ σκανδάλων θανάτου, *quod vulgata*, ut declinet a ruina mortis. (*r*) Nequitiam.] *A. S. Th.* ἀφροσύνην, inſipientiam. (*ſ*) Rex audax.] *Sic Lucifer ibid. A.* S. *Th.* ἄγγελος ἀσεβὴς, nuncius impius. (*t*) Sapiens liberabit eum.] *Schol.* πίστεως ἰώμενος, fidei ſanans. *A. & Symm.* ὅμηρος πίστεως, ἴασις, obſes fidei, ſanitas. *Vulgata*, legatus fidelis, ſanitas. *Th* φύλαξ πίστεως, ἴασις cuſtos fidei, ſanitas. (*u*) Paupertate.] *Symm.* πενία, καὶ ἀτιμία διαλύει παιδείαν. Egeſtas, & ignominia diſſolvit diſciplinam. *Propius ad vulgatam accederet, ſi eſſet*, diſſolventi. (*x*) Piorum.] *Alii*, ἀσεβῶν, impiorum. *Vulgata*, deſiderium ſi compleatur, delectat animam. (*y*) Opera.] *Aq.* βδέλυγμα δὲ ἀνοήτων, ἀποστῆναι ἀπὸ κακοῦ, abominatio malorum, recedere a malo. (*z*) Ambulans cum ſapientibus, ſapiens eris.] *Alii*, ὁ συμπορευόμενος (*Compl.* συμπεριφερόμενος) σοφοῖς, σοφὸς ἔσται, *& Schol. & Compl.* σοφισθήσεται, qui ambulat cum ſapientibus, ſapiens erit. (*ω*) Qui ambulat.] *In aliquot libris eſt*, συρρεμβόμενος, qui una circumvertitur. *Schol.* συμπλανώμενος, qui ſimul errat. (*aa*) Agnoſcetur.] *Aq. & Th.* κακωθήσεται. *Symm.* κακουργηθήσεται, malo afficietur. (*b*) Hæreditare faciet.] *Sumendum eſt enim tranſitive, ut alibi ſæpe, illud*, κληρονομήσει. *Schol.* κληροδοτήσει, *eodem ſenſu.* (*cc*) Theſaurizantur.] *Symm.* τεφύλακται, cuſtoditæ ſunt. (*) Baculo.] S. *Cypr. 3. teſtim.* qui parcit baculo, odit filium S. *Ambr. epiſt. 7. & S. Hieron. in Zach. c.* 8. qui parcit baculo ſuo, odit filium ſuum. (*dd*) Diligenter erudit.] S. *Hieronymus in Zach. cap.* 8. qui autem diligenter corripit, diligit. *Schol.* ὀρθρίζει αὐτῷ παιδείαν, diluculo adhibet ei diſciplinam. (*ee*) Implet animam ſuam] *Schol.* ἐμπίμπλησι τὴν κοιλίαν αὐτοῦ, implet ventrem ſuum. (*ff*) Animæ.] *Schol.* κοιλίαι, ventres.

CAP. XIV.

(*a*) Recte.] *A. S. Th.* ἐν εὐθύτητι, in rectitudine. (*b*) Baculi contumeliæ.] S. *Hieronymus adv. Rufinum* In ore ſtulti baculus contumeliæ. *Th.* ῥαβδίον ὕβρεως, virgula ſuperbiæ. (′) Cuſtodiunt.] *Sch.* ἰᾶται, ſanant. (*c*) Ubi non ſunt boves.] *Aq.* ἐν τῷ μὴ εἶναι βόας, φατνιάζεται γέννημα ἐκλεκτὸν, eo quod non ſint boves, fit fænum genimen electum. *Symm.* ἐν τῷ μὴ εἶναι βόας, φάτνης γέννημα, καὶ πλῆθος γεννημάτων ἐν ἰσχύϊ μόσχου, eo quod non ſint boves; genimen præſepis: & multitudo geniminum in fortitudine juvenci. *Th.* ἐν ἰσχύϊ βοῶν φατνωθήσεται γέννημα, καὶ πλῆθος γεννημάτων ἐν δυνάμει ταύρου, in fortitudine boum, in præſepe cogetur genimen: & multitudo geniminum in potentia tauri. S. *Hieronymus in Abacuc cap. 3. ſic ſcribit*, De quibus & Salomon loquitur in proverbiis: Adhibe curam his, quæ in campo ſunt, regionibus: & attonde herbas, & congrega fænum: ut habeas oves ad veſcendum. Boves quoque non erunt in præſepibus: quia, ubi plena ſunt præſepia, manifeſta eſt fortitudo bovis. (*d*) Accendit.] *A. S. Th.* ἐκφαίνει, enunciat. *De hoc proverbio ſupra dictum eſt.* (*e*) Quæres.] *Sic S. Hier. adv. Ruf. Aq.* ἐζήτησε χλευαστὴς σοφίαν, καὶ οὐκ ἔστιν quæſivit deriſor ſapientiam, & non eſt. *Symm.* ἐζήτησε λοιμὸς σοφίαν, καὶ οὐκ ἔστιν, quæſivit peſtilens ſapientiam, & non eſt. (*f*) Senſus.] *A. S. Th.* γνῶσις ſcientia. (*g*) Facilis.] *Th.* κούφη, levis. (*h*) Arma autem ſenſus.] *Aq & Th* καὶ οὐ μὴ γνῷς, & neſcies. *Vulgata*, & neſcit labia prudentiæ. (*i*) In errore.] *Aq. & Th.* ἐπίθεσις, fraus. *Symm.* δόλος, dolus. (*k*) Domus.] *Aq. & Th.* ἄφρονας χλευάσει πλημμέλεια, *quod vulgata*, ſtultis illudet peccatum. *Symm.* ἄφρονες ἐγχλευάζουσι πλημμέλειαν, καὶ ἀναμέσον εὐθέων εὐδοκία, imprudentes irrident delictum: & inter rectos gratia. (*l*) Triſtis anima ejus.] *Aq. & Th.* γινώσκει πικρίαν ψυχῆς αὐτοῦ, cognoſcit amaritudinem animæ ſuæ. (*m*) Quando autem] *Symm.* καὶ ἐν τῇ εὐφροσύνῃ αὐτῆς οὐ συμμιγήσεται ἀλλοτρίοις, & in gaudio ejus non miſcebitur extraneis. *Vulgata*, extraneus. (*n*) Noviſſima.] *Aq. & Th.* ἔσχατα αὐτῆς, extrema ejus. (*o*) Fundum.] *A. S. Th.* ὁδὸν, viam. (*p*) In lætitiis non admiſcetur triſtitia.] *Symm.* ἀλλὰ καίγε ἐν γέλωτι πονέσει καρδία, ſed etiam in riſu laborabit cor. (*q*) Noviſſime autem gaudium.] *In multis eſt*, τελευταῖα δὲ χαρᾶς, noviſſima autem gaudii. *Schol.* τὰ δὲ ἔσχατα αὐτῆς εὐφροσύνη κακή, & extrema ejus lætitia mala. (*r*) Itineribus.] *Sic S. Hier. adv. Rufinum.* (*ſ*) Simplex.] *Aq.* θελγόμενος, delinitus, palpatus, *Symm.* νήπιος, parvulus. (*t*) Sapiens timens.] S. *Hier. adv. Ruf.* Sapiens timendo declinat malum: ſtultus confidens miſcetur ei. *Lucifer pro* S. *Athan.* Sapiens timendo declinabit in malo: inſipiens autem miſcetur confidens iniquo. (*u*) Impatiens.] *Aq. & Symm.* ἄφρων, imprudens. (*x*) Prudens.] *Symm.* συμβουλευτικὸς, conſiliativus, *ut inquiunt, qui accurate conſilium init. Th.* διαβουλιῶν μισηθήσεται, verſans conſilia odio habebitur. (*y*) Divident.] *A. S. Th.* ἐκληρονόμησαν, hæreditarunt. (*z*) Malum.] *Schol.* ἀφροσύνην, ſtultitiam, *ut vulgata.* (*ω*) Tenebunt ſenſum.] *Aq.* ἀναμένουσι γνῶσιν, expectant ſcientiam. *Th.* στεφθήσονται γνῶσιν, coronabuntur ſcientia. (*aa*) Errantes] *Th.* ἰδοὺ πλανηθήσονται, ecce errabunt. (*bb*) Aſtutus.] *In pleriſque*, πλοῦτος αὐτῶν, divitiæ eorum, *ut vulgata. Quod Schol. tribuit Aquilæ, & Theod.* (*cc*) Converſatio.] *Symm.* ἡ δὲ ἀμαθία ἀνοήτων ἀφροσύνη, *quod vulgata*, fatuitas ſtultorum imprudentia. (*dd*) Liberabit.] S.

Cyprian. 3. *teſtim.* liberat de malis animam martyr fidelis, *al.* martyris fidelis. (*ee*) Firmamentum.] *In aliquot libris additur*, εἰρήνης, pacis, *quod non eſt in hebræo.* (*ff*) Præceptum.] *Nonnulli*, φόβος, timor. (*gg*) Laqueo.] *Symm. & Th.* σκανδάλων, ſcandalis. (*hh*) In multa gente.] *A. S. Th.* ἐν πλήθει λαοῦ, in multitudine populi, *ut vulgata.* (*ii*) Defectu.] *Symmachus*, σπάνει, raritate. (*kk*) Puſillanimis.] *Aut*, puſillanimus, *ut* S. *Hier. adv. Ruf. Schol.* μικρόψυχος, *eodem ſenſu.* (*ll*) Valde] *Sic* S. *Hier. In nonnullis libris eſt*, ἰσχυρὸς, fortis : *quod recentiore manu eſt adſcriptum Vaticano.* (*mm*) Cor ſenſitivum.] *A.* S. *Th.* ζῆλος, zelus, invidia, *ut vulgata.* (*nn*) Qui calumniatur.] S. *Hieronymus ibidem*, qui calumniatur pauperem ; laceſſit factorem ejus. *Lucifer pro* S. *Athan.* Qui contumeliam facit pauperi ; irritat eum, qui fecit illum. *Aq. & Symm. pro*, παροξύνει, *dixerunt*, ὠνείδισεν, exprobravit, *ut vulgata. Th.* ἐβλασφήμησεν, blaſphemavit. (*oo*) Qui autem.] *Symm.* δοξάζει δὲ αὐτὸν ὁ ἐλεῶν πένητα, *quod vulgata*, honorat autem eum, qui miſeretur pauperis. (*pp*) Repelletur.] *Schol.* ἀπολεῖται, ἐξωθήσεται, peribit, expelletur. (*qq*) Qui autem fidit ſuæ ſanctitati ; juſtus.] *Aquila*, S. *Th.* πέποιθεν ἐν τῷ θανάτῳ ἑαυτοῦ δίκαιος, *quod vulgata*, ſperat autem juſtus in morte ſua. (*rr*) Bono viri.] *Aquila, & Th.* συνετοῦ ἀναπαύσεται, intelligentis requieſcet : *atque iſtud quidem verbum in multis libris additum eſt.* (*ſſ*) Non dignoſcitur.] *Aquila, & Th.* οὐ γινώσκεται, non cognoſcitur. *Ab hebræo tamen abeſt negatio. Hoc enim ſignificatur, ſapientiam etiam in medio ſtultorum cognoſci.* (*tt*) Minuunt.] *Symmachus*, ὄνειδος δὲ λαοῖς ἁμαρτίαι, opprobrium autem populis peccata. (*uu*) Acceptus.] *Aquila, & Th.* εὐδοκία, beneplacitum, gratia. (*xx*) Sua autem agilitate aufert ignominiam.] *Th.* καὶ θυμὸς αὐτοῦ καταισχύνων, & furor ejus confundens.

CAP. XV.

(*a*) IRa perdit & prudentes.] *Hæc in Complut. ponuntur in extremo cap. præcedente : a vulgata autem abſunt.* (*b*) Submiſſa.] *Symm.* ἁπαλὴ, mollis, *ut vulgata, Th.* ἀποκρινόμενοι τρυφερῶς, qui reſpondent delicate. (*c*) Triſtis.] *Aq.* σκληρὸς, durus. S. θρασὺς, audax. *Th.* πονικὸς, moleſtus. (*d*) Pronunciat] *Sic* S. *Hieronymus adv. Ruf. Aq. & Symm.* ἀναβλύει, effundit. (*e*) Et bonos.] *Non habet iſtud*, &, S. *Cyprianus* 3. *teſtim. & de orat. Dom.* (*f*) Sanitas linguæ.] *Aq.* προσηνὴς γλῶσσα, *quod vulgata*, lingua placabilis. (*g*) Conſervat.] *Schol.* φυλάσσων, *eodem ſenſu.* (*h*) Subſannat.] *Schol.* διασύρει, detrectat. (*i*) Mandata.] *Aq.* ἐλέγχοις, increpationes. (*k*) Impii autem] *Schol.* λογισμοὶ δὲ ἀσεβῶν ἐκριζωθήσονται, cogitationes autem impiorum eradicabuntur. (*l*) Alligata ſunt ſenſu.] *Sic* S. *Ambroſius in pſal.* 36. *Symm.* φυλάσσουσι γνῶσιν, cuſtodiunt ſcientiam. (*m*) Non ſecura.] *Schol.* οὐχ οὕτως, non ſic. (*n*) Recte ambulantium.] *A.* S. *Th.* εὐθείων, rectorum. (*o*) Accepta.] *Schol.* στήσονται, ſtabunt, ſtabilientur. (*p*) Innocentis.] *Schol.* πονηρὸν τῷ καταλιπόντι ὁδὸν, malum derelinquenti viam. (*q*) Moriuntur.] S. *Cypr. lib.* 1. *epiſt.* 11. conſumentur. (*r*) Manifeſta apud Dominum.] *Symm.* ἐνώπιον, *Th.* ἐναντίον, *quod vulgata*, coram Domino. (*ſ*) Indiſciplinatus.] *Sic* S. *Cypr. ibid. Symmachus* λοιμὸς, peſtilens. (*t*) Cordis læti.] *Sic Int. Orig. hom.* 4. *in Cantica.* (*u*) Cognoſcet mala.] *Symm.* ποιμαίνει ἀνομίαν, paſcit iniquitatem : *vulgata*, paſcitur imperitia. (*x*) Omni tempore.] *Symm:* πᾶσαι αἱ ἡμέραι τοῦ πτωχοῦ πονηραὶ, ὁ δὲ ἀθυμῶν ὡς ἐν πότῳ διαπαντὸς, *quod vulgata* omnes dies pauperis mali : ſecura mens, quaſi juge convivium. (*y*) Cum oleribus] *Nonnulli*, ξενισμὸς λαχάνων, hoſpitalitas olerum. (*z*) Appoſitio.] *Th.* ὑπὲρ βοῦν σιτευτὸν, ſuper bovem ſaginatum. (*ω*) Parat rixas.] *Sic* S. *Hieronymus, adv. Ruf. Aq.* ἐρεθίζει. *Symm.* ἀγείρει, *eodem ſenſu.* (*aa*) Ocioſorum.] *Aq. & Th.* ὀκνηρῶν, pigrorum. *Symm.* ὁδοὶ ὀκνηροῦ, ὥσπερ φραγμὸς ἐξ ἀκάνθης, *quod vulgata*, iter pigrorum, quaſi ſepes ſpinarum. (*bb*) Fortium.] A. S. *Th.* εὐθείων, rectorum. (*cc*) Subſannat.] *Sym.* ἐκφαυλίζει, vilipendit. (*dd*) Dementis.] *Symm.* ἀφροσύνη χαρὰ τῷ ἐνδεεῖ φρενῶν, *quod in vulgata*, ſtultitia gaudium ſtulto. (*ee*) Differunt.] *Th.* διασκεδάζονται λογισμοὶ μὴ ὄντος συμβουλίου, diſſipantur cogitationes ubi non ſit conſilium. (*ff*) In cordibus.] *A.* S. *Th.* ἐν πλήθει συμβουλευόντων στήσεται, in multitudine conſiliariorum firmabitur. (*gg*) Purorum] *Symm.* ἁγναὶ, puræ. *Th.* καθαραὶ, mundæ. (*hh*) Diſperdit.] *Schol.* ταράσσει οἶκον αὐτοῦ, conturbat ſuam domum. (*ii*) Acceptor munerum.] *Symm.* ὁ πλεονεκτῶν πλεονεξίαν, *quod vulgata*, qui ſectatur avaritiam. (*kk*) Eleemoſynis, & fide.] *Sic* S. *Cyprian. de opere & eleem. &* 3. *teſtim. quamvis græce ſit in numero multitudinis*, πίστεσιν, *& ſignificatur*, actionibus fidelibus, veracibus, *ut etiam paulo poſt. Verum & hæc tota ſententia, uſque ad illud*, corda, *& rurſus tota illa*, Acceptæ, &c. *& poſtrema*, Melior, (*quamvis in ea notetur ex Symmacho varietas*) *non ſunt in vulgata* (*ſed videntur reponi cap. ſequenti*) *ſunt tamen in Complut.* (*ll*) Injuſtitia.] *Symm.* ἀσεβείας, impietate.

CAP. XVI.

(*a*) VT à Deo dirigantur.] S. *Cyprian. de zelo*, & à Deo dirigentur. *Hæc ſententia abeſt a vulgata. Eſt tamen etiam in Complutenſi, in cap.* 15. *quemadmodum & aliquot aliæ ex ſequentibus.* (*b*) Spectans oculus.] *Aquila*, φωστὴρ ὀφθαλμῶν, *Symmachus*, φωτισμὸς, *quod vulgata*, lux oculorum. (*c*) Impinguat oſſa.] *Schol.* λιπαίνει, *eodem ſenſu. In aliquot autem libris* (*non tamen in Complut.*) *hæc adjiciuntur*, ὁ εἰσακούων ἐλέγχοις ζωῆς, ἐν μέσῳ σοφῶν αὐλισθήσεται, qui exaudit increpationes vitæ ; in medio ſapientum commorabitur : *quæ reſpondent vulgatæ.* (*d*) Et principium gloriæ reſpondebit ei.] *Symm. & Th.* καὶ ἔμπροσθεν δόξης πραΰτης, & ante gloriam modeſtia, *aut*, manſuetudo : *vulg* & gloriam præcedit humilitas. *In pleriſque autem libris hæc ſubjunguntur*, προπορεύεται δὲ ταπεινοῖς δόξα, præcedit autem humiles gloria : *quæ videri poſſunt altera interpretatio prædictæ ſententiæ : neque ea habet Procopius.* (*e*) Omnia opera humilis.] *Sch.* πᾶσαι ὁδοὶ ἀνδρὸς, *& in alio Scholio ad ea, quæ ſequuntur*, manifeſta apud Deum, *affertur ex Aquila*, διαυγεῖς ἐν ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ, *quam totam ſententiam ita expreſſit vulgata*, omnes viæ hominis patent oculis ejus. *Quoniam autem in ea præcedit hæc ſententia*, Hominis eſt animum præparare, & Dei gubernare linguam ; *ſciendum eſt in uno codice ſub aſteriſco hæc haberi hoc loco*, τῷ ἀνθρώπῳ προθέσεις καρδίας, καὶ παρὰ κυρίου ἀποκρίσεις γλώσσης. ὅσῳ μέγας εἶ, ταπείνου σεαυτὸν, καὶ ἐναντίον κυρίου εὑρήσεις χάριν. πάντα τὰ ἔργα τοῦ ταπεινοῦ, φανερὰ παρὰ τῷ θεῷ, καὶ ἑδράζων πνεύματα κύριος· κύλισον ἐπὶ κύριον τὰ ἔργα σου, καὶ ἑδρασθήσονται οἱ λογισμοί σου. πάντα τὰ ἔργα εἰργάσατο κύριος δι' ἑαυτὸν, οἱ δὲ ἀσεβεῖς ἐν ἡμέρᾳ κακῇ ὀλοῦνται. Homini applicationes cordis : & a Domino reſponſa linguæ. Quanto major es, humilia teipſum : & coram Domino invenies gratiam. Omnia opera humilis manifeſta apud Deum : & firmans ipſos ſpiritus Dominus. Devolve ſuper Dominum opera tua, & firmabuntur cogitationes tuæ. Omnia opera operatus eſt Dominus propter ſeipſum : impii autem in die mala peribunt, &c. *Quorum nonnulla ſatis reſpondent vulgatæ : & ſententia illa*, Devolve ſuper Dominum, &c. *affertur a* S. *Hieronymo adv. Pelagianos.* (*f*) Inferens injuſte.] *Schol.* μιγνύων, miſcens. *Vulgata*, etiam ſi manus ad manum fuerit. *Similis ſententia eſt ſupra cap.* 11. *& videnda, quæ illic notata ſunt.* (*g*) Initium.] *Sic Lucifer pro* S. *Athan. Verum magna varietas inter hæc, & ea quæ afferuntur in vulgata : quorum nonnulla videntur reſpondere iis, quæ in græcis habentur cap. præcedenti.* (*h*) Errabit] *Aq. & Th.* παραβήσεται, prævaricabitur. *Symmachus*, οὐκ ἀδικήσει, non faciet injuriam. (*i*) Momentum ſtateræ juſtitia.] *Aq.* σταθμὸς καὶ ζυγὰ δίκαια, pondus & ſtateræ juſtæ. (*k*) Pondera juſta.] *Th.* πάντα στάθμια μαρσίππου, omnia pondera marſupii : *quæ in vulgata*, omnes lapides ſacculi. (*l*) Nam cum juſtitia paratur.] *Symmachus*, ἐν γὰρ δικαιοσύνῃ ἑδρασθήσεται, *quod vulgata*, quoniam juſtitia firmabitur. (*m*) Accepta.] *Aq. & Th.* εὐδοκία, beneplacitum. *Symmachus*, θέλημα, voluntas, *ut vulgata.* (*n*) Vitæ filius regis.] *A. S. Th.* προσώπου βασιλέως ζωὴ, *quod vulgata dixit*, in hilaritate vultus regis vita. *Schol. tamen ad illud*, filius regis, *notat*, υἱοῦ βασιλέως ζωὴ, filii regis vita. (*o*) Qui autem valde accepti ſunt ei.] *Aq.* καὶ ἡ εὐδοκία αὐτοῦ, & beneplacitum ejus. *Symm.* καὶ ἡ εὐμένεια αὐτοῦ, & benevolentia ejus : *vulgata*, & clementia ejus. (*p*) Qui cuſtodit.] *Th.* τηρεῖ ψυχὴν αὐτοῦ, φυλάσσων ὁδοὺς αὐτοῦ, ſervat animam ſuam, qui cuſtodit vias ſuas. (*q*) Suam] *Non habet iſtud*, ſuam, S. *Hieronymus citans hanc ſententiam adv. Rufinum.* (*r*) Ante contritionem præcedit contumelia.] *Sic* S. *Hieronymus ibid. Aquila*, εἰς πρόσωπον συντριβῆς ὑπερφέρεια, ad faciem contritionis ſuperbia. (*ſ*) Contumelioſis.] *Schol.* ὑπερηφάνων, ſuperbis, *ut vulgata.* (*t*) Sapientes, & intelligentes.] *Schol.* φρονίμοις, prudentes : *niſi fortaſſe hæc varietas pertinet ad illud*, φαύλοις, malos. *Nam vulgata*, qui ſapiens eſt corde, appellabitur prudens. (*u*) Cogitatio.] *Aquila*, ἐπιστήμη, ſcientia. *Symmachus*, φρόνησις, prudentia. (*x*) Diſciplina.] *Sym.* ἔννοια, cogitatio. (*y*) Portabit doctrinam.] *Aut*, prudentiam : *eſt enim*, ἐπιγνωμοσύνη, *& videtur ſignificari acceſſio quædam : nam vulgata*, addet gratiam. *Quare notatur in Schol. Aq. dixiſſe*, λῆψιν : *Symm. & Theod.* ἐπιδοχήν. (*z*) Favi mellis.] *Ita* S. *Ambr. de bono mortis cap.* 5. (*ω*) Dulcedo autem ejus, ſanitas animæ] *Symm. & Th.* γλυκύτης ψυχῆς, καὶ ἴαμα ὀστέων, *quod vulgata*, dulcedo animæ, & ſanitas oſſium. (*aa*) Vir in laboribus.] *Ita* S. *Hier. lib.* 2. *adv. Jovin. Aq.* ψυχὴ πονοῦντων ἐπόνεσεν ἑαυτῷ, anima laborantis laboravit ſibi : *quemodo fere vulgata : & eodem ſenſu Symmach.* ψυχὴ κοπιάσαντος ἐκοπίασεν ἑαυτῷ. *Th. autem*, ὁ ἐν πόνοις πονῶν ἀμέτρως, ἐπισπᾶται θάνατον, qui in laboribus laborat immodice, attrahit mortem. (*bb*) Perverſus in ore ſuo portat perditionem.] *Affert hæc* S. *Cyprianus lib.* 1. *epiſt.* 3. *non autem ſequentia*, vir imprudens fodit ſibi mala : *contra in vulgata hæc ſunt evidenter, non item illa.* (*cc*) Imprudens] *Aq.* ἀποστασίας, rebellionis. *Symmachus*, ἀνυπόστατος, intolerabilis. *Schol.* hebræus, βελίαλ, Belial. (*dd*) Ignem condit.] *Sic* S. *Cyprianus, quod græce eſt*, θησαυρίζει, theſaurizat. *Th.* ὡς πῦρ καῖον, tanquam ignis ardeſcens. (*ee*) Tranſmittit mala.] *Schol.* ἀποστέλλει ἀντιδικίαν, immittit diſcordiam. *Symm.* μάχας, lites, pugnas. (*ff*) Et facem doli accendit malis, & disjungit amicos.] *In aliquot libris eſt*, πυρσεύει, accendit. *Aquila*, τονθρυστὴς, ſuſurro, murmurator : *& eodem ſenſu Th.* γόγγυσος. *Symmachus*, ὁ δὲ ὑποκρινόμενος διαγγέλλει ἡγούμενον : & qui calumniatur, diffamat ducem : *quamvis illud*, διαγγέλλει, *videri poſſit poſitum pro*, ſeparat : *nam ita hebræus*, dividit ducem, *& vulgata*, ſeparat principes. (*gg*) Palpat amicos.] *Id videtur hoc loco ſignificari verbo*, ἀποπειρᾶται. *Aq. & Th.* ἀπατήσει φίλον, decipiet amicum. (*hh*) Qui autem obfirmat] *Aq. & Th.* στερεῶν, *eodem ſenſu.* (*ii*) Perverſa.] *Schol.* κακὰ, mala. (*kk*) Et perficit.] *In aliquot libris eſt*, ἐπιδάκνων δὲ τοῖς χείλεσιν αὐτοῦ, ὁρίζει, mordens autem labiis ſuis (*aut fortaſſe*, labia ſua, *ut vulgata*) ſtatuit, *&c. A. S. Th.* κνίζων, carpens, pungens. S. *Hieronymus adv. Ruf. ita affert hanc ſententiam*, qui obfirmat oculos ſuos, cogitat perverſa, & provocat labiis ſuis mala : *ut videatur pro*, ὁρίζει, *habuiſſe*, ὀρίνει, *nec fortaſſe habuiſſe, quæ ſequuntur*, hic fornax eſt mali. (*ll*) Longanimis.] *Caſſianus coll.* 12. *cap.* 6. *& alibi*, patiens, *&* S. *Cyprianus, lib.* 3. *teſtim.* patiens forti : qui enim iracundiam, &c. *Neuter autem habet quæ in multis, & in Complut. interjiciuntur*, καὶ ἀνὴρ φρόνησιν ἔχων γεωργίου μεγάλου, & vir prudentiam habens agro magno : *habentur autem infra, cap.* 24. (*mm*) Injuſtis.] *Complut.* τοῖς δικαίοις, juſtis : *& fortaſſe utrumque adventitium eſt : nam & vulgata abſolute*, ſortes mittuntur in ſinu.

CAP. XVII.

(*a*) CUm voluptate.] S. *Ambroſius* 2. *off. c.* 21. melior eſt panis in ſuavitate cum pace. *Aq.* ἀνεξηραμμένος, ſicca, *ut vulgata. Th.* καθ' ἑαυτὸν, per ſe. (*b*) Domus.] *Ita etiam Procopius. In multis codicibus additur*, πλήρης, plena. (*c*) Dominos ſtultos.] *Symm. & Th.* υἱοῦ καταισχύνοντος, filium confundentem. S. *Ambroſius epiſt.* 7. Denique famulo ſapienti multi, ut ſcriptum eſt, ſerviunt liberi : & eſt ſervus intelligens, qui regat dominos ſtultos. (*d*) Dividet partes.] *A.* S. *Th.* μεριεῖται κληρονομίαν, hæreditatem dividet, *ut vulgata.* (*e*) Electa corda apud Dominum.] *In uno codice, & in Schol.* ἐκλέγεται καρδίας κύριος : *& Caſſianus collatione* 7. *cap.* 25. ita eligit corda Dominus. *A. S. Th.* καὶ δοκιμάζων καρδίας κύριος, & probans corda Dominus. (*f*) Juſtus autem non intendit.] *Sic* S. *Cyprianus lib.* 1. *epiſt.* 3. *Complut.* ἄδικος δὲ προσέχει, *& vulgata*, fallax obtemperat. (*g*) Irritat.] *A.* S. *Th.* ὠνείδισεν, exprobravit. *Similis varietas obſervata eſt ſupra cap.* 14. (*h*) Gloriatio autem filiorum.] S. καὶ δόξα υἱῶν, & gloria filiorum, *ut vulgata.* (*i*) Ejus, qui fidelis.] *Sic* S. *Hier. in Ezech. cap.* 45. *In Complut. ponitur paulo ſuperius : quæ ordinis* *varietas fortaſſe argumento eſſe poteſt, primæ editioni aliunde acceſſiſſe iſtam ſententiam : in vulgata quidem non eſt.* (*k*) Non congruent.] *Symm.* οὐ πρέπει, non decent. (*l*) Neque juſto.] *Theod.* ἡγουμένῳ, principi. (*m*) Labia.] *Aq.* χεῖλος, labium. (*n*) Merces gratiarum.] *Symmachus*, σάθμιον, pondus. *Th.* λίθος, lapis : *quod vulgata*, gemma gratiſſima. (*o*) Qui autem odit celare ; dividit.] *Complut. non ſine mendo*, ἵστησι, ſtatuit, erigit. *Symmachus*, ὁ δὲ δευτερῶν λόγον, διαχωρίζει συνήθειαν, qui iterat, & repetit ſermonem, ſeparat conſuetudinem. *Th.* καὶ δευτερῶν ἐν λόγῳ, διορίζει ἡγούμενον, & iterans in verbo, ſeparat ducem. (*p*) Conterunt minæ.] *Th.* ἥξει ἐπιτίμησις εἰς τὸν συνετὸν ὑπὲρ τὸ πλῆξαι ἄφρονα, veniet correptio in intelligentem, pluſquam percuſſio in imprudentem. *Aquila*, πλῆξις ἐπιτιμήσεως ἐπὶ συνιόντι, percuſſio correptionis in intelligente. (*q*) Contradictiones.] *Symm.* ἐρεθισμοὺς, contentiones. *Th.* παραπικρασμὸν, exacerbationem. (*r*) Immiſericordiam.] *Schol.* ὠμὸν, crudelem. *Symm.* ἄσπλαγχνον, ſine viſceribus. (*ſ*) Incidet.] *Th.* συναντῆσαι ἄρκτῳ ἠτεκνωμένῃ ἄνδρα, καὶ μὴ ἀσυνέτῳ ἐν ἀφροσύνῃ αὐτοῦ, occurrere urſæ orbatæ virum, & non ſtulto in ſtultitia ejus. (*t*) Poteſtatem dat ſermonibus principium iuſtitiæ.] *Th.* ἀπολύων ὕδωρ ἀρχὴ μάχης, *quod vulgata*, qui dimittit aquam, caput eſt jurgiorum. (*u*) Immundus, & abominabilis.] *Lucifer pro Athan. habet tantum*, abominabilis : *& S. Ambroſius primo off. cap.* 27. Qui enim juſtum judicat injuſtum, injuſtum vero juſtum ; execrabilis erit apud Deum. Ut quid abundant juſtitiæ imprudenti, ait Salomon ? *ut videatur aliter in ſuo codice habuiſſe hanc poſtremam partem, ac ſit in collatis codicibus. Aquila autem, & Theod. ita illam reddiderunt*, ἱνατί τοῦτο ἀντάλλαγμα ἐν χειρὶ ἀνοήτου, ut quid hoc precium in manu dementis. (*x*) Incidet.] *Schol.* ἐμπηδήσεται, irruet. *Verum tota hæc ſententia abeſt hic a vulgata : nam prior pars paulo poſt videtur reponi.* (*y*) Tempus.] *Schol.* χρόνον, *eodem ſenſu.* (*z*) Plaudit.] *Th.* ἐπικροτήσει χεῖρα, Plaudet manu. (*ω*) Suos ipſius amicos.] *De hac eloquutione ſupra dictum eſt : In multis autem libris eſt*, τὸν ἑαυτοῦ φίλον, ſuum ipſius amicum, *& ſequuntur hæc*, ἐπὶ δὲ τῶν ἑαυτοῦ χειλέων πῦρ θησαυρίζει, & in ſuis labiis condit ignem : *quæ tamen abſunt etiam a Compl. & vulgata, & habentur ſupra cap. præcedente.* (*aa*) Rixis.] *Symm. & Th. addunt*, ὑψῶν θύραν αὐτοῦ, ζητεῖ συντριβήν, *quæ in vulgata*, & qui exaltat oſtium ſuum, quærit ruinam : *pro quibus paulo ante in græcis videntur haberi illa*, qui excelſam facit ſuam domum, quærit contritionem. (*bb*) Durus corde.] *Symm. & Th.* στρεβλοκάρδιος, *& vulgata*, qui perverſi cordis eſt. (*cc*) Indiſciplinato.] *Aquila*, ἀπορρέοντι, diffluente. *Symm.* μωρῷ, fatuo, *ut vulg. Th.* ἀναισθήτῳ, inſenſato. (*dd*) Bene habere.] *Symm.* ἀγαθύνει ἡλικίαν, *quod vulgata*, ætatem floridam facit. (*ee*) Viri autem triſtis.] *Aquila*, καὶ πνεῦμα πεπληγμένον, & ſpiritus percuſſus. *Symm.* τεταπεινωμένον, humiliatus. *Th.* κατανενυγμένον, compunctus. (*ff*) Injuſte.] *Schol.* ἀσεβὴς, *& vulgata*, munera de ſinu impius accipit. (*gg*) Vultus intelligens viri ſapientis.] *Symmachus*, κατὰ πρόσωπον συνετοῦ σοφία, *quod vulgata explicavit*, in facie prudentis lucet ſapientia. (*hh*) Dolor.] *Aquila & Symm.* πικραίνων, exacerbans. *Th.* πικρασμὸς, exacerbatio. (*ii*) Principibus.] *Symmachus*, ἐξουσιαζόμενον, magnificum : *quomodo ſolent hebræi appellare principem. Quod autem ſequitur* juſtis, *Aq. dixit*, ἐπὶ εὐθύτητι, ſuper rectitudinem : *hebræus enim habet*, percutere magnificos ſuper rectitudinem. (*kk*) Bene ſentiens.] *Aquila*, ἐπιστήμων, ſciens. *Alius interpres*, γινώσκει γνῶσιν, ſcit ſcientiam. (*ll*) Sapientiam.] *Deeſt in Compl. Aq. Symm. & Th.* καίγε ἄφρων κωφεύων, σοφὸς λογισθήσεται : *quod vulgata*, ſtultus quoque, ſi tacuerit ; ſapiens reputabitur. (*mm*) Mutum autem quis ſe faciens.] *Aq. & Th.* βύων, obſtruens, *alius interpres*, φιμῶν χείλη αὐτοῦ συνετὸς, obturans labia ſua, intelligens.

CAP. XVIII.

(*a*) Occaſiones quærit.] *Aquila & Symmachus*, εἰς ἐπιθυμίαν, ad deſiderium. (*b*) Non opus habet.] *Aq.* οὐ βουλήσεται ἀνόητος ἐν φρονήσει, non volet demens in prudentia ; *quod autem ſequitur, eſt apud Caſſianum coll.* 14. *cap.* 17. magis autem ducitur inſipientia. (*c*) Cum venerit impius.] *Sententia celebris apud Patres. A. S. Th.* ἐν τῷ ἐλθεῖν ἀσεβῆ, ἦλθεν καὶ ἐξουδένωσις, in veniendo impium, venit etiam contemptus. (*d*) Sermo in corde.] *Schol.* λόγος στόματι, verbum ori. (*e*) Scaturit.] *In multis eſt*, ἀναπηδῶν, proſiliens. *Th.* ἀνομβρῶν, redundans. *Aq. & Symm.* ἀναβλύζων, erumpens. (*f*) Et fons.] *Aq.* φλέψ, vena. (*g*) Vitæ.] *A. S. Th.* σοφίας, ſapientiæ : *ut tota ſententia ſit*, fluvius redundans, vena ſapientiæ. (*h*) Mirari.] *Sic Lucifer pro S. Athan. A. S. Th.* λαβεῖν, accipere, ſumere. (*i*) In mala.] *Ita S. Hieronymus adv. Rufin. Aq.* ἐν δικασίᾳ, in litem. *Symmachus*, εἰς μάχην, in rixam. (*k*) Contritio.] *A. S. Th.* πτῆξις, pavor. (*l*) Laqueus. *A. S. Th.* σκῶλον, offendiculum. (*m*) Qui non medetur ſibi.] *Aq.* νωχελευόμενος, ignavus. *Symm.* στραγγευόμενος, ceſſans. *Th.* ἀνειμένος, remiſſus. (*n*) Ex magnificentia fortitudinis.] *Alius interpres*, ἐκ μεγέθους ἔργων, ex magnitudine operum. *Aq. & Th.* πύργος κράτους, turris potentiæ. (*o*) Ei autem accurrentes juſti exaltantur.] *A. S. Th.* ἐν αὐτῷ δραμεῖται δίκαιος, καὶ ἀρθήσεται, *quod vulgata*, ad ipſam curret juſtus, & exaltabitur. (*p*) Minuta.] *Symm.* ἰσχὺς αὐτοῦ, *& eadem*, roboris ejus. (*q*) Ante contritionem] S. *Hieronymus epiſt.* 2. ante gloriam humiliabitur cor viri, & ante ruinam exaltatur. (*r*) Et ante gloriam humiliatur.] *S. & Th.* καὶ ἔμπροσθεν δόξης πραότης, & ante gloriam manſuetudo. (*ſ*) Furorem viri mitigat ſervus prudens.] *A. & Th.* πνεῦμα ἀνδρὸς διοικήσει ἀρρωστίαν αὐτοῦ, ſpiritus viri reget infirmitatem ejus, *quomodo fere vulgata.* (*t*) Puſillanimem.] *Th.* καὶ πνεῦμα πεπληγμένον, τίς βαστάσει αὐτόν ; & ſpiritum percuſſum, quis portabit eum ? (*u*) Poſſidet ſenſum.] *S.* κτήσεται γνῶσιν, Poſſidebit ſcientiam, *ut vulgata.* (*x*) Cogitationem.] ἔννοιαν, excogitatam rationem. *A. S. Th.* γνῶσιν, ſcientiam, aut doctrinam, *ut vulgata.* (*y*) In principio ſermonis.] *Et hæc valde celebris ſententia eſt. Symm.* ἐν κρίσει αὐτοῦ, in judicio ſuo : *& ſic Chaldæus*, juſtus eſt primus in judicio ſuo. (*z*) Taciturnus.] *Ita aliquot libri, & etiam Compl. In aliis eſt*, κλῆρος, *& Schol.* Scribitur, παύει κλῆρος, *& Int. Orig. hom.* 23. *in Ioſue*, contradictiones cohibet ſors, & inter potentes definit, *ac certe in pleriſque eſt*, δυνάσταις, *ubi in noſtra*, δυναστείαις. (*ω*) Definit.] *A.* διαλείψει. S. *& Th.* διαστελεῖ, dividet, dijudicabit. (*aa*) Frater a fratre adjutus tanquam urbs munita, & excelſa.] *Sic fere vulgata. S. Cyprianus* 14. *ep.* 2. frater fratrem adjuvans exaltabitur. *Aq.* ἀδελφὸς ἀθετούμενος ἀπὸ πόλεως κράτους, frater rebellans præ civitate forti. (*bb*) Invaleſcit autem tanquam fundatum regnum.] *Schol.* μεμοχλευμένον, clauſum vecte. *Aq.* καὶ δικασία, ὡς μοχλὸς βάρεως, & lis, tanquam vectis palatii. *Vulgata tamen* & judicia, quaſi vectes urbium. (*cc*) Et de fructibus labiorum ſuorum implebitur.] *Symm.* τὰ γεννήματα τῶν χειλέων αὐτοῦ ἐμπλησθήσεται, *quod vulgata*, & genimina labiorum ipſius ſaturabunt eum. (*dd*) Continent.] *A. & S.* ἀγαπῶντες, diligunt, *ut vulgata.* (*ee*) Bonam.] *Schol.* χρηστὴν, *eodem ſenſu. Sed vulgata habet*, qui invenit mulierem, invenit bonum. *Quare Schol. ad* χάριτας, *adſcribit*, ἀγαθόν. (*ff*) Hilaritatem] *A. S. Th.* εὐδοκίαν, beneplacitum, gratiam : *ſententia autem, quæ ſequitur, non eſt in hebræo, neque in aliquot exempl. vulgatæ : ſecunda ejus pars de adultera eſt apud* S. *Hieronymum in* 19. *cap. Matthæi. Poſt hanc vero ſententiam ſequuntur hæc in Compl. quæ ſatis reſpondent vulgatæ*, δεήσεις φθέγγεται πένης, ὁ δὲ πλούσιος ἀποκρίνεται σκληρά. ἀνὴρ ἑταίρων πρὸς ἑταιρίαν, καὶ ἔστι φίλος προσκολληθεὶς ὑπὲρ ἀδελφόν. κρείσσων δὲ πτωχὸς πορευόμενος ἐν ἁπλότητι αὐτοῦ, ἢ στρεβλὸς τοῖς χείλεσιν αὐτοῦ, καὶ αὐτὸς ἀνόητος. καίγε χωρὶς ἐπιστήμης ψυχὴ οὐκ ἀγαθή, καὶ ὁ σπεύδων τοῖς ποσὶν ἁμαρτάνει. Preces loquitur pauper : dives autem loquitur dura. Vir amicorum ad amicitiam : & eſt amicus adhærens ſuper fratrem. Melior eſt inops ambulans in ſimplicitate ſua, quam perverſus labiis ſuis, & ipſe inſipiens. Etiam ſine ſcientia anima non eſt bona : & qui feſtinat pedibus peccat. (*gg*) Vaſtat.] *A. & S.* διασκεδάσει, diſſipabit. *Th.* σκελίσει, ſupplantabit. *Vulgata in cap. ſequenti* (*Nam ut diximus in ea, & in Complut. multa hic interjiciuntur,*) *habet*, ſtultitia hominis ſupplantat greſſus ejus. (*hh*) Deum autem.] *Symm.* καὶ κατὰ κυρίου ὀργισθήσεται ἡ καρδία αὐτοῦ, & contra Dominum iraſcetur cor ejus.

CAP. XIX.

(*a*) Deſeritur.] *Sym.* χωρίζεται, ſeparatur. (*b*) Non impunitus erit.] *Sic Lucifer pro S. Athan. Aquila, & Th.* οὐκ ἀθωωθήσεται, non erit innocens. (*c*) Non effugiet.] *Aq. & Symm.* οὐ διασωθήσεται, non evadet ſalvus. (*d*) Omnis autem malus fit opprobrium viro.] *Symm.* καὶ πᾶς φίλος ἀνδρὸς δομάτων, & omnis amicus viri donorum. (*e*) Contendit verbis.] ἐρεθίζει λόγοις, *aut*, λόγοις, *ut in quibuſdam. In nonnullis etiam eſt*, παρακεντεῖ, pungit, ſtimulat. (*f*) Prudentiam.] *Schol.* καρδίαν, cor. (*g*) Non conferunt.] *Symm.* οὐ πρέπει, non decent. (*h*) Et ſi famulus incipiat cum contumelia dominari.] *Th.* οὐδὲ δούλῳ ἐξουσιάζειν ἀρχόντων, *quod vulgata*, nec ſervum dominari principibus. *Schol. cæteri*, δεσπότου, δυνάστου, domino, dynaſtæ. (*i*) Miſericors vir longanimis eſt.] S. *& Th.* φρόνησις ἀνθρώπου, μακροθυμία αὐτοῦ, prudentia hominis, longanimitas ejus. (*k*) Gloriatio autem ejus ſupervenit iniquis.] *Schol.* δικαίου καύχημα τιμωρήσασθαι παρανόμοις, juſti gloriatio punire iniquos. *Aq.* καύχησις αὐτοῦ παρέρχεσθαι ἐπὶ ἀθεσίᾳ, gloriatio ejus prætergredi ſuper prævaricationem. *Symmachus*, καὶ ἀγλάϊσμα αὐτοῦ ὑπερβαίνειν ἀδίκημα, & ſplendor ejus ſupergredi injuſtitiam. (*l*) Fremitui.] *Schol.* στεναγμῷ, gemitui, *& Lucifer pro* S. *Athan.* gemitibus. (*m*) Hilaritas.] *A.* S. *Th.* εὐδοκία, beneplacitum, gratia. (*n*) Confuſio.] *Aq. & Th.* ἐπιβουλή, accuſatio, damnum. *Symm.* ὀδύνη, dolor, *ut vulgata.* (*o*) Non pura vota de mercede meretricis.] *Symm.* καὶ σταγόνες κατασπεύδουσαι, μάχαι γυναικὸς, & guttæ feſtinantes, rixæ mulieris. *Aq.* καὶ σταγετὸς σύντομος, ἀντιδικίαι γυναικὸς, & ſtillicidium continuum, contentiones mulieris. (*p*) Viro.] *Sym.* συνετὴ, intelligens, *aut*, prudens, *ut vulgata. Aq. & Th.* ἐπιστήμων, ſciens. S. *Ambr.* 8. *lib. in Luc.* à Deo præparabitur viro uxor. (*q*) Pavor detinet effœminatum.] *Symm. & Th.* ὀκνηρία ἐπιβάλλει ἔκστασιν, *quod vulgata*, pigredo immittit ſoporem. *Aq.* καταφορὰν, *eodem ſenſu. Significat autem ſoporem validum, ut alibi dictum eſt.* (*ſ*) Secundum datum.] *Sic* S. *Ambroſius de Tobia cap.* 16. *Symm. & Th.* κατὰ τὸ ἀνταπόδομα αὐτοῦ ἀνταποδώσει αὐτῷ, ſecundum retributionem ejus retribuet ei. (*ſ*) Ad contumeliam autem ne eleveris animo tuo.] *Aq.* καὶ πρὸς θανατῶσαι αὐτὸν μὴ ἄρῃς ψυχήν σου, *quod vulgata*, ad interfectionem autem ejus ne ponas animam tuam. (*t*) Malecogitans.] *Th.* μεγαλόθυμος, homo magnæ iræ. (*u*) Si autem corruperit.] λοιμεύηται, *aut*, λυμαίνηται, *ut alii. Aquila, & Th.* ὅτι ἐὰν ἀφέλῃς, ῥύσῃ, (*ex ex his duobus verbis idem ſignificantibus unum videtur fuiſſe Aquilæ, alterum Theod.*) καὶ ἔτι προσθήσει, quoniam ſi eripueris, erueris ; etiam adhuc adjiciet. (*x*) Audi fili diſciplinam patris tui.] *Symm.* ἀκούων βουλῆς ἐπιδέξεται παιδείαν, audiens conſilium, ſuſcipiet diſciplinam. (*y*) Carens autem timore.] *Schol.* πλανώμενος, καὶ ἐμπλησθεὶς αὐλισθήσεται ἄνευ ἐπισκοπῆς πονηρᾶς, errans, & ſatur morabitur ſine viſitatione mala. (*z*) Sinum.] *Aq.* μασχάλην. *Symm* μάλην, *quod vulgata*, ſub aſcella. (*ω*) Admovebit.] προτενείκῃ. *Cæteri*, προσαγάγῃ, *eodem ſenſu.* (*aa*) Stultus.] *Sic* S. *Hieronymus in Ezech.* 31. *Aq.* θελγόμενος, deceptus. (*bb*) Senſum.] *A.* S. *Th.* γνῶσιν, ſcientiam. (*cc*) Expellit.] *Aq.* ἀποδιδράσκων, fugat. (*dd*) Filius omittens.] *Schol.* Cæteri, χόλασον υἱὲ τοῦ, *quamvis veriſimile ſit legendum*, μου. *Nam ſic hebræus.* Ceſſa fili mi. (*ee*) Qui reſpondet puerum imprudentem.] *Aq. & Th.* μάρτυς παράνομος, teſtis iniquus. (*ff*) Contumelia afficit juſtificationem.] *Aq. & Th.* χλευάσει κρίσιν, deridebit judicium. (*gg*) Devorabit judicia.] *Aquila, & Th.* νόμον καταπίεται, καταποντιεῖ, legem deglutiet. *Symmachus*, ἀνομίαν, iniquitatem, *quemadmodum vulgata.* (*hh*) Intemperantibus.] *Aquila*, χλευασταῖς, irriſoribus. *Symmachus*, λοιμοῖς, peſtilentibus. (*ii*) Supplicia.] *Symmachus*, σφυροκοπίαι, *quod vulgata*, mallei percutientes. *Th.* συγκλάσεις νώτῳ ἀνοήτων, confractiones dorſo dementium.

CAP. XX.

(*a*) Prodigum.] *Ita* S. *Ambroſius*, 2. *off. cap.* 1. *poſſet tamen etiam verti*, infrænatum, incaſtigatum, immoderatum, luxurioſa res, *ut vulgata. Schol.* ἀπαιδευσία οἶνος, incaſtigatio vinum. *Aq. & Th.* χλευαστὴς, deriſor. *Symm.* λοιμὸς, peſtilens. (*b*) Omnis autem imprudens talibus complicatur.] *Sic etiam eſt in uno alio codice, & ad marginem alterius, & apud Procopium, in alio*, ὁ συμμιγνύμενος τούτοις οὐκ ἔστι σοφὸς, qui commiſcetur his non eſt ſapiens. *In cæteris autem libris*, πᾶς δὲ ὁ λυμαινόμενος οὐκ ἔσται σοφὸς, omnis autem qui ſe perdit, non erit ſapiens. (*c*) Furore.] *Schol.* βρυγμῷ, rugitu. (*d*) Irritat eum.] *Aq.* S. *Th.* ὑπερβαίνων, qui inſultat. *In nonnullis autem codicibus ſequitur*, καὶ ἐπιμιγνύμενος, *&* S. *Ambroſius in Apol.* 2. *David* *cap.* 3. Non diſtat ira regis ab ira leonis: ſed qui ſtimulat illum & admiſcet, peccat in animam ſuam. (*e*) Averſari contumeliam] *Aquila*, καθίσαι ἀπὸ ἀντιδικασίας, ſuperſedere a lite. *Symmachus*, ἀποχωρῆσαι ἀπὸ ἀηδίας, ſeparari ab odioſa contentione. (*f*) Talibus complicatur.] *Aq.* ἐξυβρισθήσεται, *quod vulgata videtur vertiſſe*, miſcentur contumeliis. *Symm.* ἀποκαλυφθήσεται, revelabitur. (*g*) Exprobratus.] *Totam hanc ſententiam Symm. ſic reddidit*, διὰ ψῦχος ὀκνηρὸς οὐκ ἀροτριάσει, ϗ αἰτήσει ἐν ἀμητῷ, ϗ οὐχ εὑρήσει. Propter frigus piger non arabit: & poſcet in meſſe, & non inveniet. (*h*) Magnum homo] *De hac ſententia S. Chryſoſtomus in epiſt. ad Philip. hom.* 4. (*i*) Opus eſt invenire.] *Sic S. Ambroſius in pſal.* 118. *ſer.* 10. *A. S. Th.* τίς εὑρήσει; quis inveniet? *ut vulgata.* (*k*) Filios ſuos.] S. *Cyprianus de opere, & eleem. & 3. teſtim.* filios relinquit. (*l*) Non adverſatur.] *Id eſt, non ſubſiſtit. Th.* λικμᾷ *& vulgata*, diſſipat. (*m*) Gloriabitur.] *Ita S. Cyprianus de opere & eleem.* S. *Hieronymus, lib.* 1. *adv. Pelag.* & quis confidet, *Græce eſt*, παῤῥησιάσεται. *Symmachus*, τίς ἐρεῖ, ἐλάμπρυνα τὴν καρδίαν μου, κεκαθάρισμαι ἀπὸ ἁμαρτίας μου; Quis dicet, mundavi cor meum, purgatus ſum a peccato meo? (*n*) Maledicentis.] *Tres ſequentes ſententiæ in Complut. & vulgata ponuntur paulo poſt.* (*o*) Videbunt tenebras.] *Symmachus*, ἐν σκοτομήνῃ, in nocte illuni. (*p*) Pars feſtinata.] *Symmachus, & Th.* κληρονομία σπουδαζομένη, hæreditas feſtinata. (*q*) Ulciſcar inimicum.] S. *Cyprianus*, 3. *teſtim. & ad Demetrianum*, ulciſcar me de inimico meo. (*r*) Et utraque.] *A multis codicibus abeſt illud*, &. *In uno autem vetuſto codice ſequitur*, καίγε οἱ ποιοῦντες αὐτὰ ἐν αὐτοῖς συμποδισθήσονται, καίγε ἐν τοῖς ἐπιτηδεύμασιν αὐτοῦ συμποδισθήσεται ἀνὴρ νεανίσκος μετὰ ὁσίου, ϗ εὐθεία, etiam, qui faciunt ea, in ipſis impedientur & quidem in ſuis adinventionibus impeditur vir. Adoleſcens cum ſancto, & recta, &c. *In quibuſdam codicibus pro*, συμποδισθήσεται, *eſt*, ὑποσκελισθήσεται, ſubvertetur. S. *Hieronymus in Ezech.* 45. *hæc refert*: Stratera grandis, & minor, abominabile eſt utrumque in conſpectu Dei. *Caſſianus coll.* 21. *cap.* 22. pondus magnum, & puſillum, & menſuræ duplices, immunda ſunt apud Dominum, & utraque, & qui facit ea, in adinventionibus ſuis compedietur. *Symmachus*, ἐπιγνωρισθήσεται νέος, *& pro eo, quod ſequitur*, cum ſancto, & recta via ejus, *Theod. dixit*, εἰ λαμπρὰ, ϗ εὐθὺς ἐργασία αὐτοῦ, *quare in vulgata ſic expletur ſententia*, ex ſtudiis ſuis intelligitur puer, ſi munda, & recta ſunt opera ejus. (*ſ*) Detrahere, ne extollaris.] *Sic S. Cyprianus 3. teſtim. in multis codicibus: nam in aliquo eſt*, ne eradiceris: *& utramque interpretationem fert verbum græcum*, ἐξαρθῇς. *Symmachus*, ὕπνον, ἵνα μὴ ἀπορηθῇς, *quod vulgata*, ſomnum, ne te egeſtas opprimat. (*t*) Aperi.] *Sic S. Hieron. in Eſa.* 1. *Alii*, διάνοιξον δὲ, aperi autem. *Verum poſt hanc ſententiam in uno vetuſto codice hæc ſequuntur*; πονηρὸν, πονηρὸν, ἐρεῖ ὁ κτώμενος, ϗ πορευθεὶς, τότε καυχήσεται, ἔστι χρυσὸς, ϗ πλῆθος ἐσωτάτων, ϗ σκεῦος τίμιον χείλη γνώσεως· λάβε τὸ ἱμάτιον αὐτοῦ, ὅτι ἐνεγγυήσατο ἀλλότριον, ϗ περὶ ξένης ἐνεχύρασεν αὐτὸν, ἡδὺς ἀνθρώπῳ ἄρτος ψεύδους ϗ μετὰ τοῦτο πληρωθήσεται τὸ στόμα αὐτοῦ ψηφίδος λογισμὸς ἐν βουλῇ ἑτοιμασθήσεται. ϗ ἐν κυβερνήσεσιν ποίει πόλεμον· ἐπικαλύπτων μυστήριον πορεύεται δόλῳ, ϗ ἀπατῶντι χείλη αὐτοῦ μὴ συναναμίσγου βδέλυγμα κυρίῳ, malū, malum, dicet, qui emit: & cum receſſerit, tunc gloriabitur. Eſt aurum, & multitudo penitiſſimorum, & vas præcioſum labia ſcientiæ. Tolle veſtimentum ejus, qui fidejuſſor extitit alieni, & pro extranea oppigneravit ſe. Suavis eſt homini panis mendax, & poſtea implebitur os ejus calculo. Cogitationes in conſilio roborabuntur: & in rationibus gubernandi fac bellum. Revelans myſterium ambulat fraudulenter, & ſeducenti labiis ſuis ne commiſcearis. Abominatio Domino, &c. *Eædem ſententiæ ſunt in Compl. ſed aliis verbis. Illa quidem de pignore hoc modo habet*, ἀφελοῦ τὸ ἱμάτιον τοῦ ἐγγυῶντος ἀντὶ ἀλλοτρίου, ϗ ἀντὶ ἀλλοτρίας λάβε ἐνέχυρον παρ' αὐτοῦ, aufer veſtimentum ſpondentis pro alieno: & pro aliena accipe pignus ab eo. *Et in ea quæ ſequitur pro*, ψευδὴς, *eſt*, ψεύδους, mendacii, *& pro*, ψηφίδος, *eſt*, χαλίκων, ſalicibus. S. *Hieronymus adv. Rufin. ubi cæteras ſententias, quas multas, ſimul colligit, ex lxx. affert*, ſuavis eſt homini panis mendacii: poſtea implebitur os ejus calculo, *nec multo aliter lib.* 1. *adv. Pelag. In ultima ſententia pro* ἀπατῶντι χείλη αὐτοῦ, *quod non abhorret ab hebræo, in Compl. eſt*, μετὰ πλατύνοντος τὰ ἑαυτοῦ, cum dilatante ſua. *Et poſt hanc in ea ſequitur illa de maledicente patrem, & cæteræ de quibus jam notavimus.* (*u*) Laqueus.] *Orig. hom.* 11. *in Levit.* Laqueus eſt viro forti, cito, &c. *Sed S. Hieronymus in Ezech.* 44. Laqueus eſt viri, cito quid de ſuis ſanctificare: cum enim votum fecerit; ſurrepit pœnitentia. *Aq.* σκῶλον ἀνθρώπου καταπίεται ἡγιασμένος. *Sed ex S. Hieronymi verſione videtur poſſe colligi Aquilam dixiſſe*, ἡγιασμένοις, *ita enim inquit*, ruina eſt homini devorare ſanctos, *hebræus habet*, ſanctitatem, *id eſt, res ſanctificatas & devotas Deo: quare potuit etiam Aquila dixiſſe*, ἡγιασμένον. (*x*) Rotam.] S. *Auguſt. in pſal.* 11. *addit*, malorum, *ſed non hebræus.* (*y*) Lux.] *A. S. Th.* λύχνος, lucerna, *ut vulgata. Cæteri*, λαμπτὴρ, fax. (*z*) Spiraculum.] *Schol.* πνεῦμα, ſpiritus. (*ω*) Tutela.] *Aq. & Symmachus*, διατηρήσουσι, conſervabunt. *Lucifer pro* S. *Athan.* tutela eſt regi, & circumeunt juſti ſedem ejus. (*aa*) Sapientia.] *A. S. Th.* ἰσχὺς αὐτῶν, fortitudo eorum, *ut vulgata.* (*bb*) Gloria.] *Th.* εὐπρέπεια, decor. (*cc*) Canicies.] *In numero mulitudinis*, πολιαί. *Sed A. S. Th. in ſingulari*, πολιά. (*d*) Livores, & contritiones.] *Aquila & Th.* μώλωπες τραυμάτων, livores vulnerum. (*ee*) Occurunt.] *Schol.* ἀπαντᾷ, *& eodem ſenſu.*

CAP. XXI.

(*a*) Voluerit innuere.] *Alii*, θέλων νεύσῃ, *aut*, θέλῃ νεῦσαι, *eodem ſenſu.* (*b*) Dirigit.] S. *& Th.* ἑτοιμάζει, parat, firmat. (*c*) Peccatum.] *In aliquot vetuſtis codicibus (nam in impreſſis ſunt quidem, ſed cum aliqua inſigni varietate) hæc ſequuntur*, λογισμοὶ συντέμνοντος (*al.* συντέμνοντες) τὴν εἰς περίσσειαν, ϗ πᾶς ἐπισπουδάζων τὴν εἰς ὑστέρημα, Cogitationes collecti (*id eſt, ſoliciti hominis, al.* collectæ) tantum ad abundantiam: & omnis feſtinans tantum ad inopiam. *In Complut. eadem fere ſententia, ſed longe alia verba.* (*d*) Qui operatur.] *Th.* ὁ ἐργαζόμενος θησαυροὺς ἐν γλώσσῃ ψευδεῖ, ἀτμὸς φερόμενος, qui operatur theſauros in lingua mendaci, vapor agitatus. (*e*) In laqueos.] *In nonnullis*, ϗ ἔρχεται ἐπὶ παγίδος θανάτου, & venit ſuper laqueum mortis. *Alii*, ϗ ἔρχεται εἰς πυθμένα ᾅδου, & venit in fundum inferni. S. *Hieronymus adv. Rufinum.* Qui operatur theſauros lingua mendacii, vana ſectatur, & veniet in laqueos mortis. *Symm.* ζητῶν θάνατον, quærens mortem. (*f*) Perditio impiis hoſpitio ſuſcipitur.] *Aq.* προνομὴ ἀσεβῶν κατασπάσει αὐτοὺς, rapina impiorum diruet eos. (*) Sub divo.] S. *Hieron. in Soph. cap.* 1. Melius eſt habitare ſub divo. *A. S. Th.* δώματος, *& vulgata*, in angulo domatis. (*g*) Quam in calce litis cum iniquitate, & in domo communi.] *S. Hier. ibid.* & in domo nova, *quaſi pro*, κοινῷ, *habuerit*, καινῷ, *ut Procopius. Symm. & Th.* ἢ μετὰ γυναικὸς μαχίμης, ϗ οἴκου ἑταιρικοῦ, quam cum muliere rixoſa, & domo ſodalitia, *aut*, meretricia. (*h*) Anima impii.] *In aliquo codice additur*, ἐπιθυμήσει πονηρὰ, ϗ, deſiderabit mala, &: *in Complut.* ἐπιθυμεῖ κακῶν, *eodem ſenſu. Sym.* ψυχὴ ἀνόμου ἐπόθησε πονηρὸν, οὐκ ἐλεήσει ἐν ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ τὸν πλησίον αὐτοῦ, anima impii deſideravit malum: non miſerebitur in oculis ſuis proximo ſuo. (*i*) Aſtutior fit ſimplex.] *Symm.* σοφισθήσεται ὁ νήπιος, *quod vulgata*, ſapientior erit parvulus. (*k*) Corda.] *Schol.* ψυχὰς, animas. (*l*) Et vilipendit impios in malis.] *Symm.* ὑποσκελίζει ἀσεβεῖς εἰς κακὸν, ſubvertit impios in malum. (*m*) Invocabit.] S. *Cyprian. de opere, & eleem. & 3. teſtim.* invocabit Deum. (*n*) Avertit iras.] *Symm.* σβέσει ὀργὴν, extinguet iram. (*o*) Sanctus autem.] *Sic Lucifer pro* S. *Athan. Symm. & Th.* ϗ δειλία τοῖς ἐργαζομένοις ἀνομίαν, *quod vulgata*, & pavor operantibus iniquitatem. (*p*) Gigantum.] *Aq.* ῥαφαεὶν, *de qua dictione alibi dictum eſt. Symm.* θεομάχων, cum Deo pugnantium. (*q*) Egenus.] *Symm.* ἐνδεήσεται ἀγαθῶν, egebit bonis. (*r*) Ad divitias.] *A.* S. *Th.* οὐ πλουτήσει, non ditabitur, *ut vulgata.* (*ſ*) Circumpurgatio.] *Quaſi pro emundatione, & redemptione juſti. A. S. Th.* ἐξίλασμα, propitiatio. (*t*) Iniquus.] *A. S. Th.* ἀσεβὴς, impius. *Alius*, ἄδικος, injuſtus. (*u*) Iracunda.] *Symm.* θυμώδους, *eodem ſenſu.* (*x*) Devorabunt.] *Schol.* καταποντίζουσιν, deglutient. (*y*) Via juſtitiæ.] *A. S. Th.* διώκων δικαιοσύνην, qui ſequitur juſtitiam, *ut vulgata.* (*z*) Inveniet.] *Schol.* θησαυρίζει, theſaurizat. (*ω*) Civitates munitas.] S. *Hier. in Amos, cap.* 5. civitates robuſtas, *in Ezech. cap.* 33. civitates firmas aſcendit juſtus. *A. S. Th.* πόλιν δυνατῶν ἀνέβη σοφός. *quod vulgata*, civitatem fortium aſcendit ſapiens. (*aa*) Audax.] *Lucifer pro* S. *Athan.* temerarius, & ſuperbus, peſtilentia vocabitur. (*bb*) Qui autem injuriarum memor eſt, iniquus.] πράσσων ἐν ὀργῇ ὑπερήφανος, qui operatur in ira, ſuperbus. (*cc*) Deſideria pigrum interficiunt.] *Aut*, ἀποκτενοῦσιν, interficient, *Symm. & Th.* ἐπιθυμία ὀκνηροῦ θανατώσει αὐτὸν, concupiſcentia pigri interficiet eum. *Alius interpres*, καταβάλλουσιν, dejiciunt. (*dd*) Miſeretur.] ἐλεᾷ, *quod in aliis eſt*, ἐλεεῖ. (*ee*) Etenim, inique offerunt eas.] *Aq.* καίπερ ὅτι ἔννοια οἴσει αὐτὸ, etiam quia cogitatio afferet illud. *Videri poteſt deeſſe aliquid. Nam hebræus*, etiam quia in cogitatione male afferet illud. (*ff*) Cuſtoditus loquetur.] *Aquila,* S. *Th.* εἰς νῖκος πορεύσεται, ad victoriam ibit. (*gg*) Impius.] *Th.* ἐκραταίωσεν ἀνὴρ ἀσεβὴς πρόσωπον αὐτοῦ, obfirmavit vir impius faciem ſuam. (*hh*) Intelliget.] *Aquila, & Symm.* ἑτοιμάσει, parabit. (*ii*) Apud impium.] *Imitati ſumus Caſſianum, qui habet*, apud impios. *Aquila,* S. *Th.* κατέναντι κυρίου, *quod vulgata*, contra Dominum.

CAP. XXII.

(*a*) Eligibilius.] *Aq. & Th.* ἐκλεκτὸν, eligendum, *aut*, electum. (*b*) Videns malignum. *Aq. & Th.* εἶδε κακίαν, ϗ ἐνεκρύβη, *quod vulgata*, videt malum, & abſcondit ſe. (*c*) Progenies ſapientiæ, timor Domini.] S. ὕστερον πραΰτητος φόβος κυρίου, *quod vulgata*, finis modeſtiæ, timor Domini. (*d*) Abſtinebit ab eis.] *Aq.* S. *Th.* μακρυνθήσεται, longe recedet. *Poſt hanc vero ſententiam in uno pervetuſto ſequuntur hæc*, ἐγκαινισμὸς νέου κατὰ τὴν ὁδὸν αὐτοῦ, καίγε ὅταν γηράσῃ, οὐκ ἀποστήσεται ἀπ' αὐτοῦ, dedicatio juvenis ſecundum viam ejus: etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea. *Complut.* ἐγκαίνισον τὸ παιδίον, inſtitue, initia, dedica puerum; *& pro*, αὐτοῦ, *quod refertur ad*, ἐγκαινισμὸν, *habet*, αὐτῆς, *quod refertur ad viam.* (*e*) Et famuli.] *Symmachus, & Th.* ϗ δοῦλος δανειζόμενος ἀνδρὶ δανείζοντι, & qui accipit mutuum ſervus eſt fœnerantis, *ut vulgata.* (*f*) Qui ſeminat.] *Th.* ὁ σπείρων ἀδικίαν, θερίσει ἀνομίαν, qui ſeminat injuſtitiam, metet iniquitatem. *Aq.* ἀνωφελὲς, damnum. *Symmachus*, ὁ σπείρων ἀνομίαν, θερίσει ἀδικίαν, qui ſeminat iniquitatem, metet injuſtitiam. (*g*) Benedicit.] *Sic & in alio codice adſcriptum eſt margini: in cæteris autem* ἀγαπᾷ, diligit, *ut 2. Cor.* 9. (*h*) Victoriam.] *Tota hæc ſententia abeſt a vulgata.* (*i*) Peſtilentem.] *Aquila, S. Th.* χλευαστὴν, deriſorem. (*k*) Jurgium.] S. *& Th.* μάχη, rixa. (*l*) Sancta.] *Aq. & Th.* καθαρὰ, munda, *ut* S. *Hieronymus in epiſt. ad Celantiam. Symmachus*, ἁγνάς, caſta, pura. (*m*) Immaculati. [*Sic S. Hieronymus ibid. In pleriſque autem libris additur*, ἐν ταῖς ὁδοῖς αὐτῶν, in viis ſuis. (*n*) Labiis paſcit rex.] *Schol.* χάρις χειλέων, ἑταῖρος αὐτοῦ βασιλεύς, gratia labiorum, amicus ejus rex. (*o*) Senſum.] *A.* S. *Th.* γνῶσιν, ſcientiam. (*p*) Sicarii.] *Aq.* S. *Th.* φονευθήσομαι, occidar. (*q*) In illam.] *A. S. Th.* ἐκεῖ, illuc. *Sequens autem ſententia tota abeſt a Compl. & vulgata. In uno autem vetuſto hæc præterea adduntur*, εἰσὶν ὁδοὶ, ἃς οὐ πορεύεσθαι ἀνδρὶ, ὁ δὲ ἀσεβὴς ὁδοὺς θανάτου, ϗ ἀπωλείας φιλεῖ: ſunt viæ, quibus non eſt ambulandum viro, impius autem vias mortis, & perditionis diligit. (*r*) Pendet e corde.] *Symmachus*, ἐνδέδεται, *Aq. S. Th.* ἐν καρδίᾳ, *quod vulgata*, colligata eſt in corde. (*ſ*) Sua.] *In pleriſque additur*, κακὰ, mala: *ſed illud propius hebræo.* (*t*) Ad minus.] *Hoc videtur valere*, ἐπ' ἐλάσσονι, ad defectum, atque inopiam ipſi erit. *Symmachus*, δώσει πλουσίῳ, δι' ὅλου ὑστέρημα, dabit diviti, omnino egeſtas. *Schol.* contra minorem dat occaſiones maleficentiæ. (*u*) Lætificabunt te.] *Aq.* S. *Th.* ἑτοιμασθήσονται, parabuntur. (*x*) Tuam.] *In aliquot codicibus eſt*, αὐτοῦ, *& apud Procopium*, τὰς ὁδοὺς αὐτοῦ, vias ſuas. *Similis varietas notata eſt pſ. 5. Aq. & Symm.* γνωστὴν ἐποίησά σοι ζωὴν, notam feci tibi vitam. (*y*) Tibi.] *Sic Caſſianus coll.* 14. *cap.* 8. *& Origenes lib* 4. *Peri arch. A nonnullis codicibus abeſt illud*, σεαυτῷ, *&* S. *Hieronymus lib.* 5. *in* 16. *Ezech.* Tu autem ſcribe ea tripliciter. (*z*) Ut reſpondeas.] *Multa ex verbis præcedentibus non referuntur ibi a* S. *Hieronymo, apud quem ſequitur*, ut reſpondeas ſermones veritatis, qui (*al* his qui) proponuntur tibi, *neque ab Origene, qui ſic habet*, & tu deſcribe tibi hæc tripliciter in conſilio, & ſcientia, ut reſpondeas verba veritatis his, qui propoſuerunt tibi. *Aquila, & Th.* τῷ ἀποστείλαντι, qui miſit. (*ω*) Non facias violentiam.] *Symmachus*, μὴ ἁρπάσῃς πτωχὸν, ne diripias pauperem. (*aa*) Dominus.] *Aquila*, ὅτι κύριος δικάσει τὴν δίκην αὐτοῦ, καθηλώσει τοὺς καθηλώσαντας αὐτὸν, quia judicabit Dominus cauſam ejus, & configet eos, qui confixerunt eum, *quomodo fere vulgata. Symmachus*,

ϗ

ϗ κολάσεται τοὺς κολαζομένοις ψυχὴν αὐτοῦ, & torquebit eos, qui torquebant animam ejus. (*bb*) Noli eſſe ſodalis.] *Symmachus*, μὴ φιλιάσῃς, ne amicitiam contraxeris. (*cc*) Laqueos.] *Aq.* σκῶλον, offendiculum. *Sym.* σκάνδαλον, ſcandalum. (*dd*) Viris ſocordibus.] *Th.* σκοτεινοῖς, tenebroſis.

CAP. XXIII.

(*a*) VAnitas.] *Aq.* ἀτμὸς, *ut ſupra.* (*b*) Circumlationem.] *S. Gregorius Thaumaturgus, in metaphraſi id ſic explicat*, ϗ γέλωτα μὲν εἰκῆ φερόμενον ἐπέσχον & riſum quidem, qui temere feratur, cohibui. *Symm.* τὸν γέλωτα εἶπον θόρυβον. *Aq.* πλάνησιν. S. *Hieron.* quod Aquila, πλάνησιν, id eſt, errorem, Symm. θόρυβον, hoc eſt, tumultum, interpretati ſunt; lxx. vero, & Theodotio, ſicut in pluribus locis, ita & in hoc quoque concordant, & tranſtulerunt, περιφορὰν, quam nos verbum de verbo exprimentes, circumlationem poſſumus dicere. (*c*) Quid hoc facis?] *Symm.* τί αὐτὴ ποιεῖς; quid ipſa facis? (*d*) Et conſideravi, ſi cor meum trahet.] *In aliquot libris eſt*, ἐκλύσει, diſſolvet. *Aq & Symm.* ϗ ἐνοήθην ἐν τῇ καρδίᾳ μου, *S. Hieronymus in vulgata antiqua*, conſideravi in corde meo, ut traherem in vino carnem meam. (*e*) Et cor meum deduxit.] *In multis codicibus additur*, με, me, *itemque apud* S. *Hieronymum. Symm.* ἵνα τὴν καρδίαν μου μεταγάγω εἰς σοφίαν, *quod in vulgata noſtra*, ut animum meum transferrem ad ſapientiam. (*f*) Et ut obtinerem lætitiam.] ϗ τοῦ κρατῆσαι ἐπ᾽ εὐφροσύνην, *id eſt, regerem imperio, ac dominarer in exultantem lætitiam, ac geſtientem voluptatem.* S. *Gregorius Thaum.* ἐγκράτεια δὲ δουλοῦται ἐπιθυμίαν, continentia autem in ſervitutem redigit cupiditatem. S. *Hieronymus in textu vulgatæ antiquæ*, ut obtinerem ſtultitiam, *quaſi habuerit*, ἀφροσύνην. *Sed in explanatione*: Eleganter autem voluptatem ebrietati comparavit (ſiquidem ebrietas evertit animi vigorem) quam qui potuerit ſapientia commutare, & (ut in quibuſdam codicibus habetur) obtinere; is poterit, &c. (*g*) Bonum.] *Symm.* τὸ σύμφορον, utile. (*h*) Magnificavi opus meum.] S. *Hieronymus*, opera mea. *Schol.* μεγάλα ἐποίησά μοι ἔργα, magna feci mihi opera. (*i*) Omne fructus.] *Id eſt, fructiferum, aut omnis fructus.* S. *Hieronymus*: Plantantur arbores, non omnes fructiferæ, ut in latinis codicibus habemus, ſed omnis fructus, hoc eſt, diverſarum frugum, &c. (*k*) Piſcinas.] *Aq.* λίμνας. *Symmachus*, δεξαμενὰς, *eodem ſenſu.* (*l*) Congregavi mihi.] *Symm.* ἤθροισα ἐμαυτῷ, *eodem ſenſu.* (*m*) Opes.] *Aq.* οὐσίας, ſubſtantias, *ut* S. *Hieronymus etiam in vulgata antiqua. Symm.* πεκούλια, peculia, res peculiares. (*n*) Delicias.] *Aq.* τρυφὰς, *Symm.* σπατάλας, *eodem ſenſu.* (*o*) Miniſtrum vini, & miniſtras.] *In alio codice eſt*, οἰνοχόους, *&* S. *Hieronymus in textu*, miniſtros vini, *& in explanatione*, vini fuſores, & vini fuſitrices. *Aq.* κυλίκιον, ϗ κύλικας. S. *Hieronymus videtur legiſſe*, κυλίκια, ϗ κύλικα, minora vaſcula, & craterem, *idque explanat*: *Additque Symmachum dixiſſe*, menſurarum ſpecies, & appoſitiones: *Quare in ſua tralatione eſt*, ſcyphos, & urceolos, &c. (*p*) Magnificatus ſum.] *Symm.* μεγέθει ὑπερέβαλον, magnitudine ſuperavi. (*q*) Super omnes qui fuerunt ab ante me.] *Illud*, ab, *abeſt a multis, in Scholio affertur ex Symm.* ἀπὸ ἔμπροσθεν ἐμοῦ. S. *Greg. Thaum.* τοσοῦτον ὑπερέβαλον τούτοις τοὺς πρὸ ἐμοῦ βασιλεύσαντας, tam ſupergreſſus ſum his eos qui ante me regnaverunt. *In aliis vero libris eſt*, ϗ προσέθηκα σοφίαν παρὰ πάντας, *ac* S. *Hieronymus*, & adjeci ſapientiam ſuper omnes. (*r*) Aſtitit.] *Agnoſcit* S. *Hieronymus in hoc verbo, quod græce eſt*, ἐστάθη, *ſtatum quendam permanentem, qui ſemper in plenitudine eſt.* (*ſ*) Poſtulaverunt.] *Symm.* ἐπεθύμησαν, concupiverunt. (*t*) In omni labore meo.] *Symm.* ἐκ πάσης φιλοπονίας μου, ex omni ſtudio laborum meorum (*u*) Et in laborem, quo laboraveram faciendo.] S. *Hieronymus*, faciens, *Symmachus*, ϗ τὸν πόνον, ὃν ἐπόνησα διαπερασόμενος, & laborem, quem laboravi peragens. (*x*) Vanitas. & voluntas ſpiritus.] *Aq.* ἀτμὸς, ϗ νομὴ ἀνέμου, *ut ſupra.* (*y*) Errorem.] *S. Hier.* errores. *In quibuſdam libris eſt* περιφορὰν, circumlationem, (*ut etiam in noſtra paulo ſuperius*:) *& Schol.* παραφοράν. (*z*) Stultitiam.] *Aq. & Symm.* πλάνην, *eodem ſenſu.* (*ω*) Qui ingredietur poſt conſilium.] S. *Greg.* ἔπειτα ἑαυτοῦ λαβόμενος, εἰς τὸ δέον ἐπεστράφη. *at* S. *Hieronymus*, qui poſſit ire poſt regem? Deinde ſeipſum tenens, quo oportet, converterit. *Aq.* τί δὲ ὁ ἄνθρωπος, ἵνα παρακολουθήσῃ βουλῇ; Quid autem homo, ut ſequatur conſilium? (*aa*) Ea quæ fecerunt ipſum] *In uno libro pro*, τὰ, *eſt*, σὺν, *& utrumque nihil videtur ad ſententiam facere, ſed tantum reſpondere articulo hebræo. Putant autem multi his verbis, quæ prorſus reſpondent hebræo, hoc ſignificari*, qui non ſit facturus ea quæ fecerunt alii. *In pleriſque autem libris eſt*, πάντα, ὅσα ἐποίησεν ἐν αὐτῇ, omnia, quæcunque fecit in eo. *S. Hieronymus in vulgata antiqua ſic habet totum hunc locum*, quia quis eſt hominum, qui poſſit ire poſt regem ante factorem ſuum? *in ſua autem, quæ eſt noſtra vulgata*, quid eſt, inquam, homo, ut ſequi poſſit regem factorem ſuum? *Fatetur autem interpretationem lxx. longe ab hoc ſenſu diſcrepare: & non longe ab initio capitis, ubi ſenſum breviter indicat, hæc videtur afferre ad hunc locum pertinentia*, conſequentur in laudem illius hominis erupi, qui poſt vitia ſe refrænans, virtutum poſſit eſſe ſectator. S. *Gregorius tamen ad hunc locum habet*, φερόμενος ἀλόγως, qui fertur ſine ratione. (*bb*) Stultitiam.] *Symmach.* ἀμαθίαν, vacuitatem diſciplinæ. (*cc*) Eventus.] *Schol.* ἓν τέλος τὸ ἐπὶ πᾶσιν φρονίμου, ϗ ἄφρονος, unus finis in omnibus, prudentis, & imprudentis. (*dd*) Sapiens factus ſum.] *Sym.* ϗ εἰς τί μοι ἡ σοφία μου; & ad quid mihi ſapientia mea? (*ee*) Abundanter loquutus ſum.] *In nonnullis libris eſt*, τὸ περισσὸν, *in aliquo*, τότε περισσὸν, *& Hebræus conjungit cum antecedentibus*, ut quid ſapui ego tunc excellentius? & loquutus ſum, &c. *De* S. *Hieron. in ſequenti notatione dicemus.* (*ff*) Quoniam hoc quoq; vanitas, quoniam inſipiens ex abundantia loquitur.] *Hæc eodem ordine habentur apud S. Gregor. qui inquit*, ὅπουγε τὰ φλυαρίας ῥεύματα ὥσπερ ἐκ πηγῆς ὁρμᾶται τῆς ἀφροσύνης, quandoquidem garrulitatis fluenta tanquam ex fonte erumpunt ſtultitiæ. *In aliis libris Græcis alius ordo eſt*, διότι ἄφρων ἐκ περισσεύματος λαλεῖ ὅτι καίγε τοῦτο ματαιότης. *Et ſanctus Hieronymus, qui in textu hanc tantum ſecundam partem habet, in commentarijs confeſſus, lxx. ſenſum hebraicum apertius tranſtuliſſe, licet verborum ordinem non ſequutos, ita ex illis totum hunc locum refert*, &, ut quid ſapiens factus ſum ego? tunc abundanter loquutus ſum in corde meo, quoniam inſipiens ex abundantia loquitur, quoniam hoc quoque vanitas, quia non eſt memoria, &c. (*gg*) Eo quod jam dies] *In aliquo libro, & in Complut. eſt*, καθότι ἤδη ταῖς ἡμέραις ταῖς ἐρχομέναις. *S. Hieronymus*, eo quod ecce diebus, qui ſupervenient, univerſa oblivio operiet. (*hh*) Malum ſuper me.] *Symm.* κακὸν γάρ μοι ἐφάνη τὸ ἔργον τὸ γινόμενον, malum enim mihi viſum eſt opus quod fit. (*ii*) Qui fit.] *In pleriſque*, γινομένῳ, qui factus eſt: *in nonnullis*, γενησομένῳ, S. *Hieronymus*, qui futurus poſt me. (*kk*) Et an poteſtatem habeat.] *Ab uno codice abeſt illud*, εἰ. *Aquila*, κυριεύσει, *S.* Hier. & dominabitur (*ll*) Quo.] *Sym.* εἰς ὃν, in quo. (*mm*) Converſus ſum.] *Symm.* περιήχθην, circumegi me. (*nn*) Ut renunciarem.] *Schol.* ἀποκαμεῖν, ut recuſarem laborem. (*oo*) Quia.] S. *Hier.* cui. (*pp*) Virtute.] *Schol.* γοργότητι, vigore. (*qq*) Homo cui.] *Videtur eſſe tranſpoſitio caſuum, ac ſi diceretur*, ἀνθρώπῳ, ὃς, homini, qui, *& ita* S. *Hier.* (*rr*) Quoniam fit in homine.] *Ab aliquo libro abeſt illud*, ἐν, *a Complut. etiam illud*, ὅτι, *quod tamen reſpondet hebræo, & videtur valere*, quoniam quid. *Sæpe valet*, quid, *&*, qui. S. *Hieron.* quid enim fit homini. *Symm.* ὅτι γὰρ περιεγένετο, quid enim amplius fuit. (*ſſ*) Dolorum.] *Aq.* βάσανος, ϗ θυμὸς, tormentum, & ira. (*tt*) Et iracundiæ diſtentio ejus.] *Schol.* μόχθου, laboris, & ærumnæ. S. *Hieron.* dolorum, & iracundiæ, curarumque. (*uu*) Quod comedet.] *Eſt hebraiſmus, & volunt ſuppleri*, niſi quod comedit. (*xx*) In labore ſuo.] *Symm.* ἀπὸ κόπου αὐτοῦ, de labore ſuo. (*yy*) Bibet.] *Symm.* ἀναλώσει, ſumptus faciet. *Aq.* φείσεται, *&* S. *Hieron.* parcit. (*zz*) Quoniam homini bono coram ſe.] *Rurſus* S. *Hier. illud*, ὅτι, qui. *Symm.* ἀρέσαντι αὐτῷ, qui placuit ei. (*ωω*) Solicitudinem.] *Sic* S. *Hieron. quod antea*, dictionem. *Symm.* ἀσχολίαν, occupationem: (*aaa*) Ut augeat, & congreget.] *Aquila*, τοῦ συλλέγειν, ϗ τοῦ συναγαγεῖν, ut colligat, & congreget. *Symm.* ἀθροῖσαι, ϗ ἀποθέσθαι, ἵνα δοθῇ ἐκείνῳ, ᾧ ἀρέσει τῷ θεῷ, ut coacervet, & reponat, ut dentur illi, cui placuerit Deo.

CAP. III.

(*a*) OMnibus tempus.] *Symm.* παντὸς ὥρα, omnis rei eſt hora. (*b*) Omni rei ſub cœlo.] *Symm.* πάσης χρείας, omnis negocii, ac miniſterii. (*c*) Evellendi.] *Symm.* ἐκριζῶσαι, eradicandi. (*d*) Mittendi.] *Sic S. Hieron. in comm. ex lxx. in textu autem*, ſpargendi, *& Schol.* ῥίψαι. (*e*) Amplexu.] *Quidam libri habent*, περιλήμματος, *& Schol.* περιλήψεως, *ſed idem ſenſus.* (*f*) Amandi.] *A.* ἀγαπᾶν, diligendi. (*g*) Bona in tempore ſuo.] *Symm.* καλὸν ἕκαστον ἐν καιρῷ ἰδίῳ, bonum unumquodque in tempore proprio. (*h*) Omne.] *Abeſt a S. Hieronymo, ut ab Hebræo.* (*i*) Ut non inveniat homo.] *Aquila*, ὡς οὐχ εὑρήσει ἄνθρωπος, quomodo non inveniet homo. (*k*) Et uſque.] *Abeſt illud, & a Compl. & S. Hieronymo, ſed non ab Hebræo.* (*l*) Erunt.] *Symm.* διαμενεῖ, permanebunt. (*m*) Eum, qui perſequutionem patitur.] *Sic S. Hieronymus in vulgata antiqua, & Lucifer pro S. Athan. ſed idem S. Hieron. in comm. interpretatur*, τὸν διωκόμενον, (*perinde ac ſcriptum eſſet*, τὸ διωκόμενον,) quod periit, quod expulſum eſt, quod eſſe ceſſavit. *Symm.* ὁ δὲ θεὸς ἐπιζητήσει ὑπὲρ τῶν ἐκδιωκομένων, Deus autem inquiret pro iis qui vexati expelluntur. [τόπον τῆς κρίσεως] *A.* δικαιοσύνης, juſtitiæ. (*n*) Illic pius.] *Ita & alii quidam codices, & Lucifer ibidem S. Gregor. Thaum.* εἶδον ἐν τοῖς κάτω μέρεσι, κολάσεως μὲν βάραθρον τοὺς δυσσεβεῖς δεχόμενον, εὐσεβέσι δὲ χῶρον ἕτερον ἀνειμένον, vidi in infimis partibus, punitionis quidem barathrum impios recipiens, piis autem locum alium tranquillum. *In pleriſque vero libris eſt*, ἐκεῖ ὁ ἀσεβὴς, illic impius. *S. Hier.* locum judicii ubi impietas; & locum juſtitiæ, ubi iniquitas. (*o*) Juſtum.] *Sic S. Hieronymus, quod græce eſt*, σὺν τὸν δίκαιον, *& illa*, σὺν τὸν, *videri poſſunt duæ interpretationes, quod in præcedente capite notatum eſt de*, σὺν, *&* τὰ, *utrumque enim reſpondet articulo hebræo. Interdum tamen etiam apud S. Hieronymum vertitur*, ſimul. (*p*) Omni rei.] *Aq.* πάσης χρείας, omnis negocii, *aut*, commoditatis. (*q*) Quia ſeparabit illos Deus, & ut oſtendat.] S. *Hieronymus*, ſeparat ut oſtendat. *Schol.* τοῦ ἐλέγξαι αὐτοὺς ὁ θεὸς, ϗ τοῦ δεῖξαι αὐτοῖς, ut argueret eos Deus, & ut oſtenderet eis. (*r*) Et quidem eis eventus.]

tus.] *S. Hieron.* ſive quia eventus filiorum hominum. *Symm. pro,* συνάντημα, *dixit,* σύμβαμα, *eodem ſenſu.* (*ſ*) Et ſpiritus vnus omnibus: & quid abundavit homo a pecore? nihil.] *Symmachus,* καὶ ἀναπνοὴ ὁμοία πᾶσιν, καὶ τί πλέον ἄνθρωπος κτήνους? & reſpiratio ſimilis omnibus: & quid amplius homo pecore? *Th.* καὶ τίς περίσσεια τῷ ἀνθρώπῳ; & quæ præſtantia homini; *Sanctus Hieronymus,* & amplus homini à pecore nihil eſt. (*t*) Vnum.] *In pleriſque additur* πορεύεται. *& S. Hieronymus,* omnia vadunt ad locum vnum. (*u*) Pulvere.] *Symmachus,* τῆς γῆς. *Sanctus Hieronymus,* homo. (*x*) Quis enim adducet.] *Symmachus,* τίς γὰρ αὐτὸν ἄξει θεάσασθαι τὰ ἐσόμενα μετὰ ταῦτα; quid enim eum adducet ad videndum, quæ erunt poſt hæc? *S. Hieron. refert ex Symmacho,* ut videat antea, quæ futura ſunt poſt hæc.

CAP. IV.

(*a*) Calumnias.] *Symm.* τοὺς συκοφαντουμένους, eos qui calumniis opprimuntur. (*b*) Factæ ſunt.] *Complut.* γινομένας, *& S. Hieronymus,* quæ fiunt. (*c*) Lacryma.] *Sic etiam Hebræus. Symm.* δάκρυα, *& S. Hieronymus,* lacrymæ. (*d*) Qui conſoletur.] *Symmachus,* παρηγορῶν, παραμυθούμενος, *eodem ſenſu.* (*e*) Laudavi.] *Symm.* ἐμακάρισα, beatificavi. (*f*) Omnes.] *Abeſt ab aliquo libro, & a S. Hieron. S. Ambroſ. in pſal.* 118. *ſerm.* 18. & laudavi ego mortuos magis quam viventes: & optimum judicavi ſuper hos eum qui nondum natus eſt, qui non videt hoc opus mali. (*g*) Factus eſt.] *Symm.* ἐγεννήθη, natus eſt: *ut* S. *Hieron.* (*h*) Omne opus malum.] *Rurſus iſtud,* omne, *abeſt ab aliquo libro, & a* S. *Hieron. Symm.* τὰ κακὰ ἔργα τὰ γινόμενα, mala opera, quæ fiunt. (*i*) Omnem virtutem.] *Symm.* σύμπασαν γοργότητα, omnem vigorem, & alacritatem. (*k*) Ipſum.] *Eſt hebraiſmus, & ſignificat,* eſt. S. *Hieron. habet tantum,* quia æmulatio. (*l*) Complexus eſt.] *Symmachus,* περιπλέκεται τὰς χερσὶν αὐτοῦ, complicatur manibus ſuis. *Apud* S. *Ambroſium epiſt.* 36. *ſequitur,* & devoravit viſcera ſua. (*m*) Requietis.] *Symm* μετὰ ἀναπαύσεως. S. *Hier.* melior eſt plenus pugillus cum requie. (*n*) Plenitudinis duorum.] *Symmachus,* πληρώματα ἀμφοτέρων χειρῶν ... καὶ κακώσεως πνεύματος, plenitudinis utrarumque manuum ... & afflictionis ſpiritus. S. *Hieronymus,* quam plenitudo manuum laboris, &c. (*o*) Et converſus ſum] *Symm.* καὶ πάλιν ἀναστρέψας κατέμαθον. Et rurſus revertens didici. (*p*) Non eſt.] *Symm.* οὐ μὴ ἔσται δεύτερος, non erit ſecundus. (*q*) Finis.] *Aquila,* τέλος, *eodem ſenſu.* (*r*) Bonitate.] *Symm.* ἀγαθοῦ, bono. (*ſ*) Diſtentio.] *Symm.* ἀσχολία, occupatio. (*t*) Boni duo.] S. *Ambr. epiſt.* 17. optimi duo ſuper unum. S. *Hieron.* meliores duo quam unus. *Symm.* εἰσὶν ἀμείνους δύο ἑνός. ἔχουσι γὰρ κέρδος ἀγαθὸν, ſunt meliores duo uno: habent enim emolumentum bonum. (*u*) Participem.] *Aq.* φίλον, amicum. *Symm.* ἑταῖρον, ſodalem. *In aliquot libris legitur,* ὅτι ἐὰν πέσῃ ὁ εἷς, ὁ ἕτερος ἐγείρει τὸν μέτοχον αὐτοῦ. S. *Ambr. ibid.* quia ſi ceciderit unus; alter erigit ſocium ſuum. S. *Hieron.* quia, ſi ceciderit unus, eriget particeps ſocium ſuum. (*x*) Non fuerit.] *Schol.* οὐκ ἔστιν, non eſt, *ut S. Hier.* (*y*) Invaluerit unus.] *Symm.* ὑπερισχύσῃ τις ἑνὸς, invaluerit quis ſuper unum. *S. Hieronymus,* ſuper eum unus. (*z*) Triplex.] *Symm.* τετριπλωμένον, ἢ τριπλοῦν, *eodem ſenſu.* (*ω*) Qui neſcit providere.] *Aqu.* ὃς οὐ γνώσεται τοῦ φυλάξασθαι, qui neſciet cavere. (*aa*) Quoniam de domo.] *Symm.* ὁ μὲν γὰρ ἐκ φυλακῆς ἐξῆλθε βασιλεῦσαι· ὁ δὲ καίπερ βασιλεὺς γεννηθεὶς ἠπορήθη: *paulo poſt verborum Symmachi interpretationem totam ſimul afferemus.* (*bb*) Adoleſcente.] *Symm.* παιδός. (*) Stabit.] *Id aliquo libro eſt,* ἀναστήσεται, *& S. Hier.* conſurget. (*cc*) Populo.] *S. Hieron. addit* ejus. *Aquila,* οὐκ ἔστι τέλος τῷ παντὶ λαῷ, *eodem ſenſu. S. Hieronymus, ex Symmacho ſic refert totum hunc locum, uſque ad,* cuſtodi. Melior eſt puer cum ſapientia, rege ſene, & inſipiente, qui neſcit præcavere viciſſitudinem. Alter enim exit de carcere ad regnandum: alter vero, cum eſſet rex natus, paupertate oppreſſus eſt. Vidi omnes viventes qui gradiuntur ſub ſole, cum adoleſcente ſecundo, qui ſurrexit pro eo. Infinitus omnis populus, qui fuit ante utrumque: & poſteri non lætabuntur in eo. Sed & hoc aura, & paſtio venti. (*dd*) Propinquus.] *Sic hebræus. Aq.* καὶ ἔγγιζε ὥστε ἀκούειν, *& S.* Hieronymus *tam in vulgata antiqua, quam in ſua,* & appropinqua, ut audias. (*ee*) Malum.] *Sanctus Hieronymus,* quid faciunt malum, *in ſua autem,* quid faciunt mali. *In pleriſque vero codicibus, pro* κακὸν, *eſt,* καλὸν, bonum.

CAP. V.

(*a*) Noli feſtinare.] *Symm.* μὴ προπετὴς γίνου τῷ στόματί σου, ne ſis præceps, & temerarius ore tuo. (*b*) Terram.] *In aliquot libris additur,* κάτω, deorſum: *ſed apud S. Hieron. neque hoc eſt, neque illud,* ſurſum, *quod præceſſit; quemadmodum neque in vulgata.* (*c*) Propter hoc.] *Quidam libri habent,* ἐπὶ τούτῳ, *& Schol.* διὰ τοῦτο, *ſed idem ſenſus.* (*d*) Quia advenit.] *S. Hier.* veniet. *Symm.* ἀποβήσεται ὄνειρος διὰ πλῆθος ἀνομίας, accidet ſomnium propter multitudinem iniquitatis. (*) Prout voveris.] *Sic S. Cypr.* 3 *teſtim. S. Hieron.* cum votum voveris Deo. (*e*) Quia non eſt voluntas.] *S. Hieron.* ſubauditur Dei. *Symm.* οὐ πάρεστι χρεία ἀφρόνων, non eſt opus inſipientibus. (*f*) Bonum.] *Symm.* βέλτιον. *S. Hieron.* melius eſt non vovere, quam vovere, & non reddere. (*g*) Ut peccare.] τοῦ ἐξαμαρτεῖν, *Symm. pro,* τοῦ, *habet,* ὥστε, *eodem ſenſu.* (*h*) Dei.] *S. Hieron.* angeli. (*i*) Ignorantia.] *Teſtatur S. Hieron. Aquilam dixiſſe,* ἀκούσιον, non ſpontaneum. (*k*) Diſperdat.] *Aq.* διαλύσῃ, diſſolvat. (*l*) Vanitatem, & verborum plurimorum.] *Supplendum eſſe,* ne credas, *videtur ſignificare S. Hieron. ex Hebræorum ſententia. Symm.* διὰ γὰρ πλῆθος ὀνείρων ματαιότητες, καὶ λόγοι πολλοὶ, nam propter multitudinem ſomniorum, vanitates, & verba plurima: *& ita etiam refert poſtremam hanc partem S. Hieron. in textu tralationis vulgatæ antiquæ.* (*m*) Quare.] ὅτι. *S. Hieron.* ſed. (*n*) Direptionem judicii, & juſtitiæ.] *S. Hieron.* ruinam judicii, & injuſtitias. (*o*) Ad cuſtodiendum.] φυλάξαι. *Alii codices,* φυλάξει, *aut,* φυλάξεται. *S. Hieron.* cuſtodit. (*p*) Et excelſi ſuper eos.] *Symm.* καὶ ὑψηλότερος ἐπάνω αὐτῶν. *& S. Hieron.* & excelſior eſt ſuper illos. (*q*) Et præſtantia terræ in omni eſt, rex agri culti.] *Si ſuppleatur, quod in hebræo videtur exprimi,* ſervus eſt, *ſententia eſſe poterit, ut multi putant, tanti ponderis eſſe agriculturam, ut vel ipſe rex neceſſe habeat ſervire agro culto. S. Hieron. in tralatione antiqua,* & amplius terræ in omnibus eſt rex in agro culto, *& ſatis bonam ſententiam elicit. Symm.* ἐπὶ παντὶ αὐτός ἐστι βασιλεὺς τῇ χώρᾳ εἰργασμένῃ, ſuper omne ipſe eſt rex regioni cultæ. (*r*) Et quis dilexit in multitudine eorum fructum?] *Quaſi dicat pugnare hæc inter ſe, ut quis diligat multitudinem, & copiam divitiarum, atque ex ipſis capiat fructum. S. Hieron. etiam in antiqua,* & qui diligit divitias, non fruetur eis. (*ſ*) Bonitatis.] *S. Hieron.* bonorum multi ſunt, qui comedunt ea. (*t*) Et quid fortitudo ei, qui ab ea?] *In aliquo libro eſt,* καὶ τίς. *S. Hieron.* & quæ eſt fortitudo habenti illam? *nimirum multitudinem opum.* (*u*) Quia principatus.] *Hæc videtur elici poſſe ſententia. Poſſeſſor ex hac copia nullum alium principatum, nihil amplius præ aliis habet, quam ſpectare acervos pecuniarum ſuarum; cæteroqui plus quam unius hominis, ut inquit S. Hier.* cibum capere non poteſt. *Quare idem in tralatione antiqua,* niſi, ut videat oculis ſuis: *nec multo aliter Symm.* εἰ μὴ μόνον θεωρείᾳ ὀφθαλμῶν αὐτοῦ. (*x*) Et ei, qui ſaturatus eſt.] *Symm.* ἡ δὲ πλησμονὴ τοῦ πλουσίου οὐκ ἐᾷ καθεύδειν, *quod in eadem vulgata antiqua,* & ſaturitas divitis non ſinit eum dormire. (*y*) Languor.] *Symm.* νόσος κακή. *S. Hier.* eſt languor peſſimus: *& apud S. Ambr. in pſ.* 1. eſt languor malus. (*z*) Divitias cuſtoditas ei, qui ab eis, in malum ei.] *Aq.* εἰς πονηρὸν αὐτῷ, *eodem ſenſu. Satis autem reſpondet hebræo iſta conſtructio. Sed in vulgata antiqua,* divitias cuſtodiri in malum poſſidentis eas, *ut etiam apud S. Ambr. ibid.* (*aa*) Et peribunt divitiæ illæ in diſtentione peſſima.] *S. Hieron.* perierunt. *Symm.* ἐπὶ ἀσχολίαν κακήν, ſuper occupationem malam. (*bb*) Ut eat in manu ſua.] *S. Hier.* ut teneat in manu ipſius. *Symm.* ὃ συναπελεύσεται, quod ſimul abibit. (*cc*) Quæ abundantia ejus, qua laborat.] *S. Hieron.* qui laborat. *Symm.* τί οὖν περισσὸν αὐτῷ μοχθήσαντι; Quid igitur amplius ei qui laboravit? (*dd*) Omnes dies ejus in tenebris.] *S. Hieron.* omnibus diebus ſuis in tenebris comedit. (*ee*) Ecce ego vidi bonum.] *Aliqui,* ἰδοὺ ὃ εἶδον ἐγώ, *& S. Hieron.* ecce quod vidi ego bonum, quod eſt optimum. *Symm.* ἐμοὶ οὖν ἐφάνη, mihi igitur viſum eſt. (*ff*) Numero.] *Symm.* ψήφῳ, calculo. (*gg*) Et quidem.] *Aquila,* ἀλλὰ καί. *Quare S. Hieron. ſæpe pro,* & quidem, *in tralatione etiam antiqua habet,* ſed &. (*hh*) Et tolleret partem ſuam, & lætaretur in labore ſuo.] *S. Hieron. habet tantum,* & tolleret de labore ſuo. *Symm.* καὶ ἀπολαῦσαι τοῦ μερίδος αὐτῶν, & frueretur parte ipſorum, *fortaſſe,* ὑπαρχόντων. (*ii*) Occupat.] *Notat S. Hieron. hoc loco,* περισπασμὸν, *in meliori parte accipi.*

CAP. VI.

(*a*) Sub homine.] *Aliqui codices,* ἐπὶ τοὺς ἀνθρώπους, ſuper homines, *Hebræus,* ſuper hominem. *Symmachus,* παρὰ τοῖς ἀνθρώποις, *quod etiam in Complut. &* S. *Hieron. etiam in vulgata antiqua,* frequens apud homines. (*b*) Non eſt deficiens.] *Ad verbum ex hebr.* S. *Hieron.* & nihil deeſt animæ ejus ex omnibus bonis, quæ deſideravit. (*c*) Dabit ei Deus poteſtatem.] *Symm.* δίδωσι, dat. S. *Hieron.* dedit. (*d*) Centum.] *Sic Hebræus: &* S. Hieron *in epiſt. ad Eph. c.* 6. *ac ſubintelligendum tamen,* liberos, *quod exprimit* S. *Hieron. hic.* (*e*) Multitudo quæcunque.] πλῆθος ὅτι. S. *Hieron.* & plures fuerint dies. (*f*) Non repleatur.] *Sic* S. *Hieron. quod Græce,* οὐ πλησθήσεται, *aut,* οὐ πληρωθήσεται, *aut,* οὐκ ἐμπλησθήσεται. *Th.* οὐ χορτασθήσεται, non erit ſaturata. (*g*) Ex bonitate.] *S.* H*ier.* bonis. (*h*) Nec cognovit requietes huic ſuper hunc.] *Quidam* ἀνάπαυσιν, requietem. *Et in uno codice poſt hæc ſequitur,* οὐδὲ ἐπειράσθη διαφορᾶς ἑτέρου πρὸς ἕτερον, *quod videtur ex alia interpretatione, & convenire cum tralatione* S. *Hieronymi,* neque cognovit diſtantiam boni, & mali. *Sed apud eundem in tralatione antiqua eſt alia conſtructio, quam multi putant reſpondere hebræo,* & quidem Solem non vidit, nec cognovit; requies huic magis, quam illi. (*i*) Et vixit mille annorum reditus.] *In uno libro vetere, itemque in Complut. eſt,* καὶ εἰ ἔζησε. S. H*ier.* & ſi vixerit mille annos duplices. (*k*) Quoniam abundantia.] *Valet interdum iſtud,* ὅτι, *ac ſi diceretur,* quid enim, *aut,* quæ enim, *aut,* quis enim? *quare hic alii codices,* ὅτι τίς περίσσεια, quæ enim præſtantia, *non raro autem redundat.* S. τί οὖν περισσόν. (*l*) Eo quod pauper.] *Sanctus* H*ieronymus,* quid pauperi, niſi ſcire, ut vadat contra vitam. (*m*) Bonus eſt.] *Symm.* βέλτιον προβλέπειν, ἢ ὁδεύειν αὐταρεσκείᾳ, *quæ Sanctus* H*ieronymus ſic interpretatur,* melius eſt providere, quam ambulare ut libet. (*n*) Siquid fuit.] S. H*ier.* Quid eſt quod futurum eſt. (*o*) Fortiore.] *In aliquot libris eſt,* ἰσχυροῦ, forti, *& Schol.* ἰσχυροτέρου. *Sanctus* H*ieronymus,* cum fortiore ſe.

CAP. VII.

(*a*) Bonum.] *In aliquo libro eſt,* τί ἀγαθόν, *& S.*H*ieron.* quid ſit bonum. *Symmachus,* τίς γὰρ οἶδεν ὃ συμφέρει; quis enim novit quod confert? (*b*) Et fecit ea in umbra.] *Apud S.* H*ieron.* & faciet ea, quaſi umbram. *In uno vetuſto eſt,* καὶ ἐποίησεν αὐτὰς ὡς σκιάν, & fecit eos (*videtur enim referri ad illud* ἡμερῶν,) quaſi umbram. *Complut.* αὐτὰς ἐν σκιᾷ, eos in umbra. (*c*) Super oleum bonum.] *Symmachus,* ὑπὲρ μύρον εὐῶδες, *& S.* H*ieronymus ex Symmacho,* melius eſt nomen bonum, quam unguentum bene olens. (*d*) Dabit bonum.] *Apud Sanctum* H*ieronymum,* dabit ad cor ſuum, *id eſt,* figet ibi mentem ſuam. *Symmachus,* προσέξει τῇ διανοίᾳ, attendet mente, *aut, ut refert S.* H*ieronymus,* &, qui vivit, reſpiciat ad mentem. (*e*) In malo.] *Aquila,* ἐν κακώσει, in afflictione. *Apud S.* H*ieronymum,* quia in mœrore vultus emendabitur cor. *Ex Symmacho autem refert hæc,* per triſtitiam quippe vultus melior fiet animus. (*f*) Sicut vox ſpinarum.] *Ita S. Ambroſius ad Virg. In aliquo codice eſt,* ὅτι ὡς, *& apud S.* H*ieronymum,* quia ſicut. *Schol.* διὰ γὰρ φωνῶν ἀπαιδεύτων ἐν δεσμωτηρίῳ γίνεταί τις, *&* S. H*ieronymus ex Symmacho hæc refert,* per vocem imperitorum, vinculis quippiam colligatur. (*g*) Circumfert.] *Aquila,* πλανήσει, ſeducet. *Symmachus,* θορυβήσει, turbabit. S. H*ieronymus in utroque textu,* calumnia conturbat ſapientem. (*h*) Cor vigoris ejus.] *Nonnulli habent,* εὐτονίαν, (*ita enim corrigendum in editione Græca*) τῆς καρδίας αὐτοῦ, vigorem & conſtantiam cordis ejus. S. H*ieronymus in comm.* Pro eo, quod lxx. & Aquila & Th. interpretati ſunt, perdit cor, εὐγενείας αὐτοῦ, id eſt, fortitudinis ſive vigoris ejus, Sym. ait, & perdit donum: *ac multi ex* H*ebræo vertunt,* & perdet cor donum. (*i*) Bonum eſt noviſſimum ſermonum.] S. H*ieronymus,* melius eſt noviſſimum ſermonis: *& in vno libro eſt,* λόγου. *Symmachus*, βέλτιον τέλος λόγου τῆς ἀρχῆς αὐτοῦ, melior eſt finis ſermonis principio ejus. (*k*) Excelſum ſpiritu.] *Symmachus*, ὑψηλοκάρδιον, excelſum corde. (*l*) In ſpiritu tuo.] *Sic etiam S. Ambroſius ad Virg. Schol.* ἐπὶ στόματί σου, in ore tuo. *Symmachus*, διὰ λόγων σου παροργίσαι, per verba tua ad iracundiam provocare. (*m*) Furor.] *Symmachus*, ὀργὴ, ira, *ut apud* S. *Hieronymum.* (*n*) Quid factum eſt.] *Aquila*, διατί, propter quid. (*o*) Quia non in ſapientia] *Symmachus*, οὐ γὰρ φρονίμως, non enim prudenter, (*p*) Quia in umbra ejus.] *Apud* S. *Hieronymum*, quia, quomodo umbra ſapientiæ, ſic umbra argenti. *Symmachus*, σκέπει σοφία, ὡς σκέπει τὸ ἀργύριον, S. *Hier. ex Sym.* quomodo protegit ſapientia, ſimiliter protegit pecunia. (*q*) Abundantia ſcientiæ ſapientiæ vivificabit eum qui ab ea.] S. *Hier.* & quod plus eſt (*in comm.* & amplius,) ſcientia ſapientiæ vivificabit, habentem ſe. *Schol.* ἡ σοφία διασώσει τοὺς ἔχοντας αὐτήν, ſapientia ſalvabit habentes ipſum. (*r*) Vide opera.] S. *Hieronymus ex Symmacho*: Diſce opera Dei, quia nemo poterit corrigere quod ille imminuit. (*ſ*) Vive.] *Symmachus*, ἔσο, *& apud* S. *Hieronymum*, eſto. (*t*) Et vide in die mali, vide.] *Ab aliquo abeſt hoc ſecundum*, ἴδε. *Ab hebræo abeſt potius priore loco, & apud* S. *Hieronymum*, & in die malo vide. (*u*) Huic congruenter.] *In aliquo codice eſt*, καίγε τοῦτο τούτῳ σύμφωνον, *& apud* S. *Hieronymum*: Et quidem iſtud congruum huic fecit Deus ad loquendum. *Symmachus*, καὶ γὰρ τοῦτο ἀνάλογον τούτου ἐποίησεν ὁ θεὸς τοῦ μὴ εὑρεῖν ἄνθρωπον κατ' αὐτοῦ μέμψιν. S. *Hieronymus ex Symmacho*: In die bono eſto in bono: diem vero malum intuere. Siquidem hoc ſimile huic fecit Deus; ut non inveniret homo, quod contra eum quereretur. (*x*) Juſto ſuo.] *Symmachus*, τῇ δικαιοσύνῃ αὐτοῦ, *& apud* S. *Hieronymum*, juſtitia ſua. (*y*) Manens in malitia ſua.] *Aquila*, μακρύνων ἐν πονηρίᾳ αὐτοῦ, *alius interpres*, μακρόβιος. *Apud* S. *Hieronymum*, longævus in malitia ſua. (*z*) Multum.] *Symmachus*, πλέον, amplius, nimis. (*ω*) Argumentari.] *Sic* S. *Cyprianus* 3. *teſtim.* S. *Hieronymus in textu*, & ne quæras amplius, ne obſtupeſcas. *In comm.* noli quærere amplius, ne turberis, ſive, ne obſtupeſcas. *Symmachus*, ἵνα μὴ ἀδημονῇς περισσῶς, ut non angaris nimium. (*aa*) Ne contamines.] *Schol.* μὴ ἀνῇς. *Apud* S. *Hieronymum totus hic locus ſic habet*: Bonum eſt retinere juſtum: & quidem ab hoc ne dimittas manum tuam. (*bb*) Timentibus.] *In uno vetuſto ad marginem eſt adſcriptum*, ὁ φοβούμενος, qui timet Deum, egredietur omnia. *Apud* S. *Hier.* egredietur ad omnia. *Symm.* ὁ γὰρ φοβούμενος τὸν θεὸν, διεξελεύσεται τὰ πάντα, timens enim Deum pertranſibit omnia. (*cc*) Adjuvabit.] *Aq.* ἐνισχύσει τὸν σοφὸν, *& apud* S. *Hier.* confortabit ſapientem. *Sed in comm. fatetur, apud lxx. eſſe*, Adjuvabit. (*dd*) In omnes ſermones.] *Symm.* ἀλλὰ μηδὲ πᾶσι τοῖς λαλουμένοις παράσχῃς τῇ καρδίᾳ σου, ſed neque omnibus, qui loquuntur, attendas corde tuo. (*ee*) Maledicentem.] *Symm.* λοιδοροῦντος, convicia ingerentem. (*ff*) Malignabitur in te, & multis modis male afficiet.] *Videri poſſunt duæ interpretationes. S. Hieron. habet tantum*: Etenim frequenter ſcit cor tuum, quia & tu maledixiſti aliis. *Aq.* ὅτι πρὸς πλεονάκις καιροῦ πονηρεύσεται καρδία σου, quia frequentiſſimo tempore male habebit cor tuum. (*gg*) Maledixiſti aliis.] *Symm.* καὶ σὺ ἐλοιδόρησας ἄλλους, & tu convicia ingeſſiſti aliis. (*hh*) Hæc tentavi.] *Symm.* τούτων ἐπειράθην ἐν σοφίᾳ, *eodem ſenſu.* (*ii*) Dixi, ſapiens efficiar.] *Symm.* ὑπέλαβον σοφὸς γενέσθαι putavi ſapiens fieri. (*kk*) Longe ſuper id quod eram.] *Apud* S. *Hier.* & ipſa longius facta eſt a me, magis quam erat. (*ll*) Quis.] *Symm.* οὐδεὶς, nemo. (*mm*) Circuivi ego, & cor meum.] *Ita* S. *Hieron. in comm. ex lxx. licet in textu*, circuivi cor meum, ut ſcirem, *de S. Ambr. dicemus paulo poſt. Aq.* περιώδευσα, *eodem ſenſu. S. Hier. ex Symm.* pertranſivi univerſa ſenſu meo, ſcire, & diſcere, & inveſtigare. (*nn*) Conſiderarem.] *Symm.* καὶ διαθρῆσαι, *quod* S. *Hier. ut diximus videtur tranſtuliſſe*, & diſcere, *aut*, & inveſtigare. (*oo*) Numerum.] *Aq.* λογισμὸν, rationem, *ut apud* S. *Hier. qui etiam paulo poſt obſervat, dictionem hebræam Heſebon, quam illi omnes voce conſona tranſtulerint*, λογισμοὺς, *ſignificare numerum, ſummam, rationem, cogitationem.* S. *Ambr. de bono mortis, cap.* 7. circuivit cor meum, ut ſcirem impii lætitiam, & ut conſiderarem, & quærerem ſapientiam, & numerum, & ut ſcirem per imperium lætitiam, & moleſtiam, & jactationem, & inveni ego eam amariorem quam mortem. (*pp*) Circumlationem.] *Symm.* ἔννοιαν θορυβώδη, cogitationem tumultuoſam. (*qq*) In manibus.] *Symm.* αἱ χεῖρες, *& apud* S. *Hieron.* vincula ſunt manus ejus. *Pro quo inquit Aquilam eſſe interpretatum*, vinctæ ſunt manus ejus. (*rr*) Bonus coram Deo.] *Symm.* ἀρεστὸς τῷ θεῷ, acceptus Deo. (*ſſ*) Et qui peccat.] *Symm.* ὁ δὲ ἁμαρτωλὸς ἁλώσεται, *& apud* S. *Hier.* & qui peccator eſt, capietur. (*tt*) Una ad unam.] *Apud* S. *Hier.* unam ad unam, *& de hac loquutione accurate diſputat, ac teſtatur Symm. dixiſſe*, unam ad unam invenire rationem. *Schol. ex Aq.* ἓν πρὸς ἓν εὑρεῖν λογισμὸν ἐπεζήτει ἡ ψυχή μου, καὶ οὐχ εὗρον, unum ad unum invenire rationem quærit anima mea, & non inveni. (*uu*) Solummodo ecce] *Abeſt iſtud*, ecce, *a* S. *Hier. Aq.* μόνον ἴδε, tantum vide. (*xx*) Quæſierunt cogitationes.] *Symm.* περιειργάσαντο πολυπραγμοσύνην, operati ſunt curioſitatem. (*yy*) Sapientes.] *Aq.* τίς οἶδε σοφόν; quis novit ſapientem? *Apud* S. *Hier.* Quis ita ut ſapiens? *ſed fatetur lxx. ita vertiſſe*, quis novit ſapientes? *Facit autem hic initium ſeq. cap.*

CAP. VIII.

(*a*) ET imprudens.] *Sic vertit* S. *Hier. in comm. ex lxx. aut*, & improbus facie ſua odietur; *licet in textu habeat*, & fortis faciem ſuam commutabit. (*b*) Os regis cuſtodi.] *Sic fatetur S. Hier. dictum a lxx. licet in textu habeat*, ego os regis cuſtodio. (*c*) Et de verbo.] *S. Hier. in comm. ex lxx. transfert*, & de juramento verbi Dei ne feſtines a facie ejus ambulare. *Noſtra reſpondet hebræo, ſi ita interpungamus*, & de juramento verbi Dei. Ne feſtines, a facie ejus ambulabis, *ut priorem partem cum præcedentibus conjungamus, nimirum eſſe obſervandum os regis, & magnam curam habendam de juramento verbi Dei: poſteriorem autem ita accipiamus, non eſſe tibi feſtinandum, quaſi a facie Dei abire poſſis. Quare ita Sanctus Hieronymus, in textu* Ego os regis cuſtodio, & loquelam juramenti Dei. Ne feſtines a facie ejus abire. *Sed Symmachus iſtud*, ne feſtines, *videtur conjunxiſſe cum præcedentibus. Hæc enim refert Schol. ex eo ad hunc locum*, καὶ παραβῆναι ὅρκον θεοῦ μὴ σπεύσῃς, & tranſgredi juramentum Dei ne feſtinaveris. (*) Sicut rex poteſtatem habens.] *In aliquo codice additur*, λαλεῖ, loquitur. *Apud* S. *Hieron.* ſicut dixerit rex, poteſtatem habet. *Symm.* διὰ τὸ λόγον βασιλέως ἐξουσιαστικὸν εἶναι, eo quod ſermo illius poteſtate plenus ſit, *quomodo fere* S. *Hieronymus in tralatione ſua.* (*d*) Non cognoſcit verbum malum.] *Symm.* οὐ πειραθήσεται πράγματος πονηροῦ. S. *Hieronymus ex Symm.* Qui cuſtodierit mandatum; non experietur rem malam. (*e*) Judicii.] S. *Hier.* & judicium. (*f*) Quia omni.] *Symm.* ὅτι παντὶ πράγματί ἐστι καιρὸς χρείας, καὶ τρόπος, quia omni negocio eſt tempus commoditatis, & modus. (*g*) Quia ſcientia.] *Symm.* ἡ γὰρ κάκωσις τοῦ ἀνθρώπου πολλὴ κατ' αὐτοῦ, *quod apud* S. *Hier.* afflictio quippe hominis multa ſuper eum: *ac de iſta varietate diſputat in comm.* (*h*) Quia non eſt, qui cognoſcat.] *Symm.* ὅτι οὐκ ἐπίσταται, *& apud* S. *Hieron.* Quia neſcit, quod futurum eſt; *quamvis in comm. dicat ita ad verbum ex hebræo reddi*, quia neſcit, quod factum ſit: & quid futurum ſit poſt eum, quis annunciabit ei? *quam poſteriorem partem ſic refert Schol. & Symm.* τίς γὰρ τὰ ἐσόμενα ἀναγγελεῖ αὐτῷ; quis enim quæ futura ſunt, annunciabit ei? (*i*) Emiſſio.] *Sic* S *Hieron. quamvis poſſit etiam verti*, miſſio, *aut*, dimiſſio. *Symm.* οὐδὲ ἔστι παρατάξασθαι εἰς πόλεμον, neque eſt inſtruere aciem in prælium. (*k*) Eum qui ab ea.] *Symm.* ἔχοντα αὐτήν, *& apud* S. *Hier* habentem ſe. (*l*) Quæ pro poteſtate.] *Aquila*, καιρὸς, ὡς ἐνείδωσεν ὁ ἄνθρωπος, tempus, quo dominatus eſt homo. *Apud* S. *Hieron.* & dominatus eſt homo homini, ut affligeret eum. *Symm.* ἔστιν ὅτε ἐξουσίασεν ἄνθρωπος ἀνθρώπου εἰς κακὸν ἑαυτοῦ, *&* S. *Hier. in tralatione ſua*, interdum dominatur homo homini in malum ſuum. (*m*) Et de ſancto.] *Aq.* καὶ ἦλθον ἐκ τόπου ἁγίου, & venerunt de loco ſancto. *Sym.* καὶ ὁπότε περιῆσαν, ἐν τόπῳ ἁγίῳ ἀνέστρεφον, & quando ſuperſtites erant, in loco ſancto converſabantur: *quomodo fere* S. *Hieron. in ſua: ſed in vulgata antiqua*, vidi impios ſepultos, & venerunt, & de loco ſancto egreſſi ſunt, & laudati ſunt in civitate, quia ſic fecerunt: *pro qua poſtrema parte hæc refert Schol. ex Symm.* ὡς δίκαια πράξαντες, tanquam qui juſta egiſſent. (*n*) Quia non eſt facta.] *Apud Sanctum Hieronymum.* Quia non eſt contradictio facientibus malum cito. *Symmchus*, διὰ γὰρ τὸ μὴ γίνεσθαι τὴν ἀπόφασιν, etenim quia non fit ſententia & decretum. (*o*) Ideo repletum eſt.] *Aq.* ἐτόλμησαν, auſi ſunt. *Symm.* ἀφόβῳ καρδίᾳ οἱ υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων κακουργοῦσιν· ἁμαρτωλὸς γὰρ ὁ κακοῦργος ἀπέθανεν μακροθυμίας γενομένης αὐτῷ, intrepido corde filii hominum malefaciunt. Peccans enim malus mortuus eſt longanimitate præſtita ei: *quamvis* S. *Hieron. hanc poſtremam partem ſic ex Symm. referat*, longa ætate conceſſa ei. *Atque idem teſtatur, pro eo quod lxx. dixerint*, ἀπὸ τότε, ex tunc, *ipſe autem*, centies, *Aquilam, Symm. Th. interpretatos eſſe*, mortuus eſt. (*p*) In umbra.] *Sic* S. *Hieron. in comm. ex lxx, licet in textu habeat*, quaſi umbra, *& alius etiam locis diſcrepet.* (*q*) Vanitas.] *Sym.* ἄπορον. S *Hier. ex Sym.* Eſt difficile cognitu, quod fit ſuper terram. (*r*) Quia venit ſuper eos.] *Apud* S. *Hieron.* ſuper quos veniunt, quaſi facta. *Symm.* οἷς συμβαίνει κατὰ τὰ ἔργα τῶν ἀσεβῶν, καὶ εἰσὶ παράνομοι, οἷς συμβαίνει ὡς πράξασι κατὰ τὰ ἔργα τῶν δικαίων, quibus evenit ſecundum opera impiorum: & ſunt iniqui, quibus evenit ac ſi egiſſent ſecundum opera juſtorum. (*ſ*) Vanitas.] *Rurſus Sym.* ἄπορον. (*t*) Et ipſum ſimul aderit.] *Apud S. Hieronymum*: Et ipſum egredietur cum eo de labore ſuo. *Symm.* ὃ μόνον συμπαρέσται αὐτῷ, quod ſolum ſimul aderit ei. (*u*) In quibus dedi.] *Apud* S. *Hier.* Quapropter dedi. *Symm.* διὸ ἔταξα, quapropter poſui. (*n*) Diſtentionem] *Symm.* ἀσχολίαν, occupationem, *ut ſupra.* (*y*) Et vidi.] *Symm.* καὶ κατέμαθον ὅτι πάντων τῶν ἔργων τοῦ θεοῦ οὐ δύναται ὁ ἄνθρωπος ἐξευρεῖν οὐδὲ ἓν ἔργον πραττόμενον, & didici, quia de omnibus operibus Dei non poteſt homo invenire ne unum quidem opus, quod agitur. (*z*) Et cor meum.] *Apud S. Hieronymum initio ſequentis capitis*, ut conſiderarem univerſa, *& in comm. refert ex Symmacho*, omnia hæc ita ſtatui in corde meo, ut ventilarem univerſa, quia, & juſti, & ſapientes, & opera eorum in manu Dei ſunt.

CAP. IX.

(*a*) ET quidem charitatem.] *Symm.* πρός γε δὲ οὐ φιλίαν οὐδὲ ἔχθραν ἐπίσταται ὁ ἄνθρωπος. *Interpretationem paulo poſt afferemus.* (*b*) Vanitas.] *Abeſt iſtud a* S. *Hieron. ac tantum legitur*: In omnibus eventus unus. *Symm.* ἅπαντα ὅμοια, *&* S. *Hier. conjuncte cum præcedentibus, quæ ad finem octavi capitis ſunt allata, hæc refert ex Symm.* Et inſuper neque amicitias, neque inimicitias ſcit homo: ſed omnia coram eis incerta; propterea quod omnibus eveniunt ſimilia juſto & injuſto. (*c*) In omni quod factum eſt.] *Symm.* πᾶσι τοῖς συμβαίνουσιν, omnibus quæ accidunt. (*d*) Circumlatio.] *Aq.* πλάνη, error, *& apud* S. *Hieron. in textu*, errores. *Sym.* αὐθάδεια, *de quo paulo poſt dicemus.* (*e*) Et poſt hæc.] *Symm.* τὰ τελευταῖα εἰς νεκρούς. τίς γὰρ εἰς ἀεὶ διατελέσει ζῶν; S. *Hieron. ex Symm. hunc totum locum ſic refert*, Sed & cor filiorum hominum repletur malitia, & procacitate juxta cor eorum in vita ſua: noviſſima autem eorum veniunt ad mortuos. Quis enim in ſempiternum poteſt perſeverare vivens? (*f*) Canis vivens.] *Symm.* κυνὶ ζῶντι βέλτιόν ἐστιν, ἢ λέοντι τεθνηκότι, cani viventi melius eſt quam leoni mortuo. (*g*) In corde bono.] *Symm.* μετ' εὐφροσύνης, cum gaudio. (*h*) Complacuerunt Deo.] *Aut*, placuerunt, *ut* S. *Ambr. ad Virg. Symm.* ἐξήτασε, exquiſivit. (*) Candida.] S. *Ambr. de fide reſurr.* munda. (*i*) Non deſit.] *Symm.* οὐ μὴ διαλιπέτω, *eodem ſenſu.* (*k*) Vide vitam.] *Symm.* ἀπόλαυσον ζωῆς, fruere vita. (*l*) Omnibus diebus.] *Sic quoque* S. *Hieron. In quibuſdam vero libris eſt*, πάσας τὰς ἡμέρας ζωῆς νεότητός σου τὰς δοθείσας σοι ὑπὸ τὸν ἥλιον, πάσας τὰς ἡμέρας ματαιότητός σου, omnibus diebus vitæ inventutis tuæ, qui dati ſunt tibi ſub Sole, omnibus diebus vanitatis tuæ. *Aq.* πᾶσαι αἱ ἡμέραι ἀτμοῦ σου, omnes dies vaporis tui. (*m*) Invenit.] *Symm.* ἐφίκται, pervenit. (*n*) Velocibus curſus.] S. *Hier.* velocium, *& ſic cætera eodem caſu generandi. Symm.* τὸ φθάσαι δρόμον, perficere curſum. (*o*) Prælium.] *Symm.* τὸ κρατῆσαι πολέμου, vincere prælium. (*p*) Sapienti panis.] *In pleriſque*, τοῖς σοφοῖς ὁ ἄρτος, ſapientibus panis: *& ita* S. *Hier. in comm. licet in textu*, ſapientum panis. *Symm.* πορίσαι τροφήν, præbere alimentum. (*q*) Occurret.] *Symm.* συγκυρήσει, *eodem ſenſu.* (*r*) Tempus.] *Sym.* τὴν εὐκαιρίαν αὐτοῦ, opportunitatem ſuam. (*ſ*) Malo.] *Aq.* πονηρῷ. S. *Hier. in comm.* in captione peſſima. (*t*) Hominis.] *Apud* S. *Hieron. fere ſemper eſt*, hominum, *ſed idem in comm. hæc ſcribit*: Notandum etiam, quod per totum librum, ubicunque dicitur, filii hominum, in hebræo habet, filii hominis, hoc eſt, filii Adam, &c. (*u*) Ad me.] *Aq.* παρ' ἐμοί, *&* S. *Hier.* apud me. *Symm.* καὶ μεγάλη δοκεῖ μοι, & magna videtur mihi. (*x*) Aggeres.]

(x) Aggeres.] *Sym.* ἀποτείχισμα, *quod fortaſſe apud* S. *Hier. eſt*, machinam, *quæ nimirum apta ſit ad mœnia diruenda.* (y) Pro nihilo habita] *Symmachus.* κατεφρονήθη, contempta eſt. (z) In quiete.] *Schol.* μετὰ προσηνίας μᾶλλον ἢ κραυγὴ ἐξουσιάζοντος ἐν ἀνοήτοις, cum benevolentia magis, quam clamor poteſtatem habentis in ſtultis: *& ita habet hæc ultima verba* S. *Hieron.* (ω) Belli.] *Aq.* πολεμικά, bellica. (aa) Bonitatem multam.] *Symm.* ἀγαθὰ πολλά, bona multa. *Notat autem Sanctus Hieronymus in Hebræo poſſe legi*, & qui peccat unum, perdet bonitatem multam.

CAP. X.

(a) MOrientes.] *Complut.* θανοῦσαι, mortuæ. *Apud Sanctum Hieronymum*, morituræ exterminant oleum compoſitionis. *Schol.* μυιῶν θάνατος σήψει ἔλαιον εὐῶδες μυρεψοῦ, muſcarum mors putrefaciet oleum beneolens unguentarii. (b) Magnam.] *Complut.* μεγάλης, magnæ. *Sed apud* S. *Hieronymum, hic locus ſic habet*, precioſa eſt ſuper ſapientiam & gloriam ſtultitia parva. (c) Dextro.] *Apud* S. *Hieron.* in dextera, *itemque*, in ſiniſtra. (d) Deficiet.] *Apud* S. *Hieron. in textu*, minuitur, *in comm.* indiget. (e) Quæ cogitabit.] *Symm.* ἃ ὑπολαμβάνει. S. *Hier. in comm.* Denique Symm. ita interpretatus eſt: ſed & in vita ſtultus cum ambulat, ipſe inſipiens ſuſpicatur de omnibus, quia ſtulti ſunt. lxx, vero alium fecere ſenſum, quo dicerunt, omnia, quæ inſipiens cogitat eſſe vaniſſima. (f) Poteſtatem habentis.] *Symmachus*, ἄρχοντος ἐπέλθῃ σοι, τὸν τόπον σου μὴ ἐκστῇς, ὅτι σωφροσύνη παύσει ἁμαρτήματα πολλά. S. *Hier. in comm.* Symm. verbum Hebræum, quod omnes ἴαμα, hoc eſt, ſanitatem, vel curationem, ſimiliter tranſtulerunt, interpretatus eſt ad ſenſum, & ait, ſi ſpiritus principis irruerit tibi; de loco tuo ne recedas; quia pudicitia comprimit peccata magna. *Cyrill. in Eſa.* 1. *pro*, τὸν τόπον σου, *habet*, τὴν καρδίαν σου, cor tuum ne dimiſeris. (g) Malum.] *Symm.* ἔστι κακὸν, *eodem ſenſu.* (h) Quaſi non ſpontaneum.] *Symmachus*, ἐν ἀγνοίᾳ ἐξελθὸν ἐξ ἔμπροσθεν τοῦ ἐξουσιάζοντος. *Apud* S. *Hieronymum, paulo aliter eſt*, quaſi ignorantia egrediens à facie potentis. *Quod autem eſt in noſtra, teſtatur eſſe Aquilæ, Theodotionis, & lxx.* (i) Datus eſt.] S. *Hieron. in ſua*, dari, *&*, ſedentes. *Aq.* ἔδωκε τὸν ἄφρονα ἐν ὑψώμασι μεγάλοις, dedit inſipientem in ſublimitatibus magnis. S. *Hieron. refert ex Symmacho*, poſitum ſtultum in ſublimitate magna, divites autem ſedere humiles, *& Schol. ex eodem*, πλουσίους δὲ ταπεινοὺς καθημένους. (k) Foveam.] *Theod.* βόθυνον, *eodem ſenſu.* (l) Qui ſubtrahit.] *Aq.* μεταπιθῶν λίθους ἀπαθήσεται. *Symm.* μετεωρῶν λίθους κακωθήσεται. S. *Hieron. in comm.* ſignanter Aquila & Symmachus dixerunt qui transfert lapides, dilacerabitur in eis: poſtea tormenta patietur. (m) Si exciderit ferrum.] S. *Cyprianus* 3. *teſtim. conjungit cum antecedentibus: ſed apud* S. *Hieronymum, quaſi ex novo principio*, ſi retuſum fuerit ferrum, & hoc non, ut prius, ſed conturbatum fuerit, virtutibus corroborabitur, &c. *Teſtatur autem in commentariis, hanc poſtremam partem ita protuliſſe lxx*, & fortitudine confortabitur, & ſuperflua roboratus ſapientia; *in hebræo autem eſſe*, & fortitudinibus corroborabitur. (n) Non ſapientia.] *Hoc* S. *Greg. Thaum. ſic explicat*, οὐκ ἐπ' ἀγαθῷ συγκομίζων καὶ ἐπαύξων αὐτὸς τὴν ἑαυτοῦ ἄδικον καὶ ὠκύμορον δύναμιν, qui non ad bonum colligit, & qui adauget ipſe ſuas injuſtas, & cito perituras opes. *In pleriſque vero libris eſt*, περισσεία τοῦ ἀνδρείου σοφία, præſtantia ipſius fortis ſapientia. *In Complut.* τῷ ἀνδρὶ οὗ σοφία, viro cujus ſapientia. *Symmachus*, προέχει δὲ ὁ γοργευσάμενος εἰς σοφίαν, procedit autem, qui vigorem adhibuit ad ſapientiam. *Sanctus Hieronymus quomodo ex lxx, attulerit; paulo ante dictum eſt: in ſua verſione ſequitur Symmachum, in textu vulgatæ antiquæ habet*, & reliquum fortitudinis ſapientia eſt. (o) In non ſuſurro.] *Aq.* ἀπούσης ἐπῳδῆς, abſente incantatione. *Symmachus*, ἐν οὐκ ἐπαοιδῷ, abſque incantatore. *Apud* S. *Hieronymum*, in ſilentio. (p) Et non eſt amplius incantanti.] *Apud Sanctum Hieronymum*, non eſt amplius habenti linguam. (q) Deglutient.] *Apud eundem*, præcipitabunt. (r) Circumlatio peſſima.] *Apud eundem*, error peſſimus: *teſtatur autem Symm. dixiſſe*, tumultus. (ſ) Stultus.] *Symm.* καὶ ἀνόητος πολλὰ λαλήσει, & demens multa loquetur. (t) Quod.] *Abeſt iſtud*, quod, *a* S. *Hier. & certe illud*, ὅτι, *interdum redundat.* *Symmachus*, τὰ γινόμενα, ἀλλ' οὐδὲ τὰ ἐσόμενα, quæ facta ſunt, ſed neque quæ futura ſunt. (u) Stultorum affliget eos.] *Sic* S. *Hieronymus, in aliquot libris*, κοπώσει αὐτὸν, laborare faciet eum, *& Schol.* τοῦ ἄφρονος κακώσει, ſtulti affliget. (x) Qui neſcit.] *Apud Sanctum Hieronymum*, qui neſciunt. *Symmachus*, οὐ γὰρ ἐπίσταται ἀπελθεῖν εἰς πόλιν, neſcit enim abire ad civitatem. (y) Civitas.] *Symm.* γῆ, *&* S. *Hieron.* terra. (z) In fortitudine.] *Symm.* μετ' ἀνδραγαθίας, cum probitate virili. (ω) Et non confundentur.] *Apud Sanctum Hieronymum*, & non in confuſione: *in ſua autem*, & non ad luxuriam. (aa) Vinum, & oleum ad lætificandum.] *Apud Sanctum Hieronymum*, vinum & epulentur. *In Compl.* καὶ οἶνος εὐφραίνει ζῶντας, & vinum lætificat viventes. (bb) Humiliatione.] *Abeſt iſtud a* S. *Hieron. & Compl. & uno vetuſto. Symm.* ἀργύριον δὲ εὐχρηστήσει εἰς πάντα, argentum utile erit ad omnia. (cc) Maledixeris.] *Symmachus*, λοιδορήσῃς, conviciis inceſſas. (dd) Habens pennas.] *Aquila*, πτερωτά, prædita alis.

CAP. XI.

(a) EFfundunt.] *Aliqui*, ἐκχέουσιν. S. *Hieron.* ſi repletæ fuerint nubes, imbrem ſuper terram effundent. *Aq.* ἐκκενώσουσιν, evacuabunt. (b) Lignum.] *Symmachus* δένδρα, arbores. (c) Ibi erit.] *Symmach.* παρατεύξονται, aderunt. (d) In quibus.] *Eſt loquutio, quæ valet*, quemadmodum: *itemque iſta Aquilæ*, ἐν ᾧ οὐκ εἶ σὺ εἰδὼς, in quo non es tu ſciens. *Symm.* μὴ οἶδας πότερον παρέσται ὁ ἄνεμος, non noſti, utrum aderit ventus. *Apud* S. *Hieronymum*: Quomodo non cognoſcis tu. (e) In matutino.] *Symmachus*, πρώϊμον, præcox. (f) Et ad veſperum.] *Symmachus*, ἀλλὰ καὶ ὄψιμον, ſed & ſerotinum. (g) Ne remittat.] *Id eſt*, ne remittat ſe, non deſiſtat ab opere. *Symmachus*, καὶ μὴ καταλιμπανέτω ἡ χείρ σου, & ne ceſſet manus tua, *quomodo fere* S. *Hier. in ſua verſione. In antiqua autem*, ne demittas manum tuam. (h) Recte procedet.] εὐθηνήσει, proficiet. *Sym.* εὑρήσει, aſſequetur. *Apud* S. *Hieron.* quoniam neſcis, quid placeat, aut hoc, an illud: & ſi utrumque, quaſi unum bonum eſt. (i) In omnibus his.] *Symmachus*, καὶ διὰ πάντων εὐφρανθήσεται. S. *Hieron. totam hanc clauſulam ſic refert ex Symm.* Si annis multis vixerit homo, & in omnibus his lætatus fuerit; recordari debet & dierum tenebrarum, quia multa erunt, in quibus omnibus veniet eſſe deſinere. (k) Et recordabitur.] *Aq.* μεμνήσθω τῶν ἡμερῶν, *& apud* S. *Hier. in textu vulgatæ antiquæ*, meminerit dies. (l) Bonum faciat te.] *Symm.* καὶ ἐν ἀγαθῷ ἔσω, *& apud* S. *Hier.* & in bono ſit. (m) Immaculatus.] *Abeſt a* S. *Hier. in utraque verſione. Apud* S. *Ambr. ad Virg. hæc referuntur*, & oblectet te cor tuum in diebus adoleſcentiæ tuæ, & ambula in via cordis tui ſine macula, & in aſpectu oculorum tuorum, & non in audacia oculorum tuorum.

CAP. XII.

(a) CReatoris.] *Sic etiam* S. *Hieron. Complut. autem*, τοῦ κτήσαντός σε, ejus qui poſſedit te. (b) Uſquequo non venient.] *Symm.* πρὶν ἐλθεῖν τὰς ἡμέρας τῆς κακώσεώς σου, antequam venient dies afflictionis tuæ: *itemque paulo poſt, pro*, ἕως οὗ μὴ, *dicit*, πρὶν, *& apud* S. *Hieron. ſic redditur*, antequam veniant, antequam obtenebreſcat. (c) Perverſi fuerint.] *Sic fere Hebræus: & multi putant ſignificare*, incurvaverint ſe. *Symm.* διαφθαρῶσιν οἱ ἄνδρες οἱ ἰσχυροὶ, perierint viri fortes: *quod notat etiam* S. *Hieron. eſſe Symm. Aquilam vero tranſtuliſſe*, errabunt: *& ipſe in ſua habet*, nutabunt, *aut*, nutabuntur. (d) Et ceſſaverunt.] *Apud* S. *Hieron.* & ceſſabunt molentes. *Symm.* καὶ ἀργήσωσι οἱ μύλοι, & ceſſaverint molæ. (e) Quæ vident.] *Symm.* αἱ ὁράσεις διὰ τῶν ὀπῶν, aſpectiones per foramina. (f) Infirmitate.] *Apud* S. *Hieron.* humilitate. *Symm.* ἀχρειωθείσης τῆς φωνῆς, inutili reddita voce. (h) Paſſeris.] *Apud* S. *Hieron. in utraque verſione*, volucris. (h) Humiliabuntur.] *Aq.* καὶ κλιθήσονται πάντα τὰ τῆς ᾠδῆς, & inclinabuntur omnia quæ ad cantionem faciunt. *Apud* S. *Hieron.* obmuteſcent, *ſed putat in Hebræo melius haberi*, ſurdeſcent. (i) In ſublime aſpicient.] *In aliis libris eſt*, καί γε ἀπὸ ὕψους ὄψονται, etiam ab excelſo videbunt. *Apud* S. *Hieron.* ſed & ab excelſis timebunt, & formidabunt in via. *Sunt autem valde ſimilia in Hebræo verba: quorum alterum ſignificat, timere; alterum, videre. In Hebræo quidem eſt*, timebunt: *& videri poteſt* S. *Hier. ex lxx, agnoſcere, ex Symm. autem*, videbunt: *cujus verba paulo poſt afferemus.* (k) Terrores in via.] *Aq.* τρόμῳ τρομήσουσιν ἐν τῇ ὁδῷ, tremore trement in via. (l) Et diſſipabitur.] *Sym.* καὶ διαλυθῇ ἡ ἐπίπονος. S. *Hier.* Symm. neſcio quid in hoc loco ſentiens, multo aliter interpretatus eſt. Ait enim; Super hæc etiam de excelſo videbunt, & terror erit in via, & obdormient vigilantes, & diſſolvetur ſpiritus fortitudo. Ibit enim homo in domum æternitatis ſuæ: & circumibunt in platea plangentes. Cujus interpretationem Laodicenus ſequutus, nec Judæis placere poteſt nec Chriſtianis: dum & ab hebræis procul eſt, & ſequi lxx. interpretes dedignatur. (m) Uſquequo non evertatur.] *Symm.* καὶ πρινὴ κοπῆναι ἀπὸ χοινίου ἀργυρέου, & antequam ſuccidatur a funiculo argenti. *Apud* S. *Hieron.* antequam rumpatur funiculus argenti: *& fortaſſe illud*, ἀνατραπῇ, *hæc valet*, interrumpatur. (n) Conteratur vitta.] *Apud* S. *Hieron. in utraque verſione, & in comm. nulla varietatis mentione facta*, & recurrat vitta aurea. *Symm.* καὶ ἐλαθῇ τὸ περιφερὲς, καὶ συνθραυσθῇ, & percuſſus fuerit orbis, & convulneratus. (o) Convolvatur.] *Apud* S. *Hieron.* & confringatur: *atque in comm.* & rota, per quam de lacu & puteis levantur aquæ, ſi confracta fuerit, ſive, ut alii interpretes voluerunt, in ſuo funiculo convoluta, &c. (p) Vanitas vanitatum.] *Aq.* ἀτμὸς ἀτμίδων, vapor vaporum. (q) Amplius] *Symm.* ὑπερβάλλον, quod excedit. (r) Quia docuit.] *Apud* S. *Hieron.* adhuc docuit, *ut pro*, ὅτι, *videatur habuiſſe*, ἔτι. *Compl.* καὶ ἐδίδαξεν, & docuit. *In multis conjungitur utrumque*, καὶ ὅτι. (ſ) Et auris ſcrutabitur ornatum.] *Aq.* ἠνωτίσατο, καὶ ἐρεύνησεν. *Apud* S. *Hieron.* & audire eos fecit, & ſcrutans compoſuit proverbia. (t) Quæſivit Eccleſiaſtes] *Symm.* κατεσκεύασεν παροιμιαστὴς, apparavit auctor proverbiorum. (u) Voluntatis, ſcriptum rectitudinis.] *Aquila*, χρείας (*Schol.* χρειώδεις) καὶ συνέγραψεν ὀρθῶς, utilitatis (*Schol.* utilia, *ut* S. *Hier. in ſua*) & conſcripſit recte. *Apud* S. *Hieron. in vulgata antiqua*, voluntatis, & ſcriberet recte. (x) Plantati.] *In aliis*, πεπυρωμένοι, igniti. S. *Greg. Thaum.* ἐπεγείρει ψυχὰς καὶ νύττει οὐχ ἧττον τὰ τῶν σοφῶν παραγγέλματα, ἢ διατίθεται τὰ σώματα βουκέντρῳ ἢ ἥλῳ ἐμπερονηθέντα, ſuſcitant animas ſapientum præcepta, & pungunt non minus quam afficiantur corpora ſtimulo aut clavo trajecta. *Schol.* Aquila, Th. πεφυτευμένοι, πεπηγότες. *Apud* S. *Hier. in utraque verſione*, in altum defixi: confixi *autem, in Eſa.* 29. (y) Qui a conciliis.] *Sic* S. *Hier. Eſa.* 29. *In verſione autem ſua*, verba, *&c.* quæ per magiſtrorum conſilium data ſunt. *In vulgata antiqua*, habentibus cœtus data ſunt. *Schol.* συνταγμάτων, συναντημάτων, *multi ex hebræo vertunt*, auctores collectionum, congregationum. (z) Cave.] φύλασσε. *Alii*, φυλάσσου. *Schol.* φύλαξαι. *Cum hoc autem a multis conjungitur id quod ſequitur*, faciendi libros multos, *deinde puncto interpoſito*: Non eſt finis, &c. *& apud* S. *Hieron. eſt*, quibus non eſt finis. *Sed magis reſpondet hebræo, & vulgata noſtræ ſi poſt*, cave, *interpungatur, ac deinceps ſequatur*: faciendi libros multos non eſt finis. (ω) Finis verbi, omne audi.] *Apud* S. *Hieron.* Finis ſermonis verbi univerſi, auditu perfacilis eſt. *In ſua autem verſione*, finem loquendi pariter omnes audiamus. (aa) Hoc eſt enim omnis homo.] *Schol.* τοῦτο γὰρ ὅλος ὁ ἄνθρωπος, hoc enim totus homo. (bb) Quia omne factum.] *Aq.* πᾶσαν γὰρ πρᾶξιν, omnem enim actionem. (cc) In omni contempto.] *Symm.* περὶ παντὸς παροραθέντος ἐάντε ἀγαθὸν, ἐάντε κακὸν, de omni contempto, ſive bonum, ſive malum. *Apud* S. *Hier.* de omni abſcondito: *in ſua autem verſione* (*licet aliter in aliquot codicibus noſtræ vulgatæ*) pro omni errato. *In comm.* Pro eo autem quod nos poſuimus, de omni abſcondito, ſive bonum, ſive malum ſit; Symm. & lxx, interpretati ſunt, de omni contemptu, vel certe, de omni ignoratu.

CANTICUM.

CAP. I.

(*) Canticum.] *Alii*, ᾆσμα ᾀσμάτων, canticum canticorum. (*a*) Salomon.] *In aliquo libro additur articulus*, τῷ σαλωμῶν, Salomoni. (*b*) Ab oſculis.] *In homilia prima Origenis initio eſt*, ab oſculo : *ſed in explanatione ſatis oſtendit legendum in numero multitudinis : & ſic etiam* S. *Ambroſius in pſal.* 118. *ſerm.* 1. *& de Iſaac cap.* 3. *ſed in homilia Origenis verſa a* S. *Hieron. eſt*, oſculo. (*c*) Bona ubera.] *Idem Origenes teſtatur inveniſſe ſe in quibuſdam exemplaribus ſcriptum*, quia bonæ ſunt loquelæ tuæ ſuper vinum, *ſed ſe lxx. interpretum ſcripta per omnia cuſtodire.* (*) Effuſum.] *Ut* S. *Hieronymus in homilia Origenis*; *aut*, exinanitum, *ut alii.* (*d*) Traxerunt.] *Sic Orig. & Theodoretus, &* S. *Ambroſius de Virg. lib.* 1. & attraxerunt te. *Aquila.* εἵλκυσάν με, *Symmachus*, ἕλκε με, trahe me. S. *Ambroſius de Iſaac*, attrahe nos, *& in lib. de iis qui myſter. initiantur, cap.* 6. *primum habet*, & attraxerunt te, *deinde*, attrahe nos poſt te. (*e*) Poſt te.] *Ita Theodoretus*. S. *Ambroſius de Iſaac*, attrahe nos : poſt odorem unguentorum tuorum curramus. *In lib. qui myſt.* attrahe nos poſt te : in odorem veſtimentorum tuorum curremus. *Origenes*, ac traxerunt te poſt ſe : in odorem unguentorum tuorum curremus. *homil. tamen* 3. *indicans hunc locum ait*, poſt te curremus. (*f*) Introduxit.] *Symmachus*, εἰσαγαγέτω με, introducat me. (*g*) Exultemus.] *Symmachus*, ἱλαρωσώμεθα, jocundemur, hilares ſimus. (*) Rectitudo.] *Symm.* οἱ εὐθεῖς οἱ ἀγαπῶντές σε, recti ſunt, qui diligunt te. *In homilia verſa a* S. *Hieronymo eſt*, æquitas. (*h*) Nigra.] S. *Ambroſ. in Apologia David*, fuſca, *itemque Origenes : qui tamen teſtatur in aliis exemplaribus legi*, nigra ſum (*i*) Formoſa.] *Sic in homilia Origenis*; *quamvis poſtea ad eum locum*, niſi cognoveris te, *quod Græce item eſt*, καλή, *vertatur*, ô bona, ſive pulchra. *Sch.* εὐπρεπής, *&* S. *Ambroſ.* decora. (*k*) Pelles.] *Aq. & Symm.* σκηναί, tentoria. (*l*) Denigrata.] *in hom. Orig.* Infuſcata, ſive denigrata. S. *Ambr. de Iſaac cap.* 4. obfuſcata. (*m*) Deſpexit.] *In eadem hom.* deſpicere, hoc eſt, obliq; aſpicere. S. *Ambr. de Iſaac*, quoniam, non eſt intuitus me Sol. S. *Hieronymus*, quia deſpexit me Sol, ſive, ut melius in hebræo continetur, decoloravit me Sol. *Aq.* ὅτι συνέκαυσέ με, quoniam combuſſit me. *Sym.* παρέβλεψέ με, torve inſpexit me. *Theod.* περιέφρυξέν με, torrefecit me. (*n*) In me.] S. *Ambr. ib.* adverſum me : *in hom. Orig.* dimicaverunt in me. *Sym.* διεμαχέσαντό μοι, κατεστάθην φύλαξ ἀμπελώνων, impugnaverunt me : conſtituta ſum cuſtos vinearum. (*o*) Adoperta.] *Sic in hom. in ea autem quæ verſa a* S. *Hier.* cooperta, *& reſpondet dictioni hebraicæ. Alii tamen interpretantur*, circumducta. *Theodor. & Sch. ex Sym.* ῥεμβομένη, errabunda & vaga. (*p*) Veſtigiis.] *Sic in eadem hom.* S. *Ambr. de Iſaac*, calcaneis, *quod proprie reſpondet græco. Sym.* ἐξελθοῦσα πορεύου κατὰ τὰ ἴχνια τῶν ποιμνίων, egreſſa vade ſecundum veſtigia gregum. A. ἔξελθε σεαυτῇ, egredere tibi : *alius interpres*, ἔξελθε σὺ ὄπισθεν, egredere tu poſt. (*q*) Paſtorum.] *Sch.* ποιμνίων σου, gregum tuorum. *Symm.* παρὰ τὰς σκηνὰς τῶν ποιμένων, juxta tentoria paſtorum. (*r*) Equæ meæ.] *Sic.* S. *Ambr. de Iſaac, & in pſ.* 118. *ſer.* 2. *ubi tamen inquit non unam equam divitis regis accipiendam, ſed abſolute pro equitatu : & in hom. Orig. eſt*, equitatui meo : *quod ambiguitas græcæ vocis facilè patitur.* (*ſ*) Redimicula.] *Sic* S. *Ambr. in pſ.* 118. *ſerm.* 3. *& in hom. Orig. in qua etiam explanatur quid iſtud ſit, in ea autem quæ verſa a* S. *Hier.* monile. (*t*) Similitudines auri.] *Sic in eadem hom. Sym.* περίβλεπτα χρυσία, inſignia aurea : *quinta editio*, στρεπτοῦ χρυσίου, tortilis auri. (*u*) Diſtinctionibus.] *Sym.* ποικιλμάτων, varietatibus : *quinta editio*, ἐν κέγχροις, in milliis, *id eſt punctis minutis : alius interpres*, μετὰ ῥαντῶν, cum variegatis. (*x*) In recubitu.] *Sic in hom.* S. *Hier. primo adv. Jovin.* in accubitu ſuo eſt. *Apud* S. *Ambr. in pſ.* 118. *ſerm.* 3. in declinatione ſua. *Aq.* ὅτε ὁ βασιλεὺς ἐν ἀνακλίσει αὐτοῦ, quando rex in recubitu ſuo. *Symm.* ἐν ἀναπαύσεσιν, in requietibus, ceſſationibus. (*y*) Odorem ſuum.] *Sic* S. *Ambr. ibid. Et in homilia Orig. ſed ibi additur*, ſive odorem ejus, *& utroque modo explanatur.* (*z*) Alligamentum.] *Ita in homilia : ſed in ea quæ verſa a* S. *Hier.* faſciculus. S. *Ambr. in pſ.* 118. *ſerm.* 3. colligatio guttæ conſobrinus meus, botryo cypri frater meus mihi : inter media vbera mea requieſcit : nardus cypri, conſobrinus meus in vineis Engaddi. *Aq.* ἀπόδεκτος σμύρνης, ſuſceptus myrrhæ. *Theodoretus etiam refert & Aquilam, & Symm. pro ſtacte dixiſſe myrrham.* (*ω*) Fratruelis.] *In hom. interdum hoc modo, interdum*, fraternus, *dicitur a* S. *Ambr. ut ex recitatis verbis patet*, frater, *&*, conſobrinus. *Alii*, ſororis filius : *ſed Origenes exponit fratris filium. Sym. ut refert Theodoretus, & Sch.* ἀγαπητός μου, *& vulgata*, dilectus meus : *quinta editio*, ὁ ἑταῖρός μου, ſodalis meus. (*aa*) Demorabitur.] *Sic apud* S. *Hier. In alia hom. Orig.* manebit ſive commorabitur. *Symm.* αὐλιζόμενος, commorans. (*bb*) Cyperi.] *Sic in hom.* S. *Ambr.* cypri, *quinta editio*, κύπρινος, *eodem ſenſu: legendus Origenes.* (*cc*) Engaddi.] *Sym. addit articulum*, τοῖς ἐνγαδδί. (*dd*) Specioſa proxima.] *Ita in homilia.* S. *Ambr. ibid.* bona. *Aq.* φίλη μου, amica mea. *Sym.* ἑταίρα μου, ſodalis mea. (*ee*) Columbæ.] *Eſt rectus multitudinis, ut docet Theodoretus, & Origenes, licet interdum in homilia legatur*, columbarum. (*ff*) Specioſus.] S. *Ambr. in pſ.* 118. *ſerm.* 4. pulcher : *quinta editio*, καί γε τερπνός, & quidem jocundus. (*gg*) Ad cubile.] *Sic Pſellus*, ad lectum noſtrum umbroſus acceſſiſti. *Propius hebræo eſſet, ſi in caſu nominandi diceretur*, πρὸς κλίνη, præterea cubile. *Origenes*, cubile, *aut*, lectus umbroſus, *aut*, acclinatio umbroſa, *quaſi*, προσκλίνη, *ſit unica dictio. Ita etiam* S. *Ambr.* acclinatio noſtra opaca. (*hh*) Umbroſus.] *Aq.* εὐθαλής, viridis, floridus. (*ii*) Lacunaria.] *Sic* S. *Ambr ibidem. Sym.* αἱ φατνώσεις, *eodem ſenſu. In homilia*, tigna domorum noſtrarum cedri, trabes noſtræ cypreſſi. *Aq. pro*, cypreſſi, *dixit*, βοράθιναι. Nomen ad Græcam conſuetudinem declinatum ab eo quod eſt, ברותים. Santes abiegna interpretatur : Hieronymus vero, cypreſſina. Alibi eſt βοράθη, abies : & Pſal. 104. 7. βοράτ, in Symmacho. *Druſ.*

CAP. II.

(*a*) Lilium convallium.] *Aqu.* καλύκωσις τοῦ Σαρῶν, calyculus Saron. Vel roſa Saronia. Sane καλυκὸν, roſa parva. Eſt & κάλυξ, roſa clauſa. Cogitemus adhuc *Hieron.* hoc loco, flos Campi. *Heſychius quoque*, καλυκίζειν, exponit ἀνθεῖν. (*b*) Proxima.] *Aq.* φίλη, amica, *quinta editio*, ἀγαπητή, dilecta. (*c*) Malum.] *Melum dicitur in homil. Orig. ad evitandam ambiguitatem.* (*d*) Fraternus.] *Symm.* ὁ ἀγαπητός μου, dilectus meus. (*e*) In umbra.] *Symm.* ὑπὸ τὴν σκέπην αὐτοῦ ἐπεθύμησα, ſub umbra ejus concupivi. (*f*) In Faucibus.] *Sic* S. *Hieron. &* S. *Ambroſ. Symm.* τῷ φάρυγγί μου, faucibus meis. (*g*) In domum vini.] *Symm.* εἰς τὸν οἰνῶνα, in cellam vinariam. (*h*) Ordinate in me.] *Sic in homil. Orig.* S. *Ambr. in pſal.* 118. *ſerm.* 5. conſtituite me in dilectionem. *Symmachus*, ἐπισωρεύσατέ μοι ἀγάπην, coacervate mihi charitatem. (*i*) Unguentis.] *In Orig. hom.* In Græco quidem habetur, confirmate me in myrrhis : myrrhim genus quoddam arboris nominans : quod Latini putantes myra dictum, unguenta interpretati ſunt. *In homilia autem verſa a* S. *Hieronymo refertur ex alio interprete*, οἰνανθίνων, œnanthinis. *Symm.* ἐπανακλίνετέ με ἐν ἄνθει, recumbere me facite in flore. (*k*) Stipate.] *Sch.* περικυκλώσατέ με, circundate me. (*l*) Vulnerata.] *Sic apparet ex explanatione legiſſe etiam Origenem, licet in pleriſque codicibus legatur*, vulneratæ, *ſicut etiam apud* S *Ambr. Symm.* τετρωμένη γὰρ φίλτρῳ, vulnerata enim philtro. (*m*) Amplectetur me.] *Sym.* περιπλεκέσθω μοι, circumplicetur mihi. (*n*) Reſuſcitaveritis] *Sic* S. *Ambr. eodem ſerm.* 5. *In hom.* elevaveritis, & ſuſcitaveritis. *Sch* ἐξυπνίσητε, e ſomno excitaveritis. (*o*) Quoaduſque.] *Vel*, uſquequo voluerit, *ut* S. *Ambr. Sch.* ἕως ἄν. (*p*) Fraterni.] *Symm.* ἀγαπητοῦ μου, dilecti mei, *cæteri interpretes*, πατραδέλφου μου, patruelis mei. (*q*) Hinnulo cervorum.] *Aq.* τῷ πώλῳ τῶν ἐλάφων, *eodem ſenſu.* (*r*) Ecce hic.] *In multis codicibus additur*, ἕστηκεν, ſtetit, *& in hom. Orig. & apud* S. *Ambr.* (*ſ*) Reſpondet.] *Symm* φθεγξάμενος, loquutus. (*t*) Tranſiit.] *Symm.* διεπέρασεν, terminum accipit. (*u*) Sectionis.] S. *Ambr.* ſecandi. *Symm.* τῆς κλαδεύσεως ἤγγικεν, putationis appropinquavit. *Theodoretus teſtatur etiam Aquilam eodem verbo uſum eſſe : atque ita in hom. Orig. & apud alios patres.* (*x*) Produxit.] *Aq.* παρέβαλεν, *eodem ſenſu.* (*y*) Vites florent.] *Sym.* καὶ τῶν ἀμπέλων ἡ οἰνάνθη, & vitium flos. *In homilia*, vites florentes dederunt odorem ſuum, *& magnum pondus fit in illo*, ſuum. (*z*) Surge.] *In hom. hæc tantum leguntur.* Surge, & veni proxima mea, columba mea, in velaminibus petræ, &c. *&* S. *Hier. primo adverſus Jovinianum*, ſurge, veni proxima mea, & ſpecioſa mea, & veni tu columba mea. *Apud Theodor. etiam eſt aliqua varietas. Apud* S. *Ambr. ſerm.* 6. Et veni ô columba mea in tegimento petræ juxta præmunitionem. (*ω*) Auditam fac mihi vocem.] S. *Ambr.* & inſinua vocem tuam. *Sch.* τοὺς λόγους σου, verba tua. (*aa*) Capite nobis.] *Sch.* συλλάβετε ἡμῖν, *eodem ſenſu.* (*bb*) Exterminantes.] *Sym.* διαφθείροντας, corrumpentes. (*cc*) Ei, qui paſcit.] *Symm.* κἀγὼ αὐτοῦ, τοῦ ποιμαίνοντος τὰ ἄνθη, & ego ejus, paſcentis flores. *Apud interpretem Theodor. ex Symm.* paſcentes flores. *Sch.* ὁ νεμόμενος ἐν τοῖς κρίνοις, qui paſcitur in liliis. (*dd*) Donec reſpiret.] *Sic. in hom. Aq.* ἕως κοπάσῃ, donec ceſſet. (*ee*) Et amoveantur.] *Sic in hom. Sym.* καὶ κλιθῶσιν αἱ σκιαί, & inclinentur umbræ : *quomodo etiam eſt apud Theodor.* (*ff*) Revertere.] S. *Ambr.* 3. *de virgin.* Fuge fraternus meus, & ſimilis efficere cervo, aut hinnulo cervi in montes aromatum.

CAP. III.

(*a*) Foris.] S. *Ambroſ.* 3. *de Virg.* foro. (*b*) Eum.] *Hic apud* S. *Ambroſ. repetuntur illa*, vocavi eum, & non obaudivit me, *quemadmodum & in multis codicibus Græcis. In Hebræo neque hic, neque ſuperius habentur.* (*c*) Cuſtodes qui circumeunt.] *Aqu.* οἱ φυλάσσοντες, *Sym.* οἱ φύλακες οἱ περιοδεύοντες, *eodem ſenſu.* (*d*) Quam modicum.] *Sequuti ſumus* S. *Ambroſ.* 3. *de Virg.* (*e*) Non dimiſi.] *Ita etiam* S. *Ambr. in pſal.* 118. *ſerm.* 17. *Schol.* οὐκ ἀνήσω, non dimittam, *& ita etiam Pſellus, &* S. *Ambroſ in pſal.* 36. (*f*) Cubiculum.] S. *Ambroſ.* ſecretum. (*g*) In virtutibus, & viribus.] *Sic ſupra ex homil. Orig. Sch.* Cæteri, κατὰ τῶν δορκάδων, καὶ κατὰ τῶν ἐλάφων τοῦ ἀγροῦ, *quod vulgata*, per capreas, cervoſque camporum. (*h*) Truncus.] *Aut*, virgula. *Symm.* ὡς ἀναθυμίασις, tanquam incenſi evaporatio. *Apud Theodoreti interpretem ex Aquila, & Symm. refertur*, ſicut ſimilitudo fumi ex ſuffimento, *atque additur hos rem clarius explicaſſe, quam lxx. qui linguæ hebraicæ ſerviunt.* S. *Ambr. ep.* 62. quæ eſt hæc, quæ aſcendit a deſerto, ſicut vitis propago, fumo incenſa, odorificata myrrha, & thure ab omnibus pulveribus unguenti. (*i*) Pulveribus.] *Schol.* χνοός, pulvere. (*k*) Vir.] *Et hic eſt hebraiſmus. Aq.* ἀνδρὸς μάχαιρα αὐτοῦ, viri, enſis ejus. (*l*) A pavore in noctibus.] *Aq.* ἀπὸ πτοήσεως, *eodem ſenſu. Symm.* διὰ φόβους νυκτερινούς, propter timores nocturnos : *cujus interpretationis facit etiam mentionem Theodoretus.* (*m*) Lectum.] *Sequuti ſumus* S. *Ambroſium.* 3. *Virg. licet alii ferculum interpretentur*; *alii*, thalamum, *aut*, templum. (*n*) Argentum.] *Compl.* ἀργυρέου, argenti, *& paulo poſt*, ἐπιβάσεις αὐτοῦ πορφύραν, aſcenſiones ejus purpuram, *ſicut etiam apud Theod. ex tribus Patribus.* (*o*) Intimum.] *Quinta editio*, τὸ μέσον αὐτοῦ ἐψηφολόγησεν, medium ejus calculis compoſuit. *Atque etiam apud Theodoretum eſt*, τὸ μέσον αὐτοῦ, *ſed ſequitur*, λιθόστρωτον. S. *Ambr.* 3. *de Virg.* columnæ ejus argenteæ erant, acclinatorium ejus aureum, dorſum ejus gemmatum ſtratum. *Vulgatæ magis reſponderet, ſi conjungeretur*, λιθόστρωτον τὴν ἀγάπην, conſtratum charitate, *quod etiam videntur ſenſiſſe tres Patres apud Theod.* S. *Ambr. de inſtit. Virg. cap.* 16. Egredimini, & videte regem Salomonem in corona, qua coronavit eum mater

ter ejus in die ſponſalium ejus, & (*in pſ.* 118. *ſerm.* 15. *addit*, in die) jocunditatis cordis ejus : quia fecit ſibi, inquit, charitatem a filiabus Hieruſalem.

CAP. IV.

(*a*) EXtra taciturnitatem tuam.] *Sic S. Ambroſ. in pſal.* 118. *ſerm.* 16. *quinta editio*, ἀπὸ πλήθους τοῦ κάλλους σου, ex multitudine pulchritudinis tuæ. (*b*) Geminantes.] *Reſpondet Hebræo. Aq.* διδυμοτόκοι, *&* S. *Ambroſ. loco allato*, geminos creant, *ubi multa alia ex ſequentibus referuntur.* (*c*) Funiculus coccineus.] *Apud* S. *Ambroſium in pſalm.* 118. *ſerm.* 18. ſicut reſticula coccinea, *alibi*, *reſticulum. Aq.* ἐκ κόκκου, e cocco. (*d*) Gena tua extra.] *Symm.* αἱ παρειαί σου σκεπόμεναι καλύμματι, genæ tuæ tectæ operimento. (*e*) In Thalpioth.] *Aq.* εἰς ἐπάλξεις in propugnacula. *Symmachus*, ὕψη, altitudines : *quarum editionum facit etiam mentionem Theodoretus.* S. *Ambr. in pſalm* 118. *ſerm.* 4. Sicut turris David cervix tua, quæ ædificata eſt in Thalpio : mille oſtia pendent in ea, omnia jacula potentium. (*f*) Aſpiret dies, & amoveantur.] *Aq.* κοπάσῃ ἡμέρα, καὶ κλιθῶσιν, ceſſet dies, & inclinentur, *ut ſupra.* (*g*) Collem.] *Symm.* εἰς τὴν νάπην, *eodem ſenſu.* (*h*) Fidei.] *Sic fere* S. *Ambr.* 1. *de Virg. nec multo aliter lib. de Noe cap.* 15. *& in pſ.* 118. *ſerm.* 15. *Aq.* ἀμανὰ, *& vulgata*, Amana. (*i*) Latibulis.] *Aquila*, κατοικητηρίου, habitaculo. (*k*) Cor abſtuliſti.] *Idem enim videtur valere hoc loco*, ἐκαρδίωσας, *atque illud quod eſt in aliis*, ἐκκαρδίωσας. *Sic hebræus.* S. *Ambr. in pſ.* 118. *ſerm.* 11. corde nos cepiſti ab uno oculorum tuorum, *ſed in ſerm.* 16. cor meum cepiſti : *quinta editio*, ἐθάρσυνάς με, ἐθάρσυνας, fidere me feciſti, feciſti fidere. *Apud interpretem Theodoreti ex Symm.* excitaſti. (*l*) Uno.] *Aq.* ἐν ἑνὶ, in uno. *Symm.* δι' ἑνὸς, per unum. (*m*) Ornamento.] *Aq.* ἐν ἑνὶ πλοκάμῳ ἀπὸ τραχήλου σου, in uno ſerto a collo tuo. *Sym.* τῶν ὁρμίσκων τοῦ τραχήλου σου, monilium colli tui. (*n*) Pulchra facta ſunt.] *Aq.* ἐκαλλωπίσθησαν, *Symm.* ὡραιώθησαν, *eodem ſenſu.* (*o*) A vino.] *Symm.* ὑπὲρ οἶνον, ſuper vinum. (*p*) Favum.] *Aq.* γλυκασμὸν, dulcedinem. *Symm.* μέλι mel. (*q*) Nucum.] *Symm.* ὀπωρῶν, pomorum. (*r*) Aloth.] *Aq.* καὶ ἀλωὴ, & aloe. *Symm.* καὶ θυμίαμα, & thymiama. (*ſ*) Cum ſtrepitu fluentis.] *Quinta editio*, ῥεόντων, fluentium. S. *Ambr. in pſal.* 118. *ſerm.* 7. & impetus deſcendens a Libano. (*t*) Fluant.] *Aq.* ῥυήτωσαν, *eodem ſenſu.* (*u*) Mea.] *Sic* S. *Hier. in Abacuc cap.* 3. *& apud Theodor. & apud* S. *Ambr.* 1. *de Virg. Alii*, σου, tua. *Vulgata*, illius.

CAP. V.

(*a*) NUcum.] S. *Ambr.* 3. *de virg.* invitatur Dei verbum in hortum nucis. *Sed* 1. *de virg.* manducet fructum pomorum ſuorum. *Aq. & Sym.* ὀπωρῶν, pomorum, *ut ſupra.* (*b*) Manducavi panem meum.] *Symm.* ἐνεμήθην τὸν δρυμόν μου, depaſtus ſum ſylvam meam. (*c*) Fratres.] *Aq. & Sym.* ἑταῖροι, ἀδελφιδοὶ, ſodales, fraterni. (*d*) Noctis.] *Aq. & Symm.* νυκτερινῶν, nocturnus. (*e*) Ipſum.] *Sic hebræus : quod tamen, ut alibi, putant nonnulli ſignificare*, me. S. *Ambr. in pſ.* 118. *ſerm.* 12. ſuper eum. *Sed vulgata*, ad tactum ejus. *Symm.* τὰ ἔντερά μου ἐταράχθη, viſcera mea turbata ſunt. (*f*) Super manus peſſuli.] *Sch.* ἐπὶ θύρας, ſuper oſtia. S. *Ambroſius in ſerm. illo* 12. *hæc tantum refert*, digiti mei myrrha pleni : *& in aliquo libro eſt*, σμύρνης πλήρεις. (*g*) Tranſiit.] *Aq.* ἔκλινεν, παρῆλθεν, declinavit, præteriit. *Sym.* ἀπονεύσας παρῆλθεν, renuens præteriit. (*h*) Anima mea.] *Symm.* ψυχή μου ἐξήρχετο λαλοῦντος αὐτοῦ, anima mea exibat eo loquente. (*i*) Vulneraverunt.] *Aquila*, ἐμωλώπισάν με, flagellarunt me. (*k*) Theriſtrum.] S. *Ambr.* pallium. *De hoc alibi dictum eſt. Schol.* τὸ κάλυμμά μου, operimentum meum. (*l*) Candidus. *Symm.* λαμπρὸς, ſplendens. (*m*) Electus.] *Aq.* ἐκλελεγμένος. *Symm.* ἐπίλεκτος, *eodem ſenſu.* (*n*) Aurum Cephaz.] *Aut*, Cephas : *ut* S. *Ambroſio videtur, factum ex duabus dictionibus hebraicis quæ ſignificant maſſam auri obryzi. Aq.* λιθέα τοῦ χρυσίου, lapidea auri. *Symm.* χρυσίον, aurum. *Th.* ἐπίσημοι ἐν χρυσίῳ, inſignes in auro. (*o*) Plenitudinis.] *Aquila*, ἐκχύσεις, effuſiones. (*p*) Phialæ.] *Aq.* πρασιαὶ, ſulci. (*q*) Plenam.] *Ita etiam* S. *Ambr. in pſalm.* 118. *ſerm.* 18. *Aquila*, ἐπιλεκτὴν, electam. *Symmachus*, πρωτείαν, primam. (*r*) Tharſis.] *Symm.* πλήρεις ὑακίνθων, *& vulgata*, plenæ hyacinthis. *Sexta editio*, χρυσολίθων, Chryſolithis. (*ſ*) Marmoriæ.] *Aq.* & *Th.* πάριοι, Pariæ. (*t*) Abiit.] *Aq.* ἐπορεύθη, ivit, *Symm.* ἀνεχώρησεν, receſſit.

CAP. VI.

(*a*) PHialas.] *Aq. & Symm.* πρασιὰς, ſulcos, areolas. (*b*) Paſcere.] *Sic* S. *Ambr. de inſtit. virg. cap.* 15. *Aq. Symm. Sexta editio*, τοῦ νέμειν, ad paſcendum. (*c*) Qui paſcit.] *Sexta editio*, τῷ νεμομένῳ ἐν τοῖς κρίνοις, ei qui paſcitur in liliis. *Theodor. ex Symm.* qui paſcit flores. (*d*) Sicut beneplacitum.] *A.* κατ' εὐδοκίαν, juxta beneplacitum. *Symmachus*, εὐδοκητὴ, bene accepta. *Quinta editio*, ἕως εὐδοκῶ, quouſque bene probo. *Nonnulli putant dictionem Hebræam ſignificare ipſammet civitatem Therſam.* (*e*) Pavor, ut ordinatæ.] *Eſt Hebraiſmus : nam Hebræus habet*, vexillatæ, *& valet*, acies, caſtra. *Symmachus*, ἐπίφοβος, ὡς τάγματα παρεμβολῶν, terribilis ut acies caſtrorum. (*f*) E regione mei.] *Aq.* ἀπὸ κατέναντί μου, *eodem ſenſu.* (*g*) Apparuerunt.] *In aliquot libris eſt*, ἀνέβησαν, aſcenderunt, *& Schol.* ἀνεφάνησαν. (*h*) Tonſarum.] *Symm.* τῶν ἀμνάδων, agnarum. (*i*) Funiculus coccineus.] *Schol.* ὡς νῆμα κόκκινον, ſicut filum coccineum. *Aquila*, τοῦ κόκκου, cocci. Locus merito ſuſpectus. Nam coccus שני dicitur. Hic autem eſt, רמון quod potius malogranatum ſignificat. *Filum coccineum.* i. חוט שני quod invenies cap. 4. verſ. 3. unde huc tranſcriptum. Ibidem. *Druſ.* (*k*) Eloquium.] *Symm.* διάλεξίς σου καλὴ, alloquutio tua bona. *Abeſt tamen hoc loco iſta pars a vulgata.* (*l*) Extra taciturnitatem tuam.] *Symm.* σκεπόμεναι καλύμματι, tectæ operimento. (*m*) Beatificabunt.] *Aq. & Symm.* καὶ ἐπῄνεσαν, & laudaverunt. (*n*) Progreditur.] *Reſponderet etiam hebræo, ſi illud*, ἐκκύπτουσα, *verteretur*, reſpiciens. (*o*) Pavor, ut ordinatæ.] *Symm.* ἐπίφοβος μετὰ σίφους, terribilis cum acie : *alius interpres* ὡς ἐπιφάνεια, tanquam adventus ſplendoris. *Quinta editio*, ἐπιφανὴς ὡς μεγαλυνόμεναι, illuſtris, ſicut illæ, quæ magnificantur. *Sexta editio*, καταπληκτικὴ ἐν μεμεγαλυμμέναις, terrefaciens inter eas quæ ſunt magnificatæ. (*p*) Videre in genimina torrentis.] *Symm.* καταμαθεῖν τὰς ὀπώρας τῆς φάραγγος, ad conſiderandos fructus convallis : *alius interpres*, ἰδεῖν τὸν καρπὸν τῶν χειμάῤῥων, ad videndum fructum torrentium. (*q*) Non novit.] *In aliquo libro eſt*, οὗ ἔγνω, ubi novit, *& ex Aquila, ut eſt in noſtra. Symm.* οὐκ οἶδα, ἡ ψυχή μου ἠπόρησέν με, *quod vulgata*, neſcivi : anima mea conturbavit me. (*r*) Poſuit me currus Aminadab.] S. *Ambr. de Abraam cap.* 8. poſuiſti me currus Aminadab. *Quinta editio*, ἔθου με εἰς ἅρμα λαοῦ ἡγουμένου, poſuiſti me in currum populi ducis. *Theodoretus tribuit Symmacho*, anima mea dubitavit a curribus populi ducentis : *Aquilæ autem*, curribus populi ſponte imperantis. (*ſ*) Sunamitis.] *Symm.* ἡ ἐσκυλευμένη, ſpoliata, *Aq.* ἡ εἰρηνεύουσα, quæ in pace degis. (*t*) Videbimus.] *Sic* S. *Ambr. de obitu Valent. Sch.* ὁραματισθησόμεθα, intuebimur quaſi in ſpectaculum.

CAP. VII.

(*a*) QUID videbitis in Sunamitide.] *Aq.* τί ὁραματισθήσεσθε ἐν εἰρηνευούσῃ; Quid intuebimini in pacifica? (*b*) Quæ venit, ſicut chori.] S. *Ambr. de obitu*, de qua venit, ſicut chori. *Compl non ſine mendo*, ὡς χόρτος, ſicut herba. *Sch.* διερχομένην ὡς χορὸν τῶν παρεμβολῶν, accedentem tanquam chorum caſtrorum. *Symm.* τὴν ἐσκυλευμένην ἐν τρώσεσι τῶν παρεμβολῶν, ſpoliatam in vulnerationibus caſtrorum. (*c*) Filia Nadab.] S. *Hieron.* 1. *adv. Iovin.* in calceamentis filii Aminadab. S. *Ambroſius de Inſtitutione virg. capite* 14. *& de obitu Valentiniani*, in calceamentis filia Aminadab, hoc eſt, filia principis : *& Theodoretus ex Aquila*, ἑκουσιαζομένου, ſponte dantis, munifici : *ex Symm.* ἡγεμόνος, ducis. S. *Ambr. ex Aquila, videtur vertiſſe in ſerm. in pſal.* 118. voluntatis, vel beneplaciti. (*d*) Opus artificis.] S. *Ambr. de Inſtit. virg. cap.* 14. opera manuum artificis, *in pſal.* 118. *ſerm.* 17. opere artificis. [*e*) Acervus frumenti.] S. *Ambr. de Inſtit. virg. c.* 14. ſicut acervus tritici minuti inter lilia : *ſed de obitu Valent.* acervus tritici muniti inter lilia. *Symm.* ὡς σωρὸς, tanquam cumulus. (*f*) Stagna.] *Sic* S. *Ambr. Symm.* κολυμβῆθραι, piſcinæ. (*g*) Filiæ multorum.] *Sym.* θυγατέρων πλήθους, filiarum multitudinis. (*h*) Et plexus.] S. *Amb. ſer.* 17. *in pſ.* 118. & ornatus. *Sch.* καὶ ἡ διακόσμησίς σου ὡς πορφύρα βασιλέως περιδεδεμένη εἰλήμασι, & ornatus tuus, ſicut purpura regis circumligata involucris. *Aliud Sch.* δεδεμένη βερατείμ, ligata Beratim, *quod ſignificat*, in canalibus. (*i*) In deliciis tuis.] *Sic* S. *Ambr. in illo ſerm.* 17. *& alibi. Aquila*, θυγάτηρ τρυφῶν, filia deliciarum : *alius interpres*, ἀγαπητὴ ἐν σπατάλαις, dilecta in deliciis. (*k*) Hæc magnitudo.] S. *Ambr. Hexae. l.* 3. *c.* 17. ſtatura tua ſimilis facta eſt palmæ. *Aq.* αὕτη ἀνάστασίς σου, hæc ſuſcitatio tua. *Symm.* αὕτη ἡλικία σου, hæc ætas tua. (*l*) Cacumina.] *Symm.* τῶν βαΐων, ramos. *Theodoretus ex Aquila*, elatas ejus. (*m*) Vadens.] *Symm.* ἁρμόζον τῷ ἀγαπητῷ μου εἰς εὐθύτητα, conveniens dilecto meo in rectitudinem. (*n*) Sufficiens.] *Symm.* προστιθέμενος χείλεσι, accedens labiis. *Aq.* χείλεσι, καὶ ὀδοῦσι, labiis, & dentibus. (*o*) Floruit.] *Aq. & ſexta editio*, εἰ ἐβλάστησεν, ſi germinavit. (*p*) Floruerunt.] *Aquila*, ἤνοιξαν, aperuerunt ſe. (*q*) Servavi.] *Aq. & Symm.* ἀπέκρυψά σοι, abſcondi tibi.

CAP. VIII.

(*a*) QUIS det te fraterne mi.] S. *Ambroſ. de inſt. virg.* Quis dabit te fratrem mihi : *nec multo aliter ſerm.* 19. *in pſal.* 118. *Atque omnino ſæpe pro fraterno, aut fratruele apud Patres eſt frater. Aq.* τίς δώσει σε ὡς ἀδελφὸν ἐμοί; quis dabit te ut fratrem mihi? (*b*) Et inveniens.] *Sic* S. *Ambroſ. Symm.* ἵνα εὑροῦσά σε ἔξω, φιλήσω σε, ut cum invenero te foris, oſculer te. *Alius interpres*, ἐν ἀγρῷ, in agro : *alius*, εὑρήσω σε ἐν ἀγορᾷ, φιλήσω σε, inveniam te in foro, oſculabor te. (*c*) Et quidem non ſpernent.] *Sexta editio*, καὶ μηδεὶς ἐξουδενίζῃ με, & nemo vilipendat me. *Aq.* οὐκ ἔτι μυκτηριοῦσί με, non ultra ſubſannabunt me. (*d*) Me.] *In aliquot libris, & apud Theodoretum additur*, διδάξεις με, *& apud* S. *Ambr. ſerm. illo* 19. ibi docebis me. (*e*) Vnguentato.] *Symm.* ἠρτυμένου, condito. (*f*) In viribus agri.] *In Compl. & apud Theodoretum eſt*, ἐν ταῖς δυνάμεσι, καὶ ἐν ταῖς ἰσχύσεσι τοῦ ἀγροῦ, *ut ſupra. Totum vero iſtud abeſt a* S. *Ambr. & a vulgata. Sch* ἐν ταῖς δορκάσιν, ἢ ἐν ἐλάφοις τῆς χώρας, in capreis, vel in cervis regionis. (*g*) Aſcendit.] *Ita etiam* S. *Ambr. ibidem, & Theodoretus. Schol adjungit*, ἐκ τῆς ἐρήμου, *& vulgata*, de deſerto. (*h*) Innitens.] *Sic* S. *Ambr. Sexta editio*, ἐπερειδομένη, *eodem ſenſu. Sed in* 1. *hom. Orig. verſa a* S. *Hier. in recentioribus editionibus* : Et quo manifeſtius hoc myſterium deſcribatur, non ait, ut in pleriſque codicibus legitur, innixa ſuper fratruelem ſuum, *id eſt*, ἐπιστηριζομένη, ſed, ἐπιστηθιζομένη, id eſt, ſuper pectus ejus recumbens. (*i*) Sub malo.] *Aq.* ὑποκάτω τοῦ μήλου ἐξήγειρά σε, *Sym.* ὑπὸ τὴν μηλέαν, *eodem ſenſu.* (*k*) Ibi peperit te.] *A.* ἐκεῖ διεφθάρη, ibi corrupta eſt. *Sym.* ὅπου, ubi. (*l*) Pone.] *Schol.* περίθου, circumpone. (*m*) Quia valida.] *Sym.* ὅτι ἀκαταμάχητος, ὡς θάνατος, ἡ ἀγάπη, quia inexpugnabilis, ut mors, dilectio. (*n*) Alæ.] *Sic* S. *Ambr. Sch.* λαμπάδες αὐτῆς, λαμπάδες πυρὸς, lampades ejus, lampades ignis. *Sym.* αἱ ὁρμαὶ αὐτῆς, ὁρμαὶ πύρινοι, impetus ejus, impetus ignis. *Sexta editio*, σπίνθρακες αὐτῆς, σπίνθρακες πυρὸς, ſcintillæ ejus, ſcintillæ ignis. *Hujus lectionis facit etiam mentionem Theodoretus, quaſi ex diverſitate exemplarium.* (*o*) Omnem vitam ſuam.] *Aq.* σύμπασαν ὕπαρξιν τοῦ οἴκου αὐτοῦ, univerſam ſubſtantiam domus ſuæ. (*p*) In charitate.] *Symm.* ὑπὲρ τῆς ἀγάπης ἐξουδενιζόμενος ἐξουδενισθήσεται, pro charitate, ſpretus ſpernetur. (*q*) Parva.] *Quinta editio*, ἀδελφὴ ἡμῶν εἶ μικρὰ, μαστοὺς οὐκ ἔχεις, ſoror noſtra es parva, & ubera non habes. (*r*) Loquetur.] S. *Ambr. in pſ.* 118. *ſerm.* 22. vel, ut Symm. qua loquatur ei. *Sed poſſet etiam verti*, ſermo fiet. (*ſ*) Sculpamus ſuper eam tabulam.] S. *Ambr.* tabulas. *Quinta editio*, ἐπάνω αὐτῆς, deſuper eam. *Symm.* περισφίγξωμεν αὐτὴν σανίσι κεδρίνοις, compingamus eam tabulis cedrinis. (*t*) Eorum.] *Aliqui codices*, αὐτοῦ, *&* S. *Ambr.* ejus, *& ſic Aq.* τότε ἐγενόμην ἐν ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ εὑρίσκουσα εἰρήνην, tunc facta ſum in oculis ejus inveniens pacem. (*u*) Beelamon.] *Theodoretus*, Symm. vertit, ἐν κατοχῇ ὄχλου, in retentione turbæ. *Aq.* ἐν ἔχοντι πλῆθος, in habente multitudinem. (*x*) In fructu.] *Aliqui*, ἐν καιρῷ, in tempore. *Schol.* ἐνέγκῃ ὑπὲρ καρποῦ αὐτοῦ χιλίους ἀργυρίου, afferat pro fructu ejus mille argenti. (*y*) Vinea mihi mea.] S. *Ambr.* vitis mea in conſpectu meo. *Sch.* ἀμπελὼν ἐμὸς εἰς πρόσωπόν μου, vinea mea ad faciem meam. (*z*) Ducenti.] *Sic cæteri omnes. Schol.* δισχίλιοι, bis mille. (*ω*) Qui ſedes.] *Sym*, οἱ καθήμενοι, qui ſedetis. (*aa*) Intendentes.] *Schol.* ἀκροῶνται, auſcultant. (*bb*) Aromatum.] *Sym.* ἡδυσμάτων, ſuavitatum.

SAPIENTIA SALOMONIS.

CAP. I.

(*) SEntite.] S. *Hieron. in Eſa.* 55. ſapite. (*a*) Peccatis.] *Græce eſt in numero ſingulari : ſed auctor vulgatæ videtur vitaſſe ineptam compoſitionem: a qua quidem vulgata inviti, & raro diſcedemus, præſertim ubi illi convenit cum recitatione Patrum.* (*b*) Sapientia.] *In uno vetuſto ad marginem eſt*, σοφίας, ſapientiæ, *ut vulgata.* S. *Aug. de mendacio ad Conſent. cap.* 16. *ubi multa ex hoc loco affert, & explicat*, humanus eſt enim ſpiritus ſapientiæ. (*c*) Et hoc, quod continet.] *Si referatur ad ſpiritum, quemadmodum referri poteſt in græco ; verti poſſet*, & qui continet, *ut apud* S. *Auguſtinum in ſpeculo*, & *Orig. in epiſt. ad Rom. cap.* 9. *lib* 7. (*d*) Et ſalutares.] *Sic* S. *Hier. ſed vulgata*, & ſanabiles fecit nationes orbis terrarum. (*e*) Immortalis eſt.] *In multis vulgatæ codicibus ſunt plura*, perpetua eſt, & immortalis : injuſtitia autem mortis acquiſitio. (*f*) Digni.] *In vulgata additur*, morte : *quæ tamen dictio minime neceſſaria eſt, & abeſt ab aliquot vetuſtis codicibus vulgatæ.*

CAP. II.

(*a*) APUD ſe.] *In multis libris eſt*, ἐν ἑαυτοῖς, *& poſſet etiam verti*, intra ſe. (*b*) Remedium.] *Vulgata*, refrigerium. (*c*) Ex nihilo.] *Videtur bene expreſſa ſententia, quamvis* αὐτοσχεδίως, *ſignificet*, temere, caſu. (*d*) Sermo ſcintilla.] *Sic Vaticani; & cæteri manuſcripti*, ὁ λόγος σπινθήρ. *& eadem videri poteſt fuiſſe lectio vulgata, licet nunc ſit*, ſermo ſcintillæ. *Nonnulli autem putarunt legendum*, ὀλίγος σπινθὴρ, parva ſcintilla. *Quod autem ſequitur*, ad commovendum cor noſtrum, *poſſet etiam verti*, in motione cordis noſtri. (*e*) Qua extincta.] *Id eſt, qua ſcintilla extincta. Vulgata, niſi ſubeſt mendum*, quia extinctus cinis. (*f*) Et nomen.] *In vulgata hæc ſententia ponitur poſt ſequentem.* (*g*) Creatura, tanquam juventute.] *Compl.* τῇ κτήσει, ὡς ἐν νεότητι, poſſeſſione, tanquam in juventute. *Vulg.* creatura tanquam in juventute. (*h*) Temporis.] *Sic vulgata, &* S. *Ambroſius in pſ.* 118. *ſerm.* 8. *nec longe abeſt a dictione*, ἀέρος. (*i*) Nec veterani revereamur.] *Sic aliquot codices vulgatæ, licet alii*, nec veterano, nec revereamur. (*k*) Iuſtitiæ.] *Ita etiam gloſſa; & aliquot codices vulgatæ. Alii*, injuſtitiæ. (*l*) Gloriatur patrem Deum.] *Id eſt*, jactat. *Et ita* S. *Cypr. lib.* 2. *adverſ. Iudæos, in aliquot vetuſtis exempl. licet in aliis ſit*, & gloriatur patrem ſe habere Deum, *ut in vulgata. Multa autem ex his eodem modo referuntur in vulgata, apud* S. *Cypr. loco indicato, apud Lactantium lib.* 4. *c.* 16. *apud Luciferum pro* S. *Ath. apud* S. *Aug.* 17. *de civit. c.* 20. *& alios : quare a vulgata minime recedendum putavimus.* (*m*) Probemus.] *Sic etiam* S. *Cypr. & Lactantius, &* S. *Aug. Aliquot libri habent*, δικάσωμεν, judicemus. (*n*) Ad imaginem ſuæ ſimilitudinis.] *Sic etiam Lucifer : quamvis ad verbum redderetur*, imaginem ſuæ (*aut*, propriæ) proprietatis. *In pleriſque autem codicibus pro*, ἰδιότητος, *eſt*, ἀϊδιότητος, æternitatis. (*o*) Imitantur autem illum.] *Sic etiam Lucifer, &* S. *Cypr. de zelo, ſed illud*, πειράζουσι δὲ αὐτὸν, *poſſet etiam ſignificare*, experiuntur autem illam, *nimirum mortem.*

CAP. III.

(*a*) TOrmentum.] *Sic etiam apud Luciferum pro.* S. *Athan. in vulgata additur*, mortis. (*b*) Afflictio.] *Lucifer ibid. habet*, malitia, *&* S. *Aug. in Exod. q.* 143. *ubi tamen docet malitiæ nomine ſignificari pœnam. Apud Luciferum totus locus ſic habet*, & æſtimata eſt malitia exitus illorum. Et ab itinere juſto, abierunt in exterminium : illi autem, *&c.* In vulgata, & æſtimata eſt afflictio exitus illorum. Et ab itinere juſto abierunt in exterminium : & quod a nobis eſt, iter exterminii : illi autem, *&c.* (*c*) Holocauſti hoſtiam.] *Propius eſſet Græco*, holocauſtum hoſtiæ. *Apud Luciferum, & in multis codicibus* S. *Cypriani eſt*, holocauſtam hoſtiam : *quamvis in aliis interdum ſit*, holocauſta hoſtiæ. (*d*) Reſpectus.] *Id eſt*, viſitationis, *ut cap. præcedenti etiam apud* S. *Auguſt.* 17. *de civit.* erit enim ei reſpectus ex ſermonibus illius : *& in hoc ipſo cap. paulo poſt*, in reſpectione animarum, *& alibi. Sed quod ad præſentem locum pertinet, apud Luciferum, &* S *Cyprianum eſt, ut in vulgata*, & in tempore erit reſpectus illorum, *& apud Luciferum ſequitur*, fulgebunt tanquam ſcintillæ : *apud* S. *Cyprianum* : Iudicabunt nationes : *ſed ep.* 1. *lib.* 4. *in aliquo vetuſto codice*, fulgebunt juſti & tanquam, *ut vulgata.* (*e*) Donum & pax.] *Sic etiam* S. *Auguſtinus in ſpeculo, quamvis græca ſic reddi ſoleant*, quoniam gratia, & miſericordia electis ejus. *In multis autem codicibus græcis eſt*, ἐν τοῖς ὁσίοις αὐτοῦ καὶ ἐπισκοπὴ ἐν τοῖς ἐκλεκτοῖς αὐτοῦ, in ſanctis ejus, & viſitatio in electis ejus, *ſed non apud* S. *Auguſtinum. Similia habentur cap. ſequenti.* (*f*) Creatura.] *Id eſt, generatio*, γένεσις. (*g*) Incoinquinata.] *Etiam a* S. *Hieronymo abeſt* & *ut dicemus. Vulgata, &* S. *Aug. in ſpeculo*, & coinquinata. (*h*) Animarum.] *Sic* S. *Auguſt. ibidem, &* S. *Hier. ut dicemus. In vulgata additur*, ſanctarum. (*i*) In manu.] *Vulg. &* S. *Aug.* per manus ſuas. S. *Hier. in Eſa. c.* 56. *hunc locum ſic refert* : Beata ſterilis immaculata, quæ non cognovit ſtratum in delicto : habebit fructum in reſpectione animarum : & eunuchus qui non eſt operatus manu iniquitatem, neque cogitavit contra Dominum mala. Dabitur enim fidei ejus electa gratia, & pars in templo Domini delectabilis. (*k*) Inconſummati.] *Id eſt*, non perfecti : *ut cap. ſequenti, non enim probanda videtur verſio Complut.* non initiati. *Vulgata fortaſſe mendoſe*, in conſummatione. (*l*) Alloquutionem.] *Id eſt*, ſolatium, *ut alibi.* (*m*) Nationis.] *Sic etiam aliquot vetuſti codices vulgatæ, licet aliter in aliis.*

CAP. IV.

(*a*) VIrtute.] *In lib. de ſingul. cleric. inter opera* S. *Cypriani eſt*, claritate : *cætera hujus loci inde ſumpſimus : magis enim reſpondent Græcis, quam vulgata*, ô quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate : *quemadmodum etiam & illud*, abduxerit, *ubi in vulgata*, eduxerit. (*b*) Certaminum prælium.] *Sic in eodem libro. In vulgata eſt*, præmium. *Poterat etiam, pro*, certaminum, *dici*, præmiorum : *quoniam*, ἄθλων, *poteſt utrumque ſignificare. Sed ab auctoritate vulgatæ, & ejus libri recedere noluimus ; præſertim cum optima ſententia elici poſſit.* (*d*) Adulterinæ.] *Mutavimus nonnihil vulgatam auctoritate* S. *Auguſtini lib.* 2. *de doctr. Chriſt. c.* 12. (*d*) Somnis.] *Fieri poteſt ut in vulgatam mendum irrepſerit, & pro*, ſomnis, *ſit factum*, omnes. (*e*) Longævam ſenectutem.] *Vulgata*, longam vitam. *Lucifer*, longævitatem. (*f*) Sine voce inflatos.] *Hoc eodem ordine Lucifer, licet in vulgata ſit*, inflatos ſine voce. *Poſſet etiam pro* inflatos, *dici*, pronos, demiſſos. (*g*) In dolore.] *Sic Lucifer : vulgata*, gementes. (*h*) Cogitationem.] *Lucifer*, cognitionem : *vulgata*, cogitatione. *Dictio græca ſignificat ſupputationem.*

CAP. V.

(*a*) IN riſum.] *Apud* S. *Cyprianum in aliquot manuſcriptis, & apud Luciferum eſt*, in riſu, *in aliis, & vulgata*, In deriſum. *Sequuti autem ſumus iſtorum auctoritatem, ut quæ Græcus in ſingulari habet de juſto, in numero multitudinis redderemus. Id enim ſententiæ nihil officit.* (*b*) Quomodo.] *Sic Lucifer, &* S. *Cyprianus in aliquot codicibus, in aliis*; Quomodo ergo : *vulg.* Ecce quomodo. (*c*) Sol.] *Ita iidem, &* S. *Ambroſ. ſerm.* 3. *&* 16. *&* S. *Greg.* 34. *mor. cap.* 6. *In multis autem libris eſt*, ὁ ἥλιος τῆς δικαιοσύνης, Sol juſtitiæ : *& in vulgata*, Sol intelligentiæ. (*d*) Laſſati ſumus.] *Græce eſt*, ἐνεπλήσθημεν, impleti & ſatiati ſumus. *Sed quoniam repletio laſſitudinem facit; ſatis bene videtur dictum*, laſſati. (*e*) Solitudines.] *Sic* S. *Cypr. de exhort. mart. & alibi Lucifer*, heremias : *vulgata*, vias. (*f*) Divitiarum jactatio.] *Sic etiam* S. *Cypr. & ſatis bene ad ſententiam. Lucifer*, divitiæ cum exultatione contulerunt. (*g*) Præcurrens.] *Lucifer*, percurrens. (*h*) Carinæ.] *Sic vulgata. In aliis eſt*, τρίβων, ſemitarum. (*i*) Percuſſione.] *In multis eſt*, πληγῇ, percuſſio. *Vulgata*, ſed tantum ſonitus. (*k*) Pulvis.] χοῦς. *In aliis*, χνοῦς, *quod poteſt etiam ſignificare*, lanugo, *ut in vulgata.*

CAP. VI.

(*a*) MUltitudinem.] *Ita Lucifer, licet apud* S. *Aug. in ſpeculo, & in multis codicibus vulgatæ ſit*, multitudines. (*b*) Legem.] *Sic etiam Lucifer. Apud* S. *Auguſt. & in pleriſque codicibus vulg. additur*, juſtitiæ. (*c*) Cujuſque dominus.] *Ita Lucifer, quod ſatis videtur reſpondere Græco*, οὐ γὰρ ὑποστελεῖται πρόσωπον ὁ πάντων δεσπότης, non enim ſubtrahet vultum (*quaſi præ timore*,) omnium dominus. *Apud* S. *Auguſtinum*, non enim ſubtrahit perſonam cujuſquam Dominus, *cum qua lectione conveniunt aliquot codices vulgatæ, licet in multis addatur*, qui eſt omnium dominator. (*d*) Magnitudinem.] *Apud omnes fere Latinos additur*, cujuſquam : *Sed in nullo Græco eſt inventum.* (*e*) O tyranni.] *Lucifer*, ô mali tyranni. *Sanctus Auguſtinus*, mali reges. *Vulg.* reges. (*f*) Iuſte iuſta ; juſtificabuntur.] *Sic in lib. de ſingular. cler.* S. *Aug.* Qui enim cuſtodierint juſtitiam juſte, juſtificabuntur : *atque ita in aliquot codicibus vulgatæ, licet in aliis ſit*, judicabuntur. (*g*) Iſta.] *Sic apud* S. *Aug. quamvis in vulgata ſit factum*, juſta. *Simile mendum, ſed majore cum damno ſententiæ alibi obſervavimus irrepſiſſe in librum de vera & falſa pœnitentia*, quæ novit juſtis ignoſcere, *cum legendum ſit*, iſtis. (*h*) Senſus eſt conſummatus.] *Sic etiam* S. *Aug & ſignificat*, perfecta prudentia, *aut*, perfectio prudentiæ *quod ad verbum reſponderet græco.* (*i*) Viis.] *Ita apud* S. *Aug. &* S. *Greg.* 26. *mor. cap.* 8. *& in aliquot codicib. vulgatæ : licet in aliis addatur*, ſuis. *Cætera etiam in quibus nonnihil a vulgata diſceſſimus, ſunt fere ex Sancto Auguſtino.*

CAP. VII.

(*a*) TErreni.] *Sic eſt in aliquo codice vulgatæ, licet in aliis, & apud* S. *Ambr. in pſ.* 118. *ſit*, terreno. *Apud eundem eſt*, fictus ; *quem ſequuti ſumus etiam aliquot aliis locis.* (*b*) Somno conveniente.] *Id eſt, quod convenit ſomno. Apud eundem, & in aliquot vulg. cod. eſt*, ſomni convenientis, *in aliis*, ſomnii conveniente. (*c*) Æque.] *In vulgata & apud* S. *Ambr. eſt*, emiſi, *& in Compl eſt*, ἧκα. *Fieri poteſt, ut iſtud*, emiſi, *ſit additum ab interprete ad ſententiæ perſpicuitatem.* (*d*) Curis.] *Etiam* S. *Ambr. addit*, magnis. (*e*) Precioſum.] *Hoc videtur poſtulare ſententia, & in Compl. eſt*, τίμιον. *Quare*, ἀτίμητον, *quod eſt in aliis, aut mendoſum eſt, aut ſignificat, lapidem, qui precioſus vulgo dicitur, vere eſſe vilem præ illa.* (*) Matrem.] *In aliquo eſt*, γένεσιν, generationem. (*f*) Det.] *Sic* S. *Greg.* 23. *mor. c.* 17. *licet in vulg.* dedit. * Quæ mihi data ſunt.] *Aliquot libri habent*, τῶν λεγομένων. (*g*) Et operum ſcientia.] *Ita in lib.* 1. *de vocat. gentium, cap.* 9. *licet addatur*, & diſciplinæ : *vulgata autem*, & operum ſcientiæ diſciplina. (*h*) Virtutem.] *Conferentes vulgatam cum iis quæ a* S *Ambr. afferuntur lib.* 2. *de Abraham, cap.* 1. 7. *& lib. de Salomone, & lib. de fide reſurr. elegimus ea quæ viſa ſunt magis reſpondere græcis.* (*i*) Evidentia.] *Non ſumus auſi*, ἐμφανῆ, *dicere*, improviſa, *licet etiam* S. *Ambr. de Abraham ſic habeat. Fortaſſe habuerunt* ἀφανῆ, *aut hujuſmodi quiddam.* (*k*) Spiritus intelligens.] *In toto hoc loco, qui ſequitur, receſſimus nonnunquam a vulgata, diligenter conferentes quæ a* S. *Ambr. in lib. de incarn. Domin. myſterio in extremo,* 3. *de ſpiritu Sancto cap.* 19. *&* 23. S. *Auguſt. lib.* 4. *ſuper Gen. c.* 12. *lib. de natura boni, cap.* 29. *lib. de Incarnatione Verbi, cap.* 13. *& ſequentibus, & ab Origene Periarchon, afferuntur.*

CAP. VIII.

(*a*) ELectrix.] *Ad marginem unius codicis pervetuſti eſt*, εὑρέτις, inventrix. (*b*) Labores hujus ſunt virtutes.] *Quaſi dicat, opera ſapientiæ ſunt ipſæ virtutes ſpeciales quæ componunt juſtitiam tanquam virtutem genera-*

generalem. Vulgata tamen, & S. *Auguſtinus in ſpeculo, non diſſimili ſententia,* labores hujus magnas habent virtutes. (*c*) Multitudinem ſcientiæ.] *Videtur ſic vertiſſe* πολυπειρίαν, *quoniam ex multa experientia ſolent multa oriri ſcientiæ.* (*d*) Argumentorum.] *Quoniam adverſariorum argumenta magnam in quæſtionibus obſcuritatem ac difficultatem pariunt, idcirco non inepte hoc nomine appellavit ea quæ græce ſunt* αἰνίγματα. (*e*) Ad convivendum.] *Sic correctiores codices vulgatæ, licet alii,* ad convivandum. S. *Ambr. lib. de viduis,* in conjugium. (*f*) Alloquutio.] *Id eſt,* ſolatium, *ut alibi ſæpe: hic autem mutavimus nonnulla propemodum neceſſario.* (*g*) Cognatione.] *Mendoſe in pleriſque Bibliis legebatur,* immortalis eſt in cogitatione ſapientia. * In laboribus manuum ejus.] In nonnullis libris eſt, ϗ ἐν πόνοις ἔργων χειρῶν αὐτῆς, quamvis, ἔργων, omittitur in Græco. (*h*) Magis autem.] *Ut ex hoc loco poſſint elici ſententiæ, quæ eliciuntur e græco; paululum immutavimus verborum ordinem. Nam vulg. &* S. *Auguſt.* 10. *de Gen. cap.* 17. *habent,* & cum eſſem magis bonus. (*i*) Continens.] *Id eſt, compos. Quod autem ſequitur,* erat ſapientiæ, *ſic eſt apud eundem, & in nonnullis bibliis: nam in aliis,* erat ſumma ſapientia. *Græce eſt,* φρονήσεως, *id eſt,* prudentiæ, *aut,* ſenſus, *ut ſæpe ſolet noſter interpres vertere.*

CAP. IX.

(*a*) TUÆ.] *Sic fere omnes codices Græci, & Latini. Abeſt tamen a Complut. Lucifer, pro* S. *Athan.* Deus parentum, & Domine miſericordiarum. (*b*) Corruptibile.] *Sic* S. *Auguſt.* 13. *de civit. cap.* 16. *Vulgata,* corpus enim quod corrumpitur. (*c*) Curantem.] *Sic idem lib.* 2. *contra Pelag. Sed in vulgata, & in lib. de ſingular. clericorum,* cogitantem. (*d*) Et per ſapientiam] *Sic in eodem lib. de ſingular. quare hanc potius conſtructionem retinuimus, quam alteram, quam ferent verba græca. Et* S. *Hier. totum hunc locum ſic reddit,* quæ autem in cœlis ſunt, quis inveſtigavit? & conſilium tuum quis cognovit? niſi quod tu dediſti ſapientiam, & ſpiritum ſanctum tuum miſiſti de excelſis: & ſic correctæ ſunt ſemitæ eorum, qui verſantur in terra, & quæ tibi placent, eruditi ſunt homines.

CAP. X.

(*a*) SUO.] *In multis Bibliis, non tamen omnibus, additur,* & eduxit illum de limo terræ: *quæ neque apud* S. *Auguſt. ſunt epiſt.* 99. *unde nonnulla mutavimus.* (*b*) Fratricidis.] *Græcis, quæ nunc habemus, vix reſpondere poteſt vulgata. Int. Orig. in Joannem,* injuſtus in ira ſua periit cum animis fratricidis. (*c*) Invenit.] *Compl.* ἔγνω, *& vulgata,* ſcivit. (*d*) In teſtimonium] *Sic etiam vulgata. In aliis eſt,* ἧς ἔτι μαρτύριον, cujus adhuc teſtimonium. (*e*) Hominibus.] *Græce eſt,* τῷ βίῳ, vitæ, *quaſi diceret,* hominibus ad vitam degendam: *quare interpres videtur ſequutus ſententiam. Quæ deinde mutavimus, neceſſario videmur mutaſſe.*

CAP. XI.

(*a*) TUrbati.] *Valet, ut alibi nonnunquam, ac ſi diceretur,* turbatis, *nimirum inimicis, quorum comparatio fit cum populo Dei. Turbatis ergo illis inimicis, dediſti ipſis, id eſt, Hebræis amicis tuis, aquam, &c. Vulgata multis modis videtur mendoſa.* (*b*) Informi.] *Sic habuiſſe quædam exemplaria teſtatur* S. *Aug. lib. de fide & ſymb. cap.* 2. *& apud Origenem.* 4. *Periarchon. cap. penult.* non enim deerat omnipotenti manui tuæ, quæ creaverat mundum ex informi materia, immittere eis multitudinem urſorum, vel feroces leones. (*c*) Conſtituiſſes.] *Ita apud* S. *Aug. lib.* 1. *de diverſis quæſtionibus ad Simplic.* S. *Hier.* condidiſti. *Codices Bibliorum variant.*

CAP. XII

(*a*) INcorruptus.] *Sic* S. *Hieron.* (*b*) Partibus.] *Id eſt, per partes, & paulatim, quomodo item,* κρίνων κατὰ βραχὺ, *paulo inferius redditur,* partibus judicans, *& ita apud Luciferum de regib. apoſtat.* (*c*) Alloqueris.] *Ita idem Lucifer: in vulgata,* admones, & alloqueris. *Alloqui autem valet hoc & ſimilibus locis, corripere, & leviter, quaſi verbis caſtigare.* (*d*) Sacrificia.] *Lucifer,* ſacramenta. *Sed fortaſſe melius verteretur, & aptius præcedentibus, ac ſequentibus,* & quoniam erant initiati (*aut,* quoniam erant ſacerdotes initiantes) ſacris impiis. (*e*) Et comeſtorum.] *Hæc uſque,* ad voluiſti perdere, *non referuntur a Lucifero. Horum verborum hæc poteſt eſſe conſtructio ſubintelligendo ex ſuperioribus,* ἐπὶ τῷ πράσσειν, & quoniam faciebant convivium eorum qui comederent viſcera carnium humanarum, & ſanguinis. *Compl. habet,* σπλαγχνοφάγους, viſcerum comeſtores, *ac deinde,* ϗ θοίναν αἵματος, *quod tamen non ſatis tuto vertunt,* & devoratorem ſanguinis. (*f*) A medio ſacramento tuo] *Sic etiam vulgata, & hoc eodem loco in vetuſtioribus codicibus, licet in multis ſit poſt,* perdere voluiſti: *quo tamen loco neque apud Luciferum habentur. Hic autem Græci codices valde diſcrepant. Compl.* ἐκ μέσου μύστας θείας σου, *quod videtur factum ex,* μυσταθείας. *Plerique autem manuſcripti,* ἐκ μέσου μύστας θιάσου, myſtas e medio thiaſo, *id eſt, choro bacchantium.* (*g*) Cædis.] *Addita eſt dictio iſta ad ſententiam explicandã. Hoc enim notant grammatici antiquitus ſignificaſſe,* αὐθέντα, *id eſt,* αὐτόχειρα, *qui manus ſibi, aut aliis affert.* (*h*) Peregrinationẽ.] *Ita dictum eſt, quemadmodum ſæpe transmigrationem, id eſt, homines qui tranſmigraverant: apte autem redderetur,* coloniam. (*i*) Iniqua.] *Lucifer,* nequam. (*k*) Condemnare.] *Ita legitur in omnibus collatis codicibus, & optimus eſt ſenſus. In vulgata & apud* S. *Auguſtinum, lib.* 83. *quæſt. cap.* 53. *&* S. *Greg.* 3. *mor. c.* 11. *eſt,* condemnas, & exterum æſtimas. (*l*) Et in his, qui ſciunt.] S. *Auguſt. ibid.* ſed in iis, qui ſciunt, *& ſententia videtur eſſe, aut, inter eos, id eſt, in conſpectu eorum, qui ſciunt, redargui audaciam ignorantium, aut eorum, qui ſciunt voluntatem Domini, ſed non faciunt, audaciam puniri. Codices bibliorum valde diſcrepant & inter ſe, & a græcis.* (*m*) Tranquillitate.] *Ita etiam* S. *Aug. ſed videtur ſignificare,* æquitate: *item quod ſequitur,* reverentia, *videtur dictum, pro,* indulgentia. (*n*) Et parſimonia.] ϗ δεήσεως, *quaſi careres ſuppliciis, quibus illos afficeres. In vulg. eſt.* & liberaſti. *A Compl. utrumque abeſt.* (*o*) Experturi ſunt] *Sic videtur habuiſſe* S. *Aug. in pſ.* 9. *quantum explanatio indicat: in recitatione tamen textus eſt,* experti ſunt, *ut in vulgata: & poteſt futurum more hebraico poſitum eſſe pro præterito. Contra autem, ubi in græcis eſt,* ἐπῆλθεν, *in vulgata eſt,* veniet ſuper illos.

CAP. XIII.

(*a*) SPeciei enim primus generator, ea conſtituit.] *Hæc abſunt a* S. *Cypr. de exhortatione martyrum, &* 3. *teſtim. Cætera eodem ſere modo apud ipſum habent, atque in vulgata.* (*b*) A magnitudine enim ſpeciei creaturarum.] *Vulgata,* & creaturæ: *& in aliquo codice Græco eſt,* ϗ κτισμάτων. *Poſſet autem noſtra etiam verti,* ſpeciẽ, *ac ſi diceretur,* & ſpecie. S. *Greg.* 26. *mor. cap.* 8. Per magnitudinem enim creaturæ, & ſpeciem poteſt intelligibiliter creator videri. S. *Chryſoſtomus hom.* 4. *in Gen. Quando autem pro dictione,* ἀναλόγως, S. *Gregorius habet,* intelligibiliter, *vulgata,* cognoſcibiliter; *putavimus mutari poſſe, & clarius dici,* per proportionem. (*c*) Scire.] S. *Aug.* 5. *de Gen. cap.* 16. valere. (*d*) Bene mobile.] *Id eſt, quod facile obediat manui artificis; non enim e quercu ſolet exculpi ſimulachrum. In aliis eſt,* εὔτυκτον, *eodem ſenſu. Complut.* εὔτηκτον, *quaſi putre: licet in Compl. vertatur,* rectam arborem. *Potuit autem interpres antiquus ideo rectum vocare, quoniam quæ hujuſmodi ſunt, facilius formantur: ſicut etiam dicuntur,* εὐκτήδονα δένδρα, arbores quarum venæ & fibræ recte fluunt.

CAP. XIV.

(*a*) PER quod fit juſtitia.] S. *Ambroſius in pſal.* 118. *ſerm.* 8. quod fit per juſtitiam: maledictum autem lignum, quod fit per manum hominum. (*b*) Reſpectus.] *Id eſt, viſitatio, & punitio. Ita enim ſolet reddere interpres,* ἐπισκοπὼ, *quare veriſimile eſt ab aliquo alio additam eſſe in vulgata negationem.* (*c*) Affectui.] *Græce eſt,* συμφορᾷ, calamitati, *id eſt, affectui exorto ex calamitate amiſſi filii.*

CAP. XV.

(*a*) POtentiam.] *Sic* S. *Auguſt. de fide, & oper. c.* 22. *ex quo fere hunc locum correximus.* (*b*) Adumbrantium.] *Complut. diſtinguit in duas voces,* σκιᾷ γραφῶν, *vulgata,* umbra picturæ. (*c*) Opprobrium.] *In aliquo codice eſt,* ὄρεξιν, *& vulgata,* inſenſato dat concupiſcentiam. (*d*) Uſus.] *Sic* S. *Cypr. de exhortatione martyrum, &* 3. *teſtim. quamvis in vulgata ſit,* viſus. (*e*) Dementia.] *In magna varietate exemplarium vulgatæ, imitati ſumus ambiguitatem græcæ locutionis.*

CAP. XVI.

(*a*) ODioſam deformitatem.] *Optime ad ſenſum. Plerique tamen habent,* διὰ τὴν δειχθεῖσαν, propter oſtenſam, *nimirum,* eſcam, *quod vulgatæ magis convenit.*

CAP. XVII.

(*a*) SAnctæ; vinculis.] *Lucifer pro* S. *Athan.* nationi ſanctorum, vincti tenebrarum catenis, & longa nocte compediti, &c. (*b*) Turbulentum.] *In nonnullis eſt,* τερατώδεις, *quod in vulgata,* ex monſtris. (*c*) Dat teſtimonium condemnata.] *Sic aliquot exemplaria vulgatæ. Alia,* condemnationis. S. *Gregorius lib.* 27. *mor. cap.* 18. condemnationi. *Alia autem longe a græco,* data eſt in omnium condemnationem. *Verum illud,* proprie, *quod anteceſſit, abeſt a latinis. In aliquo autem libro eſt,* δειλὸν γὰρ ἰδίῳ πονηρία μάρτυρει καταδικαζομένη, timida enim res eſt nequitia proprio teſte condemnata. (*d*) Præbentis] *Poterat verti,* præbente tormentum cauſa. *Sed putamus illud ſignificari, quod ſæpe inculcat* S. *Chryſoſt. calamitates Iob pertractans, ignorantiam cauſæ quæ pœnam affert, valde augere calamitatem.*

CAP. XVIII.

(*a*) PAſſi erant.] *Si hoc modo legatur; videtur totus locus intelligendus de Hebræis, qui audientes vocem Ægyptiorum male multatorum, magnificarent Deum (aut beatos iudicarent ſeipſos) & gratias agerent, utque hujus inter ſe & illos diſcriminis donum ſtabile perſeveraret, orarent. In Complut. autem eſt,* ὅτι μὲν οὐ κἀκεῖνοι ἐπεπόνθεισαν, *quam negationem habet etiam vulg.* & quia non & ipſi eadem paſſi ſunt. *Sed cum habeat,* ipſi, *non,* illi, *dubium eſſe poteſt, an hæc de Hebræis intelligenda ſint, qui magnificent Deum, vel ſe, an de Ægyptiis, qui beatos prædicent Hebræos.* (*b*) Agebant.] εὐχαριστοῦσιν. *Et alibi hic interpres reddit præſens per præteritum imperfectum. In nonnullis tamen libris eſt,* ηὐχαρίστουν. (*c*) Incipiebat.] *Sic etiam Lucifer pro* S. *Athan. & ſic alibi etiam vertitur iſtud verbum* μέλλειν: *nos diceremus,* per quos dandum erat. (*d*) Quo.] *In multis eſt,* ὡς, *& vulgata,* Sicut enim. (*e*) Iuſtos, patrias.] *Parum diſceſſimus a nonnullis vulgatæ codicibus: ſed tamen hujus partis, quomodo nunc in græco habet, hanc eſſe fidelem interpretationem ſuſpicari licet,* ſanctos patribus jam præcinentibus laudes, *ut nimirum patres inciperent laudationem, filii proſequerentur. Poſſent autem & aliis modis reddi quos accuratus lector conſiderabit. Compl. habet in recto,* προαναμέλποντες. (*f*) Audiebatur.] *Aut,* diſpergebatur: *eſt enim,* διεφέρετο, *& in quibuſdam additur* φωνὴ, *in vulgata,* planctus. (*g*) Graviter.] *Aliqui,* δεινῶν, *& vulgata,* malorum. (*h*) Autem.] *In nonnullis eſt,* δέποτε, *vulgata,* autem tunc. (*i*) Turbam.] *Vulgata,* turbas. *Aliqui,* τὸν ὀλοθρεύοντα, exterminantem. (*k*) Extimuerunt.] *In nonnullis,* ἐφοβήθη, *& vulgata,* extimuit.

CAP. XIX.

(*a*) QUÆ facta erant.] *Nonnulli,* προγεγονότων, *& vulgata,* quæ ante facta erant. (*b*) Convertebantur.] *Putavimus participium valere idem, ac verbum, ut alibi ſæpe: alioqui dura eſt conſtructio.* (*c*) Supra ſuam virtutem.] *Græce eſt,* ἰδίας δυνάμεως. *Quare interpres aut habuit, aut recte ſubintellexit,* ὑπὲρ. *In aliquot codicibus additur,* ἐπιλελησμένον, oblitus

PROLOGUS.

(*a*) CUM multa.] *Plurimæ varietates, quæ ſunt in exemplaribus, ſatis indicant proœmium hoc ſubinde eſſe mutatum. Quare licere putavimus interdum paulo longius a vulgata diſcedere.* (*b*) Veniam habere.] *Eſt ſimilis loquutio illi, gratias habere, & ſignificat,* veniam dare, *quomodo vertitur infra cap.* 3. (*c*) Et cum multum temporis ibi fuiſſem.] *Quod græce eſt,* καὶ συγχρονίσας. *Alii,* καὶ ἐπ' ὀλίγον χρόνον συγχρονίσας, & ad breve tempus commoratus. (*d*) Exemplar.] ἀφόμοιον, *aut ut in quibuſdam,* ἐφόμοιον. *Sunt qui teſtentur, in aliquo exemplari inveniri,* ἐφόδιον, ſubſidium. (*e*) Putavi ipſe.] *In nonnullis,* ἀναγκαιότατον ἐθέμην οὖν καὶ αὐτός. Itaque neceſſarium putavi & ipſe, *quomodo fere vulgata.* (*f*) Attuli.] *Non multo aliter vulgata. Græce eſt,* προσενηνεγμένος, *participium ſcilicet pro verbo, aut deeſt aliquid ad ſententiæ integritatem.* (*g*) Ducens iſtum librum, ederem.] *Quidam libri habent,* ἀγαγόντα τὸ βιβλίον ἐκδόσθαι, *ſed ex noſtra bonus elicitur ſenſus.* (*h*) Parœcia] *Retinuimus vocem græcam: quoniam ambigua eſt. Poteſt enim ſignificare & viciniam, & incolatum peregrini: & utrumque hic locum habere poteſt.* (*i*) Præparati] *Optime reſpondent inter ſe,* βουλομένοις, *&* προκατασκευαζομένοις. *In aliis autem erat,* προκατασκευαζομένοις.

ECCLESIASTICUS.

CAP. I.

(*) SIrach.] *Aliis,* Ἰησοῦ υἱοῦ Σειράχ. Jeſu filii Sirach. (*) Sapientiam quis.] *Ita S. Hier. in Ezech.* 3. (*a*) Ævo.] *In pleriſque hæc ſubjunguntur,* πηγὴ σοφίας λόγος θεοῦ ἐν ὑψίστοις, καὶ αἱ πορεῖαι αὐτῆς ἐντολαὶ αἰώνιοι· *quod in vulg.* fons ſapientiæ verbum Dei in excelſis, & ingreſſus illius mandata æterna. (*b*) Inveniet gratiam.] *In aliquo libro eſt,* εὐλογηθήσεται *& vulg.* benedicetur. *In vetuſto codice hæc ſequuntur,* ἀγάπησις κυρίου ἔνδοξος σοφία, οἷς δ' ἂν ὀπτάνηται, μερίζει αὐτὴν εἰς ὅρασιν αὐτοῦ. *pro quibus in vulg.* Dilectio Dei honorabilis ſapientia: quibus autem apparuerit in viſu; diligunt eam in viſione, & in agnitione magnalium ſuorum. (*c*) Concredetur.] *Id eſt, fideliter & ſtabiliter permanebit: qua notione hoc verbum ſumi, alibi notatum eſt. Hæc autem ſententia in Latinis non eſt: ſed alia loco hujus, quæ viciſſim non eſt in Græcis,* & cum electis fœminis graditur, & cum juſtis & fidelibus agnoſcitur: *niſi hanc putemus illius explicationem. Quod fortaſſe non abſurde putaretur, ſi pro,* fœminis, *legeretur,* ſeminis, *aut,* ſeculi. *Cæterum poſt hæc in Latinis ſequuntur illa,* timor Domini ſcientiæ religioſitas, *&c. uſque ad,* plenitudo: *quorum fere ſententia eſt jam habita: ideo videri poſſunt ex alia verſione. Affert ea S. Auguſtinus in ſpeculo, ſed non noſtra, quæ anteceſſerunt.* (*d*) Illius implebit deſideriis.] *Id eſt,* rebus deſideratis, *ut alibi. Sed in aliquot libris, pro,* illius, *id eſt,* αὐτῆς, *quod videtur neceſſario referendum ad ſapientiam, eſt,* αὐτῶν, eorum, *nimirum timentium Dominum: & fortaſſe auctor vulgatæ habuit,* αὐτοῦ. *In Complut. eſt etiam,* ἐπιθυμημάτων αὐτῆς, rebus ejus deſideratis. (*e*) Et vidit, & dinumeravit eam.] *In quibuſdam libris hæc ſequuntur,* ἀμφότερα δὲ ἐστὶ δῶρα κυρίου, *& vulgata,* utraque autem ſunt dona Dei. *In aliquo additur præterea,* εἰς εἰρήνην, ad pacem. *Sed pro tota hac clauſula in Complut. eſt,* πλατύνει δὲ καύχησις τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτόν, dilatat autem gloriatio diligentibus eum. (*f*) Longævitas.] *Sic græce. Vulgata, & S. Auguſtinus in ſpeculo,* longævi, *apud quem etiam, ut in vulgata, ſequitur,* in theſauris ſapientiæ, intellectus & ſcientiæ religioſitas, execratio autem peccatoribus ſapientia: *quorum ſimilia habentur paulo poſt in ipſa vulgata, & græcis, non autem apud Sanctum Auguſtinum: quare videri poſſunt duæ interpretationes.* (*g*) Non poterit ira.] *In quibuſdam libris hic locus ſic habet:* φόβος κυρίου ἀπωθεῖται ἁμαρτήματα, παραμένων δὲ αὐτῷ. (*deeſt* αὐτῷ, *in Compl.*) ἀποστρέφει ὀργήν. οὐ δυνήσεται θυμώδης ἀνὴρ δικαιωθῆναι, Timor Domini expellit peccata; & perſeverans cum eo avertit iram. Non poterit iracundus vir juſtificari, &c. *Clemens Alexandr. lib.* 1. *Pædag cap.*8. φόβος κυρίου ἀπωθεῖται ἁμαρτήματα, ἄφοβος δὲ οὐ δυνήσεται δικαιωθῆναι, *quomodo fere vulgata:* Timor Domini expellit peccatum: nam qui ſine timore eſt; non poterit juſtificari. (*h*) Suſtinebit.] *Videtur eadem notione dictum,* ἀνθέξεται, *atque,* ἀνέξεται, *quod eſt in aliis.* (*i*) Fidelium.] πιστῶν. *Vulgata, & Sanctus Auguſtinus,* multorum, *& in aliquot exemplaribus,* πολλῶν. (*k*) Parabola ſcientiæ.] *In aliquo eſt,* παραβολαί, parabolæ, *in numero multitudinis, & ſignificat ſententias Scientiæ plenas, & abditas: pro quo vulgata,* ſignificatio diſciplinæ: *Hæc autem ſententia eſt, quam hoc loco diximus non eſſe apud S. Auguſtinum: ſed ſimilem præcedere apud ipſum, & etiam in vulgata, quæ in græcis non reperiatur; niſi hæc eadem ſit. Poſt hanc autem in vetuſto codice ſubjungitur,* φόβος κυρίου δόσις παρὰ κυρίου. καὶ γὰρ ἐπ' ἀγαπήσεως τρίβοις καθίστησιν, timor Domini, donum a Domino: etenim eximiæ dilectionis vias conſtituit: *ut multis modis appareat hunc librum fuiſſe coagmentatum.* (*l*) Concupiſti.] *Sic Sanctus Auguſtinus* 22. *contra Fauſtum cap.* 53. *nec multo aliter S. Hilarius in pſ.* 1. *& Sanctus Hieronymus in Oſee* 10. *Alii libri cum accentu in penultima,* ἐπιθυμήσας, *& vulgata, & Sanctus Auguſtinus, in ſpeculo,* concupiſcens. (*m*) Incredibilis.] *Sic etiam Sanctus Auguſtinus, id eſt,* incredulus, & rebellis. (*n*) Non acceſſiſti.] *In nonnullis libris additur,* ἐν ἀληθείᾳ, in veritate. *Vulgata, & Sanctus Auguſtinus in ſpec.* Quoniam acceſſiſti maligne ad Dominum.

CAP. II.

(*a*) PRæpara.] *Sic S. Chryſoſt. in homil. in illud Apoſtoli, Vino modico utere,* 1. *Tim.* 5. *& alii Græci. In vulg autem & apud S. Auguſt. in ſpeculo, & S. Cypr. de mortalitate:* ſta in juſtitia, & timore, & præpara: *ut, vel Latini pleniora exemplaria habuerint, vel jampridem ſit, cum hic liber cœpit infarciri.* (*b*) Obductionis.] ἐπαγωγῆς, *illationis pœnarum, & calamitatum. Paulo poſt,* ὃ ἐὰν ἐπαχθῇ, *redditur,* quod applicitum fuerit, *eodem ſenſu.* (*c*) Humilitate.] *Expreſſit ſenſum. Nam, quod græce eſt,* ἐν ἀναλλάγματι (*aut,* ἀναλλάγματι) ταπεινώσεως, *hoc valet,* in mutationibus, unde quis humiliatur. *Totus autem hic locus eodem modo refertur in ſpeculo, & aliqua ex parte apud S. Cyprianum ibid. & de bono patientiæ, atque eſt in vulgata.* (*d*) Timidis.] *Sic etiam apud Cyrillum de adorat. lib.* 1. *in vulgatis: ſed in manuſcripto, & apud S. Chryſoſt. in hom. in illud,* cum autem ſubjecta. 1. *Cor.* 15. *eſt* διπλαῖς, *quod convenit cum vulgata,* duplici corde. (*e*) Verbis.] ῥημάτων, *aut,* ῥήμασι. *Vulgata, & S. Auguſtinus,* verbo. (*f*) Incidamus.] *In aliquot codicibus eſt,* λέγοντες, ἐμπεσούμεθα, dicentes, incidamus: *ex quo veſtigio ſuſpicari licet auctorem vulgatæ pleniore codice hic uſum eſſe. Multo enim plura habet, quemodmodum & S. Auguſtinus in ſpeculo.*

CAP. III.

(*a*) ME patrem.] *In aliis partim eſt,* κρίσιν τοῦ πατρός, *partim,* κρίμα, judicium patris: *quemadmodum habet vulgata, & ſpeculum, & utrobique illa antecedunt,* Filii ſapientiæ, Eccleſia juſtorum, & nati illorum, obedientia, & dilectio. (*b*) A filiis.] *Alii,* ἐπὶ τέκνοις, *& vulgata, & ſpeculum,* in filiis. (*c*) In opere, & ſermone.] *Ibidem additur,* & omni patientia, *& conjunguntur cum antecedentibus: ut* honora patrem, *ſit initium alterius clauſulæ.* (*d*) In juſtitia ædificabitur tibi.] *In verbis præcedentibus diſcrepat vulgata a Græca: ſed iſtis ſatis bene videtur expreſſum, quod Græce eſt,* προσανοικοδομηθήσεταί σοι, *quaſi ex juſta quadam retributione fiet tibi reædificatio & reſtauratio jacturæ per peccatum factæ.* (*e*) Major es.] *Ita S. Hieron. in Ezech.* 34. *licet S. Auguſt. de ſancta virg. c.* 31. tanto humilia. (*f*) Gratiam.] *In vetuſto codice, & Complut. hæc adjunguntur,* πολλοί εἰσιν ὑψηλοί, καὶ ἐπίδοξοι, ἀλλὰ πραέσιν ἀποκαλύπτεται μυστήρια, Multi ſunt ſublimes, & clari: ſed mitibus revelantur myſteria. (*g*) Difficiliora.] *Vetuſtus codex habet,* βαθύτερα, profundiora. *Alexander epiſcopus Alexandrinus in epiſt. ad Alexandrum, apud Theodoretum, primo de hiſtor. Eccleſ.* ὑψηλότερα, altiora, *ut vulg. & ſpeculum, & S. Cypr.* 3. *teſtim. In Compl. adduntur hic, & in ſequentibus,* ἀναισθήτως, ἀφροσύνη, ὁσίως, *quæ credibile eſt ex margine ſcholii loco poſita in textum irrepſiſſe.* (*h*) Abſconditis.] *In Compl. eſt,* τῶν κρυπτῶν βλέπειν ὀφθαλμοῖς, *quod videtur ſatis convenire vulgatæ,* non eſt tibi neceſſarium, ea quæ tibi abſcondita ſunt, videre oculis tuis. (*i*) Operum.] *Eadem,* τῶν λόγων, ſermonum. *Vulgata,* in ſupervacuis rebus. (*k*) Implanavit.] *Sic S. Auguſt. in ſpeculo, & optime reſpondet græco. Vulgata,* ſupplantavit. (*l*) Illorum.] *In aliquot libris hæc ſequuntur,* κόρας μὴ ἔχων, ἀπορήσεις φωτός. γνώσεως δὲ ἄμοιρος ὤν, μὴ ἐπαγγέλλου. καρδία σκληρὰ κακωθήσεται ἐπ' ἐσχάτων, καὶ ὁ ἀγαπῶν κίνδυνον, ἐν αὐτῷ ἀπολεῖται, Pupillas non habens, carebis luce: Intelligentiæ autem expers ne profitearis. Cor durum male habebit in noviſſimis: & qui amat periculum, in illo peribit. *Priorem ſententiam non habet vulgata: ſed duas ſequentes eodem loco habet, atque iiſdem verbis.* (*m*) Peccatum.] *Nonnulli,* ἁμαρτίας, peccata. (*n*) Obductioni.] *Sic verſum eſt antea vocabulum græcum,* ἐπαγωγή, *id eſt, calamitati, & ſupplicio pro peccatis illato: & aliqui codices hic habent,* ἐπαγωγῇ, *aut,* ἐν ἐπαγωγῇ, *multi autem,* ἐπαγωγή. *Sed valet, ac ſi poſitum eſſet in dandi caſu: quaſi dicatur, calamitas ſuperbi talis eſt, ut ei non ſit remedium. Vulg. videtur habuiſſe,* συναγωγῇ. *Inquit enim,* ſynagogæ ſuperborum. (*o*) Sanatio.] *Pro quo in vulgata,* ſanitas. *Et in Compl. ſequitur,* ὁδοιπορίαι αὐτοῦ ἐκριζωθήσονται, itinera ejus eradicabuntur. (*p*) Expiabit.] *Vulgata;* reſiſtit peccatis. S. *Cypr.* 3. *teſtim. & alibi,* ſicut aqua extinguit ignem, ſic eleemoſyna extinguit peccatum. (*q*) Qui reddit gratias, commemoratur.] *Illud,* μέμνηται, *videtur poſitum paſſive, quaſi,* in memoria eſt, *& ſententia optime fluit. Poteſt tamen ſubintelligi, quod in nonnullis codicibus ponitur,* καὶ κύριος ὁ ἀνταποδιδοὺς χάριτας, μέμνηται, & Dominus reddens gratias, meminit, *nimirum,* eleemoſynæ, *cujus proxime facta eſt mentio. In vulg. & ſpeculo, eſt nova ſententia,* & Deus proſpector eſt ejus qui reddit gratiam: meminit, &c.

CAP. IV.

(*a*) OCulum.] *In codice vetuſto eſt,* ὀφθαλμόν σου χάριν ὀργῆς, *quod vulgata, & ſpeculum,* oculos tuos propter iram. (*b*) Pauperi.] S. *Chryſoſt.* 3. *de ſacerdotio, addit,* ἀλύπως, *& vulgata,* ſine triſtitia. (*c*) Non acedieris in judicando.] *Id eſt, ne abjecto animo ſis in judicando, & vindicando. Ita parum receſſimus a noſtro interprete, qui cap.* 6. *utitur hoc verbo, & hic habet paulo obſcurius,* & non acide feras in anima tua in judicando. *Putamus enim iſta,* in judicando, *conjungenda cum hac ſententia, non cum ſequenti: quæ etiam apud S. Cyprianum* 3. *teſt. ſic incipit:* Eſto pupillis, &c. (*d*) Et diliget te magis mater tua.] *Pro his apud S. Cyprianum eſt,* ſi obaudieris: *in vulgata autem,* obediens, & miſerebitur tui magis, quam mater. *Ac certe pro,* ἡ μήτηρ σου, *bene videtur eſſe in Complut.* ἢ μήτηρ σου, quam mater tua. (*e*) Filios ſibi exaltavit.] *Clemens Alex.* 7. *ſtrom.* ἡ σοφία (inquit Salomon) ἐνεφυσίωσε τὰ ἑαυτῆς τέκνα, ſapientia inſufflavit filios ſuos: *quomodo videtur legiſſe noſter interpres,* filiis ſuis vitam inſpirat. *An vero ex hoc loco Tertullianus in Scorpiaco ſumpſerit illam ſententiam,* Sophia jugulavit filios ſuos, *non ſatis liquet.* (*f*) Acceſſerit.] *Complut.* προσέχων, qui attendit, *vulgata*, qui intuetur. (*g*) Si credideris, hæreditabis.] *Complut.* ἐὰν ἐμπιστεύσῃ, κατακληρονομήσει, ſi crediderit, ac firmiter adhæſerit; hæreditabit: *Ac certe etiam in vulgata eſt in tertia perſona. & videtur melius cohærere cum eo quod ſequitur in noſtra*, creaturæ (*id eſt, generationes*) ipſius: *pro quo in Compl. eſt*, αὐτῶν, *& in vulgata*, illorum. (*h*) Oblique.] *In uno manuſcripto eſt*, ἐν πειρασμῷ, *& vulgata*, in tentatione. (*i*) Salutis.] *In nonnullis hæc adjunguntur*, ϗ μὴ κρύψῃς τὴν σοφίαν σου εἰς καλλονήν, *quod noſter interpres videtur reddidiſſe*, non abſcondas ſapientiam tuam in decore ſuo, *aut* ejus, *ut ſpeculum.* (*k*) De ineruditione.] ϗ περὶ ψεύσματος τῆς ἀπαιδευσίας σου, *quod vulgata*, & de mendacio ineruditionis tuæ. (*l*) Aſper.] τραχύς. *Interpres noſter videtur habuiſſe*, ταχύς, *nam reddidit*, citatus: *& S. Cypr.* 3. *teſt. & S. Aug. in ſpeculo. Compl.* θρασύς, temerarius, audax.

CAP. V.

(*a*) SUnt.] *In aliquo codice additur*, εἰς ζωήν, ad vitam. (*b*) Subjiciet.] *In nonnullis ſubjungitur*, διὰ τὰ ἔργα μου, *& vulgata, & ſpeculum*, propter facta mea. (*c*) Accidit.] *Complut. addit*, λυπηρόν, *& vulgata, & ſpeculum, & S. Cyprianus* 3. *teſtim.* triſte. (*d*) Dominus.] *In uno codice eſt*, ὕψιστος, *atque idem*, altiſſimus. (*e*) Propitiatu.] *Sic ſpeculum, & aliquot biblia, quamvis addant*, peccatorum, *ut multa alia.* (*f*) Diſperdet.] *In quibuſdam libris eſt*, ἐξελεῖ, auferet, *in aliis*, ἐξολοθρεύσει σε, diſperdet te, *ut vulgata, & ſpec.* (*g*) Adjuvaberis.] *In multis eſt*, ὠφελήσει σε, proderunt tibi, *ut ſpeculum. A Compl. & ab aliquot bibliis abeſt illud*, σε, tibi. (*h*) Sic.] *In aliquo codice eſt*, οὕτως γὰρ, ſic enim, *& ſpeculum, & aliquot biblia*, ſic enim peccator. *Repetitur hæc ſententia in ſequenti cap.* (*i*) Suſurro.] *In aliquo codice additur*, ἐν τῷ βίῳ σου, *& in ſpeculo, & in multis bibliis*, in vita tua. (*k*) Non ignores.] *Id eſt, ne ſinas te capi ignoratione rerum, & imprudentia. In Compl. additur*, μηδὲ ἕν, ne ignores quicquam. *Pro quibus in vulg. & ſpec.* juſtifica puſillum, & magnum ſimiliter.

CAP. VI.

(*a*) HÆreditabit.] *Sic etiam vulgata & ſpeculum*: *ſed addunt*, malus. *In nonnullis libris eſt*, κληρονομήσεις, hæreditabis. (*) Vitæ.] *Etiam apud* S. *Cyprian.* 3. *teſt. additur*, & immortalitatis. (*b*) Filia hyacinthina.] *Sic habent aliqua Biblia manuſſ. licet conjuncte cum iis quæ ſunt in impreſſis*, alligatura ſalutaris. (*c*) Excipies.] *In aliquot codicibus additur*, σύνεσιν, intellectum: *vulgata*, excipies doctrinam; *licet ordinem alium verborum habeat.* (*d*) Oſtiorum.] *Sic etiam ſpeculum*: *& tract.* 7. *in Joh.* limen oſtiorum. *In nonnullis codicibus eſt*, τρίβων, ſemitarum.

CAP. VII.

(*a*) MAlum.] *Compl.* καταλάβῃ κακά, apprehendent mala. *Vulgata, & ſpec. tantum*, apprehendent (*b*) Ne forte non poſſis.] *Sic* S. *Hieronymus. Vulgata*, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates. *Speculum*, niſi, ſi vales virtutem irrumpere iniquitatis. (*c*) Suſcipiet.] *In vetuſto codice additur*, τὰ δῶρά μου, *& vulgata, & ſpeculum*, munera mea. (*d*) Impii.] *Vulgata &* S. *Auguſtinus*, 21. *de civit. cap.* 9. carnis impii. (*e*) Indifferens.] *Id eſt, propter bona externa, quæ & bona, & mala eſſe poſſunt*: *aut, propter quamvis & levem etiam cauſam. In aliquo libro eſt*, ἕνεκεν διαφόρου, *propter præſtantiam, propter rem quantumvis eximiam.* (*f*) Eam] *In nonnullis libris hæc ſequuntur*, μισουμένῃ δὲ μὴ ἐκδῷς σεαυτόν, *quod vulgata & ſpeculum*, & odibili non credas te. (*g*) Ne pigriteris.] *Sic* S. *Cypr.* 3. *teſtim. Vulgata, & ſpec.* non te pigeat.

CAP. VIII.

(*a*) LInguoſo.] *Ita* S. *Auguſtinus in ſpeculo. Vulgata*, linguato. (*b*) Doctrinam.] *Idem*, doctrinam intellectus. *Vulgata*, ſapientiam, & doctrinam intellectus. (*c*) Gratiam.] *In nonnullis additur*, ψευδῆ. *Vulg.* ne forte inferat tibi gratiam falſam, & convitietur tibi.

CAP. IX.

(*a*) TEntationibus] *Sic viſum eſt commode poſſe verti illud*, ἐπιχειρήμασιν. *In nonnullis libris eſt*, ἐπιτηδεύμασιν, ſtudiis. *Vulgata*, efficacia. (*b*) Omnino] *Apud Clementem Alexandr.* 2. *Pædag. cap.* 7. *ſequitur*, ϗ μὴ μετακλιθῇς ἐπ' ἀγκῶνα μετ' αὐτῆς, μηδὲ συμβολὰς ποίει μετ' αὐτῆς ἐν οἴνῳ, μήποτε ἐκκλίνῃ ἡ καρδία σου ἐπ' αὐτήν, ϗ τῷ αἵματί σου ὀλισθήσῃς εἰς ἀπώλειαν, *quæ ſic reddita ſunt in vulgata*, nec accumbas cum ea ſuper cubitum, & non alterceris (*id eſt, contendas bibendo, quemadmodum ſolent facere, qui de Symbolis edunt*) cum illa in vino; ne forte declinet cor tuum in illam, & ſanguine tuo labaris in perditionem. (*c*) Non bene ſentias de beneplacito.] *Hoc videtur ſignificari, non magnum quiddam ducas proſperitatem impiorum, cum omnia illis ex ſententia fluunt. Vulgata*, non placeat tibi injuria injuſtorum. *Speculum*, juſtorum.

CAP. X.

(*a*) ORdinatus.] *Complut.* τεταμένη, protenſus. *Vulgata*, ſtabilis. (*b*) Sui.] *Abeſt a vulgata, ſicut* αὐτοῦ, *ab aliquot codicibus.* (*c*) Delinquet injuſta.] *In nonnullis*, πλημμέλεια ἀδικίας, delictum injuſtitiæ. (*d*) Pecunias.] *In Complut. additur*, δόλια, doloſas. *Vulgata*, & diverſos dolos. *Sequentem autem interrogationem*, quid ſuperbit terra, & cinis? *aliqui codices habent ante ſententiam, quæ paulo poſt affertur*: Cum enim morietur homo, &c. (*e*) Quoniam in vita.] *In aliquot libris eſt*, φιλαργύρου μὲν γὰρ οὐδὲν ἀνομώτερον. οὗτος γὰρ ϗ τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν ἔκπρακτον ποιεῖ, ὅτι ἐν ζωῇ αὐτοῦ ἔρριψαν τὰ ἐντόσθια αὐτοῦ· μακρὸν ἀρρώστημα κόπτει ἰατρός. Nam nihil quidem iniquius eſt amante pecuniam. Hic enim & animam ſuam venalem habet: quoniam in vita ſua projecerunt intima ſua. Languorem prolixum præcidit medicus. *Interpres noſter videtur habuiſſe*, ἔρριψε, projecit: *& addit nonnulla alia; quæ valde videntur convenire huic loco.* (*f*) Principium ſuperbiæ peccatum.] *In quibuſdam eſt*, ἀρχὴ ἁμαρτίας ὑπερηφανία, Initium peccati ſuperbia: *& vulgata*, omnis peccati: *quæ celebris ſententia eſt.* (*g*) Profundet abominationem.] ἐξομβρήσει, *quaſi inundabit. Complut.* ἐξυβρίσει, injuriabit abominationem, *& addit*, ϗ καταστραφήσεται εἰς τέλος, & ſubvertetur in finem. *Vulgata*, adimplebitur maledictis, & ſubvertet eum in finem. (*h*) Obductiones.] *Id eſt, vindictas, & illationes calamitatum, ut alibi. Rurſus autem interpres noſter videtur habuiſſe*, συναγωγάς, *aut pro eodem accepiſſe. Ita enim vertit*, propterea exhonoravit Dominus conventus malorum. (*i*) Arefecit.] *Ita etiam vulgata. Aliqui habent*, ἐξῆρεν, abſtulit. (*k*) Semen honoratum.] *Brevius præter conſuetudinem hæc habentur in vulgata. In Complut. autem*, σπέρμα ἀσφαλείας οἱ φοβούμενοι κύριον, ϗ ἔντιμον φύτευμα οἱ ἀγαπῶντες αὐτόν, σπέρμα ἀτιμίας, οἱ μὴ προσέχοντες τῷ νόμῳ, σπέρμα πλανήσεως οἱ παραβαίνοντες ἐντολάς. Semen ſecuritatis, qui timent Dominum: & honorata plantatio, qui diligunt illum: Semen ignominiæ, qui non attendunt legi: Semen erroris, qui tranſgrediuntur mandata. (*l*) Illius.] *In Complut. ſubjungitur*, προσλήψεως ἀρχὴ, φόβος κυρίου, ἐκβολὴ δὲ ἀρχῆς σκληρυσμὸς, ϗ ὑπερηφανία, *ac fortaſſe vera lectio eſſet*, προλήψεως, *ut intelligeremus, amplificationis principium eſſe timorem Domini, ejectionem autem principatus eſſe obdurationem, & ſuperbiam. Sed in collatis codicibus hæc ſententia non eſt inventa.* (*m*) Sapienti.] *In uno codice eſt*, συνετῷ, *& vulgata, & ſpeculum*, ſenſato. (*n*) Non murmurabit.] *Compl. addit*, παιδευόμενος, correptus, *ut vulg. & ſpec.* (*o*) In omnibus, quam qui ambulat aut gloriatur.] *Plerique*, ϗ περισσεύων ἐν πᾶσιν ἢ ὁ δοξαζόμενος, *quod in vulgata*, & abundat in omnibus, quam qui gloriatur. (*p*) Et qui eſt inglorius.] *In vulgata longe aliter*, & qui gloriatur in ſubſtantia, paupertatem vereatur. *In Complut. autem deeſt tota hæc pars.*

CAP. XI.

(*a*) SOlo.] *Veriſimile eſt aliquem ex*, ſolo, *feciſſe*, ſolio, *alium vero ex*, ſolio, *feciſſe*, throno, *quemadmodum nunc eſt in vulgata.* (*b*) Abundar paupertate.] *Plerique*, περισσεύων πτωχείᾳ, abundans paupertate. (*c*) Multi.] *In aliquot libris additur*, θεωρήσαντες, qui viderunt, qui conſiderarunt, *in vulgata autem*, & honoraverunt Deum. (*d*) Domino ſunt.] *In uno vetuſto codice, & magna ex parte in aliis etiam quibuſdam hæc ſequuntur*, σοφία, ϗ ἐπιστήμη, ϗ γνῶσις νόμου παρὰ κυρίου. ἀγάπησις, ϗ ὁδοὶ (*al.* ὁδὸς) καλῶν ἔργων παρ' αὐτοῦ εἰσιν. πλάνη, ϗ σκότος ἁμαρτωλοῖς συνέκτισται, τοῖς δὲ γαυριῶσιν ἐπὶ κακίᾳ συγγηρᾷ κακία, *al.* κακά. *quæ ſic in vulgata redduntur*, Sapientia, & diſciplina, & ſcientia legis apud Deum: dilectio, & viæ bonorum apud ipſum. Error, & tenebræ peccatoribus concreata ſunt: qui autem exultant in malis, conſeneſcunt in malo. (*e*) Meis.] *In aliquo libro additur*, ἀδιαλείπτως, aſſidue, *vulgata*, ſolus. (*f*) Opus] *Sic etiam vulgata, in nonnullis ſubjungitur*, ἀρεσκείας, complacentia, ut placeam. (*g*) Venatrix.] *Aliqui*, θηραθεὶς, capta, *ut vulgata, in qua interjiciuntur nonnulla, quæ non ſunt inventa in græcis.* (*h*) Electis.] τοῖς αἱρετοῖς, *id eſt*, bonis, *aut*, rebus, *aut*, hominibus. *Vulg.* electo, *nonnulli codices*, αἰνετοῖς, laudandis. (*i*) Ignis.] *In aliquo eſt*, μικρᾶς, parva, *vulgata*, una.

CAP. XII.

(*a*) IMpedi panes illius.] *In aliquo libro eſt*, τοὺς ἄρτους σου, prohibe panes tuos. *Vulg. & ſpec.* prohibe panes illi dare, *aut*, dari. (*b*) Vindictam.] *In quibuſdam hæc ſequuntur*, φυλάσσει δὲ αὐτοὺς εἰς ἡμέραν ἐκδικήσεως αὐτῶν κραταιάν, reſervat autem eos in diem vindictæ, (*& hucuſque vulgata,*) eorum validam. (*c*) Non judicabitur.] *Alii*, οὐκ ἐπιγνωσθήσεται, non agnoſcetur, *ut vulgata, aut*, οὐκ ἐκβληθήσεται, non ejiciet ſe, non recedet a te, *aut*, οὐ κρυβήσεται, non abſcondetur. (*d*) Subſecabit.] ὑποσχάσει. *Nonnulli*, ὑποσκάψει, ſuffodiet, *ut vulgata.*

CAP. XIII.

(*a*) FRemuit.] *Vulgata non multo aliter. In quibuſdam codicibus eſt*, ϗ αὐτοῦ προσδεηθήσονται· πτωχὸς ἠδίκηται, (*Complut. non ſine mendo*, ἠδίκησε) ϗ αὐτὸς προσαπειληθήσεται, & ipſum orabunt: pauper læſus eſt: & ei præterea comminabuntur. (*b*) Seducaris.] *In Complut. additur*, τῇ διανοίᾳ, mente. *Vulgata totam hanc ſententiam ſic habet*, attende, ne ſeductus in ſtultitia humilieris, *ſed adjungit multa & ante, & poſt.* (*c*) Non intrudas te.] *Hoc viſum eſt valere*, μὴ ἔμπιπτε, *quod vulgata*, ne improbus ſis, *id eſt, ne petulanter inferas atque ingeras te.* (*d*) Ne retineas colloqui.] *Videtur hoc ſignificare, ne te retentes, cum potentem alloqueris*: *quod illi faciunt, qui ſibi in dicendo placent, & poſſunt, quamdiu libuerit, protrahere ſermonem. In quibuſdam libris eſt*, ἰσηγορεῖσθαι, *& vulg.* ex æquo loqui. (*e*) Interrogabit] *In aliquo codice additur*, τὰ κρυπτά σου, *& vulgata*, de abſconditis tuis. (*f*) Immitis.] *Nonnulli*, ἀνελεημόνως, (*al.* ἀνελεήμων) δὲ συντηρήσει λόγους σου, immiſericorditer, (*al.* immitis) autem conſervabit verba tua: *quod ſatis reſpondet vulgatæ.* (*g*) Malitia.] *Rurſus pro*, afflictione & pœna, *non parcet te affligere, ac vel in vincula ducere. In aliquo libro eſt*, περὶ κακώσεώς σου, de afflictione tua. (*h*) Diligenter.] *Complut. addit.* τοῦ ἀκούειν, *& vulgata*, auditui tuo. (*i*) Ambulas.] *In libro vetuſto ſubjunguntur iſta*, πάσῃ ζωῇ ἀγάπα τὸν κύριον, ϗ ἐπικαλοῦ αὐτὸν εἰς σωτηρίαν σου. *In Compl. autem & hæc præterea antecedũt*, ἀκούων ταῦτα ἐν ὕπνῳ σου, γρηγόρησον, *quæ in vulg. ſic ſunt reddita*, audiens vero verba illa, quaſi in ſomnis vide, & vigilabis: omni vita tua dilige Deum, & invoca eum in ſalute tua. (*k*) Ore.] *Solet interpres numero ſingulari interdum reddere, quod in græco eſt in numero multitudinis*: *hic in multis eſt*, στόμασιν, *quamvis & in nonnullis*, στόματι. (*l*) Mala] *In aliquot codicibus hæc ſequuntur*, ϗ ἀγαθύνει πρόσωπον ἐν τέρψει καρδία θάλλουσα, & bonam reddit faciem in delectatione cor vigens, *quæ tamen abſunt etiam a vulgata.* (*m*) Cogitationes] *In quibuſdam eſt*, διαλογισμὸς, cogitatio. *Interpres aliquid aliud videtur legiſſe.*

CAP. XIV.

(*a*) ET non jocundabitur in divitiis ſuis.] *In quibuſdam*, ϗ οὐ μὴ εὐφρανθῇ ἐν τοῖς ἀγαθοῖς αὐτοῦ, *& vulgata*, & non jocundabitur in bonis ſuis. (*b*) In oblivione.] *Videtur ſignificare*, ignoranter, *ut vulgata. Compl. habet*, οὐχ ἑκών, non volens. *In vulgata utrumque videtur conjungi*, ignoranter,

&

& non volens. (c) Parte] μερίδι, *aut,* μερίδος, *ut in quibuſdam: & ſignificat idem ac ſi diceremus*, bonis, quæ ſibi obtigerunt. (d) Mala arefacit animam.] *Complut.* πονηρὸς ἀναξηραίνει ψυχὴν αὐτοῦ, maligni arefacit animam ejus. *Et iſtud quidem* αὐτοῦ *additur etiam in aliis, & in vulgata eſt*, ſuam; *quamvis alioqui diſcrepet a noſtra lectione.* (e) Falle.] *Similis loquutio interdum uſitata eſt ad hoc ſignificandum, conſopiendas eſſe curas, & ſollicitudines. Attamen plerique libri habent,* καὶ ἁγίασον, *quod vulgata*, & juſtifica. (f) Delicias.] *In aliquo eſt,* ἑορτὴν, *& vulgata* (*) Sicut veſtis.] *Vulgata*, folium. *Sed S. Auguſt.* 16. *de civitate Dei cap.* 27. *ita hunc locum refert*: omnis caro, ſicut veſtis veteraſcet. Teſtamentum eſt a ſeculo, morte mori eos qui tranſgrediuntur præcepta Dei. (g) Morietur.] *Vulgata & ſpeculum*, morabitur. *In nonnullis codicibus eſt,* μελιτήσει καλὰ, meditabitur bona. (h) Qui in ſenſu ſuo differet.] *In iiſdem,* καὶ ὃς ἐν συνέσει αὐτοῦ διαλεχθήσεται ἅγια, & qui in ſuo intellectu differet ſancta. *In aliquo,* διαδεχθήσεται ἅγια, excipiet ſancta *Vulgata & ſpeculum*, & in ſenſu ſuo cogitabit circumſpectionem Dei. (i) Manus.] *In nonnullis,* κατὰ χεῖρα, ad manum.

CAP. XV.

(a) ILlud] *In quibuſdam eſt,* αὐτὰ, illa: *in aliquo,* ἀγαθὸν, bonum. *Vulg.* bona. (b) Et qui continens eſt legis, apprehendet eam.] *Vulg. pro*, legis, *habet* juſtitiæ. *In uno vetuſto codice eſt,* καὶ ὁ εἰληφὼς γνῶσιν νόμου, εὑρήσει αὐτὴν, & qui acceperit cognitionem legis, inveniet eam. *Compl.* καὶ ὁ ἐγκρατὴς γνώσεως νόμου εὑρήσει αὐτὴν, & qui compos fuerit cognitionis legis, inveniet eam. (c) Hæreditabit.] *Videtur ſignificare, faciet hæreditare: & in nonnullis additur* αὐτὸν *& vulgata*, hæreditabit eum. (d) Illum.] *Poſſet etiam iſtud* αὐτὸν, *referri ad illud* αἶνος, laus: *& ſic vertendum eſſet*, illam (e) Implanavit.] *Ita etiam S. Aug. in ſpeculo: ſed in lib. de gratia, & lib. arb. cap.* 2. *unde fere multa ſumpſimus, tanquam græcis reſpondentia, habet*, induxit. *In aliquo codice eſt,* ἔπλασε, finxit, formavit (f) Conſervabis.] *In quibuſdam,* ἐὰν θέλῃς συντηρῆσαι, ſi volueris mandata conſervare, *quemadmodum in vulgata: & erunt ſubintelligenda quæ in illa exprimuntur*, conſervabunt te, *aut hujuſmodi quiddam. S. Auguſt. in ſpeculo*, Si volueris, mandata conſervabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere: *ſed in libro de gratia, & lib. arb.* Si volueris, conſervabis mandata, & fidem bonam placiti.

CAP. XVI.

(a) NE reſpexeris in locum] μὴ ἔπεχε, *videtur dictum eodem modo, ac ſi Latini dicerent, nihil moreris gradum dignitatis eorum, id eſt, ne in eo magnum pondus eſſe putes, non magni æſtimes. In nonnullis autem codicibus eſt,* ἐπὶ τὸ πλῆθος, in multitudinem. *Vulg. & ſpeculum*, labores. (b) Unus] *Apud S. Chryſoſt. hom.* 24. *&* 39. *in Gen. & in Compl. additur,* δίκαιος, juſtus *Vulg.* timens Deum. (c) Vidi in oculis meis.] *In quibuſdam codicibus eſt,* ἑώρακεν ὀφθαλμός μου, *& vulg.* vidit oculus meus. (d) Sui.] *Nec plura in vulgata, quamvis pro*, ſic, *habeat* ſicut. *Videtur autem ſupplendum ex ſuperioribus*, non eſt miſertus, non pepercit. *In nonnullis autem libris hæc ſunt addita,* μαστιγῶν, ἐλεῶν, τύπτων, ἰώμενος κύριος, ἐν οἰκτιρμῷ καὶ παιδείᾳ διεφύλαξε, flagellans, miſerans, percutiens, ſanans Dominus, in miſeratione & diſciplina cuſtodivit. *Quod ſi hæc eſſent germana, vertendum eſſet*, & ſic ſexcenta millia. (e) Rapinis.] *Aliqui,* ἁρπάγματι, *& vulg.* rapina. (f) Non fraudabit ſufferentiam pii.] *In Complut. eſt* οὐ μὴ καθυστερίσῃ ὑπομονὴ ἀσεβοῦς, & non tardabit expectatio impii. *Vulg.* & non retardabit ſufferentia miſericordiam facientis. (g) Faciet locum.] *Sic vulg. quamvis in aliis diſcrepet. In quibuſdam codicibus eſt,* ποίησον τόπον, fac locum. (h) Inveniet.] *In quibuſdam hæc ſequuntur,* κύριος ἐσκλήρυνε Φαραὼ μὴ εἰδέναι αὐτὸν, ὅπως ἂν γνωσθῇ ἐνεργήματα αὐτοῦ τῇ ὑπ᾽ οὐρανόν. πάσῃ τῇ κτίσει τὸ ἔλεος αὐτοῦ φανερὸν, καὶ τὸ φῶς αὐτοῦ καὶ τὸ σκότος ἐμέρισε τῷ ἀδάμαντι, Dominus induravit Pharaonem, ut ipſum non cognoſceret; ut noſcerentur opera ipſius ei quæ ſub cœlo. Omni creaturæ miſericordia ejus manifeſta, & lucem ſuam, & tenebras partitus eſt adamante, *aut*, adamanti. (i) Non ero in memoria.] *In vetuſto codice eſt,* οὐ μὴ γνωσθῶ, non agnoſcar, *ut vulg.* (k) Dei.] *Abeſt ab aliquo.* (l) Terra.] *In Compl. additur,* καὶ τὰ ἐν αὐτοῖς. *Et vulg.* & quæ in eis ſunt (m) Teſtamentum.] *In iiſdem additur,* καὶ ἐξέτασις ἁπάντων ἐν τελευτῇ, & interrogatio omnium in conſummatione eſt. (n) Scientiam.] *In iiſdem,* ἐπιστήμην αὐτοῦ, ſcientiam ejus. (o) Et principia.] *In Compl. eſt,* καὶ ἐν χειρὶ αὐτοῦ αἱ ἀρχαὶ αὐτοῦ, εἰς γενεὰς γενεῶν, & in manu ejus principia ejus in generationes generationum. *Vulg.* & initia eorum in gentibus ſuis.

CAP. XVII.

M*Ulta in Compl. ſunt interjecta in hoc capite, quorum pauca veſtigia in aliis codicibus atque in vulgata ſunt inventa. Sed ex illis atque aliis ſimilibus facile eſt intelligere quā multa variis temporibus huic libro ſint infarta.* (a) Eorum.] *In uno vetuſto codice eſt,* αὐτοῦ, ejus. *A vulg. abeſt utrumque.* (b) Et viventibus.] *Abeſt hæc repetitio ab aliquot codd. Interpres noſter aliter hunc locum videtur legiſſe.* (c) Et malus.] *In nonnullis eſt,* καὶ ἀνὴρ, ὃς ἐνθυμηθήσεται, & vir, qui cogitabit. *In quibuſdam vero & ad marginem Vaticani,* καὶ πονηρὸν ἐνθυμηθήσεται σὰρξ, καὶ αἷμα, & malum cogitabit caro, & ſanguis. *Vulgata*, aut quid nequius quam quod excogitavit, (*al.* aut quid nequius excogitavit) caro, & ſanguis? Et hoc arguitur.

CAP. XVIII.

(a) SImul.] *Sic etiam S. Auguſt.* 4. *de Gen. ad litteram, cap.* 33. *Poſſet tamen dictio,* κοινῇ, *verti etiam*, communiter, *&*, pariter. *Sunt etiam qui putent ſignificari res creatas eſſe quaſi communes, & prophanas, ſi cum creatore conferantur, qui ſolus uſquequaque juſtus eſt.* (b) Juſtificabitur.] *In vulgata additur*, & manet invictus rex in æternum: *in aliquot vero codicibus, hic locus ſic habet,* κύριος μόνος δίκαιος, καὶ οὐκ ἔστιν ἄλλος πλὴν αὐτοῦ, οἰκίζων (*al* ὁ οἰακίζων) κόσμον ἐν σπιθαμῇ χειρὸς αὐτοῦ, καὶ πάντα ὑπακούει τῷ θελήματι αὐτοῦ· αὐτὸς γὰρ βασιλεὺς πάντων ἐν κράτει αὐτοῦ, διαστέλλων ἐν αὐτοῖς ἅγια ἀπὸ βεβήλων. Dominus ſolus juſtus, & non eſt alius præter eum, gubernans mundum in palmo manus ſuæ. Ipſe enim rex omnium in ſua potentia, diſtinguens in eis ſancta a prophanis. (c) Exigui.] *Dictum eſt pro*, pauci. *Complut.* χίλια, mille. (d) Verborum.] *Complut.* λόγου πονηροῦ, *& vulg.* verbi mali. (e) Gratioſum.] *Vulgata*, cum homine juſtificato, *quoniam gratia gratum faciens, & juſtificatio ſe mutuo ſequuntur. Complut.* κεχαριτωμένα, gratioſa. (f) Reddere votum.] *Dictio,* εὐχὴ, *ut notavit S. Hier. ad Suniam, interdum pro oratione, interdum pro voto accipienda eſt, prout locus ſuaſerit. Hoc quidem loco, cum addatur,* ἀποδοῦναι, reddere; *videtur interpretanda*, votum. *Interpres totam fortaſſe hanc ſententiam alio modo habuit.* (g) Orationem.] *Hic etiam poterat verti*, antequam voveas. *Sed nihil impediebat, quominus vulgatam, & S. Ambroſium in exhortatione ad Virg. ſequeremur.* (h) Commiſſioni.] *Retinuimus hoc loco dictionem interpretis tanquam bene reſpondentem,* συμβολῇ, *& videtur dictum ea notione committi epulas, qua dici ſolet, committi ludos, omnino qua ſignificatur illa ex ſymbolis læta comeſſatio. Compl. longius & a vulgata & a ſententia diſcedens,* μηδὲ προσδεηθῇς συμβουλῆς αὐτῆς, neque egeas conſilio ejus.

CAP. XIX.

(a) AUdacior.] *Sic etiam Clemens Alexandr.* 2. *Pædag. c.* 10. *Complut.* τολμηρὸς, audax. *Vulgata*, nequam. (b) Tineæ.] σῆτες, *proprie ſunt vermes, qui lædunt veſtes. In vetuſto codice eſt* σήπη, *& vulg.* putredo. (c) Tolletur de numero.] *Aut hoc aut verbo*, extolletur, *videtur interpres vertiſſe illud,* ἐξαρθήσεται. *In quibuſdam libris eſt,* καὶ ξηρανθήσεται ἐν παραδειγματισμῷ μείζονι, & arefiet in exemplum majus. *In vulgata videtur utrumque aliquo modo miſtum.* (d) Corde.] *Nonnulli,* κακοδοξίᾳ, malo habitu: *plerique,* πονηρίᾳ, *& vulgata*, iniquitate. (e) Denotabitur.] *Id eſt*, condemnabitur. *Sequitur autem in vulgata*, & qui odit correptionem, minuetur vita. *Pro quibus in nonnullis codicibus hæc habentur,* ὁ δὲ ἀντοφθαλμῶν ἡδοναῖς, στεφανοῖ τὴν ζωὴν αὐτοῦ· ὁ ἐγκρατευόμενος γλώσσῃ, ἀμάχως συμβιώσεται, qui autem reſiſtit voluptatibus, coronat vitam ſuam: qui continens eſt lingua inexpugnabili convivet. (f) Amicum.] *In aliquibus,* τὸν πλησίον, *& vulgata*, proximum. (g) Labitur.] *In Compl. additur,* λόγῳ, *in vulgata*, lingua. (h) Altiſſimi.] *Nec plura hoc loco in vulgata. In quibuſdam vero codicibus hæc adjunguntur,* φόβος κυρίου ἀρχὴ προσλήψεως· σοφία δὲ παρ᾽ αὐτοῦ ἀγάπησιν περιποιεῖ· γνῶσις ἐντολῶν κυρίου, παιδεία ζωῆς. οἱ δὲ ποιοῦντες τὰ ἀρεστὰ αὐτῷ, ἀθανασίας δένδρον καρποῦνται. Timor Domini, initium aſſumptionis: ſapientia autem ab eo dilectionem præſtat: cognitio mandatorum Domini diſciplina vitæ: qui autem faciunt quæ placita ſunt ei, immortalitatis arbore fruuntur. (i) Nequitia.] *Sic vulgata, quod græce,* πονηρία. *In uno vetuſto eſt,* πανουργία, aſtutia. verſutia. (k) Plenus.] *In uno vetuſto eſt,* πλήρη, *& vulgata*, & interiora ejus plena ſunt dolo: *& S. Ambr. epiſt.* 44. doli: *apud quem hic locus eodem fere modo habet atque in vulgata.* Et ſemi ſurdus.] In pleriſque libris eſt, ἐθελοκωφῶν, obſtinati.

CAP. XX.

(a) VIciſſim confitetur.] *Id eſt, qui reſpondens correptioni fatetur. Legendum eſt enim,* ἀνθομολογούμενος, *quod per incuriam typographi factum eſt,* ἀνθολογούμενος. (b) Devirginare.] *In uno vetuſto eſt,* ἀποπαρθένωσεν, *& vulgata*, devirginavit. (c) Judicia.] *In vulgata eſt*, judicium iniquum: *& ſequuntur hæc*: Quam bonum eſt correptum manifeſtare pœnitentiam: ſic enim effugies voluntarium peccatum: *quæ in Compl. habentur paulo poſt his verbis,* ὡς καλὸν ἐλεγχθέντα φανερῶσαι μετάνοιαν· οὕτως γὰρ φεύξῃ ἑκούσιον ἁμάρτημα. (d) In abominatione erit.] *Clemens* 2. *Pædag. cap.* 6. βδελύττεται τὴν ψυχὴν αὐτοῦ. abominabilem facit animam ſuam, *vulgata*, lædet animam ſuam. (e) Proceſſio in malis viro.] *Id eſt, proceſſus qui videtur proſper viro, & tamen in malum tendit. Compl. addit,* ἁμαρτωλῷ, *& vulgata*, indiſciplinato. (f) Eum.] *In Complutenſi additur,* οὔτε γὰρ τὸ ἔχειν ἐν ὀρθῇ αἰσθήσει εἴληφε. καὶ τὸ μὴ ἔχειν ὁμοίως ἀδιάφορον αὐτῷ. *Pro quibus in vulgata eſt*, neque enim quod habendum erat, directo ſenſu diſtribuit: Similiter & quod non erat habendum. (g) Et ab imprudenti perſona.] *In nonnullis libris eſt,* καὶ ἀπὸ λήψεως προσώπου, & ab acceptione perſonæ. *In vulgata videtur utrumque admiſtum.*

CAP. XXI.

(a) MOrdebit.] *In quibuſdam,* δέξεται· *quare vulgata, & ſpeculum*: &, ſi acceſſeris ad illa, (*nimirum peccata*) ſuſcipient te. (b) Corde.] *Aliqui addunt,* αὐτοῦ, *& vulgata*, ad cor ſuum. (c) Lapides ſuos in hiemem.] *Sic fere vulgata: in nonnullis,* ἑαυτῷ λίθους εἰς χῶμα ταφῆς αὐτοῦ, ſibi lapides ad tumulum ſepulchri ſui. (d) Sapientia.] *In Complut.* σοφίας πρόσληψις, ſapientiæ aſſumptio. *Vulgata*, ſapientia, & ſenſus. (e) Cogitabit.] *Nimirum Eccleſia: vulgata*, cogitabunt, *id eſt, homines ipſius Eccleſiæ. Complut. habet,* διανοηθήσονται, *ſed alieno loco.* (f) A perſona.] *Vulgata*, confunditur à perſona potentis, *in aliquo codice eſt,* ἀπ᾽ αὐτοῦ, ab eo. *Apud S. Ambroſium ad Virg.* Pes fatui facilis in domum proximi: qui autem ſapiens eſt, verecundatur. (g) Contumelia.] *Sic etiam vulgata. In aliquo libro eſt,* ἀτιμίαν, *ſed utroque modo idem eſt ſenſus, id eſt, gravem duceret infamiam, in quam inde incurreret.* (h) Alienorum in his gravabuntur.] *Nonnulli habent,* πολυλάλων τὰ οὐκ αὐτῶν διηγήσεται, *al.* διηγήσονται, loquacium non ſuanarrabunt: *quod propius accedit ad vulg.* (i) In cohabitatione.] *In quibuſdam,* οὗ ἐὰν παροικήσει, ubicunque incoluerit. *In vulgata & ſpeculo, apparet admiſtio quædam.*

CAP. XXII.

(a) OMni tempore ſapientiæ.] *Abeſt ab aliquo libro illud*, omni, *ſed non a vulgata. In nonnullis autem poſt hæc adjunguntur iſta,* τέκνα ἐν ἀγαθῇ ζωῇ τέχνην (*Compl.* τὴν τροφὴν) ἔχοντα, τῶν ἰδίων γονέων κρύψουσι δυσγένειαν. τέκνα ἐν καταφρονήσει καὶ ἀπαιδευσίᾳ γαυριώμενα, συγγενείας ἑαυτῶν μολύνουσι τὴν εὐγένειαν, Filii in bona vita artem (*Compl.* alimentum) habentes, propriorum parentum abſcondent ignobilitatem. Filii in contemptu, & vacuitate eruditionis gloriantes, cognationis ſuæ maculant nobilitatem. (b) Excitat.] *Vulgata*, Qui narrat verbum non audienti quaſi qui excitat. *Speculum*, non attendenti. *Quorum loco in uno vetuſto hæc ſunt,* εἰς αἴσθησιν ἄγων τὴν γῆν, καὶ τὸν ἀπηλπισμένον εἰς σύνεσιν ὀξύνων, ἐξεγείρων, in ſenſum adducens terram, & deſperatum ad intelligentiam acuens, excitans, &c. (*c*) Deſecit enim lux.] *Corr. in noſtra,* ἐξέλιπε γὰρ φῶς, *vulg. addit,* ejus, *ſpeculum,* ei. (*d*) Non eas.] *In nonnullis hæc ſequuntur,* ἀναισθητῶν γὰρ ἐξουθενήσει σου τὰ πάντα, non ſentiens enim ſpernet omnia tua. (*e*) Implearis.] *Nonnulli,* εὐφρανθῇς, *& vulg.* læteris. (*f*) Protegere.] *Vulgata,* ſalutare. S. *Ambr.* 3. *off. c. ult.* amicum ſalutare non erubeſcas. (*g*) Aſtutum.] *Sic* S. *Aug. de gratia, & lib. arb. c.* 16. *licet in ſpeculo,* certum, *ut vulg. Chryſoſt. hom.* 4. *ad baptiz.* πανουργίας, aſtutiæ. (*h*) Illa.] *Nimirum lingua, quod in ſequentibus exprimit* S. *Auguſt. loco indicato,* ne forte cadam ab eo. *In ſpeculo,* ut non cadam ab ipſis, *vulgata,* in ipſis

CAP. XXIII.

(*a*) NON parcant, & non prætermittant delicta illorum.] *Vulgata, & ſpeculum,* & non parcant, (*aut,* parcat) mihi, & non appareant delicta illorum. *In aliquot codicibus eſt,* μὴ φείσῃ σὺ κύριε, τὰς δὲ ὕβρεις τῶν ἐν ἐπαγγελίᾳ ἁμαρτωλῶν μὴ παρῇς, ne parcas tu Domine, contumelias autem eorum, qui in profeſſione ſunt peccatores, ne prætermittas. (*b*) Elationem oculorum ne dederis mihi.] *Sic* S. *Auguſt. de gratia & lib. arb. cap.* 16. *quamvis in ſpeculo habeat, ut vulgata, in quibuſdam vero codicibus ſequitur,* καὶ γιγαντώδη ψυχὴν ἀπόστησον διὰ παντὸς ἀπὸ δούλων σου· ἐλπίδας κενὰς, καὶ ἐπιθυμίας ἀπόστρεψον ἀπ' ἐμοῦ, & giganteam animam amove ſemper a ſervis tuis : Spes vanas & concupiſcentias averte à me. *In Compl. plura & hic & alibi afferuntur : ſed multa neque etiam reſpondent vulgatæ.* (*c*) Induta morte.] *Sic vertunt illud,* ἀντιπεριβεβλημένη *In uno codice eſt,* ἀντιπαραβεβλημένη. *Interpres, cum dixit,* contraria morti, *videtur ea notione accepiſſe, ac ſi diceretur, altera ex parte reſpondens, & quæ conferri queat cum morte.* (*d*) Indiſciplinationi.] *Sic* S. *Auguſtinus in ſpeculo,* (*quamvis non addat,* temerariæ) *& vulgata,* indiſciplinatæ loquelæ. *Compl.* ἀκολασίᾳ ὅρκου, intemperantiæ juramenti. (*e*) In radicem.] *Illud,* εἰς, *abeſt ab aliquo, & vulgata,* tradent, *id eſt, diffundent,* radices. (*f*) Dei.] *In Complut. ſubjungitur,* δόξα μεγάλη ἀκολουθεῖν θεῷ, μακρότης δὲ ἡμερῶν τὸ προσληφθῆναί σε ὑπ' αὐτοῦ. Gloria magna eſt ſequi Deum : longitudo autem dierum, aſſumi te ab eo : *quæ aliqua ex parte reſpondent vulgatæ.*

CAP. XXIV.

(*a*) EGO ex ore altiſſimi prodivi.] *Plura non refert* S. *Ambroſius* 4. *de fide, cap* 4. *S. Cyprian.* 2. *teſtim. addit ea fere quæ ſequuntur in vulgata.* (*b*) Dilecta.] *In uno codice vetuſto, & Complut. eſt,* ἡγιασμένη, *& vulgata,* ſanctificata. (*b*) Littoribus.] αἰγιαλοῖς, *& fortaſſe ſumptum eſt pro nomine proprio loci. In aliis eſt,* ἐν γαδδοῖς, *aut,* ἐν γαδδὶ *& vulgata, in Cades.* (*d*) Exaltata ſum.] *In Complut. additur,* ἀφ' ὕδατος, ab aqua. *Vulgata,* juxta aquam in plateis. (*e*) Aſpalathus.] *Veram lectionem vidit Rabanus, & alii. In Complut. eſt,* πάλαθος, *& interpretantur,* maſſam. (*f*) Rami.] *Abeſt hoc loco a Complut. & vulgata.* (*g*) Honeſtatis.] *Id eſt,* divitiarum, *ut ſæpe alibi. In nonnullis autem libris hæc ſequuntur,* ἐγὼ μήτηρ τῆς ἀγαπήσεως τῆς καλῆς, καὶ φόβου, καὶ γνώσεως, καὶ τῆς ὁσίας ἐλπίδος· δίδωμι δὲ σὺν πᾶσι τοῖς τέκνοις μου ἀειγενεῖς τοῖς λεγομένοις ὑπ' αὐτοῦ, Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei (*hucuſque convenit cum vulgata.*) Do autem omnibus filiis meis dictis ab illo ſempiternos, *fortaſſe, fructus. Pro quibus in vulgata eſt :* In me gratia omnis vitæ & veritatis : in me omnis ſpes vitæ, & virtutis : *& poſterior pars refertur etiam apud* S. *Cyprianm.* 2. *teſtim.* (*h*) Favum.] κηροῦ, *videtur ſumptum pro,* κηρίου, *quod etiam eſt in aliquot libris.* (*i*) Meum.] *Compl. addit,* τὸ ἄριστον, optimum, *vulgata,* plantationum. (*k*) Adhuc.] *In aliquo eſt,* ὅτι, *& vulgata,* quoniam.

CAP. XXV.

(*a*) PRudentiam.] *Vulgata, &* S. *Cyprianus,* 3. *teſtim.* amicum verum. (*b*) Super omnia ſe ſuperpoſuit.] S. *Hieronymus in Eſa.* 50. omnia ſuperat. (*c*) Aſſimilabitur.] *Complut. in hac ſententia longius diſcedit a vulgata, & ſpeculo : ſed addit deinde hæc,* φόβος κυρίου ἀρχὴ ἀγαπήσεως αὐτοῦ· πίστις δὲ ἀρχὴ κολλήσεως αὐτοῦ, timor Domini initium dilectionis ejus : fides autem initium agglutinationis ejus : *quæ magna ex parte reſpondent vulgatæ.* (*d*) Saccum.] *Aliqui,* ὡς ἄρκος, tanquam urſus : *in vulgata utrumque conjungitur.* (*e*) Aſcenſus.] *Complut. addit,* ὡς, *& vulgata,* ſicut aſcenſus. (*f*) Quæ non beatificabit.] *Vulgata,* beatificat. *In nonnullis codicibus eſt,* ἥτις οὐ παρακαλέσει τὸν ἄνδρα αὐτῆς ἐν στενώσει, quæ non conſolabitur virum ſuum in anguſtia. (*g*) Poteſtatem.] *In uno vetuſto eſt,* παῤῥησίαν, *& in Complut. additur,* ἐξόδου, *quod in vulgata,* veniam prodeundi.

CAP. XXVI.

(*a*) SUpplicavi.] *Complut.* ἐφοβήθην, timui : *quod in vulgata dictum eſt,* facies mea metuit. (*b*) Zelotypam.] *Hoc non reperitur in Græco : ſed videtur adjectum ab interprete ad exprimendam vim præcedentis dictionis,* ἀντίζηλος, *quæ ſignificat rivalem, id eſt, zelotypam in zelotypam, qualis Phenenna in Annam. Legantur quæ notata ſunt* 1 *Reg.* 1. (*c*) Ebrioſa.] *In nonnullis additur,* καὶ ῥεμβὰς, & vaga. (*d*) Non avertente ſe.] *Quod idem valet, ac ſi diceremus* non verecunda : *nam & hac notione ſæpe accipitur,* διατρέπομαι. *In aliquot libris eſt,* ἀδιατρέπτως, *ut conjungatur cum,* στερέωσον, *ſine intermiſſione, nunquam declinans oculos firma.* (*e*) Stabilis.] *Addidit interpres ad explicationem,* mulieris : *qui quidem interpres, pro,* στέρνοις, *videtur legiſſe,* πτέρναις, *ita enim inquit,* ſuper plantas ſtabilis mulieris. *Complut. habet,* ἐπὶ στέρνοις εὐσταθέσι, *& interpretatur,* ſuper pavimenta ſtabilia. *Sequuntur autem & in ea & in quibuſdam manuſcriptis hæc:* τέκνον, ἀκμὴν ἡλικίας σου συντήρησον ὑγιῆ, καὶ μὴ δῷς ἀλλοτρίοις τὴν ἰσχύν σου. ἀναζητήσας παντὸς πεδίου εὔγεων κλῆρον, σπεῖρε τὰ ἴδια σπέρματα πεποιθὼς τῇ εὐγενείᾳ σου. οὕτως τὰ γεννήματά σου περιόντα καὶ παῤῥησίαν εὐγενείας ἔχοντα μεγαλυνοῦσι. γυνὴ μισθία ἴση σιάλῳ λογισθήσεται, ὕπανδρος δὲ πύργος θανάτου τοῖς χρωμένοις λογισθήσεται. γυνὴ ἀσεβὴς ἀνόμῳ μερὶς δοθήσεται, εὐσεβὴς δὲ δίδοται τῷ φοβουμένῳ τὸν κύριον, γυνὴ ἀσχήμων ἀτιμίαν κατατρίψει, θυγάτηρ δὲ εὐσχήμων καὶ τὸν ἄνδρα ἐντραπήσεται. γυνὴ ἀδιάτρεπτος ὡς κύων λογισθήσεται, ἡ δὲ ἔχουσα αἰσχύνην, τὸν κύριον φοβηθήσεται. γυνὴ ἄνδρα ἴδιον τιμῶσα σοφὴ πᾶσι φανήσεται, ἀτιμάζουσα δὲ ἀσεβὴς ἐν ὑπερηφανίᾳ πᾶσι γνωσθήσεται· γυναικὸς ἀγαθῆς μακάριος ὁ ἀνήρ. ὁ γὰρ ἀριθμὸς τῶν ἐτῶν αὐτοῦ διπλάσιος ἔσται. γυνὴ μεγαλόφωνος καὶ γλωσσώδης εἰς πολεμίων τροπὴν θεωρηθήσεται, ἀνθρώπου δὲ παντὸς ψυχὴ ὁμοιότροπος τούτοις, πολέμου ἀκαταστασίας τὴν ψυχὴν διαιτηθήσεται. Filii, florem ætatis tuæ conſerva ſanum : & ne dederis alienis robur tuum. Cum requiſieris omnis campi fertilem ſortem ; ſemina propria ſemina, fretus nobilitate tua. Sic progenies tuæ ſuperſtites, & fidentiam nobilitatis habentes magnificabuntur. Mulier mercenaria æqualis porco reputabitur : conjugata autem turris mortis utentibus reputabitur. Mulier impia iniquo pars dabitur : pia autem datur timenti Dominum. Mulier turpis infamiam conteret : filia autem honeſta etiam virum reverebitur. Mulier impudens ſicut canis reputabitur : quæ autem habet verecundiam Dominum timebit. Mulier virum proprium honorans, ſapiens omnibus videbitur : inhonorans autem, impia in ſuperbia omnibus cognoſcetur. Mulieris bonæ beatus vir : numerus enim annorum illius duplex erit. Mulier clamoſa & linguoſa in hoſtium fugationem conſiderabitur. Hominis autem cujuſque animus ſimilibus moratus moribus, belli ſeditionibus vitam tranſiget.

CAP. XXVII.

(*a*) DEſperavit.] *Vulgata, & ſpeculum,* deſperatio eſt animæ infelicis. *Complut.* ἀπώλεσε πίστιν, perdidit fidem. (*b*) Nemo ipſum removebit ab ipſo.] *Videtur hoc valere, nemo hominum faciet illum dediſcere atque ex animo exuere improbitatem ſuam : vulgata, & ſpeculum,* & nemo eum abjiciet. *In uno vetuſto codice, & Complut. eſt,* καὶ ὁ εἰδὼς αὐτὸν ἀποστήσεται ἀπ' αὐτοῦ, & qui noverit eum, recedet ab eo. (*c*) Tuum.] *Complut.* αὐτοῦ, *& ſpeculum,* indulcabit os ſuum, *nec multo aliter quædam Biblia.* (*d*) Capietur.] *Nonnulli,* ἀπολεῖται, *& ſpeculum, & vulgata,* peribit : *& in utriſque etiam ſequitur,* facienti nequiſſimum conſilium : ſuper ipſum devolvetur : *ubi Complut.* αὐλισθήσεται, commorabuntur.

CAP. XXVIII.

(*a*) SErvans ſervabit.] *Sic vulg. & ſpeculum. Aliqui libri habent,* διαστηρῶν διαστηρίσει, confirmans confirmabit. (*b*) Tabitudinis, & mortis.] *Supplendum eſt ex ſuperioribus,* memento : *ſicut in ſequenti ſententia in poſteriori parte repetendum eſt,* memorare teſtamentum, &c. *In vulg. & ſpeculo alius habetur ſenſus. Complut. autem hic habet,* καὶ μὴ μηνίσῃς τῷ πλησίον καταφθορὰν, καὶ θάνατον, & ne commineris proximo perniciem, & mortem. (*c*) Immittit.] *Sic etiam vulgata, & ſpec. nonnulli,* ἐμβαλεῖ, immittet. (*d*) Et ſecundum firmitatem rixæ exardeſcet.] *Hæc abſunt a vulgata, & in uno vetuſto, & in Complut. non habentur hoc loco, ſed paulo ante poſt illa,* ſecundum materiam ignis, ſic exardeſcet, *ſequitur,* κατὰ τὴν στερέωσιν τῆς μάχης τὸ πῦρ αὐξηθήσεται, ſecundum firmitatem contentionis, ignis augebitur. (*e*) Maledicere.] *Videtur ſubintelligendum,* oportet ; *aut quiddam hujuſmodi. In uno vetuſto, & Compl. eſt,* καταράσασθε, maledicite. *Vulgata, & ſpeculum, &* S. *Cypr.* 3. *teſt.* ſuſurro, & bilinguis maledictus. (*f*) Tertia.] *Sic iidem. In nonnullis hic, & in ſequenti ſententia,* διστὴ, duplex. *In margine Vaticani codicis adſcriptum eſt,* γλῶσσα τρητὴ, τετρυπημένη, ligna perforata. (*g*) Poſſeſſionem.] *Sic* S. *Ambroſius* 1. *off. cap.* 3. *&* S. *Hilarius in pſal.* 140. *quamvis idem* S. *Ambroſius in pſal.* 118. *ſerm.* 22. *habeat,* aures tuas, *ſicut vulgata, &* S. *Cypr. lib.* 1. *epiſt.* 3. *& alibi ſæpe.*

CAP. XXIX.

(*a*) SIN autem.] *Dictum eſt, pro,* ſin minus, *ut alibi.* (*b*) Gratis.] *In aliquot libris eſt,* οὐ δωρεὰν, non gratis. *Et fortaſſe, quæ præcedunt, ita poſſent verti* ; fraudavit ſe pecuniis ſuis, & acquiſivit illum inimicum gratis, *vel,* non gratis. (*c*) Multi propter nequitiam averterunt.] *In nonnullis eſt,* πολλοὶ οὖν, multi igitur. *Hoc videtur, ſibi velle, propter improbitatem, & ingratum animum eorum qui mutuum non reddunt, multos avertiſſe, aut ſeipſos a dando, aut facies eorum qui petunt, quare in Complutenſi eſt,* ἀπέστρεψαν τὸν ἄνθρωπον, averterunt hominem. *In aliquot codicibus eſt,* οὐ χάριν πονηρίας. *& vulgata :* Multi non cauſa nequitiæ non fœnerati ſunt. (*d*) Fraudari gratis timuerunt.] *Nonnulli,* ἀποστερηθῆναι δὲ εὐλαβήθησαν, fraudari autem timuerunt. *Sanctus Ambroſius huc ſpectans, in lib. de Tobia, cap.* 3. *dixit :* Multi diſpendii cauſa non fœnerant ; dum fraudem verentur. (*e*) Non contrahat rubiginem.] *In uno vetuſto codice, & Complut. eſt,* μὴ κατάκρυβε, *& vulgata,* non abſcondas illam ſub lapide in perditionem : *itemque Sanctus Ambroſius loco indicato, & de Nabuthe, cap.* 4. *niſi quod ibi habet,* in mortem. (*f*) Cellis tuis.] *Quaſi hoc dicat, quæ reponis in cellis tuis, idcirco reponas, ut ad eleemoſynam faciendam conferantur : aut, ſi qua aptior eſt hujus loci interpretatio. Sanctus Cyprianus de opere, & eleem. &* 3. *teſtim.* in corde pauperis : *itemque aliqua Biblia ; licet multa,* in ſinu pauperis. (*g*) Roboris.] *In quibuſdam* ὁλκῆς, ponderis, virium. (*h*) Bona fidejuſſoris.] *In uno vetuſto, & Complut. eſt,* ἀγαθὴν ἐγγύην, bonam fidejuſſionem. *Sanctus Ambroſius iſtud,* bonam, *videtur conjunxiſſe cum ſuperioribus, de Tobia cap.* 4. *Ita enim inquit :* Gratiam repromiſſoris ne obliviſcaris : dedit enim pro te animam bonam. (*i*) Et ingratus ſenſu derelinquet.] *Compl.* ἐγγύην φεύξεται ἁμαρτωλὸς, καὶ ἀχρηστος, ἐν διανοίᾳ καταλείψει, *& ita interpretatur,* fidejuſſiones fugiet peccator, & inutilis in cogitatione relinquet, &c. *Interpres videtur habuiſſe,* ἔγγυον φεύξεται, *& verba alio ordine collocata, ac partim etiam miſta ex utraque lectione,* ἄχρηστος, *&* ἀχάριστος. Repromiſſorem (*ita enim pleraque Biblia,*) fugit peccator, & immundus : bona repromiſſoris ſibi adſcribit peccator, & ingratus ſenſu derelinquet, &c. (*k*) Incidens.] *Poteſt intelligi de eo qui lucri cauſa & certa mercede pro alio ſpondet. In uno vetuſto eſt,* ἐμπεσέτω, incidat. *Complutenſis,* παραβαίνων ἐντολὰς κυρίου ἐμπεσεῖται εἰς ἐγγύην, *& vulgata,* tranſgrediens mandatum Domini, incidet in promiſſionem, *& addit,* nequam. (*l*) Redemptiones.] *Conducendo, ſuſcipiendo in ſe opera facienda, vectigalia, ut redemptores, & publicani. Vulgata,* & qui conatur multa agere, *ſatis apte ad ſententiam.* (*m*) Recupera.] *Sanctus Ambroſius, de Tobia cap.* 23. recipe. (*n*) Incidas.] *Idem ibidem,* cadas. (*o*) Super minimum & magnum placeat tibi.] *Sic in nonnullis Bibliis, id eſt, ſive parva, ſive magna ſit domus* *tua, ea delecteris. Complut.* ἐπὶ μικρὰ καὶ μεγάλα εὐδοκίαν ἔχε, καὶ ὀνειδισμὸν οἰκίας σου μὴ ἀκούσῃς, ſuper parva & magna complacentiam habe, & improperium domus tuæ non audies. *Vulgata*, improperium peregrinationis. (*o*) Ad ingrata.] *Ad nullam gratiam acquirendam. Exigunt enim iſta a peregrino, quaſi debita. Vulgata*, & paſcet, & potabit ingratos.

CAP. XXX.

(*a*) Lucrabitur.] Ὀνήσεται. *Interpres fortaſſe habuit*, αἰνήσεται, *inquit enim*, laudabitur: *ac videtur tamen more deponentis ſumptum, ut alibi. Complut.* εὐφρανθήσεται, lætabitur. (*b*) Lætatus eſt] *In aliquo additur* ἐπ' αὐτῷ, *& vulgata*, in illo. (*c*) Refrigerans.] *Molliter tractans*, περιψύχων. *In aliquibus ſunt duæ dictiones*, περὶ ψυχῶν, *& vulgata*, pro animabus. *In nonnullis vere eſt*, περιψήχων, abſtergens. (*d*) Iuventute.] *Hoc loco ſubjunguntur in Complut. & vulgata, quæ in noſtra, & aliis Græcis ſunt paulo poſt*, & ne deſpicias ignorantias, (*vulgata*, cogitatus) illius: curva cervicem ejus in juventute. (*e*) Tibi.] *In quibuſdam additur*, καὶ ἔσται σοι ὀδύνη ψυχῆς, *& vulgata*, & erit tibi dolor. (*f*) Tuam offendat.] *In aliquot libris eſt*, αὐτοῦ προσκόψῃς, ne in turpitudine illius offendas, *quomodo fere & vulgata.* (*g*) Et ne deſpicias ignorantias illius: curva cervicem ejus in juventute.] *Hæc in aliquot codicibus non habentur, in quibuſdam vero, & in vulgata paulo ſuperius, ut notatum jam eſt.* (*h*) Offuſa] *Nonnulli*, κεκλεισμένα, *& vulgata*, abſcondita. (*i*) Quaſi qui colligit.] *Hæc uſque in finem in Complut. & vulgata, & uno vetuſto codice ſunt cap. ſuo 33. Hic autem habent ſententiam, quæ in noſtra erit in extremo cap. 33. hujus editionis.* (*k*) Perveni.] *Quaſi ad metam optatam; votique compos factus ſum, ut multa ad hominum utilitatem pertinentia collegerim. In vulgata in cap. ſuo* 33. & ipſe ſperavi. (*l*) Puero.] *In aliquo libro eſt*, παιδείᾳ, diſciplina. (*m*) Amplifices] *Id eſt, ne ſis nimius, ne niminum urgeas, ac premas ullam carnem, ne brutorum quidem, nedum hominum.* (*n*) Sicut tu.] *Complut.* σοι, ὡς ἡ ψυχή σου, *& vulgata*, tibi quaſi anima tua. (*o*) Sicut teipſum.] *Vetuſtus codex*, ὡς ἀδελφὸν, ὅτι ὡς τῇ ψυχῇ σου, ἐπιδεήσεις αὐτοῦ, quaſi fratrem: (*quod habet etiam vulgata, & Compl.*) quoniam tanquam animæ tuæ, egebis illius.

CAP. XXXI.

Hoc *caput in vulg. & Compl. eſt.* 34. (*a*) Eruditus.] *In quibuſdam eſt*, πεπλανημένος, *quemadmodum & in noſtra paulo poſt: quod cum ſignificare poſſit & deceptum, & eum, qui multas oberrat regiones; ſeries ipſa orationis fecit, ut poſteriore potius notione accipiendum putaremus.* (*b*) Plura.] *Quaſi hoc dicat, his ipſis ſententiis, quas alios doceo, magna ex parte ipſemet uſus ſum, earumq; veritatem experiundo intellexi. In quibuſdam libris eſt*, τὰ πλάσματα, fictiones. (*c*) Non.] *Compl.* οὐδὲν, *& vulg.* nihil. (*d*) Subſannationes.] *Aliqui*, μωμήματα, maculæ, δωρήματα, donaria.

CAP. XXXII.

Caput *hoc in Complut. & vulgata eſt* 35. (*a*) Offert] *In aliquo libro*, ὡς προσφέρων, quaſi qui offert. * Et judicabit juſti.] *Nonnulli libri habent*, δικαίοις. (*b*) Patientiam.] *Compl. addit*, ὁ κραταιὸς, *& vulgata*, fortiſſimus.

CAP. XXXIII.

Hujus *capitis verba uſque ad*, ſplendidum, *in vulgata, & in Complut. ſunt cap.* 36. *Vltima vero iſta ſententia eſt in iiſdam cap.* 30. *in extremo: cui loco etiam magis videtur convenire. Initium hujus capitis refertur apud Sanctum Auguſtinum*, 17. *de civit. cap.* 20.

CAP. XXXIV.

Caput *hoc in vulgata, & Complut. eſt* 31. (*a*) Somnus.] *In pleriſque, & ad marginem Vaticani eſt*, ὕπνον, *ut vertendum ſit*, infirmitas gravis digeret (*id eſt, amovebit,*) ſomnum. *In aliquo etiam eſt*, ἐκνίψει, eluet. (*b*) Dati ſunt in caſum.] *In nonnullis eſt*, ἐδέθησαν, ligati ſunt. (*c*) Et ſit.] *Aliqui*, καὶ ἔσται αὐτῷ, & erit illi. (*d*) Choleræ.] *In aliquo eſt*, χολέρα, *& vulgata*, cholera. (*e*) In medio pomorum.] μεσοπωρῶν, *quaſi non expectato fine ſecundæ menſæ. Nonnulli*, μεσοπορῶν, *quaſi e media cœna abiens. Plerique*, ἀνάστα μεσοπορῶν, ἔμεσον, καὶ ἀναπαύσῃ, *quæ in vulgata*, ſurge e medio, & vome, & refrigerabit te. *Quo videtur ſpectaſſe Origenes hom. 2. in pſal. 37. loquens de confeſſione peccati.* (*) Labia.] *Vulgata*, labia multorum: & teſtimonium veritatis (*fortaſſe*, virtutis) illius fidele. S. *Ambr. de Nabuthe, cap.* 14. labia juſtorum, & teſtimonium bonitatis illius fiet. (*f*) Corda in contentione ſuperborum.] *In quibuſdam*, ἐν καρδίᾳ ὑπερηφάνων ἐν μέθῃ, in corde ſuperborum in ebrietate. (*g*) Æquale.] *Vulg.* æqua vita hominibus vinum in ſobrietate: ſi bibas illud moderate, eris ſobrius. S. *Ambr. de Helia, c.* 12. Æqualis vita hominibus vinum in ebrietate: bibas illud moderate, ut ſis ſobrius. (*h*) In repetendo.] *Aliqui*, ἐν ἀπαντήσει, *& Compl. addit*, αὐτοῦ, in occurſu ejus.

CAP. XXXV.

(*a*) Rectorem.] *Sic ſolet interpres vertere*, ἡγούμενον, S. *Hieronymus in Ezech.* 45. Ducem te conſtituerunt; ne eleveris: ſed eſto inter eos, quaſi unus ex ipſis. *Eſt autem caput hoc in vulgata* 32. (*b*) Acroama.] *Retinuimus dictionem Græcam: qua boni etiam Latinitatis auctores utuntur ad ſignificandum narrationem, aut fabulam, quæ libenter audiatur. Vulgata addit negationem*, ubi auditus non eſt. *Complut. habet nonnullas varietates: ſed quæ a vulgata diſcrepent, neque cum ſententia ſatis conveniant.* (*c*) Alio dicente.] *In aliquo libro eſt*, καὶ ὅπου γέροντες, *& vulgata*, & ubi ſunt ſenes. (*d*) Doctrinam.] *In Compl. additur*, αὐτοῦ, *& vulgata*, ejus. (*e*) Comparationem.] *Aut afferet ſimilia aliorum facta ad ſui excuſationem, aut conferet ſe ad cœtum hominum ſibi ſimilium.* (*f*) Non exploratæ.] ἀπροσκόπῳ. *Vulgata*, laborioſæ. *Alii codices*, ἀπροσκόπτῳ, planæ, non impeditæ offendiculis. (*g*) Legi.] *Complut.* κυρίῳ, *vulgata*, Deo, *ut ſæpe ſolet, pro*, Domino, (*h*) In Domino.] *Eadem*, ἐπ' αὐτῷ, in illo.

CAP XXXVI.

Verba *hujus capitis uſque ad illud*: Et ego noviſſimus evigilavi, *habentur in vulgata & Complutenſi, cap.* 33. (*a*) Navis.] *Sic vulgata*, πλοῖον. *Complut. mendoſe* πολλῶν, multorum. (*b*) Juſtorum.] *In pleriſque codicibus eſt*, δήλων, manifeſtationum: *& ſimilis loquutio eſt Num.* 27. *& in hoc eodem libro c.* 45. *non diſſimilis: Verum de iſta dictione alibi dictum eſt, & dicetur. Interpres videtur hic legiſſe*, δηλῶν, *& conjungit cum ſequentibus*, qui interrogationem manifeſtat; parabit verbum. *In nonnullis eſt*, δῆλον, *itemque conſtruitur cum ſequentibus*, quaſi interrogationem manifeſtam, para verbum. (*c*) Duo, duo.] S. *Auguſt.* 11. *de civit. cap.* 18. bina, & bina: *reliqua, ut nos.* (*d*) Et ego noviſſimus evigilavi.] *Poſt hæc in vulgata & Complut. & uno vetuſto, ſequuntur illa quæ in noſtra, & aliis pleriſque græcis habita ſunt cap.* 30. quaſi qui colligit acinos, &c. *& S. Auguſt. q. 2. ad Simplicianum*: Ego noviſſimus vigilavi, quaſi qui racematur poſt vindemiatores: *omninoque optime cohærent.* (*e*) Et hæreditavi.] *In nonnullis eſt*, καὶ κατακληρονόμησον, & hæredita: *quod optime convenit, ſi conjungatur cum iis quæ in vulg. cap.* 36. (*ubi hæc uſque in finem habentur*) *præcedunt; in noſtra autem, & aliis pleriſque græcis ſunt in extremo fere cap.* 33. Congrega omnes tribus Iacob (& cognoſcant, quia non eſt Deus, niſi tu, ut enarrent magnalia tua) & hæreditabis eos, ſicut ab initio. *Compl. ſequitur ordinem vulgatæ, ſed habet*, καὶ κατεκληρονόμησα, *quod loco illi convenire non poteſt.* (*f*) Creaturæ.] *In aliquo eſt*, κτήμασι, poſſeſſiones. (*g*) Supplicum.] *Aliqui*, οἰκετῶν, *& vulgata*, ſervorum. (*h*) Manſuetudo.] *In Compl. additur*, καὶ ἴασις, & curatio: *quam dictionem habet etiam vulgata.* (*i*) Erranti.] *Alii*, ἀφαλλομένῳ, *aut*, ἐφαλλομένῳ, *quos videtur ſequutus interpres*, exiliens de civitate, &c.

CAP. XXXVII.

(*a*) Ineſt.] *Sic vulgata, quod Græce*, ἔνι. *Alii*, μένει, manet. (*b*) Conjocundatur in oblectatione.] *Vulgata*, in oblectationibus. *Nonnulli codices*, συνδιαιτᾶ ἐν εὐφροσύνῃ, (*ab aliquo abeſt*, ἐν,) convivit in lætitia. (*c*) Condolet.] *Sic vulgata, quod Græce*, συμπονεῖ, *& poſſet etiam verti*, ſimul laborat. (*d*) Bellum.] *Aliqui*, πολεμίου, *& vulgata*, contra hoſtem. (*e*) Tuis] *Hic in vulgata ſubjungitur ſententia illa*, noli conſiliari cum ſocero tuo, & a zelantibus te abſconde conſilium: *cujus ſimilis habetur paulo poſt in noſtra, & aliis græcis, præſertim in ſecunda parte*, noli conſiliari cum eo, qui te ſuſpectum habet, & a zelantibus te, abſconde conſilium. *Compl. vtroque loco hanc habet: Quædam Biblia manuſcripta illam priore loco, hanc poſteriore.* (*f*) Domeſtico.] *Quaſi, ut opinor, dicat, quem domi tuæ alis: nam hic minime omnium vellet opus abſolvi: in nonnullis libris eſt*, ἐπετείου. *Vulgata videtur utrumque conjunxiſſe & primum vocare operarium agrarium, hanc vero operarium annualum.* (*g*) Cordis.] *Nonnulli addunt*, πρόσωπον, καὶ τέσσαρα, vultus, & quatuor, *vulgata*, verbum nequam immutabit cor, ex quo partes quatuor, &c. (*h*) Alimento.] *Aliqui*, σοφίας, ſapientia, *vulgata*, re. S. *Auguſtinus*, 2. *de doctrina Chriſt. c.* 31. *priorem hujus ſententiæ partem refert ut habet vulgata*: qui ſophiſtice loquitur, odibilis eſt. (*i*) Fideles.] *Nonnulli*, πιστοῦ, fideli: *nonnulli*, αἰνετοὶ, laudabiles: *vulgata*, laudabilis. (*k*) Fidem.] *Aliqui*, δόξαν, *& vulgata*, honorem. (*l*) Labor.] *In nonnullis*, νόσος, *& vulgata*, infirmitas.

CAP. XXXVIII.

(*a*) Donationem.] *Sic vulg. In quibuſdam codd. eſt*, δόξαν, gloriam. (*b*) Illius.] *In Complut. additur*, ἀπὸ ἀνθρώπου, ab homine. (*e*) Non conſummabit.] *Nonnulli*, οὐ μὴ συντελεσθῇ, *& vulgata*, non conſummabuntur opera ejus. (*c*) Delictum.] *Complut.* ἀπόστησον πλημμελείας, *& vulgata*, averte a delicto. (*e*) Quaſi non ſis.] *Abeſt a vulgata, & ſpeculo.* (*f*) Suavitas odoris.] *Id eſt*, reperiri debet: *poteſtque referri vel ad ægrotos, vel ad medicos, vel etiam ad ſacerdotes. Sed in aliquot codicibus eſt*, εὐοδία, proſper ſucceſſus: *in aliquo*, εὐδοκία, beneplacitum. *Vulgata alium præfert ſenſum.* (*g*) Incidat.] *In uno*, ἐμπεσεῖται, *& vulgata*, incidet. (*) In abductione tranſit.] *Plerique*, παραμένει, *& vulgata*, permanet: *quod etiam locum habere poteſt propter ambiguitatem dictionis iſtius*, ἀπαγωγῇ, *nam & poteſt ſignificare abductionem a fletu, & abductionem a conſolatione. Nonnulli vero habent*, ἐν ἐπαγωγῇ παραμένει, in obductione (*de quo vocabulo jam notatum eſt*) permanet. (*h*) Secundum corda.] *Vulgata*, ſecundum cor ejus: *verba græca*, κατὰ καρδίας, *poſſent etiam ſignificare*, contra cor. *In aliquot libris eſt*, κατάρα καρδίας maledictio cordis. (*i*) Ejus.] *Complut.* μου, *& vulgata*, judicii mei. (*k*) Sapientiam percipiet.] *Sic etiam vulgata, & optima eſt ſententia. In nonnullis eſt*, οὐ σοφισθήσεται, non percipiet ſapientiam. (*l*) Aſſiduitas.] *Sic videtur reddidiſſe interpres, quod eſt*, ὑπομονή. *In nonnullis eſt*, ἐπιμονή, inſtantia. (*m*) Addiſcens pigro ferro.] *Aut*, rudi, καταμανθάνων ἀργῷ σιδήρῳ. *Alii*, ἔργῳ, *aut* ἐν ἔργῳ, *aut*, ἔργα σιδήρου. *Vulgata*, conſiderans opus ferri. (*n*) Durabit.] *In quibuſdam*, τήξει, liquefaciet: *vulgata*, uret. (*o*) Mallei.] *Nonnulli*, σφύρας, καὶ ἄκμονος, mallei, & incudis. (*p*) Ambulabunt.] *In quibuſdam hæc ſequuntur*, ἐν βουλῇ λαοῦ οὐ ζητηθήσονται, in conſilio populi non requirentur: *quæ abſunt etiam a vulgata.* (*q*) Creaturam.] *Sic vulgata. Complut.* κτῆμα, poſſeſſionem. (*r*) Tantummodo accommodantis.] πλὴν τοῦ ἐπιδόντος, *aut*, ἐπιδιδόντος, *ut nonnulli. Et ſupplendum eſt, non artificum, quos commemoravi, eſt veræ ſapientiæ operam dare, ſed tantum illius qui dat animam ſuam ad contemplationem legis.*

CAP. XXXIX.

(*a*) Uſque.] *Nonnulli*, καὶ ἕως, & uſque, *ut vulgata.* (*b*) Agri.] *In quibuſdam*, ἐπὶ ῥεύματος ὑγροῦ, ſuper fluxum humidum. *Vulgata*, ſuper rivos aquarum. (*c*) Quia.] *Iſtud*, ὅτι, *abeſt a nonnullis & a vulgata.* (*d*) Omnia enim in tempore ſuo quærentur.] *Abſunt hoc loco a vulgata. In Compl. vero & iſta ſunt, & illa præterea præcedunt*, οὐκ ἔστιν εἰπεῖν, τί τοῦ·

τί τοῦτο ὅτι; non eſt dicere, quid hoc eſt? (*e*) Omnia enim ad uſus ipſorum creata ſunt.] *Hæc non ſunt in vulgata: ſed pro his habentur illa, quæ modo dicebamus in ea abeſſe a ſuperiore loco*; omnia enim in tempore ſuo quærentur. *Sanctus Hieronymus in Eccleſiaſtem: cap.* 3. ne dixeris, quid eſt hoc, aut quid eſt iſtud? Omnia enim tempore ſuo requirentur. *Sanctus Auguſtinus, quæſt.* 2. *ad Simplicianum*, Collaudemus canticum, & non dicamus, quid hoc, vel quod hoc? Omnia enim in tempore ſuo creata ſunt. (*f*) Sua.] *In aliquo libro eſt*, αὐτοῦ, ejus. (*g*) Mandato.] *Nonnulli*, ἐν τῇ ἀνατολῇ, in exortu. (*h*) Neceſſitates.] *Vulgata*, neceſſitate. *Nonnulli*, εἰς χεῖρας, in manus.

CAP. XL.

(*a*) IN ſepultura.] *Vulgata*, ſepulturæ. *Nonnulli*, ἐπιστροφῆς, reverſionis. (*b*) Multiplicant.] *Aliqui*, πληθυνεῖ, *& vulgata*, multiplicabunt. (*c*) Achi.] *Varie ſcribitur hæc dictio*, ἄχι, ἄχει, ἄχει, *de qua ſatis notatum eſt Gen.* 41. *Hic in vulgata duplicem videtur habere interpretationem: primum*, Sonant, *conjuncte cum ſuperioribus*, ſuper cacumen petræ ſonant, (*quaſi legeretur*, ἠχεῖ, *aut Dorice*, ἀχεῖ) *deinde*, viriditas. (*d*) Tuus.] *Abeſt iſtud*, σου, *a pleriſque codicibus, & a vulgata.* (*e*) Timori.] *In nonnullis*, ἐν φόβῳ, *& vulgata*, in timore. (*f*) Operuerunt.] *Sic etiam vulgata. Aliqui*, ἐκάλυψεν, operuit, veſtivit.

CAP. XLI.

(*a*) ET, qui converſantur parœciis impiorum.] *Retinuimus verbum Græcum, ut alibi: quoniam non liquet. an hic ſenſus ſit*, & filii impiorum ſunt hujuſmodi, ut quieſcere non poſſint, ſed frequentibus ſedium mutationibus agitentur, *an, ut in vulgata*, & qui converſantur ſecus domus impiorum, *& in vicinia illorum.* (*b*) Altiſſimi.] *In quibuſdam hæc ſubjunguntur*, ἐὰν γὰρ πληθυνθῆτε, εἰς ἀπώλειαν, ſive enim multiplicamini; in perditionem. (*c*) Cognati.] *Nonnulli*, ἀνθρώπου εὐγενοῦς, hominis nobilis.

CAP. XLII.

(*a*) DE indifferenti venditione, & mercatorum.] *Conſiderandum, an poſſit etiam reddi*, de indifferentis venditione, *ut fiat oppoſitio quædam inter indifferentem, id eſt, quemvis hominem, & mercatorem. Nam verba Græca utramque ſententiam ferunt*, περὶ ἀδιαφόρου πράσεως. *In nonnullis eſt*, περὶ διαφόρου, de differenti, *aut*, controverſa. *In aliquo etiam ſequitur*, πράσεως ἐμπόρων, *ſine*, καὶ, de differenti venditione mercatorum. *Vulg.* de corruptione (*al.* correptione) venditionis, & negociatorum. (*b*) Mulieris.] *Vulgata*, viri. *Ab aliquot libris utrumque abeſt: quare utrumque videri poteſt adjectitium, & unum ab uno, alind ab alio pro varia cujuſque intelligentia additum eſſe.* (*c*) Nonne.] *Sic vulgata. Sunt tamen, qui ſine interrogatione legant*, οὐκ ἐνεποίησε, non indidit, non permiſit. (*d*) Signum.] *Nonnulli*, σημεῖα, ſigna. (*e*) Et quatenus eſt.] καὶ ἕως ἐστι. *In uno vetuſto, & Compl.* ὅς ἐστι, *& vulgata*, qui eſt. (*f*) Tanquam ſcintillæ.] *Nonnulli*, καὶ ἕως σπινθῆρος, & uſque ad ſcintillam.

CAP. XLIII.

(*a*) EXitu.] *Sic enim vulgata. In quibuſdam libris eſt*, ἐν ἐνδόξῳ, in glorioſo. (*b*) Sufflans.] φυσῶν. *Nonnulli*, φυλάσσων, *& vulgata*, cuſtodiens. (*c*) Inſufflans.] ἐμφυσῶν. *In quibuſdam*, ἐκφυσῶν, *& vulgata*, exufflans. (*d*) Feſtinavi.] *Sic etiam vulgata. Nonnulli*, κατέπαυσε, ceſſavit. (*e*) Oſtenſionem temporum,] *Aliqui*, χρόνου, temporis. *Vulgata*, oſtenſio temporis, *cætera hujus ſententiæ, ut hic. Compl. autem*, καὶ σελήνην ἐποίησεν εἰς στάσιν εἰς καιρὸν αὐτῆς, ἀνάδειξιν χρόνων, *&c.* Et Lunam fecit in ſtatum ad tempus ejus oſtenſionem temporum, *&c.* (*f*) Mutatione.] *Nonnulli*, ἐν ἀλλοιώσει, in mutatione. *Compl. quaſi de menſe ſit intelligendum*, αὐξανόμενος ἐθαυμάστωσεν ἀλλοιώσει, auctus mirificavit mutatione. *Vulg.* creſcens mirabiliter in conſummationem. (*g*) Ornatus illuminans.] *Interpres videtur legiſſe*, κόσμον, mundum illuminans. (*h*) Dominus.] *Ita etiam vulg. ſed bene fluebat oratio*, mundum illuminans in excelſis Dominus. *Non ita in noſtra. In aliquo vetuſto, & Compl. eſt*, κυρίου, in excelſis Domini. (*i*) Et non deficient.] *In quibuſdam eſt*, καὶ οὐ μὴ ἐκκαυθῶσιν, *& in nonnullis Bibliis*, & non exardeſcent. *In aliquo codice utrumque conjungitur, hoc poſt illud.* (*k*) Voluntate.] *Nonnulli addunt*, αὐτοῦ, *& vulgata*, in voluntate ejus.] *In Compl. eſt alius ordo verborum: ſed noſter reſpondet vulgatæ.* (*l*) Jeſus.] *Vulgata.* Dominus Jeſus. *Aliquot libri habent*, ἐφύτευσεν ἐν αὐτῇ νήσους, plantavit in ea inſulas. (*m*) Proſper proceſſus, finis ejus.] *In pleriſque*, εὐοδοῖ ὁ ἄγγελος αὐτοῦ, proſperat angelus ejus. *Vulgata*, propter ipſum confirmatus eſt itineris finis. (*n*) In omnibus.] *Sic videtur reddidiſſe interpres illud*, τὸ πᾶν, *ſed poſſet etiam verti*, & quæ eſt conſummatio ſermonum, ipſe eſt omne.

CAP. XLIV.

(*a*) MAgnificentiam ſuam.] *In aliquo eſt*, τῇ μεγαλοσύνῃ αὐτοῦ, *& vulgata*, magnificentia ſua. (*b*) Habitationibus.] παροικίαις, *aut*, κατοικίαις *ut aliqui.* (*c*) Permanebit.] *In nonnullis*, διαμένει, *& vulgata*, permanet. (*d*) Ideo.] *Interpres videtur legiſſe*, ὅτι ἐγένετο, cum factum eſt. *A Complut. abeſt pars antecedens*, ideo fuerunt reliquiæ ipſi terræ: *pro quibus in vulg.* ideo dimiſſum eſt reliquum terræ. (*e*) In hæreditate.] *Compl.* κληρονομίαν, *& vulg* hæreditatem.

CAP. XLV.

(*a*) DIlectum.] *In pleriſque libris initium capitis eſt in verbis proxime præcedentibus*: Et eduxit ex eo virum miſericordiæ invenientem gratiam in oculis omnis carnis dilectum, *&c. In vulgata eſt hic initium: ſed legitur*, Dilectus, *&c.* (*b*) Fecit.] *Complut. addit*, αὐτὸν, *& vulgata*, illum. (*c*) Stola.] *Nonnulli*, περιστολῇ, *vulgata*, zona. (*d*) Vaſis.] *Compl.* ἐν σκεύεσιν, *vulg.* coronavit eum in vaſis. (*e*) Torta cocco.] *In quibuſdam illud*, κεκλωσμένῃ, *eſt rectus: Compl.* κεκλωσμένῳ, *vulg.* torto cocco. (*f*) Illum in mandatis ſuis.] *A quibuſdam abeſt illud*, ἐν, in. *Compl.* αὐτῷ ἐντολὰς αὐτοῦ, ei mandata ſua, *vulg.* illi in præceptis ſuis. (*g*) Cum Dathan.] οἱ περὶ Δαθὰν καὶ Ἀβειρών. *Notum eſt autem hac loquutione ipſos præcipue Dathan & Abiron ſignificari.* (*h*) Suæ.] αὐτοῦ, *Complut.* αὐτοὺς, *& vulgata*, illos. (*i*) Illis.] *Eadem*, αὐτῷ, illi. (*k*) Satietatem.] *Eadem*, ἐν πλησμονῇ, in ſatietate. (*l*) Pars tua hæreditas.] *In aliis*, μερὶς αὐτοῦ κληρονομίας, pars ejus hæreditatis, *aut*, μερὶς, καὶ κληρονομία, pars & hæreditas, *vulgata*, pars ejus, & hæreditas. (*m*) Statutum eſt illi teſtamentum.] *Complut.* ἔστη αὐτῷ διαθήκη, *& vulgata*, ſtatuit illi teſtamentum. (*n*) Secula.] *Eadem*, εἰς τὸν αἰῶνα, in æternum. (*o*) Filio.] *In uno vetuſto additur*, Ἰεσσαί, *& vulgata*, Jeſſe. (*p*) Vobis.] *Nonnulli*, ἡμῖν, nobis. *Vulgata*, ut daret ſapientiam in cor noſtrum.

CAP. XLVI.

(*a*) DEclinando.] *In quibuſdam*, τῷ ἐκτεῖναι, extendendo, *vulgata*, jactando. (*b*) Hoſtes.] *Sic etiam vulg. Nonnulli*, πολέμους, bella. (*c*) Eos.] *Alii*, αὐτὸν, *aut*, αὐτοῦ, *& vulgata*, eum. (*d*) Contra inimicum.] *Aut*, hoſtem, *ut vulgata. In quibuſdam eſt*, ἔναντι ἐκκλησίας, contra Eccleſiam. (*e*) In fide ſua fidelis viſionis.] *In nonnullis* ἐν ῥήματι αὐτοῦ, πίστει ὁράσεως, in verbo ſuo, fide viſionis: *in quibuſdam tantum*, ἐν ῥήματι αὐτοῦ, *Vulgata*, in verbis ſuis fidelis, quia videt Deum lucis. (*f*) Agni.] *Sic* 1 *Reg.* 7. *Compl.* ἀνδρὸς γαλαθηνοῦ, viri lactentis. *Vulgata*, viri inviolati.

CAP. XLVII.

(*a*) PRophetare.] *Complut.* ὁ προφήτης, *& vulgata*, propheta. (*b*) Dulces facit.] *Vulgata*, fecit. *Compl.* καὶ ἐξ ἤχου αὐτοῦ γλυκαίνειν μέλη, καὶ καθ' ἡμέραν αἰνέσουσιν ἐν ᾠδαῖς αὐτῶν, & ex ſono ejus dulces facere modos, & quotidie laudabunt in canticis ſuis. (*c*) Regum.] *In uno vetuſto ad marginem, & in Complut. eſt*, βασιλείας, *& vulgata*, regni. (*d*) Cum hoc.] *Aliqui* μετὰ τοῦτον, poſt hunc. (*e*) Cui.] *Sic vulg. Alii*, ὡς, quoniam. (*f*) Quam ſapiens fuiſti.] *Optime conveniunt hæc omnia in ſecunda perſona: & ita collati codices. Compl. autem*, ὡς ἐσοφίσθη ἐν νεότητι αὐτοῦ, καὶ ἐνεπλήσθη, *& vulgata*, quemadmodum eruditus eſt in juventute ſua, & impletus eſt. (*g*) Compunctus ſum.] *Nonnulli*, καὶ κατανυγῆναι, & compungi, ac vexari, *aut, ut quædam biblia habent*, incitari. (*h*) Corrumpet opera ſua.] *Videtur interpres aſſequutus ſententiam. Nam*, οὐ μὴ διαφθαρῇ ἀπὸ τῶν ἔργων αὐτοῦ, *apte poteſt hoc ſignificare*, non corrumpet quicquam ex operibus ſuis, *quamvis & iſtud*, non peribit propter opera ſua.

CAP XLVIII.

(*a*) SIC ter ignem.] *Complut.* τρὶς πῦρ ἐξ οὐρανοῦ, ter ignem de cœlo. *Vulgata*, & dejecit a ſe ignem terræ: *niſi & in illa ſit legendum*, ter. (*b*) Ante furorem.] *Longe meliore ſenſu, quam Complut.* πρὸς θυμὸν, ad furorem. *Vulgata*, lenire iracundiam Domini. (*c*) In amicitia decorati ſunt.] *Vulgata*, in amicitia tua decorati ſunt. *Alii codices*, οἱ ἐν ἀγαπήσει κεκοιμημένοι, qui in dilectione dormierunt. (*d*) Domui.] *Quidam*, ἐν τῷ οἴκῳ, *& vulgata*, in domo. (*e*) Ipſorum Gog.] *Alii*, αὐτὸν τὸν γὼγ, ipſum Gog, *aut*, αὐτῆς τὸ ὕδωρ, ipſius aquam, *aut*, αὐτῶν τὸ ὕδωρ, ipſorum aquam. *Suſpicari licet, pro*, γὼγ, *ſcribendum eſſe*, γειῶν, *ex* 2 *Paral.* 32. (*f*) Nacherim.] *Alii*, Σενναχηρεὶμ, Sennacherim. (*g*) Et promovit.] *Hoc abeſt a nonnullis. In Complut. hujus loco eſt*, ἐκ λάχεις, de Lachis. *Vulgata*, & ſuſtulit manum ſuam contra illos. (*h*) Promovit manus ejus.] *Alii quidam*, καὶ ἀπῆρε, *aut*, ἐπῆρε χεῖρα αὐτοῦ, *& vulgata*, & extulit manum ſuam.

CAP. XLIX.

(*a*) DEderunt enim cornu.] *In quibuſdam*, ἔδωκε τὸ κέρας, dedit cornu. *Vulgata*, dederunt enim regnum. (*b*) Et benefacere illis.] *Quidam*, καὶ κατευθῶσαι, & dirigere illos: *nonnulli*, καὶ κατώρθωσε, & direxit. (*c*) Oſſa pullulent.] *Pro his uſque ad*, Quomodo *in Complut. eſt*, εἴη τὸ μνημόσυνον ἐν εὐλογίαις, ſit memoria in benedictionibus. *Vulgata*, oſſa pullulent de loco ſuo: nam corroboraveruut Jacob, & redemerunt ſe in fide virtutis. (*d*) Populum.] *Nonnulli*, ναὸν, *templum.* (*e*) Et Neemiæ.] *In quibuſdam eſt*, καὶ ἐν ἐκλεκτοῖς ἦν Νεεμίας, οὗ ἐπὶ πολὺ τὸ μνημόσυνον αὐτοῦ, τοῦ ἐγείραντος, & in electis fuit Neemias, cujus ad multum tempus memoria ejus, qui erexit, &c.

CAP. L.

(*a*) DUplicis.] διπλῆς, *quaſi ſupplendum ſit*, ὀχυρότητος, munitionis, *aut ejuſmodi quiddam; cujus hodie fortaſſe non extet hiſtoria. In quibuſdam libris eſt*, διαπλῆς. *In Complutenſi eſt*, διπλοῦν ἀνάλημμα, ὑψηλὸν περίβολον ἱεροῦ, duplex reparatio, excelſus ambitus templi. *Vulgata*, duplex ædificatio, & excelſi parietes templi. (*b*) Receptaculum.] *In Complutenſi*, ἠλαττώθη δοχεῖα, imminuta ſunt receptacula. (*c*) Æs quaſi maris, perimetrum.] *Fortaſſe ſignificat, feciſſe mare æneum, ſupra modum amplum, & capax: & in aliquot codicibus eſt*, τὸ τρίμετρον, trimetrum. *Et ſatius eſt retinere verba Græca: quoniam & alia ſenſa ex ipſis elici poſſunt. Nonnulli pro*, χαλκὸς, *habent*, λάκκος, ciſterna, quaſi maris. *Interpres totam hanc ſententiam ſic reddidit*, remanaverunt (*al.* emanaverunt) putei aquarum, & quaſi mare adimpleti ſunt ſupra modum. (*d*) Ad obſidendum.] *Videtur dictum, pro*, ad propulſandam obſidionem. *In vetuſto codice eſt*, ἐν πολιορκήσει, in obſidione, dum obſideretur, *aut*, in obſidionem, *id eſt*, contra obſidionem. *Complut.* καὶ πολιορκήσας, & obſidens *ſed vix ullo ſenſu. Interpres videtur legiſſe*, πολυωρῆσαι, *habet enim*, qui prævaluit amplificare civitatem. (*e*) Quam glorificatus eſt.] ὡς ἐδοξάσθη. *Interpres fortaſſe habuit*, ὃς, qui adeptus eſt gloriam. *Complut.* ἐδοξάσθης, glorificatus es. (*f*) Aras.] *In quibuſdam*, ἐπὶ βωμοῦ, *& vulgata*, in ara. (*g*) In magna domo.] *Sic vulgata, quod græce eſt*, ἐν πλείστῳ οἴκῳ. *In uno vetuſto eſt*, ἐν παντὶ τῷ οἴκῳ, in tota domo. *Complutenſis*, ἐν πλείστῳ ἤχῳ, in plurimo ſono. (*h*) Et iterant in adoratione ad oſtendendum.] *Vulg.* & iteravit orationem ſuam, volens oſtendere virtutem Dei. *Aliquot codices*, καὶ ἐδευτέρωσαν ἐν προσκυνήσει, ἐπιδέξασθαι, & iteraverunt in adoratione, ad accipiendam benedictionem, &c. (*i*) Ejus.] αὐτοῦ, *fortaſſe*, Simonis.

Vulgata, ut liberet eos in diebus ſuis. *Complut.* ϗ ἐν τ͂ ἡμέραις ἡμῶν λυτρωσάθω ἡμᾶς, & in diebus noſtris liberet nos. (*k*) Phyliſtiim.] *In quibuſdam*, ϗ ἄνδρες οἱ κατοικοῦντες φυλιστιείμ, & viri habitantes Phyliſtiim. *Vulgata*, qui ſedent in monte Seir, & Phyliſtiim. (*l*) Scripſi.] *Complutenſis*, ἐχάραξε, ſcripſit, *ut vulgata.* (*m*) Sirach.] *In nonnullis additur*, ἐλεαζάρȣ, *aut*, ἐλεάζαρος, Eleazari, *aut*, Eleazar.

CAP. LI.

(*a*) ET in conſpectu aſtantium.] *Sic vulgata. In uno vetuſto, & Complut. eſt*, ϗ ἔναντι τῶν ἀνθεστηκότων μοι, & coram iis, qui ſtabant contra me. (*b*) Et nominis.] *Illud*, καὶ, *abeſt a nonnullis, & vulgata*, miſericordiæ nominis. (*c*) De medio ignis, ubi.] *Abeſt a Complutenſi iſtud*, ἐ̃, *itemque a vulgata*, *ſed hæc habet*, in medio ignis non ſum æſtuatus. (*d*) Regi calumnia linguæ injuſtæ.] *In quibuſdam eſt*, διαβολῇ, per calumniam. *In Complut. in recto, ſed habet*, ἐκ γλώσσης, a lingua. *Vulgata*, a rege iniquo, & a lingua injuſta. (*e*) Reſpiciens.] *Vulgata addit*, eram. *In quibuſdam libris eſt*, ἐνέβλεπον, inſpiciebam. (*f*) Inveſtigavi.] *Quidam*, ἴχνευον, *& vulgata*, inveſtigabam. (*g*) In factione famis.] *Ita etiam Complutenſis. Alii*, ϗ ἐν ποιήσει μȣ, & in operatione mea. *Vulgata*, in faciendo illam confirmatus ſum. (*h*) Luxi.] *Vulgata*, & in ſapientia ejus luxit anima mea, & ignorantias meas illuminavit. *Quædam tamen Biblia manuſcripta habent*, & inſipientiam ejus luxi : *quod valde convenit noſtræ. In quibuſdam codicibus eſt*, ἐπενόησα, *& in nonnullis*, ἀπενοήθησα, & ignorantias illius cogitavi, *aut*, agnovi. (*i*) Cum eis.] *Aliquot*, μετ' αὐτῆς, *& vulgata*, cum ipſa, *in qua etiam, ut in Complut. alius eſt ordo verborum. Nam hanc ſententiam præcedit illa, quæ in noſtra ſequitur*, & in purificatione, (*vulgata*, agnitione) inveni eam. (*k*) In his.] *Nonnulli*, ϗ λέγετε (*Compl.* ἢ τί λέγετε) ἐν τούτοις; *Vulgata*, & quid dicitis in his?

OSEE.

CAP. I.

(*a*) IN Oſee.] *Apud Sanctum Hieronymum in editione, quæ præfert titulum lxx*, (*ſed ejus tempore vulgata erat, & cum aliis interpretationibus miſta, quamque nos poſthac vetuſtiorem dicemus*) *legitur*; ad Oſee, *ut in Compl. & apud Theodoretum*, πρὸς ὠσηέ. *Sed idem Sanctus* Hieronymus *in comm. non aliam lectionem agnoſcit, quam*, in Oſee. (*b*) A poſt Dominum.] *Optime reſpondet* Hebræo. *In editione vetuſtiori fortaſſe per incuriam librarii eſt tantum*, poſt Dominum. *Compl.* ἀπὸ τȣ͂ θεȣ͂, a Deo. *Vulgata*, a Domino. (*c*) Juda.] *Sanctus Hieronymus* : Pro Jehu, in editione vulgata legitur Juda. Sed hoc mihi videtur non vitio lxx interpretum, ſed ſcriptorum inoleviſſe imperitia, &c. *Theodoretus quidam habet*, Jehu. (*d*) Abſque miſericordia.] *Sequuti ſumus vetuſtiorem, & vulgatam noſtram*; *quamvis*, οὐκ ἠλεημένη *poterat ſatis apte verti*, miſericordiam non conſequuta. *In uno codice eſt*, οὐκ ἠγαπημένη, non dilecta : *cujus lectionis facit etiam mentionem Sanctus Hieronymus. Sed magis probat*, οὐκ ἠλεημένη. *Complut.* ἀνελεημοσύνη, vacuitas miſericordiæ. (*e*) Bello.] *In multis additur*, οὐδὲ ἐν ἅρμασιν, neque in curribus : *quod neque in vetuſtiore, neque apud Theodoretum, neque in vulgata eſt.* (*f*) Erat.] *Sic etiam Theodoretus. Compl. autem*, ἔςαι, erat : *& ita apud Sanctum* Hieronymum *etiam in vetuſtiore.*

CAP. II.

(*a*) DEſertum.] *Apud S. Hieron.* ut deſertum, *& in aliquot libris*, ὡς ἔρημον. *Complut.* ἐν ἐρήμῳ, in deſertum (*b*) Oleum.] *In aliquo libro eſt* ϗ τὸ ἔλαιόν μȣ, & oleum meum, *ſicut apud S. Hieronymum. In nonnullis vero*, ὁ οἶνός μȣ, ϗ τὸ ἔλαιόν μȣ, vinum meum, & oleum meum. (*c*) Reædificabo.] ἀνοικοδομήσω, *quaſi*, exaggerabo, *ut valeat idem, quod in Compl. & apud Theodoretum eſt*, φραγήσομαι, *& apud* S. Hier. obſtruam. (*d*) Ipſi Baal.] τῇ βαάλ. S. *Hieron. inquit quoſdam male* βαὰλ, *&* βααλείμ, *legere feminino genere, cum ſint legenda maſculino. In Græcis exemplaribus utroque modo legitur. Nam hoc eodem capite paulo poſt*, ἐν αἷς ἐπέθυεν αὐτοῖς, *non* αὐταῖς. (*e*) Ea.] *Sic etiam hebræus, & chaldæus. Apud* S. *Hier.* eam. (*f*) Et volatilia cœli, & reptilia terræ.] H*æc inquit* S. *Hieron.* obelo eſſe prænotanda. (*g*) Ad aperiendam intelligentiam ejus.] S. *Hier.* Hoc interpretatus eſt Symm. εἰς θύραν ἐλπίδος, id eſt, in oſtium ſpei: Theodotion, ἀνεῷξαι τὴν ὑπομονὴν αὐτῆς, id eſt, aperire patientiam, vel expectationem ejus. (*h*) Humiliabitur.] *S. Hieron.* Quod Symm. interpretatus eſt, κακωθήσεται, id eſt, affligetur, Theodotion, ἀποκριθήσεται, id eſt, reſpondebit, Aquila, ὑπακούσει, id eſt, obediet, nos ab hebræo κτ͂ λέξιν, magis accipimus, id eſt, præcinet. (*i*) Te.] *A quibuſdam abeſt iſtud*, σε. *In Compl. & apud Theodoretum* αὐτοὺς, *& apud* S. *Hieron.* eos. (*k*) Et cognoſces Dominum.] *Apud eoſdem*, ϗ ἐπιγνώσῃ, ὅτι ἐγὼ κύριος, & ſcies, quia ego Dominus. (*l*) Diligam non dilectam.] *Cæteri libri, & Theodor.* ϗ ἐλεήσω τὴν οὐκ ἠλεημένην : *& apud* S. *Hier.* miſerebor ejus, quæ fuit abſque miſericordia.

CAP. III.

(*a*) CUM vinaciis.] *Idem videtur valere*, μτ̃ σαφίδος, *ac ſi eſſet*, μτ̃ σαφίδων, *ut Complut. Aquila*, παλαιά, vetera. *Symm.* ἀκάρπους, ſteriles, *ut interpretatur* S. *Hieron.* (*b*) Conduxi.] *In Complut. additur*, αὐτὴν· *& apud* S. *Hier.* eam. (*c*) Et Nebel vini.] S. *Hieron.* Cæteri interpretes, ἡμίκορον hordei tranſtulerunt, id eſt, mediam partem cori, quæ facit quindecim modios. (*d*) Super me.] ἐπ' ἐμοὶ, *& paulo poſt*, ἐπὶ σοὶ, *quaſi*, expectando me, expectando te. *Sed apud* S. *Hieron. eſt*, mihi, *&* tibi. (*e*) Viro.] *In cæteris libris ſequitur*, ἑτέρῳ, alteri : *quod etiam per typographi incuriam irrepſit in noſtram : nam in Vaticano non eſt.* S. *Hier.* Quodque jungitur in editione vulgata, neque eris alteri viro; alteri, in hebraico non habetur, *&c.* (*f*) Manifeſtationibus.] S. *Hieron. refert Aquilam tranſtuliſſe* φωτισμοὺς, illuminationes: *ac de iſta dictione multa & ipſe, & Theodoretus.* Ἀνεῦ θεραφείμ, vel ſi placet, θεραφείν, ut Gen. 31. 34. התרפים. Aq. μορφώματα, Symm. θεραφείν. Hier. in libro Quæſtion. Ebraic. תרפים. Aquila, μορφώματα, *id eſt, figuras & imagines interpretatur.* Idem in comment. ad hunc locum, תרפים *proprie appellantur*, μορφώματα, *id eſt, figuræ & ſimulachra.* Si eundem recte capio, Aquila hoc loco, φωτισμοὺς, tranſtulit, id eſt, illuminationes. Forte quod illuminando docerent ac patefacerent futura. Qua ratione vocantur a paraphraſte Chaldæo Jonatha מחוי, id eſt, *indicantes*, & a Græcis lxx, δῆλοι, id eſt, manifeſtationes, alibi Chaldæus interpretatur צלמניא, id eſt, ſimulachra, & Græci εἴδωλα, id eſt, idola. De his Triſmegiſtus in Aſclepio, *Videſne*, inquit, *ſtatuas animatas ſenſu, & ſpiritu plenas & talia facientes? ſtatuas futurorum præſcias, &c.* Marſilius Ficinus in libello de vita cœlitus producenda, cap. 13. *Triſmegiſtus ait Ægyptios ex certis mundi materiis facere conſueviſſe imagines, & in eas opportune animas dæmonum inſerere ſolitos, atque animam avi ſui Mercurii, itemque Phœbi cujuſdam & Iſidis Oſiridiſque ſic in ſtatuas deſcendiſſe, profuturas hominibus vel etiam nocituras*, & quæ ſequuntur. *Druſ.* Apud quem vide plura. (*g*) In noviſſimis.] *In aliquot codicibus eſt*, ἐπ' ἐσχάτȣ, *apud* S. *Hieron.* in noviſſimo die.

CAP. IV.

(*a*) SAnguines.] *Complut.* αἷμα ἐφ' αἵμασι, ſanguinem in ſanguinibus. *Apud* S. *Hieron.* & ſanguinem ſanguini miſcuerunt. (*b*) Tecum.] *Sic etiam* S. *Hieron. & Theodoretus. Alii libri*, μετ' αὐτȣ͂, cum eo. (*c*) Accipiunt.] *Ita Theodoretus. Plerique autem*, λήψονται ἄλλοι, *& apud* S. *Hieron.* accipient alii. *Quidam*, λήψονται λαοὶ, accipient populi. (*d*) Ad cuſtodiendum.] τȣ͂ φυλάξαι, *& reſpondet Hebræo. Compl.* τȣ͂ μὴ φυλάξαι, *& apud* S. *Hieron.* ut non cuſtodirent. (*e*) Auguriis.] *Sic apud* S. *Hieron. quod græce eſt*, ἐν συμβόλοις, in ſignificationibus. *Eſt enim communius quiddam, quam augurium.* (*f*) Ejus.] *In aliquo libro eſt*, αὐτῶν, *& apud* S. *Hier.* ſuis. (*g*) Initiatis.] *Aquila*, ἐνηλλαγμένων, mutatis, *ut* S. *Hier. interpretatur. Symm.* ἑταιρίδων, ſcortis. *Theodotio*, κεχωρισμένων, ſeparatis. (*h*) On.] ὢν. *Ita etiam Theodoretus : atque inquit eſſe nomen idoli in Bæthel. Legenda ſunt quæ & ipſe, & S. Hieron. de hac re afferunt. Alibi apud Theodoretum ſcribitur*, ὢν, *ejuſque alia affertur explicatio. Hic in pleriſque libris eſt*, εἰς οἶκον ἀδικίας. *S.* Hier. Pro domo ὢν, in quibuſdam exemplaribus & maxime in Theodotione legitur, οἶκον τ͂ ἀδικίας, id eſt, domum iniquitatis : quod Aquila, & Symm. interpretati ſunt, οἶκον ἀνωφελῆ, id eſt, domum inutilem. *Theodoretus illud* ἀδικίας, (*aut, ut in Schol.* ἀθείας, impietatis) *tribuit Symmacho : iſtud vero*, οἶκον ἀνωφελῆ, *Aquilæ, & Theodotioni.* (*i*) Viventem Dominum.] *Sic etiam Theodoretus. Compl.* ζῇ κύριος, *& apud S.* Hieron. vivit Dominus. (*k*) Provocavit Chananæos] H*æc notat S.* Hieron. *non haberi in hebræo.* (*l*) Tu es.] σὺ εἶ. *Aliquot libri*, συνιεῖ, ſimul es. *In nonnullis, & apud Theodoretum eſt*, συριεῖ, καθάπερ πνοὸς συστροφῆς τ͂ ἐμῆς ὀργῆς ὑποσυρούσης αὐτὴν· *& apud S.* Hieron. ſibilabit. *Sym.* ἔδησε τὸν ἄνεμον ἐν πτέρυξιν ἀνέμου, *quæ S.* Hier. *ſic reddit*, velut ſiquis liget ventum in alis venti.

CAP. V.

(*a*) ITabyrium.] *Docet* S. *Hieron. ſic eſſe a lxx nominatum montem Thabor.* (*b*) Injuria] ἡ ὕβρις, *&* S. *Hieron. teſtatur eodem modo Symmachum eſſe interpretatum, Aquilam vero, & Theodotionem*, ἀλαζονείαν, id eſt, ſuperbiam, *cap.* 7. ὕβρις *vertitur*, contumelia. (*c*) Rubigo.] *Pro hoc inquit S. Hieron. Aquilam dixiſſe*, neomenias, *Symmachum, & Theodotionem*, menſem. (*d*) Et cleros eorum.] *S. Hieron.* id eſt, cum poſſeſſionibus, quas in diviſionem terræ ad menſuram funiculi ſuſceperunt. (*e*) Legatos.] *Sanctus Hieronymus*, Non habetur in hebræo. (*f*) Jarim.] *Sanctus Hieronymus*, Ubi lxx poſuerunt Jarib; nos juxta Symmachum ultorem vertimus : nam Aquila, & Theodotion judicem interpretati ſunt. (*g*) Sanare.] *Sic hebræus. Alii*, διασῶσαι, ſalvare, *aut*, ῥύσασθαι, liberare, *ut apud Sanctum Hieronymum.* (*h*) Dolor.] *Nonnulli*, τὴν ὀδύνην, *& apud Sanctum Hieronymum*, nec ceſſare faciet a vobis dolorem, *qui etiam teſtatur, Aquilam dixiſſe*, ἐπίδεσιν, *ſive*, σύνδεσμον, id eſt, colligationem, ſive conjurationẽ. Quæret fortean aliquis, harum rerum non indiligens ſcrutator, cur dicat Aquilam vertiſſe ἐπιδ. ſive συνδ. An utrumque edidit? Aut in una verſione poſuit ἐπίδεσιν, & in altera, σύνδεσμον? Jam vero σύνδεσμος, non eſt conjuratio, ſed colligatio aut vinculum, niſi forte ut a קשר *ligo* formatur apud Ebræos nomen קשר, quod conſpirationem ſive conjurationem denotat : ita σύνδεσμος hoc loco eſt conjuratio, quam ſimiliter *ligam* vocant Galli, nempe a ligando. Nam ſimul ſe colligant qui ſimul conjurant & conſpirant. *Druſ.*

CAP. VI.

(*a*) RApuit.] *Reſpondet Hebræo. Cæteri libri, & Theodoretus*, πέπαικε, *& apud Sanctum Hieronymum*, verberavit. (*b*) Curabit.] *Ita apud Sanctum Hieronymum, quod Græce eſt*, μοτώσει, *quaſi linamento immiſſo curabit.* Μοτώσει] indito penicillo vulnerario curabit. Hieron. *proprie* μότα *appellantur linteola, quæ inſeruntur vulneribus, ut putridas carnes comedant & extrahant purulentias. Artiſque medicorum eſt grandia vulnera longo ſanare tempore, & per dolorẽ reddere ſanitatem.* Lex. Heſychii, Μοτώσει, ἰάσεται διὰ ὀθονίων. lego μοτώσει, & ἰάσεται διὰ ὀθονίων expono, curat adhibitis linteolis. Nihil verius. Sic etiam lego apud Sudam ſive Suidam, μοτώσει, ἰάσεται διὰ ὀθονίων, ubi vulgo μελώσειν. Uterq; hinc deſumpſit, ut credibile eſt. *Druſ.*

Alii vertunt, turbabit. (*c*) Meum.] *Theodoretus, & Compl.* σου, *& apud S. Hier.* tuum. (*d*) Quam ſacrificium.] *Loquutio uſitata: ſubintelligitur enim*, magis, *quod in ſequenti membro exprimitur apud Sanctum* Hieronymum. *Hic tamen cæteri libri, & Theodoretus habent*, ϗ οὐ θυσίαν, *& apud eundem*, & non ſacrificium. (*e*) Præteriens.] *Sic apud Sanctum* Hieronymum, *quod græce*, παραβαίνων. *In Complut.* παραπικραίνων, exacerbans. (*f*) Ibi contempſit me Galaad.] *Sic habet, & interpungit etiam Sanctus* Hieronymus *in comment. licet in textu addat*, enim. *Complut.* ἐκεῖ κατεφρόνησάν μου, ibi contempſerunt me: *ac deinde quaſi ab alio initio*, Galaad, *&c. Apud Theodoretum videtur legi*, ἐκεῖ γὰρ κατεφρόνησέ μου, κατεφρόνησέ μου γαλαάδ, Ibi enim contempſit me: contempſit me Galaad. (*g*) Et fortitudo tua viri piratæ.] *S. Hieron. refert ex Symmacho*, & fauces tuæ, quaſi viri inſidiatoris. (*) Fauces tuæ.] חכך. Notum ut חך palatum deſignet. Antiqui quandoque fauces reddunt, ut ibi, *Adhæſit lingua mea faucibus meis*; alias, *palato meo*. Non memini legere in numero multitudinis. Quo minus placet interpretamentum Hieronymi, *& quaſi fauces virorum latronum*, ac ſi eſſet. כחכי. Idem in comment. *Denique Symmachus manifeſtius interpretatus eſt, & fauces tuæ quaſi viri inſidiatoris. Druſ.* (*h*) Viam.] *In cæteris libris ſequitur*, κυρίου, *& apud S. Hier.* Domini: *quod non eſt in hebraico. Symm. referente S.* Hieronymo, Societas ſacerdotum in via interficiebant Sychem: *Theodotio*, abſconderunt ſacerdotes viam, interficiebant in dorſo: *Aquila*, participatio ſacerdotum in via occidebant humeros. (*i*) Juda.] *In cæteris libris & apud Theodoretum ſequuntur hæc*, ἀφῆκε θερισμὸν αὐτοῦ, dimiſit meſſem ſuam: *quæ neque apud S.* Hier. *habentur.*

CAP. VII.

(*a*) CUM ſanarem ego Iſrael.] *Apud Theodoretum hæc conjunguntur cum ſuperioribus.* (*b*) Revelabitur.] *Sic etiam Theodoretus. Complut.* ἀπεκαλύφθη, *& apud* S. *Hier.* revelata eſt. (*c*) Ingredietur.] *Ita apud Theodoretum. In Complut. rurſus* εἰσῆλθεν, *& apud S.* Hieron. ingreſſus eſt. (*d*) Cogitationes.] *Theodoretus ex Aquila, & Symmacho*, τὰ ἐπιτηδεύματα, *& S. Hieron. in ſua*, adinventiones. (*e*) Reges.] *Sic etiam apud* S. *Hieron. & Theodoretum. In aliis libris eſt* βασιλέα, regem. (*f*) Deuſtionis a flamma.] *Theodoretus videtur habuiſſe*, εἰς κατάκαυμα τοῦ φλογὸς, *& apud* S. *Hier. eſt*, in deuſtionem flammæ. *Compl.* ἐπὶ τοῦ καυστηρῆς φλογὸς, ſuper deurentem flammam. (*f*) Ipſum.] *In Compl. & apud Theodoretum eſt*, ὅλου, *& apud* S. *Hier.* totum. (*h*) Præcipitarentur.] *Verbum*, καταῤῥάσσειν, *manifeſto* S. *Hier. agnoſcit. Ita enim inquit*, Hoc enim juxta lxx ſignificant cataractæ, quæ non ſurſum levant, ſed allidunt deorſum. *Habet etiam Theodoretus: pro quo teſtatur cæteros interpretes dixiſſe*, ἐνεδρεύειν, cum inſidiarentur. *Complut. autem*, ἐν τῷ καταποντίζεσθαι. (*i*) Clibanus.] *In cæteris ſequitur*, καιόμενος, *& apud* S. Hier. ardens. (*k*) Non fuit.] *Ita etiam Theodoretus. Complut.* οὐκ ἔστιν, *& apud* S. Hier. non eſt in eis, qui invocet me. (*l*) Inſipiens.] *Aut*, inſenſata, ἄνους, enim (*inquit* S. Hier.) utrumque poteſt exprimere. *Addit idem ab Aquila, & Symmacho dictum eſſe* θελγομένη, ἢ ἀπατωμένη, lactata ſive decepta. Scribo ἀπατημένη, id eſt, decepta, vel potius deceptu facilis, id eſt, εὐαπάτητος. Cæterum ambigo an Symm. ita verterit. Nam Proverb. 1. פתי. *Theod.* ἐπατημένος, Videtur ergo potius Theod. eſſe. Adi ad Quæſita mea, epiſt. 45. *Druſ.* (*m*) Reſilierunt.] Hoc *agnoſcit ex lxx S.* Hier. (*n*) Meticuloſi ſunt.] *Teſtatur idem nonnullos codices habuiſſe*, δειλαιοὶ, *quamvis alios*, δῆλοι, manifeſti: *quomodo etiam Theodoretus. Idem S.* Hier. *inquit hoc Symm. eſſe interpretatum, interitum, Theodotionem miſeriam.*

CAP. VIII.

(*a*) IN ſinu eorum, quaſi terra.] S. *Hieron. teſtatur ita ſolos lxx dixiſſe, Aquilam autem, & Symmachum, & Theodotionem*, in gutture tuo ſit tuba. *Apud Theodoretum eſt*, ὡς γῆ ἄβατος, ὡς σάλπιγξ, quaſi terra invia, ſicut tuba: *ut videantur admiſtæ diverſæ interpretationes. In cæteris libris, pro*, σάλπιγξ, *eſt*, ἀλώπηξ, vulpes. (*b*) Averſatus.] *Apud S. Hieron. fortaſſe culpa librarii eſt*, averſata. *Complut.* ἀπεῤῥίψατο, projecit. (*c*) Sibimetipſis regnaverunt.] *Apud* S. *Hieron.* ex ſemetipſis. *Ac fortaſſe verba iſta*, ἐβασίλευσαν, ἦρξαν, *tranſitive accipienda ſunt*, fecerunt regem, fecerunt principes. (*d*) Seducens.] *Teſtatur* S. *Hier. & ex parte etiam Scholiaſtes, Theodotionem dixiſſe ut lxx*, πλανῶν, *Aquilam*, errantibus, ſive converſis, *Symmachum*, inconſtans, *vel*, inſtabilis, *id eſt*, ἀκαταστατῶν, *quintam editionem*, ῥεμβεύων, vagus, & fluctuans. (*e*) In peccata facta ſunt ei altaria dilecta.] *Apud* S. *Hieron.* in peccatum. *In Complut. illud*, in peccata, *conjungitur cum antecedentibus: deinde ſequitur*, ϗ ἐγενήθη αὐτῷ θυσιαστήρια ἐπλημμελημένα, & facta ſunt ei altaria delicta. (*f*) Dilecta.] *Abeſt a cæteris libris, &* S. Hieronymo: *habet Theodoretus.* (*g*) Et in Aſſyriis immunda comedent.] S. *Hieron. & in comm. habet*, comederunt, *& inquit hoc in hebraico non haberi, & idcirco obelo prænotandum: repetuntur ſequenti cap.* (*h*) Earum.] *Alii*, αὐτοῦ, *& apud* S. Hier. ejus.

CAP. IX.

(*a*) COmedent.] *Sic cap. ſuperiore.* S. Hieron. *& Theodoretus*, comedit. (*b*) Eorum.] *Abeſt iſtud* αὐτῶν, *a Complut.* S. Hier. *& Theodor.* panes animarum eorum. (*c*) Vadunt.] *Alii*, πορεύσονται, *& apud* S. *Hier.* ibunt. (*d*) Machmas.] *Inquit* S. Hieron. *cæteros interpretatos eſſe*, deſiderabile, *ut conjungatur cum ſequentibus*, deſiderabile argentum, &c. (*e*) Qui à ſpiritu agitatur.] *Sic explanat Theodoretus dictionem*, πνευματοφόρος. *Apud* S. Hieron *eſt*, qui habebat ſpiritum. (*f*) Amentia.] *Aquila*, ἐγκότησις, quam (*inquit* S. *Hieron.*) nos vel iracundiam, vel memoriam doloris in latino poſſumus dicere. (*g*) Scopum.] Σκοπόν. *Etiam Nahum, cap.* 3. *ubi in aliis eſt*, ὡς συκαῖ καρποὺς ἔχουσαι, *in Vaticano eſt*, σκοποὺς ἔχουσαι. *quare videndum, an ſic ſignificare poſſit fructum primum, quemadmodum habet hebræus. In cæteris codicibus, & apud Theodoretum eſt*, ὡς σῦκον, *apud S. Hier.* ſicut ficum. (*h*) Abominabilis, ſicut dilecti.] *Teſtatur* S. *Hier. ſe in aliis exemplaribus legiſſe*, & facti ſunt dilecti, quaſi abominabiles. (*i*) Caro mea ex eis.] *Idem teſtatur eodem modo vertiſſe Theod. alios autem*, receſſio mea. (*k*) In captionem præbuerunt.] *Alii*, πάρεστι. *Compl.* παρέστησεν, *& apud* S. *Hieron.* præbuit: *qui etiam notat quod lxx dixerunt*, θήραν, *id eſt, venationem, ſive capturam: Aquilam, & Symmachum, & Theodotionem dixiſſe petram duriſſimam.*

CAP. X.

(*a*) BOnas habens propagines.] *Sic putat* S. *Hieron. recte verti, quod lxx dixerunt*, εὐκληματοῦσα. *Addit autem hæc*, Pro vite frondoſa Aquila interpretatus eſt, ἔνυδρον, quam nos aquoſam, vel, ἔξοινον, poſſumus dicere, eo quod vini perdat ſaporem: Symmachus, ὑλομανοῦσαν, quæ tota in frondibus creverit. *Idem refertur in Schol.* (*b*) Ejus.] *Compl. & Theodor.* αὐτῶν, *& apud Hier.* eorum. (*c*) Domus On.] *In multis ſequitur*, ἀδικίας, injuſtitiæ, *itemque paulo poſt. Vide, quæ notata ſunt cap.* 4. (*d*) Jarim.] S. *Hieron.* Pro Jarib in præſenti loco Symm. interpretatus eſt, ὑπερμαχοῦντι, id eſt, præſuli, & defenſori. (*e*) In domo Ephræm ſuſcipiet.] *In aliis ſequitur*, αἰσχύνην, *& apud* S. *Hier.* confuſionem. *Sed*, in domo, *&*, confuſionem, *videri poſſunt duæ interpretationes. Quare in vulgata noſtra tantum eſt*, confuſio Ephraim capiet. (*f*) Cremium.] *Symm.* ἐπίζεμα, volens (*inquit* S. *Hier.*) oſtendere ferventis ollæ ſuperiores aquas, &c. (*g*) Bellum.] S. *Hier. & per interrogationem, & ſine interrogatione explanat: apud quem ſequitur*, ſuper filios iniquitatis venit, ut corrumperet (*fortaſſe legendum*, corriperet) eos. *Sed in multis libris, & apud Theodoretum*, ἦλθε παιδεῦσαι αὐτοὺς κατὰ τὴν ἐπιθυμίαν μου, venit ad corripiendum eos ſecundum voluntatem meam. (*h*) Scientiæ.] *In pleriſque, & apud Theodoretum ſequitur*, ὡς ἔτι, (*aut*, ἔστι) καιρὸς, *& apud* S. Hier. quoniam eſt tempus. *Sed rurſus videntur duæ interpretationes*, ſcientiæ, *&*, adhuc tempus. (*i*) Impietatem.] *Compl.* ἀσεβείας, *apud* S. Hier. Quid reticetis impietates: *& de iſto reticendi verbo diligenter diſputat.* (*k*) Peccatis.] ἁμαρτήμασι. *In cæteris, & apud Theodoretum*, ἅρμασι, *& apud* S. Hier. curribus. *Sed in ſua tralatione*, in viis tuis, *quod in hebræo eſt in numero ſingulari. Nomine autem viæ & viarum ſæpe ſignificantur peccata.* (*l*) Hieroboam.] *In uno codice vetuſto eſt*, ἱεροβαὰλ, *& apud* S. Hier. Hierobaal: *nec dubitat Gedeonem ſignificari, non autem* Hieroboam *filium Nabat, ut quidam male ſunt opinati. Cum* S. Hier. *conſentit Theodoretus.* (*m*) A facie injuſtitiæ malitiarum veſtrarum.] *Vulgata*, a facie malitiæ nequitiarum veſtrarum. *Cæteri codices græci*, ἀπὸ προσώπου κακιῶν ὑμῶν, *& apud* S. Hier. *in vetuſtiore*, a facie malitiarum veſtrarum. *Euſebius Cæſ.* 9. *Evang. Demon. pro*, κακιῶν, *habet*, ἀδικιῶν, injuſtitiarum.

CAP. XI.

(*a*) PRojecti ſunt.] *Deeſt in Compl.* (*b*) Vocavi.] *Sic apud Sanctum Hieronymum etiam paulo poſt: Græce eſt*, μετεκάλεσα, revocavi, reduxi. (*c*) Ligavi pedes.] *Sic putat Sanctus Hieronymus recte verti*, συνεπόδισα, *quamvis in textu vetuſtioris tralationis habeat*, colligavi Ephraim. (*d*) Et ero illis.] *Sanctus Hieronymus ex Symmacho*, & putaverunt, quod imponerem jugum ſuper maxillam eorum. (*e*) Prævalebo.] *Alii*, ϗ δυνήσομαι, & prævalebo. *Compl. & Theodoretus*, δυνάμενος, *& apud Sanctum* Hieronymum, prævalens: *qui tamen in comment. inquit*, cumque eos reſpexerit; prævalebit, ſive proderit eis, id eſt, ſuperabit adverſarios: *pro quo notat Symmachum dixiſſe*, & declinavi ad eum cibos. (*f*) In gladio.] *In Complut. eſt*, ῥομφαία, *in recto. Quare vertendum eſſet, ut eſt apud Sanctum* Hieronymum, & infirmatus eſt gladius in civitatibus ejus: & requievit in manibus illius. *Idem teſtatur pro*, infirmatus eſt, *Aquilam interpretatum eſſe*, irruit: *Symmachum*, vulnerabit: *& eundem pro*, manibus illius, brachia illius. (*g*) Diſponam.] *Non longe ab hebræo, qui habet*, dabo, *id eſt*, ponam. *Complutenſis, & Theodoretus*, τί σοι ποιήσω, *& apud Sanctum* Hieronymum, quid faciam tibi. (*h*) Protegam te.] *Aquila*, ὅπλῳ κυκλώσω σε, ſcuto circundabo te. *Symmachus*, ἐκδώσω σε, tradam te. *Theodotio*, ἀφοπλίσω σε, nudabo te, & auferam a te ſcutum. *Ita enim interpretatur Sanctus* Hier. (*i*) Ambulabo.] *Theodoretus videtur habuiſſe*, πορεύετε, ambulate. (*k*) Pavebunt.] *Videtur reſpondere hebræo. Cæteri libri habent*, ἐκπτήσονται, *& apud Sanctum* Hieronymum, volabunt. *Complut.* ἥξουσι, venient. (*l*) Cognovit.] *Aquila*, ἐπικράτεια, *quod Sanctus* Hieronymus *videtur interpretari, fortitudinem.*

CAP. XII.

(*a*) FLeverunt.] *Aquila, Symmachus, Th.* ἔκλαυσε, ϗ ἐδεήθη αὐτοῦ, ϗ ἐν βαιθὴλ εὗρεν αὐτὸν, *& in vulgata*, flevit, & rogavit eum, in Bæthel invenit eum. *Theodoretus, pro*, αὐτοῦ, *&* αὐτὸν, *habet*, μου, *&* με, me. (*b*) Dies.] *Loquutio uſitata. In aliis eſt*, ἐν ἡμέραις· *& apud Sanctum* Hieronymum, in diebus. (*c*) Galaad.] *Alii, & Theodoretus*, ἐν γαλγάλοις, *& apud Sanctum* Hieronymum, in Galgala, *qui etiam declarat per Galaad ſignificari decem tribus, per Galgala duas. Complutenſis hic habet*, Galgal, *& paulo ante* Galgala. (*d*) Teſtudines.] *Teſtatur Sanctus* Hieronymus *Symmachum interpretatum eſſe*, acervos lapidum, *Theodotionem*, colles. (*e*) Uxori.] *Alii, & Theodoretus*, ἐν γυναικὶ, *& apud Sanctum* Hieronymum, in uxore. (*f*) Indignari fecit Ephræm, & ad iracundiam provocavit.] *In Complutenſi & apud Theodoretum*, ϗ παρώργισέν με ἐφραὶμ ἐν τοῖς παραπικρασμοῖς αὐτοῦ, *& apud Sanctum* Hieronymum, ad iracundiam me provocavit Ephraim in amaritudinibus ſuis.

CAP. XIII.

(*a*) JUſtificationes.] *Pro hoc inquit* S. *Hieron. Symmachum, & Theodotionem interpretatos eſſe*, tremorem. (*b*) Eas.] *Iſtud*, αὐτὰ, *abeſt a multis codicibus, &* S. *Hieron.* (*c*) Homines: vituli enim defecerunt.] S. *Hieron. ex Symmacho*, homines vitulos adorent: *Aquilam autem teſtatur, pro*, adorantes, *dixiſſe*, καταφιλοῦντες, id eſt, deoſculantes: *quod Job feciſſe ſe negat, cap.* 31. (*d*) De lachrymis.] ἀπὸ δακρύων. *Sic fatetur* S. *Hieron. legi in quibuſdam codicibus, ſed in pleriſque*, ἀκρίδων, locuſtis: *& hoc explanat Theodor.* καθάπερ ἀτμὸν ἐν ἀέρι γινόμενον, νέφος ἀκρίδων ἐπιγινόμενον διαλύει.

Idem S. Hieronymus teſtatur Theodotionem tranſtuliſſe, καπνοδόχην, fumarium, *Aquilam* καταῤῥάκτην, cataractam, *Symmachum*, foramen. *Et in nonnullis quibuſdam codicibus legitur*, ἀπὸ καπνοδόχης, *& in aliquo utraque lectio conjungitur*, ἀπὸ δακρύων καπνοδόχης. (*e*) Firmans.] *Hæc uſque ad*, Et ego eduxi, *inquit* S. *Hieron. neque in hebræo haberi, neque ab ullo interpretum verti, & in antiqua editione lxx, non legi, & in Compl. omittuntur.* (*f*) Creaverunt.] *Apud* S. *Hier.* creavit. *In cæteris codicibus eſt*, ἔπλασαν τὴν στρατιὰν αὐτοῦ, formaverunt militiam ejus. (*g*) Habui.] ἔχον. *Multi codices, &* S. *Hieron, in comm. habet*, ἀνέχον, *& quamvis interpretatur*, habui: *tamen apte poſſet verti*, ſuſtinui, ac patienter tuli: *quemadmodum explanat Theodoretus. Teſtatur autem* S. *Hieronymus omnes interpretes tranſtuliſſe*, abſtuli. (*h*) Conglobationem.] *In multis eſt*, συστροφὴ, *& in Complut.* συναγωγὴ, *& apud Sanctum Hieronymum*, congregatio. (*i*) Cauſa.] S. *Hieronymus ex Symmacho*, ero plaga tua, *ex Aquila, & quinta editione*, ubi ſunt ſermones tui. (*k*) Aculeus.] *Idem ex Symmacho*, ἀπάντημα, *id eſt*, occurſum, *ex Theodotione, & quinta*, plagam, & concluſionem. (*l*) Ejus.] *Abeſt a Theodoreto, & Complut. &* S. *Hieronymo.*

CAP. XIV.

(*a*) DIſperdetur.] *Symmachus*, μεταμελήσει, *id eſt*, aget pœnitentiam, *ut vertit* S. *Hieronymus.* (*b*) Ipſi.] *Iſtud*, αὐτοὶ, *abeſt a multis, & a Sancto Hieronymo.* (*c*) Infirmati ſunt.] *Alii*, ἠσθένησας, *&* S. *Hier.* infirmatus es. (*d*) Avertit iram meam a ſe.] *Alii*, ἀπέστρεψεν ἡ ὀργή μου ἀπ' αὐτῶν, *& apud Sanctum Hieronymum*, averſa eſt ira mea ab eis. *Complut.* ἀπέστρεψα ὀργήν μου ἀπ' αὐτῶν, averti iram meam ab eis. (*e*) Inebriabuntur.] *Sic etiam Sanctus Hieron. ex lxx. & Theodoretus. Alii*, στηριχθήσονται, firmabuntur.

AMOS.

CAP. I.

QUOD *ad ordinem pertinet, eundem in his prophetis ſervat Vaticanus codex, & quidem ſingulo cuique addens*, α, β, γ, δ, *&c. quem teſtatur* S. *Hieron. in Joel fuiſſe apud lxx.* (*a*) Accarim.] *Hoc etiam* S. *Hier. agnoſcit ex lxx. Plerique autem libri, & Theodoretus habent*, χαριαθιαρεὶμ, Cariathiarim. *Complut.* ἀκκαρπί. *Aquila*, ἐν ποιμνοτρόφοις, in paſtoralibus: *ſic enim vertit* S. *Hier. Symm. & Quinta editio*, ἐν τοῖς ποιμέσιν, in paſtoribus: *Theodotio ipſum verbum Hebraicum poſuit.* (*b*) Pro Hieruſalem.] *Teſtatur* S. *Hier. cæteros interpretes dixiſſe*, ſuper Iſrael. (*c*) Serris ferreis.] *Theodoretus ex Symmacho*, καθὼς ἠλόησαν τροχοῖς σιδηροῖς τὴν Γαλαάδ, quomodo triturarunt rotis ferreis ipſam Galaad, *atque in eandem ſententiam dicit vertiſſe Aquilam, & Theodotionem.* S. *Hier. inquit Theodotionem tranſtuliſſe rotas ferreas, quæ ipſe plauſtra ferrea ſit interpretatus.* (*d*) On.] ὤν. *Eodem modo teſtatur* S. *Hieron. dixiſſe Theodotionem: Symmachum vero, & quintam*, ἀδικίαν, *id eſt*, iniquitatem, *Aquilam*, ἀνωφελῆ, *id eſt*, inutilem. *Compl. habet*, εἰδώλου, idoli. (*e*) Tribum.] S. *Hier.* tribus: *& quod ſequitur*, de viris Charrhan, *inquit cæteros ſimiliter tranſtuliſſe*, de domo voluptatis. *Compl. habet*, ἐξ ἀνδρῶν ἀδὰν, *quæ poſtrema dictio non longe diſcedit ab hebraica.* (*f*) Salomonis.] S. *Hieron.* Aquila, ἀπηρτισμένην, tranſtulit, & ἀναπεπληρωμένην. Symm. & Th. τελείαν, quod non Salomonem, ſed perfectam ſignificat atque completam. *Eadem vere varietas notatur etiam in Scholio. Sed pulchre oſtendit Theodoretus, quomodo captivitas Salomonis vocari potuerit.* (*g*) Ipſi.) *Iſtud*, αὐτοὺς, *abeſt a nonnullis: quare apud* S. *Hier. eſt*, eo quod perſequutus ſit: *hæc autem varietas a ſingulari numero ad pluralem ſæpe ſimili loco obſervari poteſt.* (*h*) Matrem.] *Compl. & Theodoretus*, μήτραν, vulvam: *idque* S. *Hier. agnoſcit ex lxx, pro quo Symm. dixerit*, viſcera propria. (*i*) Victoriam.] *Apud* S. *Hier.* in æternum: *& alibi*, in victoriam, *valet idem, atque*, in finem. *Compl.* εἰς νεῖκος, in contentionem. (*k*) Fundamenta.] S. *Hier.* Aquila, & Symm. βάρεις, id eſt, domus, Theodotio habitatores tranſtulit. (*l*) Sacerdotes eorum.] *Notat* S. *Hier. hoc in hebræo non haberi, nec tamen fruſtra a lxx, additum.*

CAP. II.

(*a*) QUAS fecerunt.] *Abeſt a multis, & a* S. *Hier.* (*b*) Et fortis non inveniet cor ſuum in potentatibus.] *Cæteri*, καὶ εὑρεθῇ ἡ καρδία αὐτοῦ ἐν δυνάσταις, *& apud* S. *Hier.* & inventum cor ejus inter potentes: *quamvis illud*, & inventum, *ſit ſub obelo. A Theodoreto abeſt totum iſtud: in Compl. eſt*, καὶ εὑρήσει τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἐν δυναστείαις, & inveniet animam ſuam in potentatibus. (*c*) Perſequetur.] *Theod. & in Compl.* φεύξεται, *& apud* S. *Hier.* fugit.

CAP. III.

(*a*) PEccata.] *In aliis, & apud Theodoretum*, κακίας, *& apud* S. *Hier.* omnes malitias veſtras. (*b*) Niſi cognoverint ſe.] *Ita* S. *Hier. Aliqui*, ἐὰν μὴ γνωρίσωσιν ἑαυτοῖς, ſi notum non fecerint ſibi. *Aquila*, ἐὰν μὴ συντάξωνται, niſi conſtituerint inter ſe. (*c*) Malitia.] *Notat* S. *Hier. ſæpe in ſacris literis malitiam ſignificare afflictionem, & pœnam.* (*d*) Eruditionem.] *Aut*, correptionem, *ut habet* S. *Hier. in Comm. Theodotio*, τὴν βουλὴν αὐτοῦ, conſilium ſuum. (*e*) Quæ.] *Illud*, τὴν, *abeſt a multis, & a* S. *Hieron. Compl.* καὶ καταδυναστεία ἐν αὐτῇ, & oppreſſio in ea. (*f*) Miſeriam.] *Heſychius*, Syrus, συνοχὴ, preſſura, anguſtia. (*g*) Tyrus in circuitu.] *In multis*, καὶ κυκλόθεν, *& apud* S. *Hier.* in circuitu: *aut*, per circuitum. *Pro Tyro autem inquit Symmachum dixiſſe*, πολιορκίαν, obſidionem, *Theodotionem*, fortitudinem. (*h*) Sacerdotes.] S. *Hier. putat lxx poſuiſſe verbum hebræum* (*quod Aquila interpretatus ſit*, grabatum,) *quod quidam non intelligentes fecerint*, ἱερεῖς, ſacerdotes. (*i*) Pinnatam.] S. *Hier. explicat rationem hujus vocis, itemque Theodor. qui teſtatur Aquilam, Sym. Theod. dixiſſe*, τὸν οἶκον τὸν χειμερινὸν, domum hiemalem.

CAP. IV.

(*a*) VAccæ Baſanitidis.] *Symmachus*, αἱ βόες εὔτροφοι, boves ſaginatæ. *Ita enim* S. *Hieron. qui addit Aquilam, & Theodotionem retinuiſſe verbum Hebraicum.* (*b*) Per ſanctos ſuos.] *Sic apud* S. *Hieron. quod Græce eſt* κατὰ τῶν ἁγίων σου, *& poſſet etiam verti*, per ſancta ſua. *Theodoretus ex Symmacho*, κατὰ τῆς ἁγιωσύνης αὐτοῦ, per ſanctitatem ſuam. (*c*) Armis.] S. *Hieron. teſtatur eodem modo vertiſſe Symmachum, Aquilam vero clypeos, Theodotionem*, δόρατα, id eſt, contos, vel haſtas. (*d*) In ollas ſuccenſas injicient.] *Hoc videntur agnoſci etiam a Theodoreto. In Complut. tantum eſt*, εἰς λέβητας, *& apud* S. *Hier.* in ollis. (*e*) Ferventes.] ἔμπυροι, *hoc explanat etiam Theodoretus, non illud*, peſtilentes. *Ac ſi poſſet conjungi cum ollis, reſponderet verſioni* S. *Hieronymi, quæ habet*, in ollis ferventibus. *In nonnullis eſt*, ἔρημοι λοιμοὶ, deſolati, (*aut*, deſolatores) peſtilentes. *In Complut.* ἔμποροι, *& apud* S. *Hieron.* negociatores. (*f*) Remman.] *Multi libri habent*, ἁρμονᾶ, *itemque Theodoretus, qui inquit pro monte Armana Symmachum dixiſſe*, ἀρμενίαν, *Theodotionem vero*, ὑψηλὸν ὄρος, excelſum montem. *Sed* S. *Hieron. hoc quintæ editioni tribuit, Theodotioni vero*, montem Mona, *Symmacho*, Armeniam, *Aquilæ*, montem Armona, *lxx*, montem Remman. (*g*) In triduum.] *Sic videtur explanare Theodoretus*, εἰς τὴν τριημερίαν. *Apud* S. *Hier. in contextu vetuſtioris eſt*, in die tertio, *in ſua*, tribus diebus. *In comm. refert ex Symmacho*, tertia die, *& videtur probare.* (*h*) Stuporem.] *Theodoretus ex Sym. & Theodotione*, S. *Hieron. ex Aquila, & Sym.* καθαρισμὸν, mundiciam. (*i*) Vindemiæ.] *Theodoretus interpretatur*, pluviam ſerotinam. S. *Hieron. manifeſto apud lxx agnoſcit*, τρυγητοῦ. *Alii habent*, τοῦ θερισμοῦ, meſſis: *quod reſpondet vulg. noſtræ.* (*k*) Ardore.] *Aut*, combuſtione: *utroque enim modo* S. *Hier. qui teſtatur cæteros tres dixiſſe*, ἀνεμοφθορίαν, corruptionem a vento: *quod autem ſequitur*, aurugine, *omnes ſimiliter*, ἴκτερον, *tranſtuliſſe præter Theodotionem, qui dixerit*, ὠχρίασιν, pallorem. (*l*) Caſtra in ira veſtra.] *Alii*, παρεμβολὰς ὑμῶν ἐν τῇ ὀργῇ μου, *& apud* S. *Hier.* caſtra veſtra in ira mea. (*m*) Veruntamen.] S. *Hier. ex Aquila*, ὕστερον, poſtea, *ex Theodotione*, ἐσχάτως, noviſſime. (*n*) Præparare, ut invoces.] *Idem ex Theodotione*, præparare in occurſum Dei tui, *ex Symmacho, & Quinta editione*, præparare, ut adverſeris Deo tuo. (*o*) Tonitruum.] *Significat* S. *Hier. cæteros interpretes dixiſſe*, montes. (*p*) Chriſtum.] *Aq.* τίς ἡ ὁμιλία αὐτοῦ; *Sym.* τὸ φώνημα. *The.* ὁ λόγος, *Quinta editio*, ἀδολεσχία. S. *Hier. omnibus addit*, αὐτοῦ, *& inquit*, quæ omnia interpretantur, quod ſit eloquium ejus.

CAP. V.

(*a*) DOmini.] *Non eſt apud* S. *Hieron.* (*b*) Umbram.] *In multis codicibus additur*, θανάτου, *apud* S. *Hieron.* mortis, *itemque apud Theodoretum, qui docet ſic vocari magna pericula.* (*c*) Omnia.] *Teſtatur* S. *Hieron. hic Symmachum dixiſſe*, Pleiadem, & ſtellas, *Theodotionem*, Pleiadem, & veſperum. (*d*) Dominus.] *In multis adjungitur*, ὁ θεὸς ὁ παντοκράτωρ, *& apud* S. *Hieronymum*, Deus omnipotens. (*e*) Qui dividit contritionem ſuper fortitudinem.] *Sic etiam habuit* S. *Hieronymus, ut colligitur ex comm. licet in contextu deſit*, ſuper fortitudinem. *Inquit autem, pro*, qui dividit, *Aquilam dixiſſe*, μειδιῶν, ſubridens, *ex iræ nimirum magnitudine.* (*f*) Verbum Sanctum.] *Eodem modo Theodotionem, Symmachum vero dixiſſe verbum immaculatum notat Sanctus Hieronymus.* (*g*) Percutiebant.] *Alii, & Theodoretus*, κατεκονδυλίζετε, *& apud* S. *Hieronymum*, pugno percutiebatis. *Compl.* ὁ ἄνω ὢν κατεκονδύλιζεν πτωχὸν, qui ſuperiore loco erat, pugnis percutiebat pauperem. (*h*) Commutationes.] *Teſtatur* S. *Hier. omnes dixiſſe*, ἀλλάγματα, *& addit*, ἄλλαγμα, juxta idioma ſcripturarum precium dicitur. (*i*) Declinantes.] *Idem*, ſive, ut Symm. interpretatus eſt, oppreſſerunt. (*k*) Malorum.] *Cæteri*, πονηρὸς, *& apud* S. *Hier* malum. (*l*) Et in eis qui ſciunt.] *Apud* S. *Hieron. eſt*, & ad planctum hi, qui ſciunt lamentationem. (*m*) Pertranſibo.] *Notat* S. *Hieron. verbum hebraicum in perſona Dei pro pœna accipiendum, quare ab Aquila ſolere verti*, ἀνυπερθεσίαν, *quaſi citam, & curationis minime capacem calamitatem.* (*n*) Incidat.] *Iuſtinus in dial. cum Tryphone*, συναντήσῃ, occurrat. (*o*) Salutares.] *Alii*, σωτηρίου. *Apud* S. *Hier.* ſalutare. (*p*) Transfer a me ſonitum.] *Sic etiam* S. *Hier. Apud Iuſtinum eſt*, ἀπόστησον ἀπ' ἐμοῦ πλῆθος, amove a me multitudinem. (*q*) Tabernaculum.] *Etiam Symm. ut lxx dixit*, σκηνὴν. *Aquila*, συσκιασμοὺς, umbracula, *Theodotio, referente* S. *Hier.* viſiones. (*r*) Moloch.] *Ita etiam* S. *Lucas Act.* 7. *Aquila autem*, μελχὸμ, Melchom. *Symm. & Theodotio*, regis veſtri. (*ſ*) Rhæpham.] *Theo. teſte Scholiaſte, &* S. *Hier. poſuit*, ἀμαύρωσιν, id eſt, obſcuritatem, *Aq. & Sym. ipſum nomen hebraicum.*

CAP. VI.

(*a*) QUI reſpiciunt.] *Juſtinus ibidem*, οὐαὶ οἱ κατασπαταλῶντες, væ qui deliciis affluitis: *quod ſatis reſpondet Hebræo.* (*b*) Vindemiarunt primitias gentium.] *Apud Juſtinum* ὠνομασμένοι ἐπὶ τοῖς ἀρχηγοῖς ἀπετρύγησαν ἀρχὰς ἐθνῶν, nominati in principibus, vindemiarunt primitias (*aut*, principatus) gentium. *Ac videntur conjunctæ duæ interpretationes. Nam, pro*, vindemiarunt primitias, S. *Hier. vertit*, optimates, capita, *alii*, nominati, principium. *Compl. habet*, ἀπετρύγησα, vindemiavi. (*c*) Videte.] *Cæteri libri addunt*, εἰς χαλάννην, *aut*, χαλάνην, *& apud* S. *Hieron.* & videte in Chalanen. *Juſtinus, & Theodoretus habent alio ordine*, διάβητε πάντες εἰς χαλάνην, καὶ ἴδετε, tranſite omnes in Chalanen, & videte. *In hebræo dictio, quæ ſigni-*

ſignificat, omnes, *non multum diſtat a Chalane : quare videri poſſunt duæ interpretationes.* (*d*) Emat rabba.] *Iuſtinus,* ἀμὰθ τὴν μεγάλην, Amath magnam, *quod eſt interpretatio illius.* (*e*) Prævalentes.] ἐπικρατοῦντες. *Non longe ab hebræo. Cæteri,* ἐπικροτοῦντες, *& apud* S. *Hier.* qui concrepatis. (*f*) Quaſi ſtantia putaverunt, & quaſi non fugientia.] *Notat S. Hier. pulcherrimam hanc ſententiam in hebraico non haberi, ſed pro eo ſcriptum eſſe,* ſicut David putaverunt ſe habere vaſa cantici. (*g*) Defæcatum.] *Iuſtinus,* ἐν φυάλαις, in phialis, *ut noſtra vulgata.* (*h*) Fortium.] *Apud Juſtinum eſt,* δυναστῶν τῶν ἀποικιζομένων, καὶ μεταστραφήσεται οἴκημα κακούργων, καὶ ἐξαρθήσεται χρεμετισμὸς ἵππων ἐξ ἐφραΐμ, potentium tranſmigrantium : & evertetur ſedes maleficorum, & auferetur hinnitus equorum ex Ephraim : *ubi rurſus duplex interpretatio videtur eſſe. Nam pro hac, quæ habetur in noſtra, & cæteris græcis, & in hebraico dicit S. Hier. non haberi, ipſe dixit,* in capite tranſmigrantiū, & auferetur factio laſcivientium. (*i*) Semetipſum.] *In cæteris ſequitur,* λέγει κύριος, ὁ θεὸς τῶν δυνάμεων, *& apud S. Hieron.* dicit Dominus, Deus virtutum. (*k*) Et remanebunt reliqui.] *Abſunt a S. Hieronymo, & a cæteris græcis præter Compl.* (*l*) Mandat.] *In aliquo eſt,* ἐντελεῖται, *& S. Hier.* mandabit. (*m*) Verbo.] *Satis bene reſpondet hebræo. In nonnullis additur,* ἀγαθῷ, *& apud S. Hier.* bono : *qui etiam teſtatur pro eo Symmachum dixiſſe,* ἀλόγως, fruſtra.

CAP. VII.

(*a*) DOmine.] *Abeſt hoc ſecundo loco a quibuſdam. Apud S. Hier. eſt,* Deus : *quæ varietas & alibi poteſt obſervari.* (*b*) Domini.] *Non eſt in aliis libris, neque apud S. Hier. licet ab eo ſubintelligatur, ut etiam a Theodoreto.* (*c*) Ecce.] *In cæteris, & apud Theodoretum additur,* ἀνὴρ, *& apud S. Hier.* vir. *In ſua autem editione habet,* Dominus, *ut hebræus.* (*d*) Adamantinum.] S. *Hier. teſtatur ſic etiam dixiſſe Symmachum, Aquilam vero,* ἀλείφωσιν, ſtagnaturam, *Theodotionem,* τηκόμενον, tabeſcentem. (*e*) Paſtor.] *Docet S. Hier.* αἰπόλον, *proprie eſſe paſtorem caprarum. pro quo Aq. Symm. Theod. & Quinta editio tranſtulerint,* βουκόλον, armentarium. (*f*) Vellicans Sycamina.] *Aquila,* ἐρευνῶν συκομόρους, ſcrutans ſycomoros. *Theo.* χαράσσων συκαμίνους, vellicans ſycamina. *Symm.* ἔχων συκαμίνους, *aut, ut refert S. Hieron.* συκομόρους, habens ſycomoros, *aut,* ſycamina. *Heſychius,* τυλέσι, κεντῶν, ὥστε γενέσθαι πέπειρα, id eſt, pungens, ut matura fiant. (*g*) Fornicabitur.] S. *Hieron. ex Symmacho,* πορνευθήσεται, ſuſtinebit fornicationem.

CAP. VIII.

(*a*) ET.] *Abeſt a multis, & a S. Hieron.* (*b*) Genimine.] *Plerique,* πράσεως, *& apud S. Hieronymum,* venditione. *Complut.* προσθέσεως, appoſitione. (*c*) In finem.] *Sic S. Hier. quod eſt,* εἰς νῖκος, *de qua re alibi notatum eſt.* (*d*) Conſummatio.] *In multis additur,* αὐτῆς, *& apud S. Hieronymum,* ipſius. (*e*) In die lux.] S. *Cypr.* 2. *teſtim.* & obtenebrabitur dies lucis, *nec multo aliter Tertullianus,* tenebreſcet dies luminis.

CAP. IX.

(*a*) ABſconditi fuerint.] *In cæteris,* κατορυγῶσιν, *& apud Sanctum Hier.* defoſſi fuerint. (*b*) Ego.] *Alii,* ἰδοὺ ἐγὼ, *& apud Sanctum Hieronymum,* ecce ego. (*c*) Quærant.] *In aliis additur,* με, *& apud Sanctum Hieronymum,* quærant me. (*d*) Meſſis.] *In cæteris,* ὁ ἀλοντὸς, *& apud Sanctum Hier.* tritura. (*e*) Diſſipatas.] *Sic ſolet & alibi verti apud S. Hier. verbum illud,* ἠφανισμένας. *In multis autem libris eſt,* ἠδαφισμένας, proſtratas.

MICHÆAS.

CAP. I.

(*a*) ET factum eſt verbum Domini.] *Sic etiam Complut. In aliis eſt,* λόγος κυρίου ὃς ἐγένετο, *& apud S. Hier.* Verbum Domini, quod factum eſt. (*b*) Verbo.] *Alii,* πάντες, *& apud S. Hieron.* omnes. (*c*) Erit Dominus Dominus in vobis.] *In aliis,* ἔσται κύριος ὑμῖν. *Apud S. Hieron.* ſit Dominus Deus vobis. (*d*) Jacob.] *Sic Hebræus. Aliis,* οἴκου ἰακὼβ, *& apud S. Hier.* domus Jacob. (*e*) Convertit.] συνέστρεψε. *Aut hoc modo, aut,* ἐπέστρεψεν, (*quod eſt in nonnullis*) *videtur legiſſe Theodoretus: ut intelligatur mercedem ex fornicatione acceptam convertiſſe in munera, quæ offerret Idolo. In Complut. eſt,* κατέστρεψεν, *& apud S. Hieronymum,* deſtruxit. (*f*) Enacim.] *Inquit Theod. ſic appellari habitatores Geth, quaſi ab Enach gigante procreatos. Alii habet,* ἐν βαχεὶμ, *& apud Sanctum Hieronymum,* in Bachim, *pro quo inquit cæteros omnes interpretes tranſtuliſſe,* κλαυθμὸν, *id eſt,* fletum. (*g*) In deriſum.] κατὰ γέλωτα. *Non ſatis liquet, an Sanctus Hieronymus tanquam duas dictiones legerit, an tanquam unam,* καταγέλωτα. *Nam in textu habet,* ex domo deriſum, *in comm. autem non ſemel,* ædificare in deriſum : *paulo quidem poſt pro unica dictione videtur accepiſſe, ut etiam Theodoretus,* terra aſpergite deriſum. (*h*) Habitatrix Sennar.] *Sanctus Hieronymus ex Symmacho,* habitatio abundans. (*i*) Ei, quæ habitat.] κατοικούσῃ. *Etiam Theodoretus id dandi caſu accipit, & putat ſic conſtruendum,* quis cœpit afferre dolores ei, quæ habitare ſolita eſt in bonis? *In Compl. eſt,* κατοικούσῃ ἐν ὀδύναις, *& apud Sanctum Hieronymum,* quæ habitat in doloribus : *pro quo inquit Symmachum dixiſſe* ἡ κατοικία, ἡ παραπικράνουσα, habitatio ad amaritudinem provocans. (*k*) Adducant.] ἀγάγωσι, *& in Complutenſi additur,* σοι. *Sed in aliis eſt,* ἀγάγω σοι, *& apud Sanctum Hieronymum,* adducam tibi. *Pro quibus inquit Sym. dixiſſe,* ἔτι κληρονόμον ἄξω, καί σοι κατοικία μαρέσα, ἕως ὀδολὰμ ἥξει τῆς δόξης ἰσραὴλ, adhuc hæredem adducam, & tibi habitatio Mareſa, uſque Odolam veniet gloriæ Iſrael. (*l*) Iſrael.] *In nonnullis eſt,* Sion : *in quibuſdam conjungitur utrumque,* Iſrael, Sion. (*m*) Tonſuram.] *Plerique,* τὴν ξύρησιν, *& apud Sanctum Hieronymum,* calvitium.

CAP. II.

(*a*) VEſtri.] *In aliquo eſt,* ἡμῶν, *& apud S. Hieronymum,* noſtri. (*b*) Nolite fiere.] *Teſtatur S. Hieron. Aquilam dixiſſe,* ne ſtilletis ſtillantes. (*c*) In inimicitia.] *Apud S. Hier.* inimicitiis : *& Sym. teſtatur dixiſſe,* ante unum diem populus meus, quaſi inimicus reſtitit. (*d*) Idem.] *Sic apud S. Hier. in contextu : in comm. autem habet tantum,* ut auferrent contritionem belli. *In quibuſdam eſt,* ἐλπίδας συντριμμῶν, ſpes contritionum. (*e*) Gregem.] *Sic S. Hieronymus & ſubaudit,* ponam. *Theodoretus autem accipit in recto,* oves, & grex, *ut conſtruatur cum,* exilierit. (*f*) Per diviſionem.] *Sic & in alio vetuſto. In cæteris eſt,* ἀνάβηθι, (*nam ita corrigendum, quod in notationibus in græcam,* διάβηθι,) διὰ τῆς διακοπῆς, *& apud S. Hier.* Aſcende per diviſionem.

CAP. III.

(*a*) PRincipia.] *Quaſi capita : Apud S. Hier.* eſt principes : *atque idem teſtatur, pro eo quod ſequitur,* & reliqui, *cæteros dixiſſe,* & duces. (*b*) Super eos.] *Hoc abeſt a multis, & a S. Hieron.* (*c*) Excitaverunt.] *Alii,* ἡγίασαν, *& apud S. Hier.* ſanctificaverunt, *itemque apud Theodoretum, qui tamen interpretatur,* accerſiverunt, & conciliarunt. (*d*) Et judicii, & potentiæ.] *Alii,* κρίματα, καὶ δυναστείας, judicia, & potentias. *Compl.* κρίμα, καὶ δυναστείαν, *& apud S. Hier.* judicium, & potentiam. *Theodoretus,* veruntamen ego repletus ſum fortitudine in ſpiritu Domini, judicio, & potentia. (*e*) Idcirco.] *Aquila,* διὰ τοῦτο χάριν ὑμῶν σιὼν χώρα ἀροτριαθήσεται, καὶ ἱερουσαλὴμ λιθολογηθήσεται, Idcirco propter vos Sion ager arabitur, & Hieruſalem erit lapidum acervus. (*f*) Domus] *Sic fere hebræus. Alii addunt,* κυρίου, Domini : *apud S. Hier. eſt,* mons Domini.

CAP. IV.

(*a*) VErtices.] *Apud S. Hier.* verticem. *Juſtinus hunc locum ſic citat,* ἕτοιμον ἐπ' ἄκρου τῶν ὀρέων, ἐπηρμένον αὐτὸ ὑπὲρ τοὺς βουνούς, καὶ ποταμὸν θήσονται ἐπ' αὐτῷ λαοὶ, καὶ πορεύσονται ἔθνη πολλὰ, paratus ſuper ſummitatem montium, elevatus ipſe ſuper colles : & flumen ponent in eo populi ; & ibunt gentes multæ. (*b*) Montem.] *Ita etiam S. Hier. & Juſtinus, & Euſebius, lib.* 11. *Evang. Demonſtr. In pleriſque vero libris eſt,* εἰς τὸν οἶκον, in domum. (*c*) Oſtendent nobis.] *Apud S. Hier.* oſtendet nobis viam ſuam. *Juſtinus,* φωτιοῦσιν ἡμᾶς, illuminabunt nos. (*d*) Haſtas.] *Juſtinus,* τὰς ζιβύνας, pugiones. (*e*) Et requieſcet unuſquiſque.] *Juſtinus,* καὶ καθίσεται ἀνὴρ, & ſedebit vir. (*f*) Domini omnipotentis.] *Juſtinus,* κυρίου τῶν δυνάμεων, Domini virtutum. (*g*) Unuſquiſque viam ſuam.] *Juſtinus,* ἐν ὀνόματι θεῶν αὐτῶν, in nomine Deorum ſuorum. (*h*) Eam quæ contrita eſt.] *Juſtinus,* τὴν ἐκτεθλιμμένην, contribulatam. (*i*) Et eam, quæ ejecta.] *Juſtinus,* καὶ τὴν ἀπωσμένην, (*quod etiam eſt in aliquot libris*) ἀθροίσω, καὶ ἣν ἐκάκωσα, καὶ θήσω τὴν ἐκτεθλιμμένην εἰς ὑπόλειμμα, καὶ τὴν ἐκπεπιεσμένην εἰς ἔθνος ἰσχυρὸν, & abjectam congregabo, & quam afflixi : & ponam eliſam in reſiduum, & oppreſſam in gentem fortem. (*k*) Squalens.] *Sic S. Hier. in comm. licet in contextu,* caliginoſa. (*l*) Filia Sion] θυγάτηρ. *In quibuſdam eſt,* θύγατερ, *caſu vocandi. S. Hieron. ex Symmacho,* ipſa eſt filia Sion. (*m*) Et appropinqua.] *Abeſt a S. Hieronymo & Compl.* (*n*) Inſultabimus, & videbunt.] *Compl.* ἐπιχαρούμεθα καὶ εἰδέτωσαν, Inſultabimus, & videant. S. *Hieron. in contextu,* Inſultemus, & videant : *in comm.* inſultemus & gaudeamus, & deſpiciant. (*o*) Et conſumes populos multos.] *In multis eſt,* καὶ κατατήξεις ἐν αὐτοῖς ἔθνη, καὶ λεπτυνεῖς λαοὺς πολλοὺς, & conſumes in eis gentes, & comminues populos multos. *Apud S. Hieronymum eſt tantum,* & comminues populos multos. *In Compl.* καὶ πατάξεις λαοὺς πολλοὺς, & percuties populos multos. (*p*) Conſecrabis.] *Sic S. Hieron. in comm. licet in contextu,* vovebis. (*q*) Multitudinem.] *Theodotio,* δῶρα, munera, *quinta editio,* ὠφέλειαν, emolumentum, (*ſic enim interpretatur S. Hier.*) *Sym.* τὸ κέρδος αὐτῶν, lucrum eorum.

CAP. V.

(*a*) MInima es.] *Sic etiam apud Euſebium lib.* 2. *&* 7. *Evang. Demonſtr. & reſpondet Hebræo. Alii vero libri,* μὴ ὀλιγοστὸς, *& apud S. Hier.* nequaquam minima es : *itemque apud Tertullianum, ac S. Cyprianum lib.* 2. *teſtim. cujus verba libet aſcribere,* Et tu Bethleem domus Ephrata non exigua es, ut conſtituaris in millibus Juda. Ex te mihi procedet, ut ſit princeps apud Iſrael : & proceſſiones (*ſic enim legendum,*) ejus a principio a diebus ſeculi. (*b*) Ut ſis.] *Sic apud S. Hier. & apud S. Cyprianum,* ut conſtituaris. *Atque iſtud,* τοῦ εἶ, *eſt etiam apud Euſebium libro ſeptimo. Abeſt tamen ab eo lib.* 2. *& a Tertulliano.* (*c*) Egredietur.] *Euſebius* ἐξελεύσεται ἡγούμενος, *& Tertullianus,* exiet Dux. (*d*) Morſus.] S. *Hier.* Symm. interpretatus eſt, χριστοὺς, hominum. Theodotio, & Quinta editio principes hominum : Aquila, graves, vel conſtitutos homines, id eſt, καθεσταμένους. *In Scholio tamen hoc tribuitur etiam Symmacho.* (*e*) Fovea ejus.] S. *Hieron.* Aquila, in lanceis ejus, ut ſubaudiatur terræ Nemroth. Symm. vertit, ἐντὸς πυλῶν αὐτῆς, id eſt, intra portas ejus : Theodotio, ἐν παραξίφεσιν αὐτῶν, quod nos poſſumus dicere, in ſicis eorum. *Hoc in Scholio tribuitur Quintæ editioni, & paulo poſt etiam apud S. Hier.* (*f*) Agni ſuper gramen.] *Aquila,* ὡς ψεκάδες ἐπὶ πόαν, *& in vulgata noſtra,* quaſi ſtillæ ſuper herbam. *Theodotio,* ὡσεὶ νιφετὸς ἐπὶ χόρτον, ὃς οὐ μενεῖ ἄνθρωπον, καὶ οὐκ ἐλπίσει ἐπὶ υἱὸν ἀνθρώπου, tanquam imber ſuper herbam, quæ non expectabit virum, & non ſperabit ſuper filium hominis. (*g*) Qui loquuntur.] *Theodoretus*, τοὺς ἀποφθεγγομένους, vocat divinatores.

CAP. VI.

(*a*) AUdite nunc verbum: Dominus Dominus.] *De illo*, nunc, *quod Græce eſt*, δὴ, *& exprimit affectum orantis, alibi diximus. Apud S. Hieron. ſæpe omittitur.* Hic *autem in cæteris libris eſt*, ἀκούσατε δὴ ἃ ὁ κύριος εἶπεν, *& apud* S. *Hieron.* Audite, quæ Dominus loquutus eſt. (*b*) Montes.] *Sic etiam S.* Hieron. *& Theodoretus. In quibuſdam libris eſt*, βουνοὶ, colles: *in aliquo*, λαοὶ, populi. (*c*) Schœnis.] *Sic apud S.* Hieron. *in contextu, & in comm.* funiculis. *Putat autem lxx dixiſſe*, σχίνων, *id eſt*, lentiſcis, *ſed librariorum errore factum eſſe, ut legeretur*, σχοίνων, *ac teſtatur cæteros interpretes tranſtuliſſe verbum* Hebræum *Sethim.* (*d*) Si annunciatum.] *Id eſt*, nunquid, *ut ſæpe. Abeſt tamen a S.* Hieronymo *& ab aliquo libro iſtud*, εἰ. (*e*) Paratus ſis.] *S. Hier.* Theodotio ſignificantius expreſſit, καὶ ἀσφαλίζου τοῦ πορεύεσθαι μετὰ θεοῦ σου, id eſt & cave diligenter, ut ambules cum Deo tuo, ſive, ut quinta editio tranſtulit, καὶ φροντίζειν, agere ſcilicet ſolicite, &c. (*f*) Clamabit.] *Ita apud S.* Hier. *quod græce eſt*, ἐπικληθήσεται, *& poſſet etiam verti*, invocabitur. (*g*) Mendacia.] *Ita etiam Theodoretus. In pleriſque libris eſt*, ἀδικίαν, *aut*, ἄδικα, *& apud S.* Hieron. iniqua. (*h*) Et ego incipiam.] *Pro his uſque ad*, & non ſalvaberis, *in pleriſque eſt*, καὶ (*al.* καίγε) ἐγὼ ἐβασάνισά σε (*al.* ἐπί σε) ἀφανισμῷ διὰ τὰς ἁμαρτίας σου· σὺ φάγεσαι, καὶ οὐ μὴ ἐμπλησθῇς, καὶ ἐξώσω (*al.* ἀποβαλῶ) σε ἐν σοὶ (*al* εἰς σεαυτὴν) καὶ καταλήψῃ, *& apud S* Hieron. & ego cruciavi te perditione propter peccata tua: tu comedes, & non ſaturaberis: & ejiciam te in temetipſam & apprehendes. *In quibuſdam tamen eſt ut in noſtra, niſi quod pro*, ἀφανιῶ σε, *eſt*, ἀφανισμῷ, *& pro*, ἐκνεύσει, *eſt*, ἐκνεύσεις, declinabis. (*i*) Non ſalvaberis.] *In Compl. eſt*, καὶ οὐ μὴ διασώσεις, καὶ ὅσους ἐὰν διασώσῃς. *Apud S.* Hier. & non ſalvabis (*ut Compl.*) & quicunque ſalvati fuerint, *ut noſtra.* (*k*) Et vinum, & non bibetis.] *Compl.* πίεσαι, bibes. *In cæteris*, καὶ ποιήσεις οἶνον καὶ οὐ μὴ πίῃς οἶνον, & facies vinum, & non bibes vinum. *Apud S.* Hieron. & uvam, & non bibes vinum. (*l* Et cuſtodiſti juſtificationes Zambri.] *Quidam libri hic non habent, & videntur ex alia eſſe interpretatione. Nam S.* Hieron. *pro eo quod apud lxx eſt*, & diſſipabuntur legitima populi mei, *dicit ſe poſuiſſe*, & cuſtodiſti præcepta Amri.

CAP. VII.

(*a*) RAcemum.] *In quibuſdam*, ἐπιφυλλίδας, racemos, *ut apud S.* Hieron. (*b*) Primitiva.] *In pleriſque adduntur hæc*, ἃ ἐπεπόθησεν ἡ ψυχή μου, quæ deſideravit anima mea. *Theodoretus non habet*, ἃ, *& reliqua conjungit cum ſuperioribus*, τοῦ φαγεῖν πρωτόγονα ἐπεπόθησεν ἡ ψυχή μου, comedere primitiva deſideravit anima mea. *Apud S.* Hieronymum, quæ paſſa eſt anima mea, *ut videatur fuiſſe*, πέπονθε. *Sed illud propius* Hebræo. (*c*) Pius.] *Cæteri*, εὐλαβὴς, *& apud S.* Hier. reverens. (*d*) Speculationis.] *Sic etiam videtur habuiſſe Theodoretus. Alii addunt*, σου, *& apud S.* Hier. tuæ. (*e*) Væ væ.] Hæc *repetitio eſt etiam in Vaticano, per incuriam typographi omiſſa in noſtra græca editione.* (*f*) Concredere.] *In aliquo eſt*, τοῦ μὴ ἀναθέσθαι, *& apud S.* Hier. ne credas ei. (*g*) In Dominum intuebor.] *Plerique*, ἐν τῷ κυρίῳ ἐπισκοπεύσω, *& apud S.* Hier. in Domino contemplabor. (*h*) Dies illa.] *Abeſt a Compl. & S.* Hieron. (*i*) Atteret.] *In cæteris*, ἀπώσεται, *& apud S.* Hier. repellet: *qui teſtatur, Symmachum & Theodotionem eſſe interpretatos*, ἐπιταγὴν κατὰ πρόσταγμα, juſſionem imperioſam. (*k*) Complanationem.] *In quibuſdam libris*, εἰς συγκλεισμὸν, *& apud Sanctum* Hieronymum, in concluſionem. (*l*) Tyro.] *Idem*, Denique omnes, περιοχὴν καὶ περίφραγμα, καὶ πολιορκίαν, non de Tyro, ut lxx, ſed munitionem, & ambitum muratæ urbis tranſtulerunt. (*m*) Montem.] *In quibuſdam libris, & apud Theodoretum ſequitur*, ἡμέρα ὕδατος, καὶ θορύβου, dies aquæ, & tumultus: *quæ non ſunt apud Sanctum* Hieronymum. (*n*) Videte.] *Cæteri*, δείξω αὐτοῖς, *& apud Sanctum* Hieronymum, oſtendam eis. (*o*) Et ex omni fortitudine.] *A pleriſque abeſt illud*, &: *& in aliquo eſt*, ἐν πάσῃ ἰσχύϊ, *& apud Sanctum* Hieronymum, in omni fortitudine. (*p*) In teſtimonium.] In teſtimonium iniquitatis populi, *inquit Theodoretus. Eodem modo teſtatur Sanctus* Hieronymus *habuiſſe quintam editionem, Symm.* in ſempiternum, *Theodotionem*, in finem. *Heſychius autem*: Cæteri, εἰς ἀεὶ, in ſempiternum.

JOEL.

CAP. I.

(*a*) REſidua erucæ.] *Aut*, reſiduum, *ut apud S.* Hier. *Schol.* ἔστι κάμπη μὲν καὶ ἀκρὶς, καὶ βροῦχος ζωΰφια· ἐρυσίβη δὲ ὡς κονιορτώδης φθορὰ σίτου, Sunt eruca quidem, & locuſta, & bruchus animalcula: rubigo autem quaſi pulverulenta corruptio frumenti. (*b*) Gaudium, & lætitia.] H*æc abſunt a Sancto* Hieronymo, *Theodoreto, & Complut.* (*c*) Qui miniſtratis altari Domini.] *In Complut. eſt*, οἱ λειτουργοὶ τοῦ κυρίου, *& apud Sanctum* Hieronymum, miniſtri Domini. (*d*) Curationem.] *Pro hoc inquit Sanctus* Hieronymus, *Symmachum tranſtuliſſe*, ſynodum. *Aquilam*, diem collectæ. (*e*) Ante.] *Sic Sanctus* Hieronymus. *In multis libris eſt*, ὅτι κατέναντι, quoniam ante: *in Complut. per interrogationem*, οὐχὶ κατέναντι, nonne ante. (*f*) Suſpexerunt.] *Inquit Sanctus* Hieronymus, quaſi areola ſitiens imbrem. Hoc enim uno verbo ſignificat Aquila, dicens, ἐπρασιώθη. *Schol. ad illud, quod ſequitur*, arefactæ ſunt, *habet ex Aquila*, ἐπρασιώθησαν. *Videantur, quæ notata ſunt in pſ.* 41.

CAP. II.

(*a*) ADjicietur.] *Reſpondet* Hebræo. *In Complut. habetur*, ἔσται, *& apud S.* Hier. erit. (*b*) In generationes.] *In iiſdem*, γενεᾶς, generationis. (*c*) Quæ ante.] *Iſtud*, τὰ, *abeſt ab iiſdem.* (*d*) Current.] *Idem*, διαδραμοῦνται, diſcurrent. (*e*) Illuſtris.] *In iiſdem*, μεγάλη, καὶ ἐπιφανὴς, magna, & illuſtris. (*f*) Jejunio.] *In pleriſque ſequitur*, καὶ ἐν σάκκῳ, *& apud Sanctum* Hieronymum, in cilicio. (*g*) Thalamo.] *Nam & in Vaticano legitur*, παστοῦ, *licet per incuriam typrographi factum ſit*, μαστοῦ. (*h*) Altaris.] *In Complut. & apud Theod.* καὶ τοῦ θυσιαστηρίου, *& apud Sanctum* Hieronymum, & altare: *qui etiam inquit, pro crepidine Symm. dixiſſe*, προπύλαιον, veſtibulum, *Aq.* πρόδρομον, (*videtur corrigendum*, πρόδομον,) porticum, *Theodotionem poſuiſſe ipſum nomen hebræum.* (*i*) Eſcas in juſtitia.] *Sanctus* Hieronymus *dicit*, eſcas, *aut*, alimenta juſtitiæ. (*k*) In mirabilia.] *Sapit quodammodo hebraiſmum. Complut.* ὃς ἐποίησεν μεθ' ὑμῶν θαυμάσια, *& apud Sanctum* Hieronymum, qui fecit vobiſcum mirabilia. (*l*) Et ſcietis.] Hæc *uſque ad*, Et erit poſt hæc, *abſunt a pleriſque libris. Sed non a Sancto* Hieronymo, *neque a Theodoreto.* (*m*) Et dabo.] *Sic Sanctus* Hieronymus. *In aliis libris eſt*, καὶ δώσουσι, & dabunt, *in quibus etiam antecedit*, καὶ προφητεύσουσι, & prophetabunt. *In Vaticano eſt*, δώσω, *ſed per incuriam typographi factum eſt*, δώσωσι. (*n*) Salvatus.] *Apud Sanctum* Hieronymum, qui ſalvatus fuerit: *ac teſtatur Symm. tranſtuliſſe*, qui fugerit. (*o*) Evangelizati.] *Cæteri*, εὐαγγελιζόμενος, *& apud S.* Hier. annuncians, *in ſua autem verſione*, in reſiduis.

CAP. III.

(*a*) IN vallem Joſaphat.] *Theodotio*, εἰς τὴν χώραν τῆς κρίσεως, in regionem judicii. (*b*) Meretricibus.] *Sic apud S.* Hieronymum *in comment. libet in contextu ſit*, puerum in proſtibulo. (*c*) Et quid vos mihi.] *In Complut.* καί γε τί ἐμοὶ, καὶ ὑμῖν, *& apud Sanctum* Hieronymum, Quid mihi, & vobis. (*d*) Galilæa.] *Sanctus* Hieronymus, Quod Aquila, θινὰς, Symm. terminos tranſtulit: θινὰς, autem, id eſt, tumulum aranearum referamus, *&c.* (*e*) Optima.] *In aliquo eſt*, καὶ καλὰ, *& apud Sanctum* Hieronymum, & optima. (*f*) Suſcito.] *Multi*, ἐξεγείρω, *& apud eundem*, ſuſcitabo. (*g*) In captivitatem.] *Teſtatur Sanctus* Hieronymus, *Aquila, & Symm. poſuiſſe ipſum verbum hebraicum*, Sabaim: *ipſe dixit*, Sabæis. (*h*) Sanctificate.] *Theod.* διεγείρατε τοὺς μαχητὰς, καὶ ἀφορίσατε εἰς πόλεμον· ἐπεὶ γὰρ ὁ ἅγιος τῶν ἐναγῶν ἑαυτὸν ἀφορίζει, πᾶν τὸ εἴς τι ἀφοριζόμενον, ἁγιάσαι καλεῖ, Excitate pugnatores, & ſegregate ad bellum. Quoniam enim ſanctus ſeipſum a ſceleribus ſegregat; omne, quod ſegregatur ad aliquid, vocat ſanctificare. (*i*) Infirmus.] *Sic apud Sanctum* Hieronymum, *in comm. licet in contextu ſit*, *fortis.* (*k*) Supereffundite.] *Alii*, ὑπερχεῖται, *aut*, ὑπερεκχεῖται, *apud Sanctum* Hieronymum, & redundant torcularia. (*l*) Judicii.] *Teſtatur Sanctus* Hieronymus *quod lxx, & Theodotio tranſtulerunt*, τῆς δίκης, καὶ τῆς κρίσεως. *Aquilam & Symmachum, & Quintam editionem dixiſſe*, conciſionis. (*m*) Clamavit.] *Cæteri*, ἀνακράξεται, *& apud Sanctum* Hieronymum, clamabit. (*n*) Sancto meo.] *Ita etiam in Vaticano, & apud* S. Hieron. *licet per incuriam omiſſum ſit*, μου. (*o*) Funiculorum.] *S. Hieron. Symm. refert eſſe interpretatum*, vallem ſpinarum, *ipſe*, torrentem ſpinarum: *& multa de funiculo, & ſpina affert; quæ legenda.*

OBDIU.

CAP. I.

(*a*) FRatris tui Jacob.] *Sic habuiſſe etiam Sanctum* Hieronymum *apparet ex comment. licet in contextu, quaſi ad vitandam ambiguitatem ſit*, adverſum fratrem tuum Jacob. (*b*) Deſcendent.] *Sic eſt etiam in alio codice. In cæteris*, καὶ ἀναβήσονται, & aſcendent, *aut*, καὶ καταπίονται, & abſorbebunt, *ut apud Sanctum* Hieronymum. (*c*) Frumentarius.] *Aliquot libri*, πυρφόρος, qui geſtare poſſit igniculum: *quomodo narrat Sanctus* Hieronymus, *nonnullos putaſſe tranſlatum eſſe a lxx, Symmachum vero dixiſſe*, effugiens, *Aquilam*, reliquus, *Theodotionem & Quintam editionem*, reſiduus: *Theodoretus refert ex Symmacho*, διασωζόμενον, *ex Aquila & Theodotione*, καταλελειμμένον. (*d*) Nageb.] *Teſtatur Theodoretus cæteros tres interpretes dixiſſe*, νότον, Auſtrum. (*e*) Ephræm.] *Narrat Sanctus* Hieronymus *cum vocabulo hebraico Sapharad, quod ipſe Boſphorum verterit, cæteros interpretes concordaſſe.* (*f*) Qui ſalvi fuerint.] *Inquit Sanctus* Hieronymus, *quod lxx, Aquila, & Theodotio dixerint*, σεσωσμένοι, *vel*, ἀνασωζόμενοι, *Symmachum dixiſſe*, σώζοντες, ſalvatores: *& ita ex Symm. refertur in Scholio.*

JONAS.

JONAS.

CAP. I.

(*a*) DEſcendit.] *In editione tunc vulgata teſtatur Sanctus Hieronymus legi ſolitum*, aſcendit. (*b*) Spiritum,] *In multis additur*, μέγα, *& apud* S. *Hieronymum*, magnum. (*c*) Vt.] *Alii*, εἴπως, *& apud* S. *Hieronymum*, ſi quomodo. (*d*) Quod eſt opus.] *Sic & alius liber. In cæteris antecedit*, τίνος ἕνεκεν, ἡ κακία αὕτη ἐν ἡμῖν, *& apud* S. *Hieronymum*, cujus gratia, hæc malitia eſt nobis. (*e*) Venis.] *In cæteris ſequitur*, καὶ ποῦ πορεύῃ, *& apud* S. *Hieronymum*, & quo vadis: *quod non eſt in hebraico.* (*f*) Servus.] S. *Hieronymus tranſtulit*, hebræus: *& ſimilis varietas alibi etiam eſt obſervata.*

CAP. II.

(*a*) DE ventre inferi clamoris mei.] *Sic refert* S. *Hieron. in comm. ex lxx.* (*b*) Putas ne.] *Sic teſtatur* S. *Hieron. ſcriptum fuiſſe in vulgata ſui temporis: quamvis putet illud*, ἄρα, *reddi poſſe*, igitur. (*c*) Corruptio vitæ meæ.] *Heſychius ita hoc explicat, id eſt*, ἐκ φθορᾶς ἡ ζωή μου, *quomodo legitur in cæteris libris. Apud* S. *Hieron.* & aſcendet de corruptione vita mea ad te. (*d*) Salutaris.] σωτηρίου. *Apud* S. *Hieronymum*, ſalutare. *In cæteris fere libris*, εἰς σωτηρίαν μου, *vel*, μοι, in ſalutem meam.

CAP. III.

(*a*) TRes dies.] *Theodoretus*, Ἀκύλας, Σύμμαχος, καὶ Θεοδοτίων, τεσσαράκοντα. Συμφωνοῦσι δὲ καὶ τούτοις καὶ ὁ Σύρος καὶ ὁ Ἑβραῖος· εἰκὸς δὲ καὶ τοὺς ἑβδομήκοντα σύμφωνον τοῖς ἄλλοις τεθεικέναι τὸν ἀριθμόν· τοὺς δὲ τὴν ἀρχὴν ἐγγεγραφηκότας, ἁμαρτεῖν περὶ τοῦτο, εἶτα οὕτω γενέσθαι πᾶσι τῶν ἀντιγράφων τὴν ἔκδοσιν. Hos Aquila, Sym. Theod. quadraginta dixerunt: conſentiunt autem his etiam Syrus, & Hebræus. *Et nonnullis interjectis.* Credibile autem eſt etiam lxx concordem aliis poſuiſſe numerum: ſed, qui ab initio ſcripſerunt, erraſſe in hoc, ac deinceps in omnia exemplaria permanaſſe editionem. *De hac re* S. *Auguſt. lib.* 18. *de Civit. cap.* 44. *& alii.* (*b*) Et dictum eſt.] H*oc abeſt ab aliquo, & a* S. H*ieronymo.* (*c*) Si pœniteat Deum.] *LL. VV. partim hoc modo habent, partim*, εἰ ἐπιστρέψει ὁ θεὸς, καὶ παρακληθήσεται, *& apud* S. *Hier.* ſi convertatur Deus, & exoretur.

CAP. IV.

(*a*) O Domine.] *In multis codicibus eſt* ὦ δὴ, *quem etiam* S. Hier. *inquit interjectionem ſibi videri deprecantis, ac blandientis. In Vaticano eſt*, ὦ κύριε, *ſed in editionem noſtram Græcam per Typographi incuriam magnum irrepſit erratum. Quare ad initium tertiæ lineæ hujus capitis ponendum eſt*, ὦ κύριε, *& ad initium quartæ, pro*, ὦμου, *pomendum*, γῆ, (*b*) Si.] *Iſtud*, εἰ, *abeſt a multis, & a* S. Hieron. *ſed non ab hebræo. Theodoretus*, Symm. ἆρα δικαίως ἐλυπήθης; nunquid juſte triſtatus es? cæteri vero interpretes, εἰ καλῶς ἐλυπήθης; nunquid recte triſtatus es? (*c*) Subter illud.] *In aliquo additur*, ἐν σκιᾷ, *& apud* S. Hieron. in umbra. (*d*) Cucurbitæ.] *Teſtatur* S. Hieron. *veteres tranſlatores interpretatos eſſe hederam, quæ græce appellatur*, κισσός. (*e*) Centum viginti.] *Sic* S. Hier. *in ſua tralatione, & græce eſt duodecim myriades: quamvis apud eundem* S. Hieron. *in vetuſtiore ſit*, duodecim millia.

NAUM.

CAP. I.

(*a*) ASSumptio.] *Notat* S. Hier. *quod lxx dixerunt*, λῆμμα, (*& hujus nominis rationem reddit Theodoretus*) *Aquilam eſſe interpretatum*, ἄρμα, onus, *ut eſt in vulgata noſtra.* (*b*) Innocentem.] *In quibuſdam ſcriptum eſt*, ἀθῶον, *& apud* S. Hier. ἀθωῶν, *quare vertitur*, & mundans non faciet innocentem: *quamvis fateatur in Græco ſignificantius dici. Eſt enim hebraiſmus, ac ſi diceretur*, nequaquam mundando mundabit. *Eandem lectionem videtur ſequi Theodoretus.* (*c*) Contracta.] *Theodoretus*, Aquila, ἔφριξεν, horruit, *Symm.* ἐκινήθη, mota eſt. (*d*) Conſumit.] *Aquila*, συνεχωνεύθη, conflata eſt. *Symm. & Theod.* ἔσταξεν, ſtillavit: *& ita interpretatur* S. Hier. (*e*) Tranſeunte.] *Sic videtur reddi apud* S. *Hieronymum, quod Græce eſt*, πορείας, itineris ac tranſitus. (*f*) Conſurgentes.] *Sanctus* Hieronymus, Aquila, ἀπὸ τῶν ἀνισταμένων, a conſurgentibus, Theodotio conſurgentibus ei. Quinta editio, a conſurgentibus illi. Solus Symm. cum noſtra interpretatione conſentiens ait. Et in diluvio tranſeunte conſummationem faciet loci ejus. (*g*) Non vindicabit.] *Idem*, Symm. apertius, non ſuſtinebunt impetum ſecundæ anguſtiæ. Theodotio: non conſurget ſecunda tribulatio. (*h*) Quia veloces.] *Quinta editio*, ὅτι ὑβρίσθης, *quod* S. Hieron. *videtur reddidiſſe*, inhonoratus es, *& hic agnoſcere finem capitis in hebraico.* (*i*) Per te in vetuſtatem.] *Illud*, διὰ σοῦ, *abeſt ab aliquo: & apud* S. *Hier.* ut pertranſeat in vetuſtatem. *Hebræus habet*, per te, *ſed pro*, in vetuſtatem, *habet*, Belial, *quod inquit* S. Hier. *ſignificare prævaricatorem, &* ἀποστάτην. *S. Chryſoſt. in lib. decem homiliarum Romæ impreſſo, conjungit hæc cum ſequentibus in* 2. *cap. atque ita hunc locum refert*, οὐκέτι μὴ προσθῶσιν ἐλθεῖν πρὸς (*ſed paulo poſt*, εἰς) παλαίωσιν· συντετέλεσται, ἐξῆρται, ἀνέβη γὰρ ἐκ τῆς γῆς ὁ ἐμφυσῶν εἰς τὸ πρόσωπόν σου, καὶ ἐξαιρούμενός σε ἐκ θλίψεως, non vltra adjicient venire ad vetuſtatem. Conſummata ſunt, ſublata ſunt. Aſcendit enim e terra inſufflans in faciem tuam, & eximens te a tribulatione. *Sic enim viſa ſunt vertenda ex illius ſententia. Aliter autem hic vertemus.*

CAP. II.

(*a*) COnſummatus eſt, ſublatus eſt.] *Ille ſcilicet* (*inquit Theodoretus*) *qui vos oppugnabat.* S. *Chryſoſt. habet ut noſtra, quemadmodum diximus*, συντετέλεσται, ἐξῆρται, *ſed ita interpretatur*, vetera conſummata, & ſublata ſunt, nova facta ſunt omnia. *Plerique libri habent*, συντετέλεσται, ἀνήλωται, *conſummatum eſt, conſumptum eſt. In Complut.* συνεπλήσθη, συντετέλεσται, *& apud* S. *Hier.* completum eſt, conſummatum eſt. (*b*) Eorum.] *In aliis*, αὐτοῦ, *& apud* S. Hier. ejus. (*c*) Viis.] *Compl.* ἐν ταῖς ἐξόδοις, *& apud* S. *Hier.* in exitibus. (*d*) Aquæ.] *Iidem*, ὑδάτων, aquarum. (*e*) Aggravati ſunt ſuper omnia vaſa deſiderabilia ejus.] *Sic videtur aptiſſimum habere ſenſum, & congruentem iis quæ a Theodoreto dicuntur. Aliqui codices habent*, αὐτῶν, *Compl.* τὰ ἐπιθυμήματα αὐτῆς. *Apud* S. *Hier.* aggravata eſt ſuper omnia vaſa concupiſentiæ ſuæ. (*f*) Ingrederetur illuc catulus.] *Ita apud* S. Hier. *In multis codicibus eſt*, σκύμνος. *Theod. videtur habuiſſe*, σκύμνοι, *& ita interpungit*, quo ivit leo, ut ingrederetur; illic catuli leonis, &c.

CAP. III.

(*a*) INiquitate plena.] *Aq.* ἐξαυχενισμοῦ, (*al.* ἐξαυχενιασμοῦ) πλήρης, excervicatione plena, *Symmachus*, ἀποτομίας πλήρης, crudelitate, vel ſeveritate plena. *Ita enim interpretatur Sanctus* Hieronymus, *atque addit in altera Symmachi editione ſe reperiſſe*, μελοκοπίας πλήρης, id eſt, ſectionibus carnium, & fruſtis per membra conciſis. (*b*) Fuit.] *In Complutenſi*, ἔσται, *& apud* S. Hier. *in contextu*, erit, *ſed in comm.* eſt. H*ebræus habet*, & non finis corporum. (*c*) Suis.] *Apud* S. Hier. *in contextu*, eorum. *In comm. notat*, αὐτῶν, *&* ſuis, *&* eorum, *ſignificare. In explanando autem videtur magis uti*, ſuis: *teſtatur autem Symmachum dixiſſe*, offendunt in cadaveribus mortuorum. *Theodoretus videtur habuiſſe*, ἐν τοῖς ἔθνεσιν αὐτῶν, in gentibus ſuis. (*d*) Dux maleficiorum.] S. *Hieron.* Aquila, & Symm. habens maleficia. (*e*) Populos.] *In multis*, φυλὰς, *& apud* S. *Hier.* tribus. (*f*) Omnis.] S. *Hier. ex Symmacho*, Et omnis qui viderit te, & dicet: Diſſipata eſt Ninive: quis lugebit cum ea? (*g*) Parare partem, aptare chordam, parare partem Ammon.] *Plerique libri habent*, ἁρμόσαι χορδὴν ἐπιμάσαι μερὶς Ἀμμών. *A* S. *Hieronymo videtur etiam abſuiſſe illud*, ἐπιμάσαι. *Sed illud*, ἁρμόσαι χορδὴν, *duobus locis ponit, primum in contextu ex vetuſtiore tralatione conjuncte cum ſuperioribus*: unde quæram conſolationem illi aptantem chordam? *deinde, ut ipſe aptius putat, conjuncte cum ſequentibus*, apta chordam pars Ammon: *eodemque modo Theodoretus, ſed videtur habuiſſe* ἅρμωσον, *ut Complut. Addit* S. Hier. *pro hoc cæteros interpretes tranſtuliſſe*, Nunquid melior es ab Ammon? (*h*) Stetit finis fugæ.] *In aliquo habetur*, ἔστι, *& in pleriſque additur*, σου, *& apud* S. Hier. non eſt finis fugæ tuæ. (*i*) Et Libes.] *Ita etiam Compl. ſed in pleriſque antecedit*, φοὺδ, *& apud* S. *Hier.* Phut: *quos inquit Theodor. eſſe*, Libes Occidentales. (*k*) In principiis.] *Multi*, ἀπ' ἀρχῆς, a principio, *aliqui*, ἐπ' ἀρχῆς, *& apud* S. *Hieron.* in principio. (*l*) Stationem.] *Compl.* ἵνα στάσῃ, *& apud* S. H*ieron.* ut ſtes. (*m*) Scopos.] *Nonnulli*, καρποὺς, fructus. *Compl.* ὀλύνθοις, *& apud* S. *Hier.* groſſos, *& in comm.* primitivis ficubus comparabuntur: *qua notione fortaſſe dixerunt lxx* σκοποὺς, *ut notavimus Oſee* 9. (*n*) Bruchus] *In aliquo additur*, πληθύνθητι, ὡς ὁ βροῦχος, *& apud* S. *Hier.* multiplicare ut bruchus. (*o*) Qui ſuſciperet.] *Schol.* cæteri ὁ συνάγων, qui congregaret.

AMBACUM.

AMBACUM.

CAP. I.

(a) VIdete contemptores.] *Narrat S. Hieron. tres illos interpretes cum ſua concordare, inveniſſe autem ſic in alia quadam editione anonyma*, videbitis calumniatores, *& in alia ſimiliter, ſine auctoris titulo*, videbitis declinantes. (b) Quia opus.] *Sanctus* Hieronymus, *ex Symmacho*, quia opus fiet in diebus veſtris. (c) Ex ipſa judicium ejus erit : & aſſumptio ejus ex ſe egredietur.] *Theodoretus, ex Symmacho*, αὐτὸς ἑαυτὸν δοξάσει, καὶ δόγμα τὸ ἑαυτοῦ ἐπεξελεύσεται. *Sanctus* Hieronymus, *ex eodem*, Ipſa ſibi judicabit, & decreto ſuo egredietur. (d) Et equitabunt.] *Sanctus Hieronymus*, Symm. effundentur equites ejus, id eſt, corruent, & allidentur in terram. (e) Conſummatio in impios veniet, reſiſtentes faciebus ipſorum ex adverſo.] *Theodoretus, ex Symmacho*, πάντα εἰς πλεονεξίαν ἥξει, ἡ πρόσοψις τοῦ προσώπου αὐτῶν ἄνεμος καύσων, *quæ S. Hieronymus in ſua verſione ſic videtur reddidiſſe*, omnes ad prædam venient, facies eorum ventus urens. (f) Propiciabitur.] *Idem ex Aquila, & Symmacho*, καὶ πλημμελήσει & delinquet : *de quo etiam verbo accurate diſputat.* (g) Ipſam.] αὐτὸ, *nimirum*, τὸ ἔθνος, gentem *Alii*, αὐτὸν, *& apud S. Hieron.* eum. (h) Doloris.] *Iſtud*, ὀδύνης, *abeſt a nonnullis. Alii habent*, ἐπιβλέπειν ἐπὶ πονηροὺς οὐ δυνήσῃ, aſpicere ſuper peſſimos non poteris. *Auctor vetuſtioris tralationis videtur habuiſſe* ἐπὶ πόνον, *nam ita apud S. Hier.* aſpicere ſuper dolorem non poteris. (i) Tacebis dum impius devorat juſtum?] *Theodoretus, ex tribus interpretibus*, παρασιωπᾷς καταπίνοντος ἀσεβοῦς τὸν δικαιότερον αὐτοῦ ; taces devorante impio juſtiorem te ? *Vetuſtior tralatio videtur miſta ex utraque.*

CAP. II.

(a) PEtram,] S. *Hieron. ex Symmacho*, concluſum, *ex Theodotione*, gyrum, *ex Aquila & Quinta editione*, circinum (b) Viſionem, & manifeſte.] *Ita etiam S. Hier. & reſpondet Hebræo. Euſebius, lib. 6. Evang. Demonſtr. non habet illud*, &, *ſed*, γράψον ὅρασιν σαφῶς ἐν πυξίῳ. *In nonnullis eſt*, γράψον, ὅρασις, καὶ σαφῶς, Scribe : viſio, & manifeſte. (c) In buxum.] *Sanctus Hieronymus*, Pro tabulis, & buxo, Symm. interpretatus eſt, paginas. (d) Eum.] *Putat Sanctus Hieronymus in Hebræo hoc referri ad viſionem, quæ in Hebræo maſculini generis eſt : quare ipſe in ſua tralatione*, viſum, *dixit, & Aquila*, ὁραματισμόν. *Nec ſunt inuſitatæ apud lxx, hujuſmodi mutationes generis. Verum idem Sanctus Hieronymus, ex his verbis aliam deinde ac diviniorem elicit ſententiam.* (e) Fide mea.] *A multis libris abeſt illud*, mea, μου, *quemadmodum & 1. ad Rom. hodie in vulgatis Græcis & Latinis : ſed habet Euſebius eodem lib. 6. & S. Cyprianus, 1. & 3. teſtim. & Sanctus Hieronymus manifeſto ex lxx agnoſcit, & inquit eodem modo citaſſe Sanctum Paulum ad Romanos ſcribentem. Ex Symmacho autem hæc affert*, ὁ δίκαιος τῇ ἑαυτοῦ πίστει ζήσεται, juſtus per fidem propriam ſuam vivet. (f) Arrogans.] *Apud S. Cypr. lib. 1. & 3. epiſt. hic locus ſic refertur* : ille vero, qui præſumit, & contumax eſt, vir ſui jactans, nihil omnino proficiet. *Pro*, οὐθὲν μὴ περάνῃ, *inquit S.* Hier. *Symmachum dixiſſe*, ἐν ἀπορήσει, hoc eſt, in rerum omnium erit penuria. (g) Et aggravat.] *Illud*, &, *abeſt, a S.* Hieron. *& Theodoreto.* (h) Quia exſpoliaſti gentes multas, exſpoliabunt.] *Alii*, διότι σὺ ἐσκύλευσας ἔθνη πολλά, σκυλεύσουσί σε, *& apud S.* Hieron. quia tu exſpoliaſti gentes multas, exſpoliabunt te. (i) Et Scarabæus.] *Symm. (ut refert Theodoretus, & Schol.)* καὶ σύνδεσμος οἰκοδομῆς ξύλινος ἀποφθέγξεται αὐτά. & junctura ædificii lignea loquetur ea. *Nec multo aliter S.* Hieronymus *ex Theodotione, & quinta*, καὶ σύνδεσμος ξύλου φθέγξεται αὐτά. *Refert & duas alias editiones, in quarum una ſcriptum eſſet*, quia lapis de pariete clamavit quaſi vermis in ligno loquens, *& in altera*, lapis enim de pariete vociferabitur, & σκώληξ, de ligno loquetur ea : *ex Aquila autem*, καὶ μάζα, id eſt, & maſſa de ligno reſpondebit. (k) Non hæc ſunt.] *Sine interrogatione affert S. Hier. in comm. licet in contextu habeat*, nonne. (l) Coanguſtatæ ſunt.] S. *Hier. in comm. putat illud*, ὠλιγοψύχησαν, *magis proprie verti*, laſſatæ ſunt. (m) Quaſi aqua operiet eos.] *in pleriſque*, ὡς ὕδωρ πολὺ κατακαλύψαι ἐπὶ θαλάσσης, *in aliquo*, ὡς ὕδωρ κατακαλύψαι θάλασσαν, *al.* θαλάσσας, *& apud S. Hieron.* quaſi aquam ad operiendum maria. (n) Subverſionem turbidam.] *Symmachus*, καὶ ἀφιὼν ἀκρίτως τὸν θυμὸν αὐτοῦ, & emittens abſque judicio furorem ſuum. *Th.* ἀπὸ χύσεως σου, a diffuſione tua, *aut, ut Schol.* θυμοῦ σου, furoris tui. *Quinta editio*, ἐξ ἀπροσδοκήτου ἀναστροφῆς τῆς ὀργῆς σου, de ſubverſione inſperata iræ tuæ. *Aq.* ἐξ ἐκπέμψεως χόλου σου, de emiſſione furoris tui. *Alia editio*, οὐαὶ τῷ ποτίζοντι τὸν ἑταῖρον αὐτοῦ ἄελλαν πεπτωμένην, Væ, qui potum dat proximo ſuo turbinem volantem. *Et in alia*, Væ, qui potum dat proximo ſuo, ἔκστασιν ὀχλουμένην, amentiam turbidam. *Ita enim & refert & interpretatur S. Hieron.* (o) In ſpeluncas eorum.] *Idem ex Symmacho, & Quinta*, ut videret ignominias eorum. (p) Bibe & tu : cor commovere & concutere.] *A multis abeſt, illud* καρδία. *In aliquo tantum eſt*, πίε, καὶ διασαλεύθητι *apud S. Hieron.* bibe tu, & commovere. (*) Quia.] *Corrigendum in noſtra*, ὅτι, *ubi nunc eſt*, τι. (q) Muta.] *Symm.* ἄλαλα, *quod idem clarius ſignificat : nam* κωφά, *ut notat S. Hier. ſignificat, &* muta, *&* ſurda. (r) Et omnis ſpiritus non eſt in eo.] *S. Hier. ex Aquila*, Et ſpiritus ejus non eſt in viſceribus, ſive in medio ejus.

ORATIO AMBACUM PROPHETÆ,

Cum CANTICO.

(a) CUM cantico.] S. *Hieron. ex Aq. Symm. Quinta editione*, ἐπὶ ἀγνοημάτων, pro ignorationibus : *ex Theodotione*, ὑπὲρ τῶν ἑκουσιασμῶν, pro voluntariis, *vel*, ſpontaneis : *ac tamen, quod diapſalmatis in hac oratione mentio fiat, recte a lxx, canticum prænotari.* (b) Conſideravi.] *In multis eſt*, κύριε κατενόησα, *& apud S. Hieron.* Domine conſideravi : *qui etiam putat*, conſideravi, & obſtupui, *quæ in hebræo non habentur, addita eſſe in lxx. cæteros autem interpretes inquit cum ſua verſione convenire.* (c) Animalium.] *Sic apud S. Hier. & in officio Romano feriæ 6. in Paraſceue ad Miſſam in tractu primæ prophetiæ*, In medio duorum animalium innoteſceris, *&c. & in breviario Romano in oct. Nativ. in reſponſorio lectionis* 6. In medio duorum animalium jacebat in præſepio. *Item Cyrillus in catena verſa a ſapientiſſimo Card. Caraſa. Alii vero libri habent* δύο ζώων, duarum vitarum : *atque ita legendum docet Euſebius, lib. 6. Evang. Demonſtr. & Theodoretus in hunc locum. Aquila*, ἐν τῷ ἐγγίζειν τὰ ἔτη, ζώωσον αὐτὸν, in appropinquando annos, vivifica ipſum. *Theodotio*, ἐν μέσῳ ἐτῶν ζώωσον αὐτὸν, in medio annorum vivifica ipſum. *Symm.* ἐντὸς τῶν ἐνιαυτῶν ἀναζώωσον αὐτὸν, intra annos vivifica ipſum. (d) Cum advenerit tempus, demonſtraberis : cum turbata fuerit anima mea.] *Hæc inquit S. Hier. neque in hebræo, neque apud alios interpretes haberi.* (e) Thæman.] *In eadem catena* : Thæman ſignificat, νότον, auſtrum : *quo modo inquit S. Hieron. Theodotionem eſſe interpretatum, cum cæteri omnes retinuerint verbum Hebræum.* (f) Pharan.] *Habetur etiam in eadem catena, & explanatur*, deſertum Auſtri. *Ab aliis fere libris, & a S. Hieronymo abeſt : qui etiam inquit Theodotionem dixiſſe Pharan, lxx, autem*, umbroſo condenſo : *ut in noſtra videri poſſint duæ interpretationes admiſtæ.* (g) Diapſalma.] S. *Hier. ex Symm.* εἰς τὸν αἰῶνα, in æternum, *ex Theodotione*, εἰς τέλος, in finem, *ex quinta editione*, Selah. (h) Fortitudinis ſuæ.] *Sic apud S. Hier. quod græce*, ἰσχύος αὐτοῦ. *Cyrillus in eadem catena putat ſubintelligendam præpoſitionem*, διὰ ἰσχύος αὐτοῦ, per fortitudinem ſuam, *id eſt*, pater per filium ſuum. *A S. Cypriano abſunt, 2. teſtim.* S. *Hier. refert ex Aquila*, & poſuit abſconſionem fortitudinis ſuæ : *ex Symmacho*, & poſuit abſconditam fortitudinem ſuam, *ex Theodotione*, & ibi abſconſio fortitudinis ejus. (i) Verbum.] S. *Hieron. teſtatur ita etiam Theodotionem tranſtuliſſe ; Aquilam vero*, ante faciem ejus ibit peſtis ; *Symmachum*, ante faciem ejus præcedet mors ; *Quintam editionem*, ante faciem ejus ambulabit mors. (k) Et egredietur in campos.] *Sic apud S. Hieron. in comm. licet in contextu ſit*, campum : *& apud S. Cyprianum, 2. teſt.* & præcedet in campos ſecundum greſſus ſuos : *Quæ ultima verba videntur poſita pro iis quæ græce ſunt*, κατὰ πόδας αὐτοῦ, *& apud S. Hieron.* poſt pedes ejus : *quæ tamen ipſe in comm. conjungere videtur & cum antecedentibus & cum ſequentibus : ſed idem fere ſenſus. Nonnulli libri habent*, εἰς παιδείαν, in eruditionem. *Utramque lectionem explanat Theodoretus. S. Hieron. teſtatur pro eo quod ipſe dixit*, diabolus, *Aqu. tranſtuliſſe*, volatile, *Symm. & Theod. & Quintam editionem*, volucrem. (l) Sempiterni.] αἰώνιοι. *In aliquo eſt*, τοῦ αἰῶνος, *& apud S. Hieron.* ſeculi. (m) Itineris ſempiterni ejus. Pro laboribus vidi.] *Sic S. Hier. quod græce*, πορείας αἰωνίας αὐτοῦ, ἀντὶ κόπων, εἶδον. *Multi libri habent*, αἰωνίους, *& ex Cyrilli explanatione ſic videtur interpungendum, & vertendum*, itinera ſempiterna ejus pro laboribus viderunt, *id eſt, vias ejus difficiles putaverunt.* (n) Intendiſti.] *Cæteri*, ἐντενεῖς, *& apud S. Hier.* extendes. (o) Fluviorum.] *Sic etiam Cyrillus. Schol.* Scribitur, ποταμοῖς, *& ſic etiam apud Theodoretum, & apud S.* Hier. *etiam in comm.* fluviis ſcindetur terra. *Compl.* ὁ ποταμὸς σχίζεται τῇ γῇ, fluvius ſcinditur terræ. (p) Diſpergens aquas itineris *Apud Cyrillum adjungitur*, αὐτοῦ, *ſui. Compl.* διασπερεῖς ὕδατα τῆς πορείας, *& apud S. Hier.* diſperges aquas itineris. *Pro hoc autem narrat veteres interpretes dixiſſe*, illiſio, vel impetus aquarũ tranſiet. (q) Altitudo phantaſiæ ejus.] *Interpretatur Cyrillus, & Theodoretus*, altitudo cogitationis abyſſi dedit vocem ſuam. *Apud S. Hier. eſt*, altitudinem phantaſiæ. (r) Chriſtum tuum.] *Cæteri*, τοὺς χριστούς σου, *& apud S. Hier.* Chriſtos tuos. *Aquila*, ἐξῆλθες εἰς σωτηρίαν λαοῦ σου, εἰς σωτηρίαν σὺν χριστῷ σου, egreſſus es in ſalutem populi tui, in ſalutem cum chriſto tuo : *quo modo etiam inquit S.* Hier. *fuiſſe in Quinta editione. Sexta editio*, ἐξῆλθες τοῦ σῶσαι τὸν λαόν σου διὰ Ἰησοῦν χριστόν σου, egreſſus es, ut ſalvares populum tuum per Jeſum Chriſtum tuum. *Idem vero S. Hier. teſtatur Symmachum & Theodotionem, tanquam Ebionitas, & vere pauperes, dixiſſe*, egreſſus es in ſalutem populi tui, ut ſalvares chriſtum tuum. *Quamobrem lectio, quæ in noſtra eſt, videtur eſſe Symmachi, aut Theodotionis.* (ſ) Collum. Diapſalma.] *Ita videntur habuiſſe Cyrillus, & Theodoretus. Aliqui habent*, τραχήλου αὐτοῦ, collum ejus. *Multi*, τραχήλου, εἰς τέλος, collum, in finem, : *& ita apud S. Hier. qui inquit lxx quod ſoliti eſſent interpretari*, diapſalma, *nunc dixiſſe*, in finem, *Theodotionem vero*, ornaſti fundamentum uſque ad collum, *Quintam editionem*, Denudaſti (ſive evacuaſti) fundamentum uſque ad collum. Sela. (t) In eo.] *Sic docet* S. *Hier. in comm.* ἐν αὐτῇ, *reſpondere*, ἐκστάσει, *licet in contextu ſit*, in ea. (u) Superducis.] *Cæteri*, ἐπεβίβασας, *& apud* S. *Hieron.* ſuperduxiſti. (x) Aquam multam.] *Plerique*, ὕδατα πολλά, *& apud* S. *Hier.* aquas multas. (y) Venter meus.] *Sic etiam in comm. apud S. Hier. Cæteri fere*, ἡ καρδία μου, cor meum. (z) Habitudo.] *Alii*, ἡ ἰσχύς μου, fortitudo mea : *cujus varietatis facit mentionem etiam* S. *Hier.* (ω) Ab eſca.] *Compl.* διότι ἔφαγον, *& apud* S. *Hier.* eo quod comederint.

Cæterum quoniam in uno vetuſtiſſimo codice majoribus litteris exarato a primo diapſalmate uſque in finem capitis multæ & inſignes varietates ſunt, idcirco totam iſtam partem, quemadmodum in illo habet, hic ſubjiciemus.

Ἐκάλυψεν οὐρανοὺς ἡ εὐπρέπεια τῆς δόξης αὐτοῦ, καὶ τῆς αἰνέσεως αὐτοῦ ἐπλήσθη ἡ οἰκουμένη. καὶ φέγγος αὐτοῦ ὡς φῶς ἔσται, καὶ κέρατα ἐν χερσὶν αὐτοῦ ὑπάρχει αὐτῷ. ἐκεῖ ἀπεστήρικται ἡ δύναμις τῆς δόξης αὐτοῦ. πρὸ προσώπου αὐτοῦ προελεύσεται πτῶσις, καὶ κατὰ πόδας αὐτοῦ ἀκολουθήσει τὰ μέγιστα τῶν πετεινῶν. στὰς διεμέτρησεν τὴν γῆν. κατανοήσας ἐξήκασεν τὰ ἔθνη, καὶ τὰ ὄρη θραυσθήσονται. ταπεινωθήσονται αἱ νάπαι αἱ ἐκ τοῦ αἰῶνος.

αἰῶνος αἱ ὁδοὶ αἱ ἐξ ἀρχῆς αὐτοῦ ἀντὶ κόπων. κατανενόηκα τὰς σκηνὰς τῶν αἰθιόπων. ταραχθήσονται οἱ κατοικοῦντες τὰς δέῤῥεις μαδιάμ. μὴ ἐν ποταμοῖς ὠργίσθης κύριε, ἢ ἐν ποταμοῖς ὁ θυμός σου, ἢ ἐν θαλάσσῃ τὸ ὅρμημά σου; κύριε ἀνέβης ἐπὶ τὰ ἅρματά σου, ἡ ἱππασία σου σωτηρία. οὗ προέβης, ἐξηγέρθη τὸ τόξον σου. ἐχόρτασαν τὰς βολίδας τῆς φαρέτρας αὐτῆς· ποταμοὺς διασκεδάσεις, καὶ γῆν σείσεις. ἐν τῷ ἀντοφθαλμεῖν ταραχθήσονται τὰ ὄρη ἐν τῷ τοῦ ἐξαισίου σου, ὄμβρον διελθεῖν δι᾽ αὐτῆς. ἡ ἄβυσσος ἀνεφώνησε μείζων. φῶς τὸ λαμπρὸν τοῦ ἡλίου ἐπέσχεν. τὸ δὲ φέγγος τῆς σελήνης ἐστάθη. κατὰ τὸ φέγγος τῶν βολίδων σου πορεύσονται κατὰ τὸ φέγγος ἀστραπῆς μαχαίρας σου. μετὰ θυμοῦ ἐγερθήσῃ ἐπὶ τὴν γῆν, μετὰ ὀργῆς ἀλοήσεις ἔθνη. ἀνεφάνης ἐπὶ σωτηρίᾳ τοῦ λαοῦ σου ῥύσασθαι τοὺς χριστούς σου. ἕως ἀβύσσου τῆς θαλάσσης καταδύσονται. διάψαλμα. ἐξεδίκησας μετὰ δυνάμεώς σου τοὺς ἀρχηγοὺς τῶν ἁμαρτωλῶν, τοὺς πεποιθότας ἐπὶ τῇ αὐθαδείᾳ αὐτῶν, ἕνεκεν τοῦ καταφυγεῖν πτωχοὺς λάθρα. ἀνεβίβασας ἐπὶ τὰς θαλάσσας τοὺς ἵππους σου, ἐταράχθησαν τὰ ἐξαίσια ὕδατα τῆς ἀβύσσου. ἐταξάμην, (aliàs, ἐταραξάμην) καὶ ἀνεσατώθη τὰ σπλάγχνα μου ἀπὸ τῆς φωνῆς τοῦ στόματός σου. εἰσῆλθε τρόμος εἰς τὰ ὀστᾶ μου. κατ᾽ ἐμαυτὸν ἐταράχθην. ταῦτα φυλάξεις εἰς ἡμέραν θλίψεως, ἐπαγαγεῖν ἐφ᾽ ἕνα πολέμου τὸν λαόν σου. ἡ συκῆ οὐ μὴ παραδῷ τὸν καρπὸν αὐτῆς, καὶ ἐν ταῖς ἀμπέλοις οὐκ ἔσται φορά. ἡ ἐλαία ἐξίτηλος ἔσται, ἡ δὲ γῆ οὐ μὴ ἐκθάλῃ βοτάνην. ἐκλείψει ἐκ μάνδρας πρόβατα, καὶ βόες οὐχ ὑπάρχουσιν ἐπὶ φάτναις. ἐγὼ δὲ ἐν τῷ κυρίῳ ἀγαλλιάσομαι, χαρήσομαι ἐπὶ τῷ θεῷ τῷ σωτῆρί μου. κύριος ὁ θεός μου ἔδωκέ μοι ἰσχὺν, καὶ κατέστησεν τοὺς πόδας μου ἀσφαλεῖς. καὶ ἐπὶ τοὺς τραχήλους τῶν ἐχθρῶν μου ἐπιβιβᾷ με, καθίσας κατέπαυσε.

Operuit cœlos decor gloriæ ejus : & laude ejus impletus eſt orbis terrarum. Et ſplendor ejus, ſicut lumen erit & cornua in manibus ejus ſunt ei. Ibi ſtabilita eſt fortitudo gloriæ ejus. Ante faciem ejus præcedet ruina : & ad pedes ejus ſequentur maxima volatilium. Stans dimenſus eſt terram. Aſpiciens diſſolvit gentes : & montes quaſſabuntur : humiliabuntur horti, qui a ſeculo ; viæ, quæ a principio. Pro laboribus vidi tentoria Æthiopum : turbabuntur qui habitant pelles Madian. Nunquid in fluminibus iratus es Domine ? aut in fluminibus furor tuus ? vel in mari impetus tuus ? Domine aſcendiſti ſuper currus tuos : equitatio tua, ſalus : quo ante aſcendiſti, ſuſcitatus eſt arcus tuus : ſatiaſti (*corrigendum eſt in Græco,* ἐχόρτασας,) ſagittas pharetræ ipſius. Flumina diſſipabis, & terram concuties. In reſpiciendo turbabuntur montes, in tranſeundo eximium tuum imbrē per eam. Abyſſus acclamavit major : lux ſplendida Solis retinuit ſe : ſplendor autem Lunæ ſtetit. Secundum ſplendorem ſagittarum tuarum ibunt : ſecundum ſplendorem coruſcationis gladii tui. Cum furore exurges ſuper terram : cum ira triturabis gentes. Apparuiſti in ſalutem populi tui ad liberandum chriſtos tuos. Uſque in abyſſum maris demergentur. DIAPSALMA. Vltus es cum virtute tua principes peccatorum, confiſos ſuper auctoritate ſua ad devorandum, (*vix enim dubitari potest, pro,* καταφυγεῖν, *legendum,* καταφαγεῖν,) pauperes in abſcondito. Aſcendere feciſti ſuper maria equos tuos : turbatæ ſunt ingentes aquæ abyſſi. Appoſui, (*nimirum aurem, vel cor,*) & fluctuarunt viſcera mea a voce oris tui. Ingreſſus eſt tremor in oſſa mea. in me ipſo turbatus ſum. Hæc ſervabis in diem tribulationis, ad aſcendendum ſuper unum bellum populum tuum. Ficus non dabit fructum ſuum. & in vineis non erit proventus : oliva erit evanida : terra autem non germinabit herbam. Deficient ex mandra oves, & boves non erunt (*corr.* ὑπάρξουσιν, *in Græco,*) in præſepibus. Ego autem in Domino exultabo, gaudebo in Deo ſalvatore meo. Dominus Deus meus dedit mihi fortitudinem : & conſtituit pedes meos ſecuros : & ſuper colla inimicorum meorum imponet me : ſedens requievit. *Quæ ſit hæc editio, non ſatis liquet. Illud quidem, quod eſt in principio,* ἡ εὐπρέπεια τῆς δόξης αὐτοῦ, *videtur eodem modo habuiſſe Cyrillus. Ita enim inquit in catena,* τουτέστιν ἡ δόξα, καὶ τὸ θεοπρεπὲς ἀξίωμα μεῖζόν ἐστιν παντὸς ἀξιώματος τοῦ ὄντος ἐν τοῖς οὐρανοῖς *quæ ita vertit præſtantiſſimus Cardinalis.* hoc eſt, gloria, & dignitas Deo congruens, major eſt omni dignitate quæ in cœlis eſt.

SOPHONIAS.

CAP. I.

(*a*) Filium.] *Pro,* filii, *ut alibi : Quare Complut.* υἱοί, *&* S. *Hier.* filii. (*b*) Deficiat a facie.] *Ita etiam apud* S. *Hieron. &* S. *Cyprian* 3. *teſtim. Cæteri libri,* ἐκλιπέτω πάντα ἀπὸ προσώπου, deficiant omnia a facie. (*c*) Et infirmabuntur impii.] *Hoc notat* S. *Hier. de Theodotionis tranſlatione additum eſſe : pro quo Symm. ſit interpretatus,* & ſcandala cum impiis, *Quinta autem editio,* & infirmitas cum impiis deficiet. (*a*) Et nomina ſacerdotum.] *Sic & alius codex. In cæteris,* τὰ ὀνόματα τῶν ἱερῶν μετὰ τῶν ἱερέων, nomina ſacrorum cum ſacerdotibus, *aut,* τὰ ὀνόματα τῶν ἱερέων μετὰ τῶν ἱερῶν, nomina ſacerdotum cum ſacris, *aut,* τὰ ὀνόματα τῶν ἱερέων, μετὰ τῶν ἱερέων, *& apud Sanctum Hieronymum,* nomina ſacerdotum cum ſacerdotibus. (*e*) Qui adorant, &.] *Abſunt hæc a* S. *Hier. & Theodoreto, & Complut.* (*f*) Et jurant per regem ſuum.] S. *Hieron.* in rege ſuo, *qui etiam teſtatur lxx pro Melchom dixiſſe, regem. In cæteris libris partim legitur,* κατὰ τοῦ κυρίου βασιλέως αὐτῶν, per Dominum regem ſuum, *partim,* κατὰ τῆς βασιλείας αὐτοῦ, per regnum ejus, *partim,* κατὰ τοῦ μελχὼμ, per Melchom: *quod habet Theodoretus.* (*g*) Vocatos.] S. *Cypr.* 2. *teſtim. unde aliqua ſumpſimus,* electos. (*h*) Manifeſte ſuper veſtibula.] *In aliis,* ἐπὶ πάντας ἐμφανῶς ἐπὶ τὰ πρόπυλα, *& apud Sanctum Hieronymum* ſuper omnes manifeſte, qui ſunt in veſtibulis. (*i*) Conciſam.] *Sic etiam Theodoretus, &* S. *Hieron. qui una cum Scholiaſte notat pro hac Aquilam dixiſſe,* εἰς τὸν ὅλμον in pila, *qua frumenta tunduntur, inquit* S. *Hieron.* (*k*) Qui autem dicunt.] *In aliis,* καὶ οἱ λέγοντες, *aut,* τοὺς λέγοντας, *apud* S. *Hieron. conjunctè cum antecedentibus,* & dicunt in cordibus ſuis. (*l*) Immaturitatis.] *Plerique,* ταλαιπωρίας, *& apud* S. *Hieronymum,* miſeriæ.

CAP. II.

(*a*) Colligamini.] *Theodoretus,* Quidam locum non intelligentes, pro, Συνδέθητε, poſuerunt, Συνδεήθητε, comprecamini. Sed pleraque exemplaria habent, Συνδέθητε, colligamini. (*b*) Pertranſiens.] *In pleriſque additur,* ἡμέρα, *& apud* S. *Hier.* diem. (*c*) Furoris.] *In multis,* ὀργῆς θυμοῦ, *& apud* S. *Hier.* iræ furoris. (*d*) Advenæ Cretenſium.] *Aq. & V. editio,* γένος ὀλέθριον, genus perditum, *Theodotio,* γένος ὀλεθρείας, genus perditionis. *Symm.* γένος ὀλοθρευόμενον, genus exterminatum. *De quibus multa* S. *Hier. qui etiam rurſus pro,* Creta, *quod ſequitur inquit alios conſenſiſſe cum tralatione ſua,* funiculus maris. (*e*) A facie filiorum Juda.] *Hæc* S. *Hieron. obelo prænotavit.* (*f*) Areæ.] *Putat* S. *Hier lxx ſcripſiſſe non,* ἅλωνος, *ſed,* ἅλος, id eſt, ſalis : *quod eſt in Compl. ſed in nullo alio libro eſt inventum. Nam & Theodoretus habet,* ἅλωνος. *A quibuſdam vero abeſt tota hæc particula,* ὡς θημωνία ἅλωνος. (*g*) Hæc.] *Eſt hebraiſmus. Alii quidam* τοῦτο, *& apud* S. *Hieron.* hoc. (*h*) Apparebit.] *In Complut.* ἐπιφανὴς ἔσει, *& apud* S. *Hieron.* manifeſtus erit. (*i*) Eſtis gladii mei.] *Eſt significantius quam quod in Compl.* ῥομφαία μου ἐστὲ, *& apud* S. *Hier.* gladio meo eritis. (*k*) Extendet.] *Plerique* καὶ ἐκτενῶ τὴν χεῖρά μου ἐπὶ βοῤῥᾶν, καὶ ἀπολῶ τὸν ἀσσύριον, καὶ θήσω, *& apud* S. *Hieron.* & extendam manum meam ſuper Aquilonem, & perdam Aſſyrium, & ponam, *&c.* (*l*) Corvi.] *Teſtatur* S. *Hieron. Aquilam dixiſſe gladium, alios ſiccitatem* (*m*) Altitudo.] *Sic apud* S. *Hieron. quod græce eſt,* ἀνάστημα, *& de hac dictione alibi notatum eſt : & eodem modo nunc exponitur a Theodoreto. Complut. autem,* ἀνάστεμμα, coronatio.

CAP. III.

(*a*) Villipendens.] *Hoc magis videtur reſpondere ſententiæ, & interpretationi Patrum, quam,* malis dedita, *ut eſt apud* S. *Hieron. Græce eſt,* ἡ φαυλίστρια. (*b*) Arabiæ.] S. *Hieron. ex Symmacho,* veſpertini. (*c*) Portantes ſpiritum.] S *Hieron. ex Aquila,* ἐνθουσιαζόμενοι, inſanientes, *ſive,* ſtupentes. (*d*) Legem.] *Plerique,* ἀσεβοῦσι εἰς τὸν νόμον, *& apud* S. *Hieron.* impie agunt in legem. (*e*) In exactione, nec in contentione injuſtitiam.] *Hæc abſunt a Compl. In aliis ſunt, ſed abeſt, quod ſequitur,* In corruptione : *quemadmodum etiam apud* S. *Hier. qui pro,* εἰς νεῖκος, *videtur habuiſſe,* εἰς νῖκος, nec in ſempiternum injuſtitiam : *itemque Theodoretus.* (*f*) Deſertas faciam.] *Sic* S. *Hier. in comm. licet in contextu vetuſtioris ſit,* deſtruxi, *ut in Complut.* ἐξερήμωσα, *in aliis,* ἐξερήμωσαν, deſolaverunt. (*g*) Timete me, & ſuſcipite.] *Sic fere* S. *Hieron. in comm. ſed in contextu,* timebitis me, & ſuſcipietis. *& in Compl.* φοβηθήσεσθέ με, καὶ δέξεσθε. (*h*) Et non peribitis.] *Sic apud* S. *Hieron. in contextu : ſed in comm.* ut non pereant omnia de conſpectu Hieruſalem. *quibus videtur magis reſpondere lectio, quæ eſt in aliis libris,* καὶ οὐ μὴ ἐξολοθρευθῇ. (*i*) Diſſipata eſt omnis frondoſitas.] *Sic* S. *Hier. in comm. licet in contextu,* diſperierunt omnes racemi. (*k*) Eos.] *In multis additur,* ὀργήν μου, *& apud* S *Hier.* iram meam : *quod etiam eſt apud* S. *Cyprianum lib.* 3. *teſtim. & alibi.* (*l*) Quia tunc.] *Theodoretus,* Aquila, & Theodotio, τότε στρέψω ἐπὶ πάντας τοὺς λαοὺς χεῖλος ἐξειλεγμένον, tunc vertam ad omnes populos labium electum. *Symm.* τότε μεταστρέψω ἐν τοῖς λαοῖς χεῖλος καθαρὸν, tunc convertam in populos labium mundum : *& hæc varietas expenditur etiam a Sancto* Hieronymo. (*m*) In diſperſis meis.] *Compl.* τοὺς διεσπαρμένους μου, *& apud* S. *Hieron.* diſperſos meos. *Euſebius,* 2. *Evang. Demonſtr. hunc locum ſic affert,* προσδέξομαι τοὺς ἱκετεύοντάς με, υἱοὶ τῶν διεσπαρμένων οἴσουσι θυσίας μοι, excipiam ſupplicantes mihi : filii diſperſorum afferent hoſtias mihi : *nec multo aliter Theodoretus : qui etiam hæc ex Symmacho refert,* πέραθεν ποταμῶν αἰθιοπίας ἱκετεύοντά με τέκνα τῶν διεσκορπισμένων ὑπ᾽ ἐμοῦ, ἐνέγκωσι δῶρον ἐμοὶ, de finibus fluminum Æthiopiæ ſupplicantes mihi filii diſperſorum a me afferent munus mihi. (*) A nomine.] *In aliquo eſt* τὸ ὄνομα, *& apud* S. *Hier.* & reverebuntur nomen Domini. (*n*) Dicit Dominus.] *Hoc abeſt ab aliquo libro, & a* S. *Hieronymo.* (*o*) Confundentur.] *Ita* S *Hier. & Theod. In pleriſque vero libris eſt,* καὶ οὐ καταισχυνθήσονται, & non confundentur.

AGGÆUS.

CAP. I.

(*a*) In manu Aggæi.] *Sym.* διὰ ἀγγαίου, per Aggæum. (*b*) De tribu Juda.] *Schol.* cæteri, ἡγούμενον ἰούδα, ducem Juda. (*c*) Concavis.] *Sic apud* S. *Hier. in contextu, & in comm. licet ſignificantius putet dici græce,* κοιλοσταθμοις, *id eſt,* deorſum, *inquit,* poſitis, & in convalle demerſis. *Ipſe in ſua tralatione dixit,* laqueatis, *quod Aquila,* ὠροφωμένοις. (*d*) Illata ſunt.] *Complut.* εἰσηνέγκατε, *& apud Sanctum* Hieronymum, intuliſtis. (*e*) Subtrahet.] *Sic Sanctus Cyprianus ad Demetrianum : & reſpondet hebræo, niſi quod in eo eſt tempus præteritum, ut in vulgata. Cæteri,* ὑποτελεῖται δοῦναι, obnoxia tributo erit dare.

CAP. II.

(*a*) IN quarta & vigeſima menſis ſexti, anno ſecundo Darii regis.] *Hæc videntur conjungenda cum præcedentibus : quemadmodum apud* S. *Hieronymum, & Theodoretum conjunguntur.* (*b*) Omnipotens.] *Hoc vocabulum agnoſcit* S. *Hieronymus ex lxx, quemadmodum & nonnunquam,* virtutum, *aut*, exercituum, *& in Complut. nunc eſt*, τῶν δυνάμεων. *Cæterum in pleriſque codicibus hæc ſequuntur*, τὸν λόγον (*al.* ὁ λόγος) ὃν διεθέμην ὑμῖν ἐν τῷ ἐξελθεῖν ὑμᾶς ἀπὸ (*al* ἐκ γῆς) αἰγύπτου, *& apud Sanctum Hieronymum*, verbum quod pepigi vobiſcum, cum egrederemini de terra Ægypti. (*c*) Venient electa omnium gentium] *Sic interdum* S. *Hieron. in comment. licet alibi*, quæ electa ſunt Domini de cunctis gentibus. (*d*) Et pacem animæ in acquiſitionem omni condenti, ut ſuſcitet templum iſtud.] S.*Hieron. pro*, condenti, *id eſt*, fabricanti, *habet*, qui creatur : *& notat nec in hebræo, nec apud alium quenquam interpretem ferri : quare etiam in Complut. ſunt omiſſa.* (*e*) Immundus.] H*oc abeſt a cæteris. Apud Sanctum Hieronymum eſt hoc, ſed non quod præceſſit*, pollutus: *ut videri poſſint duæ interpretationes.* (*f*) Laborum.] *Plerique*, πονειῶν, (*ita enim corrigendum in noſtra*) *& apud Sanctum Hieronymum*, maliciarum: *qui etiam notat totam hanc clauſulam neque in hebræo, neque apud alios interpretes inveniri : eſt tamen etiam in Complut.* (*g*) Supponite.] *Cæteri*, τάξατε, *& apud Sanctum Hieronymum*, ponite. (*h*) Si cognoſcetur.] *In multis eſt*, εἰ ἔπι, *& in Complut. ſequitur*, ἐπιγνωσθήσεται ἐπὶ γῆς ἅλως, *& apud* S. *Hier.* ſi ultra cognoſcetur ſuper terram area. (*i*) Et mare, & aridam.] H*æc inquit* S. *Hieron. in lxx eſſe addita, viciſſim autem abeſſe illa*, conteram fortitudinem regni gentium : *quæ tamen a græcis collatis non videntur abeſſe.*

ZACHARIAS.

CAP. I.

(*a*) Filium.] *Sic apud Sanctum* Hieronymum *in utraque editione : & in comment. de hac re diſputat. Theodoretus autem, & Complut.* υἱοῦ, filii, *itemque paulo poſt.* (*b*) Et non exaudierunt.] *Abſunt a Sancto Hieronymo & Theodoreto, & Complut.* (*c*) Montes.] *In multis eſt*, δύο ὄρη *& apud Sanctum Hieronymum*, duos montes: *qui tamen in comment. notat illud*, duos, *in hebræo non haberi. Theodoretus autem inquit Aquilam & Symmachum pro montibus dixiſſe*, μυρσινεῶνας, myrteta. (*d*) Quas deſpexiſti.] *Theodoretus & Complut.* αἷς ἐθυμώθης, *& apud* S. *Hier.* quibus iratus es.

CAP. II.

(*a*) FRugifere.] *Nonnulli*, κατάκαρπος, *& apud Sanctum Hieronymum in contextu*, frugifera. *Ex comment. autem, utro modo legerit, vix judicari poteſt.* (*b*) Confugient.] *Juſtinus*, προστεθήσονται, apponentur. (*c*) Scies.] *Idem*, ϗ γνώσονται, & cognoſcent. (*d*) Parte ſua.] *In editione noſtra corrigendum eſt*, τῇ μερίδι αὐτοῦ ἐπὶ τὴν γῆν τὴν ἁγίαν *Dictum autem videtur*, parte ſua, *quaſi ſupplenda ſit præpoſitio*, ἐν, in parte ſua. *Cæteri libri habent*, τὴν μερίδα αὐτοῦ, partem ſuam, *ut apud Sanctum* Hieronymum, *aut*, ϗ τὴν μερίδα αὐτοῦ, & partem ſuam. (*e*) Eliget.] *Juſtinus*, ἐκλέξεται, *eodem ſenſu.*

CAP. III.

(*a*) HOC.] *Apud Theodoretum, & in Complut.* οὗτος, *& apud Sanctum Hieronymum*, iſte. (*b* Iniquitates ſuas.] *Sic Sanctus Cyprianus* 2. *teſtim. Apud Sanctum* Hieronymum *eſt* a te iniquitates tuas : *quod*, ἀπό σου, *eſt in multis : in quibus præterea ſequitur, quod non eſt apud illos*, ϗ τὰς ἁμαρτίας σου περικαθαριῶ, & peccata tua circummundabo. (*c*) Viis.] *Aliqui*, ἐν ταῖς ὁδοῖς, *& apud Sanctum* Hieronymum, in viis. (*d*) Faciem.] *Multi addunt*, σου, *& apud Sanctum* Hieronymum faciem tuam. (*e*) Fodio foveam.] *Aquila*, διαγλύφω ἄνοιγμα αὐτῆς, ſculpam aperturam ejus. *Addit Sanctus* Hieronymus, Theodotio, & Symmachus, ſculpam aperturam. (*f*) Convocabitis.] συγκαλέσετε. *Sic enim corrigendum in noſtra, & reſpondet prorſus hebræo. Apud Theodoretum, & in Complut. eſt*, συγκαλέσεται, *& apud Sanctum* Hieronymum, vocabit.

CAP. IV.

(*a*) OCuli.] *In cæteris additur*, κυρίου, *& apud Sanctum* Hieronymum, Domini. (*b*) Narium.] Sive (*inquit Sanctus* Hieronymus) ſuper duo roſtra aurea, quæ græce, μυξωτῆρες, appellantur. (*c*) Pinguedinis.] *Aquila*, στιλπνότητος, *Theodotio*, λαμπρότητος, ſplendoris. *Addit* S. *Hieron. Symm. dixiſſe*, filii olei.

CAP. V.

(*a*) FAlx.] *Sanctus* Hieronymus *refert ex Aquila, & Theodotione*, διφθέρα *ex Symmacho*, κεφαλὶς, *id eſt, capitulum.* (*b*) Cruciabitur] *Cæteri*, ἕως θανάτου ἐκδικηθήσεται : *& apud Sanctum* Hieronymum, uſque ad mortem cruciabitur. (*c*) Upupæ.] *Alii*, ὡς πτέρυγας ἔποπος, *& apud Sanctum* Hieronymum, ſicut alæ ſunt upupæ : *qui etiam teſtatur cæteros interpretes dixiſſe*, ἐρωδιόν, herodionem.

CAP. VI.

(*a*) STurnini.] *Schol. ex Aquila*, κραταιοί. *Sanctus* Hieronymus, καρτεροί. fortes. (*b*) Egrediantur.] *In aliis additur*, ϗ, *aut*, οἱ, *& apud Sanctum* Hieronymum, qui egrediuntur. (*c*) Ut irent circuire.] *Cæteri non habent*, τοῦ πορεύεσθαι, *& apud Sanctum Hieronymum*, ut circuirent. (*d*) Oriens.] *Sanctus Hieronymus*, vel, ἀναφύη, ſive, βλάστημα, id eſt, germen nuncupatur. (*e*) Virtutem.] *Iidem*, ab alio, ἐπιδοξότης, ab alio, ἐπιπρέπεια, ab alio, ἀρετὴ, ab alio, δόξα, ſcribitur : quæ vel inclytum, vel decorem, vel virtutem, vel gloriam ſonant.

CAP. VII.

(*a*) NONI.] *Sic etiam Sanctus Hieronymus. Plerique autem*, ἕκτου, ſexti. (*b*) In Bæthel.] *Apud Sanctum Hieronymum*, de Bæthel : *& in comment. utraque lectio innuitur.* (*c*) Et bibitis.] *Alii*, ϗ ὑμεῖς πίνετε, *& apud Sanctum* Hieronymum, & vos bibitis. (*d*) Abundans.] *Sic apud eundem. Aliqui*, εὐφραίνουσα, lætans. (*e*) Et advenam.] *Abeſt a Sancto Hieronymo.* (*f*) Nolit meminiſſe.] *Multi*, μὴ μνησικακεῖτε, *& apud* S. *Hieron.* nolite meminiſſe.

CAP. VIII.

(*a*) PAcificum.] *In pleriſque additur*, ϗ δίκαιον, *& apud Sanctum* Hieronymum, & juſtum. (*b*) Quartum] ἡ τετρὰς, *aut*, ἡ τετάρτη, *ut in cæteris. Theodoretus* : Cæteri interpretes Aquila, Symm. Th. νηστεία ἡ τοῦ τετάρτου, ϗ νηστεία ἡ τοῦ πέμπτου, ϗ ἡ τοῦ ἑβδόμου, ϗ ἡ τοῦ δεκάτου, jejunium quarti & jejunium quinti, & ſeptimi, & decimi : ut nulli dubium ſit, quin de menſibus ſit intelligendum. (*c*) Quinque civitates.] *Abeſt*, quinque, *a Sancto* Hieronymo. *In aliis libris eſt*, μίαν εἰς μίαν πόλιν, unam in unam civitatem.

CAP. IX.

(*a*) SEdrach.] *Theod.* Civitas eſt Arabiæ Emath autem ea eſt, quæ nunc Epiphania appellatur. Emath autem magnam nominat ſacra ſcriptura ipſam Emiſan. *Sanctus* Hieronymus *inquit male a quibuſdam legi Sedrach : legendum enim eſſe* Hadrach, *quomodo etiam habetur in aliquot libris.* (*b*) Sacrificium.] *Sic habuiſſe etiam Sanctus* Hieronymus *colligitur ex comm. quamvis in contextu ſit*, ſacrificii. *Theodor. ex Aq.* ϗ ἐν δαμασκῷ ἀνάπαυσις αὐτοῦ (*quamvis in Scholio referatur*, αὐτοῖς) & in Damaſco requies ejus. (*c*) In Emath in finibus ejus.] *Ab aliquo libro, & Sancto* Hieronymo, *abeſt illud*, in. *Notat autem Theodor. cæteros interpretes dixiſſe*, in Emath finitima ei. (*d*) Super ruina ſua.] *Complut.* ἀπὸ τῆς ἐλπίδος αὐτῆς, *& apud Sanctum* Hieronymum, de ſpe ſua. (*d*) Revertatur.] *Iidem addunt*, μηδένα, nemo pertranſeat. (*f*) Prædica.] *Iuſtinus*, ἀλάλαξον, κήρυσσε, jubila, prædica. (*g*) Rex tuus.] *Addendum in noſtra græca*, σου. (*h*) Manſuetus.] *Juſtinus*, πραῢς, ϗ πτωχὸς, manſuetus, & pauper. *Videri poſſunt duæ interpretationes. Notat enim Sanctus* Hieronymus, *lxx pro*, pauper, *tranſtuliſſe*, manſuetus. *Sanctus Cypr.* 2. *teſtim.* mitis ſedens ſuper aſinum indomitum. *al.* aſinam indomitam. (*i*) Novum.] *Juſtinus*, ὄνου, aſinæ. (*k*) Diſperdetur arcus bellicus.] *Complut.* ἐξολοθρεύσει τόξον πολεμιστῶν. *Apud Sanctum* Hieronymum, diſperdet arcus pugnantium. (*l*) Multitudo & pax.] *Iidem*, πλῆθος, ϗ εἰρήνην, multitudinem, & pacem. *Unus codex, & Euſebius Evang. Demonſtr. libri.* 2. 8. *&* 9 ϗ πλῆθος εἰρήνης, & multitudo pacis. *Sym.* ϗ λαλήσει εἰρήνην τοῖς ἔθνεσι, ϗ ἡ ἐξουσία αὐτοῦ ἀπὸ θαλάσσης ἕως θαλάσσης, ϗ ἀπὸ ποταμοῦ ἕως περάτων τῆς οἰκουμένης, *quemadmodum fere* S. Hier. *in ſua* : & loquetur pacem gentibus, & poteſtas ejus a mari uſque ad mare, & a fluminibus uſque ad fines terræ. (*m*) Aquis.] *In aliquo*, ἀπὸ ὑδάτων, ab aquis *in nonnullis hic eſt*, ὑδάτων, *ſed paulo poſt*, ἀπὸ ποταμῶν, a fluminibus. *Apud Sanctum* Hieronymum, Ab aquis uſque ad mare, & a fluminibus uſque ad exitus terræ. (*n*) Tui.] *Abeſt a multis, & a* S. *Hieron.* (*o*) Eos.] *Cæteri*, τὸ αἷμα αὐτῶν, *& apud* S. *Hier.* ſanguinem eorum. (*p*) Phialas, ſicut altare.] *Nonnulli*, ὡς φιάλας τὸ θυσιαστήριον, *& apud Sanctum* Hieron. ſicut phialas altare. (*q*) Vinum.] *Sanctus* Hieronymus, Aquila, οἰνίαν, interpretatus eſt : quod & ipſum ad ubertatem vindemiæ referri poteſt.

CAP. X.

(*a*) ET ex ipſo.] *Abſunt hæc a Complut. &, quantum conjici poteſt ex explanatione, a Theodoreto. Sunt & alia quædam in codicibus varietates. Apud* S.Hier. & ex ipſo arcus in furore egredietur omnis, qui educit ſimul, *& pro hoc inquit Aquilam dixiſſe*, εἰσπράσσων, exactor. (*b*) Sicut non evertiſſem eos.] *In Compl.* ὃν τρόπον ὅτε οὐκ αὐτοὺς ἀπέρριψα, *& apud* S. *Hier.* ſicut quando non eos abjeceram. *Theodoretus* : Hoc *manifeſtius Symm. eſt interpretatus*, ϗ ἔσονται ὡς ἂν εἰ μὴ ἀπωσάμην αὐτοὺς, & erunt perinde, ac ſi eos non expuliſſem. (*c*) Gloriabuntur.] *Ita etiam apud Sanctum Hieronymum & Sanctum Cyprianum*, 2. *teſtim. In aliquot libris eſt*, κατακαυθήσονται, accendentur.

CAP. XI.

(*a*) IN Chanaanitide.] *Hoc inquit Sanctus Hieronymus neque in Hebræo haberi, & a nullo alio transferri.* (*b*) Virgas.] *Videtur ſignificare Sanctus Hieronymus, ab aliquo dictas eſſe*, σκυτάλας, id eſt, baculos. (*c*) Rugiebant.] *Ita etiam Sanctus Hieronymus, & Theodoretus. In aliquot*

aliquot libris est, ἐπορεύοντο, ibant. (*d*) In conflatorium.] *Aquila*, πρὸς τὸν πλάστην, quem (*inquit Sanctus Hieronymus*) nos fictorem, & figulum possumus dicere. (*e*) Considerabo.] *In cæteris*, καὶ σκέψαι, *&* *apud Sanctum Hieronymum*, & recogita. (*f*) Possessionem.] *In plerisque*, τὴν διαθήκην, *& apud Sanctum Hieronymum*, testamentum. (*g*) Imperiti.] *Theodoretus*, Cæteri, ἄφρονος, insipientis.

CAP. XII.

(*a*) INveniemus nobis.] *Sanctus Hieronymus*, *& Schol. ex Aquila*, καρτέρησόν μοι, id est, conforta mihi. (*b*) Per seipsa in Hierusalem.] *Respondet Hebræo. In quibusdam non est*, in Hierusalem, *& apud Sanctum Hieronymum*, & habitabitur adhuc Hierusalem in semetipsa. (*c*) Sicut David.] *Ita etiam hebræus. In quibusdam, & apud Theodoretum est*, ὡς οἶκος δαυίδ. *Et apud Sanctum Hieronymum*, quasi domus David. (*d*) Sicut.] *Respondet Hebræo. In aliquo*, καί. *Sic apud Sanctum Hieronymum*, & angelus. (*e*) Pro eo quod insultaverunt.] *In aliquo est*, εἰς ὃν ἐξεκέντησαν, in quem confixerunt, *aut*, transfixerunt, *& apud Sanctum Cyprianum*, 2. *testim. In quibusdam utrumque conjungitur : suntque omnino duæ interpretationes. De qua re Sanctus Hieronymus disputat, & apud lxx agnoscit*, κατωρχήσαντο, *sicut Scholiastes ex aliis*, ἐξεκέντησαν. (*f*) Malogranati.] ῥοῶνος, *ac docet Sanctus Hieronymus ita appellari, non unam arborem malorum granatorum, id est, mali punici, sed locum his arboribus consitum. Complut. habet*, ῥοῶν, malorum granatorum. (*g*) Seorsum.] *Apud Sanctum Hieronymum adjungitur, de tribu Juda : quod neque in sua est, neque in commentariis illud agnoscit.*

CAP. XIII.

(*a*) DOmui David.] *Sic Hebræus. In aliis libris est*, ἐν οἴκῳ, *& apud Sanctum Hieronymum*, in domo. *Theodoretus ex Symmacho*, ἔσται ἀνοιγομένη πηγὴ τοῦ οἴκω δαυὶδ, erit apertus fons domui David. (*b*) Separationem.] *Quasi dicat menstruum : sic enim appellatur*, χωρισμὸς ἀκαθαρσίας, *Levit.* 18. *Est autem Hebraismus, ut pro menstruo intelligatur ablutio menstrui. Quare in cæteris libris est*, εἰς τὸν ῥαντισμὸν, *& in Complut.* ἐν τῇ ῥαντίσει, *& apud Sanctum Hieronymum*, *etiam in commentariis*, in aspersionem. (*c*) Compedient.] *Sanctus Hieron. testatur tres interpretes dixisse*, confixerunt. (*d*) Dilecta mea.] *in Complut. est*, τοῦ ἀγαπητοῦ μου, dilecti mei. *Apud Sanctum Hieron.* diligentis me. (*e*) Framea.] *Sanctus Hieronymus, ex Aquila*, *& Symmacho*, μάχαιρα, gladius. (*f*) Pastores meos.] *Aliquot libri*, *& Theodoretus*, τὸν ποιμένα μου, *& apud Sanctum Hieronymum*, pastorem meum. *Justinus*, ἐπὶ τὸν ποιμένα τοῦ λαοῦ μου, super pastorem populi mei. (*g*) Civem meum.] *Plerique*, *& Theodoretus*, αὐτοῦ, *& apud Sanctum Hieronymum*, *etiam in commentariis*, civem ejus : *pro quo inquit Aquilam interpretatum esse*, συμφυλόν μου, contribulem meum, (*teste etiam Scholiaste*, *& Theodoreto*) *Symmachum*, super virum populi mei, *Theodotionem*, super virum proximum ejus : *ac docet, cur aliqui vertant*, meum, *aliqui*, ejus. (*h*) Percutite pastores, & avellite oves.] *Cæteri*, πάταξον τὸν ποιμένα, καὶ διασκορπισθήτωσαν τὰ πρόβατα, percute pastorem, & dispergantur oves : *apud Sanctum Hieronymum*, dispergentur. (*i*) Parvulos.] *Cæteri & Theodoretus*, ἐπὶ τοὺς ποιμένας, super pastores : *quam lectionem Sanctus Hieronymus etiam in comm. agnoscit ex lxx, licet in sua versione ponat*, ad parvulos. *Et in aliquo libro conjungitur utrumque*, μικροὺς ποιμένας. (*k*) In omni terra.] *Sic hebræus. Cæteri*, ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ, *& apud Sanctum Hieronymum*, in die illa.

CAP. XIV.

(*a*) DOmini.] *Ita etiam apud Sanctum Hieronymum*, *& Eusebium lib.* 6 *Demonstr. sed libro* 2. ἐν σοί, in te. (*b*) Et mare.] *Respondet Hebræo*, *& multi putant significari ab Oriente ad Occidentem. In nonnullis libris est*, καὶ τὸ ἥμισυ αὐτοῦ πρὸς θάλασσαν, *& apud Sanctum Hieronymum*, & media pars illius ad mare. (*c*) Obturabitur.] *Testatur Sanctus Hieronymus, cæteros etiam interpretes hoc eodem modo dixisse ; quod ipse in sua*, fugietis. (*d*) Iasod.] *Plerique*, ἀσαήλ. *Et Sanctus Hieronymus hoc refert ex lxx, sicut ex Aquila*, ἀζέλ, *ex Theodotione*, ἀζήλ, *ex Symmacho*, proximum. (*e*) In diebus.] *Multi*, ἀπὸ προσώπου, *& apud Sanctum Hieronymum*, a facie. (*f*) Veniet.] *Respondet hebræo. In plerisque codicibus est*, παρέσται, *& apud Sanctum Hieronymum*, aderit. (*g*) Et frigus] καὶ ψύχη, *aut*, ψῦχος, *ut alii. Complut.* ἀλλ' ἢ ψῦχος, *& apud Sanctum Hieronymum*, sed frigus. (*h*) Anameel.] *Sanctus Hieronymus, in commentariis*, & a turre Hanameel, non, ut græci, & latini male legunt, Anamael, usque ad torcularia regis. (*i*) Et isti illis apponentur.] *In plerisque libris & apud Theodoretum sequitur*, οὐκ ἔσται ἐπ' αὐτοῖς ὑετὸς, *sed non apud Eusebium : & Sanctus Hieronymus testatur Aquilam, & Symmachum & Theodotionem, similiter esse interpretatos*, & non erit super eos imber, *pro eo, quod lxx transtulerint*, καὶ ἔτι ἐκείνοις προστεθήσονται. (*k*) Frenum.] *Sanctus Hieronymus inquit solos lxx ita dixisse, quos tamen ipse sit sequutus in sua, Aquilam vero*, *& Theodotionem*, βυθὸν, profundum, *Symmachus*, περίπατον σύσκιον, id est, incessum umbrosum. (*l*) Chananæus.] *Sanctus Hieronymus, ex Aquila*, mercator. (*m*) Omnipotentis.] *Multi*, τῶν δυνάμεων, *& apud Sanctum Hieronymum*, virtutum.

MALACHIAS.

CAP. I.

(*a*) ANgeli ejus.] *Notat Theodoretus, eum, qui lingua Græca angelus dicatur, in Hebraica dici Malachiam. Et Sanctus Hieronymus testatur cæteros interpretes retinuisse nomen Malachi, ita, ut in Hebræo legitur.* (*b*) Ponite nunc super corda vestra.] *Hæc quæ in Hebræo non habentur, putat Sanctus Hieronymus de Aggæo addita esse, cujus cap.* 2. *similia legantur.* (*c*) Præparatus est.] *Sic solet interdum verti illud*, παρατέτακται, *& valet, in acie stat, bellum suscepit.* (*d*) Suum.] *In quibusdam codicibus additur*, φοβηθήσεται, *& apud Sanctum Hieronymum in contextu*, timebit : *sed in commentariis non indicat se habuisse quemadmodum neque in sua posuit, sed*, ἀπὸ κοινοῦ, *vult subaudiri*, honorat. (*e*) Pollutos.] *Theodoretus ex Aquila, & Symmacho*, μεμολυσμένους, inquinatos. (*f*) Polluta.] *Plerique*, ἐξουδενημένη, *sive*, ἐξουδενωμένη, *& apud Sanctum Hieronymum*, despecta. (*g*) Et quæ superposita sunt, despexistis.] *Sanctus Hieronymus*, Obelo prænotavimus, quia in hebræo non habetur, & de sequentibus additum est. *In plerisque autem libris est*, ἐξουδένωται, spreta sunt. (*) Illud.] *Corrigendum est in nostra*, αὐτό. (*h*) Non suscipiam.] *Sanctus Cyprianus* 1. *testim.* acceptum non habebo, *al.* non accepto habebo. (*i*) Incensum] *Apud Justinum*, θυσία, sacrificium. *Sanctus Cyprianus*, odores incensi offeruntur. (*k*) Magnum est.] *Ita etiam Sanctus Cyprianus. Apud Justinum*, τιμᾶται, honoratur. (*l*) Exufflavi.] *Apud Theodoretum & in Complut. est*, ἐξεφυσήσατε, *& apud Sanctum Hieronymum*, exufflastis, *quod tamen interpretatur*, exufflatione mea digna fecistis. (*m*) Et si afferatis.] *Aliqui*, καὶ προσεφέρετε, *& apud Sanctum Hieronymum*, & offerebatis.

CAP. II.

(*a*) SEparo.] *Apud Sanctum Hieronymum*, separabo. *Theodoretus, ex Aquila*, ἰδοὺ ἐγὼ ἐπιτιμῶ ὑμῖν σὺν τῷ βραχίονι, καὶ λικμήσω κόπρον ἐπὶ τὰ πρόσωπα ὑμῶν, κόπρον ἑορτῶν ὑμῶν, Ecce ego increpo vos cum brachio, & dispergam stercus super facies vestras, stercus solennitatum vestrarum. (*b*) Testamentum.] *Sanctus Hieronymus ex Aquila*, συνθήκην, pactum. (*c*) In pace.] *Apud Sanctum Cyprianum*, in pace linguæ. (*d*) Infirmos fecistis.] *Theodoretus*, *& Sanctus Hieronymus ex Aquila*, *& Symmacho*, ἐσκανδαλίσατε, scandalizastis. (*e*) Abjectos.] *In Compl.* παρειμένους, *& apud Sanctum Hieronymum*, dissolutos. (*f*) Accipiebatis.] *Theodoretus, ex Symmacho*, ἐδυσωπεῖσθε πρόσωπα ἐν νόμῳ, reverebamini facies in lege. (*g*) De laboribus.] *Ita etiam apud Sanctum Hieronymum, & Theodoretum : quamvis plerique codices habeant*, ἐκκόπτων. (*h*) Nonne bonum fecit] καὶ οὐ καλὸν ἐποίησε. *Sic plerique libri, in aliquo tamen est*, καὶ οὐκ ἄλλως, & non aliter : *in aliquo item*, καὶ οὐ κάλλος, *quod videtur factum ex*, οὐκ ἄλλος, *quod est apud Theodoretum : & in Complut. & apud Sanctum Hieronymum*, & non alius fecit, *sine interrogatione.* (*i*) Ejus] *Propius ad hebræum. Apud Theodoretum, est*, σοῦ, *& apud Sanctum Hieronymum*, tui. (*k*) Bonum.] *Apud Theodoretum, & in Compl.* καλλὸς, *& apud Sanctum Hieronymum*, bonus est.

CAP. III.

(*a*) MItto.] *Alii*, ἐξαποστελῶ, *& apud* S. *Hier.* mittam : *quæ varietas sæpe observari potest. Nostra propior hebræo.* (*b*) Respiciet.] ἐπιβλέψεται, *quasi diligenter animadvertet, & curabit, ne quid in ea sit quod impediat. In Compl. est*, ὅστις ἑτοιμάσει, *apud Theodoretum*, καὶ ἑτοιμάσει, *& apud* S. *Hier.* & præparabit. (*c*) Herba.] ποία. *Alii*, πόα, *eodem sensu : & hoc* S. *Hier. agnoscit ex lxx.* (*d*) Hostiam.] *Alii*, θυσίας, *& apud* S. *Hier.* hostias. (*e*) Adultera.] *Aliqui*, τοὺς μοιχοὺς, *& apud* S. *Hier.* Adulteros. (*f*) Injustitiis.] *Multi*, ἁμαρτιῶν, peccatis, *& ita apud* S. *Hier. apud quem etiam est*, declinastis a legitimis meis, *quemadmodum in aliquo*, ἐξεκλίνατε ἀπὸ τῶν νομίμων μου. (*g*) Nunquid supplantabit] *Apud* S. *Hier.* εἰ πτερνιεῖ, si supplantat, *& istud*, εἰ, *est in multis. Theodoretus ex Aquila*, *& Symmacho*, μὴ ἀποστερήσει ἄνθρωπος θεόν, ὅτι ὑμεῖς ἀποστερεῖτέ με ; num fraudabit homo Deum, quia vos fraudatis me ? *Addit* S. *Hier. etiam Theodotionem dixisse*, μὴ ἀποστερήσει. (*h*) Et dicetis.] *Multi*, καὶ εἴπατε, *& apud* S. *Hier.* & dixistis. *Schol. ex Aq. & Symm.* καὶ εἴπατε, ἐν τίνι ἀπεστερήσαμέν σε ; Et dixistis, in quo fraudavimus te ? (*i*) Rapina ejus in domo ejus.] *Alii*, ἡ διαρπαγὴ εἰς τοὺς οἴκους ὑμῶν, *& apud* S. *Hier.* rapina in domibus vestris. (*k*) Revertimini.] *Theodoretus, ex Aquila*, πειράσατε, *&* S. *Hier. in sua*, probate. (*l*) In cibum.] εἰς βρῶσιν, *Compl. non habet*, εἰς, *apud* S. *Hier.* vobis cibos. (*m*) Accepta] *Hoc videtur significare*, θελητή, *& respondere hebræo. Apud* S. *Hier.* ut terra voluntaria. (*n*) Acquisitionem.] *Testatur* S. *Hier. cæteros etiam interpretes transtulisse*, περιποίησιν, *præter Aquilam, qui*, περιούσιον, eximium : *quod etiam refertur in scholio.* (*o*) Et eligam.] *Th. ex Aquila*, φείσομαι, ὡς φείδεται ἄνθρωπος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, parcam sicut parcit homo filio suo. (*p*) Servientem.] *In multis additur*, αὐτῷ, *& apud* S. *Hier.* ei.

CAP. IV.

(*a*) ALienigenæ.] *Theodoretus, ex Aquila*, ὑπερήφανοι, superbi. (*b*) Quia erunt.] *Alii*, καὶ ἔσονται, *& apud Sanctum Hieronymum*, & erunt. (*c*) Omnipotens.] *Hic in multis*, *& apud Theodoretum*, *& Sanctum Hieronymum ponuntur ea quæ in nostra sunt in extremo*, mementote legis, *&c.*

ESAIAS.

CAP. I.

(*a*) COntra Judæam, & contra Hieruſalem] *Sic teſtatur* S. *Hieron. etiam Theodotionem vertiſſe; Symmachum vero*, de Juda, & Hieruſalem. (*b*) Genui, & exaltavi.] *S. Hieron.* Pro quo Symm. & Theod. ita verterunt, filios enutrivi & exaltavi. *Cyrillus videtur ſignificare, pro*, exaltavi, *ab illis poſitum eſſe*, enutrivi. (*c*) Me.] *Pro με, in multis codicibus eſt, μου*, meus. *Sed S. Hieron. teſtatur ſolos lxx dixiſſe, quemadmodum eſt in noſtra, & apud SS. Baſilium, & Cyrillum.* (*d*) Sceleſti.] *Sic S. Cypr. de Orat. Dom. & alibi S. Hieron. in comment.* Scelerati, ſive iniqui. *Græce eſt, ἄνομοι, (cujus notionem explicat S. Baſilius) pro quo a cæteris inquit dictum eſſe, υἱοὶ διαφθείροντες*, filii corrumpentes, *ſicut etiam pro*, ſemen nequam, *vel*, peſſimum, *poſitum eſſe*, peſſimorum. (*e*) Iſrael] *Sic etiam alius codex, & Cyrillus. In pleriſque hæc ſequuntur, ἀπηλλοτριώθησαν εἰς τὰ ὀπίσω*, abalienati ſunt retrorſum : *quæ S. Hieron. teſtatur lxx non habere : & S Baſilius inquit ex Theodotione eſſe addita, Procopius autem tribuit Aquilæ.* (*f*) Iniquitatem] *Pro hoc S. Hieron. inquit Theodotionem tranſtuliſſe declinationem.* (*g*) Neque vulnus, neque livor, neque plaga.] *Ita etiam apud S. Baſilium. Cyrillus, & Procopius, τραῦμα, μώλωψ, πληγὴ φλεγμαίνουσα*, vulnus, livor, plaga tumens. (*h*) Malagma.] *S. Hieron. Quod Aquila interpretatus eſt, μότοσιν*, linteola, videlicet, quæ ad exiccandam ſaniem, & purulentias extrahendas injiciuntur vulneribus. (*i*) Cucumerario.] *S. Baſilius, Σικυήρατον ἐστὶ τόπος προσκαίρων καὶ ὀλιγοχρονίων καρπῶν οἰστικός, τέρψιν τινὰ μᾶλλον ἢ ὠφέλειαν παρεχομένων· Σικυήρατον, (al. Σικυήλατον,)* eſt locus ferens fructus fugaces, & parum diuturnos, delectationem potius quandam, quàm utilitatem præbentes. (*k*) Nolo.] S. *Hier.* Pro eo, quod eſt nolui, lxx tranſtulerunt, nolo, præſens tempus pro præterito. (*l*) Magnum.] S. *Baſilius inquit cæteros interpretes dixiſſe, κλητήν*, vocatum, *aut, ἐπίκλητον*, convocatum, *ut Theodotio, aut, ut Symmachus, ἐπίκλησιν οὐκ ἀνέξομαι*, convocationem non ſuſtinebo. (*m*) Nequaquam ultra dimittam.] S. *Hier.* Pro quo interpretatus eſt Aquila, laboravi ſuſtinens. Sym. ἐκοπώθην ἱλασκόμενος, quod eſt, defeci miſerans. (*n*) Arguamur.] *διελεγχθῶμεν, Alii, διαλεχθῶμεν, & apud* S. *Cypr. teſti.* & venite diſputemus. (*o*) Sion.] *Hoc inquit* S. *Hier. addidiſſe lxx, ut ſenſum manifeſtiorem facerent.* (*p*) Dormivit.] *Sic Sanctus Hieronymus, in commentariis, quod græce, ἐκοιμήθη & inquit verbum hebraicum ſignificare*, & requievit, & requieſcet : *quare Aquilam, & Theodotionem quaſi de futuro dicere.* Procopii exemplar, quo uſus ſum κυλίζετο. Id primus emendavi ſcribens ηὐλίζετο, recte ac ſecus judicium eſto eorum, qui harum rerum intelligentiam habent : *αὐλίζομαι*, proprie ſtabulor : item cubo, pernocto. Lex. vetus, *αὐλίζομαι, ἐπὶ ἀνθρώπου, demoror, commoror, converſor. Druſ.* (*q*) Caupones tui.] *S. Hieron. ex Symm. refert*, vinum tuum miſtum eſt aqua, *& addit Aquilam pro vino interpretatum eſſe, Συμπόσιον*, compotationem, & convivium. (*r*) Inobedientes.] S. *Hier. ex Aquila*, recedentes, *ex Symm.* declinantes. (*ſ*) Retributionem.] S. *Hier. ex Sym.* viciſſitudines, vel ultiones. (*t*) Væ fortes Iſrael.] *Idem inquit cæteros eſſe interpretatos*, fortis Iſrael, *quomodo ipſe poſuerit in ſua.* (*u*) Adverſarios.] *Apud eundem additur, μου*, meos; *& inquit hoc in hebraico non haberi.* (*x*) Excoquam.] *In quibuſdam additur, σε*, te. *In aliis, καὶ πυρώσω εἰς καθαρὸν τοὺς ἀπειθοῦντας, καὶ ἀφελῶ*, & excoquam ad purum inobedientes, & auferam, *&c.* S. *Baſil. non videtur habuiſſe, ἀπειθοῦντας, ſed tantum, σε. Sym. καὶ πυρώσω εἰς καθαρὸν τὴν σκωρίαν σου*, & excoquam ad purum ſcoriam tuam, *ut eſt in vulg. noſtra. Th. καὶ πυρώσω εἰς καθαρὸν τὸ γιγαρτῶδές σου*, & excoquam ad purum acinum uvæ tuæ. *Ita enim interpretatur* S. *Hier. & addit, Aquilam dixiſſe, στέμφυλα*, id eſt, vinacea. (*y*) Terebinthus.] S. *Hier. inquit Sym. dixiſſe*, quercus : *quod* S. *Baſilius etiam aliis interpretibus tribuit. De hoc etiam in Gen. Schol. τερέβινθος φυτόν ἐστιν ἐν ξηροῖς τόποις φυόμενον, κλάδους ἔχον κατεσκληκότας*, terebinthus eſt planta in locis aridis naſcens, ramos habens rigentes. (*z*) Stipula.] S. *Hier, ex Symm. ἀποτίναγμα, ſordes, quæ dum ſtuppa excutitur, ac pectitur, projiciuntur.*

CAP. II.

(*a*) DE Judæa.] *Symm. ὑπὲρ τῆς ἰουδαίας, καὶ ὑπὲρ ἱερουσαλήμ*, ſuper Judæam, & ſuper Hieruſalem : *aut ut* S. *Hieron. refert*, pro Juda, & Hieruſalem. (*b*) Alienigenarum.] *Et hic* S. *Hieron. &* S. *Baſilius notant vocari proprie ἀλλοφύλους, ipſos Philiſtiim.* (*c*) Facti ſunt.] *Nonnulli codd. &* S. *Hier. ἐγενήθη*, nati ſunt. *Pro quo inquit Symmachum dixiſſe*, & cum filiis alienis applauſerunt : *& alium affert verbi hebraici interpretationem, ἐσφηνώθησαν, pro quo ipſe verterit*, adhæſerunt. (*d*) Maris.] *Idem teſtatur cæteros dixiſſe Tharſis : quod tamen hebræi lingua ſua propria putent ſignificare mare.* (*e*) Contumelia.] *ὕβρεις. Alii, ὕψος*, altitudo. S. *Cyp. quod paulo ante eſt, ὑβριστήν, & nos contumelioſum diximus : ipſe lib.* 1. *epiſt.* 3. *vocat injurioſum* (*f*) Vana.] S. *Hier. ex Aquila ὄρυγας*, foveas, *ex Symmacho*, infructuoſa : *Theodotionem vero inquit poſuiſſe nomen hebraicum, pro quo ipſe*, talpas. (*g*) Terram.] *In aliis hæc adjunguntur, παύσασθε ὑμῖν ἀπὸ ἀνθρώπου, οὗ ἀναπνοὴ ἐν μυκτῆρι αὐτοῦ ὅτι ἐν τίνι ἐλογίσθη*; quieſcite vobis ab homine, cui ſpiratio in nare ejus : in quo enim reputatus eſt ? S. *Hier. addit*, iſte : *& notat hæc a lxx prætermiſſa in græcis exemplaribus (quod* S. *Baſilius idem fere notans inquit*, in communi, & vulgata, *) ab Origene ſub aſteriſcis de editione Aquilæ addita eſſe. Idem B. Cyril. Quare apud Procopium ſub aſteriſco habentur.*

CAP. III.

(*a*) VAlidum] *Sic* S. *Hieron. in comm.* S. *Cypr.* 1. *teſtim.* valentem, & validam, *(ſic enim legendum ex manuſſ.)* valentiam panis, & valentiam aquæ. *Aq. ἔρεισμα, καὶ ἐρεισμόν. Sym. στήριγμα, καὶ στηριγμόν*, fulcimentum, & fulturam. (*b*) Gigantem.] *Notat* S. Hieron. *hoc a lxx, eſſe additum.* (*c*) Conjectorem.] *Idem inquit cæteros dixiſſe*, divinum. (*d*) Sapientem architectum.] *Idem ex Aquila*, ſapientiſſimum artificum. (*e*) Prudentem auditorem.] *Idem ex Theodotione*, prudentem incantatorem, *ex Aquila*, prudentem ſuſurratorem, *ex Symmacho*, prudentem eloquii myſtici : *quem ipſe ſequi voluerit.* (*f*) Illuſores.] *Idem teſtatur eodem modo vertiſſe etiam Theodotionem, Aquilam vero, ἀναλλάκτας, quaſi mutantes ſe per vices in exercenda turpitudine.* (*g*) Impinget.] *Corrigendum eſt in noſtra, προσκόψει, ut habet Vaticanus, & Sanctus Baſilius, & alii. Cyrillus tamen videtur legiſſe, προκόψει*, invaleſcet, *quod in noſtram editionem irrepſerat.* (*h*) Cibus.] S. *Hier. ex Symmacho, & Theodotione*, infirmitas. (*i*) Princeps.] *Idem teſtatur eodem modo dixiſſe Symmachum, Theodotionem vero, ἐπιδεσμεύοντα, qui liget vulnera, & provideat ſanitati.* (*k*) Linguæ eorum cum iniquitate.] *Aq. αἱ γλῶσσαι αὐτῶν, καὶ τὰ ἐπιτηδεύματα αὐτῶν*, linguæ eorum, & adinventiones eorum. (*l*) In his quæ ad Dominum, increduli.] *Symmachus, κατὰ τοῦ κυρίου γέγονεν εἰς τὸ παραπικρᾶναι αὐτόν*, contra Dominum fuerunt ad exacerbandum eum. (*m*) Inutilis.] *Sic* S. *Hier. in comm. quod græce, δύσχρηστος, & valet etiam*, injucundus. (*n*) Exigentes.] *Eodem modo interpretatus eſt Aquila, eodem teſte, Theodotio autem, δανεισταὶ*, fœneratores, *& Symm.* mulieres. (*o*) Lunulas.] S. *Baſilius*, Alius, *μανιακὰς*, torques. (*p*) Monile demiſſum.] *Idem; Alius, χαλαστὰ*, catenulas. *Ac de omnibus fere iſtis ornamentorum nominibus accurate diſputat. Multa etiam apud* S. Hieron. *ex aliis interpretibus habentur : legendus etiam* S. *Cypr. de habitu virginum.* (*q*) Contexta.] *Nonnulli, Συγκαθυφασμένην*, contextam. (*r*) Accubitoria.] S. *Baſilius cum dixiſſet theriſtra videri veſtes æſtivas, addit nunc damnari theriſtra, κατάκλιτα, quæ, ἐν τῷ κατακλίνεσθαι, in accumbendo inſternerentur lectis ob nimias delicias : hanc vero dictionem, quod apud cæteros interpretes non ſit, obelo eſſe notatam. Alii libri, & aliqua etiam Baſilii exemplaria, κατάκλειστα*, concluſa.

CAP. IV.

(*a*) ET tanquam fumo, & luce ignis ardente per noctem.] S. *Hier. in comm. ex lxx*, & lumen ignis flammantis in nocte.

CAP. V.

(*a*) DIlecto.] *Apud B. Cyrillum, & in Complut. additur, μου*, dilecto meo : *itemque paulo poſt apud* S. Hieron. Vinea facta eſt dilecto meo. (*b*) Dilecti mei.] H*ic Cyrillus non habet, μου.* S. Hieron. *teſtatur, pro hoc Aquilam dixiſſe, πατράδελφον*, id eſt, patruum, vel patruelem. (*c*) Meæ.] *Sic omnes libri, qui collati ſunt, præter Complut. in quo, αὐτοῦ*, ſuæ. (*d*) Vinea.] S. *Hieron.* Symm. autem ſuo more manifeſtius, Vinea facta eſt dilecto meo in cornu in medio olivarum. (*e*) Sorec.] SS. *Baſilius &* Hieron. *ex Symmacho, ἐκλεκτήν*, electam. (*f*) Spinas.] *Ita etiam Theodotio, teſte* S. Hieronymo, *Aquila autem, σαπρίας*, id eſt, fructus peſſimos. *Symm. ἀτελῆ*, hoc eſt, imperfectos. (*g*) Iniquitatem.] S. *Hier. ex Aquila*, diſſipationem. (*h*) Aliquid.] *In aliquot libris ſequitur, ἕως τοῦ μὴ ὑπάρχειν τόπον*, donec deficiat, vel non ſit locus : *quod inquit* S. *Hieron. dictum eſſe a Theodotione & Symmacho, per eo quod a lxx dictum fuerat*, ut auferant aliquid proximo : *quare hæc tantum a* S. *Cypr.* 3. *teſtim. referuntur.* (*i*) Lagunculam.] *Cæteri teſte* S. *Hier.* batum. (*k*) Siceram.] *Schol. τὸ σίκερα, cæteri interpretes dixerunt, μέθυσμα*, ebrietatem : *ita enim interpretatur* S. Hieronymus, *qui hoc tribuit Aquilæ, & Symmacho.* (*l*) Et peſtilentes ejus.] *Aut*, peſtes. *Nec plura refert Cyrillus. In Complut. pro his eſt, καὶ ὁ ἀγαλλιώμενος ἐν αὐτῇ, (Ita etiam corrigendum in noſtra)* & qui exultat in ea. *In cæteris autem fere libris utrumque ponitur, hoc poſt illud.* (*m*) Reſoluta.] *Ita etiam Procopius, &* S. *Baſilius : qui ita videtur conjungere*, comburetur a flamma reſoluta radix eorum, *& interpretatur a craſſiore materia vim igneam retinente etiam poſtquam flamma reſoluta eſt, & evanuit. Cyril. autem habet, ἀνημμένης*, accenſa, *nimirum tali ad quam extinguendam nemo accurrit.* (*n*) Acerbati.] *Sic* S. Hieron. *ex lxx*, turbati *autem, ex Theodotione & Symmacho*; commoti, *ex Aquila.* (*o*) Manus.] *In multis additur, αὐτοῦ*, ejus. (*p*) Fremunt.] *Alii, ὁρμῶσιν*, impetum faciunt, irruunt. (*q*) In terram.] *Eodem modo apud Cyrillum, & reſpondet hebræo. In cæteris eſt, εἰς τὸν οὐρανὸν ἄνω, καὶ κάτω*, in cœlum ſurſum, & deorſum, *aut, εἰς τὸν οὐρανὸν ἄνω, καὶ εἰς τὴν γῆν κάτω*, in cœlum ſurſum, & in terram deorſum.

CAP. VI.

(*a*) ET plena domus gloria ejus.] *Pro hoc teſtatur* S. *Hieron. Theodotionem & Symmachum tranſtuliſſe*, & quæ ſub pedibus ejus erant, implebant templum. (*b*) Seraphim.] *Cyrillus, διερμηνεύεται τὸ σεραφίμ, ἐμπρησταὶ, ἤτοι θερμαίνοντες*, Exponitur autem Seraphim, ἐμπρησταὶ, nimirum, calefacientes, *aut, ut* S. *Hieron.* incendentes, ſiue comburentes. (*c*) In circuitu ejus.] S. *Hieron. ex aliis interpretibus, ἐπάνω αὐτοῦ*, ſuper illud. (*) Carbonem.] S. *Hier.* Calculus iſte, qui a ſolis lxx, ἄνθραξ, id eſt, carbunculus, eſt interpretatus, poteſt non carbonem ſignificare, vel prunam, ut plerique exiſtimant, ſed carbunculum lapidem, *&c.* (*d*) Forcipe.] *Idem ex aquila, & Symmacho*, forcipibus. (*e*) Incraſſatum.] *Apud* S. *Cypr.* 1. *teſt. in impreſſis legitur*, incraſſavi : *ſed in optimis codicibus eſt*, incraſſavit : *quod videtur valere*, incraſſatum eſt. (*f*) Suis.] *Act.* 28. *abeſt hoc loco, αὐτῶν, ſed additur deinde poſt, ὀφθαλμοὺς, quemadmodum & in multis codicibus : quare locus ille ſic nunc a* S. *Hieronymo refertur*, & auribus graviter audierunt, & oculos ſuos compreſſerunt : *itemque apud* S. *Cyprian.* (*g*) Sanabo.]

Sanabo.] *In aliquo eſt, ut Act.* 28. ἰάσομαι, *& ſic apud latinos,* ſanem. (*b*) Sua.] *In cæteris hæc ſequuntur,* σπέρμα ἅγιον τὸ στήλωμα αὐτῆς, ſemen ſanctum erit ſtabilimentum ejus. *Quæ in lxx non haberi, ſed de Hebraico, & Theodotionis editione, ab Origene addita in Eccleſiæ ferri exemplaribus notant* SS. *Baſilius, & Hier. qui etiam inquit, pro,* στήλωμα αὐτῆς, *quod ipſe videtur vertiſſe,* quod ſteterit in ea, *Aquilam dixiſſe,* germen ejus.

CAP. VII.

(*a*) PEſſimum.] *In pleriſque adduntur hæc,* ἐφραὶμ, καὶ ὁ υἱὸς ῥομελίου, λέγοντες, Ephræm, & filius Romeliæ, dicentes (*b*) Non intelligetis.] *Sanctus Hieronymus, ex Symmacho,* non permanebitis. (*c*) In profundum.] *Apud Sanctum Cyprianum* 2. *teſtim.* in altitudinem ſurſum, & in altitudinem deorſum. *Symmachus,* βάθυνον εἰς ᾅδην, ἢ εἰς ὕψος ἄνω, profunda in infernum, vel in altitudinem ſurſum. *Aquila,* βάθυνον εἰς ᾅδην, μετεώρισον εἰς ὕψος ἄνω, profunda in infernum, eleva in celſitudinem. *Theodotio,* βάθυνον εἰς ᾅδην, ὕψωσον ἄνω, profunda in infernum, exalta ſurſum. (*d*) Nunquid parum.] *Apud Sanctum Cyprianum:* Non puſillum vobis certamen cum hominibus, quoniam Deus præſtat agonem. *Aquila,* μήτι ὀλίγον μοχθοῦν ἄνδρα, ὅτι μοχθεῖτε καί γε τὸν θεόν μου; nunquid parum eſt laborem afferre homini, quia laborem affertis etiam Deo meo? *Symmachus,* μὴ οὐκ αὔταρκες ὑμῖν κοποῦν ἀνθρώπους, ὅτι κοποῦτε ἔτι καὶ τὸν θεόν μου; Nonne ſatis vobis eſt moleſtiam exhibere hominibus, quia moleſtiam præterea exhibetis Deo meo? *Th.* μὴ μικρὸν ὑμῖν ἀγῶνα παρέχειν ἀνδράσιν, ὅτι ἀγῶνα παρέχετε καί γε τῷ θεῷ μου; nunquid parum vobis luctam præbere viris, quia luctam præbetis etiam Deo meo? (*e*) Virgo.] *Cæteri (teſte Sancto Hieronymo, qui præclare de hac re diſputat) tranſtulerunt, adoleſcentulam.* (*f*) Vocabis.] *Sic teſtatur Sanctus Hieronymus reliquos etiam tres ſimiliter tranſtuliſſe: pro quo in Matthæo ſcriptum ſit,* vocabunt: *quomodo etiam eſt apud Cyrillum. Apud S. Cyprianum eſt,* vocabitis. (*g*) Aut præeligere mala, eligere bonum.] *Illud,* aut, ἢ, *abeſt a SS. Baſil. & Cyril. & S. Hier. hæc videtur referre ex lxx,* quam ſciat aſſumere malum. *Apud eoſdem Sanctos Baſilium, & Cyrillum, & in aliquot codicibus eſt,* ἐκλέξεται τὸ ἀγαθὸν, eliget bonum. *Apud S. Cyprianum in duobus vetuſtis exemplaribus (nam in impreſſis eſt, ut in vulgata) legitur,* priuſquam cognoſcat, aut proferat mala, commutat bonum. (*h*) Qui dominabitur.] *Cæteri,* οἱ κυριεύουσιν, quæ dominantur. (*i*) Fiſſuram.] *In aliis hæc adduntur,* καὶ ἐν παντὶ ξύλῳ, & in omni ligno. (*k*) Conducta.] *Aut,* mercede conducta, *ut Sanctus Hieronymus, in comm. In quibuſdam autem libris, & apud SS. Baſilium, & Cyrillum eſt,* μεμεθυσμένῳ, inebriata. (*l*) Regis Aſſyriorum.] *Aquila,* ἐν βασιλείᾳ ἀσσυρίων, in regno Aſſyriorum. *Theodoretus,* ἐν τῷ βασιλεῖ τῶν ἀσσυρίων, in rege Aſſyriorum.

CAP. VIII.

(*a*) NOvi magni.] *Sic Euſebius,* καινοῦ μεγάλου, *& fortaſſe poſſet verti,* deſignationis magnæ. *In quibuſdam eſt,* χάρτου καινοῦ μεγάλου, chartæ novæ magnæ. *In pleriſque, & apud SS. Baſilium, Cyrillum, Hieronymum,* τόμον καινὸν μέγαν, *aut,* καὶ μέγαν, librum novum magnum, *aut,* & magnum. *Euſebius,* ἢ τεῦχος, ἢ διφθέρωμα, ἢ κεφαλίδα, vel volumen, vel pellem, vel capitulum. (*b*) Vnam.] *In multis additur,* ἱερέα, ſacerdotem: *quod tamen S. Hieron. teſtatur non eſſe apud lxx.* (*c*) Acceſſi.] *Apud B. Cyrillum eſt,* προσῆλθε, acceſſit. (*d*) Et ambulabit.] *Hæc uſque ad,* & erunt, *notat S. Hier. in Hebraico non haberi, & in Græcis codicibus veru jugulante eſſe confoſſa.* (*e*) Cognoſcite.] *Pro hoc idem teſtatur cæteros dixiſſe,* congregamini, ſive infirmamini, & confringimini. (*) Nobiſcum.] *Corrigendum in noſtra,* ἡμῶν. (*f*) Dicant.] *In aliquot codicibus eſt,* μὴ εἴπητε, *& apud S. Hieron.* ne forte dicatis. (*) Durum.] *Symm. teſte S. Hieronymo,* ἄνταρσις, rebellio. (*g*) Dominum.] *In multis additur,* τῶν δυνάμεων, *& apud S. Hier.* virtutum. *Cyrillus videtur habuiſſe,* τῆς δόξης, gloriæ. (*h*) In convalle ſedentes.] *Apud S. Hieron.* in convalle erit ſedentibus. *Græce eſt,* ἐν κοιλώματι ἐγκαθήμενοι. *Sed apud B. Cyrillum eſt,* ἐν κυλίσματι, in volutabro, qui præcipitantur, *inquit,* in foveam. (*i*) Homines in tuitione.] *Hæc inquit Sanctus Hieronymus obelo, eſſe prænotanda, Habet ea etiam B. Cyrillus.* (*k*) Qui ſignantur.] *Ita vertit S. Hier. in comm. & ſic oſtendunt vertenda SS. Baſilius, & Cyrillus, quamvis diverſam inde ſententiam eliciant. Attamen S. Cyprianus,* 1. *teſtim.* tunc manifeſti erunt, qui ſignant legem, ut diſcant. Et dices, *al.* Et dicent. (*l*) Egeſtas anguſta, &c.] *Hæc abſunt ab aliquo libro.* (*m*) Et non deficiet, qui in anguſtia fuerit.] *Item hæc a Compl. ſed non a cæteris, neque a SS. Baſilio & Cyrillo.*

CAP. IX.

(*a*) PRimum.] *In nonnullis additur,* ταχὺ, cito: *ſed non apud SS. Baſilium, Hieronymum, Cyrillum.* (*b*) Fac.] *Eodem modo SS. Hier. & Cyril. ſed S. Baſil.* πίε, bibe. (*c*) Videte.] *Sic etiam S. Cypr.* 1. *teſt. & Cyrillus. Alii,* ἴδε, *aut,* εἶδε, *& apud S. Hier.* vidit, *aut,* ἰδέτω, videat. (*d*) Umbra mortis.] *Alii,* καὶ σκιᾷ θανάτου, & umbra mortis, *ut apud SS. Hieron. & Cyrillum, aut,* σκιᾶς θανάτου, umbræ mortis, *ut apud S. Cyprianum: apud quem etiam ſequitur, ut eſt in noſtra,* lumen lucebit ſuper vos. (*e*) Quam.] *Iſtud* ὃ *abeſt a cæteris: quare apud S. Hier.* Plurimam partem populi deduxiſti in lætitia tua: *pro quo inquit alios eſſe interpretatos,* magnificaſti. (*f*) Tua.] *Et hoc* σου, *abeſt a multis, & Cyrillo. S. Hieron. in contextu habet, ſed non in comm.* (*g*) Si fiant.] *In Complut.* εἰ, *& apud* S. *Hier.* & cupient igne eſſe combuſti. (*h*) Magni conſilii angelus.] *Aut,* magnæ cogitationis nuncius, *ut* S. *Cyprianus* 2. *teſtim. Nec plura hoc loco ponuntur apud Baſilium, Cyrillum, Procopium, neque in tranſlationibus Syriaca, & Arabica, quæ de græcis expreſſæ ſunt, & Romæ habentur.* S. *Hier. notat, hæc quæ in hebraico non habeantur, poſita eſſe a lxx pro ſex nominibus, quæ ſunt in hebræo, admirabilis, conſiliarius, Deus, fortis, pater futuri ſeculi, princeps pacis.* S. *etiam Ambroſius* 3. *in Luc. cum primo interpretationem lxx poſuiſſet,* magni conſilii angelus. Adducam enim, *&c. hæc ſubjungit:* In quo juxta Aquilæ quoque interpretationem non quaſi de homine, ſed de eo qui ultra hominem eſſet, vidimus extitiſſe promiſſum. Idem enim ita interpretatus eſt: Puer natus eſt nobis, filius datus eſt nobis, & facta eſt menſura (S. *etiam Hieronymus notat, Aquilam verbi ambiguitate deceptum, pro principatu, vel imperio poſuiſſe,* μέτρον) in humero ejus: & vocabitur nomen ejus, admirabilis, conſiliarius, conſiliarius meus fortis, potens, pater ſeculi, princeps pacis. Ejus impleta eſt diſciplina: & pacis ejus non eſt finis, ſupra ſedem David, & ſupra regnum ejus. *In pleriſque vero codicibus poſt,* μεγάλης βουλῆς ἄγγελος, *hæc ſequuntur,* θαυμαστὸς, σύμβουλος, θεὸς, ἰσχυρὸς, ἐξουσιαστὴς, ἄρχων εἰρήνης, πατὴρ τοῦ μέλλοντος αἰῶνος, *quæ omnia redduntur a S. Hieronymo, ut diximus, præter illud,* ἐξουσιαστής. S. *Irenæus adv. hær. lib.* 4. *cap.* 66. & vocatur nomen ejus admirabilis, conſilarius, Deus fortis. S. *Ignatius in epiſt. ad Antioch.* καὶ καλεῖται τὸ ὄνομα αὐτοῦ, μεγάλης βουλῆς ἄγγελος, θαυμαστὸς, σύμβουλος, θεὸς ἰσχυρὸς, ἐξουσιαστής. *Euſebius, Demonſtr. Evang. lib.*7. καὶ καλεῖται τὸ ὄνομα αὐτοῦ, μεγάλης βουλῆς ἄγγελος, θαυμαστὸς, σύμβουλος, θεὸς ἰσχυρὸς, ἐξουσιαστὴς, ἄρχων εἰρήνης, πατὴρ τοῦ μέλλοντος αἰῶνος· ἄξω, &c. *itemque l.* 9. *omiſſis tamen* θαυμαστὸς, *&,* σύμβουλος, *atque ordine mutato. In introitu tertiæ Miſſæ Nativitatis Domini,* vocabitur nomen ejus, magni conſilii angelus: *ſecundæ vero,* & vocabitur admirabilis, Deus princeps pacis, pater futuri ſeculi. *Hæc autem pleraque e vetuſtiore editione de græcis verſa Patres noſtri in Eccleſiaſtica officia contulerunt. In comm. græcis Euſebius,* Symm. hoc modo eſt interpretatus, καὶ κληθήσεται τὸ ὄνομα αὐτοῦ παραδοξασμὸς, βουλευτικὸς, ἰσχυρὸς, δυνατὸς, πατὴρ αἰῶνος, ἄρχων εἰρήνης, & vocabitur nomen ejus, incredibile quiddam, aptus ad conſultationem, fortis, potens, pater ſeculi, princeps pacis. Aquila autem, καὶ καλεῖται τὸ ὄνομα αὐτοῦ θαυμαστὸς, σύμβουλος, ἰσχυρὸς, δυνατὸς, πατὴρ ἔτι ἄρχων εἰρήνης, & vocatur nomen ejus, admirabilis, conſiliarius, fortis, potens, pater ultra princeps pacis. At ſecundum Theodotionem, καὶ ἐκάλεσε τὸ ὄνομα αὐτοῦ θαυμαστὸς, συμβουλεύων, ἰσχυρὸς, δυνατὸς, πατὴρ αἰῶνος, ἄρχων εἰρήνης, & vocavit nomen ejus, admirabilis, conſultans, fortis, potens, pater ſeculi, princeps pacis. Vox autem hebraica pro, ἰσχυρὸς. eſt, ἦλ, quo ſignificatur Deus. Nam cum ſæpe in ſcriptura El ponatur in Deo; etiam in præſenti loco eodem modo ſumptum eſt. Quare per hanc vocem Deus etiam pronunciatur natus nobis parvulus. Nos igitur minime peccaverimus Deum potentem interpretati. *In iiſdem comm. Theodoretus:* Hoc malitioſe tractantes qui circa Aquilam, ἰσχυρὸς, δυνατὸς, ſunt interpretati. Nam apud hebræum ponitur, ἦλ γεββώρ: El autem Deus eſt. (*i*) Mortem.] *Apud S. Baſilium eſt,* λόγον, verbum: *quod B. Cyrillus inquit eſſe ex hebræo, & cæteris interpretibus.* S. *Hieron. nihil dicit de lxx, ſed cum ipſe poſuiſſet,* verbum, *addit pleroſque ſermonis ambiguitate deceptos, non verbum dicere eſſe miſſum, ſed mortem.* (*k*) Super eum.] ἐπὶ αὐτόν. *Quæ a B. Cyrillo videntur abeſſe, & apud* S. *Hieron. in comment. omnino non ſunt.* S. *Baſilius videtur legiſſe* ἐπὶ αὐτὸ, ſimul. (*l*) Inimicos.] *In multis additur,* αὐτοῦ, *& apud* S. *Hieron.* inimicos illius: *in aliquo,* ἰούδα, Juda. (*m*) Abſtulit.] *Th.* ἀφελεῖ, auferet, (*quod etiam eſt in aliquo codice*) *Aquila,* ὀλοθρεύσει, diſperdet. (*n*) Eos qui facies admirantur.] *Symm.* αἰδέσιμον, *quod apud* S. Hieron. *videtur eſſe,* honorabilis. *Apud S. Baſilium paulo aliter hic locus videtur habere.* (*o*) Furor.] *Ita etiam Cyrillus. In multis additur,* αὐτοῦ, furor ejus, *itemque,* manus ejus: *quæ varietas ſæpe obſervari poteſt.*

CAP. X.

(*a*) IN abductionem.] *De hoc vocabulo in Eccleſiaſtico dictum eſt. In aliis autem libris, & apud* S. *Baſilium hæc ſequuntur,* καὶ ὑποκάτω τῶν ἀνῃρημένων πεσοῦνται, & ſub interfectis cadent: *quæ a B. Cyrillo non afferuntur: & apud Procopium margini adſcripta ſunt ſub aſteriſco.* (*b*) Viſitabo ſuper ſenſum magnum.] *Non aliud diſcrimen notat* S. *Hieronymus a ſua verſione, niſi quod lxx pro fructu, ſenſum, vel mentem magnam, poſuerunt, id eſt,* τὸν νοῦν μέγαν. *In aliis tamen libris, pro,* ἐπισκέψομαι, *eſt,* ἐπάξει, inducet. (*c*) Mihi.] *In aliis libris hæc ſequuntur,* καὶ ἀνοίγων τὸ στόμα καὶ στρουθίζων, & aperiens os, & garriens: *quorum nulla mentio apud Sanctum Cyrillum, & apud Procopium addita ſunt margini ſub aſteriſco.* (*d*) Aut lignum, & non ſic.] *Ita videtur interpungere B. Cyrillus: & fortaſſe non habuit illud,* & *In Complut. vero,* ἢ ξύλον, ὑψωθήσεται ξύλον· καὶ οὐχ οὕτως, aut lignum, exaltabitur lignum. Et non ſic. (*e*) Et ſanctificabit eum in igne ardenti.] *Symm.* καὶ ὁ ἅγιος αὐτοῦ εἰς φλόγα, *quod Sanctus Hieronymus,* & ſanctus ejus in flamma. (*f*) Induco.] *In multis eſt,* ἐπάγει, inducit. (*g*) In loco tribulationis.] *Pro quo* S. *Hieronymus, inquit Aquilam dixiſſe,* in petra Oreb, *Symmachum autem & Theodotionem poſuiſſe ipſum verbum hebraicum,* Zur Oreb. (*h*) Fugiet filia Gallim.] *Sic apud* SS. *Hieronymum & Cyrillum. In aliis* φεύξεται, *conjungitur cum præcedentibus: ac deinde ſequitur,* χρεμέτισον φωνῇ σου, hinni voce tua: *quæ apud Procopium ſunt ſub aſteriſco.* (*i*) Audietur.] *Ita etiam Cyrillus. Complut.* ἐπάκουε, *& apud* S. *Hieronymum,* attende. (*k*) Manu conſolamini montem.] *In aliis quibuſdam,* conſolamini manu. *Sed Cyrillus, ut noſtra, atque ita explicat, o colles, qui in Hieruſalem, vos præcipue quaſi manu mulcentes conſolamini montem, id eſt, ipſam filiam Sion. A Compl. abeſt iſtud,* manu, *& habet,* παρακαλεῖτε ἐν τῷ ὄρει τὴν θυγατέρα σιὼν, conſolamini in monte filiam Sion. *Abeſt etiam a* S. *Hieron. ſed ipſe habet,* Conſolamini montem filiæ Sion, & collem Hieruſalem: *quamvis in explicatione videatur non diſcedere a Cyrillo. Conſiderandum etiam, an pro,* montem, *poſſit reddi,* mons: *quod dictio græca patitur.*

CAP. XI.

(*a*) DE radice.] *Euſebius:* cæteri interpretati ſunt, ἀπὸ τοῦ κορμοῦ, id eſt, de trunco: *quod idem teſtatur* S. *Hieron.* (*b*) Adjiciet.] *Aq.* προσθήσει κύριος δεύτερον τὴν χεῖρα αὐτοῦ, κτήσασθαι ὑπόλειμμα τοῦ λαοῦ αὐτοῦ, ὃ ὑπολειφθήσεται ἀπὸ τῶν ἀσσυρίων, apponet Dominus ſecundo manum ſuam, ad poſſidendum reſiduum populi ſui, quod relictum fuerit ab Aſſyriis. *Symmachus,* προσθήσει κύριος ἐκ δευτέρου τὴν χεῖρα αὐτοῦ, τοῦ ζηλῶσαι τὸ ὑπόλειμμα τοῦ λαοῦ αὐτοῦ, apponet Dominus iterum manum ſuam ad zelandum reſiduum populi ſui. (*c*) Deſolabit.] *Euſebius,* οἱ τρεῖς συμφώνως οὕτως ἡρμήνευσαν, Tres illi concorditer ita ſunt interpretati, καὶ ἀναθεματίσει κύριος τὴν γλῶσσαν θαλάσσης αἰγύπτου, & anathemabit, (*aut,* interficiet, *ut interpretatur* S. *Hier.*) Dominus linguam maris Ægypti.

CAP. XII.

(*a*) BEnedico.] *In multis*, εὐλογήσω, benedicam. (*b*) Eo.] *In nonnullis, & apud Cyrillum hæc adduntur*, σωθήσομαι ἐν αὐτῷ, ſalvabor in eo: *quæ margini etiam codicis Vaticani ſunt adſcripta: In quibuſdam etiam eſt*, καὶ εὐφρανθήσομαι ἐν αὐτῷ, & lætabor in eo. *Neutrum habet S. Baſilius.*

CAP. XIII.

(*a*) COnſolamini manu.] *Eadem loquutio ſuperius eſt obſervata; quamvis hic poſſet etiam verti*, evocate. *Symm.* κινήσατε χεῖρα, καὶ ἐξελθέτωσαν θύραι, movete manum, & exeant portas. (*b*) Eos.] *Sic etiam Sanctus Baſilius. In nonnullis autem codicibus, & apud Cyrillum ſequitur*, ἡγιασμένοι εἰσὶ, καὶ ἐγὼ ἄγω αὐτοὺς, ſanctificati ſunt, & ego abduco eos. *In comment. etiam græcis margini adſcriptum eſt*, ἄγω αὐτοὺς, ἡγιασμένοι εἰσίν. *Cyrillus autem inquit*, ſanctificare, *hoc loco accipi, pro*, ſeponere, *ut alibi.* (*c*) Gigantes.] *Theodotio*, καί γε ἐκάλεσα τοὺς γίγαντάς μου, & quidem vocavi gigantes meos. *Aq. & Symm.* δυνατοὺς, potentes. (*d*) Incoctum.] *Ita inquit Sanctus Baſilius, evidenter purum, ac probum, ut coctionis non egeat. Apud Sanctum Hieronymum tamen eſt*, excoctum: *pro quo inquit Aquilam dixiſſe*, πυῤῥόν, coloris optimi, & ſanguinei: *ſicut pro lapide de Suphir*, σπήλωμα ὀφείρ. (*e*) Beſtiæ.] *Euſebius.* ἀντὶ τοῦ θηρία, σειείν, οἱ λοιποὶ ἑρμηνευταὶ ἐκδεδώκασι. καὶ ἀντὶ τοῦ σειρῆνες, στρουθιοκαμήλους εἰρήκασι. καὶ ἀντὶ τοῦ, ὀνοκένταυροι, Σειείν, ἀνέγραψαν, αὐτῇ χρησάμενοι τῇ ἑβραϊκῇ φωνῇ, διὰ τὸ ἄδηλον τῆς ἑρμηνείας. ἀλλὰ καὶ ἀντὶ ἐχίνων, ὁμοίως οἱ τρεῖς ἑρμηνευταὶ Σειρῆνας ἡρμήνευσαν. Pro, θηρία, cæteri interpretes reddiderunt, Σειείν, Siim: & pro, Σειρῆνες, dixerunt ſtruthiocamelos, & pro onocentauri ſcripſerunt Siim, ipſa uſi hebraica voce ob interpretationis obſcuritatem, ſed etiam pro, ἐχίνων, id eſt, erinaceis, ſimiliter tres interpretes, Sirenas interpretati ſunt. *Sanctus Baſilius*, τοὺς ὀνοκενταύρους οὓς εἶπον οἱ ἑβδομήκοντα, τριχῶντας ὠνόμασεν ὁ ἀκύλας, Quos lxx dixerunt Onocentauros, Aquila nominavit, τριχῶντας, piloſos. *Theodoretus*, καλεῖ ὀνοκενταύρους, ἃς οἱ παλαιοὶ μὲν ἐμπούσας, οἱ δὲ νῦν, ὀνοσκηλίδας προσαγορεύουσι, Vocat Onocentauros, quos veteres quidem, ἐμπούσας, qui autem nunc vivunt, appellant ὀνοσκηλίδας. *Legenda ſunt quæ S. Hier. de his varietatibus affert, lib.* 6.

CAP. XIV.

(*a*) TArdabit.] *In cæteris ſequitur*, καὶ αἱ ἡμέραι αὐτῶν, (*aut* αὐτῆς, *ut apud Sanctum Baſilium*) οὐ μὴ ἐφελκυσθῶσι, & dies eorum, (*al.* ejus) non protrahentur. Hæc *autem non afferuntur a Cyrillo: & apud Procopium ſub aſteriſco habentur, itemque apud Sanctum* Hieronymum. (*b*) Advena.] *Euſeb.* ἀντὶ τοῦ ὁ γειώρας, οἱ λοιποὶ ἑρμηνευταὶ, ὁ προσήλυτος, ἡρμήνευσαν. Pro, ὁ γειώρας, cæteri interpretes dixerunt, proſelytus. *De hoc multa S. Baſilius, & S.* Hieronymus. (*c*) Gigantes.] *Euſebius*, οἱ κατὰ τοὺς λοιποὺς ἑρμηνευτὰς ῥαφαείμ, qui apud cæteros interpretes dicuntur Raphaim. (*d*) Operculum.] κατακάλυμμα. *In aliis, & apud Cyrillum eſt*, κατάλυμα, habitaculum. (*e*) Obductione.] ἐπαγωγῇ. *Alii*, ἀπαγωγῇ, abductione. *Utrumque, ut alibi notatum eſt, ſignificat calamitatem, & anguſtiam.* (*f*) Mortuus.] *Apud Sanctum* Hieronymum *in textu vetuſtioris eſt*, abortivum: *ſed in comment. inquit, hoc nimirum*, ἔκτρωμα, *eſſe Symmachi*, νεκρὸς, *autem lxx*, ἰχῶρα, ſaniem, *Aquilæ; Theodotionis*, βλαστὸν, germen. (*g*) Bellis.] *In aliquibus eſt*, πολεμίων, hoſtibus: *in aliis*, πόλεων, civitatum. *Sanctus* Hie*ronymus notat dictionem hebraicam ſignificare poſſe civitates, & adverſarios.*

CAP. XV.

(*a*) MIttam.] Hoc *Baſilius & Cyrillus conjungunt cum fine ſuperioris capitis*, & reſiduum Adama mittam. *Compl. autem*, ἀποστελῶ ἀγνὸν κυριεύοντα ἐπὶ τὴν γῆν, mittam agnum dominantem ſuper terram. (*b*) Eris] *Iſtud* ἔσῃ, *abeſt a multis.* (*c*) Fac tegmen luctus ipſa ſemper.] *In aliquot codicibus eſt*, ποιεῖτε σκέπην πένθους αὐτοῖς διαπαντὸς, facite tegmen luctus ipſis ſemper: *& ita habuiſſe Sanctos Baſilium & Cyrillum ex ipſa etiam explanatione colligitur. In aliquo etiam eſt*, αὐτῇ, ei. (*d*) Abducaris.] *Sic Sanctus Baſilius videtur legiſſe: & apud Procopium margini adſcriptum eſt. Sed Procopius ipſe, ac Cyrillus, & aliqui codices habent*, μὴ ἀπ' ἀρχῆς, nonne ab initio habitabunt, *&c.* (*e*) Perſequentis.] *Nam etiam in Vatic.* διώκοντος, *licet per typographi incuriam factum ſit*, διώκοντες. (*f*) Et dirigetur.] *Aquila*, καὶ ἑτοιμασθήσεται ἐν ἐλέῳ θρόνος, & præparabitur in miſericordia ſolium, *ut in vulgata. Theodotio*, καὶ ἑτοιμασθήσεται μετ' ἐλέους θρόνος, & parabitur cum miſericordia ſolium. (*g*) Superbiam ſuſtuli.] *Ita etiam apud B. Cyrillum. A nonnullis abeſt*, ἐξῆρα, *& in Compl. illud*, ſuperbiam, *conjungitur cum antecedentibus*, ὕβρισιν, (*ita enim habet*) σφόδρα τὴν ὑπερηφανίαν, contumelioſam valde ſuperbiam. *In quibuſdam vero eſt*, τὴν ὑπερηφανίαν σου ἐξῆρας, ſuperbiam tuam extuliſti, *aut*, ἐξῆρεν, ſuſtulit: *quomodo etiam videtur legiſſe S. Baſilius: apud quem, ſicut in cæteris fere codicibus ſequitur*, καὶ ἡ ὕβρις (*Compl.* τὴν ὕβριν) αὐτοῦ καὶ ἡ μῆνις αὐτοῦ, & contumelia ejus, & alte concepta iracundia ejus. *Ita enim interpretatur S. Baſil. Apud* S. Hier*on.* ſuperbia ejus, & injuria ejus, & furor, non ſicut divinatio, &c. Hæc *vero neque apud Cyrillum ſunt: & apud Procopium margini ſunt adſcripta ſub aſteriſco.* (*h*) Habitatoribus autem Seth meditationes.] τοῖς κατοικοῦσι δὲ σὴθ μελετήσεις. *In Compl. eſt*, ἐν τοῖς κατοικοῦσι δὲ σὴθ, μελετήσεις, *& ſic redditur*, in habitantibus autem Seth, meditaberis. *Apud Cyrillum*, δεσὴθ, *eſt una dictio, quemadmodum & in multis libris*, Deſeth: *ut hoc ſibi velit, fore meditationem lugubrium lamentorum habitantibus Deſeth. Apud* S. Hier*on. eſt*, δὲ δεσὴθ, *& in textu*, habitatoribus autem Deſeth meditaberis. *Apud* S. *Baſilium eſt*, σεδέκ, *qui hunc locum ſic clarius a Symmacho expreſſum teſtatur*, iis qui lætantur in muro fictili, loquimini: *quare in margine unius codicis eſt*, τεῖχον ὀστράκινον, *quod eſſe in hebraico teſtatur* S. Hier*on.* (*i*) Non confunderis.] S. *Baſilius videtur legere cum interrogatione. In aliquot libris, & apud Cyrillum eſt*, καὶ οὐκ ἐντραπήσονται πεδία, *quod ita videtur explanare, & non reverebuntur feriiſti vaſtatores campos Eſebon: lugebit vitis Sebama, &c.* (*k*) In tribus annis.] *Euſebius*: Pro eo quod apud lxx dictum eſt, ἐν τρισὶν ἔτεσιν μισθωτοῦ ἀτιμασθήσεται ἡ δόξα μωὰβ, ſecundum hebraicam lectionem, vel etiam cæteros interpretes, interpoſita diſtinctio clariorem reddidit ſententiam: Nam ab Aquila quidem dictum eſt, ἐν τρισὶν ἔτεσι μισθωτοῦ, a Symmacho autem, ἔκτοτε καὶ νῦν ἐλάλησε κύριος λέγων, ἐν τρισὶν ἔτεσιν, ὡς ἐπὶ μισθωτοῦ, ex tunc, & nunc loquutus eſt Dominus dicens, in tribus annis, quaſi in mercenario: a Theodotione autem, ἀπὸ τότε, καὶ νῦν ἐλάλησε κύριος λέγων, ἐν τρισὶν ἔτεσιν, ὡς ἐνιαυτοῖς μισθωτοῦ, ex tunc, & nunc loquutus eſt Dominus, dicens, de tribus annis, quaſi annis mercenarii. Deinde ab alio principio dictum eſt apud cæteros interpretes, & juxta hebraicam lectionem, καὶ ἀτιμασθήσεται ἡ δόξα μωὰβ σὺν παντὶ τῷ πλούτῳ τῷ πολλῷ, & inhonorabitur gloria Moab cum omnibus divitiis iſtis multis.

CAP. XVII.

(*a*) TOlletur de civitatibus.] *Theodotio*, μετασταθήσεται ἐκ πόλεως, removebitur de civitate. (*b*) In ſeculum] *Euſebius*: Iſtud, εἰς τὸν αἰῶνα, μόνην τὴν ἑβδομήκοντα ἑρμηνείαν εἴρηται. λέγω δὲ τὸ, εἰς τὸν αἰῶνα, οὔτε γὰρ ἐν τῷ ἑβραϊκῷ, οὔτε παρὰ τοῖς λοιποῖς ἑρμηνευταῖς φέρεται, In ſola lxx, interpretatione poſitum eſt: neque enim in Hebraico, neque apud cæteros interpretes fertur. *Pro hoc Sanctus* Hieronymus *poſuit dictionem hebræam Aroer, quam inquit ſignificare myricem, arborem quæ in ſolitudine naſcitur.* (*c*) Ad confugiendum.] *In multis additur*, ἐκεῖ, illuc. (*d*) Amorræi, & Evæi.] *Sanctus* Hieronymus *ex Aquila*, teſtam, & Emir, *ex Symmacho*, ſylvam, & Amir, *ex Theodotione*, Hares, & Emir, *quod ipſe*, aratra & ſegetes. (*e*) Exterminabit.] *Aquila*, καὶ ἐπιτιμήσει ἐν αὐτῷ καὶ φεύξεται μακρὰν, & increpabit in eum, & fugiet longe. *Symm.* καὶ ἐμβριμήσεται αὐτῷ, καὶ φεύξεται πόῤῥω & comminabitur ei, & fugiet procul. (*f*) Ventilantium] *In Complut. & apud Cyrillum*, λελικμωμένον, ventilatum. (*g*) Tempeſtas impellens.] *In iiſdem*, καταιγίδος φερούσης, tempeſtate impellente. (*h*) Et.] *Iſtud*, &, *abeſt a multis, & a Cyrillo: cui in cæteris convenit cum noſtra.*

CAP. XVIII.

(*a*) NAvium alis] *Symmachus*, ἦχος πτερωτὸς, ſonitus alatus. *Addit Sanctus* Hieronym*us, quod Symmachus dixit, ſonitum, Theodotionem dixiſſe, aves, Aquilam bi, umbram, ſe autem, cymbalum: in comment. autem capitis* 19. *dixit*, væ terræ obumbranti alis. *Sed lib.* 7. terræ navium alarum. (*b*) Qui mittit.] *Symmachus*, ὁ ἀποστέλλων ἐν θαλάσσῃ πρεσβύτας, qui mittit in mari legatos. *Pulchre autem docet Sanctus* Hieronymus *cauſam, cur interdum in ſermone de Ægypto pro genere feminino maſculinum inveniamus: apud hebræos enim & Ægyptus, & Ægyptius, & Ægyptii uno vocabulo nuncupantur.* (*c*) Quis ultra illum?] *Symm.* μεθ' ὃν οὐκ ἔστιν ἐπέκεινα, poſt quem non eſt ultra.

CAP. XIX.

(*a*) ECce Dominus ſedet.] *Aquila*, ἰδοὺ κύριος ἐπιβαίνει ἐπὶ πάχος ἐλαφρὸν, Ecce Dominus aſcendit ſuper craſſitiem levem. (*b*) Et incitabuntur.] *Aquila*, καὶ στασιάσω αἰγυπτίους αἰγυπτίοις, & diſſidere faciam Ægyptios ab Ægyptiis. *Symmachus*, συμβαλῶ, committam. (*c*) Turbabitur.] *Symmachus*, καὶ ῥαγήσεται πνεῦμα αἰγύπτου ἐν αὐτῇ, & diſrumpetur ſpiritus Ægypti in ipſa. *Aquila*, καὶ πλαδαρωθήσεται πνεῦμα αἰγύπτου ἐν ἐγκάτῳ αὐτῆς, & flacceſcet ſpiritus Ægypti in intimo ejus. *Theodoretus*, καὶ σχισθήσεται πνεῦμα αἰγύπτου ἐν αὐτῇ & ſcindetur ſpiritus Ægypti in ea. (*d*) Et reges.] *Aquila*, καὶ βασιλεὺς κεκραταιωμένος βασιλεύσει αὐτῶν, & rex corroboratus regnabit ſuper eos: *Symmachus*, καὶ βασιλεὺς σκληρὸς ἐξουσιάσει αὐτῶν, & rex durus imperabit eis. *Theodoretus*, καὶ βασιλεὺς ἰσχυρὸς κυριεύσει αὐτῶν, & rex fortis dominabitur eorum, *ut vulgata.* (*e*) Et bibent.] *Aquila*, καὶ ἀναποθήσεται ὕδατα ἀπὸ θαλάσσης, & deſiderabuntur aquæ de mari. *Symmach.* καὶ ἀφανισθήσεται, & diſperibit. (*f*) Etiam.] *Iſtud*, καὶ, *abeſt a multis.* (*g*) Achi.] *De vocabulo hoc notatum eſt Gen.* 41. *& Eccl.* 40. *& legenda, quæ hic a Sancto* Hieronymo, *lib.* 7. *& paulo poſt de Zytho.* (*h*) Finem.] *Pro hoc Sanctus* Hieronymus *teſtatur Aquilam dixiſſe*, στρέβλοντα, qui perverſe omnia agit, ut puerum, *inquit*, ſignificaret. (*i*) Terrorem.] *Sanctus* Hieronymus, *ex Aquila*, γύρωσιν, cum aliquis pavidus & tremens circumfert oculos, & advenientem formidat inimicum. (*k*) Aſedec,] *Symm.* πόλις ἡλίου, civitas Solis. *Alios inquit Sanctus* Hieronymus, ὄστρακον, *hoc eſt, teſtam, oſtracinam urbem intelligi voluiſſe. Dictio enim hebraica & ſolem, & teſtam ſignificat.*

CAP. XX.

(*a*) FAC.] *Sic etiam Cyrillus. In uno vetuſto codice, & Complut. eſt*, ἐποίησεν, fecit. (*b*) Tres annos.] *Abeſt a cæteris.* (*c*) Tres anni erunt in ſigna.] *In aliquo eſt*, τρία ἔτη ἔσται σημεῖα, tribus annis erunt ſigna.

CAP. XXI.

(*a*) PRævaricans prævaricatur.] *Symm.* ὁ ἀθετῶν ἀθετεῖται, καὶ ὁ ταλαιπωρίζων ταλαιπωρεῖ, rejiciens rejicit, & vaſtans vaſtat. (*b*) Uriam.] *Aq.* λέοντα, leonem. *Symm.* λέαιναν, leænam, *Theodotio*, ἀριήλ, Ariel. *Videatur Sanctus* Hieronymus *lib.* 7. (*c*) In ſpeculam: Dominus dixit.] *Sic apud Sanctum* Hieronymum. *Alii*, εἰς τὴν σκοπιὰν κυρίου, καὶ εἶπεν, in ſpeculam Domini: Et dixit. (*d*) Voca de Seir.] *Cyrillus videtur habuiſſe*, καλεῖ, vocat. *Sanctus* Hieronymus *lib.* 7. *inquit ſecundum hebræi & græci ſermonis ambiguitatem poſſe verti*, vocat, *&*, voca: *Euſebius, ſecundum cæteros interpretes*, φεύγοντας παρὰ τοῦ σηὶρ, fugientes de Sier. (*e*) Habita.] *In quibuſdam ſequitur*, λῆμμα ἐν τῇ ἀραβίᾳ, Aſſumptio in Arabiam, *aut*, τὸ ῥῆμα τὸ ἐν τῇ ἀραβίᾳ, verbum quod in Arabiam, *aut*, τὸ ὅραμα τὸ ἐν τῇ ἀραβίᾳ, viſio, quæ in Arabiam.

CAP XXII.

(*) QUIA nunc.] *Legenda ſunt quæ hoc loco ſcribit Sanctus* Hieronymus, *de illo Aphu, de quo in volumine Reg.* (*a*) Elamitæ.] *Schol.* ἐλαμίτας, τοὺς σαμαρείτας καλεῖ· καὶ γὰρ τῆς περσικῆς μετῳκίσθησαν χώρας. ἀπχθῶς δὲ διακείμενοι πρὸς τοὺς ἰουδαίους, συνεμάχουν κατ' αὐτῶν ἀναγκαίως ῥωμαίοις, Elamitas vocat ipſos Samaritas : ex Perſica enim regione tranſmigrarant. Inimice autem affecti erga Judæos, neceſſario una cum Romanis pugnabant contra illos. (*b*) Avertit.] *Aliqui, & Cyrillus,* ἀπέστρεψαν, *& apud S. Hier. lib.* 7. averterunt. *In uno pervetuſto eſt,* ἀπεστρέψατε, *& paulo poſt,* καθείλετε, avertiſtis, deſtruxiſtis. (*c*) In paſtophorium.] *Symm.* σκηνοποιοῦντα, eum qui facit tabernaculum. *Aq.* τὸν σκηνοῦντα, qui habitat in tabernaculo : *ita enim interpretatur Sanctus Hieronymus pro quo inquit Theodotionem dixiſſe,* Ingredere ad Socen iſtum. (*d*) Scripſiſti.] *Ita etiam Cyrillus. In uno codice eſt,* ἔγλυψας, ſculpſiſti. (*e*) Per imperium.] κατὰ κράτος, *& apud Sanctum Hieronymum,* fortiter. *In multis, & apud Cyrillum, & Procopium,* καὶ κράτος, & potentiam. *Apud Procopium in margine.* Th. κραταιώσω αὐτὸν, confortabo eum, *ut in vulgata.* (*f*) Et dabo ei.] *Hæc uſque ad,* & ſtatuam, *abſunt a Cyrillo. In multis autem ſequuntur ſtatim poſt illa,* & inhabitantibus in Juda. (*g*) Magnum.] *In cæteris hæc adduntur,* πᾶν τὸ σκεῦος τὸ μικρὸν ἀπὸ σκεύους τῶν ἀγανώθ, omne vas parvum a vaſe Agonoth, *quod in vulgata redditur,* craterarum. *Hæc vero neque a Cyrillo afferuntur, & apud Procopium ſignata aſteriſco Theodotioni tribuuntur.*

CAP. XXIII.

(*a*) TRaderetur.] *In aliquot libris hæc ſequuntur,* ἀπάξουσιν αὐτὴν οἱ πόδες αὐτῆς πόῤῥωθεν εἰς ἀποικίαν, abducent eam pedes ejus procul in tranſmigrationem : *quæ neque apud Cyrillum ſunt, & apud Procopium, tanquam de Theodotione ſumpta notantur aſteriſcis.* (*b*) Aſſyriis.] *In nonnullis hæc ſubjunguntur,* ἐθεμελίωσεν αὐτὴν εἰς Σιείμ· ἔστησαν ἐπάλξεις αὐτῆς, ἐξήγειραν βάρεις αὐτῆς, fundavit eam in Siim : ſtatuerunt propugnacula ejus, excitaverunt ædificia ejus : *quæ neque apud Cyrillum habentur, & apud Procopium aſteriſco ſignata ſunt : hoc tamen ſcholio adjuncto,* τούτων τῶν ἠστερισμένων, ὠριγένης, ὡς τῶν ὁ, μέμνηται ἐν τῷ κέ. τόμῳ τῶν εἰς ἠσαΐαν, horum, quæ aſteriſco notata ſunt, Origenes, tanquam ipſorum lxx, mentionem fecit in 25. tomo in Eſaiam. (*c*) Et in ſymbolam.] *A nonnullis abeſt illud* & : *in ſymbolam autem videtur valere,* ad ſaturitatem. *De hoc vocabulo alibi dictum eſt.*

CAP. XXIV.

(*a*) DIſſeminabit.] *Aq. & Th.* διασκορπίσει, diſperget. (*b*) Ceſſavit arrogantia, & opulentia impiorum.] *Hæc,* πέπαυται αὐθάδεια, καὶ πλοῦτος ἀσεβῶν, *ſunt etiam in Vaticano : ſed per typographi incuriam in græca editione omiſſa.* (*c*) Vlulate.] *Corrigendum in noſtra,* ὀλολύξετε. (*d*) Terræ : abiit omnis lætitia.] *Ab aliquo libro, & a Cyrillo abſunt. In alio eſt,* ἀπεσχίσθη χαρὰ, abſciſſum eſt gaudium. (*e*) Conturbabitur.] *Th.* ἤχησαν ὕδατα, ſonuerunt aquæ maris. (*f*) Portenta.] *Symm. & Th* ψαλμοὺς ἠκούσαμεν, pſalmos audivimus. *Aq.* μελῳδίας, melodias. (*g*) Pio.] *In aliquot codicibus hæc ſequuntur,* καὶ εἶπεν, τὸ μυστήριόν μου ἐμοὶ, τὸ μυστήριόν ἐμοὶ καὶ τοῖς ἐμοῖς, & dixit, myſterium meum mihi, myſterium meum mihi & meis. *Apud Procopium poſt illa,* Et dicent, *hæc ſub aſteriſco apponuntur,* τὸ μυστήριόν μου ἐμοὶ, τὸ μυστήριόν μου ἐμοί. *S. Hier. eodem loco habet, ſed ſemel tantum, atque in comm. hæc inquit* : Hoc quod dicitur, myſterium meum mihi, in lxx non habetur, ſed de Theodotionis tranſlatione in Græco additum eſt. *Ea quidem Cyrillus non habet : habet autem in comm. græcis Theodor. & ſæpe a Chryſoſtomo, & aliis citantur.* (*h*) Væ prævaricatoribus] *Aq.* ὢ οἴμοι ἀθετοῦντες ἠθέτησαν, Heu mihi prævaricantes prævaricati ſunt. *Sym.* οἴμοι ἀθετοῦντες ἠθέτησαν, *eodem ſenſu.* (*i*) De cælo] *Apud Sanctum Hieronymum & Cyrillum eſt,* θυρίδες τοῦ οὐρανοῦ, feneſtræ cæli. (*k*) Declinavit.] *In multis, & apud Cyrillum hic ſequuntur ea quæ paulo poſt ſunt in noſtra,* & concutietur, quaſi pomorum cuſtodia, terra. *In quibuſdam vero hic locus ſic habet* ἔκλινεν, σάλῳ (*aut* καὶ σάλῳ) σαλευθήσεται ἡ γῆ, ὡς ὁ μεθύων καὶ κραιπαλῶν, καὶ σεισθήσεται, declinavit, agitatione agitabitur terra, ſicut ebrius, & ſe ingurgitans, & concutietur, *&c.* (*l*) Murus.] *In pleriſque hæc ſequuntur,* καὶ ἐντραπήσεται ἡ σελήνη, καὶ αἰσχυνθήσεται, ὁ ἥλιος, & erubeſcet Luna, & confundetur Sol : *quæ neque apud Cyrillum habentur, & apud Procopium ſunt addita margini, tanquam ex alia editione : & Sanctus Hieronymus docet pro his a lxx dictum eſſe, liquefieri laterem, & cadere murum.* (*m*) E Sion.] *Multi,* ἐν σιὼν, καὶ ἐν ἱερουσαλὴμ, in Sion, & in Hieruſalem.

CAP. XXV.

(*a*) VT non caderent.] *Plerique,* τοῦ πεσεῖν, *& apud Sanctum Hieronymum,* ut caderent. (*b*) Civitas.] *Sic etiam Cyrillus. In quibuſdam eſt* πόλεις, *& apud Sanctum Hieronymum,* ciuitates non ædificabuntur. (*c*) Benedicent.] *Euſebius:* Cæteri, δοξάσουσί σε, glorificabunt te. (*d*) Tradidiſti.] *In quibuſdam libris hæc adjunguntur,* καύσων ἐν σκέπῃ νέφους κληματίδα ἰσχυρῶν ταπεινώσει, æſtus in umbraculo nubis propaginem fortium humiliabit : *quæ neque apud Sanctum Hieronymum neque apud Cyprianum habentur, & apud Procopium fere omnia ſub aſteriſco Theodotioni tribuuntur.* (*e*) Iſtum.] *Nec plura apud SS. Hieronymum & Cyrillum. In quibuſdam libris hæc adduntur,* πότον λιπασμάτων, πότον τρυγιῶν, *quod in noſtra vulgata eſt,* convivium pinguium, convivium vindemiæ. (*f*) Trade.] *Quomodo cæteri interpretes hunc locum reddiderint, videndum apud Sanctum Hieronymum.* (*g*) Moabitis.] *In quibuſdam ſequitur,* ἐν τῷ τόπῳ αὐτῆς, in loco ſuo. *Symmachus,* καὶ ἀλοήσομεν τὴν μωὰβ ὑποκάτω αὐτῆς, ὡς ἀλοητὸν ἀχύρου, ὡς πηλὸν, & triturabimus Moab ſub ea, ſicut trituram paleæ, ſicut fimum. (*h*) Suas.] *In aliquot libris hæc ſequuntur,* ὡς ἁπλοῖ ὁ λουόμενος εἰς τὸ κολυμβῆσαι, ſicut expandit qui ſe lavat, ad natandum. *Apud Procopium vero pro his,* καὶ ἀνήσει τὰς χεῖρας αὐτοῦ, ὃν τρόπον καὶ αὐτὸς ἐταπείνωσε τοῦ ἀπολέσαι, *iſta in margine ſunt appoſita,* ἐξαπλώσει τὰς χεῖρας αὐτοῦ, ἐν μέσῳ αὐτοῦ καθὼς ἀναπλῶσαι ὁ λουόμενος εἰς τὸ κολυμβῆσαι, expandet manus ſuas in medio ejus, ſicut expanderet, qui ſe lavat ad natandum. (*i*) Muri.] *Sic etiam Cyrillus. In quibuſdam eſt,* τοῦ οἴκου σου, domus tuæ.

CAP. XXVI.

(*a*) CAntabunt.] *Euſebius Emiſſ.* Symm. ἐροῦσιν οἱ ᾄδοντες τὸ ᾆσμα, πόλιν ἰσχυρὰν ἔχομεν, dicent cantantes canticum, civitatem fortem habemus. Juxta Aquilam vero, πόλις κράτους ἡμῖν σωτήριον, urbs fortitudinis nobis ſalutare. Dictio autem Hebraica, pro, σωτήριον, nomen Jeſu candide ſic continet: iiſdem litteris Salvator noſter Hebraice ſcribitur. (*b*) Salutare.] *In multis additur,* ἡμῶν, *& apud Sanctum Hieronymum,* noſtrum. (*c*) Circummurale.] *Sanctus Hieronymus ex Symmacho,* firmamentum. (*d*) Apprehendes veritatem.] *Pro hoc teſtatur Sanctus Hieronymus Aquilam & Symmachum ſimiliter tranſtuliſſe,* τὸ πλάσμα ἡμῶν ἐπυρμῶον, error noſter ablatus eſt. (*e*) Spe.] *Abeſt iſtud a SS. Hieronymo & Cyrillo. In aliquo eſt,* ὅτι ἐπὶ σοὶ ἠλπίσαμεν, quoniam in te ſperavimus. (*f*) Humilium.] *Sic etiam Sanctus Hieronymus. In multis ſequitur,* βήματα, greſſus : *in aliquo, & apud Cyrillum,* ἴχνη, veſtigia. (*g*) Et præparata] *Corrigendum eſt in noſtra, ut in Vat. & in aliquot aliis codd. & apud Cyrill.* καὶ παρεσκευασμένη ἡ ὁδὸς εὐσεβῶν.] *In aliquo codice totus locus ſic habet,* ὁδὸς εὐσεβῶν εὐθεῖα. τρίβος εὐσεβῶν εὐθεῖα εὐθεῖα ἐγένετο ἡ ὁδὸς τῶν εὐσεβῶν, καὶ παρεσκευασμένη, via piorum recta : recta facta eſt via piorum, & præparata : *atque ita apud Sanctum Hieronymum, excepto, quod non habet illa,* ſemita piorum recta, *& pro,* piorum, *habet,* juſtorum : *quomodo etiam non eſt inuſitatum verti dictionem græcam,* εὐσεβῶν. (*h*) De nocte : mane conſurgit.] *Hanc interpunctionem videtur probare Sanctus Hieronymus in comm. licet in contextu illud de nocte conjungatur cum ſequentibus.* (*i*) Ceſſavit enim impius.] *Aq. & Th.* ἠλεήθη ἀσεβὴς, miſericordiam conſequutus eſt impius. *Symm.* ἐδωρήθη ἀσεβὴς, donatum eſt impio. (*k*) Omnis, qui non didicerit.] *Sic etiam S. Cyrillus. In Compl. eſt tantum,* οὐ μὴ μάθῃ, *apud Sanctum Hieronymum* & non diſcet : *quæ videntur cohærere cum verbis, quæ proxime ex cæteris interpretibus attulimus.* (*l*) Mortui autem] *Sanctus Hieronymus ex Symmacho* : Mortui non vivificabunt : gigantes non ſuſcitabunt. (*m*) Omne maſculum.] *Symm.* πᾶσαν τὴν μνήμην αὐτῶν, *Aq. & Th* πᾶν τὸ μνημόσυνον αὐτῶν, omnem memoriam eorum. *De hac varietate diſputat Sanctus Hieronymus.* (*n*) Mala.] *Euſebius* : Iſtud quidem, κακὰ, neque apud cæteros interpretes, neque in hebraica lectione invenimus. Secundum vero cæteros interpretes dictum eſt, προσέθηκας τῷ ἔθνει, ἐν ᾧ ἐδοξάσθης ; adjeciſti (*aut,* indulſiſti, *ut Sanctus Hieronymus*) genti, in quo glorificatus es ? *De hoc etiam Sanctus Hieronymus.* (*o*) Terræ.] *Apud Sanctum Hieronymum ſequitur,* longe feciſti omnes terminos terræ : *quod in nullo codice eſt inventum.* (*p*) Sic facti ſumus dilecto tuo.] *Hæc obelo prænotat Sanctus Hieronymus, pro quibus inquit, cæteros tranſtuliſſe,* ſic facti ſumus a facie tua Domine. (*q*) Quem fecimus.] *Ita enim eſt etiam in Vaticano,* ὃ ἐποιήσαμεν, *licet per incuriam ſit omiſſum,* ὅ. (*r*) Reſurgent mortui.] *Aquila,* ζήσονται οἱ τεθνεῶτές σου, *Symm. & Th.* ζήσονται οἱ νεκροί σου, vivent mortui tui. (*ſ*) Et expergiſcentur.] *Sic Sanctus Hieronymus in comm. aut,* evigilabunt. *Euſebius,* ὡς κοιμηθέντων αὐτῶν, quaſi ipſi dormierint. Quare ſecundum cæteros interpretes, priore quidem loco dictum eſt, ἐξυπνισθήσονται οἱ ἐν τοῖς μνημείοις, e ſomno ſurgent, qui in monumentis; poſteriore autem, ἀγαλλιάσονται, exultabunt : aut ἀνέσουσι, laudabunt, ſecundum Aquilam : aut, ἀλαλάξουσι, jubilabunt, ſecundum Theodotionem. (*t*) Abſcondet.] *In aliquo additur,* ἔτι, *& apud S. Hier.* vltra.

CAP. XXVII.

(*a*) SAnctum.] *Sanctus Hieronymus, ex cæteris interpretibus,* durum. (*b*) Fugientem.] *Idem ex Aquila,* vectem, *ex Symmacho,* concludentem, *ex Theodotione,* robuſtum. (*c*) Draconem.] *Sic in collatis codicibus, & apud Cyrillum. In Complut. additur,* τὸν ἐν τῇ θαλάσσῃ, *& apud S. Hier.* qui eſt in mari : *qui etiam in comm. docet draconem eſſe cetum.* (*d*) Cantare.] *Aut,* incipere, ἐξάρχειν, *& ita apud Cyrillum. In quibuſdam libris eſt,* ἐξάρχει, *apud Sanctum Hieronymum,* deſiderium ejus princeps illius ſit, *quod Eccleſia pulcherrima & dilecta ſit princeps ſynagogæ genitricis ſuæ.* (*e*) Non ſicut] *Apud Sanctum* Hieronymum, *in comm. videtur legi hoc modo ſine interrogatione. Sunt autem qui legant per interrogationem,* nunquid ſicut, *&c.* (*f*) Longe.] *Sic apud Cyrillum. Sed apud Sanctum* Hieronymum, *conjungitur cum ſequentibus,* & longe habitans grex. (*g*) Mulieres venientes.] *Aq* γυναῖκες ἐρχόμεναι φωτίζουσιν αὐτὴν mulieres venientes illuminant eam. *Symmachus,* γυναῖκες ἐρχόμεναι, καὶ διδάσκουσαι αὐτὴν, mulieres venientes, & docentes eam. (*h*) Concludet.] *Nonnulli,* συῤῥάξει, confliget. *Sed Cyrillus, ut noſtra, itemque Sanctus Hieronymus, qui pro* συμφράξει, *quod eſt lxx, inquit Aquilam & Theodotionem vertiſſe,* ῥαβδήσει, quod ſive virga percutiet, ſive ad virgam recenſebit numerum gregis ſui.

CAP. XXVIII.

(*a*) INjuriæ.] τῆς ὕβρεως. *Euſebius* : Cæteri, τῆς ὑπερηφανίας, ſuperbiæ. *Et S. Hieron. 6. lib. comm. notat hoc eſſe uſitatum apud lxx ut pro ſuperbia injuriam ponant.* (*b*) Mercenarii.] *Sanctus* Hieronymus. Cæteri, ebrios, ſoli lxx, μισθωτοὺς, id eſt, mercenarios, tranſtulerunt. (*c*) Montis pinguis.] *Aquila,* φάραγγος ῥυπαρείων, vallem ſordium. *Symm.* φάραγγος ποτήτων, vallis pinguedinum. *Th.* φάραγγος πόνων, vallis pinguium. (*d*) Terræ.] *In nonnullis eſt,* ἐν τῇ γῇ, in terra : *apud Sanctum* Hieronymum. trahens humum, & faciens ſibi ſpacium. *Cyrillus autem cum his conjungit, quæ ſequuntur,* manibus & pedibus *quaſi natantes, qui cum quieſcunt manibus & pedibus, vi aquarum victi, tunc ſubmerguntur. Alii autem conjungunt cum poſt ſequentibus. Nonnulli,* manibus, *cum his,* & pedibus, *cum ſubſequentibus.* (*e*) Reliquiis populi.] *Sic apud Sanctum* Hieronymum *quod græce eſt,* τῷ καταλειφθέντι τοῦ λαοῦ. *In aliquot libris, & apud Theodoretum, in comm. græcis, & Euſebium 2. Evang. demon.* αὐτοῦ, ſui. *In pleriſque & ad marginem Vaticani,* τῷ καταλειφθέντι μου λαῷ ἐν αἰγύπτῳ, relicto populo meo in Ægypto : *& ſic priora Cyrillus, ſed non habet,* in Ægypto. (*f*) Deliquerunt] *In cæteris, & in Vaticano appoſitum recentiori manu,* πεπλανημένοι, *& apud Sanctum* Hieronymum, decepti ſunt. (*g*) Siceram.] *Euſebius,* Cæteri nominarunt, μέθυσμα, inebriamentum. (*h*) Phaſma.] *Sanctus Hieronymus interpretatur phaſmata umbras quaſdam, & imagines, quæ cito pereunt, ac ſolvuntur.* (*i*) Vadent.] *Legendum eſt in noſtra,* πορδώσωσι, *nam per errorem eſt,* πονδώσωσι. (*k*) Qui crediderit.] *Sic apud Sanctum* Hieronymum. *In aliis, & apud Cyrillum additur,* ἐπ' αὐτῷ, in eo. *Euſebius* :

Cæteri, ὁ πιστεύων, οὐ σπεύσει, *quod in vulgata noſtra*, qui crediderit, non feſtinet. (*l*) Tempeſtas.] *Inquit* S. Hier. *Aq. & Symmachum eſſe interpretatos flagellum.* (*m*) Ut vos congregemini.] *In quibuſdam eſt*, ἡμᾶς, *& apud* S. Hier, ut congregemur. (*n*) Perditio.] σωτηρία. *Nonnulli*, πικρία, *& apud* S. Hier. amaritudo. (*o*) Melanthium.] *Id eſt, nigrum papaver: quod apud* S. Hier. gith.

CAP. XXIX.

(*a*) CIvitas, quam expugnavit David.] *Aquila*, πολίχνη παρεμβλήσεως Δαυίδ civitatula, (*ita enim interpretatur* S. *Hieron.*) caſtrametationis David. *Addit* S. *Hieron. Symmachum dixiſſe*, caſtrum David. *Theodotionem*, circumvallatio David. (*b*) Comedite.] *Ita etiam* S. *Hieron. Abeſt autem a nonnullis codicibus, & a Cyrillo.* (*c*) Erunt.] *In multis*, ἔσται, *& apud* S *Hieron.* erit: *qui etiam teſtatur, pro eo quod ſequitur*, loquentium de terra, *Aquilam dixiſſe*, magum. (*d*) Bibunt.] S. *Hieron. pro*, πίνοντες, *videtur habuiſſe*, πεινῶντες, *ita enim eſt apud illum*, qui in ſomnis eſuriunt (*e*) Compunctionis.] *Th.* ἐκστήσεως, (*aut, ut* S. *Hieron.* ἐκστάσεως,) exceſſus mentis: *Aquila*, καταφορᾶς, gravis ſomni. (*f*) Abſcondam.] *Ita enim SS. Hieron & Cyrillus. Sed Juſtinus in dial. cum Tryphone*, ἀθετήσω, *ſicut* 1. *Cor.* 1. *& Euſebius in comm. græcis, &* S. *Cyprianus, de bono patientiæ*, reprobabo. (*g*) Filii eorum.] *Sic explanat Cyrillus, & optime videtur conſtare ſententia. Alii autem interpretantur filios ſuos: & apud* S. *Hieronymum*, ſed cum viderit filios ſuos opera mea. (*h*) Et linguæ balbutientes diſcent loqui pacem.] *Hæc Sanctus Hieronymus obelo prænotat.*

CAP. XXX.

(*a*) AUxilium.] *In aliquo codice additur*, ὥστε εἰς ὠφέλειαν, *& apud* S. *Hier.* neque in utilitatem. (*b*) Quia vana.] *Quomodo hunc locum cæteri tranſtulerint, legitur apud* S. *Hier.* (*c*) Buxum.] *Idem ex Symmacho*, ἐπὶ πτυχὶ id eſt, ſuper latiſſimam tabulam. (*d*) Erunt in dies hæc tempore.] *Alii*, ἔσονται εἰς ἡμέρας καιρῶν ταῦτα, erunt in dies temporum hæc. (*e*) Comminuta.] λεπτά, *quaſi fragmenta. In multis eſt* λεπτοῦ, *quaſi vaſe, aut officina comminuta.* (*f*) Extrahas.] ἀποσύρεις, *ut plerique, aut*, ἀποσυρεῖς, *ut nonnulli.* (*g*) Erimus.] *Ita etiam* S. *Hieron. Alii*, ἀναβησόμεθα, aſcendemus: *unus*, φευξόμεθα, fugiemus. (*h*) Veſter.] *In quibuſdam ſequitur*, καὶ ποῦ καταλείψετε τὴν δόξαν ὑμῶν; & ubi relinquetis gloriam veſtram? *quod etiam explicatur a Cyrillo.* (*i*) Qui immanent in eo.] *Euſebius*, aut juxta Symmachum, ὑπομένοντες αὐτόν, ſuſtinentes eum: *qui etiam apud lxx pro*, ἐπ' αὐτῷ, *legit*, ἐν αὐτῷ. (*k*) Et Hieruſalem.] *Symmachus*, Ἱερουσαλὴμ κλαυθμῷ οὐ κλαύσεις, Hieruſalem ploratu non plorabis: *Th.* ἐν Ἱερουσαλὴμ κλαυθμῷ οὐ κλαυθήσεται, in Hieruſalem ploratione non plorabitur. (*l*) Vocem.] *Euſebius, ex alia interpretatione*, τὴν φωνὴν τῆς βοῆς σου καθὼς ἂν ἀκουσθῇ, ἀκούει σου, vocem clamoris tui ſimulatque audierit, audit te. (*m*) In die illa.] *Symmachus*, ἐν ἡμέρᾳ σφαγῆς πολλῆς, ἐν τῷ πεσεῖν μεγάλους, in die interfectionis multæ cum ceciderint magni. (*n*) Tempus.] *In aliis additur*, πολλοῦ, *& apud* S. *Hier* multum. *Euſebius*, cæteri, μακρόθεν de longe: *ut vulgata noſtra.* (*o*) Oſtendere.] *In aliquo eſt*, δείξει, *& apud* S. *Hieron.* oſtendet. (*p*) Tu enim ante dies exigeris.] *Alii*, οὐ γὰρ πρὸ ἡμερῶν ἀθετηθήσῃ, non enim ante dies reprobaberis, *aut*, ἀπατηθήσῃ decipieris: *aut*, ἀπαιτηθήσῃ, exigeris: *quod ita explicat Cyrillus*, non ante tempus exigeris pœnas pro iis quæ in meos debacchatus es *Apud* S. *Hier. eſt*, tu enim ante dies decipieris: *Ita partim cum noſtra convenit, partim diſcrepat.*

CAP. XXXI.

(*a*) BEatus.] *Euſebius*, εἰδέναι δὲ χρὴ ὅτι τὸ μὲν μακάριος, οὐδεὶς τῶν ἑρμηνευτῶν εἴρηκεν, Sciendum vero eſt iſtud, μακάριος, neminem interpretum poſuiſſe (*b*) Qui habet.] *Symm*, ἔχει πῦρ ἐν Σιὼν καὶ κλίβανον ἐν Ἱερουσαλήμ, habet ignem in Sion, & clibanum in Hieruſalem. *Aq. & Th* φῶς αὐτῷ ἐν Σιών, καὶ κλίβανος αὐτῷ ἐν Ἱερουσαλήμ, lumen ei in Sion, & clibanus in Hieruſalem. *De qua varietate diſputat Sanctus Hieronymus.*

CAP. XXXII.

(*a*) PRincipes cum judicio præerunt.] *Euſebius*: Cæteri, καὶ ἄρχοντες εἰς κρῖμα ἄρξουσιν, & principes in judicio principabuntur. (*b*) Erit homo.] *Euſebius, ex alia tralatione*, καὶ ἔσται ἀνὴρ ὡς ἀποκρυφὴ ἀπὸ πνεύματος, καὶ λαίλαπος, & erit vir, tanquam latibulum a vento, & turbine (*c*) Faciet.] *In plerisque eſt*, ποιῆσαι, *& apud* S. *Hieron.* faciat. (*d*) Diei anni.] *Viſa eſt hæc interpretatio convenire explanationi Cyrilli: poſſet tamen iſtud*, ἡμέρας ἐνιαυτοῦ, *reddi*, die, *aut*, diebus anni. S. *Hier. in comm. cap.* 34. & dierum anni recordamini (*e*) Ceſſavit.] *In multis additur*, ὁ σπόρος, καὶ, ſeminatio, &. (*f*) Accingite lumbos.] *Sic etiam Cyrillus. In aliis eſt*, περιζώσασθε σάκκοις ὀσφύας, circumcingite ſaccis lumbos, *& in aliquo additur*, ὑμῶν, veſtros. (*g*) Terra.] *Compl.* ἐν γῇ, in terra. *Sed* S. *Hier. refert ex lxx* ἐπὶ γῆν, ſuper terram. (*h*) Deſiderii.] *Alii*, ἐπιθυμητούς, deſideratas. (*i*) Villæ] *Apud* S. *Hieron. additur*, σου, tuæ, *& afferuntur aliorum interpretationes.* (*k*) Chermel.] *Symm.* καὶ ἔσται ἡ ἔρημος εἰς κάρμηλον, & erit deſertum in Carmelo. (*l*) Confidentes.] *In plerisque additur* ἔσονται, erunt.

CAP. XXXIII.

(*a*) ILLIC.] ἐκεῖ. *In quibuſdam eſt*, ἥκει, *& apud* S. *Hier.* venit. (*b*) Clamabunt.] *In aliquo eſt*, φοβηθήσονται, timebunt. (*c*) Sentietis.] αἰσθηθήσεσθε, *aut*, αἰσθήσεσθε, *ut in quibuſdam. In uno legitur*, αἰσχυνθήσεσθε, confundemini. (*d*) Iſte habitabit.] *Symm.* αὐτὸς ἐν ὑψηλοῖς κατασκηνώσει, ὡς περιοχαὶ πετρῶν τὸ ὕψος αὐτοῦ, ipſe in excelſis habitabit, ſicut munimenta ſaxorum ſublimitas ejus. (*e*) Qui nutriuntur.] τοὺς τρεφομένους. *Sic videtur fere reſpondere vulgatæ noſtræ*, ubi doctor parvulorum? *Apud* S. *Hier. in vetuſtiore eſt*, qui nutriunt? & parvum, *&c. Sed ſuſpicari licet, legendum*, nutriuntur. *In aliis eſt*: τοὺς συστρεφομένους μικρόν, conglobantes parvum, *&c. quod pulchre Cyrillus Scribis & Phariſæis accommodat.* (*f*) Impellens.] *Apud* S. *Hier. poſt illud*, ſpacioſi, *hæc ſequuntur*, non ingredietur per eam navis agitata remigio.

CAP. XXXIV.

(*a*) NUmerum.] *Significat* S. *Hieron. alios dixiſſe* militiam, *quod lxx*, ἀριθμόν. (*b*) Odor.] *Symm.* ἀναβήσεται ἡ δυσωδία, aſcendet fœtor. (*c*) Montes.] *Euſebius*, αἱ δυνάμεις τῶν οὐρανῶν ὄρη νοούμενα, virtutes cœlorum montes ſub intelligentiam cadentes. (*d*) Et tabeſcent omnes virtutes cœlorum.] *Hæc apud Cyrillum non habentur. Euſebius.* μὴ κείμενον δὲ ἐν τῇ τῶν ἑβδομήκοντα ἑρμηνείᾳ [τὸ, τακήσονται πᾶσαι αἱ δυνάμεις τῶν οὐρανῶν,] μετὰ ἀστερίσκων ἐκ τῆς τῶν λοιπῶν ἑρμηνείας προσετέθη. Hoc in lxx interpretatione minime poſitum, ex aliorum interpretatione cum aſteriſcis eſt adjunctum. (*e*) Et omnes.] *Euſebius*: Aquila, καὶ πᾶσα στρατιὰ αὐτῶν ἀπορρεύσει, ὡς ἀπορρεῖ φύλλον ἀπὸ ἀμπέλου, καὶ ὡς ἀπόπτωμα ἀπὸ συκῆς, & omnis militia eorum defluet, ſicut defluit folium de vite, & ſicut deciduum de ficu. *Symm.* καὶ πᾶσα ἡ δύναμις αὐτοῦ πεσεῖται, ὡς πίπτει φύλλον ἀπὸ ἀμπέλου, καὶ ὡς ἀπόπτωμα ἀπὸ συκῆς, & omnis virtus ejus cadet, ſicut cadit folium de vite, & ſicut deciduum de ficu. τετήρηται δὲ ταῦτα ὑμῖν εἰς τὸ δεῖξαι ὅτι παρὰ τοῖς ἑβδομήκοντα εἰρημένα ἄστρα, παρὰ τοῖς λοιποῖς ἑρμηνευταῖς δυνάμεις τοῦ οὐρανοῦ ὠνομάσθησαν. Conſervata enim hæc nobis ſunt ad oſtendendum, quæ apud lxx dicta ſunt, aſtra, apud cæteros interpretes nominari, virtutes cœli. (*f*) Agnorum.] ἀμνῶν. *Euſebius*, aut ſecundum cæteros interpretes, ἀρνῶν, agnorum ætate provectiorum. (*g*) Sirenum.] *Schol.* Σειρῆνας καλεῖ τὰ ἐν νυκτὶ θρηνώδη φωνὴν ἱέντα τῶν πτηνῶν, μονονουχὶ κατολολύζοντα, οἷον ἡ γλαῦξ, καὶ τὰ ἐοικότα, Sirenas vocat ea quæ inter volatilia emittunt noctu querulam vocem, ac prope ululant, quemadmodum noctua, & ſimilia. *Legendus eſt* S. *Hieron. qui varietates ex aliis interpretibus affert.*

CAP. XXXV.

(*a*) EFFlorebunt.] *Severus*, καὶ ὑλοχαρήσει, & læte ſylveſcent. (*b*) Honor Carmeli.] *Symm.* εὐπρέπεια τοῦ καρμήλου, καὶ τοῦ πεδίου. αὐτοὶ ὄψονται τὴν δόξαν τοῦ κυρίου, decor Carmeli, & campi. Ipſi videbunt gloriam Domini. *Th.* ὡραιότης τοῦ καρμήλου, καὶ τοῦ σαρῶν, ſpecies Carmeli, & Saron. *Notat etiam* S. *Hier. Symmachum pro Saron dixiſſe campos.* (*c*) Caulæ arundinis.] *Ita etiam Cyrillus. In quibuſdam libris additur*, ποιμνίου, gregis. *Apud Sanctum Hieronymum, ex lxx, eſt tantum*, caulæ gregum.

CAP. XXXVI.

(*a*) COnfidimus.] *In cæteris hæc ſequuntur*, οὐκ αὐτός ἐστιν, οὗ ἀφεῖλεν Ἐζεκίας τὰ ὑψηλὰ αὐτοῦ, καὶ τὰ θυσιαστήρια αὐτοῦ, καὶ εἶπε τῷ Ἰούδᾳ, καὶ τῇ Ἱερουσαλήμ· κατὰ πρόσωπον τοῦ θυσιαστηρίου τούτου προσκυνήσατε? nonne ipſe eſt, cujus abſtulit Ezecias excelſa ejus, & altaria ejus, & dixit ad Judam, & Hieruſalem, ad faciem altaris hujus adorate? *Quæ nec Cyrillus habet. Habentur quidem* 4. *reg.* 18.

CAP. XXXVII.

(*a*) EXaudiat.] *Legendum enim*, εἰσακοῦσαι. *In multis autem eſt*, ὅπως εἰσακούσαι, *& in vulgata noſtra*, ſi quomodo audiat. (*b*) Quomodo.] *In aliquo eſt*, ἕως, quam. (*c*) Anagugana.] *Varie hoc nomen legitur. In uno eſt*, ἀνά, καὶ γανά, *non longe a vulgata, quæ habet*, Ana, & Ava. *Sed* S. Hier. *teſtatur lxx feciſſe unam dictionem*, Anaveava. (*d*) Abjecerunt.] *In aliis*, ἀπώλεσαν, diſperdiderunt. S. *Hier. in ſua*, comminuerunt. (*e*) Reliquias.] *Sanctus Hieronymus*, Juxta Symmachum, pomis veſcere. (*f*) Erunt.] *In nonnullis eſt*, ἐξελεύσονται, exibunt. (*g*) Naſarach.] *Ita etiam Cyrillus. In multis additur*, θεοῦ αὐτοῦ, Dei ſui, *& in aliquo non habetur quod ſequitur*, τὸν πάτραρχον αὐτοῦ, *quod nonnulli putant ſignificare*, patronum ſuum.

CAP. XXXVIII.

(*a*) USque ad mortem.] *Euſebius*, Aquila, τοῦ ἀποθανεῖν, ad moriendum; cæteri, εἰς θάνατον, ad mortem. (*b*) Oratio.] *Inquit* S. *Hier. ſolos lxx pro ſcriptura orationem poſuiſſe.* (*c*) In excelſo.] *Idem ex tribus interpretibus*, in infirmitate, & ſilentio, *& ex alio*, in ſanguine. (*d*) Vadam.] *Addendum in noſtra*, πορεύσομαι. (*e*) Hominem. Defecit ex cognatione mea.] *A Cyrillo abeſt illud*, ἐξέλιπεν, *& ita fluit oratio*, non videbo ulterius hominem ex cognatione mea. *In cæteris, poſt*, ἄνθρωπον, *ſequitur*, ἔτι, (*quamvis iſtud*, ἔτι, *a nonnullis abeſt*) μετὰ κατοικούντων, *& apud* S. *Hieron.* adhuc cum habitantibus: *quæ apud Procopium ſunt ex Theodotione aſcripta margini cum aſteriſco. In iiſdem etiam eſt*, ἐξέλιπον, *& apud* S. *Hier.* defeci a cognatione mea: *idque Procopius habet in textu, ſed in margine, ut noſtra*, ἐξέλιπεν. (*f*) Leoni.] *Sic optimi codices, & Cyrillus. Alii*, ὡς λέων, *& apud* S. *Hier.* ſicut leo. (*g*) Cataplaſma.] *Id eſt, impone cataplaſma. In uno libro additur*, ἐπὶ τὸ ἕλκος, ſuper ulcus: *quod omiſſum a lxx, ſic dictum eſſe a cæteris tribus notat* S. *Hieron. Euſebius etiam ita ſcribit*: καὶ οἱ λοιποὶ πάντες ἕλκος ὠνόμασαν, τὸ διὰ τῆς παλάθης θεραπευθέν. Et cæteri omnes, ἕλκος, nominaverunt, quod per maſſam ſanatum eſt.

CAP. XXXIX.

(*a*) NEchotha.] *Sanctus Hieronymus, ex Symmacho*, aromatum ſuorum.

CAP. XL.

(*a*) SAcerdotes.] *Hoc obelo prænotat Sanctus Hieronymus: apud quem multa aliorum interpretationes legi poſſunt.* (*) In directam.] *Nonnulli*, εὐθεῖα, *& apud Sanctum Hieronymum*, directa. (*b*) Cecidit.] *In quibuſdam libris hæc ſequuntur*, ὅτι πνεῦμα κυρίου ἔπνευσεν εἰς αὐτό. ἀληθῶς χόρτος ὁ λαός, ἐξηράνθη ὁ χόρτος, ἔπεσε τὸ ἄνθος, quia ſpiritus Domini flavit in eo: vere fœnum eſt populus: exiccatum eſt fœnum, cecidit flos: *quæ apud Cyrillum non habentur: neque apud Cyprianum*, 3. *teſtim. & alibi, & a* S. *Hieronymo ſub aſteriſcis poſita tribuuntur Theodotioni, apud Procopium, Symmacho & Theodotioni.* (*c*) Oſtendit illi.] *In quibuſdam libris hæc ſequuntur*, ἢ τίς προέδωκεν αὐτῷ, καὶ ἀνταποδοθήσεται αὐτῷ; aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? *quæ neque Juſtinus, neque* S. *Hieronymus, neque Cyrillus, neque Procopius hic habent.* Habet *autem Sanctus Paulus Rom.* 11.

Sed fortaſſe potuit ſumere ex Job cap. 14. *ubi in vulgata eſt* : Quis autem dedit mihi, ut reddam ei? (*d*) Suæ.] *Iſtud*, αὐτοῦ, *abeſt a nonnullis, & apud Sanctum Hieronymum*, in robore fortitudinis nihil te latet.

CAP. XLI.

(*a*) INnovamini.] *Euſebius*, παραγγέλλεται δῆτα ταῖς νήσοις κατὰ τὸν Θεοδοτίωνα κωφεύειν καὶ σιγᾷν, Præcipitur, nimirum inſulis, juxta Theodotionem, κωφεύειν καὶ σιγᾷν, mutire, & tacere. (*b*) Termini terræ.] *Ita etiam Cyrillus. In aliquo adjungitur*, ἐξέστησαν, *& apud S. Hier.* termini terræ obſtupuerunt, & acceſſerunt. (*c*) Solidatio bona eſt.] *Sic apud S. Hier. quod Græce*, σύμβλημα καλόν ἐστιν, *& poſſet etiam verti*, commiſſura, *aut*, conflatio. *Theodoretus* : tres ipſi, εἰς κόλλησιν καλόν ἐστιν, ad conglutinationem bonum eſt. (*d*) Et quem.] *Ab aliquo, & SS. Hieronymo, & Cyrillo abeſt illud*, &. (*e*) Semen.] *Symm.* σπέρμα ἀβραὰμ τοῦ φίλου μου, ſemen Abraam amici mei. *Aq.* σπέρμα ἀγαπητοῦ μου, ſemen dilecti mei. (*f*) Non fallo.] *Hoc modo accipit Cyrillus illud*, μὴ πλανῶ. *Apud S. Hier. eſt*, ne erres. (*g*) Jacob.] *In quibuſdam, & apud Cyrillum in textu additur*, σκώληξ, vermis. *Quod in lxx. non haberi teſtatur S. Hier. neque apud Cyrillum eſt in ipſa explanatione. Vide Procopium.* (*h*) Buxum.] S. *Hier. ex Theodotione*, ſpinam, *quod alibi*, Sethim. (*i*) Appropinquaverunt conſilia veſtra.] *Theodoretus*, φέρετε εἰς μέσον τὰ ἰσχυρὰ ὑμῶν, afferte in medium fortia veſtra : aut ſecundum Theodotionem, κραταιώματα ὑμῶν, robora, & firmamenta veſtra. (*k*) Ventura.] *Quod in noſtra eſt*, ἐπεχόμενα, *corrigendum*, ἐπερχόμενα. (*l*) Factores veſtri.] *Sic apud SS. Hier. & Cyrillum, qui id explicat, non eſtis vos Dii : ſed adſunt, qui vos faciunt. In quibuſdam pervetuſtis eſt*, οἱ ποιοῦντες ὑμᾶς, ἄδικοι (*al.* μάταιοι) καὶ ματαιότης οἱ πλάσσοντες ὑμᾶς, qui faciunt vos, injuſti, (*al.* vani) & vanitas, qui plaſmant vos.

CAP. XLII.

(*a*) JAcob.] *Euſebius, Evang. demonſtr. lib.* 9. παρὰ τοῖς ἑβδομήκοντα ὠβέλισται τὸ τοῦ ἰακὼβ καὶ τὸ τοῦ ἰσραὴλ ὄνομα, καὶ παρὰ τοῖς λοιποῖς δὲ ἑρμηνευταῖς παρασεσιώπηται· ἐπεὶ μηδὲ ἐν τῷ ἑβραϊκῷ φέρεται. Apud lxx obelo notatum eſt nomen Jacob, & Iſrael : atque apud cæteros etiam interpretes ſilentio tranſmiſſum : nam neque in Hebraico fertur. *Idem notat S. Hier. & B. Matthæum teſtem citat. Idem Euſebius, lib.* 11. *hunc locum ſic citat*, ἰδοὺ ὁ παῖς μου, ἀντιλήψομαι αὐτοῦ, ὁ ἐκλεκτός μου, ecce ſervus meus, ſuſcipiam eum ; electus meus : *ut S. Hier. in ſua : qui etiam apud lxx habet illud*, Ecce. (*b*) Suſcepit eum.] *Euſebius*, ὃν ᾑρέτισεν ἡ ψυχή μου, quem elegit anima mea : *Severus*, ἰδοὺ ὁ παῖς μου, ὃν ᾑρέτισα, εἰς ὃν ηὐδόκησεν ἡ ψυχή μου, ecce puer meus, quem elegi, in quo complacuit ſibi anima mea. (*c*) Dimittet.] *Sic apud S. Hier. in textu in comm.* non relinquet : *& refert ex Symmacho*, non decipietur. (*d*) Fumigans.] *Juſtinus*, τυφόμενον, *ut etiam Matt.* 12. *qui Evangelii locus cum hoc eſt conferendus.* (*e*) Generis.] *In multis, & apud Cyrillum additur*, μου, mei. *In Complut.* ἰσραὴλ, Iſrael. (*f*) Et ſedentes.] *Illud*, &, *abeſt a nonnullis, & a Cyrillo.* (*g*) Principatus ejus : glorificate.] *Sic etiam Cyrillus. Apud S. Hier. videtur fuiſſe*, δοξάζεται, *ita enim ſcribitur*, principatus ejus : glorificatur, & nomen ejus, &c. *a Compl. abeſt illud*, principatus ejus. (*h*) Vici.] *Euſebius*, Cæteri, καὶ πόλεις αὐτῆς, & civitates ejus. (*i*) Tacui.] *Sic etiam Cyrillus, & S. Cypr.* 2. *teſtim. & alibi. In multis additur*, ἀπ' αἰῶνος, a ſeculo : *apud S. Hier.* a principio. (*k*) Faciam.] *Ita etiam Cyrillus. In aliis adjungitur*, αὐτοῖς, *& apud S. Hier.* illis. (*l*) Eorum.] *Sic Cyrillus. In cæteris codicibus, & apud Procopium ſequitur*, τίς τυφλὸς, ὡς ὁ ἀπεσχηκώς ; *al.* ἀφεστηκώς, quis cæcus, ſicut qui receſſit? *Apud S. Hier.* niſi qui recepit : *ſed videtur mendum.* (*m*) Cogitavit.] *In aliis*, ἠβούλετο, *& apud S. Hier.* voluit. (*n*) Exaudite in futura.] *Sic etiam Cyrillus. In Compl. eſt*, ὃς ταῦτα εἰσακούσεται, καὶ εἰς τὰ ἐπερχόμενα γνώσῃ ; *& apud S. Hier.* qui hæc audiat, & futura cognoſcat? (*o*) Quibus.] *Cæteri*, τίς, *& ſic apud S. Hier.* quis, *& apud S. Cyprianum de Lapſis, & alibi.*

CAP. XLIII.

(*a*) SOenem.] *Apud S. Hier.* συήνην, Syenem : *pro quo inquit cæteros interpretes poſuiſſe Saba.* (*b*) Exprobravi.] *Euſebius*, Cæteri, καὶ ἠκούτισα, & auditum feci, *ut fere vulgata.* (*c*) Fugientes.] S. *Hier. ex Theodotione*, fortes. (*d*) Sirenes.] *Sic cæteros etiam interpretes dixiſſe teſtatur S. Hier. præter Theodotionem, qui retinuerit nomen hebraicum.* (*e*) Et filiæ ſtruthionium.] *Euſebius*, Cæteri, καὶ στρουθοκάμηλοι, & ſtruthiocameli. (*f*) Nec ſervire te feci in hoſtiis.] *Sic apud S. Hier. In aliquot libris eſt*, οὐκ ἐδούλωσά σε ἐν δώροις, non feci te ſervire in muneribus. *Aliqui & Cyrillus*, οὐκ ἐδούλευσας (*al.* ἐδούλωσας) ἐν θυσίαις, non ſerviſti in hoſtiis : *apud quem etiam ſequitur, ut in multis*, οὐδὲ ἔγκοπον ἐποίησας, neque laborem feciſti. *Theodoretus autem, & Euſeb. Evang. Demonſtr. lib.* 2. οὐκ ἐδούλευσάς μοι ἐν δώροις, non ſerviſti mihi in muneribus. (*g*) Nec laborem.] *Symm.* ἐκοπίασας δὲ εἰς ἐμὲ, laboraſti autem in me. *Scholion Euſebii*, καίτοι ἐμοῦ μὴ ποιήσαντός σε κοπιάσαι, & quidem, cum ego minime tibi laborem præberem. (*h*) Ante me ſtetiſti.] *Sic apud S. Irenæum, & Procopium. Sed S. Hier. ex lxx*, περιέσχον σου, defendi te : *quemadmodum eſt in aliquot libris, & apud Cyrillum, Theodoretum, Euſebium, loco indicato. Complut.* ὑπερήσπισα, protexi. (*i*) Iniquitates tuas primus.] *Hoc S. Hier. inquit additum a lxx.*

CAP. XLIV.

(*a*) DIlecte Iſrael.] *Pro his teſtatur S. Hier. cæteros*, εὐθύτατον, *ſive*, εὐθὺ, *id eſt, rectiſſimum, & rectum, eſſe interpretatos.* (*b*) Non audierunt.] *Sic Cyrillus & Procopius. In pleriſque vero codicibus eſt*, οὐκ ἦσαν, non erant. (*c*) Ipſis.] *In aliis hæc ſequuntur*, καὶ μάρτυρες αὐτῶν εἰσιν. (*iſtud* εἰσιν *abeſt a Compl.*) οὐκ ὄψονται, καὶ οὐ γνώσονται, ἵνα αἰσχυνθῶσι· τίς πλάσσει ἰσχυρὸν, καὶ γλυπτὸν χωνεύσει εἰς ἀνωφελῆ ; ἰδοὺ πάντες (*quod* πάντες *ab aliquo abeſt*) οἱ κοινωνοῦντες αὐτῷ, & teſtes ipſorum ſunt : non videbunt, & non cognoſcent, ut confundantur. Quis format fortem, & ſculptile conflabit ad nihil utile? ecce omnes participes ejus : *& in Compl. ſine*, ἀλλὰ, *ſequitur*, αἰσχυνθήσονται, confundentur : *quemadmodum & in vulgata noſtra. Iſta vero neque Cyrillus habet, & apud Procopium ſub aſteriſco tribuuntur Theodotioni.* (*d*) Omnes, unde.] *Cyrillus videtur legiſſe*, πάντες ὅσοι, omnes, quicunque. *In Compl.* πάντα ὅθεν ἐγένοντο, omnia unde facta ſunt. (*e*) Menſura.] *In aliis hæc adjunguntur*, καὶ ἐμόρφωσεν αὐτὸ ἐν παραγραφίδι, ἐποίησεν αὐτὸ ἐν παραγωνίσκοις, *al.* τριγωνίοις, *aut*, τριγωνίσκοις, *quæ ſic in vulgata videntur reddi*, formavit illud in runcina, fecit illud in angularibus. *Ea apud Procopium ſub aſteriſcis aſcribuntur Aquilæ.* (*f*) Glutine.] *Compl. & Cyrillus*, ἐν κόλλει, *& interpretantur*, in circino. (*g*) Succidit.] *In aliis hæc ſequuntur*, ἑαυτῷ κέδρους, καὶ ἔλαβε ἀγριοβάλανον, καὶ δρῦν, καὶ ἐκαρτέρησεν αὐτὸ, *al.* αὐτῷ, ſibi cedros, & ſumpſit ilicem, & quercum, & comportavit illud, *al.* ſibi : *quæ apud Cyril. non habentur, & apud Procopium ſub aſteriſco tribuuntur Aquilæ, & Theodot.* (*h*) Eos.] *Apud Cyrill. eſt*, αὐτὸ, illud. *In aliis hæc ſequuntur*, ἐποίησεν αὐτὸ γλυπτὸν, καὶ κάμπτει αὐτοῖς, fecit ſibi ſculptile, & incurvat ſe eis : *Quæ itidem apud Procopium notata aſteriſco Theodotioni attribuuntur.* (*i*) Idumææ.] *Cyrillus, & Compl.* τῆς ἰουδαίας, *& apud S. Hier.* Judææ.

CAP. XLV.

(*a*) CIvitates.] *Sic etiam Cyrillus & S. Cyprianus, lib.* 1. *teſtim. ſed in pleriſque*, πύλαι, portæ, *ut in vulgata noſtra.* (*b*) Quod melius feci.] *Sic apud S. Hier. qui pro hoc Theodotionem inquit poſuiſſe*, Væ ei qui contendit contra factorem ſuum, arans arantis terram. *Plerique vero codices & Cyrillus, & Procopius habent*, ποιῶν βελτίω, κατεσκεύασα ὡς πηλὸν, faciens meliorem, (*aut*, meliora) compoſui, ut lutum. *In aliquo etiam eſt*, ποιῶν βέλτιον, κατεσκεύασά σε, faciens melius, compoſui te. (*c*) Nunquid reſpondebit figmentum ad fictorem ſuum? Qui dicit.] *In Compl. & apud Cyrillum tantum eſt*, οὐαὶ, ὁ λέγων, *& apud S. Hier.* Væ qui dicit. (*d*) Et omnes viæ illius rectæ.] *Sym.* καὶ πάσας τὰς ὁδοὺς αὐτοῦ εὐθυνῶ, & omnes vias ejus dirigam. (*e*) Et tranſibunt ad te.] *Hæc non referuntur a Cyrillo, neque ab Euſebio, Evang. Demonſtr.* 5. (*f*) Tu enim Deus.] *Aq.* θεὸς ἄρα, ἰσχυρὸς, ἀποκρυπτόμενος, θεὸς ἰσραὴλ, σώζων, Deus certe, fortis, abſconditus, Deus Iſrael, ſalvans. *Theodotio*, διὰ τοῦτο ἰσχυρὸς κρυφαῖος, θεὸς σώζων. *Apud S. Hieron. hæc, & antecedentia ſic ponuntur* : In te eſt fortis : & non eſt alius præter eum Deus. Propterea tu fortis abſconditus Deus Iſrael ſalvator. (*g*) In æternum amplius.] *Iſtud*, amplius, *non eſt apud S. Hier. neque Cyrillum. In pleriſque vero hæc præterea ſubjunguntur*, οὐκέτι γὰρ οὐ μὴ ἐντραπῶσιν, εἰ καὶ διὰ τὴν πλάνην τῶν εἰδώλων ἐνετράπησαν πρότερον, non enim ultra confundentur, etſi propter errorem idolorum confuſi ſint antea. *Sed nec Procopius iſta habet.* (*h*) Juſtificabuntur.] *Sic etiam Cyrillus & eodem modo interpungit, ac nos fecimus. Apud S. Hier.* juſtificabitur.

CAP. XLVI.

(*a*) NAbo.] *Sic etiam in comm. græcis, & S. Hier. in ſua verſione ex hebræo. Idem vero agnoſcit ex lxx*, δαγὼν, Dagon, *quod eſt in cæteris libris, & apud Cyrillum, & Procopium.* (*b*) Portabo.] *Sic apud S. Hier. quod græce*, ἀνήσω, *& ſolet verti*, dimittam. (*c*) Statuent in pondere.] *Sic etiam Cyrillus, & alii. In Compl. eſt*, σταθμίζετε, *& apud S. Hier.* in ſtatera appenditis. (*d*) Meam.] *In aliis ſequitur*, οὐ μὴ μακρυνθῇ, non elongabitur : *quod S. Hier. habet in ſua, ſed non in vetuſtiore, nec Cyrillus : atque apud Procopium ſub aſteriſco tribuitur Theodotioni.*

CAP. XLVII.

(*a*) IN terram.] *Apud Cyrillum eſt*, ἐν τῷ σκότει, in tenebris. *In Compl. vero*, κάθισον εἰς τὴν γῆν, οὐκ ἔστι θρόνος θύγατερ χαλδαίων, *& apud S. Hier.* ſede in terram : non eſt ſolium filiæ Chaldæorum. (*b*) Operimentum.] *Inquit S. Hier. cæteros poſuiſſe nomina hebraica, Symmachum vero*, τὴν σιωπήν σου, taciturnitatem tuam, *id eſt, quod taceri debeat præ verecundia.* (*c*) Qui eruit.] *Apud Cyrillum eſt*, εἶπε ὁ ῥυσάμενός σε, *& apud S. Hier.* dixit, qui eruit te. (*d*) Contaminaſti.] *Sic quoque Cyrillus. In pleriſque vero libris & apud Procopium eſt*, ἐμίανα, *& apud S. Hier.* contaminavi. *In quibuſdam etiam eſt*, διότι ἐμίαναν, quia polluerunt. *Apud Procopium eſt aſcriptum margini. Th.* ἐβεβήλωσαν τὴν κλῆρον, polluerunt ſortem. (*e*) Spe malitiæ.] *Aliqui*, ἐν ἐλπίδι, in ſpe, *& ſic Cyrillus. Alii vero pro* πονηρίας, *habent*, πορνείας, fornicationis. (*f*) Intelligentia.] *In aliquo eſt*, ὅτι ἡ σύνεσις, quia intelligentia. (*g*) Sede.] *Aliqui*, καθήσεις, *& apud S. Hier. etiam in comm.* ſedebis.

CAP. XLVIII.

(*a*) DE Juda.] *Sic etiam apud Cyrillum. In cæteris libris*, ἐξ ὕδατος ἰούδα, de aqua Juda : *quod quidem*, ὕδατος, *apud Procopium ſub aſteriſco tribuitur Theodotioni.* (*b*) Olim, quæ.] πάλαι ἃ. *In quibuſdam non eſt illud*, ἃ, *& ita apud S. Hier.* olim, antequam venirent. *Cyrillus habet*, παλαιὰ, antiqua, *Procopius*, τὰ πάλαι, quæ olim. (*c*) Tibi.] *Iſtud*, tibi, *abeſt a S. Hier. & ab aliquo libro*, σοι. (*d*) Quis eis.] *Aq.* τίς ἐν αὐτοῖς ἀπήγγειλε ταῦτα ; κύριος ἠγάπησεν αὐτὸν, quis inter eos annunciavit hæc? Dominus dilexit illum. (*e*) Non a principio in abſcondito loquutus ſum.] *Hæc a Cyrillo accipientur dicta ennunciando, a S. Hier. per interrogationem.*

CAP. XLIX.

(*a*) AUdite.] *Symm.* ἀκούσατέ μου νῆσοι, καὶ ἀκροάσασθε ἔθνη, audite me inſulæ, & auſcultate gentes. (*b*) Abſcondit.] *Sic etiam S. Hier. & Cyrillus. Apud Euſebium, lib.* 11. *Evang. Demonſtr.* ἐσκέπασέν με, texit me. (*c*) Teſtamentum.] *Theodoretus*, τὴν διαθήκην, cæteri interpretati ſunt, συνθήκην, pactum, fœdus. (*d*) Qui deſpicit.] *Theodoretus*, τὸν φαυλίζοντα, cæteri interpretati ſunt, ἐξουθενημένον, contemptum. (*e*) Servis principum.] *Apud Cyrillum eſt*, τὸν δοῦλον, *& apud S. Hier. in contextu*, qui ſervus eſt principum. *Sed idem in comm. cum attuliſſet Theodotionis tranſlationem*, ei, qui deſpicit animam, qui abominationi eſt genti, qui ſervus eſt principum ; *ſubdit, iſti interpretationi Aquilam conſentire, & ex parte lxx, licet in eo mutaverint ſenſum ; quod pro gente, gentes ; & pro ſervo ſervos interpretati ſunt.* (*f*) Et elegi.] *Ita etiam Cyrillus, & hic facit initium periodi. Symm.* ὃς ἐξελέξατό σε, *& apud S Hier.* & elegit te, *conjungendo cum antecedentibus.* (*g*) Quia nunc.] ὅτι νῦν. *Illud*, ὅτι, *abeſt a Cyrillo. In codice pervetuſto eſt*, ὡς νῦν, ut nunc. *Apud S. Hier.* Nunc anguſtaberis. (*h*) Vidua.] *In pleriſque libris adjungitur*, πάροικος, καὶ ἐκκεκλεισμένη, *aut*, ἐγκεκλεισμένη. *Pro quibus in verſione Sancti Hieronymi eſt*, tranſmigrata & captiva. *Verum ab eo in vetuſtiore* *non ponuntur, neque apud Cyrillum : & apud Procopium ſub aſteriſco Theodotioni tribuuntur.* (*i*) Principes fœminæ eorum.] αἱ δὲ ἄρχουσαι αὐτῶν. *Apud* S. *Hieron. non eſt*, eorum : *neque apud Cyrillum. Symm.* καὶ ἄρχουσαι αὐτῶν γαλουχήσουσι, & principes fœminæ eorum lac præbebunt. (*k*) Inique.] *Cyrillus docet per interrogationem eſſe legendum. Euſebius*, Pro, ἀδίκως, dictio Hebraica habet δικαίως, juſte.

CAP. L.

(*a*) CReditori.] *Sic vertunt illud,* ὑπόχρεῳ, *quamvis ſoleat ſignificare debitorem, & obæratum. Eodem autem modo atque hic legitur apud Cyrillum, & Euſebium, lib.* 11. *Evang. Demonſtr. quanquam Cyrillus in explanatione habeat,* χρεωστήν. S. *Ambr. de Tobia cap.* 8. cui vendidi vos fœneratori? *Sed in pleriſque codicibus eſt,* ἢ τίνι ὑπόχρεῳ τῶν πρασσόντων με, ᾧ πέπρακα ὑμᾶς αὐτῷ; aut cui creditori exactorum meorum, cui vendidi vos ei? *A Compl. abeſt illud,* ᾧ. *Apud* S. *Hieron.* aut cui creditori, & exactori meo vendidi vos? *Apud Procopium illa,* τῶν πρασσόντων με, ᾧ, *ſub aſteriſco Theodotioni tribuuntur, itemque illud,* αὐτῷ. (*b*) Quid quia.] τί ὅτι. *In quibuſdam eſt,* διότι, *& ſic apud* S. *Cyrillum, & apud* S. *Hieron. ſine interrogatione,* quia veni, *&c.* (*c*) Mihi mane.] *Nonnulli,* με πρωῒ πρωΐ. *Apud* S. *Hier.* me mane.

CAP. LI.

(*a*) ET ponam deſerta ejus, quaſi paradiſum.] *Hæc apud* S. *Hier. non ſunt in contextu, ſed agnoſcuntur in comm.* (*b*) Reges.] *S. Hier. ex Theodotione,* genus, *ex Symmacho,* gentes. (*c*) Firmatum eſt.] *Idem ex Aquila, & Symm.* μειωθήσεται, ἁλιώσονται, comminuetur, in ſalis modum conterentur. (*d*) Veſtro.] *Apud Cyrill. & in Compl.* αὐτῶν, *& apud* S. *Hier.* eorum. (*e*) Hieruſalem.] *Euſeb.* ἡ προσθήκη τοῦ, ἱερουσαλήμ, οὔτε ἐν τῇ ἑβραϊκῇ ἀναγνώσει, οὔτε ἐν τοῖς λοιποῖς ἑρμηνευταῖς φέρεται, ἀλλὰ πάντες οὕτως ἐξεδώκαν. Additio ipſius Hieruſalem, neque in Hebraica lectione, neque in cæteris interpretibus fertur : ſed omnes ſic ediderunt, ἐξεγείρου, ἐξεγείρου, ἔνδυσαι κράτος βραχίων κυρίου, exurge, exurge, induere potentia brachium Domini. *Idem fere S. Hieron.* (*f*) Sempiterna.] *Id eſt, quæ a ſeculo, & antiqua, ut alibi. In quibuſdam vero libris hæc ſequuntur,* οὐ σὺ εἶ ἡ λατομήσασα πλάτος, διαλύσασα δράκοντα; *& apud Sanctum Hieronymum,* Nonne tu es, quæ excidiſti latitudinem, diſſolviſti draconem? *atque ab eo in comm. etiam explanatur. Sed Cyrillus non habet : & apud Procopium cum aſteriſco tribuuntur Theodotioni. In aliquot libris pro,* διαλύσασα, *eſt,* διαῤῥήξασα, dirupiſti. *In aliquo etiam,* οὐ σὺ εἶ ἡ κατακόψασα ἀλαζονείαν, καταστρώσασα δράκοντα; nonne tu es, quæ concidiſti ſuperbiam, proſtraviſti draconem? (*g*) Sicut enim.] *Ita etiam apud Cyril. In Compl. non eſt illud,* γὰρ, *& apud S. Hier. conjunctè cum antecedentibus,* tribulantis te, ſicut cogitavit auferre te. (*h*) Permanebit.] *Pro hac ſententia teſtatur* S. *Hier. Sym. dixiſſe,* cito infernus aperietur : & non morietur in corruptionem. *In aliis autem libris hæc ſequuntur,* καὶ οὐ θανατώσει εἰς διαφθοράν, καὶ οὐ μὴ ὑστερήσῃ ὁ ἄρτος αὐτοῦ, & non occidet in corruptionem, & non deficiet panis ejus : *quæ Cyrillus non habet, & S. Hier. teſtatur de Theodotionis editione ex Hebraico addita eſſe : & apud Procopium ſunt in margine ſub aſteriſco eidem aſcripta.* (*i*) Condy.] *De quo Gen.* 44 *S. Hier. ex Symmacho,* craterem. (*k*) Ebibiſti, & vacuaſti.] *S. Hier. ex tribus illis,* ἐξεστράπησας, *quod inquit ſignificare,* bibiſti, & vacuefeciſti, & potaſti uſque ad feces. (*l*) Quare.] διό. *Apud Cyril. & in Compl. eſt,* δύο, *& apud S. Hier.* Duo. (*m*) Beta ſemicocta.] *Euſeb.* Cæteri, ὡς ὄρυξ ἠμφιβληστρευμένος, ἢ συνειλημμένος, ſicut oryx illaqueatus, vel, captus. Avis eſt autem oryx ſic vocata. *De hac re copioſe S. Hier.* (*n*) Per Dominum.] *Cyril. & multi,* διὰ θυμοῦ κυρίου τοῦ θεοῦ, per iram furoris Domini. *Compl.* ἀπὸ κυρίου τοῦ θεοῦ, *& apud S. Hier.* a Domino Deo. (*o*) Ruinæ.] *S. Hier. ex Symmacho, & Theodotione,* lacerationis, & commotionis.

CAP. LII.

(*a*) ESTIS.] *Ita etiam Cyrillus. Alii,* ἔσται, *& apud S. Hier.* & nunc quid erit hic, dicit Dominus. (*b*) In gentibus.] *Hoc notat S. Hier. in Hebræo non haberi.* (*c*) Hora.] *Ita apud S. Hier. in textu. Sed in comm. docet vocabulo,* ὥρας, *ſignificari tempus, pulchritudinem, curam & ſolicitudinem. Cyrillus accipit pro vere. In uno codice eſt,* ὡς ὡραῖοι, quam ſpecioſi, *ut Rom.* 10. (*d*) Sicut pedes.] *Apud S. Hieron. in textu,* ſic pedes : *neque inuſitatum eſt,* ὡς, *valere,* ſic. *Sed in comm. habet,* ſicut. (*e*) Evangelizans.] *Apud Cyrillum, & in Compl. eſt,* εὐαγγελιζομένου, *& apud S. Hieron.* evangelizantis. (*f*) Faciam.] *Sic apud SS. Hieron. & Cyril. Alii,* ποιήσει, faciet. (*g*) Quia vox cuſtodientium.] *Abeſt,* quia, *a S. Hieron. & Compl. Theodotio,* φωνὴ τῶν σκοπῶν σου, ἐπῆρε φωνήν, ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἀγαλλιάσονται ὅτι ὀφθαλμὸν ἐν ὀφθαλμοῖς ὄψονται, vox ſpeculatorum tuorum : levaverunt vocem, ſimul exultabunt, quia oculum in oculis videbunt : *nec multo aliter vulgata.*

CAP. LIII.

(*a*) ANnunciavimus.] *Aq.* καὶ ἀναῤῥηθήσεται, ὡς τιτθιζόμενον εἰς πρόσωπον αὐτοῦ, καὶ ὡς ῥίζα ἀπὸ γῆς ἀβάτου, & pronunciabitur, quaſi enutritum lacte ad faciem ejus, & ſicut radix de terra invia. *Th.* καὶ ἀναβήσεται ὡς θηλάζων ἐνώπιον αὐτοῦ, & aſcendet quaſi lactens coram eo. (*b*) Parvulum.] *Sic apud* S. *Hier. etiam in comm.* (*licet poſſit etiam verti,* parvulus, *& apud S. Cypr.* 2. *teſt. eſt,* pueri) *pro quo inquit Symm. poſuiſſe, ramum. Theodor. Heracl.* οἱ γὰρ ἡμέτεροι λόγοι πρὸς αὐτὸν γινόμενοι ὥσπερει παιδίου εὐτελοῦς. Sermones enim noſtri, qui ad illum fiunt, quaſi pueri vilis. *In quibuſdam codicibus legitur,* πεδίον, campus, *itemque apud Cyril. qui ſub perſona Apoſtolorum inquit,* erimus, ὡς ἀγρὸς εὐανθὴς καὶ καρποφόρος, quaſi ager floridus, & fructifer. (*c*) Plaga.] *Sic SS. Cypr. Hier. Cyril. & Juſtinus. In aliis additur,* ὑπὸ θεοῦ, a Deo: *quod apud Procopium ſub aſteriſco Aquilæ & Theodotioni tribuitur. Teſtatur vero* S. *Hier. pro eo quod lxx dixerunt,* ἐν πόνῳ, in dolore, *ſive,* labore, *Sym. tranſtuliſſe,* ἐν ἀλφῇ ὄντα, in lepra poſitum, *Aquilam,* ἀλφήμενον, leproſum, *Theodotionem,* flagellatum. (*d*) Vulneratus eſt.] *Euſebius.* Tunc igitur, καὶ συνετρίβη, καὶ ἐβεβηλώθη, & contritius eſt, & contaminatus eſt ; ſecundum Aquilam. (*e*) Propter iniquitates noſtras.] *Sic apud* S. *Hier. at* S. *Cypr. ibid.* pro peccatis noſtris : *& fortaſſe ſignificantius diceretur* : tradidit eum peccatis noſtris. (*f*) Propter afflictionem.] *Aut,* propterea quod vexatus eſt, *ut S. Cypr. Pro quo inquit S. Hier. Symm. & Theodotionem dixiſſe,* audiens non aperuit os ſuum. (*g*) Ductus.] *Symm.* προσηνέχθη, oblatus eſt, *ut vulgata.* (*h*) Dabo peſſimos.] *Aut,* malos, *ut* S. *Cypr. Theodoretus*, Tres illi, δώσει, dabit, *ut vulgata.* (*i*) Dolum.] *Aut,* inſidias, *ut* S. *Cypr. In quibuſdam vero codicibus, & apud Cyrillum eſt,* οὐδὲ δόλος εὑρέθη, neque dolus inventus eſt. (*k*) Si dederitis.] *Sic etiam SS. Hieron. & Cyrillus. In aliquot libris, & apud Juſtinum,* δῶται, ſi data fuerit. *Compl.* δῶτε τὴν ψυχήν. (*l*) Dominus.] *Ita* S. *Hier. Cyrillus, Juſtinus. In aliis libris ſequitur,* ἐν χειρὶ αὐτοῦ, in manu ejus : *quod apud Procopium ſub aſteriſco tribuitur tribus interpretibus.*

CAP. LIV.

(*a*) AUlæorum.] *Sic apud* SS. *Hieron. & Cyrillum & Cypr.* 1. *teſtim. in optimis codicibus.* S. *Auguſt. epiſt.* 166. & aulas tuas confige : non eſt, quod parcas : *Cæteri autem libri, & Juſtinus, & Procopius,* καὶ τὰς δέῤῥεις τῶν αὐλαιῶν σου. *Apud* S. *Cyprianum in aliquot exemplaribus,* & pelles tabernaculorum tuorum extende, *ut in vulgata noſtra.* (*b*) Æternam.] *Sic etiam* S. *Cyprianus, & valet, eam quæ a ſeculo, antiquam, ut alibi.* S. *Auguſt. habet,* in perpetuum. (*c*) Tuæ.] *In multis codicibus, & apud Cyrillum eſt,* μου, *& apud* S. *Hier.* meæ. (*d*) Domine.] *In quibuſdam, & apud Cyrillum eſt,* κύριος, Dominus, *& ſic apud* S. *Hier.* (*e*) Ecce ego præparo.] *Symmachus,* ἰδοὺ ἐγὼ συντίθημι στίμμιας λίθους σου. *Th.* ἰδοὺ ἐγὼ ἐμβαλῶ ἐν στίμμι τοὺς λίθους σου. S. *Hier.* omnes præter lxx, ſimiliter tranſtulerunt, ſternam in ſtibio lapides tuos. *Idem refert, pro Iaſpide ſolum Symmachum dixiſſe,* καρχηδονίου, ex Chalcedonio, *& procryſtallo, Symmachum, & Theodotionem* γλυφῆς, ſculpturæ. *Aquilam,* τρυπανισμοῦ, quod verbum, (*inquit,*) foratarum, cælatarumque gemmarum ſenſum ſonat. (*f*) Sufflans.] *Sic Cyrillus. In quibuſdam libris ſequitur,* ἐν πυρείᾳ, in foco : *in aliquot,* ἐν πυρί, *& apud* S. *Hieron.* in igne. *Apud Procopium,* ἐν πυρί, *ſub aſteriſco tribus interpretibus aſcribitur.* (*g*) Non proſperabo.] *Ita etiam Cyrillus. In aliis eſt,* οὐκ εὐοδωθήσεται, *& apud S. Hier.* non proſperabitur. *Idem ſequentia verba ſic in comm. profert,* Et omnis vox, quæ ſurgit contra te in judicium ; omnes eos vinces. *Illa autem,* & obnoxii tui erunt in ea, *obelo prænotat, ut non tam a lxx quam a malis ſcriptoribus addita.*

CAP. LV.

(*a*) COmedite.] *Ita etiam* S. *Hier. Cyrillus autem, & Procopius,* καὶ πίετε, & bibite, *ut apud* S. *Cypr.* 3. *teſtim. in pleriſque codicibus: licet in aliquo ſit,* edite. *In aliis quibuſdam hæc ſequuntur,* καὶ πορεύεσθε, καὶ ἀγοράσατε, *& apud* S. *Hieron.* & ambulate, & emite. *Ea Cyrillus non habet : & apud Procopium ſunt in margine Theodotioni aſcripta cum aſteriſco.* (*b*) Pecunia.] *In cæteris adjungitur,* ἐν οὐκ ἄρτοις, non in panibus. *Quod nec eſt apud* SS. *Hier. & Cyrillum : & apud Procopium ſub aſteriſco Theodotioni tribuitur.* (*c*) Teſtimonium.] *Aq. & Symm.* μάρτυρα, teſtem. (*d*) Conſequetur.] *Ita Juſtinus & Cyrillus, &* SS. *Hier. & Cyprianus* 3. *teſtim. In cæteris codicibus, & apud Procopium ſequitur,* καὶ πρὸς τὸν θεὸν ἡμῶν, & ad Deum noſtrum. (*e*) Non revertetur.] *In aliis hæc adduntur* πρὸς μὲ κενόν, ad me vacuum : *quæ nec* S. *Hier. nec Cyrillus nec Juſtinus habent : & apud Procopium Theodotioni & Symmacho aſſignantur ſub aſteriſco.* (*f*) Tuas.] *Cyrillus,* μου, meas : *apud* S. *Hier.* ejus. (*g*) Docebimini.] *Sic Juſtinus, Cyrillus, Procopius. In quibuſdam vero codicibus eſt,* διαχθήσεσθε, *& apud* S. *Hier.* deducemini. (*h*) Stœba.] Id eſt, viliſſimo ſtipite, *inquit* S. *Hier. qui addit etiam, Symmachum ita dixiſſe, Aquilam vero, & Theodotionem,* conyzam : *ubi autem lxx, conyzam, Symmachum vertiſſe,* urticam. (*i*) Dominus.] *In quibuſdam libris eſt,* κυρίῳ, Domino : *quod cum hebraico convenit.*

CAP. LVI.

(*a*) SEparabit me utique.] *Ita Cyrillus : & apud* S. *Hieron.* putaſne, (*ita enim ſolet interdum verti illud,* ἆρα,) ſeparat me. *In cæteris libris hæc antecedunt,* λέγων, ἀφορισμῷ, dicens, ſeparatione, (*ut in vulgata* :) *quæ apud Procopium ſub aſteriſco Theodotioni aſcribuntur.* (*b*) Juxta ſuum.] *Id eſt, prout ſibi libet, prout fert conſilium, & voluntas ſua, quamvis Cyrillus videtur interpretari,* ἐπὶ τὸ αὐτὸ, in idem, ſimul : *niſi ſi habuit,* κατὰ τὸ ἑαυτοῦ ἅμα. *In aliis libris poſt iſtud,* κατὰ τὸ ἑαυτοῦ, *hæc ſequuntur,* πλεονέκτημα ἐπ' ἄκρα (*al.* ἅμα ἀπ' ἄκρου) αὐτοῦ, (*al.* αὐτῶν) δεῦτε, λάβωμεν οἶνον, καὶ οἰνοφλυγήσωμεν μέθην, καὶ ἔσται τοιαύτη ἡμέρα αὔριον μεγάλη περισσῶς (*al.* περὶ σε ὡς) σφόδρα, unuſquiſque ſecundum ſuam avaritiam ſimul ad ſummitates, (*al.* a ſummitate) ejus, (*al.* eorum :) Venite, ſumamus vinum, & inebriemur ebrietate. Et erit talis dies craſtina, magna amplius nimis. *Quæ* S. *Hier. notat ex hebræo eſſe addita : Cyrillus non habet : apud Procopium Theodotioni ſub aſteriſco tribuuntur.*

CAP. LVII.

(*a*) VOcatis Idola.] *Ita* S. *Hier. In cæteris vero libris, & apud Cyrillum & Procopium eſt,* ἐπὶ τὰ εἴδωλα, advocatis, & adhortamini ad idola. (*b*) Haberes.] *In uno vetuſto adduntur hæc,* ἐπλάτυνας τὴν κοίτην σου, καὶ ἔθου σαυτῇ παρ' αὐτῶν, *quæ videntur reſpondere iis quæ in vulgata noſtra,* dilataſti cubile tuum, & pepigiſti cum eis : *quæ negat* S. *Hier. in lxx haberi.* (*c*) Confortata.] *Videtur abeſſe a Cyrillo. Apud* S. *Hier. eſt,* confortata feciſti hæc. (*d*) Sunt.] *In eodem vetuſto codice additur,* καὶ ζωῶσαι καρδίας τεθλασμένων, & ut vivificet corda contritorum : *quæ reſpondent vulgatæ noſtræ, & videntur eſſe ex alia tralatione.* (*e*) Fluctuabunt.] *Sic apud* S. *Hieron. In multis, & apud Cyrillum eſt,* οὕτως κλυδωνισθήσονται. *Sed in eodem vetuſto,* ὡς θάλασσα ἀναβρασσομένη, οὕτως κλυδωνισθήσονται, καὶ ἀναπαύσασθαι οὐ μὴ δύνωνται. ὅτι ἀποβάλλεται τὸ ὕδωρ αὐτῆς καταπάτημα, καὶ πηλὸν, οὐκ ἔστι χαίρειν, quaſi mare fervens, ſic fluctuabunt, & quieſcere non poterunt : quoniam projicit aqua ejus conculcationem, & lutum : *quæ ſatis reſpondent vulgatæ noſtræ, & videntur ex alia interpretatione.*

CAP. LVIII.

(*a*) INvenitis.] *Sic etiam Cyrillus. In aliquot libris eſt,* εὑρίσκεται, *& apud S.* Hieron. *Tertullianum, & Cyprianum,* inveniuntur voluntates veſtræ. *Non fuerit autem inutile conferre cum hoc totum locum, ut a S. Cypriano recitatur 3. teſtim. & alibi.* (*b*) Acceptabile.] *Aut*, acceptum, *ut S. Cypr. Nec plura habet etiam Cyrillus. Sed in aliquo codice eſt,* ϗ ἡμέραν δεκτὴν, *& apud S.* Hieron. & diem acceptabilem. (*c*) Contractuum.] *Sic S.* Hieron. *in comment. aut*, violentarum cautionum: *pro quibus teſtatur Aquilam dixiſſe, errorem; Symmachum, declinationem; Theodotionem,* κλοιὸν, *id eſt*, torquem. *Noſtros autem inquit verbi ambiguitate deceptos commutationes pro chirographis eſſe interpretatos. Apud Sanctum Cyprianum eſt,* reſolve ſuffocationes impotentium commerciorum. (*d*) Sanitates.] *S.* Hieron, *ex Aquila*, & cicatrix vulneris tui cito obducetur, *atque addit hæc*, Pro eo quod lxx tranſtulerunt, ἰάματά σου, id eſt, ſanitates tuæ, Latini interpretes, ducti nominis ſimilitudine, ἱμάτια, id eſt, veſtimenta, poſuerunt. *Id apud Tertullianum, Cyprianum, Ambroſium, Auguſtinum, licet animadvertere.* (*e*) Ordinationem.] *Teſtatur S.* Hieron. *pro*, χειροτονίαν, *cæteros tranſtuliſſe*, extentum digitum. (*) Erunt.] *S. Ambr. epiſt.* 82. eris. (*f*) Aqua.] *In pleriſque libris hæc ſubjunguntur,* ϗ τὰ ὀστᾶ σου ὡς βοτάνη ἀνατελεῖ, ϗ πιανθήσεται, ϗ κληρονομήσουσι γενεὰς γενεῶν, & oſſa tua, quaſi herba orientur, & pingueſcent & hæreditate poſſidebunt in generationes generationum. *Quæ habent Cyrillus, & Procopius. Ac notat S.* Hieron. *ea in Alexandrinis exemplaribus addita eſſe: in hebraico autem non haberi, ſed ne in lxx quidem emendatis & veris exemplaribus.*

CAP. LIX.

(*a*) INiquitatem.] *S. Cyprianus 3. teſtim. & alibi,* facinus: *itemque paulo poſt: cæteroqui magis convenit hoc loco cum hac noſtra, quemadmodum etiam Cyrillus, quam ea lxx editio, quæ apud S.* Hieron. *ponitur.* (*b*) Et qui de ovis.] *Euſebius:* Cæteri, ὁ ἐσθίων ἐκ τῶν ὠῶν αὐτῶν, ἀποθανεῖται, qui comederit de ovis eorum morietur: *quomodo habet S* Hieron. *in ſua: qui etiam pro regulo Symmachum, inquit, & Theodotionem poſuiſſe aſpidem, Aquilam autem, viperam.* (*c*) Sanguinem.] *Ita etiam Cyrillus. In quibuſdam additur,* ἀναίτιον, *& apud S.* Hieron. innoxium. (*d*) De homicidiis] *Sic Cyrillus. Quidam libri, & Euſebius, lib.* 11. *Evang. dem.* ἀφρόνων, *& apud S. Hier.* ſtultorum. *Quidam etiam,* ἀποφωλίων, vanorum. (*e*) Splendorem in obſcuritate.] αὐγὴν ἐν ἀωρίᾳ. *Ita etiam B. Cyrillus, qui* ἀωρίαν, *interpretatur profundas tenebras. In Complut eſt,* ἐν σκότει. *Apud S.* Hieron. *videtur, pro,* αὐγὴν, *fuiſſe,* αὐτήν. *Ita enim refert ex lxx,* præſtolantes eam, in tenebris ambulabunt. (*f*) A Deo] ὄπισθεν τοῦ θεοῦ, *& ſimilis phraſis paulo poſt* ἀπεστήσαμεν ὀπίσω τὴν κρίσιν. *Sed in priore loco multi habent,* ἀπὸ ὄπισθεν θεοῦ, *quaſi,* à poſt Deum, *id eſt,* à ſequendo Deum, *quomodo & alibi.* (*g*) Suſtinuit.] *Ita apud S. Hier. & valet,* ſuſtentavit: *poſſet autem,* ἐστηρίσατο, *verti etiam,* fultus, & nixus eſt. (*h*) Propter Sion.] *Ita etiam Cyrillus, & collati codices. In Complut eſt,* ἀπὸ σιὼν, *& apud S.* Hieron. *etiam in comment.* veniet de Sion, qui liberet, *& pro,* ὁ ῥυόμενος, *videtur ex alio quopiam interprete afferre,* ἀγχιστεὺς, *quaſi ſimul propinquus, & redemptor.* (*i*) Ait enim.] *Sic Cyrillus. Ab aliquo, & a S. Hier. abeſt illud,* enim.

CAP. LX.

(*a*) THUS deferent.] *Plura non habet S. Hieron. in quibuſdam, & apud Cyrillum additur,* ϗ λίθον τίμιον, & lapidem precioſum. (*b*) Et quia Sanctus Iſrael glorificatus eſt.] *Sic apud Sanctum Hieronymum, licet poſſet etiam verti,* ut ſanctus Iſrael glorioſus ſit (*c*) Meus.] *Ita etiam Cyrillus. In aliquo codice additur,* ϗ τὸν τόπον τῶν ποδῶν μου δοξάσω, *& apud Sanctum Hieronymum*, & locum pedum meorum glorificabo. *Verum fatetur ſe multa, quæ in lxx deeſſent, ex hebræo ſub aſteriſcis poſuiſſe: qui tamen aſteriſci injuria temporum evanuerunt.* (*d*) Domini.] *Addendum eſt in noſtra,* κυρίου, *quod habet etiam Cyrillus. In aliquo autem codice poſt illud,* τῶν παροξυνάντων σε, *hæc habentur,* ϗ προσκυνήσουσιν ἐπὶ τὰ ἴχνη (*in Complut.* προσκυνοῦσι τὰ ἴχνη) τῶν ποδῶν σου πάντες οἱ παροξύναντές σε, ϗ κληθήσῃ πόλις κυρίου, *& apud Sanctum Hieronymum*, & adorabunt veſtigia pedum tuorum omnes, qui irritaverunt te, & vocaberis civitas Domini, *&c. Cyrillus quidem non habet.* (*e*) Salutare.] *Euſebius,* ἀντὶ τοῦ, σωτήριον, ἡ ἑβραϊκὴ ἀνάγνωσις, τὸν ἰησοῦν αὐτὸν περιέχει αὐτοῖς στοιχείοις ϗ χαρακτῆρσιν, οἷς ὁ σωτὴρ ἡμῶν ἀναγέγραπται, Pro, σωτήριον, hebraica lectio habet ipſum Jeſum, iiſdem elementis, & characteribus, quibus Salvator noſter ſcribitur. Idem notat *S. Hier.*

CAP. LXI.

(*a*) SEcundum ſtolam.] κατὰ στολὴν, *ſed recte videtur legi apud Cyrillum, & S. Hieron* καταστολὴν, *id eſt, amictus, & habitus: hoc enim nomen habet Sanctus Hieronymus in textu, in comment. autem,* ſtola. (*b*) Dei.] *Sic Cyrillus; apud Sanctum Hieronymum additur*, noſtri: *in aliquibus codicibus eſt,* ἡμῶν ῥηθήσεται ὑμῖν, *quod reſpondet vulgatæ noſtræ,* miniſtri Dei noſtri dicetur vobis. (*c*) Et in divitiis earum eritis admirabiles.] *Sanctus Hieronymus ex Aquila,* ϗ ἐν δόξῃ αὐτῶν πορφύρᾳ ἐνδύσεσθε, & in gloria earum purpura veſtiemini. *In uno autem codice ſequitur,* ἀντὶ τῆς αἰσχύνης ὑμῶν διπλῆς, ϗ ἐντροπῆς ἀγαλλιάσονται μερὶς αὐτῶν, *quæ reſpondent magna ex parte vulgatæ noſtræ*, pro confuſione veſtra duplici, & rubore, laudabunt partem ſuam: *ea autem negat Sanctus Hieronymus in lxx haberi.* (*d*) Sicut ſponſo, circumpoſuit mitram.] *Sic interpungit etiam Sanctus Hieronymus, quamvis paulo aliter ſit in quibuſdam codicibus & apud Sanctum Hieronymum qui pro hoc inquit Aquilam tranſtuliſſe,* ἱερατευμένος στεφάνῳ ſacerdotii portans coronam. (*e*) Terram efferentem.] *Ita etiam Sanctus Hieronymus. Sed Cyrillus videtur habuiſſe,* ὡς γῆ αὔξουσα, ſicut terra efferens: *quod expeditius fluit.*

CAP. LXII.

(*a*) EJUS] *In multis codicibus, & apud Cyrillum eſt,* μου. *Apud S. Hier. etiam in comm.* juſtitia ejus, & ſalutare illius. *In Complut. priore loco,* μου, *poſteriore* ἐκείνου *ſed potius videretur dicendum,* ἐκείνης, *aut repetendum,* αὐτῆς. (*b*) Dominus.] *Ita etiam Cyrillus. In Complut. eſt,* τὸ στόμα κυρίου *& apud S.* Hieron. Os Domini. (*c*) Tibi enim vocabitur.] *Eſt hebraiſmus; quem S. Hieron. ita videtur molliviſſe,* vocaberis enim voluntas mea, & terra tua, habitata. *Notat autem, quod lxx dixerunt,* οἰκουμένη, *Aquilam eſſe interpretatum,* ἐχομένη, *Symmachum, & Theodotionem,* συνῳκισμένη, quæ omnia (*inquit*) habitatam poſſeſſamque ſignificant. (*d*) Quia complacuit Domino in te: & terra tua cohabitabitur.] *Hæc non ſunt apud Cyrillum: & negat* S. Hier. *in lxx haberi.* (*e*) Tui.] *Sic etiam* S. Hier. *at in cæteris libris additur,* μετὰ σοῦ, tecum. (*f*) Gloriam.] *Sic etiam Cyrillus, & Procopius. In quibuſdam libris eſt,* δεξιᾶς, *& apud S. Hieron.* dexteram: *quod apud Procopium tribuitur Theodotioni.* (*g*) Suam.] *Ita etiam Cyrillus. In aliquo libro additur,* μετ᾽ αὐτοῦ, *& apud* S. *Hier.* tecum.

CAP. LXIII.

(*a*) RUbor veſtium.] ἐρύθημα ἱματίων. *Apud* S. *Hieron. eſt,* fulvis veſtibus. (*b*) Sic.] *Ita etiam* S. *Hier. In aliis, & apud Cyrillum,* οὗτος, iſte. (*c*) Stola] *Ita Cyrillus. In quibuſdam additur* αὐτοῦ, *& apud* S. *Hier.* ſtola ſua. (*d*) Violentia.] *Sic* S. *Hieron. etiam in comm. ex lxx. & Procopius, & Tertullianus, lib. 4. adv. Marcionem. In aliquot autem libris eſt,* βοᾷ μετ᾽ ἰσχύος, clamat cum fortitudine. (*e*) Ego loquor juſtitiam] *Apud* S. *Hieron.* ego, qui loquor. *Scholion Euſebii,* ὑπερμαχῶν, propugnans (*f*) Plenus percalcato.] *Id eſt, oppletus ſum quaſi humore expreſſo per calcationem torcularis. Corrigenda autem in Græca editione interpunctio, ut huic reſpondeat. Et ſuſpicari quidam licet adhuc ſubeſſe aliquod mendum. Veruntamen ſatis ſit ex hac etiam lectione ſat commodam elici ſententiam, & magis quodammodo hebraicæ reſpondentem, quam eam, quæ in cæteris codicibus: in quibus eſt,* πλήρους. *Varie autem apud latinos vertitur iſtud,* πλήρους, *prout varie aut accipitur aut legitur illud,* ἀπὸ πατητοῦ ληνοῦ, *quod antecedit. Tertullianus ibidem*, ſicut de foro torcularis pleno conculcato. *Procopius pro,* πατητοῦ, *habet,* πατήματος, *&* S. *Cyprianus epiſt* 63. *ad Cæcil.* velut a calcatione torcularis pleni, & percalcati. *B. Cyrillus in explanatione neutrum videtur habuiſſe, ſed tantum,* ἀπὸ ληνοῦ, *& in expoſitione Symboli inter opera* S *Cypriani*, tanquam a torculari calcato. *Vetus interpres, aut aliter legit, aut videtur accepiſſe pro unica dictione,* ἀποπατητοῦ, *quaſi*, calcatoris. *Ita enim apud* S. *Hier.* ſicut calcantium torcular, plenum conculcatum. *In nonnullis autem libris, poſt,* καταπεπατημένης, *ſequitur,* ληνὸν ἐπάτησα μονώτατος, torcular calcavi ſolus: *quod Juſtinus habet. Sed apud Procopium pro alia interpretatione in margine appoſitum eſt ad* πλήρους καταπεπατημένης· *& perſpicue* S. *Hier.* lxx, pro eo quod nos diximus, torcular calcavi ſolus, interpretati ſunt, plenum conculcatum. *Quare in eadem expoſitione ſymboli poſt illa,* tanquam a torculari calcato; *omiſſis illis, quæ ſunt in cæteris græcis, ſequitur*: Torcular calcavi ſolus. (*g*) Terram.] *In aliquot libris hæc ſequuntur,* ϗ πάντα τὰ ἐνδύματά μου ἐμόλυνα, *& apud* S. *Hieron.* & omnia veſtimenta mea inquinavi. *Quæ apud Cyrillum ſunt in textu: ſed in explanatione non agnoſcuntur: & apud Procopium, nomine Theodotionis & Symmachi ſunt appoſita margini cum aſteriſco.* (*h*) Advenit.] *Ita apud* S. *Hieron. quod græce,* ἐπέστη. *In quibuſdam additur,* αὐτοῖς, invaſit eos. (*i*) Ipſe.] *Ita etiam apud* S. *Hieron. & Procopium. In aliis, & apud Cyrillum additur,* κύριος, Dominus. *S. Cypr.* 2. *teſtim. hunc locum ſic refert*, non ſenior, neque angelus, ſed ipſe Dominus liberabit illos: quia diliget eos, & parcet eis: & ipſe redimet eos. (*k*) E mari.] *Ita etiam hebræus, & S. Hieron. in ſua. In cæteris eſt,* ἐκ τῆς γῆς, *quod etiam recentiore manu in Vaticano eſt intruſum: & apud S. Hier.* de terra. *S. Paulus, ad calcem epiſtolæ ad Hebræos hunc locum ſpectans dixit,* ὁ ἀναγαγὼν ἐκ νεκρῶν, qui eduxit de mortuis. (*l*) Brachium gloriæ ſuæ?] *Apud Cyrillum conjunguntur cum ſequentibus*, brachium gloriæ ſuæ ſuperavit (*aut* cohibuit) aquam. *In Compl. & magna ex parte in aliis poſt illa*, gloriæ ſuæ, *eſt.* οὕτως ἤγαγεν τὸν λαὸν αὐτοῦ κατ᾽ ἰσχυρὸν ὕδωρ ἀπὸ προσώπου αὐτοῦ, *& apud S. Hier.* ſic eduxit populum ſuum per validam aquam in conſpectu ejus. (*m*) Te.] *In pleriſque libris, & apud Procopium hæc ſequuntur,* οἱ ὑπεναντίοι ἡμῶν κατεπάτησαν τὸ ἁγίασμά σου, *& apud Sanctum Hieronymum*, adverſarii noſtri conculcaverunt ſanctuarium tuum. *Quæ nec Cyrillus, nec Juſtinus habent.*

CAP. LXIV.

(*a*) SEdentis] *Sic apud S. Hier. quod græce,* ἀποκαθημένης, *id eſt,* menſtruatæ, *ut alibi. Pro quo inquit Symmachum dixiſſe,* κυουσῶν, parientium, *Aq.* μαρτυρίων, teſtimoniorum; *Theodotionem, ipſum verbum hebraicum poſuiſſe.*

CAP. LXV.

(*a*) INterrogantibus.] *In cæteris priore loco eſt,* ζητοῦσιν, *poſteriore,* ἐπερωτῶσιν, *& ita apud S. Hieron. & S. Cypr. primo teſtim.* (*b*) Dæmoni.] *Ita etiam Cyrillus. In aliis, & apud S. Hieron. etiam in comm. prius eſt*, fortunæ, *deinde* dæmoni: *quod inquit Symmachum eſſe interpretatum* abſque me: *& addit omnes ſimiliter tranſtuliſſe,* κέρασμα, id eſt, mixtam potionem. (*c*) Saturitatem.] *Id eſt, nauſeam, & faſtidium, ut Cyrillus & S. Hieron. qui cæteros inquit interpretatos eſſe juramentum.* (*d*) Verum.] *S. Hieron. ex Aquila,* πιστωμένως, fideliter. (*e*) In ea] *In aliquo codice ſequitur,* ὅσα ἐγὼ κτίζω quæ ego creo: *ex alia nimirum verſione. Nam in lxx negat S. Hieron. haberi.* (*f*) Maledictionem] *S. Hier. ex cæteris*, feſtinationem: *fortaſſe ex alia quapiam interpretatione,* εἰς ἀνυπαρξίαν, ut finem ſubſtantiæ ſuæ habeant.

CAP. LXVI.

(*a*) VItulum.] *Sic SS. Irenæus, Baſilius, Cyrillus (quod patet ex explanatione) & Biblia e Græco in Arabicum verſa. In cæteris hæc ſequuntur,* ὡς ὁ τύπτων ἄνδρα, ϗ ὁ θυσιάζων ἐκ ποιμνίου, *quæ apud Procopium Theodotioni & Symmacho ſub aſteriſcis tribuuntur. Apud S. Hier. ſunt*, quaſi percutiens virum, ſacrificans de grege, *&c. qui notat illud*, iniquus autem, *in Hebraico non haberi.* (*b*) Noſtri.] ἡμῶν, *eſt in Vaticano, licet per errorem ſit factum* ὑμῶν. *In aliis, & apud Cyrillum eſt,* ἀδελφοῖς ὑμῶν, *& apud S. Hieron.* fratribus veſtris. *Sed in ſua verſione*, dixerunt fratres veſtri, qui oderunt vos. (*c*) Introitu.] *Pro hoc teſtatur* S. *Hieron. Symmachum*, pinguedinem ; *Theodotionem*, multitudinem, *eſſe interpretatos.* (*d*) Qui purificantur.] *Ita etiam Cyrillus,* οἱ ἁγνιζόμενοι. *In quibusdam eſt,* οἱ ἁγιαζόμενοι, *& apud Sanctum* Hieronymum, qui ſanctificatur: *qui inquit, Symmachum & Theodot. hunc locum ita eſſe interpretatos*, Qui ſanctificamini, & luſtramini in hortis alter poſt alterum, inter eos qui comedunt carnem ſuillam, & abominationem, & murem ; ſimul deficient, dicit Dominus.

(*e*) Eorum.] *Sic hebræus, ac multi putant ſubintelligi ſimile quoddam verbum atque illud quod in cæteris libris græcis adjungitur,* ἐπίσταμαι, *& apud Sanctum Hieronymum*, novi. *Idem vero in ſua nullo ſubintellecto verbo conjungit cum ſequentibus*, venio ut congregem. (*f*) Moſoch.] *Pro hoc inquit Sanctum Hieronymum cæteros dixiſſe*, tendentes arcum. (*g*) Vmbraculis.] *Idem ex cæteris* , φορεῖα, varii generis vehicula ; *& nonnullas præterea affert varietates, quæ legendæ.*

HIEREMIAS.

CAP. I.

(*a*) CAptivitatem.] S. *Hieron.* Pro tranſmigratione, quod omnes alii voce conſona tranſtulerunt, lxx poſuere captivitatem. (*b*) O On:] ὁ ὢν. *In aliis, & apud Theodoretum eſt,* ὢν, *ut ſignificet eum qui vere eſt, ut Exodi* 3. *Nam alibi Idolum ſignificat.* (*c*) Baculum nuceum.] S. *Hieron.* Pro baculo nuceo, virgam vigilantem Aquila & Symmachus ; Theodotio vero, amygdalinam, tranſtulerunt : *quod Syriaco, & Hebraico reſpondere notavit Theodoretus.* (*d*) Neque exterrearis coram eis.] *Sic videtur habuiſſe Theodor. licet ea referat loco ſuperiore, qui huic ſimilis eſt. In quibusdam libris eſt,* μηδὲ πτοηθῶσαί σε ποιήσω, neque faciam te exterreri. S. *Hieron. videtur legiſſe,* μήποτε. *Ita enim inquit*, Sive, ut lxx & cæteri habent interpretes, ne forte timere te faciam : *& pulcherrimam elicit ſententiam.*

CAP. II.

(*a*) ET dixit.] *Pro hoc iſta leguntur in Complut.* ϗ ἐγένετο ῥῆμα κυρίου πρός με, λέγων, πορεύου, ϗ βόα εἰς τὰ ὦτα ἱερουσαλὴμ, λέγων, Et factum eſt verbum Domini ad me, dicens, Vade, & clama in auribus Hieruſalem, dicens. *Quæ a Theodoreto quidem videntur innui : Sed* S. *Hieron. teſtatur, in lxx non haberi, ſed ſub aſteriſcis de Theodotionis editione addita eſſe.* (*b*) Sanctus Iſrael.] *Ita videtur interpungendum, ſi legatur,* ὁ ἅγιος. *Sed a nonnullis, & a Theodoreto abeſt illud,* ὁ, *quare hic faciendum erit principium*, Sanctus Iſrael Domino, *ut intelligamus, Iſraelem eſſe ſanctum Domino, & primitias frugum ejus.* (*c*) Neque habitavit homo illic.] *In uno codice eſt* (*atque ita fere Compl.*) οὐδὲ κατῴκησεν ἐκεῖ υἱὸς ἀνθρώπου, neque habitavit ibi filius hominis : *quam lectionem agnoſcit* S. *Hier. ex lxx.* (*d*) Et mala.] *Illud,* ϗ, *abeſt ab aliquo.* (*e*) Illud, quod dereliquiſti.] τὸ καταλιπεῖν σε ἐμέ. *In aliis quibusdam eſt,* τοῦ καταλιπεῖν, in derelinquendo. (*f*) Herbam.] *In Vat. eſt,* ποίαν, *ac videtur poſitum pro,* πόαν, *quod eſt in aliis, & apud* S. *Hieron.* (*g*) Sepulchro multitudinis.] *Sic interpretatur* S. *Hier.* πολυάνδριον, *nec multo aliter Theodoretus. Aq. & Sym.* ἐν τῇ φάραγγι, in convalle. (*h*) Ululavit.] *Victor Antioch.* Oſee autem propheta inquit, ὠλόλυζον ἐπὶ τῆς κοίτης αὐτῶν, ululabant ſuper cubile ſuum : quod Aquila quidem & Symm. reddiderunt, ἀσελγῶς ἐλάλησαν, molliter loquuti ſunt. *Hoc quidem loco notat* S. *Hier. tres ipſos dixiſſe,* δρομὰς κούφη, *quod ipſe in ſua*, curſor (*Sed accipiendum eſt in genere fœminino,*) levis explicans vias ſuas. (*i*) Spiritu portabatur.] *Chryſoſt. Juxta cæteros,* εἵλκυσεν ἄνεμον, attraxit ventum, *ut vulgata. Legendus eſt* S. *Hieronymus.* (*k*) Humilitate.] *Hoc etiam Theodotionis eſſe teſtatur* S. *Hier. pro quo Aquila dixerit neomeniam, Symm. menſem.* (*l*) Viriliter agam.] *Victor,* Aquila, ἀπέγνων σου, *id eſt,* ἀπήλπισα, deſperavi, *ut vulgata.*

CAP. III.

(*a*) SI dimiſerit.] *Ante hac* S. *Hieron. pro eo, quod ipſe ait*, Vulgo dicitur, *teſtatur lxx poſuiſſe tantum*, dicitur, *quod in nullo codice eſt inventum.* (*b*) Eis.] αὐτοῖς, *id eſt, amatoribus, vel paſtoribus, expoſita. In aliquo eſt,* αὐτῆς, *in viis ejus : ſed parum apte.* (*c*) Polluiſti.] *Victor*, Alius, pro, ἐμίανας, edidit, ἐφονοκτόνεις, interficiebas : *cujus varietatis facit etiam mentionem* S. *Hier.* (*d*) Tua.] *In nonnullis, pro,* σου, *eſt,* σοι, *& apud* S. *Hier.* facies meretricis facta eſt tibi. (*e*) Tanquam domum.] *Sic etiam Theodoretus, & affert locum pſal.* 30. in domum refugii. *Aliqui habent,* ὡς οἰκεῖον tanquam domeſticum. *Compl.* ἕως νῦν, uſque nunc. (*f*) In victoriam.] *ſubintelligit Theodoretus*, mendacium, & illuſio tua : *quaſi dicat, perſeverabitne in ſeculum illuſio tua, quaſi inde ſperes te victricem futuram? Alibi notatum eſt,* εἰς νῖκος, *valere*, in finem. (*g*) Viderunt.] *Theodoretus videtur habuiſſe,* εἶδεν, vidit. (*h*) Quia.] *In aliquo eſt,* ἔτι, præterea. (*i*) Hæreditatem] *Theodoretus videtur addere,* ὀνομαστὴν, *&* S. *Hier. refert ex lxx*, hæreditatem nominatam. *Pro quo Theodotionem tranſtuliſſe inquit*, hæreditatem inclytam fortitudinis robuſtiſſimi gentium. (*k*) Noſtra.] *Sic etiam vulgata noſtra. In multis, & apud Theodoretum eſt ,* αὐτῶν, eorum.

CAP. IV.

(*a*) DUritiam.] S. *Cypr.* 1. *teſtim.* præputium cordis veſtri. *Pro quo inquit* S. *Hieron. Symmachum poſuiſſe*, purificamini Domino, & auferte malitias cordium veſtrorum. (*b*) Terram.] *In aliquo additur,* σου, *itemque paulo poſt,* πόλεις σου, terram tuam, civitates tuæ. (*c*) Ululate.] ἀλαλάξατε, *videtur hoc loco poſitum, pro,* ὀλολύζετε, *quod eſt in aliquo, & apud Theodoretum.* (*d*) Furor.] *In aliis, & apud Theodoretum additur,* ὀργῆς, iræ. S. *Hieron. notat, pro eo quod ipſe poſuit*, non eſt averſa ira furoris Domini a nobis, *lxx poſuiſſe*, a vobis. (*e*) O dominator Domine.] ὦ δέσποτα κύριε. S. *Hieron. agnoſcit apud lxx*, ô Domine Deus. (*f*) Laborum.] *Aquila,* ἀνωφελείας, damni, noxiæ, (*ut* S. *Hieron. in ſua*) *Symm.* ἀδικίας, injuſtitiæ. (*g*) Fluctuat.] *Videtur idem hoc loco ſignificare,* μαιμάσσει, *ac ſolet,* μαιμάζω. *In Compl. eſt.* μὲ μάσσει, *& vertunt*, me premit. *Sed manifeſto* S. *Hier. agnoſcit,* μαιμάσσει, *ex lxx, & Theodotione, ſuper quo verbo magnum apud pleroſque eſſet certamen, & pro quo Aquila dixerit,* ὀχλάζει, tumultuatur. (*h*) Nihil.] *Aq.* κενὴ, vacua, *Symm.* συγκεχυμένη, confuſa. (*i*) Habitabat.] *In multis eſt,* κατοικεῖ, habitat. (*k*) Et tu.] S. *Hier. in ſua*, tu autem vaſtata : *quod inquit eſſe Aquilæ, alios autem tranſtuliſſe, miſeram, atque miſerabilem : atque ejuſmodi quiddam videtur Theodoretus agnoſcere.*

CAP. V.

(*a*) QUanam harum.] *Euſebius,* 11. *Evang. Demonſtr. habet,* ποίῳ τούτων, quonam horum. (*b*) Furentes in fæminas.] S. *Hieron. ex cæteris,* ἕλκοντες, trahentes. (*c*) Relinquite ſuſtentacula ejus, quia Domini ſunt.] *Ita collati codices , & Theodoretus. In Complut. vero,* ἀπολέσητε τὰ ὑποστηρίγματα αὐτῆς, ὅτι τοῦ κυρίου οὐκ εἰσὶν, diſperdetis ſuſtentacula ejus, quia non ſunt Domini : *quomodo fere* S. *Hieron.* (*d*) Dominus.] *In Complut. additur,* ἔθνος ἰσχυρὸν, ἔθνος ἀπ' αἰῶνος, gentem robuſtam, gentem antiquam. *Theodoretus hoc ſecundum tantum agnoſcit.* S. *Hier. habet utrumque.* (*e*) Fortes.] *In eadem ſequitur,* φαρέτρα αὐτοῦ ὡς τάφος ἀνεῳγμένος, *quod* S. *Hier.* (*licet apud ipſum ſit ante illa*, univerſi fortes) pharetra ejus, quaſi ſepulchrum patens. *Quæ agnoſcuntur etiam a Theodoreto : Sed* S. *Hier. teſtatur in lxx editione non eſſe.* (*f*) Serviſtis.] *In pleriſque libris eſt,* ἀνθ' ὧν ἐγκατελίπετέ με ἐν τῇ γῇ ὑμῶν. *In quibusdam, & apud Theodoretum, utrumque conjungitur, ſicut* S. *Hieron. in ſua*, ſicut dereliquiſtis me, & ſerviſtis, *&c. Idem tamen in comm. habet tantum*, ſicut ſerviviſtis Deo alieno, id eſt, Baal, vel Diis alienis cunctarum gentium in terra Judæa, ſic ſervietis, &c.

CAP. VI.

(*) TUA.] *Addendum,* σου, *in noſtra.* (*a*) Diei.] *Plerique,* τῆς ἑσπέρας vesperi, *ut vulgata noſtra.* (*b*) Dominus.] *In multis additur,* τῶν δυνάμεων, *& apud* S. Hieron. virtutum : *itemque paulo poſt.* (*c*) Et non conſumpſi.] *Ita enim corrigendum in noſtra,* ϗ οὐ συνετέλεσα, *quemadmodum & apud Theodoretum eſt : apud* S. *Hier.* & non conſumpſi eum. (*d*) In populis probatis.] *Cum* S. *Hier. haberet in ſua*, in populo meo robuſtum, *notat, pro,* robuſtum, *Aquilam dixiſſe*, munitum, *Symm. & lxx*, clauſum, atque circundatum.

CAP. VII.

(*a*) AUdite.] *In Complut. hæc antecedunt, quæ a Theodoreto etiam innuuntur,* ῥῆμα, ὃ ἐγένετο πρὸς ἱερεμίαν παρὰ κυρίου, λέγον, ἵστα ἐπὶ τὴν πύλην τοῦ οἴκου κυρίου, ϗ ἀνάγνωθι ἐκεῖ τὸ ῥῆμα τοῦτο, ϗ εἰπὲ, ἀκούσατε. *quod* S. *Hier. in ſua* : Verbum, quod factum eſt ad Hieremiam a Domino, dicens , Sta in porta domus Domini, & prædica ibi verbum iſtud, & dic, Audite, *&c. Quæ tamen teſtatur in lxx non haberi , ſed de Theodotione ex Hebraico eſſe addita.* (*b*) Templum.] *Hæc repetitio non eſt in Complut. Apud Theodoretum vero etiam tertio iteratur, quemadmodum in* Hebraico. (*c*) Abſtinuimus, ne faceremus.] *In Complut. eſt,* ἀπεσχήμεθα τοῦ ποιεῖν, abſtinuimus a faciendo. S. *Hier. ex lxx videtur afferre*, deſivimus eo quod fecerimus. (*d*) Chavonas.] Quas (*inquit* S. *Hieron.*) nos placentas interpretati ſumus, ſive præparationes. *In Scholiis quemadmodum & in codicibus varie iſtud nomen ſcribitur. Chryſoſt.* πόπανα, inquit, panes. *Olympiodorus,* χαμῶνας autem vocat pemmata, & bellaria quædam. (*e*) Sermonem.] *In Complut. adjunguntur,* ϗ οὐκ ἀκούσονταί σε, ϗ καλέσεις αὐτοὺς, ϗ οὐκ ἀποκρινοῦσί σοι, ϗ ἐρεῖς πρὸς αὐτοὺς, *quæ in vulgata noſtra*, & non audierit te : & vocabis eos, & non reſpondebunt tibi : & dices ad eos. *Quæ neque Theodoretus agnoſcit.* (*f*) Tapheth.] *Schol.* τόπος ἦν οὕτω λεγόμενος. ἦν ἡ ἐλαιὼν ἐν προαστείοις ἱερουσαλὴμ ἐν ᾧ περ εἰδωλολάτρουν, Locus erat ſic dictus. Erat autem olivetum in ſuburbanis Hieruſalem ; in quo quidem idola colebant. *Theodoretus putavit eſſe nomen Idoli. Legendus* S. *Hier.*

CAP. VIII.

(*a*) TOrrebunt.] *In Complut.* ἐκτενοῦσι, extendent. (*b*) Defecit.] *Theodor.* Quod Syrus ita interpretatus eſt, πάντες τῇ γνώμῃ αὐτῶν πορεύσονται, ὡς ἵππος ὁρμῶν εἰς πόλεμον, omnes ſenſu ſuo ibunt, quaſi equus ruens in prælium, *&c.* (*c*) Aſida.] *Victor.* τὴν ἀκύλας ἐρωδιὸν ἐξέδωκεν, quam Aquila reddidit, herodium. *Olympiodorus* : ἰνδικὸν δέ ἐστι γένος ὀρνέου ἡ ἀσίδα, Aſida autem eſt genus avis Indicæ. *Addit* S. *Hier. pro hac voce hebraica, quam lxx. & Theodotio poſuerunt, Symmachum dixiſſe, milvum : qui & alias affert varietates. Nonnulla etiam dicuntur a Theodoreto.* (*d*) Juncus.] σχοῖνον *videtur dixiſſe pro calamo. Theodoretus tamen interpretatur*, funiculum, & hæreditatem. (*e*) Hæredibus.] Hæredes, (*inquit Theodoretus*) appellavit hoſtes. H*ic autem in uno pervetuſto adjunguntur eadem quæ ſunt in cap.* 6. *ab illis*, a parvo enim eorum, *uſque ad illa*, & in tempore viſitationis peribunt, dicit Dominus : *quæ innuuntur a Theodoreto, & reſpondent vulgatæ. Eadem fere etiam habentur in Complut.*

CAP. IX.

(*a*) QUia faciam.] *Fortaſſe illud,* ὅτι, *valet idem, ac* τί, *quod eſt in aliquo, & legendum per interrogationem. Nam &* S. *Hier. apud lxx videtur habere*, Quid faciam, *&c.* (*b*) Subſtantiæ.] ὑπάρξεως. S. *Hier.*

ſubſtantia hic non pro, οὐσία, hoc eſt, eſſentia, accipitur, ſed pro opibus, atque divitiis. (*c*) Et veniant.] *Olympiodorus legit*, καὶ φθεγξάσθωσαν, & loquantur. (*d*) Platæis.] *Ita collati codices, & Compl. Apud Theodoretum adjungitur*, τάδε λέγει κύριος. S. *Hieron. cum in ſua dixiſſet*, Loquere: hæc dicit Dominus: *notat iſtud*, λάλησον, *id eſt, loquere, eſſe ex Aquila & Symmacho, lxx vero & Theodotionem dixiſſe*, morte, *ita jungentes cum ſuperioribus*, juvenes de platæis morte. (*e*) Noſſe.] *In quibuſdam additur* με, me. (*f*) Idumæam.] *Nonnulli, & Theodoretus*, ἰούδαν, Judam, *ut vulgata noſtra.*

CAP. X.

(*a*) QUIA timent ea faciebus ſuis.] *Aut*, timentur: *utroque enim modo videntur verti poſſe*, ὅτι φοβοῦνται αὐτὰ τοῖς προσώποις αὐτῶν. *In Compl. eſt*, ὅτι φοβοῦνται αὐτὰ ἔθνη, quoniam gentes timent ea. (*b*) In eis.] *Hucuſque idem fere verborum ordo videtur agnoſci etiam in Theodoreto: nam, Complut. paululum variat, ut magis reſpondeat vulgatæ. Hic autem & in Complut. & apud Theodoretum hæc interjiciuntur*, οὐκ ἔστιν ὅμοιός σοι κύριε, μέγας εἶ σύ, καὶ μέγα τὸ ὄνομά σου ἐν τῇ ἰσχύϊ. τίς οὐ φοβηθήσεταί σε βασιλεῦ ἐθνῶν; σοὶ γὰρ πρέπει. ὅτι ἐν πᾶσι τοῖς σοφοῖς τῶν ἐθνῶν, καὶ ἐν πάσαις ταῖς βασιλείαις αὐτῶν οὐκ ἔστιν ὅμοιός σοι. ἅμα (*hæc poſtrema pars a Theodoreto ſignificatur, non exprimitur*) ἄφρονες καὶ ἀνόητοί εἰσι. διδασκαλία ματαίων αὐτῶν ξύλον ἐστίν. *quæ ſic fere in vulgata noſtra redduntur*: Non eſt ſimilis tui Domine: magnus tu, & magnum nomen tuum in fortitudine. Quis non timebit te ô rex gentium? Tuum eſt enim decus. Inter cunctos ſapientes gentium, & in univerſis regnis eorum nullus eſt ſimilis tui: pariter fatui & inſipientes probabuntur: (*in comm.* S. *Hier. habet*, ſunt, *ut græcus*:) Doctrina vanitatis eorum lignum eſt. *Hæc autem idem* S. *Hieron. affirmat in lxx non haberi, ſed de Theodotionis editione in pleriſque addita eſſe. Apud Theodoretum vero adduntur præterea multa ad laudem veri Dei pertinentia, quæ reſpondent vulgatæ*, Dominus autem Deus verus eſt, iſte Deus vivens, & rex ſempiternus. Ab indignatione ejus commovebitur terra: & non ſuſtinebunt gentes comminationem ejus. (*c*) Lumen.] *In multis eſt*, ἀνέμους, φῶς, ventos, lumen. *In Compl. & apud Theodoretum eſt tantum*, ventos, *quod etiam videtur referri a* S. *Hieronymo, ex lxx.* (*d*) Ipſe eſt hæreditas ejus.] *Origenes*: Aquila & Theodotio ediderunt, ὅτι ὁ πλάσας τὰ πάντα, αὐτός ἐστιν, καὶ ἰσραὴλ ῥάβδος κληρονομίας αὐτοῦ. *quod in vulgata noſtra*: Qui enim formavit omnia, ipſe eſt, & Iſrael virga hæreditatis ejus. (*e*) In electis.] *Sic etiam Theodoretus. In Compl. eſt*, ἐν τειχίσματι, *& apud* S. *Hieron.* in munitione. (*f*) Tuum.] *In aliis quibuſdam, & apud Theodoretum, & hic, & in ſequentibus eſt*, μου, *&* με, *& ſic apud* S. *Hieron.* vulnus meum, apprehendit me, tabernaculum meum, pelles meæ.

CAP. XI.

(*a*) ILLA.] *In Compl. hæc adjunguntur*, ὅτι συμμαρτυρόμενος συνεμαρτυράμην τοῖς πατράσιν ὑμῶν ἐν ἡμέρᾳ, ᾗ ἐξήγαγον αὐτοὺς ἐκ γῆς αἰγύπτου ἕως τῆς ἡμέρας ταύτης. ὀρθρίζων συνεμαρτυράμην λέγων, ἀκούσατε τῆς φωνῆς μου. καὶ οὐκ ἤκουσαν, οὐδὲ ἔκλιναν τὸ οὖς αὐτῶν. ἀλλ' ἐπορεύοντο ἕκαστος ἐν σκολιότητι τῆς καρδίας αὐτοῦ τῆς πονηρᾶς. καὶ εἰσήγαγον ἐπ' αὐτοὺς πάντα τὰ ῥήματα τῆς διαθήκης ταύτης ἧς ἐνετειλάμην τοῦ ποιῆσαι. *Quæ redduntur in vulgata noſtra*, Quia conteſtans conteſtatus ſum patres veſtros in die qua eduxi eos de terra Ægypti uſque ad diem hanc. Mane conſurgens conteſtatus ſum, & dixi, audite vocem meam. Et non audierunt, nec inclinaverunt aurem ſuam: ſed abierunt unuſquiſque in pravitate cordis ſui. Et induxi ſuper eos omnia verba pacti hujus quod præcepi ut facerent. *Quæ* S. *Hier. teſtatur in lxx non haberi, Theodor. habet: ac pro*, σκολιότητι, *habet*, εὐθύτητι, rectitudine: *quam interpretatur non æquitatem, ſed pervicaciam, & inflexibilitatem, ut ita dicam, in improbitate. Vide cap.* 13. (*b*) Colligatio.] σύνδεσμος. *De hac dictione (quam nunc etiam Aquila & Theodotionis teſtatur eſſe* S. *Hier. ipſe vero ex Symmacho conjurationem dixit) & alibi notatum eſt; & hic* S. *Hieron. & Theodoretus eam explicant.* (*c*) Bene opacam ſpecie.] *Sic videtur habuiſſe etiam Theodoretus. In Compl. eſt*, εὔσκιον, ὡραίαν τῷ εἴδει, opacam, pulchram ſpecie. (*d*) Domine.] *Hic, ut alibi ſæpe in quibuſdam additur*, δυνάμεων, virtutum.

CAP. XII.

(*a*) PUrifica eos in diem occiſionis.] *In aliis ſequitur*, ἄθροισον αὐτοὺς ὥσπερ πρόβατα εἰς σφαγήν. *Contra autem in Complut. & apud Theodoretum hic locus ſic habet*, συνάγαγε αὐτοὺς ὡς ποίμνιον εἰς θυσίαν, καὶ ἅγνισον αὐτοὺς εἰς ἡμέραν σφαγῆς, congrega eos, quaſi gregem ad victimam, & ſanctifica eos in diem occiſionis, *quomodo vulgata noſtra. Notat autem Theodoretus* ἅγνισον, *idem eſſe ac*, ſegrega: *nam ſegregat ſe, qui vult purificari, & ſanctificari: additque, Syrum poſuiſſe*, εὐτρέπισον, bene præpara. (*b*) Tui pedes.] *Theodoretus*, Syrus ſic dixit, μετὰ πεζῶν τρέχουσα ἡττήθης. καὶ πῶς ἀναστῆναι ἱππεῦσι δυνήσῃ; cum peditibus currens victa es: & quomodo conſurgere adverſus equites poteris? S. *Chryſoſt.* Aquila, σὺν δρομεῖ τε ἔδραμες, καὶ ἐμόχθησέ σε, cum curſore cucurriſti, & fatigavit te. (*c*) Quomodo facies in fremitu Jordanis.] *Theodoretus ex Syro*, πῶς περάσεις ἰορδάνην πλημμυροῦντα; Quomodo trajicies Jordanem exundantem? (*d*) Ejus.] *In aliquo additur*, ἐπ' αὐτήν, *& apud* S. *Hieron.* ſuper eam. (*e*) Diverticulum.] *Theodoretus*, διεκβολήν. Syrus interpretatus eſt, ἀτραπόν, diverticulum, ſemitam. *Idem vero illud*, ταλαιπωροῦντες, *accipit, pro* miſere affecti. (*f*) Seminate.] *In aliis eſt*, ἐσπείρετε (*al.* ἐσπείρατε, *&* ἐθερίσατε, *& apud* S. *Hier.* ſeminaſtis triticum, & ſpinas meſſuiſtis. (*g*) Ædificabitur.] *In quibuſdam.* οἰκοδομηθήσονται, ædificabuntur.

CAP. XIII.

(*a*) AD me.] *In Compl. additur*, ἐκ δευτέρου, ſecundo, *ut vulgata noſtra.* (*b*) Meis.] *In eadem, & apud Theodoretum ſubjungitur*, πορευθέντας ἐν εὐθύτητι τῆς καρδίας αὐτῶν τῆς πονηρᾶς, qui ambulaverunt in directione cordis ſui peſſimi: *quam directionis vocem videtur* S. Hier. *agnoſcere ex lxx, & ſignificat id quod capite* 11. *dictum eſt, nimirum pervicaciam, & cor obſtipum: quare S. Hieron. in ſua habet*, pravitate. (*c*) Iſtum.] *Apud Theodor. & in Compl. ſubjungitur*, τάδε λέγει κύριος ὁ θεὸς ἰσραήλ, Hæc dicit Dominus Deus Iſrael, *ut vulgata noſtra.* (*d*) Uter.] S. *Hier. inquit Aquilam in prima editione poſuiſſe lagunculam, in ſecunda ipſum verbum hebraicum Nebel, Symmachum, craterem, Theodotionem, vas.* (*e*) Ipſorum.] *In multis, & apud Theodoretum eſt*, αὐτοῦ, *& in noſtra*, ejus. (*f*) Ponetur.] *Theodoretus*, τεθήσεται, ponetur, *ſive*, ponet, *ut noſtra.* (*g*) Ut dehoneſtentur.] *Sic etiam Theod. In Compl. eſt*, παρεδειγματίσθησαν, *& apud* S. *Hier.* dehoneſtatæ ſunt plantæ tuæ.

CAP. XIV.

(*a*) VAcua.] *In Complut. adjunguntur hæc*, ᾐσχύνθησαν, καὶ ἠρυθρίασαν, καὶ ἐκάλυψαν τὰς κεφαλὰς αὐτῶν, confuſi ſunt, & erubuerunt, & operuerunt capita ſua: *quæ videntur etiam a* S. *Hieronymo agnoſci.* (*b*) Ventum.] *Sic plerique. In quibuſdam, & apud Theodoretum additur*, ὡς δράκοντες, quaſi dracones, *ut vulgata noſtra.* (*c*) Peccata.] *In quibuſdam eſt*, εἰ αἱ ἁμαρτίαι, ſi peccata. S. *Hier.* ſi iniquitates noſtræ reſponderint (*ſive*, reſtiterint.) (*d*) Indigena.] *Theodoretus ex Syro*, ὡς ὁδίτης, quaſi viator, *ut vulgata.* (*e*) Salvare.] *Ita collati codices, & Theodoretus, & reſpondet hebræo. In Compl. eſt*, σώζεσθαι, *& apud* S. *Hier.* ſalvari, *niſi mendum ſit.* (*f*) Non proſperavit.] *In quibuſdam, & apud Theodoretum eſt*, οὐκ εὐδόκησεν, *& apud S. Hier.* & Deus non placuit ſibi in eis. (*g*) On.] *De hoc alibi dictum eſt. Hic* S. *Hier. ex vetuſtiore*, qui es Domine Deus. (*h*) In idolis.] *Aquila*, μὴ ἔστιν ἐν τοῖς ματαίοις τῶν ἐθνῶν ὑετίζων; nunquid eſt in vanitatibus gentium, qui pluat?

CAP. XV.

(*a*) ISTum.] *Ita videtur etiam habuiſſe Theodoretus. In Complut. additur*, ἀπὸ προσώπου μου, a facie mea, *ut vulgata noſtra.* (*b*) Diſperdiderunt.] *Apud Theodoretum eſt*, ἀπώλεσα, diſperdidi: *quod magis reſpondet vulgatæ.* (*c*) Adoleſcentes.] *In nonnullis eſt*, νεανίσκου, adoleſcentis. (*d*) Vacua facta eſt.] S. *Hieron.* Infirmata eſt, ſive abjecit, aut vacua facta eſt. S. *Cypr.* 2. *teſtim.* Et territa eſt quæ parit, & tæduit anima ejus. *&c.* (*e*) Profui.] *Hæc agnoſcit ex lxx* S. *Hier. in comm. ſicut ex Theodotione*, non debui, nec debuit mihi quiſquam. *Theodoretus illud*, ὠφέλησα, *Syrus interpretatus eſt*, ὤφλησα, non conflavi æs alienum. (*f*) Fortitudo tua.] *Apud Theodoretum eſt*, τὴν ἰσχύν σου, *& conjungitur cum ſequentibus*, fortitudinem tuam, & theſauros tuos, *&c.* S. *quidem Hieronymus videtur ita legiſſe, dum præcedentia ſic affert ex lxx.* Si cognoſcet, (*fortaſſe*, cognoſcetur) ferrum, & operimentum æneum? *Sicut ex Symmacho*, nunquid nocebit ferrum ferro ab Aquilone, & æs? (*g*) Commutationem.] *Hoc* S. *Hier. videtur aut ex lxx, aut ex alia editione dixiſſe*, abſque precio. (*h*) Non in longanimitate.] *Apud Theodoretum additur*, λάβῃς με, *quod reſpondet vulgatæ noſtræ*, noli in patientia tua ſuſcipere me: *Notat autem aliqua exemplaria habere*, βάλῃς, *quaſi, ne protrahas, ac diſcrucies tarditate.* (*i*) Ipſorum.] *Ab aliquo abeſt illud*, αὐτῶν. (*k*) Adverſum me.] *Abeſt hoc a* S. *Hieronymo, & a* S. *Cypriano ad Jubaianum: unde cætera hujus loci ſumpſimus.*

CAP. XVI.

(a) ET beſtiis terræ erunt, & volatilibus cœli: in gladio cadent, & in fame conſummabuntur.] *Hæc in alio Vaticano ita ſunt poſita*, καὶ ἐν μαχαίρᾳ πεσοῦνται, καὶ ἐν λιμῷ συντελεσθήσονται. καὶ ἔσται τὰ θνησιμαῖα αὐτῶν εἰς βρῶσιν τοῖς πετεινοῖς τοῦ οὐρανοῦ, καὶ τοῖς θηρίοις τῆς γῆς, & in gladio cadent, & in fame conſumentur: & erunt morticina eorum in eſcam volatilibus cœli, & beſtiis terræ: *quæ reſpondent vulgatæ noſtræ: nec multo aliter Complut.* (*b*) Thiaſum.] *Videtur ſignificare pompam, ſodalitium, concœnationem, parentalia.* (*c*) Iſto.] *Apud Theodoretum hæc ſubjunguntur*, φησὶν κύριος, ἔλεος, καὶ ἐλεημοσύνας, καὶ ἀποθανοῦνται μεγάλοι καὶ μικροὶ ἐν τῇ γῇ ταύτῃ. *In Compl. autem præterea*, οὐ ταφήσονται, καὶ οὐ θρηνηθήσονται, Ait Dominus, miſericordiam, & miſerationes: & morientur magni & parvi in terra iſta: non ſepelientur, & non plangentur. (*d*) Aliis.] *Apud Theodoretum & in Complut. additur*, ἡμέρας καὶ νυκτός, die ac nocte, *ut in noſtra vulgata.* (*e*) Eorum.] *Apud Theodoretum additur*, οὐκ ἀπεκρύβησαν ἀπὸ προσώπου μου, non ſunt abſconditæ a facie mea? *quæ negat Sanctus Hieronymus eſſe in lxx.* (*f*) Delinquere fecerunt.] ἐπλημμέλησαν. *Alii*, ἔπλησαν, impleverunt, *ut vulgata noſtra.*

CAP. XVII.

(*a*) MAledictus.] *Sic plerique libri: &* S. *Auguſt. lib.* 13. *contra Fauſtum, cum cap.* 7. *attuliſſet ea verba quæ habentur in calce capitis antecedentis, deinceps ad initium capitis octavi inquit*, Ibi enim ſequitur: & dicit, Maledictus, *&c. Ut nihil videatur habuiſſe intermedium. In quibuſdam vero libris, & apud Theodoretum ante*, Maledictus, *hæc antecedunt* ἁμαρτία ἰούδα ἐγγέγραπται ἐν γραφῇ, ἐν ὄνυχι ἀδαμαντίνῳ, ἐγκεκολαμμένη ἐπὶ τοῦ στήθους τῆς καρδίας αὐτῶν, καὶ ἐν τοῖς κέρασι τῶν θυσιαστηρίων αὐτῶν. οὕτως, ἡνίκα ἂν μνησθῶσιν οἱ υἱοὶ αὐτῶν τῶν θυσιαστηρίων αὐτῶν, καὶ ἀλσῶν αὐτῶν, ἐπὶ ξύλου δασέως, καὶ ἐπὶ βουνῶν μετεώρων, καὶ ὀρέων ἐν ἀγρῷ, τὴν ἰσχύν σου, καὶ τοὺς θησαυρούς σου, εἰς προνομὴν δώσω, καὶ τὰ ὑψηλά σου, διὰ τὰς ἁμαρτίας σου, τὰς ἐν πᾶσι τοῖς ὁρίοις σου, καὶ ἀφεθήσῃ μόνη, καὶ ταπεινωθήσῃ ἀπὸ τῆς κληρονομίας σου, ἧς ἔδωκά σοι. καὶ καταδουλώσω σε τοῖς ἐχθροῖς σου, ἐν τῇ γῇ, ᾗ οὐκ ἔγνως. ὅτι πῦρ ἐκκέκαυται ἐν τῷ θυμῷ μου, ἕως αἰῶνος καυθήσεται. Peccatum Juda inſcriptum eſt in ſcriptura in ungue admantino, inſculptum in pectore (*quod ex aliqua editione agnoſcit* S. *Hieronymus*) cordis eorum, & in cornibus altarium eorum. Sic, cum recordati fuerint filii eorum, altarium ſuorum, & lucorum ſuorum, ſuper lignum condenſum, & ſuper colles ſublimes, & montes in agro, fortitudinem tuam, & theſauros tuos in direptionem dabo, & excelſa tua propter peccata tua, quæ in omnibus finibus tuis: & dimitteris ſola, & humiliaberis ab hæreditate tua, quam dedi tibi: & ſervire te faciam inimicis tuis in terra, quam ignoras: quoniam ignis ſuccenſus eſt in furore meo: uſque in æternum ardebit. *In Complut. eadem ſententia eſt, ſed aliis ſæpe verbis: ut appareat ex diverſis eſſe verſionibus. Hæc vero in alio Vaticano habentur ſub aſteriſcis: &* S. *Hier. teſtatur a lxx eſſe prætermiſſa.* (*b*) Super te.] *Hæc abeſt a Complut. &* S. *Aug.* (*c*) Mi-

(c)Miryca ſylveſtris.] *Apud S. Auguſtinum*, tamarix. S. Hier.*ex Symmacho*, lignum infructuoſum. (d) Salſis.] *Theodoretus*, Illud, ἐν ἁλιμοῖς, Syrus interpretatus eſt, ἐν φωλεοῖς, in antris. *Apud S. Auguſt. eſt*, inter iniquos, *ut interpres videatur legiſſe*, ἐν ἀνόμοις. (e) Et quis.] *Ita* S. *Cypr.* 2.*teſtim. A Compl. abeſt iſtud*, &. S. *Hieron. hunc locum ſic refert ex Symmacho*, Inſcrutabile cor omnium : vir autem quis eſt, qui inveniat illud? (f) In dimidio.] *Aq.* ὃς ἐν ἡμίσει ἡμερῶν ἐγκαταλείψει αὐτοὺς, qui in dimidio dierum relinquet eos. (*) Elevatum.] *In Compl. additur*, ἀπ᾽ ἀρχῆς, a principio ; *& vulgata. Theodoretus habet poſt*, ſanctificatio noſtra. (g) In alienationem.] *S. Hieron. ex lxx dixit*, alienus. (h) Neque egrediamini portis.] *In Compl. eſt*, ϗ μὴ εἰσφέρητε διὰ τῶν πυλῶν, nec inferatis per portas. *ut vulgata. A multis autem hæc abſunt.* (i) Manna.] *Notat S. Hieron. lxx poſuiſſe ipſum verbum hebraicum, quod alibi ſcribitur manaa, aut manach, ſed peſſima conſuetudine, imo ſcriptorum negligentia manna in noſtris libris legi.*(k)Laudem.]*Docet S. Hier. eſſe oblationem pro gratiarum actione.* (l) Bivia.] ἄμφοδα. *Teſtatur S.* Hier. *lxx, Aquilam, & Symm.* βάρεις, *id eſt, turritas domos, eſſe interpretatos.*

CAP. XVIII.

(a) CEcidit.] *In quibuſdam eſt*, διέπεσεν, cadendo diſſipatum eſt. (b) Confortabitur.] *S.* Hieron. in malis videlicet operibus, ſive, juxta Aquilam, deſperavimus, & juxta Symmachum, defecimus. (c) Funiculos.] *Videtur ſubintelligendum*, relinquentes, *aut quiddam ejuſmodi : quomodo etiam nonnulla eſſe ſubintelligenda in vulgata noſtra indicat explanatio S.* Hieronymi : *& funiculus valebit hic etiam hæreditatem, aut limitem, & viam, ut pſal.* 138. *& alibi. Apud Theodoretum eſt*, σχοίνοις, (*al.* τρίβοις) αἰωνίοις, *ut intelligamus hoc modo*, infirmabuntur in viis ſuis, quod ad ipſorum opinionem pertinet, funiculis, vel ſemitis ſempiternis. (d) Oſtendam. *In quibuſdam, & apud Theodoretum hæc antecedunt*, νῶτον, ϗ μὴ πρόσωπον, *& in vulgata noſtra*, dorſum, & non faciem. (e) Audiemus.] *In Compl. eſt*, ϗ οὐκ ἀκουσώμεθα, & non audiamus. (f) Et punitionem ſuam occultarunt mihi.] Hæc *abſunt a Complutenſi.*

CAP. XIX.

(a) POlyandrion.] *Schol. ſine inſcriptione*, οἱ λοιποὶ, ἀντὶ τοῦ πολυανδρίου, ἐξέδωκαν φάραγγα. Cæteri pro polyandrio ediderunt, φάραγγα, vallem. *De hoc alibi dictum eſt, & legendus hic* S. *Hier.* (b) Filiorum filiorum eorum.] *Sic plerique : in quibuſdam vero eſt*, υἱῶν ἐννόμ, filiorum Ennom. (c) Et qui ingredimini in portis his.] *Abſunt a Complutenſi ut a vulgata noſtra.* (d) Præcepi.] *In nonnullis ſequitur*, οὐδὲ ἐλάλησα, ϗ οὐ διενοήθην, neque loquutus ſum, & non cogitavi. *Sanctus* Hieronymus, præcepi, & cogitavi, *videtur quaſi diverſas interpretationes afferre.* (e) Ruina, & polyandrion.] *Olympiodorus*, πολυάνδριον, ὁ τάφος, ϗ ἐπειδὴ ἴσως κατερρυηκὼς ἦν, οὕτως ἐκαλεῖτο ἡ διάπτωσις ὁ τάφος τοῦ υἱοῦ ἐννόμ. Polyandrion ſepulchrum eſt : & quoniam fortaſſe corruerat, ſepulchrum filii Ennom vocabatur ſic, ἡ διάπτωσις, id eſt, ruina. *Aliam cauſam affert Sanctus Hieronymus, neque idem eſt*, πολυάνδριον, *&* διάπτωσις, *ſed illud poſitum eſt pro valle, hoc pro Topheth* (f) Detraham.] *Aliqui* τάξω, ponam, *ut vulgata noſtra.* (g) Sanari] *In Complut. & apud Theodoretum hæc ſubjunguntur*, ϗ ἐν τῷ τωφὲθ θάψουσι, ὅτι οὐκ ἔστι τόπος τοῦ ταφῆναι, Et in Topheth ſepelient, qu a non eſt locus ad ſepeliendum : *quæ non eſſe ex lxx, nomen Topheth fere oſtendit : pro quo ſæpe repetit Sanctus* Hieronymus *illos dixiſſe, ruinam Semel tantum hæc ex illis tanquam redundantia commemorat*, omnes domus regum Juda, ſicut locus Topheth : *quæ in nullo codice ſunt inventa : & fieri poteſt, ut quod illi dixerant*, διάπτωσις, *ipſe protulerit, Topheth.*

CAP. XX.

(a) CAtaractam.] *Theodoretus*, locum quendam dicit ſubterraneum : cujuſmodi multa habebat templum a Solomone ædificatum. *Eodem modo vertiſſe Theodotionem teſtatur* S. Hieron. *Symmachum vero*, βασανιστήριον, *ſive*, στρεβλωτήριον, quod utrumque (*inquit*) tormenta ſignificat. (b) Aſſignatæ] *In Complut. eſt*, Benjamin, *ut in vulgata noſtra.* (c) Et eduxit.] *In eadem hæc antecedunt*, ϗ ἐγένετο τῇ αὔριον, Et factum eſt in craſtino : *quod reſpondet noſtræ vulgatæ.* (d) Dominus] *Addendum in noſtra*, κύριος, *quod eſt etiam apud Theodoretum, & in aliis libris.*(e) Migrantem.] *Apud Theodoretum additur*, πάντοθεν, undique. *Notat autem Sanctus Hieronymus etiam Theodotionem dixiſſe*, μέτοικον, *Aquilæ ſecundam editionem*, peregrinum, *primam*, circumſpicientem, *Symmachum*, oblatum, *ſive*, congregatum, & coactum. (f) Ridebo prævaricationem.] *Ita* S. Hieron. *ex lxx, etiam in comment. Alii vertunt*, ridebor prævaricationem, & miſeriam invocabo. (g) Defenſiones.] *In Complut. eſt*, τὸ δικαίωμά μου, juſtificationem, cauſam meam. (h) Malignantium] *Ita etiam Theodoretus. Alii*, στερεωτέρων, *& Complut. addit*, αὐτοῦ, fortiorum eo, *aut*, ejus, *ut pſ.* 34. (i) Lætans ſit.] *Complut. eſt*, εὐφραινόμενός ἐστι. ἔστω, lætatus eſt. Sit homo ille, *&c. Theodoretus autem*, μὴ εὐφραινόμενος ἔστω, non ſit lætans.

CAP. XXI.

(a) SOR.] *S. Hieron.* Pro quo Symm. petram ; Theodotio, obſeſſam, interpretati ſunt ; Aquilæ prima editio, ſolidam, ſecunda Tyrum. *Theodoretus, ex Syro*, τὴν μεταξὺ ὀρῶν κειμένην ἐν κοίλῳ τόπῳ, quæ inter montes ſita es in cavo loco.

CAP. XXII.

(a) GEntes.] *In quibuſdam additur*, πολλὰ, multæ. (*) Inducam.] *Theodor.* ἁγιάσω (ἀντὶ τοῦ ἀφορίσω) ἐπὶ σὲ ὀλοθρεύοντας, ἄνδρα, ſanctificabo (pro ſegregabo)ſuper te exterminantes, virum, &c. (b) Sellem.] *In aliquo eſt*, ἐπὶ ἰωακεὶμ ad Joacim. *Quis appellatur Sellum, vel Sellem, diſputant S. Hieron. & Theodoretus.* (c) Qui ædificat.] *In multis & apud Theodoretum*, ὡς ὁ οἰκοδομῶν, tanquam qui ædificat. *In quibuſdam vero*, ὢ ὁ οἰκοδομῶν οἰκίαν σου οὐ μετὰ δικαιοσύνης, ϗ τὰ ὑπερῷά σου, *& apud S. Hieron.* O qui ædificas domum tuam non cum juſtitia, & cœnacula tua. (d) Apud proximum ſuum operatur gratias.] *Videtur dictum*, operatur, *pro*, facit operari, *id eſt, curat facienda opera gratis a proximo. Theodoretus, & S. Chryſoſtomus, quantum ex Scholio colligitur, & Complut.* παρ᾽ αὐτῷ ὁ πλησίον αὐτοῦ. (*Complut. non habet* αὐτοῦ,) *& apud S. Hier.* apud eum proximus operatur gratis. (e) Commenſuratam.) *Interpretatur Theodor. quæ habeat proportionem longitudinis, latitudinis, & profunditatis. Apud S.* Hieron. *eſt*, parvulam. (f) Perflatilia.] *Ita etiam apud S. Hieron Aliquot libri, & Theodoretus*, εὐρύχωρα, ſpatioſa. (g) Nunquid regnabis.] *Pro his iſta habentur apud Theodoretum in codice, qui nunc erat ad manus*, μὴ βασιλεύς εἶ, ὅτι ἀμιλλᾶσαι πρὸς τὴν κέδρον; ὁ πατήρ σου μὴ οὐχὶ ἔφαγε, ϗ ἐποίησε κρίμα, ϗ δικαιοσύνην; Nunquid rex es quia contendis cum cedro? Pater tuus nonne comedit, & bibit, & fecit judicium & juſtitiam? *Interpres vero Theodoreti integriore fortaſſe codice uſus, addit præterea hæc*, tuncque bene erat ei? Judicabat cauſam humilis, & pauperis : & tunc bene ei erat. Nonne hoc eſt noſſe me, dicit Dominus? *Schol. ad illud*, in Achaz, *iſta*, ὁ πατήρ σου, *&c. tribuit Aquilæ, & hæc addit* : Quod igitur exemplaria habent, ἐν ἄχαζ τῷ πατρί σου, falſum eſt : ſicut ex aliis interpretibus conſtat. *Sed Hier. agnoſcit ex lxx quæ ſunt in noſtra, quamvis diſſipata dicat eſſe, & confuſa.*(h)Tui.] *Theodoretus, & Compl. addunt*, εὐθεῖς, *& apud S.* Hier. recti. (i) Et ſuper virum iſtum.] *Aliquot libri pro*, ϗ, *habent*, οὐαὶ, væ : *A Theodoreto videtur totum iſtud abeſſe, ut a vulgata noſtra.* (k) Sepelietur.] *Corrigendum in noſtra*, ταφήσεται. *Quod autem ſequitur*, raptatus, *hanc putant eſſe notionem verbi hebraici, præſertim ſi ſimul intelligatur laceratio, & dilaniatio quædam, quæ in raptatione plerunque ſolet accidere. Quare lxx interdum transferunt*, σύρειν, *interdum* διασπᾶν. *Sed potuerunt hoc loco eam fortaſſe ob cauſam dicere*, συμψησθεὶς *quoniam dum quis raptatur, pulvere & ſordibus oppletur : quod ſenſiſſe Chryſoſt. colligi poteſt ex ſcholio, quod paulo poſt afferemus. Idem vocabulum Hebraicum ponitur infra cap.* 29. *ubi græce eſt*, συμψησθῶσι. *Cap. autem* 31. *ubi græce eſt*, συνεψήσθη χαρμοσύνη *in hebraico eſt verbum aliud, quod non diſſimilem ſententiam habet, id eſt, colligendo inſtar meſſoris, aut vorticis, abripere & auferre : quæ etiam notione obſervarunt grammatici apud bonos auctores uſurpari verbum iſtud*, συμψῆσαι, *licet alibi lxx iſtud idem verbum hebraicum verterint*, ἀνθαίρεσθαι, *ut pſal.* 103. *& Eſa.* 57. *&* συνελκύσαι, *ut pſal.* 27. *Complutenſes hic habent*, συμψισθεὶς, *& vertunt*, putrefactus *ut eſt in vulgata : itemque cap.* 29. (*quod apud ipſos eſt* 49.) συμψισθῶσιν, *ſed vertunt*, comeſta fuerint. *Nam*, ψίσαι, *eſt*, ψωμίσαι. *Cap. autem* 31. (*id eſt apud ipſos* 48.) *habent*, συνελήφθη χαρμονὴ, congregatum eſt gaudium : *vulgata autem*, ablata eſt lætitia. *Sed, ut ad præſentem locum revertamur, in quibuſdam codicibus, & apud Theodoretum eſt*, συμψησθεὶς, ὡς κοπρία, abreptus quaſi ſtercus. *Verba autem ſcholii ex Chryſoſtomo quæ paulo ante innuimus ſunt hæc*, Symmachus inquit, ὡς κόπριον συλληφθεὶς, quaſi ſtercus collectus ὁ γὰρ βαβυλώνιος, τοῦτον ἀνελὼν, οὕτως ἔρριψε. ϗ οὐκ ἐτάφη. ἢ, εἰ ἐτάφη, καθάπερ ὄνος, συμφυρεὶς σποδῷ, καὶ γῇ, καὶ κονιορτῷ, ἐκ γὰρ τοῦ θορύβου, οὔτε ἐκόπη, οὔτε ἐπεπλώθη αὐτοῦ τὸ σῶμα. Nam Babylonius, cum hunc ſuſtuliſſet, ſic projecit : & non eſt ſepultus : aut, ſi ſepultus, tanquam aſinus, conſperſus cinere, & terra, & pulvere. Nam propter tumultum, neq; planctus factus eſt ſuper eum, neq; corpus ejus oppletum eſt.(l)Loquutus ſum.] *Ita etiam Theodoretus. Compl.* ἐλάλησαν, loquuti ſunt. *Vtramque lectionem videtur agnoſcere S.*Hier. *ſed apud ipſum ſequitur*, ad te in abundantia tua.(m)Sigillum] *Origenes*, Cæteri ediderunt, σφραγεὶς, (*fortaſſe*, σφραγὶς.) annulus, *ut vulgata noſtra.*(n)Eorum.] *Apud Theodoretum, & in Compl. ſequitur*, ϗ εἰς χεῖρας ναβουχοδονόσορ βασιλέως τῆς βαβυλῶνος, & in manus Nabuchodonoſor regis Babylonis : *quæ S.* Hieron. *teſtatur in lxx non haberi.* (o) Inhonoratus eſt.] *Apud Theodoretum hæc antecedunt*, vir iſte eſt os contemptum, & abjectum : *quæ item in lxx eſſe negat* S. Hieron. *& ex Symmacho affert.* Nunquid purgamentum, ſive quiſquiliæ viles, atque projectæ. (p) Abdicatum hominem.] *In nonnullis libris, & apud Theodoretum additur*, ἀνεπίδωτον ἄνθρωπον ἐν ταῖς ἡμέραις αὐτοῦ, hominem qui non proſperabitur in diebus ſuis : *quæ etiam perſpicue teſtatur* S.Hieron. *deeſſe in lxx. Pro eo autem, quod ipſe ex lxx transfert*, abdicatum, *notat, Aquilam in prima editione dixiſſe*, ſterilem, *in ſecunda*, ἀναύξητον, *id eſt*, non creſcentem ; *Symmachum*, vacuum : *ex quo Symm. Schol.* κενὸν ἀπηλλοτριωμένον, vacuum abalienatum. (q) Ejus.] *In quibuſdam adjungitur*, ἀνὴρ, *& apud S.* Hier. vir ; *in qua dictione multum ponderis ponit.*

CAP. XXIII.

(b) EOrum] *In quibuſdam eſt*, μου, *& apud S.* Hieron. meæ. (b) Orientem juſtum.] *Symm.* βλάστημα δίκαιον, germen juſtum, *ut S.* Hieron *in ſua.* (c) Et ſalvabitur.] *A nonnullis libris, & Theodoreto, abeſt illud* καί. (d) In prophetis.] H*oc ſolitum conjungi cum antecedentibus oſtendit Theodoretus, qui habet*, ϗ αὐτὸς ἐν προφήταις, & ipſe in prophetis ; *ac* S. Hieron. *qui tamen male hoc additum putat : aliud enim capitulum ſequi, quod ab eis prætermiſſum ſit ; quo finito titulum eſſe*, ad prophetas, *ſive*, contra prophetas. *Poſſet tamen aut ſeorſum ſtare, & ſic eſſet loco tituli (nam ſæpe*, in prophetis, *valet*, in prophetas,) *aut conjungi cum ſequentibus.* In prophetis contritum eſt, *&c. Quod autem ad capitulum omiſſum pertinet ; illud hic in Complut. ſubjungitur : in noſtra autem, & in aliis collatis codicibus, & apud Theodoretum eſt in calce capitis*, Idcirco ecce dies, *&c.* (e) Quia a facie.] *In Complutenſi (& fortaſſe apud Theodoretum) hæc antecedunt*, ὅτι μοιχῶν ἐπλήσθη ἡ γῆ, quia adulteris repleta eſt terra : *quæ negat S. Hieron. in lxx haberi.* (f) Horum.] S. Hier. *hic agnoſcit ex lxx*, juramenti : *quod reſpondet* Hebræo. (g) Sic.] *In quibuſdam*, οὐχ οὕτως, non ſic : *quod in vulgata noſtra*, diſſimilis. (h) Multorum.] *Aliqui*, πονηρῶν, *quod in vulgata noſtra*, peſſimorum. (i) Dolore.] *Nonnulli*, ὀδύνας, *& apud* S. Hier. doloribus : *pro quo inquit Symmachum dixiſſe*, amaritudine. (k) Vobis.] *Iſtud*, ἑαυτοῖς, *videtur hoc loco, ut etiam alibi, pertinere ad ſecundam perſonam : & reſpondet vulgatæ noſtræ. In quibuſdam eſt*, αὐτοὶ, ipſi. (l) Subſiſtentia.] ὑποστήματι, *& paulo poſt*, ὑποστάσει. *Quare S.* Hieron. *inquit, lxx & Theodotionem interpretatos eſſe verbum hebraicum*, ſubſtantiam *ſive*, ſubſiſtentiam ; *Aquilam*, ſecretum ; *Symmachum*, ſermonem. *Scholiaſtes etiam ex Symmacho*, τίς γὰρ παρῆν ἐν ὁμιλίᾳ ; ϗ τίς δὲ ἤκουσε ; quis enim affuit in colloquio? ecquis vero audivit? *Scholion Chryſoſtomi* : πῶς οὖν ὑμεῖς λέγετε ἀκηκοέναι; Quomodo igitur vos dicitis audiſſe? *Poterat autem commodi verti*, ὑπόστημα, *&* ὑπόστασις, ſtatuo, *&*, conſeſſus. (*m*) Eos.] *Iſtud*, αὐτοὺς, *abeſt a multis. In vulgata autem noſtra, pro*, avertiſſent, *eſt*, avertiſſem; *quod verbo græco non repugnat, & eodem modo S. Cypr. de unitate Eccleſiæ: qui legendus.* (*n*) Quis.] *In aliquo eſt*, ἄνθρωπος, *& apud Cypr. de lapſis*, homo. (*o*) Ignis.] *Sic etiam in vulgata noſtra. In multis additur*, φλέγον, ardens. (*p*) Ecce ego propterea ad prophetas.] *Nonnulli*, διὰ τοῦτο ἰδοὺ ἐγὼ πρὸς τοὺς προφήτας, propterea ecce ego ad prophetas. *Cæterum, quæ ſequuntur uſque ad illa*, qui prophetant ſomnia, *poſita ſunt in noſtra editione per typographi incuriam. Abſunt enim a Vaticano. Habentur tamen in cæteris libris: & in ea afferuntur ſcholia ex Origene, & S. Chryſoſt. & explicantur a Theodoreto; & nonnulla afferuntur a S. Cypr. lib. 2. epiſt. 3.* (*q*) Qui emittunt.] *In quibuſdam libris eſt*, τοὺς ἐκλαμβάνοντας προφητείας γλώσσης, καὶ πλάσσαντας ψευδῆ χρηματισμὸν, καὶ νυστάζοντας, qui aſſumunt prophetias linguæ, & fingunt mendax oraculum, & dormitant, *&c.* (*r*) Non narrant.] *A nonnullis abeſt illud*, οὐ, *& vulgata noſtra*, qui narrant ea. (*ſ*) Aſſumptio.] *Teſtatur* S. *Hieron. eodem modo interpretatos eſſe lxx. Symmachum, Theodotionem, id eſt*, λῆμμα, *Aquilam vero*, ἆρμα, onus, & pondus: *quod eſt apud Theodoretum.* (*t*) Et quare loquutus eſt Dominus Deus noſter?] *Ab uno pervetuſto abſunt. In aliis vero quibuſdam hæc præterea antecedunt, in quibuſdam vero ſequuntur*, καὶ ἐξεστρέψατε τοὺς λόγους θεοῦ ζῶντος· οὕτως ἐρεῖτε πρὸς τὸν προφήτην, τί ἐλάλησε, *&c.* & evertiſtis verba Dei viventis. Sic dicetis ad prophetam; Quid loquutus eſt, *&c. Quæ S. Hier. negat eſſe in lxx. Quinimo cum ipſe vertiſſet ex hebræo*, & pervertitis verba Dei viventis, Domini exercituum Dei noſtri, *inquit hæc verba myſterium ſignificantia Trinitatis, quæ hebræi in ſuis voluminibus contra ſe legant, in latinis & græcis codicibus non haberi.*

CAP. XXIV.

(*a*) EIS.] *In Compl. additur*, καὶ τοῖς πατράσιν αὐτῶν, & patribus eorum, *ut vulgata.*

CAP. XXV.

(*a*) JUDA.] *In cæteris, & apud Theodoretum hæc ſequuntur*, αὐτὸς ἐνιαυτὸς πρῶτος τῷ ναβουχοδονόσορ βασιλεῖ βαβυλῶνος, ipſe eſt annus primus Nabuchodonoſor regi Babylonis: *quæ teſtatur S. Hier. in lxx non haberi, ſicut etiam nonnulla alia in hoc eodem capite.* (*b*) Anni.] *In Complut. & apud Theodoretum adjungitur*, καὶ ἐγένετο ῥῆμα κυρίου πρός με, & factum eſt verbum Domini ad me, *quod eſt in vulgata noſtra.* (*c*) Odorem unguenti.] *In quibuſdam libris, & apud Theodoretum eſt*, φωνὴν μύλου, vocem molæ, *ut vulgata noſtra.* (*d*) Quæ Ælam.] *A nonnullis abeſt illud*, τά. *Hæc vero uſque ad finem capitis in vulgata noſtra ſunt in cap. 49. in extremo. Cujus vulgatæ ordini nonnulli etiam codices Græci, ac Theodoretus conveniunt: quos Exapla ſequutos eſſe veriſimile eſt, in quibus græca hebraicis altera ex parte reſpondere neceſſe erat. Quare hic in iiſdem ea ſequuntur, quæ in vulgata de calice & cætera, quæ deinceps, & quæ in noſtra, & plerisque græcis ſunt cap. 32. Continuo autem in iiſdem codicibus (nam de Theodoreto nihil affirmari poteſt,) poſt illa* in libro iſto, *ponuntur hæc*, ὅσα προεφήτευσεν ἱερεμίας ἐπὶ πάντα τὰ ἔθνη, ὅτι ἐδούλευσαν αὐτοῖς, ὅτε ἦσαν (*al.* ἐν αὐτοῖς καταδουλώσονται γὰρ αὐτοὺς, *ubi videtur extare quædam coagmentatio variarum interpretationem,*) ἔθνη πολλὰ, καὶ βασιλεῖς μεγάλοι καὶ ἀποδώσω, (*al.* ἀνταποδώσω) αὐτοῖς κατὰ τὰ ἔργα αὐτῶν· καὶ κατὰ τὰ ποιήματα (*al.* τὴν πονηρίαν) τῶν χειρῶν (*al.* ἐπιτηδευμάτων) αὐτῶν. Quæcunque prophetavit Hieremias ſuper omnes gentes, Quia ſervierunt eis, cum eſſent gentes multæ & reges magni: & reddam eis ſecundum opera eorum, & ſecundum facta, (*al.* nequitiam) manuum (*al.* adinventionum) ſuarum. *Quorum magnam partem, ſcribit S. Hier. in lxx non haberi. Quod autem ad ordinem pertinet, de quo apud S. Hier. & Theodoretum ſilentium eſt, hæc leguntur in commentariis græcis. Origenes*, ταύτην οἱ μὲν ὁ. τῶν κατὰ τῶν ἐθνῶν ὁράσεων προὔταξαν. οἱ δὲ λοιποὶ τοὐναντίον. αἰλὰμ δὲ ἔθνος ἀραβικὸν, πρὸς τῇ ἐρυθρᾷ κείμενον θαλάσσῃ. Ολυμπιόδωρος, αἰλὰμ ἢ τῆς βαβυλῶνος, ἢ καὶ πάσης χώρας ἧς ἦρξε Κῦρος· χρὴ δὲ εἰδέναι ὅτι ἅγιος ἰωάννης ὑπομνηματίζων τὸν ἱερεμίαν, μέχρι τῶν ὧδε ἀκολούθως ὑπεμνημάτισεν· ἐάσας δὲ τὰ μετὰ ταῦτα, ἄρχεται ὑπομνηματίζειν ἀπὸ τῆς ἀρχῆς τῆς βασιλείας ἰωακείμ. ἔνθα καὶ τὸ ὑποκείμενον σημεῖον κεῖται, καὶ οὕτως τὰ λοιπὰ ὑπεμνημάτισεν. Hanc (*nimirum de Ælam*) lxx quidem præpoſuerunt viſionibus, quæ contra gentes: cæteri autem contra. Ælam autem eſt gens Arabica, poſita ad rubrum mare. *Olympiodorus*, Ælam, vel Babylonis, vel etiam univerſæ regionis, cui præfuit Cyrus. Sciendum autem eſt, Sanctum Joannem, commentarios ſcribentem in Hieremiam, uſque ad hæc eodem ordine ſcripſiſſe: hic autem dimittentem, quæ poſt hæc, initium commentandi feciſſe a principio regni Joacim: ubi & ſubjectum ſignum poſitum eſt: ſicque cætera explanavit. *Schol.* ἐξ ἀντιγράφου κατὰ τοὺς ἑβδομήκοντα· τῶν ἄλλων ἐθνῶν, προτέτακται ἡ περὶ τοῦ αἰλὰμ προφητεία. κατὰ δὲ τοὺς λοιποὺς, ἡ περὶ τῆς αἰγύπτου. *Ex Anonymo.* Secundum lxx prophetia de Ælam præpoſita eſt ei, quæ de cæteris gentibus: at ſecundum cæteros ea quæ de Ægypto. *Capite autem 49. initium hujus prophetiæ de Ælam in Compl. & apud Theodor. ſic habet*, καὶ ἐγένετο ῥῆμα κυρίου πρὸς ἱερεμίαν τὸν προφήτην κατὰ τοῦ αἰλὰμ ἐν ἀρχῇ βασιλείας σεδεκία βασιλέως ἰούδα, λέγων, τάδε λέγει κύριος τῶν δυνάμεων, ἰδοὺ ἐγὼ συντρίβω (*Complut.* συντρίψω) τόξον αἰλὰμ, καὶ τὴν ἀρχὴν, Et factum eſt verbum Domini ad Hieremiam prophetam contra Ælam in principio regni Sedechiæ regis Judæ, dicens, Hæc dicit Dominus exercituum: Ecce ego contero arcum Ælam, & principium, *&c. In Complut. eſt* ἀρχὴ, *quod magis cohæret cum*, συντρίβη: *quam cum* συντρίψω. (*e*) Eos] *In Compl. additur*, κακὸν, malum, *ſed non apud Theodoretum.* (*f*) Emittam.] *In quibuſdam & apud Theodoretum, eſt*, ἀπολῶ, perdam.

CAP. XXVI.

(*a*) IN principio.] *Hoc caput in vulgata noſtra, & apud Theodoretum eſt 46. apud quem Theodoretum ſic habet initium capitis*, λόγος ὁ γενόμενος παρὰ κυρίου πρὸς ἱερεμίαν τὸν προφήτην ἐπὶ πάντα τὰ ἔθνη, Verbum quod factum eſt a Domino ad Hieremiam ſuper omnes gentes. *Nec multo aliter in Complut. In qua ſequitur*, εἰς αἴγυπτον ἐπὶ δυνάμει φαραὼ νεχαὼ, ad Ægyptum ſuper virtutem Pharaonis Nechao. *Theodor. inquit primum narrari de Ægypto, & deſignari tempus prophetiæ, nimirum factæ poſt mortem Pharaonis, &c.* Scholion, ἡ προφητεία μέχρι τῶν ἐνταῦθα πεπλήρωται· μετὰ ταῦτα γὰρ ἱστορικώτερον περιέχει τὰ κατὰ σεδεκίαν καὶ τὴν ἅλωσιν ἱερουσαλὴμ, καὶ τὰ σκεύη τὰ ληφθέντα τοῦ ἱεροῦ, ἐν οἷς ποδιστῆρας ὁ σύρος τοὺς νιπτῆρας τῶν ποδῶν ἐξέδωκε· τοὺς δὲ ἐπφαθ, οἱ μὲν τοὺς ὀβελίσκους φασὶν, οἱ δὲ τοὺς ἀποχυτῆρας, μεσομερὰδ δὲ τὰς λυχνίας, ἰωακὴμ δὲ τὸν ἱεχονίαν καλεῖ. (*b*) Applicate.] *Aut*, acuite. *Utrumque enim videtur poſſe ſignificare*, προβάλετε, *nec abhorret a vulgata noſtra, quæ habet*, polite. *In cæteris eſt*, προβάλλετε, torquete. (*c*) Et velut flumina.] *In uno pervetuſto eſt*, ὡς ποταμῶν κυμαίνει τὰ ὕδατα; (*Theodor. addit*, αὐτοῦ;) αἴγυπτος, ὡς ποταμὸς, ἀναβήσεται, velut fluviorum intumeſcunt aquæ ejus? Ægyptus, quaſi flumen aſcendet: *quod magis reſpondet vulgatæ noſtræ, præſertim cum apud Theodoretum ſubjungantur etiam iſta*, & velut flumen, perturbant aquæ ejus. (*d*) Habitantes.] *Plerique*, πόλιν, καὶ τοὺς κατοικοῦντας, civitatem & habitantes. (*e*) Domini.] *Apud Theodoretum eſt*, μου, meus. *Ab aliquo abeſt utrumque.* (*f*) Domino.] *In quibuſdam & apud Theodoretum additur*, Sabbaoth, *ut etiam ſæpe alibi.* (*g*) Annunciate in Magdolum.] *In Complut. plura ſunt: quæ videntur etiam agnoſci a Theodoreto*, ἀναγγείλατε εἰς αἴγυπτον, καὶ ἀκουστὸν ποιήσατε εἰς μαγδωλὸν, καὶ παραγγείλατε εἰς μεμφὶν, καὶ ἐν τάφναις, εἴπατε, ἐπίστηθι, *quæ in vulgata noſtra.* Annunciate Ægypto, & auditum facite in Magdolo, & reſonet in Memphis, & in Taphnis dicite; Sta, *&c.* (*h*) Smilacem.] *Sanctus Chryſoſtomus*, βοτάνη ἐστὶ πάντα κατατρώγουσα, herba eſt omnia devorans. *Anonymus*: Cæteri pro, τὴν σμίλακα, ediderunt, τὰ κύκλῳ σου, quæ in circuitu tuo. *Id Theodoretus Syro tribuit: atque id ſmilacis etiam nomine ſignificari, quod ſit herba, quæ plantis ſuccreſcentibus implicatur.* (*i*) Apis.] *Hunc notat Theodoretus fuiſſe bovem illum, qui ab Ægyptiis adorabatur. In quibuſdam eſt*, διότι (*atque iſtud quidem* διότι, *in multis etiam aliis eſt*) ἔφυγεν ὀπίσω ὁ μόσχος, quia fugit retrorſum vitulus, *&c.* (*k*) Saon Esbie Moed.] *Schol. ex Theodoreto*, Iſtud, σαὼν ἐσβειὲ μωήδ, Symmachus edidit, καιρὸς παρεγένετο, tempus advenit, Aquila autem, παρήγαγεν ὁ καιρὸς, adduxit (*aut*, acceſſit) tempus. Syrus autem inquit, ταράττων, καὶ καιροὺς παραφέρων, turbans, ac tempora transferens. *In codicibus commentariorum Theodoreti deſunt aliqua.* (*l*) Quia, ſicut Itabyrium.] *Apud Theodoretum eſt*, κύριος τῶν δυνάμεων ὄνομα αὐτῷ, ὅτι ὡς τὸ θαβὼρ, *quæ in vulgata noſtra*, Dominus exercituum nomen ejus; quoniam ſicut Thabor. *Sed lxx pro Thabor ſolitos dicere Itabyrium alibi ex Sancto Hieronymo notatum eſt.* (*m*) In ea.] *Alii*, εἰς σφαγὴν, in mactationem. *A Theodoreto videtur utrumque abeſſe.* (*n*) Aquilone.] *Apud Theodoretum, & in Complut. ſubjungitur*, λέγει κύριος τῶν δυνάμεων ὁ θεὸς ἰσραὴλ, Dicit Dominus virtutum, Deus Iſrael. (*o*) Super Pharaonem.] *In pleriſque hæc antecedunt*, ἐπ' αἴγυπτον, καὶ ἐπὶ τοὺς θεοὺς αὐτοῦ, καὶ ἐπὶ τοὺς βασιλεῖς αὐτοῦ, *quæ in vulgata, (licet antecedentia aliam habeant ſententiam,)* ſuper Ægyptum, & ſuper Deos ejus & ſuper reges ejus. (*p*) In eo.] *In Compl. ſubjunguntur hæc, quæ etiam a Theodoreto partim exprimuntur, partim ſignificantur*, καὶ δώσω αὐτοὺς εἰς χεῖρας τῶν ζητούντων τὴν ψυχὴν αὐτῶν, καὶ εἰς χεῖρας ναβουχοδονόσορ βασιλέως βαβυλῶνος, καὶ εἰς χεῖρας τῶν δούλων αὐτοῦ, καὶ μετὰ ταῦτα κατοικισθήσεται, ὥσπερ ἐν ταῖς ἡμέραις ταῖς ἀρχαίαις, λέγει κύριος, *quæ in vulgata*, Et dabo eos in manus quærentium animam eorum, & in manus Nabuchodonoſor regis Babylonis, & in manus ſervorum ejus. Et poſt hæc habitabitur, ſicut diebus priſtinis, ait Dominus. (*q*) Intrepida & delicata tradita eſt.] *Hæc abſunt a Compl. & a Theodoreto ſimilia habentur cap. ſequenti.* (*r*) Genti.] *Item iſtud.*

CAP. XXVII.

(*a*) BAbylonem.] *Hoc caput in editione Latina, & apud Theodoretum, & in quibuſdam Græcis codicibus, eſt L. itemque in Complut. in qua hæc hoc loco adduntur*, καὶ ἐπὶ γῆν χαλδαίων ἐν χειρὶ ἱερεμίου τοῦ προφήτου, & ſuper terram Chaldæorum in manu Hieremiæ prophetæ. (*b*) Facite.] *In eadem & apud Theodoretum hæc ſubjunguntur*, ἄρατε σημεῖον, καὶ ἀκουστὸν ποιήσατε, *quod in vulgata*, levate ſignum, prædicate. (*c*) Belus: interrita, delicata.] *Sic Theodoretus, niſi quod habet*, βὴλ, Bel. *In quibuſdam eſt*, ὁ ἀπτόητος, interritus. *A Compl. abſunt illa*, ἡ ἀπτόητος καὶ τρυφερὰ, *ut a vulg.* (*d*) Eorum.] *Apud Theodoretum additur*, κυρίῳ, Domino. *In Complut.* ὁ κύριος, Dominus: *in qua etiam paulo ante, pro*, μὴ ἀνῶμεν. *eſt*, μιανῶμεν, *perſpicuo errato.* (*e*) Dracones.] *Theodoretus*, ἔριφοι, hœdi, (*ut vulgata noſtra, aut*, capri:) *pro quo inquit Syrum dixiſſe*, τράγοις, hircos. (*f*) Pudefacta.] *Hoc ſolet ſignificare verbum*, ἐνετράπη. *Theodoretus, & quidam codices*, ἀνετράπη, everſa eſt. (*g*) Deſerta.] *In Complut. additur*, καὶ ἄβατος, & invia. (*h*) Et ſubjicite eam.] *In Complut. pro his eſt* ὅτι τῷ κυρίῳ ἥμαρτεν, (*quæ referuntur etiam a Theodoreto,*) καὶ κατακροτήσατε ἐπ' αὐτὴν, quia Domino peccavit, & plaudite ſuper eam. (*i*) Babylone.] *In multis libris hic ponuntur, quæ in noſtro, & apud Theodoretum ponuntur paulo ſuperius, quemadmodum & in vulgata noſtra*, omnes invenientes, *uſque ad* Paſcua. (*k*) Carmelo.] *In Complut. & apud Theodoretum additur*, καὶ ἐν βασὰν, & in Baſan. (*l*) Super terram, dicit Dominus. Amare.] *A Compl. abſunt illa, dicit Dominus: & quaſi ex novo principio dicitur*: Super terram amare, *&c. Theodoretus autem videtur habuiſſe*, ἐπὶ τῆς γῆς παραπικραινόντων, ſuper terram exacerbantium: *quod reſpondet hebræo.* (*m*) Aſcendent.] *Corrigendum in textu græcæ noſtræ editionis*, ἐπιβήσονται. *Ita enim Vaticanus: in quo tamen aſcriptum poſtea eſt, quod in cæteris libris*, ἐπιθήσονται, invehentur, inſultabunt. (*n*) Et non cognoſces quia Babylon, & capieris.] *In aliis eſt*, καὶ οὐ γνώσῃ, ὡς καὶ ἁλώσῃ βαβυλὼν, & non cognoſces, quia etiam capieris Babylon. *In Compl.* καὶ ἁλώσῃ βαβυλὼν, καὶ οὐ γνώσῃ, & capieris Babylon, & non cognoſces. (*o*) Noſtro.] *In Compl. additur*, ἐκδίκησιν ναοῦ αὐτοῦ, ultionem templi ejus, *ut vulgata.* (*p*) Super te ſuperbiam contumelioſam, dicit Dominus.] *Sic etiam Theodoretus (niſi quod habet*, κύριος τῶν δυνάμεων, Dominus virtutum,) *atque iſto modo interpretatur*, τὴν ὕβρισιν. *Compl. autem*, πρὸς σὲ ὑπερήφανε, ad te ſuperbe, *ut vulgata.* (*q*) Ejus.] *In Compl. hæc ſequuntur, quæ etiam a Theodoreto videntur agnoſci*, μάχαιραν ἐπὶ τοὺς μάντεις, καὶ ἄφρονες ἔσονται, gladium ſuper divinos, & ſtulti erunt: *quæ reſpondent vulgatæ.* (*r*) Gladium ſuper pugnatores eorum, &.] *Hæc abſunt a Compl, & videri poſſunt ex loco paulo ſuperiore huc irrepſiſſe. Notat autem S. Hieron. in cap. 25.* συμμίκτους, *a lxx dici, id eſt, miſtitios, vulgus peregrinum & adventitium.* (*ſ*) Et diſpergentur ſuper aquam ejus.] *In aliis, &*

Compl. διαρπαγήσονται. ἐπὶ τῷ ὕδατι αὐτῆς ἐπεποίθει, diripientur. In aqua ſua confidit. *Theodor. habuit ſine dubio ſententiam ſimilem vulgatæ*, ſiccitas ſuper aquas ejus erit, & areſcent. *Ita enim inquit*, minatur item ſe aquam evacuaturum, multitudinem figurate vocans aquam: *qui etiam explicat, quid ſint inſulæ, quid* ἰνδάλματα, *quæ phantaſmata diximus, quid filiæ Sirenum.* (*t*) Seculum.] *In Compl. & apud Theodoretum adjungitur*, οὐδὲ μὴ κατασκηνωθήσεται ἕως γενεᾶς, καὶ γενεᾶς, neque habitabitur uſque in generationem, & generationem. *Sed Theodoretus in præcedenti membro, pro*, κατοικηθῇ, *habuit*, οἰκοδομηθῇ, ædificabitur: *& utrumque inquit eveniſſe, ut neque ædificaretur, neque habitaretur.*

CAP. XXVIII.

(*a*) HÆC dicit.] *Hoc in vulgata, & apud Theodoretum, & in quibuſdam libris eſt, caput* 51. (*) Chaldæos ventum urentem corrumpentem.] *Schol. ex anonymo.* Symmachus quidem Hebraicam poſuit dictionem, pro, ἄνεμον καύσωνα, Leccabe: ſignificat autem ardens & excitatum cor. Aquila autem edidit, καρδίαν ἐπηγμένων. *Cæterum hæc videntur pertinere ad eum locum, ubi vulgata habet*, qui cor ſuum levaverunt in me. (*b*) Populi] *In quibuſdam, & apud Theodoretum eſt*, ναοῦ, templi, *ut vulgata.* (*c*) Statuite pharetras, ſuſcitate cuſtodias.] *In Complut. eſt tantum*, ἐπιστήσατε φυλακάς. *Si legeretur*, ἐπιστήσατε φυλακάς, ἐγείρατε φύλακας, ſtatuite cuſtodias, excitate cuſtodes; *Hebraico reſponderet.* (*d*) Habitantes.] *In eadem*, κατασκηνοῦσα ἐφ᾽ ὕδασιν πολλοῖς, καὶ ἐπὶ πλήθει θησαυρῶν αὐτῆς; *& ſi abeſſet iſtud*, αὐτῆς, *optime conveniret cum vulgata*, quæ habitas ſuper aquas multas, locuples in theſauris. (*e*) Hæreditas.] *Apud Theodoretum*, καὶ ἰσραὴλ ῥάβδος κληρονομίας αὐτοῦ. κύριος τῶν δυνάμεων, & Iſrael virga hæreditatis ejus. Dominus exercituum, *&c.* (*f*) Diſpergis.] *Theodoretus ex Syro*, ἑτοίμασόν μοι σκεύη πολέμου, præpara mihi vaſa belli. (*g*) Tollam de te.] ἐξαρῶ ἐκ σοῦ. *Nonnulli*, ἐν σοί, in te. (*h*) Adoleſcentem, & virginem: & diſpergam in te virum, & mulierem.] *In Complut.* ἄνδρα καὶ γυναῖκα, καὶ διασκορπιῶ ἐν σοὶ πρεσβύτην, καὶ παιδίον, καὶ διασκορπιῶ ἐν σοὶ νεανίσκον, καὶ παρθένον, virum, & mulierem: & diſpergam in te ſenem, & puerum: & diſpergam in te adoleſcentem, & virginem. (*i*) Regis tollite a me.] *In multis eſt*, βασιλείαις, *& in quibuſdam ſequitur*, ἀραράτ, παρ᾽ ἐμοῦ, *apud Theodoretum*, ἀραράτ, μεννί, regnis Ararat, Menni. *Sed in explanatione non facit mentionem Menni: tantum inquit Ararat eſſe Armeniam, Aſcanazæos autem gentem illi vicinam.* (*k*) Collectiones.] Συστήματα, *videtur intelligere collectiones aquarum, & quaſi paludes, ut vulgata.* (*l*) Solitudinem.] *In Complut. additur*, κατοίκησις δρακόντων, ἀφανισμὸς, συριγμὸς, habitatio draconum, ſolitudo, ſibilus. (*m*) Et deduc.] *Theodoretus habet*, καὶ καταβιβάσω, & deducam: *quod convenit cum vulgata.* (*n*) Capta eſt.] *In Complut. & apud Theodoretum additur*, σησάκ, *& in vulgata*, Seſach: *quomodo ante vocatam putat Theodoretus: ſed de hac re diligentius* S. Hieron. *in* 25. *caput hujus prophetæ.* (*o*) Et cooperta.] *A quibuſdam abeſt illud*, καὶ, *ut poſſit conjungi cum antecedentibus*, in ſonitu fluctuum ejus cooperta eſt. (*p*) Super Babylonem.] *Theodoretus*, De ſuper Bel in Babylone, *ut vulgata.* (*q*) Ultra.] *In Compl. adjunguntur hæc, quæ manifeſto agnoſcuntur magna ex parte a Theodoreto, & reſpondent vulgatæ*, καί γε τεῖχος βαβυλῶνος πεσεῖται. ἐξέλθετε ἀπὸ μέσου αὐτῆς λαὸς ἐμὸς, καὶ σώσατε ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν ἀπὸ ὀργῆς θυμοῦ κυρίου. μήποτε ἀπαλωθῇ ἡ καρδία ὑμῶν, καὶ φοβηθῆτε διὰ τὴν ἀκοὴν, ἣ ἀκουσθήσεται ἐν τῇ γῇ, καὶ ἥξει ἐν ἐνιαυτῷ ἀκοὴ, καὶ μετὰ τὸν ἐνιαυτὸν ἀκοὴ ταλαιπωρία, (*iſtud abeſt a Th. ut a vulg.*) καὶ ἀδικία ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ κυριεύων ἐπὶ κυριεύοντα (*Th. videtur addere*, καὶ στράτευμα ἐπὶ στράτευμα.) διὰ τοῦτο ἰδοὺ ἡμέραι ἔρχονται, καὶ ἐκδικήσω ἐπὶ τὰ γλυπτὰ βαβυλῶνος. καὶ πᾶσα ἡ γῆ αὐτῶν αἰσχυνθήσεται, πάντες τραυματίαι αὐτῆς πεσοῦνται ἐν μέσῳ αὐτῆς. καὶ εὐφρανθήσονται ἐπὶ βαβυλῶνα οἱ οὐρανοὶ, καὶ ἡ γῆ, καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτοῖς. ὅτι ἀπὸ βορρᾶ ἔρχονται πρὸς αὐτὸν ἐξολοθρεύοντες, λέγει κύριος. καίγε βαβυλὼν πεσεῖν ἐποίησε τοὺς τραυματίας ἰσραὴλ, καὶ ἐν βαβυλῶνι, *&c.* Etiam murus Babylonis corruet. Exite e medio ejus popule meus, & ſalvate unuſquiſque animam ſuam ab ira furoris Domini: ne forte molleſcat cor veſtrum, & timeatis auditum qui audietur in terra. Et veniet in anno auditio, & poſt annum auditio, miſeria, & iniquitas in terra, & dominator ſuper dominatorem. Propterea ecce dies veniunt, & ulciſcar ſuper ſculptilia Babylonis: & omnis terra eorum confundetur: univerſi interfecti ejus cadent in medio ejus. Et lætabuntur ſuper Babylonem cœli, & terra, & omnia, quæ in eis ſunt: quia ab Aquilone venient ad eum exterminantes, ait Dominus. Atqui Babylon cadere fecit interfectos Iſrael; & in Babylone, *&c.* (*r*) De terra.] *Sic etiam Theodoretus. In Compl. eſt*, ἀπὸ ῥομφαίας, a gladio. (*ſ*) Muros.] *In margine Vaticani appoſitum eſt*, ὕψη, altitudinis. *In cæteris eſt*, ὕψος ἰσχύος, altitudinem fortitudinis. (*t*) Non laborabunt.] *A Compl. abeſt illud*, οὐ, non, *& reſpondet vulgatæ.*

CAP. XXIX.

(*a*) SUper.] *Hæc uſque ad*, Idumææ hæc dicit Dominus, *in vulgata, & libris, qui cum illa conveniunt, ſunt c.* 47. *& in Complut. quidem ſub hoc principio, quod agnoſcitur etiam a Theodoreto*, καὶ ἐγένετο ῥῆμα κυρίου πρὸς ἱερεμίαν τὸν προφήτην ἐπὶ τοὺς ἀλλοφύλους πρὸ τοῦ πατάξαι φαραὼ τὴν γάζαν. τάδε λέγει, *&c.* Et factum eſt verbum Domini ad Hieremiam prophetam ſuper Allophylos, antequam percuteret Pharao Gazam. Hæc dicit, *&c.* (*b*) Inſularum] *Apud Theodoretum additur*, καὶ καππαδοκίας, & Cappadociæ. *A Complut. abeſt illud*, καί. (*c*) Super.] *In multis eſt*, καὶ ἐπὶ, & ſuper. (*d*) Idumææ.] *Hæc in vulgata* (*ut in libris cum ea convenientibus*) *ſunt cap.* 49. *a verſu ſeptimo uſque ad verſum* 23. (*e*) Demergite.] βαθύνατε, *& videtur ſubintelligendum, quod in aliis, & apud Theodoretum exprimitur*, ἑαυτοὺς, vos ipſos. (*f*) Vicini mei.] *Apud Theodoretum eſt*, ὤλετο τὸ σπέρμα αὐτοῦ, διὰ χεῖρα ἀδελφοῦ, καὶ γείτονος αὐτοῦ, periit ſemen ejus per manum fratris, & vicini ejus: *Atque iſta quidem*, καὶ γείτονος αὐτοῦ, *ſunt etiam in aliis quibuſdam.* (*) Faciam vivere; & viduæ.] *Putat Theodoretus dici per ironiam. Schol. ex anonymo*, κατέλιπεν ὀρφανοὺς σοῦ καὶ αἱ χῆραί σου εἰς ἐμὲ ἐλπισάτωσαν, reliquit pupillos tuos, & viduæ tuæ in me ſperent, *atque iſtud quidem*, χῆραί σου, *eſt etiam in aliis quibuſdam.* (*g*) Quibus.] *In nonnullis eſt*, ἰδοὺ οἷς, Ecce quibus, *itemque paulo inferius*, ἰδοὺ μικρὸν, ecce parvulum. (*h*) Abſolveris] *In multis ſequitur*, ὅτι πίνων πίεσαι, quia bibens bibes. (*i*) Angelos.] *Schol. ex Cyrillo hæc hoc loco affert*, πρέσβεις, dixit, quos Hieremias angelos. Et Symmachus vero edidit ἀγγελίαν. (*k*) Quoniam exaltavit.] *Plerique*, ὅτι ὕψωσας, quoniam exaltaſti: *quidam*, ἐὰν ὑψώσῃς, ſi exaltaveris. (*l*) Sibilabit.] *In nonnullis eſt*, ἐκστήσεται, καὶ συριεῖ ἐπὶ πάσῃ τῇ πληγῇ αὐτῆς, ſtupebit, & ſibilabit ſuper omni plaga ejus. (*m*) Abripientur.] *Vide quæ notata ſunt cap.* 22. (*n*) Non eſt auditus.] *In quibuſdam eſt*, ἐν θαλάσσῃ ἐξηκούσθη, *aut*, ἠκούσθη, in mari auditus eſt: *quam lectionem videtur etiam agnoſcere Theodoretus.*

CAP. XXX.

(*a*) DE Judæa.] *Symm.* ὑπὲρ τῆς ἰουδαίας, καὶ ὑπὲρ ἱερουσαλὴμ, ſuper Judæam, & ſuper Hieruſalem: *aut ut* S. *Hieron. refert,* pro Juda, & Hieruſalem. (*b*) Alienigenarum.] *Et hic* S. *Hieron. &* S. *Baſilius notant vocari proprie* ἀλλοφύλους, *ipſos Philiſtiim.* (*c*) Facti ſunt.] *Nonnulli codd. &* S. Hier ἐγεννήθη, nati ſunt. *Pro quo inquit Symmachum dixiſſe,* & cum filiis alienis applauſerunt: *& alium affert verbi hebraici interpretationem,* ἐσφηνώθησαν, *pro quo ipſe verterit,* adhæſerunt. (*d*) Maris.] *Idem teſtatur cæteros dixiſſe Tharſis: quod tamen hebræi lingua ſua propria putent ſignificare mare.* (*e*) Contumelia.] ὕβρεις. *Alii,* ὕψος, altitudo. S. *Cyp. quod paulo ante eſt,* ὑβριστὴν, *& nos contumelioſum diximus: ipſe lib. 1. epiſt. 3. vocat injurioſum* (*f*) Vana.] S. Hier. *ex Aquila* ὀρυγὰς, foveas, *ex Symmacho,* infructuoſa: *Theodotionem vero inquit poſuiſſe nomen hebraicum, pro quo ipſe,* talpas. (*g*) Terram.] *In aliis hæc adjunguntur,* παύσασθε ὑμῖν ἀπὸ ἀνθρώπου ὧ ἀναπνοὴ ἐν μυκτῆρι αὐτοῦ ὅτι ἐν τίνι ἐλογίσθη; quieſcite vobis ab homine, cui ſpiratio in nare ejus: in quo enim reputatus eſt? S. *Hier. addit,* iſte: *& notat hæc a lxx prætermiſſa in græcis exemplaribus (quod* S. *Baſilius idem fere notans inquit,* in communi, & vulgata,) *ab Origene ſub aſteriſcis de editione Aquilæ addita eſſe. Idem B. Cyril. Quare apud Procopium ſub aſteriſco habentur.*

CAP. III.

(*a*) VAlidum] *Sic* S. *Hieron. in comm.* S. *Cypr.* 1. *teſtim.* valentem, & validam, (*ſic enim legendum ex manuſſ.*) valentiam panis, & valentiam aquæ. *Aq.* ἔρεισμα, καὶ ἐρεισμόν. *Sym.* στήριγμα, καὶ στηριγμὸν, fulcimentum, & fulturam. (*b*) Gigantem.] *Notat* S. *Hieron. hoc a lxx, eſſe additum.* (*c*) Conjectorem.] *Idem inquit cæteros dixiſſe,* divinum. (*d*) Sapientem architectum.] *Idem ex Aquila,* ſapientiſſimum artificum. (*e*) Prudentem auditorem.] *Idem ex Theodotione,* prudentem incantatorem, *ex Aquila,* prudentem ſuſurratorem, *ex Symmacho,* prudentem eloquii myſtici: *quem ipſe ſequi voluerit.* (*f*) Illuſores.] *Idem teſtatur eodem modo vertiſſe etiam Theodotionem, Aquilam vero,* ἀναλάκτους, *quaſi mutantes ſe per vices in exercenda turpitudine.* (*g*) Impinget.] *Corrigendum eſt in noſtra,* προσκόψει, *ut habet Vaticanus, & Sanctus Baſilius, & alii. Cyrillus tamen videtur legiſſe,* προκόψει, invaleſcet, *quod in noſtram editionem irrepſerat.* (*h*) Cibus.] S. *Hier. ex Symmacho, & Theodotione,* infirmitas. (*i*) Princeps.] *Idem teſtatur eodem modo dixiſſe Symmachum, Theodotionem vero,* ἐπιδεσμεύοντα, *qui liget vulnera, & provideat ſanitati.* (*k*) Linguæ eorum cum iniquitate.] *Aq.* αἱ γλῶσσαι αὐτῶν, καὶ τὰ ἐπιτηδεύματα αὐτῶν, linguæ eorum, & adinventiones eorum. (*l*) In his quæ ad Dominum, increduli.] *Symmachus,* κατὰ τοῦ κυρίου γέγονεν εἰς τὸ παραπικρᾶναι αὐτὸν, contra Dominum fuerunt ad exacerbandum eum. (*m*) Inutilis.] *Sic* S. *Hier. in comm. quod græce,* δύσχρηστος, *& valet etiam,* injucundus. (*n*) Exigentes.] *Eodem modo interpretatus eſt Aquila, eodem teſte, Theodotio autem,* δανεισταὶ, fœneratores, *& Symm.* mulieres. (*o*) Lunulas.] S. *Baſilius,* Alius, μανιακὰς, torques. (*p*) Monile demiſſum.] *Idem; Alius,* χαλαστὰ, catenulas. *Ac de omnibus fere iſtis ornamentorum nominibus accurate diſputat. Multa etiam apud* S. *Hieron. ex aliis interpretibus habentur: legendus etiam* S. *Cypr. de habitu virginum.* (*q*) Contexta.] *Nonnulli,* συγκαθυφασμένην, contextam. (*r*) Accubitoria.] S. *Baſilius cum dixiſſet theriſtra videri veſtes æſtivas, addit nunc damnari theriſtra,* κατάκλιτα, *quæ,* ἐν τῷ κατακλίνεσθαι, *in accumbendo inſternerentur lectis ob nimias delicias: hanc vero dictionem, quod apud cæteros interpretes non ſit, obelo eſſe notatam. Alii libri, & aliqua etiam Baſilii exemplaria,* κατάκλειστα, concluſa.

CAP. IV.

(*a*) ET tanquam fumo, & luce ignis ardente per noctem.] S. *Hier. in comm. ex lxx,* & lumen ignis flammantis in nocte.

CAP. V.

(*a*) DIlecto.] *Apud B. Cyrillum, & in Complut. additur,* μου, dilecto meo: *itemque paulo poſt apud* S. *Hieron.* Vinea facta eſt dilecto meo. (*b*) Dilecti mei.] *Hic Cyrillus non habet,* μου. S. *Hieron. teſtatur, pro hoc Aquilam dixiſſe,* πατραδέλφου, id eſt, patruum, vel patruelem. (*c*) Meæ.] *Sic omnes libri, qui collati ſunt, præter Complut. in quo,* αὐτοῦ, ſuæ. (*d*) Vinea.] S. *Hieron.* Symm. autem ſuo more manifeſtius, Vinea facta eſt dilecto meo in cornu in medio olivarum. (*e*) Sorec.] SS. *Baſilius &* *Hieron. ex Symmacho,* ἐκλεκτὴν, electam. (*f*) Spinas.] *Ita etiam Theodotio, teſte* S. *Hieronymo, Aquila autem,* σαπρίας, id eſt, fructus peſſimos. *Symm.* ἀτελῆ, hoc eſt, imperfectos. (*g*) Iniquitatem.] S. *Hier. ex Aquila,* diſſipationem. (*h*) Aliquid.] *In aliquot libris ſequitur,* ἕως τοῦ μὴ ὑπάρχειν τόπον, donec deficiat, vel non ſit locus: *quod inquit* S. *Hieron. dictum eſſe a Theodotione & Symmacho, per eo quod a lxx dictum fuerat,* ut auferant aliquid proximo: *quare hæc tantum a* S. *Cypr.* 3. *teſtim. referuntur.* (*i*) Lagunculam.] *Cæteri teſte* S. *Hier.* batum. (*k*) Siceram.] *Schol.* τὸ σίκερα, *cæteri interpretes dixerunt,* μέθυσμα, ebrietatem: *ita enim interpretatur* S. *Hieronymus, qui hoc tribuit Aquilæ, & Symmacho.* (*l*) Et peſtilentes ejus.] *Aut,* peſtes. *Nec plura refert Cyrillus. In Complut. pro his eſt,* καὶ ὁ ἀγαλλιώμενος ἐν αὐτῇ, (*Ita etiam corrigendum in noſtra*) & qui exultat in ea. *In cæteris autem fere libris utrumque ponitur, hoc poſt illud.* (*m*) Reſoluta.] *Ita etiam Procopius, &* S. *Baſilius: qui ita videtur conjungere,* comburetur a flamma reſoluta radix eorum, *& interpretatur a craſſiore materia vim igneam retinente etiam poſtquam flamma reſoluta eſt, & evanuit. Cyril. autem habet,* ἀνημμένης, accenſa, *nimirum tali ad quam extinguendam nemo accurrit.* (*n*) Acerbati.] *Sic* S. *Hieron. ex lxx,* turbati *autem, ex Theodotione & Symmacho;* commoti, *ex Aquila.* (*o*) Manus.] *In multis additur,* αὐτοῦ, ejus. (*p*) Fremunt.] *Alii,* ὁρμῶσιν, impetum faciunt, irruunt. (*q*) In terram.] *Eodem modo apud Cyrillum, & reſpondet hebræo. In cæteris eſt,* εἰς τὸν οὐρανὸν ἄνω, καὶ κάτω, in cœlum ſurſum, & deorſum, *aut,* εἰς τὸν οὐρανὸν ἄνω, καὶ εἰς τὴν γῆν κάτω, in cœlum ſurſum, & in terram deorſum.

CAP. VI.

(*a*) ET plena domus gloria ejus.] *Pro hoc teſtatur* S. *Hieron. Theodotionem & Symmachum tranſtuliſſe,* & quæ ſub pedibus ejus erant, implebant templum. (*b*) Seraphim.] *Cyrillus,* διερμηνεύεται τὸ σεραφὶμ, ἐμπρησταὶ, ἤτοι θερμαίνοντες, Exponitur autem Seraphim, ἐμπρησταὶ, nimirum, calefacientes, *aut, ut* S. *Hieron.* incendentes, ſiue comburentes. (*c*) In circuitu ejus.] S. *Hieron. ex aliis interpretibus,* ἐπάνω αὐτοῦ, ſuper illud. (*) Carbonem.] S. *Hier.* Calculus iſte, qui a ſolis lxx, ἄνθραξ, id eſt, carbunculus, eſt interpretatus, poteſt non carbonem ſignificare, vel prunam, ut plerique exiſtimant, ſed carbunculum lapidem, *&c* (*d*) Forcipe.] *Idem ex aquila, & Symmacho,* forcipibus. (*e*) Incraſſatum.] *Apud* S. *Cypr. 1. teſt. in impreſſis legitur,* incraſſavi: *ſed in optimis codicibus eſt,* incraſſavit: *quod videtur valere,* incraſſatum eſt. (*f*) Suis.] *Act. 28. abeſt hoc loco,* αὐτῶν, *ſed additur deinde poſt,* ὀφθαλμοὺς, *quemadmodum & in multis codicibus: quare locus ille ſic nunc a* S. *Hieronymo refertur,* & auribus graviter audierunt, & oculos ſuos compreſſerunt: *itemque apud* S. *Cyprian.* (*g*) Sanabo.]

Sanabo.] *In aliquo eſt, ut Act. 28.* ἰάσωμαι, *& ſic apud latinos,* ſanem. (*b*) Sua.] *In cæteris hæc ſequuntur,* σπέρμα ἅγιον τὸ στήλωμα αὐτῆς, ſemen ſanctum erit ſtabilimentum ejus. *Quæ in lxx non haberi, ſed de Hebraico, & Theodotionis editione, ab Origene addita in Eccleſiæ ferri exemplaribus notant* SS. *Baſilius, & Hier. qui etiam inquit, pro,* στήλωμα αὐτῆς, *quod ipſe videtur vertiſſe,* quod ſteterit in ea, *Aquilam dixiſſe,* germen ejus.

CAP. VII.

(*a*) PEſſimum.] *In pleriſque adduntur hæc,* ἐφραὶμ, ϗ ὁ υἱὸς ῥομελίου, λέγοντες, Ephræm, & filius Romeliæ, dicentes (*b*) Non intelligetis.] *Sanctus Hieronymus, ex Symmacho,* non permanebitis. (*c*) In profundum.] *Apud Sanctum Cyprianum 2. teſtim.* in altitudinem ſurſum, & in altitudinem deorſum. *Symmachus,* βάθυνον εἰς ᾅδην, ἢ εἰς ὕψος ἄνω, profunda in infernum, vel in altitudinem ſurſum. *Aquila,* βάθυνον εἰς ᾅδην, μετεώρισον εἰς ὕψος ἄνω, profunda in infernum, eleva in celſitudinem. *Theodotio,* βάθυνον εἰς ᾅδην, ὕψωσον ἄνω, profunda in infernum, exalta ſurſum. (*d*) Nunquid parum.] *Apud Sanctum Cyprianum:* Non puſillum vobis certamen cum hominibus, quoniam Deus præſtat agonem. *Aquila,* μὴ τί ὀλίγον μοχθεῖν ἄνδρα, ὅτι μοχθεῖτε καί γε τὸν θεόν μου; nunquid parum eſt laborem afferre homini, quia laborem affertis etiam Deo meo? *Symmachus,* μὴ οὐκ αὔταρκες ὑμῖν κοποῦν ἀνθρώπους, ὅτι κοποῦτε ἔτι ϗ τὸν θεόν μου; Nonne ſatis vobis eſt moleſtiam exhibere hominibus, quia moleſtiam præterea exhibetis Deo meo? *Th.* μὴ μικρὸν ὑμῖν ἀγῶνα παρέχειν ἀνδράσιν, ὅτι ἀγῶνα παρέχετε καί γε τῷ θεῷ μου; nunquid parum vobis luctam præbere viris, quia luctam præbetis etiam Deo meo? (*e*) Virgo.] *Cæteri (teſte Sancto Hieronymo, qui præclare de hac re diſputat) tranſtulerunt, adoleſcentulam.* (*f*) Vocabis.] *Sic teſtatur Sanctus Hieronymus reliquos etiam tres ſimiliter tranſtuliſſe: pro quo in Matthæo ſcriptum ſit,* vocabunt: *quomodo etiam eſt apud Cyrillum. Apud S. Cyprianum eſt,* vocabitis. (*g*) Aut præeligere mala, eligere bonum.] *Illud,* aut, ἢ, *abeſt a SS. Baſil. & Cyril. & S. Hier. hæc videtur referre ex lxx,* quam ſciat aſſumere malum. *Apud eoſdem Sanctos Baſilium, & Cyrillum, & in aliquot codicibus eſt,* ἐκλέξεται τὸ ἀγαθὸν, eliget bonum. *Apud S. Cyprianum in duobus vetuſtis exemplaribus (nam in impreſſis eſt, ut in vulgata) legitur,* priuſquam cognoſcat, aut proferat mala, commutat bonum. (*h*) Qui dominabitur.] *Cæteri,* αἳ κυριεύουσιν, quæ dominantur. (*i*) Fiſſuram.] *In aliis hæc adduntur,* ϗ ἐν παντὶ ξύλῳ, & in omni ligno. (*k*) Conducta.] *Aut,* mercede conducta, *ut Sanctus Hieronymus, in comm. In quibuſdam autem libris, & apud* SS. *Baſilium, & Cyrillum eſt,* μεμεθυσμένῳ, inebriata. (*l*) Regis Aſſyriorum.] *Aquila,* ἐν βασιλείᾳ ἀσσυρίων, in regno Aſſyriorum. *Theodoretus,* ἐν τῷ βασιλεῖ τῶν ἀσσυρίων, in rege Aſſyriorum.

CAP. VIII.

(*a*) NOvi magni.] *Sic Euſebius,* καινοῦ μεγάλου, *& fortaſſe poſſet verti,* deſignationis magnæ. *In quibuſdam eſt,* χάρτου καινοῦ μεγάλου, chartæ novæ magnæ. *In pleriſque, & apud* SS. *Baſilium, Cyrillum, Hieronymum,* τόμον καινὸν μέγαν, *aut,* ϗ μέγαν, librum novum magnum, *aut,* & magnum. *Euſebius,* ἢ τεῦχος, ἢ διφθέρωμα, ἢ κεφαλίδα, vel volumen, vel pellem, vel capitulum. (*b*) Vnam.] *In multis additur,* ἱερέα, ſacerdotem: *quod tamen S. Hieron. teſtatur non eſſe apud lxx.* (*c*) Acceſſi.] *Apud B. Cyrillum eſt,* προσῆλθε, acceſſit. (*d*) Et ambulabit.] *Hæc uſque ad,* & erunt, *notat* S. *Hier. in Hebraico non haberi, & in Græcis codicibus veru jugulante eſſe confoſſa.* (*e*) Cognoſcite.] *Pro hoc idem teſtatur cæteros dixiſſe,* congregamini, ſive infirmamini, & confringimini. (*) Nobiſcum.] *Corrigendum in noſtra,* ἡμῶν. (*f*) Dicant.] *In aliquot codicibus eſt,* μὴ εἴπητε, *& apud* S. *Hieron.* ne forte dicatis. (*) Durum.] *Symm. teſte* S. *Hieronymo,* ἀντάρσις, rebellio. (*g*) Dominum.] *In multis additur,* τῶν δυνάμεων, *& apud* S. *Hier.* virtutum. *Cyrillus videtur habuiſſe,* τῆς δόξης, gloriæ. (*h*) In convalle ſedentes.] *Apud* S. *Hieron.* in convalle erit ſedentibus. *Græce eſt,* ἐν κοιλώματι ἐγκαθήμενοι. *Sed apud B. Cyrillum eſt,* ἐν κυλίσματι, in volutabro, qui præcipitantur, *inquit,* in foveam. (*i*) Homines in tuitione.] *Hæc inquit Sanctus Hieronymus obelo, eſſe prænotanda, Habet ea etiam B. Cyrillus.* (*k*) Qui ſignantur.] *Ita vertit* S. *Hier. in comm. & ſic oſtendunt vertenda* SS. *Baſilius, & Cyrillus, quamvis diverſam inde ſententiam eliciant. Attamen* S. *Cyprianus,* 1. *teſtim.* tunc manifeſti erunt qui ſignant legem, ut diſcant. Et dices, *al.* Et dicent. (*l*) Egeſtas anguſta, &.] *Hæc abſunt ab aliquo libro.* (*m*) Et non deficiet, qui in anguſtia fuerit.] *Item hæc a Compl, ſed non a cæteris, neque a* SS. *Baſilio & Cyrillo.*

CAP. IX.

(*a*) PRimum.] *In nonnullis additur,* ταχὺ, cito: *ſed non apud* SS. *Baſilium, Hieronymum, Cyrillum.* (*b*) Fac.] *Eodem modo* SS. *Hier. & Cyril. ſed* S. *Baſil.* πίε, bibe. (*c*) Videte.] *Sic etiam* S. *Cypr.* 1. *teſt. & Cyrillus. Alii,* ἴδε, *aut,* εἶδε, *& apud* S. *Hier.* vidit, *aut,* ἰδέτω, videat. (*d*) Umbra mortis.] *Alii,* ϗ σκιᾷ θανάτου, & umbra mortis, *ut apud* SS. *Hieron. & Cyrillum, aut,* σκιᾶς θανάτου, umbræ mortis, *ut apud* S. *Cyprianum: apud quem etiam ſequitur, ut eſt in noſtra,* lumen lucebit ſuper vos. (*e*) Quam.] *Iſtud* ὃ *abeſt a cæteris: quare apud* S. *Hier.* Plurimam partem populi deduxiſti in lætitia tua: *pro quo inquit alios eſſe interpretatos,* magnificaſti. (*f*) Tua.] *Et hoc* σου, *abeſt a multis, & Cyrillo.* S. *Hieron. in contextu habet, ſed non in comm.* (*g*) Si fiant.] *In Complut.* ϗ, *& apud* S. *Hier.* & cupient igne eſſe combuſti. (*h*) Magni conſilii angelus.] *Aut,* magnæ cogitationis nuncius, *ut* S. *Cyprianus* 2. *teſtim. Nec plura hoc loco ponuntur apud Baſilium, Cyrillum, Procopium, neque in tranſlationibus Syriaca, & Arabica, quæ de græcis expreſſæ ſunt, & Romæ habentur.* S. *Hier. notat, hæc quæ in hebraico non habeantur, poſita eſſe a lxx pro ſex nominibus, quæ ſunt in hebræo, admirabilis, conſiliarius, Deus, fortis, pater futuri ſeculi, princeps pacis.* S. *etiam Ambroſius* 3. *in Luc. cum primo interpretationem lxx poſuiſſet,* magni conſilii angelus. Adducam enim, *&c. hæc ſubjungit:* In quo juxta Aquilæ quoque interpretationem non quaſi de homine, ſed de eo qui ultra hominem eſſet, vidimus extitiſſe promiſſum. Idem enim ita interpretatus eſt: Puer natus eſt nobis, filius datus eſt nobis, & facta eſt menſura (S. *etiam Hieronymus notat, Aquilam verbi ambiguitate deceptum, pro principatu, vel imperio poſuiſſe,* μέτρον) in humero ejus: & vocabitur nomen ejus, admirabilis, conſiliarius, conſiliarius meus fortis, potens, pater ſeculi, princeps pacis. Ejus impleta eſt diſciplina: & pacis ejus non eſt finis, ſupra ſedem David, & ſupra regnum ejus. *In pleriſque vero codicibus poſt,* μεγάλης βουλῆς ἄγγελος, *hæc ſequuntur,* θαυμαστὸς, σύμβουλος, θεὸς, ἰσχυρὸς, ἐξουσιαστὴς, ἄρχων εἰρήνης, πατὴρ τοῦ μέλλοντος αἰῶνος, *quæ omnia redduntur a S. Hieronymo, ut diximus, præter illud,* ἐξουσιαστής. *S. Irenæus adv. hær. lib. 4. cap. 66.* & vocatur nomen ejus admirabilis, conſilarius, Deus fortis. S. *Ignatius in epiſt. ad Antioch.* ϗ καλεῖται τὸ ὄνομα αὐτοῦ, μεγάλης βουλῆς ἄγγελος, θαυμαστὸς, σύμβουλος, θεὸς ἰσχυρὸς, ἐξουσιαστής. *Euſebius, Demonſtr. Evang. lib.7.* ϗ καλεῖται τὸ ὄνομα αὐτοῦ, μεγάλης βουλῆς ἄγγελος, θαυμαστὸς, σύμβουλος, θεὸς ἰσχυρὸς, ἐξουσιαστὴς, ἄρχων εἰρήνης, πατὴρ τοῦ μέλλοντος αἰῶνος· ἄξω, &c. *itemque l. 9. omiſſis tamen* θαυμαστὸς, *&,* σύμβουλος, *atque ordine mutato. In introitu tertiæ Miſſæ Nativitatis Domini,* vocabitur nomen ejus, magni conſilii angelus: *ſecundæ vero,* & vocabitur admirabilis, Deus princeps pacis, pater futuri ſeculi. *Hæc autem pleraque e vetuſtiore editione de græcis verſa Patres noſtri in Eccleſiaſtica officia contulerunt. In comm. græcis Euſebius,* Symm. hoc modo eſt interpretatus, ϗ κληθήσεται τὸ ὄνομα αὐτοῦ παραδοξασμὸς, βουλευτικὸς, ἰσχυρὸς, δυνατὸς, πατὴρ αἰῶνος, ἄρχων εἰρήνης, & vocabitur nomen ejus, incredibile quiddam, aptus ad conſultationem, fortis, potens, pater ſeculi, princeps pacis. Aquila autem, ϗ καλεῖται τὸ ὄνομα αὐτοῦ θαυμαστὸς, σύμβουλος, ἰσχυρὸς, δυνατὸς, πατὴρ ἔτι ἄρχων εἰρήνης, & vocatur nomen ejus, admirabilis, conſiliarius, fortis, potens, pater ultra princeps pacis. At ſecundum Theodotionem, ϗ ἐκάλεσε τὸ ὄνομα αὐτοῦ θαυμαστὸς, συμβουλεύων, ἰσχυρὸς, δυνατὸς, πατὴρ αἰῶνος, ἄρχων εἰρήνης, & vocavit nomen ejus, admirabilis, conſultans, fortis, potens, pater ſeculi, princeps pacis. Vox autem hebraica pro, ἰσχυρὸς, eſt, ἤλ, quo ſignificatur Deus. Nam cum ſæpe in ſcriptura El ponatur in Deo; etiam in præſenti loco eodem modo ſumptum eſt. Quare per hanc vocem Deus etiam pronunciatur natus nobis parvulus. Nos igitur minime peccaverimus Deum potentem interpretati. *In iiſdem comm. Theodoretus:* Hoc malitioſe tractantes qui circa Aquilam, ἰσχυρὸς, δυνατὸς, ſunt interpretati. Nam apud hebræum ponitur, ἢλ γιββώρ: El autem Deus eſt. (*i*) Mortem.] *Apud S. Baſilium eſt,* λόγον, verbum: *quod B. Cyrillus inquit eſſe ex hebræo, & cæteris interpretibus.* S. *Hieron. nihil dicit de lxx, ſed cum ipſe poſuiſſet,* verbum, *addit pleroſque ſermonis ambiguitate deceptos, non verbum dicere eſſe miſſum, ſed mortem.* (*k*) Super eum.] ἐπὶ αὐτόν. *Quæ a B. Cyrillo videntur abeſſe, & apud* S. *Hieron. in comment. omnino non ſunt.* S. *Baſilius videtur legiſſe* ἐπὶ αὐτὸ, ſimul. (*l*) Inimicos.] *In multis additur,* αὐτοῦ, *& apud* S. *Hieron.* inimicos illius: *in aliquo,* ἰούδα, Juda. (*m*) Abſtulit.] *Th.* ἀφελεῖ, auferet, (*quod etiam eſt in aliquo codice*) *Aquila,* ὀλοθρεύσει, diſperdet. (*n*) Eos qui facies admirantur.] *Symm.* αἰδέσιμον, *quod apud* S. Hieron. *videtur eſſe,* honorabilis. *Apud S. Baſilium paulo aliter hic locus videtur habere.* (*o*) Furor.] *Ita etiam Cyrillus. In multis additur,* αὐτοῦ, furor ejus, *itemque,* manus ejus: *quæ varietas ſæpe obſervari poteſt.*

CAP. X.

(*a*) IN abductionem.] *De hoc vocabulo in Eccleſiaſtico dictum eſt. In aliis autem libris, & apud* S. *Baſilium hæc ſequuntur,* ϗ ὑποκάτω τῶν ἀνῃρημένων πεσοῦνται, & ſub interfectis cadent: *quæ a B. Cyrillo non afferuntur: & apud Procopium margini adſcripta ſunt ſub aſteriſco.* (*b*) Viſitabo ſuper ſenſum magnum.] *Non aliud diſcrimen notat* S. *Hieronymus a ſua verſione, niſi quod lxx pro fructu, ſenſum, vel mentem magnam, poſuerunt, id eſt,* τὸν νοῦν μέγαν. *In aliis tamen libris, pro,* ἐπισκέψομαι, *eſt,* ἐπάξει, inducet. (*c*) Mihi.] *In aliis libris hæc ſequuntur,* ϗ ἀνοίγων τὸ στόμα ϗ στρουθίζων, & aperiens os, & garriens: *quorum nulla mentio apud Sanctum Cyrillum, & apud Procopium addita ſunt margini ſub aſteriſco.* (*d*) Aut lignum, & non ſic.] *Ita videtur interpungere B. Cyrillus: & fortaſſe non habuit illud,* & *In Complut. vero,* ἢ ξύλον, ὑψωθήσεται ξύλον· ϗ οὐχ οὕτως, aut lignum, exaltabitur lignum. Et non ſic. (*e*) Et ſanctificabit eum in igne ardenti.] *Symm.* ϗ ὁ ἅγιος αὐτοῦ εἰς φλόγα, *quod Sanctus Hieronymus,* & ſanctus ejus in flamma. (*f*) Induco.] *In multis eſt,* ἐπάγει, inducit. (*g*) In loco tribulationis.] *Pro quo S. Hieronymus, inquit Aquilam dixiſſe,* in petra Oreb, *Symmachum autem & Theodotionem poſuiſſe ipſum verbum hebraicum,* Zur Oreb. (*h*) Fugiet filia Gallim.] *Sic apud SS. Hieronymum & Cyrillum. In aliis* φεύξεται, *conjungitur cum præcedentibus: ac deinde ſequitur,* χρεμέτισον φωνῇ σου, hinni voce tua: *quæ apud Procopium ſunt ſub aſteriſco.* (*i*) Audietur.] *Ita etiam Cyrillus. Complut.* ἐπάκουε, *& apud S. Hieronymum,* attende. (*k*) Manu conſolamini montem.] *In aliis quibuſdam,* conſolamini manu. *Sed Cyrillus, ut noſtra, atque ita explicat, o colles, qui in Hieruſalem, vos præcipue quaſi manu mulcentes conſolamini montem, id eſt, ipſam filiam Sion. A Compl. abeſt iſtud,* manu, *& habet,* παρακαλεῖτε ἐν τῷ ὄρει τὴν θυγατέρα σιὼν, conſolamini in monte filiam Sion. *Abeſt etiam a* S. *Hieron. ſed ipſe habet,* Conſolamini montem filiæ Sion, & collem Hieruſalem: *quamvis in explicatione videatur non diſcedere a Cyrillo. Conſiderandum etiam, an pro,* montem, *poſſit reddi,* mons: *quod dictio græca patitur.*

CAP. XI.

(*a*) DE radice.] *Euſebius:* cæteri interpretati ſunt, ἀπὸ τοῦ κορμοῦ, id eſt, de trunco: *quod idem teſtatur* S. *Hieron.* (*b*) Adjiciet.] *Aq.* προσθήσει κύριος δεύτερον τὴν χεῖρα αὐτοῦ, κτήσασθαι τὸ ὑπόλειμμα τοῦ λαοῦ αὐτοῦ, ὃ ὑπολειφθήσεται ἀπὸ τῶν ἀσσυρίων, apponet Dominus ſecundo manum ſuam, ad poſſidendum reſiduum populi ſui, quod relictum fuerit ab Aſſyriis. *Symmachus,* προσθήσει κύριος ἐκ δευτέρου τὴν χεῖρα αὐτοῦ, τοῦ ζηλῶσαι τὸ ὑπόλειμμα τοῦ λαοῦ αὐτοῦ, apponet Dominus iterum manum ſuam ad zelandum reſiduum populi ſui. (*c*) Deſolabit.] *Euſebius,* οἱ τρεῖς συμφώνως οὕτως ἡρμήνευσαν, Tres illi concorditer ita ſunt interpretati, ϗ ἀναθεματίσει κύριος τὴν γλῶσσαν θαλάσσης αἰγύπτου, & anathemabit, (*aut,* interficiet, *ut interpretatur* S. *Hier.*) Dominus linguam maris Ægypti.

CAP. XII.

(*a*) BEnedico.] *In multis*, εὐλογήσω, benedicam. (*b*) Eo.] *In nonnullis, & apud Cyrillum hæc adduntur*, σωθήσομαι ἐν αὐτῷ, ſalvabor in eo : *quæ margini etiam codicis Vaticani ſunt adſcripta : In quibuſdam etiam eſt*, καὶ εὐφρανθήσομαι ἐν αὐτῷ, & lætabor in eo. *Neutrum habet S. Baſilius.*

CAP. XIII.

(*a*) COnſolamini manu.] *Eadem loquutio ſuperius eſt obſervata ; quamvis hic poſſet etiam verti*, evocate. *Symm.* κινήσατε χεῖρας, καὶ ἐξελθέτωσαν θύρας, movete manum, & exeant portas. (*b*) Eos.] *Sic etiam Sanctus Baſilius. In nonnullis autem codicibus, & apud Cyrillum ſequitur*, ἡγιασμένοι εἰσὶ, καὶ ἐγὼ ἄγω αὐτοὺς, ſanctificati ſunt, & ego abduco eos. *In comment. etiam græcis margini adſcriptum eſt*, ἄγω αὐτοὺς, ἡγιασμένοι εἰσίν. *Cyrillus autem inquit*, ſanctificare, *hoc loco accipi, pro*, ſeponere, *ut alibi.* (*c*) Gigantes.] *Theodotio*, καίγε ἐκάλεσα τοὺς γίγαντάς μου, & quidem vocavi gigantes meos. *Aq. & Symm.* δυνατοὺς, potentes. (*d*) Incoctum.] *Ita inquit Sanctus Baſilius, evidenter purum, ac probum, ut coctionis non egeat. Apud Sanctum Hieronymum tamen eſt*, excoctum : *pro quo inquit Aquilam dixiſſe*, πυῤῥὸν, coloris optimi, & ſanguinei : *ſicut pro lapide de Suphir*, ἀπήλωμα ὀφείρ. (*e*) Beſtiæ.] *Euſebius.* ἀντὶ τοῦ θηρία, σιείν, οἱ λοιποὶ ἑρμηνευταὶ ἐκδεδώκασι. καὶ ἀντὶ τοῦ σειρῆνες, στρουθοκαμήλους εἰρήκασι. καὶ ἀντὶ τοῦ, ὀνοκένταυροι, Σιείν, ἀνέγραψαν, αὐτῇ χρησάμενοι τῇ ἑβραϊκῇ φωνῇ, διὰ τὸ ἄδηλον τῆς ἑρμηνείας. ἀλλὰ καὶ ἀντὶ ἐχίνων, ὁμοίως οἱ τρεῖς ἑρμηνευταὶ σειρῆνας ἡρμήνευσαν. Pro, θηρία, cæteri interpretes reddiderunt, Σιείν, Siim : & pro, σειρῆνες, dixerunt ſtruthiocamelos, & pro onocentauri ſcripſerunt Siim, ipſa uſi hebraica voce ob interpretationis obſcuritatem, ſed etiam pro, ἐχίνων, id eſt, erinaceis, ſimiliter tres interpretes, Sirenas interpretati ſunt. *Sanctus Baſilius*, τοὺς ὀνοκενταύρους οὓς εἶπον οἱ ἑβδομήκοντα, τριχῶντας ὠνόμασεν ὁ ἀκύλας, Quos lxx dixerunt Onocentauros, Aquila nominavit, τριχῶντας, piloſos. *Theodoretus*, καλεῖ ὀνοκενταύρους, ἃς οἱ παλαιοὶ μὲν ἐμπούσας, οἱ δὲ νῦν, ὀνοσκελίδας προσαγορεύουσι, Vocat Onocentauros, quos veteres quidem, ἐμπούσας, qui autem nunc vivunt, appellant ὀνοσκελίδας. *Legenda ſunt quæ S. Hier. de his varietatibus affert, lib.* 6.

CAP. XIV.

(*a*) TArdabit.] *In cæteris ſequitur*, καὶ αἱ ἡμέραι αὐτῶν, (*aut* αὐτῆς, *ut apud Sanctum Baſilium*) οὐ μὴ ἐφελκυσθῶσι, & dies eorum, (*al.* ejus) non protrahentur. *Hæc autem non afferuntur a Cyrillo : & apud Procopium ſub aſteriſco habentur, itemque apud Sanctum* Hieronymum. (*b*) Advena.] *Euſeb.* ἀντὶ τοῦ ὁ γειώρας, οἱ λοιποὶ ἑρμηνευταὶ, ὁ προσήλυτος, ἡρμήνευσαν. Pro, ὁ γειώρας, cæteri interpretes dixerunt, proſelytus. *De hoc multa S. Baſilius, & S.* Hieronymus. (*c*) Gigantes.] *Euſebius*, οἱ κατὰ τοὺς λοιποὺς ἑρμηνευτὰς ῥαφαείμ, qui apud cæteros interpretes dicuntur Raphaim. (*d*) Operculum.] κατακάλυμμα. *In aliis, & apud Cyrillum eſt*, κατάλυμα, habitaculum. (*e*) Obductione.] ἐπαγωγῇ. *Alii*, ἀπαγωγῇ, abductione. *Utrumque, ut alibi notatum eſt, ſignificat calamitatem, & anguſtiam.* (*f*) Mortuus.] *Apud Sanctum* Hieronymum *in textu vetuſtioris eſt*, abortivum : *ſed in comment. inquit, hoc nimirum*, ἔκτρωμα, *eſſe Symmachi*, νεκρὸς, *autem lxx*, ἰχῶρας, ſaniem, *Aquilæ; Theodotionis*, βλαστὸν, germen. (*g*) Bellis.] *In aliquibus eſt*, πολεμίων, hoſtibus : *in aliis*, πόλεων, civitatum. *Sanctus* Hieronymus *notat dictionem hebraicam ſignificare poſſe civitates, & adverſarios.*

CAP. XV.

(*a*) MIttam.] Hoc *Baſilius & Cyrillus conjungunt cum fine ſuperioris capitis*, & reſiduum Adama mittam. *Compl. autem*, ἀποστελῶ ἀμνὸν κυριεύοντα ἐπὶ τὴν γῆν, mittam agnum dominantem ſuper terram. (*b*) Eris] *Iſtud* ἔσῃ, *abeſt a multis.* (*c*) Fac tegmen luctus ipſa ſemper.] *In aliquot codicibus eſt*, ποιεῖτε σκέπην πένθους αὐτοῖς διαπαντὸς, facite tegmen luctus ipſis ſemper: *& ita habuiſſe Sanctos Baſilium & Cyrillum ex ipſa etiam explanatione colligitur. In aliquo etiam eſt*, αὐτῇ, ei. (*d*) Abducaris.] *Sic Sanctus Baſilius videtur legiſſe : & apud Procopium margini adſcriptum eſt. Sed Procopius ipſe, ac Cyrillus, & aliqui codices habent*, μὴ ἀπ' ἀρχῆς, nonne ab initio habitabunt, *&c.* (*e*) Perſequentis.] *Nam etiam in Vatic.* διώκοντος, *licet per typographi incuriam factum ſit*, διώκοντες. (*f*) Et dirigetur.] *Aquila*, καὶ ἑτοιμασθήσεται ἐν ἐλέῳ θρόνος, & præparabitur in miſericordia ſolium, *ut in vulgata. Theodotio*, καὶ ἑτοιμασθήσεται μετ' ἐλέους θρόνος, & parabitur cum miſericordia ſolium. (*g*) Superbiam ſuſtuli.] *Ita etiam apud B. Cyrillum. A nonnullis abeſt*, ἐξῆρα, *& in Compl. illud*, ſuperbiam, *conjungitur cum antecedentibus*, ὕβρισιν, (*ita enim habet*) σφόδρα τὴν ὑπερηφανίαν, contumelioſam valde ſuperbiam. *In quibuſdam vero eſt*, τὴν ὑπερηφανίαν σου ἐξῆρας, ſuperbiam tuam extuliſti, *aut*, ἐξῆρεν, ſuſtulit : *quomodo etiam videtur legiſſe S. Baſilius : apud quem, ſicut in cæteris fere codicibus ſequitur*, καὶ ἡ ὕβρις (*Compl.* τὴν ὕβριν) αὐτοῦ καὶ ἡ μῆνις αὐτοῦ, & contumelia ejus, & alte concepta iracundia ejus. *Ita enim interpretatur* S. *Baſil. Apud* S. *Hieron.* ſuperbia ejus, & injuria ejus, & furor, non ſicut divinatio, &c. *Hæc vero neque apud Cyrillum ſunt : & apud Procopium margini ſunt adſcripta ſub aſteriſco.* (*h*) Habitatoribus autem Seth meditationes.] τοῖς καθοικοῦσι δὲ σὴθ μελετήσεις. *In Compl. eſt*, ἐν τοῖς κατοικοῦσι δὲ σὴθ, μελετήσεις, *& ſic redditur*, in habitantibus autem Seth, meditaberis. *Apud Cyrillum*, δεσὴθ, *eſt una dictio, quemadmodum & in multis libris*, Deſeth : *ut hoc ſibi velit, fore meditationem lugubrium lamentorum habitantibus Deſeth. Apud* S. *Hieron. eſt*, δὲ δεσὴθ, *& in textu*, habitatoribus autem Deſeth meditaberis. *Apud* S. *Baſilium eſt*, σεδὲκ, *qui hunc locum ſic clarius a Symmacho expreſſum teſtatur*, iis qui lætantur in muro fictili, loquimini : *quare in margine unius codicis eſt*, τεῖχον ὀστράκινον, *quod eſſe in hebraico teſtatur* S. Hieron. (*i*) Non confunderis.] S. *Baſilius videtur legere cum interrogatione. In aliquot libris, & apud Cyrillum eſt*, καὶ οὐκ ἐντραπήσονται πεδία, *quod ita videtur explanare, & non reverebuntur feriiſti vaſtatores campos Eſebon : lugebit vitis Sebama, &c.* (*k*) In tribus annis.] *Euſebius* : Pro eo quod apud lxx dictum eſt, ἐν τρισὶν ἔτεσιν μισθωτοῦ ἀτιμασθήσεται ἡ δόξα μωὰβ, ſecundum hebraicam lectionem, vel etiam cæteros interpretes, interpoſita diſtinctio clariorem reddidit ſententiam : Nam ab Aquila quidem dictum eſt, ἐν τρισὶν ἔτεσι μισθωτοῦ, a Symmacho autem, ἔκτοτε καὶ νῦν ἐλάλησε κύριος λέγων, ἐν τρισὶν ἔτεσιν, ὡς ἐπὶ μισθωτοῦ, ex tunc, & nunc loquutus eſt Dominus dicens, in tribus annis, quaſi in mercenario : a Theodotione autem, ἀπὸ τότε, καὶ νῦν ἐλάλησε κύριος λέγων, ἐν τρισὶν ἔτεσιν, ὡς ἐνιαυτοῖς μισθωτοῦ, ex tunc, & nunc loquutus eſt Dominus, dicens, de tribus annis, quaſi annis mercenarii. Deinde ab alio principio dictum eſt apud cæteros interpretes, & juxta hebraicam lectionem, καὶ ἀτιμασθήσεται ἡ δόξα μωὰβ σὺν παντὶ τῷ πλούτῳ τῷ πολλῷ, & inhonorabitur gloria Moab cum omnibus divitiis iſtis multis.

CAP. XVII.

(*a*) TOlletur de civitatibus.] *Theodotio*, μετασταθήσεται ἐκ πόλεως, removebitur de civitate. (*b*) In ſeculum] *Euſebius* : Iſtud, εἰς τὸν αἰῶνα, μόνην τὴν ἑβδομήκοντα ἑρμηνείαν εἴρηται. λέγω δὲ τὸ, εἰς τὸν αἰῶνα, οὔτε γὰρ ἐν τῷ ἑβραϊκῷ, οὔτε παρὰ τοῖς λοιποῖς ἑρμηνευταῖς φέρεται, In ſola lxx, interpretatione poſitum eſt : neque enim in Hebraico, neque apud cæteros interpretes fertur. *Pro hoc Sanctus* Hieronymus *poſuit dictionem hebræam Aroer, quam inquit ſignificare myricem, arborem quæ in ſolitudine naſcitur.* (*c*) Ad confugiendum.] *In multis additur*, ἐκεῖ, illuc. (*d*) Amorræi, & Evæi.] *Sanctus* Hieronymus *ex Aquila*, teſtam, & Emir, *ex Symmacho*, ſylvam, & Amir, *ex Theodotione*, Hares, & Emir, *quod ipſe*, aratra & ſegetes. (*e*) Exterminabit.] *Aquila*, καὶ ἐπιτιμήσει ἐν αὐτῷ καὶ φεύξεται μακρὰν, & increpabit in eum, & fugiet longe. *Symm.* καὶ ἐμβριμήσεται αὐτῷ, καὶ φεύξεται πόῤῥω & comminabitur ei, & fugiet procul. (*f*) Ventilantium] *In Complut. & apud Cyrillum*, λελικμωμένον, ventilatum. (*g*) Tempeſtas impellens.] *In iiſdem*, καταιγίδος φερούσης, tempeſtate impellente. (*h*) Et.] *Iſtud*, &, *abeſt a multis, & a Cyrillo : cui in cæteris convenit cum noſtra.*

CAP. XVIII.

(*a*) NAvium alis] *Symmachus*, ἦχος πτερωτὸς, ſonitus alatus. *Addit Sanctus* Hieronymus, *quod Symmachus dixit*, *ſonitum*, *Theodotionem dixiſſe, aves, Aquilam bis, umbram, ſe autem, cymbalum : in comment. autem capitis* 19. *dixit*, væ terræ obumbranti alis. *Sed lib.* 7. terræ navium alarum. (*b*) Qui mittit.] *Symmachus*, ὁ ἀποστέλλων ἐν θαλάσσῃ πρεσβύτας, qui mittit in mari legatos. *Pulchre autem docet Sanctus* Hieronymus *cauſam, cur interdum in ſermone de Ægypto pro genere feminino maſculinum inveniamus: apud hebræos enim & Ægyptus, & Ægyptius, & Ægyptii uno vocabulo nuncupantur.* (*c*) Quis ultra illum ?] *Symm.* μεθ' ὃν οὐκ ἔστιν ἐπέκεινα, poſt quem non eſt ultra.

CAP. XIX.

(*a*) ECce Dominus ſedet.] *Aquila*, ἰδοὺ κύριος ἐπιβαίνει ἐπὶ πάχος ἐλαφρὸν, Ecce Dominus aſcendit ſuper craſſitiem levem. (*b*) Et incitabuntur.] *Aquila*, καὶ στασιάσω αἰγυπτίους αἰγυπτίοις, & diſſidere faciam Ægyptios ab Ægyptiis. *Symmachus*, συμβαλῶ, committam. (*c*) Turbabitur.] *Symmachus*, καὶ ῥαγήσεται πνεῦμα αἰγύπτου ἐν αὐτῇ, & diſrumpetur ſpiritus Ægypti in ipſa. *Aquila*, καὶ πλαδαρωθήσεται πνεῦμα αἰγύπτου ἐν ἐγκάτῳ αὐτῆς, & flaceſcet ſpiritus Ægypti in intimo ejus. *Theodoretus*, καὶ σχισθήσεται πνεῦμα αἰγύπτου ἐν αὐτῇ & ſcindetur ſpiritus Ægypti in ea. (*d*) Et reges.] *Aquila*, καὶ βασιλεὺς κεκραταιωμένος βασιλεύσει αὐτῶν, & rex corroboratus regnabit ſuper eos: *Symmachus*, καὶ βασιλεὺς σκληρὸς ἐξουσιάσει αὐτῶν, & rex durus imperabit eis. *Theodoretus*, καὶ βασιλεὺς ἰσχυρὸς κυριεύσει αὐτῶν, & rex fortis dominabitur eorum, *ut vulgata.* (*e*) Et bibent.] *Aquila*, καὶ ἀναποθήσεται ὕδατα ἀπὸ θαλάσσης, & deſiderabuntur aquæ de mari. *Symmach.* καὶ ἀφανισθήσεται, & diſperibit. (*f*) Etiam.] *Iſtud*, καὶ, *abeſt a multis.* (*g*) Achi.] *De vocabulo hoc notatum eſt Gen.* 41. *& Eccl.* 40. *& legenda, quæ hic a Sancto* Hieronymo, *lib.* 7. *& paulo poſt de Zytho.* (*h*) Finem.] *Pro hoc Sanctus* Hieronymus *teſtatur Aquilam dixiſſe*, στρέβλοντα, qui perverſe omnia agit, ut puerum, *inquit*, ſignificaret. (*i*) Terrorem.] *Sanctus* Hieronymus, *ex Aquila*, γύρωσιν, cum aliquis pavidus & tremens circumfert oculos, & advenientem formidat inimicum. (*k*) Aſedec,] *Symm.* πόλις ἡλίου, civitas Solis. *Alios inquit Sanctus* Hieronymus, ὄστρακον, *hoc eſt, teſtam, oſtracinam urbem intelligi voluiſſe. Dictio enim hebraica & ſolem, & teſtam ſignificat.*

CAP. XX.

(*a*) FAC.] *Sic etiam Cyrillus. In uno vetuſto codice, & Complut. eſt*, ἐποίησεν, fecit. (*b*) Tres annos.] *Abeſt a cæteris.* (*c*) Tres anni erunt in ſigna.] *In aliquo eſt*, τρία ἔτη ἔσται σημεῖα, tribus annis erunt ſigna.

CAP. XXI.

(*a*) PRævaricans prævaricatur.] *Symm.* ὁ ἀθετῶν ἀθετεῖται, καὶ ὁ ταλαιπωρίζων ταλαιπωρεῖ, rejiciens rejicit, & vaſtans vaſtat. (*b*) Uriam.] *Aq.* λέοντα, leonem. *Symm.* λέαιναν, leænam, *Theodotio*, ἀριήλ, Ariel. *Videatur Sanctus* Hieronymus *lib.* 7. (*c*) In ſpeculam : Dominus dixit.] *Sic apud Sanctum* Hieronymum. *Alii*, εἰς τὴν σκοπιὰν κυρίου, καὶ εἶπεν, in ſpeculam Domini: Et dixit. (*d*) Voca de Seir.] *Cyrillus videtur habuiſſe*, καλεῖ, vocat. *Sanctus* Hieronymus *lib.* 7. *inquit ſecundum hebræi & græci ſermonis ambiguitatem poſſe verti*, vocat, &, voca : *Euſebius, ſecundum cæteros interpretes*, φεύγοντας παρὰ τοῦ σηὴρ, fugientes de Sier. (*e*) Habita.] *In quibuſdam ſequitur*, λῆμμα ἐν τῇ ἀραβίᾳ, Aſſumptio in Arabiam, *aut*, τὸ ῥῆμα τὸ ἐν τῇ ἀραβίᾳ, verbum quod in Arabiam, *aut*, τὸ ὅραμα τὸ ἐν τῇ ἀραβίᾳ, viſio, quæ in Arabiam.

CAP XXII.

(*) QUIA nunc.] *Legenda ſunt quæ hoc loco ſcribit Sanctus* Hieronymus, *de illo Aphu, de quo in volumine Reg.* (*a*) Elamitæ.] *Schol.* ἐλαμίτας, τοὺς σαμαρείτας καλεῖ· καὶ γὰρ τῆς περσικῆς μετῳκίσθησαν χώρας. ἀπχθῶς δὲ διακείμενοι πρὸς τοὺς ἰουδαίους, συνεμάχουν κατ᾽ αὐτῶν ἀναγκαίως ῥωμαίοις, Elamitas vocat ipſos Samaritas: ex Perſica enim regione tranſmigrarant. Inimice autem affecti erga Judæos, neceſſario una cum Romanis pugnabant contra illos. (b) Avertit.] *Aliqui, & Cyrillus,* ἀπέστρεψαν, *& apud S. Hier. lib.* 7. averterunt. *In uno pervetuſto eſt,* ἀπεστρέψατε, *& paulo poſt,* καθείλετε, avertiſtis, deſtruxiſtis. (c) In paſtophorium.] *Symm.* σκηνοποιοῦντα, eum qui facit tabernaculum. *Aq.* τὸν σκηνοῦντα, qui habitat in tabernaculo: *ita enim interpretatur Sanctus Hieronymus pro quo inquit Theodotionem dixiſſe,* Ingredere ad Socen iſtum. (d) Scripſiſti.] *Ita etiam Cyrillus. In uno codice eſt,* ἔγλυψας, ſculpſiſti. (e) Per imperium.] κατὰ κράτος, *& apud Sanctum Hieronymum,* fortiter. *In multis, & apud Cyrillum, & Procopium,* καὶ κράτος, & potentiam. *Apud Procopium in margine.* Th. κραταιώσω αὐτὸν, confortabo eum, *ut in vulgata.* (f) Et dabo ei.] *Hæc uſque ad,* & ſtatuam, *abſunt a Cyrillo. In multis autem ſequuntur ſtatim poſt illa,* & inhabitantibus in Juda. (g) Magnum.] *In cæteris hæc adduntur,* πᾶν τὸ σκεῦος τὸ μικρὸν ἀπὸ σκεύους τῶν ἀγανώθ, omne vas parvum a vaſe Agonoth, *quod in vulgata redditur,* craterarum. *Hæc vero neque a Cyrillo afferuntur, & apud Procopium ſignata aſteriſco Theodotioni tribuuntur.*

CAP. XXIII.

(a) TRaderetur.] *In aliquot libris hæc ſequuntur,* ἀπάξουσιν αὐτὴν οἱ πόδες αὐτῆς πόῤῥωθεν εἰς ἀποικίαν, abducent eam pedes ejus procul in tranſmigrationem: *quæ neque apud Cyrillum ſunt, & apud Procopium, tanquam de Theodotione ſumpta notantur aſteriſcis.* (b) Aſſyriis.] *In nonnullis hæc ſubjunguntur,* ἐθεμελίωσεν αὐτὴν εἰς Σιείμ· ἔστησαν ἐπάλξεις αὐτῆς, ἐξήγειραν βάρεις αὐτῆς, fundavit eam in Siim: ſtatuerunt propugnacula ejus, excitaverunt ædificia ejus: *quæ neque apud Cyrillum habentur, & apud Procopium aſteriſco ſignata ſunt: hoc tamen ſcholio adjuncto,* τούτων τῶν ἠστερισμένων, ὠριγένης, ὡς τῶν ὁ, μέμνηται ἐν τῷ κέ. τόμῳ τῶν εἰς ἠσαΐαν, horum, quæ aſteriſco notata ſunt, Origenes, tanquam ipſorum lxx, mentionem fecit in 25. tomo in Eſaiam. (c) Et in ſymbolam.] *A nonnullis abeſt illud* &: *in ſymbolam autem videtur valere,* ad ſaturitatem. *De hoc vocabulo alibi dictum eſt.*

CAP. XXIV.

(a) DIſſeminabit.] *Aq. & Th.* διασκορπίσει, diſperget. (b) Ceſſavit arrogantia, & opulentia impiorum.] *Hæc,* πέπαυται αὐθάδεια, καὶ πλοῦτος ἀσεβῶν, *ſunt etiam in Vaticano: ſed per typographi incuriam in græca editione omiſſa.* (c) Vlulate.] *Corrigendum in noſtra,* ὀλολύξετε. (d) Terræ: abiit omnis lætitia.] *Ab aliquo libro, & a Cyrillo abſunt. In alio eſt,* ἀπεσχίσθη χαρὰ, abſciſſum eſt gaudium. (e) Conturbabitur.] *Th.* ἤχησαν ὕδατα, ſonuerunt aquæ maris. (f) Portenta.] *Symm. & Th.* ψαλμοὺς ἠκούσαμεν, pſalmos audivimus. *Aq.* μελῳδίας, melodias. (g) Pio.] *In aliquot codicibus hæc ſequuntur,* καὶ εἶπεν, τὸ μυστήριόν μου ἐμοὶ, τὸ μυστήριόν ἐμοὶ καὶ τοῖς ἐμοῖς, & dixit, myſterium meum mihi, myſterium meum mihi & meis. *Apud Procopium poſt illa,* Et dicent, *hæc ſub aſteriſco apponuntur,* τὸ μυστήριόν μου ἐμοὶ, τὸ μυστήριόν μου ἐμοί. *S. Hier. eodem loco habet, ſed ſemel tantum, atque in comm. hæc inquit:* Hoc quod dicitur, myſterium meum mihi, in lxx non habetur; ſed de Theodotionis tranſlatione in Græco additum eſt. *Ea quidem Cyrillus non habet: habet autem in comm. græcis Theodor. & ſæpe a Chryſoſtomo, & aliis citantur.* (h) Væ prævaricatoribus.] *Aq.* ὦ οἴμοι ἀθετοῦντες ἠθέτησαν, Heu mihi prævaricantes prævaricati ſunt. *Sym.* οἴμοι ἀθετοῦντες ἠθέτησαν, *eodem ſenſu.* (i) De cælo.] *Apud Sanctum Hieronymum & Cyrillum eſt,* θυρίδες τοῦ οὐρανοῦ, feneſtræ cæli. (k) Declinavit.] *In multis, & apud Cyrillum hic ſequuntur ea quæ paulo poſt ſunt in noſtra,* & concutietur, quaſi pomorum cuſtodia, terra. *In quibuſdam vero hic locus ſic habet* ἔκλινεν, σάλῳ (*aut* καὶ σάλῳ) σαλευθήσεται ἡ γῆ, ὡς ὁ μεθύων καὶ κραιπαλῶν, καὶ σεισθήσεται, declinavit, agitatione agitabitur terra, ſicut ebrius, & ſe ingurgitans, & concutietur, *&c.* (l) Murus.] *In pleriſque hæc ſequuntur,* καὶ ἐντραπήσεται ἡ σελήνη, καὶ αἰσχυνθήσεται ὁ ἥλιος, & erubeſcet Luna, & confundetur Sol: *quæ neque apud Cyrillum habentur, & apud Procopium ſunt addita margini, tanquam ex alia editione: & Sanctus Hieronymus docet pro his a lxx dictum eſſe, liquefieri laterem, & cadere murum.* (m) E Sion.] *Multi,* ἐν σιὼν, καὶ ἐν ἱερουσαλὴμ, in Sion, & in Hieruſalem.

CAP. XXV.

(a) VT non caderent.] *Plerique,* τοῦ πεσεῖν, *& apud Sanctum Hieronymum,* ut caderent. (b) Civitas.] *Sic etiam Cyrillus. In quibuſdam eſt* πόλεις, *& apud Sanctum Hieronymum,* ciuitates non ædificabuntur. (c) Benedicent.] *Euſebius:* Cæteri, δοξάσουσί σε, glorificabunt te. (d) Tradidiſti.] *In quibuſdam libris hæc adjunguntur,* καύσων ἐν σκέπῃ νέφους κληματίδα ἰσχυρῶν ταπεινώσει, æſtus in umbraculo nubis propaginem fortium humiliabit: *quæ neque apud Sanctum Hieronymum neque apud Cyprianum habentur, & apud Procopium fere omnia ſub aſteriſco Theodotioni tribuuntur.* (e) Iſtum.] *Nec plura apud SS. Hieronymum & Cyrillum. In quibuſdam libris hæc adduntur,* πότον λιπασμάτων, πότον τρυγιῶν, *quod in noſtra vulgata eſt,* convivium pinguium, convivium vindemiæ. (f) Trade.] *Quomodo cæteri interpretes hunc locum reddiderint, videndum apud Sanctum* Hieronymum. (g) Moabitis.] *In quibuſdam ſequitur,* ἐν τῷ τόπῳ αὐτῆς, in loco ſuo. *Symmachus,* καὶ ἀλοήσομεν τὴν μωὰβ ὑποκάτω αὐτῆς, ὡς ἀλοητὸν ἀχύρου, ὡς πηλὸν, & triturabimus Moab ſub ea, ſicut trituram paleæ, ſicut fimum. (h) Suas.] *In aliquot libris hæc ſequuntur,* ὡς ἁπλοῖ ὁ λουόμενος εἰς τὸ κολυμβῆσαι, ſicut expandit qui ſe lavat, ad natandum. *Apud Procopium vero pro his,* καὶ ἀνήσει τὰς χεῖρας αὐτοῦ, ὃν τρόπον καὶ αὐτὸς ἐταπείνωσε τοῦ ἀπολέσαι, *iſta in margine ſunt appoſita,* ἐξαπλώσει τὰς χεῖρας αὐτοῦ, ἐν μέσῳ αὐτοῦ καθὼς ἀναπλῶσαι ὁ λουόμενος εἰς τὸ κολυμβῆσαι, expandet manus ſuas in medio ejus, ſicut expanderet, qui ſe lavat ad natandum. (i) Muri.] *Sic etiam Cyrillus. In quibuſdam eſt,* τοῦ οἴκου σου, domus tuæ.

CAP. XXVI.

(a) CAntabunt.] *Euſebius Emiſſ.* Symm. ἐροῦσιν οἱ ᾄδοντες τὸ ᾆσμα, πόλιν ἰσχυρὰν ἔχομεν, dicent cantantes canticum, civitatem fortem habemus. Juxta Aquilam vero, πόλις κράτους ἡμῖν σωτήριον, urbs fortitudinis nobis ſalutare. Dictio autem Hebraica, pro, σωτήριον, nomen Jeſu candide ſic continet: iiſdem litteris Salvator noſter Hebraice ſcribitur. (b) Salutare.] *In multis additur,* ἡμῶν, *& apud Sanctum Hieronymum,* noſtrum. (c) Circummurale.] *Sanctus Hieronymus ex Symmacho,* firmamentum. (d) Apprehendes veritatem.] *Pro hoc teſtatur Sanctus Hieronymus Aquilam & Symmachum ſimiliter tranſtuliſſe,* τὸ πλάσμα ἡμῶν ἐπηρμένον, error noſter ablatus eſt. (e) Spe.] *Abeſt iſtud a SS. Hieronymo & Cyrillo. In aliquo eſt,* ὅτι ἐπὶ σοὶ ἠλπίσαμεν, quoniam in te ſperavimus. (f) Humilium.] *Sic etiam Sanctus Hieronymus. In multis ſequitur,* βήματα, greſſus: *in aliquo, & apud Cyrillum,* ἴχνη, veſtigia. (g) Et præparata.] *Corrigendum eſt in noſtra, ut in Vat. & in aliquot aliis codd. & apud Cyrill.* καὶ παρεσκευασμένη ἡ ὁδὸς εὐσεβῶν.] *In aliquo codice totus locus ſic habet,* ὁδὸς εὐσεβῶν εὐθεῖα. τρίβος εὐσεβῶν εὐθεῖα. εὐθεῖα ἐγένετο ἡ ὁδὸς τῶν εὐσεβῶν, καὶ παρεσκευασμένη, via piorum recta: recta facta eſt via piorum, & præparata: *atque ita apud Sanctum Hieronymum, excepto, quod non habet illa,* ſemita piorum recta, *& pro,* piorum, *habet,* juſtorum: *quomodo etiam non eſt inuſitatum verti dictionem græcam,* εὐσεβῶν. (h) De nocte: mane conſurgit.] *Hanc interpunctionem videtur probare Sanctus Hieronymus in comm. licet in contextu illud de nocte conjungatur cum ſequentibus.* (i) Ceſſavit enim impius.] *Aq. & Th.* ἠλεήθη ἀσεβὴς, miſericordiam conſequutus eſt impius. *Symm.* ἐδωρήθη ἀσεβὴς, donatum eſt impio. (k) Omnis, qui non didicerit.] *Sic etiam S. Cyrillus. In Compl. eſt tantum,* ὃ μὴ μάθῃ, *apud Sanctum Hieronymum* & non diſcet: *quæ videntur cohærere cum verbis, quæ proxime ex cæteris interpretibus attulimus.* (l) Mortui autem.] *Sanctus Hieronymus ex Symmacho:* Mortui non vivificabunt: gigantes non ſuſcitabunt. (m) Omne maſculum.] *Symm.* πᾶσαν τὴν μνήμην αὐτῶν, *Aq. & Th.* πᾶν τὸ μνημόσυνον αὐτῶν, omnem memoriam eorum. *De hac varietate diſputat Sanctus Hieronymus.* (n) Mala.] *Euſebius:* Iſtud quidem, κακὰ, neque apud cæteros interpretes, neque in hebraica lectione invenimus. Secundum vero cæteros interpretes dictum eſt, προσέθηκας τῷ ἔθνει, ἐν ᾧ ἐδοξάσθης; adjeciſti (*aut,* indulſiſti, *ut Sanctus Hieronymus*) genti, in quo glorificatus es? *De hoc etiam Sanctus Hieronymus.* (o) Terræ.] *Apud Sanctum Hieronymum ſequitur,* longe feciſti omnes terminos terræ: *quod in nullo codice eſt inventum.* (p) Sic facti ſumus dilecto tuo.] *Hæc obelo prænotat Sanctus Hieronymus, pro quibus inquit, cæteros tranſtuliſſe,* ſic facti ſumus a facie tua Domine. (q) Quem fecimus.] *Ita enim eſt etiam in Vaticano,* ὃ ἐποιήσαμεν, *licet per incuriam ſit omiſſum,* ὅ. (r) Reſurgent mortui.] *Aquila,* ζήσονται οἱ τεθνεῶτές σου, *Symm. & Th.* ζήσονται οἱ νεκροί σου, vivent mortui tui. (ſ) Et expergiſcentur.] *Sic Sanctus Hieronymus in comm. aut,* evigilabunt. *Euſebius,* ὡς κοιμηθέντων αὐτῶν, quaſi ipſi dormierint. Quare ſecundum cæteros interpretes, priore quidem loco dictum eſt, ἐξυπνισθήσονται οἱ ἐν τοῖς μνημείοις, e ſomno ſurgent, qui in monumentis; poſteriore autem, ἀγαλλιάσονται, exultabunt: aut ἀνέσουσι, laudabunt, ſecundum Aquilam: aut, ἀλαλάξουσι, jubilabunt, ſecundum Theodotionem. (t) Abſcondet.] *In aliquo additur,* ἔτι, *& apud S. Hier.* vltra.

CAP. XXVII.

(a) SAnctum.] *Sanctus Hieronymus, ex cæteris interpretibus,* durum. (b) Fugientem.] *Idem ex Aquila,* vectem, *ex Symmacho,* concludentem, *ex Theodotione,* robuſtum. (c) Draconem.] *Sic in collatis codicibus, & apud Cyrillum. In Complut. additur,* τὸν ἐν τῇ θαλάσσῃ, *& apud S. Hier.* qui eſt in mari: *qui etiam in comm. docet draconem eſſe cetum.* (d) Cantare.] *Aut,* incipere, ἐξάρχειν, *& ita apud Cyrillum. In quibuſdam libris eſt,* ἐξάρχει, *apud Sanctum Hieronymum,* deſiderium ejus princeps illius ſit, *quod Eccleſia pulcherrima & dilecta ſit princeps ſynagogæ genitricis ſuæ.* (e) Non ſicut.] *Apud Sanctum* Hieronymum, *in comm. videtur legi hoc modo ſine interrogatione. Sunt autem qui legant per interrogationem,* nunquid ſicut, *&c.* (f) Longe.] *Sic apud Cyrillum. Sed apud Sanctum* Hieronymum, *conjungitur cum ſequentibus,* & longe habitans grex. (g) Mulieres venientes.] *Aq* γυναῖκες ἐρχόμεναι φωτίζουσιν αὐτὴν, mulieres venientes illuminant eam. *Symmachus,* γυναῖκες ἐρχόμεναι, καὶ δηλοῦσαι αὐτὴν, mulieres venientes, & docentes eam. (h) Concludet.] *Nonnulli,* συῤῥάξει, confliget. *Sed Cyrillus, ut noſtra, itemque Sanctus Hieronymus, qui pro* συμφράξει, *quod eſt lxx, inquit Aquilam & Theodotionem vertiſſe,* ῥαβδήσει, quod ſive virga percutiet, ſive ad virgam recenſebit numerum gregis ſui.

CAP. XXVIII.

(a) INjuriæ.] τῆς ὕβρεως. *Euſebius:* Cæteri, τῆς ὑπερηφανίας, ſuperbiæ. *Et S. Hieron. 6. lib. comm. notat hoc eſſe uſitatum apud lxx ut pro ſuperbia injuriam ponant.* (b) Mercenarii.] *Sanctus* Hieronymus. Cæteri, ebrios, ſoli lxx, μισθωτοὺς, id eſt, mercenarios, tranſtulerunt. (c) Montis pinguis.] *Aquila,* φάραγξ ῥυπαρίων, vallem ſordium. *Symm.* φάραγξ πιοτήτων, vallis pinguedinum. *Th.* φάραγξ πιόνων, vallis pinguium. (d) Terræ.] *In nonnullis eſt,* ἐν τῇ γῇ, in terra: *apud Sanctum* Hieronymum. trahens humum, & faciens ſibi ſpacium. *Cyrillus autem cum his conjungit, quæ ſequuntur,* manibus & pedibus *quaſi natantes, qui cum quieſcunt manibus & pedibus, vi aquarum victi, tunc ſubmerguntur. Alii autem conjungunt cum poſt ſequentibus. Nonnulli,* manibus, *cum his,* & pedibus, *cum ſubſequentibus.* (e) Reliquiis populi.] *Sic apud Sanctum* Hieronymum *quod græce eſt,* τῷ καταλειφθέντι τοῦ λαοῦ. *In aliquot libris, & apud Theodoretum, in comm. græcis, & Euſebium 2. Evang. demon.* αὐτοῦ, ſui. *In pleriſque & ad marginem Vaticani,* τῷ καταλειφθέντι μου λαῷ ἐν αἰγύπτῳ, relicto populo meo in Ægypto: *& ſic priora Cyrillus, ſed non habet,* in Ægypto. (f) Deliquerunt.] *In cæteris, & in Vaticano appoſitum recentiori manu,* πεπλανημένοι, *& apud Sanctum* Hieronymum, decepti ſunt. (g) Siceram.] *Euſebius,* Cæteri nominarunt, μέθυσμα, inebriamentum. (h) Phaſma.] *Sanctus Hieronymus interpretatur phaſmata umbras quaſdam, & imagines, quæ cito pereunt, ac ſolvuntur.* (i) Vadent.] *Legendum eſt in noſtra,* πορευθῶσι, *nam per errorem eſt,* πονευθῶσι. (k) Qui crediderit.] *Sic apud Sanctum* Hieronymum. *In aliis, & apud Cyrillum additur,* ἐπ᾽ αὐτῷ, in eo. *Euſebius:*

Cæteri, ὁ πιστεύων, οὐ σπεύσει, *quod in vulgata noſtra*, qui crediderit, non feſtinet. (*l*) Tempeſtas.] *Inquit* S. Hier. *Aq. & Symmachum eſſe interpretatos flagellum.* (*m*) Ut vos congregemini.] *In quibuſdam eſt*, ἡμᾶς, *& apud* S. Hier, ut congregemur. (*n*) Perditio.] σαπρία. *Nonnulli*, πικρία, *& apud* S. Hier amaritudo. (*o*) Melanthium.] *Id eſt, nigrum papaver: quod apud* S. Hier. gith.

CAP. XXIX.

(*a*) Civitas, quam expugnavit David.] *Aquila*, πολίχνη παρεμβλήσεως δαυίδ civitatula, (*ita enim interpretatur* S. *Hieron.*) caſtrametationis David. *Addit* S. *Hieron. Symmachum dixiſſe*, caſtrum David. *Theodotionem*, circumvallatio David. (*b*) Comedite.] *Ita etiam* S. *Hieron. Abeſt autem a nonnullis codicibus, & a Cyrillo.* (*c*) Erunt.] *In multis*, ἔσται, *& apud* S *Hieron.* erit: *qui etiam teſtatur, pro eo quod ſequitur*, loquentium de terra, *Aquilam dixiſſe*, magum. (*d*) Bibunt.] S. *Hieron. pro*, πίνοντες, *videtur habuiſſe*, πεινῶντες, *ita enim eſt apud illum*, qui in ſomnis eſuriunt (*e*) Compunctionis.] *Th.* ἐκνήσεως, (*aut, ut* S. *Hieron.* ἐκστάσεως,) exceſſus mentis: *Aquila*, καταφορᾶς, gravis ſomni. (*f*) Abſcondam.] *Ita enim* SS. *Hieron & Cyrillus. Sed Juſtinus in dial. cum Tryphone*, ἀθετήσω, *ſicut* 1. *Cor.* 1. *& Euſebius in comm. græcis, &* S. *Cyprianus, de bono patientia*, reprobabo. (*g*) Filii eorum.] *Sic explanat Cyrillus, & optime videtur conſtare ſententia. Alii autem interpretantur filios ſuos: & apud* S. *Hieronymum*, ſed cum viderit filios ſuos opera mea. (*h*) Et linguæ balbutientes diſcent loqui pacem.] *Hæc Sanctus Hieronymus obelo prænotat.*

CAP. XXX.

(*a*) Auxilium.] *In aliquo codice additur*, οὔτε εἰς ὠφέλειαν, *& apud* S. *Hier.* neque in utilitatem. (*b*) Quia vana.] *Quomodo hunc locum cæteri tranſtulerint, legitur apud* S. *Hier.* (*c*) Buxum.] *Idem ex Symmacho*, ἐπὶ πυξὶ id eſt, ſuper latiſſimam tabulam. (*d*) Erunt in dies hæc tempore.] *Alii*, ἔσονται εἰς ἡμέρας καιρῶν ταῦτα, erunt in dies temporum hæc. (*e*) Comminuta.] λεπτὰ, *quaſi fragmenta. In multis eſt* λεπτοῦ, *quaſi vaſe, aut officina comminuta.* (*f*) Extrahas.] ἀποσυρεῖς, *ut plerique, aut*, ἀποσυρεῖς, *ut nonnulli.* (*g*) Erimus.] *Ita etiam* S. *Hieron. Alii*, ἀναβησόμεθα, aſcendemus: *unus*, φευξόμεθα, fugiemus. (*h*) Veſter.] *In quibuſdam ſequitur*, καὶ ποῦ καταλείψετε τὴν δόξαν ὑμῶν; & ubi relinquetis gloriam veſtram? *quod etiam explicatur a Cyrillo.* (*i*) Qui immanent in eo.] *Euſebius*, aut juxta Symmachum, ὑπομένοντες αὐτὸν, ſuſtinentes eum: *qui etiam apud lxx pro*, ἐπ' αὐτῷ, *legit*, ἐν αὐτῷ. (*k*) Et Hieruſalem.] *Symmachus*, ἱερουσαλὴμ κλαυθμῷ οὐ κλαυσεῖς, Hieruſalem ploratu non plorabis: *Th.* ἐν ἱερουσαλὴμ κλαυθμῷ οὐ κλαυθήσεται, in Hieruſalem ploratione non plorabitur. (*l*) Vocem.] *Euſebius, ex alia interpretatione*, τὴν φωνὴν τῆς βοῆς σου καθὼς ἂν ἀκουσθῇ, ἀκούει σου, vocem clamoris tui ſimulatque audierit, audit te. (*m*) In die illa.] *Symmachus*, ἐν ἡμέρᾳ σφαγῆς πολλῆς, ἐν τῷ πεσεῖν μεγάλους, in die interfectionis multæ cum ceciderint magni. (*n*) Tempus.] *In aliis additur*, πολλοῦ, *& apud* S. *Hier* multum. *Euſebius*, cæteri, μακρόθεν de longe: *ut vulgata noſtra.* (*o*) Oſtendere.] *In aliquo eſt*, δείξει, *& apud* S. *Hieron.* oſtendet. (*p*) Tu enim ante dies exigeris.] *Alii*, οὐ γὰρ πρὸ ἡμερῶν ἀθετηθήσῃ, non enim ante dies reprobaberis, *aut*, ἀπατηθήσῃ decipieris: *aut*, ἀπαιτηθήσῃ, exigeris: *quod ita explicat Cyrillus*, non ante tempus exigeris pœnas pro iis quæ in meos debacchatus es *Apud* S. *Hier. eſt*, tu enim ante dies decipieris: *Ita partim cum noſtra convenit, partim diſcrepat.*

CAP. XXXI.

(*a*) Beatus.] *Euſebius*, εἰδέναι δὲ χρὴ ὅτι τὸ μὲν μακάριος, οὐδεὶς τῶν ἑρμηνευτῶν εἴρηκεν, Sciendum vero eſt iſtud, μακάριος, neminem interpretum poſuiſſe (*b*) Qui habet.] *Symm*, ἔχει πῦρ ἐν σιὼν καὶ κλίβανον ἐν ἱερουσαλὴμ, habet ignem in Sion, & clibanum in Hieruſalem. *Aq. & Th* φῶς αὐτῷ ἐν σιὼν, καὶ κλίβανος αὐτῷ ἐν ἱερουσαλὴμ, lumen ei in Sion, & clibanus in Hieruſalem. *De qua varietate diſputat Sanctus Hieronymus.*

CAP. XXXII.

(a) SI dimiſerit.] *Ante hac* S. *Hieron. pro eo, quod ipſe ait*, Vulgo dicitur, *teſtatur lxx poſuiſſe tantum*, dicitur, *quod in nullo codice eſt inventum.* (b) Eis.] αὐτοῖς, *id eſt, amatoribus, vel paſtoribus, expoſita. In aliquo eſt*, αὐτῆς, *in viis ejus : ſed parum apte.* (c) Polluiſti.] *Victor*, Alius, pro, ἐμίανας, edidit, ἐφονοκτόνεις, interficiebas : *cujus varietatis facit etiam mentionem* S. *Hier.* (d) Tua.] *In nonnullis, pro*, σου, *eſt*, σοι, *& apud* S. *Hier.* facies meretricis facta eſt tibi. (e) Tanquam domum.] *Sic etiam Theodoretus, & affert locum pſal.* 30. in domum refugii. *Aliqui habent*, ὡς οἰκεῖον tanquam domeſticum. *Compl.* ἕως νῦν, uſque nunc. (f) In victoriam.] *ſubintelligit Theodoretus*, mendacium, & illuſio tua : *quaſi dicat, perſeverabitne in ſeculum illuſio tua, quaſi inde ſperes te victricem futuram ? Alibi notatum eſt*, εἰς νῖκος, *valere*, in finem. (g) Viderunt.] *Theodoretus videtur habuiſſe*, εἶδεν, vidit. (h) Quia.] *In aliquo eſt*, ἔτι, præterea. (i) Hæreditatem.] *Theodoretus videtur addere*, ὀνομαστὴν, *&* S. *Hier. refert ex lxx*, hæreditatem nominatam. *Pro quo Theodotionem tranſtuliſſe inquit*, hæreditatem inclytam fortitudinis robuſtiſſimi gentium. (k) Noſtra.] *Sic etiam vulgata noſtra. In multis, & apud Theodoretum eſt*, αὐτῶν, eorum.

CAP. IV.

(a) DUritiam.] S. *Cypr.* 1. *teſtim.* præputium cordis veſtri. *Pro quo inquit* S. *Hieron. Symmachum poſuiſſe*, purificamini Domino, & auferte malitias cordium veſtrorum. (b) Terram.] *In aliquo additur*, σου, *itemque paulo poſt*, πόλεις σου, terram tuam, civitates tuæ. (c) Ululate.] ἀλαλάξατε, *videtur hoc loco poſitum, pro*, ὀλολύζετε, *quod eſt in aliquo, & apud Theodoretum.* (d) Furor.] *In aliis, & apud Theodoretum additur*, ὀργῆς, iræ. S. *Hieron. notat, pro eo quod ipſe poſuit*, non eſt averſa ira furoris Domini a nobis, *lxx poſuiſſe*, a vobis. (e) O dominator Domine.] ὦ δέσποτα κύριε. S. *Hieron. agnoſcit apud lxx*, ô Domine Deus. (f) Laborum.] *Aquila*, ἀνωφελείας, damni, noxiæ, (*ut* S. *Hieron. in ſua*) *Symm.* ἀδικίας, injuſtitiæ. (g) Fluctuat.] *Videtur idem hoc loco ſignificare*, μαιμάσσει, *ac ſolet*, μαιμάζω. *In Compl. eſt.* με μάχει, *& vertunt*, me premit. *Sed manifeſto* S. *Hier. agnoſcit*, μαιμάσσει, *ex lxx, & Theodotione, ſuper quo verbo magnum apud pleroſque eſſet certamen, & pro quo Aquila dixerit*, ὀχλάζει, tumultuatur. (h) Nihil.] *Aq.* κενὴ, vacua, *Symm.* συγκεχυμένη, confuſa. (i) Habitabat.] *In multis eſt*, κατοικεῖ, habitat. (k) Et tu.] S. *Hier. in ſua*, tu autem vaſtata : *quod inquit eſſe Aquilæ, alios autem tranſtuliſſe, miſeram, atque miſerabilem : atque ejuſmodi quiddam videtur Theodoretus agnoſcere.*

CAP. V.

(a) QUanam harum.] *Euſebius*, 11. *Evang. Demonſtr. habet*, ποίῳ τούτων, quonam horum. (b) Furentes in fæminas.] S. *Hieron. ex cæteris*, ἕλκοντες, trahentes. (c) Relinquite ſuſtentacula ejus, quia Domini ſunt.] *Ita collati codices, & Theodoretus. In Complut. vero*, ἀπολέσετε τὰ ὑποστηρίγματα αὐτῆς, ὅτι τοῦ κυρίου οὐκ εἰσὶν, diſperdetis ſuſtentacula ejus, quia non ſunt Domini : *quomodo fere* S. *Hieron.* (d) Dominus.] *In Complut. additur*, ἔθνος ἰσχυρὸν, ἔθνος ἀπ' αἰῶνος, gentem robuſtam, gentem antiquam. *Theodoretus hoc ſecundum tantum agnoſcit.* S. *Hier. habet utrumque.* (e) Fortes.] *In eadem ſequitur*, φαρέτρα αὐτοῦ ὡς τάφος ἀνεῳγμένος, *quod* S. *Hier.* (*licet apud ipſum ſit ante illa*, univerſi fortes) pharetra ejus, quaſi ſepulchrum patens. *Quæ agnoſcuntur etiam a Theodoreto : Sed* S. *Hier. teſtatur in lxx editione non eſſe.* (f) Serviſtis.] *In pleriſque libris eſt*, ἀνθ' ὧν ἐγκατελίπετέ με ἐν τῇ γῇ ὑμῶν. *In quibuſdam, & apud Theodoretum, utrumque conjungitur, ſicut* S. *Hieron. in ſua*, ſicut dereliquiſtis me, & ſerviſtis, *&c. Idem tamen in comm. habet tantum*, ſicut ſerviviſtis Deo alieno, id eſt, Baal, vel Diis alienis cunctarum gentium in terra Judæa, ſic ſervietis, &c.

CAP. VI.

(*) TUA.] *Addendum*, σου, *in noſtra.* (a) Diei.] *Plerique*, τῆς ἑσπέρας vesperi, *ut vulgata noſtra.* (b) Dominus.] *In multis additur*, τῶν δυνάμεων, *& apud* S. Hieron. virtutum : *itemque paulo poſt.* (c) Et non conſumpſi.] *Ita enim corrigendum in noſtra*, ϗ οὐ συνετέλεσα, *quemadmodum & apud Theodoretum eſt : apud* S. *Hier.* & non conſumpſi eum. (d) In populis probatis.] *Cum* S. *Hier. haberet in ſua*, in populo meo robuſtum, *notat, pro*, robuſtum, *Aquilam dixiſſe*, munitum, *Symm. & lxx*, clauſum, atque circundatum.

CAP. VII.

(a) AUdite.] *In Complut. hæc antecedunt, quæ a Theodoreto etiam innuuntur*, ῥῆμα, ὃ ἐγένετο πρὸς ἱερεμίαν παρὰ κυρίου, λέγων, ἴστα ἐπὶ τὴν πύλην τοῦ οἴκου κυρίου, ϗ ἀνάγνωθι ἐκεῖ τὸ ῥῆμα τοῦτο, ϗ εἰπὲ, ἀκούσατε. *quod* S. *Hier. in ſua* : Verbum, quod factum eſt ad Hieremiam a Domino, dicens, Sta in porta domus Domini, & prædica ibi verbum iſtud, & dic, Audite, *&c. Quæ tamen teſtatur in lxx non haberi, ſed de Theodotione ex Hebraico eſſe addita.* (b) Templum.] *Hæc repetitio non eſt in Complut. Apud Theodoretum vero etiam tertio iteratur, quemadmodum in* Hebraico. (c) Abſtinuimus, ne faceremus.] *In Complut. eſt*, ἀπεσχήμεθα τοῦ ποιεῖν, abſtinuimus a faciendo. S. *Hier. ex lxx videtur afferre*, deſivimus eo quod fecerimus. (d) Chavonas.] Quas (*inquit* S. *Hieron.*) nos placentas interpretati ſumus, ſive præparationes. *In Scholiis quemadmodum & in codicibus varie iſtud nomen ſcribitur. Chryſoſt.* πόπανα, inquit, panes. *Olympiodorus*, χαμῶνας autem vocat pemmata, & bellaria quædam. (e) Sermonem.] *In Complut. adjunguntur*, ϗ οὐκ ἀκούσονταί σε, ϗ καλέσεις αὐτοὺς, ϗ οὐκ ἀποκρινοῦσί σοι, ϗ ἐρεῖς πρὸς αὐτοὺς, *quæ in vulgata noſtra*, & non audierit te : & vocabis eos, & non reſpondebunt tibi : & dices ad eos. *Quæ neque Theodoretus agnoſcit.* (f) Tapheth.] *Schol.* τόπος ἦν οὕτω λεγόμενος. ἦν δὲ ἐλαιὼν ἐν προαστείοις ἱερουσαλὴμ ἐν ᾧ περ εἰδωλολάτρουν, Locus erat ſic dictus. Erat autem olivetum in ſuburbanis Hieruſalem ; in quo quidem idola colebant. *Theodoretus putavit eſſe nomen Idoli. Legendus* S. *Hier.*

CAP. VIII.

(a) TOrrebunt.] *In Complut.* ἐκτενοῦσι, extendent. (b) Defecit.] *Theodor.* Quod Syrus ita interpretatus eſt, πάντες τῇ γνώμῃ αὐτῶν πορεύσονται, ὡς ἵππος ὁρμῶν εἰς πόλεμον, omnes ſenſu ſuo ibunt, quaſi equus ruens in prælium, *&c.* (c) Aſida.] *Victor.* ἣν ἀκύλας ἐρωδιὸν ἐξέδωκεν, quam Aquila reddidit, herodium. *Olympiodorus* : ἰνδικὸν δέ ἐστι γένος ὀρνέου ἡ ἀσίδα, Aſida autem eſt genus avis Indicæ. *Addit* S. *Hier. pro hac voce hebraica, quam lxx. & Theodotio poſuerunt, Symmachum dixiſſe, milvum : qui & alias affert varietates. Nonnulla etiam dicuntur a Theodoreto.* (d) Juncus.] σχοῖνον *videtur dixiſſe pro calamo. Theodoretus tamen interpretatur*, funiculum, & hæreditatem. (e) Hæredibus.] Hæredes, (*inquit Theodoretus*) appellavit hoſtes. H*ic autem in uno pervetuſto adjunguntur eadem quæ ſunt in cap.* 6. *ab illis*, a parvo enim eorum, *uſque ad illa*, & in tempore viſitationis peribunt, dicit Dominus : *quæ innuuntur a Theodoreto, & reſpondent vulgatæ. Eadem fere etiam habentur in Complut.*

CAP. IX.

(a) QUia faciam.] *Fortaſſe illud*, ὅτι, *valet idem, ac* τί, *quod eſt in aliquo, & legendum per interrogationem. Nam &* S. *Hier. apud lxx videtur habere*, Quid faciam, *&c.* (b) Subſtantiæ.] ὑπάρξεως. S. Hier.

ſubſtantia hic non pro, οὐσία, hoc eſt, eſſentia, accipitur, ſed pro opibus, atque divitiis. (*c*) Et veniant.] *Olympiodorus legit*, καὶ φθεγξάσθωσαν, & loquantur. (*d*) Platæis.] *Ita collati codices, & Compl. Apud Theodoretum adjungitur*, τάδε λέγει κύριος. S. *Hieron. cum in ſua dixiſſet*, Loquere: hæc dicit Dominus: *notat iſtud*, λάλησον, *id eſt, loquere, eſſe ex Aquila & Symmacho, lxx vero & Theodotionem dixiſſe*, morte, *ita jungentes cum ſuperioribus*, juvenes de platæis morte. (*e*) Noſſe.] *In quibuſdam additur* με, me. (*f*) Idumæam.] *Nonnulli, & Theodoretus*, ἰούδαν, Judam, *ut vulgata noſtra.*

CAP. X.

(*a*) QUIA timent ea faciebus ſuis.] *Aut*, timentur: *utroque enim modo videntur verti poſſe*, ὅτι φοβοῦνται αὐτὰ τοῖς προσώποις αὐτῶν. *In Compl. eſt*, ὅτι φοβοῦνται αὐτὰ ἔθνη, quoniam gentes timent ea. (*b*) In eis.] *Hucuſque idem fere verborum ordo videtur agnoſci etiam in Theodoreto: nam Complut. paululum variat, ut magis reſpondeat vulgatæ. Hic autem & in Complut. & apud Theodoretum hæc interjiciuntur*, οὐκ ἔστιν ὅμοιός σοι κύριε, μέγας εἶ σὺ, καὶ μέγα τὸ ὄνομά σου ἐν τῇ ἰσχύϊ. τίς οὐ φοβηθήσεταί σε βασιλεῦ ἐθνῶν; σοὶ γὰρ πρέπει. ὅτι ἐν πᾶσι τοῖς σοφοῖς τῶν ἐθνῶν, καὶ ἐν πάσαις ταῖς βασιλείαις αὐτῶν οὐκ ἔστιν ὅμοιός σοι. ἅμα (*hæc poſtrema pars a Theodoreto ſignificatur, non exprimitur*) ἄφρονες καὶ ἀνόητοί εἰσι. διδασκαλία ματαίων αὐτῶν ξύλον ἐστίν. *quæ ſic fere in vulgata noſtra redduntur*: Non eſt ſimilis tui Domine: magnus tu, & magnum nomen tuum in fortitudine. Quis non timebit te ô rex gentium? Tuum eſt enim decus. Inter cunctos ſapientes gentium, & in univerſis regnis eorum nullus eſt ſimilis tui: pariter fatui & inſipientes probabuntur: (*in comm.* S. *Hier. habet*, ſunt, *ut græcus*:) Doctrina vanitatis eorum lignum eſt. *Hæc autem idem* S. *Hieron. affirmat in lxx non haberi, ſed de Theodotionis editione in pleriſque addita eſſe. Apud Theodoretum vero adduntur præterea multa ad laudem veri Dei pertinentia, quæ reſpondent vulgatæ*, Dominus autem Deus verus eſt, iſte Deus vivens, & rex ſempiternus. Ab indignatione ejus commovebitur terra: & non ſuſtinebunt gentes comminationem ejus. (*c*) Lumen.] *In multis eſt*, ἀνέμους, φῶς, ventos, lumen. *In Compl. & apud Theodoretum eſt tantum*, ventos, *quod etiam videtur referri a* S. *Hieronymo, ex lxx.* (*d*) Ipſe eſt hæreditas ejus.] *Origenes*: Aquila & Theodotio ediderunt, ὅτι ὁ πλάσας τὰ πάντα, αὐτός ἐστιν, καὶ ἰσραὴλ ῥάβδος κληρονομίας αὐτοῦ. *quod in vulgata noſtra*: Qui enim formavit omnia, ipſe eſt, & Iſrael virga hæreditatis ejus. (*e*) In electis.] *Sic etiam Theodoretus. In Compl. eſt*, ἐν τειχίσματι, *& apud* S. *Hieron.* in munitione. (*f*) Tuum.] *In aliis quibuſdam, & apud Theodoretum, & hic, & in ſequentibus eſt*, μου, *&* μοι, *& ſic apud* S. *Hieron.* vulnus meum, apprehendit me, tabernaculum meum, pelles meæ.

CAP. XI.

(*a*) ILLA.] *In Compl. hæc adjunguntur*, ὅτι συμμαρτυρόμενος συνεμαρτυρόμην τοῖς πατράσιν ὑμῶν ἐν ἡμέρᾳ, ᾗ ἐξήγαγον αὐτοὺς ἐκ γῆς αἰγύπτου ἕως τῆς ἡμέρας ταύτης. ὀρθρίζων συνεμαρτυρόμην λέγων, ἀκούσατε τῆς φωνῆς μου. καὶ οὐκ ἤκουσαν, οὐδὲ ἔκλιναν τὸ οὖς αὐτῶν. ἀλλ' ἐπορεύοντο ἕκαστος ἐν σκολιότητι τῆς καρδίας αὐτοῦ τῆς πονηρᾶς. καὶ εἰσήγαγον ἐπ' αὐτοὺς πάντα τὰ ῥήματα τῆς διαθήκης ταύτης ἧς ἐνετειλάμην τοῦ ποιῆσαι. *Quæ redduntur in vulgata noſtra*, Quia conteſtans conteſtatus ſum patres veſtros in die qua eduxi eos de terra Ægypti uſque ad diem hanc. Mane conſurgens conteſtatus ſum, & dixi, audite vocem meam. Et non audierunt, nec inclinaverunt aurem ſuam: ſed abierunt unuſquiſque in pravitate cordis ſui. Et induxi ſuper eos omnia verba pacti hujus quod præcepi ut facerent. *Quæ* S. *Hier. teſtatur in lxx non haberi, Theodor. habet: ac pro*, σκολιότητι, *habet*, εὐθύτητι, rectitudine: *quam interpretatur non æquitatem, ſed pervicaciam, & inflexibilitatem, ut ita dicam, in improbitate. Vide cap.* 13. (*b*) Colligatio.] σύνδεσμος. *De hac dictione (quam nunc etiam Aquilæ & Theodotionis teſtatur eſſe* S. *Hier. ipſe vero ex Symmacho conjurationem dixit) & alibi notatum eſt; & hic* S. *Hieron. & Theodoretus eam explicant.* (*c*) Bene opacam ſpecie.] *Sic videtur habuiſſe etiam Theodoretus. In Compl. eſt*, εὔσκιον, ὡραῖαν τῷ εἴδει, opacam, pulchram ſpecie. (*d*) Domine.] *Hic, ut alibi ſæpe in quibuſdam additur*, δυνάμεων, virtutum.

CAP. XII.

(*a*) PUrifica eos in diem occiſionis.] *In aliis ſequitur*, ἄθροισον αὐτοὺς ὥσπερ πρόβατα εἰς σφαγήν. *Contra autem in Complut. & apud Theodoretum hic locus ſic habet*, σύναγε αὐτοὺς ὡς ποιμνίον εἰς θυσίαν, καὶ ἅγνισον αὐτοὺς εἰς ἡμέραν σφαγῆς, congrega eos, quaſi gregem ad victimam, & ſanctifica eos in diem occiſionis, *quomodo vulgata noſtra. Notat autem Theodoretus* ἅγνισον, *idem eſſe ac*, ſegrega: *nam ſegregat ſe, qui vult purificari, & ſanctificari: additque, Syrum poſuiſſe*, εὐτρέπισον, bene præpara. (*b*) Tui pedes.] *Theodoretus*, Syrus ſic dixit, μετὰ πεζῶν τρέχουσα ἡττήθης. καὶ πῶς ἀναστῆναι ἱππεῦσι δυνήσῃ; cum peditibus currens victa es: & quomodo conſurgere adverſus equites poteris? S. *Chryſoſt.* Aquila, σὺν δρομεῖ τε ἔδραμες, καὶ ἐμόχθησέ σε, cum curſore cucurriſti, & fatigavit te. (*c*) Quomodo facies in fremitu Jordanis.] *Theodoretus ex Syro*, πῶς περάσεις ἰορδάνην πλημμυροῦντα; Quomodo trajicies Jordanem exundantem? (*d*) Ejus.] *In aliquo additur*, ἐπ' αὐτὴν, *& apud* S. *Hieron.* ſuper eam. (*e*) Diverticulum.] *Theodoretus*, διεκβολήν. Syrus interpretatus eſt, ἀτραπὸν, diverticulum, ſemitam. *Idem vero illud*, ταλαιπωροῦντες, *accipit, pro* miſere affecti. (*f*) Seminate.] *In aliis eſt*, ἐσπείρετε (*al.* ἐσπείρατε, *&* ἐθερίσατε, *& apud* S. *Hier.* ſeminaſtis triticum, & ſpinas meſſuiſtis. (*g*) Ædificabitur.] *In quibuſdam.* οἰκοδομηθήσονται, ædificabuntur.

CAP. XIII.

(*a*) AD me.] *In Compl. additur*, ἐκ δευτέρου, ſecundo, *ut vulgata noſtra.* (*b*) Meis.] *In eadem, & apud Theodoretum ſubjungitur*, πορευθέντας ἐν εὐθύτητι τῆς καρδίας αὐτῶν τῆς πονηρᾶς, qui ambulaverunt in directione cordis ſui peſſimi: *quam directionis vocem videtur* S. *Hier. agnoſcere ex lxx, & ſignificat id quod capite* 11. *dictum eſt, nimirum pervicaciam, & cor obſtipum: quare* S. *Hieron. in ſua habet*, pravitate. (*c*) Iſtum.] *Apud Theodor. & in Compl. ſubjungitur*, τάδε λέγει κύριος ὁ θεὸς ἰσραὴλ, Hæc dicit Dominus Deus Iſrael, *ut vulgata noſtra.* (*d*) Uter.] S. *Hier. inquit Aquilam in prima editione poſuiſſe lagunculam, in ſecunda ipſum verbum hebraicum Nebel, Symmachum, craterem, Theodotionem, vas.* (*e*) Ipſorum.] *In multis, & apud Theodoretum eſt*, αὐτοῦ, *& in noſtra*, ejus. (*f*) Ponetur.] *Theodoretus*, τεθήσεται, ponetur, *ſive*, ponet, *ut noſtra.* (*g*) Ut dehoneſtentur.] *Sic etiam Theod. In Compl. eſt*, παρεδειγματίσθησαν, *& apud* S. *Hier.* dehoneſtatæ ſunt plantæ tuæ.

CAP. XIV.

(*a*) VAcua.] *In Complut. adjunguntur hæc*, ᾐσχύνθησαν, καὶ ἠρυθρίασαν, καὶ ἐκάλυψαν τὰς κεφαλὰς αὐτῶν, confuſi ſunt, & erubuerunt, & operuerunt capita ſua: *quæ videntur etiam a* S. *Hieronymo agnoſci.* (*b*) Ventum.] *Sic plerique. In quibuſdam, & apud Theodoretum additur*, ὡς δράκοντες, quaſi dracones, *ut vulgata noſtra.* (*c*) Peccata.] *In quibuſdam eſt*, εἰ αἱ ἁμαρτίαι, ſi peccata. S. *Hier.* ſi iniquitates noſtræ reſponderint (*ſive*, reſtiterint.) (*d*) Indigena.] *Theodoretus ex Syro*, ὡς ὁδίτης, quaſi viator, *ut vulgata.* (*e*) Salvare.] *Ita collati codices, & Theodoretus, & reſpondet hebræo. In Compl. eſt*, σώζειν, *& apud* S. *Hier.* ſalvari, *niſi mendum ſit.* (*f*) Non proſperavit.] *In quibuſdam, & apud Theodoretum eſt*, οὐκ εὐδόκησεν, *& apud* S. *Hier.* & Deus non placuit ſibi in eis. (*g*) On.] *De hoc alibi dictum eſt. Hic* S. *Hier. ex vetuſtiore*, qui es Domine Deus. (*h*) In idolis.] *Aquila*, μὴ ἔστιν ἐν τοῖς ματαίοις τῶν ἐθνῶν ὑετίζων; nunquid eſt in vanitatibus gentium, qui pluat?

CAP. XV.

(*a*) IStum.] *Ita videtur etiam habuiſſe Theodoretus. In Complut. additur*, ἀπὸ προσώπου μου, a facie mea, *ut vulgata noſtra.* (*b*) Diſperdiderunt.] *Apud Theodoretum eſt*, ἀπώλεσα, diſperdidi: *quod magis reſpondet vulgatæ.* (*c*) Adoleſcentes.] *In nonnullis eſt*, νεανίσκου, adoleſcentis. (*d*) Vacua facta eſt.] S. *Hieron.* Infirmata eſt, ſive abjecit, aut vacua facta eſt. S. *Cypr.* 2. *teſtim.* Et territa eſt quæ parit, & tæduit anima ejus. *&c.* (*e*) Profui.] *Hæc agnoſcit ex lxx* S. *Hier. in comm. ſicut ex Theodotione*, non debui, nec debuit mihi quiſquam. *Theodoretus illud*, ὠφέλησα, *Syrus interpretatus eſt*, ὤφλησα, non conflavi æs alienum. (*f*) Fortitudo tua.] *Apud Theodoretum eſt*, τὴν ἰσχύν σου, *& conjungitur cum ſequentibus*, fortitudinem tuam, & theſauros tuos, *&c.* S. *quidem Hieronymus videtur ita legiſſe, dum præcedentia ſic affert ex lxx.* Si cognoſcet, (*fortaſſe*, cognoſcetur) ferrum, & operimentum æneum? *Sicut ex Symmacho*, nunquid nocebit ferrum ferro ab Aquilone, & æs? (*g*) Commutationem.] *Hoc* S. *Hier. videtur aut ex lxx, aut ex alia editione dixiſſe*, abſque precio. (*h*) Non in longanimitate.] *Apud Theodoretum additur*, λάβῃς με, *quod reſpondet vulgatæ noſtræ*, noli in patientia tua ſuſcipere me: *Notat autem aliqua exemplaria habere*, βάλῃς, *quaſi, ne protrahas, ac diſcrucies tarditate.* (*i*) Ipſorum.] *Ab aliquo abeſt illud*, αὐτῶν. (*k*) Adverſum me.] *Abeſt hoc a* S. *Hieronymo, & a* S. *Cypriano ad Jubaianum: unde cætera hujus loci ſumpſimus.*

CAP. XVI.

(a) ET beſtiis terræ erunt, & volatilibus cœli: in gladio cadent, & in fame conſummabuntur.] *Hæc in alio Vaticano ita ſunt poſita*, καὶ ἐν μαχαίρᾳ πεσοῦνται, καὶ ἐν λιμῷ συντελεσθήσονται. καὶ ἔσται τὰ θνησιμαῖα αὐτῶν εἰς βρῶσιν τοῖς πετεινοῖς τοῦ οὐρανοῦ, καὶ τοῖς θηρίοις τῆς γῆς, & in gladio cadent, & in fame conſumentur: & erunt morticina eorum in eſcam volatilibus cœli, & beſtiis terræ: *quæ reſpondent vulgatæ noſtræ: nec multo aliter Complut.* (*b*) Thiaſum.] *Videtur ſignificare pompam, ſodalitium, concœnationem, parentalia.* (*c*) Iſto.] *Apud Theodoretum hæc ſubjunguntur*, φησὶν κύριος, ἔλεος, καὶ ἐλεημοσύνας, καὶ ἀποθανοῦνται μεγάλοι καὶ μικροὶ ἐν τῇ γῇ ταύτῃ. *In Compl. autem præterea*, οὐ ταφήσονται, καὶ οὐ θρηνηθήσονται, Ait Dominus, miſericordiam, & miſerationes: & morientur magni & parvi in terra iſta: non ſepelientur, & non plangentur. (*d*) Aliis.] *Apud Theodoretum & in Complut. additur*, ἡμέρας καὶ νυκτὸς, die ac nocte, *ut in noſtra vulgata.* (*e*) Eorum.] *Apud Theodoretum additur*, οὐκ ἀπεκρύβησαν ἀπὸ προσώπου μου, non ſunt abſconditæ a facie mea? *quæ negat Sanctus Hieronymus eſſe in lxx.* (*f*) Delinquere fecerunt.] ἐπλημμέλησαν. *Alii*, ἔπλησαν, impleverunt, *ut vulgata noſtra.*

CAP. XVII.

(*a*) MAledictus.] *Sic plerique libri: &* S. *Auguſt. lib.* 13. *contra Fauſtum, cum cap.* 7. *attuliſſet ea verba quæ habentur in calce capitis antecedentis, deinceps ad initium capitis octavi inquit*, Ibi enim ſequitur: & dicit, Maledictus, *&c. Ut nihil videatur habuiſſe intermedium. In quibuſdam vero libris, & apud Theodoretum ante*, Maledictus, *hæc antecedunt* ἁμαρτία ἰούδα ἐγγέγραπται ἐν γραφῇ, ἐν ὄνυχι ἀδαμαντίνῳ, ἐγκεκολαμμένη ἐπὶ τοῦ στήθους τῆς καρδίας αὐτῶν, καὶ ἐν τοῖς κέρασι τῶν θυσιαστηρίων αὐτῶν. οὕτως, ἡνίκα ἂν μνησθῶσιν οἱ υἱοὶ αὐτῶν τῶν θυσιαστηρίων αὐτῶν, καὶ ἀλσῶν αὐτῶν, ἐπὶ ξύλου δασέως, καὶ ἐπὶ βουνῶν μετεώρων, καὶ ὀρέων ἐν ἀγρῷ, τὴν ἰσχύν σου, καὶ τοὺς θησαυρούς σου, εἰς προνομὴν δώσω, καὶ τὰ ὑψηλά σου, διὰ τὰς ἁμαρτίας σου, τὰς ἐν πᾶσι τοῖς ὁρίοις σου, καὶ ἀφεθήσῃ μόνη, καὶ ταπεινωθήσῃ ἀπὸ τῆς κληρονομίας σου, ἧς ἔδωκά σοι. καὶ καταδουλώσω σε τοῖς ἐχθροῖς σου, ἐν τῇ γῇ, ᾗ οὐκ ἔγνως. ὅτι πῦρ ἐκκέκαυται ἐν τῷ θυμῷ μου, ἕως αἰῶνος καυθήσεται. Peccatum Juda inſcriptum eſt in ſcriptura in ungue admantino, inſculptum in pectore (*quod ex aliqua editione agnoſcit* S. *Hieronymus*) cordis eorum, & in cornibus altarium eorum. Sic, cum recordati fuerint filii eorum, altarium ſuorum, & lucorum ſuorum, ſuper lignum condenſum, & ſuper colles ſublimes, & montes in agro, fortitudinem tuam, & theſauros tuos in direptionem dabo, & excelſa tua propter peccata tua, quæ in omnibus finibus tuis: & dimitteris ſola, & humiliaberis ab hæreditate tua, quam dedi tibi: & ſervire te faciam inimicis tuis in terra, quam ignoras: quoniam ignis ſuccenſus eſt in furore meo: uſque in æternum ardebit. *In Complut. eadem ſententia eſt, ſed aliis ſæpe verbis: ut appareat ex diverſis eſſe verſionibus. Hæc vero in alio Vaticano habentur ſub aſteriſcis: &* S. *Hier. teſtatur a lxx eſſe prætermiſſa.* (*b*) Super te.] *Hæc abeſt a Complut. &* S. *Aug.* (*c*) Mi-

(*c*)Miryca ſylveſtris.] *Apud S. Auguſtinum*, tamarix. S. Hi*er. ex Symmacho*, lignum infructuoſum. (*d*) Salſis.] *Theodoretus*, Illud, ἐν ἁλιμοῖς, Syrus interpretatus eſt, ἐν φωλεοῖς, in antris. *Apud* S. *Auguſt. eſt*, inter iniquos, *ut interpres videatur legiſſe*, ἐν ἀνόμοις. (*e*) Et quis.] *Ita* S. *Cypr.* 2. *teſtim. A Compl. abeſt iſtud*, &. S. *Hieron. hunc locum ſic refert ex Symmacho*, Inſcrutabile cor omnium: vir autem quis eſt, qui inveniat illud? (*f*) In dimidio.] *Aq.* ὃς ἐν ἡμίσει ἡμερῶν ἐγκαταλείψει αὐτοὺς, qui in dimidio dierum relinquet eos. (*) Elevatum.] *In Compl. additur*, ἀπ' ἀρχῆς, a principio; *& vulgata. Theodoretus habet poſt*, ſanctificatio noſtra. (*g*) In alienationem.] *S. Hieron. ex lxx dixit*, alienus. (*h*) Neque egrediamini portis.] *In Compl. eſt*, ϗ μὴ εἰσφέρητε διὰ τῶν πυλῶν, nec inferatis per portas. *ut vulgata. A multis autem hæc abſunt.* (*i*) Manna.] *Notat S. Hieron. lxx poſuiſſe ipſum verbum hebraicum, quod alibi ſcribitur manaa, aut manach, ſed peſſima conſuetudine, imo ſcriptorum negligentia manna in noſtris libris legi.*(*k*)Laudem.] *Docet S. Hier. eſſe oblationem pro gratiarum actione.* (*l*) Bivia.] ἄμφοδα. *Teſtatur S.* Hier. *lxx, Aquilam, & Symm.* βάρεις, *id eſt, turritas domos, eſſe interpretatos.*

CAP. XVIII.

(*a*) Cecidit.] *In quibuſdam eſt*, διέπεσεν, cadendo diſſipatum eſt. (*b*) Confortabitur.] *S.* Hier*on.* in malis videlicet operibus, ſive, juxta Aquilam, deſperavimus, & juxta Symmachum, defecimus. (*c*) Funiculos.] *Videtur ſubintelligendum*, relinquentes, *aut quiddam ejuſmodi: quomodo etiam nonnulla eſſe ſubintelligenda in vulgata noſtra indicat explanatio S.* Hieron*ymi*: *& funiculus valebit hic etiam hæreditatem, aut limitem, & viam, ut pſal.* 138. *& alibi. Apud Theodoretum eſt*, σχοίνοις, (*al.* τρίβοις) αἰωνίοις, *ut intelligamus hoc modo*, infirmabuntur in viis ſuis, quod ad ipſorum opinionem pertinet, funiculis, vel ſemitis ſempiternis. (*d*) Oſtendam. *In quibuſdam, & apud Theodoretum hæc antecedunt*, νῶτον, ϗ μὴ πρόσωπον, *& in vulgata noſtra*, dorſum, & non faciem. (*e*) Audiemus.] *In Compl. eſt*, ϗ οὐκ ἀκουσώμεθα, & non audiamus. (*f*) Et punitionem ſuam occultarunt mihi.] *Hæc abſunt a Complutenſi.*

CAP. XIX.

(*a*) Polyandrion.] *Schol. ſine inſcriptione*, οἱ λοιποὶ, ἀντὶ τοῦ πολυανδρίου, ἐξέδωκαν φάραγγα. Cæteri pro polyandrio ediderunt, φάραγγα, vallem. *De hoc alibi dictum eſt, & legendus hic S.* Hier. (*b*) Filiorum filiorum eorum.] *Sic plerique: in quibuſdam vero eſt*, υἱῶν ἐννόμ, filiorum Ennom. (*c*) Et qui ingredimini in portis his.] *Abſunt a Complutenſi ut a vulgata noſtra.* (*d*) Præcepi.] *In nonnullis ſequitur*, οὐδὲ ἐλάλησα, ϗ οὐ διενοήθην, neque loquutus ſum, & non cogitavi. *Sanctus* Hieron*ymus*, præcepi, & cogitavi, *videtur quaſi diverſas interpretationes afferre.* (*e*) Ruina, & polyandrion.] *Olympiodorus*, πολυάνδριον, ὁ τάφος, ϗ ἐπειδὴ ἴσως κατερρυηκὼς ἦν, οὕτως ἐκαλεῖτο ἡ διάπτωσις ὁ τάφος τοῦ υἱοῦ ἐννόμ Polyandrion ſepulchrum eſt: & quoniam fortaſſe corruerat, ſepulchrum filii Ennom vocabatur ſic, ἡ διάπτωσις, id eſt, ruina. *Aliam cauſam affert Sanctus Hieronymus, neque idem eſt*, πολυάνδριον, *&* διάπτωσις, *ſed illud poſitum eſt pro valle, hoc pro Topheth* (*f*) Detraham.] *Aliqui* τάξω, ponam, *ut vulgata noſtra.* (*g*) Sanari] *In Complut. & apud Theodoretum hæc ſubjunguntur*, ϗ ἐν τῷ τωφὲθ θάψουσι, ὅτι οὐκ ἔστι τόπος τοῦ ταφῆναι, Et in Topheth ſepelient, quia non eſt locus ad ſepeliendum: *quæ non eſſe ex lxx, nomen Topheth fere oſtendit: pro quo ſæpe repetit Sanctus* Hieronymus *illos dixiſſe, ruinam Semel tantum hæc ex illis tanquam redundantia commemorat*, omnes domus regum Juda, ſicut locus Topheth: *quæ in nullo codice ſunt inventa: & fieri poteſt, ut quod illi dixerant*, διάπτωσις, *ipſe protulerit, Topheth.*

CAP. XX.

(*a*) Cataractam.] *Theodoretus*, locum quendam dicit ſubterraneum: cujuſmodi multa habebat templum a Solomone ædificatum. *Eodem modo vertiſſe Theodotionem teſtatur* S. Hieron. *Symmachum vero*, βασανιστήριον, *ſive*, στρεβλωτήριον, quod utrumque (*inquit*) tormenta ſignificat. (*b*) Aſſignatæ] *In Complut. eſt*, Benjamin, *ut in vulgata noſtra.* (*c*) Et eduxit.] *In eadem hæc antecedunt*, ϗ ἐγένετο τῇ αὔριον, Et factum eſt in craſtino: *quod reſpondet noſtræ vulgatæ.* (*d*) Dominus] *Addendum in noſtra*, κύριος, *quod eſt etiam apud Theodoretum, & in aliis libris.* (*e*) Migrantem.] *Apud Theodoretum additur*, πάντοθεν, undique. *Notat autem Sanctus Hieronymus etiam Theodotionem dixiſſe*, μέτοικον, *Aquilæ ſecundam editionem*, peregrinum, *primam*, circumſpicientem, *Symmachum*, oblatum, *ſive*, congregatum, & coactum. (*f*) Ridebo prævaricationem.] *Ita* S. Hier*on. ex lxx, etiam in comment. Alii vertunt*, ridebor prævaricationem, & miſeriam invocabo. (*g*) Defenſiones.] *In Complut. eſt*, τὸ δικαίωμά μου, juſtificationem, cauſam meam. (*h*) Malignantium] *Ita etiam Theodoretus. Alii*, στερεωτέρων, *& Complut. addit*, αὐτοῦ, fortiorum eo, *aut*, ejus, *ut pſ.* 34. (*i*) Lætans ſit.] *Complut. eſt*, εὐφραινόμενός ἐστι. ἔστω, lætatus eſt. Sit homo ille, *&c. Theodoretus autem*, μὴ εὐφραινόμενος ἔστω, non ſit lætans.

CAP. XXI.

(*a*) Sor.] *S. Hieron.* Pro quo Symm. petram; Theodotio, obſeſſam, interpretati ſunt; Aquilæ prima editio, ſolidam, ſecunda Tyrum. *Theodoretus, ex Syro*, τὴν μεταξὺ ὀρῶν κειμένην ἐν κοίλῳ τόπῳ, quæ inter montes ſita es in cavo loco.

CAP. XXII.

(*a*) Gentes.] *In quibuſdam additur*, πολλὰ, multæ. (*) Inducam.] *Theodor.* ἁγιάσω (ἀντὶ τοῦ ἀφορίσω) ἐπὶ σὲ ὀλοθρεύοντας, ἄνδρα, ſanctificabo (pro ſegregabo) ſuper te exterminantes, virum, &c. (*b*) Sellem.] *In aliquo eſt*, ἐπὶ ἰωακεὶμ ad Joacim. *Quis appellatur Sellum, vel Sellem, diſputant S. Hieron. & Theodoretus.* (*c*) Qui ædificat.] *In multis & apud Theodoretum*, ὡς ὁ οἰκοδομῶν, tanquam qui ædificat. *In quibuſdam vero*, ὢ ὁ οἰκοδομῶν οἰκίαν σου οὐ μετὰ δικαιοσύνης, ϗ τὰ ὑπερῷά σου, *& apud* S. *Hieron.* O qui ædificas domum tuam non cum juſtitia, & cœnacula tua. (*d*) Apud proximum ſuum operatur gratias.] *Videtur dictum*, operatur, *pro*, facit operari, *id eſt, curat facienda opera gratis a proximo. Theodoretus, & S. Chryſoſtomus, quantum ex Scholio colligitur, & Complut.* παρ' αὐτῷ ὁ πλησίον αὐτοῦ. (*Complut. non habet* αὐτοῦ,) *& apud S. Hier.* apud eum proximus operatur gratis. (*e*) Commenſuratam.) *Interpretatur Theodor. quæ habeat proportionem longitudinis, latitudinis, & profunditatis. Apud* S. *Hieron. eſt*, parvulam. (*f*) Perflatilia.] *Ita etiam apud S. Hieron. Aliquot libri, & Theodoretus*, εὐρύχωρα, ſpatioſa. (*g*) Nunquid regnabis.] *Pro his iſta habentur apud Theodoretum in codice, qui nunc erat ad manus*, μὴ βασιλεὺς εἶ, ὅτι ἀμιλλᾶσαι πρὸς τὴν κέδρον; ὁ πατήρ σου μὴ οὐχὶ ἔφαγε, ϗ ἐποίησε κρίμα, ϗ δικαιοσύνην; Nunquid rex es quia contendis cum cedro? Pater tuus nonne comedit, & bibit, & fecit judicium & juſtitiam? *Interpres vero Theodoreti integriore fortaſſe codice uſus, addit præterea hæc*, tuncque bene erat ei? Judicabat cauſam humilis, & pauperis: & tunc bene ei erat. Nonne hoc eſt noſſe me, dicit Dominus? *Schol. ad illud*, in Achaz, *iſta*, ὁ πατήρ σου, *&c. tribuit Aquilæ, & hæc addit*: Quod igitur exemplaria habent, ἐν ἄχαζ τῷ πατρί σου, falſum eſt: ſicut ex aliis interpretibus conſtat. *Sed Hier. agnoſcit ex lxx quæ ſunt in noſtra, quamvis diſſipata dicat eſſe, & confuſa.*(*h*)Tui.] *Theodoretus, & Compl. addunt*, εὐθεῖς, *& apud S.* Hier. recti. (*i*) Et ſuper virum iſtum.] *Aliquot libri pro*, ϗ, *habent*, οὐαὶ, væ: *A Theodoreto videtur totum iſtud abeſſe, ut a vulgata noſtra.* (*k*) Sepelietur.] *Corrigendum in noſtra*, ταφήσεται. *Quod autem ſequitur*, raptatus, *hanc putant eſſe notionem verbi hebraici, præſertim ſi ſimul intelligatur laceratio, & dilaniatio quædam, quæ in raptatione plerunque ſolet accidere. Quare lxx interdum transferunt*, σύρειν, *interdum* διασπᾶν. *Sed potuerunt hoc loco eam fortaſſe ob cauſam dicere*, συμψηθεὶς *quoniam dum quis raptatur, pulvere & ſordibus oppletur: quod ſenſiſſe Chryſoſt. colligi poteſt ex ſcholio, quod paulo poſt afferemus. Idem vocabulum Hebraicum ponitur infra cap.* 29. *ubi græce eſt*, συμψηθῶσι. *Cap. autem* 31. *ubi græce eſt*, συνεψήσθη χαρμοσύνη *in hebraico eſt verbum aliud, quod non diſſimilem ſententiam habet, id eſt, colligendo inſtar meſſoris, aut vorticis, abripere & auferre: quæ etiam notione obſervarunt grammatici apud bonos auctores uſurpari verbum iſtud*, συμψῆσαι, *licet alibi lxx iſtud idem verbum hebraicum verterint*, ἀνθαίρεσις, *ut pſal.* 103. *& Eſa.* 57. *&* συνελκύσαι, *ut pſal.* 27. *Complutenſes hic habent*, συμψηθεὶς, *& vertunt*, putrefactus *ut eſt in vulgata: itemque cap.* 29. (*quod apud ipſos eſt* 49.) συμψηθῶσιν, *ſed vertunt*, comeſta fuerint. *Nam*, ψῆσαι, *eſt*, ψωμίσαι. *Cap. autem* 31. (*id eſt apud ipſos* 48.) *habent*, συνελήφθη χαρμονὴ, congregatum eſt gaudium: *vulgata autem*, ablata eſt lætitia. *Sed, ut ad præſentem locum revertamur, in quibuſdam codicibus, & apud Theodoretum eſt*, συμψηθεὶς, ὡς κοπρία, abreptus quaſi ſtercus. *Verba autem ſcholii ex Chryſoſtomo quæ paulo ante innuimus ſunt hæc*, Symmachus inquit, ὡς κόπριον συλληφθεὶς, quaſi ſtercus collectus ὁ γὰρ βαβυλώνιος, τοῦτον ἀνελὼν, οὕτως ἔρριψε. ϗ οὐκ ἐτάφη· ἢ, εἰ ἐτάφη, καθάπερ ὄνος, συμφυρεὶς σποδῷ, καὶ γῇ, καὶ κονιορτῷ, ἐκ γὰρ τοῦ θορύβου, οὔτε ἐκόπη, οὔτε ἐπεπλώθη αὐτοῦ τὸ σῶμα. Nam Babylonius, cum hunc ſuſtuliſſet, ſic projecit: & non eſt ſepultus: aut, ſi ſepultus, tanquam aſinus, conſperſus cinere, & terra, & pulvere. Nam propter tumultum, neq; planctus factus eſt ſuper eum, neq; corpus ejus oppletum eſt. (*l*)Loquutus ſum.] *Ita etiam Theodoretus. Compl.* ἐλάλησαν, loquuti ſunt. *Vtramque lectionem videtur agnoſcere S.* Hier. *ſed apud ipſum ſequitur*, ad te in abundantia tua. (*m*)Sigillum] *Origenes*, Cæteri ediderunt, σφραγὶς, (*fortaſſe*, σφραγὶς.) annulus, *ut vulgata noſtra.* (*n*)Eorum.] *Apud Theodoretum, & in Compl. ſequitur*, ϗ εἰς χεῖρας Ναβουχοδονόσορ βασιλέως τῆς βαβυλῶνος, & in manus Nabuchodonoſor regis Babylonis: *quæ S.* Hieron. *teſtatur in lxx non haberi.* (*o*) Inhonoratus eſt.] *Apud Theodoretum hæc antecedunt*, vir iſte eſt os contemptum, & abjectum: *quæ item in lxx eſſe negat* S. Hieron. *& ex Symmacho affert.* Nunquid purgamentum, ſive quiſquiliæ viles, atque projectæ. (*p*) Abdicatum hominem.] *In nonnullis libris, & apud Theodoretum additur*, ἀνεύοδωτον ἄνθρωπον ἐν ταῖς ἡμέραις αὐτοῦ, hominem qui non proſperabitur in diebus ſuis: *quæ etiam perſpicue teſtatur* S. Hieron. *deeſſe in lxx. Pro eo autem, quod ipſe ex lxx transfert*, abdicatum, *notat, Aquilam in prima editione dixiſſe*, ſterilem, *in ſecunda*, ἀναύξητον, *id eſt*, non creſcentem; *Symmachum*, vacuum: *ex quo Symm. Schol.* κενὸν ἀπηλλοτριωμένον, vacuum abalienatum. (*q*) Ejus.] *In quibuſdam adjungitur*, ἀνὴρ, *& apud S.* Hier. vir: *in qua dictione multum ponderis ponit.*

CAP. XXIII.

(*b*) Eorum.] *In quibuſdam eſt*, μου, *& apud S.* Hieron. meæ. (*b*) Orientem juſtum.] *Symm.* βλάστημα δίκαιον, germen juſtum, *ut S. Hieron in ſua.* (*c*) Et ſalvabitur.] *A nonnullis libris, & Theodoreto, abeſt illud* καί. (*d*) In prophetis.] H*oc ſolitum conjungi cum antecedentibus oſtendit Theodoretus, qui habet*, ϗ αὐτὸς ἐν προφήταις, & ipſe in prophetis; *ac* S. Hier*on. qui tamen male hoc additum putat: aliud enim capitulum ſequi, quod ab eis prætermiſſum ſit; quo finito titulum eſſe*, ad prophetas, *ſive*, contra prophetas. *Poſſet tamen aut ſeorſum ſtare, & ſic eſſet loco tituli* (*nam ſæpe*, in prophetis, *valet*, in prophetas,) *aut conjungi cum ſequentibus.* In prophetis contritum eſt, *&c. Quod autem ad capitulum omiſſum pertinet; illud hic in Complut. ſubjungitur: in noſtra autem, & in aliis collatis codicibus, & apud Theodoretum eſt in calce capitis*, Idcirco ecce dies, *&c.* (*e*) Quia a facie.] *In Complutenſi* (*& fortaſſe apud Theodoretum*) *hæc antecedunt*, ὅτι μοιχῶν ἐπλήσθη ἡ γῆ, quia adulteris repleta eſt terra: *quæ negat* S. *Hieron. in lxx haberi.* (*f*) Horum.] S. Hi*er. hic agnoſcit ex lxx*, juramenti: *quod reſpondet* Hebr*æo.* (*g*) Sic.] *In quibuſdam*, οὐχ οὕτως, non ſic: *quod in vulgata noſtra*, diſſimilis. (*h*) Multorum.] *Aliqui*, πονηρῶν, *quod in vulgata noſtra*, peſſimorum. (*i*) Dolore.] *Nonnulli*, ὀδύνας, *& apud* S. Hi*er.* doloribus: *pro quo inquit Symmachum dixiſſe*, amaritudine. (*k*) Vobis.] *Iſtud*, ἑαυτοῖς, *videtur hoc loco, ut etiam alibi, pertinere ad ſecundam perſonam: & reſpondet vulgatæ noſtræ. In quibuſdam eſt*, αὐτοὶ, ipſi. (*l*) Subſiſtentia] ὑποστήματι, *& paulo poſt*, ὑποστάσει. *Quare S.* Hieron. *inquit, lxx & Theodotionem interpretatos eſſe verbum hebraicum*, ſubſtantiam *ſive*, ſubſiſtentiam; *Aquilam*, ſecretum; *Symmachum*, ſermonem. *Scholiaſtes etiam ex Symmacho*, τίς γὰρ παρῆν ἐν ὁμιλίᾳ; ϗ τίς δὲ ἤκουσε; quis enim affuit in colloquio? ecquis vero audivit? *Scholion Chryſoſtomi*: πῶς οὖν ὑμεῖς λέγετε ἀκηκοέναι; Quomodo igitur vos dicitis audiſſe? *Poterat autem commodi verti,* ὑπόστημα, *&* ὑπόστασις, ſtatuo, *&*, conſeſſus. (*m*) Eos.] *Iſtud,* αὐτοὺς, *abeſt a multis. In vulgata autem noſtra, pro,* avertiſſent, *eſt,* avertiſſem; *quod verbo græco non repugnat, & eodem modo S. Cypr. de unitate Eccleſiæ: qui legendus.* (*n*) Quis.] *In aliquo eſt,* ἄνθρωπος, *& apud Cypr. de lapſis,* homo. (*o*) Ignis.] *Sic etiam in vulgata noſtra. In multis additur,* φλέγον, ardens. (*p*) Ecce ego propterea ad prophetas.] *Nonnulli,* διὰ τοῦτο ἰδοὺ ἐγὼ πρὸς τοὺς προφήτας, propterea ecce ego ad prophetas. *Cæterum, quæ ſequuntur uſque ad illa,* qui prophetant ſomnia, *poſita ſunt in noſtra editione per typographi incuriam. Abſunt enim a Vaticano. Habentur tamen in cæteris libris: & in ea afferuntur ſcholia ex Origene, & S. Chryſoſt. & explicantur a Theodoreto; & nonnulla afferuntur a S. Cypr. lib. 2. epiſt. 3.* (*q*) Qui emittunt.] *In quibuſdam libris eſt,* τοὺς ἐκλαμβάνοντας προφητείας γλώσσης, καὶ πλάσσαντας ψευδῆ χρηματισμὸν, καὶ νυστάζοντας, qui aſſumunt prophetias linguæ, & fingunt mendax oraculum, & dormitant, *&c.* (*r*) Non narrant.] *A nonnullis abeſt illud,* οὐ, *& vulgata noſtra,* qui narrant ea. (*ſ*) Aſſumptio.] *Teſtatur* S. *Hieron. eodem modo interpretatos eſſe lxx. Symmachum, Theodotionem, id eſt,* λῆμμα, *Aquilam vero,* ἆρμα, onus, & pondus: *quod eſt apud Theodoretum.* (*t*) Et quare loquutus eſt Dominus Deus noſter?] *Ab uno pervetuſto abſunt. In aliis vero quibuſdam hæc præterea antecedunt, in quibuſdam vero ſequuntur,* καὶ ἐξεστρέψατε τοὺς λόγους θεοῦ ζῶντος· οὕτως ἐρεῖτε πρὸς τὸν προφήτην, τί ἐλάλησε, *&c.* & evertiſtis verba Dei viventis. Sic dicetis ad prophetam; Quid loquutus eſt, *&c. Quæ S. Hier. negat eſſe in lxx. Quinimo cum ipſe vertiſſet ex hebræo,* & pervertitis verba Dei viventis, Domini exercituum Dei noſtri, *inquit hæc verba myſterium ſignificantia Trinitatis, quæ hebræi in ſuis voluminibus contra ſe legant, in latinis & græcis codicibus non haberi.*

CAP. XXIV.

(*a*) EIS.] *In Compl. additur,* καὶ τοῖς πατράσιν αὐτῶν, & patribus eorum, *ut vulgata.*

CAP. XXV.

(*a*) JUDA.] *In cæteris, & apud Theodoretum hæc ſequuntur,* αὐτὸς ἐνιαυτὸς πρῶτος τῷ ναβουχοδονόσορ βασιλεῖ βαβυλῶνος, ipſe eſt annus primus Nabuchodonoſor regi Babylonis: *quæ teſtatur S. Hier. in lxx non haberi, ſicut etiam nonnulla alia in hoc eodem capite.* (*b*) Anni.] *In Complut. & apud Theodoretum adjungitur,* καὶ ἐγένετο ῥῆμα κυρίου πρός με, & factum eſt verbum Domini ad me, *quod eſt in vulgata noſtra.* (*c*) Odorem unguenti.] *In quibuſdam libris, & apud Theodoretum eſt,* φωνὴν μύλου, vocem molæ, *ut vulgata noſtra.* (*d*) Quæ Ælam.] *A nonnullis abeſt illud,* τά. *Hæc vero uſque ad finem capitis in vulgata noſtra ſunt in cap. 49. in extremo. Cujus vulgatæ ordini nonnulli etiam codices Græci, ac Theodoretus conveniunt: quos Exapla ſequutos eſſe veriſimile eſt, in quibus græca hebraicis altera ex parte reſpondere neceſſe erat. Quare hic in iiſdem ea ſequuntur, quæ in vulgata de calice & cætera, quæ deinceps, & quæ in noſtra, & plerisque græcis ſunt cap. 32. Continuo autem in iiſdem codicibus (nam de Theodoreto nihil affirmari poteſt,) poſt illa* in libro iſto, *ponuntur hæc,* ὅσα προεφήτευσεν ἱερεμίας ἐπὶ πάντα τὰ ἔθνη, ὅτι ἐδούλευσαν αὐτοῖς, ὅτε ἦσαν (*al.* ἐν αὐτοῖς καταδουλώσονται γὰρ αὐτοὺς, *ubi videtur extare quædam coagmentatio variarum interpretationem,*) ἔθνη πολλὰ, καὶ βασιλεῖς μεγάλοι καὶ ἀποδώσω, (*al.* ἀνταποδώσω) αὐτοῖς κατὰ τὰ ἔργα αὐτῶν· καὶ κατὰ τὰ ποιήματα (*al.* τὴν πονηρίαν) τῶν χειρῶν (*al.* ἐπιτηδευμάτων) αὐτῶν. Quæcunque prophetavit Hieremias ſuper omnes gentes, Quia ſervierunt eis, cum eſſent gentes multæ & reges magni: & reddam eis ſecundum opera eorum, & ſecundum facta, (*al.* nequitiam) manuum (*al.* adinventionum) ſuarum. *Quorum magnam partem, ſcribit S. Hier. in lxx non haberi. Quod autem ad ordinem pertinet, de quo apud S. Hier. & Theodoretum ſilentium eſt, hæc leguntur in commentariis græcis. Origenes,* ταύτην οἱ μὲν ό. τῶν κατὰ τῶν ἐθνῶν ὁράσεων προέταξαν. οἱ δὲ λοιποὶ τουναντίον. αἰλὰμ δὲ ἔθνος ἀραβικὸν, πρὸς τῇ ἐρυθρᾷ κείμενον θαλάσσῃ. Ολυμπιόδωρος, αἰλὰμ ἢ τῆς βαβυλῶνος, ἢ καὶ πάσης χώρας ἧς ἦρξε Κῦρος· χρὴ δὲ εἰδέναι ὅτι ἅγιος ἰωάννης ὑπομνηματίζων τὸν ἱερεμίαν, μέχρι τοῦ ὧδε ἀκολούθως ὑπεμνημάτισεν· ἐάσας δὲ τὰ μετὰ ταῦτα, ἄρχεται ὑπομνηματίζειν ἀπὸ τῆς ἀρχῆς τῆς βασιλείας ἰωακείμ. ἔνθα καὶ τὸ ὑποκείμενον σημεῖον κεῖται, καὶ οὕτως τὰ λοιπὰ ὑπεμνημάτισεν. Hanc (*nimirum de Ælam*) lxx quidem præpoſuerunt viſionibus, quæ contra gentes: cæteri autem contra. Ælam autem eſt gens Arabica, poſita ad rubrum mare. *Olympiodorus,* Ælam, vel Babylonis, vel etiam univerſæ regionis, cui præfuit Cyrus. Sciendum autem eſt, Sanctum Joannem, commentarios ſcribentem in Hieremiam, uſque ad hæc eodem ordine ſcripſiſſe: hic autem dimittentem, quæ poſt hæc, initium commentandi feciſſe a principio regni Joacim: ubi & ſubjectum ſignum poſitum eſt: ſicque cætera explanavit. *Schol.* ἐξ ἀνεπιγράφου· κατὰ τοὺς ἑβδομήκοντα· τῶν ἄλλων ἐθνῶν, προτέτακται ἡ περὶ τοῦ αἰλὰμ προφητεία. κατὰ δὲ τοὺς λοιποὺς, ἡ περὶ τῆς αἰγύπτου. *Ex Anonymo.* Secundum lxx prophetia de Ælam præpoſita eſt ei, quæ de cæteris gentibus: at ſecundum cæteros ea quæ de Ægypto. *Capite autem 49. initium hujus prophetiæ de Ælam in Compl. & apud Theodor. ſic habet,* καὶ ἐγένετο ῥῆμα κυρίου πρὸς ἱερεμίαν τὸν προφήτην κατὰ τοῦ αἰλὰμ ἐν ἀρχῇ βασιλείας σεδεκία βασιλέως ἰούδα, λέγων, τάδε λέγει κύριος τῶν δυνάμεων, ἰδοὺ ἐγὼ συντρίβω (*Complut.* συντρίψω) τόξον αἰλὰμ, καὶ τὴν ἀρχὴν, Et factum eſt verbum Domini ad Hieremiam prophetam contra Ælam in principio regni Sedechiæ regis Judæ, dicens, Hæc dicit Dominus exercituum: Ecce ego contero arcum Ælam, & principium, *&c. In Complut. eſt* ἀρχὴ, *quod magis cohæret cum,* συντριβῇ: *quam cum* συντρίψω. (*e*) Eos] *In Compl. additur,* κακὸν, malum, *ſed non apud Theodoretum.* (*f*) Emittam.] *In quibuſdam & apud Theodoretum, eſt,* ἀπολῶ, perdam.

CAP. XXVI.

(*a*) IN principio.] *Hoc caput in vulgata noſtra, & apud Theodoretum eſt 46. apud quem Theodoretum ſic habet initium capitis,* λόγος ὁ γενόμενος παρὰ κυρίου πρὸς ἱερεμίαν τὸν προφήτην ἐπὶ πάντα τὰ ἔθνη, Verbum quod factum eſt a Domino ad Hieremiam ſuper omnes gentes. *Nec multo aliter in Complut. In qua ſequitur,* εἰς αἴγυπτον ἐπὶ δυνάμει φαραὼ νεχαὼ, ad Ægyptum ſuper virtutem Pharaonis Nechao. *Theodor. inquit primum narrari de Ægypto, & deſignari tempus prophetiæ, nimirum factæ poſt mortem Pharaonis, &c.* Scholion, ἡ προφητεία μέχρι τῶν ἐνταῦθα πεπλήρωται· μετὰ ταῦτα γὰρ ἱστορικώτερον περιέχει τὰ κατὰ σεδεκίαν καὶ τὴν ἅλωσιν ἱερουσαλὴμ, καὶ τὰ σκεύη τὰ ληφθέντα τοῦ ἱεροῦ, ἐν οἷς ποδιστῆρας ὁ σύρος τοὺς νιπτῆρας τῶν ποδῶν ἐξέδωκε· τοὺς δὲ ἐπφαθ, οἱ μὲν τοὺς ὀβελίσκους φασὶν, οἱ δὲ τοὺς ἀποχυτῆρας, μεσομεράδα δὲ τὰς λυχνίας, ἰωακὶμ δὲ τὸν ἰεχονίαν καλεῖ. (*b*) Applicate.] *Aut,* acuite. *Utrumque enim videtur poſſe ſignificare,* προβάλετε, *nec abhorret a vulgata noſtra, quæ habet,* polite. *In cæteris eſt,* προβάλλετε, torquete. (*c*) Et velut flumina.] *In uno pervetuſto eſt,* ὡς ποταμῶν κυμανοῦσι τὰ ὕδατα; (*Theodor. addit,* αὐτοῦ;) αἴγυπτος, ὡς ποταμὸς, ἀναβήσεται, velut fluviorum intumeſcunt aquæ ejus? Ægyptus, quaſi flumen aſcendet: *quod magis reſpondet vulgatæ noſtræ, præſertim cum apud Theodoretum ſubjungantur etiam iſta,* & velut flumen, perturbant aquæ ejus. (*d*) Habitantes.] *Plerique,* πόλιν, καὶ τοὺς κατοικοῦντας, civitatem & habitantes. (*e*) Domini.] *Apud Theodoretum eſt,* μου, meus. *Ab aliquo abeſt utrumque.* (*f*) Domino.] *In quibuſdam & apud Theodoretum additur,* Sabbaoth, *ut etiam ſæpe alibi.* (*g*) Annunciate in Magdolum.] *In Complut. plura ſunt: quæ videntur etiam agnoſci a Theodoreto,* ἀναγγείλατε εἰς αἴγυπτον, καὶ ἀκουστὸν ποιήσατε εἰς μαγδωλὸν, καὶ παραγγείλατε εἰς μέμφιν, καὶ ἐν τάφναις, εἴπατε, ἐπίστηθι, *quæ in vulgata noſtra,* Annunciate Ægypto, & auditum facite in Magdolo, & reſonet in Memphis, & in Taphnis dicite; Sta, *&c.* (*h*) Smilacem.] *Sanctus Chryſoſtomus,* βοτάνη ἐστὶ πάντα κατατρώγουσα, herba eſt omnia devorans. *Anonymus:* Cæteri pro, τὴν σμίλακα, ediderunt, τὰ κύκλῳ σου, quæ in circuitu tuo. *Id Theodoretus Syro tribuit: atque id ſmilacis etiam nomine ſignificari, quod ſit herba, quæ plantis ſuccreſcentibus implicatur.* (*i*) Apis.] *Hunc notat Theodoretus fuiſſe bovem illum, qui ab Ægyptiis adorabatur. In quibuſdam eſt,* διότι (*atque iſtud quidem* διότι, *in multis etiam aliis eſt*) ἔφυγεν ὀπίσω ὁ μόσχος, quia fugit retrorſum vitulus, *&c.* (*k*) Saon Esbie Moed.] *Schol. ex Theodoreto,* Iſtud, σαὼν ἐσβεὲ μωήδ, Symmachus edidit, καιρὸς παρεγένετο, tempus advenit, Aquila autem, παρήγαγεν ὁ καιρὸς, adduxit (*aut,* acceſſit) tempus. Syrus autem inquit, ταράττων, καὶ καιροὺς παραφέρων, turbans, ac tempora transferens. *In codicibus commentariorum Theodoreti deſunt aliqua.* (*l*) Quia, ſicut Itabyrium.] *Apud Theodoretum eſt,* κύριος τῶν δυνάμεων ὄνομα αὐτῷ, ὅτι ὡς τὸ θαβὼρ, *quæ in vulgata noſtra,* Dominus exercituum nomen ejus; quoniam ſicut Thabor. *Sed lxx pro Thabor ſolitos dicere Itabyrium alibi ex Sancto Hieronymo notatum eſt.* (*m*) In ea.] *Alii,* εἰς σφαγὴν, in mactationem. *A Theodoreto videtur utrumque abeſſe.* (*n*) Aquilone.] *Apud Theodoretum, & in Complut. ſubjungitur,* λέγει κύριος τῶν δυνάμεων ὁ θεὸς ἰσραὴλ, Dicit Dominus virtutum, Deus Iſrael. (*o*) Super Pharaonem.] *In plerisque hæc antecedunt,* ἐπ' αἴγυπτον, καὶ ἐπὶ τοὺς θεοὺς αὐτοῦ, καὶ ἐπὶ τοὺς βασιλεῖς αὐτοῦ, *quæ in vulgata, (licet antecedentia aliam habeant ſententiam,)* ſuper Ægyptum, & ſuper Deos ejus & ſuper reges ejus. (*p*) In eo.] *In Compl. ſubjunguntur hæc, quæ etiam a Theodoreto partim exprimuntur, partim ſignificantur,* καὶ δώσω αὐτοὺς εἰς χεῖρα τῶν ζητούντων τὴν ψυχὴν αὐτῶν, καὶ εἰς χεῖρα ναβουχοδονόσορ βασιλέως βαβυλῶνος, καὶ εἰς χεῖρα τῶν δούλων αὐτοῦ, καὶ μετὰ ταῦτα κατοικισθήσεται, ὥσπερ ἐν ταῖς ἡμέραις ταῖς ἀρχαίαις, λέγει κύριος, *quæ in vulgata,* Et dabo eos in manus quærentium animam eorum, & in manus Nabuchodonoſor regis Babylonis, & in manus ſervorum ejus. Et poſt hæc habitabitur, ſicut diebus priſtinis, ait Dominus. (*q*) Intrepida & delicata tradita eſt.] *Hæc abſunt a Compl. & a Theodoreto ſimilia habentur cap. ſequenti.* (*r*) Genti.] *Item iſtud.*

CAP. XXVII.

(*a*) BAbylonem.] *Hoc caput in editione Latina, & apud Theodoretum, & in quibuſdam Græcis codicibus, eſt L. itemque in Complut. in qua hæc hoc loco adduntur,* καὶ ἐπὶ γῆν χαλδαίων ἐν χειρὶ ἱερεμίου τοῦ προφήτου, & ſuper terram Chaldæorum in manu Hieremiæ prophetæ. (*b*) Facite.] *In eadem & apud Theodoretum hæc ſubjunguntur,* ἄρατε σημεῖον, καὶ ἀκουστὸν ποιήσατε, *quod in vulgata,* levate ſignum, prædicate. (*c*) Belus: interrita, delicata.] *Sic Theodoretus, niſi quod habet,* βὴλ, Bel. *In quibuſdam eſt,* ὁ ἀπτόητος, interritus. *A Compl. abſunt illa,* ἡ ἀπτόητος καὶ τρυφερὰ, *ut a vulg.* (*d*) Eorum.] *Apud Theodoretum additur,* κυρίῳ, Domino. *In Complut.* ὁ κύριος, Dominus: *in qua etiam paulo ante, pro,* μὴ ἀνῶμεν. *eſt,* μιανῶμεν, *perſpicuo errato.* (*e*) Dracones.] *Theodoretus,* ἔριφοι, hœdi, (*ut vulgata noſtra, aut,* capri:) *pro quo inquit Syrum dixiſſe,* τράγους, hircos. (*f*) Pudefacta.] *Hoc ſolet ſignificare verbum,* ἐνετράπη. *Theodoretus, & quidam codices,* ἀνετράπη, everſa eſt. (*g*) Deſerta.] *In Complut. additur,* καὶ ἄβατος, & invia. (*h*) Et ſubjicite eam.] *In Complut. pro his eſt* ὅτι τῷ κυρίῳ ἥμαρτεν, (*quæ referuntur etiam a Theodoreto,*) καὶ κατακροτήσατε ἐπ' αὐτὴν, quia Domino peccavit, & plaudite ſuper eam. (*i*) Babylone.] *In multis libris hic ponuntur, quæ in noſtro, & apud Theodoretum ponuntur paulo ſuperius, quemadmodum & in vulgata noſtra,* omnes invenientes, *uſque ad* Paſcua. (*k*) Carmelo.] *In Complut. & apud Theodoretum additur,* καὶ ἐν βασὰν, & in Baſan. (*l*) Super terram, dicit Dominus. Amare.] *A Compl. abſunt illa,* dicit Dominus: *& quaſi ex novo principio dicitur:* Super terram amare, *&c. Theodoretus autem videtur habuiſſe,* ἐπὶ τῆς γῆς παραπικραινόντων, ſuper terram exacerbantium: *quod reſpondet hebræo.* (*m*) Aſcendent.] *Corrigendum in textu græcæ noſtræ editionis,* ἐπιβήσονται. *Ita enim Vaticanus: in quo tamen aſcriptum poſtea eſt, quod in cæteris libris,* ἐπιθήσονται, invehentur, inſultabunt. (*n*) Et non cognoſces quia Babylon, & capieris.] *In aliis eſt,* καὶ οὐ γνώσῃ, ὡς καὶ ἁλώσῃ βαβυλὼν, & non cognoſces, quia etiam capieris Babylon. *In Compl.* καὶ ἁλώσῃ βαβυλὼν, καὶ οὐ γνώσῃ, & capieris Babylon, & non cognoſces. (*o*) Noſtro.] *In Compl. additur,* ἐκδίκησιν ναοῦ αὐτοῦ, ultionem templi ejus, *ut vulgata.* (*p*) Super te ſuperbiam contumelioſam, dicit Dominus.] *Sic etiam Theodoretus (niſi quod habet,* κύριος τῶν δυνάμεων, Dominus virtutum,) *atque iſto modo interpretatur,* τὴν ὑβρίστριαν. *Compl. autem,* πρὸς σε ὑπερήφανε, ad te ſuperbe, *ut vulgata.* (*q*) Ejus.] *In Compl. hæc ſequuntur, quæ etiam a Theodoreto videntur agnoſci,* μάχαιραν ἐπὶ τοὺς μάντεις, καὶ ἄφρονες ἔσονται, gladium ſuper divinos, & ſtulti erunt: *quæ reſpondent vulgatæ.* (*r*) Gladium ſuper pugnatores eorum, &.] *Hæc abſunt a Compl, & videri poſſunt ex loco paulo ſuperiore huc irrepſiſſe. Notat autem S. Hieron. in cap. 25.* Συμμίκτους, *a lxx dici, id eſt, miſtitios, vulgus peregrinum & adventitium.* (*ſ*) Et diſpergentur ſuper aquam ejus.] *In aliis, &*

Compl. διαρπαγήσονται. ἐπὶ τῷ ὕδατι αὐτῆς ἐπεποίθει, diripientur. In aqua ſua confidit. *Theodor. habuit ſive dubio ſententiam ſimilem vulgatæ*, ſiccitas ſuper aquas ejus erit, & areſcent. *Ita enim inquit*, minatur item ſe aquam evacuaturum, multitudinem figurate vocans aquam: *qui etiam explicat, quid ſint inſulæ, quid* ἰνδάλματα, *quæ phantaſmata diximus, quid filiæ Sirenum.* (*t*) Seculum.] *In Compl. & apud Theodoretum adjungitur*, οὐδὲ μὴ κατασκηνωθήσεται ἕως γενεᾶς, ϗ γενεᾶς, neque habitabitur uſque in generationem, & generationem. *Sed Theodoretus in præcedenti membro, pro*, κατοικηθῇ, *habuit*, οἰκοδομηθῇ, ædificabitur: *& utrumque inquit eveniſſe, ut neque ædificaretur, neque habitaretur.*

CAP. XXVIII.

(*a*) VErbum.] *Hoc in vulgata, & libris cum ea convenientibus, eſt caput 35.* (*b*) Archabin.] *In quibuſdam,* ῥαχαβεὶν, Rachabin. (*c*) Qui.] *Alii,* ὃ, quod. (*d*) Atrium.] *In Compl. eſt,* τὴν ὁδὸν, viam. *Vulg.* qui erat cuſtos veſtibuli. (*e*) Ingredi: & ingreſſi ſumus.] *In aliis,* ἀναβάντες εἰσελευσόμεθα, aſcendentes ingrediemur. (*f*) Biberunt.] *In Compl. additur,* ἕως τῆς ἡμέρας ταύτης, ὅτι ἤκουσαν τὴν ἐντολὴν τοῦ πατρὸς αὐτῶν, uſque ad diem hanc, quia audierunt mandatum patris ſui. (*g*) Et loquutus ſum.] *Addendum in noſtra,* καὶ ἐλάλησα. (*h*) Prophetas.] *In Compl. additur,* ὀρθρίζων τὸ πρωῒ, καὶ ἀποστέλλων, *quod vulgata,* conſurgens diluculo, mittenſque (*i*) Propterea ſic dixit Dominus.] *Pro his in Compl. hæc ſunt, quæ reſpondent vulgatæ,* διότι ἐλάλησα αὐτοῖς, καὶ οὐκ ἤκουσαν, καὶ ἐκάλεσα αὐτοὺς, καὶ οὐκ ἀπεκρίθησαν. καὶ τῷ οἴκῳ τῶν ῥαχαβὶμ εἶπεν ἱερεμίας, οὕτως εἶπεν κύριος, eo quod loquutus ſum ad illos, & non audierunt; & vocavi illos & non reſponderunt. Et domui Rachabim dixit Hieremias: Sic dixit Dominus. (*k*) Terræ] *Habet etiam Theodoretus: non habet Compl. neque vulgata.*

CAP. XLIII.

(*a*) IN anno.] *Nonnulli,* καὶ ἐν τῷ ἐνιαυτῷ, Et in anno. *Eſt autem hoc in vulgata, & libris cum ea convenientibus, caput 36.* (*b*) Loquente me.] *In Complut.* ἐλάλησα, loquutus ſum. (*c*) Et leges.] *In eadem,* καὶ σὺ εἰσελεύσῃ, καὶ ἀναγνώσῃ, Et tu ingredieris, & leges. (*d*) Octavo.] *In quibuſdam,* πέμπτῳ, *& vulgata,* quinto. (*e*) Ubi.] *Cæteri,* πόθεν, Unde. (*) Ingreſſi ſunt.] *Aquila,* ἀπήντησαν τῷ βασιλεῖ, occurrerunt regi. (*f*) Hyemali.] *In Compl. additur,* ἐν μηνὶ ἐννάτῳ, in menſe nono, *ut vulgata.* (*g*) Non quæſierunt.] *In aliquo, & apud Theodoretum additur,* τὸν κύριον, Dominum. *In quibuſdam eſt,* καὶ οὐκ ἐξέστησαν, & non obſtupuerunt. (*h*) De comburendo.] *Cæteri,* πρὸς τὸ μὴ κατακαῦσαι τὸ χαρτίον, καὶ οὐκ ἤκουσεν αὐτῶν, de non comburendo volumine, & non audivit eos. *Ita etiam Compl. Sed in ea præcedit, pro,* ὑπέθεντο, (*quod agnoſcit etiam Theodoretus, & reſpondet hebraico*) ἀντεῖπαν, contradixerunt, *cui fortaſſe magis conveniret ſequens affirmatio,* de comburendo. *Vulgata tamen habet,* contradixerunt regi, ne combureret. (*i*) Deficient ab ea.] *Legendum enim,* ἀπ' αὐτῆς, *ut in Vaticano: licet Typographus fecerit,* ἐπ' αὐτῆς. *In quibuſdam vero eſt,* καὶ ἐκτρίψει ἀπ' αὐτῆς ἄνθρωπον, & delebit ex ea hominem. (k) Ejus.] *In Compl. additur*, τὰς ἀνομίας αὐτῶν, iniquitates ſuas, *ut vulgata.* (l) Baruch volumen aliud.] *Pro his in Compl. ſunt iſta, quæ reſpondent vulgatæ*, ἱερεμίας χαρτίον ἕτερον, καὶ ἔδωκεν αὐτὸ τῷ βαρούχ, υἱῷ νηρίου τοῦ γραμματέως, Hieremias volumen aliud, & dedit illud Baruch filio Neriæ ſcribæ.

CAP. XLIV.

(a) PRO Joacim.] *Hoc in vulgata, & libris cum ea convenientibus, eſt cap. 37. Hic autem in quibuſdam eſt*, ἀντὶ ἰεχονίου υἱοῦ ἰωακείμ, *& vulgata*, pro Jechonia filio Joachim. (b) Deſuper.] *Illud* ἐπὶ, *hoc loco videtur valere idem, atque*, ἐπάνωθεν, *aut*, ἀπάνωθεν, *id eſt*, a deſuper: *quare in aliis eſt*, ἀπὸ ἱερουσαλήμ, a Hieruſalem. (c) Emeret.] *In aliquo additur*, ἄρτον, *& in alio*, ἄρτους, panes: *quod videtur agnoſcere Theodoretus.* (d) In Chereth.] *Nonnulli*, εἰς τὸν συγκλεισμόν, in clauſuram: *hoc vocabulum Theodoretus habuit etiam in capite ſequenti, & interpretatur lacum.* (e) Et nunc Domine.] *Complut.* καὶ νῦν ἄκουσον δὴ κύριε, & nunc audi quæſo Domine, *&c.*

CAP. XLV.

(a) SEmeliæ.] *Hoc in vulgata, & libris cum ea convenientibus, eſt caput 38. Hic autem in Complut. additur*, καὶ πασχὼρ υἱὸς μελχίου, & Paſchor filius Melchiæ. (b) Habitans.] *Nonnulli*, ὁ καθήμενος, ſedens. (c) Fame.] *In Compl. additur*, καὶ ἐν λοιμῷ, & in peſte. (d) Dixerunt.] *In eadem additur* οἱ ἄρχοντες, principes. (e) Vaticinatur.] *In quibuſdam eſt*, οὐ χρησιμολογεῖ, non utiliter loquitur. (f) Et projecerunt.] *Complut.* καὶ ἔλαβον τὸν ἱερεμίαν, καὶ ἔρριψαν, & tulerunt Hieremiam, & projecerunt. (g) Eum.] *In eadem additur*, ἐν σχοινίοις, in funibus. (h) Æthiops.] *In eadem additur, quod videtur etiam agnoſci a Theodoreto*, ἀνὴρ εὐνοῦχος, vir eunuchus. (i) Malefeciſti.] *Sic etiam Theodoretus. In Compl. eſt*, κύριέ μου βασιλεῦ ἐπονήρευσαν οἱ ἄνδρες ἐκεῖνοι πάντα ἃ ἐποίησαν κατὰ τοῦ ἱερεμίου τοῦ προφήτου, ῥίψαντες αὐτὸν εἰς τὸν λάκκον, ἵνα ἀποθάνῃ ἐν αὐτῷ ἀπὸ προσώπου, Domine mi rex, male fecerunt viri iſti omnia quæcunque perpetrarunt contra Hieremiam prophetam mittentes eum in lacum, ut moriatur in eo a facie, *&c. quomodo fere vulgata.* (k) Aſelicel.] *Apollinarius*: Cæteri, τὴν τρίτην. *Theodoretus: Hoc Syrus interpretatus eſt*, ἔσω τὴν τρίτην θύραν, intra tertiam portam. (l) Prævalebunt.] *In quibuſdam & apud Theodoretum*, ἠδυνάσθησαν, prævaluerunt, *ut vulgata.* (m) Deponent.] *Non longe ab vulgata, in qua tamen eſt tempus præteritum*, demerſerunt. *Compl. & aliqui vetuſti habent*, καὶ κατισχύσουσιν ἐν ὀλισθήμασιν πόδας σου, *quod interpretantur*, & prævalebunt lubricis contra pedes tuos. *Theodoretus autem*, κατισχύσουσί σου, ἐν ὀλισθήματι ποδός σου, prævalebunt tibi in lapſu pedis tui.

CAP. XLVI.

(a) MEnſe.] *Hoc in vulgata, & libris cum ea convenientibus, eſt cap. 39. Hic autem locus in quibuſdam codicibus ſic habet*, ἐν τῷ ἔτει τῷ ἐννάτῳ τοῦ σεδεκίου, βασιλέως ἰούδα, ἐν τῷ μηνὶ τῷ δεκάτῳ, in anno nono Sedeciæ regis Juda in menſe decimo, *ut vulgata: quam lectionem agnoſcit etiam Theodoretus.* (b) Babylonis.] *Hic in Complut. ſequuntur iſta, quæ agnoſcuntur etiam a Theodoreto*, καὶ ἐγένετο, ὡς εἶδεν αὐτοὺς σεδεκίας βασιλεὺς ἰούδα, καὶ πάντες οἱ ἄνδρες πολεμισταὶ, καὶ ἔφυγον, καὶ ἐξῆλθον νυκτὸς ἐκ τῆς πόλεως κατὰ τὴν ὁδὸν κήπου τοῦ βασιλέως διὰ τὴν πύλην ἀναμέσον τοῦ τείχους καὶ τοῦ προτειχίσματος, καὶ ἐξῆλθον διὰ τὴν ὁδὸν ἀραβά· καὶ κατεδίωξεν ἡ δύναμις τῶν χαλδαίων ὀπίσω αὐτῶν, καὶ συνέλαβον τὸν σεδεκίαν ἐν τῷ πέραν ἱεριχώ. καὶ ἤγαγον αὐτὸν πρὸς ναβουχοδονόσορ βασιλέα βαβυλῶνος εἰς ῥεβλάθα τὴν ἐν τῇ γῇ αἱμάθ. καὶ ἐλάλησεν αὐτῷ μετὰ κρίσεως. καὶ ἔσφαξεν ὁ βασιλεὺς βαβυλῶνος τοὺς υἱοὺς σεδεκίου ἐν ῥεβλάθα κατ' ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ, καὶ πάντας τοὺς ἄρχοντας ἰούδα ἔσφαξεν. καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς σεδεκίου ἐξετύφλωσεν. καὶ ἔδησεν αὐτὸν ἐν πέδαις, καὶ ἤγαγεν αὐτὸν εἰς βαβυλῶνα. καὶ τὸν οἶκον τοῦ βασιλέως, καὶ τὰς οἰκίας τοῦ λαοῦ ἐνέπρησαν οἱ χαλδαῖοι ἐν πυρί, καὶ τὸ τεῖχος ἱερουσαλὴμ καθεῖλαν. καὶ τὸ περισσὸν τοῦ λαοῦ, καὶ τοὺς καταλειφθέντας ἐν τῇ πόλει, καὶ τοὺς ἐμπεπτωκότας, οἳ ἐνέπεσαν πρὸς τὸν βασιλέα βαβυλῶνος, καὶ τὸ λοιπὸν τοῦ λαοῦ, καὶ τοὺς καταλειφθέντας μετῆρεν ναβουζαρδὰν ὁ ἀρχιμάγειρος εἰς βαβυλῶνα. καὶ ἐκ τῶν πτωχῶν τοῦ λαοῦ οἷς οὐκ ἦν οὐθὲν, κατέλιπεν ναβουζαρδὰν ὁ ἀρχιμάγειρος ἐν γῇ ἰούδα, καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς ἀμπελῶνας, καὶ ἀγροὺς ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ, καὶ ἐνετείλατο ναβουχοδονόσορ βασιλεὺς βαβυλῶνος ὑπὲρ τοῦ ἱερεμίου ἐν χειρὶ ναβουζαρδὰν τοῦ ἀρχιμαγείρου, λέγων, λάβε αὐτὸν, καὶ θὲς τοὺς ὀφθαλμούς σου ἐπ' αὐτὸν, καὶ μὴ ποιήσῃς αὐτῷ οὐθὲν κακὸν, ἀλλὰ καθὼς λαλήσῃ πρός σε, καὶ οὕτω ποιήσεις αὐτῷ. ἀπέστειλε ναβουζαρδὰν ὁ ἀρχιμάγειρος, καὶ ναβουσεζβὰν, καὶ ῥαψαρὴς, καὶ νηργὲλ, καὶ σαρασὰρ, καὶ ῥαβμὰγ, καὶ πάντες οἱ ἡγεμόνες βασιλέως βαβυλῶνος. Et factum eſt, ut vidit eos Sedecias rex Juda, & omnes viri bellatores; & fugerunt, & exierunt nocte de civitate per viam horti regis per portam inter medium muri, & antemuralis: & exierunt per viam Araba. Et inſequuta eſt virtus Chaldæorum poſt eos: & ceperunt Sedeciam in regione trans Hiericho, & adduxerunt eum ad Nabuchodonoſor regem Babylonis, in Reblatha, quæ eſt in terra Æmath. Et locutus eſt ei cum judicio. Et jugulavit rex Babylonis filios Sedeciæ in Reblatha ante oculos ejus: & omnes principes Juda jugulavit. Et oculos Sedeciæ excæcavit: & vinxit eum in compedibus, & duxit eum in Babylonem. Et domum regis, & domos populi ſuccenderunt Chaldæi in igne, & murum Hieruſalem deſtruxerunt. Et reſiduum populi, & eos, qui remanſerant in civitate, transfugas, qui transfugerant ad regem Babylonis, & reliquum populi, & eos, qui remanſerunt, tranſtulit Nabuzardan princeps coquorum in Babylonem. Et de pauperibus populi, quibus non erat quicquam, reliquit Nabuzardan princeps coquorum in terra Juda; & dedit eis vineas & agros in die illa. Et mandaverat Nabuchodonoſor rex Babylonis pro Hieremia in manu Nabuzardan: Suſcipe eum, & pone oculos tuos ſuper eo: & ne facias ei malum ullum: ſed, ſicut loquutus fuerit ad te, facies ei. Et miſit Nabuzardan rex coquorum, & Nabuſezban, & Rapſares, & Nergel, & Saraſar, & Rabmag, & omnes duces regis Babylonis.

CAP. XLVII.

(a) DOminus.] *Hoc in vulgata, & libris cum ea convenientibus, eſt cap. 40 Hic autem in Complut. & apud Theodoretum additur*, καθὼς ἐλάλησεν, ſicut loquutus eſt. (b) Ejus.] *In iiſdem ſequitur*, καὶ ἐγένετο ὑμῖν ὁ λόγος οὗτος, & facta eſt vobis ſermo hic, *ut vulgata.* (c) *Babylonem.] *In cæteris adjungitur*, ἧκε, veni. (d) Redi.] *In Complut. & apud Theodoretum*, ἰδοὺ πᾶσα ἡ γῆ ἐνώπιόν σου. εἰς καλὸν καὶ εἰς ἀρεστὸν ἐν ὀφθαλμοῖς σου τοῦ πορευθῆναι, ἐκεῖ πορεύου, καὶ ἀνάστρεψον, Ecce omnis terra in conſpectu tuo eſt: eo quo bonum & placitum in oculis tuis ire, illuc vade, & redi. (e) Vade.] *Delendum illud*, καὶ, *quod in noſtra antecedit.* (f) Dona.] *Nonnulli*, ἑστιατορίαν, καὶ δῶρα, viaticum, & dona. (g) Commendarunt.] *Multi*, παρακατέθετο, commendavit. (h) Eorum] *In Compl. ſequitur*, καὶ τὰ νήπια, καὶ ἀπὸ τῶν πενήτων τῆς γῆς, & parvulos, & de pauperibus terræ, *ut vulg.* (i) Et venerunt.] *In eadem antecedunt hæc*, καὶ ἐστράφησαν πάντες οἱ ἰουδαῖοι ἀπὸ παντὸς τόπου, εἰς ὃν διεσπάρησαν, Et reverſi ſunt omneis Iudæi de omni loco, in quem diſperſerant ſe. (k) Beliſſa rex filius.] *Compl.* βασίλισσα βασιλέως υἱῶν ἀμμὼν, regina regis filiorum Ammon. *Atque iſtud quidem*, filiorum, *convenit cum vulgata: cætera autem valde abhorrent.* (l) Rem.] *Complut. addit*, τοῦτο, hanc. *Alii habent*, κατὰ τὸ ῥῆμά σου, juxta verbum tuum.

CAP. XLVIII.

(a) REgis.] *Hoc in vulgata, & libris cum ea convenientibus, eſt caput 41. Hic autem in Complut. additur*, καὶ ἡγούμενοι τοῦ βασιλέως, *quod vulgata*, & optimates regis. *Multa ſunt alia hujuſmodi additiones: ſed nos eas notamus, quæ ad ſententiam faciunt.* (b) Godoliam.) *In eadem ſequitur*, μαχαίρᾳ, καὶ ἐθανάτωσαν αὐτόν, gladio, & interfecerunt eum. (c) Ibi.] *In eadem ſubjungitur*, καὶ τοὺς ἄνδρας πολεμιστὰς ἐπάταξεν ἰσμαήλ, & viros bellatores percuſſit Iſmael. (d) Manna.] *Eſt vox Hebraica paululum corrupta, de qua alibi notatum eſt ex S. Hieronymo. Eam Aquila interpretatus eſt*, δῶρα, dona. *Symm.* θυσία, ſacrificium. *Compl.* δῶρον, donum. (e) Jugulavit eos in puteo.] *Non longe a vulgata. Plerique autem libri*, ἔσφαξεν αὐτοὺς, καὶ ἐνέβαλεν εἰς τὸ φρέαρ, jugulavit eos, & injecit in puteum. *Theodoretus videtur habuiſſe*, βολίσι, jaculis. *In Complut. ſubjungitur*, αὐτὸς καὶ οἱ ἄνδρες οἱ μετ' αὐτοῦ, ipſe, & viri, qui erant cum eo. (f) Quæ.] *Aliqui*, τοὺς μετ' αὐτοῦ, qui cum eo. *In Compl. autem ſequitur*, ηὐφράνθησαν, lætati ſunt: *quod agnoſcit etiam Theodoretus.* (g) Iſmael,] *In eadem additur*, υἱὸς ναθανίου ἀπὸ μασφὰ μετὰ τὸ πατάξαι αὐτὸν γοδολίαν υἱὸν ἀχικάμ, filio Nathaniæ de Maſipha, poſtquam ille percuſſerat Godoliam filium Achicam. (h) Gaberochamaa.] *Sunt dictiones hebraicæ paululum depravatæ, quæ ſignificant*, in peregrinatione Chamaan, *In quibuſdam facta eſt miſtio ex græco & hebraico*, ἐν γῇ βηρὼθ χαάμ, in terra Beroth Chaam.

CAP. XLIX.

(a) VIdent.] *Hoc in vulgata, & libris cum ea convenientibus, eſt caput 42. Hic autem Theodoretus addit*, ἡμᾶς, nos, *ut vulgata*, nos intuentur. (b) Dominus.] *In Compl. ſequitur*, ὁ θεὸς ἰσραήλ, οὗ ἀπεστάλκατέ με πρὸς αὐτὸν, ἵνα πέσῃ ἡ δέησις ὑμῶν ἔμπροσθεν αὐτοῦ, Deus Iſrael, ad quem miſiſtis me ad eum, ut cadat deprecatio veſtra ante eum. (c) Quæ feci.] *In quibuſdam, & apud Theodoretum eſt*, οἷς εἶπα ποιῆσαι, quæ dixi facere. *Sed noſtra convenit cum vulgata.* (d) Domini.] *In Compl. ſequitur*, τοῦ θεοῦ ἡμῶν, λέγοντες, μηδαμῶς, ὅτι, Dei noſtri, dicentes, Nequaquam, quia, *&c.* (e) Sic dixit Dominus.] *Eadem*, κατάλοιποι ἰούδα. οὕτως εἶπεν κύριος τῶν δυνάμεων ὁ θεὸς ἰσραήλ, reſidui Juda. Sic dixit Dominus virtutum, Deus Iſrael. (f) Fame.] *In eadem ſubjungitur*, καὶ λοιμῷ, & peſte. (g) Quia maligne.] *Eadem*, ὅτι ἐμαρτυρησάμην ὑμῖν σήμερον, ὅτι ἐπονηρεύσασθε, quia conteſtatus ſum vobis hodie, quia maligne, *&c.* (h) Faciemus.] *In eadem, & apud Theodoretum*, οὕτως ἀνάγγειλον ἡμῖν, καὶ ποιήσομεν. καὶ ἀνήγγειλα ὑμῖν, καὶ οὐκ εἰσηκούσατε, ſic annuncia nobis, & faciemus: & annunciavi vobis, & non exaudiſtis. (i) Fame.] *In Complut. additur*, καὶ ἐν λοιμῷ, & in peſte: *pro quo Theodoretus videtur habuiſſe*, θανάτῳ, morte. *Sic enim ſæpe nominatur peſtis.*

CAP. L.

(a) VIri.] *Hoc in vulgata, & libris cum ea convenientibus, eſt caput 43. Hic autem in pleriſque additur*, ὑπερήφανοι, ſuperbi. *In Compl. autem hic locus ſic habet*, οἱ ὑπερήφανοι οἱ εἰπόντες τῷ ἱερεμίᾳ, ψευδῆ σὺ λαλεῖς, ſuperbi dicentes Hieremiæ, Mendacia tu loqueris: *quæ ultima verba ſunt etiam apud Theodor.* (b) Reverterant.] *Eadem*, τοὺς ἀποστραφέντας ἐκ πάντων τῶν ἐθνῶν, ἃ διεσκορπίσθησαν ἐκεῖ, *quod vulgata*, qui reverſi fuerant de cunctis gentibus, ad quas fuerant ante diſperſi. (c) In veſtibulis.] *Schol.* Cæteri, ἐν κρυφαίῳ, in occulto. (d) Babylonis.] *Theodoretus & Compl. addunt*, τὸν δοῦλόν μου, ſervum meum. (e) Qui in On.] *Ita etiam Theodoretus: & putat idem eſſe On, & Heliopolin. Compl. habet*, τοὺς ἐν αἰγύπτῳ, qui in Ægypto. (f) Eorum.] *Theodoretus*, τῶν θεῶν αὐτῶν, Deorum eorum. *Compl.* αἰγύπτου, Deorum Ægypti.

CAP. LI.

(a) TAphnas.] *Hoc uſque ad*, Verbum, quod loquutus eſt Hieremias, *in vulgata, & libris cum ea convenientibus, eſt caput 44. Hic autem in Complut. additur*, καὶ ἐν μέμφοις, & in Memphis, *ut vulgata.* (b) Deſertæ.] *In iiſdem additur*, σήμερον, hodie. (c) Neſciebatis.] *Compl.* οὐκ ἔγνων αὐτοὶ, καὶ ὑμεῖς, καὶ οἱ πατέρες ὑμῶν, neſciebant ipſi, & vos, & patres veſtri. (d) Hanc.] *In eadem additur*, καὶ οὐκ ἐφοβήθησαν, & non timuerunt. (e) Patrum.] *Eadem*, αὐτῶν, καὶ κατὰ πρόσωπον τῶν πατέρων αὐτῶν, eorum, & ante faciem patrum eorum. (f) Dominus.] *In eadem, & apud Theodoretum, ſequitur*, τῶν δυνάμεων, ὁ θεὸς ἰσραήλ, virtutum, Deus Iſrael. (g) Ad diſperdendum omnes reſiduos, qui in Ægypto.] *Theodoretus, & Complut.* εἰς κακὸν (*aut* κακὰ) τοῦ ἀπολέσαι πάντα ἰούδα. καὶ λήψομαι τοὺς καταλοίπους ἰούδα, οἳ ἔθεντο τὸ πρόσωπον αὐτῶν τοῦ εἰσελθεῖν εἰς γῆν αἰγύπτου τοῦ κατοικῆσαι ἐκεῖ, καὶ ἐκλείψουσι πάντες ἐν γῇ αἰγύπτου, in malum ad diſperdendum omnem Judam. Et tollam reſiduos Juda, qui poſuerunt faciem ſuam ut ingrederentur in terram Ægypti ad habitandum ibi: & deficient omnes in terra Ægypti. (h) Fame.] *In eadem additur*, καὶ ἐν θανάτῳ, & in morte. (i) Facientes.] ποιοῦντες. *Sic etiam Theodoretus. Alii*, ποιοῦσαι, *ut referatur ad fœminas.* (k) Extra.] *Theodoretus*, ἐν πλατείαις, in plateis, *ut vulgata.* (l) Domini.] *In Compl. ſequitur*, πᾶσα ἰούδα, οἱ ἐν γῇ αἰγύπτου, omnis Juda, qui in terra Ægypti. (m) Mulieris.]

Mulieris.] *Eadem*, καὶ αἱ γυναῖκες ὑμῶν, & mulieres veſtræ. (*n*) Permaneat.] *Eadem, & Theodoretus addunt*, ὁ ἐμὸς, ἢ ὁ αὐτῶν, meus, an illorum. (*o*) In mala.] *Eadem*, ἐν τῷ τόπῳ τούτῳ, ἵνα γνῶτε, ὅτι ἐμμενοῦσι οἱ λόγοι μου ἐφ' ὑμᾶς εἰς κακὰ, in loco iſto, ut ſciatis, quia permanebunt ſermones mei ſuper vos in mala. (*p*) Vaphre.] *Eadem, & Theodoretus*, τὸν φαραὼ οὐαφρῆ, Pharaonem Vafre. (*q*) Verbum.] *Hac uſque ad finem in vulgata, & libris cum ea convenientibus, ſunt cap. 45.* (*r*) Evello.] *Apud Theodoretum ſequitur*, καί γε πᾶσαν τὴν γῆν ταύτην, etiam univerſam terram hanc. *Compl.* τὴν ἐμοῦ, meam.

CAP. LII.

(*a*) CUM viginti.] *Scholion, quod per errorem appoſitum eſt ad caput 26. pertinet ad hunc locum; & magna ex parte confectum eſt ex verbis Theodoreti ad finem præcedentis apud ipſum capitis, & ad hoc, quod apud omnes eſt* 52. Prophetia uſque ad hæc finem accepit. Poſt hæc enim hiſtorico magis modo proſequitur, quæ ad Sedeciam, & expugnationem Hieruſalem, & vaſa capta e templo. In quibus, ποδιστῆρας, Syrus reddidit, pelves lavandis pedibus aptas; Ipſos autem ἐπφαὼθ, (*al.* ἀπφωὼθ) aliqui dicunt eſſe obeliſcos, aliqui vero τοὺς ἀποχυτῆρας, hydrias, μεσομεραὶθ autem, Candelabra. Joacim vero vocat ipſum Jechoniam. (*b*) Lobena.] *In Complut. ſequuntur hæc, quæ videntur agnoſci etiam a Theodoreto*, καὶ ἐποίησε τὸ πονηρὸν ἐνώπιον κυρίου κατὰ πάντα, ὅσα ἐποίησε ἰωακείμ· ὅτι ὀργὴ κυρίου ἦν ἐν ἱερουσαλὴμ, καὶ ἐν ἰούδᾳ, ἕως οὗ τοῦ ἀποβαλεῖν αὐτοὺς ἀπὸ προσώπου αὐτοῦ, καὶ ἀφέστησε Σεδεκίας ἐπὶ τὸν βασιλέα βαβυλῶνος. Et fecit malum in conſpectu Domini juxta omnia, quæ fecerat Joacim: Quoniam ira Domini erat in Hieruſalem, & in Juda, uſquequo projiceret eos a facie ſua. Et receſſit Sedecias a rege Babylonis. (*c*) Nono.] *Aliqui*, δεκάτῳ, decimo, *ut vulgata.* (*d*) Quadratis.] *Videntur hæc agnoſci apud Theodoretum. In Complut. hic locus ſic habet*, καὶ παρενέβαλον ἐπ' αὐτὴν, καὶ ᾠκοδόμησαν ἐπ' αὐτὴν περίτειχος κύκλῳ, & caſtrametati ſunt ſuper eam, & ædificarunt ſuper eam circummurale in circuitu. (*e*) Sedeciæ.] *In cæteris additur*, ἐν μηνὶ τῷ τετάρτῳ, in menſe quarto. (*f*) Deblatha.] *In Complut. additur, ut etiam inferius in noſtra*, ἐν γῇ αἱμὰθ, in terra Hæmath. *Olympiodorus*, ἡμὰθ, ἡ νῦν καλουμένη ἀντιόχεια. δεβλαθὰ δὲ τὸ ταύτης προάστειον ἡ δάφνη. Emath eſt ea quæ nunc vocatur Antiochia: Deblatha autem, ſuburbanum ejus Daphne. (*g*) Et reliquos de populo.] *In Complut. eſt*, καὶ ἀπὸ τῶν πενήτων τοῦ λαοῦ, καὶ τὸ λοιπὸν τοῦ λαοῦ, καὶ τοὺς καταλειφθέντας ἐν τῇ πόλει, καὶ τοὺς ἐμπεπτωκότας, οἳ ἐνέπεσαν πρὸς τὸν βασιλέα τῆς βαβυλῶνος, καὶ τὸ περισσὸν τοῦ ὄχλου μετῆκεν ὁ ἀρχιμάγειρος. καὶ ἀπὸ τῶν πενήτων τῆς γῆς κατέλιπεν. Et de pauperibus populi, & reliquum populi, & qui remanſerant in civitate, & profugos, qui profugerant ad regem Babylonis, & reſiduum turbæ tranſtulit princeps coquorum. Et de pauperibus terræ reliquit, *&c.* (*h*) Apphoth.] *Schol.* ὑδρίας, φιάλας, θυμιατήρια, λέβητας, hydrias, phialas, thuribula, lebetes. *De his diximus ex Scholio, & Theodoreto. Nec vero mirandum, ſi non eadem omnino ſint dictiones: in hujuſmodi enim rebus magnæ ſemper ſunt varietates.* (*i*) Triginta quinque.] *Theodoretus vocat immenſæ magnitudinis. In Compl. & vulgata eſt*, decem & octo. (*k*) Giſum.] *Schol.* κεφαλίδες, capitella. (*l*) Octo malogranata cubito, duodecim cubitis.] *Pro his in Compl. eſt duntaxat*, καὶ ῥοαὶ, & malogranata. *A pleriſque codicibus vulgatæ abeſt tota hæc pars de ſecunda columna.* (*m*) Sacerdotem.] *In Compl. & ex parte in aliis eſt*, τὸν Σαραίαν τὸν ἱερέα τὸν πρῶτον, καὶ τὸν Σοφωνίαν τὸν ἱερέα τὸν δευτερεύοντα, Saraiam ſacerdotem primum & Sophoniam ſacerdotem ſecundum. (*n*) Emath.] *In Complut. ſequuntur hæc, quæ agnoſcuntur etiam apud Theodoretum*, καὶ μετετέθη ἰούδα ἀπὸ τῆς γῆς αὐτοῦ. οὗτός ἐστιν ὁ λαὸς, ὃν μετέθηκεν ναβουχοδονόσορ ἐν ἔτει ἑβδόμῳ ἰουδαίους τρεῖς χιλιάδας, καὶ εἰκοσιτρεῖς, ἐν ἔτει ὀγδόῳ καὶ δεκάτῳ ναβουχοδονόσορ, μετέθηκεν ἀπὸ ἱερουσαλὴμ ψυχὰς ὀκτακοσίας τριάκοντα δύο. ἐν ἔτει τρίτῳ καὶ εἰκοστῷ ναβουχοδονόσορ, μετέθηκεν ὁ ἀρχιμάγειρος ἰουδαίων ψυχὰς ἑπτακοσίας τεσσαρακονταπέντε. πάντες αἱ ψυχαὶ τέσσαρες χιλιάδες, καὶ ἑξακόσιαι. Et tranſlatus eſt Juda de terra ſua. Iſte eſt populus, quem tranſtulit Nabuchodonoſor in anno ſeptimo, Judæos tria millia & viginti tres. In anno octavo & decimo Nabuchodonoſor tranſtulit de Hieruſalem animas octingentas triginta duas: In anno vigeſimo tertio Nabuchodonoſor, tranſtulit princeps coquorum, Judæorũ animas ſeptingentas quadraginta quinque. Omnes animæ quatuor millia & ſexcentæ: *ut fere vulg.* (*o*) Et totondit eum.] *Hæc abſunt a multis.*

BARUCH.

CAP. I.

(*a*) MAnna.] *Theodoretus*, τὸ μάναα, vocant Hebræi, θυσίαν, ſacrificium. *De hoc alibi.* (*b*) Vagabamur.] *Idem*, Illud, ἐσχεδιάζομεν, poſuit pro, ἐπενοοῦμεν, id eſt, excogitabamus varia peccatorum genera.

CAP. II.

(*a*) FActa ſunt.] *Corrigendum eſt hic*, ἐποιήθη, *& paulo poſt, pro*, ἐποιήθη, *reponendum* ἐποίησεν. (*b*) In magnitudinem.] ἐπὶ τὸ μέγεθος. *Sunt qui interpretentur*, ſurſum aſcendit. *In vulgata eſt*, ſuper magnitudinem mali. (*c*) Qui incedit.] *Vulgata*, & incedit. *Græce eſt*, ὃ βαδίζει κύπτον· *quare videtur ſaltem ſubintelligendum, quod exprimitur apud Theodoretum*, τὸ πνεῦμα, ſpiritus, qui incedit, *&c.* (*d*) Prophetarum.] *In pleriſque additur*, λέγων, *& in vulgata*, dicens. (*e*) Opera facite.] *Corrigendum*, καὶ ἐργάσασθε: *Et ſic vulgata: in qua præcedit*, & cervicem veſtrum. *In Complut. autem, pro*, ὦμον, *eſt*, νόμον. (*f*) Deficere.] *In multis eſt*, ἔκλειψιν, defectionem, *ut etiam in vulgata. Sed in eo additur*, veſtram, *& paulo poſt*, & auferam a vobis: *ſine quibus noſtra lectio optime fluit.* (*g*) Emiſſione.] *Theodoretus*, τὴν ἀποστολὴν, appellat captivitatem: *de iſta dictione etiam alibi notatum eſt.* (*h*) Negociis.] *Corrigendum*, πραγμάτων, *Complut.* καὶ ἀπὸ πονηριῶν πραγμάτων αὐτῶν. *A vulgata videtur abfuiſſe illud*, πραγμάτων. *Sic enim habet*, & a malignitatibus ſuis.

CAP. III.

(*a*) MIſerere.] *Apud Theodoretum, & in Compl. ſequitur*, ὅτι θεὸς ἐλεήμων εἶ, καὶ ἐλέησον, *& vulg.* quia Deus es miſericors, & miſerere noſtri. (*b*) Tuam.] *Nonnulli*, κυρίου, *& vulgata*, Domini. (*c*) Et.] *Sic etiam vulgata. A nonnullis autem, & a Theodoreto abeſt iſtud*, καί. (*d*) A corde.] *Alii*, ἐπὶ καρδίαν, *& valet hic, ut & alibi notavimus*, deſuper a corde. *Vulg. vero*, quia convertimur ab iniquitate. (*) Quo.] *Corrigendum*, οὗ. (*e*) Quid.] *Iſtud*, τί, *repetitum abeſt a multis, & a vulgata.* (*f*) Facti ſunt.] *Sententia videtur poſtulare, ut legatur*, ἐγενήθη, *quomodo vulg. habet, cujus etiam auctor pro*, τῆς ὁδοῦ, *videtur habuiſſe*, τοῦ προσώπου, a facie ipſorum longe facta eſt. (*g*) Qui ſuper terram.] οἱ ἐπὶ τῆς γῆς. *A nonnullis abeſt illud*, οἱ, *a quibuſdam præterea* ἐπί. *Vulg.* quæ de terra eſt. (*h*) Et afferet eam auro electo.] *Theodor.* καὶ ἤνεγκεν αὐτὴν ὑπὲρ χρυσίου καθαροῦ, & attulit illam ſuper aurum purum: *quemadmodum vulg. niſi quod illa habet*, electum.

CAP. IV.

(*a*) COnfines.] *Sic vulgata & hic, & paulo poſt, quod græce*, αἱ πάροικοι, *iterum vero*, vicinæ. *Theodoretus ſignificare putat civitates ſubjectas ipſi Hieruſalem.* (*b*) Solam.] *Quidam*, μονογενῆ, unigenitam, *vulgata*, unicam. (*c*) Splendore ipſius Æterni.] *Sic viſum eſt vertendum*, λαμπρότητος τοῦ αἰωνίου· *nam ſæpe nomine æterni intelligit Deum. Vulgata habet*, ſplendore æterno. (*d*) Ejus.] *In nonnullis additur*, ἔσται, *& vulgata*, gaudimonium ejus erit.

CAP. V.

(*a*) SOlium.] *Alii*, υἱοὺς, *& vulgata*, filios.

LAMENTATIONES HIEREMIÆ.

CAP. I.

(*a*) LAmentationes.] *Origenes*: ἔκδοσις ἀκύλα, καὶ θεοδοτίωνος, ἐν τοῖς θρήνοις, οὐ φέρεται, μόνου δὲ Συμμάχου καὶ τῶν ο'. Editio Aq. & Theodotionis, in Threnis, non circumfertur, ſed ſolius Symmachi, & lxx. (*b*) Abductæ.] ἀγόμεναι, *quaſi tractæ. In Complut. additur*, αἰχμάλωτοι, captivæ. *Vulgata habet tantum*, ſqualidæ. (*c*) In caput.] *Symmach.* εἰς ἄρχοντας, in principes. (*d*) Ablatus.] *Complut.* ἐξῆλθε, egreſſus eſt, *ut vulgata.* (*e*) Habitatione.] *Alii*, μετοικεσίᾳ, tranſmigratione. *Vulgata*, ſabbata. (*f*) Facta eſt.] *Theodoretus*, ἐγενήθην, facta ſum, *ut vulgata.* (*g*) Qui ad vos.] οἱ πρὸς ὑμᾶς. *Multi putant etiam in Hebræo eſſe quaſi modum quendam adjurantis, quaſi dicat*, adjuro vos. *Vulgata*: O vos. *Alii interpretantur Hebraica*, non ad vos: *id eſt*, vobis grave non ſit, *quibus reſponderet Græcum, ſi eſſet*, οὐ πρὸς ὑμᾶς. (*h*) Juxta.] *Complut.* ὡς ἄλγος, *& vulgata*, ſicut dolor meus. (*i*) Humiliavit.] *Theodoretus hoc loco habuit*, ἐπεφύλλισέ μοι, vindemiavit me, *ſicut vulgata: pro quo inquit Symm. dixiſſe*, ἥψε μοι, coxit me. (*k*) In manibus.] *Apud Theodoreti interpretem locus ſic habet, (noſtri enim codices græci hoc loco non habent verba textus)* & manibus ſuis convolvit me: aggravavit jugum ſuum ſuper collum meum: & infirmata, *&c.* (*l*) Super his ego ploro.] *Hæc in Compl. ſunt poſt*, Ain: *quod reſpondet vulgatæ. Multa autem ſunt in ordine harum literarum varietates.* (*m*) Qui reducat.] *Symm.* ἀνακτώμενος, qui recreet. (*n*) Perditi.] *Symm.* ἔρημοι, deſolati. (*o*) Mandavit.] *Origenes*: Juxta Symmachum, & ſecundum aliam ſeriem, (*niſi, pro*, ἐκδοχὴν, *legendum ſit*, ἔκδοσιν, editionem) ipſorum lxx, ἐνετείλατο κύριος κύκλῳ γενέσθαι αὐτοῦ τοὺς θλίβοντας αὐτὸν, Mandavit Dominus in circuitu ejus fieri tribulantes eum. (*p*) Et non invenerunt.] *Hæc abſunt a Complut. ut a vulgata.* (*q*) Exacerbata ſum.] παρεπικράνθην· *& videtur ſatis reſpondere vulgatæ*, quoniam amaritudine plena ſum: *ſed poteſt etiam ſignificare idem atque*, παρεπίκρανα, exacerbavi, *quod eſt in multis & apud Theodoretum.* (*r*) Facti ſunt ſimiles mihi.] *Vulgata*, & fiant ſimiles mei. *In multis & apud Theodoretum eſt*, ἐγένοντό μοι, οἴμοι, οἴμοι, obtigerunt mihi, heu, heu. (*ſ*) Vindemiam fecerunt.] *Alii*, ἐπεφύλλισάν μοι, vindemiarunt me. *Theodoretus*, ἐπεφύλλισάς μοι, vindemiaſti me, *ac refert Syrum ita eſſe interpretatum*, & afflige illos, ſicut afflixiſti me.

CAP. II.

(*a*) IN die iræ ſuæ.] *Hæc in Complut. & in vulgata, & apud Theodoretum ponuntur ante Beth.* (*b*) Regem.] *Theodoretus*, βασιλέας, reges. *Alii*, βασιλείαν, regnum, *ut vulgata.* (*c*) Flammam.] *Theodoretus*,

tus, φλέγον, ardentem. (*d*) Adverſarius.] *Abeſt a pleriſque, & a vulg.* (*e*) Palatia.] *Origenes*, βάρεις, dicit domos, ſicut Sym. edidit, τὰ βασίλεια, regias. *Interdum autem in vulg. vertitur mœnia, interdum turres. De hac dictione alibi notatum.* (*f*) Humiliatam.] *Etiam in Hebræo non eſt diverſi ſexus ab eo, quod ſequitur. In quibuſdam, & apud Theodoretum eſt hoc loco,* τεταπεινωμένον, *& in vulg.* humiliatum. (*g*) Et principem.] *Hoc abeſt a Complut. & vulgata, & a Theodoreto, quantum conjici poteſt.* (*h*) Vocem] *Theodoretus addit*, πολέμου belli. (*i*) Corona.] *In quibuſdam, & ad marginem Vaticani additur*, δόξης, *& apud* S. *Ambr. in pſal.* 118. *ſerm.* 15. gloriæ. *In aliquo autem & apud Theod. additur præterea*, καλὴ εὐπρέπεια, bonus decor, *quæ videtur altera interpretatio. Vulgata habet*, perfecti decoris: *ſicut etiam* S. *Hier. eaſdem fere dictiones hebraicas pſ.* 49. *vertit*, perfecto decore: *ubi græce eſt*, ἡ εὐπρέπεια τῆς ὡραιότητος, *& latine*, ſpecies decoris. (*k*) Lætitiæ.] *In quibuſdam eſt, & apud Theodoretum*, εὐφροσύνη, *& in vulgata*, gaudium: *& apud* S. *Ambr.* & jocunditas. (*l*) Abſorbuimus.] *Reſpondet hebræo. In cæteris eſt*, καταπίωμεν, *aut*, καταπίομεν, *& in vulg.* devorabimus. (*m*) Quæ.] *In aliis eſt*, ὃ, *& vulg.* quem: *&* S. *Ambr. in pſ.* 118. *ſerm.* 16 verbum ſuum quod mandavit. *Compl.* ῥήματα αὐτοῦ, ἃ, verba ſua, quæ. (*n*) Filia.] *Sic etiam hebræus: ac ſignificatur tamen pupilla, ut habet vulg. In quibuſdam eſt*, κόρη, *quod item puellam & pupillam ſignificat.* (*o*) Occides.] *Quidam*, εἰ ἀποκτενεῖς, ſi occides: *quidam cum Theodoreto*, εἰ ἀποκτενοῦσι, ſi occident. (*p*) In via] *Alii*, εἰς γῆν ἐξόδων, in terra viarum. (*q*) Vocavit.] *Alii*, ἐκάλεσας, vocaſti, *ut vulgata.* (*r*) Diem.] *Plerique*, ὡς εἰς ἡμέραν, *& vulgata* quaſi ad diem: *præpoſitio*, ad, *abeſt etiam ab Hebræo.* (*ſ*) Parœcias meas.] *Videtur dictum, quaſi colonias meas, & oppida mea. Alii tamen accipiunt in generandi caſu*, παροικίας μου, peregrinationis meæ. *Hebræus habet*, terrores meos. (*t*) Sicut.] *Theodoreti interpres*, enutrivi, obtinui, multiplicavi: & hoſtis cuncta ſimul abſumpſit: *quæ ſatis reſpondent Hebræo.*

CAP. III.

(*a*) ÆS meum.] *Symmachus*, τὸν τοῦ τραχήλου μου ζυγὸν, colli mei jugum: *quod habet Theod. Orig.* λέγει δὲ ζυγὸν καὶ τοὺς κλοιοὺς τοὺς σιδηροῦς, οὓς ἀντὶ ξυλίνων θεοῦ κελεύσει περιεβάλετο· φέρεται γὰρ καὶ γραφή. Dicit autem jugum ipſas catenas ferreas, quas pro ligneis Dei juſſu ſibi circundabit: Circumfertur enim & ſcriptum, ἐβάρυνε τὸν χαλκὸν τοῦ τραχήλου μου, aggravavit æs colli mei. (*b*) Sagittas.] ἰούς. *Si legeretur*, υἱούς, filios, *reſponderet Hebræo: vulgata habet*, filias. (*c*) Riſus.] *Sic Hebræus, quod vulgata*, in deriſum. *Aliquot libri habent*, ἐγενήθη λόγος, facta eſt fabula. (*d*) Calculo.] *Theodoretus*: Syrus dicit, ἐν πέτρᾳ ἐστέρησέ με, in lapide privavit me. (*e*) Et periit victoria.] *Cæteri*, καὶ εἶπα, ἀπώλετο νῖκος, & dixi, periit victoria. *Notatum autem alibi eſt, nomine iſto* νῖκος, *interdum ſignificari finem: quare hic vulgata*, finis meus. *Alii tamen vocem Hebraicam interpretantur, durationem, patientiam, fortitudinem.* (*f*) Amaritudo, & fel meum in memoria erit.] *Alii*, πικρίας μου, καὶ χολῆς μου, μνείᾳ μνησθήσομαι, amaritudinis meæ, & fellis mei memoria memor ero, & recolet, *&c.* (*g*) Quia non fecit deficere me, quia non ſunt conſumptæ miſerationes ejus. Menſes in matutinis, miſerere Domine.] *Viſum eſt tranſitive accipiendum illud*, οὐκ ἐξέλιπέ με. *Verum omnia iſta abſunt a Theodoreto, & Sancto Ambroſio de obitu Valentiniani, & videntur admiſta ex aliis interpretationibus. Nam & illud* μῆνας, (*pro quo aliqui codices habent* μένας, expectans.) *ductum eſt ex eadem dictione Hebraica, ex qua illud*, καινά, *quod paulo poſt ſequitur. Dictio enim Hebraica ſignificat & menſis, & nova.* (*h*) Conſumpti non ſumus.] *Theodoretus*, οὐκ ἐξελίπομεν, non defecimus. *Complut.* ὅτι οὐκ ἐτελειώθησαν, ὅτι οὐκ ἐξέλιπον αἱ ἐλεημοσύναι αὐτοῦ· quia non ſunt conſummatæ, quia non defecerunt miſericordiæ ejus: *quæ reſpondent Chaldaico.* (*i*) Novæ in matutinis, multa eſt fides tua.] *Videtur referri ad illud* τὰ ἐλέη καινά, *quod initio eſt poſitum, id eſt*, Novæ ſunt miſericordiæ Domini in matutinis. *In codicibus Theodoreti, qui ad manus erant, ſic legitur hic locus*, ἐπληθύνθη ἡ πίστις σου εἰς τὰς πρωΐας, multiplicata eſt fides tua in matutina. *Sed Interpres ſic refert*, Renova eos velut diluculum matutinum: multiplicata eſt fides tua in matutinis. Multæ ſunt enim anguſtiæ meæ: defecit cor meum. Pars mea, *&c. Sanctus Ambroſius ibidem*, Renovabit illa, ſicut lux matutina: Multi ſunt gemitus mei, & cor meum defecit. Sors mea Dominus, dixit: Ideo ſuſcitabo eum (*k*) Bonum.] *Theodoretus*, ζήσεται, vivet. S. *Ambroſius habet tantum*, animæ quæ quærit eum: *quod reſpondet hebraico. Deinde autem, quaſi ex alio principio*, Bonum eſt ſperare in ſalutare Domini, *& interpres Theodor.* Bonum eſt ſuſtinere, & ſperare in ſalutare Domini. (*l*) Quia tulit ſuper ſe] S. *Ambr.* quia tulit jugum grave. *Notat tamen græcum non habere*, grave. *Interpres Theodoret.* quia tollit ſuper ſeipſum jugum grave: *apud quem Theodoretum etiam in noſtris codicibus ſequitur*, δώσει ἐν χώματι (*Compl.* θήσει ἐν κονιορτῷ) τὸ στόμα αὐτοῦ, εἴποτε ἦν ἐλπίς, dabit in pulvere os ſuum, ſi forte ſit ſpes, *ut fere vulgata. Addit Theodoretus, Syrum, pro*, ἐν χώματι, *dixiſſe*, ἐν γῇ, in terra. (*m*) Et ſecundum.] *Illud*, &, *abeſt a nonnullis.* (*n*) Revertemur.] *Nonnulli*, ἐπιστρέψωμεν, revertamur. (*o*) Timor] *Symm.* πτόησις, formido. (*p*) Furor.] *Cæteri*, θάμβος, ſtupor. (*q*) Oculus.] *Symm.* ὁ ὀφθαλμός μου ἐπέμεινε, καὶ οὐκ ἐπαύσατο, τοῦ μὴ εἶναι ἄνεσιν, oculus meus immoratus eſt, & non ceſſavit, eo quod non eſſet remiſſio. (*r*) Oculus meus racemabit.] *Origenes*, ὅτι κατεπόντισάν με τὰ δάκρυα, quia abſorbuerunt me lacrymæ; τῇ τῶν ἐν ὕδατι πνιγομένων μεταφορᾷ. κατὰ δὲ τοὺς ό. κατακόπτει με τὰ δάκρυα, καθάπερ ἄμπελον ἀκριβὴς τρυγητής. tralatione ducta ab iis qui in aqua ſuffocantur. At ſecundum lxx, concidunt me lacrymæ, ſicut vitem diligens vindemiator. (*ſ*) In omnes.] *Alii*, καὶ πάντας, & omnes. (*t*) Inſpice in oculos eorum] *Compl. illud*, inſpice, *conjungit cum antecedentibus, deinde habet*, ἐγὼ ψαλμὸς αὐτῶν, ego ſum pſalmus eorum, *ut vulgata.*

CAP. IV.

(*a*) DRacones.] *Symm.* Σειρῆνες, ſirenes. (*b*) Catuli eorum filias.] *In quibuſdam & apud Theodoretum eſt*, ἐθήλασαν σκύμνους αὐτῶν θυγατέρες. *Et quamvis utriuſque lectionis eadem ſententia eſſe poſſit ob ambiguitatem verbi* ἐθήλασαν, *quod ſignificare poteſt* lac dederunt, &, lac acceperunt; *tamen Theodoretus ita explanat, ut cætera referantur ad dracones, quæ lactarint catulos ſuos: Illud autem* θυγατέρες, *ad ſequentia: id eſt*, filiæ populi mei devenerunt ad id quod inſanabile eſt. (*c*) Struthio.] *Olympiodorus*: ἀποπτῆναι κατὰ τοὺς στρουθοκαμήλους μὴ δυνάμενοι, ἀλλὰ τὴν γῆν ἀεὶ διαθέοντες. τὸ γὰρ στρουθίον οὕτως ἐξέδωκε Σύμμαχος. Avolare enim more ſtruthocamelorum non poſſunt: ſed ſemper per terram diſcurrunt. Iſtud enim στρουθίον, ſic edidit Symmachus. (*d*) Quaſi repente.] *Origenes*: Symmachus illud quidem ὥσπερ ἀπεδή, edidit, ἐξαπίνης, ſubito: illud autem, οὐκ ἐπόνησαν, ἣν οὐκ ἔτρωσαν, quam non vulneraverunt. (*e*) Manibus.] *Aliqui*, χεῖρες, manus. (*f*) Super nivem.] *Origenes*, ἐκαθαριώθησαν ναζιραῖοι, ἄχραντοι ἀφωρισμένοι. τοὺς ἁγιάσαντας γάρ, φησιν, ἑαυτοὺς τῷ θεῷ, ὁ ποῖος ἦν καὶ Σαμψών. ἦσαν δὲ οὗτοι παρὰ Ἰουδαίοις ἐπιφανεῖς· διὸ τὸ μὲν καθαρὸν αὐτῶν ἀντεξήτασε χιόνι, τὸ δὲ λαμπρὸν γάλακτι. οἱ ἐκλεκτοὶ δὲ, ὃ δηλοῖ τὸ ἀπόσπασμα πολιτείαν οὐράνιον ἔχουσι, τοιοῦτον γὰρ τῆς σαπφείρου τὸ χρῶμα. τὸ δὲ ἐτυρώθησαν, οὐ διεχύθησαν, ἀλλ' ἐπάγησαν ἐν τῇ ἀρετῇ. Immaculati ſegregati. Eos enim dicit, qui ſe Deo ſanctificaverunt: qualis fuit & Sampſon. Fuerunt autem hi apud Judæos conſpicui. Quare munditiam quidem illorum comparavit nivi, (*vides Origenem eodem, ac nos, modo hæc diſtinguere*) ſplendorem autem lacti. Electi autem ipſi (quod quidem ſignificat illud, ἀπόσπασμα, exciſio) vitæ rationem cœleſtem habent. Talis enim eſt ſaphiri color. Illud autem, ἐτυρώθησαν, coagulati ſunt, hoc ſignificat, non effuſi ſunt, ſed concreverunt in ipſa virtute. *Ex quibus poſtremis verbis colligi poteſt ipſum Origenem habuiſſe* ἐτυρώθησαν, *ubi nos*, ἐπυρώθησαν, *de qua re paulo poſt. Scholion Origenis ex alio libro: Symmachus*, ἄχραντοι ἀφωρισμένοι αὐτῆς ὑπὲρ χιόνα, λαμπρότεροι γάλακτος, πυῤῥότεροι τὴν ἕξιν ὑπὲρ τὰ περίβλεπτα· σάπφειρος τὰ μέλη αὐτῶν, σκοτεινότερον ἀσβόλης τὸ εἶδος αὐτῶν. Immaculati ſegregati ejus ſuper nivem, ſplendidiores lacte, rubicundiores corpore ſuper conſpicua. Sapphirus membra eorum: Obſcurior fuligine ſpecies eorum. *Aliud Scholion ejuſdem*: Illud, ναζιραῖοι, ſignificat, ἡγιασμένοι, ſanctificati. Ita enim Symm. & Theodotio in Amos, ſanctificatos interpretati ſunt Naziræos. (*g*) Rubuerunt.] *Videtur*, ἐπυρώθησαν, *poſitum, pro*, ἐπυῤῥώθησαν: *nam quæ inflammantur, ſolent rubere: & reſpondet vulgatæ, & editioni Symmachi, de qua diximus. Apud Origenem, Nazianzenum, & alios, & in pleriſque codicibus eſt*, ἐτυρώθησαν, *& in Breviario Romano in communi martyrum tempore paſchali in reſponſorio lectionis octavæ*, & ſuper lac coagulati ſunt. *Atqui etiam in pleriſque libris hoc modo interpungitur*; mundati ſunt Naziræi ejus: ſuper nivem ſplenduerunt: ſuper lac coagulati ſunt: *& ita etiam videtur diſtinguere Maximus monachus in ſermone aſcetico. Sed apud Origenem, & cætera, ut in noſtra, & iſtud etiam*, ἐτυρώθησαν, *per ſe videtur ſtare, ſicut apud nos*, ἐπυρώθησαν. *Quod tamen non abſque ratione conjungeretur cum ſequenti dictione, hoc modo*, ἐπυρώθησαν, ὑπὲρ λίθους, (*ſic enim corrigendum*) σάπφειρος τὸ ἀπόσπασμα αὐτῶν, rubuerunt ſuper lapides: (*id eſt, ſuper gemmas*:) e ſapphiro exciſio eorum. (*h*) Coxerunt.] ἧψησαν. *Origenes videtur habuiſſe*, ἥψαντο. *Ita enim ſcribit*: Illud, ἥψαντο, ſignificat accendere, & aſſare. (*i*) Commoti ſunt.] *Theodoretus, habet*, ἦρψαν νεανίαι ἐν ταῖς ἐξόδοις, repſerunt adoleſcentes in exitibus: *& illud*, ἐξόδοις, *interpretatur*, ταῖς ἀγυιαῖς, ταῖς ῥύμαις, vicis, plateis. (*k*) Tetigerunt veſtimenta eorum] *Sunt, qui vertant*, veſtimenta ſua. *Theodoreti interpres habet*, projecti ſunt cum veſtimentis ſuis: *quibus ſane verbis reſpondet ipſa Theodoreti explanatio. Totum autem hoc quod continetur ſub littera Nun, ſic eſt a Symmacho redditum.* ἀκατάστατοι ἐγένοντο, τυφλοὶ ἐν ταῖς ἐξόδοις. ἐφύρησαν ἐν αἵματι, ὥστε μὴ δύνασθαι ἅψασθαι τῆς ἐσθῆτος αὐτῶν, inſtabiles facti ſunt, cæci in plateis; conſperſi ſunt in ſanguine, ita ut non poſſet tangi veſtimentum eorum. (*l*) Prophetarum.] *Plerique*, πρεσβύτας, ſenum, *ut vulgata.* (*m*) Venati ſumus.] *Sic etiam Theodoretus: pro quo inquit Syrum dixiſſe*, ἐθηράσαντο, venati ſunt: *quod habet Complut.* (*n*) Tempus.] *Alii*, τὸ πέρας ἡμῶν, *&* S. *Ambroſ. in pſal.* 118. *ſerm.* 19. advenit finis noſter. (*o*) Evolaverunt.] ἐξέπτησαν. *Plerique*, ἐξήφθησαν, *&* S. *Ambr. ibidem*, accenſi ſunt. (*p*) Ipſorum.] *Fortaſſe valet*, noſtris ipſorum, *nam in aliis eſt*, ἡμῶν. *Dionyſius Alexandrinus in reſponſionibus ad quæſt. Pauli Samoſatenſis, habet*, διαβολαῖς ἡμῶν, calumniis noſtris. S. *Ambroſ. ſerm.* 15. Spiritus ante faciem noſtram Chriſtus Dominus comprehenſus eſt in interitu noſtro, *&c. Schol.* Aquila dixit, πνεῦμα μυκτήρων ἡμῶν, ſpiritus narium noſtrarum. Symm. autem, πνοὴν μυκτήρων, ſpirationem narium. Amici enim Dei ſemper Chriſtum ſpirant, ob oculos ipſum habentes. (*q*) Terram.] *Apud Theodoretum, & in Complut. additur*, οὖς, Hus, *ut vulgata.* (*r*) Tranſmigrare te.] S. *Ambroſ. ſerm.* 22. te expellere adhuc.

CAP. V.

(*a*) VEnerunt ſuper collum noſtrum.] *Symm.* ζυγὸς κατὰ τοῦ τραχήλου ἡμῶν, jugum ſuper collum noſtrum. *Et in alio libro*, ξύλα ἡμῶν ἐν ἀλλάγματι ἐλάβομεν ἐπὶ τὸν τράχηλον ἡμῶν, ligna in commutatione tulimus ſuper collum noſtrum: *& Schol.* Pro, ἐλάβομεν ἐπὶ τὸν τράχηλον, Symm. dixit, ζυγὸς κατὰ τὸν τράχηλον, jugum ſuper collum. *Sed hebræo fortaſſe magis reſponderet, ſi ita diſtingueremus*, ligna noſtra in commutatione venerunt. Super collum noſtrum paſſi ſumus perſequutionem. (*b*) Ægyptus dedit manum] *Schol.* ἐξ ἀνεπιγράφων, παρέτεινεν τὰ πρὸς τὴν χρείαν ὠνουμένοις ἡ αἴγυπτος ὁμοίως καὶ ἀσσυρίων οἱ τὴν χώραν ἑαλωκυῖαν φυλάττοντες. Οὐ γὰρ ἦν ἑτέρωθεν ἐμπλησθῆναι τροφῆς. ἢ, ὅτι αἴγυπτος μὲν ἔδοξεν ἡμῖν ἐπαμῦναι. ἀσσύριοι δὲ ἁλοῦσιν ἐχορήγουν τροφήν. κατὰ δὲ σύμμαχον, τοῖς μὲν αἰγυπτίοις ἑαυτοὺς ἐξεδώκαμεν, προσδραμόντες ὡς φίλοις τοῖς ἀεὶ πολεμίοις. τοῖς δὲ ἀσσυρίοις τῷ λιμῷ πιεζόμενοι προσεδράμομεν. ex anonymis: Exhibuit ea, quæ ad uſum ementibus Ægyptus: ſimiliter etiam ex Aſſyriis, qui captam regionem cuſtodiebant. Non enim erat aliunde ſaturari alimento. Aut, quod Ægyptus quidem viſa eſt nobis auxiliari, Aſſyrii autem captis præbebant alimentum. Juxta Symmachum vero, Ægyptiis quidem nos ipſos tradidimus, accurrentes tanquam ad amicos ad ſempiternos hoſtes. Ad Aſſyrios autem fame oppreſſi accurrimus. *Quare hoc etiam loco illud*, ad ſatietatem ipſorum, *videtur valere*, ad ſatietatem noſtram ipſorum, *ut in capite præcedente.* (*c*) A facie gladii deſerti.] *Schol.* ῥομφαίαν ἐρήμου τὴν ἀπὸ τῆς ἀπαγωγῆς ταλαιπωρίαν φησί. Gladium deſerti, vocat miſeriam quæ ex abductione. *Sed non deſunt aliæ explanationes.* (*d*) Exuſta eſt, convulſæ ſunt.] ἐπελιώθη, *viſum eſt idem valere, atque*, ἐπηλιώθη, *aut*, ἐφηλιώθη. *A Complut. abeſt & illud*, convulſæ ſunt, *videri poteſt alia interpretatio.* (*e*) Mœror, mœſtum.] ὀδύνη, ὀδυνηρά. *Etiam hæc videri poſſunt duæ interpretationes; & a Compl. abeſt*, ὀδύνη. *Si ſit unica interpretatio, verti poterit*, mœror mœſtus.

EPIST-

EPISTOLA HIEREMIÆ.

CAP. I.

(*a*) Fabricata.] *Optima ſententia : ſi artifices non ſunt longævi ; quomodo erunt opera illorum ? at Dei propria eſt ſempiternitas. In cæteris additur,* εἰσὶ θεοί ; *& vulgata,* nunquid ergo poſſunt ea quæ fabricata ſunt ab ipſis, eſſe Dii ? (*b*) Suiipſorum.] *Nonnulli,* αὐτῶν, eorum. *A vulgata utrumque abeſt.* (*c*) Circumauferent.] *Alii,* περιελόμενοι, auferentes. (*d*) Formido.] *Ut vulgata, aut,* terriculamentum, *ut alii. Scholion,* προβασκάνια καὶ κεράμβηλα ἑλλήνων οἱ λόγιοι καλοῦσι ἅπνα ἱστῶσιν οἱ ἀγροφύλακες πρὸς φόβον ὀρνέων, ἢ καὶ ἀνθρώπων. ταῦτα δὲ καὶ μορμολύκεια καλοῦνται. προβασκάνια, & κεράμβηλα, qui inter græcos diſerti ſunt, vocant ea, quæ cuſtodes agrorum ſtatuunt ad timorem avium, vel etiam hominum. Hæc autem vocantur etiam, μορμολύκεια. (*e*) Spinæ.] *Complutenſ.* καὶ τῇ ἐν κήπῳ ῥάμνος, *quod non videtur cohærere : licet in vulgata ſit,* eodem modo & in horto ſpina alba.

IEZECIEL.

CAP. I.

(*a*) Auferens.] *Aut,* extollens, *inquit* S. *Hier. Nam dictio græca,* ἐξαῖρον, *poteſt utrumque ſignificare. Teſtatur autem Aquilam dixiſſe ventum turbinis ; Symmachum ac Theodotionem, flatum, ac ſpiritum tempeſtatis. Theodoretus ex Symmacho,* καταιγίζον, impetu flans. (*b*) Et ſplendor in circuitu ejus & ignis fulgurans.] *Apud* S. *Hieron. etiam in editione lxx ponuntur hæc verba alio ordine,* & ignis micans, & ſplendor in circuitu ejus. (*c*) Et in medio.] *Polychronius,* φῶς γὰρ ἐν μέσῳ αὐτοῦ, ὡς ὅρασις ἴριδος, καὶ αὕτη διειδὴς ἦν ἐν μέσῳ αὐτῶν, Lumen enim in medio ejus, quaſi viſio iridis ; & hæc perſpicua erat in medio eorum. (*d*) Et ſplendor in eo.] *Hoc Sanctus Hieron. obelo prænotat.* (*e*) Fulgurans æs.] *Apud* S. *Hier. in lxx,* quaſi fulgurantes æramentum. (*f*) Et facies eorum quatuor.] *In cæteris ſunt plura,* καὶ τὰ πρόσωπα αὐτῶν, καὶ αἱ πτέρυγες αὐτῶν τῶν τεσσάρων ἐχόμεναι ἑτέρα τῆς ἑτέρας, & facies ipſorum, & alæ ipſorum quatuor, junctæ, altera alteri. *Quæ omnia abſunt a Theodoreto.* (*g*) Et alæ.] *Apud Theodoretum hæc antecedunt,* ταῦτα τὰ πρόσωπα αὐτῶν, hæ facies ipſorum. (*h*) Fulgur.] *In cæteris hæc ſequuntur,* καὶ τὰ ζῶα ἔτρεχον, καὶ ἀνέκαμπτον ὡς εἶδος τοῦ βεζέκ, & animalia currebant, & revertebantur, quaſi ſpecies Bezec. *Quæ* S. *Hieron. teſtatur de editione Theodotionis in lxx eſſe addita. Theodoretus habet, & ad poſtrema verba ſubjungit,* Hoc autem Symm. interpretatus eſt, ὡς εἶδος ἀκτῖνος ἀστραπῆς, quaſi ſpecies radii fulguris : *quod etiam refert* S. *Hieronymus. Aliud Scholion,* Iſtud βεζὲκ, ſignificat fulgur. (*) Rotarum.] *In quibuſdam additur,* καὶ ἡ ποίησις, (*aut* ποίημα) αὐτῶν, *quod apud* S. *Hieron. in lxx,* & factura earum. (*i*) Tharſis.] *Theodor.* Juxta Symmachum vero, ὡς ὅρασις ὑακίνθου, quaſi aſpectus hyacinthi. *Id* S. *Hieron. tribuit Aquilæ. Schol.* τὸ θαρσεῖς χρυσόλιθόν φησιν ἢ ὑάκινθον. Tharſis vocat Chryſolithum, aut hyacinthum. S. *Hieron in ſua interpretatur, mare : de qua re alibi notatum.* (*k*) Una ipſis quatuor.] *Cæteri,* ἐν τοῖς τέσσαρσι, *& apud* S. *Hieron.* in quatuor. (*l*) Et opus earum.] *Ita etiam apud* S. *Hier. In quibuſdam vero libris & apud Theodoretum in explanatione hæc antecedunt,* καὶ ἡ ὅρασις αὐτῶν, & aſpectus earum. (*m*) Neque dorſa.] *Ita etiam apud Theodoretum. In Compl. eſt,* καὶ δ' οἱ νῶτοι αὐτῶν, *& apud* S. *Hieron.* & dorſa earum, (*n*) Erat eis.] *In quibuſdam libris, & apud Theodoretum adjungitur,* καὶ φοβεροὶ ἦσαν, & terribiles erant : *quod* S. *Hieron. in lxx non habet.* (*o*) Et.] *Iſtud,* καὶ, *abeſt a cæteris. In quibuſdam vero, & apud Theodoretum pro eo eſt,* ὥρμα, concitabatur. (*p*) Cryſtalli.] *Hic etiam in quibuſdam additur,* φοβερὸν, terribile. (*q*) Tegentes.] *Ita etiam Theodoretus. In aliis eſt,* συνεζευγμέναι, ἐπικαλύπτουσαι, conjunctæ, tegentes. (*r*) Dum ipſa irent.] *In multis, & apud Theodoretum eſt,* ἐν τῷ πτερύσσεσθαι αὐτά, cum ipſa alas quaterent. *Utrumque abeſt hoc loco a vulgata.* (*ſ*) Aquæ multæ.] *In nonnullis,* ὑδάτων πολλῶν, ὡς φωνὴν θεοῦ σαδαΐ, aquarum multarum, tanquam vocem Dei Sadai : *itemque apud Theodoretum, qui inquit Aquilam & Symmachum, pro Sadai poſuiſſe,* ἱκανοῦ, ſufficientis : *quod habet Compl. in quibuſdam vero exemplaribus utrumque conjungitur,* σαδαῒ ἱκανοῦ. *Poſt hæc autem in multis, & apud Theodoretum ſequitur,* ἐν τῷ πορεύεσθαι αὐτὰ φωνὴ (*al.* φωνὴν) τοῦ λόγου, ὡς φωνὴ παρεμβολῶν, cum ipſa ambularent, vox verbi, quaſi vox caſtrorum. *Iſtud quidem,* φωνὴ λόγου, S. *Hier. agnoſcit ex lxx, ac fortaſſe, pro,* θεοῦ σαδαΐ, *aut pro eo, quod ipſe habet,* ſonus multitudinis. (*t*) Caput eorum.] *In pleriſque, & apud Theodoretum hæc ſequuntur,* ἐν τῷ ἑστάναι αὐτά, ἀνίεντο αἱ πτέρυγες αὐτῶν, καὶ ὑπεράνω τοῦ στερεώματος τοῦ ὄντος ὑπὲρ κεφαλὴν αὐτῶν, cum ipſa ſtarent, demittebantur alæ eorum. Et ſuper firmamentum, quod erat ſuper caput ipſorum. (*u*) Electri.] *In cæteris, & apud Theodoretum hæc adjunguntur,* ὅρασιν ὡς πυρὸς ἔσωθεν αὐτοῦ κύκλῳ, velut aſpectum ignis intrinſecus ejus per circuitum, *ut vulgata.* (*x*) Statio.] *Cæteri & Theodoretus,* ἡ ὅρασις, viſio.

CAP. II.

(*a*) Patres eorum.] *In cæteris ſequitur,* ἠθέτησαν, (*aut* καὶ ἠθέτησαν, *ut Theodoretus*) ἐν ἐμοί, prævaricati ſunt in me. (*b*) Diem.] *In aliis hæc ſubſequuntur,* καὶ υἱοὶ σκληροπρόσωποι, καὶ στερεοκάρδιοι (*aut* θρασυκάρδιοι, *ut Theodoretus, & quidam codices*) ἐγὼ ἀποστελῶ σε πρὸς αὐτούς, & filii dura facie, & obfirmato (*al.* audaci) corde. Ego mittam te ad eos : *Quæ negat* S. *Hier. haberi in lxx.* (*c*) Dominus.] *In quibuſdam eſt,* κύριος, κύριος, Dominus, Dominus. *In quibuſdam,* κύριος ἀδωναΐ, *aut,* ἀδωναῒ κύριος, *ut apud Theodoretum. qui etiam inquit,* τὸ δὲ ἀδωναΐ, καὶ αὐτὸ τὸ κύριος σημαίνει. ἔχει δὲ καὶ σμικράν τινα ἑτέραν ἔμφασιν, *iſtud Adonai ſignificare idem ac Dominus : habere autem & aliam quandam parvam emphaſim. Vulgata,* Dominus Deus. *Eadem varietas eſt in cap. ſequenti.* (*d*) Capitulum libri.] S. *Hier.* Pro involuto libro lxx capitulum libri tranſtulerunt, *quod notat etiam Theodoretus. Schol.* κεφαλὶς δὲ βιβλίου, ἀντὶ τοῦ τόμος. οὕτω γὰρ τὸν τόμον ἑβραῖοι προσαγορεύουσι. κεφαλὶς autem βιβλίου, pro, tomus : ita enim tomum appellant hebræi. (*e*) Lamentatio.] *Origenes,* ὁ μὲν Θεοδοτίων ἀκολούθως τοῖς ό ἐξέδωκεν. ὁ δὲ Σύμμαχος οὐ πάνυ ἀπᾳδόντως, Theodotio quidem juxta lxx edidit. Symmachus autem non valde diſcrepanter, θρήνους, καὶ κατάλεγμα, καὶ μέλος πενθικόν, lamentationes, & querimoniam, & carmen lugubre. *Aquila autem inquit,* γεγραμμένον ἦν ἐπ' αὐτοῦ κτίσις, καὶ ἀντίβλησις, καὶ ἔσται, ſcriptum erat in eo, creatio, & collatio, & erit.

CAP. III.

(*a*) Profundæ linguæ.] *Plerique* βαθύχειλον, καὶ βαρύγλωσσον, *aut* καὶ βραδύγλωσσον, profundi labii, & gravis linguæ, *aut,* & tardæ linguæ. (*b*) Firmior petra.] *In quibuſdam, & apud Theodoretum eſt,* στερεώτερον πέτρας δέδωκα μέτωπόν σου, duriorem petra dedi frontem tuam. (*c*) Vidi.] *Ita etiam Theodoretus, &* S. *Hier. in comm. ex lxx. Compl. autem,* ἤκουσα, audivi, *quod* S. *Hier. inquit in hebraico ſubaudiri.* (*d*) Abii.] *In aliis, & apud Theodoretum additur,* μετέωρος, *& apud* S. *Hieron.* ſublimis. (*e*) Sublimis & circuivi.] *Pro his refert* S. *Hier. tres interpretes poſuiſſe verba hebraica, quæ ipſe interpretatus eſt,* ad acervum novarum frugum. (*f*) Converſans.] S. *Hieron. ex Theodotione,* admirans, *ex Aquilæ ſecunda editione, quam hebræi,* κατ' ἀκρίβειαν *vocant,* ἠρεμάζων, quieſcens : *ipſe autem in ſua,* mœrens. (*g*) Ei.] *In cæteris additur,* οὐδὲ ἐλάλησας, neque loquutus es. (*h*) Tormentum.] S. *Hieron. ex Theodotione,* infirmitas : *ipſe,* offendiculum. (*i*) Sicut aſpectus, &.] *Abſunt a Complut. ſed non a collatis codicibus, neque a Theodoreto.* (*k*) Colligabo.] *In quibuſdam, & apud Theodoretum additur,* τῷ λάρυγγί σου, *aut,* πρὸς τὸν λάρυγγά σου, gutturi tuo : *quæ etiam* S. *Hier. videtur agnoſcere.*

CAP. IV.

(*a*) SEcuris.] *In Compl. additur*, ἐξολοθρεύσεως, exterminationis. *Sed abeſt a Theodoreto, & collatis codicibus: &* S. Hieronymus *inquit ſolos lxx dixiſſe ſecurim pro vaſe interitus.* (*b*) Podere.] *Id eſt, veſte talari, ut interpretatur S.* Hieronym. *pro qua inquit Symmachum dixiſſe*, lineis. *Aquilam*, præcipua, *aut*, ſtola. *Theodotionem poſuiſſe ipſum verbum hebraicum, quod etiam repetit in fine capitis.* (*c*) Zona ſapphiri.] *Schol. ex Symmacho* πινακίδιον. *Sanctus* Hieronymus *ex eodem*, tabulas ſcriptoris habebat in renibus ſuis: *ex Theodotione*, κάστυ ſcribæ in manu ejus; *quod vocabulum inquit etiam Aquilæ eſſe in prima editione, in ſecunda autem* μελανοδόχον, id eſt, atramentarium Scribæ ad lumbos ejus. *Origenes*, πινακίδιον γραφέως ἔχων ἐπὶ τῆς ὀσφύος αὐτοῦ, ἵνα ὥσπερ ὑπογράφῃ τὴν ἑκάστου κρίσιν. Ἀκύλας καὶ Θεοδοτίων, κάστυ γραμματέως. οὐδὲν δὲ ἡγοῦμαι σημαίνεσθαι παρ' ἕλλησιν ἐκ τῆς κάστυ φωνῆς. τῶν δὲ ἑβραίων τις ἔλεγε, τὸ καλούμενον καλαμάριον εἶναι τὸ κάστυ, tabellam ſcriptoris habens in manu ſua, ut quaſi ſubſcribat cujuſque judicium Aquila & Theodotio, κάστυ γραμματέως. Nihil autem puto apud græcos ſignificari vocabulo κάστυ, Hebræus vero quidem dicebat, κάστυ eſſe id quod vocatur calamarium. *Idem etiam ſibi ab hebræo reſponſum eſſe narrat Sanctus* Hieronymus. (*d*) De Cherubim.] ἀπὸ τῶν χερουβίμ. *Ita etiam Theodoretus, & Sanctus* Hieronymus *videtur legiſſe in pleriſque exemplaribus. Ipſe autem poſuit numero ſingulari*, de Cherub. *In aliquot eſt*, ἐπὶ τῶν χερουβίμ, deſuper ipſo Cherubim. (*e*) Sub dio.] εἰς τὸ αἴθριον, *dixiſſe etiam Theodotionem ſcribit* S. *Hieronymus, pro eo quod ipſe tranſtulit*, limen. (*f*) Mediam Hieruſalem.] *In quibuſdam, & apud Theodoretum antecedunt hæc*, μέσην τὴν πόλιν, mediam civitatem. (*g*) Signum.] *Sanctus* Hieronymus: Pro ſigno, quod lxx, Aquila & Symm. tranſtulerunt, Theodotio ipſum verbum hebraicum poſuit Thau, quæ extrema eſt apud hebræos viginti & duarum literarum. *Origenes*, Aquila (*fortaſſe in alia editione*) & Theodotio, σημείωσις τοῦ θαῦ ἐπὶ τὰ μέτωπα, ſignum Thau ſuper frontes. ἑβραῖος δέ τις τῶν εἰς σωτῆρα πεπιστευκότων ἔλεγε, τὰ ἀρχαῖα στοιχεῖα ἐμφερὲς ἔχειν τὸ θαῦ τῷ τοῦ σταυροῦ χαρακτῆρι. καὶ προφητεύεσθαι περὶ τοῦ γινομένου ἐν χριστιανοῖς ἐπὶ τῶν μετώπων σημείου, ὅπερ ποιοῦσιν οἱ πεπιστευκότες πάντες ὁποιουοῦν προκαταρχόμενοι πράγματος, καὶ μάλιστα εὐχῶν ἢ ἁγίων ἀναγνωσμάτων. Hebræus autem quidam ex iis qui in ſalvatorem crediderunt, dicebat in antiquis elementis ipſum Thau ſimilitudinem habuiſſe characteri crucis: & prophetari de ſigno, quod inter Chriſtianos fit in fronte: quod quidem faciunt omnes, qui crediderunt, quamcunque rem ordiantur, & præſertim preces, vel ſanctas lectiones. *De hac re etiam Sanctus* Hieronymus. (*h*) A ſanctis.] *Aquila, & Th.* ἀπὸ τοῦ ναοῦ, a templo. (*i*) Vias.] *Schol.* H*ebræus*, τὰς αὐλάς, atria: *quod notat etiam Sanctus* Hieronymus. (*k*) Percuterent.] *In aliquo libro additur*, ὑπελείφθην ἐγώ, *& Theodoretus addit*, μόνος, *remanſi ego ſolus. Schol. notat hoc eſſe additum a Theodotione. Sanctus* Hieronymus *inquit id in vulgata editione ſubtractum eſſe, ſe autem ex hebraica veritate repoſuiſſe*, remanſi ego. (*l*) Populis.] *Origenes*, Pro, λαῶν, cæteri fecerunt, αἱμάτων, ſanguinem: *quod etiam innuit* S. *Hieronymus.*

CAP. X.

(*a*) VOX Dei Saddai.] *Theodoretus*: Symmachus, & Theodotio, βροντῇ θεοῦ ἱκανοῦ, tonitru Dei potentis, *vel*, fortis, *ut Sanctus* Hieronymus *interpretatur: qui addit etiam Aquilam dixiſſe.* (*b*) Extendit.] *Additur in aliis*, ὁ χερούβ, Cherub. *In quibuſdam vero aliis, & apud Theodoretum ſequitur præterea*, ἐκ τοῦ (*al* τῶν) ἀναμέσον τῶν χερουβείμ, *quod in vulgata*, de medio Cherubim. (*c*) Unum.] *In nonnullis ſequitur*, καὶ τροχὸς εἷς ἐχόμενος χερουβ ἑνός, & rota una juxta Cherub unum. (*d*) Ibant.] *In cæteris antecedit*, ὀπίσω αὐτοῦ, poſt ipſum, *quod Schol. notat eſſe additum e Theodotione.* (*e*) Et dorſa.] *Sic etiam Theodoretus. In aliquo antecedit*, καὶ πᾶσα ἡ σὰρξ αὐτῶν, *& in ſcholio*, καὶ πᾶσαι αἱ σάρκες αὐτοῦ. *Vulgata*, & omne corpus earum. (*f*) Gelgel.] *Theodoretus inquit ſignificare vim cognitionis. Sanctus* Hieronymus *refert Symmachum dixiſſe*, volubiles, *Aquilam vero*, rotam. (*g*) Me] *In aliis (quamvis cum aliqua varietate) ſequuntur hæc*, καὶ τέσσαρα πρόσωπα εἶχεν ἕκαστον τῶν ζώων, τὸ πρόσωπον τὸ ἓν πρόσωπον χερούβ, καὶ τὸ πρόσωπον τὸ δεύτερον, πρόσωπον ἀνθρώπου καὶ τὸ τρίτον πρόσωπον λέοντος, καὶ τὸ τέταρτον πρόσωπον ἀετοῦ. Et quatuor facies habebat unumquodque animalium: facies una facies Cherub, & facies ſecunda facies hominis & facies tertia leonis, & facies quarta aquilæ. *Quæ ſcribit Sanctus* Hieronymus *in lxx non haberi, ſed de hebraico eſſe addita. Legenda autem, quæ & ab ipſo, & a Theodoreto de hac a priore imaginis diſſimilitudine afferuntur.* (*h*) Eorum.] *In aliis additur, licet cum aliqua varietate*, καίγε αὐτοὶ ἐπερχόμενα αὐτῶν, etiam ipſæ juxta illa. (*i*) De domo.] *In aliis eſt*, ἀπὸ τοῦ αἰθρίου τοῦ οἴκου, de ſub dio domus. (*k*) E regione.] *Ita hic in omnibus collatis libris: quamvis ſupra cap.* 8. *ſimili loco in quibuſdam additum ſit*, ἀνατολῶν, *& hic etiam vulgata noſtra*, Orientalis. (*l*) Octo.] *Cæteri*, τέσσαρες, quatuor. (*m*) Chobar.] *In aliis adjungitur*, τὴν ὅρασιν αὐτῶν, aſpectum eorum.

CAP. XI.

(*a*) EArum.] *In aliis eſt*, αὐτῆς, ejus. (*b*) Montibus] *Sic etiam habent codices Theodoreti, quod ipſe in explanatione* extra urbem. *Complut. vero*, ἐπὶ τῶν ὁρίων, in finibus, *ut vulgata.* (*c*) Dominus] *In cæteris hæc ſequuntur*, αὕτη ὑμῖν οὐκ ἔσται εἰς λέβητα, καὶ ὑμεῖς οὐ μὴ γένησθε ἐν μέσῳ αὐτῆς εἰς κρέα, ἐπὶ τῶν ὀρέων (*rurſus Complut.* ὁρίων) τοῦ ἰσραὴλ κρινῶ ὑμᾶς καὶ ἐπιγνώσεσθε, ὅτι ἐγὼ κύριος, hæc non erit vobis in lebetem: & vos non eritis in medio ejus in carnes. In montibus Iſrael judicabo vos: & ſcietis, quia ego Dominus. *In nonnullis vero, & apud Theodoretum hæc præterea ſubtexuntur*, ὅτι ἐν τοῖς δικαιώμασί μου οὐκ ἐπορεύθητε, καὶ τὰ κρίματά μου οὐκ ἐποιήσατε. ἀλλ' οὐδὲ κατὰ τὰ κρίματα τῶν ἐθνῶν τῶν περικύκλῳ ὑμῶν οὐκ ἐποιήσατε, quia in juſtificationibus meis non ambulaſtis, & judicia mea non feciſtis: ſed neque juxta judicia gentium, quæ in circuitu veſtro ſunt, feciſtis. *Quæ teſtatur* S. *Hier. in lxx non haberi, ſed de hebræo eſſe addita: habet autem ipſe ſine negatione*, ſed juxta judicia gentium. (*d*) Quomodo.] *Iſtud* ὡς, *abeſt ab aliquo.* (*e*) Super ea, deſuper ea.] *Hæc repetitio abeſt a Compl. eſt tamen etiam in Theodoreto, & reſpondet hebraico.*

CAP. XII.

(*a*) IN medio iniquitatum eorum.] *Hæc eſſe ex lxx, teſtatur Sanctus* Hieronymus: *pro quibus ipſe habet*, in medio domus exaſperantis, *& in aliquo codice, & apud Theodoretum eſt*, ἐν μέσῳ οἴκου παραπικραίνοντος. (*b*) Exaſperans.] *Theodoretus ex Symmacho*, προσερειστής, contentioſa. (*c*) Captivitatis.] *Additur in multis*, καὶ αἰχμαλωτεύθητι, & captivare, *ut apud Sanctum* Hieronymum. (*d*) Captivitatis.] *In aliquo, & apud Theodoretum*, ὡς σκεύη αἰχμαλωσίας, *& apud Sanctum Hieronymum*, ſicut vaſa captivitatis. (*) Parietem.] *Additur in aliis*, χειρί, *& apud S. Hieronymum*, manu. (*e*) Princeps, & dux.] *Cæteri*, τῷ ἄρχοντι, καὶ τῷ ἀφηγουμένῳ, principi, & duci. (*f*) Parabola.] *Sic teſtatur Sanctus* Hieronymus *omnes alios interpretes tranſtuliſſe, præter Symmachum, qui dixit*, proverbium. (*g*) Periit.] *Sanctus* Hieronymus, *ex Symmacho*, διαπνευσθήσεται, id eſt, in ventum & auram tenuem diſſolvetur. (*h*) Quæ ad gratiam.] *Idem ex cæteris lubricum.*

CAP. XIII.

(*a*) SIcut vulpes.] *Theodoretus*, Hæc Symmachus manifeſtius eſt interpretatus, ὡς ἀλώπεκες ἐν ἐρειπίοις οἱ προφῆταί σου ἰσραήλ, οὐκ ἀνέβητε εἰς τὰς διακοπάς, οὐδὲ περιεφράξατε φραγμὸν περὶ τοὺς υἱοὺς ἰσραήλ, ὥστε στῆναι ὡς (*iſtud* ὡς *abeſt ab aliquo, ut etiam a vulgata noſtra*) ἐν πολέμῳ ἐν ἡμέρᾳ κυρίου, ſicut vulpes in parietinis, prophetæ tui Iſrael: non aſcendiſtis ad interciſiones, neque obſepiviſtis ſepem circa filios Iſrael, ad ſtandum tanquam in prælio, in die Domini. (*b*) Et congregaverunt.] *Sic etiam apud*

Sanctum Hieronymum. In aliquot libris, & apud Theodoretum eſt, ϗ οὐ ϛυνήγαγον ποίμνιον, & non congregaverunt gregem. *Utraque lectio explanatur in commentariis græcis.* (*c*) Non reſurrexerunt.] *Sic etiam apud Sanctum Hieronymum. In aliis additur, itemque apud Theodoretum*, ἐν πολέμῳ, *aut*, ὡς ἐν πολέμῳ, tanquam in prælio. (*d*) Eſtis.] *In cæteris hæc ſequuntur*, ϗ ἐλέγετε, φησὶ κύριος, ϗ ἐγὼ οὐκ ἐλάλησα, *& apud* S. *Hieronymum in contextu vulgatæ antiquæ*, & dicebatis, dicit Dominus ; & ego non ſum loquutus : *quæ idem in comment. teſtatur in lxx non haberi.* (*e*) Diſciplina.] Sive in correptione, *inquit Sanctus Hieronymus, pro eo quod ipſe vertit, in concilio, & Symmachus*, ἐν ὁμιλίᾳ. (*f*) Parietem.] *In aliquo, & apud Theodoretum additur*, ὡς ϛερεὸν, ut ſolidum : *quod neque apud Sanctum Hieronymum eſt.* (*g*) Cadet.] *Sic etiam Theodoretus : alii*, εἰ πεσεῖται, ſi cadet. *Apud Sanctum Hieronymum pro hoc eſt*, ſtultitia : *quomodo inquit lxx & Theodotionem vertiſſe, pro eo quod Symmachus dixit*, ſine temperamento, *Aquila*, ἄναλος, abſque ſale. *In Complutenſi eſt utrumque*, ἀφροσύνη, πεσεῖται. *Schol.* Hebræus habet, χρίουσι τὸν τοῖχον πηλῷ ἄνευ ἀχύρων, linunt parietem luto abſque paleis, *quomodo fere vulgata noſtra.* (*) Magnos.] *Ita apud Sanctum Hieronymum, quod græce*, πετροβόλους. *Magni enim ſunt, qui machinis jaciuntur.* (*c*) Væ his.] *Theodor.* Hoc Symmachus apertius eſt interpretatus, οὐαὶ ταῖς συῤῥαπτούσαις ὑπαγκώνια ὑπὸ πάντα ἀγκῶνα χειρὸς, ϗ ποιούσαις ὑπαυχένια πρὸς κεφαλῆς πάσης ἡλικίας εἰς τὸ θηρεύειν ψυχάς. Væ conſuentibus pulvinos ſub omni cubito manus, & facientibus cervicalia ad caput omnis ætatis ad venandum animas. (*i*) Pervertebatis.] *Theodoretus, ex Aquila*, ἐχειμάζετε, fluctuare faciebatis. (*k*) Juſti.] *In pleriſque additur*, ἀδίκως, *& apud Sanctum Hieronymum*, inique.

CAP. XIV.

(*a*) VIRI.] *Delendum eſt in græco illud* λαοῦ. *In multis autem codicibus eſt*, ἄνδρες ἐκ (*aut*, ἀπὸ) πρεσβυτέρων τοῦ ἰσραὴλ, *& apud S. Hier. in vulgata antiqua*, viri de ſenioribus Iſrael. (*) Viri iſti.] *Theodoretus* : Apertius hoc Aquila eſt interpretatus, οἱ ἄνδρες οὗτοι ἀνήνεγκαν τὰ εἴδωλα αὐτῶν ἐπὶ καρδίας αὐτῶν, ϗ σκάνδαλον ἀνομίας αὐτῶν ἔδωκαν ἀπέναντι τοῦ προσώπου αὐτῶν, viri iſti dedicarunt idola in corde ſuo, & ſcandalum iniquitatis ſuæ poſuerunt contra faciem ſuam. (*b*) Ad prophetam.] *Sic omnes collati codices, & Theodoretus. Apud S. Hier. in vulgata antiqua additur, ut paulo inferius etiam in noſtra*, ut interroget eum in me. (*c*) Averteret.] *Ita etiam Theodoretus. In multis eſt*, πλαγιάσωσι, averterent : *ſed S. Hieron. videtur legiſſe* πλαγιάσω, *ita enim in vulgata antiqua*, ut averterem : *niſi ſi mendum in eo eſt.* (*d*) Veſtras.] *Sic etiam Theodoretus, & reſpondet vulgatæ. In aliis additur*, πρός με, *& apud* S. *Hier. in vulgata antiqua*, ad me. (*e*) Deſertum.] *Sic etiam apud* S. *Hier. & Theodoretum, in nonnullis eſt*, σημεῖον, *quod vulgata noſtra*, exemplum : *& videtur ex alia tralatione.* (*f*) Errare fecerit.] *Cæteri*, πλανηθῇ, *& apud S. Hier.* erraverit. (*g*) Fuerit.] *In quibuſdam additur*, λόγον, *& apud S. Hier.* verbum. (*h*) Et juxta iniquitatem.] *Nonnulli, ac Theodoretus*, ὡσαύτως ϗ τὸ ἀδίκημα τοῦ προφήτου ἔσται, *& apud* S. *Hier.* & iniquitas ſimiliter prophetæ erit. (*i*) Dominus, ſi filii aut filiæ relinquentur.] *In aliquo eſt*, ἀδωναῒ κύριος, ἐὰν υἱοὺς αὐτῶν ἢ θυγατέρας αὐτῶν ἐξέλωνται, Adonai Dominus, ſi filios ſuos aut filias ſuas liberabunt.

CAP. XV

(*a*) TAntum data eſt.] *Ita etiam Theodoretus. Alii*, πάρεξ ὃ πυρὶ δέδοται, præter id quod datum eſt igni. *In Compl. eſt*, ἰδοὺ πυρὶ δέδοται, ecce igni datum eſt, *ut vulgata noſtra.* (*b*) Annuam purgationem ex ea.] S. *Hier. ex lxx* ejus : *pro quo inquit Aquilam dixiſſe*, duo noviſſima ejus, *Symmachum & Theodotionem*, duas ſummitates ejus. (*c*) Dimittit.] *Sic S. Hier. ex lxx, quod græce*, ἐκλείπει, *id eſt*, deficere facit, *aut*, deficit.

CAP. XVI.

(*a*) INiquitates ſuas, & dices : Hæc dicit Dominus ad Hieruſalem.] *Hæc in græca noſtra editione per errorem erant repetita.* (*b*) Non ligaviſti mammillas tuas.] *In multis eſt*, οὐκ ἔδησαν, *& apud* S. *Hier.* non ligaverunt. *Pro his autem in aliquot codicibus, & apud Theodoretum*, οὐκ ἐτμήθη ὀμφαλός σου, non eſt præciſſus umbilicus tuus. *In multis utrumque ponitur : & apud* S. *Hieron. in contextu vulgatæ antiquæ. Sed in comm. noſtra ſolum agnoſcit ex lxx.* (*c*) Lota.] *In quibuſdam, & apud Theodoretum additur*, εἰς σωτηρίαν, *& apud S. Hieron. in utraque editione*, in ſalutem. (*d*) Meus.] *Ita etiam Theodoretus, ſed multi* σου, *& S. Hieron. etiam in comm. tribuit lxx*, oculus tuus:*in hebraico eſt tantum*, oculus. (*e*) In ſanguine.] *Schol.* hebræus habet, ἐν ὑγρασίᾳ in humore, ὑγρασίαν, vocans circumjacentem ichorem. (*f*) Tempus divertentium.] *Schol. ex Theodoreto*, Hebr. καιρὸς τοῦ διαπαρθενευθῆναί σε, tempus ut ex virginibus excedas. *S. Hier. ex Aquilæ interpretatione ſecunda*, συναλλαγῆς, ſponſalium videlicet, & temporis nuptiarum, *ex prima ejuſdem, & Theodotione*, μαϛῶν, uberum, *ex Symmacho*, ἀγάπης, dilectionis. (*g*) Hyacintho.] *Idem refert* S. *Hier. etiam ex Theodotione, pro quo Aquila & Symmachus dixerint ianthina.* (*h*) Trichapto.] *Theodoretus*, plexus eſt hic e capillis factus, qui capitibus mulierum circumponitur. *Origenes*, τριχαπτὸν, alii interpretes verterunt, ἄνθιμον ϗ ἐπένδυμα. S. *Hier.* floridum, *tribuit Aquilæ* (ſive, *inquit*, palpabile) *Symmacho autem*, indumentum. *Nam Theodotio dictionem hebraicam retinuit. Aliud Schol.* (*in quo fortaſſe plures explicationes ſunt conjunctæ,*) πλέξις ἡ τινι αἱ τρίχες συμπλέκονται· τριχαπτὸν δὲ λέγει τὸ ἀπὸ χρυσοῦ κατεσκευασμένον· ἵνα εἴπῃ ἀπὸ χρυσονήματος. λέγει δὲ τὴν ἐκ χρυσοῦ διάζωδον ἐσθῆτα. Plexus quo capilli complicantur, tricaptum autem dicit, quod ex auro fabrefactum eſt : quaſi dixerit, ἀπὸ χρυσονήματος, ex aureo texto. Dicit autem veſtem ex auro, διάζωδον, quaſi animalium figuris intertextam. *Sed legendus S. Hier. qui hoc nomen a lxx factum putat* (*quamvis fortaſſe vetuſtius ſit*) *& pro eo ipſe ponit*, ſubtilibus. *Paulo autem inferius polymitum dixit, imitatus Symmachum, qui eo loco ita dixerat, cum cæteri interpretes eodem modo, atque hic.* (*) Valde.] *In quibuſdam, & apud Theodoretum repetitur*, σφόδρα, *aut*, σφοδρῶς, *& in vulgata noſtra*, valde nimis. *In iiſdem vero additur præterea*, καὶ κατηυθύνθης εἰς βασιλείαν· & profeciſti in regnum : *quæ teſtatur S. Hieron. a lxx eſſe omiſſa, & cauſam affert.* (*i*) In decore, in pulchritudine.] *Apud Theodoretum & in uno codice eſt tantum*, ἐν εὐπρεπείᾳ, *apud* S. *Hier.* in pulchritudine : *quare duæ interpretationes videri poſſunt. Compl.* ἐν εὐπρεπείᾳ ὡραιότητος, in decore pulchritudinis. (*k*) Tranſeuntem.] *In multis ſequitur*, οὗ οὐκ ἔσται, cujus non erit. *In aliquo*, αὐτῷ ἐγίνετο, ipſi fiebat. *In quibuſdam*, αὐτῷ ἐγίνετο, ὃ οὐκ (*Theodoretus*, ϗ οὐκ) ἔσται, ipſi fiebat : quod non erit. *Vulgata noſtra*, ut ejus fieres. (*l*) Idola.] *Legendæ varietates ex cæteris interpretibus apud* S. *Hieronymum.* (*m*) Cibavi.] *Eſt hebraiſmus : & ſubintelligitur illud, quod in quibuſdam eſt additum*, ἃ, quibus. (*n*) Factum eſt.] *In multis ſequitur*, μετὰ ταῦτα, *& apud* S. *Hier.* poſt hæc. (*o*) Expiando.] ἐν τῷ ἀποτροπιάζεσθαί σε αὐτὰ αὐτοῖς. S. *Hier. in contextu antiquæ habet*, cum offerres illis; *in ſua*, conſecrans eis ; pro quo (*inquit*) lxx tranſtulerunt, & dediſti eos ad placandum, ſive expiandum : Aquila, & Symm. & Th. poſuerunt, tranſtuliſti, & tranſduxiſti eos : quia ethnici per ignem filios ſuos vel transferunt parvulos, vel adultos tranſire compellunt. *Compl.* ἐν τῷ ἁγιάζεσθαί σε αὐτὰ αὐτοῖς, in ſanctificando te illos eis. (*o*) Tuam.] *In multis additur*, ϗ τὰ βδελύγματά σου, *& apud* S. *Hier.* & abominationes tuas. (*p*) Infantiæ.] *Alii*, τῆς ἡμέρας τῆς νηπιότητος, *& apud* S. *Hier.* diei infantiæ, *itemque inferius.* (*r*) Tuas.] *In cæteris, & apud Theodoretum ſequitur* οὐαὶ, οὐαί σοι, *& apud* S. *Hier. in contextu antiquæ*, væ, væ tibi : *qui tamen in comment. inquit id in vulgata non haberi, ſed de Theodotionis editione additum eſſe.* (*ſ*) Habitaculum fornicationis.] *Sive*, fornicarium : *pro quo refert* S. *Hier. Symmachum, & Theodotionem dixiſſe*, πορνεῖον, lupanar, *Aquilam*, βόθυνον, foveam. (*t*) Proſtitutionem.] *Aut*, proſtibulum : *ut* S. *Hieron. in ſua : quod quidem*, ἔκθεμα, *inquit cæteros tres interpretatos eſſe*, excelſum, ſive ſublime. *Polychronius*, ἔκθεμα dicit, προαγώγιον, ubi meretrices alere conſueverunt. (*u*) Lupanaria.] *Ita etiam Theodoretus. Compl.* τὰς πορνείας σου *& apud S. Hieron.* fornicationes tuas. (*x*) Cum filiis.] *Ita apud* S. Hieronymum *in utraque. Sed ſunt, qui illud*, ἐπὶ τοὺς υἱοὺς, *interpretentur*, ſupra filios. (*y*) Si autem extendero.] *Ita etiam apud* S. *Hier. In quibuſdam, & apud Theodoretum eſt*, ϗ ἰδοὺ ἐκτενῶ, *vel*, ἐκτείνω, Et ecce extendam, *vel*, extendo. (*z*) Declinantes te de via tua, qua impie egiſti.] *Ab aliquo, & Theodoreto abeſt illud*, te : *ut hoc illis laudi aſcribatur.* S. *Hieron. in antiqua accipit illud*, ἐκκλινούσας, *tranſitive, ut aiunt*, quæ te declinare fecerunt de via tua. *Ac deinde, quaſi ex novo initio addit*: Impie egiſti, & fornicata es, *&c. atque ita lxx. conſtruxiſſe admonet etiam in comm. Et ab aliquo libro abeſt illud*, ἧς, *ac tantum eſt*, ἠσέβησας. (*w*) Super filias.] *In quibuſdam libris, & apud Theodoretum eſt*, ἐπὶ τοὺς υἱοὺς, *& apud* S. *Hier.* in filios. (*aa*) Teſtamenta tua.] *Ita apud* S. *Hier. Plerique vero*, τὰς πορνείας σου, fornicationes tuas. *Theodoretus*, τὰ πορνεῖα, lupanaria. (*b*) Chaldæorum.] *In multis eſt*, χαναὰν, ϗ χαλδαίων, *aut*, ϗ εἰς τοὺς χαλδαίους, *apud* S. *H.* Chanaan & Chaldæorum. (*c*) Quomodo diſponam filiam tuam.] *Alii*, τὰς θυγατέρας σου, filias tuas. *Compl.* τί ποιήσω τῇ καρδίᾳ σου λέγει ἀδωναῒ κύριος; *& apud Sanctum Hieron.* Quid faciam cordi tuo, dicit Adonai Dominus ? *Nonnulli, & Theodor.* τίνι καθαριῶ τὴν καρδίαν σου λέγει ἀδωναῒ κύριος; *& vulg. noſtra*, quo mundabo cor tuum, ait Dominus Deus? (*d*) Fornicariæ.] *In aliquo, & apud Th. additur*, παῤῥησιαζομένης, *& apud Sanctum Hieronymum*, & impudentis. (*e*) Baſim.] *In aliquo eſt* τὸ ἔκθεμα, *itemque apud Theodoretum.* (*f*) Facta es.] *Nonnulli, & Theodoretus*, ϗ οὐκ ἐγίνου, *& Sanctus Hieronymus etiam in comm. ex lxx*, & non fuiſti. (*g*) Similis tui.] *Hoc inquit Sanctus Hier. a lxx eſſe additum. In uno codice, & apud Theodoretum plura leguntur, quæ ex variis interpretationibus videntur coagmentata*, ὑπὸ τὸν ἄνδρα ἑαυτῆς εἰς ἀλλοτρίους ὁμοία σοι, ἡ παρὰ τοῦ ἀνδρὸς αὐτῆς λαμβάνουσα μισθώματα, ϗ πᾶσιν τοῖς ἐκπορνεύουσιν εἰς αὐτὴν προσδιδοῦσα (*al.* προδιδοῦσα) μισθώματα· πάσαις πόρναις δίδοται μισθώματα, σὺ δὲ προσέδωκας μισθώματα, quæ ſub viro ſuo ad alienos ſimilis tibi : quæ a viro ſuo accipit mercedes, & omnibus fornicantibus in ipſam addit (*al.* prodit) mercedes. Omnibus meretricibus dantur mercedes. Tu autem addidiſti mercedes, *&c.* (*h*) Tecum.] *Alii*, μετὰ σὲ οὐ, *& apud Sanctum Hieronymum*, & poſt te non. *In aliquo etiam, & apud Theodoretum eſt*, ϗ μετὰ σὲ οὐ πορνεύσουσιν, (*al.* οὐ πορνεύουσιν) & poſt te non fornicabuntur. (*i*) Supercongrego.] ἐπισυνάγω, *& ſatis reſpondet hebræo. Alii*, ἐπὶ σὲ συνάγω, *apud Sanctum Hieronymum*, ſuper te congregabo (*k*) Adulteræ.] *In multis ſequitur*, ϗ ἐκχεούσης αἷμα, & effundentis ſanguinem. *In quibuſdam, & apud Theodoretum eſt*, μοιχαλίδων, ϗ ἐκχεουσῶν αἷμα, *& apud Sanctum Hieronymum*, adulterarum, & effundentium ſanguinem. (*l*) Non dabo.] *In quibuſdam, & apud Theodoretum eſt*, οὐ μὴ δῷς, *aut*, προσδῷς, non dabis. (*m*) Et ſic feciſti impietatem.] *Aut*, iniquitatem, *ut apud Sanctum Hieronymum. In aliquot vero codicibus, & apud Theodoretum*, ϗ οὕτως οὐκ ἐποίησα κατὰ πᾶσαν τὴν ἀσέβειάν σου, *quod reſpondet vulgatæ noſtræ*, & non feci juxta ſcelera tua, *&c.* (*n*) Filia.] *Reponendum eſt iſtud*, θυγάτηρ, *quod a Typographo eſt omiſſum.* (*o*) Sorores.] *Sic legiſſe Sanctum Hieronymum in lxx patet ex iis quæ ſcribit in comm. In quibuſdam tamen libris, & apud Theodoretum eſt*, ἀδελφὴ, ſoror. (*p*) Veſtra.] *Corrigendum in noſtra*, αὐτῆς, *ut habet Vaticanus, & ita apud Sanctum Hieronymum.* (*q*) Sodoma.] *In aliis additur*, ἡ ἀδελφή σου, *& apud Sanctum Hieronymum*, ſoror tua. (*r*) Vidi.] *Sic Chaldæus, & alii interpretantur ex hebraico. Multi tamen iſtud* εἶδον, *vertunt*, viderunt. *Apud Sanctum Hieronymum, in utraque eſt*, vidiſti. (*ſ*) Convertam.] *Sic apud Sanctum Hieronymum. Sed Theodoretus accipit, pro*, avertam, & averſabor averſionem earum. *Utrumque habet bonam ſententiam recte perceptum.* (*t*) A principio.] *Ita etiam Theodoretus. In pleriſque autem ſequitur*, ϗ σαμάρεια, ϗ αἱ θυγατέρες αὐτῆς ἀποκαταϛαθήσονται καθὼς ἦσαν τὸ ἀπ' ἀρχῆς, *& apud Sanctum Hieronymum*, & Samaria, & filiæ ejus reſtituentur, ſicut fuerunt a principio. (*u*) Et niſi fuiſſet.] *Theodoretus ad finem hujus clauſulæ putat ſupplendum*, τί πλέον ἂν εἰργάσω κακόν ; quidnam amplius mali perpetraſſes ? *Apud Sanctum Hieronymum nonnulla adduntur in medio. Idem vero & aliorum interpretum affert interpretationes.* (*x*) Portaſti.] *Plerique, & Theodoretus*, κόμισαι, porta. *S Hier. hoc tribuit lxx, illud Aquilæ, & Theodotioni : Symmacho autem*, portatura es. (*y*) Receperis.] *Sic etiam apud* S. *Hier. & Theodoretum. Quidam vero libri habent*, ἐν τῷ ἀναλαμβάνειν με, dum ego recipiam.

CAP.

CAP. XVII.

(*a*) PLantationem.] *Ita apud S. Hier. ex antiqua. In quibuſdam, & apud Theodoretum hæc antecedunt,* σπόριμον λαβεῖν ῥίζωσιν, ſativo, ut acciperet radicationem. (*b*) Ut reſpiceretur.] *Sic apud S. Hieron. quod græce,* ἐπιβλεπόμενον, *id eſt, ut extare, atque ſub aſpectum caderet, minime autem in ſublime ſe attolleret.* (*c*) Ut ipſa extare faceret ramos ſuos ſuper illum.] *Nimirum campum. Hæc videtur poſſe eſſe ſententia, & quidem eadem cum præcedenti, iſtorum verborum,* τοῦ ἐπιφαίνεσθαι αὐτὴν τὰ κλήματα αὐτῆς ἐπ' αὐτό. *In multis eſt,* τοῦ ἐπιφαίνεσθαι τὰ κλήματα αὐτῆς ἐπ' αὐτήν, ut reſpicerent rami ejus ad eam, *id eſt, non longe diſcederent: quod optime reſpondet verſioni S. Hieronymi, qui in antiqua ſic habet,* ut tantum apparerent rami ejus ſub ea. (*d*) Dic: Cum venerit.] *In quibuſdam, & apud Theodoretum eſt,* εἰπὲ (*al.* εἶπον) αὐτοῖς, ἰδοὺ ἔρχεται, Dic eis: Ecce venit. *Illud,* eis, *neque in vulgata noſtra eſt.* (*e*) Ad ſe.] *Corrigendum eſt,* πρὸς ἑαυτὸν, *quod error Typographi fecit,* αὐτοὺς· *quo modo tamen eſt in aliquot libris.* (*f*) Ubi rex.] *Videtur omnino ſubintelligendum illud,* οὗ, *quod in multis exprimitur. In aliis vero quibuſdam, & apud Theodoretum eſt,* ἐν τῷ τόπῳ τοῦ βασιλέως τοῦ βασιλεύσαντος αὐτὸν, in loco regis, qui regnare ipſum fecerat. (*g*) Dedi manum ejus.] *In cæteris eſt,* δέδωκε, *& in vulgata noſtra,* dedit manum ſuam. (*h*) Rete.] *In multis additur,* μου, meum. (*i*) Circunſtrictione ejus] *Hoc videtur ſignificare,* ἐν τῇ περιοχῇ αὐτοῦ, in conſtrictione retis. *In aliis autem, & apud Theodoretum ſequuntur hæc,* ϗ ἄξω αὐτὸν εἰς Βαβυλῶνα, ϗ διακριθήσομαι ἐκεῖ μετ' αὐτοῦ τὴν ἀδικίαν (*al.* περὶ τῆς ἀδικίας) αὐτοῦ, ἣν (*al.* ἧς) ἠδίκησεν ἐπ' ἐμοὶ, ϗ πάσας τὰς φυγαδείας (*al.* ἐν ἐμοὶ ἐν πάσαις ταῖς φυγαδείαις) αὐτοῦ. ϗ πάντες οἱ ἐκλεκτοὶ αὐτοῦ σὺν πάσαις ταῖς παρατάξεσιν αὐτοῦ ἐν ῥομφαίᾳ, *&c.* Et adducam eum in Babylonem, & diſceptabo ibi cum eo de injuſtitia ejus, qua injuſte egit ſuper me, & de omnibus profugiis (*al.* in me in omnibus profugiis) ſuis. Et omnes electi ejus cum omnibus aciebus ejus in gladio, *&c. Compl. habet,* ἐν πάσαις ταῖς φυγάσιν αὐτοῦ, *& fortaſſe rectius legeretur,* ἐν πᾶσι τοῖς, in omnibus profugis ejus: *quod quidem, &* οἱ ἐκλεκτοὶ αὐτοῦ, *videri poſſunt duæ interpretationes. Vulgata habet tantum,* & omnes profugi ejus. (*k*) Cedri.] *In nonnullis, & apud Theodoretum eſt,* τῆς ὑψηλῆς ἐκ κορυφῆς, excelſæ de vertice: *ac deinde ſequitur,* ϗ δώσω ἀπὸ κεφαλῆς παραφυάδων αὐτῆς. & dabo de capite ramorum ejus: *quæ S. Hier. admonet de Theodotione eſſe addita.* (*l*) De corde eorum.] καρδίας. *Sed videtur ſubintelligi,* ἐκ, *quod in quibuſdam exprimitur, & ita apud S. Hier. in aliquo autem, itemque apud Theodoretum eſt,* ἐκ καρδίας κορυφῆς αὐτῆς, de corde verticis ejus. (*m*) Rami ejus reſtituentur.] *Hoc S. Hier. obelo prænotavit, quia in hebraico non habetur.*

CAP XVIII.

(*a*) OBſtupuerunt.] *In quibuſdam libris eſt,* ὠμώδιασαν, *itemque apud Theodoretum, qui Symmacho tribuit,* ἐγομφίασαν. *Utriuſque verbi eadem hoc loco videtur notio eſſe: ac fortaſſe pro* ὠμώδιασαν, *dicendum* ἠμωδίασαν, *quemadmodum eſt Hierem. cap. 38. in noſtra, quod in vulgata eſt* 31. (*b*) Operuerit.] *In pleriſque additur,* ἱμάτιον, *& apud S. Hier.* veſtimento, *itemque paulo inferius.* (*c*) Patris.] *Sic etiam hebræus. Alii addunt,* αὐτοῦ, ſui. (*d*) Juſto.] *Plerique,* δικαίου, juſti, *& paulo poſt,* ἀνόμου, iniqui. (*e*) Non memorabuntur.] *In aliquo additur,* αὐτῷ, ei. (*f*) Quia nolo mortem morientis, ait Dominus.] *In multis additur,* ἐπιστρέψατε, ϗ ζήσεσθε, convertimini, & vivite, *quæ reſpondent vulgatæ. In quibuſdam vero totus ſic habet,* διότι οὐ βούλομαι τὸν θάνατον τοῦ ἁμαρτωλοῦ, λέγει ἀδωναῒ κύριος, ὡς τὸ ἐπιστρέψαι αὐτὸν ἀπὸ τῆς ὁδοῦ αὐτοῦ, ϗ ζῆν τὴν ψυχὴν αὐτοῦ, λέγει ἀδωναῒ κύριος. ἐπιστρέψατε οὖν, ϗ ζήσεσθε. quia nolo mortem peccatoris, dicit Adonai Dominus, quam converti ipſum a via ſua, & vivere animam ejus, ait Adonai Dominus. Convertimini igitur, & vivetis. *Atqui ita fere Theodoretus, niſi quod, pro,* peccatoris, *habet,* morientis.

CAP. XIX.

(*a*) CAtulus.] *Sic etiam apud Sanctum Hieronymum in vulgata antiqua. In quibuſdam, & apud Theodoretum, eſt,* λέαινα, leæna. *In Compl.* ἐπὶ σκύμνοις, ſuper catulos. (*b*) Facta eſt.] *Sic etiam apud Sanctum Hieronymum. Nonnulli, & Theodoretus,* ἐνεμήθη, pavit. (*c*) Contra eum.] *Sic apud Sanctum Hieronymum, quod græce,* κατ' αὐτοῦ, *poſſet tamen etiam verti,* de eo: *& in aliquo codice eſt,* περὶ αὐτοῦ. (*d*) Introduxit.] *Plerique,* εἰσήγαγον, *& apud S.* Hieronymum, introduxerunt. (*e*) Ejus.] *In nonnullis, & apud Theodoretum additur,* μηκέτι, *aut,* ἔτι, *& apud S. Hieronymum,* ultra. (*f*) In malo granato, in aqua plantata.] *Apud Sanctum* Hieronymum, in malis granatis, *& illud,* plantata, *referendum eſt ad vitem, vel vineam. Aliqui ac Theodoretus habent* ῥοᾶς ἐν ὕδατι πεφυτευμένης, mali granati in aqua plantati. (*g*) Vindicati ſunt.] *Ita apud Sanctum Hieronymum etiam in comm. licet quid ſibi velit iſta loquutio hoc loco, neſcire ſe fateatur. Videtur tamen referri poſſe ad hoſtes, qui de ea vindictam ſumpſerint. Nonnulli, ac Theodoretus, habent,* ἐξεδικήθησαν, ϗ ἐξηράνθησαν αἱ ῥάβδοι, vindicatæ ſunt, & arefactæ ſunt virgæ. (*h*) Sine aqua.] *Ita etiam apud Sanctum* Hieronymum. *Nonnulli, ac Theodoretus, addunt,* ϗ διψώσῃ, & ſitienti. (*i*) Fortitudinis. Tribus in parabolam lamentationis eſt.] *Corrigendum enim pro,* θρόνου, θρήνου. *Sic autem omnino apud Sanctum Hieronymum. In quibuſdam vero, & apud Theodoretum hic locus ſic habet,* ϗ οὐκ ἔσται ἐν αὐτῇ ῥάβδος ἰσχύος φυλῆς, (*al.* φυλὴ,) σκῆπτρον εἰς τὸ ἐξουσιάζειν, εἰς παραβολὴν θρήνου (*al* θρήνων) ἐστιν. Et non erit in ea virga fortitudinis tribus, (*ſi tribus accipiatur in recto, eſt aliquantulum ſejungenda a præcedentibus, & conjungenda cum ſequentibus:*) Sceptrum ad dominandum, in parabolam lamentationis (*al.* lamentationum) eſt, *c&. Sed ſceptrum et tribus videri poſſunt duæ interpretationes: quod ex aliis locis notatis conſtare poteſt: & in hoc eodem capite paulo ſuperius notavit Sanctus* Hieronymus, *lxx pro,* in ſceptra dominantium, *vertiſſe,* in tribum ducum.

CAP. XX.

(*a*) QUintadecima menſis.] *Cæteri,* ἐν τῷ πέμπτῳ μηνὶ, δεκάτῃ τοῦ μηνὸς, in quinto menſe, decima menſis. (*b*) Si reſpondero.] *Sanctus* Hieronymus: Symmachus manifeſtius tranſtulit, non reſpondebo vobis. (*c*) Favus.] *Schol.* Hebræus autem dixit, καλλίστην, optimam. Symmachus dixit, στάσις, ſtatus: ſtatum vocans, eſſe ibi ſacerdotium dicatum Deo. *Sanctus Hieronymus tribuit Aquilæ primæ editioni,* firmamentum, *ſecundæ,* inclytum, *Symmacho,* regionem, *Theodotioni,* fortitudinem. (*d*) Abominationes.] *Sanctus Hieronymus ex Symmacho,* nauſeas, *ex Aquilæ ſecunda editione,* abſciſiones. (*e*) Adinventionibus.] *Idem ex Aquilæ prima editione,* inquinamenta, *ex ſecunda, & Symmacho, & Theodotione,* idola. (*f*) Et adduxi.] *In cæteris hæc antecedunt,* ϗ ἐξήγαγον αὐτοὺς ἐκ γῆς αἰγύπτου. Et eduxi eos de terra Ægypti. (*g*) Et dixi ad domum Iſrael in deſerto: in præceptis meis ambulate.] *Sunt apud Theodoretum, & in omnibus collatis codicibus: abſunt tamen a Complut. ut a vulgata.* (*h*) Et non ambulaverunt.] *In aliquo codice, & apud Theodoretum hæc antecedunt,* ϗ παρεπίκρανάν με ὁ οἶκος ἰσραὴλ ἐν τῇ ἐρήμῳ, & irritaverunt me domus Iſrael in deſerto, *ut vulgata. In aliis adduntur etiam plura, quæ coagmentationem quandam interpretationum indicant.* (*i*) Delere eos.] *In quibuſdam & apud Theodoretum eſt,* τοῦ μὴ ἐξαλεῖψαι, *& apud Sanctum Hieronymum,* ne delerem. (*k*) Commiſceamini.] *Corrigendum in noſtra,* συναναμίσγεσθε. (*l*) Et exacerbaverunt.] *Apud Juſtinum in dialogo cum Tryphone, eſt,* ϗ παρεπικράνατέ με, ϗ τὰ τέκνα ὑμῶν ἐν τοῖς προστάγμασι, *&c.* Et exacerbaſtis me, & filii veſtri in præceptis, *&c.* (*m*) Feci.] *Aliqui libri, & Juſtinus,* οὐκ ἐποίησα, non feci. (*n*) Et eduxi.] *In pleriſque eſt,* ὧν ἐξήγαγον, de quibus eduxi. (*o*) Dogmatibus.] *Nonnulli, & Theodoretus,* δόμασιν, donis. (*p*) In tranſducendo me.] *Sanctus Hieronymus videtur afferre ex vulgata antiqua,* cum transducerent. (*q*) Suis.] *In quibuſdam, & apud Theodoretum ſequitur,* ϗ ἔταξαν ἐκεῖ θυμὸν (*Compl.* ὀργὴν) δώρων αὐτῶν, *& apud Sanctum Hieronymum,* & poſuerunt ibi furorem munerum ſuorum. (*r*) Abama.] *Theodoretus ex Symmacho,* βαμὰ, Bama: *additque locum factum eſſe inſignem ex impietate erga idola: quod Scholiaſtes refert etiam ex Apollinario,* τόπος ἐστὶν ἐπίσημος ἐκ τῆς περὶ τὰ εἴδωλα δυσσεβείας γεγενημένος. *Aliud Scholion,* κατὰ μὲν Σύρους, λίθος. ὁ δὲ ἑβραῖος, τί ἐστι βάμμα; ἔχει ὅπερ καλεῖται θυσιαστήριον εἰδώλων. τὰ γὰρ θεοῦ θυσιαστήρια, βεσμὰ καλεῖται. Secundum quidem Syros, λίθος, lapis: hebræus autem habet, Quid eſt Bamma? quod quidem vocatur altare Idolorum. Altaria enim Dei vocantur βεσμὰ, Beſma. *In pleriſque libris eſt,* ἀβανὰ, *aut,* ἀββανὰ, *quo modo inquit Sanctus Hieronymus errorem obtinuiſſe, ut in lxx ſcriberetur: ac diligenter de iſto vocabulo diſputat. De quo etiam alibi notatum eſt. Aliud Schol.* ἀββανὰ, λίθος ἑρμηνεύεται. λέγει οὖν ὅτι θαυμαστὸν εἰ ὡς θεῷ τῷ λίθῳ λατρεύετε. Abbana ponitur lapis. Inquit igitur mirandum eſſe, ſi tanquam Deum, lapidem colatis. (*ſ*) Quibus vos polluimini.] *In multis eſt,* υἱῶν ὑμῶν ἐν πυρὶ ὑμεῖς μιαίνεσθε, filiorum veſtrorum in igni vos polluimini: *in quibuſdam & apud Theodoretum,* ὑμῶν ἐν τῷ διάγειν τὰ τέκνα ὑμῶν, ἐν πυρὶ ὑμεῖς μιαίνεσθε, veſtris in tranſducendo vos filios veſtros in igni vos polluimini. (*t*) Numero.] *In pleriſque, & apud Theodoretum additur,* τῆς διαθήκης, teſtamenti, *apud Euſebium lib. 2. Euang. Demonſt. præterea,* μου, mei. (*u*) Percutietis.] *Aq.* δυσαρεστήσεσθε, diſplicebitis vobis, *ut vulgata noſtra. Th.* προσοχθιεῖτε, infenſi eritis. *Symmachus,* μικροὶ φανήσεσθε, *& Sanctus* Hieronymus *ex eodem,* parvuli vobis videbimini. (*x*) Nageb.] *De hoc Sanctus Hieronymus, & nos alibi, itemque de ſubſolano. Theodoretus,* Thæman græca lingua meridies eſt, & Darom (*al.* δαρὼμ) Liba ſignificat, Nageb vero, auſtrum. Et ita Symmachus interpretatus eſt, υἱὲ ἀνθρώπου στήρισον τὸ πρόσωπόν σου ἐπὶ τὸν νότον ὁδὸν λιβὸς, ϗ προφήτευσον περὶ τοῦ δρυμοῦ τῆς χώρας τῆς μεσημβρινῆς, Fili hominis firma faciem tuam ſuper auſtrum viam Libis, & propheta de ſylva in regione meridiana.

CAP. XXI.

(*a*) AIT Dominus.] *In pleriſque,* ϗ ἔσται, λέγει ἀδωναῒ κύριος, *aut,* λέγει κύριος ὁ θεὸς, *& apud S.* Hieronymum, & erit, dicit Dominus Deus. (*b*) Ut teneat manus ipſius.] *Id eſt, ut manus Nabuchodonoſor eum teneat. Et in quibuſdam eſt,* τοῦ κρατεῖν εἰς χεῖρας αὐτοῦ, in manus ejus ad tenendum. *In aliis vero,* τοῦ κρατεῖν χεῖρα αὐτῆς, ad tenendam manum ipſius gladii: *quod non videtur ſatis apte dici.* (*c*) Inhabitabunt: propter gladium fuit in populo meo. *Multi ex hebraico putant vertendum,* timores ob gladium fuerunt populo meo.] *In aliquot codicibus, & apud Theodoretum eſt,* οἱ παροικοῦντές μοι εἰς ῥομφαίαν ἐγένοντο σὺν τῷ λαῷ μου, qui habitabant prope me (*idque Theodoretus de ſacerdotibus dictum accipit*) in gladium facti ſunt cum populo meo. *Sanctus* Hieronymus: Rurſum ubi nos diximus, qui fugerant, gladio traditi ſunt, & illi (*id eſt, lxx*) & alii tranſtulerunt, hoſpites mei ſive habitatores. (*d*) Juſtificatus eſt.] *Aquila,* ὅτι ἠρεύνησεν, quia examinavit. (*e*) Ut non quaſſetur cor.] *A cæteris abeſt negatio,* μὴ, *& in quibuſdam, & apud Theodoretum additur,* αὐτῶν, ut quaſſetur (*vel,* percutiatur) cor eorum. (*f*) Bene.] *Ita etiam Theodoretus. In quibuſdam eſt,* εὖγε, euge, *itemque paulo poſt.* (*g*) Et tranſi.] *Nonnulli, & Theodoretus,* ὡς ἀστραπὴ διαπορεύου, tanquam fulgur tranſi. (*h*) Ambæ.] *Id eſt,* viæ: *reſpondet hebræo. In quibuſdam, & apud Theodor. eſt,* αἱ δύο ἀρχαὶ, ambo principia, *aut,* ἀρχαὶ δύο. (*i*) Et manus in principio viæ civitatis.] *Nonnulli ac Theodoretus,* ἑτοίμασαι χεῖρα κεντοῦσαν, ἐν ἀρχῇ ὁδοῦ ἑκάστης πόλεως κεντοῦσαν, para manum pungentem, in principio viæ cujuſque civitatis pungentem. *Ubi,* ἑτοίμασαι, *&* κεντοῦσαν, *duæ videntur interpretationes; atque illud,* ἑκάστης, *redundat. In aliis quibuſdam,* ϗ χεῖρα ἑτοιμάσουσιν ἐν ἀρχῇ ὁδοῦ πόλεως, *ac ſi legeretur,* ἑτοίμασαι, *fortaſſe reſponderet hebræo,* & manum (*id eſt,* locum, *ut multi putant*) para in principio viæ civitatis. *Hoc autem loco S. Hier. inquit lxx, ab hebraico non tam ſenſu quam verbis in pleriſque diſcordare.* (*k*) In medio ejus.] *In aliquo eſt,* ἐν πολιορκίᾳ, *vulgata,* munitiſſimam: *a Theodoreto abeſt utrumque.* (*l*) Ad faciendum ebullire.] *Polychronius:* ἀντὶ τοῦ ῥίψαι βέλη· ταύτῃ γὰρ τῇ λέξει ἐχρήσατο ϗ ὁ ἑβραῖος. Pro eo, quod eſt, jacere ſagittas: hac enim dictione uſus eſt etiam hebræus. (*m*) Et jecur ſpeculandum.] *Pro,* κατασκοπήσασθαι, *corrigendum,* ἡπατοσκοπήσασθαι. (*n*) Vociferatione.] *In quibuſdam, & apud Theodoretum eſt,* κραυγῆς σάλπιγγος, clangore tubæ. (*o*) Coram eis.] *In aliquot libris, & apud Theodoretum ſequitur,* ἑβδομάζοντες, (*al.* ἑβδομάζοντος, *Complutenſ.* ἑβδομάζων) τὰς ἑβδομάδας αὐτοῖς, celebrantes (*aut,* celebrans) hebdomadas eis. *Quod in*

Scholio tribuitur Theodotioni. (*p*) Iniquitatem ejus ad recordandum.] *Apud Theodoretum, & in Compl. eſt,* ἀδικίαν αὐτῶν τοῦ συλληφθῆναι, iniquitatis eorum, ut capiantur. (*q*) In omnibus impietatibus veſtris.] *Schol.* οὐ κεῖται παρ' ἑβραίοις, Non eſt apud hebræos. (*r*) Abſtuliſti.] *Ita etiam apud S. Hieron. apud quem legenda varietas ex Symmacho. Theodoretus, & aliquis codex habent,* ἀφελοῦ, *&* ἀπόθου, aufer, repelle. (*ſ*) Ei non erit talis.] *Sic interpungendum. In quibuſdam eſt,* αὕτη, *& apud S. Hier.* hæc non erit ſimilis. (*t*) Iniquitatem.] *Abeſt hoc tertio loco a pleriſque: & S. Hieron. teſtatur bis tantum a lxx eſſe poſitum.* (*u*) Væ ei talis erit] *Cæteri,* οὐδὲ αὕτη τοιαύτη ἔσται, *& apud S. Hier.* nec hæc talis erit. (*x*) Revertere.] *In aliis adjungitur,* εἰς τὸν κολεόν σου, in vaginam tuam.

CAP. XXII.

(*a*) ET illud in te.] *Aut,* tibi, *ut Sanctus Hieronymus, & in quibuſdam codicibus eſt,* ἐμπαίξονταί σοι. *In noſtra autem, ubi* ἐμπαίξεται, *corrigendum,* ἐμπαίξονται. (*b*) Latrones.] *In aliis eſt,* λῃσταὶ ἦσαν, latrones erant. *Typographus omiſit* λῃσταὶ, *quod retinendum erat; retinuit* ἦσαν, *quod in Vaticano non eſt.* (*c*) Conſummaſti.] *Videtur bene reſpondere ſententiæ. In aliis, & apud Theodoretum eſt,* συντελέσω, *& apud S. Hier. ex antiqua,* complebo. (*d*) Quæ in oppreſſione.] τὴν ἐν καταδυναστείᾳ, *ut referatur ad,* conſummationem, *in aliquo eſt,* τῆς, *ut referatur ad,* malitiæ. *Apud S. Hier. eſt,* malitiæ tuæ in oppreſſione tua. (*e*) Inducam] *Corrigendum in noſtra,* ἐπάξω, *ut in Vaticano: & in uno alio eſt,* ἰδοὺ οὖν ἐπάξω χεῖρά μου ἐφ' οἷς συντέλεσας, καὶ οἷς ἐποίησας. Ecce igitur inducam manum meam pro iis quæ conſummaſti, & quæ feciſti. *In aliis autem eſt,* ἐὰν δὲ (*Theodoretus,* ἰδοὺ οὖν) πατάξω χεῖρά μου πρὸς χεῖρά μου, ſi autem percuſſero manum meam ad manum meam. (*f*) Hæreditabo in te.] *Vel,* poſſidebo te, *ut S. Hier. pro quo inquit Aquilam in prima editione, ac Theodotionem, dixiſſe,* & contaminabo te, *Symmachum vero,* & vulnerabo te. (*g*) Admiſta eſt.] *Nimirum domus Iſrael. In aliis eſt,* ἀναμεμιγμένοι, admiſti, *aut,* ἀναμεμιγμένον, *id eſt, tota illa maſſa deterioris metalli.* (*h*) Commiſtionem.] *Sic teſtatur S. Hier. etiam Aquilam vertiſſe in ſecunda tranſlatione, quod in prima dixerit,* στέμφυλον, *&* γίγαρτον, (*quod utrumque acinum vinacii ſignificat,*) *Symmachus autem, ſcoriam.* (*i*) Illud.] αὐτὸ, *id eſt, maſſam illam. Nonnulli, & Theodoretus habet,* εἰς αὐτὴν, in eam, *id eſt, fornacem.* (*k*) Et viduæ tuæ multiplicatæ ſunt in medio tui.] *Aliquot codices, & Theodoretus,* τὰς χήρας αὐτῆς ἐπλήθυναν ἐν μέσῳ αὐτῆς, viduas ejus multiplicaverunt in medio illius: *ut vulgata noſtra.* (*l*) Sanguinem.] *In nonnullis, & apud Theodoretum additur,* τοῦ ἀπολέσαι ψυχὰς, ad perdendum animas. (*m*) Ungentes eos.] *Aut,* linientes. *Schol.* Hebræus ſic dicit, ἤλειφον αὐτοὺς πηλῷ ἄνευ ἀχύρου, liniebant eos luto abſque palea. (*n*) Ante faciem meam integre.] *Plerique, ac Theodoretus,* ἐν διακοπῇ φραγμοῦ πρὸ προσώπου μου, in ſepis interciſione ante faciem meam. (*o*) Iræ.] *Theodoretus & Complut.* τῆς γῆς, terræ.

CAP. XXIII.

(*a*) OOliba] *Sic etiam vulgata noſtra. In quibuſdam, & apud Theodoretum, additur,* ἡ νεωτέρα, junior. (*b*) Juvenes.] *In aliquo codice, & apud Theodoretum eſt,* νεανίσκους ἐπιλέκτους πάντας ἱππεῖς ἱππαζομένους, juvenes electos omnes equites equitantes, *&c. & Theodoretus addit,* ἐφ' ἵππων, in equis. (*c*) Electi filii Aſſyriorum omnes.] *In quibuſdam, & apud Theodor. eſt,* ἐπὶ τοὺς ἐπιλέκτους (*al.* ἐκλεκτοὺς) υἱοὺς ἀσσυρίων πάντας, ſuper electos filios Aſſyriorum omnes. (*d*) Ipſis.] *In aliquo, & apud Theodoretum,* αὐτῆς, ſuis. *S. Hieron. videtur habuiſſe,* αὐτῶν, adinventionibus eorum. (*e*) Applicationem.] *Theodoretus:* Aquila, τὴν ἐπίθεσιν, interpretatus eſt, ἐπιπόθησιν, libidinem. (*f*) Adoleſcentes electi omnes.] *Rurſus nonnulli,* νεανίσκους ἐπιλέκτους πάντας, adoleſcentes electos omnes. (*g*) Precioſis.] *Schol.* εὐπάρυφα, dixit, pro κεκοσμημένα, ornatis. *Aliud Schol.* διαπόρφυρα, ποικιλτὰ, intexta cum purpura, variegata. *S. Hier.* veſte varia, ſive precioſa. (*h*) Depictos in ſtylo, accinctos variegatis.] *In quibuſdam, & apud Theodoretum, antecedit,* ἐν χρώμασιν· *quare ita interpungunt,* depictos in coloribus, in ſtylo accinctos: variegata ſuper lumbos eorum. *Sed fieri poteſt, ut,* in coloribus, *&,* in ſtylo, *ſint duæ ejuſdem vocabuli hebraici interpretationes.* (*i*) Tincta, &.] *Videtur tranſpoſitum, pro,* & tincta. *Apud Theodoretum eſt,* καὶ τιάραι βαπταὶ, & tiaræ tinctæ, *quod reſpondet vnlgata noſtræ. In quibuſdam vero codicibus conjungitur utramque,* παράβαπτα, καὶ τιάραι βαπταί. (*k*) Aſpectus triplex omnium.] *Theodoretus ex Symmacho,* ὄψις σκυλευτῶν πάντων, aſpectus prædonum omnium. *S. Hier. videtur legiſſe in vulgata antiqua,* triſtatarum omnium. (*l*) Ejus.] *In pleriſque eſt,* αὐτῶν, eorum. (*m*) Ejus.] *Item hic in aliquo eſt,* αὐτῶν, ſua ipſorum. (*n*) Diei.] *In multis eſt,* ἡμέρας dierum. (*o*) Verenda.] *Polychronius: Hebræus,* καὶ αἱ διεγέρσεις αὐτῶν, ὡς ἵππων, & excitationes eorum, quaſi equorum. (*p*) Viſitaſti.] *Corrigendum in noſtra pro,* ἐπισκέψω, ἐπεσκέψω. (*q*) Adoleſcentiæ tuæ.] *In quibuſdam antecedit* ἔπεσαν, *in quibuſdam, & apud Theodoretum ſequitur,* ἔπεσον, ceciderunt. (*r*) Phacuc.] *Aquila,* ἐπισκέπτην, καὶ τύραννον, καὶ κορυφαῖον, viſitatorem, & tyrannum, & ducem. *S. Hier. teſtatur etiam Symmachum & Theodotionem poſuiſſe nomina hebraica, ut lxx.* (*ſ*) Triſtatas.] *Videtur hoc loco* τρισσοὺς, *idem valere, ac* τριστάτας, *quod eſt in aliquot codicibus, & apud Theodoretum. S. Hieron.* ſive triſtatas, quos nos principes principum, interpretati ſumus. *In aliquot libris utrumque conjungitur,* τριστάτας τρισσούς. Ubi duæ, niſi fallor, interpretationes in unam coaluerunt. Τρισσὸς, tertius a rege, nomen dignitatis. Idem, τριστάτης. Sunt qui dicant fuiſſe regios ſatellites, tria haſtilia manu tenentes. Sed aliter Hieron. *Triſtata,* inquit, *nomen eſt apud Græcos, ſecundi gradus poſt regiam dignitatem; de quibus ſcriptum eſt, veruntamen ad tres primos non pervenit: qui principes equitum peditumque erant & tributorum: quos nos magiſtratus utriuſque militiæ & præfectos annonarii tituli nominamus.* Idem exponens hæc verba Dan. 5. τρίτος ἐν τῇ βασιλείᾳ μου ἄρξει, *Tertius,* inquit, *in regno meo erit, vel tertius poſt me, vel unus e tribus principibus, quos alibi* τριστάτας, *legimus.* 4 Reg. 7. τριστάτης ἐφ' ὃν ὁ βασιλεὺς ἐπανεπαύετο ἐπὶ τὴν χεῖρα αὐτοῦ, dux ſive princeps in cujus manum rex recumbebat. De hac voce diximus & ſupra verſ. 15. ubi Symm. σκυλευτῶν. i. prædonum, ac ſi eſſet a שלל derivata. *Druſ.* (*t*) Mittet.] *Alii,* βαλοῦσι, *& apud S. Hier.* mittent. *Quæ autem antecedunt, eodem modo ſe habent apud S. Hier. atque in noſtra. In quibuſdam vero, & apud Theodoretum hoc modo,* ἀπὸ βορρᾶ μεθ' ὅπλων, καὶ ἁρμάτων, καὶ τροχῶν, καὶ πλήθους λαῶν, καὶ θώρακας, καὶ ἀσπίδας, καὶ περικεφαλαίδας, περιθήσονται ἐπὶ σέ, ab Aquilone cum armis, & curribus, & rotis, & multitudine populorum, & thoraces, & clypeos, & galeas circumponent ſuper te. (*u*) Et ærumnas tuas] *Ita etiam Theodoretus. A Complut. abſunt: & videri poſſunt altera interpretatio ejus quod præceſſit,* labores tuos. (*x*) Latum.] *In cæteris hæc ſequuntur, quæ quaſi per parentheſim dicta ſunt accipienda,* καὶ ἔσται εἰς γέλωτα, καὶ εἰς μυκτηρισμὸν, & erit in riſum & ſubſannationem. (*y*) Illum.] *In aliquo codice, & apud Theodoretum ſequuntur hæc,* καὶ ἐκστραγγιεῖς, καὶ τὰ ὄστρακα αὐτοῦ καταφαγῇ (*Complut.* κατατρώξῃ) καὶ τοὺς μαστοὺς σου καταπλεῖς, & exhauries, & teſtas ejus devorabis, & ubera tua lacerabis. *Sed teſtatur S. Hier. pro his a lxx dictum eſſe, &* feſtivitates, *&c.* (*z*) Nonne.] *In multis* εἰ, *ſi.* (*ω*) Eis per ignita.] *Id eſt, idolis. Alii,* αὐτοὶ (*aut* αὐτὰ αὐτοὶ) διὰ πυρὸς, ipſos ipſi per ignem. *Apud Theodoretum eſt tantum* διὰ πυρὸς, *quomodo fortaſſe habuit S. Hier. in vulgata antiqua.* (*aa*) Et quia ſic.] *In aliquo eſt,* καὶ ἰδοὺ οὕτως, & ecce ſic. (*bb*) Et quia.] *Nonnulli,* καὶ ἔπεμπον, & mittebant. (*cc*) Meum.] *In nonnullis additur,* ἐτίθεις ἔμπροσθεν αὐτῶν, καὶ, ponebas ante eos, &. (*dd*) Et ad viros.] *Illud,* &, *abeſt a quibuſdam, ſed non ab hebraico: & multi interpretantur,* & cum viris. (*ee*) Venientes.] *In multis & apud Theodoretum additur,* οἰνωμένους, ebrios: *quod etiam videtur apud S. Hier. agnoſci ex vulgata antiqua. Sed dictio hebraica potius ſignificat Sabæos, aut undiquaque.* (*ff*) Sanguinis.] *In quibuſdam & apud Theodoretum eſt,* ἐκχέουσιν αἷμα, effundunt ſanguinem; *ſed melius in uno vetuſto codice,* ἐκχεουσῶν αἷμα, effundentium ſanguinem. (*gg*) Et lapida ſuper eas lapides turbarum, & confodito.] *Multi,* καὶ κατακεντήσουσιν, & confodient eas in gladiis ſuis. *Aliqui & Theodoretus,* λιθοβοληθήτωσαν ἐν λίθοις ὄχλων, καὶ κατακεντείτωσαν, & lapidentur lapidibus turbarum, & confodiant.

CAP. XXIV.

(*a*) IN diem.] *Apud S. Hieron. in vulgata antiqua eſt tantum,* diem. *In quibuſdam vero codicibus, & apud Theodoretum eſt,* τὸ ὄνομα τῆς ἡμέρας, nomen diei. (*b*) Et ego.] *In quibuſdam codicibus, & apud Theodoretum hæc antecedunt,* ὦ (*al.* οὐαὶ) πόλις τῶν αἱμάτων, *& apud S. Hieron.* væ civitas ſanguinum. (*c*) Torrem.] *Ita etiam S. Hier. & Theodoretus. In aliquo eſt,* λαὸν, populum. (*d*) Jus.] *In pleriſque additur,* καὶ τὰ ὀστᾶ συντριβήσονται, *al.* συμφρυγῇ, *al.* συμφρυγήσονται, *& apud S. Hier.* & oſſa concrementur. (*e*) Carbones.] *In multis additur,* αὐτῆς, *& apud S. Hier.* ſuos: *in quibuſdam, & apud Theodoretum præterea,* κενὴ, inanis. *In his etiam quæ ſequuntur, magna varietas. In aliquot codicibus, & apud Theodoretum ſic habent,* ἐξήφθη, ὅπως προσκαυθῇ, καὶ θερμανθῇ, καὶ ἐκφρυγῇ ὁ χαλκὸς αὐτῆς, καὶ τακῇ ἐν μέσῳ αὐτῆς ἡ ἀκαθαρσία αὐτῆς, καὶ ἐκλίπῃ ὁ ἰὸς αὐτῆς. καὶ ταπεινωθήσεται ὁ ἰὸς αὐτῆς, καὶ οὐ μὴ ἐξέλθῃ. *Apud S. Hier.* Incenſa eſt, ut exuratur, & frigatur æs ejus, & concremetur in medio illius immundicia ejus, & deficiat rubigo ejus. Humiliabitur rubigo, & non exiet, *&c.* (*f*) Pro eo, quod contaminata es tu.] *In multis, & apud Theodoretum eſt,* ἐν τῇ ἀκαθαρσίᾳ σου ζέμα, ἀνθ' ὧν ἐμιαίνου σὺ καὶ οὐκ ἐκαθαρίσθης ἀπὸ ἀκαθαρσίας σου, *& apud S. Hieron.* In immundicia tua zema (*id eſt, fervor:*) pro eo, quod contaminata es tu, & non es emundata ab immundicia tua. (*g*) Nec miſerebor.] *In nonnullis additur,* καὶ οὐ μὴ παρακληθῶ, *& apud S. Hier.* nec deprecabilis ero. (*h*) Cogitationes.] *In aliis eſt,* ἐπιτηδεύματα, *& apud S. Hier.* adinventiones: *quamvis hoc etiam modo ſolet interdum verti,* ἐνθυμήματα. (*i*) Deſideria.] *Schol. ex Theodoreto.* Hebræus, ἐπιθύμημα, deſiderium. (*k*) In præparatione.] *Sic apud S. Hieron. etiam in comm. & explicat, quid ſignificet. Abeſt a Theodoreto.* (*l*) Nec flebis.] *In quibuſdam additur,* οὐδὲ μὴ ἔλθῃ σοι δάκρυα, *& apud S. Hier.* nec venient lacrymæ tibi. *In quibuſdam vero, & apud Theodoretum, additur præterea,* στέναζε (*al.* στενάξαι) σιγῶν, geme tacens. (*m*) Eris.] *Plerique,* ἐστὶν, *& apud S. Hieronymum,* eſt. *In quibuſdam vero ſequitur præterea,* ἀνθρώπινον πένθος οὐ ποιήσῃ, humanum luctum non facies. (*n*) Non erunt.] *Abeſt negatio ab aliquot codicibus, & Theodoreto, & S. Hier.* (*o*) Veſperi.] *In pleriſque, & apud Theodoretum eſt,* καὶ ἀπέθανεν ἡ γυνή μου ἑσπέρας, & mortua eſt uxor mea veſperi. (*p*) Feci.] *Alii,* ἐποίησε, *& apud S. Hier.* feci.

CAP. XXV

(*a*) FIliis Cedem.] *S. Hier.* quos Orientales interpretati ſumus. *Theodoretus,* Filios Cedem alii interpretes dixerunt, υἱοὺς ἀνατολῶν, Filios Orientis. *Schol.* Nonnulli quidem interpretati ſunt σαρακηνῶν, Saracenorum: juxta tertiam vero editionem interpretati ſunt, ἀνατολῶν. (*b*) Impedimentis ſuis.] *Ita diximus, quod græce eſt,* ἐν τῇ ἀπαρτίᾳ αὐτῶν, *quomodo videtur accipi Exod. 37. & alibi. Eodem modo habet Theodoretus, licet interpres videatur legiſſe ut eſt in Compl.* ἐν τῇ ἁμαρτίᾳ αὐτῶν, in peccato ipſorum: *cujus rei nulla in hebraico mentio.* (*c*) Paſcuam.] *S. Hier. in ſua,* cubile. *Alii,* νομὰς, paſcua. (*d*) Gaviſa es.] *Aut,* inſultaſti: *utroque enim modo S. Hier. In aliis autem pro,* ἐπέχαρας, *eſt,* ἐπιχάρῃς, *eodem ſenſu.* (*e*) Terris.] *Quod in noſtra per errorem Typographi eſt,* χειρῶν, *corrigendum eſt* χωρῶν, *quomodo habet etiam Theodoretus.* (*f*) Moab.] *In pleriſque ſequitur,* καὶ σηείρ, & Seir: *quod teſtatur S. Hier. in lxx non haberi, ſed de Theodotionis editione additum eſſe.* (*g*) Nonne.] *A pleriſque abeſt iſtud* οὐχ, *& legitur ſine interrogatione: ab aliquo etiam abeſt illud,* ἰσραὴλ καὶ, *& apud S. Hieronymum,* ecce ſicut omnes gentes, domus Juda. (*h*) Domum Bethaſimuth, ſuper fontem urbis maritimæ.] *Plerique, & Theodor.* οἶκον βαιθ ἰασιμοὺθ, *aliqui,* οἶκον βεθιασιμοὺθ. *Schol.* ἀσιμοὺθ, eſt nomen idoli: *quare,* οἶκον, *&* βαιθ, *videri poſſent duæ interpretationes. Sed S. Hier. ſcribit apud lxx. eſſe* domum Bet Jaſimuth: *& quod illi dixerunt,* ſuper fontem, *ipſe tranſtulit,* Beelmeon, *& quod illi,* urbis maritimæ, *ipſe,* Cariathaim: *utraque interpretatio apud Theodoretum conjuncta eſt: nam poſt,* παραθαλασσίας, *addit,* τὴν βεελμὼν, καὶ τὴν καριαθὶμ. (*i*) Ei.] *Sic apud S. Hieronymum. In quibuſdam eſt,* αὐτοὺς, eos: *apud Theodoretum,* αὐτὴν, eam. (*k*) Ammon.] *Alii addunt,* ἐν τοῖς ἔθνεσι, *& apud S. Hier.* in gentibus. (*l*) Ultionem.]

nem.] *Nec plura apud* S. *Hier. in utraque tralatione. In quibusdam vero, & apud Theodoretum additur*, ἐν μήνιδι, in ira, *in aliquo*, ἐν μήνει, *eodem sensu.* (*m*) Fugientes.] *Sic apud S. Hier. Apud Theodoretum antecedit*, καὶ ἐκ Δαιδὰν, & de Dædan. *Fortasse hoc*, & fugientes, *duæ sunt interpretationes.* (*n*) In ultione.] *Apud S. Hier.* ultionem : *In quibusdam est*, ἐν μήνει, *& apud Theodoretum*, ἐν μήνιδι, in ira. εὗρον ἔν τινι ἀντιγράφῳ κείμενον, ἐκδίκησεν ἐν μήνει. καὶ τὴν ἑρμηνείαν ταύτην τινὲς τῷ μήνει ὀξυτόνως ἀνέγνωσαν, τῇ ἀληθείᾳ ἐπὶ τῆς μήνιδος κεῖται. (*o*) Ad unum.] *Plerique*, ἕως αἰῶνος, *& apud S. Hier.* usque in æternum. *In aliquo, & apud Theodoretum est*, κατ' ἔχθραν αἰώνιον, secundum inimicitiam sempiternam. (*p*) Cretensis.] *S. Hier. ex cæteris interpretibus*, ὄλεθρον, perditionem.

CAP. XXVI.

(*a*) NItidissimam petram.] *Sic vertit* S. *Hier.* λεωπετρίαν, *& Theodoretus interpretatur, leves lapides, in quibus piscatores explicare sagenas solent. Schol. vero*, γῆν πεπατημένην, καὶ συμπεπιλημένην, terram calcatam, & constipatam. (*b*) Gladiis.] *Plerique, ac Theodoretus*, ἐν τοῖς ὅπλοις αὐτοῦ, in armis suis. (*c*) Tui.] *Istud* σου, *abest a multis.* (*d*) Cessare faciet.] καταλύσει. *Multi* καταδύσει, deprimit. *In aliquo est*, καταλύσω. S. *Hier.* requiescere faciam, sive destruam. (*e*) Ex gentibus.] *Illud* ἐκ, *abest a multis, & a Theodoreto, ab aliquo totum istud*, ἐκ τῶν ἐθνῶν, *& apud Sanctum Hieronymum*, principes maris. (*f*) Dissipata es.] *Plerique*, πῶς ἀπώλου, καὶ κατελύθης, *& apud* S. *Hier.* quomodo peristi, & dissipata es. (*g*) Laudata.] *In cæteris sequuntur hæc*, ἥτις ἐγενήθη ἰσχυρὰ ἐν θαλάσσῃ, αὐτὴ, καὶ οἱ κατοικοῦντες αὐτήν. quæ fuit fortis in mari, ipsa, & habitatores ejus : *quomodo etiam apud* S. *Hier. nisi quod habet*, fuisti. (*h*) Tuæ] *In aliis hæc adjunguntur*, καὶ ταραχθήσονται νῆσοι ἐν τῇ θαλάσσῃ ἀπὸ τῆς ἐξόδου σου, & turbabuntur insulæ in mari ab exitu tuo : *& ita apud* S. *Hier. nisi quod habet*, in exitu tuo, *& in comm.* in die egressionis tuæ. *In quibusdam, & apud Theodoretum est*, ἀπὸ τῆς ἐξουσίας σου, a potestate tua. *In uno libro ad*, ἐξουσίας, *est appositum*, ἐξοδίας, *& schol. in margine*, ἐξοδίαν, dicit commutationem gloriæ in contraria. (*i*) Ultra.] *In cæteris hæc sequuntur*, καὶ ζητηθήσῃ, καὶ οὐχ εὑρεθήσῃ, & quæreris, & non invenieris.

CAP. XXVII.

(*a*) IPSI Beelim.] *Ita etiam Theodoretus, sed interpres*, Baalim, *& Theodoretus inquit sic vocari idola in divina scriptura & conjungit cum antecedentibus : quod Sor, id est, Tyrus decorem & opes suas Baalim acceptas referret. Sanctus Hieronymus etiam in commentar. sic refert ex lxx*, Beelim filii tui circundederunt tibi decorem, *&c. Vocem hebraicam inquit significare*, terminos tuos, *unde ipse fecit*, finitimi, & contermini tui. *Quare in Complut. est*, τὰ ὅριά σου, *& conjungitur cum antecedentibus*, in corde maris termini tui : *quod multi putant respondere hebraico.* (*b*) Templa.] *Theodoretus*, Cæteri interpretes κέρας σου, cornu tuum, *id est, antennam.* (*c*) Sylvestres.] *Ita apud Sanctum Hieronymum, & alibi solet dici*, *nemorosas. Theodoretus, ex Aquila*, σανίσι κεκαλυμμένας, tabulis contectas. (*d*) Stratum] *Ita etiam Theodoretus : In aliquo est*, ἐν στρωμνῇ, *& apud Sanctum Hieronymum* in stratum. (*e*) Et facta.] *A multis abest illud*, καὶ, *& apud Sanctum Hieronymum*, de insulis Elissa facta sunt opertoria tua. (*f*) Principes tui.] *Theodoretus* : Hebræus, & Syrus, οἱ γείτονές σου, finitimi tui. (*g*) Earum.] *Ita etiam apud Sanctum Hieronymum : in plerisque autem libris, & apud Theodoretum, additur*, ἦσαν ἐν σοὶ ἀμειβόμενοι τῇ ἐπιμιξίᾳ σου, καὶ ἐγένοντο, fuerunt in te permutantes commercio tuo, & facta sunt, *&c.* (*h*) Tuos] *In plerisque additur*, κύκλῳ, *& apud Sanctum Hieronymum*, in circuitu. *In quibusdam vero, & apud Theodoretum quæ sequuntur, sic habent*, ἦσαν ἀλλὰ καὶ Μῆδοι ἐν τοῖς πύργοις σου ἦσαν φύλακες, fuerunt : sed etiam Medi in turribus tuis fuerunt custodes. *Verum docet Sanctus Hieronymus, verbum idem hebraicum, quod Theodotio retinuit, lxx dixisse*, custodes, *Aquila primam editionem*, Pygmæos, *Symmachum*, Medos. (*i*) Propugnacula tua.] *Ita etiam apud Sanctum Hieronymum. In multis & apud Theodor. est*, ἁρμούς σου, compages, armos tuos. (*k*) Et universa.] *Illud*, &, *abest a multis, & a* S. *Hieronymo.* (***) De domo Thogarma.] *Theodoretus* : Phrygiam interpretantur τὸν οἶκον τοῦ Θοργαμᾶ. (*l*) Equi, & equites.] *In plerisque est*, ἵππους, καὶ ἱππεῖς, καὶ ἡμιόνους ἔδωκαν, *& apud Sanctum Hieronymum*, equos, & equites, & mulos dederunt. (*m*) Dentes elephantinos.] *Sic* S. *Hieron. In plerisque autem antecedit*, κέρατα, cornua, *itemque apud Theodoretum, qui hæc notat*, τὰ κέρατα, Symmachus interpretatus est ἐβένους, Ebenos; ἀφ' ὧν τὰ ἐβένια καλούμενα γίνεται, ex quibus ea fiunt quæ vocantur Ebenia. *In plerisq; codicibus*, κέρατα καὶ ὀδόντας. Mihi non est dubium, quin sint duæ interpretationes. Nam dentes elephanti etiam κέρατα, i. cornua dicuntur. Qua de re dicam alias. Sciendum autem קרנות proprie cornua significare, & שן dentem. *Drus.* (*n*) Homines.] *Theodoretus explanat de mancipiis, & conjungit cum antecedentibus : ut pro rebus importatis ipsa Tyrus daret mancipia, quibus abundabat ex multitudine commistorum, id est, advenarum. Apud Sanctum Hier. est quasi novum initium periodi* : Homines negotiationem tuam, *&c. itemque pro*, commisti tui, *est*, mercatus tui, *paulo autem inferius, pro*, commisto tuo, *est*, commistione tua. (*o*) Stacten.] *Ita etiam Theodoretus. In quibusdam, & in Compl. antecedit*, ἐν ἀφὲκ, in Aphec, *quod inquit Sanctus Hieronymus de Theodotionis editione in lxx additum esse, pro quo Symmachus verterit*, polymita : *sicut etiam pro stacte cæteri purpuram. In quibusdam vero codicibus, & apud Theodoretum utrumque ponitur*, στακτὴν, καὶ πορφύραν. Εν νάφεκ. Est cur malim νάφεχ cum χ in ultima, cui respondet Chaph apud Ebræos. Vulgata scriptura ἐν ἀφὲκ, mendum continet quale in ἦν ὠκῆδ, pro νωκῆδ. Utrobique ultima similis exclusit sequentem. Qua de re diximus in Observationibus, nisi me fallit augurium. *Drus.* (*p*) Varietates ex Tharsis.] *Sic Sanctus Hieronymus in comm. ex lxx, pro quo inquit cæteros dixisse byssum. Rursus autem in quibusdam codicibus, & apud Theodor. & in Compl. utrumque ponitur*, καὶ βύσσον, καὶ ποικίλματα ἐκ Θαρσεῖς. (*q*) Et Ramoth, & Chorchor.] *In quibusdam est*, καὶ χοδχόδ. S. *Hier.* Ramoth, *interpretatur*, sericum, *alii*, corallia, *Theodoretus*, aromata. *Chodchod autem quid significet*, S. *Hier. non satis exploratum habet : hebræos inquit putare sic dici preciosas merces, Theodoretus, gemmam, quæ onyx dicitur.* (*r*) Et primum.] *Illud*, &, *abest a quibusdam, & a* S. *Hieronymi vulgata antiqua.* (*s*) Negociatores tui.] *In quibusdam, & apud Theodoretum, est*, ἐμπορία σου ἐν πλήθει ἔργων σου, *& apud* S. *Hier.* negociator tuus in multitudine operum tuorum. (*t*) Ex Chelbon.] *Polychronius*, Symmachus, χαλβάνην, galbanum interpretatus est. *Theodoretus inquit*, χάλλην, *sed fortasse est mendum.* S. *Hier. testatur Symmachum dixisse*, vinum pingue, *cum cæteri verbum hebraicum retinuerint. Apud Theodoretum utrumque conjungitur*, οἶνος λιπαρὸς ἐκ χελβὼν, vinum pingue ex Chelbon. (*u*) Lanas.] *Ita apud* S. *Hier. In aliis est*, καὶ ἔρια στιλβὰ, & lanas splendentes, *aut*, καὶ ἔριον στιλβόν. *Sed constat ex* S. *Hieronymo pro splendentibus lxx dixisse*, de Mileto, *Aquilam vero, & Theodotionem*, de Soor. (*x*) Et vinum in forum tuum dederunt.] *In multis & apud Theodoretum est*, καὶ Ἰωνὰν, καὶ Μεωζὴλ εἰς τὴν ἀγορὰν σου ἔδωκαν. ἐξ Ἀσὴλ σίδηρος, *&c.* & vinum Dædan, & Joanan, & Meozel in forum tuum dederunt. Ex Asel ferrum, *&c. In Compl. est tantum* δὰν, καὶ ἰαυὰν, καὶ μοβζηλ εἰς τὴν ἀγοράν σου, σίδηρος, οἶνον δαιδὰν, καὶ, *&c. & apud* S. *Hier. in contextu vulg. antiquæ*, Dan, & Javam, & Meozel in nundinis tuis : Ferrum, *&c. Sed in comm. videtur dicere illa*, Dan, Javan, & Mozel, *in editione lxx de Theodotione esse addita, Symmachum vero pro Meozel, transtulisse*, deferens. *Pro eo autem, quod sequitur*, & rota in commistione tua est, *ipse dixit*, stacte, & calamus in negociatione tua. *Theodoretus autem Asel quosdam inquit putare esse Asiam, multaque de his nominibus disputat.* (*y*) Optimis, & aurum.] *Quidem*, τιμίων, οἳ καὶ χρυσίον, preciosis, qui & aurum. (*z*) Chanaa.] *Sive*, χαλχὰλ, *aut*, χαλχὰν, *ut alii. In multis vero sequitur*, καὶ δεδὰν, *aut*, καὶ αἰδάν. S. *Hier. etiam in comm. ex lxx*, Edne, *cum ipse in sua habeat*, Eden. (*ω*) Assur.] *In multis est*, σαββὰ, *aut*, σαβὰ, καὶ ἀσσούρ· *& apud Sanctum Hier.* Sabba, Assur. (*aa*) Hyacinthum.] *Pro his usque ad*, Et repleta es ; (*ut alias varietates omittamus*) *in aliquot codicibus, & apud Theodoretum habentur ista*, ἐν μαχαλὶμ καὶ γαλιμὰ ὑάκινθον, καὶ ποικιλίαν, καὶ θησαυροὺς ἐκλεκτοὺς, ἐν μαγώζοις συγκειμένους, καταδεδεμένους ἐν σχοινίοις, καὶ ἐν κυπαρισσίνοις πλοίοις ἐν αὐτοῖς (*al.* καὶ κυπαρίσσινα πλοῖα, ἐν οἷς) ἡ ἐμπορεία σου, πλοῖα καρχηδονίων ἐν τῇ ἐμπορείᾳ σου, ἐν τῷ πλήθει τῶν συμμίκτων σου, in Machalim & Galima hyacinthum, & varietatem & thesauros electos in Mogozis compositos, colligatos in funiculis, & in cyparissinis navigiis, in ipsis negociatio tua. Naves Carthaginensium in negociatione tua, in multitudine commistorum tuorum. *Theodoretus* : Illud, in Machalim, & Galima, &c. Aquila ita est interpretatus, ἐγκατασκηνοῖς εἰλήμασιν ὑακίνθου, καὶ ποικιλίας, καὶ ἐν μαγώζοις συγκειμένοις, constructis involucris hyacinthi, & varietatis, & in Magozis compositis : Illud autem, in Magozis ex hebraica voce græcam inflexione facit ; significat autem, ἐν ἀποκρύφοις σκεύεσιν, in vasis reconditis. Ita enim & Syrus est interpretatus. S. *Hier. multa ex his in contextu vulgatæ antiquæ non habet : & ex his quæ habet*, in Machalim, & Galima, *testatur de Theodotione in lxx esse addita, pro quo Sym. dixerit*, speciosis involucris, *item*, polymita. *ex Aquila, & Symmacho, pro quo Theodotio dixerit*, varia. (*bb*) Fuerunt virtutes.] *In quibusdam, pro* ἦσαν δυνάμεις, *est*, αἱ δυνάμεις, virtutes, opes. (*cc*) Et commisti tui ex commistis.] *Nonnulli*, καὶ οἱ ἐπιμιγνύντες τὴν ἐπιμιξίαν σου, & commiscentes commistionē tuam. S. *Hier.* Multitudo autem, quam commistionem lxx transtulerunt, exceptis principibus vulgus significat. (*dd*) Sternent sibi.] *In cæteris hæc sequuntur, quæ agnoscuntur etiam apud Theodor.* καὶ ξυρήσονται ἐπὶ σὲ φαλακρώματα (*al.* φαλάκρωμα) καὶ περιζώσονται σάκκους, καὶ κλαύσονται περὶ σοῦ ἐν πικρασμῷ ψυχῆς, καὶ κοπετὸν πικρὸν λήψονται ἐπὶ σέ. Et radent super te calvitium, & accingentur sacco & plorabunt pro te in amaritudine animæ, & planctum amarum super te assument : *quæ testatur* S. *Hier. in lxx. non haberi, sed de Theodotione esse addita, ac fortasse etiam quæ sequuntur*, & assument filii eorum super te lamentum lamentationem Sor : *ubi in quibusdam, pro*, σοῦ, *est*, σοὶ, tibi. (*ee*) Quantam.] *Sive*, quam, *ut Sanctus* Hieronymus *ex vulgata antiqua. In cæteris autem, & apud Theodoretum hæc antecedunt*, τίς ὥσπερ τύρος κατασιγηθεῖσα ἐν μέσῳ θαλάσσης; Quæ est, ut Tyrus, quæ conticuit in medio maris ? *Quæ scribit Sanctus* Hieronymus *in lxx non haberi.* (*ff*) Stupore stupuerunt.] *In nonnullis libris, & apud* Theodoretum, *est*, ἐκστάσει ἐκστήσονται, καὶ δακρύσει, (*ita enim corrigendum in nostra,*) τὸ πρόσωπον αὐτῶν. ἔμποροι ἐθνῶν (*al.* ἀπὸ ἐθνῶν) συριοῦσιν ἐπὶ σοὶ, stupore stupebunt, & flebit facies eorum : negociatores gentium sibilabunt super te.

CAP. XXVIII.

(*a*) SApientes.] *Sic etiam apud Sanctum Hieronymum, & Theodoretum. In multis est*, οἱ σοφοὶ, aut sapientes, *quod* οἱ *etiam in nostram per errorem irrepsit, ac delendum est.* (*b*) Et aurum.] *Multi*, καὶ ἐποίησας χρυσίον, *& apud Sanctum Hieronymum*, & fecisti aurum. *In aliquo est*, περιεποιήσω, acquisivisti. (*c*) Et descendere facient te.] *Apud Sanctum Hieronymum*, & deducent te, & disponent te. (*d*) In multitudinem incircumcisorum.] *Plerique*, ἐν χερσὶ τιτρωσκόντων σε θάνατον (*aut, ut in quibusdam, & apud Theodoretum*, θανάτοις) ἀπεριτμήτων ἀποθανῇ. *Sanctus Hieronymus, pro* χερσὶ *videtur habuisse*, πλήθει, *nam sic in vulgata antiqua*, in multitudine vulnerantium te. Mortibus incircumcisorum morieris. (*e*) Similitudinis.] *In cæteris, & apud Theodoretum sequitur*, πλήρης σοφίας, *& apud Sanctum Hieronymum*, plenus sapientia. (*f*) Smaragdo.] *In quibusdam libris & apud Theodoretum, additur*, καὶ ὑάκινθον, & hyacintho. *Sed non apud Sanctum Hieronymum, qui etiam in comment. notat non esse nominatum.* (*g*) Conditus es.] *In Scholio notatur Theodotionem addidisse*, ἡτοιμάσθησαν, *& apud Sanctum Hieronymum in vulgata antiqua est*, paraverunt, *in sua autem tralatione*, præparata sunt. *In quibusdam libris est*, καὶ κατεσκευάσθης μετὰ τοῦ χερουβ κεχρισμένος παρὰ θεοῦ κατασκηνοῦντος ἐν σκηνώματι, καὶ ἔθηκά σε, & paratus es cum Cherub, unctus a Deo habitante in tabernaculo, & posui te, *&c. In aliquo & apud Theodoretum, pro*, παρὰ θεοῦ, *est tantum* τοῦ. *In aliquo etiam est*, κεχρισμένου. *Apud Sanctum Hieronymum in textu vulgatæ antiquæ*, paraverunt cum Cherub uncto a Deo, & habitante in tabernaculo, & dedi in monte sancto Dei. *In comment. autem*, Tu Cherub extentus, & protegens, subauditur arcam Dei, & propitiatorium, vel juxta lxx, quod ipse cum Cherub unctus sit, & creatus. *Sed Scholiastes notat illud*, κεχρισμένος τοῦ κατασκηνοῦντος, *additum esse in Theodotione, & refert ex Symmacho*, τοῦ χερουβ καταμεμετρημένου, Cherub dimenso, (*quod Sanctus Hieronymus videtur dixisse*, extentus) *ex Aquila autem*, ἐμπεριπατήσας, *quod videtur pertinere ad* *eum locum, ubi vulgata noſtra habet*, ambulaſti, *antiqua autem*, factus es in medio, *&c.* (*i*) Immaculatus.] *Aquila*, τέλειος, perfectus. (*k*) Cherub.] *In quibuſdam, & apud Theodoretum additur*, συσκιάζον, *& apud Sanctum Hieronymum* obumbrans. *Aquila*, ἀπολέσω σε χερὺβ ὁ συσκιάζων, perdam te ô Cherub obumbrans. (*l*) Dehoneſtareris.] *Ita apud Sanctum Hieronymum : ſed poterat etiam verti*, ut exemplum eſſes. (*m*) Contaminavi ſancta tua.] *Ita etiam apud Sanctum Hieronymum. In multis eſt*, ἐβεβήλωσας, *& in quibuſdam & apud Theodoretum ſequitur*, τὸν ἁγιασμόν σου, contaminaſti ſanctificationem tuam. (*n*) Cinerem.] *Multi*, εἰς σποδὸν, *& apud Sanctum Hieronymum*, in cinerem. (*o*) Gement.] *Plerique*, συγνάσουσιν, *& apud Sanctum Hieronymum*, contriſtabuntur. (*p*) Sanguis, & mors.] *Alii, & Theodoretus*, ϗ ἐξαποστελῶ ἐπὶ σὲ θάνατον, ϗ αἷμα, & immittam in te mortem, & ſanguinem. (*q*) Et coram.] *Illud*, &, *abeſt, a pleriſque.*

CAP. XXIX.

(*a*) DUodecimo.] *Sic apud Theodoretum, & Sanctum Hieronymum, ex lxx. In aliis eſt*, τῷ δεκάτῳ, decimo. *Item, quod ſequitur*, decimo menſe, *apud Theodoretum eſt*, δωδεκάτῳ, duodecimo, *& in aliquo codice*, ἑνδεκάτῳ, undecimo. *S. Hier. ex lxx agnoſcit*, decimo, *ſed ex hebraico*, duodecimo : *quamvis hoc fortaſſe ſit potius referendum ad diem menſis.* (*b*) Draconem.] *Sch.* Hebræus dicit κῆτος, cetus. *De hoc alibi.* (*c*) Fluminum.] *Theodoret.* Quidam interpretes ſingulari numero dixerunt, τὸν ποταμόν. Septuaginta (*al.* alii) vero numero multitudinis, τοὺς ποταμοὺς, & utrumque verum eſt, *&c.* (*d*) Laqueos.] *Corrigendum enim in noſtra*, παγίδας. *In nonnullis autem eſt*, παγίδα, laqueum : *idque S. Hier. ponit ex vulg. antiqua. Quidam vero libri, ac Th. habent*, χαλινὸν, frænum : *quod poſuit S. Hier. in ſua.* (*e*) Tui.] *In aliquo codice, & apud Th. quæ ſequuntur, ſic habent*, ϗ πάντες οἱ ἰχθύες τοῦ ποταμοῦ τῇ λεπίσιν (*al.* ϗ πάντας τοὺς ἰχθύας τοῦ ποταμοῦ ϗ τῇ λεπίσιν) σου προσκολληθήσονται, ϗ ἀπορρίψω σε εἰς γῆν (*abeſt iſtud*, γῆν, *a Theodoreto*) ἔρημον, σὲ, ϗ πάντας τοὺς ἰχθύας τοῦ ποταμοῦ, ϗ καταβαλῶ σε ἐν τάχει, & univerſi piſces tui ſquamis tuis adhærebunt : & projiciam te in deſertum, te, & omnes piſces fluminis, & deponam te velociter. *Sed* S. *Hier.* proicjiam, *ac*, deponam, *tanquam duas interpretationes ponit, ac*, deponam *quidem, ex antiqua : ſimiliter*, velociter, *&* in deſertum. (*f*) In ſolitudinem, & gladium, & perditionem.] *In quibuſdam libris eſt*, εἰς ἔρημον κενὴν, ϗ ἀφανισμένην, in ſolitudinem inanem, & diſperditam : *quod quidem*, diſperditam, *videtur S. Hieron. referre ex vulgata antiqua.* (*g*) Magdolo.] *Schol.* Hebræus, ἀπὸ μαγδὰλ, a Magdal : *quod inquit S. Hier. ſignificare turrim.* (*h*) Et ſervitutis.] *Ab aliquo abeſt illud*, & ; *ut intelligatur non eſſe redditam mercedem ſervitutis. In quibuſdam, & apud* Theodoretum, *eſt*, ϗ τῇ δουλείᾳ, & ſervituti. (*i*) Hæc.] *Plerique*, διὰ τοῦτο τάδε, propterea hæc. (*k*) Et deprædabitur.] *In pleriſque hæc antecedunt*, ϗ λήψεται τὸ πλῆθος αὐτῆς, *quod vulgata noſtra*, & auferet multitudinem ejus.

CAP. XXX.

(*a*) O ô dies.] *Ita* S. *Hier. in vulgata antiqua. In quibuſdam ſequitur, ſed in pleriſque libris, & apud* Theodoretum, *antecedit*, ὀλολύξατε, *& S. Hier. in ſua* ululate. (*b*) Dies.] *Apud Theodoretum*, ϗ ἐγγίζει ἡ ἡμέρα νεφέλης, & appropinquat dies nubis. *In Complut.* ϗ ἐγγίζει ἡμέρα κυρίου. *Apud S. Hier.* quoniam juxta eſt dies, & juxta via Domini. (*c*) Finis.] *Sic & apud S. Hier. In aliquot codicibus, & apud Theodoretum eſt*, καιρὸς, tempus. (*d*) Ægypto.] *In multis, & apud Theodoretum additur*, ϗ λήψονται (*al.* ληφθήσεται) τὸ πλῆθος αὐτῆς, *al.* αὐτῶν, *& apud S. Hieron.* & auferent multitudinem ejus. (*e*) Libyes.] *Ita apud S. Hieron. etiam in comment. ex lxx. In quibuſdam vero, & apud Theodoretum, additur*, ϗ αἰθίοπες, ϗ πᾶσα ἡ ἀραβία, & Æthiopes, & univerſa Arabia. *S. Hier. in ſua habuit*, Chub, *quod inquit Symmachum vertiſſe*, in Arabiam. (*f*) In ea.] *Abeſt a multis, & a S.* Hieronymo. *In quibuſdam eſt*, μετ᾽ αὐτῶν, cum eis, *& adjungitur*, τάδε λέγει ἀδωναῒ κύριος, *& apud S.* Hier. Hæc dicit Adonai Dominus. (*g*) Eorum.] *In aliquo eſt*, αὐτῆς, *& apud S.* Hier. ejus. (*h*) Nuncii.] *In pleriſque additur*, ἀπὸ προσώπου μου, *& apud S.* Hier. a facie mea. *Sed Scholiaſtes notat additum eſſe de Theodotione. In multis vero, & apud Theodoretum, additur*, præterea, ἐν σεὶμ, *quod inquit Theodoretus græca lingua ſignificare*, ἐν ἰσχύϊ, in fortitudine. *S.* Hieron. *in vulgata antiqua non habet : & in comment. inquit hoc ipſum verbum hebraicum ab Aquila & Theodotione retentum eſſe, pro quo Symmachus dixerit*, feſtinantes, *ipſe autem verterit*, in trieribus : *licet Scholiaſtes hoc loco videatur referre ex Theodotione*, ἐγκαθισμὸς, inceſſio. (*i*) Æthiopiam.] *In multis & apud Theodoretum additur*, τὴν ἐλπίδα, *& apud S.* Hier. Æthiopiæ ſpem. *Schol notat hoc etiam de Theodotione additum eſſe, pro quo Aquila dixerit*, τὴν πεποίθησιν, confidentem. (*k*) Deſertos.] *In cæteris & apud Theodoretum, hæc adjunguntur*, ϗ ἀποδώσομαι τὴν γῆν ἐν χειρὶ (*al.* εἰς χεῖρας) πονηρῶν, *& apud S.* Hieron. & tradam terram in manu peſſimorum. (*l*) Perdam optimates.] *Cæteri*, ϗ ἀπολῶ βδελύγματα, ϗ καταπαύσω μεγιστᾶνας, *& apud S.* Hieron. *etiam in comment. ex lxx*, & perdam abominationes, & deficere faciam optimates. (*m*) Mempheos.] *Iſtud abeſt a cæteris, & a S.* Hieronymo. *Theodoretus fortaſſe habuit.* (*n*) Et diſperdam.] *In quibuſdam hæc antecedunt*, ϗ δώσω φόβον ἐν γῇ αἰγύπτου, *& apud S.* Hieron. & dabo terrorem in terra Ægypti. (*o*) Dioſpoli.] Inquit *Sanctus* Hieronymus *cæteros interpretes poſuiſſe nomen Hebraicum No, pro quo ipſe Alexandriam per anticipationem dixerit. Sic enim poſtea appellata fuit.* (*p*) Aquæ.] *Nec plura apud* S. *Hieronymum. In quibuſdam codicibus, & apud Theodoretum ſequuntur hæc*, ϗ ἐν μέμφει πόλεμοι (*al.* πολέμιοι) αὐθημερινοὶ, & in Memphi prælia (*al.* hoſtes) eodem ipſo die. (*q*) Auferentur.] *In aliquo eſt*, ἀχθήσονται, *& apud* S. *Hier.* ducentur. (*) Judicium. *In aliquo*, κρίματα, *& apud* S. *Hieron.* judicia. (*r*) Neque deprecatus eſt.] *Plerique*, οὐ κατεδέθη, non eſt colligatum. *Aquila*, οὐκ ἐμοτώθη, non eſt curatum per immiſſa linamenta. *Symm.* οὐκ ἐπεδέθη, non eſt ſuperligatum. (*ſ*) Ut daretur robur.] *In quibuſdam*, τοῦ δεθῆναι, ϗ κατισχῦσαι, ad ligandum, & roborandum. (*t*) Extenta.] *Hanc lectionem tanquam veram ex lxx, agnoſcit* S. *Hier. in comment. licet ſcriptorum vitio factum eſſet*, πεπαγμένους, *& in vulgata antiqua*, diſpoſita : *pro quo ipſe in ſua habet*, ſed confractum. *Hodie in pleriſque conjungitur utrumque*, πεπαγμένους (*al.* πεταμένους) ϗ τοὺς συντετριμμένους, *aut*, ϗ τοὺς συντριβομένους, diſpoſita (*al.* extenta) & contrita. *Aq.* τὸ ἰσχυρὸν, ϗ ὑψηλὸν, forte & excelſum. *Theodotio*, τὸ ἰσχυρὸν, ϗ μέγαν, forte, & magnum. (*u*) Extendet.] *Aliquot libri*, ἐκτενῶ, extendam.

CAP. XXXI.

(*a*) PRopaginibus.] *In cæteris additur*, ϗ πυκνὸς ἐν τῇ σκέπῃ, & denſus in tegmine. (*b*) Ejus.] *In cæteris ſequitur*, ϗ ὑψώθησαν αἱ παραφυάδες αὐτοῦ, & exaltatæ ſunt propagines ejus. (*c*) Multa.] *In aliquo codice & apud Theodoretum additur*, ἐν τῷ ἐκτεῖναι αὐτὸν, cum extenderet ſe. (*d*) Tales.] *In multis ſequitur*, μὴ, tales non. *In aliquo, & apud Theodoretum eſt*, οὐχ ὑπερῆρεν αὐτὸν, non ſuperaverunt eum. (*e*) Ejus.] *Nec Theodor. plura habet. In aliquo codice ſequitur*, καλὸν ἐποίησα αὐτὸν ἐν τῷ πλήθει τῶν κλάδων αὐτοῦ, ſpecioſum feci eum in multitudine ramorum ejus. (*f*) Factus es.] *In aliquo, & apud Theodoretum eſt*, ἐγένετο, factus eſt, *& paulo poſt, pro*, ἔδωκας, ἔδωκεν, dedit. (*g*) Nubium.] *In pleriſque & apud Theodoretum, ſequitur*, ϗ ἐπήρθη ἡ καρδία αὐτοῦ ἐπὶ τῷ ὕψει αὐτοῦ, & elevatum eſt cor ejus in altitudine ſua : *quæ etiam* S. *Hier. agnoſcit ex vulgata antiqua.* (*h*) Et fecit perditionem ejus.] *S. Hieron. videtur referre ex vulgata antiqua*, & faciam perditionem ejus. *In quibuſdam vero, & apud Theodor. ſequitur*, κατὰ τὴν ἀσέβειαν αὐτοῦ. ϗ ἐξέβαλον αὐτὸν ἐγὼ, ϗ ἐξωλόθρευσαν, ſecundum impietatem ejus. Et ejeci eum ego, & exterminaverunt. (*i*) Eorum.] *Fortaſſe ramorum. Theodoretus habet*, αὐτοῦ, ejus. (*k*) Et dederunt.] *In multis eſt*, οὐκ ἔδωκαν, non dederunt : *in aliquo, & apud Theodoretum*, ϗ οὐ μὴ δῶσιν, & non dent, *itemque paulo poſt, pro*, ϗ οὐκ ἔστησαν, ϗ μὴ ἱστῶνται, & non ſtent. (*l*) Ad ſe.] *Cæteri*, πρὸς αὐτὸν, ad eum. (*m*) Omnes.] *In aliquo codice, & apud Theodoretum, antecedit*, ὅτι, quia. (*n*) Ad eos qui deſcendunt.] *Sic vulgata noſtra ex hebræo. Quare putamus duas eſſe dictiones*, πρὸς καταβαίνοντας. *A quibuſdam abeſt illud*, πρός. *In aliquo, & apud Theodoretum, eſt*, καταγομένων, qui deducuntur. (*o*) Et cohibui.] I*n aliquo eſt*, καὶ ἀπέστησα, & removi. *In alio eſt*, ϗ ἔκλαυσεν, ϗ ἐπέστησεν, & ploravit, & coercuit : I*n alio, & apud Theodoretum*, ἐκώλυσε, ϗ ἐπέστησε, prohibuit, & coercuit : *in quibuſdam*, ἐκάλυψε, ϗ ἀπέστησε, operuit, & removit. (*p*) Prohibui.] *Nonnulli*, ἐκώλυσεν, prohibuit : *unus*, ἐκύκλωσα, circundedi : T*heodoretus*, διεκύκλωσε, circundedit. (*q*) In terra.] *Plerique*, ἐν γῇ κατωτάτῃ, in terra infima. (*r*) Aſſimilatus es.] I*n pleriſque, & apud* Theodoretum *ſequitur*, ἐν δυνάμει, ϗ ἐν δόξῃ, ϗ ἐν μεγέθει, ἐν τοῖς ξύλοις τῆς τρυφῆς, in virtute, & in gloria, & in magnitudine inter ligna deliciarum. (*ſ*) Deſcende, & deducere.] I*ta etiam* T*heodoretus. A Complut. abeſt*, ϗ καταβιβάσθητι, *ac videri poſſunt duæ interpretationes.*

CAP. XXXII.

(*a*) DUodecimo.] *Corrigendum in noſtra*, δωδεκάτῳ. *Ac teſtatur* S. *Hieron. in multis exemplaribus, juxta lxx, poſitum eſſe duodecimum annum, & decimum menſem : juxta cæteros autem interpretes decimum annum, & duodecimum menſem.* I*n nonnullis vero exemplaribus, & apud* T*heodor. eſt*, δεκάτῳ, *&* δεκάτῳ, *in nonnullis*, δωδεκάτῳ, *&* δωδεκάτῳ. I*ta magna ſemper varietas in numeris.* (*b*) Draco.] I*dem* S. *Hier. refert Aquilam dixiſſe, Leviathan.* (*c*) Fluminibus.] *Quidam*, ἐν ποταμοῖς, in fluminibus. (*d*) Retia populorum.] *Cæteri*, τὰ δίκτυά μου ἐν ἐκκλησίᾳ λαῶν πολλῶν, retia mea in eccleſia populorum multorum. (*e*) Replebuntur.] I*n quibuſdam, & apud* T*heodor. additur* σου, *& apud S. Hier.* tui. (*f*) Saturabo.] I*n pleriſque additur*, ἐκ σοῦ, de te : I*n quibuſdam & apud* Theodoretum, ἐκ μέσου σου, de medio tui. (*g*) Tuo.] I*n multis ſequitur*, πᾶσαν τὴν γῆν, univerſam terram. *In quibuſdam, & apud* Theodoretum, τὰ πεδία, campos : *in Complut.* φάραγγας, valles : *quod videtur S.* Hier. *habuiſſe in antiqua.* (*h*) A multitudine tua.] H*æc non habet* Theodoretus, *neque S.* Hier. *videtur habuiſſe.* (*i*) Volare cœperit.] I*ta S.*Hier. *nulla varietatis mentionem facta. In quibuſdam, & apud* Theodoretum, *eſt*, ἐν τῷ ἐκσπάσαι με τὴν ῥομφαίαν μου, cum extraxero ego gladium meum. (*k*) Expectantes ruinam ſuam.] *Sic omnes collati codices, ac* Theodoretus. *Sed S.* Hier. *videtur habuiſſe in antiqua*, expectantes animam ſuam. (*l*) Injuriam.] ὕβριν, *inquit* Theodoretus, vocavit, ὑπερηφάνειαν, ſuperbiam : *quod alibi notavimus ex S.* Hieronymo. (*m*) Ita.] *Abeſt iſtud* οὕτως *a Compl. S.* Hier. *videtur habuiſſe*, ut aliquando quieſcant. (*n*) Ibunt.] *Sic videtur habuiſſe etiam* Theodoretus, *& reſpondet hebraico.* I*n nonnullis eſt*, ῥεύσονται, *& S.* Hier. *ex antiqua*, fluent. (*o*) Planges.] *Nonnulli*, θρηνήσουσιν, plangent. (*p*) Eum.] I*d eſt, Pharaonem : hebræus habet*, eam, *id eſt*, Ægyptum. *Ac ſimilis varietas ſæpe a Sancto* Hieronymo *obſervatur.* H*oc autem loco abeſt iſtud* αὐτὸν, *a quibuſdam codicibus, &* Theodoreto, *ut conjuncte legatur*, plangent ſuper Ægyptum. (*q*) Primi menſis.] I*ta collati codices, &* T*heodoretus. Abeſt autem a S.* Hieronymo *in utraque.* (*r*) Fortitudinem Ægypti.] *Complut.* πλῆθος, *& apud S.* Hieron. *etiam in antiqua*, multitudinem : *ſed in comm. habet*, fortitudinem : *pro quo inquit in hebraico haberi multitudinem.* I*n aliquot vero libris ſequuntur hæc*, ϗ κλίνων πάρελκε αὐτὸν, & inclinans detrahe ipſum : *quod Schol. inquit in alio ſe exemplari inveniſſe : & a* Theodoreto *explanatur. Sed S.* Hieron. *ea non habet in antiqua, ac fortaſſe ſunt ex alia interpretatione pro iis quæ ſequuntur*, & deducent filias ejus. *Nam in vulgata noſtra ex hebræo eſt*, ſuper multitudinem Ægypti : & detrahe eam, ipſam, & filias, *&c.* (*ſ*) Foveam.] *In cæteris, & apud Theodoretum hæc ſequuntur*, ἐξ ὑδάτων εὐπρεπῶν καταβήθι, ϗ κοιμήθητι μετὰ ἀπεριτμήτων, de aquis pulcherrimis deſcende, & dormi cum incircuncisis : *quæ* S. *Hieron. tanquam de Theodotione addita ſub aſteriſcis ponit.* (*t*) In profundo foveæ eſto.] *Iſtud*, eſto, *abeſt ab antiqua* S. *Hieron. Apud Theodoretum vero antecedit*, οἱ, *& ita interpungitur*, & dicent tibi gigantes, qui ſunt in profundo foveæ : eſto. (*u*) Gladio.] *In cæteris, & apud Theodoretum, hæc ſequuntur*, οἳ ἔδωκαν τὰς ταφὰς αὐτῆς ἐν μηροῖς λάκκου. ϗ ἐγενήθη ἐκκλησία περικύκλῳ τῆς ταφῆς αὐτοῦ· πάντες αὐτοὶ τραυματίαι οἱ πίπτοντες μαχαίρᾳ, qui dederunt ſepulchra ejus in lateribus laci : & facta eſt congregatio in circuitu ſepulchri ejus. Omnes iſti vulnerati cadentes gladio : *quæ* S. *Hieron. inquit de editione Theodotionis* ſub aſteriſcis eſſe addita. Origenes, Hebræus, pro ἐν μηροῖς λάκκου, habet, ἐν μήκει λάκκου, in longitudine laci. (x) Ejus.] In aliquo eſt, αὐτῶν, & apud S. Hieron. eorum : qui etiam refert, pro, Moſoch, &, Thubal, Symmachum, & Theodotionem interpretatos eſſe, cubile eorum. (y) Dormierunt.] Ita collati codices. In Complut. eſt, οὐκ ἐκοιμήθησαν, & apud S. Hieron. non dormierunt. (z) Omnes in vita ſua.] In quibuſdam, & apud Theodoretum eſt, γίγαντες, & apud S. Hier. gigantes in vita ſua. In quibuſdam vero libris, & apud Theodoretum, ſequuntur hæc, καὶ φόβος δυναστευόντων ἐγένετο ἐν τῇ γῇ τῶν ζώντων, & timor dominantium factus eſt in terra viventium : quæ apud S. Hieron. non ponuntur : & videri poſſunt alia interpretatio præcedentis ſententiæ. (ω) Dormies.] Multi, συντριβήσῃ, καὶ κοιμηθήσῃ, & apud S. Hieronymum, contereris, & dormies. (aa) Ibi dati.] In pleriſque & apud Theodoretum, ἐκεῖ ἰδὼμ, καὶ οἱ βασιλεῖς αὐτῆς, (al. αὐτοῦ) καὶ πάντες οἱ ἄρχοντες ἀσσοὺρ, (al. αὐτῆς,) & apud S. Hieronymum, Ibi Edom, & reges ejus, & omnes principes Aſſur. (bb) Omnes.] In pleriſque πάντες οὗτοι (al. αὐτοὶ) πάντες, & apud S. Hieron. omnes univerſi. (cc) Deſcendentes vulnerati cum terrore ſuo, & in fortitudine ſua dormierunt.] Pro his in aliquot libris, & apud Theodoretum eſt, οἵτινες κατήχθησαν μετὰ τραυματιῶν σὺν τῷ φόβῳ αὐτῶν, ἡττηθέντες ἀπὸ τῆς ἰσχύος αὐτῶν, αἰσχυνόμενοι ἐκοιμήθησαν, qui deducti ſunt cum vulneratis cum terrore ſuo, dejecti a fortitudine ſua, confuſi dormierunt. Apud S. Hier. eſt, confuſi : reliqua magis conveniunt cum noſtra. (dd) Dicit Dominus.] In pleriſque hæc antecedunt : τραυματίαι μαχαίρας φαραὼ, καὶ πᾶσα ἡ δύναμις αὐτοῦ, & apud S. Hier. vulnerati gladio Pharao, & omnis fortitudo ejus.

CAP. XXXIII.

(v) SAnguinem.] In nonnullis additur, αὐτῆς, in quibuſdam, & apud Theodoretum eſt, τὸ δὲ αἷμα αὐτῆς, ſanguinem vero ejus. (b) Sermonem.] In aliquo codice, & apud Theodoretum ſequitur, καὶ προφυλάξῃς αὐτοὺς (al. αὐτὸν) παρ' ἐμοῦ, & cautos illos (al. cautum illum) feceris antea ex me. In Complutenſi, καὶ ἀναγγελεῖς αὐτοῖς ἀπ' ἐμοῦ, & annunciabis eis ex me, quomodo fere vulgata noſtra. (c) Morte.] In aliquo, & apud Theodoretum antecedit, ἁμαρτωλὲ, peccator. (d) Veſtra.] In multis additur, τῆς πονηρᾶς, peſſima. (e) Die.] In pleriſque antecedit, καὶ σὺ υἱὲ ἀνθρώπου, & tu fili hominis. (f) Non poterit ſalvari.] In pleriſque ſequitur, ἐν ἡμέρᾳ ἁμαρτίας αὐτοῦ, in die peccati ſui : in uno autem pervetuſto eſt, οὐ μὴ δύνηται ζῆσαι διὰ τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ, ἐν ᾗ ἂν ἡμέρᾳ ἁμάρτῃ, non poterit vivere per juſtitiam ſuam, in quacunque die peccaverit. (g) Juſto, hic.] Plerique, τῷ δικαίῳ, ζωῇ ζήσῃ, καὶ οὗτος, juſto, vita vives, & hic. (h) Duodecimo.] Corrigendum in noſtra, δωδεκάτῳ. (i) Duodecimo.] Hic in multis eſt, δεκάτῳ, decimo, ut vulgata : ſed Theodoretus ut noſtra. (k) Donec.] Videtur hoc loco, ut etiam alibi, ὡς, valere idem atque, ἕως, quod eſt in aliis. (l) Poſſeſſionem.] In cæteris libris, quanquam cum aliqua varietate, & apud Th. hæc ſequuntur, διὰ τοῦτο εἰπὲ πρὸς αὐτούς. τάδε λέγει ἀδωναῒ κύριος, ἐπειδὴ τοῦ αἵματος ἐσθίετε, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς ὑμῶν αἴρετε πρὸς τὰ εἴδωλα ὑμῶν, καὶ αἷμα ἐκχέετε, καὶ τὴν γῆν κατακληρονομήσετε, ἔστητε ἐπὶ τῆς ῥομφαίας ὑμῶν, ἐποιήσατε βδελύγματα, καὶ ἕκαστος τὴν γυναῖκα τοῦ πλησίον αὐτοῦ ἐμιάνατε, καὶ τὴν γῆν κατακληρονομήσετε; Idcirco dices ad eos: Hæc dicit Adonai Dominus : Quia de ſanguine comeditis, & oculos veſtros levatis ad idola veſtra, & ſanguinem funditis ; etiam terram hæreditate poſſidebitis ? Stetiſtis in gladiis veſtris, feciſtis abominationes, & unuſquiſque uxorem proximi ſui polluiſtis : & terram hæreditate poſſidebitis ? Quæ teſtatur S. Hier. in lxx non haberi, licet una cum multis aliis ſcriptorum vitio paulatim ſublata ſuſpicetur. (m) Coram te.] In cæteris ſequitur, ὁ λαός μου, populus meus. (n) Contaminationes.] Sic etiam Theodoretus. In quibuſdam eſt, αὐτῶν ποιήσουσιν αὐτοὶ, & apud Sanctum Hieronymum, ex lxx, eorum ipſi faciunt : & poſſet etiam reddi, ſuo ipſi facient. (o) Contaminationes.] Ita etiam Theodoretus. Alii addunt, αὐτῶν, ſuas. Apud eundem vero, & in quibuſdam codicibus ſequitur, ἡ καρδία αὐτῶν πορεύεται, & apud Sanctum Hieronymum ex lxx, & poſt abominationes ſuas cor eorum graditur. (p) Ea.] In nonnullis libris & apud Theodor. ſequitur, διότι ψεῦδος ἐν τῷ στόματι αὐτῶν, quia mendacium in ore ipſorum : quæ abſunt etiam a vulgata noſtra.

CAP. XXXIV.

(a) ET quod ægrotum, non ſanaſtis.] Καὶ τὸ κακῶς ἔχον οὐκ ἐσωματοποιήσατε, videntur valere idem atque illa quæ ſunt in quibuſdam, καὶ τὸ κακῶς ἔχον οὐκ ἰάσασθε, aut, καὶ τὸ ἄῤῥωστον οὐκ ἰάσασθε. In nonnullis etiam, & apud Theodoretum utraque ponuntur, hæc antecedunt, noſtra ſequuntur. Et videntur duæ interpretationes ejuſdem ſententiæ. (b) Labore.] Hoc agnoſcit S. Hier. In quibuſdam, & apud Theodoretum, ſequitur, καὶ ἐν κράτει ἐπαιδεύσατε αὐτὰ καὶ ἐν παιγνίῳ, & in imperio caſtigaſtis eas, & in luſu, quæ item altera videtur interpretatio. (c) Terræ.] In pleriſque eſt, πάσης τῆς γῆς, univerſæ terræ. (d) Paſtores.] Plerique addunt, ἀκούσατε λόγον κυρίου, audite verbum Domini. (e) Quærit.] In nonnullis, ἐπισκέπτεται, viſitat. (f) Ovium.] In pleriſque additur, αὐτοῦ, & apud S. Hier. ex antiqua, ſuarum. (g) Iſrael.] In aliquo codice, & apud Theodoretum additur, ἔσται εὐπρέπεια αὐτῶν, erit decor eorum. (h) Et ſcient quia ego ſum Dominus.] Hæc ſunt in omnibus collatis codicibus : & apud Theodoretum : abſunt autem a Complut. ut a vulgata. (i) Oves.] Cæteri addunt μου, & apud S. Hier. oves meæ. (k) Ventilabatis, & omnem, quæ deficiebat, affligebatis.] In multis eſt, ἐκερατίζετε πᾶν τὸ ἐκλεῖπον, cornupetebatis omnem deficientem, & infirmam. Quidam vero, & Theodoretus, habent fere ut noſtra, ſed addunt hæc, ἕως οὗ ἐξώσατε αὐτὰ ἔξω. (huc uſque Compl. ut vulg.) καὶ διεσπάρη τὰ πρόβατά μου παντὶ τῷ παραπορευομένῳ, donec expuliſtis eas foras, & diſperſæ ſunt oves meæ omni prætereunti. (l) Ad arietem.] Eſt hebraiſmus, & valet idem, atque, & arietem : quod habet S. Hier. ex antiqua. Theodoretus habet, ἀναμέσον προβάτου, καὶ προβάτου, κριὸν, καὶ τράγον, inter ovem & ovem, arietem, & hircum. Compl. ἀναμέσον προβάτων, καὶ κριῶν. (m) David.] In aliquo eſt αὐτοῖς, eis. (n) Deſerto.] In quibuſdam, & apud Theodoretum, additur, πεποιθότες, confidentes. (o) Et dabo eos in circuitu montis mei.] In multis eſt, αὐτοῖς, eis : a Theodoreto abeſt utrumque : ſed in omnibus fere additur, εὐλογίαν, benedictionem. (p) Dabo.] Hoc refert S. Hier. ex antiqua. In aliquo autem codice, & apud Theodoretum eſt, καὶ καταβιβάσω τὸν ὑετὸν ὑμῖν ἐν καιρῷ αὐτοῦ, ὑετοὶ εὐλογίας ἔσονται, & deducam pluviam vobis in tempore ſuo : pluviæ benedictionis erunt. (q) Jugum.] In aliquo, & apud Theodor. eſt, τοὺς κλοιοὺς τοῦ ζυγοῦ, torques iugi : & apud S. Hier. ex antiqua, torquem jugi. In Complut. τὴν σειρὰν τοῦ ζυγοῦ, catenam jugi. (r) Pacis.] In aliquo & apud Theodor. additur, εἰς ὄνομα, in nomen : ſed eſt altera interpretatio : quod conſtat ex S. Hier. In pleriſque etiam, & apud Theodor. ſequuntur hæc, καὶ οὐκέτι ἔσονται ὀλίγοι ἀριθμῷ ἐν τῇ γῇ, & non erunt ultra pauci numero in terra : quæ item ex S. Hier. conſtat eſſe alteram interpretationem ſequentis ſententiæ, & non erunt ultra pereuntes fame in terra. Ita enim inquit, imminuti, ſive pereuntes fame. (ſ) Eorum.] In quibuſdam, & apud Theodor. additur, μετ' αὐτῶν, cum eis. (t) Oves.] In nonnullis & apud Theodoretum, καὶ ὑμεῖς πρόβατά μου, καὶ πρόβατα νομῆς μου ἄνθρωποί ἐστε, & vos oves meæ, & oves paſcuæ meæ, homines eſtis.

CAP. XXXV.

(a) URbibus.] Plerique, & Theodoretus, ἐν ταῖς πόλεσι, in urbibus. (b) Tu.] Nonnulli & Theodor. ἐν σοὶ ἔχθραν αἰώνιον, pro eo quod fuit in te inimicitia ſempiterna. A Compl. abeſt & σὺ, & ἐν σοί. (c) In manu inimicorum gladio.] Sic etiam Theodoretus : alii, μαχαίρας, gladii : & fortaſſe, inimicorum, &, gladii, ſunt duæ interpretationes : Nam S. Hier. ex antiqua refert tantum, in manu gladii. (d) Iniquitatis in extremis.] In aliquot libris, & apud Theodoretum, θλίψεως αὐτῶν, καὶ ἐν καιρῷ ἀδικίας ἐπ' ἐσχάτῳ, al. ἐπ' ἐσχάτων, afflictionis eorum, & in tempore iniquitatis in extremo. al. in noviſſimis. (e) Te.] In quibuſdam, & apud Theodoretum, ſequitur αἷμα γάρ σου (Compl. habet tantum, καὶ αἷμα) ἐμίσησας, καὶ τὸ αἷμά σου διώξει σε, Compl. καὶ αἷμα ἐκδιώξεταί σε. In vulgata noſtra eſt, & cum ſanguinem oderis ſanguis perſequetur te. Pro quo inquit S. Hier. Symmachum manifeſtius eſſe interpretatum, ſanguinem tuum odiſti : & ſanguis perſequetur te. (f) Jumenta.] In aliquot libris, & apud Theodoretum adjungitur, καὶ παραπορευόμενον, καὶ ἀναστρέφοντα. Sed hoc eſſe alteram interpretationem conſtat ex S. Hieron. qui inquit, euntem, & redeuntem (ſive homines, & jumenta.) (g) Tuam.] In iiſdem, & apud Theodoretum, ſequitur, καὶ κατὰ τὸν ζῆλόν σου, ὃν ἐποίησας ἐκ τοῦ μεμισηκέναι σε ἐν αὐτοῖς, quod vulgata noſtra, & ſecundum zelum tuum, quem feciſti, odio habens eos. (h) Quia dixiſti, montes Iſrael.] Iidem, ὧν ἔλεγες περὶ τῶν ὀρέων ἰσραὴλ, λέγων, τὰ ὄρη ἰσραὴλ τὰ ὑψηλὰ τὰ αἰώνια, quas dicebas de montibus Iſrael, dicens, montes Iſrael excelſi, ſempiterni. Sed multa ex his neque etiam in vulgata noſtra ſunt. (i) Tuo.] In iiſdem ſequitur, καὶ ἐπλήθυνας ἐπ' ἐμὲ λόγους σου, & multiplicaſti ſuper me verba tua. Compl. καὶ ἐφωνήσατε κατ' ἐμοῦ, & vociferati eſtis contra me : quæ videtur Sanctus Hieronymus referre ex antiqua. (k) Faciam te.] In cæteris ſequuntur hæc, καθὼς ηὐφράνθης εἰς κληρονομίαν (al ἐπευφράνθης τῇ κληρονομίᾳ) οἴκου ἰσραὴλ, ὅτι ἠφανίσθη, οὕτω ποιήσω σε, ſicut gaviſus es ſuper hæreditate domus Iſrael, eo quod fuerit diſſipata, ſic faciam te. Quæ S. Hier. teſtatur in lxx non haberi, ſed ſub aſteriſcis de Theodotionis editione eſſe addita. (l) Et conſumentur.] Idem notat hoc in lxx, additum eſſe, & in hebraico non haberi. In aliis vero eſt, καὶ πᾶσα ἡ ἰδουμαία ἐξαναλωθήσεται (al. ἐξολοθρευθήσεται) καὶ γνώσονται, & omnis Idumæa conſumetur (al. exterminabitur) & ſcient, &c.

CAP. XXXVI.

(a) SOlitudines ſempiternæ.] In pleriſque additur, τὰ ὑψηλὰ, excelſa : non tamen apud Theodoretum : ac S. Hieron. pro duabus interpretationibus ponit, altitudines, ſive ſolitudines. (b) Pro eo quod deſpecti eſtis vos, & odio habiti ab his.] Sanctus Hieron. refert ex antiqua tantum hæc, pro eo quod diſperſi (ſuſpicamur legendum, deſpecti : ita enim ſolet ſæpe verti verbum græcum, ἀτιμασθῆναι) eſtis ab his : & certe illud, & odio habiti, abeſt etiam a Theodoreto : ſed apud ipſum, & in pleriſque codicibus hæc antecedunt, ἀντὶ τοῦ γενέσθαι ὑμᾶς εἰς ἀφανισμὸν πᾶσι τοῖς ἔθνεσι, καὶ pro eo, quod fuiſtis vos in deſolationem omnibus gentibus, &c. (c) Et aſcendiſtis loquela linguæ.] In multis eſt, καὶ ἀνέβητε, καὶ ἐγένεσθε, & aſcendiſtis, & facti eſtis : In quibuſdam & apud Theodoretum, καὶ ἀνέβητε λάλημα γλώσσης ἐπὶ χειλέων, & aſcendiſtis, loquela linguæ ſuper labia Sanctus Hieronymus, & aſcendiſtis ſuper labium linguæ. (d) Et factæ ſunt.] Plerique, & Theodoretus, αἳ ἐγένοντο, quæ factæ ſunt. (e) Deſpicientes.] In aliquo codice, & apud Theodoretum antecedit, ἐξ ὅλης καρδίας, ex toto corde. Pro quo S. Hieronymus videtur habuiſſe in antiqua, cum odio deſpicientes. (f) Idcirco.] In quibuſdam, & apud Theodoretum additur, τάδε λέγει ἀδωναῒ κύριος, hæc dicit Adonai Dominus. (g) Jumenta.] In pleriſque codicibus, & apud Theodoretum, hæc ſequuntur, καὶ αὐξηθήσονται, καὶ πληθυνθήσονται, & creſcent & multiplicabuntur. (h) Devoratrix.] Sic etiam Sanctus Hieronymus. In pleriſque autem, & apud Theodoretum, antecedit, γῆ, terra. (i) Amplius.] In pleriſque, & apud Theodoretum, hæc ſequuntur, καὶ τὸ ἔθνος σου οὐκ ἀτεκνωθήσεται ἔτι, & Sanctus Hieronymus, ex antiqua, & gens tua abſque liberis ultra non erit. (k) Eos.] In cæteris hæc ſequuntur, περὶ τοῦ αἵματος, οὗ ἐξέχεον (al. ἀνθ' ὧν ἐξέχεαν αἷμα) ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ ἐν τοῖς εἰδώλοις αὐτῶν ἐμίαναν αὐτήν. Et Sanctus Hieronymus, pro ſanguine, quem fuderunt ſuper terram, & in idolis ſuis polluerunt eam. (l) Peccatum.] Nonnulli, ac Theodoretus, τὰ ἐπιτηδεύματα. Sanctus Hieronymus : & adinventiones, ſive peccata : ut hoc videatur habuiſſe in antiqua. (m) Cum dicerentur ipſi.] Quidam codices, & Theodoretus, ἐν τῷ λέγεσθαι αὐτοῖς, cum diceretur eis. (n) Et mundabo.] Illud, &, abeſt a Theodoreto : ut conjungatur cum præcedentibus, & ab univerſis idolis veſtris mundabo vos, ut Sanctus Hieronymus. (o) Faciatis.] Nonnulli, ac Theodoretus, addunt, αὐτὰ, ea. (p) Portetis.] Iidem addunt, ἔτι, ultra. (q) Ipſorum.] Sic etiam Theodoretus, & videtur poſitum, pro, veſtram ipſorum, ut alibi. Complut. quidem habet, ὑμῶν. (r) Homines.] Poterat etiam verti, ovibus (id eſt, gregibus) hominum : ſed paulo antea etiam apud Sanctum Hieronymum ex antiqua dictum erat, oves homines. Noſtra verſio utramque ſententiam fert. Theodoretus habet, καὶ ἀνθρώπων, & hominibus. Quidam καὶ ἀρνῶν, & agnis.

CAP. XXXVII.

(*a*) DOminus.] *In cæteris*, κυρίου, Domini. (*b*) Propheta.] *In pleriſque antecedit*, υἱὲ ἀνθρώπου, *& apud Sanctum Hieronymum*, fili hominis. (*c*) Factum eſt.] *Cæteri*, ϗ ἐγένετο φωνὴ, *& apud* S. *Hieronymum*, & facta eſt vox. *Tertull. de reſurr. carnis, ubi multa ex hoc loco affert.* Et ecce vox, dum propheto. (*d*) Invicem.] *In multis eſt* ὀστέον, os: *in Complut.* πρὸς ὀστοῦν, *apud Sanctum Hieronymum*, ad oſſa: *in quibuſdam, & apud Theodoretum*, ὀστέον πρὸς ὀστέον, ἕκαστον πρὸς τὴν ἁρμονίαν αὐτοῦ, os ad os, unumquodque ad juncturam ſuam. *Tertull. habet tantum*, & accedebant oſſa ad oſſa. (*e*) Veni.] *In Complutenſi additur*, πνεῦμα, *& apud Sanctum Hieronymum*, ſpiritus: *in quibuſdam, & apud Theodoretum, eſt*, ἐκ τῶν τεσσάρων ἀνέμων ἐλθὲ (*al.* ἐλθέτω) πνεῦμα, *& Tertull.* a quatuor ventis veni ſpiritus. (*f*) Congregatio multa.] *Aquila, & Theodotio*, δύναμις μεγάλη, virtus magna. *Tertull.* valentia magna ſatis. (*g*) Nimis.] *Sic etiam Theodoretus. In Complut. eſt*, σφόδρα, σφόδρα, *apud Sanctum Hieronymum*, vehementer nimis. (*h*) Diſſonuimus.] *Solet ſignificare, ut alibi notavimus*, deſiimus, *aut*, defuimus. *Sed apud Sanctum Hieronymum ex antiqua etiam in comment. eſt*, deſperavimus, *apud Tertullianum*, avulſi ſumus in eis. (*i*) De ſepulchris populum meum.] *In quibuſdam, & apud Theodoretum, antecedit*, ὑμᾶς, vos. *In pleriſque autem eſt*, ὑμᾶς ἐκ τῶν τάφων ὑμῶν λαός μου, *& apud Sanctum Hieronymum, & Tertull.* vos de ſepulchris veſtris populus meus (*k*) Virgam.] *Apud Theodoretum additur*, μίαν, *& apud Sanctum Hieronymum*, unam. (*l*) Eam ipſi Joſeph.] *Ita etiam videtur habuiſſe Theodoretus: & hebræus etiam habet Joſeph in caſu dandi. In aliis eſt*, ἐπ' αὐτὴν τὴν ἰωσὴφ, *& apud Sanctum Hieronymum*, ſuper eam Joſeph. (*m*) Manui.] *In pleriſque*, ἐν τῇ χειρὶ, in manu. *Apud S. Hieronymum*, & erunt in virgam unam: & erunt in una manu Juda. (*n*) Gentem.] *Sic etiam Theodoretus. Nonnulli addunt*, ἓν, *& apud Sanctum Hieronymum*, unam. (*o*) Eorum.] *In nonnullis, & apud Theodoretum eſt*, πάντων αὐτῶν εἰς βασιλέα, *& apud Sanctum* Hieronymum, omnium iſtorum in regem. (*p*) Suis.] *In cæteris hæc ſequuntur*, ϗ ἐν τοῖς προσοχθίσμασιν αὐτῶν, ϗ ἐν πάσαις ταῖς ἀσεβείαις αὐτῶν, *& apud Sanctum Hieronymum*, & in offendiculis ſuis, & in omnibus impietatibus ſuis (*q*) Ipſi.] *In cæteris additur*, ϗ οἱ υἱοὶ αὐτῶν, ϗ οἱ υἱοὶ τῶν υἱῶν αὐτῶν, ἕως τοῦ αἰῶνος, *& apud Sanctum Hieronymum*, & filii eorum, & filii filiorum eorum uſque in ſempiternum. (*r*) Princeps.] *In pleriſque adjungitur*, αὐτῶν ἔσται, *& apud Sanctum Hieronymum*, eorum erit. (*ſ*) Et ponam.] *In quibuſdam, & apud Theodoretum, hæc antecedunt*, ϗ τάξω αὐτοὺς, ϗ πληθυνῶ αὐτοὺς, *& apud S. Hieronymum*, & dabo eos, & multiplicabo eos.

CAP. XXXVIII.

(*a*) GOG.] *Theodoretus*, φασὶν εἶναι ταῦτα σκυθικὰ ἔθνη. μοσὸχ δὲ καππαδόκας εἶναι, ϗ θοβὲλ ἴβηρας. τὸ δὲ ῥὼς κεφαλὴν ὁ Σύρος ἡρμήνευσεν. ϗ ὁ Ἀκύλας δὲ κεφαλὴν μοσὸχ. τὸ ῥὼς μοσὸχ ἡρμήνευσεν. Gog & Magog ſunt Scythicæ gentes. Moſoch autem Cappadocas eſſe aiunt, & Thobel Iberos. Illud autem Rhos hebræorum lingua (*al.* Syrus) ſignificat caput. Et Aquila quidem illud Rhos Moſoch interpretatus eſt, κεφαλὴν μοσόχ. *Sanctus Hieronymus*, capitis, ſive Rhos: *idque ſæpe repetit.* (*b*) Et congregabo te.] *In aliquot libris, & apud Theodoretum hæc antecedunt*, ϗ περιστρέψω σε κυκλόθεν, ϗ δώσω χαλινὸν εἰς τὰς σιαγόνας σου, *quod in vulg. noſtra*, & circumagam te, & ponam frænum in maxillis tuis. (*c*) Congregatione multa.] *In pleriſque eſt in recto*, συναγωγὴ πολλὴ, *& in quibuſdam, atque apud Theodoretum, ſequitur*, πέλτας ϗ περικεφαλαίας, ϗ μαχαίρας, ϗ ἀσπίδας, πάντες αὐτοὶ ἔχοντες πέρσαι, ϗ αἰθίοπες ϗ λύδοι ϗ λίβυες, ϗ φρύγες, (*Theodoret.* ϗ φοὺτ) μετ' αὐτῶν. πάντες οὗτοι ἀσπίδας ϗ περικεφαλαίας ϗ πέλτας ἔχοντες. γόμερ, *&c.* Peltas, (*quomodo etiam videtur habere Sanctus Hieronymus in antiqua*,) & galeas, & gladios, & clypeos omnes hi habentes. Perſæ, & Æthiopes, & Lydi, (*hoc non habet Sanctus Hieronymus*) & Libyes, & Phryges (*neque hoc*) cum eis. Omnes iſti clypeos, & galeas, & peltas habentes. Gomer, *&c.* (*d*) Omnes, qui circa eum.] *In quibuſdam codicibus, & apud Theodoretum eſt* ϗ πάντα τὰ ὑποστηρίγματα αὐτοῦ & omnia ſuſtentacula ejus. *Quod autem pertinet ad nomina iſta populorum, legendi S. Hieron. & Theodoretus. Schol* θόργαμα λέγει, κατά τινας, ἀρμενίους ϗ ἴβηρας, κατὰ δὲ ἑτέρους, καππαδόκας ϗ γαλάτας. Thorgoma dicit, ut quidam putant, Armenios, & Iberos, ut autem alii, Cappadocas, & Galatas. (*) Præparabitur.] *In aliquo, & apud Theodoretum, eſt*, ἑτοιμασθήσῃ. ϗ ἐπ' ἐσχάτου τῶν ἐτῶν ἥξεις, ϗ ἥξεις εἰς γῆν, εἰς τὴν γῆν ἀπεστραμμένην ἀπὸ μαχαίρας, ἠθροισμένην ἀπὸ λαῶν πολλῶν, præparaberis, & in noviſſimo annorum venies, & venies in terram averſam a gladio, congregata ex populis multis. *Unus habet*, ἠθροισμένην, congregatam. (*e*) Et hic ex gentibus egreſſus eſt.] *In iiſdem*, ϗ αὐτοὶ ἐξ ἐθνῶν ἐξεληλύθασιν, & ipſi ex gentibus egreſſi ſunt. (*f*) Omnes.] *In iiſdem additur*, αὐτοὶ, ipſi. (*g*) Venies.] *In iiſdem ſequitur*, ὡς καταιγὶς, ϗ, ſicut procella, &. *Sed*, ὑετὸς, *&* καταιγὶς, *videri poſſunt duæ interpretationes.* (*h*) Eris.] *Sic in hebraico. Cæteri*, πέσῃ, cades. (*i*) Carthaginenſes.] *In quibuſdam libris, & apud Theodoretum eſt*, θαρσὶς, Tharſis: *in quibuſdam utrumque conjungitur*, καρχηδόνιοι, ϗ θαρσὶς. *Sanctus Hieronymus*, Tharſis (ſive Carthaginenſes,) *ut appareat ipſum in antiqua habuiſſe Carthaginenſes.* (*k*) Poſſeſſionem.] *In quibuſdam, & apud Theodoretum, additur*, ϗ ὕπαρξιν, & ſubſtantiam. (*l*) Spolia.] *In iiſdem additur*, μεγάλα, magna. (*m*) Conſurges.] *In iiſdem*, γνώσῃ, ϗ ἐγερθήσῃ, *ſed Sanctus Hieronymus*, ſcies, (ſive conſurges,) *ut duæ ſint interpretationes, & noſtra ex antiqua.* (*n*) Iſrael.] *Apud Theodoretum additur*, τῶν προφητευσάντων, qui prophetarunt. (*o*) Et vocabo ſuper ipſum etiam omnem fortitudinem.] *In aliis*, ϗ καλέσω (*al.* συγκαλέσω) ἐπ' αὐτὸν πάντα φόβον μαχαίρας, *& in quibuſdam, & apud Theodor. additur*, εἰς πάντα τὰ ὄρη μου. Et vocabo (*al.* convocabo) ſuper eum omnem fortitudinem gladii, (*ſic etiam Sanctus Hieronymus ex antiqua*,) in cunctis montibus meis.

CAP. XXXIX.

(*a*) DEſuper.] *Videtur valere* ἐπὶ, *ut etiam alibi, idem atque* ἀπὸ, *quod hic eſt in nonnullis & apud Sanctum Hieronymum ex antiqua*, de noviſſimis. (*b*) Perdam.] *Sic Sanctus Hieronymus ex antiqua. In nonnullis eſt*, ἀποτινάξω, excutiam. (*c*) Gog.] *Sic etiam Theodoretus. In pleriſque eſt*, Magog. (*d*) In qua.] *Nonnulli, & Theodoretus*, ἣν, quam, *id eſt*, de qua. (*e*) Et ſuccendent in armis.] *Plerique*, ϗ ἐκκαύσουσι ϗ ἀνάψουσιν ἐν τοῖς ὅπλοις, & accendent, & comburent in armis, *id eſt*, arma. *Quæ autem ſequuntur, ſatis reſpondent recitationi Sancti Hieronymi. In quibuſdam vero eſt*, θυρεοῖς, ϗ πέλταις, ϗ δόρασιν, ϗ τόξοις, ϗ βέλεσιν, ϗ βακτηρίαις χειρῶν, ϗ λόγχαις, ſcutis, & peltis, & haſtis, & arcubus, & jaculis, & baculis manuum, & lanceis. (*f*) Eorum, qui venerint ad mare.] *Sic Sanctus Hieronymus ex antiqua. Plerique, & Theodoretus*, ἐξ ἀνατολῆς τῆς θαλάσσης, ab Oriente mari. (*g*) Defodient.] *Multi*, θάψουσι, ſepelient, *& ſic paulo poſt.* (*h*) Tunc.] *In multis eſt*, τὸ γε, *aut*, τὸ γαὶ, *quod ſignificat vallem: & in noſtra paulo poſt conjungitur*, Gai Polyandrio. (*i*) Inclytum, qua die glorificatus fuerit.] *In quibuſdam codicibus, & apud Theodoretum eſt*, εἰς ὄνομα ἡ ἡμέρα, ἐν ᾗ ἐνδοξασθήσομαι, in nomen dies, in qua glorificabor. (*k*) Eos, qui.] *In pleriſque antecedit*, μετὰ τῶν περιερχομένων, cum circumeuntibus. (*l*) Et quærent.] *Illud*, &, *abeſt a nonnullis: ut conjungi poſſit cum antecedentibus*, poſt ſeptem menſes quæret. (*m*) Civitatis polyandrion.] *Aliquot libri*, τοῦ τόπου διάπτωσις, loci ruina. *Quidam vero, & Theodoretus, addunt etiam*, ϗ πολυάνδριον. *Sanctus Hieronymus ex antiqua refert, ut in noſtra. In comment. autem inquit*, nomen civitatis vocari Amena, quæ græce dicuntur, πολυάνδριον, hoc eſt, multitudo hominum ſepultorum. *Vide quæ notata ſunt Hierem.* 19. (*n*) Arietes.] *In quibuſdam eſt*, κριῶν, ϗ μόσχων, ϗ τράγων, ϗ ἀρνῶν, ϗ ταύρων ἐστεατωμένων πάντων, arietum, & vitulorum, & hircorum, & agnorum, & taurorum, adipatorum omnium. (*o*) In Jacob.] *Illud* in, *abeſt a pleriſque.* (*p*) De regionibus gentium.] *Sic Sanctus Hieronymus ex antiqua. Quidam libri habent*, ἐκ τῶν χωρῶν τῶν ἐχθρῶν αὐτῶν, de regionibus inimicorum eorum: *quidam*, ἐκ τῶν χειρῶν αὐτῶν de manibus eorum. (*q*) Gentibus.] *In cæteris hæc ſequuntur*, ϗ συνάξω αὐτοὺς ἐπὶ τὴν γῆν αὐτῶν ϗ οὐ καταλείψω ἀπ' αὐτῶν οὐκέτι ἐκεῖ, & congregabo eos ſuper terram ſuam & non derelinquam quenquam ex eis ibi. *Quæ ſcribit Sanctus Hieronymus, in lxx non haberi.*

CAP. XL.

In hoc capite ſatis erit ea fere tantum ponere, quæ notata ſunt in græca editione. Infinitum enim eſſet omnes varietates indicare. In hujuſmodi locis, quæ tamen non ſæpe occurrunt, accuratus lector varios codices adeat, & conferat neceſſe eſt: ac legendi explanatores, & præcipue Sanctus Hieronymus, qui eam fere lucem, quæ in tantis tenebris expectari poteſt, unus affert.

(*a*) QUEM vidiſti.] *Illud*, quem, *abeſt a pleriſque. A vulgata autem noſtra abeſt etiam*, vidiſti. (*b*) Antemurale.] *Sanctus Hieronymus in antiqua habet*, murum. *Aquila, & Symm.* τὸ πλάτος τῆς οἰκοδομῆς, latitudinem ædificii. (*c*) Altitudinem.] *Aquila & Symm* ϗ ἀνάστημα, & ſuſcitationem, ac ſtaturam. (*d*) In ſeptem gradibus.] *Symm.* ϗ ἀνέβη δι' ἀναβαθμῶν, & aſcendit per gradus, *& inquit Sanctus Hieronymus ſolos lxx appoſuiſſe numerum.* (*e*) Ælam.] *In pleriſque eſt*, τὸ θεὲ ἓξ, ἓξ, τὸ αἰλάμ, *& apud Sanctum Hieronymum*, Thee, ſex hinc, & ſex inde, Ælam. *&c. Theodoretus inquit apud Syrum ſe reperiſſe*, Ælam, *ſignificare numero ſingulari poſtem*, Ælamoth, *numero multitudinis, poſtes*, Thee, *& limen, & ſuperliminare*, Theim, *vero eadem numero multitudinis: ſed, ut ait* S. *Hieron. nimia vetuſtate, & vitio ſcriptorum, omnia ſunt depravata. Pro Thee quidem Symmac. dixit*, οὐδὸν, limen, *Aquila & Theod.* πρόθυρον, veſtibulum. *Sanctus Hieronymus inquit Thee interpretari limen, ſive frons.* (*f*) Et Thee.] *Symmachus*, τὸν δὲ οὐδὸν, *ut proxime dictum eſt.* (*g*) In medio Theelath.] *Quidam libri habent*, ἀναμέσον τοῦ θεὲ, αἰλὰμ, *ſed* S. *Hieronymus in antiqua habet, ut noſtra pro quo inquit Symmachum dixiſſe*, παραστάδας, id eſt, poſtes, aut thalamos, aut cubicula. *Schol.* ϗ τὴν παραστάδα ἑκατέραν, & poſtem, ſive thalamum utrumque. (*h*) Æleu.] *Schol.* πρόθυρον, veſtibulum. *Theodoretus inquit ſic vocari piſomata, ſive cymatia. S. Hieronymus*: Thalami quoque, & cubicula, quæ erant ad viam portæ Orientalis: pro quibus lxx ἐλεῦ ſcribunt, *ſed paulo poſt inquit interpretari*, circa eum, vel, ſuſtentacula: *ſicut Ælam, & Ælamoth*, veſtibula, & veſtibulum: *& paulo poſt Ælamoth ab Aquila dicta eſſe* frontes, *a Symmacho*, circumſtantias. *Ælam autem eſſe oſtium, vel porticum.* (*i*) Ælam portæ intrinſecus.] *Schol.* τὸ δὲ πρόπυλον τῆς πύλης ἐσώτερον, veſtibulum autem portæ interius. (*k*) Inde.] *In quibuſdam ſequitur*, κατὰ τὴν ὁδὸν τὴν ἀνατολικὴν, per viam Orientalem. *Sed* S. *Hieronymus uno tantum loco, eoque inferiore, qui indicabitur, viæ mentionem apud lxx fieri teſtatur. Symm.* αἱ δὲ παραστάδες τῆς θύρας κατὰ τὴν ὁδὸν τὴν ἀνατολικὴν, poſtes autem januæ ad viam orientalem. (*l*) Introitus portæ.] *Schol.* τοῦ προπυλαίου, veſtibuli, (*m*) Latitudinem.] *Schol. lxx*, μῆκος τῆς πύλης, longitudinem portæ. *Sed* S. *Hieronymus etiam in comment. ſcribit rurſus in lxx, poni latitudinem.* (*n*) In conſpectu Theim.] *Apud* S. *Hieronymum videtur hoc loco mendoſe ſcriptum Theri: & in quibuſdam, eſt* Nabari. *In pleriſque vero ſequitur*, πῆχυς ἑνὸς, ϗ πῆχυς ἑνὸς ὅριον ἔνθεν, ϗ ἔνθεν, *& apud* S. *Hier.* cubiti unius & cubiti unius terminus hinc & inde. *Sch.* ϗ ὅριον ἔμπροσθεν τῶν παραστάδων πῆχυς ἑνὸς, & terminum ante poſtes (*vel.* thalamos, *ut vulgata noſtra*,) cubiti unius. (*o*) Thee.] *Schol.* παραστάδες, *ut proxime.* (*p*) Sub divo Ælam.] *Schol.* περιπύλαιον, veſtibulum. *Sed* S. *Hieronymus inquit Symmachum tranſtuliſſe*, & fecit, περιστάσεις, id eſt, circumſtantias: *pro quibus Aquila dixerit*, κείωμα, *& ipſe, in frontes, verterit. Rurſus autem ita ſcribit*, Sub divo quoque Ælam portæ. Aquila, ante faciem poſtium portæ; Symm. contra faciem veſtibuli portæ, interpretati ſunt. *Quod autem in noſtra ſequitur*, extrinſecus cubiti viginti Theim portæ per circuitum. Et ſub divo portæ, *&c. apud* S. *Hier. ſic habet* (*cujus etiam lectionis ſunt veſtigia in vetuſtis codicibus.*) Et Theim atrii portæ per circuitum. Et ſub divo atrii: *& in comm. inquit pro Theim atrii, quod in hebraica eſt numero ſingulari, Symmachum proprie dixiſſe atrium, Aquilam vero*, κρίωμα, *id eſt, frontem atrii.* (*q*) Abſconditæ.] *Schol.* πεφραγμέναι ἐπὶ τοῖς θαλάμοις, τοξικαὶ, obſtructæ in thalamis, arcuatæ. *Et notat* S. Hier. *quas lxx abſconditas dixerunt, Symmachum vocaſſe*, τοξικάς. *quod autem ſequitur*, ſuper Theim: & ſuper Ælam, *Symmachum poſtes poſuiſſe, & circumſtantias, Aquilam thalamos, & frontes eorum: Quare in ſcholio eſt,* κειώματα. (*r*) Palmæ.] *Sic apud* S. *Hieron. In quibuſdam antecedit, quod videtur etiam apud Theodoretum agnoſci,* ἐγκόλαμμα διάτρητον, ſculptura cælata. (*ſ*) Paſtophoria.] *Schol,* γαζοφυλάκια. S. *Hier.* Pro thalamis triginta, quos vertere lxx ſive gazophylaciis, atque cellariis, ut interpretatus eſt Aquila, Sym. poſuit, ἐξέδρας. (*t*) Intercolumnia.] *Sic apud* S. *Hieron. quod græce,* περίστυλα, *quamvis paulo poſt ſit, per columnas, & in cap. 42. abſolute dicatur,* columnæ: *fortaſſe planius diceretur,* columnatum. *Schol.* ἐξέδραι, exedræ. (*u*) Thee.] *Schol.* τὰ ὑπέρθυρα, καὶ ὑποχωρήσεις αὐτῆς, ſuperliminaria, & ſeceſſus ejus. (*x*) Ad auſtrum.] *Sic* S. *Hier. ex lxx, in comm. Plerique,* κατὰ τὴν ὁδὸν τὴν πρὸς νότον, per viam, quæ ad auſtrum. (*y*) E regione portæ.] *Schol.* non ponitur apud hebræos. (*z*) Introduxit me ad portam reſpicientem ad Orientem.] *In quibuſdam additur,* ὁδὸν κατὰ ἀνατολὰς, viam ad Orientem. *Complut.* εἰς τὴν αὐλὴν ἐσωτέραν ὁδῷ κατ' ἀνατολὰς, in atrium interius per viam Orientalem, *ut* S. *Hieron. in ſua: qui etiam teſtatur hoc tantum loco in lxx haberi, viam, cum in ſeptentrionali & auſtrali plaga omnino tacita ſit.* (*ω*) Aquæductus.] *In cæteris hæc ſequuntur,* ἐκεῖ πλύνουσι τὴν ὁλοκαύτωσιν. ἐν δὲ τῷ αἰλὰμ τῆς πύλης δύο τράπεζαι ἔνθεν, καὶ δύο τράπεζαι ἔνθεν, ibi lavant holocauſtoſim: In veſtibulo autem portæ duæ menſæ hinc, & duæ menſæ inde. *Quæ* S. *Hieron. inquit in lxx non haberi, ſed in pleriſque codicibus de Theodotione addita eſſe, ac præterea etiam quæ ſequuntur in noſtra brevius, in aliis copioſius,* ut immoletur ſuper eas holocauſtum, & pro peccato. *In quibuſdam codd. totus hic locus ſic habet,* καὶ τὰ παστοφόρεια αὐτῆς, καὶ ἑκάστου παστοφορίου ἡ θύρα, καὶ τὰ αἰλαμμὼν αὐτῆς ἐπὶ τὰς θύρας τῶν πυλῶν, ἐκεῖ πλύνουσι τὴν ὁλοκαύτωσιν. ἐν δὲ τῷ προπυλαίῳ τῆς πύλης δύο τράπεζαι ἔνθεν, καὶ δύο τράπεζαι ἔνθεν, τῆς δευτέρας ἐκρύσεως, ὅπως σφάζωσιν, & thalamos ejus: & cujuſque thalami erat janua, & oſtia ejus in foribus portarum, ibi lavant holocauſtoſim. In veſtibulo autem duæ menſæ hinc, & duæ menſæ inde ſecundi aquæductus, (*aut rivi*) ut jugulent, *&c.* (*aa*) Et ad dorſum rivuli.] *Aquila, & Symmach.* καὶ πρὸς τῇ ὠμίᾳ τῇ ἔξωθεν τῇ ἀναβαινούσῃ πρὸς τὴν θύραν τῆς πύλης. *quod in vulgata noſtra*: Et ad latus exterius, quod aſcendit ad oſtium portæ. (*bb*) Et palæſten habebunt Giſum dolatum.] S. *Hier. ex lxx,* & γεῖσος, palmi, (*hoc enim valet palæſte*) habentes dolatum. *Pro giſo autem, quod verbum negat ſe ſcire unde ſit, inquit Symmachum & Theodotionem dixiſſe* χεῖλος, labium: *Aquilam vero in prima editione,* ἐπιστάσεις, *in ſecunda,* labia. (*cc*) Humeri.] *Sic* S. *Hier. cap. ſequenti: quos interpretatur Theodoretus,* anconas.

CAP. XLI.

(*a*) CUI.] *In quibuſdam eſt,* καὶ, &. (*b*) Ælam.] S. *Hier.* Ælim, Theodotio; & in circuitu, Symmachus, tranſtulerunt. (*c*) Æl.] *Hoc videtur* S. *Hier. tribuere Theodotioni, Ælam autem, aut Elau ipſis lxx. Aquilæ, oſtium: ipſe frontem eſt interpretatus.* (*d*) Quadraginta.] *Sic collati codices, & Theodoretus, quamvis in Hebraico, & Syro dicat eſſe viginti. Compl.* εἴκοσι, viginti. S. *Hier.* ſive ut lxx tranſtulerunt, oſtiorum viginti cubitorum. Pro quo in pleriſque codicibus, juxta lxx quadraginta continentur. (*e*) De Giſis.] *Plerique,* ἐκ τῶν μέσων. S. *Hier.* Et de mediis ad triſtega (id eſt, tertia cœnacula:) & Thrael videtur mihi obelo prænotandum. *Ac paulo ante notaverat, pro Thrael, cujus nominis notionem ignoret, cæteros tranſtuliſſe,* & vidi, *quare in aliquo codice, poſt illa adjungitur, ex alia nimirum interpretatione,* καὶ εἶδον κατὰ τὸν οἶκον ἐν ὕψει περικύκλῳ πλευρῶν, & vidi ſecundum domum in altitudine in circuitu laterum. *Schol.* καὶ τὸ θραὲλ, non ponitur apud hebræos. (*f*) Aquilonem.] *In uno codice additur,* εἰς προσευχὴν πηχῶν πέντε περικύκλῳ, ad orationem cubitorum quinque in circuitu. *Iſtud,* εἰς προσευχὴν, *agnoſcit etiam Theodoretus, ſed putat eſſe idem, atque ad Auſtrum. In eodem codice poſt illa,* latitudo luminis reliqui, *additur,* ὁ τόπος τῆς προσευχῆς, locus orationis. *S. Hier. etiam bis habet, ſed utrobique teſtatur in lxx non eſſe.* (*g*) Luminis.] *Compl.* τοῦ τόπου, loci. *Theodoretus inquit lumen porticus eſſe, quod ſolitum ſit vocari,* φωτικὸν, luminare: *de hoc infra cap. 42.* (*h*) Reliqui.] *In aliquo additur,* ὁδὸν, viam. *In Compl. autem eſt,* τοῦ ἀπολοίπου τοῦ πρὸς θάλασσαν, reliqui, quod ad mare. (*i*) Reliqui.] *Compl.* τῶν ἀπολοίπων, *& apud* S. *Hier.* reliquorum: *notat autem reliqua, & ſeparantia, dici, quæ non hæreant parietibus templi, ſed proprios & ſuos habeant parietes. Sæpe autem in numero ſingulari ſolet adjungere reliquum ædificii reliqui ædificii, & ſeparans vocat etiam ſeparatum: pro quo ſecunda Aquilæ editio, & Th. poſuerint verbum hebræum Gazera.* (*k*) Templum.] *Sic etiam apud* S. *Hieron. In multis vero ſequitur,* ἐσώτερος, interius. (*l*) Illuminationes.] *Apud* S. *Hier.* tres ad lucendum, ut proſpiceretur per eas. (*m*) Et uſque prope.] *In quibuſdam eſt,* καὶ ἕως τοῦ οἴκου, *& apud* S. *Hier.* & uſque ad domum interiorem. (*n*) Extrinſecus.] *In quibuſdam codicibus additur,* μέτρα, καὶ, *& apud* S. *Hieron.* menſura & cælata Cherubim. (*o*) Et hinc.] *Ab aliquo codice, & a* S. *Hier. abeſt iſta, repetitio itemque paulo poſt,* & inde. (*p*) Laqueare.] S. *Hier.* laquearia. *Schol.* ὑπεράνω τῆς θύρας, ſupra oſtium. (*q*) Neceſſaria.] *Sic vertit* S. *Hier.* σπουδαῖα, *aut,* cura digna. *Compl.* καὶ κατὰ τὰ ξύλα, & ſecundum ligna. (*r*) Ad faciem.] *Schol.* ἔμπροσθεν, ante, in fronte, *& rurſus* S. *Hier. Ælam interpretatur,* ſuperliminaris, & veſtibuli, *& paulo poſt,* propyli. (*) Et latera domus.] *Schol.* καὶ τὰ πάχη, Et craſſitudines. (*ſ*) Æqui ponderis.] *Sic idem, quod græce,* ἐζυγωμένα.

CAP. XLII.

(*a*) INtroduxit.] *Compl.* ἐξήγαγεν, *& apud* S. *Hier.* eduxit. (*b*) Interius.] *Cæteri,* ἐξωτέραν, *& apud* S. *Hier.* exterius. (*c*) Aquilonem.] *In pleriſq; ſequitur,* κατὰ πρόσωπον, *& apud* S. *H.* e contra. (*d*) Per ordinem.] *Ita apud* S. *Hier. quod græce,* ἐστοιχισμέναι, *aut,* ut *Compl.* κατὰ στίχον. *Sch.* ἔκθετον πρὸς πρόσωπον ἐκθέτου ἐν τειχοῖς, ſolarium ad faciem ſolarii internis. S. *Hier. ad finem lib. 12.* ἔκθετα autem Romæ appellant ſolaria de cœnaculorum parietibus eminentia, ſive Mæniana, *&c. Fortaſſe etiam poſſet verti,* angulus ad angulum. (*e*) Longitudo.] *Aut,* longitudinis, *ut* S. *Hier. In quibuſdam codicibus ſequitur,* ὁδὸν πήχεος ἑνὸς, *in ſcholio,* πρὸς τὴν ἐσωτέραν ὁδὸν πήχεος ἑνὸς, *in aliquo* εἰς τὸ ἐσώτερον ὁδὸν πήχεος ἑνὸς, *& apud* S. *Hier.* in interiorem viam cubiti unius: *quod reſpondet potiſſimum ſcholio. Eſt etiam, ubi pro,* ὁδὸν, *ſcriptum eſt,* οὐδὸν, *de quo dictum eſt, cap. 40.* (*f*) Duæ.] *Abeſt a multis. Apud* S. *Hier. totus hic locus ſic habet,* quoniam eminebant columnæ a columnis inferioribus, & ſpacium ſimile erat: *& ita fere in Complut.* ὅτι ἐξεῖχε τὸ περίστυλον ἔξωθεν τοῖς στύλοις τοῖς κατωτέροις, καὶ τὸ διάστημα οὕτως. (*g*) Quia triplices erant.] *Apud* S. *Hieron.* Et porticus triplices erant. *Symm* τρίστεγα γὰρ ἦν, *&* S. *Hier. in ſua,* Triſtega enim erant. (*h*) Eminebant.] *Th.* ἐπισυνήχθησαν ὑπὲρ κατώτερα, ſupercolligebantur ſuper inferiora. (*i*) Lumen] S. *Hier.* Pro peribolo, ſive muro, lxx lumen interpretati ſunt. *Complut.* φλιὰ, limen. (*k*) Et ad Auſtrum.] *Abeſt illud,* &, *a* S. *Hier.* (*l*) Filii Sadduc.] *Schol.* Non ponitur apud hebræos. *Idem notat* S. *Hieron.* (*m*) Qui offerunt.] *In pleriſque vetuſtis ſequitur,* καὶ ἐκεῖ ἀποθήσονται τὰ ἱμάτια αὐτῶν, ἵνα μὴ ἅπτωνται, & ibi deponent veſtimenta ſua, ut non tangant, *&c.* (*n*) Calamo.] *Sic enim videtur vertendum illud,* καλάμῳ. *In quibuſdam eſt* καὶ τὰ τέσσαρα μέρη ἐμέτρησε τῷ αὐτῷ καλάμῳ, & quatuor ipſas partes menſus eſt eodem calamo. (*o*) Et diſpoſuit ipſum, & murum eorum.] *In Compl. eſt,* καὶ διέταξεν περίβολον αὐτῷ κύκλῳ, & diſpoſuit ei peribolum (*ſive,* murum) per circuitum. (*p*) Quingentorum.] *In nonnullis additur,* πηχῶν, cubitorum: *quod fatetur* S. Hieronymus *ſibi celeritate excidiſſe, cum in hebræo habeatur tantum,* quingentorum, *ut ſubaudiatur,* calamorum.

CAP. XLIII.

(*a*) VOX geminantium multorum.] *Theodoretus*: Apud Hebræum & Syrum inveni, ὡς φωνὴ ὑδάτων πολλῶν, *&* S. *Hier. in ſua,* quaſi vox aquarum multarum. (*b*) Ungerem.] *Theodoretus*: παρὰ τῷ σύρῳ καὶ παρὰ τῷ ἑβραίῳ εὗρον, ὅτε εἰσῆλθον ἀπολέσαι τὴν πόλιν. δηλοῖ δὲ τὴν δευτέραν ὀπτασίαν, ἐν ᾗ ἐθεάσατο καὶ τοὺς ἐπιφερομένους τὰς πελέκεις, καὶ τὴν πόλιν κόπτοντας. καὶ τὸν τοὺς ἄνθρακας κατὰ πάσης τῆς πόλεως διασκεδάσαντα, ὅτε καὶ τὸ σημεῖον εἶδεν ἐπιτεθὲν τοῖς στενάζουσιν ἐπὶ ταῖς τοῦ λαοῦ παρανομίαις καὶ εἰκὸς τοὺς ό. τῇ διανοίᾳ προσεσχηκότας, χρῖσιν καλέσαι τὴν τῶν μετώπων σημείωσιν τῶν ἀπαλλαγέντων τῆς τῶν κοπτόντων τιμωρίας. Apud Syrum, & apud Hebræum inveni, ὅτε εἰσῆλθον ἀπολέσαι τὴν πόλιν, quando ingreſſus ſum (*ſic Hebræus, & Chaldæus, aut,* ingreſſi ſunt. S. *Hier.* venit) ad diſperdendam civitatem. Significat autem ſecundam viſionem, in qua ſpectavit & eos qui afferebant ſecures, civitatemque percutiebant, & illum qui carbones ſuper omnem civitatem diſpergebat: quando etiam ſignum illud vidit impoſitum illis, qui gemebant ſuper populi iniquitatibus. Et conſentaneum eſt lxx ad ſententiam attendentes unctionem vocare frontium notationem, eorum qui liberati erant de ſupplicio percutientium. *De hac eadem varietate* S. *Hieron. Alii libri habent,* τοῦ χρῆσαι, *quod vel, pro* χρῖσαι, *per errorem poſitum eſt, vel, ſi pro alia lectione accipitur, idem ferme ſignificat, quod,* ἀπολέσαι. (*c*) Connexum inter ſe & me.] *Videtur idem valere* συνεχόμενον ἐμοῦ καὶ αὐτῶν, *ac ſi diceretur,* ἀναμέσον ἐμοῦ, *quod eſt in nonnullis. Apud* S. *quidem Hieronymum ita eſt, ut poſuimus.* (*d*) Homicidia.] *In quibuſdam eſt,* παραπτώματα, *aut,* πτώματα, ruinas, *& paulo ſuperius, pro,* φόνοις, παραπτώμασι, *ſed apud* S. *Hieron. ut in noſtra.* (*e*) Illius.] *Sic apud eundem. In quibuſdam ſequitur,* εἴπως ἐντραπῶσιν, ſi quomodo confundantur. (*f*) Et exitus ejus.] *In pleriſque eſt,* καὶ τὴν ἑτοιμασίαν αὐτοῦ, καὶ τὰς ἐξόδους αὐτοῦ. *in quibuſdam præterea ſequitur,* καὶ τὰς εἰσόδους αὐτοῦ. *apud* S. *Hieron.* & preparationem ejus, & exitus, atque introitus ejus. (*g*) Ejus.] *Quidam addunt,* καὶ πάντας τοὺς νόμους αὐτοῦ, *& apud* S. *Hier.* & omnes leges ejus. (*h*) Et hæc.] *in cæteris hæc antecedunt,* οὗτος ὁ νόμος τοῦ οἴκου, *& apud* S. *Hier.* Iſta eſt lex domus. (*i*) Cubiti, & palæſtes.] *In Compl. eſt,* τοῦ πήχεος, καὶ πῆχυς παλαιστῆς, cubiti & cubitus palæſtes. *Apud* S. *Hier.* in cubito perfecto, cubitus, & palæſtes. (*k*) Giſus.] S. *Hier.* pro quo Aq. Symm. & Th. poſuerunt, terminum: *ipſe autem poſuit, labium.* (*l*) A profundo exordii civitatis.] S. *Hier. habet in antiqua,* exordii ſinus. *Sed fortaſſe ex Aq. fuit ſumptum. Ita enim Aquila,* ἀπὸ τοῦ κόλπου τῆς γῆς ἕως τοῦ κρηπιδώματος τοῦ κατωτάτου, de ſinu terræ uſque ad crepidinem infimam, *aut,* noviſſimam, *ut* S. *Hier. in ſua. Notat autem, Theodotionem, pro crepidine, ſive propitiatorio, retinuiſſe nomen hebraicum,* Azara, *Symmachum vero dixiſſe,* περιδρομὴν, *hoc eſt, circuitum.* (*m*) A propitiatorio.] *Aq.* κρηπιδώματος τοῦ κατωτάτου, a crepidine infima. (*n*) Ariel.] *Euſebius. Dicunt exponi,* λέων θεοῦ, leo Dei. *Polychronius,* ὄρος θεοῦ, mons Dei. *Theodoretus,* τὸ ἀριὴλ σημαίνει τῇ ἑβραίων φωνῇ ὄρος θεοῦ, ἢ κατ' ἄλλην ἑρμηνείαν, φῶς θεοῦ. τὸ ἀριὴλ, ſignificat hebræorum lingua montem Dei, vel, ſecundum aliam interpretationem, lumen Dei: *putat autem hic ſignificare baſim altaris.* S. *Hier.* Ariel, ut plerique æſtimant, interpretatur, lux mea Deus. (*o*) Duodecim.] *In pleriſque ſequitur,* πλάτος, *& apud* S. *Hier.* in latitudine. (*p*) Manus ſuas.] *Sic apud* S. *Hier. in comm. ex lxx, licet in contextu antiquæ habeat,* eorum, *in ſua,* ejus: *quomodo inquit & cæteros interpretes vertiſſe.*

CAP. XLIV.

(*a*) ÆLAM.] *Schol. Ælam interpretatur,* πρόθυρον πύλης, veſtibulum portæ: *& Sanctus Hieronymus,* veſtibuli, id eſt, Ælam. (*b*) Exaſperantem.] *Schol.* Cæteri, προσεριστὴν, καὶ φιλόνεικον, contentioſam, & pervicacem. (*c*) Carnes.] *Cæteri,* στέαρ, adipem. (*d*) Et diſpoſuiſtis cuſtodire.] *In quibuſdam codicibus eſt (cujus lectionis optime reſpondentis hebraico, ſunt etiam aliqua veſtigia in aliis)* καὶ οὐκ ἐφυλάξατε τὴν φυλακὴν τῶν ἁγίων μου, καὶ διετάξατε αὐτοῖς τοῦ φυλάσσειν, & non cuſtodiſtis cuſtodiam ſanctorum meorum, & diſpoſuiſtis eis, ut cuſtodirent, *&c.* (*e*) Qui reſilierunt.] *Plerique,* οἱ μακρυνθέντες, *& apud Sanctum Hieronymum,* qui longe receſſerunt a me: *cætera apud ipſum conveniunt cum noſtris. In uno autem pervetuſto ſequitur,* ἀπ' ἐμοῦ ἐν τῇ πλάνῃ τῶν υἱῶν ἰσραὴλ τῶν πλανηθέντων ὀπίσω τῶν εἰδώλων αὐτῶν. καὶ ἦσαν ἐν τῷ ἁγιάσματί μου λειτουργοῦντες τὰς ἐπισκοπὰς κατὰ τὰς πύλας τοῦ οἴκου αὐτοὶ ἔσφαζον τὴν ὁλοκαύτωσιν, καὶ τὴν θυσίαν τῷ λαῷ, καὶ αὐτοὶ εἱστήκεισαν ἐνώπιον αὐτῶν λειτουργεῖν αὐτοῖς. ἀνθ' ὧν οὖν ἐλειτούργησαν αὐτοῖς ἐνώπιον τῶν εἰδώλων αὐτῶν, καὶ ἐγενήθησαν εἰς κόλασιν ἀνομίας, ἕνεκα τούτου. *Quæ ſatis reſpondent vulgatæ, & ex iis quæ proxime notabuntur, videri poſſunt accepta magnam partem de Symmachi editione.* (*f*) Quæ fecerint.] *Sanctus Hieronymus in antiqua addit,* in eo. *Totus autem hic locus in eodem vetuſto ſic habet,* δέδωκα γὰρ αὐτοὺς τοῦ φυλάσσειν τὴν φυλακὴν τοῦ οἴκου εἰς πᾶσαν λατρείαν αὐτοῦ, καὶ εἰς πάντα τὰ γινόμενα ἐν αὐτῷ. οἱ δὲ ἱερεῖς οἱ λευῖται, *&c. Quæ videntur ſatis convenire cum iis quæ a Sancto Hieronymo ex Symmacho afferuntur* : poſueram enim eos cuſtodes januarum domus univerſi miniſterii ejus, & cunctorum quæ fiunt in ea, *& ſubjungit Sanctus Hieronymus*, ut non ad eos pertineat, qui futuri ſunt in templo, ſed ad eos, qui fuerunt. *Pro eo autem, quod nos diximus*, demittent, *& græce eſt*, κατάξουσι, *in aliis eſt*, καὶ τάξουσι, *& apud Sanctum Hieronymum*, & ponent. (*g*) Violenter.] *Sanctus Hieronymus, ex Aquila, & Symmacho*, in ſudore, *ex Aquilæ ſecunda editione*, Buza. (*h*) Ad preſſum tondebunt.] *Sic Sanctus Hieronymus ex lxx. Theodoretus, Syrus & Hebræus dixerunt*, οὐ θρέψουσιν, non nutrient. (*i*) Super animam.] *Theodoretus*, Hebræus, & Syrus ἐπὶ νεκρῷ, ſuper mortuum. (*k*) Et erit.] *Sic hebræus : & ſubintelligunt*, ſacerdotium, *aut ejuſmodi quiddam. Chaldæus tamen convenit cum vulgata*, non erit eis hæreditas. *In pleriſque codicibus eſt*, καὶ ἔσονται, & erunt. (*l*) Sacrificia.] S. *Hieron.* Pro victima, & ſacrificio, quod hebraice dicitur mincah, Aquila & Symm. interpretati ſunt, donum. Rurſus pro voto, quod lxx. ἀφόρεισμα, hoc eſt, ſeparationem tranſtulerunt, Aquila & Symm. & Theodotio anathema interpretati ſunt : *& in c. 45. docet ſacrificium ſive donum proprie pertinere ad ea quæ ex ſimila, & polenta, & oleo afferuntur in ſacrificio. Theodoretus etiam cap. 46. inquit Manaa eſſe ſacrificium ſimilaginis.* (*m*) Veſtras.] *Abeſt a nonnullis, & a* S. *Hieronymo in antiqua.*

CAP. XLV.

(*a*) VIginti.] *Plerique codices, & Theodoretus hic*, δέκα, decem : *& nonnulli etiam deinceps in ſimilibus locis.* (*b*) Erunt ex hoc ſanctificationes.] *In pleriſque*, ἔσται ἐκ τούτου ἁγίασμα, *aut*, τὸ ἅγιον, *vulgata noſtra*, & erit ex hoc ſanctificatum. (*c*) Spatium.] *In aliquo eſt*, ἀφόρεισμα, ſeparatio. S. *Hieron.* in ſuburbana, vel, ut Symm. & Th. & lxx, tranſtulerunt, in terminum, & ſeparationem, & ſpacium. (*d*) Sancta ſanctorum. De terra.] *In nonnullis eſt*, τὸ ἁγίασμα τὸ ἅγιον τῶν ἁγίων. ἅγιον (*Complut.* ἡγιασμένον) ἀπὸ τῆς γῆς τούτο. S. *Hier.* Et in ipſo erit templum (ſive ſanctificatio) Sanctumque Sanctorum. Sanctificatum de terra, *&c.* (*e*) Separatis.] *Plerique*, ἀφωρισμένος, ſeparatus. (*f*) Civitates.] S. *Hier.* viginti gazophylacia, juxta Aquilam, exedras, juxta Symmachum, thalamos, juxta Theodotionem gazeras, ſive, ut lxx tranſtulerunt, civitatem. Per quod intelligimus ſeparatum quendam locum ad habitationem Levitarum urbis vocabulo nuncupari. (*g*) Et ab iis.] *In quibuſdam hic locus ſic habet*, ἐπὶ θάλασσαν· καὶ ἀπὸ τῶν πρὸς θάλασσαν τὰ κατ᾽ ἀνατολὰς πρὸς ἀνατολάς· καὶ τὸ μῆκος, ὡς μία τῶν μερίδων, ἀπὸ τῶν ὁρίων τῶν πρὸς θάλασσαν τὸ μῆκος ἐπὶ τὰ ὅρια τὰ πρὸς ἀνατολὰς τῆς γῆς, ad mare. Et ab iis quæ ad mare, quæ ad Orientem ad Orientem. Et longitudo, ſicut una partium : (*id eſt, eadem omnibus :*) A terminis, qui ad mare, longitudo ad terminos, qui ad Orientem terræ. *Et reſpondent ſatis vulgatæ, demptis iſtis*, ab iis, quæ ad mare, *quæ ex noſtra videntur admiſta.* (*h*) Auferte.] *Aliqui, & Theodor.* ἀπορρίψατε, abjicite. (*i*) Gomor.] *In pleriſque ſequitur*, τὸ μέτρον, menſura. *In quibuſdam*, τὸ οἰφὶ, *aut*, οἰφι. S. *Hier. licet in contextu antiquæ habeat*, Ephi, *tamen in comm. inquit lxx*, pro Ephi interpretatos eſſe menſuram, pro bato, chœnica, pro coro, gomor : *de quibus menſuris accurate etiam Theodoretus.* (*k*) Ad gomor erit æqualitas.] *Id eſt, æqua libratio eorum, ut vulgata noſtra. Apud* S. *Hieron. in antiqua conjungitur hoc modo cum ſequentibus*, Gomor erit æquum ad pondus viginti oboli. *In quibuſdam libris eſt*, πρὸς τὸ γόμορ ἔσται ἴσον τὸ σήκωμα. καὶ τὰ σάθμια εἴκοσι ὀβολοὶ (*ita enim corr. in noſtra*) ὁ σίκλος, Ad Gomor erit æquale ſicoma. Et pondera, viginti oboli ſiclus. S. *Hier. ſcribit hic lxx pro ſiclo dixiſſe appendiculum : ac fortaſſe ita vertit iſtud*, σήκωμα, *aut* σάθμιον, *licet alii ſicoma vertant, æquipondium, aut æquilibrium.* (*l*) Quinque ſicli, quinque & ſicli decem, & quinquaginta ſicli.] *In pleriſque eſt*, εἴκοσι σίκλοι, πέντε καὶ εἴκοσι σίκλοι, δέκα καὶ πέντε σίκλοι, *& apud* S. *Hier.* viginti ſicli, quinq; & viginti ſicli, decem & viginti ſicli: *ut ſimul ſint ſexaginta. In quibuſdam tantum eſt*, οἱ δὲ πεντήκοντα σίκλοι, quinquaginta autem ſicli : *& hunc numerum in mina inquit Theodor. præcipi. In noſtra videtur utraque lectio admiſta non ſine aliquo mendo. Ac fatetur S. Hieronymus, ita hæc apud vulgatam editionem lxx eſſe perturbata, ut intelligi non poſſint.* (*m*) Menſuræ.] *In quibuſdam* τοῦ οἰφι, *ſed rurſus* S. *Hier. teſtatur, lxx, & hic pro œphi dixiſſe menſuram, pro coro autem nunc Gomor, nunc ipſum corum, & in menſura olei pro bato, cotylam, id eſt, cyathum.* (*n*) Ipſius œphi.] *Illud*, αὐτοῦ, *abeſt a pleriſque, & a* S. *Hieronymo etiam in antiqua, & in quibuſdam eſt*, τοῦ μέτρου, menſuræ. (*o*) Gomor.] *Nec plura apud* S. *Hier. In quibuſdam ſequuntur hæc*, τὰ δὲ δέκα γομὸρ κόρος, decem autem gomor corus : *quomodo etiam videtur habuiſſe Theodoretus.* (*p*) Templi.] *Ita* S. *Hieron. ex lxx, pro quo inquit Theodotionem poſuiſſe verbum hebraicum ; ipſe autem poſuit*, crepidinis altaris : *& fortaſſe illud*, ἱεροῦ, *poſſet hoc idem ſignificare.* (*q*) Portionem.] *Plerique*, ἀγνοοῦντος, καὶ νηπίου, *aliqui conjungunt utrumque*, παρ᾽ ἑκάστου ἀγνοοῦντος, καὶ νηπίου ἀπόμοιραν. S. *Hier. videtur habuiſſe*, περὶ. *Scribit enim lxx poſuiſſe*, pro ignorante, & pro parvulo. (*r*) Coctionem.] *Schol.* σεμίδαλιν, ſimilam. S. *Hier. inquit a lxx poſitum eſſe pro œphi.* (*ſ*) In.] *Theodoretus, Illud*, εἶν, *apud Syrum inveni*, ἥμιναν, heminam. *De hoc alibi dictum eſt.*

CAP. XLVI.

(*a*) INterioris.] *Alii*, τῆς ἔξωθεν, exterioris. *Ab aliquo abeſt illud* τῆς, *& in vulgata noſtra*, deforis, *ut intelligi poſſit non portæ exterioris, ſed a parte exteriore ipſius portæ.* (*b*) Coctionem.] *Aliqui* οἰφι, *ſed hic etiam ut in cap. ſuperiore, notat* S. *Hier. lxx pro œphi, dixiſſe*, πέμμα. (*c*) Confeſſionem.] *Nonnulli*, ἑκούσιον. S. *Hier.* Pro eo quod nos diximus, ſpontaneum, lxx, ὁμολογίαν, id eſt, confeſſionem, verterunt. (*d*) Salutaris.] *In quibuſdam*, ἢ εἰρηνικὰς σωτηρίου. *Sed rurſus* S. *Hieron.* Pro pacificis lxx. ſalutaria interpretantur. (*e*) Manaa.] *Notat* S. *Hier. hoc Theodotionem dixiſſe*, ſacrificium, *Aquilam, & Symmachum*, donum. (*f*) Ejus, quæ ad tergum, portæ.] τὸ κατὰ νώτου τῆς πύλης. *Variant hic exemplaria : a multis abeſt illud*, τῆς. *In Compl. eſt*, τὴν. S. *Hieron. in ſua, ſimul etiam indicando antiquam*, per ingreſſum, qui erat ex latere (vel poſt tergum) portæ. (*g*) Ad latus.] *In quibuſdam*, (*& aliqua ex parte etiam in aliis*) *eſt*, καθ᾽ ἕκαστον κλίτος αὐλὴ αὐλὴ, ἐπὶ τὰ τέσσαρα κλίτη τῆς αὐλῆς, αὐλαὶ μικραὶ μήκους, *&c.* ad unumquodque latus atrium atrium : ad quatuor latera atrii, atria parva longitudinis, *&c.* S. *Hier. inquit lxx, vocaſſe*, atria minora.

CAP. XLVII.

(*a*) EGrediebatur.] *Polychronius*, ἐξεπορεύετο ἀπὸ τοῦ οὐδοῦ τῆς θύρας, egrediebatur e limine portæ. (*b*) Sicut exitus.] *Polychronius, Hebræus*, καὶ ἰδοὺ ἐν τῷ ἐξιέναι τινὰ ἄνθρωπον, & ecce in exeundo quendam hominem. (*c*) Mille in menſura.] *Aliquot libri habent*, χιλίους ἐν τῷ μήκει πήχεις. διῆλθεν ἐν τῷ ὕδατι ὕδωρ ἕως ἀστραγάλων, καὶ διεμέτρησε χιλίοις, καὶ διῆλθεν ἐν τῷ ὕδατι ὕδωρ ἕως τῶν γονάτων. καὶ διεμέτρησε χιλίους, καὶ διῆλθεν ὕδωρ ἕως ὀσφύος, mille in longitudine cubitos : tranſivit in aqua aquam uſque ad talos. Et menſus eſt mille : & tranſivit in aqua aquam uſque ad genua. Et menſus eſt mille, & tranſivit aquam uſque ad lumbum : *quæ etiam agnoſcuntur apud Theodoretum : ſed manifeſto S. Hieron. noſtra agnoſcit ex lxx, & illud* ἀστραγάλους, *refert ex cæteris tribus interpretibus : atque explicat quid ſit aqua remiſſionis, id eſt*, ἀφέσεως, *pro quo in Compl. eſt*, ἀφαιρέσεως. (*d*) Quoniam intumeſcebat.] *Aut*, excreſcebat, *quod græce*, ἐξύβριζεν, *aut, ut in nonnullis* ἔβραζεν, *vel*, ἐκβράζεν. *In quibuſdam totus hic locus ſic habet*, καὶ διεμέτρησε χιλίους, καὶ ἰδοὺ χείμαρρος, ὃν οὐκ ἠδύνατο διελθεῖν, ὅτι ἐξύβριζε τὸ ὕδωρ ὡς ῥοῖζος χειμάρρου, ὃν (*al.* οὐ) οὐ διαβήσονται. *S. Hieron. hunc locum ſic refert ex lxx.* Et menſus eſt mille : & non poterat pertranſire ; quoniam ferebatur aqua inſtar præcipitis torrentis, qui tranſiri non poteſt. (*e*) In converſione mea.] *S. Hier. videtur habuiſſe in antiqua*, cumque me convertiſſet. (*f*) In Galilæam.] *S. Hieron.* Aquila interpretatus eſt θῖνας, quod tumulos ſignificat arenarum, Symm. μεθόριον, quod poſſumus transferre, confinium. (*g*) Et deſcendebat in Arabiam, & veniebat.] *In quibuſdam codicibus eſt*, καὶ καταβαῖνον ἐπὶ τὴν ἀραβίαν, (*al.* ἀοίκητον) καὶ ἐρχόμενον, & deſcendit ad Arabiam (*al.* inhabitabilem) & venit. *Polychronius, Hebræus*, ἐπὶ δυσμὰς, ad Occidentem, *aut*, ad declivia. *S. Hier.* Pro Arabia, Symm. inhabitabilem : Aquila, humilia, vel plana : Theodotio, Arabas tranſtulerunt. (*h*) Exitus.] *In quibuſdam additur*, τῆς θαλάσσης, maris. (*i*) Ebullientium.] *Sic etiam Theodoretus. S. Hier. ex antiqua*, animalium ſerpentium. (*k*) Ab Ingadim.] *Theodoretus*, Iſtud, ἀπὸ ἐνγαδδεὶν (*al.* ἰωγαδδὶ) ἕως ἰωαγλὶμ (*aut*, ἐναγαλλεὶμ) ſignificat a tentationibus, & afflictionibus ad lætitiam. τὸ ἐνγαδδεὶν, ὀφθαλμὸν πειρατηρίου σημαίνει· τὸ δὲ ἐναγαλλεὶμ, ὀφθαλμὸν μόσχου εἰς θυσίαν προσφερομένου, καὶ τὴν ἁμαρτίαν λύοντος. Nam ἐνγαδδεὶ, ſignificat oculum tentationis ; ἐναγαλλεὶμ, vero oculum vituli, ad ſacrificium oblati, & peccatum ſolventis. *Legendus S. Hieron.* (*l*) Sanabunt.] *Schol.* ἰαθῶσιν. *In aliquo codice eſt*, οὐ μὴ ἰαθῇ, εἰς ἅλας δοθήσονται, *quod in vulgata noſtra* : non ſanabuntur, ſed in ſalinas dabuntur. (*m*) Non veteraſcet in eo.] *In nonnullis & apud Theodoretum eſt*, οὐ (*al.* ὃ) οὐκ ἀποῤῥυήσεται τὸ φύλλον αὐτοῦ, καὶ οὐ μὴ παλαιωθῇ ἐπ᾽ αὐτοῦ. *Sed has eſſe duas interpretationes indicat S. Hieron. ita dicens*, non defluet folium ex eo (ſive, non inveteraſcet ex eo.) (*n*) De novitate ſua primitiva dabit.] *In aliquo codice, & apud Theodoretum eſt*, τῆς καινότητος αὐτοῦ εἰς τοὺς μῆνας αὐτοῦ πρωτογεννήσει. *S. Hieron.* Per ſingulos menſes afferet primitiva, ſive, ut in lxx ſcriptum eſt, fructus ejus in renovatione ſui primitiva dabit. (*o*) Hæ.] *In multis abeſt iſtud*, ταῦτα. (*p*) Augmentum funiculi.] *In aliquo eſt*, ἰωσὴφ διπλοῦν σχοίνισμα, πρόσθεσις σχοινίσματος. *Sed duas eſſe interpretationes indicat S. Hieron.* Pro eo, quod nos diximus, quia Joſeph duplicem funiculum habet, lxx tranſtulerunt augmentum funiculi, (etenim Joſeph interpretatur, augmentum) rem intelligentes pro nomine. (*q*) Deſcendente] *In Compl. & ex parte in aliis eſt*, ὁδὸν αἰθαλὼν τῆς εἰσόδου σηδάδα, αἱμὰθ, βερωθὰ, σαβαεὶμ τὰ ἀναμέσον ὁρίων δαμασκοῦ, καὶ ἀναμέσον ὁρίων ἡμαθὶ αὐλαὶ τῶν θιχων, αἵ εἰσιν. *&c.* per viam Æthalon introitus Sedada, Æmath, Berotha, Sabarim, quæ inter terminos Damaſci, & terminos Emathi, atria Thicon : *quæ ſatis reſpondent vulg. noſtræ : neq; hoc loco S. Hier. affert varietates : tantum inquit Sym. pro atrio Thicon dixiſſe, atrium medium. Sed maximæ ſemper in hujuſmodi locorum deſcriptionibus varietates, & menda : quare accuratus lector codices conferet. Etiam in cap. ſequenti in omnibus eſt*, καταβάσεως, *&* τοῦ περισχίζοντος, *ubi vulgata*, Hethalon pergentibus, *&c.* (*r*) Et, qui ad Orientem.] *In multis libris eſt*, κατὰ βοῤῥᾶν καὶ τὸ ὅριον ἡμὰθ, τὸ ὅριον βοῤῥᾶ, κατὰ πρόσωπον ἀνατολῶν. καὶ τὰ πρὸς ἀνατολὰς, ad Aquilonem, & terminus Emath terminus Aquilonis ad faciem Orientis. Et qui ad Orientem, *ubi*, κατὰ πρόσωπον ἀνατολῶν, *&* καὶ τὰ πρὸς ἀνατολὰς, *aut gemina interpretatio eſt, aut videtur redundare.* (*ſ*) Palmeti.] *S. Hier.* Quod autem in lxx ponitur, φοινικῶνος, id eſt, palmeti, in hebræo non habetur : pro quo nos, metiemini, interpretati ſumus. *Compl.* φοινίκων, palmarum. (*t*) Auſter.] *In aliquo eſt*, τοῦ νότου, καὶ λιβός. καὶ τὸ μέρος τῆς θαλάσσης, θαλάσσης τῆς μεγάλης, ἣ ὁρίζει, Auſtri, & Africi. Et pars maris, maris magni, quod diſterminat, *&c id eſt, plaga Occidentalis eſt ipſius maris magni, &c.* (*u*) Quaſi veſtri.] ὑμῶν ὡς, *nonnulli*, ὑμῖν ὡς ; vobis quaſi.

CAP. XLVIII.

(*a*) ÆLAM] *In quibuſdam eſt*, αἰνάν. *Compl.* αἰνὼν, *& vulgata noſtra* Enon. (*b*) Una.] S. *Hier.* Quod in quinque, & ſeptem tribubus ſemper in fine ponitur, una ſubintelligitur vel pars, vel poſſeſſio, vel hæreditas : licet Aq. & Symm. interpretentur genere neutrali τὸ ὅριον, quod ſignificat terminum. (*c*) Primitias.] *Multi*, ἀπαρχὴ, primitiæ. (*d*) Vigintiquinque.] *In aliquot codicibus eſt*, δέκα, decem. (*e*) Ex his.] *Compl.* καὶ αὗται αἱ ἀπαρχαὶ τοῦ ἁγιάσματος τοῖς ἱερεῦσιν. Et hæ primitiæ ſanctificationis ſacerdotibus. (*f*) Decem millia.] *In pleriſque hæc ita ſunt poſita*, εὖρος δέκα χιλιάδες, καὶ πρὸς ἀνατολὰς πλάτος δέκα χιλιάδες, καὶ πρὸς νότον μῆκος εἴκοσι, καὶ πέντε χιλιάδες, latitudo decem millia, & ad Orientem latitudo decem millia, & ad Auſtrum longitudo quinque & viginti millia. (*g*) Et latitudo viginti millia.] *Hæc abſunt a pleriſque. Vulgata noſtra habet*, decem. (*h*) Antemurale.] S. *Hieron.* Quod nos vertimus in prophanum, pro quo Aquila, βέβηλον, Symmachus, & Th. λαϊκὸν, tranſtulerunt, lxx dixere, προτείχισμα, quod antemurale poſſumus dicere. (*i*) Spatium.] *In quibuſdam eſt*, εἰς προάστεια. *Sed eſt alia interpretatio. Teſtatur enim* S. *Hieron. lxx, pro ſuburbanis*, dixiſſe ſpatium. (*k*) Quinquaginta.] *In aliquo additur*, πήχεις, cubiti. S. *Hieron. ſubintelligit calamos.* (*l*) Et erunt primitiæ ſanctuarii.] *In quibuſdam eſt*, καὶ ἔσονται κατέναντι τῆς ἀπαρχῆς τοῦ ἁγίου, & erunt e regione primitiarum ſanctuarii. (*m*) Ad quinque.] *Cæteri*, κατὰ πρόσωπον ἐπὶ πέντε. *Et S. Hieron. ex antiqua*, contra faciem viginti quinque millium. (*n*) Et ducum erit.] *Plerique*, τῷ ἀφηγουμένῳ ἔσται, duci erit. *In Complut. etiam paulo ante, pro*, τῶν ἀφηγουμένων, *eſt*, τοῦ ἀφηγουμένου, ducis. (*o*) Barimoth.] *Plerique*, Marimoth, *ut ſupra, aut Mariboth, quod Sanctus Hieronymus & Theodoretus notant ſignificare aquas contradictionis.* (*p*) Hæreditatis] *Nonnulli*, κληρονομία, hæreditas. *Et ita S. Hieron. in ſua, licet in comment. vocabulum hebraicum, quod & hæreditatem, & torrentem ſignificat, hoc loco pro torrente potius accipendum putet.* (*q*) Egreſſus.] *Sanctus Hieronymus ex cæteris tribus*, διέξοδος, eodem ſenſu.

DANIEL.

HÆC *Soſannæ hiſtoria in omnibus vetuſtis libris eſt principium Danielis, quemadmodum etiam apud S. Athan. in ſynopſi. Et in multis inſcribitur*, Daniel, *ut in noſtra: in quibuſdam*, Σωσάννα, Suſanna: *in aliquo*, διάκρισις Δανιήλ, Judicium Daniel. *In editione vulgata eſt cap.* 13. (*a*) De quibus loquutus eſt Dominus.] *Schol.* τουτέστιν ὧν αὐτὸς ὁ δεσπότης κατεφήσατο, id eſt, contra quos ipſe Dominus pronunciavit. *Sed legendus S. Hieron.* (*b*) Vulnerati amore ejus.] *Sic vulgata quaſi per paraphraſim, quod græce purius*, κατανενυγμένοι περὶ αὐτῆς, compuncti pro ea. *Schol.* κεκεντημένοι τῇ ἐπιθυμίᾳ σφοδρῶς, puncti concupiſcentia vehementer. (*c*) Ingreſſa eſt aliquando, ſicut heri.] Vel ſecundum lxx, (*inquit Origenes.*) Et ecce Soſanna inambulabat juxta conſuetudinem. *Quo dicto (addit S. Hieron.) Origenes oſtendit cætera ſe non juxta lxx, interpretes diſſeruiſſe.* (*d*) Laudaverunt.] *In cæteris additur*, τὸν θεὸν, *& in vulgata*, Deum. (*e*) Suis.] *Cæteri fere*, πάντων, *& vulgata*, omnibus.

CAP. I.

In quibuſdam libris inſcriptio hic eſt, ὅρασις β, viſio ſecunda: *ſicque fere in conſequentibus capitibus*, ὅρασις γ, ὅρασις δ, *&c.*

(*a*) JOacim.] *Schol.* Ἰωακεὶμ λέγει τὸν υἱὸν Ἰωακεὶμ, Ἰωσίου δὲ ἔκγονον, ὃς καὶ Ἰεχονίας ἐπικέκληται, Joacim dicit filium Joacim, nepotem autem Joſiæ: qui & Jechonias vocatus eſt. *Legendi* S. Hier. *& Theodoretus. Memoria autem tenendum eſt hanc eſſe editionem non lxx, ſed Theodotionis, quod hac, ut S. Hier. ſcribit, Eccleſiæ Domini uterentur: quamvis nonnulla interdum ex aliis ſint admiſta.* (*b*) Sennaar.] *Schol.* Babylonis. *Et de hoc accurate S. Hier.* (*c*) De ſemine regni.] *Schol.* τουτέστιν ἀπὸ τοῦ γένους τοῦ παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις βασιλικοῦ, id eſt, de genere, quod apud hebræos regium erat. (*d*) Phorthommin.] *Schol.* πάρθων. S. *Hier.* Pro φορθομμὶν, quod Theodotio poſuit, lxx & Aquila electos tranſtulerunt, Symmachus, Parthos pro verbo nomen gentis intelligens: quod nos juxta editionem hebræorum, quæ, κατ' ἀκρίβειαν, legitur (*ſic alibi ſcribit ſolitam fuiſſe appellari ab hebræis ſecundam Aquilæ editionem,*) in tyrannos vertimus. *Theodoretus*, ἐπιλέκτους, *tribuit Symmacho: & inquit*, πορθμὸν, *hebræorum lingua vocari virgines.* (*e*) Quibus non eſt eis macula.] *Schol.* ἐπιλέκτοις, electos: *niſi hoc pertinet ad locum proxime indicatum.* (*f*) Polluentur.] *Schol* μιανθῇ, *eodem ſenſu.* (*g*) Condemnetis.] *Schol.* καταδικασθῆναι παρὰ τοῦ βασιλέως ποιήσητε, condemnari a rege faciatis. (*h*) Tenta.] *Schol.* δοκίμασον, proba. (*i*) Seminibus.] *Sic hebræus. In multis additur*, τῆς γῆς, terræ. (*k*) Tentavit] *Schol.* καὶ ἐδοκίμασεν τὴν ἰδέαν αὐτῶν, & probavit vultum eorum. (*l*) Semina.] *Schol.* ὄσπρια, legumina. (*m*) Et pueri hi, quatuor ipſi.] *Reſponderet penitus hebræo, ſi eſſet in caſu dandi. Alii codices habent tantum*, καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς, & dedit eis, *aut*, καὶ τοῖς τέσσαρσιν παιδαρίοις ἔδωκεν, & quatuor ipſis pueris dedit. (*n*) In omni literatura.] *Schol.* ἐν παντὶ τῷ βιβλίῳ, in omni libro: *quomodo* S. *Hieron. in ſua: ac notat, pro hoc Symmachum interpretatum eſſe artem grammaticam: ut videri poſſit noſtra lectio eſſe Symmachi.* (*o*) Incantatoribus, & magis.] *Pro his inquit* S. *Hieron. vulgatam editionem tranſtuliſſe philoſophos, & ſophiſtas, ſed juxta philoſophiam quandam gentis barbaræ, non græcæ. De incantatoribus, & aliis ejuſmodi, idem S. Hier. cap. ſequenti.*

CAP. II.

(*a*) SEcundo.] *Schol.* βασιλείαν ἐνταῦθα Ναβουχοδονόσορ οὐ τὴν ἐν Ἀσσυρίοις λέγει, ἀλλὰ τὴν κατὰ Ἰουδαίων ἣν ὑπὲρ ὁλοκλήρως κατ' αὐτῶν ἐβασίλευσεν, πορθήσας τὴν πόλιν καὶ τὸν ναόν. Regnum hic dicit ipſius Nabuchodonoſor, non quod in Aſſyrios, ſed quod ſuper Judæos: quo quidem integre ſuper eos regnavit, cum expugnaſſet civitatem, & templum. *Legendi S. Hieron. & Theodoretus.* (*) Fuit.] ἐγένετο, *id eſt, abiit a me.* (*b*) Incantatores.] *Polychronius*, ὁ Σύρος συντόμως λέγει, τοὺς σοφοὺς τῆς Βαβυλῶνος, Syrus breviter dicit, ſapientes Babylonis. *Sed adeundus* S. *Hieron.* (*c*) Obſtupuit.] *Symm.* καὶ διηπόρει, & hæſitabat. (*d*) Redimitis.] *Schol.* τουτέστιν, ὑπέρθεσιν θηρᾶσθε, διασκεδάσαι τῇ ἀναβολῇ τοῦ καιροῦ σκοποῦντες τὸ παρ' ὑμῶν ζητούμενον. prorogationem venamini, ſtudentes dilatione temporis diſſolvere, quod quæritur a vobis. (*e*) Diſceſſit.] *Apollinarius*, Syrus, ἀπατᾷ με, decipit me. Notavit hoc Apollinarius. Mihi ſuſpectum eſt. Hinc argumentum petes contra eos qui Syrum interpretem eundem eſſe putant cum paraphraſte Chaldæo. *Druſ.* (*f*) Babylonis.] *In cæteris ſequitur*, καὶ ἐπυνθάνετο αὐτοῦ λέγων, & interrogavit eum dicens. (*g*) Poſt hæc.] *S. Hier.* Pro hoc lxx dies noviſſimos tranſtulerunt. (*h*) Imago.] *Ita ſcribit S. Hieron. etiam cæteros vertiſſe præter Symmachum, qui dixit*, ἀνδριάντα, ſtatuam. (*i*) Minus te.] *Ita etiam hebræus: licet vulgata addat*, argenteum, *& Complut.* ἤ ἐστιν ὁ ἄργυρος. (*k*) Manaa.] *Schol.* δῶρον, munus. *De hoc ſæpe dictum eſt.*

CAP. III.

(*a*) ANNO decimo octavo.] *Ita collati codices, & Theodoretus, & inter opera S. Chryſ. tomo* 1. *hom. de tribus pueris. Abeſt autem a Compl. ut a vulgata.* (*b*) Deira.] S. *Hier.* Pro Dura, Theodotio Deira, Symmachus Doraun, lxx, περίβολον, quod nos, vivarium, vel concluſum locum, dicere poſſumus. (*c*) Imaginis.] *In multis reperitur*, quam ſtatuerat Nabuchodonoſor rex. (*d*) Populis.] *Cæteri, & Theodoretus*, ἔθνη λαοὶ, gentes, populi. *Vulgata*, populis, tribubus & linguis. (*e*) Pſalterii.] *In multis (quamvis in quibuſdam, alieno loco) & apud Theodoretum additur*, συμφωνίας, Symphoniæ, & ſic deinceps. (*f*) Nabuchodonoſor regi.] *In aliis*, καὶ ὑπολαβόντες εἶπον Ναβουχοδονόσορ τῷ βασιλεῖ, & ſuſcipientes dixerunt Nabuchodonoſor regi. (*g*) Si.] *Id eſt, nonne: & reſpondet hebræo: a Compl. autem abeſt.* (*h*) Nabuchodonoſor non opus habemus.] *Sic videtur diſtinguere* S. *Hier. licet habeat*, Nabuchodonoſor rex. *& in comm. inquit*, In hebræo non habet regem, ſicut in lxx. *Sed Tertullianus in ſcorpiaco hunc locum ſic refert*, Non habemus neceſſitatem reſpondendi huic tuo imperio. Eſt enim Deus noſter, quem colimus, potens eruere nos de fornace ignis, & ex manibus tuis. Et tunc manifeſtum fiet tibi, quod neque idolo tuo famulabimur, nec imaginem tuam auream, quam ſtatuiſti, adorabimus. (*i*) Sarabaris.] *Schol.* τινὲς σαράβαρα εἰρήκασι, τὰ μὲν παρὰ τῶν πολλῶν λεγόμενα μώκια, παρὰ δὲ τοῖς Ἕλλησιν ἀναξυρίδες προσαγορευόμενα, Quidam dixerunt σαράβαρα, eſſe ea quæ a multis quidem dicuntur μώκια, (*quaſi ridicula*) apud græcos autem appellantur, ἀναξυρίδες. S. *Hieron. qui habet in ſua*, cum bracis ſuis, & tiaris, & calceamentis, *in comm. ſic inquit*, Pro bracis, quas Symm. ἀναξυρίδας, interpretatus eſt, Aquila, & Theodotio ſaraballa dixerunt, & non, ut corrupte legitur, ſarabara. Lingua autem Chaldæorum Saraballa crura hominum vocantur, & tibiæ: & ὁμωνύμως, etiam bracæ eorum (quibus crura teguntur, & tibiæ) quaſi crurales & tibiales appellatæ ſunt. *Quare* σαραβάροις, (*aut* σαραβάλλοις, *ut Complut.*) *&* περικνημῖσιν, *videri poſſunt duæ interpretationes. Theodoretus diſtinguit, ſed* ἀναξυρίδας, *putat eſſe non Sarabara (hæc enim eſſe Perſici veſtimenti genus) ſed ipſas* περικνημίδας. *In multis autem poſt hæc additur*, καὶ ἐνδύμασιν αὐτῶν, & veſtibus ſuis. *Tertullian. de oratione habet*, Sarabaris: *de carne Domini*, cum bracis ſuis, & tiaris, & calceamentis, & veſtibus. (*k*) Et tres iſti.] *In uno codice vetuſto hic locus ſic habet*, καὶ τοὺς ἄνδρας ἐκείνους τοὺς ἐμβαλόντας Σεδρὰχ, Μισὰχ, καὶ Ἀβδεναγὼ, ἀπέκτεινεν αὐτοὺς φλὸξ τοῦ πυρός. καὶ οἱ ἄνδρες ἐκεῖνοι οἱ τρεῖς οὗτοι. *& vulgata*, Porro viros illos, qui miſerant Sedrach, Miſach, & Abdenago, interfecit flamma ignis. Viri autem hi tres, *&c.* (*l*) Et ambulabant.] *Notat* S. *Hieron. hinc uſque ad finem cantici trium puerorum in hebraico non haberi. Polychronius, ad verba quæ inferius ſequuntur*, Benedicite omnia opera, *hæc ſcribit:* εἰδέναι δεῖ ὡς οὗτος ὁ ὕμνος οὐ κεῖται ἐν τοῖς ἑβραϊκοῖς, ἢ ἐν τοῖς Συριακοῖς βιβλίοις· λέγεται γὰρ ἀπὸ τῶν εἰρημένων, παρά τινων μετὰ ταῦτα συντεθεῖναι, Sciendum eſt hunc hymnum non haberi in Hebraicis aut Syriacis libris. Fertur autem ex iis quæ dicta ſunt, a quibuſdam poſtea compoſitum eſſe. (*m*) Laudabilis.] *Plerique*, αἰνετὸν, *& vulgata*, laudabile. (*n*) Perficiatur poſt te.] *Videtur idem valere*, καὶ ἐκτελέσαι, *atque*, καὶ ἐκτελείσθω, *quod eſt in aliis: vulgata*, ut placeat tibi. (*o*) Laudabilis.] *In quibuſdam additur*, καὶ ὑπερύμνητος, & ſuperlaudabilis: *vulgata*, & glorioſus. *Neque vero in omnibus codicibus idem eſt harum benedictionum ordo.* (*p*) Superexaltatus.] *Sic etiam vulgata. Corrigendum autem in noſtra*, ὑπερυψούμενος, *quod habet etiam Theodor. In multis eſt*, ὑπερένδοξος, ſupergloriosus: *in aliquo*, ὑπερυμνούμενος, ſuperlaudatus. (*q*) Aquæ, & omnia.] *In cæteris eſt ſine copula*, ὕδατα πάντα, *ut vertendum ſit, quemadmodum in vulgata*, aquæ omnes. (*r*) Benedicat omnis virtus.] *Plerique*, εὐλογεῖτε πᾶσαι αἱ δυνάμεις, benedicite omnes virtutes, *ut vulgata.* (*ſ*) Secula.] *In aliis additur*, εὐλογεῖτε δρόσοι καὶ νιφετοὶ τὸν κύριον· ὑμνεῖτε καὶ ὑπερυψοῦτε αὐτὸν εἰς τοὺς αἰῶνας, benedicite rores, & pruinæ Domino: laudate, & ſuperexaltate eum in ſecula. *In Complut. autem additur præterea ante hæc*, εὐλογεῖτε ψῦχος καὶ καύσων τὸν κύριον, ὑμνεῖτε, *&c.* benedicite frigus & æſtus Domino: laudate, *&c. ut vulgata: quæ in noſtra ſunt paulo poſt, ut proxime notabitur.* (*t*) Frigus, & æſtus.] *In aliis eſt*, πάγος, καὶ ψῦχος, gelu, & frigus. *Vulgata, ut diximus, habet illud paulo ante, hoc autem nunc.* (*u*) Sacerdotes.] *In pleriſque additur*, κυρίου, Domini, *itemque paulo poſt*, ſervi Domini. *In quibuſdam conjuncte legitur*, εὐλογεῖτε ἱερεῖς κυρίου, δοῦλοι κυρίου τὸν κύριον, benedicite ſacerdotes Domini, ſervi Domini Domino. (*x*) In ſeculum.] *Multi*, εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας, *& in vulgata*, in omnia ſecula. (*y*) Filii Dei.] *Schol.* Alii interpretes dixerunt, υἱοῦ θεῶν, Filii Deorum. Aquila autem, υἱοῦ θεοῦ, filii Dei: interpretatio autem lxx inquit, ἀγγέλου θεοῦ, angeli Dei. *Sanctus etiam Hieronymus, hoc lxx ipſis tribuit, Symmacho autem*, ſimilitudo filiorum Deorum. (*z*) In eis.] *In pleriſque ſequitur*, καὶ προσεκύνησεν ἐνώπιον αὐτῶν ὁ βασιλεὺς τῷ κυρίῳ, & adoravit coram eis rex Dominum: *quod nec Sanctus* Hieronymus *habet, neque apud Theodoretum agnoſcitur.* (*ω*) Et amplificavit eos, & dignos habuit ipſos, qui præeſſent omnibus Judæis, qui in regno ſuo.] *Hæc abſunt a Complut. & vulgata, ſed non a collatis codicibus, neque a Theodoreto.* (*aa*) Nabuchodonoſor,] *In aliquot codicibus, & apud Theodoretum hoc eſt initium capitis, & conjungitur cum iis quæ ſequuntur proximo capite: & in aliquo libro ante hac inſcribitur*, ὅρασις ε. *Scholion.* ἡ ἐπιστολὴ τέτακται καθ' ἑαυτὴν μετὰ τὰ εἰρημένα. ἐπειδὴ ὑπὸ ἀστερίσκοις κεῖται. οἱ μὲν γὰρ παρὰ τὴν ἀρχὴν ἡρμηνευκότες τὰς βίβλους, ὡς τῆς διανοίας περιλαμβανομένης ἐν τοῖς ῥηθεῖσιν, ἀπέσχοντο τῆς ἀκριβείας τῶν ῥημάτων. ὁ δὲ μετὰ ταῦτα ἅπαντα κατὰ τὸ λεπτότατον διεξιὼν, οὐδ' αὐτῆς τῆς ἐπιστολῆς τὸν τύπον παρῆκε. Epiſtola ipſa poſita eſt per ſe poſt ea quæ dicta ſunt: quia ſub aſteriſcis ponitur. Quia enim ab initio interpretati ſunt libros, tanquam ſententia comprehenderetur in dictis, abſtinuerunt ab accurata diligentia verborum. Qui autem poſtea ſumma quadam ſubtilitate eſt perſequutus, neque hujus epiſtolæ formulam omiſit.

CAP. IV.

(*a*) Florens.] *In pleriſque additur*, ἐπὶ τοῦ θρόνου μου, in throno meo: *apud Theodoretum vero præterea*, καὶ πίων ἐν λαῷ μου, & pinguis in populo meo. *quæ videri poſſunt alia interpretatio. S. Hier.* florens in palatio meo, ſive in throno, ut interpretatus eſt Theodotio. (*b*) Incantatores.] *Schol.* ἐπαοιδοὺς ἐκάλουν τοὺς ἐξαιρέτως περὶ τὰς ἐπαοιδὰς καὶ ἐπικλήσεις τῶν δαιμόνων σχολάζοντας. μάγους δὲ, τοὺς τοῦ πυρὸς μέχρι καὶ νῦν θεραπευτὰς παρ' αὐτοῖς, καὶ τοὺς ἁγνισμοὺς ἐπιτελοῦντας, καὶ περὶ τὴν τῶν ἄστρων κατασκοπὴν, ὡς δοκοῦσιν, ἐπισημόνως ἔχοντας. γαζαρηνοὺς δὲ, τοὺς τὰς θυσίας λειτουργοῦντας. θύτας γὰρ ἀντὶ γαζαρηνῶν Θεοδοτίων ἐξέδωκεν· χαλδαίους δὲ, τοὺς ἐν τῇ χαλδαϊκῇ χώρᾳ, ἀφ' ἧς ἀβραὰμ ὥρμητο, (μέρος δὲ αὕτη τῶν ἀσσυρίων) ἀστεροσκοπίᾳ καὶ οἰωνοσκοπίᾳ προσέχοντας, Incantatores vocabant eos qui potiſſimum incantationibus & invocationibus dæmonum vacabant: magos autem, eos qui apud ipſos uſque in hodiernum etiam diem cultores ignis ſunt, & purificationes perficiunt, & in ſyderum contemplatione ſcienter, quantum videntur, verſantur: Gazarenos autem, eos qui ſacrificia celebrant. Theodotio enim pro Gazarenis edidit θύτας, ſacrificulos: Chaldæos autem, qui in regione Chaldaica, ex qua Abraam profectus eſt, (pars autem eſt hæc Aſſyriorum,) ſyderum inſpectioni, & auſpicio operam dant. *De his S. Hieron. cap.* 2. *& alii.* (*c*) Venit Daniel.] *In uno codice, & apud Theodoretum eſt*, ἕως οὗ ἕτερος εἰσῆλθεν ἐνώπιόν μου, δανιὴλ, donec alius ingreſſus eſt coram me, Daniel. S. *Hieron. videtur habuiſſe*, ἑταῖρος, *inquit enim, exceptis lxx, qui hæc omiſerunt; tres reliquos*, collega, *interpretatos eſſe.* (*d*) Dei Sanctum.] S. *Hier. inquit vocabula Chaldaica ſignificare Deos ſanctos, non Deum ſanctum, ut Theodotio interpretatus eſt: itemque paulo poſt.* (*e*) Non eſt impoſſibile tibi.] *Idem videtur valere*, ἐκ ἀδυνατεῖ σε, *ac quod eſt in aliis*, σοι. *Ad verbum redderetur*, non facit te impotentem. (*f*) In cubili meo.] *In multis antecedit*, καὶ αἱ ὁράσεις τῆς κεφαλῆς μου, & viſiones capitis mei. (*g*) Moles.] κύτος. S. *Hieron.* Quod ait, *juxta Theodotionem*, τὸ κύτος, id eſt, altitudo ejus (*fortaſſe legendum*, latitudo) ſive, κυρεία, ut ipſe poſtea interpretatus eſt, id eſt, dominatio, nos vertimus, aſpectus ejus. (*h*) Terminum.] *Sic hebræus. Cæteri*, τὰ πέρατα, terminos. (*i*) Hir.] *Schol.* τὸ δὲ εἲρ οὐδὲν ἕτερον ἢ ἐγρηγορὼς καὶ ἄγρυπνος ἑρμηνεύεται, Iſtud autem, εἲρ, nihil aliud ſignificat, quam vigil, & inſomnis. *Aliud Schol.* ἀντὶ τοῦ εἲρ οἱ ὁ. ἄγγελον ἡρμήνευσαν· οἱ δὲ λοιποὶ, ἐγρήγορον, Pro, εἲρ, lxx. interpretati ſunt angelum, cæteri autem, ἐγρήγορον, vigilem. S. *Hier. hinc putat in græco & latino factam eſſe Irim, quæ per multicolorem arcum ad terras deſcendere dicitur.* (*) Dicito.] *Sic hebreus. In uno codice additur*, κατέναντι, *quaſi*, è regione eorum, S. *Hieron.* addit, feſtinus. (*k*) Obſtupuit.] ἀπηνεώθη. *Polychronius*, τουτέστι ἐξεπλάγη ἐπὶ τῷ παραδόξῳ τῶν δειχθέντων, καὶ σύννους ἐγένετο. Id eſt, ἐξεπλάγη, conſternatus eſt ſuper mira novitate rerum oſtenſarum, & cogitabundus factus eſt. (*l*) Eum.] *In cæteris hæc ſequuntur*, καὶ ἀπεκρίθη βασιλεὺς, καὶ εἶπε· βαλτάσαρ τὸ ἐνύπνιον, καὶ ἡ σύγκρισις μὴ κατασπευσάτω σε. Et reſpondit rex, & dixit: Baltaſar, ſomnium & conjectura non faciat trepidare (*aut*, feſtinare) te. (*m*) De rore cœli commoraberis.] *Non videtur ſatis apte cohærere. Supra dictum eſt*, ἐν τῇ δρόσῳ τοῦ οὐρανοῦ κοιτασθήσεται, *aut, ut alii*, αὐλισθήσεται. *Hic vero in quibuſdam, & apud Theodoretum, pro*, αὐλισθήσεται, *eſt*, τὸ σῶμά σου βαφήσεται, corpus tuum inficietur, *aut*, tingetur. (*n*) Dixerunt.] *Plerique*, εἶπεν, dixit. (*o*) Dicunt.] *Cæteri*, λέγεται, dicitur. (*p*) Levavi.] *Videtur*, ἀνέλαβον, *aut, ut ſæpe alibi, ſcriptum eſſe, pro*, ἀνέβαλον, *aut hoc, quod diximus, ſignificare.*

CAP. V.

(*a*) E Regione ipſorum mille.] *Schol.* τουτέστιν ἑκάστου τῶν χιλίων ἦν κρατὴρ τοῦ οἴνου, καὶ οἰνοχόος ἴδιος. τοῦτο γὰρ παρὰ τοῖς πέρσαις νενόμισται. Id eſt, cujuſque ipſorum mille erat crater vini, & pincerna proprius. Hoc enim apud Perſas ſolenne eſt. *Theodoretus*, quod ſatis ſit illi multitudini. S. *Hier.* Unuſquiſque ſecundum ſuam bibebat ætatem: ſive, ut cæteri interpretes tranſtulerunt, bibebat ipſe rex vinum coram cunctis principibus, quos vocaverat. (*b*) Lapideos.] *Sic plerique, & vulgata. In nonnullis vero hæc ſequuntur, quæ adſcripta etiam ſunt ad marginem Vaticani*, καὶ τὸν θεὸν αἰώνιον οὐκ εὐλόγησαν τὸν ἔχοντα τὴν ἐξουσίαν τοῦ πνεύματος αὐτῶν, & Deum æternum non benedixerunt habentem poteſtatem ſpiritus eorum. (*) Tertius.] S. *Hier.* vel tertius poſt me, vel unus e tribus principibus, quos alibi triſtatas legimus. (*c*) Abſcondita.] *Idem valet hoc loco*, κρατούμενα, *quod eſt etiam apud Theodoretum, atque*, κρυπτόμενα, *quod eſt in Compl.* (*d*) Ejus.] *Addendum eſt in noſtra*, αὐτοῦ. (*e*) Darius.] *Schol.* οὐ τοῦτον λέγει τὸν δαρεῖον, ἐφ' οὗ τῆς ἱερουσαλὴμ τὸν ναὸν ἀνενέωσαν. ἐκεῖνος γὰρ κῦρον τῶν περσῶν βασιλέα καὶ ἑτέρους διεδέξατο. ἕτερον τοίνυν ὁμώνυμον ἡ ἱστορία παρέθετο. Non illum dicit Darium, ſub quo templum Hieruſalem inſtaurarunt. Ille enim Cyro Perſarum regi, & aliis ſucceſſit. Alium igitur, qui eodem nomine appellaretur, hiſtoria in medium attulit. *Plura S. Hier. qui etiam refert lxx pro Dario dixiſſe Artaxerxem.*

CAP. VI.

(*a*) Ordinatores.] S. *Hier.* Pro principibus, quod Symm. tranſtulit, Theodotio, τακτικοὺς, Aquila, συνεκτικοὺς, interpretatus eſt: Cumque quærerem, qui eſſent iſti principes, τακτικοὶ, vel συνεκτικοὶ, in lxx editione legi manifeſtius, qui dixerunt, Et duos viros, quos conſtituit cum eo, & ſatrapæ centum viginti. (*b*) Conſtituit.] *Aut fortaſſe*, deſignavit. *In uno codice eſt*, προσεδόκα τὸ καταστῆσαι αὐτὸν, in animo habebat conſtituere eum. (*c*) Danielem.] *Apud Theodoretum additur*, ἐκ τῆς βασιλείας, ex regno. *Idem autem notat, in quibuſdam codicibus eſſe (quod etiam in uno noſtro eſt inventum,)* ἐκ πλαγίων βασιλείας, **ex lateribus regni.** (*d*) Peccatum.] ἀμπλάκημα. S. *Hieron.* Pro ſuſpicione, Theodotio, & Aquila, ἀμβλάκημα, interpretati ſunt, quæ Chaldaice dicitur Eſſata. Cumque ab hebræo quærerem, quid ſignificaret; reſpondit vim verbi ſonare, δέλεαρ, quam nos illecebram, ſive, σφάλμα, hoc eſt, errorem, dicere poſſumus. Porro Euripides in Medea, ἀμπλακίας per π, & non per β. ἁμαρτίας, id eſt, peccata, appellavit. (*e*) Et concluſerat Deus ora leonum: & non affecerant moleſtia Danielem.] *Hæc non ſunt in hebraico, neque in vulg. Schol.* ἔν τισιν ἀντιγράφοις οὐ φέρονται οἱ στίχοι οὗτοι. In quibuſdam exemplaribus non ponuntur hi verſiculi. (*f*) Mihi.] *Sic Chaldæus. In aliis eſt*, ἐν ἐμοὶ, in me. (*g*) Hoc.] *Plerique*, τοῦ, *quod ſignificat*, ad hoc, ut. (*h*) Manu.] *Sic hebræus. Alii*, στόματος, ore: *vulgata*, lacu.

CAP. VII.

(*a*) Scripſit.] *In pleriſque libris ſequitur*, ἀρχὴ λόγων αὐτοῦ, *in aliquo & apud Theodoretum additur præterea*, καὶ ἀποκριθεὶς εἶπεν. Principium ſermonum ejus. Et reſpondens dixit. *In Complut. vero*, καὶ τὸ κεφάλαιον τῶν λόγων εἶπεν, & ſummam ſermonum dixit. (*b*) Videbam.] *In cæteris ſequitur*, ἐν ὁράματί μου τῆς νυκτὸς, in viſione mea noctis. (*c*) Ferrei.] *In multis, & apud Theodoretum, additur*, μεγάλοι, magni. (*d*) Grandia.] *Nec plura in vulgata noſtra. Alii, & Theodoretus, addunt*, καὶ ἐποίει πόλεμον πρὸς τοὺς ἁγίους, & bellum faciebat adverſus ſanctos. (*) Antiquus.] *Theodor.* Quidam ex interpretibus poſuerunt, ὁ παλαιῶν τὰς ἡμέρας, antiquans dies. (*e*) Trahebat.] *Id eſt, quaſi ſe præcipitabat, & reſpondet hebræo. In cæteris adjungitur*, ἐκπορευόμενος, egrediens. S. *Auguſt. ibidem*, tranſibat. (*) Dena millia.] *Ita S. Auguſt. & ita Juſtinus adverſus Tryphonem, & Dion. Areop. de cœleſti Hieruſ. cap.* 18. *Tertull. adverſus Praxeam*, millies centies centena millia aſſiſtebant ei, & millies centena millia apparebant ei. (*f*) Oblatus.] *Corrigendum in noſtra*, προσήχθη, *& convenit cum S. Auguſt.* 2. *de Trin. cap.* 18. *Tertull.* 3. *adv. Marc.* & qui aſſiſtebant, adduxerunt illum: *legenda apud eum cætera, quæ refert. Alii*, ἐνώπιον αὐτοῦ προσηνέχθη, coram eo oblatus eſt. *Apud Juſtinum in dial. cum Tryphone*, καὶ παρῆν ἐνώπιον αὐτοῦ, καὶ οἱ παρεστηκότες προσήγαγον αὐτὸν, & affuit coram eo: & qui aſſiſtebant, adduxerunt eum: *nec multo aliter S. Cyprianus* 2. *teſtimoniorum*: Et ſtetit in conſpectu ejus, & qui aſſiſtebant ei, obtulerunt eum. (*g*) Et omnes.] *Juſtinus*, καὶ πάντα τὰ ἔθνη τῆς γῆς κατὰ γένη, καὶ πᾶσα δόξα λατρεύουσα, *& S. Cyprianus ibidem*, & omnes reges terræ per genus: & omnis claritas ſerviens ei. (*h*) In habitu meo ego Daniel.] *In multis legitur*, ego Daniel in habitu meo. (*i*) Beſtiæ.] *In pleriſque additur*, μεγάλα, magnæ. (*k*) De primis, cui.] *Cæteri*, τῶν προτέρων τρία, καὶ τὸ κέρας ἐκεῖνο, ᾧ, de prioribus tria, & cornu illud, cui, *&c.* (*l*) Malis.] *Ita etiam Theodoretus. Alii*, κακοὺς, malos. *A Compl. abeſt utrumque.* (*m*) Faciet veteraſcere.] παλαιώσει, *& videtur reſpondere Chaldaico. In quibuſdam libris eſt*, ταπεινώσει, humiliabit: *quod etiam teſtatur Theodoretus. Alii*, πλανήσει, ſeducet. *Sch. in margine*: Id eſt, σκυλμὸν, vexationem, eis faciet. *Juſtinus habet*, καταστρέψει, evertet. (*n*) Cogitabit.] *Schol.* προσδοκήσει, οὐ μέντοι ὁλοκλήρως δυνήσεται, ſperabit, non tamen omnino poterit. *Juſtinus*, καὶ προσδέξεται, & ſuſcipiet. (*o*) Forma.] *Juſtinus*, καὶ ἡ λέξις διήνεγκεν ἐμοὶ, & loquutio diverſa fuit mihi.

CAP. VIII.

(*a*) Et eram.] *In quibuſdam codicibus, & apud Theodoretum, hæc antecedunt*, καὶ ἴδον ἐν τῇ ὁράσει. καὶ ἐγένετο ἐν τῷ ἰδεῖν με. Et vidi in viſione: & factum eſt cum viderem. (*b*) Ubal.] *Sch.* ὄνομα ὄρους περσικοῦ, ἀφ' οὗ τὰ τῆς ὁράσεως κατασκοπεῖν ὁ προφήτης ἐδόκει, οὕτως αὐτῷ τοῦ πνεύματος ὑποδείξαντος. Nomen montis Perſici, ex quo ea quæ ad viſionem pertinent, contemplari ſibi propheta videbatur; ſic ei ſpiritu ſuggerente. *Eudoxius*: ἢ κατὰ τοὺς ἄλλους ἑρμηνευτὰς, ἐπὶ τοῦ οὐβὶλ, τουτέστι, πύλην ἐπὶ γέφυραν τοῦ ποταμοῦ κειμένην. Aut, ſecundum alios interpretes, ἐπὶ τοῦ οὐβὶλ, id eſt, portam ad pontem fluminis ſitam: *& paulo poſt notat*, οὐβὶλ, *idem eſſe atque* οὐβὰλ οὐλὰ, *ſed hoc amplius, quod ſimul etiam ſignificat ad Orientem. Pro Ubal, aut, ut ipſe habet*, τοῦ βαλουλὰ, *quoſdam interpretes dixiſſe*, πύλην, portam, *teſtatur Theodoretus.* S. *Hier. in ſua*, ſuper portam Ulai: *& in comm.* Pro quo Aquila tranſtulit ſuper Ubal Ulai: (*atque ita eſt in Hebraico:*) Theodotio, ſuper Ubal, Symm. ſuper paludem Ulai, lxx, ſuper portam Ulai, *&c. Quare Complut.* ἐπὶ τῆς πύλης οὐλαΐ. (*c*) Excelſum.] *Sic hebræus. Alii*, ὑψηλότερον, excelſius. (*d*) Medium.] *Alii*, θεωρητὸν ἀναμέσον, inſigne inter oculos, *ut vulgata.* (*e*) Stans.] *Cæteri fere* ἑστῶτος, *& vulgata*, ſtantem. (*f*) Forte.] *Ita omnes collati codices, & Theodoretus: vulgata tamen habet*, modicum. (*g*) Et contra fortitudinem.] *In pleriſque eſt*, καὶ τὴν ἀνατολὴν, & Orientem: *Apud Theodoretum additur*, καὶ πρὸς λίβα, καὶ πρὸς τὴν δύναμιν, & ad Africam, & ad fortitudinem. *Vulgata*, & contra Orientem, & contra fortitudinem. *In Compl. pro*, δύναμιν, *eſt*, δύσιν, Occidentem. *In uno vetuſto*, καὶ πρὸς τὴν δύναμιν ἀνατολῆς, καὶ τὴν δύσιν, & contra fortitudinem Orientis, & Occidentem. (*h*) Dejecit in terram de virtute cœli.] *Videtur interpres accepiſſe illud*, ἔπεσεν, *tranſitive, ut inquiunt; quanquam ſenſus idem conſtaret, ſi verteretur*, ceciderunt. *Polychronius*, Syrus non habet illud, de virtute. *Hebraicus hoc habet; non habet*, cœli: *quamvis videatur ſubintelligi ex loco proxime præcedente. Diximus autem libentius*, virtute, *quam fortitudine; quoniam virtutis nomen ſæpiſſime ſolet uſurpari in ſignificando exercitu.* (*i*) Conculcaverunt eos.] *Plerique*, συνεπάτησεν, *ſed alii*, αὐτὰ, *alii*, αὐτὸν, (*ut etiam in comment. græcis*) *alii*, αὐτοὺς. *Vulgata*, conculcavit eas. (*k*) Et quoaduſque.] *Theodoretus videtur habuiſſe*, ἕως ἄρχοντος τῆς δυνάμεως ἡδρύνθη, uſque ad principem virtutis (*aut*, fortitudinis, *ut vulgata*) magnificatum eſt. *Quare videri poſſunt ex alia interpretatione. Et in his autem quæ proxime ſequuntur, græca aliquantulum diſcrepant a vulgata.* (*l*) Turbatum eſt.] *Theodoretus addit*, παραπτώματι, delicto, *& ſequitur*, ὅτι καὶ ἐγενήθη, καὶ κατευοδώθη αὐτῷ, quia etiam factum eſt, & proſpere ſucceſſit ei: *atque hoc quidem*, καὶ ἐγενήθη, *in multis codicibus eſt. In Vaticano eſt*, ἐράχθη, *colliſum eſt: & per errorem non eſt poſitum in textu.* (*m*) Phelmoni.] *Eudoxius*: τὴν ἑβραϊκὴν φωνὴν τέθεικε, τῷ φελμωνὶ, ἀντὶ τοῦ εἰπεῖν, τῷ φελμωνὶ τῷ προσφιλεστάτῳ, τῷ ἐφεστῶτι κατ' ἐξοχὴν, τῷ ταῦτα δεικνύντι. Hebraicam vocem poſuit, τῷ φελμωνὶ, ac ſi diceret, amiciſſimo, præcipuo, hæc ipſa oſtendenti. *Theodoretus*: Phelmoni græca voce ſignificat quendam. *Quare S. Hier.* alteri neſcio cui, *& in comm.* Quod Sym. interpretatus eſt τινίποτε, quem nos ſequuti ſumus. Aq. & Th. & lxx, φελμωνὶ, ipſum verbum hebraicum poſuerunt. *De hoc alibi notatum eſt.* Videtur autem factum per contractionem ex פלני אלמני, de quo in hiſtoria Ruth, פלמני φελμωνὶ, ut, מלכי μελχὶ: unde Melchiſedec. *Druſ.* (*n*) Quadraginta.] *Plerique libri, & Theodoretus,* τριακόσιαι, *& vulgata,* trecenti. *Notat autem S. Hier. quoſdam pro trecentis legiſſe ducentos.* (*o*) Viſio.] *Abeſt a Theodoreto, quemadmodum paulo poſt a multis: ubi tamen ipſe Theodoretus habet,* μένει, manent; & reſervata ſunt. *Vulgata hic,* quoniam in tempore finis (*fortaſſe legendum, in tempore fine*) complebitur viſio: *ibi autem,* quoniam habet tempus finem ſuum. (*p*) Noviſſimis iræ.] *Nonnulli,* ἐσχάτῳ, noviſſimo. *In quibuſdam vero, & apud Theodoretum ſequitur,* τοῖς υἱοῖς λαοῦ σου, filiis populi tui. (*q*) Sua.] *Plerique,* αὐτοῦ, *& vulgata,* ejus. (*r*) Ejus.] *In pleriſque ſequitur,* ϗ οὐκ ἐν τῇ ἰσχύϊ αὐτοῦ, *quod vulgata,* ſed non in viribus ſuis. (*ſ*) Stabit.] *In pleriſque hæc ſequuntur,* ϗ ἐπὶ ἄρχοντα ἀρχόντων στήσεται, & contra principem principum conſurget, *ut vulgata: in qua pro ſequenti ſententia,* & quaſi ova manu conteret, *eſt,* & ſine manu conteretur. (*t*) Langui.] *In cæteris additur,* ἡμέρας, *quod vulgata,* per dies.

CAP. IX.

(*a*) Chaldæorum.] *In cæteris additur,* ἐν ἔτει ἑνὶ τῆς βασιλείας αὐτοῦ, in anno uno regni ejus. (*b*) Qui.] *Sapit hebraiſmum, & ſic etiam apud Theodoretum. In Compluten. autem eſt,* περὶ οὗ, de quo. (*c*) Injuſte egimus, inique egimus.] *Cæteri,* ἠδικήσαμεν, ἠσεβήσαμεν, *& vulgata,* inique egimus, impie egimus. (*d*) In te Domine eſt noſtra juſtitia, & nobis confuſio.] *In cæteris, & apud Theodoretum illa,* in te Domine, *conjunguntur cum præcedentibus,* qua prævaricati ſunt in te Domine. *Ac deinde ſine illis, quæ in noſtra ſunt interjecta, ſequitur quaſi ex alio principio,* Nobis confuſio *&c. quamvis illud,* Domine, *poſſet etiam conjungi cum his,* Domine nobis confuſio. (*e*) Receſſimus.] *Sic etiam Theodoretus. Alii addunt,* ἀπὸ κυρίου, a Domino. (*f*) Dominus.] *In quibuſdam additur,* ἐπὶ τῶν κακῶν, ſuper mala. *In pleriſque vero,* ὁ Θεὸς ἡμῶν ἐπὶ τὴν κακίαν, *aut,* κακίαν ἡμῶν, Deus noſter ſuper malitiam, *aut,* malitiam noſtram: *ac deinde ſequitur,* ϗ ἐπήγαγεν αὐτὴν, & adduxit eam. (*g*) In omni miſericordia tua.] *Aut,* in omnem miſericordiam tuam. *Corrigendum enim eſt in noſtra,* ἐν πάσῃ ἐλεημοσύνῃ σου. (*) Ne moreris.] *In multis antecedit,* ποίησον, ϗ, fac, &. (*h*) Vir deſideriorum.] *Symm.* ἀνὴρ ἐπιθυμητὲ, vir amabilis: malim, ἐπιθυμητός. Locus integer, ὅτι ἀνὴρ ἐπιθυμητὸς σὺ εἶ· quia vir deſiderabilis tu es. Interpres Romanus retulit, *vir amabilis.* Nota hic ellipſin nominis איש. *Druſ.* (*) Breviatæ.] *Sic Tertull. adv. Jud. Theodoretus:* Pro ἐδοκιμάσθησαν, ϗ ἐκρίθησαν, probatæ & decretæ ſunt. Ita enim ex interpretibus ediderunt. (*i*) Sanctam.] *Apud Th. additur,* σου, tuam. *Euſeb. Evang. Demonſt. lib.* 8. Aq. quidem inquit, ἐπὶ τὸν λαόν σου, ϗ ἐπὶ πόλιν ἡγιασμένην σου, ſuper poplum tuum, & ſuper civitatem ſanctificatam tuam. Sym. vero, κατὰ τοῦ λαοῦ σου, ϗ τῆς πόλεως τῆς ἁγίας σου, ſuper populum tuum, & civitatem ſanctam tuam. ὅθεν ϗ παρὰ τοῖς ἀκριβέσιν ἀντιγράφοις τῶν ἑβδομήκοντα, τὸ, σοῦ, μετὰ ἀστερίσκου, πρόκειται. Quare etiam in accuratis exemplaribus ipſorum lxx, additum eſt illud, σου, cum appoſitione aſteriſci. (*k*) Ut conſummetur peccatum.] *In quibuſdam libris, & apud Theodoretum antecedit,* τοῦ παλαιωθῆναι τὸ παράπτωμα, ϗ, ut antiquetur delictum, &: *quæ altera videtur interpretatio. Fortaſſe etiam quæ ſequuntur in noſtra, & in aliis,* & deleantur, iniquitates & exorentur iniquitates, *duæ item ſunt interpretationes. Quare apud Tertullianum eſt,* quoadusque inveteretur delictum, & ſignentur peccata, & exorentur injuſtitiæ. *Legatur totus hic locus apud Tertullianum. Habet enim aliquas varietates valde notandas, præſertim de numero hebdomadum. Aquila,* τοῦ τελέσαι τὴν ἀθεσίαν, ϗ τοῦ τελειῶσαι τὴν ἁμαρτίαν, ϗ τοῦ ἐξιλάσασθαι ἀνομίαν, ad conſumendam prævaricationem, ad finem dandum peccato, & ad expiandam iniquitatem. (*l*) Et ſignetur viſio, & propheta.] *Id eſt, finis detur viſioni. Hoc enim ſignificat phraſis hebraica, ut etiam paulo ante. Quod autem dicitur,* προφήτην, *reſpondet optime hebræo, & ita eſt in collatis codicibus, & apud Theodoretum, & Tertull.* prophetes. *In Compl. autem eſt,* προφητείαν, *& vulgata quaſi ad explicationem,* prophetia. *Aq.* ϗ τοῦ τελέσαι ὁραματισμὸν, ϗ προφήτην, τοῦ ἀλεῖψαι ἡγιασμένον ἡγιασμένων, ad conſummandam viſionem, & prophetam, ad ungendum ſanctificatum ſanctificatorum. (*m*) Ad reſpondendum.] *Tertullianus,* integrando, *quod fortaſſe eſt explicatio illius, & convenit etiam hebraico.* (*n*) Et revertetur, &.] *Reſpondet hebraico. Compl.* πάλιν, *vulgata,* & rurſus. (*o*) Et evacuabuntur tempora.] *Theodor. interpres (nam in noſtris codicibus deeſt hæc pars) & Tertullianus,* innovabuntur, *quaſi legerunt,* ἐγκαινωθήσονται. *Complut.* ἐν στενοχωρίᾳ τῶν χρόνων, in anguſtia temporum, *ut vulgata.* (*) Duas.] *Ita collati codices, & Tertull. ac Theodor. & Euſebius lib.* 8. *demonſt. Evang. In Compl. eſt,* quatuor. (*p*) Exterminabitur unctio, & judicium non eſt in eo.] *Illud,* judicium, *abeſt a Tertulliano: & in multis habetur,* ἔσται, erit. *Symm.* ἐκκοπήσεται χριστὸς, ϗ οὐχ ὑπάρξει αὐτῷ, excidetur Chriſtus, & non erit ei. S. *Auguſt. epiſt.* 79. occidetur Chriſtus. (*q*) Et civitatem.] *Aq.* ϗ τὴν πόλιν, ϗ τὸ ἅγιον διαφθερεῖ λαὸς ἡγουμένου ἐρχομένου, & civitatem, & ſanctuarium diſſipabit populus duce adveniente. (*r*) In diluvio.] *Aliquot codices, & Theodoretus,* ὡς ἐν κατακλυσμῷ, *ac Tertullianus,* quomodo in cataclyſmo. (*ſ*) Ordine.] *Iſtud,* τάξει, *abeſt ab Euſebio Evang. Dem. lib.* 8. *& a Theodoreto, & ab aliquot codicibus: ac Tertullianus,* quod concidetur uſque ad interitum: *& videri poteſt huc irrepſiſſe ex verbis, quæ proxime afferentur.* (*t*) Auferetur meum ſacrificium.] *Iſtud,* μου, *abeſt a quibuſdam libris, & Theodoreto: ſed non a Tertull. In quibuſdam vero aliis, hæc antecedunt, quæ etiam ſunt adſcripta margini libri Vaticani,* καταπαύσει θυσιαστήριον, ϗ θυσίας, ϗ πτερυγίου, (*al.* ἕως πτερυγίου) ἀπὸ ἀφανισμοῦ, ϗ ἕως συντελείας ϗ σπουδῆς τάξει ἐπὶ ἀφανισμῷ, ceſſare faciet altare, & ſacrificia, & alæ (*al.* uſque ad alam) a deſolatione, & uſque ad conſummationem, & feſtinationem ponet in deſolationem. *Quæ ex aliis interpretationibus videntur coacervata:* πτερύγιον, *quidem videtur habuiſſe Tertullianus. Ita enim inquit,* & deſtruet pinnaculum uſque ad interitum. *Et alii ex hebræo vertunt,* & ſuper alam abominationum ſtupefaciet.

CAP. X.

(*) Deſideriorum.] *Tertul. adverſ. Pſychicos,* ſuavem. *S. Auguſtinus, ſerm.* 65. *de tempore,* deſiderabilem. (*a*) Primi.] *Sic etiam vulgata. In quibuſdam additur, & apud Theodoretum,* ἐν τῷ τρίτῳ ἔτει, in anno tertio. *Legenda ſunt, quæ ad finem hujus capitis affert S. Hieron.* (*b*) Tigris Eddecel.] *A multis abeſt,* Tigris. *A Theodoreto & Complutenſi,* Eddecel. *Illud enim eſt interpretatio hujus.* (*c*) Baddin.] *Polychronius,* lxx, Byſſina, *Aquila autem,* ἐξαίρετα, præcipua dicit. *Ammonius,* τὸ βαδδὶν ποικίλον σημαίνει χιτῶνα. Illud Baddin ſignificat tunicam variam. *Theodoretus,* Byſſina. *S. Hieron.* ἐξαίρετα *tribuit Symmacho: Aquilam vero inquit eſſe interpretatum,* lineis. *Addit, quod ipſe ex hebraico verterit,* ecce vir. *Symmachum dixiſſe,* quaſi vir. (*d*) Accincti.] *Polychronius:* λέγει ὡς ἡ ζώνη τοῦ ὀφθέντος ἦν οἵα ἂν γένοιτο ἐκ χρυσίου καθαροῦ κατεσκευασμένη. κατὰ δὲ τοὺς ὁ. ὅτι τὸ λοιπὸν σῶμα παραδόξῳ τινὶ ἐσθῆτι περιβεβλημένος, εἶχέ τι ϗ φαινόμενον ἀποστίλβον, καθαρῷ φωτὶ παραπλήσιον. Inquit zonam ejus, qui apparuerat, fuiſſe, qualis fieret ex auro puro fabrefacta: ſecundum vero lxx, cum reliquum corpus inuſitata quadam veſte indutus eſſet, habuiſſe etiam quiddam illuſtre, ſplendens, puro lumini affine. *Hippolytus,* τὸ δὲ ὠφὰζ χρυσίον καθαρὸν σημαίνει, θαρσὶς δὲ ἑρμηνεύεται αἰθίοπες. Illud, ὠφὰζ, ſignificat aurum purum: θάρσις autem, Æthiopas. *Theodoretus idem de Ophaz. Tharſis autem interpretatur aurum probatiſſimum e Thraſis allatum. Eudoxius,* τὸ θαρσὶς χρυσόλιθον ἔφη. ὁ δὲ ἑβραῖος κυανὸν τὸ χρῶμα λέγει. Illud Tharſis, Chryſolithum dixit: hebræus autem cæruleum colorem dicit. *Aliud Sch.* ὠφὰζ, λαμπρῷ ϗ φωτεινῷ, Ophaz, ſplendido, & lucido. S. *Hier. refert ex Aquila,* & lumbi ejus accincti erant colore Ophaz: *deinde notat, quod ipſe Chryſolithum verterit, Theodotionem, & Symmachum retinuiſſe verbum hebraicum, Tharſis, lxx vero appellaſſe mare.* (*e*) Eum.] *Cæteri,* φωνὴν ῥημάτων αὐτοῦ, vocem verborum ejus. (*f*) Mea.] *In cæteris additur,* καὶ ταρσοὺς (*aut* ἴχνη) χειρῶν μου, & articulos (*al.* veſtigia) manuum mearum. (*g*) Vir deſideriorum.] S. *Hier. ex Symmacho,* vir deſiderabilis. (*h*) Principibus.] *In pleriſque, & apud Theodoretum additur,* τῶν πρώτων, *& in vulgata,* primis. (*i*) Domine.] S. *Hier. hunc locum referens ex Theodotione, habet,* Domine mi. (*k*) Et ego ex nunc.] *Eſt hebraiſmus: illudque,* ego, *additur quaſi adverbium ad efficaciam, aut ornatum quendam. Abeſt autem a multis: in quibuſdam vero eſt,* ϗ ἐγὼ ἠσθένησα, ϗ ἀπὸ τοῦ νῦν, & ego infirmatus ſum, & ex nunc.

CAP. XI.

(*a*) Et ego.] *Non modo in Vaticano, ſed etiam in cæteris manuſcriptis, in quibus ſolet eſſe diſtinctio capitum, nulla apparet hujus capitis neque ſequentis a ſuperiore diſtinctio. Quare ad finem ſuperioris capitis ſic ſcribit S. Hieronym.* Juxta editionem vulgatam uſque ad finem libri una putatur viſio; quæ anno tertio Cyri regis Perſarum apparuit Danieli. (*b*) Primo Cyri.] *Sic etiam Theodoretus. S. Hieron. in vulgata antiqua videtur habuiſſe,* tertio, *aut cum hic non haberet numerum, ſubintellexiſſe ex ſuperioribus. Nam, cum rationem afferret, cur hoc caput ſejungeretur a ſuperiore, ita dicebat:* Non enim ſub Cyri anno tertio, ſed ſub Darii primo, qui ſubvertit Baltaſar, narrantur iſta. (*c*) Aliis præter iſtos.] *In cæteris aut antecedit, aut ſequitur,* δοθήσεται, dabitur, *ſed non in hebraico, neque in vulg.* (*d*) Ipſis.] *Theodoretus,* αὐτοῦ, ejus. (*e*) Multa.] *In pleriſque ſequitur,* ἐπ' ἐξουσίας αὐτοῦ, in poteſtate ſua: *in quibuſdam, & apud Theodoretum,* ἐκτὸς ἐξουσίαν αὐτοῦ, extra poteſtatem ſuam, *aut,* ejus: *quæ non reſpondent hebraico, neque vulgatæ.* (*f*) Præparationis.] *In cæteris & apud Theodoretum eſt,* ἐπὶ τῆς ἑτοιμασίας, in præparatione. *Vulgata habet,* Plantatio. *Alii ex hebraico,* baſis, *aut,* ſuper baſim. (*g*) Inter medium.] *Cæteri fere,* δυνάμεων, virtutum, *id eſt,* exercituum, *ut vulgata.* (*h*) Temporum annorum.] *Sic hebræus: vulgata autem,* temporum, annorumque. *In cæteris vero libris non eſt illud,* ἐνιαυτῶν. (*i*) Stabunt.] *Cæteri fere,* οὐ στήσονται, non ſtabunt. (*k*) In terra Sabi.] *Schol.* ἀντίοχος ἐν τῇ ἰουδαίᾳ· αὕτη γὰρ διὰ τὸν νόμον ὑπῆρχε χώρα τῆς τοῦ θεοῦ θελήσεως, δόξης, ϗ δυνάμεως· τούτων γὰρ ἕκαστον τὸ σαβεὶ ἑρμηνεύεται. Antiochus in Judæa: hæc enim per legem erat regio voluntatis Dei, gloriæ, & virtutis. Horum enim unumquodque interpretatur illud, σαβεί. S. *Hieron. ſcribit lxx dixiſſe terram voluntatis, (cujus etiam interpretationis facit mentionem Theodoretus,) Aquilam vero dixiſſe, inclytam; Symmachum, fortitudinis, Theodotionem retinuiſſe verbum hebraicum,* σαβείν. (*l*) In proſperitatem.] *Poterat verti* in tranquillitate, (*ut paulo ante, ubi vulgata habet,* clam,) *aut,* in proſperitate, *conſentiente etiam Theodoreto; ſed maluimus ſequi ſententiam S. Hieronymi.* (*m*) Pingues.] *Ita etiam Theodoretus: & reſpondet hebraico. Plerique vero,* πλείοσι, plures. *Similis varietas obſervata eſt pſal.* 77. *& alibi.* (*n*) Inundabit.] *Cæteri fere,* καταλύσει, diſſolvet. (*o*) Sicut prima.] *Schol.* ὁ σύρος, ϗ οὐ ποιήσει ὡς τὰ πρῶτα ϗ τὰ ἔσχατα. Syrus: Et non faciet, ut prima, etiam noviſſima. (*p*) Semina.] *In quibuſdam, & apud Theodoretum eſt,* ϗ βραχίονες, & brachia, *ut vulgata ex hebraico. In pleriſque eſt utrumque,* ϗ βραχίονες, ϗ σπέρματα. (*q*) Deſolatam.] *Corrigendum in noſtra,* ἠφανισμένον, *quomodo etiam eſt apud Theodoretum: licet in multis ſit,* ἠφανισμένων, deſolatorum. (*r*) Revelandum.] *Plerique,* τοῦ ἐκλευκᾶναι, ad dealbandum. (*ſ*) Deum.] *In cæteris ſequitur* ἐπὶ τὸν θεὸν τῶν θεῶν, *ac vulgata,* adverſus Deum Deorum. (*t*) Conſummationem.] *In pleriſque additur,* ϗ σπουδὴν, & feſtinationem: *quæ altera videtur interpretatio.* (*u*) Et concupiſcentia fœminarum,] *In multis, & apud Theodoretum conjuncte cum ſequentibus eſt,* ϗ ἐπὶ ἐπιθυμίαν γυναικῶν, & ſuper cupiditatem mulierum: *de quo loco præclare diſputat* S. *Hieron. & affert cæteras interpretationes.* (*x*) Maozim.] *Schol.* τὸν θεὸν τὸν ἰσχυρὸν, ὃν προσποιοῦνται οἱ ἰουδαῖοι σέβεσθαι, ἐν τῷ ναῷ δοξάσει, ὅνπερ αὐτὸς εἰς ἀπάτην τῶν ἰουδαίων ἀνίστη. Deum fortem, quem prætendunt Judæi a ſe coli, in templo glorificabit; quod quidem ipſe in ſeductionem Judæorum erexit. S. *Hier. ex*

Aquila, Deum fortitudinum, *ex lxx*, Deum fortiſſimum. *Ita etiam interpretatur Theodoretus.* (*y*) Refugiorum.] *Ita etiam Theodoretus. Compl.* τῶν πόλεων, *in qua etiam ſequitur, ut in multis, & apud Theodoretum*, μετὰ θεοῦ ἀλλοτρίου ὃ ἐὰν ἐπιγνῷ, cum Deo alieno quem cognoſci fecerit. S. *Hier. ex Theodotione*: Et aget hæc, ut muniat præſidia cum Deo alieno: & cum eis oſtenderit, multiplicabit honorem, & dominari eos multis faciet, & terram dividet gratis: *additque, pro præſidiis Symmachum dixiſſe confugia.* (*z*) Ingredientur.] *Cæteri fere*, εἰσελεύσεται, ingredietur. (*ω*) Et conteret.] *In quibuſdam antecedit*, ἐν ταῖς κατακλύσεσι, in inundationibus: *quæ altera videtur interpretatio.* (*aa*) Sabaim.] *Schol.* τὴν τῶν αἰθιόπων· ἀπόγονοι γὰρ τοῦ Σαβᾶ αἰθίοπες, eam quæ Æthiopum. Pronepotes enim Saba ſunt Æthiopes. *Sed rectius Theodoretus agnoſcit eundum eſſe cum ea quæ dicta eſt*, Σαβεὶ, *& rurſus de ea* S. *Hier.* (*bb*) Diſperdendum.] *In aliis additur*, καὶ τοῦ ἀναθεματίσαι, & ad anathemandum. (*cc*) Ephadano.] *Multi*, ἀφαδανῷ. S. *Hier. ex Theodotione*, ἐν ἀφαδανῷ, in Aphadano: *& rurſus*, ἐπ᾽ ὄρος σαβίν. *Schol.* id eſt, tabernaculum ἱπποστασίου, quod quidem eſt equeſter exercitus. S. *Hier. illud*, ἱπποστασίου, *una cum toto hoc loco refert ex Symm. itemque editionem Aquilæ, & lxx.* (*dd*) In monte Sabaim.] *Schol.* in novam Hieruſalem. Hic enim mons proprie gloriæ Dei, & virtutis ejus, & voluntatis.

CAP. XII.

(*a*) DE juſtis plurimis.] *Id eſt, inquit Theodoretus, juſtis inferioris gradus.* S. *Hier. ex Theodotione, & vulgata antiqua refert*, plurimi, *ſed fortaſſe vitio ſcriptoris. Quod ſi eo modo, qui ſcripturæ ſanctæ non eſt inuſitatus, accipiantur iſta*, ἀπὸ τῶν δικαίων τῶν πολλῶν, *ut vertamus*, de his qui juſtificant multos, *optime reſpondent hebraico, & verſioni* S. *Hieronymi.* (*b*) Dixit.] *Sic hebræus, & vulgata. Alii*, εἶπον, dixerunt: *quod Theodoretus de duobus illis accipit.* (*c*) Temporum.] *Cæteri*, καὶ καιροὺς, *ac vulgata*, & tempora. (*d*) Et horæ.] *Abeſt hoc a Theodoreto: ſed poſt*, εἰς ἀναπλήρωσιν συντελείας, *ſequitur*, καὶ ἀναπαύσῃ, καὶ ἀναστήσῃ, & requieſces, & reſurges. *Quomodo etiam eſt in multis codicibus.* S. *Hieron. hunc locum ſic refert ex Theodotione*: Tu autem vade, & requieſce: & reſurges in ordine tuo in conſummatione dierum. (*e*) Et rex.] *In pleriſque, ut diximus, nulla uſque ad finem diſtinctio. In quibuſdam tamen hic eſt inſcriptio*, ὅρασις ιβʹ, viſio duodecima, *& infra ante illa verba*, Et erat draco, περὶ τοῦ δράκοντος, de dracone. (*f*) Decuſſerunt totum templum.] *Hic ſenſus in vulgata ſic videtur expreſſus*, & cribravit per totum templum. *Alii libri*, καὶ κατέστρωσαν, ſtraverunt. (*g*) Magnus.] *In multis additur*, ἐν τῷ τόπῳ, *& vulgata*, in loco illo.

MACCABÆORUM PRIMUS.

CAP. I.

(*a*) REgiones, & gentes.] *In Complut. eſt*, χωρῶν ἐθνῶν, *& in vulgata*, regiones gentium. (*b*) Tyrannos.] *Ita etiam vulgata. In quibuſdam eſt*, τυραννιῶν, tyrannides. (*c*) Conſtituit.] *Corrigendum in noſtra*, συνεστήσατο, *quamvis hujuſmodi varietates a ſingulari ad numerum multitudinis ſæpe occurrunt.* (*d*) Et aſcendit in Hieruſalem.] *In quibuſdam eſt tantum*, καὶ ἱεροσόλυμα. *Sed vulgata*, & aſcendit Hieroſolymam. (*e*) Intravit.] *Et hic corrigendum*, εἰσῆλθεν. (*f*) Templa.] *Sic vulgata. Notat tamen S. Hier. ut alibi notatum eſt*, τεμένη, *proprie eſſe delubra dæmonibus dicata.* (*g*) Viſitatores.] *Sic viſum eſt vertendum, quemadmodum & alibi illud*, ἐπισκόποις, *quamvis vulgata habeat*, principes. (*) Et centeſimo.] *Abeſt a nonnullis & græcis, & latinis.* (*h*) Occidebat.] *Compl.* ἐθανάτουν, *& ita vertunt*, edicto regis occidebant. (*i*) Super altare.] *Hoc ſolet ſignificare*, ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον, *ſed vulgata habet*, contra altare: *neque eſt inuſitatem*, ἐπὶ, *valere*, contra.

CAP. II.

(*a*) PRopitius ſit nobis, relinquere.] *Eſt vis quædam negationis in hoc hebraiſmo: quare vulgata ſic explevit hunc locum*: Propitius ſit nobis Deus: non eſt nobis utile relinquere. (*b*) Judæorum.] *Ita etiam vulgata. Plerique codices*, ἀσιδαίων, Aſidæorum. (*c*) Bellum.] *Corrigendum in noſtra*, πόλεμον.

CAP. III.

(*a*) DEI cœli.] *Sic etiam vulgata. A quibuſdam abeſt illud*, Dei: *contra a quibuſdam illud*, cœli. (*b*) Vt eſſent parati.] *Nonnulli*, αὐτοῖς εἰς ἐνιαυτὸν εἶναι ἑτοίμους, illis, ut eſſent parati in annum. *A vulgata etiam abeſt*, in annum. (*c*) Collectores tributorum regionis pauci.] *In aliquo eſt*, καὶ οἱ φόροι τῆς χώρας ὀλίγοι, *ac vulgata*, & tributa regionis modica. (*d*) Librum legis, de quibus ſcrutabantur gentes.] *In vulgata eſt*, libros. *In pleriſque vero codicibus ſequitur*, τοῦ ἐπιγράφειν ἐπ᾽ αὐτῶν, ut inſcriberent in ipſis.

CAP. IV.

(*a*) ASſumpſit.] *Sic etiam vulgata. In quibuſdam eſt*, παρενέβαλε, inſtruxit, in aciem redegit. (*b*) Tantum tegumenta.] *In nonnullis eſt*, πλὴν καλυμμάτων, καὶ μαχαιρῶν, præter tegumenta, & gladios. *Vulgata illud*, tantum, *conjungit cum antecedentibus*, cum tribus millibus virorum tantum. *Deinde ſequitur*: qui tegumenta, & gladios non habebant. (*c*) Cum Juda.] *Sic etiam vulgata. Alii quidem*, παρὰ ἰούδα, apud Judam. (*d*) Gazeron.] *Vulgata*, Gezeron. *Alii codices*, ἀσαρημώθ, Aſſaremoth. (*e*) Qui circa Judam.] *Addendum eſt ex codice, quem potiſſimum in his libris ſequuti ſumus, & multis aliis*, οἱ περὶ ἰούδαν. *Fieri tamen poteſt ut ſint addita ad explicationem, quemadmodum ſæpe multa hujuſmodi. Nam & in uno codice paulo ante eſt*, μέρος τι ἐκκύπτον ἐκ τοῦ ὄρους τῶν μετὰ γοργίου. *Vulgata quidem ita habet*, Et vidit Gorgias, quod in fugam converſi ſunt ſui, & ſuccenſa ſunt caſtra. (*f*) Proximo.] *Alii*, ἐρχομένῳ, *& vulgata*, ſequenti. (*g*) Idumæam.] *Ita omnes collati codices. Vulgata autem*, Judæam. (*h*) Illis.] *Corrigendum in noſtra*, αὐτοῖς. *Vulgata*, illi.

CAP. V.

(*a*) EJUS.] *Id eſt, terræ, ac regionis. Vulgata*, eorum. (*b*) Diluculum.] *In aliquo codice eſt*, τῇ ἑωθινῇ ἐπῆραν, *quod propius accedit ad vulgatam*, diluculo cum elevaſſent. (*c*) In bello, dum volunt.] *Sic etiam vulgata. In quibuſdam libris eſt*, πόλεων, βουλομένου αὐτοῦ ἀνδραγαθῆσαι, ἐν τῷ ἐξελθεῖν αὐτὸν, civitatem, volente eo fortiter facere, dum ipſe egreditur, *&c.*

CAP. VI.

(*a*) ET firmamentum.] *Vulgata*, ad firmamentum. *In uno codice eſt*, καὶ ἐγίνοντο στήριγμα, & fiebant firmamentum. (*b*) Et obſeſſi ſunt in arce filii populi noſtri: propter hoc & alienant ſe.] *In multis eſt*, ὅτι οἱ τοῦ λαοῦ τούτου, χάριν τούτου ἠλλοτριοῦντο, quare qui ſunt de populo hoc, propter hoc alienabant ſe, *&c. Eadem fere ſententia in vulgata: ſed videtur habuiſſe partem illam, ut noſtra*, υἱοὶ τοῦ λαοῦ ἡμῶν, & filii populi noſtri propter hæc alienabant ſe a nobis. (*c*) Vallibus.] φάραγξιν. *Ita collati codices. Interpres vulgatæ videtur habuiſſe* φάλαγξιν, *vertit enim*, legionibus. (*d*) Dicere.] *Sic etiam in vulgata. In aliquo codice eſt*, εἶπεν, dixit.

CAP. VII.

(*a*) ET primi.] *Iſtud* καὶ, *omiſſum eſt per typographi incuriam.* (*b*) Scripſit.] *In aliquo codice additur*, ὁ προφήτης, propheta. *Vulgata*, quod ſcriptum eſt. (*c*) Gentes.] *Corrigendum in noſtra*, ἔθνη. (*d*) Tertiam.] *In quibuſdam*, τῇ τρισκαιδεκάτῃ, *& in vulgata*, tertiadecima die.

CAP. VIII.

(*a*) COntriverunt.] *Delendum eſt auctoritate codicum, quos ſequuti ſumus, & vulgatæ, illud* ἕως, *quod in multis antecedit, & in noſtram etiam editionem per typographi incuriam irrepſit.* (*b*) Eorum.] *In aliquo eſt*, αὐτοῦ, ejus, *id eſt, Antiochi; & reſpondet verbis ſequentibus*, acceptas eas ab eo: *in vulgata tamen hic eſt*, eorum, *& ibi*, acceptas eas ab eis. (*c*) Mandata eorum.] *Noluimus diſcedere a vulgata. Putamus tamen loquutionem iſtam*, φυλάξονται τὰ φυλάγματα αὐτῶν, *ut alibi ſæpe, hoc etiam nunc ſignificare*, cuſtodient cuſtodias ſuas, *id eſt, militabunt ſine ſtipendio: itemque paulo poſt.*

CAP. IX.

(*a*) ET revertamur cum fratribus noſtris.] *Eadem fere ſententia eſt in vulgata. In quibuſdam vero libris eſt*, ἐπίστρεψον, καὶ οἱ ἀδελφοὶ ἡμῶν ἀπερρύησαν, revertere, & fratres noſtri defluxerunt. *In uno autem*, ἐπιστρέψωμεν, καὶ οἱ ἀδελφοὶ ἡμῶν· καὶ μὴ πολεμήσωμεν πρὸς αὐτοὺς, revertamur, & fratres noſtri: & non pugnemus adverſus eos. (*b*) Qui in ſiniſtro.] *Corrigendum in noſtra*, καὶ οἱ εἰς τὸ ἀριστερὸν κέρας. (*c*) Joannis.] *In aliquo eſt*, τοῦ αἵματος ἰωάννου, *& vulgata*, ſanguinis Joannis. (*d*) Pugnaverunt.] *Corrigendum in noſtra*, ἐπολέμησαν. (*e*) Occiderunt.] *In aliquo eſt*, ἀπέκτεινεν, *& vulgata*, occidit.

CAP. X.

(*a*) EPiphanes.] *Id in vulgata explicatur paraphraſi*, qui cognominatus eſt Nobilis. (*b*) Componere.] *In uno codice eſt*, καταλαβέσθαι, *& vulg.* apprehendere. (*c*) Civitatibus.] *Sic vulgata, quod græce & hic, & paulo poſt eſt*, νομῶν, *&* νομοὺς, *aut*, νόμων, *&* νόμους, *& poſſet etiam verti*, præfecturis, *aut ejuſmodi quiddam.* (*d*) Ad hoc ut reputentur.] *Corrigendum eſt in noſtra*, πρὸς τὸ, *quamvis in multis etiam ſit*, πρὸ τό. (*e*) Negociis.] *In quibuſdam additur*, ὡς ἐν τοῖς πρώτοις ἔτεσι, ut in primis annis. *Vulgata tantum*, de ſanctorum ratione: *ut*, ἀπὸ τῶν χρειῶν, *&* ἀπὸ τοῦ λόγου, *videri poſſint duæ interpretationes.* (*f*) Occurre.] *In quibuſdam eſt*, ἀπάντησόν με, *& in vulgata*, occurre mihi. (*g*) Et cur.] καὶ διὰ τί. *Complutenſes vertunt*, eo quod, *& non addunt interrogationis notam: quod propius accedit vulgatæ: ſed ſententia, quæ elicitur ex noſtra, videtur fere aptior.* (*h*) Civitatum.] *In aliquo eſt*, πολλή, multus. *Interpres videtur legiſſe*, πολέμων. *Ita enim inquit*, quia mecum eſt virtus bellorum.

CAP. XI.

(*a*) PTolemæus.] *Sic etiam vulgata. Alii* πτολεμαΐδος, Ptolemaide. (*b*) Et Samaritidem.] *Ita collati codices; Vulgata tamen*,

men, id eſt, Samariam, & confines ejus. (*c*) Aphærema.] *Videtur eſſe nomen proprium alicujus præfecturæ, ut conſtet numerus trium. Interpres tamen videtur accepiſſe uſitata notione ſegregationis. Ita enim inquit*, & tres civitates, Lydam, & Ramathan, quæ additæ ſunt Judææ ex Samaria, & omnes confines earum ſequeſtrari, &c. (*d*) Omnes ſimul.] *Abſunt hæc a multis, & a vulgata.* (*e*) Provincia.] *In aliquo codice eſt*, χώρας, *& in vulgata*, a negotio regni.

CAP. XII.

(*a*) AD ipſos.] *Sic vulgata. In aliquo eſt*, πρὸς τοὺς κατὰ τόπον, ad eos qui per loca erant. (*b*) Etiam.] *Abeſt a vulgata: a cujus tamen ſententia non putavimus recedendum. Nam alii vertunt*, & fraternitate noſtra. (*c*) Miſit.] *In Complut.* ἀπέστειλαν, miſerunt: *ac deinde*, Oniares rex Spartiatarum, *&c. Vulgata autem*, quod miſit Onias. Rex Spartiatarum Onias Jonathæ ſacerdoti, *&c.* (*d*) Suis.] *In uno codice vetuſto ſequitur*, καὶ ἀνεχώρησαν, & receſſerunt. (*e*) Appropinquavit.] *In quibuſdam*, ἔπεσε τοῦ τείχους, cecidit de muro: *& vulgata*, cecidit murus. (*f*) Sephela.] *In uno eſt*, πεδινῇ, campeſtri: *ac deinde ſequitur*, καὶ ὠχύρωσεν αὐτὴν, καὶ ἐπέστησεν θύρας, *quod in vulgata*, & munivit eam, & impoſuit portas.

CAP. XIII.

(*a*) DEtinemus.] *Complutenſis*, συνέχομεν, *& vulgata*, detinuimus. (*b*) Super ea.] *Abeſt ab aliquo codice, & a vulgata.*

CAP. XIV.

(*a*) SCripſimus.] *Ita etiam vulgata. In quibuſdam eſt*, ἔγραψαν, ſcripſerunt. (*b*) Actum.] *Ita aliquot vulgatæ editionis exemplaria: nam alia*, aptum. *In quibuſdam græcis codicibus eſt*, τὴν πίστιν, fidem. (*c*) Legatis.] *Eodem ſenſu eſt in vulgata*, ſuſceperunt legatos, *quod græce*, ἀπήντησαν τοῖς πρεσβευταῖς, *aut*, πρεσβύταις, *ut plerique.* (*d*) Eos.] *In quibuſdam eſt*, δι' αὐτοῦ, per ſe ipſe. *Vulgata*, ut conſtitueret præpoſitos. *Nam hanc vim ſæpe habet verbum*, καθιστάναι.

CAP. XV.

(*a*) FUgiens in Doram, quæ ad mare.] *Ita collati codices. Complutenſes autem*, καὶ ἦλθεν εἰς Δῶρα φεύγων ἐπὶ τῆς θαλάσσης, *quæ vertunt*, & venit in Doram fugiens per mare: *quomodo fere vulgata.* (*b*) Hæc eadem ſcripſit Demetrio.] *Nimirum Conſul, aut populus Romanus: & vulgata*, hæc eadem ſcripta ſunt Demetrio regi. *Nonnulli autem codices habent*, καὶ ταῦτα ἔγραψεν Δημήτριος τῷ βασιλεῖ, & hæc ſcripſit Demetrius regi. (*c*) Per regionem noſtram.] *Complutenſis*, καὶ τῇ χώρᾳ ἡμῶν, *& vulgata*, & in regione noſtra.

MACCABÆORUM SECUNDUS.

CAP. I.

(*a*) CUltores Dei] *Sic etiam Sanctus Ambroſius*, 3. *off. cap.* 14. *quod græci*, εὐσεβεῖς. (*b*) Neemias, & qui cum eo erant, purificaverunt.] *Conſulto videtur interpres ita reddidiſſe loquutionem illam*, καὶ οἱ περὶ τὸν νεεμίαν ἥγνισαν, *quamvis alioqui poſſit verti*, etiam ipſe Neemias purificarat. (*c*) Rex.] *In quibuſdam additur*, τόπον, locum. *Interpres & aliter fortaſſe legit in ſuo codice, & nonnulla videtur de induſtria addidiſſe ad ſententiæ explicationem, quemadmodum, cum inquit*, & accipiens manu ſua tribuebat eis. *In uno autem codice eſt*, ἐλάμβανον, καὶ μετεδίδουν, accipiebant, & tribuebant.

CAP. II.

(*a*) SPeramus enim.] *A nonnullis abeſt iſtud* γὰρ, *& vulgata*, ſperamus quod cito. (*b*) Studentes.] *Planiſſima ſententia eſt, & vulgatæ ſatis reſpondens. In quibuſdam vero*, ἀτονοῦντες, *nullo fere ſenſu.*

CAP. III.

(*a*) LEgum transgreſſione.] *In quibuſdam eſt*, ἀγορανομίας, ædilitate, *aut tali quopiam magiſtratu. Vetus interpres videtur aut aliter legiſſe ſuo codice, aut, ſi habuit, ut noſter, paraphraſi voluiſſe rem explicare*, contendebat, obſiſtente ſibi principe ſacerdotum, iniquum aliquid in civitate moliri. (*b*) Communium copiarum.] *Videtur non inepte vetus interpres vertiſſe illud*, τῶν διαφόρων, *id eſt, congeſta ex vectigalibus, & tributis. Nam & inferius cap.* 4. *in multis codicibus eſt*, τῶν διαφόρων πράξεις. (*c*) Omnino.] *Corrigendum in noſtra*, πάντως. (*d*) In regium fiſcum.] εἰς τὸ βασιλικὸν. *Nonnulli*, εἰς τὴν βασιλικὴν πρόσοδον, in regium redditum. *Vetus interpres*, regi ea eſſe deferenda. (*e*) Sub mammis.] *In quibuſdam additur*, τὸ στῆθος, pectus. *Vetus interpres hoc videtur habuiſſe, non illud.* (*f*) Compotem.] *Hanc ſententiam ita expreſſit vetus interpres*, nullo ſibi auxilium ferente. *In pleriſque libris eſt*, αὐτὸν τοῖς ὅπλοις καθεστῶτα, ipſum in armis ſtantem. (*g*) Ab eo.] *Plerique*, ἐξ οὐρανοῦ, de cœlo. *Vetus interpres*, a Deo: *niſi ſi hoc factum eſt ex*, ab eo. (*h*) Supercœleſtem.] *Unus codex*, ἐν οὐρανοῖς, *& vulgata*, in cœlis.

CAP. IV.

(*a*) APUD ſemetipſum.] *Sic vetus interpres. In pleriſque autem libris eſt*, κοινῇ, καὶ κατ' ἰδίαν. *Quod ita vertendum eſſet*, ſed quod publice & privatim univerſæ multitudini conduceret, conſiderans. (*b*) Concéderetur.] *Plerique* ἐπιχωρηθῇ, *eodem ſenſu.* (*c*) A negociis ipſis.] *Vetus interpres dixit, ut ſæpe ſolet*, a negociis regni. *In quibuſdam codicibus eſt*, τῶν αὐτοῦ γεγονέναι πραγμάτων. *Quare ſic vertendum eſſet*, cum cognoviſſet alienum illum a ſuis rebus factum eſſe. (*d*) Magnificans ſe facie poteſtatis.] *Hoc videtur ſignificare, cum multum ſe poſſe oſtenderet, cum magnam quandam potentiam oſtentaret. Alii tamen vertunt*, magnificans eum. *Vetus interpres*, cum magnificaſſet faciem poteſtatis ejus. (*e*) Vectigalium.] *In pleriſque eſt*, διαφόρων, *eodem ſenſu, ſicut cap.* 3. *notatum eſt.* (*f*) Tyranno.] *Sic vulgata. In nonnullis eſt*, αὐράνου, Aurano. (*g*) Dementia,] *Sic vulgata, quidam libri*, τῇ διανοίᾳ, mente. (*h*) In eos qui circa Lyſimachum.] *Vulgata*, in Lyſimachum. *In quibuſdam additur*, καὶ τοὺς ἐπιτεθεμένους, & eos qui impetum faciebant.

CAP. V.

(*a*) REditum.] *In aliquo eſt*, καταστροφῆς, *vulgata*, In exitium ſui concluſum. (*b*) Illamentatus.] *In quibuſdam*, ἄταφος, *in vulgata utrumque*, illamentatus, & inſepultus. (*c*) Regibus.] *In aliquo additur*, καὶ πόλεων, *& in vulgata*, & civitatibus.

CAP. VI.

(*a*) SUggerentibus Ptolemæis.] *Sic vulgata. Nonnulli autem*, πτολεμαίου ὑποθεμένου, Ptolemæo ſuggerente. (*b*) Delatæ ſunt.] *Sic eadem. Plerique libri*, ἀνήχθησαν, adductæ ſunt. (*c*) Veniendum eſt.] *In uno codice additur*, λοιπὸν, *quod fortaſſe cum haberet interpres vetus; illud*, δι' ὀλίγων, *cum præcedentibus conjunxit, ac deinceps quaſi ex alio principio ita inquit*: Jam autem veniendum eſt ad narrationem.

CAP. VII.

(*a*) MOrti datos.] *Corrigendum & in textu, & in notationibus*, μεταλλάσσοντας, *& reſpondet vulgatæ. In quibuſdam vero codicibus eſt*, μεταλλάσσοντα τὰς ἀπ' ἀνθρώπων, commutantem eas quæ ſunt ab hominibus. (*b*) Peccantes.] *Sic vulgata. Alii*, ἁμαρτόντες, cum peccaverimus. (*c*) Quare digna.] *Vulgata*, & digna. *Quidam*, ἄξια γὰρ, digna enim. (*d*) Crudelem tyrannum.] *In pleriſque eſt unica dictio*, ὠμοτύραννον. (*e*) Sic factum eſt.] *In aliquo codice*, οὕτως γίνεται μὴ φοβηθῆναι τὸν δήμιον τοῦτον, ἀλλὰ τῶν ἀδελφῶν ἄξιον γενόμενον ἐπιδέξασθαι τὸν θάνατον. Ita fit, ut non timeas carnificem iſtum, ſed dignus fratribus effectus ſuſcipias mortem. *Quod magis reſpondet vulgatæ.* (*f*) Servos ejus.] *Sic vulgata. Plerique autem*, οὐρανίους παῖδας cœleſtes pueros.

CAP. VIII.

(*a*) CAlcabatur.] *Sic etiam vulgata. Plerique autem*, καταπονούμενον, affligebatur. (*b*) Judaicorum.] *Sic eadem. In pleriſque eſt*, ἰουδαίων, Judæorum. (*c*) Cum juſſiſſet Eleazarum legere.] *Hoc viſum eſt ſignificare*, παραγνοὺς, *aut, ut quibuſdam*, παραναγνοὺς. *Vulgata*, ab Eſdra lecto illis ſancto libro. (*d*) Statuendo.] ἐλέους τάξαντος. *In quibuſdam eſt*, ἐλέου στάξαντος, *vulgata*, ſtillans. *In nonnullis etiam*, ἐλέους τάξαντι. (*e*) Contra ſe contendentes.] *Sic videtur explicaſſe vetus interpres, quod græce eſt*, συνερειζόντων. *Quidam vero libri habent*, καὶ τοὺς περὶ τιμόθεον καὶ βακχίδην, συνερείσαντες, & eos qui circa Timotheum & Bacchidem erant, confirmati. (*f*) Et quoſdam alios.] *Deeſt hoc in vulgata. Plerique vero habent*, τὸν ἐμπρήσαντα τοὺς ἱεροὺς πυλῶνας, καλλισθένην ὑφῆψαν εἰς ἓν οἰκίδιον πεφευγότα, qui ſacras januas incenderat, Calliſthenem, cum in domunculam quandam fugiſſet, incenderunt.

CAP. IX.

(*a*) QUI univerſa conſpicit.] *Sic etiam vulgata. Alii*, παντοκράτωρ, omnipotens. (*b*) Ago quidem Deo maximas gratias.] *Hæc habuit vetus interpres, ſed non ſequentia*, in cœlo ſpem habens. *Contra in nonnullis ſunt hæc, non illa, quemadmodum neque quæ ſequuntur*, & ego, in infirmitate autem conſtitutus.

CAP. X.

(*a*) FUit.] *Collati codices habent*, γινόμενον, *Compluten.* γινόμενα, *quod magis videtur reſpondere vulgatæ*, quæ geſta ſunt. (*b*) Bellorum mala.] *Plura non videtur habuiſſe vetus interpres. In quibuſdam libris eſt*, τὰ συνέχοντα τῶν πολέμων κακὰ, continentia bellorum mala. (*c*) Neque nobilem poteſtatem habens, præ triſtitia.] *A quibuſdam libris abeſt iſtud*, ὑπ' ἀθυμίας, *in nonnullis pro eo eſt*, ἐξ εὐγεννασίας, ex animi generoſi magnitudine. *Sunt etiam qui habeant*, μήτ' εὐγενῆ τὴν ἐξουσίαν ἐξευγενίσας, neque nobilem poteſtatem generoſe adminiſtrans. (*d*) Interemerunt.] *In quibuſdam additur*, πάντας, *quod vetus interpres videtur conjunxiſſe cum ſequentibus*, & omnes ſimul non minus, *&c.* (*e*) Confugiſſent.] *In quibuſdam additur*, τινῶν, *quidam, idque vulgata habet, non autem quod ſequitur*, non minus novem millibus.

CAP. XI.

(*a*) COnceſſit.] *Ita collati codices : ſed vulgata*, conſenſi ; *cui lectioni videntur congruere, quæ paulo poſt dicuntur in epiſtola Romanorum.* (*b*) Nos volentes.] *Sic vulgata. Plerique vero,* βουλομένου, volente. (*c*) Manlius.] *Vulgata,* Manillius. *Quidam codices,* μάϊος, Maius.

CAP. XII.

(*a*) DEcipi.] ἀλογηθῆναι, *pro nihilo haberi, nimirum ſine dubio interficiendos.* (*b*) Atergatæum.] *Eſt aliqua in hoc nomine varietas codicum : & a vulgata omnino abeſt. In quibuſdam vero additur,* ὁ μακκαβαῖος, Maccabæus. (*c*) Rogaverunt.] *Reſpondet vulgatæ. In quibuſdam libris eſt,* ἅπαντες διὰ τὸ γεγονὸς, canentes, eo quod perpetratum delictum perfecte deletum eſſet.

CAP. XIII.

(*a*) QUatuor.] *In nonnullis eſt,* δισχιλίους, bis mille : *vulgata,* quatuordecim millia.

CAP. XIV.

(*a*) PRoceſſit.] *In quibuſdam codicibus eſt,* καὶ προσῆλθε παρ' ἑκάστου δίφρος, (*al.* δίφρους) ἔθεσαν δίφρους, *cui lectioni videtur ſatis reſpondere vulgata,* & ſingulis ſellæ prolatæ ſunt, & poſitæ. *In aliquo etiam eſt,* διαφράξεις ἔθεσαν διαφόρους, interſepta poſuerunt diverſa. (*b*) A rebus.] *Id eſt, a rebus regis, ut alibi. Nonnulli habent,* περὶ τῶν πραγμάτων, de rebus. *Vulg.* rebus alienis aſſentire. (*c*) Præruptam.] *Sic vulg. Nonnulli,* ἀπερρωγὼς, abruptus. *De hoc Razia facto Sanctus Auguſtinus in epiſtola LXXI.*

CAP. XV.

(*a*) ET auxilium.] *Abeſt a nonnullis, & a vulgata.* (*b*) Erigere.] *Quidam,* ἐπανδρῶσαι, viriles facere. *Vulgata,* confortari. (*c*) Confligentes.] *Hoc verbo videtur uſus vetus interpres ad exprimendum illud* ἐμπλακέντες , *aut,* ἐμπλακέντας, *ut aliqui. In quibuſdam vero eſt ,* ἐμφυέντες, *aut,* ἐμφυέντας, inhærentes : *in aliquo utrumque* ἐμπλακέντας, καὶ ἐπιφυέντας. (*d*) Solicitudo.] *Sic vetus interpres : quod ſatis bene reſpondet dictioni,* ἀγών. *In quibuſdam vero eſt,* κίνδυνος. *Quare ſic vertendum eſſet,* Erat enim uxorum, &c. periculum minoris apud eos ponderis. (*e*) Inſpectorem.] *Abeſt a Complut. & vulgata.* (*f*) Victoria.] *In nonnullis corrupte legitur ,* ἡνίκα , *a Complut. abeſt utrumque. Vetus interpres quomodo legerit, vix judicari poteſt.* (*g*) Caput.] *Aliqui,* προτομὴν, *quod aut idem ſignificat, aut imaginem uſque ad umbilicum.*

MACCABÆORUM TERTIUS.

CAP. I.

(*a*) STeterunt.] Παρῆσαν, affuerunt. (*b*) Deſcriptionem.] (*Quaſi dicas*) Ceritum tabulas. (*c*) Coercitam libertatem.] *In quibuſdam codicibus,* περινομησαμένην , direptam. In quibuſdam, εἰς τὴν προσυνεσταμένην αὐθεντίαν, ad antea conſtitutam libertatem. (*d*) Honorantes.] *Hac notione interdum ſumi,* συνεῖν, *notarunt Grammatici. In quibuſdam codicibus eſt,* στιχοῦντες, *quaſi aſcendentes per gradus civilium honorum.* (*e*) Generoſo.] *Corrigendum,* γενναίᾳ. (*f*) Qui nihil ignoraverit.] *In quibuſdam eſt,* ἠγνοηκὸς, *& vertendum eſſet,* non enim ſic contemnetur talis cœtus, qui nihil ignoravit. (*g*) Diligentiam.] Al. *addunt,* προσιεδζ, adhibendi. (*h*) Et ſilentio.] *Alii,* καὶ ἔργῳ, & opere. (*i*) Antiquitus indurata.] *In aliquo codice, & Complutenſi, eſt,* προκατεσκηρρωμένης, inveterata. (*k*) Simul.] *In quibuſdam, pro* ζῶν, *eſt,* νῦν, *nunc.* (*l*) Inſanabilis.] Al. ἄλεκτον, qui verbis exprimi non poſſit, al. ἄληκτον, perpetuus. (*m*) Incurvis.] *Plerique,* ἐπίκυφον, incurvam. (*n*) Ad paulo ante.] *Delendum eſt in noſtra illud,* ἐν γὰρ τὴν, *& ſcribendum,* εἰς τὴν, *quamvis & illa lectio in multis ſit codicibus.* (*o*) Diripi.] Al. διασπασθῆναι, ſcindi. (*p*) Demerſos ponto.] *Corrigendum in noſtra,* ποντοβρύχεις. (*q*) Domine.] Al. σὺ δέσποτα, tu Domine.

Lectori.

IN *hac Editione Notarum* Flam. Nobilii *præter* Scholia *quædam Græca quæ in* Nobilio *prætermiſſa ſunt, & Scriptorum Græcorum verba quæ interdum Latini tantùm a* Nobilio *citantur, etiam omnia quæ in* Johan. Druſii *Fragmentis Veterum Interpretum extant, & in* Nobilio *non habentur, ſuis locis inſerta reperies. Vale.*

B. W.

GENESIS.

Verſionis Græcæ ℞ 6. *Editionem Romanam ſecundum exemplar* Vaticanum, *quæ omnium antehac excuſarum ad eam quæ in* Origenis Hexaplis *olim extabat (quam omnes ſcriptores veteres, ipſeque* Hieronymus, *puram & ſinceram judicabant) proxime accedit, in Bibliis noſtris exhibuimus, ſubjectis ad finem cujuſlibet paginæ ex noſtro exemplari MS. vetuſtiſſimo* Alexandrino *variantibus lectionibus. Ne tamen aliarum Editionum uſum lector deſideraret viſum eſt duas earum præcipuas cum Romana conferre & diſcrepantias omnes annotare,* Venetam *ſcilicet &* Complutenſem. *Illam omnium quæ typis editæ ſunt primam, ad varia antiqua* MSS. *exemplaria collatam publicavit* Aldus Manutius, *Anno* 1518. *ex qua omnes Editiones* Germanicæ *derivatæ; hanc a viris doctis ex multis exemplaribus concinnatam ſecuti ſunt qui Biblia illa magna & celebria,* Regia, Commeliniana Fr. Vatabli, *& nupera* Pariſienſia *ediderunt. Hæc vero lectori offerimus, ut in unica hac noſtra Editione, ſi non omnibus aliis ſaltem præcipuis fruatur, & ut ex his collationibus intelligat, cum in omnibus quæ fidem & mores ſpectant, Editiones hæ inter ſe conveniant, verſionem illam* Lxx. *omnium primam & antiquiſſimam ab antiquis celebratam, adhuc quoad ſubſtantiam extare, contra neotericos quoſdam qui non minus imperite quam temere affirmant eam prorſus periiſſe, vel ita corruptam eſſe ut eadem verſio dici non poſſit, de quo aliiſque huc ſpectantibus vide Prolegomena.*

B. W.

A. Aldinam Editionem denotat.
C. Complutenſem.
O. Oxonienſem Librum MS. Coll. Univerſit. Octoteuchum dictum, quem cum MS. Alexandr. contulit Patric. Junius in notis ſuis ad MS. Alex. uſque ad cap. 14. Num. Reliquæ variæ lectiones lib. Num. Deut. Joſ. Judic. & Ruth hic exhibentur.

CAP. I.

V. 2. ΣΚΟ'ΤΟΣ ἐπάνω] A σκότος ἐπέκειτο ἐπάνω. 4 ἀνὰ μέσον] Comp. ἀναμέσον. 6 καὶ ἐγένετο οὕτως] C deſunt. 9 αὐτῶν] C αὐτοῦ. 24 τῆς γῆς κατὰ γένος] C τῆς γῆς καὶ τὰ κτήνη καὶ πάντα τὰ ἑρπετὰ τῆς γῆς κατὰ γένος αὐτῶν. 25 κτήνη κατὰ γένος αὐτῶν, &c] C κτήνη καὶ πάντα τὰ ἑρπετὰ τῆς γῆς κατὰ γένος αὐτῶν. 26 πάσης τῆς γῆς] C πάντων τῆς γῆς. 29 πάσης τῆς γῆς] A C τῆς γῆς.

CAP. II.

v. 2 κατέπαυσε τῇ] C κατέπαυσεν ὁ θεὸς ἐν τῇ. 3 ποιῆσαι] C ποιεῖν. 4 ἐγένετο ᾗ ἡμέρᾳ] A ἐγένετο ἡ ἡμέρα ᾗ. κύριος ὁ θεὸς] C ὁ θεός. 5 γενέσθαι.... ἀνατεῖλαι] A ἀνατεῖλαι.... γενέσθαι. ὁ θεὸς] C κύριος ὁ θεός. 7 Χοῦν ἀπὸ] A C χοῦν λαβών. ὁ ἄνθρωπος] C ἄνθρωπος. 8 ὁ θεὸς] C κύριος ὁ θεός. 11 ἐκεῖ οὗ] A ἐκεῖ οὖν. 12 ἐκεῖ ἐστιν] C καὶ ἐκεῖ ἐστιν. 14 προπορευόμενος] C πορευόμενος. Ἐυφράτης] C οὗτος Ἐυφράτης. 15 παραδείσῳ τῆς τρυφῆς] A παραδείσῳ. 20 θηρίοις τοῦ ἀγροῦ] C θηρίοις τῆς γῆς. 21 ὁ θεὸς] A κύριος ὁ θεός. 22 ὁ θεὸς] A κύριος. C κύριος ὁ θεός. 23 ἐλήφθη] ἐλήφθη αὕτη. 24 πρὸς τὴν γυναῖκα] A τῇ γυναικί.

CAP. III.

v. 2 φαγούμεθα] C φαγόμεθα. 6 ἀπὸ τοῦ] A τοῦ. C ἡ γυνὴ τοῦ] 9 τοῦ ξύλου τοῦ παραδείσου] A C τοῦ παραδείσου. 9 κύριος ὁ θεὸς] A ὁ θεός. 11 αὐτῷ ὁ θεὸς] C αὐτῷ. 13 κύριος ὁ θεὸς] A C ὁ θεός. 14 κτηνῶν.... θηρίων] C θηρίων... κτηνῶν. 15 τηρήσει... τηρήσεις] C τειρήσει... τειρήσεις. 16 τὸν στεναγμὸν] C τοὺς στεναγμούς. 17 τῷ δὲ Ἀδὰμ] C καὶ τῷ Ἀδάμ. 20 ὅτι μήτηρ. C ὅτι αὕτη ἦν μήτηρ. 22. καὶ εἶπεν ὁ θεὸς] C καὶ εἶπεν αὐτοῖς.

CAP. IV.

v. 3 τῷ κυρίῳ] A τῷ θεῷ. 5 καὶ ἐλυπήθη κάϊν] A C καὶ ἐλύπησε τὸν κάϊν. τῷ προσώπῳ αὐτοῦ] A τῷ προσώπῳ. C τὸ πρόσωπον. αὐτοῦ. 7 ἄρξεις αὐτοῦ] C αὐτοῦ ἄρξεις. 8 ἀνέστη] A καὶ ἀνέστη. 9 κύριος ὁ θεὸς] C ὁ θεός. 10 τί πεποίηκας.] C τί ἐποίησας τοῦτο. 11 ἀπὸ τῆς γῆς] A ἐπὶ τῆς γῆς. 12 C ὅτε ἐργᾷ] ὅτι ἐργᾷ. 13 κύριον τὸν θεὸν] C κύριον. 14 εἰ ἐκβάλλεις] A εἰ ἐκβαλεῖς. C καὶ ἐκβάλῃς. 16 Ἐξῆλθε δὲ] C καὶ ἐξῆλθε. ἐδέμ] A ἐδώμ. C ἐδέν. 17 αὐτοῦ, ἐννώχ] A αὐτοῦ ἐνώς. 18 Ἐγεννήθη δὲ] C καὶ ἐγενήθη. τῷ ἐνώχ] A τῷ ἐνώς. μαλελεήλ. καὶ μαλελεήλ] C μαιήλ. καὶ μαιήλ. 19 ἑαυτῷ] C αὐτῷ. ἀδὰ] C ἀδδά. 22 καὶ αὐτὴ ἔτεκε] C ἔτεκεν καὶ αὐτή. 23 τῆς ἑαυτοῦ γυναιξὶν αὐτοῦ ἀδδά. 24 ἐκ κάϊν] C κάϊν.

CAP. V.

v. 3 τριάκοντα καὶ διακόσια ἔτη] C ἔτη διακόσια τριάκοντα. A τριάκοντα καὶ τριακόσια ἔτη. 4] A totus hic verſus deeſt. 5 καὶ ἐγένοντο] A ἐγένοντο δέ. 6 πέντε καὶ διακόσια ἔτη] C ἔτη διακόσια πέντε. 7 αὐτὸν τὸν] A αὐτῷ τόν. ἑπτὰ ἔτη καὶ ἑπτακόσια] C ἔτη ἑπτακόσια ἑπτά. 8 δώδεκα καὶ ἐννακόσια ἔτη] C ἔτη ἐννακόσια δεκαδύο. 10 αὐτὸν τὸν] A αὐτῷ τόν. πεντεκαίδεκα ἔτη καὶ ἑπτακόσια] C ἔτη ἑπτακόσια δεκαπέντε. 11 πέντε ἔτη καὶ ἐννακόσια] C ἔτη ἐννακόσια πέντε. 12 ἑβδομήκοντα καὶ ἑκατὸν ἔτη] C ἔτη ἑκατὸν ἑβδομήκοντα. 13 αὐτὸν τὸν] αὐτῷ τόν. τεσσαράκοντα καὶ ἑπτακόσια ἔτη] C ἔτη ἑπτακόσια τεσσαράκοντα. hoc modo per totum caput invertit numerorum ordinem, & cap. 11. 16 αὐτὸν τὸν] A αὐτῷ τόν. 19 αὐτὸν τὸν] A αὐτῷ τόν. 22 θεῷ μετὰ] C θεῷ καὶ ἔζησεν ἐνὼχ μετά. αὐτὸν τὸν] A αὐτῷ τόν. 24 μετέθηκεν] C μετατέθεικεν. 25 ἑπτὰ ἔτη καὶ ἑξήκοντα καὶ ἑκατὸν] A ἑπτὰ καὶ ὀγδοήκοντα καὶ ἑκατόν. C ἔτη ἑκατὸν καὶ ἑξηκονταπέντε. 26 αὐτὸν τὸν] A αὐτῷ τόν. δύο καὶ ὀκτακόσια ἔτη] A δύο καὶ ὀγδοήκοντα καὶ ἑπτακόσια ἔτη. C ἔτη ὀκτακόσια δύο. 30 αὐτὸν τὸν] A αὐτῷ τόν.

CAP. VI.

v. 1 καὶ ἦν νῶε] C καὶ νῶε ἦν. ἐγέννησε τρεῖς] C ἐγέννησε νῶε τρεῖς. 2 υἱοὶ τοῦ] C οἱ υἱοὶ τοῦ. 3 εἰς τὸν αἰῶνα] A deſunt. 4 ἐγεννῶσαν αὐτοῖς] C ἐγέννησαν ἑαυτοῖς. 7 ἐνεθυμήθην] A μετεμελήθην. αὐτοὺς] C αὐτόν. 8 ἐναντίον] C ἔναντι. 13 κύριος ὁ θεὸς τῷ νῶε] C ὁ θεὸς πρὸς νῶε. 14 ποιήσεις τὴν κιβωτὸν] A ποιήσεις κατὰ τὴν κιβωτόν. C ποιήσεις ἐπ' αὐτῆς. 15 ὕψος αὐτῆς] C ὕψος. 16 τὴν κιβωτὸν] A μετὰ τὴν κιβωτόν. θύραν τῆς κιβωτοῦ] C θύραν. 17 ἐπάγω] C ἐπάξω. 18 μετὰ σοῦ] A πρὸς σέ. 19 καὶ ἀπὸ πάντων τῶν ἑρπετῶν] C deſunt. 20 ὀρνέων τῶν πετεινῶν μετὰ] A ὀρνέων κατά. C ὀρνέων τῶν πετεινῶν τοῦ οὐρανοῦ κατά. 21 σεαυτῷ] C μετὰ σεαυτοῦ. 22 αὐτοῦ] A C αὐτῷ. κύριος ὁ θεὸς] C ὁ θεός.

CAP. VII.

v. 2 τῶν μὴ] A τῶν μὴ ὄντων. 3 τῶν καθαρῶν] C deſunt. καὶ ἀπὸ πάντων τῶν πετεινῶν τῶν μὴ καθαρῶν δύο δύο ἄρσεν καὶ θῆλυ] C deſunt. 4 ἐπὶ τὴν γῆν] C ἐπὶ τῆς γῆς. πᾶν τὸ ἀνάστημα, ὃ] C πᾶσαν τὴν ἐξανάστασιν, ἥν. πάσης τῆς γῆς] C τῆς γῆς ἀπὸ ἀνθρώπου ἕως κτήνους. 8] C totum verſum hoc modo. καὶ ἀπὸ τῶν κτηνῶν τῶν καθαρῶν, καὶ ἀπὸ τῶν κτηνῶν τῶν μὴ καθαρῶν, καὶ ἀπὸ τῶν πετεινῶν, καὶ ἀπὸ πάντων τῶν ἑρπετῶν τῶν ἑρπόντων ἐπὶ τῆς γῆς. καὶ ἀπὸ πάντων τῶν. A καὶ ἀπὸ τῶν θηρίων, καὶ ἀπὸ πάντων τῶν. 9 ὁ θεὸς τῷ νῶε] A αὐτῷ ὁ θεὸς C κύριος ὁ θεὸς τῷ νῶε. 11 ἑξακοσιοστῷ] A ἑνὶ καὶ ἑξακοσιαστῷ. 13 μετ' αὐτοῦ] C μετ' αὐτῶν. 14 θηρία κατὰ] C θηρία τῆς γῆς κατά. κτήνη κατὰ] C κτήνη τῆς γῆς κατά. καὶ πᾶν ἑρπετὸν] C inverſim. καὶ πᾶν ὄρνεον πετεινὸν κατὰ γένος, καὶ πᾶν ἑρπετόν, &c. ὄρνεον πετεινὸν] A πετεινόν. 16 σαρκὸς, εἰσῆλθε] C σαρκὸς, εἰσῆλθε πρὸς νῶε εἰς τὴν κιβωτόν. ὁ θεὸς] C κύριος ὁ θεός. τὴν κιβωτὸν ἔξωθεν αὐτοῦ] C ἔξωθεν αὐτοῦ τὴν κιβωτόν. 17 νύκτας ἐπὶ τῆς γῆς] C νύκτας. 18 ἐπληθύνετο] C ἐπληθύνθη. 19 σφόδρα σφόδρα] C σφόδρα σφοδρῶς. ἐκάλυψε] C ἐπεκάλυψε. 20 πεντεκαίδεκα] A C Δεκαπέντε. 22 πᾶν ὃ ἦν] A C πᾶς ὃς ἦν. 23 ἐξήλειψε] A ἐξηλείφθη. τῆς γῆς, ἀπὸ] A πάσης τῆς γῆς ἀπό. μόνος νῶε] C νῶε μόνος. 24 ἐπὶ τῆς] A ἀπὸ τῆς.

CAP. VIII.

Capitis quarti verſu primo, ſcribe numero plurali, συνετέλεσαν. Et mox pro, διαβαίνων, ſcribe modum infinitum, διαβαίνειν. Verſu 2. ſcribe ordine verborum mutato, παράλαβε ἀπὸ τοῦ λαοῦ δώδεκα ἄνδρας. Et illud, * ἄνδρα ↙, quod continuo ſequitur, habeat adſcriptam ſtellulam: eſt enim aſcititium. Verſu 3. Pronomen cum dicitur, ἀνέλεσθε * αὐτοῖς ↙ notetur aſteriſco. Eſt enim etiam ipſum ex aliis interpretibus acceptum. Et deinceps ſcribatur, ἐντεῦθεν ἐκ μέσου τοῦ Ἰορδάνου· atque hic jam apponit mixta per aſteriſcum hanc verborum clauſulam, * ἀπὸ στάσεως ποδῶν τῶν ἱερέων ↙, deinde ſequitur, ἑτοίμους &c. Quod porro hic ſcribitur magno librorum conſenſu, ἅμα ὑμῖν καὶ αὐτοῖς, ſuſpicor olim rectius ſcriptum fuiſſe ἅμα ὑμῖν ἑαυτοῖς. Sed nolui adverſus conſenſionem τῶν ἀντιγράφων quidquam mutare. Ibidem pro θήσετε legit Syrus modo mandativo, τίθετε: &, niſi fallor, recte. Ulterius, ἐν τῇ στρατοπεδείᾳ ÷ ὑμῶν ↙. debet Pronomen habere obeliſcum. Verſu 4. addit mixta articulum, per aſteriſcum, hoc modo, * τοὺς ↙ δώδεκα ἄνδρας; & paulo ulterius nomen ἄνδρα· habet enim, * ἄνδρα ↙ ἕνα ἀφ' ἑκάστης φυλῆς. Verſu 5. Initio poſt illa verba, εἶπεν αὐτοῖς, adſcribito nomen Ἰησοῦς, ita enim ſcriptum eſt in bonis libris. Ulterius, poſt illa, πρὸ προσώπου κυρίου, addit mixta editio * τοῦ θεοῦ ὑμῶν ↙. Ulterius ſcribito ἕκαστος λίθον ἕνα, mutato verborum ordine. Mox habet Vaticanus codex, τῶν δώδεκα φυλῶν· ſed nomen δώδεκα non eſt in aliis exemplaribus, quæ vidi. Si tamen adſcribendum eſt, debet obelo notari: nam Hebræum non habet. Verſu 6. ſcribe, ἵνα ὑπάρχωσιν οὗτοι ÷ κείμενοι ↙ ἐν ὑμῖν εἰς σημεῖον ÷ διαπαντός ↙· atque illud κείμενοι & διὰ παντὸς, ea ſint veru confoſſa. Eadem nota inſigniatur quoque verbum ὦσιν, quod paulo ulterius poſitum eſt. Verſu 7. ſcribe, καὶ ÷ σὺ ↙ δηλώσεις, habeatque Pronomen obelum appoſitum. Eadem nota ſcribatur quoque apud Participium ÷ λέγων ↙, & ulterius, apud Nomen ÷ ποταμὸς ↙. quod nomen tamen a Syro non eſt lectum. Denique etiam apud illa verba, ÷ πάσης τῆς γῆς ↙. Mox ubi eſt in vulgatis libris, ὡς διέβαινεν αὐτὸν, habet mixta editio, loco Pronominis αὐτὸν, ipſum Jordanis nomen, cum aſteriſco, quo etiam ea verba ſignari debent quæ ſequuntur. eſt enim hic locus in mixta editione ſic ſcriptus, ὡς διέβαινεν * τὸν Ἰορδάνην, ϗ ἐξέλιπε τὸ ὕδωρ τοῦ Ἰορδάνου ↙: nam illam verborum iterationem viderant LXXII. Dum ſequitur, ϗ ἔσονται ÷ ὑμῖν ↙· ſignetur Pronomen obelo. Paullo ulterius, cum dicitur, ἐν τοῖς υἱοῖς Ἰσραὴλ, Complutenſes omittunt Præpoſitionem, ἐν. Auguſtinus quoque videtur eam non legiſſe. Sed Syrus aſſentitur noſtris vulgatis libris. Verſu octavo, initio, cum dicitur, ἐνετείλατο ÷ κύριος τῷ ↙ Ἰησοῦ, debet illud ÷ κύριος τῷ ↙ jugulari veru appoſito. Ulterius lege, ϗ διεκόμισαν αὐτοὺς ἅμα ἑαυτοῖς. Verſu 9. ſcribe mutato ordine, ϗ ÷ ἄλλους ↙ δώδεκα λίθους ἔστησε Ἰησοῦς ἐν αὐτῷ, ex Syro. Debet autem illud ἄλλους notari obeliſco: & ſimiliter Nomen ÷ κυρίου ↙, quod habetur eodem verſu. Decimum verſum lege ad hunc modum, οἱ ἱερεῖς δὲ οἱ αἴροντες τὴν κιβωτὸν ÷ τῆς διαθήκης ↙ εἱστήκεισαν ἐν * μέσῳ ↙ τῷ Ἰορδάνῃ, &c: ſed illud, τῆς διαθήκης, ſignetur obelo, & μέσῳ, ſtella, tanquam aſcititium. Ulterius, ſcribe ἕως οὗ συνετέλεσεν: & Nomen Ἰησοῦς expungatur. Hic autem adſcripta eſt in mixta editione per aſteriſcos longior verborum continuatio, hujuſmodi * πᾶν τὸ ῥῆμα, ſive, ὅσα ἐνετείλατο κύριος τῷ Ἰησοῦ ἀναγγεῖλαι τῷ λαῷ, κατὰ πάντα ὅσα ἐνετείλατο Μωυσῆς τῷ Ἰησοῦ ↙· ac tum demum ſequitur, καὶ ἔσπευσεν &c. Indicatur autem a Syro, per limniſcum, in nonnullis libris, poſt τῷ λαῷ, adſcriptum eſſe, ÷ καὶ διέβησαν οἱ υἱοὶ Ἰσραήλ ↙. Sed ego hoc librariorum errore eſſe factum puto. Verſu 11. notetur rurſus illud ÷ τῆς διαθήκης ↙, obeliſco. Complutenſes hic, pro οἱ λίθοι, habent οἱ ἱερεῖς· & ſic eſt in Hebræo. At in margine Syrici codicis annotatum eſt, LXXII dixiſſe, οἱ λίθοι, cæteros vero omnes Græcos interpretes, οἱ ἱερεῖς. Nihil ergo mutandum; eſt enim interpretatio τῶν ἑβδομηκονταδύο, noſtræ editionis fundamentum. Verſu 13. habet mixta editio, πρὸς * πόλιν ↙ Ἱεριχώ. Nimirum verbum Hebraicum עֲרָבוֹת converſum eſt in Græcum, πόλιν· inſcite ſane. Significat enim illud locum æquabilem, atque etiam deſertum, unde ſolet ab Aquila pro ea reddi ὁμαλή· qui tamen hic ipſam vocem Hebraicam Araboth ſervavit. Symmachus vero convertit, ἀοίκητον. Verſu 14. nomen γένους eſt obeliſco ſignandum. Ulterius, cum dicitur, ὥσπερ ἐφοβοῦντο Μωυσῆν, verbum ἐφοβοῦντο debet habere appoſitam ſtellulam, tanquam alienam ab editione LXXII. Verſu 15. poſt illa verba, καὶ εἶπε κύριος, additum eſt in mixta editione, * πρὸς τὸν Ἰησοῦν ↙. Verſu 16 illud, ÷ τῆς διαθήκης ↙, debet rurſus notari obelo. Ibidem, poſt verbum μαρτυρίου, habet codex Vaticanus κυρίου, *teſtimonii Domini*: ſed id ei non aſſentiuntur alia exemplaria. Si tamen adſcribendum eſt, non eſt ſine obeliſco adſcribendum; neque enim in Hebræo habetur. Verſu 18. poſt illud, τοὺς πόδας αὐτῶν, eſt in mixta editione * οἱ ἱερεῖς ↙. Ulterius cum dicitur, * καὶ ↙ ὥρμησε τὸ ὕδωρ, apponendus eſt aſteriſcus ad copulam: eſt enim ex aliis interpretibus accepta. Mox poſt κατὰ χώραν, adſcribendum eſt Pronomen αὐτοῦ, *in locum ſuum.* Ulterius, verbum ἡμέραν, jugulandum obeliſco eſt. Atque hic verbo κρηπῖδος additum in mixta eſt Pronomen * αὐτοῦ ↙, *ripam ſuam.* Verſu 19. illud, ÷ οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ ↙, debet jugulari obelo. Verſu 20. lege, οὓς ἔλαβον ἐκ τοῦ Ἰορδάνου, poſito verbo in plurium numero. Verſus 21 initium eſt a LXXII omiſſum; idque in mixta additum eſt his verbis, per aſteriſcum, * καὶ εἶπε πρὸς τοὺς υἱοὺς Ἰσραὴλ ↙, λέγων, Ὅταν. &c. Ibidem, poſt illa verba, οἱ υἱοὶ ὑμῶν, additum in mixta eſt Adverbium * αὔριον ↙, *cras.* Ulterius, cum dicitur, τί ÷ εἰσιν ↙ οἱ λίθοι, debet verbum εἰσιν obelo jugulari. Verſu 22. poſt illa verba, τοῖς υἱοῖς ὑμῶν, adſcribe Participium λέγοντες, & particulam ÷ ὅτι ↙ quæ proxime ſequitur ſigna obelo. In hujus verſiculi extremo additum in mixta eſt demonſtrationis Pronomen, τὸν Ἰορδάνην * τοῦτον ↙, *Jordanem iſtum:* quod tamen in Vaticano habetur: tanquam abſq; aſteriſco, ut a LXXII dictum, ſcribi debeat. Verſu 23. Scribe, τοῦ θεοῦ ἡμῶν, *Dei noſtri*; & rurſus ulterius, ὁ θεὸς ἡμῶν, *Deus noſter*; & tertio quoque, cum dicitur, ἀπεξήρανε κύριος ὁ θεὸς ἡμῶν ἔμπροσθεν,&c. Sed hoc loco debet illud κύριος ὁ θεὸς ἡμῶν, jugulari obeliſco. Verſu ultimo, ſcribe ex Syro, τῆς γῆς τὴν δύναμιν κυρίου ὅτι ἰσχυρά ἐστι. Mox cum dicitur, ÷ καὶ ↙ ἵνα ÷ ὑμεῖς ↙ σέβησθε, jugulanda ſunt Conjunctio, & Pronomen, obeliſcis. Atque hic rurſus ſcribendum eſt, τὸν θεὸν ἡμῶν, *Deum noſtrum.* Ibidem, pro χρόνῳ, eſt in Vaticano codice, ἔργῳ. Sed alii libri, & Syrus, illud probant; idque Hebræo conſentaneum eſt. Quapropter nihil cenſeo mutandum.

CAP. V.

Capitis quinti primo verſiculo, eſt initio addita univerſitatis nota in mixta editione. Habet enim, ὡς ἤκουσαν * πάντες ↙ οἱ βασιλεῖς &c. Ulterius poſt illa verba, πέραν τοῦ Ἰορδάνου, additum eſt in mixta, * παρὰ τὴν θάλασσαν ↙; & mox poſt copulam rurſus nota univerſitatis. καὶ * πάντες ↙ οἱ βασιλεῖς &c. Paullo ulterius, cum dicitur, οἳ ἦσαν παρὰ τὴν θάλασσαν, expungendum eſt verbum ἦσαν. Ulterius, illud, ÷ ὁ θεὸς ↙, jugulandum obelo eſt. Ulterius, pro verbo κατέβησαν, ſcribe κατετάκησαν. Quod vero deinceps eſt, ÷ καὶ κατεπλάγησαν ↙, id confodiendum eſt obeliſco. Verſu ſecundo, ſcribe μαχαίρας ἐκ πέτρας ἀκροτόμου. καὶ καθίσας &c. Sic enim legit Syrus, & Auguſtinus quoque, atque auctor docti opuſculi, De vera circumciſione, quod divo Hieronymo tribuitur. Verſu tertio, illud, τοῦ καλουμένου, debet jugulari veru: & nomen, τόπου, ibidem prorſus expungi. Verſu 4. lege ordine converſo, περιεκάθηρε Ἰησοῦς τοὺς υἱοὺς &c. Verſu 5. ante ἐν τῇ ὁδῷ, habent quædam exemplaria, ἐν τῇ ἐρήμῳ· ut notavit Syrus per limniſcum. Sunt autem verſiculi iſti quartus & quintus jugulandi obeliſcis, quia non ſunt de Hebræo expreſſi: in quo longe alia eſt ſententia; quæ in mixta editione aſteriſcis appoſitis reddita eſt his verbis, * καὶ οὗτος ὁ λόγος ὃν περιέτεμεν ὁ Ἰησοῦς· πᾶς ὁ λαὸς οἱ ἐκπορευόμενοι ἐξ Αἰγύπτου, τὸ ἀρσενικὸν, πάντες ἄνδρες πολέμου, ἀπέθανον ἐν τῇ ἐρήμῳ, ἐν τῇ ὁδῷ, ἐξελθόντων αὐτῶν ἐκ γῆς Αἰγύπτου. Et hactenus verſiculus quartus: deinde ſequitur quintus, his verbis; * ὅτι περιτετμημένοι ἦσαν πᾶς ὁ λαὸς ὁ ἐξελθών· καὶ πᾶς ὁ λαὸς οἱ γεννηθέντες ἐν τῇ ἐρήμῳ ἐν τῇ ὁδῷ ἐξελθόντων αὐτῶν ἐκ γῆς Αἰγύπτου οὐ περιετμήθησαν. Verſu 6. illud, ÷ καὶ δύο ↙, notandum eſt obelo. Mox ſcribe, τῇ ἐρήμῳ ÷ τῇ μαδβαρίτιδι ↙, ſignaque hoc, τῇ μαδβαρίτιδι, obeliſco. Ulterius poſt Nomen, κυρίου, habent quidam libri, τοῦ θεοῦ. Sed ſi id adſcribatur, debet jugulari obelo. In Vaticano autem omiſſum eſt, κυρίου, atque pro eo ſcriptum, τοῦ θεοῦ· & ſic videtur divus Auguſtinus legiſſe hunc locum. Hebræum tamen habet יְהוָה, pro quo reddi ſolet, κυρίου. Ulterius ſcribe, δοῦναι ἡμῖν γῆν, *dare nobis terram*; ſic enim habent boni libri; & in Hebræo quoque ſcriptum eſt primæ perſonæ Pronomen. Verſus ſeptimi initio in libris emendatis, habetur hæc verborum collocatio; τοὺς υἱοὺς αὐτῶν ἀντικατέστησε ἀντὶ τούτων, οὓς περιέτεμεν Ἰησοῦς * ὅτι ἀκρόβυστοι ἦσαν ↙, &c. Vaticanus tamen non habet hanc poſtremam clauſulam verborum, ὅτι ἀκρόβυστοι ἦσαν. Neque eam videtur etiam legiſſe Auguſtinus apud LXXII, quapropter eſt notanda aſteriſco; ut ab aliis interpretibus accepta; idque a Syro factum eſt. Verſu 8. poſt illa verba, περιτμηθέντες δὲ, eſt in mixta, * πᾶν τὸ ἔθνος ↙· debet autem quod continuo ſequitur, ÷ ἡσυχίαν εἶχον ↙, jugulari obelo. Verſu 9. Nomini Ἰησοῦ, addit Vaticanus codex υἱῷ Ναυή· ſed id in aliis exemplaribus non apparet; neque poteſt ſine obelo aſcribi; non enim eſt in Hebræo. Ulterius, poſt Nomen τόπου, additum eſt in mixta, * ἐκείνου ↙. Mox illa verba, * ἕως τῆς ἡμέρας ταύτης ↙, ſunt appoſito aſteriſco ſignanda. Nam non ſunt editionis LXXII interpretum. Idem cenſendum eſt de iis quæ initio verſus decimi ſcripta leguntur; nempe, * καὶ παρενέβαλον οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ ἐν Γαλγάλοις ↙. LXXII enim, ut ſupervacanea, omiſerant iſta. Atque ideo non leguntur in Vaticano codice. Mox illa, οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ, quæ poſt verbum ἐποίησαν ſcribuntur, ſunt ſignanda obeliſco. Qua nota inſignivit Syrus etiam illud, quod in extremo verſus eſt, ÷ ἐν τῷ πεδίῳ ↙. Nimirum voci Hebraicæ בַּעֲרָבוֹת reſpondet, ἐπὶ δυσμῶν. Meo tamen judicio hoc potius jugulandum ab Adamantio erat. Nam illud, ἐν τῷ πεδίῳ, magis eſt ei verbo Hebraico conſentaneum: verum ſi conjectura uti liceat, dicam; hoc, ἐν τῷ πεδίῳ, ab aliquo Hebrææ linguæ perito in margine ſcriptum fuiſſe, pro illo, ἐπὶ δυσμῶν, quod ille judicabat non ſatis congruere verbo illi Hebræo; atque ita errore librariorum in ipſo textu tandem ſcribi cœpiſſe. Verſu 11. poſt illud, σίτου τῆς γῆς, additur in mixta, * τῇ ἐπαύριον τοῦ πάσχα ↙, *poſtridie paſchæ.* Rurſus verſu duodecimo, poſt illa verba, ἐξέλιπε τὸ μάννα, additum eſt in mixta, * τῇ ἐπαύριον ↙ μετὰ &c. Verſu decimo tertio, cum dicitur, καὶ ἀναβλέψας τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ, non habet Vaticanus, neque copulam καὶ, neque Pronomen αὐτοῦ· eique aſſentiri videntur tum Origenes, tum Cyprianus: quapropter arbitror, utrumque eſſe appoſito aſteriſco notandum: quanquam id a Syro factum non apparet; quod fortaſſe librarii negligentia accidit. Paullo ulterius, habent Complutenſes, εἶδεν φανέντα ἄνθρωπον· verum unde natum ſit illud, φανέντα, non video. Suſpicor tamen, cum explicandæ rei gratia fuiſſet in margine a quoquam adſcriptum, in ipſum ſacrorum verborum ordinem deinde perperam eſſe relatum. Ulterius, καὶ ἡ ῥομφαία αὐτοῦ, debet rurſus Pronomen habere ſtellulam appoſitam. Neque enim in Vaticano eſt, neque vel ab Origene, vel Cypriano eſt lectum. Mox, poſt Participium προσελθὼν, addit mixta Pronomen * αὐτῷ ↙, *aggreſſus eum Jeſus, dixit ei,* &c. Rurſus in verſiculi extremo alterum additur in mixta Pronomen, hoc modo, ἢ τῶν ὑπεναντίων * ἡμῶν ↙. Verſu 14. in ipſo initio, poſt Pronomen αὐτῷ, addenda eſt particula ὅτι, & ſcribendum, ὅτι ἐγὼ &c. Mox poſt Nomen πρόσωπον, additur in mixta Pronomen * αὐτοῦ ↙, *in faciem ſuam.* Ibidem, ſcribendum eſt * προσεκύνησεν, καὶ ↙ εἶπεν αὐτῷ· debetque verbum προσεκύνησεν, atque inſequens copula habere appoſitum aſteriſcum. Nam LXXII omiſerant adorandi ritum. Quod deinceps ſequitur, lectum eſt a Syro ad hunc modum, * τί ↙ δέσποτα * μου ↙, τί προστάσσεις τῷ σῷ οἰκέτῃ; ſignato videlicet priore τί, & Pronomine μου, aſteriſcis. Rurſus verſu 15. poſt τὸ ὑπόδημα, additum eſt in mixta Pronomen * σου ↙. Denique in extremo, illa verba, * καὶ ἐποίησεν Ἰησοῦς οὕτως ↙, tanquam a LXXII præterita, debent aſteriſco appoſito notari.

CAP. VI.

Capitis ſexti verſiculo primo, poſt illud, συγκεκλεισμένη, addendum eſt verbum ἦν, ex Syro, & Vaticano. Mox, poſt illud, ὠχυρωμένη, habet mixta editio complexionem verborum hanc, cum ſtellula, * πρὸ προσώπου υἱῶν Ἰσραὴλ ↙. Ulterius, illud ÷ ἐξ αὐτῆς ↙, ſignandum obelo eſt. Verſiculo ſecundo omittatur Pronomen ἐγὼ, atque Dativus σοι, locetur poſt verbum ὑποχείριον. Mox illud, ÷ τὸν ἐν αὐτῇ ↙, ſignetur obeliſco. Eſt quidem hic in Vaticano codice ſcriptum, δυνατοὺς ὄντας ἐν ἰσχύι, apud Complutenſes vero, καὶ δυνατοὺς ἐν ἰσχύι· verum Syrus plane ſecutus eſt vulgatorum librorum ſcripturam; niſi quod videtur legiſſe articulum, τοὺς δυνατοὺς &c. & hæc lectio cæteris melior eſt, meo certe judicio. In proximis verſiculis, uſq; ad decimum, eſt interpretatio LXXII interpretum admodum curta; eoque diſſimilis Hebræo; & fere hujuſmodi, qualem ſcriptura vulgatorum codicum nobis ante oculos ponit. Quapropter unico contextu dicam, qualis hic ſit editio mixta; & quæ a LXXII omiſſa ſunt, ea aſteriſcis notabo; quæ vero illi de ſuo addiderunt, obeliſcis. Igitur auſpicando a verſu tertio, ſic habebat editio mixta: ÷ Σὺ δὲ ↙ περίστησον αὐτῇ πάντας τοὺς μαχίμους κύκλῳ * καὶ κυκλώσατε τὴν πόλιν πάντες ἄνδρες πολέμου, κύκλῳ τῆς πόλεως, ἅπαξ· οὕτω ποιήσετε ἓξ ἡμέρας ↙· Verſu 4. * καὶ ἑπτὰ ἱερεῖς λήψονται ἑπτὰ κερατίνας τοῦ Ἰωβὴλ ἐνώπιον τῆς κιβωτοῦ· καὶ τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἑβδόμῃ κυκλώσατε τὴν πόλιν ἑπτάκις· καὶ οἱ ἱερεῖς σαλπιοῦσιν ταῖς κερατίναις ↙. Verſu 5. καὶ ἔσται ὡς ἂν σαλπίσητε τῇ σάλπιγγι * τοῦ Ἰωβὴλ, ἐν τῷ ἀκοῦσαι ὑμᾶς τὴν φωνὴν τῆς κερατίνης ↙ ἀνακραγέτωσαν πᾶς ὁ λαός· καὶ ἀνακραγόντων αὐτῶν πεσεῖται ÷ αὐτόματα ↙ τὰ τείχη τῆς πόλεως * ὑποκάτω αὐτῶν ↙, καὶ εἰσελεύσεται ÷ πᾶς ↙ ὁ λαὸς ÷ ὁρμήσας ↙, ἕκαστος κατὰ πρόσωπον αὐτοῦ ÷ εἰς τὴν πόλιν ↙. Verſu 6. καὶ εἰσῆλθεν Ἰησοῦς υἱὸς Ναυὴ πρὸς τοὺς ἱερεῖς * καὶ εἶπε πρὸς αὐτοὺς, Λάβετε τὴν κιβωτὸν τῆς διαθήκης· καὶ ἑπτὰ ἱερεῖς λήψονται ἑπτὰ κερατίνας τοῦ Ἰωβὴλ πρὸ προσώπου τῆς κιβωτοῦ τοῦ κυρίου ↙. Verſu 7. καὶ εἶπεν ÷ αὐτοῖς λέγων, Παραγγείλατε ↙ τῷ λαῷ περιελθεῖν, καὶ κυκλῶσαι τὴν πόλιν· καὶ οἱ μάχιμοι παραπορευέσθωσαν ÷ ἐνωπλισμένοι ↙ ἔναντι * τῆς κιβωτοῦ τοῦ ↙ κυρίου. Verſu 8. * καὶ ἐγένετο ὡς εἶπεν Ἰησοῦς πρὸς τὸν λαὸν ↙ καὶ ἑπτὰ ἱερεῖς ἔχοντες ἑπτὰ σάλπιγγας ἱερὰς, ÷ παρελθέτωσαν ὡσαύτως ↙ ἐναντίον τοῦ κυρίου· παραπορευέσθωσαν, καὶ σημαινέτωσαν εὐτόνως· καὶ ἡ κιβωτὸς τῆς διαθήκης κυρίου ἐπακολουθείτω * αὐτοῖς ↙. Verſu 9. οἱ δὲ μάχιμοι παραπορευέσθωσαν ἔμπροσθεν, * καὶ ↙ οἱ ἱερεῖς * οἱ σαλπίζοντες ταῖς κερατίναις ↙, καὶ οἱ οὐραγοῦντες ὀπίσω τῆς κιβωτοῦ ÷ τῆς διαθήκης τοῦ κυρίου ↙ πορευόμενοι καὶ σαλπίζοντες ταῖς κερατίναις. Verſiculo 10. poſt Pronomen ὑμῶν, infarcit editio mixta per aſteriſcum, hanc verborum periodum, * καὶ οὐ διελεύσεται ἐκ στόματος ὑμῶν λόγος ↙. Mox pro ἡμέρα, ſcribe accuſandi caſum, ἡμέραν. Ulterius, pro αὐτὸς, ſcribe ὑμῖν, ex Syro; niſi ſi magis probas Vaticani codicis ſcripturam; quæ eſt hoc loco hujuſmodi, ἕως ἂν ἡμέραν διαγγεῖλαι αὐτὸς ἀναβοῆσαι. Ibidem ſcribendum eſt, mutato ordine, καὶ ἀναβοήσετε ÷ τότε ↙· poſito verbo in futuro, modi finiti, & particula τότε, notata obeliſco. Verſu 11. illud, ÷ τῆς διαθήκης ↙, jugulandum obelo eſt; illud vero κύκλῳ, aſteriſco. In fine, pro ηὐλίσθη, habent quædam exemplaria ἐκοιμήθη. Verſu 12. illa verba, ÷ τῇ ἡμέρᾳ τῇ δευτέρᾳ ↙, debent adſcripto obeliſco ſignari. Ulterius illud, τῆς διαθήκης, eſt expungendum. Verſu 13. poſt σάλπιγγας, addit mixta cum aſteriſco, * ἱερὰς ↙, & ſimiliter poſt ἔναντι addit * κιβωτοῦ ↙· legendus eſt igitur hic locus trajecto verbo hoc modo, φέροντες τὰς ἑπτὰ σάλπιγγας * ἱερὰς ↙ ἔναντι * κιβωτοῦ ↙ κυρίου παρεπορεύοντο. Cum autem continuo ſequitur καὶ ÷ οἱ ἱερεῖς ↙ ἐσάλπιγξαν &c. debet illud, οἱ ἱερεῖς, obelo jugulari. Mox illud, καὶ ὁ λοιπὸς ὄχλος ἅπας, eſt quidem a Syro lectum: verum tamen expungendum procul dubio eſt, utpote ex margine mendoſe admiſſum in ſacrum textum, tanquam interpretatio altera Hebraici vocabuli הֶחָלוּץ, pro quo a LXXII recte redditum eſt illud, οἱ μάχιμοι. Porro, poſt illud, μετὰ ταῦτα, legit Syrus, καὶ ὁ λοιπὸς λαὸς, pro eo quod eſt in libris vulgatis, καὶ ὁ λοιπὸς ὄχλος. Ibidem illud ÷ τῆς διαθήκης ↙, ſignetur obelo. Quod autem hic poſt Nomen κυρίου ſequitur, nempe * πορευόμενοι καὶ σαλπίζοντες ταῖς κερατίναις ↙, debet appoſitum aſteriſcum habere. Non eſt enim ipſorum LXXII. Quæ vero deinceps ſunt, hæc dico, καὶ οἱ ἱερεῖς ἐσάλπισαν ταῖς κερατίναις σάλπιγξι, καὶ ὁ λοιπὸς ὄχλος, ea ſunt omnia expungenda ex ſacris verbis, ut perperam ex margine adſcripta. Porro initium verſus 14. nempe, ϗ περιεκύκλωσαν τὴν πόλιν ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ δευτέρᾳ ἅπαξ ἐγγύθεν (ſic enim ſcribendum eſt) debet habere aſteriſcum: eſt enim omiſſum a LXXII. Mihi tamen hoc loco illud ἅπαξ ſuſpectum eſt, quamvis & Complutenſes & Syrus legerunt. Suſpicor enim eſſe alteram interpretationem illius Hebræi, פַּעַם אַחַת, quam aliquis Hebraice doctus in margine adſcripſerit, cum ei parum placere poſſet illud, ἐγγύθεν. Denique hoc eodem verſu, pro, οὕτως ἐποίουν, ſcribendum eſt numero ſingulari, οὕτως ἐποίει· ſic enim eſt in bonis libris. Verſu 15. verbum, ἐγένετο, initio poſitum, debet notari aſteriſco; atque etiam illud, ἐν τῇ ἀναβάσει. Ulterius poſt Nomen, πόλιν, additum in mixta eſt, * κατὰ τὸ κρῖμα τοῦτο ↙, deinde ſequitur, ἑπτάκις. Et poſt hoc Adverbium rurſus addita eſt in editione mixta hæc verborum complexio: * πλὴν ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ἐκύκλωσαν τὴν πόλιν ἑπτάκις ↙. Verſu 16. rurſus verbum ἐγένετο debet notari ſtellula appoſita. Verſu 17. illud, ÷ τῶν δυνάμεων ↙, debet jugulari obelo. Quæ porro in hujus verſiculi fine leguntur verba, nempe, ὅτι ἔκρυψε τοὺς ἀγγέλους οὓς ἀπεστείλαμεν, ea ſunt ab aliis interpretibus accepta, & proinde ſignanda aſteriſco. Verſu 18. ſcribatur, φυλάξασθε, modo mandativo, *cuſtodite*: eſtque ei adjungendum Adverbium ÷ σφόδρα ↙, ſed obelo jugulatum. Paullo ulterius, cum dicitur, ὑμεῖς λάβητε, confodiendum eſt Pronomen obelo. Vaticanus codex habet, ὑμεῖς αὐτοὶ λάβητε· ſed perinde eſt utrum ſcribas. Ulterius illud, ÷ τῶν υἱῶν ↙, debet ſimiliter jugulari obeliſco. Verſu 19. in extremo, pro κυρίῳ, ſcribatur caſu gignendi κυρίου. Verſus viceſimi principium a LXXII. omiſſum, ſuggeritur in mixta editione per aſteriſcum, his verbis. * ϗ ἠλάλαξεν ὁ λαὸς ↙· deinde ſequitur, ϗ ἐσάλπιγξαν &c. Paullo poſt, debet illud, οἱ ἱερεῖς, obelum appoſitum habere. Ulterius ſcribe, ἠλάλαξαν ÷ πᾶς ↙ ὁ λαὸς, ut Verbum ſit numeri plurium, & nota univerſitatis habeat appoſitam obeliſci notam: qua nota etiam illud inſigniri mox debet ÷ ϗ ἰσχυρῷ ↙. Quod autem mox ſequitur, ἅπαν, expungendum eſt; & ſimiliter illud πᾶς, quod paullo ulterius poſitum in vulgatis libris eſt. Atque hic, poſt Nomen, λαὸς, addendum eſt, εἰς τὴν πόλιν. Quæ vero deinceps ſequuntur verba, * ἕκαστος ἐξ ἐναντίας αὐτοῦ, ϗ κατελάβοντο τὴν πόλιν ↙, ea omnia, ut a LXXII. præterita, debent aſteriſco ſignari. Cæterum illud, ἔξω, quod in quibuſdam vulgatis libris eſt, expungendum eſt. Initio verſus 21. expungendum quoque eſt nomen Ἰησοῦς; & verbum numero plurium ſcribendum, hoc modo, ϗ ἀνεθεμάτισαν ÷ αὐτὴν ϗ ↙ ὅσα &c. Pronomen tamen, & inſequens copula ſunt jugulanda veru. Ulterius pro, πρεσβυτέρου, habet Vaticanus codex πρεσβύτου, & recte. Ulterius, cum eſt in vulgatis libris, ϗ ἕως προβάτου, expungendum eſt illud ἕως; reliqua vero ſunt jugulanda obelo. Verſu 22. illud, τὴν γῆν, debet ſignari aſteriſco. Et ſimiliter paullo ulterius illud, τῆς πόρνης. Ulterius ſcribendum eſt trajectis verbis, ἐκεῖθεν αὐτήν. Denique in fine appoſita eſt in editione mixta per aſteriſcum hæc oratio, * ὡς ὤμοσατε αὐτῇ ↙. Verſu 23. illa verba, ÷ τὴν πόλιν εἰς οἰκίαν τῆς γυναικὸς ↙, debent jugulari obelo. Similiter paullo ulterius illud, ÷ τὴν πορνήν ↙. Ulterius lege trajectis verbis, ϗ πάντα ὅσα ἦν αὐτῇ, ϗ πᾶσαν τὴν συγγένειαν αὐτῆς. Verſu 24. pro ἐν πυρὶ, eſt in Vaticano, ἐμπυρισμῷ. Ulterius verbum ἔδωκαν, ſignandum aſteriſco eſt, Quæ autem deinceps ſequuntur, ea ſunt ſcribenda ad hunc modum, εἰς θησαυρὸν εἰσενεχθῆναι κυρίου· ſic enim legit Syrus. Vaticanus tamen habet, εἰς θησαυρὸν οἴκου κυρίου εἰσενεχθῆναι. Sed utrum rectius ſit, non poteſt facile ulla conjectura colligi. Complutenſes a Syro ſtant, niſi quod κυρίῳ habent, dandi caſu. Verſu 25. lege, ϗ ÷ πάντα ↙ τὸν οἶκον τὸν πατρικὸν αὐτῆς, ſed nota univerſitatis habeat appoſitum obelum. Poſt iſta autem verba ſuggerit mixta editio hæc, * ϗ πάντα τὰ αὐτῆς ↙. Verſu 26. ſcribe, ὁ ἄνθρωπος, cum articulo. Deinde illud ἀναστήσει ϗ, ſive ut Syrus legit, ἀναστήσει ἤ, habeat appoſitam aſteriſci notam. Et ſimiliter illud, τὴν Ἱεριχὼ, quod ulterius poſitum eſt. Porro univerſa illa narratio interpoſita, uſque ad verſum 27. nempe, ÷ ϗ ἐποίησεν οὕτως Ἀζωζὰν, ſive, ut melius habent alii libri, Ὀζὰν, ὁ ἐκ Βαιθὴλ, ἐν τῷ Ἀβειρὼμ τῷ πρωτοτόκῳ αὐτοῦ ἐθεμελίωσεν αὐτήν· ϗ ἐν τῷ διασωθέντι ἐλαχίστῳ ἐπέστησε τὰς πύλας αὐτῆς ↙· (ſic enim a Syro lecta iſta ſunt:) Hæc, inquam, narratio, debet tota obeliſcis jugulari: nam eſt a LXXII. huc importata ex capite 16. tertii libri Regum.

CAP. VII.

1 Capitis ſeptimi verſiculo primo auferendum e medio eſt illud, μεγάλην. Mox illud, ÷ ϗ ἐνοσφίσαντο ↙ jugulandum eſt obelo. Ulterius pro, Ζαμβρὶ, legit Syrus, Ζαβδὶ, atque ſic habent Complutenſes, ſicque eſt in Hebræo. Nominatur tamen idem ille vir Ζαμρὶ in Paralipomenis. Verſu 2. illa verba, πρὸς ἀνατολὰς Βαιθήλ· ϗ εἶπεν αὐτοῖς, ſuggeſta ſunt in mixta editione. Nam LXXII. ea præterierant: debent ergo ſignari aſteriſco. Verſu 3. ſcribatur, μὴ ἀναβήτω πᾶς, &c. Ulterius illud, ÷ ἀλλ' ἢ ↙, notetur obelo. Mox, poſt, διχίλιοι, ſuggerit mixta editio Nomen, * ἄνδρες ↙. Nimirum, bis illud eſt in Hebræo. Ulterius ſcribe mutato verborum ordine, ἅπαντα τὸν λαόν. Verſu 4. illa, ἀπὸ τοῦ λαοῦ ἐκεῖ, debent, appoſito aſteriſco, notari, ut aliena ab editione LXXII. Verſu 5. poſt illa verba, συνέτριψαν αὐτοὺς, additur in editione mixta, * ϗ ἔπληξαν αὐτούς ↙. Legitur autem hic locus in quibuſdam exemplaribus hoc modo, ἀπὸ τῆς πύλης ἕως Σεβαρεὶμ, ϗ συνέτριψαν αὐτοὺς ἐπὶ καταφεροῦς &c. eaque ſcriptura eſt Hebræo magis conſentanea. Verſu 6. ϗ ἔπεσεν ÷ Ἰησοῦς ↙, notandum eſt nomen, Ἰησοῦς, obelo. Quodque ſequitur, debet mutato ordine ſcribi, ἐπὶ πρόσωπον αὐτοῦ ἐπὶ τὴν γῆν. Ibidem poſt Præpoſitionem ἔναντι, infarcit editio mixta * κιβωτοῦ ↙ *Coram arca Domini*. Ulterius, cum dicitur, τὸν χοῦν, expungendus eſt articulus τόν. Verſu 7. ſuggeritur in mixta editione repetitio verbi, hoc modo, ἵνα τί * διαβιβάζων ↙ διεβίβασεν &c. Ibidem illud, ὁ παῖς σου, notari debet obelo. Verſu 8. deeſt initium, ſic enim ſcribendum eſt, Δέομαι κύριε, τί ἐρῶ; Nam Conjunctio, ϗ, expungenda eſt: quam ego ſuſpicor olim natam eſſe ex nomine κύριε, curte ſcripto, & præciſe, hoc modo, κε. Verſu 9. ſcribendum eſt, περικυκλώσουσι ἡμᾶς, addito Pronomine: ſic enim eſt in emendatis libris omnibus, quos ego vidi. Verſu 11. ſcribe, addita copula, ϗ παρέβη τὴν &c. Ulterius, poſt illud, πρὸς αὐτοὺς, refertur in editione mixta, per aſteriſcum, periodus verborum præterita a LXXII. hujuſmodi, * καί γε ἔλαβον ἀπὸ τοῦ ἀναθέματος ↙. Cum autem deinde ſequitur, ϗ κλέψαντες ÷ ἀπὸ τοῦ ἀναθέματος ↙, debent illa verba, ἀπὸ τοῦ ἀναθέματος, obelo jugulari. Et continuo poſt iſta, rurſus explet mixta editio ſcriptum, his verbis cum ſtellula additis, * ἐψεύσαντο ϗ ↙ ἐνέβαλον &c. Verſu 13. pro, ἅγνισον, habet Vaticanus liber, ἁγίασον; & paullo poſt, pro, ἁγνισθῆναι, habet ἁγιασθῆναι. Syrus vulgatorum librorum ſcripturam repræſentavit; utri melius, non facile conſtitui poſſe puto. Mox poſt, ἐν ὑμῖν, addit editio mixta * Ἰσραήλ ↙. Verſu 14. illud, πάντες, jugulandum obeliſco eſt. Ulterius, cum dicitur, κατὰ φυλὰς, adſcribendum eſt Pronomen, ὑμῶν, *per tribus veſtras*. Verſu 15. Poſt verbum ἐνδειχθῇ, ſuggeritur in mixta, * ἐν τῷ ἀναθέματι ↙· id enim LXXII. omiſerant. Similiter poſt πυρὶ, additur Pronomen αὐτὸς, cum ſtellula. Ulterius, ante verbum ἐποίησεν, additur cum eadem nota, Conjunctio ὅτι, hoc modo, ϗ * ὅτι ↙ ἐποίησεν &c. Verſu 16. ϗ ὤρθρισεν Ἰησοῦς, addit mixta editio * τὸ πρωΐ ↙. Ulterius, poſt κατὰ φυλὰς, ſuggerit rurſus Pronomen, * αὐτοῦ ↙. Verſu 17. Cum dicitur, ϗ προσήχθη κατὰ δήμους, addit mixta * Ἰούδα ↙. Ibidem, pro ἐνεδείχθη, ſcribe, ἀνεδείχθη· atque ſimiliter paullo ulterius. Ibidem, pro κατ' οἴκους, ſcribe, κατ' ἄνδρα. Quod vero ſequitur, nempe, ϗ ἀνεδείχθη οἶκος ὁ Ζαμβρὶ, debet habere appoſitam ſtellam: eſt enim a LXXII. præteritum: ſed verbum, οἶκος, eſt expungendum: & pro Ζαμβρὶ, habent multi libri Ζαβδί· de quo nomine dixi initio hujus capitis. Verſus 18. principium a LXXII. omiſſum, ſuggeritur in mixta editione his verbis, * ϗ προσήχθη ὁ οἶκος αὐτοῦ κατ' ἄνδρα ↙. Ulterius, pro Ζαμδὶ, ſcribe Ζαβδί. Mox, poſt illa verba, υἱοῦ Ζαρὰ, addita in mixta eſt hæc verborum clauſula * ἀπὸ φυλῆς Ἰούδα ↙. LXXII. enim id, ut ſemel ante dictum, omiſerunt. Verſu 19. poſt nomen, Ἀχὰρ, eſt in mixta * υἱέ μου ↙. Et ſimiliter, poſt Verbum, δὸς, eſt particula, ut ſic dicam, expletiva, * δή ↙· quæ vim quandam urgendi habet, ut ſcripſit vir doctiſſimus Theodorus Gaza. Cæterum illud Adverbium temporis, σήμερον, locandum eſt ante ipſum verbum δὸς, & ſignandum obelo. Ulterius, poſt verbum δὸς ſecundo loco ſcriptum, ſuggeritur in editione mixta Pronomen * αὐτῷ ↙. Verſu 20. poſt Adverbium ἀληθῶς, habet mixta Pronomen * ἐγώ ↙. Verſu 21. poſt, ποικίλην, eſt in mixta * μίαν ↙· *Variam, unam.* Ulterius ſcribendum eſt mutato verborum ordine, ϗ γλῶσσαν χρυσῆν μίαν. Ulterius poſt illud, διδράχμων, adjectum eſt in editione mixta, * ὁλκὴ αὐτῆς ↙. Ulterius, poſt Verbum, ἔλαβον, habet mixta additum Pronomen * αὐτὰ ↙. Ulterius Pronomen, αὐτὰ, ſcriptum ante prius Verbum, κέκρυπται, ſignandum eſt obelo. Et ſimiliter ipſum Verbum κέκρυπται ſecundo loco ſcriptum. Verſu 22. εἰς τὴν σκηνὴν, adſcribe Pronomen, αὐτοῦ, *in tentorium ejus*: atque tum hoc Pronomen, tum illud quod continuo ſequitur, videlicet, εἰς τὴν παρεμβολὴν, jugulentur obeliſcis. Ulterius, cum dicitur, ἐν τῇ σκηνῇ αὐτοῦ, debet hoc Pronomen habere aſteriſci notam. Verſu 23. ſcribe, ϗ ἐξήνεγκαν, numero plurium. Ulterius, poſt Verbum, ἀνήνεγκαν, ſuggerit mixta editio Pronomen * αὐτὰ ↙, & mox notam univerſitatis, hoc modo, ϗ πρὸς * πάντας ↙ τοὺς πρεσβυτέρους. Verſu 24. Illa verba, ϗ ἀνήγαγεν αὐτὸν εἰς φάραγγα Ἀχὼρ, ſunt jugulanda obelo. Ulterius, cum dicitur, ϗ πάντα τὰ πρόβατα, debet univerſitatis nota, πάντα, expungi. Ulterius ſcribendum, ϗ ἀνήγαγεν αὐτοὺς, poſito Verbo numero ſingulari. Verſu 25. Deleri debet illud, τῷ Ἀχάρ. Ulterius, ſcribe mutato verborum ordine, πᾶς Ἰσραὴλ ἐν λίθοις. Et continuo, poſt hæc verba, ſuggeritur in editione mixta hæc periodus verborum, * ϗ κατέκαυσαν αὐτὰ ἐν πυρὶ, ϗ ἐλιθοβόλησαν αὐτοὺς ἐν λίθοις ↙. Tum enim demum ſequitur verſus 26. ut eſt in vulgatis libris, ϗ ἐπέστησαν &c. In hoc verſu, poſt illud, μέγαν, aut ut habent quidam libri, μεγάλων, addita eſt in editione mixta hæc verborum complexio, ἕως τῆς ἡμέρας * ταύτης. Et ulterius, poſt ὀργῆς, ſuggeſtum eſt Pronomen * αὐτοῦ ↙.

CAP. VIII.

Capitis octavi verſiculo primo, dictio * πάντας ↙, ut mixtæ editionis, & a LXXII. prætermiſſa, notetur aſteriſco. Similiter illa verborum periodus, * ϗ τὸν λαὸν αὐτοῦ, ϗ τὴν πόλιν αὐτοῦ ↙. Debet autem iſta tota verborum complexio ſcribi ante illam, ϗ τὴν γῆν αὐτοῦ. Verſu 2. notentur etiam illa aſteriſco, * ϗ τῷ βασιλεῖ αὐτῆς ↙. Et mox, ſuggeruntur in mixta editione duo Pronomina, per aſteriſcos, hoc modo, ϗ τὴν προνομὴν * αὐτῆς ↙, ϗ τῶν κτηνῶν * αὐτῆς ↙. Deinceps, poſt Verbum, κατάστησον, expungenda eſt particula δέ· nam a Syro non eſt lecta; ſi tamen ſcribenda eſt, debet habere obeliſcum appoſitum. Ulterius, cum dicitur, εἰς τὰ ὀπίσω, adde Pronomen, αὐτῆς. Verſu 3. pro ϗ ἐπέλεξεν, ſcribe, ἐπέλεξεν δέ. Verſu 4. poſt Participium, λέγων, ſupplendus eſt locus ex mixta editione, atque ſcribendus ad hunc modum, ἴδετε ὅτι * ὑμεῖς ↙ ἐνεδρεύετε * τὴν πόλιν ↙ ὀπίσω τῆς πόλεως. Ulterius, addita eſt in mixta Præpoſitio, hoc modo, γίνεσθε * ἀπὸ ↙ τῆς πόλεως· quanquam, ſi Vaticano fidendum potius eſt, debet ea abſque aſteriſco adſcribi. Eſt autem in mixta, poſt illud, τῆς πόλεως, additum cum ſtellula Adverbium * σφόδρα ↙. Verſu 5. pro πᾶς ὁ λαὸς, ſcribe, πάντες οἱ μετ' ἐμοῦ, ſic enim habent omnia exemplaria quæ vidi. Ulterius, illa verba, ÷ οἱ κατοικοῦντες Γαὶ ↙, jugulentur obelo. Illa vero, * καθάπερ ϗ πρώην ↙, aſteriſco. Verſu 6. Pronomen οὗτοι, debet habere appoſitum obeliſcum. Eodem verſu omiſſus eſt finis, qui in mixta editione ſuggeritur poſt Adverbium, ἔμπροσθεν, his verbis, * ϗ φευξόμεθα ἀπὸ προσώπου αὐτῶν ↙. Verſu 7. illa, ÷ ϗ πορεύσεσθε εἰς τὴν πόλιν ↙, ſunt ſignanda obelo. Deinde ſuggeruntur in editione mixta per aſteriſcos hæc omnia, * ϗ ἐκτρίψετε τὴν πόλιν, ϗ δώσει αὐτὴν κύριος ὁ θεὸς ὑμῶν ἐν χερσὶν ὑμῶν ↙. Rurſus initium octavi verſiculi adſcriptum in mixta, hujuſmodi eſt, * ϗ ἔσται ὡς ἂν συλλάβητε τὴν πόλιν, ἐμπρήσατε αὐτὴν ἐν πυρί ↙. Deinde ſequitur, κατὰ τὸ ῥῆμα &c. Nam illa omnia præterierant LXXII. Mendoſe ergo in libris vulgatis eſt, ἐμπρήσετε, tempore futuro. Cum autem LXXII. dixerunt, ῥῆμα τοῦτο, legerunt הזה, pro יהוה: alioqui debebant dicere, ῥῆμα κυρίου. Ibidem, pro ἐντέλλομαι, ſcribe, ἐντέταλμαι. Verſu 9. illa verba, ἀπὸ θαλάσσης Γαὶ, debent aſteriſco diſcerni, tanquam aliena ab editione LXXII. interpretum. Quod autem deinceps eſt, uſque ad finem verſiculi, debet ſuggeſtis ex mixta editione verbis ſic ſcribi, ϗ ηὐλίσθη Ἰησοῦς τὴν νύκτα * ἐκείνην ↙ ἐν μέσῳ * τοῦ λαοῦ ↙. Vaticanus codex videtur hoc loco mutilus eſſe. Verſu 11. additur in principio articulus per aſteriſcum in editione mixta, ſic, ὁ πολεμιστὴς * ὁ ↙ μετ' αὐτοῦ. Porro illa verba, ÷ ἀπὸ ἀνατολῶν, ϗ τὰ ἔνεδρα τῆς πόλεως ἀπὸ θαλάσσης ↙, ſunt jugulanda veru; neque enim ſunt hoc loco in Hebræo. Quæ vero deinceps ſcripta ſunt; hæc dico, * ϗ παρενέβαλον ἀπὸ βορρᾶ τῆς Γαὶ ↙, debent appoſito aſteriſco ſecerni: non ſunt enim ipſorum LXXII. Quin ad ea inſuper addit mixta per eandem notam hæc, * ϗ κοιλὰς ἀνὰ μέσον αὐτοῦ, ϗ τῆς Γαί ↙. Quæ porro ſequuntur verſ. 12, & 13. ea quoq; omnia ſunt abs Theodotione accepta, & ideo ſignata aſteriſcis a Syro; in Vaticano vero recte omiſſa. Legit autem Syrus ad hunc modum verſum duodecimum, * ϗ ἔλαβεν ὡς πέντε χιλιάδας ἀνδρῶν, ϗ ἔθετο αὐτοὺς ἔνεδρον ἀνὰ μέσον Βηθαὺν ϗ τῆς Γαὶ, θάλασσαν τῆς Γαί ↙. Verſum vero 13. ſic, * ϗ ἔθηκαν τὸν λαὸν, πᾶσαν τὴν παρεμβολὴν, ἣ ἦν ἀπὸ βορρᾶ τῆς πόλεως, ϗ τὰ ἔσχατα αὐτῶν, θάλασσαν τῆς πόλεως, ϗ ἐπορεύθη Ἰησοῦς τὴν νύκτα ἐκείνην ἐν μέσῳ τῆς κοιλάδος.

Deinde ſequitur verſus 14. in quo, illud, ϗ ὤρθρισε, aſcititium eſt, & proinde aſteriſco ſignandum. Ibidem, ſcribendum eſt numero ſingulari, ἐξῆλθεν. Nam illud, οἱ ἄνδρες τῆς πόλεως, in pleriſque antigraphis non habetur; ut annotavit Syrus interpres: eſtque etiam in Vaticano omiſſum. Si tamen adſcriberetur per aſteriſcum, deberet etiam Verbum poni numero plurium; ut eſt in vulgatis libris. Ibidem, illud, ÷ ἐπ' εὐθείας ↙, eſt obelo confodiendum. Mox illa verba, * εἰς τὸν καιρὸν κατὰ πρόσωπον τῆς Ἀραβά ↙, debent per appoſitum aſteriſcum notari, tanquam aſcititia; quapropter in Vaticano non habentur. Quod autem in vulgatis libris, pro Ἀραβά, eſt, ἐνέδρας, id arbitror imperiti hominis annotatione eveniſſe, qui ארבה, pro ערבה, interpretatus fuerit. Mox, ὅτι ἔνεδρα αὐτῷ, ſcribe, ἔνεδρα αὐτῷ· & pro ἐστιν, ſcribe, ἦν. Verſu 15. initio, illud, ϗ εἶδε, notandum obelo eſt. Ibidem, pro πᾶς ὁ λαός, ſcribe, πᾶς Ἰσραήλ. Quæ vero deinceps ſequuntur hoc verſu, nempe, ϗ ἔφυγον ὁδὸν τῆς ἐρήμου· Et ſimiliter hoc initium verſus 16. ϗ ἐνίσχυσε πᾶς ὁ λαὸς τῆς Γαὶ καταδιῶξαι ὀπίσω αὐτῶν· hæc, inquam, omnia ſunt ab aliis interpretibus accepta, neque ſine aſteriſcis ſcribenda. Hoc verſu, cum dicitur, κατεδίωξαν ὀπίσω υἱῶν Ἰσραήλ, rectius ſcribas, ὀπίσω Ἰησοῦ, quanquam illud in multis libris reperiatur. Ibidem, Pronomen αὐτοί, debet jugulari obelo. Verſu 17. illud, * ϗ ἐν Βαιθήλ ↙, aſcititium eſt, & ſtella ſignandum. In hujus verſus extremo ſcribe numero plurium, ϗ κατεδίωξαν. Verſu 18. illud, ÷ τῇ χειρί σου ↙, juguletur obelo. Verſu 19. illa verba, ϗ τὰ ἔνεδρα ἐξανέστησαν ἐν τάχει ἐκ τοῦ τόπου αὐτῶν, debent ſimiliter confodi obeliſcis. Ibidem ſcribito, ϗ ἐξέτεινεν Ἰησοῦς τὸν γαισόν, ϗ τὴν χεῖρα αὐτοῦ· quod vero deinceps eſt, ἐν τῷ γαισῷ, expungito prorſus. Ulterius, pro ὅτε ἐξέτεινε, habent quidam libri, ὅτι ἐξέτεινε· ſed temporis Adverbium recte exprimit id, quod in Hebræo eſt. Eſt autem hic nomini χεῖρα, adſcribendum Pronomen, αὐτοῦ. Ulterius, ἐνέπρησαν αὐτήν, loco Pronominis, ſcribe ipſum Nomen, τὴν πόλιν. Verſu 20. ſcribe, ἐθεώρουν ἀναβαίνοντα τὸν καπνὸν τῆς πόλεως εἰς, &c. Porro hujus verſus pars extrema tota, nempe, ϗ ὁ λαὸς ὁ φεύγων εἰς τὴν ἔρημον ἐστράφησαν ἐπὶ τοὺς διώκοντας, debet adſcripta ſtellula notari, ut omiſſum a LXXII. Verſu 21 poſt Nomen, καπνός, adſcribito τῆς πόλεως. *fumus urbis*. Illud vero, εἰς τὸν οὐρανόν, confodito obeliſco. Ulterius, pro τοὺς Γαί, ſcribito, τῆς Γαί. Verſu 22, cum dicitur, εἰς συνάντησιν αὐτῶν, eſt apponendus aſteriſcus ad Pronomen. Ulterius in eodem verſu expungatur illud, τοῦ Ἰσραήλ. Verſu 24, cum dicitur, ϗ τοὺς ἐν τοῖς πεδίοις, καί· debent illa, ÷ καὶ τοὺς ↙, & rurſus alterum, ÷ καὶ ↙, jugulari obelo. Mox ſcribito, οὗ κατεδίωξαν. *Ubi perſecuti fuerant* &c. Ulterius illa, ϗ ἔπεσον πάντες ἐν στόματι ῥομφαίας ἀπ' αὐτῆς, debent ſignari aſteriſcis. Equidem non ſatis conſtituere poſſum, unde illud ἀπ' αὐτῆς, natum ſit. Tamen cum viderem magna conſenſione approbari ab exemplaribus, non debui amovere. Verſu 25, cum dicitur, ϗ ἐγενήθησαν πάντες, ſignandum eſt hoc, πάντες, aſteriſco, ut alienum, Verſum 26 totum ſignato ſtellulis, eſt enim ex aliis interpretibus adſcriptus: debet autem ſic emendari, * ϗ Ἰησοῦς οὐκ ἐπέστρεψε τὴν χεῖρα αὐτοῦ ἣν ἐξέτεινεν ἐν τῷ γαισῷ, ἕως ἀνεθεμάτισαν πάντας τοὺς κατοικοῦντας ἐν Γαί ↙. Verſu 27, κτηνῶν αὐτῶν, expungendum eſt Pronomen. Ulterius illud, ἐκείνης, habeat appoſitam aſteriſci notam. Et πάντα, quod ſequitur, auferatur e medio, ſcribaturque ejus loco relationis Pronomen ἅ. Rurſus notetur ſtellula Pronomen ἑαυτοῖς, quod ulterius poſitum eſt. Moxque ſcribatur numero ſingulari, κατὰ τὸ πρόσταγμα. Et quod deinceps eſt, ÷ κύριος ↙, notetur appoſito veru. Similiter illud Verſu 28, ÷ ἐν πυρί ↙. Quæ porro deinceps habentur, ea hac verborum collocatione ſcribantur, ϗ ἔθηκεν αὐτὴν χῶμα εἰς τὸν αἰῶνα ἀοίκητον, ἕως τῆς ἡμέρας ταύτης. v. 29. illud, διδύμου, jugulandum obelo eſt, puto tamen a Vaticano omiſſum eſſe. Similiter jugulandum illud eſt, quod illico ſequitur, ϗ ἦν ἐπὶ τοῦ ξύλου. Ulterius, ſupplet mixta editio quod ſcriptum a LXXII. præciſe eſt, hoc modo, ἕως * καιροῦ τῆς ↙ ἑσπέρας. Ulterius illa quoque verba, πρὸς τὴν πύλην τῆς πόλεως, ſunt editionis mixtæ, & ſignanda aſteriſco; ſicut etiam illud, μέγαν, quod ulterius poſitum eſt. Verſu 31, ἐκ λίθων, deleatur Præpoſitio: illud vero, ἐπ' αὐτούς, notetur aſteriſco; eſt enim alienum. In extremo, ſcribe, ϗ ἔθυσαν * εἰρηνικὰ ↙ σωτηρίου, appoſito aſteriſco ad verbum εἰρηνικά. In nonnullis antigraphis eſt, ut notavit Syrus, ϗ θυσίαν σωτηρίου. Verſu 32. Nomen, Ἰησοῦς, juguletur obeliſco. Mox ſcribe alia verborum collocatione, ἐπὶ τῶν λίθων τὸ Δευτερονόμιον. Similiter v. 33. ſcribe, trajectis colis, ϗ οἱ γραμματεῖς αὐτῶν, ϗ οἱ δικασταὶ αὐτῶν. Et mox ἀπέναντι τῆς κιβωτοῦ. Ulterius, ſcribe, ϗ οἱ ἱερεῖς οἱ Λευῖται, ſublata Conjunctione, ut legit Syrus. Et deinceps hoc ordine verborum, ϗ ὁ αὐτόχθων ÷ ἦσαν ↙ ἥμισυ αὐτῶν * ἐπὶ ↙ πλησίον ὄρους Γαριζίν, ϗ ἥμισυ αὐτῶν * ἐπὶ ↙ πλησίον ὄρους Γαιβάλ. verum debet verbum, ἦσαν, appoſito obeliſco ſignari; & utraque Præpoſitio, ἐπί, aſteriſco. v. 34. ἀνέγνω Ἰησοῦς, deleatur nomen, Ἰησοῦς. Mox Pronomen τούτου, ſignetur obeliſco. Et ſimiliter nomen Μωυσῆ, quod eſt in verſiculi extremo. Verſu 35. illud, τῷ Ἰησοῦ, obelo ſignandum eſt. Paulo ulterius, illud, υἱῶν, expungi debet. Mox vero, hoc, ÷ τοῖς ἀνδράσι ↙, confodi obelo.

CAP. IX.

1 Verſu primo capitis noni, cum dicitur, ÷ ϗ οἱ ↙ πρὸς τῷ Ἀντιλιβάνῳ, debet copula cum articulo jugulari obeliſco. Similiter omnes illæ Conjunctiones, quæ deinceps ſequuntur, præter eam quæ ante Amorrhæos, & eam quæ ante Jebuſæos poſita eſt. In ipſo autem initio, debet etiam illud, ÷ τῶν Ἀμορραίων ↙, confodi obelo. Ceterum colon illud, καὶ οἱ Γεργεσαῖοι, in multis exemplaribus non habetur, ut oſtendit Syrus per limniſcum. Neque ſane ſine obeliſco adſcribi debet: non enim eſt in Hebræo. Verſu 2. ſcribe, ϗ συνῆλθοσαν, addita copula. Mox illud, εἰς τό, non eſt in Vaticano. Verſu 3. delendum eſt illud βωμόν· & mox, πάντα, confodiendum obelo. Paullo ulterius, pro κύριος, rectius ſcribas, Ἰησοῦς. Eſſe tamen in quibuſdam antigraphis, κύριος, oſtendit per limniſcum Syrus. Verſu 4. pro ἐπιστήσαντο, ſcribe, ἐπεσιτίσαντο, hoc eſt, cibum, ſive viaticum compararunt. Illud vero alterum, ἡτοιμάσαντο, debet jugulari obelo; quanquam ego ſuſpicor olim mendoſe in ordinem ſacrorum verborum eſſe relatum, cum fuiſſet ab aliquo adſcriptum in margine, tanquam altera interpretatio Hebraici vocabuli. Ulterius, pro ἐπὶ τῶν ὄνων, legit Syrus, & habent Complutenſes, ἐπὶ τῶν ὤμων, *in humeros*. In Hebræo tamen eſt, *in aſinos*. Ulterius legendum eſt, ϗ κατερρωγότας, adjecta copula. Verſu 5. Illa, ϗ τὰ κοῖλα τῶν ὑποδημάτων αὐτῶν, debent obelo appoſito jugulari. Equidem etiam de iſtis idem eveniſſe judico, quod nuper de verbo ἡτοιμάσαντο, dicebam. Porro Pronomen αὐτῶν, cum dicitur, σανδάλια ÷ αὐτῶν ↙, & rurſus ἱμάτια ÷ αὐτῶν ↙, ſimiliter jugulandum eſt. Ulterius legendum eſt, ϗ οἱ ἄρτοι τοῦ ἐπισιτισμοῦ αὐτῶν ξηροὶ * ἐγένοντο ↙, ÷ ϗ ↙ βεβρωμένοι· ſed verbum ἐγένοντο aſcititium eſt, atque aſteriſco notandum: copula vero quæ proxime hoc verbum ſequitur, obeliſco. Verſu 6, cum dicitur, παρεμβολὴν Ἰσραήλ, habere debet Iſraelis nomen obeliſcum appoſitum. Ibidem, pro ἕως, ſcribe εἰς. Verſu 7, pro Χορραῖον, reponendum eſt, Εὐαῖον. Habere tamen quædam exemplaria, Χορραῖον, oſtendit limniſcus apud Syrum. Certe Chorraos fuiſſe incolas montis Seir, conſtat ex Geneſ. 14. & Deut. 2. Non ergo pertinebant iſti ad Gabaonitas. Mox ſuggeritur in mixta Pronomen, hoc modo, ἐν ἐμοὶ * σὺ ↙ κατοικεῖς. Ibidem ſcribito, ϗ πῶς διαθῶμαι σοι διαθήκην. Verſu 9. cum dicitur, ϗ ἅπαντα ὅσα ἐποίησεν, debet illud, ἅπαντα, aſteriſcum appoſitum habere. Verſu 10. debet ſimiliter illud, πάντα, notari aſteriſco; verbum vero κατῴκει, obeliſco. Qua nota etiam poſtremum hujus verſiculi membrum eſt inſigniendum; nempe, ÷ ϗ ἐν Ἐδραεὶ ↙ ſic enim ſcribendum eſt, non autem Ἀδραείν. Verſu 11 expungatur illud, ἀκούσαντες, atque etiam articulus, τήν, cum dicitur, τὴν διαθήκην. Verſu 12, cum dicitur, οὗτοι οἱ ἄρτοι ἡμῶν, nota aſteriſci adſcribenda eſt Pronomini, ἡμῶν. Eandem notam habere quoque debent illa verba, ἀπὸ οἴκων ἡμῶν· ſic enim legendum eſt. Ulterius ſuggeritur in mixta editione Adverbium ἰδού· habet enim; νῦν δὲ * ἰδοὺ ↙ ἐξηράνθησαν, &c. Verſu 13. Demonſtrationis Pronomen ταῦτα, notandum ſtellula eſt, cum dicitur; ϗ * ταῦτα ↙ τὰ ἱμάτια, &c. Verſu 14. pro, ϗ κύριον, monet Syrus, per limniſcum eſſe in quibuſdam libris, ϗ τὸ στόμα κυρίου. Verſu 16 ſcribi debet, διαθήκην πρὸς αὐτούς, addita Præpoſitione πρός. Verſu 17, pro ἦλθον, ſcribe ἐξῆλθον. Mox illud, τῇ ἡμέρᾳ τῇ τρίτῃ, ſignetur aſteriſco, ut aliunde acceptum. Denique in fine, ſcribe, πόλις Ἰαρείμ, numero ſingulari. v. 18. cum dicitur, ÷ πάντες ↙ οἱ ἄρχοντες, juguletur obelo nota univerſitatis. Ulterius ſcribe, διεγόγγυσαν, numero plurium. v. 19. adde, πάντες, poſt Verbum, ἦσαν. v. 20. poſt Verbum ποιήσομεν, ſuggerit mixta editio * αὐτοῖς ↙, *faciemus ipſis*. Ibidem, pro modo infinito ζωγρῆσαι, legit Syrus futurum modi finiti ζωγρήσομεν. Hebræum tamen infinitum habet. v. 21. Ipſum initium * ϗ εἶπαν αὐτοῖς οἱ ἄρχοντες, eſt ſignandum aſteriſco: eſt enim a Theodotione acceptum. Quod vero deinceps ſequitur, eſt a Syro lectum ad hunc modum, ϗ ἔσονται ξυλοκόποι ϗ ὑδροφόροι πάσῃ τῇ συναγωγῇ. ϗ ἐγένοντο ξυλοκόποι ϗ ὑδροφόροι πάσῃ τῇ συναγωγῇ, καθάπερ εἶπαν αὐτοῖς οἱ ἄρχοντες. Neque aliter Complutenſes habent, niſi quod hi omittunt illa repetita verba, ϗ ἐγένοντο ξυλοκόποι, & quæ deinceps ſequuntur, uſque ad ſimilitudinis Adverbium, καθάπερ. Quod ſi ita ſunt interpretati LXXII. ut Syrus legit, debet prior illa verborum complexio notari obeliſco, ut in Commentariis explicabimus. Sed mihi fit veriſimile, repetitionem iſtam errore factam eſſe, admiſſis illis in contextum, quæ fortaſſe aliquis in margine annotaverat. Verſu 22. Participium, λέγων, ſignandum eſt aſteriſco. Ulterius lege, trajectis verbis, μακρὰν ἐσμὲν ἀπὸ σοῦ. Mox, mendoſe ſcriptum in nonnullis libris vulgatis eſt, ἐχώμενοι, debet enim dici, ἐγχώριοι. v. 23. illud, οὐδὲ ὑδροφόρος, aſcititium eſt, & debet aſteriſco notari. v. 24. illud quoque, ἀπαγγελίᾳ, ſive, ut habent Complutenſes, ἀγγελίᾳ, eadem nota eſt inſigniendum, ut aliunde acceptum; debetque ante ipſum ſcribi particula rationalis, ut vocant, ὅτι. Ulterius, ante τὴν γῆν, ſuggerit editio mixta * πᾶσαν ↙. Mox Pronomen ταύτην, jugulandum veru eſt. Ulterius, ϗ ἐξολοθρεῦσαι ÷ ἡμᾶς ϗ ↙, Pronomen, & copula, ſimiliter jugulentur. Verſu 25 poſt verbum δοκεῖ, ſuggerit mixta, * ποιῆσαι ↙ ὑμῖν &c. v. 26. verba illa, Ἰησοῦς ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ, confodi debent obelo: & mox ſcribi numero plur. ἐκ χειρῶν. Verſu ultimo, debet univerſitatis nota obelo jugulari, cum dicitur, ÷ πάσῃ ↙ τῇ συναγωγῇ· & ſimiliter omnia illa quæ mox ſequuntur, nempe, διὰ τοῦτο ἐγένοντο οἱ κατοικοῦντες &c. uſque dum dicitur, ἕως τῆς σήμερον &c. Hic vero ipſa quoque copula, cum dicitur, ÷ ϗ ↙ εἰς τόπον; & denique extremum nomen ÷ κύριος ↙, obeliſcis jugulentur.

CAP. X.

Capitis decimi verſu primo, debent illa verba, ÷ πρὸς Ἰησοῦν ϗ ↙ obelo appoſito notari. Mox poſt Nomen, Ἰσραήλ, ſuggeruntur in mixta editione, quæ ſunt a LXXII. præterita, hæc, * ϗ ἐγένοντο ἐν μέσῳ αὐτῶν ↙. Verſu 11 Syrus legit, ut habent Complutenſes, ἐφοβήθησαν ÷ ἐν αὐτοῖς ↙· verum ego ſuſpicor rectius ſcribi, ἑαυτοῖς· ſed ut ut eſt, debet hoc ſignari obelo. Mox, pro ᾔδεισαν, ſcribo numerum ſingularem ᾔδει; atque hoc ipſum verbum, cum ſequente particula γάρ, jugula veru. Ulterius, poſt μητροπόλεων, adduntur in editione mixta hæc verba, * τῶν βασιλέων. ϗ ὅτι αὐτὴ μεγάλη ὑπὲρ τὴν Γαί. Ver. 3 pro Ἐλάμ, legit Syrus melius Ὀχάμ. Nimirum negligentia librariorum factum eſt λ ex χ, & ε ex ο. Ulterius, pro Δαβεῖν, ſcribe Δαβείρ. & pro Ἀφεί, Ἰαφεί. Complutenſes hic, pro Ὀδολάμ, ſcribunt id quod in Hebræo eſt, Αἰγλών· ſed male, opinor. Certe Syrus Ὀδολάμ legit. Verſu 4, illud δεῦτε, juguletur veru. Ulterius, legunt Complutenſes, ηὐτομόλησεν, numero unius. At Syrus, ſicut vulgati codices habent, reddidit numerum plurium. Verſu 5. ipſum initium ſic ſuggeritur in mixta, * ϗ συνήχθησαν ↙, ϗ ἀνέβησαν &c. Mox, pro Ἰεβουσαίων, repoſuerunt Complutenſes, Ἀμορραίων· quam ſententiam expreſſerunt quidem Aquilas, Symmachus, & Theodotion, ut monet Syrus: at LXXII dixerunt Ἰεβουσαίων, ut eſt in vulgatis libris. Nam hoc divus Auguſtinus annotavit. Recte ergo Syrus vulgatorum codicum ſcripturam probat. Ulterius, pro Αἰγλών, Syrus denuo legit Ὀδολάμ, ut ante, & recte: nam ei id aſſentitur etiam Vaticanus codex. Verſu 6. nomen Ἰσραήλ, debet obelo confodi. Ulterius mutetur verborum collocatio, hoc modo, ϗ ἐξελοῦ ἡμᾶς, ϗ βοήθησον ἡμῖν. Verſu 9. illud * ἐπεί ↙, notatum a Syro aſteriſco eſt. Ibidem ſcribe ordine verborum mutato, ἐπ' αὐτοὺς Ἰησοῦς. Ulterius, nomen Ἰησοῦς, poſt verbum, εἰσεπορεύθη, debet expungi. Verſu 10. Notetur nomen, κύριος, obeliſco, cum dicitur, ϗ συνέτριψεν αὐτοὺς ÷ κύριος ↙. Ulterius, pro Βηθωρών, eſt in Vaticano, Ὡρωνείν· atque ſimiliter proximo verſiculo: verum Syrus id ſecutus eſt, quod habent vulgati codices: idque eſt Hebræo conſentaneum: & certe Ὡρωνείν, niſi fallor, ad Moabitas pertinebat; ii autem procul ab his locis abſunt. Verſu 11. abolendum eſt illud μεγάλους· eſt enim ex margine receptum in ipſum textum, cum illic tanquam melior interpretatio fuiſſet ab aliquo, ex Aquila adſcriptum. Mox poſt Nomen, Ἀζηκά, addit mixta editio, * ϗ ἀπέθανον ↙. Ibidem illud, ÷ ϗ ἐγένοντο ↙, jugulandum eſt veru. Et ſimiliter verſus extremum, ÷ ἐν τῷ πολέμῳ ↙. Verſu 12. παρέδωκε κύριος, expunge nomen κύριος. Mox, poſt ὑποχείριον, addit mixta * υἱῶν ↙. Quæ deinceps ſequuntur, nempe, ἡνίκα συνέτριψεν, & cætera, uſque ad illa verba, ϗ εἶπεν, ſunt a Complutenſibus omiſſa; quippe quibus ſtudium fuiſſe majus videtur, ut Hebræum exprimerent, quam ut editionem LXXII repræſentarent. Melius ergo Syrus, qui appoſitis obeliſcis ea quoque reddidit. Hic porro trajectis verbis legendum eſt, ὁ ἥλιος κατὰ Γαβαὼν στήτω. Ulterius, pro Ἀλλὼν, ſcribendum eſt, Αἰλὼν, ex Syro, atq; etiam Tertul. l. cont. Phych. V. 13. ille verborum ambitus, οὐχὶ τοῦτο γεγραμμένον ἐπὶ βιβλίου τοῦ εὐθοῦς, debet, tanquam a Theodotione acceptus, aſteriſco notari. Ulterius Syrus legit cum copula, ϗ οὐ προεπορεύετο. Verſu 14. Nomen, φωνῆς, eſt notandum ſtellula, ut alienum. Et mox ſcribendum eſt, συνεπολέμησε. Verſum 15. totum legit Syrus notatum obeliſcis. Eſt ille quidem etiam in Hebraicis libris nunc; verum, non ſuo, ut videtur, loco poſitus; de qua re dicam in Commentariis, ſi volet Deus. 18. illud μεγάλους, eſt appoſita ſtella ſignandum. 19. debent illa deleri, ὧδε ἀλλά· & quod ſequitur, ſcribi, καταδιώκοντες. Mox, illa etiam expungenda ſunt, ϗ μὴ φείσησθε αὐτῶν. Copula autem, cum dicitur, ϗ μὴ ἀφῆτε, obeliſco, Pronomen vero, αὐτοὺς, aſteriſco ſignari debent. 20. pro ϗ πᾶς, ſcribe, ϗ οἱ υἱοί. Ulterius, illa, ἀπ' αὐτῶν, ϗ εἰσῆλθον, accepta ſunt ex aliis interpretibus, debentque ſtellulas appoſitas habere. 21. Illa rurſus ſimiliter ſunt ſignanda aſteriſcis, εἰς τὴν παρεμβολήν. Porrò, cum dicitur, ϗ οὐκ ἔγρυξεν, jugulanda eſt copula obeliſco. 22. poſt illa, ϗ ἐξαγάγετε, ſuggeſtum eſt in mixta editione, *πρός με↙. Sicut etiam initium verſ. 23. nempe, *ϗ ἐποίησαν οὕτως↙. Mox poſt verbum, ἐξήγαγον, rurſus ſuggeritur in mixta, *πρὸς αὐτὸν↙. In extremo rurſus ſcribendum eſt, Ὀδολλὰμ, pro Αἰγλὼν, ex Syro. Debent autem hoc loco conjunctiones, quæ inter regum nomina ſunt poſitæ, præter ultimam, omnes notari obeliſcis. 24. Initium ſcribe hoc modo, ϗ ἐπεὶ ἐξήγαγον αὐτοὺς, &c. Mox habet mixta editio additum nomen ἄνδρα, hoc modo, πάντα *ἄνδρα↙ Ἰσραήλ. Et continuo hic adſcribendum eſt, λέγων αὐτοῖς. Debet autem hoc Pronomen αὐτοῖς, & inſequens copula, ϗ, jugulari obelo: illud autem, λέγων πρὸς αὐτοὺς, eſt expungendum. Sic enim Syrus hunc locum legit, & meo judicio caſtigatiorem, quam eſt a Complutenſibus ſcriptus. 25. μὴ φοβηθῆτε ÷ αὐτοὺς↙, Pronomen debet obeliſcum habere. 26. ϗ ἀπέκτεινεν αὐτοὺς Ἰησοῦς· hic adſcribito, ÷ ϗ↙ ἐπειδὴ ἐθανάτωσεν αὐτοὺς, ϗ ἐκρέμασεν αὐτοὺς ἐπὶ πέντε &c. Sed ſignetur copula, cum dicitur, ϗ ἐπειδὴ, obeliſco. 27. λίθους μεγάλους· Hoc adjectivum non eſt ſine aſteriſco ſcribendum; eſt enim aſcititium. 28. Quædam exemplaria habent, ut oſtendit Syrus per limniſcum, ϗ τὴν Μακηδὰν ἔλαβεν Ἰησοῦς, ἐν τῇ &c. & hanc ſcripturam ſecuti ſunt Complutenſes. Hic, poſt nomen, ξίφους, expletur ſcriptum in editione mixta hac verborum complexione, *ϗ τὸν βασιλέα αὐτῆς↙. Mox pro αὐτὴν, eſt ſcribendum, αὐτούς· ſed hoc αὐτοὺς, & inſequens copula, ϗ, aſcititia ſunt, & aſteriſco ſignanda. Deinceps vero, copula quæ poſita eſt ante verbum κατειλήφθη, debet jugulari obeliſco, ut & illud ÷ οὐδεὶς ἐν αὐτῇ↙, ſive potius, ἐν αὐτῇ οὐδείς· & ſimiliter illud ÷ διαπεφευγώς↙. 29. pro Λεμνὰ ſcribendum eſt Λεβνά. Et ἐπολιόρκουν, numero plurium. In eo autem quod ſequitur, ſuggeſta eſt in mixta editione Præpoſitio *ἐπὶ↙ Λεβνά. 30. *ϗ↙ αὐτόν· Conjunctio debet appoſitam ſtellam habere. Illud vero, ÷ ϗ ἔλαβον αὐτὴν↙, obeliſcum. Ulterius illud ÷ οὐδείς↙, rurſus obeliſcum, & ſimiliter ÷ διαπεφευγώς↙. 31. ſcribe περιεκάθισεν, numero ſingulari. 33. pro ἀνέβη, habent quidam libri, ἔβη. Pro Ὠρὰμ habent Complutenſes Ἐλάμ. Syrus legit, Ἀρμών· ego pro Hebræa voce cenſeo retinendum, quod vulgati libri habent; hoc autem eſt Ὠράμ. Porro illud, ÷ ἐν στόματι ξίφους↙, & illud, ÷ ϗ διαπεφευγότα↙, debent jugulari obeliſcis; & pro caſu dandi, αὐτῷ, ſcribendum eſt, ἐξ αὐτῶν. 34. pro Αἰγλὼν, rurſus ſcribendum eſt Ὀδολλὰμ, ex Syro. Poſtrema vero verſiculi pars, ÷ ϗ παρέδωκεν αὐτὴν κύριος ἐν χειρὶ Ἰσραὴλ↙, jugulanda eſt obeliſco. 35. poſt Nomen, ἐμπνέον, ſuggeritur in mixta, per aſteriſcum, *τὸ ἐν αὐτῇ ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ↙ ἐφόνευσαν &c. 36. poſt μετ' αὐτοῦ, expletur in mixta locus ſic, *ἀπὸ Ἐγλὼν↙. Initium quoque verſ. 37. ſignandum aſteriſco eſt, ut aſcititium; hoc dico, *ϗ ἔλαβον αὐτὴν↙. Ulterius, poſt Nomen, ξίφους, denuo ſuggeruntur in mixta editione hæc, *ϗ τὸν βασιλέα αὐτῆς, ϗ πάσας τὰς κώμας αὐτῆς↙. Ulterius, pro τῇ Ἐγλὼν, legit rurſus Syrus, τῇ Ὀδολλάμ. Et mox, poſt Pronomen, αὐτὴν, legit Syrus ad hunc modum, ϗ *πᾶν ἐμπνέον↙ ὅσα ἦν ἐν αὐτῇ· ſignatque illud, πᾶν ἐμπνέον, aſteriſco. 38. pro περικαθίσαντες, ſcribendum eſt, περιεκάθισαν. 39. addenda initio eſt copula, ϗ ἔλαβον. Ulterius, poſt verbum, ἐξωλόθρευσαν, debet Pronomen αὐτὴν, & Conjunctio, ϗ, notari obelo. Similiter illud, ÷ οὐδένα↙, quod mox ſequitur. Ulterius, illud, ϗ τὸν βασιλέα αὐτῆς, poſitum poſt nomen Χεβρὼν, debet expungi. 40. in mixta editione eſt nota univerſitatis, ϗ *πάντας↙ τοὺς βασιλεῖς αὐτῆς. Ulterius illud, ÷ ἐν αὐτῇ↙, debet confodi veru. Similiter illud, ÷ ζωῆς↙: quod vero ei adjunctum eſt, nempe, ἐξ αὐτῆς, prorſus auferendum eſt. In extremo hujus verſiculi, non legit Syrus articulum, τοῦ· ſed accepit nomen Ἰσραὴλ, tanquam gignendi caſu poſitum, *Deus Iſraelis:* idque Hebræo conſentaneum eſt. 41. Poſt nomen Γάζης, ſuggeritur in editione mixta, copula, *ϗ↙ πᾶσαν γῆν Γοσόν· eſt enim hoc nomen per literam Ni ſcribendum. 42. ϗ τὴν γῆν, adde Pronomen, αὐτῶν. Denique in mixta editione adſcriptus habetur verſiculus, qui in Hebræo eſt hujus capitis poſtremus, his verbis, *ϗ ἐπέστρεψεν Ἰησοῦς, ϗ πᾶς Ἰσραὴλ μετ' αὐτοῦ, εἰς τὴν παρεμβολὴν, εἰς Γάλγαλα↙. Eſt autem is idem ille, qui ſupra, decimo quinto poſitus loco eſt.

CAP. XI.

Capitis undecimi primo verſiculo, pro Ἀχιὰφ, ſcribe, Ἀχσὰφ, ex Syro; cui aſtipulatur Euſebius libello de locis Hebraicis. Verſu 2. pro, εἰς Ῥαβὰθ, ſcribendum eſt, ϗ εἰς τὴν Ἀραβά· ſic enim habent optimi quique libri. Pro Χενερὲθ, non male ſcribas Χενερὸθ, ut ſit quarta vocalis ultimo loco, id enim Hebræo conſentaneum eſt; & ſic videtur legiſſe Origenes. Verſu 3. ϗ τοὺς ὑπὸ τὴν, copula illa expungenda eſt. Ibidem, cum dicitur, εἰς γῆν Μασσηφὰ, Syrus legit, εἰς τὴν Μασσηφά; verum alterum illud de Hebræo eſt expreſſum. Verſu 4. poſt illud, μετ' αὐτῶν, additum in mixta eſt, *λαὸς πολύς↙. Verſu 5. poſt illa verba, ἐπὶ τὸ αὐτὸ, expungi debet illud, ϗ παρενέβαλον. Verſu 6. poſt verbum, παραδίδωμι, ſuggeritur in mixta, *πάντας αὐτοὺς↙. Illud vero Pronomen, αὐτοὺς, quod poſt, in vulgatis libris eſt, non habent emendati codices. Verſu 7. poſt nomen, πολεμιστὴς, expletur locus in mixta his verbis per aſteriſcum additis, *μετ' αὐτοῦ↙. Deinceps ſequitur, ἐπ' αὐτούς. Nam mendoſi ſunt codices Argentorati excuſi, cum habent, ἐπ' αὐτήν. Ultima iſtius verſiculi clauſula, ÷ ἐν τῇ ὀρεινῇ↙, debet confodi obeliſco. 8 Verſu octavo, ſcribendum eſt, κατέκοψαν, numero plurium: & mox illud, ϗ διαπεφευγότα, expungendum eſt. Verſu 9. ſcribe, appoſita Præpoſitione, ἐν πυρί. Verſu 10. cum dicitur, *τὴν↙ Ἀσὼρ, debet articulus habere appoſitam ſtellam. Mox poſt illa verba, ϗ τὸν βασιλέα αὐτῆς, addit mixta editio, ἀπέκτεινεν ἐν ῥομφαίᾳ. Eſt autem deinceps ſcribendum, διότι ἦν Ἀσὼρ &c. Ulterius, pro, βασιλέων, debet ſcribi βασιλειῶν, *regnorum.* Verſu 11. Scribe, ϗ ἀπέκτειναν πᾶν &c. numero plurium. Ulterius, illud, ÷ πάντας↙, jugulari debet obeliſco. Similiter illud, ÷ ἐν αὐτῇ↙. Ibidem deleatur nota univerſitatis, cum dicitur, πᾶν ἐμπνέον. Verſu 12. Pro βασιλειῶν, debet reponi βασιλέων, *regum:* atque hic ſuggerit mixta editio demonſtrationis Pronomen *τούτων↙· & mox, notam univerſitatis, ϗ *πάντας↙ τοὺς βασιλεῖς &c. Mox, legit Syrus, ἐξωλόθρευσαν αὐτοὺς, ut verbum ſit numeri pluralis. Verſu 13. οὐκ ἐνέπρησεν Ἰσραήλ· pro Ἰσραὴλ, legit Syrus, Ἰησοῦς· ſed illud eſt in Hebræo. Mox eſt in mixta articulus additus, πλὴν *τὴν↙ Ἀσώρ. Rurſus cum dicitur, *αὐτὴν↙ ἐνέπρησεν, Pronomen hoc peregrinum eſt, & aſteriſco ſignandum. Verſu 14. Signandum aſteriſco eſt etiam illud, *ϗ τὰ κτήνη↙. Ulterius poſt illa verba, οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ, ſunt a Syro lecta hæc per obeliſcos, ÷ κατὰ τὸ ῥῆμα τοῦ κυρίου, ὃ συνέταξε τῷ Ἰησοῦ↙. Deinde ſequitur quod in vulgatis libris eſt, αὐτοὺς δὲ πάντας &c: ſed hic, pro, αὐτοὺς, ſcribi omnino debet, ἀνθρώπους. Nimirum natus olim error eſt ex eo, quod hoc nomen ſæpe ſolet præciſe ſcribi, his ſolis literis ἀνους. Eſt enim in Hebræo, Cunctos homines ceciderunt acie gladii. Ulterius, ſunto verba numero ſingulari poſita, ἐξωλόθρευσεν, & ἀπώλεσεν. Paullo ulterius, illud, ἐξ αὐτῶν, jugulandum eſt obeliſco. Verſu 15. Pro, ϗ καθὼς, debet reponi, ὡσαύτως. Ulterius, poſt, τῷ Ἰησοῦ, addenda eſt Conjunctio, ſcribendumque, ϗ οὕτως ἐποίησεν &c. Denique extremum verſiculi redditum a LXXII. erat his verbis, ὧν συνέταξε αὐτῷ Μωυσῆς. At in mixta editione hoc ſic eſt expletum, ὧν συνέταξε αὐτῷ *κύριος↙ τῷ Μωυσῇ. Verſu 16. in ipſo initio, pro Ἰησοῦς, legit Syrus, Ἰσραήλ· ſed illud eſt in Hebræo: debet autem poſt hoc nomen continuo ſcribi, τὴν πᾶσαν γῆν· & articulus, τὴν, bis poſitus ante univerſitatis vocem πᾶσαν, debet bis ſignari aſteriſco. Nomini autem γῆν, addit mixta editio demonſtrationis verbum *ταύτην↙, per aſteriſcum. Rurſus, poſt illud, ὀρεινὴν, ſcribi debet, *ϗ τὴν↙ πᾶσαν Ναγὲβ, deleto nomine γῆν, & poſito aſteriſco apud copulam, atque articulum. Pro, Γοσὸμ, autem, ſcribi debet, Γοσόν. Denique nomini, πεδινὰ, additur in editione mixta Pronomen *αὐτοῦ↙. 17. Initio hujus verſiculi ſecutus eſt Syrus eam ſcripturam, & verborum collocationem, quæ in vulgatis libris habetur. Quapropter cenſeo eam retinendam eſſe. At Vaticanus liber, & Complutenſium editio, habent, τὰ πρὸς τῷ ὄρει, ἀπὸ ὄρους Ἀλὰκ, ὃ προσαναβαίνει &c. Mendoſe enim in Vaticano eſt Ἄχελ. Nam etiam in libello De locis Hebraicis vocatur mons iſte Ἀλάκ. Pertinet autem Pronomen illud, τὰ, quod initio iſtius verſiculi ſcribitur, ad verbum, πεδινὰ, poſitum in extremo verſiculi ſuperioris. Porro cum ulterius dicitur, ϗ πάντας τοὺς βασιλεῖς, debet copula habere appoſitam aſteriſci notam. Demum in ipſa extremitate ſuggeritur in mixta Pronomen; hoc modo, ἀπέκτεινεν *αὐτοὺς↙. 18 Conjunctio in iſtius verſiculi principio poſita, eſt jugulanda obeliſco. Ulterius, addita eſt in mixta editione, πάντας, hoc modo, πρὸς *πάντας↙ τοὺς βασιλεῖς &c. 19 Atque in hujus quoque verſiculi principio ſcripta Conjunctio debet veru confodi. Vaticanus tamen eam prorſus omiſit. Poſt verbum autem παρέδωκε, adſcribendum eſt Pronomen, σφε, ex Vaticano. Porro poſt nomen Ἰσραὴλ, ſuggerendum ex mixta editione eſt *πλὴν ὁ Εὐαῖος ὁ κατοικῶν ἐν Γαβαὼν↙. Nam etſi id in Vaticano quoque ſcriptum eſt, tamen certum eſt non eſſe τῶν ἑβδομήκοντα δύο, ſed ab aliis interpretibus acceptum. Legit etiam Syrus, πάσας, pro, πάντας; & ſane aptius eſt ut ad urbes pertineat, abſque ulla tranſnominatione. 20. verbum, ἐξολοθρεύσωσιν, debet bis mutari in patiendi verbum, ἐξολοθρευθῶσιν, *exterminarentur.* Nam ſic eſt in bonis libris, & ita hic locus a divo Auguſtino lectus eſt: debetque Pronomen, αὐτοὺς, auferri. 21 Duo illa nomina, Ἰούδα, & Ἰσραὴλ, ſic ſunt trajicienda, ut illud priore, hoc poſteriore loco collocetur: debent quoque illæ copulæ, ÷ ϗ↙ ἐκ Δαβείρ, ÷ ϗ↙ ἐξ Ἀνὼβ, ÷ ϗ↙ ἐξωλόθρευσεν, confodi obeliſcis. 22 pro, τῷ, ſcribendum eſt, τῶν. & pro Γαζὴβ, Γαζῇ. Denique pro plurali, κατελείφθησαν, ponendus eſt ſingularis numerus κατελείφθη. 23. Cum dicitur, μερισμῷ αὐτῶν. Pronomen, ut peregrinum, debet aſteriſco ſecerni. Equidem hoc loco Pronomen, αὐτοὺς, libenter commutarem cum αὐτήν. Terra enim data eſt hæreditatis loco, non homines, qui exterminandi erant: & eſt in Hebræo fœmininum Pronomen: ſed adverſus mirabilem exemplarium conſenſum non putavi faciendum ut aliquid mutarem.

CAP. XII.

Verſu 1. verbum ἀνεῖλε, mutandum eſt in numerum plurium, ἀνεῖλον. Illud autem, ÷ Μωυσῆς ϗ↙ debet confodi obeliſco. Ulterius, cum ſcribitur, ϗ πᾶσαν τὴν γῆν Ἀραβὰ, nomen, γῆν, auferendum e medio eſt. 2. poſt illud, ἥ ἐστιν, ſuggeritur in mixta editione *ἐπὶ χείλους↙. Mox, ipſum nomen, Ἀρνὼν, quoque notandum ſtellula eſt, ut aſcititium: proque eo quod continuo ſequitur, κατὰ μέρος, reponendum eſt, κατὰ μέσον. Mihi tamen, propter Hebræa verba, fit veriſimile, veram ſcripturam eſſe, ϗ μέσον· facile enim ab ignavis librariis ſemper commutata ſunt, ϗ & κατά. Ulterius, pro Ἰακὼβ, ſcribendum eſt, Ἰαβώκ· atque hoc loco additur in editione mixta, *τοῦ χειμάῤῥου↙. 3. pro θάλασσαν, ſcribe θαλάσσης. Pro Βηθσιμὼθ, legit Syrus, Βηθασιμώθ. Sed Latinus videtur legiſſe quod eſt in vulgatis libris. Mox, pro τὴν ὑπὸ, ſcribe τῆς ὑπό· & pro Σηδὼθ, Ἀσηδώθ. 4. initio, oſtendit Syrus per limniſcum, pro, ϗ Ὢγ, ſcriptum eſſe, ϗ ὅρια Ὢγ· & hanc ſcripturam ſecuti ſunt Complutenſes: eſtque ea conſentanea Hebræo: ſed tum, pro, βασιλεὺς, dicendum quoque erit, βασιλέως; atque ita in tribus exemplaribus fuiſſe ſcriptum annotavit Syrus. Mox; poſt Nomen, Βασὰν, adſcribito ὃς, *qui reliquus erat.* 5. πᾶσαν τὴν γῆν Βασὰν, auferri debet nomen γῆν. Ulterius, ante genitivum, ὁρίων, ſcribendum eſt, ÷ ἕως↙, ſed cum obelo. 6. Illud, ὁ παῖς κυρίου, quod ſecundo loco poſitum eſt, debet habere aſteriſcum. 7. oſtendit Syrus in quibuſdam libris eſſe τῆς γῆς, in quibuſdam, τῶν Ἀμορραίων. Sed prius conſentit cum Hebræo. 8. pro Ναγὰβ, ſcribendum eſt, Ναγὲβ, aut, ut habent Complutenſes, Νιγέβ. Monet hic Syrus in nonnullis libris, poſt illud, τὸν Ἰεβουσαῖον, adſcriptum fuiſſe ϗ τὸν Γεργεσαῖον· ſed hoc in Hebræo non habetur. Porro in iis quæ deinceps ſequuntur regum nominibus hoc univerſe monuiſſe ſatis ſit, ſuggeri in mixta editione, poſt ſingulos reges ipſum numerum, ἕνα, per aſteriſcum, hoc modo, τὸν βασιλέα Ἱεριχὼ *ἕνα↙· &c. Cæterum nomina ipſa ſic ſunt mutanda, ut pro Γαδὲρ ſcribatur Ἀράδ, aut Ἀρέδ· & pro Ἀπφοῦ, Ταπφοῦ· pro Ὀφὲρ, Ἐφίρ· pro Χισαρὼμ, Λισαρώμ. Et deinceps ſic collocentur, Μαρὼν, pro quo eſt apud Complutenſes, Μαδὼν, idque Hebræum exprimit; Ἀσὼρ, Σομρὼν, Μαδὼν, Ἀχσὰφ, Θαανάχ· & deinde ut habentur in vulgatis libris: niſi quod pro Γερμὲλ, ſcribi debet, Χερμέλ· & pro Ἀδὼρ, Δώρ. Porro in extremo iſtius capitis, illud demonſtrationis vocabulum, ἔτι, jugulandum obeliſco eſt.

CAP

CAP. XIII.

C.13.Initio,poſt pronomen,σὺ,ſuggeritur in mixta editione alterum verſum, per aſteriſcum: poſt quod eſt interponenda etiam copula cum obeliſco, hoc modo, σὺ * γεγήρακας ↙ ÷ ϗ ↙ προβέβηκας &c. Et poſt, πολλὴ, additur per aſteriſcum,Adverbium * σφόδρα ↙. 2. Habet editio mixta, * πάντα ↙ ὅρια Φυλιστιὶμ * ϗ πᾶς ↙ ὁ Γεσουεί. Illud autem quod continuo ſequitur, nempe ÷ ϗ ὁ Χαναναῖος ↙,debet confodi obelo. 4. Similiter obelo ſignanda eſt copula, cum dicitur,÷ ϗ ↙ πάσῃ: & mox expungendum eſt illud ἐναντίον. 5. πᾶσαν, in principio verſiculi, jugulandum eſt veru: & pro Γαμβλὶ, rectius ſcribas Γαβλὶ, aut,ut legit Syrus, Γαβήλ. Porro nomen Φυλιστιὶμ hic jugulandum eſt obeliſco. Mox cum recte eſt in libris vulgatis, ϗ πάντα τὸν Λίβανον, legit Syrus,& habent Complutenſes κατὰ πάντα τὸν Λίβανον· nimirum errore vetuſto ſcriptum repererunt, κατὰ pro καί. Ulterius pro Γαγγὰλ, debet reponi, Βαγγάδ. 6. Scribe verbis trajectis,ἐγὼ ἐξολοθρεύσω αὐτούς. Mox ante nomen,'Ισραὴλ, additum eſt in mixta * υἱῶν ↙. Ulterius ſcribe, τῷ 'Ισραὴλ ἐν κλήρῳ. 7. Univerſa illa pars, ἀπὸ τοῦ 'Ιορδάνου, uſque ad finem verſiculi, eſt confodienda obelo: non eſt enim in Hebræo: quanquam non ideo omittenda erat, ut factum a Complutenſibus eſt. 8 Rurſus initio verſiculi ſunt obeliſco ſignanda illa, ÷ ταῖς δὲ δυσὶ φυλαῖς, ϗ τῷ ἡμίσει φυλῆς Μανασσῆ ↙. Ulterius, poſt pronomen relationis,ἣν, ſuggeruntur in mixta hæc verba, * ἔλαβον κληρονομίαν αὐτῶν ↙, ἔδωκεν &c. 9. In fine, pro Μαδαβὰν, ſcribe Μεδαβά· & hic continuo additur in mixta * ἕως Διβών ↙. Rurſus initio verſus 10. additur copula, * ϗ ↙ πάσας &c. 11. Pro Μαχαθὶ,ſcribi debet, Μαχαθί. Syrus legit hic articulum gignendi caſu,τῶν Μαχαθί· ſed parum intereſt,utrum ſcribas. 12. Scribe ἕως Σελχά. Ulterius, expletur ſcriptum in mixta editione, hoc modo, ἀπὸ * τοῦ λείμματος ↙ τῶν γιγάντων. Mox,cum dicitur,ϗ ἐπάταξεν αὐτόν· debet hoc pronomen habere adſcriptum aſteriſcum. Et mox verbo, ἐξωλόθρευσεν, adſcribendum eſt alterum pronomen,αὐτόν. 13.Illud,÷ ϗ τὸν Χαναναῖον ↙, debet confodi obeliſco: equidem malim abeſſe copulam,ſi mihi aſſentirentur exemplaria. Rurſus jugulandum eſt obelo nomen, βασιλεῖς, quod ulterius poſitum eſt. 14. Male ſcripſerunt Complutenſes,ἔδωκεν,pro ἐδόθη. Eodem verſu Nomen, κύριος, in ipſo fine poſitum, debet confodi obelo. 15. Quæ in hujus verſiculi initio ſunt,uſque ad illa verba, ϗ ἔδωκε &c. debent omnia habere adſcriptos obeliſcos. Sunt enim a LXXII. explicandæ ſententiæ gratia addita. Temere ergo ſunt a Complutenſibus omiſſa, eo quod non eſſent in Hebræo. Ulterius, cum dicitur, υἱῶν 'Ρουβὴν, debet illud, υἱῶν, habere aſteriſcum. Initium verſus 16. ſcribendum eſt hac verborum collocatione,ϗ ἐγενήθη τὰ ὅρια αὐτῶν ἀπὸ &c. Et paullo poſt,dicendum eſt,ϗ ἡ πόλις ἡ ἐν τῇ &c. addito altero articulo: debet autem hic nomen,'Αρνὼν,confodi obeliſco. Ulterius, poſt nomen, Μισώρ, ſuggerit mixta editio, * κατὰ Μεδαβά ↙. Sic enim ſcribendum eſt; etſi tum Syrus, tum Complutenſes veterem errorem ſecuti, legerint, ϗ Μεδαβά. Dictio autem ἕως, quæ continuo ſequitur, ea jugulanda obeliſco eſt. 17. Monet Syrus,in quibuſdam libris ſcriptum eſſe, ϗ πάσας τὰς πόλεις αὐτῶν,τὰς οὔσας &c. & hanc ſcripturam ſecuti ſunt Complutenſes.Mox pro Δαιβὼν,ſcribe Δειβὼν,aut Διβών· & copulam quæ præcedit,confodito veru. Proque Βελμὼν,ſcribe Βεελμὼν,aut potius Βεελμεὼν,ſicut in Numeris recte ſcriptum eſt. 19. Pro Σιὼρ,ſcribe Σαείρ,ut legit Syrus; & præcedentem copulam rurſus jugulato veru. In hujus verſus extremo, pro Αἰνὰκ, reponendum eſt Αἰμάκ. 20 Pro Βεθσιμούθ, rurſus legit Syrus Βηθασιμώθ, ut verſu tertio capitis ſuperioris. 21. Poſt nomen,'Αμοῤῥαίων,addit editio mixta hanc verborum continuationem, * ὃς ἐβασίλευσεν ἐν 'Εσεβών ↙. Cum porro dicitur, ÷ ϗ ↙ τὸν 'Ευὶ,jugulando obeliſco eſt copula. Ulterius pro 'Ροβὲκ,habent boni libri,'Ροβέ. 22. Scribe numero plurium, ἀπέκτειναν. Poſt hoc autem verbum continuo ſuggeritur in mixta editione, * οἱ υἱοὶ 'Ισραὴλ ἐν ῥομφαίᾳ ↙. 23. Initio poſt, τὰ ὅρια, eſt additum in mixta * υἱῶν ↙. Ulterius,αἱ πόλεις,adde Pronomen ÷ αὐτῶν ↙. ſed jugulandum obeliſco. 25. Scribe addito articulo & copula, ϗ πᾶσαι αἱ πόλεις Γαλαάδ· & mox, ϗ τὸ ἥμισυ &c. 27. Pro 'Ενσμὲκ, ſcribendum eſt 'Ενεμὲκ,ut habent Complutenſes; aut diviſo verbo,ἐν 'Εμὲκ,ut habet Hebraicum: aut denique ϗ 'Εμὲκ, ut legit Syrus. Eſt autem 'Εμὲκ Hebræis *vallis*, aut *planities*: & & ſic reddidit hunc locum Aquilas, atque Symmachus,& etiam Latinus. Quia autem mentio loci 'Ενεμὲκ,eſt apud Euſebium libro De locis Hebraicis,ideo cenſeo ſic eſſe ſcribendum. 28. Pro, ϗ κατὰ πόλεις,ſcribe, αἱ πόλεις ÷ αὐτῶν ↙, ϗ αἱ &c. ſed apponatur veru ad Pronomen αὐτῶν,quod hæret nomini πόλεις. 29. poſt Μανασσῆ,adduntur in mixta,per aſteriſcum,hæc verba, * ϗ ἐγενήθη τῷ ἡμίσει τῆς φυλῆς τῶν υἱῶν Μανασσῆ ↙· ea enim, ut minime neceſſaria ad ſententiam repræſentandam, omiſerant LXXII. interpretes. 30. Cum dicitur,ϗ πᾶσα βασιλεία Βασὰν,ϗ πᾶσα, debent tum utraq; copula, tum Nomen hoc βασιλεία,poſitum priore loco,confodi obeliſcis. 31. Scribe 'Εδραεὶ,abſque litera Ni. Expunge etiam Præpoſitionem utroque loco, cum dicitur,ἐν 'Ασταρὼθ,& ἐν 'Εδραεί. Porro verbum ἐδόθησαν cum præcedente copula hic a Complutenſibus omittitur, neque etiam habetur in Vaticano: a Syro tamen lectum eſt obeliſco jugulatum. Paullo ulterius ſcribito,÷ ϗ ↙ τοῖς ἡμίσεσιν υἱῶν Μαχεὶρ υἱοῦ Μανασσῆ, κατὰ δήμους &c. ſic enim eſt in emendatiſſimis libris: ſed Conjunctio eſt obelo ſignanda. 32. Illud, ἐν τῷ πέραν τοῦ 'Ιορδάνου, collocandum eſt poſt nomen,Μωάβ. Poſtremus verſic.eſt a LXXII. totus omiſſus,tanquam ſupervacaneus,cum non ſit diverſus a 14. Itaq; in mixta editione per aſteriſcos ſuggeritur, his verbis, * ϗ τῇ φυλῇ Λευὶ οὐκ ἔδωκε Μωυσῆς κληρονομίαν· κύριος ὁ θεὸς 'Ισραὴλ,αὐτὸς κληρονομία αὐτῶν,ὃν τρόπον ἐλάλησεν αὐτοῖς ↙.

CAP. XIV.

C.14.v.1. pro οὓς,ſcribe οἷς· & pro φυλῆς,φυλῶν. 2.Scribe ἐκληρονόμησαν,ulterius autem expungendum eſt nomen illud, Μανασσῆ. 3. Porro tertii verſiculi initium in vulgatis libris eſt omiſſum: eſt autem illud hujuſmodi, ἔδωκε γὰρ Μωυσῆς κληρονομίαν ταῖς δύο φυλαῖς· atq; hic ſuggeritur in mixta,* ϗ τῷ ἡμίσει φυλῆς ↙· ac tum demum ſequitur quod eſt in vulgatis libris, ἀπὸ τοῦ πέραν &c. 4. Cum dicitur, ϗ Μανασσῆ, auferatur copula. Ulterius, ſcribe mutato verborum ordine, τοῖς Λευίταις ἐν τῇ γῇ &c. Mox, ἀφωρισμένα αὐταῖς, mutetur Pronominis caſus, ſcribaturque αὐτῶν. Cum autem hic Complutenſes dicunt, προάστεια αὐτῶν, Symmachi interpretationem ſequuntur. Sic enim dixiſſe Symmachum monet Syrus. Deinde ſcribe continuo, τοῖς κτήνεσιν * αὐτῶν ↙, ϗ τὰ κτήνη αὐτῶν· ſed habeat prius Pronomen appoſitam ſibi notam aſteriſci. Hæret autem illud,τὰ κτήνη,verbo ἐδόθη, quod eſt repetendum ſenſu. 6. Scribe, Κενεζαῖος, omiſſo articulo. 7. Eſt in Vaticano,ἀπεκρίθην αὐτῷ λόγον· ſed eam interpretationem adſcribit Syrus Aquilæ, & Symmacho: ipſe vero eam ſequitur,tanquam quæ ſit ipſorum LXXII. propria, quam vulgati libri habent.Ulterius autem ſcribendum eſt, κατὰ τὸν νοῦν αὐτοῦ, ut Pronomen hoc hæreat Nomini λόγον.Init.v.8.addenda eſt particula diſcretiva,hoc modo, οἱ δὲ ἀδελφοί μ Porro illa copula, cum dicitur, ϗ μετέστησαν,expungenda prorſus eſt. Ibidem pro διάνοιαν,habet Vaticanus,καρδίαν. Sed certum eſt in aliis atque aliis provinciis, immo etiam codicibus, diverſas multorum locorum ſcripturas fuiſſe eſt enim divo Hieronymo adjungenda fides: & Vaticanus liber multa recepit, quæ ab Aquila aut Symmacho, quam a LXXII. melius dicta eſſe videbantur: cujus cauſſam vide in præfatione mea. 9. Poſt participium, λέγων, ſuggeritur in mixta, particula * ὅτι ↙· habet enim; * ὅτι ↙ ἡ γῆ ἐφ' ἧς &c. Et rurſus poſt verbum,ἐπέβης,additur * ἐπ' αὐτῆς ↙· quod alioqui, ut abſit, facile patitur ſententia. In extremo notat Syrus, eſſe in nonnullis libris,θεοῦ σου. 10. Initio,ſuggeritur per aſteriſcum excitandi particula, ἰδοὺ,hoc modo,ϗ νῦν * ἰδοὺ ↙ διέθρεψε &c. Ulterius,poſt Adverbium,σήμερον,ſuggeritur * υἱός. 12. Illud, τὸ ῥῆμα τοῦτο, debet obelo jugulari. Ulterius ſcribe, μεγάλαι ϗ ὀχυραί, trajectis videlicet verbis. Et deinde, ἦ κύριος μετ' ἐμοῦ. 13. Pro τοῦ Κενεζαίου,ſcribe,÷ υἱῷ Κενέζ ↙,ut habet Vaticanus,& legit Syrus: ſed adſcribatur obeliſcus iſtis verbis. 14.Scribe,mutato caſu, & omiſſo articulo,Κενεζαίῳ. v.ult. addatur articulus,τῆς Χεβρών. Vaticanus etiam verbum habet, hoc modo, τὸ δὲ ὄνομα τῆς Χεβρὼν ἦν τὸ πρότερον &c. Pro 'Αρβὸ, habent Complutenſes recte,'Αρβαί. Nam ſic etiam Syrus legit: qui interim monet,in quibuſdam libris eſſe 'Αρβόκ· atque hanc ſcripturam memorat etiam libellus De locis Hebraicis,ſed damant,ut minime probam.

CAP. XV.

Locorum nomina ubique eſſe corruptiſſima, ſæpe monuit divus Hieronymus: quo ego faſtidioſius in ipſis emendandis ſum verſatus. Sed utinam,hanc ſaltem a lectore habeam gratiam, ut iſtis meis laboribus amico animo faveat: quod ſane facere debebit,ſi ſibi fructuoſos eſſe ſenſerit. Sed ut rem aggrediar: v.1.hujus.15.cap.poſt Nomen φυλῆς,ſuggerit editio mixta *υἱῶν ↙. In fine illa verba, πρὸς νότον,expungenda ſunt. Nam pro iis dixerunt LXXII. ἕως Κάδης. 2. pro ἐπὶ νότον,ſcribe,ἐπὶ λίβα. 3. Scribe,προσαναβάσεως, continua dictione. Ibidem, pro Σενὰ, ſcribe, εἰς Σίν. Mox, ubi eſt, ἀπὸ νότου ἐπὶ λιβὸς, ἐπὶ Κάδης, ſcribe,ἀπὸ λιβὸς,ἐπὶ Κάδης·cætera vero expungito. Ulterius, illa verba, ϗ ἐκπορεύεται τὸ κατὰ δυσμὰς Κάδης, omittit Syrus. At Vaticanus, & Complutenſes,iis retentis,rejiciunt quæ ſequuntur,nempe,ϗ ἐκπορεύεται 'Ακαρκὰ,ſive, εἰς Καρκὰ, ut legit Syrus. Utri melius,non ſatis poſſum conſtituere. Symmachus,pro Καρκὰ,dixit γῆν. Nam Hebræis קרקע *ſolum*,ſive *terra*, eſt. 4. Pronomen αὐτοῦ, eſt collocandum poſt Nomen ὁρίων, & ſignandum obeliſco. Quod ſi mihi per exemplaria liceat, expungam. Suſpicor enim certe errore adſcriptum olim eſſe, inter ſacra verba. 5. Illud, πᾶσα, jugulandum eſt appoſito veru. Poſt dictionem autem, ἕως, ſuggerit editio mixta * μέρους ↙ τοῦ 'Ιορδάνου. Ulterius, cum dicitur, ϗ τὰ ὅρια αὐτῶν,notetur etiam hoc Pronomen obeliſco: atque etiam Conjunctiones,ϗ, cum deinceps ſequitur, ÷ ϗ ↙ ἀπὸ τῆς λοφίας,&,* ϗ ↙ ἀπὸ τοῦ μέρους &c. 6.pro Βαιθαρὰ,ſcribe,Βηθαραβά. Symmachus hoc proprium loci nomen interpretatus, dixit, ἐν τοῖς πεδίοις. Mox pro, ἐπὶ λίθων Βαιὼρ, ſcribe,ἐπὶ λίθον Βαιών. 7. Pro, ἐπὶ Δαβηρὰ τῆς φάραγγος, eſt in bonis libris, ἐπὶ τὸ τέταρτον τῆς φάραγγος· atque ita Syrus locum iſtum reddidit. Nimirum legerunt LXXII. רביעה, pro דבירה. Ibidem ſuggeritur in mixta editione loci nota,hoc modo, ϗ ÷ κατὰ βοῤῥᾶν ↙ καταβαίνει &c. Mox, pro, προσβάσεως, ſcribe, προσαναβάσεως· & pro 'Οδδαμὶν, 'Αδωμίμ. Ulterius, pro, κατὰ νότον, repone, κατὰ λίβα. Ulterius poſt Verbum, διεκβάλλει,additur in mixta editione * τὸ ὅριον ↙. 8. εἰς φάραγγα, hic ſuggerit mixta Nomen * υἱοῦ ↙. Mox, pro, ἐπὶ νότου, ſcribe,ἐπὶ νῶτον, ſuper dorſum. Ulterius,pro,'Ενρὸν,ſcribe,'Εννόμ. 9. Scribe,ἀπὸ κορυφῆς. Mox,pro ϗ διεκβάλλει ὄρους 'Εφρὼν, Vaticanus habet, καὶ διεκβάλλει εἰς τὸ ὄρος 'Εφρών· atque ita puto eum locum a LXXII. eſſe redditum. At in mixta editione,ſuggeſtis verbis, quæ præterita fuerant, ſic eſt concinnatus, ϗ διεκβάλλει * ἐπὶ κώμας ↙ ὄρους 'Εφρών· Apud Complutenſes tamen, Verbum eſt futuri temporis, διεκβαλεῖ. 10. Cum dicitur, ÷ ϗ προσελεύσεται ↙ εἰς πόλιν Σηείρ, debet copula,cum verbo,jugulari veru· & pro πόλιν ſcribendum eſt, ὄρος. Ulterius,pro, ἐπὶ νότον πόλιν 'Ιαρὴμ,ἐπὶ βοῤῥᾶν, ſcribe, ἐπὶ νῶτον πόλεως 'Ιαρείμ,ἀπὸ βοῤῥᾶ. In hujus verſus extremo,pro ἐπὶ νότον, ſcribe, ἐπὶ λίβα· ſic enim LXXII. illud nomen, תמנה Thamna, quod eſt urbis proprium, ſunt interpretati: nimirum quia, תימן, Auſtrum ſignificat. 11. Pro κατὰ νότου 'Ακκαρὼν,repone,κατὰ νῶτον 'Ακκαρών. Ibidem ſcribe, Σαχαρωνά, ſublato κ. Mox, dum eſt in vulgatis libris, ὄρος γῆς, ſcribe, ὄρος τῆς. Ibidem, pro 'Ιαβνὴλ, habent Complutenſes, 'Ιαμνήλ. Sed Græci literas β & μ, ſæpe inter ipſas commutant. 12. Pro ὅρια αὐτῶν ἀπὸ θαλάσσης, legit Syrus, τὰ ὅρια τῶν ἀπὸ θαλάσσης· & recte, meo certe judicio. 13. Scribe, 'Ιεφοννὴ,ablata litera θ· atque ita inferius quoque. Mox illud, ϗ ἔδωκεν αὐτῷ 'Ιησοῦς, debet jugulari obeliſco. Ibidem, pro πατρὸς 'Ενὰκ, habet Vaticanus, & Complutenſes, μητρόπολιν 'Ενάκ· atque ea ſcriptura videtur etiam Origeni placuiſſe: Illud tamen conſentaneum magis eſt Hebræo: idq; Syrus reddidit: alteram tamen ſcripturam per limniſcum indicavit; ſicut etiam 'Αρβὸκ eſſe in nonnullis libris, pro 'Αρβαί. 14. Illud, υἱὸς 'Ιεφοννῆ, notetur obelo. Ulterius, cum dicitur, ϗ τὸν Σησαῖον, ſcribe abſque copula, τὸν Σησαΐ. Et mox, ſcribe 'Αχιμάν. Ulterius, poſt nomen, Θολμαΐ, eſt in mixta additum, * γεννήματα τοῦ 'Ενάκ ↙. 15. Nomen Καλὲβ,initio poſitum,debet obelo jugulari. Ulterius,cum dicitur,ἦν πόλις, ſublato verbo ἦν, reliquum ſcribe mutato ordine, τὸ πρότερον πόλις γραμμάτων. 16. Vaticanus habet, ὃς ἂν λάβη,ϗ ἐκκόψῃ τὴν &c. verum ei non ſuffragantur alia exemplaria; neque mihi dubium eſt, quin ex margine illud irrepſerit in ordinē verborum,cum quiſpiam verbum יַכֶּה, hoc eſt, *percutiet*, ſic eſſe interpretandum, privata annotatione ſignificaſſet. Ibidem, cum dicitur, ϗ δώσω, aufer copulam. Et pro 'Αχὰν, ſcribe 'Αχσὰν, & ita ubique. 17. ὁ ἀδελφὸς, articulus eſt expungendus. In Vaticano eſt gignendi caſus, ἀδελφοῦ· illud vero, ὁ νεώτερος, abeſt; verum neque hic aſtipulatores ei ſunt alii libri; & Origenes ſic legit iſtum locum, ut eſt in vulgatis libris: eſt quidem Hebræum anceps, neque in eo illud eſt, ὁ νεώτερος, hoc loco, ſed eſt ex Judicum hiſtoria huc importatum; atque ideo ſignandum obeliſco. Qua nota jugulari etiam debet Pronomen αὐτῷ poſitum ſecundo loco. 18. Participium λέγουσα,debet habere appoſitum veru. 19. Pronomen αὐτῷ,poſitum in verſus initio ſimiliter juguletur obelo. Ulterius, cum dicitur, εἰς γῆν νότου, habent Complutenſes, & Vaticanus, εἰς γῆν ναγὲβ, ſervato verbo Hebraico; & eam ſcripturam eſſe in quibuſdam exemplaribus, annotavit per limniſcum

Syrus. Mox, ϗ ἔδωκεν αὐτῇ Χαλὲβ, jugulandum eſt nomen Χαλὲβ obelo. 20. In fine, poſt illa verba, υἱῶν Ἰούδα, ſuggeritur in mixta hæc verborum clauſula, * κατὰ δήμους αὐτῶν ↙. Quæ porro ſequuntur, ea corruptiora confuſioraq; ſunt, quam ut commode, per verſus ſingulos poſſim procedere. Quare conſtituam certa ſpacia longiora per quæ decurram ordine, tanquam per verſum unum; ne nimis ſæpe inſiſtendo, & mihi, & lectori ſim moleſtus. Eſto igitur primum ſpacium a verſiculo 21. uſque ad 32. Illud αἱ πόλεις αὐτῆς, quod primum occurrit, jugulandum veru eſt. Mox ubi eſt in vulgatis libris, πόλις πρώτη φυλῆς, ſcribe numero plur. πόλεις πρὸς τῇ φυλῇ &c. Mox, pro, ἐπὶ τῆς ἐρήμου, legit Syrus, ἀπὸ τοῦ λιβὸς· quæ ſcriptura, meo judicio, proba eſt: ſed ſententia fere eadem eſt. Nam *deſertum* pro *Auſtro* uſurpatur in terræ Sanctæ ſitu deſcribendo: quia verſus Ægyptum maxima ſolitudo ei eſt oppoſita. Mox, pro, Ἐδραῒ, ſcribe Ἐδὲρ· & pro Ἀδαδὰ, Γαδγαδά. Mox, cum dicitur, ϗ Κεδὲς, ſcribe deinceps nomina ſic, καὶ Κεδὲς, ϗ Ἀσὼρ, καὶ Ἐθνὰ, Ζὶφ, καὶ Τελέμ. Rurſus poſt, Βαλὼθ, adde iſta, ϗ Ἀσὼρ ἡ καινή. Deinde perge, ϗ πόλις Ἐσρών. Mox, poſt Pronomen, αὕτη, ſuggeritur in mixta verbum * ἐστὶν ↙. Ulterius, pro Σεμὲ, ſcribe Σαμὲ, & expunge illud, ϗ Θαμνά· atque pro Μωλαδὰ, ſcribe Μωλαδά· Illud vero ϗ Ἀσαρσὲ, jugula obelo: non eſt enim iſte ejus locus. Nam verſiculo 28. rurſus dicitur, nomine pleniore, Ἀσαρσουλά· Mox, ſcribe, Βεζιουθιά. Sic enim etiam Euſebius habet hoc nomen in locis Hebraicis. Quæ autem hic ſequuntur in vulgatis libris, nempe, ϗ αἱ κῶμαι αὐτῶν, ϗ αἱ ἐπαύλεις αὐτῶν, ea prorſus auferenda e medio ſunt. Ulterius, pro Εὐνὶμ, legit quidem Syrus Ἐλὶν, Complutenſes Αὐίμ· ſed Εὐνὶμ, niſi fallor, probum eſt: ſic enim locus ille etiam ab Euſebio eſt appellatus. Ulterius, pro Ἐλθωδὰδ, repone Ἐλθωλάδ· nam mendoſe puto in Euſebii libello illo de locis eſſe ſcriptum Elolath. Eſt enim opuſculum illud mendoſiſſimum. Mox, pro ϗ Χεσιὰδ, ſcribe * ϗ Χεσὶλ ↙· ſic enim appellatur ille locus, etiam ab ipſo Euſebio: ſed debet, ut aſcititium, aſteriſco hoc ſignari. Ulterius illa, ϗ Μαχαρεὶμ, ϗ Σεννὰκ, ϗ Λαμὼθ, ϗ Σεκελὲν, ſunt auferenda e medio. Porro, pro, ϗ Ἀλβὼν, ϗ Σελεμεὶμ, ſcribendum eſt, ϗ Λεβαὼθ, ϗ Σελεείμ. Ulterius, ſcribe εἴκοσι ϗ ἐννέα, interpoſita copula. Secundum ſpacium conſtituatur uſque ad verſiculum 36. ab trigeſimo tertio. Igitur verſu 33. pro Σαραὰ, ſcribe Σαραά. Deinceps illud, ϗ Ῥαμὲν, expunge. Mox, pro Ὀγγονεὶμ, ſcribe Ἡγγονείμ. Ulterius; illud, ϗ Νεμρὰ auferendum eſt. Ulterius, pro Ἀδιαγεθθαΐμ, ſcribi debet, Ἀδιαθθαΐμ. Mox, cum dicitur, ϗ αἱ πόλεις, expungatur copula. Jam vero pergamus ſine interſpiratione a verſu 36. uſque ad 48. Igitur pro Αἰγλὼμ, ſcribe Ἀγλών· & pro Χαββὰν, Χαββών. Ulterius, pro Κελαῒ, ſcribe Κεϊλά· & pro Ἀχχὶμ, Ἀχζὶβ, aut Ἀχζίμ. Nam, ut memini me dicere; ſæpe commutantur literæ β, & μ. Porro illud, ϗ Μαλὼμ, expungatur. Ulterius, ϗ ἀπὸ, expuncta copula, ſcribe, ἀπὸ Ἀκκαρὼν, ϗ εἰς θάλασσαν, ÷ ϗ ↙ πᾶσαι &c. atque hæc copula habeat appoſitum obelum. Notat tamen Syrus, in quibuſdam libris eſſe, ἀπὸ Ἀκκαρὼν Ἰαμνὰ, ϗ πᾶσαι &c. Complutenſes utramque ſcripturam ſimul proferunt; mendoſa, opinor, exemplaria ſecuti: debet enim omnino altera omitti. Habent autem Complutenſes, ἀπὸ Ἀκκαρὼν ϗ εἰς θάλασσαν Ἰεμναὰ, ϗ πᾶσαι &c. Quæ vero deinceps ſequuntur, ſunt ad hunc modum ſcribenda, πλησίον Ἐσδὼδ, ϗ αἱ κῶμαι αὐτῆς· atque hic eſt inſiſtendum. Deinde vero inchoandus alius verſus, his verbis, Ἐσδὼδ, ϗ αἱ κῶμαι αὐτῆς, ϗ αἱ ἐπαύλεις αὐτῆς. Γάζα ϗ &c. Et hactenus tertium ſpacium confecimus. Porro quartum conſtituatur, uſque ad verſiculum 58. In hoc ſpatio primum, pro Σαφεὶρ, habent quidam libri Σαμείρ· hoc eſt Hebræo magis conſonum: illud autem ab Euſebio in libello De locis Hebraicis proditum eſt. Ulterius, pro Ἀνεὶβ, habent Complutenſes Ἀνείμ· & recte. Nam ſic ſonat Hebraica vox, & ſic nominatur is locus ab Euſebio. Ulterius, pro Χιλουὼν, ſcribe Χιλών· ſic enim eſt apud Euſebium. Syrus tamen videtur Χωλὼν legiſſe: & hujuſmodi vocalibus utitur Hebræus. Paullo ulterius, in Verbo, Ῥουμὰ, reddiderunt LXXII. literam ρ, pro Hebraico Daleth: ſicut paullo ante quoque dixerunt, Ῥεννὰ, pro Δαννά· eſt enim in Hebræo Δουμά. Ulterius, pro Βηθθαπφοὺθ, repone Βηθθαπφού. Mox, pro Σαρβὸ, ſcribe Ἀρβὲ, ablata litera σ. Et pro, Χερμὲλ, ſcribe Χερμέλ· Pro Ἐζραὲλ, Ἰεζρεέλ· pro Ἰεκδααὰμ, Ἰεκαδάμ. Quod autem deinceps poſitum nomen eſt, debet diduci in duo, hoc modo, ϗ Ζανουά· atque hoc eſt extremum verſiculi 56. Deinde initio v. 57. collocandum eſt, Ἀκίν· deinceps ſequitur, ÷ ϗ ↙ Γαβαὰ, ubi copula eſt obelo jugulanda. Cæterum illud, ϗ Ἐδνὶ, abolendum eſt. Porro quod ſequitur ſpacium, extendetur a ver. 58. uſq; ad capitis finem. Ergo ver. 58. Χεδοὺρ, ſcribe Γεδώρ. Quæ porro deinceps ſequuntur, poſt illa verba, πόλεις ἓξ, uſq; poſt illa verba, πόλεις ἕνδεκα· ea ſunt omnia in Syro obeliſcis jugulata. Hieronymus quidem commentariis in Michæam, cenſet fuiſſe a Septuaginta duobus interpretibus ſcripta: verum non liquido ſe ſcire ait, num poſt, ſint de veteribus libris Hebraicis, malitia Judæorum eraſa; ne Chriſtus de tribu Juda ortus videretur: an vero, ut multa, ſupra Hebræū, addita ab ipſis LXXII. Eſt autem in iis pro Θεκὼ, ſcribendum Θεκουά· & pro Βηθὴρ, Θηθήρ. Ulterius, pro ΚαριαΒαὰλ, ſcribe, ΚαριαθΒαάλ. Mox deleto illa verba, ϗ αἱ κῶμαι αὐτῆς. Complutenſes tamen iis ſervatis, alteram clauſulam omittunt; ea eſt, ϗ αἱ ἐπαύλεις αὐτῆς. Ulterius verbum Βὴθ, ſeorſim poſitum, eſt abolendum, una cum inſequente conjunctione, καί. Mox ſcribe Μαδδεὶ, pro Μαδὼν, ex Syro, & Euſebio. Syrus tamen in margine oſtendit aliud nomen ejus loco; nempe, Βαδραγὲς. Eſt autem etiam ea Conjunctio, quæ ante Μαδὼν poſita eſt, abolenda. Pro Ὀχοχὰν, debet ſcribi Σχαχὰ, ut habent Complutenſes, & legit Euſebius. Mox ſcribe numero ſingulari, ϗ ἡ πόλις τῶν ἁλῶν· ut legit Syrus, & habet Hebræum. V. poſtremo, poſt illa verba, ϗ κατῴκησεν ὁ Ἰεβουσαῖος, ſuggeruntur in edit. mixta, iſta, * μετὰ τῶν υἱῶν Ἰούδα ↙, ἐν Ἱερουσαλὴμ &c.

CAP. XVI.

Cap. 16. Ver. 1. poſt illa verba, τοῦ κατὰ Ἰεριχὼ, ſuggeruntur in mixta editione hæc, per aſteriſcum, * ἀπὸ τῶν ὑδάτων τοῦ κατὰ Ἰεριχώ ↙. Mox cum dicitur, ÷ ϗ ↙ ἀναβήσεται ἀπὸ &c. jugulanda eſt copula. Mox, poſt, τὴν ὀρεινὴν, expungendum eſt, quod habent vulgati libri, τὴν ἔρημον· eſt enim ex cujuſpiam inepta emendatione natum. 3. Poſt illud, τῆς κάτω, adſcribitur in mixta, * ἕως Γάζερ ↙. 4. Scribendum eſt ordine verborum mutato, Μανασσῆ ϗ Ἐφραίμ. 5. Cum dicitur, Ἀταρὼθ ϗ Ἀδὰρ, eſt auferenda copula. In extremo illud, ÷ ϗ Γαζαρὰ ↙, jugulandum eſt. 6. Poſt verbum παρελεύσεται, ſupplet mixta per aſteriſcum, * τὸ ὅριον ↙· Pro quo eſt in Vaticano, τὰ τέρμα. Mox ſcribe addito Pronomine, ϗ παρελεύσεται αὐτῷ ἀπ' ἀνατολῶν. In extremo, pro Ἰανὼθ, ſcribe Ἰανωά. Euſebius tamen videtur legiſſe Ἰανών. Poſt hoc nomen omiſſum eſt a LXXII. initium verſus ſeptimi, quod in mixta editione ſuggeritur per aſteriſcum in verbis, * ϗ καταβήσεται ἀπὸ Ἰανωὰ εἰς ↙ Ἀταρὼθ &c. Mox illud, καὶ Νααραθὰ, loco movendum eſt, & collocandum eſt Pronomen, αὐτῶν, addendaque Præpoſitio, ut ſic legas, καὶ αἱ κῶμαι αὐτῶν· ϗ εἰς Νααραθὰ, ϗ διελεύσεται &c. debent autem illa verba, ϗ αἱ κῶμαι αὐτῶν, jugulari obelo: equidem ea lubentius tollerem e medio, puto enim mendoſe adſcripta eſſe: verum obſtat mihi exemplarium conſenſio. 8. Pro Δαπφοὺθ, ſcribe Θαπφούθ. 10. Initio, nomen Ἐφραὶμ, jugulari debet obeliſco. Porro quæ hic adſcripta ſunt in pervulgatis codicibus, ab illis verbis inchoando, ἕως ἀνέβη Φαραὼ, uſque ad finem; debent obeliſcis jugulari. Sunt enim ex Regum hiſtoria huc traducta. Cæterum poſtrema hujus capitis verba a LXXII. omiſſa, ſuggeruntur in editione mixta per aſteriſcum, hoc modo, * ϗ ἐγένοντο ὑπόφοροι δοῦλοι ↙.

CAP. XVII.

Capitis decimi ſeptimi verſu primo, cum dicitur, φυλῆς υἱῶν Μανασσῆ, expungendum eſt illud, υἱῶν, Mox ſcribe, οὗτος γὰρ * ἐστὶ ↙ ἀνὴρ πολεμιστής· ſed habeat Pronomen ſtellulam, tanquam aſcititium. 2. Pro Ἀχιεζὲρ, ſcribe, Ἀβιέζερ· & pro Ἐχὲμ, Συχέμ. Denique pro Σεμιραὲ, Σεμιδαέ. Ulterius, cum dicitur, οὗτοι ἄρσενες &c. expletur locus in mixta, ad hunc modum, οὗτοι * υἱοὶ Μανασσῆ, υἱοῦ Ἰωσὴφ ↙ ἄρσενες &c. 3. Poſt illa verba, υἱῷ Ὀφὲρ, rurſus ſuggerit editio mixta, * υἱοῦ Γαλαὰδ, υἱοῦ Μαχὴρ, υἱοῦ Μανασσῆ ↙ οὐκ ἦσαν &c. Ibidem adſcribendus eſt articulus τῷ Σαλπαὰδ, & pro Μαλαὰ, ſcribendum eſt Μααλά. 4. Expungatur Nomen κληρονομία, cum dicitur, ϗ ἐδόθη αὐταῖς κληρονομία. 5. Aboleatur Pronomen, αὐτῶν, poſt verbum, σχοινισμός. Ibidem notat Syrus per limniſcum, pro Λαβὰδ, eſſe in quibuſdam libris, Λαβέκ; & hanc ſcripturam habet Vaticanus. Sed alterum eſt Hebrææ voci conſonum, quæ eſt לְבַד, Levad: hæc tamen vox hoc loco non eſt loci proprium nomen, ſed exceptiva, ut vocant, particula. Videntur autem LXXII. legiſſe, ערבה, vel מישרה, pro עשרה, cum πεδίον, dicerent, pro eo quod Hebraice eſt, *decem.* Quanquam ego & iſtum & alios ſimiles errores non illis interpretibus, ſed ſtultis emendatoribus, qui olim auſi ſunt cornicum oculos velle configere, adſcribo. 7. Illud, υἱῶν, notandum eſt obelo. Et poſt nomen Μαχθὼθ, expungendum eſt illud, ἡ Δανάθ. Ulterius, cum dicitur, ϗ Εἰασεὶμ, notetur copula obelo, & pro, Εἰασεὶμ, ſcribatur, εἰς Ἰασήβ. Et mox, pro, Δαφθὼθ, Θαπφού. 8. Poſt illa verba, τοῦ Μανασσῆ ἔσται, quæ perperam ſunt a Complutenſibus omiſſa, ſuggeritur in mixta, * γῆ Θαπφοὺ ↙· deinde ſequitur, ϗ Θαπφοὺ ἐπὶ &c. ut eſt in pervulgatis libris ſcriptum. Ulterius, poſt nomen, Μανασσῆ, rurſus ſuggerit mixta editio hæc verba, * τοῖς υἱοῖς Ἐφραίμ ↙. Et inſuper initium verſiculi 9, his verbis, * ϗ καταβήσεται τὰ ὅρια ↙. Deinceps ſequitur, ἐπὶ φάραγγα &c. Mox, legit Syrus, τοῦ Ἐφραείμ. Notat tamen eſſe in quibuſdam exemplaribus, τοῦ Ἐφραίμ. Mox, pro πόλεως, mallem πόλεων numero plurium: ſed refragantur plerique libri. Profecto credibile non eſt, tantos viros, quanti fuere LXXII. interpretes, ſic eſſe halucinatos, ut ea redderent pro Hebraicis verbis, quæ hoc nono verſu leguntur modo. Nam pro Pronomine אֵלֶּה legimus Terebinthum, quæ arbor אֵלָה, aut אַלָּה vocatur, & pro עָרִים, *Arim*, quæ vox urbes ſignificat, ſcriptum eſt Jair. Ulterius ſcribe, ϗ ἔσται ἡ διέξοδος αὐτῶν· atque ita inferius quoque. 10. Pro, ὅρια αὐτῆς, ſcribendum eſt, ὅρια αὐτοῖς. 11. Eſt quidem in exemplaribus miro conſenſu, Βηθσὰν, ϗ αἱ κῶμαι αὐτῶν. Sed res ipſa loquitur, dicendum eſſe, κῶμαι αὐτῆς, ut eſt in Hebræo. Suggerit autem poſt ea verba editio mixta; hæc, * ϗ Ἰεβλαὰμ, ϗ αἱ θυγατέρες αὐτῆς ↙. Et mox poſt illud, κώμας αὐτῆς, hæc, * ϗ τοὺς κατοικοῦντας Ἐνδὼρ, ϗ τὰς κώμας αὐτῆς, καὶ τοὺς κατοικοῦντας Θαανὰχ, ϗ τὰς κώμας αὐτῆς ↙. Eſt enim etiam iſta poſterior verborum complexio, quæ in pervulgatis libris habetur, aſteriſco ſignanda, ut aliena. Porro copula, cum dicitur, ϗ τὸ τρίτον, & illud quod in extremo verſiculi poſitum eſt, ϗ τὰς κώμας αὐτῆς, debent obeliſcis jugulari. 13. Particula δὲ, cum dicitur, ὀλοθρεῦσαι δὲ, eſt aſteriſco notato a Syro. Eſt etiam hic Pronomen, αὐτοὺς, priore loco ſcriptum, prorſus e medio auferendum: at in extremo verſiculi poſitum, debet jugulari veru. 14. Poſt illud, ἐκληρονόμησας ἡμᾶς, addit editio mixta * κληρονομίαν ↙, κλῆρον &c. Nimirum LXXII. illiuſmodi repetitionem putabant eſſe ſupervacaneam. Paullo ulterius delendum eſt verbum εἰμὶ, quod eſt in vulgatis libris. Et quæ deinceps ſequuntur, debent mutato ordine verborum ſcribi, ϗ εὐλόγησέ με ὁ θεός. 15. Pro, ἐκκαθάρισον, habent boni libri, ἐκκάθαρον. Ibidem, Poſt σεαυτῷ, ſuggeritur in mixta hæc verborum continuatio, * ἐκεῖ ἐν τῇ γῇ τοὺς Φερεζαίους, ϗ τοὺς Ῥαφαείμ ↙· ſic enim legit Syrus. Sed Complutenſes ſcripſerunt caſu gignendi, τοῦ Φερεζαίου, ϗ τοῦ Ῥαφαείμ. Ulterius, legit Syrus, τὸ ὄρος τοῦ Ἐφραίμ· Vaticanus, niſi fallor, τὸ ὄρος τὸ Ἐφραείμ· ſed parvi refert, utrum ſcribatur. 16. Pro ἀρέσκει, habent pleraque exemplaria, ἀρκέσει. Syrus vero legit temporis præſentis verbum, ἀρκεῖ. Atque ita hic locus ex Origene profertur. Ibidem, Nomen Ἐφραὶμ, jugulandum eſt; & ſimiliter illud, ἐπίλεκτος. Ulterius, pro σίδηρος, legit Syrus, σιδήρεος· ſed puto illud eſſe probum: nam & Origenes videtur legiſſe σίδηρος· debet tamen aſteriſco hoc vocabulum notari. Nam cum LXXII. illud, quod Hebræum habet, רכב ברול, eſſent interpretati, *equus electus*, additum ex Theodotione eſt *ferri* vocabulum, & ſimul univerſitatis nota παντί. Eſt enim ſic in mixta ſcriptum, ἐπίλεκτος * ϗ σίδηρος, aut, σίδηρος, παντὶ ↙ τῷ Χαναναίῳ &c. Quod autem deinceps eſt, κατοικοῦντι ἐν ἐμοὶ, corruptum eſt: debet autem hic locus ſcribi, ut Complutenſes ediderunt, κατοικοῦντι * ἐν τῇ γῇ ↙ Ἐμὲκ, ἐν Βηθσὰν &c. 17. Poſt nomen, Ἰωσὴφ, adſcribe * τῷ ↙ Ἐφραὶμ ϗ Μανασσῆ λέγων, ÷ Εἰ ↙ λαὸς &c. & nota articulum τῷ aſteriſco, ut alienum; Conjunctionem vero Εἰ, obeliſco. 18. Poſt, ϗ ἔσται σοι, ſuggeritur in editione mixta, * ἡ ἔξοδος αὐτοῦ ↙. Rurſus, poſt αὐτῷ ἐστι, ſuggeritur, * ὅτι ἰσχυρὸς ἐστι ↙. σὺ γὰρ &c.

CAP. XVIII.

Capitis decimi octavi verſu ſecundo, poſt verbum, κατεκληρονόμησαν, eſt in editione mixta * τὴν κληρονομίαν αὐτῶν ↙. 3. Poſt verbum, ἐκλυθήσεσθε, eſt in eadem editione infinitum, * εἰσελθεῖν: 4. Scribe, τρεῖς ἄνδρας, mutato verborum ordine. Ibid. poſt verbum, φυλῆς, habet editio mixta hæc, * ϗ ἀποστελῶ αὐτοὺς ↙. Mox illud, ἐναντίον μου, jugulandum obelo eſt. Ulterius, pro, καθὰ δυνήσῃ, eſt ſcribendum, καθὰ δεήσει. Mox, pro διελθεῖν, habent quidam libri, διελεῖν, quod Hebræo magis congruit. Syrus tamen διελθεῖν reddidit. 5. Pro, στήσονται ἀπὸ βοῤῥᾶ, ſcribe, στήσονται * ἐπὶ τὸ ὅριον αὐτῶν ↙ ἀπὸ βοῤῥᾶ· ex Syro & Complutenſibus. Sed illud, ἐπὶ τὸ ὅριον αὐτῶν, debet, ut alienum, habere appoſitam aſteriſci notam. 6. Scribe, trajectis verbis, πρός με ὧδε, Paullo ulterius, poſt verbum, κλῆρον, rurſus hoc Adverbium ὧδε ſuggeritur in editione mixta, per aſteriſcum. 7. Pro μερὶς αὐτῶν, ſcribe, μερὶς αὐτοῦ. Ibidem, Pro, ϗ τῷ ἡμίσει, ſcribe, ϗ τὸ ἥμισυ. Ulterius, pro ἐλάσσονος, ſcribe ἔλασσον. 8. Illud, τοῖς ἀνδράσιν, eſt jugulandum veru, & ſimiliter illud ÷ διέλθετε ϗ↙, quod poſt Participium λέγων ſcribitur. Ulterius, Adverbium loci ὧδε, ſuo loco movendum eſt, trajiciendumq; uſque poſt Pronomen, ὑμῖν, hoc modo, ϗ ἐξοίσω ὑμῖν ὧδε κλῆρον &c. 9. In ipſo initio, poſt Verbum, ἐπορεύθησαν, ſuggeruntur in editione mixta hæc verba, *οἱ ἄνδρες, ϗ διῆλθον τὴν γῆν↙. Porro illud τὴν γῆν, quod denuo ſcribitur, poſt verbum ἐχωρογράφησαν, mutat eadem editio in Pronomen, αὐτήν. Eſt autem tota illa verborum complexio, ÷ ϗ ἐχωρογράφησαν αὐτὴν, ϗ εἶδον αὐτὴν↙, jugulanda obeliſcis: & ſimiliter ipſum Pronomen, cum ſequitur, πόλεις ÷ αὐτῆς↙. Rurſus in extremo, poſt verbum, Ἰησοῦ, ſuggerit mixta, * εἰς τὴν παρεμβολήν↙. 10. Poſt verbum, κυρίου, multis verbis ſupplenda eſt ex mixta editione ſcriptura quæ eſt in vulgatis libris, his ſcilicet, * ϗ ἐμέρισεν ἐκεῖ Ἰησοῦς τὴν γῆν τοῖς υἱοῖς Ἰσραὴλ, κατὰ τοὺς μερισμοὺς αὐτῶν↙. 11. Verbum πρῶτος, jugulari debet obeliſco appoſito. 12. τὸ ὅριον, mutandum eſt in pluralem numerum, τὰ ὅρια. Ulterius, ſcribendum eſt, trajecto Pronomine, ἡ διέξοδος αὐτοῦ. Ibid. ſcribe, Μαδβαρῖτις. 13. Quidam codices mendoſe habent, ἐπὶ νότου Λουζὰ, pro, ἐπὶ νώτου Λουζά. Ulterius expungenda eſt Præpoſitio ἀπὸ, cum dicitur, ἀπὸ Ἀταρὼθ Ἐδδάρ. Eſt enim loci nomen caſus accuſandi hic. In extremo, ſcribe, τῆς κάτω. 14. Illud, ÷ τὸ βλέπον εἰς↙, juguletur obelo. Ulterius, cum dicitur, ὅροις ἐπὶ πρόσωπον &c. ſcribe, τοῦ ὅρους, τοῦ ἐπὶ πρόσωπον. 15. Pro ΚαριαθΒαάλ, legit Syrus, Καριαθιαρείμ· & hoc in Hebræo eſt: ſed utrumque unius ejuſdem urbis nomen eſt. Ulterius ſcribendum eſt, ϗ διελεύσεται τὰ ὅρια θαλάσσης, * ϗ ἐξελεύσεται↙ ἐπὶ πηγὴν &c. Sed illud, ϗ ἐξελεύσεται, notandum eſt aſteriſco. In Hebræo tamen, pro, θαλάσσης, eſt, εἰς θάλασσαν· atq; ita Symmachus convertit. Illud igitur, Γαὶν, quod habent pervulgati libri, aut Γασὶν, quod eſt apud Complutenſes, abolendum eſt. 16. ἐπὶ νότου Ἰεβοὺς, ſcribe, ἐπὶ νῶτον Ἰεβούς. 17. Initium verſiculi omiſſum a LXXII. ſic ſuggeritur in mixta, * ϗ διεκβαλεῖ ἐπὶ βορρᾶν↙, ϗ διελεύσεται &c. Mox ſcribe Σαμὲς, addita Sigma. Aquilas nomen hoc interpretans, dixit Solis. Mox, pro Ἐδωδὴμ, ſcribe Ἀδωμείμ. 18. Rurſus pro κατὰ νότου, ſcribe, κατὰ νῶτον, *per dorſum*, ut eſt in Vaticano: & pro, Βαιθαραβὰ, Βηθαραβά· atque hic adde, ἀπὸ βορρᾶ. Deinde, poſt verbum καταβήσεται, ſupple ex mixta editione per aſteriſcum, * ἐπὶ Ἀραβά↙. 19. Et poſt hæc verba ſubjice v. 19. his verbis ex mixta editione quoq; ſuggeſtis, * ϗ παρελεύσεται τὰ ὅρια↙· deinceps ſequitur, ἐπὶ νῶτον Βηθαγλά· ſic enim ſcribendum eſt, *per dorſum*, &c. Ulterius, pro ἐπὶ λοφιὰ, ſcribe, ἐπὶ λοφίαν. 20. ſcribe, ἀπὸ μέρους, τοῦ ἀπ᾽ ἀνατολῶν, addito altero articulo. 21. Pro Ἀμεκασὶς, ſcribe, adjecto inſuper altero Cappa, Ἀμεκ-κασίς. 22. Pro Βαιθαραβὰ, ſcribe, Βηθαραβά. Ibidem, Pro Σεμεῒμ, habent Complutenſes Σαμαρίμ· ſed illud alterum ſecutus eſt Euſebius. 23. Pro Ἀφραθὰ, ſcribe Ἀφαρὰ, aut potius, Ἀφρὰ, ut eſt apud Euſebium: & trajice, ut ponatur ante, Ὠφρά. Quæ autem deinceps ſequuntur, iſta dico, ϗ Αἰκαρὲμ ϗ Καθηραμείμ, ea ſunt prorſus auferenda. 24. Habent quidem Complutenſes Καφὰρ Ἀμμωνὰ, pro eo quod eſt in vulgatis libris, ἐποίκιον Ἀμμωνά· verum hoc, niſi fallor, probum eſt: videtur enim & Syro, & Euſebio placuiſſe. Eſt autem ἐποίκιον interpretatio Hebræi vocabuli καφάρ· Significat enim hoc, locum ruri paucis ædificiis conſtructum; hoc eſt, villam, aut etiam vicum. Mox aufer articulum cum eſt in vulgatis libris. ϗ τὴν Ἀφνεί. 26. Pro Χεφθειρὰ, ſcribe, Χεφειρά, & pro, Μωσὰ, Ἀμωσά. 28. Cum dicitur, ϗ Γαβαὰθ, ϗ πόλεις, notentur copulæ obeliſcis. Sunt autem hic LXXII. prævaricati. Nam quod convertere, πόλεις, id proprium loci nomen Cariath eſt: & quod tanquam proprium retinuere, Ἰαρείμ, ſive Ἀρείμ potius, id appellativum eſt, ut vocant Grammatici; & ſignificat, πόλεις, hoc eſt urbes. Sed ego imperiti alicujus hominis audacia corruptum eſſe locum arbitror, ut paſſim plurima alia. Eſt autem hoc quoque hic notandum, cum in Hebræo ſumma urbium dicatur 14, ſolas tredecim numerari a LXXII. Nimirum quia hi ex Sela & Aleph, quæ duæ ſunt, unam fecere per Nominum compoſitionem: verum credibile eſt etiam hoc, temeraria inſcitia eorum, qui ſibi nimis multum permittunt in auctoribus, quos non ſatis intelligunt, emendandis, factum eſſe. Nam apud Euſebium, Sela, abſque adjecto Aleph, inter urbes Benjaminis annumeratur: atque etiam Cariath; pro quo, ut dixi, πόλεις, hic ſcriptum eſt. Quanquam non eſt hoc, fateor, ſatis firmum argumentum: dici enim poſſet, Euſebium in iis ſecutum eſſe alios interpretes, Aquilam, Symmachum, Theodotionem: quod tamen mihi non fit veriſimile; propter ſummam ipſorum LXXII. interpretum auctoritatem. Tantam enim apud veteres illos habuerunt venerationem, ut divinitus interpretati eſſe ſacras literas crederentur, neque interpretes modo; ſed vates fuiſſe exiſtimarentur. De qua re ſatis multa in Præfatione diximus.

CAP. XIX.

Cap. 19. Ver. 1. Scribendum eſt, trajectis verbis, & uno articulo addito, ὁ κλῆρος ὁ δεύτερος. Mox poſt nomen, Συμεὼν, eſt in mixta editione, cum aſteriſco, * τῇ φυλῇ↙· & deinceps adjungenda ſunt abſque aſteriſco inſuper hæc verba, υἱῶν Συμεὼν, κατὰ δήμους αὐτῶν. Ulterius mutandus eſt Pronominis numerus, & ſcribendum, κληρονομία αὐτῶν. Et paullo poſt ſcribendum eſt numero plurium, κλήρων. 2. Poſt verbum, ἐγενήθη, additum eſt in mixta Pronomen *αὐτοῖς↙. 3. Expungendum eſt illud, ϗ Βαθὺλ. Ibidem, pro, Ἀσὼμ, habent Complutenſes, Ἰασώμ· ſed male, ut opinor. Nam etiam in Paralipomenis locus iſte, Ἀσὼμ, vocatur a LXXII. interpretibus: ubi etiam non Βωλὰ, ſed Βαλὰ ſcriptum eſt: & quidem recte. 4 Pro Ἐλθουλὰδ, legit Syrus Ἐλουθλάδ. Apud Euſebium vero in libello De locis Hebraicis, eſt Elolad, ſed hoc fortaſſis corruptum a librario eſt. Quod ſi Hebraicam vocem repræſentare oporteat, dicendum ſit, Ἐλθωλὰδ, ſive, Ἐλθουλάδ: ut habent Complutenſes. Poſt hoc autem nomen, eſt omiſſum, in pervulgatis libris, unius urbis vocabulum, quod nuper, ut non ſuo loco poſitum, verſiculo tertio, expungebamus, nempe Βαθούλ. 5 Pro Σικελὰ, ſcribe Σικελάγ. Ulterius, pro Βαιθμὰρ, ϗ Χασβὰθ, repone, Βαὶθ, ϗ Ἀμαρχαβώθ· ſic enim etiam apud Euſebium iſta loca nominantur. Syrus tamen legit, Βαιθαμαρχαβὼθ, unico vocabulo; & recte, ſi Hebræum ſpectes: verum oportet urbium nomina tredecim eſſe: & unum, nempe, Saruhen, eſt a LXXII. aut ab ineptis emendatoribus, non ut loci nomen, ſed ut appellativum, redditum, οἱ ἀγροὶ αὐτῶν· cujus rationem explicavi in meis Commentariis. Ibidem, pro Ἀσερσουλὰ, ſcribe Ἀσερσουσίμ· ſic enim eſt in Paralipomenis, & apud Complutenſes. Cæteroqui pro Hebræo, rectius dicatur Ἀσερσουσά· atq; haud ſcio, an non ſic ſcribendum hoc loco ſit. 6 Pro, Βιβλαβὰθ, ſcribe Βηθλαβαώθ. 7 Quod habent vulgati libri, ὁμοῦ φυλαὶ αἱ Συμεὼν δεκαεπτά, id prorſus eſt expungendum. 8 Verſus initium mancum eſt: nam ultima verba verſus ſeptimi ſunt, αἱ κῶμαι αὐτῶν. Poſt ea igitur ſic inchoandus eſt verſus octavus, ϗ * πᾶσαι↙ αἱ ἐπαύλεις, αἱ περικύκλῳ &c: ſed univerſitatis nota, ut aliena, notari debet ſtella appoſita. Eodem verſu, pro Βαλὲθ, ſcribe Βαλάθ. Porro illa, ÷ πορευομένων Ἰαμὶθ↙, debent obelo confodi. Complutenſes illud, Ἰαμιὲθ, omittunt: idque mihi placeret, niſi Syrus legiſſet. 10 Cum dicitur, ϗ ἔσται τὰ ὅρια, in bonis libris abeſt copula: verum quando in Hebræo habetur, cenſeo eſſe adſcribendam: præſertim cum Syrus notet per hypolimniſcum in uno aut altero antigrapho eſſe, ϗ ἦν τὸ ὅριον τῆς &c. 11 Initium ſuggeritur in editione mixta, hujuſmodi, * ϗ προσαναβαίνει↙ τὰ ὅρια αὐτῶν &c. Ibidem pro, ἡ θάλασσα, ſcribendum eſt, εἰς θάλασσαν. Ibidem, pro Μαιλλὰ, ſcribe Μαραλά: & pro Δαβαθαὶ, Δαβασάθ. Eſt quidem in libello De locis Euſebii, ut nunc habetur, Dasbath: verum mendoſe, ut opinor, pro Dabaſath. Poſt hoc nomen continuo ſuggeritur in mixta, * ϗ ἀπαντήσει↙ εἰς τὴν φάραγγα &c. 12 Pro ἀναστρέψει, ſcribe, ἀνέστρεψαν. Et pro Σελα, legit Syrus, & habet Vatican', Βηθσαμές· at Complutenſes omittunt illud Βὴθ; &, ut exiſtimo, recte. Nam apud Euſebium Sames dicta eſt urbs Zabulonitarum, non, Bethſames: quanquam Sames revera non ſit loci nomen, ſed Solem ſignificet in Hebræo; ut certe hic uſurpatur. Mox, ſcribendum eſt, Χασελώθ, ablata litera, α, ab initio: & pro Ἀφιὲ, Ἰαφιέ. 13 Pro ἐπὶ ἀνατολὰς, ſcribe, ἀπὸ ἀνατολῶν, quamvis altera ſcriptura ſit Hebræo congruentior. Ibidem, pro Γεθθαεφθὰ, ſcribe, Γεθθαιφέρ. Mox, cum eſt in antigraphis vulgatis, ἐπὶ πόλιν Κασὶμ, expungendum eſt illud, ἐπὶ πόλιν, & ſcribendum Θακασίν. Nam mendoſe habent Complutenſes, Κεσὶν, pro Κασίν. Ulterius, pro Ἀμμαθαρεοὺ Δριννὰ, ſcribe Ἀμμαθὰρ Ἀνουά. 14 Scribe initium his verbis, ϗ περιελεύσεται τὰ ὅρια ἐπὶ βορρᾶ, ἐπὶ Ἀναθὼν, ϗ ἔσται &c. 15 Pro Νααλὼθ, repone Νααλώλ. Hujus verſiculi finis cæteroqui omiſſus, ſuggeritur ex editione mixta per aſteriſcum, ſic, * πόλεις δώδεκα, ϗ αἱ κῶμαι αὐτῶν↙. 16 Illud, τῆς φυλῆς, jugulandum obelo eſt. Mox pro αἱ πόλεις αὐτῶν, ſcribe, αἱ πόλεις αὗται. 17 Copula in ipſo initio juguletur obelo. Mox vero illa verba, * τοῖς υἱοῖς Ἰσαχὰρ κατὰ συγγενείας αὐτῶν↙, habeant adſcriptam ſtellulam. 19 Pro, Ἀφεραείμ dicendum eſt Ἀφεραΐμ & expungendum eſt illud, Ῥενάθ. 20 Pro Ἀαμὲ, ſcribe Αἰμές. 21 Pro Ῥαμαῒ, ſcribe Ῥαθώμ, aut, ut quidam habent, Ῥεθώμ. 22 Præpoſitio ἐπὶ, cum dicitur, ἐπὶ Σασιμὰ, & illud, κατὰ θάλασσαν, ſunt jugulanda obeliſcis. Dum autem ſequitur Βαιθσμὰς, menda eſt librarii, debetque ſcribi, Βαιθσαμύς. Hujus verſiculi finis ex mixta ſuggeritur per aſteriſcum, his verbis, *πόλεις ἑξκαίδεκα, ϗ αἱ κῶμαι αὐτῶν. 23 Poſt illa verba, δήμοις αὐτῶν, ſcribe, αἱ πόλεις, ϗ αἱ ἐπαύλεις αὐτῶν, expuncta copula, & ſublato illo, ϗ αἱ κῶμαι. 24 Poſt illud, ὁ πέμπτος, ſuppletur locus verbis aliquot ex mixta editione ſuggeſtis: ſic * τῇ φυλῇ τῶν υἱῶν↙ Ἀσὴρ &c. 26 Cum dicitur, ϗ Λαβανὰθ, eſt jugulanda copula obeliſco. 27 Habent Complutenſes, & legit Syrus, ἡλίου ϗ Βηθδαγὼν, interpoſita copula: verum, ut ego puto, mendoſe: neque enim ea in Hebræo eſt: neque ad ſententiam ullam utilis eſſe videtur. Si tamen adſcribenda eſt, debet obeliſco notari. Deinceps multa ſunt expungenda, quæ in pervulgatis libris habentur. Eſt enim poſt illud, Βηθδαγὼν, ſic ſcribendum, ϗ συνάψει τῷ Ζαβουλὼν, ϗ ἐν Γαὶ Ἰεφθαὴλ, κατὰ βορρᾶν, Βηθαεμὲκ, ÷ ϗ πορεύσεται τὸ μεθόριον↙ ϗ ÷ εἰς↙ Ἀνιήλ· ϗ διελεύσεται &c. In quibus verbis, illa clauſula, ϗ πορεύσεται τὸ μεθόριον, eſt jugulanda obeliſco: atque etiam ſequens Præpoſitio εἰς. Complutenſes omiſerunt illa verba, τὸ μεθόριον: ſed lecta ſunt a Syro. 28 Pro Ἀχσεὰν, ſcribe, Ἀχεάν, ablato Sigma: in quo nomine legerunt interpretes literam Caph, pro Beth. Ibidem, pro Καναὶ, ſcribe Κανὰ, aut per diphthongum, Καναί. 29 Pro Σωσὰ, ſcribe Ὡσά. Ulterius, ſcribe, ἡ διέξοδος αὐτῶν. Ulterius, juguletur copula obelo, cum dicitur, ϗ ἀπὸ τοῦ χοινίσματος. 30 Verba illa, πόλεις εἴκοσι δύο, notanda ſunt aſteriſco, & ad ea adjungenda, cum ſimili nota, etiam hæc, * ϗ αἱ κῶμαι αὐτῶν↙. 32 Poſt illud, ἕκτος, ſunt ſuggeſta in editione mixta hæc verba, *τοῖς υἱοῖς Νεφθαλείμ, κατὰ δήμους αὐτῶν↙. 33 Pro Μηλὼμ ϗ Βεσενανείμ, legit Syrus, ἀπὸ δρυὸς Σενανείμ, & recte ſane, ſi Hebraica verba interpretari velis: verum, quantum ex Euſebii verbis, quæ in libello De locis Hebraicis ſunt, apparet; legit ille hunc locum ſic, Μεηλὼφ, ϗ Ἠλὼν Σεενανείμ. Sed copula ſignanda eſt obelo. Vide de his, quæ in Commentariis ſunt a nobis dicta. Ulterius, pro Ἀρμαὶ, ſcribe, Ἀδαμαί & cum ſequitur, ÷ ϗ↙ Νακὲβ, jugula Conjunctionem obelo. Pro Ἰαβνὴ, ſcribe, Ἰαβνὴλ, addito Lambda: & pro Λακκὼν, Λακούμ. 34 Pro κατὰ θάλασσαν, legit Syrus, ἀπὸ θαλάσσης· at ego nihil mutandum cenſeo. Nam illud approbatur ab Euſebio, in libello De locis Hebr. cum nomen Icoc explicat: dicit enim, ad Occidentem. Cum porro deinceps eſt in libris vulgatis, ϗ ὁ Ἰορδάνης &c. ſuppletur locus ex Theodotione in mixta ſic, ϗ* τῷ Ἰούδα↙ ὁ Ἰορδάνης &c. 35 Illud, τῶν Τυρίων, non eſt a Syro lectum: quare cenſeo eſſe expungendum; præſertim ſi Nomen Ἀσηδδείμ retinetur; ut certe Euſebius retinuit; quem ego ſequendum eſſe puto. Quidam enim libri, hoc repudiant, illud vero retinent. Ego ſane conjectura auguror hominem aliquem audacem, qui pro הצדים, hoc eſt, Ἀσηδδείμ, male oculatus, legit הצרים, Reſch pro Daleth, hujus interpretationem in margine adſcripſiſſe, Τυρίων· atque ita textum ipſum eſſe vitiatum tandem a librariis imperitis. 37 Pro, πηγαὶ Ἀσὼρ, eſt in bonis libris Ἦν Ἀσώρ; & eam ſcripturam probat etiam Euſebius. Syrus tamen, per limniſcum, monet, eſſe exemplaria, quæ habent πηγὴ Ἀσώρ. Eſt autem ἦν, hoc eſt עין Hebræis idem quod Græcis πηγή. 38 Pro Ἐρὼν, ſcribe Ἰερὼν, & pro Ὡρεὰν, Ὡρεάμ. Pro Θασμοὺς, Βηθσαμύς. Illud autem quod deinceps eſt, πόλεις δεκαεννέα, debet ſignari aſteriſco appoſito, tanquam ſuggeſtum ex aliis interpretibus; atq; inſuper addi ex iiſdem interpretibus, * ϗ αἱ ἐπαύλεις αὐτῶν↙. 39 Poſt illud, υἱῶν Νεφθαλείμ, ſuppleri debent ex editione mixta hæc verba, * κατὰ τὰς συγγενείας αὐτῶν↙. Deinde addi inſuper, abſque aſteriſci nota, hæc: αἱ πόλεις, ϗ αἱ ἐπαύλεις αὐτῶν. 40 Cum dicitur initio, ϗ τῷ Δὰν, eſt copula obelo ſignanda. Syrus, per limniſcum, oſtendit in quibuſdam libris eſſe, ÷ ϗ↙ τῇ φυλῇ υἱῶν Δάν· & hanc ſcripturam ſecuti ſunt Complutenſes: debet autem, poſt nomen, Δὰν, adſcribi, κατὰ δήμους αὐτῶν· deinceps vero ſequitur, quod vulgati libri habent, ἐξῆλθεν ὁ κλῆρος &c. 41 Poſt illud, τὰ ὅρια, ſuggeritur in mixta, * τῆς κληρονομίας↙ αὐτῶν &c. Ulterius, cum dicitur, ϗ πόλεις Σαμὲς; neque Syrus, neque Complutenſes copulam legerunt: quaſi videlicet Saraa, & Eſthaol, urbes Solis fuerint: verum ſi, quod in Hebræo eſt, repræſentare velis, ſcribendum eſt, ϗ πόλις Σαμὲς, ſervata copula, & urbis vocabulo poſito numero ſingulari, ut eſt in Complutenſium libris: certe etiam Euſebius urbem Sames attribuit Danitis. 42. Pro Ἰβλαὼν, ſcribe, Αἰλών· eſt tamen in Hebræo, Ajalon. 43. Pro Αἰλὼν, ſcribe, Ἰλαὼν, trajectis literis: ſic enim locus ille vocatur apud Euſebium, & ſic habent Complutenſes. 46. Illud, ϗ ἀπὸ θαλάσσης Ἱερακῶν, eſſe quidem in quibuſdam libris, notat Syrus. Ipſe tamen reddidit, ϗ ὕδατα Ἱερακῶν· atque hic omiſſum aliud nomen, ſuggeritur in mixta editione per ſtellulam; nempe, * ϗ Αἰρεκκὼν↙, ὅριον &c. Porro deinceps perturbatus

CAP. XXIII v. 17. *Scortator*] In Hebræo קדש, *meretorius, catamitus*, Græcè πορνεύων. Hîc *LXX* addunt, οὐκ ἔσται τελεσφόρος ἀπὸ θυγατέρων Ισραὴλ, καὶ οὐκ ἔσται τελισκόμενος ἀπὸ υἱῶν Ισραήλ. Quod nec in Hebræo eſt, nec in Latino.

CAP. XXIV. v. 11. *Et ille tibi proferat quod habuerit*] *Quod habuerit* non eſt in Hebræo, aut in *LXX*, ſed pro eo, *pignus foras.* 21 *non colliges remanentes racemos*] Hebr. *ne racemato*: LXX, οὐκ ἐπανατρυγήσῃς. Aquila, οὐκ ἐπιφυλλίσεις.

CAP. XXV. v. 12. *Nec flectaris ſuper eam ullâ miſericordiâ*] LXX, *non parcet oculus tuus ſuper eam.* In Hebræo *ſuper eam* deeſt.

CAP. XXXII. v. 2. *Concreſcat ut pluvia*] Legit יערף, ut Maſoretæ. At Chaldæus, & Græci, יערב, *grata ſit*, προσδοκάσθω. 8 *filiorum Iſrael*] *LXX* pro ישראל, tribus literis omiſſis, legere אל, quod vertitur, *angelorum Dei.* 10 *Invenit eum in terra deſerta*] Sic & Aquila, & Theodotio. At *LXX*, αὐτάρκησεν αὐτὸν, *neceſſaria tribuit ei.* Ita etiam Chaldæus.

CAP. XXXIII. v. 12. *Quaſi in thalamo tota die morabitur*] Legit non חפף, *protexit*: ſed חפה. At Græci legerunt ut Maſoretæ, ὁ θεὸς σκιάζει ἐπ᾽ αὐτῷ. 17 *cornua rhinocerotis*] Hebr. *monocerotis*, & ſic *LXX.* Et Syris & Arabibus רים *monoceros*; ut Hebræis ראם. 25 *Sicut dies juventutis tuæ, ita & ſenectus tua*] Sumpſit nempe דבא pro זבא à זוב, quod eſt *fluo.* Dies fluxus, ſunt ſenectus. *LXX*, ὡς αἱ ἡμέραι σου ἡ ἰσχύς σου. Congruit hoc Hebræo quod habemus. Alii legerunt דבריך fama tua. Alii, דבעך pro זבעך, *colores tui.* Optima eſt interpretatio Græca. 27 *Habitaculum ejus ſurſum*] Hebr. *Protectio ut Deus ſempiternus.* *LXX*, καὶ σκεπάσει σε θεοῦ ἀρχὴ, *& teget te Dei Principatus*, אלהי קדם, non θεοῦ ἀρχὴ, ſed θεὸς ἀρχῆς, quomodo fortè ſcripſerunt *LXX.* vox קדם vertitur πρὸ αἰώνων, Pſal. 55. 22. & alibi.

AD JOSUEN.

CAP. I v. 1. *Joſue filium Nun*] *LXX*, Ιησοῦ υἱὸν ναυῆ· ναυῆ videtur ſcribarum eſſe vitium pro ναυν.

CAP. VIII v. 12. *Bethel*] Sic & Hebræi libri quibus utimur. At Orientales libri בית־און: Et Græci quidam codices Βηθαυν. Et ubi in Hoſ. 4. 15 eſt *Bethaven*, Jonathan poſuit *Bethel.* ut eſt etiam in Amos 5. 5. *Bethel.* 9 *ex occidentali parte ejuſdem civitatis*] Ex Hebræo quo utimur in quo לעיר. At Orientales Codices לעי, ut ſupra 9. Sic & Græci quidam, ἀπὸ τῆς θαλάσσης τῆς γαί. Nec aliter hic Chaldæus. At *LXX.* omittunt γαί. Et marginalis Maſoreticus pro לעיר habet לעי. 32 *Deuteronomium legis*] Hebræi, *in exemplum legis.* In *LXX* deſunt omnia à verſu 29 ad finem capitis.

CAP. X. v. 13. *in libro juſtorum*] Hebr. *in libro recti.* In *LXX* deeſt hæc clauſula: videtur poema aliquod fuiſſe ἐπινίκιον in quo ישראל contractè ישר dicebatur, quaſi cæteris gentibus æquitate præſtans.

CAP. XIII. v. 3. *A fluvio turbido qui irrigat Ægyptum*] Heb. *A Sichor qui eſt ante* (vel *ſupra*) *Ægyptum.* At *LXX* pro שיחור videntur legiſſe שאין, vertunt enim ἀπὸ τῆς ἀοικήτου τῆς κατὰ πρόσωπον Αἰγύπτου, *ab inhabitata quæ ad faciem Ægypti.* 4 *Ad meridiem vero ſunt Hevæi*] Bene illud quidem והעוים trahit ad novam periodum, contra quam habet Hebræa diſtinctio, quæ cum præmiſiſſet ſe quinque numeraturam, numerat ſex.

CAP. XIX. v. 2 *Et Sabee*] שבע in Hebræo nunc legitur: ſed שמע legiſſe *LXX* apparet, qui vertunt σαμαά. Et שמע hic locus vocatur ſupra 15. 26. ubi in Græco malè σαλμαὰ ſcribitur pro σαμαά. Videtur idem eſſe locus qui Nehem. 11. 26. ſcribitur ישוע ubi forte fuerit ישמע præpoſita ad vocem litera י, ut ſupra 16. 3. & alibi.

CAP. XXI. v. 36. *De tribu Ruben*] Duo hæc commata in antiquiſſimis Hebræorum Codicibus non fuere: itaque nec Maſora hos numerat. Quare adjecti videntur ex Paralipomenis ut cenſet Kimchi; unde venere in verſiones Græcam, Syram, Latinam, & in Chaldaicorum codicum quoſdam: Reperiuntur enim & in libris quibuſdam voces paulum mutatæ, ut מנרשיה pro מנרשה, item קדמת, aut קדימת pro קדמות.

CAP. XXII. v. 2. *Feciſtis omnia*] ex Hebræo, שמרתם. At שמעתם legêre Græci; vertunt enim ἀκηκόατε *audiſtis omnia.*

CAP. XXIV. v. 11. *pugnaveruntque contra vos*] Sic & Hebræus textus. Græci, ἐπολέμησαν πρὸς ἡμᾶς, *bellaverunt contra nos.* 30 *Thamnathſare*, Jud. 2. 9. idem dicitur *Timnathcheres* in altero horum locorum literæ ſunt tranſpoſitæ. Latinus utrobique *Thamnathſare.* Græci codices variant.

IN LIBRUM JUDICUM.

CAP. I. v. 16. *Cinæi*] Chaldæus שלמי & hîc, & Gen. 15. 19. & alibi.

CAP. X. v. 16. *Qui doluit ſuper miſeriis eorum*] *LXX* proximè ad Hebræum,

bræum, ὠλιγώθη ἡ ψυχὴ αὐτοῦ ἐν κόπῳ Ἰσραήλ. Hoc ut malè ſonans omiſit Jonathan. Maimonides vult hic ב poni pro מ in voce בעמל, ut Lev. 8.32. & 25.52.

CAP. XVIII. v. 30 *Filii Moyſi*] Legit interpres משה non מנשה, ut Hebræi codices habent, ſed emendatiores Nun ſuſpenſo, quo Maſoretæ indicarunt hanc literam eſſe παρένθετον. *Gerſamus Moſis filius.* Exod. 18. 2. 1 Paralip. 26 24.

CAP. XIX v. 2. *Quæ reliquit eum*] Sic *LXX*. Quidam Græci codices habent ὠργίσθη αὐτῷ, *irata eſt ei.* In Hebræo eſt, *Scortata eſt cum eo* à זנה. Priores videntur legiſſe à זנח.

AD LIB. I. SAMUELIS.

CAP. I. v. 11. *Domine exercituum*] In Hebræo יהוה צבאות. At plus videtur fuiſſe in codicibus aliis. Nam *LXX* vertunt κύριε ἐλωὲ σαβαώθ. 16 *de filiabus Belial*] Hebr. *nequam. LXX* λοιμὴν in *ebriam.* Theodotio τῶν ἀπαιδεύτων. Græci modo vertunt παράνομοι, modo ἀσεβεῖς, modo ἄφρονες.

CAP. II. v. 32. *Et videbis æmulum tuum in Templo*] Hebr. *oppreſſorem in Sanctuario*, ſeu *anguſtiam habitaculi. LXX* hic multum variant.

CAP. III. v. 13. *noverat indigne agere filios ſuos*] In Hebræo eſt, מקללים להם ſed notant Hebræi pro להם olim fuiſſe לי: & ſic legerunt *LXX*, vertunt enim ὅτι κακολογοῦντες τὸν θεὸν οἱ υἱοὶ αὐτοῦ. 21 *juxta verbum Domini*] Hebr. *in verbo Domini.* Hic adduntur quædam à *LXX*.

CAP. V. v. 6. *in ſecretiori parte natium*] In Hebræo ſcribitur עפלים, legitur טחרים: ut & Deut. 28. 27. Quibus locis *LXX* εἰς τὴν ἕδραν, & εἰς τὰς ἕδρας. Symmachus, περι λύθησαν αὐτῶν αἱ ἕδραι. Aquila, referente Theodoreto, φαγέδαιναν putat. 9 *Et computreſcebant prominentes extales eorum*] In Hebræo ſenſus videtur eſſe, *Et ante ignotæ illis fuerant mariſcæ*, vel, *occultæ invaleſcebant in eos hæmorrhoides.* LXX hic multum variant.

CAP. VI. v. 18. *Uſque ad Abel magnum*] Legitur nunc in Hebræo אבל: ſed *LXX* legerunt אבן, vertunt enim λίθον. Et ſic etiam Tremellius.

CAP. X. v. 19. *Et dixiſtis, Nequaquam*] Apparet hunc interpretem pro לו legiſſe לא quomodo legerunt & *LXX*, & Aben Eſdra.

CAP. XIII. v. 5. *triginta millia curruum*] Nimium hoc præ numero equitum qui ſequitur. Itaque ſunt qui poſtremas duas literas abjiciendas cenſent, ut ſint *tria millia* שלש אלף.

CAP. XVII. v. 12. *Grandævus inter viros*] Multa hic deſunt in *LXX*. At non in Latino. Pro באנשים libri quidam habent verbum בשנים, quod non malè loco convenit. *Et prophetabat*] Chaldæus, *inſaniebat.*

CAP. XXV. 6. *Sit fratribus meis & tibi pax*] Legit hîc interpres לאחי. At noſtrum Hebræum habet לחי, quod Græci vertunt εἰς ὥρας, *in horas.*

CAP. XXVI. v. 5. *dormientem in tentoriis*] LXX, ἐν λαμπήνῃ. Hebraicè, *in ambitu plauſtrorum. Lampene* vocatur currus regius.

CAP. XXVIII. v. 6. *habentem Pythonem*] LXX, ἐγγαστρίμυθον.

CAP. XXXI. v. 3. *& vulneratus eſt vehementer a ſagittariis*] Hebr. *timuitque valde a ſagittariis.* LXX, εἰς τὰ ὑποχόνδρια. Theodotio, εἰς τὸ μέρος ἐγγὺς τοῦ ἥπατος. Quomodo legerint, quæramus.

AD LIB. II. SAMUELIS.

CAP. I. v. 19. *Inclyti*] הצבי, *decor.* At *LXX* legêre צב à יצב: vertunt enim illi στήλωσον. Aquila, ἀκρίβασον.

CAP. II. v. 23. *in inguine*] Hebr. *ad quintam*, ſcilicet *coſtam. LXX* ἐπὶ τὴν ψόαν.

CAP. III. v. 29. *& tenens fuſum*] imò ſcipionem. *LXX*, κρατῶν σκυτάλης. Aquila *cæcum* explicat. Hebr. *qui nititur ſcipione.*

CAP. V. v. 23. *ex adverſo Pyrorum*] Plures *moros* interpretantur. *LXX*, *prope plorationem*, legentes א pro ה transferentes hîc τοῦ κλαυθμῶνος.

CAP. VI. v. 1. *triginta millia*] *LXX*, *ſeptuaginta millia* ponunt. Vera lectio videtur eſſe *tercenta millia* quo nos trahit c. 12. cum initio capitis ſequentis. Paralip. 1. Hebr. *triginta millia.* 2 *Super quam* &c.] Bis hîc in Hebræo eſt שם, ſed priore loco fortè fuerit שָׁם *ibi.*

CAP. VII. v. 21. *Propter verbum tuum*] At in Paralip. 17. ubi cætera eadem, eſt *propter ſervum tuum.* Quomodo & hîc legêrunt in libris ſuis *LXX*, vertunt enim διὰ τὸν δοῦλόν σου.

CAP. VIII. v. 1. *frænum tributi*] In Hebræo eſt *frænum Ama.* LXX, τὴν ἀφωρισμένην, *ſeparatam.* 4 *mille ſeptingentis equitibus*] *LXX*, χίλια ἅρματα, καὶ ἑπτὰ χιλιάδας ἱππέων, quomodo eſt in 1 Paralip. 18. 3. Jam olim variavit numerorum Scriptura.

CAP. X. v. 18. *Septingentos currus*] Rectius 1 Paralip. 19. 18. *ſeptem millia curruum.* Error numeri hîc commiſſus ab exſcriptoribus. *Sobach*] At 1 Paralip. 19. 18. *Sophath.* Utrum rectius non dixerim. Ea variatio eſt in Hebræo.

CAP. XIII. v. 18. *talari tunica*] In Hebræo eſt פסים. פסם, & *particulam* ſignificat, & *volam* quæ pars manus. Hinc quidam verterunt *variam* i. e. πολύμιτον, *verſicolorem*: quidam *manuleatam*, quam Græci & hîc Symmachus ita verterat, dixêre χειριδωτόν. *LXX*, & Aquila hîc καρπωτὸν, *intextam fructibus.* 21 *& noluit*, &c.] Reſiduum hujus verſus eſt in Græco & Latino: ſed non in Hebræo.

CAP. XIV. v. 17. *ut fiat verbum*] Potius optantis eſt ut *LXX* ſumpſere, εἴη δὴ, non εἰ ἤδη, ut vulgo legitur.

CAP. XV. v. 7. *Poſt quadraginta autem annos*] Haud dubius hîc error Scripturæ additis ad vocem ארבע literis duabus. Quatuor enim anni interceſſerunt; ſic Joſephus & Theodoretus; & hoc verum eſſe res ipſa loquitur.

CAP. XVI. v. 12. *Si forte reſpiciat Dominus afflictionem meam*] Legit בעוני, ut & *LXX*. Libri alii habent בעני: i. e. *in oculum meum.* Sed notant Hebræi fuiſſe olim בענו, ut dicatur, *ſi forte reſpiciat Dominus in oculum ſuum.* i. e. ad ſe redeat: mutatum hoc quia videbatur ſonare durius.

CAP. XVII. v. 19 *quaſi ſiccans ptiſanas*] Hebr. *& expandiſſet ſuper illud molam.* Hebræam vocem הרפות, ut obſcuram *LXX* hic reliquerunt. 20 *guſtata paululum aqua*] Legit hic interpres מאכל. At Græci מיכל. Nam quod nunc in Hebræo habemus מיכל pro *rivo* nuſquam alibi comparet. 25 *Jetra de Jeſraeli*] Una litera mutata videtur hic olim fuiſſe poſitum ישמעלי, ut 1 Paralip. 2. 17.

CAP. XXIV. v. 7. *Tranſierunt prope mænia Tyri*] LXX, *& venerunt in Mapſar Tyri.* Quod eodem modo reſtituendum in Græco Joſh. 19. 20. quo loco Græci pro עיר male videntur legiſſe עין & copula in Græco abundat. 13 *aut ſeptem annis*] At *LXX tres*, quomodo in Hebræo, 1 Paralip. 21. 12. Videntur numeri olim per notas ſcripti, ut & apud gentes alias; & inde facilis mutatio.

AD LIB. I. REGUM.

CAP. I. v. 18. *Te mi Domine*] Tam interpres hic, quam LXX legerunt אתה, ubi nunc in Hebræo legimus עתה.

CAP. XII. v. 16. *Vade in tabernacula tua Iſrael*] Olim legebatur לאלהיך *ad Deos tuos*, vel *ad Deum tuum.*

CAP. XIV. v. 1. *In tempore illo*, &c.] Tota hæc hiſtoria uſque ad comma 21. non eſt in *LXX*. 21 *Quadraginta*] Putant viri docti errorem eſſe numeri, & ſcriptum fuiſſe *viginti*; afferuntque in argumentum ſuæ ſententiæ, cap. 3. 7. 1 Paralip. 22. 5. & 10 8. & 11. 17.

CAP. XV. v. 21. *reverſus eſt in Therſa*] Sic & *LXX* mutatis punctis, ut ſit à שוב, non à ישב.

CAP. XX. v. 1. *Benhadad*] LXX, *filius Adar.* Hoc caput apud LXX eſt 21. Et caput 21. apud eos eſt noſtrum 20.

CAP. XXI. v. 20. *Num inveniſti me inimicum tibi*] Legit אויבך: non ut nos in Hebræo legimus אויבי. *LXX* conſentiunt cum Hebræo.

CAP. XXII v. 48. *non erat nunc Rex*] Addi debet ex Hebræo, *ſed Prorex.* Quatuor hic verſus deſunt in *LXX*.

AD LIB. II. REGUM.

CAP. VI. v. 25. *Et quarta pars cabi ſtercoris columbarum*] Ex Græco. In Hebræo textu hic eſt חריונים, ſed quia ea vox longo uſu facta eſt ſpurcior legitur pro ea hic דביונים: & Eſaiæ 36. 12. pro ea צואתם.

CAP. VIII. 10. *Dic ei, ſanaberis*] Legit לו, ut Critici Hebræi notant in margine; non לא, ut eſt in textu. Sic & *LXX* ζωῇ ζήσῃ.

CAP. IX. v. 13. *In ſimilitudinem tribunalis*] Hebr. *ad os* ſive *oſſa graduum*, i. e. non faſtigio graduum. Hebræam vocem גרם, *Garem* ſervarunt *LXX*. 32 *Quæ eſt iſta?*] *LXX*, τίς εἶ σύ; Legerunt מי את. At nos in Hebræo habemus, מי אתי, *quis mecum?*

CAP. XI. v. 19. *Et Cherethi & Phelethi legiones*] Errore quodam hæ voces in hunc locum irrepſerunt. Nam in *LXX* eſt τὸν Χορρὶ, καὶ τὸν Ρασὶμ, retentis Hebræis vocibus. In Paralip. pro his vocibus aliæ ſunt.

CAP. XII. v. 13. *hydriæ*] *LXX*. θύραι ἀργυραῖ. At legendum videtur θυαί, i. e. *thuribula.* 17 *in Aphec*] Sic & LXX. Hebr *fortiter*, ſeu *in vehemente.*

CAP. XV. v. 1. *Anno* 27.] Viri valde docti putant erratum in numeris, nec plus ſcribendum quam 17. *Azarias*] Crediderim verum ejus nomen fuiſſe עזיה per dageſh. 8 *XXXVIII*] viri valde docti putant ſcriptum olim 28.

CAP. XVI. v. 6. *Et Idumæi venerunt in Ailam*] Legit ארומים *Idumæi*, ut & LXX. At verius eſt ארומים. Syri, ut habet Hebræus textus, & Joſephus. Non ſolent Reges potentes quæ ab hoſtibus ceperunt, iis reddere quorum olim fuerunt.

CAP. XVII. v. 34. *neque cuſtodiunt ceremonias ejus*] Illud *neque* eſt ex Hebræo quod nunc legitur אינם. Sed apparet LXX legiſſe איתם Chaldaico more, i. e. *ipſi.* Deinde bene verterunt הקתם, non *ceremonias ejus*, ſed *ſuas*, patrias ſc. & avitas. Et ſenſus ſane cum prioribus rectius ſic cohæret.

CAP. XVIII. v. 29. *de manu mea*] Legit מידי, ut habent Orientalium Judæorum libri, non מידו, ut noſtri & quibus uſi ſunt LXX. 34 *Ana & Ava*] Miror Symmachum *Ana & Ava*, quaſi verba eſſent, non propria nomina interpretatum.

AD LIB. I. CHRONICORUM.

CAP. VI. v. 28. *Vaſſeni & Abia*] Credibile eſt ſcriptum fuiſſe ושני אביה, *& ſecundus Abia*: Primogeniti nomen, quod fuit Joel 1 Sam. 8. 2. quia minus clarus fuit hic reticetur.

CAP. VII. 1 *Jaſub*] Sic nominatur & Num. 26. 23. Unde conjectura omiſſum per incuriam ש Gen. 46. 13.

I. PARALIP.

CAP. IX. v. 35. *Nomen uxoris*] Sic & LXX. Legerunt ergo non אחתו, ut nunc habent editi codices Hebræi, ſed אשתו. Nec deſunt libri Hebræi qui ſic habeant, ut dubitari non debeat quia multæ ſint lectiones diſcrepantes, etiam non annotatæ à Maſoretis.

CAP. XI. v. 25. *Ad auriculam ſuam*] LXX, ἐπὶ τὴν πατριὰν αὐτοῦ. Legerunt enim משפחתו. Viri pereruditi putant ſcriptum duabus literis mutatis משמרתו, *ſuper cuſtodiam ſuam.*

CAP. XIII. v. 9. *ad aream Chidon*] videtur hic כידון ſcriptum pro נכון, quod eſt 2 Sam. 6. 6. Abeſt hæc vox hic in Græcis.

CAP. XXIV. v. 6. *unam domum*, &c.] Græci Hebraico loquendi genere ſic exprimunt εἷς εἷς τῷ Ελεάζαρ, καὶ εἷς εἷς τῷ Ιθάμαρ, unde apparet legiſſe eos bis אחד אחד, pro quo nunc legitur prius אחז אחז, deinde אחז אחן, minus commodé. 27. *Filius quoque Merari Ozian & Soamar & Zachur & Hebri*] *LXX*, υἱοὶ αὐτοῦ Ισοὰμ καὶ Σακχοὺρ, καὶ ἀβαί. Sed has voces omnes errore quodam huc irrepſiſſe ſunt qui cenſent, ducti argumento loci. cap. 1S. 21, 22, 23.

II. PARALIP.

CAP. II. v. 16. *ratibus*] In Hebræo, רפסדות. Ex Græco, ῥαψωδία. Non Ezdræ tantum, ſed & Danielis temporibus; Græca quædam vocabula in Hebræum Chaldæumque ſermonem commercio penetraverunt.

CAP. VI. v. 42. *Ne averteris*] Aliæ editiones Latinæ *averſeris*, rectiús.

CAP. X. v. 16. *Rege duriora dicente*] Hebr. *Rege non audiente illos*; Quidam codices addunt, ראו ante כי, i. e. *cum videret populus ſe a rege non audiri*.

CAP. XIII. v. 2. *Michaia*] In Hebræo מיכיהו: ſed credibile eſt olim ſcriptum fuiſſe מעכה, quomodo eſt ſupra,& in libris Regum.

CAP. XV. v. 19. *ad trigeſimum quintum*] Quidam hic legunt *quintum annum*, ob id 1 R. 15. 16.

CAP. XVI. v. 1. *trigeſimo ſexto*] Alii legendum putant *viceſimo*. 14 *& unguentis meretriciis*] Putavit eſſe Maſculinum pro fœminino וזנות: ſed eſt vox Chaldæa, terminatione tantum Hebræa ſignificatque varia genera cujuſque rei.

CAP. XVII. v. 6. *etiam excelſa*] Legit ועוד, ut nunc habent Hebræi codices. Eruditi tamen viri exiſtimant ſcriptum hic olim fuiſſe ולא, ut conveniat hæc hiſtoria cum c. 20. 33. & 1 Reg. 22. 14.

CAP. XXII. v. 2. *quadraginta duorum*] Rectior lectio *LXX*, ἐτῶν εἴκοσι καὶ δύο. 6. *Ochozias*] Per errorem videtur hic in Hebræo irrepſiſſe עזריהו, pro אחזיהו. 10. *Et interfecit*] Vix eſt ut reperiatur hæc vox דבר pro *perdere*. Hinc quidam præferunt eos codices qui hic habuere ותאבד, quomodo 2 Reg. 11. 1.

CAP. XXIV. v. 24. *Ignominioſe*] Illud non eſt in Hebræo.

CAP. XXVIII. v. 15. *unxiſſentque propter laborem*] *Propter laborem* non eſt in Hebræo, aut in *LXX*. *qui & afflixit eum, & nullo reſiſtente vaſtavit*] Hebr. *anguſtia affecit eum*, non autem *confirmavit eum*. Eruditi putant על hic poſitum pro אל: præterea duas literas לא hic abundare, & verſu ſequente delendum eſſe לא.

AD LIB. ESDRÆ.

CAP. IV. v. 1.] Etiam hujus capitis commata ſex prima deſunt in *LXX*. 6. *In regno autem Aſſueri*] Editiones quædam Latinæ hic adjiciunt, *ipſe eſt Artaxerxes*. Sic in Eſtheræ libro *Ahaſuerus* eſt *Artaxerxes*, Græcis & Joſepho. 24 *Tunc intermiſſum*, &c.] Græci poſt hæc inſerunt ea quæ ſunt in libro Apocrypho, qui Eſdræ tertius dicitur. c. 3. Quæ & Joſephus habet.

AD LIB. NEHEMIÆ.

CAP. II. v. 13. *diſſipatum*] המ Hebræa vox habet hic literam מ qualis initio aut media voce ſcribi ſolet, poſitam in fine. Et ſic Eſa. 9. 17. Puto primi Scriptoris licentiam imitatos exſcriptores.

CAP. III v. 30. *poſt eum*] Quidam Hebræi codices habent hic & paulo poſt, ut & infra 4. 16. & 5. 16. אחרי, *poſt me*.

CAP. V. v. 15. *depreſſerunt*] Hebr. *prægravabant*. In Græco Sixtinæ editionis hic eſt ἐξεσίαζονται.

AD LIB. ESTHER.

LXX huic hiſtoriæ Somnium quoddam Mordochæi præmittunt quod non eſt in Latino aut Hebræo.

CAP. VII. v. 9. *Dixitque Harbona*] LXX, *Bugathan*. In Joſepho, σαβεχάδας· unde apparet quantum in nominibus Propriis variaverint codices.

CAP. IX. v. 6. *Extra* 10. *Filios Agagitæ, hoſtis Judæorum*] Mutavit interpres ordinem qui in Hebræo eſt, ubi nomina propria præcedunt, ſequitur id quod commune eſt. Plane in hoc libro major quam in aliis libris fuit interpretum libertas; forte & librorum in ſcribendo varietas.

AD LIB. JOB.

CAP. III. v. 5. *Et involvatur amaritudine*] Eruditi quidam putant hic poni כמרירי Reſh repetitâ pro כמרי: i. e. *ſacerdotes diei*, qui dierum fata diſtinguunt.

CAP. VII. v. 20. *Et factus ſum mihimetipſi gravis*] Hanc ſcripturam non eſſe illam antiquiſſimam etiam Maſoretæ fatentur. Vetuſtiſſima enim ſcriptio fuit non עלי, ſed עליך. unde LXX, εἰμὶ δὲ ἐπὶ σοὶ φορτίον, *ſum autem ſuper te onus*.

CAP. XIII. v. 10. *faciem ejus*] Legit פניך. Et ſic Chaldæus, Symmachus, Theodotion; quamvis in Hebræo hodierno ſit פנים.

CAP. XIV. v. 3. *eum tecum*] Legit אתו, ubi nos habemus אתי, *me tecum*. 19. *è alluvione paulatim terra conſumitur: & hominem ergo ſimiliter perdes*] Hebr. ſic, *inundatione abripis è pulvere terræ ſponte naſcentia ejus: ita ſpem mortalis perdis*.

CAP. XV. v. 20. *Cunctis diebus impius ſuperbit*] Melius LXX, πᾶς ὁ βίος ἀσεβοῦς ἐν φροντίδι· *omnis vita impii in ſolicitudine*. Ad verbum ex Hebræo, *totâ vitâ impius eſt* ἑαυτοντιμωρούμενος.

CAP. XVIII. v. 7. *Arctabuntur greſſus virtutis ejus*] At LXX pro יצרו legerunt יצדו θηρεύσαισαν, & pro צעדי legerunt צעדי, quod vertunt ἐλάχιστοι, minus commode.

CAP. XXIII. v. 2. *In amaritudine eſt ſermo meus*] מרי שחי. At *LXX* pro מרי legerunt מידי, ἐκ χειρός μου, *de manu mea eſt increpatio*. *manus plagæ meæ*] ſed pro ידי *LXX* legerunt ידו *manus ejus*. 7 *proponat æquitatem contra me*] Hebr. *Illic rectus diſputans cum eo*. Longè aliter hæc & alia legere *LXX*.

CAP. XXIV. v. 5. *Præparant panem liberis*] In Hebræo eſt *ſolitudo ei alimentum liberis*, ſed & *LXX*, & Symmachus aliis vocalibus legerunt ערבה: vertunt enim ἡδὺς & ἡδυώθη. 6. *agrum non ſuum demetunt*] Pro בלילו, quod vertitur *pabulum ejus*, legit diviſis vocibus בלי לו. Nec aliter Chaldæus, & LXX. Ita & de hac lectione quin ſit verior, dubitandum non arbitror.

CAP. XXVII. v. 19. *Dives cum dormierit, nihil ſecum auferet*] LXX, καὶ οὐ προσθήσει. Sed legendum videtur, προσθήσεται.

CAP. XXVIII. verſ. 17. *vel vitrum*] Sic & *LXX*, & Chald. Alii Græci ponunt κρύσταλλος. 18. *excelſa & eminentia*] Hebr. *Sandaſtri* aut *unionis*. Pro *Sandaſtro* quidam transferunt *coralia*. Pro *unione carbunculum*, ſive *Pyropum*. In vetere dicto Latino eſt, *Probitas eſt carbunculus*.

CAP. XXXII. v. 3. *condemnaſſent Job*] Sic emendarunt legis periti, poſueruntque את איוב, cum olim legeretur יהוה. 6 *idcirco demiſſo capite veritus ſum*] In textu, *expavi & timui*. In Chaldæo רחל eſt *timere*. Literæ autem ר & ז ſunt affines, faciléque inter ſe commutantur.

CAP. XXXVI. v. 11. *Complebunt dies ſuos in bono*] Sic & *LXX* legerunt ut nos, יכלו non male, quanquam alii codices habent יבלו: i.e. *vetuſtiſſent dies eorum*.

CAP. XXXVII. v. 9. *Ab Arcturo frigus*] Ab *Arcto* puto ſcripſiſſe interpretem. Græci quidam retinent ipſam vocem μαζούρ, & infra 38. 38. μαζουρώθ.

CAP. XLI. v. 3. *Non parcam ei, & verbis potentibus, & ad deprecandum propoſitis*] Eſt hic חין pro חן quia Jod antiquitus etiam pro tſere ſcribebatur.

AD LIB. PSALMORUM.

PSA. IV. v. 3. *gravi corde*] Sic & *LXX*. Apparet eos legiſſe in Hebræo כבדך *aggravatio veſtra*. Sic & Chaldæus hic. Hebr. *Quouſque gloriam meam in dedecus?* 5. *Iraſcimini & ne peccate*] Poteſt verti, *Iraſcimini, at ne peccate*. Ita רגזו ſcribendum erit cum punctis Indicativi.

PSA. V. v. 9. *dirige in conſpectu tuo vitam meam*] Legit לפניך דרכי, ut & *LXX*. In noſtro Hebræo eſt לפני דרכך. Ego illud præferam.

PSA. VII. v. 8. *Et exurge Jehova Deus meus*] Legit hic אלי cum chiric, non patach ſub Lamed. *LXX* quoque ſic legerunt. Nec aliter Syrus, aut Arabs.

PSA. XI. v. 1. *tranſmigra in montem velut paſſer*] Latinus hic & *LXX* legerunt נודו הר כצפור: non ut nos nunc legimus נודו הרכם צפור.

PSA. XIV. v. 3. *non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum*] Hic quæ inveniuntur Rom. 3. 13.-18. in quoſdam codices Græcos, item Latinos, Arabicos, Æthiopicos inſerta ſunt.

PSA. XV. v. 3. *opprobrium*] Syrus pro חרפה legit hic חרמה, *anathema*.

PSA. XVI. *Tituli inſcriptio*] Latinus, & *LXX* legerunt hic מכתב non ut nos מכתם. 9. *Lingua mea*] Ex LXX, qui videntur pro כבודי legiſſe non levi differentia לשני, quomodo & Lucas Act. 2. 26. 10. *ſanctum tuum*] חסידיך. In hac voce Hebræa poſt ד abundat י, quod et Scheva præcedens oſtendit.

PSA. XVII. v. 14. *Saturati ſunt filiis*] Hic in LXX vitio ſcriptorum, factum eſt ut pro υἱῶν irreperet ὑῶν aut ὑείων, quod & in Arabicum, & in Romanum Pſalterium fluxit. Eſtque ejus corruptæ lectionis apud Arnobium, Paulinum, & Auguſtinum mentio.

PSA. XVIII. v. 11. *& aſcendit ſuper Cherubim*] Videtur olim pro כרוב ſcriptum fuiſſe רכוב quod *currum* ſignificat: ut in loco perſimili, Pſal. 104. 3. 35 *& poſuiſti*] Ex *LXX*. Legerunt nimirum נחת, non ut nos nunc, נחתה.

PSA. XIX. v. 5. *ſonus eorum*] Apparet olim duplicem fuiſſe lectionem, קום quod nunc in Hebræo habetur, unde ὁ κανών, apud Aquilam; & קולם, unde *LXX* poſuere ὁ φθόγγος αὐτῶν. Quos ſequitur Paulus, Rom. 10. 8, quomodo & hîc Syrus, & Arabs, & Chryſoſtomus.

PSA. XX. v. 10. *exaudi nos*] Legerunt תעננו, non ut noſtri codices Hebræi habent יעננו.

PS. XXII. v. 1. *Pro ſuſceptione matutina*] *Lxx*, ὑπὲρ τῆς ἀντιλήψεως τῆς ἑωθινῆς. i. ad implorandũ manè Dei auxilium. Videntur *LXX* pro eo quod habemus אילת legiſſe עזרת. 2. *delictorum meorũ*] Apparet hinc *LXX* legiſſe שגגתי. At rectius eſt in hodierno textu שאגתי, quod Aquila vertit τοῦ βρυχήματός μου, Symmachus, τῶν ὀδυρμῶν μου. Alii, τῆς βοήσεώς μου· alii τῆς δεήσεώς μου. 18 *foderunt manus meas, & pedes meos*] Hic duplex antiquitus lectio. Utramque Chaldæus conjunxit. Hebræi teſtantur fuiſſe כארו per ἐπένθεσιν literæ א. *LXX*, ὤρυξαν. Aquila, ᾔσχυναν. Nulla ergo hic fraus Chriſtianorum, inter quos eſt & interpres Æthiops: utraque lectio poteſt defendi.

PSA. XXIV. v. 2 *fundavit eum*] Hebr. *eam.* 7. *introibit Rex gloriæ*] Arca. 2 Sam. 6. 12. ib. *Portas*] Ut intromittatur Arca.

PSA. XXV. v. 1.] Commata in hoc Pſalmo non ſunt bene diſtincta. Nam ſecundum comma debet incipere ibi בך, & quintum ibi ילמדני, & initio verſus 17. deeſt vox קום *ſurge*. Verba autem illa פדה ad finem uſque acceſſio eſſe debent verſus præcedentis, non novum comma.

PSA. XXX. v. 8. *præſtitiſti decori meo ſalutem*] apparet LXX legiſſe hic non להררי, *in monte meo*, ſed להדרי, à רור vel רדה, quod eſt *Dominari*, & ſic Syrus & Arabs.

PSA. XXXI. v. 16. *ſortes meæ*] LXX, καιροί μου, pro quo librarii ſcripſerunt κλῆροί μου, inde hæc verſio.

PSA. XXXIII. v. 15. *Qui finxit ſigillatim corda eorum*] LXX, κατα-μόνας. Legiſſe videntur יחיד, non יחד.

PSA. XXXVII. v. 3. *& paſceris in divitiis ejus*] Hebr. *& paſcere fide*: alii, *roborare veritate*: alii, *nutri te in fide*: alii, *paſce*: i. e. doce fidem. Syrus *inquire veritatem.* 20. *at honorificati fuerint, & exaltati*] Hebr. *at pretioſum equorum.* i. e. pinguedo eorum conſumitur, puta in Holocauſtis. 28. *in æternum conſervabuntur*] Incipere hîc debet novus verſus & ל auferri. Sic & Pſal. 89. 3. eſt עולם poſitum pro לעולם. Talia qui annotat nullam Maſoretis facit injuriam. Aliter deerit in Alphabeto hoc ע, quod quis crediderit? 35. *Et elevatum ſupra Cedros Libani*] Legerunt LXX non ut nos, אזרח, ſed ארזה quod tam longe non abit quam quòd pro רענן legerunt לבנן. 36. *& tranſivi*] *LXX*, unde hoc ſumptum eſt, legerunt ואעבר. Quos ſequuntur, ut firme ſemper, Syrus & Arabs.

PSA. XXXVIII. v. 20. *vivunt*] Syrus pro חיים videtur legiſſe חוים, *adhuc ſpectantes.*

PSA. XXXIX. v. 6. *menſurabiles*] Fuit haud dubiè in Græco παλαιστὰς pro παλαιστιαίας quod Symmachus vertit ὡς σπιθαμάς. Ex hac bona lectione fluxit corrupta παλαιὰς quam ſequuntur Ambroſius, Apollinaris & Pſalterium Romanum, &c.

PSA. XL. v. 5. *nomen*] Fuit ergo illic Schin forte cum tſere in voce שם, cum Hebræi Schin lene cum Camets habeant, & exponant *poſuit.* 7 *aures autem perfeciſti mihi*] Hebr. *perfodiſti.* LXX ergo habuerunt ὠτία, quod & Scholia multa oſtendunt: qui repoſuerunt σῶμα verſionem aptârunt ad locum, Hebr. 10. 5. At is ſcriptor, ut & alii, ſæpe loca citat magis κατὰ διάνοιαν, quàm κατὰ λέξιν.

PSA. XLIV. v. 13. *Et non fuit multitudo in commutationibus eorum*] Hebr. *neque lucrum feciſti ex pretio eorum*: LXX, ἐν τοῖς ἀλλάγμασιν αὐτῶν, *in pretio eorum*: Corruptè quidam codices habuêre ἐν ἀλαλάγμασι, quod vitium in Pſalterium Romanum, & Æthiopicum fluxit, & in Auguſtinum qui vertit *jubilationibus.*

PSA. XLVII. v. 10. *Principes populorum congregati ſunt cum Deo Abraham*] Hebr. *adjunxerunt ſe populo Abraham.* LXX legerunt עם cum Chiric, non ut nos, cum patach.

PSA. XLVIII. v. 15. *Ipſe reget nos in ſæcula*] variæ lectiones varias hoc loco & verſiones peperere. *LXX*, & Symmachus legêre עלמות per holem ad ain, & putarunt eſſe pro עלמים *ſæcula*, ſubaudito, ut & alibi, ל: Alii, iiſdem literis, ſed cum patach ſub ain, & ſchurech ante ultimam *à pueritiâ.* Alii iiſdem literis, vocalibus aliis, vertunt *in abſcondito.* Alii dividunt voces על־מות & על ſumpto pro עד, interpretantur *ad mortem.* Et hoc in verſione ex Hebræo ſequitur Hieronymus, ut & Kimchi.

PSA. XLIX. v. 13. *non intellexit*] Legerunt יבין. At noſtri codices, ילין: i. e. *non pernoctavit.*

PSA. LIV. v. 1. *Pro populo qui à ſanctis longe factus eſt, David in tituli inſcriptionem, cum tenuerunt eum allophyli in Geth*] *LXX* videntur pro יונה legiſſe אמה, & pro אלם legiſſe אלים, & pro מכתם legiſſe מכתב. Ex Hebræo verſio hæc optime fluit. *Principi cantorum de columba muta, Carmen columnæ inſcribendum de eo tempore quo tenebatur à Philiſtinis in Geth.*

PSA. LXIII. v. 1. *in deſerto Idumeæ*] ſcribendum hic, & in exemplaribus Græcis *Judææ*, tum ex textu Hebræo, tum ex hiſtoria 1 Sam. 22. 5. & cap. 23. 14, 15. 2. *quam multipliciter tibi caro mea*] Putarunt LXX כמה eſſe compoſitum ex כ & מה. At melius Hebræi pro uno verbo ſumunt quod *deſiderare* ſignificat: Itaque Aquila vertit ἐπιτάθη, Symmachus ἱμείρεται.

PSA. LXV. v. 1. *Canticum Jeremiæ*, &c.] Habetur hoc ſolum in quibuſdam exemplaribus verſionis *LXX.*

PSA. LXVI. v. 1. *Canticum Pſalmi Reſurrectionis*] videtur Græca Eccleſia hoc addidiſſe.

PSA. LXXII. v. 16. *Et erit firmamentum*] Legit in LXX στήριγμα, quæ lectio pridem invaluit, cum corrupta ſit ἐν σίτου δράγμα, *pugillus frumenti.*

PSA. XCIX. v. 9. *Sicut aranea meditabuntur*] Forte legerunt aliter quam nos. 10 *& amplius eorum*] legerunt ורבם τὸ πλεῖστον αὐτῶν. At in Hebræo eſt ורהבם. i. e. *ipſum robur ejus.*

PSA. XCII. v. 11. *& ſenectus mea in miſericordia uberi*] LXX legerunt aliter quam eſt in hodierno Hebræo.

PSA. XCVI. v. 10 *Dominus regnavit*] Hic libros quoſdam Græcos addidiſſe ἀπὸ ξύλου affirmat Juſtinus, Tertullianus, & alii; urgentes pro Cruce contra Judæos.

PSA. CIX. v. 11. *ſcrutetur fœnerator*] Illaqueat. LXX legerunt יבקש. Nos hodie legimus ינקש.

PSA. CX. v. 4. *ſecundum ordinem Melchiſedech*] noſter textus Hebræus habet על־דברתי מלכי־צדק. i. e. *ſecundum meam conſtitutionem, O rex mi juſte.*

PSA. CXIX. v. 28. *dormitavit*] Hebr. *ſtillavit.* LXX ἔσταξε & inde librarii additis duabus literis fecere ἐνύσταξε, quod eſt *dormitavit.* 32 *Legem pone mihi*] Hebr. *Doce me.* 109. *in manibus meis*] Quidam pro μου habet σου, quod ſequitur Apollinaris, Æthiops, Arabs, Pſalterium Romanum.

PSA. CXXIX. v. 3. *Prolongaverunt iniquitatem ſuam*] Legerunt LXX למלותם. In Hebræo melius ſic למענותם, *protraxerunt ſulcos ſuos.*

PSA. CXXX. v. 4. *Et propter legem tuam ſuſtinui te Domine*] Hebr. *ut reverenter colaris.* LXX pro תורא legerunt תורה. 6 *a cuſtodia matutina uſque ad noctem*] Hebr. *quam excubiarum erga matutinum, excubantium ad matutinum uſque.*

PSA. CXXXII. v. 15. *Viduam ejus benedicens benedicam*] Hebr. melius, *viatico ejus benedicendo benedicam.* Aquila, ἐπισιτισμὸν αὐτῆς. Sym. τὴν σίτησιν αὐτῆς. LXX verterunt θήραν, ut citat Hieronymus. Sed librarii literâ unâ mutatâ fecerunt χήραν, quod ſequuntur Hilarius, Apollinaris, Arabs, Æthiops, Pſalterium Romanum. & Gallicum, tam facilè fluunt errores.

PSA. CXXXIII. v. 3. *Sion*] Eruditi probabile putant vocem minus frequentem שיאן, qui eſt Hermon, mutatam in vocem ſimilis ſoni ציון.

PSA. CXXXIX. v. 3. *Et funiculum meum inveſtigaſti*] Hebr. *cubatum meum.* Credibile eſt LXX, κοῖτον vertiſſe, pro quo librarii σχοῖνον ſcripſerunt, unde hæc verſio. 4. *non eſt ſermo*] Hic quoque λόγος ſcripſerunt *LXX.* Sed librarii pro λόγος ſcripſere δόλος, quod ſequuntur Pſalterium vetus, Hilarius, Auguſtinus. 15 *& ſubſtantia mea in inferioribus terræ*] LXX hic pro רקמתי, legerunt רבשי.

PSA. CXLIV. *adverſus Goliath*] Non eſt in Hebræo. Sed fuit olim in Hexaplis ut & nunc in LXX.

PSA. CXLV. v. 13. *fidelis Dominus*, &c.] verſus hic eſt in *LXX*, Latino, Syro, Arabe. Non eſt dubitandum quin verſus hic in Hebræis codicibus exciderit librariorum culpâ. Nam deeſt verſus qui a Litera Nun incipiat. Quomodo ad hoc reſpondebunt qui nos jubent per omnia Maſoretarum ſtare decretis.

AD LIB. PROVERB.

CAP. III. v. 12. *Et quaſi Pater in filio complacet*] Bene ex Hebræo. Latinus *LXX* non addictè ſequitur, niſi in Pſalmorum verſione ea quæ nunc recepta eſt. At *LXX* legerunt non וכאב ſed ויכאב: id enim eſt μαστιγοῖ & inter בן & ירצה ſubintellexerunt *quem*; quales ἐλλείψεις frequentes Hebræis.

CAP. V. v. 19. *delectare*] In Græco συμπεριφερόμενος, πολλοστὸς ἔσῃ. Apparet *LXX* legiſſe שגה cum ſiniſtro puncto in prima litera, ſic enim ſignificat *multiplicari.* At cum puncto dextro inter alia *delectari* ſignificat, Hab. 3. 1.

CAP. VIII. v. 22. *Poſſedit me*] Sic etiam Aquila, Symmachus & Theodotion. At *LXX* & Chaldæus, *Creavit me.*

CAP. XIII. v. 8. *Pauper eſt, increpationem non ſuſtinet*] *LXX* πτωχὸς δὲ οὐχ ὑφίσταται ἀπειλῶ. Alii, οὐ φέρει ἐπιτίμησιν. Videntur pro שמע, legiſſe המך, hoc ſenſu, *dives avertit periculum a ſe pecuniis, pauper non manet ſed fugit.*

CAP. XV. v. 33. *Timor*, &c.] Hebræam lectionem ſecutus hîc eſt Latinus, non *LXX*, qui vertunt ἀποκριθήσεται αὐτῇ, ab ענה, quod eſt *reſpondere.* Tum vero & capita apud *LXX* in hoc libro diſtincta aliter, & multæ ſententiæ aut omiſſæ aut additæ, ut in Eclogis fieri ſolet: quæ cauſa eſt cur & eædem ſententiæ in hoc libro diverſis in locis inveniantur poſitæ, quia ad plures quaſi titulos referri poterant.

CAP. XVIII. v. 19. *frater qui adjuvatur*, &c.] Et ſic *LXX* videntur legiſſe non נפשע, ſed נושע ſono accedente.

CAP. XXIV. v. 23. *Hæc quoque ſapientibus*] Melius ל per genitivum transferas, ut ſæpe, *Hæc quoque ſapientum.* Quæ ſequuntur ſententiæ adjectæ ſunt è ſapientum libris poſt Solomonem ante Ezechiæ tempora.

AD ECCLESIASTEN.

CAP. V. v. 8. *& inſuper univerſæ*] Videtur hic ו eſſe pro ב. Sed Hebr. rectius, *Jam emolumentum terræ pro omnibus eſt; Regi de agro ſervitur.*

CAP. VII. 28. *Dixit Eccleſiaſtes*] Sic etiam *LXX.* Palam eſt legiſſe eos אמר הקהלת, non ut nunc in Hebræo eſt אמרה קהלת.

CAP. VIII. v. 2. *Ego os regis obſervo*] Non *obſervo*, ſed *obſerva* legendam eſt. Et ſic *LXX* poſt Hebr. אני ſupplendum *vos moneo*, aut aliquid tale, 6. *& multa hominis afflictio*] At *LXX* pro רעת legerunt דעת, & verterunt γνῶσις. 10 *Et laudabantur*] ut in *LXX* ἐπῃνέθησαν. Apparet eos legiſſe וישתבחו, pro quo nos habemus וישתכחו.

CAP. IX. v. 1. *ut curioſe intelligerem*] ולבור את־כל־זה. pro quo *LXX* legerunt ולבי ראה את־כל־זה, καρδία μου σύμπαν εἶδε τοῦτο. 4. *nemo eſt*, &c.] In Hebræo כי מי אשר יבחר אל־כל־החיים. Sed monent nos Hebræi pro יבחר, reſcribendum יחבר. *Quiſquis ſociatur viventibus de eo ſpes eſt.*

CAP. X. v. 4. *Quia curatio*] Eſt quidem מרפא *Curatio.* Sed in hoc libro, & Proverbiorum frequens eſt ut א pro ה ponatur. Ita ſignificabit hic *otium*, ſive *vitam privatam.* 8. *Qui fodit foveam incidet in eam*] גומץ eſt vox Chaldaica, quam ſæpe uſurpat interpres Chaldæus, ubi in Hebræo eſt בור.

CANTICUM CANTICORUM.

CAP. III. v. 9. *Ferculum ſibi fecit*] In Hebræo eſt אפריון *thronus.* Id eſſe Græcum φορεῖον credidit Hieronymus. Et ſic vertunt *LXX.* φορεῖον eſt *Lectica* aut ſimile quid.

CAP. IV. v. 1. *Abſque eo quod intrinſecus latet*] Videntur legiſſe LXX & hic & bis infra עלמתך. At in Hebræo noſtro *intra comam tuam.*

CAP. VII. v. 9. *Guttur tuum ſicut*, &c.] Longe aliter legerunt *LXX*, quam nunc in Hebræo eſt, nempe ſic למשתים דובב שפתי ישנים. Nam דבר per ἱκανοῦν vertitur, 1 Sam. 20. 11. Et LXX hic habent ἱκανούμενος. At Symmachus προστιθέμενος. Legit igitur is דובק, non malè. In Hebræo quod nos habemus mirus eſt ſenſus, *ad rectitudines faciens loqui labia dormientium*,

CAP. VIII. v. 6. *atque flammarum*] In nomine hoc, ſc. שלהבתיה abundat ש, ut apud Chaldæos ſæpe.

AD ESAIAM.

CAP. II. v. 21. *Talpas*] legit hic interpres unâ voce חרת־פרות ut & Aben-Eſdras, qui & ipſe *Talpas* intelligit. Nullum fere eſt Animantis genus, quod non in aliqua parte Ægypti ſit cultum pro numine. 22 *Et vittas*] vox hebræa *Involucra* ſignificat, circum frontem, ut videtur. Miror Græcos hoc tot verbis exprimere τὰ ὑακίνθινα ϗ τὴν βύσσον σὺν χρυσῷ ϗ ὑακίνθῳ συγκαθυφασμένα.

CAP. VII. v. 8. *Et adhuc ſexaginta & quinque anni & deſinet Ephraim eſſe populus*] Videtur omnino error eſſe in Scriptura Hebræa, addito ים ad שש nam ab hoc tempore ad deportationem decem tribuum quam fecit Salmanaſſar. 2 Reg. 17. ſunt anni ſex & quinque, i. e. undecim; Ex quibus duo pertinent ad ultima tempora Phaceæ Regis; novem autem ad tempora Oſeæ. Vid. 2 Reg. 15. 27. & 16. 1. & 18 10. Videbis hæc eſſe veriſſima: at Hebræi ut codicum ſuorum fidem tueantur, hos 65 annos retro trahunt ad id tempus quo Amoſus contra Syrum & Iſraelitas vaticinari cœperat.

CAP. VIII. v. 22. *& non poterit avolare de anguſtia ſua*] in Hebræo, *non avolabit qui conſtrictus fuerit iſto tempore*: melius autem hæc verba capiti huic attexuere Græci & Latinus, quàm Hebræi capiti quod ſequitur. Sed in Græcis ἀπορηθήσεται ſcriptum videtur pro ἀποπτήσεται.

CAP. IX v. 5. *Quia omnis violenta prædatio cum tumultu, & veſtimentum miſtum ſanguine erit in combuſtionem, & cibus ignis*] In Hebræo ſic eſt: *Omnis pugna bellantium* (ſolet eſſe) *cum ſtrepitu & veſtimentis obvolutis ſanguine.* (Hæc vero erit ut) *pabulum ignis ad combuſtionem.*

CAP. X. v. 13. *Quaſi potens*] Hic כ habet Patach, א vero ſine puncto eſt, quæ Scriptura Syriaca eſt, ut apparet Jerem. 25. 36.

CAP. XIII. v. 20. *Et replebuntur Domus eorum Draconibus*] *Viverris.* Sic Hebræi: in Græco ἦχοι. Sed credo eos retinuiſſe vocem Hebræam, & ſcripſiſſe ἠχίμ. *Et piloſi ſaltabunt ibi*] Δαιμόνια vertunt Græci. ſc. τραγόμορφα, ut hic explicat Kimchi. Alii *ſcopas*, aut *otos* hic volunt intelligi. 22. *Et reſpondebunt ibi ululæ in ædibus ejus*] *Alternis canent feles feræ in palatiis.* Sic Chaldæus.

CAP. XIV. v. 9. *ſuſcitavit tibi gigantes*] rectius *mortuos*. Nam ſic ſumi ſolet רפאים quam vocem Hebræam hic retinuere Interpretes Græci quidam. 32 *Et quid reſpondebitur nuntiis Gentis*] Legit. ut nos nunc in hebræo מַלְאֲכֵי, at Græci מַלְכֵי βασιλεῖς ἐθνῶν, i. e. quid ad hæc dicent reges illi gentium vicinarum?

CAP. XV. v. 5. *Vitulam conſternantem*] Scripſit interpres, ut quidam libri habent, *conternantem*, i. e. trimam. τριετής apud Græcos.

CAP. XIX. v. 6. *Et deficient flumina*] Hic in verbo Hebræo והאזניחו abundat Aleph. 13. *Emarcuerunt principes Mempheos*] Eſt hic in Hebræo נף, ſed rectius ſcribitur Oſeæ 9 6. מף. Sic mons ei adſitus μῶφι Herodoto. *Deceperunt Ægyptium angulum populorum ejus*] Pro Patach putem hic fuiſſe Holem פִּנֹּת שבטיה: id eſt, eximii tribuum, ut Jud. 20. 2.

CAP. XXI. v. 8. *Et clamavit leo*] Legerunt Græci אוריה. i. e. Urias ille nominatus ſupra, 8. 2. quis enim dignior in ſpecula collocari, quàm Sacerdos?

CAP. XXIII. v. 6. *Tranſire Maria*] In Hebræo: *in Tharſiſch*, id eſt, ite in Tarteſſum. Græci, ἀπέλθατε εἰς Καρχηδόνα.

CAP. XXIV. v. 23. *Et erubeſcet Luna, & confundetur Sol*] Hæc LXX cùm putarent male ſonitura apud Platonicos, quales erant Ægyptii Reges, pro חפרה legerunt הפרסה *frangetur*, pro לבנה, mutatis tantum punctis לְבֵנָה quod eſt *later* pro חמה mutato Patach in holem, חֹמָה quod eſt murus: itaque verterunt τακήσεται ἡ πλίνθος ϗ πεσεῖται τὸ τεῖχος, ſenſu non malo. Retinenda tamen lectio recepta, & per Solem & Lunam intelligendæ imagines Solis & Lunæ, quæ per tranſlationem dicuntur erubituræ, quod ſuos cultores ſervare nequiverint.

CAP. XXVI. v. 1. *Urbs fortitudinis noſtræ Sion*] Non eſt *Sion* in Hebræo, ſed gloſſematis vice additum. 14. *numquid glorificatus es?*] In Hebræo, *Gloriam tibi acquiſiviſti.* At Græci legerunt non נכברת, ſed נכברים, ἐνδόξοις.

CAP. XXVIII. v. 1. *væ coronæ ſuperbiæ, ebriis Ephraim & flori decidenti*] *LXX* hoc loco legerunt Schin cum ſiniſtro puncto. Vertunt enim οἱ μισθωτοί. 16. *qui crediderit non feſtinet*] Eſt hoc ex hodierno Hebræo לא יחיש ſed apparet olim fuiſſe לא יביש. Nam *LXX* hic habent οὐ μὴ καταισχυνθῇ, quomodo & Petrus, 1. 2. 6. & hæc lectio haud dubiè meliorem ſenſum facit. 25. *ſeret Gith*] *Melanthium* Græcis, ut hic habent *LXX*. *Nigellam* Latinis ex Græco.

CAP. XXIX. v. 3. *Et circundabo quaſi ſphæram in circuitu tuo*] Caſtra, ſicut pilam, (id eſt, rotundata) tibi circumjiciam, pro כדור quaſi pila, *LXX* legerunt כדוד ὡς Δαβίδ.

CAP. XXX. v. 24. *commiſtum migma comedent*] ἄχυρα ἀναπεποιημένα ἐν κριθῇ habent hic *LXX*. In Hebræo eſt, *miſcuit Aſinus.* ἀναποιεῖν pro *miſcere* frequens interpretibus.

CAP. XXXII. v. 7. *ad perdendos mites in ſermone mendacii*] Ut homines miſeros, (id eſt, ענ״ים quomodo legunt Maſoretæ) per calumniam opprimat. 14. *Tenebræ & palpitatio facta ſunt ſuper ſpeluncas in æternum*] Legit ערפל יבחל, at nos habemus עפל ובחן ſenſu optimo.

CAP. XXXIII. v. 3. *A voce Angeli fugerunt populi*] In Hebræo eſt, *a ſono terribili.* Græci, Διὰ φωνὴν τοῦ φόβου. Strepitum Angeli adventantis intelligit: ita ut Latinus rem hic magis expreſſerit ex 2 Reg. 19. 35. quàm verba.

CAP. XL. v. 6. *Et omnis gloria ejus quaſi flos agri*] Sic & Græci: ϗ πᾶσα δόξα ἀνθρώπου· ut & Petrus 1. 1. 24 legerunt nimirum non חסדו; ſed הודו & rectius.

CAP. XLI. v, 1. *Taceant ad me inſulæ*] In Hebræo *Tacete*, ſed ſenſu eodem. i. e. cum ſilentio admiramini. At *LXX* legerunt non החרישו, ſed החדישו vertunt enim ἐγκαινίζεσθε.

CAP. XLII. v. 19. *Quis cæcus niſi qui venundatus eſt*] Legit hic interpres non משלם ſed מִשְׁבָּר. Græci מֹשְׁלִים οἱ κυριεύοντες αὐτῶν. Lectio in Hebræo recepta non mala eſt, ſi vertas, *ſicut fœderatus*: nempe Dei, populus Iſraeliticus.

CAP. XLIV. v. 20. *Pars cinis eſt*] Legit רבעה: nam רבע *quartam* proprie: improprie etiam alias partes ſignificat. Græci legerunt דעה. Videtur lectio recepta non mala hoc ſenſu, *paſcitur cinere cor deceptum.*

CAP. XLV. v, 2. *Et aperiam coram eo januas & portæ non claudentur. Ego ante te ibo, & glorioſos terræ humiliabo. Portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam*] Hæc omnia ſignificant facturum Deum, ut ei nihil obſtet. Latinus interpres ubi nos habemus הדורים *inæqualia*, quod Græci vertunt ὄρη, legit הרורים. Senſus in hebræo bonus eſt: *iniqua loca adæquabo.* 25. *Dicet meæ ſunt juſtitia & imperium: ad eum venient, & contundentur omnes qui repugnant ei*] Hic lectio quàm ſecuti ſunt *LXX* melior eſt, nempe לוֹ pro לִי ut illud עד י fit quaſi repetitio illius לו genere loquendi Hebræis non infrequente.

CAP. XLVIII. v. 10. *Ecce excoxi te, ſed non quaſi argentum*] In Hebræo, *non in argentum.* At *LXX* legerunt שברתיך ולא בכסף πέπρακά σε οὐχ ἕνεκεν ἀργυρίου. eodem ſenſu quo infra, 52. 3.

CAP. XLIX. v. 5. *Et Iſrael non congregabitur. Glorioſus ero in oculis Domini*] Puto veram eſſe lectionem ſcriptam in textu לא quam ſequitur Latinus, non illam in margine לו: ſenſus eſt, Etiamſi Iſrael ad mea monita nolit converti, ego tamen Deo placebo, &c.

CAP. L v. 4. *Erigit mane, mane erigit mihi aurem, ut audiam quaſi magiſtrum*] In Hebræo, *à mane ad mane excitat mihi aurem ut audientiam præbeam, ſicut Doctores*, ſc. diſcipulis facere ſolent. At *LXX* ultimam vocem cum ſequentibus connectunt & videntur legiſſe בלמודים: idem enim valet ἡ παιδεία κυρίου ἀνοίγει μοι τὰ ὦτα, quod ὁ κύριος ἐν παιδείᾳ ἀνοίγει μοι τὰ ὦτα.

CAP. LI. v. 19. *ſicut oryx illaqueatus*] Miror quî legerint *LXX*, qui habent ὡς σευτλίον ἡμίεφθον· aut Chaldæus qui poſuit *ut lagunculæ confractæ.*

CAP. LIII. v. 8. *Propter ſcelus Populi mei percuſſi eum*] In Hebræo eſt *plaga ipſi.* Supple evenit, populi ſummo errore ac crimine, quidam codices Hebræi hic habuerunt לו, ſed למו idem ſignificat. Neque enim exemplis caret מ ἐπενθετικόν.

CAP. LVII. v. 2. *Veniat pax & requieſcat in cubili ſuo qui ambulavit in directione ſua*] Legit hic interpres non ut nos נכחו, ſed בכנו. 3. *vos autem accedite huc filii auguratricis*] ſecutus eſt quod nos habemus עננה. Sed & Chaldæus & Græci legerunt עונה, cum *He* paragogico, ſenſu meliore, υἱοὶ ἀνομίας, ſive ἄνομοι, ut hic habent *LXX*. 21. *non eſt pax impiis dicit Dominus Deus*] Scripſit puto interpres *Dominus meus*, ut eſt in Hebræo & Chaldaico, niſi forte Græcum ſequi maluit: nam Græci libri alii habent ὁ θεός, alii ὁ κύριος ὁ θεός.

CAP. LX. v. 4. *De latere ſurgent*] ſcripſit Interpres, *ſugent. lac ſugent* habet in Commentariis *Hieronymus.* videtur ergo pro צד legiſſe שד at Chaldæus & Græci pro האמנה videntur legiſſe העמסה 18. *& occupabit ſalus muros tuos*] Videtur legiſſe קרית à קרה, ſed ut nos habemus legerunt & Græci & Chaldæus. 21. *Germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum*] Legit מטעי, ut Maſoretæ in margine poſuerunt, putantes ſc. id ſignificari, iſtos reduces velut à Deo conſitos in terra avita. Sed poteſt retineri lectio quæ eſt in textu מטעו.

CAP. LXI. v. 8. *Odio habens rapinam in holocauſto*] Et Græci & Chaldæus illud עולה legerunt punctis aliis, ut ſit à עול non à עלה: vertunt enim illi, ἅρπαγμα ἐξ ἀδικίας. Chaldæus, *Abominabilis eſt coram me falſitas & violentia.* & hoc magis probo.

CAP. LXIII. v. 3. *Conculcavi eos in ira mea.*] Eſt ex hebræo בחמתי, *LXX* legerunt כעפרות, aut ſimile aliquid: vertunt enim ὡς γῆν. 6. *Inebriavi eos in indignatione mea*] At Chaldæus pro בשכרם legit אשברם quod eſt, *confregi eos.* 9. *In omni tribulatione eorum non eſt tribulatus*] i. e. non eſt defatigatus eos adjuvando. Sed Hieronymus notat legi pro לא poſſe לו, ut ſenſus ſit, in omni eorum anguſtia ipſi anguſtia fuit. i. e. ipſe indoluit illorum malis.

CAP. LXV. v. 1. *Quæſierunt me qui ante non interrogabant*] Videntur quidam codices habuiſſe הדרשתי. quod εὑρέθην vertit Apoſtolus Rom. 10. in fine, nec aliter credo legiſſe *LXX*, qui verterunt ἐμφανὴς ἐγενήθην. 23. *Neque generabunt in conturbatione*] Ex hebræo לבהלה: at *LXX* legerunt לאלה εἰς κατάραν, quod Chaldæus bene interpretatur, *ad mortem*, ſc. ἄωρον, quæ inter κατάρας.

CAP. LXVI. v. 2. *Niſi ad pauperculum*] עני τὸ ταπεινόν, ut hic vertunt *LXX*, id eſt modeſte de ſe ſentient, at Chaldæus ענו *manſuetum.* Sæpe hæ voces ejuſdem originis & vicini ſignificatus inter ſe permiſcentur. 3. *Qui recordatur Thuris quaſi qui benedicat Idolo.*] Chaldæus pro און legit עון vertit enim *rapinam.* 17. *Poſt januam*] Sic vertit hic Interpres, quod in hebræo legimus אחד אחר ut & Græci, ἐν τοῖς προθύροις, ſenſu non malo. at Chaldæus haud dubie legit אחר אחר, id eſt alius poſt alium, magno agmine. Si tamen lectio recepta retinenda eſt אחד ſumem pro Sole Deo Aſſyriorum, qui nomen habebat, unde & latinum eſt, quod ſolus ſit in ſuo genere, nec ſimile habeat. 19. *In Africam*] Ex Græcis qui legerunt פוט ubi nos habemus פול. Chaldæus tamen פולאי, id eſt, πύλαι, portæ Caucaſiæ. *In Italiam*] In hebræo eſt תובל nec aliter legere aut Græci aut Chaldæi. at poteſt dubitari, an quidam codices habuerint איתל.

AD JEREMIAM.

CAP. II. v. 10. *Mutavit gloriam ſuam in Idolum*] כבודו. Sed olim fuit כבודי *meam majeſtatem.* Sed quia illa vox poſterioribus temporibus mirabilem quandam Dei præſentiam ſignificare cœperat, ideo mutarunt hoc ſcribæ, ut & *Pſ.* 106.20. 20 *A ſæculo confregiſti jugum meum, rupiſti vincula mea*] Sic & Græci vertunt συνέτριψας καὶ διέῤῥηξας. legerunt ergo שברת & נתקת, in ſecunda perſona, & עלי, ubi Hebræa nunc lectio & Chaldæus habent primam, & עלך. Hieronymus etiam in Commentario græcam lectionem ſequitur. neuter ſenſus eſt incommodus. *Et dixiſti, non ſerviam*] לא אעבור, at Chaldæus legit לא העבור. ut & in hebræo margine ſcribitur, hoc ſenſu, promiſiſti te non ultra facturum talia contra legem, & fœdus. 24. *Attraxit ventum amoris ſui*] Legit hic Interpres & alii תאבתה, ubi nos habemus תאותה, id eſt *occurſus ſui*, nempe *auram obviam.*

CAP. III. v. 1. *Nunquid non contaminata & polluta erit mulier illa?*] Græci, quos hic interpres ſequitur, legerunt אשה pro ארץ.

CAP. IV. v. 16. *Cuſtodes venire*] Eſt χλευασμὸς, ex ambiguo. Theodotio pro נצרים, legit בצרים *vindemiatores.*

CAP. V. v. 24. *Plenitudinem annuæ meſſis cuſtodientem nobis*] Græci Interpretes legerunt שבעות, cum ſchin notato in ſiniſtro cornu. at Chaldæus & Hebræi codices cum ſchin notato in dextro.

CAP. IX. v. 6. *Habitatio tua in medio dolio renuerunt ſcire me*] Pro illis vocibus במרמה, מרמה *LXX* legerunt מרבה במרבה, quod eſt τόκος ἐπὶ τόκῳ.

CAP. XI. v. 9. *Inventa eſt conjuratio in viris Juda*] Quod hic in Hebræo eſt קשר in Chaldæo eſt דמרדן. Quæ vox rebellionem aut defectionem à rege ſignificat.

CAP. XV. 12. *Nunquid federabitur ferrum ferro ab Aquilone & Æs*] Multam hic fuiſſe verſionum varietatem notat Hieronymus. ea inde nata, quod alii legere ירע ut & nos habemus; Theodotio vero ידע *cognoſcit.* rurſum illud ירע alii derivant à רוע, ut ſit *nocebit*, alii à רעה, ut ſit *federabitur*, quomodo & Chaldæus accepiſſe videtur. ſenſus autem hic, eſto Judæi ſint duri ut ferrum, ego tibi ero pro duplici muro, altero chalybeo, altero aheneo.

CAP. XVI. v. 7. *Non frangent inter eos lugenti panem, & non dabunt iis potum calicis ad conſolandum ſuper patre tuo, &c.*] Apparet & hunc interpretem & *LXX* legiſſe לחם, non להם, melius haud dubie.

CAP. XIX. v. 2. *Quæ eſt juxta introitum Portæ fictilis*] Hebraice החרסות, aut החרסית nam duplex eſt lectio. præfero hanc interpretationem, ut illa fuerit porta, extra quam figuli fragmenta fictilium abjiciebant.

CAP. XXII. v. 15. *Nunquid regnabis quoniam confers te Cedro?*] Pro ארז quod *cedrum* ſignificat *LXX* manifeſte legerunt אחז, ut ſenſus eſſe poſſit longe optimus. *Ideone te feliciter regnaturum putas, quod Achazi exemplo peccas?*

CAP. XXXI. v. 2. *Invenit gratiam in deſerto populus*] Hic pro חן *LXX ſenes* legiſſe חם, recte obſervat Hieronymus. 8. *Inter quos erunt cæcus & claudus*] At *LXX* legerunt בעצרה פסח, id eſt tanquam in feſto Paſchatis, quo maxima multitudo confluebant. 32. *Et ego dominatus ſum eorum, dicit Dominus*] Vertere licet, *Et ego eorum maritus manſiſſem.* Sed *LXX* pro בעלתי legerunt בחלתי, ideoque verterunt ἐγὼ ἠμέλησα αὐτῶν. 40 *& univerſam regionem mortis*] Græci Hebræam vocem retinuere השרמות ἀσαρημώθ. Hieronymus legit השדמות derivatque à שדה & מות, quorum illud *Regionem*, hoc *mortem* ſignificat.

CAP. XXXIII. v. 16. *Et hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus*] idem ſenſus qui ſupra 23. 6. niſi quod ibi de populo, hic de civitate agitur, & ideo ibi eſt יקראו hic vero יקרא לה, pro quo tamen *LXX* & Chaldæus legerunt לו, & ad Judam referunt.

CAP. XL. v. 14. *Scito quod Baalis Rex filiorum Ammon miſit Iſmael filium Nathaniæ percutere animam tuam*] Græci libri quidem hic habent βασίλισσα βασιλέως υἱῶν Ἀμμὼν, id eſt, *Regina* (mater) *Regis Ammon*; tutelam ſc. regii Pueri gerens: pro שלח ergo legerunt שלחה, pro illo *ſcito*, in Hebræo eſt, *an plane ſcis?* i. e. annon intellexiſti rem tanti momenti?

CAP. XLIII. v. 12. *& amicietur terra Ægypti ſicut amicitur Paſtor pallio ſuo*] Terra Ægypti eſt hic ablativus, pro ſpoliis Ægypti. At Græci legerunt הטרה, quod eſt interdum *purgare*, & explicant: ita perpurgabit Ægyptum, ut Paſtor abollam ſuam pediculis repurgat.

CAP. XLVII. v. 5. *Et reliquiæ vallis earum*] *LXX* pro עמקם legerunt ענקים, Ενακείμ, placet mihi hæc lectio. Nam reliquias Enacim fuiſſe illis in locis apparet Num. 13. 29.

CAP. 48. v. 30. *Ego ſcio jactantiam ejus & quod non ſit juxta eam victus ejus, nec juxta quod poterat conata ſit facere*] Legit hic interpres poſt Græcos בידיו, *quod in manu ejus erat*, quod poterat. 31. *Ad viros muri fictilis lamentantes*] Græci hic retinuerunt Hebræam vocem κεὶρ ἀρεσέθ· quare 16. 6 vocem mutilatam repone, κεὶρ ἀρεσέθ· & 11. pro ἐνεκαίνισας, ſcribe κεὶρ ἀδάς. 45. *& devorabit partem Moab*] *Angulum Moab*, in Hebræo: at Chaldæus legit פאות, & explicat *principes.*

CAP. XLIX. v. 1. *Filiæ ejus igni ſuccendentur*] urbes minores ut & infra 3. Græci pro בנות legerunt במות.

CAP. L. v. 38. *Et in portentis gloriantur*] At Græci legere איים: minus recte.

CAP. LI. v. 13. *Venit finis tuus, pedalis præciſionis tuæ*] Græci pro אמת בצעך legere אמן במעיך. 39 *ut ſopiantur*] Sic & Græci. ὅπως καρωθῶσιν. legerunt ſc. non יעלזו, quod eſt *exſultent*, ut nos habemus, ſed יעלפו, quomodo & Chaldæus legit. 40. *Deducam eos quaſi agnos ad victimam, & quaſi Arietes cum Hœdis*] Sed pro כרים Chaldæus legit שרים *Tauri.* 59 *Saraias autem erat princeps prophetiæ*] Et Græci & Chaldæus non מנוחה legerunt, ſed מנחה.

AD EZECHIELEM.

CAP. III. v. 15. *& ſede ubi illi ſedebant*] Interpretes ſecuti ſunt lectionem marginis, quæ eſt אשב. Textus habet אשר, ubi forte fuerit אשבר, ut ſenſus ſit, veniſſe ad regionem illam quæ eſt inter Chaboram, & flumen alterum quod Ptolemæus vocat Σαοκόραν quâ in parte illi morabantur.

CAP. VI. v. 9. *Quia contrivi cor eorum fornicans*] *LXX* legerunt non נשברתי, ſed נשבעתי, ὀμώμοκα. Chaldæus autem Niphal ſumit pro Pohal. *confringam cor eorum inſipiens.* 14.] Hieronymus ſuſpicatur irrepſiſſe ד pro ר, & ſcriptum olim fuiſſe רבלתה, ut ſit eadem Reblatha, cujus meminit Jeremias 39. at receptæ lectioni favent Chaldæus & Græci, videnturque mihi optime quidam interpretes vertere, *faciam terram* (Judæam) *deſolationem & vaſtiorem Deblatha*, quod eſt Deſertum Moabiticum.

CAP. VII. v. 13. *Et vir in iniquitate vitæ ſuæ non confortabitur*] Nequis ſe male agendo putet tutum fore. *LXX* legerunt עין non עון quod & Hieronymo notatum. 25. *anguſtia ſuperveniente*] קפרה pro quo *LXX* legerunt כפרה.

CAP. VIII. v. 17. *Et ecce applicant ramum ad nares ſuas*] Scribitur quidem אפם ſed olim אפי ſcriptum fuiſſe teſtantur Hebræi, & זמורה, *canticum* ridicule vocari ventris crepitum: quo ſenſu ea vox & in Aruch reperitur.

CAP. IX. v. 2. *Et atramentarium ſcriptionis ad renes ejus*] Nempe ut ſcriberet id quod infra dicitur v. 4. pro קסת, ζώνη poſuere Aquila & Theodotio, *LXX* pro ספר legunt ספיר, malé.

CAP. XI. v. 15. *Fratres tui, fratres tui viri propinqui*] גאלתך. *LXX* legerunt גלותך. i. e. *deportationes tuæ.* i. e. tecum deportati.

CAP. XVI. v. 43. *Et non feci juxta ſcelera tua in omnibus abominationibus tuis*] Legit Hieronymus עשיתו, ut & *LXX.* alii, עשית, & exponunt *non feciſti cogitationem de omnibus abominationibus tuis.*

CAP. XIX. v. 7. *Didicit viduas facere*] Chaldæus legit ירע אלמנותיו, *corrupit palatia eorum.* Optimé.

CAP. XXI. v. 10. *Qui moves ſceptrum filii mei, ſuccidiſti omne lignum*] Mira verba in quibus mirè ſe torquent interpretes. *LXX* aliter legiſſe apparet, nimirum nî fallor אל כשיל זבח בוז מאסת כל־עץ. vertunt enim ἑτοίμη εἰς παράλυσιν σφάζε, ἐξουδένει, ἀπωθοῦ πᾶν ξύλον. ut facile diſrumpat omnia. 14 *Qui obſtupeſcere eos facit*] Sic & Græci, & Chaldæus, legerunt ergo החרדת, non ut nos החדרת in *cubiculis.*

CAP. XXII. v. 6. *Ecce principes Iſrael ſinguli in brachio ſuo fuerunt in te*] *LXX* mutatâ vocali in זרעו, πρὸς τοὺς συγγενεῖς αὐτῶν, id eſt, conſanguineis ſuis contrarii fuere, quos Hebræi זרע vocant.

CAP. XXIV. v. 10. *congere oſſa*] In Hebræo עצים *ligna.* Nec aliter Chaldæus & Græci: at Latinus legit עצמים. 14. *Juxta vias & juxta inventiones tuas te judicabo*] Græci quos hic interpres ſequitur legerunt שפטיך, at noſter Textus & Chaldæus שפטוך *punient te.* nempe Chaldæi meo juſſu.

CAP. XXVI. v. 2. *Implebor, deſerta eſt*] Ego ex illius ruinis creſcam: at Græci & Chaldæus legerunt המלאה, aut א ſumpſerunt pro ה: vertunt enim, *quæ plena fuerat deſerta eſt.*

CAP. XXVII. v. 5. *Abietibus de Sanir extruxerunt te cum omnibus tabulatis maris*] Latinus in Hebr. legit לחתים. contra *LXX*, pro את כל legerunt una voce אתכל, vertunt enim ταινίας, id eſt, *Apluſtria.* 6. *Quercus de Baſan dolaverunt in remos tuos*] אלונים alii *quercus* vertunt, alii *ulmos*, aut *Pinus.* Sed Chaldæus habeat בלטין quæ vox & Chaldæis & Arabibus ſignificat *Quercus.* *Et tranſtra tua fecerunt ex ebore Indico*] Pro קרשך *tranſtra tua*, græci legerunt קדשך, τὰ ἱερά σου. 11. *Et Pygmæi qui erant in turribus tuis pharetras ſuſpenderunt in muris tuis per gyrum*] *LXX* ג omiſſo, legere מדים μῆδοι. Chaldæus vero, ſecunda litera mutata, videtur legiſſe גפרים. Interpretatur enim *Cappadoces.* 13. *Et vaſa ærea abduxerunt populo tuo*] *Mercatui ſuo* מערבך: ſic Græci & Chaldæus. Videtur latinus legiſſe מערך Celebritas æris in Aſia. *Plin.* 34 2. 16. *Syrus negotiator tuus propter multitudinem operum tuorum*]. *LXX* pro ארם male legere אדם, quod & idem obſervat Hieronymus. 23. *Ipſi negotiatores tui multifariam involucris Hyacinthi*] *LXX* hic voces duas Hebræas retinuere, ἐν μοχαλὴμ καὶ γαλίμ.

CAP. XXVIII. v. 14. *Tu cherub extenſus & protegens*] Videtur Hieronymus legiſſe ממשך non ממשח: ſenſus ſic eſt melior.

CAP. XXIX. v. 7. *Et diſſolviſti omnes renes eorum*] Melius *lumbos eorum.* Græci συνέκλασας αὐτῶν πᾶσαν ὀσφύν. legerunt ergo & hi, & Latinus, immo & Chaldæus ערצת non עמדת melius haud dubie.

CAP. XXX. v. 17. *juvenes Heliopoleos*] און in Hebræo Textu, quod recte legi poteſt *On*, & ſic ſcribitur *Gen* 41.45.

CAP. XXXII. v. 30. *Qui deducti ſunt cum interfectis*] Rectè: at *LXX* pro אשר legere אשור ἀσσὺρ. 32. *Quia dedi terrorem meum in terra viventium.*] Ita legitur in Margine. At Textus habet חתיתו *terrorem ejus.* τὸν φόβον αὐτοῦ, *LXX.*

CAP. XXXVI. v. 23. *Coram iis*] Sic & Chaldæus & Græci, qui omnes legere לעיניהם, non ut nos habemus לעיניכם.

AD DANIELEM.

CAP. I. v. 11. *Ad Malaſſar*] Theodotion legit ד pro ר, ejus enim verſio habet Ἀμελσάδ. alii codices habent μολσάδ.

CAP. V. v. 1. *Baltſaſſar Rex*] Græci ש in τ mutant, ut & ipſi Chaldæi ſæpe itaque ſcribunt Βαλτάσαρ.

CAP. VI. v. 18. *Cibique non ſunt allati coram eo*] *Cantus muſici adducti ad eum non fuere.* Ita Rabbi Saadia, quem ſequitur Jacchiades. putant enim רחון litera tranſpoſita dictum pro חרון.

CAP. VIII. v. 13. *Alteri neſcio cui*] τινὶ ποτε. Symmachus, *LXX*, Aquila, Theodotio, Clemens Conſtitutionum 7. 36. retinuere Hebræum φελμονὶ, vel φελμουνί.

CAP. XI. v. 6. *Et tradetur ipſa, & qui adduxerunt eam adoleſcentes ejus*] Illud הילדה, quod hic vertitur *Adoleſcentes*, ab aliis *Genitor*, optime ſcribes cum patach ſub Jod. 24. *Et contra firmiſſimas cogitationes inibit*] Scripſerat Interpres, *contra firmiſſima.* Græci legere על־מצרים

ἐπ᾽ Αἴγυπτον, ut idem dicatur quod in ſequentibus.

CAP. XII. v. 2. *Et alii in opprobrium, ut videant ſemper*] Legit hic Interpres לראון, ubi nos habemus melius לדראון, quomodo & Græci legere.

AD OSEEN.

CAP. II. v. 12. *Et ponam eam in ſaltum*] ליער. At *LXX*, ut *Hieronymus* notat, legerunt לעד, εἰς μαρτύριον. Vides quam vetus ſit ſcribendi varietas: lectio quâ nos utimur melior eſt, ut indicant ſequentia.

CAP. IV. v. 7. *Gloriam eorum in ignominiam commutabo*] Aiunt Rabbini olim fuiſſe כבודי: id eſt, *gloriam meam*, nempe Terram Iſraelis dedecore afficiam, ſed mutatum hoc a Sapientibus, quia ſc. temporibus ſerioribus כבוד uſurpari cœpit in ſolo ſenſu potentiæ majeſtatiſque Divinæ.

CAP. 5. v. 7. *Nunc devorabit eos menſis*] Græci non חדש legerunt, ſed חסיל, ut hic notat Hieronymus.

CAP. VI. v. 7. *Ipſi autem ſicut Adam tranſgreſſi ſunt pactum*] Græci pro עברו legunt עבר, participialiter.

CAP. VII. v. 16. *Reverſi ſunt ut eſſent abſque jugo*] Tam Chaldæus, quam Latinus על ſumpſere pro עול: & forte ubi nunc eſt Chametz, in libris aliis fuit Holem.

CAP. VIII. v. 1. *In gutture tuo ſit Tuba*] *LXX* in ſuis codicibus minus recte habuerunt אל־חק כאפר: εἰς κόλπον αὐτῶν ὡς γῆ. 9. *Quia ipſi adſcenderunt ad Aſſur, Onager ſolitarius ſibi*] *LXX* hic pro פרא, quod *Onagrum* ſignificat, legerunt פרח, quod eſt ἀνέθαλε.

CAP. IX. v. 8. *Speculator Ephraim cum Deo meo, Propheta laqueus ruinæ factus eſt, ſuper omnes vias ejus, inſania in domo Dei ejus*] Duræ ſunt omnes hujus loci expoſitiones, facilior ſe offert, ſi עם legas, non ſubſcripto Hiric, ſed Patach. 12 *Sed & væ eis*] *LXX* & Theodotion pro בשורי legerunt בשרי ut notat Hieronymus. 13. *Ephraim ut vidi, Tyrus erat fundata in pulchritudine*] Aquila, Symmachus, & Theodotion צור legere per Holem, pro Schurech, at *LXX* צור θήραν. quod ideo dico, ut vetus ſcripturæ varietas appareat.

CAP. X. v. 13. *Quia confiſus es in viis tuis, in multitudine fortium tuorum*] Pro דרכך *LXX* legerunt רכבך, ἐν τοῖς ἅρμασί σου.

CAP. XI. v. 6. *Et conſumet electos ejus*] Græci legerunt בידו.

CAP. XII. v. 8. *Omnes labores mei non invenient iniquitatem quam peccavi.*] Tam Græci quam Chaldæus legerunt יגיעו & לו.

CAP. XIII. v. 2. *His ipſi dicunt: immolate homines vitulos adorantes*] Duplex hic fuit lectio; Aquila legit ישקון vertit enim καταφιλοῦντες. melior forte erit lectio *LXX*, ישקטון, id eſt, *quieſcant vituli*. 5. *Ego cognovi te in Deſerto, in terra ſolitudinis*] Cognoſcere ſæpe eſt diligere, ſed *LXX*, & Chaldæus legerunt רעיתיך *pavi te*.

CAP. XIV. v. 5. *Quia averſus eſt furor meus ab iis*] *quia averſus eſt furor ab eo*, ſupple *populo*: נו : at Orientis codices habuerunt ממני, *à me: abiit à me ira.*

AD JOELEM

CAP. I. v. 17. *Computruerunt jumenta in ſtercore ſuo*] Legerunt *LXX*, & Hieronymus פרות, nos habemus פרדות, id ſignificat *grana* Chaldaice.

AD AMOSUM.

CAP. I. v. 1. *In paſtoribus*] Pro נקדים *LXX* legerunt נקרים: & verterunt ἐν νακκαρεὶμ, pro quo ἐν ἀκκαρεὶμ in quibuſdam libris ſcriptum eſt. 4. *Et devorabit domos Benadad*] Græci pro ד legerunt ר in hoc nomine.

CAP. IV. v. 13. *Et annuncians homini eloquium ſuum*] In Hebræo, *conſilium ſuum*. *LXX* pro מה שחו legerunt משיחו τὸν χριστὸν αὐτοῦ.

AD MICÆAM.

CAP. I. v. 10. *In domo pulveris pulvere vos conſpergite*] In textu eſt התפלשתי, ſed in margine התפלשי.

CAP. VI. v. 7. *Aut in multis millibus Hircorum pinguium*] Sic & Græci: ἐν μυριάσι χιμάρων πιόνων· legerunt vero aliter quam in Hebræo eſt ברבבות נחלי שמן *In denis millibus fluentorum olei*. Quæ lectio ſi vera eſt, per *fluenta* intelligenda ſunt vaſa maximæ capacitatis. 9. *Audite Tribus & quis approbabit iſtud?*] alii, *audite virgam, & eum qui conſtituit eam*. Ut ſit מי pro אשר ut alibi, at Chaldæum apparet legiſſe שמען מטרת רמי ועדת. 10. *Adhuc ignis in domo impii*] Legit אש cum *tſere*, non cum *hiric*: ſic & Græci.

AD HABACUCUM.

CAP. I. v. 5. *Et videte, admiramini, & obſtupeſcite*] Græci pro תמהו legiſſe videntur התמו in imperativo Niphal à תמם quod eſt ἀφανίσθητε, mihi lectio quæ eſt in noſtris libris Hebræis, quam & Hieronymus & Chaldæus ſequuntur, non ſordet. 12. *Et non moriemur.*] לא נמות, ut nunc legitur: olim fuit לא תמות, quod Chaldæus ſequitur optime: *non morieris tu*.

CAP. II. v. 4. *Ecce qui incredulus eſt, non erit recta anima ejus in ſemetipſo*] Apparet *LXX* legiſſe עלפה & נפשו, ſenſu optimo. *Juſtus autem in fide ſua vivet*] Legerunt Græci אמונתי *fide mea*. i. e. *in me*. 16. *Et conſopire*] Legit הרעל: at noſtri codices habent הערל.

CAP. III. v. 2. *Domine opus tuum in medio annorum vivifica illud.*] Græci pro שנים legerunt hoc loco חיים. 5. *Ante faciem ejus ibit mors*] Græci דבר legere, cum alio puncto, dicunt enim λόγος.

AD SOPHONIAM.

CAP. II. v. 14. *Corvus in ſuperliminari*] Apparet & *LXX* & Hieronymum legiſſe ערב ubi nos habemus חרב: probat illorum lectionem locus Eſaiæ ſimilis, 34. 2. Chaldæus legit חרב vertitque, *deſolabunt portam ejus*.

CAP. III. v. 9. *Quia tunc reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini*] Pro ברורה quod eſt *purum*, Græci legerunt בררה εἰς γενεὰν αὐτῆς, ut & Hieronymus notavit.

AD AGGÆUM.

CAP. II. v. 8. *Et implebo domum iſtam gloria*] *LXX* hic pluraliter legere חמודת cum *Holem*, τὰ ἐκλεκτὰ, minus recte.

AD ZACHARIAM.

CAP. V. v. 3. *Quæ egreditur ſuper faciem omnis terræ*] Pro נקה Theodotion legit נכה *verberabitur*.

CAP. IX. v. 9. *Et ſalvator*] Mirum eſt, Latinum Græcos, & Chaldæum in hoc conſenſiſſe ut *ſalvatorem* verterent: nam in Hebræo legitur נושע. Aut ergo in codicibus melioribus quam quibus uſi ſunt Maſoretici, ſcriptum fuit יושע, aut (quod mirum eſt) omnes in eo convenerunt, ut paſſivum poſitum crederent pro activo, quomodo נדברו ſumitur, *Pſal.* 119. 23.

CAP. XI. v. 7. *Et alteram vocavi funiculum*] Sic & Græci, σχοίνισμα: unde apparet vocem חבלים ab iis lectam cum vocalibus aliis, quam quas aſſcripſere Maſoretici, nam eadem vox aliter lecta aut *diſſipantes* ſignificat, aut *funes*: poſterior autem lectio plane ſenſui congruit. 11. *Et cognoverunt ſic pauperes gregis qui cuſtodiunt mihi, quia verbum Domini eſt*] *LXX* hic pro כן עניי legerunt una voce minus recte כנעני quod & Hieronymus notavit.

CAP. XII. v. 10. *Et adſpicient ad me quem confixerunt*] Legit אלי, ut nos habemus, alii libri habent אליו, ſed perinde eſt. *LXX* commutatis literis perquam ſimilibus legerunt רקדו ἀνθ᾽ ὧν ἐξωρχήσαντο. 11 *Sicut planctus Adadremmon in campo Mageddon*] *LXX* legerunt הדד ראון.

AD MALACHIAM

CAP. I. v. 13. *Et exſufflatis illud*] והפחתם, at *LXX* legerunt והפחתים, καὶ ἐξεφύσησα αὐτά· ita enim eſt in editione Sixtina omnium emendatiſſima, optimo ſenſu.

CAP. II. v. 3. *Ecce ego projiciam vobis brachium*] Legit ut Græci זרע, cum *Holem* ante *Aiin*, noſtri libri habent cum *Patach* ante *Aiin*, זרע, id eſt, *Semen*. Senſus autem Græcus eſt optimus.

AD JUDITHAM.

CAP. II. v. 14. *A torrente Mambræ*] In Latino fuerat credo, *Abre*, unde imperiti ſcribæ fecere *Mambræ*, ex loco *Gen.* 13. 18.

AD ESTERIS *additamenta*.

CAP. XIV. v. 16. *Quod abominer ſignum ſuperbiæ*] Hæc, ut & de trinoctii continentia apud Tobiam, videntur à Chriſtiano aliquo addita.

AD LIBRUM SAPIENTIÆ.

CAP. IX. v. 4. *Da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem Sapientiam*] Scripſit puto *Aſſeſtricem*, πάρεδρον, latine potuit dicere *Aſſeſſorem*: nam ejus ſoni verbalia fœminino aptantur generi, ut *Dea ſponſor* apud Ovidium. 7. *Altare, ſimilitudinem Tabernaculi ſancti tui, quod præparaſti ab initio*] Deeſt *Et*; vult enim à Solomone ſtructum & Altare & Sanctum Sanctorum, quod imago eſt Cœli illius inconſpicui, *&c.*

CAP. X. v. 7. *Et incredibilis animæ memoria ſtans pigmentum ſalis*] Recte vertas, *incredulæ animæ*: ἀπιστούσης. deinde *columna ſalis*, στήλη:

CAP. XI. v. 8. *Qui cum minuerentur.*] Non eſt hoc in Græco, ſed connectendo melius ſenſui additum ab Interprete.

CAP. XII. v. 16. *Et ab hoc quod omnium Dominus es, omnibus te parcere facis.*] Puto ſcripſiſſe Interpretem: *& hoc quod omnium Dominus es, omnibus te parcere facit*. Ita enim in Græco, & ſenſus idem qui ſupra 11. 27. 22. *Cum ergo das nobis diſciplinam*] Puto ſcripſiſſe Interpretem, *Cum ergo das nobis Diſciplinam*. Non enim tempus deſignatur, ſed oſtenditur Deum multo lenius agere cum Iſraelitis, quam cum Idololatris.

CAP. XIV. v. 24. *Per invidiam occidit.*] Puto ſcripſiſſe Interpretem, *per inſidiam.* λοχῶν ἀναιρεῖ.

CAP. XVII. v. 14. *Aliquando animæ deficiebant traductione*] Scripſit Interpres, *Traditione*: id enim reſpondet Græco παραδόσει. 18. *Imago tenebrarum quæ ſuperventura erat illis*] *Quæ ſuperventura erant illis*, ſcripſit Interpres, nempe poſt hanc vitam exactam.

AD ECCLESIASTICUM.

CAP. I. v. 26. *Exercitatio autem peccatoribus ſapientia.*] Male ſcriptum eſt *Exercitatio* pro *Exſecratio.*

CAP. XIII. v. 22. *Quæ communicatio ſancto homini ad Canem?*] Eſt error Exſcriptoris; nam Interpres haud dubie ſcripſit *Hyænæ ad Canem*, quomodo eſt in Græco. Sed imperitus *Hyænæ* mutavit in *homini*, ac demum ad implendum ſenſum, addidit *Sancto*: tanta eſt Naturæ pugna inter *Hyænam* & *Canem*, ut conſpecta Hyænæ umbra, Canes obmuteſcant, *Plin.* 8. 10. *Aut quæ pars diviti ad pauperem?*] Et hic error eſt Exſcriptoris. Nam Interpres *Pax* ſcripſit, εἰρήνη.

CAP. XIV. v. 10. *Oculus malus ad mala, & non ſaturabitur pane indigens, & in triſtitia erit ſuper menſam ſuam.*] Conjunxit duas lectiones. Nam ubi alii libri habent ἐλλειπὴς, ibi alii ἐν λύπῃ.

CAP. XX. v. 23. *Et ab imprudenti perſona perdet eam: perſonæ autem acceptione perdet ſe.*] Duplex Interpretatio ἐκ διπλογραφίας nata irrepſit in Textum.

CAP. XXII. v. 14. *Non erudietur qui non eſt ſapiens in bono, &c.*] Varias Interpretationes ex varia lectione in unum miſcuerunt exſcriptores. 31. *Amicum ſalutare non confundar*] Scripſit Interpres *Salvare*, eſt enim in Græco σκεπάσειν.

CAP. XXV. v. 14. *Et occæcat vultum ſuum tanquam urſus, & quaſi ſaccum oſtendit.*] Hic quoque, ut alibi, duæ lectiones in Græco diverſæ, duas nobis Interpretationes peperere, quarum utraque tandem in Textum recepta eſt.

CAP. XXX. v. 23. *Et theſaurus ſine defectione ſanctitatis*] Interpres ſcripſit *ſanctitas.* 24. *Miſerere animæ tuæ placens Deo, & contine, &c.*] Hic quoque pari de cauſa interpres quædam addidit. 25. *Et non eſt utilitas in illa*] Hoc in Græcis quibuſdam deeſt, ſed eſt in Sixtina, & ſine eo brevior hæc eſt periodus cæteris & ſenſus eſt optimus. v. 27. *Splendidum cor & bonum in epulis eſt*] Ordo hujus Sententiæ in Sixtina, in Græco, & in Latino, alius eſt, atque alius.

CAP. XXXI. v. 2. *Cogitatus præſcientiæ avertit ſenſum, &c.*] Legit multo aliter quam nos habemus in Græco, nempe, μέριμνα ἀγρυπνίας ἀπωθήσει αἴσθησιν, ϗ ἀρρώστημα βαρὺ ἐκνήψει θυμὸν· ſed Græcus ſenſus optimus eſt, & huic loco conveniens, ſi pro ἐκνήψει ſcribas ἐκνίψει. 5. *Et qui ſequitur conſumptionem replebitur ea.*] Nihil hoc ad præſentem materiam, legimus in Græco, ϗ ὁ διώκων διαφορὰν, ἐν αὐτῷ πληθυνθήσεται. At olim ſcriptum fuiſſe pro certo habeo: ϗ ὁ διώκων διάφορον, ἐν αὐτῷ ὀλισθήσεται. 9. *Fecit enim mirabilia in vita ſua*] Legit, ἐν ζωῇ αὐτοῦ. Nos habemus ἐν λαῷ αὐτοῦ. 19 *Utere quaſi homo frugi his quæ tibi apponuntur, &c.*] Aliter hæc in Græco habent, ϗ ἐπὶ παντὶ ῥήματι διανοοῦ. (alii libri habent, πράγματι, ſenſu eodem.) 31 *Sic vinum corda ſuperborum arguet.*] Legit καρδίας, ut in Sixtinâ eſt; non ἐν καρδίᾳ, ut in aliis: pendet hoc ab eo quod præceſſit δοκιμάζει. At rectè legit ἐν μέθῃ, non ἐν μάχῃ ut habet Sixtina. 41. *Verba improperii non dicas illi, & non premas illum in repetendo*] Legit ἐν ἀπαιτήσει, ut eſt in quibuſdam libris: at melior lectio altera, ἐν ἀπαντήσει.

CAP. XXXII. v. 4. *Loquere major natu*] Alii codices habent, λάλησον πρεσβυτέρῳ· alii, λάλησον πρεσβύτερε· rectè. 16. *Et illic lude & age conceptiones tuas, & non in delictis*] Legit, μὴ ἐν ἁμαρτίαις. Sed melior eſt Sixtinæ: ἐκεῖ παῖζε ϗ ποίει τὰ ἐνθυμήματά σου, ϗ μὴ ἁμάρτῃς λόγῳ, &c. 25. *Nec credas te viæ laborioſæ*] ἀπροσκόπτῳ habent quidam codices: at Sixtinus, ἀπροσκόπῳ. Sed legendum, ἀπροσκοπήτῳ. i. e. non bene exploratæ. 27. *In omni opere tuo crede ex fide animæ tuæ*] In Sixtina eſt: ἐν παντὶ ἔργῳ πίστευε τῇ ψυχῇ σου. In aliis: ἐν παντὶ ἔργῳ ἀγαθῷ, &c. Veram lectionem monſtrant ſequentia. Legendum enim: ἐν παντὶ ἔργῳ θεῷ πίστευε τῇ ψυχῇ σου.

CAP. XXXIII. v. 6. *Equus emiſſarius*] Scripſit, puto, Interpres, *Equus admiſſarius.* Nam in Græco, ἵππος εἰς ὀχείαν. 13. *Sit tibi quaſi anima tua*] Sic Græci multi: ἔστω σοι ὡς ψυχή σου. Sixtina (ſed ex margine ut puto) ἔστω σοι ὡς σύ.

CAP. XXXIV. v. 12. *Et plurimas verborum conſuetudines*] Legit, ut quidam, ϗ πλείονα τῶν λόγων μου συνέσεις μου. Hanc lectionem veram putem præ altera: ϗ τὰ πλάσματα. 14. *Spiritus timentium Deum quæritur*] Legit ζητήσεται. Sed rectius in Græco ζήσεται.

CAP. XXXV. v. 12. *Et in bono oculo ad inventionem facito manuum tuarum*] Legit, καθόρημα χειρός. Sed haud dubie legendum, καθ' εὕρημα χειρός. 24. *Donec reddas hominibus ſecundum actus ſuos & ſecundum opera Adæ, &c.*] Aliter legit quàm in Græco habemus. Habemus autem ſic: ϗ ἀνταποδώσει ἀνθρώπῳ κατὰ τὰς πράξεις αὐτοῦ, ϗ τὰ ἔργα ἀνθρώπων, &c. verum pro certo habeo illa, τὰ ἔργα τῶν ἀνθρώπων, nata ex gloſſemate illius, κατὰ τὰς πράξεις αὐτοῦ, deinde exſcribentium nimiâ diligentiâ in Textum recepta, qui rectius ſic habebit: ϗ ἀποδώσει ἀνθρώπῳ κατὰ τὰς πράξεις αὐτοῦ ϗ κατὰ ἐνθυμήματα αὐτοῦ.

CAP. XXXVI. v. 10. *Et memento finis*] In Græcis multis, μνήσθητι ὀργῆς. Sed in Sixtina melius, μνήσθητι ὁρκισμοῦ. 13. *Et hæreditabis eos ſicut ab initio*] Eſt in Græco precativum, κατακληρονομήσαι. In aliis codicibus, κατακληρονομεῖν. Notet lector in exemplari quod ſecuta eſt Sixtina editio paginarum hic factam tranſpoſitionem magnam. Latini Interpretis exemplar melius habuit. 17 *Et ſuſcita prædicationes, &c.*] Lege ut in Sixtina eſt: ϗ ἔγειρον προφητείας, &c. non ut in aliis eſt codicibus, προφήτας.

CAP. XXXVII. v. 6. *Non obliviſcaris amici tui*] Legit hic interpres: μὴ ἀμνημονήσῃς, quomodo & in Sixtina eſt: male in aliis μὴ μνημονήσῃς. 10. *Ne forte mittat ſudem*] pro κλῆρον quod nos in Græco legimus, Interpres recte legit, σκληρόν, durum aliquid, quale *ſudes.* 21 *Verbum nequam immutabit cor, ex quo partes quatuor oriuntur*] Aliter legit quam nos habemus. Lectio Græca non una eſt. Optimè in Sixtina, diſtinctione tantum immutata, ἴχνος ἀλλοιώσεως καρδίας τέσσαρα μέρη ἀνατέλλει. 25 *Et fructus ſenſus illius laudabilis*] Legit αἰνετὸς, quod melius huic loco convenit quam πιστός. Utraque lectio invenitur in Græcis. Sed in Græco plus eſt, ἐπὶ σώματος.

CAP. XXXVIII. v. 2. *Et à Rege accipiet donationem*] Legit δόμα, ut in Sixtina, non ut in aliis, δόξαν. 15. *Incidet in manus medici*] Legit, ἐμπεσεῖ, nos habemus per optativum ἐμπέσοι. 23. *Memor eſto judicii mei*] κρίμα μου· ſed rectius in Sixtina eſt, κρίμα αὐτοῦ. 29. *Vapor ignis uret carnes ejus*] *Liquabit*, τήξει, id enim rectiùs quàm quod alii libri habent, πήξει. 30. *Vox mallei invocat aurem ejus*] Scripſit interpres, *vox mallei innovat aurem ejus*: eſt enim in Græco καινιεῖ. Quod autem quidam codices poſt σφύρας addunt, ϗ ἄκμονος, id rectiùs in aliis deeſt.

CAP. XXXIX. v. 13. *Et nomen ejus requiretur*] Legit, ζητηθήσεται. At nos habemus ζήσεται, *vivet*, non male. *proderit illi*] Legit hic interpres εὖ ποιεῖ αὐτῷ, rectè, non ut nos habemus: ὅτι ὡς διχομηνία ἐπληρώθην. 21. *opera Domini univerſa bona valde*] Quod hic in Sixtina ſequitur, ϗ πᾶν πρόσταγμα ἐν καιρῷ αὐτοῦ ἔσται, &c. & quod inter iſta interjiciunt libri alii, οὐκ ἔστιν εἰπεῖν τί τοῦτο ἐστι· non in omnibus fuiſſe exemplaribus ex Latino apparet. 32. *Hæc omnia ſanctis in bona*] Legit, εἰς ἀγαθά. Sed melius libri alii, πάντα ταῦτα τοῖς εὐσεβέσιν ἀγαθά. 35. *Grando*] Legit χάλαζα, ut eſt in Sixtina, ſed alii libri habent θάλασσα. 37. *Neceſſitate præparabuntur*] Legit, εἰς χρείας, ut eſt in Sixtina, non ut in aliis, εἰς χεῖρας.

CAP. XL. v. 6. *Et ab eo in ſomnis quaſi in die reſpectus*] Legit σκοπιά. Græci codices nunc habent σκοπιᾶς. Sed vera lectio eſt σκοπιάσῃ.

CAP. XLI. v. 12. *Et ſi nati fueritis in maledictione naſcemini*] Secutus eſt lectionem vitioſam. Vera eſt; ἐὰν γὰρ πληθυνθῆτε, &c. deinde illud πληθυνθῆτε, quod eſt obſcurius, aliquis expoſuit per γεννήσητε. Quidam & pro ἀπώλειαν ſcripſere pari ſenſu κατάραν. Sed commodiſſima eſt quam poſuimus lectio. 14. *Nomen autem impiorum delebitur*] In Græco legendum οὐκ ἀγαθῶν, non οὐκ ἀγαθόν. Et quod in quibuſdam eſt ἁμαρτωλῶν, ex gloſſemate in Textum male irrepſit. 19. *Reveremini*] Legendum ἐντράπητε, ut in Sixtina, pro quo male in aliis ἐντραπήσεται. 25. *Et ab averſione vultus cognati*] Bene legit συγγενοῦς, ut eſt in Sixtina, non ut in aliis, εὐγενοῦς.

CAP. XLII. v. 11. *Et objectione plebis*] In Græco ἔκκλητον λαοῦ ſcribitur. Sed reſcribendum ἔγκλητον λαοῦ, *accuſatam à populo.* 20 *Qui eſt ante ſæculum*] Rectior eſt lectio ὅς ἐστι, quam quæ in Sixtina, καὶ ἕως ἐστί.

CAP. XLIII. v. 5. *Feſtinare fecit iter*] Eſt recta lectio, κατέσπευσε, quam habet Sixtina, præ κατέπαυσε, quod habent editiones aliæ. 6. *Et luna in omnibus in tempore ſuo*] ϗ σελήνη ἐν πᾶσιν εἰς καιρὸν αὐτῆς. Sed melior alia lectio: εἰς στάσιν εἰς καιρὸν αὐτῆς· nam ἐποίησε, quod quidam codices habent, ex gloſſemate eſſe puto. 10. *Mundum illuminans in excelſis Dominus*] Legit κόσμον & κύριος. Sed melior lectio: κόσμος φωτίζων ἐν ὑψίστοις κυρίου. 14. *Acceleravit nivem*] Hic quoque pro κατέσπευσε, quod eſt in Sixtina, quidam codices male habent κατέπαυσε. 17. *In conſpectu ejus, &c.*] Eſt hic & in Sixtina tranſpoſitio: ordo melior in aliis codicibus Græcis, ut prius de Tonitru agatur, deinde de Ventis. 25. *Cogitatione ſua placavit abyſſum, & plantavit in illo Dominus inſulas*] Græce habemus λογισμῷ αὐτοῦ ἐκόπασεν ἄβυσσον ϗ ἐφύτευσεν ἐν αὐτῇ νήσους. Sed legendum eſt, ἄβυσσος, deinde, ἐφύτευσεν ἐν αὐτῇ νῆσος· quantum peccent ſcribæ per ignorantiam, aut ſtudium perverſum Religionis, ex hoc loco intelligas: quidam enim ſic ſcripſere: ϗ ἐφύτευσεν αὐτὴν Ἰησοῦς quod & in Latina quædam exemplaria irrepſit: *& plantavit illum Dominus Jeſus.* 28 *Propter ipſum confirmatus eſt itineris finis*] Legit δι' αὐτὸν εὐοδοῖ τέλος αὐτοῦ, ut eſt in quibuſdam codicibus. Sed melior videtur lectio altera: δι' αὐτὸν εὐοδοῖ ὁ ἄγγελος αὐτοῦ. Nam ἄβυσσος æque maſculinum ac fœmininum eſt.

CAP. XLIV. v. 2. *Multam gloriam fecit Dominus*] ἔκτισεν eſt in Græco: ſed rectiùs legas, ἐκτήσατο. Sequitur enim in Græco quod in Latino abeſt, ἐν αὐτοῖς. 13 *Et filii eorum propter illos uſque in æternum manent*] Interpres hic ſecutus eſt meliorem lectionem quæ eſt in Sixtina: ἔσται σπέρμα αὐτῶν, ϗ τέκνα αὐτῶν δι' αὐτοὺς ἕως αἰῶνος μενεῖ. Sic enim diſtinguendum.

CAP. XLV. v. 1. *Dilectus Deo & hominibus Moſes*] Ea lectio quam hic Interpres ſecutus eſt, ἠγαπημένος & Μωσῆς, non ἠγαπημένον & Μωσῆν, mihi placet. 4. *Sanctum fecit illum*] Videtur legiſſe, αὐτὸν ἡγίασεν, pro quo in Sixtina, una litera mutata, αὐτοῦ ἡγίασεν· in aliis, αὐτοῦ ἡγίασεν αὐτόν. 26 *Sacrificia Domini edent*] Legit Interpres, φάγωνται, non ut in Sixtina φάγονται. 30 *Principem ſanctorum & Gentis ſuæ*] Legit προστάτην, ut & nunc Græci Codices. Sed omnino legendum προστατεῖν ἁγίων καὶ λαοῦ αὐτοῦ.

CAP. XLVI. v. 1. *Jeſus filius Nave*] Ex Ναυῶ facto Ναυῆ per errorem exſcriptoris. *Hoſtes ipſe Dominus percuſſit*] Legit πολεμίους, ϗ κύριος. Sed melior lectio quam habemus: τοὺς γὰρ πολέμους κυρίου αὐτὸς ἐπήγαγεν. 17 *Cognitus eſt verbis ſuis fidelis quia vidit Deum lucis*] Et *per verba cognitus eſt fidus in viſis.* Nam πιστὸς ὁράσεως eſt in Sixtina, quod in aliis male deſideratur. Latinus autem id legit, ſed corrupte.

CAP. XLVII. v. 3. *Cum leonibus luſit*] Eſt in Sixtina ἔπαιξεν. Verum alii codices habent ἐπεξένωσεν, i. e. *apud Leones divertit.* *Nunquid non occidit Gigantem?*] οὐχὶ deeſt in pleriſque codicibus Græcis. Sed eſt in Sixtino, & eſt Admirantis. 15 *Cui ſubjecit Deus omnes hoſtes*] In Græcis quibuſdam: ϗ ἐνδοξάσῃ ὡς ὁ θεὸς κατέπαυσε κυκλόθεν αὐτοῦ. At in Sixtina brevius: ᾧ ὁ θεὸς κατέπαυσε κυκλόθεν, id eſt, τὰ κυκλόθεν. *Eruditus es in Juventute*] Rectius in Sixtina legitur ἐσοφίσθης, & ἐν νεότητί σου, quam cum aliis ἐσοφίσθη, & ἐν νεότητι αὐτοῦ. 19. *Et in nomine, &c.*] Partes hujus commatis recte connectuntur in quibuſdam cod. nec male poſt illud,

τῷ

τοῦ, addi, πάσης τῆς γῆς. 29. *Et Jerobiam filium Nabath*] υἱὸν Ναβὰτ est in Sixtina; at alii codices habent υἱὸς Ναβὰτ, ut ſubaudiatur *fuit, qui.*

CAP. XLVIII. v. 10. *Qui ſcriptus es in judiciis temporum lenire*, &c.] Variant hic multum Græcæ Lectiones, & inter ſe, & à Latina.

CAP. XLIX. v. 7. *Dederunt*, &c.] ἔδωκε hic rectius legitur quàm ἔδωκαν. 11. *Benefacere illis*, &c.] ἀγαθῶσαι eſt in Sixtina. Sed rectius legi puto ἠγάθωσε· cujus Gloſſema κατώρθωσε in alios libros irrepſit.

CAP. L. v. 1. *Corroboravit Templum*] ἐστερέωσε τὸν ναὸν, ut in Sixtina, non τὸν λαὸν, ut in aliis. 5. *Qui prævaluit amplificare civitatem*] Legit, ϗ ἐνίσχυσεν πόλιν ἐμπολιορκῆσαι. Sed alii libri habent, ϗ ἐνίσχυσας πολιορκῆσαι. 20. *Et in magna domo auctus eſt ſonus ſuavitatis plenus*] Ita eſt in Sixtina: ἐν πλείστῳ οἴκῳ ἐγλυκάνθη μέλος, non male. Alia exemplaria habent ἐν πλείστῳ ἤχῳ. 23. *Et iteravit orationem ſuam*, &c.] Legit ἐδευτέρωσεν, & ἐπιδείξασθαι. Sed vera eſt lectio quæ in plurimis Cod. extat: ἐν προσκυνήσει ἐπιδείξασθαι τὴν εὐλογίαν παρὰ ὑψίστου. 25. *Det nobis jucunditatem cordis*] Hoc male abeſt ab aliis codicibus. Eſt autem in Sixtina, δώη ἡμῖν εὐφροσύνην καρδίας. 28. *Qui ſedent in monte Sehir*] ἐν ὄρει Σηείρ, pro quo nunc legimus, ἐν ὄρει Σαμαρείας. Lectionem hanc quam in ſuis codicibus Græcis interpres Latinus repetit, præferam, &c. 31. *Quia lux Dei veſtigium ejus eſt*] Hic ubi Latinus hunc ſermonem finit, finit & Sixtina Græca editio. alii vero libri præterea aſcribunt, ϗ τοῖς εὐσεβέσιν ἔδωκε σοφίαν, εὐλογητὸς κύριος εἰς τὸν αἰῶνα. γένοιτο, γένοιτο.

CAP. LI. v. 12. *De manibus Gentium*] eſt quidem in Sixtina, & ἐθνῶν, ſed alii codices ſatis bene habent, ἐχθρῶν. 13. *Exaltaſti ſuper terram habitationem meam*] In Græcis pleriſque: ἀνύψωσα ἀπὸ ὀργῆς ἱκετεάν μου. In Sixtina vero: ἀνύψωσα ἐπὶ γῆς ἱκετεάν μου. Unde media lectio vera exurgit ἀνύψωσα ἀπὸ γῆς ἱκετεάν μου. 25. *Et in faciendo eam confirmatus ſum*] In Sixtino eſt, ϗ ἐν ποιήσει λιμοῦ διηκριβωσάμην· & annotatur alios libros habere ϗ ἐν ποιήσει μου. Media lectio vera: ϗ ἐν ποιήσεσί μου διηκριβωσάμην. 26. *Inſipientiam ejus luxi*] Recte legit, ϗ τὰ ἀγνοήματα αὐτῆς ἐπένθησα. Pro quo in quibuſdam libris male, ἐπενόησα. 37. *In miſericordia ipſius*] Legit ἐπὶ τῷ ἐλέει αὐτῆς, non αὐτοῦ.

AD LIBRUM BARUCHI.

CAP. I. v. 17. *Et non credidimus diffidentes in eam*] Hic tres verſiones diverſæ illius, ϗ ἠπειθήσαμεν αὐτῷ, in unam coaluerunt, ſcribentium vitio.

CAP. II. v. 21 *Inclinate numerum veſtrum*] Male admodum in Græcis omnibus κλίνατε τὸν νόμον, cum et ex Latino interprete, & ex ſenſu appareat legendum, τὸν ὦμον. 25. *Et in emiſſione*] Verſionum Græcarum aliæ habent ἐν ἀποστολῇ, pro quo aliæ ἐν λοιμῷ. 33. *Reminiſcentur*] Recte legit, ὅτι μνησθήσονται· non ut nunc in Græcis ſcribitur, ὅτι μνησθήσομαι. 34. *Dominabuntur eis*] Melius in aliis codicibus Latinis *ejus*. nam in Græco eſt κυριεύσουσιν αὐτῆς, ſc. τῆς γῆς.

CAP. V. v. 8. *Obumbraverunt*] Legit ἐσκίασαν, pro quo nos habemus ἐστήρισαν.

CAP. VI. v. 19. *Et veſtimentum ipſorum, & non ſentiunt*] Legit recte in Græco ϗ τὸν ἱματισμὸν αὐτῶν ϗ οὐκ αἰσθάνονται. in noſtris codicibns ϗ illud deſideratur. 51. *Unde ergo notum eſt quia non ſunt Dii?*] Sequitur interpres Græcum, quale nunc eſt. Sed excidit negativa particula. Recta enim eſt lectio: πῶς οὖν γνωστέον ἐστὶν, ὅτι οὐκ εἰσὶν θεοί.

AD MACCABAICUM I.

CAP. I. v. 60. *Secundum edictum Regis*] Legit κατὰ τὸ σύγκριμα τοῦ βασιλέως. in noſtris Græcis male excidit κατά.

CAP. II. v. 2. *Gaddis*] Bene legit in Græco, Γαδδὶς (Joſepho Γαδδὶς) non ut nos habemus, Ιαδδὶς. 16. *Conſtanter ſteterunt*] Legit hic interpres συνέστησαν, non ut nos habemus συνήχθησαν, & ut puto, rectius. 33. *Reſiſtitis & nunc adhuc*] In græco eſt, ἕως τοῦ νῦν ἐξελθόντες ποιήσατε κατὰ τὸν λόγον τοῦ βασιλέως. Sed apparet latinum legiſſe, ἕως ποτε· νῦν ἐξελθόντες, &c. 67. *Vindicate vindictam*] Videtur legiſſe ἐκδικήσατε ἐκδίκησιν, non male. In noſtris græcis illud verbum excidit, aut conſtructio eſt κατὰ σύλληψιν.

CAP. III. v. 48. *Et expanderunt libros Legis, de quibus ſcrutabantur Gentes ſimilitudinem ſimulacrorum ſuorum*] Eſt ſic in quibuſdam codicibus Græcis· at in aliis plenius, περὶ ὧν ἐξηρεύνων τὰ ἔθνη τοῦ ἐπιγράφειν ἐπ' αὐτῶν τὰ ὁμοιώματα τῶν εἰδώλων αὐτῶν. 8. *Gazer civitatem*] In Græco legitur τὴν Γαζὴρ· ſed Ιαζὴρ legendum, nam Joſephus habet Ἰάζωρον. 26. *Et in Alimis*] ἐν Ἀλέμοις hic in Græcis: ſed legendum videtur literis tranſpoſitis ἐν Μαλεθοῖς. *Et in Caſphor*] In Græco χασφὼρ. ſed reſcribendum χάσφων, χάσφωμα Joſepho. 66. *Perambulabat Samariam*] Pro Σαμάρειαν, lege Μάρισαν, ex Joſepho. nam Samaria longe abeſt ab iis locis, ubi tunc Bellum gerebatur.

VI. v. 1. *Elymaidem in Perſide*] Secutus eſt hoc loco interpres Joſephum qui urbem vocat Elymaida, quia in hoc libro quem plerunque ſequitur, legerat, Ελύμαις, &c. cum hoc tempore ſyncerior extet lectio, ἐν Ελύμαις ἐν τῇ Περσίδι. 38. *In Legionibus ejus*] Legit Latinus φάλαγξιν· ſed quam nos habemus in Græco lectionem, φάραγξιν, apparet ex Joſepho veram eſſe, qui ductum Peditem ἐπὶ τὰ στενὰ dicit. 39. *In clypeos aureos & æreos*] In Græco tantum eſt, χρυσᾶς ἀσπίδας: at in Joſepho, τάς τε χρυσᾶς ϗ χαλκᾶς ἀσπίδας. 39. *Eleazer filius Saura*] In Græco Ελεάζαρος ὁ Σαυαρὰν· ſed legendum, ut in aliis eſt Codicibus, Αυαράν.

CAP. VII. v. 19. *Bethzecha*] Scripſit interpres *Bethzetha* in Græco Βηζαιθ pro Βηθσαιθ, Joſepho Βηθζηθώ. 22. *In Iſrael*] Legit ἐν Ισραήλ· quod rectius, quam quod nunc habemus in Græco, ἐν Ιερουσαλήμ. Natus error ex Scriptionum compendiis ΙΛ ΙΛΜ.

CAP. VIII. v. 1. *Quæ poſtulantur*] Legit hic interpres προτιθεμένοις, non προστιθεμένοις ut quidam habent Libri. 30. *Hi aut illi*] In Græco recte, οὗτοι ϗ οὗτοι, non οὗτοι ἢ οὗτοι, ut legiſſe videtur interpres.

IX. v. 50. *Et in Betboron*] In Græco Βαιθήλ· & in Joſepho Βεθήλλαν, legendum forte Βιθὴρ, & in Joſepho Βεθηράν. 69. *Iratus*] Legit interpres ὠργίσθη, melius ſane quam ὠργίσθησαν.

X. v. 71. *Bellorum*] Legit πολέμων, non ut nos habemus, πόλεων, hanc tamen lectionem confirmat Joſephus, hunc ſcriptorem plurimum ſequens.

CAP. XI. 3. *Ptolemaus*] Recte legit interpres Πτολεμαῖος, non ut nos in Græco, Πτολεμαΐδος. 49. *Ad Emalchuel*] Puto recte ſcriptum hoc nomen in Latino, & inde emendandum Græcum, ut pro Ειμαλκουὲ, legatur Ελμαλκουὲλ.

CAP. XIII. v. 37. *Et Bahem*] τὴν Βαίνην in Græco, ſed legendum, ut legit interpres Latinus τὴν Βαΐν.

CAP. XIV. v. 23. *Scripſimus*] Legit ἐγράψαμεν, pro quo in Græco eſt ἔγραψαν. 35. *Actum Simonis*] Πίστιν *fidem Simonis*. Sed quia interpres ſcriptum reperit compendio πν. legit πρᾶξιν, quomodo & quidam habent libri Græci.

CAP. XV. *Et in Siden*] *Pamphyliæ urbem*, niſi forte legendum Σιδῶνα. In Græco Sixtino eſt, ϗ εἰς Σίδην. *Et in Rhodum*] Hoc nomen male deeſt in Græcis nonnullis. 27. *Et noluit ea accipere*] Legit ut nos habemus in Græco, καὶ οὐκ ἠβούλετο. Sed Joſephus vult nos legere καὶ ἠβ.

AD MACCABAIUM II.

CAP. I. v. 19. *In valle ubi puteus erat altus & ſiccus*] In Græco: ἐν κοιλώματι φρέατος τάξιν ἔχοντος ἄνυδρον. Pro quo eruditi recte monent ſcriptum olim fuiſſe βάθιν ἔχοντος ἄνυδρον, quod probo.

CAP. III. v. 4. *Contendebat, obſiſtente ſibi Principe Sacerdotum, iniquum aliquid in Civitate moliri*] Legit in Græco, quomodo eſt in Sixtina: διηνέχθη τῷ Ἀρχιερεῖ περὶ τῆς κατὰ τὴν πόλιν παρανομίας. At mihi verior videtur lectio aliorum librorum: ἀγορανομίας.

CAP. IV. v. 21. *Propter Primates*, &c.] Puto interpretem ſcripſiſſe *Primatus*. In Gr. διὰ τὰ πρωτοκλήσια, vel πρωτοκλίσια. Scribendum arbitror πρωτοκλεια. 29. *Soſtratus autem prælatus eſt Cypriis*] Legit: Σώστρατος δὲ ἐκράτησε ἐπὶ τῶν Κυπρίων. Sed nos habemus in libris Græcis omnibus: Σώστρατος δὲ Κράτητα τὸν ἐπὶ τῶν Κυπρίων. 40 *Duce quodam Tyranno*] Προηγησαμένου τινὸς Τυράννου, ut eſt in Sixtino; nam in aliis, αὐράνου.

CAP. V. v. 9. *Et qui multos de patria ſua expulerat peregrè periit.*] Bene legit in Græco, ὁ συχνοὺς τῆς πατρίδος ἀποξενώσας, ut eſt in Sixtino, non ὡσεὶ χοῦς, ut eſt in aliis editionibus. 24. *Odioſum principem*] Legit hic interpres, μισάρχην, cum Græci codices nunc omnes habeant μυσάρχην.

CAP. VI. v. 1. *Antiochenum*] Scriptum fuiſſe credo per compendium αντν. pro Αντιόχειον. Librarii inde fecere αθ. id eſt, Αθηναῖον.

CAP. VII. v. 28. *Ex nihilo fecit*] ἐξ οὐκ ὄντων. Alii libri habent οὐκ ἐξ ὄντων.

CAP. VIII. v. 23. *Ad hoc etiam ab Eſdra lecto illis ſancto libro*] Legit ἔτι δὲ ϗ διὰ Εσδρα. At nos habemus: ἔτι δὲ ϗ Ελεάζαρον παραναγνοὺς τὴν ἱερὰν βίβλον. Ego legendum puto ἔτι δὲ ϗ Ελεαζάρου παραναγνοὺς τὴν ἱερὰν βίβλον. 27. *ſtillans in illos*] Legit στάξαντος αὐτοῖς, ut eſt in quibuſdam libris. Sixtina habet τάξαντος· prius præfero.

CAP. XI. v. 21. *Menſis Dioſcori*] Legit Διοσκόρου, pro eo quod Græci codices habent Διὸς Κορινθίου, mendoſe haud dubiè. Ego ſcriptum fuiſſe puto Δίου. 36. *conferentes*] Legit ἐπισκεψάμενοι, quomodo habet & Sixtina. Sed præpono lectionem quæ eſt in libris aliis, ἐπισκεψόμενον.

CAP. XIV. v. 3. *Temporibus commiſtionis*] Legit ut in Sixtina eſt ἐν τοῖς τῆς ἐπιμιξίας χρόνοις. Male in aliis libris, ἀμιξίας· 19 *Theodotium*] Pro *Theodotion*; rectius in aliis Latinis, *Theodotium*. Eſt enim in Græco Θεόδοτον. 21. *Et ſingulis ſellæ prolatæ ſunt & poſitæ*] In Sixtina eſt ϗ παρ' ἑκάστου διαφόρους ἔθεσαν δίφρους. In aliis, παρ' ἑκάστου δίφρος ἔθεσαν δίφρους. 38. *Continentiæ propoſitum*] In Græco, τῆς ἀμιξίας κρίσιν, &c.] ubi non dubitem pro ἀμιξίας reſcribendum ἐπιμιξίας, faventibus libris quibusdam.

CAP. XV. v. 39. *Concedendum eſt mihi*] Legit ἀφετέον μοι, nos habemus τοῦτο ἐφικτόν μοι.

AD MACCABAICUM. III.

ϗ εἶπον ὁμοθυμαδὸν] Ita quædam editiones. At Sixtina: ὁ μὲν οὖν Αρχιερεὺς Σίμων ἐξ ἐναντίας τοῦ ναοῦ κάμψας τὰ γόνατα ϗ τὰς χεῖρας προτείνας εὐτάκτως, ἐποιήσατο τὴν δέησιν τοιαύτην. Διά τε τῶν προαποδεδειγμένων συμποτῶν] Sic recte in Sixtina: male in aliis συμπόνων. τοὺς ἐννενεμωμένους] Alii codices ἐννομουμένους. Sed vera lectio eſt ἀνομουμένους. προκατεσκιρρωμένης] Legendum ut in Sixtina προκατεσκιρρωμένης. τότε καταφημήσαντες] Rectius in Sixtina κατευφημήσαντες. ἰδίαν οἰκείαν] Rectius in Sixtina οἰκίαν.

AD MAT-

AD MATTHÆUM.

Εὐαγγέλιον κατὰ Ματθαῖον] Vetus Inſcriptio non habuit nude εὐαγγέλιον, ſed εὐαγγέλιον Ἰησοῦ Χριστοῦ, ut eſt initio Marci.

CAP. I. v. 18. ἡ γέννησις] Olim plerique codices habuere γένεσις· non multum intereſſe videtur, utro legamus modo. 23 ἕξει] Ita rectius quam ἔχει, quod legere videtur Hieronymus. καλέσουσι] Non dubitem ſequi optimorum codicum & Syri interpretis fidem. Præſertim cùm ita jam olim legerint Origenes & Chryſoſtomus. καλέσεις, quod quidam codices & Euſebius ſequuntur, eſt à Græco *LXX* ſenum, qui hic Hebraiſmum ſecuti ſunt.

CAP. II. v. 11. τοὺς θησαυροὺς] Quædam exemplaria Epiphanii tempore habebant hoc loco πήρας, quod ex interpretamento eveniſſe arbitror.

CAP. III. v 8. Καρπὸν ἄξιον τῆς μετανοίας] Lucas plurali numero dixit καρποὺς ἀξίους, quod hoc loco in codices quoſdem pervaſit, ſequente Syro. Sed illam lectionem Latinus & plurimi codices præferunt. 11. πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρί] Librarii audaciores delerunt hoc loco voculam πυρὶ, quod in quibuſdam codicibus videre eſt.

CAP. IV. v 10. ὕπαγε] Quod in quibuſdam codicibus additur ὀπίσω μου, aliunde aſſutum eſt, quod & Syrus & Græci ad hunc locum Scriptores oſtendunt.

CAP. V. v. 10 αὐτῶν ἐστιν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν] Clementis temporibus diverſo modo hic locus legebatur. Ipſe citat ὅτι αὐτοὶ υἱοὶ θεοῦ κληθήσονται, quod ex ſequenti commate irrepſit. Ab aliis legi teſtatur ὅτι αὐτοὶ ἔσονται τέλειοι, atque etiam, ὅτι ἕξουσι τόπον ὅπου οὐ διωχθήσονται, quæ omnia gloſſemata eſſe arbitror explicantia quid eſſet βασιλεία τῶν οὐρανῶν hoc loco. 22. εἰκῆ] Hanc vocem Syrus Interpres tam propriam hoc loco exiſtimavit, ut retinere eam maluerit quàm vertere. Quo minus accedendum Hieronymo hanc vocem eradenti ex quorundam exemplarium fide. Præſertim cùm Græcos interpretes eam legiſſe appareat, & Juſtinus ipſe ita proferat hanc ſententiam; deinde & Irenæus duobus locis, l.2 c 56. & lib. 4. c.31. 33. καὶ ὃς ἐὰν ἀπολελυμένην γαμῆ, μοιχᾶται] Abfuiſſe hanc particulam à quibuſdam exemplaribus teſtatur Auguſt. at nunc in omnibus legitur, ut & infra, c. 19: 45. γένησθε υἱοὶ τοῦ πατρὸς] In quibuſdam codicibus pro υἱοὶ legebatur ὅμοιοι, interpretamento in textum recepto, quod ex Chryſoſtomo apparet. 46. Pro [οἱ τελῶναι] quidam codices ſcribebant οἱ ἐθνικοί. 47 Ἀσπάζεσθε τοὺς ἀδελφοὺς] Quod hic quidam codices habent φίλους, ex interpretamento eſt.

CAP. VI. v. 1. τὴν δικαιοσύνην ὑμῶν] Cùm ita legiſſe Syrum & Arabem appareat, nec deſit librorum auctoritas, omnino hic accidiſſe arbitror (quod alibi ſæpe) ut altera lectio ex interpretamento gloſſematis nata ſit. Quia enim δικαιοσύνη in ſenſu ἐλεημοσύνης erat gloſſema; id eſt, vox minus uſitata, & Judæis Helleniſticis quam Græcis notior, ideo aſſcripta eſt vox altera uſus frequentioris. 13. ἀπὸ τοῦ πονηροῦ] Quod ſequitur [*Quoniam tuum eſt regnum, poteſtas, & gloria, in ſecula ſeculorum*] cùm in vetuſtiſſimis exemplaribus Græcis non extiterit, extet autem & in Syriaco & in Latino contextu, & in Arabico, argumentum nobis exhibet unde diſcamus, non Arabicam tantum & Latinam, ſed & Syriacam verſionem factam eſſe poſtquam Eccleſiarum λειτουργία formam certam acceperat: nam ex Græciæ conſuetudine cœpta eſt aſcribi hæc δοξολογία magis, quam pars precationis, Latinis omnibus ignota: ſed & *Amen* apparet non à Chriſto additum, ſed ex more veteris Eccleſiæ publicam vocum recitationem eâ voce approbantis. 18. ἀποδώσει σοι] ἐν φανερῷ, quod pauciores hic addunt, ex locis ſuperioribus repetitum eſt. 25. τί φάγητε καὶ τί πίητε] Aſſentior codicibus ita ſcribentibus.

CAP. VII. v. 14. τί στενὴ] Ita hoc loco legiſſe Græcos apparet, ita Syrum, ita Latinum interpretem: nihil mutandum. 25. Τεθεμελίωτο] Ita hæc vox extat in omnibus codicibus, cum uſus poſtularet ἐτεθεμελίωτο.

CAP. X. v. 8, καθαρίζετε] Quod hic quidam aſcribunt νεκροὺς ἐγείρετε, id non miror abeſſe à vetuſtiſſimis exemplaribus, neque agnoſci à Græcis hunc locum exponentibus: Nullum enim mortuum ab Apoſtolis vitæ redditum legimus, ante Chriſti Reſurrectionem: adjectum ex aliis locis eò eſt credibilius, quia Syrus & Latinus non eodem loco ponunt hoc membrum. 10. μηδὲ ῥάβδον] ῥάβδον non ῥάβδους legerunt Syrus & Latinus. 12. Ἀσπάσασθε αὐτήν] Alii poſtea, cum non putarent ſatis cohærere quod ſequitur, ἡ εἰρήνη ὑμῶν, voces aliquot ex Luca huc infarſerunt. 23. Διώκωσιν] Quia erat obſcurius, adjecta eſt olim interpretatio διώκωσιν ἐκ τῆς πόλεως ταύτης, quæ deinde (ut fieri ſolet) in aliquorum codicum textum admiſſa eſt. 25. Βεελζεβοὺβ] Ita Syrus, ita Latini veteres, ita Hebræus Sermo, quod alii ſcribunt Βεελζεβοὺλ, aut ſcriptoris aut pronunciationis eſt corruptio, quæ in poſtremas literas ſæpe incidit.

CAP. XII. v. 14. συμβούλιον ἔλαβον] Et hoc loco quidam codices ex interpretamento habent συμβούλιον ἐποίησαν. 20. ἕως ἂν ἐκβάλῃ εἰς νῖκος τὴν κρίσιν] Non aſſentior Hieronymo ſuſpicanti omiſſum hic aliquid exſcribentium vitio.

CAP. XIII. v. 8. ὃ μὲν] ὃ cum accentu; ita enim optimi codices. 54. ἐν τῇ συναγωγῇ] Id rectius puto, quam quod Syrus & Latinus poſuerunt, *in Synagogis*. 55. Καὶ Ἰωσῆς καὶ Σίμων] etiam & hic quidam codices habent Ἰωσήφ, ex vetere interpretamento haud dubié.

CAP. XIV. v. 3. Φιλίππου] Cum nomen hoc extet in Marci exemplaribus omnibus in antiquiſſimis etiam Matthæi & Lucæ, atque omnibus iſtis locis apud Syrum & Latinum interpretes, ſolicitanda lectio non eſt.

CAP. XV. v. 39. Μαγαδάν] Ita olim habuit Græca lectio, ut ex Hieronymo & Auguſtino apparet, atque etiam nunc optimæ notæ codices. Ita & Latinus vetus. Quare cum nunc etiam exemplaria quædam μαγαδὰν habeant, ea Scriptura pluribus teſtimoniis niti videtur.

CAP. XVI. v. 20. ἵνα μηδενὶ εἴπωσιν ὅτι αὐτός ἐστιν ὁ Χριστός] Ita omnino legendum, quomodo habet Syrus, vetuſtiſſimaque tum Græca tum Latina exemplaria. Et apparet non aliter legiſſe aut olim Origenem, aut poſtea Ambroſium, aut ſerius Theophylactum: quod nonnulli codices hic habent Ἰησοῦς, haud dubie interpretamentum fuit.

CAP. XVIII. v. 28. εἴ τι ὀφείλεις] Non auſim movere hanc veterum codicum lectionem. Nam ſolet εἰ ſæpe non Conditionem, ſed Generalitatem ſignificare. 35. τὰ παραπτώματα αὐτῶν] Vetuſtis codicibus, qui hæc verba habent adjecta, cum Chryſoſtomo & Theophylacto aſtipulatur Syrus Interpres.

CAP. XIX. v. 9. μὴ ἐπὶ πορνείᾳ (non εἰ μὴ ἐπὶ)] Ita vetus editio Complutenſis. Atque ita legit Syrus: i.e. *cum non ſit adultera*. 17. τί με ἐρωτᾷς περὶ τοῦ ἀγαθοῦ; εἷς ἐστιν ὁ ἀγαθός] Cum & vetuſtiora & emendatiora exemplaria hanc lectionem præferant, quam ſecutus eſt tum vetus quo nunc utimur Latinus Interpres, tum illi codices quibus uſi ſunt Auguſtinus, Hieronymus, atque alii, multo eſt credibilius, lectionem alteram ex Marco & Luca huc traductam (quod ſæpe accidit) quam iſtam aliunde irrepſiſſe. Antiquitas tamen diverſæ lectionis vel inde apparet, quod apud Origenem utriuſque fit mentio: Et Syrus ita hic habet ut in Marco & Luca eſt. εἷς ἐστιν ὁ ἀγαθός] Ut Antiqui codices habent, recte Syrus interpretatur addito Dei nomine. 20. ἐφυλαξάμην] Quod ſequitur, ἐκ νεότητός μου, nunc quidem hic & apud Syrum legitur. Sed Antiqui libri Latini non habebant, unde ſuſpicari licet ex Marco aut Luca adjectum.

CAP. XX. v. 4. ὃ ἐὰν ᾖ δίκαιον] Quæ verba & infra commate 7. repetunt nunc libri Græci; quos Syrus ſequitur: at olim ſubintelligebantur, ut ex priſcis Latinis exemplaribus apparet. 22. μέλλω πίνειν] Quod hic in quibuſdam exemplaribus ſequitur, καὶ τὸ βάπτισμα ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι βαπτισθῆναι, & commate ſequenti, τὸ βάπτισμα ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι βαπτισθήσεσθε, quandoquidem & Hilarius, Ambroſius & Hieronymus non agnoſcunt videri poſſunt interpretamenti cauſa ex Marco adjecta, & codices Græci diſcrepant, veterem tamen eſſe & hanc & huic ſimiles adjectiones, apparet ex Syro & Origene.

CAP. XXI. v. 30. ἐγὼ κύριε] Recta lectio, Syro etiam agnoſcente, interque Græcos Theophyl: Euthym: lectiones alias ex interpretamento natas non dubito.

CAP. XXII. v. 10. ὁ γάμος] Ita plerique codices, nec aliter legerunt Origenes & Theophylactus. Unde quod alii habent νυμφὼν ex interpretamento credendum eſt veniſſe, quod tamen ſequitur Syrus, ſive quod ita legit, ſive quod ſenſum reddere voluit apertiorem.

CAP. XXIII. v. 8. εἷς γάρ ἐστιν ὑμῶν ὁ διδάσκαλος ὁ Χριστός] Omnino διδάσκαλος legendum: quomodo & Syrus legit. Nam voci Rabbi & Rabboni ſcriptores noſtri ubique reddunt διδάσκαλε, nuſquam καθηγητά. 13. Quod hic in multis exemplaribus jampridem legitur comma, Οὐαὶ δὲ ὑμῖν γραμματεῖς καὶ φαρισαῖοι ὑποκριταὶ, ὅτι κατεσθίετε τὰς οἰκίας τῶν χηρῶν, καὶ προφάσει μακρὰ προσευχόμενοι· διὰ τοῦτο λήψεσθε περισσότερον κρίμα· judico παρεμβεβλημένον: cujus rei mihi magnum indicium eſt, quod qui habent codices, alii præponunt iſti ſententiæ de clavibus, alii ſubtexunt. Fermè enim videas quæ ſitu variant, aliunde adjecta; ut hic & Marco & Luca, additis mutatiſque verbis ad implendam cohærentiam.. Græcus Evangeliorum Indiculus, quem Canonem vocant, ad quem provocare Hieronymus ſolet, quique factus eſt ex optimis codicibus, in Matthæo hoc Comma non habet, Origenes tam diligens librorum ſcrutator non agnoſcit: habent quidem libri Syriaci, at Latini antiquiſſimi non habent; proinde hæc pars major videtur: adde quod detrahendi nulla fuit cauſa, addendi aliqua. 25. καὶ πάσης ἀκαθαρσίας] Hanc lectionem quam Latinus ſequitur, ſi veterum codicum accedat auctoritas, cæteris præferam. Inde enim natæ videntur lectiones aliæ propinquitate vocis: ut ἀκρασίας, quod quanquam Origeni lectum videtur, repudio, quia nuſquam Phariſæi, quod ſciam, ejus vitii arguuntur: & ἀδικίας, ex interpretamento, quod Syrus ſequitur 35. Ζαχαρίου υἱοῦ Βαραχίου] Ut iſte Zacharias patrem Jojadam, ita Propheta patrem habuit Barachiam: ita ut videri poſſint exſcriptores peccaſſe memoriæ fiduciâ, quia Prophetæ Zachariæ Patrem noverant, nec de altero Zacharia ſuccurrebat: quibus accedit, quod codex Hebræus Nazaræorum, quem non fruſtra & hoc etiam loco conſuluit Hieronymus, eadem hæc habebat: ſed pro Barachiæ nomine nomen Jojadæ: nec cauſa erat, cur hac in re aut Nazaræorum aut Ebionitarum fides argueretur, vetuſtatem tamen lectionis noſtræ, quam magno conſenſu tuentur Græci, Latini, Syri codices, una res poteſt defendere, quod apud Hebræos ſæpe nomina mutarentur in alia ejuſdem aut vicini ſignificatus, quomodo Rex Solomo dicebatur Jedidias. Et eadem eſt ſignificatio in nomine Jojadæ, quæ in nomine Barachiæ.

CAP. XXIV. v. 6. Δεῖ γὰρ πάντα] Latinus interpres pro πάντα legit ταῦτα. Syrus autem conjunctim πάντα ταῦτα, quod cum & codicum quorundam fide muniatur, præferendum puto. 18. τὰ ἱμάτια] Singulari numero vertunt Syrus & Latinus. *Penulam* intelligi non dubito, nec tamen mutem Gr. lectionem.

31. Μετὰ σάλπιγγος φωνῆς μεγάλης] Hic quædam exemplaria habent σάλπιγγος ϗ φωνῆς. 36. οὐδὲ οἱ ἄγγελοι τῶν οὐρανῶν] Non multum refert an hic legatur id quod addunt quidam, οὐδὲ ὁ υἱὸς, necne: cum apud Marcum nemo deleat. Mihi vero probabilius eſt, quibuſdam codicibus additum ex Marco, quàm deletum ex Matthæo: nulla enim erat delendi cauſa, cum in Marco relinqueretur, addita autem ſæpe videmus aliqua ex ſcriptorum inter ſe collatione: nec me movet, quod Marcus Matthæi Hiſtoriam contraxit, non enim ita ſe Matthæo adſtrinxit, ut non alicubi mutaret verba, adderet etiam aliquid; Petro, ut credi par eſt, ſiquid ſupra cæteros meminerat, ſuggerente. Interpretes qui *filii* hic faciunt mentionem, ad Marcum reſpexere: quod ex Origene apparet qui de filio hic agit, cum tamen edita ab Origene exemplaria iſtas voces hoc loco non haberent, ut teſtatur Hieronymus. Ab hac lectione ſtant Syrus, Latinus, & codicum pars multo major. 49. ἐσθίῃ δὲ ϗ πίνῃ] Ita multi codices. Ita Syrus: Ita Latinus, & Græci Interpretes nonnulli: quare pars hæc major videtur.

CAP. XXV. 1. Εἰς ἀπάντησιν τοῦ νυμφίου] Non de nihilo eſt quod & Latinus & Syrus addunt ϗ νυμφῆς· atque ita legiſſe Origenem credet ſiquis ejus lectioni diligenter attenderit: ſuſpicari licet omiſſum ab his qui non videbant quomodo virgines, *i.e.* fideles dicerentur ſponte occurrere, cum ipſi ſint eccleſia, *i.e.* ſponſa. Sed id neminem movere debuit. 9. Μήποτε] Recta lectio, & haud dubie ἔλλειψις recuſationis cujus ratio redditur. 13. οὐδὲ τὴν ὥραν] Interpretamentum eſt quod hic Græci codices non omnes adjiciunt ἐν ᾗ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἔρχεται, ignoratum Syro, Latino, Arabi. 16. ἐποίησεν] A quibuſdam ſubſtitutum eſt Interpretamentum ἐκέρδησεν. 29. Καὶ ὃ ἔχει] ὃ ἔχει facto ὃ δοκεῖ ἔχειν, ut Lucas loquitur, quod & hic quidam codices, ſed ex Luca ni fallor.

CAP. XXVI. v. 3. Οἱ Ἀρχιερεῖς ϗ οἱ γραμματεῖς] Vocem γραμματεῖς non legit Latinus: at Syrus & Arabs legerunt. 26. εὐλογήσας] Immo & hic quidam Græci codices habuerunt εὐχαριστήσας, atque ita citant veteres, inter alios Baſilius, ex Interpretamento ſcilicet. 40. οὕτως οὐκ ἰσχύσατε] Non aſſentior iis qui οὕτως à ſequentibus interſtinguunt. 72. ϗ λέγει αὐτοῖς] Ita codices Antiqui, & Syrus: quare illud τοῖς ἐκεῖ putem interpretamentum eſſe prolatum ab iis qui non meminerant αὐτοῖς Helleniſtis dici more Hebræo, etiam ubi nomen non anteceſſit. 74. Καταναθεματίζειν] In manuſcripto vetuſtiſſimo qui ex Græcia in Angliam venit eſt hic καταθεματίζειν, ſicut et in *Apoc.* XXII. 3. κατάθεμα.

CAP. XXVII. 9. Διὰ Ἱερεμίου] Quod quidam exiſtimant ab audace Librario adjectum nomen Jeremiæ, cum Matthæus Prophetam nominaſſet, probare non poſſum, quia video jam ab Origenis temporibus laboratum, ut hic nodus ſolveretur, qui labor ſupervacuus fuerat, ſi qua exemplaria caruiſſent nomine Jeremiæ: nec enim potuit unius exſcriptoris Error in omnia exemplaria manare; multo credibilius eſt, à Syro id nomen omiſſum, quia conſtabat in ſcriptis Jeremiæ iſtud non reperiri. At agnoſcit Arabs, & Latinus, & quicquid eſt veterum. 34. ὄξος μετὰ χολῆς] Ita pleraque exemplaria & Syrus. Nec aliter legit Origenes diligens exemplarium Inquiſitor. Nec tamen Latinum interpretem culpo, qui *vinum* vertit, ut nec eos qui Græco margini ad vocem ὄξος adjecere οἶνον interpretamenti gratiâ: quod poſtea in contextum quorundam librorum irrepſit. 35. βαλόντες κλῆρον] Quod in quibuſdam libris hic ſequitur, ἵνα πληρωθῇ, ex Joanne adjectum non dubito: quia Græca optima exemplaria, multa etiam Latina non habent; nec agnoſcit Syrus Arabe antiquior: etiam Origenes non legit. 42 πιστεύσομεν αὐτῷ] Hanc lectionem veriorem arbitror. 43. εἰ θέλει αὐτός] Nullo modo ſollicitanda eſt hæc lectio. 52 τῶν κεκοιμημένων ἁγίων ἠγέρθη] Quidam putant mortuo Chriſto hos mortuos ſtatim reſurrexiſſe, quod aliquos movit, ut in eo quod ſequitur legerint non μετὰ τὴν ἔγερσιν, αὐτοῦ ſed αὐτῶν, inter quos eſt Arabs Interpres, & inter Græcos Glycas. Sed vero eſt ſimilius, &c. 55 ϗ Ἰωσῆ μήτηρ] Pro *Joſe* veteres quidam Codices & Græci & Latini habebant *Joſeph*, ſed idem eſt nomen.

CAP. XXVIII. v. 8. ὡς δὲ ἐπορεύοντο ἀπαγγεῖλαι] Verba hæc cum ſint in pleriſque codicibus, & Syrus Græcique Interpretes agnoſcant, delere non auſim: 10. τοῖς ἀδελφοῖς μου] Non conſanguineis, at quidam volunt, ſed Diſcipulis. Unde & lectio altera Μαθηταῖς μου, ex veteri Interpretamento in textum quorundam Codicum penetravit.

AD MARCUM.

CAP. I. v. 2. ὡς γέγραπται ἐν Ἡσαΐᾳ τῷ προφήτῃ] De hujus Scripturæ veritate dubitari miror, cùm præter codicum auctoritatem, & Irenæum ita citantem, manifeſta ſit veterum interpretum, Syri, Latini, Arabis conſenſio. Nec vero Porphyrius adduxiſſet hunc locum contra Chriſtianos, niſi ea conſtans fuiſſet codicum lectio, nec Chriſtiani in ſolvenda Porphyrii objectione laboraſſent. Adde quod hujus lectionis mutandæ cauſa apparet, alterius mutandæ nulla eſſe potuit. 11. ἐν σοὶ εὐδόκησα] Ita Syrus & Latinus, & codices Græci aliquot. Quod alii habent, ἐν ᾧ, ex Matthæo eſt. 24. ἦλθες ἀπολέσαι ἡμᾶς] Percunctative legendum puto, ut apud Matthæum. 34. ὅτι ᾔδεισαν αὐτόν] Adjecit aliquis ex Luca, Interpretamenti cauſa, χριστὸν εἶναι, quod non eſſe genuinum vetuſti codices & antiqui Interpretes evincunt.

CAP. II. v. 17. καλέσαι δικαίους, ἀλλὰ ἁμαρτωλούς] Subauditur εἰς μετάνοιαν. Quod adjectum eſt in codicibus Græcis non omnibus, & in epiſtola Barnabæ, ubi eadem ponitur quæ hic eſt ſententia: cum olim abfuiſſe & Syrus & Græci Interpretes teſtentur, & antiquiſſimus ille qui in Anglia eſt manuſcriptus. 23. ϗ ἐγένετο παραπορεύεσθαι] Hanc lectionem & Syrus ſequitur. Quare quod alii minus vetuſti Codices habent ἐγένετο πάλιν, puto veniſſe ex Latina verſione in qua *Iterum* poſitum eſt μεταβατικῶς, nî fallor; ſolet enim iſte Interpres nonnunquam adjicere aliquid ut infra quoque com. 24.

CAP. III. v. 4. ἀπολέσαι] Apparet ita legiſſe Syrum & Latinum: quare cùm nunc quoque ſint codices qui hanc lectionem præferant, ita potius ſcribendum videtur. 5. ἀποκατεστάθη ἡ χεὶρ αὐτοῦ] Ita Latinus, Syrus, & Arabs: quare aſſentior exiſtimantibus ὑγιὴς ὡς ἡ ἄλλη, Interpretamenti loco adjectum ex Matthæo. Nam & alibi Marcus ſine adjectamento uſurpat, ut cap. 8. v. 25. 14. ϗ ἐποίησε Δώδεκα] Quod nonnulli codices hic adjiciunt, οὓς ϗ ἀποστόλους ὠνόμασεν, cum priſci interpretes non agnoſcant, haud dubito natum ex interpretamento. 18. Θαδδαῖον] Λεββαῖον habent quædam exemplaria, pro quo alios ſcripſiſſe Λευὶν ex Origene conjicio. Certe & Theodoretus videtur ita legiſſe; citat enim Θαδδαῖος ὁ ϗ Λεβί. 27. οἰκίαν αὐτοῦ διαρπάζει] Διαρπάζει eſt & apud Matthæum: nec aliter legit Syrus, & magis Hebraiſmum ſapit. 29. αἰωνίου ἁμαρτίας] Κρίσιν pro *condemnatione*, aut *ſupplicio* paſſim in his libris reperimus. Sed cum præter veterem Latinum interpretem codices Antiqui habeant ἁμαρτίας, probabilius eſt ita ſcriptum à Marco, κρίσιν autem fuiſſe interpretamentum Hebraiſmi, quo *peccatum* ſumitur pro pœna peccati.

CAP. IV. v. 8. ἓν τριάκοντα, ϗ ἓν ἑξήκοντα ϗ ἓν ἑκατόν] Atque ita apparet legiſſe veteres interpretes; quare ita potius legendum quam ἐν. Vide ad v. 20. 10 οἱ περὶ αὐτὸν σὺν τοῖς δώδεκα] Hoc autem περὶ αὐτὸν veteres explicarunt μαθητὰς αὐτοῦ laxiore notione, quod deinde in textum quorundam codicum penetravit: voculas σὺν τοῖς quas omiſit Latinus interpres retinendas cenſeo: nam & Græci agnoſcunt & Syrus, & optimi codices. 20 ἓν τριάκοντα, &c.] Hic Syrum ἐν legiſſe apparet: nec dubium quin multi exſcriptores id prætulerint, ut vitarent τὸ σολοικοφανές· credibilius tamen eſt, ita fuiſſe ſcriptum ut ſupra commate 8. Nam & in Matthæo eſt ſimilis repetitio. 21. ἔρχεται] Non dubito quin vera hæc ſit lectio, vel eo argumento, quo ſæpe utor, quod diverſa ejus interpretamenta in textum irrepſerunt. Alii enim codices habent καίεται, alii ἅπτεται, quorum alterum legit Arabs يوقل At Syrus eo antiquior legit ἔρχεται, ut & Latinus. 25 ἐν ᾧ μέτρῳ μετρεῖτε μετρηθήσεται ὑμῖν, ϗ προστεθήσεται ὑμῖν τοῖς ἀκούουσιν] Lectionis hujus veritatem defendunt codices antiqui, & veteres Metaphraſtæ; à quorum conſenſu ut ſæpe monui, non eſt temere recedendum. 37 γεμίζεσθαι] Ita interpretes veteres: ut agnoſcas βυθίζεσθαι eſſe interpretamentum. 40. τί δειλοί ἐστε; οὕτω πῶς οὐκ ἔχετε πίστιν] Hanc veram puto lectionem.

CAP. V. v. 11. πρὸς τῷ ὄρει] Ita Syrus legit, Lucas ἐν τῷ ὄρει. 15. τὸν ἐσχηκότα τὸν λεγεῶνα] Cum & Syrus, & Arabs agnoſcant, retinendum cenſeo: eoque magis, quia credibilius eſt deletum eſſe ab iis qui ſupervacuum putabant, quam ab aliis additum. 19. ϗ ἐλέησέ σε] Ita optimi codices, quos Latinus ſequitur. 23. ἵνα ἐλθὼν ἐπιθῇς] Qui hic deeſſe aliquid putarunt adjecerunt ἐλθὲ, quod non legit Syrus. 33 πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν] Ita veteres interpretes: nec dubito quin quod præterea habent codices alii adjectum ſit ex Lucæ Hiſtoria. 34. ὕπαγε εἰς εἰρήνην] Ita & Lucas, male mutarunt quidam in ἐν εἰρήνῃ. 41. αὐτῇ] Rectè, neque mutandi cauſa.

CAP. VI. 1. ἐξεπλήσσοντο] Quod quidam codices habent ἐπὶ τῇ διδαχῇ αὐτοῦ, puto additum ex Latino interprete, qui ad ſenſum explendum quædam interdum verba addit. ὅτι ϗ δυνάμεις τοιαῦται -- γίνονται] rectius eſt ὅτι -- γίνονται, quam quod alii habent ἵνα γίνωνται. 3. ὁ τέκτων] P. 261. ad Mat. 13. 55. aut memoria fefellit Origenem aut Marci exemplaria eo tempore aliam habuerunt ſcripturam. Diſerte enim dicit οὐδαμοῦ τῶν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις φερομένων εὐαγγελίων τέκτων αὐτὸς ὁ Ἰησοῦς ἀναγέγραπται. Ἰώσητος] Videtur mihi hæc vera eſſe lectio, ad Græcam flexionem perducto nomine. Nam & infra XV. 40. ita habent optimi codices, quod qui non intellexerunt, repoſuerunt vocem ἄκκλιτον. 7. τοὺς Δώδεκα] Ita loqui ſolus Marcus: quare quod alii addunt μαθητὰς αὐτοῦ, haud dubie ex Matthæo adjectum eſt. 14. τὸ ὄνομα αὐτοῦ] Ita legendum cenſeo, ut ὄνομα ſit quarti caſus pro quo Interpretamenti vice quidam ſubſtituerunt ἀκοὴν αὐτοῦ. ϗ ἔλεγον] Videndum num qui codices habeant ἔλεγον, ſicut olim legebant Latini. Nam Marcum ferme ſequitur Lucas. 15. ὅτι προφήτης ἐστὶν ὡς εἷς τῶν προφητῶν] Miror dubitari de hac lectione, quam codices plurimi præferunt, & præterea Syrus, & Arabs, & Latinus interpretes: adde quod interpoſitum ἢ ſenſum nullum reddit: cum hujus lectionis aperta ſit ſententia. 31. Δεῦτε ὑμεῖς ὑπάγωμεν αὐτοὶ κατ' ἰδίαν] Hunc in modum legiſſe mihi videtur Syrus, cum in aliis codicibus deſit ὑπάγωμεν, in aliis ὑμεῖς & αὐτοί· mihi iſta lectio non diſplicet, ut ſit αὐτοὶ poſitum pro ὑμεῖς. 32. ϗ ἀπῆλθον εἰς ἔρημον τόπον] Etiam quæ hoc loco in codices quoſdam irrepſit lectio ἀναβάντες εἰς τὸ πλοῖον oſtendit ab aliquo interpolatum eſſe Græcum Textum ad modum Latinæ verſionis. 33. ϗ προῆλθον αὐτούς] Quod hic noſtri codices poſt iſta verba habent, ϗ συνῆλθον πρὸς αὐτούς, ſupervacaneum eſt, nec agnoſcitur aut a Syro aut a Latino. Quare cum alii codices habeant ἦλθον & αὐτοῦ, ſuſpicari licet initio ſcriptum à Librariis ϗ ἦλθον πρὸς αὐτοῦ, quod interpretamentum erat eorum quæ poſuimus Marci verborum; ſed poſtea cum in Textum irrepſiſſet, mutatum, ne bis idem diceretur. 54. ἐπιγνόντες αὐτόν] ἔλλειψις. Subintelligitur, quod expreſſit Matthæus οἱ ἄνδρες τοῦ τόπου· quod & hic à Syro eſt additum, & ex interpretamento in quoſdam Græcos Codices ſe inſinuavit, cum non agnoſcat Latinus.

CAP. VII. v. 4. Ἀπὸ τῆς ἀγορᾶς] Supple γενόμενοι, Qui deeſſe aliquid putarunt addiderunt ὅταν ἔλθωσι, quod à Syro non agnoſcitur, nec neceſſarium eſt. 5. κοιναῖς] ἀνίπτοις quod quidam habent codices interpretamentum ex commate 2 ſupra: Latinus quoq; legit κοιναῖς. Nec aliter Syrus: nam & ſupra is pro κοιναῖς τοῦτ' ἔστιν ἀνίπτοις interpretatus eſt *illotis manibus*. 8. ϗ ἄλλα παρόμοια τοιαῦτα] Lectionem hanc tuentur conſtanter codices Græci, & Latinus interpres, & infra locutio eadem occurrit. 22. Ἀσέλγειαι] Pluralem numerum codices boni præferunt, atque ita legit Latinus.

CAP. VIII. v. 3. Ἥκασι] Hanc lectionem tuetur veterum interpretum Auctoritas. 10. Δαλμανουθά] Ita Syrus, Arabs, Latinus, & præſtantiſſimi codices, & Græci ſcriptores ad hunc locum: quare quod alii libri pridem habuerunt μαγεδὰν, Μαγδαλὰ, interpretamentum eſt ex Matthæo. 15. Ἡρώδου] Ita Priſci interpretes; quare quod alii habent Ἡρωδιανῶν ex Annotatione natum eſt. 25. ϗ ἐποίησεν αὐτὸν ἀναβλέψαι] Cum hoc non habeat Syrus, & aliter legerit Latinus, unde nata eſt altera lectio, ϗ ἤρξατο ἀναβλέψαι, fieri poteſt ut adjectum ſit ab eo qui vim impoſitarum ſecundo manuum voluit exprimere. ἅπαντα] Cum & codices quidam ita habeant, atque ita legerint Syrus & Latinus, præferenda hæc lectio videtur.

CAP. IX. v. 1. Miror hoc comma in quibuſdam codicibus inchoare novam lectionem, cum rectius adhæreat præcedentibus, quomodo Diviſionem inſtituiſſe videntur Græci. 16. πρὸς αὐτούς] Ita Syrus legit, Diſcipulos intelligens: quod omnino exigere videtur comma 14. ſupra. 18. ῥήσσει αὐτὸν καὶ ἀφρίζει] Syrus hic pro ἀφρίζει legiſſe videtur σπαράσσει· cum tamen μετ' ἀφροῦ ſit etiam apud Lucam. 20. ἐσπάραξεν αὐτόν] Syrus legiſſe videtur ἔῤῥηξεν, Latinus ἐτάραξεν· utcunque ab interpretamento natum videtur. ἀφρίζων] forte hic τρίζων & ſupra τρίζει legit Syrus; noſtram lectionem defendit Lucas & rei convenit. 37. οὐκ ἐμὲ δέχεται] μόνον ex interpretamento adjectum. 40. καθ' ὑμῶν ὑπὲρ ὑμῶν] Ita optimi codices, ita Syrus, Arabs, & Latinus; quare mutari non debet. 49. πᾶς γὰρ πυρὶ ἁλισθήσεται] Joſepus Scaliger mutandam lectionem dixit, & ſcribendum πᾶσα γὰρ πυεία· volebat autem πυειὰν vocem eſſe novam à Marco confictam ad exprimendam vim vocis Hebrææ אשת. Sed ea vox πυειὰ neque apud Græcum nec apud Helleniſtam ullum legitur; nequid mutare audeam abſterret tanta codicum conſenſio, neque vero neceſſe eſt.

CAP. X. v. 17. γονυπετήσας αὐτὸν] Non movenda lectio, nam & ſupra 1. 40. eſt γονυπετῶν αὐτόν. 29. ἢ γυναῖκα] Agnoſcit Syrus, & codices: neque inducendi cauſam video. 46. Βαρτίμαιος] Quod alicubi legiſſe ſe dicit Hieronymus *Barſemia* puto non alterius ſignificatus, ſed corruptæ eſſe pronuntiationis. 50. Ἀναστὰς] Ita & Syrus. Quare non dubito quin alterum ἀναπηδήσας ſubſtitutum ſit in codicibus Græcis mutatis ad Latinum exemplar.

CAP. XI. v. 1. εἰς Βηθφαγῆ] Quod aliqui libri habent Βηθσφαγῆ, puto eſſe ex corrupta pronuntiatione. 10. Βασιλεία τοῦ πατρὸς ὑμῶν Δαβὶδ] Quod hic ex ſuperiori commate quidam codices repetunt ὀνόματι κυρίου vetus non eſt, ut præter Syrum Latinus docet, ſed habet Arabs. 27. καὶ πρεσβύτεροι] Quod additur in libris quibuſdam λαοῦ ex veteri interpretamento eſt: nam nec Syrus nec Latinus agnoſcunt.

CAP. XII. v. 20. ἑπτὰ ἀδελφοὶ ἦσαν] Ita plurimi codices & Syrus: quare οὖν ex Latino videtur adjectum. 31. ὁμοία αὐτῇ] Ita congruenter Matthæo legerunt Syrus & Latinus, à quibus cur diſcedendum ſit non video.

CAP. XIII. v. 9. καὶ εἰς τὰς συναγωγὰς δαρήσεσθε] Veram hanc eſſe lectionem quam præferunt antiqui codices non dubito ab ignaris ejus dicendi generis varie interpolatam. Nam alii καὶ poſt vocem συναγωγὰς addiderunt. alii pro εἰς τὰς συναγωγὰς repoſuerunt ἐν ταῖς συναγωγαῖς. 14. τῆς ἐρημώσεως] Quod hic in quibuſdam codicibus additur τὸ ῥηθὲν ὑπὸ Δανιὴλ τοῦ προφήτου puto ex Matthæo adjectum: nam Latini non agnoſcunt. 34. ἐξουσίαν] Ita Syrus.

CAP. XIV. 15. ἐστρωμένον] In quibuſdam libris ἕτοιμον ex Matthæo adjectum. Nec enim agnoſcit Latinus quanquam habet Syrus. 19. Μή τι ἐγώ] Recte monet vir diligentiſſimus, quod in quibuſdam codicibus adjicitur καὶ ἄλλος μή τι ἐγώ, ex interpretamento natum videri. Nam nec Syrus, nec Latinus, nec Arabs agnoſcunt; neque cohæret cum illo καθ' εἷς. 22. Λάβετε] φάγετε quod hic aliqui codices additum habent, ex Matthæo venit. Nam veteres Metaphraſtæ non agnoſcunt. Et deeſt in codicibus quibuſdam. Sic & infra v. 34. quidam codices additum habent μετ' ἐμοῦ. 45. ῥαββὶ ῥαββί] Ita optimi codices, & Syrus: quare lectio altera ex Matthæo profluxit. 69 Πάλιν ἤρξατο] Omnino aſſentior iis qui πάλιν cum ἤρξατο conjungunt: quomodo & Latinus interpres videtur accepiſſe. Nec terrere quenquam debet hac in parte Codicum auctoritas: nam cum veteres libros ſine diſtinctionibus ſcribi ſolitos, &c.

CAP. XV. v. 3. Πολλά] Quod hic addunt codices quidam αὐτὸς δὲ οὐδὲν ἀπεκρίνατο ex Matthæo adjectum eſt. Nam nec Latinus, nec Arabs agnoſcunt. 7. ἐπεποιήκεισαν] Hanc lectionem præferendam cenſeo, quam ſecuti ſunt & Syrus & Latinus. ἀναβοήσας] Apparet ita legiſſe Syrum & Græcos. Quare quod Vaticanus codex habet ἀναβὰς accedit ad ea argumenta quibus moveor ut credam quædam Marci exemplaria ad Latinam verſionem mutata. 11. ἀνέσεισαν τὸν ὄχλον] Non puto aliter legiſſe Syrum, nec eum, qui Syrum ſæpe ſequitur, Arabem. 25. ἦν δὲ ὥρα τρίτη] Lectionis mutandæ cauſam non video, tanto Syri, Arabis, Latini conſenſu. 34 ἐλωΐ] Vetera exemplaria non omnia ita habuere. Nam ἠλεὶ (quod idem eſt cum eo quod apud Matthæum ἠλὶ) citat Euſebius. 36. λέγων ἄφετε] At Syrus legit hoc loco ἔλεγον· quod exemplaria Græca quædam habere dicuntur. Omiſſus Nominativus mutandæ cauſam dederit. 43. ἦλθεν] Ita legiſſe videntur Syrus & Latinus. Et ſane omnes ferme codices ita habent. 46. καὶ ἀγοράσας] In quibuſdam codicibus Joſephi nomen ex interpretamento repetitur.

CAP. XVI.] Omiſſam à Marco Reſurrectionis hiſtoriam nonnulla volunt exemplaria, ſed Latinus, Syrus, & Arabs omiſſam nolunt. Quare quod in quibuſdam Græcis exemplaribus hæc pars aut tota, aut ab illis verbis ἀναστὰς (nam in verbis ἐφοβοῦντο γὰρ deſiiſſe quoſdam libros & Gregorius Nyſſenus docet, & manuſcripti quidam oſtendunt) omiſſa fuit, exſcriptoribus tribuendum eſt, qui in hac parte eſſe putaverunt cum Matthæi verbis ἄσπονδον πόλεμον, quam omiſſionis cauſam & Hieronymus reddit. 2. Ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου] Duæ illæ lectiones, ἔτι ἀνατείλαντος, cujus Nyſſenus meminit, & ἀνατέλλοντος quam exemplaria nonnulla præferunt, natæ ſunt ex interpretamento. 9 Ἀναστὰς δὲ] Imperiti aliqui expunxerunt hoc Comma ſimili temeritate qua totam hanc lectionem à quibuſdam omiſſam diximus.

AD LUCAM.

CAP. I. v. 29. ἡ δὲ ἰδοῦσα] Ita legit & Syrus. Neque recte ad mutandum quoſdam movit quod ſequitur, διεταράχθη ἐπὶ τῷ λόγῳ. 35. γεννώμενον ἐκ σοῦ] Illud ἐκ σοῦ omnino retinendum cenſeo. Nam præter Syrum Arabs quoque agnoſcit, & veteres ſcriptores. 46] Si recte Origenem intelligo, hic dicit in quibuſdam codicibus omiſſum Mariæ nomen, & proinde à quibuſdam creditum hoc carmen eſſe Elizabethæ, quos refellit & librorum & Interpretum & veterum qui verbis hinc depromptis utuntur Auctoritas.

CAP. II. v. 5. αὐτῷ γυναικί] Offendit quoſdam male illud γυναικί, quod agnoſcit Latinus, & vetera exemplaria. 14. ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία] εὐδοκία, non εὐδοκίας aut εὐδοκίᾳ habet conſenſus Græcorum Codicum, & apparet Græcos ſcriptores conſtanter eum in modum legiſſe. Nam quod ex Origenis Homilia in hunc locum affertur nullius eſt ponderis, cum Græca Origenis non habeamus. --At Syrus & Arabs retento nominativo Copulam interjecerunt, quaſi aliter hiaret Oratio. 21. καὶ ἐκλήθη τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἰησοῦς] Non eſt mutanda lectio. 22. τοῦ καθαρισμοῦ αὐτῶν] Cum plerique codices, etiam ille vetuſtate conſpicuus qui in Anglia eſt, habeant αὐτῶν, Origenes ita legerit, nec aliter Syrus, erat omnino hæc lectio retinenda. Nam Arabs Syro recentior eſt, & non raro Latinum ſequitur. 38. τοῖς προσδεχομένοις ἀπολύτρωσιν ἐν Ἱερουσαλήμ] Lectionem hanc eſſe veram præter Græcorum Codicum conſenſum, Syrus docet, & Irenæus qui ita legit.

CAP. III. v. 1. ἡγεμονεύοντος] Id eſt, ἐπιτροπεύοντος, quod interpretamentum in codicibus quibuſdam contextum occupavit. 24. τοῦ Ἠλί, τοῦ Μελχί] Sic in antiquis exemplaribus fuiſſe, argumentis quibuſdam perſuadeor. Irenæus diſerte docet ſuo tempore tantum LXXII extitiſſe γενεὰς in Luca. Africanus vero non minus aperte citat Lucæ verba his duobus nominibus hoc loco omiſſis. 36. τοῦ Σαλά, τοῦ Ἀρφαξάδ] Sic habent MS. Græci aliquot, quorum meminit Beza. Et quod potiſſimum eſt, antiquiſſimâ literâ ſcriptus unus qui Lugdunenſis Eccleſiæ fuit Cantabrigiam poſtea delatus; & alter in Angliam è Græcia nuper miſſus. Irenæi quoque numerus oſtendit Cainani nomen non lectum eo tempore. Nec ejus quæ nunc apparet indicia reperias ante quartum ſeculum. Africanus id nomen non agnoſcit. Crediderim, à ſcriptore aliquo libri, unde multa exemplaria fluxerunt, ex penultimo hujus Commatis capite nomen Cainanis hoc loco errore quoque repoſitum.

CAP. IV. v. 6. τὴν δόξαν αὐτῶν] Ita & Latinus legit. At Syrus αὐτῆς, ut referatur ad ἐξουσίαν. Sed rectum puto αὐτῶν. αὐτήν] τὴν δόξαν, quomodo & Syrus legit. 8. εἶπεν ὁ Ἰησοῦς, γέγραπται, προσκυνήσεις] Hæc haud dubie vetuſtior eſt lectio, quam & Latinus & Syrus agnoſcit, & Origenes et Ambroſius. Poſt quos omnes addi in Græcis codicibus atque etiam Arabicis cœpit, ὕπαγε ὀπίσω μου Σατανᾶ, & poſt γέγραπται additum γάρ, nimirum ex aliorum locorum collatione. Nec quiſquam eſt Græcorum Theophylacto antiquior, qui iſta verba hoc loco agnoſcat. 18 κηρύξαι] quod ante hanc vocem habent codices quidam ἰάσασθαι τοὺς συντετριμμένους τὴν καρδίαν, non fuiſſe in libris Græcis veteribus ex Origene apparet. Sed nec in antiquiſſimis Latinorum codicibus, ex Ambroſii in hunc locum explicatione facile eſt conjectu. Quare cum & nunc antiqui codices ſuperſint qui hanc particulam non habeant, probabilius eſt, additum ex Iſaia & interpretibus LXX, quam ab aliis exſcriptoribus omiſſam. 26. Σάρεπτα τῆς Σιδῶνος] Non tacendum duxi, vetuſtiſſimum codicem hic pro Σιδῶνος habere Σιδωνίας, ut apertius ſit regionis vocabulum.

CAP. V. 7. ὥστε βυθίζεσθαι αὐτά] Quod hic additur παρά τι videtur mihi adjectum ab his qui genus hoc loquendi emolliendum putabant; quos et Syrus ambiguitatis evitandæ cauſa eſt ſecutus. Latinorum codicum vetuſtiſſimi videntur hoc non habuiſſe 26. ἔκστασις ἔλαβεν ἅπαντας] Iis non accedendum qui hic aliquid delendum ſuſpicantur. 36. οὐ συμφωνεῖ ἐπίβλημα] Deeſt ἐπίβλημα in antiquiſſimo codice qui in Anglia.

CAP. VI. v. 5. καὶ τοῦ Σαββάτου] Quod hic habent inſertum nonnulli codices, de eo qui Sabbato opus faciebat, cui dictum eſt a Chriſto beatum eſſe ipſum ſi noſſet quid ageret; ſin minus, legis violatorem, ſpurium eſſe non dubito. Nam neque Metaphraſtæ veteres, nec qui ad hunc locum ſcribunt ejus meminere Hiſtoriæ. 7. κατηγορίαν αὐτοῦ] Satis Græce nec de lectione dubitandum. 9. ἐπερωτήσω ὑμᾶς τι] Ita legit & Syrus. 10. ἀποκατεστάθη ἡ χεὶρ αὐτοῦ] Verba illa, ὑγιὴς ὡς ἡ ἄλλη, videntur ex Matthæo adſcripta, nam multi codices non habent, nec agnoſcit Latinus. Syrus agnoſcit illud ὡς ἡ ἄλλη, non illud ὑγιής. 35 μηδὲν ἀπελπίζοντες] Legit omnino Syrus μηδέν' ἀπελπίζοντες. At Græci ſcriptores & Latinus interpres vetus legunt μηδέν. 43. οὐ γάρ ἐστι δένδρον] Quanquam γὰρ illud Syrus & Arabs non habeant, tamen cum Græci codices præferant, habeat Latinus, agnoſcat & interpretetur Theophylactus, delere non auſim; nec ſatis eſt cauſæ.

CAP. VII. v. 12. καὶ αὐτὴ ἦν χήρα, καὶ ὄχλος τῆς πόλεως ἱκανὸς σὺν αὐτῇ] Hæc frequentior lectio, à qua ſtant Syrus & Latinus. Nec video quid obſtet. 15. ἔδωκεν αὐτὸν τῇ μητρὶ] Manuſcriptus autem ille in Anglia vetus apertius exprimit verbo ἀπέδωκεν. 25. ὑπάρχοντες] Cum ita legerint Latinus & Syrus, alteram lectionem διάγοντες apparet interpretamentum eſſe. 30. Τίνι οὖν ὁμοιώσω] Qui putarunt Lucam interlocutum verbis Chriſti, infarſerunt hic εἶπε δὲ ὁ κύριος· ſed hoc aſſumentum multi codices Græci Latinique non habent. Nec Ambroſius legit, nec Theophylactus, nec Euthymius, ſed nec Syrus nec Arabs: quare non dubito pronuntiare, eſſe παρεμβεβλημένον. 45. εἰσῆλθεν] Cum hanc lectionem Græci codices nonnulli adhuc præferant, & præter Syrum Arabs eam agnoſcat, præferendam alter cenſeo, quanquam ad ſenſum non multum refert.

CAP. VIII. v. 3. ὑπαρχόντων αὐταῖς] αὐτοῖς habent Græci codices optimi, Syrus, & Latini exemplaria quædam. 27. ἐκ τῆς πόλεως] Hanc partem Latino omiſſam agnoſcunt Syrus & Arabs. 38. ἐδέετο δὲ] Ita legit & Syrus: multoque id præſtant lectioni alteri. 51. καὶ Ἰάκωβον καὶ Ἰωάννην] Hunc ordinem Nominum ponunt Syrus & Latinus: quod ſequendum puto, cum & Græci codices accedant. 54. ἐκβαλὼν ἔξω πάντας] Hanc lectionem cum Syro Arabs quoque agnoſcit; credibile eſt omiſſam à Latino, quod non videret quomodo hoc conciliari poſſet.

CAP. IX. 1. τοὺς δώδεκα αὐτοῦ] Differens codicum lectio; cum alii adjiciant μαθητῶν, alii ἀποστόλων, indicio mihi eſt, utrumque natum ex interpretamento. 4. καὶ ἐκεῖθεν ἐξέρχεσθε] Apparet ita legiſſe Græcos & Syrum: quare retinenda eſt hæc lectio 23. καθ' ἡμέραν] Retinendum omnino: non agnoſcunt Syrus, Arabs, Latinus. 38. ἐπίβλεψον ἐπὶ τὸν υἱόν μου, ὅτι μονογενής ἐστί μοι] Ita legiſſe Latinum apparet. At Syrus & Arabs hunc in modum ἐπίβλεψον ἐπί με· υἱὸς μονογενής ἐστί μοι. Conſulant vetuſtos codices Græcos ſiquibus eſt copia. 39. Κράζει] Poſt hoc verbum Latinus legit

τὸ

ϗ ῥήσει, quod interpretamentum eſſe videtur ex Marco additum, aut ex eo quod infra eſt commate 42. Syrus id ipſum habuiſſe videtur ante illud ϗ μόγις. *ib.* Συντρίβον αὐτὸν] Non temere rejicienda eſt altera lectio, συντρίβοντος. 44. εἰς τὰ ὦτα] agnoſcit hanc lectionem Syrus, ſed & Arabs. 48. ἔσται] Retinendam puto hanc lectionem quam agnoſcit & Syrus. 50. καθ' ἡμῶν] ὑμῶν legiſſe non Syrum tantum, ſed & Arabem & Latinum. 52. κώμην] Ita legit Theophylactus, & Tertullianus, Syrus quoque & Arabs. 54. ὡς ϗ Ἠλίας ἐποίησεν] Præter Syrum Arabs agnoſcit: & Tertullianus ſuo tempore ita legit, quare credibile eſt in Latinis ab aliquo expunctum, qui verebatur ne locus hic Marcioni faveret. 55. Hoc comma cum ſequenti deeſt in Manuſcripto qui in Anglia eſt: forte quod exſcriptori aſperius dicta hæc eſſe viderentur. 56. οὐκ ἦλθε ψυχὰς ἀπολέσαι] Ita legit Syrus & Latinus. Quare quod poſt ψυχὰς à nonnullis eſt poſitum ἀνθρώπων, interpretamentum videtur, antiquum tamen, quando & Arabs legit.

CAP. X v. 1. ἑβδομήκοντα] De lectionis hujus veritate ob conſenſum codicũ Græcorum & Syri, dubitandum non arbitror. Quod Latinus poſuit 72 non aliunde eſt quam ex antiqua Traditione. 11. εἰς τοὺς πόδας ὑμῶν] præter Syrum Arabs quoque hanc particulam, & vetus ille in Anglia Manuſcriptus agnoſcit. 21. τῷ πνεύματι] ἁγίῳ quod addunt Syrus & Latinus non agnoſcit Arabs, neque Græcorum codicum pars antiquior: adjectum ab iis videri poteſt qui cum Didymo exiſtimarunt, quoties πνεύματι additur articulus, Sp. ſanctum intelligi. ib. στραφεὶς πρὸς τοὺς μαθητὰς κατ' ἰδίαν, εἶπε ταῦτα] Cum habeant hanc particulam Syrus & Arabs, credibilius eſt ab aliis ideo omiſſam, quia ſequenti commate idem loquendi genus repetitur.

CAP. XI. v. 1. Credibile eſt in Græcis codicibus adjecta ex Matthæo quæ Lucas omiſerat, cum non extent in Latinis antiquis illa, *Qui es in cœlis*: item *fiat voluntas tua ut in Cœlo, ita in Terra* (quod & Græci codices quidam omittunt:) item, *ſed Libera nos à malo.* 33. εἰς κρυπτὸν] Ita Syrus & Latinus: atque id malo quam quod alii codices præferunt κρύπτην. 42. ὅτι ἀποδεκατοῦτε] Cur quis hic malit οἱ quam ὅτι, ſane nihil probabilis cauſæ video. 45. Datur hinc colligi, quod in commate ſuperiore habent Græci libri, & ex illis Syrus & Arabs, γραμματεῖς ϗ φαρισαῖοι ὑποκριταὶ, aliunde adjectum; nam & Latinus interpres id non legit. 52. ὅτι ἤρατε τὴν κλεῖδα] Vetus quidam Annotator ἤρατε expoſuerat ἐκρύψατε non male; quod & in Textum alicubi penetravit. 53. Δεινῶς ἐνέχειν] Συνέχειν, quod quidam codices habent, legiſſe videtur Arabs; at recentior iſta eſt lectio quam et Syrus agnoſcit. ibid. ἀποστοματίζειν] Non videtur diſcedendum ab hac lectione quam tot codices ſtabiliunt.

CAP. XII. v. 15. ὅτι οὐκ ἐν τῷ περισσεύειν τινὶ ἡ ζωὴ αὐτοῦ ἐστιν ἐκ τῶν ὑπαρχόντων αὐτοῦ] Hæc eſt receptior lectio, à qua mihi non videntur recedere vetuſti interpretes. 49. εἰ ἤδη ἀνήφθη] Ita habent omnes antiqui codices à quibus nulla eſt cauſa recedendi. 51. ἀλλ' ἢ διαμερισμὸν] Videntur exemplaria quibus uſus eſt Tertullianus ex Matthæo habuiſſe μάχαιραν. διαμερισμὸν hic conſtanter agnoſcunt interpretes.

CAP. XIII. v. 9. εἰς τὸ μέλλον] Probo hanc lectionem, quam veteres codices tuentur. 15. ὑποκριτά] Singulariter legit Syrus. 25. ἐγερθῇ] Ita Syrus & Arabs. Latinum apparet legiſſe εἰσέλθῃ· ſed illud præferendum. 34. ἀφίεται ὑμῖν ὁ οἶκος ὑμῶν] ἔρημος hic in quibuſdam libris ex Matthæo adſcriptum eſt, cum optimi codices non habeant; & Græci ſcriptores, ſed & quidam Latini non agnoſcant.

CAP. XIV. v. 17. ἀπὸ μιᾶς] Jam olim Arabs totam præteriit, ut ſolet non intellecta.

CAP. XV. v. 30. ὁ καταφαγών σου τὸν βίον] σου à Latino prætermiſſum, recte agnoſcunt Syrus & Arabs.

CAP. XVI. v. 8. ὅτι οἱ υἱοὶ] Interpretamenti cauſa adjectum à nonnullis, διὸ λέγω ὑμῖν, quod ſubaudiri ſatis eſt.

CAP. XVII. v. 35. ϗ ἡ ἑτέρα ἀφεθήσεται] Quod hic in quibuſdam codicibus legitur de *repertis in agro*, ex Matthæo adjectum non dubitabit qui animadverterit à Græcis Scriptoribus diſcrimen hoc loco Matthæi & Lucæ diſerte annotari.

CAP. XVIII. v. 6. ϗ μακροθυμῶν ἐπ' αὐτοῖς] Ita habet vetuſtiſſimus ille in Anglia Manuſcriptus. Ita legit Chryſoſtomus, ita Latinus Interpres, ita Syrus & Arabs: quare hanc lectionem retinendam puto, eoque magis, quia qui aliter habent codices non habent eodem modo; alii ϗ omittunt, alii ejus loco ναὶ reponunt, ut appareat variè interpolatum locum. 14. παρ' ἐκεῖνον] non dubito quin ita ſcripſerit Lucas, quia & multi codices hanc lectionem retinuerunt, & cæteros inde corruptos apparet, ut ἢ γὰρ ἐκεῖνος, quod quidam libri habent, & παρ' ἐκείνου, quod legit Latinus: at Latini vetuſtiores legerunt παρ' ἐκεῖνον, idemque Syrus & Arabs exprimunt. 31. τῷ υἱῷ τοῦ ἀνθρώπου] Hæc frequentior lectio.

CAP. XIX. v. 23. ἐγὼ σὺν τόκῳ ἂν ἔπραξα αὐτό] Rectius in Manuſcripto illo in Anglia, σὺν τόκῳ ἂν αὐτὸ ἔπραξα. 26. λέγω γὰρ ὑμῖν] Non puto aliter habuiſſe Græcos codices, quibus uſi Syrus & Arabs, ſed ſupplendi ſenſus cauſa addiderunt. 41. ἔκλαυσεν ἐπ' αὐτῇ] Agnoſcunt hoc comma Latinus, Syrus, Arabs; at Epiphanius teſtatur ſuo tempore non extitiſſe in publice receptis exemplaribus. Mutarunt homines temerarii & delicati, quibus flere Chriſto indignum videbatur.

CAP. XX. v. 34. ἐκγαμίσκονται] Manuſcriptus ille antiquus & hic & paulo poſt ἐκγαμίζονται, quod uſitatius. 47. Μακρά] Ita legendum, non μακρᾷ.

CAP. XXI. v. 6. ταῦτα ἃ θεωρεῖτε] Non accedo interrogationis notam interponentibus: neque vero Syrus aliter accepit. 11. Videtur Syrus codice uſus qui hoc loco voces aliquot additas haberet. 25. ἐν ἀπορίᾳ] Nec puto aliter legiſſe Syrum, ſed rem ipſam expreſſiſſe addito geſtu.

CAP. XXII. v. 17. ϗ δεξάμενος τὸ ποτήριον] Non eſt quod duo hæc commata ſuſpecta habeamus, cum & Græci codices & Latini agnoſcant, & Arabici, ſed & Syricorum nonnulli. Interpolandi cauſam nonnullis præbuit Matthæi oratio. 29. Κἀγὼ διατίθεμαι ὑμῖν καθὼς διέθετό μοι ὁ πατήρ] Libri quidam vetuſtiſſimi ſic habent, διατίθεμαι ὑμῖν διαθήκην. 31. Σίμων] Latinus & Syrus legerunt Σίμωνι· at recepta lectione ſtat Arabs, & veteres Latini ſcriptores. 36. ἀράτω] Qui imperativum in futurum vertunt, eos apparet offenſos præcepti ſibi non intellecti novitate: ſed lectionem receptam defendit Interpretum conſenſus. 42. εἰ βούλει παρενεγκεῖν] Hoc loquendi genus non intellectum mutandæ Scripturæ locum præbuit. 43. ἄγγελοι ἀπ' οὐρανοῦ] Illaudabilis fuit & ſuperſtitio & temeritas eorum qui hanc particulam *de ſudore* deleverunt. 63. Δέροντες] Omiſit Syrus, quia ſequitur ἔτυπτον. 66. ἀνήγαγον] videtur hæc lectio verior quam ἀπήγαγον.

CAP. XXIII. v. 15. ἀνέπεμψε γὰρ αὐτὸν πρὸς ἡμᾶς] Hæc lectio cum multis codicibus fulciatur, & Arabi videatur placuiſſe, mihi non diſplicet; ſequentia enim rectius cohærent. Syrus legit, ἀπέπεμψα γὰρ αὐτὸν πρὸς αὐτόν. 23. ϗ τῶν ἀρχιερέων] Agnoſcunt has voces Syrus & Arabs, neque ſupervacuæ ſunt. 33. τὸν καλούμενον κρανίον] Si codices aſtipularentur, legerem κρανίων, quomodo & Latinum interpretem legiſſe ſuſpicor, aut κρανίου, quomodo legiſſe videtur Epiphanius. 41. οὐδὲν ἄτοπον] vetus quidam explicator expoſuerat πονηρὸν, quod in quorundam librorum textu legitur. 46. παραθήσομαι] Probo hanc lectionem eo magis, quia apud LXX in Pſalmo ita legitur. 54. ἡμέρα ἦν παρασκευή] recta lectio.

CAP. XXIV. v. 1. ϗ τίνες σὺν αὐτοῖς] Delere has voces non licet, quas & libri plurimi, & Syrus & Arabs agnoſcunt. 18. παροικεῖς ἐν Ἱερουσαλήμ] ἐν deeſt in pluribus codicibus. 32. καιομένη] De lectionis hujus veritate non dubito, cùm conſentiant Syrus, Latinus, Arabs. 34. λέγοντας] Veram hanc eſſe lectionem cur nobis videatur ſupra diximus (ad v. 13.) fieri enim poteſt ut inibi pro λέγοντας codices quidam habuerint λέγοντες· quomodo annon legerit & Latinus & alii interpretes dubitari poteſt; recte tamen rem inſpicienti magis placebit recepta lectio λέγοντας. 36. εἰρήνη ὑμῖν] Poſt hæc verba, ἐγώ εἰμι, μὴ φοβεῖτε, (quod nunc in Græcis codicibus deeſt) legerunt Syrus, Latinus, Arabs: quare videndum ne elapſum ſit ſcribarum incuria, cùm & Ambroſius agnoſcat; conſulant antiquos codices ſi quibus eſt copia. 43. ϗ λαβὼν ἐνώπιον αὐτῶν ἔφαγεν] Conſulendi & hic veteres codices, nam præter Latinum Arabs quoque addit, ϗ λαβὼν τὰ περισσεύματα ἔδωκεν αὐτοῖς· neque ut ſupervacuum videri poteſt. Ἀμὴν additum ab Eccleſia, quæ lectionem Evangelii hoc acclamatione excipere ſolebat. 1 Cor. 14. 16.

AD JOHANNEM.

CAP. I. v. 21. ὁ προφήτης εἶ σύ;] Græci Articulum & legunt & urgent. 28. ἐν Βηθαβαρᾷ] Lectionem hanc vetuſtiorem eſſe magno conſenſu Græci tradunt. Syriacum & Arabicum exemplar ex ſerioribus Græcis verſum aut depravatum, nec eſt mirandum in multis Latinis codicibus pro Bethabara ſcriptum Bethania, cum frequens ſit ut nomen minus notum in notius à librariis mutetur.

CAP. III. v. 25. μετὰ Ἰουδαίου] Sic habent antiquiſſima exemplaria Chryſoſt. & poſt eum Græci, etiam Nonnus ἑβραίου μετὰ φωτός. Nec aliter Syrus: quare hæc lectio ſequenda videtur. 39 μένει ἐπ' αὐτόν] Quod alii libri habent μενεῖ, quomodo & Syrus hic vertit, eſt interpretamentum.

CAP. IV. v. 5. Συχάρ] Σιχὰρ habent Græci codices plerique & Syriacus, & in Latinis legitur, & ſuo tempore lectum notat Hieronymus: alii codices Συχὰρ, & hoc ſequitur Arabs: pro ἐμ autem quòd ἀρ ſcribitur, putat librariorum vitium eſſe Hieronymus: alii rectius pronuntiationem corruptam temporibus putant. 35. ἔτι τετράμηνός ἐστι] At Manuſcriptus vetus ſine ἔτι habet τετράμηνός ἐστι. τὶς βασιλικός] Hæc lectio non tantum meliorum codicum fide nititur, ſed & Syri & Arabis auctoritate. 46. Ἰάσηται αὐτοῦ τὸν υἱόν] αὐτοῦ non αὐτὸν legerunt omnes veteres interpretes: quare id rectius.

CAP. V. v. 4. κατέβαινεν ἐν τῇ κολυμβήθρᾳ] At Manuſcriptus vetus ille pro κατέβαινεν habet ἐλούετο, quod non improbo. 15. ἐζήτουν αὐτὸν ἀποκτεῖναι] Hoc ideo hic in quibuſdam libris omiſſum, quia repetitum ex ſequentibus credebatur. Sed habent Syrus & Arabs. 41. παρὰ ἀνθρώπων] In Manuſcripto illo antiquiſſimo παρὰ ἀνθρώπου.

CAP. VI. v. 11. διέδωκε τοῖς ἀνακειμένοις] Cùm & Græca quædam exemplaria ſic habeant, & Syrus & Latinus, credibilius eſt illas voces τοῖς μαθηταῖς, οἱ δὲ μαθηταὶ, adjectas ab iis qui medicinam adferre voluerunt ei quam ſibi fingebant repugnantiæ. 36. ϗ οὐ πιστεύετε] In Manuſcripto illo vetere eſt πιστεύετέ μοι. 45. ϗ μαθὼν] Vetus Manuſcriptus poſt μαθὼν adjicit ἀλήθειαν.

CAP. VII. v. 1. οὐ γὰρ ἤθελεν] Videtur antiquiſſima lectio fuiſſe, οὐκ ἐδύνατο, quod mutatum à delicatis. 8. ὑμεῖς ἀνάβητε εἰς τὴν ἑορτὴν ταύτην] Omnino fuit hæc vetus Scriptura: nam ſi οὔπω fuiſſet Porphyrii tempore, nunquam hinc Chriſtum calumniatus eſſet de mendacio; nam in voce οὔπω fuiſſet nodi ſolutio quem ut evaderent alii οὔπω ſcripſerunt, alii οὐκ ἀναβαίνω νῦν, alii rurſum deleverunt ταύτην· quibus omnibus nihil opus. 26. ἀληθῶς ἔγνωσαν] ἀληθῶς, id eſt certis indiciis: quod qui non intellexerunt, poſuerunt ἀληθῶς ante ἐστὶν, quod ſecutus eſt Syrus: poſtea utrumque in quoſdam codices irrepſit. 39. οὔπω γὰρ ἦν πνεῦμα] Ita puto ſcriptum fuiſſe: nam ἅγιον quod Græci codices, nec omnes, habent, & ſequitur Arabs, Syrus & Latinus vetereſque ſcriptores non agnoſcunt: itaque explicandi cauſa adjectum eſt: ſicut in Græcis quibuſdam ἐπ' αὐτοῖς, & in nonnullis, *datus*, ad vitandam calumniam Macedonianorum, quibus tamen minime opus eſt.

CAP. VIII. De Hiſtoria Adulteræ jam olim fuit Quæſtio, & nunc eſt: ego plane arbitror initio nec à Matthæo ſcriptam in Hebræo Evangelio, nec à Johanne in Græco. Vetuſtiora Græca exemplaria & Syriacum non habent, at habent Latina quædam, ſeriora Græca & Arabicum. Fuiſſe in Nazaræorum Hebræo ſatis ex Hieronymo conſtat. Quod quidam putant à Novatianis eraſam, credibile non eſt, cùm ex Euſebio & Hieronymo ſatis appareat, ante ea tempora deſideratam. 36. ἑωράκατε] Quidam libri pro ἑωράκατε habent & hic ἠκούσατε, ſed ex Interpretamento, ut arbitror. 49. διελθὼν διὰ μέσου αὐτῶν] Videtur hoc additum ex dicto Lucæ loco interpretamenti cauſa, ut et quod ſequitur καὶ παρῆλθεν οὕτως, ex initio capitis ſequentis. Nam et vetuſtiſſimi codices Græci non habent, & in Latinis deeſt. At in Syriaco & Arabico aſſcriptum eſt.

CAP. IX. v. 8. ὅτι προσαίτης ἦν] Cùm in hanc lectionem conſentiunt Latinus, Syrus, Arabs, & quidam Græci codices, omnino præferendam cenſeo. 27. καὶ οὐκ ἠκούσατε] Sic & Syrus & Arabs, quare hanc lectionem præferendam cenſeo, ſed cum interrogandi nota.

CAP. X. v. 8. Πάντες ὅσοι ἦλθον] Πρὸ ἐμοῦ quod Nonnus et Arabs legerunt, puto rectius omitti, cum præter Latinum & Syrum multa Græcorum exemplaria conſentiant: et credibilius eſt adjectum hoc interpretamentum, quam ſine cauſa eraſum. 29 ὁ πατήρ μου ὃς δέδωκέ μοι μείζων πάντων ἐστι] Sic habent non Græci tantum, ſed & Syrus & Arabs. Quare omnino videtur hæc verior lectio.

CAP. XI. v. 1. Μαρίας καὶ Μάρθας τῆς ἀδελφῆς αὐτῆς] Habet hic paulo aliter Syrus. Sed Græcam lectionem præter Latinum Arabs confirmat. 17. ἐλθὼν οὖν ὁ Ἰησοῦς] Adjicit Manuſcriptus εἰς Βηθανίαν. 31. λέγοντες] *Cogitantes*, ut recte hic exponit Syrus. Hinc in quoſdam Græcos contextus irrepſit interpretamentum δόξαντες. 41. οὗ ἦν ὁ τεθνηκὼς κείμενος] Latinus hoc non habet. Sed nec Syrus, niſi quod Articulo addito refert ſe ad id quod ſupra dictum erat: at habent pleraque exemplaria Græca & Arabs; quare retinendum puto.

CAP. XII. v. 7. εἰς τὴν ἡμέραν τοῦ ἐνταφιασμοῦ τετήρηκεν αὐτό] Qui hoc loquendi genus non intellexerunt, mutarunt lectionem ut eſſet, *In diem ſepulptura meæ ſervat illud*, quod non Latini tantum codices habent, ſed & Græci quidam; habuit & codex quo uſus eſt Nonnus. At Syrus recte. 32. πάντας ἑλκύσω] Πάντας habent plerique codices Græci, & Syrus. 47. καὶ μὴ φυλάξῃ] Ita habent quidam codices & ille in Anglia antiquiſſimus: ſequitur Latinus, Nonnus. Quare hæc lectio vulgatæ πιστεύσῃ, quam ſequitur Arabs, præferenda videtur.

CAP. XIII. verſ. 30. ὅτε ἐξῆλθε] Ita habent, & cum ſuperioribus connectunt Græci codices longe plurimi & Syrus. Nam qui habent ὅτε οὖν ἐξῆλθε, non alii ſunt quam qui toti facti ſunt ad Latinum exemplar.

CAP. XIV. v. 2. εἰ δὲ μὴ εἶπον ἂν ὑμῖν] Hic interpungit Syrus: nec dubito quin id rectum ſit.

CAP. XVI. 22. λύπην μὲν νῦν ἔχετε] Antiquus ille in Anglia Manuſcriptus pro ἔχετε, habet ἕξετε. 31. Ἄρτι πιστεύετε] Puto rectius legi ſine Interrogatione.

CAP. XVII. v. 24. πρὸ καταβολῆς κόσμου] Non eſt interſtinguendum complete poſt κόσμου.

CAP. XVIII. v. 13. καὶ ἀπήγαγον] Cum modo dixiſſet primum ductum ad Annam, tacite ſatis indicavit inde ductum ad Caiapham. Quod cum quidam deeſſe putarent Textui addiderunt, ut ex Cyrillo diſcimus, contra omnes qui nunc extant codices & interpretes. 20. ὅπου πάντες οἱ Ἰουδαῖοι] Vulgo & hic eſt πάντοτε, repetitum, ni fallor, ex loco ſuperiore: at πάντες legerunt Syrus, Arabs, Latinus. 24. ἀπέστειλεν αὐτόν] οὖν abeſt à pleriſque codicibus, & rectius ut opinor.

CAP. XIX. v. 27. ἀπ' ἐκείνης τῆς ὥρας] Manuſcriptus quem ſæpe jam laudavi, habet τῆς ἐκείνης τῆς ἡμέρας. 42. ὅτι ἐγγὺς ἦν τὸ μνημεῖον] Per παρένθεσιν legendum.

CAP. XX. v. 25. δάκτυλόν μου εἰς τὸν τόπον τῶν ἥλων] Puto veram eſſe hanc lectionem quam ſecutus eſt Latinus, & oſtendit vetuſtiſſimus ille in Anglia Manuſcriptus, & malè apud alios repeti τύπον. Syrus autem utroque loco legit τόπον, quod itidem non probo.

CAP. XXI. v. 3. ἐξῆλθον] Huic voci rectius præponitur καὶ, ut eſt in vetere illo Manuſcripto.

AD ACTA APOST.

CAP. I. v. 10. ἐν ἐσθῆτι λευκῇ] Manuſcriptus vetuſtiſſimus habet ἐν ἐσθήσεσι λευκαῖς· ſed parum id refert.

CAP. 2. v. 23. Διὰ χειρῶν ἀνόμων] In Manuſcripto veteri eſt διὰ χειρὸς ἀνόμων· non male. 24. οὐκ ἦν δυνατὸν κρατεῖσθαι αὐτὸν ὑπ' αὐτοῦ] Arabs legit ὑπ' αὐτῶν, nempe τῶν ὠδίνων.

CAP. 4. v. 25. Δαβὶδ τοῦ παιδός σου] In veteri illo MS. eſt, ὁ τοῦ πατρὸς ἡμῶν διὰ πνεύματος ἁγίου στόματος Δαβὶδ παιδός σου εἰπών· ubi tranſpoſitæ à ſcriba voces videntur.

CAP. 5. v. 41. ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος τοῦ Ἰησοῦ] In Manuſcripto illo veteri non additur τοῦ Ἰησοῦ· parique modo in Epiſt Johan. 3. 7. legitur in eodem MS. ὑπὲρ γὰρ τοῦ ὀνόματος· nimirum ἀντονομαστικῶς.

CAP. 6. v. 8. πλήρης πίστεως καὶ δυνάμεως] In MS. quem dixi & in aliis MS. eſt πλήρης χάριτος· & ſic legere Syrus & Latinus.

CAP. 7. v. 17. ὤμοσεν ὁ Θεός] Codex ille qui in Anglia hic habet ὡμολόγησεν, quomodo legit & Latinus. 30. ἐν φλογὶ πυρός] MS. ille πυρὶ φλογός, quomodo legit Latinus.

CAP. 8. v. 39. πνεῦμα κυρίου ἥρπασε τὸν Φίλιππον καὶ οὐκ εἶδεν αὐτὸν οὐκέτι ὁ Εὐνοῦχος] MS. ille vetus ſic habet πνεῦμα ἅγιον ἐπέπεσεν ἐπὶ τὸν Εὐνοῦχον, Ἄγγελος δὲ κυρίου ἥρπασε τὸν Φίλιππον, καὶ οὐκ εἶδεν, &c. quomodo & alios quoſdam habere codices notatum Eraſmo & Bezæ, & ſic citat ipſe Hieronymus.

CAP. 9. v. 5. ὁ δὲ κύριος εἶπε] In Manuſcripto illo, ὁ δὲ ἐγώ εἰμι ὁ Ἰησοῦς ὁ Ναζαραῖος ὃν σὺ διώκεις. ἀλλὰ ἀνάστηθι· quomodo & multos alios habere libros obſervatum eſt ab aliis. 20. ἐκήρυσσε τὸν Χριστὸν ὅτι ἐστὶ] Melius in Manuſcripto ἐκήρυσσε τὸν Ἰησοῦν ὅτι.

CAP. X. v. 39. καὶ ἡμεῖς ἐσμὲν μάρτυρες] *MS.* ille ὑμεῖς μάρτυρες πάντων, non male.

CAP. 13. v. 6. διελθόντες δὲ τὴν νῆσον] In Manuſcripto ὅλην τὴν νῆσον. 20. καὶ μετὰ ταῦτα ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα] Rectius codex ille in Anglia, & alii quibus uſus eſt interpres Latinus. Illa ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα, connectunt cum præcedentibus, & deinde ponunt μετὰ ταῦτα 23. ἤγειρε] MS. in Anglia & alii libri perveteres habent ἤγαγε. 33. ὡς καὶ ἐν τῷ ψαλμῷ τῷ δευτέρῳ γέγραπται] Olim ſcriptum fuit τῷ πρώτῳ, ut plures ex Hieronymo monuere quia olim in Hebræis codicibus, Pſalmi, qui nunc primus & ſecundus dicitur, cohærebant. 41. ᾧ οὐ μὴ πιστεύσητε] Alii codices habent ὅ· quomodo & codex LXX interpretum. 42. εἰς τὸ μεταξὺ σάββατον] omnino legendum εἰς τὸ μεταξὺ σαββάτων. 44. τῷ δὲ ἐρχομένῳ σαββάτῳ] Melius *MS.* τῷ δὲ ἐχομένῳ Σαββάτῳ. 45. ἀντιλέγοντες καὶ βλασφημοῦντες] Illa, ἀντιλέγοντες καὶ, ſicut in aliis multis libris deſunt, ita & in illo optimo MS.

CAP. 13. v. 8 περιεπεπατήκει] *MS.* περιεπάτησε.

CAP. XV. v. 20. καὶ τοῦ πνικτοῦ καὶ τοῦ αἵματος] Fuere jam olim codices in quibus deerat πνικτοῦ· fuere & in quibus poſt αἵματος additum καὶ ὅσα μὴ θέλωσιν αὐτοῖς γίνεσθαι, ἑτέροις μὴ ποιεῖν· ſed in plurimis codicibus inque verſionibus omnibus & apud Origenem VII. contra Celſum alioſque hoc abeſt, illud vero adeſt, & certe prius illud huc pertinet, non & alterum. 29. ἔρρωσθε] Vetuſtiſſimi codices hoc loco, ſic non habuere, ſed φερόμενοι ἐν πνεύματι ἁγίῳ. 33. πρὸς τοὺς ἀποστόλους] *MS.* ille, ut multi alii, rectius, πρὸς τοὺς ἀποστείλαντας αὐτούς. 34. ἔδοξε δὲ Σίλᾳ ἐπιμεῖναι αὐτοῦ] Hoc comma *MS.* ille non habet, ut nec interpres Syrus. 37. ἐβουλεύσατο] *MS.* ille vetus, & multi alii, pro ἐβουλεύσατο habet ἐβούλετο, quomodo legit & Syrus.

CAP. 16 v. 3. ᾔδεισαν γὰρ ἅπαντες τὸν πατέρα αὐτοῦ ὅτι Ἕλλην ὑπῆρχεν] MS. ſimplicius habet, ᾔδεισαν γὰρ ἅπαντες ὅτι Ἕλλην ὁ πατὴρ αὐτοῦ ὑπῆρχε. 7. ἐπείραζον κατὰ τὴν Βιθυνίαν] In Manuſcripto eſt εἰς τὴν Βιθυνίαν. 16. ἔχουσαν πνεῦμα Πύθωνος] MS. tamen πνεῦμα πύθωνα, quod non probem. 33. καὶ οἱ αὐτοῦ] MS. καὶ οἱ οἰκεῖοι αὐτοῦ πάντες.

CAP. 17. v. 14 πορεύεσθαι ὡς ἐπὶ τὴν θάλασσαν] Habet quidem MS. ille & alii ἕως ſed ὡς verius arbitror. 15 οἱ δὲ καθιστῶντες] In MS. eſt καθιστάνοντες. 27 ζητεῖν τὸν κύριον] In MS. τὸν Θεόν, quia κύριος in his libris plerumque eſt Jeſus.

CAP. 18. verſ. 7. τινὸς ὀνόματι Ἰούστου] Τίτου legere et Syrus et Arabs: quidam codices habent utrumque nomen Τίτου Ἰούστου. 17. πάντες οἱ Ἕλληνες] Non eſt Ἕλληνες in illo Manuſcripto, neque Latinus in ſuis legit.

CAP. 19. v. 16. καὶ κατακυριεύσας αὐτῶν] ἀμφοτέρων pro αὐτῶν habet et ille Manuſcript. 27. κινδυνεύει ἡμῖν] Omnino legendum eſt ἡμῶν, quomodo et Syrum et Arabem arbitror legiſſe. 37. ἀγοραῖοι] ἀγόραιοι ſcribendum, ſi Suidam ſequimur et Gloſſarium.

CAP. XX. v. 4. Σώπατρος Βεροιαῖος] In Manuſcripto illo vetere, ut in multis aliis, eſt hic Σώπατρος Πύῤῥου Βεροιαῖος. 7. συνηγμένων τῶν μαθητῶν] In Manuſcripto συνηγμένων ἡμῶν. 28. τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ] Manuſcript. ille habet τοῦ κυρίου, et multi alii, et Syrus ſic legit, qui vertit *Chriſti*. facilis lapſus compendioſæ ſcriptionis θυ pro χυ.

CAP. 21. verſ. 6. καὶ ἀσπασάμενοι ἀλλήλους] In Manuſcripto eſt προσδεξάμενοι ἀπησπασάμεθα ἀλλήλοις. 15. ἐπισκευασάμενοι] Sic et MS. non ἀποσκευασάμενοι.

CAP. 22. verſ. 16. τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου] In Manuſcripto illo, et in aliis, τὸ ὄνομα αὐτοῦ· quomodo et Syrus legit. 30. καὶ ἐκέλευσεν ἐλθεῖν] Melius MS. συνελθεῖν. Non enim eos ad ſe vocavit, ſed in loco Majorum eos convenire juſſit.

CAP. 23. v. 6. υἱὸς φαρισαίου] In MS. eſt υἱὸς φαρισαίων· id eſt ex patre et matre natus ejus inſtituti. 23. καὶ δεξιολάβους διακοσίους] MS. δεξιοβόλους διακοσίους.

CAP. 24. v. 1. μετὰ δὲ πέντε ἡμέρας] In Manuſcripto μετὰ δέ τινας ἡμέρας. ib. μετὰ τῶν πρεσβυτέρων] Melius MS. μετὰ τῶν πρεσβυτέρων τινῶν. 16. συνείδησιν ἔχων] Melius alii codices ἔχειν. 20. εἴ τι εὗρον] In MS. τί εὗρον interrogative.

CAP. 25. v. 6. ἡμέρας πλείους, ἢ ὀκτὼ] Alii libri οὐ πλείους ἢ δέκα· at MS. οὐ πλείους ὀκτὼ, ἢ δέκα· quod verum puto. ib. εἰς τὴν περὶ τούτου ζήτησιν] MS. non habet εἰς.

CAP. 26. v. 28. χριστιανὸν γενέσθαι] In MS. χριστιανὸν ποιῆσαι.

CAP. 27. v. 2. μέλλοντες πλεῖν] MS. μέλλοντι πλεῖν. 5. εἰς Μύρα τῆς Λυκίας] MS. et alii Λύστρα. 8. ᾧ ἐγγὺς πόλις Λασαία] In MS. ᾧ ἐγγὺς πόλις ἦν Ἄλασσα· et puto hanc veram eſſe lectionem. 13. Εὐροκλύδων] MS. Εὐροκύλων, haud obſcura commutatione δ in λ, quarum literarum perquam vicini ſunt ductus in MSS. vera lectio eſt quam ſecutus eſt Latinus interpres Εὐρακύλων. 19. ἐρρίψαμεν] ἔρριψαν habet MS. ille, nec aliter legit Latinus.

CAP. 28. v. 3. φρυγάνων πλῆθος] *In* Manuſcripto φρυγάνων τι πλῆθος. 23 διαμαρτυρόμενος] *In* Manuſcripto eſt παρατιθέμενος. 27. τὸ σωτήριον τοῦ Θεοῦ] *In* Manuſcripto τοῦτο τὸ σωτήριον. 29. πολλὴν ἔχοντες ἐν ἑαυτοῖς ζήτησιν] Comma hoc totum, ſicut non fuit in codicibus Græcis, quibus uſi ſunt Syrus et Arabs, ita nec in vetere illo Manuſcripto comparet.

AD ROMAN.

CAP. I. v. 31. ἀσυνέτους, ἀσυνθέτους] Videri poteſt eſſe παρονομασία, at non eſt. Syrus non niſi unam legit ἀσυνθέτους, quæ vera eſt.

CAP. III. v. 3. ἠπίστησαν] Manuſcriptus hîc habet ἐπείθησαν, non malé. 22. διὰ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ] In Manuſcripto planius eſt, διὰ πίστεως ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. Ib. εἰς πάντας καὶ ἐπὶ πάντας τοὺς πιστεύοντας. 25. διὰ τῆς πίστεως] In Manuſcripto deeſt τῆς πίστεως. 27. τὸν ἐκ πίστεως Ἰησοῦ] In Manuſcripto eſt τὸν ἐκ πίστεως Θεοῦ, non malé. Nam fides per Jeſum fertur in Deum. 28. λογιζόμεθα οὖν] In Manuſcripto λογιζόμεθα γὰρ, q. d. Hæc enim cogitamus quæ cogitare debemus, juſtitiam nobis ſine labore Dei dono adveniſſe. 31 ἱστῶμεν] MS. eodem ſenſu ἱστάνομεν.

CAP. IV. v. 11. ἔλαβε περιτομῆς] Manuſcripti plurimi, & ille in Anglia, habent περιτομήν, & ſic legit Syrus. 15 οὐ γάρ] Melius MS. ille οὐ δέ.

CAP. V. v. 2. τῇ πίστει] In Manuſcripto ἐν τῇ πίστει· quæ Paulo uſitatius: & ſolent facile excidere literæ repetitæ. 6. ἔτι] Legerunt hic alii εἰ, alii εἰς τό, ſed ἔτι rectum eſt, & conſtruitur cum ὄντων ἀσθενῶν. 7. ὑπὲρ δικαίου] Syrus legit ὑπὲρ ἀδίκου, ſenſu optimo. 13. οὐκ ἐλλογεῖται] In Manuſcripto οὐκ ἐλλογεῖτο, nec aliter legit & Syrus & Theophylactus. Recta locutio fuerat ἐνελογεῖτο, ſed omiſſi augmenti habemus & alia exempla. 17. τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι] In Manuſcripto eſt ἐν ἑνὶ παραπτώματι.

CAP. VI. v. 1. ἐπιμενοῦμεν] In Manuſcripto illo in Anglia eſt ἐπιμείνωμεν. Rectè. 15. ἁμαρτήσομεν] Manuſcriptus hic etiam habet ἁμαρτήσωμεν. Rectè.

CAP. VII. v. 2 τοῦ ἀνδρός] Hoc abeſſe poteſt, ſicut abeſt in plurimis Manuſcriptis. 6. ἀποθανόντες] Alii codices habent ἀποθανόντος, cujus lectionis & Origenes meminit. Quomodo & Chryſoſtomum legiſſe apparet ex ejus interpretatione, ὁ δεσμὸς δι' οὗ κατειχόμεθα ἐνεκρώθη. 9 ἔζησεν] Puto rectius legi ἔζησεν quàm ἀνέζησεν. 18. οὐχ εὑρίσκω] In Manuſcripto pro eo eſt οὐ, nempe παράκειται. 23. ἐν τῷ νόμῳ] Malè ita ſcribitur, cùm libri correctiores habeant τῷ νόμῳ.

CAP. 8. v. 11. τοῦ ἐνοικοῦντος αὐτοῦ πνεύματος] Non paulò melior eſt lectio altera τὸ ἐνοικοῦν αὐτοῦ πνεῦμα· Quomodo legere Syrus, Latinus, Origenes, Chryſoſtomus, Oecumenius, & alii. 24. τί καὶ ἐλπίζει] In Manuſcripto τί καὶ ὑπομένει. 28. ἀγαπῶσι τὸν Θεὸν πάντα, &c.] MS. non malè, πάντα συνεργεῖ ὁ Θεὸς εἰς τὸ ἀγαθόν.

CAP. IX. v. 5. ἐπὶ πάντων Θεός] Ex Syro apparet in Vet. Codicibus abfuiſſe Θεός, quod conſuetæ locutioni Pauli melius convenit, qui cum de Patre & Filio loquitur, Patri nomen Dei, Filio nomen Domini tribuere ſolet. Et ſic fuiſſe in vetuſtis codicibus Cypriani, ſic etiam legiſſe Hilarium, nec aliter videri legiſſe Chryſoſtomum notavit Eraſmus. 15. οἰκτείρω] In Græco οἰκτειρῶ, melius. 28. λόγον γὰρ, &c.] In Paulino textu, qualem nunc habemus, ſatis abſurdum eſt poni primum γὰρ, deinde ὅτι. Omnino hæc lectio interpolata eſt ex LXX. Vetus autem lectio extat in Manuſcripto illo quem toties laudo, & ſic habet, λόγον γὰρ συντελῶν καὶ συντέμνων ποιήσει Κύριος ἐπὶ τῆς γῆς, quæ ſufficiunt, ſatiſque exprimunt id quod vult Eſaias.

CAP. X. v. 5. Μωσῆς γὰρ, &c.] Non paulò melius MS. Μωσῆς γὰρ γράφει ὅτι τὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ νόμου ὁ ποιήσας ἄνθρωπος ζήσεται ἐν αὐτῇ.

CAP. XI. v. 1. μὴ ἀπώσατο ὁ Θεὸς τὸν λαὸν αὐτοῦ] In Manuſcripto hic non minus quam infra additur ὃν προέγνω, quod rectum puto. Et ita apparet legiſſe Origenem, Chryſoſtomum. Oecumenium, & alios: ut optimum ſit ἀντίθετον verborum προέγνω & ἀπώσατο. 2. λέγων] Abeſt in Manuſcripto. Bene. 6. εἰ δὲ ἐξ ἔργων, οὐκ ἔτι ἐστὶ χάρις, ἐπεὶ τὸ ἔργον οὐκ ἔτι ἐστὶ ἔργον] Hæc rectè deſunt in Manuſcripto, nec legit Latinus interpres, ſed nec Origenes, nec Ambroſius, nec Chryſoſtomus. 21. μή πως οὐδὲ σοῦ φείσηται] In Manuſcripto tantum eſt, οὐδὲ σοῦ φείσεται, quomodo & Syrus legit. 25. παρ' ἑαυτοῖς] MS. hic habet ἐν ἑαυτοῖς, quomodo Eſaiæ v. 21. 30. ὥσπερ γὰρ καί] In Manuſcripto abeſt καί.

CAP. XII. v. 13. χρείαις] Quidam codices habuere μνείαις. Sed hoc receptius præfero. 17 ἐνώπιον πάντων ἀνθρώπων] ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ καὶ ἐνώπιον πάντων ἀνθρώπων, quomodo idem monitum habes, 2 Cor. 8. 7.

CAP. XIV. v. 5. ἕκαστος ἐν τῷ] MS. ἕκαστος τῷ. 9. ἀπέθανε καὶ ἀνέστη καὶ ἀνέζησεν] In Manuſcripto tantum eſt ἀπέθανε καὶ ἔζησε. Et ſic videtur legiſſe Latinus & Theophylactus. 11. ἐπουρανίων, καὶ ἐπιγείων, καὶ καταχθονίων] Hæc huc non pertinent neque habentur in libris melioribus, neque Syrus id legit, neque Arabs, neque Origenes, neque Chryſoſtomus, neque Oecumenius. Irrepſit huc in quibuſdam libris ex loco Philip. 11. 10. 16. ὑμῶν] Syrus & Latinus legerunt ἡμῶν. 21. ἢ σκανδαλίζεται ἢ ἀσθενεῖ] Hæc abſunt in Manuſcripto, neque legit Syrus. 23. ἁμαρτία ἐστίν] Poſt hæc verba in Manuſcripto illo quo ſæpe utimur, non minus quam in aliis MS. vetuſtiſſimis ſequuntur commata tria quæ fine Epiſtolæ habemus. Et hoc loco illa legiſſe apparet Chryſoſtomum, Oecumenium, Theophylactum. Videtur Paulus primum finire voluiſſe Epiſtolam, ſed poſtea aliquanto plus, quam ſperaverat, nactus temporis, alia quædam adjeciſſe. Marcionis exemplaria hic Epiſtolam finiebant, teſte Hieronymo.

CAP. 15. v. 2. ἕκαστος γὰρ ὑμῶν] MS. ἕκαστος ἡμῶν, quod cum præcedentibus melius cohæret. 8. λέγω δέ] MS. λέγω γάρ. 19. πνεύματος Θεοῦ] In MS. πνεύματος ἁγίου, quomodo citat Athanaſius. 24. ὡς ἐὰν] In MS. ὡς ἂν, & ſic legere Græci Patres. Sic ὡς ἂν, 1 Cor. 11. 34. Ib. εἰς τὴν Ἱσπανίαν] MS. εἰς Σπανίαν· Alii codices εἰς τὴν Σπανίαν. Scribit ſic Strabo, Gloſ. vetus, & Scholiaſtes Juvenalis ad Satyram 14. & Martianus Capella. Sic habent & codices Juſtini & Curtii Manuſcripti. 28. Ἱσπανίαν] Libri meliores Σπανίαν. 29. εὐλογίας τοῦ εὐαγγελίου τοῦ Χριστοῦ] In Manuſcripto, ut & in aliis, εὐλογίας Χριστοῦ, quomodo legit & Origenes, & Ambroſius & Lat. interpres.

CAP. VI. v. 3. Πρίσκιλλαν] Origenes hoc loco docet Πρίσκαν ſcriptum fuiſſe hoc loco quomodo & habent quidam Manuſcripti & legit Latinus; & conjicit eandem eſſe quæ in Actis *Priſcilla* dicitur. Rectè. v. 5. τῆς Ἀχαΐας] Ἀσίας legit Origenes & Latinus interpres: Et nunc quoque nonnulli codices ſic habent, & ſic quoque aliquoties citat Hieronymus; & id rectum arbitror. Nam ἀπαρχὴ Achaiæ, non Epænetus, ſed Stephanas, 1 Cor. 16. 15. 8. Ἀμπλίαν τόν] MS habet Ἀμπλιατόν, quomodo & Origenes legit & Latinus. 20. συντρίψει] In Manuſcripto eſt συντρίψαι. Nec aliter legere Syrus, Latinus, & Origenes. Ad finem Epiſtolæ. Πρὸς Ῥωμαίους ἐγράφη, &c.] Annotationes iſtæ quæ Paulinis Epiſtolis adjungi ſolent, nullius ſunt autoritatis; quia nec in omnibus exemplaribus apparent, & aliis ſunt aliæ, diſcrepantque & in Syriacis & Arabicis.

AD CORINTHIOS I.

CAP. I. v. 15. ἐβάπτισα] MS. habet ἐβαπτίσθητε, quomodo & Latinus legit, pari ſenſu. 20. τούτου] Non eſt in MS. nec ea opus. 22. σημεῖον] In MS. eſt pluraliter σημεῖα. Ib. ζητοῦσι] In MS. eſt ἐπιζητοῦσι.

CAP. II. v. 1. τὸ μαρτύριον] In Manuſcripto eſt τὸ μυστήριον. Vide Rom. 16. 25. & ſic habuit codex quo uſus eſt Ambroſius, & is quo uſus Syrus. 4. πειθοῖς … λόγοις] πειθοῖς Græcum non eſſe multi notarunt: Legendum πειστοῖς· ſicut infra 13. ἐν διδακτοῖς &c. Syrus legit ἐν πειθοῖ & λόγων, ſenſu non malo: quomodo legit & Euſebius, & videtur legiſſe Origenes Philocalia cap. 17. Sed quod dixi præfero. 9. ἃ] MS. ὅσα. 10. αὐτοῦ] In MS. abeſt. 11. ἀνθρώπων] Nihil opus illo ἀνθρώπων, & abeſt in Manuſcripto. Ib. οἶδεν] In Manuſcripto eſt ἔγνω. 13. ἁγίου] In Manuſcripto non exprimitur, nec opus. 15. ἀνακρίνει μέν] In Manuſcripto ἀνακρίνει τά.

CAP. IV. v. 9. ὅτι] Deeſt in Manuſcripto. 13. βλασφημούμενοι] In Manuſcripto eſt δυσφημούμενοι. 14. νουθετῶ] In Manuſcripto νουθετῶν, rectè: ut cohæreat cum illo ὡς.

CAP. V. v. 1. ὀνομάζεται] In Manuſcripto deeſt, quod nec Latinus in ſuo habuit codice. 3. ὡς] In Manuſcripto deeſt: non malé. 10. καὶ οὐ] Illud καὶ in Manuſcripto non comparet, & abeſt rectius. 12. καὶ τοὺς] Abeſt καὶ in Manuſcripto rectè. 13. κρίνει] Rectius κρινεῖ. Ib. ἐξαρεῖτε] In Manuſcripto ἐξάρατε. Melius alii codices ἐξαίρετε, ſicut præceſſit κρίνετε· nam iſta cohærent, parentheſi, ut diximus, interpoſita.

CAP. VI. v. 4. ἀνὰ μέσον τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ] Apparet ex Syro ſcriptum hic olim fuiſſe ἀνὰ μέσον τοῦ ἀδελφοῦ καὶ τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ. Nam ἀνὰ μέσον de uno non dicitur. Repetitio earundem vocum, ut ſæpe, occaſionem dedit poſteriores omittendi. 19. δοξάσατε δή] Quidam codices habuere δοξάσατε ἄρα. Unde imperiti Scribæ fecere ἄρατε. Ib. ἅτινά ἐστι τοῦ Θεοῦ] Hæc particula, & illa καὶ ἐν τῷ πνεύματι ὑμῶν, abeſt in Manuſcripto; ſicut & abfuit à codicibus quibus uſi Latini. Græci verò & Syrus & Arabs hæc legerunt.

CAP. VII. v. 3. εὔνοιαν] Manuſcriptus ille & alii hic habent ὀφειλήν, eodem ſenſu, ita ut videatur alterum illud eſſe hujus interpretamentum. 14. τῷ ἀνδρί] MS. ἀδελφῷ. 17. ἑκάστῳ ὡς ἐμέρισεν ὁ Θεός] MS. ἑκάστῳ ὡς ὁ Κύριος ἐμέρισε. 35. συμφέρον] MS. habet σύμφορον, pari ſenſu. 38. ἐκγαμίζων bis] MS. bis γαμίζων. Ib. κοιμηθῇ] MS. ἀποθάνῃ.

CAP. VIII. v. 2. εἰδέναι] MS. habet ἐγνωκέναι, ut una vox ter repetatur. 8. οὔτε ἐὰν μή, &c.] In Manuſcripto eſt inverſus ordo, οὔτε γὰρ ἐὰν μὴ φάγωμεν περισσεύομεν, οὔτε ἐὰν φάγωμεν ὑστερούμεθα. 9. ἀσθενοῦσι] In Manuſcripto ἀσθενέσιν. 11. Καὶ ἀπολεῖται ὁ ἀσθενῶν ἀδελφός] In Manuſcripto paulo aliter, Ἀπόλλυται οὖν ἐν τῇ σῇ γνώσει ὁ ἀδελφός, δι' ὅν.

CAP. 9. v. 1. Οὐκ εἰμί, &c.] In Manuſcripto melius creſcit oratio, Οὐκ εἰμὶ ἐλεύθερος; οὐκ εἰμὶ Ἀπόστολος; Et ſic legiſſe Syrum & Arabem apparet. 10. ὅτι ἐπ' ἐλπίδι, &c.] MS. ὅτι ὀφείλει ἐπ' ἐλπίδι ὁ ἀροτριῶν ἀροτριᾷν καὶ ὁ ἀλοῶν ἐπ' ἐλπίδι τοῦ μετέχειν. 13. προσεδρεύοντες] MS. παρεδρεύοντες. 21. Θεῷ … Χριστῷ] MS. Θεοῦ … Χριστοῦ, pari ſenſu, & ſic legere Græci qui ad hunc locum ſcripſere.

CAP. X. v. 1. δέ] MS. γάρ, melius: Quomodo & Latinus legit & Ambroſius aliique. Bene cohæret id cum ſequentibus. 3. τὸ αὐτό] In Manuſcripto non eſt τὸ αὐτό, neque hic neque in ſequente membro, ſed τὸ πνευματικὸν ἔφαγον βρῶμα & τὸ πνευματικὸν ἔπιον πόμα. 9. τὸν Χριστόν] Omnino legendum eſt τὸν Θεόν, quomodo eſt in vetuſtiſſimo illo Manuſcripto. Error commiſſus ex notis ΘΝ. & ΧΝ. 11. τύποι] MS. τυπικῶς. 28. εἰδωλόθυτον] MS. ἱερόθυτον. 29. τοῦ γὰρ Κυρίου ἡ γῆ καὶ τὸ πλήρωμα αὐτῆς] Rectius forte omittentur, ut male repetita: neque enim habet ea hoc loco Manuſcriptus. Syrus quoque, Latinus, Arabs non legerunt. 30. Εἰ δέ] In MS. deeſt δέ· ut cohæreat cum ſuperioribus.

CAP. XI. v. 17. παραγγέλλων οὐκ ἐπαινῶ] MS. παραγγέλλω οὐκ ἐπαινῶν, quomodo & Latinum legiſſe apparet & Syrum. 24. κλώμενον] Quidam MS. θρυπτόμενον, non malé. 27. τοῦ κυρίου ἀναξίως] Veteres libros multos hic poſt ἀναξίως habuiſſe τοῦ κυρίου docent nos Ambroſius & Chryſoſtomus hoc loco ſecundum quaſdam editiones: Oecumenius quoque hic: Baſilius cap. ultimo libri primi, & Quæſtione tertia libri 2. Auguſtinus contra Donatiſtas l. 5. c. 8. & l. 9. contra Fulgentium. 31. εἰ γάρ] *MS.* εἰ δέ. Ib. κρινόμεθα] κρίνομεν habent Chryſoſtomus, Oecumenius.

CAP. XII. ἀνάθεμα Ἰησοῦν] *MS.* ἀνάθεμα Ἰησοῦς, ut ſit oratio μιμητική. 13. εἰς ἓν πνεῦμα ἐποτίσθημεν] *MS.* ἓν σῶμά ἐσμεν. 24. τῷ ὑστεροῦντι] Manuſcript. τῷ ὑστερουμένῳ. 31. κρείττονα] Manuſcript. μείζονα.

CAP. XIII. v. 2. οὐδέν εἰμι] *MS.* οὐδὲν ὠφελοῦμαι. 10. οὐδὲν αὐτῶν] In Manuſcripto deeſt. 19. διὰ τοῦ νοός] *MS.* τῷ νοΐ. 26. ἑρμηνείαν ἔχει] In Manuſcripto hæc omnia paulo aliter ſcripta ſunt ψαλμὸν ἔχει, ἀποκάλυψιν ἔχει, γλῶσσαν ἔχει, ἑρμηνείαν ἔχει. 34. ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ] MS. ἐν ταῖς ἐκκλησίαις. Ib. ἀλλ' ὑποτάσσεσθαι] *MS.* ſimplicius ἀλλ' ὑποτασσέσθωσαν τοῖς ἀνδράσι. 38. ἀγνοεῖ] In Manuſcripto ὅτι Θεοῦ ἐστιν ἐντολή. 40. πάντα] Melius in MS. & aliis quibuſdam libris πάντα δέ.

CAP. XV. v. 25. τοὺς ἐχθρούς] *MS.* τοὺς ἐχθροὺς αὐτοῦ. 36. ζωοποιεῖται] *MS.* ζωογονεῖται. 49. φορέσωμεν] Alii codices habent φορέσομεν, & ſic legerunt Syrus, Arabs, & ſic citat Origenes contra Celſum. 51. πάντες μὲν οὐ] Variant hic libri. Optime *MS.* οἱ πάντες μὲν οὐ κοιμησόμεθα: οὐ πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα. *Neque omnes obdormiemus*: i. e. moriemur: *neque omnes mutabimur*. Veram hanc lectionem oſtendunt ſequentia. 52. ἐγερθήσονται] *MS.* ἀναστήσονται.

CAP. XVI. v. 1. λογίας] Niſi codicum conſenſus me retineret, libens hic legerem εὐλογίας. 2. ὅ, τι ἂν εὐοδῶται] In Manuſcripto clarius ὅ, τι ἂν εὐοδωθῇ. 7. ἐλπίζω δέ] Melius in Manuſcripto ἐλπίζω γάρ. 9. ἐνεργής] Melius in aliis codicibus ἐναργής. Ita apparet legiſſe hic Ambroſium.

AD CORINTHIOS II.

CAP. I. v. 5. εἴτε δὲ θλιβόμεθα] In Manuſcripto εἴτε παρακαλούμεθα, ut pendeat hoc à verbo præcedente περισσεύει. 6. καὶ σωτηρίας] Prætereundum non duxi in Manuſcripto verba præcedentia alio poſita ordine, hunc in modum, παρακλήσεως καὶ σωτηρίας, εἴτε παρακαλούμεθα ὑπὲρ τῆς ὑμῶν παρακλήσεως τῆς ἐνεργουμένης ἐν ὑπομονῇ τῶν αὐτῶν παθημάτων ὧν καὶ ἡμεῖς πάσχομεν καὶ ἡ ἐλπίς.

8. ὑπὲρ] *MS.* περί. 10. καὶ ῥύεται] Hoc neque Græci commentatores legerunt, neque Syrus. 12. ἁπλότητι] *MS.* ἁγιότητι. 13. ἀλλ' ἢ ἃ, &c.] *MS.* ἀλλ' ἀναγινώσκετε, καὶ ἐπιγινώσκετε. Veram lectionem eſſe arbitror quam ſecutus eſt Syrus ἀλλ' ἃ ἀναγινώσκετε καὶ ἐπιγινώσκετε. 17. τὸ ναὶ ναὶ, καὶ τὸ οὒ οὔ] Omnino legendum hic eſt, qnomodo hic legit Syrus τὸ ναὶ, καὶ τὸ οὔ· i. e. ut propterea aliud faciam aliud dicam. 20. καὶ ἐν αὐτῷ τὸ Ἀμήν] In Manuſcripto διὸ καὶ δι' αὐτοῦ τὸ Ἀμήν. Et ſic legit & interpretatus eſt Syrus.

CAP. II. v. 10. καὶ γὰρ ἐγὼ εἴ τι, &c] In Manuſcripto eſt quomodo & Latinus legit, καὶ γὰρ ὃ κεχάρισμαι, εἴ τι κεχάρισμαι, δι' ὑμᾶς. Simpliciùs legit Arabs, ὃ κεχάρισμαι κεχάρισμαι δι' ὑμᾶς. 16. θανάτου … ζωῆς] *MS.* ἐκ θανάτου … ἐκ ζωῆς.

CAP. IV. v. 4. αὐγάσαι αὐτοῖς] In Manuſcripto eſt διαυγάσαι & deeſt αὐτοῖς, non malé.

CAP. V. v. 10. τὰ διὰ τοῦ] Optima exemplaria habent τὰ ἴδια τοῦ, & ſic legit Latinus.

CAP. VI. v. 16. βελίαλ] Quidam libri habent βελίαρ.

CAP. VII. v. 12. πρὸς ὑμᾶς] Sic Græci: At Syrus, & fortè melius, caret illo πρὸς ὑμᾶς, quod & in aliis codicibus deeſt.

CAP. X. v. 13. μέτρου] Videtur ſcripſiſſe Paulus μέτρον, & ita legiſſe Syrus & Arabs. 16. εἰς τά] Videtur Syrus legiſſe εἰς τό.

CAP. XI. v. 1. μικρὸν τῇ ἀφροσύνῃ] Melius codices alii, μικρόν τι τῆς ἀφροσύνης. 10. οὐ σφραγίσεται] Melius alii codices, οὐ φραγήσεται.

CAP. XII. v. 7. ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι] Hæc verba in Manuſcripto hic non reperiuntur; & ſatis eſſet ſupra eſſe poſita. 11. καυχώμενος] In Manuſcripto deeſt. Nam ἄφρων hic idem valet quod καυχώμενος. 19. λαλοῦμεν· τὰ δὲ πάντα] Puto auferendam διαστολὴν poſt λαλοῦμεν & legendum λαλοῦμεν τάδε πάντα.

CAP. XIII. v. 1. ἔρχομαι] In Manuſcripto eſt planius ita ut ſuprà, ἑτοίμως ἔχω ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς. Et ſic legit Syrus. 4 ἐν αὐτῷ] *MS.* σὺν αὐτῷ, non malé. 5. ἑαυτοὺς δοκιμάζετε] Deeſt hoc in Manuſcripto. 13. Ἀμήν] Deeſt in Manuſcripto: additum hoc ab Eccleſia Corinthiaca, quæ id reſpondere ſolebat, quoties Epiſtola hæc lecta eſt.

AD GALATAS.

CAP. I. v. 3. κυρίου ἡμῶν] In Manuſcripto deeſt ἡμῶν. 18. Πέτρον] MS. Κηφᾶν, & ſic in omni hac Epiſtola, & credo ſic ſcripſiſſe Paulum, ſed exſcriptorem repoſuiſſe inter Græcos notius.

CAP. II. v. 1. δεκατεσσάρων] Aſſentior codicibus ſi qui pro δεκατεσσάρων habent τεσσάρων. Cum enim numeri per notas ſcriberentur facile fieri potuit ut ante δ per errorem ι adderetur. 4. καταδουλώσωνται] *MS.* καταδουλώσουσι. 6 πρόσωπον, &c.] In Manuſcripto πρόσωπον ὁ θεὸς οὐ λαμβάνει, rectiùs. 9. καὶ Κηφᾶς] In Manuſcripto deeſt, quod rectius arbitror. ἵνα ἡμεῖς] *MS.* ἡμεῖς μὲν. 11. Πέτρος] In Manuſcripto rurſum Κηφᾶς. 13. συνυπεκρίθησαν] Si codices vetuſti aſſentirentur, legendum hic putarem συνυπεκλίθησαν, & mox τῇ ὑποκλίσει; & certè ſic legit Syrus. 14. τί τὰ] *MS.* πῶς τὰ, eodem ſenſu. 16. εἰδότες … νόμου] In Manuſcripto additur ὅτι ἐξ ἔργων νόμου. 18. συνίστημι] Manuſcript. συνιστάνω, pari ſenſu.

CAP. III. v. 1. ἐν ὑμῖν] In Manuſcripto melius omittitur. 5. ἐξ ἔργων νόμου] *MS.* ἐξ ἔργων νόμου τὸ πνεῦμα ἐλάβετε, nec aliter putem ſcripſiſſe Paulum. 10. ἐπικατάρατος] *MS.* ὅτι ἐπικατάρατος, ut et v. 13. 15. κατὰ ἄνθρωπον λέγω] In Manuſcripto hic additur ἀδελφοὶ, quod & Latinus & Syrus legerunt. 17. εἰς Χριστὸν] *MS.* deeſt. 19. τί οὖν, &c.] Melius alii codices τί οὖν ὁ νόμος; τῶν παραβάσεων χάριν προσετέθη. Lectio Irenæi ὁ νόμος τῶν πράξεων προσετέθη, minus huic loco convenit. Ib. ᾧ] Alii codices ὅ. 23. συγκεκλεισμένοι] *MS.* συγκλειόμενοι. 28. πάντες … Ἰησοῦ] Manuſcript. brevius ac ſimplicius habet, ἅπαντες γὰρ ὑμεῖς ἐστε ἐν Χριστῷ.

CAP. IV. v. 6. ὑμῶν] *MS.* ἡμῶν non malé. 8. μὴ φύσει] *MS.* φύσει μή. 15. τίς οὖν ἦν ὁ] *MS.* ποῦ οὖν ὁ, quomodo & alii habent codices perveteres. 17. ἐκκλεῖσαι] Syrus legit ἐγκλείειν, quomodo & multi codices Græci habent. Ib. ὑμᾶς] Sic & *MS.* non ἡμᾶς. 25 τὸ γάρ] *MS.* τὸ δέ. Ib. δουλεύει δέ] *MS.* δουλεύει γάρ. 30. παιδίσκην] *MS.* παιδίσκην αὐτήν. 31. ἀδελφοί] *MS.* ἡμεῖς ἀδελφοί.

CAP. V. v. 1. Τῇ, &c.] Hæc ſic rectè cohærent, male in quibuſdam codicibus divulſa, ita ut pars horum cap. præcedenti adhæreat. 7. ἀνέκοψε] MS. ἐνέκοψε, non ut quidam volunt ἀνέκοψε. 11. σταυροῦ] *MS.* σταυροῦ τοῦ Χριστοῦ. 18. ὑπὸ νόμον] Male in quibuſdam codicibus, ἀπὸ νόμου. 24. Χριστοῦ] *MS.* Χριστοῦ Ἰησοῦ.

CAP. VI. v. 10. ὡς] Aut ἕως ſcriptum fuit, aut ὡς poſitum pro ἕως. 15. ἰσχύει] *MS.* ἐστίν. 16. στοιχήσουσι] *MS.* στοιχοῦσιν.

AD EPHESIOS.

CAP. I. v. 1. ἁγίοις] *MS.* ἁγίοις πᾶσι. 6. ἐν ᾗ] *MS.* pari ſenſu ἧς. 7. χάριτος] *MS.* χρηστότητος. 11. ἐπληρώθημεν] *MS.* ἐκλήθημεν, non malé. 14. ὅς ἐστιν] *MS.* ὅ ἐστιν, pari ſenſu. 18. διανοίας] *MS.* καρδίας. 20. καὶ ἐκάθισεν] *MS.* καὶ καθίσας αὐτόν. Ib. ἐν δεξιᾷ] *MS.* ἐκ δεξιῶν.

CAP. II. v. 7. τὸν ὑπερβάλλοντα πλοῦτον] *MS.* ὑπερβάλλον πλοῦτος, quaſi πλοῦτος eſſet neutrum declinationis tertiæ. Et ita perpetuo in illo libro poni ſolet cum adjectivis neutris. 17. καὶ τοῖς ἐγγύς] *MS.* καὶ εἰρήνην ὑμῖν τοῖς ἐγγύς.

CAP. III. v. 2. τῆς χάριτος τοῦ θεοῦ] *MS.* τῆς χάριτος αὐτοῦ. 3. ἐγνώρισέ μοι] *MS.* ἐγνωρίσθη μοι, quomodo & Latinus legit & Syrus. 8. πάντων] In Manuſcriptis & in aliis libris additur τῶν ἁγίων. 14. τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ] In Manuſcripto deſunt, & ſine illis melius cohærent ſequentia, & ſuo quoque tempore à Græcis hæc abfuiſſe docet nos Hieronymus: ſenſus idem manet. 20. ἡμῖν] Manuſcript. ὑμῖν.

CAP. IV. v. 6. ὑμῖν] *MS.* deeſt. 14. πρὸς τὴν μεθοδείαν τῆς πλάνης] *MS.* πρὸς τὰς μεθοδείας τῆς πλάνης τοῦ διαβόλου. 16. ἑκάστου μέρους] *MS.* melius ἑκάστου μέλους. 32. ὁ Χριστός] Plerique & optimi codices habent ὁ θεὸς ἐν Χριστῷ. Sic legit & Syrus & Chryſoſtomus & Theophylactus & Latinus.

CAP. V. v. 4. τὰ οὐκ ἀνήκοντα] *MS.* ἃ οὐκ ἀνῆκεν. 9. τοῦ πνεύματος] *MS.* τοῦ φωτὸς, quod cum præcedentibus melius cohæret. 14 ἐπιφαύσει σοι ὁ Χριστός] Alii codices hic habuere ἐπιφαύσεις τοῦ Χριστοῦ, ſed minus rectè, ni fallor. 19 ᾄδοντες] *MS.* ἐν χάριτι ᾄδοντες, non male 21. Χριστοῦ] Alii libri habent Θεοῦ. Sed *MS.* habet Χριστοῦ, nec aliter Syrus & Arabs. 27. παραστήσῃ αὐτὴν ἑαυτῷ] *MS.* fortè rectiùs, αὐτὸς ἑαυτῷ παραστήσῃ. 30. ἐκ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, καὶ ἐκ τῶν ὀστέων αὐτοῦ] In Manuſcripto abſunt, & poteſt fieri ut aliquis ad marginem adſcripſerit. 31. πρὸς τὴν γυναῖκα] *MS.* τῇ γυναικί.

CAP. VI. v. 12. τοῦ αἰῶνος] In Manuſcripto abeſt, quomodo legerunt & Syrus & Latinus. Ib. τὰ πνευματικά] Apparet Syrum legiſſe τὰ πνεύματα, recté. 21. πάντα] Syrus non legit πάντα· & rectius ſine eo cohæret oratio: notatum etiam in quibuſdam libris eam vocem non extare. 23. ἀγάπη] *MS.* ἔλεος.

AD PHILIPPENSES.

CAP. I. v. 1. σὺν ἐπισκόποις] Ita plerique codices & Syrus, non ut Chryſoſtomus & ſecuti eum Græci legunt συνεπισκόποις. 16. ἐπιφέρειν] *MS.* ἐγείρειν, quomodo & Latinum legiſſe apparet. ib. Οἱ μὲν ἐξ, &c.] In Manuſcripto præcedit οἱ μὲν ἐξ ἀγάπης, &c. ſequitur vero οἱ δὲ ἐξ ἐριθείας. Simili codice uſus eſt Latinus. 18. πλὴν] *MS.* πλὴν ὅτι, non malé.

CAP. II. v. 2. τὸ ἓν] *MS.* τὸ αὐτό. 4. ἀλλὰ καὶ, &c.] *MS.* ἀλλὰ καὶ τὸ ἑτέρων ἕκαστος τοῦτο φρονεῖτε. 13. ὁ θεὸς γάρ ἐστιν ὁ ἐνεργῶν] *MS.* θεὸς γάρ ἐστιν ὁ ἐνεργῶν δύναμις. 14. ὀργῆς] Codices plerique habent γογγυσμῶν· & ita legerunt & Syrus & Latinus. 24. ἐλεύσομαι] In Manuſcripto additur πρὸς ὑμᾶς. 26. ὑμᾶς] In Manuſcripto recte additur ἰδεῖν· & ita apparet hic legiſſe Syrum. 30 παραβουλευσάμενος] Omnino legendum eſt παραβολευσάμενος. Latinus interpres recepto vetuſtior poſuerat hic: *Parabolatus eſt animam ſuam.*

CAP. III. v. 11. τῶν νεκρῶν] *MS.* τὴν ἐκ νεκρῶν. 13. οὐ] *MS.* οὔπω· recte. 16 κανόνι] In Manuſcripto deeſt. 21. εἰς τὸ γενέσθαι αὐτό] In Manuſcripto deeſt.

CAP. IV. v. 3. Καὶ ἐρωτῶ] *MS.* Ναὶ ἐρωτῶ. 7. τοῦ θεοῦ] *MS.* τοῦ Χριστοῦ. 13. Χριστῷ] In Manuſcripto deeſt. 18 παρ' Ἐπαφροδίτου] In Manuſcripto hic non ponitur. 23. μετὰ πάντων ὑμῶν] *MS.* μετὰ τοῦ πνεύματος ὑμῶν· quomodo legit & Latinus.

AD COLOSSENSES.

CAP. I. v. 2. Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ] In multis codicibus Græcis & Latinis abeſt hic, ut & in Syriaco. 4. τὴν εἰς] *MS.* ἣν ἔχετε εἰς· quomodo legit & Latinus. 6. καὶ αὐξανόμενον] In Manuſcripto abeſt. 10. ὑμᾶς] Abeſt in Manuſcripto, non male. Ib. εἰς τὴν ἐπίγνωσιν] *MS.* τῇ ἐπιγνώσει. 14. διὰ τοῦ αἵματος αὐτοῦ] Videntur aſcripta hic ex Epheſ. 1. 7. Nam *MS.* non magis hoc habet quam Syrus, & Latinus, & Ambroſius. 23. διάκονος] In *MS.* amplius eſt κῆρυξ καὶ Ἀπόστολος. 27. ὅς ἐστι] *MS.* ὅ ἐστι. 28. ἄνθρωπον ἐν] *MS.* ἄνθρωπον τέλειον ἐν· & ſic legit Latinus.

CAP. 2. v. 7. ἐν αὐτῇ] In Manuſcripto deeſt. 11. τῶν ἁμαρτιῶν] In Manuſcripto deeſt, ut & in Latino. 17. τὸ δὲ σῶμα τοῦ Χριστοῦ] *MS.* hæc verba trahit ad ſequentem periodum, τὸ δὲ σῶμα τοῦ Χριστοῦ, μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω. Meminit hujus diſtinctionis Photius, & Iſychius ad Leviticum 15. 22. τῇ ἀποχρήσει] Oecumenius & Theophylactus legerunt τῇ ἀποκρίσει.

CAP. 3. v. 14. ἥτις ἐστί] *MS.* ὅ ἐστι. 15. τοῦ θεοῦ] *MS.* τοῦ χριστοῦ. 16. τοῦ χριστοῦ] *MS.* τοῦ θεοῦ. Ib. ἐν τῇ καρδίᾳ] *MS.* ἐν ταῖς καρδίαις. 20. ἐν Κυρίῳ] Melius alii codices Κυρίῳ. 21. ἐρεθίζετε] *MS.* παροργίζετε. 22. τὸν θεόν] *MS.* τὸν κύριον. 24. τῷ γὰρ κυρίῳ] *MS.* τῷ κυρίῳ χριστῷ.

CAP. 4. v. 2. λαλῆσαι] *MS.* ἐν κυρίῳ λαλῆσαι. 8. ἵνα γνῷ τὰ περὶ] Legendum ex Manuſcripto ἵνα γνῶτε quomodo eſt Eph. 6. 22. 12. στῆτε] Latinus legit ἦτε. Ib. πεπληρωμένοι] *MS.* πεπληροφορημένοι. 13. ζῆλον πολὺν] *MS.* πολὺν πόνον· Quomodo & Latinus legit. 16. Λαοδικείας] Hæc vera lectio, non ἐκ Λαοδικείας.

D THESSALONICENSES I.

CAP. I. v. 1. ἀπὸ θεοῦ, &c.] Illa ἀπὸ θεοῦ, & ſequentia abſunt in codicibus nonnullis: neque ea legit Syrus. 3. ἔμπροσθεν τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς ἡμῶν] Hoc neque Syrus legit, neque Arabs. 5. εἰς ὑμᾶς] *MS.* πρὸς ὑμᾶς, eodem ſenſu. 6. καὶ τοῦ κυρίου] Syrus ἐν τῷ κυρίῳ. *MS.* καὶ θεοῦ.

CAP 2. v. 7. ἤπιοι] Latinus legit νήπιοι. At Græci codices & interpretes ἤπιοι. 11 καὶ μαρτυρούμενοι] abeſt in Manuſcripto. 12. καλοῦντος] *MS.* καλέσαντος. 19 καυχήσεως] *MS.* ἀγαλλιάσεως.

CAP. 3. v. 2. διάκονον τοῦ θεοῦ καὶ συνεργὸν ἡμῶν] In quibuſdam codicibus διάκονον τοῦ θεοῦ, in quibuſdam συνεργὸν ἡμῶν deeſt. Ib. παρακαλέσαι ὑμᾶς περὶ τῆς] *MS.* παρακαλέσαι ὑπὲρ τῆς. 13. ἁγιωσύνῃ] *MS* δικαιοσύνῃ. Ib. ἁγίων] Libri optimi habent ἁγίων. Quod quidam habent ἀγγέλων eſt interpretamentum ex 2 Theſſ. 1. 1. Matth. 16. 27. & 25. 31. Deut. 33. 2.

CAP. 4. v. 1. θεῷ] In Manuſcripto additur, καθὼς καὶ περιπατεῖτε· quod & Latinus legit. 8. καὶ δόντα] Abeſt καὶ à Manuſcripto. 13. κεκοιμημένων] *MS* κοιμωμένων· non male.

CAP. V. v. 4. κλέπτης] Puto melius habere Manuſcriptum κλέπτας. 6. καὶ οἱ] Abeſt καὶ in Manuſcripto. 17. τοῦτο γὰρ, &c] *MS.* clarius, τοῦτο γάρ ἐστι θέλημα θεοῦ εἰς ὑμᾶς ἐν χριστῷ Ἰησοῦ. 27. ὁρκίζω] *MS.* ἐνορκίζω.

AD THESSALONICENSES II.

CAP. 1. v. 1. Σιλουανός] Puto eſſe verum quod notat Hieronymus hic Σίλας olim ſcriptum fuiſſe non Σιλουανός. 4. καυχᾶσθαι] MS. ἐγκαυχᾶσθαι. 5. ἔνδειγμα] Theophylactus clarius habet εἰς ἔνδειγμα· nec aliter legit Syrus. 12. καὶ ὑμεῖς] MS. καὶ ἡμεῖς.

CAP. 2. v. 4. ὥστε αὐτόν] Aut ſcribendum hic αὑτὸν, quod liberum nobis, cùm veteres codices iſtas ſpirituum, quos vocant, notas non habuerint, aut αὐτὸν ſcribendum pro ἑαυτὸν· quæ mutatio frequens eſt etiam apud idoneos ſcriptores. 8. ἀναλώσει] MS. ἀνελεῖ. Et videtur ſumptum hoc ex Eſa. 11 21. ubi in Græco ἀνελεῖ. 10. ἐν τοῖς ἀπολλυμένοις] In Manuſcripto τοῖς ἀπολλυμένοις, ſine ἐν· nec aliter legit Latinus. 11. πέμψει] MS. πέμπει. 17 καὶ στηρίξαι, &c.] MS. καὶ στηρίξαι (n. τὰς καρδίας) ἐν παντὶ ἔργῳ καὶ λόγῳ ἀγαθῷ. Pari codice uſus fuit Latinus interpres.

CAP. 3. v. 3. ὁ κύριος ὅς] MS. ὁ θεὸς ὃς καί. Et ita legit Latinus. 6. παρέλαβον] MS. παρελάβοσαν Bœoticâ flexione. 16. τρόπῳ] Probo lectionem quam ſecutus eſt Latinus interpres, & Græci quidam, ſc. τόπῳ· ut 1 Cor. 1. 2.

AD TIMOTHEUM I.

CAP. 1. v. 1. καὶ σωτῆρος ἡμῶν] In Manuſcripto & codicibus plurimis eſt σωτῆρος ἡμῶν καὶ· rectè. Nam ſic & ad Titum. Mutarunt qui meminerunt σωτῆρος nomen pleriſque in locis tribui Chriſto. 4. ζητήσεις] MS. ἐκζητήσεις. ib. οἰκονομίαν] Quidam libri habent οἰκοδομὴν· ſed illud rectius. 16. πρῶτον] Quidam codices hic habent πρώτην, ſenſu eodem. 17. σοφῷ] In Manuſcripto deeſt: Et ſic quidem Latini legerunt.

CAP. 2. v. 6. τὸ μαρτύριον] MS. deeſt. 7. εἰς ὃ ἐτέθην] MS. ὃ ἐπιστεύθην.

CAP. 3. v. 1. Πιστὸς ὁ λόγος] Quidam codices hic habent ἀνθρώπινος λόγος· et ſic etiam in quibuſdam fuiſſe loco ſuperiore. 1. 15. notavit Hieronymus. Nimirum natus hic error ex ſcribendi compendiis non diſſimilibus πξ & αξ. 3. μὴ αἰσχροκερδῆ] Deeſt in Manuſcripto, ut & in Syriaco & Latino. 14. τάχιον] MS. ἐν τάχει· ſenſu eodem. 16. θεός] Suſpectam nobis hanc lectionem faciunt interpretes veteres, Latinus, Syrus, Arabs & Ambroſius, qui omnes legerunt ὃ· Addit Hincmarus opuſculo 55. illud θεὸς hic poſitum à Neſtorianis· Senſum bonum facit illud ὃ ἐφανερώθη.

CAP. 4. v. 1. πνεύματι πλάνης] Latinus habet πνεύμασι πλάνης· Græci plerique πνεύμασι πλάνοις, quomodo & Latini non pauci legere. 3. ἀπέχεσθαι] Nihil opus mutare lectionem ut legamus ἀντέχεσθαι; quod contendit Iſidorus Peluſiota Epiſtolarum 4. 102. 6. ᾗ] MS. οἷς. 10 καὶ ὀνειδιζόμεθα] MS. καὶ ἀγωνιζόμεθα· non male. 12. ἐν πνεύματι] Hoc non habet Latinus, neque Syrus, neque Chryſoſtomus.

CAP. 6. v. 5. διαπαρατριβαί] In aliis libris eſt παραδιατριβαί· quod rectum. ib. ἀφίστασο ἀπὸ τῶν τοιούτων] In Manuſcripto deeſt. Deeſt & in aliis multis & in Latino. Addiderunt ii qui ſenſum putarunt ſine his non plenum, cum contra ſe res habeat. 9. ἀνονήτους] Sic legit Latinus, non ἀνοήτους. 11. πραότητα] In Manuſcripto eſt πραϋπάθειαν. Et videtur ſic legiſſe Heſychius. Eſt enim apud eum πραϋπάθεια, πραότης. 13. ζωοποιοῦντος] MS. ζωογονοῦντος, pari ſenſu. 17. ἐν τῷ θεῷ] MS. ἐπὶ τῷ θεῷ. 19. τῆς αἰωνίου] MS. τῆς ὄντως ſenſu eodem. Et Latinus ſic legit; vertit enim *veram vitam*. 20. παρακαταθήκην] MS. & hic, & 2 Tim. 1. 12, & 14. παραθήκην. 21. μετὰ σοῦ] MS. μεθ' ὑμῶν.

AD TIMOTHEUM. II.

CAP. 1. v. 5. λαμβάνων] MS. λαβών. 6. τοῦ θεοῦ] MS. τοῦ χριστοῦ. 11. ἐθνῶν] In Manuſcripto deeſt.

CAP. 2. v. 7. δώη] MS. δώσει. Quomodo & Syrus videtur legiſſe. 15. τῷ θεῷ] MS. τῷ χριστῷ. 16. κενοφωνίας] MS. hic ut & ſupra 1 Tim. 6. 20. κενοφωνίας habet, non καινοφωνίας. 22. εἰρήνην, &c.] MS. εἰρήνην μετὰ πάντων τῶν ἀγαπώντων τὸν κύριον. 25. ἀληθείας] MS. addit ἐλθεῖν.

CAP. 3. v. 3. ἄστοργοι, ἄσπονδοι] De his vide ad Rom. 1. 31. Et forte inde huc infarcta ſunt: nam deſunt in Syriaco. 6 ἐπιθυμίαις, &c.] MS. diſtinctius habet, ἐπιθυμίαις καὶ ἡδοναῖς ποικίλαις. 8. Ἰαμβρῆς] Latini interpretis Græcum exemplar habuit Μαμβρῆς. Et ſic Magus iſte vocatur Numenio. Nec aliter in Thalmudico titulo De Oblationibus. 9 ἄνοια] MS. διάνοια. 14. τίνος] MS. τίνων, à me & Barnaba. 17. ἐξηρτυμένος] Melius alii codices, ἐξηρτισμένος. Syrus comma poſuit poſt ἀγαθὸν, & copulam ante ἐξηρτισμένος.

CAP. 4. v. 2. παρακάλεσον] Deeſt apud Syrum. 5. κακοπάθησον] Additur hic in Manuſcripto ὡς καλὸς στρατιώτης Χριστοῦ Ἰησοῦ. 10. Κρήσκης] Codices nonnulli hic habent Κρίσκης, quomodo Cynicus ille Juſtini Martyris hoſtis Tatiano dicitur. Nomen hoc in Syriaco male legitur *Criſpus*, in Arabico *Criſicus*. 14. ἀποδῴη] MS. ἀποδώσει· quomodo legit Syrus, atque ita fortè reſponſor ad Orthodoxos 125. At Clemens Alexandrinus legit ἀποδῴη Strom. 7. 18. καὶ ῥύσεταί με] In Manuſcripto nova hic eſt periodus: ῥύσεταί με ſine καί. 20. Μιλήτῳ] Omnino legendum cenſeo Μελίτῃ· Nam & Arabs hic eam vocem habet, quâ Melitem appellat Act. 28. 1.

AD TITUM.

CAP. 1. v. 4. ἔλεος] Hoc à codicibus quibuſdam hic abfuiſſe ex Origene & aliis diſcimus, nec legit Syrus. 5. κατέλιπον] MS. ἀπέλιπον. ib. ἐπιδιορθώσῃ] MS. ἐπιδιορθώσῃς. 9. πιστοῦ λόγου] Ambroſius hic legit ἀνθρωπίνου λόγου· quem errorem ex ſcribendi compendio natum diximus 1 Tim. 3. 1. ib. ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ] MS. pro his verbis habet τοὺς ἐν πάσῃ θλίψει. 10. καὶ ἀνυπότακτοι] Melius abeſt καὶ in MS. 12. ἀργαί] Favorinus citat ἀργοὶ, & exponit γαστριμόργους.

CAP. 2. v. 7. ἀδιαφθορίαν ··· ἀφθαρσίαν] MS. ἀφθορίαν· cujus interpretamentum illud ἀφθαρσίαν, quod à pluribus codicibus abeſt: neque id legere Chryſoſtomus, Oecumenius, Theophylactus. 15. λάλει] MS. δίδασκε.

CAP. 3. v. 5. τὸν αὐτοῦ ἔλεον] MS. τὸ αὐτοῦ ἔλεος. ib. διὰ λουτροῦ παλιγγενεσίας] MS. διὰ τοῦ λουτροῦ. 10. αἱρετικόν] Syrus hic habet αἱρεσιάτην. Arabs נאהל i. *ignarum*.

AD HEBRÆOS.

CAP. 1. v. 1. ἐσχάτων] MS. ἐσχάτου. 3. αὐτοῦ] Manuſcripti, in quibus ſpiritus Grammaticales diſtinguuntur, habent αὑτοῦ, & ita legit Cyrillus 8. contra Julianum. ib. δι' ἑαυτοῦ] In Manuſcripto deeſt. 9. ἀνομίαν] MS. ἀδικίαν, pari ſenſu. 12. ὡσεὶ περιβόλαιον ἑλίξεις αὐτούς] MS. ἑλίξεις αὐτοὺς ὡς ἱμάτιον. ib. ἑλίξεις] Videri poſſit hoc in Græcum textum irrepſiſſe pro ἀλλάξεις ex loco Eſaiæ 34. 4.

CAP. 2. v. 9. χάριτι] Quidam codices jam olim habuere χωρὶς, quod ſequuntur hic nonnulli codices Syriaci & Ambroſius 2. de fide ad Gratianum: unde apparet non debere hujus Scripturæ mutatæ culpam in Neſtorium aut Neſtorianos conjici.

CAP. 3. v. 9. ἔργα μου] Ponenda interpunctio poſt μου, ut in Hebræo & editione Sixti Græca. Et id exigunt quæ ſequuntur infra 17. & ipſa hiſtoriæ ſeries. 10. ἐκείνῃ] MS. ταύτῃ. 15 ἐν τῷ λέγεσθαι] Hoc quidam connectunt cum præcedentibus. Chryſoſtomus & qui eum ſequuntur Græci cum iis quæ ſequuntur, φοβηθῶμεν οὖν, ubi nos novam habemus Sectionem, non alia de cauſa quam quia ita viſum eſt exſcriptoribus, cum Græci aliis utantur Sectionibus. 17. τισὶ δέ] MS. τίσιν δὲ καί. ib. ἁμαρτήσασιν] MS. ἀπειθήσασιν· forte ex Gloſſemate.

CAP. 4. v. 2. συγκεκραμένους] Ita habent MS. non pauci: ſed bona videtur lectio συγκεκραμένος. Poteſt tamen ferri & altera. 3. εἰσερχόμεθα] MS. εἰσερχώμεθα· non malé. 4. ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἑβδόμῃ] Abeſt in MS. 7. εἴρηται] MS. clarius προείρηται.

CAP. 5. v. 3. ὑπέρ] MS. περί. 5. γενηθῆναι] Manuſcriptus γενέσθαι.

CAP. 6. v. 3. ποιήσομεν] MS. ποιήσωμεν. 10. τοῦ κόπου] In MS. deeſt ut & in Latino.

CAP. 7. v. 11. ἐπ' αὐτῇ νενομοθέτητο] MS. ἐπ' αὐτῆς νενομοθέτηται. 13. προσέσχηκε] MS. προσέσχε· & eſt vox bene Græca, ſignificatque *operam dare*. Alii libri habent προσέστηκε. 14. ἱερωσύνης] MS. ἱερέων. 17. μαρτυρεῖ] MS. μαρτυρεῖται. 19. ἐγγίζομεν] MS. ἐγγίζωμεν. 26. ἡμῖν] *MS.* ἡμῖν καί. 27. ἀνενέγκας] *MS.* προσενέγκας, ut ſupra v. 1, 3, 7. & infra ſæpe.

CAP. 8. v. 1. ἐπὶ τοῖς] *MS.* ἐν τοῖς· 4. εἰ μὲν γάρ] *MS.* εἰ μὲν οὖν. ib. τῶν ἱερέων] Deeſt in Manuſcripto. 10. διαθήκη] *MS* διαθήκη μου. 12. καὶ τῶν, &c.] Syrus & Latinus unam tantum vocem legerunt hoc loco, & Græci quidam (quomodo in Hebræo) ita ut altera horum videri poſſit irrepſiſſe ex Gloſſemate.

CAP. 9. v. 1. σκηνή] In *MS.* abeſt illud σκηνή, ut & in Syro & Latino, & rectè. Eſt enim natum ex Gloſſemate, nec legerunt id Chryſoſtomus & ſecuti eum Græci. 2. ἁγία] Non ἁγία ſcribendum ſed ἅγια, ut ex ſequentibus apparet, & ſupra 8. 2. 9. καθ' ὃν] *MS.* καθ' ἥν· quomodo & Græcos quoſdam legiſſe apparet. 10. δικαιώμασι] *MS.* δικαιώματα· neque aliter legit Syrus. 14 αἰωνίου] Ita habent optimi codices, & ita legit Theophylactus, ut & Syrus. Græci alii & Latini ἁγίου. ib. ἡμῶν] Quidam libri habent ὑμῶν· ſed ἡμῶν eſt in Manuſcripto, & ſic Syrus legit, & ita verſum habent quidam codices Latini. 27. καθ' ὅσον] Alii dices habent καθ' ὃ· forte ſcriptum fuit καθὼς· Syrus איכנא: Latinus *quemadmodum*. 28. σωτηρίαν] *MS.* addit διὰ πίστεως· non malé.

CAP. 10. v. 2. ἐπεὶ ἄν] *MS* οὐκ ἄν· quomodo & Græci expoſitores legerunt, & monent id pronunciandum cum interrogationis nota. ib. κεκαθαρμένους] *MS.* habet κεκαθαρισμένους, non malé. 12. αὐτός] *MS.* οὗτος. ib. ἐν τῇ δεξιᾷ] *MS* ἐκ δεξιῶν. 15. εἰρηκέναι] *MS.* προειρηκέναι ſed nihil refert. 17. ἁμαρτιῶν, &c.] Poſt hoc ſubauditur εἴρηκε. Quidam codices etiam adſcriptum habent τότε εἴρηκε. 22. ἐρραντισμένοι] *MS.* ῥεραντισμένοι· ex Dialecto ut puto aliqua. 34. δεσμοῖς μου, &c.] Legendum, ut in Manuſcripto eſt, δεσμίοις· quomodo infra 13. 3. Et apparet hic ita legiſſe Syrum & Latinum. ib. ἑαυτοῖς] *MS.* ἑαυτούς, & deeſt ἐν οὐρανοῖς, ut & in Latino. 38. δίκαιος] *MS.* δίκαιός μου· & ita ſcriptum in multis codicibus Græcis Abacuci. ib. πίστεως] Syrus hic legit πίστεώς μου· quomodo eſt in Hebræo.

CAP. 11. v. 3. τὰ βλεπόμενα γεγονέναι] *MS.* τὸ βλεπόμενον ἐποίησε. 4. λαλεῖται] *MS.* λαλεῖ. 8. καλούμενος] *MS.* ὁ καλούμενος· ut ſit πρόληψις. 11. ἔτεκεν] Abeſt in Manuſcripto: Bene. Nec aliter legit Latinus. 13. ἰδόντες] Quod hic poſt ἰδόντες, quidam codices habent καὶ πεισθέντες, id abeſt in Manuſcripto. 34. ἐνεδυναμώθησαν] *MS.* ἐδυναμώθησαν. 37. ἐπειράσθησαν] Hæc vox in textum irrepſit ἐκ διττογραφίας· Quod nec Syrus legit, nec Chryſoſtomus, nec Theophylactus. 39 τὴν ἐπαγγελίαν] *MS.* τὰς ἐπαγγελίας· quomodo plerumque hic ſcriptor loquitur ubi de veteribus promiſſis agit.

CAP. 12. v. 1. ἀπερίστατον] Plurimi codices habent εὐπερίστατον· & ſic legerunt Syrus & Latinus. 15. ἐνοχλῇ] Apparet ex Deut. 29. 18. legendum hic ἐν χολῇ. 19. προστεθῆναι] *MS.* προσθεῖναι. 24. παρὰ τὸν] Legendum eſt παρὰ τὸ· quomodo legerunt Græci veteres & Syrus. 25. ἔφυγον] *MS.* ἐξέφυγον. 26. σείω] *MS* σείσω, bene. 28. αἰδοῦς καὶ εὐλαβείας] *MS.* εὐλαβείας καὶ δέους.

CAP. 13. v. 9. περιφέρεσθε] *MS* παραφέρεσθε, i. *ne inſanite*. Et ita videtur legiſſe Latinus cùm vertit *abduci*, ut & Syrus. ib. περιπατήσαντες] *MS.* περιπατοῦντες. 11. περὶ ἁμαρτίας] Abſunt in Manuſcripto. 17. ὑπὲρ τῶν ψυχῶν ὑμῶν] *MS.* ponit poſt ἀποδώσοντες. 18. πεποίθαμεν] *MS.* πειθόμεθα, pari ſenſu. 21. ἔργῳ] *MS.* λόγῳ καὶ ἔργῳ. 23. ἀδελφόν] In Manuſcripto erant literæ aliquæ detritæ,, videbaturque ſcriptum fuiſſe ἀδελφὸν ὑμῶν, quomodo fuit & in exemplaribus quibus uſi ſunt Syrus & Latinus.

IN EPISTOLAM JACOBI.

CAP. I. v. 12. ἀνὴρ] MS. ἄνθρωπος. ib. ὁ κύριος] Abeſt in Manuſcripto. Nec aliter legerunt & acceperunt Syrus & Latinus. 19. ὥστε] MS. ἴστε· & ſic legit Latinus. 21. περισσείαν] MS. περίσσευμα. 23. ὅτι] Deeſt in Manuſcripto, ut & apud Syrum. 27. θρησκεία] In Manuſcripto connectitur hoc non male cum præcedentibus, hoc modo, θρησκεία γὰρ· & ſic legit Syrus.

CAP. 2. v. 3. αὐτῷ] Abeſt in Manuſcripto: 3. ὧδε] Abeſt in Manuſcripto. 5. καὶ κληρονόμους] Illud καὶ rectius abeſt in Manuſcripto. 6. ὑμῶν] MS. ὑμᾶς. 11. τηρήσῃ] MS. πληρώσῃ. 13. κατακαυχᾶται] MS. non male. κατακαυχάσθω. Et hunc ſenſum ſequitur Syrus. 15. καὶ λειπόμενοι] Pro καὶ in Manuſcripto eſt ἤ. 18. ἐκ τῶν ἔργων] Cum & Manuſcripti plurimi, & ille optimus quo utimur, & Latinus & Syrus & Arabs legerint χωρὶς τῶν ἔργων· omnino præſtat eam nos lectionem ſequi. 25. ἀγγέλους] Quidam codices habent hic (ſicut habetur 11. 31.) κατασκόπους. Et ſic vertunt Syrus & Arabs.

CAP. 3. v. 6. καὶ ἡ γλῶσσα, &c.] MS. καὶ ἡ γλῶσσα πῦρ, ὁ κόσμος τῆς ἀδικίας, ἡ γλῶσσα καθίσταται, ad quam lectionem propius accedit Latinus interpres. Sed Syrus optime legiſſe videtur ἡ γλῶσσα πῦρ τῷ κόσμῳ τῆς ἀδικίας καθίσταται. ib. φλογιζομένη] Forte ſcribendum φλογισομένη· quomodo legiſſe videtur Syrus. 9. τὸν θεόν] MS. τὸν κύριον. ib. γεγονότας] MS γεγεννημένους. 12. ἁλυκὸν, &c.] Recte hic MS. οὔτε ἁλυκὸν γλυκὺ ποιῆσαι ὕδωρ. i. quomodo Latinum interpretem puto ſcripſiſſe, *Neque ſalſa dulcem poteſt facere aquam.* 14. εἰ δέ] MS. εἰ δὲ ἄρ. ib. κατακαυχᾶσθε] MS. καυχᾶσθε. 16. ἐκεῖ] MS. non male ἐκεῖ δέ.

CAP. 4. v. 2. φονεύετε] Sunt qui legunt φθονεῖτε· non male, niſi quis malit φονεῖτε. 6. διὸ uſque ad finem verſus] Cum abſint hæc ob optimis MSS. & à Latinis codicibus nonnullis, credibile eſt hunc locum, ut ab eo quod hic tractatur alienum, annotatum fuiſſe in margine ex 1 Pet. 5 6 deinde, ut fieri ſolet, irrepſiſſe in textum. Et his omiſſis ſenſus melius cohæret. 7. ἀντίστητε] MS. ἀντίστητε δέ. 11. καὶ κρίνων] MS. ἢ κρίνων. 12. νομοθέτης] MS. adjicit καὶ κριτής, & ſic legere Latinus, Syrus, Arabs. ib. τὸν ἕτερον] MS. τὸν πλησίον, ſenſu eodem, & ita legerunt Syrus & Latinus. 13. καὶ αὔριον] Alii codices ἢ αὔριον· quomodo legerunt Syrus, & Latinus. ib. πορευσόμεθα] Hoc, & quæ ſequuntur verba tum hic tum infra v. 15. in futuro legerunt Syrus, Latinus, Arabs, & ſic optimi habent codices Græci, non in potentiali. 14. τὸ τῆς] MS. τὰ τῆς. ib. ἐστιν] Rectius ἐστιν quam ut in aliis codicibus quibuſdam ἔσται. Et ſic legere Syrus, Latinus, Arabs. 15. καὶ ποιήσομεν] Rectius Latinus & Syrus legere ποιήσομεν abſque καὶ præcedente.. 16. καλὸν ποιεῖν] Syrus legit τὸ καλὸν ſine ποιεῖν· non male.

CAP. 5. v. 3. ὡς πῦρ] Arabs videtur legiſſe ὡς πῦρ ὅ. Mon male MS. repetit vocem ὁ ἰὸς poſt σάρκας ὑμῶν. 5. ἐν ἡμέρᾳ] MS. ἐν ἡμέραις. 10. λάβετε … μου] MS. ἔχετε quod ponit poſt μακροθυμίας, & deeſt μου. ib. ὀνόματι] Alii codices plenius habent ἐν ὀνόματι. 11. ὑπομένοντας] MS. melius ὑπομείναντας· quomodo legerunt & Syrus & Latinus. 12. εἰς ὑπόκρισιν] Syrus Latinns, Arabs legerunt ὑπὸ κρίσιν. 16. ἐξομολογεῖσθε, &c.] In MS. connectitur hoc cum ſuperioribus non male hoc modo ἐξομολογεῖσθε οὖν ἀλλήλοις τὰς ἁμαρτίας. 20. ψυχὴν] MS. τὴν ψυχὴν αὐτοῦ.

IN EPISTOLAM I PETRI.

CAP. I. v. 12. Οἷς, &c.] MS. Οἷς ἀπεκαλύφθη αὐτὰ οὐχ ἑαυτοῖς, ὑμῖν δὲ διηκόνουν. Sed præfero id quod Latinus hic ſequitur. 16. γένεσθε] MS. ἔσεσθε· quomodo apud LXX duobus Levit. locis. 20 ἐσχάτων] MS. ἐσχάτου. 22. διὰ πνεύματος] Deeſt hoc in Manuſcripto non minus quam in Latino & Syriaco. ib. ἐκ καθαρᾶς καρδίας] in Manuſcripto tantum eſt ἐκ καρδίας· quomodo Rom. 6. 17. & ita legit Latinus. 23. λόγου ζῶντος θεοῦ] MS. ζῶντος θεοῦ, ut apertum ſit ζῶντος cum voce θεοῦ, non cum voce λόγου hic conjungi. Sumpta enim verba ex Dan. 6. 26. 25. τὸ ῥῆμα τό] In Manuſcripto deeſt.

CAP. 2. v. 2. ἐπιποθήσατε] Adjicit hic MS. cum Syro & Latino εἰς σωτηρίαν recte. 5. οἰκοδομεῖσθε] MS. ἐποικοδομεῖσθε· nec aliter legit & Latinus. 7. λίθον ὃν ἀπεδοκίμασαν οἱ οἰκοδομοῦντες, οὗτος ἐγενήθη εἰς κεφαλὴν γωνίας, καί] Recte puto in Syriaco abeſſe hæc omnia, & tranſlata huc ex Matth. 21. 42. neque enim huc pertinent. MS. ſecundum locutionem receptiorem λίθος habet pro λίθον. 18. σκολιοῖς] Syrus duo habet adjectiva; quare videtur legiſſe δυσκόλοις καὶ σκολιοῖς. Facile autem fieri potuit ut à librariis de duabus vicinis vocibus altera omitteretur. 19. χάρις] Addit MS. παρὰ τῷ θεῷ· quomodo legit & Syrus. 20. κολαζόμενοι] Videntur & Syrus & Arabs legiſſe κολαζόμενοι· quanquam poteſt & κολαφιζόμενοι ferri, ut ſit ſpecies pro genere. 21. ὑπὲρ] MS. περὶ· quod recte cohæret cum ſequentibus. 24. ἁμαρτίαις] MS. ἁμαρτίαις ὑμῶν.

CAP. 3. v. 7. χάριτος] MS. ποικίλης χάριτος. ib. ἐκκόπτεσθαι] Latinus recte legit ἐγκόπτεσθαι. 8. φιλόφρονες] MS. ταπεινόφρονες· & inde eſt quod Latini quidam codices hic habent *humiles*. 9. εἰδότες] Deeſt in Manuſcripto & in Syro. 10. ἀγαπᾶν, καὶ ἰδεῖν] Syrus rectius legit καὶ ἀγαπῶν ἰδεῖν· eſt enim ex Pſal. 34. 13. ib. αὐτοῦ … αὐτοῦ] Utroque loco abeſt in Manuſcripto. 13. μιμηταί] MS. ζηλωταί· non male. 14. Ἀλλ᾽ εἰ καί] MS. εἰ δέ. 15. αἰτοῦντι] MS. ἀπαιτοῦντι· non male. ib. μετά] MS. non male ἀλλὰ μετά, & bene hæc conjunxit. 17. θέλει &c.] MS. θέλοι. Quidam Latini vertunt, *ſi velit Spiritus Dei*, quia voces per compendia ſcriptæ θμα. & πμα. vicinæ ſunt. 18. περὶ ἁμαρτιῶν] MS. plenius περὶ ἁμαρτίας ὑπὲρ ὑμῶν. 21. ᾧ] In Manuſcripto optimo & aliis hic eſt ὃ, ut nempe id referatur ad ὕδωρ, non ut idem ſignificetur ſed ſimile. 22. ἐν δεξιᾷ τοῦ θεοῦ] Hic in quibuſdam Græcis codicibus aliquanto plus fuiſſe docet Latina verſio.

CAP. 4. v. 1. ἐν σαρκί] MS. rectius σαρκί. 3. κατεργάσασθαι] Melius MS. κατειργάσθαι, quomodo videtur legiſſe & Syrus. 8. καλύψει] καλύπτει. 14. τὸ τῆς δόξης καὶ τό] MS. τὸ τῆς δόξης, καὶ δυνάμεως καὶ τό. Sed vera lectio eſt τὸ τῆς δόξης καὶ δυνάμεως, τό. ib. κατὰ μὲν uſque ad finem verſus] Abſunt à Manuſcripto non minus quam à Latino & Syro & Arabe. 16. τῷ μέρει] MS. locutione Latina τῷ ὀνόματι. Nec aliter legit Syrus.

CAP. 5. v. 2. ἑκουσίως] MS. ἑκουσίως κατὰ τὸν θεόν· Et ſic legit Latinus. 5. ὑποτασσόμενοι] In Manuſcripto deeſt, ut & in Latino & Syro. ib. ἐγκομβώσασθε] MS. ἐγκομβώσατε. 6. καιρῷ] MS. καιρῷ τῆς ἐπισκοπῆς. 10. καταρτίσαι, &c.] MS. καταρτίσει, στηρίξει, σθενώσει, & abeſt ὑμᾶς & θεμελιώσει· nec aliter legit Latinus. 11. Αὐτῷ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων] In Manuſcripto tantum eſt αὐτῷ τὸ κράτος, &c. 12. εἰς ἣν ἑστήκατε] MS. ἐν ᾗ στῆτε. 14. ἐν φιλήματι ἀγάπης] Syrus legit ἐν φιλήματι ἁγίῳ.

IN EPIST. II PETRI.

CAP. I. v. 2. ἡμῶν] MS. deeſt. 3. διὰ δόξης καὶ ἀρετῆς] MS. ἰδίᾳ δόξῃ καὶ ἀρετῇ. 5. καὶ αὐτὸ τοῦτο δέ] MS. καὶ αὐτοὶ δέ. 8. ὑπάρχοντα] MS. παρόντα. 10. βεβαίαν ὑμῶν τὴν κλῆσιν] MS. plenius, ut & alii multi, ἵνα διὰ τῶν καλῶν ἔργων βεβαίαν ὑμῖν τὴν παράκλησιν. Latinus in ſuo Græco habuit διὰ τῶν καλῶν ἔργων· ſed κλῆσιν non παράκλησιν. 12. διὸ οὐκ ἀμελήσω] MS. διὸ μελήσω· inuſitate: & tamen Latinus videtur ſic legiſſe. 17. τοιᾶσδε ὑπὸ τῆς μεγαλοπρεποῦς δόξης, οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητὸς εἰς ὃν ἐγὼ εὐδόκησα. 20. ἐπιλύσεως] Omnino aſſentior iis qui ἐπηλύσεως legendum cenſent; quod cum ſequentibus melius cohæret.

CAP. 2. v. 2. ἡ ὁδὸς τῆς] MS. ἡ δόξα τῆς. 11. παρὰ Κυρίῳ] Abeſt in Manuſcripto, & recte. 12. φυσικὰ γεγεννημένα] MS. γεγεννημένα φυσικά. At Latinus φύσει quod rectum puto. 13. ἀπάταις αὐτῶν] Recte Latinus legit ἀγάπαις, quomodo & Judas loquitur. Sed auferendum αὐτῶν, quod Arabs non legit. 14. μοιχαλίδος] MS. μοιχαλίας· quod rectum puto. Et ita legit Latinus qui vertit *adulterii*. ib. ἀκαταπαύστους] Melius Latinus legit ἀκαταπαύστου. ib. πλεονεξίας] Ita MS. non πλεονεξίαις ut alii codices. 15. τοῦ Βοσὸρ] Arabs legit hic Βεὼρ, & præpoſuit vocem quæ *filium* ſignificat. Quod non improbem ſi exemplaria vetera faveant. Nam בעור pater Balaami. 16 παρανομίας] Latinus hic παρανοίας legit. 17. νεφέλαι] MS. diſtinctius ὁμίχλαι. 19. ὑπάρχοντες] MS. ὄντες. Nihil refert. 20. οἱ γάρ] Alii libri εἰ γάρ. Sed vera lectio eſt οἱ γὰρ, ut ſeries ſequentium indicat. 21. ἐπιστρέψαι ἐκ … αὐτοῖς] MS. εἰς τὰ ὀπίσω ἀνακάμψαι ἀπὸ … αὐτῷ.

CAP. 3. v. 2. ὑμῶν] Alii habent ἡμῶν. Ego utrumque inſerctum puto. 3. ἐμπαῖκται] MS. ἐν ἐμπαιγμονῇ ἐμπαῖκται· & ſic Latinus legit vertens, *in deceptione illuſores*. Auguſtinus citat expreſſius ad Græcum *illuſione illudentes*. 7. τῷ αὐτοῦ] Latinus legit τῷ αὐτῷ. 9. εἰς ἡμᾶς] MS. δι᾽ ἡμᾶς *noſtri cauſa*. 13. κατὰ τὸ ἐπάγγελμα αὐτοῦ] MS. καὶ τὰ ἐπαγγέλματα αὐτοῦ. Nec aliter hic legit Latinus. ib. κατοικεῖ] MS. ἐνοικεῖ. 14 ἀμώμητοι] MS. ἄμωμοι. 16. ἐν οἷς] MS. ἐν αἷς.

IN EPIST. I JOHANNIS.

CAP. I. v. 3. ὑμῖν] MS. καὶ ὑμῖν. 4. ὑμῶν] Ita habent codices & plurimi & optimi, recte. 3. ἐπαγγελία] MS. ἀγγελία. Nec aliter legere aut Syrus aut Latinus.

CAP. 2. v. 4. ἔγνωκα] MS. ὅτι ἔγνωκα. 5. οὕτως] Supervacaneum eſt, & deeſt in Manuſcripto, Latino & Syro. 7. ἀδελφοί] MS. ἀγαπητοί. Nec aliter legerunt aut Syrus aut Latinus. Et ἀπ᾽ ἀρχῆς hic deeſt in Manuſcripto, apud Syrum autem & Latinum deeſt hoc ipſum in membro ſequente. 8. ἐν ὑμῖν] Forte ἐν ἡμῖν, ut in Manuſcripto. ib. σκοτία] MS. σκιά. 12. τεκνία] MS. παιδία, melius. 10 γράφω] MS. ἔγραψα. 15. τοῦ πατρὸς] MS. τοῦ θεοῦ. 17. αὐτοῦ] MS. deeſt. 10. ὅτι] Abeſt in Manuſcripto, non male. 23. ἔχει] Addit hic *MS.* quod & alii Manuſcripti habent, & Latinus & Syrus, ὁ ὁμολογῶν τὸν υἱὸν καὶ τὸν πατέρα ἔχει. 29. ὅτι] *MS.* ὅτι καί.

CAP. 3. v. 1. κληθῶμεν] Addit *MS.* quod & Latinus legit & Syrus, καὶ ἐσμέν. 3. ἐάν] *MS.* ὅταν. 5. ἡμῶν] Deeſt in Manuſcripto. 7. τεκνία] Manuſcripti παιδία, non male. 14. ὁ μὴ, &c.] *MS.* τοὺς ἀδελφοὺς ὁ μὴ ἀγαπῶν. 19 γινώσκομεν] *MS.* γνωσόμεθα. 20. ὅτι μείζων] Hoc ὅτι abeſt in Manuſcripto, & bene: neque legit Latinus. 21. ἡμῶν] Prius ἡμῶν abeſt in Manuſcripto.

CAP 4. v. 2. Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα] In *MS.* deeſt. Quod autem Socrates dicit Hiſt. Eccleſ. 7. 32. ab initio hic ſcriptum fuiſſe πᾶν πνεῦμα ὃ λύει τὸν Ἰησοῦν, ſed à Neſtorianis id ſublatum: id quanquam verum non arbitror, agnoſco tamen iſtam lectionem eſſe veterem; non ex Latino tantum interprete, ſed & ex Irenæo 3. 18. Sed arbitror non ita ſcriptum primitus à Johanne, ſed mutatum ut congrueret in Gnoſticorum illos, qui alium dicebant eſſe Jeſum, alium Chriſtum, alium Μονογενῆ. 6. ἐκ τούτου] *MS.* ἐν τούτῳ. 7. ἀγαπῶν] *MS.* ἀγαπῶν τὸν θεόν. 10. αὐτός] *MS.* ἐκεῖνος. 16. πεπιστεύκαμεν] *MS.* πιστεύομεν. 18. φοβούμενος] Arabs recte legit κολουόμενος. 19. ἡμεῖς] *MS.* ἡμεῖς οὖν· quomodo in ſuis codicibus habuerunt & Syrus & Latinus. 19. ὅτι αὐτός] *MS.* ὅτι θεὸς, & infra v. 21. ἀπὸ θεοῦ.

CAP. 5. v. 2. τὰ τέκνα τοῦ θεοῦ … τὸν θεόν] Trajectionem horum verborum libenter facerem, ſi librum aliquem veterem haberem auctorem. 6. δι᾽ αἵματος] *MS.* αἵματος καὶ πνεύματος. ib. τῷ αἵματι] *MS.* πνεύματι. ib. ἡ ἀλήθεια] Tam Syrus quàm Arabs legerunt ſine articulo, quod rectius. 7. Ὅτι uſque ad finem v. 8] *MS.* non aliud hic habet, quam ὅτι τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες τὸ πνεῦμα, καὶ τὸ ὕδωρ, καὶ τὸ αἷμα· non adjecto illo, καὶ οἱ τρεῖς ἕν εἰσι, quod & Syrus & Arabs legere. Ego hanc quam à MS. poſui lectionem, & quæ à multis aliis confirmatur libris veteribus veram puto. 9. ἣν] *MS.* ὅτι. 10 μαρτυρίαν] MS. μαρτυρίαν τοῦ θεοῦ. ib. τῷ θεῷ] Latinus legit τῷ υἱῷ· quod rectius. 13. τοῖς πιστεύουσιν, &c.] *MS.* melius ἵνα εἰδῆτε ὅτι ζωὴν ἔχετε αἰώνιον, οἱ πιστεύοντες εἰς τὸ, nec aliter legere Syrus, Latinus, Arabs. 14. θέλημα] *MS* ὄνομα. 16. ἁμαρτάνουσι μή] *MS.* μὴ ἁμαρτάνουσιν ἁμαρτίαν. 13. ὁ γεννηθεὶς ἐκ τοῦ θεοῦ] Sic legerunt & Syrus & Arabs. Et ſic habet *MS.* non ἡ γέννησις τοῦ θεοῦ. 20. ἥκει] Syrus & Arabs videntur legiſſe ἧκε, puto & Latinus. ib. τὸν ἀληθινόν] *MS.* & Latinus τὸν ἀληθινὸν θεόν. ib. Ἰησοῦ Χριστῷ] Non eſt in Manuſcripto nec in Latino.

AD JOHANNEM II.

Verſ. 1. καὶ οὐκ ἐγὼ] MS. οὐκ ἐγὼ δέ. 2. μένουσαν] MS. οἰκοῦσαν, ſenſu eodem. 3. ἔσται μεθ' ὑμῶν] Deeſt in MS. 4. παρὰ] MS. ἀπό. 8. ἀπολέσωμεν, &c.] MS. ἀπολέσητε ἃ εἰργάσασθε· quæ melius cohærent cum eo quod præceſſit. Nec aliter legit Latinus. 12. ἀλλὰ ἐλπίζω ἐλθεῖν] MS. ἐλπίζω γὰρ γίνεσθαι. 13. τῆς ἐκλεκτῆς] Alii libri Εὐδεκτῆς, quod verum puto, ut ſit nomen proprium ſicut Ἐκλεκτή: alii, ἐκλεκτῆς ſine articulo.

AD JOHANNEM III.

Verſ. 1. καὶ εἰς τοὺς ξένους] Lege ut in MS. καὶ ταῦτα ξένους· & ſic legit Latinus. 7. αὐτοῦ ... ἐθνῶν] MS. ἐθνικῶν ſine αὐτοῦ. 8. ἀπολαμβάνειν] MS. ὑπολαμβάνειν. 9. τῇ] MS. τι τῇ· at Latinus, ἂν τῇ. 12. οἴδατε] MS οἶδας. 13. οὐ θέλω] MS. οὐκ ἐβουλήθην· 15. οἱ φίλοι] MS. οἱ ἀδελφοί.

AD JUDAM.

Verſ. 1. ἡγιασμένοις] MS. ἠγαπημένοις· quomodo legit Latinus. 3. κοινῆς] MS. κοινῆς ἡμῶν· pro quo Latinus legit κοινῆς ὑμῶν. 4 μόνον θεὸν καὶ δεσπότην τὸν κύριον] MS. μόνον δεσπότην καὶ κύριον· datur Chriſto nomen δεσπότου etiam 2 Petri 2. 18. ubi de iiſdem hominibus agitur. 5. εἰδότας ὑμᾶς ἅπαξ τοῦτο] MS. εἰδότας ἅπαξ πάντα· quomodo & Latinus legit. 5. ὁ κύριος] Quod hic in Latino eſt *Jeſus* venit ex Græcorum librorum compendio in quibus ſcriptum fuit ις. pro κς. 7. ὑπέχουσι] MS. ὑπέχουσαι. 12. ἀγάπαις] Nonnulli codices ἀπάταις, errore manifeſto. 15. ἀσεβεῖς αὐτῶν] Abeſt αὐτῶν in MS. 18. ἐν ἐσχάτῳ χρόνῳ ἔσονται] MS. ἐπ' ἐσχάτου χρόνου ἐλεύσονται. 22. ἐλεεῖτε διακρινόμενοι] MS ἐλέγχετε διακρινομένους· nec aliter legit Latinus. 23. πυρὸς ἁρπάζοντες] Sequitur in MS. οὓς δὲ ἐλεεῖτε ἐν φόβῳ. 24. αὐτοὺς] MS. ἡμᾶς· at Latinus legit ὑμᾶς, non male: quomodo & Rom. 16. 25. quem locum ob oculos videtur habuiſſe Judas. Ib. ἀμώμους] MS. ἀμέμπτους, ut 1 Theſſ. 3. 13. 25. ἡμῶν] MS. addit διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ Κυρίου. ib. καὶ νῦν, &c.] MS. πρὸ παντὸς τοῦ αἰῶνος καὶ νῦν. Sic legit & Latinus.

IN APOCALYPSIN JOHANNIS.

CAP. 1. v. 2. καὶ ἅτινά εἰσι, καὶ ἃ χρὴ γενέσθαι] MS. optimi hæc non habent, nec aliter legit Latinus: ex commate infra 19. huc irrepſere. 5 ἀγαπήσαντι] MS. ἀγαπῶντι, ut indicetur perpetua dilectio. ib. λούσαντι ... ἀπὸ] MS. λύσαντι ... ἐκ· meminit utriuſque lectionis Arethas. 6 ἡμᾶς, &c.] MS. ἡμῖν βασιλείαν τῷ θεῷ. 8. Α καὶ τὸ Ω] MS. Ἄλφα καὶ τὸ Ω· non male. 9. καὶ ὑπομονῇ] Græci non videntur legiſſe καὶ ὑπομονῇ. Poteſt tamen id ferri ſi βασιλείαν interpreteris jus ad regnum. 12. ἐλάλει] MS. λαλεῖ quaſi in re præſenti. 13. τῶν ἑπτὰ, &c.] MS τῶν λυχνιῶν ὁμοίωμα υἱοῦ ἀνθρώπου. 16 καὶ ἔχων] In MS. deeſt ἔχων. 20. ἃς εἶδες] In MS. deeſt, ut & in Latino.

CAP. 2. v. 2. καὶ ὅτι] In MS. deeſt καὶ, ita ut ὅτι ſit explicatio conſtantiæ. 3. καὶ, &c.] In MS. alius eſt ordo verborum, quem ſequitur codex Latinus, καὶ ὑπομονὴν ἔχεις καὶ ἐβάστασας. 6. ἃ] Abeſt in MS ſenſu ſalvo. 7. παραδείσου] MS. ἐν τῷ παραδείσῳ 8. τῆς ἐν] MS. τῷ ἐν. ib. πρῶτος] MS. πρωτότοκος. 9. οἶδα, &c.] In MS. tantum eſt, οἶδά σου τὴν θλίψιν. 10. ἕξετε] MS. ἔχητε, i. *ut habeatis anguſtias.* 13. οἶδα, &c.] MS. οἶδα ποῦ κατοικεῖς· quomodo legit & Latinus. ib. ἐν αἷς ... πιστὸς] MS. ὁ πιστός μου & delet ἐν αἷς. 14. τῷ Βαλὰκ βαλεῖν] MS. τῷ Βαλὰκ βασιλεῖ. 16. ὁμοίως μετανόησον] MS ὁμοίως μετανόησον οὖν ut ὁμοίως pertineat ad præcedens comma; & ſit πλεονασμὸς in οὕτως & ὁμοίως. Et quia iſte πλεονασμὸς quoſdam offenderet, eo factum eſt, ut in quibuſdam hic codicibus ὁμοίως mutaretur in ὃ μισῶ. 17 φαγεῖν] In MS. deeſt; quomodo legit Latinus. 18. ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ] Deeſt αὐτοῦ in MS. ut in Latino. 20. ἀφεῖς τὴν γυναῖκά σου τὴν Ἰεζαβὲλ] Sic & MS. & ita legerunt veteres omnes. Scriptum autem hic per incuriam ἀφεῖς pro ἀφῇς. ib ἡ λέγει] MS. ἡ λέγουσα 22. κλίνην] MS. φυλακὴν· quod irrepſit per errorem ex v. 10. 24. τοῖς λοιποῖς] Ita MS. non καὶ τοῖς λοιποῖς.

CAP. 3. v. 2. ἔμελλες ἀποβαλεῖν] MS. ἔμελλον ἀποθανεῖν· quomodo legit Latinus. 3. ἐπὶ σὲ] Deeſt in Manuſcripto. 7. κλείσει αὐτὴν] Deeſt αὐτὴν in Manuſcripto. ib. εἰ μὴ ὁ ἀνοίγων, καὶ, &c.] Κλείων, καὶ οὐδεὶς ἀνοίγει. Latinus hæc & præcedentia legit ut in MS. 10. ὅτι ἐτήρησας] MS. καὶ ἐτήρησας, & ſic legit Latinus. 12. ἡ καταβαίνει] MS. ἡ καταβαίνουσα· quod ſatis redolet locutionem Johannis, qui rectis uti ſolet pro obliquis. 18 ἔγχρισον ἐπὶ τοὺς] MS. ἐγχρῖσαι τούς. 20. καὶ εἰσελεύσομαι] Abeſt καὶ in codicibus quibuſdam. Neque legit Latinus.

CAP. 4. v. 3. καὶ ἐπὶ τοῦ θρόνου καθήμενος] MS. brevius καὶ ὁ καθήμενος· nec aliter Latinus. ib. ὁμοία] MS. & alii multi habent ὅμοιος Attice. 5. φωναὶ, καὶ βρονταὶ] In plurimis MS. eſt βρονταὶ καὶ φωναί. 7. ὡς ἄνθρωπος] MS. ὡς ἀνθρώπου· quomodo & Latinus. 8. ἅγιος, &c.] In plurimis MS. ter tantum legitur, ut apud Eſaiam. 11. ὁ ἅγιος] Abeſt in Manuſcripto, ut & in Latino.

CAP. 5. v. 10. βασιλεῖς] MS. βασιλείαν. Et ita hic legit Latinus. ib. βασιλεύσουσιν] Alii MS. habent, ut & Latinus legit βασιλεύσομεν. 14. προσεκύνησαν] Quod hic in nonnullis codicibus additur, ζῶντι εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, deeſt in Manuſcripto.

CAP. 6. v. 8. καὶ ὑπὸ τῶν θηρίων] MS. καὶ τὸ τέταρτον τῶν θηρίων. 9. μαρτυρίαν τοῦ ἀρνίου] In MS. & aliis libris deeſt τοῦ ἀρνίου· quomodo legit Latinus. 11. ἐδόθησαν &c.] MS. ἐδόθη αὐτοῖς ἑκάστῳ στολὴ λευκή. 12. σελήνη] MS. σελήνη ὅλη. 13. σειομένη] MS. σαλευομένη. 14. ἐκινήθησαν] MS. ἀπεκίνησαν.

CAP. 7. ἐπὶ τῆς γῆς] Deeſt in Manuſcripto. ib. πᾶν δένδρον] MS. δένδρου. 9 καὶ ἰδοὺ, &c.] MS. locutione magis Hebraica, ὄχλον πολὺν, καὶ ἀριθμῆσαι.

CAP. 8. v. 3. λιβανωτὸν] Puto legendum λιβανωτὴν, ita ut χρυσοῦν ſit Attice dictum quomodo v. 5. legendum puto. ib. ταῖς προσευχαῖς] Latinus legit τὰς προσευχὰς, & recte. 4. ταῖς προσευχαῖς τῶν] Puto Latinum hic legiſſe τῶν προσευχῶν τῶν, & recte. 5. αὐτὸν] Lege αὐτήν. 7. μεμιγμένον] MS. μεμιγμένα, & ſic legit Latinus. ib. κατεκάη] Additur in MS. καὶ τὸ τρίτον τῶν δένδρων· per errorem ut puto. 12. σκοτισθῇ] MS. μὴ φανῇ.

CAP. 9. v. 2. καπνός] MS. καπνὸς καμίνου μεγάλης. 4. μόνους ... αὐτῶν] Abſunt in MS. 5. βασανίσωσι] MS. βασανισθήσονται. 6. φεύξεται] MS. φεύγει. 10. ἐξουσίαν ἔχουσι] MS. ἡ ἐξουσία αὐτῶν· at Latinus legit, ut quidam codices habent, καὶ κέντρα ἐν ταῖς οὐραῖς αὐτῶν· καὶ ἡ ἐξουσία αὐτῶν, &c. 11. ἄγγελον τῆς ἀβύσσου] MS. τὸν ἄρχοντα τῆς ἀβύσσου τὸν ἄγγελον.

CAP. 10. v. 4. καὶ μετὰ ταῦτα γράψεις] Melius alii, μὴ ταῦτα γράψῃς. 6. τὴν γῆν, &c.] Deſunt τὴν γῆν, & ſequentia in MS. 7. τελεσθῇ] MS. καὶ ἐτελέσθη. 9. δός μοι ... βιβλαρίδιον] MS. δοῦναί μοι ... βιβλιδάριον. ib. κοιλίαν] Forte cum MS. legendum καρδίαν.

CAP. 11. v. 5. οὕτω] Deeſt in MS. 7. τὸ θηρίον τὸ] MS. τὸ θηρίον τὸ τέταρτον· ſed puto ſcriptum fuiſſe τὸ τεράστιον.

CAP. 12. v. 3. δέκα] Quidam codices ἑπτὰ per errorem ex notis Numeralibus. 11. τὸν ποταμὸν ὃν] MS. τὸ ὕδωρ ὅ.

CAP. 13. v. 1. ὀνόματα] Multi libri ὄνομα· id vero eſt *Urbs æterna.* 4. τῷ δεδωκότι] MS. ὅτι ἔδωκε τίς δύναται] MS. καὶ τίς δύναται· quomodo legit & Latinus. 5. βλασφημίαν] MS βλάσφημα· non malé. ib. ποιῆσαι] Sic & MS. ſine voce πόλεμον quæ mox v. 7. ſequetur. 6 τὸ σῶμα αὐτοῦ βλασφημίαν] MS. τὸ ὄνομα αὐτοῦ εἰς βλασφημίας· non malé. Nec aliter hic legit Latinus. 7 καὶ νικῆσαι αὐτοὺς] Abſunt hæc in MS. & hujus commatis præcedentia. Et ſatis comprehenduntur in verbis ante poſitis. ib. φυλὴν] MS. φυλὴν καὶ λαόν· quomodo legit & Latinus. 9. αἰχμαλωσίαν] MS. εἰς αἰχμαλωσίαν, εἰς αἰχμαλωσίαν, &c. quod non improbo. 13. πληγὴ, &c.] MS. ἡ πληγὴ αὐτοῦ.

CAP. 14. v. 6. εὐαγγελίσασθαι τοὺς] MS. εὐαγγελίσασθαι ἐπὶ τούς. 8. ἐκ τοῦ] MS ἡ ἐκ τοῦ quomodo & Latinus legit. 10. ἐν τῷ ποτηρίῳ] MS. ἐκ τοῦ ποτηρίου. 12. ὧδε ... ὧδε οἱ] MS. ὧδε ἡ ... οἱ· quomodo legit hic Latinus. 13. τὰ δὲ] MS τὰ γὰρ· quomodo & legit Latinus. 18. ἐξῆλθεν] Deeſt in MS. ib. καὶ ἐκραύγασε] MS. ἐφώνησε ſine καί.

CAP. 15. v. 3. τῶν ἁγίων] MS. τῶν ἐθνῶν. 4. τίς οὐ μὴ, &c.] MS τίς οὐ μὴ φοβηθῇ ἐνώπιόν σου κύριε, ὅτι τὰ ἔθνη, omiſſis quæ in medio. 6. λίνον] Libri quidam λίθον, & ſic legit Latinus: per errorem ſcribarum, ut puto.

CAP. 16. v. 1. τὰς φιάλας] MS. τὰς ἑπτὰ φιάλας· quomodo legit & Latinus. 2. εἰς τοὺς] MS. ἐπὶ τοὺς· non male. 9. τὸ ὄνομα τοῦ] MS. ἐνώπιον τοῦ. 13. τρία] Abeſt in MS. 17. ἀπὸ τοῦ ναοῦ τοῦ οὐρανοῦ] MS. ἐκ τοῦ ναοῦ ſine τοῦ οὐρανοῦ & ſic Latinus. 18. οἱ ἄνθρωποι ἐγένοντο] MS. ἄνθρωπος ἐγένετο.

CAP. 17. v. 1. ἦλθεν] MS. ἐξῆλθεν. 4 πορφύραν] MS. πορφυροῦν, ſc. ἱμάτιον. ib. καὶ τὰ ἀκάθαρτα τῆς] Ita & MS. At alii codices habent καὶ ἀκαθαρτότητος· quomodo videtur legiſſe Latinus; Arethas vero καὶ τῶν ἀκαθάρτων τῆς. 5. πορνῶν] Arethas habet πορνειῶν· & ita legit Latinus. 8. βλέποντες] MS. βλεπόντων· non male. 16. καὶ τὸ θηρίον] Arethas habet ἐπὶ τὸ θηρίον, & libri multi: nec aliter legit Latinus. 17. καὶ ποιῆσαι γνώμην μίαν] Abſunt à MS. ut & à Latino.

CAP. 18. v. 2. δαιμόνων] MS. δαιμονίων· quomodo LXXII שעירים Eſa. 13. 21. vertunt. 3. πέποκε] MS. πέπωκε· & ſic legit Latinus. 6. ὑμῖν] Abeſt à MS. non male. 12. ξύλον] MS. σκεῦος. 13. κινάμωμον] MS. addit καὶ ἄμωμον. 14. εὑρήσεις αὐτὰ] MS. αὐτὰ εὑρήσουσι. 17. τῶν πλοίων πλέων] MS. τόπον πλέων, ſupple τοῦτον. Unde corrigenda Lat. verſio *in locum*, non *in lacum*. Quidam codices poſt πλέων addunt καὶ ναῦται· ſed nihil eo opus. 18 τὸν καπνὸν] MS. τὸν τόπον· & ſic legit Latinus. 19. κλαίοντες καὶ πενθοῦντες] Deeſt in MS. 21. μύλον] MS. μυλινὸν· non male. 22 πάσης τέχνης] Deeſt in MS.

CAP. IV. V. 10. Ὕπαγε ὀπίσω μου σατανᾶ] Sic legunt Regia Biblia cum aliis octo Pariſienſium, ita tamen ut notent, ab aliis libris omitti, ὀπίσω μου, quod certe omittunt multi codices, quibus Syricum Evangelium, & Enarratores, Chryſoſtomus, manifeſtiuſque Origenes tractatu in Matthæum primo, Hieronymus, & Euthymius, ſuffragantur. Similis varietas eſt in libris Latinis, ſed omiſſio eſt, ut plerorumque, ita & optimorum. Credo ego, illud ὀπίσω μου, non hujus eſſe loci, ſed ex capite 16. verſ. 23. huc adjectum. v. 17. Ἀπὸ τότε] Non eſt præmittenda conjunctio καί. v. 19. καὶ ποιήσω ὑμᾶς] Addunt deinde Græci codices ſecundus & nonus γενέσθαι, Syro Latinoque conſentanee, quod tamen plerique non agnoſcunt. v. 20. Οἱ δὲ εὐθέως ἀφέντες] Immerito tranſfigitur verbum εὐθέως ab exemplaribus δ. ε. θ.

CAP. V. V. 3. ὅτι αὐτῶν ἐστι] Non eſt legendum ἔσται, *erit*, quod eſt in β. pro ἐστὶν, *eſt*. V. 11. ἕνεκεν ἐμοῦ] Errore ſumto ex verſu proxime præcedenti ſcribit β. ἕνεκα δικαιοσύνης. v. 18. Ἀμὴν γὰρ λέγω] Quintum exemplar, loco conjunctionis γὰρ, repetit ἀμὴν, contra omnium fidem. v. 22. ὁ ὀργιζόμενος τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ εἰκῆ] D. Auguſtinus libri primi Retractationum cap. 19. teſtatur a ſuis Græcis libris abeſſe εἰκῆ, *ſine cauſa*: quibus hodie conſentit codex Græcus Bibliothecæ Vaticanæ, &, ex B. Hieronymi emendatione, vulgata editio Latina. Cæteri Græci libri quos vidimus, ſuffragantibus tractatoribus Græcis, & Syricis exemplaribus, omnes illud legunt: nec facile eſt illis auferendum, ut nullo modo Latinis addendum, qua de re alias egimus latius. ibid. ὃς δ᾽ ἂν εἴπῃ μωρὲ] Octavum antigraphum legit ὃς δ᾽ ἂν εἴπῃ τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ μωρέ. Addidit ſcriptor, id quod ἀπὸ κοινοῦ ex ſuperioribus ſubaudiendum eſſe, etiam Hieronymus monet. v. 25. καὶ εἰς φυλακὴν βληθήσῃ] Eodem ſenſu legitur in 2. codice βληθῇς. v. 27. ὅτι ἐρρέθη τοῖς ἀρχαίοις] Ab aliis codicibus non agnoſcitur τοῖς ἀρχαίοις, *antiquis*, Syricæ editioni conformiter. v. 30. βληθῇ εἰς γέενναν] In uno exemplari, eoque ſecundo, eſt εἰς γέενναν ἀπέλθῃ, propius ad editionem Latinam, quæ habet, *eat in gehennam*. v. 32. ὅτι ὃς ἂν ἀπολύσῃ] In manuſcriptis γ. δ. ε. ϛ. η. eſt ὅτι πᾶς ὁ ἀπολύων, eodem tamen ſenſu. ibid. ποιεῖ αὐτὴν μοιχᾶσθαι] Secundus codex, pro μοιχᾶσθαι, *mœchari*, habet paſſivum μοιχευθῆναι, *vitiari*, *ſtuprari*: quæ mutatio, conſilio ſapientioris quam oportuit, accidit. ib. καὶ ὃς ἐὰν ἀπολελυμένην γαμήσῃ, μοιχᾶται, *& qui dimiſſam duxerit, adulterat.*] D. Auguſtinus libri, De adulterinis conjugiis, cap. 10. annotat, pericopen hanc, in nonnullis codicibus Græcis ac Latinis non haberi: quaſi ex cap. 19. verſ. 9. huc eſſe potuiſſet aſſumta: vel, quod ipſe arbitratur, *quia explicatus hic ſenſus putari potuit in eo quod ſuperius dictum eſt, facit eam mœchari: quomodo enim dimiſſa ſit mœcha, niſi fiat qui eam duxerit mœchus?* Porro nos illud hodie conſtanter legimus apud Latinos, Græcos, & Syros. v. 33. Πάλιν ἠκούσατε] In duodecimo exemplari, pro πάλιν, *iterum*, quod legitur etiam Latinis & Syris, eſt πλὴν, *præterea*. v. 36. λευκὴν ἢ μέλαιναν ποιῆσαι] In octavo codice, ſublata disjunctiva ἢ, eſt λευκὴν ποιῆσαι μέλαιναν· ita ut planus ſenſus ſit, unum album capillum reddere nigrum, aut e contra. Atqui, non Græce tantum, ſed & Latine ac Syriace, Disjunctiva legitur. v. 41. μετ᾽ αὐτοῦ δύο] In β. eſt μετ᾽ αὐτοῦ ἔτι ἄλλα δύο, *cum illo adhuc alia duo*: id quod non dubium eſt auctum eſſe ex Latino, cujus exemplaria quædam legunt, *cum illo & alia duo*. v. 44. καλῶς ποιεῖτε τοῖς μισοῦσιν ὑμᾶς] In aliis legitur pro tertio quartus caſus, τοὺς μισοῦντας. v. 45. ὅπως γένησθε υἱοὶ] Unus Chryſoſtomus pro υἱοὶ, *filii*, diſerte legit ὅμοιοι, *ſimiles*. v. 46. τίνα μισθὸν ἔχετε] Rurſus β. pro præſenti ἔχετε habet futurum ἕξετε, adeo libenter conſonat editioni Latinæ: tametſi Latinus interpres futurum dediſſe potuit, non quod Græce legerit, ſed quod præſens futuri loco poſitum intellexerit. v. 47. τοὺς ἀδελφοὺς ὑμῶν] Ita cum Græcis quibuſdam exemplaribus Latina & Syra legunt. In plurimis autem aliis Græcis, illius loco ſcribitur τοὺς φίλους ὑμῶν, id quod alibi non invenio. ibid. οὐχὶ καὶ οἱ τελῶναι οὕτω ποιοῦσιν] Hæc vulgaris lectio, conformis Syro, iterum publicanos huc adfert. Atqui vetuſti codices, 2. & 4. adſtipulante non ſolum editione Latina, ſed & enarratore Chryſoſtomo, habent οὐχὶ καὶ οἱ ἐθνικοὶ τὸ αὐτὸ ποιοῦσιν. v. 48. ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς] Exemplaria 2. 3. 5. & 7. legunt οὐράνιος, *cæleſtis*, Latino conformiter, pro eo quod alia habent ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, *qui in cælis eſt*.

CAP. VI. V. 1. προσέχετε τὴν ἐλεημοσύνην ὑμῶν] Secundus codex pro τὴν ἐλεημοσύνην, *eleemoſynam*, legit τὴν δικαιοσύνην, *juſtitiam*, quo modo eſt Latine: qua de re conſule Commentarium. v. 4. αὐτὸς ἀποδώσει σοι] Antigrapha 4. 6. & 8. omittunt αὐτὸς, *ipſe*, conformiter Latinæ editioni. Alia addunt cum Syriaco Evangelio: quando, vel redundat Hebraico more, vel Emphaſeos gratia exprimitur, quo dilucidius Deus Pater opponatur hominibus, a quibus alii mercedem vanam referunt. ibid. αὐτὸς ἀποδώσει σοι ἐν τῷ φανερῷ] D. Auguſtinus circa initium libri ſecundi De ſermone Domini in monte, teſtatur, ab iis quæ conſuluit Græcis exemplaribus, omiſſum fuiſſe ἐν τῷ φανερῷ· quibus hodie conſonat codex Græcus Bibliothecæ Vaticanæ, &, ex B. Hieronymi haud dubium correctione, vulgata editio Latina. Cæteri Græci libri quos vidimus, ſuffragantibus tractatoribus Græcis, & Syricis exemplaribus, omnes illud legunt: nec facile eſt illis auferendum, ut neque Latinis addendum, qua de re latius egimus in Notationibus noſtris in varias Bibliorum lectiones. v. 6. ἐν τῷ φανερῷ] Eadem librorum, editionum, tractatorumque, varietas eſt hic, quæ mox verſ. 4. v. 8. πρὸ τοῦ ὑμᾶς αἰτῆσαι αὐτόν] Quod hujus loco legit 2. exemplar πρὸ τοῦ ὑμᾶς ἀνοῖξαι τὸ στόμα, *antequam vos aperueritis os*, Commentarius eſt. v. 13. ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ βασιλεία καὶ ἡ δύναμις καὶ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας] Unus Pariſienſium Græcus codex omittit hæc verba, ſecundus inquam ille: unus eorundem Latinus codex addit, S. Germani latus, quem vocant. Hunc ad Græca, illum ad Latina, caſtigatum, vehemens mihi ſuſpicio eſt, cum ex hoc loco (eo quod cæteri omnes libri, Græci addant, Latini omittant) tum ex aliis pluribus. Porro Græcis libris qui addunt, ſuffragantur enarratores Græci, Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, &, ſive is Græcus ſive Latinus fuerit, Auctor operis in Matthæum imperfecti; Denique Syricus Interpres. Latinis libris omittentibus adſtipulantur Latini tractatores, Tertullianus, Cyprianus, Hieronymus, Ambroſius, libris quinto & ſexto De Sacramentis, Auguſtinus, & poſteriores; Denique modus ipſe recitandi orationem Dominicam in Eccleſia Latina, jam inde ab Apoſtolorum, credo, temporibus continuus. Veriſimile fit, a Græcis, ad Evangelii textum adſcriptam fuiſſe hanc coronidem, ex liturgia, aut ſolemni alioqui conſuetudine, ex quali Angelicæ ſalutationi adnectunt, ὅτι σωτῆρα ἔτεκες τῶν ψυχῶν ἡμῶν, *quia ſalvatorem peperiſti animarum noſtrarum*; quæ ſimiliter non ſunt Evangelii verba. v. 18. ἀποδώσει σοι ἐν τῷ φανερῷ] Omnes Pariſienſium Græci codices, numero ſedecim, qui quidem manuſcripti ſunt plerique, cum aliis non paucis, omittunt illud ἐν τῷ φανερῷ hoc loco, quod legerunt ſuperioribus verſibus quarto & ſexto: quibus conſona ſunt Syra. Vaticanum exemplar & editio Latina, conſtantia ſibi, ut non ſuperioribus, ita nec hoc loco agnoſcunt. Cæterum, quod in Notationibus addidimus, Chryſoſtomus & Origenes videntur illud etiam hoc loco legiſſe, niſi forte ex ſuperioribus ſubaudierint. v. 24. οὐδεὶς δύναται] Quod exemplaria primum & octavum interjiciunt οὐδεὶς οἰκέτης δύναται, additum eſt ex Luc. 16. verſ. 13. v. 34. μεριμνήσει τὰ ἑαυτῆς] Hæc vulgaris eſt lectio Græcorum codicum, cujus ſenſus eſt, *curabit ſua*, ſolicitus erit de rebus ſuis. Eſt porro alia in codice Victoriano, cujus in Commentario meminimus, μεριμνήσει ἑαυτῇ, *ſolicitus erit ſibi ipſi*, quæ videtur veteris Interpretis fuiſſe, quin & veterum Patrum, Cypriani, cum in orationem Dominicam, tum lib. 3. ad Quirinum, cap. 11. & Auguſtini lib. contra Adimantium, cap. 4. quorum verſio habet, *nam craſtinus dies ipſe cogitabit ſibi*. Atqui ſenſus lectionis idem unus eſt utriuſque.

CAP. VII. V. 1. ἵνα μὴ κριθῆτε] Sequitur in octavo codice μὴ καταδικάζετε, καὶ οὐ μὴ καταδικασθῆτε, id quod ex Luc. 6. v. 37. huc allatum adjectumque eſſe, quemadmodum etiam contigit Latinis libris, indubium eſt. v. 6. Μὴ δῶτε τὸ ἅγιον τοῖς κυσὶ] Exemplaria quartum & nonum legunt τὰ ἅγια, numero plurali: quem ad modum, clarioris ſententiæ ergo, locum mutatum fuiſſe arbitror. v. 12. οὕτω ϗ ὑμεῖς ποιεῖτε αὐτοῖς] Hæc recepta eſt lectio, Syro conformis. Chryſoſtomi interpres notat, in aliquibus exemplaribus, pro οὕτω haberi ταῦτα· ego in duobus, & Theophylacto Romæ impreſſo, neutrum legi, nec οὕτω, nec ταῦτα, quo modo & veriora Latinæ editionis antigrapha ſcribunt, *& vos facite illis*. ibid. οὗτος γάρ ἐστιν ὁ νόμος] Quidam Græci codices, Janſenio teſte, cum Euthymio enarratore, legunt οὕτως, *ſic*, pro οὗτος, *hæc*: *Sic enim eſt lex*; quod ſit, ſic determinant, ſic præſcribunt Lex & Prophetæ. Verum illud ita conſulto ab aliquibus mutatum fuiſſe videtur, ad evitandas difficultates quæ ex germana moventur lectione: quas movet inter alios Beatus Auguſtinus, cum in proprio loci commentario, tum libri de Trinitate octavi c. 7. v. 13. οἱ εἰσερχόμενοι δι᾽ αὐτῆς] Hæc recepta eſt lectio, conformis Latinæ, *qui intrant per eam*. Porro exemplaria 6. 8. & 12. pro εἰσερχόμενοι, *intrant*, legunt ἐρχόμενοι, *incedunt*, quomodo & Syrus vertit *d'ozelin, qui vadunt*. v. 14. Τί στενὴ ἡ πύλη] Sic in melioribus eſt libris, Complutenſi, Regio, & Pariſienſium omnibus, ſuffragantibus Theophylacto atque Euthymio Græcis enarratoribus, adhæc Syriaca interpretatione, denique verioribus exemplaribus interpretationis Latinæ. Quare ſpurium eſt, quod in quibuſdam legitur ὅτι pro τί, quemadmodum quod Latine *quoniam* pro *quam*. v. 16. μήτι συλλέγουσι] Quidam codices legunt μήτινες, *numqui*, pro μήτι, *numquid*, contra probatiorum, Latinorum item & Syricorum, denique, inter Græcos enarratores, Euthymii manifeſte, fidem. v. 18. οὐδὲ δένδρον σαπρὸν] Octavum exemplar addit πάλιν· οὐδὲ πάλιν, *neque rurſus*, vel *neque contra*: id quod alibi non invenimus. v. 19. Πᾶν δένδρον μὴ ποιοῦν] Sextum exemplar addit particulam οὖν (Πᾶν οὖν δένδρον) ſed, quod mihi videtur, loco non congruentem, uti ab aliis non legitur. v. 3. οἱ ἐργαζόμενοι τὴν ἀνομίαν] Exemplaria 6. & 8. præponunt πάντες· quod ut non legitur Syriace, ita Evangelio adjectum videtur ex Pſalmi 6. verſ. 9. tam Græce a quibuſdam, quam Latine ab aliis, ut eſt Pſalmus ille frequens, primus eorum qui pœnitentibus ſerviunt. v. 24. ὁμοιώσω αὐτὸν ἀνδρὶ] In quarto codice eſt ita ut in Latinis & Syricis, hic quemadmodum proximo loco verſ. 26. ὁμοιωθήσεται, *adſimilabitur*, vel *ſimilis erit*. In aliis pleriſque eſt ὁμοιώσω αὐτὸν, *adſimilabo eum*, quomodo & apud D. Hilarium Latine legitur, *ſimilem æſtimabo*. Varietatis meminit Græcus Enarrator Euthymius.

CAP. VIII. V. 5. εἰσελθόντι δὲ αὐτῷ] Ita legunt meliores libri, αὐτῷ pro τῷ Ἰησοῦ, Latinæ editioni conformiter. v. 8. ἀλλὰ μόνον εἰπὲ λόγῳ] Multi codices ſcribunt εἰπὲ λόγον, *dic verbum*, id eſt, effare ſermonem, pronuntia ſententiam. Octo autem Pariſienſium, inter quos eſt Complutenſis, habent, ita ut Latinus Interpres & Syrus legerunt, εἰπὲ λόγῳ, *dic verbo*; ſed nullum in re diſcrimen eſt. Luc. 7. verſ. 7. omnes poſteriori hoc modo legunt. v. 11. ϗ ἀνακλιθήσονται μετὰ Ἀβραὰμ ϗ Ἰσαὰκ ϗ Ἰακὼβ, ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν] Horum loco Euthymius legit ϗ ἀνακλιθήσονται ἐν τοῖς κόλποις τοῦ Ἀβραὰμ, *& recumbent in ſinibus Abrahæ*, Chryſoſtomo diſerte adſtipulante: *Recumbent autem*, id eſt, *requieſcent*, inquit. v. 13. τῷ ἑκατοντάρχῳ] In multis eſt τῷ ἑκατοντάρχῃ prima declinatione. ibid. ἐν τῇ ὥρᾳ ἐκείνῃ] Poſthæc in nonnullis exemplaribus, nominatim δ. ιϛ. ιδ. ſequitur ϗ ὑποστρέψας ὁ ἑκατόνταρχος εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ ἐν αὐτῇ τῇ ὥρᾳ, εὗρε τὸν παῖδα ὑγιαίνοντα, *& reverſus Centurio in domum ſuam in illa ipſa hora, invenit puerum ſanum*. Id quod mihi videtur ab aliquo ex Luca huc eſſe additum, mutatis verbis ad modum narrandi quo hactenus uſus fuerat Matthæus; conferantur cum iſtis Lucæ verba, cap. 7. verſ. 10. v. 14. Καὶ εἰσελθὼν ὁ Ἰησοῦς] In Regia & contemporaneis editionibus, εἰσελθὼν, *ingreſſus*, legitur, pro eo quod eſt in aliis, conformiter Latinæ & Syriacæ editionibus, ἐλθὼν, *cum veniſſet*. v. 15. ϗ διηκόνει αὐτῷ] Sic legunt exemplaria primum, tertium, quintum, ſeptimum, &, ex primo, quod eſt Complutenſe, Regium. In aliis pro ſingulari αὐτῷ eſt plurale αὐτοῖς. Eadem varietas eſt tam in Syricis, quam in Latinis libris. Latini habent, alii *ei*, alii *eis*: Syriaci typis excuſi ܠܗܘܢ *lehum* plurale, manuſcriptus ܠܗ *leh* ſingulare. Crediderim ego, ex Marco & Luca, Matthæo, Græce certe, mutatum fuiſſe ſingulare *ei* cum plurale *eis*; idque temere, cum illi quidem plurium ante meminerint, Matthæus autem ſolius Jeſu. v. 17. τὰς ἀσθενείας ἡμῶν ἀνέλαβε] In Regia & æqualibus editionibus eſt ἀνέλαβε, quaſi dicat, in humeros accepit, pro eo quod eſt in aliis, Latino conformiter, ἔλαβε, *accepit*. v. 21. ἐπίτρεψόν μοι πρῶτον ἀπελθεῖν] Quartus codex omittit πρῶτον, contra aliorum omnium fidem.

CAP. IX. V. 1. Καὶ ἐμβὰς εἰς τὸ πλοῖον] Non eſt addendum ὁ Ἰησοῦς. v. 5. ἀφέωνταί σου αἱ ἁμαρτίαι] Ita eſt in Regia editione, & omnibus Pariſienſium exemplaribus, σου, *tua*, pro σοὶ *tibi*. v. 8. ἰδόντες δὲ οἱ ὄχλοι ἐθαύμασαν] In ſecundo Græcorum codicum eſt ἐφοβήθησαν, id quod ſuſpicor eſſe ex Latino mutatum, quod habet, *timuerunt*. Veriſimilius eſt Interpretem legiſſe ἐθάμβησαν, quod in Commentario diximus. v. 11. ἐσθίει] Addit codex ιδ. ϗ πίνει· id quod uti Latine & Syriace non legitur, ita D. Auguſtinus lib. 2. de conſ. Evang. cap. 27. annotat, a Marco poſitum, non a Matthæo. v. 13. ἀλλ᾽ ἁμαρτωλοὺς εἰς μετάνοιαν] Pariſienſium exemplaria β. & ιβ. tollunt εἰς μετάνοιαν· quibus Syra adſtipulantur, & optimi quique libri Latini, denique B. Auguſtinus loco mox citato, ubi docet a ſolo Luca fuiſſe additum illud *ad pœnitentiam*. Porro libris pleriſque Græcis, quibus illud etiam hic legitur, volunt Græci Enarratores, Chryſoſtomus, Theophylactus, atque Euthymius. Nihilominus tamen crediderim ego, illud jam olim Græce Matthæo & Marco, ex Luca fuiſſe adjectum. v. 17. ϗ ἀμφότεροι συντηροῦνται] Sic legit textus Regius ex vetuſtis exemplaribus, pro ἀμφότερα genere neutro, quod eſt in aliis ἀμφότεροι genere maſculino: nam & οἶνος & ἀσκὸς Græcis maſculina ſunt. v. 18. ἰδοὺ ἄρχων εἷς] Ita legendum videtur, quo modo & Latine ad verbum eſt & Syriace. Quidam libri omittunt εἷς, quidam ſubſtituunt τὶς. v. 19. ἠκολούθησεν αὐτῷ, *ſequutus eſt eum*] Ita legunt Græci libri. Unus β habet ἠκολούθει, *ſequebatur*, quomodo Latine eſt. v. 20. αἱμοῤῥοοῦσα δώδεκα ἔτη] Ita Græci, Syrici, & Latini libri. Unus β Græcus addit δώδεκα ἔτη ἔχουσα ἐν τῇ ἀσθενείᾳ, *duodecim annos habens in ea infirmitate*: id quod ideo adjectum videtur, quod dure cohæreat δώδεκα ἔτη cum αἱμοῤῥοοῦσα. v. 26. ἡ φήμη αὕτη] In β. rurſus, pro αὕτη, eſt αὐτοῦ, *ejus*, quod ſit, de eo; diſſimiliter etiam Latinæ editioni. v. 27. ἐλέησον ἡμᾶς] Omitte quod ſequitur in quodam codice Κύριε. v. 30. αὐτῶν οἱ ὀφθαλμοὶ] Interjicit quartus codex παραχρῆμα, *ilico*. v. 33. οὐδέποτε ἐφάνη] Quidam libri præponunt ὅτι, quod optimi quique omittunt: quod nec Latine expreſſum eſt, uti tamen plerumque alias quando Græcis legitur. v. 35. ϗ πᾶσαν μαλακίαν] Sequitur in pleriſque omnibus codicibus Græcis, ἐν τῷ λαῷ, *in populo*: id quod duo, α. & ιβ. non legunt, conformiter Latino & Syro. Nam & veriſimile eſt huc adjectum eſſe ex verſu 23. capitis 4. ſuperioris. Quod deinde adhuc ſequitur in η. ϗ πολλοὶ ἠκολούθησαν αὐτῷ, *& multi ſequuti ſunt eum*, & ipſum adjectitium eſt. v. 36. ὅτι ἦσαν ἐσκυλμένοι] Ita legunt ſex Pariſienſium exemplaria, & ex eorum primo, Complutenſi inquam, Regium: quæ lectio fuit & interpretum Latini ac Syri. Alii libri pro ἐσκυλμένοι habent ἐκλελυμένοι· vide Commentarium.

CAP. X. V. 1. ἐξουσίαν πνευμάτων] Quod quartum & octavum exemplaria addunt κατὰ πνευμάτων, ſubaudiendum eſt, non legendum: vide Commentarium. ibid. ϗ πᾶσαν μαλακίαν] Non addas ἐν τῷ λαῷ, quod eſt in octavo codice: nec enim eſt hujus loci, ſed ſupra, 4. verſ. 23. v. 4. Σίμων ὁ Κανανίτης] In ſecundo & octavo codicibus eſt Καναναῖος, ea forma qua Latinus & Syrus utuntur. Majoris momenti eſt, quod in Commentario diſputatur, legendumne ſit Καννίτης aut Κανναῖος. v. 8. λεπροὺς καθαρίζετε, νεκροὺς ἐγείρετε] Illud νεκροὺς ἐγείρετε merito fortaſſis poſſet omitti, prout ipſa Regia Biblia obeliſcum præfigunt, idque ob eas cauſas quas alias dedimus intelligendas. Novem Pariſienſium exemplaria & Syrica Imperatoris editio prætereunt, ſuffragantibus Enarratoribus Euthymio & Theophylacto. v. 10. μηδὲ ῥάβδους] Pariſienſium exemplaria primum, 2. 3. 4. 5. 7. 8. 9. 11. 12. & ex primo, quod eſt Complutenſe, Regium, legunt numero plurium μηδὲ ῥάβδους, *neque virgas*. Porro ſingulari numero μηδὲ ῥάβδον, qui eſt in aliis exemplaribus, præter Latinum Interpretem, favere videntur Græci Tractatores. ibid. τῆς τροφῆς αὐτοῦ ἐστιν] Pro τῆς τροφῆς in 14. exemplari legitur τοῦ μισθοῦ, ex Luc. 10. v. 7. v. 12. ἀσπάσασθε αὐτήν] Nihil amplius eſſe legendum, nec addendum eſſe quod ſequitur in Regio & aliis quibuſdam libris λέγοντες, εἰρήνη τῷ οἴκῳ τούτῳ, puto in Notationibus a nobis monſtratum eſſe. v. 13. εἰσελθέτω ἡ εἰρήνη] Ita eſt in Regio opere & quarto Pariſienſium codice, verbum compoſitum εἰσελθέτω, *ingrediatur*, pro eo quod eſt in aliis, Latino conformiter, ſimplici ἐλθέτω. v. 14. Καὶ ὃς ἐὰν μὴ δέξηται ὑμᾶς μηδὲ ἀκούσῃ] Non eſt legendum ex octavo codice, numero plurium, Καὶ ὅσοι ἂν μὴ δέξωνται ὑμᾶς μηδὲ ἀκούσωσι. ibid. τῶν ποδῶν ὑμῶν] Quod additur in 14. exemplari ἐπ᾽ αὐτῇ, ſumtum eſt ex Luc. 9. verſ. 5. v. 15. Ἀμὴν λέγω ὑμῖν] Noli addere γὰρ, quod eſt in η. & ιδ. v. 19. Ὅταν δὲ παραδιδῶσιν ὑμᾶς] Exemplar 14. legit aoriſtum παραδώσωσιν. v. 23. ἐν τῇ πόλει ταύτῃ] Exemplar quartum habet ἐκ τῆς πόλεως ταύτης, contra omnium fidem. ibid. φεύγετε εἰς τὴν ἄλλην] Codex octavus pergens addit in hæc verba, Κἂν ἐκ ταύτης ἐκδιώξουσιν ὑμᾶς, φεύγετε εἰς τὴν ἑτέραν, *Et ſi ex hac exegerint vos, fugite in aliam*. Secundus vero addit in iſta, Ἐὰν δὲ ἐν τῇ ἄλλῃ διώκουσιν ὑμᾶς, φεύγετε εἰς τὴν ἄλλην, *Si autem in hac alia perſequuntur vos, fugite in aliam*. Cæterum addititia ſunt iſta, omninoque prætermittenda. ibid. οὐ μὴ τελέσητε] Quod in quarto exemplari eſt πληρώσητε, illius expoſitio eſt. v. 25. Βεελζεβοὺλ] Atqui Βεελζεβοὺβ, quomodo habet exemplar ſecundum, litera ultima βῆτα, legendum eſſe, non λάμβδα, Βεελζεβοὺλ, docet Commentarius: quod quidem ut manifeſtum, deinde ſemper ſequimur. v. 28. ἀπὸ τῶν ἀποκτεινόντων] Hæc melior eſſe ſcriptura videtur, præſentis inquam temporis, ea quæ aoriſtum habet ἀποκτενόντων. v. 29. ἄνευ τοῦ πατρὸς ὑμῶν] Quod ſequitur in nono codice τοῦ ἐν οὐρανοῖς, aliunde huc adſcitum eſt. v. 42. ἕνα τῶν μικρῶν τούτων] Secundum exemplar pro τῶν μικρῶν ſcribit τῶν ἐλαχίστων, ut Latino reſpondeat. ibid.] Exemplaria ſecundum & quintum omittunt μόνον, quod a reliquis legitur, ſuffragantibus editionibus Latina & Syra.

CAP. XI. V. 16. ὁμοία ἐστὶ παιδίοις] Sic lege ex melioribus libris potius quam παιδαρίοις. ibid. ἐν ἀγορᾷ] Sic legunt Regia Biblia & exemplaria Pariſienſium, quintum, ſeptimum, nonum, conformiter editioni Latinæ. In aliis eſt pluralis numerus ἐν ἀγοραῖς, *in foris*. v. 18. Ἦλθε γὰρ Ἰωάννης] Non addas πρὸς ὑμᾶς, *ad vos*, quod ſextus codex. v. 20. Τότε ἤρξατο] Omitte ὁ Ἰησοῦς, quod eſt in tertio exemplari, tametſi Syriace legatur. v. 21. Χοραζὶν] In 2. exemplari eſt Χοραζαΐμ· vide Commentarium. ibid. Βηθσαϊδὰ] Sic legendum eſt ex pluribus libris, non ex aliis Βεθσαϊδὰν, addita ad finem litera ν. ibid. ϗ σποδῷ] Non eſt addendum καθήμεναι, *ſedentes*, ex ſexto codice. v. 23. ἡ ἕως τοῦ οὐρανοῦ ὑψωθεῖσα, ἕως ᾅδου καταβιβασθήσῃ] Vaticanus codex & Pariſienſium Italicus, id eſt, ſecundus, interrogando legunt μὴ ἕως τοῦ οὐρανοῦ ὑψωθήσῃ; ἕως ᾅδου καταβήσῃ, id quod conſonat Latinæ editioni. Syriaca editio receptæ Græcorum lectioni favet: qua de re latius in Notationibus, quas ſæpe diximus. v. 24. ἢ σοὶ] Non eſt hoc mutandum cum ἢ ὑμῖν, ex ſecundo codice.

CAP. XII. V. 2. Οἱ δὲ Φαρισαῖοι ἰδόντες] Quod ſequitur in ſecundo & 8. exemplaribus αὐτοὺς, ſubaudiendum eſt, non legendum. ibid. ἐν σαββάτῳ] Ita legunt codices Græci, excepto quarto Pariſienſium, qui habet plurali numero ἐν τοῖς σάββασιν. Latine hic legitur *ſabbatis*, Græce *ſabbato*: verſu ſuperiori Græce *ſabbatis*, Latine *ſabbato*: confunduntur enim hæc quod ad ſenſum. v. 3. ὅτε ἐπείνασεν αὐτὸς ϗ οἱ μετ᾽ αὐτοῦ] Quinque Pariſienſium antigrapha, conformiter Latino & Syro, omittunt pronomen αὐτὸς, quod alia clarius addunt. v. 6. τοῦ ἱεροῦ μείζων ἐστὶν ὧδε] Pariſienſium omnia exemplaria legunt μεῖζον neutro genere, *Templo majus quid eſt hic*; ſubauditur enim τί. Quod quidem energiam videtur habere majorem, & conſonare ei quod infra, verſ. 41. & 42. dicitur; *Et ecce plus quam Jonas, plus quam Salomon, hic*. v. 8. τοῦ σαββάτου] Regium & omnia Pariſienſium exemplaria omittunt ϗ, Syrica editione adſtipulante: id quod alia addunt (ϗ τοῦ σαββάτου) ſuffragante editione Latina, habetque emphaſim minime negligendam, apud alios Evangeliſtas conſtanter legitur. v. 10. ἄνθρωπος ἦν] Sequitur in ſecundo, ſexto, octavo, & decimoquarto ἐκεῖ, *illic*, quod & Syriace legitur. Latina porro editio cum aliis Græcis libris ſubaudit illud. v. 13. Τότε λέγει τῷ ἀνθρώπῳ] Quod ſequitur in nonnullis libris τὴν ἐξηραμμένην ἔχοντι τὴν χεῖρα, ſuperfluum eſt, prout etiam Regius illud obeliſco transfigit. v. 14. συμβούλιον ἔλαβον] Exemplar octavum pro ἔλαβον legit ἐποίησαν, quo modo Latine eſt *faciebant*. v. 21. Καὶ τῷ ὀνόματι] Sic legunt Regium & omnia Pariſienſium. Alia addunt ἐν præpoſitionem, Καὶ ἐν τῷ, quemadmodum Latini libri ac Syrici: vide Commentarium Matth. 7. verſ. 22. v. 23. Μήτι οὗτός ἐστιν ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς Δαβίδ;] Exemplar Regium ex Complutenſi addit ὁ Χριστὸς, quod non alibi reperio. v. 25. Εἰδὼς δὲ ὁ Ἰησοῦς] Ita legendum eſt, non ἰδὼν quod eſt in 2. codice. v. 32. οὔτε ἐν τῷ νῦν αἰῶνι] Sic legit Regium ex Complutenſi cum aliis novem Pariſienſium exemplaribus, pro eo quod eſt in aliis οὔτε ἐν τούτῳ τῷ αἰῶνι. v. 35. ἐκ τοῦ ἀγαθοῦ θησαυροῦ] Addunt libri quidam τῆς καρδίας, quod non eſt hujus Evangelii, ſed illius quod eſt ſecundum Lucam, cap. 6. verſ. 45. v. 36. πᾶν ῥῆμα ἀργὸν] Minime legendum eſt πονηρὸν pro ἀργόν. v. 37. ϗ ἐκ τῶν λόγων σου] Exemplar ſecundum habet ἢ ἐκ τῶν, qui ſenſus eſt, non ipſa verba Evangelii. v. 47. ζητοῦντές σοι λαλῆσαι] Quod in 6. exemplari eſt ζητοῦντές σε ἰδεῖν, Lucæ eſt cap. 8. verſ. 20. v. 50. αὐτός μου ἀδελφὸς] Sextum & nonum exemplaria addunt conjunctionem αὐτός μου ἀδελφός.

CAP. XIII. V. 4. καὶ ἦλθε τὰ πετεινὰ] Quod addunt tertius & ſextus codex τοῦ οὐρανοῦ, ex Luca ſumtum eſt, apud quem illud ab omnibus legitur, præterquam a Syro. v. 11. ἐκείνοις δὲ οὐ δέδοται] Ita legendum eſt: nam quod quidam habent ἐκείνοις δὲ ἐν παραβολαῖς, rurſus ex ſecundum Lucam Evangelio acceptum eſt. v. 13. 14. ὅτι βλέποντες οὐ βλέπουσι, ϗ ἀκούοντες οὐκ ἀκούουσιν, οὐδὲ συνιοῦσι. Καὶ ἀναπληροῦται ἐπ' αὐτοῖς ἡ προφητεία] Horum loco legit codex ſextus ἵνα βλέποντες μὴ βλέπωσι, ϗ ἀκούοντες μὴ ἀκούωσι, μηδὲ συνιῶσι. Καὶ τότε πληρωθήσεται αὐτοῖς ἡ προφητεία, manifeſte accommodatus Lucæ Evangelio celeberrimo in templis. ibid. ϗ ἀναπληροῦται ἐπ' αὐτοῖς] Præter ſextum illum, quinque alii Pariſienſium codices, γ. ζ. η. θ. ιβ. omittunt ἐπὶ præpoſitionem, quam alii præponunt voci αὐτοῖς. ibid. ἀκοῇ ἀκούσετε (&c.) ϗ βλέποντες βλέψετε] Sic legitur & Latine; *Auditu audietis* (&c.) *& videntes videbitis.* In 4. & 9. eſt ἀκούσητε & βλέψητε, quod crediderim aliunde huc eſſe tranſlatum, eo quod propius conſonet cum verbis Hebraicis. v. 19. ϗ ἁρπάζει τὸ ἐσπαρμένον] Evangelii ſecundum Lucam eſt αἴρει, quod ſextus codex legit loco ἁρπάζει. v. 21. ἢ διωγμοῦ] Ita legit & Syrus. Quintus ex Græcis habet ϗ διωγμοῦ, ut Latinus. v. 23. Ὁ δὲ τριάκοντα] Quod ſequitur in quinto & ſexto codicibus ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω, non eſt hujus loci. v. 24. ἀνθρώπῳ σπείραντι] Sic lego ex Regia editione & manuſcriptis Pariſienſium 3. & 14. conformiter editioni Latinæ, quæ habet, *homini qui ſeminavit*, ipſique ſententiæ loci. Alii codices ſcribunt σπείροντι, tempus præſens, pro aoriſto. v. 32. μεῖζον πάντων τῶν λαχάνων ἐστὶ] Sic legunt boni libri, cum Euthymii enarratoris textu, & editionibus Latina ac Syriaca, aliis omittentibus πάντων. ibid. ὥστε κατελθεῖν] Sic Regia editio ex Complutenſi legit compoſitum κατελθεῖν, eodem ſenſu quo alii libri ſimplex ἐλθεῖν. v. 33. ἐλάλησεν αὐτοῖς] Quod octavum exemplar addit λέγων, intelligendum eſt, non legendum, cum nec Syriace addatur, nec Latine, nec denique Græce, niſi in illo uno. ibid. ἐνέκρυψεν εἰς ἀλεύρου] In aliis eſt ſimplex ἔκρυψεν, eodem ſenſu. v. 40. ϗ πυρὶ καίεται] Similiter eſt in aliis κατακαίεται. ibid. τοῦ αἰῶνος] Rectius omittitur τούτου quam addatur. v. 43. τοῦ πατρὸς αὐτῶν] Noli hujus loco legere τῶν οὐρανῶν, quod eſt in 14. codice. v. 46. ὃς εὑρὼν ἕνα] In 2. & 14. exemplaribus eſt εὑρὼν δὲ ἕνα, ut Latine & Syriace. v. 54. ἡ σοφία αὕτη] Superfluit quod additur in ſecundo codice πᾶσα ἡ σοφία αὕτη. v. 55. Ἰάκωβος ϗ Ἰωσῆς] Codex Vaticanus pro Ἰωσῆς legit Ἰωσὴφ, quemadmodum Latini libri: vide Notationes Marci 15. v. 47.

CAP. XIV. V. 2. οὗτός ἐστιν Ἰωάννης] Exemplar ſecundum præponit μήτι οὗτος, *numquid hic*: id quod adjectum eſt conciliandi Matthæi gratia cum Luca cap. 9. verſ. 9. ibid. Ἰωάννης ὁ βαπτιστὴς] Quidam libri ſubjungunt ὃν ἐγὼ ἀπεκεφάλισα· quod quidem certum eſt addititium eſſe, ex Marc. 6. v. 16. huc aſſutum. v. 5. ἐφοβήθη τὸν ὄχλον] In 4. & 5. exemplaribus legitur præterito imperfecto ἐφοβεῖτο. v. 12. ἦραν τὸ σῶμα] Octavus codex habet πτῶμα, id quod eſt Marci cap. 6. verſ. 29. Sequitur in 9. & 14. αὐτοῦ, quod, etſi addat etiam Syrus, nolim tamen idcirco Græce addere. v. 34. τὴν γῆν Γεννησαρὲτ] Quidam libri ſcribunt Γεννησαρὲθ, quidam Γεννησαρά· res eadem unum eſt, imo & idem unum nomen.

CAP. XV. V. 4. τὸν πατέρα] Hæc exemplaria addunt, illa demunt σου· res eſt parvi momenti. v. 14. ὁδηγοί εἰσι τυφλοὶ τυφλῶν] In exemplaribus ſecundo & octavo, quæ libenter conſonant editioni Latinæ, legitur hoc verborum ordine τυφλοί εἰσιν ὁδηγοὶ τυφλῶν· quo & Syriace quidem legitur, ſed non patitur ejus linguæ ratio priorem ordinem. ibid. εἰς βόθυνον] In ſecundo exemplari eſt εἰς βόθρον, eodem ſenſu. v. 19. φόνοι, μοιχεῖαι] Quædam exemplaria pro φόνοι, *cædes*, legunt φθόνοι, *invidiæ*: atqui & Latina & Syrica lectio facit pro priori φόνοι. v. 22. γυνή τις Χαναναία] Regia Biblia ex Complutenſibus legunt τις (*mulier quædam Chananæa*) quod alia omittunt. ibid. ἐκραύγασεν αὐτῷ λέγουσα] In ſecundo exemplari eſt ἔκραξεν ὀπίσω αὐτοῦ λέγουσα, *clamavit poſt eum dicens*, nemine alio adſtipulante. v. 27. ϗ γὰρ τὰ κυνάρια] In exemplari tertio eſt ϗ γὰρ ϗ τὰ κυνάρια, quod Latino reſpondet; *Nam & catelli.* v. 30. ϗ ἐθεράπευσεν αὐτοὺς] Exemplar ſecundum addit πάντας, *omnes*, quod alibi non legitur. v. 31. ϗ ἐδόξασαν] In tribus Pariſienſium codicibus eſt ἐδόξαζον, *glorificabant*, præterito imperfecto, ut Latine. v. 33. πόθεν ὑμῖν] Secundum exemplar addit, quod eſt Latine, οὖν, *ergo*· πόθεν οὖν ὑμῖν. v. 39. εἰς τὰ ὅρια] Perperam ſcriptum fuit in quodam codice εἰς τὰ ὄρη, *in montes*, cum non tantum reliqui libri Græci, ſed & Latini omnes & Syrici reclament. ibid.] Pro Μαγδαλὰ eſt in exemplari ſecundo Μαγαδὰν, quomodo Latine legimus, & quidem veriſimilius, quod in Commentario docuimus.

CAP. XVI. V. 3. οὐ δύνασθε] In exemplaribus 4. 5. 7. 9. eſt οὐ συνίετε, quam expoſitionem eſſe alicujus, probabile eſt: quemadmodum id quod eſt in octavo οὐ δοκιμάζετε, ex Luc. 12. verſ. 56. ſumtum eſſe, non eſt dubium. v. 8. οὐκ ἐλάβετε] Ita habet & Syrus. Secundum exemplar legit ut Latinus οὐκ ἔχετε. v. 11. οὐ περὶ ἄρτου] In quarto & octavo eſt ἄρτων plurali numero. ibid. οὐ περὶ ἄρτου εἶπον ὑμῖν, προσέχειν ἀπὸ τῆς ζύμης] Exemplaria tertium, quartum, quintum legunt οὐ περὶ ἄρτου (vel ἄρτων) εἶπον ὑμῖν προσέχειν, προσέχετε δὲ ἀπὸ τῆς ζύμης· *Non de pane dixi vobis cavere, cavete autem a fermento*: ſ. εἶπον, *dixi*. Huic legendi modo vult Syrus, qui habet, *Non de pane dixi vobis, ſed ut caveretis a fermento.* v. 15. Λέγει αὐτοῖς] Exemplar quintum addit id quod Latine additur ὁ Ἰησοῦς, Jeſus. v. 20. ὅτι αὐτός ἐστιν Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς] Quidam Græci libri omittunt Ἰησοῦς (ε. ζ. η.) quibus vult Syriaca editio, & Origenis in Matthæum, Ambroſii in Lucam, Commentarius: vide Latinas varietates. v. 26. Τί γὰρ ὠφελεῖται] In 2. codice eſt ὠφεληθήσεται, futuro tempore. v. 27. μετὰ τῶν ἀγγέλων] Exemplar ſecundum, Syro adſtipulante, addit ἁγίων. ibid. κατὰ τὴν πρᾶξιν αὐτοῦ] In 14. codice eſt τὰ ἔργα pro τὴν πρᾶξιν· vide Latinas varietates. v. 28. Ἀμὴν λέγω ὑμῖν] Quod additur in 14. codice γὰρ, nuſquam alibi invenio. ibid. ἐν τῇ βασιλείᾳ] Id quod nonus codex habet ἐν τῇ δόξῃ, expoſitio alicujus eſt.

CAP. XVII. V. 1. ϗ ἀναφέρει αὐτοὺς] In 2. codice eſt ϗ ἀνάγει αὐτούς, quod propius accedit ad Latinum *ducit*, niſi quod φέρειν & ἄγειν ſæpe permutentur. v. 2. ὡς τὸ φῶς] In ſecundo iterum codice eſt ὡς χιών, *ſicut nix*, quemadmodum eſt Latine: qua de varietate aliud dicere nequeo, quam quod ſecundum illud exemplar, β, Latinæ editioni, contra alia omnia, ſæpe conſonet, & aliquando erroribus potius ejus editionis inolitis, quam germanæ lectioni: vide Latinas varietates. v. 5. νεφέλη φωτεινὴ] In 4. exemplari eſt νεφέλη φωτὸς, *nubes lucis*, Hebraico idiotiſmo. v. 12. ϗ οὐκ ἐπέγνωσαν αὐτὸν] In exemplari nono eſt ϗ οὐκ ἀπίστησαν αὐτῷ, *& non crediderunt ei.* ibid. ἐποίησαν ἐν αὐτῷ] Exemplaria 2. & 9. omittunt ἐν præpoſitionem (ut certe ſuperfluit ſenſui) ſed quæ Syriace exprimitur, ut & Latine, ex Syriaco ſive Hebraico idiotiſmo. v. 14. ἄνθρωπος γονυπετῶν αὐτὸν] In duobus exemplaribus additur ἄνθρωπός τις, *homo quidam*: in multis eſt αὐτῷ pro αὐτόν. v. 16. ϗ προσήνεγκα αὐτὸν] In 9. & 14. legitur plurali numero ϗ προσήνεγκαν αὐτὸν, *& obtulerunt eum*, quod ſit, & oblatus eſt. Atqui, non Latine tantum, ſed & Syriace, ſingularis numerus conſtans legitur. v. 22. ἀνθρώπων] Exemplar θ. addit ἁμαρτωλῶν, *peccatorum*.

CAP. XVIII. V. 6. ἐπὶ τὸν τράχηλον] In aliis eſt εἰς τράχηλον. v. 11. ἦλθε γὰρ] Totum hunc verſiculum undecimum quidam annotant omitti a nonnullis Græcis libris. Atqui Syriace & Latine conſtanter legitur, ut præteream tractatores, etiam Græcos, qui eum diſerte exponunt, Chryſoſtomum, Theophylactum, Euthymium. v. 19. Πάλιν ἀμὴν λέγω] A quibuſdam codicibus omittitur ἀμὴν, quemadmodum a Latina & Syrica editionibus. Atqui ut Regius, ita veteres omnes Pariſienſium, legunt. v. 26. Ὁ δοῦλος] Exemplaria β. δ. η. addunt ἐκεῖνος, ut Latine eſt *ille*. ibid. προσεκύνει αὐτῷ, *adorabat eum*] Ita legunt plerique codices Græci; quidam παρεκάλει, *rogabat*. v. 28. εἴ τι ὀφείλεις] Rectius legitur, ὅ,τι, *quod*, ut eſt in aliis libris, quam εἴ τι, *ſiquid*. v. 29. εἰς τοὺς πόδας αὐτοῦ] Quidam libri Græci omittunt hæc verba, conſentanee Latinis, quemadmodum ſupra verſ. 26. a nemine leguntur, ubi eiſdem verbis utitur Evangeliſta, narrans ſervi erga dominum demiſſionem. Atqui Syriace & in pleriſque omnibus Græcis libris exſtant. ibid. ϗ πάντα ἀποδώσω σοι] Sex Pariſienſium codices, α. δ. ζ. θ. ιβ. ιδ. omittunt πάντα, quod tamen & Latine legitur, & Syriace. v. 31. τὰ γενόμενα] Legendum potius eſt priori loco γινόμενα præſenti tempore, poſteriori γενόμενα aoriſto, Latino conformiter, ut eſt in aliis libris, quam utrobique γενόμενα aoriſto. v. 33. Οὐκ ἔδει καί σε] Annotant Pariſienſes, a 2. codice addi οὖν. Annotat alius a ſuo manuſcripto Latine abeſſe *ergo: Nonne ergo oportuit & te.* Syriace non legitur οὖν, *ergo*. v. 35. ϗ ὁ πατήρ μου] Non eſt legendum ϗ ὁ πατὴρ ὑμῶν, ut eſt in quarto exemplari.

CAP. XIX. V. 3. κατὰ πᾶσαν αἰτίαν] Codex quintus pro αἰτίαν legit ἁμαρτίαν, quæ expoſitio non dubium alicujus fuit. v. 9. μὴ ἐπὶ πορνείᾳ] Sic legunt omnes Pariſienſium antiqui codices, cumque illis Regius ex Complutenſi. Alii quidam præponunt εἰ conjunctionem, εἰ μὴ ἐπὶ, quæ fuit lectio Latini Interpretis, cujus editio conſtanter habet, *niſi ob fornicationem*: lege Commentarium. v. 17. Τί με λέγεις ἀγαθόν; οὐδεὶς ἀγαθὸς, εἰ μὴ εἷς, ὁ Θεὸς] Hæc ut Regiorum Bibliorum, ita plerorumque omnium exemplarium, eſt lectio, adſtipulantibus libris Syricis, & Enarratoribus Theophylacto atque Euthymio. Cæterum exemplaria, Vaticanum, & inter Pariſienſia 2. atque 8. Latinis libris conſonantia, ſcribunt, Τί με ἐρωτᾷς περὶ τοῦ ἀγαθοῦ; εἷς ἐστιν ὁ ἀγαθός. Origenes tractatu 8. in Matthæum, utramque lectionem ponit & exponit: Auguſtinus lib. 2. de conſ. Evang. cap. 63. Matthæi Evangelio tribuit, *Quid me interrogas de bono?* Marci & Lucæ, *Quid me dicis bonum?* id quod ego credo verum eſſe, ob rationes alias a nobis expoſitas. v. 24. Πάλιν δὲ] Ita eſt & Syriace. In quibuſdam eſt Καὶ πάλιν, ſimiliter Latino. ibid. ῥαφίδος διελθεῖν] In quinque vetuſtis codicibus eſt εἰσελθεῖν pro διελθεῖν. v. 27. Ἰδοὺ ἡμεῖς] Sextum exemplar præponit Κύριε, qua in re ſingulare eſt. v. 29. ὃς ἀφῆκεν οἰκίαν] Singulari numero οἰκίαν, quo modo eſt & Latine, ſcribunt codices 2. & 7. cum Regio. In aliis eſt οἰκίας numero plurium.

CAP. XX. V. 4. & 7. εἰς τὸν ἀμπελῶνα] Non eſt addendum pronomen μου, quod in quibuſdam libris invenitur. v. 13. συνεφώνησάς μοι;] Octavum exemplar legit συνεφώνησά σοι; *conveni tecum?* quod illi ſingulare eſt. v. 17. ἐν τῇ ὁδῷ, ϗ εἶπεν] In 8. rurſus eſt, quod nuſquam alibi, tranſpoſita conjunctione, ϗ ἐν τῇ ὁδῷ εἶπεν. v. 22. ὃ ἐγὼ μέλλω πίνειν] Exemplaria 4. 5. & 14. ſcribunt ὃ ἐγὼ πίνω· quod reſpondet quidem ei quod ſequitur, ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι, ſed videndum an non ex Marco utrumque tranſcriptum ſit. ibid. ϗ τὸ βάπτισμα ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι βαπτισθῆναι, & v. 23. ϗ τὸ βάπτισμα ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι βαπτισθήσεσθε] Leguntur hæc a Græcis libris Græciſque Interpretibus, Syro adſtipulante, tam ſecundum Matthæum quam ſecundum Marcum, niſi quod ſecundum & octavum exemplaria omittant ſecundum Matthæum, conformia Latinis libris Latiniſque tractatoribus, Hilario, Ambroſio, Hieronymo, & poſterioribus, qui illa in ſolo agnoſcunt Marco. v. 23. οὐκ ἔστιν ἐμὸν δοῦναι] Codices 2. 3. & 14. addunt τοῦτο δοῦναι, *hoc dare*. v. 26. ἔστω ὑμῶν διάκονος] In codicibus, α. β. γ. ζ. ιβ. & ιδ. eſt futurum ἔσται, pro imperativo ἔστω, res eodem redit. v. 29. Καὶ ἐκπορευομένων αὐτῶν] Sextus codex habet numerum ſingularem Καὶ ἐκπορευομένου αὐτοῦ· cui Syrus ſuffragatur ſcribens, *Quumque exiret Jeſus.* Atqui ut in reliquis Græcis, ita & in Latinis libris, eſt numerus pluralis. v. 34. ἀνέβλεψαν αὐτῶν οἱ ὀφθαλμοὶ] Exemplaria 2. & 8. auferunt duo hæc verba αὐτῶν οἱ ὀφθαλμοὶ, credo ut Latinæ editioni reſpondeant: vide Commentarium.

CAP. XXI. V. 1. ϗ ἦλθον εἰς Βηθφαγῆ] Pariſienſium exemplaria manuſcripta omnia legunt Βηθσφαγῆ, præpoſito σ ante φ. Atqui prior ſcriptura, ut Latino, ita & Syro reſpondet. v. 2. τὴν κατέναντι ὑμῶν] Alii ἀπέναντι, quod idem unum eſt. v. 3. Καὶ ἐάν τις ὑμῖν εἴπῃ τι] Exemplar 2. addit ποιεῖτε· *Et ſi quis vobis dixerit, quid facitis.* ib. εὐθέως δὲ ἀποστελεῖ αὐτοὺς] Alii libri pro futuro tempore legunt præſens ἀποστέλλει. Cæterum futurum Marci Evangelio conſonat, tractatoribus Hilario & Auctore operis in Matth. imperfecti ſuffragantibus. v. 7. ϗ ἐπεκάθισεν ἐπάνω αὐτῶν] In quibuſdam libris eſt ἐπεκάθισεν, quod eſt *inſedit*, in quibuſdam ἐκάθισεν, *ſedit*, (ad quem modum Syriace eſt *equitavit*,) in aliis ἐπεκάθισαν, *collocarunt*, ſive *ſedere fecerunt*, conſentanee editioni Latinæ. Rurſus pro ἐπάνω αὐτῶν, *ſuper eos*, ſive ut eſt Latine *deſuper*, quidam typis excuſi codices ſcribunt ἐπάνω αὐτῆς, *ſuper eam*, ſcilicet aſinam; Syrus *ſuper eum*, ſcilicet pullum; eadem, ut arbitror, ratione, qua Latine in verbis proxime præcedentibus, quidam ſcribunt *eum* pro *eos*. v. 9. οἱ προάγοντες] In 2. codice additur αὐτὸν, *eum*, quod

quod Syriace quidem ſimiliter additur, ſed ut non exſtat Latine, ita nec apud pleroſque omnes Græce. ibid. ὡσαννὰ] Vox, etſi duplex, una eſt tamen, nequaquam diſtrahenda in duas, ut fit a pleriſque, ὡς ἀννά. ibid. εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος] Quidam habent nomen εὐλογητὸς pro participio εὐλογημένος. v. 16. ἀκούεις τί οὗτοι λέγουσιν] Exemplar 5. præponit οὐκ, *non audis*. v. 23. καὶ ἐλθόντι αὐτῷ] Exemplaria 2. & 8. legunt genitivos abſolute poſitos καὶ ἐλθόντος αὐτοῦ eodem ſenſu. v. 28. ἄνθρωπός τις εἶχε] Non omittas τὶς, ut quidam libri, quod etiam Latine & Syriace exſtat. v. 30. καὶ προσελθὼν τῷ δευτέρῳ] In quibuſdam codicibus, pro δευτέρῳ, *ſecundum*, eſt ἑτέρῳ, *alterum*: qui, cum Latinæ Syriacæque editioni reſpondeant, videntur hac parte veriores. ibid. ἐγὼ κύριε] Quidam legunt ναὶ κύριε, quidam ὑπάγω κύριε, quidam ἐγὼ κύριε ἐγὼ ὑπάγω· quæ omnia veriſimile eſt fuiſſe ſubſtituta, ab iis qui non intellexerint primam illam germanamque lectionem ἐγὼ κύριε, *ego domine*, quæ ut eſt plerorumque Græcorum codicum, ita eſt & Syricorum. v. 45. οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ φαρισαῖοι] Omnes conſtanter legunt οἱ φαρισαῖοι, non οἱ γραμματεῖς, quod eſt in 4. codice ſuppoſitum.

CAP. XXII. V. 4. Πάλιν ἀπέστειλεν ἄλλους] Octavus codex legit præſens ἀποστέλλει. v. 7. ὁ βασιλεὺς ἐκεῖνος] Cum Regio, omnia Pariſienſium exemplaria notantur addere ἐκεῖνος. v. 20. Καὶ λέγει αὐτοῖς] Octavum exemplar addit ὁ Ἰησοῦς, conſentanee Latino & Syro. v. 44. ὑποπόδιον τῶν ποδῶν σου] Pro ὑποπόδιον ſcribunt β. & η. ὑποκάτω. v. 45. Εἰ οὖν Δαβὶδ] Subjiciunt exemplaria β. γ. ε. ιδ. ἐν πνεύματι, quod ut Latina & Syra non agnoſcunt, ita repetitum videtur a ſtudioſo ex verſ. ſuperiori 43.

CAP. XXIII. V. 8. εἷς γάρ ἐστιν ὑμῶν ὁ καθηγητὴς, ὁ Χριστὸς] In quinto exemplari pro καθηγητὴς legitur διδάσκαλος. ibid. πάντες δὲ ὑμεῖς ἀδελφοί ἐστε] Illud idem antigraphum quintum, verba iſta, ex hoc loco, quo ab omnibus aliis, etiam Latinis & Syricis, leguntur, transfert in verſum proximum, proxime poſt verba iſta εἷς γάρ ἐστιν ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. Quo quidem loco videri poſſint melius convenire: ſed verendum ne de induſtria hic mutatus ſit liber, ad tollendam difficultatem quæ prima fronte ſe offert. v. 18. μωροὶ καὶ τυφλοὶ] Sic legunt etiam Syriaca: ſed Latina omittunt hic μωροὶ καὶ, quemadmodum & exemplaria Græca 2. & 8. v. 20. ἐν τῷ κατοικήσαντι αὐτὸν] In aliis legitur præſens κατοικοῦντι, pro aoriſto κατοικήσαντι. v. 24. γέμουσιν ἐξ ἁρπαγῆς] Melius legitur in manuſcriptis ε. ς. ζ. ιδ. conjunctim ἐξαρπαγῆς, quam in aliis diviſim ἐξ ἁρπαγῆς. ibid. καὶ ἀδικίας] Sic legitur ut in Complutenſi & Regio, ita in manuſcriptis 4. 5. 6. 7. 9. & 12. ἀδικίας, *injuſtitia*, Syro conformiter, pro eo quod in aliis ἀκρασίας, *intemperantia*. v. 25. καὶ τὸ ἐκτὸς αὐτῶν] Pro numero plurali αὐτῶν, qui exſtat & Syriace, exemplaria β. θ. ιϛ. ſcribunt ſingularem αὐτοῦ. Latine neutrum exſtat. v. 34. ὃν ἐφονεύσατε] In 5. codice legitur tertia perſona ἐφόνευσαν. v. 35. ὅτι ἥξει ταῦτα πάντα] Non videtur omittendum ὅτι quod in optimis quibuſque libris legitur. v. 37. ἰδοὺ ἀφίεται ὑμῖν] Quatuor exemplaria δ. ε. θ. ιδ. omittunt pronomen ὑμῖν, contra fidem reliquorum, conſonantium Latinæ & Syriacæ editioni.

CAP. XXIV. V. 1. ἐπορεύετο ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ] Octavus codex legit eo ordine quo Latina Syriacaque editio, ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ ἐπορεύετο. v. 2. ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν] Secundum & octavum exemplaria ſcribunt cum Latinis ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν. ibid. οὐ βλέπετε ταῦτα πάντα] Regia aliaq; exemplaria præponunt negationem οὐ, cum Syrica editione, ſed β. δ. ε. ς. & η. rectius omittunt cum Latina. v. 17. ἆραι τὰ ἐκ τῆς οἰκίας αὐτοῦ] Sic legunt plurimi boni libri. Alii cum Latino Interprete legunt numero ſingulari ἆραί τι. v. 18. ἆραι τὸ ἱμάτιον αὐτοῦ] In Regiis aliiſque eſt numero ſingulari τὸ ἱμάτιον, quemadmodum Latine, in aliis eſt plurali τὰ ἱμάτια. v. 20. μηδὲ ἐν σαββάτῳ] In aliis, omiſſa præpoſitione, eſt, quibuſdam σαββάτῳ, quibuſdam σαββάτου. v. 30. ἐν τῷ οὐρανῷ] Exemplar 2. legit τοῦ ἐν οὐρανοῖς, id quod ad Filium hominis refertur, non ad ſignum. v. 31. μετὰ σάλπιγγος καὶ φωνῆς μεγάλης] Sic legunt Regia Biblia poſt Complutenſia, cum tribus aliis exemplaribus, quemadmodum & Latina editio. Alii libri omittunt conjunctionem καί. v. 34. ἀμὴν λέγω ὑμῖν] Exemplaria 4. & 8. addunt δὲ, ἀμὴν δέ. v. 36. εἰ μὴ ὁ πατήρ μου μόνος] Judico omittendum pronomen μου (εἰ μὴ ὁ πατὴρ μόνος) ſequutus antigrapha γ. δ. ε. η. θ. & editiones Syriacam ac Latinam. v. 42. ἐν τῷ μύλωνι] Exemplaria 3. 4. 6. legunt, ſed eodem ſenſu, μύλῳ pro μύλωνι. ibid. ſecundum Pariſienſium manuſcriptum addit δύο ἐπὶ κλίνης μιᾶς, εἷς παραλαμβάνεται, καὶ εἷς ἀφίεται· ſed incorrupta lectio, adſcribit hoc Lucæ proprium, quemadmodum alibi oſtendimus. Nam quod veteres illud hic exponant *fit*, quia ſimile eſt ſententiis iis quæ hic leguntur; cæteroqui, Auctor imperfecti, Titus & Euthymius, diſerte teſtantur, duos in lecto a Luca, duos in agro a Matthæo, nominatos fuiſſe. v. 49. τοὺς συνδούλους] Quanquam a pleriſque omittitur pronomen αὐτοῦ, additur tamen a 6. 8. 9. & 14. exemplaribus, conformiter editionibus Latinæ ac Syricæ, & Græco Euthymii textui. ibid. ἐσθίειν δὲ καὶ πίνειν] In antigraphis 2. 6. 8. & 14. legitur ἐσθίῃ δὲ καὶ πίνῃ, quomodo eſt & Latine.

CAP. XXV. V. 9. μήποτε οὐκ ἀρκέσῃ] In quibuſdam legitur μήποτε οὐ μὴ ἀρκέσῃ, in quibuſdam μήποτε οὐκ ἀρκέσῃ. v. 13. οὐδὲ τὴν ὥραν] Quod ſequitur in Regio & pleriſque libris ἐν ᾗ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἔρχεται, ut Latine non legitur, nec Syriace, ita neque in exemplaribus Græcis β. γ. η. v. 16. καὶ ἐποίησεν ἄλλα πέντε] Exemplaria 2. & 8. pro ἐποίησεν ſcribunt ἐκέρδησεν, expoſitionis haud dubium cauſa. v. 18. ἀπελθὼν ὤρυξεν] Secundum & quartum omittunt ἀπελθὼν, etiam contra Latina & Syra. v. 20.] Pro ἐκέρδησα ἐπ᾽ αὐτοῖς ſecundus codex unicam habet vocem ἐπεκέρδησα, Latino conformiter *ſuperlucratus ſum*. Quidam alii codices ſcribere dicuntur ἐν αὐτοῖς pro ἐπ᾽ αὐτοῖς. v. 29. καὶ ὃ δοκεῖ ἔχειν] Ita legitur in 1. 4. 8. 9. 14. & Regiis exemplaribus, ſuffragante editione Latina: in aliis legitur καὶ ὃ ἔχει, adſtipulante Syro. v. 41. τὸ ἡτοιμασμένον τῷ διαβόλῳ] Exemplar 2. legit ὃ ἡτοίμασεν ὁ πατήρ μου τῷ διαβόλῳ· quo modo legunt veteres Latini, Irenæus lib. 3. c. 35. Cyprianus ſermone de eleemoſyna, Auguſtinus in Pſalmum 85. Leo ſermone de jejunio decimi menſis, Auctor libri de mirabilibus ſacræ Scripturæ lib. 1. c. 2. *Quem præparavit* aut *paravit, pater meus diabolo.*

CAP. XXVI. V. 3. καὶ οἱ γραμματεῖς] Exemplaria 2. & 4. hoc auferunt, conformiter Latinæ editioni; quod pleraque legunt conformiter Syriacæ. v. 7.] Pro βαρυτίμου, in quibuſdam libris eſt πολυτίμου, nominatim in iis qui Latinæ editioni libenter reſpondent, 2. & 8. v. 13. εἰς μνημόσυνον αὐτῆς] Non recte ſcribit 4. exemplar εἰς μαρτύριον αὐτῆς. v. 16. ἵνα αὐτὸν παραδῷ] Exemplar 2. addit αὐτοῖς, *eis*, quod tamen nec Latine aut Syriace additur. v. 19. ὡς συνέταξεν] In 6. & 9. legitur ὡς προσέταξεν. v. 20. μετὰ τῶν δώδεκα] Exemplar 8. addit μαθητῶν, conformiter Latino & Syro. v. 21. ἀμὴν λέγω ὑμῖν] Sextus codex repetit ἀμὴν, contra omnium fidem. v. 23. ὁ ἐμβάψας μετ᾽ ἐμοῦ ἐν τῷ τρυβλίῳ τὴν χεῖρα, οὗτος] Secundum exemplar ſcribit ὁ ἐμβαπτόμενος τὴν χεῖρα μετ᾽ ἐμοῦ εἰς τὸ τρυβλίον, οὗτος, quæ potius ſecundum Marcum eſt lectio. v. 26. καὶ εὐλογήσας ἔκλασε] Pariſienſium exemplaria 3. 6. 7. 8. 9. 12. 14. pro εὐλογήσας ſcribunt εὐχαριστήσας, quibus ſuffragantur Græci tractatores, Chryſoſtomus, Titus, Theophylactus, & Euthymius. Latini porro & Syriaci libri volunt aliis exemplaribus, quæ legunt εὐλογήσας. v. 28. τοῦτο γάρ ἐστι τὸ αἷμά μου] Quædam exemplaria omittunt conjunctionem γὰρ cum Syro; pleraque addunt cum Latino. v. 35. οὐ μή σε ἀπαρνήσομαι] Codices α. ς. θ. ιβ. ιδ. ſcribunt ſubjunctivo modo, ſeu potius potentiali, ἀπαρνήσωμαι, *abnegavero*. ibid. ὁμοίως δὲ καὶ πάντες] Sic legunt Regia Biblia poſt α. ε. ς. θ. ιδ. Alia omittunt δὲ, *autem*, Latino conformiter. v. 40. οὕτως οὐκ ἰσχύσατε] Exemplaria 3. 6. 7. 12. 14. poſt οὕτως ponunt interrogationis notam, οὕτως; οὐκ ἰσχύσατε· quo modo & Latina quædam exemplaria ſcribunt. v. 43. Καὶ ἐλθὼν εὑρίσκει αὐτοὺς πάλιν καθεύδοντας] In exemplaribus 5. & 8. legitur Καὶ ἐλθὼν πάλιν, εὗρεν αὐτοὺς καθεύδοντας· quo ordine etiam legunt Latina & Syra. v. 45. εἰς χεῖρας ἁμαρτωλῶν] Non eſt addendum ἀνθρώπων, *hominum*: ex codice 9. qui ea in re eſt ſingularis. v. 48. Ὁ δὲ παραδοὺς αὐτὸν] In aliis libris eſt præſens Ὁ δὲ παραδιδοὺς αὐτόν. v. 50. ἐφ᾽ ᾧ πάρει] Quidam annotat etiam legi ἐφ᾽ ὃ πάρει; quarto, nam tertio caſu. v. 52. ἐν μαχαίρᾳ ἀποθανοῦνται] Huic lectioni, quæ eſt codicum Pariſienſium 5. 6. 9. ac 14. & Complutenſis cum Regio, conſonant Syra: alteri, quæ pro ἀποθανοῦνται, *morientur*, ſcribit ἀπολοῦνται, *peribunt*, adſtipulatur editio Latina. v. 60. Καὶ οὐχ εὗρον, καὶ πολλῶν ψευδομαρτύρων προσελθόντων οὐχ εὗρον] Sic legunt Græci libri plerique omnes, quo modo & apud Origenem, Theophylactum, & Euthymium Græcos, ut quidem Latine nobis verſi exſtant, legitur. Pariſienſes notant, primo exemplari, id eſt, Complutenſi, deeſſe poſterius καὶ cum poſteriori οὐχ εὗρον, hoc modo, Καὶ οὐχ εὗρον πολλῶν προσελθόντων ψευδομαρτύρων· quo modo legitur, non ſolum Latine, ſed etiam Syriace, eo excepto quod Syrus conjunctionem repetat, hoc ſenſu; *Et non invenerunt, etiam multis falſis teſtibus productis.* v. 63. ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ] Quartum exemplar addit τοῦ ζῶντος, ſed non eſt ſequendum. v. 70. ἔμπροσθεν πάντων] Exemplaria 6. 7. & 12. interjiciunt vocem αὐτῶν, quæ etſi Syriace, non tamen Latine legitur. v. 71. Ἐξελθόντα δὲ αὐτὸν] Exemplar 8. omittit pronomen αὐτὸν hoc loco, eo quod mox repetatur. ibid. καὶ λέγει τοῖς ἐκεῖ, καὶ οὗτος ἦν] Codices 5. 7. 9. ſic legunt & diſtinguunt, καὶ λέγει αὐτοῖς, ἐκεῖ καὶ οὗτος ἦν· quæ etiam Syri, tum diſtinctio, tum lectio eſt, ita ut hallucinatus ſit illius Interpres vertens; *Et ait illis qui illic aderant, erat & iſte cum Jeſu Nazareno,* pro eo quod vertere debuiſſet; *Et ait illis; Illic erat etiam iſte cum Jeſu Nazareno.* Cæterum vulgaris lectio probatior eſt. v. 72. ὅτι οὐκ οἶδα] Secundus codex pro ὅτι ſcribit λέγων, quod quanquam eſt clarius, non tamen verius. v. 74. καταναθεματίζειν] In aliis eſt ἀναθεματίζειν.

CAP. XXVII. V. 33. ὅς ἐστι λεγόμενος] Exemplar 3. ſcribit ὃ ἐστι μεθερμηνευόμενον, quod ex Marco acceptum eſt, cap. 15. verſ. 22. v. 34. ὄξος] Sic legunt etiam Syra, ſuffragantibus enarratoribus Græcis, Chryſoſtomo, ejuſque diſcipulis. Exemplar 2. conſentanee Latinæ editioni, ſcribit οἶνον, *vinum*, pro ὄξος, *acetum*: vide Commentarium. v. 35. βάλλοντες κλῆρον] Quod ſequitur in libris vulgaribus ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν ὑπὸ τοῦ προφήτου· διεμερίσαντο τὰ ἱμάτιά μου ἑαυτοῖς, καὶ ἐπὶ τὸν ἱματισμόν μου ἔβαλον κλῆρον, a Regio codice obeliſco prænotatur, ab omnibus Pariſienſium exemplaribus, inter quæ eſt editio Complutenſis, omittitur. Græci enarratores, Chryſoſtomus, Titus, & Theophylactus, non attingunt. Euthymius Commentario etiam ſuo haud obſcure docet ſibi non lectum fuiſſe. Origenis textus non habet, quanquam Commentarius videatur agnoſcere, his verbis; *Et ſunt uſque nunc, qui ipſum quidem non habentes; veſtimenta autem, verba in ſcripturis poſita, habent, nec ipſa ad plenum, ſed ex parte, nihilominus hoc ipſum propheta dicente myſterium, quod nunc eſt impletum.* Multi Latini auctores annotant abfuiſſe a ſuis exemplaribus Græcis. Non videntur igitur hæc Græce addenda, cum præter hæc nec Syriace legantur, nec Latine legenda in Latinis varietatibus doceamus. Veriſimile eſt, ad marginem hic annotata ex Johan. 19. verſ. 19. aut Pſal. 21. verſ. 19. tandem in textum irrepſiſſe. v. 40. Ὁ καταλύων τὸν ναὸν] Non præponas Græce οὐά, quod eſt in 2. exemplari, tametſi Latine addatur *Vah*. v. 41. καὶ πρεσβυτέρων καὶ φαρισαίων] Videtur addendum καὶ φαρισαίων, quod omnia Pariſienſium exemplaria, & poſt Complutenſe Regia addunt, ſuffragante Syro: quamvis Latina editio, cum quibuſdam aliis Græcis codicibus, haud agnoſcat. v. 42. ἑαυτὸν οὐ δύναται σῶσαι] A pluribus manuſcriptis additur nota interrogationis. ibid. καὶ πιστεύσομεν ἐπ᾽ αὐτῷ] Omnia Pariſienſium exemplaria addunt ἐπὶ, ſicut Regia Plantini Biblia. v. 46. λαμὰ σαβαχθανὶ] Notant Pariſienſes, pro λαμὰ, in quibuſdam codicibus ſcribi λειμὰ, in quibuſdam λιμὰ, in aliis λεμά. Varietas nata eſt, partim ex ignoratione linguæ Hebraicæ, partim ex diverſarum apud Hebræos vocalium ſuppletione. v. 49. ἴδωμεν εἰ ἔρχεται Ἠλίας σώσων αὐτόν] His verbis exemplaria 4. & 8. ſubjiciunt ἄλλος δὲ λαβὼν λόγχην, ἔνυξεν αὐτοῦ τὴν πλευράν, καὶ ἐξῆλθεν ὕδωρ καὶ αἷμα· *Alius autem accepta lancea confodit ipſius latus, & exiit aqua & ſanguis.* Quod quanquam & apud Chryſoſtomum legatur, non eſt tamen aut hujus loci aut hujus Evangeliſtæ, ſed proprium eſt Johanni, cap. 19. verſ. 34. narranti hoc poſt mortem Domini Jeſu. Cæterum videtur iſtud & in Latinis quibuſdam exemplaribus Evangelii ſecundum Matthæum lectum fuiſſe, circa tempora Clementis Papæ V. & Concilii Viennenſis. Hinc enim nata fuit opinio quorundam, Jeſu adhuc vivi latus lancea apertum fuiſſe: quam damnavit cum Concilio illo Pontifex, docens, Johannem tenuiſſe rectum factæ rei ordinem, narrando, Chriſto jam mortuo, quod unus militum lancea latus ejus aperuit. Lege Clementinam 1. & ejus gloſſam. v. 55. Ἦσαν δὲ ἐκεῖ γυναῖκες] Exemplaria 6. & 8. interjiciunt conjunctionem καὶ γυναῖκες, *& mulieres*, quæ videtur eſſe Evangelii ſecundum Marcum, cap. 15. verſ. 40. v. 56. ἡ τοῦ Ἰακώβου καὶ Ἰωσῆ μήτηρ] Pro Ἰωσῆ, quod legitur etiam Syriace, quædam exemplaria Græca ſcribunt Ἰωσὴφ, quemadmodum Latina editio *Joſeph*. Origenes tractator Græcus etiam legit Ἰωσὴφ, quod Commentarius ejus loquitur, niſi fuerit ab Interprete auctus. Alii Græci tractatores, ut plerique omnes Græci libri, Ἰωσῆς ſcribunt, Epiphanius in hæreſim 78. Theophylactus, Euthymius, atque adeo Latinus Hieronymus libri adverſus Helvidium capitibus 6. & 7. non ſemel. v. 64. οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ νυκτὸς] Vocem νυκτὸς alia exemplaria omittunt, cum Latina; alii addunt, cum Syriaca editione.

CAP. XXVIII. V. 2. ἀπὸ τῆς θύρας] Hoc, nec quid amplius, legunt Græci plerique omnes codices, Syro adſtipulante. Sed exemplaria 5. 6. 8. & 9. addunt τοῦ μνημείου. Latinus nullum agnoſcit horum omnium verborum. v. 6. ἠγέρθη γάρ, καθὼς εἶπε] Non addas ὑμῖν, quod eſt in 14. exemplari. v. 8. ἔδραμον ἀπαγγεῖλαι τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ]. Sequitur in Regio & pleriſque omnibus codicibus ὡς δὲ ἐπορεύοντο ἀπαγγεῖλαι τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, *Ut autem ibant nuntiatum diſcipulis ejus:* quod quanquam etiam apud Theophylactum & Euthymium legatur, non dubito tamen quin ſit omittendum. Inprimis enim, Interpres Latinus & Syrus id non legerunt, ut neque Latine neque Syriace additur. Deinde, non tantum Latini Patres omittunt, verumetiam Chryſoſtomus, cujus hic eſt Commentarius: *Cum etiam exiviſſent cum timore & gaudio, & ecce Jeſus occurrit illis* &c. Ad hæc Pariſienſes ex 2. exemplari transfigunt illa verba ἀπαγγεῖλαι τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, & forte obeliſcus quo transfigunt, errore delapſus eſt in hæc poſteriora verba, cum eſſet collocandus ante ὡς δὲ ἐπορεύοντο, ita ut omnia complecteretur. Præterea, his ſublatis manet integra ſententia, additis autem dure cohærent ſequentia καὶ ἰδοὺ ὁ Ἰησοῦς &c. quanquam ſimilis loquendi modus inveniatur ſupra. 9. v. 10. & frequenter apud Lucam. Poſtremo, videntur addita hæc verba, ab iis qui intellexerunt, occurſum Jeſu, de quo loquitur verſus 9. ſubſequens, accidiſſe, cum mulieres irent nuntiatum diſcipulis ea de quibus hactenus hoc capite actum eſt: quod verum non eſſe, Commentarius noſter oſtendit. v. 10. ἀπαγγείλατε τοῖς ἀδελφοῖς μου] Cave pro ἀδελφοῖς *fratribus* ſcribas μαθηταῖς *diſcipulis*. v. 12. ἀργύρια ἱκανὰ ἔδωκαν τοῖς στρατιώταις] Pro pluralibus ἀργύρια ἱκανὰ, ſecundus codex ſcribit ſingulari ἀργύριον ἱκανὸν, quo modo videri poſſit & Latinus interpres legiſſe. v. 13. ἡμῶν κοιμωμένων] Non eſt legendum ſecundæ perſonæ pronomen ὑμῶν, quod eſt in quibuſdam libris, pro primæ ἡμῶν, quod eſt in pleriſque omnibus: quia etiam Latina primæ perſonæ pronomen ſervant, & præſertim Syrus, apud quem non eſt tam facilis lapſus ex uno in aliud quam apud Latinos & Græcos. v. 19. πορευθέντες οὖν μαθητεύσατε] Manuſcripta Pariſienſium omittunt conjunctionem οὖν. Atqui alii libri, ſuffragantibus Interpretibus Latino & Syro, illam legunt.

Notæ ad Varias Lectiones Editionis Græcæ Evangelii ſecundum MARCUM.

CAP. I.

VErſ. 2. ὡς γέγραπται ἐν τοῖς προφήταις] Pariſienſium codices, octavus, &, cui conſonat noſter ad Vaticanum collatus, ſecundus, pro ἐν τοῖς προφήταις, legunt ἐν Ἠσαΐᾳ τῷ προφήτῃ. Sic quoque legunt Evangelium Latinum, exemplaribus mire inter ſe concordibus, & editio Syriaca. Sic Latini tractatores omnes, cum recentioribus veteres, nominatim Hieronymus, & alii a nobis citati in Notationibus prolixioribus. Sic inter Græcos, Auctor homiliarum in Marcum, Chryſoſtomo adſcriptarum. Denique, niſi ſic Græce legiſſet Porphyrius, rem in calumniam vertere non potuiſſet. Quare quod in pleriſque hodie Græcis libris exſtat ἐν τοῖς προφήταις *in prophetis*, & ſequuntur enarratores Græci ætate poſteriores Theophylactus & Euthymius, certum eſt de induſtria eſſe ſuppoſitum, ad vitandam difficultatem, quæ ex germana lectione ἐν Ἠσαΐᾳ τῷ προφήτῃ *in Iſaia propheta*, oritur. v. 5. καὶ οἱ ἱεροσολυμῖται, καὶ ἐβαπτίζοντο πάντες] Exemplar octavum jungit πάντες *omnes* cum οἱ ἱεροσολυμῖται, quemadmodum Latina & Syra. v. 7. τῶν ὑποδημάτων αὐτοῦ] Non eſt legendum, quod in 5. & 8. libris eſt, τοῦ ὑποδήματος numero ſingulari. v. 8. ἐγὼ μὲν ἐβάπτισα] Sic lege, tametſi in ſecundo codice ſit præſens βαπτίζω, quo non male ſignificetur, in media actione hæc a Johanne eſſe dicta. In fine verſus non addas καὶ πυρί, nec etiam eſt hujus Evangeliſtæ. v. 10. σχιζομένους τοὺς οὐρανοὺς] In 2. exemplari, pro σχιζομένους, eſt ἠνοιγμένους *apertos*, quo modo Latine ad verbum. v. 11. ἐν ᾧ εὐδόκησα] Ex Pariſienſium manuſcriptis 3. 4. & 8. ſuffragantibus Evangelio Latino & editione Syriaca, legendum credo ἐν σοὶ, potius quam quod eſt in aliis codicibus ἐν ᾧ, perſona mutata. v. 12. καὶ εὐθὺς τὸ πνεῦμα] Codex ſecundus addit τὸ ἅγιον explicationis ergo. v. 13. καὶ ἦν ἐκεῖ ἐν τῇ ἐρήμῳ] Codex tertius aufert ἐν τῇ ἐρήμῳ, alius ἐκεῖ: videtur enim alterum ſupereſſe. Latine non legitur ἐκεῖ *illic*: at Syriace utrumque exſtat, ut in pleriſque libris Græce. ibid. ἡμέρας τεσσαράκοντα] Octavus codex addit καὶ νύκτας τεσσαράκοντα cum textu Latino. v. 16. περιπατῶν δὲ παρὰ τὴν θάλασσαν] In exemplaribus ſecundo & tertio legitur καὶ παράγων παρὰ, quomodo Latine *& præteriens ſecus*. ib. τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ τοῦ Σίμωνος] Omnia Pariſienſium exemplaria, & ex eorum uno, Complutenſi inquam, Regia editio, ſic legunt; addunt τοῦ Σίμωνος, vitandæ amphibologiæ cauſa: id quod tamen, cum aliis Græcis libris, Latini & Syrici non agnoſcunt. ib. βάλλοντας ἀμφίβληστρον. Exemplaria 2. 4. 8. pro βάλλοντας habent ἀμφιβάλλοντας, quaſi dicas *circumponentes*, vel *circumjicientes*, Rurſus 8. ſcribit plurali numero ἀμφίβληστρα, quemadmodum eo numero latine legitur *retia*. v. 19. καταρτίζοντας τὰ δίκτυα] Secundus codex & tertius addunt αὐτῶν cum Syro: quod alii codices cum Latino non agnoſcunt.. v. 20. ἀπῆλθον ὀπίσω αὐτοῦ] Hujus loco idem ille ſecundus codex ſcribit, ut eſt latine, ἠκολούθησαν αὐτῷ *ſequuti ſunt eum*. v. 22. καὶ ἐξεπλήσσοντο] Non addas πάντες, quod exemplar quintum. v. 24. οἶδά σε τίς εἶ] Octavum exemplar, pro ſingulari οἶδα, ſcribit plurale οἴδαμεν, contra aliorum fidem. v. 29. ἐξελθόντες ἦλθον] Sic legunt exemplaria pleraque omnia, conſonantibus Latinis & Syris. Secuncundum & quintum, cum Euthymii textu, ſcribunt numero ſingulari ἐξελθὼν ἦλθεν *egreſſus venit*: quod quidem ſuppoſitum arbitror, quia proxime de ſolo Chriſto præcedat mentio. Atqui reſpicitur ad ſuperiora. v. 11. *Et ingrediuntur in Capharnaum*. v. 33. πρὸς τὴν θύραν. Quod additur in ſecundo codice, αὐτοῦ, nuſquam alibi lego. v. 34. ὅτι ᾔδεισαν αὐτὸν] Addunt codices ι. ς. η. θ. Χριστὸν εἶναι, quod nec Latine nec Syriace legitur, ut neque in emendatioribus Græcis. Puto ex Luca huc eſſe a quibuſdam tranſlatum. Luc. 4. v. 41. v. 35. καὶ ἀπῆλθεν Ἰησοῦς] nomen Ἰησοῦς omittitur a Latinis & Syricis libris, græco Euthymii textu adſtipulante. v. 36. καὶ κατεδίωξαν] Ita legitur, numero plurali, in pleriſque omnibus libris, ſuffragante Græco Euthymii textu, necnon Syrico. In quibuſdam eſt κατεδίωξεν, numero ſingulari, Latino ſuffragante. v. 38. εἰς τὰς ἐχομένας κωμοπόλεις] Ita Græce legitur, Euthymio explicante. Porro ſecundum exemplar habet εἰς τὰς ἐγγὺς κώμας καὶ εἰς τὰς πόλεις· ſed jamdiu diſcimus, exemplar illud, pro audacis ſcribæ arbitrio, diſcrepare frequenter a cæteris, & fere quidem ad Latinam editionem mutatum: quanquam ſi hoc voluit ille hoc loco, non tanta opus fuerat mutatione, ſed una ſolum voce in duas diſtracta. εἰς τὰς ἐχομένας κώμας καὶ πόλεις (*in proximos*, habet Interpres *vicos & civitates*) quo modo & Syrus legiſſe videtur, qui eodem modo vertit quo Latinus. ib. εἰς τοῦτο γὰρ ἐξελήλυθα] Sic eſt in pleriſque omnibus Græcis exemplaribus & Euthymii textu, quod eſt, *in hoc enim egreſſus ſum*. Tertius codex habet ἐλήλυθα *veni*: quomodo veriſimile eſt legiſſe interpretes Latinum & Syrum, qui vertunt: *Ad hoc enim veni*. v. 40. ὅτι ἐὰν θέλῃς] Octavus codex pro ὅτι legit κύριε, quod Matthæi eſt. v. 42. καὶ εἰπόντος αὐτοῦ] Sic plerique Græcorum codicum, cum Latina editione. Porro β. & η. omitttunt εἰπόντος αὐτοῦ cum textu Syrico. v. 44. ὅρα μηδενὶ εἴπειν] Multi Græci codices addunt alterum μηδὲν, Atticiſmo a Latino idiomate alieno, quo duæ negationes magis negant. Verum in Complutenſi eiſque quæ ex ea ſunt editionibus, & octavo Pariſienſium exemplari, μηδὲν non eſt adſcriptum.

CAP. II. V. 1. ὅτι εἰς οἶκόν ἐστι] Quod in 8. codice legitur ἐν οἴκῳ, expoſitio eſt veræ lectionis. V. 4. καὶ μὴ δυνάμενοι προσεγγίσαι αὐτῷ] Sic legit etiam Syrus: *Et cum non poſſent appropinquare ei*. Porro in 8. codice, pro προσεγγίσαι eſt προσενέγκαι *offerre*, quomodo legit Interpres Latinus. v. 8. ὅτι οὕτως αὐτοὶ διαλογίζονται] Non eſt omittendum αὐτοί. v. 9. ἀφέωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι] Ita eſt & Latine. Porro in quinque exemplaribus eſt σοῦ *tua* pro σοὶ *tibi*. Syriace eſt utrumque. v. 14. εἶδεν λευΐν] Quidam codices ſcribunt λευῒ, alii λευὶ, optimi λευΐν. Idem unum eſt nomen, quod arbitror, ab his declinatum, illis ἄκλιτον. v. 15. καὶ ἠκολούθησαν αὐτῷ] Octavus codex utitur præterito imperfecto ἠκολούθουν, ut Latina editio. v. 16. τί ὅτι μετὰ τῶν τελωνῶν] Secundus codex ſcribit διατί *quare*, ut Latinus, pro τί ὅτι *quid quod*. ib. ἐσθίει καὶ πίνει] Addit octavus codex ὁ διδάσκαλος ὑμῶν, ut fere Latini *magiſter veſter*. vide Latinas varietates. v. 17. οὐκ ἦλθον καλέσαι] Rurſus in 8. codice eſt, ut Latine, οὐ γὰρ ἦλθον. ib. ἀλλὰ ἁμαρτωλοὺς] Subdunt plerique libri εἰς μετάνοιαν, ſuffragantibus Theophylacto atque Euthymio: id quod 2. & 8. non legunt, uti nec Latine aut Syriace legitur, quod eſt argumentum, nec Interpretes Latinum & Syrum id olim Græce legiſſe. vide Matthæum. v. 21. καὶ οὐδεὶς ἐπίβλημα] A quinque exemplaribus, Latino ac Syro conformiter, omittitur conjunctio καὶ, quæ ab aliiis præponitur minus ſcite. v. 23. καὶ ἐγένετο παραπορεύεσθαι αὐτὸν] Secundus codex, ut Latino rurſus conſonet, addit πάλιν *iterum*; quidam alii addunt ἐν τῷ παραπορεύεσθαι; quod quidem optime congruit ei quod Latinus & Syrus dederunt *cum ambularet*. v. 24. ἴδε τί ποιοῦσιν] Iterum 2. exemplar cum Latinis addit οἱ μαθηταί σου. quanquam in Latinis varietas ſit.

CAP. III. V. 4. ἢ ἀποκτεῖναι] Quidam annotat, in duobus exemplaribus legi ἢ ἀπολέσαι· quæ lectio Latino Syroque conſentanea ſit, & quidem melior, Commentarii noſtri judicio. v. 7. καὶ πολὺ πλῆθος] Secundum exemplar πολὺς ὄχλος, ut Latine. ib. ἠκολούθησαν αὐτῷ. Primum, 4. & 8. exemplaria habent numero ſingulari ἠκολούθησεν, ut Interpres Latinus, *ſequuta eſt*. v. 11. ὅτι σὺ εἶ ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ] Quintus codex addit ἅγιος, quod eſt aliunde huc adſcitum. v. 16. καὶ ἐπέθηκε τῷ Σίμωνι] Ante hæc verba habent nonnulli codices πρῶτον Σίμωνα, probabiliter admodum, qua de re lege Commentarium. v. 17. βοανεργὲς] Legendum forte tranſpoſitis literis βοναρεγὲς, de quo lege Notationes; vel potius, expuncta o litera βανεργὲς, de quo Commentarium. v. 27. οὐδεὶς δύναται] Octavus codex præponit ἀλλὰ, id quod explicationis cauſa videtur adjectum, cum alibi non legatur. ib. καὶ τότε τὴν οἰκίαν αὐτοῦ διαρπάσει] In quibuſdam libris, pro futuro Indicativi, eſt Conjunctivus διαρπάσῃ, qui Græco ſermoni aptius convenit, quam Hebraico, quem Evangeliſta videtur imitatus. v. 29. αἰωνίου κρίσεως] Sic legit etiam Syrus. Secundus Codex, pro κρίσεως, habet ἁμαρτίας, ut Latinus. v. 31. ἔρχονται οὖν] In quibuſdam libris impreſſis eſt καὶ ἔρχονται, ut Latine *& veniunt*. ib. οἱ ἀδελφοὶ καὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ. Rurſus eſt in quibuſdam impreſſis codicibus, verſo ordine, ἡ μήτηρ αὐτοῦ καὶ οἱ ἀδελφοί, ut Latine & Syriace. v. 32. εἶπον δὲ αὐτῷ] In uno codice ſcriptum invenitur καὶ λέγουσιν αὐτῷ Latino conformiter. ib. καὶ οἱ ἀδελφοί σου] Quinque Pariſienſium codices, cum Regia editione, addunt καὶ αἱ ἀδελφαί σου· quod ut non Latine, ita nec Syriace legitur, nec addendum proinde eſt Græce, v. 33. ἢ οἱ ἀδελφοί μου] Quartum & 8. Pariſientium exemplaria, conſonantia Latino & Syro, habent καὶ *&* pro ἢ *aut*. v. 34. καὶ περιβλεψάμενος κύκλῳ τοὺς περὶ αὐτὸν καθημένους] Ita legunt Regius & meliores libri. Quidam habent καὶ περιβλεψάμενος τοὺς κύκλῳ περὶ αὐτὸν μαθητὰς καθημένους· quomodo legiſſe videntur Interpretes Latinus & Syrus (præpoſito inquam articulo τοὺς adverbio κύκλῳ) niſi quod μαθητὰς cum prioribus libris omiſerint.

CAP. IV. V. 4. καὶ ἦλθε τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ] Non videtur addendum τοῦ οὐρανοῦ, quod ut quatuor Pariſienſium libri non agnoſcunt, ita nec Interpres Syrus. Latini libri ſimiliter variant, ſed videtur illud Lucæ proprium eſſe. v. 8. καὶ ἔφερεν, ἓν τριάκοντα, καὶ ἓν ἑξήκοντα, καὶ ἓν] Manuſcripta Pariſienſium ſcribunt ἐν tertio hic repetitum, non aſpero ſpiritu, ita ut ſignificet *unum*, quomodo vertit Latinus, ſed leni, ita ut ſit præpoſitio. Vide Commentarium. v. 9. καὶ ἔλεγεν] Non addas αὐτοῖς, quod quidam. v. 15. ὅπου σπείρεται] Ita eſt & Latine, *ubi ſeminatur*: quare loci ſenſus eſt, quod in ς. legitur, οἷς pro ὅπου. v. 18. καὶ οὗτοί εἰσιν] In 8. codice eſt καὶ ἄλλοι εἰσίν, ut Latine. Quod autem mox repetitur οὗτοί εἰσιν, codices δ. ε. ζ. θ. omittunt, Latine agnitum. Vide Commentarium. V. 21. μήτι ὁ λύχνος ἔρχεται] Ut non eſt his verbis præponenda vox ἴδετε, ita pro ἔρχεται non eſt legendum ἅπτεται, quod eſt in 2. exemplari, nec καίεται, quod eſt in alio, nec denique ἥκεται. Sunt hæc, partim ex ſimilibus locis, partim ex conjecturis accepta. v. 22. ὁ ἐὰν μὴ φανερωθῇ] Non legas εἰ μὴ ἵνα φανερωθῇ. v. 24. 25. βλέπετε τί ἀκούετε· ἐν ᾧ μέτρῳ μετρεῖτε, μετρηθήσεται ὑμῖν, καὶ προστεθήσεται ὑμῖν τοῖς ἀκούουσιν. ὃς γὰρ ἂν ἔχῃ, δοθήσεται αὐτῷ· καὶ ὃς οὐκ ἔχει, ἀρθήσεται ἀπ' αὐτοῦ] Sic legunt Regius & optimi quique libri, conſpirantibus Latinis & Syricis, & faventibus Theophylacti atque Euthymii enarrationibus. Porro quidam libri invertunt ordinem, & repetunt quædam, hoc pacto, βλέπετε τί ἀκούετε, καὶ προστεθήσεται ὑμῖν τοῖς ἀκούουσιν. ὃς ἔχει γὰρ, δοθήσεται αὐτῷ· καὶ ὃς οὐκ ἔχει, καὶ ὃ ἔχει ἀρθήσεται ἀπ' αὐτοῦ. ἐν ᾧ μέτρῳ μετρεῖτε, μετρηθήσεται ὑμῖν τοῖς ἀκούουσι, καὶ προστεθήσεται ὑμῖν· haud recte, meo judicio. v. 24. μετρηθήσεται ὑμῖν] In exemplaribus quinto & nono legitur ἀντιμετρηθήσεται, quod Matthæi eſt cap. 7. v. 2. ib. καὶ προστεθήσεται ὑμῖν τοῖς ἀκούουσιν] Deerant hæc verba in 2. exemplari, ut deſunt in quibuſdam Latinis libris, nec a Theophylacti expoſitione attinguntur. Cæterum ut in pleriſque & Græcis & Latinis libris exſtant, ita & in Syricis, Euthymii enarratione ſuffragante: niſi quod participium illud τοῖς ἀκούουσιν, nec Latine legatur, nec ab Euthymio tractetur. v. 30. τίνι ὁμοιώσωμεν τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ, ἢ ἐν ποίᾳ παραβολῇ παραβάλωμεν αὐτήν] Exemplaria 6. & 8. pro τίνι, legunt πῶς, & pro ποίᾳ ſcribunt τίνι, quæ non ſunt magni momenti. Pluris refert, quod pro conjunctivis legantur futuri indicativi, in 4. exemplari ὁμοιώσομεν, in primo παραβαλοῦμεν· qua de re lege Commentarium. v. 31. ὡς κόκκῳ σινάπεως] Sex Pariſienſium exemplaria 1. 2. 5. 6. 7. 8. legunt quarto caſu ὡς κόκκον. v. 34. οὐκ ἐλάλει αὐτοῖς] Superfluit quod in 6. exemplari repetitur τὸν λόγον. v. 36. καὶ ἄλλα δὲ πλοιάρια ἦν μετ' αὐτοῦ] Codices ſextus & nonus legunt πλοῖα, quemadmodum Latine eſt *naves*. v. 37. ὥστε αὐτὸ ἤδη γεμίζεσθαι] In ſexto codice eſt βυθίζεσθαι, quod eſt in profundum iret ſive mergeretur. v. 40. τί δειλοί ἐστε οὕτω; πῶς οὐκ ἔχετε πίστιν;] Ita legunt Græci & Syrici codices, Euthymio manifeſte ſuffragante; quod eſt: *Quid timidi eſtis adeo? quomodo non habetis fidem?* Latinus loco trium vocularum οὕτω, πῶς οὐκ, unicam habet οὔπω *nondum*, quo modo legitur in 2. & 8. Græcanicis exemplaribus.

CAP. V. V. 1. καὶ ἦλθον εἰς τὸ πέραν] Ita eſt & Latine, *venerunt*. Octavum porro & nonum exemplaria legunt numero ſingulari ἦλθεν *venit*, conformiter Syro. ib. εἰς τὴν χώραν τῶν Γαδαρηνῶν] Ita Græca pleraque omnia exemplaria, cum hic apud Marcum, tum apud Lucam cap. 8 v. 26. ſcribunt, Γαδαρηνῶν *Gadarenorum*: quo modo Syrus ſecundum tres ipſos Evangeliſtas uniformiter & conſtanter habet. In 8. & 9. Græcis exemplaribus, hic ſecundum Marcum eſt, Γεργεσηνῶν *Gergeſenorum*: quam lectionem hic eſſe probatiorum librorum, annotant, Victor Antiochenus, Theophylactus, & is cujus ſcholia Euthymii ſcholiis admiſta ſunt: nam ſecundum Matthæum cap. 8. v. 28. Græci libri conſtanter id legunt. Porro ſecundus Græcorum codicum hic apud Marcum Γερασηνῶν ſcribit: quo modo apud omnes Evangeliſtas in Latinis omnibus conformiter eſt, *Geraſenorum*: quanquam mutatum opinor Græcum iſtum ad Latinos, uti alias frequenter. Adducor autem ut credam, Matthæum Γεργεσηνῶν *Gergeſenorum* dixiſſe; Marcum & Lucam (qui in deſcribendis hiſtoriis ſibi mutuo fere conſonant) Γαδαρηνῶν *Gadarenorum*; denique Latinum Interpretem ubique dediſſe *Geraſenorum*. Quibus tribus nominibus eandem regionem ſignificari exiſtimo, ſitam trans Jordanem, in tribu Manaſſe, antiquitus a Gergeſæis habitatam, quam Strabo Gadaridem vocat. Lege noſtrum in Matthæum Commentarium. v. 2. καὶ ἐξελθόντι αὐτῷ] Hæc recepta eſt lectio, conformis Latinæ: *Et exeunti ei.* Codices 6. & 8. habent καὶ ἐξελθόντος αὐτοῦ *& egreſſo eo*, quibus favet Syrus; 2. ſcribit καὶ ἐξελθόντων αὐτῶν *& egreſſis illis*. Pluralem numerum alibi niſi in hoc uno non lego. v. 3. ἐν τοῖς μνήμασι] Ita eſt in melioribus libris, pro eo quod in aliis μνημείοις, quamquam idem unum ſit. ib. καὶ οὔτε ἁλύσεσιν] Subdit exemplar 8. οὐκέτι. *Et neque catenis amplius*: id quod alibi non lego, niſi forte reſpondeat ei quæ Latine eſt voculæ *jam*. v. 5. ἐν τοῖς μνήμασι καὶ ἐν τοῖς ὄρεσιν ἦν] Hoc ordine legunt Regia Biblia & qui ex illis ſunt rivuli, quo etiam eſt Latine & Syriace: Nam alii Græci codices invertunt ordinem, ἐν τοῖς ὄρεσι καὶ ἐν τοῖς μνήμασιν ἦν. v. 11. ἦν δὲ ἐκεῖ πρὸς τὸ ὄρει] Sic legunt Complutenſia & quæ ex illis ſunt Biblia, ſic omnia Pariſienſium manuſcripta, ſic Euthymii textus, ſic denique editiones Latina & Syriaca, πρὸς τῷ ὄρει *ad montem*, numero ſingulari: quanquam vox Syra addito uno apiculo fiat pluralis. Quare melius eſt illud quam quod in aliis libris legitur plurali numero πρὸς τὰ ὄρη *ad montes*: tametſi erat tota hæc regio maxima ex parte aſpera, intercurſantibus montibus Galaad. ib. βοσκομένη] Ita eſt & Latine, referturque ad ἀγέλη· βοσκομένων, quod eſt in 8. codice, ad χοίρων. v. 12. καὶ παρεκάλεσαν αὐτὸν] In tertio codice eſt præterito imperfecto παρεκάλουν, quomodo Latine & Syriace. ib. πάντες οἱ δαίμονες] Ex 3. 8. & 9. Pariſienſium exemplaribus, conformibus editioni Latinæ & Syriacæ, videtur omittendum πάντες. v. 13. ἦσαν γὰρ ὡς δισχίλιοι] In codice Regio & qui ex eo ſunt, legitur ἦσαν γάρ, in aliis rectius ἦσαν δέ. Veriſimile eſt autem utrumque adjectitium eſſe, ubi nec Latinus nec Syrus aliud legere, quam ὡς δισχίλιοι. v. 14. οἱ δὲ βόσκοντες τοὺς χοίρους] Ita in omnibus pene legitur libris. In uno octavo, Latino & Syro conformiter, eſt αὐτοὺς *eos*, pro τοὺς χοίρους *porcos*, aptius; quod mihi quidem videtur. v. 15. καὶ σωφρονοῦντα τὸν ἐσχηκότα τὸν λεγεῶνα] Secundum exemplar omittit hæc verba τὸν ἐσχηκότα τὸν λεγεῶνα, Latinæ editioni accommodatum, veriſimile eſt. v. 18. καὶ ἐμβάντος αὐτοῦ] Ex 3. 6. & 8. exemplaribus, Latinæ editioni conſonantibus, legendum potius videtur præſens ἐμβαίνοντος. v. 33. ἵνα ἐλθὼν ἐπιθῇς] Secundus codex præponit ἐλθέ, male imitatus textum Latinum: qua ratione & mox ſcribit ζήσῃ pro ζήσεται.

CAP. VI. V. 2. καὶ πολλοὶ ἀκούοντες ἐξεπλήσσοντο] Præſenti tempore ἀκούοντες legitur etiam Latine: tria autem exemplaria aoriſtum ἀκούσαντες habent: qua ratione & Syrus præterito utitur. Porro ſecundum exemplar adjicit ſuperioribus verbis ἐπὶ τῇ διδαχῇ αὐτοῦ, quo conſonet editioni Latinæ, ubi ſimiliter additur *in doctrina ejus*. ib. καὶ δυνάμεις τοιαῦται διὰ τῶν χειρῶν αὐτοῦ γίνονται; Ita legit Regia editio, quo modo & legiſſe videtur Latinus Interpres. Alii libri præponunt ὅτι, tertius & ſeptimus, præpoſito ἵνα ſcribunt ſubjunctivo modo γίνωνται. vide Commentarium. v. 3. οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ τέκτων, ὁ υἱὸς Μαρίας] Quidam annotat in antiquis aliquot libris legi οὐκ οὗτός ἐστιν ὁ τοῦ τέκτονος υἱὸς καὶ Μαρίας; *Nonne hic eſt ille fabri filius & Mariæ?* id quod ego quidem nuſquam invenio, ut non Græce, ita nec Latine aut Syriace, refragantibus & veteribus tractatoribus; & ſi quidem uſquam inveniatur, veriſimile eſt emendationem eſſe imperiti Lectoris, perſuaſi artem fabrilem non potuiſſe decere Chriſti Majeſtatem. ib. καὶ οὐκ εἰσὶν αἱ ἀδελφαὶ αὐτοῦ] Sequitur in 5. codice πᾶσαι, quod ex Matthæo huc eſſe aſſutum videtur. v. 7. καὶ προσκαλεῖται τοὺς δώδεκα] Non addas μαθητὰς αὐτοῦ, quod exemplar quintum. v. 9. καὶ μὴ ἐνδύσησθε δύο χιτῶνας] Exemplaria ſextum & octavum legunt ἐνδεδύσθαι, quibus favent Latina & Syra. Plerique vero libri, pro modo infinito, legunt imperativum ἐνδύσησθε *induamini*, qui durius hæret. v. 11. ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἀνεκτότερον ἔσται Σοδόμοις ἢ Γομόρροις ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως, ἢ τῇ πόλει ἐκείνῃ] Hunc verſiculum omittunt Græci codices 2. & 8. quorum teſtimonium, ſi non tam ſtudioſe faverent editioni Latinæ quam faciunt, multum valere poſſit ad adſtruendam ſententiam illorum, qui putant hunc verſiculum, Græce Marco ex aliis Evangeliſtis adjectum eſſe. v. 14. ὁ βασιλεὺς Ἡρώδης] Sequitur in 6. codice τὴν ἀκοὴν Ἰησοῦ, id quod Matthæi eſt cap. 14. v. 1. ib. Ἰωάννης ὁ βαπτίζων] Quartum exemplar legit ὁ βαπτιστὴς pro βαπτίζων: ſed eſt participium nominis loco poſitum, more Hebræo, quod facile intellexerunt Interpretes. v. 15. ὡς εἷς τῶν προφητῶν] Alii libri præponunt conjunctionem ἢ *aut*, ut ſit hæc ſententia: Alios dixiſſe, Jeſum eſſe prophetam novum a Deo miſſum, vel certe unum aliquem ex veteribus illis prophetis, qui reſurrexerit: quaſi cunctabundi præ admiratione non ſatis noſſent utrum pronuntiare de Jeſu deberent, novuſne eſſet propheta, an unus ex antiquis redivivus. Latine & Syriace non legitur disjunctiva illa: quo modo Marci narratio, reſpondet ipſius Lucæ narrationi cap. 9. v. 8. v. 20. καὶ ἀκούσας αὐτοῦ] Melius ἀκούσας *audito eo*, quam id quod in ſeptimo exemplari eſt ἀκούων *audiens eum*. ib. πολλὰ ἐποίει] Quæ eſt recepta lectio, conſonat Latino & Syro: nam ſingularis eſt illa, quæ eſt in 8. codice, πολλὰ ἠπόρει *multum hæſitabat*. v. 22. τῆς θυγατρὸς αὐτῆς τῆς Ἡρωδιάδος] Nullo modo pro αὐτῆς legendum eſt αὐτοῦ, quod eſt in 8. codice: nec enim, aut Herodis fuit filia, aut Herodias appellata. v. 25. ἵνα μοι δῷς ἐξαυτῆς] Non eſt omittendum, quod omittunt codices 2. & 4. ἐξαυτῆς, tum quia Latine & Syriace legitur, tum quia eſt ejus loco quod Matthæus habet ὧδε, denique quia emphaſin habet conformem menti ſaltatricis. v. 26. γενόμενος ὁ βασιλεὺς] Superfluit quod ſubditur in 2. exemplari ὡς ἤκουσε *ut audivit*. v. 31. δεῦτε ὑμεῖς αὐτοὶ κατ' ἰδίαν εἰς] Quod eſt in 2. exemplari δεῦτε ὑπάγωμεν εἰς, Syro conſonat. v. 33. καὶ εἶδον αὐτοὺς ὑπάγοντας] Superfluit quod in codicibus quibuſdam ſequitur οἱ ὄχλοι *turbæ*. ibid. καὶ ἐπέγνωσαν αὐτὸν πολλοὶ] Exemplaria 3. 6. 8. & 9. legunt αὐτοὺς *eos*, pro αὐτὸν *eum*, quibus Syricum Evangelium adſtipulatur. Vide Commentarium. ibid. καὶ προῆλθον αὐτοὺς, καὶ ἦλθον πρὸς αὐτὸν] Varia eſt admodum pericopes iſtius lectio, atque adeo veriſimile eſt totam adjectitiam eſſe. Latinus omnino non legit poſteriorem partem: & quidem variant ii a quibus legitur. Nonnulli enim ἦλθον *venerunt*, alii συνῆλθον *convenerunt*, quidam πρὸς αὐτὸν *ad eum*, quidam αὐτοῦ *eo* ſcribunt. Priorem partem omnino non habuit Thomas Cajetanus Græce. Neutram denique agnoſcit Interpres Syrus, ut & Euthymius Græcanicus Scholiaſtes. Quocirca adducor ut credam, additum primo fuiſſe ab aliquo, Commentarii loco, καὶ προῆλθον αὐτοὺς, id quod tandem in textum irrepſerit. Hujus difficultatem cum alii animadverterent, mutaſſe cum ἦλθον ſeu συνῆλθον πρὸς αὐτόν. Poſtremo ab aliis utrumque conjunctum fuiſſe: id quod tandem invaluerit. v. 36. εἰς τοὺς κύκλῳ ἀγροὺς] In ſecundo exemplari eſt ἔγγιστα pro κύκλῳ· id quod Latinæ editioni reſpondet, legenti *proximas*. ibid. ἀγοράσωσιν ἑαυτοῖς ἄρτους· τί γὰρ φάγωσιν οὐκ ἔχουσι. In 8. codice horum loco eſt ἀγοράσωσιν ἑαυτοῖς τί φάγωσι, proxime editioni Latinæ. v. 37. ἀγοράσωμεν. δῶμεν] Euthymii textus habet ἀγοράσομεν *ememus*, δώσομεν *dabimus*. Syrus quoque futuris utitur, ſed quæ utroque modo verti poſſint. v. 52. ἦν γὰρ ἡ καρδία] Exemplaria β. ς. & η. legunt ἀλλ' ἦν ἡ καρδία. Atqui priori lectioni Latina Syraque adſtipulantur. v. 53. Γεννησαρὲτ] ſive per unicum ν ſive per duplex ſcribas, licet. v. 54. ἐπιγνόντες αὐτὸν] Addit codex nonus οἱ ἄνδρες τοῦ τόπου *ejus loci viri*. & quidem Latini libri cum aliis Græcis non legunt, viderique proinde poſſit ex Matthæo illud huc eſſe adjectum, niſi & Syrus hic legeret, & eo addito mollior eſſet hujus loci participiorum junctura. v. 56. ἐν ταῖς ἀγοραῖς] Secundum exemplar legit ἐν ταῖς πλατείαις, qua voce Latinus utitur. ib. ὅσοι ἂν ἥπτοντο] In ſecundo & octavo codicibus eſt pro imperfecto aoriſtus ἥψαντο.

CAP. VII. V. 4. καὶ ἀπὸ ἀγορᾶς] Addit exemplar ſecundum, ὅταν ἔλθωσιν, ſequutum errorem plerorumque Latinorum codicum. Vide Latinas varietates. v. 5. ἔπειτα ἐπερωτῶσιν] In ſecundo & octavo eſt καὶ ἐπερωτῶσι, quo modo & Latine, necnon Syriace. ibid. ἀλλὰ ἀνίπτοις] Secundus codex habet ἀλλὰ κοιναῖς, ut eſt Latine. v. 14. πάντα τὸν ὄχλον] Exemplaria 2. & 8. pro πάντα legunt πάλιν, quo modo Latinus Interpres legiſſe videtur. Syrus πάντα. ibid. ἀκούετέ μου πάντες] Non eſt omittendum πάντες, quod omittitur ab ε. & η. v. 18. 19. οὐ νοεῖτε] Non eſt legendum οὔπω νοεῖτε, nec ver. proximo ἐκβάλλεται pro ἐκπορεύεται, quæ Matthæi ſunt. v. 22. ἀσέλγειαι] Ita legimus numero multitudinis ex α. δ. θ. exemplaribus, quibus Græca Regis editio & textus Latinus conſonant. In aliis eſt ſingulari numero ἀσέλγεια. v. 24. εἰς τὰ μεθόρια] Non eſt legendum ὅρια, ut eſt in 8. codice, quanquam Latine ſit *fines*. v. 25. ἀκούσασα γὰρ] Octavus codex addit εὐθὺς (tametſi cum conjunctione ἀλλά, ἀλλ' εὐθὺς ἀκούσασα) quod conforme eſt tam Syro quam Latino. v. 26. Σύρα φοινίκισσα] Ita eſt, ut in Regiis Bibliis, ſic & apud Euthymium. In quibuſdam eſt Σύρα φοίνισσα. In multis unica dictione Συροφοίνισσα aut Συροφοινίκισσα. Sed præferendum videtur συροφοίνισσα, quod etiam Latinus dedit, cum Juſtinus Martyr, Dialogo cum Tryphone habito, & Tertullianus libro adverſus Marcionem tertio, regionis Syrophœnices meminerint. v. 31. ἐκ τῶν ὁρίων Τύρου καὶ Σιδῶνος, ἦλθε] Pariſienſium codices 2. & 8. legunt ἐκ τῶν ὁρίων Τύρου ἦλθε διὰ Σιδῶνος *ex finibus Tyri venit per Sidonem*, quemadmodum eſt Latine. Atqui multum vereor ne ex Latina editione mutati ſint: libenter enim illi conſonant contra alios omnes, id quod hactenus ſæpe vidimus. Lege Commentarium. v. 33. καὶ ἐπιλαβόμενος αὐτὸν] Sic legunt Regia Biblia ex Complutenſibus, ἐπιλαβόμενος, quo modo legit & Latinus Interpres, dum vertit *apprehendens*. In pleriſque vero codicibus eſt ἀπολαβόμενος *abducens*.

CAP. VIII. V. 1. παμπόλλου ὄχλου] Exemplaria 2. & 8. ſcribunt πάλιν πολλοῦ *iterum multa*, rurſus ut editioni Latinæ reſpondeant. Vide Commentarium. v. 3. εἰς οἶκον αὐτῶν] Quintum exemplar legit οἴκοις numero plurali. ibid. μακρόθεν ἥκασι] In ſeptem exemplaribus, pro primo aoriſto, eſt ſecundus ἥκουσι. v. 6. εὐχαριστήσας] Exemplar quartum præponit καὶ conjunctionem.

junctionem. v. 7. ϗ εὐλογήσας] Quintum 8. & 9. Pariſienſium exemplaria addunt αὐτὰ, ϗ εὐλογήσας αὐτά: quod ſi non eſt legendum, eo quod ſequatur εἶπε παραθεῖναι ϗ αὐτά, at ſubaudiendum venit, cum & Latine & Syriace exprimatur. v. 10. εἰς τὰ μέρη Δαλμανουθά] Exemplar 2. habet εἰς τὰ ὄρια Μαγδαλά, ex Matthæi Evangelio, in quo tamen Μαγδαλά legitur, quo modo alterum hic exemplar ſcribit Μαγδαλά pro Δαλμανουθά. Cæterum Δαλμανουθά germana Marci ſcriptura eſt. Lege Latinas varietates. v. 11. συζητεῖν αὐτῷ, ζητοῦντες παρ᾽ αὐτοῦ] Annotat quidam, in quibuſdam codicibus ſuis, ſcriptum fuiſſe συζητεῖν αὐτῷ καὶ ζητεῖν παρ᾽ αὐτοῦ; in uno συζητοῦντες παρ᾽ αὐτοῦ. Atqui prima ſcriptura, ut eſt celeberrima, ita Syriacæ Latinæque editioni reſpondet: niſi quod Syriace ſit *Et petebant ab illo*, quod pro ſecunda faciat. v. 12. εἰ δοθήσεται] *ſi dabitur*, In quarto exemplari pro εἰ eſt οὐ· ſic & in quodam Latino manuſcripto invenimus *non* pro *ſi*. Sed gloſſa eſt hæc, non textus. v. 14. καὶ ἐπελάθοντο] Exemplar 5. Pariſienſium addit οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, expoſitionis cauſa. v. 15. ϗ τῆς ζύμης Ἡρώδου] Quidam notat, in libris quibuſdam, pro Ἡρώδου haberi Ἡρωδιανῶν· quod ego quidem nuſquam vidi, ſive in exemplaribus, ſive in tractatoribus Marci. v. 21. πῶς οὐ συνίετε] In exemplaribus tertio & 6. eſt οὔπω *nondum*, quo modo eſt & Latine ac Syriace, pro οὐ *non*. In impreſſis quibuſdam libris eſt νοεῖτε pro συνίετε. v. 24. βλέπω τοὺς ἀνθρώπους ὡς δένδρα περιπατοῦντας] Sic legunt exemplaria antiqua 5. & 6. ex Complutenſibus Bibliis Regia, adſtipulantibus Latina & Syriaca editionibus, necnon commentario illo qui Chryſoſtomo adſcribitur. Pleraque exemplaria Græca addunt voculas duas ὅτι & ὁρῶ, hoc modo, βλέπω τοὺς ἀνθρώπους, ὅτι ὡς δένδρα ὁρῶ περιπατοῦντας *Video homines, quoniam velut arbores cerno ambulantes:* quæ ex commentario in textum irrepſiſſe poſſint, quanquam Euthymius non obſcure declarare videatur a ſe lectas. v. 26. καὶ ἐποίησεν αὐτὸν ἀναβλέψαι] Ita legitur in omnibus codicibus, ſuffragantibus Euthymii & Theophylacti textibus: niſi quod 2. codex habeat καὶ ἤρξατο ἀναβλέψαι, quo modo eſt Latine, & in commentariis Victoris Antiocheni, illoque qui Chryſoſtomo adſcribitur. Syrus hanc pericopen omittit. ibid. ϗ ἀποκατεστάθη ϗ ἀνέβλεψε] Sic legunt Regia Biblia ex Complutenſibus. Alia ſcribunt ϗ ἀνέβλεψε· quædam ϗ διέβλεψε· ſecundum, ὥστε ἀναβλέψαι, ad quem modum Latinus Interpres vertit *ita ut videret*, quod legitur & apud Victorem ac Chryſoſtomum ut Latine ſunt verſi. ibid. τηλαυγῶς ἅπαντας] Sic pleraque omnia exemplaria Græca legunt, maſculinum ἅπαντας *omnes*, conſonantibus Euthymii & Theophylacti textibus. Exemplar autem 2. legit neutrum πάντα *omnia*, ſuffragantibus editionibus Latina ac Syriaca, & commentario illo Chryſoſtomo adſcripto: atque hoc, neutrum inquam, congruentius videtur. v. 26. λέγων· μηδὲ εἰς τὴν κώμην εἰσέλθῃς, μηδὲ εἴπῃς τινὶ ἐν τῇ κώμῃ] Hæc eſt vulgata lectio, cui adſtipulatur editio Syriaca. Quidam codices ſcribunt λέγων· ἐὰν εἰς τὴν κώμην εἰσέλθῃς, μηδενὶ εἴπῃς μηδὲ ἐν τῇ κώμῃ. Hoc propius accedit ad verſionem Latinam, cujus author vertit ac ſi legiſſet λέγων, ὕπαγε εἰς τὸν οἶκόν σου, καὶ ἐὰν εἰς τὴν κώμην εἰσέλθῃς, μηδενὶ εἴπῃς· eſt enim ejus verſio: *dicens, Vade in domum tuam, & ſi in vicum introieris, nemini dixeris.* Porro hæc omnium commodiſſima foret lectio Græca, ſi in Græcis libris exſtaret. Author homiliarum illarum apud Chryſoſtomum, diſerte explicat illud *Vade in domum tuam*, ſed pro hoc *& ſi in vicum introieris nemini dixeris*, legit atque interpretatur hoc, *Et in vicum ne introieris, & nemini dixeris*; quo modo & Theophylacti, Victoris, atque Euthymii commentaria intelligunt, huic prohiberi, ne in vicum ingrediatur; quod eſt primo propoſitæ lectionis. v. 29. λέγει αὐτοῖς] Non eſt mutandum cum ἐπηρώτα αὐτούς, ex octavo codice, cum & Syra & Latina receptæ lectioni ſuffragentur. ibid. Σὺ εἶ ὁ Χριστός] Octavus codex addit ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, quemadmodum & Syrica editio *Filius Dei viventis*. Cæterum veriſimile fit hæc ex Matthæo huc eſſe adjecta, cap. 16. ver. 16. v. 31. ϗ ἀποδοκιμασθῆναι] Quod ſequitur in quarto exemplari ἀπὸ τῶν υἱῶν τῶν ἀνθρώπων, ſuperfluit. v. 34. ὅστις θέλει ὀπίσω μου ἀκολουθεῖν] In 8. codice eſt εἴτις *ſi quis*, quemadmodum Latine, pro ὅστις *quiſquis:* Rurſus in primo & nono, quibus Regii codices conſonant, eſt ἀκολουθεῖν *ſequi*, etiam ut Latine, pro ἐλθεῖν *venire*.

CAP. IX. V. 2. ϗ ἀναφέρει] In ſecundo eſt ϗ ἀνάγει, quemadmodum ſecundum Matthæum. v. 3. ϗ μετεμορφώθη] Non eſt addendum καὶ ἐν τῷ προσεύχεσθαι αὐτοὺς μετεμορφώθη *& dum orant illi transfiguratus eſt*. v. 5. ϗ ποιήσωμεν] In quibuſdam libris eſt ποιήσομεν *faciemus*, futuro indicativi: id quod Syrus quidem præmittit, ſed non fit hoc illo veriſimilius. Quidam in aliis legit, θέλεις ποιήσωμεν *vis faciamus*, quod Matthæi eſt. v. 6. τί λαλήσῃ] Euthymius enarrator legit τί λαλήσει futuro indicativi, id eſt, *quid dicturus eſſet*: & interpretatur, neſciſſe Petrum quid aliud melius loquuturus eſſet, vel loqui poſſet, quam ſcilicet, cum videret Moſem & Eliam parare abitum, optaret rogaretque ſpectaculi illius voluntatem eſſe pepetuam. Alius quidam annotat, in quibuſdam ſcribi τί λαλῆσαι modo infinito, in eundem ſenſum. ibid. ἦσαν γὰρ ἔμφοβοι] In aliis eſt ἔκφοβοι. v. 12. καὶ πῶς γέγραπται] In 3. exemplari pro ϗ πῶς eſt καθὼς *ſicut*. v. 19. ὁ δὲ ἀποκριθεὶς αὐτῷ] Sic puto legendum eſſe, ut Syriace, ita Græce, quamvis in 8. codice numero plurium legatur αὐτοῖς ut Latine. v. 21. ὡς τοῦτο γέγονεν] Iterum reſpondet Latino 8. codex, pro ὡς legens ἐξ οὗ *ex quo*. v. 22. καὶ εἰς τὸ ὕ[illegible] In aliis libris eſt ϗ εἰς ὕδατα. v. 27. κρατήσας τῆς χειρὸς αὐτοῦ] In aliis exemplaribus eſt κρατήσας αὐτὸν τῆς χειρὸς *prehendens eum manu*, eodem ſenſu. v. 28. ϗ εἰσελθόντα αὐτὸν] In octavo codice ſunt genitivi abſoluti poſiti ϗ εἰσελθόντος αὐτοῦ *& ingreſſo eo*. ibid. ὅτι ἡμεῖς] In nono exemplari eſt τί ὅτι ἡμεῖς *quid quod nos*; in 3. διὰ τί ἡμεῖς *quare nos*. ſunt hæ explicationes lectionis germanæ. v. 31. εἰς χεῖρας ἀνθρώπων] Exemplar quartum addit ἁμαρτωλῶν *peccatorum*. ibid. τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ] Codices β. & η. id eſt 2. & 8. habent μετὰ τρεῖς ἡμέρας, quod eſt alterius loci, ſupra 8. ver. 31. v. 34. τίς μείζων] Rurſus 2. codex, ex Latino, quod veriſimile eſt, addit γένηται αὐτῶν. v. 35. ἔσται πάντων ἔσχατος] In 4. codice, pro futuro indicativi ἔσται *erit*, eſt imperativus ἔστω *ſit*, qui ſenſus eſt loci. v. 37. οὐκ ἐμὲ δέχεται, ἀλλὰ τὸν] Hæc eſt germana lectio, Latino Syroque conformis. Altera quæ eſt quorundam librorum, οὐκ ἐμὲ δέχεται μόνον, ἀλλὰ ϗ τὸν, illius interpretatio eſt. v. 40. ὃς γὰρ οὐκ ἔστι καθ᾽ ὑμῶν, ὑπὲρ ὑμῶν ἐστι] Non mutes ſecundæ perſonæ pronomina, cum pronominibus primæ, ut quidam libri. Vide Latinas varietates.

CAP. X. V. 2. ἐπηρώτων αὐτὸν] *Interrogabant eum*, quo modo eſt Latine. In aliis libris eſt ἐπηρώτησαν αὐτὸν *interrogaverunt eum*. V. 6. ἐποίησεν αὐτοὺς ὁ θεός] Subdit Regius codex ex Complutenſi ϗ εἶπε, qua de re vide Latinas varietates. v. 14. ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ] Quartus codex pro τοῦ θεοῦ habet τῶν οὐρανῶν, non dubito quin ex Matthæo cap. 19. v. 14. nam & Syriace & Latine hic *Dei* eſt. v. 17. προσδραμὼν τις ϗ] In pleriſque libris eſt εἷς pro τίς. In tertio exemplari legitur ἰδοὺ τις πλούσιος προσδραμὼν ϗ *ecce quidam dives procurrens &*, quæ adjectitia eſſe videntur. ibid. τί ποιήσω ἵνα ζωὴν] Quartus codex legit τί ποιήσας ζωὴν, quæ Lucæ ſcriptura eſt. v. 20. ἐκ νεότητός μου] Tertius codex addit hic, id quod Matthæi eſt, τί ἔτι ὑστερῶ; v. 21. ἕν σοι ὑστερεῖ] Addunt 3. & 6. exemplaria εἰ θέλεις τέλειος εἶναι· ſimiliter ex Matthæo. Frequens eſt enim, evangelia ex ſe mutuo augeri a librariis quando plura eandem hiſtoriam narrant. ibid. ἄρας τὸν σταυρόν] Secundus codex iſtud omittit, Latinæ editioni ſimiliter. Reliqui legunt cum Syrica editione & interpretibus Theophylacto atque Euthymio. Sextus codex addit etiam σου *tuam*. Vide Commentarium. v. 25. εὐκοπώτερόν ἐστι] In uno codice additur γὰρ *enim*: quod ut ab aliis Græcis, ita a Latinis & Syricis libris, non agnoſcitur: eſt autem Evangelii ſecundum Lucam. ibid. τῆς ῥαφίδος εἰσελθεῖν] In quibuſdam eſt διελθεῖν· eadem varietas & ſecundum Matthæum eſt. Vetus Interpres utrobique διελθεῖν legiſſe videtur. ibid. ἢ πλούσιον εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ εἰσελθεῖν] Annotat quidam hæc verba a duobus vetuſtis codicibus abeſſe, ut certe facile eſt illa ex præcedenti verſiculo ſubaudire. Cæterum etiam Latine & Syriace conſtanter a nobis leguntur. v. 30. ϗ μητέρας] Hujus loco in tribus exemplaribus (γ. ϛ. ε.) eſt ϗ πατέρα ϗ μητέρα· quæ lectio aptiſſima eſſet & deſideratiſſima, ſi plurali numero exſtaret ϗ πατέρας ϗ μητέρας. Porro recepta lectio Latino conſonat & Syro. v. 34. καὶ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἀναστήσεται] Quod ſecundo & octavo libris eſt ϗ μετὰ τρεῖς ἡμέρας, aliunde acceptum eſt. v. 38, & 39.] Octavus codex, ut Latino reſpondeat, legit utrobique ἢ *aut*, pro eo quod etiam Syrus ſervat ϗ *&*. v. 43. ἔσται ὑμῶν διάκονος] Pro ἔσται non eſt legendus imperativus ἔστω, qui in uno exemplari legitur. Matthæi enim eſſe videtur: ſicut & illud Matthæi eſt, quod codex 8. ver. proximo, pro ὑμῶν γενέσθαι, habet ἐν ὑμῖν εἶναι, vel certe Latinæ editionis ſecundum Marcum. v. 47. ὅτι ὁ Ἰησοῦς ὁ ναζωραῖός ἐστι] Quidam libri, loco ω vocalis ultimæ, quæ eſt in ſecunda ſyllaba vocis ναζωραῖος, ſcribunt vocalem primam α, ναζαραῖος, primigenia lingua utrumque permittente. ibid, ὁ υἱὸς Δαβὶδ Ἰησοῦ] In duobus libris ſcribitur vocandi caſu υἱὲ, in uno non legitur Ἰησοῦ, quod neque Syriace. v. 49. εἶπεν αὐτὸν φωνηθῆναι] Duo exemplaria, præter fidem aliorum, habent εἶπε, φωνήσατε αὐτὸν *Dixit; vocate eum*. 6. & 8. v. 51. ῥαββουνὶ] Ut Regium, ita omnia Pariſienſium exemplaria, media diphthongo ſcribunt ῥαββουνί, pro ῥαββονί. v. 52. ϗ ἠκολούθει τῷ Ἰησοῦ] Codex ſeptimus & primus, ex quo etiam Regius, habent aoriſtum ἠκολούθησε· ſed præteritum imperfectum Latinæ Syriacæque editioni reſpondet.

CAP. XI. V. 1. ϗ ὅτε ἐγγίζουσιν] Exemplar 2. habet præteritum imperfectum ſingulare ἤγγιζεν, quod non videtur verum eſſe. ibid. εἰς βηθφαγὴ] Tametſi Pariſienſium omnia exemplaria & hic legant βηθσφαγή, addito σ, quemadmodum in Matthæo, adulterinum tamen hoc eſſe videtur. v. 2. ὑπάγετε εἰς τὴν κώμην] Non legas πόλιν *civitatem*, quod eſt in 3. exemplari, pro κώμην *vicum*. ibid. ἐφ᾽ ὃν οὐδεὶς] Exemplaria tertium & octavum addunt ἐφ᾽ ὃν οὔπω οὐδεὶς, quod & Latinus Interpres legit. v. 7. ϗ ἐκάθισεν ἐπ᾽ αὐτῷ] In quibuſdam libris extat quarto caſu ἐπ᾽ αὐτὸν, eodem ſenſu *ſuper eum*, ſcilicet pullum. In quibuſdam numero plurali ἐπ᾽ αὐτῶν *ſuper ea*, ſcilicet veſtimenta. In quibuſdam genere fœminino ἐπ᾽ αὐτὴν *ſuper eam*, ſcilicet aſinam, quod non eſt hujus loci. v. 8. πολλοὶ δὲ τὰ ἱμάτια αὐτῶν] In 4. codice, pro τὰ ἱμάτια, legitur τοὺς χιτῶνας *tunicas*, quod nullam habet veriſimilitudinem. ibid. ἐκ τῶν δένδρων] In uno codice ſcriptum erat ἐκ τῶν ἀγρῶν *ex agris*. v. 10. εὐλογημένη] Codex tertius præponit ϗ conjunctionem, conformiter Syro. Sequitur ἡ ἐρχομένη βασιλεία ἐν ὀνόματι κυρίου, τοῦ πατρὸς ἡμῶν Δαβίδ] Malim omittere ἐν ὀνόματι κυρίου, ex eo quem citat Auctor quidam vetuſto codice Græco, cui adſtipulantur editiones Latina & Syriaca. Plerique quidem interponunt illud ἐν ὀνόματι Κυρίου *in nomine Domini*, quod referatur ad ἐρχομένη, ſitque idem quod *Deo faciente*: ſed ut ſententiam turbat, ita ſane adjectum repetitumque videtur ex ver. ſuperiori. v. 15. ϗ ἔρχονται εἰς ἱεροσόλυμα] Non eſt addenda vox πάλιν, addita ab octavo codice. v. 24. πιστεύετε ὅτι λαμβάνετε] In 8. exemplari pro λαμβάνετε eſt ἐλάβετε, in 2. λήψεσθε. v. 26. εἰ δὲ ὑμεῖς οὐκ ἀφίετε, οὐδὲ ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, ἀφήσει τὰ παραπτώματα ὑμῶν] A multis exemplaribus omittitur, putaturque huc adſcitus ex Matth. 6. ver. 15. Cæterum non omittitur ab antiquis exemplaribus Pariſienſium, nec a Regiis poſt Complutenſe, nec a Syriaca editione, ut neque a Latina. Quare alii exſtimant, omiſſam fuiſſe incuria Scribarum, qui fere ſoleant labi, quoties eadem dictio diverſas claudit ſententias. v. 27. ϗ ἔρχονται πάλιν] Unum exempar β. contra omnium fidem, legit ἔρχεται numero ſingulari. ibid. ϗ οἱ πρεσβύτεροι] Solum illud exemplar addit τοῦ λαοῦ *populi*. v. 31. ϗ ἐλογίζοντο] Exemplar β. γ. η. pro ſimplici legunt compoſitum verbum διελογίζοντο, quod eſt in Matthæo. ibid. ἐὰν εἴπωμεν] Rurſus ſolum illud β. pro ἐὰν *ſi*, legit τί *quid*. v. 32. ἀλλ᾽ εἴπωμεν] Sic optima quæque Græca exemplaria, nec ἐὰν addunt nec τί, ſed tantum ἀλλ᾽ εἴπωμεν legunt, Euthymio adſtipulante. ibid. ἅπαντες γὰρ εἶχον] Et hic exemplar illud β, pro εἶχον *habebant*, ſcribit ᾔδεισαν *noverant*. ibid ὅτι ὄντως] Non omittas ὄντως, quod codices ſextus & nonus.

CAP. XII. V. 4. κἀκεῖνον λιθοβολήσαντες ἐκεφαλαίωσαν, ϗ ἀπέστειλαν ἠτιμωμένον] Horum loco octavus codex legit, ut eſt Latine, κἀκεῖνον ἐκεφαλαίωσαν, καὶ ἠτίμησαν. v. 6. ὅτι ἐντραπήσονται] Non eſt legendum ἴσως pro ὅτι. v. 7. ἐκεῖνοι δὲ οἱ γεωργοὶ] Subdit codex ſextus θεασάμενοι αὐτὸν ἐρχόμενον πρὸς αὐτούς, qui commentarius eſt, non textus. v. 9. ϗ ἀπολέσει τοὺς γεωργοὺς] Addit codex ſextus τούτους. v. 13. ἵνα αὐτὸν ἀγρεύσωσι] Secundum exemplar legit παγιδεύσωσι, ut ſecundum Matthæum. v. 14. ἔξεστι κῆνσον καίσαρι δοῦναι] Secundum & Sextum exemplaria præponunt εἰπὲ οὖν *Dic igitur*, id quod nuſquam alibi invenio, niſi quod videatur ex Matthæo irrepſiſſe. v. 20. ἑπτὰ ἀδελφοὶ ἦσαν] Exemplaria 2. & 8. addunt οὖν *ergo*: quod Latine quidem legitur, ſed additum ab Interprete claritatis gratia. v. 22. ἐσχάτη πάντων] Ita eſt & Latine.

In tribus manuſcriptis γ. ε. η. eſt ἔσχατον, neutrum loco adverbii. v. 23. ἐν τῇ οὖν ἀναστάσει, ὅταν ἀναστῶσι] Ita legitur & Latine. Atqui ſecundum & octavum exemplaria, Latino hic diſſentientia, omittunt hæc verba ὅταν ἀναστῶσι *cum reſurrexerint*, conformiter Syro: videri enim poſſint ſuperflua. v. 27. οὐκ ἔστιν ὁ Θεὸς Θεὸς νεκρῶν] Sic quidam repetunt nomen Θεὸς, quemadmodum Græce Matthæus: alii non repetunt, ut nec Latina & Syra. v. 28. εἰδὼς ὅτι καλῶς αὐτοῖς ἀπεκρίθη] Exemplaria 6. & 8. pro εἰδὼς *intelligens*, legunt ἰδὼν *videns*, conformiter Latino ac Syro. v. 31. καὶ δευτέρα ὁμοία, αὕτη] Codices quintus & 7. pro primo caſu αὕτη, legunt 3. αὐτῇ, quo modo eſt etiam Syriace ac Latine. v. 34. ἰδὼν αὐτὸν] Exemplaria 6. & 8. omittunt pronomen αὐτὸν, ſimiliter editioni Latinæ, quod alia pleraque addunt ſimiliter Syriacæ. v. 40. καὶ προφάσει μακρὰ προσευχόμενοι] Non eſt ſcribendum nomen μακρᾷ, loco adverbii μακρά. v. 44. ἐκ τοῦ περισσεύοντος αὐτοῖς ἔβαλον] In 6. codice legitur ἐκ τοῦ περισσεύματος αὐτῶν ἔβαλον, id quod huic codici ſingulare eſt, quanquam congruentius fortaſſe, quia ſequitur ἐκ τῆς ὑστερήσεως, non autem ἐκ τοῦ ὑστεροῦντος.

CAP. XIII. V. 2. βλέπεις ταύτας] Quidam annotat in aliis exemplaribus legi plurale βλέπετε, quod tamen eſt etiam contra Latina & Syra. ibid. οὐ μὴ ἀφεθῇ] In exemplaribus 6. & 8. ſubjungitur ὧδε *hic*, quod etiam Syriace additur: ſed ut non legitur a pleriſque codicibus Græcis, ita neque a Latinis, ſecundum Marcum. v. 8. ἀρχαὶ ὠδίνων] In exemplaribus 2. 6. & 8. eſt numerus ſingularis ἀρχὴ, quemadmodum Latine. v. 11. μηδὲ μελετᾶτε] Unus codex θ. ſcribit προμελετᾶτε *præmeditemini*. v. 14. τὸ ῥηθὲν ὑπὸ Δανιὴλ τοῦ προφήτου] Legunt hoc plerique omnes Græci codices cum Syriacis, ſuffragantibus enarratoribus Græcis Theophylacto atq; Euthymio. Omittunt vero tanquam Matthæo proprium, duo Pariſienſium exemplaria, ſecundum (cui conſentit noſtra ad Vaticanum collatio) & octavum, cum Latina editione, cui adſtipulatur D. Auguſtinus epiſtola 80 & lib. 2. De conſenſu cap. 77. v. 25. καὶ οἱ ἀστέρες τοῦ οὐρανοῦ ἔσονται ἐκπίπτοντες] Sic habent pleraque omnia exemplaria. In duobus 3. & 6. legitur καὶ οἱ ἀστέρες ἔσονται ἐκ τοῦ οὐρανοῦ πίπτοντες. Huic lectioni Syra, illi Latina volunt. v. 26. μετὰ δυνάμεως πολλῆς καὶ δόξης] Sic legunt etiam Latina & Syra. Quare minus probabilis eſt lectio exemplarium 3. 5. 9. poſtponentium τὸ πολλῆς, voci δόξης. v. 28. καὶ ἐκφύῃ τὰ φύλλα] Sic ſcribunt exemplaria 1. 3. 6. & Regia poſt primum, ἐκφύῃ pro ἐκφυῇ, verbum pro nomine. v. 32. καὶ τῆς ὥρας] In ſex Pariſienſium manuſcriptis pro καὶ legitur disjunctiva ἢ. v. 34. καὶ δοὺς τοῖς δούλοις αὐτοῦ τὴν ἐξουσίαν] Quidam annotat, in quibuſdam codicibus, pro ἐξουσίαν *poteſtatem*, ſcribi οὐσίαν *ſubſtantiam*: quod certe Euthymii textus habet, quanquam Commentarius non agnoſcat. Cæteroqui & Græce & Latine & Syriace eſt ἐξουσίαν *poteſtatem*.

CAP. XIV. V. 2. ἔλεγον δὲ] Octavus codex pro δὲ legit γὰρ, ut Latina editio. v. 6. εἰργάσατο ἐν ἐμοὶ] Ita legunt plerique omnes libri ἐν ἐμοὶ, pro eo quod alii εἰς ἐμὲ, quemadmodum non v. 8. ἔσχεν pro εἶχεν. v. 14. ποῦ ἐστι τὸ κατάλυμα] Exemplaria 6. & 8. addunt pronomen μοῦ cum editione Latina; alia pleraque omnia omittunt cum Syriaca. v. 15. ἐστρωμένον, ἕτοιμον] Septimum Pariſienſium exemplar omittit ἕτοιμον, conformiter Latino; Alia omnia addunt, conſentanee Syro. Lege Commentarium. v. 16. καὶ εὗρον καθὼς] Secundus codex pro εὗρον legit ἐποίησαν, contra omnium fidem. v. 19. καὶ ἄλλος, μήτι ἐγώ; Quidam annotat, hæc verba defuiſſe in duobus codicibus: ut ſane deſunt Latine ac Syriace, & ſeries ipſa contextus loquitur ea redundare. v. 21. ὁ μὲν υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ὑπάγει] Exemplar 4. addit ὁ μὲν ὅτι υἱός, 2. vero pro ὑπάγει ſcribit παραδίδοται· quibus in rebus ſunt ſingularia. v. 22. λάβετε, φάγετε] Exemplaria 2. & 8. omittunt φάγετε, conformiter editionibus Latinæ & Syriacæ. v. 25. ἀμὴν λέγω ὑμῖν] Tria exemplaria addunt conjunctionem δέ. V. 27. τὰ πρόβατα] Non addas τῆς ποίμνης, quod ex Matthæo quidam huc adſcripſerunt. v. 29. καὶ εἰ πάντες σκανδαλισθήσονται ἐν σοὶ] Regia Biblia ex Complutenſibus addunt ἐν σοὶ *in te*, quod alia omittunt. v. 30. ὅτι σὺ σήμερον] Plerique libri omittunt pronomen σὺ, quod tamen & Latine & Syriace additur, non parva cum Emphaſi. v. 31. ὁ δὲ ἐκ περισσοῦ] Secundum exemplar pro ἐκ περισσοῦ ſcribit περισσῶς. v. 34. καὶ λέγει αὐτοῖς] Quædam exemplaria hoc jungunt verſui præcedenti, lectum per infinitivum καὶ λέγειν αὐτοῖς. ibid. καὶ γρηγορεῖτε] Non addas μετ' ἐμοῦ, quod neque Latine aut Syriace legitur. Veriſimile eſt acceptum ex ſimili loco Matth. 26. v. 38. v. 35. ἔπιπτεν ἐπὶ τῆς γῆς] Non interjicias ἐπὶ πρόσωπον, quod ſimiliter acceptum eſt ex Matth. 26. v. 39. Nam Marcus ejus loco ait ἐπὶ τῆς γῆς. v. 36. ἀλλ' οὐ τί ἐγὼ θέλω] Non eſt omittendum verbum θέλω. v. 37. οὐκ ἴσχυσας] Quidam libri legunt numero plurali οὐκ ἰσχύσατε, ſed male, etiam contra Latina & Syra: Matthæi enim eſt ἰσχύσατε cap. 26. 40. v. 40. βεβαρημένοι] Pro hac voce aliquot libri ſubſtituunt καταβαρυνόμενοι. v. 43. παραγίνεται Ἰούδας] Exemplar 3. addit ὁ Ἰσκαριώτης, conformiter Latino & Syro. ibid. παρὰ τῶν ἀρχιερέων] Exemplar 6. præponit ἀπεσταλμένοι, quod ſubaudiri poteſt, addi non debet. v. 45. χαῖρε ῥαββὶ] Plerique omnes libri, omiſſo χαῖρε, congeminant ῥαββὶ, conformiter Syro. Quidam annotat, in duobus exemplaribus, tantum ſcriptum fuiſſe ῥαββὶ, idque ſemel, quibus Latinæ editionis vetuſta exemplaria ſuffragantur. Regii codices legunt quod diximus, χαῖρε ῥαββὶ, quemadmodum legitur ſecundum Matthæum cap. 26. v. 49. v. 51. καὶ κρατοῦσιν αὐτὸν οἱ νεανίσκοι] Regia, ut pleraque alia exemplaria, addunt οἱ νεανίσκοι, quod tamen omittunt manuſcripta 2. & 8. Latina & Syriaca editionibus ſuffragantibus. v. 53. πρὸς τὸν ἀρχιερέα] Tertio codici, explicationis gratia, additum eſt Καϊάφαν ex Matthæo, quanquam etiam Syriace legatur. v. 59. καὶ οὐδὲ οὕτως ἴση ἦν ἡ μαρτυρία αὐτῶν] Quidam legunt plurali numero καὶ οὐδὲ οὕτως ἴσαι ἦν αἱ μαρτυρίαι αὐτῶν· contra antiquorum codicum fidem. v. 62. μετὰ τῶν νεφελῶν] Exemplar ſextum habet ἐπὶ τῶν νεφελῶν, quod eſt Matthæi cap. 26. v. 64. v. 64. ἠκούσατε τῆς βλασφημίας] Exemplar ſextum interjicit πάντως *omnino*. v. 65. προφήτευσον] In eodem exemplari ſequitur τίς ἐστιν ὁ παίσας σε· verum illud ex Matthæo aut Luca acceptum eſt.

CAP. XV. V. 3. οἱ ἀρχιερεῖς πολλὰ] Sequitur in editione Complutenſi, & quæ ex ea eſt Regia, αὐτὸς δὲ οὐδὲν ἀπεκρίνατο, ſed quod Latinus textus & Syrus, cum pleriſque omnibus Græcis exemplaribus, haud agnoſcunt. Veriſimile eſt additum ab aliquibus fuiſſe ex Matth. 27. v. 12. v. 4. Pro καταμαρτυροῦσιν] Exemplar ſecundum ſcribit κατηγοροῦσιν, quod proprius accedit ad verſionem vulgatam *accuſant*. v. 11. ἀνέσεισαν τὸν ὄχλον] Quidam annotat a nonnullis legi ἀνέπεισαν *perſuaſerant*: verum illud ex Matth. 27. v. 20. acceptum eſſe, veriſimile eſt. v. 16. ἔσω τῆς αὐλῆς] Exemplar 2. legit εἰς τὴν αὐλήν. v. 18. ἀσπάζεσθαι αὐτὸν] Non addas καὶ λέγειν, quod neque Latine aut Syriace legitur. ibid. χαῖρε ὁ βασιλεὺς] Ita optimi quique codices, ὁ βασιλεὺς legunt primo caſu, pro quinto βασιλεῦ· ponitur enim nonnunquam primus loco quinti. v. 22. καὶ φέρουσιν αὐτὸν] Exemplar ſecundum legit ἄγουσιν pro φέρουσιν, explicationis gratia. ibid. ἐπὶ γολγοθᾶ τόπον] Codices 3. 4. 7. ſcribunt γολγοθᾶν, Græco more inflexum. v. 24. διεμέριζον τὰ ἱμάτια αὐτοῦ] Sex exemplaria, pro imperfecto διεμέριζον habent præſens διαμερίζονται. v. 29. οὐὰ ὁ καταλύων τὸν ναὸν] Non legas οὐαὶ *væ*, quod eſt male precantis, pro οὐὰ *vah*, quod eſt irridentis. v. 30. σῶσον σεαυτὸν, καὶ κατάβα] Exemplar octavum ſcribit σῶσον σεαυτὸν καταβὰς, quemadmodum Latina editio. v. 31. ἑαυτὸν οὐ δύναται σῶσαι] Omnia Pariſienſium manuſcripta addunt notam interrogationis. v. 32. πιστεύσωμεν] In ſexto codice additur pronomen αὐτῷ *ei*, ſicut etiam Syriace. v. 34. ὁ θεός μου, ὁ θεός μου] Non eſt omittendum alterum μου. v. 36. λέγων· ἄφετε, ἴδωμεν] Syrus habet pluraliter καὶ ἔλεγον, exemplaria 2. & 4. ſcribunt ſingulariter ἄφες. Videri igitur queat legendum καὶ ἔλεγον· ἄφες, ἴδωμεν, propter rationes in Latinis varietatibus declaratas. v. 43. καὶ τολμήσας] Non eſt omittenda conjunctio καὶ, quæ multis codicibus omittitur. v. 46. καὶ ἀγοράσας σινδόνα] in nono exemplari legitur ὁ δὲ Ἰωσὴφ ἀγοράσας σινδόνα, quemadmodum habent Latina & Syriaca editiones.

CAP. XVI. V. 2. ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου] Exemplar tertium præponit ἔτι. v. 6. τὸν ἐσταυρωμένον] Quidam addunt notam interrogationis, ſed minus apte, quod videtur: vaticinatur enim Angelus, quid illæ in animo habeant. v. 8. καὶ ἐξελθοῦσαι] Sequitur in quibuſdam libris ταχὺ, quod meliores omittunt: veriſimile eſt, acceptum ex Matth. 28. v. 8. v. 9. ἀναστὰς δὲ] D. Hieronymus epiſtolæ 150. ad Hedibiam quæſtione tertia, teſtatur hunc locum, ab his verbis uſque ad finem hujus Evangelii, a pleriſque Græciæ libris ſuo tempore abfuiſſe: & Euthymius hoc loco: *Quidam*, inquit, *interpretum aſſerunt, hoc loco completum eſſe Marci Evangelium*; ut certe Victor Antiochenus illud huc uſque nec ultra enarrat. Atqui, ut omnes hodie, tam Græci quam Latini & Syriaci libri, hoc capitulum legunt, ſuffragantibus veteribus Patribus & Græcis & Latinis, a quibus paſſim citatur, prout ab Irenæo libri tertii adverſus hæreſes cap. 11. Athanaſio in Synopſi divinæ ſcripturæ, Auguſtino lib. 3. de conſ. Evang. & Theophylacto in proprio commentario, univerſum citra hæſitationem vel exponitur vel agnoſcitur: ita nihil dubitandum eſt de ejus auctoritate, poſtquam a Catholica Eccleſia receptum eſt, nominatim a Conſilio Tridentino ſeſſione quarta. Occaſionem autem huic varietati dederat, quod hæretici quidam, Manichæi; veriſimile eſt; huic capitulo, ubi dicitur verſu 14. *quia iis qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt*, adjecerant hæc verba: *Et illi ſatisfaciebant, dicentes; Seculum iſtuc iniquitatis & incredulitatis ſubſtantia eſt, quæ non ſinit per immundos ſpiritus veram Dei apprehendi virtutem, idcirco jam nunc revela juſtitiam tuam*, D. Hieronymo teſte lib. 2. adverſus Pelag. c. 6. Quæ cum ſpuria ac proinde omittenda eſſe facile deprehenderetur: factum eſt ut & cætera ab imperitis hac occaſione omiſſa ſint. Quia autem illis omiſſis mutilum cenſebatur hoc Evangelium (ut vere erat) eo quod non apte finiretur; hinc alii quidam, congrui finis loco, adjecerunt πάντα δὲ τὰ παρηγγελμένα, τοῖς περὶ τὸν Πέτρον συντόμως ἐξήγγειλαν. μετὰ δὲ ταῦτα, καὶ αὐτὸς ὁ Ἰησοῦς, ἀπὸ ἀνατολῆς καὶ ἄχρι δύσεως, ἐξαπέστειλε δι' αὐτῶν τὸ ἱερὸν καὶ ἄφθαρτον κήρυγμα τῆς αἰωνίου σωτηρίας· quod eſt, *Omnia autem quæ ipſis fuerant nuntiata, continuo Petro & iis qui cum illo renuntiarunt. Poſtea vero etiam ipſe Jeſus, ab Oriente ad Occidentem uſque, promulgavit per eos ſacram illam & incorruptam prædicationem æternæ ſalutis:* quæ omnia adulterina ſunt, & ab alio prorſus auctore quam Marco profecta. Quare non eſt recedendum, ab ea quæ hodie vulgata eſt, Græcorum, Latinorum, Syriacorumque librorum editione, in qua nihil eſt, quod vel cum cæterorum Evangeliſtarum narratione pugnet, vel diverſi a Marco auctoris ſtylum arguat. ibid. ἀναστὰς δὲ] Regium exemplar ſubjungit ὁ Ἰησοῦς, ſed pleraque illud omittunt cum Syro. Nam & Latina editio variat. ibid. πρωῒ, πρώτῃ σαββάτου] Exemplaria tertium & ſextum ſcribunt numero plurali σαββάτων. v. 19. ὁ μὲν οὖν κύριος] Tertius codex ſubjungit Ἰησοῦς, quod ſimiliter Latine & Syriace additur. v. 20. ἐκεῖνοι δὲ ἐξελθόντες] Pro ἐξελθόντες, in quinto exemplari ſcribitur ἀκούσαντες, nulla, quod noverim, fide.

Notæ ad Varias Lectiones Editionis Græcæ Evangelii ſecundum LUCAM.

CAP. I.

Verſ. 22. καὶ διέμενε κωφὸς] In aliis libris, pro aoriſto, qui Latinæ editioni conſonat, eſt præteritum imperfectum διέμενε. v. 34. πῶς ἔσται τοῦτο] Exemplaria quartum, ſextum, nonum, addunt μοι pronomen (πῶς ἔσται μοι τοῦτο) quod alia omittunt conformiter Latino & Syro. v. 35. τὸ γεννώμενον ἐκ σοῦ ἅγιον] Non eſt omittendum ἐκ σοῦ, tametſi a multis omittatur, quod veteres Græci agnoſcunt & urgent, quemadmodum oſtendimus ad varietates Latinas. v. 37. παρὰ τῷ θεῷ] Ex ſeptimo codice non omittas παρὰ, quod etiam Latine exſtat. v. 49. ἐποίησέ μοι μεγαλεῖα] In octavo exemplari eſt μεγάλα. v. 50. εἰς γενεὰς γενεῶν] Exemplaria 4. & 12. ſcribunt εἰς γενεὰν καὶ γενεὰν: quomodo & exemplar quoddam Latinum legit. Octavum habet εἰς γενεὰς καὶ γενεάς· quomodo fere manuſcripta Latina *in progenies & progenies*. v. 55. εἰς τὸν αἰῶνα] In quinto exemplari legitur ἕως αἰῶνος. v. 64. καὶ ἡ γλῶσσα αὐτοῦ διηρθρώθη] A pleriſque omnibus libris

omittitur

omittit vox διηρθρώθη, conformiter Latino & Syro. v. 66. ϗ χεὶρ κυρίου] Octavum exemplar interjicit γὰρ (ϗ γὰρ χεὶρ) ut Latinæ consonet editioni. v. 75. πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς ἡμῶν] Codices secundus & octavus omittunt τῆς ζωῆς, conformiter Latino ac Syro,

CAP. II. V. 3. εἰς τὴν ἰδίαν πόλιν] Exemplar secundum pro πόλιν scribit πατρίδα, qua in re est singulare. v. 5. τῇ μεμνηστευμένῃ αὐτῷ γυναικὶ] Exemplaria secundum & octavum omittunt vocem γυναικὶ, conformiter Syro. Atqui ut pleraque Græca, ita omnia Latina exemplaria illud addunt: videturque de industria sublatum, ab iis qui existimarint, contraria esse μεμνηστευμένην & γυναῖκα. v. 15. ϗ οἱ ἄνθρωποι οἱ ποιμένες] Rursus exemplar octavum omittit ϗ οἱ ἄνθρωποι, idque conformiter Latino & Syro. v. 21. τοῦ περιτεμεῖν αὐτὸν] Hoc modo ut in Regiis, ita in pluribus est libris, etiam secundo & octavo. Atqui aliis plerisque, qui pro relativo αὐτὸν scribunt nomen τὸ παιδίον, adstipulantur Syra. Similis varietas invenitur Latine. v. 22. τοῦ καθαρισμοῦ αὐτῆς] Hoc modo legunt Regia Biblia ex Complutensibus, αὐτῆς fœmininum numeri singularis, consentiente editione Latina. Alii plerique Græci libri, pro singulari αὐτῆς, scribunt plurale αὐτῶν, consentiente Syriaca editione, & legentibus non solum, verumetiam interpretantibus, Origine homil. 14. in Lucam, & Euthymio in proprio hujus loci commentario. v. 24. κατὰ τὸ εἰρημένον] Quintum exemplar habet γεγραμμένον. v. 33. ϗ ἦν Ἰωσὴφ] Pro Ἰωσὴφ octavus codex habet ὁ πατὴρ, ſicut Latina editio: aliis codicibus retinentibus Ἰωσὴφ, suffragatur Syra. v. 34. ϗ εὐλόγησεν αὐτοὺς] Non legas ex nono codice singulare αὐτὸν, pro plurali αὐτοὺς, quod est in aliis omnibus, adstipulantibus editionibus Latina & Syrica, & Theophylacto diserte interpretante. v. 37. χήρα ὡς ἐτῶν] Sic cum Regiis pleraque omnia exemplaria, conspirante Syro: in octavo & 14. pro ὡς est ἕως, quæ fuit lectio Latini Interpretis. v. 38. λύτρωσιν ἐν Ἱερουσαλὴμ] Pro ἐν Ἱερουσαλὴμ exemplar Vaticanum habet τοῦ Ἰσραὴλ, exemplar quartum Parisiensium ἐν τῷ Ἰσραὴλ· Similis varietas exstat Latine. v. 40. ϗ ἐκραταιοῦτο πνεύματι] Secundus codex cum editione Latina omittit πνεύματι, quod & Titus enarrator omittit, subaudit enim *corpore*. Alii codices addunt cum editione Syriaca, quod etiam Theophylactus, & clarius Euthymius, interpretantur. Supra 1. v. 80. ab omnibus concorditer de Johanne legitur. v. 42. ἀναβάντων αὐτῶν] In octavo codice est præsens ἀναβαινόντων, ut Latine *ascendentibus*. v. 43. ϗ οὐκ ἔγνω Ἰωσὴφ ϗ ἡ μήτηρ αὐτοῦ] Rursus in octavo codice est καὶ οὐκ ἔγνωσαν οἱ γονεῖς αὐτοῦ, sicut Latine *& non cognoverunt parentes ejus.*

CAP. III. V. 1. ἡγεμονεύοντος Ποντίου] Secundum exemplar pro ἡγεμονεύοντος dicit ἐπιτροπεύοντος, quod est *procurante*, quomodo Latine legitur. v. 8. ϗ μὴ ἄρξησθε λέγειν] In octavo codice scriptum erat, ut secundum Matthæum, δόξητε pro ἄρξησθε. v. 10. τί οὖν ποιήσομεν] Non addas vel hic vel infra, v. 12. ex secundo codice ἵνα σωθῶμεν *ut salvemur*, quod nullus alius legit. v. 12. βαπτισθῆναι] Codices tertius & quintus addunt ὑπ' αὐτοῦ, quod alibi non lego. v. 18. παρακαλῶν] Hanc vocem exponens secundus codex legit παραινῶν. v. 19. τῆς γυναικὸς τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ Φιλίππου] Parisiensium exemplaria 4. 6. 7. 8. 9. & Euthymii scholiastæ textus, omittunt nomen Φιλίππου· quod quæ legunt, alia habent ante, alia post τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ. Vide Latinas varietates. ibid. ὧν ἐποίησε] Secundum exemplar legit ὧν ἐποίει *quæ faciebat.* v. 23.] Pro ἀρχόμενος *incipiens*, Euthymius legit & exponit ἐρχόμενος *veniens* seu *incedens*, nulla verisimilitudine. v. 26. τοῦ Σεμεΐ, τοῦ Ἰωσὴφ] Sic est in plerisque libris, suffragantibus Latinis & Syricis. In tribus Parisiensium pro Ἰωσὴφ est Ἰωσήχ. v. 29. τοῦ Ἰωσῆ, τοῦ Ἐλιέζερ] In octavo codice, pro Ἰωσῆ, quomodo est & Syriace, legitur Ἰησοῦ, quomodo Latine: in alio est Ἰησῶ. ibid. τοῦ Ἰωρεὶμ, τοῦ Ματθὰτ] Non legas Ματθὰ pro Ματθάτ. v. 36. τοῦ Καϊνὰν, τοῦ Ἀρφαξὰδ] Nihil moratus Theodorus Beza auctoritatem sive Evangelistæ sive LXXII Interpretum, manu temeraria, ne dicam sacrilega, expunxit omisitque τοῦ Καϊνὰν, sequutus, quod ait, auctoritatem Mosis.

CAP. IV. V. 5. τὰς βασιλείας τῆς οἰκουμένης] Exemplaria secundum & quartum, pro τῆς οἰκουμένης, legunt τοῦ κόσμου, quod Matthæi est c. 4. v. 8. v. 7. Σὺ ἐὰν οὖν προσκυνήσῃς] Exemplar tertium ex Matthæo addit πεσών. ibid. ἔσται σου πᾶσα] Sic legunt, Regium, Complutense, & omnia vetusta Parisiensium exemplaria. In aliis pro πᾶσα est πάντα, quo modo Latine legitur. v. 8. ϗ ἀποκριθεὶς αὐτῷ εἶπεν ὁ Ἰησοῦς· ὕπαγε ὀπίσω μου Σατανᾶ γέγραπται, προσκυνήσεις. Hæc verba ὕπαγε ὀπίσω μου Σατανᾶ, Græci codices, Vaticanus, & Parisiensium secundus, septimus, octavus non agnoscunt, ut neque editiones Latina & Syriaca, nec Tractatores, Origenes, Ambrosius, Beda, & posteriores Latini. Probabile est huc ex Matthæo fuisse adscriptum, tametsi Euthymius legat. Similiter addideruut quidam γὰρ conjunctionem post verbum γέγραπται, quam, præter nostra, octo Parisiensium exemplaria omittunt, suffragantibus similiter Latina & Syrica editionibus. v. 11. ϗ ὅτι ἐπὶ χειρῶν] Quidam transfodiunt conjunctionem ὅτι, ut non legitur in Psalmo, neque hic Syriace. Cæterum Interpres Latinus eam hoc loco legit. v. 22. ϗ ἐθαύμαζον] Sextus codex addit οἱ ὄχλοι *turbæ*, superflue. v. 35. εἰς μέσον] Sequitur in secundo exemplari ϗ ἀνακραύγασεν *& exclamasset*, quod ex Mar. 4. v. 26. acceptum videtur. v. 36. τοῖς ἀκαθάρτοις πνεύμασιν] Exemplar sextum pro πνεύμασι scribit δαίμοσι, qua in re est singulare. v. 38 εἰς τὴν οἰκίαν Σίμωνος] Secundum exemplar addit ϗ Ἀνδρέου, ex Marco, contra omnium fidem. v. 41. ἐξήρχετο δὲ ϗ δαιμόνια] Male addit quartus codex πολλὰ *multa.*

CAP. V. v. 5. ἐπιστάτα] Secundus codex scribit διδάσκαλε, quæ interpretatio est veræ lectionis. ibid. χαλάσω τὸ δίκτυον] Exemplaria δ. η. legunt numero plurali τὰ δίκτυα *retia.* v. 7. ὥστε βυθίζεσθαι αὐτά] Secundus codex addit παρά τι *pene*, cum Syro & quibusdam Latinis codicibus. v. 17. εἰς τὸ ἰᾶσθαι αὐτοὺς] Ita est etiam tam Syriace quam Latine, necnon apud enarratorem Euthymium manifeste. Annotat porro quidam, se legisse in uno codice αὐτὸν pro αὐτοὺς, eamque putat germanam esse lectionem, ut αὐτὸν referat Ἰησοῦν, & a parte anteriori construatur, hoc sensu: Adfuissem illic virtute Domini, ut ipse Jesus sanaret eos, nempe qui opus habebant. v. 19. ϗ μὴ εὑρόντες ποίας] Meliores libri hoc modo legunt, omisso διὰ (διὰ ποίας) quod addunt alii. v. 22. ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν] Secundus codex addit πονηρά, sequutus errorem scribarum Latinorum, potius quam Matthæi evangelium. Vide Latinas varietates. v. 24. εἶπε τῷ παραλελυμένῳ] In octavo codice est τῷ παραλυτικῷ. v. 25. ἄρας ἐφ' ᾧ κατέκειτο] Secundi Exemplaris scriptor dedit ἄρας τὴν κλίνην, imitatus quorundam Latinorum librorum lectionem. Vide Latinas varietates. v. 30. οἱ γραμματεῖς αὐτῶν] Quidam libri omittunt αὐτῶν, conformiter Syro: sed melioribus, qui id legunt cum Euthymii textu, Latina consonant. v. 36. σχίζει, ϗ τῷ παλαιῷ οὐ συμφωνεῖ] Ita est & Latine: *Rumpit & veteri non convenit.* Porro exemplaria 2. 4. & 8. legunt futuro tempore, σχίσει, συμφωνήσει, *rumpet, conveniet.*

CAP. VI. V. 5. ϗ τοῦ σαββάτου] Sequitur in exemplari Parisiensium secundo, τῇ αὐτῇ τῇ ἡμέρᾳ θεασάμενός τινα ἐργαζόμενον τῷ σαββάτῳ, εἶπεν αὐτῷ· Ἄνθρωπε, εἰ μὲν οἶδας τί ποιεῖς, μακάριος εἶ· εἰ δὲ μὴ οἶδας, ἐπικατάρατος ϗ παραβάτης εἶ τοῦ νόμου. quod est: *Eodem die cum quendam conspexisset operantem sabbato, dixit ei; Homo, siquidem nosti quid agas, beatus es: sin autem non nosti, execrabilis es & trangressor legis.* Verum hæc ab Ecclesia non agnoscuntur. v. 6. ἐν ἑτέρῳ] Plerique libri præponunt ϗ, quod Latine etiam legitur. v. 7. παρετήρουν δὲ] Additur in aliis Græcis libris αὐτόν· quod Syriace exstat, Latine non. ibid. εἰ ἐν τῷ σαββάτῳ θεραπεύσει] Quidam addunt αὐτὸν, quod alii rectius omittunt. ibid. ἵνα εὕρωσι κατηγορίαν αὐτοῦ] Codices 3. 5. & 8. addunt κατ' (κατ' αὐτοῦ) quod si non legendum, at subaudiendum videtur. v. 9. ἐπερωτήσω ὑμᾶς] In 8. codice legitur præsenti tempore ἐπερωτῶ, ut fere Latine *interrogo.* Syriace est futurum. ibid. τί ἔξεστι] Sic est in plerisque omnibus Græcis & Syriacis libris. Porro idem ille octavus codex legit εἰ ἔξεστι, quemadmodum Latina. Vide Commentarium. ibid. ἢ ἀποκτεῖναι] Non pauci libri, Latino Syroque adstipulante, legunt ἢ ἀπολέσαι. v. 10. ὁ δὲ ἐποίησεν οὕτω] Secundum exemplar horum loco legit ϗ ἐξέτεινε. Vide Commentarium. ibid. ἡ χεὶρ αὐτοῦ ὑγιὴς] Rursus exemplar secundum omittit ὑγιὴς, quemadmodum Syrus: & quanquam adscriptum illud hic esse opiner ex Matthæo, ex illius tamen unius Græci exemplaris auctoritate, nolim Græce omitti. Vide varietates Latinas. v. 26. οὐαὶ ὅταν καλῶς εἴπωσιν ὑμᾶς οἱ ἄνθρωποι] Quidam libri addunt ὑμῖν post οὐαὶ & πάντες ante οἱ ἄνθρωποι, sed nulli ex antiquis Parisiensium. Syriace legitur ὑμῖν, sed omittitur πάντες· Latine contra, πάντες fere legitur, fere autem omittitur ὑμῖν. v. 28. προσεύχεσθε ὑπὲρ] Quidam libri præmittunt ϗ conjunctionem, quemadmodum Syrus. v. 37. ϗ μὴ κρίνετε] Quintum & septimum Parisiensium exemplaria, conformia Latino & Syro, omittunt conjunctionem καί. v. 39. εἶπε δὲ παραβολὴν] Octavus codex addit ϗ παραβολὴν, quemadmodum est Latine.

CAP. VII. V. 11. ϗ ἐγένετο ἐν τῇ ἑξῆς] Octavus codex habet ἐν τῷ ἑξῆς, ut subaudias καιρῷ, juxta id quod Latinus Interpres vertit *Deinceps.* Receptæ lectioni favet Syrica editio, exprimens vocem ἡμέρᾳ· *Et factum est die postero.* ibid. οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ ἱκανοὶ] Secundus & octavus codices omittunt ἱκανοὶ, quemadmodum Latini & Syriaci. v. 15. τὸν λαὸν αὐτοῦ] Tertius & quintus codices addunt εἰς ἀγαθὸν, quod non est hujus loci. v. 18. περὶ πάντων τούτων] Sextus codex addit τῶν ἔργων αὐτοῦ, ex Commentario aliquo. v. 24. τῶν ἀγγέλων Ἰωάννου] Tres libri pro τῶν ἀγγέλων legunt μαθητῶν, 3. 5. 6. Huic lectioni Syrus, illi Latinus adstipulatur. v. 27. οὗτός ἐστι περὶ οὗ] Exemplar sextum addit γὰρ ex Matthæo. v. 28. μείζων ἐν γεννητοῖς γυναικῶν προφήτης] Exemplaria 3. 5. & 8. omittunt vocem προφήτης, quam & Theophylactus omisisse videtur, ut nec legitur apud Euthymium. Atqui cum plerisque omnibus Græcis libris, agnoscunt eam Latinus & Syrus veteres Interpretes, & inter veteres tractatores Ambrosius. Videri possit omissa fuisse ab eis qui Johannis laudem amplificare studuerint, præsertim cum Matthæus, cujus scriptura celebrior esset, nihil hujusmodi restrictionis addiderit. v. 31. τίνι οὖν ὁμοιώσω] Omnia Parisiensium Græca exemplaria, suffragantibus Syricis multisque Latinis, concorditer omittunt, id quod alia quædam his verbis præponunt εἶπε δὲ ὁ κύριος· v. 41. δύο χρεωφειλέται] Secundum exemplar præmittit ὁ δὲ εἶπε· quod non esse legendum, sed subaudiendum, cætera exemplaria Græca cum Latinis docent, tametsi Syrus expresserit: *Dixit ei Jesus.* v. 45. αὕτη δὲ ἀφ' ἧς εἰσῆλθον] Legendum ut 6. & 14. codices, εἰσῆλθεν tertia persona, pro eo quod in plerisque omnibus est libris εἰσῆλθον, prima. Vide Latinas varietates.

CAP. VIII. V. 1. κατὰ πόλιν ϗ κώμην] Contra omnium fidem est in quarto codice χώραν pro κώμην. ibid. ϗ οἱ δώδεκα σὺν αὐτῷ] Male addit quintus codex ἀπόστολοι. v. 2. αἳ ἦσαν τεθεραπευμέναι] Nihilo majoris momenti est quod sequitur in sexto antigrapho ἀπὸ νόσων ϗ μαστίγων ϗ· hæc enim in eo comprehenduntur quod mox sequitur ϗ ἀσθενειῶν. v. 3. αἵτινες διηκόνουν αὐτῷ] Exemplaria 4. 7. 9. 12. & 14. pro singulari αὐτῷ, legunt plurale αὐτοῖς, cum Syro. Latina editio & ipsa nonnihil variat. v. 5. κατεπατήθη αὐτὸ] Euthymii textus præponit ϗ pro *etiam*, quod alibi non lego. v. 9. λέγοντες τίς εἴη ἡ παραβολὴ αὕτη] Plerique libri præponuat λέγοντες, quod omittitur a 2. & 8. exemplaribus, adstipulantibus editionibus Latina & Syra: nec videtur loco convenire, nisi pro εἴη legas ἐστι, ita ut sit recta oratio. v. 18. δοθήσεται αὐτῷ] Exemplar secundum subjungit ϗ περισσευθήσεται, quod non est hujus loci, sed Matthæi 13. v. 12. v. 20. ϗ ἀπηγγέλη αὐτῷ λεγόντων] Unus Græcus codex omittit λεγόντων cum Latino Interprete. Duo alii legunt αὐτῶν pro αὐτῷ, ut sit *ipsis dicentibus.* Syrus horum loco aliud non habet quam, *Et dixerunt illi.* v. 24. ἐπιστάτα] Plerique Græci codices, suffragantibus Syricis, geminant nomen ἐπιστάτα, quemadmodum fieri solet ab iis qui in extremo periculo constituti citam alicujus opem implorant. Porro Græcus Regii operis textus, & alii quidam, ut Latina editio, semel scripsisse contenti sunt. ibid. καὶ ἐπαύσαντο] Ita numero inquam multitudinis, fere legunt codices Græci, suffragantibus Syricis. Duo autem, tertius & quintus, ita ut Latine est, ἐπαύσατο habent, numero singulari. ibid. καὶ ἐγένετο γαλήνη] Non est addendum μεγάλη, quod in quibusdam hic legitur, ex prioribus Evangelistis assumptum. v. 26. εἰς τὴν χώραν τῶν Γαδαρηνῶν] In 8. exemplari est Γεργεσηνῶν, in secundo Γερασηνῶν, ex arbitrario arbitraria, quod existimo, emendatione: tametsi 8. exemplar sibi constet infra ver. 37. & utrumque Marc. 5. v. 1. ubi hac de varietate latius. v. 31. εἰς τὴν ἄβυσσον ἀπελθεῖν] In sexto & nono est εἰσελθεῖν, erronee, quod arbitror. v. 32. ἀγέλη χοίρων ἱκανῶν βοσκομένων] Ita est & Latine: *Grex porcorum multorum pascentium.* Porro secundus, tertius & quintus codices habent βοσκομένη *pascens*, quo modo etiam Syrum scriptum & versum est. v. 34. τὸ γινόμενον] In aliis est τὸ γεγενημένον. v. 42. οἱ ὄχλοι συνέπνιγον αὐτὸν] In octavo codice eſt συνέθλιβον. v. 43. ἥτις ἰατροῖς προσαναλώσασα] Ita legitur in optimis quibuſque libris, pro eo quod in aliis ἥτις εἰς ἰατρούς. v. 51. οὐδένα εἰμὴ Πέτρον] Octavus codex addit οὐδένα σὺν αὐτῷ *neminem ſecum*, conformiter Latino. ibid. ϗ Ἰωάννην ϗ Ἰάκωβον] Ab aliis libris præponitur Jacobus: qui ordo Latinis & Syricis libris conſonat. ibid. ϗ τὸν πατέρα τῆς παιδὸς] In ſecundo exemplari eſt τοῦ κορασίου. v. 52. οὐκ ἀπέθανε] Sic legitur etiam Latine. Octavum exemplar habet οὐ γὰρ ἀπέθανεν, *non enim mortua eſt*. v. 54. ἐκβαλὼν ἔξω πάντας ϗ] Secundum & octavum exemplaria, omiſſis his verbis, legunt αὐτὸς δὲ κρατήσας. Latino conſentanee: qua de re latius in Commentario.

CAP. IX. V. 1. τοὺς δώδεκα μαθητὰς αὐτοῦ] Octavus codex pro μαθητὰς habet ἀποστόλους, quemadmodum Latina editio. Syrus neutrum habet. v. 3. μήτε ῥάβδους] Rurſus 8. codex conformiter Latino legit ῥάβδον numero ſingulari. V. 4. ϗ ἐκεῖθεν ἐξέρχεσθε] Quemadmodum eſt Latine unus codex qui omittat negationem: ita Græce unus (θ) qui addat ϗ ἐκεῖθεν μὴ ἐξέρχεσθε. v. 11. ἰᾶτο] In 6. & 8. codicibus eſt ἰάσατο. v. 15. ϗ ἀνέκλιναν ἅπαντας] In aliis pro quarto caſu eſt primus ἅπαντες. Vide Latinas varietates. v. 16. εὐλόγησεν αὐτοὺς] Rejiciendum eſt illud quod additur a 2. exemplari προσηύξατο ϗ εὐλόγησεν *oravit & benedixit*: nullius eſt enim auctoritatis. v. 17. ϗ ἤρθη τὸ περισσεῦσαν. In 2. & 4. eſt τὸ περίσσευμα, quod idem unum eſt. v. 23. καθ' ἡμέραν] Græcorum librorum, alii legunt particulam hanc; alii, primus, 4. 7. 9. 12. 14. demunt. His ſuffragantur enarratores Theophylactus & Euthymius, dum non attingunt: illis volunt veteres interpretes Latinus & Syrus, qui expreſſerunt. v. 31. τὴν ἔξοδον αὐτοῦ] D. Chryſoſtomus homilia in Matthæum 57. legit & exponit τὴν δόξαν αὐτοῦ. Euthymius notat ita legi in quibuſdam exemplaribus, exponens & ipſe, qui crux gloria fuerit Chriſti. Atqui vetus hoc fuiſſe mendum, ſatis loquuntur conſonantia hodie exemplaria Græca, conſpirantibus Latina & Syrica editionibus. v. 35. ὁ ἀγαπητὸς] Exemplaribus 6. & 8. additum eſt hic ex Matthæo ἐν ᾧ εὐδόκησα. v. 39. ϗ ἐξαίφνης κράζει] Subdit exemplar ſecundum ϗ ῥήσσει, ut Latinæ editioni reſpondeat, quæ ſimiliter ſubjicit *& elidit*. Cæteroqui non eſt iſtud ſive Græce ſive Syriace, viderique poſſit Latine huc eſſe adjectum ex ver. 42. ſubſequente. ibid. ſυντρίβον αὐτὸν] Minus probatur quod in quibuſdam codicibus eſt συντρίβοντος αὐτόν. v. 43. οἷς ἐποίησεν] Exemplar 8. ſcribit οἷς ἐποίει ut propius reſpondeat Latino, quaſi aoriſtus non poſſit imperfecto reddi. v. 47. ὁ δὲ Ἰησοῦς ἰδὼν] In quibuſdam codicibus eſt εἰδὼς *cum cognoviſſet*, quo modo & Syrus vertit *idah*. Atqui vulgaris lectio Latino conſonat. v. 50. μὴ κωλύετε] Sequitur in codicibus ſexto & 8. οὐ γάρ ἐστι καθ' ἡμῶν *Non enim eſt adverſum nos*: quod ſuperfluum eſſe non dubium eſt. v. 52. εἰς κώμην Σαμαρειτῶν] Ita eſt etiam Syriace. Codex nonus pro κώμην legit πόλιν, quemadmodum eſt Latine. v. 59. ἐπίτρεψόν μοι ἀπελθόντι] Quod exemplaria tertium, quartum, quintum & nonum, pro ἀπελθόντι legunt ἀπελθεῖν, Evangelii ſecundum Matthæum eſt. v. 62. ϗ βλέπων εἰς τὰ ὀπίσω] In tribus libris pro βλέπων eſt στραφείς.

CAP. X. V. 1. ϗ ἑτέρους ἑβδομήκοντα] & v. 17. ὑπέστρεψαν δὲ οἱ ἑβδομήκοντα] Hæc eſt conſtans lectio Græcorum librorum, niſi quod unus eorum quos invenerimus, priori loco, alter poſteriori, ſcribit ἑβδομήκοντα δύο, ut Latini libri. Lege Notationes olim a nobis editas. v. 11. ἐκ τῆς πόλεως ὑμῶν] Quod ſequitur in exemplaribus, ſecundo, tertio, quinto, & octavo, εἰς τοὺς πόδας ἡμῶν, quamvis legatur apud Syrum, non videtur tamen hujus eſſe loci, ſed Matth. 10. v. 14. vel Marci 6. ver. 11. v. 20. χαίρετε δὲ] Non addas μᾶλλον. v. 21. ἠγαλλιάσατο τῷ πνεύματι] Exemplaria Græca 2. 3. & 8. addunt ἁγίῳ, ut Syriaca & integriora Latina. Vide Latinas varietates. v. 22. πάντα μοι παρεδόθη] Ante hæc verba legunt plerique Græci codices cum Syricis ϗ στραφεὶς πρὸς τοὺς μαθητὰς εἶπε *Et converſus ad diſcipulos dixit*, Cæterum octavus Pariſienſium codex & noſter Regius, cum Latina editione, ea non agnoſcunt. Ac videri poſſint in textum relata, ex alicujus ad marginem adnotatione, volentis docere, eadem hic ſubaudienda, quæ mox verſu 23. exprimuntur: cum tamen potius, ex eo quod illic ſequantur, intelligere hic oporteat, Salvatorem, non ad diſcipulos ſe convertiſſe, ſed manſiſſe vultu ad Patrem in cœlos defixo. v. 23. κατ' ἰδίαν εἶπε] Secundus codex omittit κατ' ἰδίαν ut Latini, & ejus loco legit αὐτοῖς. Vide Commentarium. v. 36. παρὰ τοὺς πόδας τοῦ Ἰησοῦ, ἤκουε τὸν λόγον αὐτοῦ]: Pro Ἰησοῦ in octavo codice eſt κυρίου, quemadmodum Latine & Syriace; Pro quarto caſu τὸν λόγον in α. ε. θ. ιδ. eſt ſecundus pluralis τῶν λόγων. v. 41. ϗ τυρβάζῃ] Octavus ϗ θορυβάζῃ.

CAP. XI. V. 2. γενηθήτω τὸ θέλημά σου, ὡς ἐν οὐρανῷ ϗ ἐπὶ τῆς γῆς] Exemplar Bibliothecæ Vaticanæ omittit hanc partem, conformiter editioni Latinæ. v. 4. ϗ γὰρ αὐτοὶ ἀφίεμεν] Sunt qui addant ϗ, hoc modo, ϗ γὰρ ϗ αὐτοὶ, *etenim & ipſi*. v. 5. ϗ εἴπῃ αὐτῷ] Exemplaria 2. 3. 5. & 6. pro εἴπῃ ſcribunt futurum indicativi ἐρεῖ, quod & Latine legitur. v. 8. ὅσων χρήζει] Exemplaria Pariſienſium omnia, pro genitivo plurali ὅσων, ſcribunt accuſativum ſingularem ὅσον· utrique enim caſui jungitur χρήζω, ſed cum illo vertendum potius *quotquot opus habet*, cum hoc *quotquot eſt*. v. 10. ϗ τῷ κρούοντι ἀνοιγήσεται] Secundus codex, pro ἀνοιγήσεται, legit præſens ἀνοίγεται *aperitur*. v. 11. τίνα δὲ ὑμῶν τὸν πατέρα] In quibuſdam codicibus legitur pro quarto primus caſus, τίς δὲ ὑμῶν τὸν πατέρα, quemadmodum Latine. v. 13. ὁ πατὴρ ὁ ἐξ οὐρανοῦ] Sextus codex addit pronomen ſecundæ perſonæ ὁ πατὴρ ὑμῶν, quod etiam Latine & Syriace legitur. ib. πνεῦμα ἅγιον] Exemplaria 6. & 8. pro ἅγιον *ſanctum*, quod Græce & Syriace vulgo legitur, habent ἀγαθὸν *bonum*, cum Latina editione. Verſui 15. finienti in hæc verba ἐκβάλλει τὰ δαιμόνια, quatuor libri ſubjiciunt καὶ ἀποκριθεὶς εἶπε, πῶς δύναται σατανᾶς σατανᾶν ἐκβάλλειν; quod non eſt hujus loci, ſed ex Marco acceptum cap. 3. v. 23. v. 22. ϗ τὰ σκῦλα αὐτοῦ διαδίδωσι] Tertium exemplar pro τὰ σκῦλα *ſpolia*, ſcribit τὰ σκεύη *vaſa*: id quod eſt ex aliis Evangeliſtis huc adſumtum. v. 29. ἡ γενεὰ αὕτη πονηρά ἐστι.] Exemplaria 6. & 8. conſentanee editioni Latinæ, addunt alterum γενεὰ (ἡ γενεὰ αὕτη πονηρά ἐστι.) Alii Græci libri omittunt poſterius γενεὰ cum textu Syrico. v. 33. εἰς κρυπτὴν τίθησιν] Omnia Pariſienſium exemplaria antiqua, cum Regia, pro adjectivo κρυπτὸν *occulto* ſeu *abſcondito*, legunt ſubſtantivum κρυπτὴν *cryptam*. v. 34. φωτεινόν ἐστιν] Exemplar tertium, pro præſenti ἐστὶν *eſt*, habet futurum ἔσται *erit*, quomodo Latine & Syriace legimus. Illud idem cum quinto, in fine hujus verſiculi, poſt vocem σκοτεινὸν, addit ἔσται *erit*, ſicut Latina & Syra: id quod alia exemplaria Græca relinquunt ſubaudiendum. v. 38. ὁ δὲ φαρισαῖος ἰδὼν, ἐθαύμασεν ὅτι οὐ πρῶτον ἐβαπτίσθη] Exemplar ſecundum habet ὁ δὲ Φαρισαῖος ἤρξατο διακρινόμενος ἐν ἑαυτῷ λέγειν, διατί οὐ πρῶτον ἐβαπτίσθη, quæ fuit lectio veteris Interpretis. v. 41. πλὴν τὰ ἐνόντα] Sequitur adjectum in tribus exemplaribus πάντα, quod cum aliis nec Latina aut Syra agnoſcunt. ibid. καθαρὰ ὑμῖν ἐστι] Futurum ἔσται, quod legitur in 6. codice, explicatio eſt præſentis ἐστι. v. 42. ταῦτα ἔδει ποιῆσαι] Exemplaria 6. & 8. addunt conjunctionem δὲ *autem*, quemadmodum Latina & Syra editiones, quam alia exemplaria omittunt. v. 44. οὐαὶ ὑμῖν γραμματεῖς ϗ φαρισαῖοι ὑποκριταὶ, ὅτι ἐστὲ ὡς τὰ μνημεῖα] Sic legitur, non tantum Græce, ſed & Syriace. Manuſcriptum η. conformiter Latinæ editioni, omittit hæc verba γραμματεῖς ϗ φαρισαῖοι ὑποκριταὶ, quæ veriſimile eſt addititia eſſe, qua de re lege Commentarium. v. 51. ἀπὸ τοῦ αἵματος Ἄβελ] Sequitur τοῦ δικαίου in codicibus tertio, quarto, quinto, quod non eſt hujus loci, ſed Matt. 23. v. 35. v. 52. ὅτι ἤρατε] In exemplari ſecundo pro ἤρατε eſt ἐκρύψατε *abſcondiſtis*, qui eſt ſenſus germanæ lectionis. v. 53. δεινῶς συνέχειν] Regius textus ex Complutenſi, pro ἐνέχειν, quod in pleriſque eſt, habet συνέχειν. ibid. ἀποστοματίζειν] Quartus & octavus codices ἀποστομίζειν· quidam Euthymii Interprete annotante ἐπιστομίζειν.

CAP. XII. V. 7. πολλῶν στρουθίων διαφέρετε ὑμεῖς] Codices, quintus, quartus, primus, & ex hoc Regius, addunt ὑμεῖς, quod videri poſſit huc adſcriptum ex Matthæo 10. ver. 13. v. 15. ἀπὸ τῆς πλεονεξίας] Exemplaria 2. & 8. pro articulo τῆς, ſcribunt nomen πάσης, conformiter editionibus Syriacæ & Latinæ. ibid. τινὶ ἡ ζωὴ αὐτοῦ] In 4. 7. 12. & 14. pro ſecundo caſu αὐτοῦ, eſt tertius αὐτῷ. v. 18. πάντα τὰ γεννήματά μου] Octavus codex ſcribit πάντα τὸν σῖτόν μου, qua in re eſt ſingulare. v. 21. ϗ μὴ εἰς θεὸν πλουτῶν] Sequitur in exemplaribus γ. δ. ς. ζ. & θ. ταῦτα λέγων ἐφώνει, ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω· quod nec Latine nec Syriace exſtat hoc loco. v. 23. ἡ ψυχὴ πλεῖόν ἐστι] Exemplaria 5. & 6. præponunt οὐχὶ *nonne*, ex Matth. 6. v. 25. haud dubie huc adſcriptum. v. 31. ϗ ταῦτα πάντα] Non videtur omittendum πάντα, tametſi a 6. 8. & 9. exemplaribus abſit. v. 56. πῶς οὐ δοκιμάζετε] Octavum exemplar habet πῶς οὐκ οἴδατε δοκιμάζειν; v. 59. ϗ τὸ ἔσχατον λεπτὸν] Ita eſt & in omnibus Pariſienſium codicibus: in aliis eſt neutro genere τό.

CAP. XIII. V. 5. ἀλλ' ἐὰν μὴ μετανοῆτε] In quibuſdam libris, pro præſenti, eſt aoriſtus μετανοήσητε, quemadmodum Latina *pœnitentiam egeritis*. v. 7. ἰδοὺ τρία ἔτη] Subdit octavus codex ἀφ' οὗ, ut exprimat id quod Latine legitur *ex quo*: quemadmodum mox ubi ſequitur ἔκκοψον αὐτὴν, addit οὖν, quia Latine eſt *ergo*. ibid. ἱνατί ϗ τὴν γῆν καταργεῖ] Quartum exemplar habet ἵνα μὴ ϗ τὴν γῆν καταργῇ, *Ne etiam terram occupet*. v. 8. ϗ βάλω κόπρια] Ita eſt & in omnibus Pariſienſium: in aliis eſt generis fœminini numero ſingulari κοπρίαν. v. 15. ὑποκριταὶ] In aliis libris legitur numero ſingulari ὑποκριτὰ, conſentiente Syro: plurale autem ab Euthymio diſerte explicatur. v. 24. διὰ τῆς στενῆς πύλης] Secundus codex cum 8. pro πύλης legit θύρας, contra aliorum omnium fidem. v. 25. ἀφ' οὗ ἂν ἐγερθῇ] Pro ἐγερθῇ eſt εἰσέλθῃ in ſecundo, ut Latine *intraverit*. v. 34. τοὺς ἀπεσταλμένους πρὸς αὐτὴν] Quidam in uno codice legit participium præſens ἀποστελλομένους, quo modo eſt Latine. v. 35. ἰδοὺ ἀφίεται ὑμῖν ὁ οἶκος ὑμῶν ἔρημος] Manuſcripta 3. 4. 5. 6. 7. 8. omittunt vocem ἔρημος, adſtipulantibus Euthymio & Theophylacto, tamquam huc adjectam ex ſimili loco Matthæi, cap. 23. v. 37. Vide Latinas varietates.

CAP. XIV. V. 5. ϗ ἀποκριθεὶς πρὸς αὐτοὺς εἶπε] Exemplaria 2. 3. 4. 8. omittunt ἀποκριθεὶς conformiter Syro, quod alia legunt conſentanee Latino. ibid. τίνος ὑμῶν ὄνος ἢ βοῦς] Codices 4. 6. 7. 12. & 14. pro ὄνος *aſinus*, legunt υἱὸς *filius*, ſuffragante Syro, & Enarratoribus Tito ac Theophylacto. Euthymius porro alteri lectioni favet; ut & Latina editio. v. 15. ὃς φάγεται ἄριστον] Regium ex Complutenſi & reliqua omnia Pariſienſium exemplaria ſcribunt ἄριστον *prandium*, quomodo etiam legitur apud Euthymium & Theophylactum. Porro alia exemplaria ſcribunt ἄρτον *panem*, conſonantibus editionibus Latina & Syra. v. 24. μου τοῦ δείπνου] Sequitur in 3. 6. 7. & 9. codicibus πολλοὶ γάρ εἰσι κλητοὶ, ὀλίγοι δὲ ἐκλεκτοί; ſed ſuperflue: non enim eſt hujus loci.

CAP. XV. V. 10. χαρὰ γίνεται] Secundus pro γίνεται habet ἔσται, ut Latine non ſolum, verum etiam ut Græce ſupra v. 7. nam & Latine utrobique eſt futurum *erit*, Syro conſentiente. v. 17. ἐγὼ δὲ λιμῷ ἀπόλλυμαι] Octavus interjicit ὧδε *hic*, ſuffragante Latino & Syro. v. 19. ϗ οὐκέτι εἰμὶ ἄξιος] Exemplaria γ. ε. ς. η. omittunt ϗ conjunctionem, quam Syriaca editio addit, nam Latina variat. v. 21. ϗ οὐκέτι] Et hic β. & ε. omittunt ϗ conjunctionem, idque conformiter editioni Latinæ, in qua nullam hoc loco varietatem inveni: nam Syriaca addit ut ſupra. v. 22. ἐξενέγκατε] Exemplaria præponunt adverbium ταχέως *cito*, ut editio Latina. v. 26. ἕνα τῶν παίδων] Nec δούλων addendum eſt, nec αὐτοῦ, quæ neque vel a Latina vel a Syriaca editione agnoſcuntur.

CAP. XVI. V. 6. ἑκατὸν βάτους ἐλαίου] Exemplaria 2. & 8. pro βάτους ſcribunt κάδους, ut eſt Latine *cados*; Syrus *metretas*. Metreta nomen eſt Græcum, batus Hebraicum, cadus tribus linguis commune, unius ejuſdemque menſuræ. v. ὅτι οἱ υἱοὶ τοῦ αἰῶνος τούτου] Secundus codex his verbis præponit διὸ λέγω ὑμῖν *propterea dico vobis*, quod alibi non legitur. v. 19. ἄνθρωπος δέ τις ἦν] Rurſus ſecundus codex his verbis præponit εἶπε δὲ ϗ ἑτέραν παραβολὴν, & conſequenter omittit conjunctionem δέ· quæ profecto manifeſte adulterina ſunt.

CAP. XVII. V. 1. πρὸς τοὺς μαθητὰς] Addit αὐτοῦ *ſuos*, quod Latine quoque & Syriace legitur, in tribus exemplaribus Græcis, ut quidam annotat. v. 2. εἰ μύλος ὀνικὸς] In exemplaribus ſecundo, 6. & 8. eſt εἰ λίθος μυλικός. Huic lectioni Latina, illi Syra ſuffragantur. v. 3. ἐὰν δὲ ἁμάρτῃ] Quintum exemplar omittit δὲ *autem*, adſtipulantibus editionibus Syrica & Latina. v. 4. ἐπιστρέψῃ ἐπί σε] Quidam libri omittunt ἐπί σε. quod in aliis legitur conformiter Latino ac Syro. v. 7. εἰσελθόντι ἐκ τοῦ ἀγροῦ] Quartus codex pro εἰσελθόντι habet ἐλθόντι. v. 23. ἢ ἰδοὺ ἐκεῖ] Non eſt addendum ὁ Χριστὸς poſt ἐκεῖ. v. 36. δύο ἔσονται ἐν τῷ ἀγρῷ, ὁ εἷς παραληφθήσεται, ϗ ὁ ἕτερος ἀφεθήσεται] Hoc Regia Biblia ex Complutenſibus legunt, cum quatuor aliis Pariſienſium codicibus β. γ. ς. ζ. ſuffragante Syriaca editione. Complures autem Græci codices omittunt, ſuffragantibus enarratoribus, Euthymio, Theophylacto, & Auctore operis in Matthæum imperfecti. Et hi quidem, Auctor imperfecti atque Euthymius, in Matthæum ſcribentes, annotant Matthæum poſuiſſe duos in agro, pro eo quod Lucas duos in lecto. Eadem varietas eſt in libris Latinis. v. 37. ὅπου τὸ σῶμα] In aliis libris eſt πτῶμα· ſed veram lectionem eſſe σῶμα, & hoc quidem Lucæ, illud Matthæi eſſe, teſtatur Euthymius. ibid. ϗ οἱ ἀετοὶ] Alii libri omittunt ϗ. Vide Latinas varietates.

CAP. XVIII. V. 8. ναὶ λέγω ὑμῖν] Plerique libri omittunt ναὶ, conformiter Latinis & Syricis. v. 9. εἶπε δὲ πρός τινας] Alii libri interponunt ϗ cum Latinis, alii omittunt cum Syricis. v. 13. εἰς τὸ στῆθος αὐτοῦ] Exemplaria 3. & 8. omittunt εἰς præpoſitionem. v. 14. ἢ γὰρ ἐκεῖνος] A quibuſdam omittitur γὰρ, a 2. & 8. legitur παρ' ἐκεῖνον. v. 22. πάντα ὅσα ἔχεις] Non eſt præponendum ὕπαγε, quod in tertio codice legitur ex prioribus Evangeliis, quanquam etiam Syriace apud Lucam exſtet. v. 31. τῷ υἱῷ τοῦ ἀνθρώπου] Exemplar 2. imitatum editionem Latinam, ſcribit περὶ τοῦ υἱοῦ.

CAP. XIX. V. 21. ϗ θερίζεις ὃ οὐκ ἔσπειρας] Exemplar ſextum addit ϗ συνάγεις ὅθεν οὐ διεσκόρπισας, quemadmodum & verſu 22. proximo addit ϗ συνάγων ὅθεν οὐ διεσκόρπισα· verum illud haud dubium ex Matthæo huc tranſlatum eſt, qui hoc ſcripſit loco ejus quod habet Lucas αἴρεις ὃ οὐκ ἔθηκας, αἴρων ὃ οὐκ ἔθηκα. v. 23. τοῖς τραπεζίταις] Sic Regia Biblia ex Complutenſibus. Alii libri hujus loco legunt, quod Latino Syroque conforme eſt, ἐπὶ τὴν τράπεζαν. v. 26. δοθήσεται] Exemplar 9. addit ϗ περισσευθήσεται, quod non eſt hujus Evangelii, ſed illius quod ſecundum Matthæum cap. 13. v. 12. & 25. v. 29. v. 32. καθὼς εἶπεν αὐτοῖς] Sextus codex addit, quod Latine additur, ἑστῶτα τὸν πῶλον *ſtantem pullum*. v. 46. οἶκος προσευχῆς ἐστιν] In octavo codice, pro præſenti ἐστιν, quod Latino conſonat & Syro, legitur futurum ἔσται.

CAP. XX. V. 1. τῶν ἡμερῶν ἐκείνων] Non omittas ἐκείνων, tametſi exemplaria, ſecundum, quartum, & octavum, cum Latina editione, omittant. ibid. οἱ ἀρχιερεῖς] Non mutes cum ἱερεῖς, tametſi nonnulli codices id faciant. v. 2. λέγοντες] Non eſt omittendum ex fide unius β. tametſi Syrica editio conſentiat. v. 19. ϗ ἐφοβήθησαν] Multi libri addunt vocem τὸν λαόν· quam ſex Pariſienſium exemplaria, & ex Complutenſibus Regia, omittunt: quanquam & Latinus & Syrus Interpretes eam legerint. v. 20. ἵνα ἐπιλάβωνται αὐτοῦ λόγου] In 2. codice eſt numero plurali τῶν λόγων. v. 21. ϗ οὐ λαμβάνεις πρόσωπον] Rurſus in 2. Codice pro οὐ eſt οὐδενός· Latine tamen & Syriace nihil amplius eſt quam οὐ *non*. v. 24. ἐπιδείξατέ μοι δηνάριον] Sequitur in 3. 4. 5. & 8. exemplaribus, οἱ δὲ ἔδειξαν. ϗ εἶπε] *Illi autem oſtenderunt. Et ait.* quæ adjectitia eſſe, manifeſtum vel ex eo fit, quod nec a Latinis & Syris agnoſcantur. v. 35. οὔτε ἐκγαμίσονται] Ita eſt in Regiis ἐκγαμίσονται futurum, a præſenti, ſive ἐκγαμίζονται, ſive ἐκγαμίσκονται, quod eſt in pleriſque libris, Syro conformiter. Latina variant. v. 47. ϗ προφάσει μακρᾷ προσεύχονται] Citra dubium ſcribendum eſt adverbium μακρὰ, non, quod in Regiis & pleriſque eſt libris, nomen μακρᾷ.

CAP. XXI. Verſui quarto ſubjicitur a nono & 14. exemplaribus ταῦτα λέγων ἐφώνει, ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω] Verum id alius non legit hoc loco. v. 16. ϗ ὑπὸ γονέων, ϗ συγγενῶν, ϗ φίλων, καὶ ἀδελφῶν] In aliis is eſt ordo, ut ἀδελφῶν ponatur proxime poſt γονέων, probatus etiam Latinis ac Syris. v. 25. ἐν ἀπορίᾳ] Euthymius legiſſe videtur ἐν ἀποῤῥοίᾳ, jungens ſequentibus, hoc ſenſu: Per defluxum reſonante mari ac fluctu. *Defluxum*, inquit, *dicit*, *Tranquillitatem ventorum*: *Nam abſque ventis reſonabit præter naturam mare ac fluctus ejus.* v. 26. ἐν τῇ οἰκουμένῃ] Alii libri omittunt ἐν præpoſitionem, Latino conſentanee. v. 24. ϗ αἰφνίδιος] Exemparia 3. 5. 6. legunt adverbium αἰφνιδίως. v. 36. ἐκφυγεῖν πάντα] Alii libri addunt ταῦτα πάντα, prout etiam Latini.

CAP. XXII. V. 5. ἀργύριον δοῦναι] Exemplaria 3. 6. & 14. pro ſingulari ἀργύριον, legunt plurale ἀργύρια, id quod prope accedit ad Matthæum ſcribentem τριάκοντα ἀργύρια. v. 30. ἐν τῇ βασιλείᾳ μου] Hoc omittunt quidam Græci libri, quinque Pariſienſium, ſuffragantibus Euthymii & Theophylacti commentariis: ſed pleriſque qui addunt, adſtipulantur editiones Syriaca & Latina. ibid. ϗ καθίσησθε ἐπὶ θρόνων] Omnia Pariſienſium exemplaria, & ex Complutenſi Regium, ſcribunt futurum indicativi καθίσεσθε· atqui conjunctivus καθίσησθε, ut quadrare aptius videtur, ita reſpondet editioni Latinæ. Mox decimusſextus codex, voci θρόνων præponit δώδεκα, ſed quod alibi non inveniatur. v. 34. πρὶν ἢ τρὶς ἀπαρνήσῃ] In tribus codicibus, 3. 5. & 12. pro πρὶν ἢ *priuſquam*, legitur ἕως οὗ *uſque quo*, quod eſt Evangelii ſecundum Johannem cap. 13. ver. 38. v. 36. ὁ ἔχων βαλάντιον, ἀράτω] Secundum exemplar legit futurum indicativi ἀρεῖ, contra alia omnia. ibid. πωλήσει τὸ ἱμάτιον αὐτοῦ, καὶ ἀγοράσει μάχαιραν] Regium exemplar ex Complutenſi, cum ſex aliis Pariſienſium, legit futura indicativi, πωλήσει, ἀγοράσει· ſed imperativa πωλησάτω ac ἀγορασάτω, reſpondent, & Græcorum commentariis, & editioni Latinæ. v. 41. εἰ βούλει παρενεγκεῖν] Exemplaria ſecundum & 5. pro infinitivo, legunt imperativum παρένεγκε, ſimiliter Latinæ editioni. v. 47. φιλῆσαι αὐτὸν] Quod ſequitur in Bibliis Regiis τοῦτο γὰρ σημεῖον δεδώκει αὐτοῖς, ὃν ἂν φιλήσω, αὐτός ἐστι, quanquam Syriace legatur, in pleriſque tamen omnibus Græcis libris haud exſtat, ut nec Latina editio agnoſcit. Veriſimile eſt, ex prioribus Evangeliſtis, huic, ad marginem, commentarii loco, adſcriptum, in textum tandem relatum eſſe. v. 61. ὅτι πρὶν ἀλέκτορα φωνῆσαι] Non addas σήμερον *hodie*, quod quidam. v. 64. ϗ περικαλύψαντες αὐτὸν, ἔτυπτον αὐτοῦ τὸ πρόσωπον, καὶ ἐπηρώτων] Tertius codex non amplius habet quam ϗ περικαλύψαντες αὐτοῦ τὸ πρόσωπον, ἐπηρώτων· omittit voculas αὐτὸν & ἔτυπτον, ſed male (opinor) contra fidem Latinorum & reliquorum Græcorum codicum. Syrus ſimiliter legit voculas illas, ſed verſu ſuperiori omittit δέροντες *cædentes*. Certe videri poſſit alterum ſuperfluere, vel verſu 63. δέροντες, vel verſu 64. αὐτὸν ἔτυπτον, quanquam non facile id ſtatuendum eſt. v. 66. ϗ ἀπήγαγον αὐτὸν] Rectius in aliis libris eſt ἀνήγαγον.

CAP. XXIII. V. 1. ἤγαγεν αὐτὸν] In quibuſdam libris ſcribitur plurale ἤγαγον, quod legit Latinus Interpres. v. 2. διαστρέφοντα τὸ ἔθνος] Exemplaria 3. 5. & 8. addunt pronomen ἡμῶν, conformiter Latino & Syro, quod alia omittunt. v. 15. ἀνέπεμψα γὰρ ὑμᾶς πρὸς αὐτὸν] Sic legunt plerique omnes libri cum Latinis & Syricis. Quidam Pariſienſium γ. ε. ιδ. ſcribunt e converſo ἀνέπεμψε γὰρ αὐτὸν πρὸς ἡμᾶς *remiſit enim eum ad nos*. v. 20 προσεφώνησε] Exemplaria ſecundum & octavum addunt αὐτοῖς, quemadmodum Latine & Syriace legitur *ad eos*. v. 21. οἱ δὲ ἐπεφώνουν] In quibuſdam libris eſt ſimplex ἐφώνουν. v. 22. οὐδὲν αἴτιον θανάτου] Sic legitur etiam Latine. Exemplaria 6. & 8. pro αἴτιον legunt ἄξιον. Syrus utrumque junxit, ut paraphraſtem aliquando agit: *Nullam cauſam dignam morte*. v. 23. ϗ τῶν ἀρχιερέων] Octavum exemplar omittit iſtud, quemadmodum Latina editio: Syriaca vero legit. v. 25. ἀπέλυσε δὲ αὐτοῖς] Quidam codices omittunt αὐτοῖς, quod tamen etiam Latine & Syriace legitur. v. 41. οὐδὲν ἄτοπον ἔπραξε] Secundus codex explicat ἄτοπον per πονηρόν. v. 46. παραθήσομαι τὸ πνεῦμά μου] Pro futuro παραθήσομαι, reperitur præſens παρατίθεμαι in exemplaribus ſecundo, tertio, quinto, παρατίθεμι in ſexto & 9. ad quem modum Latinus & Syricus Interpres dederunt præſentia. v. 54. ϗ σάββατον ἐπέφωσκε] Omnia Pariſienſium exemplaria omittunt conjunctionem ϗ, neſcio quo conſilio.

CAP. XXIV. V. 18. σὺ μόνος παροικεῖς Ἱερουσαλὴμ] Sic Regius textus & ſex alia Pariſienſium exemplaria omittunt præpoſitionem ἐν, quam alii addunt. v. 21. ϗ αὐτὸς προσεποιεῖτο] In ſecundo & octavo eſt προσεποιήσατο. v. 32. καιομένη ἦν ἐν ἡμῖν] Exemplar 2. pro καιομένη *ardens*, legit κεκαλυμμένη *obtectum*.

Notæ ad Varias Lectiones Editionis Græcæ Evangelii ſecundum JOHANNEM.

CAP. I.

VErſ. 3. ϗ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν, ὃ γέγονεν. ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν] Exemplar tertium diſtinguit hoc modo ϗ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν. ὃ γέγονεν, ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν. De hac interpungendi diverſitate lege Latinas varietates: prior fere Græcorum, poſterior Latinorum Interpretum eſt, quanquam & Cyrillus poſteriorem ſequatur. v. 14. πλήρης χάριτος] Manuſcripta ſecundum & quartum, pro primo caſu πλήρης, legunt quartum πλήρη; quem & Theophylactus legiſſe videtur, cum referat ad δόξαν, non ut Nonnus & Euthymius ad λόγος. v. 26. ἐγὼ βαπτίζω ἐν ὕδατι] Codices 5. & 12. addunt ὑμᾶς: ſed quod, ut non a pleriſque Græcis, ita nec a Latinis ac Syriacis, agnoſcatur. v. 27. τοῦ ὑποδήματος] Sequitur in quinto exemplari ἐκεῖνος ὑμᾶς βαπτίσει ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρὶ, quod non eſt hujus loci, ſed Matth. 3. v. 11. v. 28. ταῦτα ἐν Βηθανίᾳ ἐγένετο] Ita legunt, ut Regia Biblia, ſic omnia Pariſienſium Græca exemplaria, præter alia alias a nobis nominata, adſtipulantibus editionibus Latina & Syriaca. Alii libri pro Βηθανίᾳ ſcribunt Βηθαβαρᾷ, quos emendatiora eſſe exemplaria Chryſoſtomus cum Theophylacto & Euthymio diſcipulis ſuis credit. Hac de varietate latius olim in Notationibus egimus. v. 39. ὥρα ἦν] Sic Regius ex Complutenſi & omnes Pariſienſium codices, omittunt conjunctionem δὲ, quam alii addunt cum Latinis & Syriacis. v. 41. εὑρίσκει οὗτος πρῶτος] Antigrapha γ. & ιδ. pro πρῶτος legunt πρῶτον, conſentiente editione Latina, & adſtipulante Græca Nonni paraphraſi. v. 42. ὁ υἱὸς Ἰωνᾶ] Pro Ἰωνᾶ, in octavo codice eſt Ἰωάννου, quemadmodum Nonnus poeta ait Ἰωάνναο. Vide infra 21. v. 15.

CAP. II. V. 15. ϗ ποιήσας φραγέλλιον ἐκ σχοινίων] Octavus codex addit ὡς φραγέλλιον, conformiter Latino; cæteri omittunt ὡς, ſimiliter Syro. Aliud exemplar pro plurali σχοινίων legit ſingulari σχοινίου, quo modo & Syra ſcribuntur. v. 17. καταφάγεταί με] In aliis, pro futuro καταφάγεται, eſt aoriſtus κατέφαγε. v. 22. ὅτι τοῦτο ἔλεγεν αὐτοῖς] Pronomen αὐτοῖς, ut aufertur ab omnibus Pariſienſium Græcis exemplaribus, ita a Latina verſione & Syriaca.

CAP. III. V. 25. ἐκ τῶν μαθητῶν Ἰωάννου μετὰ Ἰουδαίων] Omnia Pariſienſium exemplaria, præter Complutenſe, legunt numero ſingulari Ἰουδαίου, quo modo legit & Syriaca editio, addens *had*, *uno* (*cum Judæo uno*) & exponunt enarratores, Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, & Nonnus paraphraſtes. Porro Cyrillus Alexandrinus & Latina editio, Latinique tractatores, adſtipulantur numero plurali Ἰουδαίων.

CAP. IV. V. 1. ὡς οὖν ἔγνω ὁ Ἰησοῦς] Pro Ἰησοῦς, quod legitur etiam Latine ac Syriace, multi Græci libri habent κύριος. v. 14. γενήσεται ἐν αὐτῷ] Exemplaria tertium & nonum omittunt præpoſitionem ἐν. v. 25. οἶδα ὅτι Μεσσίας ἔρχεται] Exemplaria quartum & octavum legunt plurale οἴδαμεν, pro ſingulari οἶδα, quod tamen eſt etiam Latine ac Syriace. v. 27. καὶ ἐθαύμασαν] In tertio codice eſt præteritum imperfectum ἐθαύμαζον, ut Latine. v. 35. ὅτι τετράμηνός ἐστι] Multi libri addunt ἔτι *adhuc*, conformiter Latino. Rurſus quidam pro maſculino ſcribunt neutrum τετράμηνον. v. 41. ἐπίστευσαν εἰς αὐτὸν] Legitur εἰς αὐτὸν, etiam Syriace: ſed plerique libri omittunt. Latini ſimiliter variant.

CAP. V. V. 2. ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρα] Sic cum Regio, plerique omnes libri, ſcribunt, prius nomen tertio, poſterius primo caſu. Quidam utrumque ſcribunt tertio caſu ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρᾳ. Theophylacti Romæ excuſi textus, commentario conſentiente, omiſſis præpoſitione & articulo, utrumque ſcribit primo caſu προβατικὴ κολυμβήθρα. Lege Latinas varietates, & Notationes noſtras in varias Bibliorum lectiones. ibid. ἑβραϊστὶ Βηθεσδὰ] Non temere mutandum Βηθεσδὰ cum Βηθσαϊδὰ, docemus in varietatibus Latinis. v. 3. ξηρῶν] Sequitur in ſecundo codice παραλυτικῶν, quod nullus alius legit. v. 4. ἄγγελος γὰρ] Exemplaria tertium & nonum ſubjiciunt κυρίου, quemadmodum editio Latina.

ibid. ϗ ἐτάραξε] In quatuor eſt ἐταράσσετο. v. 5. ἐν τῇ ἀσθενείᾳ] Sequitur αὐτοῦ in octavo & quarto, ut Latine *ſua*. v. 10. οὐκ ἔξεστι] Non præponas conjunctionem καί. v. 16. ϗ ἐζήτουν αὐτὸν ἀποκτεῖναι] Hoc plerique omnes codices legunt, Syro conſentiente: ſecundus & octavus omittunt, cum editione Latina, & Nonno Græco paraphraſte, adſtipulante quoque Cyrilli commentario. v. 30. τοῦ πέμψαντός με πατρὸς] A ſecundo, tertio & octavo antigraphis omittitur πατρὸς, conformiter editionibus Syriacæ ac Latinæ. v. 32. ἡ μαρτυρία] Non ſubjicias ex β. pronomen αὐτοῦ. v. 41. δόξαν παρ᾽ ἀνθρώπων] In quatuor eſt ſingulare ἀνθρώπου. v. 44. δόξαν παρὰ ἀλλήλων λαμβάνοντες] Non mutes ἀλλήλων cum ἀνθρώπων, quod eſt in quarto & quinto.

CAP. VI. V. 11. διέδωκε τοῖς μαθηταῖς, οἱ δὲ μαθηταὶ τοῖς ἀνακειμένοις] Octavum exemplar non aliud habet quam διέδωκε τοῖς ἀνακειμένοις, cui Interpretes Latinus & Syrus, necnon Nonnus poeta, ſuffragantur. ib. ὅσον ἤθελον] In quibuſdam libris eſt ὅσον ἤθελεν numero ſingulari, *quantum volebat*, ſcilicet Jeſus: quod cum non perinde inveniatur in bonis libris, minoris eſt auctoritatis. Nam & contradicunt Latini Syricique codices. v. 15. πάλιν ἀνεχώρησε εἰς τὸ ὄρος] Multi libri omittunt πάλιν, adſtipulante Syro: multi addunt, adſtipulante Latino. v. 17. ϗ οὐκ ἐληλύθει] In 2. & 8. codicibus eſt οὔπω *nondum*, pro eo quod ex aliis exemplaribus Latino Syroque conſonat, οὐκ *non*. ibid.] Ei quod ſequitur πρὸς αὐτοὺς ὁ Ἰησοῦς non eſt addendum εἰς τὸ πλοῖον, quod additur a tertio codice. v. 22. ἐκεῖνο εἰς ὃ ἐνέβησαν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ] Legunt hanc pericopen plerique omnes hodie Græci codices, ſuffragantibus Syricis. Unus porro Pariſienſium octavus omittit, adſtipulantibus Latinis: cui vult & Nonnus Græcus Paraphraſtes, dum illius loco addit ἀνέμπλοος *non navigans* (εἰ μὴ νηῦς μία μούνη ἀνέμπλοος *niſi una ſolum navis non navigans*) in diverſum longe ſenſum. Porro facile poteſt pericope illa intelligi ex eo quod ſequitur: *Et quia non introiſſet cum diſcipulis ſuis Jeſus in navem, ſed ſoli diſcipuli ejus abiiſſent.* Syri eam legunt hoc pacto: *Niſi illa quam conſcenderant diſcipuli*: quod autem poſtremum eſt verſus, *ſed ſoli diſcipuli ejus abiiſſent*, quia eis quæ præcedunt ſatis ſit ſignificatum, omittunt, Similiter potuerit Interpres Latinus, hoc ἐκεῖνο εἰς ὃ ἐνέβησαν, οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, ſiquidem legerit, prætermiſiſſe, quia eis quæ ſequuntur ſatis ſignificetur. v. 24. ἐνέβησαν αὐτοὶ] Quidam legunt ϗ αὐτοὶ *& ipſi*, quod non exſtat ſive Latine ſive Syriace. v. 25. πότε ὧδε γέγονας] Pro γέγονας in ſecundo exemplari eſt ἐλήλυθας *veniſti*, quæ eſt expoſitio veræ lectionis. v. 28. τί ποιοῦμεν] In aliis eſt modo conjunctivo ſive potentiali ποιῶμεν. v. 38. τοῦ πέμψαντός με] Non addas ex 4. codice πατρός. v. 40. τοῦτο δέ ἐστι τὸ θέλημα] Exemplaria 3. 4. & 8. cum verſu ſuperiori legatur δὲ *autem*, hoc verſu ſcribunt γὰρ *enim*, conformiter Syriacæ editioni & paraphaſi Nonni. Latini libri ſimiliter variant. v. 42. οὐχ οὗτός ἐστιν Ἰησοῦς] Non eſt omittendum nomen *Jeſus* cum quarto codice. v. 45. πᾶς οὖν ὁ ἀκούων] In aliis, pro præſenti ἀκούων, eſt aoriſtus ἀκούσας, conformis Latino. v. 55. ἀληθῶς ἐστι] In exemplaribus γ. ε. θ. bis hoc verſu, pro adverbio, legitur nomen ἀληθής. v. 56. κἀγὼ ἐν αὐτῷ] Quæ ſequuntur in 2. codice καθὼς ἐν ἐμοὶ ὁ πατὴρ, κἀγὼ ἐν τῷ πατρί. ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, Ἐὰν μὴ λάβητε τὸ σῶμα τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, ὡς τὸν ἄρτον τῆς ζωῆς, οὐκ ἔχετε ζωὴν ἐν αὐτῷ, nullus alius hoc loco legit. v. 57. ϗ ὁ τρώγων με] Rurſus in 2. codice pro τρώγων eſt λαμβάνων. v. 58. ὁ τρώγων τοῦτον τὸν ἄρτον] Non addas pronomen μου. v. 59. ἐν Καπερναοὺμ] Quod ſequitur in β. σαββάτῳ, veriſimile eſt aliunde huc adſcitum eſſe, tametſi legatur apud D. Auguſtinum in titulo tractatus 27. v. 63. ἃ ἐγὼ λαλῶ ὑμῖν] Tres codices, pro præſenti λαλῶ, ſcribunt præteritum λελάληκα, ut Latina editio. v. 69. τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος] Octavum exemplar, cum Nonni paraphraſi & Latina editione, omittit ζῶντος, quod legit Syriaca editio cum pleriſque omnibus libris Græcis. v. 70. ἀπεκρίθη αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς] Non eſt omittendum nomen ὁ Ἰησοῦς.

CAP. VII. v. 8. ἀνάβητε εἰς τὴν ἑορτὴν ταύτην] Exemplaria 3. 5. & 8. omittunt ταύτην pronomen, quod tamen etiam Latine ac Syriace additur. v. 9. ταῦτα δὲ εἰπὼν αὐτοῖς, ἔμεινεν] Exemplar 3. pro tertio caſu αὐτοῖς, legit primum ſingularem αὐτὸς, hac diſtinguendi ratione, ταῦτα δὲ εἰπὼν, αὐτὸς ἔμεινε· cui ſuffragantur Latina & Syra. v. 12. ἐν τοῖς ὄχλοις] Secundus codex ſcribit ἐν τῷ ὄχλῳ, numero ſingulari, ut eſt Latine. v. 23. εἰ περιτομὴν λαμβάνει] Idem codx addit conjunctionem οὖν, quæ tamen nec Latine legitur. ibid. ἐμοὶ χολᾶτε] Et hic addit ac præponit πῶς, ſingulariter. v. 26. μήποτε ἀληθῶς ἔγνωσαν οἱ ἄρχοντες, ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ Χριστὸς] Plerique libri repetunt adverbium ἀληθῶς poſt ἐστίν· ſed Regius ex Complutenſi, & Pariſienſium β. γ. η. Nonno paraphraſte & editione Latina ſuffragantibus, rectius omittunt. Syrus poſteriori hoc loco legit, ſed non priori. v. 31. πλείονα σημεῖα] Non videtur addendum τούτων, quod in quibuſdam libris ſequitur. v. 32. ἤκουσαν οἱ φαρισαῖοι] Nonum exemplar interponit οὖν *igitur*. v. 33. εἶπεν οὖν ὁ Ἰησοῦς] Sic Regium ex Complutenſi, & omnia Pariſienſium exemplaria, omittunt pronomen αὐτοῖς, Euthymio adſtipulante, quod alii libri addunt. Syrus non legit, Latini codices variant. v. 39. οἱ πιστεύοντες εἰς αὐτὸν] Non mutes præſens, cum aoriſto πιστεύσαντες, ex octavo codice. ibid. οὔπω γὰρ ἦν πνεῦμα ἅγιον] Sequitur in ſecundo exemplari ἐπ᾽ αὐτοῖς, in Vaticano δεδομένον, quemadmodum in Latina editione & Syriaca, *datus*. Græci tractatores non legunt, ſed ſubaudiunt ejuſmodi quid. Vide Latinas varietates. v. 40. ἀκούσαντες τὸν λόγον] In tertio & octavo eſt τῶν λόγων τούτων, ut Latine. v. 52. ἐρεύνησον ϗ ἴδε] Sequitur in 2. codice τὰς γραφὰς, quod quidam Latini libri ſubjiciunt voci ἐρεύνησον. ibid. οὐκ ἐγήγερται] Rurſus 2. codex, ut Latini, οὐκ ἐγείρεται.

CAP. VIII. Verſum ultimum capitis ſuperioris καὶ ἐπορεύθη ἕκαστος εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ] & primum reliquoſque hujus octavi capitis, ad duodecimum uſque, complectentes hiſtoriam mulieris in adulterio deprehenſæ, multi Græci codices olim, aut omiſerunt, aut obeliſco confoderunt, quod teſtatur Euthymius in hunc locum ſcribens, ubi & ait, Nullum hæc eſſe interpretatum; ut certe, Chryſoſtomus, Nonnus, & Theophylactus Græci, quos nos vidimus, ea minime attingunt, ſicut & abſunt ab Evangelio Syriaco. Cæterum de canonica & ſacroſancta horum veritate, quod genuina ac legitima ſint hujus Evangelii pars, non eſt dubitanti relictus locus, poſtquam id Conſilii Tridentini definitione declaratum eſt. Nam ſi multi olim Græci hæc omiſerunt, multi e diverſo legerunt. Chryſoſtomus enim, etſi proptio loco, homilia inquam 51. in hoc Evangelium, hæc minime attingat: paulo poſt tamen, homilia inquam 60. (ubi in aliud, veriſimile eſt, incidiſſet evangelii exemplar) meminit hiſtoriæ de adultera; quam nec Athanaſius præterit in Synopſi veteris ac novi teſtamenti, quanquam verſui 20. hujus capitis poſtponere videatur. Denique Hieronymus lib. 2. adverſus Pelagianos cap. 6. *In evangelio ſecundum Johannem*, inquit, *In multis & Græcis & Latinis codicibus invenitur de adultera muliere.* Sed his verbis non adſerit Hieronymus, hæc etiam in aliquibus Latinis codicibus defuiſſe: nullam enim fuiſſe in Latinis codicibus varietatem, ut nec hodie eſt, intelligere licet ex D. Ambroſio lib. 7. epiſtola 58. ad Studium, B. Auguſtino, aliiſque Latinis tractatoribus, qui abſque ulla varietatis exemplarium mentione hæc enarrant: quæ, D. Auguſtinus lib. 2. de adulterinis conjugiis cap. 7. aſſerit, nonnullos veræ fidei inimicos, abſtuliſſe de codicibus ſuis; Græcis nimirum. Porro quia Græci fere perſuaſi fuere hæc ſuperfluere, idcirco illi licentius ea mutarunt & variarunt, quemadmodum liquet ex variis lectionibus ſubſequentibus, quæ reperiuntur in Græcis exemplaribus hodie exſtantibus, minimeque omittentibus pleriſque. v. 2. ὄρθρου δὲ πάλιν] In 4. & 9. exemplaribus ſequitur βαθέος· quod additur quidem & apud Euthymium, ſed Latine non exſtat. v. 3. πρὸς αὐτὸν γυναῖκα] Eadem exemplaria, tam editione Latina quam Euthymii textu adſtipulante, omittunt πρὸς αὐτόν. v. 4. λέγουσιν αὐτῷ] Sequitur in quinto exemplari, conſonante Euthymii textu, πειράζοντες, quod Latine non additur. ibid. ταύτην εὕρομεν ἐπαυτοφώρῳ μοιχευομένην] Sic legit Regius codex ex Complutenſi, cum quatuor aliis Pariſienſibus antigraphis & Euthymii textu. In quibuſdam vero eſt αὕτη ἡ γυνὴ κατειλήφθη ἐπαυτοφώρῳ μοιχευομένη, quemadmodum Latine. v. 5. ἐν δὲ τῷ νόμῳ ἡμῶν Μωσῆς ἐνετείλατο] Sic Biblia Regia cum antigraphis Pariſienſium α. ς. ζ. θ. ιδ. Alii libri, loco ſecundi caſus ἡμῶν præpoſiti, ſcribunt tertium ἡμῖν, poſtpoſitum voci Μωσῆς, quemadmodum cum Euthymio Interpres Latinus. ibid. λιθοβολεῖσθαι] In 4. 6. 7. 9. & 14. eſt λιθάζειν, in quibuſdam λιθάζεσθαι. ibid. σὺ οὖν τί λέγεις] Quartus, nonus, & 14. codices, addunt cum Euthymio περὶ αὐτῆς, quod Latine non legitur. v. 6. ἵνα ἔχωσι κατηγορίαν κατ᾽ αὐτοῦ] Sic cum Regio α. δ. ζ. θ. ιδ. & textus Euthymii: alia vero exemplaria, cum editione Latina, ἵνα ἔχωσι κατηγορεῖν αὐτοῦ, ibid. εἰς τὴν γῆν μὴ προσποιούμενος] Sic iterum cum Regio ſcribunt α. γ. δ. ε. θ. Sed alii libri, cum Euthymio & editione Latina, omittunt illud μὴ προσποιούμενος *Diſſimilans*. v. 9. ϗ ὑπὸ τῆς συνειδήσεως ἐλεγχόμενοι] *redarguente ipſos conſcientia.* Hoc præteritur a codicibus primo, octavo, aliiſque, ab Euthymio, ab editione denique Latina. ibid. ἕως τῶν ἐσχάτων] *uſque ad poſtremos*, ut Latine hoc non legitur, ita nec in Græcis exemplaribus γ. ε. Porro Euthymii textus cum aliis addit. ibid. ἐν μέσῳ οὖσα] Sic omnes Pariſienſium libri cum Euthymio, οὖσα, pro eo quod eſt in aliis, Latino conformiter, ἑστῶσα. v. 10. ϗ μηδένα θεασάμενος πλὴν τῆς γυναικὸς, εἶπεν αὐτῇ] Horum loco, exemplaria quædam & Euthymii textus, hoc ſolum ſcribunt εἶδεν αὐτὴν ϗ εἶπεν αὐτῇ. Latina editio nec hoc quidem habet εἶδεν αὐτὴν καὶ, ſed ſolummodo, εἶπεν αὐτῇ. ibid. ποῦ εἰσιν] Alii libri cum Euthymii textu & editione Latina præponunt γύναι aut ἡ γυνή. v. 11. οὐδὲ ἐγώ σε κατακρίνω] Exemplar 5. ſuffragante editione Latina, ſcribit futurum κατακρινῶ. ibid. καὶ ἀπὸ τοῦ νῦν μηκέτι. Alii libri omittunt ἀπὸ τοῦ νῦν. v. 14. ϗ ποῦ ὑπάγω] Exemplaria α. γ. δ. pro conjunctiva ϗ, ſcribunt disjunctivam ἢ, Latinæ editioni ſimiliter. v. 25. ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν] Quidam libri diviſim ſcribunt ὅ, τι, tanquam relativum, quo modo Nonnus paraphraſtes illud accepit. Sed Chryſoſtomus cum Theophylacto & Euthymio exponunt conjunctim ſcriptum ὅτι, ut plerique libri ſcribunt, tanquam conjunctionem. Vide Notationes noſtras prolixiores. v. 27. οὐκ ἔγνωσαν] Sequitur in ſexto codice οὖν, conjunctio illativa, cujus loco Latine & Syriace præponitur ϗ *&*. ibid. ὅτι τὸν πατέρα αὐτοῖς ἔλεγεν] Secundum exemplar legit ὅτι τὸν πατέρα αὐτοῦ λέγει τὸν θεὸν, ut plerique Latini codices. Genitivum ſingularem αὐτοῦ, pro dativo plurali αὐτοῖς, legunt & alii quidam Græci libri, ſed non addunt τὸν θεόν. Vide Latinas varietates. v. 29. οὐκ ἀφῆκέ με μόνον ὁ πατὴρ] Octavus codex, conformiter Syro, præponit ϗ, quæ & Latine additur in pleriſque exemplaribus, ſed non ſequente nomine patris. v. 38. ϗ ὑμεῖς οὖν ὃ ἑωράκατε παρὰ τῷ πατρὶ ὑμῶν, ποιεῖτε. Exemplaria 3. 4. 8. ſcribunt καὶ ὑμεῖς οὖν ἃ ἠκούσατε παρὰ τοῦ πατρὸς ὑμῶν, ποιεῖτε, quomodo legitur & apud Chryſoſtomum: ſed Nonnus, Theophylactus, & Euthymius adſtipulantur lectioni vulgari, prout etiam Latina & Syra. v. 42. εἶπεν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς] Sic cum Regiis Bibliis codices 3. & 12. Syriacaque editio. Alii codices interjiciunt conjunctionem οὖν, ſicut Latini. v. 49. καὶ ὑμεῖς ἀτιμάζετέ με] In octavo codice, pro præſenti, eſt aoriſtus ἠτιμάσατε, quemadmodum Latine præteritum *inhonoraſtis*. v. 51. ἐάν τις τὸν λόγον] Secundus pro ἐάν τις legit ὃς ἂν *quicunque*, ut Syrus. v. 53. τίνα σεαυτὸν σὺ ποιεῖς] Tertius, quartus, & octavus omittunt σύ.

CAP. IX. V. 1. τυφλὸν ἐκ γενετῆς] Non addas καθήμενον, quod ſecundus codex. v. 8. ὅτι τυφλὸς ἦν] Codices ſecundus & octavus pro τυφλὸς habent προσαίτης, quemadmodum editiones Latina & Syriaca. v. 9. ἄλλοι δὲ, ὅτι ὅμοιος] Exemplar octavum ſcribit ἄλλοι ἔλεγον, οὐχί, ἀλλ᾽ ὅμοιος. quomodo Syriace legitur, &, ſi omittas ἔλεγον, Latine quoque. ibid. ἐκεῖνος ἔλεγεν] Exemplar 4. interponit Conjunctionem δὲ, ut Latina & Syra. v. 17. λέγουσιν οὖν] Sic exemplar 8. cum Regiis Bibliis, addit οὖν, ſuffragante editione Latina, quod alii omittunt conformiter Syro. v. 36. ϗ τίς ἐστι κύριε] Sic Regia Biblia ex Complutenſibus, præponunt ϗ, quod alii libri omittunt cum Latino & Syro. v. 41. ἡ οὖν ἁμαρτία ὑμῶν μένει] Exemplar 2. ſcribit numero plurali αἱ οὖν ἁμαρτίαι ὑμῶν μένουσιν.

CAP. X. V. 8. πάντες ὅσοι ἦλθον] Sic Regia Biblia ex Complutenſibus, cum ex aliis Pariſienſium exemplaribus, πρὸ ἐμοῦ, quod alii libri addunt, omittunt, ſuffragantibus editionibus Latina & Syriaca, nec non inter Græcos enarratores Euthymio manifeſtiſſime. ibid. κλέπται εἰσὶ] Quintum exemplar pro εἰσὶ ſcribit ἦσαν, male. v. 11. τὴν ψυχὴν αὐτοῦ τίθησιν] Exemplar 2. pro τίθησιν habet δίδωσιν, quo modo legunt plerique Latini libri *Dat*: Nam Syriaci ſervant *ponit*. v. 14. καὶ γινώσκομαι ὑπὸ τῶν ἐμῶν] Sic ſcribit etiam Syrus. Porro 2. & 8. inter Græcos Pariſienſium codices, habent, ϗ γινώσκουσί με τὰ ἐμὰ, quemadmodum editio Latina *& cognoſcunt me mea*. v. 21. μὴ δαιμόνιον] Non addas ἔχων, quod nonus codex.

v. 26. καθὼς εἶπον ὑμῖν] Hoc cum plerique codices jungunt eis quæ præcedunt, ſuffragantibus pleriſque enarratoribus Græcis: duo, γ. & δ. cum Euthymio, connectunt ſubſequentibus. v. 32. διὰ ποῖον αὐτῶν ἔργον] Exemplaria 4. & 7. legunt numero plurali ἔργων. Latina editio favet numero ſingulari. v. 34. Ἐγὼ εἶπα] Codices ι. θ. ιδ. præponunt conjunctionem ὅτι, quemadmodum editiones Latina & Syriaca. v. 38. κἂν ἐμοὶ μὴ πιστεύετε] Exemplar 2. κἂν ἐμοὶ μὴ θέλητε πιστεύειν, ut Latina.

CAP. XI. V. 19. πρὸς τὰς περὶ τὴν Μάρθαν] Exemplaria ſecundum & octavum ſcribunt πρὸς τὴν Μάρθαν, quæ explicatio eſt prioris lectionis. v. 31. λέγοντες, Ὅτι ὑπάγει] Eadem hic pro λέγοντες ſcribunt δόξαντες, *putantes*, conformiter Syro. v. 41. οὗ ἦν ὁ τεθνηκὼς κείμενος] Eadem exemplaria una cum 4. omittunt hæc verba, conſentanee editionibus Latinæ & Syriacæ, necnon paraphraſi Nonni: quanquam Euthymius ea diſerte legat. v. 54. εἰς τὴν χώραν] Addit ſecundus codex Σαμφουρεὶμ, qua in re eſt ſingularis, ut nec alibi legi mentionem regionis *Samphurim*. ibid. εἰς Ἐφραὶμ λεγομένην] Octavus codex pro Ἐφραὶμ habet Ἐφρὲμ, ut eſt etiam apud Nonnum: quinetiam Latine legitur *Ephrem*, ſed fortaſſis Interpres, vocales αι, non diviſim legit, at conjunctim, ut diphthongum, extulitque non *Ephraim*, ſed *Ephrem*, prout etiam Syra utroque efferri poſſunt modo. D. Hieronymi libro de locis Hebraicis exemplaria variant, *Ephraim*, *Ephram*, &c. v. 57. καὶ οἱ ἀρχιερεῖς] Exemplaria 3. 4. 6. auferunt καὶ conjunctionem; minus recte, opinor, tametſi nec Latine nec Syriace addatur.

CAP. XII. V. 1. ὃν ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν] Octavus codex addit ὁ Ἰησοῦς, conformiter Latino & Syro. v. 7. εἰς τὴν ἡμέραν τοῦ ἐνταφιασμοῦ μου τετήρηκεν αὐτό] Idem octavus codex, ut libenter conſonat editioni Latinæ, ſcribit ἵνα εἰς τὴν ἡμέραν τοῦ ἐνταφιασμοῦ μου τηρήσῃ αὐτό· cui ſuffragatur illa ad Vaticana collatio, quam in Notationibus prolixioribus citavimus; quinetiam Nonni poetæ paraphraſis. v. 17. ὅτε τὸν Λάζαρον] Pro ὅτε, *quando*, quod eſt in pleriſque libris, Latina editione adſtipulante, codices 2. & 8. legunt ὅτι, *quod*, Syrico teſtamento & Græco Nonni carmine diſerte ſuffragantibus. v. 19. ἴδε ὁ κόσμος] Additur ὅλος a codicibus 6. & 8. a Latina & Syrica editionibus, denique a Nonno poeta. A pleriſque vero Græcis libris hodie omittitur. v. 28. δόξασόν σου τὸ ὄνομα] Quartus codex habet pronomen primæ perſonæ μου, pro ſecundæ σου, quod eſt in pleriſque omnibus, Latinis & Syris ſuffragantibus. v. 31. τοῦ κόσμου] Multi libri addunt τούτου cum Syro, quod alii demunt cum Latino. v. 32. πάντας ἑλκύσω] Ita legunt omnes pene libri Græci, cum Syricis, & tractatoribus Græcis. In uno β. eſt neutro genere πάντα, quemadmodum in Latinis & codicibus & tractatoribus. v. 41. τὴν δόξαν αὐτοῦ] Et hic β. præponit τοῦ Θεοῦ ipſi αὐτοῦ, quod nequeo probare. v. 47. καὶ μὴ πιστεύσῃ] Tertio hic β. pro πιστεύσῃ legit φυλάξῃ, ut Latina & Syra.

CAP. XIII. V. 2. Καὶ δείπνου γενομένου] In 2. exemplari, pro aoriſto γενομένου, eſt præſens γινομένου, *Cum cœna fieret*, contra editionem Latinam, quæ habet *Et cœna facta*. v. 18. ἐγὼ οἶδα] Exemplaria 3. & quartum interjiciunt conjunctionem γὰρ, conformiter Syro, quæ ab aliis omittitur, quemadmodum Latine. v. 24. πυθέσθαι τίς ἂν εἴη] Horum loco eſt in octavo codice καὶ λέγει αὐτῷ, εἰπὲ τίς ἐστι· fere ut Latine, *Et dixit ei, Quis eſt?* v. 27. τότε εἰσῆλθεν] Rurſus octavus codex omittit τότε, quemadmodum quædam exemplaria Latina. v. 30. ἦν δὲ νύξ· ὅτε ἐξῆλθε· λέγει] Idem codex hæc verba ſic diſtinguit ac legit, ἦν δὲ νύξ· ὅτε οὖν ἐξῆλθε, λέγει, eodem prorſus modo quo Latina editio, *Erat autem nox. Cum ergo exiſſet, Dixit*. v. 34. καθὼς ἠγάπησα ὑμᾶς, ἵνα καὶ ὑμεῖς] In tertio exemplari hoc ordine leguntur hæc verba, ἵνα καθὼς ἠγάπησα ὑμᾶς, καὶ ὑμεῖς.

CAP. XIV. V. 1. Μὴ ταρασσέσθω] Exemplar 2. præponit Καὶ εἶπε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, quemadmodum exemplaria Latina minus emendata: vide Latinas varietates. v. 3. Καὶ ἐὰν πορευθῶ καὶ ἑτοιμάσω] Exemplar nonum legit Καὶ ἐὰν πορευθῶ ἑτοιμάσαι, quemadmodum Syrum: nam Latina editio priori eique vulgatæ Græcorum lectioni conſentit. v. 13. Καὶ ὅ,τι ἂν αἰτήσητε] Non videtur hic addendum pronomen με, quod eſt in 4. & 14. codicibus: vide Latinas varietates. v. 22. καὶ τί γέγονεν] Noli omittere καί. v. 23. τὸν λόγον μου τηρήσει] In nono eſt τὰς ἐντολάς μου τηρήσει, *mandata mea ſervabit*. v. 26. ὑμᾶς διδάξει πάντα] Non mutes πάντα cum ταῦτα quod eſt in ſexto codice. v. 30. ὁ τοῦ κόσμου ἄρχων] Quidam libri addunt τούτου, quemadmodum Latina editio. ibid. καὶ ἐν ἐμοὶ οὐκ ἔχει οὐδέν] Codices tertius & quartus ſcribunt εὑρήσει, *inveniet*, pro ἔχει, *habet*, quod conſonat Latino ac Syro.

CAP. XV. V. 1. ἡ ἄμπελος ἡ ἀληθινή] Quod ſequitur in codicibus 4. & 8. ὑμεῖς δὲ τὰ κλήματα, non eſt hujus verſus, ſed quinti. v. 7. αἰτήσεσθε καὶ γενήσεται ὑμῖν] Tria exemplaria pro αἰτήσεσθε, *petetis*, quod eſt etiam Latine, legunt αἰτήσασθε, *petite*, modo imperandi. Syrus legit modo infinito αἰτήσασθαι, *petere*. v. 11. ἐν ὑμῖν μείνῃ] Exemplaria 2. & 9. pro μείνῃ, *maneat*, habent ᾖ, *ſit*, ut Latina & Syra.

CAP. XVI. V. 3. Καὶ ταῦτα ποιήσουσιν ὑμῖν] Omnia Pariſienſium exemplaria omittunt ὑμῖν, conformiter Syro, quod tamen Latine legitur. v. 14. ὅτι ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται] Septem Pariſienſium codices ſcribunt præſens λαμβάνει, pro futuro λήψεται. Atqui futurum conſonat Latino, Syro, Græcorum Commentariis, & verſui denique proximo: quanquam Regius textus verſu proximo λαμβάνει dicat, cum hic ſcripſerit λήψεται. v. 16. καὶ οὐ θεωρεῖτέ με] In octavo codice, pro οὐ, eſt οὐκ ἔτι, quemadmodum Latine *jam non*. v. 21. ὅτι ἦλθεν ἡ ὥρα αὐτῆς] Secundus codex pro ὥρα habet ἡμέρα· Syrus *dies partus*.

CAP. XVII. V. 2. δώσῃ αὐτοῖς ζωὴν αἰώνιον] Exemplar nonum mutat plurale αὐτοῖς, quod legitur etiam Latine, cum ſingulari αὐτῷ. v. 7. Νῦν ἔγνωκαν ὅτι] Hæc vera eſt lectio, conformis editioni Latinæ. Porro ſextus Pariſienſium codex, pro tertia plurali ἔγνωκαν, ſcribit primam ſingularem ἔγνωκα, conformiter Syro: cujus ſcripturæ meminit Theophylactus, eamque, Chryſoſtomum præceptorem ſequutus, merito reprehendit. v. 11. τήρησον αὐτοὺς ἐν τῷ ὀνόματί σου, οὓς δέδωκάς μοι] Pro accuſativo plurali οὓς, quem legit etiam Latinus Interpres (*quos dediſti mihi*) omnia Pariſienſium exemplaria, ſcribunt dativum ſingularem ᾧ, relatum ad illud quod proxime præcedit nomen ὀνόματι (*quod dediſti mihi*) poſito relativo eodem caſu cum antecedente. Huic dativi caſus lectioni favent Syra non ſolum, verum etiam enarrationes Euthymii & Theophylacti. Denique Cyrilli Commentarius, ut Latine verſus exſtat, quam pertinaciter legit maſculinum plurale *quos*, tam conſtanter explicat neutrum ſingulare *quod*, docens, quomodo pater filio, quod æternum habuerat, nomen Deitatis, dederit ut homini. v. 12. οὓς δέδωκάς μοι ἐφύλαξα] Rurſus octavus codex, pro οὓς hic legit ᾧ, præcedentibus jungens, & conjunctionem καὶ præponens verbo ἐφύλαξα, ſed nemine favente, niſi uno Cyrillo. v. 20. ἀλλὰ καὶ περὶ τῶν πιστευόντων] Sic Biblia Regia cum omnibus Pariſienſium exemplaribus & Syrico textu. Alii porro libri, pro participio præſentis temporis πιστευόντων, legunt futuri temporis πιστευσόντων, ſuffragante editione Latina. Quinetiam Græci enarratores, ſi non legerunt, certe intellexerunt futurum.

CAP. XVIII. V. 14. Ἦν δὲ Καϊάφας ὁ συμβουλεύσας] *Erat autem Caiphas qui conſilium dederat*] His verbis præmittit textus, Cyrilli Alexandrini Græci tractatoris, prout Latine verſus exſtat, Commentario additus; *Miſerunt autem eum ligatum ad Caipham pontificem*, quod ſit, ἀπέστειλαν δὲ αὐτὸν δεδεμένον πρὸς Καϊάφαν τὸν ἀρχιερέα· id quod, Theodorus Beza, in Textum ſuæ verſionis tranſtulit, mutato numero plurali in ſingularem, hoc modo, *Is vero* (Annas) *miſit eum vinctum ad Caipham pontificem:* quod fecit etiam Franciſcus Nanſius ad Nonni paraphraſin; temere uterque. Non enim his verbis Evangeliſta declaravit, Jeſum ab Anna tranſmiſſum ad Caipham: ſed id fecit, tacita uſus tranſitione, quod Commentarius noſter docet. Nuſquam enim alibi exſtant ea verba hoc verſu, nec apud alium ullum veterem tractatorem ſive Græcum ſive Latinum inveniuntur: &, ſi etiam Cyrilli Commentarius diligentius introſpiciatur, magna dubitandi cauſa deprehenditur, num legerit ea verba Cyrillus. Subjicit enim illi textui Cyrillus hujuſmodi Commentarium; *Auctoritate atque conſilio impietatis in Chriſtum præfuit Caiphas, & paulo poſt quaſi fructum ſui conſilii vinctum Jeſum ſuſcipiet:* ubi non tantum non explicat ea verba *Miſerunt autem eum ligatum ad Caipham pontificem*; verum etiam ſignificat, non hic, ſed poſtea, nimirum verſu 24. ea a ſe lecta fuiſſe. Verum quidem eſt, quod in verſum 24. hoc modo ſcribat; *Quaſi currentem equum narrandi progreſſum Evangeliſta utiliter revocat, & ad priora rurſus orationem reducit. Quare ſic? quia negationem Petri tertio factam exponere voluit.* Sed ego illud intelligerem de his maxime verbis; *Erat autem Simon Petrus ſtans & calefaciens ſe*, niſi ſequeretur; *Repetit ergo breviter, & miſſum ab Anna* JESUM *ad Caipham iterum dicit, Petrumque interrogatum exponit*, &c. quis enim auſit dicere, ſuppoſititium eſſe adverbium *iterum?* Quare, etſi non eſt res certa, magna tamen cauſa dubitandi eſt, an Cyrilli textui verba illa *Miſerunt autem*, &c. non fuerint ſtudioſe ab aliquo addita. Certe enim videri poſſit, Cyrilli locum alterum alteri ita conciliari poſſe, ut quando dicit, *paulo poſt a Caipha ſuſcipiendum eſſe Jeſum vinctum*, loquatur de verbis diſertis, quibus hoc poſtea dicitur: & rurſus cum dicit, *miſſum ab Anna* JESUM *ad Caipham iterum dicit*, loquatur de eo, quod id prius dictum fuerat, tacito inſinuandi modo. Operæpretium foret Græcum Cyrilli exemplar conſulere poſſe. Quidquid ſit, neutiquam referenda in textum Evangelii verſ. 14. ſed tacite intelligenda ſunt, ea verba, *Miſerunt* aut *miſit autem eum ligatum ad Caipham pontificem*. v. 24. Ἀπέστειλεν αὐτὸν ὁ Ἄννας δεδεμένον πρὸς Καϊάφαν τὸν ἀρχιερέα] Annotant quidam auctores, a nonnullis exemplaribus addi conjunctionem οὖν, *ergo*: Ἀπέστειλεν οὖν αὐτὸν, quæ & legitur apud Cyrillum, ut Syriace additur δὲ *autem*: vide varietates Latinas, & Commentarium noſtrum, hoc ipſo loco. v. 29. Ἐξῆλθεν οὖν ὁ Πιλάτος πρὸς αὐτοὺς] Exemplar octavum addit ἔξω, *foras*, quod additur etiam Latine & Syriace. v. 34. ἢ ἄλλοι σοι εἶπον περὶ ἐμοῦ] Exemplaria 3. & 4. ſcribunt numero ſingulari ἢ ἄλλος σοι εἶπε περὶ ἐμοῦ; contra omnium aliorum fidem. v. 40. Ἐκραύγασαν οὖν πάλιν] Quidam libri cum editione Syriaca omittunt πάλιν, quod tamen plerique omnes cum Latina editione addunt.

CAP. XIX. V. 3. Καὶ ἔλεγον] His verbis manuſcripta Pariſienſium 3. 8. 9. præponunt Καὶ ἤρχοντο πρὸς αὐτόν· id quod etiam Latinus Interpres legit, quod teſtatur his verbis; *Et veniebant ad eum & dicebant*. Cæterum Syrus hoc non agnoſcit. v. 6. σταύρωσον αὐτόν] Alii libri omittunt αὐτὸν, alii addunt. Similis varietas eſt Latine. v. 13. ἀκούσας τοῦτον τὸν λόγον] In quibuſdam libris legitur ſecundo caſu numeri pluralis, ἀκούσας τούτων τῶν λόγων. v. 14. ὥρα δὲ ὡσεὶ ἕκτη] Auctores aliquot notant in uno codice, pro ἕκτη, *ſexta*, legi τρίτη, *tertia*. Atqui videtur mutatio illa de induſtria facta fuiſſe, ex opinione Theophylacti & aliorum quorundam, ita conciliantium Marcum, cap. 15. verſ. 25. cum Johanne hoc loco, quod hoc loco, errore notariorum, ἕκτη ſcriptum ſit, cum τρίτη ſcribendum fuiſſet, ut eſt apud Marcum. Scholiaſtes Nonni, pro certo habet, τρίτη ſecundum Johannem a Nonno lectum fuiſſe: atqui ego pro certo teneo ἕκτη eum legiſſe. Paraphraſis Nonni eſt; *Eratque protenſa tertia mortifera hora*. Si tertia fuit protenſa, quomodo fuerit ὡσεὶ τρίτη, *circiter tertia?* Nonnus pro eiſdem habens, horam fuiſſe circiter ſextam, & horam tertiam fuiſſe protenſam, hoc pro illo eſt uſus, eadem opera Marcum cum Johanne concilians, hac ratione, quod tertia fuerit protenſa, id eſt, ſpatium illud medium, quod eſt inter ſignum tertiæ & ſignum ſextæ horæ, longe fuerit progreſſum, ac proinde imminuerit ſexta. v. 16. καὶ ἀπήγαγον] Quinque manuſcripta legunt ſimplex ἤγαγον, cui alii libri addunt εἰς τὸ σταυρῶσαι, alii εἰς τὸ πραιτώριον· verum hæc ſuperfluunt, addita a ſciolis, tametſi εἰς τὸ πραιτώριον legatur apud Euthymium. v. 28. εἰδὼς ὁ Ἰησοῦς] Sic etiam eſt Latine & Syriace, εἰδὼς, *ſciens*. Cæterum exemplaria Pariſienſium 4. 5. 7. 12. & 14. pro εἰδὼς, *ſciens*, ſcribunt ἰδὼν, *videns*. ibid. ἤδη τετέλεσται] Non addas περὶ αὐτοῦ. v. 36. Ὀστοῦν οὐ συντριβήσεται ἀπ' αὐτοῦ] Codicum alii omittunt, alii addunt præpoſitionem ἀπό· addentibus ſuffragantur editiones Latina & Syriaca, cum Nonni paraphraſi. v. 40. ἐν ὀθονίοις] Et hic omittitur ab aliis libris præpoſitio.

CAP. XX. V. 11. πρὸς τὸ μνημεῖον] In quibuſdam libris eſt dativo caſu πρὸς τῷ μνημείῳ. v. 22. ἐνεφύσησε] Sequitur in ſecundo codice αὐτοῖς, ſuffragante Syro. Atque pleriſque libris, qui illud omittunt, Latina editio adſtipulatur. v. 29. Ὅτι ἑώρακάς με] Quidam libri addunt Θωμᾶ· Regius cum aliis omittit, Syro ſuffragante. v. 31. ζωὴν ἔχητε] Codices 2. & 8. interjiciunt αἰώνιον, conformiter Syro: quod plerique omnes omittunt, cum editione Latina, faventibus Euthymio & Theophylacto.

CAP. XXI. V. 6. ἑλκύσαι ἴσχυσαν] Exemplaria 3. & 8. pro aoriſto ἴσχυσαν, ſcribunt imperfectum ἴσχυον, ut editio Latina *valebant*. v. 13. καὶ δίδωσιν αὐτοῖς] Exemplar ſecundum, conjunctioni καὶ ſubjicit participium εὐχαριστήσας, contra aliorum omnium fidem, Chryſoſtomo ipſo ejuſque diſcipulis annotantibus, quod non egerit jam Jeſus ſicut antea, non ſuſpexerit in cœlum, &c. v. 15. 16. 17. Σίμων Ἰωνᾶ] Pro Ἰωνᾶ octavum exemplar ubique habet Ἰωαννᾶ· cui favet Nonnus poeta ſcribens Ἰωάνναο (nec enim ſcripturæ vitium ſubeſſe, loquitur menſura carminum) denique Hieronymus, ſcribens in cap. 16. Matthæi, quem citavimus ad varietates Latinas.

FRANCISCI LUCÆ BRUGENSIS

Notæ ad Varias Lectiones Editionis Latinæ Evangelii ſecundùm MATTHÆUM.

CAP. I.

V*Erſ.* 2. Abraham genuit Iſaac: Iſaac autem] *Male a libris quibuſdam additur* autem *poſt* Abraham, *& ab aliis tollitur poſt* Iſaac. *v.* 18. Mater ejus Maria] *Legendum eſt* ejus, *juxta Sixtina Biblia non ſolum, verum & juxta antiqua manuſcripta, eaque reſpondentia Græco ac Syro*; *non* Jeſu, *quod eſt in quibuſdam libris ex conſuetudine recitationis Eccleſiaſticæ. Cum enim Evangelium Vigiliæ Nativitatis Domini incipiat ab his verbis, neceſſario illic ponendum fuit* Jeſu *pro* ejus, *quod hic minime neceſſarium eſt, cum* ejus *ad Chriſtum referatur, cujus ſtatim præcedit mentio: imo videri poſſit, de alio quopiam quam de Chriſto Evangeliſta ordiri ſermonem, ſi* Jeſu *legas pro* ejus; *id quod etiam obſit ſenſui. v.* 23. Et vocabunt nomen ejus] *Sic legendum eſt hoc loco ex Sixtinis cæteriſque optimis libris,* vocabunt *numero plurali, non tantum Græco & Syro, ſed & Hieronymo in ſeptimum Iſaiæ caput ſuffragante. Quare ſpuria ſunt quæ a nonnullis leguntur* vocabitur *&* vocabis: *lege Græcas varietates.*

CAP. II. *Verſ.* 1. *&* 5. In Bethlehem Judæ] *Sic legunt optimi libri ex B. Hieronymi caſtigatione,* Judæ *ſive* Juda, *non* Judææ, *quod eſt in quibuſdam conformiter Græco: quanquam res eadem ſit, de quo lege Commentarium. v.* 6. Qui regat] *In aliis eſt futuro indicativi* reget, *quomodo Græce* ποιμανεῖ· *varietas ſcripturæ nil varians ſenſum. v.* 14. Qui conſurgens] *Sic meliores libri* conſurgens, *pro ſimplici* ſurgens, *quo alii utuntur. v.* 23. Quod dictum eſt per Prophetas] *Quidam libri legunt* Prophetam *numero ſingulari: ſed meliores, ſuffragantibus Græcis,* Prophetas *habent, numero plurium; quibus veteres Tractatores tam Latini quam Græci volunt. Syrica editio ita punctis affecta eſt, ut* Prophetam *numero ſingulari reddat: verum mutatis ſitu duobus apiculis, pluralis eſt numerus.*

CAP. III. *V.* 2. Appropinquavit enim regnum cœlorum] *Sic legunt Sixtina Biblia poſt vetera manuſcripta, nominatim Brugenſe D. Donatiani,* appropinquavit *præterito tempore, non futuro* appropinquabit; *quibus Græca Syraque & B. Hilarius adſtipulantur. Quare Epanorthotes ille noſter annotat;* Appropinquavit enim, *juxta Græcum, antiquos & Hieronymum; moderni* appropinquabit. *Quin & ratio ipſa futurum rejicit; Prophetarum enim fuit dicere* Appropinquabit regnum cœlorum; *aliquando propinquum erit: Chriſtus autem ejuſque prodromus Johannes, factum eſſe propinquum prædicarunt. Et quod quæſo aliud hi tempus prædicarint, quo futurum eſſet regnum cœlorum propinquum, quum jam propinquiſſimum, quinimo præ foribus eſſet? Unde non ita diu poſt Salvator Judæis;* Pervenit, *inquiebat,* in vos regnum Dei. *v.* 3. Hic eſt enim qui dictus eſt] *Sic legendum eſt juxta exemplaria integriora, ſuffragantibus Græcis & Syris, non* de quo dictum eſt. *v.* 7. Quis demonſtravit vobis] *Neutiquam legendum eſt futuro tempore* demonſtrabit. *ibid.* Fugere a ventura ira] *Inter alia, manuſcripta Biblia Cathedralium Eccleſiarum Audomarenſis & Brugenſis, legunt* futura, *quomodo eſt Græce* μελλούσης, *pro* ventura. *v.* 9. Quoniam potens eſt Deus] *Sic legunt optimi quique libri,* potens eſt, *non* poteſt. *v.* 10. Excidetur & in ignem mittetur] *Quatuor exemplaria notavit Johannes Hentenius legere* Exciditur & in ignem mittitur, *præſenti tempore, non futuro: de quorum fide ſi conſtaret, præferenda haud dubium foret lectio iſta priori: ut enim magnam adfert imminentis periculi emphaſin, ita ſibi faventes habet libros Græcos & Syricos, atque inter veteres patres Cyprianum, ubi orationem Dominicam explanat, ſub finem. v.* 12. Triticum ſuum in horreum] *Hæc Bibliorum Sixtinorum lectio, vera eſt lectio antiquorum codicum, etiam Epanorthote teſte: cui & libri Græci plerique omnes adſtipulantur, quod ex Græcis varietatibus diſcere licet. Quare non eſt legendum* triticum in horreum, *omiſſo pronomine, ut quidam libri habent; neque* triticum in horreum ſuum, *pronomine juncto poſteriori nomini, ut alii. v.* 15. Tunc dimiſit eum] *Injuria omittuntur a quibuſdam libris hæc verba. v.* 16. Baptizatus autem Jeſus confeſtim aſcendit] *Nomen* Jeſus *& adverbium* confeſtim *non ſunt auferenda, ut a quibuſdam libris auferuntur. ibid.* Et venientem ſuper ſe] *Interpres vertit* ſuper ſe, *juxta codices antiquos, non* ſuper ipſum, *quod habent quidam novi: qua de re latius in Notationibus olim editis.*

CAP. IV. *V.* 4. Non in ſolo pane vivit homo] *Etſi libri nonnulli futuro tempore* vivet *legant, quemadmodum eſt Græce: tamen plerique omnes, & quidem optimi quique, præſenti tempore ſervant* vivit, *ita ut intelligere liceat, Latinum Interpretem, ſenſum non verbum reddidiſſe, quemadmodum fecit & Syrus. v.* 6. Quia Angelis ſuis mandavit de te] *Non pauca nec contemnenda manuſcripta, pro præterito tempore* mandavit, *ſcribunt futurum* mandabit, *adſtipulantibus codicibus Græcis ac Syricis, necnon Hebræo & LXXII. v.* 7. Rurſum ſcriptum eſt] *Sic diſtinguunt præter alios, antiqui Epanorthotæ codices, ut* rurſum *ſequentibus jungatur, non præcedentibus. v.* 10. Tunc dicit ei Jeſus; Vade Satana] *Non eſt omittendum adverbium* tunc, *nec addendum eſt* retro *aut* poſt me: *quod ex Matth.* 16. *verſ.* 23. *aut Mar.* 8. *verſ.* 33. *huc a quibuſdam adjectum credo: lege Græcas varietates & Notationes noſtras prolixiores. v.* 13. In Capharnaum maritima] *Superfluit quod addunt codices quidam* civitatem maritimam: *porro accuſandi caſu, quemadmodum Græce eſt, ſcribunt vetuſti quidam libri, pro auferendi caſu* maritima. *v.* 15. Via maris] *Latina Complutenſis Regiaque editio legit, ita ut eſt Græce,* viam maris, *quarto caſu. ibid.* Galilæa Gentium] *Sic legunt, cum Sixtinis Bibliis, Regia editio & alia quædam exemplaria, primo caſu* Galilæa, *conformiter Græco. In multis aliis libris eſt* Galilææ *ſecundo caſu, ubi ſubaudire oportet* terra *aut* regio. *ibid.* Populus qui ſedebat in tenebris] *Quod libri quidam, pro* ſedebat, *legunt* ambulabat, *huc ex Propheta adſumtum eſt, cum Matthæus aut ejus Interpres, ſententiam Prophetæ reddens, non verba adnumerans,* καθήμενος, ſedens, *dixerit, uti eſt & Syriace. v.* 16. In regione umbræ mortis] *Præter duos codices quos notavit Johannes Hentenius, Biblia manuſcripta, Eccleſiarum Cathedralium Audomarenſis ac Brugenſis, & Cœnobiorum Lobienſis ac Clarimariſci, ſpectatiſſima illa, legunt* & umbra mortis, *Græco Syroque conformiter. In aliis eſt* umbræ mortis, *quo modo Interpres vertit Prophetam, qui conjunctionem non addit. v.* 17. Appropinquavit enim] *In paucioribus Latinis libris eſt hoc loco error ille, qui ſupra* 3. *verſ.* 2. *futuri* appropinquabit *ſcripti pro præterito* appropinquavit. *v.* 18. Ambulans autem Jeſus] *Sic eſt etiam Græce. Porro a quatuor illis quæ mox nominavimus Bibliis manuſcriptis, omittitur vox* Jeſus *Syriaca editione adſtipulante. v.* 24. Et abiit opinio ejus] *Quod duo codices legunt* fama *pro* opinio, *gloſſam eſſe ſuſpicor, pro textu obſcuriore ſubſtitutam. v.* 25. Et de Jeroſolymis] *Omittitur præpoſitio* de, *a quibuſdam bonis libris.*

CAP. V. *V.* 1. Videns autem Jeſus turbas] *Correctores Bibliorum Sixtinorum non judicarunt omittendum nomen* Jeſus *(quod legitur etiam Syriace) quo clarior ſit ſententia, tametſi a veteribus pleriſque manuſcriptis Græco conformiter omittatur. v.* 8. Beati mundo corde] *Græce eſt* οἱ καθαροὶ, mundi, *primo caſu, quem in Latinis libris nondum invenimus, quanquam ad ſenſum parum referat. v.* 9. Quoniam filii Dei] *Donatianica Biblia, inter alia, & antiqua Epanorthotæ, addunt pronomen* Quoniam ipſi, *quod etiam Græce legitur. v.* 11. Cum maledixerint vobis & perſec.] *Non eſt addenda vox* homines, *quæ a melioribus libris abeſt, adſtipulantibus Græcis & Syris: videtur ex Luc.* 6. *v.* 22. *huc tranſlata. v.* 20. Dico enim vobis] *Sic cum Sixtinis Bibliis manuſcripta exemplaria emendatiora, ſic Græca, ſic Syra: quare non eſt mutandum* enim *cum* autem. *v.* 22. Omnis qui iraſcitur fratri ſuo] *Non eſt addendum* ſine cauſa, *quod jam olim ex hac editione Divus Hieronymus ſuſtulit: lege Græcas varietates & Notationes prolixiores. v.* 24. Et vade prius reconciliari fratri tuo] *Plerique libri legunt* reconciliari *modo infinito: ſed imperandi modo* reconciliare, *ſcribunt, inter alios, Brugenſis, Lobienſis, & antiqui Epanorthotæ, conformiter Græco & Syro. ibid.* Offeres munus tuum] *Brugenſe manuſcriptum, pro futuro* offeres, *legit imperativum* offer, *juxta Græca & Syra, necnon B. Auguſtinum, eo libro quo hunc Domini ſermonem tractat. v.* 30. Abſcide eam] *Sic eſt in Sixtinis Bibliis ex veteribus manuſcriptis, voce deducta a* cædo, *pro eo quod alia habent* abſcinde *a* ſcindo. *Simile infra* 18. *verſ.* 8. *Mar.* 9. *verſ.* 43. *& alibi. v.* 32. Et qui dimiſſam duxerit, adulterat] *De ea quæ olim B. Auguſtino obſervata eſt hujus ſententiæ a quibuſdam omiſſione, lege Græcas varietates. v.* 37. Sit autem ſermo veſter] *Hoc verborum ordine legunt boni libri, pro* Sit ſermo autem veſter. *v.* 38. Et dentem pro dente] *Non recte a quibuſdam exemplaribus omittitur conjunctio. v.* 39. In dexteram maxillam] *Non eſſe omittendum* dexteram, *quod olim a quibuſdam libris abfuit, docuimus in Notationibus in varias Bibliorum lectiones. v.* 40. Et ei qui vult tecum judicio contendere] *Sic legunt optimæ fidei exemplaria, omiſſa præpoſitione* in judicio. *v.* 41. Vade cum illo & alia duo] *Quidam libri tollunt vocem* alia, *quod Græce non legatur, quodque nihil amplius intelligendum videatur, quam duplum concedendum, ſimplum extorquenti, quemadmodum de maxilla & veſte præceſſit. Atqui, ut pleraque, ita cum Sixtinis optima quæque editionis noſtræ exemplaria,* τὸ, alia, *legunt: quod etiam B. Auguſtinus & imperfecti operis Auctor, pervetuſti tractatores, explicant. Exiſtimarim itaque veterem Interpretem dediſſe illud, nec tam Græce legiſſe (tametſi in ſecundo Pariſienſium Græco codice inveniatur) quam de ſuo addidiſſe, ne, propterea quod converterat* μίλιον *mille paſſus, ambigua eſſet oratio. Vidit enim, illo addito, in ſententia nullam diſcrepantiam fieri; non enim ita urgere Dominum alterum miliare, quaſi non & tertium & quartum ferri velit, potius quam reſiſtat quis malo. Porro* & *conjunctionem* (& alia duo) *egregia exemplaria manuſcripta omittunt. v.* 46. Si enim diligitis] *Manuſcriptum Brugenſe habet conjunctivum* diligatis, *conformiter Græco* ἀγαπήσητε. *ibid.* Quam mercedem habebitis] *In duobus codicibus a Johanne Hentenio annotatis, eſt præſens* habetis: *quibus volunt Græca, Syra, & imperfecti operis Auctor. v.* 48. Pater veſter cœleſtis] *Non legas* qui in cœlis eſt, *pro* cœleſtis; *ſicut nec e diverſo Græce* οὐράνιος, *pro* ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς.

CAP. VI. *V.* 4. Reddet tibi] *Unus ille Pariſienſium codex qui addit* in palam, *vel Græco accommodatus eſt, vel ſervat ſcripturam, quam olim emendavit Hieronymus ſublato illo* in palam, *ſeu* palam: *lege varietates Græcas, & noſtras in Biblia Notationes. v.* 6. Tu autem cum oraveris] *In aliis bonis libris eſt futurum indicativi* orabis, *pro conjunctivo* oraveris. *ibid.* Et clauſo oſtio] *Additur pronomen* tuo, *a multis bonis libris, conformiter Græco & Syro. v.* 7. Sicut ethnici] *Non eſt addendum* faciunt; *quod cum Sixtinis Bibliis antiqua manuſcripta omittunt, & tam Græca quam Syra ignorant. v.* 10. Adveniat regnum tuum] *In quibuſdam libris legitur ſimplex verbum* veniat, *quemadmodum Græce* ἐλθέτω. *v.* 11. Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie] *Quidam codices ſcribunt* quotidianum, *quomodo ante Hieronymum editio iſta habuit: unde adhuc conſuetudo ſic recitandæ Dominicæ orationis. Hieronymus mutavit* quotidianum *cum* ſuperſubſtantialem, *ut propius exprimeret Græcam vocem* ἐπιούσιον. *Quare Sixtina Biblia, & fide digniſſima quæque, tum noſtra tum Epanorthotæ manuſcripta, legunt* ſuperſubſtantialem: *lege Notationes. v.* 13. Sed libera nos a malo] *Sequitur in codice S. Germani lato, a Pariſienſibus notato;* Quia tuum eſt regnum & potentia & gloria in ſecula ſeculorum: *quod ex Græco additum eſſe, non dubium eſt: lege varietates Græcas. ibid.* A malo. Amen] *Vetera manuſcripta, Brugenſe, Clarimariſcenſe, Lobienſe, & tria Audomarenſia, omittunt* Amen, *quibus Syriaci libri typis excuſi ſuffragantur. At Syriacum manuſcriptum, Græcique omnes libri quos vidi, iis adſtipulantur Latinis exemplaribus quæ addunt* Amen. *Cyprianus & Auguſtinus non attingunt: Hieronymus cum Euthymio diſerte explicat, vocatque ſignaculum Dominicæ orationis, ut eſt confirmandi particula, quemadmodum docet idem duabus ad Marcellam epiſtolis, & Apoſtolus ipſe* 1 *Corinth.* 14. *verſ.* 16. *v.* 15. Si autem non dimiſeritis hominibus] *Tria ex noſtris manuſcriptis addunt* peccata eorum, *conformiter Græco; alia demunt, ſimiliter Syriaco, & emendationi Sixtinæ. ibid.* Nec pater veſter dimittet vobis peccata veſtra] *Quidam boni libri omittunt* vobis, *quod neque Græce exſtat. v.* 16. Ut appareant hominibus] *In aliis libris, pro compoſito, legitur ſimplex verbum* pareant, *minus congrue. ibid.* Quia receperunt mercedem ſuam] *Ut Sixtina Biblia, ita vetera manuſcripta, non omittunt* quia, *adſtipulantibus Græco*

&

& Syro: tametſi ſenſui ſuperfluat, nec legatur ſuperioribus verſibus ſecundo & quinto. v. 22. Lucerna corporis tui eſt oculus tuus] *Inter alia, Lobbienſe manuſcriptum omittit pronomina* tui & tuus, *conſentanee editionibus Græcæ & Syriacæ, citationique B. Hieronymi in Dialogo adverſus Luciferianos. Credi poſſint addita, ſive ex Evangelio Lucæ (cap.* 11. *verſ.* 34.) *ſive quod accommodando ſimilitudinem ſubjungat Salvator:* Si oculus tuus fuerit ſimplex*: ubi, poſt Græca & Syra, Regii operis Latinus textus addit conjunctionem*; Si igitur oculus tuus. *v.* 25. Quid manducetis] *Quod D. Hieronymus annotat, quibuſdam codicibus addi,* neque quid bibatis, *jam nulla addunt, licet Græce & Syriace legatur: lege Commentar. v.*30. Quanto magis vos modicæ fidei?] *Optima quæque manuſcripta noſtra legunt* minimæ *pro* modicæ, *ita ut* modicæ, *ex aliis locis celebrioribus, quibus id vertit Interpres (ut infra* 8. *ver.*26. *&* 14. *v.*31.) *huc tranſumtum videri poſſit. v.* 33. Quærite ergo primum regnum Dei] *Antiqui codices Epanorthotæ, & ex noſtris Brugenſis ac Lobbienſis, pro* ergo *legunt* autem, *quod eſt Græce ac Syriace. v.* 34. Sufficit diei] *Non eſt addendum* enim.

CAP. VII. *V.* 1. Ut non judicemini] *Hoc Matthæi eſt; Lucæ cap.*6. *v.*37. Et non judicabimini*: unde etiam illud huc tranſlatum eſt a quibuſdam* Nolite condemnare ut non condemnemini, *quanquam, ut conſimile eſſet ei quod præcedit, mutatum ſit,* & non condemnabimini *cum* ut non condemnemini. *Non tantum enim Græca & Syra, ſed & fide digniſſima quæque Latina manuſcripta, cum Sixtinis Bibliis, illud hoc loco ignorant, faventibus Tractatoribus veteribus, Hilario, Hieronymo, Auguſtino, Chryſoſtomo, & imperfecti operis Auctore, ut & a recentioribus pleriſque omnibus præteritur. v.* 4. Sine ejiciam] *Non eſt præponendum* frater, *quod ut non legitur in Græcis & Syricis, ita neque in emendatioribus Latinis codicibus. Lucæ ſimiliter eſt cap.* 6. *verſ.* 42. *ibid.* Et ecce trabs eſt] *Antiqui noſtri libri ſcribunt* trabes *pro* trabs. *Utraque forma Latinis nota eſt. v.* 6. Et converſi dirumpant vos] *Nec antiqui libri addunt* canes (& canes converſi) *quod ex ſcholio in ſcripturæ ſeriem haud dubium eſt deveniſſe: legunt autem quidam* diſrumpant *pro* dirumpant. *v.* 11. Noſtis bona data dare] *Quidam boni libri omittunt* data, *tametſi Græce Syriaceque legatur. v.* 12. Ut faciant vobis homines] *Non eſt addendum* bona, *quod jam olim ſublatum eſt a caſtigatore. ibid.* Et vos facite illis] *Quidam libri præponunt* ita (ita & vos) *adſtipulantibus Græcis pleriſque codicibus ac Syricis, & inter veteres Cypriano atque Auguſtino. Sed integerrima quæque hujus editionis exemplaria, tum noſtra tum Epanorthotæ, cum Sixtinis, omittunt, quibus & Græca quædam conſentiunt, de quibus in varietatibus Græcis. v.* 13. Quia lata porta & ſpatioſa via eſt] *Quidam boni libri omittunt verbum ſubſtantivum* eſt. *v.*14. Quam anguſta porta & arcta via eſt] *Non eſt legendum* quoniam *vel* &, *pro* quam*: vide Græcas varietates. A quibuſdam autem libris abeſt* eſt. *v.* 19. Excidetur & in ignem mittetur] *Quemadmodum Græce & Syriace eſt præſenti tempore* Exciditur & in ignem mittitur, *ita etiam Latine ſcriptum eſſe in pervetuſtis exemplaribus, annotant quidam; ſed qualia ego non viderim. v.* 23. Diſcedite a me qui operamini] *Recte ſuſtulit Sixtina correctio vocem* omnes, *ut quæ ab optimis quibuſque Latinis libris omittatur, conformiter Syricis & Græcis pleriſque omnibus. Et quanquam Pſalmi* 6. *verſ.* 9. *ad quem hic alluditur, addatur; videri tamen poſſit hic in Evangelio non ſine gratia omiſſa: vide Græcas varietates. v.* 25. 27. Et deſcendit pluvia] *Non eſt omittenda conjunctio* &, *etiam Epanorthotæ judicio, quæ Græce quoque & Syriace legitur. v.* 29. Et non ſicut Scribæ eorum] *Quidam antiqui libri omittunt* & *conjunctionem, quam alii, Græco Syroque ſimiliter, præponunt: plerique vero addunt pronomen* eorum, *Syro conſentanee, quod aliqui rurſus Græco conformiter auferunt.*

CAP. VIII. *V.* 1. Cum autem deſcendiſſet] *Non eſt addendum nomen* Jeſus, *quod ab antiquis libris, Græco & Syro conſonantibus, abeſt. v.* 9. Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus] *Multi antiqui libri, conſentanee Græco ac Syro, omittunt vocem* conſtitutus, *quæ ex Luc.* 7. *verſ.* 8. *huc adſcripta creditur. v.* 10. Audiens autem Jeſus] *Non addas pronomen* hæc. *v.* 11. Cum Abraham & Iſaac] *Non eſt omittenda* & *conjunctio. v.* 13. In illa hora] *Legendum eſt* in, *non* ex. *v.* 15. Et miniſtrabat eis] *Sic legunt cum Sixtino antiqui libri noſtri,* eis *numero plurali, Brugenſ. Lob. Leod. Clarmar. & Audomarenſia tria: alii libri habent* ei *numero ſingulari. Similis varietas eſt tam in Syricis quam in Græcis codicibus: lege varietates Græcas. v.* 17. Et ægrotationes noſtras portavit] *Quidam boni libri, Græco ſimiliter, non repetunt, ſed e proximo intelligendum relinquunt, pronomen* noſtras. *Atqui etiam Syriace repetitur, & apud Prophetam Hebraicis. v.* 18. Juſſit ire trans fretum] Τὸ diſcipulos, *quod interponunt quidam, antiqua exemplaria reſpuunt, conformiter Græco & Syro. Quare merito correctores Sixtini textu expulerunt. Quidam* diſcipulos, *ut Hilarius; quidam* turbas, *ut Chryſoſtomus, ſubaudiunt: tametſi illud longe ſit veriſimilius. v.* 20. Et dicit ei Jeſus; Vulpes] *Brugenſe & Lobbienſe manuſcripta omittunt* & *conjunctionem, conſentanee Syro, quam alii libri præponunt ſimiliter Græco. ibid.*] *Pro* nidos *manuſcriptum Brugenſe legit* tabernacula. *ibid.* Ubi caput reclinet] *Sic legunt optimi quique libri, omiſſo pronomine* ſuum, *conſentanee editioni Græcæ: nam Syrus pro more linguæ ſuæ adjecit. v.* 25. Et acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus, & ſuſcitaverunt eum] *Quidam vetuſti libri omittunt* ad eum diſcipuli ejus, *tametſi* diſcipuli ejus *Græce & Syriace addatur. v.* 26. Et dicit ei Jeſus; Quid timidi] *Nomen* Jeſus, *quamvis Syriace legatur, omittitur a Græcis & multis Latinis libris. v.* 28. Et cum veniſſet] *Non hic ex quibuſdam libris addas* Jeſus, *etiamſi Syrus exprimat.* Veniſſet *autem numero ſingulari legendum eſt, non plurali* veniſſent, *qui error eſt in libris nonnullis. v.* 29. Veniſti huc] *Non eſt præponendum adverbium* cur. *v.* 31. Si ejicis nos hinc] *Plerique libri omittunt adverbium* hinc, *cum Græcis ac Syricis. v.* 32. Et ecce impetu abiit] *Vox* magno, *quam interjiciunt quidam, non hic, ſed Marci* 5. *verſ.* 13. *ab Interprete data eſt. v.* 33. Nuntiaverunt omnia] *Superfluit* hæc, *quod addunt quidam* (hæc omnia.) *v.* 34. Rogabant ut] *Similiter redundat hic* eum; Rogabant eum ut.

CAP. IX. *V.* 1. Et aſcendens in naviculam] *Omittendum eſt quod additur in quibuſdam libris nomen* Jeſus. *v.* 5. Dimittuntur tibi peccata tua] *Sic cum Sixtinis Bibliis, manuſcripta Brugenſe, Clarmariſcenſe, & Lobbienſe ex noſtris, ſimiliter editioni Syriacæ. Alia omittunt* tua, *ut Græce alterum duntaxat legitur, aut* σοῦ, *aut* σοί*: vide Græcas Varietates. v.* 13. Sed peccatores] *Quod in nonnullis codicibus ſequitur* ad pœnitentiam, *ut a pleriſque, ita ab omnibus bonis præteritur, ſuffragantibus Syricis: quippe quod hujus loci non ſit, ſed Luc.* 5. *verſ.* 32. *lege Græcas varietates. v.* 17. Et vinum effunditur] *Quidam libri omittunt* &, *quod tamen Græce legitur. v.* 18. Acceſſit & adorabat] *Sic legendum,* adorabat *imperfectum, potius quam perfectum* adoravit. *ibid.* Domine, filia mea modo defuncta eſt] *Quædam manuſcripta, nominatim tria noſtra & unum Clarmariſcenſis Eccleſiæ, omittunt* Domine, *conſentanee Græco & Syro. ibid.* Impone manum tuam ſuper eam] *Multi boni libri auferunt pronomen* tuam, *quanquam Græce ac Syriace addatur. v.* 24. Dicebat; Recedite] *In quodam codice, pro* dicebat, *eſt* dixit ad eos, *propius ad Græca, ubi eſt* λέγει αὐτοῖς, dicit illis. *v.* 25. Et tenuit manum ejus] *Quod ſequitur in multis libris*; Et dixit, Puella ſurge, *non hujus loci eſt, ſed Luc.* 8. *v.* 54. *Nam hic, ut non a Sixtinis, ita nec ab antiquis libris, nec a Græcis codicibus aut Syricis agnoſcitur. v.* 38. Ut mittat operarios] *Notat Epanorthotes, antiquorum codicum hoc loco lectionem eſſe,* ejiciat *pro* emittat *aut* mittat*: id quod & nos ita fere invenimus. Lucæ decimo, inquit ille, eſt* mittat, *Luc.* 10. *verſ.* 2. *Utraque verſio bona eſt, ex eodem uno verbo* ἐκβάλῃ; *ſed* ejiciat *ſingularis emphaſeos.*

CAP. X. *V.* 2. Duodecim autem Apoſtolorum] *Non eſt legendum hoc loco* Diſcipulorum *pro* Apoſtolorum. *v.* 3. Jacobus Alphæi] *Cum Sixtinis Bibliis Lobbienſe manuſcriptum, Græco conſentaneum & reliquæ hoc loco enumerationi, omittit* & *conjunctionem: quam alii libri præponunt nomini* Jacobus, *cum obſcuret conjugationis rationem ab Evangeliſta ſignificatam. ibid.* Et Thaddæus] *Regium opus ex Complutenſi habet*; Et Lebbæus qui cognominatus eſt Thaddæus*: quod cum alibi non inveniam, adducor ut credam ex Græco adjectum eſſe. v.* 4. Et Judas Iſcariotes] *Ita ſcribunt meliores libri hoc loco. Alii* Scariotes *habent, omiſſa* I *litera initiali: lege Commentarium. v.* 5. Præcipiens eis, dicens] *Multi boni libri interponunt* & *conjunctionem* (& dicens) *tametſi Græce illa non legatur. v.* 7. Quia appropinquavit regnum cœlorum] *Sic legunt etiam antiqui libri,* appropinquavit *præteritum, Epanorthote quoque teſte, quod Græco conſonat & Syro. Nam futurum* appropinquavit, *nullius eſt auctoritatis. v.* 8. Infirmos curate, mortuos ſuſcitate] *Manuſcriptum H litera ſignatum, B. Hieronymo ſuffragante, omittit* τὸ mortuos ſuſcitate, *quod alii libri addunt, parva ſimilitudine veri: quanquam judico merito relictum eſſe a Correctoribus Sixtinis, ut certe vetus eſt, & facile potuit ab Interprete fuiſſe datum: lege varietates Græcas, & Notationes prolixiores in varias Bibliorum lectiones, denique Commentarium. v.* 10. Dignus eſt enim operarius cibo ſuo] *Annotat Epanorthotes, ex antiquis libris, legendum hic eſſe* cibo ſuo; *ſecundum Lucam autem cap.* 10. *verſ.* 7. mercede ſua. *v.* 12. Salutate eam dicentes, Pax huic domui] *Hæc verba,* dicentes, Pax huic domui, *omittuntur a manuſcriptis duobus Latinis, Syricis libris, & pleriſque Græcis, denique ab Euthymio inter Græcos, & inter Latinos B. Hieronymo, non in textu ſolum, verum & in Commentario; id quod in Notationibus, quas ſæpe diximus, monſtratum a nobis eſt. Videri poſſint huc adjecta, ex Evangelio ſecundum Lucam, cap.* 10. *verſ.* 5. *ubi habes* dicite pax huic domui, *loco ejus quod hic dicitur* ſalutate eam*: quanquam hic & a D. Hilario exponantur. v.* 13. Veniet pax veſtra. Pax veſtra revertetur] *Sic legunt cum plerique tum optimæ editionis noſtræ codices, conformiter Syro. In quibuſdam porro pro futuris indicativi, ſunt conjunctiva,* veniat, revertatur, *ſuffragante Græco, & inter tractatores Hilario. v.* 14. De domo vel civitate] *Manuſcriptum quoddam a Johanne Hentenio notatum addit* illa (vel civitate illa) *quod Græce quoque legitur & Syriace. v.* 18. Et ad præſides & ad reges] *Hoc ordine legunt etiam Græci libri & Syrici: quem invertentes Latini quidam habent*; Et ad reges & ad præſides. *v.* 22. Et eritis odio omnibus propter] *Quidam boni libri tollunt, quidam addunt* hominibus. *Illis volunt Græca. v.* 23. Fugite in aliam] *Vetus codex Eccleſiæ noſtræ, continens quatuor Evangelia, ſignatus F, addit*; Et cum in aliam perſequentur vos, fugite in tertiam; *qualia & Græce a quibuſdam addita notavimus ad varietates Græcas. v.* 26. Nihil enim eſt opertum, quod non revelabitur, & occultum quod non ſcietur] *Sic legunt cum Sixtinis Bibliis antiqui codices, futura indicativi, pro iis quæ in aliis ſunt conjunctivis,* reveletur, ſciatur*: quæ quidem eſſe Lucæ, annotat Epanorthotes, Luc.* 12. *verſ.* 2. *v.* 28. Et animam & corpus] *Non eſt omittenda conjunctio* &, *vel priori loco. v.* 30. Veſtri autem capilli] *Plerique libri tam ſcripti quam impreſſi interjiciunt* & (& capilli) *conſentanee Græco ac Syro. v.* 39. Perdet illam] *Ita legendum eſt futuro indicativi* perdet, *non imperativo* perdat, *quomodo legitur in manuſcripto Brugenſi.*

CAP. XI. *V.* 12. Rapiunt illud] *Alii codices antiqui habent* Diripiunt illud. *v.* 17. Cecinimus vobis] *Exemplar illud Eccleſiæ noſtræ quod mox diximus ſignari litera F, legit* Cecinimus vobis tibiis*: addit vocem* tibiis, *quæ certe neceſſaria eſt ad exprimendam integram ſignificationem Græci verbi* ηὐλήσαμεν· *ſed ex Luca eam huc adjeciſſe crediderim. Luc.* 7. *verſ.* 32. *v.* 30. Et onus meum leve] *Antiqui libri, cum Epanorthote, tum noſtri, repetunt verbum* eſt; Leve eſt.

CAP. XII. *V.* 2. Quod non licet facere] *Sic legunt, ut Sixtina Biblia, ita quatuor codices ab Hentenio ad Bibliorum marginem notati, conformiter Græco & Syro. Alii libri addunt pronomen* eis (quod non licet eis) *minus recte, ut quod nec legunt poſteriores Evangeliſtæ: conſtat enim Phariſæorum fuiſſe ſententiam, factum illud Diſcipulorum Chriſti prohibitum fuiſſe generali ſabbati mandato. v.* 10. Et ecce homo] *Unus Hentenii liber addit* erat, *ex Græco. v.* 18. Ecce puer meus quem elegi] *Male addunt quidam* electus quem elegi. *v.* 20. Arundinem quaſſatam non confringet] Conteret *quod legunt quidam, ex Propheta ſumptum eſt. v.* 25. Omne regnum diviſum contra ſe, deſolabitur] *Manuſcriptum Brugenſe, legit præſenti tempore* deſolatur, *quomodo eſt Græce, pro futuro* deſolabitur. *v.* 30. Et qui non congregat mecum, ſpargit] Diſpergit *quod eſt in quibuſdam, non Matthæi eſt, ſed Luc.* 11. *verſ.* 23. *v.*31. Spiritus autem blaſphemia] *Sic legendum eſt juxta emendationem Sixtinam: id quod quidam ita correxerunt, ut pro nominativo* blaſphemia, *ponerent genitivum* blaſphemiæ, *& genitivum* ſpiritus *acciperent pro nominativo, imperite. v.* 32. Qui autem dixerit contra Spiritum ſanctum] *Quidam codices repetunt* verbum, *refragantibus melioribus, Græcis quoque & Syricis, qui e proximo illud ſubaudiendum relinquunt. v.* 44. Invenit eam vacantem] *Tria bona manuſcripta, Græco conformiter, omittunt pronomen* eam. *v.* 47. Foris ſtant quærentes te] *Nonnulli libri habent* quærentes loqui tecum, *nonnulli* quærentes te alloqui, *quæ ex Græco mutata ſunt. v.* 50. Ipſe meus frater]

Egregia quædam manuſcripta præponunt conjunctionem &, *etiam fratris nomini* (& frater) *quæ quidem magnam adfert orationi emphaſim.*

CAP. XIII. *V.* 3. Ecce exiit qui ſeminat ſeminare] *Male in quibuſdam libris additur* ſemen ſuum: *ex Luca enim, cujus ſcriptura, quod in Eccleſia Evangelii loco legatur, familiarior eſt, Matthæo adjectum eſſe conſtat. v.* 4. Et venerunt volucres cœli] *Multi boni libri omittunt vocem* cœli: *quibus Græci codices plerique omnes cum Syricis adſtipulantur. Veriſimile eſt ſimiliter ex Luca huc eſſe tranſlatum. v.* 8. Aliud centeſimum, aliud ſexageſimum, aliud triceſimum] *Sic reddidit eleganter Interpres, juxta ſenſum, numero ordinali. Nec enim probabilis eſt illius manuſcripti lectio, quod verba Græca κατὰ πόδα imitatum habet:* Aliud centum, aliud ſexaginta, aliud triginta. *v.* 11. Noſſe myſteria] *Male alii libri numero ſingulari* myſterium *legunt, ex poſterioribus rurſus Evangeliſtis. v.* 12. Et quod habet auferetur ab eo] *Infra* 25. *verſ.* 29. *legitur* & quod videtur habere. *v.* 14. Et adimpletur in eis] *Hæc melior eſt lectio, quam illa quæ eſt aliorum librorum,* ut adimpleatur *vel* adimpleretur, *cum Græco etiam illa conſonat ac Syro. Quidam porro antiquus codex omittit* in *præpoſitionem ante* eis, *cui Græci aliquot ſuffragantur. ibid.* Prophetia Iſaiæ dicentis] *Pro genitivo* dicentis, *in aliis bonis eſt nominativus* dicens, *conſentanee prototypo Græco. v.* 16. Quia vident (*&c.*) quia audiunt] *Sic legendum eſt, non* qui vident, qui audiunt; *conjunctio inquam legenda eſt, non pronomen. v.* 20. Qui autem ſuper petroſa] *Non legas* petram *pro* petroſa, *ſubſtantivum pro adjectivo. v.* 28. Vis imus] *Latina Regis editio addit* igitur; Vis igitur imus: *quod quidem eſt Græce, ſed non Syriace; ut nec in vetuſtis Latinis manuſcriptis, magis quam in Sixtinis Bibliis. v.* 33. In farinæ ſatis tribus] *Luc.* 13. *verſ.* 21. *eſt* ſata tria. *v.* 36. Ediſſere nobis parabolam] *In quibuſdam eſt* diſſere, *ſed pro* ediſſere *accipiendum; in nonnullis* Enarra, *quod eſt alterius Interpretis. v.* 43. Qui habet aures audiendi] *Quædam antiqua manuſcripta auferunt vocem* audiendi, *neſcio qua auctoritate. v.* 47. Et ex omni genere piſcium congreganti] *Quidam libri omittunt* piſcium, *ut nec Græce nec Syriace agnoſcitur: ſed quia vetuſtiſſimi & optimi quique illud legunt, videtur ab Interprete additum. v.* 48. Elegerunt bonos in vaſa] *Non addas* ſua, *quod quidam. v.* 51. Dicunt ei; Etiam] *Tametſi Græce & Syriace addatur* Domine: *vetuſtiores tamen & fide digniores Latini libri, quos viderimus, cum Sixtina editione illud non legunt. v.* 55. Et fratres ejus, Jacobus & Joſeph] *Pro* Jacobus *quidam boni libri habent* Jacob, *pro* Joſeph *autem, Græci & Syriaci* Joſes: *qua de re late egimus in Notationibus ad locum Mar.* 15. *v.* 47.

CAP. XIV. *V.* 2. Hic eſt Johannes Baptiſta] *Non addas* quem ego decollavi. *v.* 3. Propter Herodiadem uxorem] *Subſequitur in quibuſdam libris impreſſis* Philippi: *quod Græce quidem & Syriace legitur, ſed cum deſit pleriſque omnibus, atque optimis quidem, Latinis codicibus, clarum fit non eſſe Latine legendum, ut quod Interpres non dederit. v.* 6. In medio] *Quidam addunt* triclinio, *quæ gloſſa eſt, non textus. v.* 12. Tulerunt corpus ejus] *Bonorum librorum, alii legunt, alii auferunt, pronomen* ejus. *v.* 14. Et miſertus eſt eis] Eis *legendum eſt, tertio caſu pluralis numeri, non* ejus, *ſecundo ſingularis. v.* 19. Diſcipuli autem turbis] *Superfluit quod quidam libri addunt* dederunt: *nam nec Græce legitur, quanquam Syrus addat* appoſuerunt. *v.* 22. Et ſtatim compulit] *Sic legunt Sixtina Biblia ex D. Hieronymi caſtigatione, non* juſſit, *ſed* compulit, *quod Græcæ Syræque vocis vim exprimit: lege D. Hieronymi Commentarium. v.* 32. Et cum aſcendiſſent] *Quidam numero ſingulari ſcribunt* aſcendiſſet; *male.*

CAP. XV. *V.* 2. Tranſgrediuntur traditionem] *Sic eſt, numero ſingulari, ut in Sixtinis, ita in multis aliis bonis libris, Græco ſimilibus: quibus & ſeries ipſa hiſtoriæ adſtipulatur: de unica enim traditione eſt quæſtio, quæ & exprimitur. Minoris itaque facienda eſt altera lectio,* traditiones *numero plurali. v.* 4. Honora patrem] *Antiquorum codicum, alii addunt, alii demunt,* tuum. *v.* 5. Quodcunque eſt ex me] *Annotat quidam, abeſſe a nonnullis manuſcriptis verbum ſubſtantivum* eſt: *quæ lectio nobis probata, adſtruitur Commentario. v.* 9. Doctrinas & mandata hominum] *Abſque media conjunctione* & *legunt vetuſti quidam libri Latini, conformiter Græcis, quin & textui Prophetæ Hebraico. Syricum Evangelium in eandem ſententiam habet,* doctrinas quæ (*ſunt*) mandata hominum. *Alii vetuſti libri, cum quibus Sixtina Biblia addunt conjunctionem, reſpondent Græcæ editioni virorum LXXII, quam hac præcipue parte Salvator ſequutus eſt: erat enim ea, illo tempore, non minus, ne dicam magis, Judæis in uſu, quam fons Hebraicus. v.* 12. Audito verbo hoc] *Abeſt ab antiquis codicibus non paucis pronomen* hoc: *ſed quia non lectum, ſubaudiendum eſt, viſum fuit Correctoribus illud relinquendum, ut non pauca alia ſimilia. v.* 14. Et duces cæcorum] *Conjunctio* &, *ab optimis quibuſdum manuſcriptis ignoratur, ut a Græcis omnibus ac Syricis. v.* 31. Mutos loquentes] *Sequitur in Regio opere ex Complutenſi;* Debiles ſanos: *id quod adjectum eſſe ex Græco, clarum facit Commentarius. v.* 33. Panes tantos] *In quibuſdam manuſcriptis emendatum eſt manu poſteriore* panes tanti: *ſed placuit Interpreti uti Antiptoſi, quod etiam Epanorthotes annotat. v.* 36. Et gratias agens] *Quidam libri, inter quos eſt Brugenſis ille D. Donatiani, omittunt* & *conjunctionem, ſuffragantibus codicibus Græcis. v.* 38. Erant autem qui manducaverunt] *Quidam libri præterito pluſquam perfecto legunt* manducaverant. *ibid.* Quatuor millia hominum] *Brugenſe illud manuſcriptum, pro* hominum *legit* virorum, *quomodo eſt & Græce & Syriace.*

CAP. XVI. *V.* 2. 3. Facto veſpere dicitis] *Et cætera uſque ad finem tertii verſus* non poteſtis ſcire, *quomodo olim a quibuſdam immerito omiſſa fuerint, pluribus aliis oſtendimus. Cæterum merito omitti a pleriſque verbum* ſcire, *quod poſtremum addunt quidam* (non poteſtis ſcire) *pro quo etiam quidam habent* cognoſcere, *noſtra ſententia eſt, nec aliud legendum quam* non poteſtis, *ut non eſt aliud in pleriſque libris Græcis quam* οὐ δύνασθε, *ſubaudito ex præcedentibus verbo* διακρίνειν, dijudicare. *ibid. v.* 3. Faciem ergo cœli] *Nonnulli libri præponunt* hypocritæ, *Græco Syroque conformiter: ſed plerique omnes, & quidem optimi quique, cum Sixtinis, demunt, viderique poſſit, cum ex Græco textu, tum ex Luc.* 12. *verſ.* 56. *huc eſſe adſumtum. Nam & conjunctio* ergo *ſubſequens, non perinde admittit illud. v.* 4. Niſi ſignum Jonæ prophetæ] *Quidam libri addunt* prophetæ *adſtipulantibus Græcis & Syricis, alii omittunt. v.* 7. 8. Intra ſe, intra vos] *Alii legunt* inter *pro* intra. *v.* 8. Sciens autem Jeſus dixit] *Quædam exemplaria, Græco & Syro conformiter, legunt; alia auferunt, pronomen* eis (dixit eis.) *v.* 9. Quinque panum in quinque millia] *Tria manuſcripta Eccleſiæ S. Audomari & unum Clarimariſci, habent conjunctionem* & *loco præpoſitionis* in; Quinque panum & quinque millia. *Fons ſi conſulatur, probabile fit, Interpretem vertiſſe* Quinque panum quinque millium, *abſque media ſive conjunctione ſive præpoſitione, (ut a quibuſdam legitur ſecundus caſus* millium) *quod a ſciolis mutatum ſit. v.* 10. Septem panum in quatuor millia] *Eadem eſt hujus loci ratio quæ proximi. v.* 13. Quem dicunt homines eſſe Filium hominis?] *Regia editio ex Complutenſi, cum alio uno atque altero exemplari, addit pronomen* me; Quem me dicunt *&c. ſuffragantibus libris Græcis, necnon Syricis, B. Hilario quoque tractatore. Atqui ut plerique omnes, ita optimi quique & fide digniſſimi libri, cum Sixtinis, non agnoſcunt τὸ* me, *ut nec B. Hieronymi Commentarius. Nullo itaque modo legendum Latinis eſt, quod Græcis etiam obſcuritatem adfert in re clara. Veriſimile eſt, Interpreti illud non lectum Græce; ac omnino explicationem eſſe illius* Filium hominis, *quæ in textum irrepſerit. v.* 19. Erit ligatum & in cœlis. Erit ſolutum & in cœlis] *Exemplaria manuſcripta multa & inſignia, ſuffragantibus Græcis & Syricis libris, omittunt illud* & (& in cœlis) *utroque loco. v.* 20. Quia ipſe eſſet Jeſus Chriſtus] *Hæc eſt lectio Latinorum codicum plerorumque, & quidem optimorum quorumque: quibus & Græca pleraque exemplaria ſuffragantur, & D. Hieronymi Commentarius. Quidam Latini libri omittunt nomen* Jeſus, *ſex ab Hentenio adnotati; quidam etiam Græci, tres Pariſienſium ε. ζ. η. His volunt, Syrica editio, & veteres tractatores Origenes atque Ambroſius. Crediderim ego, vocem illam* Jeſus, *quæ ſenſui obeſt, additam olim a librario quopiam ſciolo fuiſſe, non quidem Latinæ editioni (videtur enim illam Interpres dediſſe) ſed Græcæ. v.* 23. Vade poſt me Satana] *Pro* poſt me *quidam boni libri habent* retro, *quod tamen ex Mar.* 8. *verſ.* 33. *ſumtum videri poſſit. v.* 27. Secundum opera ejus] *Multa bona manuſcripta, tum noſtra, tum Epanorthotæ, pro plurali* opera, *legunt ſingulari* opus, *Græco textu ſuffragante, ubi eſt* κατὰ τὴν πρᾶξιν αὐτοῦ, *quanquam in* 14. *Pariſienſium exemplari ſit* κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ. *Veriſimile eſt, & iſtud* τὰ ἔργα, *& illud quod Latine legi ſolet* opera, *ex alio huic ſimili loco acceptum, ut illo Pſal.* 61. *verſ.* 12. Tu reddes unicuique juxta opera ſua, *vel illo Rom.* 2. *verſ.* 6. Qui reddet unicuique ſecundum opera ejus: *quanquam, quod ad ſenſum, nihil referat utro modo legatur.*

CAP. XVII. *V.* 1. Aſſumit Jeſus] *Antiqui codices Epanorthotæ cum quibuſdam noſtris ita legunt, ut Sixtina Biblia,* aſſumit *præſenti tempore. Alii codices legunt* aſſumſit *præterito tempore. Porro illud eo magis probandum eſt, quod ſequatur præſenti tempore* ducit, *in omnibus quos viderimus. Annotat Epanorthotes, in Eccleſia legi* aſſumſit, duxit, *tempore præterito. v.* 2. Facta ſunt alba ſicut nix] *Non diſſimilis vero ſit conjectura, Latine non minus quam Græce & Syriace, ſcriptum fuiſſe* ſicut lux, *idque mutatum eſſe cum* ſicut nix, *primum ob ſummam vocularum* lux *&* nix *affinitatem, quæ non eſt ſive Græce ſive Syriace, deinde, quod Marcus nivis meminerit; denique quod albedo nivi magis propria ſit quam luci. Atqui, ſi reliquorum Evangeliſtarum, Marci inquam & Lucæ, verba conſideres, videbis ab illis duo attribui veſtimentis Chriſti, unum quod alba fuerint, alterum quod lucida. Marcus;* Veſtimenta, *inquit,* ejus facta ſunt ſplendentia, candida (*alba*) nimis velut nix. *Lucas;* Et veſtitus ejus albus refulgens. *Hoc igitur eſt & quod Matthæus vult, dum ait* alba ſicut lux. *v.* 4. Tibi unum, Moyſi unum] *Alii libri interjiciunt conjunctionem* (& Moyſi unum) *conformiter Græco ac Syro. v.* 7. Surgite & nolite] *A quibuſdam bonis libris abeſt* &, *quod nec Syriace exſtat. In aliis legitur, Græco conformiter. v.* 9. Præcepit eis Jeſus] *Manuſcripta integerrimæ fidei, Brugenſe, Lobienſe, Clarmariſcenſe, & D. Audomari duo, demunt pronomen* eis: *quod quanquam Græce addatur, Interpres tamen, pro decoro orationis, videri poſſit maluiſſe omittere, & verbo* præcepit *dare caſus præcedentes* deſcendentibus illis, *qui alioqui Græce abſolute ponuntur: etſi ſecundum Marcum hoc non obſervarit. v.* 11. Elias quidem venturus eſt] *Subjiciunt quidam codices* primum, *ex Græco, non dubium, emendati. v.* 16. Reſpondens autem Jeſus] *Librorum, alii addunt, conformiter Græco; alii demunt, conſentanee Syro, conjunctionem* autem. *v.* 19. Et dixerunt] *Bonorum librorum, alii addunt* ei, *alii omittunt. Syriace legitur, Græce non. ibid.* Ejicere illum] *Nicolaus Zegerus annotat, in codice Corſendoncenſi legi* illud *neutro genere, quod in noſtris non invenio. v.* 20. Dixit illis Jeſus] *Quidam boni libri addunt, cum Græcis & Syris, alii tollunt nomen* Jeſus. *ibid.* Tranſi hinc illuc] *Optimi quique noſtri Latini libri, omittunt* illuc, *quod licet Græce legatur, non tamen exſtat Syriace. v.* 24. 25. Didrachma] *Ita legendum eſt neutro genere, numero plurali; non* didrachmam *numero ſingulari generis fœminini.*

CAP. XVIII. *V.* 8. Abſcide eum] *Vetera manuſcripta cum Sixtinis Bibliis conſtanter legunt* abſcide *a* cædo, *pro* abſcinde *a* ſcindo. *Pro* eum *porro, Regius textus ex Complutenſi legit* ea, *quemadmodum eſt Græce. v.* 9. Bonum eſt tibi cum uno oculo in vitam] *Ita legunt meliores libri, etiam Epanorthotæ,* cum uno oculo, *pro eo quod eſt in aliis* unum oculum habentem. *Quidam conjiciunt legendum* unoculum, *quomodo eſt Græce* μονόφθαλμον. *v.* 12. Nonne relinquit] *Hæc lectio merito probatur, præ ea quæ futuro tempore ſcribit* relinquet. *ibid.* In montibus] *Male in quibuſdam libris habetur* in deſerto: *id quod ex Luc.* 15. *verſ.* 4. *ſumtum eſſe, etiam Epanorthotes annotavit. v.* 13. Quia gaudet ſuper eam] *Ita legitur in multis libris, præſens tempus, Græco conformiter; in aliis eſt futurum* gaudebit. *v.* 14. Ut pereat unus] *D. Donatiani codex legit neutro genere* unum: *quo modo & quidam legit Græce* ἓν, ut referat, *inquit,* παιδίον. *v.* 15. Lucratus eris] *Unum manuſcriptum, pro futuro* eris, *legit præſens* es, *quod quidem Græco ſimilius eſt,* ἐκέρδησας. *v.* 16. Si autem te non audierit] *Quidam annotat abeſſe pronomen* te *ab uno codice manuſcripto, quomodo abeſt ab editione Græca, etſi non Syriaca. Nos in tribus manuſcriptis, & apud Epanorthoten, invenimus tranſpoſitum,* Si autem non te. *ibid.* Adhibe tecum adhuc unum] *Codex D. Donatiani omittit* adhuc, *conformiter editioni Syriacæ, quod in aliis legitur ſimiliter Græce. v.* 17. Si autem Eccleſiam] *Manuſcripta Brugenſe & Lobienſe addunt* & (& Eccleſiam) *quod Græce quoque & Syriace legitur. v.* 22. Dicit illi Jeſus] *Ita legunt optimi quique libri, Græco conſentanee,* dicit *præſenti tempore, non præterito* dixit. *v.* 24. Qui debebat ei decem] *Omittitur ab aliis libris pronomen* ei.

CAP. XIX. *V.* 4. Quia qui fecit hominem] *Optimi noſtrorum librorum tollunt* hominem *&* homines, *Græco conſentanee. Ex Commentario (veriſimile eſt) irrepſit in textum. v.* 5. Dimittet homo] *Quidam libri habent* relinquet homo, *ex Geneſi aut Epiſtola ad Epheſios, quod notat Epanorthotes: meliores enim hic legunt* dimittet. *v.* 7. Dare libellum] *In aliis bonis libris eſt* dari *paſſive, pro activo* dare. *v.* 10. Cauſa hominis] *Noſtra vetera manuſcripta legunt tertio caſu* homini, *pro ſecundo caſu* hominis, *qui in pleriſque libris exſtat Græco conſentanee. v.* 12. Qui ſeipſos caſtraverunt] *Antiqui libri Epanorthotæ, &, ex noſtris, Brugenſis ille D. Donatiani, habent* Qui ſeipſos eunuchizaverunt, *vocem fictam ad imitationem Græci verbi* εὐνούχισαν. *v.* 14. Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire] *Quidam manuſcriptus codex tranſponit verba hunc in modum*; Sinite parvulos venire ad me, & nolite prohibere eos. *Et quanquam hoc ordine etiam Syrus legat, tamen Marci & Lucæ eam exiſtimo eſſe ſcripturam, non Matthæi. ibid.* Talium eſt enim] *Non eſt omittenda conjunctio* enim, *quæ & Græce & Syriace exſtat, quanquam omittatur a quibuſdam antiquis libris. v.* 18. Dicit illi; Quæ?] *Non eſt legendum nominativo caſu* ille, *ſed dativo* illi. *v.* 19. Honora patrem tuum] *Quidam boni codices omittunt* tuum; *alii Græco & Syro conſentanee addunt. ibid.* Et matrem tuam] *Quædam manuſcripta auferunt pronomen* tuam: *quibus Græci libri adſtipulantur, præter Regium ex Complutenſi addentem* ϗ τὴν μητέρα σου. *ibid.* Et diliges proximum] *Conjunctio copulans additur, non tantum ex Græcis & Syris, quantum ex optimis Latinis exemplaribus. v.* 20. Omnia hæc cuſtodivi a juventute mea] *Illud* a juventute mea, *Epanorthotes ſentit huc additum ex Marco & Luca. Nam quanquam Græca Syraque illud, non minus ſecundum Matthæum, quam ſecundum Marcum & Lucam, legant: Latina tamen exemplaria antiqua docere intelligit, illud Græce ſecundum Matthæum Interpreti non lectum, nec Latine proinde datum fuiſſe: ut certe etiam noſtra antiqua manuſcripta illud omittunt. v.* 21. Vade, vende quæ habes] *Noli legere,* Vade & vende omnia quæ habes, *additis voculis* &, *&* omnia.

CAP. XX. *V.* 1. Simile eſt regnum] *Conjunctio* enim *quæ Græce Syriaceque additur, nec Latine videtur omittenda, poſtquam in duobus Janſenii & totidem noſtris Latinis manuſcriptis exſtat. v.* 4. *&* 7. Ite & vos in vineam meam] *Quædam tum Latina tum Græca exemplaria, Syro conſentanee, utroque loco ignorant pronomen* meam. *Porro quod Nicolaus Zegerus legendum putat, poſteriori loco ut priori:* Et quod juſtum fuerit accipietis; *ego potius Græcis Syriciſque exemplaribus ſuperfluere exiſtimem, quam Latinis deeſſe. Hilarius & Hieronymus non videntur illud agnoviſſe: lege Commentarium. v.* 15. Quod volo facere] In meis *tametſi Græce Syriaceque exſtet, & a veteribus legatur, ego tamen non exiſtimem, quod Zegerus, noſtræ editioni adjiciendum. v.* 17. Duodecim diſcipulos] *Non addas pronomen* ſuos. *v.* 21. Et unus ad ſiniſtram] *Sic legendum eſt,* unus, *non* alius, *quod Marci eſt. v.* 23. Ad dexteram meam vel ſiniſtram] *In quibuſdam libris eſt* & *conjunctiva, pro disjunctiva* vel, *Græco conformiter. v.* 25. Poteſtatem exercent in eos] *Non eſt legendum* inter eos, *ut quidam legunt male, pro* in eos. *v.* 28. Animam ſuam redemtionem] *Non addas* in *præpoſitionem,* in redemtionem.

CAP. XXI. *V.* 1. Et cum appropinquaſſent Jeroſolymis, & veniſſent] *Sic legunt omnes boni libri, numero plurali, conformiter Græco: Quod in aliis eſt ſingulari numero* appropinquaſſet, veniſſet, *tametſi Syrus ſic legat, ex Eccleſiaſtico officio mutatum notat Epanorthotes. ibid.* Miſit duos diſcipulos] *Non addas* ſuos, *quod ex Luca quidam huc adſcripſerunt. v.* 3. Et confeſtim dimittet eos] *Sic legendum eſt, futuro tempore,* dimittet, *non præſenti* dimittit: *vide Græcas varietates. v.* 4. Hoc autem totum factum eſt] *Additur* totum *conſentanee Græco & Syro, quod tamen quidam boni libri omittunt. v.* 5. Sedens ſuper aſinam] *Alii libri præponunt* & *conjunctionem, conformiter Græco ac Syro. v.* 7. Et impoſuerunt ſuper eos] *Quidam, loco pluralis* eos, *quod fere legitur Græce ut Latine; ſcribunt ſingulare* eum, *cujus loco Syrus dixit* pullum. *Sed hæc de induſtria mutata videri queant, ad evitandam difficultatem, quæ ex recepta lectione putatur emergere. v.* 9. Filio David] *Cave legas quintum caſum* o fili, *ut quidam, pro tertio* filio. *v.* 16. Jeſus autem dixit eis] *Præſens* dicit, *pro præterito* dixit, *legunt libri noſtri integriores, conformiter Græco. v.* 17. Ibique manſit] *Quod quædam manuſcripta addunt* Et docebat eos de regno Dei, *Epanorthotes ex Eccleſiaſtico officio acceptum notat. v.* 21. Tolle & jacta te in mare] *Ita vulgo legitur: quam lectionem eſſe depravatam, quanquam citra detrimentum ſententiæ, legendumque imperativis paſſivis* Tollere & jactare in mare, *non ſolum Græca loquuntur, ſed & ſimilia loca Mar.* 11. *verſ.* 23. *& Luc.* 17. *verſ.* 6. *Quamvis ergo non ſuppetant exemplaria quæ ſcribant* tollere & jactare; *tamen res eſt adeo clara, judicio Epanorthotæ, hanc eſſe Interpretis ſcripturam, ut ſine difficultate in textum recipiendam putet, annotans literam* r, *mutatam eſſe in* t, *ubi legitur* tolle te. *v.* 24. Reſpondens Jeſus] *Non addas* autem, *tametſi Græce legatur. v.* 25. Baptiſmus Johannis unde erat?] *Antiqui libri conſtanter legunt* Baptiſmum, *non* Baptiſmus. *Uſus eſt enim Interpres hac voce, non hic tantum, ſed & ſecundum Marcum & Lucam, tanquam ſi Latine dicatur neutro genere* baptiſmum: *quod & facit D. Auguſtinus non ſemel, ſcribens in caput primum Evangelii ſecundum Johannem, quin & illo poſterior D. Gregorius homilia* 20. *in Evangelia. v.* 26. Omnes enim habebant Johannem] *Alii Latini libri cum Græcis legunt præſens* habent, *pro imperfecto* habebant, *quod Marci eſſe putatur a nonnullis. v.* 27. Ait illis & ipſe] *Non eſt omittendum medium illud* &, *quod etiam Græce legitur. ibid.* Nec ego dico vobis] *Non eſt legendum futurum* dicam, *ſed præſens* dico. *v.* 28. Hodie operare in vinea mea] *Ita lege ex Bibliis Sixtinis, modum imperativum* operare, *& caſum ſextum* vinea mea, *conformiter Græco; potius quam modum infinitum* operari, *aut caſum quartum* vineam meam. *v.* 30. Eò Domine] *Quidam conjiciunt, pro verbo* eo, *legendum eſſe pronomen* ego, *quod eſt Græce & Syriace. v.* 31. Dicunt ei, Primus] *Quidam libri omittunt pronomen* ei, *quod tamen etiam Græce legitur & Syriace. Pro* primus *porro, olim, D. Hieronymo teſte, nonnulla exemplaria legere* noviſſimus: *quæ lectio fuit D. Hilarii, dicit enim Phariſæorum reſponſionem fuiſſe, voluntati patris juniorem obediſſe, eum qui ſpondens fefellit; in qua deinde enucleanda mire ſe torquet: ſed adulterina fuit ea ſcriptura, exemplarium minime verorum. ibid.* Præcedent vos in regnum Dei] *Sic legendum eſt, cum Sixtinis Bibliis, quarto caſu* regnum, *potius quam ſexto* regno. *Porro pro futuro* præcedent, *in aliis libris eſt præſens* præcedunt, *conſentanee Græco & Syro. v.* 32. Venit enim ad vos] *Non legas* autem *pro* enim. *v.* 33. Et ædificavit turrim] *Non addas* in medio ejus, *quod quidam ex Iſa.* 5. *verſ.* 2. *huc adſcripſerunt. v.* 37. Verebuntur filium meum] *Omittendum eſt* forſitan, *quod ex Luc.* 20. *verſ.* 13. *huc adjectum a quibuſdam fuit. v.* 41. Et vineam ſuam locabit] *Quidam boni libri, nominatim Eccleſiæ noſtræ, omittunt pronomen* ſuam, *conſentanee Græco & Syro. ibid.* Qui reddant ei fructum] *Sic legunt cum Sixtinis Bibliis antiqui libri, conjunctivum* reddant, *pro futuro indicativi* reddent.

CAP. XXII. *V.* 1. Eis dicens] *Non poſtponas* eis; Dicens eis. *v.* 3. Et miſit ſervos ſuos] *Non legas numero ſingulari* ſervum ſuum, *quomodo, Hieronymo teſte, olim quidam: ex Luca Evangelio, vero ſimile eſt. Luc.* 14. *v.* 17. *v.* 5. Ad negotiationem ſuam] *Quidam boni libri omittunt pronomen* ſuam, *quod tamen etiam Græce & Syriace exſtat. v.* 6. Et contumeliis affectos] *Libri Eccleſiæ noſtræ & Clarmariſcenſis legunt numero ſingulari* contumelia. *v.* 13. Ligatis manibus & pedibus ejus] *Hic ordo Græco & Syro conſentaneus eſt: verum manuſcripta noſtra præponunt pedes manibus;* Ligatis pedibus ejus & manibus. *v.* 14. Multi enim ſunt vocati] *Non eſt legendum* autem *pro* enim, *tametſi in multis antiquis libris ſit* autem. *v.* 15. Ut caperent eum] *Legendum eſt pronomen* eum, *non autem nomen* Jeſum, *quod ex officio Eccleſiaſtico acceptum eſt. v.* 17. Licet cenſum dare Cæſari] *Non eſt mutandum activum* dare *cum paſſivo* dari. *v.* 30. Sed erunt ſicut] *In pleriſque libris, pro futuro* erunt, *legitur præſens* ſunt, *Græco conformiter. v.* 37. Ex toto corde tuo, & in tota anima tua] *Sic etiam libri antiqui, priori loco legunt* ex, *poſteriori* in.

CAP. XXIII. *V.* 13. Væ autem vobis] *Non eſt omittenda conjunctio* autem. *ibid.* Quia clauditis] *Alii legunt pronomen* qui, *pro conjunctione* quia, *quæ Græce exſtat. v.* 14. Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes: propter hoc amplius accipietis judicium] *Hunc verſum plurimi boni Latini codices omittunt, etiam tres hujus noſtræ Audomarenſis Eccleſiæ manuſcripti: a quibus autem legitur, variis & loco & modo legitur: D. Hieronymus & alii quidam Tractatores non agnoſcunt: Canones Evangeliorum ſolis Marco & Lucæ aſcribunt: prout hæc latius a nobis declarata ſunt in Notationibus noſtris prolixioribus. Quare videri poſſit ex D. Hieronymi correctione jugulandus & prætermittendus verſus iſte: niſi propter auctoritatem veterum Tractatorum, Græcorum, & inter Latinos Hilarii, conſultum haud eſſet illum prorſus expungere. v.* 15. Quicunque juraverit per templum] *Non addas* Dei. *v.* 18. Cæci, quid enim majus eſt] *Regia Biblia, haud dubium ex Complutenſibus, addunt,* Stulti & cæci quid, *quemadmodum eſt Græce & Syriace: Atqui reliqui Latini libri non agnoſcunt* τὸ ſtulti *hoc loco. v.* 20. Et in eo qui habitat in ipſo] *Non eſt legendum antecedens* templo *pro relativo* ipſo. *v.* 24. *&* 25. Calicis & paropſidis] *Alii loco vocalis quartæ ſcribunt primam,* parapſidis: *utroque enim modo vox effertur. v.* 24. Intus autem pleni eſtis rapina] *Meo judicio, ſalvo meliore, legenda eſt tertia perſona* ſunt, *pro ſecunda* eſtis: *ſic enim ſcribunt vetera manuſcripta noſtra (D. Donatiani unum, D. Audomari duo, & Clarimariſci unum) cum antiquis Epanorthotæ, & ſeptem ab Hentenio annotatis, & aliis. Cæterum ſeptem illa Hentenii ſignantur legere* plena ſunt *neutro genere: noſtra vero retinent maſculinum* pleni. *Neutrum genus melius congruat ſermoni Latino: ſed maſculinum certius eſt, & in eundem ſenſum accipiendum. Huic lectioni tertiæ perſonæ diſerte ſuffragantur Græca & Syra. v.* 25. Ut fiat id quod deforis eſt mundum] *Videtur addendum* & (ut fiat & id) *quod ut legitur Græce & Syriace, ita a pluribus bonis libris. v.* 28. Qui ædificatis ſepulchra] *Omnes boni libri quos vidimus, hic legunt* qui, *tametſi Græce ſit conjunctio* ὅτι, quia. *Syrum ambiguum eſt. v.* 33. Ideo ecce ego mitto] *Non eſt addendum* Ideo dico vobis, ecce ego mitto. *v.* 36. Sub alas] *Non addas pronomen* ſuas. *ibid.* Et noluiſti] *Quædam manuſcripta, conformiter Græco & Syro, legunt numero plurali* noluiſtis.

CAP. XXIV. *V.* 12. Et quoniam abundavit iniquitas] *In aliis libris eſt futurum* abundavit, *quod Græco conſonat, pro præterito* abundavit. *v.* 20. In hyeme vel ſabbato] *Alii libri omittunt* in *præpoſitionem. v.* 23. Ecce hic eſt Chriſtus aut illic] *A quibuſdam libris omittitur* eſt *conformiter Græco: a quibuſdam repetitur* ecce (aut ecce illic) *ſed non eadem fide. v.* 28. Illic congregabuntur & aquilæ] Illuc *adverbium motus ad locum legendum videtur ex antiquis libris, non* illic: *ſimiliter omittenda conjunctio* & (& aquilæ) *quæ nec Græce aut Syriace additur. v.* 30. Cum virtute multa] *Annotat vetus Epanorthotes, ſecundum Matthæum* multa, *ſecundum Lucam* magna *legendum eſſe. v.* 33. Quia prope eſt in januis] *Non eſt interponendum conjunctio,* eſt & in. *v.* 34. Donec omnia hæc fiant] *Non eſt omittendum pronomen* hæc. *v.* 36. Neque angeli cœlorum] *Quod quidam libri addiderant olim, adduntque hodie,* neque filius; *D. Hieronymus, ſequutus meliora exemplaria, ſuſtulit, noſtram hanc corrigens editionem. Quare legendum hic non eſt ſecundum Matthæum, etſi a veteribus tractatoribus non paucis hic explicetur, ſed relinquendum eſt Marco proprium. v.* 38. Et nuptui tradentes] *Alii legunt* nuptum *pro* nuptui. *v.* 42. Duabus molentibus] *Subjiciunt multi codices Latini;* Duo in lecto, unus aſſumetur, & unus relinquetur. *Cæterum non eſſe illud Evangelii ſecundum Matthæum, quanquam multi veterum Patrum illud hic exponant, ſed Evangelii ſecundum Lucam, clare docuimus in Notationibus noſtris prolixioribus, quibus Sixtina Biblia ſuffragantur. v.* 43. Qua hora fur venturus eſſet] *Boni libri legunt optativum* eſſet, *non indicativum* eſt. *v.* 44. Quia qua neſcitis hora] *In quibuſdam libris eſt* quia qua hora neſcitis, *conformiter Græco; In aliis* quia neſcitis qua hora; *In aliis denique* quia qua hora non putatis, *quod poſtremum eſt Lucæ cap.* 12. *verſ.* 40. *v.* 47. Super omnia bona ſua] *Quidam libri omiſſa voce* bona *legunt* ſuper omnia ſua.

CAP. XXV. *V.* 11. Noviſſime vero veniunt] *Non eſt omittendum* vero, *quod etiam Græce & Syriace legitur. v.* 13. Vigilate itaque] *Quod quidam libri adjungunt* & orate, *non eſt hujus loci. v.* 18. Fodit in terram] *In aliis bonis libris eſt* terra, *ſexto caſu, ut Græce. v.* 22. Ecce alia duo lucratus ſum] *Sic legendum eſt hoc loco: nam viceſimi verſus eſt verbum, non ſimplex, ſed compoſitum* ſuperlucratus. *v.* 27. Oportuit ergo te] *Non addas* & te. *v.* 31. Et omnes angeli cum eo] *Non eſt addendum* ejus; Angeli ejus. *v.* 38. Et cooperuimus te] *Unum Clarimariſci & tria Eccleſiæ noſtræ Audomarenſis manuſcripta omittunt pronomen* te, *conformiter Græco. v.* 41. Tunc dicet & his] *Non eſt addenda vox* Rex; Tunc dicet Rex. *ibid.* Qui paratus eſt diabolo] *Codex D. Donatiani, pro verbo ſimplici* paratus, *legit compoſitum* præparatus. *v.* 42. Et non dediſti mihi potum] *Hic legitur* potum, *ſupra vero* bibere, *annotante Epanorthote. v.* 44. Aut ſitientem] *Non eſt omittenda conjunctio* aut.

CAP. XXVI. *V.* 2. Ut crucifigatur] *Non eſt addenda interrogationis nota, quam addunt manuſcripta multa: pronunciando enim dictum eſt, non interrogando. v.* 10. Quid moleſti eſtis huic mulieri?] *Alii boni libri omittunt pronomen* huic. *ibid.* Opus enim bonum operata eſt in me] *Manuſcriptorum exemplarium, alia omittunt conjunctionem* enim, *ſimiliter editioni Syriacæ: alia addunt, conformiter Græcæ. v.* 11. Me autem non ſemper habetis] *Futurum* habebitis, *poſteriori hac verſus parte, legunt multi vetuſti codices: alii autem, ut eſt Græce, ſcribunt tempus præſens* habetis. *v.* 14. Qui dicebatur Judas Iſcariotes] *Quidam antiqui libri legunt præſens* dicitur, *pro imperfecto* dicebatur. *Sed &* Scarioth *habent pro* Iſcariotes, *in quo miror eos variare a forma Græca. v.* 17. Prima autem die Azymorum] *Quædam manuſcripta omittunt vocem* die, *conformiter Græco. v.* 23. At ipſe reſpondens ait] *Legenda eſt adverſativa* at, *non copulativa* &. *ibid.* In paropſide] *Antiqui libri ſcribunt primam vocalem loco quartæ,* in parapſide: *vide ſupra* 23. *verſ.* 24. *v.* 24. Per quem Filius hominis tradetur] *Pro futuro* tradetur, *eſt in quibuſdam libris præſens* traditur, *conſentanee Græco & Syro. v.* 25. Qui tradidit eum, dixit] *Non eſt interponendum conjunctio* & dixit. *v.* 28. Hic eſt enim ſanguis meus] *Etſi quædam Cypriani exemplaria, epiſtola* 63. *legant neutro genere* Hoc eſt enim, *& eum vertendi modum, patiantur etiam Græca: nulla tamen ratione* hic *maſculinum cum neutro* hoc *mutandum eſt. ibid.* Qui pro multis effundetur] *Male quidam legunt* vobis *pro* multis: *nam* vobis *Lucæ eſt, cap.* 22. *verſ.* 20. multis *autem Matthæi & Marci. Porro etſi Græce & Syriace ſit præſens* effunditur: *Latinus tamen Interpres futurum* effundetur *dedit: nec ſimplex* fundetur, *ſed compoſitum* effundetur, *quale eſt Græce. v.* 39. Sed ſicut tu] *Non eſt addendum verbum* vis. *v.* 40. Et venit ad diſcipulos ſuos, &] *Quædam exemplaria manuſcripta omittunt pronomen* ſuos, *conformiter Græco. ibid.* Sic non potuiſtis] *Quidam libri collocant interrogationis notam poſt adverbium* ſic: *nonnulli, pro plurali* potuiſtis, *habent ſingulare* potuiſti; *ſed hoc quidem male. v.* 45. Ecce appropinquavit hora] *Licet antiqui libri legant futurum* appropinquabit, *retinendum tamen eſt præteritum* appropinquavit, *quod tam ſententia, quam Græca & Syra, requirunt. v.* 46. Ecce appropinquavit qui me tradet] *De hoc præterito* appropinquavit, *idem judicium eſt quod de ſuperiori. Porro futurum* tradet, *quidam libri mutant cum præſenti* tradit, *quod quidem conforme eſt Græco ac Syro. v.* 50. Amice, ad quid veniſti?] *Multi antiqui libri, pro* quid *interrogativo, manifeſte ſcribunt relativum* quod, *enunciando non interrogando legendum: Et quidem videri poſſit error ex eo natus, quod multi eam voculam contracte ſcribant, ita ut utroque modo legi queat: ſic tamen non legunt tantum, verum etiam interpretantur, Remigius a D. Thoma ad Cathenam citatus, & ipſe D. Thomas in proprio Commentario;* Ad quod veniſti, *ſupplent* hoc fac. *Quinetiam Euthymius ſic intelligit Græca: Ad quod veniſti ſc.* hoc citra ſimulationis velamen operare: *crediderim iſtos ſtudioſe interrogationem vitaſſe, eo quod judicarent, non fuiſſe inquirendum Jeſu propoſitum Judæ, quod non ignoraret: vide Commentarium noſtrum. v.* 53. Et exhibebit mihi modo] *Hæc eſt germana lectio editionis Latinæ, conſonantis Syricæ: tametſi quidam Latini libri cum Græcis,* τὸ modo *rejiciant in prius hujus periodi membrum. v.* 59. Principes autem ſacerdotum] *Optimi quique libri ſic legunt,* principes *numero plurali, non* princeps *ſingulari, ſuffragantibus Græca & Syriaca editionibus. v.* 61. Reædificare illud] *Interpres dedit verbum compoſitum* reædificare, *tametſi Græce & Syriace ſit ſimplex* ædificare. *v.* 63. Si tu es Chriſtus Filius Dei] *Non addas* vivi, *quod quidam codices, ut nec Græca & Syra illud agnoſcunt. Eſt enim alterius loci, ſupra* 16. *verſ.* 16. *v.* 64. Dicit illi Jeſus] *Legendum eſt præſens* dicit, *non præteritum* dixit. *ibid.* Sedentem a dextris virtutis Dei] *Multa exemplaria manuſcripta, antiqua & fide digna, omittunt* Dei, *conformiter Græco & Syriaco: quod legitur Luc.* 22. *verſ.* 69. *loco prorſus ſimili. v.* 67. Alii autem palmas] *Interlinearis gloſſa notat, quod pro* palmas, *alias legatur* alapas: *id quod ex Marco fortaſſis eſt ſumtum. ibid.* In faciem ejus dederunt] *Antiqua Eccleſiæ noſtræ manuſcripta unanimiter legunt tertium caſum* ei, *pro ſecundo* ejus; *ſicut & Clarimariſci exemplar. v.* 71. Vidit eum alia ancilla] *Quidam libri omittunt* ancilla, *quia neque Græce Syriaceve legitur: ſed videtur vox illa ab Interprete ſuppleta. v.* 72. Quia non novi hominem] *In quibuſdam bonis libris eſt* Quia non noviſſet hominem, *niſi hoc potius eſſet verſus* 74. *ſubſequentis. v.* 73. Acceſſerunt qui ſtabant] *Non addas* ad eum. *ibid.* Vere & tu ex illis es] *Non omittas* &. *v.* 75. Verbi Jeſu quod dixerat] *Non eſt legendum* verbi quod dixerat ei Jeſus, *quod eſt Evangelii ſecundum Marcum. ibid.* Priuſquam gallus cantet] *In quodam manuſcripto præponitur* quia, *quemadmodum Græce & Syriace.*

CAP. XXVII. *V.* 3. Et ſenioribus, dicens] *Non addas* populi; Et ſenioribus populi, *quod quidam. v.* 8. Propter hoc vocatus eſt ager ille Haceldama, hoc eſt, ager ſanguinis] *Vix dubium eſt, quin voculæ iſtæ tres* Haceldama, hoc eſt, *ex Act.* 1. *verſ.* 19. *additæ ſint huic Evangelio, quia neque Græce neque Syriace hic leguntur; tantum,* Propter hoc vocatus eſt ager ille, ager ſanguinis. *v.* 9. Quod dictum eſt per Jeremiam prophetam] *Non dubito, ſalvo ſuperiorum judicio, quin ſit omittendum nomen* Jeremiam, *juxta fidem veteris illius Evangelii manuſcripti, quod citavimus in Notationibus noſtris prolixioribus, adſervati in collegio ſocietatis Jeſu Lovanienſi. Nam & Auguſtinus lib.* 3. *de conſ. Evang. cap.* 7. *teſtatur, ſuo tempore a quibuſdam Latinis codicibus abfuiſſe: quod etiam Lyranus annotat in antiquis libris haud legi. Huc accedit Syriacum Evangelium, quod nullum hic prophetam nominat. Suffragatur denique mos Evangeliſtæ, qui ita conſuevit plerumque ſcripturas laudare,* Quod dictum eſt per prophetam, *nullo propheta nominatim expreſſo ſup.* 1. *v.* 22. *&* 2. *v.* 6. 15. 23. *&* 13. *v.* 35. *&* 21. *v.* 4. *Quare doctiſſimi quique viri hodie ſentiunt ita potius legendum eſſe, nullius prophetæ nomine addito, Janſenius, Maldonatus, Baronius. Quidam, etiam Veterum, conjiciunt pro* Jeremiam *legendum eſſe* Zachariam *(locus enim præſens, ex Zacharia ſumtus eſt, non ex Jeremia) ſed nullos adferunt codices qui legant* Zachariam. *Nam quod* Jeremiæ *potius nomen additum fuerit quam* Zachariæ, *ex eo profectum fuiſſe videtur, quod apud Interpretes LXX. quorum editio olim erat in vulgari uſu, exſtet Jeremiæ* 32. *clara hiſtoria de agro, quem Jeremias juſſu Domini emerit a ſuo patruele: Zachariæ autem prophetia, ut apud illos legitur, plurimum ab Evangeliſtæ teſtimonio diſtet. v.* 12. Et ſenioribus] *Non addas* populi. *v.* 15. Quem voluiſſent] *Sic legendum eſt numero plurali, non ſingulari* voluiſſet. *v.* 16. Tunc vinctum inſignem] *Non addas* unum, *quod quidam. v.* 17. Quem vultis dimittam vobis, Barabbam, an Jeſum qui dicitur Chriſtus?] *Origenis Commentario adſcriptus textus ſic legit:* Quem v. d. vobis, Jeſum Barabbam, an Jeſum qui dicitur Chriſtus? *Et ne putetur error eſſe notariorum, ſic commentatur ipſe Auctor:* In multis exemplaribus non continetur, quod Barrabbas etiam Jeſus dicebatur, & forſitan recte, ut ne nomen Jeſu conveniat alicui iniquorum: *& paulo poſt;* Et puto quod in hæreſibus tale aliquid ſuperadditum eſt, ut habeant aliqua convenientia dicere fabulis ſuis, de ſimilitudine nominis Jeſu & Barabbæ. *Hæc Origenes recte. Erroris anſa ex eo accepta fuit, quod exiſtimatum fuerit, diſtinctionis cauſa additum fuiſſe* qui dicitur Chriſtus, *quod additum potius fuit commendationis cauſa. v.* 32. Exeuntes autem] *Ita legendum eſt, verbum compoſitum* exeuntes, *non ſimplex* euntes. *ibid.* Hominem Cyrenæum] *Non addas* venientem obviam ſibi, *aut* venientem de villa; *quod quidam ex Marco & Luca huc tranſtulerunt. v.* 33. Qui dicitur Golgotha] *Quarta vocali, non prima, legunt ſecundam ſyllabam vocis* Golgotha, *libri meliores, id quod Hebræo & Syro conſentit. v.* 35. Sortem mittentes] *Quod ſequitur in Sixtinis Bibliis & quibuſdam antiquis manuſcriptis:* Ut impleretur quod dictum eſt per prophetam dicentem; Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem, *ab aliis antiquis manuſcriptis omittitur, nominatim, duobus Eccleſiæ Cathedralis Audomaropolitanæ, uno Lobienſis, & uno Clarmariſcenſis. Hentenius annotavit tredecim manuſcripta quæ omittant: Lyranus & Epanorthotes negant in antiquis libris ſuis exſtare, adduntque Hieronymo non fuiſſe lectum. Certe Hieronymi Commentarius loquitur lectum ab ipſo non fuiſſe, licet textui, ut eſt nobis excuſus, adſcribatur. Hilarius ad hæc non attingit. Auguſtinus præterea, conferens inter ſe ſcripta Evangeliſtarum de veſtium Chriſti partitione, tam tractatu* 118. *in Johannem, quam lib.* 3. *de conſ. Evang. c.* 12. *hæc ſecundum Matthæum non agnoſcit. Denique nec Chriſtianus Druthmarus, vetus ante annos* 500. *enarrator Evangelii ſecundum Matthæum, ea habet. Non videntur igitur hæc Latine hoc loco legenda (quæ etiam Nicolai Zegeri ſententia eſt) cum præter hæc omnia, nec Syriace legantur (quamvis is qui Syra Latine interpretatus eſt, Latine addiderit) nec Græce legenda eſſe, in Græcis varietatibus doceamus: quanquam nec facile delenda ſint prorſus. Veriſimile eſt autem, ad marginem hic annotata, ex Evangelio ſecundum Johannem, aut potius ex Pſalmi* 21. *v.* 19. *tandem in textum irrepſiſſe. v.* 37. Hic eſt Jeſus] *Non addas* Nazarenus, *hoc enim Johanni proprium eſt, cap.* 19. *verſ.* 19. *v.* 40. Vah qui deſtruis] *Non eſt omittendum* vah, *quod plerique omnes Latini libri addunt, adſtipulantibus, Græco uno, & altero Syriaco, manuſcriptis. Hinc enim intelligitur, Latinus Interpres illud dediſſe, licet Græci plerique omnes codices, cum Syriacis, qui typis excuſi ſunt, illud omittant. ibid.* Qui deſtruis templum Dei, & in triduo illud reædificas] *Tertia perſona,* deſtruit, reædificat, *legunt optima noſtra manuſcripta Latina, nominatim tria hujus Eccleſiæ Cathedralis & unum Abbatiæ Clarimariſci: eaque genuina eſſe videtur lectio editionis vulgatæ, addentis interjectionem* vah, *prout latius docuimus in Notationibus noſtris prolixioribus: licet in multis libris, pro tertia perſona, legatur ſecunda* deſtruis, reædificas, *eaque ex Græco recte etiam vertatur. v.* 42. Et credimus ei] *Quamvis Græce & Syriace, ut in quibuſdam Latinis libris, legatur futuro tempore* credemus: *Interpres tamen vertit præſens* credimus, *quod emaculatiſſima quæque manuſcripta, Sixtinis Bibliis conſonantia, teſtatum faciunt. v.* 43. Liberet nunc ſi vult eum] *Noſtri libri jungunt pronomen* eum *cum verbo* liberet: *Sixtina Biblia rectius adjungunt verbo* vult. *Græce & Syriace repetitum adjungitur utrique verbo: ſed ſi ſubaudiendum eſt ad alterum, facilius eſt illud ex communi ſenſu ſubaudire ad prius verbum* liberet *quam ad poſterius* vult. *v.* 46. Eli, Eli] *Non legas, addita* o *vocali,* Eloi, Eloi: *hoc enim eſt Marci, illud Matthæi. ibid.* Lama ſabactani] *Varie ſcribuntur hæc verba Hebraica, & hic & Marci* 15. *verſ.* 34. *utpote peregrina Latinis. Biblia manuſcripta hujus Eccleſiæ Cathedralis, in Matthæo ſcribunt* lamazaptani, *in Marco* lema ſabactani. *Codex quatuor Evangeliorum ejuſdem Eccleſiæ manuſcriptus, in Matthæo habet* lamazaptani, *in Marco* lama ſabathani. *Alter ſed minoris formæ, in Matthæo* lama ſabacthani, *in Marco* lemazab-dani. *Biblia Clarimariſci, in Matthæo* lama zaptani; *in Marco* lama ſabathani. *Biblia Eccleſiæ Cathedralis Brugenſis, in Marco habent* lamaſaphthani. *Nicolaus Zegerus in ſuo Epanorthote ad Matthæum, teſtatur Caroli Magni codicem & D. Donatiani Brugenſem habere* lamazaptani, *Gemblacenſem vero* lema ſabacthani. *Lyranus legit* lamazabtani, *monet enim legendum eſſe, duabus dictionibus,* lama azabtani, *poſteriori dictioni præpoſita litera* ain, *quæ ſonet* a *formatum in gutture. Hæc varietas poſſit nos in dubitationem adducere, utrum Evangeliſtæ ſcripſerint, & Salvator clamaverit, Syriace ſive Chaldaice* ſabactani, *an Hebraice* azabtani: *de* lama *enim, quin ſit per ſe una dictio, eaque legenda vocali prima utraque ſyllaba, & unico* m, *non eſt dubium, quanquam parvi referat, ſi duplici* m, *aut alia vocali legatur. Nam qui libri habent* lamazaptani, lamazaphtani, *aut* lemazabdani, *inſignes certe, omnino favent Hebræo* azabdani, *prout recte monet Lyranus: facile enim, dum ex duabus dictionibus unam faciunt, abſumunt alterum* a, *& pro litera* b, *ſcribunt tenuem* p, *aut adſpiratam* ph: *Nam & ſunt hæ literæ ejuſdem organi, labiorum ſcilicet, ac proinde facile inter ſe permutabiles. Biblia impreſſa Lugduni anno Domini* 1522. *manifeſte legunt* lama azabthani, *cum aliis nonnullis impreſſis. Sed plerique impreſſi codices, ut &, quos vidimus, omnes Græci libri impreſſi, habent* λαμὰ σαβαχθανί· *nec Pariſienſes ex manuſcriptis ſuis Græcis ullam notarunt lectionis varietatem. Hoc autem Chaldaicum ſive Syriacum eſt, quanquam ſcribendum potius foret* σαβακτανί· *& Syriaca voce hic uſum Dominum, ſententia Epiphanii eſt, ſub finem ubi refutat hæreſin* 69. *Ariomanitarum. v.* 61. Erat autem ibi] *Omnes boni libri, ſcribunt* erat *numero ſingulari, quanquam Latinus ſermo facile poſtularet numerum pluralem* erant. *Græce eſt* ἦν, *quod ita eſt ſingulare, ut pluraliter aliquando accipiatur.*

CAP. XXVIII. *V.* 3. Et veſtimentum ejus ſicut nix] *In aliis bonis libris eſt* veſtimenta *numero plurali, quanquam ſingulari numero adſtipulentur Græca. Quidam addunt* facta ſunt alba, *quod non eſt hujus loci, ſed illius qui exſtat ſupra* 17. *verſ.* 2. *v.* 6. Venite & videte locum] *Quidam antiqui codices omittunt* & *conjunctionem, conformiter Græco & Syro. v.* 7. Et ecce præcedit vos] *Non eſt mutandum præſens* præcedit *cum futuro* præcedet. *ibid.* Ecce prædixi vobis] *In uno Eccleſiæ noſtræ manuſcripto legitur tertia perſona* ſicut dixit vobis, *quod ſpurium eſt, & ex Marc.* 16. *verſ.* 7. *acceptum. In tribus aliis, pro compoſito* prædixi, *eſt ſimplex* dixi, *quemadmodum eſt etiam Græce & Syriace. v.* 15. Sicut erant edocti] *Tria noſtra & unum Clar-*

mariſcenſis Eccleſiæ lectiſſima manuſcripta, cum aliis quibuſdam, habent ſimplex docti, *quod & Græco conformius, & per ſe congruentius videtur, quam compoſitum* edocti. *v.* 17. Quidam autem dubitaverunt] *Non eſt addendum pronomen* eorum, *quod quidam Latini libri addunt; tametſi Syriace addatur. v.* 19. Euntes ergo docete] *Non mutes* ergo *cum* autem. *v.* 20. Uſque ad conſummationem ſeculi] *Manuſcripta Biblia Eccleſiarum Audomarenſis & Clarmariſcenſis addunt* Amen, *ſicut additur Græce & Syriace.*

Notæ ad Varias Lectiones Editionis Latinæ Evangelii ſecundum MARCUM.

CAP. I.

VErſ. 2. Viam tuam ante te] *Exemplaria manuſcripta Eccleſiæ noſtræ Audomaropolitanæ, tria numero, & unum Cœnobii Clarmariſcenſis, omittunt* ante te, *quibus Syriaca editio ſuffragatur. Legitur* ante te, *ut in Sixtinis & in pleriſque aliis Latinis exemplaribus quæ vidimus, ita in omnibus Græcis. Propheta non ſcripſit illud niſi ſemel, hoc inquam loco: nam additum ab Evangeliſtis eſt illud quod in medio verſiculi eſt* ante faciem tuam. *v.* 5. In Jordanis flumine] *Antiqui codices noſtri ſcribunt* Jordane *ſexto caſu, quomodo eſt & Græce, pro* Jordanis *ſecundo. v.* 6. Pilis cameli] *Legendum eſt numero ſingulari* cameli, *non plurali* camelorum. *v.* 7. Venit fortior me] *Cave legas futurum* veniet *pro præſenti* venit. *v.* 8. Ego baptizavi vos aqua] *Quidam antiqui libri addunt* in *præpoſitionem* (in aqua) *prout Græce & Syriace additur. v.* 10. Et ſpiritum] *Non addas* ſanctum, *quod fruſtra quidam. v.* 15. Appropinquavit regnum Dei] *Non eſt legendum futurum* appropinquabit, *ſed præteritum, ut ſecundum Matthæum. v.* 19. Et ipſos componentes retia in navi] *Integerrima hujus Eccleſiæ & Abbatiæ Clarmariſcenſis Biblia, conſentanee Græco & Syro, legunt hoc ordine* Et ipſos in navi componentes retia: *quo loco eſſe legendum* τὸ in navi, *etiam Epanorthotes dat intelligendum. v.* 24. Veniſti perdere nos] *Non eſt addendum* ante tempus; *quod quidam hic adſcripſerunt ex Matth.* 8. *verſ.* 29. *v.* 27. Etiam ſpiritibus immundis] *Pro* etiam *quædam manuſcripta legunt* &, *quod eſt æquivalens: quædam neutrum legunt, male. v.* 45. In deſertis locis eſſet] *Quidam boni libri manuſcripti, pro optativo* eſſet, *legunt infinitivum* eſſe.

CAP. II. *V.* 1. Intravit Capharnaum poſt dies] *Spurium eſt quod additur in quibuſdam libris* octo: Poſt dies octo. *v.* 2. Et convenerunt multi] *Quidam codex ab Hentenio annotatus addit* confeſtim: Et confeſtim convenerunt, *Græcis conformiter: quod alii cum Syris non agnoſcunt. ibid.* Ita ut non caperet] *Sic cum Sixtinis legere videntur meliores libri,* caperet *numero ſingulari: alii habent plurali numero* caperent: *lege Commentarium. v.* 8. Spiritu ſuo] *Non legas* Spiritu ſancto. *v.* 14. Vidit Levi Alphæi] *Antiqui libri tum noſtri tum Epanorthotæ habent* Levin *declinatum quarto caſu ad morem Græcorum: quod alii ſcribunt* Levi *tanquam indeclinabile. v.* 15. Qui & ſequebantur eum] *Plerique addunt* &, *quidam demunt*; Qui ſequebantur eum. *Exiſtimo ego vocularum iſtarum alteram eſſe omittendam, ſive* & *ſive* qui. Qui *Græce & Syriace non legitur: & non exſtat in quibuſdam Latinis libris: crediderim Interpretem mutaſſe* & *cum* qui. *v.* 16. Manducat & bibit magiſter veſter] *Sex codices ab Hentenio annotati tollunt* magiſter veſter, *concinentes Græco ac Syro. Videri poſſit, ea verba, Marco ex Matthæo a librariis fuiſſe adjecta, & Phariſæos Jeſum lacerantes præ contemtu ne nominaſſe quidem: cæterum B. Auguſtinus in Marco ut in Matthæo ea legiſſe videtur, ſi conſideres cap.* 27. *lib.* 2. *de conſenſu Evangeliſtarum. v.* 17. Non neceſſe habent ſani medico] *Brugenſis, Lobienſis, & antiqui Epanorthotæ,* medicum *legunt quarto caſu; moderni, inquit Epanorthotes,* medico, *ſexto caſu. v.* 22. Et nemo mittit vinum novum] *Pro* novum *iidem libri legunt* novellum. *Epanorthotes, infra* novum *ait, in fine ſcilicet iſtius verſus. ibid.* Alioqui dirumpet vinum utres] *Sic legendum ex optimis libris,* dirumpet *futuro, pro præſenti* dirumpit; *quemadmodum & mox* effundetur *pro præſenti* effunditur, *tametſi Græce præſentis temporis ſint verba. ibid.* In utres novos mitti debet] *Quod ſequitur in quibuſdam libris* & ambo conſervantur, *non Evangelii ſecundum Marcum eſt, ſed ſecundum Matthæum. v.* 23. Cum Dominus ſabbatis ambularet. *Alii libri omittunt* Dominus, *cum Græcis. ibid.* Et Diſcipuli ejus cœperunt] *Manuſcripta Lobienſe & Leodienſe, quemadmodum & Syrus, omittunt* &, *ſenſu clariore. ibid.* Cœperunt progredi] *Brugenſe, Lobienſe, Leodienſe, Clarmariſcenſe, & tria Audomarenſia, fide digniſſima manuſcripta, cum aliquot Zegeri, legunt* prægredi, *quod eſt antecedere, non* progredi: *& quanquam hoc ſimilius ſit Græco, quod habet* ὁδὸν ποιεῖν *iter facere, illud tamen clariorem habet ſenſum, & ab Interprete videtur datum atque intellectum. v.* 24. Ecce quid faciunt] *Quidam boni libri addunt* diſcipuli tui, *quod in aliis non exſtat conformiter Græco ac Syro, quos ſequuti correctores textu illud expulerunt. Et quidem citra dubium intelligendum venit: ſed fieri potuerit, ut Phariſæi, ira tumentes, nullo illos dignati ſint nomine. v.* 26. Niſi ſacerdotibus] *Quidam libri addunt* ſolis, *quod non eſt hujus Evangeliſtæ. ibid.* Et dedit eis qui] *Quidam libri addunt alterum* &; Et dedit eis & qui: *quod conforme foret Græco ac Syro; ſi modo* τὸ & *præponeretur* eis; Et dedit & eis qui. *Atqui interpres claritatis cauſa omiſit alterum illud* &.

CAP. III. *V.* 5. Contriſtatus ſuper cæcitate] *Antiqui noſtri libri legunt quartum caſum* cæcitatem, *non ſextum* cæcitate. *ibid.* Et reſtituta eſt manus illi] *Brugenſe manuſcriptum, pro* illi *legit* ejus, *quomodo eſt Græce & Syriace. v.* 6. Exeuntes autem Phariſæi ſtatim] *Hoc ordine legunt meliores libri, conſentanee Græcæ editioni ac Syricæ. In aliis præponitur adverbium* ſtatim *nomini* Phariſæi. *ibid.* Conſilium faciebant adverſus eum] *Brugenſe & Lobienſe exemplaria ſcribunt* Jeſum *pro* eum. *v.* 7. Jeſus autem cum] *In quibuſdam antiquis eſt* Et Jeſus cum; *Græco Syroque ſimiliter. v.* 8. Et trans Jordanem] *Quibuſdam libris explicationis ergo additum eſt* de (& de trans) *quod alii meliores omittunt. v.* 9. Ut navicula ſibi deſerviret] *Male legitur in quibuſdam libris*; Ut in navicula ſibi deſervirent, *addita præpoſitione & mutato numero ſingulari cum plurali. v.* 10. 11. Quotquot habebant plagas. Et ſpiritus immundi] *Quædam vetera manuſcripta addunt* autem (Quotquot autem) *quod Syro conſonat. Eadem cum quibuſdam aliis hoc modo interpungunt:* Quotquot habebant plagas, & ſpiritus immundi. *Ex illis unum Audomarenſe legit tertium caſum* immundis, *alterum Clarmariſcenſe inter lineas annotat quartum* immundos. *Lege Commentarium. v.* 14. Et fecit ut eſſent duodecim cum illo] *Sentio legendum hoc verborum ordine,* Et fecit duodecim ut eſſent cum illo: *id enim non tantum Græca & Syra loquuntur, verum etiam ſeries ipſa contextus. Nam ſi legas ut vulgo* Et fecit ut eſſent duodecim cum illo, *non perinde cohæret id quod ſequitur* & ut mitteret eos prædicare. *ibid.* Et ut mitteret eos prædicare] *Non addas* evangelium, *quod quidam. v.* 16. Nomen Petrus] *Unum manuſcriptum Eccleſiæ noſtræ, conformiter Græco legit* nomen Petrum, *quarto caſu. v.* 17. Boanerges] *Videtur efferendum* Banerges, *expuncta vocali quarta* o, *quemadmodum in Commentario; vel* Bonareges, *tranſpoſitis literis, quod in Notationibus, diximus. Ad poſteriorem modum accedit idem illud Eccleſiæ noſtræ manuſcriptum, in quo eſt* Boanne reges. *v.* 19. Et Judam Iſcarioten] *Antiqui libri* Scarioth *legunt pro* Iſcarioten. *v.* 21. Et cum audiſſent ſui] *Nequaquam addas* diſcipuli, *quod inepte quidam. v.* 26. Et non poterit ſtare] *Quidam boni libri, Græco ac Syro ſimiliter, habent præſens* poteſt, *pro futuro* poterit. *v.* 27. Ingreſſus in domum] *Quidam liber addit* ejus (in domum ejus) *quod quidem Græco conſonat, nec diſſonat a Syro. v.* 29. Non habebit remiſſionem in æternum, ſed reus erit] *Quædam exemplaria, conformiter Græco, ſcribunt præſens tempus* habet, *pro futuro* habebit. *Unde colligas proxime legendum ſimiliter cum Græcis præſenti tempore:* Sed reus eſt, *quo modo ſcriptum invenitur in codice Leodienſi.*

CAP. IV. *V.* 1. Cœpit docere] *Quidam libri interjiciunt nomen* Jeſus, *male. ibid.* Ita ut navim aſcendens] *Addunt quidam boni libri* in *præpoſitionem, quæ etiam Græce ac Syriace legitur. v.* 4. Et venerunt volucres cœli] *Antiqua noſtra manuſcripta omittunt* cœli, *quemadmodum etiam Syrus, & quidam Græci libri. v.* 8. Unum triginta, unum ſexaginta, & unum centum] *Hanc germanam lectionem Evangelii ſecundum Marcum eſſe, emaculatiſſima manuſcripta cum Sixtinis Bibliis diſerte docent. Nam quia ſemel Interpres reddidit numerum ordinalem pro cardinali, Matt.* 13. *v.* 8. *idcirco etiam huc varietatem adduxit Scribarum temeritas, ut dicerent,* Unum trigeſimum, unum ſexageſimum, & unum centeſimum. *v.* 10. Duodecim, parabolam] *Sic legas* parabolam *numero ſingulari, pro eo quod quidam* parabolas: *nec addas* exponere, *quod alii. v.* 19. Et ſine fructu efficitur] *Non eſt legendum numero plurali* efficiuntur. *v.* 20. Unum triginta, unum ſexaginta, & unum centum] *Eadem eſt ratio hujus verſus, quæ octavi ſuperioris. Subſequitur autem hic in quodam manuſcripto*; Qui habet aures audiendi, audiat; *ſuperflue. v.* 22. Quod non manifeſtetur] *Non mutes* manifeſtetur *cum* reveletur. *ibid.* Sed ut in palam veniat] *Hæc eſt germana lectio Evangelii ſecundum Marcum, Græco conſentanea. Ex Matthæo porro & præſertim Luca, quidam correxerunt* quod non in palam *&c. v.* 24. Et adjicietur vobis] *Quidam libri ab Hentenio annotati omittunt hæc verba, ſed noſtri nequaquam. V. Beda explicat ea, & alii Latini poſt eum, Lyranus, Richelius &c. Denique Græce & Syriace adduntur, niſi quod Pariſienſes annotarint abeſſe a ſecundo codice Græco. Alius liber ab Hentenio annotatus, non ſolum legit verba illa, verum etiam adjicit* qui auditis, *ſcribens*; Et adjicietur vobis qui auditis: *ſic enim habent Græca omnia & Syriaca exemplaria, ſecundo illo Pariſienſium manuſcripto excepto. v.* 28. Deinde plenum frumentum in ſpica] *Pro* frumentum *non eſt ſcribendum* fructum. *v.* 29. Et cum produxerit fructus] *Ita legunt Sixtina Biblia: ſed quia, ut nomen* fructus *Græce eſt primi caſus, ita manuſcripta exemplaria omnia quæ vidimus, addunt pronomen* ſe (Et cum ſe produxerit fructus) *omnino videtur Interpres dediſſe pronomen illud* ſe: *cui ſervato quidam præpoſuerunt præpoſitionem* ex (& cum ex ſe) *eodem conſilio quo alii illud abſtulerunt, nimirum, ut clara eſſet ſententia, nomine quidem* fructus *accepto quarto caſu, nomine autem* terra *ſubaudito ex verſu præcedente: lege Commentarium. v.* 32. Et cum ſeminatum fuerit, aſcendit] *Male legitur in quibuſdam libris* natum *pro* ſeminatum: *nec minus male additur* in arborem, *quod ex Matthæo aut potius Luca huc eſſe adſcriptum, indubium eſt. v.* 36. Aſſumunt eum ita ut erat in navi] *Quidam codices Latini legunt* erant, *numero plurium, ſed male.*

CAP. V. *V.* 5. Dixit; Quid mihi & tibi] *In Brugenſi & Lobienſi manuſcriptis eſt*; Dicit ei; Quid *&c. ibid.* Jeſu Fili Dei altiſſimi] *Antiqui libri tum Epanorthotæ tum noſtri legunt* ſummi *pro* altiſſimi, *quod* altiſſimi *Epanorthotes notat eſſe Evangelii ſecundum Lucam cap.* 8. *verſ.* 28. *v.* 8. Dicebat enim illi] *Non eſt addendum* Jeſus, *ſed ſubaudiendum. v.* 9. Et dicit ei; Legio] *Brugenſe manuſcriptum, Syro conforme, omittit* & *conjunctionem: Lobienſe & Leodienſe ſcribunt præteritum* dixit *pro præſenti* dicit, *tolluntque pronomen, Græco ſuffragante, ubi legitur,* Et reſpondit dicens, Legio. *v.* 11. Grex porcorum magnus, paſcens] *Quod ſubſequitur quibuſdam in libris* in agris, *tranſfodiendum eſt: nam ut non Græce neque Syriace legitur, ita abeſt & ab antiquis codicibus Latinis. ibid.* In mare ad duo milia] *Non eſt legendum,* in mare: erant autem quaſi ad duo milia, *quomodo legitur in quodam libro, tametſi ita ſit Græce: vide varietates Græcas. v.* 15. Et veniunt ad Jeſum] *Non eſt legendum præteritum* venerunt, *ſed præſens* veniunt. *ibid.* Et ſanæ mentis] *Subdit codex Corſendoncenſis* eum qui habuerat legionem, *ex Græco, veriſimile eſt: lege Commentarium. v.* 19. Et non admiſit eum] *Sic multi boni, & quidem plerique libri, Syro ſuffragante: Brugenſe & Lobienſe, ſpectatiſſima exemplaria, legunt* Jeſus autem non admiſit eum, *ſuffragante Græco: quanquam in Lobienſi ſit* permiſit, *quod non videtur eſſe ab Interprete datum. Prius videri poſſit germanum; poſterius, claritatis gratia ſubſtitutum. v.* 21. Et cum tranſcendiſſet] *Non eſt legendum* Et cum aſcendiſſet. *v.* 23. Impone manum] *In aliis bonis libris eſt* manus *numero plurium, Græco conſentanee. ibid.* Ut ſalva ſit & vivat] *Nicolaus Zegerus docet, Latine, ut Græce, legendum eſſe futurum* vivet: *ſed nullum citat Latinum exemplar, ut neque nos vidimus aliquod. v.* 34. Ille autem dixit ei] *Non eſt legendum* Jeſus *pro* ille. *v.* 35. Veniunt ab archiſynagogo] *Sic legendum eſt ex correctione Sixtina, juxta exemplaria manuſcripta non pauca, ſuffragantibus Græcis & Syricis: non eſt addendum* nuntii, *nec legendum quarto caſu* ad archiſynagogum, *qui error pleroſq; libros invaſit. v.* 40. Et ingreditur] *Plerique libri habent plurale* ingrediuntur: *ſed ſingulare, quod eſt Sixtinorum Bibliorum, reſpondet Græco ac Syro. v.* 41. Talitha cumi] *Multi libri erronee*

Tabitha *legunt, mutam pro liquida, ſumta erroris occaſione ex ſimili hiſtoria Act. 9. verſ. 40. ubi Petrus reſuſcitat diſcipulam quandam, cujus nomen proprium* Tabitha, quod interpretatum, *ait Lucas*, dicitur Dorcas, *caprea. Porro* Talitha *nomen eſt appellativum, quod interpretatum puellam ſignificat. v. 42.* Et obſtupuerunt] *Non eſt addendum* omnes. *v.* 43. Et dixit dari illi manducare] *Quidam libri pro* dixit *habent* juſſit, *quæ interpretatio eſt ſumta ex Luc. 8. verſ. 55. Porro* date *quoque imperativus, non eſt ſubſtituendus pro infinito paſſivo* dari.

CAP. VI. *V.* 3. Nonne hic eſt faber] *Non eſt legendus genitivus* fabri, *pro nominativo* faber. *v.* 4. Niſi in patria ſua, & in domo ſua, & in cognatione ſua] *Antiqui libri & noſtri & Epanorthotæ legunt hoc ordine,* niſi in patria ſua, & in cognatione ſua, & in domo ſua, *præponunt cognationem domui, concinentes Græcis & Syris: lege Commentarium. v.* 5. Virtutem ullam] *Hoc Marci eſt: id autem quod habent quidam* virtutes multas, *Matthæi eſt cap. 3. verſ. 58. v.* 11. Et quicunque non receperint vos, nec audierint vos] *Injuria libri quidam omittunt hæc verba* vos nec audierint vos, *quæ ab optimis leguntur, adſtipulantibus Græcis & Syricis. v.* 13. Et ſanabant] *Sic legunt Sixtina Biblia ex antiquis manuſcriptis exemplaribus, conſentanee Græco & Syro, activum plurale* ſanabant. *Non eſt igitur legendum, aut paſſivum* ſanabantur, *aut ſingulare* ſanabat. *v.* 14. Et dicebat; Quia Johannes] *V. Beda & S. Thomas, in hujus loci Commentariis, clariſſime* dicebant *legunt, numero plurali. Hoc modo etiam D. Auguſtinus lib. 2. de conſ. Evang. cap. 43. non ſemel nec ambigue legit: lectio iſta, & narrationi Lucæ, & ordini ipſius Marci, optime convenit, de qua Janſenius doctiſſime diſſerit. Et quanquam codices Evangeliorum, Græci, Latini, Syrici, concorditer* dicebat *numero ſingulari habeant: non tamen dubito quin genuina Latinæ noſtræ editionis lectio ſit numerus pluralis, fretus auctoritate Bedæ & Thomæ, qui citra controverſiam noſtræ editionis codicibus ſunt uſi. Nam Auguſtinus, etſi magnum auctoritatis pondus huic lectioni addat, non tamen eandem prorſus habuit qua nos utimur Latinam editionem. v.* 21. Herodes natalis ſui cœnam fecit] *Ita legendum ex melioribus libris, pro eo quod alii habent* in natali ſuo, *quanquam ex Græco ad verbum hac ratione vertas. v.* 25. Petivit dicens] *Præteritum* petivit *eſt, ut in Bibliis Sixtinis, ita in bonis manuſcriptis Latinis, quemadmodum & in Græco: in aliis bonis eſt præſens* petit. *v.* 27. Sed miſſo ſpiculatore] *Quidam Latinus codex addit* confeſtim: *quod Græce quidem & Syriace legitur, ſed videtur Latinus Interpres non dediſſe. Porro pro* ſpiculatore, *S. Donatiani Biblia ſcribunt, vocali, non tertia, ſed ſecunda,* ſpeculatore, *id quod & Græco conſentaneum eſt & probatur a Commentario noſtro. v.* 28. Et decollavit eum in carcere: & attulit caput ejus in diſco] *Verba iſta abſunt a duobus manuſcriptis Eccleſiæ noſtræ, errore ſcribarum necne, equidem dubito. Exſtant & Græce & Syriace, addito ſuppoſito* qui abiens: *Latine abſque expreſſo ſuppoſito obſcura ſunt. v.* 37. Date illis vos manducare] *Non eſt omittendum pronomen* vos, *ſingularis emphaſeos illud. v.* 40. Per centenos & quinquagenos] *Fide digniſſima manuſcripta, repetunt præpoſitionem* per, *Græco conformiter. v.* 48. Et videns eos laborantes in remigando] *Quidam liber habet* vidit *præteritum tempus: ſed alii, & quidem optimi, retinent* videns *participium. v.* 52. Non enim intellexerunt de panibus] *In vetuſtis quibuſdam manuſcriptis legitur præteritum pluſquam perfectum* intellexerant, *pro perfecto* intellexerunt, *quod eſt in aliis.*

CAP. VII. *V.* 3. Tenentes traditionem ſeniorum] *Melior eſt hæc ſcriptura, quippe Græcæ conſentanea, ea quæ plurali numero habet* traditiones. *v.* 4. Et a foro] *Addititium eſt quod ſequitur in quibuſdam libris* venientes, *omiſſum ut a Sixtinis, ita ab omnibus bonis, adſtipulantibus Beda tractatore & editionibus Græca ac Syriaca. v.* 5. Et Scribæ: Quare] *Non interponas participium* dicentes, *quod quidam. v.* 6. Longe eſt a me] *In quibuſdam bonis codicibus pro ſimplici verbo* eſt, *legitur compoſitum* abeſt, *quomodo & Græce uſus eſt verbi compoſiti* ἀπέχει. *In aliis legitur verbo ſimplici, ut eſt ſecundum Matthæum. v.* 7. Doctrinas & præcepta hominum] *Eadem eſt hic lectionis ratio quæ ſecundum Matthæum, quibuſdam antiquorum codicum interponentibus, quibuſdam negligentibus, copulativam;* Doctrinas præcepta. *Pro his ſunt libri Græci & Syriaci Evangeliſtæ, ſed & prototypon Prophetæ. Pro illis facere poſſit editio LXX duorum ſenum. v.* 8. Tenetis traditionem hominum] *Ita legendum numero ſingulari, ut ex Sixtinis, ita ex melioribus manuſcriptis, Græco reſpondentibus: pro eo quod alii habent numero plurali* traditiones, *quanquam hoc intelligendum putem. v.* 9. Bene irritum facitis præceptum Dei] *Sic legendum eſt etiam ex antiquis libris, Græco & Syro conformibus, præſens* facitis, *non præteritum* feciſtis. *v.* 15. Illa ſunt quæ communicant hominem] *Brugenſis, Leodienſis, & antiqui Epanorthotæ libri, legunt,* coinquinant, *pro* communicant. *v.* 19. Quia non intrat in cor ejus, ſed in ventrem vadit, & in ſeceſſum exit] *Multi antiqui codices legunt præterito tempore* introiit *ſive* introivit; *quidam eorum mox etiam* exiit. *Sed* intrat *&* exit, *præſenti tempore quod eſt in aliis, & Græco reſpondet, aptius congruere videtur. Porro quod poſt ea verba* ſed in ventrem *ſequitur* vadit, *tria Eccleſiæ noſtræ, unum Clarimariſci, & vetuſta Zegeri manuſcripta omittunt, quod nec in Beda exſtat: ſubaudiunt autem e propinquo* intrat. *Certe nec Græce nec Syriace ullum hic additur verbum. Videri itaque poſſit, ex Matthæo huc eſſe adjectum,* τὸ vadit. *v.* 26. Erat enim mulier gentilis] *Videtur legendum eſſe, non* enim, *ſed* autem, *ex optimis manuſcriptis, Græco & Syro reſpondentibus, Bedæ tractatoris textu conſentiente. v.* 28. At illa reſpondit & dixit ei] *Antiqua exemplaria noſtra,* dicit *præſenti tempore, quomodo & Græca habent, pro præterito* dixit. *v.* 29. A filia tua] *In aliis eſt* de filia tua. *v.* 31. Ad mare Galilææ, inter] *Non addas* quæ *aut* quod eſt inter. *v.* 37. Et ſurdos fecit audire] *Non eſt omittenda conjunctio* &.

CAP. VIII. *V.* 1. Cum turba multa eſſet] *Non eſt addendum* cum Jeſu, *licet officio Eccleſiaſtico ſit additum, ubi hiſtoria iſta recitatur Evangelii loco, Dominica ſexta poſt Pentecoſten. v.* 8. Quod ſuperaverat] *In uno ſcripto eſt* ſupererat. *v.* 9. Erant autem qui manducaverant] *In aliis eſt præteritum perfectum* manducaverunt. *v.* 10. In partes Dalmanutha] *Plerique codices D D. Auguſtino & Hieronymo viſi, ut in Matthæi, ita & hoc loco in Marci Evangelio, pro* Dalmanutha *legerunt* Magedan. *Sed qui nunc extant Latini libri, ſimiliter & Syrici, quinetiam plerique omnes Græci, hic ſecundum Marcum* Dalmanutha *ſcribunt: ea quæ late a nobis in Notationibus olim dicta ſunt. Hoc jam addendum, ex eo videri poſſe,* Dalmanutha *genuinam eſſe ſecundum Marcum lectionem, quod, cum nuſquam alibi ejus loci mentio fiat, ab ipſo Marco quidem ſcriptus ſit, ab aliis vero, qui arbitrati ſunt Marci Evangelium a Matthæi diſſidere, ſi unum* Magedan, *alterum* Dalmanutha *dicat, hoc ex illo correctum ſit. v.* 12. Si dabitur generationi iſti ſignum] *In quodam codice legimus pro* ſi, non, *expoſitionis cauſa ſubſtitutum. v.* 13. Aſcendit iterum navim & abiit] *In quibuſdam antiquis libris, nominatim tribus Eccleſiæ noſtræ, & uno Clarimariſci, Græco ſimiliter, legitur;* Aſcendens iterum navim abiit. *v.* 15. Videte & cavete] *Quidam boni libri, duo Eccleſiæ Audomarenſis, unus Lobienſis, quartus Clarimariſcenſis, Græco Syroque ſimiliter, omittunt mediam conjunctionem* &. *v.* 19. Quot cophinos] *Alii libri præponunt conjunctionem* &, *ſed quæ ſenſui obſit, ut nec exſtat aut Græce aut Syriace. v.* 20. Quando & ſeptem panes] *Hic plures codices omittunt* & *conjunctionem, male. v.* 22. Et veniunt Bethſaidam] *Noſtri antiqui libri non declinant nomen proprium, ſed ſcribunt* Bethſaida, *pro* Bethſaidam, *ut alii cum Græcis. v.* 28. Johannem Baptiſtam] Τὸ alii, *quod præponunt quidam, ſuperfluum eſt, ex Matthæo huc adſcitum, quod etiam notat Epanorthotes. v.* 32. Cœpit increpare eum] *Redundat quod ſubjiciunt quidam libri;* Dicens, Domine propitius eſto tibi, nam hoc non erit tibi. *Matthæi enim illud proprium eſt. v.* 37. Aut quid dabit homo commutationis pro anima ſua?] *Hæc ſecundum Marcum germana ſcriptura eſt; ſecundum Matthæum autem iſta;* Aut quam da. ho. commutationem pro anima ſua? *v.* 38. Qui enim me confuſus fuerit *&c.* & Filius hominis confundetur eum] *Ita prorſus legendum eſt omnium judicio,* confuſus, confundetur, *non* confeſſus, confitebitur. *Errori cauſam dedere, tam inſolens Interpretis phraſis, quam loca Matth. 10. verſ. 32. & Luc. 12. verſ. 8. ibid.* Cum Angelis ſanctis] *Spurium eſt* ſuis, *quod quidam adjiciunt, quidam pro* ſanctis *ſubſtituunt.*

CAP. IX. *V.* 1. Et poſt dies ſex aſſumit] *Ab hoc verſu exordiuntur Sixtina Biblia nonum caput, jungentia præcedentem proxime verſiculum præcedenti capiti, quem alii plerique libri faciunt initium noni capitis, minus congrue. ibid.* Et poſt dies ſex aſſumit] *Ita eſt, præſenti tempore, ut in Sixtinis, ita in quibuſdam aliis bonis libris, Græco ſuffragante: in aliis eſt* aſſumſit *præterito tempore: ſed præſens tempus probatur etiam eo quod ſubſequitur præſenti* ducit. *ibid.* Seorſum ſolos] *Male eſt in quibuſdam codicibus primus caſus* ſolus, *pro quarto* ſolos. *v.* 2. Splendentia & candida nimis] *Conjunctio* &, *ut a Latinis quibuſdam, ita a Græcis omnibus libris ommittitur. v.* 4. Et, faciamus tria] *Quidam omittunt* & *conjunctionem, male: nam etiam Græcus & Syrus illam legunt. v.* 14. Et confeſtim omnis populus videns Jeſum] *In optimis noſtris manuſcriptis, Græco Syroque conſentanee, legitur pronomen* eum, *pro nomine* Jeſum. *ibid.* Et accurrentes] *Sic legendum eſt prima voculi, non quarta* occurrentes. *v.* 18. Qui reſpondens, eis dixit] *Ita ſcribendum Latine cum Sixtinis Bibliis, tametſi in quibuſdam Latinis & pleriſque Græcis ſit* ei *numero ſingulari. v.* 21. In ignem] *Repetunt conjunctionem* & *manuſcripta Biblia Eccleſiarum Audomarenſis, Lobienſis & Clarimariſcenſis, Græco reſpondentia;* Et in ignem. *ibid.* Et in aquas] *Ita legunt boni libri, non* aquam *numero ſingulari. v.* 22. Omnia poſſibilia ſunt credenti] *Ab aliis bonis codicibus non legitur verbum* ſunt, *quemadmodum nec a Græcis. v.* 25. Et exclamans] *In aliis bonis libris eſt ſimplex* clamans. *v.* 32. Qui cum domi eſſent] *Ita legendum,* eſſent, *numero plurium, quod etiam Commentario docetur. v.* 34. Erit omnium noviſſimus] *Non eſt addendum,* Erit quaſi omnium, *&c. v.* 36. Non me ſuſcipit] *Redundant* ſolum, *quod quidam ex Commentario addunt, annotante etiam Epanorthote. v.* 39. Qui enim non eſt adverſum vos, pro vobis eſt] *Quidam Latini & quidam Græci libri habent primæ perſonæ pronomina,* adverſus nos, pro nobis eſt: *ſed ut plerique tam Græci quam Latini ſervant ſecundam perſonam, ita & Syriaci. v.* 40. Calicem aquæ] *Quod quidam ſubdunt* frigidæ, *eſt alterius loci, videlicet Matth. 10. verſ. 42. teſte etiam Epan. v.* 42. Abſcide illam] *Sic eſt in veteribus manuſcriptis a* cædo, *pro eo quod alia habent* abſcinde *a* ſcindo. *v.* 43. 45. 47. Non moritur, & ignis non extinguitur] *D. Donatiani codex legit futuro tempore* Non morietur, & ignis non extinguetur, *quomodo eſt apud Prophetam. v.* 48. Omnis enim igne ſalietur] *Non eſt interponenda vox* homo.

CAP. X. *V.* 5. Scripſit vobis] *Non addas* Moſes. *v.* 6. Fecit eos Deus] *Quidam antiqui Latini codices ſubjungunt* & dixit; *ſic & quidam Græci, nominatim Regius,* ϗ εἶπεν. *Atqui, cum Syro, plerique tum Latini tum Græci libri, omittunt, viderique poſſit ex Matthæo huc eſſe adjectum, qui conſtanter illud legit capite 19. verſ. 5. v.* 11. Adulterium committit ſuper eam] Super eam *legendum, non, ut quidam,* ſuper terram. *v.* 15. Quiſquis non receperit regnum Dei] *Male legitur a quibuſdam* verbum Dei. *v.* 17. In viam] *Alii libri habent ſextum caſum* in via, *pro eo qui etiam Græce eſt quarto* in viam. *ibid.* Rogabat eum. Magiſter] *Quidam boni libri addunt* dicens *cum Syro, plures omittunt cum Græco. v.* 20. Magiſter hæc omnia] *Non eſt hic addendum* Magiſter bone. *v.* 28. Et cœpit ei Petrus dicere] *Non eſt addendum* poſt hæc, *quod a nonnullis additur. v.* 30. Qui non accipiat] *In quibuſdam libris eſt conjunctivus* accipiat, *qui conſonat Græco* λάβῃ, *in quibuſdam præſens indicativi* accipit, *in aliis* accipiet *futurum indicativi. v.* 32. Et ſequentes timebant] *Non legas* dicebant *pro* timebant; *nec addas pronomen* eum. *ibid.* Quæ eſſent ei eventura] *Libri noſtri antiqui habent ſimplex* ventura, *pro compoſito* eventura. *v.* 35. Quodcunque petierimus] *Non eſt addendum* a te. *v.* 37. Et alius ad ſiniſtram tuam] *Boni libri non omittunt pronomen* tuam. *v.* 40. Non eſt meum dare vobis] *Omittitur* vobis *a manuſcripto Conſtantienſi, quod quidam teſtatur, & a quibuſdam aliis ab Hentenio annotatis: quæ Græcæ Syriacæque editionibus ſibi conſtantibus conſentiunt. v.* 46. Et veniunt Jericho] *Antiqui libri conſtanter legunt* Jerichum, *tanquam quartum caſum a primo* Jerichus, *non tantum noſtri, ſed & Epanorthotæ. Sed quia inſolens eſt illa declinandi forma, viſum eſt etiam Epanorthotæ retinere* Jericho *indeclinatum. v.* 47. Jeſu fili David] *In bonis quibuſdam libris, quemadmodum & in exemplaribus Græcis, eſt hic verborum ordo;* Fili David Jeſu. *v.* 49. Præcepit illum vocari] Juſſit *quod habent quidam libri, Lucæ eſt;* præcepit *Marci.*

CAP. XI. *V.* 1. Et cum appropinquarent] *Ita legendum eſt numero plurali* appropinquarent, *non ſingulari* appropinquaret, *tametſi ita habeat Syrus. ibid.* Mittit duos] *Non legas præteritum* miſit. *v.* 2. Pullum ligatum] *Quidam ex Evangelio Lucæ huic addunt* aſinæ (Pullum aſinæ ligatum) *id quod minime ſequendum eſt. v.* 3. Et ſiquis vobis dixerit] *Superfluit* aliquid, *quod quidam addunt. v.* 5. Dicebant illis] *Legendum eſt* dicebant *numero plurali,* non dicebat *ſingulari.* *v.* 6. Et dimiſerunt eis] *Quarto caſu* eos *legunt antiqui codices Epanorthotæ, conſentanee Græco ac Syro. In aliis libris eſt tertius caſus* eis, *ut ſubaudias pullum.* *v.* 7. Et imponunt illi veſtimenta ſua] *Quidam codices Epanorthotæ, & ex noſtris, Brugenſis inter alios, legunt* imponentes, *pro eo quod in pleriſque, Græco ac Syro conſentanee,* & imponunt. *ibid.* Et ſedit ſuper eum] *In aliis legitur ſexto caſu* ſuper eo. *v.* 18. Timebant enim eum] *Non legas conjunctionem* vero *pro* enim. *v.* 22. Habete fidem Dei] *Male a quibuſdam libris omittitur vox* Dei. *v.* 23. Tollere & mittere] *Ita legunt plerique omnes libri, imperativa paſſiva, conformiter Græco: perperam itaque in quibuſdam ſunt imperativa activa,* tolle & mitte. *v.* 24. Et evenient vobis] *In antiquis quibuſdam manuſcriptis eſt* venient *pro* evenient; *in uno* fiet. *v.* 30. Baptiſmus Johannis de cœlo erat] *Antiqui libri legunt conſtanter* baptiſmum *pro* baptiſmus, *quemadmodum ſecundum Matthæum.* *v.* 31. Dicet: Quare ergo non] *Non eſt addendum pronomen* nobis (dicat nobis) *quod nec Græce legitur, tametſi Syrus addat.* *v.* 32. Timemus populum] *Complura exemplaria ex melioribus legunt præteriti imperfecti perſonam tertiam* timebant, *Græco ſimiliter, pro prima perſona præſentis* timemus, *quæ videri poſſit eſſe Matthæi.* *v.* 33. Dicunt Jeſu] *Pro præſenti* dicunt, *non legas præteritum* dicebant *aut* dixerunt; *nec omittas & proxime, ubi dicitur:* Et reſpondens Jeſus.

CAP. XII. *V.* 1. In parabolis loqui] *Manuſcriptum quoddam legit* parabolice loqui. *ibid.* Et circumdedit ſepem] *Antiqui libri Epanorthotæ, & inter noſtros Brugenſis, legunt* ſepe *ſexto caſu, pro quarto* ſepem. *Minime vero addendum hic eſt pronomen* ei. *v.* 3. Et dimiſerunt vacuum] *Nec hic addas pronomen* eum. *v.* 4. Et illum in capite vulneraverunt] *Manuſcripta Biblia Audomarenſia & Brugenſia, omiſſa* in *præpoſitione, legunt:* & illum capite. *v.* 14. Nec enim vides in faciem hominum] *Non eſt omittenda præpoſitio* in, *nec mutandus facile numerus pluralis* hominum *cum ſingulari* hominis. *ibid.* Licet dari] *In pleriſque bonis libris eſt paſſivum* dari, *tametſi Græce ſit activum* δοῦναι, *idem quod in cæteris Evangeliis.* *v.* 15. Qui ſciens verſutiam illorum] *Quidam libri, pro* verſutiam *legunt* ſimulationem, *ex alia verſione.* *v.* 16. At illi attulerunt ei] *Hic legitur* attulerunt, *ſecundum Matthæum* obtulerunt. *ibid.* Et inſcriptio] *Secundum Matthæum vertit* ſuperſcriptio, *hic* inſcriptio. *v.* 25. Sed ſunt ſicut Angeli in cœlis] *Non eſt hic addenda vox* Dei, *quæ Mat. eſt cap.* 22. *v.* 30. *v.* 27. Sed vivorum] *Hic lege* vivorum; *ſecundum Matthæum* viventium. *v.* 29. Dominus Deus tuus] *Ex noſtris libris meliores, conſentanee Græco Evangelio & Syriaco, necnon legi ipſi Hebraicæ, ſcribunt* noſter, *pronomen primæ perſonæ, non ſecundæ* veſter *aut* tuus: Dominus Deus noſter. *ibid.* Deus unus eſt] *Quidam libri legunt* Dominus, *cum Græcis, Syriacis, & Hebraicis:* Dominus unus eſt. *v.* 32. Quia unus eſt Deus] *Duo manuſcripta Eccleſiæ noſtræ, cum uno Leodienſi, & altero Clarimariſcenſi, omittunt vocem* Deus, *conformiter Syro, quam alia addunt ſimiliter Græco.* *v.* 34. Et nemo jam audiebat eum interrogare] *Quædam antiqua exemplaria addunt* amplius, *id quod tamen ex altera interpretatione vocis* ἔτι *videtur additum, quam interpres ſuo more vertit* jam. *v.* 37. Eum libenter audivit] *In noſtris antiquis libris, conſentanee Græco, fere eſt imperfectum* audiebat, *pro perfecto* audivit.

CAP. XIII. *V.* 7. Oportet enim hæc fieri] *Antiqua noſtra manuſcripta omittunt pronomen* hæc, *conformiter Græco.* *v.* 8. Gens contra gentem, & regnum ſuper regnum] *Pro* contra *legendum eſſe* ſuper, *priori hujus ſententiæ membro, ut poſteriori, intelligere videmur ex antiquis noſtris manuſcriptis.* *v.* 19. Erunt enim dies illi tribulationes tales] *Legendus eſt nominativus pluralis* tribulationes, *non genitivus ſingularis* tribulationis. *v.* 20. Breviavit dies] *In quibuſdam antiquis libris, pro præterito* breviavit, *eſt futurum* breviabit: *ſed Græce & Syriace præteritum legitur.* *v.* 22. Signa & portenta] *Hic* portenta, *ſecundum Matthæum* prodigia, *legit Latina editio incorrupta.* *v.* 26. In nubibus] *Non eſt addendum* cœli. *v.* 28. Cognoſcitis quia] *Non eſt legendus imperativus* cognoſcite, *pro indicativo* cognoſcitis, *tametſi ex ancipiti verbo Græco uterque poſſit verti.* *v.* 32. De die autem illo vel hora] *Meliores libri legunt disjunctivam* vel *pro copulativa* &.

CAP. XIV. *V.* 2. Dicebant autem] *Sic legunt cum Sixtinis alii quidam Latini libri, conformiter Græco, quo modo legitur & apud V. Bedam, & ſecundum Matthæum quoque. Alii plerique libri habent* enim *pro* autem. *ibid.* Ne forte tumultus fieret in populo] *Alia exemplaria pro* in populo *ſcribunt* populi: *& hoc quidem Marci eſſe, illud Matthæi, annotat Epanorthotes.* *v.* 3. Et cum eſſet Bethaniæ] *Non eſt addendum nomen* Jeſus, *nec omittendum* Bethaniæ. *ibid.* Nardi ſpicati] *Sic habent cum Sixtinis Bibliis omnes libri Latinæ editionis incorrupti, ſcripti & excuſi, veteres & novi, ita ut dubium eſſe non poſſit, quin legendum ſit* ſpicati, *pro eo quod quidam minoris fidei codices habent* piſtici, *mutati vel ex Græco Marci textu, vel ex Johannis Evangelio, cap.* 12. *v.* 3. *Copioſius de hoc diſputavimus in Notationibus olim editis.* *v.* 4. Indigne ferentes intra ſemetipſos, & dicentes] *Quidam boni libri omittunt* & *conjunctionem, junguntque* τὸ intra ſemetipſos, *cum* dicentes; *ſed contra fidem plerorumque, conſentientium Græcis & Syricis.* *v.* 7. Habetis vobiſcum] *Et mox* Non ſemper habetis. *Meliores libri utrobique ſcribunt præſens* habetis, *conformiter Græco; non futurum* habebitis. *v.* 8. Quod habuit hæc, fecit] *Monet Epanorthotes legendum eſſe fœmininum* hæc, *non neutrum* hoc: *quemadmodum & mox, quarto caſu* ſepulturam *legendum eſt, non ſexto* ſepultura. *v.* 10. Et Judas Iſcariotes] *Libri antiqui, etiam Epanorthotæ, legunt* Scariotes, *abſque litera* I *in initio.* *v.* 14. Ubi eſt refectio mea] *A quibuſdam libris additur* & diverſorium meum, *quod ex Luca huc tranſcripſit ſciolus, ignorans ejuſdem rei alteram eſſe interpretationem.* *v.* 20. Qui intingit mecum manum in catino] *Variant hic libri vetuſti, noſtri certe & Zegeri: alii enim addunt, alii omittunt* manum. *Addentibus ſuffragantur antiqui codices Epanorthotæ; omittentibus Græca & Syra: videtrique poſſit huc additum ex Mat.* 26. *v.* 23. *v.* 21. Per quem Filius hominis traditur] *Unus quidam liber legit præſenti tempore* traditur, *conformiter editioni Syriacæ & Græcæ.* *ibid.* Si non eſſet natus] *Sic lege ſecundum Marcum; ſecundum Matthæum autem* Si natus non fuiſſet. *v.* 25. De hoc genimine] *Antiqui codices omittunt pronomen* hoc, *quod Matthæo eſſe proprium annotat Epanorthotes.* *v.* 27. Omnes ſcandalizabimini in me] *Multa Latina exemplaria auferunt* in me, *quod tamen legunt alia cum Syriacis & Græcis.* *ibid.* Et diſpergentur oves] *Non eſt addendum* gregis, *quod Matthæi eſt c.* 26. *v.* 31. *v.* 29. Etſi omnes ſcandalizati fuerint in te] *Regia Biblia ex Complutenſibus, ut Græce, ita etiam Latine, addunt* in te, *quod Sixtina quoque Biblia ſequuntur.* *v.* 34. Et vigilate] *Non addas* mecum, *quod non eſt hujus loci, ſed Mat.* 26. *v.* 38. *v.* 37. Una hora vigilare] *Nec eſt hujus loci* mecum, *ſed Mat.* 26. *v.* 40. *v.* 38. Spiritus quidem promptus eſt] *Duo manuſcripta hujus Eccleſiæ Cathedralis omittunt verbum* eſt, *conformiter editionibus Græcæ & Syriacæ.* *ibid.* Caro vero infirma] *Matth.* 26. *v.* 41. *pro* vero *legitur* autem. *v.* 43. Judas Iſcariotes] *In antiquis libris eſt* Judas Scarioth. *ibid.* A ſummis ſacerdotibus] *Non eſt præponendum participium* miſſi. *v.* 45. Ave Rabbi] *Multi boni libri omittunt* Ave, *ut Matth. proprium cap.* 26. *v.* 49. *v.* 47. Unus autem quidam de circumſtantibus] *Notat Epanorthotes ab antiquis libris omitti* quidam: *quam lectionem ego facile probarem, etiamſi Græce addatur* quidam, *ſi quæ ego vidi antiqua exemplaria reſponderent.* *v.* 49. Sed ut impleantur Scripturæ] *In aliis bonis libris legitur verbum decompoſitum* adimpleantur. *v.* 52. At ille, rejecta ſindone] *Pro* rejecta, *quidam libri habent* relicta: *quod quidem Græce & Syriace ita legitur, ſed Interpres neglecto verbo rem dedit, ſi exemplarium conſtantiæ fides eſt adhibenda.* *v.* 53. Et convenerunt omnes] *Pro præterito* convenerunt, *manuſcripta Brugenſe & Lobienſe legunt, conformiter Græco, præſens* conveniunt. *Nullo autem modo addendum eſt* in unum, *quod addunt quidam codices non boni.* *v.* 54. Et ſedebat cum miniſtris ad ignem & calefaciebat ſe] *Alius eſt ordo verborum in optimis noſtris manuſcriptis, ut etiam in Græca & Syriaca editionibus: poſtponitur enim* τὸ ad ignem: Et ſedebat cum miniſtris, & calefaciebat ſe ad ignem. *v.* 55. Quærebant adverſus Jeſum teſtimonium] *Non addas* falſum, *quod ſolius Matth. eſt cap.* 26. *v.* 59. *v.* 58. Ego diſſolvam templum hoc] *Ita legitur etiam Græce, futuro tempore* diſſolvam: *in quibuſdam tamen bonis libris ſcribitur præſens* diſſolvo, *prout etiam Syrus vertit, ſed is addit conſequenter & præſens* ædifico, *quod Latine non lego, ut nec Græce.* *ibid.* Et per triduum] *Quidam legunt* & poſt triduum: *ſed Matth. eſt* poſt *cap.* 26. *v.* 61. *Marci* per. *v.* 61. Et dixit ei] *Pro præterito* dixit, *legitur ab optimis manuſcriptis, Græco conſonantibus, præſens* dicit. *ibid.* Tu es filius Dei benedicti] *Vox* Dei *omittitur ab antiquis Epanorthotæ manuſcriptis, a ſeptem Hentenii, & a quatuor noſtris, nominatim tribus hujus Eccleſiæ Cathedralis S. Audomari, & celeberrimo illo Eccleſiæ D. Donatiani Brugenſis, ſuffragantibus editionibus Græca & Syra.* *v.* 62. A dextris virtutis Dei] *Nec hic addenda videtur vox* Dei. *Quare Epanorthotes annotat, vocem* Dei, *non Matthæi aut Marci, ſed Lucæ eſſe cap.* 22. *verſu* 69. *v.* 68. Et gallus cantavit] *Non eſt addenda vox* ſtatim, *quæ eſt alterius loci.* *v.* 69. Cum vidiſſet illum ancilla] *Vox* alia, *quam hic addunt quidam codices, ex Matthæo accepta eſt, cap.* 26. *v.* 70.

CAP. XV. V. 6. Unum ex vinctis] *Hæc eſt lectio editionis noſtræ ſecundum Marcum: nam ſecundum Matthæum eſt* unum vinctum. *v.* 7. Qui cum ſeditioſis erat vinctus] *In quodam manuſcripto hujus Eccleſiæ Cathedralis, ſignato litera F. expuncta erant* qui *&* erat, *nec aliud legebatur quam* Cum ſeditioſis vinctus, *quæ lectio, ut conſonat Græco, ita veriſimiliter germana eſt noſtræ editionis:* Erat autem qui dicebatur Barabbas, cum ſeditioſis vinctus. *Eam qui non intellexerunt, addiderunt ſuperiora; veriſimile eſt; quinetiam conjunctionem* & *præpoſuerunt ei quod ſequitur:* Qui in ſeditione. *v.* 8. Sicut ſemper faciebat illis] *Male ſuppletur hic locus in quodam manuſcripto* per diem ſolemnem, ut dimitteret unum vinctum. *v.* 15. Et tradidit Jeſum] *Quidam libri antiqui addunt* eis Jeſum: *ſed veriſimile eſt* eis *eſſe Evangeliorum, ſecundum Matth. cap.* 27. *v.* 22. *& ſecundum Johannem cap.* 19. *v.* 16. *v.* 16. Duxerunt eum in atrium] *Antiqui libri addunt adverbium* intro, *conſentanee Græco & Syro:* Duxerunt eum intro in atrium. *v.* 20. Ut crucifigerent eum] *Quidam libri omittunt pronomen* eum, *quippe ſuperfluum, quod tamen Græce etiam legitur.* *v.* 25. Erat autem hora tertia] *D. Hieronymus tractans Pſalmum* 77. *vel quiſquis eſt illius commentarii auctor, errore ſcriptorum,* tertia *hic legi putat, pro* ſexta: *ſed non eſt veriſimile.* *v.* 28. Et cum iniquis reputatus eſt] *Quidam antiqui libri legunt* deputatus *pro* reputatus; *mutam* d *pro liquida* r. *v.* 29. Vah qui deſtruis templum Dei, & in tribus diebus reædificas] *Epanorthotæ judicio, ſequuti ſua antiqua manuſcripta, legendum eſt, tertia perſona,* deſtruit, ædificat, *non ſecunda* deſtruis, ædificas; *ſimplex verbum* ædificat, *non compoſitum* reædificat; Templum *abſolute, non addita voce* Dei; *hoc modo:* Vah qui deſtruit templum, & in tribus diebus ædificat: *cui ſuffragantur & noſtra manuſcripta. Denique ſubaudiendum eſt pronomen* illud, *non adſcribendum* (Ædificat illud) *quod quidam.* *v.* 31. Summi ſacerdotes illudentes] *Antiqui codices Epanorthotæ, noſtri quoque Brugen. Lob. Leod. Clarimariſc. & Audomarenſis ille qui eſt ſignatus littera E. legunt verbum ſimplex* ludentes, *pro compoſito* illudentes. *Vide Commentarium noſtrum.* *v.* 34. Lama ſabactani] *Lege ea quæ notavimus Matth.* 27. *verſu* 46. *v.* 36. Dicens; Sinite, videamus] *Annotavimus olim, videri locum hunc depravatum, neque adhuc poſſumus mutare ſententiam: quanquam vetus eſt error, ſi error eſt. Fortaſſe pro participio ſingulari* dicens; *legendum eſt verbum plurale* dicebant *aut* dixerunt, *prout habet Evangelium Syriacum:* Et dixerunt; Sinite, videamus; *aut potius numero ſingulari* Sine videamus. *Sunt quidam libri, tam Græci quam Latini, quos alias nominavimus, qui ſingulari* ſine *ſcribunt: quod judicium eſt, verbum dicendi ab aliquibus plurali numero lectum fuiſſe. Cum enim hic ſermo ſit de uno & pluribus, ſi verba, quæ prolata fuiſſe narrantur, ad unum dirigantur, intelliguntur a pluribus prolata fuiſſe: quanquam ſinendi verbum, ſive pluraliter ſive ſingulariter legas, non multum refert.* *v.* 38. A ſummo uſque deorſum] *Annotat Epanorthotes, ſecundum Matthæum legendum eſſe* a ſummo, *ſecundum Marcum* a ſurſum, *quod tamen nos in noſtris codicibus non invenimus.* *v.* 40. Erant autem & mulieres] *Nec eſt addendum adverbium* ibi (erant autem ibi & mulieres) *nec legendum eſt* ibi *pro* &. *v.* 41. Et cum eſſet in Galilæa] *Latinus textus Bibliorum Regiorum præponit relativum* quæ (quæ & cum eſſet) *quod tam congruit ſententiæ quam Græcæ editioni.* v. 42. Quod eſt anteſabbatum] *Ut Græce* προσάββατον, *ita Latine* anteſabbatum, *unica dictio eſt, minime diſtrahenda in duas.* v. 44. Interrogavit eum] *Non eſt legendum præteritum imperfectum* interrogabat *pro perfecto.*

CAP. XVI. *V.* 7. Quia præcedit vos] *Non magis hic quam ſecundum Matthæum, mutandum eſt præſens* præcedit, *cum futuro* præcedet. *ibid.* Sicut dixit vobis] *Cave legas primam perſonam* dixi, *pro tertia* dixit, *tametſi Matthæus ſcribat* Ecce prædixi vobis. v. 2. Surgens autem mane] *Sic legunt libri boni, cum Syro & pleriſque omnibus exemplaribus Græcis. Alii boni libri addunt nomen* Jeſus (ſurgens autem Jeſus) *quibus ſuffragatur editio Græca Bibliorum Regiorum.* v. 14. Illis undecim apparuit] *Non addas nomen* Jeſus; *ut nec paulo poſt* a mortuis, *ubi dicitur* qui viderant eum reſurrexiſſe. v. 19. Et ſedet a dextris Dei] *Optima manuſcripta noſtra fere legunt præteritum* ſedit, *conformiter Græco ac Syro, pro præſenti* ſedet.

Notæ ad Varias Lectiones Editionis Latinæ Evangelii ſecundum LUCAM.

CAP. I.

VErſ. 8. Cum ſacerdotio fungeretur] *Manuſcripta noſtra addunt nomen* Zacharias, *quod alii libri omittunt conſentanee Græco & Syro.* v. 28. Ave gratia plena] *Non eſt interponendum nomen* Maria. v. 29. Quæ cum audiſſet] *Duo manuſcripta ab Hentenio annotata, unum ex noſtris, Brugenſe, & quædam alia Zegeri, pro* audiſſet, *ſcribunt* vidiſſet, *concinentibus Græcis libris ac Syricis, & Divo Ambroſio adſtipulante qui habet :* Ipſa autem ut vidit eum mota eſt, *&c.* v. 30. Inveniſti enim gratiam apud Deum] *Non eſt omittenda conjunctio* enim, *nec mutandum* Deum *cum* Dominum. v. 35. Quod naſcetur ex te ſanctum] *Manuſcripta Biblia Eccleſiarum Cathedralium D. Donatiani & S. Audomari, cum aliis exemplaribus ab aliis annotatis omittunt illud,* ex te, *quibus Græci libri plerique adſtipulantur. Atqui plerique Latini libri, conſentientibus Syriacis & nonnullis Græcis, nominatim Complutenſi ac Regiis, illud ſervant : quod quidem Titus Boſtrorum Epiſcopus & legit & interpretatur clariſſime. Athanaſius autem epiſtola ad Epictetum Corinthiorum Epiſcopum etiam urget adverſus hæreticos illos, qui Chriſti corpus non ex virginis corpore formatum volebant. Veriſimile eſt igitur, ab hujus farinæ hominibus, eraſum aliquando fuiſſe illud* ex te. v. 45. Et beata quæ crediſti, quoniam perficientur ea quæ dicta ſunt tibi a Domino] *Plerique & quidem antiqui quidam libri ſic legunt, ſecunda perſona* crediſti, tibi. *Porro alii, & quidem multi antiqui, Epanorthotæ aliorumque, ſcribunt tertiam perſonam* credidit, ei. *Græca ad utramque lectionem ambigua ſunt, quod in Notationibus prolixioribus oſtendimus.* v. 50. A progenie in progenies] *Ita uſus Eccleſiaſticus. Porro antiqui libri evangeliorum, tum noſtri tum Epanorthotæ & Zegeri, ſcribunt* In progenies & progenies. *Unus* In generationem & generationem. *Similis eſt in Græcis varietas. Sententia eadem una eſt.* v. 54. Recordatus miſericordiæ ſuæ] *Ita rurſum Eccleſiaſticus uſus, quem legendi modum, utpote commodiorem, ex D. Hieronymi emendatione profectum, arbitratur Zegerus. Nam manuſcriptorum antiquorum pleraque, pro* recordatus, *ſcribunt* memorari, *quo modo ad verbum vertas ex Græco.* v. 66. Quis putas puer iſte erit] *Rurſus manuſcripta, pro maſculino* quis, *fere legunt neutrum* quid, *ex Græco ambiguo.* v. 68. Redemptionem plebis ſuæ] *Pro genitivo* plebis, *in antiquis libris non paucis, eſt dativus* plebi, *conſentanee Græco.*

CAP. II. *V.* 4. In civitatem David] *Sic cum Sixtinis Bibliis Regia, conſentiente Græco ac Syro : obſcurum eſt enim, quod alii libri omittunt præpoſitionem* in. *ibid.* Quia non erat eis locus] *Quidam libri habent pronomen numeri ſingularis* ei: *ſed meliores ſervant plurale* eis, *adſtipulantibus editionibus Græca & Syrica.* v. 11. Quia natus eſt vobis] *Nec omittendum eſt ſecundæ perſonæ pronomen* vobis, *nec mutandum cum primæ perſonæ* nobis. v. 13. Multitudo militiæ cœleſtis] *Notat Epanorthotes, pro* militiæ, *quoſdam legere ex antiphona* exercitus : *alios utrumque jungere* militiæ cœleſtis exercitus : *neutrum probat.* v. 14. Gloria in altiſſimis Deo] *Non mutes* altiſſimis *cum* excelſis. *ibid.* Hominibus bonæ voluntatis] *Quidam libri præmittunt præpoſitionem* in, *ſicut textus Græcus :* in hominibus. v. 15. Quod factum eſt, quod Dominus oſtendit nobis] *Hæc, ut eſt Bibliorum Sixtinorum, ita & antiquorum exemplarium lectio, conformis Græco ac Syro. Quare non mutanda cum hac aliorum,* Quod factum eſt, quod fecit Dominus & oſtendit nobis. v. 18. Mirati ſunt & de his] *Unus atque alter liber omittunt mediam conjunctionem* &, *quæ certe obſcuritatem parit, nec legitur aut Græce aut Syriace. Ambroſius quoque :* A paſtoribus, *inquit,* populus ad Dei reverentiam congregatur : mirati enim ſunt de iis quæ dicebantur a paſtoribus ad ipſos. v. 21. Ut circumcideretur puer] *Quædam antiqua manuſcripta omittunt* puer, *nominatim Brugenſia & Audomarenſia Biblia, ut & quidam libri Græci. Alia addunt faventibus pleriſque Græcis, ad hæc Syriacis, & D. Ambroſii Commentario.* v. 26. Niſi prius videret] *Non omittas adverbium* prius. v. 33. Et erat pater ejus & mater mirantes] *Interpres vertit ſingulare* erat *ex Græco* ἦν, *quod tamen pluraliter aliquando accipitur contractum ex* ἦσαν. *Simile Matth. 27. ver. 61. Porro quod ſubſequitur* pater ejus & mater, *non eſt mutandum cum* Joſeph & mater ejus, *quod quidam fecerunt imitati Græcos codices.* v. 37. Et hæc vidua uſque ad] *Non eſt addendum verbum ſubſtantivum* erat. v. 38. Qui expectabant redemptionem Iſrael] *Pro fœminino* redemptionem *nullo modo legendum eſt maſculinum* redemptorem, *quod legitur apud Bedam : ſed pro* Iſrael, *olim annotavimus, manuſcripta antiqua ſcribere* Jeruſalem : *quibus jam accedere obſervavimus tria hujus Audomarenſis, & unum Clarmariſcenſis Eccleſiæ. Porro* τὸ Jeruſalem, *dicebamus debere, vel genitivum eſſe quietis, ſi ſequi placeat Græca pleraque omnia exemplaria, quæ addunt præpoſitionem* in ; *vel poſitum intelligi pro* ipſius Jeruſalem, *ſi ſequaris Syra, quæ abſque præpoſitione addunt notam genitivi.* v. 40. Et confortabatur] *Non addas* ſpiritu, *quod codex unus aut alter. Vide Græcas varietates. ibid.* Et gratia Dei erat in illo] *Non ſubſtituas* cum *pro* in. v. 42. Aſcendentibus illis Jeroſolymam] *Quidam antiqui libri addunt, quidam auferunt, præpoſitionem* in. v. 46. Audientem illos & interrogantem eos] *Manuſcriptorum quædam omittunt, alia addunt poſterius* eos. v. 50. Non intellexerunt verbum] *Non eſt omittendum* τὸ verbum. v. 51. In corde ſuo] *Non præponas participium* conferens, *quod quidam, acceptum ex verſu ſuperiori* 19.

CAP. III. *V.* 9. Ad radicem arborum poſita eſt] *Hæc, ut Bibliorum Sixtinorum, ita multorum codicum lectio, quæ vocem* radicem *numero ſingulari,* arborum *plurali ſcribit, conſonat Græco. In aliis libris quibuſdam legitur* radices *pluraliter, quibuſdam* arboris *ſingulariter : quorum hoc minime veriſimile eſt. ibid.* Excidetur & in ignem mittetur] *Hentenius unum exemplar attulit, quod legat* exciditur & in ignem mittitur, *præſenti tempore, quo modo legitur Græce & Syriace : de quo tale eſto judicium quale Matthæi 3. ver. 10.* v. 16. Veniet autem fortior me, cujus] *Manuſcriptum D. Donatiani cum aliis Epanorthotæ, legit præſens tempus* venit, *pro futuro* veniet. *Quidam ad hæc libri, cum Syro typis excuſo, addunt* poſt me (fortior me poſt me) *ſed alii plerique cum Græco & Syro manuſcripto omittunt. Marci eſt, cap. 1. v. 7.* v. 19. Uxore fratris ſui] *Quod quidam Latinus liber typis excuſus & multi Græci addunt* Philippi, *quanquam Syriace legatur, videtur huc eſſe adjectum ex Mar. 6. ver. 17. Certe variant Græci codices : porro Latina omnia manuſcripta cum Sixtinis Bibliis tollunt, ita ut, quicquid tandem ſit de germana Græcorum lectione, Latinis conſtet non eſſe legendum, ut quod Interpres non dederit.* v. 20. Et incluſit Johannem in carcere] *Alii libri, pro ſexto, ſcribunt quartum caſum* carcerem. v. 22. In te complacui mihi] *Ita legunt Sixtina Biblia, prima perſona* complacui, *pro tertia* complacuit, *quæ eſt in aliis pleriſque libris.* v. 31. Qui fuit Melea] *Sic cum Sixtinis Bibliis legunt unum Clarmariſcenſis & tria Eccleſiæ noſtræ Audomaropolitanæ manuſcripta* Melea, *ut eſt Græce & Syriace, non* Melpha, *media vocali* e, *mutata cum muta adſpirata* ph, *quod eſt in pleriſque aliis.*

CAP. IV. *V.* 1. Regreſſus eſt ab Jordane] *Non eſt mutandum* regreſſus eſt, *quod eſt, revertit, cum* egreſſus eſt. *ibid.* A ſpiritu] *Alii libri habent* in *pro* a, *eodem ſenſu. ibid.* In deſertum] *Sic legunt cum V. Beda optimi libri, quarto caſu, adſtipulantibus Græcis. In aliis eſt ſexto caſu* in deſerto. v. 2. Et conſummatis illis eſuriit] *Notat Hentenius in quodam codice addi* poſtea, *quod ſuperfluere arbitror, licet Græce legatur & Syriace.* v. 4. Quia non in ſolo pane vivit homo] *In aliis libris legitur futurum tempus* vivet, *ſimiliter archetypo Græco, pro præſenti* vivit. v. 5. Et duxit illum diabolus in montem excelſum, & oſtendit illi] *Antiquiſſimi & lectiſſimi codices, nominatim Brug. Lob. Leod. Clarmar. & tres Eccleſiæ S. Audomari, omittunt hæc verba* in montem excelſum: *quæ alii addunt, non abſque varietate tamen, cum quidam* excelſum, *quidam* altiſſimum *ſcribant. Videri poſſint ea ex Evangelio ſecundum Matthæum huic fuiſſe adſcripta, nec interpreti fuiſſe Græce lecta : quanquam nunc exſtent & Græce & Syriace. Jam exemplar illud vetuſtum cœnobii D. Germani Pratenſis, ad muros Pariſienſes ſiti, quod Jacobus Faber teſtatur ſervare, eundem tentationum Jeſu a diabolo ordinem, in hoc Evangelio, quem habet Matthæi Evangelium, nihil moror, cum ſit ſingulare. Nam quod D. Ambroſius in Lucam ſcribens, eo ordine explanat quo narrat Matthæus : non raro Ambroſius, in Lucam licet ſcribat, Matthæi textum ediſſerit. Lege Notationes noſtras prolixiores.* v. 7. Tu ergo ſi adoraveris] *Non addas* procidens, *quod ex Matthæo quidam.* v. 9. Super pinnam templi] *Annotat Epanorthotes, ſecundum Lucam legendum eſſe* pinnam, *ſecundum Matthæum* pinnaculum. v. 10. Mandavit de te] *Pro præterito* mandavit, *præſtantiſſima manuſcripta Brugenſe & Lobienſe, adſtipulantibus editionibus Græca & Syriaca, legunt futurum* mandabit. v. 14. Et regreſſus eſt Jeſus] *Ita legendum eſt,* regreſſus, *quod eſt reverſus, non* egreſſus *aut* ingreſſus. *Simile ſupra v. 1.* v. 18. Sanare contritos corde] *Hæc verba, ut a Sixtino & pleriſque aliis libris, ita & a Græcis ac Syriacis noſtris, Euthymio exponente, leguntur. Verum manuſcripta quædam Latina, nominatim D. Donatiani unum, S. Bernardi ad Clarummariſcum unum, & D. Audomari tria, omittunt ea, quemadmodum omittuntur ab Origene, homilia 32. in Lucam, hunc locum enarrante, & ab Euſebio lib. 9. demonſtr. Evang. cap. 10. atque Auguſtino lib. 2. de conſ. Evang. cap. 42. locum citantibus. V. Beda, ut primum adducit hujus loci textum, non legit ea : tamen an non explicet poſtea, ſit dubium. Explicat enim, ſed ita ut pro eiſdem habere videatur, cum iis verbis quæ ſequuntur* Dimittere confractos in remiſſionem. *Fortaſſis exiſtimavit duplicem eſſe verſionem rei ejuſdem, ad quam ſententiam accedit Forerius ſcribens in Iſaiam, Editio LXX. Interpretum, quomodo recitatur a D. Hieronymo ad Prophetam, utrumque habet, quemadmodum legitur hoc Evangelii loco : eadem ut ſeorſum Græce exſtat impreſſa, Euſebio jam laudato adſtipulante, habet ſolum illud* ſanare contritos corde, *omiſſo altero* dimittere fractos in libertatem : *quod quidem Hebræo fonti ſimilius eſt. Theophylactus in hoc evangelium ſcribens, prius enarrat, poſterioris non meminit : Ambroſius neutrum attingit, etſi reliqua non prætereat.* v. 23. Quanta audivimus] *Non eſt præmittendum* Dixerunt Phariſæi ad Jeſum. v. 27. Et nemo eorum mundatus eſt] *Non addas* a lepra. v. 28. Omnes in ſynagoga ira] *Non eſt omittendum illud* in ſynagoga. v. 34. Scio te quis ſis, ſanctus Dei] *Quidam libri ſcribunt conjunctionem* quia, *hoc ſenſu, Scio te quod ſis ſanctus Dei : ſed Interpres dedit pronomen* quis, *aut certe* qui, *poſitum pro* quis, *quomodo eſt Græce.* v. 36. Imperat immundis ſpiritibus] *Non eſt auferendum epitheton* immundis. v. 38. Surgens autem Jeſus] *Quædam manuſcripta omittunt nomen* Jeſus, *conformiter Græco : quod alia addunt, ſimiliter Syro.*

CAP. V. *V.* 3. Rogavit eum a terra reducere puſillum] *Alii boni libri habent,* Rogavit eum ut a terra reduceret puſillum. *Hanc probat Epanorthotes : illam attribuit modernis, ut loquitur.* v. 7. Ita ut pene mergerentur] *Quidam libri addunt* pene, *ſimiliter Syris : alii omittunt, ſimiliter*

liter Græcis. v. 12. Et procidens in faciem] *Quidam libri Græco conformiter, omittunt & conjunctionem.* v. 16. Secedebat in deſertum] *In Brugenſi & aliis quibuſdam manuſcriptis legitur* in deſerto, *ſexto caſu, quemadmodum Græce* ἐν ταῖς ἐρήμοις. v. 17. Ad ſanandum eos] *Male quidam libri pro* eos *legunt* infirmos. v. 20. Quorum finem ut vidit] *Non addas nomen* Jeſus, *tametſi Syriace legatur.* v. 22. Quid cogitatis in cordibus veſtris] *Quidam libri addunt* mala, *male: nam Matthæi illud, non Lucæ eſt.* v. 25. Conſurgens coram illis] *Antiqui libri noſtri legunt verbum ſimplex* ſurgens, *pro compoſito* conſurgens. *ibid.* Tulit lectum in quo jacebat] *Rurſus libri antiqui tollunt vocem* lectum, *conformiter Græcis libris. Nam Syrus interpretans illud* in quo jacebat, *ejus loco ſcribit* lectum ſuum. *Creditur explicationis gratia a quibuſdam addita Latina vox* lectum. v. 26. Et ſtupor apprehendit omnes, & magnificabant Deum] *Zegerus partem iſtam in dubium vocat, quod in uno manuſcripto non invenerit eam niſi ad marginem. Atqui fieri facile poſſit, ut ſcribam fugerit pars iſta, quam poſtea ad marginem ſtatuerit, præſertim cum non tantum in cæteris Latinis libris manuſcriptis impreſſiſque, ſed in Græco ac Syro, ſimiliter conſtanterque legatur. Nam quod ait, huic ſimile mox conſequi, nihil refert: quodque ex Ambroſio colligere nititur, parum movet.* v. 32. Non veni vocare juſtos] *Bonorum librorum, quidam addunt conjunctionem* enim (non enim veni) *quidam Græco ac Syro conformiter tollunt.* v. 35. Cum ablatus fuerit] *Antiquorum manuſcriptorum, alia præponunt* & *conjunctionem, Græco ſimiliter; alia tollunt, conſentanee Syro.*

CAP. VI. *V.* 4. Quos non licet manducare] *Alii libri habent* licebat *imperfectum, pro præſenti* licet. v. 6. Factum eſt autem & in alio] *Quidam libri omittunt* & *conjunctionem, quemadmodum Syra & quædam Græca.* v. 9. Interrogo vos] *Tres codices ab Hentenio annotati legunt futuro tempore* interrogabo, *conformiter Græco & Syro.* v. 10. Et reſtituta eſt manus ejus] *Quidam libri addunt* ſanitati, *quemadmodum Græce fere additur* ὑγιὴς ſana, *alii, & quidem optimi, cum Sixtino, rectius omittunt, ſicut Syrici. Non dubito quin ex Matthæo huc adſcriptum ſit, tam Græcum* ὑγιὴς, *quam Latinum* ſanitati. v. 11. Quidnam facerent Jeſu] *Ita legendum eſt, & non, ut quidam, addita præpoſitione,* de Jeſu. v. 15. Matthæum & Thomam] *Hoc ordine legunt etiam Græca & Syra. Quædam antiqua manuſcripta præponunt* Thomam. v. 16. Et Judam Jacobi] *Plerique libri præponunt* & *conjunctionem, ut Syrum: tres Eccleſiæ noſtræ, & unus Clarmariſcenſis, manuſcripti, omittunt, ut Græcum. ibid.* Et Judam Iſcarioten] *Antiqui libri legunt* Scarioth *pro* Iſcarioten. v. 17. Et deſcendens cum illis] *Hujus loco quidam legunt,* Et deſcendens Jeſus de monte, *quod ex officio Eccleſiaſtico acceptum eſſe clarum eſt. ibid.* Et maritima & Tyri] *Latinus textus Regiorum Bibliorum, & quædam exemplaria Nicolai Zegeri, conſonantia editionibus Græcæ & Syriacæ, omittunt* & *conjunctionem ante vocem* Tyri. v. 24. Quia habetis conſolationem veſtram] *In multis bonis libris eſt relativum* qui: *ſed conjunctio* quia *reſpondet Græco.* v. 26. Væ cum benedixerint vobis homines] *Quidam libri addunt alterum* vobis *poſt* væ; *male: multi ante* homines *inſerunt adjectivum* omnes, *Syris & pleriſque Græcis omiſſum. ibid.* Secundum hæc enim faciebant pſeudoprophetis patres eorum] *Non omittas conjunctionem* enim, *nec mutes* pſeudoprophetis *quinqueſyllabum cum* prophetis *triſyllabo, quod quidam ex loco ſimili ſupra verſu 23.* v. 29. Præbe & alteram] *Non addas pronomen* ei. v. 33. His qui vobis benefaciunt] *Sic legendum eſt, non ut quidam* his qui vos diligunt. v. 37. Dimittite & dimittemini] *Brugenſe manuſcriptum, pro* dimittemini, *legit* dimittetur vobis. v. 38. Menſuram bonam & confertam] *Omittunt* & *conjunctionem plerique libri noſtri antiqui, Græco conſentanei. ibid.* Eadem quippe menſura] *Non legas* vero *pro* quippe. v. 39. In foveam cadunt] *Sic cum Sixtino legunt plures boni libri,* cadunt *præſenti tempore: in quibuſdam eſt futuro tempore* cadent, *conformiter Græco.* v. 42. Trabem non videns] *Noli mutare participium* videns *cum verbo* vides. v. 45. De malo theſauro] *Meliores libri fere non hic repetunt* cordis ſui, *tametſi Græce & Syriace repetatur.* v. 46. Quid autem vocatis me] *Non legas* enim *pro* autem. v. 48. Fundamentum ſuper petram] *Vetera manuſcripta etiam Epanorthotæ, ſcribunt* fundamenta *numero plurali. ibid.* Fundata enim erat ſuper petram] *Non addas* firmam petram. v. 49. Qui autem audit & non facit] *Exemplar Donatianicum legit:* Qui autem audivit & non fecit, *Græco conſentanee. ibid.* Et continuo cecidit] *Antiqui codices Epanorthotæ, & quidam noſtri, habent* concidit: *alias* cecidit, *ait Epanorthotes.*

CAP. VII. *V.* 3. Et ſalvaret ſervum ejus] *Epanorthotes legendum docet* ſanaret, *juxta libros antiquos, quibus e noſtris conſentiunt Brug. Lobb. Leod.* Sed Græcus, *inquit,* & moderni, habent ſalvaret. v. 4. Dicentes ei] *Quædam exemplaria omittunt pronomen* ei, *conformiter Græco ac Syro.* v. 11. Deinceps ibat in civitatem] *Non eſt addendum nomen* Jeſus *ex officio Eccleſiaſtico.* v. 22. Quæ audiſtis & vidiſtis] *Ordo verborum in vetuſtis codicibus, conformis Græco & Syro, eſt* Quæ vidiſtis & audiſtis. v. 23. Quicunque non] *In aliis bonis eſt* qui non. v. 24. Cœpit de Johanne] *Non addas nomen* Jeſus, *tametſi Syrus addat. ibid.* Arundinem vento agitatam] *Pro* agitatam, *pleraque antiqua manuſcripta, tum noſtra tum Epanorthotæ, legunt* moveri: *notatque Epanorthotes Matthæi eſſe* agitatam. *Matth.* 11. *v.* 7. v. 27. Hic eſt de quo] *Non addas* enim, *quod quidam ex Matth.* v. 28. In regno Dei] *Sic legendum eſt hoc loco; ſecundum Matthæum autem* in regno cœlorum. v. 29. Baptizati baptiſmo] *Brugenſe & quædam alia manuſcripta, pro ſexto caſu* baptiſmo, *legunt quartum* baptiſmum, *phraſi ea quæ eſt Græce.* v. 31. Ait autem Dominus: Cui ergo] *Multi boni Latini, nec pauciores boni Græci libri, ſuffragantibus Syricis, omittunt illud* ait autem Dominus. v. 32. Cantavimus vobis tibiis] *Non eſt hic omittenda vox* tibiis, *ut ſecundum Matth.* v. 33. Venit enim Johannes] *In aliis libris eſt* autem, *ſed* enim *reſpondet Græco ac Syro.* v. 37. Quod accubuiſſet in domo] *Non eſt addenda vox* Jeſus. v. 39. Quæ & qualis eſt mulier] *In aliis libris pro* eſt *legitur* eſſet. v. 40. Et alius quinquaginta] *A quibuſdam libris abeſt* & *conjunctio, quemadmodum mox proximo verſu pronomen* illis: Non habentibus illis. v. 42. Quis ergo eum plus diligit] *In quibuſdam libris eſt futurum* diliget, *quemadmodum Græce.* v. 44. Et capillis ſuis terſit] *Hoc modo legitur etiam Syrice. Annotat porro Zegerus, quoſdam Latinos codices, legere quemadmodum eſt Græce:* Et capillis capitis ſui terſit. v. 45. Hæc autem ex quo intravit] *Ita legendum eſt ex Sixtino & optimis libris, nominatim Brugenſi, Lobbienſi, unoque Audomarenſi,* intravit *tertia perſona, pro prima* intravi, *adſtipulantibus Syrica editione, & quibuſdam exemplaribus Græcæ, denique ipſa hiſtoriæ ſerie, qua docetur, mulierem hanc ingreſſam domum, dudum poſt ipſum Jeſum. ſupra ver.* 37.

CAP. VIII. *V.* 1. Per civitates & caſtella] *Multi boni libri, ſingulari numero, conformiter Græco, ſcribunt* per civitatem & caſtellum. *Illa lectio, hujus expoſitio eſt.* v. 2. Uxor Chuzæ] *Brugenſe manuſcriptum habet* Chuza. v. 3. Quæ miniſtrabant ei] *Duo Eccleſiæ noſtræ & unum Clarmariſcenſis manuſcripta habent numero plurali* eis, *adſtipulante Syro. Græca magis variant quam Latina.* v. 4. Cum autem turba plurima convenirent] *Alii libri legunt ſingulare* conveniret, *ut Græca.* v. 13. Nam qui ſupra petram] *Non addas,* hi ſunt. *ibid.* Qui ad tempus credunt] *Quædam exemplaria legunt* qui *relativum, adſtipulantibus libris Græcis; alia conjunctionem* quia. v. 18. Videte ergo quomodo audiatis] *Quanquam conjunctivus* audiatis *Latinior ſit: indicativus tamen* auditis, *eſt in optimis quibuſque manuſcriptis, Græco conformiter. Porro* quomodo *non eſt hic mutandum cum* quid: *hoc enim Marci, illud Lucæ eſt.* v. 19. Et non poterant adire eum] *Antiqui libri, repetita præpoſitione* ad, *fere legunt* ad eum. *Sed procul abſit ut pro* adire *legas* audire, *quod eſt* ἀκούειν. v. 23. Et navigantibus illis] *Rurſus antiqui libri, conſpirantibus Græcis, habent* Navigantibus autem illis. *ibid.* Et complebantur] *Spurium eſt quod quidam codices legunt* compellebantur *pro* complebantur, *quod eſt* implebantur. v. 24. Increpavit ventum & tempeſtatem aquæ. *In quibuſdam Eccleſiæ Audomarenſis libris eſt* increpavit vento & tempeſtati aquæ. v. 26. Et navigaverunt ad] *Manuſcripti codices optimi, tum noſtri tum Epanorthotæ, Græco & Syro adſtipulante, legunt* Enavigaverunt autem ad, *quod Commentario declaratur.* v. 29. Agebatur a dæmonio in deſerta] *Ita legendum eſt: Male eſt enim in quibuſdam ſextus caſus numeri ſingularis* deſerto. v. 39. Redi in domum tuam] *Quidam ex optimis libris omittunt* in *præpoſitionem.* v. 40. Erant enim omnes] *Cum Sixtinis Bibliis tria noſtra & unum Clarmariſcenſis Eccleſiæ manuſcripta, conformiter Græco & Syro, legunt* enim, *pro* autem, *quod alii.* v. 43. Mulier quædam erat] *Veriſimile eſt Interpretem ſcripſiſſe, ita ut eſt Græce,* mulier quæ erat. v. 46. Nam ego novi] *Multi boni libri addunt* & *conjunctionem* (nam & ego novi) *tametſi nec Græce illa nec Syriace addatur.* v. 49. Venit quidam ad principem ſynagogæ] *Diu quæſita, inventa eſt tandem, genuina hujus loci lectio, in manuſcripto Eccleſiæ noſtræ continente quatuor Evangelia, F. litera inſignito, quod habet non* ad principem *caſu quarto, ut vulgo, ſed* a principe *caſu ſexto; ſic enim eſſe legendum, Græca & Syra clamant, mutatione facta ab iis qui non intellexerunt hanc loquendi formam: uti & ſecundum Marcum cap. 5. verſ. 35. mutaverant* ab archiſynagogo *cum* ad archiſynagogum, *quod illic notavimus. ibid.* Noli vexare illum] *Sic legunt cum Sixtino libri antiqui* illum: *notatque Epanorthotes* magiſtrum *eſſe Evangelii ſecundum Marcum, quanquam & hic Græce Syriaceque legatur.* v. 52. Non eſt mortua puella ſed dormit] *Duo Audomarenſis & unum Clarmariſcenſis Eccleſiæ manuſcripta tollunt vocem* puella, *cum Græcis libris & Syricis. Notat Epanorthotes Matth. 9. v. 24. & Marci 5. v. 39. addi* puella. v. 55. Et juſſit illi dari manducare] *Sic legendum ex Sixtinis Bibliis & optimis manuſcriptis,* dari *paſſivum Græco ſimiliter, pro* dare *activo.*

CAP. IX. *V.* 3. Nihil tuleritis in via] *Non eſt legendum* in viam *quarto caſu, ſi meliores ſequaris libros: ſed intelligendus eſt ſextus caſus pro quarto poſitus, ut alias frequenter.* v. 4. Et inde ne exeatis] *Unus codex ab Hentenio annotatus omittit negationem, conformiter Græco & Syro:* Et inde exeatis. v. 6. Circuibant per caſtella] *Non eſt omittenda præpoſitio* per, *tametſi omittatur a codice Donatianico.* v. 15. Et diſcumbere fecerunt omnes] *Huic lectioni receptæ ſuffragatur Syrus, dum utitur verbo conjugationis Hiphil. Quorundam librorum lectio eſt,* Et diſcubuerunt omnes, *qua quidem non repetitur res eadem, ut priora illa. Græca ſimiliter variant.* v. 19. Et dixerunt: Johannem Baptiſtam] *Non eſt interponenda vox* alii, *quæ Evangelii ſecundum Matthæum eſt.* v. 28. Petrum & Jacobum & Johannem] *Manuſcripta quædam antiqua præponunt Johannem Jacobo, Græco conformiter. Aliis, quæ Jacobum præponunt Johanni, conſonant Syra.* v. 29. Et veſtitus ejus albus & refulgens] *Optima noſtra manuſcripta, abſque media conjunctione* &, *legunt* albus refulgens, *ſimiliter editioni Græcæ.* v. 32. Petrus vero & qui cum illo erant] *Non addunt ſed ſubaudiunt* erant, *manuſcripta Eccleſiæ Audomaropolitanæ, cum Græcis libris & Syris.* v. 37. Occurrit illis turba multa] *Manuſcripta noſtra meliora, Græco conſentanee, legunt ſingulare* illi. Illis *autem quod in aliis eſt plurali numero, conſentit Syro.* v. 47. Apprehendit puerum & ſtatuit] *Optimi noſtri libri, Græco ſimiliter, legunt* apprehendens puerum ſtatuit. v. 49. Quia non ſequitur nobiſcum] *Non eſt addendum pronomen* te (non ſequitur te) *quod optimi libri, cum Sixtino & Græcis, non agnoſcunt, quanquam Syrus explicationis gratia addat.* v. 50. Et ait ad illum Jeſus] *Quædam exemplaria ſcribunt plurali numero* ad illos, *conformiter Syro: ſed optima, numero ſingulari* ad illum, *conſentanee Græco. ibid.* Nolite prohibere] *Non eſt præponendum* Sinite illos &, *id quod aliunde quidam huc adſciverunt. ibid.* Qui enim non eſt adverſum vos, pro vobis eſt] *Sic legunt, ut Sixtinus, ita optimi libri Latini, ſuffragante Syro. Sex ab Hentenio annotati habent prima perſona* adverſum nos, pro nobis eſt, *adſtipulante Græco.* v. 51. Ut iret in Jeruſalem] *Antiqui codices omittunt* in *præpoſitionem, tametſi Græce addatur.* V. 53. Euntis in Jeruſalem] *Eadem hujus loci ratio eſt.* v. 54. Et conſumat illos] *Quod ſequitur in quibuſdam Latinis libris* ſicut & Elias fecit, *tametſi Græce & Syriace legatur, ut non eſt Sixtini, ita nec optimorum librorum, videturque Interpres non dediſſe neque Græce legiſſe. Tractatores, Ambroſius, Titus, Theophylactus, & Euthymius, annotant, Apoſtolos ad Eliam reſpexiſſe: ex hujuſmodi fortaſſis annotatiuncula ad marginem ſcripta, potuerit illud in textum, etiam Græcum, irrepſiſſe.* v. 56. Non venit animas perdere] *Non addas* hominum, *quod quidam* (animas hominum) *tametſi legatur Græce: nec enim Latinus tantum, ſed & Syrus omittit,*

tit. v. 57. Sequar te quocunque ieris] *Non ſubdas* Domine, *quod quidam, licet in Syricis & Græcis pleriſque libris legatur: nam cum Sixtino antiqui verique codices Latini non agnoſcunt.* v. 58. Dixit illi Jeſus] *Antiqui libri noſtri præmittunt conjunctionem* & *cum Græcis, &* ait *legunt pro* dixit. *ibid.* Ubi caput reclinet] *Quidam antiqui libri addunt* ſuum (caput ſuum) *cum Syro; plures omittunt, cum Græco.* v. 59. Primum ire & ſepelire] *Quidam antiqui libri non addunt hic* & *conjunctionem* (& ſepelire) *quemadmodum nec Græca editio. Matthæi itaque conjicio propriam eſſe conjunctionem illam, cap. 8. v. 21.* v. 60. Tu autem vade, & annuntia] *Alii libri omittunt* &, *quod nec legitur Græce aut Syriace.* v. 61. His quæ domi ſunt] *Alii libri maſculino genere legunt* his qui domi ſunt. v. 62. Nemo mittens manum ſuam ad aratrum & reſpiciens retro] *Antiqui libri noſtri habent* in *pro* ad, *&* adſpiciens *pro* reſpiciens.

CAP. X. *V.* 1. Et alios ſeptuaginta duos] *Et infra verſu* 17. Reverſi ſunt autem ſeptuaginta duo. *Hæc eſt conſtans lectio Latinorum librorum, niſi quod in uno manuſcripto invenerimus, priori loco* viros *pro* duos, *poſteriori* viri *pro* duo. *Non minus conſtans eſt lectio Græcorum & Syriacorum librorum, omittentium* duos *&* duo, *nimirum* ſeptuaginta *dumtaxat ſcribentium, niſi quod unus codex Græcus priori loco, alter poſteriori addat* δύο duo. *De hac varietate late diſſeruimus in Notationibus noſtris prolixioribus, allatis in medium iis quæ pro utravis parte faciunt.* v. 2. In meſſem ſuam] *Manuſcripta optima noſtra omittunt pronomen* ſuam, *tametſi Græce & Syriace legatur, tam hic quam Matth. 9. v. 38.* v. 4. Nolite portare] *Non eſt addenda conjunctio* ergo. v. 6. Requieſcet ſuper illum] *Antiqua noſtra manuſcripta Brug. Lobb. Leodienſia, Clarmariſc. & tria Audomarenſia, pro maſculino* illum, *legunt fœmininum* illam, *ut ſubaudias domum, adſtipulante Beda, qui non ſolum ita legit, ſed & interpretatur; cum ait:* Pax requieſcit in domo, ſi in ea fuerat filius pacis. *quæ quidem verba, Beda ex D. Gregorio accepit, hom. 17. in Evangelia.* v. 9. & 11. Appropinquavit] *Præteritum legendum eſt, quod cum Sixtinis Bibliis ſervant manuſcripta Audomarenſia, & Clarmariſcenſe, non futurum* appropinquabit, *licet hoc in quibuſdam antiquis ſit.* v. 10. In quamcunque autem] *Non videtur omittendum* autem, *quod etiam Græce & Syriace legitur.* v. 13. Væ tibi Corazain] *Manuſcripti libri, cum Sixtinis Bibliis, non minus hoc loco ſcribunt* Corazain *per* n *tertiam liquidam, quemadmodum Græca & Syra, quam ſecundum Matthæum, licet quidam per* m *ſecundam liquidam dicant* Corazaim. v. 21. In ipſa hora exſultavit] *Unum manuſcriptum addit* Jeſus, *Græco & Syro conformiter. ibid.* Exſultavit Spiritu ſancto] *Sic cum Sixtino legunt antiqui libri, ſuffragantibus Syricis & quibuſdam Græcis, pro eo quod alii omittunt* ſancto; *alii addunt* in *præpoſitionem.* v. 22. Quis ſit Filius, niſi pater; & quis ſit Pater] *In antiquis pleriſque libris, pro* quis, *utrobique eſt* qui, *eodem ſenſu.* v. 30. Suſpiciens autem Jeſus] *Nullo modo pro* ſuſcipiens, *quod eſt, accipiens partes reſpondendi, legendum eſt* ſuſpiciens, *quod eſt, ſurſum adſpiciens.*

CAP. XI. *V.* 1. Sicut docuit & Johannes] *Antiqui libri, conformiter Græco ac Syro, legunt hoc ordine:* Sicut & Johannes docuit. *v.* 2. Pater, ſanctificetur] *Exemplaria antiqua cum Sixtinis Bibliis non agnoſcunt* noſter quis es in cœlis. *Quædam addunt, ex ea forma qua Dominicam orationem recitare conſuevimus. ibid.* Adveniat regnum tuum] *Non ſubjicias hic* Fiat voluntas tua, ſicut & in cœlo & in terra, *quod quidam libri, tametſi Græce & Syriace legatur: qua de re late egimus in Notationibus noſtris in varias Bibliorum lectiones.* v. 3. Da nobis hodie] *Alii codices ſcribunt* hodie, *alii* quotidie. *Hoc veriſimilius fit eſſe editionis Latinæ ſecundum Lucam, nam illud Matthæi indubitato eſt.* v. 4. Et ne nos inducas in tentationem] *Nec hoc loco adjiciendum eſt ex quibuſdam libris* Sed libera nos a malo: *quod tametſi Græca & Syra legant, non fit tamen veriſimile eſſe hujus Evangelii.* v. 11. Aut piſcem] *Quædam manuſcripta, nominatim Brugenſe, addunt* ſi: Aut ſi piſcem. *Græce eſt* εἰ ϗ ἰχθῦν *ſi & piſcem. Syriace: Et ſi piſcem rogaverit eum.* v. 13. Pater veſter de cœlo] *Non eſt addenda vox* cœleſtis, *quam omnes boni libri omittunt.* v. 17. Deſolabitur & domus ſupra domum cadet] *Plures boni libri legunt præſenti tempore* deſolatur, cadit, *quemadmodum eſt etiam Græce, pro futuris* deſolabitur *&* cadet, *quæ leguntur ab aliis. Crediderim vero Interpretem dediſſe* ſuper, *quod ſit adverſus, pro* ſupra *(ut facilis hic eſt lapſus) neque enim ſenſus eſt, domum unam caſuram ſupra alteram.* v. 20. Profecto pervenit in vos] *In duobus manuſcriptis Eccleſiæ noſtræ, pro* pervenit, *eſt* prævenit, *utrumque admittente voce Græca* ἔφθασε. prævenit in vos, *occupavit vos inexpectatum. Vide Commentarium.* v. 22. Auferet in quibus confidebat, & ſpolia ejus diſtribuet] *Multi boni libri habent* aufert, diſtribuit, *præſenti tempore, Græco Syroque conformiter, pro futuris* auferet, diſtribuet. v. 23. Qui non eſt mecum, contra me eſt. *Antiqui libri legunt* adverſum: contra *reſervant Matthæo.* v. 24. Ambulat per loca inaquoſa] *In aliis libris eſt verbum compoſitum* perambulat: *cæterum* inaquoſa *non eſt mutandum cum* arida, *quod Evangelii ſecundum Matthæum eſt.* v. 25. Invenit eam ſcopis mundatam] *Alii libri omittunt pronomen* eam. *ibid.* Scopis mundatam & ornatam] *Manuſcripta Eccleſiæ S. Audomari, & unum Clarmariſcenſe, cum V. Beda, omittunt duo hæc verba* & ornatam, *ſicut & antiqua Epanorthotæ, qui notat ea eſſe Matthæi. Græce tamen & Syriace etiam hic ſecundum Lucam ea leguntur.* v. 26. Septem alios ſpiritus ſecum] *Alii libri omittunt* ſecum, *conformiter Græco.* v. 29. Niſi ſignum Jonæ prophetæ] *Antiqui libri hic non addunt* Prophetæ, *quod notat Epanorthotes Matthæi eſſe, cap. 12. verſ. 39. quanquam Græce Syriaceque etiam hic legatur.* v. 31. Et ecce pluſquam Salomon hic] *Antiqui codices legunt* plus Salomone, *conformiter Græco, pro* plus quam Salomon, *quod Epanorthotes Matthæo attribuit, cap. 12. v. 42.* v. 23. Et ecce plus quam Jonas hic] *Eadem hujus loci eſt ratio quæ proximi, antiquis legentibus* plus Jona. v. 36. Si ergo corpus tuum totum] *Non eſt omittenda vox* totum. v. 42. Sed væ vobis Phariſæis] *Non videtur mutandus dativus* Phariſæis *cum nominativo* Phariſæi. *ibid.* Quia decimatis] *Sic eſt etiam Græce. Alii boni libri, pro conjunctione, legunt relativum* Qui decimatis. *Syrum eſt ambiguum.* v. 44. Quæ non apparent] *Pro* apparent, *Gloſſa interlinearis annotat legendum, vel* parent, *vel* patent. *Unus ex noſtris libris, Lobbienſis, ſcribit* parent, *reliqui* apparent, *nullus* patent, *quanquam nec hæc lectio eſt a loco aliena.* v. 46. Qui oneratis homines] *Quidam libri antiqui ſcribunt pronomen* qui: *ſed alii cum Græcis habent conjunctionem* quia. v. 51. A ſanguine Abel] *Non addas* juſti, *quod Matth. eſt cap. 23. ver. 35.* v. 52. Quia tuliſtis] *Alias legitur* qui. v. 53. Cum autem hæc] *Multi antiqui libri omittunt conjunctionem* autem, *tametſi Græce addatur.*

CAP. XII. *V.* 1. Turbis circumſtantibus] *Non legas* concurrentibus. v. 2. Nihil autem opertum eſt] *Sic legunt optimi quique libri cum Græco & Syro* autem *pro* enim. v. 3. Et quod in aurem] *Potius quartus caſus legendus videtur, quam ſextus* aure. v. 4. Non habent amplius quid faciant] *In aliis libris eſt* quod *pro* quid. v. 7. Multis paſſeribus pluris eſtis vos] *Omittitur ab optimis libris noſtris* vos, *quemadmodum a pleriſque Græcis. Matthæi videtur eſſe cap. 10. verſ. 31.* v. 8. Confeſſus fuerit me (*&c.*) confitebitur illum] *Quidam libri legunt* in me, in illo, *qua de re olim egimus in Notationibus noſtris.* v. 9. Negabitur coram Angelis Dei] *Noſtri antiqui libri habent compoſitum* denegabitur, *ſimiliter Græco, pro eo quod alii habent ſimplici* negabitur. v. 12. Quid oporteat vos dicere] *Antiqui libri, tum Epanorthotæ, tum noſtri, ſcribunt* quæ *numero plurali, & tollunt pronomen* vos, *Græco conſentanee:* Quæ oporteat dicere. v. 22. Animæ veſtræ quid manducetis, neque corpori quid induamini] *Antiqui libri noſtri non magis addunt pronomen,* animæ veſtræ, *quam* corpori veſtro: *nec legunt* induamini, *ſed* veſtiamini. *Epanorthotes Matthæo adſcribit alteram lectionem. Matth. 6. verſu 25.* v. 23. Et corpus plus quam veſtimentum] *Manuſcripta Eccleſiæ noſtræ inter alia, omittunt* plus, *conſentanea editioni Græcæ.* v. 27. Conſiderate lilia] *Non addas* agri, *quod quidam ex Matth. 6. ver. 28. ibid.* Nec Salomon] *Quidam libri præponunt* quia, *quod tamen nec Græce exſtat hoc loco.* v. 30. Hæc enim omnia] *Non eſt legendum* autem *pro* enim. *ibid.* Quoniam his indigetis] *Non interjicias vocem* omnibus. v. 31. Verumtamen quærite primum regnum Dei & juſtitiam ejus: & hæc omnia] *Vetera manuſcripta conſtanter tollunt* primum & juſtitiam ejus, *leguntque,* Verumtamen quærite regnum Dei: & hæc omnia: *quibus Græca & typis excuſa Syra ſuffragantur (nam manuſcriptum Syriacum addit* & juſtitiam ejus) *denique poſt D. Ambroſium Beda enarrator adſtipulatur: Quare videri poſſint adjectitia illa eſſe* primum & juſtitiam ejus, *ex Matth. 6. v. 33. huc adſcripta.* v. 35. Et lucernæ ardentes in manibus veſtris] *Præter manuſcripta complura, alias a nobis citata, tria hujus Eccleſiæ Audomaropolitanæ, & unum Clarmariſcenſis, omittunt* in manibus veſtris, *quibus ſuffragantur Græca ac Syra, & adſtipulatur V. Beda, tum hic, tum clarius infra ad verſum* 49. *De reliquis tractatoribus & auctoribus, qui pro hac, qui pro illa lectione faciant, diximus in Notationibus ad varias Bibliorum lectiones.* v. 41. Ait autem ei Petrus] *Quædam manuſcripta Latina omittunt pronomen* ei, *tametſi refragentur Græca & Syra.* v. 42. Quem conſtituit Dominus] *Duo codices ab Hentenio annotati, pro* conſtituit, *legunt futurum* conſtituet, *conformiter Græco & Syro.* v. 43. Cum venerit Dominus] *Interpres non addidit pronomen* ejus, *tametſi legatur Græce & Syriace.* v. 44. Vere dico vobis] *Non eſt hic legendum* Amen *pro vere, ſed ſecundum Matth.* v. 45. Percutere ſervos & ancillas] *Optima noſtra Latina manuſcripta legunt* pueros, *pro eo quod alii* ſervos. v. 47. Et non præparavit] *Non eſt addendum pronomen* ſe, *licet forte ſubaudiendum.* v. 49. Niſi ut accendatur] *Quidam vetuſti libri omittunt* ut, *conſonante textu V. Bedæ.* v. 51. Pacem veni dare in terram] *Quidam libri, pro quarto caſu, legunt ſextum;* terra, *qui Græce eſt. Porro hic legendum eſt* dare, *Matth. 10. v. 34.* mittere. v. 53. Dividentur pater in filium *&c.*] *Quidam conjiciunt, legendum eſſe numero ſingulari* dividetur, *quo modo eſt Græce & Syriace: quod eo eſt veriſimilius, quod Latini libri ſuum* dividentur *fere adjungant verſui ſuperiori:* Et duo in tres dividentur, *quo ſcilicet aptius congruat.* v. 54. Dicebat autem & ad turbas] *Non omittas medium* & *pro* etiam *poſitum. ibid.* Et ita fit] *Quidam antiqui legunt futurum* fiet *pro præſenti* fit. v. 58. Ne forte trahat te ad judicem] *Non hic legendum eſt* tradat *pro* trahat, *ſed mox* tradat te exactori.

CAP. XIII. *V.* 4. Sicut illi decem & octo] *Codex D. Donatiani præponit conjunctionem* & *adverbio* ſicut, *Bedæ textus poſtponit. Græce & Syriace legitur conjunctio* ἢ aut, *loco adverbii* ſicut. v. 5. Sed ſi pœnitentiam non egeritis] *Annotat etiam Epanorthotes, in antiquis libris, hic quidem eſſe* egeritis, *ſupra autem ver.* 3. habueritis. v. 6. Dicebat autem & hanc ſimilitudinem] *Alii libri omittunt* &, *conſentanee Græco ac Syro.* v. 12. Quam cum videret Jeſus] *In quibuſdam antiquis manuſcriptis, pro* videret *eſt præteritum* vidiſſet. *ibid.* Vocavit eam ad ſe] *Pronomen* eam *aufertur ab antiquis tum noſtris tum Epanorthotæ, conformiter Bedæ textui & Græcæ editioni.* v. 15. Reſpondens autem ad illum Dominus dixit] *In pleriſque vetuſtis manuſcriptis eſt* Reſpondens autem ad illum Dominus, *conformiter Græco & Syro, niſi quod in Syro, pro* Dominus *eſt* Jeſus, *quemadmodum & in uno veteri manuſcripto. ibid.* Hypocritæ, unuſquiſque veſtrum] *Quidam libri cum Syro legunt ſingulare* hypocrita: *ſed plurale, ut eſt in melioribus, ita etiam a Beda explicatur. Græca ſimiliter variant.* v. 18. Et cui ſimile æſtimabo illud] *Videtur, ex bonis manuſcriptis, addendum quidem* eſſe (ſimile eſſe) *ſed non mutandum* æſtimabo *cum* exiſtimabo. v. 24. Quærent intrare] *Non videtur mutandum futurum* quærent, *quod conforme eſt Græco & Syro ipſique ſententiæ, cum præſenti* quærunt, *quod eſt in multis antiquis manuſcriptis, & ipſo Beda.* v. 25. Incipietis foris ſtare] *Manuſcripta noſtra pleraque omnia cum Sixtinis Bibliis, omittunt* & *conjunctionem, ab aliis præpoſitam verbo* incipietis: *quam certe Interpres non videtur dediſſe, tametſi legatur Græce Syriaceque, ex eo quod mutata orationis ſerie verterit* incipietis, *non* inceperitis. v. 27. Omnes operarii iniquitatis] *Hujus loco non eſt ſcribendum* Maledicti in ignem æternum. v. 30. Qui erunt primi: & ſunt primi, qui erunt noviſſimi] *Sic emendarunt, poſt alios correctores, Sixtini, ut utrobique legatur futuro tempore* erunt, *ex ſuis haud dubium codicibus, quibus V. Beda diſerte ſuffragatur: nam & Græce eſt* ἔσονται, *& Syriace* ܢܗܘܘܢ nehevoun, *futuro tempore, denique præcedentibus hæc lectio aptiſſime cohæret. Cæterum manuſcripta noſtra Latina omnia legunt utrobique præteritum imperfectum* erant: *cujus etſi ſenſus eodem redeat, videri tamen poſſet acceptum ex imitatione ſimilium locorum Matthæi & Marci.* v. 32. Ite & dicite] *Quædam manuſcripta tollunt* & *conjunctionem.* v. 33. Et ſequenti die ambulare] *Manuſcripta antiqua tum* *noſtra tum Epanorthotæ, omittunt* die, *V. Beda ſuffragante.* v. 34. Qui mittuntur ad re] *In quibuſdam libris, pro præſenti* mittuntur, *legitur præteritum* miſſi ſunt: *etſi vero etiam Græca præteritum fere legant, non dubito tamen quin ex Matth. hoc mutatum ſit.* v. 35. Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta] *Plerique codices addunt* deſerta, *quemadmodum etiam Syra: ſed optima manuſcripta, nominatim tria Eccleſiæ noſtræ Audomarenſis cum uno Clarmariſcenſis, omittunt, adſtipulantibus, inter Græcos enarratores, Euthymio & Theophylacto, inter Latinos Beda. Nam etſi adſcriptum ſit* deſerta *textibus Bedæ & Theophylacti: commentaria tamen eorum, ſi preſſe conſiderentur, loquuntur non fuiſſe eis lectum. Quocirca non dubito, quin vox iſta, huic loco Lucæ addita ſit ex Matthæo, tam Græce quam Latine: ſimilis enim varietas eſt codicum Græc. Cæterum pronomen* vobis, *neutiquam eſt omittendum.*

CAP. XIV. *V.* 1. Cum intraret Jeſus] *Nomen* Jeſus *omittunt ex noſtris manuſcriptis meliora, conformiter Græco & Syro.* v. 7. Dicens ad illos] *Unum manuſcriptum omittit* ad illos, *quod tamen etiam Græce & Syriace legitur.* v. 12. Neque vicinos, divites] *Non eſt interjiciendum alterum* neque: Neque divites. *ibid.* Te & ipſi reinvitent] *Codex Donatianicus habent ſimplex* invitent, *cum tamen etiam Græce compoſitum ſit.* v. 13. Claudos & cæcos] *Manuſcripta noſtra Brug. Lobb. Clarm. & tria Audomarenſia, omittunt mediam conjunctionem* &, *conformiter Græco ac Syro.* v. 14. In reſurrectione juſtorum] *Non ſcribas* retributione *pro* reſurrectione. v. 15. Beatus qui manducabit] *Regius codex habet præſens* manducat: *atqui etiam Græce & Syriace legitur futurum.* v. 27. Et qui non bajulat crucem ſuam & venit poſt me, non poteſt meus eſſe diſcipulus] *Quidam libri omittunt hunc verſiculum, tanquam aliunde huc adſcriptum, ſed nulla auctoritate fulciti.* v. 28. Non prius ſedens] *Quidam libri habent* nonne, *& hic & infra v. 31. ſed* non *rectius videtur.* v. 34. Si autem ſal evanuerit] *Antiqui libri tum noſtri tum Epanorthotæ addunt* quoque (ſal quoque) *conformiter Syro, quod alii omittunt ſimiliter Græco.*

CAP. XV. *V.* 8. Si perdiderit drachmam unam] *Non eſt præmittenda* & *conjunctio. ibid.* Nonne accendit lucernam] *Unum manuſcriptum pro* nonne *habet* non, *de quo in Notationibus in varias Bibliorum lectiones. ibid.* Et everrit domum] *Ita recte emendarunt Romani correctores, pro* evertit *quod plerique omnes libri habent,* everrit, *quod eſt verrit ſive ſcopat, ut ait Epanorthotes noſter manuſcriptus. Omnes enim hactenus annotarunt ita eſſe legendum, quia ſic clare & Græca & Syra habeant: ſed fere defuerunt libri. Hentenius invenit unum, qui ſcribat* verrit: *nos in Regio textu, ex Complutenſi expreſſo, & in Miſſali Romano Pii Quinti juſſu edito, Dominica tertia poſt Pentecoſten, quemadmodum jam in Sixtinis Bibliis, legimus* everrit. *Zegerus indicat ita apud Chryſologum legi. D. Gregorius homil.* 34. *in Evangelia, etſi exponat* evertit, *quod eſt perturbat, notat tamen in aliis codicibus ſcribi* emundat, *quomodo certe habet Ambroſius initio epiſtolæ primæ* & mundans domum ſuam. *Fuit hæc altera verſio, quam ſi Interpres ſequutus fuiſſet, aut certe vertiſſet* & ſcopis mundat domum, *ut ſupra* 11. *ver.* 25. *non fuiſſet relictus depravationi locus. ibid.* Donec inveniat] *Non eſt addendum pronomen* eam. *V.* 14. Et poſtquam omnia conſummaſſet] *Vetuſti codices fere habent* conſummaſſet: *unus notatur habere* conſumſiſſet, *alter* diſſipaſſet, *quo modo & Beda. Græca vox* δαπανᾷν *non ambigue ſignificat conſumere ac diſſipare.* v. 17. Quanti mercenarii in domo patris mei] *Antiquorum codicum, alii omittunt* in domo, *alii addunt. Omittentibus volunt Græca, addentibus Syra. Ambroſii & Bedæ textus omittunt, commentaria non perinde ſunt clara.* v. 19. Jam non ſum dignus] *Plura antiqua manuſcripta, una cum textu V. Bedæ, præponunt* & (& jam non ſum) *ſicut & Syra: nam Græca variant.* v. 22. Et calceamenta in pedibus ejus] *Pronomen* ejus *omittitur ab omnibus noſtris manuſcriptis, conformiter editioni Græcæ & commentario Bedæ.* v. 24. Et cœperunt epulari] *Non eſt addendum* omnes. v. 26. Et interrogavit quid hæc eſſent] *Manuſcripta noſtra numero plurali habent* quæ hæc eſſent, *ſicut & textus Bedæ.* v. 28. Pater ergo illius] *Non mutes* ergo *cum* autem. v. 31. At ipſe dixit illi] *Non eſt legenda conjunctio copulativa* &, *loco adverſativæ* at.

CAP. XVI. *V.* 1. Et ad diſcipulos] *Non omittas* & *pro* etiam *poſitum.* v. 6. At ille dixit] *Non eſt mutandum præteritum dixit, cum præſenti* dicit. v. 11. Quod verum eſt quis credet vobis] *Noli ſcribere* credat, *pro futuro* credet; *multoque minus* veſtrum *pro* verum, *quod hic opponitur iniquo, quemadmodum verſu proximo* veſtrum *alieno.* v. 18. Omnis qui dimittit] *Quidam antiqui libri præponunt* & *conjunctionem, ſed quæ nec Græce legatur nec Syriace, meliuſque certe omitti videatur.* v. 19. Qui induebatur] *Manuſcripta noſtra legunt* & *conjunctionem, conformiter Græco ac Syro, & Latino Bedæ textui, pro relativo* qui. v. 21. Et nemo illi dabat] *Hæc verba a quibuſdam antiquis libris leguntur, a pluribus ignorantur. His ſuffragantur, inprimis Beda, deinde Evangelium Græcum, denique Syriacum. Conjiciunt quidam adjecta huc eſſe ex hiſtoria filii prodigi, ſupra* 15. *v.* 16. *ibid.* Ulcera ejus] *In quibuſdam vetuſtis libris eſt* vulnera, *ſed ſervandum eſt* ulcera, *quod eſt* ἕλκη. v. 23. Elevans autem oculos] *Quædam manuſcripta omittunt conjunctionem* autem, *duo nominatim hujus Eccleſiæ: qua omiſſa, liceat Latinum textum ita diſtinguere:* In inferno elevans oculos: *quemadmodum diſtinguuntur textus Græcus & Syricus, quamquam non ſine addita conjunctione:* Et in inferno elevans oculos. v. 31. Reſurrexit, credent] *Non addas pronomen* ei, *ut quidam.*

CAP. XVII. *V.* 3. Si peccaverit in te frater tuus] *Complura manuſcripta, & quidem noſtra omnia, ſeptem numero, omittunt* in te, *conſentiente Syriaca editione & tractatore Beda. Porro Græci libri illud addunt, ſuffragante D. Ambroſii commentario.* v. 6. Si habueritis (*&c.*) dicetis huic (*&c.*) & obediet vobis] *Manuſcripta optima fere legunt:* Si haberetis (*&c.*) diceretis huic (*&c.*) & obediret vobis. *Altera lectio accepta videtur ex Matth.* 17. *v.* 20. v. 7. Arantem aut paſcentem] *In quibuſdam vetuſtis libris, etiam Epanorthotæ, additur* boves (boves paſcentem) *nominatim in Brugenſi; in quibuſdam* oves, *duobus hujus Eccleſiæ, E. & F. Complures libri neutrum legunt, conſonante Beda: neque Græce eſt horum alterum, duntaxat* ποιμαίνοντα· *ſed ſi alterum horum addere oportet, favent Græca iis potius qui* oves *addunt; quam qui* boves, *quia* ποιμαίνειν *proprie de paſtoribus ovium dicitur. Quocirca & D. Ambroſius* oves *aut legit aut intelligit: & Syrus agens Paraphraſtem vertit:* Ducentem par boum aut paſcentem oves: *bobus enim arabatur. ibid.* Dicat illi; Statim tranſi] *Quidam libri, pro conjunctivo* dicat, *habent indicativum* dicit, *tam hoc quam proximo verſu: quidam ita diſtinguunt, ut* ſtatim *adjungatur iis quæ præcedunt:* Dicit illi ſtatim; Tranſi. v. 20. Reſpondens eis dixit] *Alii pleriq; libri habent* Reſpondens eis & dixit, *quomodo legitur etiam Græce Syriaceque.* v. 23. Ecce hic & ecce illic] *Quidam libri antiqui legunt abſque media conjunctione* &: *quanquam Græce interjiciatur* aut, *Syriace* &. v. 28. Similiter ſicut factum eſt] *Non eſt omittendum adverbium* ſicut. v. 31. In illa hora] *Sic nobis legendum videtur Latine, tametſi Græce & Syriace, & in quibuſdam Latinis libris, pro* hora *legatur* die. v. 35. Duo in agro, unus aſſumetur, & alter relinquetur] *Hoc plerique Latini libri legunt, ſuffragantibus quibuſdam Græcis, editione Syriaca, & enarratoribus Ambroſio ac Beda. Porro quidam Latini libri omittunt: præter eos quos citavimus in Notationibus noſtris in Biblia, unus hujus Eccleſiæ Audomarenſis, ſignatus litera F. His favent plerique Græci & libri & enarratores: vide Græcas varietates. Veriſimile eſt, hunc verſiculum, Lucæ ex Matthæo fuiſſe adſcriptum; quemadmodum Matthæo ex Luca, ſimilem verſic. de duobus in lecto.* v. 37. Illuc congregabuntur & aquilæ] *Quidam antiqui libri, conformiter Syro, non interponunt* &. *Græca ſimiliter variant.*

CAP. XVIII. *V.* 9. Parabolam iſtam] *Non ſubdas* dicens. v. 10. Aſcenderunt in templum] *Alii libri ſcribunt imperfectum* aſcendebant. v. 13. Mihi peccatori] *Minime addendum eſt* Amen. v. 15. Quod cum viderent] *Non videtur mutandum neutrum* quod *cum maſculino* quos. v. 28. Ait autem Petrus] Ei *pronomen quod addunt libri quidam cum Syro, alii plerique Græco conſentanee non legunt.* v. 31. Jeſus duodecim] *Non addas* diſcipulos ſuos, *quod quidam ex Matth.* v. 35. Cum appropinquaret Jericho] *Non eſt interjiciendum nomen* Jeſus.

CAP. XIX. *V.* 8. Dixit ad Dominum] *Non mutes* Dominum *cum* Jeſum. v. 9. Eo quod & ipſe filius ſit Abrahæ] *Non eſt omittendum* &. v. 21. 22. Homo auſterus] *Vetera manuſcripta ſcribunt* auſteris, *tanquam ſi tertia declinatione diceretur, quemadmodum contrarium* lenis. v. 23. Ut ego veniens] *Alii libri pro* ut *legunt copulativam* & *conformiter Græco. ibid.* Exegiſſem illam] *In quibuſdam libris pro fœminino legitur neutrum* illud, *ſ. argentum: nam quæ præcedit vox Græca* ἀργύριον, *neutro genere & pecuniam ſignificat & argentum.* v. 26. Quia omnia habenti dabitur & abundabit] *Codices antiqui, noſtri, Zegeri, Epanorthotæ, & aliorum, omittunt* & abundabit, *Syricis & pleriſque omnibus Græcis conſonantibus. Matth. eſſe proprium cap.* 13. *v.* 12. *&* 25. *v.* 29. *annotat etiam Epanorthotes.* v. 29. Cum appropinquaſſet] *Non addas nomen* Jeſus. v. 30. Quod contra eſt] *Non eſt addendum pronomen* vos (quod contra vos eſt] *quod ex prioribus Evangeliſtis quidam huc adſcripſerunt: nam cum Sixtinis Bibliis antiqui libri, Græco conformiter, illud omittunt.* v. 37. Omnes turbæ diſcipulorum] *Sic legendum eſt,* diſcipulorum, *quomodo eſt in Sixtino & aliis quibuſdam libris, aut certe, ut in nonnullis,* diſcentium, *Græco Syroq; conformiter; non* deſcendentium, *quod eſt in pleriſque, Beda ſuffragante.* v. 46. Domus orationis eſt] *Hic legendum eſt* eſt; *at ſecundum Mat. & Mar.* vocabitur.

CAP. XX. *V.* 3. Reſpondens autem Jeſus] *Nomen* Jeſus, *meliores libri noſtri cum Græcis omittunt. ibid.* Interrogabo vos] *Non legas præſens* interrogo, *loco futuri.* v. 4. Baptiſmus Johannis de cœlo erat] *Antiqui libri legunt* baptiſmum *pro* baptiſmus, *hic ut ſecundum Matth. & Marc.* v. 5. Cogitabant intra ſe] Inter *non* intra *invenio in melioribus libris noſtris, quod & melius eſſe videtur.* v. 9. Homo plantavit] *Boni libri omittunt* quidam, *quod nec Græce legitur.* v. 10. Et in tempore miſit] *Quidam addunt* vindemiæ *aut* fructuum: *verum hæc ex commentario in textum irrepſerunt.* v. 14. Cogitaverunt intra ſe] *Legendum videtur potius* inter *quam* intra; inter ſe; *mutuo ſcil. quanquam Syrus vertat* in animabus ſuis. v. 20. Ut traderent eum] *In multis libris legitur* &, *quemadmodum etiam Syr. verum* ut *propius accedit Græco.* v. 21. Et non accipis perſonam] *Non eſt addendum vox* hominis. v. 24. Reſpondentes dixerunt ei] *Quidam libri omittunt pronomen* ei, *ſicut nec Græce nec Syr. illud legitur.* v. 26. Et mirati in reſponſo ejus] *Non legas numero plurali* reſponſis. v. 28. Et hic ſine liberis fuerit] *In aliis libris pro* liberis *eſt* filiis. v. 30. Et ipſe mortuus eſt ſine filio] *Legendum eſt* filio *numero ſingulari, non plurali* filiis; *juxta manuſcripta veriora: quanquam proximis duobus verſibus Interpres dederit plurale, non enim numeri hic ratio habetur, ſed ſpeciei.* v. 32. Noviſſime omnium] *In quibuſdam libris eſt nomen* noviſſima: *adverbium Græco conſonat.* v. 34. Neque nubent neque ducent uxores] *Ita eſt, ut in Sixtinis Bibliis, ita & in melioribus manuſcriptis. In quibuſdam bonis, pro futuris leguntur præſentia:* Neque nubunt neque ducunt uxores, *ſimiliter Syro. Græca variant.* v. 36. Neque enim ultra] *Non eſt omittenda conjunctio* enim, *quæ etiam Græce & Syriace exſtat.* v. 39. Dixerunt ei; Magiſter] *Alii libri omittunt pronomen* ei, *conformiter Græco.*

CAP. XXI. *V.* 8. Et tempus appropinquavit] *Ita legendum eſt tempore præterito* appropinquavit, *non futuro* appropinquabit. v. 9. Sed nondum ſtatim finis] *In aliis libris eſt* non *pro* nondum, *Græco ſimiliter.* v. 11. Et ſigna magna erunt] *Sequitur in manuſcripto codice Eccleſiæ noſtræ Audomaropolitanæ, continente quatuor Evangelia, ſignato litera F.* & tempeſtates: *quod & D. Gregorius homil.* 35. *in Evang. admonet a quibuſdam libris addi. Gregorio antiquior Origenes Græcus, tractatu* 28. *in Matth. annotat a Luca adjici* & hyemes (*ſic enim vertit ejus Interpres, quod alii* tempeſtates) *denique Syriacum teſtamentum, poſtquam dixit* Et ſigna magna e cælo apparebunt, *ſubdit:* Et hyemes *ſeu* tempeſtates magnæ erunt. v. 17. Et eritis odio omnibus] *Non addas* hominibus, *quod quidam.* v. 20. Tunc ſcitote quia appropinquavit deſolatio ejus] *Non eſt legendum numero ſingulari* ſcito, *nec futuro tempore* appropinquabit. v. 21. Fugiant ad montes] *In aliis bonis libris legitur* in *pro* ad. v. 36. Iſta omnia quæ futura ſunt] *Non legas* ventura *pro* futura. v. 38. Et omnis populus manicabat ad eum] *Ita cum Sixtino legunt plerique omnes codices* manicabat: *ſed quia inſolens eſt ea vox, quidam eam mutarunt cum* manitabat, *quidam cum* mane ibat, *quidam cum* mane accelerabat, *quidam denique cum* diluculo veniebat, *quemadmodum oſtendimus in Notationibus prolixioribus: his enim modis exponenda eſt ea vox.*

CAP. XXII. *V.* 2. Quomodo Jeſum interficerent] *Alii libri pro nomine* Jeſum *legunt pronomen* eum, *conformiter Græco ac Syro.* v. 3. Qui cognominabatur Iſcariotes] *Libri antiqui ſuo more* Scarioth *habent pro* Iſcariotes. v. 10. Occurret vobis homo quidam] *Optimi noſtrorum librorum omittunt* quidam.. *v.*13. Sicut dixit illis] *Non eſt addendum nomen* Jeſus. *v.*19. Quod pro vobis datur] *Non eſt legendum* tradetur *pro* datur : *nam* tradetur *ex Apoſtolo* 1 *Corinth.* 11. *v.* 24. *acceptum eſt.* *v.* 20. Hic eſt calix novum teſtamentum] *Male legunt quidam* Hic eſt calix novi teſtamenti. *v.* 22. Per quem tradetur] *Unum manuſcriptum habet præſens* traditur, *quemadmodum eſt Græce ac Syriace.* *v.* 26. Fiat ſicut minor] *Manuſcripta noſtra Brug. Lobb. Clarmar. Leod. & Audomarenſia tria, cum textu V. Bedæ, pro* minor *ſcribunt* junior, *quo modo ad verbum vertas ex Græca voce* νεώτερος. *v.* 31. Ait autem Dominus; Simon, Simon] *Non mutes priorem vocativum* Simon *cum dativo* Simoni. *v.* 34. At ille dixit] *Non eſt mutandum conjunctio adverſativa* at, *cum copulativa* &. v. 36. Sed nunc qui habet ſacculum, tollat] *Non mutes* tollat *cum futuro indicativi* tollet. *v.* 37. Dico enim vobis] *Quidam pro* enim *ſcribunt* autem, *male.* *v.* 43. Apparuit autem illi Angelus de cœlo, confortans eum : & factus in agonia prolixius orabat. 44. Et factus eſt ſudor ejus, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram] *Hi duo verſiculi, tametſi olim defuerint in quibuſdam & Græcis & Latinis libris, teſtibus Hilario lib.* 10. *de trinitate, & Hieronymo lib.* 2. *adverſus Pelagianos cap.* 6. *hodie tamen a nullis libris abſunt, nec Latinis, nec Græcis, nec Syriacis : ut certe jam palam eſt, temere aliquando fuiſſe a quibuſdam omiſſos.* *v.* 55. In medio atrii] *Quidam libri antiqui, pro ſecundo caſu* atrii, *conſonante editioni Græcæ, ſcribunt ſextum* atrio. *v.* 63. Et viri qui tenebant illum] *Quidam libri pro* illum *legunt* Jeſum, *ut eſt Græce & Syriace, ſed non meliores.* *v.* 64. Et percutiebant faciem ejus] *Manuſcriptum Eccleſiæ noſtræ quod F. litera notavimus, pro* faciem *legit* caput *(quamquam utramque annotet lectionem) quod nuſquam alibi lego.* *ibid.* Prophetiza, quis eſt] *Non hic addas* nobis Chriſte, *quod Matth. eſt cap.* 26. *v.* 68.

CAP. XXIII. *V.* 2. Tributa dare Cæſari] *Alii libri legunt paſſivum* dari, *pro activo* dare. *v.* 5. Commovet populum] *Optimi quique codices habent præſens* commovet, *quo modo etiam legitur Græce, non præteritum* commovit. *ibid.* Incipiens a Galilæa] *Multi boni libri præponunt copulativum* &, *quam alii Græco conformiter omittunt.* *v.* 8. Eo quod audierat multa de eo] *Alii libri pro* audierat *ſcribunt* audiret. *v.* 9. At ipſe nihil illi reſpondebat] *Ut non eſt mutandum adverſativum* at *cum copulativo* &, *ita non omittendum pronomen* illi : *ſed neque* autem *vertendum in* etiam, *aut* accuſantes *in* accuſabant, *ubi ſequitur* : Stabant autem principes ſacerdotum & ſcribæ conſtanter accuſantes eum. *v.* 12. In ipſa die] *Quidam libri habent* ex *pro* in. *v.* 15. Nam remiſi vos ad illum] *Epanorthotes notat in hæc verba :* Nam remiſi vos ad illum, Græcus, antiqui, habent; moderni, Nam remiſit illum ad vos, ſed male. *hæc ille.* *Unde intelligere licet, etiam Latinos quoſdam codices ſic legere, quemadmodum Græci illi de quibus diximus ad varietates Græcas :* Nam remiſit illum ad nos. *v.* 16. Emendatum ergo] *Cave mutes conjunctionem* ergo *cum pronomine* ego. *v.* 35. Et ſtabat populus ſpectans] *Quidam codices cum textu juncto commentariis Bedæ & Sixtinis Bibliis, ita legunt, atque omnino ſic legendum eſt, ex* θεωρῶν contemplans *Græco, & ejuſdem ſignificationis Syrico vocabulo;* ſpectans *inquam, ſimplex verbum, quod ab imperitis mutatum eſt cum verbo compoſito* exſpectans, *quamvis hoc antiqui omnes, quos ego quidem habeo, codices contineant. Forte* adſpectans *ſcripſerit interpres, quod facile degenerarit in* exſpectans. *ibid.* Si hic eſt Chriſtus Dei electus] *Non legas verbum unicum* dilectus *pro duobus* Dei electus, *ut quidam.* *v.* 36. Offerentes ei, & dicentes] *Quidam libri omittunt conjunctionem* &, *alii interponunt, idque conformiter Græco ac Syro.* v. 38. Scripta ſuper eum] *In quibuſdam antiquis libris eſt compoſitum* inſcripta, *pro ſimplici* ſcripta. *v.*40. Quod in eadem damnatione es] *Quia obſcurius dixerat Interpres* quod *ex* ὅτι, *quidam mutarunt cum* quia, *alii cum* qui. *v.* 41. Nam digna factis recipimus] *Non mutes præſens* recipimus, *cum præterito* recepimus. *v.* 45. Et obſcuratus eſt ſol] *Origines tractatu* 35. *in Matthæum annotat his verbis :* In quibuſdam exemplaribus (*Lucæ*) non habetur Tenebræ factæ ſunt, & obſcuratus eſt ſol, ſed ita, Tenebræ factæ ſunt ſuper omnem terram ſole deficiente. Et forſitan auſus eſt aliquis, quaſi manifeſtius aliquid dicere volens, pro & obſcuratus eſt, ponere deficiente ſole, exiſtimans quod non aliter potuiſſent fieri tenebræ, niſi ſole deficiente. Puto autem magis quod inſidiatores Eccleſiæ Chriſti mutaverunt hoc verbum, *&c.* *v.* 54. Et dies erat Paraſceues] *Manuſcriptum D. Donatiani, pro genitivo* paraſceues, *legit nominativum* paraſceue, *quemadmodum Græca.*

CAP. XXIV. *V.* 11. Et non crediderunt illis] *Antiqui libri noſtri, pro præterito perfecto* crediderunt, *legunt imperfectum* credebant, *conformiter Bedæ textui & Græco fonti.* *v.* 12. Linteamina ſola poſita] *Non eſt omittendum* ſola. *v.* 28. Et appropinquaverunt] *In quibuſdam libris eſt imperfectum* appropinquabant. *v.* 39. Et pedes] *Non additur* meos *in melioribus libris, tametſi Græce legatur & Syriace.* *v.* 49. Et ego mitto promiſſum] *Biblia Regia addunt* ecce (& ecce ego) *ſicut Græca, quod alii libri omittunt ut Syra. Rurſus pro præſenti* mitto, *quod conſonat fonti Græco, in quibuſdam eſt futurum* mittam, *ſimiliter Syro.* *ibid.* Quouſque induamini virtute] *Quidam antiqui libri, pro ſexto caſu* virtute, *habent quartum* virtutem. *v.*53. Amen] *In fine hujus Evangelii, a Sixtino & aliis quibuſdam bonis libris additur, conformiter Græcis & Syris : a quibuſdam omittitur, ut nec Beda inter Latinos, & Euthym. inter Græcos tractatores, agnoſcunt.*

Notæ ad Varias Lectiones Editionis Latinæ Evangelii ſecundum JOHANNEM.

CAP. I.

VErſ. 3. Et ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt, in ipſo vita erat] *Conſulto prudenterque uſi ſunt correctores Sixtini, ambiguo hoc diſtinguendi modo, quo illud* quod factum eſt, *& præcedentibus jungi poteſt & ſubſequentibus : eo quod diverſi auctores diverſimode diſtinguant atque intelligant, Chryſoſtomus priori modo, Auguſtinus poſteriori.* *v.* 9. Venientem in hunc mundum] *Quidam antiqui libri omittunt pronomen* hunc, *plures addunt.* *v.* 15. Hic erat quem dixi] *Non mutes imperfectum* erat *cum præſenti* eſt. *v.* 18. Ipſe enarravit] *Non eſt mutandum verbum compoſitum cum ſimplici* narravit. *v.* 26. Quem vos neſcitis] *Antiqui codices fere ſcribunt* quem vos non ſcitis. *v.* 29. Altera die vidit] *In quibuſdam legitur* Poſtera die videt, *ſed minus ſpectatis.* *ibid.* Ecce qui tollit peccatum mundi] *Manuſcripta Brugenſ. Lobb. & Audomarenſia tria, omittunt adverbium* ecce, *conformiter Græco ac Syro. Porro ſingulare* peccatum, *non eſt commutandum cum plurali* peccata. *v.* 31. Sed ut manifeſtetur in Iſrael] *Antiqui codices fere omittunt præpoſitionem* in, *intelligentes, quod notat etiam Epanorthotes,* Iſrael *eſſe dativi caſus (propter quod & exemplaria quædam ſcribunt* Iſraeli*) id quod conforme eſt Græco textui.* *v.* 42. Filius Jona] *Non ſcribas* Johanna *aut* Johannis, *pro* Jona, *hoc quidem loco, monente quoque Epanorthote. Vide infra* 21. *v.* 15. *v.* 45. Et prophetæ] *Cave legas* & prophetis *ſexto caſu.* *v.* 51. Videbitis cœlum apertum] *Regius textus præponit* amodo, *conformiter Græco ac Syro.*

CAP. II. *V.* 2. Vocatus eſt autem & Jeſus] *Non omittas medium* &. *v.* 3. Dicit mater Jeſu ad eum] *Non præteritum* dixit *legendum eſt, ſed præſens* dicit. Similiter, *inquit Epanorthotes,* infra, dicit, per totam ſeriem de nuptiis. *v.* 21. Et tu in tribus diebus] *Quidam antiqui libri omittunt præpoſitionem* in *tametſi ea Græce addatur.* *v.*22. Quia hoc dicebat] *Non addas* de corpore ſuo.

CAP. III. *V.* 2. Hic venit ad Jeſum nocte] *Antiqui fere legunt* eum, *pro* Jeſum, *tametſi nomen* Jeſum *etiam Græce & Syriace exſtet.* *v.* 3. Niſi quis renatus fuerit denuo] *Antiqui libri noſtri, pro compoſito* renatus, *ſcribunt hoc loco verbum ſimplex* natus, *conformiter Græco : nam & ſequitur* denuo, *quod iterationem ſignificat. Infra ver.* 5. *conſtanter legitur* renatus. *v.* 4. Iterato introire & renaſci] *Pro* iterato *quidam ſcribunt* iterum, *quidam* rurſus. *Pro* renaſci *& hoc loco habent noſtra manuſcripta ſimplex* naſci, *Græco ſimiliter :* iterum *enim ad utrumque referunt, & ad* introire, *& ad* naſci. *v.* 5. Ex aqua & Spiritu ſancto] *Antiqui codices fere omittunt* ſancto, *conſentientibus D. Auguſtino in hunc locum & S. Ambroſio lib.* 3. *de Spiritu ſancto cap.* 11. *nec non editionibus Græca & Syriaca.* *v.* 8. Sed neſcis unde veniat aut quo vadat] *Rurſus in antiquis noſtris manuſcriptis, pro* neſcis *leguntur duæ voces* non ſcis, *& pro disjunctiva* aut *legitur conjunctio copulativa* &, *Græco Syroque conſentanee : ſed nihil variant ſenſum omnes iſtæ verborum varietatulæ.* *v.* 17. Filium ſuum in mundum] *Non omittas* in mundum. *v.* 18. Quia non credit in nomine] *Manuſcripta Brugenſ. Clarm. Lob. & Audomarenſia duo, inter alia legunt præteritum* credidit, *confomiter Græco ac Syro, pro præſenti* credit. *v.* 20. Omnis enim qui male agit] *In quibuſdam libris, pro adverbio* male, *reperitur nomen* mala, *v.* 22. In terram Judæam] *Alii libri converſo ordine legunt* In Judæam terram. *Hæc lectio conſonat Græco, illi favet Syrum, quod habet* in terram Judææ. *v.* 25. Facta eſt autem quæſtio] *Hujus Eccleſiæ Manuſcripta cum Clarmariſcenſi legunt* ergo, *ſimiliter Græco : alia ſervant* autem *cum Syro.* *v.* 31. Qui eſt de terra, de terra eſt] *Non eſt omittendum alterum* de terra eſt : *nec auferenda poſteriori loco præpoſitio* de. *v.* 33. Qui accepit ejus teſtimonium] *Quidam libri adjiciunt* autem, *quod Syriace quidem additur, ſed non Græce. Quidam mutant præteritum* accepit, *cum præſenti* accipit : *Græce præteritum exſtat.* *v.*36. Non videbit vitam] *Non addas* æternam.

CAP. IV. *V.* 4. Per Samariam] *Superfluit quod quidam libri addunt* mediam. *v.*5. Quæ dicitur Sichar] *D. Hieronymus, epiſtolæ* 27. *cap.* 6. *quæ eſt epitaphium Paulæ, obiter annotat, pleroſque errantes, pro* Sichem, *legere* Sichar, *quanquam nec Græci aut Syrici libri hodie aliter legant quam* Sichar, *ubi canina litera* r *poſtrema legitur.* *v.* 6. Hora erat quaſi ſexta] *Sic eſt non tantum in melioribus libris, verumetiam in autographo Græco, omiſſa conjunctione* autem. *v.*18. Et nunc quem habes] *Male quidam adverbium* nunc *mutarunt cum pronomine* hunc. *v.* 21. Quia venit hora] *In quibuſdam bonis libris eſt futurum* veniet, *pro præſenti* venit, *ex Græco* ἔρχεται. *v.* 30. Exierunt ergo de civitate] *Non videtur omittendum* ergo, *quod Græce etiam legitur : nam Syriace ejus loco eſt* &. *v.* 31. Rogabant eum diſcipuli] *Quidam libri addunt* ejus, *Græco ac Syro conformiter.* *v.* 32. Ille autem dicit eis] *In aliis libris, pro præſenti* dicit, *eſt præteritum* dixit. *v.* 33. Diſcipuli ad invicem] *Huc non eſt adjiciendum pronomen* ejus. *v.* 34. Voluntatem ejus qui miſit me] *Non eſt ſupponendum nomen* patris mei, *pro pronomine* ejus. *v.* 36. Et congregat fructum] *Non eſt addendum relativum* qui. *v.* 37. In hoc enim eſt] *Non redundat conjunctio* enim. *v.* 41. Et multo plures crediderunt in eum] *Latinorum librorum, quidam addunt conſentanee editioni Syriacæ; quidam omittunt,* in eum. *Græcorum librorum ſimilis eſt varietas.* *v.* 48. Non creditis] *In quibuſdam libris eſt futurum* credetis. *v.* 51. Et nuntiaverunt dicentes] *Non addas pronomen* ei.

CAP. V. *V.*2. Eſt autem Jeroſolymis probatica piſcina] *Alii addunt præpoſitionem* ſuper *vel* in probatica. *Prior, ut Bib. Sixt. ita plerorumque Lat. lib. tam manu quam typis ſcriptorum, lectio eſt : cui adſtipulantur Latini tractatores, præter recentiores, Beda & libro de locis Hebraicis Hieronymus; nec non inter Græcos Theophylactus, dum abſque præpoſitione & legit & explicat, piſcina cur probatica dicta fuerit. Denique favet huic lectioni Syriacum Evangelium, quod habet* Eſt autem illic in Jeruſalem locus quidam ablutionis qui vocatur. *Altera lectio quæ addit præpoſitionem* ſuper, *eſt non paucorum Latinorum librorum, tum manu tum typis ſcriptorum (nam qui habent* in *præpoſitionem, ſunt illi ſolummodo typis excuſi, & quidem minoris fidei) quibus volunt libri Gr. qui conſtanter addunt præpoſitionem* ἐπὶ, *ea tamen varietate, ut quidam ſcribant nomina probaticæ & piſcinæ eodem caſu, tertio inquam* (ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρᾳ) *plerique diverſo, prius tertio, poſterius primo caſu,* ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρα· *ut & Latina ſcriptura* ſuper probatica piſcina, *ambigua eſt ad utrumque, ut utrumque nomen accipias, vel eodem caſu, vel diverſo, prius ſexto, poſterius primo. Græcis libris conſonant auctores Græci, Nonnus & Euthymius, quorum ille paraphraſi, hic enarratione ſua, intelligit, ad probaticam ſeu in probatica, fuiſſe piſcinam. Hæc alias a nobis latius tractata ſunt in Notationibus.* *ibid.* Quæ cognominatur Hebraice Bethſaida] *Ita legunt meliores libri, præſens* cognominatur, *non imperfectum* cognominabatur. *Porro pro* Bethſaida, *quidam libri impreſſi ſcribunt* Betheſda, *ut etiam quidam Græci pro* Βηθεσδὰ *ſcribunt* Βηθσαϊδά· *ſed ut Latinos illos ex Græcis conſulto eſſe mutatos, dubium non eſt; ita Græcos hos ex Latinis credibile eſt. Recepta Græcorum lectio eſt* Βηθεσδὰ Betheſda, *quod prout ſcribitur a Syro, ſignificat domum miſericordiæ : Latinorum* Bethſaida, *quod interpretari licet domum piſcationis. utra verior, incertum. Lege Notationes noſtras prolixiores.* *v.* 9. Sanus factus eſt homo ille] *Quidam boni libri omittunt pronomen* ille, *nomen enim* homo *nullo modo omittendum eſt.* *v.* 10. Qui ſanatus fuerat] *Participium* ſanatus *non eſt commutandum cum nomine* ſanus. *v.* 24. Et in judicium non venit] *Non ſcribas futurum* veniet *pro præſenti* venit. *ibid.* Sed tranſiit a morte in vitam] *Præteritum* tranſiit *reſpondet commentario Bedæ ; & textui Græco: præſens* tranſit *fere eſt in noſtris manuſcriptis : futurum* tranſiet *rejiciendum eſt, & exploditur, ut a Bedæ, ita & a D. Auguſtini tractatu. Denique præpoſitio* in *a quibuſdam mutatur cum* ad. *v.* 27. Et poteſtatem dedit ei judicium facere] *Multi libri addunt* & *aut* etiam *ante* judicium, *conformiter Græco ac Syro: verum nec Auguſtinus nec Beda illud agnoſcunt.* *v.* 28. Audient vocem Filii Dei] *Antiqui libri tum noſtri tum Epanorthotæ, conſentanee Græcis ac Syriacis, pro* Filii Dei, *ſcribunt pronomen* ejus. *Supra v.* 25. *legendum* vocem Filii Dei, *notat Epanorthotes.* *v.* 30. Non poſſum ego] *Pro* ego *male a quibuſdam ſubſtituitur conjunctio* ergo : *quinetiam male mox præponitur conjunctio* ſed, *ante* Sicut audio judico, *quanquam Syrus addat : ut & in fine verſus, ſuperflue additur nomen* patris, *tametſi & ſit in quibuſdam libris Græcis.* *v.* 32. Verum eſt teſtimonium] *Non ſubjicias pronomen* ejus. *v.* 36. Quæ dedit mihi pater] *Non omittas pronomen* mihi. *v.* 43. Et non accipitis me] *In aliis libris eſt præteritum* accepiſtis : *ſed præſens* accipitis *conforme eſt etiam Græco ac Syro.*

CAP. VI. *V.* 3. Subiit ergo in montem] *Non eſt legendum* abiit *pro* ſubiit. *v.* 10. Dixit ergo Jeſus ; Facite] *Sic legunt antiqui libri cum Græcis & Syricis, præteritum* dixit, *non præſens* dicit. *ibid.* Erat autem fœnum] *Brugenſis D. Donatiani codex, pro* autem *ſcribit* enim, *contra alios omnes tamen.* *v.* 13. Ex quinque panibus ordeaceis] *Non addas* & duobus piſcibus, *quod quidam.* *v.* 19. Ambulantem ſupra mare] *Alii libri habent* ſuper. *v.* 21. Ad terram in quam ibant] *Quidam boni libri omittunt præpoſitionem* in, *alii addunt* in *vel* ad, *quomodo eſt Græce* εἰς ἣν ὑπῆγον. *v.* 23. Gratias agente Domino] *Ita emendarunt Correctores Sixtini e ſuis aliorumque libris : abſque dubio enim id Græca volunt,* εὐχαριστήσαντος τοῦ κυρίου *(quanquam Nonnus intelligat genitivos eſſe, non abſolute poſitos, ſed rectos a præcedenti nomine* ἄρτον*) id & Syrica, quæ ad verbum habent :* Quum benedixiſſet Jeſus. *Noſtra manuſcripa legunt* Domino, *ſed æque* agentes *primo caſu. Res certa eſt, ab imperitis notariis, ablativum* agente *mutatum cum nominativo* agentes, *& tandem etiam* Domino *cum* Deo, Gratias agentes Deo, *quæ eſt multorum codicum ſcriptura.* *v.* 28. Ut operemur opera Dei] *Non addas* bona. *v.* 33. Panis enim Dei eſt] *Non eſt mutanda vox* Dei *cum voce* verus. *v.* 36. Et vidiſtis me & non creditis] *Ut non eſt ſcribendum præſens* videtis *pro præterito* vidiſtis : *ita nec præteritum* credidiſtis *pro præſenti* creditis. *v.* 37. Ad me veniet] *Non legas præſens* venit *pro futuro* veniet. *v.* 39. Hæc eſt autem voluntas] *Conjunctio* autem *non eſt mutanda cum* enim, *hoc certe loco, ſed facile infra v.* 40. *loco prorſus ſimili : priori enim loco* autem, *poſteriori* enim, *legendum eſſe, videntur, non tantum optima manuſcripta, cum libris Syriacis & quibuſdam Græcis, verumetiam ſententia ipſa exigere. Cæterum ut in multis Latinis, ita in pleriſque Græcis libris, utrobique exſtat* δὲ autem. *ibid.* Non perdam ex eo] *Non addas* quidquam. *v.* 41. Ego ſum panis vivus] *Vox* vivus *omittitur ab omnibus noſtris manuſcriptis, & pleriſque aliorum, conformiter Græco ac Syro : videturque non hujus eſſe loci, ſed infra v.* 51. *v.* 43. Nolite murmurare in invicem] *Non eſt omittenda præpoſitio, quæ etiam Græce ac Syriace exſtat : nam* in invicem *dixit interpres pro* inter vos mutuo. *v.* 45. Eſt ſcriptum in prophetis] *Non legas* in proverbiis. *v.* 61. Et quis poteſt eum audire] *Sex eaque optima manuſcriptorum noſtrorum, cum aliis, auferunt conjunctionem* &, *conſentanee Græco ac* Syro. *v.* 65. Qui eſſent non credentes] *Eadem manuſcripta noſtra, Brug. Lobb. Leod. Clarm. & Audomarenſia duo, cum aliis Zegeri, auferunt ex his verbis negationem* non : *ſed refragantur Græca ac Syra, cum aliis Latinis libris; quamvis Cyrilli commentario adjunctus textus ſimiliter omittat.* *v.* 69. Et nos credidimus] *Hæc Sixtinorum Bibliorum lectio, qua pro præſenti* credimus, *quod vulgo legitur, ſcribitur præteritum* credidimus, *conformis eſt D. Auguſtini, non tantum textui, verum etiam tractationi, & autographo Græco.* *ibid.* Chriſtus Filius Dei] *Non addas* vivi, *quod pauci quidam libri ex Græco.* *v.* 70. Reſpondit eis Jeſus] *Non addas* ergo, *neque* & dixit. *v.* 71. Judam Simonis Iſcariotem] *Quidam antiqui libri ſcribunt* de Juda Simonis Schariothis *: ſed prior lectio, ut eſt in aliis antiquis libris, ita conſonat Græco.*

CAP. VII. *V.* 1. Poſt hæc autem ambulabat] *Quidam boni libri omittunt* autem *conformiter Syro : Græce tamen ejus loco eſt* καὶ &c. *ibid.* In Galilæam, non enim volebat in Judæam ambulare] *Pauci quidam libri, pro quarto caſu, ſcribunt ſextum,* Galilæa; Judæa, *ſimiliter ut textus Græcus.* *v.* 4. Manifeſta teipſum] *Pro imperativo, cave legas præſens indicativi* manifeſtas. *v.* 6. Semper eſt paratum] *Quidam libri, pro ſimplici* eſt, *ſcribunt compoſitum* adeſt. *v.* 8. Ego autem non aſcendo] *Quidam libri omittunt* autem *conformiter Græco ac Syro, quidam mutant cum* enim. *Sunt pauci qui pro* non *ſcribant* nondum, *quemadmodum eſt Græce ac Syriace, ſed contra D. Auguſtinum alioſque tractatores Latinos, quinetiam Cyrillum Græcum. Denique nonnulli habent futurum* aſcendam, *pro præſenti* aſcendo, *probato a Græcis & Syris.* *v.* 12. Et murmur multum] *Plerique libri incongrue habent maſculino genere* multus. *v.* 25. Quem quærunt interficere] *Non addas* Judæi. *v.* 26. Et ecce palam loquitur] *Non eſt omittendum* &, *nec mutandum cum* atqui, *ſed ita exponendum.* *v.* 29. Ego ſcio eum, quia ab ipſo ſum] *Sic legendum eſt, non autem ut multi codices :* Ego autem ſcio eum, & ſi dixero quia neſcio eum ero ſimilis vobis mendax ; & ego ſcio eum quia ab ipſo ſum : *non enim ſunt hæc hujus loci, ſed huc adjecta ex ſequentis cap.* 8. *v.* 55. *quod monet etiam Epanorthotes noſter manuſcriptus. Zegerus, qui putat hoc a Cyrillo hic & legi & exponi, fallitur, dum Judocum Clichtovæum legit pro Cyrillo.* *v.* 32. Et miſerunt principes] *Quidam libri addunt* ſacerdotum, *conformiter Græco ac Syro; ſed ut non Sixtinus, ita nec meliores.* *ibid.* Ut apprehenderent eum] *Non ſubſtituas nomen* Jeſum, *pro pronomine* eum. *v.* 33. Dixit ergo eis Jeſus] *Manuſcripta noſtra fere omittunt pronomen* eis, *quod neque a Syricis legitur libris, neque a melioribus Græcis.* *ibid.* Et vado ad eum] *Non mutes pronomen* eum *cum nomine* Patrem. *v.* 34. *&* 36. Quæritis me] *Non videtur ſcribendum præſens* quæritis *pro futuro* quæretis, *quod etiam Græce ac Syriace legitur.* *v.* 39. Nondum enim erat Spiritus datus] *Hæc eſt germana lectio editionis Lat. ; Syr. et quorundã etiã Græcorũ codicum, deniq; non paucorum veterum, præſertim Lat. auctoritate probata. Pauci codices Latini, vel omittunt participium* datus, *vel mutant cum nomine* ſanctus, *ut plerique omnes codices Græci, Græcis tractatoribus ita ſuffragantibus; ut doceant,* datus *ſubaudiendum eſſe; nominatim Theophylactus. Lege Notationes noſtras prolixiores.* *v.* 46. Sicut hic homo] *Non addas* loquitur, *tametſi Syrus addat, ſed ſubaudias e proximo.* *v.* 50. Dixit Nicodemus] *Pro præterito* dixit, *noſtra manuſcripta habent præſens* dicit, *conforme Græco.* *v.* 52. Scrutare ſcripturas] *Multi boni libri omittunt vocem* ſcripturas, *conſentientibus Græcis ac Syricis.* *ibid.* Propheta non ſurgit] *Unus codex habet præteritum* ſurrexit, *quod eſt etiam Græce, quidam futurum* ſurget : *ſed* ſurgit *præſens, Latinæ editionis eſt, poſitum pro non ſolet ſurgere.*

CAP. VIII. *V.* 6. Hoc autem dicebant] *Manuſcripta noſtra numero plurali ſcribunt* hæc, *ſed ſingulare eſt etiam Græce.* *v.* 7. Cum ergo perſeverarent] *Rurſus manuſcripta noſtra pleraque pro* ergo *ſcribunt* autem, *idque Græco ſimiliter.* *v.* 9. Audientes autem] *Non ſubjicias pronomen* hæc. *ibid.* Et remanſit ſolus Jeſus] *Exemplaria Brugenſ. Clarm. Lobb. & Audomarenſia duo, omittunt nomen* Jeſus *quod tamen etiam Græce additur.* *v.* 11. Dixit autem Jeſus] *Quidam libri interjiciunt pronomen* ei, *Græco conformiter.* *ibid.* Et jam amplius] *Non omittas* jam. *v.* 12. Non ambulat in tenebris] *Duo meliora hujus Eccleſiæ manuſcripta, unum Clarmariſcenſe & quinque ab Hentenio annotata, pro præſenti* ambulat, *ſcribunt futurum* ambulabit, *ſuffragantibus D. Auguſtino & editionibus Græca ac Syra.* *v.* 14. Unde venio aut quo vado] *Brugenſe & Lobbienſe manuſcripta habent* unde veniam aut quo vadam, *quod quidem Latinius eſt.* *v.* 24. Moriemini in peccato veſtro] *Bis hoc legitur iſto verſu, ſemel plurali numero* in peccatis veſtris, *iterum ſingulari* in peccato veſtro. *Atqui utrobique plurale legunt Græca & Syra, nec non pauci quidam Latini libri, ſed non integriores illi.* *v.* 25. Principium qui & loquor vobis] *Hæc eſt Latinorum plerorumque omnium codicum lectio,* qui *relativum generis maſculini : pro quo unum manuſcriptum legit* quod, *duo* quia. *Græci libri fere ſcribunt conjunctionem* ὅτι *quæ declarat* quia, *adſtipulantibus enarratoribus Chryſoſtomo ejuſque diſcipulis, & inter Latinos Auguſtino : quidam tamen diviſim ſcribunt* ὅ, τι, *pro relativo neutro* quod, *ſuffragante Nonno. Lege Notationes noſtras in varias Bibliorum lectiones.* *v.* 27. Quia patrem ejus dicebat Deum] *Antiqui libri tum noſtri tum aliorum, pro genitivo ſingulare* ejus, *legunt dativum pluralem* eis, *quibus Auguſtinus ſuffragatur, & plerique Græci necnon & Syriaci codices, quinetiam tractatores Græci, Chryſoſtomus, Nonnus, & Euthymius. Eſt altera hoc loco varietas, quorumdam Latinorum librorum, omittentium vocem* Deum, *conformiter Græcis pleriſque libris ac Syriacis, & enarratoribus, Græcis quidem, Chryſoſtomo, Nonno, Theophylacto, atque Euthymio, Latino autem Auguſtino. Cæterum ut plerique, ita integerrimi quique, Latini libri, ſervant* Deum, *quod potuit Interpres explicationis cauſa addidiſſe. De his latius in Notationibus prolixioribus.* *v.* 29. Et non reliquit me ſolum] *Manuſcripta noſtra Brugenſ. Lobb. Clarmar. & Audomarenſia tria omittunt* & *conjunctionem, ſicut plerique omnes Græci codices, & ſicut D. Auguſtinus: ex illis Brugenſe, Clarmariſcenſe, & unum Audomarenſium, legunt etiam præſens* relinquit, *ſed non eadem fide.* *v.* 31. Ad eos qui crediderunt ei Judæos] *Ita legendum eſt, monente etiam Epanorthote,* Judæos, *non* ex Judæis. *v.* 33. Reſponderunt ei] *Non addas* ergo. *v.* 35. Filius autem monet] *Conjunctio* autem, *a quibuſdam ſimiliter Syro additur ; a pleriſque Græco conformiter tollitur.* *v.* 38. Ego quod vidi apud Patrem meum] *Pronomen* meum *omittitur a pleriſque Latinis libris, & quidem optimis noſtris : ſed qui addunt conſentiunt Græcis ac Syricis.* *v.* 42. Ego enim ex Deo proceſſi] *Non eſt mutandum nomen* Deo *cum pronomine* eo. *v.* 45. Ego autem ſi veritatem dico, non] *Pro* ſi, *in antiquis tum noſtris tum Epanorthotæ pluribuſque aliis legitur* quia, *conformiter Græco & Syro : quod certe ſententia ipſa videtur exigere, prout ab Euthymio enarratore urgetur. Monet autem Epanorthotes, non hic, ſed verſu proximo, legendum eſſe* ſi, *ubi dicitur :* Si veritatem dico vobis, quare *&c.* *v.* 46. Quis ex vobis arguet me] *Manuſcripta Audomarenſia duo, unum Lobbienſe, & quædam alia, pro futuro* arguet, *habent præſens* arguit, *conformiter Græco & Syro.* *v.* 49. Et vos inhonoraſtis me] *Quidam Latini libri habent præſens* inhonoratis, *quemadmodum Græci & Syrici.* *v.* 54. Quia Deus veſter eſt] *Manuſcripta Brugenſ. Clarm. Lobb. & Audomarenſia tria, ſcribunt primæ perſonæ pronomen* noſter, *ſicut Syri, pro ſecundæ* veſter, *quod eſt Græce.* *v.* 56. Vidit & gaviſus eſt] *Manuſcripta noſtra antiqua, & non pauci alii Latini libri, præponunt* & *conjunctionem, etiam ipſi vocabulo* vidit, *quemadmodum Græca & Syra.*

CAP. IX. *V.* 1. Et præteriens Jeſus] *Antiqui libri fere omittunt nomen* Jeſus, *conformiter Græco ac Syro.* *v.* 4. Venit nox] *Non mutes præſens* venit *cum futuro* veniet. *v.* 8. Itaque vicini & qui viderant eum prius] *Voci* vicini *non eſt addendum pronomen* ejus, *tametſi Syriace legatur: ſed pluſquam perfectum* viderant, *multi boni libri, nominatim unus D. Donatiani, unus Clarmariſci, tres S. Audomari, mutant cum imperfecto* videbant *quod Græcæ lectioni propius reſpondet.* *v.* 11. Vade ad natatoria] *Plerique libri, pro neutro plurali* natatoria, *ſcribunt fœmininum ſingulare* natatoriam, *quale eſt Græce.* *ibid.* Et abii, lavi, & video] *Alii codices præponunt conjunctionem etiam verbo* lavi (& lavi) *necnon præſens* video *mutant cum præterito* vidi, *quod legitur Græce.* *v.* 16. Alii autem dicebant] *Manuſcripta noſtra, Græco conformiter, omittunt conjunctionem* autem, *quam alii libri addunt cum Syro.* *v.* 30. In hoc enim mirabile eſt] *Non eſt omittenda conjunctio* enim. *v.* 40. Et audierunt quidam ex Phariſæis] *Exemplaria noſtra manuſcripta omittunt* quidam, *conformiter Græco ac Syro.*

CAP. X. *V.* 8. Omnes quotquot venerunt] *Non eſt addendum* ante me, *quod quidam addiderunt ex quibuſdam libris Græcis.* *v.* 9. Ego ſum oſtium] *Non addas* ovium, *quod non eſt hujus verſus, ſed ſeptimi ſuperioris.* *v.* 11. Animam ſuam dat] *Manuſcripta Brugenſe & Lobb. cum antiquis Epanorthotæ, pro* dat, *legunt* ponit, *conformiter Græco & Syro. Epanorthotes recentioribus libris adſcribit* dat. *ibid.* Pro ovibus ſuis] *A quibuſdam libris abeſt pronomen* ſuis, *ut etiam a Græcis.* *v.* 14. Et cognoſco meas] *Non interjicias nomen* oves, *quod quidam.* *v.* 15. Pro ovibus meis] *Quidam libri ab Hentenio annotati omittunt pronomen* meis, *conſentanee Græco & Syro.* *v.* 17. Ut iterum ſumam eam] *Nonnulla manuſcripta pro* ut *ſcribunt copulativam* & : *verum* ut, *& ab Auguſtino legitur, & a Græcis ac Syriacis.* *v.* 18. Et poteſtatem habeo ponendi eam] *Manuſcripta noſtra antiqua, ſeptem numero, omittunt iſtud* &, *Græcæ editioni ſimiliter.* *v.* 26. Quia non eſtis ex ovibus meis] *Sequitur in textu Regio,* ſicut dixi vobis, *quemadmodum etiam Græce ac Syriace : verum Latini libri manuſcripti illud cum D. Auguſtino ignorant & prætereunt.* *v.* 29. Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus eſt] *Hæc eſt Latinorum et librorum & tractatorum ſcriptura. Nam quæ eſt in quibuſ-*

dam impreſſis libris, neutro genere mutato cum maſculino : Pater meus qui dedit mihi, major omnibus eſt, *Græcorum eſt tam auctorum quam codicum. Syrum ad utramque lectionem ambiguum eſt. ibid.* Et nemo poteſt] *Non præponas conjunctionem* ideo. *v.* 31. Suſtulerunt ergo lapides] *Sic Biblia Sixtina, cum antiquis Epanorthotæ libris , & Brugenſi ex noſtris , addunt* ergo , *conſentanee Græco & Syro. Porro* iterum , *quod præterea additur a quibuſdam libris ex Hentenii recognitione annotatis, tametſi Græce & Syriace ſimiliter legatur , non agnoſcitur ab illis. v.* 36. Vos dicitis quia blaſphemas] *Sic legendum eſt ſecunda perſona* blaſphemas.

CAP. XI. *V.* 1. Mariæ & Marthæ ſororis ejus] *Ita Sixtina Biblia ex vetuſtis manuſcriptis, ſcribunt ſingulare* ſororis, *conformiter libris Græcis : qui cum pro* ejus *habeant* αὐτῆς, *manifeſtum eſt* τὸ ejus, *non ad Lazarum referendum, ſed Mariam. Quidam antiqui libri ſcribunt plurale* ſororum, *tanquam* ejus *ad Lazarum referatur : quibus certe ſuffragatur Lyranus, horum loco* A Bethania, de caſtello Mariæ & Marthæ ſororum ejus, *ſcribens :* Ex Bethania caſtello, frater Mariæ & Marthæ. *v.* 8. Judæi lapidare] *Non mutes* lapidare *cum* interficere. *v.* 11. Et poſt hæc dicit eis] *Quidam libri habent ſingulare* hoc, *cum Græcis. v.* 13. De dormitione ſomni] *Non ſcribas duplici* i, ſomnii. *v.* 15. Et gaudeo propter vos] *Non eſt mutandum* & *copulativum, cum adverſativo* ſed. *v.* 16. Ut moriamur cum eo] *Nec hic mutanda eſt* ut *cauſativa, cum* & *copulativa conjunctione. v.* 20. Martha ergo ut audivit] *Rurſus quidam libri commutant* ergo *cum* autem, *male. v.* 27. Filius Dei vivi] *Multi antiqui codices omittunt* vivi, *conſentanee Græco ac Syro, tanquam aliunde acceptum. ibid.* Qui in hunc mundum veniſti] *Quidam libri ab Hentenio annotati auferunt pronomen* hunc, *quod tamen veriſimile eſt ab Interprete eſſe datum. v.* 29. Surgit cito] *Quædam manuſcripta, pro præſenti* ſurgit, *quod eſt etiam Græce, habent præteritum* ſurrexit, *quod Syriace. v.* 32. Non eſſet mortuus frater meus] *Supra v.* 21. *eſt hic verborum ordo :* frater meus non fuiſſet mortuus. *v.* 37. Oculos cæci nati] *Manuſcripta antiqua, Epanorthotæ, noſtra, aliorumque, omittunt* nati, *quod neque Græce aut Syriace additur, niſi quod* ἐμφατικωτέρως *dicatur* illius cæci. *ibid.* Ut hic non morietur] *Manuſcripta noſtra interponunt* & *conjunctionem :* Ut & hic, *conformiter Græco ac Syro. v.* 44. Dixit eis Jeſus] *Rurſus manuſcripta noſtra antiqua, ſeptem numero, pro præterito* dixit, *ſcribunt præſens* dicit, *prout textus Græcus. v.* 45. Ad Mariam & Martham] *Jam quarto manuſcripta noſtra omnia, uno excepto, nec non antiqui libri Epanorthotæ, cum D. Auguſtino, omittunt* & Martham, *conſpirantibus Græcis & Syriacis codicibus. Supra v.* 19. *utraque nominata fuit. ibid.* Quæ fecit Jeſus] *Hoc denique loco auferunt manuſcripta noſtra nomen* Jeſus, *quod tamen & Græce & Syriace additur. v.* 47. Concilium & dicebant] *Non interponas* adverſus Jeſum. *ibid.* Quid facimus] *Non eſt mutandum præſens* facimus, *cum futuro* faciemus. *v.* 48. Noſtrum locum & gentem] *Antiqui libri Epanorthotæ, cum pleriſque noſtrum, geminant conjunctionem* & locum & gentem, *conformiter Græco quam male quidam ab Hentenio annotati, præponunt pronomini* noſtrum. *v.* 49. Caiphas nomine] *Manuſcripta Hentenii, Epanorthotæ, noſtra, aliorumque, fere omittunt* nomine, *conformiter Græco, quod alii libri addunt conſonante Syro. v.* 50. Quia expedit vobis] *Multi boni libri habent pronomen primæ perſonæ* nobis, *ut etiam Græca & Syra. v.* 52. Sed ut Filios Dei] *Quidam libri Latini cum Græcis, & Syricis, interjiciunt conjunctionem :* Sed ut & Filios Dei.

CAP. XII. *V.* 3. Nardi piſtici] *Recentiores quidam libri, qui pro neutro* piſtici, *legunt fœmininum* piſticæ, *ex Græco mutati ſunt. ibid.* Et exterſit pedes ejus capillis ſuis] *Alii libri hoc verborum ordine legunt :* Et exterſit capillis ſuis pedes ejus, *Græco ac Syro conformiter. v.* 4. Dixit ergo unus] *Quidam boni libri legunt præſens* dicit, *quemadmodum eſt Græce, pro præterito* dixit. *ibid.* Judas Iſcariotes] *Antiquiores libri legunt* Scariothes. *v.* 6. Ea quæ mittebantur portabat] *Male quidam, ſimplex verbum* portabat, *mutarunt cum compoſito* exportabat, *non aſſequuti, ut oportebat, commentarium D. Auguſtini. v.* 7. Sinite illam] *Antiqui Epanorthotæ, Hentenii, & noſtra, manuſcripta, legunt, non plurale* ſinite, *ſed ſingulare* ſine, *conformiter Græco ac Syro. ibid.* Ut in diem ſepulturæ meæ ſervet illud] *Hæc eſt germana lectio Latinæ editionis. Altera, quæ eſt recentiorum quorundam codicum typis excuſorum ,* In diem ſepulturæ meæ ſervavit illud, *ex Græco mutata eſt. Porro multi Latini libri, pro quarto caſu* diem, *legunt ſextum* die, *ſed minus veriſimiliter. v.* 8. Me autem non ſemper habetis] *Pro præſenti* habetis, *quod reſpondet Græco, alii libri ſcribunt futurum* habebitis. *v.* 19. Poſt eum abiit] *Legendum eſt præterito tempore* abiit, *non præſenti* abit. *v.* 27. Pater ſalvifica me] *Donatianica Biblia habent* Pater ſalvum me fac, *quemadmodum Interpres ſolet vertere. v.* 28. Vox de cœlo] *Non ſubdas* dicens. *v.* 40. Et non intelligant corde] *Manuſcripta noſtra, non legunt, ſed e proximo ſubaudiendum relinquunt,* non, *conſpirantibus D. Auguſtini tractatu & libris Græcis cum Syricis. v.* 42. Et ex principibus] *Non videtur omittendum* &, *quod licet non ab omnibus antiquis libris, tamen a Græcis & Syriacis additur. v.* 47. Sed ut ſalvificem] *Donatianicum manuſcriptum* ſed ut ſalvam faciam, *ut ſupra verſ.* 27.

CAP. XIII. *V.* 2. In cor] *Non addas* Judæ. *ibid.* Judas Simonis Iſcariotæ] *Quidam librorum typis excuſorum ita legunt, genitivum* Iſcariotæ, *alii nominativum* Iſcariotes. *Sic & quidam librorum manuſcriptorum habent* Scariothis, *alii* Scariothes. *Græce eſt genitivus* Ἰσκαριώτου, *Syra ambigua ſunt* Scariouto. *v.* 5. Deinde mittit aquam] *Sic legunt cum Sixtinis Bibliis multi antiqui codices, conformiter Græco, præſens* mittit, *pro præterito* miſit. *v.* 7. Scies autem poſtea] *Non eſt omittenda conjunctio* autem. *v.* 8. Non habebis partem mecum] *Quatuor exemplaria ab Hentenio notata, pro futuro* habebis, *quod eſt in antiquis, legunt præſens* habes, *quod eſt Græce. v.* 12. Et accepit veſtimenta ſua cum recubuiſſet] *Prima conjunctio* & *non eſt transferenda in medium ſententiæ, ante* cum recubuiſſet. *v.* 18. Qui manducat mecum panem] *Cave legas* meum *pro* mecum. *ibid.* Levabit contra me] *Tria Hentenii exemplaria, & unum noſtrum, pro futuro* levabit, *habent præteritum* levavit, *conformiter Græco ac Syro. v.* 27. Introivit in eum] *Manuſcripta Nicolai Zegeri, noſtra, aliaque, præponunt adverbium* tunc, *conformiter Græco ac Syro. v.* 38. Pro me pones] *Non legas præſens* ponis, *pro futuro* pones ; *nec affirmando, quod interrogandum legendum eſt.*

CAP. XIV. *V.* 1. Non turbetur cor veſtrum] *His verbis non eſt præponendum* Et ait diſcipulis ſuis, *quod optima quæque manuſcripta, cum Græcis ac Syricis libris, prætereunt, adſtipulantibus tractatoribus tam Græcis quam Latinis. Ut autem hoc non eſt præponendum, ita nec iſtud, quod alii libri habent,* neque formidet, *poſtponendum : eſt enim, non hujus loci, ſed verſus* 27. *ſubſequentis. v.* 6. Et veritas] *Non omittas conjunctionem. v.* 7. Et amodo cognoſcetis eum] *Duo manuſcripta in margine Lovanienſium Bibliorum annotata, pro futuro* cognoſcetis, *legunt præſens* cognoſcitis, *conformiter Græco ac Syro, nec non tractatui D. Auguſtini. v.* 9. Et non cognoviſtis me] *Unum Hentenii manuſcriptum legit numero ſingulari* cognoviſti, *cui præter Græca ac Syra & Græcorum commentaria, favet D. Auguſtini tractatio. ibid.* Qui vidit me, videt & Patrem] *In quibuſdam libris legitur præterito tempore* Qui vidit me, vidit & Patrem , *quemadmodum Græce. ibid.* Quomodo tu dicis] *Rurſus quidam libri præponunt* & *conjunctionem, quemadmodum Græci & Syrici. v.* 10. Non creditis quia ego in Patre] *Pro plurali* creditis, *manuſcripta noſtra aliorumque legunt ſingulare* credis, *adſtipulantibus, non ſolum Græcis & Syriacis libris atque auctoribus, verumetiam D. Auguſtino diſertis verbis. Porro infra ver.* 11. *citra controverſiam plurale legendum eſt. v.* 13. Et quodcunque petieritis Patrem] *Quinque manuſcripta noſtra, Brugenſ. Lob. Clarm. & Audomarenſia duo, aliaque Hentenii, Zegeri, & Epanorthotæ, omittunt* Patrem, *conſentanee Græco, & Syro, ac faventibus tractatoribus veteribus, Auguſtino, & Græcis, niſi quod Nonnus hujuſmodi quid addat paraphraſten agens. Eo porro modo, Latinis quibuſdam codicibus, adjectum fuiſſe videtur hoc nomen,* Patrem, *quemadmodum quibuſdam Græcis pronomen* me, *de quibus in varietatibus Græcis. v.* 14. Si quid petieritis me] *Manuſcripta exemplaria complura, in ea quæ hic repetitur ſententia, omittunt* me, *quemadmodum mox* Patrem, *nixa eiſdem fundamentis : ac videri quidem poſſit, vox* Patrem *congruentior quam vox* me, *ut etiam exemplar unum* Patrem *hic legebat loco* me : *ſed utriuſque omiſſionem crediderim genuinam. v.* 17. Quia non videt eum] *Quidam antiqui libri ſcribunt præteritum* vidit, *pro præſenti* videt, *quod eſt Græce. ibid.* Vos autem cognoſcetis eum] *In aliis libris eſt præſens* cognoſcitis, *conſentanee libris Græcis ac Syris, pro futuro* cognoſcetis, *quod tamen Nonnus Græcus paraphraſtes agnoſcit. ibid.* Quia apud vos manebit] *Quidam notat pro futuro* manebit, *quod explicat D. Auguſtinus , legi a quibuſdam manuſcriptis, præſens* manet, *quod eſt Græce ac Syriace, explicantibus Euthymio & Theophylacto. Sed facile eſt, Græce pro* μένει manet, *mutato accento legere* μενεῖ manebit, *quemadmodum fecit Nonnus, quod conſtat ex ejus paraphraſi. v.* 19. Vos autem videtis me] *Sic cum Sixtinis Bibliis manuſcripta optima quæque , faventibus codicibus Græcis. Quidam autem libri, præſens* videtis *mutant cum futuro* videbitis : *& quanquam illi minoris ſint fidei, conſentiunt tamen Syriacæ editioni, & D. Auguſtini Græcorumque enarratorum expoſitionibus. v.* 26. Et ſuggeret vobis omnia] *Quoddam egregium manuſcriptum omittit* omnia.

CAP. XV. *V.* 2. Tollet eum] *Non mutes futurum* tollet *cum præſenti* tollit , *etiamſi ita ſit in uno manuſcripto ab Hentenio annotato , reſpondente Græcæ & Syriacæ editionibus : Interpres enim, præſentia hujus verſiculi verba, ut pro futuris poſita accepit. v.* 6. Et areſcet] *Quidam libri , pro futuro* areſcet, *ſcribunt præſens* areſcit. *Græce eſt præteritum* exaruit, *quod Interpres pro futuro haud dubium accepit, quemadmodum Euthymius manifeſte. ibid.* Et colligent eum & in ignem mittent] *Rurſus quidam libri mutant futura hæc cum præſentibus,* colligunt, mittunt, *ut Syriace & Græce legitur : ſed jam diximus aliquoties, Interpretem accepiſſe tempus unum pro alio. Majoris momenti eſt quod pro ſingulari* eum, *quidam codices habeant plurale* eos , *nominatim duo noſtri , iique integriores hujus Eccleſiæ Audomarenſis.* Eum *circa dubium refert* palmitem, *cujus præceſſit mentio : cui lectioni favent Interpres Syrus & Nonnus paraphraſtes , qui Græce legiſſe videntur* αὐτὸ *numero ſingulari. Porro* eos , *refert* palmites *numero plurium , quorum tacita mentio includitur in verbo colligendi, quod non perinde conſuevit de uno dici : atque hoc modo legimus nos Græce* αὐτὰ *viz.* τὰ κλήματα, *Euthymio diſerte ſuffragante. ibid.* Et ardet] *id eſt, ita ut ardeat. Complura manuſcripta legunt numero plurium* & ardent, *etiam quædam eorum quibus præceſſit ſingulare* eum : *quo magis videri poſſit Interpres dediſſe pluralia* eos *&* ardent. *nam plurale* ardent, *congruere non poteſt præcedente ſingulari* eum. *Græce eſt ſingulare* καίεται, *quod ſingulariter quidem vertendum eſt, ſi præcedat ſingulare* αὐτὸ eum, *ut fecerunt Syrus & Nonnus : pluraliter autem, ſi plurale* αὐτὰ eos, *ut fecit Euthymius. Cæterum, utrovis modo ſive legas ſive vertas, ſententia eſt eadem. v.* 15. Jam non dicam vos ſervos] *Non pauca noſtra & Hentenii manuſcripta , pro futuro* dicam *habent præſens* dico, *conformiter Græco ac Syro: v.* 21. Sed hæc omnia facient] *Non omittas* omnia. *v.* 26. Spiritum veritatis] *Interpres dedit quartum caſum, id quod Græca patiuntur, non primum* ſpiritus. *v.* 27. Et vos teſtimonium perhibebitis] *Pro futuro* perhibebitis, *in quibuſdam legitur præſens* perhibetis , *nominatim in illo hujus Eccleſiæ qui in Capitulo adſervatur, idque conſentanee Græco ac Syro : quanquam præſens eſt loco futuri.*

CAP. XVI. *V.* 5. Et nunc vado] *Manuſcripta noſtra omnia, pro copulativa* &, *legunt adverſativam* at, *conformiter Græco ac Syro. v.* 7. Ut ego vadam] *Non eſt interponendum* & ; *neque mox addendum* ego, *cum ſequitur* ſi enim non abiero, *tametſi Græce & Syriace legatur. v.* 9. Quia non crediderunt in me] *Quidam antiqui libri legunt* crediderunt *præteritum, alii cum Græcis & Syricis præſens* credunt. *v.* 11. Jam judicatus eſt] *Manuſcripta noſtra omnia, uno Leodienſi excepto , omittunt adverbium* jam, *ſuffragantibus Græcis ac Syricis libris, necnon D. Auguſtini tam tractatione quam textu favente : quanquam apud Theophylactum & Græce & Latine addatur* ἤδη jam. *v.* 13. Docebit vos omnem veritatem] *Annotat D. Auguſtinus, alios codices habere* deducet vos in omni veritate : *quæ lectio, propius quidem exprimit Græcam ſcripturam,* ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν, *ſed non exſtat hodie in libris Latinis. v.* 16. Modicum & jam non videbitis me] *In uno manuſcripto eſt præſens* videtis, *ut Græce : ſed Interpres intellexit præſens poſitum eſſe loco futuri, quomodo etiam Syrus. v.* 19. Cognovit autem Jeſus] *Lobienſia Biblia, habent* ergo, *quod eſt Græce, pro* autem, *quod cum pleriſque omnibus Latinis libris habent Syriaci. ibid.* Quia dixi] *Non addas pronomen* vobis. *v.* 22. Nemo tollet a vobis. *Non eſt mutandum futurum* tollet , *cum præſenti* tollit , *tametſi Græce ſit præſens. v.* 23. Et in illo die me non rogabitis quidquam] *In quibuſdam antiquis libris eſt* interrogabitis, *in pluribus* rogabitis. *D. Auguſtinus legit* rogabitis , *monens , & hanc Latinam vocem rogare , & Græcam* ἐρωτᾶν , *ambiguam eſſe, ad petere & interrogare. v.* 26. In illo die] *Manuſcripta*

ſcripta noſtra omittant in *præpoſitionem. v.* 27. Quia vos me amaſtis] *Antiquiora manuſcripta legunt præſens* amatis, *conſentanee enarrationi D. Auguſtini. Cæterum Græce & Syriace præteritum exſtat. v.* 32. Et non ſum ſolus] *Cave addas* tamen.

CAP. XVII. *V.* 1. Ut filius tuus] *Lobienſe manuſcriptum interponit* &, *quemadmodum Græca: alia omittunt, ut Syra. v.* 3. Solum Deum verum] *Multi antiqui libri legunt hoc verborum ordine* ſolum verum Deum, *quo etiam Auguſtinus & Græca editio. v.* 20. Non pro eis autem rogo tantum] *Manuſcripta noſtra, pronomen relativum* eis, *mutant cum demonſtrativo* his, *ſuffragantibus D. Auguſtini lectione & Græca editione,* τούτων. *ibid.* Sed & pro eis] *Non omittas* &. *v.* 21. Sicut tu pater in me] *Librorum antiquorum, alii addunt* & (ſicut & tu) *alii cum Græcis & Syriacis omittunt. v.* 25. Mundus te non cognovit] *Exemplaria, Lobienſe, Leodienſe, & Audomarenſia tria, cum textu D. Auguſtini, præponunt* & *conjunctionem* (& mundus) *conſentanee Græco ac Syro.*

CAP. XVIII. *V.* 4. Super eum] *Sic cum Sixtinis Bibliis legunt antiqua manuſcripta,* eum, *non* ſe. *v.* 11. Mitte gladium tuum in vaginam] *Quidam antiqui libri omittunt pronomen* tuum, *ut & Syrus, licet Græce addatur. ibid.* Non bibam illum?] *Transfodiendum eſt, quod quidam libri addunt* Non vis ut bibam illum: *tametſi additum ſit etiam libris veterum. v.* 13. Erat enim ſocer Caiphæ] *Non legas* autem *pro* enim. *v.* 16. Diſcipulus alius] *Quædam exemplaria interponunt pronomen* ille, *quod magis congruat, ſi ſuffragarentur exemplaria emaculatiora. v.* 20. Locutus ſum mundo] *Non addas* in *præpoſitionem. v.* 22. Unus aſſiſtens miniſtrorum] *Non eſt mutandus nominativus* aſſiſtens *cum genitivo* aſſiſtentium. *v.* 24. Et miſit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem] *Ut obſervavi olim, in uno aut altero manuſcripto,* emiſit *vocem unam, ſcriptam pro duabus* & miſit: *ita id facile probem, nam Græce quoque nihil aliud legitur quam* ἀπέστειλεν *amandavit ſeu emiſit. Cæterum veriſimile ſit, deeſſe conjunctionem tum Græce tum Latine, & addendam, non tam* &, *quam* autem, *quæ legitur Syriace, aut* ergo *quæ apud Cyrillum, & apud Bezam annotantem ſe ex fide duorum codicum reſtituiſſe particulam* ἐν· *quam & Toletus Græce legi affirmat. Nam* & *copulativam, adſcriptam fuiſſe videri poſſit, ab iis qui intellexerunt:* Et *hoc geſto* miſit eum Annas, *quaſi poſt inflictam Jeſu alapam miſerit Annas Jeſum ad Caipham: quod non eſt verum, tametſi multi, etiam veteres, ejus ſententiæ ſint. Quidam, parentheſeos nota includi volunt hunc verſiculum: alii ſuſpicantur, non ſuo loco poſitum ſive Latine ſive Græce aut Syriace, ſed ſcriptum ab Evangeliſta fuiſſe proxime ante verſum decimumquintum:* Sequebatur autem Jeſum *&c. ubi quidem optime congruat, ſed nos in Commentario ſequuti ſumus, id quod probatius eſt. v.* 26. Dicit ei unus ex ſervis pontificis] *Optimi noſtri libri omittunt pronomen* ei, *conformiter Græco. v.* 28. A Caipha in prætorium] *Multi libri antiqui legunt* ad Caipham, *qui vetus eſt error, quo etiam D. Auguſtinus hunc locum tractans falſus fuit. Nam tam ex Græco quam ex Syro, certum eſt legendum eſſe* a Caipha, *pro eo quod eſt, a domo Caiphæ: quomodo habent cum Sixtinis manuſcripta Biblia Eccleſiarum Audomarenſis & Clarmariſcenſis, ut etiam, quod Epanorthotes annotat, Biblia Caroli, haud dubium, Magni, quæ Aquiſgrani exſtant. Synecdoche eſt, qua res poſſeſſa indicatur nomine poſſeſſoris. v.* 39. Eſt autem conſuetudo vobis] *Quidam inſignes libri omittunt iſtud* vobis, *tametſi Græce & Syriace legatur. v.* 40. Clamaverunt ergo rurſum omnes] *Quidam libri manuſcripti cum Græcis addunt, alii omittunt* ergo.

CAP. XIX. *V.* 3. Et dabant ei alapas] *Quidam pro* alapas *legunt* palmas, *quomodo vertit Interpres Matth. 26. verſ. 67. v.* 4. Exivit ergo iterum Pilatus] *Addunt* ergo *Sixtina & Regia Biblia, conſonantia Græco. v.* 5. Exiit ergo Jeſus] *Unum manuſcriptum addit* foras, *prout additur Græce & Syriace. v.* 6. Crucifige, crucifige eum] *Quidam boni libri omittunt* eum: *ſimilis varietas eſt Græce. v.* 7. Et ſecundum legem debet mori] *Unus liber ab Hentenio annotatus, & Regia Biblia, addunt pronomen* noſtram, *ut Græca ac Syra. v.* 12. Et exinde quærebat] *Antiquorum codicum, quidam legunt ut Syra, quidam demunt conjunctionem* &, *ut Græca. ibid.* Omnis enim qui ſe regem facit] *Conjunctio* enim *additur in bonis manuſcriptis, quemadmodum & Syriace, licet Græce non legatur. v.* 13. Pilatus autem] *Optima manuſcripta, conſentanee Græco, legunt* ergo *pro* autem, *quod exſtat Syriace. ibid.* Lithoſtrotos] *Cave legas* Lichoſtrotos, *tertia alphabeti litera. v.* 16. Et eduxerunt] *Non addas pronomen* eum, *quod quidam libri. v.* 25. Stabant autem juxta crucem] *Non legas ſingulare* ſtabat *pro plurali* ſtabant. *v.* 26. Et diſcipulum ſtantem] *Non omittas participium* ſtantem; *ſed neque mutes cum compoſito* adſtantem, *quanquam ita ſit Græce. v.* 27. Accepit eam diſcipulus in ſua] *Legendum eſſe neutrum plurale* ſua, *prout Romani correctores ſcripſerunt, non fœmininum ſingulare* ſuam, *olim fuſe docuimus in Notationibus noſtris prolixioribus. v.* 28. Quia omnia] *Plerique libri interponunt adverbium* jam, *Græco conſentanee. v.* 30. Et inclinato capite tradidit ſpiritum] *Sequitur in uno vetere codice;* Cum autem exſpiraſſet, velum templi ſciſſum eſt a ſummo uſque deorſum: *id quod etiam Cyrillus, Græcus tractator, & legit & interpretatur hoc loco. Atqui certum eſt, ex prioribus Evangeliis huic a quibuſdam adſcriptum fuiſſe, ac propterea a Johanne omiſſum fuiſſe, quia cæteri Evangeliſtæ dixerant. v.* 40. Et ligaverunt illud linteis] *Sic legitur etiam Græce, quanquam optima quæque manuſcripta, habeant pronomen maſculinum* eum, *quod ad* Jeſum *referatur, pro neutro* illud, *quod ad* corpus *refertur, & congruit verbis textus. v.* 41. In quo nondum quiſquam poſitus erat] *Pluſquam perfectum* fuerat *eſt in optimis manuſcriptis pro imperfecto* erat. *v.* 42. Poſuerunt Jeſum] *Legendum videtur* Jeſum, *juxta meliores libros conformes Græco & Syro, non ejus loco pronomen* eum.

CAP. XX. Et vidit lapidem ſublatum] *Pro* ſublatum *non legas* revolutum: *hoc enim eſt priorum Evangeliorum. v.* 2. Tulerunt Dominum] *Non addas pronomen* meum, *quod huic loco non quadrat, ſicut quadrat infra v.*13. *v.* 4. Et venit primus ad monumentum] *Brugenſe manuſcriptum legit comparativum* prior, *in alio eſt adverbium* prius, *pro nomine ſuperlativo* primus. *v.* 9. Quia oportebat] *In quibuſdam libris eſt* oporteret. *v.* 12. Et vidit duos angelos] *Unum manuſcriptum, pro præterito, legit præſens* videt, *ut Græca. v.* 19. Die illo, una ſabbatorum] *Quidam libri, pro maſculino* illo, *legunt fœmininum* illa: *id quod congruentius videri poſſit, ne ſtatim mutetur genus ſine cauſa, niſi plerique libri aliter ſcriberent. ibid.* Et ſtetit in medio] *Non addas* diſcipulorum. *v.* 21. Dixit ergo eis iterum] *Regius textus addit* Jeſus, *conformiter Græco ac Syro. v.* 22. Hæc cum dixiſſet] *Manuſcriptorum, alia ſic legunt, plurale* hæc, *cum Syro: alia habent ſingulare* hoc *cum Græco. v.* 25. Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum] *Pro* fixuram, *manuſcripta quinque, nominata in Notationibus noſtris prolixioribus, & duo hujus Eccleſiæ, quæ jam a nobis obſervata adduntur, legunt* figuram, *ut Græce eſt* τὸν τύπον, *quod eſt, typum, figuram, veſtigium: pro quo Syrus legit* τὸν τόπον, *quod eſt, locum. v.* 29. Quia vidiſti me Thoma] *Manuſcripta noſtra & Zegeri omittunt* Thoma, *conformiter Syro: Græcorum librorum ſimilis eſt varietas. v.* 31. Quia Jeſus eſt Chriſtus Filius Dei] *Cave omittas nomen* Chriſtus, *ibid.* Vitam habeatis in nomine ejus] *Non videtur addenda vox* æternam, *etiamſi ſit in quibuſdam veteribus manuſcriptis.*

CAP. XXI. *V.* 1. Manifeſtavit ſe iterum Jeſus diſcipulis] *Ita, cum Sixtinis Bibliis, quatuor libri ab Hentenio annotati, & Regiorum Bibliorum textus, addunt vocem* diſcipulis, *prout etiam Græca ac Syra. v.* 4. Mane autem facto] *Manuſcripta noſtra aliique codices addunt* jam, *ut Græce additur* ἤδη, *quod tamen Syrus omittit. ibid.* Quia Jeſus eſt] *Non mutes nomen* Jeſus *cum pronomine* ipſe. *v.* 6. Mittite in dexteram] *Non addas* ergo. *ibid.* Miſerunt ergo] *Nec hic addas nomen* rete, *ſed ſubaudias. v.* 7. Tunica ſuccinxit ſe] *Quædam vetera exemplaria legunt* tunicam *quarto caſu. v.* 8. Non enim longe erant a terra] *Non eſt mutandus numerus pluralis* erant *cum ſingulari* erat. *v.* 12. Et nemo audebat diſcumbentium] *Unum manuſcriptum ab Hentenio annotatum, pro* diſcumbentium, *quod eſt, convivarum, legit* diſcentium, *quod eſt, diſcipulorum, quo modo Græce & Syriace eſt* τῶν μαθητῶν, *diſcipulorum: nec infrequens eſt Latinis patribus voce* diſcentium *uti pro* diſcipulorum. *v.* 13. Et accipit panem & dat eis] *Quidam libri præterita ſcribunt,* accepit, dabat, *pro præſentibus,* accipit, dat, *Græco textui conſonantibus. v.* 14. Manifeſtatus eſt Jeſus diſcipulis ſuis] *Non omittas pronomen* ſuis. *v.* 15. 16. 17. Simon Johannis] *Duo manuſcripta ab Hentenio annotata, pro* Johannis *ſcribunt* Jona, *ut pleraque omnia exemplaria Græca. Syrus habet* Barjona, *quemadmodum Matth. 16. verſ. 17. nimirum exprimens* bar *fili, quod Græce ac Latine ſubauditur. Porro Græca quædam exemplaria favent lectioni Latinorum vulgatæ, de quibus in varietatibus Græcis: & omnino, D. Hieronymo auctore, legendum hoc loco eſſe* Johannis, *manifeſtum ex eo eſt, quod ſcribit in illum Matthæi locum: ubi ponens hic legi* Johannis, *recenſet ut probabilem illorum ſententiam, qui putant* Jona, *quod ſecundum Matthæum legitur, ſcriptorum vitio depravatum eſſe ex* Johanna (*quod ſit* Johannis) *una detracta ſyllaba, quanquam poſſit eſſe contractum* Jona *ex* Johanna, *ac proinde idem unum eſſe nomen, nam & ſupra 1. verſ. 42.* Jona *legitur. v.* 17. Tu omnia noſti] *Manuſcripta noſtra aliorumque legunt* ſcis *pro* noſti. *ibid.* Dicit ei; Paſce] *Unum Hentenii manuſcriptum interponit nomen* Jeſus, *conformiter Græco ac Syro. v.* 18. Extendes manus tuas] *Non mutes futurum indicativi, cum præſenti conjunctivi,* extendas. *ibid.* Quo tu non vis] *Alii boni libri omittunt pronomen* tu. *v.* 22. 23. Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?] *Fuſe olim tractavimus in Notationibus noſtris, triplicem hujus loci lectionem; unam per adverbium ſimilitudinis* ſic, *alteram per conjunctionem conditionalem* ſi, *tertiam per utrumque conjunctum* ſi ſic; *& quidquid faceret pro unaquaque, adferre conati fuimus. Plerique Latini libri cum Latinis tractatoribus primam ſervant: quidam Latini libri, cum Syricis ac pleriſque Græcis tum libris tam tractatoribus, ſecundam: tertia in quibuſdam Latinis & quibuſdam Græcis libris exſtat. Hoc ſolum habemus quod jam addamus, ſecundam, quæ eſt per conjunctionem conditionalem* Si eum volo, *utroque loco integre ac manifeſte, citraque omnem raſuram & corruptelæ ſuſpicionem, exſtare etiam in manuſcripto codice quatuor Evangeliorum, vetuſto illo & emaculato, qui in Capitulo Eccleſiæ hujus Cathedralis S. Audomari adſervatur: eamque lectionem probari, ab iis qui ab eo tempore in hoc Evangelium ſcripſerunt, doctiſſimis viris, Franciſco Toleto & Johanne Maldonato. v.* 23. Et non dixit ei Jeſus; Non moritur] *Quidam libri addunt* quia (quia non moritur) *conformiter Græco, alii rectius omittunt. v.* 25. Mundum capere poſſe eos] *Manuſcripta antiqua noſtra, & Nicolas Zegeri, omittunt* poſſe, *conſentanee Græco.*

VARIÆ LECTIONES NOVI TESTAMENTI VULGATÆ LATINÆ EDITIONIS AB LUCA Brugenſe, Hentenio, aliiſque Theologis Lovanienſibus collectæ; & cum codicibus Græcis, Syriacis, Bibliis Regis, veterumque Eccleſiæ Patrum & ſcriptorum verſionibus & explicationibus collatæ.

Explicatio Notarum quæ in his Lectionibus occurrunt.

* *Aſteriſcus ſive ſtellula, ſignificat eorum, quibus præfigitur, additionem.* - *Obelus ſive veru, rejectionem.* ⁖ *Hujuſcemodi tria punctula, alterius dictionis, ad ambiguitatem ejus, quæ in textu eſt, tollendam, poſitionem.*

MS. *deſignat exemplaria MSS. Latina, quorum numerus fere adjungitur.*

R. *indicat lectionem concordare cum Bibliis Regiis.*

Rab. *ſic Rabanum legere ſignificat*, Aug. *Auguſtinum*, Hier. *Hieronymum*, B. *Bedam*, Greg. *Gregorium*, Hil. *Hilarium*, Am. *Ambroſium*, Rad. *Radulphum*, Pr. *Primaſium: Nomen vero expreſſius poſitum, ut* Hieron. *inſinuat ex ejus colligi Commentariis ita lectum, licet in ejus textu legatur aliter: & ſic in reliquis.*

G. *oſtendit lectionem congruere textui Græco Bibliorum Regiorum.* G. q. *cum aliis quibuſdam Græcis exemplaribus.*

S. *Syriacum textum Regii operis notat.*

MS. q. *MSS quædam ſic legere ſignificat.*

o. *Significat lectiones illas eſſe exigui momenti.*

Q. N. *hoc eſt, Quære Notationes, librum ſcilicet Lucæ Brugenſis ſingularem: ubi de his varietatibus uberius diſſeritur.*

Obſervandum etiam has notas referri ad Edit. Bibl. Lovan. A. 1584.

MATTHÆUS.

CAP. I.

VErſ. 23. *Vocabunt*] Vocabitur. o.

CAP. II. V. 1. *Judæ*] Judææ 7. MS. G. v. 6. *regat*] reget 5 MS. G. v. 14. *conſurgens*] ſurgens 3. MS. G. S.

CAP. III. V. 2. *appropinquabit*] appropinquavit 4 MS. R. Hil. G. S. v. 3. *qui dictus*] de quo dictum. o. v. 9. *potens eſt*] poteſt MS. v. 10. *excidetur & in ignem mittetur*] exciditur & in ignem mittitur, 4 MS. G. S. v. 16. *ſe*] ipſum 1 MS. Q. N.

CAP. IV. V. 4. *vivit*] vivet 2 MS. R. G. v. 6. *mandabit*] mandavit MS. q. Hier. v. 10. *vade*] * retro 5 MS. G. Q. N. v. 15. *via*] viam 2 MS. G. v. 16. *Galilææ*] Galilæa 2 MS. R. G. S. ib. *ſedebat*] ambulabat MS. H. ib. *umbræ*] & umbra 3 MS. R. G. S. v. 17. *appropinquabit*] appropinquavit 11 MS. R. G. S. v. 24. *opinio*] fama 2 MS. G. S.

CAP. V. V. 1. *autem*] * Jeſus MS. Hier. S. v. 9. *quoniam*] * ipſi 2 MS. R. G. S. v. 11. *vobis*] * homines MS. q. Hier. v. 23. *ſuo*] * ſine cauſa MS. G. S. Q. N. v. 25. *reconciliari*] reconciliare 6 MS. R. G. S. v. 39. - *dexteram*] Q. N. v. 40. - *in*] MS. G. S. v. 41. - *alia*] 6 MS. G. S. v. 42. *avertatis*] averſatus fueris, Aug. v. 46. *habebitis*] habetis 2 MS. Hier. G. v. 48. *cæleſtis*] qui in cœlis eſt, 2 MS. G. S.

CAP. VI. V. 4. *tibi*] * in palam 1 MS. G. S. Q. N. v. 6. *oſtio*] * tuo MS. Hier. G. S. ib. *tibi*] * in manifeſto G. S. Q. N. v. 7. *ethnici*] * faciunt MS. q. R. v. 10. *Adveniat*] Veniat 2 MS. G. S. v. 11. *ſuper ſubſtantialem*] quotidianum 11 MS. Q. N. v. 13. *inducas*] inferas Q. N. v. 16. - *quia*] MS. S. v. 18. *tibi*] * in propatulo G. q. Q. N. v. 22. - *tui*] 6 MS. G. S. ib. - *tuus*] 5 MS. G. S. ib. *Si*] * igitur 1 MS. R. G. S. v. 30. *minimæ*] modicæ MS. R. Hil. Hier. G. S. v. 33. *ergo*] autem MS. G. S.

CAP. VII. V. 1. *Judicemini*] Nolite condemnare ut non condemnamini, MS. q. v. 4. *tuo*] * Frater MS. q. Hier. v. 11. - *data*] MS. q. Hier. v. 12. *homines*] * ita 5 MS. G. S. v. 14. *Quam*] Quoniam 3 MS. G. q. v. 19. *excidetur*] exciditur G. S. ib. *mittetur*] mittitur G. S. v. 23. *me*] * omnes MS. G. q. v. 29. - *eorum*] 4 MS. Hier. G.

CAP. VIII. V. 9. - *conſtitutus*] 14 MS. Hier. G. S. v. 16. *ei*] eis MS. Hier. G. q. S. v. 17. *ægrotationes*] * noſtras MS. Hier. S. v. 18. *juſſit*] * diſcipulos MS. q. Hil. Hier. v. 25. - *ad eum*] MS. G. S. * diſcipuli ejus, MS. R. G. S. v. 26. *eis*] * Jeſus MS. S.

CAP. II. V. 5. *- ſobrias*] 3. MS. G. S. Q. N. v. 7. *in integritate & gravitate*] integritatem, gravitatem 1 MS. G. S. Textus conformis eſt Hier. v. 11. *ſalvatoris noſtri*] ſalutaris 1 MS. G. S. forte interpres noſter legit σωτῆρος pro σωτήριος.

EPISTOLA ad PHILEMON.

VErſ. 6. *omnis*] * operis 2 MS. R. G. Q. N. ib. *- quod eſt*] quæ eſt 5 MS. - 4. MS. R. G. ib. *- in vobis*] in nobis 7 MS. Amb. G. - MS. Q. N. v. 11. *- tibi*] 3 MS. G. v. 12. *ut*] id eſt 6 MS. Hier. G. v. 20. *Domino*] Chriſto MS. Hier. G. 4. S.

EPISTOLA ad HEBRÆOS.

CAP. I.

VErſ. 2. *noviſſime*] noviſſimus MS. G. S. v. 3. *ſedet*] ſedit 1 MS. G. v. 12. *mutabis*] involves 1 MS. G. S. v. 14. *capient*] capiunt MS. q. R. B. Q. N.

CAP. II. V. 5. *- Deus*] 2 MS. G. S. v. 9. ∸ *gratia*] χάριτι v. 10. *paſſionem*] paſſiones 6 MS. G. S. ib. *conſummare*] conſummari MS. q.

CAP. III. V. 1. *Jeſum*] * Chriſtum 6 MS. G. S. v. 19. *introire*] * in requiem ipſius MS. q.

CAP. IV. V. 3 *perfectis*] factis 4 MS. G. S. v. 10. *ſicut*] * & MS. q. v. 14. *teneamus*] * ſpei noſtræ. o. v. 16. *gratia*] ejus MS. B. S.

CAP. V. V. 7. *offerens*] * & 10 MS. G. S. v. 8. *filius*] * Dei MS. q. v. 11. *interpretabilis*] in interpretabilis 10 MS. R. G. S. Q. N.

CAP. VII. V. 9. *accepit*] accipit 6 MS. G. Q. N. v. 14. *ſacerdotibus*] ſacerdotio 1 MS. R. G. S. v. 25. *accedens*] accedentes 13 MS. R. G. S. Q. N. ib. *nobis*] eis 7 MS. G. S.

CAP. VIII. V. 2. *Dominus*] Deus MS. B. S.

CAP. IX. V. 7. *offert*] offeret MS. B. v. 12. *aut*] & MS. G. S. v. 14. *emundavit*] emundabitis MS. R. G. S. ib. *noſtram*] veſtram 7 MS. G. q. v. 26. *in conſummatione*] in conſummationem MS. q. ib. *deſtitutionem*] deſtructionem 15 MS. Q. N.

CAP. X. V. 16. *Dando*] Dabo MS. Haymo S. v. 30. *vindictam*] vindicta 1 MS. G. S. v. 30. *retribuam*] reddam 4 MS. ib. *- Quia*] 3 MS. G. S. v. 38. *vivit*] vivet R. G. S. v. 39. *- filii*] 6 MS. G. S.

CAP. XI. V. 6. *- Deo*] 5 MS. G. Q. N. v. 17. *qui*] in quo MS. q. B. v. 34. *effugaverunt*] effugerunt 4. MS. G. S.

CAP. XII. V. 1. *- ad*] 9 MS. G. S. v. 2. *ſedet*] ſedit 2 MS. G. S. v. 4. *- enim*] 1 MS. G. S. v. 11. *reddet*] reddit 6 MS. G. v. 18. *acceſſibilem*] accenſibilem 4 MS. R. G. S. v. 19. *audierunt*] audierant 1 MS.

CAP. XIII. V. 1. *- in vobis*] 5 MS. G. Q. N. v. 2. *placuerunt*] latuerunt 1 MS. G. Q. N. v. 9. *ſtabiliri*] ſtabilire MS. v. 25. *- fratres*] 8. MS. G. S.

EPISTOLA JACOBI.

CAP. I.

VErſ. 5. *affluenter*] ſimpliciter. G. S. v. 18. *voluntarie*] * enim MS. B. G. q. v. 25. *in lege perfectæ*] in legem perfectam 1 MS. G. S.

CAP. II. V. 8. *ſcripturas*] ſcripturam R. G. S. v. 13. *fecit*] fecerit 2 MS. v. 18. *dicit*] 3 MS. R. G. v. 20. *- otioſa*] mortua 5 MS. R. G. S.

CAP. III. V. 1. *ſumitis*] ſumemus G. S. v. 2. *poteſt*] potens 1 MS. G. v. 3. *Si*] Sicut MS. ib. *equis fræna*] equorum frænos Q. N. ib. *etiam*] 4. MS. B. G. S. v. 4. *Et ecce*] Ecce & MS. G. ib. *- autem*] tamen MS. q. - 3 MS. B. G. S. v. 5. *quantus*] quantulus G. S. v. 12. *falſa*] falſam 1 MS. G. Q. N. v. 14. *- ſint*] 7 MS. G. S. v. 17. *- bonis conſentiens*] 4 MS. G. S.

CAP. IV. V. 4. *Adulteri*] * & adulteræ 1 MS. R. G. v. 5. *An*] Aut MS. ib. *dicat : Ad invidiam concupiſcit*] dicat ad invidiam? Concupiſcit Q. N. ib. *vobis*] nobis 1 MS. G. S. v. 11. *- meis*] 6 MS. G. v. 12. *- enim*] 1 MS. G. v. 14. *eſt*] * enim 1 MS. R. G.

CAP. V. V. 3. *- vobis iram*] 7 MS. G. Q. N. v. 5. *Adduxiſtis*] Addixiſtis] 6 MS. G. S. Q. N. v. 6. *- &*] MS. G. ib. *- &*] MS. G. ib. *reſtitit*] reſiſtit 7 MS. G. v. 8. *appropinquabit*] appropinquavit 5 MS. G. S. v. 10. *fratres*] * exitus mali & longanimitatis, & MS. B. v. 13. *Triſtatur*] * autem MS. q. v. 20. *ejus*] ſuam MS. Q. N. ib. *operit*] operiet 3 MS. R. Beda G. S.

I *EPIST. PETRI.*

CAP. I.

VErſ. 6. *exultabitis*] exultatis 6 MS. G. v. 7. *revelatione*] revelationem o. v. 8. *- creditis*] 1 MS. G. S. v. 9. *animarum*] * veſtrarum MS. S. v. 12. *quem*] quam S. G. S. v. 13. *perfecte*] perfecti MS. q. ib. *revelatione*] revelationem MS. q. v. 15. *Sanctum*] * ut o. v. 21. *Deo*] Deum 1 MS. G. S. v. 25. *vobis*] vos MS. R. G.

CAP. II. V. 2. *rationabiles*] rationabile 4 MS. R. B. G. S. v. 3. *- tamen*] 3 MS. G. S. ib. *dulcis*] ſuavis 3 MS. v. 5. *domos ſpirituales*] domus ſpiritualis 3 MS. R. G. Q. N. v. 8. *quod*] quo 3 MS. B. G. Q. N. v. 11. *- obſecro vos*] 2 MS. G. v. 20. *gloria*] gratia MS. q. ib. *facientes*] & 3 MS. B. G. S. ib. *patienter*] patientes 4 MS. B. G. S. v. 21. *nobis, vobis*] vobis, vobis MS. G. q. nobis, nobis 3 MS. G. q. S. Q. N. v. 23. *ſe injuſte*] juſte G. Q. N.

CAP. III. V. 2. *caſtam*] ſanctam MS. v. 4. *qui*] quod MS. q. v. 8. *In fide*] In fine 4 MS. G. S. S. Q. N. v. 11. *Declinet*] * autem MS. q. v. 14. *&*] ut MS. q. v. 15. *ſpe*] * & fide MS. Q. N. v. 18. *- noſtris*] 5 MS. G. ib. *mortificatus quidem carne, vivificatus*] mortificatus quidem carne, vivificatus 5 MS. G. S. v. 19. *ſpiritu*] ſpiritibus MS. G. S. Q. N. v. 21. *vos*] nos 3 MS. R. G. Pro lectione textus faciunt B. S. & ut videtur Scholiaſtes Græcanicus.

CAP. IV. V. 4. *in quo*] in quibus nunc obſtupeſcunt 13 MS. ib. *admirantur*] peregrinantur 3 MS. G. v. 6. *- in*] 1 MS. G. S. v. 7. *appropinquabit*] appropinquavit 8 MS. G. S. v. 8. *voſmetipſis*] voſmetipſos 3 MS. G. S. v. 12. *peregrinari*] mirari MS. B. S. Q. N. v. 14. *quod eſt honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui eſt ejus ſpiritus : ſuper vos requieſcet*] gloria Dei ſpiritus in vobis requieſcit 1 MS. S. gloriæ & Dei Spiritus in vobis requieſcit 3 MS. G. Q. N. v. 18. *juſtus*] * quidem. o. ib. *ſalvabitur*] ſalvatur 2 MS G. S.

CAP. V. V. 1. *- qui*] MS. Q. S. v. 3. *formæ facti gregi*] forma facti gregis MS. B. S. ib. *- ex animo*] G. S. v. 13. *coelecta*] collecta o.

II PETRI.

CAP. I.

VErſ. 1. *Simon*] Simeon 1 MS. G. q. v. 2. - *Chriſti*] 10 MS. G. q. v. 3. *donata ſunt*] donata eſt 7 MS. G. utramque lectionem agnoſcit Beda. v. 4. *quem*] quæ 7 MS. G. quam 8 MS. B. Textus conſentit G. q. v. 8. *ſi vobiſcum aſſint*] vobis cum adſint 5 MS. Utrovis modo intelligi poſſunt Græci. v. 16. *indoctas*] doctas 3 MS. Q. N. ib. *præſcientiam*] præſentiam 5 MS. R. G. ib. ∻ *illius*] ἐκείνου.

CAP. II. V. 7. - *injuria ac*] 1 MS. R. G. impudica 1 MS. Q. N. v. 9. *Dominus*] Deus MS. q. v. 10. ∻ *ſectas*] δόξας. ib. - *introducere*] 6 MS. G. v. 11. *ſe*] * a Domino 1 MS. R. G. v. 13. *coinquinationis*] coinquinationes 1 MS. G. v. 16. - *animal*] 4 MS. B. G. * in MS. R. B. G. v. 18. *Superba*] Superbia o.

CAP. III. V. 9. *promiſſionem ſuam*] promiſſi 4 MS. G. promiſſis MS. q. v. 12. *Domini*] Dei 1 MS. G. v. 13. *ſecundum*] & o. v. 15. *noſtri*] * Jeſu Chriſti MS. q.

I JOHAN.

CAP. I.

VErſ. 4. - *gaudeatis, &*] 3 MS. Aug. G. S.

CAP. II. V. 4. *eum*] Deum MS. q. v. 8. - *&*] R. Aug. G. S. v. 14. *Scribo*] Scripſi 1 MS. G. q. S. ib. *patrem*] Q. N. ib. *Scribo vobis juvenes*] Scripſi vobis adoleſcentes 3 MS. G. S. v. 17. *tranſit*] tranſibit MS. q. Aug. v. 22. *non*] 5 MS. Q. N.

CAP. III. V. 10. *non eſt juſtus*] non facit juſtitiam R. G. S. v. 11. *diligatis*] diligamus R. Aug. G. v. 17. *ſubſtantiam*] * hujus MS. q.

CAP. IV. V. 3. *ſolvit Jeſum*] Q. N. ib. *Antichriſtus*] Antichriſti G. Q. N. v. 4. *eum*] eos 4 MS. G. S. v. 10. *ipſe*] * prior MS. q. v. 14. - *ſuum*] 1 MS. G. v. 17. *charitas*] * Dei MS. q. ejus S. v. 20. *videt*] vidit MS. R. G. v. 21. *a Deo*] ab eo 5 MS. Aug. G. S.

CAP. V. V. 5. *eſt*] * autem MS. q. v. 6. *Chriſtus*] Spiritus G. S. v. 7. - *in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres unum ſunt. Et tres ſunt qui teſtimonium dant*] 5 MS. B. S. Q. N. v. 8. - *& hi tres, unum ſunt*] 15 MS. R. G. Q. N. v. 12. *filium*] * Dei MS. G. q. v. 13. *ſcribo*] ſcripſi 7 MS. B. G. S. v. 14. *eum*] Deum MS. q. v. 15. *poſtulamus*] poſtulavimus 2 MS. G. S. v. 16. *petat, & dabitur ei vita, peccanti*] petet, & dabit ei vitam, peccantibus 6 MS. G. S. v. 17. *peccatum*] * non G. S.

II JOHAN.

VErſ. 11. *malignis*] * Ecce prædixi vobis, ut in die Domini non confundamini MS.

III JOHAN.

VErſ. 4. *Majorem horum, non habeo gratiam*] Majus horum non habeo gaudium R. G. Q. N. v. 6. *benefacies, deducens*] benefaciens, deduces o. v. 11. *Deum*] eum MS. q.

JUDÆ EPISTOLA.

VErſ. 3. *ſupercertari*] ſupercertare 2 MS. Q. N. v. 10. *Imperet tibi*] Increpet te MS. G. v. 11. *qui*] quia 3 MS. R. G. ib. - *in*] 5 MS. G. v. 12. *circumferuntur*] conferuntur R. Q. N. v. 15. *eum*] Deum MS. q. v. 16. *ſuperbiam*] ſuperba 4 MS. R. G. v. 18. *in noviſſimo tempore*] in noviſſimis temporibus MS. ib. *in impietatibus*] impietatum 4 MS. G. in impietate MS. q. v. 20. *noſtræ*] veſtræ 8 MS. B. G. q. v. 21. *vosmetipſos*] ipſos vos 3 MS. v. 24. - *in exultatione*] o. ib. - *in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti*] 3 MS. B. G.

APOCALYPSIS.

CAP. I.

VErſ. 13. - *aureorum*] 1 MS. Pr. G. v. 15. *aurichalco*] aurichalco libani Pr. G. χαλκολιβάνῳ.

CAP. II. V. 1. - *Et*] 7 MS. G. v. 4. - *pauca*] 9 MS. Pr. G. v. 8. *vivit*] vixit R. G. v. 19. - *tuam*] 1 MS. Pr. G. v. 22. *mittam*] ego mitto 1 MS. R. Pr. G. v. 23. *in mortem*] in morte 8 MS. G. v. 24. *dico*] * & MS. G. q. ib. *altitudinem*] altitudines 5 MS. G. v. 26. *&*] * qui 3 MS. v. 27. - *&*] 1 MS. Pr. G.

CAP. III. V. 2. *invenio*] inveni 3 MS. Pr. G. v. 20. *aperuerit*] * mihi MS. q. Pr.

CAP. IV. V. 1. - *cito*] 7 MS. Pr. R. G. v. 2. *poſt hæc. Statim*] Poſt hæc ſtatim MS. q. Et 5 MS. R. G. v. 5. *qui*] quæ 2 MS. R. G.

CAP. V. V. 5. *dixit*] dicit 6 MS. Pr. G. v. 9. - *Domine*] 3 MS. Pr. G. v. 10. *regnum*] reges G. ib. *regnabimus*] regnabunt 12 MS. G. Q. N. v. 12. *divinitatem*] divitias Pr. G. v. 14. - *in facies tuas*] Pr. G. ib. - *viventem in ſecula ſeculorum*] 7 MS. G. verum R. Pr. & G. q. legunt.

CAP. VI. V. 6. *dicentium*] dicentem 6 MS. R. Pr. G. ib. ∻ *Bilibris*] χοῖνιξ. ib. ∻ *bilibres*] χοίνικες. v. 13. *de cœlo*] cœli 2 MS. v. 14. *inſulæ*] inſula R. G.

CAP. VII. V. 1. *ne flarent*] ne flaret ventus 4 MS. G. v. 3. *&*] neque 4 MS. Pr. G.

CAP. VIII. V. 3. - *de*] 2 MS. G. Q. N. ib. - *Dei*] 7 MS. Pr. G. v. 5. *thuribulum*] * aureum MS. q. v. 12. *noctis*] nox 3 MS. nocti 5 MS. Q. N. v. 13. *vocibus*] * tubæ 2 MS. G.

CAP. IX. V. 5. *datum*] dictum o. ib. *cruciarentur*] cruciarent R. G. Textus conformis eſt G. q. v. 8. *ſicut*] * dentes MS. q.

CAP. X. V. 1. *columna*] columnæ 1 MS. R. Pr. G.

CAP. XI. V. 16. - *Amen*] 6 MS. Pr. G.

CAP. XII. V. 2. - *&*] 5 MS. R. G. Q. N. ib. *clamabat*] clamat 9 MS. G. q. v. 3. *ejus*] ſuis 2 MS. R. v. 6. *paſcant*] paſcat o. v. 7. - *magnum*] 5 MS. Pr. G.

CAP. XIII. V. 2. *ſicut*] * pedes MS. q. v. 10. *vadit*] vadet MS. Pr. v. 15. *faciat*] facit MS. G. Q. N.

CAP. XIV. V. 5. - *ante thronum Dei*] 4 MS. G. Q. N. v. 6. *cœli*] cœlum 1 MS. R. v. 7. *mare & omnia quæ in eis ſunt*] & mare MS. Pr. G.

CAP. XV. V. 3. *tuæ*] * Domine o. ib. *ſeculorum*] ſanctorum 2 MS. G. q. Q. N. v. 6. *lapide*] lino 2 MS. R. G. Quibus accedit Pr. legens, Veſtiti antea munda.

CAP. XVI. V. 2. *primus*] * angelus MS. q. v. 3. - *angelus*] 5 MS. Pr. v. 5. *aquarum*] quartum o. ib. *quia*] qui MS. q. v. 8. - *angelus*] MS. q. v. 10. - *angelus*] MS. q. v. 12. - *angelus*] MS. q. v. 13. *prophetæ*] * exire MS. Pr. v. 17. - *angelus*] MS. q.

CAP. XVII. V. 4. *abominatione*] abominationum 11 MS. Pr. G. ib. *ejus*] Pr. legit, plenum abominationum & immunditiæ fornicationis totius terræ. Cui conſentit Aretha Græcus. v. 10. - *&*] 7 MS. G. v. 12. *accipient*] accipiunt 5 MS. Pr. G. ib. *poſt beſtiam*] cum beſtia Pr. quomodo G. rectiſſime vertuntur.

CAP. XVIII. V. 2. *fortitudine*] forti voce 18 MS. G. Q. N. v. 5. *Deus*] Dominus MS. q. v. 8. *eſt*] * Dominus R. G. ib. *judicabit*] judicavit 4 MS. R. G. v. 12. *margaritæ*] margariti MS. G. ib. *cocci*] coccini 5 MS. R. G. v. 13. *cinnamomum*] cinnamomi Pr. Q. N. * & amomum o. v. 15. *horum*] hominum o. v. 20. *Exulta ſuper eam cœlum*] Exultate ſuper eam cœli 7 MS. Pr.

CAP. XIX. V. 1. *turbarum*] tubarum o. v. 2. *Laus, & gloria, & virtus Deo noſtro eſt*] Salus & virtus, & gloria Dei noſtri R. G. Q. N. v. 3. *dixerunt*] dixit R. G. v. 6. *turbæ*] tubæ o. v. 11. *cum*] in 2 MS. G. v. 13. *vocatur*] vocabatur MS. v. 15. *gladius*] * ex utraque parte MS. R. Pr. G. Q. N. v. 20. *ardentis &*] ardens 2 MS. Alia nonnulla legunt, ardentis ſulphure: Pr. habet, ardentis igne & ſulphure; Græca legunt ardens in ſulphure.

CAP. XX. V. 4. - *ejus*] 5 MS. Pr. G. v. 11. *eis*] eorum Pr. ab eis o.

CAP. XXI. V. 4. *quæ*] quia 1 MS. R. Pr. G. v. 11. *iaſpidis, ſicut cryſtallum*] iaſpidi cryſtallizanti G. Q. N. v. 12. *angelos*] angulos o. v. 15. *arundineam*] arundinem 6 MS. Pr. G. Q. N. v. 16. *arundine*] * aurea MS. q. v. 23. *illuminavit*] illuminabit MS. q.

CAP. XXII. V. 1. *vivæ*] vitæ MS. R. Pr. G. v. 5. *illuminat*] illuminabit MS. R. Pr. G. Textus conformis eſt G. q. v. 9. *verba*] * prophetiæ MS. q. Pr. v. 11. *juſtificetur*] juſtitiam faciat 9 MS. G. Q. N. v. 14. *Beati qui lavant ſtolas ſuas*] Q. N. * in ſanguine agni o.

Hebræa, Chaldæa, Græca & Latina nomina Virorum, Mulierum, Populorum, Idolorum, Urbium, Fluviorum, Montium, cæterorumque locorum quæ in Bibliis utriuſque Teſtamenti leguntur in veteri interprete, cum aliquot appellativis Hebraicis, Chaldaicis, & Græcis vocibus : adjecta eorum expoſitione & explicatione. Locorum præterea deſcriptio ex Coſmographis.

Typographus Chriſtiano lectori S.

NE quid tibi deeſſet, Chriſtiane lector, quod ſacra tua ſtudia juvare queat, libellum hunc de interpretatione nominum propriorum quæ paſſim in ſcripturis ſacris leguntur, prout in editione vulgata Latina a vetere interprete ſcripta ſunt, emendatiorem multo quam antea tibi impreſſum damus. In quo præter diligentem locorum deſcriptionem ex optimis quibuſque auctoribus, Ptolemæo, Plinio, Pomponio Mela, Strabone, Joſepho, Volaterrano, & quibuſdam recentioribus viris in hac re diligentiſſimis; ſingula nomina literis Hebraicis cum ſuis apicibus, & punctis adſcripſimus ex ſuis locis: quos ſi quando conferre libeat, ut ii promptius occurrant, & velut digito commonſtrentur, ultra libri & capitis indicationem adjectus eſt & verſuum numerus. Quoniam autem vetus interpres in ſcriptura iſtorum propriorum nominum ut plurimum LXX interpretes ſequutus eſt, etiam Græcis characteribus ipſa nomina ex LXX adjecimus. Ne autem mireris quædam appellativa nomina, tanquam propria interſeri, hoc ideo factum eſſe ſcito, quod vetus interpres, etiam LXX nonnunquam, propria quædam nomina vertit ut appellativa; cujuſmodi, Murus cocti lateris, pro Cir-hares; Tentatio pro Maſſa. Ad hæc, nomina quorum characteres proprii ignorabantur, quibus dictiones fuerunt conſcriptæ, ut Abaron, D. literam adjunctam habent, quæ dubiam eſſe interpretationem indicaret: ſicut Græca nomina, ut ἀβαρ, G. literam, quæ petitam eſſe a Græcis interpretationem ſignificat. Feliciter utere hoc libello, ac vale.

Notandum, Literis minoribus Alphabeti quæ hic inter capitum & verſuum numeros interſeruntur, ſcil. a. b. c. d. &c. deſignari ſectiones capitum in antiquis codicibus Vulg. Lat. factas antequam verſuum diſtinctio apponeretur, Nomina item Græca eſſe ſecundùm editionem Bibl. Reg. & Complut. quæ quomodo cum noſtra conveniunt vel ab ea differunt, ex variis noſtris Lectionibus Græcis ℟ •′. quibus B. Complut. cum noſtris collata ſunt, quiſque perſpicere poteſt.

A A

אהרן ἀαρών AAron, Mons ſive Montanus: aut docens, vel concipiens. Filius Amran, Exod. 4. c. 14. & 1 Par. 6. a. 2.

Aaronitæ, Idem, pluralis numeri, 1 Par. 27. c. 17.

אחסבי ἀχασβὰ Aasbai, Confidens in me, vel frater circundans: aut ex Hebræo & Syro, frater ſenectutis. Filius Machati, 2 Reg. 23. d. 34.

אבדון ἀβαδδών Abadon, Exterminans, vel perditio. Abyſſus, Apo. 9. b. 11.

ἀμανὰ אבנה Abana, Lapideus, vel ædificatio: ſive pater obſecro nunc. Nomen fluvii Damaſci, 4 Reg. 5. d. 12. Varia eſt lectio in Hebraico codice, nam legitur & אמנה

עברים ἀβαρίμ Abarim, Tranſitus, pluralis numeri, ſive tranſeuntes: aut furores, vel prægnantes: aut Syriace, frumenta. Mons eſt Moabitarum contra Jericho, ſupra Jordanem, idem ille cum montanis Arabiæ, in quorum vertice eſt mons Nebo in ſummitate Phaſga, ubi Iſraelitæ caſtra fixerant XLI. manſionem Eremi, Numer. 21. c. 11. ubi legitur Jeabarim: & 33. f. 48. morte Moſis notus, Num. 27. c. 12. Deut. 32. g. 49. Teſtatur Hieronymus in locis Hebr: oſtendi Abarim, aſcendentibus de Libyade in Heſebon antiquo vocabulo juxta montem Phogor, nomen priſtinum retinentem, a quo circa eum regio uſque nunc appellatur Phaſga.

ἀβαρὰμ Abaron, Idem, ſingularis numeri: vel robur, aut fortitudo. D: Filius Mathathiæ filii Johannis, 1 Mach. 2. a. 5.

Abacuc, Vide Habacuc.

ἀββὰ אבא Abba, Pater, Syrum eſt, Mar. 14. d. 36. Rom. 8. c. 15. Gal. 4. a. 6.

עבדא ἀβδὰ ἀβδίας Abda, Servus, aut ſervitus: vel ex Græco & Syro, nubes iſta. Pater Adoniram, 3 Reg. 4. a. 6. & 2 Eſd. 11. c. 16.

עבדי ἀβδὶ Abdai, Servus aut ſervitus: vel nubes abundans. Pater Cis Levitæ, 2 Par. 29. c. 11.

עבדאל ἀβδεήλ Abdeel, Servus Dei, vel nubes abundantiæ Dei. Pater Selemiæ, Jerem. 36. f. 26.

עבד מלך ἀβδεμέλεχ Abde-melech, Servus regis, vel ſervus conſilii. Nomen Æthiopis cujuſdam eunuchi, Jerem. 38. b. 8.

עבדנגו ἀβδεναγὼ Abdenago, Servus claritatis, vel ſervus anxius, aut faciens ſplendorem. Nomen viri qui & Azarias dicitur, Dan. 1. b. 44.

עבדי ἀβδὶ Abdi, Servus meus, aut ſervitus, vel nubes abundans. Filius Maloch filii Azabiæ, 1 Par. 6. a. 7.

עבדיה αὐδίας ἀβδειοῦ Abdias, Servus Domini. Diſpenſator domus regis Achab, 3 Reg. 18. a. 3. & 2 Par. 34. c. 12. Propheta item, Abd. 1. a. 1.

עבדיאל ἀβδιήλ Abdiel, Servus Dei, aut nubes abundantiæ Dei. Filius Guni, e tribu Gad, 1 Par. 5. b. 15.

עבדון ἀβδώμ ἀβδών Abdon, Servus aut nubes judicii. Filius Michai ſive Micha, 2 Par. 34. b. 19. qui 4 Reg. 22. c. 12. Achobor dicitur. Nomen item civitatis in tribu Aſer, Joſ. 21. c. 30. 1 Par. 6. g. 47. Fuit & nomen judicis in Iſrael, Judic. 12. d. 12.

ὠβήδ עבד Abed, Servus vel operarius. Nomen viri, 1 Eſd. 8. a. 6.

אבל ἀβελ Abel per א, Luctus. Civitas quæ (ut Hieronymus inquit) duodecim a Gadaris miliaria, Orientem verſus, diſtat, 1 Regum 6. d. 18. & 3 Reg. 15. d. 20. & 4 Reg. 15. f. 29. Eſt & villa in ſeptimo Philadelphiæ lapide, ubi Jephte cum Ammonitis manum conſeruit.

הבל ἄβελ Abel per ה in principio, Vanitas, ſive anhelitus: aut Syriace, vapor. Filius Adam, Gen. 4. a. 2.

אבלה ἀβηλὰ Abela, Luctus, Nomen urbis, 2 Reg. 20. e. 15. quæ & Abel. Vide paulo ante: tantum ה eſt additum ad motum.

אבל מים ἀβελμαείμ Abel-maim, Luctus aquarum, Civitas, quam (ut narrat hiſtoria Paralipomenon, 2 Par. 16. a. 4.) rex Aſa per Benadan Syrum expugnavit, 3 Reg. 15. d. 20.

אבל מחולה ἀβελμολὰ Abel-mehula, Luctus infirmitatis, aut luctus chori, vel tympani: ſive ex Hebræo & Syro, luctus veniæ. Nomen loci, Judic. 7. f. 22. & 3 Reg. 4. b. 10. & 19. c. 16. Hieronymus in locis Hebraicis ait vicum eſſe in Aulone.

אבל השטים ἀβελσαττίμ Abel-ſatim, Luctus ſpinarum, ſive declinationum, aut prævaricationum. Non procul a Jordane locus in deſerto ad Meridiem Moabitarum, Num. 33. f. 49. Illic fuit XLII. manſio Judæorum. Dicitur & Sitim ſive Setim, Num. 25. a. 1.

Aben-boen, Lapis pollicis, aut pollex, vel lapis in eis. Nomen loci, Joſ. 18. c. 17. אבן בהן λίθος βόαν

Abes, Ovum ſive cœnoſus, aut lineus. Nomen civitatis in tribu Iſſachar, Joſ. 19. b. 20. אבץ ἀεβὴς

Abeſan, Pater ſcuti, aut patris ſcutum vel arma, aut pater frigiditatis. Nomen judicis in Iſrael de Bethlehem, Jud. 12. c. 8. אבצן ἀβεσσὰν

Abeſſalom, Pater pacis, ſive pater conſummationis, ſive pater retributionis, aut patris pax, ſive patris conſummatio, ſive patris retributio. Pater Maacha, ſive Michai matris Abiam, 3 Reg. 15. a. 2. qui 2 Par. 13. a. 2. dicitur Uriel. אבישלום ἀβεσσαλώμ

Abgatha, Pater torcularis, vel patris torcular. Eunuchus Aſſueri regis Perſarum, Eſth. 1. b. 10. אבגתא ἀβαγαθὰ

Abi, Pater meus. Mater Ezechiæ regis Judæ, 4 Reg. 18. a. 2 quæ 2 Par. 29. a. 1. dicitur Abia. אבי ἀβὶ

Abia, pater Domini, aut voluntas Domini. Mater Ezechiæ regis Judæ. 2 Par. 29. a. 1. quæ 4 Reg. 18. a. 2. dicitur Abi. Filius Samuelis prophetæ, 1 Reg. 8. a. 2. & 1 Par. 6. b. 29. Filius item Roboam, 1 Par. 3. b. 10. qui 3 Reg. 14. g. 31. dicitur Abiam juxta quædam exemplaria Hebræa. Uxor Eſron filii Phares, 1 Par. 2. c. 24. Filius item Jeroboam, 3 Reg. 14. a. 1. אביה ἀβιὰ

Abi-albon, Pater ſuperintelligens, aut pater ſuperædificans: aut ex Hebræo & Syro, pater injuriæ. Nomen viri. 2. Reg. 23. d. 30. 1 Par. 11. f. 32. dicitur Abiel. אבי עלבון ἀβὶ᾽ ἀλβὼν

Abiam, Pater maris. Filius Roboam, 3 Reg. 14. g. 31. & 15. a. 1. qui Abia, 1 Par. 3. b. 10. dicitur. אבים ἀβιὰ

Abiaſaph, ſive Abiſaph. Pater congregans, ſive pater conſummans vel finiens. Filius Core, 1 Par. 6. c. 33. & 9. c. 19. Exod. 6. d. 24. Filius Elcanæ, 1 Par. 6. b. 23. & 9. c. 19. אביסף vel אביאסף ἀβιασὰφ

Abiathar, Pater excellens, aut pater reſidui vel remanentis: ſive pater explorationis vel contemplationis, aut pater funiculi. Filius Achimelech ſacerdotis, 1 Reg. 22. d. 21. & ipſe Achimelech, Marc. 2. d. 26. אביתר ἀβιάθαρ

Abida, Pater ſcientiæ, vel ſcientia patris. Filius Madian filii Abrahæ, Gen. 25. a. 4. אבידע ἀβιδὰ

Abidan, Pater judicii: aut ex Hebræo & Syro, pater meus iſte. Filius Gedeonis, Num. 1. b. 11. אבידן ἀμιδὰν

Abiel, Pater meus Deus. Filius Seror, 1 Reg. 9. a. 1. Pater Ner, 1 Reg. 14. g. 50. Nomen item cujuſdam alterius. 1 Par. 11. f. 32. qui 2. Reg. 23. d. 30. dicitur Abi-albon. אביאל ἀβιήλ

Abiezer, Pater adjutorii, ſive patris adjutorium, vel pater atrii, aut patris atrium. Filius Manaſſe, Joſue 17. a. 2. Unus ex fortibus David, 2 Reg. 23. d. 27. & 1 Paral. 7. d. 19. Alius item Judic. 6. g. 34. אביעזר ἀβιέζερ

Abiezerita, Vide Ezer.

Abi-gabaon, Pater collis, ſive pater calicis, vel ſcyphi, aut pater dorſi peccati. Vertendum ex Hebræo, princeps Gabaon, cujus nomen erat Jahiel, & uxor ejus Maacha, 1 Par. 8. c. 29. & 9. c. 35. אבי גבעון πατὴρ γαβαὼν

Abigail, Pater exultationis, vel patris exultatio. Nomen uxoris Nabal, 1 Reg. 25. a. 3. & 30. a. 5. Uxor David mortuo Nabal, 1 Paral. 3. a. 1. Eſt & filia Naas, ſoror Sarviæ, mater Joab, 1 Paral. 2. b. 16. quæ 2 Reg. 17. g. 25. Abigal dicitur Hebraice. B. Ambroſius epiſtola 13. paternæ gratiæ rorem Abigail interpretatur. אביגיל ἀβιγαίλ אביגל

Abihail, per ח in penultima, Pater fortitudinis, aut pater exercitus, ſive pater divitiarum, aut pater antemuralis, vel pater doloris. Pater Suriel principis Moholitarum, Num. 3. e. 35. ubi corrupte legitur Abihaiel. Uxor item Roboam filii Salomon, 2 Par. 11. d. 18. אביחיל ἀβιχαΐα

Abihail, per ה in penultima, Pater luminis, vel laudis. Uxor Abiſur filii Semei, filii Onam, 1 Par. 2. d. 29. אביהיל ἀβιήλ

Abilina, Lugens vel plorans, ſive pater manſionis, vel murmurationis. ἀβιλινὴ rationis. D. Nomen regionis, cui præerat Lyſanias a Romanis conſtitutus, Luc. 3. a. 1.

אבימאל ἀβιμαὴλ Abimael, Pater a Deo, vel de Deo. Filius Jectam, Gen. 10. d. 25.

אבימלך ἀβιμέλεχ Abi-melech, Pater regis, ſive regum ſummus, rex dignitate reliquos reges antecellens. Generale nomen eſt Palæſtinorum regum: perinde atque Cæſar Romanorum imperatorum. Rex igitur fuit Geraræ, Gen. 20. a. 3. Filius item Gedeonis, Judic. 8. g. 32. Filius etiam Jerobeſeth, 2 Reg. 11. c. 20.

אבינדב ἀμιναδὰβ Abi-nadab, Pater ſpontaneus, aut pater voventis, vel voti, ſive pater principis. Filius Iſai patris David, 1 Reg. 16. b. 8. Filius Saul, 1 Par. 8. d. 32. Vide etiam 1 Reg. 7. a. 1. & 2 Reg. 6. a. 3. & 1 Par. 2. b. 13. & 9. g. 39. & 10 a. 2. & 13. c. 7.

אבינעם ἀβινεὲμ Abinoem, Pater pulchritudinis, vel jucunditatis, aut pater motionis eorum. Pater Barac ducis exercitus populi Judæorum, Judic. 4. a. 6.

אבירם ἀβιρὼν Abiram, Pater celſitudinis, vel electionis, aut pater fraudis, vel projectionis. Primogenitus Hiel reædificatoris Jericho, 3. Reg. 16. g. 34.

אבירם ἀβειρὼν Abirom, Idem. Heb. Abiram. Filius Eliab, Num. 16. a. 1. Deut. 11. a. 6.

אבישג ἀβισὰγ Abiſag, Patris ignorantia, vel patris error, ſive pater apprehendens vel attingens: aut pater multiplicans. Virgo adoleſcentula quæ calefaciebat regem David ſenio confectum, 3 Reg. 1. a. 3.

אבישי ἀβεσσαὶ Abiſai, Patris munus, vel pater muneris. Filius Sarviæ ſororis Abigail, frater Joab. 1 Reg. 26. a. 6. & 2. Reg. 10. c. 14. & 1 Paral. 2. b. 16. & 11. e. 20.

אבי-שוע ἀβισοὺ Abi-ſue, Pater ſalutis, vel exclamationis: aut pater reſpiciens, ſive Pater magnificus vel potens. Filius Phinees filii Eleazar filii Aaron, 1 Paral. 6. a. 4. Filius item Bela filii Benjamin filii Jacob, 1 Paral. 8. a. 4.

אבי-שור ἀβισοὺρ Abiſur, Pater muri, aut pater bovis, ſive pater cantantis, vel pater aſpicientis, aut pater rectitudinis. Filius Semei filii Onam filii Jerameel, 1 Paral. 2. d. 29.

אביטל ἀβιτὰλ Abital, Pater roris: vel ex Hebræo & Syro, pater umbræ. Mater Saphatiæ filii David, 2 Reg. 3. a. 4. & 1 Par. 3. a. 3.

אבי-טוב ἀβιτὼβ Abitob, Pater bonitatis. Filius Mehuſim, 1 Par. 8. b. 11.

אביהוא ἀβιοὺδ Abiu, Pater ipſe, vel pater eſt. Filius Aaron, filii Amram, filii Caath, filii Levi, Exod. 6. d. 23. & 1 Par. 6. a. 3.

אבי-חוד ἀβιοὺδ Abiud, Pater laudis vel confeſſionis. Filius Bela filii Benjamin filii Jacob, 1 Par. 8. a. 3.

אבנר ἀβεννὴρ Abner, Patris lucerna, vel patris novale. Nomen principis militiæ Saul, filius Ner patruelis Saul, 1. Reg. 14. g. 49.

ἀβοῦβος Abob, Pater incantationis, vel abſconſionis. D. Nomen viri, 1 Mach. 16. c. 15.

ἄβρα Abra, Ancilla vel famula. G. Judith 8. d. 32.

אברהם ἀβραὰμ Abraham, Pater multitudinis. Filius Thare, ſic nominatus a Deo, cum prius Abram diceretur, Gen. 17. a. 5.

ἀβρὰμ אברם Abram, Pater excelſus, Filius Thare Chaldæus, Gen. 11. d. 31.

עברון ἀχρὰν Abran, Tranſitus, aut ira ſive imprægnatio, vel nubes cantici: aut Syriace, frumentum. Nomen civitatis, Joſue 19. c. 28. Heb. Ebron.

אבשלום ἀβεσαλὸν ἀβεσσαλώμ Abſalom, Pater Pacis, ſive pater conſummationis, ſive pater retributionis, aut patris pax, ſive patris conſummatio, aut patris retributio. Filius David de Maaca, 2 Reg. 3. a. 3. & 1 Par. 3. a. 2.

ἀψάλωμος Abſolomi, Pater pacis, ſive pater conſummationis, vel retributionis. D. Nomen viri, 1 Mach. 15. g. 72.

A C

עקן ἰκάν Acan, Tribulatio, vel ſtridor, aut antemurale. Filius Eſer filii Seir Horræi, Gen. 36. c. 28.

עקר ἰκὰρ Acar, Sterilis, ſive enervans, aut evellens, vel truncus. Filius Ram primogeniti Jerameel, 1 Par. 2. d. 27.

הקין ἐκὲν Accain, Poſſeſſio, ſive emptio, aut nidus. Nomen civitatis, Joſ. 15. g. 56.

עקרון ἀκκαρὼν Accaron, Sterilitas, ſive enervatio, aut evulſio, vel truncus. Nomen urbis in tribu Dan, Jer. 25. e. 20. Joſ. 13. a. 3. & 15. f. 44. & 1 Reg. 17. g. 51.

עקרונים ἀκκαρωνῖται Accaronitæ, Steriles, ſive enervati, aut evulſi vel trunci. Populi, 1 Reg. 5. d. 10.

עקש ἐκκὶς Acces, Perverſus aut pravus. Pater Hira, 2 Reg. 23. d. 26. & 1 Par. 11. f. 28.

עכו ἀκχὼ Accho, Compreſſus, vel confractus. Nomen urbis, Judic. 1. f. 31.

הקוץ ἀκκὼς Accos, Spina, vel æſtas, aut tædium, ſeu vigilia, vel finis. Nomen viri, 1 Par. 24. b. 9. & 1 Eſd. 2. c. 59.

עקיב ἀκοὺβ Accub, Veſtigium vel ſupplantatio: aut pravitas, vel calcaneum, ſive retributio. Filius Elioenai filii Naariæ, 1 Par. 3. d. 24. & 9. c. 17. & 2. Eſd. 8. b. 7.

Aceldema, Vide Haceldema.

אחאב ἀχαὰβ Achab, Frater patris, vel fratris pater, ſive arula patris. Filius Amri regis Iſrael, 3 Reg. 16. f. 29.

אכד ἀρχὰδ Achad, Amphora, vel hydria, aut ſcintilla. Civitas in qua regnavit Nemrod, Gen. 10. b. 11. quæ nunc dicitur Niſibis.

ἀχαΐα Achaia, interpretatur dolor vel triſtitia. G. Græciæ regio & peninſula, ipſa enim Ægæo & Ionio cingitur æquore, ab Iſthmo incipit: de qua lege Plinium lib. 4. cap. 5. Strabonem in 8. Ptolemæum, lib. 3. cap. 15. Rom. 15. f. 26. & 1. Cor. 16. c. 15.

ἀχαϊκὸς Achaicus, Dolens ſive triſtis. G. Nomen viri, 1. Cor. 16. c. 11.

עכן ἄχαν Achan, Conterens, ſive conturbans. Filius Charmi filii Zabdi filii Zaræ, Joſ. 7. a. 1. & 22. d. 20. qui 1. Par. 2. a. 7. dicitur Achar.

עכר ἀχὰρ Achar, Conturbans. Filius Charmi filii Zabdi filii Zaræ filii Judæ, 1. Par. 2. a. 7. qui Joſ. 7. a. 1. dicitur Achan.

אחז ἀχὰζ Achas, Apprehendens, ſive poſſidens, aut videns. Filius Joatham regis Juda, 4 Reg. 16. a. 1. & 1 Par. 3. c. 13. Qui alias Eliezer, Luc. 3. f. 29. dicitur.

Achazib, Mendax, mendacium, aut ceſſans, ſive fluens utique. Nomen urbis tribus Aſer, Jud. 1. f. 13. quæ Achzib, Joſ. 19. c. 29. dicitur. אכזיב ἀχζὶβ

Achia, ſive Achias, Frater Domini. Filius Achitob fratris Ichabod, 1 Reg. 14. a. 3. Filius item Jerameel filii Eſron, 1 Par. 2. d. 26. אחיה ἀχία

Achimaas, Frater conſilii, vel frater conſiliarius, aut frater ex ligno. Pater Achinoam uxoris regis Saul, 1 Reg. 14. g. 49. Filius item Sadoc ſacerdotis, 2 Reg. 15. f. 36. & 1 Par. 6. a. 8. אחימעץ ἀχιμαὰς

Achiman, Frater præparatus, vel frater dexteræ, aut frater quis? Filius Enac, Num. 13. d. 23. אחימן ἀχιμὰν

Achimelech, Frater meus rex, aut frater regis vel conſilii. Nomen viri ſacerdotis, 1 Reg. 21. a. 1. Item filius Abiathar, 2 Reg. 8. d. 17. qui 1 Par. 18. d. 16. Abimelech dicitur. Achimelech dicitur Abiathar, Mar. 2. d. 16. אחימלך ἀχιμέλεχ

Achimoth, Frater mortis, vel frater mortuus, vel frater dierum. Filius Elcana, 1 Par. 6. b. 25. אחימות ἀχιμὼθ

Achin, Parabo, ſive præparabo, vel firmabo. D. Filius Sadoc, Matt. 1. b. 14. ἀχεὶμ

Achinoam, Fratris pulchritudo vel jucunditas, aut frater motionis. Nomen uxoris regis Saul, 1 Reg. 14. g. 49. Uxor item David Jezrahelitis, 1 Reg. 25. g. 43. & 1 Par. 3. a. 1. אחינעם ἀχιναάμ

Achior, Fratris lumen, aut frater ignis. D. Dux filiorum Ammon, Judith 5. a. 5. ἀχιὼρ

Achiram, Fratris celſitudo vel elatio, aut fratris dolus vel projectio. Filius Benjamin, Num. 26. c. 38. אחירם ἀχιρὼμ

Achiramitæ, Idem p. n. Num. 26. c. 38. δῆμος ἀχιραμί. האחירמי

Achis, Utique eſt, vel ſic eſt. Rex Geth, 1 Reg. 21. c. 11. Filius Maoch, 1 Reg. 27. a. 2. אכיש ἀγχὶς

Achiſamech, Frater ſuſtentationis vel firmitatis: aut frater conjungens. Pater Ooliab de tribu Dan, Exod. 31. a. 6. אחיסמך ἀχισαμὰκ

Achitob, Frater bonitatis. Pater Achias, 1 Reg. 14. a. 3. Pater Achimelech ſacerdotis, 1 Reg. 22. b. 9. Pater item Sadoc, 2 Reg. 8. d. 17. & 1 Par. 6. a. 7. & 9. b. 11. אחיטוב ἀχιτὼβ

Achitophel, Frater ruinæ, vel frater defectus, aut frater inſipiditatis, id eſt rei inſulſæ. Conſiliarius regis David, 2 Reg. 15. b. 12. Pater Eliam, 2 Reg. 23. d. 33. & 1 Par. 27. d. 33. אחיתפל ἀχιτόφελ

Achobor, Mus, vel conterens ſive comprimens puteum. Filius Michai, 4 Reg. 22. c. 12. Pater item Balanan ſeptimi regis in Edom, Gen. 36. d. 39. עכבור ἀχοβὼρ

Achor, Turbatio. Vallis in tribu Juda, Joſ. 15. b. 7. ad Septentrionem Jericho haud procul a Galgal: a tumultu & turbatione Iſraelitici populi appellationem habens; & non ab Achan ſacrilego qui illic lapidatus eſt propter anathematis furtum, Joſ. 7. d. 26. עכור ἀχὼρ

Achſa, compoſita, vel adornata, aut laſciviens: ſive confractio vel diruptio velaminis. Filia Caleb, 1 Par. 2. f. 49. quæ Joſ. 15. d. 16. & Judic. 1. c. 12. Axa ſcribitur. עכסה ὀξὰ

Achſaph, Veneficus, ſive conterens utique, aut labium utique. Nomen urbis in tribu Aſer, Joſue 11. a. 1. quæ cap. 19. b. 26. ſcribitur Axaph. Hæc Hieronymo Chaſalus dicitur in octavo lapide Diocæſariæ, ad radicem montis Thabor in campeſtribus ſita. אכשף χασὰφ

Achzib, ſive Achziba, Mendax, ſive ceſſans, aut fluens utique. Nomen civitatis in tribu Judæ, Joſ. 15. f. 43. & 19. b. 29. In primo capite Michææ. d. 14. legitur. Domos mendacii in deceptionem regibus Iſrael. Ubi legendum, Domos Achzib in deceptionem, ſive in mendacium regibus Iſrael. Vide Achazib. אכזיב ἀχζὶβ

Acron, Sterilitas, ſive enervatio, aut evulſio, vel truncus. Nomen civitatis in tribu Dan, quæ & Accaron appellatur, Joſ. 19. d. 28. עקרון ἀκκαρὼν

A D

Ada, Cœtus, vel congregatio, ſive ornata, vel teſtificans, aut tranſiens, vel præda: aut Syriace, ablata. Altera uxor Lamech, Gen. 4. d. 20. Uxor etiam Eſau, filia Elon, Gen. 36. a. 2. עדה ἀδὰ

Adad per א, Interitus, aut nubes, vel vapor, ſeu fons. Nomen viri Idumæi, 3 Reg. 11. c. 17. qui ibidem paulo ante, verſu 14. & paulo poſt verſu 19. ſcribitur per ה. אדד ἀδὰρ

Adad per ה, Sonitus, aut clamor, ſive celeuſma: ſeu mamilla, vel dilectio. Filius Badad, rex Edom quartus, Gen. 36. d. 36. Vide 3 Reg. 11. c. 14. & d. 19. הדד ἀδὰδ

Adada, Teſtimonium cœtus vel congregationis, aut teſtimonio ornata: vel teſtis tranſitus, ſive prædæ ejus, genere fœminino: aut præda ſuæ prædæ, vel æternitas ſui teſtimonii. Nomen civitatis in tribu Judæ, Joſ. 15. d. 21. ערעדה ἀδαδὰ

Adadezer, Vide Adarezer.

Adadremmon, Celeuſma mali-granati, ſive altitudinis. Urbs juxta Jezrahelem, quæ hodie vocatur Maximianopolis, Zach. 12. d. 12. הדדרמון ῥόοι

Adaia ſive Adaias, Teſtis Domini, ſive ornatus vel præda Domini, aut tranſitus vel æternitans Domini. Filius Ethan filii Zamma, 1 Par. 6. c. 41. & 8. b. 20. & 1 Eſd. 10. d. 29. ubi quædam exemplaria Hebraica legunt, עדיה. Filius item Jeroham, 1 Par. 9. d. 12. Pater Idida matris Joſiæ, 4. Reg. 22. a. 1. עדיה ἀδία

Adalia, Hauriens, ſive paupertas: aut nubes, vel interitus laboris. Filius Aman filii Amadatha, Eſth. 9. b. 8. אדליא ἀδαλία

Adam, Homo, ſive terrenus, aut rufus, vel ſanguineus. Nomen primi hominis creati a Deo, Gen. 2. d. 15. Luc. 3. d. 38. Nomen etiam commune quo vocavit Deus hominem & mulierem, Gen. 1. c. 26. Eſt & nomen urbis, Joſ. 3. d. 16. אדם ἀδὰμ

Adama, Terra, aut rufa, aut ſanguinea. Urbs Pentapoleos, Gen. 10. c. 18. אדמה ἀδαμὰ

Adami, Homo, vel humanus, ſive terrenus, aut rufus, vel ſanguineus, aut nubes, vel vapor, ſive interitus aquarum. Nomen civitatis quæ & Neceb dicitur, Joſ. 19. c. 33. אדמי ἀδαμμὶ

Adan, Vide Adin.

Adar, Pulchritudo, ſive habitaculum, aut generatio. Octavus rex הדר ἀρὰδ rex in Edom, Gen. 36. d. 39. qui 1 Par. 1. d. 46. dicitur Adad.

הדרעזר ἀδραζὲρ Adarezer, Decor aut pulchritudo auxilii, ſive habitaculum aut generatio auxilii: aut atrium pulchritudinis ſive habitaculi, vel generationis. Filius Rohob, rex Soba, 2 Reg. 8. a. 3. & 3 Reg. 11. d. 23. quibus in locis quædam exemplaria legunt Adadezer, at 1 Par. 18. a. 3. ubique legitur Adarezer.

ἀδασᾶ Acarſa, Teſtificans ſolem vel ſurdum, aut teſtimonium arantis. D. Nomen loci, 1 Mac. 7. f. 40.

ἀδασᾶ Adazer, Teſtis, vel teſtimonium auxilii. D. Nomen urbis, 1 Mach. 7. g. 45.

אדבאל ἀδβεὴλ Adbeel, Vapor vel nubes apud Deum vel cum Deo, ſive contriſtari faciens Deus. Filius Iſmaelis, Gen. 25. b. 13. & 1 Par. 1. b. 29.

vel אדרה אדר אדר ἀδδαρὲ Addar, ſive Addara, Pallium, ſive potentia, aut magnitudo. Nomen civitatis, Joſ. 15. a. 3. Nomen item menſis, ſive lunationis duodecimæ: quandoque integre, & aliquando pro parte noſtro reſpondentis Februario, 1 Eſd. 6. c. 15. Poſtremo filius Balæ filii Benjamin, 1 Par 8. a. 2.

ἀδδὶ Addi, Teſtis, vel teſtimonium, ſive ornatus, vel tranſitus, aut præda. Pater Melchi patris Neri, Luc. 3. f. 28.

עדו ἀδδῶ Addo, Teſtis, ſive ornatus, aut tranſitus, vel præda. Filius Joha, 1 Par. 6. b. 21. Pater item Barachiæ patris Zachariæ, Zac. 1. a. 1. Nomen prophetæ, יעדו, 2 Par. 9. g. 29. Vide Nehe. 12. a. 4. עדוא.

vel אדון אדן ἠδὰν Addon, Dominus, aut baſis, vel Syriace, auris. Nomen loci, 1 Eſd. 7. e. 6. qui Adon, 1 Eſd. 2. c. 57. ſcribitur.

ἀδιδὸς Addus, Novitas, vel menſis, aut trituratio. D. Nomen loci, 1 Mac. 13. b. 13.

אלחנן ἐλλανὰν Adeodatus, Latinum eſt, quod in Hebræo dicitur Elhanan: & interpretatur a Deo datus, ſive gratia Dei, aut miſericordia vel donum Dei. Filius Saltus, 2 Reg. 21. d. 19. & 1 Par. 20. c. 5.

ἀδιδὰ Adiada, Teſtimonium manus, ſive teſtimonium teſtimonii, aut præda manus. D. 1 Mac. 12. e. 38.

עדיאל ἀδιὴλ Adiel, Teſtimonium Dei, ſive ornatus, vel tranſitus Dei, aut præda vel æternitas Dei. Nomen principis, 1 Par. 4. f. 36. Filius Jezra, 1 Par. 9. b. 12. & 27. e. 24.

עדין ἀδδὶν Adin, Delicioſus, ſive voluptuoſus, aut ornatus: vel Syriace, temporalis. Nomen viri, 1 Eſd. 2. a. 15. & 8. a. 6.

עדינא ἀδεινὰ Adina, Idem. Filius Siza, 1 Par. 11. g. 42.

עדיתים ἀγεθθαΐμ Adithaim, Cœtus ſive congregationes, aut teſtimonia. Nomen urbis, Joſ. 15. e. 36.

עדלי ἀδλαΐ Adli, Teſtis mihi, ſive ornatus mihi, aut tranſitus, vel præda, vel æternitas mihi. Nomen viri, 1 Par. 27. d. 29.

אדמתא ἀδμαθὰ Admatha, Nubes, vel vapor mortis, ſive interitus mortis, vel terreſtris, aut rubens. Principis nomen, Eſth. 1. c. 14.

אדמים ἀδαμμὶμ Adommim, Terreni, vel rufi, aut ſanguinei. Nomen loci, Joſue 15. b. 7. & 18. c. 17.

אדן ἠδὰν Adon, Dominus, aut baſis: vel Syriace, auris. Nomen loci, 1 Eſd. 2. c. 59. qui Addon, 2 Eſd. 7. e. 60. ſcribitur.

יהוה κύριος Adonia, Beatus Hieronymus, Exod. 6. a. 1. pro nomine Dei tetragrammaton, id eſt quatuor literarum, Adonai tranſtulit: in aliis autem locis ſemper interpretatus eſt Dominus. Chaldæus paraphraſtes pro hoc poſuit triplex י hoc modo ייי.

אדניה ἀδωνία Adonia, ſive Adonias, Dominator Dominus, aut baſis Domini: vel ex Syro & Hebræo, auris Domini. Filius David ex Aggith, 2 Reg. 3. a. 4. & 1 Par. 3. a. 2.

אדניבזק ἀδωνιβεζὲκ Adoni-bezec, Domini fulgur, ſive Dominus fulguris, aut Dominus in compedibus. Nomen viri, Judic. 1. a. 5.

אדניקם ἀδωνικὰμ Adonicam, Dominus ſurrexit. Nomen viri, 1 Eſd. 2. a. 13.

אדנירם ἀδωνηρὰμ Adoniram, Dominus excelſus, ſive Dominus celſitudinis, vel elationis. Filius Abda qui erat ſuper tributa Salomonis, 3 Reg. 4. a. 6.

תמוז θαμμοὺζ Adonis, In Hebræo eſt Thamuz, id eſt conſumptus, ſive incendium: Syrum eſt. Nomen idoli, Ezec. 8. f. 14.

אדניצדק ἀδωνισεδὲκ Adoni-ſedec, Domini juſtitia, ſive Dominus juſtitiæ. Rex Jeruſalem, Joſ. 10. a. 1.

ἀδωρ Ador, Generatio, vel habitatio, aut teſtimonium lucis vel ignis. D. Nomen loci, 1 Mac. 13. c. 20.

הדורם ἀδωρὰμ Adoram, Decor eorum, aut laus, vel confeſſio ſublimis, ſive clamor excelſus. Filius Jectan, Gen. 10. d. 25. & 1 Paral. 18. c. 10. & 2 Par. 10. d. 18.

אדרמלך ἀδραμέλεχ Adramelec, Pallium regis, ſive magnitudo vel potentia regis vel conſilii. Filius Sennacherib regis, 4 Reg. 19. g. 36. Eſa. 37. g. 38. Deus item Sepharvaim, 4. Reg. 17. f. 31.

ἀδρία Adria, Nomen maris contra Ravennam, quod per oſtia Padi fluvii intratur, ſumpto vocabulo ab Adria proxima civitate quæ idem nomen mari Adriatico dedit Straboni in 5. Hoc pelagus Paulus emenſus eſt, Act. 27. e. 27.

ἀδραμυττηνῷ Adrumetina, In Græco, Adramytena: & interpretatur ſoliditas munda vel terſa. Adrumetum ſive Adrumetium civitas eſt Myſiæ. Eſt & Adramitis inſula Lyciæ, & Adrumes Adrumetis, civitas Aphricæ. Hieronymus autem aut ſi quis alius fuit auctor, in Catalogo locorum Actorum Apoſtolorum indicat Adrumetum eſſe civitatem in Bazatio regione Aphricæ. Plinius Adrumetum vocat neutro genere, Act. 27, a. 2.

עדלם ὀδολλὰμ Adullam, Civitas, Joſ. 12. d. 15. & 15. c. 35. quæ & Odollam. Vide Odollam.

אדרם ἀδωρὰμ Aduram, Pallium eorum, ſive potentia vel magnitudo eorum: aut vapor excelſus, ſive nubes excelſa: aut dolor ſive interitus ſublimitatis. Nomen viri qui erat ſuper tributa regis David, 2 Reg. 20. g. 24. & 3 Reg. 12. e. 18.

אדורים ἀδωραὶμ Aduram, In Hebræo Adoraim, Fortitudo vel potentia maris, aut vapor, ſive interitus elevatus, vel nubes elevata. Nomen civitatis ædificatæ a Roboam, 2 Par. 11. b. 9.

A E

מצרית αἰγυπτία Ægyptia, Anguſtians, ſive tribulans, Gen. 16. a. 1.

מצרים Ægyptii, Anguſtiantes, ſive tribulantes, Num. 14. b. 13.

מצרי αἰγύπτιος. αἰγύπτιος Ægyptius, Idem. ſ. n. Exod. 2. b. 11.

מצרים Ægyptus, Anguſtiæ, ſive tribulationes. Ægyptus ad Occidentem Judææ ſita, Aphricæ regio eſt. Plinius tamen lib. 5. cap. 9. naturalis hiſtoriæ, & Pomponius Mela in primo, Aſiæ attribuunt proxime Aphricam. Hæc ab oriente jungitur Aſſyriæ & Mari rubro: ab Occidente habet Libyam atque Cyrenem: a Meridie limitem qui Syenen ab Æthiopia dirimit, atque Oceanum a Septentrione, mare magnum, ſinumque Arabicum & terram ad Syriam uſque: irrigatur Nilo. Auctores ſunt Joſephus lib. 5. cap. 11. de bel. Judaico. Egeſippus lib. 4. Inferiorem ejus partem Nilus dextra lævaque diviſus, amplexu ſuo determinat. Ideoque inſulam quidam dixerunt Ægyptum: ita ſe findente Nilo, ut triquetram terræ figuram efficiat. Ideo multi Græcæ literæ vocabulo Δ, deltam appellavere Ægyptum. ita Plinius lib. 5. cap. 9. & Strabo lib. 17. Ptolemæus lib. 4. cap. 6. Ammia. Marcel. lib. 22. Oppida inſignia, Saiis, Memphis, Siene, Bubaſtis, Elephantis, Thebæ, Alexandria, Peluſium: teſtis Mela in 1. Canopus, Bolbis, Sebennis, Pathmis, Mendes, Tanis. Vide Raph. Volaterr. lib. 12. Geographiæ. Non eſt autem negligendum, Ægyptum prophetis appellatam Miſraim a Miſraim filio Cham, ejuſdem appellationis. Joſephus lib. 1. cap. 12. antiq. Judaicarum Meſrim & Meſraim nominatam refert. Hæc quondam Aeria dicta eſt, veluti Euſebius in Chronicis annotavit. Adde quod Pſal. 77. e. 51. & 104. c. 23. Ægyptus dicitur Cham, quod ejus filius Meſraim occupaverit Ægyptum.

עילם ἠλὰμ αἰλὰμ Elam, Adoleſcens vel virgo, maſculini generis, ſive occultus, aut ſeculum. Filius Sem, Gen. 10. c. 21. Filius item Seſac, 1 Paral. 8. c. 24. & 1 Eſd. 2. a. 7. Eſt & nomen Regionis Perſici regni, in qua ſita ſunt Suſa: de qua Dan. 8. a. 2. Eſa. 11. c. 11. a qua Ælamitæ dicuntur Judæi incolæ Elam, aut Perſæ regionem illam habitantes. Ælamitæ videntur poni Act. 2. b. 9. pro ipſis Perſis, quod Medis vicinis conjunguntur Perſæ. Scribendum Elam & Elamitæ.

עין αἰν Aen, Oculus, ſive fons. Nomen civitatis, Joſ. 15. e. 32. 1 Paral. 4. f. 32. eadem Civitas quæ & Ain dicitur Joſ. 9. a. 7.

αἰνείας Æneas, Laudatus. G. Nomen viri, Act. 9. f. 33.

Ænon, Vide Enon.

כוש Æthiopia, In Hebræo dicitur Chus: & interpretatur nigra, vel nigredo. αἰθιοπία autem, Græce ardorem ſive incendium ſignificat. Æthiopum regio ab Indo flumine conſurgens, juxta Ægyptum, inter Nilum & Oceanum, & in Meridie ſub ipſa ſolis vicinitate jacet. Gens ipſa univerſa primum Ætheria appellata eſt: deinde Atlantia: mox a Vulcani filio Æthiope, Æthiopia: auctor eſt Plinius hiſtoriæ mundi, lib. 6. cap. 30. Multa de hac congeſſit Raphael Volaterran. lib. 12. Geographiæ, quem conſule: ſimiliter Ptolemæum lib. 4. cap. 7. Plinium in 5. cap. 8. ubi quoque de duabus Æthiopiis clariſſime legis, Ezech. 29. c. 10. & 30. a. 4. Nah. 3. b. 9. Eſa. 11. c. 11.

כושי vel כושים Æthiops, Hebraice Chuſi, id eſt niger. αἴθιοψ ardens, ſive incenſus, Act. 8. e. 27. & 2 Par. 14. c. 9.

כשיים Æthiopes, Idem, p.n. 2 Par. 12. a. 3, Soph. 2. d. 13. Amos 9. b. 7.

χουσιεὶμ ציים Æthiopes, Pſal. 71. b. 9. & 73. b. 15. In Hebræo eſt Siim, & interpretatur ſiccitates, aut naves, ſive trieres, ſive dæmones.

כשית Æthiopiſſa, In hebræo dicitur Cuſith, & interpretatur nigra. αἰθιοπίσση vero, ardentem vel incenſum ſignificat, Num. 12. a. 1.

A F

Africa, Vide Aphrica.

A G

ἄγαβος Agabus, Locuſta vel feſtivitas patris. D. Nomen prophetæ, Act. 11. d. 28. & 21. b. 10.

אגג ἀγὰγ Agag, Tectum, vel ſolarium, quod ſcilicet eſt in ſuperiori parte domus. Nomen regis Amalec, 1 Reg. 15. b. 9.

אגגי ἀγαῖος Agagites, Idem, de ſtirpe Agag, Eſth. 3. a. 1.

הגר ἄγαρ Agar, Advena, ſive peregrina, aut ruminans, vel timens. Ancilla Abraham, Gen. 16. a. 1.

הגרי ἀγαρεὶ Agarai, Advena, ſive peregrinus aut ruminans, vel timens, Nomen viri, 1 Par. 11. g. 39.

הגראים ἀγαρηνοὶ Agareni, Idem. Nomen populi, 1 Par. 5. b. 10.

Agarenus, Idem, 1 Par. 27. d. 31.

אגא ἀγὰ Age, Vallis ſive profunditas. Pater Semma, 2 Reg. 23. b. 11.

חגי ἀγγαῖος Aggeus, Feſtivus, ſive ſolennis, vel gyrans. Nomen prophetæ. Agg. 1. a. 1.

חגי ἀγγὶς Aggi, Idem. Filius Gad filii Jacob, Gen. 46. b. 16.

החגי ἀγγὶ Aggitæ, Feſtivitates vel ſolennitates, vel gyrantes, Num. 26. b. 15. Familiæ nomen, ab Aggi filio Gad.

חגית ἀγγὶθ Aggith, Feſtiva, vel ſolennis, vel gyrans. Mater Adoniæ filii David, 2 Reg. 3. a. 4. & 1 Par. 3 a. 2. Vide Haggith.

ἀγρίππας Agrippa, Latinum eſt, dictum ab eo quod ægros, id eſt difficiles partus faciat: vel dicitur ille qui in naſcendo prius emittit pedes. Filius Herodis Agrippæ illius inter Herodes tertii qui occidit Jacobum, & in carcerem conjecit Petrum, Act. 25. d. 13.

A H

אחלב ἀχλαὰβ Ahalab, Frater cordis, ſive lacteus, vel lactans, aut adeps. Nomen urbis, Judic. 1. f. 31.

אחרח ἀαρὰ Ahara, Frater redolens, aut pratum odoris. Filius Benjamin 1 Paral. 8. a. 1. qui Gen. 46. c. 14. Gera dicitur.

אחרחל ἀδελφὸς ῥηχὰλ Aharehel, Alter exercitus, ſive noviſſimus exercitus: aut alter dolor, ſive noviſſimus dolor, aut ovis fratris. Filius Arum, 1. Paral. 4. b. 8.

Ahaiath, Corrupte ſcriptum, 4. Reg. 17. d. 24. de Cutha & de Ahaithu, pro Ava.

Ahaſel, Frater Joab, Vide Aſael.

אחשתרי ἀσθαρεὶ Ahaſthari, Curſor, vel veredarius, ſive feſtinatio turturis, aut feſtinatio exploratoris, ſive frater qui explorat : vel ex Syro & Hebræo, princeps turturis, vel princeps explorationis. Filius Aſhur ex Maara, 1. Par. 4. a. 6.

ἀχουά אחוא Ahava, Eſſentia, ſive generatio. Fluvii nomen, 1.Eſd.8. f. 31.

ἀχὰζ אחז Ahaz, Apprehendens ſive poſſidens, aut videns. Filius Micha filii Meribaal, 1. Par.8. d.35.

ἀχζίος אחזי Ahazi, Videns, ſive apprehendens. Nomen viri,Neh.11. b. 13.

ἀχὲρ אחר Aher, Alter, ſive poſterior, aut noviſſimus. Nomen viri, 1. Par. 7. c. 12.

אחי ἀχὶ Ahi, Frater meus, vel fratres mei. Filius Somer filii Heber filii Bariæ, 1. Par. 7. g. 35.

אחיה ἀχία Abia, ſive Ahias, Frater Domini. Filius Siſa, princeps exercitus Salomonis, 3. Reg. 4. a. 3. & 1.Par. 11. g. 29. Pater Baaſa. 4. Reg. 9. b. 9. Fuit & propheta quidam Silonites. 3. Reg. 12. c.15.

אחיאם ἀχιὰμ Ahiam, Frater matris, aut frater gentis : Filius Sarar, 2. Reg. 23. d. 33. qui 1. Par. 11. g. 35. dicitur filius Sacar.

אחיקם ἀχικὰμ Ahicham, Frater reſurgens, vel frater vindicans. Filius Saphan, 4. Reg. 22. c. 12.

אחיעזר ἀχιέζερ Ahiezer, Frater adjutorii, vel fratris adjutorium, aut fratris atrium. Filius Ammiſaddai, Princeps tribus ſuæ Dan, Num. 1. a. 12. & 2. d. 26. & 7. e. 66. & 10. c. 25. & 1. Par. 12. a. 3.

אחיחד ἀχιοὺδ Ahihud, Frater unitatis,ſive frater acuminis,aut frater ænigmatis vel gaudii, Nomen viri, 1. Par. 8. a. 7.

אחילוד ἀχιλοὺδ Ahilud,Frater natus,vel frater genitus. Pater Joſaphat illius qui erat a commentariis Davidi, 2. Reg. 8. d. 16. & 3. Reg. 4. b. 12.

אחימן ἀχιμὰν Ahiman, Frater præparatus, ſive frater dexteræ, aut frater meus quid? Nomen viri, 1. Par. 9. c. 17. Filius Enac, Joſ. 15. c. 14. Judic. 1. b. 10.

אחימלך ἀχιμέλεκ Ahimelech, Frater meus rex, vel frater regis ſive conſilii. Nomen viri de filiis Ithamar, 1. Par. 24. a. 3.

ἠείμ אחין Ahin, Frater vini, vel fratres. Filius Semidæ filii Galaad, 1.Par. 7. d. 19.

אחינדב ἀχιναδὰβ Ahinadab. Frater ſpontaneus, aut frater voventis vel voti, ſive frater principis. Filius Addo, 3. Reg. 4. b. 14.

אחיו ἀδελφοὶ αὐτοῦ Ahio, Frater ejus,vel fratres ejus. Filius Abigabaon, 1. Par. 8. c. 30. Filius item Jehiel, 1.Par. 9. f. 37. Filius Abinadab, 2.Reg. 6. a. 3. Filius Beriha, 1. Par. 8. b. 14.

עיון αἰὶν Ahion, Intuitus, aut fons, vel oculus. Nomen urbis, 3.Reg. 15. d. 20. &. 4. Reg. 15. f. 29. & 2. Par. 16. b. 4.

אחירע ἀχειρεΐ Ahira, Frater iniquitatis, ſive frater ſocii, aut frater paſtoris, vel fratrem confringens. Filius Enan, princeps tribus ſuæ Nephthali, Num. 1. b. 15.

אחישר ἀχισὰρ Ahiſar, Frater principis, ſive frater directionis vel cantici, aut frater inſidians. Præpoſitus domus Salomonis, 3. Reg. 4. a. 6.

אחישחר ἀσαείρ Ahiſahar, Frater auroræ, ſive frater matutinus, aut frater niger vel nigredinis. Filius Balan filii Jadihel filii Benjamin, 1. Par. 7. c. 10.

אחיחוד ἀχιὼρ Ahiud, Frater laudis vel confeſſionis. Filius Salomi, princeps tribus Aſer, Num. 34. d. 27.

אחבן ἀβὰν Ahoban, Frater filii, vel fratris filius, ſive frater intelligentiæ, aut frater ædificans, vel abſconditus. Filius Abiſur filii Semei filii Onam, 1. Par. 2. d. 29.

אהד ἀὼδ Ahod, Laudans,ſive confitens. Filius Simeonis filii Jacob, Gen. 46. b. 10. Heb. Ohad, qui 1. Par. 4. e. 24. dicitur Jarib.

ἀὼθ אחוד Ahod, Idem. Filius Balan filii Jadihel filii Benjamin, 1. Paral. 7. c. 11.

ἀὼδ אחוד Ahod, Unitas ſive gaudium, aut ænigma, vel acumen. Nomen viri, 1. Par. 8. a. 7.

ἀὼδ ἀὼδ אחוח Ahoe, Tribulus vel ſpina, ſive fraternitas, aut hamus. Filius Bela filii Benjamin filii Jacob, 1. Par. 8. a. 4.

Ahohimam, 1. Par. 1. c. 39. legendum Homam.

אחוחי ἀχωχεὶ Ahohites, Frater vivus, aut tribulus vel ſpina mea, 2. Reg. 23. b.9.& 1. Par. 27. a. 4.

אחומי ἀχιμαΐ Ahumai, Pratum aquilarum, vel frater aquarum. Filius Jahath filii Subal, 1. Par. 4. a. 2.

A I

Ai, Urbs Ammonitarum, Vide Hai.

איה αἰὰ Aia, per א, Vultur, vel heu, ſive ubi eſt? aut inſula ejus. Filius Sebeon filii Seir Horræi, Gen. 36. c. 24. & 1. Par. 1. c. 41. Item pater Reſpha concubinæ Saulis, 2. Reg. 3. b. 7. & 21. b. 11. Eſt & civitas, 1. Par. 7. f. 28. ubi legitur אוה & איה

αἰὰ עיה Aia, per ע, Acervus, Neh. 11. d. 31.

αἰλὼν אילון Ajalon, Ilex vel quercus, aut fortitudo, ſive cervus. Nomen civitatis conſtructæ a Roboam, 2. Par. 8. b. 13. & 11. b. 10. & 28. c. 18. Vallis item nomen, Joſ. 10. c. 13. Judic. 1. g. 35. quod LXX. reddiderunt tanquam appellativum, ἄρκτοι. Civitas de tribu Dan data Levitis, Joſ.21. c. 24. Civitas refugii, 1. Par. 6. f.69. ubi pro Aialon corrupte legitur Helon. Fuit & altera civitas in tribu Zabulon, ut Judic. 12. d. 11. legimus juxta Hebræum, Mortuuſque eſt ac ſepultus in Aialon in terra Zabulon.

ἀγγαΐ עית Aiath, Hora ſive coacervatio. Eſt ea urbs Juda aut Benjamin cujus meminit Eſaias cap. 10. g. 28. per quam Sennacherib tranſiit oppugnaturus Jeruſalem.

ἰλὼθ אילת Aila, Urbs quæ & Ailath, 4. Reg. 14. f. 22. & 16. a. 6. quam ædificavit Azarias, qui & Ozias dictus eſt.

Ailam, 1. Par. 8. c. 24. Scribe Ælam. Vide Ælam.

αἰλὰθ אילות Ailath, Ilices, vel quercus, aut cervæ, vel fortitudines. Nomen civitatis regni Edom, ad mare rubrum, unde ex Ægypto Indiam verſus & inde ad Ægyptum navigatur. Hæc & Aila dicitur, quam ædificavit Ozias qui & Azarias dictus eſt, 3. Reg. 9. d. 26. & 2. Par. 8. d. 17. & 26. a 2.

αἴν עין Ain, Oculus, ſive fons. Civitas eſt in termino Judæ ad Orientem, Num. 34. c. 11. quam tribus Iuda, atque Simeonis ſorte accepit, Ioſ. 19. a. 7. & 1. Par. 4. f. 32. quæ deinceps Levitis eſt tradita, Ioſ. 21. b. 16. Eadem urbs dicitur Aen, iiſdem conſonantibus & punctis, Hieronymo Bed-hen-nim dicta. Vide Aen.

A L

Alam, Occultatio, ſeu contemptus. Nomen viri. 1.Eſd. 8. a.7. עילם ἐλὰμ

Alamath, ſive Alameth, Occultatio, ſive juventus, aut ſecula, vel ſuper mortem. Filius Ioada, 1. Par. 8. d. 35. & 9. g. 42. Vide Almath. עלמת ἀλεμὼθ

Alcimus, Fortis. G. Nomen ſacerdotis impii, 1. Mac. 7. a. 5. ἄλκιμος

Alexander, Adjutor virorum, vel auxiliator virilis, vel fortiſſimus. G. Nomen regis Macedonum, 1. Mac. 1. a. 1. Mar. 15. b. 21. Fuit & vir quidam qui receſſit a fide, quem Paulus Satanæ tradidit, 1. Tim. 1. d. 20. ἀλέξανδρος

Alexandria, Hebraice dicitur No, & interpretatur crudum ſive irritatio, aut prohibitio. At Alexandria Græce, Latine dicitur adjutorium virorum,ſive auxilium virile vel fortiſſimum. Chaldæus paraph. pro No, vertit Alexandriam, Iere. 46. f. 25. Inter Ægyptum, Aphricam, & mare quaſi clauſtrum poſita, ab Alexandro magno condita in parte Aphricæ, teſte Plinio, lib. 5. ca. 10. נא ἀλεξάνδρεια

Alexandrini, Adjutores virorum, ſive auxiliatores viriles, vel fortiſſimi. G. Act. 6. c. 9. ἀλεξανδρεῖς

Alexandrinus, Idem. G. Act. 18. f. 24. ἀλεξανδρεὺς

Alian, Folia, vel excelſus. Filius Sobal, 1. Par. 1. c. 40. qui Gen. 36. c. 23. Alvan dicitur. עלין ἀλουὰν

Alicarnaſſum, Vide Halicarnaſſum.

Alimis, Veſtibulum, vel porticus, aut fortitudo. D. Nomen civitatis, 1. Mac. 5. c. 26. ἀλέμος

Allon, Quercus vel fortis. Pater Sephei patris Ziza, 1. Par. 4. f. 37. אלון σπηλῶν

Almath, Occultatio, ſive juventus, aut ſecula, vel ſupra mortem. Nomen civitatis in Tribu Benjamin, 1. Par. 6. e. 60. Eadem urbs quæ & Almon. Filius item Bechor filii Benjamin, 1. Paral. 7. b. 8. Vide Alamath. עלמת ἀλαμὼθ

Almon, Occultum, aut juventus, vel ſeculum ipſius. Civitas tribus Benjamin, Joſ. 21. b. 18. Eadem urbs quæ & Almath. עלמון ἐλμὼν

Alohes, Incantator, aut tacens. Nomen viri, 2. Eſd. 3. c. 21. חלוחש Ϛαλώης

Alphæus, Milleſimus, vel doctus, aut dux. D. Pater Iacobi apoſtoli, Mat. 10. a. 3. Marc. 2. b. 14. Luc. 6. e. 15. ἀλφαῖος

Alva. Aſcenſus ejus, ſive prævaricatio ipſius. Civitas Idumæorum, Gen. 36. d. 40. עלות γωλὰ

Alvan, Superior, vel excelſus, aut Syriace, perverſus. Filius Sobal, G. 36. c. 23. qui 1. Par. c 40. dicitur Alian. עלון πωλὰμ

Alus, Commiſtio ſive conſperſio. Nomen loci ad quem deſcenderunt filii Iſrael a Daphca aſcendentes in terram Chanaan, Num. 33. b. 13. אלוש αἰλὺς

A M

Amaad, Populus teſtimonii, aut populi tranſitus, vel præda, ſive populus æternitatis, Civitas tribus Aſer, Joſ. 19. d. 26. עמעד ἀμαὰδ

Amadathi, Conturbans legem, vel menſura. Heb. Ammadatha. Pater Aman, Eſth. 3. a. 1. המדתא ἀμαδάθος

Amal, Labor, aut iniquitas. Filius Helem, 1. Par. 7. g. 35. עמל ἀμὰλ

Amalec, Populus lambens: vel ex Hebræo & Syro, populus percutiens. Filius Eliphez ex Thamna concubina, Gen. 36. b.12. A quo Amalecitæ. עמלק ἀμαλὴκ

Amalecitæ, Populi lambentes, vel ex Hebræo & Syro, populi percutientes. Nomen populi, Gen 14. a 7. & 1. Reg. 30. a.1. עמלקי ἀμαλὴκ

Amalecites, Idem. ſ. n. 1. Reg. 27. c. 8.

Amam, Mater ſive timor eorum, aut ulna ſive cubitus eorum, Nomen civitatis in tribu Juda, Joſ. 15. d. 25. אמם ἀμὰμ

Aman, Conturbans, aut tumultuans, ſive præparans. Nomen principis, Eſth. 3. a. 1. המן ἀμὰν

Amana, Fides, ſive veritas, aut credulitas, vel nutrix. Fluvius Damaſci, qui & Abana dicitur, 4. Reg. 5. d. 12. Eſt & mons Ciliciæ, qui & Amanus dicitur, in quo oppidum Bonite eſt: hic a Syris (ut Plinius inquit lib. 5. cap. 22.) Ciliciam ſeparat. Hujus mentio fit Cantic. 4. c. 8. אמנה vel אבנה ἀμανὰ

Amaria ſive Amarias, Dicit Dominus, aut celſitudo Domini : vel ex Syro & Hebræo, agnus Domini. Pater Godoliæ patris Chuſi patris Sophoniæ prophetæ, Sopho. 1. a. 1. Filius item Meraioth filii Zaraiæ, 1. Par. 6. a. 7. & 2. Par. 31. c. 15. אמריה vel אמריהו ἀμαρία

Amaſa, Populus parcens, ſive populum tollens, vel populum elevans. Filius Abigail ſororis Sarviæ, cujus Amaſæ pater Jether dicebatur, 2. Reg. 17. f. 25. & 1. Par. 2. b. 17. Filius item Hadali, 2. Par. 28. b. 12. עמשא ἀμεσσὰ

Amaſai, per א in prima, Fortis vel robuſtus. Filius Bani filii Somer, 1. Par. 6. d. 46. אמצי ἀμασαΐ

Amaſai, per ע in prima. Populi munus, vel cum munere. Filius Elcana filii Joel filii Azariæ, 1. Par. 6. c. 24. 12. c. 18. & 15. c. 23. Pater item Mahath, 2. Par. 29. d. 11. עמשי ἀμασαὶ

Amaſia ſive Amaſias, Fortitudo Domini. Pater Joſa principis, 1. Par. 4. f. 34. Filius Elciæ filii Amaſai, 1. Par. 6. d. 45. Nomen item ſacerdotis, Amos 7. c. 12. Denique rex Juda filius Joas filii Ochoziæ filii Joram filii Achab, 4. Reg. 14. a. 1. & 1. Par. 3. c. 12. אמציה ἀμασίας

Amaſias, Onus Domini. Filius Zechri, 2. Par. 17. d. 15. עמסיה ἀμασίας

Amaſai, Populi conculcatio. Nomen viri, 2. Eſd. 11. b. 12. עמשסי ἀμασαΐ

Amathi, Verax ſive timens : aut cubitus, vel famulatus. Pater Jonæ prophetæ, 4. Reg. 14. f. 25. אמתי ἀμαθΐ

Amathitis, Idem. D.

Amelech, Rex, ſive conſiliarius, 3. Reg. 22. d. 26. & 2. Par. 18. f. 25. & Jer. 36. f.26. & 38. b.6. in his locis eſt appellativum, non proprium. המלך βασιλεῦς

אמן ἀμὴν Amen, Fiat, efficiatur, vel firmum ſit, aut potius veritas, Deut. 27. c. 15. & 1. Corinth. 14. c. 16.

אמי ἰωεὶ Ami, Mater, aut timor, ſive cubitus, vel Syriace, gens. Nomen viri, 1. Eſd. 2. c. 55.

עמינדב ἀμιναδὰβ Aminadab, Populus ſpontaneus, ſive populus vovens, aut populi princeps. Filius Ram filii Eſron filii Phares, 1. Paral. 2. b. 10. Pater item Nahaſſon principis tribus Juda, Num. 1. a. 7. Ruth. 4. d. 20.

חמוטל vel חמיטל ἀμιτὰλ Amital, Calor roris, aut indignatio roris : vel ex Hebræo & Syro, caloris ſui umbra. Mater Joachaz filii Joſiæ, 4. Reg. 23. f. 31. Mater item Sedeciæ fratris Joachaz, 4. Reg. 24. d. 18.

עמיזבד ἀμιζαβὰλ Amizabad, Populi dos vel donatio. Nomen viri, 1. Par. 27. a. 6.

עמה ἀμμὰ Amma, Obſcurata, ſive cooperta : aut populus ejus, ſive cum ea. Civitas in tribu Aſer, Joſ. 19. c. 30.

עמוני ἀμμωνὶ Ammanites, Popularis. ſ. n. 2. Eſd. 2. b. 19.

עמנית ἀμμωνῖτις Ammanitis, Popularis. f. g. 3. Reg. 14. f. 31.

ἐμμαοὺμ Ammaum, Populus abjectus, ſive populus obſcuratus. D. Nomen civitatis, 1. Mac. 9. e. 50.

עמיאל ἀμιὴλ Ammiel, Populus Dei, ſive mecum Deus. Pater Bethſua matris Salomonis, 1. Par. 3. b. 5. quæ & Bethſabee dicta eſt. Filius item Gemalli, Num. 30. a. 13. Pater Machir de Lodaber, 2. *R*eg. 9. a. 4. Filius Obed Edom, 1. Par. 26. a. 5.

עמישדי ἀμισαδαΐ Ammiſaddai, Populus Omnipotentis, ſive mecum Omnipotens, aut mecum devaſtator. Pater Ahi-ezer principis tribus Dan, Nun. 1. a. 12.

עמיהוד σεμιοὺδ καὶ σαμιοὺδ Ammiud, Populus laudis vel confeſſionis, ſive mecum laus vel confeſſio. Pater Eliſama principis tribus Ephraim, Num. 1. a. 10. Pater item Samuel principis tribus Simeon, Num. 34. d. 21. Pater Hutai, 1. Par. 9. a. 4.

עמיהור ἀμιοὺδ Ammiur, Populus libertatis vel foraminis, ſive populus albedinis. Pater Tholmai, 2. *R*eg. 13. g. 37.

עמון ἀμμὼν Ammon, Populus ejus. Viri nomen, 1. Reg. 11. & 14. g. 47. Eſa. 11. d. 14.

בן עמי ἀμμὸν Ammon, Gen. 19. g. 35. ubi primo loco legitur Ammon, legendum Ben-ammi, quod interpretatur filius populi mei, qui mox Ammon Hebraice dicitur. Filius Lot ex filia ſua minore.

עמוני ἀμμωνίτης Ammoni ſive Ammonites, Popularis, 2. Reg. 53. d. 36.

מעונים μιναῖοι Ammonitæ, Idem. p. n.

Ammonitæ, 2. Par. 26. a. 8. ubi dicitur. Et contra Ammonitas : interpretatur habitacula, ſive afflicti, aut delinquentes, vel reſpondentes. Heb. Meonitæ.

עמניות ἀμμανίτιδες Ammonitides, Populares. f. g. 3. Reg. 11. a. 1.

עמנית ἀμμανίτης Ammonitis, Popularis. f. g. 2. Par. 24. g. 26.

אמנון ἀμνὼν Ammon, Fidelis, aut verax, ſive nutritius, vel pædagogus, aut matris filius. Primogenitus David, ex Achinoam uxore, 2. Reg. 3. a. 2. & 1. Par. 3. a. 1. Iſte diminutive per contemptum dicitur Hebraice אמינון, 2. *R*eg. 13. d. 20. Nunquid Aminon frater tuus concubuit tecum? quo loco paſſim legitur Ammon. Filius Simonis, 1. Par. 4. c. 20.

עמוק ἀμοὺκ Amoc, Vallis, aut profunditas. Nomen viri, 2. Eſd. 2. a. 7.

אמון ἀμὼν Amon, Fidelis, aut verax, ſeu artifex, vel nutritius, aut pædagogus. Filius Manaſſe, Rex Juda, 4. *R*eg. 21. d. 18. & 1. Paral. 3. c. 14. & 2. Par. 33. d. 28. Pater Joſiæ, Jer. 1. a. 2. & 25. a. 3. Soph. 1. a. 1. Matt. 1. b. 19. Princeps item Samariæ civitatis, 3. *R*eg. 22. d. 28. & 2. Paral. 18. f. 25. Tertius quidam, de quo Neh. 7. 58.

המונה πολυάνδριον Amona, Numerans, ſive præparans, aut multitudo ejus, ſive tumultus ejus : vel Syriace, veritas. Urbs in terra Iſrael verſus mare mortuum quod eſt in parte Orientali Judææ, juxta quam Gog ſepultus jacet, Ezec. 39. d. 16.

אמרי ἀμοῤῥαῖος Amorrhæus, Amarus, aut rebellis, aut loquax. Filius Chanaan, Gen. 10. c. 15.

ἀμοῤῥαῖοι Amorrhæi, idem p. n. Populus qui Libanum montem a tergo Phœnicis tenet. Alius eſt populus qui Galaad montem, inter flumina Jaboc & Arnonem habitat. Alius quoque qui montana Pharan inter Sina & Cadeſ-barne, Gen. 15. d. 20.

אמוץ ἀμὼς Amos per א in principio, Fortis vel robuſtus. Pater Eſaiæ prophetæ, Eſa. 1. a. 1.

עמוס ἀμμώς Amos per ע in principio, Oneratus, vel onerans. Propheta unus ex duodecim, Amos 1. a. 1.

המצה μωσὰ Amoſa. Jurgium, vel adinventio, ſive azymum, aut compreſſio, Nomen civitatis tribus Benjamin, Joſ. 18. d. 26.

ἀμφίπολις Amphipolis, Vallata vel circundata civitas. G. Civitas Macedoniæ, per quam etiam Paulus profectus eſt, de qua Volaterr. lib. 8. Geograph. primum Novem viæ appellata. Stephanus Cradennam & Ariadraomum antiquitus vocatam dicit. Alia ejuſdem nominis in Syria apud Euphratem a Seleuco condita, quam Turmedam Syri vocant. Hæc *R*aphael Volater. lib. 8. titulo de Macedonia, Act. 17. a. 1.

ἀμπλίας Ampliatus, Latinum eſt, a verbo Amplio, amplias. Paulo amiciſſimus hic fuit, *R*om. 16. b. 8.

עמרם ἀμβρὰμ Amram, Populus excelſus, vel manipulus eorum, aut cum excelſo. Filius Caath filii Levi, Ex. 6. c. 18. 1. Par. 6. a. 3. & 23. b. 12.

עמרמי ἀμρὰν Amramites, Idem. ſ. n. 1. Par. 26. c. 22.

אמרפל ἀμαρφὰλ Amraphel, Loquens ruinam, aut loquens occultum, vel loquens judicium. *R*ex Sennaar, Gen. 14. a. 1.

אמרי ἀμβρὶ Amri per א, Amarus, vel loquens, ſive exaltatio : aut Syriace, aries. Pater Zacchur, Nehem. 3. a. 2.

עמרי ἀμβρὶ Amri per ע, Manipulus, vel dominium, ſive populus rebellis vel amarus. Princeps militiæ ſuper Iſrael, rex tandem conſtitutus, 3. *R*eg. 16. d. 16. Mich. 6. d. 15. Pater Athaliæ matris Ochoziæ filii Joram, 4. *R*eg. 8. g. 26. Filius Bechor filii Benjamin filii Jacob, 1. Par 7. b. 9.

אמצי ἀμασὶ Amſi, Fortis, vel robuſtus. Nomen viri, 2. Eſd. 11. b. 11.

המתאר ἀμαθὰρ Amthar, Species, ſive forma, vel ſiguratus, vel depictus, ſive mortem maledicens. Nomen loci in tribu Zabulon, Joſ. 19. b. 13.

A N

ענה ἐνὰν Ana, Reſpondens, vel cantans, ſive affligens, vel pauper. Pater Oolibama uxoris Eſau, Gen. 36. a. 2. Filius item Sebeon filii Seir Horræi, Gen. 36. c. 24. & 1 Par. 1. c. 38.

הנע ἀνὰ Ana, Commotio, vel motus. Nomen idoli, vel potius regionis, 4 Reg. 18. g. 34. & 19. c. 13. Eſa. 37. c. 13.

ענב ἀνὼβ Anab, Uva, aut Syriace, nodus. Nomen civitatis ſive montis, Joſ. 11. d. 21. & 15. f. 49.

אנחרת ἀνερὲθ Anaharath, Ariditas, aut incenſio, vel ira, ſive hinnitus, aut raucedo, vel Syriace, ſuffocatio. Civitas in tribu Iſſachar, Joſue 19. b. 19.

ענמלך Anamelech, Reſponſio, aut canticum regis, ſive afflictio, vel paupertas regis vel conſiliarii. Unum ex idolis Sepharvaim, 4 Reg. 17. f. 31. quo loco LXX. non legerunt nomen iſtud, ideo non tranſtulerunt.

ענמים αἰνεμετιεὶμ Anamim, Fons, ſive oculus aquarum : aut reſponſio, vel afflictio, ſeu canticum aquarum. Filius Meſraim, Gen. 10. b. 13.

ענן ἐνὰν Anan, Nubes, ſive augurium, aut divinatio. Nomen viri, Nehem. 10. b. 26.

ענני ἀνανίας Anani, Nubes, ſive auguratio, aut divinatio. Filius Elioenai filii Naariæ, 1 Par. 3. d. 24.

ענניה ἀνανίας Anania, ſive Ananias, Nubes Domini, aut divinatio Domini. Civitas in qua filii Benjamin habitarunt poſt Babylonicam captivitatem, 2 Eſdr. 11. d. 32. Nomen item viri cujuſdam de quo Act. 5. a. 1. Vide Hanania.

ענת ἀνὰθ Anath, Reſponſio, ſive canticum, aut afflictio, ſive paupertas. Pater Samgar judicis Iſrael, Judic. 3. d. 31.

ענתות ἀναθὼθ Anathoth, Idem, p. n. Urbs tribus Benjamin, tribus milliaribus diſtans a Jeruſalem, patria Jeremiæ prophetæ, una ex illis urbibus per quas tranſiit Sennacherib, cum iret oppugnatum Jeruſalem, Eſa. 10. g. 30. Jerem. 1. a. 1. Joſ. 21. b. 18. Item filius Bechor filii Benjamin filii Jacob, 1 Par. 7. c. 9.

ענתתיה ἀναθώθα Anathothia, Reſponſiones, vel cantica Domini, aut afflictiones, vel inopiæ Domini. Filius Seſac, 1 Par. 8. c. 24.

ענתתי ἐξ ἐναθὼθ Anathothites, Reſponſio, ſive canticum : aut afflictio, ſive paupertas, Jer. 29. f. 27.

ἀνδρέας Andreas, Virilis, vel fortiſſimus. G. Nomen Apoſtoli, Mat. 4. c. 18. & 10. a. 2. qui ante vocationem ſuam diſcipulus erat Joannis Baptiſtæ, Joan. 1. f. 40.

ἀνδρόνικος Andronicus, Vir victorioſus. G. Nomen viri, 2 Mac. 4. c. 34. & Rom. 16. a. 7.

ענם ἐνὰμ Anem, Reſponſio, aut canticum eorum, ſive afflictio, vel paupertas eorum : aut Syriace, ovis eorum. Nomen civitatis, 1 Par. 6. g. 73.

ענר αὐνὰν ἀνὴρ Aner, Reſponſio, aut canticum lucernæ, ſive affligens lucernam. Frater Membre, Gen. 4. c. 13. Nomen item civitatis in tribu Manaſſe, 1 Par. 6. f. 70.

עני ἀνὶ Ani, Reſponſio, ſive canticum, ſive afflictus, vel pauper. Nomen janitoris & cantoris, 1 Par. 15. b. 18. c. 20.

עניה ἀνανίας Ania, Reſponſio, aut canticum Domini, ſive afflictus vel pauper Domini. Nomen viri, 2 Eſdr. 8. a. 4.

אניעם ἀνιὰμ Aniam, Ego populi, ſive navis populi, aut dolor, ſive fortitudo populi. Filius Samidæ filii Galaad filii Machir filii Manaſſe, 1 Par. 7. d. 19.

ענים ἀνὶμ Anim, Reſpondentes, ſive cantantes, aut afflicti, ſive pauperes. Nomen civitatis, Joſ. 15. f. 49.

חנה ἄννα Anna, Gratioſa, ſive miſericors, aut requieſcens, vel donans. Altera uxor Elcanæ, 1 Reg. 1. a. 2. Heb. Hanna. Nomen item prophetiſſæ cujuſdam filiæ Phanuel, de qua Luc. 2. e. 36.

ἄννα Annas, Affligens, vel humilians, aut reſpondens. D. Nomen pontificis Judæorum, ſoceri Caiphæ etiam pontificis, Joan. 18. c. 13. Luc. 3. a. 2. & Act. 4. a. 6.

ענוב ἀνὼβ Anob, Uva, aut Syriace, nodus. Filius Cos, 1 Par. 4. b. 8.

ἀντιλίβανος Antilibanus, Excelſus mons ad Septentrionem Judææ ex adverſo Libani : de quo Plinius lib. 5. cap. 20. a quo omnis regio ſupra Libanum ad Orientalem plagam reſpiciens, Antilibanus appellatur, citra regionem Damaſci quæ cecidit in ſortem tribus Manaſſe. Quibuſdam videtur non eſſe mons proprius a Libano, ſed jugum, aut cornu in occaſum Brumalem protenſum, junctum huic circa Cæſaream Philippi : tanta vero magnitudine, ut mons proprius juſte dici poſſit.

ἀντιόχεια חמת ἐμὰθ Antiochia, Pro vehiculo, vel curru, id eſt loco currus : ſive contra vehiculum vel currum. G. Antiochiæ duæ ſunt clariſſimæ civitates : altera Syriæ Cœles, alias Emath dicta, Zach. 9. a. 2. in hac diſcipuli primum cœperunt dici Chriſtiani, Act. 11. d. 26. in qua Barnabas & Paulus ſunt ordinati, Act. 13. a. 3. De hac multa Procopius lib. 1. de bello Perſico. Strabo in 15. Altera Piſidiæ provinciæ, de qua Plinius li. 5. cap. 27. Strab. lib. 12. In hac Paulus & Barnabas prædicarunt, Act. 13. c. 14. & Gal. 2. c. 14.

ἀντιοχεῖς Antiocheni, Idem. p. n. G. 2 Mach. 4. b. 9.

ἀντιοχεὺς Antiochenus, Idem. ſ. n. G. Act. 6. b. 5.

ἀντίοχος Antiochus, Idem quod Antiochia. G. 1 Mac. 1. b. 11.

ἀντίπας Antipas, Pro omnibus, vel contra omnes. G. Apoc. 2. d. 13.

ἀντίπατρος Antipater, Pro patre, vel contra patrem. G. Filius Jaſonis, 1 Mach. 12. c. 16.

ἀντιπατρίς Antipatris, Palæſtinæ civitas nunc diruta, quam Herodes rex Judææ ex patris ſui Antipatris nomine vocaverat : de hac Raphael Volaterr. lib. 11. Geographiæ. Ad hanc Paulus ductus eſt captivus, Act. 23. g. 31.

A O

AO

אהוד ἀὼδ Aod, Laudans, ſive confitens. Filius Gera filii Jemini, Judic. 3. b. 15.

AP

אפדנו ἀφαδανῶ Apadno, Ornamentum ejus, ſive ira judicii ejus. Nomen loci, Dan. 11. g. 46. Quo loco pro Apadno eruditiores interpretes legunt Palatii ſui.

ἀπάμεια Apamea ſive Apamia, Expellens vel abigens. G. Jud. 3. d. 14.

ἀπελλῆς Apelles, Expellens vel abigens. G. Vir commendatus a Paulo, Rom. 16. b. 10.

Aphadno, Vide Apadno.

הפרה ἀφαρὰ Aphara, Vacca, ſive frugifera: aut accreſcens, ſive irritans. Urbs tribus Benjamin, Joſ. 18. d. 23.

אפרסתכיא ἀφαρσαθαχαῖοι Apharſathachæi, Dividentes, ſive dilacerantes pavones. Populi nomen, 1 Eſdr. 4. b. 9.

אפרסכיא ἀφαρσαχαῖοι Apharſachæi, Dividentes, ſive dilacerantes, 1 Eſdr. 5. b. 6. & 6. b. 6.

אפרסיא ἀφαρσαῖοι Apharſæi, Idem. Populi, 1 Eſdr. 4. b. 9.

vel אפק אפקה ἀφεκὰ Aphec, ſive Apheca, Pelagus vel fortitudo, aut vigor: vel Syriace, exitus. Urbs in tribu Manaſſe, Joſ. 12. d. 18. & 13. a. 4. Eſt & urbs in tribu Judæ, Joſ. 15. f. 53. Hieronymo in locis Hebraicis uſque ad ſuam ætatem caſtellum grande Apheca nomine, juxta oppidum Palæſtinæ. Urbs præterea in tribu Aſer, Joſ. 19. b. 30. quæ אפיק Hebraice dicitur, Jud. 1. f. 31. juxta vicum Eſron civitatis Jezrael, ubi dimicavit Saul in ſorte Aſer: & ubi Philiſtiim contra Iſrael poſuerunt caſtra, 1 Reg. 4. a. 1. & 29. a. 1. ibi Benadad rex Syriæ vincitur, 3 Reg. 20. d. 30.

אפיח ἀφὲκ Aphia, Flans, vel exufflans, ſive loquens, aut illaqueans. Filius viri Jemini, 1 Reg. 9. a. 1.

λιβύη Aphrica, juxta Geographos, maxime Plinium in prologo tertii, tertia orbis pars eſt inter Aſiam & Europam ad Auſtrum ſita, incipiens ab Ægypto, & in Gaditano freto deſinens, in qua populi habitant Mauri, Getuli, Numidæ, Garamantes, & Carthago urbs. Mare quo cingitur Aphrica, a Septentrione Libycum, a Meridie Æthiopicum, ab Occidente Atlanticum dicimus: teſtis Pompo. Mela libro 2. Vide Plinium libro 5. cap. 4. hiſtoriæ mundi. Strabo. libro 2. Geographiæ. Hæc Aphrica eadem quoque Libya dicitur, Plinio teſte in prologo quinti. Cujus regionis Nahum. 3. b. 9. fit mentio, & alibi ſæpe in Scripturis.

פול φοὺδ Aphrica, Eſa. 66. f. 19. in Hebræo dicitur Pul, & interpretatur Caſus vel ruina, aut faba.

פוט Aphrica, Nahum. 3. b. 9. in Hebræo eſt Put: & interpretatur craſſa, vel pinguis, Syrum eſt. LXX tanquam appellativum eſſet, tranſtulerunt hoc nomen, & præcedentibus junxerunt, καὶ οὐκ ἔστι πέρας τῆς φυγῆς σου, & non eſt finis fugæ tuæ.

הפצץ ἀφεσσῆ Aphſes, Comminuens, vel eripiens, aut aperiens, aut deſtruens. Nomen viri, 1 Par. 24. b. 15.

Aphuthæi, Vide Phuthæi.

ἀποκάλυψις Apocalypſis, Revelatio. G. Apoc. 1. a. 1.

ἀπολλὼς Apollo, Perdens, vel deſtruens. G. Vir quidam Alexandrinus, Act. 18. f. 24.

ἀπολλοφάνης Apollophanes, Perditionem vel deſtructionem oſtendens. G. Nomen viri, 2 Mach. 10. g. 37.

ἀπολλωνία Apollonia, Perditio vel deſtructio. G. Civitas Macedoniæ, per quam Paulus profectus eſt, Act. 17. a. 1. Achedoro tantum fluvio a Theſſalonica diviſa. Volater. libr. 8. Geograph. Eſt & altera in provincia Aphrica quæ dicitur Pentapolis.

ἀπολλώνιος Apollonius, Perdens, vel deſtruens. G. Nomen viri quem occidit Judas Machabæus, 1 Mach. 3. b. 10.

ἀπολλύων Apollyon, Exterminans, vel perdens, vel deſtruens. G. Apocal. 9. b. 11.

ἀπόστολος Apoſtolus, Miſſus, legatus. G. Sic vocavit Chriſtus quos miſit ad prædicandum Evangelium ſuum, Luc. 6. b. 13.

אפים ἀφεὶμ Apphaim, Vultus vel facies, aut furores, ſive nares, vel piſtores. Filius Nadab filii Semei filii Onan, 1 Par. 2. d. 30.

ἀπφία Apphia, Producens, vel pullulans. G. Nomen fœminæ, ad Philem. a. 2.

Σαπφοῦς Apphus, Indignationis conſilium, aut volans conſilium, vel ſcrutator. D. Filius Mathathiæ filii Johannis, 1 Mach. 2. a. 5.

φόρος ἀππίου Appii forum, Hieronymus de locis Hebr. in Actis Apoſtolorum, (ſi tamen illius ſit) putat fuiſſe nomen fori Romani ab Appio quondam Conſule appellatum: a quo & via Appia cognominata fuerit. Verum Appii forum oppidum fuit, longius a Roma quam Aricia diſtans; quod Horatius lib. 1. Serm. Satyra 5. oſtendit his verbis.

Egreſſum magna me excepit Aricia Roma
Hoſpitio modico, rhetor, comes Heliodorus,
Græcorum linguæ doctiſſimus, inde forum Appi
Differtum nautis, cauponibus atque malignis. Ad hanc urbem Paulus venit cum deduceretur Romam, Act. 28. d. 15.

AQ

Aquæ contradictionis, Num. 20. b. 13. d. 24. Pſalm. 95. b. 8. Ezec. 47. d. 19. Vide Meribath.

אמה ἀμμὰ Aquæ ductus, Heb. Amma. Collis in tribu Benjamin, juxta Giah, & Gabaon, ubi Aſael frater Joab confoſſus fuit ab Abner, 2 Reg. 2. f. 23.

ἀκύλας Aquila, Latinum eſt. Vir Judæus ex Ponto, Act. 18. a. 2.

AR

ער ἀρωὴρ Ar, Suſcitatio ſive vigilia: aut evacuatio, vel denudatio, ſeu civitas, aut æmulus. Præcipua urbs Moabitarum, ad Arnon ſita, Deut. 2. b. 10. d. 18. f. 29. Num. 21. d. 15. f. 27. In Eſaia vero, 15. a. 1. Ar-Moab dicitur, non Ar ſimpliciter.

ארא ἀῤῥὰ Ara, Mons, aut prægnans, ſive demonſtratio. Urbs Aſſyriorum, cujus recordatur liber primus Par. 5. d. 26. Hieronymus in quæſt. Heb. ipſam Rages eſſe ſcribit Medorum civitatem, de qua Tob. 1. c. 16.

ארא ἀρὰ Ara, Maledicens, aut videns. Filius Jether, 1 Par. 7. g. 38.

חרחס ἀρὰς Araas, Ira, vel calor confidentiæ ſive protectionis. Pater Thecuæ patris Sellum mariti Oldæ prophetidis, 4 Reg. 22. c. 14. qui 2 Par. 34. c. 21. dicitur Haſra.

ארב ἐρὲβ Arab, Inſidians, vel multiplicans, aut feneſtra, ſive locuſta. Nomen civitatis in tribu Juda, Joſ. 15. f. 51.

ἀραβῆ Araba, Idem. D. Nomen viri, 1 Mach. 15. d. 22.

ἀκραβαττήνη Arabathane, Inſidiatio fortis, aut feneſtræ vel locuſtæ fortitudo vel donum: aut multiplicatio fortitudinis vel doni. D. Nomen civitatis, 1 Mach. 5. a. 3.

ערביים ἄραβες Arabes, Veſpertini, aut fidejuſſores, ſive ſuaves, aut campeſtres, vel corvi, aut ſalices, vel miſtiones, 2 Par. 26. a. 7.

שבא ἄραβες Arabes, Pſal. 71. d. 10. In Hebræo eſt Saba, id eſt converſio ſive captivitas, aut canities, vel ſeſſio, Act. 2. b. 11.

ערב ἀραβία Arabia, Veſpera, aut veſpertina, vel fidejuſſio, ſive ſuavitas: aut corvus, ſive corvina, ſeu deſertum, vel ſalix, aut commiſta. Regio Aſiæ majoris inter Judæam & Ægyptum, Caſſio monte nobilis, quem Sinam eſſe affirmant. De hac plura Plinius lib. 5. cap. 11. & lib. 6. cap. 28. Ptolemæus lib. 5. cap. 17. Strabo lib. 16. Pomp. Mela in 2. Hæc (ut ſcribit auctor de locis Heb. in Actis Apoſtolorum in Tom. D. Hieronymi) gentes habet multas, Moabitas, Ammonitas, Idumæos, Saracenos alioſque quamplurimos, Ezech. 27. d. 21. hujus fit mentio. Arabum regionem triplicem fecit Ptolemæus: Petræam, Arabiam eam nominat quæ ſupra Palæſtinam ad Caſſium montem & mare rubrum excurrit. Nomen habet a Petra vetuſtiſſimo oppido. Hanc Arabiam Strabo in 16. Nabathæam vocat. Altera, Arabia deſerta quæ Felici a Meridie, a Septentrione Syria & Meſopotamiæ parte finitur, ut Ptolemæus libr. 5. cap. 19. ſcribit; hanc Sceniten, & Arabas illic Scenitas, id eſt vagos Nomades, & in tabernaculis habitantes nominant Plinius lib. 5. cap. 11. & 24. & Strabo lib. 16. Tertiam Ptolemæus lib. 6. c. 8. Felicem nominat, divitem & Beatæ cognomine inclytam, quæ peninſulæ forma, inter Perſicum & Arabicum ſinum in Meridiem tenditur, de qua plura Pomp. Mela libr. 3. Geograph. Græcis (ut habet ille) εὐδαίμων appellatur, id eſt felix, quod ſit thurifera, odores creans: hæc alias Sabæa dicta eſt, Job 1. c. 15. Pſalm 72. b. 10. In hac Paulus prædicavit, Gal. 1. d. 17.

שבא ἀραβοὶ Arabia, Pſal. 71. c. 15. in Hebræo eſt Saba, id eſt Converſio, ſive captivitas, aut canities, vel ſeſſio.

ערבי ἀραβὶ Arabs, Veſpertinus, aut fidejuſſor, vel ſuavis ſive campeſtris, aut corvus, vel ſalix, ſeu miſtio, 2 Eſdr. 2. d. 19.

ערקי ἀρουκαῖος Aracæus, Nervus, aut Syriace, fugitivus. Filius Chanaan, Gen. 10. c. 16. qui Arcas oppidum condidit contra Tripolim in radicibus Libani ſitum.

ארך ὀρὲχ Arach, Longitudo, ſive medicina, vel ſanitas. Civitas in qua regnavit Nemrod, Gen. 10. b. 10. Hanc & Edeſſam vocari teſtatur Hieronymus in quæſt. Heb. ſuper Geneſim.

ארכי ἀρχὶ Arachites, Longus, vel procerus, ſive ſanans, aut medicina, 2 Reg. 15. g. 32.

ערד ἀρὰδ Arad, Onager, aut Syriace, draco. Civitas Amorrhæorum ad ſortem Juda pertinens, ad Auſtrum ſolitudini Cades vicina, in qua habitaverunt filii Obab ſoceri Moyſis in medio Iſraelis. Refert Hieronymus in locis Hebraicis uſque ad ſuam ætatem oſtendi villam ab oppido Malatis quarto lapide, ab Hebron viceſimo, Num. 21. a. 1. Judic. 1. d. 16.

ארודי ἀράδιος Aradius, Maledictionis abundantia, aut deſcendens, vel imperans. Filius Chanaan, Gen. 10. c. 17.

ארוד ἀράδιοι Aradius, Ezech. 27. b. 8. Imperans, aut deſcendens.

ἀραδὸν Arado, Stupor, aut tremor, ſive deſcenſio, vel dominium. D. Nomen loci, 1 Mach. 15. d. 23.

ארם ἀρὰμ Aram, Celſitudo, aut ſublimitas, ſeu decipiens, aut maledictio eorum. Filius Sem, Gen. 10. c. 23. a quo Armenii, ſive Syri Græcis, Geneſ. 22. d. 21. Num. 23. a. 6. & 1 Par. 2. c. 23. Vide Syria. Filius item Somer filii Heber, 1 Par. 6. g. 37.

רם ἀρὰμ Aram, In Hebræo, Ram. Filius Eſron filii Phares, Ruth 4. d. 19. Matt. 1. a. 3. Luc. 3. g. 33. interpretatur excelſus, vel ſublimis, aut projiciens.

הרמה ῥαμὰ Arama, Excelſa, ſive ſublimis, aut vermis, ſive projiciens. Civitas tribus Nephthali, Joſ. 19. c. 36.

הרן ἀρὰν Aran, Mons, ſive montanus, aut prægnans, ſive concipiens, vel cantans, aut præco. Filius Thare patris Abraham, Gen. 11. d. 26. & 1 Par. 23. a. 9.

ארן ἀρὰν Aran, Arca, ſive exultans, aut maledictio eorum. Filius Diſon filii Seir, Gen. 36. c. 28. 1 Par. 1. c. 42. Filius item Jerameel, 2 Par. 2. c. 25. ubi legimus, Et Buna, & Aran: Hebraice legitur Oran. ארן

הרפה γίγας Arapha, Medicina, ſive relaxatio, aut gigantiſſa, vel montis os, ab ore ſcilicet; aut mons hic, id eſt, in hoc loco. Nomen quorundam gigantum, qui ſic dicebantur quod animos videntium ſe, diſſolverent, 2 Reg. 21. c. 16.

אררט ἀραρὰ ἀρμενία Ararat, Maledictio tremoris: aut ex Hebræo & Syro, maledictio, ſive lux currentis. Eſt regio Armeniæ, aut ipſa Armenia, 4 Reg. 19. g. 36. Eſa. 37. g. 38. Juxta Bocatium, mons eſt majoris Armeniæ.

הררי ἀραρὶ Arari, ſive Ararites, Montanus, 1 Paral. 11. g. 35. & 2 Reg. 23. d. 31.

ἀρβάττοις Arbattis, Fidejuſſor, vel ſuavis, aut miſtus, vel veſpertinus, ſive planities. Nomen loci. D. 1 Mach. 5. c. 23.

ערבתי ἀραβωθίτης Arbathites, Idem, 2 Reg. 23. d. 30.

ארבע ἀρβὸκ Arbee, Quatuor, ſive accubatio. Nomen civitatis, quæ & Hebron & Mambre dicitur; ea eſt Cariath-arbe, ſed hic nomen Cariath, appellativum fecit, Gen. 23. a. 2. & 35. d. 27.

ἀρβηλα Arbella, Suſcitatio vetuſtatis, ſive inſidians ei, vel multiplicans eam, ſive locuſta ejus. D. Terminus Judæ ortum ſolis aſpiciens, de quo Hieronymus in locis Hebraicis. Eſt uſque hodie vicus Arbel trans Jordanem in finibus Pellæ civitatis Palæſtinæ. Et alius hoc vocabulo in campo prægrandi, diſtans ab oppido Legionis millibus novem. Hæc Hieronymus. Strabo lib. 16. hujus etiam meminit, 1 Mach. 9. a. 2. ἀρβηλοι

ארבי ἀρβί Arbi, Locuſta, vel feneſtra: ſive inſidiator, aut multiplicans. Nomen loci, 2 Reg. 23. d. 35.

ἀρχέλαος Archelaus, Princeps populi. G. Filius Herodis illius qui innocentes occidit: Rex Judææ, Matt. 2. d. 22.

ארכי ἀρχιαταρώθ Archi, Longitudo, aut ſanitas, vel cicatrix. Nomen populi in ſorte filiorum Joſeph, Joſ. 16. a. 2.

ἄρχιππος Archippus, Princeps, vel præfectus equorum. G. Nomen viri, Coloſſ. 4. d. 17. ad Philem. a. 2.

ἀρχιτρίκλινος Architriclinus, Princeps triclinii, id eſt, trium menſarum. G. Joan. 2. a. 8.

ארדון ἀρδών Ardon, Imperans, ſive deſcendens, aut maledictionis judicium. Filius Caleb ex Azuba uxore, 1 Par. 2. c. 18.

ארח ἀρές Area, Via, ſeu ſemita, aut viator: vel odorans, ſive annona, id eſt, diurna portio. Nomen viri, 1 Eſd. 2. a. 5. & Neh. 6. d. 18.

הרבה ἀρεμβά Arebba, Magna, ſive multa, aut projiciens, vel litigioſa, ſive mons in ea. Nomen civitatis, Joſ. 15. g. 60.

הרקון ἠρεκκάν Arecon, Vacuus, ſive mons lamentationis: vel mons poſſeſſionis. Nomen civitatis, Joſ. 19. d. 46.

ארד ἀρέδ Ared, Imperans, ſive deſcendens. Filius Benjamin, Gen. 46. c. 21.

ארח ἀρές Aree, Via, ſive ſemita, aut viator, vel odorans, ſive annona. i. diurna portio. Filius Olla, 1 Par. 7. g. 39.

אראלי ἀρεηλῆς Areli, Altare, ſive lux Dei, aut viſio Dei. Filius Gad filii Jacob, Gen. 46. b. 16. qui & Ariel dicitur.

Aren, Vide Harim.

ἀρεοπαγίτης Areopagita, De colle Martis. G. Act. 17. g. 34.

ἄρειος πάγος Areopagus, Collis Martis. G. auctore Stephano de urbibus, promontorium Athenis clariſſima Græciæ urbe fuit, in quo judicia necis ferro factæ exercebantur: ſic appellatum quaſi dicas vicum Martis. Nam & Juvenalis Curiam Martis appellat: qua de re Auguſtin. lib. 8. de Civitate Dei, cap. 10. Valerius Max. lib. 2. cap. 1. de inſtitutis antiquis. Unde & Areopagitæ, judices ſeveriſſimi ac innocentiſſimi dicti ſunt.

ἀρέτα Aretas, Virtuoſus, aut placidus. G. Socer Herodis Tetrarchæ, Arabiæ Petrææ & Damaſcenæ civitatis dominus, 2 Mach. 5. b. 8. & 2 Cor. 11. g. 32.

ארונה ὀρνά Areuna, Arca, vel canticum, ſive exultatio: aut lux noſtra, ſive maledictio nunc. Viri nomen, 2 Reg. 24. c. 16. qui 1 Par. 21. c. 15. dicitur Ornan.

ארגב ἀργώβ Argob, Gleba, vel glarea, aut maledictio putei vel dorſi, ſive lux altitudinis. Nomen regionis Baſanitidis, Deut. 3. b. 13. & 3 Reg. 4. b. 13. & 4 Reg. 15. e. 25. quæ in ſortem dimidiæ tribus Manaſſe cecidit, vocata terra Raphaim, Trachonitis & Baſan.

ארידי ἀριδαί Aridai, Leo abundans, aut maledictionis abundantia. Filius Aman filii Amadatha, Eſth. 9. b. 9.

ארידתא ἀριδαθά Aridatha, Leonis lex, ſive maledictionis lex, vel ritus. Filius Aman filii Amadatha, Eſth. 9. b. 8.

אריה ἀρίε Arie, Leo, ſive lux Domini. Nomen loci vel viri, 4 Reg. 15. e. 25.

אריאל ἀριήλ Ariel, Altare, ſive leo Dei, aut lux Dei. Leonem ſignificat, 1 Par. 11. e. 22. At Eſa. 29. a. 1. accipitur pro civitate Jeruſalem, in qua altare holocauſti. In 43. e. 16. vero Ezechielis, altare ſignificat. Eſt & nomen viri, Num. 26. b. 17. & 1 Eſd. 8. c. 16.

אראלי ἀριήλ Ariel, Altare, ſive lux Dei, aut viſio Dei. Nomen viri, Num. 26. b. 17. Heb. Areli.

אראלי δῆμος ὁ ἀριηλ Arielitæ, Idem. p. n. Num. 26. b. 17.

ἀριμαθαία Arimathæa, Leo mortuus Domino, vel lux mortis Domini. D. Nomen civitatis, Matt. 27. g. 27. Vide Ruma.

אריוך ἀριώχ Arioch, Longus, vel procerus, ſive ſatietas, vel ebrietas tua, aut leo tuus. Rex Ponti, Gen. 14. a. 1.

אריסי ἀρισαί Ariſai, Sponſus: aut Syriace colonus, ſive venenum. Filius Aman, filii Amadatha, Eſth. 9. b. 9.

ἀρίσταρχος Ariſtarchus, Optimus princeps. G. Nomen viri Macedonis Theſſalonicenſis, Act. 19. f. 29. & 27. a. 2. Coloſſ. 4. b. 10.

ἀριστόβουλος Ariſtobolus, Optimus conſultor, vel optimum conſilium. Magiſter Ptolemæi, 2 Mach. 1. b. 10. Rom. 16. b. 10.

ἀρμαγεδδών Armageddon, Mons Evangelii, vel evangelizationis, aut mons pomorum, vel fructuum. ſ. electorum. D. Nomen loci, Apocal. 16. c. 16.

אררט ἀραράτ Armenia, Hebraice dicitur Ararat, ſive potius terra Ararat, ut Ararat ſit nomen viri: & interpretatur maledictio tremoris: aut ex Hebræo & Syro, maledictio, ſive lux currentis. Nomen regionis Orientalis, (nam nomine Orientis, intelligitur Armenia, Gen. 11. a. 2.) ſuper cujus montes requievit arca Noe, Gen. 8. a. 4. Dicitur & Aram, ab Aram filio Sem. Sunt qui opinantur eſſe nomen montis, Eſa. 37. g. 38.

Armenii, Idem.

הרמון τὸ ὄρος τὸ ῥεμμάν Armon, Malum granatum, vel mons numerationis, aut mons præparationis, ſive mons doni ſive muneris. Nomen loci, Amos 4. a. 3. juxta veterem interpr. Alii legentes ארמון, ſic transferunt locum, Et dejicietis palatium, dicit Dominus.

ארמני ἀρμωνί Armoni, Aula, ſive palatium, aut maledictio numerationis, vel præparationis, aut luminis munus. Filius Saul ex Reſpha, 2 Reg. 21. b. 9.

ארנן ἀρνών Arnan, Exultans, ſive arca eorum, aut lux filii: vel lux, aut maledictio permanens vel æterna. Filius Raphaiæ filii Jeſciæ filii Phaltiæ, 1 Par. 3. d. 21.

Arnon. Idem. Fluvius eſt Moabitarum, qui Joſepho lib. 4. Antiquit. Judaic. cap. 4. de montibus Arabiæ fluit, ac per totam ſolitudinem labens, in Aſphaltiten lacum erumpit, ſejungens Moabitiden & Ammonitida. Hieronymo vero in epiſt. ad Fabiolam de XLII manſionibus, manſ. 39. eſt rupes excelſa in limite Amorrhæorum & Moabitarum, Num. 21. c. 14. Deut. 2. e. 36. Joſ. 12. a. 1. & 13. c. 9. Judic. 11. c. 13. Eſt etiam Arnon civitas Moabitarum & deinceps Sehon regis Amorrhæorum, Num. 21. e. 23. Joſ. 12. a. 1. ארנון ἀρνών

Arod, Imperans, ſive deſcendens. Filius Gad, filii Jacob, Num. 26. d. 17. ארוד ἀροάδ

Arod, Onager, aut Syriace, draco. Filius Beriæ, 1 Par. 8. b. 15. ערד ἀράδ

Arodi, Imperantes, ſive deſcendentes. Filius Gad filii Jacob, Gen. 46. b. 16. ארודי ἀροηδῖς

Aroditæ, Idem. Num. 26. b. 17. ἀροαδί

Arodites, Idem, 2 Reg. 23. d. 33. ubi nunc Ararites legimus juxta quorundam exemplarium Hebraicorum lectionem. הארדי ἀραδί

Aroer, Myrica, ſive ſuſcitatio vigiliæ, aut vigilia vigiliæ, vel denudatio pellis, aut denudatio a muli. Urbs Moabitarum ſita ſuper ripam torrentis Arnon, extructa a filiis Gad, Joſ. 12. a. 2. & 13. c. 25. Eſt contra Rabbath, Joſ. 13. c. 25. ceſſit tribui Gad, Judic. 11. f. 33. fit ejus mentio, 1 Reg. 30. g. 28. & 2 Reg. 24. a. 5. Num. 32. g. 34. & 4 Reg. 10. g. 33. Eſt & regio circa Damaſcum, vel (ut alii volunt) Arnonis, cujus meminit Eſaias cap. 17. a. 1. ערער ἀροήρ ערוער

Arorites, ab Aroer, Myrica mea, vanitas vel humilitas, aut ſuffoſſio mea, 1 Par. 11. g. 44. ערערי ἀραεί

Arorites, ab Arari, Montanus, 1 Par. 11. f. 28. הררי ἀρωρεί

Arphad, Lux redemptionis, aut ſternens, ſcilicet aliquid ad reclinandum. Nomen inſulæ in Phœnicia ſitæ non longe a Damaſco. Plinius lib. 5. cap. 31. Pomp. Mela. lib. 1. Eſa. 10. b. 9. & 4 Reg. 18. g. 34. Jer. 49. e. 23. ארפד ἀρφάδ

Arphaxad, Sanans, vel laxans quaſi deprædationem, aut quaſi mammillam: vel laxans aut ſanans ſicut dæmon. Filius Sem, Gen. 10. c. 21. Luc. 3. g. 36. a quo Chaldæi. ארפכשד ἀρφαξάδ

Arſa, Terra, ſive voluntas, aut curſus, ſive maledictionis exitus. Nomen præfecti civitatis Therſæ, 3 Reg. 16. c. 9. ארצא ὠρσά

Arſaces, Elevans ſcutum, aut elevatio ſcuti. G. Nomen viri, 1 Mach. 15. d. 22. ἀρσάκης

Artaba, Genus eſt menſuræ, Dan. 14. a. 2. D. ἀρταβαί

Artaxerxes, Lumen, ſive maledictio, ſilentium vel feſtinationem ponens, aut fervor lætitiæ. Generale nomen eſt (ut Lyrano in 1 Eſd. cap. 4. & Metaſtheni Perſæ placet) regum Perſarum, quemadmodum Cæſar Romanorum imperatorum, 1 Eſd. 4. b. 7. ארתחששתא ἀρθασασθά

Artaxerxes, Luminis ſive maledictionis ſilentium, vel feſtinationem perſuadens, aut fervor direptionis, 1 Eſd. 7. c. 21. & 8. a. 1. Neh. 2. a. 1. & 5. c. 14. & 13. a. 6. ארתחשסתא ἀρθασασθά

Arteman, Integer, vel incolumis, aut venuſtus. G. Nomen viri, Tit. 3. d. 12. ἀρτεμᾶς

Aruboth, Cataractæ, ſive feneſtræ, aut inſidiæ, vel locuſtæ. Nomen civitatis, 3 Reg. 4. a. 10. ארבות ἀραβώθ

Arum, Excelſus, ſive ſublimis, aut ſeparans, ſive projiciens. Pater Aharehel, 1 Par. 4. b. 8. הרום ἀρίμ

A S

Aſa, Medicus, aut ſanans, Syrum eſt. Filius Abian regis, 3 Reg. 15. b. 8. & 1 Par. 3. b. 10. Filius item Helcana, 1 Par. 9. c. 16. אסא ἀσά

Aſaa, Vide Aſaia.

Aſael, Fecit Deus, ſive factura Dei. Filius Sarviæ, 2 Reg. 2. d. 18. Frater item Joab, 2 Reg. 23. d. 24. & 1 Par. 2. b. 16. & 2 Par. 31. c. 13. Corrupte in quibuſdam codicibus ſcribitur Aſahel, ut 1 Par. 11. f. 26. & 27. a. 7. & 2 Par. 17. b. 8. עשהאל ἀσαήλ

Aſaia, Fecit Dominus, ſive factura Domini. Servus Joſiæ regis, 4 Reg. 22. c. 14. Nomen item principis, 1 Par. 4. f. 36. & 6. c. 30. & 9. a. 5. & 15. a. 6. In 2 Par. 34. d. 20. corrupte legitur Aſaæ pro Aſaiæ. עשיה ἀσαία

Aſalelphuni, Umbra vel ſubmerſio vultus, aut ſonitus vel tinnitus vultus. Filia Etam, 1 Par. 4. a. 3. הצללפוני ἀσηλαφωνί

Aſilia, Prope Dominum, ſive ablatio vel ſeparatio Domini. Pater Sapham ſcribæ, 4 Reg. 22. a. 3. ubi corrupte legitur Aſlia. אצליהו ἀσελίας

Aſan, Fumus, aut fumigans. Nomen civitatis in tribu Judæ, Joſ. 15. f. 42. & 19. a. 7. & 1 Reg. 30. g. 30. & 1 Par. 4. f. 32. & 6. e. 62. עשן ἀσά

Aſana, Rubus, aut Syriace, inimicus. Pater Oduia, 1 Par. 9. b. 7. הסנאה σαναά

Aſiph, Congregans, ſive colligens, aut finiens. Filius Barachiæ filii Samua, 1 Par. 6. c. 39. Pater item Zechri, 1 Par. 9. c. 15. אסף ἀσάφ

Aſar-haddon, Ligans acumen, vel lætitiam: aut Syriace, prohibens novitatem vel unitatem. Filius Sennacherib, qui poſt eum regnavit, 4 Reg. 19. g. 37. Eſa. 37. g. 38. אסרחדן ἀσορδάν

Aſaramel, Beatitudo populi Dei, aut veſtigium circumciſionis. D. nomen loci, 1 Mach. 14 d. 28. σαραμέλ

Aſarela, Beatitudo Dei, aut intuens fortem vel quercum, ſive greſſus Dei. Nomen viri, 1 Par. 25. a. 2. אשראלה ἀσεηρηλά

Aſarmoth, Vide Haſarmoth.

Aſaſon-thamar, Vide Haſaſon-thamar.

Asbaim, Damulæ, vel pulchritudines, ſive militiæ. Nomen viri, 2 Eſd. 7. e. 59. הצביים σαβαΐν

Asbel, Ignis vetuſtatis, aut ignis defluens vel decidens. Filius Benjamin, Gen. 46. c. 21. qui 1 Par. 7. b. 11. Jadiel dicitur. אשבל ἀσβήλ

Asbelitæ, Idem. p. n. Num. 36. e. 38. אשבלי ἀσβηλί

Aſcalon, Appenſio vel ſtatera, ſive ignis infamiæ. Civitas ampla Palæſtinæ, ſive ut Joſephus habet libr. 5. cap. 3. Jud. Antiquit. ſuperioris Idumææ quam Judas expugnavit, Judic. 1. d. 18. Ubi Samſon triginta viros percuſſit, Judic. 14. d. 19. quæ a conditore Aſcalo Hymenæi filio id nominis, Stephano teſte, invenit. Hæc אשקלון ἀσκαλών ſecundum Egeſippum lib. 3. cap. 4. ſeptingentis viginti ſtadiis ab Hieroſolyma diſtat. De qua Volaterr. lib. 11. Geograph. Jer. 25. d. 20. Amos 1. b. 8. Soph. 2. a. 4. Zach. 9. a. 5. Ab hac reguli Philiſtinorum, Aſcalonitæ appellantur, Joſ. 13. a. 3.

Aſcalona, Idem. D. 1 Mach. 10. g. 86. ἀσκάλωνα

Aſcalonitæ, Idem. p. n. Populi nomen, Joſ. 13. a. 3. אַשְׁקְלוֹנִי ἀσκαλωνῖται

Aſcenez, Ignis quaſi diſtillans, vel quaſi aſpergens. Filius Gomer, Gen. 10. a. 3. Populi item quos Græci Rheginos vocant, Jer. 51. c. 26. ſecundum Joſephum. Euſebio autem, gentes ſunt Gothicæ. אַשְׁכְּנַז ἀσχανάζ

Aſcenſus ſcorpionis. Heb. Maale-acerabbim. Locus tribus Judæ, in parte Auſtrali terræ ſanctæ, Joſ. 15. a. 3. Judic. 1. g. 36. de quo Hieronymus in locis Hebraicis, qui confinium Amorrhæorum Acrabitenen dictum refert. מַעֲלֵה עַקְרַבִּים προσανάβασις ἀκράβεως

Aſebaim, Damulæ, ſive pulchritudines, aut militiæ. Nomen viri, 1 Eſdr. 2. c. 57. הַצְּבָיִים ἀσεβωείμ

Aſedoth, Effuſiones, ſive declivia, aut campeſtria, vel deprædationes. Nomen regionis & civitatis in tribu Reuben, urbs Amorrhæorum, Joſ. 10. g. 40. & 12. b. 3. & 13. c. 20. אֲשֵׁדוֹת ἀσηδὼθ

Aſel, Prope, aut juxta, ſive ablatio vel ſeparatio. Filius Elaſa filii Rapha, 1 Par. 8. d. 37. 9. g. 43, 44. אָצַל ἀσὴλ

Aſem, Os ab oſſe, aut fortitudo, aut clauſura, ſcilicet oculorum, vel lignum eorum. Civitas in tribu Simeon, Joſ. 19. a. 3. Appellatur & Aſom, 1 Par. 4. e. 29. iiſdem conſonantibus & punctis. עֶצֶם ἀσὲμ

Aſemona, Os nunc, ab oſſe: ſive fortitudo noſtra, vel clauſura noſtra, ſive lignum vel conſilium numerantis vel præparantis. Urbs tribus Judæ, Joſ. 15. a. 4. עַצְמוֹנָה ἀσεμωνὰ

Aſena, Periculum, ſive infortunium, vel rubus. Nomen viri, 1 Eſd. 2. c. 50. אַסְנָא ἀσενὰ

Aſena, Mutatio, vel duplicitas, aut dormitatio, ſive ignis nunc. Nomen urbis in tribu Juda, Joſ. 15. e. 33. אַשְׁנָה ἀσνὰ

Aſenaphar, Periculum, ſive infortunium tauri, aut periculi incrementum. Nomen viri, 1 Eſdr. 4. b. 10. אָסְנַפַּר ἀσενναφὶρ

Aſeneth, Periculum, ſive infortunium. Filia Phutipharis uxor Joſeph, Gen. 44. f. 44. & 46. c. 20. אָסְנַת ἀσενὲθ

Aſer, Vinctus, ſive incarceratus: aut Syriace, prohibitus. Heb. Aſir. Filius Caath filii Levi, 1 Par. 6. b. 22. ſive filius Core filii Iſaar filii Caath, Exod. 6. d. 24. אַסִּיר ἀσεὶρ

Aſer, Beatitudo ſive felicitas. Octavus filius Jacob ex Zelpha ancilla Liæ uxoris ſuæ, Gen. 30. b. 13. Nomen item loci, Joſ. 17. b. 11. & 3 Reg. 4. b. 14. Aſer conſecutus eſt ſortem ad Occidentem & ad Auſtralem partem, id eſt, ad Auſtrum vergentem, Joſ. 19. c. 34. In chartis male collocatur hæc tribus. אָשֵׁר ἀσὴρ

Aſeroth, Nemora, ſive luci, aut beatitudines, vel inſidiæ, ſive greſſus. Nomen idoli, Judic. 3. a. 7. אֲשֵׁרוֹת ἄλσος

Aſhur, Denigratus, ſive ignis libertatis, vel albedinis, aut foraminis. Filius Eſron filii Phares, ex Abia uxore, 1 Par. 2. c. 24. Pater item Thecuæ, 1 Par. 4. a. 5. אַשְׁחוּר ἀσσὼρ

Aſia, Limoſa, vel cœnoſa. Minor pars Aſiæ quæ tertia pars orbis cenſetur: iſta continet provincias, Phrygiam, Pamphyliam, Ciliciam, Lycaoniam, Galatiam, Cariam, & alias, Epheſum quoque ſpecialiter. Hæc præter Orientalem partem qua ad Cappadociam Syriamque progreditur, undique mari eſt circumflua. Hanc ſuſpicantur hodie Turciam dici. Auctor Hieronym. hujus multa fit mentio in Actis Apoſtolorum & epiſtolis Pauli. ἀσία

Aſiani, Limoſi, vel cœnoſi, G. Act. 20. a. 4. ἀσιανοὶ

Aſiel, Fecit Deus, ſive factura Dei. Filius Saraiæ filii Joſabiæ, 1 Par. 4. f. 35. עֲשִׂיאֵל ἀσιὴλ

Aſima, Delictum, ſive poſitio, aut ignis maris. Nomen idoli virorum Emath, 4 Reg. 17. f. 30. אֲשִׁימָא ἀσιμὰ

Aſion-gaber, Lignum viri vel robuſti, aut conſilium viri vel robuſti. Urbs maritima ſita in litore Maris rubri, id eſt, in ea litoris parte quæ pertinet ad ſinum Elamiticum, ſic dictum ab Elam. Aſion-gaber pertinet ad Idumæam, 3 Reg. 9. d. 26. & 2 Par. 8. d. 17. In Aſion-gaber caſtrametati ſunt filii Iſrael egreſſi de Hebrona, Num. 33. d. 35. Deut. 2. b. 8. עֶצְיוֹן גֶּבֶר ἀσιὼν γαβὲρ

Aſir, Vinctus, ſive incarceratus: aut Syriace, prohibitus. Filius Jechoniæ, filii Joacim filii Joſiæ, 1 Par. 3. c. 17. Filius item Core, 1 Par. 6. b. 22. אַסִּיר ἀσὶρ

Aſmodæus, Deſtructor vel diſſipator, aut delicti abundantia, vel peccatum abundans, ſive ignem menſurans. D. Nomen dæmonii, Tob. 3. b. 8. ἀσμοδαῖος

Aſnaa, Rubus: aut Syriace, inimicus. Nomen viri, 2 Eſd. 3. a. 3. הַסְּנָאָה ἀσανὰ

Aſom, Feſtinatio eorum, ſive jejunans. Sextus filius Iſai, 1 Par. 2. b. 15. Filius item Jerameel primogeniti Eſron, 1 Par. 2. d. 26. אֹצֶם ἀσὸμ

Aſom, Os ab oſſe, vel fortitudo: ſive clauſura, ſcilicet oculorum, aut lignum eorum. Civitas in tribu Simeon, 1 Par. 4. e. 29. quæ dicitur Aſem, Joſ. 18. a. 3. iiſdem conſonantibus & punctis. עֶצֶם ἀσὲμ

Aſar, Nomen urbis aut regionis ſitæ in Arabia, Jer. 49. e. 28. Judic. 4. a. 2. Vide Haſor. חָצוֹר ἀσὼρ

Aſor-haddan, Ligans acumen vel lætitiam: aut Syriace, prohibens unitatem vel novitatem. Rex Aſſur, 1 Eſd. 4. a. 2. אֵסַר־חַדֹּן ἀσορχοδὰν

Aſoth, Faciens, vel factura, aut tineæ, ſ. veſtimentorum. Filius Jephlat filii Heber, 1 Par. 7. g. 33. עַשְׁוָת ἀσιὰθ

Aſphar, Plaſmatio onagri, aut feſtinatio tauri. D. Nomen lacus in agro Thecuæ, 1 Mach. 9. d. 33. ἀσφὰρ

Aſphenez, Pharetra aſperſionis vel diſtillationis, ſive magus aſperſus. Præpoſitus eunuchorum regis Nabuchodonoſor, Dan. 1. a. 3. אַשְׁפְּנַז ἀσφανὲζ

Aſrael, Beatitudo Dei, vel intuitus fortis, aut greſſus Dei. Filius Jaleleel, 1 Par. 4. c. 16. אֲשַׂרְאֵל ἀσιρὴλ

Aſriel, Idem. Filius Galaad filii Machir filii Manaſſe, Num. 26. d. 31. qui Joſ. 17. a. 2. Eſriel dicitur. אַשְׂרִיאֵל ἐσριὴλ

Aſrielitæ, Idem. p. n. Num. 26. d. 31. הָאַשְׂרְאֵלִי ἰσριηλὶ

Aſſedim, Venationes, aut inſidiæ, vel latera: aut Syriace, deſtructiones. Civitas in tribu Nephthali, Joſ. 19. c. 35. הַצִּדִּים τύριοι

Aſſem, Nomen, vel nominatus, ſive poſitio, vel poſitus. Nomen viri, 1 Par. 11. g. 34. הָשֵׁם ἀσὸμ

Aſſia, Vide Aſalia.

Aſſidæi, Milvi, vel herodii, aut venantes, vel inſidiantes. D. Genus hominum inter Judæos, 1 Mach. 7. b. 13. 2 Mac. 14. a. 6. ἀσιδαῖοι

Aſſon, Appropinquatio, vel approximatio. G. Complures ſunt hujus nominis urbes, una Lyciæ civitas maritima in edito ſita promontorio, adeo ut parum tutum ſit accedere. Unde jocus Nicoſtrati citharœdi, Aſſon eas, ut citius ad exitii terminos pervenias. Altera in Æolide. Tertia in Myſia. Quarta in Lydia. Quinta in Epiro minore, Cleanthis philoſophi patria, quæ eadem & Apollonia ſit dicta, ſuffragante & Plinio in 5. lib. cap. 36. Hanc poſtremam Paulus adnavigavit, Act. 20. c. 13. & 27. c. 13. ἆσσον

Aſſuerus, Princeps & caput. Pater Darii regis Medorum, Dan. 9. a 1. & 1 Eſd. 4. b. 5. Hic a Metaſthene Perſa Artaxerxes Aſſuerus vocatur. אֲחַשְׁוֵרוֹשׁ ἀσσουῆρος

Aſſur, Inſidians, ſive beatus, aut aſpiciens, vel gradiens. Filius Sem, Gen. 10. c. 21. de terra Sennaar egreſſus, Gen. 10. b. 11. אַשּׁוּר ἀσοὺρ

Aſſuri, Beatitudo, aut intuitus, vel greſſus. Nomen loci, 2 Reg. 2. b. 8. אַשּׁוּרִי ἀσεὶ

Aſſurim, Inſidiantes, ſive beati: aut aſpicientes, vel gradientes, Filius Dedan filii Jecſan, Gen. 25. a. 3. אַשּׁוּרִים ἀσσουριείμ

Aſſyrii, Idem. Heb. Aſſurim. Aſſyrii poſt Euphratem loca tenent, amne tantum a Babyloniis diviſi. Herodotus eoſdem populos cum Syris eſſe dicit: ſed a Græcis Syros, a Barbaris Aſſyrios vocari. In Aſſyria autem fuerunt XVIII regna: tam ampla & potens regio fuit. Lege Raphaelem Volater. lib. 11. Geograph. Strabonem lib. 16. Geograph. Aſſyria eſt ad Orientem Terræ ſanctæ.

Aſſyrius, Idem. ſ. n. Eſa. 7. c. 17. אַשּׁוּר

Aſtaroth, Greges, ſive divitiæ, aut faciens explorationem, ſeu tinea legis. Urbs in campeſtribus Moab in dimidia tribu Manaſſe, Og regis Baſan regia, Deut. 1. a. 3. Joſ. 9. b. 10. & 12. b. 4. & 13. d. 12. gigantum terra quos Codorlahomor interfecit, Gen. 14. a. 5. quo loco dicitur Aſtaroth Carnaim, in ſupercilio Sodomorum ſita, poſtremo Levitis conceſſa, 1 Par. 6. f. 71. Fuit & deus Palæſtinorum. Joſephus lib. 6. cap. 14. Judaic. Antiquit. teſtis: quem ſuſtulerunt Judæi Samuelis juſſu, 1 Reg. 7. a. 3. Eſt & alius quem adoravit Salomon, 3 Reg. 11. a. 5. ubi עשתורת legitur: a Græcis ἀστάρτη dictum. Vide Aſtarte. Aſtaroth, idola formam ovium præ ſe ferentia. עַשְׁתָּרֹת ἀσταρὼθ עַשְׁתְּרוֹת קַרְנַיִם

Aſtaroſt-addar, Joſ. 18. b. 11. legendum Ataroth-adar.

Aſtarothites, Greges, ſive divitiæ, aut faciens explorationem, ſive tinea legis, 1 Par. 11. g. 44. עַשְׁתְּרָתִי ἐσθαρωθὶ

Aſtarthen, Idem. Idolum Sidoniorum, quod colebat Salomon, 3 Reg. 11. a. 5. idem quod Aſtaroth præcedens. De quo & 4 Reg. 23. c. 13. fit mentio: quo in loco Aſtoreth legendum eſſet pro Aſtaroth. עַשְׁתֹּרֶת ἀστάρτης

Aſtyages, Civitatis ductor, vel dux. G. Rex Perſarum, Dan. 13. g. 64. ἀστυάγης

Aſyncritus, Incomparabilis. G. Viri nomen, Rom. 16. b. 14. ἀσύγκριτος

A T

Atad, Rhamnus, ſive ſpinetum. Locus trans Jordanem, ubi exequias atque planctus peregerunt filii Iſrael ſuper morte Jacob, tertio ab Jericho lapide, duobus milibus a Jordane: qui locus dictus eſt poſtea Planctus Ægypti, Gen. 50. b. 10. Nunc Bethagla, quod interpretatur locus gyri, eo quod ibi more plangentium circuierunt in funere Jacob. Hieronymus in locis Hebraicis. Hebraice legitur Goren Atad: i. Area Atad. אָטָד ἀτὰδ

Atara, Corona. Altera uxor Jerameel primogeniti Eſron filii Phares filii Judæ, 1 Par. 2. d. 26. עֲטָרָה ἀταρὰ

Ataroth, Coronæ, ſive calamus inebriationis, vel ſaturitatis: aut ex Syro & Hebræo, conſilium inebriationis, vel ſaturitatis. Civitas in tribu Gad, Num. 32. a. 3. g. 34. Eſt & nomen regionis in ſorte filiorum Joſeph, Joſ. 16. c. 7. עֲטָרוֹת ἀταρὼθ

Ataroth-addar, Coronæ ſive calamus inebriationis, vel ſaturitatis pallii ſive potentiæ aut magnitudinis. Civitas in tribu Ephraim, Joſ. 16. b. 5. & 18. b. 11. עַטְרוֹת אַדָּר ἀταρὼθ ἀδὰρ

Ater, Siniſter, vel clauſus. Nomen viri, 1 Eſd. 2. a. 16. אָטֵר ἀτὴρ

Athach per ע, Hora tua, ſive tempus tuum. Nomen civitatis, 1 Reg. 30. g. 30. עֲתָךְ ἀθὰχ

Athach per ה, Percutiens, vel humilians, aut ſubjiciens. Nomen Eunuchi, Eſth. 4. b. 5. הֲתָךְ ἀθὰχ

Athaias, Hora vel tempus Domini. Nomen viri, 2 Eſd. 11. a. 4. עֲתָיָה ἀθιὲ

Athalai, Hora mea, ſive tempus meum vel mihi. Nomen viri, 1 Eſd. 10. d. 28. עַתְלָי θαλὶ

Athalia, Hora, vel tempus Domino. Mater Ochoziæ filii Joram regis Judæ, filia Amri regis Iſrael, 4 Reg. 8. g. 26. עֲתַלְיָהוּ γοθολία

Athanai, Fortis, ſive aſininus, aut donans. Filius Zara, filii Adaia, 1 Par. 6. c. 41. אֶתְנִי ἠθανὶ

Athar, Oratio, aut deprecatio. Nomen civitatis in tribu Simeon, Joſ. 19. a. 7. עֶתֶר ἐθὲρ

Athenæ, Sine cumulo, vel ab Athena, id eſt, Minerva, Minervales. G. Civitas Achaiæ, philoſophiæ dicata ſtudiis & idolorum cultui, ubi Paulus etiam Chriſtum prædicavit, Act. 17. d. 16. hujus urbis Piræus portus (cujus Terentius in Eunucho meminit) ſeptemplici muro quondam communitus fuiſſe deſcribitur. Athenæ hodie ſub Turcæ imperio ſunt, a Barbaris corrupto vocabulo Sethniæ vocantur, Raphaele Volater. libr. 38. Paralipomenon auctore. ἀθῆναι

Athenienſes, Idem. G. Act. 17. e. 21. ἀθηναῖοι

Athenobius, Minervæ arcus. G. Nomen viri, 1 Mach. 15. f. 32. ἀθηνόβιος

Atherthaſa

הַתִּרְשָׁתָא ἀρτασασθὰ Atherſatha, Diſſolvens fundamentum, vel contemplans fundamentum vel potum, ſive turturis fundamentum: aut ex Hebræo & Syro, contemplans annum vel tempus. Filius Achelai, 2 Eſd. 10. a. 1. de quo & 1 Eſd.2.d.61. Sic dicebatur & Nehemias, Neh. 7. f. 65. & 8. c. 10.

חֻמְטָה ἀμματα Atmatha, Lacerta vel ſtellio. Nomen civitatis in tribu Juda, Joſ. 15. f. 53. Heb. Humeta.

ἀττάλεια Attalia, Augens, vel nutriens. G. Civitas Pamphyliæ maritima, a Ptolemæo Philadelpho ædificata, juxta Raphaelem Volater. lib. 10. Geographiæ, quam Paulus & Barnabas pertranſierunt, Act. 14. 45.

ἄτταλος Attalus, Auctus ſive nutritus. G. Nomen viri, 1 Mac.15.d.22.

עַוָּה αὐα Ava, Iniquitas. Nomen idoli, 4 Reg. 17. d. 24. & 18. g. 34. & 19. c. 13. Eſa. 37. c. 13.

αὔγουστος Auguſtus, Latinum eſt, vel ab augurio dictus, vel (ut alii volunt) ab augendo. Romanorum Imperator ſecundus, patre Octavio ſenatore genitus, Cæſaris nepos, Imperavit annos 56. Hic cum quadrageſimo ſecundo anno imperii ſui firmiſſimam veriſſimamque pacem compoſuiſſet, Chriſtus Dominus in Bethlehem natus eſt; cujus adventui pax iſta famulata eſt, quemadmodum ſcribit Eutropius rerum Romanorum lib.7. cap.2. Et Lucas Evangeliſta cap. 2. a. 1. refert ab hoc edictum exiiſſe ut cenſeretur orbis univerſus.

עַוִּים αὐίμ Avim, Iniqui ſive perverſi. Nomen civitatis tribus Benjamin, Joſ. 18. d 23.

עֲוִית γεθίμ Avith, Iniqua ſive perverſa, aut temporalis. Nomen civitatis in qua regnavit Adad quartus rex in Edom, Gen. 36. d. 35.

Aulon, Vide Vallis ſylveſtris.

חַוְרָן αὐρανῖς Auran, Foramen, ſive libertas, aut albedo. Locus in vicinia Damaſci, Ezec. 47. c. 17. Heb. Hauran.

עוּץ ὖς Auſitis, Hebraice dicitur Hus, & interpretatur conſilium aut lignum: aut Syriace, affixus aut affixio. Nomen loci, Jer. 25. e. 20.

A X

עַכְסָה ἀχσα Axa, Compoſita vel adornata, aut laſciviens, ſive confractio vel diruptio velaminis. Filia Caleb, Joſ. 15. d. 16. Judic. 1. c. 12. quæ 1 Par. 2. f. 49. Achſa ſcribitur.

אַכְשָׁף ἀχασφ Axaph, Veneficus, ſive utique conterens. Nomen civitatis in tribu Aſer, Joſ. 19. b. 25. quæ cap. 11. a. 1. ſcribitur Achſaph.

A Z

Aza, Vide Gaza.

עֻזָּא ἀζὰ Aza, Fortitudo, aut capra. Nomen viri, 1 Eſd. 2. c. 47.

Azael, Vide Hazael.

אָזַנְיָה ἀζανίας Azanias, Auris Domini, ſive auſcultatio Domini, vel arma Domini. Nomen viri, 2 Eſd. 10. a. 9.

אַזְנוֹת תָּבוֹר ἀζνὼθ θαβὼρ Azanoth-thabor, Aures electionis, ſive puritatis: aut ex Hebræo & Syro, aures contritionis vel confractionis. Civitas, terminus tribus Nephthali, Joſ. 19. c. 34.

עֲזַרְאֵל ἀζαρὴλ Azareel, Adjutorium Dei, ſive atrium Dei. Nomen viri, 1 Par. 12. a. 6. & 25. c. 8.

עֲזַרְיָה ἀζαρίας Azarias, Auxilium Domini, ſive atrium Domini. Filius Amaſiæ regis Judæ, 4 Reg. 14. e. 21. qui 2 Par. 26. a. 1. Ozias dicitur. Eſt & nomen ſacerdotis, 2 Par. 26. c. 17. Filius Johanan, 2 Par. 28. b. 12. Filius item Ethan filii Zaræ filii Juda, 1 Par. 2. b. 8. Vide & 1 Par. 6. a. 9. & b. 13.

עַזְרִיקָם ἐζρικὰμ Azaricam, ſive Azricam, Auxilium reſurgentis vel vindicantis, aut fortitudo vacua. Nomen viri, 2 Eſd. 11. c. 14.

חֲזוֹ ἀζαῦ Azau, Videns aut prophetans. Filius Nachor ex Melcha, Gen. 22. d. 22. Heb. Hazo.

ἀζὰζ עָזָז Azaz, Fortis, Pater Bala, 1 Par. 5. a. 8.

ὀζίας עֲזַזְיָהוּ Azazias, Fortitudo Domini. Nomen viri, 2 Par. 31. c. 13.

ἀσβαὶ אֶזְבַּי Azbai, Hyſſopus mea. Nomen viri, 1 Par. 11. g. 37.

עַזְבּוּק ἐζβοὺχ Azboc, Hircus vel fortitudo vacuitatis, aut fortis diſſipatio. Nomen viri, 2 Eſd. 3. d. 16.

עֲזֵקָה ἀζηκὰ Azeca, Fortitudo ſive murata, vel ſepta: aut Syriace, annulus. Civitas Amorrhæorum, quæ ſorte ceſſit tribui Juda, Joſ. 15.e.35. Neh. 11. d. 30. Hieronymo inter Eleutheropolin & Æliam ſita: quo loci Deus grandine & lapidibus gentes perdidit, Joſ. 10. c. 11. Philiſthiim illic caſtra contra Iſrael fixerunt, 1 Reg. 17. a. 1. Hanc reparavit Roboam rex Juda, 2 Par. 11. b. 9. & rex Babylonis eandem debellavit, Jer. 34. b. 7.

ἀζὴρ עֵזֶר Azer, Adjutorium, ſive atrium. Nomen viri, 2 Eſd. 3. e. 19.

עַזְגָּד ἀζιγὰδ Azgad, Fortis exercitus, aut fortitudo felicitatis: vel ex Hebræo & Syro, fortis ſciſſura. Viri nomen, 1 Eſd.2.a.1. & 8.b.12.

עֻזִּיָּה ὀζία Azia, Fortitudo Domini, ſive hircus Domini. Nomen viri, 2 Eſd. 11. a. 3.

ὀζιζὰ עֲזִיזָא Aziza, Fortitudo, aut fortis. Nomen viri, 1 Eſd. 10. d. 27.

עַזְמָוֶת ἀζμαὼθ Azmaveth, Fortis mors, ſive hircus, aut fortitudo mortis. Nomen viri cujuſdam, 2 Reg. 23. d. 30. qui 1 Par. 11. f. 33. dicitur Azmoth, iiſdem conſonantibus & punctis, 1 Eſd. 2. b. 22.

עַזְמָוֶת ἀσμὼθ Azmoth, Idem. Filius Joada filii Achaz, 1 Paral. 8.d.36. & 12. a. 3. & 27. c. 24. Filius item Jore, 1 Par. 9. f. 42. Nomen præterea cujuſdam alterius, 1 Par. 11.f.33. qui 2 Reg. 23. d. 30. dicitur Azmaveth iiſdem conſonantibus & punctis.

ἀζὼρ Azor, Adjutor, vel accinctus: aut Syriace, converſus. D. Filius Eliacim filii Abiud, Matt. 1. b. 14.

אַשְׁדּוֹדִיּוֹת ἀζωταὶ Azotidæ, Hebraice dicitur Aſdodioth, & interpretatur deprædatrices, ſive ignis dilectionum, 2 Eſd. 13. d. 23.

אַשְׁדּוֹדִי ἀζώτιοι Azotii, In Hebræo dicitur Aſdodi, id eſt, ignis dilecti vel patrui. Genus populi in terra Chanaan contra Aquilonem.

Azotius, Ignis dilecti vel patrui mei, Joſue 13. a. 3. & 1 Regum 5. a. 3.

אַשְׁדּוֹד ἐσδὼδ Azotus, Hebraice dicitur Aſdod, id eſt, deprædatio, ſive ignis dilecti, aut ignis patrui. Inſignis Palæſtinæ urbs inter Aſcalonem & Joppen in tribu Dan, in qua gigantes habitarunt, capta a Joſue duce, Joſ. 11. d. 22. Sorte ceſſit tribui Judæ, Joſ. 15. f. 46. Hæc una e quinque civitatibus Allophylorum, templo Dagon idoli nobilitata, 1 Reg. 6. c. 17. Quam, ut ait Stephanus, condidit quidam e Mari rubro profugus, ex nomine uxoris ſuæ Azes. Volater. lib. 11. Geograph. Cujus in Scripturis multa eſt mentio, Jer.25. d.20. Amos 1. b. 8. Soph. 2. a. 4. Zach. 9. a. 6. Eſa. 20. a. 1. & 2 Par. 26. a. 6. In hac Philippus prædicavit Chriſtum, Act. 8. g. 40.

Azriel, Vide Azareel.

עֲזוּבָה ἀζουβὰ Azuba, Derelicta, ſive deſerta, aut fortitudo ejus in ea. Mater Joſaphat filia Salai, 3 Reg. 22. f. 43. & 2 Par. 20. g. 31. Uxor item Caleb filii Eſron filii Juda, 1 Par. 2. b. 18.

עַזּוּר ἀζὼρ Azur, Adjutus ſive adjutor. Pater Ananiæ prophetæ, Jer. 28. a. 1. Pater item Jezoniæ, Ezech. 11. a. 1.

ἄζυμος Azymus, Infermentatus, Act. 12. a. 4. & 1 Cor. 5. c. 7.

עֻזִּי ὀζεὶ Azzi, Fortitudo mea, ſive hircus meus. Nomen viri, 2 Eſdr. 11. c. 22.

B

בַּעַל βάαλ BAal, Idolum, aut dominans, vel ſubjiciens, aut poſſidens. Baal eſt proprie idolum Sidoniorum, 3 Reg. 16. g. 31. quod idolum aliter dicitur Aſtoreth. Accipitur etiam pro quocunque idolo, Jer. 2. b. 8. Græci Martem putant, Num. 22. g. 40. quod deſtruxit Gedeon, Judic. 6. e. 25. Eſt & nomen loci, 1 Par. 5. d.23. Filius item Joel, 1 Par.5.a.5. Filius Abigabaon, ſive Jahiel, 1 Par. 8. c. 29. & 9. f. 35.

אַרְבֵּאל Baal, In Oſee 10. d. 15. legitur, vindicavit Baal: quum legendum ſit, vindicavit Arbel: & interpretatur Pugnavit Deus, ſive vindicavit Deus, aut ultus eſt pro Deo.

בַּעֲלָה βααλ Baala, Idolum ejus, aut dominans ei, vel ſubjecta, aut poſſeſſa, ſive in aſcenſione, vel in elevatione. Nomen civitatis in tribu Juda, Joſ. 15. b. 9. quæ & Cariath-jarim & Cariath-baal dicitur.

בַּעֲלָת βααλὼθ Baalath, Subjecta, ſive poſſeſſa: aut in exaltatione, vel aſcenſione. Nomen civitatis in tribu Dan, Joſ. 19. a. 8. d. 44. Civitas a Salomone condita, 3 Reg. 9. c. 18.

בַּעַל בְּרִית βάαλ βερὶθ Baal-berith, Idolum fœderis vel pacti, aut ſubjiciens vel poſſidens fœdus vel pactum. Nomen idoli, Judic. 9. a. 4.

בַּעַל גָּד βααλγὰδ Baal-gad, Idolum fortunæ vel felicitatis, ſeu exercitus: aut ſubjiciens ſive poſſidens felicitatem vel exercitum: aut ex Hebræo & Syro, idolum ſciſſuræ. Nomen montis ſub monte Hermon, Joſ. 11. c. 17. & 13. a. 5.

בַּעַל הָמוֹן βεελαμὼν Baal-hamon, Idolum populi, aut dominans populo, aut poſſidens populum. Nomen loci, Cant. 8. c. 11.

בַּעַל חָצוֹר βααλασὼρ Baal-haſor, Idoli atrium vel fœnum, aut poſſeſſor gratiæ vel doni. Locus eſt infra Ephraim urbem Benjamin, 2 Reg. 13. d.23.

בַּעַל חֶרְמוֹן βάαλ ἑρμὼν Baal-hermon, Idolum aut auctor ſive poſſeſſor deſtructionis, ſive anathematis, vel retis, ſive retiaculi, aut dedicati vel conſecrati, Deo ſcilicet. Mons circa Libanum in Paleſtinæ finibus, Judic. 3. a. 3.

בַּעְלִי βααλείμ Baali, Idolum meum, ſive dominans mihi, aut ſubjiciens vel poſſidens me, Oſee 2. c. 17.

בַּעַלְיָה βααλία Baalia, Idoli dominus, id eſt, deus idoli, vel ſubjiciens aut poſſidens dominus, ſive in aſcenſu vel in cœnaculo. Nomen viri, 1 Par. 12. a. 5.

בְּעֶלְיָדָע βααλιαδὰ Baaliada, Idolum apertum vel manifeſtatum, ſive poſſeſſor ſcientiæ, Filius David, 1 Par. 14. b. 7.

בְּעָלִים βααλείμ Baalim, Idola, ſive dominantes, aut ſubjicientes vel poſſidentes. Nomen idoli, 1 Reg. 7. a. 4. & 2 Par. 28. a. 2. Jer. 2. e. 23. Corrupte 2 Reg. 6. a. 2. de viris Juda legitur: pro de Baale Juda, id eſt, de Cariath-jeharim: ut vides, Joſ. 15. c. 9.

בַּעַל מְעוֹן βεελμὼν Baal-meon, Idolum habitaculi, vel idolum ex peccato, aut ſubjiciens ſive poſſidens habitaculum, ſive dominium ex peccato. Civitas Amorrhæorum, quæ ſorte obtigit filiis Ruben, Num. 32. g. 38. Joſ. 13. c. 17. Hæc eadem dicitur Beel-meon.

בַּעַל פְּרָצִים βααλφαρασὶν Baal-pharaſim, Idolum diviſionum, aut ſubjiciens ſive poſſidens diviſiones. Nomen loci in terra Chanaan, 2 Reg.5.d.20. & 1 Par. 14. b. 11.

בַּעַל תָּמָר βααλθαμὰρ Baal-thamar, Idolum palmæ, aut ſubjiciens, vel poſſidens palmam arborem, aut idolum commutationis, ſive ſubjiciens aut poſſidens commutationem. Vicus juxta Gabaa, in tribu Benjamin, Judic. 20. e. 33.

בַּעֲנָה βαανὰ Baana, In reſponſione, ſive in afflictione, aut in cantico: vel Syriace, deprecatio. Filius Remmon Berothitæ, 2 Reg.4.a.2. Pater item Heleb, 2 Reg.23.d.29. Filius item Ahilud, 3 Reg.4.b.12. Filius etiam Huſi, 3 Reg.4.b.14. In his duobus locis ſcribitur בענא. בַּעֲנָא

בַּעְשָׁא βαασὰ Baaſa, In factura, ſive in tinea, aut in compreſſione, vel ſcrutationem tollens. Nomen regis Iſrael, 3 Reg. 15. c. 17. & 2 Par. 16. a. 1. Filius Ahia, 4 Reg. 9. b. 9.

בָּבֶל σύγχυσις Babel, Confuſio ſive commiſtio. Nomen civitatis, Gen. 11. b. 9. quæ Stephano Seleucia quoque dicta eſt.

βαβυλὼν Babylonem eſſe duplicem Coſmographorum conſenſus eſt: una in Aſſyria, de qua 4 Reg.17.d.24. altera vero in Chaldæa, de qua 4 Reg.25. a.1. in campo Senaar, caput regni Chaldæorum, regia Nemrod, ſita ad Orientem terræ Juda, quæ a confuſis labiis nomen habet, teſtes Moſes, Ge.10.b.10.&11.b.9. Joſeph. lib.1. ca.9. Antiq. Judaic. Auguſtinus lib. 16. cap. 4. de civitate Dei. Plura de hac Babylone lege apud Plinium lib.6. naturalis hiſt. cap. 26. Strabonem lib.15. & 16. Herodotum lib.1. Pomp. Melam lib.1. Ptolem. lib.5.cap.20. & 6. cap.26. Ab hac & regio circumpoſita, Babylonia vocatur. In hac populus Judæorum LXX annis captivus detentus fuit, juxta prophetiam Jeremiæ, cap.25.c.12. per Nabuchodonoſor regem Babyloniorum tranſmigrare coactus, 4 Reg.25.c.11. & 2 Par.36.b.10. Nunc Seleucia vocata Straboni lib.16. Geograp.

& Stephano de urbibus. Ipſa Babylonia Meſopotamiæ conjuncta eſt inter Euphratis ipſius converſiones: Auſtralior eſt: Syriam tamen Ptolemæo Plinioque non excedit: auctor Raphael Volater. lib. 11. Geograph. Plinius lib. 6. cap. 26. naturalis hiſt. Strabo in 6. refert eam Tygri & Euphrate irrigari. Hanc Babylonem Darius rex Medorum primus omnium evertit & ſolo æquavit ita ut poſtea habitata non fuerit, Eſa. 13. a. 1. lege Hieronymum in eo loco. Quidam tertiam faciunt Babylonem ipſam urbem Romam, ex qua B. Petrum primam ſuam ſcripſiſſe epiſtolam ait Papias Jeroſolymitanus, & ex eo Euſebius libr. 2. Eccleſiaſt. hiſt. cap. 14. Hieronymus de Eccleſiaſticis ſcript. & Beda in 1 Petri 5. eamque per μεταφορὰν ab ipſo Petro Babylonem vocatam eſſe, dum ait: Salutat vos Eccleſia quæ eſt in Babylone collecta.

Babylonia, Idem.

Βαϐυλώνιοι Babylonii, Confuſi, ſive commiſti, 1 Eſd. 4. b. 9.

בקבקר Βακϐακὰρ Bacbacar, Vacua, vel inanis viſitatio, aut matutinatio, vel vapulatio, aut inanis vacca. Viri nomen, 1 Par. 9. c. 15.

Βακχήνορ Bacchenor, Ebrius, vel vinoſus. G.

Βακχίδης Bacchides, Idem. G. Nomen viri, 1 Mach. 7. b. 8.

Βακήνωρ Bacenor, Puto idem eſſe nomen cum Bacchenor, & iſtud eſſe corruptum. Nomen viri, 2 Mac. 12. f. 35.

בדקר Βαδεκὰρ Badacer, In compunctione, ſive in transfixione, aut in confoſſione, ſive vectis frigiditatis, vel ſola frigiditas. Nomen ducis exercitus Jehu, 4 Reg. 9. e. 25.

בדד Βαρὰδ Badad, Solitarius, ſive in mamilla, vel in dilectione. Pater Adad regis quarti in Edom, Gen. 36. d. 35.

בדיה Βαδαΐας Badaias, Solus Dominus, vel vectis Domini. Nomen viri, 1 Eſd. 10. d. 31.

בדן Βαδὰν Badan, Vectis, vel ſolus, aut in judicio. Nomen viri, 1 Reg. 12. b. 11. Filius Ulam filii Sares, 1 Par. 7. d. 17.

בגתא Βαγαθὰ Bagatha, In torculari. Nomen eunuchi, Eſth. 1. b. 10.

בגתן Bagathan, In torculari, aut cibum tribuens. Nomen eunuchi, Eſth. 2. d. 21. Hoc nomen LXX. non tranſtulerunt.

בעלים Βασίλισσα Bahalis, In lætitia, ſive in arrogantia. Rex filiorum Ammon, Jerem. 40. d. 14.

Βαίνη Bahem, In eis, vel cum eis. D. 1 Mac. 13. e. 37.

בחרים Βαχουρείμ Bahurim, Electi, ſive juvenes, aut in foraminibus, ſive in libertatibus. Nomen civitatis in tribu Benjamin, 2 Reg. 3. c. 16.

בלה vel בלהה Βάλλα Bala, Inveterata, ſive turbata, aut defluens. Nomen civitatis in tribu Simeon, Joſ. 19. a. 3. & 1 Paral. 4. c. 29. Ancilla item Rachel uxoris Jacob, Geneſ. 29. f. 29. uxor item Nephthali, 1 Par. 7. c. 14.

Βαλὰκ בלע Βαλὰκ Βαλαὰ Bala, Deglutiens, ſive deſtruens. Nomen urbis quæ Segor, item Saliſſa, ſive vitula conternans in ſacris literis dicitur, Geneſ. 14. b. 9. Eſt & filius Azaz filii Semma filii Joel, 1 Par. 5. a. 7.

בלעם Βαλαὰμ Balaam, Vetuſtas populi vel abſque populo, ſive devoratio, aut deſtructio eorum. Filius Beor ariolus, Num. 22. a. 5. Joſ. 13. c. 22. Eſt & nomen civitatis, 1 Par. 6. f. 70.

בלהן Βαλαὰμ Balaan, Inveteratus, ſive turbatus. Filius Eſer filii Seir Horræi, Gen. 36. c. 27.

בלק Βαλαὰκ Balac, Involvens, aut deſtruens, vel cum lambente, aut Syriace, cum percutiente. Filius Sephor, Num. 22. a. 1.

בלאדן Βαλαδὰν Baladan, Abſque imperio, vel abſque judicio, aut vetuſtas imperantis, vel judicii. Nomen viri, 4 Reg. 20. c. 12. Eſa. 39. a. 1.

בלהן Βαλαὰν Balan, Inveteratus, ſive turbatus. Filius Jadihel filii Benjamin, 1 Par. 7. c. 11.

בעל חנן Βαλενὼν Balanan, Idoli gratia vel donum, aut poſſeſſor gratiæ vel doni. Filius Achobor, ſeptimus Rex Edom, Gen. 36. d. 39. & 1 Paral. 27. d. 27. Heb. Baal-hanan.

בלדד Βαλδὰδ Baldad, Vetuſta dilectio, vel mamilla, ſive inveteratus motus, aut abſque motu, ſive abſque dilectione vel mamilla. Nomen viri, Job 8. a. 1.

בעלות Βαλὼθ Baloth, Subjectæ ſive poſſeſſæ, aut in aſcenſione. Nomen civitatis in tribu Juda, Joſ. 15. e. 24.

בעל שלשה Βαὰλ σαλισὰ Balſaliſa, Idolum tertium, aut idolum ducis, vel principis, ſive poſſeſſor trium, aut poſſeſſio ducatus vel principatus. Nomen loci, 4 Reg. 4. g. 42.

בלשאצר Βαλτάσαρ Balſaſar, Non portans anguſtiam, vel non theſaurizans: aut ex Syro & Hebræo, ſcrutator theſauri. Filius Nabuchodonoſor, Dan. 5. a. 1. f. 22. g. 30. & 7. a. 1. & 8. a. 1. Secundum Joſephum filius fuit Evilmerodach.

בלטשאצר Βαλτάσαρ Baltaſſar, Abſcondite theſaurizans, ſive in malleatore theſaurizans, vel occulte portans anguſtiam. Nomen prophetæ, qui & Daniel dicebatur, Dan. 1. b. 7. & 5. c. 12.

במהל Βαμαὰθ Bamaal, In circumciſione, aut in miſtione. Filius Jephlat filii Heber filii Bariæ, 1 Par. 7. g. 34. ubi corrupte legitur Chamaal.

במות Βαμὼθ Bamoth, Altaria vel excelſa, ſive in morte. Nomen vallis, Num. 21. c. 19.

במות בעל Βαμὼθ Βαὰλ Bamothbaal, Altaria, ſive excelſa idoli, aut in morte idoli. Civitas in tribu Dan, Joſ. 13. c. 17.

בנעה vel בנעא Βαανὰ Banaa, In motu. Filius Moſa filii Zamri, 1 Paralip. 8. d. 36. & 9. f. 43.

בניהו vel בניה Βανέας Banaia, ſive Banaias, Filius Domini, aut intelligentia Domini, ſive ædificatio Domini. Nomen viri, 2 Reg. 23. d. 20. Nomen principis cujuſdam, 1 Paralip. 4. f. 36. & 15. b. 20. & 2 Paralip. 31. c. 13. Pater item Pheltiæ, Ezechiel 11. a. 1. Filius Jojadæ, 2 Reg. 8. d. 18.

בני ברק Βανὴ Bane, Filii, aut ædificantes, ſive intelligentes. Nomen civitatis in tribu Dan, Joſ. 19. d. 45. Quamvis putem legendum Beneberac, ut unius civitatis nomen ſit, non duarum, cum Hebræis jungantur hæ duæ voces.

בניה Βαναί Banea, ſive Baneas, Filius Domini, aut intelligentia, vel ædificatio Domini. Nomen viri, 1 Eſd. 10. d. 25.

Bani, Filius meus, aut ædificatio, vel intelligentia mea. Nomen viri, 1 Eſd. 10. d. 33. & 2 Eſd. 9. a. 4. בני Βανὶ

Baninu, Filii noſtri, aut ædificatores noſtri, ſive intelligentes nos. Nomen viri, 2 Eſd. 10. a. 13. בנינו Βανία

Banni, Idem quod Bani. Nomen viri, 2 Reg. 23. d. 36. Filius Somer filii Moholi, 1 Par. 6. d. 44. בני Βανὶ

Bara, Incendium, ſive expurgatio, aut paſtus, vel jumentum ſive inſipientia, vel in vigilia. Nomen alterius uxoris Saharaim, 1 Par. 8. a. 8. בערא Βααρὰ

Bara, In malo, ſive in ſocio, aut in clamore, vel in paſtu, ſive in conſtructione. Rex Sodomæ, Gen. 14. a. 2. ברע Βαλλὰ

Barabbas, Filius patris vel magiſtri, aut filius confuſionis, vel ignominiæ. D. Nomen inſignis cujuſdam latronis, Matt. 27. b. 16. Joan. 18. g. 40. Βαραββᾶς

Barac, Fulgur, ſive in vanum, vel in vacuum. Nomen civitatis in tribu Dan, Joſ. 19. d. 45. Vide Bane. Filius Abinoem, Judic. 4. a. 6. ברק Βαρὰκ

Baracha, Benedictio, aut genuflexio. Nomen viri, 1 Paral. 12. a. 3. ברכה Βαραχία

Barachel, Benedicens Deum, aut genu flectens Deo. Nomen viri, Job 32. a. 2. ברכאל Βαραχιὴλ

Barachia, ſive Barachias, Benedicens Domino, aut genu flectens Domino. Pater Zachariæ prophetæ, Zachar. 1. a. 1. Filius Moſollamoth, 2 Paral. 28. b. 12. Filius Zorobabel filii Phadaiæ, 1 Par. 3. d. 20. ברכיה Βαραχίας

Barad, Grando, ſive in deſcenſu, aut in imperio. Nomen loci in deſerto Sur, Gen. 16. d. 14. ברד Βαρὰδ

Baraia, Creatura Domini, ſive impinguatio aut electio Domini, ſive in viſione. Filius Semei, 1 Par. 8. b. 20. בראיה Βαρεία

Baraſa, In egeſtate, aut filii plaſmatio, ſive in curſu, vel in beneplacito. D. Nomen civitatis Galaad, 1 Mac. 5. c. 26. Βόσορρα

Bared, Grando, ſive in deſcenſu: aut in imperio. Filius Suthalæ filii Ephraim, 1 Par. 7. d. 21. ברד Βαρὰδ

Baria, In ſocietate, ſive in malitia, aut in ululatione, aut in paſtu. Nomen viri, 1 Par. 8. b. 13. בריעה Βαρεία

Baria, Sera, vel vectis, ſive fugitivus, aut in odore. Filius Semeiæ filii Secheniæ, 1 Par. 3. d. 22. בריח Βεεία

Baria, In malo, ſive in clamore, aut in ululatione, vel in paſtu. Filius Aſer filii Jacob, 1 Par. 7. f. 30. & 8. b. 13. & 23. b. 10. qui Beria Geneſ. 46. b. 17. dicitur, iiſdem conſonantibus & punctis. בריעה Βαρεία

Barieu, Maleficus, vel magus, ſive in nequitia. D. Cognomen pſeudoprophetæ, Act. 13. a. 6. Βαριησοῦς

Bar-jona, Filius columbæ, ex Syro & Hebræo. D. Matthæi 16. c. 17. Βαριωνᾶ

Barnabas, Filius prophetæ, vel filius conſolationis, id eſt, plenus conſolatione, aut ad conſolandum valde idoneus. D. Nomen viri, Act. 4. g. 36. Βαρνάβας

Barſabas, Filius reverſionis, vel converſionis, aut filius quietis, vel filius juramenti. D. Nomen viri, Act. 1. d. 23. & 4. g. 36. Βαρσαβᾶς

Barſaith, Vide Barzaith.

Bartholomæus, Filius ſuſpendentis aquas. D. Nomen Apoſtoli, Matt. 10. a. 3. & Luc. 6. c. 14. Βαρθολομαῖος

Bartimæus, Beatus Hieronymus dicit corrupte legi, ſcribi autem debere Barſemæus: quod Syriace interpretatur filius cæcus, vel filius cæcitatis. D. Nomen cæci cujuſdam a nativitate, quem Jeſus ſanavit, Marc. 10. g. 46. Βαρτιμαῖος

Baruch, Benedictus, vel genuflexus. Filius Neriæ, Jerem. 32. c. 10. ברוך Βαροὺχ

Barzaith, Filius anguli, aut puritas anguli, ſive frumentum anguli. Filius Melchiel filii Baree filii Aſer filii Jacob, 1 Paralip. 7. f. 31. ברזית Βαρζὲθ

Baſai, In factura Domini. Filius Melchiæ filii Athanai, 1 Paral. 6. c. 40. בעשיה Βασία

Baſan, In dente, ſive in ebore: aut in mutatione, vel in ſomno, ſeu in dormitatione: aut confuſio vel ignominia. Regio Og regis, quæ paſcuis ac nemoribus abundans, cecidit in ſortem dimidiæ tribus Manaſſe, Eſa. 2. c. 13. & Num. 21. g. 32. quæ & Havoth-air, Deut. 3. c. 14. dicitur, & Terra Raphaim. בשן Βασὰν חות יאיר

Baſcama, Confuſio, vel erubeſcentia iræ vel caloris. D. Nomen loci, 1 Mach. 13. c. 23. Βασκαμὰ

Baſcath, Maſſa, ſive inflatio, aut in anguſtia, vel in effuſione. Nomen civitatis in tribu Juda, Joſue 15. e. 39. appellatur & Beſecath. בצקת Βασχὰθ

Baſemath, Aromata, vel confuſio mortis, aut in deſolatione, ſive in poſitione, aut in nominibus. Altera uxor Eſau, Gen. 26. g. 33. Filia item Salomonis, 3 Reg. 4. b. 13. בשמת Βασεμὰθ

Bathuel, Filiatio Dei, aut menſura Dei, vel deſertum Dei. Filius Nachor ex Melcha, Geneſ. 22. d. 22. Nomen civitatis tribus Simeon, 1 Par. 4. e. 30. בתואל Βαθουὴλ

Batus, Genus menſuræ liquidorum, Ezec. 45. d. 14. בת χοῖνιξ

Bavai, In væ, id eſt, in luctu, vel in miſeria. Syrum eſt. Nomen viri, 2 Eſd. 3. d. 18. בוי Βαβαὶ

Bauramites, Eligens aquas, aut eligens quis? Vir, 1 Par. 11. f. 33. qui 2 Reg. 23. d. 30. dicitur Beromi. Heb. Barhumi. בחרומי Βαχαρεμὶ ברחמי

Bazata, Contemptus vel deſpectus, ſive deprædatio, aut in oliva. Nomen eunuchi cujuſpiam, Eſth. 1. b. 10. בזתא Βαζαθὰ

Baziothia, Contemptus vel deſpectiones ejus, ſive prædæ ejus: aut in oliva Domini. Nomen civitatis in tribu Juda, Joſ. 15. d. 27. בזיותיה Βαζιωθιὰ

B E

Bean, Vide Beon.

Bebai, Pupilla, ſive concavus aut vacuus. Nomen viri, 1 Eſd. 2. a. 11. בבי Βαβαὶ

בקבקיה Βοκχειας Becbecia, Evacuatio vel diſſipatio Domini, ſive laguncula Domini. Nomen viri, Neh. 11. c. 17.

בקבוק Βακβοὺκ Bacbuc, Vacuitas, aut evacuatio, vel diſſipatio, ſive laguncula. Nomen viri, 1 Eſd. 2. c. 49.

בכר Βεχὲρ Becher, Primogenitus, aut primitiæ, ſive in ariete. Filius Ephraim, Num. 26. d. 35.

בכרי Βεχεὶ Becheritæ, Idem. p. n. Num. 26. d. 35.

Βοχὼρ Bechor, Idem quod Becher, iiſdem conſonantibus & punctis ſcriptum. Filius Benjamin, Gen. 46. c. 21.

בכורת Βεχωρὰθ Bechorath, Primogenitura, vel primitiæ. Filius Aphia, 1 Regum 9. a. 1.

Bedan, Vide Badan.

בעל פעור Βεελφεγὼρ Beel-phegor, Idolum hiatus vel aperturæ. Nomen idoli Moabitarum, Oſee 9. c. 10. Num. 25. a. 3. Deut. 4. a. 3.

פעור Φεγὼρ Beelphegor, Apertura ſive hiatus. Nomen idoli, Joſ. 22.d.17. Heb. Phegor.

בעל מעון Βεελμεὼν Beelmeon, ſive Baal-meon, Idoli habitaculum, vel idolum de peccato, aut poſſeſſio habitaculi, vel poſſeſſio ex peccato. Nomen civitatis, Ezech. 25. b. 9. & 1 Par. 5. a. 8. Idem oppidum quod Baal-meon dicitur.

בעל צפון Βεελσεφὼν Beel-ſephon, Idolum Aquilonis, vel idolum occultum ſpeculæ, vel poſſeſſor Aquilonis vel ſpeculationis aut ſecreti. Nomen loci, ſive urbis in Ægypto, Exod. 14. a. 2. Num. 33. a. 7. Joſephus libr. 2. cap. 13.

בעל טעם Βεελτεὲμ Beelteem, Idolum, ſive poſſeſſor ſaporis vel guſtus aut rationis, vel eloquii. Nomen viri, 1 Eſd. 4. b. 8. & 9. c. 17. d. 23.

בעל זבוב Βεελζεβοὺλ Beel-zebub, Idolum muſcæ, vel poſſeſſor muſcæ. Nomen idoli Accaronitarum, 4 Reg. 1. a. 2. & Luc. 11. b. 15. Alias Beelphegor appellabatur: a Gentibus Priapus. Dicebatur idolum muſcæ a copia muſcarum ſectantium ſanguinem immolatitium.

בארה Βαρὰ Beera, Puteus, ſive explanatio vel declaratio: aut in luce ejus. Filius Joel, 1 Par. 5. a. 6.

בארי Βεὼρ Beeri, Puteus, ſive explanans, aut declarans: vel in luce, ſive in leone. Pater Judith uxoris Eſau, Gen. 26. g. 33. Pater item Oſee prophetæ, Oſee 1. a. 1.

באר ראמת Βηρραθμὼθ Beer-ramath, Puteus vel declaratio celſitudinis, aut jaculationis, ſive in luce excelſa. Urbs tribus Simeon, Joſ. 19. a. 8.

Beer-ſeba, Vide Berſabee.

רנוי Βογουὶ Begoai, In corpore meo, ſive in gente: aut Syriace intrinſecus. Nomen loci, 2 Eſd. 7.b.7.

Βογουὲ Beguai, Idem. Nomen viri, 1 Eſd. 2. a. 2.

Βαγουὲ Begui, Idem. Nomen viri, 1 Eſd. 8. b. 14.

בהמות θηρία Behemoth, Multitudinem animalium terreſtrium ſignificat. Unde plerumque pro Satanæ potentia accipitur, Job 40. a. 10.

בל Βὴλ Bel, Vetuſtus, aut nihil, ſive defluens. Nomen idoli Babyloniorum, Eſa. 46. a. 1.

בלע Βαλὰ Bela, Deglutiens, ſive deſtruens. Filius Benjamin, Gen. 46. c. 21. & 1 Par. 7. b. 7. & 8. a. 1. Num. 26. e. 38. Nomen item urbis quæ alias Segor, Gen. 14. a. 2. dicitur: & Soar, & Saliſſa, teſte Hieronymo. Filius item Beor rex Edom, Gen. 36. c. 33.

בלעי Βαλεὶ Belaitæ, Idem. p. n. Num. 26. e. 38.

בלגה Βελγὰ Belga, Refrigerium, vel confortatio, aut vetuſtas vultus. Nomen viri, 1 Par. 24. b. 13. & 2 Eſd. 12. a. 4.

בלגי Βελγαῒ Belgai, Refrigerium, ſive confortatio, aut vetus vallis. Nomen viri, Nehem. 10. a. 8.

בליעל παράνομος Βελίαρ Belial, Perverſus, vel abſque jugo: ſive non aſcendens. Pro diabolo ſumitur, Jud. 19. f. 22. & 1 Reg. 10. d. 27. Nah. 1. d. 14. & 2 Cor. 6. c. 15.

Βελμαὶ Belma, Nihilum aut vetuſtas nimia. D. Nomen loci, Judith 7. a. 3.

בלשן Βαλασὰν Belſan, In lingua, aut in detractione, ſive vetuſtas dentis, aut vetus ebur: aut Syriace, ſcrutans. Nomen viri, 1 Eſd. 2. a. 2.

בן υἱὸς Ben, Filius, vel ædificans, aut intelligens. Vir de familia Merari, 1 Par. 15. b. 18.

בן אבינדב υἱὸς ἀβιναδὰβ Ben-abinadab, Filius patris ſpontanei, aut filius patris voventis vel principis. Unus præfectorum annonæ Salomonis, 3 Regum 4. b. 9.

בן הדד υἱὸς ἀδὲρ Ben-adad, Filius ſonitus vel clamoris, aut filius dilecti aut patrui, ſive mamillæ. Rex Syriæ filius Tabremon, 3 Reg. 15. d. 8. Jer. 49. e. 27. & 2 Par. 16. a. 4.

בן דקר υἱὸς δακὰρ Ben-decar, Filius compunctionis, vel transfixionis. Præfectus annonæ domus Salomonis in Macces, 3 Reg. 4. a. 8.

בני יעקן μανιακὰν Bene-jaacan, Filii tribulationis vel laboris, aut ædificatores tribulationis vel laboris, aut intelligentes laborem vel tribulationem. Nomen loci in quo caſtrametati ſunt filii Iſrael profecti de Moſeroth, Num. 33. d. 31.

בן הנם Βεεννὸμ Ben-ennom, Filius divitiarum ſuarum, aut filius decipientis vel contriſtantis eos. Nomen vallis in tribu Benjamin, quæ alias Tophet dicitur, 2 Par. 28. a. 3. & 33. a. 6.

בן גבר υἱὸς γαβὲρ Ben-gaber, Filius viri, aut filius robuſti vel potentis, Nomen præfecti annonæ Salomonis in Ramoth-galaad, 3 Reg. 4. b. 11.

בן חיל υἱὸς δυνατῶν Ben-hail, ſive Ben-chail, Filius fortitudinis vel exercitus, aut filius divitiarum, vel antemuralis ſive doloris. Nomen viri, 2 Par. 17. b. 6.

בן חסד Βενεσὲδ Ben-heſed, ſive Ben-cheſed, Filius miſericordiæ, vel opprobrii. Nomen præfecti annonæ Salomonis in Aruboth 3 Reg. 4.a.10.

בן חור Βενὼρ Ben-hur, Filius libertatis vel foraminis, aut albedinis. Præfectus annonæ regis Salomonis in monte Ephraim, 3 Reg. 4. a. 8.

בני Beni, Filius meus, aut intelligentia, ſive ædificatio mea. Vide Bani.

בנימן Βενιαμὶν Benjamin, Filius dexteræ. Filius duodecimus Jacob ex Rachel uxore, ab ipſa matre Ben-oni nominatus, Gen. 35. c. 18. Eſt & nomen tribus, 3 Reg. 4. b. 18.

מנימין Βενιαμὶν Benjamin, 2 Par. 31. c. 15. ubi dicitur, Eden & Benjamin: legendum ex Hebræo Miniamin, & interpretatur de dextera, ſive præparatio dexteræ. Nomen viri.

Βανεὰ Benni, Idem quod Beni. Nomen viri, 2 Eſd. 3. d. 17.

בנו υἱὸς αὐτοῦ Benno, Filius ejus, aut ædificatio, vel intelligentia ejus. Nomen viri, 1 Par. 24. d. 26.

בנוי Βαανία Bennoi, Ædificatio, aut filiatio: ſive in habitaculo meo, aut in pulchritudine. Nomen viri, 1 Eſd. 8. g. 33.

בנוי Βανεὶ Bennui, Ædificatio, vel filiatio: ſive in habitaculo meo, aut in pulchritudine. Nomen viri, 1 Eſd. 10. d. 30.

בן אוני υἱὸς ὀδύνης μου Ben-oni, Filius doloris mei. Filius duodecimus Jacob ex Rachel, qui & Benjamin, Gen. 35. c. 18. dicitur.

בנות Βανὼθ Benoth, Filiæ, ſive intelligentiæ, vel ædificationes. Nomen idoli Babyloniorum, 4 Reg. 17. f. 30.

בן זוחת υἱὸς Ζωχὰθ Ben-zoheth, Filius ſeparationis, aut filius iſtius formidinis vel contritionis. Filius Jeſi frater Zoheth, 1 Par. 4. d. 20.

בען Βαιὰμ Beon, In afflictione, vel in reſponſione, aut in cantico, vel ſcrutatio earum: aut Syriace, deprecatio. Civitas Amorrhæorum ultra Jordanem, Num. 32. a. 3.

בעור Βαιὼρ Beor, Incendium, vel expurgatio, aut inſipiens ſive jumentum, vel paſtus. Pater Bela regis Edom, Gen. 36. c. 32. Pater item Balaam arioli, Num. 22. a. 4.

בארה Βηρὰ Bera, Puteus, ſive explanatio, vel declaratio, aut in luce ejus. Nomen loci, Judic. 9. c. 21. Filius Supha filii Helem, 1 Paralip. 7. g. 38.

ברקום Βαρκὸς Bercos, Filius conciſionis vel ſeparationis. Nomen viri, 1 Eſd. 2. c. 53.

Βερέα Berea, Puteus ejus, vel filia ejus, aut declaratio ejus. D. Nomen urbis, 1 Mach. 9. a. 4.

בראשית γένεσις Bereſith, Primus liber Legis ſic vocatur, id eſt, in principio: more Hebræorum qui libros ab eorum principiis ut plurimum denominare ſolent. Græce vero vocatur Γένεσις, id eſt, generatio, quod ibi generationes cœli & terræ continentur.

ברי Βηρεὶ Beri, Filius meus, ſive purus, vel electus, aut frumentum meum. Filius Supha filii Helem, 1 Par. 7. g. 37.

בריעה Βαριὲ Beria, In malo, ſive in clamore, aut in ululatione, vel in paſtu. Filius Aſer filii Jacob, Gen. 46. b. 17. qui 1 Par. 7. f. 31. Baria dicitur. Filius item Ephraim, 1 Par. 7. e. 24.

ברית Βεεὶθ Berith, Pactum, ſive fœdus. Nomen idoli Sichimorum, Judic. 9. f. 46.

Βερνίκη Bernice, Gravis victoria, vel pondus victoriæ. G. Nomen viri, Act. 25. d. 13.

בראדך Βαρωδὰχ מראדך Berodach, Creans contritionem, vel electio interitus, aut interitus, vel vaporis tui, ſive frumentum vel puritas nubis, vel vaporis tui. Rex Babyloniorum, 4 Reg. 2. c. 12. qui Eſa. 39. a. 1. dicitur Merodach.

ברחמי Βαρχουμίτης בהרומי Beromi, Filius caloris, vel indignationis, aut puritas, ſive frumentum indignationis, vel fugiens aquam. Heb. Barhumi. Nomen patrium Barhumites, 2 Reg. 23. d. 31. quod 1 Par. 11. f. 33. ſcribitur Baharumi ſive Baharumites.

בארות Βηρὼθ בארתי Beroth, ſive Beeroth, Putei, ſive explanationes, vel declarationes, aut in luminibus. Una manſionum filiorum Iſrael in deſerto, Deut. 10. b. 6. Item civitas Hevæorum, Joſ. 9. c. 17. non longe ab Hai, ſpatio trium dierum, in tribu Benjamin, Joſ. 18. d. 22. & 2 Reg. 4. a. 2. Inde Berothites, 2 Reg. 23. d. 37.

ברתי ἐκ τῶν ἐκλεκτῶν Beroth, Putei, ſive pacta, vel puritas, aut cupreſſus. Nomen urbis, 2 Reg. 4. b. 8. Heb. Berothai.

ברותה Βερωθὰ Berotha, Idem. ſ. n. Terminus terræ Iſraeliticæ, Ezechiel 47. c. 16.

בארתים Βηρωθαῖοι Berothitæ, Putei, ſive explanationes, vel declarationes, aut in luminibus, 2 Reg. 4. a. 3.

Βηρωθῖος Berothites, Idem. ſ. n. 2 Reg. 4. a. 2. בארתי

ברתי Βηρωθὶ Berothites, 1 Par. 11. g. 40. interpretatur puteus ſive pactum, vel puritas, aut cupreſſus.

Βέῤῥοια Berrhœa, Gravis, vel ponderoſa. G. Civitas Macedoniæ ad Citorum montem, Act. 17. b. 10.

Βεῤῥοιαῖος Berrhœenſis, Gravis, vel ponderoſus. G. Act. 20. a. 4.

ברשע Βαρσὰ Berſa, In malo, vel in iniquitate, ſive in condemnatione, aut filius reſpiciens. Rex Gomorrhæ, Gen. 14. a. 2.

באר שבע Βηρσαβεὲ Ber-ſabee, Puteus fonſve juramenti, ſive puteus ſaturitatis, aut puteus ſeptem, nempe aquarum, quas Abraham dederat regi Abimelech pro puteo. Finis atque terminus terræ Iſraelis ab Auſtro, Joſephus lib. 8. cap. 13. Jud. Antiquit. 1 Reg. 3. d. 20. & 8. a. 2. Item 2 Reg. 24. a. 2. & 3 Reg. 19. a. 3. & 4 Reg. 23. b. 8. Hæc & in ſortem filiorum Simeonis cecidit, Joſ. 19. a. 2. & 1 Paralipom. 4. e. 28. A juramento & percuſſo fœdere Abrahæ cum Abimelech rege Gerar, Geneſ. 21. d. 29. ſimiliter Iſaac cum eodem Abimelech, Geneſ. 26. g. 32. nomen habens. Beer enim fontem ſignificat: Saba jusjurandum, vel ſeptem, quod ſeptem agnas Abimelech de manu Abrahæ acceperit, Geneſ. 21. b. 13. d. 29. Illic judicabant Joel & Abia filii Samuelis ſiniſtre, 1 Regum 8. a. 2. Hanc nunc Barbari Gibelinam nominant, auctore Volaterrano libr. 11. Eodem loci habitavit aliquandiu Iſaac Geneſ. 28. b. 10. Hanc Ptolemæus Berſanam appellat. Vide Hieronymum in locis Heb. Eſt in finibus Judææ & Ægypti, Amos 5. b. 5. Neh. 11. d. 26.

ברזלי Βερζελλαὶ Berzelai, Ferreus: aut ex Syro & Hebræo, filius contemptus vel deſpectus. Vir, 2 Reg. 17. g. 27. qui regem David traduxit Jordanem, 2 Reg. 19. f. 31. Pater item Hadrielis generi Saul ſic vocabatur, 2 Reg. 21. b. 9. Eſt & alius Galaadites, de quo 1 Eſd. 2. d. 61. & Neh. 7. f. 63.

בסי Βησεῒ Beſai, Neh. 7. a. 1. Conculcatio, ſive contemptio, vel deſpectus. Nomen viri.

בצי βασαὶ Beſai, Ova, ſive cœnoſus, vel humidus, aut in navi. Nomen viri, 1 Eſd. 2. b. 17. & 2 Eſd. 7. c. 23.

בצקת βασεχὼθ Beſecath, Maſſa, ſive inflatio, aut in anguſtia, vel in effuſione. Nomen civitatis tribus Judæ, 4 Reg. 22. a. 1. Eadem & Laſcath dicitur.

בסי βασὶ Beſee, Conculcatio, ſive contemptio, vel deſpectus. Nomen viri, 1 Eſd. 2. c. 49.

בשלם ἐν εἰρήνῃ Beſelam, In pace, vel in retributione, vel decoctio eorum. Nomen viri, 1 Eſd. 4. b. 7.

בצלאל βεσελεὴλ Beſeleel, In umbra Dei. Filius Uri filii Hur filii Caleb ex Ephrata uxore, Exod. 31. a. 2. & 1 Par. 2. c. 20.

בצלות βασαλὼθ Beſluth, ſive Beſloth, In umbris, aut in aſſatione: vel Syriace, in oratione. Nomen viri, 1 Eſd. 2. c. 52. Neh. 7. e. 54.

בסודיה βασωδία Beſodia, In ſecreto Domini, ſive in conſilio Domini. Nomen viri, 2 Eſd. 3. b. 6.

בשור βοσὸρ Beſor, Evangelizatio, ſive incarnatio, aut in bove vel in muro. Nomen torrentis in regione Palæſtinorum, 1 Reg. 30. b. 9.

בטח βατὰχ Bete, Fiducia, vel confidentia, aut in linitione. Civitatis nomen, 2 Reg. 8. b. 8.

בטן βετὲν Beten, Venter, ſive terebinthus. Nomen civitatis in tribu Aſer, Joſ. 19. b. 25.

βηθαβαρὰ Bethabara, Domus tranſitus aut iræ: vel Syriace, frumenti. D. Nomen loci trans Jordanem, Joan. 1. d. 28. ubi male Bethania legitur.

בית הכרם βηθαχαρμὰ Beth-acharem, Domus vineæ, ſive domus cognitionis eorum. Nomen loci, Jer. 6. a. 1. & 2 Eſd. 3. c. 14.

בית ענת βηθανὰθ Beth-anath, Domus cantici, vel reſponſionis, aut domus afflictionis. Nomen civitatis in tribu Nephthali, Joſ. 19. c. 38. Judic. 1. g. 33.

βηθανία Bethania, Domus obedientiæ vel afflictionis, aut domus cantici, ſive domus gratiæ Domini. D. Villa in latere montis Oliveti, Matth. 21. b. 17. Luc. 19. d. 29. ubi Salvator noſter Lazarum ſuſcitavit, Johan. 11. a. 1. diſtans ab Jeroſolymis ſtadiis quaſi quindecim, Joan. 11. b. 18.

ישבי בית ענת κατοικοῦντες βεθενὲθ Beth-anithæ, Hebraice legitur, Habitatores Beth-anath, id eſt, habitatores domus cantici, vel reſponſionis, aut domus afflictionis. Dicebantur populi qui habitabant in Beth-anath, Judic. 1. g. 33.

Bethanim, Vide Ethanim.

בית ענות βηθανὼθ Beth-anoth, Idem. Civitas in tribu Juda, Joſ. 15. g. 59.

בית הערבה βαιθαραβὰ Beth-araba, Domus planitiei, ſive domus ſuavitatis, aut domus fidejuſſionis, vel domus veſpertina, aut domus ſalicis. Nomen civitatis in tribu Juda, Joſ. 15. b. 6. g. 60. Civitas item tribus Benjamin, Joſ. 18. d. 22.

בית הרם βηθαρὰμ Beth-aram, Domus celſitudinis, aut domus prægnantium, vel montium eorum. Civitas in tribu Gad, quam ipſi Gaditæ ædificaverunt, Joſ. 13. d. 27. Eadem dicitur Beth-aran, Num. 32. g. 36.

בית הרן βαιθαρρὰν Beth-aran, Domus montis vel prægnantis, ſive domus cantantis, vel præconizantis. Urbs in tribu Gad, Numer. 32. g. 36. quæ & Beth-aram, Joſ. 13. d. 27. dicitur. Antea civitas Amorrhæorum.

בית און βαιθαυὲν Beth-aven, Domus vanitatis vel doloris, aut domus fortitudinis vel iniquitatis. Urbs Chananææ terræ tribus Ephraim, in tribu Benjamin collocata, Oſee 4. d. 15. & 1 Reg. 13. a. 5.

בית עזמות ἀζμώθ Beth-azmoth, Domus fortitudinis mortis. Nomen civitatis, 2 Eſd. 7. c. 27.

בית ברה βαιθβηρὰ Beth-bera, Domus filii ejus, ſive domus electa, aut domus puritatis, vel frumenti ejus. Nomen civitatis a Gedeone expugnatæ, Judic. 7. g. 24.

בית בראי βεθβαρεὶ Beth-berai, Domus creatoris mei, aut domus ſanitatis, vel pinguedinis, vel electionis meæ. Civitas, 1 Par. 4. e. 31. quam inhabitaverunt poſteri Simeonis.

βαιθβασὶ Beth-beſſe, Domus confuſionis, vel domus erubeſcentiæ. D. Nomen urbis in deſerto, 1 Mach. 9. f. 42.

בית כר βαιθχὸρ Beth-char, Domus agni, ſive domus cognitionis, aut domus fodiens. Urbs juxta quam filii Iſrael percuſſerunt Philiſthæos, 1 Reg. 7. c. 11.

בית דגון βηθδαγὼν Beth-dagon, Domus frumenti, vel domus piſcis. Nomen civitatis in tribu Juda, Joſ. 15. e. 41. & 1 Mach. 10. g. 83. Item civitas in tribu Aſer, Joſ. 19. b. 27.

בית אל βαιθὴλ Beth-el, Domus Dei. Nomen urbis in tribu Benjamin, ſic primum cognominatæ a Jacob, Gen. 12. b. 8. & 1 Par. 7. f. 29. Jud. 4. a. 5. Eadem & Luza dicta, Gen. 28. d. 19. Jud. 1. e. 23. Eſt & nomen montis 1 Reg. 13. a. 2. Alia eſt Beth-el, 3 Reg. 13. a. 1.

בית עמק βηθαεμὲκ Beth-emec, Domus vallis vel profunditatis. Nomen civitatis in tribu Aſer, Joſ. 19. b. 27.

בתר ὄρη κοιλωμάτων Bether, Diviſio, ſive in turture, aut in exploratione, vel contemplatione: aut Syriace, poſterior. Nomen montis, Cantic. 2. d. 16. ubi legitur, Montes Bether.

βηθεσδὰ Beth-eſda, Domus effuſionis; i. locus ad quem aquæ pluviales confluebant. D. Nomen piſcinæ, Joan. 5. a. 2.

בית גדר βαιθγεδδὼρ Beth-gader, Domus muri vel maceriæ. Nomen loci, 1 Paral. 2. g. 52.

בית גמול οἶκος γαμώλ Beth-gamul, Domus retributionis, ſive domus ablactationis, aut domus cameli. Nomen civitatis in terra Moab, Jer. 48. d. 23.

בית חגלה βηθαγλὰ βαιθαγλὰ Beth-hagla, Domus feſtivitatis, vel revolutionis ejus. Nomen civitatis in tribu Juda, Joſ. 15. a. 6. & in tribu Benjamin, Joſ. 18. d. 19.

בית חנן βεθανὰν Beth-hanan, Domus gratiæ ſive miſericordiæ, vel doni. Nomen civitatis, 3 Reg. 4. a. 9.

Beth-azmaveth, Vide Beth-azmoth.

בית חרון βαιθωρὼν Beth-horon, Domus iræ, ſive domus libertatis, aut foraminis, vel albedinis. Civitas eſt terræ Chanaan quæ ducta ſorte, tribui Ephraim obtigit, quemadmodum legis, Joſ. 16. a. 3. & 1 Par. 7. e. 25. Hæc Levitis conceſſa eſt, Joſ. 21. e. 22. A Sara filia Ephraim ædificata, 1 Par. 7. e. 25. Ipſam Salomon reparavit, 3 Reg. 9. c. 17. & 2 Par. 8. a. 5. Fit ſuperioris ſimul & inferioris Beth-horon paſſim in Scripturis mentio, Joſ. 16. b. 5. & 18. b. 13. & c. 14. & alias non raro.

בתיה φαθθουία Bethia, Filia Domini, vel menſura Domini. Filia Pharaonis uxor Mered, 1 Par. 4. c. 18.

בית הישמות βηθασιμοὺθ Beth-jeſimoth, Domus deſolationum, aut domus repoſitionum, vel nominationum. Urbs in campeſtribus Moabitarum, quæ ſorte ceſſit filiis Ruben, Joſ. 13. c. 20. Ezec. 25. a. 9.

בית לבאות βηθλεβαὼθ Beth-lebaoth, Domus leænarum, aut domus cordis, literæ, vel ſigni, ſive domus venientibus. Nomen civitatis in tribu Simeonis, Joſ. 19. a. 6.

בית לחם βηθλεέμ Beth-lehem, Domus panis, ſive domus belli. Beth-lehem duæ ſunt: una in tribu filiorum Zabulon, de qua Joſ. 19. b. 15. Ex hac erat Abeſſan Judex populi Iſraelitici, Judic. 12. c. 8. Alia eſt tribus Judæ, civitas David, e qua fuit Levita cujus uxorem illicito concubitu necarunt Gabaonitæ, Judic. 19. a. 1. ubi rex David habitabat, 1 Reg. 16. d. 18. Hæc fuit patria Jeſu Chriſto, Mich. 5. a. 2. Mat. 2. a. 6. Olim dicta Ephratha, Gen. 35. c. 19. & 48. a. 2. Hanc Roboam ædificiis munivit, 2 Par. 11. a. 6. Vide multa de hac apud Hieron. in locis Heb. 2 Eſd. 2. a. 2. Vocatur & civitas David, Luc. 2. a. 4. Joan. 7. f. 42.

βηθλεέμ Bethlehemites, Idem, 1 Reg. 16. a. 1. בית הלחמי

בית מעכה βαιθμααχὰ Beth-maacha, Domus compreſſa vel contrita, aut domus fixa. Civitas eſt Chananææ regionis, ad quam uſque perſequutus eſt Joab perduellem Seba, 2 Reg. 20. e. 14.

בית מעון οἶκος μαών Beth-maon, Domus habitaculi, vel domus ex peccato. Nomen civitatis in terra Moab. Jer. 48. d. 23.

בית מרכבות βηθαμαρχαβὼθ Beth-marchaboth, Domus quadrigarum, ſive domus amaritudinis extinctæ. Nomen civitatis in tribu Simeonis, Joſ. 19. a. 3. & 1 Par. 4. e. 31.

בית נמרה βηθαμρὰ Beth-nemra, Domus pardi, ſive domus rebellionis vel amaritudinis, aut domus commutationis. Nomen civitatis quam ædificaverunt filii Gad, Numer. 32. g. 36. quæ alias fuerat Amorrhæorum.

בתרון παρατείνουσαν Bethoron, Diviſio, ſive in exploratione ipſius, aut filia cantici: vel Syriace, poſterius. Nomen civitatis, 2 Reg. 2. g. 29.

βηθφαγὴ Beth-phage, Domus oris vallium, vel domus buccæ vallis, ſive domus ficuum præcoquarum. D. Villula in monte Oliveti, vicina Bethaniæ: ad quam venit JESUS ſalvator noſter, Matt. 21. a. 1. Luc. 19. d. 29.

בית פלט βηθφαλὲθ Beth-phalet, ſive Beth-phelet, Domus liberationis ſive expulſionis: aut ex Hebræo & Syro, domus vomitus. Civitas in tribu Juda, Joſ. 15. e. 26. & 2 Eſd. 11. d. 26.

בית פצץ βηθφασῆς Beth-pheſes, Domus diviſionis, vel confractionis. Nomen civitatis in tribu Iſſachar, Joſ. 19. b. 21.

בית פעור βαιθφογὼρ Beth-phogor, Domus hiatus, ſive domus aperturæ. Civitatis nomen in tribu Ruben, Joſ. 13. c. 20.

בית רפא βηθραφὰ Beth-rapha, Domus ſanitatis, vel medicinæ, aut domus laxationis. Filius Eſthon, 1 Par. 4. b. 12.

בתשבע βηρσαβεὲ Beth-ſabee, Filia juramenti, vel ſaturitatis, aut filia ſeptima. Filia Eliam, uxor Uriæ, 2 Reg. 11. a. 3. & 12. f. 24. mater Salomonis, 3 Reg. 1. b. 11. & 2. c. 13. Pſal. 50. a. 2.

βηθσαϊδὰ Beth-ſaida, Domus frugum vel cibariorum, aut domus venatorum, vel inſidiantium. D. Civitas Galilææ, ex qua Petrus & Andreas, & Philippus Apoſtoli, Joan. 1. f. 44. Matt. 11. c. 21. Luc. 10. c. 13.

בית שמש βαιθσαμὺς βεθσαμὺς πόλις ἡλίου Beth-ſames, ſive Beth-ſemes, Domus ſolis: vel ex Hebræo & Syro, domus ſervitii vel miniſterii. Ante Abel dicta, Hieronymo teſte in quæſt. Heb. 2 Par. 28. c. 18. Joſephus lib. 6. cap. 1. Urbs ad tribum Juda pertinens, Joſ. 15. c. 10. quæ poſtea filiis Aaronis Levitis eſt aſſignata, Joſ. 21. b. 16. & 1 Reg. 6. b. 9. & 1 Par. 6. e. 59. & 4 Reg. 14. c. 11. Eſt alia in tribu Nephthali, Joſ. 19. c. 38. e qua priſtinos habitatores non potuit expellere tribus Nephthali, Judic. 1. g. 33. Numeratur præterea & alia Beth-ſemes in ſorte filiorum Iſſachar, Joſ. 19. b. 22. Eſt præterea urbs Ægypti quæ Græcis Heliopolis dicitur, Jer. 43. d. 13.

בית השמשי ἐκ βαιθσαμὺς Beth-ſamitæ, Idem, 1 Reg. 6. c. 14.

Beth-ſamites, Idem.

בית שן vel בית שאן βηθσὰν Beth-ſan, Domus dentis vel eboris, aut domus mutationis vel dormitionis, vel Beth-ſean, id eſt, domus tumultus, aut domus opulentiæ. Urbs tribus Manaſſe in Iſſachar & Aſer, Joſ. 17. c. 11. Judic. 1. f. 27. cujus ſitum habes, 3 Regum 4. b. 12. & 1 Paral. 7. f. 30. quæ Stephano & Joſepho libr. 5. cap. 14. Antiquit. Scythopolis appellatur. In hac corpus Saulis ſuſpenderunt Philiſthini, 1 Reg. 31. d. 12. & 2 Reg. 21. c. 12. Hieronymus in quæſt. Heb. duas Beth-ſan fuiſſe ſcribit.

βαιθσαμὺς Beth-ſemes, Vide Beth-ſames.

Beth-ſemitæ, Idem, Judic. 1. g. 33.

בית השטה βαιθασεττὰ Beth-ſeta, Domus deviationis, aut domus extenſionis, ſive domus ſpinæ. Locus Palæſtinæ, Judic. 7. f. 22.

בית הישמת βηθσιμώθ Beth-ſimoth, Domus deſolationum, ſive domus repoſitionum, vel nominationum. Eadem civitas quæ & Beth-jeſimoth dicitur, Joſ. 12. a. 3. Num. 33. f. 49.

בית צור βεθσοὺρ Beth-ſor, ſive Beth-ſur, iiſdem literis & punctis, Domus rupis vel fortitudinis, ſive domus plaſmationis, aut domus obſidionis vel vinculi. Nomen civitatis in montanis locis ſitæ in tribu Juda, Joſ. 15. g. 57. conſtructæ a Roboam, 2 Par. 11. b. 7.

בתשוע βηρσαβεὲ Beth-ſua, Filia ſalvationis vel exclamationis. Mater Salomonis, 1 Par. 3. b. 5. quæ 3 Reg. 1. b. 11. dicitur Beth-ſabee, ſive corrupte Berſabee.

Beth-ſura, Idem quod Beth-ſor. D. Eadem civitas quæ & Beth-ſor, ſive Beth-ſur, 1 Mach. 4. g. 61.

ביתתפוח βήθφουε Beth-thaphua, Domus pomi, vel inflationis. Nomen civitatis in tribu Juda, Joſ. 15. f. 53.

בתול βατὺλ Bethul, Virgo. Civitas tribus Simeonis, Joſ. 19. a. 4.

βετυλουὰ Bethulia, Virgo Domini, aut domus parturiens Dominum. D. Nomen urbis, Judith. 6. b. 7.

βαιθζαχαρία Beth-zachara, Domus memoriæ vel recordationis. D. Nomen civitatis, 1 Mach. 6. d. 33.

βηζὲθ Beth-zecha, Domus tribulationis, ſive domus compedum, aut domus conflationis: vel ex Hebræo & Syro, domus utris. D. 1 Mach. 7. c. 19.

בטנים βοτανὶμ Betonim, Ventres, vel terebinthi. Civitas in tribu Gad, Joſ. 13. c. 26.

בזק βεζὲκ Bezec, Fulgur, ſive in compedibus. Chananææ urbs regia, Judic. 1. a. 4.

B I

βιθυνία Bithynia, Violenta properatio. G. Provincia Aſiæ minoris, quæ & quondam Bebrycia Solino, & deinde Mygdonia dicta eſt, & major Phrygia, Iera flumine a Galatia diſterminata: habet civitatem ejuſdem nominis. Hæc ab Heraclea Ponti uſque ad os protenditur, quo ex Occidentis parte terminatur, ex Oriente Sangario flumine, ab Auſtro Epicteto, Ponto vero ab Aquilone. Hæc Raphael Volaterran. lib. 10. Geograph. Vide Plinium lib. 5. cap. 32. Ptolemæum lib. 5. cap. 1. Strabonem libr. 12. Hujus mentio fit, 1 Pet. 1. a. 1.

B L

βλαστὸς Blaſtus, Germinans, vel producens. G. Nomen viri, Act. 12. d. 20.

B O

βοανεργὲς Boanerges, Beatus Hieronymus docet debere ſcribi Banereem; quod interpretatur filii tonitrui. Sic a Chriſto cognominati fuerunt Jacobus & Johannes filii Zebedæi. Marc. 3. c. 17. Heb. Beneregeſ. Aliquando autem Græci verterunt Seva in a, ut in hac dictione Manaſſe: aliquando in o, ut in Solomon, ut ſit corruptum Boane, pro bene, vel o pronuntiatum fuerit per oa.

בקי βοκκὶ Bocci, Vacuus, aut diſſipatio, ſive in vomitu. Filius Jogli, princeps tribus filiorum Dan, Num. 34. d. 22. Filius Abiſue filii Phinees, 1 Par. 6. a. 5.

בקיהו βοκχίας Bocciau, Evacuatio, vel diſſipatio Domini. Nomen viri, 1 Par. 25. a. 4.

בכרי βοχρὶ Bochri, Primogenitus, vel primitiæ, ſive in ariete. Pater Sebe, 2 Reg. 20. a. 2.

בכרו πρωτότοκος Bochru, Idem. Filius Aſel filii Elaſa, 1 Par. 8. d. 37. & 9. g. 44.

בהן βαὼν Boen, Pollex, ſive in eis. Lapis in tribu Juda a filio Ruben ſic appellatus, Joſ. 15. b. 6. Hebræis dicitur Aben-boen, id eſt, lapis Boen, Joſ. 18. c. 17.

בני βονὶ Boni, Filius meus, aut ædificans, ſive intelligens. Filius Somer, 1 Par. 6. d. 46.

καλοὶ λιμένες Boni portus, p. n. Latinæ dictiones ſunt. Civitas, opinor, Cretenſium, cui nomen καλὴ ἀκτὴ, id eſt pulchrum litus: cujus meminit B. Stephanus, Act. 27. b. 8.

בני βοννείας Bonni, Ædificans me, ſive adoptans, aut intelligens me. Pater Omrai, 1 Par. 9. a. 4. & 2 Eſd. 9. a. 4.

בעז βοὸζ Booz, In fortitudine, aut in hirco. Filius Salmon filii Nahaſſon, conſanguineus Elimelech Bethlehemitæ, Ruth. 2. a. 2. & 4. d. 13. & 1 Par 2. b. 11. Nomen item ſecundæ columnæ lateris ſiniſtri in porticu Salomonis, 3 Reg. 7. c. 21. & 2 Par. 3. d. 17. tanquam dicat Salomon, in eo fortitudo, in ea domo perennitas, id eſt, templum quod tibi ædificavi o Domine; nunquam corruet, neque unquam evertetur.

ברית ποὰ Borith, Herba acrimoniæ ſaporis, Jer. 2. e. 22.

בוצץ βοζὴς Boſes, Cœnum, aut in ipſo flos, ſive in ipſo reſpiciens. Nomen ſcopuli, 1 Reg. 14. a. 4.

ספרד εὐφραθ Boſphorus, Hebraice dicitur Sepharad, & interpretatur liber ſive codex deſcendens vel imperans: aut finis vel conſummatio deſcenſionis vel imperii. Regionis nomen, Abd. 1. g. 20.

בצר βασὰρ Boſor, Munitio, vel vindemia, ſive ablatio, vel prohibitio: aut in anguſtia, vel in tribulatione. Filius Supha filii Helem, 1 Par. 7. g. 38. Nomen item civitatis Moabitarum trans Jordanem, Orientem verſus, ad ſolitudinem nonnihil vergentis, 1 Mach. 5. c. 26. Deuter. 4. g. 43. Joſ. 20. c. 8. & 1 Paral. 6. g. 78. de tribu Ruben Levitis data.

בצרה βοσόρρα Boſra, Idem. Civitas in Edom, Gen. 36. d. 33. Eſa. 34. b. 6.

בעשתרה βεεσθρὰ Boſra, In grege ejus, aut in divitiis, ſive in tinea legis, vel in tinea explorationis. Hebr. Beeſthara. Civitas de media tribu Manaſſe data Levitis, Joſ. 21. c. 27.

B R

בריעה βαρουὰ Brie, In malitia, vel in ſocietate, aut in clamore, ſive in ululatione, vel in paſtu. Filius Aſer filii Jacob, Num. 26. e. 44.

בריעי δῆμος βαριαῒ Brieitæ, Idem. p. n. Num. 26. e. 44.

B U

βουγαῖος Bugæus, Jactator. G. Eſth. 12. c. 26.

בול βοὺλ Bul, Germen, ſive vetuſtas, aut defluens. Nomen menſis octavi, noſtro Octobri reſpondentis, 3 Reg. 6. d. 37.

בונה βουνὰ Buna, Ædificans, ſive intelligens, aut adoptans. Filius Jerameel, primogeniti Eſron filii Phares, 1 Par. 2. d. 25.

בוז βοὺζ Buz, Contemptus, ſive deprædatus. Nomen loci in terra Cedar, Jer. 25. e. 23. Filius item Nachor ex Melcha, Gen. 22. d. 21. Pater Jeddo, 1 Par. 5. d. 14.

בוזי βουζὴ Buzi, Idem. Pater Ezechielis prophetæ, Eyech. 1. a. 3.

בוזי βουζίτης Buzites, Idem, Job. 32. a. 2.

C A

קהת καὰθ Caath, Congregatio, ſive ruga, aut obtuſio. Filius Levi filii Jacob, Gen. 46. b. 11. & 1 Par. 6. a. 1.

קהתי δῆμος καὰθὶ Caathitæ, Congregationes, ſive rugæ, aut obtuſiones, Num. 26. f. 57. & 1 Par. 6. d. 54.

קבצאל καβσεὴλ Cabſeel, Congregatio Dei. Nomen civitatis in tribu Juda, Joſ. 15. d. 21. & 2 Reg. 23. c. 20. & 1 Par. 11. e. 22.

כבול χαβὼλ Cabul, Compeditus, vel quaſi germinans, aut quaſi defluens, vel quaſi veteraſcens. Regio Galilææ eſt, quæ Joſepho libr. 8. cap. 5. Antiq. Judaic. lingua Phœnicum a diſplicendo: aliis, a terra tenaci, ob copiam argillæ qua figuli utuntur, nomen accepit. Hanc Salomon Hiram regi Tyri dedit, 3 Reg. 9. c. 13. Eſt quoque civitas tribus Aſer, Joſ. 29. b. 27.

קדמות καδημὼθ Cademoth, Antiquiores, vel priores, ſive orientales; aut incendium, vel incurvatio mortis. Nomen ſolitudinis, Deut 2. e. 26. ſive nomen oppidi in poſſeſſione tribus Ruben, quod Joſ. 13. c. 18. Cedimoth dicitur.

קדש κάδης Cades, Sanctitas. Nomen urbis in deſerto Sin, in finibus Idumæorum, Numer. 20. d. 22. & 33. e. 36. Appellatur & fons Miſphat. Quod autem legitur in fine primi capitis Deuteronomii g. 46. Sedittis ergo in Cadesbarne, &c. legendum tantum in Cades.

קדשברנע κάδης βαρνὴ קדשה Cadeſ-barne, Sanctitas filii inſtabilis, aut ſanctitas frumenti, vel puritatis commotæ vel inſtabilis. Eſt locus in deſerto Paran unde exploratores miſſi ſunt a Moſe in Terram ſanctam, Deuter. 1. a. 2. Joſ. 14. a. 6. Hic locus dicitur ſimpliciter Cades, Numer. 13. e. 27. Cadeſ-barnea, Joſ. 10. g. 41. & 15. a. 3. eſt nomen loci in terra ſancta potius quam urbis, quod in catalogo urbium ſingulis tribubus aſſignatarum, nulla ſit urbs hoc nomine.

קדומים καδημὶμ Cadumim, Antiqui, vel priores, ſive Orientales, aut antiquum, ſive Orientale mare, aut incendium, vel humiliatio aquarum. Nomen torrentis, Judic. 5. c. 21.

καίσαρ Cæſar, A cæſo matris utero dictus eſt: vel a Cæſarie, id eſt, coma vel capillatura, cum qua ortus eſt: vel quod cæſios, id eſt, glaucos habuerit oculos, ut quidam volunt, Latinum eſt, Matth. 22. b. 17.

καισαρεία Cæſarea, Idem. Urbs maritima Palæſtinæ, in litore Magni maris ſita, quam Herodes Aſcalonita pater Herodis tetrarchæ Trachonitidis inſtauravit in honorem Auguſti Cæſaris, quæ prius πύργος Turris Stratonis vocabatur: de qua Joſephus lib. 1. bel. Judaici, cap. 3. & cap. 16. Plinius lib. 1. cap. 13. Egeſippus libr. 1. capit. 18. de excidio Jeroſolymorum: & libr. 3. capit. 19. Similiter lib. 15. cap. 10. Antiq. Judaic. Hujus fit mentio, Act. 9. e. 30. & 10. a. 1. quod in ea Cornelius Centurio baptizatus ſit: & 21. b. 6. quod Philippus Evangeliſta domum in ea habuerit. In hac Cæſarea Herodes etiam templum albo marmore extruxit Auguſto Cæſari. Auctor Joſephus lib. 15. cap. 12. Antiquit. in qua nepos ejus Herodes Agrippa ab angelo percuſſus eſt, Act. 12. d. 23. de hac Raphael Volaterra. libr. 11. Geographiæ. Alia Cæſarea, civitas ad radices Libani ſita, juxta Jordanis fontem, a Philippo tetrarcha Ituræx & Trachonitidis, Luc. 3. a. 1. Filio Herodis majoris, & fratre tetrarchæ, qui Johannem decollavit, ampliata, & in Tiberii Cæſaris honorem Cæſarea appellata: quæ mutato deinceps nomine, Paneas dicta eſt, in provincia Phœnices, ubi Jordanis e duobus oritur fontibus, Ior & Dan. Auctor Hieronymus. Quam magis poſtea exornans Agrippa in honorem Neronis, Neroniam appellavit, veluti ſcribit Joſephus libro 18. cap. 3. Antiquit. Judaic. & libro 20. cap. 16. ejuſdem. Hujus fit mentio Matth. 16. b. 13. Marc. 8. c. 27. Raphael Volaterra. libro 12. hanc primum Leſer, deinde Dan, poſtremo Cæſaream, nunc Belinam vocitatam ſcribit. Eſt etiam tertia Cæſarea Cappadociæ Metropolis, cujus ſimiliter in Actis Apoſtolorum cap. 18. f. 22. fit mentio: Profectus ab Epheſo, & deſcendens Cæſaream, aſcendit, & ſalutavit Eccleſiam. Hebraice dicitur דאר. Vide Dor.

καίαφας Caiphas, Inveſtigator, vel ſagax, ſeu vomens ore, aut vomitus oris. D. Princeps quidam ſacerdotum inter Judæos qui fuit tempore Chriſti, Matt. 26. f. 57. Joan. 11. f. 49.

קין καὶν Cain, Poſſeſſio, vel poſſeſſus. Filius Adam, Gen. 4. a. 1.

קינן καϊνὰν Cainan, Poſſeſſor, vel emptor, aut lamentator, vel nidus. Filius Enos, Gen. 5. b. 9. Luc. 3. g. 37.

γαΐος Caius, Lingua latina priſca interpretatur Dominus. Latinum eſt. Nomen viri Macedonienſis, Actor. 19. f. 29. Hoſpes Pauli, Rom. 16. d. 23.

כלנו χαλανὴς Calano, Conſummatio ejus, vel totus ipſe. Civitas Babyloniæ. Eſai. 10. b. 8.

כלב χαλὲβ כלבי Caleb, Quaſi cor, aut canis, ſive caniſtrum. Filius Jephone, Num. 13. a. 6. Joſ. 14. a. 13. Hinc כלבי qui eſt de genere Caleb. 1 Reg. 25. a. 3. ἄνθρωπος κυνικός.

καλλισθένης Caliſthenes, Pulchrum robur, ſive pulchra potentia. G. 2 Mach. 8. g. 33.

קליטה κωλίτας Calita, Refugium, ſive contractio, aut vox declinans. Nomen viri, 1 Eſd. 10. e. 23.

Calor, Heb. חמת Populi, 1 Par. 2. g. 55. Vide Emath.

χαλφὶ Calphi, Vox oris, vel conſummatum aut perfectum os. D. Nomen viri, 1 Mach. 11. g. 72.

כלובי χαλωβὶ Calubai, Caninus, aut caniſtrum meum, ſive totus ipſe in me. Filius Eſron filii Phares, 1 Par. 2. a. 9. qui ibidem f. 47. dicitur Caleb, ut in aliis locis.

קמון καμὼν Camon, Reſurrectio, ſive confirmatio ejus. Nomen loci, Judic. 10. b. 5.

ביתעקר βαιθακὰδ Camera, Nomen loci, 4 Reg. 10. c. 12. & 14. Hebraice legitur ביתעקר domus alligationis ſive tonſionis, id eſt, in qua paſtores tondebant oves ſuas. Et domum alligationis vocat, quod tempore tonſionis pedes ovium alligantur.

קמואל καμουὴλ Camuel, Surrexit Deus, vel ſuſcitavit aut confirmavit eum Deus. Filius Nachor ex Melcha, pater Syrorum, Gen. 22. d. 21. & 1 Par. 27. c. 17. Filius item Sephtan, Num. 34. d. 24.

קנה κανὰ Cana, Zelus vel æmulatio, ſive poſſeſſio, aut lamentatio, vel nidus ejus, aut canna, id eſt, arundo. Eſt Cana major civitas in tribu Aſer, Joſ. 19. c. 28. Eſt & Cana minor in tribu Zebulon, Joan. 2. a. 1. & 4. f. 46.

κανανίτης Cananæus, Sic vocabatur Simon qui fuit unus ex duodecim Apoſtolis, & interpretatur zelotes, aut æmulator, ut habetur Matt. 10. a. 4. Non enim erat ex Chanaan, ſed ex Cana vico Galilææ, quæ in zelum, vel æmulationem convertitur. D.

קָנָת κανάθ Canath, Emptio, ſive poſſeſſio, aut lamentatio. Urbs in tribu Manaſſe, quæ & Nobe, Num. 32. g. 42.

κανδάκη Candace Poſſidens contritionem: aut ex Hebræo & Syro, poſſeſſio munda vel puriſſima. D. Nomen commune omnibus reginis Æthiopum, Act. 8. e. 27.

כְּפִירָה καφίρα Caphara, Leuncula, aut propitiatio, ſive linitio, vel villa, aut oppidum, ſive glacies aut Syriace, negatio. Nomen civitatis in tribu Benjamin, Joſ. 18. d. 26. Videtur eadem quæ & Caphira dicitur.

καπερναούμ Capharnaum, Ager pœnitentiæ, vel villa conſolationis, aut propitiatio pœnitentis. D. Juxta ſtagnum Genezareth uſque hodie oppidum in Galilæa gentium, ſitum in finibus Zabulon & Nephthali, Matth. 4. b. 13. Luc. 4. d. 23. in quo Chriſtus Centurionis filium ſanum fecit, Matth. 8. a. 3. In hac Chriſtus verſatus eſt multum, & plurima miracula edidit, unde & ejus civitas appellata eſt, Matt. 9. a. 1. & 11. c. 23. Egeſippo lib. 3. cap. 26. eſt fons in regione Genezaris, Capharnaum nomine.

καφαρσαλαμά Capharſalama, Ager, vel villa pacis vel retributionis. D. Nomen urbis quæ & Antipatris, 1 Mach. 7. e. 31.

καφεναθά Caphetecha, Manus doni, aut Syriace, vinculum vel colligatio. D. Nomen muri, 1 Mach. 12. e. 37.

כְּפִירָה καφίρα Caphira, Leuncula, aut propitiatio, ſive linitio, vel villa, aut oppidum, ſive glacies: aut Syriace, negatio. Nomen civitatis, Joſ. 9. c. 17. Eadem videtur eſſe quæ & Caphara dicitur.

כַּפְתֹּרִים καφθοριείμ Cathtorim, Sphærulæ vel poma, aut vola vel palma turturum vel exploratorum. Nomen populorum qui Cappadoces dicuntur, Gen. 10. b. 14.

כַּפְתֹּרִים καππάδοκες Cappadoces, In Hebræo eſt Caphthorim, & interpretatur Sphærulæ, ſive poma, aut vola, vel palma turturum vel exploratorum, Deut. 2. e. 24.

כַּפְתּוֹר καππαδοκία Cappadocia, Idem. ſ. n. Aſiæ regio Pontica eſt, Armeniæ confinis, quam ab Oriente claudit, ab Septentrione longo litore in Euxinum expanditur, ſicut anguſto excurſu a Meridie Ciliciam attingit, ab Occaſu Galatia & Paphlagonia reliqua terminata, ut ait Ptolemæus libr. 5. cap. 6. Nomen habet a Cappadoce amne: ejus populi, Cappadoces, antea Leucoſyri dicti: auctor Plinius lib. 6. cap. 3. Strabo lib. 12. a principio. Plura Pomponius Mela lib. 1.

קַרְקָעָה Carca, Pavimentum ſive frigiditatem diſſolvens. Urbs in tribu Juda, Joſ. 15. a. 3. LXX. ἡ κτ̄ δυσμὰς κάδης.

καρήε קָרֵחַ Caree, Calvus, ſive glacies. Pater Johanan, 4 Reg. 25. f. 23.

κορεΐμ קָרְחִים Carehim, Idem. p. n. Nomen loci, 1 Par. 12. a. 6.

καρία Caria, Capitalis. G. Nomen loci, 1 Mach. 15. d. 23.

קִרְיַת πόλις Cariath, Civitas, vel vocatio: aut lectio, vel occurſus. Nomen civitatis in tribu Benjamin, Joſ. 18. d. 28.

Cariathaa corruptum, pro Caraa. Vide Carcaa.

קִרְיָתַיִם καριαθαΐμ Cariathaim, Civitates, aut vocationes, ſive lectiones, vel occurſus. Urbs Moabitarum in tribu Ruben, Joſ. 13. c. 19. Num. 32. g. 37. Jere. 48. a. 1. Ezech. 25. b. 9. ubi olim Emim gigantes habitarunt, Geneſ. 14. a. 5. Inter urbes Nephthali Levitis conceſſas cenſetur, 1 Par. 6. g. 36. Hieronymus in ecloga deſcribit eam juxta Medabam urbem Arabiæ, & appellari Coraiatha.

קִרְיַת־אַרְבַּע πόλις ἀρβόκ Cariath-arbe, Civitas quatuor. Civitas in tribu Juda, ſic dicta ab Arbea ſive Arba qui illam condidit, aut illi præfuit: non autem a quatuor Patriarcharum, Adam, Abraham, Iſaac & Jacob, qui ibi ſepulti ſunt, ſepulchris, ut quidam interpretantur. Joſue 15. c. 13. quæ & Hebron dicitur, Joſue 20. c. 7. חֶבְרוֹן Hoc autem nomen ſortitus eſt gigas qui quatuor viris robore præſtaret, Joſue 14. d. 15.

קִרְיַת־עָרִים καριαθιαρείμ Cariath-arim, Civitas civitatum vel oppidorum, aut civitas vigilantium: vel ex Hebræo & Syro, civitas inimicorum. Nomen viri, 1. Eſd. 2. b. 24.

קִרְיַת־בַּעַל καριαθβαάλ Cariath-baal, Civitas idoli, vel imperantis aut poſſidentis. Civitas in tribu Juda, quæ Carith-jarim dicitur Joſ. 15. g. 59. & 18. c. 14. Jer. 26. f. 20. Dicitur & Baala.

קִרְיַת־יְעָרִים πόλις ἰαρείμ Cariath-jarim, Civitas ſylvarum. Civitas Hevæorum in tribu Juda, Joſ. 15. b. 9. Jer. 26 f. 20. quæ & Cariath-baal, & Baala dicitur Joſ. 15. g. 59. & 18. c. 14. Uno tantum miliario ab Ælia, qua pergimus Dioſpolim, diſtat.

קִרְיַת־סֵפֶר πόλις γραμμάτων Cariath-ſepher, Civitas literarum. Nomen civitatis in tribu Juda, quæ & Dabir dicitur, Joſue 15. c. 15. & Cariath-ſenna, Joſ. 15. f. 48. In hac civitate floruerunt literæ, unde nomen accepit.

קִרְיַת־סַנָּה πόλις γραμμάτων Cariath-ſenna, Civitas rubi: vel ex Hebræo & Syro, civitas inimicitiæ. Civitas in tribu Juda, quæ & Dabir, Joſ. 15. f. 48. & Cariath-ſepher, Joſ. 15. c. 15.

קְרִיּוֹת πόλεις Carioth, Civitates, aut vocationes, ſive lectiones, vel occurſus. Civitas tribus Judæ, Joſ. 15. d. 24. Jer. 48. f. 41.

כְּרִית χοῤῥάθ Carith, Conciſio, ſive confoſſio, aut exterminatio. Nomen torrentis qui eſt contra Jordanem, 3 Reg. 17. a. 3.

כַּרְמֶל Carmel, Cognitio circunciſionis, vel agnus circunciſus, aut teneritudo illa ſegetum, vel coccinus. Civitas. Vide Carmel.

כַּרְמְלִית καρμηλίτης Carmelites, Idem. 1 Par. 11. g. 37.

Carmelitis, Idem. fœm. gen. 1 Par. 3. a. 1.

כַּרְמֶל κάρμηλος Carmelus, Idem. Carmelus mons eſt excurrens in mare Mediterraneum unde Latine dici poteſt promontorium, Jerem. 46. e. 17. Carmeli duo ſunt montes: unus Tyriorum Ptolemaidi ad mare imminet. Inde cognomen Carmelus maris accepit, verſus Ortum extenſus tantum ut campum magnum, quem Eſdrelon vocant, ab uno latere claudat. Ideoque a Joſepho tribui Iſſachar aſſcriptus: finiſque Zabulonitarum ad mare Galilææ, ſicut Aſſeritarum ad mare magnum, traditur. Ferax eſt admodum vini, Joſ. 19. b. 26. In hoc Elias videns frequenter verſabatur, 3 Reg. 18. e. 19. In hoc etiam Nabal habitavit, 1 Reg. 25. a. 2. Hujus plurima fit mentio ſparſim in Prophetis, 1 Reg. 15. c. 12. Eſaiæ 33. b. 9. Jerem. 24. f. 26. Amos 1. a. 2. & 9. a. 3. Michææ 7. c. 14. Nahum 1. b. 4. Cant 7. b. 5. Vide quoque Joſephum lib. 3. cap. 2. de bello Judaico. Alius in Judæa qua itur in Ægyptum ad Meridionalem plagam, de quo Eſa. 29. f. 27. & Joſ. 25. g. 25. in quo civitas ejuſdem nominis extructa videtur. In his duobus locis poſterioribus legitur Charmel.

Carnaim, Cornua. Populi civitatis Aſtaroth, Gen. 14. a. 5. Eſt & civitas, 1 Mach. 5. c. 26. Vide Aſtaroth. קַרְנַיִם καρναΐν

Carnion, Cornu. G. Nomen præſidii, 2 Mach. 12. d. 21. καρνίον

Carpus, Fructus, vel fructuoſus. G. Nomen viri, 2. Timoth. 4. c. 13. κάρπος

Cartha, Civitas, ſive vocatio, aut lectio, vel occurſus. Civitas Levitarum in Zabulonia tribu, Joſ. 21. d. 34. קַרְתָּה καριτὸς

Carthaginenſes, In Hebræo eſt Tharſis, & interpretatur contemplatio gaudii, vel exploratio marmoris, aut turtur gaudii, ſive chryſolithus lapis. ſ. pretioſus, aut mare. Nomen populi, Ezech. 27. c. 25. תַּרְשִׁישׁ καρχηδόνιοι

Carthan, Civitas, vel vocatio, aut lectio, vel occurſus, ſive frigiditatem dans. Civitas refugii atque Sacerdotum in tribu Nephthali, Joſ. 21. c. 32. קַרְתָּן καρθὰν

Caſaia, Duritia, aut gravitas ejus, ſive ſcandalum ipſius. Pater Ethan, 1 Par. 15. b. 17. קוּשָׁיָהוּ κασαίας

Caſaloth, Temeritates, ſive fiduciæ, aut ilia. Nomen civitatis, Joſ. 19. b. 12. כְּסֻלֹּת ἀχασαλώθ

Caſbon, Numeratio, vel cogitatio, aut feſtinans filius. D. Nomen civitatis, 1 Mach. 5. d. 36. χασφὼν

Caſed, Quaſi dæmon, aut quaſi deprædator, vel quaſi mammilla, aut quaſi ager. Filius Nachor ex Melcha, Gen. 22. d. 22. a quo Chaldim, id eſt Chaldæi. כֶּשֶׂד χαζάθ

Caſis, Conciſio, aut finis. Nomen vallis, Joſ. 18. d. 21. קְצִיץ κασὶς

Caſleu, Spes, aut temeritas ejus, ſive thronus vel calix illius, aut ilia ejus. Decimus menſis noſtro Decembri quandoque reſpondens. Zach. 7 a. 1. כִּסְלֵו χασλεῦ

Caſphin, Argentaria, ſive cupiditas: aut Syriace, verecundia. D. Nomen civitatis 2 Mach. 12. b. 13. κάσπιν

Caſphor, Argenteus, aut deſiderabilis mons. D. Nomen civitatis, 1 Mach. 5. c. 26. χασφὼρ

Caſſia, Speciei genus. Secunda filia Job. Job 42. d. 14. קְצִיעָה κασσία

Caſtra, Nomen proprium loci trans Jordanem non procul a monte Galaad, qui aliter dicitur Mahanaim, Gen 32. a. 2. & 2 Reg. 2. b. 8. c. 12. g. 29. & 17. g. 27. & 19. f. 32. & 3 Reg. 2. b. 8. Vide Mahanaim. Hæc vox perperam ſcribitur in quibuſdam excuſis codicibus per c minuſculum, in locis citatis. מַחֲנַיִם παρεμβολαί מַחֲנַיְמָה

Cateth, Tædium ſive contentio. Terminus Zabuloniæ tribus, Joſ. 19. b. 15. קַטָּת κατὰθ

C E

Cedar, Nigredo, aut triſtitia. Filius Iſmahelis, Gen. 25. b. 13. & 1 Par. 1. b. 29. Arabiæ item regio eſt Hieronymo in Agarenorum. i. Saracenorum ſolitudine, a Cedar filio Iſmahelis ita cognominata. Ferunt quidam Cedar eſſe civitatem quæ Joſepho Camamala vocatur. Meminit Eſaias cap. 60. b. 7. Ezech. 27. d. 21. Pſal. 120. b. 5. Jer. 2. c. 10. קֵדָר κηδὰρ

Cedem, Oriens. Filius Iſmaelis, frater Cedar, Jer. 49. e. 26. qui Cedimoth, Gen. 25. b. 14. Vide Orientis filii. קֶדֶם κέδμ

Cedes, Sanctitas. Urbs eſt in tribu Judæ, ut Joſ. 15. d. 23. Alia urbs Galilææ in Montanis Nephthali, Joſ. 10. g. 41. deputata fugitivis, qui neſcii homicidium perpetraverant, Joſ. 20. c. 22. & Levitis quoque attributa, Joſ. 21. c. 32. & 1 Par. 6. g. 72. קֶדֶשׁ κέδες

Cedimoth, Antiquiores, vel priores, aut Orientales: ſive incendium vel incurvatio mortis. Nomen oppidi in poſſeſſione tribus Ruben, Joſue 13. c. 18. quod ſolitudo Cademoth in Deuter. 2. e. 26. dicitur. קְדֵמוֹת καδημώθ

Cedma, Antiquus, vel prior, aut Orientalis. Filius Iſmahelis, Gen. 25. b. 15. Idem dicitur Cedem, Jer. 49. e. 28. קֵדְמָה κεδέμα

Cedmiel, Antiquitatis vel prioritatis Deus, aut Orientis Deus. Nomen viri, 1 Eſd. 3. c. 9. קַדְמִיאֵל κεδμιήλ

Cedmonæi, Antiquiores, vel priores, aut Orientales. Nomen populi, Gen. 15. d 16. קַדְמֹנִי κεδμωναῖοι

Cedron torrens, id eſt, Torrens obſcuritatis. Torrens erat non longe a Jeruſalem, ſitus in valle profunda & obſcura, quæ inter Jeroſolymam & montem Olivarum eſt, 2 Reg. 15. e. 23. & 4 Reg. 23. a. 4. Joan. 18. a. 1. Jer. 31. g. 40. קִדְרוֹן κεδρὼν

Ceelatha, Cœtus vel congregatio, ſive eccleſia. Nomen loci ad quem venerunt filii Iſrael profecti de Reſſa, Num 33. c. 22. קְהֵלָתָה μακηλάθ

Ceila, Diſſolvens eam ſive dividens, aut ſcindens eam, vel fixio ejus. Nomen civitatis in tribu Juda, Joſ. 15. f. 44. & 1 Reg. 23. a. 1. & 1 Par. 4. c. 19. & 2 Eſd. 3. d. 17. קְעִילָה κεϊλά

Celai, Levis ſive torrefactus, aut vox mea. Nomen viri, Nehem. 12. a. 19. קַלָּי καλλαΐ

Celaia, Vox Domini, aut alleviatio Domini, ſive torrefactio. Nomen viri, 1 Eſd. 10. d. 23. קֵלָיָה κωλία

Celita, Refugium vel contractio, aut vocis declinatio. Nomen viri, 2 Eſd. 8. b. 7. קְלִיטָא κωλιτάς

Cenchreæ, Milium, legumen. G. Portus Corinthiorum, ab urbe ſtadia ad LXX. longinquus, Straboni libro 8. Rom. 16. a. 1. κεγχρεαί

Cendebæus, Zelus, vel poſſeſſio doloris, aut zeli emanatio. D. Nomen ducis, 1 Mach. 15. g. 38. κενδεβαῖος

Cenereth,

כנרת χενερέθ Cenereth, Cithara, vel quaſi lucerna. Urbs in tribu Nephthali, Joſue 19. c. 25. Eſt & ad Orientem Judææ mare. Numer. 34. b. 11. Deuter. 3. c. 17. Joſ. 13. d. 27. Alias mare Tiberiadis, & lacus Genezarethicus, ſeu Galilææ dicitur, XL. ſtadiis in latitudine diffunditur, centumque in longitudine extenditur, teſte Joſepho libro 3. belli Judaic. cap. 18. per hujus medium Jordanis Judææ amnis profluit. Porro Ptolemæus ex hoc duos facit. Oncelus Chaldæus Paraphraſtes vocat, Numer. 34. b. 11. lacum iſtum ſive mare ים גינוסר, id eſt lacum Ginnoſar, unde manifeſtum eſt Matthæum & Lucam ſequutos fuiſſe nomen Chaldæum potius quam Hebræum.

כנרות χενερὼθ Ceneroth, Idem. p.n. Urbs juxta lacum Genezareth, Joſue 12. a. 3. quam Herodes magnificis ornavit ædificiis, atque in honorem Tiberii Cæſaris, Tiberiaden nominavit, a qua & lacus & regio circumjacens nomen invenerunt, ut ait Joſephus lib. 18. cap. 4. Antiq. Ben-adad rex Syriæ hanc cepit, 3 Reg. 15. d. 20. כנרות At Joſue 11. a. 2. Ceneroth plurale, eſt lacus, non nomen urbis: eſt autem plurale pro ſingulari, vel plurative uſurpatur propter loca ipſi lacui adjacentia.

קנז κανὲζ Cenez, Nidus iſte, aut lamentatio hæc, ſive poſſeſſio vel emptio hæc. Filius Eliphaz, filii Eſau ex Ada uxore, Geneſ. 36. b. 11. Civitas principum Idumæorum, Gen. 36. d. 42.

Cenezæi, Idem. p. n. Nomen populi, Gen. 15. d. 18.

קנזי κενεζαῖος Cenezæus, Idem. Num. 32. b. 12. Hoc LXX. non habent, ſed pro eo verterunt διακεχωρισμένος, neſcio quam lectionem ſecuti.

קני κενεζὶ Ceni, Poſſeſſio, vel emptio, ſive nidus, aut lamentatio. Regio Philiſthinorum, 1 Reg. 27. d. 10.

κηφᾶς Cephas, Petrus a Petra. Syrum eſt. Sic dictus fuit Simon Petrus frater Andreæ, Joan. 1. f. 42. & 1 Cor. 15. a. 5.

כפירה χαφιρά Cephira, Leuncula, aut propitiatio, ſive lenitio, aut villa vel oppidum, ſive glacies: aut Syriace, negatio. Nomen viri, 1 Eſd. 2. b. 28. Eſt & nomen urbis, 2 Eſd. 7. c. 29. Eadem Caphara & Caphira dicitur.

כרתי χερεθὶ Cerethi, Conciſio, ſive transfoſſio, vel exterminatio. Populi qui & Philiſthiim, ut Lyranus ait in libro differentiarum: ſive nomen legionum aut bellatorum Davidis, 1 Reg. 30. d. 14. & 2 Reg. 8. d. 18. & 15. d. 18. & 20. g. 23. & 1 Par. 18. d. 17. Alii dicunt gentem fuiſſe Palæſthinæ nobilem, quæ incolebat maritimam ejus partem, de qua Ezec. 25. d. 16. pro quo vetus interpr. vertit, interfectores pacis.

כרי χορρὶ Cerethi, 4 Reg. 11. d. 19. Milites, ſive curſores, aut arietes. Heb. Cari.

קרוס κηρὸς Ceros, Uncinus aut incurvatio. Nomen viri, 1 Eſd. 2. c. 43.

כסיל Cέιλ Ceſil, Arcturus, nomen ſtellæ, ſive ſtultitia, aut ilia. Nomen civitatis in tribu Juda, Joſ. 15. e. 30.

קשיון κισιὼν Ceſion, Duritia, ſive ſtipula, aut cucumerarium. Civitas Levitarum in tribu Iſſachar, Joſ. 19. b. 19.

כתים κίτιοι Cethim, Conterentes, ſive contritio maris, aut diadema, ſive aurum, vel tinctura: aut ex Syro & Hebræo, coacervatio maris. Filius Iavan, Gen. 10. a. 4. Ab hoc Beroſus dicit Italos eſſe appellatos. Interpres noſter, Daniel. 11. e. 31. tranſtulit Romanos. Vide Italia & Romani. Sunt & Græcorum inſulani, Macedones, Eſaiæ 23. a. 1. Cyprus quæ & Citium dicitur.

כתליש καθαλὶς Cethlis, Paries eſt, aut ex Syro & Hebræo, caterva leænæ: vel Syriace, quaſi evulſus. Nomen civitatis in tribu Judæ, Joſ. 15. e. 40.

קטורה Cetura, Aromatizans, vel fumigans, ſive ligata. Altera uxor Abrahæ, Gen. 25. a. 1.

χαβεὶν Chabri, Socius vel particeps, ſive incantator, aut livor. D. Nomen civitatis, Judith 8. a. 9.

Chabul, Vide Cabul.

χαιρέας Chæreas, Gaudens, vel lætus. G. Nomen viri, 2 Mach. 10. f. 32.

כלל χαλὴλ Chalal, Conſummatio, vel totalitas, aut quaſi nox: vel Syriace, corona. Nomen viri, 1 Eſd. 10. d. 30.

כלנה χαλάννη Chalanne, Omnes nos, ſive omnia hæc: aut conſummatio noſtra, vel ſicut manens, aut quaſi murmurans. Civitas in qua regnavit Nemrod, Gen. 10. b. 10. quæ nunc Seleucia a Seleuco rege, & Cteſiphon dicitur, Amos 6. a. 2.

Chalannus, Idem.

כלכל χαλχὰλ Chalcol, Nutriens, ſive conſummans omnia, aut ſuſtinens omnia. Filius Maol, 3 Reg. 4. d. 31. Filius item Zaræ filii Judæ, 1 Par. 2. a. 6.

כשדים χαλδαία Chaldæa, Quaſi dæmones, aut quaſi deprædatores, vel quaſi mamillæ, aut quaſi agri. Regio ad Orientem Judææ inter Babyloniam & Arabiam, Tigrin & Euphratem: de qua Plin. libr. 6. cap. 28. Strabo libr. 16. Volaterr. libr. 11. Geograph. Jer. 50. b. 8. & 51. d. 24. Heb. Chaſdim.

χαλδαῖοι Chaldæi, Idem. Populi, Eſa. 13. d. 19. Heb. Chaſdim. In 2 Par. 36. a. 6. pro Chaldæorum, lege Babylonis ſive Babel.

Chaldæus, Idem. ſ. n.

כלה χαλὰχ Chale, Opportunitas, vel quaſi viriditas, vel quaſi humiditas, aut quaſi tabula. Civitas quam ædificavit Aſſur, Gen. 10. b. 12.

חלי ἀλὶ Chali, Infirmitas, ſive deprecatio, aut expectatio, vel principium, aut gemma, vel monile. Civitas quæ terminus Aſer eſt, Joſue 19. b. 25.

חם χὰμ Cham, Calidus, vel calor, aut niger. Filius Noe, Geneſ. 5. d. 32. Ab hoc ſæpe in ſacris literis Ægyptus, Terra Cham dicitur, ut Pſal. 105. a. 2. teſtis eſt Hieronymus in quæſtionibus Hebraicis.

כמהם ἐχμαὰν Chamaam, Sicut illi, aut ſimiles eis, vel quaſi turbatio. Nomen urbis juxta Beth-leem, Jer. 41. d. 17. Proprium item nomen viri. 2 Reg. 19. g. 37.

כמוש χαμὼς Chamos, Quaſi palpans, aut quaſi recedens, vel quaſi auferens. Nomen idoli Moabitarum, Num. 21. f. 28. & 3 Reg. 11. b. 7. & 4 Reg. 23. c. 13. & Jer. 48. g. 46.

כנען χαναάν Chan ctus, aut Mercator, vel negotiator, ſive contritus, vel confra- 9. c. 18. & reſpondens, vel recte affligens. Filius Cham, Gen. & Chanaan: 6. In libro Judicum 10. b. 12. legitur Amalec cat habitaculum, legendum ſit Amalec & Maon, quod ſignifi- pro terra Chananæ delictum, aut ex peccato. Chanaan etiam terram Chanaan. Et accipitur, ut Gen. 11. d. 31. Ut irent in aliis innumeris locis. Te. 12. Habitavit in terra Chanaan, & mites ſunt: Ad Orientem, autem Chanaan ſive Terræ ſanctæ lites: Ad Occidentem, eſt Ægy rdanis fluvius & magnus Euphraterraneum dicitur: Ad Auſtru & Mare magnum, quod Meditum Arabiæ: Ad Aquilonem ſive oc eſt Meridiem, jacet deſereminet. tentrionem mons Libanus

כנענה χαναάν Chanaana, Mercatrix, vel negotiatri ſive contrita, vel confracta, aut recte reſpondens, vel recte a ens. Pater Sedeciæ prophetæ, 3 Reg. 22. d. 24. Filius Balan filii el filii Benjamin, 1 Par. 7. c. 11.

χαναναῖα Chananæa, Idem, Mat. 15. c. 22.

כנענים χαναναῖοι Chananæi, Mercatores, ſive negotiatores, aut cont vel confracti, ſive recte reſpondentes, vel recte affligentes, N en populi, quod omnes gentes Palæſtinæ complectitur, quæ int Jordanem ſunt & mare Syriæ, Syriamque & Arabiam Petræam, enesſ. 15. d. 28.

χαναναῖος Chananæus, Idem. ſ. n. Num. 21. a.

כנעני χαναvίτις Chananitis, Idem. f. g. Gen. 46. b. 10.

כנני χενανὶ Chanani, Præparatio vel baſis mea. Nomen viri, 2 Eſd. 9. a. 4.

χάραχα Characa, Involutio aut indumentum, ſive pallium. D. Nomen loci, 2 Mach. 12. c. 17.

כרן χαῤῥὰν Charan, Quaſi cantans, aut quaſi clamans, ſive agnus vel cognitio eorum. Filius Diſon filii Seir Horræi, Gen. 26. c. 26.

חרן χαῤῥὰν Charan, Ira, ſive iraſcens: vel Syriace, libertas. Meſopotamiæ civitas, ad quam Abraham conceſſit, ubi & Thare pater ejus mortuus eſt, Geneſ. 11. d. 31. Haran Hebraice. A Charra Syriæ fluvio nomen invenit Stephano. Ibi Romanus cæſus eſt exercitus, & Craſſus dux captus. Lucan.

Aſſyrias Latio maculavit ſanguine Charras. Eadem eſt Charræ & Charan, Act. 7. a. 2.

כרכמיש χαρχαμεὶς Charchamis, Agnus quaſi ablatus, aut agnus quaſi palpans; vel ex Syro & Hebræo, civitas ablata. Urbs Syriæ ſita in ripa Euphratis, Eſa. 10. b. 9. Jerem. 46, a. 2. & 2 Par. 35. e. 20.

כרכס χαρχὰς Charchas, Agni cooperimentum, aut agni thronus vel calix, vel quaſi tortuoſum, non planum. Nomen Eunuchi, Eſth. 1. c. 10.

כרמל χαρμὴλ Charmel, Cognitio circunciſionis, vel agnus circunciſus, aut teneritudo illa ſegetum, vel coccinus. Nomen civitatis tribus Judæ, Joſ. 15. g. 54. Item locus in Moab in deſerto, in ſexto lapide Chebronis contra Orientalem plagam, Eſaiæ 29. f. 17.

כרמי χαρμὶ Charmi, Vinea, ſive cognitio aquarum, vel agnus aquarum, aut quaſi celſitudo. Filius Ruben, Gen. 46. a. 9. & 1 Par. 5. a. 3. Filius item Juda, 1 Par. 4. a. 1. qui Gen. 46. b. 12. dicitur Her. Filius præterea Zabdi filii Zaræ filii Juda, pater Achar ſive Achan, Joſ. 7. a. 1. Item nomen civitatis, Judith 8. b. 9.

χαρμεὶ Charmitæ, Idem, Num. 26. a. 6.

Charran, Vide Charan.

כסלון χασελὼν Chaſelon, Fiducia, vel temeritas ejus, ſive ilia ejus, aut thronus manſionis, vel calix ſive tegumentum manſionis. Pater Elidad principis, Num. 34. d. 21.

כרשנא χαρσενά Charſena, Agnus anniculus, ſive agnus dormiens vel mutatus. Nomen viri, Eſth. 1. c. 14.

כסלחים χασλωνιείμ Chaſluim, Tegumentum tabularum, vel ſedes tabularum, aut ſepes vel temeritas vitæ. Filius Meſraim, Geneſ. 10. b. 14. Hebr. Challuhim. Populi nomen, qui & Philiſthiim, ſive corrupte Palæſthini.

כספיא χασφιά Chaſphia, Argentaria, ſive cupiditas, aut Syriace verecundia. Nomen regionis quæ a Caſpio mari vocabulum ſumpſit, ut quidam putant. Nicolaus Lyranus in Babylonis regione locum eſſe putat, ubi plures Levitarum poſt captivitatem manſerint, 1 Eſd. 8. c. 17.

כבון χαββὼ Chebbon, Extinguens vel extinctus, aut quaſi intelligens, vel quaſi ædificans. Civitas tribus Juda. Joſ. 15. e. 40.

χεβρὼν Chebron, Societas, ſive participatio, aut adhæſio, ſive incantatio, vel livor. D. 1 Mach. 5. g. 65.

χελλὼν Chellon, Conſummatio, vel perfectio, aut allevians dolorem vel triſtitiam. D. Nomen terræ, Judith 2. c. 13.

כלאב χελεὰβ Cheleab, Totus vel omnis pater, ſive conſummatio vel prohibitio patris. Secundus filius David de Abigail uxore Nabal Carmeli, 2 Reg. 3. a. 3.

כלוהו χελιὰ Cheliau, Omnis vel totus ipſe, aut conſummatio ejus, ſive prohibens eum. Nomen viri, 1 Eſd. 10. d. 34.

כליון χελεὼν Chelion, Conſummatus, ſive perfectus, aut totus columbinus. Filius Elimelech Bethlemitæ, Ruth 1. a. 2.

כלמד χαλμὰδ Chelmad, Quaſi docens, aut totus menſurans, ſive omne indumentum, conſummatio vel ceſſatio menſuræ vel indumenti. Nomen urbis, Ezec. 27. e. 23.

κυάμων Chelmon, Exercitus præparatio vel numeratio, aut ſomnium ejus. D. Nomen loci inter Belma & Bethuliam, Judith 7. a. 3.

כלוב χαλοὺβ Chelub, Caniſtrum, vel caninus. Nomen viri, 1 Par. 27. d. 26.

כנה χαναὰν Chenne, Baſis, aut rectitudo, ſive præparatio. Nomen urbis, Ezech. 27. e. 23.

כרוב χερούβ Cherub, Quaſi puer, vel quaſi multiplicans, aut quaſi pugnans, vel cognitionis, aut ſcientiæ multitudo. Nomen viri, 1 Eſd. 2. c. 57. In 2 Regum 22. b. 11. legendum Cherub, non Cherubim.

כרבים χερουβὶμ Cherubim, Idem. p. n. Gen. 3. d. 24.

.ectionis ,
כסלתתבר Cheſeleth-thabor, Temeritates, ſive fiduciæ, aut 19. a. 12.
χαϲελϑαϐώρ vel puritatis. Nomen civitatis in tribu Zabulon.s, aut thronus
כסלון Cheſlon, Fiducia aut temeritas ejus, ſive i) Nomen villæ in
χαϲλών manſionis, vel calix, ſeu tegumentum manſi
חתירה Hieroſolymæ finibus, Joſ. 15. c. 10. .t Syriace, deſcendens,
χεϑϑαία Chetaa, Confracta, ſive formidoloſa
Ezech. 16. a. 2.
χεϑϑαῖοι חתות Chetææ, Idem. p. n. 3 Reg. 11, ſive quaſi judicans. Nomen
כידן Chidon, Jaculum, vel infortu
χειδών loci, 1 Par. 13. c. 9.
χίος Chimham, Vide Chamaa.ra. G. Inſula inter Cycladas atque
Chium, Aperta, vel ap.yra lingua maſticen deſignat, eo quod
Bithyniam: cujus nom.anc aliqui Chiam appellavere, a Chione
ibi maſtix gignatur. 20. c. 15.
Nympha Coos, A. Corinthiorum nomen, 1 Cor. 1. b. 11.
χλόη כבר Chloe, Famil. .itudo vel potentia, aut quaſi filius, ſive quaſi pu-
χοβάρ Chobar, F. frumentum, aut jam, id eſt quod jam præteriit. Flu-
ritas, vel q. .erra Chaldæorum, apud quod Ezechiel viſionem vi-
men eſt . dit, Ez.iel. 1. a. 3. Hoc quidem Euphratem interpretantur, alii
Abo. am putant, de quo Ptolemæus & Strabo.

כדכד χορχὸρ .hodchod, Jaſpis, aut hydria hydriæ, Ezech. 27. c. 16.

כדרלעמר χοδολλογομόρ Chodorlahomor, Quaſi generatio ſervitutis, aut quaſi habitatio ſervitutis, ſive ſphærula vel rotunditas manipuli. Rex Ælamitarum, Gen. 14. a. 4.

כלחוזה Chol-hoza, Omnis propheta, ſive omnis videns, aut omne pectus. Pater Sellom, 2 Eſd. 3. c. 15. & 11. a. 5.

כונניהו χωνενίας Chonenias, Præparatio, aut firmitas, vel rectitudo Domini. Frater Semei, 2 Par. 31. c. 13.

חרי χορραῖοι Chorrhæi, Furores, aut libertates, ſive foramina. Populi gigantes, expulſi a filiis Edom ex monte Seir, Gen. 14. a. 6. qui & Horrhæi Deut. 2. c. 12. dicuntur.

Χριστὸς CHRISTUS, Unctus. G.

כוב χοῦπες Chub, Extinguens. Nomen gentis, Ezech. 30. a. 5.

כון Chun, Præparatio, ſive placenta: aut Syriace, feneſtra. Nomen urbis, 1 Par. 18. b. 8. LXX. ex nomine proprio fecerunt appellativum, καὶ ἐκ τῶν ἐκλεκτῶν πολέων.

כוש χοῦς Chus, Æthiops aut niger. Filius Cham, Gen. 10. a. 6. b. 8. a quo deſcenderunt Æthiopes. Vide Chuſi.

חושי χουσί Chuſi, Senſus, aut feſtinans vel ſilens. Amicus David, 2. Reg. 15. g. 32. 37. & 17. a. 5. c. 15. & 1 Par. 27. d. 33.

כושן רשעתים χουσαρσαϑαΐμ Chuſan-raſathaim, Æthiops, vel nigredo iniquitatum. Nomen regis, Meſopotamiæ, Judic. 3. a. 8.

כושי χουσί Chuſi, Æthiops, aut niger. Pater Seleniæ patris Nathaniæ patris Judi, filius Jemini, 2 Reg. 18. e. 21. & Jer. 36. d. 14. Legitur Pſal. 7. a. 1. Chuſi, quum legendum ſit Chus.

χουζᾶ Chuza, Videns, aut prophetans, vel viſio, Luc. 8. a. 3. D.

C I

קבצים καβσαείμ Cibſaim, Congregationes. Civitas ex tribu Ephraim data Levitis, Joſ. 21. b. 22.

κιλικία Cilicia, Volvens, vel revoluta. G. Regio maritima Aſiæ in ſinu Iſſico, ubi porticus in Tharſo celebris ad Septentrionem Judææ, de qua multa Strabo lib. 14. Mela in 1. Plinius libro 5. cap. 27. Ptolemæus in 5. cap. 8. quam Cydnus amnis interſecat, & mons Amanus (ita Hieronymus) a Syria Cœle ſeparat. Vide Volaterran. libr. 11. Geograph. Ex hac Paulus Apoſtolus fuit oriundus, Act. 23. g. 34. & Chriſtum in ea prædicavit, Galat. 1. d. 21.

קין νοσσία Cin, Poſſeſſio, vel emptio, ſive nidus, aut lamentatio. Nomen viri, a quo Cinæi, Num. 24. d. 22.

קינה κινά Cina, Idem. Nomen civitatis in tribu Juda, Joſ. 15. d. 22.

קיני κεναῖοι Cinæi, Idem p. n. Nomen populi, Gen. 15. d. 18.

καιναῖος Cinæus, Idem. Num. 24. d. 20. & 1 Reg. 15. a. 6.

קינות ϑρῆνοι Cinoth, Lamentationes, quæ Græce ϑρῆνοι.

קירחרשת קירחרש Cir-hareſeth, & Cir-hares, id eſt, murus lateris. Urbs Moab, præclaris cincta muris, Eſaiæ 16. b. 7. d. 11. ubi legitur, Muros cocti lateris.

קיש κίς Cis, Durus, aut ſtipula, vel cucumerarium. Filius Abiel, pater Saul regis, 1 Reg. 9. a. 1. Filius Moholim, 1 Par. 23. c. 21. Filius item Abigabaon, 1 Par. 8. c. 29. Sic vocabatur filius Abdai Levitæ, 2 Par. 29. c. 11.

קישון κισσών Ciſon, Idem. Torrens Galilææ juxta montem Thabor. Hic a monte Thabyrio in mare cadit, Judic. 4. a. 7. & 3 Reg. 18. g. 39. & Pſal. 82. c. 10.

קטרון κετρών Citron, Aromatizans, vel fumigans, aut colligatio, vel vinculum, ſive attediati canticum: aut Syriace, nodus. Civitas in tribu Zabulon, Judic. 1. f. 30. ubi corrupte legitur Tethron.

עיר דוד πόλις Δαυίδ Civitas David, 2 Reg. 5. b. 7. & 9.

Civitas palmarum. Vide Urbs palmarum.

כורהסירה φρέατΘ σειρᾶ Ciſterna ſira, Nomen loci, 2 Reg. 3. e. 26.

C L

κλαύδη Clauda, Vox fracta, vox flebilis. G. Inſula ſpectans Cretam inter Meridiem & Occidentem, Act. 27. a. 16.

κλαυδία Claudia, Latinum eſt. 2 Tim. 4. d. 21.

κλαύδιΘ Claudius, Idem. Nomen Imperatoris Romanorum, Act. 11. d. 28. & 18. a. 2.

κλήμης Clemens, Latinum eſt, ſignificatque mitem, vel modeſtum. Nomen viri, Phil. 4. a. 3.

κλεοπάτρα Cleopatra, Gloria patriæ vel patris. G. Filia Ptolemæi, uxor Alexandri, 1 Mach. 10. e. 57.

κλεόπας Cleophas, In Græco Cleopas, & interpretatur gloria omnis, vel omnimoda gloria. Nomen alterius viri qui proficiſcens in Emaunta, Chriſtum alloquebatur in itinere, Luc. 24. c. 18. Joan. 19. c. 20.

C N

Cnidus, Atriplex, genus herbæ purgativæ vel laxativæ. Inſula oppoſita Aſiæ, 1 Mach. 15. d. 23. Act. 27. b. 7. κνίδΘ

C O

Coa, Spes vel congregatio, ſive linea, aut regula, 3 Reg. 10. d. 28. & 2 Par. 1. d. 15. Juxta veterem interpr. videtur fuiſſe inſula. Alii autem interpretes, inter quos Sanctes & Vatablus, vertunt locum illum, Ex Ægypto: & congregatio mercatorum regiorum capiebant congregationem equorum, &c. מקוא vel מקוה ϑεκουὲ

Cocti lateris murus, Civitas. Vide Cir-hareſeth.

Cœleſyria, ſive Cœles Syria. Curva ſive depreſſa Syria. G. 2 Mach. 3. a. 5. & 10. f. 69. κοιλησυρία

Coheleth, Eccleſiaſtes, vel concionator, Eccleſ. 1. a. 1. קהלת ἐκκλησιαστής

Colaia, Vox Domini, aut alleviatio Domini, ſive torrefactio. Nomen viri, 2 Eſd. 11. b. 6. קוליה κωλόνια

Colia, Idem. Pater Achab. Jer. 29. e. 21. κολία

Colonia, Latinum eſt a colendo, id eſt habitando dicta, Act. 16. b. 12. κολωνία

Coloſſenſes, puniti, vel ſupplicio affecti. G. κολασσαεῖς

Coloſſæ, Punitio vel ſupplicium. G. Civitas Phrygiæ quæ eſt in Aſia minore, Coloſ. 1. a. 2. κολόσσαι

Coo, Vertex vel ſummitas. Nomen inſulæ, 1 Mach. 15. d. 23. Dicitur & Græce κῶς, & κέως quondam, unde & Plinius admonet dictam fuiſſe Ceam & κέον. κῶς

Corban, vel Corbana, Donum vel oblatio, Mar. 7. b. 11. קרבן κορβᾶν

Core, Calvus vel calvitium, ſive glacies vel gelu. Filius Iſaar filii Caath filii Levi, Exod. 6. c. 21. & 1 Par. 6. c. 37. in eodem cap. b. 22. dicitur filius Caath. Filius item Hebron ſic vocabatur, 1 Par. 2. f. 43. Sic & filius Eſau ex Oolibama uxore, Gen. 36. a. 5. קרח κορὲ

Core, 1 Par. 9. c. 19. ubi dicitur, Sellum vero filius Core, & 26. a. 1. & 2 Par. 31. c. 14. interpretatur vocans, vel legens, aut perdix. Filius Jemna. קורא κορὲ

Corinthus, Saturitas, vel ſatietas, aut ornamentum. G. Civitas Achaiæ maritima, quæ & Ephyra dicebatur, Act. 18. a. 1. κόρινϑΘ

Corinthi, Saturati, vel ſatiati, aut ornati. G. Act. 18. c. 8. κορίνϑιοι

Coritæ, Idem ſignificat quod קורח. p. n. 1 Par. 9. c. 19. Heb. Corthim. קרחים κορῖνοι

Corites, Idem. ſ. n. 1 Par. 9. c. 19.

Cornelius, Latinum eſt, a cornu. Nomen viri, Act. 10. a. 1. κορνήλιΘ

Cornu ſtibii, Hebraice, Ceren-hapuch. Nomen tertiæ filiæ Job, Job 42. d. 14. קרן הפוך ἀμαλϑαίας κέρας

Corozaim, Hoc ſecretum, vel hic eſt myſterium. D. Galilææ oppidum eſt nunc deſertum, inquit Hieronymus in ecloga, in ſecundo lapide a Capharnao, Luc. 10. b. 13. Mat. 11. c. 21. χοραζίν

Cos, Spina, aut æſtas, ſive tædium, vel vigilia, aut finis. Pater Anob & Soboba, 1 Par. 4. b. 8. קוץ κῶς

Coſam, Divinans. D. Pater Addi, patris Melchi, Luc. 3. f. 28. κωσὰμ

Cozbi, Mendax, aut ceſſans, ſive quaſi fluens, aut quaſi fluxus. Filia Suri, illa quæ cum Zamri occiſa eſt, Madianitis, Numer. 25. d. 18. כזבי χασβὶ

C R

Creſcens, Latinum eſt, a creſcendo. Nomen viri, 2 Tim. 4. b. 10. κρήσκης

Creta, Carnea vel carnalis. G. Græciæ inſula inter Cyrenen & Græciam: ab Septentrione, Ægæo perfunditur pelago, ſimul & Cretico: ab Auſtro autem, Aphricano alluitur, Ægyptium attingente pelagus. Hæc dicta eſt ἑκατόμπολις, id eſt centum urbibus inſtructa: hodie Candia vocatur: ditionis Venetorum eſt. De hac lege Strabonem libr. 10. Ptolemæum libr. 3. cap. 19. Plinium in 4. cap. 12. Virgilium 3. Æneid. Pomp. Melam libr. 2. Meminit Lucas Act. 2. b. 11. Paulus ad Titum 1. b. 5. Hieronymus refert hanc famigeratam divitiis, maxime æris, quod prima illic ejus metalli inventio & utilitas fuerit, 1 Mach. 10. f. 67. Act. 27. b. 7. κρήτη

Cretenſes, Idem. p. n. G. Tit. 1. d. 12. κρῆτες

Cretes, Idem. G. Populi, Act. 2. b. 11. κρῆτες

Criſpus, Latinum eſt. Princeps ſynagogæ Judæorum, Act. 18. b. 8. & 1 Cor. 1. b. 14. κρίσπΘ

Cuſi, Durus, ſive ſtipula, aut cucumerarium. Filius Abdi filii Maloch, 1 Par. 6. d. 44. קישי κουσεὶ

Cutha, Combuſtio, ſive contuſio. Regio eſt Perſidis, a flumine Cutha (ſicuti Joſephus libr. 9. cap. 15. Antiq. Judic. ſcriptum reliquit) vocata. Inde Cuthæi, de quibus idem libr. 11. cap. 2. Antiq. in hunc modum ſcribit, Salmanaſar etenim transmigrans Iſraelitas in eorum regione conſtituit Cuthæorum gentem quæ prius in interiore parte Perſidis & Mediæ morabatur, 4 Reg. 17. f. 30. כות χοὺϑ

C Y

Cypriarches, Princeps Cypri, vel princeps pulchritudinis. G. 2 Mach. 12. a. 2. κυπριάρχης

Cyprii, Pulchri. G. Act. 11. c. 20. κύπριοι

Cyprius, Idem. ſ. n. G. Act. 4. g. 36. κύπριΘ

Cyprus, Pulchra, vel pulchritudo. G. Nomen inſulæ, 1 Mach. 15. d. 23. Act. 11. c. 19. & 27. a. 4. κύπρΘ

Cyprus, Cantic. 1. c. 14. & 4. d. 13. Camphora interpretantur nonnulli, aroma quoddam ſic vocatum. כפר כפרם κύπρΘ

Cyrene, Paries, ſive trabes, aut frigiditas, vel occurſus. Nomen urbis aut regionis in Aſſyria, 4 Reg. 16. b. 9. quæ & Pentapolis dicitur a quinque urbibus quibus fulget: hæ ſunt, Heſperia, alias Berenice dicta, Plinio auctore libr. 5. cap. 5. Apollonia: Ptolemais, antiquo nomine Barce appellata: Arcinoe, aliquando Teuchira vocitata: atque unde terris nomen eſt, ipſa Cyrene, omnium harum clariſſima. Vide plura in Pomp. Mela libr. 1. Plinio libr. 5. cap. 5. Strabone in 17. Ammiano Marcellino libr. 22. Hujus mentio fit, Act. 2. b. 10. קיר κυρήνη

Cyrenæi, Idem. p. n.

Cyrenenſes, Idem. Act. 6. c. 9. E ſynagoga Judæorum privatæ ſectæ homines.

Κυρηναῖος Cyrenenſis, Idem. ſ. n. Act. 13. a. 1.

Cyrenæus, Idem. 2 Mach. 2. e. 24. Matt. 27. d. 32.

Κυρίνιος Cyrinus, In Græco Cyrinius, quod interpretatur dominans. Præſes Syriæ, Luc. 2. a. 2.

כורש Κῦρος Cyrus, Quaſi miſer, vel quaſi hæres, aut venter. Rex Perſarum, 1 Eſd. 1. a. 1. Act. 13. a. 1.

D

דברת Δαβραθ DAbereth, Verbum, ſive res, aut apes, vel ſubjectio: aut Syriace, ductrix. Civitas quæ de tribu Iſſachar data fuit Levitis, Joſ. 19. a. 12. & 21. c. 28. Civitas item refugii, 1 Par. 6. g. 72.

דביר Δαβίρ Dabir, Oratorium, ſive verbum, aut res, vel ſubjectio: aut Syriace, ductor. Rex Eglon, Joſ. 10. a. 3. Nomen urbis in tribu Juda & Simeonis, Joſ. 11. d. 21. & 21. b. 15. quæ & Cariath-ſepher dicitur, Joſ. 15. c. 15. Judic. 1. b. 11. & Cariath-ſenna, Joſ. 15. f. 49. In quam confugiebant qui homicidium imprudentes perpetrarant, 1 Par. 6. e. 58. Eſt & altera in tribu Gad. Joſ. 13. c. 26.

דברי Δαβρί Dabri, Oratorium, ſive verbum meum: aut res vel apes, ſive ſubjectio mea: aut Syriace, ductor meus, Levit. 24. b. 11. Scribe Dibri.

דדן Δαδάν Dadan, Mamilla, vel dilectio, aut patruus, vel judicans. Filius Regma, Gen. 10. a. 7. Filius Jecſan, Gen. 25. a. 2. Gens Æthiopiæ in Occidente.

דגון Δαγών Dagon, Frumentum vel piſcis. Nomen idoli Philiſthinorum, Judic. 16. f. 23. & 1 Mach. 10. g. 84.

דליה דליהו Δαλαία Dalaia, ſive Dalaias, Pauper Domini ſive exhauſtio aut ramus Domini, vel macilentus. Filius Elioenai filii Naariæ, 1 Par. 3. d. 24. Filius Semeiæ, Jer. 36. c. 12.

דלילה Δαλιλά Dalila, Paupertas, vel ſitula ejus, aut ramus ejus, ſive exhauriens, aut macilenta. Nomen mulieris quam amavit Samſon, Judic. 16. a. 4.

Δαλμανουθά Dalmanutha, Situla præparata, vel exhauſtio numerata, ſive macies, vel ramus præparatus vel numeratus. D. Nomen regionis, Marc. 8. b. 10.

Δαλματία Dalmatia, Lampas fruſtratoria, aut fulgur vanitatis. G. Pannoniæ ad Hadriaticum mare regio. De qua plura Plinius lib. 3. naturalis hiſt. cap. 22. & 25. in quam Titus ad prædicandum Evangelium profectus eſt, 2 Tim. 4. b. 10.

Δάμαρις Damaris, Uxorcula, ſive parva uxor. G. Mulier quæ Paulo prædicante Chriſto credidit, Act. 17. g. 34.

Damaſceni, Sanguinis ſacci, vel ſanguinis pocula, aut ſanguis femorum vel incendiorum vel procuratoris. Populi a Damaſcene ſic dicti, quæ eſt regio Syriæ inter Libanum & Antilibanum montes ad Septentrionem Judææ, unde deſcribitur terra a Dan uſque Berſabee, 1 Reg. 3. d. 19. & 2 Reg. 24. a. 2. in ea eſt Damaſcus: a qua tota regio appellationem ſumpſit. De hac Mela lib. 1. Plin. lib. 5. cap. 12.

דמשק Δαμασκός Damaſcus, Idem. Filius procuratoris domus Abraham, Gen. 15. a. 2. Eſt & Damaſcus potens & inſignis Phœnices civitas, quæ quondam in omni Syria tenuit principatum, terminus Judææ ad Septentrionem, Ezec. 47. c. 16. Eſa. 7. b. 8. & 10. b. 9. & 2 Reg. 8. a. 6. & 3 Reg. 11. e. 24. quæ Stephano a conditore Damaſco Mercurii & Alimedes filio: Juſtino lib. 36. a Damaſco rege: Hieronymo vero in Heb. quæſt. a Damaſec Eliezer, cujus in libro 1. Moſis fit mentio, nomen accepit, Gen. 15. a. 2. de hac & Ezec. 27. d. 18. Amos 1. a. 5. Cant. 7. a. 4. Jere. 49. f. 24. nunc Saracenorum metropolis. Tertullianus lib. 3. adverſus Marcionem, Damaſcum civitatem Syrophœnices ſcribit, quæ quondam Arabiæ deputabatur inter Libanum & Antilibanum ſita, e qua Paulus per murum demiſſus fuit, Act. 9. d. 25.

דומשק Δαμασκός דמשק Damaſcus, 4 Reg. 16. b. 10. Similitudo incendii, aut oſculi, vel poculi, ſive ſacci, aut ſimilis femori, vel tacitum oſculum, aut poculum. Heb. Dumeſec. Licet exemplaria quædam Hebraica legant דמשק.

דמנה Δαμνά Damna, Sterquilinium, aut cruentatio, vel taciturnitas, aut ſimilitudo noſtra. Civitas in terra Zabulon data Levitis, Joſ. 21. c. 35.

דן Δάν Dan, Judicans ſive judicium. Nomen loci, Gen. 14. c. 15. Filius item quintus Jacob ex Bala, ancilla Rachel uxoris ſuæ, Gen. 30. a. 6. Eſt & civitas in valle Bethrohob procul a Ptolemaide M. P. XIV. contra Boreales partes, non procul ab urbibus Galgalis & Maſaloth, regionis quidem tribus Aſer, poſſeſſionis autem Dan, unde & nomen impoſitum: antehac Laſem appellata, Joſ. 19. d. 47. & Lais, Judic. 18. c. 29. ſive Laiſa, Eſa. 10. g. 30. Ipſa fuit terminus terræ Iſrael ab Aquilone, 1 Reg. 3. d. 20. Ezec. 27. d. 19. Unde dicitur a Dan uſque Berſabee, id eſt, ab Aquilone Terræ ſanctæ ad Auſtrum. In qua Jeroboam rex Iſrael vitulum adorandum erexit, 3 Reg. 12. g. 29. Amos 8. d. 14. Hieronymus in Heb. traditionibus Paneas vocatam putat, quæ alias Cæſarea Philippi.

דניאל Δανιήλ Daniel, Judicium Dei. Nomen prophetæ quem præpoſitus eunuchorum Nabuchodonoſor vocavit Baltaſſar, Dan. 1. b. 6. Filius item ſecundus David ex Abigail Carmelitide, 1 Par. 3. a. 1.

דנה Ῥεννά Danna, Judicium, vel judicans: aut Syriace, iſta. Nomen civitatis in tribu Juda, Joſ. 15. f. 49.

דפקה Ῥαφακά Daphca, Pulſatio, ſive impulſio. Nomen loci in quem venerunt filii Iſrael a deſerto Sin, Num. 33. b. 12.

Δάφνη Daphne, Laurus. G. 2 Mach. 4. e. 33.

Daphnim, Num. 34. b. 11. ubi dicitur, fontem Daphnim, non eſt in Hebræo.

דרע Δαραδά Dara, Generatio ſive habitatio paſtoris aut ſocietatis, ſive iniquitatis: vel Syriace, brachium. Filius Zaræ filii Judæ, 1 Par. 2. a. 6.

דרקון Δερκών Darcon, Generationis vel habitationis poſſeſſio vel emptio: aut Syriace, draco. Nomen viri, 1 Eſd. 2. c. 54.

דריוש Δαρεῖος Darius, Requirens, aut inquirens. Rex Medorum, Dan. 5. g. 31. & 1 Eſd. 4. b. 5.

דרמשק Δαμασκός Darmaſcus, Generationis aut habitationis procuratio, aut generatio: vel habitatio incendii vel procuratoris. Videtur eadem civitas quæ Damaſcus, 1 Par. 18. b. 6. & 2 Par. 16. a. 2. & 24. f. 23. & 28. a. 5.

Dathan, Ritus, aut lex. Filius Eliab, Num. 16. a. 1. Deut. 11. a. 6. דתן Δαθάν

Dathema, Legis præparatio, vel legis munus. D. Nomen urbis, 1 Mach. 5. a. 9. Δαθεμά

David, Dilectus. Filius Iſai, 1 Reg. 17. b. 12. & 1 Par. 2. b. 15. דוד vel דויד Δαυίδ

D E

Debbaſeth, Melliflua, aut infamiam apponens. Nomen civitatis, terminus Zabuloniæ tribus, Joſ. 19. a. 11. דבשת Δαβασθέ

Debelaim, Palathæ, id eſt, maſſæ ex ficubus compactæ, maſſæ ficuum ſiccarum, caricæ. Nomen viri, Oſee 1. a. 2. דבלים Δεβηλαείμ

Debera, Oratorium, ſive verbum, aut res, vel apes, aut ſubjectio: vel Syriace, ductrix. Nomen loci, Joſ. 15. b. 7. דברה Δαβιρά

Deblatha, Palatha, id eſt, maſſa ficuum ſiccarum, aut maſſa de ficubus compacta. Civitas eſt apud Ezechielem 6. d. 14. quam ego plane רבלתה eſſe credo. nam ſimilitudo literarum ד & ר ſæpenumero multis imponit, propterea quod hæc parvo admodum apice inter ſe differant. דבלתה Δεβλαθά

Deblathaim, Idem. p. n. Nomen civitatis in terra Moab, Jer. 48. d. 22. Eadem videtur quæ & Helmon-deblathaim. דבלתים Δεβλαθαΐμ

Debora, Apes, vel verbum, aut res, ſive ſubjectio: vel Syriace, ductrix. Nutrix Rebeccæ, Gen. 35. b. 8. Uxor item Lapidoth prophetæ, Judic. 4. a. 4. דברה Δεββώρα

Decapolis, Decem civitatum, ſub. regio. G. Regio decem urbium ultra Jordanem ad Orientem Judææ ſita, cujus fit mentio, Matt. 4. d. 25. Marc. 5. d. 20. & 7. d. 31. de qua Plinius lib. 5. cap. 18. nat. hiſtoriæ, & Hieronymus in ecloga. Δεκάπολις

Decla, Comminutio ejus: vel Syriace, palma arbor. Filius Jectan, Gen. 10. d. 25. דקלה Δεκλά

Denan, Mammilla, vel dilectio earum: aut patruus, vel judicans. Nomen urbis, Jer. 25. e. 23. דדן Δαιδάν

Dedanim, Idem. p. n. Filii Dedan, Eſa. 21. d. 13. דדנים Δοιδάν

Delean, Pauper, afflictus, ſive pauperis reſponſio, vel canticum, aut exhauſta ſive macilenta afflictio vel reſponſio: vel ex Hebræo & Syro, pauper ovis. Nomen civitatis in tribu Juda, Joſ. 15. e. 38. דלען Δαλλάν

Delphon, Stillicidium, aut pauperem reſpiciens, ſive exhauſtum vel macilentum reſpiciens. Filius Aman filii Amadatha, Eſth. 9. b. 7. דלפון Δελφών

Delos, Manifeſtata, vel oſtenſa. G. Nomen inſulæ, 1 Mac. 15. d. 23 Δῆλος

Demas, Popularis vel plebeius, aut pinguis. G. Nomen viri, Coloſſ. 4. d. 14. & 2 Tim. 4. b. 10. Δημᾶς

Demetrius, Cerealis, a Cerere, quam Gentiles deam frumenti putabant. Seleuci filius, 1 Mach. 7. a. 1. Nomen etiam argentarii cujuſdam, Act. 19. e. 24. Δημήτριος

Demophon, Populi interfector, aut populi cædes. G. Nomen viri, 2 Mach. 12. a. 2. Δημοφῶν

Denaba, Judicium ejus in ea, aut judicium præbens. Urbs eſt in Edom, in qua regnavit Bela, Gen. 36. d. 32. דנהבה Δενναβά

Derbe, Circumſepta, vel vallata. G. Nomen civitatis Lycaoniæ, ſive Iſauriæ, ut Strabo ait lib. 12. Act. 14. a. 6. Δέρβη

Derbeus, Circumceptus, vel vallatus. G. Act. 20. a. 4. Δερβαῖος

Deſſau, Pinguedo, aut cinis. D. Nomen caſtelli, 2 Mac. 14. c. 16. Δεσσάου

D I

Diabolus, Criminator ſive calumniator, aut accuſator. G. 1 Mac. 1. e. 38. Luc. 8. b. 12. Joan. 6. g. 70. Διάβολος

Diabolus, Habacuc 3. a. 5. in Hebræo, Reſeph, & interpretatur volucris, ſive flamma, vel lampas, vel ſagitta. רשף

Diana, Latinum eſt: & facta eſt a die, eo quod habeat lucem æmulam diei. Nam luna hoc nomine appellatur. Nomen deæ quam colebant Epheſii, Act. 19. e. 24. & g. 35. ἄρτεμις

Dibon, Abundans filius, aut abundantia intelligentiæ vel ædificationis: aut Syriace fluxus. Nomen excelſi Moabitarum ubi colebantur idola, Eſa. 15. a. 2. Num. 21. f. 29. Jer. 48. d. 18. Eſt & urbs Moabitarum primo, & poſtea Sehon regis Amorrhæorum, in tribu Ruben, ultra Jordanem ad Orientem poſita, Joſ. 13. c. 17. דיבון Διβών

Dibon, Eſa. 15. d. 9. ubi legitur, Quia aquæ Dibon repletæ ſunt ſanguine. Ponam enim ſuper Dibon, &c. in Hebræo habetur Dimon, & interpretatur ſanguinolenta, ſive ſterquilinium. Civitas in tribu Gad ſita. Eadem quæ & in tribu Ruben recenſetur, ſed limitaneam eſſe urbem ex hoc facile colligitur. דימון Διβῶν

Dibon-gad, Abundantia filii felicis, aut abundantia intellectus vel ædificationis felicis, ſive abundantia filii accincti. Nomen loci, in quo filii Iſrael fixere tentoria, profecti de Oboth, Num 33. f. 45. דיבן גד Δαιβὼν γάδ

Dibre-hajamim, Verba dierum. Sic vocatur liber Chronicorum, Græce autem παραλειπομένων, id eſt, relictorum, quod in eo libro ea maxime tractentur quæ in libris Regum relicta ſunt. דברי הימים

Didymus, Geminus, vel gemellus, qui cum alio uno & eodem partu naſcitur. G. Sic dicebatur Thomas Apoſtolus, Johan. 11. b. 16. & 20. f. 24. Δίδυμος

Dies, Heb. Jemina. Prima filia Job, Job 42. d. 14. ימימה ἡμέρα

Dievi, De generatione, aut exiſtentes, 1 Eſd. 4. b. 9. Syrum eſt. דהוא Δαυαῖοι

Dilaiau, Pauper Domini, ſive exhauſtio, vel ramus Domini, aut macilentus. Nomen viri, 1 Par. 24. c. 17. דליהו Δαλαΐα

Dimona, Sterquilinium, ſive coacervatio, aut abundans numerus vel munus. Nomen civitatis in tribu Juda, Joſ. 15. d. 22. דימונה Διμωνά

Dina, Judicium, vel judicans: aut Syriace, iſta. Filia Jacob ex Lia uxore, Gen. 30. c. 21. דינה Δῖνα

Dinæi, Judices, ſive judicia. Nomen populi, 1 Eſd. 4. b. 9. דיניא Δειναῖοι

Dionyſius, Divinitus ſtimulatus vel compunctus. G. Vir Athenienſis, prædicante Paulo ad fidem CHRISTI converſus, Act. 17. g. 34. Διονύσιος

Διόσκορος Dioſcorus, Divina ſaturitas, vel divinum ornamentum. G. Nomen menſis, 2 Mach. 11. d. 21.

Διοτρεφής Diotrephes, A Jove nutritus. G. Vir peſſimus, ut teſtatur Joannes in tertia ſua epiſtola.

דישן Δισὼν Diſan, Trituratio, ſive pinguedo, vel cinis, aut abundans dens vel ebur. Filius Seir Horræi, Gen. 36. c. 21.

דישון Δησὼν Diſon, Trituratio, ſive pinguedo, vel cinis. Filius Seir Horræi, Gen. 36. c. 21. Filius Anæ filii Sebeon, ibidem, 25.

Διθάλασσον Dithalaſſum, Duo maria, ſive bimaris, qui utrinque mari alluitur, quod in navigatione vix ſine periculo evenire ſolet. G. Act. 27. g. 45.

D O

Doch, Commotus, ſive impulſus, aut comminutus. D. Munitiunculæ nomen, 1 Mach. 16. c. 15.

דודוהו Δωδίου Dodau, Dilectio, aut mammilla ejus, vel patruus ejus. Nomen viri, 2 Par. 20. g. 37.

דדנים Ῥόδιοι Dodanim, Dilecti vel patruelis ſomnus, aut mammilla dormientis. Filius Javan, Gen. 10. a. 4. a quo Rhodii.

vel רודנים דודנים Δωδανείμ Dodanim, 1 Par. 1. a. 7. Imperantes, ſive deſcendentes, aut imperantis vel deſcendentis ſomnus. Heb. Rodanim & Dodanim. Filius Javan, qui Gen. 10. a. 4. dicitur Dodanim.

דאג Δωὴκ Doeg, Solicitus, ſive anxius, aut piſcator. Unus ex paſtoribus Saulis, 1 Reg. 21. b. 7.

דמים Δομὶμ Dommim, Sanguinei, aut ſilentes, vel ſimiles, vel Syriace, pecuniæ. Nomen regionis, 1 Reg. 17. a. 1.

Domus ſolis, Græce Heliopolis, urbs Ægypti in qua ſol adorabatur. Vide Beth-ſemes, Jer. 43. d. 13.

vel דור דאר Δῶρ Dor, Generatio, vel habitatio. Nomen civitatis maritimæ in tribu Manaſſe, Joſ. 11. a. 2. & 17. c. 11. Judic. 1. f. 27. & 1 Par. 7. f. 30. & 1 Mach. 15. d. 25. Quidam falſo Stratonis Cæſaream appellatam exiſtimant.

Δορκὰς Dorcas, Caprea, vel damula. G. Nomen mulieris quæ & Tabitha Syriace dicebatur, Act. 9. g. 39.

דרדע Δαρδαὲ Dorda, Habitaculum ſcientiæ, vel generatio ſcientiæ. Filius Maol, 3 Reg. 4. d. 31.

Δόρυξ Doryx, Rapidus, aut velox. D. Ecclef. 24. d. 41.

Δωσίθεος Doſitheus, Deodatus. G. Nomen ducis, 2 Mac. 12. c. 19.

דתן Δωθαείμ Dothan, ſive Dothain, Ritus aut lex. Locus eſt ubi Joſeph reperit fratres ſuos pecora paſcentes, Gen. 37. d. 16. qui etiam temporibus Hieronymi ſupererat in duodecimo a Sebaſte miliario contra Aquilonis plagam, 4 Reg. 6. c. 13.

D R

Δρουσίλλα Druſilla, Rore conſperſa. G. Uxor Felicis præſidis Judææ, Act. 24. f. 25.

D U

דודי Δωδαΐ Dudia, Dilectus, aut patruus meus. Nomen viri, 1 Par. 27. a. 4.

דעואל Ῥαγουὴλ Duel, Cognoſcite Deum, aut ſcientia Dei. Pater Eliaſaph principis tribus Gad, Num. 1. b. 14.

דומה Duma, Silentium, vel ſimilitudo. Regio quædam Idumææ, ad Auſtrum vergens, quæ hodie dicitur Eleutheropolis, viginti diſtans milibus, juxta quam ſunt montes Seir, auctor Hieronymus in comment. In Eſaiam. De hac lege Eſai. 21. c. 11. Filius Iſmahelis, Gen. 25. b. 14. Eſt & civitas in tribu Juda, juxta veterem interpretem & LXX. quos ſecutus eſt, ῥῦμα Joſ. 15. f. 52.

דורא Δεειρᾶ Dura, Generatio, vel habitatio, aut pyra ignis. Vallis provinciæ Babylonis, Dan. 3. a. 1.

E

עיבל Γεβὰλ EBal, Acervus vetuſtatis, aut acervus defluens. Filius Sobal filii Seir, Gen. 36. c. 23.

E C

הקטן Ἀκατὰν Eccetan, Parvus, ſive minimus. Nomen viri, 1 Eſd. 8. b. 12.

ἐκκλησιαστὴς קהלת Eccleſiaſtes, Concionator, vel congregans, Hebraice Coheleth, id eſt, concionator, Eccleſiaſtes. 1. a. 1.

Ecbathana, Frater mortis. D. Nomen regionis, 2 Mach. 9. a. 3.

ἐκβάτανα אחמתא ἀμαθὰ Ecbathanis, Idem. Chaldaice, Ahmatha. Metropolis majoris Mediæ a Seleuco, ut inquit Volaterranus libr. 12. ſeu ut Judith 1. a. 3. dicitur, ab Arphaxato Medo condita, ubi reges, eo quod frigida ſit, æſtivare ſolent. Hæc Ptolemæo libr. 6. ἀγβάτανα: Stephano vero interdum ἀγβάτανα, interdum ἐχβάτανα dicitur, 1 Eſd. 6. a. 2. quo loco quidam vertunt, ſcrinium in quo ſchedæ reponebantur & authentica.

ἀχιὰ אחיה Echaia, Frater Domini. Nomen viri, 2 Eſd. 10. b. 26.

אחי ἀγχὶς Echi, Frater meus. Filius Benjamin, Gen. 46. c. 21. qui 1 Par. 8. a. 2. Rapha dicitur.

E D

אדו ἀδδαΐ Eddo, Vapor, aut nubes, vel interitus ejus. Nomen viri, 1 Eſd. 8. c. 17.

אדמה ἀδαμὶ Edema, Terra, aut rufa, ſive ſanguinea. Civitas in tribu Nephthali, Joſ. 19. c. 36.

עדן ἀδὲν Eden, Voluptas, ſive deliciæ: aut Syriace, tempus. Proprium viri, Eſa. 37. c. 12. & 4 Reg. 19. c. 12. & 2 Par. 29. c. 11. Cujus filii incoluerunt regionem Syriæ quæ dicitur Thalaſſar.

עדר ἐδὲρ Eder, Grex, ſive defectio, vel privatio. Filius Muſi, filii Merari, 1 Par. 23. e. 23. Urbs item in tribu Juda, Joſ. 15. e. 21. Eſt quoque turris nomen ubi filii Jacob tabernaculum fixerunt, Gen. 35. d. 21. ubi legitur, Fixit tabernaculum trans turrem gregis: Hebraice, turrem Eder. Idem, Mich. 4. c. 8. Et tu turris gregis: Hebraice, Et tu turris Eder.

הדסה Ediſſa, Myrtus: aut Syriace, lætitia. Nomen mulieris, quæ & Eſther, Eſth. 2. b. 7.

עדנא ἐδνὰ Edna ſive Ednas, Voluptas: aut Syriace, tempus. Nomen viri, 1 Eſd. 10. d. 30.

עדנה ἐδνὰς Ednas, 1 Par. 12. d. 20. Æterna requies, ſive teſtimonium quietis. Princeps militum in Manaſſe.

Jare, Luna, vel menſis, ſive odorans. Filius Jectan, Geneſ. 10. d. 26. ירח ἰεράχ

Jared, Imperans, vel deſcendens. Filius Maalaleel, Gen. 5. b. 15. Filius item Ezra, 1 Par. 4. c. 18. ירד ἰαρὲδ

Jarephel, Sanitas Dei, aut medicina Dei, ſive relaxans Deus. Civitas in tribu Benjamin, Joſ. 18. d. 27. ירפאל ἰερφιὴλ

Jarib, Pugnans, vel objurgans, ſive multiplicans. Filius Simeonis filii Jacob, 1 Paral. 4. e. 24. qui Geneſ. 46. b. 10. dicitur Ahod. יריב ἰαρὶβ

Jarim, Saltus, vel ſylvæ. Pars montis, Joſ. 15. c. 10. יערים ἰαρὶμ

Jaſa, Rixa vel contentio, aut exitus Domini. Nomen civitatis quæ de tribu Ruben, Merari nepotibus data eſt juxta Joſuam ex Hebræo, Num. 21. e. 23. Deut. 2. f. 32. Judic. 11. d. 20. & 1 Par. 6. g. 78. Eadem Joſ. 13. c. 18. Jaſſa dicitur. יהצה ἰασσὰ

Jaſa, Eſa. 15. b. 4. Rixa vel contentio. Heb. Jahas. Urbs ſita in finibus Moabitarum. יהץ vel יהצה ἰασσὰ

יצר Jaſer, Figmentum, ſive plaſmatio, aut tribulans, vel anguſtians. Vide Jeſer.

יצרי Jaſeritæ, Idem. p. n. Num. 26. f. 49.

ישר ἰασὰρ Jaſer, Rectus aut cantans, ſive reſpiciens, aut dominans, vel prævalens. Filius Caleb ex Azuba prima uxore, 1 Par. 2. c. 18. Joſ. 21. d. 39. Eſa. 16. c. 8. & 9. Loci nomen.

יעשי Jaſi, Faciens, vel factor meus. Nomen viri, 1 Eſd. 10. d. 37.

יחצאל ἀσιὴλ Jaſiel, Dividens Deus, vel dimidians Deus, aut feſtinatio Dei. Filius Nephthali, Geneſ. 46. c. 24. quod 1 Par. 7. c. 13. יחציאל ſcribitur.

יעשיאל ἰασιὴλ Jaſiel, 1 Par. 11. g. 47. & 27. c. 21. Opus Dei, vel factura Dei. Vir de Maſobia.

ἰάσων Jaſon, Sanans, vel medicans. G. 1 Mach. 8. c. 17. & 12. c. 16. Nomen viri, Act. 17. b. 7. Rom. 16. d. 21.

μνάσων Jaſon, Act. 21. c. 16. Græce Mnaſon, id eſt, indagator, aut ſpondens, vel reminiſcens. G.

ישוב ἰασοὺβ Jaſub, Converſio, aut habitatio, aut ſeſſio. Filius Eſaiæ prophetæ, Eſa. 7. a. 3. Filius item Iſſachar, 1 Par. 7. a. 1. qui Gen. 46. b. 13. dicitur Job.

ישבי ἰασουβὶ Jaſubitæ, Idem. p. n. Num. 26. c. 24.

Jaſſa, Joſ. 13. c. 18. Vide infra.

ἰασὴν ישן Jaſſen, Antiquus, ſive dormiens. Nomen viri, 2 Reg. 23. d. 32.

יטבה ἰτεβὰ Jateba, Benefaciens, vel bonitas ejus, aut divertens vel declinans in ea. Nomen loci, 4 Reg. 21. d. 19.

יתניאל ἰαθανιὴλ Jathaneel, Donum Dei. Nomen viri, 1 Par. 26. a. 2.

ἰωυὰν יון Javan, Decipiens, vel contriſtans, aut cœnoſus, vel columbus. Filius Japheth, Geneſ. 10. a. 1. A quo Iones, ſive Græci, Ezechiel 27. c. 19.

יעוש Jaus, Tinea corroſus, aut compreſſus, vel congregatus. Nomen viri, 1 Par. 23. b. 10.

יעזר ἰαζὴρ Jazer, Auxiliator, ſive adjutor. Urbs Amorrhæorum, ſive Moab, Eſa. 16. c. 9. Num. 21. g. 32. quam conſtruxerunt filii Gad, Num. 32. g. 35. Joſ. 13. c. 25.

יזיאל ἐζιὴλ Jaziel, Aſperſio Dei, vel diſtillatio Dei. Filius Azmoth, 1 Par. 12. a. 3.

ἰεϊὴλ יעזיאל Jaziel, Fortitudo Dei. Nomen ſacerdotis, 1 Par. 15. b. 18.

יזיז ἰαζίζ Jaziz, Splendor: aut Syriace, diſceſſio. Nomen proprium viri, 1 Paral. 27. d. 31.

I C

יקמיה ἰακεμία Icamia, Reſurrectio Domini, aut confirmatio Domini, vel vindicans Dominus. Filius Sellum filii Samoi filii Elaſa, 1 Paral. 2. e. 41.

Icces, Vide Acces.

איכבוד ἐχαβὼθ Ichabod, Ubi gloria, aut væ gloriæ. Filius Phinees filii Heli Sacerdotis, 1 Reg. 4. d. 21.

ἰκόνιον Iconium, Veniens. G. Celeberrima urbs Lycaoniæ eſt, de qua Plinius lib. 5. cap. 27. Strabo lib. 12. Volater. lib. 10. Geograph. Eſt aliud Iconium Ciliciæ civitas, cujus Lucas meminit, Act. 14. a. 1. In hac Paulus & Barnabas prædicarunt. Hujus etiam fit mentio in ſecunda ad Tim. 3. c. 11.

יקותיאל ἰεχετιὴλ Icutiel, ſive Jecutiel, Spes Dei, aut congregatio Dei. Nomen viri, 1 Paral. 4. c. 18.

I D

ידיה Idaia, Manus Domini, vel confeſſio Domini. Pater Allon patris Sephei, 1 Par. 4. f. 37.

ידעיה ἰωιαδά. ἰεδεΐα Idaia, Nehem. 7. d. 38. & 11. b. 9. Zach. 6. d. 14. Scientia Domini. Nomen viri.

ידידה ἰεδιδά Idida, Dilecta, ſive amabilis, vel manus ejus: aut per tranſlationem, poteſtas manus ejus. Mater Joſiæ, 4 Reg. 22. a. 1.

ידותון ἰδιθοὺν Idithun, Lex ejus, vel legalis, ſive laudem vel confeſſionem dans. Pater Galal, 1 Par. 9. c. 16. Pſal. 38. a. 1.

Idox, Jucundus, vel lætus, aut triturans. D. Judith 8. a. 1.

אדום ἰδουμαία Idumæa, Rufa, vel terrena, aut ſanguinea. Regio Syriæ, ſic dicta ab Edom filio Eſau, Eſa. 11. d. 14. & 2 Reg. 8. d. 14. Heb. Edom. Vide Edom.

אדמית ἰδουμαῖοι Idumææ, Idem. p. n. f. g. 3 Reg. 11. a. 1.

ἐδὼμ אדום Idumæi, Rufi, ſive terreni, aut ſanguinei, 4 Regum 8. f. 21. Idumæi, inquit Volaterranus lib. 11. Geographiæ, in litore Palæſtinæ verſus Ægyptum & Arabiam ſiti ſunt. Gens ex Nabathæis vicinis Arabiæ populis profecta. Inter hos ſunt oppida Philiſtinorum ab Hebræis appellatorum, qui iidem cum Palæſtinis ſunt, mutatis literis. Idumæa ſita eſt ad Meridiem reſpectu Terræ ſanctæ.

ארמי ἰδουμαῖος Idumæus, Idem. ſ. n. 1 Reg. 21. b. 7.

J E

עיי העברים αἰεβαρὶμ Je-abarim, Acervi Hebræorum vel tranſeuntium, aut acervi iraſcentium vel prægnantium: aut ex Hebræo & Syro, acervi frumenti. Triceſima octava Iſraelitarum manſio in Moabitarum finibus, Num. 21. c. 11. & 33. f. 44.

יבחר ἰεβαὰρ Jebahar, Electio ſive electus. Filius David, 2 Reg. 5. c. 15. & 1 Par. 3. b. 6. & 14. b. 15.

יבניה Jebanias, Ædificatio Domini, ſive filiatio Domini, vel intellectus Domini. Pater Rahuel, 1 Par. 9. b. 8.

יבלעם ἰαβλαάμ Jeblaam, Inveteratio populi, vel defluens populus, aut germinatio populi, ſive deglutiens eos. Nomen urbis in tribu Manaſſe, Joſ. 17. c. 11. Judic. 1. f. 27. & 4 Reg. 9. f. 27.

יבנאל ἰαβνιὴλ Jebnael, Ædificatio Dei, ſive intellectus Dei. Nomen civitatis, terminus tribus Nephthali, Joſ. 19. c. 33.

Jebneel, Idem. Civitas in tribu Juda, Joſ. 15. c. 11. Dicitur alias Jamnetorum portus.

יבק ἰαβὸκ ἰακὼχ Jeboc, Evacuatio, vel diſſipatio, aut lucta. Nomen torrentis terminus filiorum Ammon, Num. 21. e. 24. Deut. 2. g. 37. Joſ. 12. a. 2. Dicitur & Jaboc, Gen. 32. f. 22.

Jebſem, Aromatizans, vel ſiccitas eorum, aut confuſio, vel erubeſcentia eorum. Filius Thola filii Iſſachar filii Jacob, 1 Paral. 7. a. 1. יבשם

Jebus, Conculcatio, aut volutatio, vel præſepium. Nomen civitatis quæ & Jeruſalem dicitur, Joſ. 18. d. 28. Judic. 19. c. 10. In Joſ. 18. d. 28. ſcribitur יבוסי pro יבוס per metonymiam. יבוס ἰεβοὺς

Jebuſæi, Conculcati, vel volutati, aut præſepia, Gen. 15. d. 20. יבוסי ἰεβουσαῖοι

Jebuſæus, Idem. ſ. n. Filius Chanaan, Geneſ. 10. c. 16. & 2 Reg. 5. a. 8. a quo primum Jeruſalem, Jebus: & Jeroſolymitæ, Jebuſæi vocati ſunt. ἰεβουσαῖος

Jecemia, Reſurrectio Domini, ſive confirmatio Domini, aut vindicta Domini. Filius Jechoniæ filii Joacim, 1 Par. 3. c. 18. יקמיה ἰεκεμία

Jechelia, Conſummatio Domini, vel poteſtas Domini. Mater Azariæ regis Juda, 4 Reg. 15. a. 2. יכליהו ἰεχελία

Jechonias, Præparatio Domini, aut firmitas Domini. Filius Joacim filii Joſiæ, 1 Par. 3. c. 16. Rex Juda, Eſth. 2. a. 6. qui Jer. 22. f. 28. & 37. a. 1. Hebraice dicitur Chonias. Dicitur & Joachin, 4 Reg. 24. a. 6. Fuit & Jechonias filius Joſiæ, qui Matt. 1. b. 11. & 1 Par. 3. c. 16. dicitur Joacim. יכניה ἰεχονίας

Jechonias, Jerem. 22. f. 28. & 37. a. 1. Præparatus ipſe. Hebr. Chonias, qui 1 Par. 3. c. 16. dicitur Jechonias. כניהו ἰεχονίας

Jecmaam, Reſurrectio populi, ſive confirmatio, vel vindicta populi. Civitas in tribu Ephraim, 3 Reg. 4. b. 12. & 1 Par. 6. f. 68. Item filius Hebron, 1 Par. 23. c. 19. יקמעם vel יקמעם ἰεγμαάμ

Jecnam, Poſſeſſio populi, ſive emptio, aut nidificatio populi. Nomen civitatis in tribu Zabulon, Joſ. 21. c. 34. quæ Joſ. 19. a. 11. dicitur Jeconam, iiſdem conſonantibus & punctis. יקנעם ἰεκνάμ

Jeconam, Idem. Eadem civitas in tribu Zabulon, Joſ. 19. a. 11. quæ Joſ. 21. e. 34. Jecnam. ἰεκνάμ

Jecſan, Durities, ſive ſcandalum: aut Syriace, colliſio. Filius Abrahæ ex Cetura, Gen. 25. a. 2. יקשן ἰεκτὰν

Jectan, Parvulus, aut tædium, ſive contentio. Filius Heber, Gen. 10. d. 25. יקטן ἰεκτὰν

Jectehel, Congregatio Dei. Nomen civitatis tribus Judæ, Joſue 15. e. 38. Item rupis, 4 Reg. 14. b. 7. Euſebio Pe vero רקם dicitur. יקתאל ἰεχθοὴλ ἰεκταὴλ

Jedaia ſive Jedei, Scientia Domini, vel cognitio Domini. Nomen ſacerdotis, 1 Par. 9. b. 10. & 24. b. 7. ידעיה ἰωδαέ

Jedaia, Manus Domini, ſive confeſſio Domini. Filius Haromaph, 2 Eſd. 3. c. 10. ידיה ἰεδαΐας

Jedala, Manus juramenti aut maledictionis ſive execrationis: aut ex Hebræo & Syro, manus Dei. Civitas in tribu Zabulon, Joſ. 19. b. 15. quædam exemplaria habent יראלה. ידאלה ἰεδαλά

Jeddo, Solus ipſe, vel unus ipſe, aut lætitia ejus, ſive acumen ejus: vel Syriace, novitas ejus. Filius Buz, 1 Par. 5. b. 14. יחדו ἰεδδώ

Jeddoa, Scitus vel cognitus. Nomen viri, 2 Eſdræ 12. a. 11. b. 21. ידוע

Jeddu, Manus ejus, ſive confeſſio ejus. Nomen viri, 1 Eſd. 10. d. 43. & 2 Eſd. 12. a. 10. ידי ἰαδαΐ

Jeddua, Scitus aut cognitus. Nomen viri, 2 Eſd. 10. a. 21. ידוע ἰεδδοὺς

Jedebos, Mellifluus, aut manus confuſionis vel erubeſcentiæ. Filius Etam, 1 Par. 4. a. 3. ידבש ἰεδεβὰς

Jedidiah, Vide Idida.

Jedei, 1 Par. 23. b. 7. Vide Jedaia, Scientia, &c.

Jediel, Unitas Dei, ſive lætitia Dei, aut acumen Dei: vel ex Syro & Hebræo, renovatio Dei. Nomen principis, 1 Par. 5. d. 24. יחדיאל ἰεδιὴλ

Jedihel, Scientia Dei, vel cognitio Dei. Filius Samri, 1 Par. 11. g. 45. Princeps militum, 1 Par. 12. d. 20. ידיעאל ἰαδιὴλ

Jedlaph, Diſtillatio, vel ſtillicidium: aut ex Hebræo & Syro, manus juncta. Filius Nachor ex Melcha, Gen. 22. d. 22. ידלף ἰελδὰφ

Jegaal, Redemptor, vel redemptus, ſive inquinatus. Filius Semeiæ filii Secheniæ, 1 Par. 3. d. 22. יגאל ἰγαάλ

Jegbaa, Exaltatio, ſive altitudo. Civitas eſt, Num. 32. g. 35. Lxx καὶ ὑψηλὰς ναβὶ, quam ædificaverunt filii Gad, Judic. 8. c. 11. יגבהה

Jegedelia, Magnitudo Domini. Pater Hanan, Jer. 35. a. 4. יגדליהו γοδολίας

Jehedeia, Unus Dominus, aut lætitia Domini, ſive acumen Domini: aut ex Syro & Hebræo, renovatio Domini. Nomen viri, 1 Par. 24. c. 20. יחדיהו ἰαδαΐα

Jeheth, Confractus vel formidans, aut ſtupens: vel Syriace, deſcendens. Nomen viri, 1 Par. 23. b. 10. יחת ἰεέθ

Jeheziel, Videns Deum, vel viſio Dei. Nomen viri, 1 Paral. 12. a. 4. יחזיאל ἰεζιὴλ

Jehias, Vivit Dominus. Sacerdos, 1 Par. 5. c. 23. 15. c. 23. יחיה ἰεχία

Jehiel, Abſtulit Deus, aut coacervans Deus. Nomen ſcribæ, 2 Par. 26. b. 11. Nomen item cantoris, 1 Par. 9. f. 35. & 11. g. 44. & 15. c. 18. & 16. a. 5. & 2 Par. 35. b. 9. & 1 Eſdr. 8. b. 13. & 10. d. 43. Filius Joel, 1 Par. 5. a. 7. Princeps item Gabaon, ex Hebræo, 1 Par. 9. b. 35. יעיאל ἰειὴλ ἰεὴλ

Jehieli, Vivit Deus. Nomen viri, 1 Par. 26. c. 21. יחיאלי ἰειὴλ

Jehojachin, Vide Joachin.

Jehojacim, Vide Joacim.

Jehu, Ipſe, ſive exiſtens. Filius Joſaphat, 4 Reg. 9. a. 2. Nomen prophetæ filii Anani, 3 Reg. 16. a. 1. Filius Namſi, 3 Reg. 19. c. 17. Filius Obed filii Ophlal, 1 Par. 2. e. 38. Filius Jozabiæ, princeps, 1 Par. 4. f. 35. & 12. a. 3. יהוא ἰοὺ, ἰηοὺ

Jehuel, Abſtulit Deus, aut coacervans Deus. Filius Zara, 1 Par. 9. a. 6. יעואל ἰεὴλ

Jehus, Tinea corroſus, aut compreſſus, vel congregatus. Filius Eſau ex Oolibama, Geneſ. 36. a. 5. Filius Balan filii Jadihel filii Benjamin, 1 Paralip. 1. c. 25. & 7. c. 11. Secundus filius Eſec, 1 Par. 8. d. 39. יעוש ἰεὴλ ἰησοῦς ἰεοὺς

Jehus, 1 Par. 8. a. 10. Conſilians vel ligneus: aut Syriace, fixus. Filius Saharaim, ex Hodes uxore ſua. יעוץ ἰωὰς

Jemai

יחמי ἰαμὶ Jemai, Calefaciens, aut calidus. Filius Thola filii Iſſachar filii Jacob, 1 Par. 7. a. 2. Heb. Jahemai.

Jemima, Filia Job, Job 42. d. 14. Vide Dies.

ימיני ἰεμιναίου Jemini, Dextera, vel dexter. Pater Aphia, 1 Reg. 9. a. 1. & Reg. 16. c. 11. Pſal. 7. a. 1. Judic. 3. b. 15. & 19. d. 16.

ἰεμμὶ Jemineus, Idem, 2 Reg. 20. a. 1.

ימלה ἰαμλά Jemla, Repletio, aut circuncisio. Pater Michææ prophetæ, 3 Reg. 22. b. 8. 9.

ימלך ἀμαλὴκ Jemlech, Regnans, aut Syriace, conſulens. Nomen principis cujuſdam, 1 Par. 4. f. 14.

ימנה ἰεμνά, ἰαμνά Jemna, Dextera, aut numerans, ſive præparans: vel Syriace, conſtituens. Filius Aſer filii Jacob, Gen. 46. b. 17. & 1 Par. 7. f. 30. Pater Core, 2 Par. 31. c. 14.

ימנע ἰαμνά Jemna, 1 Par. 7. g. 35. Prohibitio, aut impedimentum, ſive mare commotum. Filius Helem.

ימנה ἰαμενὶ Jemnaitæ, Dexteræ, aut numerantes, ſive præparantes, vel conſtituentes, Num. 26. e. 44.

יעוש ἰεὺς Jeus, Tinea corroſus, aut compreſſus ſive congregatus. Filius Roboam ex Abihail, 2 Par. 11. d. 19.

יפדיה ἰεφαδία Jephdaia, Redemptio Domini. Filius Seſac, 1 Par. 8. c. 25.

יפלט ἰαφλὲτ Jephlat, Liberatus, aut expulſus. Filius Heber filii Bariæ filii Aſer filii Jacob, 1 Par. 7. f. 32.

ἰεφλητὶ Jephleti, Idem. Nomen populi in ſorte filiorum Joſeph, Joſ. 16. a. 2.

יפנה ἰεφοννὴ Jephone, Aſpiciens, ſive intuens. Pater Caleb, Num 13. a. 7.

יפנה ἰεφοννῆ Jephonne, Idem. Filius Jether, 1 Par. 7. g. 38.

יפתח ἰεφθὰ Jephta, Aperiens. Civitas quæ in ſortem tribus Judæ ceſſit, Joſue 15. f. 43.

יפתחאל γαιεφθαὴλ Jephtahel, Aperiens Deus. Nomen vallis, terminus tribus Zabulonis, Joſ. 19. b. 14.

יפתח ἰεφθάε Jephte, Aperiens. Filius Galaad ex meretrice, Judex in Iſrael, Judic. 11. a. 1.

ירחא ἰερεὲ Jeraa, Luna, aut menſis, ſive odoratio. Servus Ægyptius Seſan filii Jeſi filii Apphaim, 1 Par. 2. e. 34.

ירחמאל ἰεραμαὴλ Jerameel, Miſericordia Dei: aut ex Syro & Hebræo, dilectio Dei. Filius Eſron filii Phares, 1 Par. 2. b. 9.

ירחמאלי Jerameelita, Idem. 1 Reg. 27. c. 10.

ירקעם ἰερεκὰμ Jercaam, Extenſio eorum, ſive viriditas populi, aut ſputum populi, vel armatura, vel evacuatio populi. Civitas eſt quæ ſorte miſſa, tribui Dan obtigit ſecundum doctores Hebræorum, 1 Par. 2. f. 44

ירקון ἰερακὼν Jercon, Ærugo, aut viriditas, ſive ſputum, vel armatura aut evacuatio. Civitas in tribu Dan, Joſ. 19. d. 46.

ירמיה ἰερεμίας ירמיהו Jeremia, ſive Jeremias, Celſitudo Domini, vel ſublimitas Domini, aut exaltans Dominum. Nomen principis, 1 Par. 5. d. 24. Eſt & nomen prophetæ filius Helciæ, Jere. 1. a. 1. Fuit & pater Amital matris Sedeciæ, Jer. 52. a. 1.

ירחמאל ἰερεμιὴλ Jeremiel, Miſericordia Dei, aut ex Syro & Hebræo, dilectio Dei. Filius Amelech, Jer. 36. f. 36.

יראיה ἰαρουΐας Jerias, Timor Domini, vel viſio Domini: aut projectio Domini. Filius Selemiæ filii Hananiæ, Jer. 37. c. 12.

יריהו ἰειὰ Jeriau, Idem. Filius Hebron, 1 Par. 23. c. 19.

יריבי ἰαριβαὶ Jeribai, Pugnans, ſive objurgans, aut multiplicans. Filius Elnaem, 1 Par. 11. g. 46.

ירחו ἰεριχὼ יריחו Jericho, Luna vel menſis, aut odor ejus. Civitas opulentiſſima in Benjamin tribu, ab Jeroſolymis CL. & ab Jordane LX. diſtans ſtadiis, Num. 22. a. 1. Joſ. 2. a. 1. Quam ædificavit Hiel de Beth-el, Heb. יריחו 3 Reg. 16. 34. & 2 Par. 28. c. 15. Matth. 20. d. 29. Luc. 18. f. 35. & 12. a. 1. Nobilis palmetis & balſami viridariis. Unde etiam Civitas palmarum appellatur, Deut. 34. a. 3. & 2 Par. 28. c. 15. & Thamar, Ezec. 48. d. 27.

Jerichontinus, Idem, Jer. 39. b. 15.

יריאל ἰαρουὴλ Jeriel, Timor Domini, aut viſio vel projectio Dei. Filius Thou filii Iſſachar filii Jacob, 1 Par. 7. a. 2.

ירמוה vel ירמות vel ירמות ἰερμὼθ ἰεριμὼθ ἰεριμοὺθ ἰαριμοὺθ Jerimoth, Altitudines, ſive timens mortem, aut videns mortem, ſeu projectio mortis. Filius Bela filii Benjamin filii Jacob, 1 Par. 7. b. 7. Filius item Beciæ, 1 Par. 8. b. 14. & 2 Par. 31. c. 13. Eſt & nomen civitatis in tribu Juda, cujus rex dicebatur Pharan, Joſ. 10. a. 3. & 15. e. 35. In tribu item Iſſachar data Levitis, quæ Jarimoth, dicitur, Joſ. 21. c. 29.

ירימות Jerimuth, Idem. Nomen viri, 1 Par. 12. a. 5.

יריעות ἰεριώθ Jerioth, Cortinæ, ſive linteamina, aut ululationes ſive confractiones. Filius Caleb ex Azuba uxore, 1 Par. 2. b. 18.

ירמי ἰερεμὶ Jermai, Altitudo mea, ſive timens vel projiciens aquas. Nomen viri, 1 Eſd. 10. d. 33.

ירבעל ἰεροβοὰλ ἰεροβαὰλ Jerobaal, Id eſt, Ulciſcatur ſe Baal, ſub. de eo. Vel Cauſam ſuam agat ſive tueatur Baal, ſub. in eum. Nomen Judicis in Iſrael, qui & Gedeon dicebatur, Judic. 6. f. 32. ubi & ratio hujus nominis ponitur, his verbis. Et vocavit eum in die illo Jerobaal, dicens; Ulciſcatur ſe de eo Baal, 1 Reg. 12. b. 11.

ירבשת ἰεροβαὰλ Jerobeſeth, Impugnans confuſionem vel ignominiam, aut impugnans idolum. Nomen viri. 2 Reg. 11. c. 21.

ירבעם ἰεροβοὰμ Jeroboam, Impugnans vel objurgans populum, vel multiplicans populum. Filius Joas filii Joachaz regis Iſrael, 4 Reg. 14. f. 23. Fuit item alius ejuſdem & nominis & regni rex impius 3 Reg. 11. e. 26.

ירחם ἰεροὰμ Jeroham, Miſericors: aut Syriace, dilectus. Filius Elcana filii Caath, 1 Par. 6. b. 27. & 12. a. 7. & 27. c. 22. Filius Phaſor, 1 Par. 9. b. 12. Filius Eliu filii Thau, 1 Reg. 1. a. 1. & 2 Par. 23. a. 1.

יראון ἰερὸν Jeron, Timor vel viſio, aut projiciens dolorem vel fortitudinem. Civitas in tribu Nephthali, Joſ. 19. c. 38.

ירושלם ἱεροσόλυμα Jeroſolyma, Viſio pacis, aut viſio perfecta vel conſummata, ſive timor perfectus vel conſummatus. Vide Jeruſalem.

Jeroſolymæ, Idem.

Jeroſolymita, Idem.

Jeroſolymitæ, Idem. p.n. Mar. 1. a. 5. ἱεροσολυμῖται

Jerſia, Lectulus ſive ſtratum Domini, aut abſtulit paupertatem Dominus. Filius Jeroham, 1 Par. 8. c. 27. יערשים ἰερσία

Jeruel, Timor Dei, aut viſio Dei. Dicitur Vallis benedictionis inter Engaddi & Thecuam, 2 Par. 20. d. 16. ירואל ἰεριὴλ

Jeruſa, Hæreditas, vel exilium. Mater Joathan filia Sadoc, 4 Reg. 15. g. 33. & 2 Par. 27. a. 1. ירושה ἰερουσά

Jeruſalem, Dicitur quaſi יראה־שלם, id eſt, videbit perfectum vel pacificum. Judææ metropolis a Melchiſedecho, teſte Joſepho, condita, alias Salem, Gen. 14. d. 18. & Pſal. 78. a. 3. Hebr. 79. item & Jebus a Jebuſæo Chananæi filio, Joſ. 18. d. 28. Poſtremo Helia (ut Volaterr. lib. 11. ait) ab Helio Hadriano dicta eſt. Is enim imperator partem ejus extruxit: montem Calvarium, Chriſti ſepulchrum, & Golgatha, loca extra mœnia antea ſita muro cinxit. Porro hæc olim urbs bifariam diviſa eſt, in ſuperiorem ſcilicet & inferiorem. Superior in vertice Sionis, una cum templo in ejuſdem montis latere ſita erat: quæ a conditore interdum civitas Davidis nominabatur. Templo autem adhærebat inferior civitatis pars, 1 Par. 3. b. 4. In fine cap. 18. d. 28. Joſue, traditur Jeruſalem eſſe ſitam in tribu Benjamin. Hebræi Jeruſalaim dicunt, Chaldæi Jeruſalem, quos imitati ſunt LXX. ubique ſcribentes ἱερουσαλὴμ, Latini converterunt η in e longum. Matthæus dicere ſolet ἱεροσόλυμα, Lucas modo ἱεροσόλυμα, modo ἱερουσαλήμ. ירושלם

Jeſaar, Claritas, ſive oleum, aut Meridianus. Filius Caath filii Gerſon, Num. 3. c. 19. יצהר ἰσαὰρ

Jeſaaritæ, Idem. p. n.

Jeſaia, ſive Jeſaias, Salus Domini. Nomen viri, 1 Par. 25. c. 15. & 2 Eſd. 11. b. 6. Vide Eſaias. ישעיהו ἰεσσία

Jeſamari, Cuſtos vel cuſtodia. Filius Elphaal, 1 Par. 8. b. 18. ישמרי ἰασαμαρὶ

Jeſana, Dormiens, aut antiqua, vel annoſa, ſive mutatio. Nomen civitatis, 2 Par. 13. d. 19. ישנה ἰεσανὰ

Jeſba, Laus, ſive tranquillitas. Filius Ezra, 1 Par. 4. c. 17. ישבח ἰεσβὰ

Jeſbaam, Sedens populus, aut converſio populi, ſive inſufflatio, aut captivitas populi, Filius Hachamoni, 1 Par. 11. c. 11. Filius Jeroam, 1 Par. 12. a. 6. ישבעם ἰεσβαὰμ

Jeſbacaſſa, Eſt requirens vel deprecans, aut ſeſſio dura, vel inſufflatio ſive converſio dura, Nomen viri, 1 Par. 25. b. 4. ישבקשה ἰεσβοκασὰ

Jeſbi-benob, Sedens in prophetia, vel in locutione, vel in germinatione: aut converſio, ſive inſufflatio in prophetia, vel in locutione, ſive in germinatione: aut captivans in prophetia, vel in loquutione, ſive in germinatione. Gigas quidam de quo 2 Reg. 21. c. 16. ישבי בנוב ἰεσβὶ ἀπὸ νὰβ

Jeſboam, Converſio populi, ſive ſeſſio populi, aut inſufflatio vel captivitas populi. Nomen principis filii Zabdiel, 1 Par. 27. a. 2. ישבעם ἰεσβοὰμ

Jeſboc, Eſt vacuus, vel evacuatus: aut Syriace derelictus, vel derelinquens. Filius Abrahæ ex Cetura, Gen. 25. a. 2. ישבק ἰεσβὸκ

Jeſcha, Ungens, ſive cooperiens, aut protegens, vel obumbrans: aut Syriace, ſpeculans. Filia Aran filii Thare, quæ & Sarai dicebatur, Gen. 11. d. 29. יסכה ἰεσχά

Jeſeias, Salus Domini. Filius Phaltiæ filii Ananiæ filii Zorobabel, 1 Par. 3. d. 21. ישעיה ἰεσιαὶ

Jeſema, Appoſitus, vel nominatus: aut admiratio, ſive deſolatio. Filius Etam, 1 Par. 4. a. 3. ישמא ἠσαμὰ

Jeſer, Figmentum, ſive plaſmatio, aut tribulatio, vel anguſtians. Filius Nephthali, Gen. 46. c. 24. & 1 Par. 7. c. 13. יצר ἰασαὴρ

Jeſeritæ, Idem. p. n. Num. 26. f. 49. יצרי ἰασρὶ

Jeſeſi, Antiquus, ſive ſexagenarius, aut exultans, vel eſt munus. Filius Jeddo, 1 Par. 5. b. 14. ישישי [illegible]

Jeſi, Salus, aut reſpiciens. Filius Apphaim filii Nadab filii Semei filii Onam, 1 Par. 2. d. 31. & 4. d. 20. Pater Phaltiæ, 1 Par. 4. g. 42. & 5. d. 24. ישעי ἰεσὶ, ἰεσουὶ, ἰεσουὶ, ἰεσσὶ

Jeſia, ſive Jeſias, Eſt Dominus. Filius Izrahia filii Ozi filii Thola, 1 Par. 7. a. 3. & 24. c. 21. Vide 1 Par. 12. a. 6. & 23. c. 20. vel ישיה ישיהו ἰεσία ἰεσία ἰωσείας

Jeſiel, Dividens Deus, vel dimidians Deus, aut feſtinatio Dei. Filius Nephthali, Num. 26. f. 48.

Jeſielitæ, Idem. p. n. Num. 26. f. 48. ἀσιὴλ יחצאל ἰασιὴλ יחצאלי

Jeſimon, Deſolatio, aut ſolitudo. Nomen deſerti, 1 Reg. 23. d. 24. Pro Jeſimon ſcribitur 1 Reg. 26. a. 2. ſolitudo. ישימון ἰεσσιμοὺν

Jeſmachias, Adhærens, vel innitens Domino aut junctus Domino. Nomen viri, 2 Par. 31. c. 13. יסמכיהו σαμαχία

Jeſmaias, Audiens Dominum, vel obediens Domino. Nomen viri, 1 Par. 27. c. 19. ישמעיהו σαμαΐας

Jeſpha, Iaſpis, lapis ſcilicet pretioſus: aut eſt hic, id eſt, in hoc loco, vel labium, ſive conterens. Filius Beriæ, 1 Par. 8. b. 16. ישפא ἰεσφὰ

Jeſphan, Abſconditus, ſive confractus, aut cuniculus. Filius Seſac, 1 Par. 8. b. 22. ישפן ἰεσφὰν

Jeſraeli, Idem quod Iſrael, quod interpretatur prævalens ſive dominans cum Deo, 2 Reg. 17. f. 25. Ubi alii interpretes legunt, Fuitque Micha filius cujuſdam viri, nomine Iithara Jſraelitæ, &c. ישראלי ἰσραὴλ

Jeſſæ, Ens, ſive exiſtens, aut munus, vel oblatio. Pater David Eſa. 11. c. 10. qui & Iſaï dicitur. ישי ἰεσσαὶ

Jeſſui, Planus, ſive æqualis, aut ponens, ſive poſitus. Filius Aſer filii Jacob, Gen. 46. b. 17. & 1 Par. 7. f. 30. Filius Saul, 1 Reg. 14. g. 49. ישוי ἰεσσουὶ ἰσὰλ, ἰησουὶ

Jeſſuitæ, Idem. p. n. Num. 26. e. 44. ἰησουὶ

Jeſu, Luc. 3. f. 26. In Græco eſt Joſe: & Hebraice poteſt interpretari Parcens, vel elevatus, aut exiſtens. D. ἰωσὴ

Jeſua, Salvator. Nomen viri, 1 Par. 24. b. 11. ישוע ἰασοῦ

Jeſua, Gen. 46. c. 17. & 1 Par. 7. f. 30. Planities ſive æqualis, aut ponens, vel poſitus. Filius Aſer filii Jacob. ישוה ἰεσσουά, ἰασουά

Jeſue, Salvator, 2 Par. 31. c. 15. & 1 Eſd. 2. b. 36. ἰησοῦς

Jeſue, 1 Eſd. 10. d. 31. Eſt Dominus. Nomen viri, Heb. Jeſia. ישוע

יֵשׁוּעַ 'ιησοῦς JESUS, Salvator. Sic vocatus fuit Chriſtus Dominus noſter, Matt. 1. c. 16. Luc. 2. c. 21.

יֵשׁוּעַ 'ιησοῦς יְהוֹשֻׁעַ Jeſus, Agg. 1. a. 1. Zac. 3. a. 1. & 6. c. 11. Dominus Salvator, vel Domini ſalus. Sacerdotis nomen filii Joſedec. De quodam Jeſu loquitur & Paulus, Coloſſ. 4. c. 11.

Jeſus pro Joſue, Act. 7. f. 45.

יֻטָּה vel יוּטָּה 'ιεττὰ Jeta, Declinans, vel divertens. Civitas quæ Levitis e tribu Judæ vel Simeonis eſt data, Joſ. 21. b. 16. Eadem videtur eſſe quæ Jota dicitur, Joſ. 15. g. 55. licet plerique diverſe ſentiant, aſſerentes hanc alias Jetan dici: illam Jota nempe, alias Loche.

Jeteba, Vide Jateba.

יָטְבָה vel יָטְבָתָה ἰετεβαθὰ Jeteba, ſive Jetebatha, Bonitas ſua, ſive declinans filia ejus, aut declinans deſertum. Nomen loci in quo caſtrametati ſunt filii Iſrael profecti de Gadgad monte, 4 Reg. 21. d. 19. Numer. 33. d. 33. Deut. 10. b. 7.

יַחַת 'ιαάθ Jeth, Confringens, vel formidans, aut ſtupens: vel Syriace, deſcendens. Filius Gerſon filii Levi, 1 Par. 6. d. 43. Heb. Johath.

יִתְלָה ἰεθλὰ Jethela, Pendens, vel ſuſpenſio, ſive coacervatio. Nomen civitatis in tribu Dan, Joſ. 19. d. 42.

יִתְנָן 'ιθνὰν Jethnan, Merces, ſive donum: aut Syriace, fumigans. Civitas tribus Judæ, Joſ. 15. e. 23.

יָתִיר 'ιεθὲρ, 'ιεθὲρ Jether, Excellens vel reſiduus, ſive remanens, vel explorans, aut funiculus. Civitas de tribu Juda, Levitis data, Joſ. 15. f. 48. & 21. b. 14. & 1 Par. 6. e. 58. Primogenitus Gedeonis, Judic. 8. d. 20. Filius Ezra, 1 Par. 4. c. 17.

יַתִּר 'ιαθὴρ, 'ιεθὲρ Jether, 1 Reg. 30. g. 27. Nomen civitatis, nomen item viri, 1 Par. 7. g. 38. & interpretatur excellens, aut reſiduum, ſive remanens, aut explorans, ſive funiculus.

יֶתֶר 'ιεθὲρ Jether, Idem, 1 Par. 2. b. 17. Ille idem qui & Jethra, 2 Reg. 17. g. 25. dicitur. Filius item Jada filii Onam filii Jerameel, 1 Paral 2. e. 32. Sic dicitur & Jethro ſocer Moſis, Exod. 4. e. 18. in codice Hebræo.

יְתֵת ἰεθὲρ Jetheth, Donans. Civitas Idumæorum, Gen. 36. d. 40. 1 Paral. 1. d. 51.

יִתְמָה 'ιεθμὰ Jethma, Orphanus, ſive admiratio, aut conſummatio ſive perfectio. Vir Moabites, 1 Par. 11. g. 46.

'ιοθὰν יִתְנָן Jethnan, Narrabit, vel planget. Civitas, Joſ. 15. e. 23.

יִתְרָא 'ιεθὲρ Jethra, Excellens, ſive reſiduus, vel remanens, aut explorans, vel funiculus. Pater Amaſa filii Abigail ſororis David, 2 Reg. 17. g. 25. & Iſraelites erat. In 1 Par. 2. b. 17. dicitur Jether Iſmaelites.

יִתְרְעָם 'ιεθραὰν Jethraham, Excellentia populi, aut reſiduus populi, ſive exploratio vel funiculus populi. Filius David ex Egla, 2 Reg. 3. a. 5. & 1 Par. 3. a. 3.

יְאָתְרַי ἰεθεὶ Jethrai, 1 Par. 6. b. 21. Explorans: aut Syriace, locus. Filius Zara.

יִתְרָן 'ιεθρὰν, 'ιθρὰν Jethran, Excellens, ſive reſiduus, vel remanens, aut explorans, vel funiculus. Filius Supha filii Helem, 1 Par. 7. g. 37. Filius item Diſon filii Seir Horrhæi, Gen. 36. c. 26.

יִתְרִי 'ιεθεὶ, ἰθεὶ Jethræus, Idem. Filius Sobal filii Hur primogeniti Caleb, 1 Par. 2. g. 53. & 11. g. 40.

יִתְרוֹ 'ιοθὸρ Jethro, Idem. Socer Moſis, Exod. 3. a. 1. qui Exod. 2. c. 17. dicitur Raguel; & Cini קֵינִי, Judic. 1. d. 16. Vide Raguel & Jether, Exod. 4. e. 18.

יִתְרִי 'ιεθρωὶθ Jethrites, Idem. 2 Reg. 23. d. 38.

קְדֵמוֹת Jethſon, Joſ. 21. d. 36. In Hebræo eſt Cedemoth: quod interpretatur antiquiores, vel priores, aut Orientales, ſive incendium, vel incurvatio mortis. Nomen civitatis. Vide Cademoth. Non legitur apud LXX.

יְטוּר Θεττοὺρ, 'ιετοὺρ Jetur, Cuſtodiens, aut ordo vel ſeries: aut Syriace, montanus. Filius Iſmahelis, Gen. 25. b. 15. & 1 Par. 1. d. 31.

יְעוּשׁ 'ιεοὺς Jeus, Tinea corroſus, aut compreſſus, ſive congregatus. Filius Roboam ex Abihail, 2 Par. 11. d. 19.

יוֹזָבָד Jezabad, Dotatus. Vir Gaderothites. 1 Par. 12. a. 4.

'ιωζαβὰδ אִיזֶבֶל 'ιεζαβὲλ Jezabel, Inſula habitaculi, vel væ habitaculo: aut ex Hebræo & Syro, inſula ſterquilinii, vel væ ſterquilinio. Filia regis Sidoniorum, uxor regis Achab, 3 Reg. 16. g. 31. & 21. b. 5.

אִיעֶזֶר ἀχιέζερ Jezer, Inſula adjutorii, ſive inſula atrii, aut væ adjutorio vel atrio. Filius Galaad filii Machir filii Manaſſe, Num. 26. d. 30. qui Joſ. 17. a. 2. dicitur Abi-ezer.

יַעְזֵיר 'ιαζὴρ Jezer, 1 Par. 6. g. 81. Auxiliator, ſive adjutor. Civitas Amorrhæorum: quæ Levitis & homicidis pro aſylo e tribu Gad eſt attributa. Eadem eſſe videtur quæ & Jezer dicitur.

אִיעֶזְרִי ἀχιεζερὶ Jezritæ, De Jezer, quod interpretatur inſula adjutorii, ſive inſula atrii: aut væ adjutorio vel atrio, Num. 26. d. 30.

יִזְרַחְיָה 'ιεζραὰ Jezrites, Oriens, aut clarus, 1 Par. 27. b. 8.

יִזִּיָּה ἀζιὰ Jezia, vel Jeziah, Diſtillatio vel aſperſio Domini. Nomen viri, 1 Eſd. 10. c. 15. d. 25.

יִזְלִיאָה 'ιεζλιὰ Jezlia, Diſtillatio vel aſperſio laborioſa. Filius Elphaal, 1 Par. 8. b. 18.

יַאֲזַנְיָהוּ 'ιεζονίας Jezonias, Auſcultatio Domini, aut ſtatera Domini, vel arma Domini. Filius Maachati, 4 Reg. 25. f. 23.

יַאֲזַנְיָה 'ιεχονίας, 'ιεζονίας Jezonias, Jer. 35. a. 3. & 40. c. 8. & 42. a. 1. Ezech. 8. d. 11. & 11. a. 1. interpretatur Nutrimentum Domini, aut auſcultatio, vel arma Domini.

יִזְרָה ἰεζρὰ Jeſra, Porcinus: aut Syriace, converſus. Filius Moſollam, 1 Par. 9. b. 12.

יִזְרְעֶאל 'ιεζραὴλ Jezrael, Semen Dei, aut diſtillans contritionem vel malum Deus, ſive diſtillatio amicitiæ Dei, vel aſperſio paſtoris Dei. Civitas tribus Judæ, Joſ. 15. g. 56. & 17. b. 16. & 19. b. 18. Judic. 6. g. 33. & 1 Reg. 25. g. 43. Filius item Oſee ex Gomer uxore, Oſee 1. b. 3.

יִזְרְעֶאלִי Jezraelites, Idem, 3 Reg. 22. a. 1. 'ιζεραηλίτης

יִזְרְעֶאלִית Jezraelitis, Idem. fœm. gen. 1 Reg. 27. a. 3. 'ιζεραηλιτὶς

יִזְרַחְיָה 'ιεζρείας Jezraia, Oriens Dominus, aut claritas Domini. Nomen viri, 2 Eſd. 12. d. 41.

I G

Igaal, Redemptus, ſive coinquinatus. Filius Nathan de Soba, 2 Reg. 23. d. 36. יִגְאָל 'ιγαὰλ

Igal, Idem. Filius Joſeph, Num. 13. b. 8. 'ιγὰλ

I H

Ihelom, Occultus, ſive adoleſcens, aut caprea eorum, vel ſeculum. Filius Eſau ex Oolibama uxore, Gen. 36. a. 5. יַעְלָם 'ιεγλὸμ

I I

Iim, Acervi, Civitas tribus Judæ, Joſ. 15. e. 29. עִיִּים ἀυὶμ

I L

Ilai, Aſcendens, vel ſuperior, aut acervus mihi, 1 Par. 11. f. 29. עִילַי ἠλὰ

Illyricum, Exhilaratio, aut lætificatio. G. Regio Epiri contermina, propinqua Italiæ, Rom. 15. d. 19. 'ιλλυρικὸν

I N

Incendens, Heb. Saraph. Proprium viri, 1 Par. 4. d. 22. שָׂרָף Σαρὰφ

Incenſio, Heb. Thagera. Nomen loci, Num. 11. a. 3. תַּבְעֵרָה ἐμπυρισμὸς

Indi, De India, quæ Hebraice dicitur Hodu, id eſt, laudatio ſive confeſſio, aut decora vel pulchra. Regio latiſſima ad Orientem ſita, cujus imperium Aſſuerus tenuit, Eſth. 1. a. 1. Alias Hodu, Hevila, & Chus appellata; cujus ſpatium ex Strabone lib. 15. Geog. & Plinio lib. 6. cap. 16. intra Indum ab Occaſu, a Septentrione Tauri jugis, ab Ortu Æolo pelago, a Meridie ſuo, hoc eſt Indico clauditur, ſpatioſiſſima ipſa: & non gentium tantum & oppidorum prope innumerorum, ſed omnium rerum proventu, ære tantum & plumbo excepto, felix: flumina cum plurima, tum maxima, præcipua tamen Ganges & Indus, quorum irriguo procurſu fit ut in udo ſolo proximantis ſolis vis nihil non magna quantitate gignat. Maxime autem ſi reliquas terras cogitas, Orienti ſuppoſita videtur. Vide etiam Ptolemæum lib. 7. cap. 1. & Pomp. Melam in 3. הֹדּוּ 'ινδικὴ

India, Job 28. c. 19. dicitur Ophir, Cinis, incineratio, fructificatio. אוֹפִיר

I O

Joab, Paternitas, vel habens patrem, vel voluntarius. Frater Abiſai, 1 Reg. 26. a. 6. Filius item Sarviæ filiæ Iſai, 2 Reg. 2. c. 13. & 1 Par. 2. b. 16. Filius item Saraiæ, 1 Par. 4. c. 14. יוֹאָב 'ιωὰβ

Joachas, Domini apprehenſio, ſive Domini poſſeſſio, aut Dominus videns. Filius Joſiæ regis Judæ, 4 Reg. 23. f. 34. Filius item Jehu regis Iſrael, 4 Reg. 10. g. 35. Filius Joram, 2 Par. 21. d. 17. Sic dicitur & pater Joas, 2 Par. 25. f. 23. qui 2 Reg. 14. d. 13. dicitur Ochozias. LXX. eo loco Paral. legunt Ochozias, videtur erratum in codice Hebraico. יְהוֹאָחָז 'ιωαχὰζ

Joachaz, 2 Par. 34. b. 8. Apprehendens, ſive poſſidens, aut videns. Pater Joha, qui a commentariis erat Joſiæ regi. יוֹאָחָז 'ιοαχὰζ

Joachin, Domini præparatio, ſive Domini firmitas. Filius Joacim, ſive Eliacim, 4 Reg. 24. b. 6. quem Jeremias 29. a. 2. & 37. a. 1. vocat Jechoniam. יְהוֹיָכִין 'ιωακεὶμ

Joacim, Domini reſurrectio, ſive Domini confirmatio, vel Dominus vindicans. Filius Joſiæ regis, qui prius Eliacim dicebatur, 4 Reg. 23. g. 34. & 1 Par. 3. c. 15. Hic dicitur etiam Jechonias, Matth. 1. b. 11. יְהוֹיָקִים 'ιωακὶμ

Joacim, Nehem. 12. a. 10. Reſurgens, ſive confirmans, aut vindicans. יוֹיָקִים 'ιωακεὶμ

Joada, Domini cœtus, vel congregatio, aut Domini tranſitus vel teſtimonium, vel Domini ornatus vel præda: aut ex Hebræo & Syro, Domini ablatio. Filius Achas filii Micha, 1 Par. 8. d. 36. qui 9. f. 42. dicitur Jara. יְהוֹעַדָּה 'ιωδὰ

Joadan, Domini deliciæ, vel Domini voluptas: aut ex Hebræo & Syro, Domini tempus. Mater Amaſiæ regis Judæ, 4 Reg. 14. a. 2. & 2 Par. 25. a. 2. יְהוֹעַדָּן 'ιωαδὰν 'ιωδαεὶμ

Johah, Fraternitas, vel habens fratrem. Filius Zemma, 1 Par. 6. b. 21. & 2 Par. 29. c. 12. Filius item Jochaz illius qui fuit Joſiæ regi a commentariis, 2 Par. 34. b. 8. יוֹאָח 'ιωαά, 'ιωὰχ

Joahe, Idem. Filius Aſaph. 4 Reg. 18. e. 18.

Joaha, Idem. 1 Par. 26. a. 4. & 2 Par. 29. c. 12. 'ιωὰ

Joarim, Domini exaltatus, vel Domini exaltatio. D. Nomen viri, 1 Mach. 2. a. 1. 'ιωαρὶβ

Joas Diſſidens, vel deſperans, aut ignitus vel urens. Pater Gedeonis, Judic. 6. b. 11. Filius Achab regis Iſrael, 3 Reg. 22. d. 26. Filius item Ochoziæ filii Joram filii Achab, 4 Reg. 11. a. 2. & 12. d. 20. & 13. a. 1. & 1 Par. 3. c. 11. item 4 Reg. 14. d. 17. ubi dicitur, Vixit autem Amaſias filius Joas, uſque ad finem capitis. Filius Joachaz filii Jehu, rex Iſrael, 4 Reg. 13. b. 9. c. 13. & 14. a. 1. ubi dicitur, In anno ſecundo Joas. Pater Jeroboam regis Iſrael, 4 Reg. 14. f. 27. יוֹאָשׁ 'ιωὰς, 'ιωὰζ

Joas, Domini ignis, vel Domini oblatio. Rex Juda, filius Ochoziæ, filii Joram, filii Achab, 4 Reg. 11. d. 21. & 12. a. 2. b. 7. & in principio literæ d. 18. ubi dicitur, Quam ob rem tulit Joas, & 13. d. 25. ubi dicitur, Porro Joas, Item 14. b. 8. c. 13. d. 16. יְהוֹאָשׁ 'ιωὰς

Joas, 1 Par. 7. b. 8. & 27. d. 28. interpretatur Tinea corroſus, ſive compreſſus, vel congregatus. Filius Bechor filii Benjamin filii Jacob. יוֹעָשׁ ἰωὰς

Joatham, Conſummatus, ſive perfectus. Filius Oziæ ſive Azariæ regis Juda, 4 Reg. 15. d. 23. & 2 Par. 26. a. 1. a LXX. 'ιωαθὰμ & 'ιωθὰμ transfertur. Filius item Jerobaal ſive Gedeonis, Judic. 9. a. 5. Filius item Jahaddai, 1 Par. 2. f. 46. Filius Azariæ filii Amaſiæ, 1 Par. 3. c. 12. יוֹתָם

Job, Dolens, vel gemens, ſive ululans, aut exoſus, vel patiens inimicitiam. Nomen viri, Job 1. a. 1. אִיּוֹב 'ιὼβ

Job, Gen. 46. c. 13. Dolens, vel gemens, aut ululans. Filius Iſſachar, qui 1 Par. 7. a. 1. dicitur Jaſub. יוֹב ἀσοὺμ

Jobab, Idem. Filius Jectan, Gen. 10. d. 29. Filius Saharaim ex Hodes uxore, 1 Par. 8. a. 9. Filius item Zaræ, rex Edom, Geneſ. 36. d. 33. יוֹבָב 'ιωβὰβ

Jobania,

יִבְנְיָה ἰϐνιά Jobania, Ædificatio Domini, ſive filiatio, aut intellectus Domini. Filius Jeroham, 1 Par. 9. b. 8.

יוֹכֶבֶד ἰωχαϐὲδ Jochabed, Glorioſa, aut gravis, vel ponderoſa. Filia Levi, uxor Amran filii Caath, filii Levi, Exod. 6. c. 20.

יוֹעֵד ἰωὲδ Joed, Teſtificans, vel ornans, ſive prædans, aut tranſiens: vel Syriace, auferens. Nomen viri, 2 Eſd. 11. b. 7.

יוֹאֵל ἰωὴλ Joel, Volens, ſive incipiens, aut jurans. Nomen principis, 1 Par. 4. f. 35. Nomen prophetæ filii Phathuel, Joel. 1. a. 1. Pater Sammua, 1 Par. 5. a. 8. Filius item Gerſom, 15. a. 7. Filius præterea Azariæ, 2 Par. 29. c. 11. Primogenitus Samuelis prophetæ, 1 Reg. 8. a. 2. Filius Gad 1 Par. 5. b. 12.

יוֹעֵאלָה ἰωήλα Joela, Elevatio, ſive proficiens, aut auferens maledictionem. Filius Jeroham, 1 Par. 12. a. 7.

יוֹעֶזֶר ἰωζὲρ Joezer, Adjuvans. Nomen viri, 1 Par. 12. a. 6.

יָגְלִי ἰογλὶ Jogli, Revelatio, aut tranſmigratio, ſive revolutio, aut exultatio. Pater Bocci, principis tribus Dan, Num. 34. d. 22.

יוֹחָא ἰοχὰ, ἰωχὰ Joha, Vivificans. Filius Bariæ, 1 Par. 8. b. 16. Vir Thoſaites, 1 Par. 11. g. 45.

יוֹחָנָן ἰωανὰν, ἰωνὰν Johanan, Gratioſus, ſive donans, aut pius, ſive miſericors. Filius Caree, 4 Reg. 25. f. 23. Primogenitus Joſiæ regis Juda, 1 Par. 3. c. 15. Filius Azariæ, 1 Paral. 6. a. 9. Filius Elioenai filii Naariæ, 1 Par. 3. d. 24. Principis nomen, 1 Paral. 12. b. 12. Nehem. 12. b. 23.

יְהוֹחָנָן ἰωναθὰν, ἰωνὰν Johanan, 1 Par. 26. a. 3. & 2 Par. 17. d. 14. & 23. a. 1. & 28. b. 12. & 2 Eſd. 10. d. 28. Nehem. 6. d. 18. & 12. d. 41. Domini gratia ſive Domini donum, aut Domini miſericordia.

ἰωάννα Johanna, Domini gratia, ſive Domini donum, aut Domini miſericordia. D. Mulier quæ ſequebatur Chriſtum, uxor Chuſæ, Luc. 8. a. 3. & 23. g. 49.

ἰωάννης Johannes, Idem. D. Nomen Apoſtoli fratris Jacobi, quorum pater Zebedæus dicebatur, Matth. 4. d. 21. Fuit & nomen præcurſoris Chriſti, cognomento Baptiſtæ, Luc. 1. f. 63.

יְהוֹיָדָע ἰωιαδὲ, ἰωδαὲ Joiada, Domini ſcientia, aut Domini cognitio. Nomen ſacerdotis, 4. Reg. 11. b. 15. Jer. 29. f. 26.

יוֹיָדָע ἰωδαὲ Joiada, Scitus, aut cognitus, Nehem. 3. b. 6. & 12. a. 10. & 13. d. 28.

יוֹיָרִיב ἰωιαρεὶϐ Joiarib, Pugnans, vel objurgans, ſive multiplicans, Nehemiæ 12. a. 19.

יְהוֹיָרִיב ἰωρεὶϐ, ἰωαρεὶϐ Joarib, 1 Par. 9. b. 10. & 24. b. 7. Domini pugna, ſive Domini objurgatio, vel Domini multiplicatio. Nomen ſacerdotis.

יוֹנָה ἰωνᾶς Jona, ſive Jonas, Columba, ſive depopulans, vel multiplicans. Nomen prophetæ filii Amathi, 4 Reg. 14 f. 25. Pater Joſeph patris Judæ patris Simeon, Luc. 3. f. 30. Pater item Petri Apoſtoli, Johan. 1. f. 42. & 21. c. 15.

יוֹנָדָב ἰωναδὰϐ Jonadab, Spontaneus, vel vovens, ſive principalis. Filius Semmaa fratris David, 2 Reg. 13. a. 3. Filius item Rechab, Jer. 35. b. 8.

יְהוֹנָדָב ἰωναδὰϐ Jonadab, 2 Reg. 13, a. 5. ubi dicitur, Cui reſpondit Jonadab, &c. & 4 Reg. 10. d. 15. interpretatur Domini Spontaneus, aut Domini princeps, vel Domini votum. Filius Rechab.

יְהוֹנָתָן ἰωναθὰν Jonathan, Domini donum. Filius Gerſom filii Moſi, Judic. 18. g. 30. Filius Saul, 2 Reg. 1. a. 1. & 1 Par. 8. c. 33. Nomen ſcribæ cujuſdam, Jer. 37. c. 14.

יוֹנָתָן ἰωνάθαν Jonathan, Filius Saulis regis, 1 Reg. 13. a. 2. & 14. a. 1. & 21. b. 7. & 1 Par. 10. a. 2. Filius Abiathar ſacerdotis. 2 Reg. 15. f. 27. & 17. d. 17. & 3 Reg. 1. f. 42. Filius Jada filii Onam filii Jerameel, 1 Par. 2. e. 32. Filius Sage, 1 Par. 11. g. 34. & 1 Eſd. 8. a. 6. Filius Aſael, 1 Eſdræ 10. b. 16. Nehem. 12. a. 11. Filius Caree, Jer. 40. c. 8. In omnibus his locis interpretatur Columbæ donum, vel donans. Ac ubique ſcribi debet Jonathan per n in fine, non per s.

יָפוֹ ἰόππη Joppe, Pulchritudo, aut decor. Oppidum in ora curvæ Syriæ in monte ſitum, una cum portu, qui a Barbaris nunc Sappho appellatur, Joſ. 19. c. 45. & 2 Par. 2. d. 16. & 1 Eſd. 3. b. 7. Jon. 1. a. 3. & 1 Mach. 10. f. 75. Act. 9. f. 38.

ἰοππῖται Joppitæ, Pulchri, ſive decori. D. 2 Mach. 12. a. 3.

יוֹרָה ἰωρὰ Jora, Temporaneus, aut oſtendens, ſive demonſtrans, vel projiciens: aut Syriace, lebes. Nomen viri, 1 Eſd. 2. a. 18.

יוֹרַי ἰωραὶ Jorai, Idem. Nomen viri, 1 Par. 5. b. 13.

יוֹרָם ἰωρὰμ Joram, Excelſus, ſive ſublimis, aut projectus. Filius Thou regis, 2 Reg. 8. c. 10. Filius item Joſaphat, 1 Par. 3. c. 11. qui 3 Reg. 22. g. 51. dicitur Hebraice יְהוֹרָם.

יְהוֹרָם ἰωρὰμ Joram, Filius Joſaphat regis Juda, 3 Reg. 22. g. 51. Filius item Achab regis Iſrael, frater Ochoziæ, 4 Reg. 1. d. 17. & 3. a. 1. & 8. d. 25. & 9. d. 15. & 12. d. 18. & 2 Par. 21. a. 4. & 22. a. 1. Matt. 1. b. 8. Eſt & nomen ſacerdotis, 2 Par. 17. c. 7. In omnibus his locis interpretatur Domini celſitudo, aut Domini ſublimitas, aut Domini projectio. Præterquam in fine 4 Reg. 9. f. 29. ubi dicitur, Anno undecimo Joram.

יַרְדֵּן ἰορδάνης Jordanis, Fluvius judicii, aut demonſtratio, vel projectio judicii, ſive deſcenſio: aut ex Syro & Hebræo, lebes judicii. Fluvius Judææ, Deut. 1. a. 1. Joſ. 1. a. 2. qui ab Hebræis ſic dicitur quaſi מִדָּן יוֹרֵד, id eſt, a Dan defluens, defluit enim a Dan, Gen. 13. c. 10. eximiæ dulcedinis, Solino Paneadis: Egeſippo vero, Joſephoque, Phiala fonte decurrens, regiones perquam amœnas præterlabitur: mox in lacum, quem multi Genezaram vocant, ſe fundit, deinde mare mortuum petit, natura dirum, a quo poſtremo abſorbetur.

ἰωρεὶμ Jorim, Dominus exaltans, vel Domini exaltatio, aut rivi. D. Nomen viri, Luc. 3. f. 29.

יוֹשָׁה ἰωσία Joſa, Ens, vel exiſtens, aut obliviſcens, vel debens. Nomen principis, 1 Par. 4. f. 34.

יְהוֹשֶׁבַע ἰωσαϐεαὶ Joſaba, Domini ſaturitas, aut Domini ſatietas, vel Domini juramentum, ſive Domini ſeptenarium. Filia regis Joram, ſoror Ochoziæ, 4 Reg. 11. a. 2.

Joſab-heſed, Habitaculum, vel ſedes miſericordiæ, aut inſufflatio, vel converſio miſericordiæ. Filius Zorobabel filii Phadaiæ, 1 Par. 3. d. 20. יוֹשַׁב חֶסֶד ἰωσὰϐ ἑσὲδ

Joſabeth, Domini ſatietas, vel Domini juramentum, aut Domini ſeptuplum, ſive Dominus convertens horam. Nomen mulieris, 2 Par. 22. d. 11. quæ 4 Reg. 11. a. 11. dicitur Joſaba. יְהוֹשַׁבְעַת ἰωσαϐεαὶθ

Joſabia, Habitaculum vel ſedes Domini, ſive converſio aut inſufflatio Domini, vel captivitas Domini. Filius Saraiæ filii Aſiel pater Jehu principis, 1 Par. 4. f. 35. יוֹשִׁבְיָה ἰωσαϐία

Joſaia, Æquitas Domini, vel planities Domini, aut apponet Dominus. Filius Elnaem, 1 Par. 11. g. 46. יוֹשַׁוְיָה ἰωσαΐα

Joſaphat, Dominus judex, vel Domini judicium. Filius Aſa regis, 2 Reg. 15. e. 24. & 1 Par. 3. b. 10. Filius Ahilud, 2 Reg. 8. d. 16. Filius item Pharvæ, 3 Reg. 4. c. 17. At Joel. 3. a. 2. videtur eſſe nomen vallis. יְהוֹשָׁפָט ἰωσαφὰτ

Joſaphat, Judicatus vel judicatio. Vir Mathanites, 1 Par. 11. g. 43. יוֹשָׁפָט

Joſedec, Dominus juſtus, vel Domini juſtitia. Filius Saraiæ filii Azariæ, 1 Par. 6. a. 14. Pater Jeſu ſacerdotis, Agg. 1. a. 1. יְהוֹצָדָק ἰωσεδὲκ

Joſedec, 1 Eſd. 3. a. 2. & 5. a. 2. & 10. c. 19. Nehem. 12. c. 26. interpretatur Juſtificatus vel juſtificatio. יוֹצָדָק

Joſeph, Augmentum, vel præfectus. Undecimus filius Jacob ex Rachel uxore, Gen. 30. d. 24. Pater item Igal, Num. 13. a. 8. Filius Aſaph, 1 Par. 25. a. 2. יוֹסֵף ἰωσὴφ

Joſeph, Pſal. 80. a. 1. Heb. 81. Domini augmentum vel Domini profectus. יְהוֹסֵף

Joſeph, Matth. 13. g. 55. & 27. f. 56. ubi dicitur. Et Joſeph mater, Marc. 6. a. 3. & 15. d. 40. ibi. Et Joſeph mater, & ibi, Maria & Joſeph, & Act. 4. g 36. in omnibus his locis in Græco eſt Joſes: quod Hebraice poteſt interpretari parcens, vel elevatus aut exiſtens. D. ἰωσῆς

Joſephus, Augmentum vel profectus. D. 1 Mach. 5. b. 18. ἰώσηφος

Joſias, Ignis Domini, aut urens Dominus. Rex Juda filii Amon filii Manaſſe, 4 Reg. 22. a. 3. יֹאשִׁיָּהוּ ἰωσίου

Joſphias, Augmentum vel profectus Domini, aut conſummans, vel finiens Dominus. Filius Selomith, 1 Eſd. 8. b. 10. יוֹסִפְיָה ἰωσεφία

Joſue, Dominus ſalvator. Filius Nun, princeps tribus Ephraim, Oſee prius nominatus, Num. 13. b. 17. & 1 Par. 7. f. 27. Poſt Moyſen dux populi Iſraelitici, Joſ. 1. a. 1. יְהוֹשֻׁעַ ἰησοῦς ἰωσὴε

Joſue, 1 Eſdr. 2. a. 6. & 3. a. 2. & 4. a. 3. & 5. a. 2. & 8. g. 33. & 10. c. 18. Item Nehem. 3. e. 19. & 8. b. 7. & 9. a. 4. & 12. a. 1. in omnibus his locis interpretatur Salvator. יֵשׁוּעַ ἰησοῦ, ἰησοῦς

Jota, Declinans, vel divertens. Civitas in tribu Judæ, Joſ. 15. g. 55. Eadem videtur eſſe quæ Joſ. 21. b. 16. Jeta appellatur. Vide Jeta. יוּטָה ἰεττά

Jovis, τοῦ Διὸς, Obliquus a Ζεὺς Jupiter, quaſi juvans pater, Act. 14. b. 13. & 19. g. 35.

Jozabad, Domini dos, vel Domini dotatio. Nomen ſervi Joas regis, a quo occiſus eſt ipſe Joas, 4 Reg. 12. d. 21. & 1 Par. 26. a. 4. & 2 Par. 17. d. 17. & 24. g. 26. יְהוֹזָבָד ἰωζαϐὰθ ἰωζαϐὰδ

Jozabad, vel Jozabed, Dotatus. Princeps militiæ, 1 Par. 12. d. 20. 1 Eſd. 10. c. 21. Nehem. 11. c. 16. & 2 Par. 31. c. 13. & 35. b. 9. & Nehem. 8. b. 7. ἰωζαϐὲδ יוֹזָבָד ἰωζαϐὰτ

Jozachar, Memorans, ſive maſculinus. Filius Semaar, ſervus Joas regis Juda: qui Jozachar occidit ipſum regem Joas, adjutus a Jozabad conſervo, 4 Reg. 12. d. 21. Hic. 2 Par. 24. g. 26. dicitur Zabad. ἰωαζαπαϐὰθ יוֹזָכָר ἰωζάχαρ

IR

Ira, Civitas, aut vigil, ſive denudatio, aut effuſio, vel acervus viſionis. Nomen ſacerdotis, 2 Reg, 20. g. 26. Jethræus quidam, de quo 1 Par. 11. f. 28. Vide Hira. עִירָא ἰρὰς

Irad, Onager, ſive acervus deſcenſionis, vel acervi deſcenſio, aut acervus imperii: vel Syriace, draco. Filius Enoch, Gen. 4. e. 18. עִירָד γαϊδὰδ

Irai, Vigil, aut civitas, ſive denudans vel evacuans: aut pullus. f. aſini. Filius Bela filii Benjamin filii Jacob, 1 Par. 7. b. 7. עִירִי ἰρὶ

IS

Iſaac, Riſus. Filius Abraham ex Sara, Gen. 17. c. 19. & 21. a. 3. Heb. Iſhac. Scribitur & יִשְׂחָק per שׂ ſiniſtrum, loco צ, Jer 33. d. 26. & Amos 7. b. 9. d. 16. יִצְחָק ἰσαὰκ

Iſaar, Oleum, ſive claritas, aut Meridianus. Filius Caath filii Levi, Exod. 6. c. 18. & 1 Par. 6. a. 2. c. 38. & 23. b. 12. qui Num. 3. c. 19. dicitur Iſaar, iiſdem tamen conſonantibus & punctis. יִצְהָר ἰσαὰρ, ἰσαὰρ

Iſaari, Idem. Nomen viri, 1 Par. 24. c. 22. יִצְהָרִי

Iſaaritæ, Idem. p. n. 1 Par. 26. c. 23. ἰσαὰρ

Iſai, Munus, aut ens, ſive exiſtens, vel debitor. Pater David quem Græci Jeſſæ vocant. Filius Obed filii Booz, Ruth, 4. d. 17. & 1 Reg. 16. a. 3. & 1 Par. 2. b. 12. יִשַׁי ἰεσσαὶ

Iſaias, Vide Eſaias.

Iſari, Figmentum, ſive plaſmatio, aut tribulans, vel anguſtians. Nomen viri, 1 Par. 25. c. 11. יִצְרִי ἰεσρεὶ

Isbaab, Seſſio vel habitatio patris, aut converſio, vel inflatio, ſive captivitas patris. Nomen viri, 1 Par. 23. b. 13. יֶשֶׁבְאָב ἰσϐαὰϐ

Iſ-boſeth, Vir confuſionis vel ignominiæ, aut viri mora. Filius Saul regis Iſrael, 2 Reg. 2. b. 12. אִישׁ בֹּשֶׁת ἰσϐόσεθ

Iſcariotes, Hebraice interpretatur, Vir occiſionis, vel vir exterminationis vel mortis. Sic cognominatur Judas ille Chriſti proditor, Mat. 10. a. 1. Sunt qui & Iſchariotem dictum exiſtiment, per ch ſcribentes, quod de tribu Iſſachar eſſet: cui tale cognomen ex ipſo quoque facinore optime conveniat: nam mercede vendidit Chriſtum, Iſſachar ſiquidem ex 30. c. 18. Geneſeos, a שָׂכָר, quod mercedem ſignificat, inclinatum eſt. ἰσκαριώτης

Iſmael, Exauditio Dei. Filius Abraham ex Agar ancilla, Gen. 16. c. 11. Filius item Nathaniæ, 4 Reg. 25. f. 25. Filius Aſel filii Elaſa, 1 Par. 8. d. 38. & 9. g. 44. יִשְׁמָעֵאל ἰσμαήλ

יִשְׁמְעֵאלִים ἰσμαηλῖται Iſmaelitæ, Idem. p. n. Gen. 37. f. 25. Populi quos Moyſes (ut quidam dicunt) Madianitas vocat: Euſebius Agarenos, ſive Saracenos. Alii tamen dicunt Iſmaelitas & Agarenos eſſe nomina duorum populorum.

יִשְׁמְעֵאלִי Iſmaelitis, Idem, 1 Par.2. b.17. ἰσμαηλίτης

יְשִׁמִיאֵל ἰσμιήλ Iſmiel, Nominatio Dei, aut admiratio vel ſtupor Dei. Nomen principis, 1 Par.4. f.36.

יִשְׂרָאֵל ἰσραήλ Iſrael, Prævalens ſive dominans cum Deo. Nomen Jacob, inditum ei ab angelo, Gen. 35. b. 10. Regnum item decem tribuum vocatum eſt Iſrael.

יִשְׂרְאֵלִי ἰσραηλίτης Iſraelitæ, Idem. p. n. Populi ab Iſrael ſic cognominati, 2 Reg. 3. c. 18.

Iſraelites, Idem. Levit. 24. b. 10.

יִשְׂרְאֵלִית Iſraelitis, Idem. fœm.gen. Levit.24. b.10. ἰσραηλῖτις

Iſraeli, Vide Jeſraeli, & Iſraeli.

יְשַׂרְאֵלָה ἰασαρηλά Iſreela, Prævalens, aut dominans Deus, ſive rectitudo Dei, aut canticum Dei. Nomen viri, 1 Par. 25. c. 14.

יִשָּׂשכָר ἰσσάχαρ, ἰσάχαρ Iſſachar, Eſt merces vel præmium. Nonus filius Jacob ex Lia uxore ſua, Gen.30. c.18. Nomen tribus, 3 Reg. 4. b. 17.

אֶשְׁתְּמֹה ἀσθεμώ Iſthemo, Ignis admirationis vel conſummationis, ſive ignis perfectionis vel ſimplicitatis. Civitas in tribu Juda, Joſ. 15. f.50.

אִישׁ טוב Iſ-tob, Vir bonus. Nomen viri, 2 Reg. 10. b.8. ἰστώβ

יְשׁוֹחָיָה ἰσουία Iſuhaia, Comprimens vel humilians Dominus, ſeu meditatio Dei. Nomen principis, 1 Par.4. f. 36.

I T

ἰταλία Italia, Ab Italo rege dicta eſt: vel ab Italis, id eſt, vitulis, eo quod illa regio vitulis abundet. Latinum eſt, Act. 27. a. 6.

כִּתִּים κιτιαῖοι Italia, Num.24. d. 24. Ezec.27. a.6. In Hebræo eſt Cithim: & interpretatur contereñtes, vel contritio maris, ſive diadema, aut aurum, vel tinctura, vel ex Syro & Hebræo, coacervatio maris. Regio & patria Romanorum, ab Italo rege vocabulum traxit, quæ ab Aphrico & a Borea Mari magno cincta, reliqua Alpium obicibus obſtructa eſt. Hæc quinque appellata eſt nominibus: Saturnia, a Saturno primo habitatore, Trogo: Italia, a rege, Plinio: Auſonia, Livio: Oenotria, Dionyſio: Heſperia, Virgilio. Vide Volaterr. lib.4. Geograph.

תֻּבַל θοβέλ Italia, Eſa. 66. f. 19. Hebraice dicitur Thubal: & interpretatur orbis, aut confuſio, vel ignominia, ſive portatus vel adductus. Sunt qui Iberes non Italos eſſe dicant.

σπεῖρη ἰταλική Italica cohors, Ab Italia dicta eſt, Act.10. a.1.

vel אִתַּי אִיתַי ἰεθθί Ithai, Robuſtus, aut ſignum, vel vomer: aut Syriace, veniens. Filius Rubai, 2 Reg. 23. d.29. qui & Ethai, 1 Par. 11. f. 31.

אִיתָמָר ἰθάμαρ Ithamar, Inſula, palmæ vel dactylorum, aut inſulæ commutatio vel permutatio, ſeu væ palmæ aut commutationi. Filius Aaron filii Amram filii Caath filii Levi, Exod. 6. d. 23. & 1 Par. 6. a. 3.

ἰτουραία Ituræa, Cuſtodita: vel Syriace, montana, vel montoſa. D. Trachonitidis regio juxta deſertum Arabiæ: cujus Tetrarcha fuit Philippus, Luc.3. a. 1. de quo Hieronymus in locis Hebr. A Jetur filio Iſmahelis.

יְטוּר ἰτουραῖοι Iturǣi, Cuſtoditi vel cuſtodiæ, aut coordinati; vel Syriace, montani ſeu montoſi. Populi, 1 Par. 5. c. 19.

J U

יוּבָל ἰουβάλ Jubal, Defluens, ſive apportans, vel inveteraſcens, aut germinans ſive jubileus, vel buccina. Filius Lamech ex Ada uxore, Gen. 4. d. 21.

יוֹבֵל ἀφέσεως σημασία Jubileus, Buccina, vel defluens, ſive apportans, aut germinans, ſive inveteraſcens, Levit.25. b.11. Num.36. b.4.

יָקְדְעָם ἰεκδαάμ Jucadam, Incurvatio populi, ſive incendium populi. Civitas eſt in tribu Juda, Joſ.15. g.56.

יְהוּכַל Juchal, Domini omnia, aut Domini perfectio, ſive conſummatio. Filius Selemiæ. Jer 37. a.3. ἰωαχάλ

יוּכַל ἰωχάλ Juchal, Jer.38.a.1. interpretatur potens, ſive perfectus, vel conſummatus, Filius Selemiæ.

יְהֻד ἰούδ Jud, Laudans, ſive confitens. Civitas in tribu Dan, Joſ.19. c.45.

יְהוּדָה ἰούδα Juda. Laudatio, ſive confeſſio. Filius Jacob, Gen.29.d.35. Tribus Juda ad Auſtrum, Joſ. 15. a. 1.

ἰουδαία Judæa, Idem. Judæa aliquando tota terra duodecim tribuum appellatur, velut Marc. 3. a. 7. Pſal 75. a. 2. Hebr. 76. Notus in Judæa Deus. Aliquando duæ tantum tribus, Juda & Benjamin appellitantur, ad diſtinctionem Galilææ & Samariæ, aliarumque in terra repromiſſionis regionum. Obſervabis itaque apud hiſtoricos Judæam pertinere ad Palæſthinam: Galilæam vero atque Samariam ad Phœnicem. Neque obſcurum eſt poſt Salomonis mortem, decem tribus Iſrael defeciſſe a Roboam ad Jeroboam Ephratæum, 3 Reg. 12. e. 10. Exinde duæ tribus, Judæ ſcilicet & Benjamin, quæ ſemini Davidis adhæſerant, nunc domus David, nunc regnum Juda, Jeruſalem, aut Benjamin in ſcripturis potiſſimum a Prophetis nuncupatæ. Sicut decem tribus quæ defecerant, regnum Iſrael, domus Jacob & Joſeph, Ephraim, regnum Samariæ, Jezrael, Beth-el, Beth-aven appellari notum eſt.

a febre ſocrus Petri ſanatur, matth.8.15. item filius reguli, Joh.45,& 60.
fel germinans in corde infidelis, deut.29,18.
feminalibus utitur Aaron, exod.28.42.
feriæ a Judæis celebrandæ, levit.23.2,27.
fermentum non erat in oblationibus, levit.2.11.
fermentum non edebatur diebus paſche, exod.12.15. 13. 1,2. & ſeq.
fermenti parabola, matth.13.33.
fermentum pro peſtilenti doctrina, matth. 16,6.
fermentum veteris malitiæ expurgandum, 1 cor.5.5.
ferrum natare fecit Eliſeus, 4 reg.6.5,6.
ferreum jugum inobedientibus, deut.28,23.& ſeq.
feſta anni tria, levit.23,24. exod. 34.22. deut.16.9.
feſtivitates Judæorum quare rejicit Deus, Amos 5.21.
feſto die quare non captus Chriſtus, matth.26.6.
feſtuca in oculo fratris, mat.7.3. luc.6,41.
Fici parabola, matt.21,19.c.24,32. luc.13,6.

fides quid ſit, heb.11.1.
fides adhibenda verbo Dei, heb.4.2.
fides ex auditu verbi Dei, rom.10.17.
fides Abrahæ in promiſſiones Dei, gen. 24.2.
fides neceſſaria accedenti ad Chriſtum, heb.11.6.
fide purificantur corda, act.15,9. Joh.15,12.17.
fidei finis ſalus animarum, 1 Pet.1.7.
fide reſiſtimus diabolo, 1 pet.5.9.
fidei ſcutum in omnibus habeamus, epheſ.6.16.
fide accipitur ſpiritus ſanctus, gal.3.5,7,8.
fides ſine operibus mortua, jac.2.c.20.26.
fides ſe exerat per opera, 2 pet.1.5.
fidem demonſtrant opera, phil.5. 1 joh.2.15.
fides charitatem habeat, 1 tim.1.2.
fidem imitemur apoſtolorum, heb.13.7.
fide quid fecerint ac paſſi ſint patres, heb.11.30. 21.& ibi multa de fide.
fidem ſibi adaugeri orant apoſtoli, luc.17.5.
pro fide Petri oravit Chriſtus, luc.22.32.
fide accipimus quod petimus, mat. 21.21.
fide plena accedamus ad Chriſtum, heb.10.22.
ad fidem exhortemur invicem, heb.3.12.
fidei probatio eſt afflictio, 1 pet.1.7.
in fide perſeverandum, coloſſ.1.23.
fideles omnes ſunt unum corpus, rom.12.3.
fideles ſunt domus Dei, 1 pet.4.19. heb.3.6.
fidelis manet Deus in promiſſis, 1 cor.1.9.
fidelitas in miniſtris verbi, 1 cor.4.2.
fidentes in homine, maledicti, jer.17.5.
cum fiducia Chriſtum adeamus, heb.4.16.
figmentum non conqueritur adverſus figulum, rom. 9.20.
figulus facit ex luto quod vult, jer.18. 6. iſa.45.9.
figura mundi præterit, 1 cor.7.31.
filium ſuum lactat Anna, 1 reg.1.23.
filii caſtigandi, prov. 13.24.c.29.15.
filii Iſrael habitarunt in Ægypto 430.annis, ex.12.40
filii non occidendi pro patribus, deut.24,16. 4 reg.4.7. ezec.18,19.
filii docendi myſterium paſchæ, exod.12.21.& ſeq.
filium ſuum Solomonem tradit David in manus Nathan prophetæ, 2 reg.12.24.
filii inobedientis pœna, deut.21.20.
filiorum officium erga parentes, epheſ.6.1.
filios conſecrant idolis Iſraelitæ, 4 reg.17.17.
filii Abrahæ, fideles, rom.9.7.
in filios Dei adoptati ſumus, epheſ.1.1.
filii Dei ſumus per fidem, gal.3.26.
de filio prodigo parabola, luc.15.11.
filiorum duorum parabola, mat.21,28.
filii Dei ſunt qui ſpiritu Dei aguntur, rom.8.14.
filia prudens, viro ſuo hæreditas, eccleſ.22:1.
filiam luxurioſam oportet obſervare, eccleſ.42.8.
Fimbriæ per angulos veſtimenti, num.15.38.
fimbriæ veſtimenti Chriſti tactu ſanatur mulier, mat. 9.20.
fimbriæ veſtimenti Chriſti tactu ſanantur infirmi, mat.14.36.
Fingit David inſaniam, 1 reg.21.12.
fingit Samuel quod immolet, 1 reg. 16.2.
Finis hominis inſperatus, eccleſ.9.12.
finis omnium appropinquavit, 1 pet.4.7.
Firmamenti creatio, gen.1.6.
Flagellatur Chriſtus, matt.27.26.
flagellatur Paulus, act.16.19.
flagellantur apoſtoli, act. 5.40.
flagellantur præfecti filiorum Iſrael, exod.5.14.
Flet Jeſus, johan.11,3.5. luc.19.41.
flentes beati, & quare, luc.6.20. & ſeq.
flendum cum flentibus, rom.12.15.
fluvius irrigans paradiſum, gen.2,10.13.14.
Fœcundam facit Deus Liam, gen.29.16.
fœdus Dei cum Noe, gen. 6,18.c.9,12,& ſeq.
felicitate neſcit uti ſtultus, prov.26.3.
fœnum dat Deus jumentis timentium ſe, deut. 11.15.
non fœnerandum fratri, deut.23.19.
folio volante terrentur Deo non obtemperantes, lev. 26.36.
Fons irrigans terram, gen.2.6.
fons gratiæ & veritatis, Chriſtus, zach.13.1.
Formidoloſi non procedant ad bellum, deut.20.8.
Fornax ferrea, Ægyptus, deut.4.20.
Fornicatio vitanda, 1 cor.6.18. 1 theſſ.4.3.
fornicatio ne nominanda quidem, epheſ.5.3.
fornicatorem excommunicat Paulus, 1 cor.5.9.
fornicationes morte puniendæ, quæ, levit.18,22.& ſeq.
fornicatores regnum Dei non poſſidebunt, 1 cor.6.4.
fornicatrix comburebatur, gen.38.24.
fornicator Zamri occiſus a Phinees, num.25.28.
fornicari cum diis alienis, exod.34,15,16.
Fortis Deus noſter, 2 reg.22.3.
fortitudo Dei oſtenſa in Pharaone, exod.5.& ſeq.
fortitudo noſtra Deus, exod.15.2.
fortitudinem aufert Deus inobedientibus, deut.28.32.
quod Fortunæ vulgo tribuitur, ſcriptura ad Deum refert, ut patet exod.21,12.
Fractio panis, act.2.46.
Fratris mortui abſque liberis uxorem accipiebat alter frater, gen.38.8. deut.25.5.
frater abducens a fide, occidendus, deut.13.6.
fratris nomine compellat Jacob ignotos, gen.29.4.
fratres ſuos dicit nos Chriſtus, heb.2.12.
pro Fratribus animas ponere debemus, 1 joh.2.9,10, & ſeq.
fratres ſunt omnes Chriſtiani, matth.23.8.
inter fratres primogenitus Chriſtus, rom.8.29.
fratri peccanti remittendum, matth.18.35.
fraternitatem diligamus, rom.12.10. 1 pet.1.17.
fratres ſive cognati chriſti non credunt in eum, joan.7.5
Fraudulenti non ſalvabuntur, 1 cor.6.8.
fraus ferenda, non inferenda, 1 cor.6,9.10.
a Fructibus cognoſcitur arbor, matth.7.16.
fructus juſtitiæ & peccati, rom.6,21.27.
fructificemus Deo per opera, rom.7.45.
ad frugalitatem Adhortatio, prov.27.27.
Fruges conſumuntur inobedientibus, deut.28.42.
frumentum dat Deus diligentibus ſe, deut.11.14.
Fugiendum, ſi perſequantur nos, mat.10.23.
fugit Paulus ne lapidetur, act.14.6.
Furis pœna, exod.22.4.
Fugit Elias Jezabel, 3 reg.19.3.
Fugiunt Chriſti diſcipuli, dum ille a Judæis capitur, matth.26.57.
cum fure non verſandum, prov.29.24.
furtum non faciendum, exod.20.15.
fures non ſalvabuntur, 1 cor.6.10.
fures laborent manibus, & quare, epheſ.4.28.
furis parabola, matth.24.43. luc.12.33.
fures & latrones vocat Chriſtus Phariſæos, Joh.10.8.
Furore mentis percutit Deus inobedientes, deut.28.28.

G.

GAal filii Obeb acta, Jud.9. 26. & ſeq.
Gabaa Benjamin ædificatur, 3 reg.15.22.
Gabaonitarum calliditas, joſu.9.22.
Gabaonitæ a quinque regibus obſeſſi, a Joſue liberantur, joſ.10,1.& ſeq.
Gabelus venit ad nuptias Tobiæ, tob.9.8.
Gabriel ſalutat Mariam, luc.1.26.
Gad filius Jacob, gen.30,11.49,19. joſ.22.4.
Gad propheta, 1 reg.22,5. 2 reg.24.11.
Galaad mons quare ſic dictus, gen.31,19.
Galatas inſenſatos Paulus vocat, gal.3.1.
de Gallina pullos congregante, matt.23.37.
Galilæi Chriſtum ſuſcipiunt, joh.4.45.
Gamalielis conſilium pro apoſtolis, act.5.34.
Garizim mons ad benedicendum, deut.27.11.
in Gaudio ſerviendum Deo, deut.28.47.
gaudent apoſtoli ſe affligi propter Chriſtum, act.5.41.
gaudendum in Domino, coloſ.4.2.
gaudendum cum gaudentibus, rom.12.15.
gaudium a ſpiritu ſancto, rom.14.17.
ut Gauderemus venit Chriſtus, Joh.17.13.
gaudium cordis prorogat vitam, eccleſ.30.16.
Gazam urbem capit Judas, judic.1.18.
Gazer ubs expugnata a Joſue, joſ.10.33.
Gedeonis acta leguntur, judic.6.7.8.
in Gehenna ignis perpetuus, marc.9.43,45.
Gehon fluvius, gen.2. 13.
Gemunt filii Dei, & quare, rom.8.23.
Genuit nos Deus, deut. 32.15.
Generandi vim dedit Deus omnibus quæ ſuper terram ſunt, gen.1. & 9.1.
Gentes in gloriam Dei creatæ, deut.26.19.
gentes & populos diviſit Deus per regiones, deut.32.8.
gentium ſocietatem prohibet Deus Judæis, deut.7.1. & ſeq.
ne Gentium opera imitemur, epheſ.4.17.
gentes peccatores, gal.2.15.
gentium converſatio ante fidem, epheſ.2.2.
gentes dicuntur canes a Chriſto, matt.15.16.
gentes dimiſit Deus agere quod vellent, dans tamen eis pluvias, &c. uſque ad tempus, act.14.16.
gentium electio, pſal.17.v.48. pſal.2.v.8.
gentium converſio, iſa.2.2.
gentium vocatio per prædicationem, iſa.66.18.
gentes convertit Deus, act.11,18. c.14,27.
gentium ingreſſus in eccleſiam, matth.12,21. luc.2.32. act.28,28.
gentium ingreſſus fuerunt Samaritani, Joh.4.21.
gentium miniſter & doctor Paulus, rom.15.16. gal.1. 16. 1 tim.2.7.
gentibus datur Spiritus ſanctus, act.10,30.
gentes concives ſanctis, eph.2.13.
gentes ne glorientur ob ſuam electionem, rom.11.25.
gentes meminerint quales fuerint, epheſ.2.11.
gentes ex pura miſericordia laudant Deum, Judæi vero ex promiſſionibus, pſal.116. rom.15.9.
ex gentibus plures Chriſto credunt quam ex Judæis, iſa.54.3.
Giezi famul' Eliſei lepra percutitur, 4 reg.5,20.et ſeq.
gigantes in terra Chanaan, Num.13.34.
gigantes viri potentes, gen.6.4.
Gladio percutientes gladio peribunt, matt.26 52.
gladii jus, gen.9,6. exod.21,10.13. levit.24,17.
gladium quare portat magiſtratus, rom.13.4.
gladius ſpiritus aſſumendus, epheſ.6,17.
Gloria Domini in nube, exod. 16,7.10.
gloria Domini impletur templum, 3 reg.8,11.
in gloriam Domini electus Iſrael, deut.26.19.
in gloriam Dei infirmatur Lazarus, Joh.11,4.
gloria ſoli Deo debetur, phil.4,19.20.
in gloriam Dei omnia faciat fidelis, 1 cor.9.15.& ſeq.
gloria poſt tribulationes, 1 pet.1.11.
gloriam non quæſivit Paulus, 1 theſſ.2.13.
gloriæ inanis cupiditas fugienda, gal.5.26.
gloriam ab invicem quærentes non poſſunt Chriſto credere, Joh.5,44,12,43.
non gloriandum in ſuis viribus, aut in dono accepto, 1 cor.4,7.11,16.
gloriandum in Dei cognitione, jer.9.23.
ut glorificetur Deus, fiant opera noſtra, matt.5.16.
glorificandus Deus, exod.15.2. deut.28,28.
Godolias moritur, 4 reg.25.25. jer. 41,2.
Gog interitus, ezech.38.11.
Goliath interficitur a Davide, 1 reg.17,23.
Gomor quæ menſura ſit, exod.16.52.
Gomorrha comburitur, gen.19.24.
Gradus affinitatis in lege prohibiti, lev.18,6.
græci ſapientiam quærunt, 1 cor.1.22.
de grano frumenti cadente in terram, Joh.12.24.
gratia Dei redemptio, rom.7.27. epheſ.1.6.
gratia Dei ſalvamur, epheſ.2.8.
gratiæ Deo agendæ poſt cibum, deut.8.10. matt.26.27.
gratias agit Chriſtus, matth.15,36.
gratiæ Deo ſemper agendæ, epheſ.5,4.& 20.
gratis communicandum evangelium, matt.10.8.
gregem paſcens de lacte gregis manducat, 1 cor.9.7.
greges multiplicantur ſervantibus præcepta, deut.28.4
Gula opus tenebrarum, rom.13.13.

H.

HAbacuc paſcit Danielem, dan.14.32.
Habacuc Deo conqueritur de proſperitate malorum, habac.1.1.
habitant fideles confidenter, deut.33.28.
habitaculum Dei terra Chanaan, exod.15.13.
habitaculum Dei facti Chriſtiani per ſpiritum ſanctum, epheſ.2.20.
hæreditas levitarum Deus, deut. 18.2.
de hæreditate mortui abſque maſculo, num.27,7.8. & ſeq.
hæreditas Dei populus Iſrael, exod. 15.17.
hæreditas cœleſtis datur ex promiſſione & operibus, gal. 3.18. matt.25.40.tit.3.15. 1 pet.1.3.
hæres univerſorum Chriſtus, heb.1.3.luc.2.49.
hæreditatem non vult Chriſtus dividere inter fratres, luc.12.13.
hæreſes oportet eſſe, & quare, 1 cor.11,19.
hæretici vitandi, tit.3.10.
hæreſis phariſæorum, pro ſecta bona, act.26.1.
Hai urbs exploratur, ac poſtea ſuccenditur, joſ.7.8.
Haliæetum non comedunt Judæi, deut.14.12.
Hananiæ falſa prophetia, jer.28.1.
Hanon injuria in ſervos David, 2 reg.10.1. & ſeq.
in Haran qui et Charan moritur Thare, gen.11.31, et 32
Hazaelis regis Syriæ acta, 3 reg.19. uſque 4 reg.13.
Hebal mons ad maledicendum, deut.27.11,& 29.
hebdomadarum ſolennitas, exod. 34.22.
Hebdomadarum 70. viſio, dan.9,24.
Heber naſcitur, gen.10.24.c.11,14.
Hebræum ſe jactat Paulus, 2 cor.11.22.
Hebron quæ & Arbee, gen.35.27.
Hebron expugnatur a Joſue, omniaque occiduntur cum rege ipſorum, joſ.10,36.
Heli ſacerdos judicavit Iſrael 4. annis, 1 reg.1,2.3.4.
Heman cantor, 1 paral.6.33.
Hemor occiditur a Simeone & Levi filiis Jacob, gen. 34.26.
Henoch filius Cain, gen.4.19.
Henoch filius Jared tranſlatus a Deo, gen.5.18.
Her filius Judæ occiditur a Deo, gen.38,7.46,12.
herbæ verbo Dei creantur, gen.1.11.
Hermon mons qui & Sarion & Sanir, deut.3.8.
Herodes Aſcalonita occidit innocentes, mat.2.13.
Herodis Antipæ opinio de Jeſu, mat.14.1.& ſeq.
Herodes hic natalem ſuum celebrat, marc.6,16.& ſeq.
Herodem vocat Chriſtus vulpem, luc.13.33.

Herodes & ipſius exercitus ſpernunt Chriſtum, Luc. 23. 11.
Herodes Agrippa occiſo Jacobo Petrum recludit in carcere. Act. 12. 1.
Herodes hic a vermibus conſumptus expirat, Act. 12, 19. 10,
Hethæi penitus delendi, Deut. 20. 17.
Heva ſeducitur a ſerpente, Gen. 3.20. 2 Cor. 11, 3.
Hevæos jubet deus deleri, Deut. 20,17.
Hevæus induratus a Deo reſiſtit Iſraeli. Joſ. 11,19.
hilarem datorem diligit Deus, 2 Cor. 9.7.
in Hilaritate miſerendum, Rom. 12. 8.
Hiram regis Tyri acta, 2 Reg. 5. 3 Reg. 5, 1.9,11.
Hiram artifex ærarius eximius, 3 Reg, 7.13.
hircus peccatis populi onuſtus, in deſerta emiſſus, Lev. 16,15.
Hobab qui & Raguel ſocer Moyſi. Num. 10. 29.
hædus in lacte matris non coquendus, Exod. 23. 19.
hædi a Chriſto vocantur maledicti, Matt. 25.32.
holocauſti lex, Lev. 6, 9.
holocauſtum devorat ignis a Domino, Leu. 6,26.
Holofernis acta ſcribuntur, Judith 7. uſque ad 15. cap.
homicidii ultor Deus, Gen. 9,5.
homicidii lex, Num. 35.19. Exod. 21. 12.
homicida voluntarius occidendus, non autem involuntarius, Deut. 19,3.
homicida diabolus ab initio, Joh. 8,44.
homo ad imaginem Dei factus, Gen. 1,26.
homini formato datur anima vivens. Gen. 2, 7.
homo pulvis, Gen. 3, 19.
homini dat Deus vim generandi, Gen. 1.28
homini providet Deus de victu, Gen. 1, 29.
homo addicitur labori, Gen. 3. 27.
homini omnia ſubjecta, Gen. 1,29.9,1.
homo in manu Dei, ut lutum in manu figuli Jer. 18,6.
hominis fragilitas prædicatur, Eſa. 40,6.
hominis cor novit Chriſtus, Joh. 2.25.
homines natura filii iræ, Eph. 2, 3.
homo dividitur in ſpiritum, animam & corpus, 1. Theſſ. 5,23.
homo primus, Adam: ſecundus Chriſtus, 1 Cor. 15,45.
homo Dei, Moyſes, Deut. 13. 3. Joſ. 14. 7.
homo exterior, corpus, 2 Cor. 4,16.
honor tribuendus, cui debetur, Rom. 13. 7.
honor credentibus in Chriſtum, 1 Pet. 2. 7.
honoremus omnes propter Deum. 1 Pet. 2. 13.
honore invicem præveniamus, Rom. 12,10.
honorificans Deum, eique fidens honoratur ab eo, 1 Reg. 2, 30.
honorificat patrem Chriſtus, Joh. 8, 49.
horæ diei duodecim, Joh. 11,9.
Horeb mons, qui & Sinai, Deut. 1,2.
horrea benedicuntur obedientibus Deo, Deut. 28, 3.
Horrendum incidere in manus Dei. Heb. 10,27.
Horrhæi expulſi a filiis Eſau, Deut. 2. 22.
hoſpitales ſimus invicem, Rom. 12.13.
hoſpitalitas Abrahæ & Lot, Gen. 18, 3. 19, 2.
hoſpitalis Martha Chriſtum ſuſcipit, Luc. 10, 38.
de Hoſtiis variis, lege Leviticum.
hoſtia munda, gentium, Malac. 1, 11.
hoſtiæ & munera Chriſtum ſignificabant, Heb. 6, 18. 19.
hoſtiam obtulit Chriſtus ſeipſum, Heb. 7. 27.
hoſtias rejicit Deus unica Chriſti hoſtia contentus Heb. 10, 5.
hoſtia laudis offeratur per Chriſtum, Heb. 13. 15.
hoſtibus tradit Deus inobedientes, Deut. 28. 25.
hoſtibus ſuis vindictam retribuit Deus, Deut. 32,41.
Humanæ vitæ vanitas. Pſal. 38. v. 8. 9.
Humilitatis laus, Prov. 10, 15.
humilibus & inferioribus ſe accommodandum, Rom. 12, 16.
humiles & coram mundo abjectos exaltat Deus, Luc. 1, 51.
humilium & afflictorum conſolator Deus, 2 Cor. 7,6.
qui ſe humiliat exaltabitur, Matt. 23. 12.
humilibus dat Deus gratiam, 1 Pet. 5. 5.
humiliemur ſub potenti manu Dei. 1 Pet. 5, 6.
ad humilitatem cordis invitat Chriſtus, Mat. 11,28. Luc. 14,8. ſic & Paulus Eph. 4, 2.
Hydropicus ſabbatho ſanatur a Chriſto, Luc. 14, 2.
hypocriſis, Prov. 12. 20. 30, 11.
hypocritarum cæcitas, Malac. 3, 5.
hypocritæ Judæi convincuntur, Jerem. 2. 13.
hyſſopi faſciculus, Exod. 12, 22.

I.

JAbel invenit tentoria, gen. 4. 20. & ſeq.
Jabes Galaad habitatores, Jud. 21. 8. 1. reg. 11, 1. 31, 11.
Jabin rex Chanaan, Jud. 4.1.
Jacob nativitas & acta, Gen. 25. uſque 49.
Jacob dilectus a Deo, rom. 9.13. malac. 1. 2.
Jacobi & Joannis vocatio, mat. 4. 21.
Jacobo viſus Chriſtus poſt reſurrectionem, 1 cor. 15. 15.
Jacobus frater Joannis occiditur, act. 12,2.
jactantia fugienda. prov. 25,6.
Jahaziel propheta, 2 paral. 20.14.
Jahel uxor Heber occidit Siſaram, judic. 4,16.
Jair judex in Iſrael, judic. 10.4.
Jairi principis ſynagogæ filiam ſuſcitat Chriſtus, mat. 9, 18.
Jannes & Mambres reſtiterunt Moyſi, 2 tim. 3, 8.
Japhet generatio, gen. 9,23.10,1.
Jared ætas 962. anni. gen. 5, 15. 18, & 20.
Ibin non comedunt Judæi, deut. 14. 16.
Ichabod naſcitur, 1 reg. 4.21.
in Iconio prædicat Paulus, act. 14. 1.
in Ictu oculi reſurgent mortui, 1 cor. 15. 52.
Idola gentium ſtulta, Iſa. 49, 7.
idola unde traxerint originem, ſap. 14. 8, 11, 12,27, 29, 30.
idolorum nulla potentia, iſa. 44. 9. 1 cor. 8. 1.
idolum non faciendum, lev. 26, 1.
idola fugienda, deut. 18, 19, 20.
idolorum ac idololatrarum ſubſannatio, ſap. 13. c. 15. 16. iſa. 40,18. 41,22.23.44,19.
idololatra occidendus, Exod. 22,18.
idololatriæ mala, ſap. 14. 30.
idololatriæ abominationes, Ezech. 8. 3. & ſeq.
idololatriam omnem abjiciamus. 1 cor. 10, 7.
idololatræ non ſalvabuntur, 1 cor. 6. 9. & ſeq.
de idolothytis, 1 cor. 8, 1. 4.
Idumæi non abominandi, deut. 23. 7.
Idumææ vaſtatio, amos, 6. iſa. 11. 14.
Jebus quæ & Jeruſalem, Joſ. 18. 28.
Jebuſæos vult Deus penitus deleri, deut. 20,17.
Jehu regis Iſrael acta. 3 regum 19. uſque 4 regum 10. 31. 16,12.
Jehu propheta occiditur a Baaſa, 4 reg. 15, 28.
jejunium quomodo faciendum, mat. 6. 16.
jejunium quod optat Dominus, Iſa. 58. 5, & 6.
jejunio & oratione ejicitur dæmonium, mat. 17. 21.
jejunium ſine operibus miſericordiæ non eſt gratum, Zach. 7,6.8. iſa. 58.3,5.
jejunium prædicat Joſaphat populo, 2 par. 20,3.
jejunio animam ſuam humiliavit Chriſtus, pſalm. 34. v. 16.
jejunavit Chriſtus diebus, matth. 40. 4. 2. ſimiliter Moyſes, Exod. 34, 28. item Elias, 3. reg. 19, 8.
jejunant & orant Paulus & Barnabas, act. 14,23. jejunant & Iſraelitæ, judic. 20, 26. item David, 2 reg. 1.12. & 12, 16. viri jabes, 1 reg. 31. 13. Achab, 3 reg. 21.27. judith, 8.6. Eſther, 4. 16. Sara, tob. 3. 10. Anna vidua, luc. 2.37. Eſdras 1. Eſdræ 8. 23. Ninivitæ. jon. 3. 5.
quod non jejunent reprehenduntur apoſtoli a Phariſæis. Mat. 9.14.
jejunium proprium non objiciendum Deo, iſa. 58,4.
Iephte acta. jud. 11. 12.
Ieremiæ genus & acta leges in prophetia ipſius.
Ieremiæ perſequutio, Eccle. 49,8.
in Iericho mittuntur exploratores, joſ. 2. 1. & ſeq.
Iericho deſtruitur, joſ. 6. 1. & ſeq.
Iericho urbem reædificavit Hiel, 3 reg. 16. 34.
Ierobaal quare vocatus Gedeon, jud. 6. 32.
Ieroboam acta, a 3 reg. 11. uſque ad 15. caput.
Ieroboam idololatria, Eccl. 47, 28.
Ieruſalem quæ & Iebus, joſ. 15.8. expugnatur a Iuda judic. 1. 7.
contra Ieruſalem prophetant iſaias, jeremias & ezech.
Ieruſalem transfertur in Babylonem, 4. reg. 24, 14.
Ieruſalem reſtauratur, 2 eſd. 3. 8.
in Ieruſalem moriturus Chriſtus, luc. 13,22,32,34.
Ieruſalem chriſtus ingreditur, mat. 23.42.
Ieruſalem futurum excidium ob contemptum chriſtum mat. 23, 37.
Ieruſalem deplorat chriſtus, mat. 23. 30.
Ieruſalem civitas nova, Pſal. 86. apoc. 3.12. c. 21,2.
Ieruſalem ſuperna & cæleſtis, galat. 4, 21.
Ieſus filius Ioſedech, zach. 3. 1. hag. 1, 1.
Ieſus chriſti & meſſiæ nomen, mat. 1. 16. luc. 1. 31.
ad Ieſu nomen omnia ſe ſubjiciunt, Philip. 2, 10.
Ieſum ore confiteri oportet, rom. 10, 9.
Ietro ſocer Moyſi, exod. 3,1. c. 18, 1.
Iezabel impia acta. 3 reg. 16,18.19.21 : 4 reg. 9,30.
de igne egreſſo acervos frugum comburente, exod. 22,6.
de igne in puteo recondito, 2 mach. 1. 18.
per ignem filios conſecrant Iudæi, 4 reg. 17, 17. idem fecit achaz 4 reg. 16.4. quod prohibetur, deut. 18,10.
ignis non accendebatur in ſabbatho, exod. 35, 3.
ignis perpetuus, levit. 6, 13.
ignis conſumpturus adverſarios fidei, heb, 10,27.
ignis columna deducens Iſraelem, exod. 40,38.
ignea lex, deut. 33, 2.
igneis ſerpentibus percuſſi Iſraelitæ, num. 21,6.
igneo curru tollitur Elias, 4 reg. 2, 11.
ignobiles qui Deum contemnunt, 1. reg. 2, 30.
ignobilia mundi elegit Deus, 1 cor. 1, 28.
ignoti habiti apoſtoli cum maxime noti eſſent Deo, 1 cor. 10, 3.
Illuditur chriſtus, mat. 27, 29.31.
Imago nulla viſa quum daretur lex. deut. 4,16.
imagines gentium ſubverti præcepit Deus. deut. 7, 5.
ad imaginem Dei factus homo, gen. 1,27.
imago Dei chriſtus, 2 cor. 4, 4.
imago Dei & gloria, vir 1 cor. 11, 7.
imitandus Deus, ephe. 5,1.
imitator Chriſti Paulus, 1 cor. 4,17.
imitari Paulum quomodo oporteat, 2 theſſ. 3, 7.
immaculata Dei via, 2 reg. 22, 31.
immiſericordes Socothitæ & Phanuelitæ puniuntur. jud. 8, 16.
immolans diis occidatur, exod. 22. 20.
immortalis Deus, 1 tim. 1. 17.
mortalis fuiſſet Adam, ſi de ligno ſcientiæ non ediſſet, gen. 2, 17. 3,19.
immunda animalia, deut. 14. 3. lev. 11. 4.
immundum non tangendi lex, num. 19, 13.
immunditia omnis ne nominanda quidem. eph. 5. 3.
imperium Dei contemnentes puniuntur, num. 14,44.
imperium datum chriſto, 1 reg. 2, 10.
impius non credens evangelio, 1 pet. 4. 14.
impii & infidelis deſcriptio, pſalm. 1.
impiorum proſperitas ac repentinus interitus, job. 21. 7, 16. 17.
impii dicuntur a chriſto ſcandala, mat. 12. 41.
impii chriſtum negantes quales ſint, judæ 8, & ſeq.
impiorum gemitus in extremo judicio, ſap. 5. 2. & ſeq.
impiorum noviſſima, pſal. 72. v. 18.
impiorum cæcitas iſa. 27, 4.
Incantatores nulli ſint, deut. 18.11.
incantatores Pharaonis a Deo percuſſi, exod. 7, 11.22.
Incarnatio chriſti, gaudium fidelium, ſa. 4,2.
Incedit Deus adverſum nos quando punit, lev. 26,20. & ſeq.
incenſa, orationes ſanctorum, apoc. 8 ,3 . 4.
de Inceſſus cuſtodia, prou. 4, 26.
inceſtus Lot cum filiabus, gen. 19, 33. 34.
incidebant ſe ſacerdotes Baal, 3 reg. 18,28.
incircunciſus non manducat Phaſe, exod. 12,45. 48.
incircunciſa mens, lev. 26,41.
incircunciſus labiis Moyſes, exod. 6, 12.
inclinanda corda ad Deum, joſ. 24,43.
inconſtantia, ubi contentio, jac. 3. 16.
incredulitate abjecti Judæi, rom. 11,20.23.
increduli non ingrediuntur regnum, heb. 3. 19.
incredulitatem apoſtolorum increpat chriſtus, Mat. 16, 14.
incredulitatem ſuam ut adjuvet, orat chriſtum pater dæmoniaci. mat. 9.24.
increduli Nazaræi. mat. 13. 58.
indignatio tollenda a nobis, eph. 4, 31.
indulgentia Heli erga liberos, 1 reg. 2,29.3,13.
induimus chriſtum per baptiſmum, gal. 3, 27.
ut induamus chriſtum exhortatio, rom. 13, 12.
ne induremus corda noſtra adverſus proximum. deut. 15, 7.
indurat Deus quem vult, rom. 9, 18.
induravit Deus hevæos, joſ. 11, 20.
induravit Deus cor Pharaonis, exod. 7. 8. 9. 11. 14. 18.
induratur a Deo cor Sehon, deut. 2, 30.
per Infamiam & bonam famam exhibeamus nos Dei miniſtros, 2 cor. 6. 4.
ſicut infantes modo geniti ſimus, 1 Pet. 2. 2.
infantibus ſimiles nos eſſe oportet, mat. 19.13. & ſeq.
infernus deſcribitur, iſa. 30. 33.
inferorum poteſtates non prævalent fidei, mat. 16, 18.
infidelium mentes a ſatana excæcatæ, 2 cor. 4.4.
cum Infidelibus nullum commercium habendum, 2 cor. 6, 15.
infirmitates inobedientibus Deo, deut. 7. 15 : 28. 59. exo. 23. 25.
infirmitates non inducit Dominus iis qui cuſtodiunt præcepta ipſius. deut. 7. 15. & ſeq.
in infirmitate Deus orandus, eccl. 38,21.
infirmus fide olus manducat, rom. 14. 2.
infirmi fide tolerandi, rom. 14.1. cor. 8. 10. 11.12. 1 theſſ. 5. 14.
infirmitatibus noſtris compatitur chriſtus, heb. 4, 15.
infirmitates ob peccata immitti, joh. 5. 9. matt. 9.35.
infirmitates ad ſolam Dei gloriam quandoque immittuntur, joh. 9,11. 4.
infirmus presbyteros accerſat. jac. 5. 15.
infæcunda nulla, ſi obediatur Deo, exod. 23. 26.
ingemiſcit omnis creatura, rom. 8.22.
Ingratitudo Laban, gen. 31. 7. item pincernæ Pharaonis,

nis, gen. 40. 23. filiorum Ammon, 1 reg. 11. 2. Saulus, 1 reg. 19. 20. Nabal. 1 reg. 25. 10. Judæorum, ezech. 20, 8. iſa. 3, 3. mich. 6. 11. oſee, 13, 6. Jeruſalem, ezech. 16, 15. matth. 23. 33, 36. & ſequ.
ingredi viam univerſæ terræ, pro mori, 3 reg. 2. 2.
inimici diligendi, mat. 5. 43. prov. 25, 21.
de inimici malo non gaudendum, prov. 24, 17.
inimicum non ulciſcitur David, 2 reg. 16. 11. parcit & inimico Sauli, 1 reg. 24,7.26,9.
inimicos cibat rex Iſrael, 4 reg. 6, 23.
pro inimicis orat chriſtus, luc. 23, 34.
inimicos ſuos reconciliavit ſibi Deus, coloſ. 1. 21.
iniquitates aufert Deus, deut. 34,1.2.3. &c.
iniquitates hominum deſcribit job, job. 24. 1. & ſeq.
ſuper iniquitate non gaudet charitas, 1 cor. 13, 6.
iniqui non ſalvabuntur, 1 cor. 6. 9.
injuria propria non ulciſcenda, mat. 5, 39.40.
injuriæ ne ſimus memores, lev. 19, 18.
injuriam Joſeph remiſit fratribus, gen. 45. 50, 51.
injuriam Semei fert David, 2 reg. 16, 10.
injuſtitiam abominatur Deus, deut. 25, 16.
innocens nullus apud Deum, exod. 34,7.
innocentia Samuelis, 1 reg. 12, 3.
innocentiam ſuam oſtendit job, job. 31, 1. & ſeq.
inobediens ſacerdoti punitus, deut. 17, 12.
inobedientibus verbo Dei maledict. deut. 28. 15. 3 reg. 13. 19, 20.
inobedientia Adæ nos peccatores conſtituit, Rom. 5. 19.
Inſatiabilia tria & quartum inexplebile, prov. 30.16.
inſons non occidendus, exod. 23, 7.
ut intelligant Iudæi optat Deus, deut. 32,29.
intelligentia replentur artifices, exod. 31, 3.
cor intelligens Dei erga ſe beneficia, deut. 29,3.
intercedit Abraham pro Sodomitis, gen. 18, 24.
interceſſor noſter Chriſtus, rom. 8,34.
interficiuntur idololatræ a Levitis, exod. 32.27.
interpretatio ſomniorum eſt Dei, gen. 40, 8.
interpretatio, donum Dei eſt, & a ſpiritu Dei, 1 cor. 12, 10.14, 12. & ſeq.
interrogandus Deus in infirmitatibus, 4 reg. 1. 16.
invident Palæſthini puteos Abrahæ, gen. 26,14.
invidi filii Laban ob divitias Iacob, gen. 31, 1.
invidia filiorum Iacob in Ioſeph fratrem, gen. 37, 8.
invidet Saul laudem victoriæ Davidi tribui, 1 reg. 18, 10.
invidi fugiendi, prov. 23, 6.
invidit nemini charitas 1 cor. 13, 4.
invidia rejicienda, gal. 5.21. 1 pet. 2, 1.
invocatus deus in tribulatione exaudit, 2 reg. 22,4.
invocantibus deum, ſalus, rom. 10. 12.
invocandus deus corde puro, 2 tim. 2.22.
invocare nomem dei ſuper aliquem, num. 6, 27.
invocantes Baal irridet Elia, 3. reg. 18, 24. 25.
Ioab principis militiæ David acta, 2 reg. 3, 24.11,14. 1.20. 18.10,11, 19.5.3 reg. 1, 1. 2.5.& ſeq.28.
Ioachaz acta, 4. reg. 10, 13. 23.
Ioachin ſuccedit fratri Ioachim, 4 reg. 24, & ſeq.
Ioas pater Gedeonis, Iud. 6, 29.
Joas filius Ochoziæ, & Ioas fil. Ioachaz, 4 reg. 11, 12. 13. 14.
Ioatham filius Gedeonis, jud. 9, 5.7.
Ioatham regnat pro Azaria, 4 reg. 15. 30, 32, 36.
Iob vitam & acta habes in libro ipſius : cujus patientiam imitari debemus, jac. 5, 11.
Iochabed uxor Amram, exod. 6, 20.
Iohanan acta, jer. 40,41.42.43.
Iohanna uxor Chuſæ Chriſtum ſequitur, luc. 8, 3.
Ioannis baptiſtæ nativitas, acta, & mors, luc. 1, 3. matth. 3, 11. mar. 9. johan. 1,3.
Iohannes hortatur ad pœnitentiam, Chriſtum veniſſe ſalvatorem annuntians, matt. 3, 1.
Iohannes evang. & Iacobus vocantur a Chriſto, mat. 4. 21.
Iohannes & Iacobus cupiunt ut ignis in Samaritanos deſcendat, luc. 9. 54.
de hoc Iohanne multa apud Evangeliſtas, item in apocalypſi, & in epiſtolis ipſius.
Iohannes Marcus miniſter Pauli, act. 13, 5.
de Iojade pontifice, vide 4 reg. 11. 4,17.
Ionadab filius Semmaa prudens ſecundum carnem, 2 reg. 13. 3.
Ionadab filius Rechab, pius, 4 reg. 10. 15, 18. & ſeq.
de Iona, vide ipſius prophetiam.
Ionæ ſigno oſtendit chriſtus ſe tertio die reſurrecturum, mat 12, 39.
Ionathan filius Gerſon, jud. 18,30.
Ionathæ filii Saulis acta & mors, 1 reg. 14, 18. 19. 20. 31.
Ionathas frater Iudæ dux Iudæorum, 1 mach. 9.11.12.
Ioppitarum facinus in Iudæos, 2 mach. 12, 3.
Ioram regis Iudæ acta, 3 reg. 22. 4 reg. 8.16, 21.
Ioram frater Ochoziæ, 4 reg. 1, 17.
Ioram filius Achab impius, 4 reg. 2.6.8.9.
Iordanis terra irrigua, gen. 13,10. & ſeq.
per Iordanem ſiccum tranſeunt filii Iſrael, joſ. 3.15.
in Iordane lavatur Naaman, 4 reg. 5.10,14.
Ioſaphat pius rex Iudæ, 3 reg. 15. 22. 4 reg. 3. 17.
Ioſeph filii Iacob acta, a 30. gen. ca. uſque ad finem libri.
Ioſeph fides, heb. 11. 21. ejuſque commendatio. eccl. 49, 17.
Ioſeph ab Arimathæa diſcipulus chriſti, mat. 27, 57.
Ioſeph cognominatus Barſabas, act. 4, 36.
Ioſiæ regis Iudæ prænuntiatio, acta & mors, 3 regum, 13, 2. 4 regum 21, 24. c. 22. 23.
Ioſue acta vide, exod. 17,9. c. 24,13.32,17. num. 11, 28.13,14. deut. 1, 38. & toto libro Ioſue.
Ioſue laudes. eccl. 46, 1.
Iram Dei timens Moyſes orat pro populo, deut. 9.19.
ira Dei ſuper omnes deſævit uno peccante, joſ. 22,18.
iram furoris Dei facere, 1 reg. 28, 18.
iratus Deus claudit cœlum, deut. 11, 16.
iræ Dei in populum cauſa, deut. 29, 25.
ira Dei ſuper incredulos. coloſ. 3, 8.
iræ Dei filii ſumus natura. epheſ. 2. 3.
ab Ira ventura liberati ſumus per chriſtum, 1 theſ. 1. 10.
ad iram & ad loquendum tardi ſimus, jac. 2, 19.
ira abjicienda, rom. 12, 19.
ad iram provocarunt Deum Iudæi, num, 11, 1.16, 1. 21,1. deut. 9, 17.32,27.
qui iraſcitur fratri, reus eſt judicio, matt. 5. 22.
cum iracundo non ſit tibi amicitia, prov. 22. 24.
cum iracundo non rixandum, eccl. 8. 9.
ire ad patres, pro mori, gen. 15, 15.
ire vel venire ad chriſtum, credere ei, joh. 6, 29.
Iris in nubibus, gen. 9. 14.
irridet Elias deum Baal, 3 reg. 18, 27.
irridentes pueri Eliſeum devorantur, 4 reg. 2,23.
irridetur chriſtus joha. 19, 3.
non irritatur charitas, 2 cor. 13.5.
Iſaac filii Abrahæ prænuntiatio, nativitas & acta, gen. 15,1.17,19.18,6. & 21. uſque ad 27. caput.
Iſaac commendatio, eccleſ. 44. 24.
Iſai pater Davidis, ruth. 4, 17. 1. reg. 16. 17, 3. 1 Paral. 2, 12.
Iſaiæ prophetæ acta, 4 reg. 19,20. Iſ. 1. 6.
Isboſeth acta & mors, 2 reg. 2.3.4.
Iſmaelis vita, gen. 16. 17. 21. 25.
Iſraelem vocat Deus Jacob, gen. 32, 32.
Iſraelitarum ſeu Judæorum vita deſcribitur quinque Libris Moyſi, Joſuæ, Judicum, regum, Eſdræ Machab.
Iſrael quare in populum Dei aſſumptus, & quare rejectus, jer. 13, 11.
Iſraelis ultima converſio & exaltatio, oſee. 2, 16. ſophoniæ. 3,8. mich. 5. 7, 8.
qui Iſraelitæ veri, rom. 9. 6.
Iſrael Dei, chriſtiani. gal. 6.16.
Iſraelita verus Nathanael, joh. 1.49.
Iſrael eſt inexcuſabilis. rom. 10, 19. 21.
Iſraelis excæcatio quare facta, qui tamen poſt gentium plenitudinem ſalvus erit, rom. 11, 25.
Iſraelitæ quare ad juſtitiam per legem non pervenerunt, rom. 9, 31.
Iſſachar, filius Jacob, gen. 30,18.49,14.
Itineris Jacob comes Deus, gen. 28,12,13.35,3.
itineris filiorum Iſrael dux fuit Deus diu ac noctu, exod. 13,21. Jubal citharæ inventor, gen. 4, 21.
Jubilæus annus, levit. 25. 10.
Juda filius Liæ naſcitur, gen. 29. 35.
Judæ conjugium & inceſtus, gen. 38. 1,15.
Judæ ſupra omnes fratres datur regia poteſtas, gen. 49, 8.
Judæ filiorum genealogia, 1 par. 4, 1.
Judæ & Jeruſalem perditio, 4 reg. 21, 11. 23, 26.
Juda dux belli conſtituitur, Jud. 1, 2.
de Juda proditore conqueritur Chriſtus, pſal. 54.
Judas Chriſtum tradit, joh. 18, 2.
Judam proditorem facti pœnitet, mat. 27, 3.
Judas ſuſpenſus crepat medius, act. 1. 16.
de Juda machabæo vide libros machabæorum.
Judæi ex medio nationum ſeparati a Deo in populum ipſius, deut. 4. c. rom. 9. 1.
Judæorum gens obſtinata, iſa. 48. 4. act. 7, 51.
Judæi transferuntur in Babylonem, 4 reg. 25.25.
Judæ & Iſraelis unio, ezech. 37. 16.
Judæ reductio a captivitate, oſee. 6. 11.
Judæorum reliquiæ ſalvandæ, iſa. 10. 21,22.
Judæorum & gentium unio in chriſto, iſa. 19. 23. & ſeq.
Judæi ſub Moyſe baptizati in nube, & in mari, 1 cor. 10. 2.
Ex Iudæis ſalus, Chriſtus, Ioan. 4.22. rom. 9. 5.
ut Iudæos ſalvaret, miſſus chriſtus, mat. 15. 24.
ad Iudæos primum mittuntur Apoſtoli, mat. 10,5.
Iudæi chriſtum Iona et Salomone majorem non audiunt, mat. 12. 41, 42.
Iudæos regno ejiciendos ſuſceptis gentibus oſtendit Chriſtus parabola vineæ, mat. 21, 41.
de Iudæis eſt maxima pars eorum quæ in evangeliis & epiſtolis ſcripta leguntur.
Iudææ captivitas prophetatur, oſee. 8,3. amos 2, 44.
judicat Moyſes populis lites, exod. 18, 13.
in judicio non acquieſcendum plurimorum ſententiæ, ut a vero recedatur, exod. 23,1.
judicii æquitas, exo. 23.2,3,6. levi. 19,35. 24,22.
judicabant juxta legem judices, deut. 17, 8.
judicio non contendendum chriſtianis, matth. 5, 40. 1 corinth. 6, 7.
judicat omnes mortales Deus, gen. 18, 25.
judicat Deus ſecundum corda, non ſecundum faciem, 1 regum 16, 7.
judicium pro afflictione, frequens, ut, 1 pet. 4.17.
Iudicatus eſt qui Chriſto non credit, joh. 3. 18.
Iudicabitur quiſque ſecundum opera ſua, matt. 16. rom. 2. 12. 2 cor. 5. 10.
judicium generale, iſa. 2,12. 27,1.
judicium extremum ſigna præcedent, mat. 24, 15.
ad judicium Chriſtus cum angelis venturus, mat. 25, 31.
Iudicia Dei admiranda ſap. 16.18.
Iudicia Dei juſta, vera, & incomprehenſibilia, rom. 11. 33. apoc. 16.7.
judicaturi Apoſtoli duodecim tribus, mat. 16, 27. 19. 28.
judicare fratrem non oportet, mat, 7. rom. 14, 10. 13.
non judicandum ſecundum faciem, johan. 7. 24.
judicis officium, exo. 33, 1.
judici non obediens occiditur, deut. 17. 12.
judex ne accipiat perſonas, lev. 19, 15.
judicibus non detrahendum, exod. 22. 28.
judex vivorum & mortuorum Chriſtus, act. 10, 42.
Iudith viduæ acta, Iudith 8. uſque ad finem libri.
jugum ferreum Inobedientibus deut, 28, 48.
jugum ſuave chriſti ferendum, matt. 11,29.
juramentum ſuum cuſtodit Deus, deut. 7,8. luc. 1.73.
juramentum factum Gabaonitis, & a Saule violatum, punitionem adfert, 2 reg. 21, 2,
jurat Paulus ad aliorum utilitatem, 2 cor. 1. 17.
non Jurandum per nomen Idolorum, exod. 23, 13. ſed per nomen Dei, deut. 6,23.10,20.
non Jurandum fruſtra, deut. 5. 11.
jurantibus in nomine Domini mendaciter, maledictio, Zac. 5. 3.
jusjurandum exigit Judex a fure, exo. 22. 11.
juramentum in controverſiis, heb. 2. 6.
cum Iuramento negat Petrus chriſtum. matt 26, 72.
non jurandum omnino, matt. 5, 34. jaco. 5,12.
jus gladii, gen. 9. 6. matt. 26, 19.
jus belli in expugnandis urbibus, deut. 20. 10.
jus publicum non violandum, prov. 16, 15.
jus publicum Dei opus eſt, prov. 16,15.
juſtitia & mandata Dei facienda, deut. 27. 10.
juxta Iuſtitiam retribuit Deus cuique, 1 reg. 26. 23.
juſtitiæ victimas immolare, deut. 13, 19.
juſtitiæ Dei comparatione nulla eſt hominis juſtitia, job, 4, 17. 9, 2. 25, 4.
juſtus nemo ſi Deo comparetur, job. 4. 17. pſal. 142. v. 2.
juſtitia noſtra a Deo eſt, per fidem in chriſtum, phil. 3. 9.
pro Iuſtitia ad mortem uſque certandum, eccl. 4. 33.
juſtitiam qui facit ex Deo natus eſt, 1 joan. 2.29.
Iuſtificamur quomodo, tit. 2, 12.3,7. act. 13,31.
juſtificamur fide in chriſtum, rom. 4. 5.
non juſtificamur ex operibus legis, gal. 3, 8.
juſtificati ſecundum chriſtum ambulent, rom. 8. 34.
juſtificamur & condemnamur ex verbis noſtris, mat. 12, 37.
juſtus Deus, deut. 32. 4.
juſtus chriſtus, 1 pet. 2. 20.
juſti & beati, pſal. 31. rom. 4.3.
juſto non eſt lex poſita, gal. 3, 11.
juſtus fide vivit, Heb. 10, 38.
juſtus vix effugit tribulationes, 1 pet. 4,18.
juſtificatus publicanus, luc. 18, 9.
juſtus primum accuſator ſui, prov. 18.17.
juſti poſt judicium ut ſol fulgebunt, matt. 13. 49.
juſto avertenti ſe a via recta, mors, Ezech. 18. 26.
juſtorum finis incognitus, iſa. 57. 1.
juſti judicabunt impios, prov. 14, 19.
Iuvenum ſequutus conſilium Roboam, punitur, 3 reg. 12, 10. 14.
juvenes quales eſſe debent, tit. 2. 6.
juvenilia deſideria fugienda, 2 tim. 2. 22.
a juventute benefaciendum, eccle. 11,9.12,1. thren. 3.

L.

LAban fratris Rebeccæ acta, gen. 24, 32. uſque ad 31. cap.
labiorum fructus, laus Deo exhibita, heb. 13. 5.
labor perpetuus hominis vita, job, 7,1.
labori homo addicitur, gen. 3, 17.
laboribus propriis vivendum, prov. 6.6.1 theſſ. 4.1.
qui non Laborat, non manducet, 2 theſſ. 3.8,12.
laborat manibus Paulus, 1 cor. 4.9,12. act. 18,3.
labore omnia florent, prov. 14, 4.
labores manuum ab aliis comeduntur, iis qui Deo ſunt inobedientes, deut. 28, 17.
laborantes & onuſti peccatis accedunt ad Chriſtum mat. 10. 10.
lacte fluit terra Chanaan, exod. 3, 8.
lac & butyrum peregrinis apponitur, gen. 18,8.
lacte opus parvulis, heb. 5, 12.
lac rationabile concupiſcamus, 1 pet. 2. 2.
lactat filium ſuum Anna, 1 reg. 1,23.
lachrymis pedes Chriſti rigat peccatrix, luc. 7, 38.
cum Lachrymis monet Paulus fratres, act. 20.19,31.
lætatur Deus benefacere nobis, deut. 28, 63.
lætitia obedientibus Deo, deut. 16, 15.
Laganorum oblatio, levit. 2,4.
Laici panes quibus veſci omnibus licebat, 1 reg. 21,4.
Lais habitatores occiduntur, judic. 18, 29.
Lamech bigamus & homicida, gen. 4, 23.
lamentatione ſua Johannes non pellexit Judæos ad pœnitentiam, matt. 11, 17.
laminæ ſacræ forma, exod. 26,29.
langnores inobedientibus Deo, deut. 28, 61.
lapides pluit, joſ. 10, 11.
lapidem erigit Jacob in titulum gen. 28,18.
lapides collecti in acervum in teſtimonium fœderis, gen. 31. 45, 46.
lapis vivus Chriſtus, mat. 21. 42. 1 pet. 2. 7. pſal. 117. v. 21.
lapis offenſionis Chriſtus, 1 pet. 2,8.
lapides vivi Chriſtiani, 1 pet. 2. 4.
lapidatur Naboth innocens, 3 reg. 21. 10, 14.
lapidatur Paulus, act. 14, 19.
lapidare volunt Chriſtum Judæi, Ioan. 8, 5,
lapidetur filius inobediens, deut. 21, 21.
lapidetur blaſphemus: lev. 24,14. ſimiliter is qui ligna ſabbatho collegit, num. 15, 35.
lapidetur qui dat de ſemine ſuo Moloch, lev. 20, 2.
lapidetur abducens a fiducia in Deum, quantumuis amicus. deut. 13, 6.
Laquei mortis, 2 reg. 22,6.
Latitudo cordis datur Salomoni, 3 reg. 4, 29.
Latro alter cum Chriſto pendens ſalvatur, luc. 23.39.
Latus Chriſti aperitur, joan. 19,34.
lavacro regenerationis ſalvamur, tit. 3,5.
laus noſtra Deus, exod. 15,2. deut. 10,21.
in Laudem ſuam elegit nos Deus, deut. 26, 19.
laudant aſſidue Deum Apoſtoli, luc. 24, 53.
laudis hoſtia offerenda per Chriſtum, heb. 13,15.
laudes immodicæ, ſuſpectæ, prov. 28. 21.
lavatur David & ungitur relicta ſui afflictione, 2 reg. 12, 20,
lavabantur pedes hoſpitio ſuſceptis, judic. 19, 21.
lavabant judæi mortuos, act. 9.37.
de Lazaro quem ſuſcitavit Jeſus, joan. 11, 1. & ſeq. c. 12. & ſeq.
Lebua expugnatur, joſ. 10.29.
Legatione pro Chriſto fungitur Paulus, 2 cor. 5,20.
leones in gentes impias immiſſi, 4 reg. 17. 25.
leonem occidit Samſon, judic. 14. 6. item David, 1 reg. 17. 34.
a Leone percutitur inobediens propheta, 3 reg. 20. 36.
leo de tribu Juda, apoc. 5, 5.
a Lepra cavendum, deut. 24.8.
lepræ a lepra diſtinctio, levit. 13,14.
leproſi Samaritani ſaturantur, 4 reg. 7. 3, 8.
leproſus a Chriſto ſanatur, mat. 8, 2. & ſeq.
leproſi decem ſanantur, luc. 17, 12.
leporem non comedunt Judæi, levit. 11, 6.
levare manum in cœlum ſolebant juraturi, gen. 14, 22. deut. 32, 40.
Levi naſcitur, & occidit Sichimitas, gen. 29, 34. 34, 25.
Levitæ electi in miniſterium Dei, nume. 3.39,40.
de Levitis multa in exodo, levitico, num. & denteromio.
a Levitis interfecti idololatræ, exod. 32, 27.
in Levitarum locum filii Joſeph, joſ. 14. 3,4.
lex ignea, deut. 33,2.
lex cum datur, terrentur Iſraelitæ, exod. 19, 13. 20, 18.19. deut. 5,23. & ſeq.
lex injuſtis, homicidis, &c. poſita, 1 tim. 1.7. & ſeq.
varias Leges populo Iſraelitico datas habes in exodo, levitico, numeris & deuteronomio.
legem explanat Moyſes, deut. 1. 5.
legem non faciens, maledictus, deut. 27.26.
lex in corde & ob oculos, levit. 19.19.
ad Legem ſervandam exhortatio, deut. 4.5.
ante Legem peccatum non putabatur eſſe peccatum, rom. 5. 13.
lex data per angelos, gala. 3. 17.
per Legem, cognitio peccati, rom. 3. 20.
lex poſita propter tranſgreſſiones, rom. 5. 20.
lex pædagogus ad Chriſtum, gala. 3. 24.
lex bona, 1 tim. 1.8. rom. 7. 16.
lex Moyſi & circuncíſio jugum a Petro vocantur, act. 15. 5.
legem nullus Judæorum obſervabat. joan. 7. 19.
lex non vivificabat, gala. 3. 21.
lex & prophetæ duobus mandatis comprehenduntur, mat. 22.40. gala. 5. 14.
legis impletio eſt proximi dilectio, rom. 13. 10.
lex & prophetæ ſabbathis legebantur, act. 13. 15.
legis finis & perfectio, Chriſtus, rom. 10.4.
legem abolevit Chriſtus, & quare, ephe. 2. 15. 2 cor. 3. 19. act. 15. 38. heb. 7. 11.
lex regia dilectio proximi, jacob. 2. 8. & ſeq.
lex ſcripta in cordibus fidelium, heb. 8. 10.
legi Dei ſervit homo mente, rom. 7. 23. quod facere non poteſt carnis ſapientia, rom. 8. 7.
legiſperitos reprehendit Chriſtus, luc. 11. 52.
legum conditores iniquos reprehendit Iſaias, iſa. 10. 1.
Lia parit Ruben, gen. 29. 32.
libamentum lex, levi. 6. 14.
in Libro vitæ ſcribi, phil. 4. 3.
de Libro Dei deletur peccator, exo. 32. 32.
libri curioſa ſectatorum combuſti, act. 19. 19.
Libellus repudii, deut. 24. 1.
Liber Paulus non eſt ſua libertate uſus, niſi ubi neceſſarium erat, 1 cor. 9.1.
liberi ſunt Chriſtiani, 1 pet. 2. 16. joan. 8. 33. iſai. 43. 20.
libertas ſpiritus, 1 cor. 9. 22. 2 cor. 3. 17.
libertas non danda in occaſionem carnis, galat. 5. 13.
liberat de tribulatione Deus, 2 reg. 4. 10, 14, 16.
liberatio ex Ægypto, exod. 13.13.
liberavit nos Chriſtus a peccato, luc. 1.74. joan. 8.32.
Libido opus tenebrarum, rom. 13. 13.
ob Libidinem hominum diluvium, gen. 6. 2.
Ligare & ſolvere conceditur Apoſtolis, matt. 18. 18. jo. 20. 22.
Lignum ſcientiæ boni & mali, gen. 2. 16.
lignorum cæſores inter Iſraelitas, deut. 29. 1.
lignorum parabola, judic. 9. 8.
ligno immiſſo, aquæ dulceſcunt, exod. 15. 25.
limites non transferendi, prov. 22,28.23,10.
Lingua una in terra, gen. 11.1.
lingua coercenda. 1 pet. 3.10.
linguæ mala, jacob, 3. 2. & ſeq.
de Linguarum dono, 1 cor. 14. 2. act. 2. 3.
linguæ bona & mala, prover. 12,18.13,1.14,2.
in Linguam venenatam, prov. 26. 2.
lingua lambentes aquam, judic. 7.5.
Lites fugiendæ, prov. 20.3. 2 tim. 2.23.
Literas mortis ſuæ fert Urias, 2 reg. 11. 15.
litera quæ occidit, lex Moyſi eſt: quæ irritat ad peccatum, quod mortem generat, 2 cor. 3. 6.
Lobna rebellat contra Judam, 4 reg. 8.22.
Locuſtæ viſio, amos. 7. 1.
de Loide avia Timothei, 2 tim. 1. 5.
Longanimitas Dei, ſalus noſtra, 2 pet. 3. 15.
Loquentem Deum non fert populus, exo. 20. 19.
loquitur Chriſtus verba Patris, deut. 18. & ſeq.
loquacitas fugienda, eccl. 19.1. c. 20.5.
Lot fratris Abrahæ acta, gen. 11.13.19. deut. 2.9.19.
Lot uxor verſa in ſtatuam ſalis, gen. 19.26. luc. 17.32.
Lucas medicus, coloſſ. 4. 14.
Lucernarum forma, exod. 25.37. levi. 24.2.
lucerna noſtra Deus, 2 reg. 22. 29.
Lucerna Iſrael David, 2 reg. 21. 17.
Lucri gratia docentes, tit. 1.7.
Lucus plantatio, deut. 16. 21.
Luci gentium excidi jubentur, exod. 34.13. quod fecit Ezechias, 4 reg. 18. 4. Item Joſias 4 reg. 23.6.
Luctu mulieris Thecuitidis ficto revocatur Abſalon, 2 regum 14.4.
Ludunt coram vitulo Iſraelitæ, exod. 32. 6. & ſeq.
ludit David coram arca, 2 reg. 6. 5.
Luget Jacob filium ſuum Joſeph, gen. 37. 34.
luget David Amnonem filium, 2 reg. 23. 33.
lugendi non ſunt mortui, 1 theſſ. 4. 17.
lugentibus conſolatio promittitur, luc. 6.25.
Lumbi mentis ſuccingendi. 1 pet. 1.13. luc. 12.35.
Luminaria in mundo, Chriſtiani, phil. 2.15.
luminaria ſol, luna & ſtellæ, creantur, gen. 1. 14.
Luna a Deo creata, nocti præeſt, gen. 1. 16.
lunam, ſolem ac cœli militiam adorantes occidebantur deut. 17.3.
lunæ gloria alia quam ſolis, 1 cor. 15. 41.
Lunaticus ſanatur a Chriſto, matt. 17. 15.
Luteres ænei in templo Salomonis, 3 reg. 7. f. 38.
Lux verbo Dei creatur, geneſ. 1.3.
lux Deus eſt in quo non ſunt tenebræ, 1 joan. 1. 7
lux Chriſtus oculos illuminans, joan. 1,9.3,19.8,9.5.
lux mundi Apoſtoli, math. 5. 14.
cum Luce ſocietatem habere, 1 joan. 1, 7. 2,9.
lucis opera, omnis bonitas, epheſ. 5. 9.
lux gentes poſt Chriſtum genitum, epheſ. 5. 8.
Luxuria & luxus in vino epheſ. 5. 18.
Luza, quæ & Bethel, gen. 28. 19.
Lyſias dux Antiochi, 1 machab. 3.38.

M.

MAceda urbs capitur, joſ. 10.28.
Macedonibus prædicat Paulus act. 16.9.
Maceriam & inimicitias inter gentes ac Judæos abſtulit Chriſtus, epheſ. 2.14.
Machabæorum & matris eorum paſſio, 2 mach. 7.4.
Machiritarum poſſeſſio, deut. 3. 15.
Madianitas jubet Deus occidi, num. 25,14. 31,2.
Magi Pharaonis, exod. 7, 11. 12.
Magi Chriſtum adorant, matt. 2.7.
ad Magos non declinandum, levit. 19. 31.
Magos abſtulit Saul, 1 Reg. 28.3.
Magiſter noſter Chriſtus, matth. 23. 8. joan. 13. 13.
magiſtri fieri ne ambiamus, matth. 23.8. jaco. 3, 4. 1.
magiſtri mendaces, quales, 2 pet. 2.1.
magiſtratibus parendum, rom. 13.1.
magiſtratui tributum ſolvit Chriſtus, matth. 17.27.
magiſtratus Deum timentes, exod. 18.21. deut. 1.13.
magiſtratui non detrahendum, exod. 22.28.
magiſtratus malus malo populo datur, job. 34. 30. joſ. 29. 10.
magiſtratus impii, prov. 29. 8.
magnifica Dei erga Iſraelem, 1 reg. 12. 19.
magnificentia Deo danda, deut. 32.3.
Majeſtas Dei, quæ & gloria, exod. 40. 35.
Major in eccleſia, quis, mat. 18. 3.
Malcho amputata auricula, joan. 18. 10.
Maledicta terra ob Adæ peccatum, geneſ. 3. 17.
maledictiones inobedientibus, lev. 26. 15.
maledicere Iſraelitis non poteſt Balaam contra Dei voluntatem, num. 22,18.23,14. deut. 23. 44.
maledictiones in monte Hebal, deut. 27. 13.
maledicit Eliſeus in nomine Domini pueris ipſum irridentibus, 4 reg. 2. 24.
maledicuntur Gabaonitæ ut perpetuo ſint in miniſterio, joſ. 9. 23.
maledictus, qui legem non implet, galat. 3. 10. deut. 11.26.
maledictus qui pendet in ligno, deut. 21. 23.
maledictum factus pro nobis Chriſtus, galat. 3.13.
non maledicendum perſecutoribus, ſed potius benedicendum, luc. 6.28. roma. 12.14. 1 pet. 3.9.
maledicenti non maledicit Chriſtus, 1 pet. 2.23.
maledicenti Semei non maledicit David, 2 reg. 16.10.
maledicentibus benedicit Paulus, 1 corinth. 4. 12.
maledicit Paulus iis qui Galatas abduxerunt ab evangelii veritate, galat. 5. 12.
maledici non poſſidebunt regnum, 1 corint. 6. 10.
maledicti a Chriſto hœdi, matth. 25.41.
maledicens nomini Dei lapidatur, levit. 24. 11,15.
Malefacta beneficiis vincenda, roma. 12.17.
Malefici occidendi, deut. 18. 10.
Malum omne, contagioſum, prov. 6. 27.
malum odio habendum, rom. 12. 9.
malum pro malo non reddendum, rom. 12. 9. exemplo Eliſei, 4 regum, 6.22.
mala pro bonis non reddenda, prove. 17.13. ſicut fecit Nabal Davidi, 1 reg. 25.15. & ſeq.
mala quæ perfert David, Deo accepta refert, non inimicis, 2 reg. 16. 12.
malum venditionis Joſeph Deus vertit in bonum, gen. 50. 15.
mali ſumus a corrupta natura, luc. 11.48. gen. 6. 5.
mali & infideles ſemen diaboli, Matth. 13. 20.
mali e cœtu Chriſtianorum auferendi. 1 corinth. 5. 13.
malitia hominis multa, gen. 6.5.
malitia omnis auferenda, eph. 4. 24. coloſſ. 3.8.
malitia pueri efficiamur, non ſenſu, 1 corinth. 14. 20.
malitiæ veteris fermentum a nobis expurgandum, 1 cor. 5.13.
ie Malitia perſeverantes pereunt, 1 reg. 12. 25.
Mambre quæ & Hebron dicitur, gen. 23.17, 19.
Mammona iniquo parandi amici, luc. 16.9.
Mamzer non admittendus in eccleſiam, deut. 23. 2.
Manna cibus patribus primum incognitus, deut. 8.3.
Man pluit Iſraelitis, exod. 16.4.

man faſtidit populus, num. 11. 1.
manna deficit, joſ. 5. 12.
manna non erat panis verus dans vitam, joan. 6. 31.
Manahem occidit Sellum, 4 reg. 15. 16.
Manaſſes filius Joſeph, gen. 41,51. 48,1.13. joſ. 13, 29. 14, 2. 22, 1. 7.
Manaſſes rex Juda impius, 4 reg. 21.
Mandata ſervantibus benedictio, exod. 23. 20. deut. 11. 27.
per mandatum libido peccandi, rom. 7. 8,12.
mandatum Chriſti novum, dilectio, joan. 13. 34.
mandata ſervat qui diligit, joan. 14.21.1 joan.2.3.
mandata ſervando vitam æternam haberi docet Chriſtus: mat 19.17.
mandatis hominum adverſantium Deo non attendendum tit. 1. 14.
mandragora Liæ, gen. 30. 14.
non manducet qui non laborat, 2 theſſ. 3. 10.
manducet Chriſtianus in gloriam Dei, 1 corinth. 9. 10, 31.
manducare Chriſti carnem, joan. 6.52.
manere in Chriſto, 1 joan. 2.6.
quando Manet Deus in nobis, 1 joan. 3. 24.
manſiones paratæ fidelibus, joan. 14. 2.
manſiones filiorum Iſrael, num. 33. 1.
manſuetudinis commendatio, prov. 16. 19. eph. 4. 2. eccl. 10. 10.
manſuetudo Pauli, 1 corinth. 4.21.
manſuetiſſimus Moyſes, num. 12.8.
Manue pater Samſonis, judic. 13.8.
Manus abſcindenda falſo teſti, deut. 19. 21.
manus Jeroboam areſcit, 3 reg. 13.4.
manus lavare ante cibum, mat. 15.2.
manus non lavat Chriſtus ante cibum, luc. 11. 38.
manibus noſtris operemur, 1 theſſ. 14.11.
manuum opera fructificare facit Deus obedientibus ſibi, deut. 30. 9.
manus propria ſcandalizans nos, abſcindatur, mat. 5. 30.
manus arida ſanatur, mat. 12. 10.
